64

36155521

[xvi], 1104, [100] pp. con antip. allegor. inc. in rame. Completo.

238

The

Robert E. Gross
Collection

A Memorial to the Founder
of the
Lockheed Aircraft Corporation

Business Administration Library
University of California
Los Angeles

CASPARIS KLOCKII, JCTI &c.

TRACTATUS
DE
ÆRARIO

EMENDATIOR ET AUCTIOR
REDDITUS,
à
CHRISTOPHORO PELLERO, J.U.D.

Ærarium loquitur.

E*Vge*, Quercea *me juvat* Corona,
Vel quæ Civica nuncupata quondam:
Nam, ſervare meum & parare gazam eſt.
Accepti ratio *quieta conſtat:*
Expenſi ratio *modeſta compar:*
Parcâ Divitias manu recondo,
Et paſſim cumulo citâ Æquitate.
Parſimonia *veſtimenta* cingit,
Picta graniferâ, nigrâ catervâ
Formicarum: *toga ſic latet ſuperba.*
Conculco pedibus rapacitatem,
Schemate accipitris *vagi notatam.*
Hinc Phœbi *radiis manus reſplendet,*
Illis Vrbs vegetatur & fovetur,
Vernant paſcua, ſylva, prata, campi,
Et florent renovo favore Solis;
Quin totum regimen venuſtat aurum.
Cenſus innocuus, tenellus almus,
Cenſus non populum ſuum cruentans,
Cenſus proficuus, medulla dulcis,
Cenſus candidus optimus ſatelles.

Ad inſtantiam Excellentiſſimi Domini
AUTORIS

L. MQ. facieb.

GEORG-PHILIPPUS HARSDÖRFFERUS,
Dicaſterii Norici Adſeſſor.



C. N. Schurtz. sc.

CASPARIS KLOCKII
JURISCONSULTI, SACRI CÆSAREI PALATII COMITIS,
quondam Ducum Brunſvicenſium in Epiſcopatibus Mindenſi & Hildeſienſi, pòſt Comitum à Stolberg Cancellarii, &c.

TRACTATUS
JURIDICO-POLITICO-POLEMICO-HISTORICUS
DE

ÆRARIO,
SIVE

CENSU, PER HONESTA MEDIA, ABSQUE DIVEXATIONE POPULI, LICITE CONFICIENDO,

LIBRI DUO:
In quorum priori varia variarum Gentium in Europa, Aſia, Africa, & toto Orbe Illuſtrium, Regum, Principum, Populorum, Univerſitatum ac Rerumpublicarum Æraria, cenſus, opes, vires admirandæ recenſentur:

In poſteriori multifaria & propè innumera legitimæ colligendi pecuniæ Media, Remedia, & Modi Ærarium divitandi explicitè & implicitè comprehenſa proponuntur, evolvuntur, explanantur, ac pleraque REGALIA MINORA, & Compendia Fiſci enucleantur, nec non illegitimæ Ærarii rationes refelluntur.

Nunc
correctior undique & ex ipſis fontibus emendatior
hac ſecunda editione
redditus:
Nec non
Obſervationibus, Additionibus, Remiſſionibusq; variis locupletatus
Operâ ſtudioque

CHRISTOPHORI PELLERI,
J. U. DOCTORIS, ET REIPUBLICÆ NORIMBERGENSIS CONSILIARII.

Cum Breviariis Capitum metricis, Indicibusq; rerum & verborum copioſiſſimis.

NORIMBERGÆ,
Sumptibus JOHANNIS ANDREÆ, & WOLFGANGI ENDTERI JUNIORIS, Hæredum.
Anno M. DC. LXXI.

Hic liber, hic labor eſt,
hoc opus! huc opes
(quæ omnes appellantur uno ingenii nomine)
velut in ærarium contulit, Ipſe ærarium ſibi,
& Craſſus & Caſſius & Cælius,
Verum nomen deſideras? Pellerus,
illorum omnium laude cenſendus;
quod *cenſum* hunc, *honeſtè conficiendum*, Vir honeſtus cenſuit,
dum libri recenſum egit.
Erigit animum Lector, ad electa hæc Pelleri bellaria,
ad recondita hæc ſapientiæ condimenta;
quibus ſeſe famem afferre, poſt epulas, mentemque jejunam atque avidam, affirmat:
Nam cibi condimentum, fames eſt;
ceu libri incrementum, fama.
Vici te, Salomon! exclamat Juſtinianus, abſoluto Sophiæ templo:
Vicit te, Juſtiniane! exædificato hoc civilis Sapientiæ fano,
qui arte ſeipſum vicit, atque induſtria.
Victi ſunt ædis Epheſiæ conditor ſimul ac inſtaurator,
Cherſiphron & *Chirocrates*: Hi manus dant,
qui *mentem* & *potentiam* in *manu* ſua habuére.
Jacet ipſa ſibi moleſta moles Dianæ, ac tacet;
cujus inopes opes famáne an infamia? in populos ſatis erant notæ.
Procul eſte, profani atque perfidi!
Fanum Fidei hoc eſt, in quod ollam tutò abſtrudam;
Quam neque Scipio eripiet mihi, qui à fano Dianæ pecunias tolli juſſerat.
Æternum hoc opus non in ſolo paluſtri, ſed illuſtri factum eſt;
quod terræmotus non ſentit, neque hiatus metuit;
ſed cœli ruinam timet.
Illic fundamenta carbonibus erant ſubſtrata; hîc carbones non ſunt pro theſauro.
Qua nocte natus eſt Alexander, eadem Dianæ templum deflagravit:
Nec mirum; Diana enim, cùm in partu Olympiadis adeſſet, domo abſuit.
Qua die renatus eſt Klockius, eadem Minervæ hoc templum Is inſtauravit:
Nec mirum; Minerva enim domi tunc fuit.
Magnitudinem illius *Vaticana baſilica* vincunt, & *Florentina Floris*;
has Klockianum jam vicit Ærarium.
Pellere! hoc otio curas *pellere* ſoles:
Sic literas in media tractas Republica, & in mediis Rempublicam literis;
his vacas etiam, cùm non vacas.

ARAM AMORI TUO DEBEO:

Muſarum & Gratiarum amor es; & quidnî meus? delicium es; & quidnî meum?
Illas & Iſtas cultu meas feci; nec feci, nî Te faciam:
Muſas Gratiasque amare deſinam, nî Te incipiam.
Libenter Tu in literis, ego in amore ſum; futurus etiam, donec erimus.
Denique verba premo, pignus promo, ſignum ac monumentum
æterni amoris, favoris, ac venerationis.

C. ARNOLD, *P.P.*

VIRIS
Generoſâ Nobilitate, Strenuitate inſigni, Sapienti Prudentiâ Fulgentiſſimis,

DN. BURCHARDO Löffelholtz à Kolberg/ 2c.
Prætori Caſtrique Imperialis Præfecto, &
Eminentiſſimi Electoris Moguntini Conſiliario, &c.

DN. GEORGIO CHRISTOPHORO Behaim/ 2c.

DN. GEORGIO PAULO Im Hoff/ 2c.

DN. GEORGIO ANDREÆ Paumgartner/ ab & in Holenſtein & Lohnerſtadt/ 2c.
Celſiſſimi Principis Palatini Solisbacenſis Conſiliario, &c.

DN. GEORGIO SIGISMUNDO Fürer/ ab Heimendorff/ in Wolckersdorff/ 2c.

DN. JODOCO WILHELMO Ebner/ 2c.

DN. GEORGIO CHRISTOPHORO Volckhamer/ 2c.

Florentiſſimæ
in
Illuſtri Republica Norimbergenſi
SEPTEMVIRORUM
Coronæ;
UNIVERSOQUE
Prælaudatæ Liberæ Imperialis Reipublicæ
ORDINI SENATORIO
Virtutum Concentu Decantatiſſimo,
DOMINIS MEIS,
Nullo non obſequii indefeſſo ſtudio, intemerataq; obſervantiæ
devotè
venerandis

FELICITATEM PERENNANTEM!

SI quandò, Viri Præ-Nobiles, Maximè-Strenui, Domini Septem-Viri, cæteriq; Patriæ Patres ſemper merentiſſimi, Domini mei ſubmiſſâ animi devotione venerandi, &c. ſi quando, inquam, mentis oculos in Veſtras Virtutes defigo, contemplorque penitiùs quâ Prudentiâ, quâ Induſtriâ, quâ animorum Conſiliorumque Magnitudine, & cùm Bellonæ flamma Germaniam noſtrã corriperet, combureret, totamque ferè in cineres redigeret, & cùm Pace inter tot calamitatibus & ærumnis feſſas belligerantium Partes, auſpiciis Glorioſiſſimæ memoriæ Imperatoris FERDINANDI III. Pii, Pacifici, Auguſti, jam ſancitâ, de Quiete Univerſali conſtabiliendâ vota omnium convenirent, difficultas verò integra & tuta halcyonia reducendi difficultatem truderet, pro Salute Reipublicæ à Divino Numine Vobis concreditæ, tot labores ſuſtinueritis, tot incommoda exantlaveritis, tot noctes inſomnes, aliis ſecurè in utramvis aurem dormiẽtibus, exigeritis, quantoq; ardore & ſtudio, & quàm indefeſſâ ſolicitudine in amplificationem Boni Publici adhuc incumbatis, obſtupeſco certè, & piè agnoſco Supremũ Numen Imperantibus majorem præ cæteris Genium dediſſe, imò cum Pſalmiſta, DII ESTIS! exclamo.

Ea propter & revereri & colere Vos tantò impenſiùs omninò partium mearum ſemper eſſe duxi, nuncque adeò cùm Civium Veſtrorum Endterorum impenſis GASPARIS KLOCKII, JCTI, ob plurima edita ſcripta celebratiſſimi, DE ÆRARIO Tractatus, notis, animadverſionibus, correctionibus, pro ingenii modulo à me illuſtratus, jam ad umbilicum deductus & recuſus, & de Patronis, quorum præſcriptis Nominibus illuſtrior & ſanctior

ſanctior redderetur, cogitandum mihi eſſet, publicè profiteor. Hæſi tamen, nec inficior, aliquantisper dubius, an ad tantum temeritatis procedere, & Vobis chartaceum hunc fœtum offerendo moleſtus exiſtere, ſicque in publica commoda peccare ſuſtinerem, cùm paupertinus iſte ingenii mei fœtus tanti non videatur, ut limatiſſimum Virorum immortali laude jam dudum condecoratorum judicium ſubire audeat.

Verumenimverò cùm præter cæteras Virtutes, quibus eminetis, Veſtra planè ſingularis benignitas, quæ nullum virum bonum admiſſione dedignatur, & erga, non dicam perfectè doctos, ſed & modicè & ſobriè ad ſolidioris Eruditionis culmen graſſantes decantatus & immerẽter toties à me expertus Favor animo meo obverſaretur; Præterea materiæ, quam tractandam ſuſceperam, dignitas & varietas me excitaret; Inprimis verò firmiter gratæ meæ menti inhæreret, me Civem in Urbe Veſtra natũ, devotionem erga Rempublicam Patriam Patriæq; Patres cum lacte materno ſuxiſſe, in ſcholis Veſtris prima literarum fundamenta poſuiſſe, in Univerſitate Veſtrâ, almâ illâ Legum Nutrice, tot impendiis ſumptibusque hactenus conſervatâ, ſtudia mea abſolviſſe Academica, in eadem honoribus in Jure Doctoralibus me condecoratum, à Vobis me in Advocatorum primùm, ac dein Conſiliariorum numerum receptum, quodq; ſub Regiminis Veſtri Auſpicio tãquam ſub umbra beneficorum Soſpitatorum hactenus vixerim; ut alia, quibus Vobis me totum mancipaſtis, ſilẽtio hac vice prætercam, cœpi titubantes aliquãtùm firmare greſſus, & quaſi Mercurio mõſtrante viam ad Vos, Viri Præ-Nobiles, Maximè-Strenui, Sapienti Prudentiâ planè inſignes,

ſignes, Domini mei, contendere, atq; ut me ipſum omni obſequio Vobis devotum, ita & opellam hanc meam ſacrare, dicare, dedicareq́ue. Quod nunc facio. Feliciter!

Accipite Fulcra Reipublicæ noſtræ firmiſſima ac Corona ſplendidiſſima, Generoſâ Nobilitate conſpicui Domini Septem-Viri, cæteriq́ue Patriæ Patres, quæſo ſubmiſſe, chartaceum hocce obſequioſiſſimæ mentis monumentum ſerenâ, ut alia ſoliti fuiſtis, fronte, nec ipſum & ejus tenuitatem, ſed potiùs offerentis animum (qui, ſecundùm Sapientis Romani effatum, formam rebus dat & parva extollit,) æſtimate; & rationem propoſiti operisq́ue mei (quod in eo totum eſt, ut ſpartam, quam nactus ſum, pro viribus ornare indies queam, utq; Vosmet obſequiis ſtudiisvè magis magisq́ue propitios ſentiam habeamq́ue) pro cæterâ æquitate veſtrâ ponderate.

Interim à Summo Numine obnixis votis contendo precorvè, ut Rempublicam Patriam Vosq́ue cum illa novis ſubinde incrementis uberiùs uberiusq́ue mactare velit, & ut, quæcunque cogitatis, dicitis, facitis, benè Vobis, benè Reipublicæ eveniant. Vivite, Patriæ Patres ſemper merentiſſimi, colendiſſimi, perpetuò Felices, videte læti & natos natorum & qui naſcentur ab illis in Pace florentes, atque non niſi ſerò in cœlum redite, diuq́ue læti intereſte populo Vobis commiſſo, qui virtutum choragio & meritorum cumulo, quo ſplendetis, jam dudum nomina Veſtra à mortalitate vindicaſtis, Æternitati inſeruiſtis.

PRÆ-NOBILITATUM PERSTRENUITATUMVE V. V.

Devotiſſimus
Chriſtoph Peller.

CASPA-

CASPARIS KLOCKII DEDICATORIA.

ILLUSTRISSIMO ET GENEROSISSIMO COMITI, ET DOMINO,

DN. ANTONIO GUNTHERO, COMITI IN OLDENBURG ET DELMENHORST, DOMINO IN JEVERN ET KNIEPHAUSEN, &c.

Illuſtriſſime & Generoſiſſime Comes, Domine Clementiſſime.

Q*Vod placeo mihi pluſculum in partu & fœtura hac mea litteraria, modeſtè id facio ac ſobriè; nec absque ratione. Cùm enim moroſior hactenus obſtinatiorq; Natura, plusquam novercali invidentiâ prolem mihi corpoream inexorabiliter detrectârit; hilareſco hercule, & gaudeo meritò, quoties parte mei nobiliore ingenio induſtriè ubertimq; ſoboleſco. Et mecum facit genus omne viventium, quorum ſuum cuilibet pulcrum & carum eſt, usque adeò, ut*

Et Ranam quisvis amat, ranam putet eſſe Dianam:
Bubo ſit an cuculus, quod amat, putet eſſe columbam.

Qua in re execranda eſt Simiarum fatuitas, quæ ſuos ſic partus amant & amplexantur, ut opprimant & perimant. Sed fœtui porrò meo, quoniam in lucem prodeundum, & Mundo huic theatrali eſt inferendus, manu aliena uſus opusq; erit obſtetricante & ſublevante. Tu, Illuſtriſſime ac Generoſiſſime Comes, *cedo, manum mihi tuam gratioſam, facilemq; dignare, ſuſcipere & allevare. Ego illum nullo verborum quaſi conchyliato tapetio, aut Campanico picto periſtromate, nec mentitæ frontis ſtibio, blandimentisq; aliis feci amabiliorem: ſolâ fide incorruptus, Veritate nudus prodit & infucatus; Tuis manibus & luce purpuratior futurus & auratior: dum leges, releges, & perleges; dum volves, revolves, & evolves: cumq; claudes, & concludes conſimili elogio:*

Dictum, ſcriptum, factum bene.

Quod ut maturiore T. Illuſtr. Celſitud. digniore judicio facias ſubſcribasq;, amabo, explicare nonnihil, perveſtigatè & diſpicitè ab usque vertice ad calcem. Ærarium vocitatur, non unico ab angulo, aut obſcurioribus Mundi latibulis vel precariò corrogatum, vel adulatoriè perunctum, vel tumidè exaggeratum: priſcorum eſt modernorumq; opulentiſſimorum Cæſarum, Regum, Ducum, Principum, Comitumq; laudatiſſimorum, celebratiſſimarumq; Rerumpubl. Ærarium, ſive quâ fuerit hactenus induſtriâ, ſive quâ deinceps foret ſolertiâ inſtruendum exaugendumq;. Ut mihi quidem (abſit verbo invidia) operoſiſſimus, oculatiſſimus, curioſiſſimusq; hic partus eſſe videatur, qui ſeſe per inſana terræ, pelagiq; pericula,

 per

per validiſſima armatarum cohortium præſidia cuſtodiasq; in arcaniſſima tot potentiſſimorum Dynaſtarum adyta & arcas penetraverit, perveſtigarit, & perſpexerit.

Atque hinc, Gratioſiſſime Domine*, non areæ modò tua & horrea, non penu tantùm & arcæ, non theſauri duntaxat & Ærarium intumeſcet & exaggerabitur, hæredumq; ac ſubditorum prægrandi emolumento & voluptate imprægnabitur: Sed ſimul in excelſam inuſitatamq; Providentiæ ſpeculam erigeris, unde eventura bona, mala, adverſa, ſecundaq; contemplatus maturimè conſtituas prævenire, rebusq; ex omni parte quàm dexterrimè conſulere.*

Erit hoc inſuper, ſi fas eſt proloqui, Virtutum Tuarum omnium firmandarum, propagandarumq;, validum irritamentum. Quoties enim Temet extendes, in tot Cæſarum, Regum, Principumq; induſtriam Oeconomicam & latam luxurioſamq; theſaurorum propaginem, non illuc modò ſequeris illos Ductores, ſed ad multò potiorem Mentis animiq; culturam proritaberis, cupidinemq; & orexim inſatiabilem excitari ſenties admirandarum Virtutum.

Vide, Illuſtriſſime & Generoſiſſime Domine, quantis me ſpebus impleverit partus hic meus novitius. Idcircò Tuæ Gratioſiſſimæ Celſitudinis pace appendam (pagellis enim conſtat & tabellis) pro foribus & valvis Palatii tui ad poſtas columnasq; ſtirpis ſtemmatisq; tui; Ad fontem generoſi ſanguinis tui; Ad aram Virtutum tuarum; ad penetrale arcæ & Ærarii tui, additâ Epigraphe:

Heic ſiſto, figo, firmo,
Inſcribo, conſecroque,
Do, dico, dedicoque.

Vt quoties Palatio pedes efferes, inferes; quoties ebore & marmore ſplendidas columnas intueberis, quoties ad tuum iſtum fontem ludes lavabisq;, quoties ad Aram provolveris, quoties Auri Tui talenta Plutonemq; excuties, partus mei, Ærarii velis Tuiq; CASPARIS KLOCKII gratioſè commeminiſſe. Id quod erit, Gratioſiſſime Comes, fortè non jucundius mihi, quàm Heſteri Reginæ & Mardochæo olim, cùm Rex Aſſuerus noctu ipſius meminerat; aut cùm Joſephi recordatus fuit Pincerna Ægyptii Pharaonis. Erit, inquam, mihi familiæq; meæ gloriæ & ſplendori T. Illuſtriſ. & Generoſiſ. Celſitud. mei ſæpius meminiſſe. Idq; unicè mihi exopto, DEVM obſecrans, ut quantum auri, argenti, gemmarumq; eſt unquam in Oldenburgenſe Ærarium abs Te Proavisq; Generoſiſſimis illatum: tantum fidei & Evangelicarum Virtutum in gratioſi pectoris Tui penu coacervet, DEO Opt. Max. ad gloriam, Tibimet & Patriæ ad ſplendorem. Vale, Generoſiſſime Comes, proſperare, utere, fruere & patrocinare.

T. CELSITUD.

Addictiſſimus cliens,

CASPAR Klock.

CASPA-

CASPARIS KLOCKII JCTI
TRACTATUS
DE
ÆRARIO
CAPITUM INDEX.
LIBER I.

CAPUT I.	An Ærarium habendum? & quæ ejus utilitas neceſſitasque.	pag. 1
II.	De Ærarii Etymo, Definitione ac Redituum diviſione.	31
	De Ærario, Imperio, Potentia, Divitiis, Opibus, Cenſu, Reditibus, Vectigalibus, Tributis, & Viribus admirandis Regum, Ducum, Principum, Provinciarum, & Rerumpublicarum.	
	IN EUROPA.	
CAPUT III.	ROMÆ Veteris & Novæ.	pag. 50
IV.	IMPERATORIS Romani.	75
V.	TURCICI IMP. qui magnam EUROPÆ, majorem ASIÆ, maximam AFRICÆ partem Tyrannide premit.	131
VI.	HISPANIÆ.	156
VII.	GALLIÆ.	188
VIII.	ANGLIÆ ſive BRITANNIÆ.	210
IX.	SUECIÆ.	227
X.	DANIÆ.	238
XI.	POLONIÆ.	245
XII.	Magni Ducis MOSCOVIÆ.	260
XIII.	VENETORUM.	268
XIV.	BELGII.	275
XV.	HELVETIÆ.	304
XVI.	SABAUDIÆ.	311
XVII.	ETRURIÆ.	316
XVIII.	MANTUÆ & MONTISFERRATI, MUTINÆ & RHEGII, PARMÆ & PLACENTIÆ, nec non URBINI.	321
	IN ASIA. Regum.	
CAPUT XIX.	CHINÆ.	pag. 327
XX	CHAN TARTARI.	341
XXI.	PERSIÆ.	346
XXII.	Magni MOGOLIS.	351
XXIII.	NARSINGÆ.	356
XXIV.	JAPONIÆ, SIAN & PEGU, CALECUTII, GALCONDÆ, &c.	358
	IN AFRICA.	
CAPUT XXV.	PRESBYTERI ſive Pretioſi JOHANNIS.	pag. 367
XXVI.	MONOMOTAPÆ.	373
XXVII.	CONGI.	376
XXVIII.	MAROCCI & FESSÆ.	381

INDEX CAPITUM
LIBRI II.

CAPUT I.	Nullum medium augendi Ærarii expeditius, magisque inculpatum ac innocens, quàm AGRICULTURA.	pag. 387. rectiùs 391
II.	Ærario augendo inſervit SYLVARUM cæduarum, incæduarum, & LIGNORUM cura.	410
III.	De reditu ex HORTIS, Pomariis, Olitoriis, Aromatariis, Coronariis, Lupulo, Iſatide, Carduo, Rubia, aliisque exoticis herbis conficiendo.	424
IV.	Ad Reipublicæ locupletandæ artem pertinet TERIOTROPHIA & BUCOLICA, Viehezucht.	437
V.	VENATIONIS, AUCUPII, & PISCINARUM publicarum emolumenta Ærario explendo conducunt.	445
VI.	De VERMICULORUM SERICI, ad ſerica comparanda cura.	pag. 465
VII.	De APUM STUDIO & CURA non poſthabenda.	468
VIII.	De MOLARUM cura non negligenda.	474
IX.	De SALE coquendo & Salinis vel aqua marina, & de Picatiis, Alumine, & Bitumine, &c.	484
X.	De compédio Fiſcali è SOLO, FORO, ſtructuris & ÆDIFICIIS PUBLICIS.	496
XI.	De DOMIBUS BRAXATORIIS ac CERVISIA & inde reſultante lucro, &c. ubi & de DOMIBUS MACTATORIIS.	500
XII.	De BALNEIS publicis, & Aquæductibus.	504

CAP. XIII. De THERMIS, ACIDULIS, FONTIBUS, AQUIS ac liquoribus MINERALIBUS. 508
XIV. De TORCULARIBUS, CLIBANIS, FURNIS & MOLENDINIS publicis ſive BANNALIBUS. 513
XV. De jure adornandi PHARMACOPOLII, vini, & exoticæ Cerviſiæ vendendi, Weinſchencke/Item ex PUTEIS, FONTIBUS, Holtzflöſſen/Bleichſtätte/etc. 505
XVI. De Reditu ex jure STAPULÆ, GERANII, & ANCHORACHII. 520
XVII. De compendio Fiſcali ex PONDERATIONE MERCIUM, Waaggeld. 523
XVIII. De compendio Fiſcali ex AREA. 524
XIX. FOENEBRE malum è Repub. EXTERMINANDUM; & mulctæ numariæ & nomine indictæ in Fiſcum tranſcribendæ. 526
XX. De USURIS & MONTIBUS PIETATIS. 538
XXI. De menſis ARGENTARIIS. 542
XXII. De menſis NUMULARIIS, & quid in Belgio LOMBARD. 548
XXIII. De MUTUA pecunia. 551
XXIV. De AURO & ARGENTO NON EXPORTANDO. 553
XXV. De MERCATURA PRINCIPUM maritima & terreſtri. 554
XXVI. De MONOPOLIIS Principum & Civitatum. 564
XXVII. De METALLI CURA & cultura. 570
XXVIII. De AURO, auri venis, & arenis. 574
XXIX. De ARGENTO, & Argentariis. 577
XXX. De ÆRE & Cupro. 579
XXXI. De FERRI & CHALYBIS fodinis. Eiſen-Stahl/Eiſen-Ertz und Stein. 581
XXXII. De STANNO & PLUMBO. 584
XXXIII. De ALIIS METALLIS medii & infimi generis in Repub. excolendis. 586
XXXIV. De GEMMIS, LAPIDICINIS, nec non terræ fodinis 588
XXXV. De MECHANICIS artibus & OPIFICIIS, ærarium divitantibus. 593
XXXVI. Ærarii augmentum ex PONDERUM & MENSURARUM FALSIFICATIONIBUS. 602
XXXVII. INDIVISIBILITAS FEUDORUM REGALIUM & Majorum Dignitatum, Imperiorumque, Ærariorum nutrix, altrix, & conſervatrix. 605
XXXVIII. De compendio Fiſci ex DESIGNATIONE BONORUM FEUDALIUM & OMISSIONE PETITIONIS INVESTITURÆ redigendo 622
XXXIX. De BONIS à VASALLO ALIENATIS vel onere hypothecæ affectis ærario adjudicandis. 628
XL. Ærarii augmentatio ex FEUDIS CADUCIS procedit. 629
XLI. VASALLUS IPSE AD SUSCIPIENDAM INVESTITURAM à Domino citetur; & perſonalem comparitionem deneganti, Feudum avocetur, Ærarioque addicatur. 647
XLII. De LAUDIMIIS bonorum feudalium, emphyteuticorum & ſimilium. 657
XLIII. De DOTIUM IMMENSITATE moderanda. 668
XLIV. Princeps liberalitati modum ponat, ne Ærarium nimiis largitionibus exhauriatur. 675
XLV. DONATIONES IMMENSÆ Principum indignis factæ à Succeſſoribus revocandæ, atque Ærario addicendæ. 678
XLVI. Dignæ dignis mercedes concedendæ, at CONCIDENDÆ PENSIONES & ſtipendia Militibus, Nobilibus, aliisq; aulicis miniſtris liberaliùs perſoluta; Neq; Ærarium ſtipẽdiorum militarium magnitudine abligurienđũ. 682
XLVII. Princeps numerum eorum, qui à TRIBUTIS IMMUNES ſunt, MINUAT, contra Ruſticorum privilegia augeat. 684
XLVIII. SUBDITI bello vel alia fatali calamitate atriti, profugi, exules, & extorres per Citatoria Edicta & proclamata in Provinciam revocandi; PRÆDIAQUE ET AGRI DESERTI IN CENSUM REDIGENDI. 688
XLIX. CERTÆ PRÆFECTURÆ, adminiſtrationes Regiæ & Dominiorum tituli VENDI, VEL HYPOTHECA SUPPONI aliquando ad tempus poſſunt, ut pecunia ſit prompta. 693
L. Opportuna TRIBUTORUM REMISSIO Ærario expediens. 699
LI. TRIBUTORUM aliorumq; onerum ENORMITAS ÆRARIO NOCIVA. 703
LII. ÆQUALIS Tributorum & Cenſuum COLLATIO ærario proficua. 708
LIII. DE MODO COLLECTANDI Ærario ſubſerviente. 711
LIV. Adprimè Ærario conſulitur, ſi REDITUS Ordinarii & præſertim extraordinarii NON IMPENDANTUR IN ALIUD, QUAM DESTINATI SUNT. 721
LV. Ærarium ditatur, SI DIVITES GRAVANTUR, ac egentium & tenuiorum cura habeatur. 725
LVI. Nobilibus, Clericis, Forenſibus, Peregrinis BONA RUSTICORUM ementibus, Princeps proſpiciat, ne bona hæc ÆRARIO vel Æſtimio, civilibusque oneribus EXIMANTUR. 727
LVII. OPERÆ & COMMEATUS potiùs, quàm numi in bello exigendi. 729
LVIII. PRODIGALITAS ÆRARIO PRODEST. 731
LIX. QUÆSTUS EX DIVERSORIIS, tabernis & Cauponis villicis Ærario inſervit. 735

CAP. LX. VISITATIO PROVINCIÆ & luſtratio bonorum fiſcalium ad Ærarium pertinentium neceſſaria & utilis. 738

LXI. Commodum fiſcale EX TUTELA PUPILLORUM. 741

LXII. Compendium Fiſci EX JUDÆORUM RECEPTIONE. 742

LXIII. Emolumentum Fiſci EX ALLUVIONUM JURE, vulgò Anwurff. 752

LXIV. AUCTIONE ORDINARIORUM VECTIGALIUM augetur Ærariũ. 755

LXV. AUCTIO ORDINARIORUM REDITUUM MAGIS PUBLICA, quàm privatorum bona afficere debet. 757

LXVI. QUARUM RERUM VECTIGAL AUGERI DEBEAT. 758

LXVII. AUCTIO conſuetorum redituum POTIUS IN FORENSIUM quàm ſubditorum, gravamen redundare debeat. 761

LXVIII. AB INFORMI & RUDI MATERIA, quæ à peregrinis ad nos advehitur, portorium removendum. 761

LXIX. De Variis Vectigalium generibus: & primò DE VECTIGALI MIGRATIONIS, vulgò Abzug/ Nachſchuß/ ꝛc. 763

LXX. De VECTIGALI HÆREDITATUM & DOTIUM, quæ aliorſum deferuntur. 765

LXXI. De VECTIGALI MERCATORUM & INSTITORUM ſingularum rerum, quas vendunt, vulgò Accis der Kram- oder Kauffwaaren/ ꝛc. 768

LXXII. De VECTIGALI RERUM IMMOBILIUM venditarum 768

LXXIII. De VECTIGALI MERCIUM invectarum & evectarum. 770

LXXIV. De VECTIGALI EX PORTU & Ripatico. 771

LXXV. De VECTIGALI PRO RHEDA, curru & jumentis. 772

LXXVI. De GVIDAGIO & literis publicis ſive ſchedulis conficiendo, vulgò, Bollet/ Gleit-Zettuln. 775

LXXVII. De PEDAGIO ſive Vectigali ex pontibus: ubi & plura de Portorio & Portario: vulgò Brucken-Zoll/ item, Weg-Geld. 777

LXXVIII. De GABELLA CARNIUM, piſcium, frumenti, vini, &c. 781

LXXIX. De CENSU ſive CAPITATIONE. 785

LXXX. De TRIBUTO. 789

LXXXI. De augmentatione Ærarii ex CURA ALIMONIÆ, ac PROPOLIIS & granariis publicæ annonæ. pag. 783. rectiùs 793. & ſic deinceps usque ad capitis 83. pag. 805

LXXXII. ANNONÆ FLAGELLATORES ſi mulctis pecuniariis coërceantur, Fiſcus opuleſcit. pag. 788. rectiùs 798

LXXXIII. De uſu & abuſu ECCLESIASTICORUM BONORUM, & de uſurpandis ſive in Fiſcum tranſcribendis eorum reditibus. pag. 789 rectiùs 799

LXXXIV. AUCTUM MONETÆ PRETIUM ad tempus, magnum eſt habendæ pecuniæ compendium, ſi ad Principem omnium numi deferantur, poſteà reſtituendi: ubi multa de Æruſcatoribus pecuniarum, quos vulgò Wipperos, Kipperos vocant. 813

LXXXV. De BONIS ATHEISTARUM, APOSTATARUM, SAGARUM & eorum, qui tædio vitæ vel valetudinis adverſæ impatientiâ, MORTEM SIBI CONSCIVERUNT. 825

LXXXVI. De BONIS ANABAPTISTARUM, aliorumque Hæreticorum fiſco ſubigendis. 843

LXXXVII. Bona in bello acquiſita, PRÆDÆ & SPOLIA HOSTIUM, &c. Ærario cedunt. 848

LXXXVIII. De DEVICTORUM PENSIONIBUS & LYTRIS captivorum. 854

LXXXIX. De SOCIORUM CONTRIBUTIONIBUS. 856

XC. De AMICORUM DONIS, largitionibus, collationibus ſpontaneis & donationibus inter vivos & causâ mortis, ærario deputandis. 857

XCI. ALBERGARIA Ærarium ditat. 860

XCII. De Erogationibus ſive HONORARIIS, QUÆ DURANTE ADVOCATIA ANNUATIM DARI SOLENT, vulgò Vogtrecht/ Schutz- und Verſpruch-Geld. 862

XCIII. NEUTRALITAS Ærario mirificè conducit. [illegible]

XCIV. De Legum Sumptuariarum promulgatione. Et primò DE VESTIUM LUXU inhibendo. 872

XCV. De damnoſiſſima IN ÆDIFICANDO PRODIGALITATE. 880

XCVI. SUPELLECTILI DOMESTICÆ & ambitioſæ modus cenſendus. 885

XCVII. NUPTIARUM LUXUS multis cohibendus, eæq; Ærario applicandæ 887

XCVIII. De LUXU AB ALBALIIS, ſive conviviis baptiſmalibus & funeralibus removendo. 889

XCIX. De COMPOTATIONUM & Conviviorum frequenti & LUXURIOSO ADPARATU refrænando. 890

C. Acquæſtus ex ENCÆNIIS, vulgò Kirchweihungen. 895

CI. Salubre compendium Fiſci ex ALEA, chartis luſoriis, aliorumque ſcelerum coërcitione. 898

CII. Ærarium augetur ERGASTERIIS NEQUITIÆ COERCENDÆ ACCOMMODATIS, Opificiisque inſtruendis, Chinenſium, & Belgarum-

garum exemplo: ubi plura de VALIDIS MENDICANTIBUS & quæ inter hosce & otioſos ſit differentia. 903
CAP. CIII. De nonnullis SUPERFLUIS EXPENSIS EVITANDIS & reſecandis. 909
CIV. Principes foveant AULAM RESTRICTAM & parcam. 911
CV. ADULATORES, MIMI, SCURRÆ, MORIONES, &c. FUGIENDI & ab Aulis arcendi. 913
CVI. EBRIETAS & INGURGITATIO ab Aula removenda. 920
CVII. De PEREGRINATIONIBUS longinquis vitandis. 922
CVIII. De EQUITATU, VENATIONIBUS, & PYROTECHNIIS, &c. 923
CIX. De VENDITIONE HONORUM, Dignitatum, Privilegiorum, &c. 926
CX. HONORUM COLLATIO Ærario conducit. 930
CXI. De TRIBUTO ADVENARUM, & an peregrini gratis vel pretio in Civitatem recipiendi? 931
CXII. Rerum in foro VENALIUM PRETIUM AUGERI AD TEMPUS poteſt, & quod plus ſolito eſt, in Ærarium referri. 934
CXIII. De COLLATIONE SUPELLECTILIS PRINCIPIS, aut Primorum, & Civium Reipublicæ. 937
CXIV. De bonis NAUFRAGIO EJECTIS. 937
CXV. De rebus FURTIVIS & INVENTIS. 944
CXVI. De THESAURO, & re habitâ PRO DERELICTO. 946
CXVII. De ALCHYMIA & Chriſopæia. 953
CXVIII. De OLLA FORTUNÆ, ex quâ publicè ſortes extrahuntur. 956
CXIX. De COMOEDIIS, aliisque ſpectaculis. 957
CXX. De ADEMPTIONE RERUM PRIVATARUM. 959
CXXI. Quando & quomodo Princeps vel Reſpublica EX TESTAMENTO vel AB INTESTATO aliquid capere, eoq; Ærarium augmentare poſſit? 963
CXXII. De Redituum EX JUSTITIÆ ADMINISTRATIONE, & præcipuè è Mediis judicialibus provenientium inſtitutione. 964
CXXIII. PROCESSUUM ANFRACTUS RESECANDI, & judicia ad primam gravitatem revocanda. 971
CXXIV. ADVOCATORUM VITIA Ærarium ditant. 981
CXXV. VITIUM LITIGIOSI Commodo Fiſci cedit. 984
CXXVI. Ex BLASPHEMIÆ portento, mulctæ & pœnæ pecuniariæ cogi, Ærarioque infarciri poſſunt. 987
CXXVII. Rationarium ſive BREVIARIUM PRINCIPI conficiendum. 992
CXXVIII. In RATIONES QUÆSTORUM diligenter inquirendum. 995
CXXIX. Ærario conſervando QUÆSTORES PROBI & LOCUPLETES præficiendi, & ad præſtationem Reliquorum ſtrictiſſimè revocandi. 998
CXXX. CAUTIO ab officialibus exigenda. 1001
CXXXI. Officiales ex publicis reditibus DITESCENTES, UTI SPONGIÆ, EXPRIMENDI. 1003
CXXXII. QUÆSTORUM Ærarii & Exactorum NUMERUS MINUENDUS. 1005
CXXXIII. Prudenti OPUM Ærarii DISPOSITIONE & EROGATIONE opus eſt. 1007
CXXXIV. De MULCTIS, pœnarumque compendiis. 1009
CXXXV. De CENSORUM & DENUNCIATORUM officio. 1012
CXXXVI. De BONIS VACANTIBUS. 1014
CXXXVII. De BONIS COMMITTENTIUM CRIMEN LÆSÆ MAJESTATIS. 1018
CXXXVIII. De BONIS EREPTITIIS, & quæ indignis auferuntur, 1028
CXXXIX. De BONIS CONTRAHENTIUM INCESTAS nuptias. 1031
CXL. De BONIS CONDEMNATORUM & proſcriptorum. 1040
CXLI. ADULTERIUM, Magnatum Ludus, Ærario mulctas pecuniarias luat. 1042
CXLII. An Principes ordinariam ſanguinis aliámve CORPORALEM POENAM IN PECUNIARIAM CONVERTERE; eoque medio Fiſco conſulere queant? 1050
CXLIII. PECUNIÆ PUBLICÆ DIREPTIO Fiſcum non imminuit, & longo pôſt tempore rationem pecuniæ publicæ repoſcere, & captare bonorum publicationes graviſſimum videtur. 1059
CXLIV. NOVE INVENTA & Ærario augmentando profutura non facilè rejiciat, ſed cenſuræ & ſerio examini ſubjiciat Princeps. 1060
CXLV. MODI PECUNIÆ COLLIGENDÆ ab Ariſtotele lib. 2. Oeconom. recenſiti aliique ſimiles; & de illis Authoris cenſura. 1062
CXLVI. De ILLICITIS VECTIGALIBUS Meretricum, Mendicorum, Aſtrologorum, Judæorum, Piratarum; Item pro Natis, Mortuis, &c. 1072
CXLVII. De ILLICITO VECTIGALI DECIMÆ OMNIUM VENALIUM, Urinæ, Aëris, Umbræ, Nivis, &c. 1079
CXLVIII. Deteſtandum VECTIGAL PRO SEPULTURA acceptum 1081
CXLIX. De aliis INJUSTIS EXPIATIONIBUS. 1085
CL. De mediis colligendæ pecuniæ, quibus Senatus & Cives IN OBSIDIONE MAGDEBURGENSI uſi & abuſi ſunt. 1096
CLI. Cui pro Coronide ſubjectus eſt Diſcurſus & judicium Theologicum de miſerabili & lamentabili EXCIDIO MAGDEBURGENSI 1099

DE

DE
ÆRARIO SIVE CENSU PER EXTRAORDINARIA MEDIA ABSQUE DIVEXATIONE POPULI HONESTE CONFICIENDO;
LIBER PRIMUS.
CAPUT I.
An Ærarium habendum? & quæ ejus Utilitas, Neceſſitasq́?

SUMMARIA.

1. Inſtitutum Authoris *in hoc Tractatu.*
2. Romeus *quidam collaudatus, qui Ærarii conſiliis celebris non multum gratiæ habuit.*
3. *Abſque* ærario *vix ſubſiſtit* Reſpublica.
4. *Qualem* ærarii *curam Author ſuſcipiat?*
5. *Rejiciuntur* Caligulæ *&* Veſpaſiani *ſordidæ praxes locupletandi ærarii.*
6. *Exploduntur etiam aliorum turpes* rationes ſe locupletandi; *qui nil verentur, quemvis natum excoriare*, num. 7.
8. *Contra eos, qui modis iniquioribus prodeſſe ſtudent* Principibus *& ſibi.*
9. *Produnt hi tales ſuos* Principes: *dum enim pecuniam utcunque coacervant, alienant à Principibus omnes Subditos.*
10 *Malè hi conſulunt* Principibus, *neque ab hoſte poſſet conſilium nocentius ſuggeri.*
11. *Minatur Author hujusmodi æneum* Perilli Taurum.
12. *In malam rem cum iſtis* Harpyiis.
13. *De inſigni quodam* Quadruplatore Galliæ.
14. Utrum inhoneſtum *cum utili conſiſtere poſſit.*
15. Ærarium *nemo cum Principis opprobrio ſuadeat augendum.*
16. *Inviſa eſt ſemper multitudini* Tributorum *collatio.*
17. *Ne ſic augeantur* opes Principum, *ut ſubditi exhauriantur.*
18. Philippus Longus, Galliæ Rex, *cum fama bona conſcientiam bonam profligavit.*
19. *Iniquè corrogatæ* pecuniæ *fluxæ & labiles.*
20. *Pugnatur pro* Æquo, *& abducitur* Equus.
21. *Quomodo bona omnia ſint Magiſtratus? quatuor nimirum titulis.* ibid.
22. *Quæſtio hoc ævo paradoxa; An ullum Principi* ærarium *publicum habendum?*
23. *Sunt, qui id negent: quibus rationibus? argumenta*, num. 24. 25. 26.
27. *Exemplum ex ſacris tabulis* Roboami *Regis.*
28. *Dubia eſt & incerta iniquè parti cuſtodia, &* num. 29.
30. *Exemplum cujusdam* Stemáti *ad hoc propoſitum.*
31. Aurum *pallet ob multos & fortes inſidiatores.*
32. *Quantis curis exhauriantur avidi* pecuniarum?
33. Pecuniæ *vitiorum feraciores.*
34. Pecuniæ *in bonis non cenſendæ.*
35. *Uſus moderatior* pecuniarum laudandus.
36. Theſauri Principum *periculis pluribus obnoxii, quàm ſi pecuniæ in manibus ſubditorum asſerventur.*
37. Pecuniarum copia *allicit avidum hoſtem.*
38. *Quod omnes clamant*, Pecunias *nervum belli, id unus Machiavellus inficias ivit.*
39. *Rationes adducuntur, cur* ærarium *laudabiliter ſtatuatur.*
40. Bellum *abſque* pecunia *gerere, eſt ſine pedibus velle incedere.*
41. *Non tàm* armis *bellatur, quàm* pecuniâ.
42. *Univerſa* Civitatis *commoda in pecuniæ cuſtodia conſiſtunt.*
43. Bona *fortunæ, bona externa.*
44. Dies *quaſi divus & divinus. Dea pecunia priſcis.* num. 45.
46. *Cùm ingruit improviſa* neceſſitas, *parum à populo ſperandum, docetur exemplo; ubi & de Anno, quo Conſtantinopolis à Turcis capta.*
47. *Ira ſine viribus, eſt Principis majeſtas ſine pecunia.*
48. *Et* genus *&* virtus *cum re.*
49. *Clauſum poſſidet arca* Jovem.
50. Princeps *pauper eſt omnium pila vicinorũ.*
51. Theſaurum *habeat* Princeps, *ne, cùm indiguerit, mendicare à ſubditis cogatur: ubi de theſauris Ezechiæ, Artaxerxis, & aliorum.*
52. *Exemplum Regis Davidis, quin etiam illius ſepulcri pretioſitas*, num. 53.
54. Sepulcri Religio *facit tutas divitias* Davidis.
55. Semiramidis *monimentum foris ſolâ inſcriptione dives, inane interiùs.*
56. *Pios temerare* manes, *ſcelus eſt execrandum.*
57. Salomonis *reditus annui & extraordinarii quot?*
58. Eubulus Anaphlyſtius *ſe totum penè Ærario locupletando addixit.*
59. Deciſio Authoris *pro Ærario inſtruendo.*
60. *Contraria* argumenta *reſolvuntur.*
61. *Malè partæ, & male erogatæ* divitiæ *prohibentur.*

62. Divitiarum *poſſeſſio in Regibus ſanctis & Patriarchis nil culpata ſunt Dei dona,&* num.63.
64. *Rectè quæſita , rectè uſurpatæ opes laudandæ.*
65. *Rapinam parit non pecunia, ſed cupiditas.*
66. *Quis* dives *ſit cognominandus?*
67. *Quæ ſit magiſtra rectè utendarum* divitiarum.
68. *Aliena curat, qui* pecuniam *curat.*
69. *Sunt, qui inimicis malint poſt mortem relinquere* pecunias, *quàm in vita amicis diſtribuere.*
70. *Ubi ſunt* opes, *ibi amici non deſunt.*
71. Argentum *hominibus anima & ſanguis.*
72. Magiſtratus *ne tanquan hirudines ſanguinem ſubditorum exſugant.*
73. Subditi opulenti *poſſunt eſſe Principis optimi quæſtores ærarii.*
74. In Republica Veneta *de publico ærario inſtituendo mentionem facere, Capitale eſt.*
75. *Parum apud* Venetos *refert, quòd pecuniæ publicæ ſunt exiguæ, ſi modò privati abundent.*
76. *Caveant* Principes, *ne, dum vicinorum terris bonisq́; iniquè inhiant, perdant propria.*
77. *Propter* incerta pericula , *ne deſerantur certa commoda.*
78. *Niſi* ſtipendia *dentur militibus, bella erunt latrocinia frequentia.*
79. Pecuniæ ſtipendiorumque defectus *frequentiùs exercitum diſſipat, quàm ipſemet hoſtis.*
80. *Illuſtratur hoc* exemplis.
81. *Tres ad bellum torrentes requiri,* Virorum, Commeatuum, & Pecuniarum, *&* num. 82.
83. *Potior eſt tamen* militum Virtus, *quàm pecunia: Virtus militis Veterani*, ibid. *&* num. 84.
85. Principum *culpata incuria, nil pacis tempore colligentium, ſed prodigentium, quô bellum ingruens poſſent propulſare.*
86. *Si* Tributum *exigendum , laboretur , ut hoc omnes intelligant, parendum neceſſitati. Graviora enim ſunt, quæ ſingulos attingunt; Nec tàm publicis, quàm privatis damnis homines moventur.*
87. Pecuniis *corradendis, plus ſæpè invidiæ colligunt Principes, quàm virium.*
88. *Sanctius eſt*, Rempublicam *& quemlibet mortalium eſſe inopem, quàm per dedecorum veſtigia ad cumulum divitiarum pertingere.*
89. Nervus *rerum gerendarum* pecunia, *ſed enervis ſine Conſilio maturo.*
90. Frugalitate *&* Continentiâ *pecunias parare ſatiùs, quàm non ſatis honeſtis rationibus.*
91. *Præparatio ad* bellum *Marcomannicum, non ex* tributis *extortis, ſed ex ſuperfluis* pretioſis *rebus divenditis.*
92. *Plura in hanc rem exempla.*
93. Dæmon *ludicra exercet in* pecuniis.
94. Spiritus infernales *malè partæ pecuniæ inſident.*
95. *Amabilis ſit* Princeps, *qui non niſi neceſſitate deſcendit ad privatorum exactiones, &* num. 96. *&* 97.
98. Elizabetha Anglorum Regina *collaudata.*
99. *Ne veniatur ad* Collationes populi, *quàm diu aliunde haberi poteſt* pecunia.
100. *Concluditur pro* ærario *publico inſtituendo.*
101. *Diverſi modi* pecuniæ colligendæ, *pro locorum diverſitate, &* num. 102.

Staret adhuc, aliqua ÆrarI modò cura fuiſſet,
Altera Roma, ſed heu perdita Roma fuit!
Vos igitur vigilate in publica commoda Reges,
Quodque poteſt fieri ritè, velitis idem.

IN Nupero meo Tractatu
Materiam Contributionum
me ad amuſſim exegiſſe con- 1
fido. Modò conſilium cepi,
ad populi refocillationem, &
conſervationem ſeu defenſionem Reipublicæ emaciatæ,
aliquot extraordinarios cenſus conficiendi
modos recenſere, ac rationes exquirere, quibus tenuis plebecula quàm minimùm gra-
vetur; ut, ſi curioſæ hæ deliciæ alicui placeant, 2
cibo acceſſiſſe condimentum videatur. O
utinam! Romeus heîc mihi præſto eſſet, & ſalutaria collocupletandi Ærarii conſilia ſuggereret! qui, quamvis homo exterus, in Raymundi, *Provinciæ* (1) Comitis, gratiam acceptus, cùm honeſtis rationibus Vectigalia triplo majora, quàm erant antea, reddidiſſet, criminibus tandem appetitus atque ad rationes revocatus, cum baculo & perâ, cum quibus Compoſtellâ venerat, eâ injuriâ acceptâ receſſit: neque unquam, unde venerit, aut quò diſceſſerit, cognoſci potuit. Paucos profectò ſi noſtro tempore Romeos haberemus, haudquaquam tãtâ Ærarii inopiâ premeremur, ait Joan. Mariana *l.3. de Regis inſtit. c.7. fol.m.263.*

Ærarii (ſine quo Rempublicam perpetuò
vix ſtare poſſe, (2) à prudentioribus creditum
eſt) maxima neceſſitas; & præcipuum poli- 3
tici muneris Caput eſt Ærarii vel Redituum
cura: munimentum hoc regnorum eſt, & quo
validiùs ſæpe certiusque, quàm armis expu-
gnes hoſtem. Curam tamen ærarii ita geram, 4
ut & honeſtatis & dignitatis ratio juxta habe-
atur, rejectis Veſpaſiani & Caligulæ Impp. 5
ſordibus: quorum iſte ex re qualibet gratum
pecuniæ collectæ odorem exiſtimabat, ex lotio Vectigalia corradebat, & in tributo exigendo ne mendicis quidem parcebat; hic ex meretricio quæſtu infame lucrum captabat,
& lites alere volupe ducebat; exploſis quoq; 6
Condali, Dionyſii, & aliorum turpibus ab Ariſtotele *libr. 2. Oecon.* relatis rationibus; reprehensâ Gallorum, aliorumque in magiſtratibus, dignitatibus, ſacerdotiis proſtituendis, fœditate; exterminatis denique omnium Æruſcatorum injurioſis Exactionibus, quibus nulla religio eſt, vel omnem homi-
nem natum, ut Archilochus dicebat, deco- 7
riare; & cum Comico cibum quaſi ex flamma petere; Principis ſaltem ſui, cui placere hoc pacto ſtudent, Fiſcum ut adaugeant, & partem prædæ in ſinum ſuum conferant.

Hi ταμίαι, Vulturum inſtar, alienis inſi- 8
dent cadaveribus, & ſuo magis compendio, *quàm Ærario publico ſerviunt;* (3.) nihilque agunt, quàm ut ſub novis inuſitatisque modis atque titulis, enervandorum ſubditorum vias atq; rationes commonſtrent; nunc hoc,
nunc

nunc illud expilationis ſtratagema potentioribus ſuggerentes; veluti ejuſmodi exempla ſunt præ oculis, ſi ſaltem hominum nomina exprimere eſſet integrum: ac tum ſe Principum rebus probè conſuluiſſe credunt, perinde quaſi hoſtes ſint ſuorum civium. At verò
9 proditores ſunt Principum, dum multas ipſis accumulando pecunias, animos interim ab eis ſubditorum alienant, & ad odia, contemptum, conſpirationes, ac arma capeſſenda ac-
10 cendunt. Sicuti ex eo, ſi ſubinde nova & inuſitata tributa populo irrogentur, excitari iras, ſeditiones atque defectiones oriri, Gorellus Orilia prudentiſſimè Ladislaum, Regem ſuum Neapolitanum, monuiſſe legitur, cùm diſputaret, non poſſe ab hoſte ullo proficiſci conſilium *eo nocentius.* (4) Et quidem ſi quis Annales veteres evolverit, reperiet, minimas nonnunquam exactiones illicitas, plurimorum graviſſimorumque motuum & *ſeditionum cauſam* (5) extitiſſe. Cùm enim Reſpublica unum ſit corpus, cujus *caput eſt Princeps,* (6) talis adhibenda eſt ratio, ut quemadmodum non niſi legitimum & conveniens alimentum petere debet caput, ne reliqua videlicet membra macreſcant, & exanguia relinquantur: neque etiam tantum alimenti aliquibus membris concedendum eſt, ut nutrimentum ſubtrahatur reliquis, ut fit in hydropicis: ita Princeps neque tantum vel ad ſe ipſum rapiat, vel amicis & miniſtris ſuis largiatur; quò alii egeant. Quemadmodum enim illegitimo illo modo corpus conſervari & vivere diu nequit; ita pedibus ſubſiſtere diu non poterit Reſpublica, hâcque collabente, ipſe ſimul etiam Princeps, tanquam caput, concidet & corruet.

11 Et tamen tales Conſiliarii in Aulis Principum *paſſim in pretio habentur*; (7) digni ſanè, ut novis illis tormentorum, hoc eſt, tributorum, vectigalium, portoriorum, quibus miſera plebs dilaniatur, excogitatis generibus, æneum *Perilli* (8) taurum experiantur. Quos ego *Morboniam* (9) abire optem. Eũ enim in
12 locum *Laverniones*, (10) *Harpyas*, (11) Briareos, Geryones, hirudines, ſanguiſugas & *Gryphes* (12) iſtos, vel ipſis etiam felibus rapaciores, ablegari video à Lipſio *4. polit. cap. 11. & dixi tractat. de Contrib. cap. 1. num. 383. & ſeq.*
13 Quò etiam ablegandus eſt *Quadruplator* (13) ille, quem *Bodin.* (14) *lib. 6. de republ. cap. 2.* narrat profeſſum eſſe, ampliùs ſepties millies ſeſtertiûm, id eſt, *libellarum Turonenſium* (15) ſumam 30625000. ſublatis cæteris omnibus tributis ac vectigalibus facillimè, ac ſine cujusquam incommodo in ærarium Regis Galliæ cogi poſſe; eundemque Quadruplatorem ſexcenta millia oppidorum ac pagorum in Gallia conſtituiſſe. Piè Pius Pontifex, qui ſordidulum quempiam, exigendæ pecuniæ modos, abſque populorum damno (ut ipſe dicebat) ſibi proponentem; tantum abfuit, ut audiret, ut Romæ quamprimùm cedere juſſerit; fieri non poſſe dicens, ut id ſine populi detrimento efficeretur. Sed dùm quisque ingenii ſales mirè oſtentat, ac ſæpiuſculè *Principis* (16) *favorem adfectat*; (17) accidit, ut veritatis ſuppreſſo voto, res *ad Democrati puteum* (18) detrudatur. Accedit, quòd, cùm Utilitas res ſecundùm naturam ſit, vitium omne naturæ hominis & rectæ rationi ad-
verſum, nec inhoneſtum cum utili, neque 14
honeſtum cum inutili ſtare queant. Et profectò nulla exitialior opinio in vitam hominum irrepſit, quàm quæ honeſtum ab utili diſtraxit. Undè enim malæ fidei contractus, illicita fœnora, verſuræ, æruſcandi artes, monetæ arroſiones, niſi quòd emolumenta ſaltem intuemur? at, quod in talibus negotiationibus improbum, quod injuſtum, quod fallax, non videmus. Adeò quisque ſibi proprius eſſe cupit Deus, in amore ſui ipſius, ut nil boni quid cenſeat, niſi in utilitatem vertere id ita queat, ut inde ſolus ſibi præ cunctis aliis exditeſcat: adeò quisque putat, nullum amicitiæ vinculum eſſe tàm firmum, etiamſi ſit proxima conſanguinitas, quæ non patiatur diſſolutionem ſuam in reſpectu *utilitatis propriæ.* (19)

Ego verò ejuſmodi novas Ærarii *cum op-* 15
probrio Principum (20) & ſubditorum interitu atque detrimento illicitè augendi rationes comminiſci, hoc ævo minimè ſuaſerim. Quantò enim major eſt populi de Principis ſui benignitate & *æquitate exſpectatio*, (21) fore ſcilicet, ut veteribus tributis ſublevetur potiùs, quàm novis oneretur; tantò acrioris,
ſi contrà accidat, percipiet ſenſum doloris. Et 16
ſemper inviſa eſt tributorum collatio multitudini, non modò, quia conferunt de ſuo, ſed quia metuunt, ne quotidiè ſint *graviora*
& majora (22) penſuri. Quin & turpiter eos 17
errare ac peccare cenſeo, qui Principum opes augere ſe poſſe confidunt, cùm omnia ſubditis auferre licere, & illorum nutu omnia jura converti oportere jactant, ne quidpiam in Republica tàm firmum & ſtabile ſit, quod illorum arbitratu non poſſit mutari. De quo ſcopo præter quotidianam obſervantiam teſtantur Franciſc. Hotoman. *conſil. 5. num. 6. & ſeq.* Heig. *quæſt. 40. num. 144. lib. 2.* Pariſ. de Puteo *tract. de Syndicat. tit. de exceſſ. Baron. erga ſubditos.* quòd Præfecti & Officiales ſæpius ſubditos ultrà, quàm par eſt, gravare, conarique ſoleant, omnia per impreſſionem
ad Fiſci compendium derivare. Et Philip- 18
pus Longus, (23) Galliæ Rex, cum bona fama etiam bonam conſcientiam exterminavit, quando à ſingulis Subditorum quintam redituum partem exigere auſus eſt. Ne dicam, quòd pecunia ejuſmodi malis artibus & rationibus illicitis corraſa, inſtar vivi ar-
genti, fluida ſit & fugax, non minùs, quàm 19
ova ſubventanea, (24) ſterilis & inanis, raroq; ſoleat diurnare; vix unquam ſequatur *ſucceſſorem aut hæredem;* (25) ambulatoria ſit, & (ut cum *Horatio* (26) loquar)

— — -- *momento labilis horæ*
Transmutet dominos, & cedat in altera jura,
bellè Catſius *Emblem. Ethic. 24.*

Parta per incertos numeroſa pecunia caſus,
Aut perit, aut onus eſt, ars niſi ſervet opes.

Omnia ſunt Imperatoris. (27) (*Qua de re*
20 (28) pugnarunt olim ſub Henrico Lutzeburgenſi Lotharius & Azo ICti, depoſito equi pignore. Ille ajebat & abducebat EQUUM; Hic negabat & tuebatur ÆQUUM.

Non ideo gaudebis Equo, ſi feceris Æquum,
Æquum qui faciunt, his malè currit Equus.
Æqui hoſtes vectantur equis, pedes ambulat Æquus,
An ſpernas æquum, ne tibi deſit Equus?

Omnia ſunt magiſtratuum (29) ratione (1) Jurisdictionis & adminiſtrationis, quæ legibus conſtituta & circumſcripta, (2) De-
21 fenſionis & tutelæ, (3) Annuarum penſionū, (4) Ultimæ ſucceſſionis: Non autem penes rapiendi & prodigendi licentiam. Et ſicut obſtricti ſunt ſubditi ad cenſus reddendos, obedientiam præſtandam, & honorē Principi exhibendum; ita hic contra ad clementiam & protectionem ſedulam ſubditis exhibendam diſtringitur. Quotiescunque igitur Princeps tributum, tanquam debitum ſuum exigit, examinet ſeipſum priùs, utrum ſuum etiam illis debitum, ad quod officii ratione tenetur, exſolverit? Princeps enim, cui nihil præterea curæ eſt, quàm ut pecuniâ ſubditos emungat, & quam poteſt maximam æris quantitatem ab eis exigat, expilator potiùs, quàm Princeps dicendus eſt.

Quæ hoc objici loco ſolent, ea paucula ſunt & levia. Jubet Chriſtus dare Cenſū Cæſari; Et Paulus tributa pendere jubet, *Luc. 20. v. 25. Rom. 13. v. 7.* Sed addunt ea, quæ ſunt Cæſaris, & quæ debentur Magiſtratui. In libro 1. *Samuel. 8.* rapiendi licentia, jus quidem Regis vocari videtur; Sed in fontibus exſtat particula, quæ & jus & conſuetudinem ſignificat, ut dixi *tract. de Contribut. cap. 1. num. 19.*

At vocant nonnulli in Controverſiam;
22 An Ærarium publicum habendū? & an pecuniis abundare Principes, & Reſpublicas præſtet, an minùs? De qua quæſtione videantur Bodin. *lib. 6. de Repub. c. 2. num. 675. circa fin. & ſeq.* Gregor. Tholoſan. *lib. 3. de Republ. cap. ult.* Innocent. Gentilletus ſive Author Anti. Machiavelli *lib. 3. theorem. 32.* Bartholom. Keckerman. *diſput. pract. 34. problem. 15.* quos rectè refert Dn. Beſoldus *in diſcurſu de Aerario cap. 1. tit. 1.* Quibus addo Scip. Amiratum *lib. 18. diſſertat. politic. in Tacit. diſcurſ. 9.* Waremund. ab Ehrenberg. *cap. 2. de fœderib. fol. 169.* Eliam Reuſner. *lib. 1. Stratagem. cap. 19. fol. 98.* Wolfgang. Heiderum *in Syſtemate Politico cap. 3. fol. 578. & ſeqq.* Lather. *lib. 1. de cenſu cap. 2. num. 5. & ſeqq.* Bornit. *lib. 1. de ærar. cap. 1.* Caſp. Facium *polit. Livian. art. 40. circa fin. 174.* Regemorter. *in Sermon. polit. fol. 79.* Canonhiero *dell, introduzz 8. cap. 19.*

Negativæ ſententiæ patrocinium ſuſcipi- 23
entes moventur, (1) Authoritate legis divinæ
per Moyſen. *Deut. 17. v. 17.* præſcriptæ: *Ne* 24
Rex habeat auri & argenti immenſa pondera. (30) Neque verò dubium eſt, quin optima ſit deſcriptio Reipublicæ, quæ auctorem habet DEUM.

Secundò Princeps & reliqui Magiſtratus 25
æraria ſua ditare ſupra modum haud poſſunt absque novis, inuſitatis, ac immoderatis exactionibus, confiſcationibus, & expilationibus ſubditorum: quibus de Æruſcationibus quid ſentiendum, jam antè dictum, & porrò dicetur. Trajanus Imp. Fiſcum *lieni ſimilem* (31) eſſe ferebat. Fiſco enim intumeſcente, neceſſe eſt, ut reliqua Reipub. ſicut corporis humani membra, marceſcant, putreſcant, contabeſcant.

Tertiò hoc genus expilationum Principes 26
in odium vocat, & in contemptum, & in periculum. *In odium.* Quis enim non malè animatus ſit in eos, à quibus vel lento quaſi igne conſumitur, vel planè deglubitur, exhauritur, ſpoliatur? *In contemptum.* Qui enim pecuniis & theſauris mancipatum habet animum, ferè ſemper humi repit, & degeneri curâ præditus ad altiora aſpirare non poteſt. *In periculum.* Hujus enim rei inſigne inter alia permulta habemus exemplum in Roboamo, Rege Iſraëlitarum, qui ſpreto Seniorum
conſilio, cúm ad Juniorum quorundam ſen- 27
tentiam abiret, & ad preces populi, onus indictionum & jugum levare nolet, maximam regni ſui partem amiſit, & decem tribubus manifeſtam adeò ab obſequio defectionis, ut æquiorem ad habenas gubernatorem vocarint, anſam præbuit; *3. Reg. 12. v. 19.* Videa-
tur Gregor. Tholoſan. *d. lib. 3. de Repub. c. 9.* 28
n. 19. & ſeqq. Quid? quòd & dubia eſt & incerta pecuniarum, ſi præſertim per fas & nefas congeſtæ ſint, cuſtodia? tot morionum, ſcurrarum, paraſitorum, ſycophantarum, & infinitorum propè furum & inſidiatorum manipulis obnoxia? Et quis, quæſo, otioſarum iſtiusmodi divitiarum uſus eſſe poteſt? cùm ne ab iis ipſis quidem perpetuò tutę ſint, quorum *cuſtodiæ, fidei* (32) ac ſilentio creдun-
tur: ut teſtificatur Ægyptium ærariū Rham- 29
pſiniti, qui Proteo ſucceſſerat in Regno, & mirā pecuniæ vim in eo condiderat, ædificium molitus inacceſſibile: præterquam quòd ſtructor callidè lapidē unū forinſecus exemptilem poſuerat, duobusq; liberis ſuis id commentum indicarat: qui patre mortuo multum pecuniæ abſtulerunt, repetito frequenter peculatu, donec ad Regis notitiam veniret. Tandem alterum è furibus contigit innodari potiùs, quàm cognoſci: cū frater ei caput amputaverit, ne detegeretur, & lepidiorē expilatio-

pilationem poſtea perageret, quàm Herodotus tradit in *Euterpe.(ſive lib. 2. c. 121.)* Sic &
30 Stematus quidam, ut natione, ita & aſtutiâ Græcus, per noctem in æde D. Marci latitans Theſaurum Venetum (cujus ſimilem in Europa non reperiri, multi opinantur) invaſit, ſubtractâ è ſacrario, in quo theſaurus erat conditus, marmoreâ tabulâ; Unde tantum auri abſtulit, quanto vix exportando
31 ſufficeret. Sabellic. *Hiſtor. Venet. decad. 3. lib. 6.* & Philipp. Camerar. *operar. ſubciſivarum cent. 1. cap. 64.*(33) Ob varias ejusmodi inſidias Theſauris ſtructas interrogatus *Diogenes,* (34) cur Aurum pallens eſſet? Quoniam, reſpondit, ſibi inſidiantes multos habet.

Magnis parta malis, curâ majore metuq;
Servantur, magni magna eſt cuſtodia cenſus.

Quartò, pecuniis cumulandis qui aſſueſcunt, avaritiam, quæ radix omnium eſt malorum, in ſe ipſis alunt, & acuunt, neceſſarias impenſas in Eccleſias, in Scholas, in pauperes, & bene meritos omittunt, & *curas ſibi graviſ-*
32 *ſimas attrahunt;* (35) Juvenal. *Satyr. 14.*

Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit.

Horat. *lib. 3. Od. 16.*

Creſcentem ſequitur cura pecuniam,
Majorumq; fames. (36)

Quintò, pecuniarum copia ferè impios,
33 molles & ſecuros reddit homines; *Marc. 10. v. 22. Luc. 12. v. 19.* ſuperbos & procaces, injurioſos in ſubditos, contumelioſos in vicinos, cupidos bellorum, & rerum novandarum; quæ omnia res evertunt publicas. *Crœſus Cyro* (37) nunquam bellum intuliſſet, neq; *Perſeus Romanis,* (38) ſi fuiſſent absque pecuniarum fiduciâ, quas coëgerant. Bellè Ariſtophanes *Veſpis v. 1110.*

Attamen fucos (39) *habemus adſidentes inſimul,*
Verùm aculeo carentes, quî tributi fœnera
Exedunt noſtri, nec ullo macerati tædio,
Nec labore; hoc maceramur, noſtra ſi ſtipendia
Auferant non militantes pro ſalute patriæ,
Qui manum remo nec haſtæ puſtuloſam admoverint.

34 Hinc Sextò pecuniam in bonorũ numero non eſſe habendã, oſtenditur hoc argumento: Si bona eſt pecunia, peſſimus quisque vir bonus erit, dum pecunioſus ſit modò. Nam conjugatorum, ut ferunt dialectici, par eſt ratio: Sed pecunioſus ille, vir bonus dici non poteſt: Nec pecunia igitur bona eſt dicenda.

Præterea & Septimò non eſt bonum, ut ajunt *Stoici,* (40) quo quis poteſt abuti. Sed abuti quis poteſt pecuniâ. Nullo ergo modo bona eſt vocanda.

Accedit hûc Octavò: Cujus erogatio eſt bona, ejus mala eſt poſſeſſio: per regulam, contrariorum, contraria ſunt conſequentia. At pecunia eſt ejusmodi: erogatur enim per liberalitatem, quæ bona eſt, & retinetur per avaritiam, quæ eſt mala. Quare pecunia, ſi rationi potiùs, quàm cupiditati fidem habemus, non eſt bona.

Nonò ſatius eſt, pecunias Subditis & civibus, ut tantò faciliùs rem facere, & diteſcere poſſint, vel in amicos diſtribuere, quàm otioſas, inſtar lapidis, domi defoſſas habere.

Nullus argento color eſt avaris 35
Abditæ terris inimice lamnæ
Criſpe Saluſti, niſi temperato
Splendeat uſu.

Horat. *lib. 2. Od. 2.* Constantinus *Imp.* (41) mitis admodùm & temperatus, ut in aliis omnibus circa Cenſuum & Tributorum exactionem fuit, ab cujus ore ſæpè ſæpiùs audita eſt memoranda illa vox: *Communes regni opes ſecuriùs à communitate aſſervantur, quàm ſi eas nos ipſi recondamus.* Verè prudens Imperator, qui ſuam potentiam in Civium potentia collocabat; Euſeb. *Hiſtor. Eccleſ. lib. 1. cap. 10.*

Et *Civium domus privatæ, ærarium tutiſſimũ.*
Sat dives eſt, ſub cive dite, ærarium.

Pulchrè & latè Innocent. Gentillett. *d. Theoremat. 32.* ubi multis comprobat, melius eſſe, theſauros in Subditorum, quàm Principum, pecuniis atque loculis ſitos & reconditos eſſe. Quæ enim ex publicis vectigalibus & tributis quæruntur pecuniæ, poſſunt vel queſtorum negligentiâ dilabi, vel eorundem fugâ, aut perfidiâ everti, vel bello, aut naufra- 36
gio, aut quocunque alio caſu perire: theſaurus verò, quem populus penes ſe habet, tot caſibus obnoxius non eſt. Pulchrè Waremund. ab Ehrenberg. *de regni ſubſid. & oner. ſubdit. c. 7. n. 36. fol. 112.*

Decimò, Divitiæ majores & celebriores ſæpè vicinos alliciunt Principes, ſi potentiores, ad arma contra theſaurarios illos ſpe 37
lucri & quæſtus opimi ſumenda. *Romani Cyprum* (42) occuparunt jure non alio, quàm quia & Inſulam & ipſum Regem divitiis abundare inaudierant; Flor. *lib. 3. cap. 9.* Et parum abfuit, quin Antiochus à Gallis, quibus opes ſuas oſtenderat, opprimeretur; Juſtin. *lib. 25. cap. 1. n. 5. ſeqq.* Hinc Macarenſium Rex, referente Thoma Moro *in ſua Utopia lib. 1. pag. 42.* quo primo die auſpicatur imperium, jurejurando adſtringitur, nunquam ſe uno tempore, ſupra mille auri pondo in theſauris habiturum, aut argenti, quantum ejus auri pretium æquet, qui theſaurus videtur ſufficere, ſive Regi adverſus rebelles, ſive regno adverſus hoſtium incurſiones eſſet confligendum: cæterùm minorem eſſe, quàm ut animos faciat invadendi aliena, quę potiſſima condendæ legis cauſa fuit: proxima, quòd populus ſic Regi proſpectum putavit, ne deſit pecunia, quæ in quotidiana civium commutatione verſetur, & quum Regi neceſſe eſt erogare, quicquid theſauro ſupra legitimum accrevit modum, non quæſiturum cenſuit occaſiones *injuriæ.* (43)

Undecimò, Ingentes Theſauri nonnun-
quam poſt mortem Principis diſſidiorum in-
ter hæredes & ſucceſſores ſeminaria ſunt, vel
ad luxum & profuſiones illecebræ & irrita-
menta; Innoc. Gentill. *lib.3.Theor.32.*

Duodecimò, Hiſce aliiſque rationibus
perſuaſi, Lycurgus prudentiſſimus Legiſlator
apud Lacones; & Thomas Morus in Utopia
ſua Ærarium rejecerunt: ac Machiavellus *in*
38 *diſp. Livian.lib.2.cap.10.* contra omnes pror-
ſus negat, Pecuniam belli nervum eſſe.

Decimotertiò. *Crates* (44) denique The-
banus, ſi quid etiam hoc ad rem pertinet, ma-
gnum auri numerum, quem poſſidebat, in
mare dedit præcipitem; *inquiens*, bonorum
eſſe, pecuniam contemnere; improborum,
neſcire pecuniâ uti.

39 Pro Affirmativâ qui pugnant aſſerendo,
licere Magiſtratibus theſauros colligere, ni-
tuntur (1.) ipsâ neceſſitate. Bellum enim &
reliquæ adminiſtrationis publicæ partes re-
quirunt infinita, & præſertim pecuniam,
quam omnis Imperii & civilis belli nervum
eſſe, dixit *Mutianus* (45) Dux ad Veſpaſia-
num, cenſetque *vetus Hiſtoricus* (46) publi-
cas privatasque opes, & immenſam pecuni-
am inter civiles diſcordias ferro validiorem,
& Aſdrubal Hannibalem *pecuniâ viam ſibi*
ait *ſtraviſſe* (47) in Italiam; cujus defectu, non
militum, queritur Hannibal *coactum ſe deſe-*
rere Italiam. (48) Opus eſt opibus, ſine qui-
40 bus nihil fiet, quod opus. Et absque pecu-
niis bella non magis gerere, quàm ſine pedi-
bus incedere, ſine pennis volare, ſine navibus
mare trajicere poſſumus. Ac quemadmo-
dum in familia multum prodeſt præſente
pecuniâ tempeſtivè omnia comparare, nec
deeſſe occaſionibus; ita in Republica eſt ne-
ceſſe. Plures nimirum illâ, quàm ferro tra-
hes, cùm potentior illa in ſuadelam omni fer-
ro ſit, potentiorque in ſequelam. Magnam
enim illa vim habet animos conciliandi: à
qua re una civilium bellorum felices juxtà ac
infelices exitus ferè pendent, paraſſe nimi-
rum animos, viciſſe eſt.

Quamvis verò non auro, ſed ferro cæda-
tur hoſtis; tamen hoc ipſum, niſi pecuniæ
ſuppetant, fieri non poteſt. Bellum enim non
41 in armis maximè, ſed in expenſis & ſumpti-
bus, per quæ efficacia arma & utilia fiunt, ſitũ
eſt; Thucyd. *lib.1.* Et pleræque res belli conſi-
lio & pecuniarum vi conficiuntur; Thucyd.
lib.2. quid ſperes à milite, ærario exhauſto?
nam ſive in amico, ſive in hoſtili agro exerci-
tum teneas, quid agas? *In amico prædæ indul-*
gere non potes: (49) nam quid peccavit ami-
cus tibi populus, militari prædæ permiſſus? &
in quem ſævis, niſi in te ipſum, qui in obſe-
quentem tibi populum ſævis? & quid hoc
eſt, niſi iniquitatis genus maximum, ſævire in
tuum, in innocentem, in obſequentem? &
quæ fatuitas, ultrò agrum ſuum opeſque per-
dere. Si in hoſtili verſaris agro, & liberas per-
mittis militi prædas, quid reliquum armatus
miles faciet commeatui ſuppeditando? aut è
quo ſperes, ſi hoſtilem agrum perdis, ſpem-
que omnem & opes omnes ſecas? Quòd ſi
ex omni agro prædas ſecuribus ſubjeceris, &
ſtatim ad ferrum decurras & funem, quid fa-
ciet miles pecuniâ deſtitutus, prædâ negatâ?
perget prædari? paratam crucem inveniet;
deſinet prædari? mors illi; nec aliud ſuper;
Carol. Scriban. *lib. 1. Inſtitut. Politico-Chri-*
ſtian.c.42.pag.mihi 274.

Quæ cùm ita ſint, pecuniæ ſtudioſiſſimus
quisque publicæ utilitatis, miniſter debet eſſe
ſolers & diligens. Nam cùm in pecuniæ cu-
ſtodiâ & tutelâ, univerſa *conſiſtant Civitatis*
commoda; (50) tum in ejus nomine occulta, 42
& quaſi involuta videntur ea bonorum ge-
nera, quæ tribuuntur fortunæ, quæque vo-
cantur externa. Habet enim pecunia eorum 43
bonorum æſtimationem, quæ alienari poſ-
ſunt. Eam igitur qui poſſidet, *dives, quaſi di-*
vus (51) & divinus, quòd rebus externis nul- 44
lis indigeat, eſt dictus: vel à dividendo ære,
quòd divitis ſit, æs pro meritis cuique
impertire. Itaque *pecuniam divam, vel Deam*
(52) potiùs fecerunt veteres. Et quod Hercu- 45
les cùm *Acheloo* (53) congreſſus, qui ſpeciem
Tauri induerat, ei detraxit, non erat cornu
copiæ, ut eſt in fabulis, ſed pecunia: quam
qui habet, ei præſtò adſunt cætera omnia bo-
na. Niſi igitur in Republica ſit condus, ubi-
nam promus eſſe poterit? A populo quid in- 46
gruente Neceſſitate ſperandum ſit, excidium
Conſtantinopolis teſtatum reddit. Impera-
tor cùm à Civibus pecunias conducendi mi-
litis causâ propè ſupplex peteret, animas de-
jerabant, *nihil ſibi eſſe*, (54) quod dare poſſent.
Et tamen Urbe Anno Chriſti *MCCCCLIII.*
(55) captâ, paſſim ingens *pecuniarum vis re-*
perta. (56) Nam *Beſſario*, (57) Cardinalis Ni-
cenus, memoriæ prodidit, Mahometem II.
qui duo Imperia, duodecim regna, & trecen-
tas urbes, ipſamque Conſtantinopolim non
niſi duos milliones annui cenſus habuiſſe, ſed
unam Conſtantinopolim ei prædam dediſſe
ſedecim millionum. Quò factum, ut Turcici
Imperii ſedes eò tranſlata, ſicque Conſtanti-
no Cæſare cum *omni Palæologorum familia*
(58) interfecto, nomen & ſucceſſio Impera-
torum Chriſtianæ Religionis, iis in locis, fun-
ditus deleta fuerit. Quemadmodum hujus
expugnationis hiſtoriam longo filo & ſtylo
pertexunt Chalcocyndal. *lib.8.* Sabellic. *En-*
nead.10.lib.6. Æn. Sylvius *in libello, cui ti-*
tulus eſt, Europæ ſtatus ſub Friderico III.cap.
4. qui extat apud Freher. tom.2. ſcriptorum re-
rum Germanicarum fol.44. Cuſpinian. *in Cæ-*
ſarib. fol. 447. Cruſius *in Turco-Græcia lib.1.*
& in Annal. Suevicis part.3.lib.7.cap.11. Bzo-
vius *A.C. 1453.* Calviſius *in Chronolog. A.C.*
1453. Sic & face Bellonæ in Bohemia Anno
MDCXX. accensâ, fatalis exercere viſa mul-
tos inertia, qui quaſi ſalvæ opes forent & pe-
cuniæ,

cuniæ, amiſsâ patriâ, ita aurum omni ſtudio occultarunt.

Secundò labaſcit Principum authoritas, ſi aut parum aut *nihil habeant* (59) nervorum ad res gerendas: Si arcas tinnulas, ſi crumenas
47 rugoſas, ſi in Ærario, non niſi inanias & araneas. Tum enim & Magnatum vana eſt ſine viribus ira, nec abſimilis igni, qui in ſtipulas incidit, vel inſtar ſtipulæ à ventis agitatę evaneſcit. Hinc Laurentius Grimalius *de Optimo Senatore lib. 2.* Accedo *(inquit)* ad divitias, quarum poſſeſſio vehementer Senatori ſive *Magiſtratui neceſſaria:(60)* tam enim ad uſus privatos, quàm publicos, pecuniâ opus eſt, ſine quâ nihil unquam in Civitate præclarum ille, nihil in virtute magnum efficere poteſt. Parum tuta eſt ſine viribus Majeſtas, prudentiaque ſine potentiâ ſtultitiæ ſervit. Et Horat. *lib. 2. Sat. 5.*

48 *Et genus & Virtus, niſi cum re, vilior algâ eſt.*

Quam etiam poteſtatem ac vim divitiæ habeant, benè in Satyris *cap. 96.* expreſſit Petronius Arbiter, dum ait:

Quisquis habet nummos, ſecurâ navigat aurâ,
Fortunamq; ſuo temperat arbitrio.

49 Et paulò pôſt:

— — *Quidvis nummis præſentibus opta,*
Et veniet. Clauſum poſſidet arca Jovem. *(61)*

Rectèq; cecinit, quisquis ita cecinit.

Vita hominum eſt pelagus, regina pecunia nauta:
Navigat infelix, qui caret hujus ope.

50 Tertiò nec à ſubditis, nec à vicinis metuuntur Principes, qui nihil habent, quod impendere & expendere poſſint; Sed inſtar *nucis Ovidianæ* (62) omnium ſunt expoſiti injuriis, inſtar noctuarum quibuslibet ab aviculis excipiuntur. Hinc D. Thomas de Aquinò *de Regimine Princip. lib. 2. cap. 7.* inquit: Divitiæ ſunt Regi neceſſariæ, ac etiam theſau-
51 rus; quia ſine illis regi congruè Regnum non poteſt: Et Alphonſus Toſtatus Hiſpanus *in Deuteronom. cap. 17. quæſt. 9.* Magis *(ait)* vituperabile eſt in Rege, non habere theſauros, quàm illos habere; ne, cùm neceſſitas ingruerit, cogatur ſubditos onerare tributis. Deni-
52 que Davidem, *3. Reg. 3. v. 13. & 10.* (63) gazas incredibiles poſſediſſe, & ob divitiarum Copias laudatum fuiſſe conſtat, ut nemo Hebrçorum Regum, exterorúmve conferri cum illo potuerit. Quare etiam ſepulchrum ejus, oſſaque, & cineres filius ſuperſtes circumfluere opibus voluit, quæ in Cellulis pluribus erant reconditæ, *1. Paralip. 30. v. 2.* (64) Joſeph. *lib. 7. antiquit. Judaic. cap. fin.* Earum autem
53 quæ ſumma fuerit, facilè divinabit, qui cogitaverit, Hyrcanum poſt mille & trecentos annos, cùm ab Antiocho Pio eſſet obſeſſus, conditorium illud adiiſſe, atque ex illo ter millena talenta eruiſſe; ac rurſus multo tempore interjecto, Herodem cùm alias Cellulas recluderet, reperiiſſe illic, quantum ſatis erat maximis impenſis faciendis. Juſſerat haud dubiè divitias eas pientiſſimus Rex recondi 54
illic ſecum, ut velut inacceſſæ, & loci religione tutæ eſſent. Hâc enim causâ permotos etiam alios ſæpè fuiſſe, idem ut facerent, proditum memoriæ eſt. Darius verò riſum jo- 55
cumque omnibus excitavit, cùm *Semiramidis (65)* monumentum intraret, cujus inſcriptio ingentes theſauros promittebat, cùm nihil intus, niſi tabella eſſet, quæ homini ſacrilego malam rem precabatur, propterea quòd mortuorum loculos temeraviſſet exſecran- 56
do ſcelere. Salomon quoque, eodem Joſepho teſte, effecit, ut tantum pecuniæ in urbe Hieroſolyma eſſet, quantum erat *lapidum:(66)* Vnde idem Rex mortalium ſapientiſſimus in- 57
quit *in Eccleſiaſte cap. 2. v. 8. Coacervavi mihi argentum, & aurum, & ſubſtantias Regum ac Provinciarum.* Divitiæ enim Salomoni erant ingentes: quandoquidem afferebantur ei, per ſingulos annos, auri ſexcenta ſexaginta ſex *talenta,* (67) ut dicitur *3. Reg. cap. 10. verſ. 14. & 2. Paralip. cap. 8. v. 13.* Et hi erant annui Salomonis reditus ordinarii, qui ex certis determinatisq; tributis, à ſingulis civitatibus exigebantur, & ad octo decies centena aureorum millia aſcenderunt, quod Itali dicunt *otto millioni d'oro.* Nam habebat *alios plures reditus* (68) extraordinarios, quorum ſumma annotari non potuit, quoniam non ſemper erant uniusmodi, ſed quandoque plus, quandoque minus, prout occaſiones temporaque ferebant. Auguſtinus Torniellus *tom. 2. Annal. ſacror. in Anno 1043. num. 5. fol. mihi 25.* reducit iſtos reditus incertos ad tria capita, videlicet ad eos, qui ex quibusdam regiis portoriis, rebus venalibus, quæ de loco ad locum deferebantur, & ſpeciatim ſecuta vendentibus, impoſitis, exigi ſolebant, qui vectigalium nomine ſignificantur. Deinde ad munera valdè pretioſa & frequentia, quæ cuncti Arabiæ Reges, & Satrapæ terrarum, & legati diverſarum gentium, Salomoni dare ſolebant, de quibus etiam dicitur *3. Reg. 10. v. 25. & 2. Paralip. 9. v. 23.* Quod ſinguli deferebant ei munera, vaſa argentea, & aurea, veſtes, & arma bellica, aromata quoque, & equos, & mulos, per annos ſingulos. Tertium denique proventuum genus, erat magna auri, argenti, aliarumque rerum pretioſarum copia, quam certis temporibus, ex variis mundi partibus, regii negotiatores, adferre conſueverant. Fecerat enim Rex Salomon claſſem in Aſiongaber, in littore maris rubri exiſtente, quæ *ſingulis trienniis* (69) ad inſulas orasque Indici Oceani orientales, auſtralesque, nunc Luſitanis, Hiſpanis, Belgisque admodùm pervias, navigaret, atque ab illis regionibus, præſertim verò ab *Ophir, Tharſis,* (70) & Coa, quarum ſpecialis mentio habetur locis proximè citandis, partim armorum vi, ſi opus eſſet, partim negotiationi-

tionibus,ut hodiè ſolent Hiſpani & Belgæ, aurum, aliaque multa pretioſa, aſportaret, *3. Reg.9.v.26.& c.10.v.11.22.& 28.item 2.Paralip.c.1.v.16.& c.8.v.18.& c.9.v.10.& 21.* Et apud Joſephum *8.Antiquit.cap.2.* Ex eo, quòd *3.Reg.in fine capitis 9.* legimus, allata fuiſſe de Ophir ad Regem Salomonem auri talenta quadringenta quinquaginta; videtur indicari, aut bis tantùm illas claſſes exiiſſe, ac rediiſſe ad Salomonem: aut ſi aliàs ſæpius exierunt, illas duas auri ſummas tantummodò fuiſſe memoratas, quòd fuerint cæterarum omnium majores: vel etiam, ut ex his cæteras diſcere liceret, nimirum, quòd dictæ claſſes, quando redibant, afferre ſolerent talenta circiter quadringenta. Ezechias theſauros ſibi plurimos congregavit argenti, & auri, & lapidis pretioſi, aromatum, & armorum univerſi generis, & vaſorum magni pretii, *2.Paralip. 32.v.27.* Artaxerxes habuit Theſaurarios ſive cuſtodes arcæ publicæ, *1.Eſdr.7.v.21.* De Judæis loquitur Eſaias *cap.2.v.7.* quòd repleta ſit terra eorum argento, & auro, & non ſit finis theſaurorum ejus. Tyrus coacervavit argentum quaſi humum, & aurum ut lutum platearum, *Zachar.9.v.3.* Summa pecuniæ regiæ ſignatæ, quam Dario victo *Parmenio proditore* (71) Alexandro obtulit, fuit, talentûm duo millia & ſexaginta; facti argenti pondus quingenta æquabat. *Cyrus,* (72) devictâ Aſiâ, pondo XXXIV. millia invenerat præter vaſa aurea aurumque factum, & in eo folia, ac *platanum, vitemque.* (73) Quâ victoriâ argenti quinquaginta millia talentorum reportavit, & craterem Semiramidis, cujus pondus quindecim talenta colligebat. Talentum autem Ægyptium *pondo LXXX.* (74) capere, Varro tradit.

Commendatur quoque hoc nomine *apud Plutarchum* (75) Eubulus Anaphlyſti-
58 us, qui cùm authoritate, virtute ac viribus, opibusq; polleret, nihil, quod ad bellum & imperium pertineret, unquam curandum ſuſcepit, ſed ærario locupletando penè ſe addixit. Præclarè Thucydides, *lib.8.* (de Athenienſium ærario poſt Siculum bellum exhauſto:) Ubi ærarium publicum omninò deeſt, vel eſt tenue ac invalidum, ibidem rerum præclarè gerendarum fundamentum deficit. Unde neceſſariò publicum ærarium habendum eſt; & illud etiam pro magnitudine imperii, & cœptorum conſiliorumq; ratione copioſum ac locuples. Idem Thucydides, (de Athenienſium mille talentis in caſus extraordinarios ſepoſitis *ibidem lib.8.*) præter ordinarium, *ait,* ærarium, quod publicis ſumptibus ordinariis ſit deſtinatum, aliud quoque ad extraordinarias clades & calamitates ſublevandas ſeorſim, ſanctèque reſervatum in quaque Republica eſſe oportet.

AUTHORIS JUDICIUM.

Ego, cum Gregorio Tholoſano *lib.3.de*
59 *Repub.cap.9.n.8.* utilem eſſe cauſam ærarii pecuniarumque conſervationem intrepidè adſtruo, etiam citra tempus neceſſitatis & bellorum; cum diſtinctione tamen, ut in ærarium inferantur & ibi conſerventur, quæ colligi poſſunt ex Reipublicæ bonis & ordinariis reditibus, aliiſque honeſtis mediis, citra exactionem contributionum extraordinariarum, quæ ex lacrumis colliguntur Provincialium; & quæ urgente demùm magnâ neceſſitatis & utilitatis publicæ causâ exiguntur, eaque ceſſante meritò ceſſare debent.

Quo temperamento adhibito facilis & proclivis operæ fuerit, contraria pro Negativâ diluere.

Nam ad Primum reſpondetur, Deus 60
Deut.cap.17. (76) prohibet Regi habere immenſa auri pondera, ſcilicet ad voluptatem & luxum, vel ad avaritiam; vel etiam, ſi ma- 61
lis artibus & fine malo colligantur. Alioquin divitiæ per ſe non improbantur, ac ingentes theſauros non pecuniæ tantùm, ſed etiam rerum aliarum, peculiaria eſſe Dei beneficia, pietati Regum collata, Sacræ Pandectæ teſtatum faciunt, *2.Paralip.9.v.9.& 22.cap.17.v.5.cap.32.v.27.* Et Reges Iſraël ad negotia Reipub. belli & pacis theſauros collegerunt ſine reprehenſione, *3.Reg.14.v.26.* (77) Sic divitias poſſederunt & peculia Patriarchæ & Prophetæ, Abraham, Iſaac, Jacob, Salomon, &c. Divitiæ enim ſunt donum Dei; *Geneſ.30.* 62
v.20.Ditavit (78) me Dominus dote bona, *1.Sam.2.v.7.* Dominus pauperem facit & ditat, *Prov.8.v.21.* Ut ditem diligentes me, & Theſauros eorum repleam, *2.Reg.3.verſ.13.* 63
Quæ non poſtulaſti, dedi tibi, divitias ſcilicet, & gloriam.

Tela Secundo & Tertio loco excuſſa languidiora ſunt, quàm ut poſſint adhæreſcere: Etenim ſi fines,

Quos ultra citraq; nequit conſiſtere rectum,

perpendantur, pecuniæque non malis & injuſtis, ſed honeſtis, licitis, & conceſſis rationibus, putà è bonis publicis aliiſque reditibus ordinariis & extraordinariis colligantur: eaſdem ſubditi, ſi faceſſant Exactiones illicitæ & illegitimæ, *promptiſſimè dependunt.* (79) Et hac moderatione ſi Principes utantur, mediamque viam eligant, nihil à rapinis erit periculi: Principes nec odio, nec contemptu ha- 64
bebuntur; ac ſalva erit pecunia publica: nec dubitandum, quin boni Subditi, ſi publicas *ad neceſſitates* (80) hæc pecunia non ſufficiat, ſummâ & enixâ propenſione & voluntate Patriæ ulteriùs opem ſint laturi.

Deinde pecunia corporis conſociati facilè poteſt cuſtodiri, ut ab ea arceantur Inſidiatores, ſi aurum vel argentum conflatum & contuſum *in lateres,* (81) vel laminas, liquefactum & fuſum deponatur, ac non ſolùm in Superiorum, *ſed etiam in Ordinum Statuumq;* (82) Regni poteſtate ſit hoc genus theſaurorum. Hanc Procerum Subditorumque vigilantiam & cuſtodiam boni Principes impati-

impatienter non ferunt: ſed tyranni ſine ſto-
65 macho ne audire quidem poſſunt. Pecu-
nia rapinam, ut quidam autumant, non pa-
rit; *ſed iniqua cupiditas.* (83) Neque dives
eſt, qui aut opes contemnit tenues, aut poſſi-
det ingentes; ſed qui non eget ſupervaca-
66 neis; ſcitque uti neceſſariis.

AdQuartũ & Quintum reſpondetur, Prin-
cipum avaritiam, impietatẽ, ſuperbiam, inju-
riã, mollitiem, ſecuritatem & horum ſimilia,
non Ærarii, ſed hominum eſſe vitia; Nec
propter abuſum(84) rem ipſam eſſe tollendã:

Uſus habet laudem, crimen abuſus habet.

Et quod homini, non rei; quod artifici,
non arti; quod vitio, non naturæ imputan-
dum erit. Unde *pecunia ſæpe eſt periculum a-
varorum* (85) & talium poſſidentium; ever-
ſio virtutum; malus dominus; ſervus prodi-
tor, ſui amantem, tanquam tortor immaniſ-
ſimus, excrucians. Et accidentia divitiis vi-
tia illa, *in Evangelio*(86) Væ divitibus adſcri-
bunt; Superbiam, dico, & gloriam, & ſeculi
ſtudia, & Dei incuriam, per quæ Væ meren-
tur illa à Deo creatore.

In Sexto argumento (87) jacet ſine nervis &
viribus aſſumptio: Nam peſſimus quisque &
pecunioſus ad diverſa referuntur; cũ ad mo-
res improbari, ad ſumptus poſſit probari.

In Septimo (88) argumento languoris ple-
na eſt aſſumptio. Nam licet ex animi bonis
exulet omnis abuſus; frequens tamen eſt, &
uſitatus in fortunæ bonis.

In Octavo item argumento fucum facit
Propoſitio. Nam erogatio virtutis eſt bona:
nec tamen ejus poſſeſſio eſt mala.

67 AdNonamDubitandiRationem reſpon-
detur; Magiſtram opibus utendi neque eſſe
cupiditatem, neque profuſionem, ſed libera-
litatem, in qua ſingulare quoddam decus &
juſtitiæ & *prudentiæ.* (89) Qua ex re fit, ut qui
pecuniam inveniat, rem pariter invenire vi-
deatur, *& honorem.* (90) Quamobrem *non
ita eſt,* (91) ut ſicuti ſolitus Demoſthenes eſt
dicere; qui animum curet, ſe ipſum curet; qui
68 corpus, non ſe, ſed ſua cûret: qui pecuniam,
nec ſe, nec ſua, ſed valdè aliena curet. Ete-
nim qui pecuniam deſerit, ſe, vitam, amicos,
ac denique bona omnia videtur deſerere.
Itaque ſunt, qui malunt poſt mortem *inimi-
cis pecuniam relinquere,* (92) *quàm* in vita *a-
micis impertiri.*(93) Nam ubi preſto eſt pecu-
69 nia, ibi quis in rebus operoſis inclutus eſt &
ſpectabilis. *Non parum ars,* (94) multum a-
micitia, plurimum pecunia videtur ad res o-
70 mnes habere roboris & virium. Quare non,
ubi ſunt amici, ibi ſunt opes, ſed contrà, ubi
exiſtunt opes, ibi *non deſunt amici.*(95) Nam
ſi argentum hominibus ſanguis, & anima eſt;
17 inops non tam pecuniâ diſtituitur, quàm vi-
tâ, & hominum ſocietate. Denique ſubditi
non egebunt, ſi conſueta ſaltem tributa pen-
dant; aut ſi indigentibus ex ærario publico
cum pacto reſtitutionis ſubveniatur. Atque
huc referendus & capiendus eſt *locus* Inno-
centii *Gentilleti* (96) ſive Antimachiavelli *d.
lib. 3. Theorem. 32.* quando arbitratur, ſatius
eſſe, ut Principis theſauri in Subditorum pe-
cuniis atq; loculis recondantur; *dicens,* Prin-
cipi dandam eſſe operam, ut Subditi pace
tutâ & tranquillo otio fruantur & diteſcant:
urbibus ſua libertas, ſua jura & commoda
ſerventur: libera ubique ſint commercia:
agricolæ cæterique extraordinariis & im-
modicis tributis leventur, ne Magiſtratus,
tanquam hirudines populi ſanguinem ex- 72
ſugant: *& p. p.* ne ulli alii per cauſam decima-
rum vel tributorum exigendorum, vel qui-
buscunque aliis honeſtis nominibus, miſe-
ræ plebis fortunas impunè agant, ferant-
que. &c. Hoc ſi in animum inducat Princeps,
efficiatque, ut omnes ipſius Ditionis partes
divitiis abundent, ſintque quàm plurimæ
locupletes & opulentæ domus: nullos certi-
ores habebit Quæſtores ærarios, quàm Subdi-
tos, nec, qui pecuniam ei liberaliùs, quoties
neceſse erit, ſuppeditent. Boter. *lib. 7. de Il-
luſtr. Stat. cap. 2.* 73

Hunc ad modum Veneti rei politicæ peri-
tiſſimi Rempubl. ſuam adminiſtrant; quip-
pe apud eos capitale eſt, de *publico ærario
ſeu theſauro cogendo* (97) verba facere, quod 74
prudenter & conſultò, vitandæ ſcilicet con-
tentionis atque ſimultatis causâ, ab eis inſti-
tutũ eſſe, putat Cominæus *lib. 2. de Bello Nea-
polit. fol. 807.* Cæterùm cives copiis familia-
ribus adeò amplis ſunt, ut Respubl. inopiâ
laborare nequeat: adeóque diverbii loco ibi- 75
dem celebratur: Non multum referre, ſi pu-
blicæ pecuniæ exiguæ ſint, modò privati di-
vitiis abundent; poteſt enim Respub. faci-
lè ab iis conſequi pecunias. *Boter.* (98) *in Relat.
de Civitate Venetor. fol. 70.* Et veriſſima eſt
Ciceronis ſententia: (99) Civitatis ſunt divi-
tiæ, ſingulorum facultates & copiæ.

Ad Decimum motivum, quòd ajunt,
poſſe ab hoſte occupari opes publicas & pa-
triam ſuis divitiis opprimi, reſpondetur; vi-
gilandum eſſe, &, cùm pericula inſtant, mu-
niendas, (Davidis, Ezechiæ aliorumque ex-
emplo,) non arces modò, ſed & urbes the-
ſaurorum, quæ fortes fidæque eſſe debent.
Neque enim quisquis ideo pecuniam negli-
git, quia furibus domus obnoxia eſt: Eo ar-
gumento convincerent, non oppida, non
arces, non portus muniendos, imò nec pri-
vatim opes habendas, ne habeat hoſtis aut
malus civis, quò patriæ noceat.

Præterea Principes vicini, ſi alienas opes 76
captent, id ſuo faciant periculo, & caveant,
ne cornua appetentes, etiam *auribus cum Ca-
melo* (100) mutilentur: & ne cum cane Æ-
ſopico majus fruſtum arrepturi, etiam minus
amittant, quod multis uſuvenit hactenus.

Undecimus obex eo ipſo removetur, quòd
Ordines & Proceres Regni facilè prohibere
poſſunt, ne heredes & ſucceſſores opibus

vel

vel ad mutuas diſſenſiones, vel ad luxum ab-
77 utantur. Nec propter incerta pericula, quæ propè à nullis rebus abſunt, aſpernari convenit emolumenta certa. Ad Duodecimum Dubium reſpondetur; Quòd LYCURGUS quidem ſuos *ærarium habere* (101) noluerit, ſed & eo ipſo amplificare finibus extentis Rempublicam prohibuerit. Quod cùm armis ſumptis Lacones expeterent, nervo belli deſtituti, in ſumma diſcrimina pervenerunt. Nec ſine causâ Philoſophus *lib.2.polit. cap.7.* reprehendit Spartanos, quòd commune ærarium non haberent.

Et quamvis THOMAS MORUS (102) quoque Ærarium rejiciat, cum Regibus Ægyptiis, qui invitari & magis hoſtem, & attrahi publicarum opum abundantiâ exiſtimarunt: Attamen hoc incommodum per accidens eſt, & præcaveri poteſt, ut ſuprà dixi. MACHIAVELLI denique contra omnes inſulsè negantis, *pecuniam belli nervum eſſe, argumenta refutat* (103) omnium bellorum
78 longiſſima obſervatio. Niſi enim militibus ſatisfiat, omnia bella frequentiſſima ſunt latrocinia, *Lamprid. in Severo.* (104) Et ſicut noſtri corporis membra ſine nervis moveri, & absque iis motus continuari non poteſt: ita nec exercitus colligi, nec, quò opus eſt, duci, nec uniti in expeditione retineri poſſunt, *niſi promptâ pecuniâ*, (105) quæ ipſos opportuno tempore reficiat, trahatque poſt ipſos arma, commeatum, annonam, aliasque res vitæ neceſſarias, uſuique armorum commodas. Annon pecuniæ inopia milites Germanos, qui, niſi perſolutis ſtipendiis, cum hoſte manus plerumq; conſerere detrectant, aliquoties hâc ætate noſtrâ, hoſte irruente,
79 diſſipavit? Annon eadem in bello Germanico Imperatori Carolo V. *victu faciles confœderatos effecit?* (106) Neque enim falſus tum fuit Imperator, qui copias hoſtiles ex editiori loco conſpicatus; *pulcerrimum* verò, *inquit*, *exercitum*, (107) ſed cui brevi conſilium & pecunia defutura ſunt. Annon ino-
80 pia pecuniæ *Byzantium*, (108) cùm obſideretur à Mahumete, nec quicquam numorum cives, qui tamen opulentiſſimi, pendere vellent, expugnatu facillimum reddidit. Benè itaque *Titus Flaminius* (109) Philopæmenem, Ducem Achæorum, qui multos pedites & equites in hoſtem ducebat, ſed pecuniâ deſtitutus erat, dicebat, habere manus & pedes, ſed ventrem non habere. Quare quidam Capitaneus Luſitaniæ Regi Sebaſtiano, cùm de expeditione in Barbariam ſuſcipienda ageretur, ad id bellum tres torrentes requiri dixit; *unum virorum; alterum commea-*
81 *tuum; tertium pecuniarum.* Et Johannes Jacobus Trivultius magni nominis Capitaneus rogatus, quæ res in bello neceſſariæ eſſent?
82 tres deſiderari reſpondit: *pecunias, pecunias, pecunias.*

Accedit, quòd Machiavellus *d. loc.* non niſi *comparatè* (110) negat, pecuniam eſſe nervum belli: Plus enim ad Victoriam confert militum virtus, quàm nummorum copia, & in bellis ſæpè etiam Nationes opulentiſſimæ ſuccubuerunt. Adde, quòd, defici- 83
ente pecuniâ, ex hoſtico neceſſaria peti poſſe, cenſet idem Machiavellus; nec aliud conſilium Cambyſes Cyro ſuo ſuggerit, Xenophon. *lib.1.pæd.* Verùm & illud eſt in aëre, quod dicitur, ſpem venari. Neque enim hodierni milites tàm incerto pretio ſpem emunt, ſed venales manus *maximæ mercedi porrigunt;* (111) nec ſine nummis ali, nec colligi, nec detineri, nec ad rem aliquam benè gerendam adigi poſſunt. Pecuniis verò alliciuntur, ut novos ad nidulos columbę, *ad eſcam piſces.* (112) In hanc ſentētiam Machiavelli dexterè intellectam cōdeſcendere videtur Carolus V. Imp. qui etiam, ut Capitaneus ille Luſitaniæ, ad bella, dicebat, eſſe neceſſaria, commeatus, milites & pecuniam; ſed ita tamen, ut virtutem militis veterani, quâ cætera facilè parare poſſet, omnibus anteponeret. *Chy-* 84
træus in Orat. (113) *de vita Caroli V. Imp. & part.3. Chronic. Saxon. lib. 19. fol. 20.* Joan. à Chockier *in Notis ad Onoſandr. Strateg. cap. 4. lit. F. de Imp. Offic.*

In Decimo tertio & Ultimo argumento, dilemmatis præſtigiis hallucinatur veritas. Etenim neque Improbi contemnunt pecuniam: & eâ norunt uti boni viri.

Ex ſuprà deductis intelligere jam licet;
quanta plurimorum Principum ſit incogitā- 85
tia, qui tempore pacis nihil collegerunt pecuniæ, nihil comparſerunt, nihil ſepoſuerunt, ſed omnia, quæ ſubditi volentes & nolentes penſitàrunt, dilapitando perdiderunt, in res nihili profuderunt; jam verò tempore belli vel ſolitas *ad rapinas* (114) *confugiunt*, & Subditos ſatis debiles & afflictos prorſus deglubunt & excoriant; pelli leoninæ plerumque vulpinam, & vulpinæ leoninam aſſuentes; vel tantum æris alieni colligunt, ut ſolvendo non ſint

Et nati natorum & qui naſcentur ab illis.

Singulari itaque prudentiâ ſolertiſſimè diſpiciendum erit, AN, priusquam extraordinaria onera indicantur & Collecta cogatur, alia ratio decenter legitimèque conquirendæ pecuniæ iniri & inveniri queat, ut Princeps nullam vel Occaſionem vel Neceſſitatem habeat à Subditis pecunias extorquendi, aut novis populum aggravationibus divexandi. Unde *Cic. lib. 2.* (115) *de Offic.* inde-
feſſo ſtudio laborandum eſſe monet, ne ob 86
tenuitatem ęrarii tributum ſit conferendum, niſi eò res redierit, ut omnes intelligant, ſi ſalvi eſſe velint, neceſſitati parendum eſſe. Sicut enim graviora ſunt, quæ ſingulos attingunt, & Annibal oſtendit Carthaginenſibus, non tàm publicis damnis moveri homines, quàm ſi deſcendant usq; *ad res privatas.* (116) Liv. *lib.30. infin.* Ita certum eſt, nullum conficiendæ

endæ pecuniæ modum tàm inviſum eſſe,
quàm ſi *in ſingulorum bona* (117) dirigatur,
87 adeò, ut multos Principum pecuniis acerbè
conquirendis, plus invidiæ, quàm virium ſi-
bi addere, ſcripſerit ex Tacit. *lib. 3. Hiſtor. cap.
76. num. 4.* Lipſius *4. Polit. 11.*

Hinc Veſpaſianus apud Philoſtratum,
Apollonium Tyanæum, *(quem ut Numen
aliqui venerabantur,)* (118) orat, ut, quid fa-
cere bono Principi conveniat, ſe doceat: *cui
præcipit Apollonius,* (119) ut eas inprimis di-
vitias fugiat, quæ ex contributionibus & ex-
actionibus miſerorum & pauperum conflata
eſſent, *memor* apud animum ſuum continuò
dicti Imperatoris Trajani, (120) qui aptâ ſimi-
litudine Fiſcum cum liene comparabat; quo
creſcente & intumeſcente reliqua membra
languere neceſſe eſt. Et præclariſſima illa *Per-
tinacis Imp.* in Senatu habita celebratur *ora-
tio,* (121) quâ cenſus retractari juſſit, & pro-
feſſus eſt, nullius ſe aditurum hæreditatem,
quæ aut adulatione alicujus delata eſſet, aut
lite perplexa, aut legitimi hæredes, & neceſ-
ſarii privarentur: addiditque Senatusconſul-
to hęc verba: Sanctius eſt, P.C. inopem Remp.
88 obtinere, quàm ad divitiarum cumulum per
diſcrimina atque dedecoris veſtigia perveni-
89 re. Eſt quidem nervus rerum gerendarum
pecunia, ſed *ſine* conſilio & *exercitatione
enervis:* (122) ut ſatis commendari non poſ-
ſit Gratiani ſententia; *Melius à privatis* (123)
poſſideri divitias, quàm intra unum fiſci
clauſtrum ſervari. Periander, Corinthiorum
Rex, à nemine tributum exegit: ſed reditibus
fori & portuum contentus fuit, ut inquit He-
raclides *in politiis de Repub. Corinthiorum.* Ma-
luit Erythrius, præfectus Imperii ſub Zenone,
magiſtratu ſe abdicare, quàm majus onus
præter tributa ordinaria populo imponere,
cùm tamen fiſcum exhauſtum profuſionibus
& largitionibus Cæſarum, non eſſe ſufficien-
tem ferendis impenſis publicis videret. Abiit
autem magiſtratu, non ſine magno Civitatis
dolore, ut ſcribit Suidas *in Erythrio.* Scilicet
90 *frugalitate* (124) & continentiâ opes & ſibi
& Ærario parare, quàm non ſatis honeſtis
rationibus quærere maluit. Premebatur olim
M. Antonius Philoſophus, è magnis Impera-
toribus unus, ærarii anguſtiis; fœneratitiâ pe-
cuniâ non tàm occurri poſſe malis, quàm au-
geri hæc videbat, novis vectigalibus exaſpe-
rare populum nolebat: remediũ è domo ſua
91 ſumpſit. Cùm ad bellum Marcomannicum
omne ærarium exhauſiſſet ſuum, neq; in ani-
mũ induceret, ut extra ordinem Provinciali-
bus aliquid imperaret, in foro D. Trajani au-
ctionem ornamẽtorum Imperialiũ fecit, ven-
diditque aurea pocula & cryſtallina & myr-
rhina, vaſa etiam regia, & veſtem uxoriã ſeri-
cam & auratam, quin etiam gemñas, quas mul-
tas in repoſitorio ſanctiore Hadriani repere-
rat; & per duos quidem menſes hæc venditio
celebrata eſt; tantumque auri redactum, ut
reliquias belli Marcomannici ex ſententia
perſecutus, poſteà dederit poteſtatem em-
ptoribus, ut, ſi quis vellet empta reddere at-
que aurum recipere, ſciret licere. Nec mole-
ſtus ulli fuit, qui vel non reddidit empta, vel
reddidit, ut totidem verbis refert Jul. Capi-
tolin. *in ejus vita cap. 17.* digniſſimum Impe-
rio Romano. Eadem, Caſſio narrante, ha-
bemus in Nerva: *Pecuniæ inops* (125) factus
veſtes primùm & vaſa aurea, pretioſam præ-
terea ſupellectilem, ſive illa propria, ſive pu-
blica & regia foret, auctioni ſubjecit, ut mili-
tum neceſſitati ſuccurreret. Non abſimile vi-
dimus ætate noſtra, cùm Archidux Auſtriæ
Albertus & Iſabella ornatum omnem ſuum,
in pignus fœneratitiæ pecuniæ, quò militari
ſubvenirent inopiæ, lubentes obtulerunt.
Certavit hîc Principum in ſuos amor, popu-
li in Principes veneratio; quàm enim illi vo-
lentes ultroque domeſticas opes omnes Ant-
verpiam transmiſerant, tàm faciles mercato-
res & pecuniam numerarunt, & gemmas in
pignora non admiſerunt.

Mahumedes Turcarum Imperator in ex- 92
tremis conſtitutus, teſte *Cominæo* (126) *lib.
6.* nihil magis deploravit, quàm quòd ſu-
pra debitum ac legitimum modum tributa
auxiſſet. Nic. Betſius *de pact. famil. c. ult. fol.
742. & ſeq.* Arniſæus *lib. 1. Polit. cap. 11. pag.
271.* Hæc Pietas, *ait* Betſius, ſi in infideli Prin-
cipe admiranda eſt, quantò magis execranda
erit novorum illorum Politicorum ex Italia
poſt aliquam ibi factam moram redeuntium
opinio, qui quavis fraude Principibus à Sub-
ditis pecuniam extorquere fas licitumque eſ-
ſe exiſtimant, Machiavelli plerumque præ-
ceptis, & exemplis Principum, quorum ra-
tiones non capiunt, ad id abutentes. Et ſcitu
dignum eſt illud, quod Polydorus Vergil. *lib.
8. hiſtor. Anglic.* refert de EDUARDO III. (127)
Anglorum Rege: Cùm enim Exactores tri-
buti populo impoſiti, aliquando ingentem
acervum pecuniæ ex eo tributo collatæ, dele-
ctandi ipſius animi gratiâ, coràm adduxiſ-
ſent, ille ſubitò dæmonem circa ipſum acer- 93
vum ludentem videre viſus eſt, qui ob id hu-
jusmodi pecuniam, ut rem funeſtam abhor-
rens, illicò auferri ab oculis, reſtituique popu-
lo juſſiſſe fertur. Fœlices ſanè illos Principes
eſſe putat Dn. Beſold. *in diſcurſu ſuo de æra-
rio cap. 3. §. 2.* qui malos Spiritus circa talem
pecuniam ſemper oberrare credunt; etiam 94
cùm illos non vident. Utinam, *inquit* Au-
thor *not. in Epiſt. Lipſ. not. 3.* ærarii ratio apud
multos populos haberetur exactior, admini-
ſtratio ſanctior, redituum & ſumptuum com-
putatio iniretur certior, non cum murmure
& querelis, extraordinaria novaque corra-
dendæ pecunię media ſæpius excogitarentur,
quibus Subditorum animos alienos à ſe & ex-
acerbatos reddunt primùm Principes, dein-
de Imperii ſui ſtatum turbant, & tandem cer-
tiſſimam ſibi ruinam & exitium attrahunt.

Quam-

Quamdiu igitur publicis è bonis neceſſaria haberi poſſunt, ad privatorum expilationes non eſt deſcendendum, quâ moderati-
95 one nihil eſt, quod amabiliores efficiat Principes, nihil, quod ſubditos *ad opem ferendam paratiores*. (128) Ac cùm ſumma remedia non niſi ſummis morbis adhibenda, ad hoc extraordinariæ Contributionis remedium non aliter, quàm ſi aliunde argentum non ſuppetit, confugiendum erit, prout Ludovicus S. Philippum primogenitum III. Franco-
96 rum Regem *teſtamento* (129) ſanctè admonuiſſe legitur. A Vectigalibus & tributis abſtineto; Niſi te ſumma vis neceſſitatis, ac utilitatis publicæ juſtiſſima cauſa compellat. Cujus paternam adhortationem memorat. Joan. Jonuilla Hiſtoriographus S. Ludovici Et Jacobus I. Magnæ Britanniæ Rex *lib. 2. Inſtit.* ad Henricum filium primogenitum *fol. 152.* novorum tributorum Exactionem
97 diſſuadet hiſce verbis; Ante alia, inquit, noli te locupletare, nova & gravia populo tributa imponendo: ſed tuorum opes & facultates, certiſſimas tuas divitias exiſtimato. Elizabetha, Regina Angliæ incomparabilis, immortali elogio, cùm Proceres Regni ſubſidiariam pecuniam multò majorem, quàm ſolebant, eâ conditione obtulerint, ut certum ſucceſſorem deſignaret, oblatam illam Su-
98 pernumerariam omninò reſpuit, Ordinariam, laudato illorum ſtudio, accepit, quartamq; ſubſidii conceſſi ſolutionem omninò remiſit, dictitans: Pecuniam in Subditorum arculis eſſe perinde, ac ſuis; Cambden. *de Elizabetha pag. (mihi) 122. & ſeq.* Quod ipſum ſenſit certè vir erecti & ſublimis animi, *Fabricius*, (130) cùm reſponderet; *Malle ſe imperare divitibus, quàm divitem eſſe.* Et profectò unum aliquem voluptate ac deliciis fluere, gementibus undique ac lamentantibus aliis, hoc non eſt regni, ſed carceris eſſe cuſtodem.

Cæterùm prætactum Theorema; Principibus ſcilicet in oneribus populo irrogandis adprimè obſervandum eſſe, ut intelligant Subditi, non voluntatis, ſed ingruentis Neceſſitatis hæc eſſe tributa, plenâ manu perſequuntur & exemplis hiſtoricis eleganter illuſtrant Petr. Ribadeneira & Oranus *in Princ. Chriſtian. lib. 2. c. 9. per tot.* Videatur quoque Melchior Jun. *part. 2. quæſt. polit. 74. fol. 164.* Joan Althuſ. *cap. 8. polit. §. cauſa col-*
99 *lationis, &c.* ubi conſuadent, minimè veniendum eſſe ad collationem populi, quamdiu aliunde haberi poſſint, quæ neceſſitati populi & Reipub. ſufficere queant, nimirum ex bonis fiſcalibus, ex mulctarum, & publicatorum bonorum compendiis, ex bonis ereptitiis vel vacantibus, ac rebus bello acquiſitis, & rebus ac bonis ex amicorum largitionibus acceptis, vel ſociis fœderatis. Princeps enim, qui ſatagit, ut omnibus planè facultatibus emungat ſubditos, duobus incommodis cauſam præbet. Primò, quòd maximam ſibi apud omnes conflat invidiam. Deinde, quòd ex pecunia malè collecta & iniquè extorta, non locupletior, ſed, Deo permittente, infelicior indies & pauperior redditur. Ut revera Antigonus Rex calumniam, in ſe contortam, quòd nimis ſcilicet graviter premeret ſubditos ſuos, excuſaturus, majori ſe culpâ onerat, aliquâ tamen ejus parte in Alexandrum benefactorem ſuum ſimul derivatâ. Cùm enim incuſaretur, quòd duriùs Alexandro novis exactionibus urgeret & affligeret ſubditos; non injuriâ, inquit, hoc à me fit. *Cùm enim Alexander meſſem* (131) in Aſia fecerit, me ſpicas vel ariſtas ex meſſe illius reſiduas colligere par atque æquum eſt.

Ad devitandam itaque & præpediendam Collectarum Exactionem ac Subditorum oppreſſionem expeditiſſimum forſan erit, ſi Principi in bella bellicoſq; adparatus, domeſticamque familiam, roborandoque 100
regno neceſſaria, *ordinetur commune ærarium*, (132) idque portoriis, vectigalibus, conſuetisque regni proventibus, aliisq; certis bonis ac mediis locupletetur, ut ſit aliquod extremis temporibus munimentum, injuriæque temporum ſimul & hominum ex facili profligari poſſint.

Bellum quippe inexhauſtus pecuniæ gurges eſt, cui explendo non aurei Perſarum montes, non utræque Indiæ ſufficiant, & bellorum neceſſitates humana conſilia & cunctationes non admittunt: & Principis nomen inane & contemptui atque injuriæ ſemper expoſitum, niſi ejus ærario ſignatæ pecuniæ vim ante periculum congeſtam contineri ſervarique omnis generis homines exiſtiment. Ac licet Henning. Arniſæus *l. 2. doct. pol. c. 1. p. 566.* tales pecuniæ colligendæ modos ſcrupuloſè non conquiri debere arbitretur; *cùm nec numerum*, (133) nec ſcientiam habere videantur, & è re natâ, pro cujusque prudentiâ excogitari poſſint, juvat tamen aliorum exempla præ oculis habere; ut vel ea imitemur, vel deteſtemur, & evitemus, aut pro parte ſaltem cuique Reipublicæ accommodemus.

Neque enim omnes Ærarii ſtabiliendi modi in quavis Republica adhibendi, ſed *ut variant Regnorum* (134) jura, ita quoque *reditus* eorundem: Et tum modi hi ſunt uſurpandi; Reipublicæ ſi ratio, Regionisque & Populi natura ac conditio hoc admittat: Quod hîc definiri ob circumſtantiarum infinitam varietatem non poteſt. Eſt Reſpublica, quæ abundat metalli fodinis, altera fœcunditate terræ pollet, & alia mercaturæ occaſione præſtat: Hæc Reſpubl. paucioribus indiget expenſis; illa pluribus & amplioribus. Unde prudenti ſatis conſtiterit, quibus modis in hac vel illa utendum ſit Republ. Quæ omnia & ſingula maturo judicio ſunt expendenda. Eſt enim longa differentia inter

artem

artem Civilem, quæ præceptis ferè generalibus innititur, & inter Prudentiam Civilem, quæ genera iſta ſingularia (quæ infinita & varia variantibus circumſtantiis) applicat &
101 transfert ad uſum. Quo diſcrimine non obſervato multi errore ducuntur enormi, quaſi quævis præcepta & modi adæquè omnibus ac ſingulis Rebuspubl. adaptari poſſint. Si
102 quis enim omnes acquirendæ pecuniæ modos ad unum Horizontem transferre velit, perinde faciet, ac ſi quis Venetiis equeſtrem, Norimbergæ nauticam artem exercere velit.

Priusquam verò in ipſa abdita & adyta Ærarii me inferam, idque certis colligendæ pecuniæ modis, mediisque inſtruam, operæ pretium facturum me ratus ſum, ſi de ærarii Etymo, Definitione, ac Redituum Diviſione pauca præmitterem; deinde de variis variarum gentium & in Europâ, Aſiâ, Africâ & toto Orbe illuſtrium Regum, Populorum, Univerſitatum ac Rerumpublicarum Ærariis, *Cenſibus*, *Opibus*, *Viribus* (135) admirandis, ipſis fermè authorum monumentorumque publicorum verbis & conceptis ſententiis germana, vera & ſincera proderem & præſcriberem.

CHRISTOPHORI PELLERI
OBSERVATIONES ATQUE ADDITIONES
AD
KLOCKII
LIBRI PRIMI
CAPUT I.

Num. 2.

(1) P*Rovinciæ.*] Patet hæc Regio, (*docente Georgio Fournier in Geographica Orbis Notitia tom. 2. cap. 20.*) ſecundùm Rhodanum à Vindalio (*vern. Caderouſſe*) ſeu ab oſtio Salgæ amnis, usque ad Rhodani alveum de tribus medium, indeque ſecundùm maris oram ad Forum-Julii. Eas olim partes incolebant Saluii ſeu Salyi, quorum principes populi fuerunt Cauari & Vocontii. *Provinciales* poſteà, eorumque regio *Provincia* dicta eſt à Romanis, quòd prima eſſet non ordine, ſed dignitate inter Provincias Imperii. Perhibent, quicquid ſingulæ Galliæ regiones boni laudatique terrâ ſuâ proferunt, ea omnia junctim non tantùm habere Provinciam, (*la Provence vulgò,*) ſed & pleraque præſtantiora gignere; Salinis inſuper abundare, ubi Sal ex aqua marina excoquitur; Portubus tandem maris ſuperbire nobiliſſimis, in quos ex Oriente pretioſiſſimæ & raræ merces, ex Barbaria nobiliſſimi equi adferuntur; unum huic regioni incommodum accidere ex lignorum penuria, quæ magno pretio venduntur. Prout latiùs hæc exſequitur Merula *Coſmographiæ part. 2. lib. 3. cap. 39.* Jodocus Sincerus, & Mart. Zeiller *in Itinerariis Galliæ*, hic *cap. 5. pag. 373.* ille *pag. 129.* Gotofredus *in Archontologia Coſmica Tom. I. in deſcriptione Galliæ.* Suis olim paruit Comitibus, Imperatoris fidelibus, ut Dn. Conringius *de Finibus Imp. Germanici c. 13. & 24.* ampliter deducit. Inter quos Reymundus ille Berengarius, à Friderico II. (teſte Gotfredo S. Pantaleonis monacho Agrippinenſi *in Chronico ſuo*) in Equeſtrem ordinem adſcitus, cui Beatrix nupta erat, Thomæ Mauriennæ (unde, Marianâ *de Rebus Hiſpan. lib. 12. cap. 5.* teſte, Sabaudi Principes Originem trahunt) Comitis filia, emicuit, qui tres Reges Generos habuit annis conſequentibus, quartum Cæſarem inauditâ felicitate. (*De quo vide Marianam de Rebus Hiſp. lib. 13. cap. 5.*)

Elocaverat enim Margaritham Ludovico Sancto ſive hujus nominis IX. Galliarum Regi; à qua omnes Galliæ Reges ſtemma ſuum ad noſtra usque tempora derivant: Eleonoram Henrico III. Angliæ Regi; à qua Angliæ Reges deſcendunt: Sancham Richardo, ejus Fratri, tunc Cornovalliæ Duci, pòſt anno MCCLVII. electo Romanorum Imperatori; quæ unius tantùm filii Henrici improlis anno MCCLXXI. Viterbi à Guidone, Simonis Montifortenſis filio, interfecti (*Polydorus Vergil. Angl. Hiſt. lib. 16.*) mater extitit: Beatrix verò, quam moriens Pater (*Joh. Serrano authore in Invent. Hiſt. Francicæ ſub Ludovico IX.*) innuptam omnium bonorũ, præter tria millia marcarum auri, quæ reliquis Sororibus legavit, hæredem reliquerat, Carolum Andegavenſium Ducem in matrimonium accepit. Hæc maritum, poſtea ab Urbano IV. & Clemente IV. Pontificibus Romanis ad Siciliæ ſceptra capeſſenda magnis ſpebus propoſitis ſollicitatum, dies noctesque ad regni cupiditatem urgebat; ſcilicet, cùm trium Reginarum ſoror eſſet, moleſtè ferebat ſe omninò Comitem ſalutari, ſcribereque duas Sorores Reginas, tertiam etiam Auguſtam eſſe; Quinimò, ut nomen regium tam cupidè quæſitum obtineret, omnem mundum ſuum diſtraxit, ad militem colligendum. (*Beſoldus de Regibus Sicil. & Neapolis c. 5. n. 23. & 25.*) Quo facto Romam proficiſcens Carolus, & per varias hoſtium inſidias incolumis illuc perveniens, certis conditionibus cum Beatrice illa, conjuge ſua, in fano Lateranenſi, à Papa Clemente, manu Rudolphi Cardinalis de Cheuriers, Epiſcopi Albaniæ, (uti pictura in Palatio Farneſiano, hunc Coronationis Regiæ actum exprimens cum vera amborum coronantis coronative effi-

gie, cujus exemplar in libello Gallico Franciſci Meneſtriers ſub titulo, *Abbregè de Principe Heraldiques*, ære inciſum extat, teſtatur) An. MCCLXV. Reges utriusque Siciliæ coronati fuerunt, Regno & ipſis, & poſteris ipſorum maribus & fœminis conceſſo. Et ſic quod diu anhelaverat Reginæ Nomen Beatrix, ipſa quoque obtinuit, & mater Regum Siciliæ usque ad Johannam II. & ultimam Neapolis Reginam audivit.

Tandem nobiliſſima regio *Provincia* ſic κατ' ἐξοχὴν dicta ſub Ludovico XI. Galliarum Rege, ſive per Renatum Ducem Andegavenſem, ut vult Author *des Antiquitez & Recherches des villes de toute la France*, Gölnitzius *in Ulyſſe Belgico-Gallico p. m. 489.* ſive per Carolum III. ultimum Provinciæ & Folcaquerii Comitem, ſecundùm communiorem & veriorem opinionem, aut teſtamento, (*Sincerus, Fournier, Merula*, locis ſuprà citatis) aut donatione, (*Zeiller dicto loco ex Halliano*) aut contractu pignoris (*Buſſieres Hiſt. Franc. lib. 13. p. m. 63.*) ad Galliæ coronam pervenit eiq; unita fuit, & etiamnum indiſſolubiliter manet. Patet tamen exinde, haud levem errorem errare illos, qui, cum Merula, Reymundo unicam filiam Beatricem aſſignant, cùm plures fuiſſe planè indubitatum fiet. Verùm, ut propiùs ad Authoris noſtri locum accedamus, notat citatus ab illo Mariana *de Reb. Hiſp. lib. 13. n. 5.* Reymundum Provinciæ Comitem circa annum MCCXLVI. deceſſiſſe, unâ ingrati animi notâ deformem, adverſus Romeum, aulæ præfectum: quo (*ut ille pergit*) agente honeſtis rationibus publica vectigalia triplo majora quàm antea facta erant. Virtutem Invidia ſequitur; Itaque Criminibus appetitus & ad expenſi rationem compulſus, fide probatâ cum baculo & pera, cum quibus Compoſtelâ venerat, peregrinus diſceſſit, neque unquam, quis eſſet, aut quò receſſiſſet, eſt cognitum.

Num. 3.

(2) *Vix ſtare poſſe &c.*] Sine ſumtibus enim, non ulla Reſpublica conſiſtit, opusque ei opibus eſt, hortante Demoſthene *Olynth. 1.* & ſine iis nihil fiet, quod opus. Laudatur à Celſo JCto *in l. 79. §. 1. ff. de Legat. 3.* Ruſticorum Senum Effatum; Pecuniam ſine peculio fragilem eſſe; peculium appellantes, quod præſidii causâ ſeponeretur, ut eo neceſſitatis tempore uterentur. Id in ruſticis ſi obtinet, quidni idem in Imperantibus pronuntiari poſſet? Multis namque civitatibus opus eſt quæſtu, ut domui, atque adeò magis, ut ait Ariſtoteles *lib. 1. Polit. c. 11.* ſive, ſecundùm alios *cap. 7. in fine.* Nec Unius principatum, quaſi is ſolus neceſſariam pecuniæ collectionem requirat, accuſemus, vel propter hanc ab eo abhorreamus: ſed ita conſilium capiamus: ut qui noverimus, in qualicunque Reipubl. formâ pecuniam neceſſariò eſſe conficiendam, inquit *apud Dionem lib. 52. pag. 483.* ad Auguſtum Mæcenas. Ærarium itaque habendum, quod ornamentum Pacis, & Belli ſubſidium ſit; ex quo poſſint ſuperiores amicos beneficiis obſtringere, indigentibus ſuppeditare, & inimicos beneficiis obſtringere. Sed tamen, ut bene advertit Bodinus *de Republ. lib. 6. c. 2.* omnibus modis operam dare & conniti oportet, ut ærarii opes certis fundamentis, quæque labefactari non facilè poſſint, innitantur: quod quomodo fiat, in ſequentibus author ille explicat.

Num. 8.

(3) *Quàm ærario publico ſerviunt &c.*] Talem ferè ubique ſemet ſiſtit Author Politici Scelerati, quem ante annos aliquot impugnare ſuſtinuimus; præſertim *cap. 30. cap. 35. cap. 45. cap. 48.* & paſſim, quò Lectorem ablegamus.

Num. 10.

(4) *Eo nocentius &c.*] Quam, inquiebat, vereor, ô Rex; ne, dum hoſtium impedire conatus, & repellere vim ſtudes, id ipſe agas, ut tuos in te populos populareſque nova ob tributa iratos excites provoceſque in odium ac malevolentiam &c. uti ex Pontano Beſoldus, *in Tr. de Ærario cap. 7. n. 3. idem referens*, addit.

(5) *Seditionum cauſam &c.*] Quærebat Tiberius à Dalmatis, verba ſunt eloquentiſſimi Cauſini *de Regno DEI, Diſſert. 46.* cur rebellaſſent, tum Bato reſpondit, in cauſa vos eſtis Quirites, qui ad paſcendas oves non paſtores, ſed lanios, ſed lupos, mittitis, feroces ſævitiâ & rapinarum inſatiabiles. (*Dio lib. 55.*) Quid curant, an Scythæ, an Sarraceni ſint, quos exitiales furiæ ad extremorum contemptum adduxêre? Timendi ſunt illi etiam iis, qui omnibus timorem incutiunt, cùm facilè mori poſſunt, & nunquam niſi ægrè domantur: ſi perimuntur, quid aliud eſt quàm in ſua ſævire membra? Si reſtant indomiti, in proximo ſeceſſio eſt, authoritate calcatâ. Quoties (ne ſemper vetera loquamur) has tempeſtates, hos fluctus poſteriora ſæcula viderunt? Obrutus eſt lapidibus Parthenius, Richardus II. Londini obſeſſus urbe direptâ. (Anno MCCCLXXXI. *Polydor. Vergilius Angl. Hiſt. lib. 20.*) Infimæ plebis muliercula ſub Carolo VI. (Galliæ Rege) urbem cæde & flammis miſcuit. (*P. Æmilius lib. 9.*) Atrocia ſub Henrico II. Aquitanici vectigalibus Salinarum efferati patrarunt. (*Serranus in Invent. Franc. Hiſt. ſub Henrico II.*) Si quos Principes Felicitas ad pacandas ſeditiones adjuvit, nō eſt eadem omnibus expectanda, quanquam infelicitatis genus eſt, in eo eſſe felicem. Hactenus Cauſinus. Plura alia ejus Rei Exempla congeſſit Forſtnerus *in Not. Polit. ad lib. 4. Annal. c. 72.* & eum ſecutus Schoockius *in Tr. de Seditionibus lib. 1. c. 25.* Henricus Klock. *de Jure vectigal. θ. 6.* quæ ibidem videri poterunt. Et quid aliud quæſo Neapolitano Populo arma miniſtravit, & Ducem ejusdem Thomam Aniellum (qui à Neapolitanis reſciſsâ nominis primâ ſyllabâ, quod familiare illis *Maſſaniellus* vocabitur) caſu in conſilium & occaſionem verſo concitavit, quàm contra Caroli V. Imperatoris (qui Regno Neapolitano univerſo ſine arbitro potitus fuerat) conceſſas immunitates; ſub Pro-Regibus ejus Regni Johanne Pimentello Beneventi Comite duplicatū ſalis vectigal; ſub Comitis Lemoſii à farinæ tumulis ſingulis penſio aucta; ſub Duce Oſſumo ſuperinducto in Regni viſcera milite immunitates proculcatæ; ſub Borgia Cardinale donativum voluntarium brevi neceſſarium; ſub Borgia Cardinale Zappetâ farinæ & ſerici vectigal intenſum, Zanetta *ſive Zappatiglii* magno plebis diſpendio percuſi; ſub Albæ Duce vectigalium inſtitutorum exercitium & extorſio rigida; & quòd temporis tractu eò usque excreverint omnis generis tributa & onera, ut à ſingulis ædibus ſeptem Ducatos, à farinæ tumulo ſeptem Carolinos cum dimidio, à vini dolio Ducatos binos, à carnis vænalis libra (triginta unciarum pondus eſt, ac *Rotulum* vocant Neapolitani) tria grana, quæ ferè tres ſunt Germanici Crucigeri, à carnis ſale conditæ & caſei libris, ſingulis duo grana, ex quovis ſalis tumulo viginti quinque Carolinos, ex ſerici libra quatuor ſolvi neceſſe eſſet. Imò ut tantum abeſſet, ut ſub regimine Præſidum inſequentiū hæc diminuerentur, quin potiùs ſub Mentereio vectigalia multiplicata & ſub Medinæ Imperio ad id usque extenſa & aucta fuerint, ut etiam pullis, ovis, & capreolis reliquoque

quoque generis hujus promercali obſonio, novi tributi neceſſitas indiceretur, quamſucceſſor ejus, Dux Arcoſius, etiã Tabacco injunxit, haud illepidè dictitans: ſi fumum vendere liceat, & vectigalem facere licere; fieretque donum gratuitum, quod ſub Borgia irrepſerat vænale, in paucorum compendium versâ publicarum collationum per veteratorias artes extortarum parte maximâ, & ad regentium vota attemperatis voluntatibus eorũ, qui primi in Comitiis ſententiam dixêre. Quod denique Arcoſius ex Hiſpania Neapolim appulens nil in mente aliud revolveret, quàm ut ſe aptaret ei imperandi formulæ, quàm ſecum ex Hiſpania à Magnatibus dictatam attulerat, proindeque in id incumberet, ut publica Civitatum tributa, quorum jam dies exierat, quàm ſeveriſſimè cogeret in Regium ærarium, nullo habito diſcrimine ex impotentiáne, an ex negligentia tam diu à ſolvendo ceſſatum fuiſſet, inferri: quæ omnia cùm latè exequatur Author latinè deſcriptæ Maſſanielli Seditionis Neapolitanæ, Conſtantiæ An. MDCLX impreſſæ, conſultò hîc prætereo, aliáve hujusmodi exempla ſilentii ſipario involvo. Cùm verò ceſſantibus Saturniis temporibus, & durante ſeculo hoc ferreo, eò res redierit, ut ſecundùm Tacitum *4. Hiſtor. 74. n. 2.* neque quies gentium ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis haberi queãt, & ſi fructus, quibus Respubl. ſuſtineretur, diminuerentur, diſſolutionem Imperii fore jam olim Patres Conſcripti apud Tacitum *13. An. 50. n. 1.* prudenter, Neronem omittere cuncta vectigalia apud ſe conſtituentem, docuerunt; Videant, & in id toto animi impetu incumbant Imperantes, ut tributa non niſi pro Reipublicæ Salute imperentur, nec in alios uſus convertantur; imperata ſint neceſſaria, juſta, æquabilia, pro anguſtia rerum modica, maximè de rebus ad luxum voluptatémve; quàm de iis, quibus carere non poſſumus, pertinentibus; multis potiùs vicibus, quàm unâ, niſi importuna neceſſitas aliud efflagitet, dependenda; ut exigantur modeſtè & ſine tumultu; ut Receptores non faciant Herculem ex ærario, decimam partem ei dantes, ſibi novem auferentes. (*Vid. Eraſm. in Chil. Adag. cent. 1. part. 1. adag. 73. dextro verò amico Hercule.*) Denique ut extraordinaria tributa neceſſitate ſublatâ remittantur;

Impiæ continui ceſſent augmenta Tributi.

De quibus multa commentati ſunt Joh. à Chokier *in Theſ. Aphoriſm. Polit. lib. 2. cap. 10.* Berneggerus *in Quæſt. Polit. ad Tac. G. & A.* Arumæus *2. de J. Publ. diſc. 2. θ. 35. ſeqq.* Wilhelm Neumeyr *Tr. ſingulari.* Latherus *1. de Cenſu cap. 3. cum ſeqq.* Chriſtoph. Wintzler. *in Obſervat. de Collectis.* Beſoldus ut & Bornitius *Tr. Tr. de Ærario.* Author noſter tam in Tractatu *de Contributionibus* quàm Diſputatione de hac ipſa materia, *quæ extat in Jure Publico nonnullorum JCT. Weſtphaliæ Vol. 1. D. 5.* Joh. Matthias *de Contributionibus.* Johann. Wilhelm. Rövenſtrunck in Rechtlichem Bedencken von Anlägen / *Contributio*nen/ꝛc. Lipſius *4. Civilis Doctrinæ cap. 11.* Toniatus *de muneribus perſonalibus*, Innumerii alii; quibus adde, ſi lubet, à nobis ad Politici Scelerati *cap. 45.* annotata, ubi plures Authores ad hanc rem citatos vide.

(6) *Caput eſt Princeps &c.*] Quadrant ſe huc, quæ Caſpar Dornavius *in Menenio Agrippâ, ſive corporis humani cum Republica perpetua Comparatione* præfatur: Quicunque de Republica ſcire aliquid & judicare valent; ſic animum induxerunt ſuum: nullam eſſe expeditiorem viã, ſalutem publicam provehendi: quàm ſi Magiſtratus & Cives Naturam ejusque veſtigia in corpore humano potiſſimùm expreſſa, ad intuendum ſibi proponant & imitandum. Natura enim, ut ubiq; ſic in μικροκόσμῳ maximè, cùm DEI ſit quaſi quædam amanuenſis, tam examuſſim res conficit ſuas; ut illam ſequentibus Ducem, non modò imponere non poteſt inſanus error: ſed facilia quoque & beata contingant omnia: contra illam viventibus non alia vita, quàm contra aquam navigantibus, ducenda veniat. Quæ cauſa extitit; cur ſapientis doctrinæ Magiſtri, cùm Respublicas corroborare ſalubribus vellent præceptis; è medio homine ſimulachra depromenda eſſe, totq; myſteria applicanda ad uſum publicum ſtatuerint. Præterquam enim, quòd ἡ γνῶσις τῦ ὁμοίȣ τῷ ὁμοίῳ (cognitio ſimilis ſimili) formatur (*Empedocli fuit diverbium*) faciliùs quoque ſui imaginem, ſed & tenaciùs imprimit memoriæ illud; quod ſubinde uſurpamus oculis; quod in domicilio animi noſtri identidem circumferimus &c. Sapienter itaque & in noſtro Imperio Romano-Germanico Diviſio illa inter Caput & Membra uſu venit & obtinuit. Vocando ſcilicet Imperatorem CAPUT, R. A. *de Anno 1530.* §. desgleichen wir ꝛc. R. A. *de Anno 1545.* §. alſo und dermaſſen. R. A. *Anno 1507. circa fin.* das Haupt. R. A. *de Anno 1566.* §. und nach dem dann auch *circa fin.* das Oberhaupt/ ꝛc. Reliqui verò Principes & Status, qui MEMBRORUM vicem ſuſtinent, appellantur, Einverleibte Glieder. R. A. *de Anno 1549. in pr.* Glieder deß Reichs/ꝛc. R. A. *de Anno 1542.* §. und wiewol ꝛc. R. A. *de Anno 1527.* §. und fördert ꝛc. R. A. *de Anno 1546.* §. dieweilen aber *circa finem &c.* Nimirum ſecundùm Thomæ Mori *à Limnæo l. de J. P. 7. n. 54.* (*ubi plurib. de hac comparatione in antecedentibus* egit) citati verſiculos:

Totum eſt unus homo Regnum, idq́ cohæret amore,
Rex CAPUT eſt, Populus cætera MEMBRA facit.
Rex quot habet Cives (dolet ergo perdere quenquam)
Tot numerat partes corporis ipſe ſui.
Exponit populus ſeſe pro Rege, putatq́
Quilibet, hunc proprii corporis eſſe Caput.

Num. 11.

(7) *Paſſim in pretio habentur &c.*] Evolve, ſi placet, Additiones noſtras & impugnationes ad Politici Scelerati *caput 45.*

(8) *Perillus &c.*] Hic fuit, authore Plinio *lib. 4. c. 8.* faber ingenioſiſſimus, qui Phalaridi, Agrigentinorum Tyranno, taurum ex ære fabricavit, cui januam in latere poſuit, ut, quum incluſus reus ſubjectis ignibus torqueretur, mugitum, non hominis vocem, videretur emittere: pro quo invento cùm munus à crudeliſſimo Tyranno Phalaride, qui novis hominum tormentis delectabatur, poſtulaſſet, in eo ipſe, ut eam pœnam primus experiretur, includi à Tyranno juſſus, ac ſuppoſitis ignibus exuſtus eſt. Sic

Dignum eſt artificem arte perire ſuâ.

(9) *Morboniam &c.*] Morbonia, vel, ut in quibusdam libris Suetonii *in T. Flav. Veſp. cap. 14.* ſcribitur, *Morbovia*, ut nomen oppidi, quod tamen nusquam eſt, fingi videtur; aut adeò populi ore frequentabatur ceu oppidi nomen ſub ſenſu morbi & exitii: ut vult Turnebus & poſt illum Schildius *ad Suetonii citatum locum.* Joh. Nicol. Loënſis *Epiphill. lib. 3. cap. 6.* obſervat, Dionem ſive Xiphilinum in vita Veſpaſiani id reddere ἐς κόρακας, ad corvos (*de quo Proverbio videatur Eraſmus in Adag. Chiliad. cent. 1. adag. 96.*) ideoque putat legendum non *Morbonia*, ſed in *Charonia* ſive *Caronium*, hoc eſt, in locum no-

xiis deputatum. Quod poſtea ſpoliarium dictum videtur, quòd cadavera ibi nuda & exſpoliata abjicerentur, præcipuè gladiatorum & beſtiariorum. Indeque Interpres Dionis Latinus vertit, ἐς κόρακας, in malam crucem. Caſp. Barthius verò *lib. 42. Adverſar. c. 3.* hæc commentatur: Ficta vox eſt illud *Morboniam*, velut inſula quæpiam foret. Nam ubi malè cui futurum erat, eo loci ſuam inſulam colere eum autumabant veteres, uti Plautus ſervo nequam Ferricrepinas, & Fuſtitudinas inſulas commemorari facit, ſimul ſupplicia illi conſueta minans. Eſtque eadem imprecatio aut ſemotio, quâ Comici in malam rem quempiam abire aut faceſſere in malam crucem jubent. Contraxerunt autem venuſtè homines fortè aulici imprecationem in loci cujuspiam nomen, *Morboniam*, morborum ſedem fingentes. Nam alioquin uſitatum erat, morbos imprecari. Author Hiſtoriæ Apollonii Tyonæii: Morbus te conſumat, nec ſalvus nec ſanus ſis. Suſpicatus ſum aliquando, *Corvoniam*, ſive *Corboniam* ſcripſiſſe Suetonium, nam Xyphilinus ſive Dio eadem recenſens ἐς κόρακας interpretatus eſt.

(*10*) *Laverniones &c.*] Laverna Dea erat apud Romanos, quam fures precabantur, ut inſtituta ſua & conſilia furandi ac mentiendi fortunaret: à qua (*obſervante Stephano in Dictionario Hiſtorico lit. L.*) Laverniones dicti ſunt fures, quòd ſub tutela Deæ Lavernæ eſſent, in cujus obſcuro abditoque luco ſoliti erant inter ſe furta prædamque luere, i. e. dividere.

(*11*) *Harpyæ &c.*] Finguntur à Poëtis ſive Ponti & Terræ, ſive Neptuni, ſive Thaumantis & Electræ filiæ, dictæ ἀπὸ τῦ ἁρπάζειν, id eſt, à rapiendo, volatiles, auribus urſinis, corpore vulturino, vultu virgineo, manibus uncis, de quibus pluribus agit Stephanus *allegato loco lit. H.* Hîc cum aliis ab Authore ſubjectis nominibus, pleriſque à Poëtis mutuatis, (ſicut & apud Sidonium *lib. 5. Epiſt. 7.*) ſignificant Harpyæ, ſanguinarios pecuniæ raptores & exactores.

(*12*) *Gryphes &c.*] De Gryphibus tam variè loquuntur Auctores varii, tam veteres quàm recentiores, ut, an ſint, aut unquam fuerint, meritò quilibet dubitare queat. Magnitudinem eis attribuunt leonis (licet alii minorem, alii verò majorem) quæ anticâ parte, nimirum capite, roſtro, alis, pedibus, & unguibus referat aquilam; poſticâ verò, hoc eſt, reliquo corpore, & caudâ, leonem. Sed Gryphes in rerum natura & aves, non tamen ut fabuloſè jamjam ex Auctoribus deſcribuntur, ſed aquilas maximas & rapaciſſimas eſſe. Caſp. Schottus *in Phyſica Curioſa lib. 9. cap. 42.* aliquot aſſertionibus ſtabilire annititur.

Num. 12.

(*13*) *Quadruplator &c.*] Quadruplatores, inquit Feſtus *de V. S.* dicebantur, qui eo quæſtu ſe tuebantur, ut eas res perſequerentur, quarum ex legibus quadrupli erat actio. Zaſius verò *ad Tit. I. de Act. §. quadrupli in fin.* Quadruplatores alicubi vocat, qui lucra ex ludis ſumunt, die Scholderer. Tandem ſecundùm Budæum *in l. teſtium. ff. de Teſtibus*, dicti ſunt Criminum publicorum delatores, qui pro delationis præmio quartam partem in bonis delatorum conſequebantur. Hi delationibus faciendis confiſcationes à principibus impetrabant, ut homines interdum inſontes fortunis omnibus everterent &c. (*Lipſius ad Tac. 4. Annal. 20. LIV. Laurenbergius in Antiquario.*) Sic delatores genus hominum publico exitio repertum, & pœnis quidem nunquam ſatis coërcitum, per præmia eliciebantur! (*Tacitus 4. Annal. 30. n. 5.*) Hoc loco Quadruplator idem eſt, quod homo, qui animum quæſtus gratiâ induxit ad malas artes, ut Domino perſuaderet, lucri odorem bonum eſſe è re qualibet. Et de hujus farinæ viris intelligenda ſunt verba Eccleſiaſtici (*cap. 37. verſ. 9.*) A Conſiliario tibi ipſe cave, & priùs noſce, quæ ſit ipſius neceſſitas (etenim ipſe ſibi ipſi conſulturus eſt) ne fortè detrudat aleam in te; &, dicens tibi, bona eſt via tua, ipſe ſtet ex adverſo viſurus, quid eveniat tibi &c.

(*14*) *Bodinus &c.*] Quem omninò evolve, & tanquam ex ungue Leonem, quàm malè ſæpè tales calculum ponant, cognoſce, & vanitatem Architectonis ride.

(*15*) *Libellarum Turonenſium &c.*] Quarum (*computante Heniſchio de aſſe p. m. 209.*) quælibet facit viginti ſolidos Turonicos, ſive crucigeros 48. ſive denariolos Turonicos 240. Eſt autem nummus fictitius, qui non extat, ſed aliis monetis permutatur.

Num. 13.

(*16*) *Principis &c.*] Qui & ipſimet Principes, exterarum Nationum in frequenti Contributionum Novitate parturienda perniciosè ingenioſarum, mores peregrinando imbibunt. Sicuti de Chriſtierno, Daniæ Rege, Crantzius *Wandal. 13. cap. 14.* memorat, eum ex Italica peregrinatione id commodi retuliſſe, ut tam vicinos, quàm ſubditos, novis vectigalibus didicerit onerare.

(*17*) *Favorem adfectat &c.*] Suaſores hi plerumque extranei ſunt, & hoc medio ad magnas dignitates, favoris aurâ ſpirante adſpirant. Accommodant ſe ad ingenium Regis, dicente Beſoldo *Tract. de Ærar. cap. 6.* & partim indagando modos inveniendi argentum; partim removendo obſtacula, quæ Regis conſiliis & propoſito, moram aliquam injicere poſſe videntur. Et in genere hoc excellere præprimis Italos Italus ſcriptor, Trajanus Boccalinus *2. Relat. ex Parnaſſo 57.* falsè innuit, dum eorum aliquos naufragio ad Parnaſſum expulſos & ſeſe gloriando extollentes, quòd tot modos ſubditorum loculos evacuandi & implendi ſuos adinvenerint, ut quod ampliùs ibidem agant, non haberent; Porrò celebritatem in excogitandis machinis ejusmodi nominis Florentinorum Genuenſiúmve per Galliam (*vid. Bodinus de Republ. lib. 6. cap. 2.*) atque Hiſpaniam latè circumtuliſſe refert, quos Apollo Conſtantinopolim cum mandatis ablegavit, ut pertentarent, an iisdem calamitatibus, quibus Italiam, Galliam, atque Hiſpaniam involverant, Ottomannicum Imperium affligere valerent. &c. Verùm evenire fermè ſolet, ut tales refrigeſcente Gratiâ Principis ad liberam tot hominum, quos offenderunt, ultionem exponantur, aut etiam invito Principe, ex publicâ indignatione motu ſuborto, ad ſupplicium rapiantur, quod Thuanus *Hiſt. lib. 96. ſub Anno 1589.* exemplo Ebraimis Purpurati, cui id nocuit, &, ut coram omni populo ad ſedandos plebis motus ſecuri percuteretur effecit, quod illum apud Amurathem maximè commendabat, exquiſitæ nempe aliena per fas nefasque corradendi & rapiendi artes. Ubi ſubdit; tutius præſidium adverſus inju-

injurias in Magiſtratu & poſt abdicatum Magiſtratum parari haud poſſe, quàm ſi ad bonam conſcientiam publica benevolentia accedat. Quàm Vulturii iſti, qui ad rapacitatem animum convertunt, & vario exquiſitiſſimoque calumniarum, auctionum, & vectigalium genere prædantur, haud ita facilè experiuntur. Licet enim Harpyæ iſtiusmodi in ſpecie maximis honoribus undique afficiantur; iisque in via transeuntibus, nemo non loco cedat, iis Optimates obvii venerationem capite, manibus, pedibusque exhibeant, & honorificâ officiorum oblatione ſuam promptitudinem, atque inſerviendi ſtudium, verbosè polliceantur, tamen ubi præterierint, tergo illi inhoneſtiſſima vulnera excipiunt: Hic, hic, inquiunt Optimates, eſt ille Nebulo, ille furcifer, ille patriæ noſtræ hoſtis, qui Principem noſtrum corrumpit, qui bellum ſuadet, qui felicitati noſtræ infeſtus, enormi & intolerabili vectigalium, tributorum, & onerum auctione, nos & poſteritatem noſtram ad miſeriam & mendicitatem adigere ſceleratè ſatagit; qui ex communi omnium infortunio, gloriam, dignitatem, & divitias parat; quem DEUS malè perdat, & Sathanæ lorarii mox abripiant; ne diutiùs Tyrannide ejus opprimamur. Uti Beſold. *de Ærario cap. 7* loquitur.

(*18*) *Ad Democrati puteum &c.*] Explicationem hæc accipere queunt ex Cicerone *Academ. quæſt. lib. 1.* ubi ſic inquit: Cùm Zenone, ut accepimus, Arceſilas ſibi omne certamen inſtituit, non pertinaciâ, aut ſtudio vincendi, ut mihi quidem videtur, ſed earum rerum obſcuritate, quæ ad confeſſionem ignorationis adduxerant Socratem, & veluti amantes Socratem, Democritum, Anaxagoram, Empedoclem, omnes penè veteres: qui nihil cognoſci, nihil percipi, nihil ſciri poſſe dixerunt, anguſtos ſenſus, imbecillos animos, brevia curricula vitæ, &, *ut Democritus, in profundo veritatem eſſe demerſam, opinionibus & inſtitutis omnia teneri, nihil veritati relinqui; deinceps omnia tenebris circumfuſa eſſe dixerunt, &c.*

Num. 14.

(*19*) *Utilitatis propriæ &c.*] Quoniam, juxta Baldum *conſil. 312. inc. Viſis actis col. 1. lib. 4.* ordinata charitas plus amat ſe in ungue pedis, quàm adverſarium in vertice capitis. Nam apibus ille canit, qui ſe plus diligit ullum, uti idem citante Cravetta *conſil. 8. num. 17.* ſentit. Quod tamen ita declarandum: ordinem charitatis eſſe, ut ante omnia diligatur DEUS, & deinde incipiat à ſe ipſo, & poſt ſe ipſum primò parentes, ſecundò filios, deinde proximum diligat. Demum ut procedat axioma (charitatem ordinatam incipere à ſe ipſo) regulariter, niſi abſurdum vel inhoneſtum ſequatur. Cæterùm cùm jam antea, de improbâ Honeſti ab utili ſeparatione, (de qua Author in præcedenti §. agit) plura ad Politicum Sceleratum & quidem ad *cap. 9. n. 90.* & de ſtudio proprii commodi nonnulla paſſim adduxerim, ea hìc non repetam, Lectorem eò ablegare, contentus.

Num. 15.

(*20*) *Cum opprobrio Principum &c.*] Perdit enim nomen Principis, & nomen Tyranni aſſumit, qui talia ſuadentes patulis auribus audit. Principi populus cenſum debet, debet obſequium, debet honorem. Populo viciſſim Princeps debet clementiam, atque vigilantiam. Cùm exigit igitur vectigal à ſuis veluti debitum, faciat priùs ſuum, excutiat ſemetipſum, num illis officii ſui vectigal perſolverit. At Princeps qui nihil aliud cogitat, nihil aliud agit, niſi ut quamplurimum pecuniarum à civibus extorqueat, ut nummorum vim, quantam poteſt maximam irretiat legibus, ut quàm plurimò vendat magiſtratus & officia; quæſo, utrum is Princeps dicendus eſt, an negotiator, an, ut veriùs dicam, prædo? (*quæ ipſa verba Author noſter paucis immutatis infrà num. 21. adfert.*) Veruntamen accidit aliquoties, ut bonus Princeps in ſummis rerum periculis, ad patriæ defenſionem, ad injurias à ſubditis avertendas, atque propulſandas, pecuniis opus habeat, ac præſidiis. In hoc extremo rerum diſcrimine, & urgente, adversùm quam ne Dii quidem (ut proverbio dicitur) reſtiterint, neceſſitate, nemo tam præfractus aut iniquus fuerit, qui non libenter bono ſuo Principi ſuppetias tulerit, cùm in hoc graviſſimo caſu, nec ſacris etiam rebus parci debeat. (Reinhard. Lorichius *in Inſtitut. Principis pag. 206. a.*) Pertinet huc Mæcenatis Conſilium Cæſari Auguſto impertitum *apud Dionem lib. 52. pag. 484.* dum ſuadet, vectigalia per univerſum Imperium inſtituenda, *pergens*: Neque clam me eſt, nonnullos, tributa & vectigalia inſtitui, ægrè laturos eſſe; verùm hi ipſi, ſi neque alio præterea damno afficiantur, & re ipſa comperiant, hæc ipſorum ſalutis causâ, utque cæteris ſuis bonis tutò perfrui poſſint, exigi; præterea quum plerique ipſorum eam pecuniam, alii magiſtratum gerentes, alii præfecti regionum, alii militantes accipiant; magnas etiam tibi gratias agent, quòd exiguam redituum ſuorum partem tibi conferentes, reliqua omnia ſine damno percipere poſſint. Idque eò magis fiet, ſi te continenter vivere, ac nihil prodigere videant. Quis enim, quum videat, te in re familiari ſummâ parſimoniâ uti, in publicum liberaliſſimum eſſe, non ultrò velit aliquid conferre, quum tuas divitias ſuam ſecuritatem, ac copiam eſſe judicet.

(*21*) *De æquitate exſpectatio &c.*] Beneficentiam enim, ſi publica eſt, & tributa non neceſſaria remittuntur vel minuuntur, populi conciliare favorem planè expeditum eſt. Ita cùm utilis novis imperiis vel maximè ſit Clementiæ fama, Cappadocibus in Provinciæ formam redactis Q. Veranio Legato accepto, à Gentium Dominis quædam ex regiis tributis deminuta, quò mitiùs Romanum Imperium ſperaretur. (*Tacitus 2. Annal. 56. num. 4.*) Quandoque etiam mala parentium, & Imperantium miſericordiam & Tributi remiſſionem procuraſſe, ut alios Hiſtoricos taceam, Tacitus, de Sardiniis terræ motu preſſis, quibus, quantum ærario aut fiſco pendebant, ut & Apaminenſibus (*12. Annal. 58. n. 3.*) in quinquennium Tiberius remiſit (*2. Annal. 47. num. 3.*) De Civitate Cibyraticæ apud Aſiam, Ægirenſi apud Achaiam motu terræ labefactis, quibus remiſſione tributi in triennium ſubventum. (*4. Annal. 13. n. 2.*) idem teſtis eſt. Quandoque autem Principes ob benè merita olim in ipſos collata, & bello recens feſſos juvandos cenſuerunt: uti itidem Tacitus Byzantinis contigiſſe (*12. Ann. 63. n. 4.*) memorat. Cujus rei plura alia exempla Tympius *in ſpeculo boni Magiſtratus part. 2. ſigno 91.* exhibet.

Et ne longiùs abeamus, quem Rerum Imperii gnarum latet, propter notoriam impoſſibilitatem & devaſtationem, etiam in Germania noſtra remiſſas quibusdam in totum vel pro parte contributiones aliquando fuiſſe. Textus inter alios clariſſimus eſt & notabilis valdè in R. A. zu Speyer Anno 1542. §. Und wiewol die Stàdt ꝛc. ubi Civitatibus Imperialibus, Goslariæ (*de qua videatur Hordleder lib. 4. de cauſis belli Germ. c. 46. pag. m. 1770.*) Mulhuſio, Northuſæ, Wangenæ, Cellæ ad Hamerbachium ſitæ, ob notoria damna perpeſſa, incendia, & depauperationem, etiam contributiones Turcicæ, ut vocant, remiſſæ leguntur. Abſit verò, ut Domini imitentur Leofricum primum, Conventrenſis Urbis Dominum, qui tali in caſu plus turpi obedientiæ Uxoris, quàm precibus ſubditorum tribuebat. Hic enim in cives commotior, graviſſimis illos tributis oppreſſit, quæ nulla alia lege laxari voluit, Godiva Uxore obnixè intercedente, niſi ipſa nuda frequentiſſimam Urbis partem obequitaret, quod promiſſiſſimis ſuis capillis obtecta, à nemine, ſi fides ſit vulgo, viſa præſtitit, & Conventrenſes ſuos multis penſitationibus in perpetuum exſolvit. Cambdenus *in Britannia, de Cornaviis pag. 449.*

Num. 16.

(22) *Graviora & majora &c.*] Principatus conditos ſcimus, ut vi ſublatâ, quæ omnia ad potentiores trahebat, ex naturæ & rationis imperio agerentur res humanæ. Quid autem ad naturam magis accedit, quàm ut quisque partis induſtriâ ſuâ aut amicorum liberalitate opibus fruatur? Quid rationi civili commodius; quàm ut intelligamus, quid noſtrum, quîdve apud nos fiſci ſit. Atqui Princeps, qui legitimè collatas pecunias, aut ipſe per luxum profundit, aut avaris hominibus committit, & inde novas ſuſtinendi militem rationes cogitare neceſſe habet, facit, ne ſciant cives, quantum ex domeſticis opibus Regi, quantum ſibi jura attribuant. Qui enim id ſciant, cùm non hoc ſuum ac legis quidem arbitrium ſit, ſed Principis duntaxat unius; cùmque tributo ſemel exacto adhuc ipſi ſimpliciter ſuis bonis non gaudeant, quæ aliis Regis edictis poſſunt rurſus delibari? inquit noſter Forſtnerus *in Not. Polit. ad Tac. 4. Annal. 72. n. 1.* ubi in ſequentibus illorum errorem redarguit, qui egeſtatem Civium dominantis ſecuritatem eſſe exiſtimant. Quem & noſter Author hîc taxat.

Num. 17.

(23) *Philippus Longus &c.*] Videſis Serrani Francicæ Hiſt. Inventarium *pag. 151.* de Buſſieres *Hiſtoriæ Francicæ lib. 9.* Ganguinus *Hiſtor. Franc. lib. 7.* Petrum Opmeer *in Opere Chronographico pag. m. 671.* & adverte, quòd nullus illorum, neque etiam aliorum, quos equidem vidi, aut aliam nimiam contributionem quispiam, Philippum hunc ob quintam redituum partem à ſubditis exactam carpet: niſi quòd noviſſimè Brianvillius *in libello Gallico*, cui Titulum impoſuit: *Abregè methodique de l' Hiſtoire de France*, dicat: *l' on dit que ce fut ſons luy que les Decimes ſur les Benefices, furent premierement levees.* i. e. Perhibent ſub ipſo factum fuiſſe, ut decimæ ex beneficiis primùm exigerentur &c. quod ſi & majus quid captum fuiſſet, credendum non eſt, quin & illud Author ille non indiligens annotaſſet.

(24) *Ova ſubventanea &c.*] Dicuntur ea ab avibus Veneris imaginatione concepta ova, ſed inania, hoc eſt, unde non gignatur fœtus. Hæc ova ſive conceptus Ariſtoteles *de Animal. generat. lib. 3. cap. 1.* Zephyrios à Favonio à quibusdam appellari tradit; & hos in iis fieri avibus quæ non volaces ſunt, ut uncæ, ſed multiparæ, quoniam excremento ipſæ abundent; uncis in alas & pennas id vertatur, corpusque exiguum ſiccum & calidum habeatur. Deceſſus autem menſtruorum & genitura excrementum ſint. Cùm igitur & pennarum natura, ex ſeminis excremento gignatur, nequeat Natura largè utraque verſus profundere. Et hanc cauſam eſſe, & ut aves uncæ, nec ſalaces ſint, nec multiparæ, ſed graves volacesque &c. Concipiuntur autem hujusmodi fœtus aliquoties audita maris voce, ſicuti fit in perdicibus, aliquoties ex affrictu pulveris, aliquoties fœminis ob inopiam maris inter ſe ſalientibus, uti loquitur Eraſmus *in Adag. Chiliad. 3. cent. 7. adag. 21. ſubventanea parit.* Ubi ſubventanea, inania & ventis ſimilia ſignificare notat.

(25) *Succeſſorem aut hæredem &c.*] De malè quæſitis enim, ut eſt in proverbio, non gaudet tertius hæres, &, ut Plautus *in Pœnulo Act. 4. ſc. 2. verſ. 22.* loquitur, Malè partum, malè diſperit. Germani noſtri eleganter dicunt: Ungerecht Gut das faſelt nicht. An verò proverbium hoc de bonos eorum ferè, quos Wehnerus *in Obſervat. Pract. lib. 5.* recenſet, intelligendum ſit, planè dubito, cùm in omni hominum ſtatu, ne dum in tam paucorum, exiſtant aliqui quos auri ſacra fames corripuit, qui domum domui conjungere ſtudent, & qui, ubi non ſeruerunt, metunt. Ut proinde uni quod dictum, dictum omnibus ſit.

(26) *Horatio &c.*] Verſus *lib. 2. Epiſt. 2.* ſic ſonant:

-- -- -- Puncto quod mobilis horæ
Nunc prece, nunc pretio, nunc vi, nunc ſorte ſuprema
Permutet dominos, & cedat in altera jura.

(27) *Omnia ſunt Imperatoris &c.*] Equidem Principi & Reipublicæ competere ejusmodi poteſtatem in ſubditos, eorumque bona, ac jus quæſitum, ita ut Reſpublica neceſſitatis publicæ causâ, privatorum bona iisdem eripere & publico inferre poſſit, prudentiores quique judicarunt, qui hoc reſpectu ſubditorum res Reipublicæ attribuunt: hinc Plinius *in Panegyrico*, Equid Cæſar non ſuum videat? cujus eſt, quicquid eſt omnium, tantū ipſe, quantum omnes habent. Jac. Andr. Cruſius *de præemin. Dominio Principis cap. 2. n. 11.* ubi in ſequentibus Senecæ locum *lib. 7. de Benef. c. 5.* Sub optimo rege Reges, Rex omnia imperio poſſidet, ſinguli dominio *adducit, & ibidem cap.* 4. hæc addit: Jure Civili omnia Regis ſunt: & tamen illa, quorum ad regem pertinet univerſa poſſeſſio, in ſingulos dominos deſcripta ſunt, & unaquæque res habet poſſeſſorem ſuum. De quibus alius dicendi locus. *12.* forſan infrà ſeſe monſtrabit.

(28) *Qua de re &c.*] Non hac de re; ſed ſuper quæſtione, Annon merum Imperium præter Principem etiam aliis ſublimioribus poteſtatibus competat? controverſiam inter Lotharium atque Azonem interceſſiſſe, teſtis ipſe Azo eſt, *in Summa Codicis ad tit. de Juriſdictione omn. jud.* ubi Affirmativam tenens ſubjungit: dico, licet ob hoc amiſerim equum, ſed non fuit æquum. Quod ipſum, poſt trecentos annos de ſponſione factâ Andr. Alciatus *ad l. 3. ff. de Jurisd. num. 89.* & *lib. 2.*

lib. 2. Parad. cap. 6. & denique Joh. Manlius, (qui paulò aliter atque alii id recenſet *in Locis Comm. pag. 625.*) enarrant. Ubitamen notandum, valde hallucinari eos, qui ante Authorem noſtrum & poſt ipſum, factum in tempora Henrici Lutzelburgici Romanorum Imperatoris rejiciunt, cùm apud Hiſtoricos extra controverſiam ſiet, Eum Anno MCCCVIII. ad imperium perveniſſe, Azonem verò Anno MCC. obiiſſe, Inſcriptio Sepulchri ejus quod Bononiæ ad viam publicam prope turrim S. Servatii videtur, evincat; quæ ſic ſonat:

TRINITATI
AZONI JURISCONSULTORUM
NUMINI
ANNO GRATIÆ MCC HIC TUMULATO
IN SEPULCRO VETUSTATE
COLLAPSO
AC INTER RUDERA VIX AGNITO
JO. FRANCISCUS ALDROVANDI-
NUS DICTATOR
ET COSS. BONONIENSES
P. IMPENSA
CONCIVI SUO B. M. MEMORIAM
POSUERUNT.
Anno Salutis MCCCCXVI.
V. Idus October.

(*Vid. Joh. Fichardus in vitis JCtorum &c.*) Verius igitur eſt & immotum manet, diſputationem, de qua ſuprà mentio facta fuit, ab Henrico VI. Friderici Barbaroſſæ Filio, Aſpere ob ſeveritatem dicto, qui Anno MCXC. ſceptra capeſſit, motam & ſopitam fuiſſe.

(29) *Omnia ſunt Magiſtratuum &c.]* Magiſtratus vocem à Theologis, & nonnunquam etiam aliis Scriptoribus, pro quavis poteſtate Politica, ſive unus, ſive plures, ſive omnes eam in Republicâ teneant, latè accipi notum eſt, quo ſenſu in locis communibus de Magiſtratu Politico Theologi de Officio eorum, quibus DEUS ſummum rerum arbitrium dedit, tractant; & in hac ſignificatione Authoris noſtri ſententiam firmiſſimo ſtare talo, ruere verò, ſi cum Ariſtotele (quod ferè ſequentia Authoris noſtri verba; Jurisdictionis & adminiſtrationis &c. indicant) 4. *Polit. 15.* Magiſtratus definiatur eſſe Præfectus ſocietatis civilis, cui data eſt de quibusdam deliberandi, judicandi, & maximè imperandi poteſtas, reor. Quoniam tunc Magiſtratus non ſummam, ſed ſummæ ſubjectam denotat, ſtrictè loquendo, poteſtatem, Et hinc à Philoſophis rectè conſtituitur, hanc ab illâ dependere; Sicut hæc limites (*arguente hoc modo noviſſimè Gebhardo Theodoro Mejer in Analyſi & expoſitione Ariſtotelis Politic. lib. 4. cap. 15.*) ab homine poſitos nullos agnoſcere poteſt; ita de natura illius eſt, limitibus circumſcriptam eſſe & ampliùs circumſcribi poſſe. A duplici iſta poteſtate duplex eſt Imperantium genus, Majeſtas, & Magiſtratus, quæ confundi nolumus, &c. Hæc ille. Cui jungatur Arniſæus *Doct. Polit. cap. 15.* atque Jacobus Andreas Cruſius *de præeminenti Dominio Principis & Republicæ in ſubditos cap. 1. n. 5. & n. 6. cap. 3. n. 1. ubi* (cùm cap. 1. dixiſſet, Eminens Dominium, ſive, ut incomparabilis Hugo Grotius *in præclaro opere de Jure Belli & Pacis paſſim* appellare ſolet, ſupereminens dominium eſt & dicitur poteſtas, quæ competit Reipublicæ, vel ei, qui ſummam in Republica obtinet Majeſtatem in Subditos, eorumque bona, & jus quæſitum, ita ut Respublica, invitis & reclamantibus privatis poſſeſſoribus, neceſſitatis & utilitatis publicæ causâ, factâ compenſatione, bona & jus quæſitum iisdem quandoque auferre poſſit) ſubjungit: Sanè ubi Majeſtas, ibi quoque Dominium hoc eminens deprehenditur. In ſtatu igitur Monarchico Regi aut Principi, in Ariſtocratico Optimatibus, in populari Republicâ Populo, in mixto ſtatu pro mixtionis formulâ ſummæ poteſtati eminens hoc dominium competere in confeſſo eſt.

Num. 23.

(30) *Immenſa pondera &c.]* Ita quidem Biblia vulgatæ verſionis ſonant. Tremellii verò & Junii verſio ita effert: argentum quoque & aurum ne multiplicato ſibi admodùm. Quomodo Sententiam horum optimè explicant dicta Wilhelmi Schickardi *de Jure Regio Hebræorum cap. 3. Theor. 11. Imò nè opes quidem privatas augmentare licebit, ibi:* Ut Deus ubique mirabilis eſt, inquit, ita hîc quoque Regem ſuum voluit eſſe Paradoxum. Cæteri ſtudent opes accumulare maximas, & eo veluti nervo potentiam ſuam corroborare: iſte verò jubetur auricupio abſtinere, ac mediocribus fortunis contentus eſſe. *Deut. 17. v. 17.* Argentum & aurum non multiplicabit ſibi valde! Non probat Legislator ſordes in Rege, multò minùs vult ejus mendicitatem, ſed requirit Moderamen, vetatque VALDE ſollicitum eſſe de corradendo; præterea non ſimpliciter damnat auri congregationem, ſed prohibet SIBI privatim id multiplicare, ad faſtum, cumque ſubditorum diſpendio. Ad quod laudatus Schickardus citat locum Rabbi Moſis Mikor latinè ſic ſonantem: Vox SIBI innuit, non colligendum, ut relinquat in theſauris ſuis privatis: at colligendum, ut expendat pro ſuis hoſpitibus, & equitibus, & ſervis, &c.

Num. 25.

(31) *Lieni ſimilem &c.]* Egregia ſanè, inquit Coraſius *lib. 6. miſcell. cap. 19. n. 6.* ſententia, quam optarem in penitiſſimis omnium Principum præcordiis ſculptam eſſe & reconditam. Vis ergo Princeps, ut corpus validum ſit? effice, ne lien intumeſcat: vis ô Princeps, ut membra tua, hoc eſt, cives, ſubditique tui bene valeant? noli fiſcum habere tumentem. Plura vide, ſi lubet, apud Politicum ſceleratum impugnatum, in Addit. *ad cap. 45. pag. 512.* ubi de occaſione hujus dicti quædam adduximus.

Num. 28.

(32) *Cuſtodiæ, fidei &c.]* De his adminiſtratoribus evolvantur & legantur dictæ Additiones *ad cap. 41. pag. 459. ſeq.*

Num. 31.

(33) *Cap. 86.]* Ubi ex Sabellico, Cominæo, Alberto Leandro, & aliis de origine & magnificentiâ Theſauri iſtius Veneti, teſtimonia producit. Cui jungi poterit M. Zeiller, in der Reiß-Beſchreibung durchs Welſchland/ *cap. 3.*

(34) *Diogenes &c.]* Hæc dum refert Cæſius *de Mineralibus lib. 1. cap. 1. ſect. 1. n. 11.* exclamat: Sed quorſum tandem ô Diogenes, palleat aurum, cui non minor à noſtris hoſtibus, quàm à nobis ipſis exhibeatur & honor, & amor? Vereor igitur, ne iſte pallor petat potiùs auri Dominos, quàm aurum ipſum. Ut omittam (*pergit ille*) innumera hiſtoriarum tam veterum, quàm recentiorum exempla, omnium inſtar ſit Polydorus, Priami Filius, quam pater initio belli Trojani, communis Martis exitum veritus, cum magno auri pondere educan-

dum tradidit Polymneſtori, Thraciæ Regi, antiquo Hoſpiti, amico, & genero ſuo. Sed ille, eversâ Trojâ, auri fulgore cœptus, Polydorum prope littus ſpatiantem, telis invadit, & fruſtra fidem Deorum hominumque implorantem interimit.

(35) *Curas graviſſimas ſibi attrahunt &c.]* De Avaritiæ malis benè multa congeſſimus ad Politici Sceleratì *cap. 29. pag. 296. ſeq. pag. 565. ad cap. 31. pap. 319. 320.* quæ hoc loco non repetimus.

Num. 32.

(36) *Majorumq; fames, &c.]* Namque ut bellè Fridericus Hoffmannus *Luſuum Epigrammaticorum cent. 6. epig. 38.* canit:

Prædia, cenſus, opes, curis præcordia ſolvunt:
Impediunt curis prædia, cenſus, opes.

Et iterum *ibid. epigr. 61.*

Semper egent; auro nunquam ſatiantur avari:
Hoc magè ſunt inopes, quò magè dantur opes.

Nunquam enim, dicente Seneca *lib. 2. de Beneficiis cap. 27.* improbæ ſpei quod datur, ſatis eſt. Eò majora cupimus, quò majora venerunt: Multoque concitatior eſt avaritia, in magnarum opum congeſtu collocata, ut flammæ infinitò acrior vis eſt, quo ex majore incendio emicuit.

Num. 33.

(37) *Crœſus Cyro &c.]* Non bellum intulit Crœſo Cyrus, ſed hic, cujus opes & divitiæ inſignes ea tempeſtate erant, Babyloniis à Cyro petitis in auxilium venit, victusque in regnum refugit, ibi fortunâ prioris prælii perculſum Crœſum cum exercitu nullo negotio Cyrus fudit, Crœſumque ipſum cœpit. De quo Juſtinus *lib. 1. cap. 7.*

(38) *Perſeus Romanis &c.]* Teſtis eſt Livius *Hiſtoriarum lib. 45. cap. 40.* Perſeus prædives bellare cum Romanis cœpit &c. quem locum omnino evolve.

(39) *Attamen fucos &c.]* Pertinent hi verſus potiùs ad eos numeros, qui de tineis Tributorum publicorum loquuntur & paſſim in hoc capite occurrunt. Minùs enim ſeſe huc quadrare videntur.

Num. 34.

(40) *Stoici &c.]* Ita Seneca *in Epiſtola 120.* Bonum putant eſſe aliqui, quod utile eſt. Itaque hoc & divitiis, & equo, & vino, & calceo nomen imponunt: tanta eſt apud illos boni utilitas, & adeò usque ad ſordida deſcendit. Honeſtum putant, cui ratio recti officii conſtat; tanquam piè curatam patris ſenectutem, adjutam amici paupertatem, fortem expeditionem, prudentem moderatamque ſententiam. Iſta duo quidem facimus, ſed ex uno. Nihil eſt bonum, niſi quod honeſtum eſt; quod honeſtum eſt, utique bonum. Supervacuum judico adjicere, quid inter iſta diſcriminis ſit, cùm ſæpè dixerim. Hoc unum dicam: Nihil nobis bonum videri, quo quis & malè uti poteſt. Vides autem, divitiis, nobilitate, viribus quàm multi malè utantur &c. Hinc *in Epiſtola 74.* de bonis Fortunæ idem ille hoc modo philoſophatur: Bona illa ſunt vera, quæ ratio dat: ſolida ac ſempiterna, quæ cadere non poſſunt nec decreſcere quidem aut minui. Cætera opinione bona ſunt: & nomen quidem habent commune cum veris, proprietas in illis boni non eſt. Itaque commoda vocentur, & (ut noſtrâ linquâ loquar) producta: cæterùm ſciamus mancipia noſtra eſſe, non partes; & ſint apud nos, ſed ita ut meminerimus extra nos eſſe. Etiamſi apud nos ſint, inter ſubjecta & humilia numerentur; propter quæ nemo ſe attollere debeat. Quid enim ſtultius quàm aliquem eo ſibi placere, quod ipſe non fecit? Omnia iſta nobis accedant, non hæreant: ut, ſi abducantur, ſine ullâ noſtri laceratione diſcedant. Utamur illis, non gloriemur: & utamur parcè, tanquam depoſitis apud nos, & abituris. Quisquis illa ſine ratione poſſedit, non diu tenuit. Ipſa enim felicitas ſe, niſi temperat, premit: ſi fugaciſſimis bonis credidit, citò deſeritur; &, ut non deſeratur, affligitur. Paucis deponere felicitatem molliter licuit: cæteri cum his, inter quæ eminuere, labuntur, & illos degravant ipſa, quæ extulerant. Ideò adhibebitur prudentia, quæ modum illis ac parſimoniam imponat. Quoniam quidem licentia opes ſuas præcipitat, atque urget, nec unquam immodica durarunt, niſi illa moderatrix ratio compeſcuit.

Num. 35.

(41) *Conſtantinus Imp. &c.]* Dictum tale Euſebius aliive Scriptores Hiſtorici non Conſtantino, ſed Conſtantini Magni Parenti Conſtantio Chloro, (quem & *Pium* Cuſpinianus *in vita ipſius* cognominat) adſcribunt, illudque ſic efferunt: Longè melius eſſe, publicas opes à privatis hominibus haberi, quàm à Principe in arca ſervari. Polydorus Vergilius *Angl. Hiſtor. lib. 2. p. m. 62.* Cluverus *in Hiſtoria Univerſ. ſub A. Chriſti CCCVIII.* qui ejus rei documentum, quod Pezelius *in Mellif. Hiſt. part. 2. pag. 390.* fuſiùs ex Euſebio deſcribit, nervosè ſic refert: Quare Diocletiano aliquando exprobrante ei (ſcil. Conſtantio) paupertatē, facilè in unum contraxit ſparſas divitias, & cùm oſtendiſſet tantùm legatis, ſtatim poſſeſſoribus reddidit.

Num. 37.

(42) *Romani Cyprum &c.]* Vellejus Paterculus indignitatem rei excuſare ſtudens *lib. 2. Hiſtor. cap. 45. n. 4.* aliud ſchema obtendit, tum in P. Clodii legem de ſpoliando regno Cypri Ptolomæo Rege, tum in Perſonam Regis ipſius omnibus morum vitiis eam contumeliam meriti, cauſam transducendo. Quaſi morum vitia Ptolomæum Regno exuere, & Romanis ſpoliandum tradere debuerint. Magis arridet opinio prior, cùm conſtet, Clodium tantâ impotentiâ in Republica Romana tunc temporis valuiſſe, ut populum quaſi perforatâ nare trahere, quò vellet, poſſet, adeò ut ſteterit pro ratione voluntas. Quod Cicero quoque *in Orat. pro domo ſua,* Clodio exprobrat, tu, *inquiens*, lege unâ tuliſti, ut Cyprius Rex, cujus majores huic populo ſocii, atque amici ſemper fuerunt, cum bonis omnibus ſub præcone ſubjiceretur, & exules Byzantium reducerentur, &c. Verùm hi colores ſunt, quibus appingendis valde ſolertes ſunt magiſtri & miniſtri dominationis. Verior cauſa fuit, ſecundùm Florum & alios, Divitiarum cupido. Quod ingenuè fatetur Ammianus Marcellinus *lib. 14. cap. 27.* his verbis: Nec piget dicere, avidè magis hanc Inſulam populum Romanum invaſiſſe, quàm juſtè. Ptolomæo enim Rege fœderato nobis & ſocio, ob ærarii noſtri anguſtias, juſſo ſine ulla culpa proſcribi, ideoque hauſto veneno voluntariâ morte deleto, & tributaria facta eſt, & velut hoſtiles ejus exuviæ claſſi impoſitæ, in Urbem advectæ ſunt per Catonem. (*De quo Plutarchus in Catone minore.*) Romanis hanc ipſam Avaritiæ labem & bellorum cauſam objicit Petronius Arbiter *in Satyr. cap. 79.* his verſibus:

Si

— — — *Si quis ſinus abditus ultrà,*
Si qua foret tellus, fulvum quæ mitteret aurum
Hoſtis erat, fatisq́; in triſtia bella paratis
Quærebantur opes.

Et Galgacus, Britannorum Dux, apud Tacitum *in vita Agricolæ cap. 30. n. 6.* Quirites deſcribit, Raptores Orbis, qui poſtquam cuncta vaſtantibus defuêre terrę, & mare ſcrutantur: Si locuples hoſtis eſt, avaros; ſi pauper ambitioſos. Hoc eſt, *ſecundùm Virdungũ ibidẽ*, ad populos ſive Reges dites quidẽ bello petendos avaritiæ ſtimulis & prędæ cupiditate agi Romanos; ad pauperes verò, ambitionis æſtu & κενοδοξίας ſtudio. Neq; diffitetur aureã famem Gentilium ſuorũ, Politicorũ Pater nunc, (*4. Hiſtor. 74. n. 7.*) opes & aurum præcipuas cauſas bellorum dicendo; nunc (*16. Annal. 1. n. 4.*) Feniſſam Carthagine conditã theſauros ex hac quoque cauſa abdidiſſe; ne Reges Numidarum & aliàs infenſi cupidine auri ad bellum accenderentur. Et eandem, de qua ſuprà mentionem injecimus, Inſulam Cyprum, Selimum Turcarum Regem, invaſiſſe, ejus fertilitate & opibus, vinorum, qualia nec tota Græcia gignit, maximè præſtantiâ allectum & incitatum, Author præter alios Ant. Maria Gratianus *de Bello Cyprio lib. 1. pag. 4. & 41.* exiſtit: ſub de prima ſubactione à Catone quoque & priſtinis illius Dominis agit.

Num. 37.

(43) *Injuriæ &c.*] Claudit Morus locum hoc Epiphonemate, quod meritò addendum: Talis Rex & malis erit formidini, & à bonis amabitur.

Num. 38.

(44) *Crates &c.*] Philoſtratus *in vita Apollonii* & Diocles ipſum dixiſſe ferunt: Abite peſſum malæ cupiditates; ergo vos mergam, ne ipſe mergar à vobis; neque putavit ſe poſſe & virtutes & divitias ſimul poſſidere. Suidas verò itemque Diogenes authores ſunt, ipſum in pecuniam omnem ſubſtantiam redigiſſe, apúdve Trapezitam depoſuiſſe, hâc lege, ut, ſi filii Philoſophi eſſent, eam indigentibus civibus diſtribueret, nihilo Philoſophos indigere exiſtimans. *Carolus Stephanus in Lexico Hiſtorico Geographico. lit CR.*

Num. 39.

(45) *Mutianus &c.*] Apud Tacitum *2. Hiſtor. 84. n. 2.* cui jungatur *l. 1. ff. de quæſt. Nov. Leon. 52. cum ibidem notatis à Gothofredo.* Cicero *pro L. Manilia.* & *in Philip.*

(46) *Vetus Hiſtoricus &c.*] Tacitus *2. Hiſt. 32. num. 6.*

(47) *Pecuniâ viam ſibi ſtraviſſe &c.*] Livius *lib. 23. cap. 28.*

(48) *Coactum ſe deſerere Italiam &c.*] Idem Livius *lib. 30. c. 20.*

Num. 41.

(49) *In amico prædæ indulgere non potes &c.*] Alia omnia, prolapsâ eheu! hodie nimimùm quantum diſciplinâ militari, milites etiam ſæpe cum ipſorum inexſpectato damno ſentiunt. Inde cùm Lipſius *5. Politic. 13.* Abſtinentiam ingeſſiſſet, quâ milites à vi rapinisque abeſſe, & habere manus puras vult, dicendo: Non permittes milites eſſe poſſeſſoribus inſolentes (*Caſſiod. 6. var. Epiſt. 23.*) Vivant cum provincialibus jure Civili, nec inſoleſcat animus, qui ſe ſentit armatum. Quia clypeus ille exercitus tui, quietem debet præſtare paganis. (*Caſſiod. 7. var. Epiſt. 4.*) Nemo pullum alienum rapiat, ovem nemo contingat, uvam nullus auſerat, ſegetem nemo deterat, oleum, ſal, lignum nemo exigat, annonâ ſuâ contentus ſit. (*Vopiſc. in Aurel. cap. 7.*) Denique ita tranſeant, ut non modò manus, ſed ne veſtigium quidem cuiquam pacato nocuiſſe dicatur (*Cic. pro Leg. Manil.*) *Subjungit:* An rideor? ut nunc mores ſunt credo. At apud veteres tam ſtrictè hæc in uſu: ut memoriæ tradiderit Scaurus, pomiferam arborem, quam in pede caſtrorum fuerat complexa metatio, poſtero die abeunte exercitu intactis fructibus relictam. (*Frontin. 1. Stratag. c. 3.*)

(50) *Conſiſtant Civitatis commoda &c.*] Militares namque copiæ, ut Imperator D. Juſtinianus *in Nov. 169. cap. 2.* de ſe loquitur, aſſignato ſibi ſalario ex tributis percepto, hoſtibus reſiſtunt, & collatores à barbarorum incuſſionibus & truculentia vindicant: denique agros & civitates latronum aliquo modo incompoſitam vitam ſectantium, ut & irruptionibus, agendis excubiis defendunt: ex illis etiam reliquæ cohortes ea quæ, ipſis attributa ſunt, accipiunt: muri atque Civitates indidem inſtaurantur: publicarum balnearum hinc calefactiones procedunt: poſtremo ſpectacula, aliaque omnia, quæ ad delectationem ſubditorum inventa ſunt, ex iisdem curantur: ut quæ ab aliis contribuuntur, partim in ipſos, partim propter ipſos inſumantur & impendantur: nobis autem prorſus nihil inde præter iſtarum rerum curas habere contingit, non tamen eas mercede vacuas, quum magnus ille Deus & Servator noſter, Jeſus Chriſtus, magnitudine clementiæ ſuæ permultis propter hoc nos bonis remuneretur.

Num. 43.

(51) *Dives à Divo &c.*] Et hæc eſt derivatio Varronis *in lib. 4. n. 17. de Lingua Latina.* Altera verò Cornelii Frontonis veteris Grammatici *de ſerm. latino.* Quibus Iſidorus *lib. 10. Originum lit. D.* tertiam addit, quòd Dives ab ære vocetur vel diu veſcens: Ridiculè, *ſecundum Martinium*, intellige ab æs. Sed quid fiet de initio vocis? an etiam cui diu æs? Vetus vocabularium verò quartam, quaſi Diu habens.

Num. 44.

(52) *Pecuniam Deam fecerunt &c.*] Fortaſſis hoc loco intelligit Junonem Monetam, quam ex Suida ſic dictam referunt, quòd, cùm Romani pecunia indigerent in bello contra Pyrrhum & Tarentinos, ii Junonem invocaverint; quæ ipſos monuerit, ſi juſtitiæ armis uterentur, pecuniam iis non defuturam, cúmque id Romanis rectè contigiſſet, Monetam Junonem veneratos eſſe, ejusque rei ſignum fuiſſe, quòd nomiſma, i. e. moneta inſcripta in ejus templo aſſervaretur. De quo tamen Roſinus *lib. 2. Antiq. Rom. cap. 6.* nec non Livius *lib. 4. Hiſtor. cap. 28.* conſulantur. De DEA verò quapiam in ſpecie Pecunia dictâ à Gentilibus cultâ, me aliquid Romanos apud Scriptores legiſſe haud memini, contrà expreſsè apud Juvenalem *Satyr. 1.* extare,

— — *Et ſi funeſta pecunia templo*
Nondum habitas, nullas nummorum ereximus aras.

Quamvis facilè aſſentiar iis, qui credunt, & olim extitiſſe, & nunc extare, qui cùm videant, & genus & formam, imò & eruditionis laudem neglectis ſemet quondam haud probè nummatis, Reginam pecuniam donare, eam tanquam Deam venerare, imò non rarò vetulas, ejusdem ædituas & cuſto-

& cuſtodes colere & adorare. In quos poſteriores elegans extat apud Hoffmannum *Epigramma cent. 6. Epigr. 46.*

Obſita fertilibus tibi ducitur Urſula rugis;
Sed cujus prægnans ære crumena tumet,
Vis verum dicam; tibi diſplicet Urſula credo:
Sola tibi nummis burſula plena placet.

Sed, ut idem *Epigram. 48.* canit,

Nullus homo ſervire Deo, Plutoq; valebit:
Plutoni & Pluto ſerviet ipſe ſimul.

Alia tamen Auguſtinus, & Arnobius, à Leonardo Coquæo *ad Auguſtinum de Civitate Dei lib. 4. c. 1. lit. x.* ſentire videtur, dum *lib. 4.* ſic ſcribit: Quis ad extremum Deam pecuniam eſſe credat, quam veluti maximum Numen veſtræ indicant literæ: donare annulos aureos, loca in ludis atque ſpectaculis priora, honorum ſuggeſtus ſummos, amplitudinem Magiſtratus, &, quod maximè pigri amant, ſecurum per opulentias otium?

Num. 45.

(53) *Acheloo &c.]* Aliter hanc fabulam communiter explicant, de qua videatur Natalis Comes *Mythologiæ lib. 7. cap. 2.* & ab eo citatus Strabo *Geograph. lib. 10. p. m. 29. 30.*

Num. 46.

(54) *Nihil ſibi eſſe &c.]* Ejus rei Teſtis oculatus eſt Leonardus Chienſis, Theologiæ Profeſſor, Mitylenæus Archiepiſcopus *in Hiſtoria de Urbis Conſtantinopoleos jactura, quæ extat in Philippi Loniceri Chronicorum Turcicorum Tomo I.* iisdem fermè verbis: Sed ô Græcorum impietatem, ô Patriæ direptores, ô avaros! quos cùm ſæpenumero lacrymis profuſus inops Imperator, rogaſſet, ut pro militibus conducendis pecuniam mutuarent, jurabant ſe inopes, exhauſtosque penuriâ temporum, quos poſthac ditiſſimos hoſtis invenit. Cui jungatur Chriſtophorus Richerius *à Boxhornio in Hiſt. Univerſ. pag. 968. ſeqq. laudatus.* Beſſario Cardinalis *Orat. 3. inter Conſilia Bellica, Lipſiæ Anno 1603. volum. 2. impreſſa pag. 226.*

(55) *Anno MCCCCLIII &c.]* Mirandum, quòd captæ à Turcis Conſtantinopoleos luctuoſiſſima calamitas, adeò diversè, ſive obſidionis & expugnationis diem, ſive annum intueamur, à Scriptoribus Hiſtoriarum non paucis commemoretur, ut nunc alii cõmuniori eorũ opinioni, qui diem expugnationis in IIII. Cal. Jun. diẽ Martis, Anni MCCCCLIII. conjiciunt; alii eorum, qui Annum MCCCCLII. atro lapillo ob Urbem hanc alteram Romam à Cõſtantino M. Helenæ Filio inſtauratam, ſub Conſtantino Palæologo item Helenæ Filio, à Turcis occupatam, (inter quos eminet Sabellicus *lib. 6. Ennead. 10.* atque Michael Beutherus *à Beſoldo in Hiſtoria Conſtantinopolitano-Turcica pag. 575. ſeqq. adductus*) notant, aſſentiantur. Ut ſicco pede eorum ſemitam, qui diem ponunt VI. Calend. Maii Anno MCCCCLII. ut Boxhornius *in Hiſtor. Univerſ. ex Chriſtophoro Richerio*, aliósve, transeam. Si quid mihi hac in re ſtatuendum foret, cùm hactenus Iſidori Rutheni Cardinalis Narrationem de excidio Conſtantinopolitano videre mihi non contigerit, ſequerer ego ductum ſuprà laudati Leonardi Chienſis, qui ſuis oculis diſcrimẽ ultimum & jacturam Sedis & Civitatis Imperatoriæ viderat, & proximè viſa fideliùs, ut ipſe loquitur, conteſtatus Pontifici Romi fuerat, narrationem, ex Chio XVI. die Auguſti A. MCCCCLIII. ſcriptam. In qua cùm recenſeat, Nonis Aprilis Mahumetem II. Urbem obſidione cinxiſſe (*quod & Lonicerus Hiſtor. Turc. Tom. I. teſtatur*) IV. Calendarum Maji die Martis (in quo tamen reliqui ferè omnes ab eo divortium faciunt,) occupaſſe, nec ulibi annum, præter in ſubſcriptione Narrationis, adjiciat, at verò ea, quæ proximè viderat, ſeſemet expoſiturum promittat, colligerem ex eo, præcedentia ad ipſum illum ſubſcriptionis Annum, nempe MCCCCLIII. eſſe retrotrahenda. Præſertim cùm & Leunclavius *in Hiſtoria Muſulm. Turc. lib. 15.* ex monumentis Turcicis hunc annum deſignet.

(56) *Pecuniarum vis &c.]* Notat (ut ego quidem ſuſpicor) Interpres Laonici Chalcocondilæ, Conradus Clauſerus, *in margine ad dictum authorem lib. 8.* Prædam ex urbe capta quibusdam quater millibus Ducatis æſtimatam. Venetos damnum paſſos fuiſſe quinque millia, Genuenſes duo millia, Florentinos duo millia, Anconitanos quindecim millia Ducatorum.

(57) *Beſſario &c.]* Valdè mihi ſuſpecta hæc allegatio Authoris videtur, quod vel maximè ipſe in Orationibus ſuis, quarum ſuperiùs mentionem feci (præter quas & Epiſtolam ad Senatum Venetum, quæ juncta eſt Centuriæ Philologicarum Epiſtolarum à Melchiore Heiminsfeldio Goldaſto edita, an aliquid typis impreſſum ſit, meritò dubito) *præſertim orat. 2.* conceptis verbis enunciet: Plura immanis iſta bellua (Mahumetes II.) Chriſtianorum ſanguinem ſemper anhelans poſt Byzantinum excidium ſolus geſſit; quàm pater ejus atque avus per omnem vitam fecêre; DECEM, ut ſæpe à nobis explicatum eſt, interea regnis occupatis, &c. de cætero autem altum apud ipſum Beſſarionem ſilentium ſit.

(58) *Omni Palæologorum familia &c.]* Nimis fidenter Author noſter Klockius fidem ſecutus fuit ejus, è quo hanc omnis Palæologorum familiæ interfectionem aſſeruit. Conſtat etenim ex Hiſtoriarum monumentis, (& in ſpecie Cuſpiniano *in Andronico f. m. 416.*) quòd Andronico Palæologo Seniori, Orientis Imperatori, Guilielmus Montisferrati Marchio, Johannis filius, Violantidem filiam (quod tamen ob Onuphrii Panvinii authoritatem dubium reddere conatur Menochius *vol. 1. conſil. 1. n. 138.* pro Sabaudo ſcripto) uxorem dederit, è qua plures ſuſtulerat liberos. Et quod horum unum, Theodorum ſcilicet, teſtamento Johannis ſine virilis ſtirpis aut fœmineis liberis decedentis, pater Andronicus in Italiam miſerit, ut Marchionatum ſuſciperet. Idque ipſũ cenſenſu procerum, qui legati Conſtantinopolim venerant miſſi, factum fuiſſe. Porrò deducit Martinus Zeillerus *in Itinerario Galliæ c. 1.* hunc reliquiſſe filium Johannem, ex ejus poſteris prodiiſſe Jacobum, à Sigismundo Imperatore Vicarium Imperii per Italiam creatum; Vixiſſe poſt Guilielmum III. ex hoc Palæologorum ſtemmate prognatum Anno MDXVIII. relicto filio unico Bonifacio II. & duabus filiis, denatum. Ex horum numero Bonifacio II. miſerabili caſu equi in ipſo Juventutis flore Anno MDXXX extincto, patruum ejusdem ſucceſſiſſe Johannem Georgium. Quo rurſus paulò pòſt defuncto An. MDXXXV. quòd nulli maſculi ex Illuſtriſſima Palæologorum familia ſupereſſent, lis de ſucceſſione in ducatum Montisferratenſem inter Ducem Sabaudiæ, Saluciarum Marchionem, & Fridericum Gonzagam Mantuæ Ducem orta, ſummis ſtudiis coram Carolo V. Imperatore agitata, & pro Mantuæ Duce III. Novembris Anno MDXXXVI. Genuæ deciſa fuit. De qua cauſa & ejus rationibus pro & contra pugnantibus adeatur Limnæus *d. J. P. lib. 5. cap.*

14. n.

14. num. 15. Thomas Segethus *de Principat. Ital. cap. 7.* laudatus Zeillerus *d. loco.* Exinde tamen anno demum ſuprà milleſimum quincenteſimo trigeſimo nono Palæologorum geminum ſtemma maſculinum deſiiſſe,& ſic ferè adhuc in Italia ſeculo ſuperfuiſſe facilè pateſcit. Quinimo ipſe Augerius Gislenius Busbequius Ferdinandi I. Romanorum Regis Glorioſiſſimi, ad Portam Ottomannicam Anno MDLIV. Legatus, teſtatur, vidiſſe ſe Catacuzenorum & Palæologorum Imperatorii generis reliquias contemptiùs inter Turcas degentes, quàm vixit Dionyſius Corinthi.

Num. 47.

(59) *Nihil habeant &c.]* Perniciosa res eſt, *ait in Epiſtola quadam Rex Theodoricus,* in imperante tenuitas.

(60) *Magiſtratui neceſſaria &c.]* Repetenda huc, quæ ad Politici ſcelerati impugnati *caput 22. pag. 224. ſeq.* congeſſi.

Num. 49.

(61) *Arca Jovem &c.]* In ſimili Horatius *lib. 2. Satyra 3.*

— — — Omnis enim res,
Virtus, fama, decus, divina, humanaq; pulchris
Divitiis parent: quas qui conſtruxerit, ille
Clarus erit, fortis, juſtus, ſapiens, etiam Rex,
Et quicquid volet.

Num. 50.

(62) *Nucis Ovid. &c.]* Quæ de ſe conqueritur,
Nux ego juncta viæ, cùm ſim ſine crimine vitæ,
A populo ſaxis prætereunte petor, &c.

Num. 51.

(63) *3. Reg. 3. &c.]* Non hæc loquuntur loca de Davide, ſed filio ejus, Rege Salomone. Potiùs huic loco congruunt loca *1. Paralip. 22. v. 14. c. 30. v. 2. ſeqq. & v. 28.*

Num. 52.

(64) *1. Paralip. 30. v. 2. &c.]* De Cellulis hisce & divitiis in iis reconditis, nec hoc in loco, nec alibi quicquam in Sacra Scriptura tandem manifeſtum eſt. Legi hîc merentur, quæ Dn. Lebleu *in Davide Illuſtrato pag. 252. & 253.* notat, inquiens: Sepelivit eũ (*Davidem ſcilicet*) Salomon Hieroſolymis magnificè præter ſolemnia in Regum funeribus, illatis etiam in monumentũ ejus maximis divitiis. (*Joſeph. Antiquit. Judaic. lib. 7. cap. ult. in fin.*) Quantæ in Regium tumulum, & cui fini illatæ fuerint divitiæ, de hoc in ſacris diſertè nil proditum reperitur. Si tamen, quæ Joſephus recenſet, veritate nituntur, indubium eſt, Salomonem ſapientiâ omnibus præeminentem, ſummâ ejusmodi expenſas ratione feciſſe, vel ut ultimam hoc modo parenti venerationem; vel ut poſteritati immenſam tunc temporis rerum omnium abundantiam teſtaretur; vel ut tam ſplendido ſepulchro conditus immortalitatis famam conſequeretur &c. Adderem ego, fuiſſe fortaſſis divitias illas theſaurum illum domui Dei à Davide (*de quo in loco ab Authore noſtro citato 1. Paralip. 30. v. 2. ſeqq. agitur*) ædificandæ à filio deſtinatum, quem tanquam in locum tutiſſimum juxta Regium Parentis cadaver cuſtodiri juſſerat, ut vel temporum injuriæ, vel hominum rapacitati, vel diverſis à voto uſibus eò minùs obnoxius eſſet. Quò etiam Klockius noſter inclinare videtur. Geierus tamen *de Ebræorum luctu 5. cap. 6. §. 16.* Villalpando adſtipulatur, quando fidem illorum penes Joſephum exquirere jubet prudentem lectorem; nobis enim (ut verba Villalpandi ſonare dicit,) nulla adhuc occurrere potuit ſufficiens ratio, quæ ſapientiſſimum Salomonem inducere poſſet ad ſepelienda tot talentorum millia, cum mundo pretioſo, & aureis ornamentis. Plura Exempla ingentium Theſaurorum in ſepulchris repertorum vide apud Chifletium *in Anaſtaſi Childerici cap. 3.* De imenſo Theſauro è Sepulchro D. Thomæ Cantuarienſis Epiſcopi ab Henrico VIII. Angliæ Rege effoſſo, Sanderum *de Schismate Anglicano lib. 1.*

Num. 55.

(65) *Semiramidis &c.]* Semiramis, inquit Plutarchus *in Apophthegmatibus,* cùm ipſa ſibi ſepulchrum condidiſſet, inſcripſit hæc: *Si quis Rex pecuniâ indiguerit, is, recluſo hoc monumento, ſumat, quantum volet.* Darius, aperto eo, nullam invenit pecuniam, ſed in aliam incidit inſcriptionem, cujus hic erat ſenſus: *Niſi malus fuiſſes homo, & pecuniæ inſatiabilis, nunquam ſanè loculos mortuorum invaſiſſes.* Hoc ipſum & Nitocridi tribuit Herodotus *lib. 1. c. 187.* Olearius *in ſuo Itinerario Perſico lib. 4. cap. 7.* meminit ingentis cujuſpiam lapidis decem ulnis longi, prope montem Arbuchim; in cujus altera parte dicit perhiberi inſcriptum: *Si me ſuſtuleris, erit tibi proficuum;* Hunc verò lapidem cùm aliquando L. homines ſpe ingentes inveniendi ibidem Theſauros magno molimine ſubruiſſent, aliud omninò nihil reperiſſe, niſi parti inferiori lapidis inſculpta hæc verba: *Quid quæris? nihil hîc repoſitum eſt.* De alia lapidis inſcriptione & homine deluſo, vide Cuſpinianum *in Ruperto Parvo pag. 399.* & Authorem noſtrum *infrà hoc libro c. 4. n. 86.*

Num. 56.

(66) *Lapidum &c.]* Teſtatur hoc ipſa Sacra Scriptura *3. Regum 10. verſ. 27.* inquiens: Fecitque, ut tanta eſſet abundantia argenti in Jeruſalem, quanta & lapidum, &c. & *2. Paralip. 9. verſ. 27.*

Num. 57.

(67) *Talenta &c.]* Continet quodlibet Auri Talentum Ebraicum, teſte Heniſchio *de Aſſe pag. 192.* florenos noſtrates 21428$\frac{4}{7}$. Sic ut ſexcenta ſexaginta ſex talenta efficerent, computo facto ad noſtros florenos, quatuordecim milliones tonnas duas auri, florenos 71428.

(68) *Alios plures reditus &c.]* De quibus Drexelius *in Salomone cap. 5. & 6.* (ubi fontes hosmet & plures accuratè monſtrat,) conſulatur.

(69) *Singulis trienniis &c. navigaret &c.] 3. Regum 10. v. 22.* Sacra Scriptura dicit; claſſis Regis per mare cum claſſe Hiram ſemel per tres annos ibat in Tharſis, deferens inde aurum &c. Quod ſic interpretatur Drexelius *in Salomone cap. 4. §. 1.* Hæc navigatio ſic inſtituta eſt, ut annis ſingulis naves emitterentur; ſed nullæ redierunt ante annum tertium: quo ipſo Authoris noſtri dubium inferiùs motum facilè dilui poterit.

(70) *Ophir, Tharſis, &c.]* Ophir, i. e. ſecundùm Interpretes, Cinis, vel Incineratio, Filius fuit Jectan, ut eſt *Geneſ. 10. verſ. 29.* à quo nonnulli dictam putant auream illam Regionem in libris Regum & Paralipomenon paſſim, vel ob claſſem Salomonæam, quæ aurum & alia inde aſportavit, in primis

primis celebrem. Ubi verò terrarum ſita ſit hæc regio, variè à variis cōtrovertitur, uti videre eſt in Dictionario Hiſtorico Caroli Stephani *h. voce, alibive.* Inter quos citatos Caſpar Varrerius Luſitanus in Commentario de Ophyra regione, (*quem Joh. Iſaacius Pontanus Diſcuſſionibus ſuis Hiſtoricis ſubjunxit,*) examinatis aliquot aliorum opinionibus contendit; omnem illam oram, quæ Peguſiis, Malaca, & Sumatra continetur, apud divinam Hiſtoriam Ophyram regionem eſſe appellatam. Poſtremò Athanaſius Kircherus *in China Illuſtrata parte 2. cap. 2.* non longè hinc abiens cenſet, Ophir vocem Optam eſſe, ſeu Ægyptiacam, quâ Ægypti veteres eam Indiam appellarunt, quæ continet regna Malabar, Zeilanum, auream Cherſoneſum, & ad eam ſpectantes Sumatram, Moluccas, Javas, quas aliasque vicinas Inſulas Auriferas, in quas Hiram claſſem Salomonis ſtatutis temporibus expediviſſe legimus, non aurum tantùm, gemmæ, lapides & ligna pretioſa, ſed & pavones, ſimiæ, ſimiliaque, quæ è dictis Regionibus rebus hujusmodi refertis claſſis Hiram ſecum attulit, abundè teſtantur. Ego, cum Drexelio *in ſuo Salomone cap. 4.* Tibi, mi Lector, hanc controverſiam illibatam à mea cenſura trado: Integrum tibi ſit, opinionem quamlibet amplecti.

(71) *Proditore &c.]* Clariùs fortaſſis ita, Parmenio ope proditoris, Præfecti Regiæ Gazæ, quæ Damaſci erat, Alex. &c. Rem totam penſiculatiùs Q. Curtius *de reb. geſtis Alexandri lib. 3. cap. ult.* exponit, ubi legere quiveris. Quot autem circiter talenta Alexander ex variis Darii Theſauris collegerit, enucleat Jacobus Capellus *de ponderib. numm. & menſ. lib. 5. c. 9.*

(72) *Cyrus &c.]* Eadem tradit ex Plinio *lib. 33. Natur. Hiſt. c. 3.* Opmeer *in Opere Chronographico pag. 211.* de quo tamen Herodotus, Xenophon, plerique alii antiquiores ſcriptores ſilent.

(73) *Platanum vitemq; &c.]* Platani aureæ ac vitis, meminit Herodotus *lib. 7. cap. 27.* perhibetque has quoque tales Pythium, Atys filium, virum Lydum, Dario (*Hyſtaſpidi, ſecundo à Cyro Regi*) Xerxis Patri, dono dediſſe. Meminit Athenæus *lib. 12. cap. 3.* adfuiſſe in ipſo cubiculo Regum Perſarum vitem auream ſuprà lectum lapillis pretioſis ornatam, quam ſcripſerit Amyntas in ponderibus, racemos ex pretioſiſſimis calculis compoſitos habuiſſe &c. Diodorus verò Siculus, *Biblioth. Hiſtor. lib. 19. cap. 48.* Antigonum, Aſiæ Regem, occupatâ Suſorum arce, vitem inibi auream, operumque aliorum copiam, ad XV millium talentûm æſtimationem nactum fuiſſe: de aliis aureis vitibus vide Rupertum *in Notis ad Flori lib. 3. cap. 5. §. 30.*

(74) *Pondo LXXX. &c.]* Scil. Romanis ponderibus: quæ ſemper fuerunt à Græcorum mina diverſa: ut Heniſchius *de Aſſe pag. 91. & 97.* tradit: ubi dicit, Ægyptium talentum eſſe LXXX minarum, drachmarum DCCC.

Num. 58.

(75) *Apud Plutarchum &c.]* Verba ejus, ſive potiùs ejusdem Interpretis *in Reipubl. gerendæ præceptis, Operum tom. 2. pag. 812.* hæc ſunt: Laudatur etiam Eubulus Anaphlyſtius, qui cùm fide eſſet ſummâ atque potentiâ, nihil rerum Græcarum geſſit, neque ad præturam bellicam ſe contulit: ſed adminiſtrationem pecuniæ amplexus, publicos auxit reditus magnoque fuit patriæ emolumento &c.

Num. 60.

(76) *Deuter. c. 17. &c.]* Jungantur his ſuprà *ad Num. 23.* dicta.

Num. 61.

(77) *3. Reg. 14. verſ. 26. &c.]* Non eſt hujus loci allegatus locus, utpote qui non de coacervandis, ſed de ablatis per Seſac Regem Ægypti ex Jeruſalem theſauris Domus DEI, & theſauris Regiis univerſisque direptis loquitur. Quamvis per alia Scripturæ loca opinionem Authoris probari poſſe nemini dubium ſit: & inter illa per *2. Paralipom. 32. v. 27. 4. Regum 20. &c.*

Num. 62.

(78) *Ditavit &c.]* In ſacro Codice non vox *ditavit*, ſed *dotavit*, in loco allegato legitur, dum Lia ſextùm puerpera exultans, inquit; (ut verba Latina in verſione vulgari ſonant:) Dotavit me Deus dote bona: etiam hâc vice erit maritus meus mecum &c. Sive, ut eſt in verſione Tremellii atque Junii: Donavit me DEUS, me inquam donatione bona; nunc tandem cohabitabit mecum vir meus &c. Quod Beatus noſter Lutherus rectè vertit: GOtt hat mich wol berahten nun wird mein Mann wieder bey mir wohnen rc. inquit. Sicque planè eorum verborum alius, quàm in quo citantur ſenſu, ſenſus eſt.

Num. 63.

(79) *Promptiſſimè dependunt &c.]* Cùm ſit æquiſſimum, omnes in communem utilitatem conferre de privatis bonis, ſive ut arceantur hoſtes, ſive ut conſerventur cives, ſive etiam ut decus & majeſtas Regni aut Reipublicæ ſtare poſſit inconcuſſa & neceſſariis defungi muneribus. (*Cauſinus de Regno DEI, diſſert. 46.*) Præclarè præcepit Paulus *ad Rom. 13. verſ. 5.* Ideò neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Ideò enim tributa præſtatis. Vide & Latherum *de Cenſu lib. 1. cap. 2. n. 9. ſeqq.* & ab eo laudatos Authores.

Num. 64.

(80) *Ad neceſſitates &c.]* Sic neceſſitate importunâ ſuadente cogente Carthaginenſes, medicis aliis ſublatis, in uſum novæ claſſis (*ut eſt apud Florum lib. 2. cap. 15. n. 10.*) tecta domusque reſciderunt: in armorum officinis aurum & argentum pro ære ferroque conflatum eſt: in tormentorum vincula matronæ crines ſuos contulerunt. Neceſſitas verò, (ſic poſt alios benè diſtinguente Matthæo Weſenbecio Juniore *de ſubſidiis concl. 2. n. 3. ſeq.*) duplex eſt; alia præciſa, alia cauſativa. Neceſſitas præciſa, quæ & abſoluta, item coactionis & compulſionis dicitur, (*pergit ille*) eſt, quæ nec planè evitari nequit, nec media dari poſſunt, quibus ſiſtatur, veluti cùm ob caſum, qui humanâ providentiâ, vel jure citra Rei publicæ & privatæ exitium evitari nequit (præſertim ita fatis ferentibus & quaſi manum injectantibus, quibus juxta Amm. Marcellinum ſolent hebetari ſenſus hominum & obtundi) contributionis onus etiam Clericis & aliis exemptis, & tam divino quàm humano jure privilegiatis imponitur, de quâ brocardicum illud, neceſſitatem nō habere legem, ſed ipſam (æquitate tamen & verè utilitate publicâ ſuffultam) facere licitum, quod aliàs illicitum rectè prædicatur, &c. Alia neceſſitas dicitur cauſativa, quæ evitari poteſt, aliis mediis cauſæ neceſſitatis remedentibus, unde etiam vocatur reſpectiva, conditionalis, & ſub hypotheſi, ſeu expedientiæ;

entiæ; & huic, reſpectu contributionis extraordinariæ, privilegiati, & cauſæ piæ non ſunt ſubjiciendæ. Hactenus ille, qui & *Concluſione ſequenti 3.* probat, præciſâ neceſſitate neminem quomodocũq; privilegiatum eximi. Imò exemplis M. Antonini Philoſophi nec non Sereniſſimorum Auſtriæ Archiducum D. Alberti & D. Iſabellæ, qui ornamenta potiùs ſua diſtrahere quàm extraordinaria tributa imperare voluerunt evincit, nec Superiores bonósve Principes tunc temporis ſe immunes à collectis, deficientibus pecuniis publicis cenſuiſſe. Merentur hoc loco & quaſi in tranſitu notari ea, quæ interpres Miniſterii Cardinalis Richelii de prætenſa Clericorum immunitate *in reminiſcentia politica ad caput 34.* habet, his verbis: In poteſtate Regum eſt, Eccleſiaſticos neceſſitate urgente, ad partem redituum erogandam adigere, ut ſubveniant Reipublicæ, cùm bona Eccleſiaſtica ejusmodi ſint conditionis cum cæteris, per eum curſum rerum. Neque enim per filium DEI, nec per Apoſtolos à tributo communi eximebantur, Eccleſiâ id temporis bonorum immobilium vacuâ. A pietate igitur Imperatorum & Regum hanc obtinent gratiam, eâ tamen lege, ut ſummis Reipublicæ neceſſitatibus non deſint, cum ſucceſſoribus Principum ſine ſcrupulo liceat receptare neceſſaria. Pietatis eſt, petere, quod pro ſummâ authoritate capere licet, fruſtraneo alioqui patrocinio in Eccleſias, niſi uſus in neceſſitate concederetur: modeſtia igitur Principum Eccleſiaſticos reddat promptiores ad ſubſidia, cum imperantis preces arctiùs vinciant, quàm mandata. Sicuti verò omnes corporis partes, nec ullâ nobiliſſimarum exceptâ, conſervationi ejusdem inſerviunt; ita æquum fuerit, ut omnes Reipubl. partes connitantur ad ejusdem conſervationem aut gloriam reſtaurandam. Gratianus Imperator ſanxit, ut ſinguli bono publico obedirent, ex officio ſubveniendi, ſine ullis immunitatibus pro dignitate conceſſis. Sic ferè Plato, omnes omnium mortalium debere neceſſitati obſequium ipſis Diis eidem ſubmiſſis. Si verò Eccleſiaſtici, tergiverſarentur Regibus eo ſtatu rerum ſubvenire, meritisſimè illis objiceretur, quod Diocletianus olim Philoſopho cuidam, immunitatem mutui à populo exacti petenti exprobravit: Iſta petitio tuo vitæ inſtituto per diametrum occurrit, quòd imperium in animi motus præfert, & ſummis in mundo deſideriis calcaneum minatur, cùm ab avaritia ſubigaris. Ita Eccleſiaſtici, diſcipulorum & imitatorum Chriſti profeſſi æmuli, quibus paupertas ſummè erat cordi, uſu etiam auri atque argenti interdicto, ad contraria tranſirent, ſi immunitatem eorum onerum, quæ Reges reliquis ſubditis, urgente neceſſitate publicâ imponunt, prætenderent. His addantur dicta à Berneggero *in Quæſtionib. ad Taciti Agric. & Germ. quæſt. 194. circa finem.*

Num. 64.

(81) *In lateres, &c.]* Confirmantur hæc ex dictis Bodini *lib. 6. de Republ. 2. pag. 695.* Petro Gregorio Tholoſano *de Republ. lib. 1. cap. 3. num. 7.* maximè verò Herodoto *lib. 3. cap. 96.* ubi de tributis variis à Dario coactis ſermonem finiens, ſubjungit: Id tributum Rex hunc in modum theſaurizat, hoc eſt, reponit. Liquefactum aurum argentumque in fictiles fidelias infundit: expletas mox fidelias ſubinde frangit: ex eoque auro argentóve, quoties pecuniâ indiget, tantum concidit, quantum uſus poſtulat. At nec ejusmodi maſſarum pondus, neque Rhamp. ſiniti lapideæ turres, neque Sardanapali ſubterraneæ ſpecus, publicam illam Pecuniam tueri, nec etiam Templorum, ſepulchrorúmve Religio, neque profunda flumina eam poterunt occultare; ſi non rara & continuata Principum prudentia, aut ordinum id faciat provida cura. Inde pro regula Dn. Forſtnerus *in Not. Polit. ad Taciti 4. Annal. 72. num. 1.* ponit: Curæ ærarii & vectigalium præponendos eſſe homines ſanctiſſimos, & qui puras innocentesque manus habeant. Et in ſequentibus pro cautione non inepta reputat, quæ quorundam fuit, ærarii & redituum curam ſacris hominibus eò quòd ipſis Pontificia Conſtitutio matrimonia & cum illis deſiderium liberis aliquid relinquendi abſtulerit, mandaſſe: quod exemplis probat. Alia à me *ad Politicum Sceleratum impugnatum ad cap. 41. pag. 460.* annotata extant

(82) *Sed etiam in Ordinum &c.]* Poſtrema lex erat Franciſci majoris, inquit Bodinus *6. de Republ. 2. pag. 674.* quâ cautum erat, ut ærarii ſanctioris quatuor claves fabricarentur; ut unam penes ſe Rex haberet; cæteras ii, quos ærario præfeciſſet. Subrogatum etiam huic legi, ne ex arca numi niſi præſente ærarii Præfecto & ſcribâ moverentur. Sic Philippus Valeſius, memorante Interprete Miniſterii Cardinalis Richelii &c. *in Polit. reminiſc. pag. 39.* Senatu ex tribus Ordinibus Regni lecto, ſtatuit, Quæſtorum rationes exigendas, curâ pecuniæ publicæ Eccleſiaſticis & Equeſtribus demandatâ, quibus integritas magis cordi foret. Sic Abbates Marmonſterii & Corbiæ, adjutis quatuor Epiſcopis totidemque Equitibus eam provinciam ſubiêre.

Num. 65.

(83) *Sed iniqua cupiditas &c.]* Refert Stobæus, Epicurum Philoſophum interrogatum, quâ demum ratione diteſcere poſſit æris cupidus? Sapienter prorſus & pro ſaniſſimo Philoſopho reſpondiſſe: Non augendo opes, ſed diminuendo cupiditates. Ratio expeditiſſima ſimul & honeſtiſſima. Nam quemadmodum nec ſatis paſtus, nec ſatur dici poteſt, qui etiamnum eſurit ac ſi nihil comediſſet; ita nec dicendus dives, qui, poſtquam plurima glutiverit, aſſiduè tamen eſurit & ſitit. Satur eſt, quem nec fames nec ſitis ampliùs laceſſit, etſi parùm comederit; ita dives, qui, quamvis exiguum numeret cenſum animum tamen gerit quietum & nullius rei cupidum. *(Drexel. in Salomone cap. 5.)*

Senſit Alexander, teſta cùm vidit in illa
Magnum habitatorem, quantò felicior hic, qui
Nil cuperet; quàm qui totum ſibi poſceret orbem,
Paſſurum geſtis æquanda pericula rebus &c.

inquit Juvenalis *Satyra 14.* Primus enim, docente Seneca *Epiſt. 2.* divitiarum modus eſt, habere, quod neceſſe eſt: proximus, quod ſatis eſt. Hinc Epicurus ad Pythoclea; ſi vis, inquit, Pythoclea divitem facere, non pecuniæ adjiciendum, ſed cupiditatibus detrahendum eſt. Eodem Seneca Authore *Epiſt. 21.* quò fortè Drexelius reſpexit.

Num. 66.

(84) *Propter abuſum &c.]* Cùm Satyrus ignem primò ſibi viſum oſculari vellet & amplecti, monet eum Prometheus,

Barbam caper tuam deflebis protinus:
Tangentem adurit ignis. -- --

Interim lumen præbet, & calorem, & uſus gnàris inſtrumentum eſt omnium artium. (*Plutarchus de capienda ex hoſtibus utilitate.*) Nimirum ſic canente Ovidio *2. Triſtium:*

Nil prodeſt, quod non lædere poſſit idem.
Igne quid utilius ? ſi quis tamen urere tecta
Comparat, audaces inſtruit igne manus.
Eripit interdum , modo dat medicina ſalutem.
Quæq; juvet, monſtrat, quæq; ſit herba nocens.
Et latro & cautus, præcingitur enſe viator,
Ille ſed inſidias, hic ſibi portat opem.
Diſcitur innocuas ut agat facundia cauſas,
Protegit hæc ſontes, immeritosq; premit.

Ac Bias quidem, teſte Plutarcho *de auditione pag. m. 38.* ab Amaſide juſſus, ſimul & optimam & peſſimam victimæ carnem mittere, linguam ei exſectam miſit. Quia ſermo & utilitatis & damni plurimum affert. Sic opes optimæ ſunt, ſi rectè utaris, peſſimæ; ſi ſecus. Quocirca tenenda eſt doctrina Auguſtini *in cap. quisquis diſt. 41.* In omnibus talibus non uſus rerum, ſed libido utentis in culpa eſt,

(85) *Pecunia ſæpè eſt periculum avarorum &c.]* Similiter Seneca *lib. 3. de Ira cap. 32.* philoſophatur: Hæc (*ſcil. pecunia*) fora defatigat, patres liberosque committit, venena miſcet, gladios tam percuſſoribus quàm legionibus tradit; hæc eſt ſanguine noſtro delibuta; propter hanc uxorum maritorumque noctes ſtrepunt litibus, & tribunalia magiſtratuum premit turba; Reges ſæviunt rapiuntque, & civitates longo ſeculorum labore conſtructas evertunt, ut aurum argentumque in cinere urbium ſcrutentur &c. Sed rectè, hæc omnia ex accidenti contingere, Author noſter animadvertit.

Stemmata, Numus, *honor virtuti ſæpius obſunt:*
Sæpius huic proſunt ſtemmmata, Numus honor.

inquit Hoffmannus *Cent. 4. Epigr. 11.*

(86) *In Evangelio &c.]* Luc. 6. verſ. 24.

(87) *In ſexto argumento &c.]* Divitiæ, docente Drexelio *in Salomone cap. 5.* ſunt ambidextræ, ad bonum & malum trahi faciles, uti ſcalæ aſcenſum & deſcenſum juvant, ita pecuniæ ad cœlum ducunt & ad inferos, ſed plures multò ad inferos. Si pietati & pauperibus opes ſerviant iter ad beatos tenent: ſi vanitati & vitiis, viam monſtrant planiſſimam ad diabolorum ſocios. Perinde ut ſtramen ad extruendam domum facit & ad incendendum: ſic & opes, ſi mentem nanciſcantur bonam, adjuvant; ſin aliam, ſunt idem, quod in manu inſani gladius, qui ſibi & aliis nocet. Numi in manu hominis non pii ad pompam, ad vanitates, ad epulas, ad voluptates, ad luxum & convivia, ad veſtitum & ſuperflua. Numi lautiſſimum vitiis omnigenis pabulum. *Et p. p. idem inquit:* Licet benè uti opibus, nî mali ſimus: Ad aquas Ægyptias id diſcemus, quæ in ſanguinem verſæ, ſed Ægyptiis, non Ebræis. In manu Ægyptiorum ſanguis, inquit Joſephus, in manu Ebræorum mundiſſima eſt aqua: Sic opes in manu cordis non ſinceri fœdus vitiorum ſanguis, in manu probi hominis grande adminiculum liberalitatis. Ex quibus facilè colligere eſt, ut nec bonum, ita & nec malum ex ſua natura, ſed ex accidenti, efficere hominem; Divitias, prout nempe in animum vel virtute vel vitiis imbutum cadunt. Quod verò argumentum à conjugatis ſumptum attinet, illud non à conjugatis & connexis, utpote quæ ex eo æſtimantur, ſi unum de illis tendat ad perfectionem alterius; ſed à ſeparatis, quæ ita ſunt, ut unum ſine altero eſſe & ſtare poſſit, nec unum ad ſui perfectionem alterius ope indigeat, procedit, atque nullius planè momenti eſſe, vel quilibet Philoſophus, vel Philoſophiæ amicus JCTus, mecum cenſebit.

(88) *In Septimo &c.]* Adde his & ſuprà à nobis ex Seneca adductis Hornejum *in Philoſ. morali lib. 1. cap. 8.* graviter de quæſtione illa: an & quatenus ad felicitatem Civilem requirantur bona fortunæ, diſputantem. Rectè dixit, quisquis dixit: aurum & argentum, & cætera hujusmodi, quantum ad animi bonum ſpectat, nec bona ſunt, nec mala, uſus tamen horum bonus: abuſio mala, ſollicitudo pejor, quæſtus turpior.

Num. 67.

(89) *Prudentiæ &c.]* Ambitio enim, & jactantia, & effuſio, & quidvis potiùs quàm liberalitas æſtimanda eſt, cui ratio non conſtat. Plinius in Panegyrico.

(90) *Et honorem &c.]*

Aurea ſunt verè nunc ſecula: plurimus auro:
Venit honos, auro conciliatur amor.

(91) *Non ita eſt &c.]* Imò verò, ſi ad rectæ rationis, non autem hominum perverſi judicii trutinam rem perpendamus, ita eſt: quantum enim animi bona, à corporis bonis, corporis bona, à fortunæ & exterioribus bonis inter ſe diſtant; tantum & cura illorum bonorum inter ſe diſtare cenſenda eſt. Quamvis deplorandum ſit, Juvenalis verſum *in Satyr. 3.* adhuc non ſecus ac Sybillina quædam folia æſtimari, hodieque obtinere vim ſuam efficaciſſimam,

Protinus ad cenſum. De moribus ultima fiet
Quæſtio, &c.

Num. 68.

(92) *Inimicis pecuniam relinquere &c.]* O quanta eſt dementia hæredis ſui res procurare, & ſibi omnia negare. Magna enim hæreditas ex amico inimicum facit: plus enim gaudebit tua morte, quò plus accedit.

(93) *Quàm amicis impertiri &c.]* Dionyſius Senior cùm in filii ſui (quem ſucceſſorem Tyrannidis erat habiturus) conclave intraſſet, poculorumque aureorum & argenteorum multitudinem ibi offendiſſet, exclamavit: Non eſt in te Tyrannidis capax ingenium, qui tot à me acceptis poculis nullo eorum ad parandum tibi amicos uſus es. Rurſus ille: aliquando audiverat quendam civium habere aurum domi defoſſum, id ſibi eum adferre juſſit. Cumque is paululùm ſuffuratus in aliam migraſſet urbem fundumque ibi emiſſet, revocatum juſſit reliquum omne aurum ad ſe recipere, neque porrò rem utilem, inutilem facere. Plutarchus *in Apophthegm. p. m. 175. & 176.* Rectè dixerat Bion: Longè meliùs cenſeri, de ſua meſſe alteri dare, quàm meſſem alterius vellicare. (*Drexel. in Salomone cap. 7. §. 1.*) Ad quid enim obſecro pecunia, & quis legitimus ejus uſus? Numquid ut omnes ciſtæ, ſacculi, arcæ, & quicquid loculorum domi eſt, numis inſerciantur, & centum ſeris obſerventur? Siracides *cap. 41. verſ. 17.* clamat: Sapientia abſcondita, & theſaurus

rus inviſus, quæ utilitas in utriſque? Suademus tamen ſic rationem liberalitatis inſtitui,ut nulli ſit damnoſa, nec quod alteri tribuitur, alterius diſpendiis applicetur. Minùs verò Gnathonibus, Thraſonibus, morionibus,otioſis, & ejusmodi farinæ inutilibus terræ ponderibus liberalitatis fontes aperiantur: cùm Antonini Pii Imperatoris ſententiâ (*apud Jul. Capitolinum in vita ejus cap.7.*) nihil ſit ſordidius,imò crudelius, quàm ſi Rempublicam is arroderet, qui nihil in eam ſuo labore conferret. Verbo, veto cum Seneca *lib.1. de Beneſ. c.15.* liberalitatem nepotari.

Num. 69.

(94) *Non parùm ars &c.]* Alibi (*ad Politicum Sceleratum &c. cap. 29. pag. 295.*) ex Lauredano diximus & ea in ſententia perſeveramus; Duo hominem magnificare: habere plurimum auri & auræ,&c. ubi vide,ſi lubet,integram ſententiam:ut & Addit. *ad cap.35.pag.392.*

Num. 70.

(95) *Non deſunt amici &c.]* Tritum eſt illud Ovidii *1. Triſtium Eleg.8.*

Donec eris felix, multos numerabis amicos:
Tempora ſi fuerint nubila, ſolus eris.
Aſpicis, ut veniant ad candida tecta columbæ?
Accipiat nullas ſordida terra aves?
Horrea formicæ tendunt ad inania nunquam,
Nullus ad amiſſas ibit amicus opes.

Hujusmodi verò, ut *lib.1.Carm. Ode 35.* venuſtè Venuſinus Poëta canit;

— — — *Diffugiunt cadis*
Cum fæce ſiccatis amici
Ferre jugum pariter doloſi.

Florentes amicorum turba circumſedet: circa everſas ingens ſolitudo eſt: & inde amici fugiunt, ubi probantur. Hac re iſta nefaria exempla ſunt, aliorum metu relinquentium, aliorum metu prodentium. Neceſſe eſt,initia inter ſe & exitus congruant. Qui amicus eſſe cœpit, quia expedit; placebit ei aliquod pretium contra amicitiam, ſi ullum in illâ placet præter ipſam. In quid amicum paro? ut habeam,pro quo mori poſſim, ut habeam,quem in exilium ſequar, cujus me morti opponam & impediam. Iſta,quam tu deſcribis, negotiatio eſt non amicitia: quæ ad commodum accedit, quæ,quid conſecutura ſit, ſpectat: inquit Seneca *in Epiſt. 9.* Ex merito eos, qui filias Lyſandri ambiverant, mortuo autem eo, quòd pauperem fuiſſe tum liqueret, repudiabant, ephori multaverunt, quòd quem ob divitiarum opinionem coluiſſent, hunc, juſtitiam ejus ac probitatem paupertate arguente ſpernerent. (*Plutarchus in Laconicis Apophth. Operum Tom.2.pag.231.*) O imitandum Orbi exemplum!

Num. 71.

(96) *Gentilleti locus &c.]* Allatus hoc ipſo in ſenſu,& pluribus confirmatus in Additionibus ad Politici Scelerati impugnati *cap.45.pag.505. ſeqq. multis.*

Num. 74.

(97) *Publico ærario ſeu theſauro cogendo &c.]* Verba Cominæi *Commemor. rer. geſt. lib. 7. cap. 15.pag.500. Editionis Barthianæ*, hæc ſunt: Dux coram Senatu mihi dixit, capitali pœnâ inter ipſos vetitum eſſe, ne reponendæ pecuniæ mentio fiat: ratione, puto, non abſurdâ, ne inter eos exorirentur diſſidia. Sed de Re ipſa infrà dicendi locus erit, ſi ad Rempubl. Venetam devenerimus.

Num. 75.

(98) *Boterus &c. fol. 79. &c.]* Editionis Marpurgenſis de Anno 1620. fol. 86. Helmæſtadienſis verò de Anno 1664. fol. 77.

(99) *Ciceronis ſententia &c.]* Sententia ejus *lib. 3. de Officiis* hæc eſt: Neque enim ſolùm nobis divites eſſe volumus, ſed liberis, ſed propinquis, amicis, maximeque Reipublicæ. Singulorum enim facultates & copiæ, divitiæ ſunt Civitatis. Weſenb. Junior *de Subſidiis concluſ. 3. num. 7.* Contrarium tamen adſtruere tentat Piccartus *in Obſerv. Hiſtorico-Polit. deciſ. 15. cap. 5.* & probare, malè credi, egeſtuoſâ, uti loquitur, ac mendicante Republ. divitias poſſe ſtare privatas: ubi vide.

Num. 76.

(100) *Auribus cum Camelo &c.]* Sumptum id ex apologo de Camelis, qui per Oratorem cornua à Jove poſtularunt, ille offenſus ſtultâ poſtulatione, aures quoque reſecuit. Putat verò Eraſmus *Chiliad. adag. 3. cent. 5. adag. 8.* proverbium ipſum convenire in eos, qui dum peregrina ſectantur, ne ſua quidem tuentur.

(101) *Ærarium habere &c.]* Quòd ærarium non habuerint Spartani, teſtatur quoque Archidamus Rex Spartorum apud Thucydidem *lib. 1.* Bellum contra Athenienſes ſuſcipi diſſuadens; Pecuniam, *inquit*, publicam non habemus; neque prompte è privato conferimus. Qui locus ex majori cura obſervandus venit, quòd inſignis de ærariis publicis, docens, quæ commoda Reipublicæ importent, quæve avertant incommoda, ſit. Verba autem Ariſtotelis ſive ejus Interpretis D. Lambini *2. de Republ. cap. 9.* vel ut alii volunt 7. hæc ſunt: Tum ea, quæ ad pecuniam publicam pertinent, perperam ſunt apud Lacedæmonios conſtituta: nam neque ærarium eſt apud eos, ubi pecunia publica condita ſervetur, cùm Civitas magna bella gerere neceſſitate cogatur: & tributum malè conferunt: nam propterea quòd Lacedæmonii latiſſimos agros poſſident, quantum quisque tributi conferat, non admodùm accuratè inter ſe exquirunt neque explorant: & hoc modo contrarium evenit latori Legis, atque Civitati expedit. Civitatem enim fecit nudam atque inanem à pecunia: cives autem & privatos pecuniæ cupidos atque avaros. Verumenimvero Ubbo Emminus *de Republ. Laconum pag. 322.* tandem & ipſos Lacones ærarium inſtituiſſe opinatur, jamjam relatis de ærarii non uſu ſubjiciens: Pòſt,cùm aurum & argentum cœpiſſent adamari, uſusque eorum creſcere, & è manubiis à Lyſandro in Urbem invectis ærario eſſet datum initium, ac ſociorum multi vectigales facti, alia ratio inſtituta, ſed eadem poſteris quoque non ſatis perſpecta. Hoc ſolùm conſtat, ex eo tempore ſtipendium militi Spartano ex ærario ſolutum: ærarii verò curam ac poteſtatem potiſſimùm penes Ephoros, populi duces, fuiſſe: ærarium ſpoliis hoſtium, & ſociorum tributis cum tempore locupletatum, pecuniæ magnitudine, æraria reliquarum Græciæ Civitatum procul ſuperaſſe.

(102) *Morus &c.]* Ipſe Morus in ficta ſua Republica Utopica non ſimpliciter ærarium rejicit;

 ſed

ſed nimiam theſaurorum congeriem. Expreſsè enim aſſerit, Macarenſium Regem jurejurando adſtringi, nunquam ſe uno tempore ſupra mille auri pondo in theſauris habiturum, aut argenti, quantum ejus auri pretium æquet. *Addens*: Hanc legem ferunt ab optimo quodam Rege inſtitutam, cui majori curæ fuit patriæ commodum, quàm divitiæ ſuæ, velut obicem ACERVANDÆ PECUNIÆ TANTÆ, QUANTA FACERET INOPIAM IN EIUS POPULO, &c.

(103) *Machiavelli argumenta refutat &c.]* Juxtâve experientiam Politici ferè omnes, & inter illos nominatim Ranzovius *in Comment. bellic. lib. 1. cap. 6.* Bornitius *de Ærario, & ab eo allegati lib. 1. cap. 1.* Scipio Amiratus *Diſſertat. Polit. lib. 58. diſc. 8.* adverſas partes tuentur. Quod & facit Junius *part. 2. Polit. Quæſt. quæſt. 74.* Authorque ejúsve interpres Miniſterii Cardinalis Richelii *lib. 2. cap. 33. in Reminiſc. Polit.* ubi, Equidem ſcio, *inquit*, pecunias ad ardua non omnia conferre, cùm & miles cordatus, & Dux profectæ ætatis, laudatæ induſtriæ, famoſæ fortitudinis, firmi conſilii, promptæ executionis, magnæ ad exercitum authoritatis, cæterarumque imperatoriarum virtutum dives requiratur. Neque tamen Princeps iſtis inſtructus ſine ærarii nervis operæ fecerit pretium, cùm nec ducem, nec milites habeat obſequentes; nulla alia ratio apparatuum & annonæ, tormentorum & impedimentorum, niſi impenſarum; nec aliter attrito exercitui ſupplementa dantur. Berneggerus *in Quæſtionibus ex Taciti Germania, & Agricola quæſt. 208.* diſtinguit inter cauſam principalem ad gerendum bellum, quam eſſe militum fortitudinem autumat: & accidentalem, quæ poſſit eſſe pecunia. Dicendumque putat, Pecuniam requiri ad militem conducendum alendumque; militem verò ad bellum gerendum, & victoriam honeſtè obtinendam. Cujus diſtinctionis validitatem in medio relinquimus. Quibus adde Beſoldum Machiavello adſtipulantem *de arte jureque belli cap. 4. n. 2.* Danæum *in Aphoriſ. Polit. ex Tacito pag. 464. ſeq.*

Num. 78.

(104) *Lampridius in Severo &c.]* Tale nihil apud Lampridium extare quilibet, qui vitam Severi à Lampridio conſcriptam integram perlegerit, reperiet.

(105) *Niſi prompta pecunia &c.]* Landgravius (Haſſiæ Philippus) bonus Princeps, ipſe ad me dixit: Quàm diu habui pecuniam, & militibus tempeſtivè perſolvi ſtipendia; tam diu bonam diſciplinam militarem in exercitu conſervare potui. Sed ſi Duces non poſſunt ſolvere; tunc nihil eſt, & diſciplina militaris ſtrictè ſervari non poteſt, inquit Philippus Melanchthon ap. *Manlium in Locus Comm. Manlii pag. 264.*

(106) *Victu faciles confœderatos effecit &c.]* Aliam cauſam infelicis exitûs belli Proteſtantium cum Carolo V. detegit Sleidanus *Comment. lib. 18.* inquiens: Sic ergò parùm feliciter fuit adminiſtratum bellum. Cujus quidem mali præcipua fuiſſe cauſa putatur, quòd non ex unius arbitrio res ageretur. Cùm enim æquali eſſent poteſtate prædití Saxo & Landgravius, non ſemel accidit, ut in diſceptando præopportunæ dilaberentur occaſiones. Quod etiam de diſtribuendo præſidio decretum fuerat, non ſucceſſit, cùm nonnulli contribuere quid ampliùs recuſarent. Cui quoque Thuanus *Hiſt. lib. 2. pag. m. 37. & lib. 4. p. m. 85.* & Chytræus mox citandus aſſenſum ſuum præbent.

(107) *Pulcerrimum inquit exercitum &c.]* Chytræus *in Orat. de Carolo V.* ſic illud effert: Cùm ad vicinos Ingolſtadio montes (Anno MDXLVI.) Germanorum Principum & Civitatum fœderatarum caſtra, longiſſimo ſpatio extenta videret: Súntne iſti omnes Germani? quærit: & Benè eſt, inquit: citò eis deerit conſilium, & pecunia, & concordia.

Num. 80.

(108) *Byzantium &c.]* De hoc ſuprà *ad Num. 46.* actum.

(109) *Titus Flaminius &c.]* Recitat id ipſum Plutarchus *in Apophthegmatibus pag. 197. Operum Tomo I.* T. Quinctius Flaminius, *inquiens*, Philopœmeni, Achæorum prætori, multis equitibus & gravis armaturæ militibus inſtructo, pecuniæ autem inopi, illudens, Manus eum ajebat habere & crura, ſed ventre carere. Nam & corporis eo habitu erat Philopœmen.

Num. 82.

(110) *Comparatè &c.]* Neque dubium eſt, (*cenſente Amirato Diſſertat. Politic. 18. diſc. 8.*) ſi Princeps ſoli pecuniæ fiſus fuerit, quin eum ſpes ſua deceptura ſit: quandoquidem dum pecuniam nervos eſſe belli dicimus, intelligimus præterea, ne cæteræ circumſtantiæ deſint; quemadmodum & humana corpora non nervis modò, ſed etiam oſſibus, & carne, & ſanguine conſtituuntur. Verùm ſicuti brachium, etſi oſſibus, carne, ſanguine validum, munere ſuo malè fungeretur, ſi impeditum fuiſſet, quia neque trahi, neque retrahi poſſet: ſic exercitus (etſi bellicoſis hominibus, qui ſunt ipſius oſſa, armisque, quæ carnium inſtar ſunt, validè munitus) nunquam movebitur, ſi theſauri deſint, qui nervorum officio funguntur. Ad quam ſimilitudinem fortè reſpexerunt, qui primò hanc ſententiam protulerunt, pecuniam nervos eſſe belli.

Num. 83.

(111) *Maximæ mercedi porrigunt &c.]* Milites, qui ſunt parati ad quodcunque bellum, nec curant, ſive juſtum ſive injuſtum ſit, ſed currunt ad ſonitum pecuniæ, ſolùm attendentes largiorem numorum largitionem ſeu erogationem, ſunt in ſtatu peccati mortalis. Ita ſtatuunt communiter Theologi. Ratio clara eſt, quoniam tales milites venalem habent animam pro pecuniâ, & animum ſimul promptum & paratum ad peccandum & exercendum injuſtitiam, dummodo ipſis per occaſionem liceat. Horrendiſſimam ergo temeritatem quorundam militum aliquando cum ſtupore audivi, aſſerentium; ſe velle diabolo ipſimet pro pecunia militare. Sed cordatus diſcretusque miles ejusmodi impias loquelas meritò abhorrebit, & deteſtabitur tanquam ex erebo & furiis infernalibus excogitatas. Verba ſunt Joachimi Burgers *Obſerv. milit. 5.*

(112) *Ad eſcam piſces &c.]* In ſimili Tacitus *11. Annal. 7. num. 2.* inquit, multos militiâ, quosdam exercendo agros tolerare vitam, nihil à quoquam expeti, niſi cujus fructus antè præviderit. Ut trutina in eam partem vergit, in qua plus ponderis; ſic plerique hominum in eam, ubi plus æris.

(113) *Chytræus in Orat. &c.]* Ibi Carol. V. Imp. dixerat:

dixerat: Nervos belli eſſe pecuniam, commeatus, milites; verùm ſi ex iis aliquo carendum eſſet, militem veteranum ſe electurum eſſe, cujus induſtriâ & fortitudine reliqua duo ſe ex hoſte comparaturum confideret.

Num. 85.

(114) *Ad rapinas confugiunt &c.]* De hac materia agit quoque Author noſter inferiùs *lib. 2. cap. 44. & 45.* & nos quædam ad Polit. Scelerati *caput. 44. pag. 503.* addidimus.

(115) *Cic. lib. 2. &c.]* Ipſiſſima verba ſic ſonant: Danda opera eſt, ne (quod apud majores noſtros ſæpè fiebat) propter ærarii tenuitatem, aſſiduitatemque bellorum, tributum ſit conferendum. Idque ne eveniat, multò antè erit providendum. Sin quæ neceſſitas hujus muneris alicujus Reipubl. obvenerit, (malo enim alteri quàm noſtræ ominari, neque tantùm de noſtra, ſed de omni Republ. diſputo) danda erit opera, ut omnes intelligant, ſi ſalvi eſſe velint, neceſſitati eſſe parendũ. Atque etiam omnes, qui Rempublicam gubernabunt, conſulere debebunt, ut earum rerum copia ſit, quæ ſunt neceſſariæ.

Num. 86.

(116) *Ad res privatas &c.]* Tantum nimirum, ut Annibal loquitur in loco citato ab Authore noſtro Klockio, ex publicis malis ſentimus, quantum ad privatas res pertinet; nec in eis quicquam acrius, quàm pecuniæ damnum ſtimulat.

(117) *In ſingulorum bona &c.]* Hanc enim ob cauſam, maximè, ut ſua tenerentur, Respublicæ Civitatesque conſtitutæ ſunt. Nam etſi Duce naturâ congregabantur homines, tamen ſpe cuſtodiæ rerum ſuarum, urbium præſidia quærebant. *Cic. 2. de Offic.*

(118) *Quem ut Numen aliqui venerabantur &c.]* Audiamus Keckermannum *de nat. & propr. Hiſtor. cap. 3. §. 29. num. 4. 5. ſeqq.* dicentem: Apollonius verò iſte Thyanæus, cujus Philoſtratus vitam deſcripſit, vixit tempore Senecæ, & Pythagoreum Philoſophum ſe profeſſus eſt, cùm interim magicis artibus & præſtigiis totus eſſet deditus, veluti Simonis Magi ſucceſſor. Ejus ergò Apollonii diſcipulus Philoſtratus librum ſcripſit de vitâ præceptoris ſui, quo nimirum id Sathanas egit, ut mundum à Chriſti admiratione averteret, atque adeò eluderet Chriſti & Apoſtolorum, qui eo ipſo tempore Evangelium per univerſam terram prædicabant, & illuſtribus miraculis confirmabant. Etſi autem meræ fuerint præſtigiæ Diabolicæ & miracula ficta, quæ iſte Apollonius edidit, id tamen obtinuit, ut complures eum ſub nomine Herculis ἀλεξικάκυ tanquam DEUM colerent, & Alexander Imperator Roman. teſte Lampridio, (*in vita ejus cap. 29.*) inter ſuos Deos (ſive potiùs divos Principes & animas ſanctiores, ſecundùm Lampridium ipſum) in larario (in quo Chriſtum Abrahámve habebat) collocaret; quin & ſacra ipſi fierent, quin & ſtatua ejus reſponſa daret operatione Dæmonum. Et quia etiam Hierocles Philoſophus, unus ex Areopagi Judicibus, ac Damicles quidam acta Apollonii deſcripſerunt, ideò Euſebius (Cæſarienſis Epiſcopus) librum adverſus Hieroclem de eâ re (*qui Philoſtrati verſionibus Latinis plerisque ſubjunctus quoq; extat*) ſcripſit. Sed & ante Euſebium Juſtinus Martyr, qui teſtatur, Dæmones Apollonii ſtatuam inſediſſe, & homines oraculis edendis ita ſeduxiſſe, ut Apollonium tanquam DEUM colerent, dum tandem DEUS os Diaboli obturavit & reſponſa ejus abolevit; quod idem etiam teſtatur Lactantius *lib. 1. cap. 2. & 3.* & Anaſtaſius *quæſt. 23.* Lucianus etſi ipſe atheus, tamen *in libro, cui titulus eſt Pſeudomantis*, Apollonii mortem vocat *Tragœdiam*; cúmque de vita ejus Philoſtratus dubia admodùm ſcribat, tamen non veretur ipſi tribuere apotheoſin, quaſi vivus ſit in cœlum evectus. Hactenus Keckermannus.

(119) *Cui præcipit Apollonius &c.]* Non pigeat legere verba ipſa, quæ Philoſtrati interpres Latinus Alemanus, Rhinuccinus Florentinus *lib. 5.* ſic reddidit: Divitias igitur primùm magni æſtima, non quæ in occulto repoſitæ jacent: quid enim hæ ab arenæ cumulo differunt? nec eas, quæ ex collatione tributorum à gementibus hominibus proveniunt: Atrum enim (*κίβδηλον, adulterinum*) ſordidumque putandum eſt aurum, quod ex lacrymis oritur. Divitiis autem optimè ſupra Reges omnes uteris, ſi cum egentibus eas communicaveris; Divitibus autem permittes, ut facultatibus ſuis tutò frui poſſint. &c. Sed ſi verum eſt didiciſſe hæc ab Apollonio Veſpaſianum, quàm verum quoque eſt, didiciſſe hæc in ſpem futuræ oblivionis. Cùm vel ex unico Capite 16. Suetonii deformia lucra nunquam reſpuiſſe Flavium, imò anxiè affectaſſe, manifeſtò appareat. Proverbiumque ejusdem: Lucri odor bonus ex re qualibet, (*Suet. c. 23.*) lippis & tonſoribus notum ſit.

Num. 87.

(120) *Memor dicti Imperatoris Trajani &c.]* Cùm memoria, ſecundùm Philoſophos, ſit regreſſus, ad notionem ejus, quod fuit antea apprehenſum, prout apprehenſum fuit; Certum autem ſit, Veſpaſianum circa A. Urb. Cond. DCCCXXXI. d. IX. Calend. Jul. vivere deſiiſſe, Trajanum verò A. U. DCCCL. ad Imperatorium Cæſareúmve faſtigium perveniſſe, non liquet, quomodo Trajani Cæſaris dicti (de quo ſuprà *num. 25.* jam aliquid monui) Veſpaſianus memor eſſe potuerit. Sed ad alia.

(121) *Pertinacis Imp. Oratio &c.]* P. Helvii Pertinacis (qui non, ut vult S. Aurelius Victor *in Epitome cap. 18.* atque Paulus Diaconus *Hiſt. miſcell. lib. 10. cap. 19.* ſequacésve, Pertinax dictus, quòd coactus repugnansque Imperium ſuſcepiſſet, ſed quòd à Patre ex continuatione lignariæ negotiationis, quòd ille *pertinaciter* eam rem gereret, ſortitus, ut tradit Capitolinus *in vita ejus in princ.* cùm ſic & Conſul & privatus appellatus fuerat, docente Ruperto *in Hiſtor. Univerſ. cap. 14. pag. 334.*) Oratio extat apud Capitolinum *cap. 7.* Pila Fortunæ hæc, (Pertinax Imp.) per laboris genera univerſa ad ſummas usque profectus honores, octogeſimo primo die Imperii prætorianorum militum ſeditione, & Salvii Juliani ſcelere, multis vulneribus obtruncatus. Dignus ævo meliori, ut cui antiquiores Romanæ virtutes placerent. Plura de eò qui ſcire avet, Hiſtoricos conſulat ipſos.

Num. 88.

(122) *Sine Exercitatione enervis &c.]* Monita Johan. à Chockier ad hoc conducentia *lib. 2. Theſaur. Politic. Aphoriſm. cap. 10. num. 9.* hæc ſunt: Ærario conſtituto, boni erit Principis juxtà

ac prudentis parcè purèque eo uti. Quis enim, cùm videat, te in re familiari ſummâ parſimoniâ uti, in publicâ liberaliſſimum eſſe, non ultrò velit aliquid conferre, cùm tuas divitias, ſuam ſecuritatem ac copiam eſſe judicet? (*Dio lib. 8.*) Provide igitur: & ſumptibus ejus adhibe modum. (*Plin. in Paneg.*) Quippe ſi malè exhauriàs, per ſcelera ſupplendum erit. (*Tac. 2. Annal. 38. n. 3.*) Imitare Antoninum illum Pium Imp. qui ſalaria ab otioſis & inutilibus auferebat, nihil ſtolidius eſſe, inquiens, imò crudelius nihil, quàm ſi Rempublicam ii arroderent, qui nihil in eam ſuo labore conferrent. (*Capitol. in Anton. Pio cap. 7.*) Videbit etiam, ne bella temerè ſuſcipiat, Auguſti exemplo, qui nulli unquam genti ſine juſtis & neceſſariis cauſis bellum intulit. (*Sueton. cap. 31.*) Et verò, quid aliud bella, quàm ærariorum everricula? Denique ut nihil hauriat in luxum, aut probra. Abigat à ſe ſcurras, peregrinos, mimos, lenones, ſcorta, & ejusmodi amicitiarum & virtutum dehoneſtamenta; (*Tac. 2. Hiſtor. 87. num. 4.*) quibus nihil quidquam unquam largiatur. Qui hoc modo publicam rem adminiſtrabit, haud dubiè paterfamilias, non tyrannus eſſe videbitur, (*Ariſtot. 5. Polit.*) & invidiam potentiæ ſemper Comitem vitabit; (*Plut. de vitio vere.*) & Majeſtatem Principatus cuſtodiam (*Curt. lib. 8.*) firmabit atque tuebitur. Adde Beſoldum *de Ærar. cap. 2. num. 3. ſeqq.*

(123) *Meliùs à privatis &c.]* Sententiam hanc Conſtantio Chloro à Scriptoribus tribui, ſuprà *ad n. 35.* hujus Capitis indicavi.

Num. 90.

(124) *Frugalitate &c.]* Quantum Frugalitas poſſit, exemplis monſtravit Beſoldus *de Ærario cap. 2. inprimis n. 4.* & ego quædam recenſui in Notis ad Polit. Sceler. *cap. 45. pag. 513. ſeqq.*

Num. 91.

(125) *Pecuniæ inops &c.]* Verba Dionis Caſſii *lib. 68.* non longè à principio, Interprete Latino, hæc ſunt: Cumque egeret Pecunia (*Nerva Coccejus*) magnum numerum veſtium, multaque vaſa argentea atque aurea & reliquam ſupellectilem non modò de privatis ſuis, ſed etiam de principalibus rebus, multa etiam prædia, multasque domus, atque in ſumma omnia, præter ea, quæ neceſſaria erant, vendidit.

Num. 92.

(126) *Cominæo &c.]* Citatus Author hoc ſolùm dicit, (Mahumetes II.) mortuus eſt annorum quinquaginta duorum, aut præterpropter, exitu ſatis præcipiti, ut teſtamentum tamen reliquerit, & mihi viſum, pœnitentiam habens ſuper tributo quodam, quod recens à ſubditis exegerat. Si id teſtamentum fictum non eſt, conſiderent, quid ipſos facere conveniat, Principes Chriſtiani, qui nulla ratione poteſtatem habent tale quid à ſuis ſubditis exigendi, ſine præcedente eorum venia & permiſſione. De quo tamen Leunclavius in Hiſtoria Muſulmannica nil ſcriptum reliquit.

(127) *Eduardo III. &c.]* Non erat hic Eduardus ille, ut Klockius putat, quem Anglicarum rerum Scriptores Tertium vocant, & perhibent, eum Anno MCCCXXVII ad ſceptra veniſſe, filium verò Eduardi II. nepotem Eduardi I. pronepotem Henrici III. fuiſſe, ſed Eduardus Sanctus, ſive Confeſſor, qui Anno MXLII. regno præfuit: ut ex Polydoro Vergilio palàm fit.

Num. 95.

(128) *Ad opem ferendam paratiores &c.]* Notum eſt hac in parte, (*ſic Regem ſuum Chriſtianum IV. Henr. Ranzovius lib. 1. Comment. Bellic. cap. 6. alloquitur*) quid Nobiles Holſati ac Sleſvicenſes factitarint. Nam avus tuus, Rex Sereniſſime, Chriſtianus III. piæ memoriæ, cùm à vicinis Lubecenſibus bello, ſive latrociniis veriùs, impeteretur, viceſimam omnium bonorum ſuorum portionem, necdum moniti promptiſſimè obtulerunt, ne deeſſent ſtipendia militibus ſolvenda: ut horum operâ, & armis Regiis pro defenſione ſuſceptis, ab hoſtibus ſibi liceret eſſe ſalvis ac tutis. Non minùs alacriter liberaliterque Regnorum tuorum proceres, cum reliqua nobilitate, ac popularibus, pecuniam & annonam durante bello Suecico ſeptennali contulêre. Sed præcipuam æternamque meretur laudem reverentia ac fides ea in Regem declarata ſingularis, cùm nec poculis aureis argenteisque, nec monilibus, catenis, ac reliquo corporis ornatui pretioſiori pepercerint ſubditi regnorum: Quin viri pariter ac fœminæ nobiles ad Regem ſuum iſta omnia deferrent, ſicubi opus fuiſſet (quò tamen anguſtiæ Rex nunquam DEI beneficio fuit redactus) haud gravatè illis carituri. Hic à majoribus acceptus mos eſt. Nam cùm Sueno primus, Heraldi filius, Rex quondam Daniæ, Angliæ, Sueciæ, & Norvvegiæ, tribus vicibus à Vandalis captus, pro libertate recuperanda, regnorum æraria exhauſiſſet; matronæ detractis aurium inſignibus, cæteroque cultu & ornamentis divenditis, ampliſſimum theſaurum contulêre, cujus impendio Rex tertiâ captivitate ſolutus, & regnis redditus, illud matronarum beneficium, lege latâ, de Succeſſione, quam priùs non habebant in tertia parte bonorum immobilium, egregiè remuneratus eſt: quâ in hodiernum adhuc diem in Daniâ Nobiles fœminæ fruuntur.

Num. 96.

(129) *Teſtamento &c.]* Non erant hæ adhortationes in teſtamento aliquo ſcripto comprehenſæ, ſed ſolùm à Rege Patre Filio in mandatis datum fuerat, ut adhortationes in ipſa mortis exſpectatione pronuntiatas, inſtar conditi teſtamenti cuſtodire Filius velit: ut ipſe Jonvilla *in memoriis ſuis cap. 93.* teſtatur; ipſa verba verò in Gallico illo tractatu ſic ſe habent: *Ne mets par ſur ton peuple trop grands tailles & ſubſides, ſi ce n'eſt pour la grand' neceſſité de ton Royaume.* i.e. Ne imponas Populo tuo tributa atque ſubſidia graviora, niſi ingens neceſſitas Regni tui id poſtulet.

Num. 97.

(130) *Fabricius &c.]* Samniticum Aurum dicto, quod allegat Klockius, à Mu. Curio Dentato contemptum fuiſſe, ſcribit Valer. Max. *lib. 4. cap. 3. n. 5.* Cicero *in Catone Majore, ſive de Senectute* his verbis: Curio ad focum ſedenti magnum auri pondus Samnites cùm attuliſſent, repudiati ab eo ſunt. Non enim aurum habere præclarum ſibi videri dixit: ſed eis, qui haberent aurum, imperare. Et maxima pars Authorum. Alii tamen (quos & Author noſter ſequitur) & inter illos AGellius *1. Noct. Attic. 14.* Plin. *33. Nat. Hiſt. 12.* Seneca *Epiſt. 120.* eam continentiæ laudem C. Fabricio Luſcino adſcribunt, ſed iterum in eo diſſident, quòd nonnulli munera Pyrrhi Regis à Fabricio contempta fuiſſe; alii Samnitium liberalitatem à Curio non fuiſſe receptam referunt.

Num.

Num. 99.

(131) *Cùm enim Alexander meſſem &c.*] Ita Plutarchi Interpres *in Apophthegmatibus tom. 2. Oper. pag. m. 182.* Antigonus continenter pecuniam exigebat; cumque diceret quidam, Alexandrum non fuiſſe talem: Nec injuriâ, inquit. Ille enim metebat Aſiam, ego ſtipulas colligo.

Num. 100.

(132) *Ordinetur commune ærarium &c.*] Monet id ipſum jam antè laudatus Ranzovius *in Comment. Bellic. d. lib. 1. cap. 6. inquiens:* Pecuniarum itaque ſatis magnam vim colligere, quanta quidem bello gerendo ſufficere videtur, conſultum fuerit: ne ſtatim in belli limine, neceſſe ſit proprium ærarium exinanire; vel crebris ac gravibus decumationibus ſubditorum opes exhaurire. Quin potiùs pro juſta penſione ab amicis fœderatis, vicinis ſubditis, ſumtus tempeſtivè mutuandi erunt, ne fortè, ubi extrema coëgerit neceſſitas, bello occupatus Princeps, æquè ac ſubditi egentes hoſti fiant præda, militi ludibrium. Proveniet hinc illud etiam commodi, quòd omnes eos, qui mutuò pecuniam dedêre, Princeps ſuæ cauſæ faventes, & utilitatibus, quibuscunque poſſunt modis, ſedulò ſtudentes, ſit habiturus: Cùm ex illius ſalute illorum commoda pendeant, & cum ejus periculo mutui jactura ſit conjuncta. Illuſtrant hæc, quæ de Rupelauro (*Roquelaure*) Gramondus *Hiſtor. Gall. lib. 5. pag. 288.* habet. Haud dicere pigebit, *inquit*, in tranſitu rem ridiculam. Iverat Rupelaurus Mayenio in creditum, pecuniamque mutuò dederat bello ſuſtinendo, & ſequebatur Ducem: Rex viri ex beneficio Henrici IV. provecti ingratitudinem ægrè ferens literis increpat: ille lepidè excuſat factum reſcribens in hæc verba; Non Mayenium ſe, ſed ſequi pecuniam ſuam, malum nomen fore debitorem ſuum, niſi creditoris veſtigio premitur: quo reſponſo haud illepidè eluſit iram.

(133) *Cùm nec numerum &c.*] Quod enim olim à Julio Cæſare *de Bello Civili lib. 3.* allegante Authore noſtro *in Diſſert. de Contribut. θ. 3. lit. b.* dictum fuerat, ut nimirum cujus, modò rei nomen reperiri poterat, hoc ſatis eſſe ad cogendas pecunias videbatur, id hodie veriſſimum manet. Hinc celebrantur Reichs-Steuer/ Land-Steuer/ Kreis-Steuer/ Türcken-Steuer/ Wochen-Steuer/ Loſung/ eilende Geld-Hülff/ Nachſteuer/ Leib-Steuer/ Tranck-Steuer/ Ungeld/ Aufſchlag/ Schutz-Geld/ Hand-Lohn/ Schorſtein-und Camin-Geld/ Fräulein-Steuer/ Bette-Schatz/ Kuchen-Schatz/ Taffel-Schatz/ Bruck-Geld/ Weg-Geld/ ut quid non, ſic ut non ſolùm otioſum ſed & odioſum foret, omnes artes & nomina, quibus pecuniarum acervus congeri queat, hîc recenſere. Interim à curioſo evolvi poterit Klockius ipſe noſter Author loc. ſuprà citato, & in elaborato ſuo de Contributionibus tractatu, *cap. 1.* & *paſſim*, cum laudatis ab ipſo Dd. atque Scriptoribus plurimis.

(134) *Ut variant regnorum reditus &c.*] De his plurima exempla adducit Jul. Cæſar Bulenger *de Vectigal. populi Rom. lib. 1.* quò Lectorem remittimus.

(135) *Cenſibus, opibus, viribus &c.*] Has regni vires, hos nervos ita deſcriptos, ſoli Regi, & qui ab arcanis conſiliis ſunt, notos eſſe convenire; additâ acri Cenſurâ, Nobiliſſimus immortali gloriâ poſt fata ſuperſtes Forſtnerus *ad Tac. 1. Annal. 11. n. 7.* putat, qui ipſe videatur.

CAPUT II.

De Ærarii Etymo, Definitione, ac Redituum Diviſione.

SUMMARIA.

1. Ærarii *etymon ab ære; ea namq; pecunia fuit argenteâ prior: ubi & de argenti ad aurum analogia.*

2. *Nunc* aurum argentumque *ſignatum æream pecuniam longè ſuperat: ubi multa de æris uſu, æneis tabulis & Talo æreo.*

3. Æris *vocabulum factum eſt generale ad omnem pecuniam.*

4. Æs alienum *pro omni debito:* ærosa pecunia *qualis*, num. 5.

6. *Quare veteres cornua bellica, tubas, &c. ex* ære *fecerint.*

7. *Apud alios in uſu tibiæ, cytharæ, etiam ad bellum.*

8. Fiſcus unde dicatur: Fiſci & ærarii *diſcrimen*, num. 9. 10. 11. 12. & 13.

14. Ærarium *ſumitur pro pecuniis, quæ juſtis rationibus modisq; licitis collectæ*, num. 16. *pro ædificio quoq;, ubi theſauri tales aſſervantur*, n. 15.

17. Civitates, Univerſitates Collegiaque *arcam vel burſam communem habent.*

18. Pecuniæ *nomen à pecude ſatis generale; Cui cuſtodem Veteres Saturnum, Collectorem Mercurium conſtituerunt.*

19. Reditus, *quòd redire ſoleant, non quòd reddantur.*

20. Redituum *publicorum magna varietas.*

21. Reditus *diviſi in naturales & induſtriales.*

22. Reditus *alii certi & immutabiles: alii incerti, mutabiles, & caſuales.*

23. *Sunt &* Ordinarii *vel* Extraordinarii, n. 24.

25. Vectigalia *vel nautica, vel terreſtria; Intranea vel extranea.*

26. Extraordinariorum *redituum Varietas.*

27. Jugatio, Hoſpitatio, *Capitatio.*

28. Reditus *ſunt vel aperti, directi, honeſtiq; vel occulti, indirecti, doloſi & turpes.*

29. Immoderata *quorundam* Principum exactio *culpata*, & num. 30.

31. Ærarium *pro uſus ſui diverſitate in ſacrum, civile, militare*, privatum *&* ſanctius ærarium *dividitur*, num. 32. & 33.

34. *Inſidiantur ab antiquo impii* ſacro ærario, num. 35.

36. *CHRISTI* Salvatoris, *dum concionaretur, egeſtas.*

37. *Quis modus colligendæ pecuniæ pro Chriſto ejusq; ſectatoribus?*

38. *Commune* ærarium Apoſtolorum.

39. *Cur in* primitiva Eccleſia *omnia in commune collata.*

40. Ærariа *publica aliarum Eccleſiarum.*

41. *Cum* Eccleſiæ *incremento, crevit Eccleſiæ ærarium, opes & potentia. Usque eò, ut & Principatus poſſiderentur & regna*, num. 42.

43. Gazophylacia in Eccleſiis *jã reformatis qualia? & ubi quomodòve colligantur?* n. 44. & 45.

46. De ærario Romanorum *attingitur: idq; fuit triplex.*

47. Commune, Sanctius, Gallicum, *his tandem additum ærarium* militare, num. 48. & 49.

50. Viceſimæ *nomine intellectus reditus ad militaria deſtinatus. Acceſſit huic* centeſima rerum, num. 51.

52. Seditio *malum ingens inter milites.*

53. Ærarium duplex *Athenienſium*, 1. *Commune*, 2. *Sanctius: ubi & de Perſarum, Græcorum, aliarumq; gentium ærariis.*

54. Ærarium *Judæorum Sacrum, civile Politicum.*

Ut Deus omnigenis cumulavit dotibus Orbem :
Non ſecus Ærarî commoda multa dedit.

A Cognitione nominum introducimur ſæpè in cognitionem rerum;
1 & prior verborum, poſterior rerum interpretatio eſſe debet, *l. 1. ff. ſi cert. petat. l. 1. §. dolum. ff. de dol. l. Senatus 35. §. 1. ff. de donat. cauſ. mort.* Nomina igitur nonnulla, quibus ærarium ejusque reditus deſignantur, proponam, inque Verborum rimulas introſpiciam, ac primò Originem & derivationem vocis inveſtigabo. *Ærarium* (1) ab ære appellatum, docet Varro *de Lingua Latinâ lib. 4.* Antiquiſſimi enim, nondum auro argentoque invento, ære utebantur. Nam priùs ærea pecunia in uſu hominum fuit, poſt argentea, deinde aurea ſubſecuta: ſed ab ea, quâ cepit, nomen retinuit. Unde & ærarium dictum, quia priùs *æs tantùm in uſu* (2) fuit, & illud ſolùm recondebatur, auro argentoque nondum ſignato, ex quorum metallis quamvis poſtea facta fuiſſet pecunia, nomen tamen ærarii permanſit ab eo metallo, unde initium ſumpſit; Iſidor. *lib. 16. Orig. cap. 17.* Plin. *lib. 18. cap. 3. & lib. 33. cap. 3.* Et quia æs omnium metallorum minimè numis conflandis accommodatum, tum quòd nullum penè metallum ære citiùs rubiginem contrahit, tum verò etiam, quoniam pretium ejus ſemper valdè incertum fuit; tum, quòd incommodum eſt ad numerandum & conſervandum, tum denique, quòd nefas eſſet ſplendidum monetæ Regale in abjectis materiis excolere; invenerunt alia metalla, utpote *aurum* (3) & argentum, ad uſum, vitæ accommodatiora, ad tractandum faciliora, & quorum pretium ad ſeſe invicem ſemper & ubivis locorum eſſet certum & ſtatum. Sic enim auro & argento, ſecundùm excellentiam inter ſeſe collatis, ratio eorum in univerſo penè terrarum orbe, *ſemper duodecupla circiter fuit*, (4) adeò ut una libra auri æquaverit quoad dignitatẽ XII. libras argenti, ut ad viſum oculi demonſtrat Johan. Kitzel. *tract. de Mutuo cap. 5. numer. 26.* Communi æſtimatione aurum habet duodecies, quantum argentum, Gregor. Tholoſan. *lib. 36. ſyntagm. jur. univerſ. cap. 2. num. 12.* Hoc tempore ea ferè eſt auri ad argentum analogia, quæ eſt duodecim ad unum; Budæus. *lib. 3. de Aſſe.*

Æreus itaque numus minùs conſtans eſt, & propterea hoc metallum etiam minùs frequentari ſolet in numis; Bodin. *lib. 6. de Repub. cap. 3. & in Apolog. adverſus Dn. de Maleſtrettum*, Georg. Agricola *de pretio metallorum.* Confer tamen Camerar. *oper. ſubſciſiv. lib. 1. cap. 14.* Niſi in quibusdam Resbupubl. aut Civitatibus, quæ auri & argenti copiâ deſtituuntur, quarum fines non facilè egreditur, ex quo numi minimi pretii percutiendi, egenorum gratiâ. Cùm argenti etiam minima particula pretioſa ſit. In Moſcovia quoque & regno Narſingæ præter auream & argenteam ex ære moneta reperitur. Lud. Barthen. *lib. 3. de. Indis cap. 13.* Belle-Foreſt *in deſcript. univerſ. p. 1670.* Hunc innovatum morem temporisq; mutationem Lucretius hisce indicat verſiculis *lib. 5. de natur. rer.*

Nam fuit in pretio magis æs, aurumq; jacebat
Propter inutilitatẽ hebeti mucrone retuſum.
Nunc jacet æs, aurum in ſummum ſucceſſit honorem.
Sic volvenda ætas commutat tempora rerum.
Quod fuit in pretio, fit nullo deniq; honore: 2
Porrò aliud ſuccedit, & è contemptibus exit;
Inq; dies magis appetitur; floretq; repertum
Laudibus; & miro eſt mortaleis inter honore.

Prima ergo ex ære pecunia, & à *Servio* (5) Tullio ſignata; jam tum Regina, quia à Rege, & rebus omnibus imperatura; licet à ſervo Conditionem ſuam aut Fortunam jactent mortales; hîc nemo liber eſt, & *aureis iſtis vinculis ligari*, (6) ſuave quisque putat. Ecce à Rege & Romano hec ſervitus, & magis quoque in ipſa libertate coli cœpit. Cum Horatio *1. Epiſt. 10.* dicam.

Imperat, aut ſervit collecta pecunia cuîque,
Tortum digna ſequi potiùs, quàm ducere funem.

Et quidem æs grave, id eſt, numum rudem *Feſtus* (7) notat apud Romanos in uſu fuiſſe, quod, ubi de majore ſumma agebatur, plauſtris convehi neceſſum, *Livio teſte.* (8) Virg. in Eclog. 1.

Non unquam gravis ære domum mihi dextra redibat.

Item: *Inde domum cervice levis, gravis ære redibat.*

Et Ovid. *1. Faſtor.*

Curq; juvent noſtras æra vetuſta manus?
Æra dabant olim; melius nunc omen in auro eſt,
Victaq; conceſſit priſca moneta novæ.

Hinc æs per metonymiam materiæ accipitur, vel pro pecunia, ut paſſim fit, vel pro tabula ex ære, ut in illo Naſonis 1. *Metam.*

-- -- -- *Nec verba minantia fixo*
Ære ligabantur.

Id eſt, leges non incidebantur tabulis æneis. In æs verò ſcripſiſſe quandoque Veteres, 3 *dubium non eſt:* (9) aſſerente præſertim Plinio, *lib. 34. cap. 9. in fin.* uſum æris ad perpetuitatem

tem monumentorum jam pridem tranſlatum eſſe, tabulis æreis, in quibus publicæ Conſtitutiones inciduntur. Sic Tullius *in Catilinaria 3.* ait, Æra Legum in Capitolio fuiſſe *tacta de cœlo.*(10) Conſtat enim *Leges XII. Tabb. fuiſſe in æs inciſas*(11) atque in foro propoſitas: & ærearum tabularum tria millia, (*quibus publica monumenta* (12) incidebantur,) quæ ſimul in Capitolio conflagraverant, Veſpaſianum Auguſtum, ut reſtituerentur, curaſſe; cùm Exemplaria, (ex quibus illa tranſcripta fuerant,) undique inveſtigaſſet. Sic apud Livium *decad. 1. libr. 2. cap. 34.* legimus, fœdus ictum cum Latinis fuiſſe inſculptum in ænea columna. Sed & 1. *Machab. cap. 8. v. 22. ſeqq. v. 18. & v. 27.* tum Romani, *tum Spartiatæ* (13) dicuntur reſcripſiſſe Judæis tabulis æreis, quas Hieroſolymam miſerunt de ſtabilienda cum eis amicitia & ſocietate.

Nec diſſimulandum eſt, quod Plato *in Minoe* ſcribit, Talum apud Cretenſes tempore Minois & Rhadamanti circumtuliſſe per totam inſulam tabulas æreas, in quibus leges erant inſculptæ. Unde etiam *æreus* ſit nominatus. De hoc Talo ridicula narrantur, quæ animi cauſâ hîc inſerere placuit. Ajunt enim, hunc à Vulcano ex ære fuiſſe fabrefactum, Minoique dono miſſum ad Cretenſis inſulæ tutelam. Ter enim in ſingulos annos inſulam obibat, excubias agens. Unde Apollonius 4. *Argonautic. in fin.* ter Cretam pedibus æneis luſtrantem nominat. Scholiaſtes ibi annotat, toto corpore æreum fuiſſe præter tuberculum quoddam in imo calcaneo, tenui membranâ tectum: quâ diruptâ mors ei fataliter cõſtituta fuerit. Zenodotus *in proverbiis* Simonidem allegat, novæ fabulæ authorem, qui dicat, Talum æreum virum, priusquam in Cretam perveniret, in Sardiniam acceſſiſſe, ubi non paucos mortales neci dederit. Euſtathius *in 20. Odiſſ.* narrat, Eum, quando necare aliquem voluerit, in ignem deſilire ſolitum fuiſſe: quandoquidem id ſine vitæ periculo præſtare poterat, quod æreus eſſet, mox autem ubi ita incaluiſſet, ut canderet, comprehenſum morti adjudicatum pectori ſuo admoviſſe, exuſſiſſeque. Propiùs verò eſt, æreum ſive *æripedem* fuiſſe dictum Talum, quòd legum in æneis tabulis inciſarum, & circumlatarum per univerſam Cretam fuerit obſervantiſſimus. Porrò æris appellationem ad omnes numos, etiam au-
4 reos, pertinere ait Ulpianus Juriſconſul-
tus *in l. etiam 159. ff. de V. S.* Hinc generaliter dicimus æs alienum pro omni debito, quo obſtringimur, *l. nepos 125. ff. l. cedere. 215. §. 1. d. tit. cum ſimilib.*(14) Gregor. Tholoſan. *lib. 36. ſyntagm. jur. univerſ. cap. 3. num. 2.* Seneca *lib. 5. de Beneficiis: c. 15.* æs alienum habere dicitur, & qui *Aureos debet*,(15) æs triplex, pro ferreo uſus eſt Horatius *lib. 1. Od. 3.*

Et æs triplex(16) *circa pectus erat.*

Helenius Acron dixit, hoc verbum ab uſurariis tractum, quorum avaritiâ ſpe lucri vel commercii inventum navigium ſit.

De *æroſa*(17) pecunia exſtat Scævolæ reſponſum in *l. creditor. 102. ff. de ſolutionib.* ubi qui oblatam à debitore pecuniam, ut aliâ die accepturus, diſtulit, non ideo non agnoſcit ejus pecuniæ periculum, ſi poſteà quaſi æroſa (ubi pro *æroſa* malè ἔρανος legit Alciat. *libr. 2.
Diſpunct. capit. 25.*) juſſu Præſidis ſublata ſit. 5
Eſt autem *æroſa pecunia*, quæ aurea vel argentea videtur & habet in ſe æris plurimum; Perſ. *Satyr. 5.*

Si qua ſubærato mendoſum tinniat auro.

Quemadmodum & Feſtus æroſam Cyprum dixit, quòd in eâ plurimum æris naſcatur. Quæ vera eſt Johannis Coraſii ſententia *lib. miſcellan. cap. 9. num. 5.* & probatur Cujacio ad *Africanum tract. 8. pag. mihi 569.* Hinc æs vulgò Cuprum (quaſi Cyprium) vocatur, ab inſula, ex qua primùm ad nos perveniſſe fertur, **Kupffer oder Ertz**: Matth. *homil. Sarept. 7.*

Nonnunquam *æs* iræ, conſtantiæ, atq; 6
fortitudinis & incitamentum eſt & demulcimentum; quod cùm ſcirent veteres, maturè in bellis *cornua, tubas*,(18) tibias, fiſtulas, citharas & *tympana* (19) milites animandi & compeſcendi gratiâ adhibuêre. Apud Romanos in uſu erant tubæ & cornua: apud Spartanos tibiæ: apud Cretenſes citharæ:
Plutarch *in Lycurgo tom. 1. pag. 13.* AGell. *lib.* 7
1. Noct. Attic. cap. 11. De Miſſeno Virgilius *lib. 6. Æneid.*

— — — *Quo non præſtantior alter*
Ære ciere viros, Martemq; accendere
cantu.

Ratio, cur æs reſonet, hæc eſt; quòd durum, & poris (ut Græci vocant) plenum ſit: aurum verò & plumbum non reſonant, quia mollia ſunt & ſolidiſſima; Cardan. *lib. 5. de rer. variet. cap. 19.* Ex Helvetiis Lucernates, tubarum loco, æneis cornibus incurvis utuntur, quæ ipſi **Harſchhörner** vocant, dictitantes, *hoc Juris ſibi datum à Carolo M.* (20) eò, quòd iis Rulandus, ipſius nepos, uſus fuerit. Joan. Gryphiand. *de Weichbild. Sax. cap. 12. num. 9.* Ære quoque antiquiores plurimùm uſos eſſe, ex eo condiſcimus, quòd in Germania & alibi effodiuntur thoraces & gladii ænei, item cultri, frameæ & calcaria ænea. Subæratum aurum dicitur homo nequaquam ſincerus, ſed aliud præ ſe ferens, aliud intus occulens. *Eraſm.*(21) *Chiliad. adag. 4. cent. 3. adag. 90.* Super *ære Corinthio*, (22) quænam illius origo fuerit, varia tradita ſunt ab antiquis. Plinius *lib. 34. cap. 2.* & L. Florus *lib. 2. cap. 16.* caſu miſtum eſſe ajunt, Corintho, cùm caperetur, incenſâ: quia incendio peruſtis plurimis ſtatuis atque ſimulacris, æris, auri, argentiq; venæ in commune fluxerint. At alii, unam modò antiquis temporibus domum Corinthi arſiſſe dicunt, in qua cùm auri argentique nonnihil ineſſet,

ineſſet, æris autem magna vis; commiſta illa,
& in eandem confuſa maſſam, ex eo metallo,
cujus major pars inerat, Corinthii æris no-
men acceperint. Alii etiam, quod propiùs ad
veri ſimilitudinem accedere videtur, nar-
rant, ærarium quendam fabrum Corinthi
fuiſſe, qui cùm incidiſſet in thecam auri ple-
nam, eamq; ſibi abſtuliſſet, ne id reſciretur,
metuens, diſſectum in minutas particulas au-
rum paulatim æri admiſcuerit, admirabi-
lemque illam temperaturam effecerit, quâ
magnas ſibi opes poſtea comparavit. M. Ant.
Muret. *lib.3.var.lect.c.5.*

Cæterùm illecti Ære Romani, facilè ad
Argentum duci potuerunt. Pecunia placuit,
quidni Numus? Puriori jam paulatim
metallo avaritia digna fuit, & in compendi-
um opes deducendæ erant, quia creverant.
Ad plebem Aſſes & onera; noluit ultrà, niſi
Argento, manus nobilior inquinari. Quan-
do (ſi Plinio credimus *lib.33.cap.3.*) Populus
Romanus ne argento quidem ſignato *ante
Pyrrhum Regem* (23) devictum uſus eſt. Di-
ſtinctiùs etiam: Argentum ſignatum eſt an-
no Vrbis CCCCLXXXIV. Q. Ogulnio
& C. Fabio Coſſ. quinque annis ante primum
bellum Punicum. Accedunt alii; abit Varro,
qui Numum Argenteum conflatum pri-
mò à Servio Tullio. Argento quoque jam
ſordeſcebant digiti, deciduâ, ut cum Plinio
d. loc. dicam, materiâ, at in Numis mun-
dities Auri placuit: placuit color igneus, &
tanquam Cœlo derivatus: Ut ubique dies
eſſet; hæc facula accenſa: & toto quæſitum
orbe hoc metallum, ut in pecuniæ quoque
luxum ſufficeret. Ergo quam avaritia terram
Virginem reliquit? ſuffoſſa paſſim & violata,
ſterileſcere coacta eſt. Eâdem & flumina ne-
ceſſitate exaruêre, *Tagus in Hiſpania*, (24) Pa-
dus in Italia, Hebrus in Thracia, Pactolus in
Aſia, Ganges in India. Vicit naturam cupidi-
tas hominum, ac ne ſivit quidem liberalem
eſſe. Poſterorum tandem ſive felicitas, *ſive in-
felicitas* (25) ab alieno & Novo Orbe pepen-
dit.

8 Fiſcus ſi Iſidoro *lib.20.cap.19.* credimus,
ſaccus eſt publicus; unde & fiſcellæ & fiſcinæ
dicuntur. Hunc habent exactores, & in eo
mittunt debitum publicum, quod redditur
regibus. Derivativum fiſcina eſt: diminuti-
vum fiſcella. *Fiſcus ergo à fiſcis* (26) ſeu fiſcel-
lis, *hoc eſt*, Sportis, in quibus pecunia Principi-
bus offerri ſolebat: Aut, ſi mavis; Uti Colo-
ni ad premendam oleam fiſcis (Ulpian. *l. 19.
§.2.ff. locati.*) utuntur; Ita Princeps FISCALI
ſuo JURE, fiſcis non abſimili, purgat, emen-
dat, & in ordinem redigit ſceleratos. Vide
Etymologicum Trilingue, Lugduni excuſum
Anno 1607. *pag. 831.832.* ubi multa de æra-
rio ſeu theſauro obſervatu digna occurrunt.
Qui huic fiſco patrocinabatur, *fiſci* patronus
vel *advocatus* (27) dicebatur, à M. Antonino
Philoſopho inſtitutus. Vid. *l. 1. C. de fiſc. uſur.*

Ærarium & Fiſcum ajunt differre: Illud
majus eſt; hic minor: illud ordinariorum &
certorum redituum; hic extraordinariorum 9
& caſualium. Sic & Fiſcum ab Ærario dif-
ferre ſentit Bodin. *lib. 6. de Repub. c. 2. n. 641.*
Et Ærarium eſſe propriè populi & Reipubli-
cæ, Fiſcum Principis, oſtendit Gail. *1. obſ. 20.* 10
n. 3. Et eſt text. *in l. 2. §. 4. ff. ne quid. in loc. publ.
ibi: hoc interdictum ad ea loca, quæ ſunt in Fiſci
patrimonio, non puto pertinere. Res enim fiſca-* 11
les quaſi propriæ & privatæ Principis ſunt. Ac,
quòd ærarium fuerit populi, probat Plinius
in Panegyrico ad Trajanum, cùm dicit. *Non
eâdem ſeveritate fiſcum, quâ ærarium cohibes.*
Franciſ. Hotoman. *in Comment. verb. jur.* Va-
luit hæc differentia, donec Princeps, pacto
populi, jure provincias omnes ſibi ſuppoſuit.
Et juribus populi cum ſuis confuſis, confuſa
eſt quoque Fiſci & ærarii appellatio; Cujac.
lib. 7. obſ. c. 4. in princ. Alciat. *in l. inter publica ff.
de V. S.* Auguſtus Imp. *Provincias* (28) Roma-
norum *partitus eſt* (29) in Prætorias, quæ Po-
pulo erant Vectigales; & Præſidiales, quæ
Cæſaris Fiſco certum æs penderent: quos tan-
dem poſteri Imperatores Græcorum Domi-
natum affectantes, immutarunt, Fiſcumq; &
Ærarium confuderunt, *l. bene à Zenone 3. de* 12
quadriennii præſcript. Imò & Dion *l. 53.* Au-
guſtum Ærario abuſum Fiſcumq; & Ærari-
um, nomine non re, diſtinxiſſe ſcribit.

At verò non ſolùm Princeps, ſed & po-
pulus *Superiorem non recognoſcens* (30) Fiſcum
habet, uti notat poſt Baldum Celſ. Bargalius
tract. de dolo lib. 5. cap. 11. num. 4. Hodie pleris-
que in locis etiamnum differentia eſt unter
den Cammer: (31) und einer Landſchafft Gü-
tern. Confer Paul. Buſium *l. 3. de Repub. cap. 1.
num. 3. & Diſputat. Politic. 11. concluſ. 22. &
ſeqq.* qui Ærarium & Fiſcum, Juris auctores
aliter accipere, quàm Latinos cæteros, probat. 13
Ærarium autem tropicè & primariò heic
uſurpatur de pecuniis publicis, non malis
exactionibus & rapinis, non ſacrilegiis &
templorum direptionibus, non adultera-
tione & imminutione monetæ, non mere-
tricum & exoletorum ſordibus coinquinatis
artibus, aliiſve ad exſugendum & opprimen-
dum populum excogitatis fraudibus, technis,
malitiis, ſed rationibus licitis & conceſſis
hinc inde collectis. Secundò de ædificiis, in 14
quibus theſauri publici conduntur, quæ & lo-
ca tuta & ſtructuræ firmæ eſſe debent: ne ſi-
milia ſint *Ægyptio Ærario*, (32) in quo lapi- 15
des muri loco moveri, qui furtorum erat
oportunitas, poterant.

Eſt igitur Reipublicæ Ærarium, quod 16
conſtat pecuniâ ad uſus publicos, pacis &
belli tempore, deſtinatâ & reſervatâ. Et con-
ſtituitur, augetur & conſervatur authoritate
Principis, Populi & Optimatium, modis
publicis & privatis legitimis; ad cujus exem-
plum & Civitatibus licet arcam & burſam
communem habere. Univerſitates enim
& Col-

17 & Collegia, arcam aut burſam communem, non Ærarium vel Fiſcum habere putantur text. eſt *in l. 1. §. 1. ff. quod, cujusq; univerſ. nom.* ubi dicitur: *Quibus permiſſum eſt corpus habere Collegii, ſocietatis, ſive cujusque alterius eorum nomine, proprium eſt; ad exemplum Reip. habere res communes, Arcam communem.* Nicol. Loſæus *tract. de jur. Univerſ. part. 3 cap. 1.* M. Ant. Peregrin. *de jure fiſci p. 1. c. 1. & 2.* Alphonſ. Moditius *in §. plebiſcitum quæſt. 65.* Pecuniam à pecude vocatam, ſcitè innuit Logogriphus Nathanis Chytræi.

Quod pecudum inducat pecuina pecunia mores:
An brutum à bruto nomen habet pecore?

PECUNIA enim pecudis notam principiò referebat, à Servio Rege, & quidem imitatione Græcorum, ſignata, cumq; antequam ſignaretur, appenderetur, nec dum vera emptio eſſet in uſu, §. *item pretium 2. Inſt. de empt.* permutatio erat ſpecies Venditionis antiquiſſima. Poſtea ære ſignato (uti ſuprà dictum) cœpit pretium numerari, & emptio vera exiſtere. Hinc pecuniæ numeratæ appellatio orta, & à numerando, ſive à numo, numiſmata, ut colligitur ex *l. fin. de aur. & argent. legat. l. Quintus Mutius 27. §. 4. v. ſi autẽ aurum. ff. eod. l. quod ſæpè. 35. §. 5. verb. admenſa, appenſa, adnumerata. ff. de contrah. empt.* late & ſubtiliter Hor. Carpan. *in præfatione libri de pretiis & æſtimationibus:* Plinius *lib.*
18 *18. cap. 3.* Pecunia, *inquit*, à pecore appellabatur. Etiam nunc in tabulis Cenſoris paſcua dicuntur omnia: ex quibus populus reditus habet, quia diu hoc ſolùm Vectigal fuerat. Mulctatio quoque non niſi ovium boumque impendio dicebatur: non omittenda priſcarum legum benevolentia. Cautum quippe eſt, ne bovem, priusquam ovem, nominaret, qui indiceret mulctam. Servius Rex ovium boumque effigie primus Æs ſignavit. Idem. *l. 33. c. 3.* Servius Rex primus ſignavit Æs. Antea rudi uſos Romæ Timæus tradit. Signatum eſt notâ pecudum, unde & Pecunia appellata. Caſſiodor. *lib. 7. epiſt. 32.* Luc. de Penna *in l. 15. num. 4. C. de fid. inſtrument.* Johan. Saiſon. *in Conſuetud. Turonenſ. tit. 36. de crimin. art. 1. p. 2.* Et licet hodie non ampliùs pecudum, ſed Regum & Principum imaginibus ſignetur, tamen pecuniæ nomen manet; res enim accipiens nomen, etſi cauſa ceſſet, tamen durat nomen, prout videmus, homines militiam non exercentes adhuc vocari paganos, etiamſi pagum vel villam non inhabitent. Bertazzol. *tract. clauſul. clauſ. 30. gl. 7. n. 23.* Sixtin. *de Regalib. l. 2. c. 7. n.* Varro tamen altiorem cenſet, & à Paſtoribus originem. eſſe Fortaſſis, quia opes in pecudibus, & quicquid unusquisq; poſſidebat, Pecuniæ vocabulo fuit. Huc reſpexit Servius, & ſimpliciſſimam Antiquitatem ære ſuo ſignavit. Scaliger *ad Varron.* Pecunia, *inquit*, à pecu, quòd omnis veterum ſubſtantia in pecuaria. Idem *ad Feſt.* A pecu adjectivum pecuinus & pecunius, à quo cùm dicimus pecuniam, ſubintelligendum rem. Pecunia res ergo pro patrisfamilias bonis, quia præcipuè in fœtu pecoris conſiſterent, accepta fuit. Hîc ſignificat non ſolùm numos, ſeu pecuniam numeratam & ſignatam compendiis publicis & privatis ad uſus publicos collectam; ſed & omnia, quæ pecuniâ æſtimari poſſunt; comprehenditque, quæ vel neceſſitatis tempore citò vendi, aut, cùm iis indigemus, numis non ſemper comparari poſſunt. De lato uſu vocis Pomponius *in l. 222. ff. de V. S.* pecuniæ, *ait*, nomine non ſolùm numerata pecunia; ſed omnes res, tàm ſoli, quàm mobiles, & tàm corpora, quàm jura continentur; Cui & Ulpianus *in l. 178. ff. de V. S.* adſtipulatur *ut & l. 88. eodem.* Similiter Auguſtin. *lib. 1. de liber. arbitr. cap. 15.* de bonis tẽporalibus loquens, ait: *Ad extremum pecunia, quo uno nomine continentur omnia, quorum jure domini ſumus, & quorum vendendorum atque donandorum habere poteſtatem videmur.* Idem *de diſciplina Chriſtiana cap. 1.* Totum, *inquit*, quicquid homines poſſident in terra, omnia, quorum domini ſunt, pecunia vocatur. Servus ſit, vas, ager, arbor, pecus, quicquid horum eſt, pecunia dicitur. Et unde eſt primùm vocata pecunia? Ideo pecunia, quia antiqui totum, quod habebant, in pecoribus habebant. Argutè Veteres pecuniæ cuſtodem poſſuêre Saturnum, pigrum, tardum, moroſum, qui anno magno vix ſemel arcã recludat; Collectioni verò, quemadmodum omni lucro, Mercurium. Ille enim Superis pariter gratus, & imis, rapido velocior Euro, cùm plantaria induit, terras, maria ad inferos ipſos excurrit, interdum cœlos ipſos licitatur, undique congerit, quod nonnunquam ſaturara aviditas Saturni recondat. Idque Tertullianus in apologetico tradit; Saturnum omnium primum ſignaſſe numum, ac ideo creditum ærarii præſidem.

Sic & Reditus (quos Tiraquellus *de retract. lignag. §. 5. in verb. Rentes gl. 6. in princ.* & Matthias Martinius *in Lexic. Philolog. verb. Redeo*, primâ & penultimâ correptâ dici debere notat, ex eo quòd ſingulis annis redeant, non autem quòd reddantur, cùm pecuniæ, ſeu aurum, argentum, & æs, factum & infectum, ſignatum & non ſignatum; tum ea 19
omnia, quorum æſtimationem numus metitur, uti ſunt fructus agrorum & arborum, jumenta & pecudes, omnis generis merces, opificia, nemora, in quibus grandium excelſarumque arborum innumerabilis multitudo ad omnes creſcebat opportunitates; quæ urgente bello, ſi pecunia Ærario defuiſſet, cædebantur; Bodin. *d. lib. 6. de Repub. c. 2. pag. 675.* Sic in multis Germaniæ Civitatibus Imperialibus & Rebuspublicis benè conſtitutis, magna annonæ copia ad belli famisque reconditur caſus inopinatos.

20 Quemadmodum verò maxima redi-
tuum publicorum eſt *varietas*, (33) puta vel
in terris, vel in aquis, vel in aëre (de quibus
vide latè Conſilium Henningi Göden. *quod
eſt in ordine 17.*) in quibus ferè nihil ſupereſt:
Ita, qui ſcrupuloſis dichotomiis eandem in-
cludere ac certis ſeptis & cancellis conſtringe-
re conantur, Syſiphi ſaxum volvunt, neque
dividendi legibus ſatisfaciunt, nec juvant in-
telligentiam, neq; ſublevant memoriam.
Aliquot tamen diviſiones, & illas quidem
primarias attingam, & quibus modis me-
diiſque Publicis & Privatis Ærarium legiti-
mè fundari & ſtabiliri poſſit, demonſtrabo.

21 Primò Reditus noſtro Ærario accommo-
dati ſunt vel naturales, vel induſtriales, ſive
comparantur Naturâ vel Arte. Naturâ para-
ri intelliguntur, quæ ope terræ; Arte, quæ opi-
ficiis & artificiis manuariis ex fundis deſumū-
tur publicis, utpote agris, prædiis, villis,
paſcuis, ſylvis, nemoribus, hortis; ex fructibus
animantium, & rerum aliarum, vel opera-
rum & laborum. Culturæ enim terræ, opifi-
ciis, & Mercaturæ, quæ vices Naturæ & Ar-
tis ſubit, ſubſerviunt varii mercenari, & ope-
rarii manu, pede, corpore.

22 Secundò Reditus noſtri Ærarii certi
ſunt & immutabiles, qui nec creſcunt, nec
decreſcunt; vel incerti, mutabiles & caſua-
les, qui interdum majores, interdum mino-
res, interdum planè nulli, ut ſi eorum, quæ
terrâ naſcuntur, proventus vel uberior ſit,
vel malignior, vel omninò nullus, decimæ
vel augētur, vel minuuntur, vel prorſus inter-
cidunt; de quibus vide planiùs & pleniùs diſ-
ſerentem Gregor. Tholoſanum *d.lib.3. de Re-
pub.cap.2.num.13.& ſeqq.*

23 Tertiò vel Ordinarii ſunt, vel Extraor-
dinarii. Ordinarii, quos ſemper oportet pen-
dere: Extraordinarii, quos non ſemper, ſed
interdum, ſi Reipublicæ Neceſſitas vel Uti-
litas publica id poſtulet. Quanvis hosce re-
ditus jam immortales eſſe, & extraordinaria
onera ſæpiusculè videas in ordinaria dege-
nerare, & tacito conſenſu populi & boni
publici causâ migrare in legis neceſſitatem.
24 Ordinarii ferè ſunt Tributa è bonis & imobi-
libus & mobilibus; quæ Indictiones, Intribu-
tiones, poſſeſſionum onera, munera rei co-
hærentia, functiones publicæ ſtatutæ, annuæ
exactiones, publicæ & fiſcales penſitationes,
&c. paſſim à JCtis noſtris appellitantur. Hiſce
accedunt Vectigalia propriè dicta, quæ
25 partim nautica, partim terreſtria, & vel intra-
nea, quæ cives, vel extranea, quæ peregrini in
portubus, in viis publicis, in pontibus ſol-
vunt. Extraordinarii reditus numero plurimi
ſunt; inter quos principem locum obtinent
26 *Jugatio*, quæ de agris pendi ſolet; *Capitatio*,
quando ſinguli cives aliquid viritim, ſuo pro
capite numerare jubentur. *Hoſpitatio*, ſi no-
mine Magiſtratuum excipiendi & alendi
27 ſint milites, aut alii peregrini. De quibus o-
mnibus & ſingulis latè egi, tract. meo *de Con-
trib.cap.1. & cap.17.num.166.167. & num.
203. & quam pulrimis ſeqq.*

Quartò Reditus Ærarii vel aperti, dire-
cti, & honeſti ſunt, qui à majoribus conſtitu-
ti, vel à recentioribus ad Reipublicæ faciem
& Subditorum facultates attemperati, ſine
calumnia, ſine concuſſione; vel occulti, indi- 28
recti, doloſi, & turpes, quà rem, quà modum
rei. Sed quomodo ſe habeant ſingula, & quî
Magiſtratum politicum hisce in Reditibus
Ærarii colligendis circumſpectum eſſe, &
unum oculum cœlum verſus tollere, at in
terram alterum dejicere oporteat, in ſecundo
hujus Tractatus Libro preſſiùs enodabitur.
Nec enim quid libeat, ſed quid deceat, atten-
dendum, proportioq; commenſuranda non
ſolùm per comparationem ad cauſam, ita
videlicet, ut ratio quæſtuum & neceſſitas
erogationum inter ſe congruant, nec plus
exigatur, quàm publicus uſus poſtulet, ſed
etiam ut onera commenſurata ſint viribus
eorum, quibus imponuntur. Ex facultatibus
quippe Subditorum & neceſſitate Reipubli-
cæ modus onerum eſt metiendus; Quod ni
fiat, ſemper erit injuſtitia, præſentemque Rei-
publicæ Statum facilè permiſcere & convel-
lere poterit, ut firmavi *d.cap.17.num.2. &
ſeqq.*

Ex prædictis ſimul & hoc manifeſtum 29
fit, malè agere nonnullos Principum, qui, ſi
mille floreni patriæ penſitandi, millia decem,
aut plura ſubditis extorquent; prout quidam
ab Inſulis Germaniæ Antiſtes publico prælo
Anno MDCIII (quod ſanè viro ſacro in-
gens dedecus) avaritiæ argutus fuit, ſub præ-
textu Contributionis Turcicæ ultra ſexagies
ſepties mille florenos emendicâſſe, nec con-
fectionem in Expeditionis Hungaricæ im-
penſas vertiſſe: De quibus Joan. Manilius *in* 30
loc.communib.ſub.7.præcept. Fuēre, *inquit*, pru-
dentiſſimi viri, qui exiſtimarūnt, jam iis à Re-
gionibus, quæ olim vix quindecim aureo-
rum millia quotannis numerarunt, plus
quàm trecenta millia exigi. Et ita quidem
Imperia noſtra quà virtutem, auctoritatem
& potentiam verè lutea ſunt; argentea & au-
rea quà reditus, penſiones, tributa, vectigalia,
exactiones.

Porrò Ærarium, diverſi uſus & ordinis
ratione, in Gazophylacium ſeu Ærarium Sa- 31
crum, Gottes-oder Kirchen-Kaſt; Civile, Rent-
Cammer; Militare; privatum ſeu Fiſcum Prin-
cipis; & Sanctius Ærarium; ſicut Theſaurus
Reipublicæ & Principis; ſejungitur à Borni-
tio *tr. de Ærar. lib. 10. per tot.* Gazophylacii
mentio fit 4.*Reg.12.v.9. Nehem. ſive lib.2.Es-
dræ 13.v.5. Joh.8.v.20. alibi.* Appellatur & 32
Theſaurus domus Domini, 3.*Reg.7.v.51.c.14.
v.26. 1.Paralip.9.v.26.c.26.v.22.c.29.v.8. 1.
Esdræ 8.v.29.* theſaurus tēpli Domini, 4.*Reg.
12.v.18.* qui conſtituebatur ex majoribus de-
cimis *aliiſq; reditibus*, (34) quos habebat Ec-
cleſia,

cleſia, non ut ſervaret, ſed ut erogaret, & in neceſſitatibus ſubveniret. Theſaurus domus Dei, *2.Paral.5.v. Dan.1.v.2.* Ærarium Jeroſolymis, *2.Machab.3.v.6.23.40.Siclus Sanctuari* ſeu Sanctitatis, (35) *Exod.30.v.13. Levit.27.v.25.Ezech.45.v.12.*

Poſt tempora Moſis ſub Regibus & Principibus in ſingulis Regnorum & Principatuum præfecturis conſtituta ſunt æraria
33 publica, in quibus reponebantur reditus ad uſus pios divinitùs deſtinati, *3.Reg.15.v.15. 4.Reg.12.v.9.2.Paral.24.v.6.8.10.11 Nehem.ſive.2.Eſdræ 10.v.32.c.13.v.5.Luc.21. v.1.* Cùm autem homines devoti largiter ad uſus pios bona conferrent, atq; hoc modo & medio magna pecuniæ ſuma in templo col-
34 ligeretur, cœperunt Reges exteri, Ægyptii, Aſſyrii, Chaldæi bonis iſtis inhiare, & ſibi armata manu vindicare *2.Paral.24.v.8.(36) c. 28.v.5.Habac.2.v.28.Zach.2.v.8.* Templum Hierosolymitanum (37) ſplendidiſſimum fuiſſe, vel inde conjicere licet, quòd David filio Salomoni reliquit *27000. Milliones*, (38) ſive 2700000000. florenos, templi ſtructuræ impendendos. Opulentiſſimum fuiſſe, ex ſeptem ante tempora Zorobabelis factis direptionibus agnoſci poteſt. Primò templum hoc expilatum fuit per *Seſak* (39) regem Ægypti, 2.Paralip.12.II. per Aſſam regem Judæ, 3.Reg.15.v.18.III. per Joas regẽ Juda, 4.Reg.12.v.18.IV. per Achas regem Juda, 4.Reg.16.v.8.V. per Joas regem Iſraël 4.Reg.14.v.8.VI. per Ezechiã, 4.Reg.18.v.15.VII. per *Nabuchodonoſorem* (40) 4.Reg.24.v.13. Cauſa horum expilationum eſt, quòd *nullas publicas pecunias* Judæi *præterquam ſacras*, (41) haberent, & eas, qui in toto Orbe erant Judæi, quotannis conferrent. Mithridate certè Aſiam vaſtante, Judæi octingenta talenta apud Coos depoſuêre, quæ Mithridates abſtulit, unà cum iis, quas Cleopatra regina ibi depoſuerat; Joſeph. *lib. 14. antiquit. cap 13.* Romani tandem redigentes Hieroſolymam in ſuam poteſtatem,
35 Gazophylacia combuſſerunt, & annuos templi reditus civili ærario intulerunt, atque bona cultui divino aſſignata, ad comparanda præſidia contra Judæos adhibuerunt, referente Joſepho *in libris antiquit. & de bello Judaico.*

In Novo Teſtamento Salvator noſter fungens concionandi miniſterio non habuit proprios fundos, non annuos reditus, non
36 amplos theſauros, non propriam domum, ſed *fortunâ incertâ ac dubiâ* (42) eſt uſus ait *Matth.8.v.20.* ubi ipſemet; Vulpes habere foveas, & volucres cœli nidos: Filium autem hominis non habere, ubi caput reclinet. Et Petrus ipſe dixit, *Act.3.v.6. Argentum & aurum non eſt mihi.*

Tributum ſeu cenſum Chriſtus templo nõ ſolvit, ſed regiis adminiſtris, ne alicui eſſet offendiculo *Matth.17.v.24.25.26.* Eleemoſynas oſtiatim non collegit, ſiquidem hoc non tolerandæ mendicitatis ſpecies, quæ improbatur in *robuſtis & benè valentibus* (43) hominibus; ſed bona habebat, ab aliis accepta, vel largiter in unũ collata, vel quoquo modo quæſita, eaque diligenter cuſtodiebat ad victum, veſtitumque ſibi, ſectatoribus & amicis comparandum, *Joh.4.v.8.cap.6.v.5.c. 13.v.29.*

Modus igitur colligendæ pecuniæ tempore Chriſti fuit, (44) quòd homines nonnulli 37
devoti, & à Chriſto ſanati, aliquid ad Chriſtum ejusq; diſcipulos ſuſtentandos contulerint, *Luc.8.v.2.3.* Mulieres aliquæ, quæ erant curatæ à ſpiritibus malignis & infirmitatibus, &c. miniſtrabant de facultatibus ſuis. Et primò fit mentio marſupii Chriſti, *Joh.13.v.29.* Cujus adminiſtratio Judæ quidem erat commiſſa; *ſed ille eo abutebatur*, (45) & multum in privatum transferebat uſum. Secundò pecuniæ publicæ, quæ conferebantur ab opulentis quibusdam hominibus, *Luc.8.v.2.3.* Tertiò commendatur *commune ærarium* (46) *Act.2.v.44.45.c.4.v. 32.1.Cor.16.v.1.2.& 2.Cor.8.v.4.1.Tim.6. v.18.* Cùm enim Eccleſia *variis perſecutionibus* (47) eſſet expoſita, opulenti Chriſtiani ſua bona in publicum conferebant uſum, & ex iis ſuſtentabatur Miniſterium & alii pauperes converſi.

Tempore Apoſtolorum Hieroſolymis (48) 38
commune fuit ærarium, *Act.2.v.44.45.c.4. v.32.36.c.5.v.4.* Ex quo tamen neceſſitatem communionis bonorum inter Chriſtianos ineptè arguunt *Anabaptiſtæ.* (49) Diſtinguendum enim eſt inter liberum & coactum, inter præceptum & exemplum, quod eſſe poteſt perpetuum, vel perſonale & temporarium: cujusmodi fuit communio bonorum tempore Apoſtolorum: Nam divites Chriſtiani illo tempore omnes ſuas facultates in commune conferebant, *magnâ opinione meriti*; (50) nempe theſauri cœleſtis à Chriſto promiſſi, & ad uſus pios & ſacros: & quidem propter inſtantes continuas, graviſſimas, & periculoſiſſimas perſecutiones. Deinde diſtinguendum eſt inter mandati neceſſitatem, & Spiritus libertatem. Factum illud tempore Apoſtolorum inſtitutum eſt non ex neceſſitate mandati; Sed ex Spiritus 39
libertate; ob præſentiſſimum perſecutionis periculum, & quidem, ut divites ſinguli de ſuo, quod adhuc poſſidebant, aliquid pauperibus communicarent, ne egeſtate preſſi ad Judaismum reſilirent. Itaq; poterant Chriſtiani & illa Eccleſia, ſalvâ & conſcientiâ bonâ, proprii aliquid poſſidere. Petrus domum, retia, ſcapham, & id genus alia habuit, quæ non ſunt publicata, ſed relicta. Ananiæ dicit *Act.5.v.4. Nonne manens (ager) tibi manebat, & venundatum in tua erat poteſtate?*

In aliis Eccleſiis publica fuerunt æraria, 40

in quæ ſinguli liberrimè, quando congreſſus publici instituebantur, pro facultate conferebant. Idque liquidò apparet; (1.) quòd Romani, Corinthii, Galatæ, Epheſii, Philippenſes, Theſſalonicenſes, atque conſimiles Eccleſiæ, res proprias tenuerint, *Act. 11. v. 29. Rom. 15. v. 26; 1. Cor. 16. verſ. 1; 2. Cor. 8. v. 8. 12. cap. 9. v. 1.* (2.) quòd Apoſtolus ad Eleemoſynas pauperibus erogandas paſſim hortetur, *Rom. 12. v. 13. Galat. 6. v. 6. Epheſ. 4. v. 28. Philipp. 4. v. 10.* (3.) Divitibus igitur præſcribit regulam certam de bonorum ſuorum uſu, absque ullo mandato de deferendis facultatibus, 1. *Timoth. 6. v. 17. ſeqq.* (4.) Habuit propriam domum Philippus Evangeliſta, *Act. 21. v. 8.* qui hîc ita dictus videtur, non quòd Evangelium ſcripſerit, ſed quòd Evangelium Chriſti annunciaverit. (5.) *Philemoni inſcribit* (51) quidem Epiſtolam de mancipio & ſervo fugitivo; ſed non hortatur, ut ſervum manumittat, nec ut facultates in commune ærarium inferat. (6.) Modum colligendarum & diſtribuendarum Eleemoſynarum oſtendit, *1. Timoth. 3. v. 4. & cap 6. v. 17. 18. 19.* (7.) *Proprietatem* rerum & bonorum temporalium, *approbant* (52) Johannes 1. *Joh. 3. v. 17.* Petrus *1. Petr. 2. v. 18.* Jacobus *cap. 2. v. 15.* Author Epiſtolæ ad Ebræos *cap. 10. v. 34. & cap. 13. v. 5.*

41 Subſequentibus temporibus tàm largiter ad ſuſtentationem pauperum, & Eccleſiæ miniſtros, non tantùm Reges & Principes, ſed etiam tenuioris fortunæ homines *contulerunt*, (53) ut Epiſcopi, Pontificis permiſſu, Principatus & Regna obtinerent. Vide Me *tract. de Contributionib. cap. 4. nu. 147.*
42 *& ſeqq.* Quâ de re ſcribit Bernhardus: *Religio peperit divitias, ſed filia devoravit matrem.* Et Hieronymus: *Accreſcentibus Eccleſiæ opibus, veræ illæ opes, pietas, fides & charitas, ſunt diminutæ.*

43 Hac ætate in Eccleſiis & Rebuspubl. reformatis Gazophylacii ſive ærarii ſacri uſus & modus proprius videtur conſiſtere in Eleemoſynis, quas pii conferunt, vel ſtato tempore, vel extra ordinem, ſponte tamen colligi poſſunt hæ Eleemoſynæ, vel ſin-
44 gulis diebus Dominicis feſtis, in hoſpitiis publicis, ut perigrini pauperibus quid conferant. *Item in Conviviis* (54) ſolemnibus, ſponſalium, nuptiarum, baptizatorum; Item in funeribus, auf Verlöbniſſen/Hochzeiten/Kindtauffen/Leichbegängniſſen. Adde & alios modos, quibus ſacrum ærarium ditari poteſt, ex pecunia pro pulſu Campanarum Glockengeld/ex pretio ſedium in templis Stulgeld: Item pro ſepulchris in cæmeteriis publicis, aut in templis; De quo Vide Me *tract. de Contribut. c. 1. n. 149.* Bornit. *d. lib. 10.*
45 *c. 2.* Quò loci & notat morem in nonnullis Civitatibus, ut emptores & venditores rerum immobilium, quamprimum convenerint, aliquid numorum ad pios uſus, puta thalerum vel groſſos aliquot pendere, & in ciſtam publicam, (quæ hujus rei gratiâ in templis collocata,) ſchedulâ in teſtimonium celebrati contractus appoſitâ, recondere teneantur, vulgò den Gottespfenning einlegen: Quâ pecuniâ non illatâ contractus quaſi nullus cenſeatur.

Et hæc de Ærarii Etymo, Definitione, Diviſione & Rationibus Sacri ærarii generatim indicaſſe ſuffecerit, de quo poſteriori Wilhelm. Zepperus *in politiâ ſacrâ*, & alii latiùs agunt, ad quos Lectorem remitto.

ROMANI præ cæteris Nationibus in- 46
tentiſſimè ærario locupletando ſtuduerunt; adeò, ut bellis eorum *nunquam non pecunia abundè* (55) ſuffecerit: Et manifeſtum eſt, à C. Tiberio, qui tres & viginti annos in Imperio vixit, relicta fuiſſe *ſexageſies ſepties centena, quinquaginta aureorum millia.* (56) Fuit autem apud eos triplex ærariũ: Unum commune ſeu Publicum, à *Publicola* (57) inſtitu- 47
tũ, in quo civium tributa, ac ſociorum vectigalia, & prædæ Imperatorũ, aſſervabantur, ad bellorum ſumptus ordinarios ſuſtinendos. Alterum erat ſanctius, intentioris curæ, in quo *aurum viceſimarium* (85) cuſtodiebatur, *ad ultimos Reipub. caſus.* (95) Ex quo C. Cæſar primo ingreſſu civilis belli, laterum aureorum ſex & viginti millia; percuſſæ verò monetæ *pondo ccc. millia*, (60) quod erat tot triumphis partum congeſtumque, & *laſerpitii pondo* (61) centũ & undecim protuliſſe fertur. Eſtque Sanctius ab antiquis dictum, quòd prorſus intactum erat, ex quo ni- 48
hil promi licebat ad annuas neceſſitates. Eodem modo ſanctæ leges dicuntur, quæ pœnæ ſanctione corrumpi vetantur. Eleganter Guil. Budæus *in anntoat. in Pandect. pag. mihi 30. & 31.* Tertium, *quo pecunia belli Gallici causâ* (62) continebatur: quam Gallico bello contulit Populus cum execrationibus, eam inde non amovendam, niſi bellum Gallicum impenderet. Gregor. Tholoſ. *d. lib. 3. de Repub. c. 3. num. 4. & ſeq.* Huic poſtea *ab Auguſto ſingulariter additum* (63) Ærarium 49
Militare ex novis vectigalibus, nimirum Viceſimâ hæreditatum & legatorum, exceptis proximioribus & pauperibus hæredibus & legatariis, in illud deferendis. Hoc Viceſimæ nomine appellatum fuit & hic re- 50
ditus ad militaria ſtipendia perpetuò adſcriptus, ut refert Dio *lib. 55.* atque rogatus à Populo Romano Tiberius, *ut hanc Viceſimam tolleret*, (94) recuſavit, *inquiens*, militare ærarium eo ſubſidio niti.

Huic ærario deìn acceſſit *centeſima* (65) 51
rerum in auctione venalium numus: ut perpetuò (ſcriptore Suetonio *in Aug. cap. 49.*) ac ſine difficultate ſumptus ad tuendos milites proſequendosque ſuppeteret Cùm enim jam perpetuæ eſſent legiones, ſummâ ope removenda difficultas erat, quæ naſci è penuria

pecu-

niæ ſolet, & vel hoſte magis nocere. Ideoque hoc ærarium militare ab Auguſto inſti-
52 tutum,ut perpetuo pecunia ſtipendio ſufficeret. Moroſa namque merces *ſeditionis mater eſt:* (66) Seditio progreſſum omnem militiæ impedit, quia ante omnia diſciplinam ſolvit, ſubvertit victoriam, & è milite hoſtem facit, pulchrè Eryc. Putean. *de ſtipend. milit. c. 15. in fin.* Scip. Amirat. *lib. 1. diſcurſ. polit. in Tacit. c. 11.* Quæ res fuiſſe putatur fundamentum Principatus Romani; Clapmar. *lib. 5. de arcan. Rerump. c. 12.* Lipſ. *de militia Rom. l. 2. fol 104.* Tandem omnia æraria dicta ſunt ſacratiſſima vel ſancta, *l. 2. C. de quadrien. præſcript.* Jul. Cæſ. Bulenger *de Tribut. & Vectigal. c. 12.* Voluerunt autem Romani *ædem Saturni* (76) ærarium eſſe, quod tempore, quo Saturnus Italiam incoluit, fertur in ejus finibus nullum eſſe furtum commiſſum: aut quia ſub illo nihil erat cujusque privatum.

Nec ſignare ſolum, aut partiri limite campum,
Fas erat: in medium quærebant omnia.

Ideò inſtitutum, ut apud eum locaretur populi pecunia communis, ſub quo cunctis fuiſſent univerſa communia; Macrob. *lib. 1. Saturnal. cap. 8.* Ad fidem propiùs eſt, P. Val. Publicolam, qui Saturni ædem conſtruxit, loci oportunitate ductum, quum omni aditu perſepto, undique *præruptus & ab acceſſu munitus* (68) locus foret, eâdem Saturni ædem æris publici, legumq; & ſenatusconſultorum, tabularumque publicarum, & ſignorum militarium ſacrarium eſſe voluiſſe. Præter quod Saturni ærarium, *Nemis* (69) quoque & Tibure, ſacrarũ pecuniarum theſauros ad incertos belli eventus, ſi externa vis ingrueret, longo tempore ſervari accepimus. Ædem verò Saturni in faucibus Capitolii fuiſſe conſtat, qui mons Saturnius dictus eſt, Alexand. *lib. 2. c. 2.*

Apud Athenienſes (70) erat duplex æra-
53 rium: Unum comune, unde quotidianæ expenſæ ſolvebantur: Alterum ſanctius, ad quod tantùm fiebat recurſus tempore neceſſitatis, ut militiæ &c. Quod etiam theſaurus parſimoniæ vocari poſſet. Non tamen Athenienſium conſilium probo, qui Delphis theſaurum habebant, qui ſolâ ſuperſtitione tutus erat; quem hoſtis, vel atheus, vel facetus facilè mutuò ab Apolline acciperet. *Brenno*, (71) vel *Dionyſio*, (72) aut certè *Diagorâ* (73) opus erat. Perſarum Reges ex inſtituto Darii, ex tota Aſia, & parte Africæ colligebant annuatim auri & argenti talenta Euboica XIVMDLX. Id tributum hunc in modum theſaurizabant. Liquefactum aurum argentumque fictilibus vaſis ſive fideliis infundebant; expletas mox fidelias ſubinde frangebant; ex eoq; auro argentóve, quoties pecuniâ indigerent, tantum concidebant, quantum uſus poſtulabat. Herodot. *lib. 3. cap. 95. & 96.* Nec diverſum ærarium habuerunt militiæ & pacis. Chryſis Orchomeniorum Regis filius fuit Minyas, à quo ii, quibus imperavit, populi hac etiam ętate *Minyæ* (74) appellantur: huic tam ampla fuêre vectigalia, ut ſuperiores omnes divitiis vicerit. Primusque omnium, de quibus aliquid accepimus, Minyas Ærarium ad pecuniam ſervandam ædificavit. Pauſanias *in Bæoticis pag. m. 375.* Sed inter barbaros jam olim conſtructa erant æraria in Ægypto. Herodotus quoque ſcribit, *Rhampſinitum* (75) Regem immanem pecuniæ copiam habuiſſe, quam nemo Regum poſterorum adæquarit. *Græci commune ærarium in Delo* (76) habebant; Macedones in oppido *Quinda* juxta Tharſum; Siracuſani in *Labdalo* caſtro munito; Aſſyrii *Suſis;* Cambyſes in oppido *Gaza* Paleſtinæ; Dejotarus in *Pejo* Phrygiæ; Lyſimachus *Pergami*; Babylonii in *Zeugma* Urbe; Ebræi *in Thrace* & *Tauro Hiericuntis.* *Lacedæmonii autem* (77) pecunias publicas 54
in theſauris non coëgere; veriti, ne violentiores cuſtodes nacti, illas expilarent.

De Judæorum Ærario vide *3. Reg. c. 7. v. 51. c. 14. v. 25. & 1. Paralip. c. 9. verſ. 26. c. 26. verſ. 20. & ſeqq. Joſuæ c. 6. verſ. 24.* quod fuit ſacrum & Eccleſiaſticum ex eleemoſynis, decimis, & primitiis; vel Civile, quod vel militare ad bellum, vel politicum ad uſum politiæ deſtinatũ, utrumq; ex contributionibus aliisq; Reip. reditibus collectum. Hodie ſimilem ærarii diſtinctionem adhuc in Galliis & apud Venetos retineri; Danæ. *lib. 3. polit. c. 3.* Et in multis Germaniæ Civitatibus, *Senioribus Senatûs tantùm* (78) hoc poſterius ærarium committi, teſtatur Paul. Negel. **vom Burgerlichen Stande** / *p. 1. c. 8. fol. 84.*

Sed cùm Romani Imperii magnitudo hiſce, Ærarium inſtruendi pecuniaſque colligendi, mediis, ad tantum faſtigium aſcenderit, de eo initium faciam, & à natalibus rem expediam.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT II.

Num. 1.

(1) Æ*Rarium &c.]* Ærarium, Nonio Marcello *c. 3.* authore, *neutrius* eſt generis, ut ſæpe Marc. Var. γεροντοδιδασκάλῳ, Hoc eſt, magnum Cenſorem eſſe, ac non ſtudere multos ærarios facere.

(2) *Æs tantùm in uſu &c.]* Numa, perhibente ex Cedreno Dan. Angelocratere *de ponderib. monet. &c. c. 11.* primus Romanis Aſſes æreos literâ A ſignatos largitus eſt, quum ii neceſſitatibus ſuis, antehac coriaceis, ligneis, teſtaceisq; pecuniis uſi eſſent: aſſesq; à ſuo nomine Numos nuncupavit. Sed, ut verum fatear, locus ille mihi valde ex eo ſuſpectus videtur, quòd in ipſo Cedreno non tantùm de ęre, ſed & de argento ſignato ſermo ſit, ita enim locus iſte ſe habet, καὶ ἀσσάρια δὲ ἀπὸ ἀσημίου καὶ χαλκοῦ &c. aſſes ex ære & argento. &c. conſtet verò, Numá Pompilium circa annum XXXVIII. ab U. C. vivere & regnare deſiiſſe, circa annum autem CCCXLIX. ab

U. C. Livio 4. *Hiſtoriar. 66.* teſte, argentum ſignatum nondum fuiſſe. Deinde quòd coriaceis, ligneis &c. pecuniis apud Romanos vix aliquod alterius Authoris probati teſtimonium, benè verò de ære gravi, i.e. numo rudi & informi, quo primitus Romulidæ ante æs ſignatum uſu fuerunt, extet. Ut ſic vana illorum opinio, qui numi vocem à Numa, Rege Romanorum ſecundo, non ſecus ac illorum, qui illam à numero derivant, verior ſententia eorum, qui ἀπὸ τῦ Νόμυ, ſive ex Græco vocabulo νῦμμος, quod ut vult Feſtus *in fragm. de Verb. ſignific.* dictum Numum ſive Nūmum (cùm utrumque inſpectâ alterutrâ origine rectè ſcribi ex Grammaticis Bocer *de Jure Monet. cap. 1. n. 10.* monſtret.) cenſent, & tantundem apud Romanos & apud illos valere, quia pleraque Nomina à Græcis acceperunt, quorum hoc proprium eſt. Ferunt enim, apud Tarentinos fuiſſe νόμισμα quoddam, quod νόμον appellarint, in quo Tarantis Neptuni filii imago impreſſa fuerit equo inſidentis. Ordo verò Rei nummariæ talis erat, ut primùm Romani ære gravi, (quod appendebatur,) uſi fuerint, dein, Authore Plinio, *lib. 33. Natur. Hiſtor. c. 3. & lib. 18. c. 3.* Servius Rex primus æs ſignaverit notâ pecudū, unde & pecunia appellata eſt; quæ nota, eodem Authore, poſt imminutum æris pondus primo bello Punico, quod Anno ab U. Cond. CCCCLXXXIX. natúm, & XXIV. annos duravit, alia nempe ex altera parte Janus Geminus, ex altera roſtrum navis, in triente verò, & quadrante rates, fuit. Quod in memoriam Saturni, à Jano Latinorum Rege claſſe prætervecti hoſpitio excepti, qui ob id agriculturam ab eo commodiorem edoctus fuerat, factum Ovidius teſtatur, *in 1. Faſtor.* ſcribens.

Multa quidem didicit, ſed cur navalis in ære
Altera ſignata eſt, altera forma biceps?

Et deinde infert:

At bona poſteritas puppim formavit in ære
Hoſpitis adventum teſtificata DEI.

Et ex inde Macrobius poſtq; illum Polydorus Vergilius *de rerum inventoribus. lib. 2. c. 20.* Janum primùm æs hoc ſigno ſignaſſe cenſet. Benè ne, ipſi viderint, eo quod Carolus Neapolis *in Anaptyxi ad Faſtos Ovidianos hoc loco* ex Dracone Corcyræo doceat, cuſa etiam in Græcia numiſmata cum Jano & rate, & Plutarchus *in quæſtion. Rom. tom. 2. pag. 274.* rem meliùs declaret, qui omnino videatur. Sed redeundum in viam! Pòſt argento ſignato anno Urbis DLXXXV. Q. Ogulino & C. Fabio Coſſ. quinque annis ante primum bellum Punicum. (*ut* Plinius *d. loco vult.*) Sed error ineſt his verbis (notante Cuſpiniano *Cnmment. ad Aurel. Caſſiod. Conſules. &c.*) non enim quingenteſimo, ſed quadringenteſimo eſt legendum, ut clarè apparet: & quarto, non quinto. Tandem aureus numus pòſt annum LXII. percuſſus eſt, quàm argenteus. Ubi ſubjicit Plinius: Sed à numo prima eſt origo avaritiæ excogitata, fœnore quæſtuoſa ſegnitia. Hæc paulatim exarſit rabie quadam non jam avaritia, ſed fames auri. Videatur quoque, ſi lubet, Joh. Aquila *de poteſtate & utilitate monetarum baſi 2. & 3.* Bodinus *de Rep. lib. 6.* Leonhardus Coqueus *ad Auguſt. de Civit. DEI lib. 4. c. 1. lit. λ. &* ab eo allegati.

(3) *Aurum &c.*] Denſitas enim & ſoliditas in auro major eſt, quàm in cæteris metallis, cujus peculiaris, ſoliditatis plures ſunt effectus, Primus, quòd aurum cæteris minùs obnoxium eſt transmutationi, adeò ut huic uni nihil igne depereat, tutò etiam in incendiis rogisq; durante materiâ, quæ difficillimè accenditur & funditur ab igne. Præterea non rubigo ulla, non ærugo, non aliud ex ipſo quod conſumat bonitatē minúatve pondus, nec ſalis, nec aceti ſucco atteritur. Secundus ſimilis effectus, quòd quàm minimùm uſu deteritur aurum, cùm argento, ære, plumbo lineæ nigræ producantur, manusque ſordeſcant deciduâ materia. Tertio, quod cæteris, etiam plumbo, gravius eſt. *Molinæus de Commerc. & uſur. pag. m. 1009.* Porrò cur aurum & argentum aſſumpta ſint in materiam numiſmatum à ſapientibus antiquis, rationem hanc reddit ex Alberto M. Bernhardus Cæſius *de Mineralibus lib. 5. c. 2. ſect. 2. n. 11.* quòd habeant ſpecialem vim ad hominis complexionē juvandam, & conſolandam, & præterea ſint durabiliora & nobiliora cæteris.

(4) *Semper duodecupla circiter fuit &c.*] Ut dubitem, an hæc utrumque ferant punctum, facit R. Budelius *de Monetis & re numaria lib. 1. cap. 23. n. 2. ſeqq.* ubi monſtrat, quòd olim, cùm Romæ maxima fuerat auri penuria, tunc ea fuerat proportio auri ad argentum, quæ eſt quindecim ad unū. Drachma etenim auri quindecim argenti drachmis æſtimabatur, & hanc quintuplicem analogiam ſeu æſtimationis proportionem dictam fuiſſe; Alio tempore auri ad argentum fuiſſe proportionem, ut quatuordecim libris argenti una libra auri æſtimaretur; Romæ Sergii Galbæ temporibus unam auri portionem æſtimatam fuiſſe argenti portionibus duodecim & dimidiâ &c. Aliquando pro auri libra decem libras argenti fuiſſe æſtimatas; Rurſus unam auri portionem, æquaſſe pretium duodecim argenti portionum; In Gallia nunquam minorem decupla proportionem fuiſſe auri ad argentum. Ex quibus omnibus apparet, priſcis illis temporibus idem auri & argenti pretium non fuiſſe, ut nec noſtris eſt. Inde Arniſæus *de Jure Majeſtatis lib. 2. cap. 7.* poſtquam diverſorum temporum æſtimationem recenſuiſſet, concludit: Si quæras, quæ ſit hujus æſtimationis menſura vel ratio, non aliam invenies, quàm Reipubl. ordinationem. Interim apparet, olim in Imperio noſtro XII. marcas argenti puri, marcam auri puri unam exæquaſſe, à qua proportione nimium quantum hucusque Status Imperii deceſſerunt, quod latiùs deducit ſplendidum Reipublicæ Ratisbonenſis ornamentum, eidem nimiùm citò, eheu! ereptum J. C. Lentz/ in der kurtzgegründeten Fürſtellung der bey dem Müntzweſen ſich vornemlich erzeigenden Mängel / im Achten Mangel/ pag. 32.

Num. 2.

(5) *A Servio &c.*] Narrat Dionyſius Halicarnaſſeus *Antiq. Rom. lib. 4. cap. 1.* Servium Tullium ex Ocriſia ancilla natum fuiſſe. Cui pater enutrito proprium & gentilitium nomen impoſuit Tullium, à patre; appellativum verò Servium, de præſenti conditione ſumptum, quòd in Servitute eum peperiſſet: à cujus partibus ſtat quoque Florus *lib. 1. cap. 6. n. 1.* Juvenalis *Satyr. 8.* præter alios, quibus accedere non vult Livius *lib.* 1. *c. 39. in fin.*

(6) *Aureis iſtis vineulis ligare &c.*] Narrat Auguſtinus *4. de Civit. Dei c. 1.* Romanos ſolitos commendare naſcentes filios Deæ Pecuniæ, ut pecunioſi eſſent; Deo Æſculano & Filio ejus Argentino, ut habeant æream argenteamque pecuniam. Nam ideo (*pergit ille*) patrem Argentini Æſculanum poſuerunt, quia priùs ærea pecunia in uſu eſſe cœpit, pòſt argentea. Miror autem, quòd Argentinus non genuit Aurinum, quia & aurea ſubſecuta eſt. Quem Deum iſti ſi haberent, ſicut Sa-

turno Jovem, ita & patri Argentino, & avo Æſculano, Aurinum præponerent. &c. Utinam verò ex noſtris Chriſtianis nemo ſit, qui putet id, quod vel maximè precandum liberis à Deo, eſſe Divitias & ſimilia! Talis verò dum gentiles ridet, ridet ſe ipſum. Eundemque cum Gentilibus errat errorem, apud quos, ut Juvenalis ait,

Prima ferè vota, & cunctis notiſſima templis,
Divitiæ ut creſcant.

Hoc tamen eſt id, quod multi primùm ſibi, quod liberis precantur. Sed meminerint hi moniti Jeſu Chriſti curas hasce inanes deteſtantis, & *Matth. 6. v. 33.* dicentis: Quærite primùm regnum Dei & juſtitiam ejus: & hæc omnia adjicientur vobis.

(7) *Feſtus &c.]* Grave æs notat à pondere, quia deni aſſes, ſinguli pondo libras, efficiebant denarium ab hoc ipſo numero dictum, cum quo eadem ſentit Lib. Fromondus *in Comm. ad Senecæ Natural. quæſt. lib. 1. num.. 142.* Alia apud Gronovium *de ſeſtert. lib. 3. cap. 15.* ratio appellationis hujus redditur.

(8) *Livio teſte &c.] Lib. 4. Hiſtor. cap. 60.* narrat, factum id fuiſſe, cùm ſtipendium militibus ex publico ante denuntiatum Vejentibus bellum publico omnium, præter tribunos plebis, gaudio decerneretur, ubi elegans Sophiſma, quo Nobiles ad conferendum æs in ærarium publicum Plebem induxerunt, his verbis exponit: Patres benè cœptam rem perſeveranter tueri, conferre ipſi primi; Et quia nondum argentum ſignatum erat, æs grave plauſtris quidam ad ærarium convehentes, ſpecioſam etiam collationem faciebant. Quum ſenatus ſummâ fide ex cenſu contuliſſet, primores plebis nobilium amici, ex compoſito conferre incipiunt. Quos quum & à Patribus collaudari, & à militari ætate tanquam bonos cives conſpici vulgus hominum vidit, repentè ſpreto tribunitio auxilio, certamen conferendi eſt ortum &c.

Num. 3.

(9) *Dubium non eſt &c.]* Pro quibus omnibus illud unum Horatii *lib. 3. ode 30.* ſatis eſſe deberet:

Exegi monimentum ære *perennius.*

(10) *Cælo tacta &c.]* Factum hoc eſſe biennio ante Catalinariam conjurationem detectam, & ſic anno ab Urbe Condita DCLXXXVIII, Conſules, L. Aurelius Cotta, & L. Manlius Torquatus, à Cicerone nominati, evincunt.

(11) *LL. XII. Tabb. in æs inciſas &c.]* Hæ ſunt illæ Leges famoſiſſimæ à Græcis Civitatibus per Legatos miſſos petitæ, & Romæ Anno ab U. C. CCCIII. in æneis, uti Livius *lib. 3. cap. 57.* Dionyſius Halicarn. *Antiq. Rom. lib. 10. cap. 66.* & communiter Hiſtorici tradunt, nō EBOREIS, ut Pomponius *in l. 1. §. 4. de O. J.* ſive, ut corrigit Gothofredus, ROBOREIS, comminiſcuntur, primùm X. dein XII. tabulis inciſæ, quas Tacitus *3. Annal. 27. n. 1.* Finem æqui Juris, (cùm poſtea inſecutæ fuerint Leges, etſi aliquando in maleficos ex delicto, ſæpiùs tamen diſſenſione ordinum, & adipiſcendi inlicitos honores aut pellendi claros viros, aliaque ob prava, per vim latæ ſunt,) vocat: Cicero verò *1. de Orat.* eos in tantum effert, ut dicat: Fremant omnes licet, dicam, quod ſentio, Bibliothecas mehercule omnium Philoſophorum unus mihi videtur XII. Tabularum libellus, ſi quis Legū fontes, & capita viderit & authoritatis pondere, & utilitatis ubertate ſuperare: quæ primò quidem pro roſtris propoſitæ, poſtea verò in Capitolio Romæ aſſervatæ ſunt. Non ſolùm autem poſt irruptionem Gothorum in Italiam Theſaurus ipſe hic deperditus (ſic conjiciente Cunrado Rittershuſio *in Comm. in LL. XII. Tabb. cap. 6. in fin.*) fuit. Sed etiam veterū JCTorum, Sexti Ælii, Servii Sulpitii, Labeonis & Caji, qui eas ſuis Commentariis, (Roſino *Antiquit. Rom. lib. 8. cap. 6.* teſte,) illuſtrarunt, ſcripta cum maxima omnium Studioſorum jactura interciderunt, ſic ut, quod de iis ſupereſt, Fragmenta & reliquiæ ſint, ex variis tantùm Authoribus collectæ, de quo nec non de Interpretibus tam vetuſtioribus quàm recentioribus earundem Legum ipſe ille Rittershuſius *in proœm. c. 6.* videndus erit. Breviter Hiſtoriam pertexit Joh. Sithmannus *in Speculo Imperii Romani c. 5.*

(12) *Quibus publica monumenta &c.]* Suetonius id exprimit *in vita T. Fl. Veſpaſiani c. 8.* ubi allegatus ab Authore locus extat, his verbis: Ipſe (*Veſpaſianus*) reſtitutionem Capitolii aggreſſus, ruderibus purgandis manus primus admovit, ac ſuo collo quædam extulit: ærearumq; tabularum tria millia, quæ ſimul conflagraverant, reſtituenda ſuſcepit: undique inveſtigatis exemplaribus, inſtrumentum Imperii pulcherrimum ac vetuſtiſſimum confecit: quo continebantur penè ab exordio Urbis SCTa, Plebiſcita, de ſocietate & fœdere ac privilegio cuicunque conceſſis.

(13) *Tum Spartiatæ &c.]* De iis, quòd in tabulis æreis ſcripſerint, Judæis ſilet Sacra Scriptura, ergo & nos ſilemus. At verò quid opus peregrinis immorari exemplis, quum ærea Epithaphia, inſcriptiones, caſusque memorabiles æri inſciſſi inſciſſæque tum templa, cœmiteriáve, tum Curiæ ædificiaque publica pariterque privata, tum alia loca viæve publicæ in Germania, ne dicam Urbe noſtra innumera planè reperiantur. Placet exempli loco hîc adducere tabellam illā æneā inter Oenipontum & Brixiam prope vicum Steinacum in Columna prope viam erectam pulcherrimè duorum fratrum maximorum Imperatorum, Caroli V. videlicet per Italiam ab Africanâ Tuneti expeditione redeuntis in Germaniam ad Imperii res poſt longam abſentiam conſtituendas; & Ferdinandi Cæſaris, fratri deſideratiſſimo, quem à multis annis non viderat, cupidiſſimè obviam occurrentis, eò loci cōgreſſum lætiſsimum ſculpturâ repræſentantem; cum tali Scriptura, adnotante Chytræo *in deliciis variorum in Europâ Itinerū pag. 424.* & forte ex eo *Fr. Svvertio pag. 495. Imp. Cæſ. CAR. V. P. F. Aug. ex Hiſpania Italiaq;, ſuſceptis imperialibus coronis, advenienti: & Ferdinando, Hungariæ Bohemiæq; Regi, è Pannoniis occurrenti: optimis Peincipibus: ad perpetuam publ. lætitiæ memoriam, quòd fratres annos ante IIX. digreſſi; ſummis inter mortales honoribus, regnis, triumphis aucti; hoc in loco ſalvi ſoſpitesq; convenerunt. 1530.*

Frid. Franlius à monte niveo, Steinaci præfectus, mandato Regio F. C.

Num. 4.

(14) *Similibus &c.]* Quarum quaſdam adfert Gœddæus *in Comm. ad l. 159. ff. de V. S.* hinc in *l. 213. d. t.* Æs alienum eſt, quod nos aliis debemus; (vulgò paſſiv-Schuld) æs ſuum eſt, quod alii nobis debent, (activ-Schuld / Schuld in die Haab gehörig.)

(15) *Aureos debet, &c.]* Et qui corium formâ publicâ percuſſum, quale apud Lacedæmonios fuit, quod uſum numeratæ pecuniæ præſtat; meritò ex Seneca *d. loc.* addo.

(16) *Æs triplex &c.]*
Illi robur, & æs triplex
Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commiſit pelago ratem
Primus &c.
inquit Horatius, & ad illum rectè Petr. Gualt. Chabotius *in Explicat. Rhetorica hujus loci n. 3. f.* Allegoria eſt metaphorica tum à duriſſima quercu, tum ab ære ad ἀλκιμον ἦτορ, magnitudinem animi & audaciam primi nautæ indicandam. Neque mihi placet interpretatio (*quam ſuſtinet Helorius Acron, unus ex vetuſtioribus Horatii Commentatoribus, & eum ſequutus Author noſter*) de ære ſumpto pro pecunia vel lucri cupiditate, ut ab uſurariis translatum videatur, & avaritia ſit inventrix navigationis, quamvis Manilius dixerit: nihil audere relictum: Quæſtus naufragio quæritur. Omnes quidem incendimur ad quodvis acre ſtudium graveque periculum ſpe vel lucri vel gloriæ: Sed niſi ipſi fuerimus φύσει σιδηρόφρονες, animo ferreo, immaniq; audaciâ, maximè naturâ communiti, facilè terroribus cedemus, ac mortis metu frangemur. Illud autem triplex, valet tantùm ad intendendam animi vim. Teneamus ergo allegoricῶς ſumenda eſſe. &c.
Num. 5.

(17) *Æroſa &c.]* Briſſonius quoque & Calvinus *in Lexicis Jurid.* exponunt Æroſam pecuniam ſignificare eã, cui plurimum æris admixtũ eſt.
Num. 6.

(18) *Tubæ & Cornua &c.]* Tubæ & cornua ejusmodi ex ære cùm facta fuerint, qui ea inflarunt, universè ſunt appellati, ut notum, *æneatores* & *ænatores* (Totum morem enucleatè perſcripſit incomparabilis Lipſius *lib. 4. de militia Rom.*) in ſpecie verò, qui cornua inflarunt, probatis Authoribus Cornicines, qui tubas Tibicines dicti fuerunt.

(19) *Tympana &c.]* Ita interpres Latinus Emporii Emporiorum Thomæ Garzoni *lib. 3. diſc. 33.* Eodem modo (*quo ſcilicet tubæ*) tympana quoq; apud Scriptores & Hiſtoriographos ideo commendantur, quòd milites ad fortiter capeſſenda arma & ad præliũ eò alacriores animoſioresq; reddantur, iccirco etiam illum in finem uſurpantur. Nota eſt Hiſtoria de Ziſcone Thaboritarum (uti vocantur) Duce & Imperatore bellico in Boemia. Qui condito Teſtamento inter alia, Fratres ſive Thaboritas compellabat, ut poſt mortem ſuam ſibi pellem detraherent, in uſum tympani, quo in acie uterentur, ad propellendos ſtrepitu illius hoſtes, præcipuè Germanos, Hagec. in der Böhmiſchen Chronica *part. 2. ſub An. 1424. pag. 118. b.* & Dubravius *Hiſtor. Boiemicæ lib. 26. pag. 221.* ubi addit: Quaſi eadem vis illius foret, quæ fuit oris Meduſæ, cujus aſpectu homines in lapides vertebantur. *Num. 7.*

(20) *Hoc Juris ſibi datum à Carolo M. &c.]* Scriptor Helvetiæ inſignis, Joſias Simlerus *in deſcript. ejus lib. 2. p. m. 356.* confirmat illud ipſum his verbis: Lucernates dicunt, ſe his (den Harſchhörnern) virtutis ergo in bello Saracenico à Carolo M. donatos eſſe, ac Rolandum Heroem, Carolo chariſſimum, his antea uſum fuiſſe. Obiter hoc loco notare liceat, tradi à Buccinatoribus, Sereniſſimum Electorem Saxoniæ, tanquam Mareſchallum Imperii, Patronum & Judicem eſſe buccinatorum. De quo conſulendus Limnæus *in Additionibus tom. 2. ad lib. 3. cap. 10. n. 27.* Præterea à Romanorum Rege Glorioſiſſimæ memoriæ Sigismundo A. MCCCCXXXI. Reipublicæ noſtræ inclutæ Norimbergæ Magiſtratui privilegio conceſſo indultum, daß Sie Trompeter und Poſauner halten mögen / auch ſich derſelben in Schimpff und Ernſt zu gebrauchen. Deinde nec hoc prætereundum, conventum ultimum Judicialem ante Nativitatem Virginis Deiparæ Francofurti, vocari das Pfeiffer-Gericht, nomenque hocce exinde deduci ſcribere Ludovicum von Hörnigt *de Regali Poſtarum Jure cap. 18.* quòd tres Civitates Norimbergenſis, Wormatienſis, & Bambergenſis vetus, quotannis in nundinis autumnalibus in eo Conventu, à Prætore Imperiali Urbis Francofurtenſis (cujus officii jus hoc ab antiquo appendix extitit,) privilegium immunitatis à præſtatione vectigalium præeuntibus Tubicinibus nanciſci debeant. In pretium redemptionis ejus privilegii, *pergit ille*, omnes & ſingulæ dictarũ Civitatum Prætori exhibent poculum ligneum candidum, piperis librã, pileum veterem, ex pilo caſtoreo confectũ, par chirothecarum itidem candidum, nec non baculum album; Pileum, quem ſola Wormatia præbet, aureo uno quâlibet vice redimunt. Cæterùm ea omnia Prætoris ſunt. Tibicines (vulgò apud nos dictos die Stadt-Pfeiffer) Norimberga præſtat, cui contrà cæteræ Urbes certum quid annuum pendunt. Hæc ille.

(21) *Eraſm. &c.]* Subjiciens: Sumptum à Numiſmatis adulteratis.

(22) *Ære Corinthio &c.]* Criticorum veterum placitum eſt, ut Corinthiaca vaſa non Corinthia dicatur: cui obſervationi Mss. libri multorum Scriptorum non conveniunt, ita ſentiente Cauſabono *ad Sueton. Auguſt. cap. 70.* Et hoc eſt illud æs toto orbe celeberrimum: cujus memoria pleni Scriptorum libri. Traditve Suetonius *in Auguſto cap. 70.* Auguſtum ut pretioſæ ſupellectilis Corinthiorumque præcupidum notatum fuiſſe. Nam & proſcriptionis tempore ad ſtatuam ejus adſcriptum fuiſſe,
Pater Argentarius, ego Corinthiarius.
cùm exiſtimaretur, quosdam propter vaſa Corinthia inter proſcriptos curaſſe referendos. Scriptumque relinquit idem Author (*in Tiber. cap. 34.*) regnante Tiberio Cæſare vaſorum Corinthiorum pretia in immenſum exarſiſſe: Sive autem caſu ex incendio urbis Corinthi, ſive unius ejusdem domus, ſive arte cujusdam fabri ærarii ibidem, commiſſo illa primùm provenerit, tam pulchra tamen mixtura illa inventa fuit; ut exinde vaſa, candelabra, ſigna, aliaque ſculperentur, atque (*Plinius lib. 34. cap. 2.*) mirè circa id multorum affectatio eſſet. Tria autem erant genera æris Corinthii. Candidum, argento nitore quàm proximè accedens, in quo illa mixtura prævaluit. Alterum, in quo auri fulva natura. Tertium, in quo æqualis omnium temperies fuit. Plinius *34. Natural. Hiſtor. 2.* Pancirollus *de reb. deperd. tit. 34.* qui putat; Metallum hoc planè extinctum eſſe. Cæſius *de Mineral. lib. 5. cap. 2. ſect. 6. n. 5.* alii.

(23) *Ante Pyrrhum Regẽ &c.]* Vide ſuperiùs notata ad *n. 1.* hujus capitis, & adverte, quod ipſe Author noſter & Hiſtorici cõmuniter à Servio ſignatam pecuniam, Plinius verò *lib. 18. cap. 13.* expreſsè tantùm de temporibus Pyrrhi irruptionẽ antecedentibus verba faciat, meritóve adhuc quęratur an hoc Varro prodiderit, proindeque allegati loci fidem Varroni, ſi quid tale dixit, vindicandam relinquamus.

(24) *Tagus in Hiſpania &c.]* Vide Plinium *lib. 33. Natur. Hiſtor. c. 4.*

(25) *Sive infelicitas &c.]* Plurimi enim firmiter

ter ſtatuunt, inventionem Novi Orbis, ut vocant, plus damni quàm emolumenti Veteri Orbi invexiſſe, de quo infrà de Regnis Hiſpaniæ hoc *lib. 1. cap. 6. n. 87.* dicetur.

Num. 8.

(26) *Fiſcus ergo à fiſcis &c.]* Non eſſe unam, circa Fiſci etymologiam, omnium opinionem pulchrè explicat Joh. Bünting *in Diſput. Inaugurali Argentorati Anno MDCL. habitâ* θ. 5. docens, alios derivare eam à fixo, alios à ferendo, alium à Græco vocabulo φίσκος, alium à Fiſu, alios à Græco φύσκη, quod veſicam, follem, ventrem, & craſſum inteſtinum ſignificat, alios arbitrari vocem eſſe Germanicam, alios denique originem à Foveo trahere. Tandem tamen & ipſe, ut Klockius noſter, Fiſci vocem à fiſcis, h. e. ſportis rectè deducit; & in eo Gailium *1. Obſerv. 20. num. 3.* ſequitur. Junge Martinium *in Lexico Philol. voce Fiſcus.*

(27) *Fiſci Advocatus &c.]* Fiſci Advocatus, non, ut putat Author noſter, à M. Antonino Philoſopho, ſed Hadriano Imp. teſte Ælio Spartiano, *in vita ejus cap. 20.* primùm conſtitutus, Procuratori Fiſci, qui olim Judex cauſarum Civilium, quæ inter Fiſcum & privatos agitabantur, extitit (Bünting *in optimè elaborata ſua Diſputatione* θ. 45.) adjunctus olim fuerat. Legebatur autem ex prioribus advocatis (*l. 10. C. de advoc. diverſ. judic.*) qui cauſas, è quibus compendia fiſcus exſpectat, proponebat, defendebat, ac perſequebatur. Vid. plura apud allegatum Bünting *d. loco.* M. Anton. Peregrinum *de J. Fiſci. lib. 7. tit. 2.* & Dd. omnes, qui aliquid in Codicem præcipuè *tit. de Advocato Fiſci.* commentati ſunt. Verùm cùm mutata Reipublicæ Romanæ facies ſit, ſic & plurimæ circa officium hocce mutationes interceſſerunt, quas omnes hîc annotare longum nimis nec propoſiti noſtri foret, ea propter ablegari ſe aliò, benevolus Lector minùs ægrè feret. Hodiè *in Camera Imperiali*, quod notum eſt, conſtituti ſunt *Procurator Fiſci Cæſarei*, ſeu *Fiſcalis Cæſareus*, qui cauſas Fiſcales nomine Fiſci Cæſarei in Judicio Camerali proſequitur, cui ab Imperatore deinceps adjuncta fuit perſona erudita idoneaque pro *Advocato.* Ambo à Cæſarea Majeſtate ad hoc officium deputantur. Cameræ autem Sacræ Cæſareæ Majeſtatis nomine Juramento obſtringuntur. Quòd ſecundùm ſtylum in publica Audientia præſtant. Uterque & Advocatus & Procurator Fiſci debet eſſe (ſecundùm *Ordin. Cam. part. 1. tit. 15.*) eine redliche/ gelehrte/ verſtändige und der Rechten gewürdigte Perſon. Officium quodnam horum ſit, & quid ipſis obſervandum veniat, ut & ipſorum ſalarium, Procuratoris nempe æquiparatum eſſe antiquitus & hodiè annuo ſalario Aſſeſſoris, Advocati verò antiquitus CCCC flor. fuiſſe, moderno tempore efficere DLXXI. Imperiales cum dimidio, latiùs docent Rodingus *in Pandect. Cameral. adauctis lib. 4. tit. 5.* & Dn. Blume *in Proceſſ. Camer. lib. 8. n. 6. ſeqq. multis.* Dn. Bünting *loco ſuprà citato*, Gail. *1. Obſ. 20. & 90.*

Num. 11.

(28) *Cujac. Alciat. &c.]* Noviſſimè Perez *in tit. Cod. de Jure Fiſci. n. 4. ſeq.*

(29) *Provincias partitus eſt &c.]* Provincias validiores, & quas annuis Magiſtratibus cum imperiis regi nec facilè, nec tutum erat, ipſe (*Auguſtus*) ſuſcepit; cæteras proconſulibus ſortitò permiſit: & tamen nonnullas commutavit interdum; atque ex utroque genere pleraſque ſæpius adiit, *inquit Suetonius cap. 47.* & *paucis interjectis*, Non eſt opinor provincia, *pergit*, exceptâ duntaxat Africâ & Sardiniâ, quam non adierit. Junge Dionem *lib. 3. pag. 503. Editionis Leunclavianæ*, & quo ſchemate Politico hoc ab Auguſto factum ſit exinde cognoſce. Roſinum, qui veſtigia diſtinctionis *in lib. 8. Antiquit. cap. 8.* ab Authore traditæ haud obſcurè monſtrat &c. Lazium *Comm. Reipubl. Rom. lib. 2. c. 5. 6. ſeqq.* ut & Alciatum, qui integrum *de Provinciis* tractatum, inter opera ejus extantem conſcripſit.

Num. 12.

(30) *Superiorem non recognoſcens &c.]* Ut hoc indubium planè eſt de iis, qui Majeſtate præditi ſunt, quacunq; etiam forma, ſive ab uno, ſive à multis, ſive ab omnibus Reſpubl. regatur; Ita quoque in Imperio noſtro Romano-Germanico proinde ac Electoribus, Principibus cæteriſque Statibus Imperii eminentioribus, vi, à Sacra Cæſarea Majeſtate conceſsâ, Superioritatis Territorialis (der Lands-Fürſtl. Obrigkeit) atque regalium nec non meri imperii: ſic Civitatibus Imperii, quibus æquè, die Hohe Lands-Obrigkeit/ ſive (ut alii malunt exprimere) die Städtliche Ober- und Herzlichkeit/ regalia, merúmve imperium competunt, Jus Fiſci haud denegari, poſſe inferiùs ſuo loco oſtendetur.

(31) Cammer ꝛc.) Hincque nata eſt infelix illa & cum multorum Creditorum ruina conjuncta diſtinctio in nonnullis aulis unter den Cammer- und Land-Schulden / de quibus nil addo, gnarus crabrones nonniſi benè velatâ facie eſſe irritandos.

Num. 15.

(32) *Ægyptio Ærario &c.]* Ejus rei ſuprà *lib. 1. n. 29.* mentio facta eſt.

Num. 20.

(33) *Varietas &c.]* De his & ſubſequentibus cunctis usque ad *num. 29.* latior dicendi campus ſeſe in ſequentibus ad Librum Secundum offeret locus, quò Notas & Obſervationes convenientes differam.

Num. 31.

(34) *Aliisq; reditibus &c.]* Tradit Bertramus *de Republica Judaica pag. 271.* Theſaurorum Sacrorum apud Ebræos duo fuiſſe genera. Quosdam enim fuiſſe Primitiarum & Decimarum. Alios aliarum rerum DEO ſacratarum aut etiam conſecratarum. Ejuſcemodi videri fuiſſe Vota, eorumque redemptiones, item & Primogenitorum, ſicli ſanctuarii, denique omnia illa, quæ in pecuniam redacta templo offerebantur. Nam pecuniæ pro peccato & pro delicto Sacerdotibus afferebantur, ut ex illis ſacrificia pro peccato & delicto offerrentur. Ex theſauro poſterioris generis depromebantur, quæ erant neceſſaria ad Sacrificium, junge Sacrificia Sabbatorum, Neomeniarum, & Feſtorũ ſolennium, Aromata, Unguenta, Similam; Libamina vini & olei, Thus & panes Propoſitionis. Ex Theſauro prioris generis dabantur Sacerdotibus & Levitis ſuæ portiones. Tertius quidam fuit Theſaurus ante Templum conſtructum, nimirum Anathematum extraordinariorum, ad (*pag. 276.*) Templi conſtructionem devotorum, *2. Eſdræ 10. v. 32.*

(35) *Siclus ſanctuarii &c.]* Hîc aliquid omiſiſſe videtur Author, nunquam enim credam, non animadvertiſſe aut neſciviſſe Klockium, in locis allegatis ſiclum nequaquam ærarium ſanctius, ſed expreſsè

expreſsè ſolùm monetam Domui DEI inferendam deſignare,& per appoſitionem ſanctuarii ſolummodò à ſiclo vulgari diſcerni. Utrumque ſic deſcribit Budelius *de monetis lib. 1. cap. 2. n. 10.* De Siclo, *inquit*, numiſmate quondam apud Ebræos admodùm uſitato, *Sakal* dicto, quod ponderare, aut librare, vel appendere ſignificat, ſæpius in Bibliis fit mentio, *Exod. cap. 30. v. 13.* Quicunque ergo in cenſum venit, hoc dabit, dimidium ſiclum, juxta ſiclum ſanctuarii; ſiclus autem habet viginti Hera, numus ergo Domini erit dimidius ſiclus: & *Levit. cap. fin.* Omnis verò æſtimatio ſiclo ſanctuarii ponderabitur. Siclus XX. obolos habet: Germanicè: Zwantzig Hälblein oder Heller. Quibus addi poteſt & iſtud D. Hieronymi ad iſtum locum: Siclus, inquit, ſtater eſt, recipiens drachmas quatuor. Hotom. *de re num. fol. 359.* Item Joſephus *lib. 3. Antiq.* Siclus ait Ebræorum numiſma, quatuor drachmas Atticas habet, quæ per Bud. *alleg. lib. 5. Aſſ.* & Carol. Molin. *num. 795.* copioſiùs explicantur. Ex quibus ſequitur, duplicem Siclum in ſacris literis reperiri, unum, qui eſt XX, alterum, qui eſt X obolorum. Ille Eccleſiaſticus, ſcilicet templi & ſanctuarii dicebatur, eratque ponderis ſemiuncialis, hoc eſt, unius lotonis, ſeu, quod in idem recidit, quatuor drachmarum, ſicque idem eſt quod ſtater, ut Bud. *lib. 4. Aſſ.* & Molin. *d. loco*, perſequuntur. Alter Siclus vulgaris erat, & duas tantùm drachmas, hoc eſt, duo Quintlein / ut nos loquimur, pendebat, &c. Vide tamen & Heniſchium *de Aſſe pag. 180. & 188.* qui colligit ſiclum habuiſſe cruciatos noſtrates XXXIV$\frac{11}{VII}$. In opere Biblico Vinarienſi ſiclus argenteus ſanctuarii valere dicitur Tetradrachmum vulgò, ein Halbenthaler/ ſive groſſos argenteos XII. vulgaris verò ſive regius Didrachmum, ein Viertelsthaler/ ſive VI. groſſos argenteos.

Num. 34.

(36) *2. Paral. 24. v. 8. &c.]* Loca hæc omnia dictum Klockii nil quicquam probare, textum evolventi vel prima facie pateſcet.

(37) *Templum Hieroſolymitanum &c.]* Accuratam ejus delineationem atque deſcriptionem exhibet Jacobus Jehuda Leo Ebræus Middelburgi in Seelandia degens, Latinè & Ebræè recenſitam à Domino Johanne Sauberto: Ubi conſummans auri & argenti, quod impenſum erat, multitudinem concludit: aſcendet hoc modo auri & argenti ſupputatio ad numerum 10770 myriadum, aut 151875o libras. Faciet ſimiliter 105 myriades, 468808 libras. Vel 26367 onera aut plauſtrorum aut navium apud nos uſitata: & prætereа 828$\frac{1}{2}$ libras. Æſtimato quovis onere aut ſaburrâ ad 4000 libras. Unde & ad transvehendum de loco in locũ admirabilem iſtam quantitatem auri, neceſſariæ fuiſſent ad minimum plus quàm mille naves, quarum quælibet ferendo abducere potuiſſet 26. onera. Aut plus quàm 100. naves iſtiusmodi majores: quales ſolent proficiſci in terram Indiarum, ſingulæ ad 500. ſaburras. Cæterùm ſciendum eſt, *(inquit Dn. Saubertus in præfatione hujus libri de Templo ad Lectorem)* ſi accuratè rem expendamus, Templum Hieroſolymitanum ter ædificatum fuiſſe, neque, ut multi putant, & ipſi quoque Judæi vulgò loquuntur, primum tantùm extitiſſe & ſecundum. Etenim poſt deſolatum Salomonæum templum, cùm ex Babylonicâ captivitate rediiſſent Judæi, reſtauravit illud atque ſecundum templum condidit Dſerubabel, omnibus primi partibus præditum, ſingulis tamen minori ſitu, & opere, ac ſumptu, *(Esdræ 3. verſ. 12.)* quàm illud antiquius fuit, menſurarum ſcilicet ac totius operis ratione per Cyrum Perſarum Regem præſcriptâ. (Joſephus *Antiq. Jud. XV. 14.* adde *Eſdr. cap. 6. verſ. 3. ſeqq.*) Tertium templum refecit Herodes, Antipatri Aſcalonitæ filius, qui regnum Judææ à Senatu Populoque Romano petens, Antonii & Octavii favore eo donatus eſt. De quo videatur laudatus Saubertus, ubi, occaſione exſtructi tertii hujus templi explicat, qui fuerint Herodiani, & quæ eum ratio ad exſtruendum Templum permoverit.

(38) *27000. milliones &c.]* Variè varii, quos reliquerit David templo DEI, computant theſauros; & inter illos, quos Drexelius *in Salomone part. 1. cap. 5.* adducit: Cornelius à Lapide Chronicon Regum interpretatus alicubi: David Salomoni, *ait*, pro templo reliquit, bis mille quadringentas milliones auri. Millionem voco decies centena millia aureorum. Hæc auri ſumma vix tota hodieque reperietur Europâ. Johann. Baptiſta Villalpandus & Hieronymus Pradus theſauri immenſi calculum ponentes: David Salomoni, *ajunt*, reliquit bis mille octoginta duas milliones, centum triginta quatuor millia, viginti quatuor ſcutatorum Romanorum. Joannes Pineda hanc ſubducens ſummam: Quòd ſi rectè computes, *inquit*, propè accedit ad tria millia millionum auri ex Hiſpanicis ducatis. Sic enim illa centum millia talenta auri, de quibus Sacri Codices, explicanda. Jacobus Salianus in eundem modum rationes colligens: Non immeritò, *inquit*, dici poteſt impenſa in templum Domini tria millia millionum auri. Prò auri vim ſacram, opesque divinas! Verè divinæ, quia DEI benevolo nutu in Davidis manus conſignatæ. Adde Robertum Baillium *in Opere Hiſtor. & Chronolog. lib. 1. quæſt. 21.*

(39) *Seſak &c.]* Putant plerique, hunc eſſe Herodoti, Diodori Siculi *lib. 1. Bibl. Hiſtor. c. 53. ſeqq.* aliorum, *Seſoſtrem* (aliis *Seſoöſis* & *Seſonchis*) qui ob expeditiones longinquiores, rerum geſtarum magnitudine omnes antè ſe reges ſupergreſſus; donariisque eximiis & manubiis Hoſtium cuncta per Ægyptum templa exornavit. Diodor. Sicul. *cap. 55.* quod etiam Joſephus *lib. 8. Antiquit. c. 4.* obſervavit, & vir in ſeculi noſtri Gloriam natus, Herm. Conring. *de antiquis Aſiæ & Ægypti Dynaſtiis cap. 18.* maximè ratione temporis confirmavit. Seſoſtris ſive Seſooſis hic, Diodoro Siculo Authore, *cap. 55.* Cippos ubique terrarum bello acquiſitarum erexit, ſacris Ægyptiorum literis, hoc verborum indicio inſcriptos: HANC PROVINCIAM ARMIS SUIS DEVICIT REX REGUM, ET DOMINUS DOMINORUM SESOOSIS: in cippis illis pudendum viri, apud gentes quidem ſtrenuas & pugnaces, apud ignavas autem & timidas fœminæ expreſſit. Ex præcipuo hominis membro animorum in ſingulos affectionem poſteris evidentiſſimam fore ratus. (Figuram expreſſit Joh. Pierius Val. *Hieroglyphiarum lib. 34. pag. 349.*) Narrant porrò Diodorus Siculus *lib. 1. cap. 58.* & Plinius *lib. 33. Natur. Hiſt. c. 3.* Eos, gentium qui devictarum regna indulgentiâ ipſius tenebant, aut alioqui Principatus acceperant maximos, quum ſtato tempore cum donis in Ægyptum ventitaſſent; eos Regem exceptos cætera honorare & eximiè provehere, ſed templum vel urbem ingreſſurum, equos à quadrigis ſolvere, Regesque ac Duces quaternos ſubjugare ſolitum; planum

ita

ita cunctis (ut putabat) faciens, quòd aliorum potentiſſimis, totoque orbe clariſſimis, bello ſubactis, in virtutis certamine ſibi comparandum habeat neminem. Theodorus Medicus Priſci Imperatoris Legatus ad Chaganum Avarûm Regem magna ſapientem reſponſionesque jactantiùs facientem, minas etiam prætendentem, cunctarum gentium ſe eſſe dominum jactantem, miſſus, (*tradente Paulo Diacono Hiſt. miſcell. lib.17. cap. 31.*) narratione veteri ejus mitigavit Barbaricum typhum: dicens : Audi Chagane proficuam narrationem. Seſeſtris, Ægyptiorum Rex, illuſtris & oppldò felix, opibus clarus, & inexpugnabili potentatu, plurimas & ingentes ſervituti nationes redegit. Unde & in arrogantiam ruens, curru ex adhærenti ſibi auro & lapidibus pretioſis conſtructo, ſedit ſuper eum, & ſubjecit jugo de exſuperatis Regibus quatuor trahere currum. Cùmque hoc fieret in inſigni feſtivitate, unus ex quatuor Regibus frequenter oculum vertebat retrorſum, & contemplabatur rotam, cùm volveretur. Quem Seſoſtris percunctatus, ait: Cur poſt tergum obfirmas oculos? Hanc, inquit, rotam miror inſtabilem, & aliàs atque aliter ſe moventem, & aliàs modò excelſa humiliantem, rurſusque humiliata exaltantem. At verò Seſoſtris parabolam intelligenter animadvertens, legem poſuit, ne currum Reges ulteriùs traherent. His Chaganus auditis ſubriſit, & ait ſe pacem ſectari.

(40) *Nobuchodonoſorem &c.*] Cui poſteà divinoin ſomnio adumbrata eſt Imperii mundani varietas vanitasque. Cùm ſtatuam videret in ſomniis ingentem, capite aureo, pectore & brachiis argenteis, ventre & lumbis æneis, pedibus ferreis ſimul & teſtaceis, in quos incurrens lapis totam comminuebat, comminutamque in pulverem vento dabat diſpergendam. Quod Daniel Monarchæ interpretatus eſt. (*Daniel. 2.*) Hic ipſe poſtea rerum ſucceſſu proſperiori elatus, ob impotentiam illam & in ejus pœnam à DEO in tanto furore inflammatus fuit, ut affectio Regii corporis in beſtiæ temperamentum commutata, figura etiam humana aliqua ex parte in ferinam degeneraſſet, ſenſusque internos ſimiles accepiſſet brutorum internis ſenſibus: unde factum, ut & pecudum more quadrupes incederet, & fœno veſceretur, & homines fugeret, & ſub dio degeret. Divinam verò virtutem feciſſe, autumat Martin. Delrio *Diſq. Magic. lib.2. quæſt.18.* ut ſub tali temperamento & habitudine corporis, humana & rationalis anima perſeveraret. Daniel. *c.4. inprimis verſ.30.* quod ipſum confirmat Johann. Conrad Dannhavver *in Collegio Pſychologico Diſput.1.* his verbis : Cor accepit Nebucadnezar ἀλλοῖον, non ἄλλο: fuit mutatio illa οὐ κατὰ σῶμα, ἀλλὰ καθ' εἶδος: pili ſolùm & ungues dicuntur creviſſe, inhibitus fuit actualis uſus rationis, id quod quidam colligunt ex Chaldaico; in cujus vicem ſucceſſit furor & inſania; fuit igitur vera, ſed accidentalis μεταμόρφωσις, non nuda imaginatio ex copia atræ bilis orta, ut vult Mercurialis *lib.1. pract. c.17.* (& poſt illum Zacchias *in quæſt. medico legal. lib.2. tit. 1. quæſt. 16. num.41. & 42.*) Et ſanè ſi ſubſtantialis mutatio illa fuiſſet, quâ animam perdidiſſet, reſurrexiſſet Necucadnezar, antequam fuiſſet mortuus, nam rediit ejus ſenſus, (*v.34. & 36.*) exactâ temporis menſurâ.

(41) *Nullas publicas pecunias præterquam Sacras &c.*] An hæc aſſertio album calculum mereatur, propterea non immeritò dubito, quòd Seſak, *3. Regum* 14. *verſ.26.* & in loco ab Authore citato *2. Paralipom. 12. verſ.9.* dicatur abſtuliſſe & Theſauros Domus Domini, & THESAUROS REGIOS : quæ *Capite 15. verſ.78.* de Aſa repetuntur, quòd illos dederit in manus ſervorum ſuorum; eorumque Regiorum theſaurorum etiam aliis in locis, præſertim *1. Paralip. 27. verſ.25.* mentio fiat, & enumeretur, quòd ſuper theſauros Regios fuerit Azmoth, filius Adiel, his autem theſauris, qui erant in urbibus, & in vicis, & in turribus, præſederit Jonathan, filius Oziæ. Sicque theſauri illi exactè ſeparentur. Ex veteri igitur formulâ dico: Mihi non liquet, ampliandum eſt.

Num. 36.

(42) *Fortunâ incertâ & dubiâ &c.*] Magis chriſtianè fortaſſe diceretur ita; ſed viſum fuiſſe bonis incertis & dubiis uſum.

(43) *Robuſtis & benè valentibus &c.*] De his vide integrum tractatum Dn. Ahasveri Fritſchii, &c. Illuſtriſſimi Comitis Schvvartzenburgici Conſiliarii inſignis.

Num. 37.

(44) *Modus igitur colligendæ pecuniæ tempore Chriſti fuit &c.*] Expreſſis verbis profitetur Salvator noſter Jeſus Chriſtus, *Johannis cap. 18. verſ.36.* Regnum meum non eſt de hoc mundo; cùm ærarium verò ſubſidium regni terreni ſit, fruſtra hoc loco diſputat Author, quomodo in ſtatu Exinanitionis, ut vocant, Domini noſtri pecuniæ collectæ & ad ipſum derivatæ fuerint. Imò quòd nil quicquam Ærario Principis detractum voluerit, jubens dari Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, *Marci cap. 12. verſ. 17.* ſed & ſedens & videns, Gazophylacio inferre duo minuta viduam, divites jactare multa, utrosque laudaverit, *Marci 12. v.40. ſeqq.* ſatis abundèque teſtatum facit.

(45) *Sed ille eo abutebatur &c.*] Idem ſentit conſummatus & planè ad exemplum factus Theologus noſter eheu! noſter, cùm nobis VIII. Aprilis Anni MDCLXIX. morte ereptus & Cœlo adſcriptus ſit, Dn. Johann. Michael Dilherrus, cujus anima quieſcat in Pace! in der Hohen Schul deß Höchſten Lehrers &c. in der 1. Betrachtung num. 168. ſeq. in der 14. Betrachtung num 2. & 3.

(46) *Commune ærarium &c.*] Putarim, hoc propriè loquendo & inſpectâ Authoris noſtri ſuprà *num. 16.* allatâ definitione ærarium minùs rectè dici, niſi ſtatuamus, abuſivè bona in commune à particularibus invicem ad uſus pios collata ærarium appellari poſſe. Sed de verbis faciles ſimus, modò de re conſtet.

(47) *Variis perſecutionibus &c.*] De perſecutionibus Eccleſiæ primitivæ ſub Imperatoribus Ethnicis, deque veterum Chriſtianorum cruciatibus doctè & eleganter ſcripſit Chriſtian. Kortholt, ſparſim quoque multa habentur *in Roma Subterranea* Pauli Aringi; de tormentis verò varii generis, quibus excruciati fuêre Chriſtiani, utilia quædam collegit Hieronymus Magius *tr. de Equuleo*, & in notis ad ipſum Jungermannus. Ut Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptorum nomina hîc prætercam.

Num. 38.

(48) *Tempore Apoſtolorum Hieroſolymis &c.*] Idque in Jeroſolymitana tantùm obtinuiſſe, ex aliarum Eccleſiarum collectis apparet. Et Auguſtinus *de Doctr. Chriſt. lib.3. cap.6.* teſtatur, id nullas Gentium

Gentium Eccleſias feciſſe. Prioris autem illius ſpeciales fuiſſe cauſas. Quòd prima illa Eccleſia, quæ veluti fons cæterarum debuit eſſe, & in qua cœperunt initia Chriſtianiſmi, aliquid extraordinarium ſuſcipere debuit, & temporalia abjicere tum, cùm ex illis locis migrare deberent plerique, ut in remotioribus verbum Evangelii prædicarent. Oſtendere etiam hoc ſuo exemplo, poſſeſſiones & agros, quos in illis locis habebant, non eſſe magni faciendos, qui mox prædæ hoſtium paterent; ut fuerit quaſi Prophetia venturarum calamitatum, in quibus fideles expeditiores eſſe potuerunt, qui nihil aut parum ex temporalibus illis ſibi reſervantes, in ruina illa Jeroſolymorum, ſuis rebus non metuebant. Accedit, quòd res illa mandata non fuerit tanquam neceſſaria; ſed voluntario charitatis motu ſuſcepta. Denique quòd alicubi & ad tempus in uno loco fieri potuit, ubique obtineri non poſſe, pauci ſunt, qui inficias eunt. Nec certè Apoſtoli ubique communionem eam inſtituerunt. Quinimò in ipſa illa Jeroſolymitana Eccleſia etſi liberalis fuerit communicatio, tum poſſeſſionum, tum uſus: non tamen omnibus fuit injuncta, nec ab omnibus ita ſuſcepta, ut nemo ſibi aliquid proprium reſervaverit. Petrus enim è carcere liberatus, venit ad domum Mariæ, matris Johannis, cognomento Marci, ubi & illa habitabat, & alios fideles excipiebat. In Hiſtoria Ananiæ & Sapphiræ, non redarguit Petrus, quòd non omnes ſuas poſſeſſiones vendiderint, & in commune contulerint; ſed cùm poſſeſſionis venditæ pretium integrum præ ſe ferrent conferre in publicum; Spiritui Sancto mentiebantur parte aliquâ interverſâ. Quòd ſi aliquando veteres Theologi negaverint illud MEUM & TUUM apud Chriſtianos obtinere debere, dixerintque omnia eſſe communia, qualia reperiuntur apud Ambroſ. *in cap. 11. Lucæ*, & Chryſoſt. *Homil. 10. in 1. ad Corinth* & alibi; id ita intelligendum eſt, quòd nemo fidelis rem aliquam ita vendicare ſibi debeat, quin paratus ſit eam, quando neceſſe erit, cum altero communicare. Tum enim, cùm extrema neceſſitas urget, communia debent eſſe omnia; ſed tamen ex poſſeſſoris voluntaria diſtributione. Rivetus *in prælect. in cap. 20. Exodi Explic. v. 15.* quæ planè cum dictis ab Authore noſtro eadem ſunt.

(49) *Anabaptiſtæ &c.*] Anabaptiſtarum ſectæ communiter ab omnibus, & in ſpecie Thoma Muncero, ejus coryphæo, à Sleidano *Comm. lib. 5.* adſcribitur, ipſam, & ipſum docuiſſe quoque: Bonorum communionem & humanitati cumprimis eſſe conſentaneam, ut & dignitate ſint omnes æquales, & conditione liberi, & promiſcuè bonis omnibus utantur. Quò factum eſt, ut vulgus ab operis atque labore deſiſteret, & quâ quisque re careret, eam ab aliis, qui abundabant, etiam invitis, acciperet. Orta verò fuit ſecta illa circa Annum MDXXII. ſub Carolo V. Imperatore (*Sleidan. lib. 3. 6. & 10.*) cujus aſſeclæ ſic dicti fuerunt, quòd & parvulos arceant à Baptiſmo, & rebaptizentur ipſi, & ita faciendum eſſe omnibus affirment, & vim omnem priori baptizationi detrahunt; Authore quodam (ut ſentit Alexander Roſs *in Deſcriptione Mundi hujus Religionum, tam Anglicè, quam Belgicè, atq; Germanicè editarum, p. 310. edit. Belg.*) Nicolao Strok; propagatoribus dicto Muncero, qui gladio temeritatis pœnam luebat A. MDXXV (*Sleid. l. 5.*) Joanne à Leyden Sartore, quẽ Opmeer *in orbis univerſi Opere Chronograph. p. 780.* Joannem Bueckeldum vocat; & addit, occaſione hujus nonneminem haud illepidè hoc Chronico diſticho ad ſartores luſiſſe:

ToLLIte nVnC anIMos ſartores toLLIte CrIſtas,
OrDInIbVs VeſtrIs regIa VIta VenIt.

Deum enim Epiſcopo Franciſco ex Comitibus de Waldeck Monaſterienſi, metropoli ſuâ iterum receptâ, conquerenti ſe ex divite pauperem fuiſſe factum, intrepidè reſpondiſſe, (*Opmeer d. loc. pag. 781.*) Facilè damnum reſarciri poſſe, ſi ſe incluſum caveæ curaverit per Europam ſpectandum tertio deferri; quare excruciatum candentibus laminis, cultróve per pectus adacto interemtum (*Hermannus Stangefol libro IV. Ann. Circuli Weſtph. pag. 28.*) Epiſcopum juſſiſſe includi caveæ cadaver, atque ex turri Sancti Lamberti in monumentum rei geſtæ ſuſpendi. Quod factum XXII. Januarii Anno MDXXXVI. Melchiore Hoffmanno, qui Anno MDLXXX. in ſqualore carceris periit, (*Thuanus Hiſt. lib. 57.*) aliisve ſequacibus. De quibus Hiſtorici paſſim tractant. Fuit autem ſecta illa in varias diviſa ſectas mirè diſſectas, hinc varia quoque non minùs ridicula, quàm portentoſa ſibi nomina aſcivit, de quibus alii conſuli poterunt. Videntur verò Anabaptiſtæ poſteriores ab hac communione omnium bonorum, quæ, ſecundùm Lactantium Firmianum *lib. 5. cap. 22.* nihil aliud, quàm vitiorum licentiam continet, receſſiſſe, quod exercitium mercaturæ plurimorum in Hollandia degentium hujusmodi ſectariorum teſtatur: vid. quoque D. Titius *Diſſ. de Regimine Sacro & Civili. §. 46.* Rittershuſius *Sacr. Lect. lib. 8. c. 7.*

(50) *Magna opinione meriti &c.*] Contrariatur huic Balduinus *de Caſib. Conſc. lib. 4. c. 3. caſ. 1.* è diametro, dum inquit: In primitiva quidem Eccleſia Chriſtiani bona ſua conferebant in commune, *Act. 4. v. 34. ſeqq.* ſed hoc non fiebat ex opinione ſingularis ſanctitatis aut perfectionis, ſed ex libera voluntate conferebant pecuniam & agros ſuos in ſuſtentationem Fratrum &c. Cui ſententiæ omninò ſubſcribendum putarem.

Num. 40.

(51) *Philemoni inſcribit &c.*] Divus Apoſtolus Paulus *v. 10. ſeqq. v. 13. & 14.* ibi: Tu autem illum, (*ſcil. Oneſimum, in cujus gratiam Epiſtola ſcripta fuit*) ut mea viſcera, ſuſcipe: quem ego volueram mecum detinere, ut pro te mihi miniſtraret in vinculis Evangelii: ſine conſilio autem tuo nihil volui facere, uti ne velut ex neceſſitate bonum tuum eſſet, ſed voluntarium &c.

(52) *Proprietatem approbant &c.*] Vide *c. cùm inter 4. Extravag. Johannis XXII. de V. S.*

Num. 41.

(53) *Contulerunt &c.*] Jam ſeculo III. liberalitatẽ Chriſtianorum etiam ſuorum curâ neglectâ venditis fundis inoleviſſe; Seculo IV. cùm Conſtantinus M. Imper. Chriſto Servatori Noſtro nomen daret, in Sacrorum uſum collata fuiſſe ampliſſima & longè pinguiſſima patrimonia, novâ ſucceſſione ab inteſtato Eccleſiaſticâ nimirum inſtitutâ, & legandi licentiâ in pias cauſas conceſſâ; Demum tempore Gregorii I. Pontificis (viventis poſt Chriſtum natum A. DC.) purgatorio in Eccleſiam introducto (*de quo vide quoque Johan. Colneri Chronolog. Err. Pont. claſſ. ult. cap. 2.*) & Anno DCVI. Miſſis etiam ab eodem pro demortuorum reſiduis peccatis, quæ Papæ Pelagio circa Annum DLII. inſtitutionem debent, (*idem Colner. claſſ. 7. cap. 5.*) in Eccleſiam receptis, univerſum clerum,

clerum, cui hoc officium injunctum profuſis donationibus locupletari cœptum; Caroli M. dein tempore ſeculo IX, liberalitatem & munificentiam in omnes Eccleſias, præcipuè Romanam extitiſſe immenſam; Imò Ludovicum I. ejus filium ob liberalitatem maximam erga DEI cultum Pii nomen reportaſſe; Tandem ævo Ottonum bona Eccleſiaſtica immediata Imperii Epiſcopis conceſſa fuiſſe, præter Hiſtoricos nervosè Dn. Philip. Andreas Burgoldenſis *in Notitia rerum Imperii Romani-Germ. part. 2. diſc. 9. num. 2. ſeqq.* tradit: cùm antea *p. 1. diſc. 20. num. 7. ſeqq.* incrementa Potentiæ Epiſcoporum explicaſſet, ubi videri poterit. Inde Ottonum temporibus Ducales & Comitum poteſtates Epiſcopis & Abbatibus cœperunt attribui, novo & hactenus inaudito exemplo. Adeoque ex eo tempore duplex cœpit ordo Ducum: ſecularium ſcilicet & Eccleſiaſticorum. (Illuſtris Conringius *de Germ. Imp. Ducib. & Comit.*) Primus autem Bruno Epiſcopus Colonienſis conſtitutus, à fratre Ottone M. Ducatum Lotharingiæ accepit. Qua de re ita Witichindus *Annal. lib. 1. pag. mihi 10.* Brunonem Pontificis ſummi ac Ducis magni vidimus officium gerentem. Ac ne quis eum culpabilem ſuper hoc dixerit, cùm Samuelem ſanctum, & alios plures, ſacerdotes pariter legamus & judices. (Ad quem locum conjungantur Henr. Meibomii elegantiſſimæ notæ, *pag. 53.*) Idem notat Author Chronici Belgici *pag. 80. 81.* Ante hæc ſua (*Brunonis*) tempora Archi-Epiſcopi Colonienſes non judiciis gladii temporalis, ſed tantummodò juriſdictione uſi fuerunt baculi paſtoralis. Cujus veſtigiis in ſequentibus temporibus plurimi, ſi non omnes, inſtiterunt Epiſcopi & Abbates. Illud verò prætereundum non eſt tradi & Herbipolenſem Epiſcopum, & Campidonenſem Abbatem eodem Jure gaviſos longè ante Ottonum tempora fuiſſe. Sic Bruſchius *in Monaſteriorum Germ. Chronologia pag. 29.* de Andegario (ab aliis Audegario, & iterum aliis Amelgario nominato) Grundefeſto de Brunſvviga Rolandi filio, primò ſub Carolo, poſtea à magnitudine rerum geſtarum dicto Magno, & Anno DCCCI ad Imperiale ſolium evecto, Anno Domini DCCLXXIII. inaugurato Abbate dicit: Conſecutus eſt pro ſe & ſucceſſoribus ſuis omnibus inſigne privilegium ab Adriano Pontifice, in quo Pontifex Campidonam alteram vel ſecundam Romam appellans, ab omni eam Epiſcopali jugo exemptam & perpetuò liberam eſſe ſtatuit. Abbati verò gladii ad exercenda jura forenſia, ad tuendos bonos, ac è medio tollendos malos uſurpandi. Unde verſus natus, quem Abbas & Princeps loci hujus, cum Herbipolenſi Epiſcopatu communem habet:

Herbipolis
Campidona } *ſola judicat enſe, ſtolâ.*

De Epiſcopo Herbipolenſi Bruſchius *de Epiſcop. cap. 9.* tradit: jam Anno DCCL à Pipino & Carolo M. Epiſcopatui Würtzburgenſi ſive Herbipolitano Orientalis Franconiæ Ducatum fuiſſe annexum, & hinc, quoties Epiſcopus Herbipolenſis ad aram Sacra facit, ſemper gladium nudum & evaginatum juxta ſe poſitum habere, quo Oſtro-Franciæ Ducatus, ac plenum Jus vitæ necisque innuitur. Inque eò conſentiunt ferè omnes, Martinus Magerus *de Advoc. arm. cap. 7. num. 306. ſeqq.* citatum ab ipſo Compendium *Hiſt. Eccleſ. Magd. cent. 8. c. 10.* & Krantzius *in Metropoli lib. 1. c. 9.* Præterea Petrus Bertius *lib. 3. Comm. rer. Germ.* qui dicterium paulò aliter & ſic in monetis inveniri aſſerit:

Herbipolis Stola judicat enſe ſola.

Höpping *de Jure Inſign. cap. 6. part. 1. §. 3.* cum plurimis ab eo citatis. Noviſſimè Dn. Burgoldenſis *in Not. Rer. Imper. Rom. Germ. part. 1. diſc. 20. num. 7.* Et quamvis Beſoldus *in Diſcur. de Ordine Equeſtri num. 8.* objiciat, quòd poſt Carolum M. Franconiæ ſeculares fuiſſe Duces, nemo, niſi qui hiſtorias neſcire poteſt, inficias ibit, adeoque ad Epiſcopos nomen & titulum Ducis perveniſſe, tantùm ipſi probabile videatur. Et quòd illum Marchiones Brandenburgenſes nunquam Franconiæ Ducem ſalutent. Denique quòd ab Henrico V. Imp. Franconiæ Ducatus Epiſcopo Herbipolitano ademptus, & Conrado Hohenſtauffenſi, ſororis ſui filio (*Bruſchius appellat hunc Imperatoris ex ſorore nepotem*) fuerit commiſſus. Attamen ea me tantopere non movent, ut à communi ſententia divortium faciam. Notum etenim eſt, ſecundùm Philoſophorum dogma, privationem præſupponere habitum, quia nemo privatur, niſi priùs habuerit id, quo fuit privatus. Carentiæve, dicente ex Baldo Cacherano *Deciſ. Pedem. 95. n. 12.* ſint habentium. Quoniam verò, ipſo Beſoldo *d. loc.* teſte, ab Henrico IV. Ducatus Epiſcopo ademptus fuit, oportet ut illum antea poſſederit. Ut, ſic ipſe refellat antecedentia, & quod dixerat titulum ſolùm in Epiſcopum Herbipolenſem translatum fuiſſe. Accedit, quòd Lotharius Saxo Embricho vel Imbrico Epiſcopo Würtzburgenſi circa An. MCXXXI. ab Henrico V. ablatum Franciæ Ducatum reſtituerit; & quòd Fridericus Barbaroſſa Imp. Epiſcopo Würtzburgenſi & Succeſſoribus Ducatum Franciæ Orientalis & Juriſdictionem ſuperiorem An. MCLXVIII. novo Privilegio & ſigillo aureo teſtatus, hunc ex Donatione Caroli M. ad Epiſcopum legitimè pertinere, (*Bruſchius d. loco*) confirmavit, publicaveritque X. Julii per Franciam univerſam. (Bucholcerus *in Indice Chronolog. in Anno Mundi 5138. Anno Chriſti 1168.*) Quod etiam Chronicon Würtzburgenſe MS. quoddam his verbis quoad confirmationem tradit. Kaiſer Friderich hat Anno 1168. ein Reichstag zu Würtzburg gehalten und Biſchoff Erholden (*qui erat XXXI. in ordine Epiſcopus*) das Hertzogthum zu Francken mit ſeinem Land-Gerichs Zwang/ Privilegien und Freyheiten/ ſo ſeine Vorfahren vom Kaiſer Carln dem Groſſen und nachfolgendē Kaiſern erlanget/ beſtättiget. Quam gratiam & antea Henricus V. Imp. Anno MCXX, Epiſcopo Ehrlingo ſive Erlongo Comiti à Kalw impertitus erat, qui ab eo tempore primus ſibi enſem evaginatum, tanquam Franciæ Orientalis Dux (als ein Hertzog in Francken/ prout verba laudati Chronici ſonant) in ſolemnioribus feſtivitatibus, & quoties ſub infula & pontificalibus ſacra facit, in ſignum meri Imperii præferri cœpit, quod ejus ſucceſſores ſtrenuè imitati fuerunt. Sic ut nunc quoque, ſi quando Epiſcopus ſacra ipſe peragit, ſemper prope Altare enſem evaginatum poni dicant. Perhibetque Höpping *de Inſign. dicto ſuperiùs loco*, hunc primum fuiſſe Epiſcopum, qui unà cum pedo paſtorali gereret in inſignibus coruſcantem enſem. Licet verò Marchiones Brandeburgici Epiſcopos Herbipolenſes nunquam titulo Ducum Franconiæ ſalutarint, imò (ut Höpping docet) in comitiis Wormatienſibus producto inſtrumento publico contra titulum hunc & Elector Moguntinus, & Saxo, & Brandeburgicus, & Epiſcopus Bambergenſis

proteſtati fuerint, inque ſubſcriptione illius Receſſus de Anno MDXXI. Conradus Epiſcopus Würtzburgenſis ſine additione, Ducis Franconiæ, ut olim v. g. in Ordin. Regimenti Auguſtæ Anno 1500. promulgata, & alibi, uſu venerat, reperiatur; tantum tamen abfuit, ut altememorati Epiſcopatus Succeſſores à Ducis titulo abſtinuerint, ut potiùs, ne quis poſt appetitos tituli honores (ſcribente Bruſchio *de Epiſcop.*) alia etiam ad ſe rapere conaretur, illum incolumem tenaciter ſervarint, & adhuc num ſervent, ut in ſubſcriptionibus Imperii Receſſuũ jure meritoque iterum uſurpent. Circa ſolemnitates oblationum bonorum, quæ Eccleſiæ offerebantur, notatur ad Documenta Rediviva Monaſteriorum Wirtenbergenſium ad Docum. 1. Monaſterii Albirſpacenſis lit. b. Quemadmodum apud Romanos emancipationibus & manumiſſionibus, imò olim venditionibus, certæ ſolemnitates adhibebantur; ita olim apud priſcos Germanos ſolemne fuit, ut, ſi quæ illuſtris perſona prædium aliquod firmiſſimè DEO, ejusque Sanctis dicare, & à ſe omninò abdicare in animo haberet, hoc non faceret immediatè, ſed per interpoſitam perſonam, in quam priùs omne jus tranſtuliſſet, idque eo fine, ut firma magis oblatio, donatioque eſſet. Aliam conſuetudinem obtinuiſſe in Daciâ indicio eſt *cap. 2. ex literis x. de Conſuet.* ubi Innocentius III. Pontifex, ad Archiepiſcopum & Capitulũ Laudunenſe: Si aliquis poſſeſſiones aliquas clauſtris, vel aliis religioſis locis, in bona (valetudine,) vel ultima (voluntate) pro ſuorum vult remedio peccatorum conferre: hanc conferendi formam eſſe proponis, quod in hujusmodi donationibus modicum terræ conſuevit in manu accipere, vel in extremitate pallii manu prælatæ Eccleſiæ ſuſtinetur, aut ſuper altare ponendum ſub teſtimonio videntium & audientium (ſub dicta forma) quæ *Scotatio* vulgariter appellatur. Concluditque, Scotationem non tam factæ donationis, quàm traditæ poſſeſſionis eſſe evidens argumentum. Porrò ſolemne fuiſſe pias Fundationes diris & execrationibus quibusdam munire, quò eò minùs à poſteris violarentur. Exempla multorum Documentorum evincunt. Et ſic in paginis Teſtamentariis Libertatis Hirſaugienſis factæ ab Adelberto Comite de Calw & ejusdem conjuge Wiltrude Anno C.MLXXV. hæc verba reperiuntur: Si autem id, quod abſit à quolibet illorum, diabolo inſtigante fiet, (nempe à quopiam regum vel poſterorũ ejus ſeu quarumcunq; homine perſonarum teſtamentũ illud ullo ingenio præſumptivè infirmetur vel infringetur) obſecrat Comes idẽ (Adelbertus à Calw) & omninò teſtificatur Apoſtolum Pontificem per Chriſtum, & per Sanctum PETRUM Apoſtolum, & Sanctum AURELIUM Epiſcopum, & per omnes Sanctos DEI, & per tremendi judicii diem, ut illum DEI & Sanctorum ejus contemptorem, & teſtamentariæ hujus conſcriptionis deſtructorem, niſi reſipuerit, tradat omninò Satanæ, & anathemathizet eum, ac profanet à conſortibus & filiis Eccleſiæ Sanctæ Dei, & hæredibus vitæ æternæ: ut auferat Deus memoriam ejus de terra viventium, & deleat nomen ejus de libro vitæ: ut & cum Dathan & Abyron, quos terra aperto ore deglutivit, & vivos infernus abſorbuit, perennem incurrat damnationem: & ut Herodis, Pilati, & Judæ ſocius factus in æternum diſcrucietur: & cum Sodomitis & Gomoritis ignis & ſulphuris imbres hic experiatur: & Heliodori plagas & verbera hic perpetiatur: & Antiochi tormentis, vermibus ſcilicet ſcaturiens, & cum fœtore computreſcens, miſerrimè conteratur: &, niſi reſipiſcat, PETRUM, regni Cœlorum Archiclavigerum, cum ſancto AURELIO, & tota cœleſti militia, portæ paradyſi obſtitorem habeat in æternum: quæ omnia Henricus IV. Imp. confirmavit. Ad quod notæ in Docum. rediviv. Monaſter. Wirtenberg. *part. 1. pag. 538.* & notæ *pag. 19.* addantur ubi, plura exempla, ut & *pag. 540. 544. 721. 784. 793.* recenſentur hujus farinæ. Alia habet Mareſius *in Judicio, & Reſp. Theol. de Canon. Ultraject. cap. 7. pag. 120.* Miræus *in Diplomatibus Belg.* alii.

Num. 44.

(54) *Item in conviviis &c.*] Cum licitis hisce modis per ſe, ſæpe ſæpiúsve illicitum quid concurrere, hîc indicare velle, eſſet fortaſſis operam & oleum perdere. Sub prætextu enim piæ cauſæ emungere cives, aliquibus in locis nunc ſeculum vocatur!

Num. 46.

(55) *Nunquam non pecunia abundè ſuffecerit, &c.*] Multoties tamen exhauſtum ærarium & multa ei remedia quæſita fuiſſe, cuilibet Rei Romanæ perito patet.

(56) *Sexagies ſepties centena, quinquaginta aureorum millia &c.*] Caligula, immenſas opes, totumque illud Tiberii Cæſaris, vicies ac ſepties millies HS. non toto vertente anno abſumpſit, inquit Suetonius *in Caligula cap. 37.* Dio, & in Summæ numero, & in temporis ſpatio, quo hæ opes ſunt abſumptæ, diſſentit: ſcribit enim, ſive potiùs ejus Interpres *ſub initium libri 59.* Vicies ter millies HS. ſive, ut alii tradunt, vicies ſemel millies HS. & CCCXX. inſuper ſeſtertia quum accepiſſet in theſauris Caligula, nullam ejus Summæ partem in tertium annum ſervavit, quin altero ſtatim anno magnâ inopiâ laboravit. Ex quibus apparet diversè tradi ſolitum pecuniarum modum, quas Tiberius corraſas & confiſcatas reliquit.

Num. 47.

(57) *Publicola &c.*] Macrobius *lib. 1. Saturnal. cap. 6.*

(58) *Aurum viceſimarium &c.*] Interpretatur quidem Wilhelm. Gedelevæus *in Annot. in Livii lib. 27.* aurum optimum; notans porrò, hodie aurifices aurum Vaſcularium & uſuale ferè vicenarium dicere, idque authoritate Budæi *lib. 5. de Aſſe.* Quoniam vaſa rarò ex auro puro & molliſſimo fiant, ideò quòd illud aurum uſuram non ferat, atque attrectationem, ſine magno intertrimento. Sed rectiùs & magis ad Hiſtoriæ fidem Bulenger *de vectig. Pop. Rom. cap. 20.* id eſſe putat viceſimam manumiſſionis, quam ii, qui manumitterentur ex lege Manlia, fortunarum ſuarum partem, ærario inferre cogebantur, qua Lege haud parvum vectigal inopi ærario additum fuit. (*Livius lib. 7. cap. 16.*)

(59) *Ad ultimos Reipublicæ caſus &c.*] Ut loquitur Livius *lib. 27. cap. 12.*

(60) *Pondo CCC millia &c.*] Teſte Plinio *lib. 33. cap. 3.* Illud ſi lateres aurei liberales fuerunt, quinquagies centena & octodecim millia florenorum, iſtud quinquagies quater centena millia numerat Freinshemius *de Florum. lib. 4. cap. 2. n. 21.* ubi Florus paucis hunc in modum Cæſaris factum enarrat: Cæſar Ærarium quoque Sanctum, quia tardiùs aperiebant Tribuni, juſſit effringi, cenſumque & patrimonium populi Romani antè rapuit, quàm Imperium. Dio tamen *lib. 42. pag. m. 161.* Plu-

161. Plutarchus *in Cæſare, Operum tom. 1. pag. 725.* ibi: Quum tribunus plebis Metellus argentum depromere ex templo Saturni vetaret ei, ac certas leges allegaret, dixit (*Cæſar*) non idem armorum ac Legum tempus eſſe. Quod ſi hæc, (*inquit*) quæ ago, offendunt te, faceſſe in præſentiâ. Atq; hæc dico de jure meo remittens. Nam & tu & omnes alii, quos ex adverſariis meis cepi, in arbitrio eſtis meo. Sic ad Metellum fatus profectus eſt ad fores ærarii. Nō comparentibus clavibus fabros accivit, rumpi jubens eas. Intercedenti iterum Metello, laudantibusq; eum quibusdam, intentâ voce mortem ei, nî deſiſteret ab importunitate ſuâ, minitatus eſt. Atq; hoc, *inquit*, haud te latet adoleſcens dictu mihi quàm factu eſſe difficilius. Hæc verba effecerunt, ut tum Metellus in præſentiâ metu attonitus abſcederet, tum reliqua facilè expeditè ei ſubminiſtrarentur ad bellum. Idem *in Apophth. tom. 2. pag. 206.* & Scriptores Hiſtoriæ Romanæ, univerſum ab eo ærariū expilatū ſcribunt.

(61) *Laſerpitii pondo &c.*] Idipſum memorat Plinius *libro 19. Natur. Hiſtor. cap. 3.* ubi explicat, quid Laſer, ſive Laſerpitium, quod Græci σίλφιον, dicunt, ſit. Ad quem L. B. relego. Valdè enim hæreo, an Laſerpitii hujusmodi à Cæſare ex ærario ablati præter Plinium alius Hiſtoricorum mentionē injiciat; dubitandúmve ſit, an Laſer (ita Laſerpitii ſuccum vocant) magnificus quamvis in uſu medicamentisq; ſuccus in ærario, præſertim ſi de ſanctiori id intelligamus, unquam aſſervatus fuerit; niſi fortaſſis ob hanc rationem id factum dicamus, quòd ad pondus argentei denarii, Authore eodē Plinio, penſus erat. Laſerem eſſe in penu conſtituitur *in l. 5. ff. de penu legat.* & in *l. ult. §. 7.* inter ſpecies ad vectigal pertinentes recenſetur. Sed hæc Medicis relinquimus. Junge tamen, ſi placet, Martinium *in Lexico Philolog. in vocabulo Laſer.*

Num. 48.

(62) *Tertium, quo pecunia belli Gallici cauſa &c.*] Videtur hoc ærarium non ſeparatum aliquod, ſed idem cum ſecundo fuiſſe. Idque vel inde patet, quod de Cæſare Appianus *lib. 2. de bel. civil.* ſcriptum reliquit: Poſt hæc, *inquiens*, effregit ærarium, (*Cæſar*) tribuno plebis Metello obſtanti mortem minatus, nî deſiſteret, pecuniasq; ad id temporis intactas abſtulit: quas ferunt per Gallicos tumultus depoſitas cum execratione publica, in caput cujuscunque contrectare auſi, niſi cauſa belli Gallici. Ajebat enim religione ſolutam Rempublicā, perdomitis à ſe Gallis, ut nihil inde ſit periculi.

Num. 49.

(63) *Ab Auguſto ſingulariter additum &c.*] De hujus Militaris ærarii atque viceſimæ hæreditatis inſtitutione, haud dividiæ ſit hîc legere, quæ Dio *lib. 55. p. 565.* habet: M. Æmilio, deinde Lepido, (*dicit*) L. Arruntio COSS. quum nullus reditus excogitari poſſet, quem omnes probarent, omnesque enim quæri indignarentur, Auguſtus pro ſe & Tiberio pecuniam in ærarium, cui *Militaris* nomē indidit, intulit; ejusque adminiſtrationem prætoriis tribus ſorte lectis ad triennium mandavit, qui binis lictoribus, ac miniſtris aliis, quos conveniebat, uterentur. Id per ſucceſſionem aliorū in multos annos productum, nunc ab Imperatore eliguntur, & lictores non habent. Itaq; illata pecunia ab ipſo, & interpoſito promiſſo, id ſe quotannis facturum; à regibus etiam & populis promiſſa ſunt quædā. Nam à privatis, quamvis multi ſe libenter collaturos eò pecuniam dicerent, nihil omninò accepit. Verùm quum hæc pecunia ſumptuum magnitudinem minimâ parte attingeret & pereñi copiâ eſſet opus: Senatoribus negotium dedit, ut pro ſe quisque aliquam rationem inveniret, eamq; in libello conſcriptam ipſi traderet expendendam. Id non eò fiebat, quòd ipſe nihil reperiret, ſed ut eis perſuaderet, quò hanc maximè viam, quam ipſe probabat, ſequendam ducerent. Certè multis variè propoſitis, nulla earum probata; inſtituit, ut viceſima pars hæreditatum ac legatorū, exceptis iis, quæ maximè genere junctis, ac pauperibus, morte aliorum relinquebantur, in ærarium militare inferrentur; quaſi ſcriptum in Cæſaris Comentariis id penſionis genus reperiſſet. Fuerat enim jam antè eriā ejus rei mentio illata, ſed omiſſa rurſum, tunc relata eſt. Ita auctis reditibus, tres ex Conſularibus viros Auguſtus, quibus ſors id officii obtuliſſet, ad ſumptus partim contrahendos, partim tollendos, adhibuit. *Hæc ille.* Quomodo verò & quo aſtu contra Subjectorum murmura uſum viceſimæ pendere nolentium retinuerit, Dio *l. 56. p. 588.* indicat. Meminit quoq; inſtituti ab Auguſto ærarii militaris novorumq; vectigalium Sueton. *in vitâ ejus c. 49.* Quam verò moderationem in exactione hujus viceſimæ non ſemel adhibuerit Succeſſor ipſius Tiberius, monſtrat Tacit. *2. Annal. 48.* & inter alia, neque hæreditatem cujusquā adiiſſe, niſi cùm amicitia meruiſſet, ignotos, & alios infenſos, eòque principem nuncupantes procul arcuiſſe, vult.

Num. 50.

(64) *Ut hanc viceſimam tolleret &c.*] Errat hoc loco Author, ut ex Taciti verbis, ea de re *1. Ann. 78. n. 2.* loquentis, conſtare arbitror: Centeſimam rerum venalium poſt bella civilia inſtitutam deprecante populo, edixit Tiberius militare ærarium eo ſubſidio niti: ſimul imparem oneri Rempublicam niſi viceſimo militiæ anno dimitterentur.

Num. 51.

(65) *Centeſima &c.*] Centeſimam rerum venalium & auctionum dixêre Romani, quòd centeſima pars pretii promercalium rerum, de centum numis unus, inferretur ærario, Gronovius *lib. 3. de Seſtertiis cap. 13.* Plura vide apud Bulenger. *de vect. pop. Rom. c. 25.* ubi ex Suetonio *c. 16.* adducit: Caligulam hanc Centeſimam (pro qua in nonnullis Exemplaribus, annotante Cauſabono ad hunc locum Ducenteſimam ſed ἀνιστορήτως legitur) auctionum Italiæ remiſiſſe.

Num. 52.

(66) *Seditionis mater eſt &c.*] De hoc conſulatur Schoockius *de Seditionibus c. 41.* ubi ex profeſſo hunc locum tractat.

(67) *Ædem Saturni &c.*] Intelligendum id videtur de æde Saturni (*quæ fortaſſis eſt ea ipſa, quam Tatius primùm extruxit, ut tradit Dionyſius Halicarnas. Antiq. Rom. lib. 2. c. 52. ſive Titus Largius, ſive Tarquinius Superbus fundavit, ut idem alibi Dionyſius lib. 6. c. 1. ſcribit*) in Clivo quo è foro in Capitolium aſcenditur, (quod etiam Klockius ſentit) dedicata, Anno U. C. CCLVII. Olymp. LXXI. A. Sempronio, M. Minucio Coſs. Liv. *lib. 2. cap. 21.* (*Vide Roſinum Antiq. Rom. lib. 2. c. 4. Pancirolum de quatuordecim Region. Urbis Romæ*) Nonnulli hodie quoddam templum S. Salvatoris cognomento in Statera ſive in ærario (*Schraderus lib. 1. Monument. Ital.*) quod templo S. Mariæ cognomento in Porticu vicinum eſt, olim Saturni ædem fuiſſe autumant, hunc Sancto Homobono (*de quo Zeiller* im Hiſtoriſchen Anzeiger vieler heiligen Leute) Patrono Sartorum

torum Romanorum, (ſic aurum in linum lanamq; degeneravit!)Sacra. Teſte Alberto Reimero in abgebildetem neuen Rom/*pag. 251. ſeq.* qui aliud quoque templū olim Saturno,nunc S.Adriano dedicatū, in abgebildetem alten Rom/*p.252.*exhibet, & opinatur,ærarium primū in Capitolino templo, poſtea verò in illo altero conditum fuiſſe;ubi vide, & præterea Alexandrum Donatum *in Roma lib. 2.cap.14.* adde.

(68) *Præruptus & ab acceſſu munitus &c.*] Plutarchus *in Quæſt. Rom. tom. 2. Operum pag.275.* ubi aliam quoque rationem adfert.

(69) *Nemis &c.*] Hauſit hæc Klockius ex Petro Gregorio Tholoſ. *lib.3.c.3.n.4.* qui ipſe tamen dicta nullius Scriptoris antiquioris Authoritate probat.

Num. 53.

(70) *Apud Athenienſes &c.*] De ærarii cuſtodibus apud Athenienſes multa collegit Ubbo Emmius *de Græcorum Rebuspubl. pag.79. ſeqq.* ut & Guilielmus Poſtellus *de Republ. Atheniens. cap.29.*

(71) *Brenno &c.*] De Vindicta tamen Apollinis in hunc Brennum, Gallorum Ducem, Delphicum templum ſpoliare conantem, tandem ſibi ipſi manus inferentem, cumque exercitu internecioni datum, tractat Juſtinus *lib.24.c. 8.* ubi eleganter ejus rei ſeriem enarrat. Valer. Maxim. *lib.1.c.1.n.18.* De reliquiis ejus Polybius *lib.4.c.46.* & *lib. 9.cap. 24.* Propertius *lib.3.* ſic canens:

Torrida ſacrilegum teſtantur limina Brennum,
Dum petit intonſi Pythia regna Dei.
At mons laurigero conceſſus vertice duras
Gallica Parnaſſi ſparſit in arma nives.

Pauſanias *in Phocicis pag. m. 410. ſeqq.* Herodotus *lib. 8. cap. 36. ſeqq.* Iram Apollinis Delphici in violatores ſui theſauri, exprimens & graphicè deſcribens. Demū Brunnerus Annal. Bojor *lib.1. pag. 107.* benè monet, Brennum hunc diverſum ab illo fuiſſe, qui Romam cœpit, cùm centum non minùs an nis hic à primo abfuerit. &c.

(72) *Dionyſio &c.*] Syracuſis Dionyſius genitus, inquit Valerius Max. *lib.1.cap.1.exter.exempl.3.* tot Sacrilegia ſua, quot jam recognoſcimus, jocoſis dictis proſequi voluptatis loco duxit: Fano enim Proſerpinæ ſpoliato Locris, cùm per altum ſecundo vento claſſe veheretur, ridēs amicis, videtisne, ait, quàm bona navigatio ab ipſis Diis im̄ortalibus ſacrilegis tribuatur? Detracto etiam Jovi Olympio magni ponderis aureo amiculo, quo eum Tyrannus Hiero è manubiis Carthaginenſium ornaverat, injectoq; ei laneo pallio, dixit; æſtate grave amiculum eſſe, hyeme frigidum: laneum autem ad utrumq; tempus anni aptius. Idem Epidauri Æſculapio barbam auream demi juſſit: quòd affirmaret, non convenire Patrem Apollinem imberbem, ipſum barbatū conſpici. Idem menſas argenteas atque aureas è fanis ſuſtulit: quodq; in his more Græciæ ſcriptum erat, bonorum Deorum eas eſſe, uti ſe bonitate eorum prædicavit. Idem victorias aureas, pateras & coronas, quæ ſimulacrorum porrectis manibus ſuſtinebantur, tollebat, & eas ſe accipere, non auferre, dicebat: perquam ſtultum eſſe argumentando, à quibus bona precamur, ab his porrigentibus nolle ſumere. Qui tametſi debita ſupplicia nō exſolvit, dedecore tamen filii mortuus pœnas rependit, quas vivus effugerat. Lento enim gradu ad vindictam ſui divina procedit ira: tarditatemque ſupplicii gravitate compenſat.

(73) *Diagorâ &c.*] Philoſophus Athenienſis hic fuit, ſive, ut alii, Mileſius, ἄθε@ vulgò dict9, eò quòd Deos eſſe nō tantùm omninò negaret, atq; myſteria contemneret, ſed etiam ea ſectantes averteret. Quare ab Athenienſibus pulſus eſt, qui talentum polliciti ſunt, qui eum interfeciſſent. Meminit ejus quoq; Cicero *lib.1. de natura Deorum. p.24.* & *lib.3. pag.78.* ubi exempla ejus rei depromit.

(74) *Minyæ &c.*] Author eſt Herodotus *lib. 4. cap. 145. & 145.* hanc gentem à Pelasgis ejectā Lacedæmonem conceſſiſſe, eam Lacedæmones recepiſſe, & agris impertiviſſe & in tribus cooptaſſe; ſed cū Minyæ non longè deinde interjecto tempore elati ſuperbiâ, cùm alia flagitioſa perpetraſſent, tum regnum affectaſſent; eo nomine eos Lacedæmonios morte multandos cenſuiſſe, cùmque in illos eſſent animadverſuri, exoratos fuiſſe ab eorum uxoribus (quæ cives erant & primorum Spartanorum filiæ) veniam ingrediendi carcerem & cum ſuo quisq; viro colloquendi, nullum in illis dolū eſſe ſuſpicantes; Horum permiſſu, Minyarum Uxores ingreſſas carcerem omni veſte, quam geſtabant, viris traditâ, illorum veſtem illas ſumpſiſſe; Ita Minyas muliebri veſte amictos, veluti mulieres è carcere prodiiſſe, rurſusq; apud Taygetem conſediſſe. Strabo verò *Geograph. lib. 8.* perhibet, Minyas Lacedæmone ſeſe in Triphyliam recipientes, circa Arenā oppidū domicilia conſtruxiſſe &c.

(75.) *Rhampſinitum &c.*] Vide ſuprà *c. 1. n. 29.* & Herodotum ipſum *lib. 2. c. 121.* atque audacia furtum in Rhampſiniti theſauris commiſſum obtegendi conſilia admiraberis Lector.

(76) *Græci commune ærarium in Delo &c.*] Authore Lælio Zecchο *de Principe lib. 2. cap. 3.*

(77) *Lacedæmonii autem &c.*] Vide ſuprà ex Ubbone Emmio notata *ad cap. 1. n. 77.*

Num. 54.

(78) *Senioribus Senatûs tantùm &c.*] Sic hodiè in noſtra Republica primariam ærarii Curā commiſſam eſſe Duobus Senatoribus in ordine Primis, qui exinde quoq;, die Herren Loſungner vocantur, notiùs noſtratibus, imò etiam exteris eſt, quàm quod eſt notiſſimum.

CAPUT III.

De Romæ veteris & novæ Ærario.

SUMMARIA.

1. Collectio tributorum *Romæ ex mercibus invectis, evectis, ex agris publicis, collationibus civium & ſociorum, atq; ex ſpoliis.*
2. Portorium *de invectis & evectis.*
3. Elocatio agrorum *Romanenſium*: agri Romani *ab Romulo in tres partes diviſi.* num. 4.
5. Cives ærario *conſulebant ſuâ liberalitate.*
6. *Quòd ſi* cives *eſſent in hoc remiſſiores, excitabantur* voluntariâ collatione *Senatus & Patriciorum.* num. 7.
8. *Privati quidam ſubinde de ſuo* ærario *conſulebant.*
9. Tributa *imperabantur quoque devictis, & ſociis.*
10. *Lucani Poëtica* ærarii *Romani deſcriptio. Hoc Cæſar, uti & ſanctius ærarium, ſpoliavit, & novum millitare ærarium conſtituit.*

11. Uni-

11. *Unius* Imperatoris (*Pauli Æmilii*) præda *finem attulit Contributionibus*. *Et de aliis* num. 12.

13. *Quanta varii* Imperatores *ex hoſtibus in ærarium intulerint*, & num. 14.

15. Romanorum *conſuetudo in augendo* ærario, *revocanda in uſum noſtri ævi*, num. 16.

17. *Quantum ex* præda *uſurpandum* Duci belli.

18. Ærarium militare *cum novis Vectigalibus ab* Auguſto *conſtitutum*.

19. Vectigalia provinciarum *emi ſolita ab certis Perſonis*.

20. *Hi primitus* Publicani *dicti titulo non indecoro; at poſtmodum odioſi eſſe cœperunt*.

21. *Quantum Romani ex* metalli fodinis.

22. *Pecuniæ ſic collectæ, præficiebantur* Quæſtores.

23. Quæſturæ *prima inſtitutio*. Ærarii Saturni *inventio*. num. 24.

25. Quæſtorum *munus & officium deſcribitur*.

26. Quæſtor Palatii *ſub Conſtantino cœpit; Talis hoc tempore videtur dignitas* Cancellarii. num. 27.

28. Quæſtores ærarii, *Præfecti ærarii, Triumviri monetales, ſunt inter ſe diſtincti. Eorum officium*. num. 29.

30. *Ex* monetæ *rectitudine æſtimatur rectè Principum juſtitia*.

31. Quæſtorum *Officium ſub Julio Cæſare duobus ædilibus demandatum: tum Prætoribus*. num. 32.

33. *Novæ Romæ dixit SIXTUS IV. nunquam defore pecunias, dum manus & calamus non deſint*.

34. *Exempla hujus rei in JOANNE XXII. & SIXTO V. Pontif.*

35. Ærarium *& proventus Pontif. in quo ſita ſint*, num. 36.

37. Annatæ *beneficiorum & redemptiones bullarum non Papæ, ſed Officialibus cedunt*.

38. *Commodum* Pontificis ex Cardinalium *creatione & conceſſis gratiis papalibus*.

39. *Quantum ab exactis* (ſpogli vocant) *Papa collegerit*.

40. Vectigalia *Romæ elocata. Salinæ Romanæ elocatæ. Pro frumenti molitione, quantum ex his ſingulis conficiatur*. Impoſitio quadrantis *in libra carnium. Impoſitio pro amphora*, num. 41. 42. 43. 44.

45. Impoſitio *quadrantis in libra carnis quomodo elocetur*.

46. Præpoſitura veredorum *elocata*.

47. Mons aluminis *elocatus, quantum det*.

48. Quarta Fratrum *regularium quid det*.

49. Subſidium triennale Marchiæ *quò exſurgat*.

50. Subſidium triennale Romaniæ *quantum importet*.

51. Subſidium triennale Umbriæ.

52. Subſidium *triennale Campaniæ, Maritimæ, Latii & Sabinæ, quantum importet*.

53. Taxa di Cavalli *morti, ut vocant*.

54. Taxa *eadem patrimonii*.

55. *Eadem* Taxa *Romaniæ quò aſcendat*.

56. Tivolum *ſeu Tibur quantum det cenſum*.

57. Augmentum *ſtudii Triennalis Marchiæ*.

58. Augmentum *Porvinciæ Romaniæ*.

59. *Diverſæ* quæſturæ Marchiæ, *Romaniæ. Quæſtura patrimonii. Quæſtura Camerini. Quæſtura Peruſiæ. Quæſtura Aſculi. Quæſtura Campaniæ. Quæſtura Noricæ, Quæſtura Caſſiæ Quæſtura Beneventi*, num. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69.

70. Vectigal *Spoleti. Vectigal Anconæ*, n. 71.

72. Vectigal *Ancaragi & Civitatis novæ*.

73. Vectigal *Biedæ & ſimilia à numero & ultra*.

74. *Theſaurus quantus in arce Sanct-Angelicanâ*.

75. *Ultra decies octies centena millia coronatorum percipit Papa annuè*.

76. *Videtur hinc annuè modicum Papæ ſupereſſe*.

77. *Itaque novæ ſemper exactiones excogitandæ*.

78. *Si hæc* Princeps *ſæcularis obtineret, vix eſſet alicui comparandus, plerisq; futurus ſuperior*.

79. *At* Pontifices *vix ullam curam ſuſceperunt conſervandi ſua, ne dicam ampliandi*.

Quæ ſeptem ſeſe jactavit collibus olim
Roma, vetus cenſu divite fœta fuit.
Sis vix umbra licet veteris, NOVA ROMA, redundas
Ipſa tamen variis, magnificisque bonis.

NOn agam hìc *de* Decumis, (1) *Quintis*, (2) *Scriptura*, (3) *Auro Coronario*, (4) *Capitatione*, (5) aliisque Tributorum ac Vectigalium Romanorum generibus, in meo tractatu de Contributionibus *c. 1.* affatim per- 1
quiſitis; ſed brevibus duntaxat exponam modum collecti in univerſum Tributi, & rei numariæ rationem. Colligebatur pecunia publica inprimis ex mercium invectione vel evectione, ex agris publicis, ex collatio- 2
nibus civium vel ſociorum, denique ex hoſtium ſpoliis aut manubiis. De rebus, quæ invehebantur, *Portorium* (6) ſolebat pendi, quod in tantâ hominum & commerciorum frequentiâ valdè ditavit ærarium: item *viceſima* (7) hæreditatum, quam inſtituit Auguſtus.

Agrum cultum adſignare Romani colonis ſuis, incultum verò vel bello ſubactū 3
paſcuaque publica omnibus civibus æquè communiter tuendæ & conſervandæ Reip. causâ *ſub conditione vectigalis* (8) aut canonis elocare conſueverunt. Sic enim fiebat, ut & alienâ operâ ſine ſumptu Reipublicæ terra cultior redderetur, & ex eorum canone ſive penſionibus pecuniæ in ærarium cogerentur. *Romulus agrum Romanum* (9) in tres partes diviſit; quarum unam ſacris facien- 4
dis; ſecundā Reipublicę oneribus ſubeundis; poſtremam civibus æqualiter adſignavit; Hippol. à Collib. *de incremento Urbium cap.* 20. Lipſ *lib. 2. de magnitud. Rom. c. 1.* Fulv. 5
Pacian. *de vero juſtoq; Principe cap. 3. fol. mihi* 57. Si ærarium eſſet bellis exinanitum, liberali Collatione cives ejus lacunam conſolidabant. Cùm enim ſatis ſcirent, ſine nervo rerum gerendarum, pecuniâ, non facilè retineri poſſe Imperium; & ut ſalvâ navi, ſalvæ quoq; vectorum res, ita incolumi Repub. res quo-

quoque privatorum valere, æquo animo
6 parte aliquâ ſuorum fructuum publicam difficultatem ſublevare non detrectabant. Si verò torpore viderent civium manus ad Contributionem neceſſariam, Senatus & Patricii voluntariâ collatione & certamine adjuvandę Reipub. excitabant plebis animos ad æmulandum. Ita factum poſt Syracuſas à Marcello captas; cùm ageretur de remigum *ſupplemento*, (10) edixerunt Conſules, ut privati ex cenſu ordinibusque, ſicut antea, remiges darent cum ſtipendio, cibariisque dierum triginta. Quod cùm initio nonnihil recuſarent, inopiæ excuſatione utentes; tan-
7 dem *Lævino Conſ.* (11) authore, Principes Civitatis & patritii in medium contulerunt. Senatu inde miſſo, pro ſe quisque aurum, argentum, & æs in publicum contulerunt: tanto certamine injecto, ut prima inter primos nomina ſua vellent in publicis tabulis eſſe, ut nec Triumviri accipiendo, nec Scribæ referendo ſufficerent, ut videre eſt apud Livium *lib. 26. cap. 35. & 36.* & Florum *l. 2. c. 6. n. 24. 25.*

8 Sed & plebe ad Tributum non ſufficiente, evacuatoque ærario interdum privati quidam ditiores de ſuo conferebant, ut ſic inopia rei pecuniariæ, duriſſimus in Republica nodus tolleretur. Illis verò, quod extra ordinem contulerant, cum aliquot penſionibus poſt bellum confectum reddebatur; aut ſi in pecunia omne debitum tàm citò refundi non poſſet, ſolebat illis pars agri publici in antichriſin aſſignari & oppignorari, donec ſolvere poſſet Reſpublica, ut referunt Polybius *libro primo*, Titus Livius *hiſtoriarum Romanarum libro vigeſimo nono, & trigeſimo tertio.*

Ex tributis, quæ devictis & ſociis im-
9 perabant, magnam etiam pecuniæ vim colligebant. Illa tamen recens victis onera deprecantibus, vel bene meritis de Republica Civitatibus aliquâ inſigni calamitate preſſis, relaxabant. Totum ferè ærarium Romanum ex ſpoliis hoſtium conflat Lucanus *libro 3. Pharſal.* quando ejus divitias ita deſcribit:

— — — — *Tunc conditus imo*
Eruitur templo multis intactus ab annis
10 *Romani Cenſus populi, quem Punica bella,*
Quem dederat Perſes, quem victi præda Philippi:
Quod tibi, Roma, fugâ Pyrrhus trepidante reliquit,
Quo te Fabritius Regi non vendidit auro,
Quicquid parcorum mores ſervaſtis avorum,
Quod dites Aſiæ populi miſêre tributum,
Victoriq; dedit Minoia Creta Metello.
Quod Cato longinqua vexit ſuper æquora Cypro.
Tunc Orientis opes, captorumq; ultima Regum
Quæ Pompejanis prælata eſt Gaza triumphis
Egeritur; triſti ſpoliantur templa ruinâ;

Ærarium hoc opulentiſſimum Cæſar ſpoliavit. Sed nec ſanctiori ærario pepercit, cùm pecuniâ egeret, & ſumma pericula inſtare non ignoraret; ſupererat enim *Hiſpania*, (12) Pharſalica, Africana pugna, & ultima ad Mündam prælia.

Inferebant autem ſpolia hæc in Ærarium Imperatores, cùm Triumphum in urbe ducerent, ſicut Paulus Æmilius ex Macedonum gazâ tantum in ærarium pecuniæ
invexit, teſte Cicerone *lib. 2. de Officiis*, ut 11
unius Imperatoris præda *finem attulerit tributorum.* (13) Livius *libro 45. cap. 40.* auri aurgentique translati ſummam extulit, H.S. millies ducenties. Majorem Velleius *libro 1. cap. 9. n. 6.* bis millies centies H. S. Majorem etiam Plinius *libro 33. cap. 3.* Intulit & Æmilius Paulus, inquiens, Perſeo Rege Mace-
doniæ devicto, prædam pondo trium mil- 12
lium, (Budæus tamen legendum arbitratur Seſtertiûm ter millies;) à quo tempore Populus Romanus tributum pendere deſiit. Aſia devictâ, ex Cypro Cato quingenta millia Talentorum reportavit. *Florus* (14) *libro 3. cap. 9. n. 5.* Valerius Maximus *libro octavo, capite 15. n. 10.* Plinius *libro 33. cap. 3.* L. Furius Prætor de Gallis triumphans, trecenta viginti millia æris, argenti CLXX. millia pondo in ærarium tulit. Liv. *lib. 31. cap. 49.* Appius Claudius de Celtiberis ovans in ærarium decem millia pondo argenti, & quin-
que millia auri intulit. Livius *libr. 41. cap. 28.* 13
C. Cæſaris auri ſignati & cęlati ſumma, quam *in ſuis triumphis* (15) in ærarium intulit, quadraginta & unum milliones valore æquavit. Suma pecuniæ *à Pompejo illatæ ad centies* (16)
& vicies centena millia aureorum æſtimata. 14
Unde apud Lucanum *lib. 9.* à Catone laudatur, qui

— — — *Plura retentis*
Intulit — — —

Ex quo Lucani carmine porrò liqueſcit, Imperatores Romanos prædam modicè delibaſſe; licet priſcis Romanis prædam militibus dare ambitioſum viſum fuerit; uti Sextus, Tarquinii Superbi (qui & ipſe popularium animos prædâ delinire ſatagebat, Livius *libr. 1.*) filius, ſed Gabiis profugus, prædam militi dilargitus dicitur ut eo modo potentiam ſibi conciliaret, Livius *d. lib. 1. c. 54.* Appius Claudius in Senatu ſimilem *largitionem arguit*, (17) ut novam, prodigam, inæqualem, inconſultam, ſcilicet ſtipendiorum ratione dividi prædam Appius volebat; ſi illud obtinere non poſſet, ut pecunia inde redacta in ærarium deferretur. Liv. *lib. 5. cap. 20.*

Prædictum Romanorum veterum in-
ſtitutum ſi hodie in uſum revocaretur, alen- 15
dis contra Turcam expeditionibus, paratius ærarium, minusq; onerum in Contributionibus

nibus eſſe poſſet, Sturm. *de adminiſt .bell. Turcic.* Bone Deus, quæ fides & ſolertia Roma-
16 norum ? nunquam atis laudata, & omnimodâ laude, imitatione & æviternâ materiâ digna. Noſtro tempore nullus furor adigeret Duces ad ærarii ſublevationem, modò illis ſuperſit: Dividunt prædas prætextu ſtipendiorum, aut meritorum: quin & absque temperamento rationis, militi direptionem concedunt; quæ tamen non niſi populatione, aut poſt prælium oppidíve expugnationem indulgeri haud facilè debet.

Quin & hodie Principes bello dediti, deditâ operâ idipſum ferè agere videntur, ut ſubditi *ad deſolationem* (18) usque rapinis & militum flagitiis intereant. Culpa vix caret, qui non prohibet, cùm prohibere poteſt. Militiam ita formari, ut quisque militum ſtipendium ferat, & rapinæ cohiberi poſſint, ipſi impediunt; unde neceſſariò ſuas ipſis Ditiones funditùs exinaniri, & jam vaſtatis regionibus exercitus, ut fit, indies diffluere, neceſſarium omninò eſt hujus conſilii conſequens. Unde rapinæ & populationes, niſi à confuſiſſima ordinatione copiarum? quæ ſine juſtis ſtipendiis, ſine omni ordine cum internecione provinciarum coguntur, & ubi primùm coiviſſe crederes, jam rurſus diffluxiſſe videas.

Sed ad Romanos redeamus: è quibus laudatiores illi, qui jus ſuum remittentes, nihil de præda cœperunt, qualis Fabricius *apud Halicarnaſſæum* (19) etiam juſtas partas divitias præ gloriâ contemnens; quod ipſe ſe facere ajebat, *Valerii Publicolæ* (20) & aliorum paucorum exemplo: quos M. Porcius Cato imitatus eſt in Hiſpanienſi victoriâ, ne-
17 gans quicquam ad ſe perveniſſe è bello captis, præter ea, quæ in cibo & potu inſumpſiſſet, addens tamen, non à ſe culpari Imperatores, qui conceſſas utilitates ſumerent, ſed malle ſe de virtute cum optimis, quàm *pecuniâ cum divitibus* (21) certare.

18 Augustus (22) quoque, authore Suetonio c. 99. ſeorſum Ærarium militare cum vectigalibus novis prudentiſſimè conſtituit. Nam cæteræ expenſæ in magiſtratus, in opera, in munera, ordinariæ erant & perpetuæ: Bellum magnos, ſubitos, incertos ſumptus poſtulat, atque, ut erat latè patens imperium, diverſis in partibus eodem tempore bellum gerebatur. Hoc ærarium primò conſtabat collatione viceſimarum, quæ ex legatis & hæreditatibus dabantur, niſi ſanguine juncti eſſent, aut pauperes: Addita viceſima quinta mancipiorum, quod magnum erat inter tot myriades venalitiorum, & crebra mutatione, & pretio; quæ optimè conſiderat Lipſius *libr. 2. de magnitud. Roman.* addita his centeſima venalium.

Verùm & hoc moris erat, ut Vectigalia Provinciarum redimerent *Publicani*, (23) & quidem Equeſtris Ordinis, quos ad quæ-
ſtum indecorum minùs fore propenſos credebant. Et ſanè, quamdiu ſe regionibus of- 19
ficii continebant, in non vili pretio & honore erant. Poſtmodum, cùm iniquas exactiones exercerent, odioſum eorum nomen eſ- 20
ſe cœpit. *Unde & Leges* (24) illis datæ, quæ coërcerent eorum cupidines & avaritiam; ne pauperes tandem ita excarnificarent, ut ſimul viris & viribus Reſpublica deſtitueretur.

Unde & hoc poſtremò Subditis conceſſum eſt à Magiſtratu, *ut Cenſiti* (25) à Cenſoribus vel Exactoribus Tributorum, Catalogum bonorum cenſualium licitè exigere poſſent, ut ſic ratio Exactionum Magiſtratui poſſet exhiberi, ſi fortè præter æqualitatem & modum lege præſcriptum cenſerentur, ut notat Ulpianus *in l. forma. ff. de cenſib.*

Ex metalli quoque fodinis (26) magnam 21
rem faciebant Romani. Harum proventus cùm magis magisque creſceret, tandem ſocietas fodinarum inita, eoque nomine Vectigal penſitatum eſt, ut colligere licet *ex l. 1. ff. quod cujusq; Univerſit. nomine.*

Pecuniæ ſic ex publicis reditibus colle- 22
ctæ præerant Quæſtores ordine primi, dignitate ultimi inter Magiſtratus Romanos; dicti à quærendo, quòd publicas pecunias conquirebant & reponebant. Origo Quæſturæ vetuſtiſſima eſt, & ad Tullium Hoſtilium Regem Romanum refertur, authore Ulpiano *in Libro ſingulari de officio Quæſtoris,* 23
Digeſtorum libro primo, titulo decimo tertio. Gracchanus autem quiſpiam *in libro de Poteſtatibus,* ipſum etiam Romulum & Numam binos habuiſſe Quæſtores, quos non ſuâ voce, ſed populi ſuffragio creatos, ſcriptum reliquit Plutarchus, *in vita Publicolæ Tom. 1. Operum pag. 109.* exactis demum Regibus, à Valerio Publicolâ Conſule Quæſtores duos creatos, & ærarium Saturni inſtitutum nar- 24
rat. Tacitus priorum ſententiæ accedere videtur, *(11. Annalium l. 22. n. 4. ſeqq.)* Egregiè Juſtus Lipſius *de Magiſtratib. Populi Romani,*
capite decimo ſexto. Janus Guilielmus *de Magiſtratibus Populi Romani titulo duodecimo.* 25
(27)

Quæſtores hi Ærarium curabant, ejusque pecunias, expenſas & acceptas in tabulas publicas referebant; tributa exigebant; ſigna militaria (ex argento & auro, non enim velis utebantur) in Ærario obſervabant, ex eodem promebant; Stipendium à vectigalibus populis, captivam pecuniam ab Imperatoribus accipiebant; eosdem triumphaturos jurare cogebant, rectè Senatui de numero hoſtium occiſorum & amiſſorum civium eſſe perſcriptū; Cæſarum temporibus, literas quoque publicè ſcriptas in Senatu legebant; inde Candidati Principis appellabantur. In Provinciis, Conſulibus & Prætoribus ad miniſteria belli præſto erant; pecuniam ex ærario ſibi numeratam in diverſos uſus erogabant; prædam cuſtodiebant; ma-

 nubias-

nubiasque ex ejus venditione redactas ærario inferebant. Ab hisce origo Quæſtoris Palatii, qui ſub Conſtantino cœpit, quæ deinceps magna dignitas, cuique datum, leges & decreta condere, petitionibus ſubſcribere, 26 reſponſa reddere; & omnino juris quidam & legum cuſtos ac præſes fuit, quod nomen hodie in Cancellarium mutatum ſentit Lipſius *d. loc.*

27 Præter Quæſtores erant *Præfecti Ærarii*, (28) item *Triumviri Monetales* (29) & Menſarii, qui curabant ut, moneta rectè cuderetur, ut ex probâ materiâ, juſto pondere, & valore certo conſtaret. Itaque æris, ar- 28 genti, auri *flatores* (30) à Pomponio Jurisconſulto *in l. 2. §. 30. ff. de orig. jur.* nominantur. In anguſtiis Ærarii pecuniam mutuam à privatis accipiebant, poſteaque reddebant, rationes accepti in tabulas publicas Scribæ 29 referebant. Idem curabant, ne raderetur, ſepararetur, aliόve modo vitiaretur pecunia. Quod & poſtea *Lex Cornelia*, (31) aliæque ſeriò interdixerunt. Certè Rex Inſulæ *Taprobanes* (32) cum Romanis olim inivit ſocietatem vel ideo, quòd ex monetæ æqualitate & rectitudine æſtimabat Romanorum justi- 30 tiam; Plinius *lib. 6. cap. 22.* Annii Plocami, qui maris rubri vectigal à fiſco redemerat, libertus circa Arabiam navigans, Aquilonibus raptus præter Carmaniam decimo quinto die Hippuros portum ejus invectus, hoſpitali Regis clementiâ ſex menſium tempore imbutus alloquio, percontanti poſteà enarravit Romanos & Cæſarem. Mirum in modum inauditis juſtitiam ille ſuſpexit, quòd pares pondere denarii eſſent in captiva pecunia cùm diverſæ imagines indicarent à pluribus factos. Et hoc maximè ſolicitatus ad amicitiam, legatos quatuor miſit, principe eorum Rachia.

Illud verò, quod de Ærarii Præfectis & Quæſtoribus diximus & adduximus, ſub C. Julio Cæſare immutatum, & ærarii cura duobus Ædilibus commiſſa eſt. Auguſtus prætorios viros ſubſtituit; Dio *lib. 43. pag. 236. ſeqq.* Auctor enim ille fuit, referente Sueton. *cap. 36.* ut cura ærarii à Quæſtoribus Urbanis ad Prætorios Prætoresque tranſiret. Quod comprobat etiam Tacit. 13. *Annal. cap. 28. n. 6.* Claudius Imp. Quæſtores rursũ impo- 32 ſuit, Sueton. in Claudio *cap. 24.* iisque, ne metu offenſionum ſegniùs conſulerent, extra ordinem honores permiſit, Tacitus *13. Annal. 29. n. 2.* nempe *Præturas*, (33) Dion. *in Claud. lib. 60.* Nero hoc imutans præfectos reduxit, quos è prætura perfunctis elegit. Tac. *13. Ann. 29. n. 3.* Horũ in jure frequens mentio, v. g. *in l. 12. ff. de his, quæ ut indig. l. 2. §. 4. ff. ne quid in loco publ. l. 42. ff. de Jure Fiſci, cũ ſimilibus.* Año M. 3947. Sulpitius Quirinius miſſus fuit in Syriam cum duplici poteſtate, regendæ provinciæ, & cenſus agendi; Joſeph. *libr. 18. antiq. in princip.* Imperium verò demandatum Quirinio fuit ordinarium: negotium agendi cenſus fuit extra ordinem, & ultra conſuetum munus Præſidum. Hinc Joſepho appellatur *præſes, & cenſitor bonorum.* Sed hæc de Romanorum veterum Ærario & Civilibus inſtitutis dicta ſufficiant.

De Nova Roma, (quam peſſi- 33
mum optimi vini veteris acetum indigitat Jul. Cæſ. Scaliger.) & Pontifice olim *Xyſtus IV.* (34) dixit, & adhuc proverbio uſurpatur, *ei nunquam defuturos numos, dum manus ipſi erunt & Calamus:* Tria ferè ſecula præterierunt, cùm *Johannes* (35) hujus nominis XXII. Lugduni Anno ætatis XC. Pontifex creatus, ſpacio octo & decem annorum, quos ſupervixit, vigeſies quinquies centena aureorum millia coacervavit. Moriens
Callistus *III.* (36) Pontifex centum & 34
quindecim millia numorum aureorum reliquit, quos in uſus bellicos contra Turcam comparaverat. Paulus *II.* (37) numiſmata penè infinita ex auro, argento, ære ſuâ imagine ſignata, ſine ullo ſenatusconſulto in fundamentis ædificiorum ſuorum, more veterum collocavit: veteres potiùs hac in re, quàm *Petrum*, (38) Linum & Cletum imitatus. *Sixtus V.* (39) præterquam quòd ingentia exſtruxit ædificia, triremes, magnasque ſubſtructionum moles, aquæductus, fontes, pyramides, palatia, templa erexit & exornavit, *immenſos collegit theſauros*, (40) quinque aureorum millionibus Ærario illatis, ipſos annos, quibus in Pontificiâ ſede vixit, exæquavit. Magnum enim emolumentum percepit è permiſſione Capitulorum & *diſpenſationibus in ſecundo gradu*; (41) quibus modis feliciter uſus reditus annuos incremento ducentorum millium coronatorum auxit; & ſupra CL. millium expenſarum onere levavit; ut mirum cuique videatur, Pontificem illum vulgò accuſari, quòd reditus Eccleſiæ alienaverit, ut aurum in *arcem Sanct-Angelicanam* (42) congereret. Ille enim *quinque milliones*, (43) ut ſcribit Legatus Venetus *in d. Relatione de Pontifice Romano & Eccleſiaſtico Dominio*, in auro reliquit; & ipſo ſuperſtite vix tertia pars ſumptuum fiebat, qui hodiè fiunt; tanquam hodie non pejora fierent. Nam reditibus Eccleſiæ oppignoratis & æs fœnori ſumitur, & prodigè admodùm profunditur: quodque ratione vacare videtur, quum uſuras ſolvit Pontifex decimas, Caſtella ſubditorum emit, è quibus exigui fructus percipiuntur.

Cæterùm Ærarium & proventus Pon- 35
tificum Romanorum potiſſimùm conſiſtunt in vini, olei, farinæ, ſalis, carnis ac cæterarum venalium rerum vectigalibus, gabellis, mulctis, *ſubſidio triennali*, (44) quod à Paulo III. extra ordinem ſemel imperatum, poſteà ordinarium ac perpetuum fieri cœpit: ſubſidio triennali, quod Fratrum ſive Monachorum *non-mendicantium* (45) in Italia Colle-

legia

legia perſolvere conſueverunt: Collectis ex Hiſpania, *Luſitania*, (46) Italia: Cenſu S. Petri, quem *Reges Neapolitani*,(47) *Duces Ferrariæ*, (48) *Urbini*, (49) *Parmæ, & Placentiæ*, (50) aliique dependunt. Item
36 ordinariis reditibus è *Romaniolâ*, (51) Marchiâ Anconitanâ, Patrimonio S. Petri, Latio, Umbriâ, agris Camerino, Peruſino, Bononienſi, Beneventano, & aliis regionibus & oppidis.

Hiſce non computantur Utilitates, quæ *ex Præfecturis à Pontifice retentis* (52) & ſibi reſervatis percipiuntur: hæ enim illis ſumptibus contraponendæ, *quos Pontifex in Cardinales* (53) quoſdã minùs divites, quò meliùs digni-
37 tatem ſuam tutari poſſint, erogare ſolet. Neque in haſce rationes *Annatæ* (54) beneficiorum, & *penſiones pro Bullarum redemptionibus* (55) referuntur, cùm ex his nihil in Pontificis ærarium inferatur, ſed diverſis Officialibus ſint obligatæ.

38 Etſi verò Pontifices *mille modos* (56) habent conficiendæ pecuniæ, ex iis duo tamen maximè in promptu ſunt. Quorum unus eſt Cardinalium creatio, à quibus etiamſi nullam paciſcantur pecuniam; non modicum tamen è beneficiis, quæ illi antè poſſederant, percipiunt emolumentum: Alter eſt regreſſuum & aliarum gratiarum conceſſio, aliarumque rerum, quarum indulgentia à Pontifice peti ſolet, *diſpenſatio.* (57)

39 Pius IV. (58) habuit à Religioſis quadraginta aureorum millia, & ſi renunciationes beneficiorum cum regreſſibus, & *Compoſitiones* (59) admittere voluiſſet, ſicut ei conſulebatur, aureorum myriadem recipere potuiſſet. Et memorat Sereniſſimæ Reipubl. Venetæ Legatus ad Clementem VIII. *in Relatione de Pontifice Romano & Eccleſiaſtico Dominio*, Pontificem illum, duobus annis octies centena millia coronatorum ex exactis, (*Spogli* (60) vocant) annumerando Archiepiſcopatum Toletanum, in ærarium intuliſſe, & quidem è ſolis Romanis beneficiis ſupra centum millia.

Hi privati Pontificis reditus ſunt è Dataria, officiiſque Cameralibus: quæ quidem antiquitus ob merita conferebantur, *à Sixti V. Pontificatu venalia* (61) ſunt. Datarii munus non ſolet conferri, niſi in ſpectatæ virtutis Præſules. Illi facultas eſt conferendorum ſacerdotiorum, quorum annui reditus non excedunt ducatos quatuor & viginti. Sacerdotiorum, ſi opimiora ſunt, (cujusmodi ſunt Canonicatus) jus conferendi eſt penes Pontificem, cui à Datario ſupplices petitorum libelli porriguntur, quibus multum ſuâ apud Pontificem commendatione prodeſſe poteſt. Patet illi quotidie ad Pontificem aditus, ſignandis ſupplicum libellis. Solitus erat Datarius ſupplicum libellis ſubjungere manu ſuâ, DATUM ROMÆ APUD &c. atque ex hac formula magiſtratus hujus manaſſe vocabulum creditur. Ab aliquot annis, quibus id munus non niſi Cardinales exercent, deſitum ab ipſis eſt ſubſcribi, aliis demandatâ hâc curâ. Qui primus deſiit ſubſcribere, fuit Cardinalis Arigonius.

Porrò Vectigalia Romæ (62) elocari ſolent, plurimùm offerenti, ad novennium, 40
ſcilicet pro triginta quinque Coronatorum millibus præter propter quotannis perſolvẽdis: de quibus, ſubductis omnibus Regalibus, augmentis, fraudibus, quæ committi ſolent, vinis à vectigalibus immunibus Legatorum, & locorum piorum aliiſque Privilegiis, inferuntur, finito locationis tempore, Cameræ coronat. 17000.

Salinæ Romanæ elocantur quoque plu- 41
rimùm licitanti ad ſeptennium, & ſubductis omnibus regalibus & expenſis redeunt ad Cameram quotannis coronati 8960.

Impoſitio duorum Carolinorum pro
frumenti Romæ molitione, in montem per- 42
petuum à Julio III. repoſita & poſteà ampliata usque ad coronatos 21333. de quibus ſolvendi quotannis ſeptem coronati cum dimidio, qui à Pio V. ad ſeptem ſunt redacti; qui proventus Fabricæ miniſtris eſt aſſignatus, ejusq; adminiſtratio populo Romano commiſſa, ita tamen ut unus ex Cameræ officialibus ei præſit: Infert coronat. 16000.

Impoſitio quadrantis in libram carnis 43
Romæ in montem perpetuum repoſita pro ſeptem per Cento à Civibus Romanis perſolvendis: quorum fructus ad Montiſtas pro ejus montis extinctione redeunt coronat. 20000.

Impoſitio quatuor Juliorum pro am- 44
phorâ, populo Romano conceſſa, eidem Monti applicata, ad ejus extinctionem inſurgit ad coron. 3000.

Impoſitio quadrantis in libram carnis, 45
Status Eccleſiaſtici, exceptis Româ, Bononiâ, Camerino & Benevento, elocari ſolet pro ſexaginta Coronatorum millibus; de quibus, ſubductis expenſis aliiſque regalibus, redeunt ad Cameram coronati 5000.

Præpoſitura veredorum Romæ ac to- 46
tius Status Eccleſiaſtici elocari ſolet pro 5000 coronatis, de quibus, ſubductis expenſis & compenſationibus, Cameræ remanent coron. 2000.

Tolfanæ aluminis fodinæ elocatæ olim fuerunt Domino Tobiæ Palavicino pro 64500. coronatis annuis, de quibus ipſis operariis cedunt coronati 36500. reliquum Montiſtis atque aliis, præter regalia Dominorum Cameralium: ita ut hinc nihil ad Cameram perveniat, quinimò ſæpiùs non ſufficiat.

Mons aluminum elocatur pro corona- 47
tis annuis 3000.

Cenſus D. Petri inſurgunt ad 31000. Coronatorum millia, quæ quotannis in Feſto Sancti Petri exigi ſolent. Cleri pro ſpo-

liis

liis compoſiti pendunt quotannis in Feſto S. Petri coronat. 2160.

48 Quarta Fratrum Regularium infert quotannis coronat. 30662.

De quibus 14960. penduntur Monti Navinali Fratrum, qui paulatim extinguuntur: & 15702. Monti pio recuperationum Vacabilium, ita ut & hinc nihil ad Cameram redeat.

49 Subſidium triennale Marchiæ inſurgit ad Coronatorum aureorum millia ſexaginta, numeratis undecim Juliis pro Coronato quotannis. De quibus ſubductis 400. pro fabricis Anconæ, & 1000. ad fabricā murorum Fani, & 1160. pro muris Civitatis Novæ, & Monti Coſero Domino Georgio Cæſarini vendito ; & coronat. 25. pro diverſis gratiis aut donis: & coronat. 457. pro Quæſtoris proviſione: pendit depoſitario ſingulis menſibus 4000. coron. & annuatim coronat. 49358.

50 Subſidium triennale Romaniæ inſurgit ad coronatos 37807. aureos, de quibus ſubducendi 2223. privilegiati & Veneti; item 223. qui relinquuntur Quæſtori Provinciæ, pro cuſtodia Illuſtr. Legati, qui de iis rationes reddit, & 5400. Collegio Illuſt. clericorum Cameræ, pro tribus adjunctis, & 203. coronati ejusdem generis Quæſtori, qui dictum hoc ſubſidium colligit, pro ſua proviſione, & pecuniarum Romam deportatione: Superſunt itaque coronati 29758.

51 Subſidium triennale Umbriæ & Peruſiæ aſcendit ad coronatos 39701. numeratis undecim Juliis pro coronato, de quibus ſubducuntur coronati 741. gratia eorum quibusdam terris conceſſa: item 9485. qui quotannis Peruſiæ Quæſtori numerantur, ad ſupplementum ſolutionum Quæſturæ: inpoſterum verò horum quoque major pars recipietur: & 290. pro proviſionatis, & deportatione pecuniarum, de quibus proviſionato cedunt 200. remanent itaque Cameræ coronati 13076.

52 Subſidium triennale Campaniæ, Maritinæ, Latii & Sabinæ quotannis aſcendit ad coronat. 15650. his additâ terrarum taxâ fiunt Coronati aurei 20480. qui anno M.DLI. à prædicto Papa ad coronatos 17755. reducti ſunt: Anno verò M.DLXXI. à Pio V. ad 1553. coronatos aureos redacti, de quibus ſubductis 770. qui propter impoſſibilitatem & exemptiones non exiguntur: & 120. pro exactoribus & pecuniæ deportatione, ſuperſunt coronati aurei 14643. ut bonæ monetæ ad Cameram redeant circiter coronati 13632.

53 Taxa, quam vocant *Di Cavalli morti*, Marchiæ aſcendit ad coronatos 77721. Quæ illius Provinciæ Quæſturæ aſſignantur, tanquam ejus Quæſturæ reditus cor. 77721.

54 Taxa eadem Patrimonii, eſt coronatorum 978. de quibus in aſſignatione 967. relicti ſunt redemptori Vectigalium & Quæſturarum dicti Patrimonii, reliquum exigitur ſeorſim. coronat. 978.

Eadem taxa Romaniæ aſcendit ad coronat. 5027. bonæ monetæ, quorum pars in compenſationem impenditur pro molendinis Ravennatibus : & pars cedit Collegio Montis Pa non vacabilis : ita, ut ad Cameram ſaltem redeant coronati 800. qui ex Quæſtura Romaniæ percipiantur. circiter coronati 800. 55

Tivolum ſeu Tibur cenſum dat annuum Coronatorum 200. qui olim Cardinali Ferrariæ conceſſi fuerunt: hodiè verò Depoſitario numerantur. coronat. 200. 56

Augmentum Studii triennalis Marchiæ, carnis porcinæ extinctæ loco, exſurgit ad coronat. 10134. numeratis undecim Juliis pro Coronato, de quibus ſubducuntur coronat. 202. pro cauſa oneroſa, & 124. pro exactore, & pecuniarum vectura: ſuperſunt itaque Cameræ coron. 9842. Dictum augmentum Provinciæ Romaniæ eſt coronat. 6512. in auro; de quibus ſubducuntur 114. propter Terras, quæ minùs ſolvunt in ſubſidio triennali, & 73. pro proviſione exactoris & pecuniarum vectura, ut ad Cameram perveniant coron. 6325. 57 58

Dictum augmentum Provinciæ Patrimonii, eſt coronat. 2828. in auro: à quibus ſubductis 305. pro terris, quæ nullum pendunt ſubſidium, & 100. pro exactore, & pecuniarum vectura; Cameræ manent coron. 2423. Quæſtura Marchiæ, unà cum taxis, quas vocant Caballorum mortuorum (*di cavalli mortui*) ejus Provinciæ elocari ſolet pro Coronatis 62015. Quæſtura Romaniæ elocari ſolet pro coronatis 3597. numeratis decem Juliis pro Coronato: à quibus ſubductis pro gubernatione Provinciæ, nec non pro Regalibus Cameralium, & Depoſitario 1270. remanent Cameræ coronati 2327. Tenetur etiam Romaniæ Quæſtor Cameræ numerare reſiduum Legationis, dum in dicta Provincia Legatus non fuit, pro quo ex ſubſidio triennali ſoluti ſunt coronati 2720. & 2000. pro Legati proviſione : & 3360. pro cuſtodia, & 2220. pro bulla, qui ſimul faciunt coron. 10300. de quibus ſubductis 1700. pro proviſione Vice-Legati, & 1068. pro cuſtodia, ſuperſunt Cameræ coron. 5532. 59 60 61

Vectigal & Quæſtura Patrimonii elocari ſolet pro coronat. 6377. Sed quia multa ſunt ſubducenda hinc Regalia, & variæ expenſæ, non multum Cameræ infertur. Quæſtura Camerini elocari ſolet per novennium pro coron. 24500. Sed quia multa hinc ſubducuntur, parum itidem ad Cameram redit. 62 63

Quæſtura Peruſiæ in Umbriâ, & taxa Caballorum mortuorum dictæ Provinciæ elocari ſolet per novennium pro coronat. 20300. 64

20300. multa autem hinc ſubducenda regalia & aliæ expenſæ parùm quoque Cameræ reſtat emolumenti.

65 Quæſtura Aſculi elocari ſolet per quinquennium pro coron. 6354. de quibus, propter varias expenſas, parum Cameræ ſuperat.

66 Quæſtura Campaniæ dat cor. 11000. Sed & hinc, propter varias expenſas, parum ad Cameram redit. Quæſturam Norciæ M.
67 Nicolaus Spinelli in poteſtate habet, in vicem expoſitæ pro Camera pecuniæ, & quoniam de ejus reditibus communitati ratiocinia reddit, ad nullas tenetur Cameræ rationes. Quæſtura Caſſiæ Anno MDLXXII.
68 menſe Aprili vendita eſt cuidam Joſepho Hieronymo Foligniano, pro 500. coronatis aureis Cameræ perſolutis: unde nec hujus in Camera habetur ratio.

Quæſtura Beneventi tenetur à M. Æ-
69 milio Peretti, ex cujus proventibus coronat. 454. Cubiculariis; 428. in diverſis ſalariis aliiſque expenſis conſumuntur; 768. gubernatori, & 50. coronat. ipſi Quæſtori cedunt, ita ut parum hinc ad Cameram redeat.

70 Vectigal Spoleti, M. Baptiſtæ Blanchi Spoletano per ſeptennium locatum eſt, pro 4260. coronatis annuis: de quibus Quæſtori Peruſino 781. & Gubernatori Spoletano 1260. cedunt. Reſtant Cameræ 2219. coronat.

71 Vectigal Anconæ elocatum eſt Monti pio recuperatorum, pro coronat. 3500. annuis, qui Collegio aſſignantur: & præterea 100. oneribus frumenti, & quando hæc onera non ſolvuntur, penduntur Cameræ pro iis, 1000. coronat. pro quolibet anno: & coron. 179. pro Regalibus Dominorum Cameralium.

72 Vectigal Ancaragi Civitatis Novæ elocari ſolet per quinquennium pro coronatis 1300. annuis, cum onere coronat. 117. Secretariis Apoſtolicis ſolvendorum, & Monialibus Viterbi 173. ſuperſunt Cameræ 1010.
73 Vectigal Biedæ elocari ſolet per quinquennium pro coron. 1080. qui depoſitario numerantur. Caſale Magrotti reddebat quotannis Cameræ coronat. 9240. à Paulo IV. Hoſpitali S. Spiritus venditum. Impoſitio quadrantis in libram carnis Bononiæ, aſcendit annuatim ad coronat. 6030. qui Monti Augmenti Bononienſi aſſignantur. Subſidium triennale Bononiæ aſſignatum eſt dicto Monti pro coronat. 9900. & fertur aſſurgere ad coronatorum quinquaginta millia quotannis: totum autem officialibus aſſignatur.

Impoſitio Talorum affocatitiorum olim oppignorata M. Rutilio Alberini, ſed hodiè liberata infert Cameræ coron. 350. Cenſus Reatinus olim Johanni Baptiſtæ de Serena oppignoratus pro coronat. 400. poſtea Petri Pauli Mignanelli filio conceſſus profert Cameræ coron. 816.

Locationes Ripæ vendebantur olim pro 250. coronatis: quondam oppignorati Franciſco Fontano, & demum poſſeſſi à M. Hieronymo Ceolo. Minutæ Cancellariæ reddunt quotannis coronatos 10000. qui ferè omnes officialibus & Papæ domeſticis aſſignantur. De fructibus Montis Religionis cedunt Cameræ quotannis coronat. 16338. Vectigal vini Bononiæ locatum fuit olim M. Virginio Ghiſilieri pro coronat. 600. aureis. De depoſitaria Fani, ſuper Maleficiis Quæſtori Marchiæ aſſignatis ſuperſunt proventus, quorum habenda ratio, & circiter 100. coronatos annuos ferunt. Terræ exſiccatæ aquarum clavibus & diverſionibus pendebant olim annuos coronatos 140. Locatio ſalis Sclavonici profert annuatim coronatos aureos 750. De fructibus Montis Pii extinguibilis percipiuntur quotannis coronati 2350. De reſiduo Montis Avenionenſis recipiuntur quotannis coronati 616. Denique
fama eſt, in arce Sanct-Angelicana (quæ o- 74
lim Hadriani Imperatoris & Antoninorum ſepulchrum fuit,) repoſita extare vicies centena ſcutatorum millia. Quid multis? Reditus Papæ *ad decies & octies centena millia* (63) coronatorum putatur aſcendere; ſed potentia illius & authoritas longè major eſt, neque ex ærarii copia debet cenſeri; nam ratione præeminentiæ, quam ſibi vendicat, arbiter non modò Italiæ eſt, ſed & totius Chriſtiani Orbis; omnibus ſingulorum Principum cauſis, controverſiis, actionibuſque ſe immiſcet, & plurimùm poteſt etiam, ubi nihil poſſe videtur, & quocunque inclinat, magnum ubique adfert momentum, aliorumque conatus aut animat, aut enervat: quare & *à potentiſſimis officiosè colitur,* (64) & ab impotentioribus ſerviliter adoratur.

Quamvis autem tantam pecuniæ vim, 75
quantam jam memoravimus, reddant Pontificis ditiones & proventus; & Pontifex, qui & Sedis Apoſtolicæ nomine cenſetur, ex Provinciis ſuis & Ditionibus annuatim ultra decies octies centena millia coronatorum percipiat; parum tamen aut *nihil compercit* (65) 76
exhauriente quotannis fœnore, privatis debito è montibus (quos vocant) vacabilibus & non vacabilibus, octies circiter centena ſcutatorum millia; præter eos ſumptus, qui in familiam Papæ, in Cardinales, in Helvetiorum & levis armaturæ equitum ſatellitia, in Caſtelli S. Angeli, Oſtiæ, Civitatis veteris, Terracinæ, Orviæti &c. præſidia, in cantores, cornicines, nuncios, curſores, & ejusmodi famulitium; in eleemoſynas, dona & largitiones, aliaque in Magnatum Aulis uſitata; ut vix ſub finem anni ex tam immenſa ſumma centum millia ducatorum fiant reliqua, referente Joanne Delphino, Sereniſſimæ Reipub.

Reipub. Venetæ Legato ad Clementem VIII. *in d. Relatione.*

Taceo ſumptus, qui in præſidiariorum militum ſtipendio (quod tamen *Nepotum* (66) Pontificiorum compendium eſt, qui quotannis plus dimidio ſtipendii in ſuam arcam derivant) erogantur; quibus tamen Eccleſiæ opus non eſt, ut quæ ipſa ſe ſatis Religione tuetur.

Quare quum ſumptus extra ordinem
77 faciendi ſunt, diverſæ inſtituendę ſunt pecunię conquirendę rationes; quales ſunt: venundata officia vetera multiplicare, inſtituere nova, augere pretium expeditionum in officiis jam collatis; non neceſſarios miniſtros abdicare; Curialium ſumptum minuere; novos Montes erigere, tam Vacabiles, quàm non Vacabiles; (de quibus infrà *lib. 2. aphoriſm. 21. num. 6. & ſeqq.*) denique nova onera invenire, aut vetera augere: (Quanquam poſtremi hi modi difficulter
78 à populo Romano tolerentur.) Si Princeps aliquis ſecularis (inquit *idem Legatus* (67) Venetus) Pontificias obtineret ditiones, easque tanquam rem propriam & hęreditariam adminiſtraret, cum paucis Principibus foret comparandus, non tàm imperii amplitudine, (quanquam & hoc ampliſſimum eſt,) quàm regionum pręſtantiâ, agrorum fertilitate, incolarum numero, nobilitate civium, ad militiam aptâ juventute, ſummâ denique rerum omnium abundantiâ: quarum rerum adjumentis non ſua tantùm pręclarè tueri, ſed aliis etiam formidabilis eſſe poſſit. Sed plerique omnes, *qui antehac fuerunt Pontifices*, (68) non modò de amplificandâ & locupletandâ ditione Eccleſiaſticâ, ſed vix, penè dicam, de conſervandâ ullam ſuſceperunt *curam aut cogitationem.* (69) Unde mirum non eſt, 79
vix ullum in toto Chriſtiano Orbe reperiri dominium, quod in tanta rerum omnium copia & ubertate, armis, commeatu, aliiſque ejuſmodi pręſidiis *minùs ſit munitum*, (70) ita ut ad prędam cuilibet invaſuro expoſitum videatur.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT III.

(1) DE *Decumis &c.]* Bulenger. *de Vectig. populi Rom. c. 6. 7.*

(2) *Quintis &c.]* Bulenger. *d. loc. c. 19.*

(3) *Scriptura &c.]* Idem *cap. 5.* Freinshemius *ad Flor. lib. 3. c. 13. n. 8. lit. I.*

(4) *Auro Coronario &c.]* Idem *cap. 14. l. unic. C. de Auro Coronario*, & ad illam Perez *in Comm.* & Dd. communiter.

(5) *Capitatione &c.]* Bulenger. *toto cap. 13.* Joh. Baptiſta Vice-Comes *tr. ſingulari.*

Num. 2.

(6) *Portorium &c.]* Iterum Bulenger. *cap. 5. cap. 19. cap. 24. &c.*

(7) *Viceſima &c.]* De qua jam ſuprà dictum *cap. 2. n. 49.*

Num. 3.

(8) *Sub conditione vectigalis &c.]* Nimirum parte decimâ fructuum Reipublicæ retentâ in agris ſativis; in plantariis, aut arboreis quintâ, In paſtoribus autem certum pretium definiebatur, in capita minoris majorîsve pecoris. Quod latè ſæpè laudatus Bulenger (qui exactè materiam vectigalium Populi Romani exequutus eſt, quemque libentiùs eo nomine hoc Capite citare, quam alia multa addere volupe duximus, & ducemus) demonſtrat.

Num. 4.

(9) *Romulus agrum Romanum &c.]* Dionyſius Halicarn. *lib. 2. cap. 7.* diviſionem hanc ſic exponit. Digeſto per Tribus atque Curias populo, agro quoque in triginta ſortes æquales diviſo, ſingulas Curias (triginta enim erant) ſingulos ſortiri agros juſſit, exempto priùs quantum fanis & templis ſufficeret, & quâdam parte, quæ eſſet Juris publici. Numa verò Pompilius cùm conſideraret, Civitati, quæ in Juſtitiæ & temperantiæ ſtudio perſeveratura ſit, neceſſariâ rerum copiâ opus eſſe, univerſam regionem diviſit in eos, qui pagi nominantur, & ſuum cuique pago magiſtrum, qui cum obiret atque ſpectaret, præpoſuit. Hi crebrò perluſtrantes omnia, tam benè quàm malè cultos agros in tabulas deſcriptos ad Regem deferebant. Ille induſtrios agricolas laudibus & ſummâ comitate excitabat: contrà ſegnes objurgatione atque etiam mulctâ caſtigatos, ad rura gnaviùs colenda inſtigabat. Quo factum eſt, ut vacantes ab urbanis ſimul & militaribus negotiis, & ignaviæ atque inertiæ probroſam mulctam timentes, ſuis manibus operarentur, & opes, quas tellus præbet, ut omnium juſtiſſimas, præferrent incertis & periculoſis militiæ commodis, atque hoc pacto conſecutus eſt, ut & ſubditi eum amarent, & finitimi æmularentur, & poſteri honorificâ memoriâ celebrarent. Dionyſius Halicarnaſſ. *Antiquitat. Rom. lib. 2. cap. 78.* qui in ſequentibus alias quoque diviſiones in medium producit.

Num. 6.

(10) *Supplemento &c.]* In quam rem quum neque hominum ſatis, nec ex quâ parerentur ſtipendiumque acciperent pecuniæ quicquam eâ tempeſtate in publico eſſet. Quod ad ſignificandam extremam neceſſitatem ex Livio *lib. 26. cap. 35.* omninò addendum; ne quis putet etiam leviſſimam ob cauſam hujuſmodi medio uti Magiſtratum poſſe.

Num. 7.

(11) *Lævino &c.]* Singularis ejuſdem oratio occurrit apud Livium *dict. lib. cap. 36.* quæ cùm mereatur expendi, licèt prolixior ſit, hoc loco tamen erit exhibenda. Ita verò Livius: Quum in hac difficultate *(de qua in ſuperioribus dixerat, & Author noſter loquitur)* rerum Conſilium hæreret, *(inquit)* ac propè torpor quidam occupaſſet hominum mentes, tum Lævinus Conſul. Magiſtratus Senatui, & Senatus populo, ſicut honore præſtet, ita ad omnia, quæ dura atque aſpera eſſent, ſubeunda ducem debere eſſe: ſi quid injungere

gere inferiori velis, id priùs in te ac tuos ſi ipſe juris ſtatueris, faciliùs omnes obedientes habeas: Nec impenſa gravis eſt, quum ex ea plus quàm pro virili parte ſibi quemque capere principum vident. Itaque ut claſſem habeat, quàm ornare volumus, populus Romanus, privatos ſine recuſatione remiges dare nobismet ipſis primùm imperemus. Aurum, argentum, æs ſignatum, omnes Senatores craſtinà die in publicum conferamus: ita ut annulos ſibi quisque & conjugi & liberis & filio bullam, & quibus uxor filiæve ſunt ſingulas (*Val. 9. coronat.*) uncias auri pondo relinquant: argenti, qui curuli ſella ſederunt, equi ornamenta & libras pondo, ut ſalinum patellamque DEORUM causâ habere poſſint: cæteri Senatores libram argenti, (*Val. 10. Coronat.*) tantùm, æris ſignati quina millia (*Val. 50. Coronat.*) in ſingulos patres-familias relinquamus. Cæterùm omne aurum, argentum, æs ſignatum, ad triumviros menſarios extemplo deferamus nullo antè Senatus-Conſulto facto, ut voluntaria collatio, & certamen adjuvandæ Reipubl. excitet ad æmulandum animos primùm equeſtris ordinis, dein reliquæ plebis. Hanc unam viam, multa inter nos collocuti, Conſules invenimus. Ingredimini Dis benè juvantibus: Respublica incolumis, & privatas res facilè ſalvas præſtat; publica perdendo tua nequicquam ſerves. Addatur ad Flori locum Freinshemius *in Notis ad n. 24. 25. lit. d. e. f. g.* & Godelævius ad Livium.

Num. 10.

(12) *Hiſpanica &c.]* De omnibus iis videatur Florus *lib. 4. cap. 2.* qui inter alia, fercula triumphalia recenſens, in hæc verba erumpit: Pharſalia & Thapſos & Munda nusquam. Quantò majora erant, de quibus non triumphabat! Ad quæ Freinshemius *ad lib. 3. cap. 22. num. 15.* Nam ex Civilibus bellis non triumphatur; quia ut neceſſariæ iſtæ, ita lugubres ſemper exiſtimatæ victoriæ ſunt: utpote non externo, ſed domeſtico partæ cruore. (*Val. Max. lib. 2. c. 8. n. 7.*) Hinc Lucanus *princ. Operis:*

Bella geri placuit nullos habitura triumphos.

h. e. Civilia. Sic Cæſar de Civibus non triumphavit, (*Florus dict. lib. 4. cap. 2. num. 89.*) Rationem reddit Appianus *de Bell. Civil. lib. 2.* nec ipſi honeſtum futurum fuiſſe & Civibus luctuoſum & infauſtiſſimum; nam ob externas victorias talia fieri ſolita; domeſtica mala triſtitiâ operienda, ut ait Tacitus *3. Annal. 18. num. 3.* Cæſar tamen Auguſtus triumphavit ex Actiaca victoria, (*Ep. Liv. 133.*) Niſi fortè & ille externum bellum videri voluit iſtud: & ad poſteriorem locum (*Quantò majora erant &c.*) inquit: Nempe non barbaris artium belli rudibus, aut mollibus Aſiaticis devictis; ſed ipſis Civibus, ipſis Romanis. Quæ victoria per ſe ſatis magna, ſplendorem auxit etiam eo, quòd effigies eorum non viſebantur. Eodem redit Catonis dictum *apud Marcellinum 14. 15.* qui interrogatus, quamobrem inter multos nobiles ſtatuam non haberet? Malo, *inquit*, ambigere bonos, quamobrem id non meruerim; quàm, quod eſt gravius, cur impetraverim, muſſitare &c. & hæc eſt Commendatio ex injuria, ut loquitur Tacitus *3. Ann. 75. n. 4.* vel, ut Florus, injuriâ favorabilem eſſe, *lib. 4. cap. 4. n. 4.* Adde Vellejum *lib. 2. cap. 34. n. 3.*

Num. 11.

(13) *Finem attulerit tributorum &c.]* Usque ad Hircii & Panſæ Conſulatum, qui Coſſ. primò Antonii & Cæſaris (Auguſti) bello fuêre. (Plutarchus *in L. Paulo Æmilio. tom. 1. Operum pag. 275.*) Hoc eſt Anno ab U. Cond. DCCX.

Num. 12.

(14) *Florus &c.]* Hoc ille tantùm dicit *lib. 3. cap. 9. num. 5.* Cæterùm Porcius Cato Cyprias opes liburnis per Tiberinum oſtium invexit: quæ res latiùs ærarium populi Romani, quàm ullus triumphus implevit &c. & numerum certum planè omittit; quod & Valerius Maximus *loco citato* fecit. Plinius verò illo in loco planè & de re & de quantitate ſilet. Plutarchus autem *in Catone Minore Tom. 1. Oper. p. 777.* ſcriptum reliquit, Catonem paulò minùs ſeptem millia argenti talentûm coëgiſſe. Ut ſic nec ille, nec citati Hiſtorici Klockio adſtipulentur.

Num. 13.

(15) *In ſuis triumphis &c.]* Teſte Suetonio *cap. 37.* Julius Cæſar, confectis bellis, quinquies triumphavit, poſt devictum Scipionem quater eodem menſe, ſed interjectis diebus: & rurſus ſemel poſt ſuperatos Pompeji liberos. Primum & excellentiſſimum triumphum egit Gallicum, ſequentem Alexandrinum, deinde Ponticum, huic proximum Africanum, noviſſimum Hiſpanienſem, diverſo quemque apparatu & inſtrumento. His triumphis Appianus *lib. 2. Bell. Civil.* & ex eo Bulenger. *de vect. Pop. Roman. cap. 56.* ſexaginta quinque millia talentorum ferculis præferenda eum curaſſe narrant, è quibus, ſupputante Bulengero, XXXIX auri milliones aſſurgunt: & præterea bis mille & octingentas viginti duas coronas, quæ duo millia auri penderent, è quibus duo milliones exiſtunt.

Num. 14.

(16) *A Pompejo illatæ ad centies &c.]* De Triumpho Pompeji verba faciens Plutarchus *in vita ejus Tom. I. Operum. pag. 642.* aliam ſummam ponit, inquiens: Ad hæc tabulis oſtenſum univerſa populi Romani vectigalia ante id bellum bis millies fuiſſe, ex iis verò, quæ populo Romano ipſe quæſitis addidiſſet, redire ter millies quadringenties. In ærarium retulit vaſa, aurum, argentumque ſignatum ad viginti millia talentûm, præter ea, quæ diviſa ſunt militibus: quorum, qui minimum accepit, pro rata mille & quingentos denarios tulit, &c.

(17) *Largitionem arguit &c.]* Et quum conſultaretur de præda Vejentium, Licinius primus dixiſſet, edici palàm placere populo, ut, qui particeps eſſe prædæ vellet, in caſtra Vejos iret; Appius Claudius aliam ſententiam tulit. Quæ tamen non obtinuit, illâ Licinii prævalente. Scilicet Appius Claudius, ſi ſemel nefas ducerent captam ex hoſtibus in ærario exhauſto bellis pecuniam eſſe, auctor erat ſtipendii ex ea pecunia militi numerandi: ut eò minùs tributi plebs conferret.

Num. 16.

(18) *Ad deſolationem &c.]* Prudenter nonnemo inquit: Quemadmodum caloris vi non modò ſicca, verùm etiam, quæ in propinquo ſunt, humida, abſumuntur: Ita bella, etiam quæ juſtâ causâ ſuſcipiuntur, nefanda quæque opera, cædes, ſtupra, ſacrilegia, deſolationes, ſecum trahunt. Nemo Martem ita in poteſtate habet, ut nusquam exorbitet.

(19) *Apud Halicarnaſſæum &c.]* Sic Fabritius de ſe ipſo (*in Excerptis Legat. in fin.*) ad Regem Pyrrhum: Publica negotia juſtas mihi quæſtûs occaſio-

occaſiones præbuêre,tum antè ſæpenumero,tum inprimis anno ab hinc tertio, quum Conſulare imperium gerens, cum exercitu adverſus Samnites, Lucanos & Brutios miſſus, hoſtium acie aliquàm multis præliis ſuperatâ, multas regionis partes perpopulatus ſum, multaſque & opulentas urbes vi expugnatas devaſtavi; è quibus tum exercitum totum ditavi, tum privatis civibus ſtipem, quam ad belli ſumptus pro ſe quisque contribuerant, reddidi, tum quadringenta talenta cum triumphis in ærarium intuli; & cùm ex illis bello partis, dum liceret accipere, quot & quanta vellem, non acceperim, ſed etiam jure oblatas opes neglexerim, gloriâ contentus, ut Valerius Publicola fecit, & alii præterea multi, per quos Respubl. noſtra ad tantam amplitudinem pervenit &c.

(20) *Valerii Publicolæ &c.*] Regio imperio, (*inquit Valer. Max. lib. 4. cap. 4. num. 1.*) propter nimiam Tarquinii ſuperbiam finito, Conſulatus initium Valerius Publicola cum Junio Bruto auſpicatus eſt. Idemque poſtea tres Conſulatus acceptiſſimos populo Romano geſſit: ac plurimorum & maximorum operum prætextu, titulum imaginum ſuarum amplificavit: cùm interim Faſtorum illud columen, patrimonio ne ad exequiarum quidem impenſam ſufficiente deceſſit: ideoque publicâ pecuniâ ductæ ſunt. Non attinet ulteriore diſputatione tanti viri paupertatem ſcrutari: abunde enim patet, quid vivus poſſederit, cui mortuo lectus funebris, & rogus defuit.

Num. 17.

(21) *Pecunia cum divitibus &c.*] Plutarchus (*qui ejus dicti in vita M. Catonis Majoris Tom. 1. Oper. pag. 342. Author eſt*) addit: & cum avariſſimis de quæſtu. Neque ſe ſolùm ſed & comites ſuos præſtabat ab omni captura integros &c. Quantum verò receperit Cato ex Hiſpania triumphans, conſtat ex Livio *lib. 34. cap. 45.* dicente: Tulit in eo Triumpho (*Cato*) argenti infecti XXV. millia pondo, bigati centum viginti tria millia, Oſcenſis quingenta quadringenta: auri pondo mille quadringenta, militibus ex præda diviſit, in ſingulos ducenos ſeptuagenos æris, triplex equiti.

Num. 18.

(22) *Auguſtus &c.*] De hoc ærario jam antè ſatis dictum ab Authore noſtro in Capite præcedenti *2. n. 49. ſeqq.* & ego quædam ibidem annotavi. Ubi vide.

(23) *Publicani &c.*] Publicani appellantur, ſecundùm Iſidorum *Orig. lib. 9. cap. 4.* conductores vectigalium fiſci, vel rerum privatarum, ſive quia vectigalia publica exigunt, vel quia per negotia ſeculi lucra ſectantur: unde & cognominati ſunt. At verò benè Cujacius *Obſerv. lib. 7. cap. 4.* notat: Publicanos (qui & vectigaliarii & telonæ dicuntur) propriè eos eſſe, qui vectigalia Populi Romani aut Principis, veluti portoria conducta habent, *l. 1. §. 1. l. 12. §. ult. ff. de Publ. & vect. l. 16. ff. de V. S.* eos autem, quibus privati homines, fructus, quæſtus, reditus ſuos locant, qui & vectigalia dicuntur, quia publica conducta non habent, minùs rectè Publicanos appellari. Illa vectigalia ad primum diem Martii elocari moris erat à Cenſoribus, ſed non niſi in conſpectu populi Romani, ut Cicero innuit *de Leg. Agrar. contra Rullum, Orat. 1.* Conducebant verò ea præprimis aliqui ex Ordine Equeſtri, quemadmodũ ex Ciceronis ſcriptis hinc inde videre eſt, de qua cauſa univerſo Publicanorum Ordini primitùs plurimum tribuebatur; inde laudatus Cicero *in Orat. pro Cn. Plancio*; qui Ordo ſcil. Publicanorum quanto adjumento ſit in honore, quis neſcit? Flos enim Equitum Romanorum, ornamentum Civitatis, firmamentum Reipublicæ Publicanorum ordine continetur. Ex his publicanis alios Mancipes fuiſſe, alios Prædes, alios Socios, ex Polybio colligere Signonium *lib. 2. de Jure Civium Rom. cap. 4.* teſtis eſt Fungerus & Thyſius *ad Valerium Maximum lib. 2. cap. 10. num. 5.* qui videri poterunt, ea verba explicantes. Sed rectè Author noſter pergit, poſtea odioſum eorum nomen eſſe cœpit, (ad quam rem plurimas querelas & exempla Bulenger *de vectigal. Populi Roman. cap. 3.* congeſſit) eò quòd fraude, avaritiâ, immodeſtiâ, audaciâ ſuperarent cæteros homines, ut hinc Joh. Saresberienſis *lib. 6. Policratici cap. 1.* in hæc verba erumpat: Publicanorum omnium à maximo usque ad minimum cœtus, concuſſioni nunc potiùs, quàm Juſtitiæ vacat; & ita in populum debacchatur, ut quod reliquit unus, alii non morentur auferre; ac ſi juxta conqueſtionem propheticam ad hoc conſtituti ſint, ut reſiduũ locuſtæ comedat bruchus. Et fortaſſis hoc reſpectu obque vitia, quibus Judæi ſceptro amiſſo à Victricibus Romanis telonia conducentes inquinati erant, à Chriſto ipſo *Matthæi 11. verſ. 19. cap. 18. verſ. 18. cap. 21. v. 31.* peccatores, ethnici, meretrices cum Publicanis pari paſſu ambulare cenſentur: quod & ex aliis Scripturæ locis patet. Vid. præter ſuprà citatos quoque Garzonus, ſive ejus interpres *Nicolaus Bellus*, aut qui fortaſſis idem *Mich. Caſp. Lundorpius in Theatro vitæ humanæ lib. 2. diſcur. 35.* ubi de rebus, ex quibus colligebantur vectigalia, non contemnenda interſparſit; & Bulenger *de vect. Pop. Rom.* ubi varia Publicanorum genera recenſet.

Num. 20.

(24) *Unde & Leges &c.*] V. G. Lex Hieronica, cujus Cicero *4. in Verrem* meminit, quâ inter aratores & decumanos judicia facta dicit. Hanc tuliſſe Hieronem Syracuſanum, Siciliæ Tyrannum, eâque conſtitutum fuiſſe Roſinus *Antiquit. Roman. lib. 8. cap. 12.* ex Zaſio demonſtrare vult, quantum frumenti, aut quo pretio, quóve tempore arator frumentum decumano, i. e. publicano, qui decimas redemerat, daret. Quod ita diligenter & cautè ſcriptum erat, ut nec arator decumanum fraudare, nec decumanus plus decimâ ab aratore auferre poſſet. Atqui ob hanc legis æquitatem Romani, Siciliâ potiti, nihil mutaverunt. *Hactenus Roſinus.* Alterius legis de publicanis mentionem injicit quoque citatus Cicero *in Orat. pro Plancio*, quòd verò ejusdem caput fuerit, tam ille, quàm Manutius *de LL. Roman.* ſilet. Nero verò Imperator, cenſentibus Patribus, temperandas planè publicanorum cupidines, ne per tot annos ſine querela tolerata (*vectigalia*) novis acerbitatibus ad invidiam verterent, edixit, ut leges cujusque publici occultæ ad id tempus proſcriberentur: omiſſas petitiones non ultrà annum reſumerent: Romæ prætor; per provincias, qui pro Prætore aut Conſule eſſent, jura adverſus publicanos extra ordinem redderent: militibus immunitas ſervaretur, niſi in iis, quæ væno exercerent. Aliaque admodùm æqua; quæ brevi ſervata, dein fruſtra habita ſunt. Ut eſt apud Tacitum *13. Ann. 50. & 51. n. 1. 2. 3.* Quem locum Taciti Marcellus Donatus *in Comment.* hoc modo explicat: Per publicum hoc in loco interpretandum vectigal cujus-

cujuscunque generis: & erit ſenſus verborum Taciti, quòd, quum Publicani immoderatè vectigalia exigerent, legibus quibusdam, jam in deſuetudinem profectis, innixi, eas in novum uſum retrahentes ſuo commodo & populi Romani diſpendio, Nero cujusque vectigalis leges, ad id usque tempus occultas proſcribi & aboleri voluit, ſicque populi indemnitati conſultum, ac illius crebris flagitationibus ſatisfactum, ſanciens adhæc, ne publicani omiſſas petitiones ultra annum reſumerent, hoc eſt, ne vectigal, quod ſibi deberi dicerent, à die protenſæ exactionis poſt annum petere & exigere poſſent. Tandem emanavit prætorium illud Edictum in Corpus noſtrum Juris Civilis translatum, ubi *l.1.in pr.* Prætor ait: Quod publicanus ejus publicani nomine vi ademerit, quódve familia publicanorum, ſi id reſtitutum non erit, in duplum: aut, ſi poſt annum agetur, in ſimplum judicium dabo. Si id, ad quos ea res pertinebit, non exhibebitur, in dominos ſine noxæ deditione judicium dabo. Quod Edictum tamen in deſuetudinem abiiſſe plerique autumant.

(25) *Ut cenſiti &c.]* Pergit inferre author noſter, quemadmodum immodeſtia publicanorum ad crebras populi flagitationes coërcita, ita quoque ſancitum fuit, quoniam in cenſum, id eſt, tabulam publicam referendæ erant opes civium Romanorum, quò, ſi res poſtularet, quisque pro ſuis facultatibus Tributum inferret, & quidem ſic exactè, ut & v. g. nomen fundi cujusque, & in qua Civitate, & quo pago eſſet, & quos vicinos proximos haberet, & quot jugerum eſſet, & ſi vinea, quot vites haberet, olivæ quot jugerum & quot arbores haberet &c. & omnia ab ipſo, qui deferret, æſtimanda eſſent, per legem à Klockio huc citatam *4.pr. & §.2.ff. de Cenſ.* ut ſi quando quis re ſua, ſine culpa, delato modo certis ex cauſis frui non poſſet, relevandus ex æquitate veniret. Contrà, qui, quò declinet fidem cenſuum, & mentiatur callidæ paupertatis ingenium, ſterilitatem procuravit, competenti indignationi ad inſtar calumniatoris ſubjiciatur &c. *l. 2. C. de Cenſib.* Ea propter etiam *per Novell. 17. cap. 8.* publici Exactores cogebantur in ſuis de ſuſceptis manifeſta facere omnia, in quibus ea dederunt, nempe quantitatem zygocephalorum aut jugorum aut jugalium, aut quolibet modo per regiones nuncupabantur: & pro quibus hæc & quælibet prædiis exigebantur, & datorum quantitatem, ſive in ſpeciebus, ſive in auro. Et interminabatur eis & magnum damnum, & manus amputatio, ſi hoc, quod præcipiebatur, non omnibus modis ſervarent.

Num. 21.

(26) *Ex metalli quoq; fodinis &c.]* Adde Bulengerum *cap. 35.* qui non tantùm alios, ſed & hos reditus veterum Romanorum per totum opus luculenter demonſtrat.

Num. 25.

(27) *Libro duodecimo &c.]* Nec non Tacitus *11. Ann. 22. n. 4. ſeqq. & 13. Annal. 29. per totum*, Lipſius *in Excurſo ad librum hunc lit. B.* ubi, quàm variè habita ac ſæpè mutata publicarum tabularum cura fuerit, cum temporum luce exponitur, Lazius *in Comment. Reipubl. Roman. lib. 2. cap. 14.* Jacobus Gutherius *de Offic. Dom. Auguſtæ lib. 3. c. 32.* Roſinus *Antiquit. Rom. lib. 7. cap. 22. & c. 45.* qui diverſa Quæſtorum genera recenſet. Ipſe Author noſter Klockius *infrà hoc Capite n. 31. ſeq.* & Dd. communiter *ad tit. ff. & C. de Officio Quæſtoris.*

Num. 27.

(28) *Præfecti Ærarii &c.]* More Auſtriæ Bavariæq; Lazius *Comm. Reip. Rom. l. 2. c. 14. p. 257.* interpretatur Ærarii Præfectum Vicedominum, Quæſtoribus verò Cameræ Senatores comparari poſſe ſcribit. Ubi plura ad hanc rem conducentia legere poteris: qui præterea adjungit Ærarii tabularios, ſectores, ſive diviſores ærarii, Collectarios, qui iidem cum Coactoribus, Scribas quæſtorios vel ærarios, Libripendentem in quæſtura præcipuè militari. Plura de Præfectorum Ærarii officio & poteſtate Gutherius *d. loc. p. 686. ſeqq.* notat.

(29) *Triumviri Monetales &c.]* Hi inter minores Magiſtratus, docente Gutherio *de Offic. Dom. Auguſt. l. 3. c. 19. p. 580. ſeq.* habebantur & populi ſuffragio creabantur. In monumentis vetuſtatis literis repræſentantur TR. V. MON. & AAA. F. F. hoc eſt, auro, argento, ære, flando feriundo. Vocabantur etiam alia voce Treviri, ut Lazius *in Comm. Reip. Rom. l. 3. c. 1. p. 302.* ex Ciceronis *l. 7. Epiſt. Famil. Ep. 13.* loco: Treviros vites cenſeo: audio capitales eſſe; mallem auro, argento, ære eſſent. Sed aliàs jocabimur &c. conjicit. De Origine eorum ſic ſcribit Livius *lib. 7. c. 21.* Inclinatis ſemel in concordiam animis, novi Coſſ. (*ſcilicet Valerius Publicola atq; C. Marius Rutilus, qui ex plebe priori adjunctus fuerat,*) fœnebrem quoque rem, quæ deſtinere unanimos videbatur, levare aggreſſi, ſolutionem alieni æris in publicam curam verterent: *Quinque viris creatis, quos menſarios* à diſpenſatione pecuniæ appellarunt &c. Ubi vide. Alio tempore idem Author *lib. 22. c. 21.* Triumviros menſarios propter penuriam argenti factos tradit. Ut ſic non ſemper ab initio idem numerus Menſariorum fuerit: quod & Roſinus *Antiq. Rom. lib. 7. c. 39.* animadvertit; qui ipſe quoque ibidem *in ejusdem libri cap. 28.* de Triumviris monetalibus agit. Porrò in Italia fuerunt publicæ pecuniæ Curatores, ut colligere eſt ex duabus inſcriptionibus, quas Gutherius exhibet: quarum prima: C. LEPIDO. C. F. II. VIRO. JUR. DIC. CUR. PEC. PUBL. ET. OPERUM. PUBLICORUM. altera: N. PETTIO. N. F. GAL. RUFO. II. VIRO. CUR. PEC. PUBLICÆ. ET. CURATORI. FRUMENTI. Plura qui cupit, citatos Authores nec non Budel. *de Monetis lib. 1. c. 1. n. 36. ſeqq.* adeat.

Num. 28.

(30) *Flatores &c.]* Id eſt, ſignatores. Cùm flare, ſecundùm Oldendorpium *à Calvino in Lex. citatum*, inter alia ſignare dicatur. Quoniam æs, argentum, aurum flando, i. e. calefaciendo ſignari ſoleat. Jam aliquoties citatus Gutherius *d. l. p. 587.* ea de re recenſés Monetariorum varios officinatores, ſic commentatur: Flatuarii, *inquit*, ſeu flatores, qui ad ignem excitandum folles commovent, quibus ventus attrahitur atque emittitur. Horum Officinatorum operas optimè deſcribit Virgilius *7. Æneid.*

— — — Alii ventoſis follibus auras
Accipiunt, redduntq; ; alii ſtridentia tingunt
Æra lacu: gemit impoſitis incudibus antrum.
Illi inter ſeſe multâ vi brachia tollunt
In numerum, verſantq; tenaci forcipe maſſam.

Hîc ſatis mirari non poſſum, Triumviros Monetales à Pomponio, æris, argenti, & auri flatores dictos, & neminem hucusq; corruptam lectionem advertiſſe. Quid enim? Num liberti flatores aut flatuarii in re monetaria Magiſtratum, populi Romani ſuffragio geſſerunt? Hoc planè abſurdum

eſt. Quare audacter affirmo Pomponium ita ſcripſiſſe: Triumviri monetales, æris, argenti, auri, F. F. LATOR. Quod eſt, flandi feriundi latores: & ex literarum vicinitate literam F. literæ F. verbo latores junxerunt: imperitiâ librariorum ſcriptum flatores. Lator Vet. Gloſſ. εισηγητὴς, Author: & ſuaſor legis Budæo, εισηγούμενος. Authores quidem dicimus eos, quorum conſilium & ſententiam ſequimur, quaſi Jus quoddam ita ſentiendi, certum & conſtitutum habeant. Sic Imp. Antoninus oratione in Senatu habita, author fuit Senatui cenſendi, ut aliquid laxaret de rigore Juris (*l. 32. in pr. ff. de Donat. int. vir. & uxor.*) Atque authoritas vim, poteſtatem, & dignitatem denotat, quam Triumviri Monetales adepti ſunt Jure Magiſtratus. Hæc Gutherius, cujus ſententiæ album vel nigrum calculum addato, qui volet, per me licet.

Num. 29.

(31) *Lex Cornelia &c.*] Lata nimirum à L. Cornelio Sylla Dictatore (*l. 32. ff. de Reg. J.* Roſinus *Antiquit. Roman. lib. 8. cap. 26.*) & interdum Teſtamentaria (*§. 7. Inſtit. de publ. jud.*) interdum etiam Numaria (*Cic. 3. in Verrem*) appellata, quia & falſum circa Numos commiſſum ex ea vindicabatur, *per l. 8. l. 9. & l. 19. ff. ad L. Cornel. de falſ.* Ex quibus legibus apparet non omnia apud priores meliora, ſed & olim extitiſſe homines, qui in Codice Theodoſiano paracharactæ, notante *Gotofredo ad lib. 8. lit. r.* vocantur, gnari tingere, fingere, lavare, radere numos, (*de quo Ant. Matthæus de Criminibus ad lib. 48. tit. 7. cap. 4. n. 2. ſeqq.*) non ſecus ac poſteri, quibus per publicas Leges exempli gratiâ *per Receſſum Imper. Auguſtæ Anno 1551. pag. m. 434.* ſub pœna ignis deß Granelirens/ Kürnens/ Seygerns und dergleichen vernachtheiliger Handlung und Verfälſchung der Müntz ſich zu enthalten/ mandatum erat: ut nunc Kipperos atq; Wipperos denatos & renatos taceam.

(32) *Taprobanes &c.*] Noſcunt Geographiæ Studioſi à nonnullis Taprobanem Inſulam hodiè Sumatram, ab aliis verò & rectiùs Ceylon ſive Zeylon, (ut Cluverio *in Introd. Geograph. lib. 5. c. 11.* & Oleario *in notis ad cap. 12. Itinerarii Mandelsloici*) dictam putari. Quæ ob felicem omnium rerum proventum Pars Paradiſi ab incolis creditur. Gotofredus *in Archontologia Coſmica part. II. In deſcript. Regni Bisnagar ſ. Narſingæ n. 13.*

Num. 32.

(33) *Præturas &c.*] Ita quidem Dio *lib. 60. pag. m. 680.* Prætores, *inquit*, qui pecuniæ publicæ curandæ præfuiſſent, abrogavit; Quæſtoribus eo munere, ut antiquitus inſtitutum fuerat, mandato: non quidem ut ii eſſent annui (ſicut olim & quæſtores, & hi deinde prætores fuerant) ſed ut iidem duo ad triennium totum ei negotio præeſſent: atque hi ſtatim Prætores deinde creabantur &c. Iterum tamen ad Prætores rediiſſe hunc Magiſtratum Tacitus *4. Hiſt. 9. n. 1.* indicio eſt.

Num. 33.

(34) *Xyſtus IV. &c.*] Uti Boterus *in Relat. 9. de Pontif. Rom.* refert. Itaque quum Papa Pius V. fœdere A. C. MDLXXI. cum Philippo Hiſpaniarum Rege & Republica Veneta adversùs Turcam icto, quo onera ita partita erant, ut dimidium ſumptuum faceret ipſe Philippus, alterius dimidii duas tertias Veneti, reliquam tertiam Pontificium ſuſciperet ærarium; & verò negaret Pontifex, ſe plus quàm ſextæ unciæ ſibi aſſignatæ tertiam partem conferre poſſe, ærarii inopiam cauſatus; Michael Surianus, Venetus Patritius & Legatus acriter reclamabat, & ridiculum eſſe dicebat, Pontifici R. deeſſe pecuniam, qui omnium facillimam illius expediendæ viam habeat. Nam in ore omnium eſſe, nullum opulentius vectigal toto terrarum orbe eſſe Pontificis calamo, cujus ſimplex ductus quantumvis immenſam pecuniæ vim momento pariat.

(35) *Johannes &c.*] Johannes ſcil. XXI. dictus XXII. vel ſecundùm Platinam & ſequaces XXIII. ante Pontificatum adeptum, quemadmodum tradit Theodorus. Petrejus *in Chronologia Romanorum Pontificum pag. 89.* aliiſve, Jacob de Oſſa, vulgò Cadurcenſis appellabatur. Hic Anno MCCCXVI. die 7. Auguſt. in ſedem Pontificiam evectus Anno MCCCXXXIV. die 4. Decembris (*Petrejus d. loc.*) Anno ætatis XC. (Platina *in vita ejus*, Petrejus, aliiſve) Pontificatus decimo octavo cum menſibus tribus ac diebus viginti octo obiit; relictis ſi non, ut aliqui volunt, quindecim, vel ut alii vigintiquinque millionibus auri (Adelzreitter *Boicæ Gentis Annal. part. 2. lib. 3. cap. 18.* Mornayus *in Hiſtoria Papatus pag. m. 40.*) vel decies & ſepties centenis aureorum millibus (*Petrejus dict. loc. pag. 90.*) vel ut Klockius *h. loc.* perhibet, vigeſies quinquies centenis aureorum millibus, (vid. Langius *in Chronico Citizenſi ſub Anno 1334.*) attamen tantâ vi auri, quantâ nullus ante ſe Pontifex. Et hic ipſe eſt, qui evibrato in Ludovicum Bavarum Principem Optimum (cujus effigies in Curiæ noſtræ Urbis Anno MCCCXL. die Mercurii, qui S. Agatæ dicatus, exædificatæ, aula majori cum hac inſcriptione, eò quòd in Rempublicam illam propenſiſſimus eam ſæpiùs adiiſſet, conventus Imperii ibidem celebraſſet, eamque plurimis Privilegiis & immunitatibus, v. g. Anno MCCCXV. MCCCXVIII. MCCCXX. MCCCXXIII. MCCCXXV. MCCCXXVIII. MCCCXXXI. MCCCXXXII. MCCCXXXIII. MCCCXXXIV. MCCCXXXV. MCCCXXXIX. exornaſſet & evexiſſet, exſtat: B. O. S. D. IMPER. LUDOV. IV. AUGUST. BOJORUM. BATAVORUM. CANENUFATIUM. BELGICÆ. SECUNDÆ. FRISIONUMQUE. DUCI. PRINCIPI. OPTIMO. ET. DE. REPUBL. NORIBERGENSI. BENE. MERITO.) anathematis fulmine, plurimorum ejus ſeculi doctorum virorum ingenia, ad defendendam Imperatoriam Majeſtatem contra prætenſum ſummum rerum arbitrium Pontificis Romani in ſeculare caput & Jure ad Imperiū, nec non contra Johannem XXII. ipſum excitavit quorum plerorumque opera videl. Marſilii de Menandrino Patavini *Defenſorem Pacis Anno 1324. ſcriptum*, Magiſtri Guilielmi Occami Monachi Franciſcani ex Ordine Minorum *opera*, Jodoci Badii Aſcenſis *ſummaria ſeu Epitomata*, Michaelis Cæſenatis, Magiſtri Generalis in Ordine Minorum *Tr. contra Errores Johannis XXII. &c.* Melchior Goldaſtus Heimensfeldius *in Tom. II. de Monarchia S. Rom. Imperii*, quibus & ipſæ Conſtitutiones Imperatoriæ, Ejusdem *Tom. II. & III.* lucem adferunt, collegit. Add. Joh. Georgii Herwarti Ludovicus IV. contra Bzovium, & ejus ſeculi ſcriptores plerique.

Num. 34.

(36) *Calliſtus III. &c.*] Calixtus III. Alphonſus, cognomento Bergia, antea vocatus Hiſpanus Anno MCCCCLV. ſexto Idus Aprilis Pontificiam dignitatem adeptus ſtatim Turcis bellum indixit, mandavitque, ut aſſiduo rogatu DEUS flecteretur,

cteretur, in meridie campanis ſignum dari fidelibus omnibus, ut oratione militantes contra infideles Turcas, juvarent. Sed quàm irrito conatu, ob Chriſtianorum odia & diſcordias, geſtum hoc bellum fuerit, nimis clarè Hiſtorici teſtantur. Mortuus autem fuit Anno Pontificatûs ſui tertio, menſe tertio, die decimo ſexto, & ſic Anno Chriſti MCCCCLVIII. VIII. Idus Auguſti, ut Platina pluribus exequitur.

(37) *Paulus II. &c.]* Paulus II. Petrus Barbo antea vocatus, patriâ Venetus A. MCCCCLXIV. pridie Kalendas Septembris Pontifex creatus, (de quo Platina, privatæ malevolentiæ affectu, ut loquitur Petrejus *in Chronolog. Pontif. pag. 98.* multa indigna refert) poſtquam ſediſſet annos VI. menſes X. V. Calendarum ſecundùm Platinam, VIII. verò ſecundùm Petrejum & Onuphrium, Anni MCCCCLXXI. apoplexiâ correptus obiit. Silent verò Platina, Petrejus, & Onuphrius, nec non Revius, atque Dietericus de eo, quod Author noſter dicit.

Epitaphium ejus nobis exhibet Svvertius *in Select. Chriſt. orbis Deliciis* tale: Paulus II. Venetus, Pont. Max. è vetuſta Barborum familia, præclaris naturæ dotibus, avunculo Eugenio IV. non inferior, Juſtitiæ, Pietatis divinarumque ceremoniarum cultor religioſiſſimus, Eccleſiaſticæ libertatis Majeſtatisque defenſor conſtantiſſimus, præcipuo pacis ſervandæ ſtudio, & ſingulari omnis generis munerum abſtinentiâ, formidandâ etiam lege Magiſtratibus indictâ clariſſimus. In Principes munificentiâ, in pauperes miſericordiâ inſignis. Patrio amore annonæ copiam urbi dedit. Patrimonium B. Petri, erratis populorum indulgentiſſ. parentis affectu emendatis, & conſervavit & auxit. Furentes armis hæreticos repreſſit, & quod per difficilem rerum temporumque conditionem effici cum dignitate non poterat, maturâ cunctatione feliciter ſaluberrimè diſpoſuit. Vixit Annos LIII. Menſ. X. Dies XXVII. Sedit Annos VI. Menſ. X. Mortuus Anno MCCCCLXXI. Marcus Barbus Cardinalis S. Marci, Patriarchæ Aquilegienſis Conſanguineus B. M. poſuit Anno Salutis MCCCCLXXVII.

(38) *Petrum &c.]* Hos Tres, Primos Pontifices Romanos plerique eorum, qui vitas Pontificum literis conſignarunt, conſtituere, palàm eſt, qui evolvi poterunt. Inter quos Revius quæſtionẽ an Petrus unquam Romæ fuerit, & an Caput Eccleſiæ fuerit, negativè reſolvit. Quarum priorem, quòd nempe Petrus Apoſtolus nunquam Romæ fuerit, Ulrichus Velenus Minhonienſis *in ſingulari Tractatu, (qui à Goldaſto Tom. III. de Monarch. S. Romani Imp. inſertus,)* enucleat, & affirmativam oppugnat. Poſterioris verò aſſertionem Guilielmus de Ockam *in Dialogo itidem apud Goldaſtũ d. loc. Tom. II. extante lib. 4. per totum* defendendam ſuſcipit. Quam litem hoc loco noſtram non facimus. Allegat verò fortaſſis Author noſter S. Petrum & ſucceſſores priores ideò, quòd horum tempore ipſis dicere familiare erat, aurum & argentum non eſt mihi, ut S. Petrus *Act. 3. v. 6.* loquitur.

(39) *Sixtus V. &c.]* Sixtus V. ante Pontificatum adeptum Felix Perretus de Monte alto, Cardinalis S. Marcelli *(Petrejus pag. 106.)* ſive *(Venetus Legatus apud Honorium in Theſauro Relat. de Urbe Roma, quæ eſt in ordine 1. pag. m. 38.)* Cardinalis Montaltus cognominatus fuit, Frater Ordinis minorum Conventualium S. Franciſci, natus ad caſtellum *Le Grotte*, hoc eſt, antra ſive cavernæ *(Cicarella in vita ipſius)* in Marca Anconitana, ſive, ut eſt apud Svvertium *in ſelect. orb. Chriſt. Delic. inter inſcript. Rom.* Cupris ad littus ſuperi maris in Piceno, natus, Montalti educatus humilibus parentibus in ſumma paupertate, adeò ut ipſe de generis ſtatusque ſui humilitate, tenuitateque verba faciens dicere ſolebat, *ſe domo natum illuſtri*, quoniam domus, in qua genitus erat, cum lacero tecto magna parte fuerat diſcerperta, ideoque à Sole maximè illuſtrabatur, ſed magno ingenio præditus; demum VIII. Cal. Maji ſive XXIV. Aprilis Anni MDLXXXV. Pontifex factus, & primo die Maji, ſ. I. Calendarum Maji, qui in diem Mercurii incidit, coronatus eſt; Diem profectò illi feliciſſimum! Eo namque die & natus eſt, & monachum induit: eodem die Vicarius generalis, Cardinalis, & Pontifex creatus eſt; eodem quoque die ſub area D. Petri coronatus eſt. Sedit usque ad diem XXVII. Aug. Anni MDXC. & ſic Annos V. menſ. IV. dies III. ætatis Anno LXX. Huic vivo adhuc Romani primis Pontificatus illius annis in Capitolio Statuam æneam inauratam *(Svvertius dict. loc. pag. 118.)* vel ut alii *(Cicarella in vita Sixti V.)* æream erexerunt; cum hac inſcriptione:

SIXTO V. PONT. MAX.
OB QUIETEM PUBLICAM,
COMPRESSA SICARIORUM EXULUMQUE
LICENTIA,
RESTITUTAM;
ANNONÆ INOPIAM SUBLEVATAM,
URBEM ÆDIFICIIS, VIIS, AQUÆDUCTU
ILLUSTRATAM
S. P. Q. R.

At verò cùm mortuo eo & ſede vacante Statuàm Sixti quidam evertere voluiſſent, horum occaſione Romani decreverunt nulli poſthac Pontifici viventi Statuam eſſe conſecrandam. Decretum autem hoc marmori inſculptum, in quadam aula Capitolii erectum, in hanc ſententiam legi tradit Cicarella:

SI QUIS
SIVE PRIVATUS, SIVE MAGISTRATUM
GERENS,
DE COLLOCANDA VIVO PONTIFICI
STATUA,
MENTIONEM FACERE AUSIT,
LEGITIMO S. P. Q. R. DECRETO
IN PERPETUUM INFAMIS, ET PUBLICORUM MUNERUM
EXPERS ESTO.
MDXC. MENS. AUG.

Porrò erectos ſub ipſius regimine diverſos Cicarella *in vita ejus* enarrat obeliſcos, diu ſub terra defoſſos; Obeliſcum nimirum Vaticanum, alterũ ante Eccleſiam Mariæ Majoris, tertium in area S. Johannis Lateranenſis, quartum prope Eccleſiam S. Mariæ *del populo*; Idem indicat ab ipſo ædificatum Sacellum præſepis Domini in Eccleſia S. Mariæ Majoris, & conditum in eodem ſacello magnificum ſepulchrum tum Pio Quinto Pontifici Romano, in quòd illius corpus è Divi Petri Eccleſia cũ maxima põpa juſſit inferri; tum ſibi monumentũ ſtatuamq; poſitam præſepe Dominicum adorantem; auſpiciis quoq; illius aquas in montẽ Caballi, qui ab antiquis Quirinalis dicebatur, adductas, & à ſuo nomine, quod ante Pontificatum habuit, æquæductum Felicem appellatum; Fontem quoq;

venuſtiſſimum ſub area S. Suſannæ, à latere thermarum Diocletiani conſtructum; Palatium in Laterano in uſum Pontificum à fundamentis excitatum; Scalam inſuper ſanctam ex quorundam locorum ruinis ad Sancta Sanctorum, ut vocant, translatam; Xenodochium ſeu Noſocomium, ab eo conditum infirmis in initio plateæ Juliæ à latere Pontis Sixti ad ripam Tiberis, tantâ amplitudine, ut uno eodemque tempore in eo bis mille homines poſſent habitare, nec unus alteri impedimento ſit; Statuam deinde ab eo S. Petri ex ære conflatam & deauratam in Columna Trajani, S. Pauli verò in Columna Antonini conſtitutam; reſtitutos duos equos, unum Praxitelis & Phidiæ alterum, in monte Caballino; (*vide Inſcriptiones in Alberti Reimeri* im abgebildeten Neuen Rom / *pag. 429. & 431.*) vias Sixtum inſuper aperuiſſe, reſtauraſſe ac dilataſſe ſex, & inter eas Felicis nomine unam planè novam feciſſe; ut alias fabricas Collegium Bononiæ Studioſis ex Marchionatu Anconitano; aquas ductas in urbem veterem dulces; Oppidum in patria conditum; Tiberim inter Borgettò & ventriculo ponte conſtratam; nunc prætereamus. Tandem & nobiliſſimam illam Bibliothecam Vaticanam, toto Orbe celebratam, exemplum ſucceſſoribus hujus curæ daturus, ampliorem conſtituit & exornavit, (quam elegantiſſimè deſcripſit Cicarella *in vita Sixti V. Pontif. R.*) Hanc in ſequentibus temporibus illuſtriorem reddidiſſe conſtat Paulum V. atque Gregorium XV. Illuſtriſſimam verò per Gregorium XV, tum Bibliothecam Palatinam maxima ex parte à Maximiliano Bavaro Heidelbergâ per Tillium expugnatâ, ei ſpolium, ſibi victori tropæum, & victis cruciatum (*Ingolſtadienſes in Gloria Bellica Maximiliani Duc. Bav. lib. 8. cap. 10.*) Romam Anno MDCXXIII. transmiſſam Vaticanæ adjungeret. Theſaurum cujus, ut noviſſimè Sprenger. *in Roma Nova lib. 7. cap. 4.* poſt alios teſtatur, vel ſola manuſcripta octo millibus Coronatis æſtimantur. Sed non contentus erat Bibliothecam conſtituiſſe Sixtus V. niſi & fundum fertiliſſimum in flores plures quotidiè abeuntem adderet, proinde eodem in loco Typographiam quoque inſtituit. Quantum verò hæc in opera impenſum fuerit, non ſic in proclivi eſt divinare. Certè regias divitias tantis operibus præter ordinarias expenſas ad culmen perducendis haud quaquam ſufficere in proclivi eſt. At verò tantæ, memorante Cicarellâ, tamque intolerabiles exactiones maximaque tributa, quæ populo indicebantur, erant, ut triginta quinque impoſitiones ſuperent, quæ Coactores ab illo conſtituti incredibili cum rigore exigebant. Conſtituitque, ut Provinciæ & Civitates ad ditionem Romanam pertinentes ad triremes ab ipſo fabricari ſactas conſervandas neceſſariam quotannis pecuniam penderent, ſeptuaginta ſcilicet aureorum millia; duodecim millia clerus, & quinque millia, quæ quotannis ex proventibus Beneventanis colliguntur, octo inſuper millia ex duobus *Apalti* Italicè monopoliis Urbis Romanæ.

(40) *Immenſos theſauros collegit &c.]* Prodeat teſtis laudatus ſæpè Cicarella, ita enim ille: In cumulandis, corradendisque undique pecuniis Sixtus erat aſſiduus, quare officia quædam vendidit, quæ antea non vendi, ſed gratis dari à Pontificibus ſolebant, inter alia officium Commiſſarii Cameræ, Theſaurarii, vicariarum Cubicularii, vulgò *Viceca merlengatum*, & alia ſimilia. In expendendis pecuniis tam fuit parcus, ut ferant nonnulli, attritis illum reſarcitisque uſum indusiis, etiam cùm Pontifex eſſet: omnes iſtos theſauros, & quicquid illi ſuperſuit, id omne in caſtello ad uſum publicum recondidit. *&c. p. p.* Primo Pontificatus ſui anno decies centena aureorum millia in Caſtro S. Angeli recondidit, cum decreto addito, ne minimam hujus theſauri partem expendi unquam aut erogari poſſe, niſi in recuperatione Terræ Sanctæ, generali expeditione in Turcam ſuſceptâ, & ne tunc quidem, priusquam exercitus mare trajecerit, littoraque Turcica tenuerit, aut tanta eſſet ſames, annonæque difficultas, ut ſine præſentiſſimo populi exitio ferre diutiùs miſeria non poſſit, aut peſtis contagioſiſſima graſſaretur, aut Provincia aliqua Chriſtiana periclitaretur, ne in manus infidelium vel inimicorum Eccleſiæ incidat, cùm jam hoſtilis exercitus ad finitima dictæ Provinciæ loca pervenerit, ipſique imminere videtur: aut denique Civitas aliqua ab Eccleſia defecerit, quæ aut recuperari, aut conſervari ſine his numis non poſſit. Juravit Sixtus, ſe hæc obſervaturum, voluitque omnes ſucceſſores ſuos idem juramentum dicere. Tertio deinde Pontificatus ſui anno in eadem arce, & in eundem uſum alia decies centena millia ducatorum ſeu aureorum repoſuit: declarans inſuper, inter caſus, in quibus tam prior, quàm poſterior theſaurus poſſet expendi, etiam intelligendam eſſe recuperationem alicujus Regni, ab inimicis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ occupati. His duobus theſauris ter decies centena millia poſtea adjecit, ita ut in arce hac poſt obitum ſuum quinque circiter milliones, ut vocant, hoc eſt, 5000000. Coronatos reliquerit, &c. *Hactenus Cicarella.* Sic & Petrejus *pag. 106.* quinquagies centena aureorum millia Sixtum V. reliquiſſe; Venetus Legatus *apud Honorium in relatione pag. 31.* quinque Pontificatus annis quadragies centena aureorum millia, i. e. quatuor auri milliones intuliſſe, tradit. (Ex quo ſequeretur, ultimis ante obitum ſuum menſibus quatuor & diebus tribus integram millionem collegiſſe.) Amiratus verò *Diſſertat. Polit. lib. 1. diſcurſu XI.* conſummat decies centena millia.

(41) *Diſpenſationibus in ſecundo gradu &c.]* Sequitur quoad hoc Klockius Illuſtriſſimum Johannem Delphinum, Sereniſſimæ Reip. Venetæ ad Clementem VIII. Legatum, quem Author *Commentarii de Principat. Italiæ* producit. Quoad Diſpenſationes verò notandum: Inter collaterales ſeu transverſales prohiberi etiam nuptias, non tamen in infinitum; & quidem Jure Canonico novo (variaſſe enim circa enumerationem Graduum tam Concilia, quàm Patres atq; Pontifices, Gerhardus *in loco de Conjugio ſect. 3. n. 330.* Andreas Vallenſis *in paratit. Jur. Can. lib. 4. tit. 14. de Conſang. & Affinit. num. 6.* & Canoniſtæ communiter monſtrant,) redacta eſt prohibitio matrimonium contrahendi inter collaterales ad quartum conſanguinitatis & affinitatis gradum incluſivè, *per cap. non debet 8. x. de Conſ. & Affin.* eò quòd ſecundùm Pontificis Innocent. III. effatum Quaternarius hic numerus benè congruat prohibitioni conjugii corporalis; quia quatuor elemen-

ſunt humores in corpore, qui conſtant ex quatuor elementis. Quam rationem plerique rejiciunt, quòd non ſit concludens, cùm & ſemper iidem humores fuerint in corpore humano, *cap. in quadam. 8. extra de celebr. miſſ.* Alii verò exiſtimant, quòd ratio hæc non tanquam primaria, ſed ut congruens quædam afferatur, neque tamen ſit inepta, aut ridicula, ſed planè phyſica. Ex quorum numero Robertus Bellarminus *de matrimonii Sacram. cap. 29. circa fin.* & Joh. Bechſtadius *in Collat. Jur. Connubial. cap. 16. pag. 127.* à Michaele Havemanno *in Gamologia lib. 2. tit. 5. poſit. 12. num. 2.* & Beato Gerhardo *dict. ſuprà loco num. 339.* refutata extant. Poſſe tamen & ſolere Pôtifices Romanos in gradibus hiſce tam æqualis quàm inæqualis lineæ, interventu ſummæ pecuniariæ, diſpenſare, & Canoniſtæ firmiter credunt & docent, idque ipſum Experientia teſtatur. Verba Taxæ Pœnitentiariæ hæc adducit Gerhardus *in loco de Conjugio numer. 308.* Diſpenſatio de contrahendo in gradu ſpirituali Gr. 60. expedivi tamen unam pro Gr 50. ſed de gratia. Idem eſt judicium in ſecundo gradu & componitur cum Datario in maxima ſumma aliquando 300. & etiam 500. & alias, juxta qualitatem perſonarum. Et nota diligenter, quòd hujusmodi Gratiæ & diſpenſationes non conceduntur pauperibus, quia non ſunt divites, ideò non poſſunt conſolari, in III. & IV. gradibus conceduntur pœnitentiario, quia contrahentes ſe attinent. In II. & III. componitur pro tertio ad Ducat. 25. ſi Nobiles, ad Dùcat. 60. & fit declaratoria ſuper ſecundo & non componitur, &c. An verò Pontifex poſſit diſpenſare in impedimentis naturali & divino jure matrimonium dirimentibus; non ita expeditum eſt; tres diverſas ſententias adfert ex Sanchez, Gutierrez *de Matrimon. cap. 122.* & tandem concludit ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 24. can. 3.* ſi quis dixerit, eos tantùm conſanguinitatis, & affinitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, poſſe impedire matrimonium contrahendum & dirimere contractum: nec poſſe Eccleſiam in nonnullis illorum diſpenſare, aut conſtituere, ut plures impediant, & dirimant, anathema ſit, quum nullus ex illis Gradibus (*de quibus Levit. 18. agitur*) ſit hodiè Jure divino prohibitus, niſi qui aliàs prohibitus eſt Jure Naturæ, atque ideò poſſe hodiè ſummum Pontificem in omnibus illis gradibus diſpenſare, præter eos, qui attento Jure naturæ matrimonium caſſant: de quibus Sanchez *lib. 7. Diſp. 57. num. 12. & 13.* agit. Cui tamen opinioni nec Canones nec Dd. vetuſtiores minùs noſtros ſubſcribere, Nobilis Myllerus *in Gamologia c. 8.* demonſtrat, & *n. 5.* varia exempla producit: cui accedit Havemann. *in Gamologia l. 2. tit. 7.* Carpzovius *in Juriſpr. Conſiſtoriali lib. 2. tit. 7. def. 109.* & Theologi noſtri omnes, qui contrarium firmant. Interim non ſolùm, ex diſpenſatione Pauli V. Pontificis Romani, Sigismundus III. Sueciæ & Poloniæ Rex, Annâ Caroli Archiducis Auſtriæ filiâ conjuge ſuâ Anno MDXCVIII. defunctâ, ſororem ejus Conſtantiam IX. Xbris Anno MDCV. duxit & ſibi junxit. Ex Diſpenſatione verò Innocentii Papæ perpeſſitius ille Caſimirus, non ita pridem Poloniæ Rex, Anno MDCXLIX. defuncti ſui Fratris conſanguinei Uladislai viduam, Dn. Mariam Ludovicam Gonzâgam, Principiſſam Nivernenſem, in matrimonium aſſumpſit. Sed etiam Don. Petro breve ante tempus conſenſu Statuum Portugalliæ, ceſſa cum Regno ab Alphonſo VI. hujus nomine, Fratre ſuo germano, ſe vivente Uxore; Papa & prius matrimonium diremit, & diſpenſans poſterius confirmavit. Ut alia exempla pro nunc intacta relinquam.

(42) *Arcem Sanct-Angelicanam &c.]* Adriani Mauſoleum ad ulteriorem ripam Tiberis excitatum, pario marmore extructum & in imo quaternis pari dimenſione lateribus, poſteà circumeunte fabrica, rotundam ſpatioſamque eminebat in Turrim: equeſtribus ex eodem lapide ſtatuis, aut è curru extantibus in ſummo collocatis. Quæ Principum decora usque ad ſecundum bellum Gothicum inviolata manſerunt: ac præterea Moli ad tuendam Urbem munitiones additæ ſunt. Cæterùm egregia illa Statuarum decora Gothici ſecundi belli turbo decuſſit. Poſt Molem pro Arce tam Græci quàm Gothi habuêre. Deinceps munitio Narſetis in poteſtate fuit, atque Exarchorum, qui poſt illum Romam & Italiam Imperatoris nomine regebant. Nec dum tamen Angelicâ appellatione veterem infelicis ſepulchri nomen exuerat; cùm, ſub hæc tempora (Anno Salutis DXC.) graſſante Romæ peſtilentiâ Gregorius M. Pontifex (qui ad D. Petri ſolennem ſupplicationem habebat;) Angelum in edita Mole enſem vaginâ includere, & unâ vim morbi condere ſuſpexit. Inde S. Angeli inditum nomen: additâ etiam in ſummo vertice dicatâque Archangelo MICHAELI ſacrâ æde. Quâ deinde ad imam viciniam translatâ, ſeu potiùs ibi ſubſtructâ in rei admirandæ teſtimonium, marmoreum Angeli ſimulacrum, præcelſo loco impoſitum eſt. Quæ omnia & qualia & ſub quibus Dominis ſua deinceps incrementa hæc arx ſumpſerit, adeò ut impoſterum munimen Pontificum in extremis conſtitutorum fuerit, accuratè Alexander Donatus *in Roma veteri & recenti lib. 4. c. 7.* Albertus Reimarus im abgebildeten Neuen Rom/ *pag. 4.* atque Pancirollus *cum Comm. Henrici Salmuth* deſcribunt. De Apparitione verò Angeli omninò Sigonius *de Regno Italiæ lib. 1. ſub annum 591.* conſulatur.

(43) *Quinque milliones &c.]* Legatus, apud Laetum *in Libello de Principat. Italiæ pag. 88.* dicit, quatuor milliones & dimidium in auro &c.

Num. 35.

(44) *Subſidio triennali &c.]* Meminit ejus Onuphrius *in vita Pontificis Pauli III.* his verbis: Niſi (*Paulus III.*) gravioribus vectigalibus tributisque paulò aſperior ſubditos aſſiduè vexaſſet, in his TRIENNALI SUBSIDIO, toti Statui Eccleſiaſtico gravi, nemo ad eum diem per multos annos jucundiorem ſui memoriam reliquiſſet. Fuit Paulus III. ex gente Farneſiorum, dictus ante Pontificatum Anno MDXXXIV. die XIII. Octobris adeptum, Alexander; fundator Palatii magnificentiſſimi Farneſiani, quod adhuc Romæ eminet, ex ſolido Tyburtino marmore, ab Antonio Gallo inchoati, à Michaele Angelo Bounarota conſummati; aliorumque ædificiorum, quod inſcriptiones Romanæ teſtantur. De viſu dignis in ipſo hoc Palatio ita P. Merula *Coſmograph. part. 2. lib. 4. pag. mihi 499.* ſcribit: In Palatio Farneſiano, quod à Paulo III. Farneſio P. M. ſummis impenſis excitatum, tot tantaque antiqua viſuntur Monimenta, ut ſola in libri molem excreſcere commodè, ſi pro dignitate commemorentur, poſſent. In Periſtylio Porticus, inter Columnas, duo ſunt Hercules cum Leonis exuviis & clava: Minoris

Baſi inſculptum ΓΛΥΚΩΝ ΑΘΗΝΑΙΟΣ ΕΠΟΙΕΙ. Ad Siniſtram Jupiter Tonans ſeu Fulgurator eſt. Gladiatores ibidem duo Coloſſæi. Gradus aſcendenti Fluviorum occurrunt Statuæ marmoreæ, jacentium habitu, urnasque tenentium, quibus aquam effundunt. Mox duo Numidæ Reges captivi, erecti ad utramque Portæ partem. In ſuperiore contignatione Cardinalis eſt Bibliotheca, exaratos calamo libros habens plurimos. Muſæum item eſt Fulvii Urſini Romani, hominis doctiſſimi, qui rara non Urbis modò, ſed & Orbis κειμήλια, Numiſmatum, Gemmarum, Librorum, incredibili ſumptu collegit. In altera Tiberim verſus ærea M. Aurelii Imp. ingens Statua ſpectatur, chlamydata, baſi impoſita, atque inſcripta. In ædicula opus eſt marmoreum Dirces raptæ à Tauro, cujus Plautus, Propertius, Plinius meminerunt. Alia prætereo. Hæc ille. Plura de eo Palatio Hans Chilian Neumeyer *in ſuo Itinerario per Italiam atque Hiſpaniam linguâ Germanicâ Anno 1622. edito, pag. 258. ſeqq.* refert. Refertur inter laudes Ipſi ab Onuphrio de vita ejus decantatas & hoc, quòd unus omnium ſuæ ætatis Principum aptiſſimè noverat detegere hominum ſtudia, nudare voluntates, ſcrutari atque introſpicere ſenſuum intimos receſſus, in magnos ſcilicet uſus publicarum actionum. Quo authore mortuus perhibetur IV. Id. Novemb. Anno MDXLIX ætatis LXXXI. menſe VIII. die X. Pontificatus verò anno XV. die XXIIX. ſub hoc Pontifice famoſum illud Concilium Tridentinum Anno MDXLII. XI. Calend. Junii indictum, & Anno MDXLV. celebrari cœptum fuit. Plura de eo alia congeſſit Thuanus *lib. 1. & 6.* Sleidanus *Comm. lib. 21.* aliique geſtorum vitarumque Pontificum Scriptores.

(45) *Non-Mendicantium &c.]* Mendicantes Fratres ſive Monachi dicuntur, quòd in Religionis ingreſſu voto promittant, ſe nihil proprii omninò vel habere vel poſſidere, ſed in ſumma paupertate ex Eleemoſynis, ſeu piorum & fidelium hominum beneficentiâ & liberalitate in diem, inſtar mendicorum, vivere velle. Cùm autem Mendicantium Monachorum ordines, ex initiis valdè exiguis numero pauci, progreſſu temporis ita creviſſent, ut in infinitum penè procederent, Gregorius X. Papa Anno MCCLXXIII. vel ſecundùm alios MCCLXXIV, Concilium maximum Lugdunum convocavit, & viginti tribus eorum Ordinibus damnatis ac abolitis, in quatuor duntaxat eo in Concilio Mendicantes redegit, videlicet Prædicatores ſeu Dominicanos; Minoritas ſeu Franciſcanos; Auguſtinenſes; atque Carmelitas. De quibus Hoſpinianus *de Origine Monachatus lib. 6. claſſe quarta*, ex profeſſo agit: ubi *cap. 17. & 18.* multa Mendicantibus objecta ab ipſis in papatu viventibus viris bonis atque piis collegit.

(46) *Luſitania &c.]* Inde cùm Anno MDCXLII. ſub Urbano VIII. Pont. Rom. D. Michael Epiſcopus Lamecenſis à Rege Portugalliæ Romam miſſus, ut Legatus recipiendus foret ad oppoſitionem Marchionis de Vela, vel *Velez* diſceptatio oriretur, Receptionem ſuam inter alias etiam hâc ratione urgebat: Quòd Rex Johannes IV. illiusque filius Alphonſus ex poſteritate Emanuelis Portugalliæ Regis eſſet. Illius nempe, qui Sedi Apoſtolicæ primitias omnium in Indiis auri, margaritarum, totque ad plures myriades aſcendentium acquiſitarum rerum donaverat. Imò quod ex expeditionibus bullarum, & gratiarum, Dataria & Secretaria brevium quotannis è Luſitaniâ quinque myriades Coronatorum trahat. Sic adnotante ex Victorii Siri Mercurio *lib. 3. Tom. 1.* Jo. Theodoro Sprengero *in ſua Roma nova lib. 2. cap. 2.* Præterea, quoad Angliam, etiam ab Inâ, Occidentalium Saxonum Rege, regnum ſuum Romano Pontifici vectigale feciſſe, ſingulis argenteis numis, quos denarios vocant, in ſingulas domos impoſitis circiter Annum Salutis DCCXL; hocque vectigal Ethelvolphum ſeu Athulphum Regem Angliæ auxiſſe, Author eſt Polydorus Vergilius *Angl. Hiſt. lib. 4. pag. m. 118.* ubi ſubjungit: Omnis Anglia hoc tempore iſtuc vectigal Pietatis & Religionis causâ, Romano Pontifici pendit domeſticatim collatum, & numi illi argentei vocantur vulgò DENARII DIVI PETRI, quos Pontificius quæſtor, quem non inſcienter collectorem nuncupant, exigit: adde eundem *lib. 5. p. 123. ſeq.* Cumque inde ab eo tempore ad Henricum usque VIII. Angliæ Regem Britannia Romanis Epiſcopis eam pecuniam dependiſſet. Hic omnium primus inhibuit ampliùs eam perſolvi, ut Sleidanus *Comment. lib. 9.* ſcriptum reliquit. Ille enim primus fuit, qui Pontificiam Authoritatem execratus, ſe caput Eccleſiæ conſtituit: quod notiſſimum. Hocce tributum, quod centum mille libras Anglicanas ſive Sterlinorum (*quarum qualibet libra florenos quinq; cum quinq; bactis pendet*) annuatim exæquaſſe perhibent, nil aliud quàm puram Eleemoſynam fuiſſe, aſſerere conatur Hovvell. *in προεδρία βασιλικῆ* §. 2.

Quâ libertate Eccleſia Gallicana gaviſa, qualiter ea invaſa & demum reſtituta fuerat ex Defenſione pro libertate Eccleſiæ Gallicæ adverſus Romanam Curiam Ludovico XI. Gallorum Regi quondam oblatâ, quam Duarenus in calce operum ſuorum nobis exhibet, liquet: cui jungatur Limnæus *in Annotam. ad art. 16. Capitul. Caroli V. num. 6. ſeqq.* ubi differentiam inter Pragmaticam ſanctionem Galliæ, & Concordata nationis Germanicæ, & alia explicat. Quæ verò illa fuerint Concordata, Goldaſtus *Conſtit. Imper. tom. 1. pag. 207. 210. 211.* & *in rational. pag. 118.* nec non S. Cæſ. Majeſtati Libellus Supplex Ordinum antiquiorum ab Eccleſia confirmatorum in Comitiis Ratisbonenſibus Anno MDCXLI, exhibitus, quem Limnæus *Annotamentis ad Capit. Caroli V. mantis. 9. pag. 404. ſeq.* inſeruit, docent.

Num. 36.

(47) *Reges Neapolitani &c.]* Quo Jure Neapolitanum Regnum ad Eccleſiam Romanam pervenerit, & Feudum Pontificum effectum ſit, non ita expeditum apud omnes Hiſtoriarum harum Scriptores eſt. Aliis initium ejus Juris ad Stephanum II. P. R. & ſic ad Annum DCCLI. (*Joh. Villanus apud Beſoldum de Regg. Sic. & Neap. cap. 3. num. 19.*) aliis ad Joannem X; (*Zeiller. in Itinerar. Italiæ cap. 7. ex Sabellico, Blondo &c.*) aliis ad Nicolaum Secundum P. R. *uti ex Platina, in vitâ Nicolai II.* Beſoldo *de Reg. Sicil. & Neapol. cap. 3. num. 10. ſeqq.* Authore *Comment. de Regno Neapolitano pag. 91.* referentibus. Conſtat autem ex Collenutio circa Annum MLX. compoſitas inter præfatum Nicolaum II. & Robertum Guiſcardum Nortmannum intercedentes diſcordias, præter alias hâc lege: ut Robertus iterum feudalis Regis eſſet &c. Juramentum ejus hoc refert ex Vaticano codice, qui inſcribitur Liber Cenſuum &c. Beſoldus *dict. loc. num. 15.* Ego Robertus,

tus, Dei Gratiâ & S. Petri, Dux Apuliæ & Calabriæ, & utroque ſubveniente, futurus Siciliæ; ad Confirmationem traditionis, & ad recognitionem fidelitatis, de omni terrâ, quam ego propriè ſub dominio meo teneo, & quem adhuc ulli Ultramontanorum unquam conceſſi, ut teneat: promitto me annualiter, pro unoquoque jugo boum, penſionem, ſcilicet duodecim denarios Papienſis Monetæ, perſoluturum Beato Petro, & tibi, Domino meo Nicolao Papæ, & omnibus Succeſſoribus tuis, aut tuorum Succeſſorum nuntiis. Hujus autem penſionariæ redditionis erit ſemper terminus, finito anno, Sanctæ Reſurrectionis Dies Dominicus. Sub hâc conditione hujus perſolvendæ penſionis obligo, & omnes meos, ſive hæredes, ſive Succeſſores Tibi, Domino meo Nicolao, & Succeſſoribus tuis. Sic me Deus adjuvet & hæc Sancta Evangelia &c. Et hunc Nicolaum II. Pontificem primum feudi Dominum extitiſſe, confirmat inveſtitura ejusdem Roberti Anno MLXXVI. à Gregorio VII. apud Beſoldum *d. loc. n. 17.* ibi: Ego Gregorius Papa inveſtio te, Roberte Dux, de terrâ, quam tibi conceſſerunt Anteceſſores mei, Sanctæ memoriæ Nicolaus & Alexander, &c. Item Inveſtitura Calixti II. P. R. Wilhelmo Anno MCXX. conceſſa, apud eundem Authorem *n. 27.* ibi: Donamus & concedimus tibi terram & omnem, honorem & quæcunque noſtri Prædeceſſores, videlicet Papa Nicolaus, Alexander, atque Gregorius donavêre olim Roberto Guiſcardo, avo tuo, atque deinde Urbanus (II.) Papa, & Paſchalis (II.) ejus Succeſſor, donavêre Duci Rogerio, patri tuo, idemque Paſchalis poſtea Papa donaverunt tibi &c. Ut ſic ab hoc Guiſcardo primum Eccleſiæ Romanæ Jus An. MLXII. in Neapolis regno ortum ſit; quod tempore incrementum haud exiguum acquiſivit. Poſtquam ſcilicet Rogerius II. Dux, (*ſed in Rogeriorum ſerie tertius*) Italiæ Regem ſe appellaret, Siciliæque regis nomen atque Coronam ab Anacleto II. Antipapa Anno MCXXX. à vero autem Pontifice Innocentio II. Anno MCXXXIX. impetraret. Beſoldus *d. loc. n. 2. & n. 5. & 6.* ubi *n. 5.* de regio titulo Rogerio impertiendo conſcriptum Diploma Anacleti habetur. Cenſus verò illic expreſſus eſt ſexcentorum ſchifatorum, quos annis ſingulis Romanæ Eccleſiæ perſolvere debebat. Hicque Rogerius Neapolitanam Civitatem Anno MCXL. recens ſibi deditam primus ingreſſus eſt.

Dein Anno MCLVI. Wilhelmus dictus Malus; (*Beſold. d. loc. n. 10.*) & Anno MCXCVIII. Conſtantia cum Filio Friderico (*Idem cap. 5. n. 9.*) ſeſe adſtringunt ad cenſum ſexcentorum ſchifatorum, de Apulia & Calabria, quingentorum (poſteriores quadringentorum) verò de Marchia, vel æquivalens in auro vel argento: Pòſt Carolo Andegavenſi, ſingulis annis cenſus nomine, octo millia unciarum auri (Anton. Summontius addit: in feſto B.B. Petri & Pauli, quid ſi tribus terminis deficiat, cadat & unum Palafremum album, pulchrũ & bonum,) ſingulisque ſex menſibus 5000. marchas Sterlingorum Romanæ Eccleſiæ, & album equum ſeſe perſoluturum, & Romanum Imperium etiam ultrò oblatum, (tum penè vacantem & nutantem) minimè ſuſcepturum, Anno MCCLXVI. Regnum Siciliæ citra & ultra Pharum exceptâ Civitate Beneventanâ conceſſit. Anno verò MCCCXLIV. Clemens VI. ſimili modo Joannæ Regnum Siciliæ Jure fiduciario contulit, Beſoldus *ibid. cap. 6. n. 35.* Qui idem annotat *cap. 7. n. 13.* Initâ inter Siciliæ & Neapoleos Reges Pace conventum fuiſſe, ut ob Siciliam Inſulam pro annuo cenſu ad unciarum tria millia Romano Pontifici, in feſto Apoſtolorum Petri & Pauli penderentur. Demum Anno MDX. ad ſeptimum Idus Auguſti, Ferdinando Catholico Neapoleos Regi à Julio II. dicta lex, ut ob adeptum Regnum Petri & Pauli Feſto die annuas octo millia auri uncias in Pontificium ærarium inferret, quolibet triennio Equum candidum daret, in præſenti quinquaginta millia aureos. In tantum autem à Pontifice & Cardinalium Collegio paulò pòſt mitiori cenſurâ caſtigata hæc lex fuit omninò ad ſeptimum Idus Auguſti, ut remiſſo annuo vectigali & quinquaginta aureorum millibus, Equum candidum quolibet triennio repræſentari ſatis haberent: dicente Mariana *de Reb. Hiſp. lib. 29. cap. 24.* addente; Annis conſequentibus à Leone (X) Pontifice imperatum, ut ii Reges annua ſeptem aureorum millia penderent, veniæ pretium Carolo Auguſto conceſſæ Imperii Romani Nomen cum eo regno jungendi, contra quam Leges olim Andegavenſibus & Aragoniis Neapolitanis Regibus impoſitæ ferrent. Hactenus laudatus Mariana. Eum ipſum annuum cenſum ſeptem millium aureorum cum Equo albo, ab hoc inde tempore in feſto SS. Petri & Pauli Apoſtolorum Pontifici finitâ veſperâ, præſentibus Cardinalibus, ante portam majorem Eccleſiæ Vaticanæ, quandoque etiam lecto affixo, uti An. MDCLXVI. Alexandro VII. ab Hiſpaniæ Legato perſolvi, ex Hiſtoriis atque Relationibus notum eſt. Claudat hæc Beſoldi ſive potiùs M. Anton. Marcelli Locus *de Reg. Sicil. & Neapol. pag. 447.* Conjecturare licet, *inquientis*, Principes Normandos ab Eccleſiâ Infeudationem quæſiviſſe, ut legitimum aliquem titulum regnorum armis præreptorum oſtentarent; Suevos poſteà & Andegavenſes, ut faciliorem ſibi viam ad acquiſitiones aperirent; Arragonenſes, ne ſibi publicam invidiam conflarent, famâ percrebreſcente, in Regni eos Neapolitani Gubernacula, invitâ Eccleſiâ, invaſiſſe. &c.

(48) *Duces Ferrariæ &c.*] Ferraria ſive à Frattis, quod loca virgultis pruniſq; ſilveſtribus obſita & inculta ſignificare perhibent, ſive ſabro ferrario inter primos habitatores ejus loci invento (de quo Leander Albertus *in deſcript. Italiæ p. 531.* videndus) ſic dicta, invenitur à Pipino & Carolo M. nec non Ludovico I. dicto Pio Impp. per donationis paginam, (uti Ludovici Conſtitutio de Anno Chriſti DCCCXVII. apud Goldaſtum *Conſtit. Imp. tom. 2. pag. 10.* quam Otto I. cognomento Magnus & Otto II. Ruffus dictus An. *962. ut eſt apud eundem pag. 44.* confirmarunt, ſonat,) inter alia loca S. Petro donata reſtitutáve; & iterum per bullam Leoni VIII. P. M. dicto Ottoni I. (de cujus donatione priori Conringius *de Finibus Imperii Germ. lib. 1. c. 10.* conſulatur) anno DCCCCLXIV, teſte eodem Goldaſto *tom. unic. ſtat. & reſcript. Imp. pag. 36. 37.* ceſſa; ab Henrico II. Imperatore Benedicto denuò tradita, confirmatione donationum à Prædeceſſoribus ſuis factarum An. MXIV. interpoſitâ, fuiſſe legitur. Quod & ipſum Principes Electores S. Romani Imperii Anno Chriſti (*Goldaſtus d. loc. pag. 92. & in Rationali Conſt. Imp. pag. 87.*

pag. 87.) MCCLXXIX. ratum habuêre. Et tamen apud Leandrum Albertum *loco ſuprà citato* legitur, Thedaldum ex familia Ugonis, à quo domus illuſtris Ateſtina originem duxit, & qui Anno MVII. obiit, Ferrariam à Johanne XII. P. M. impetraſſe, eamque ab Henrico III. Imp. bello ſubactam in illuſtriſſimæ Comitis Mathildis Azoni Primo matrimonio pòſt irritum pronuntiato junctæ, poteſtatem circa Annum MC. perveniſſe, à qua dein Eccleſiæ Romanæ donata, & morte ejus Anno MCXV. inſecutâ, capta fuerat, quod & Platina *in vita Paſchalis II.* teſtatur. Inſequentibus temporibus Azonis filius Albertatius I. & ejus poſteri principatum Urbis Ferrarienſis tenuerunt; indeque factum, ut cum Azone Tertio, vivente circa Annum MCCXIII, Salinguerra Gramontius ope ſtudioque Actiolani Romanini, & voluntate Friderici II. Imp. Eccleſiæ tum Romanæ hoſtis, Ferrariam occupaſſet, ea libertati reſtituta à Gregorio IX. Azoni illi III. qui bello interfuerat, Eccleſiæ nomine gubernanda, ſecundùm Platinam *in vitâ Gregorii IX.* Anno MCCXL. committebatur; Ex cujus ſucceſſoribus Opizoni iterum Ferrariæ, Mutinæ, Argentæque vicariatus à Pontificis Benedicti XII. Legatis, hac tamen Lege, ut quotannis vectigal decem millium numûm auri Eccleſiæ Romanæ perſolveret (Platina *in vitâ Bened. XII.* Bodinus *de Republ. lib. 1. c. 9. pag. 123.*) Anno MCCCLXXII. tradebatur. Poſthac Barſus Ateſtinus, qui Anno MCCCCLXXI obiit, à Paulo II. P. M. (fortaſſis ad æmulationem Friderici III. qui eum ipſum Mutinæ & Regii Lepidi Ducem creaverat) Ducis titulũ cum Ferrariâ adeptus eſt. Ortâ verò inter Julium II. P. M. & Alphonſum Ducem controverſiâ, quæ demum ſub Clemente VII. ſopita, vi laudi Imperatoris Caroli V. An. MDXXX. pronuntiati, Alphonſus ad Cenſum millium ſeptenorum aureorum numûm propter rationem feudi Eccleſiæ quotannis ſolvendum obſtringebatur. Quæ omnia Leander Albertus fuſiùs & exactè examinat atque exponit. Ad ultimum cùm, Alfonſo II. Ferrariæ Duce, Herculis II. & Renatæ, Ludovico XII. G. R. ex Anna Britannâ prognatæ filio Anno MDXCVII. mortuo, illuſtriſſima Ateſtinorum Principum totâ Italiâ gens deficeret aut defeciſſe Romæ credita fuit, prout Thuanus *lib. 119.* loquitur, Anno ſequenti Ferraria poſtliminio in vim poteſtatemque Eccleſiæ pervenit, in qua etiamnum manet. Quod & Author Nepotiſmi Romani *lib. 2. cap. 12.* perbellè monet. Rationes verò, quibus evincere conatus fuit Pontifex Clemens VIII. Ducatum iſtum ad Eccleſiam Romanam pertinere, unà quaſi faſce collegit Gotofredus *in Archontologia Coſmica, part. 1. in deſcript. Ducat. Ferrar. pag. 517.* & ante eum Philippus Honorius *in Theſ. Polit. parte poſter. pag. 18. 19. ſeqq.* qui & pacta conventa inter Papam & Cæſarem Eſtenſem, *pag. 27.* exponit, quæ ibidem legi poterunt.

(49) *Urbini &c.]* Urbinum eodem quo Ferraria titulo nempe liberalitatis Pipini, Caroli M. Ludovici I. Ottonis I. Henrici II. atque Electorum Principum, ad Eccleſiam primitus perveniſſe, ſuprà allegata ex Goldaſto Diplomata clarè evincunt. Diu tamen Comitum Montis Feltrii ditionis fuit, è quibus Guido circa Bonifacium VIII. P. M. (qui Anno MCCXCIII. ad ſedem pervenit) rebus in Italia pro Imperatore Aug. præclarè geſtis inclutus, imperium ejus occupavit primus, quanquam multo antè tempore majores ejus potentes etiam in eâ Civitate fuiſſent: uti item olim Friderico Ænobarbo Oddus Antonius, ex cujus ſucceſſoribus cùm Feltrani filii Ludovicò Bavaro Pontificis hoſti militarent, Urbini Vicarium Federicum Pontifex appellavit. Porrò Federicus alter Dux Urbini, cùm priùs eſſet Comes, à Sixto IV. Pontifice Max. creatus fuit, (Boterus in Relat. *cap. XIII. de Ducib. Urb.* Leander Albert. *d. loc. pag. 444.*) Ab his ad Roboream Gentem Ducatus devolutus fuit, cùm à Guidone Baldo ſine maſculis decedente, Franciſco Mariæ, ejus ex ſorore nepoti, (qui Anno MCCCCXCI. natus) principatus procurante Julio II. P. M. traderetur. (Platina *in vitâ Julii II.* Lindenspür *de famil. orig. mut. &c. pag. 40.* Gotofredus *in Archontolog. Coſmicâ part. I. pag. 515.* Boterus *d. l.*) Sed hunc levibus quibusdam occaſionibus quæſitis (*verba ſunt Onuphrii in vita Leonis X.*) Leo X. Julii II. Succeſſor, ſibi ſuſpectum & inviſum armis aggreſſus eſt, cumque miſſis copiis Rentio Cærite Duce, Urbino cæterisque ejus ditionis oppidis atque Urbibus ſpoliavit, Laurentio (*Mediceo*) fratris filio Duce conſtituto. Attamen ipſe Franciſcus Maria ab Hadriano VI. P. M. in gratiam receptus, Principatum denuò adeptus fuit. Succeſſores habuit ex ſua gente Guidonem Baldum filium, & Franciſcum Mariam II. Hoc defuncto ſine maſcula prole Ducatus Urbini, Eccleſiæ Statui valdè opportunus, cùm limites conjunctos & permixtos habeat versùs Marchiam Anconitanam, tanquam feudum apertum Eccleſiæ Romanæ, (cui eo nomine, Botero teſte *de Ducib. Urbini cap. 13.* duo millia cum ducentis aureis, ſive, ut Segethus *de Princip. Italiæ, pag. 37.* annotat, annua pendebat ſcutatorum millia octo) Anno MDCXXVI. ceſſit, eique iterum, non tamen, niſi prætergreſſis multis difficultatibus, quas ex Mercurio Gallico Joh. de Laet. *in Comment. de Principat. Italiæ pag. 312. ſeqq.* indicat unitus fuit. Cùm Urbanus VIII. pro machinis, armis & reliquo apparatu bellico arcium centum millia ducatorum perſolviſſet. Author verò Nepotiſmi Romani *lib. 3. cap. 4.* conjicit illam acquiſitionem & reunitionem in Annum MDCXXXI. inquiens de Barbarinis Nepotibus: Eo ingenti pecuniæ numeratæ acervo, quem congregaverant, confidentes Barbarini, ſe magnos Principes efficere, & dimidiam Italiæ partem occupare tentarunt; & jam Regnum hoc, jam illam provinciam intellectus oculis luſtrabant & animis ambiebant. Primùm Ducatum de Urbino occupare decreverunt, qui anno hujus ſeculi trigeſimo primo ob Franciſci Mariæ de Rovere obitum in Eccleſiæ poſſeſſionem reciderat. Cardinales tamen huic intentioni ſe validiſſimè oppoſuerunt, nec illi voluerunt aſſentiri; vi autem eam rem aggredi diſplicebat Barbarinis propter odium, quo illos Veneti, & magnus Dux Etruriæ proſequebantur, qui talem executionem impedire potuiſſent, & procul dubio impediiſſent. Hæc ille. Computus redituum atque expenſarum hujus Ducatus apud Honorium *in Theſ. Polit. part. poſter. pag. 111.* deſcriptus extat, quem hîc producere nimis longum & fortaſſe ob crebras mutationes, quibus Expenſæ, & Reditus Principatuum ſubjecti, inutile foret. Lectu utilior verò Relatio ea videtur, quam ſub finem dicti Operis de Urbino Honorius profert: ut & quæ de direptione, antequam in Pontificis manus hic Ducatus veniret, narrat d. Author Nepotiſmi Romani *lib. 4. cap. 7.*

(50) *Par-*

(50) *Parmæ & Placentiæ &c.]* Tam Parmam quàm Placentiā in Romani Nominis fide, quamdiu Majeſtas illius priſtina conſtitit, itemque dignitatem ſuam Exarchi Ravenates tutati ſunt, ſemper hæſiſſe; poſtea verò communi reliquarum Italiæ Civitatum fortunâ Gothicum atque Longobardicum accepiſſe jugum; at debellatis à Carolo M. Longobardis, captoque illorum rege Deſiderio, primùm ad Italiæ Regum, quos Carolus inſtituerat; pòſt in aliorum, qui ex commutatione varietateque temporum in Italia Tyrannidem exercuere, poteſtatem deveniſſe, donec iterum Imperatores Cæſares authoritatem dignitatemque ſuam poſteriori ætate vindicarunt, & tueri potuere, eâ dein affectâ rurſus atque deminutâ, reliquarum Italiæ urbium exemplo ſub Imperii nomine libertatem capeſſiviſſe; Sed & in hoc ſtatu perſæpe ſuorum civium tyrannidem expertam fuiſſe, ex Merula & Corio, Leander Albertus *in deſcript. totius Italiæ pag. 571. & 577.* percenſet. In eo denique conſentiunt Hiſtoriæ Italicæ Scriptores plerique, imò omnes, Julii II. P. R. auſpiciis, Gallis ex Italia Venetorum & Helvetorum armis circa Annum MDXII. pulſis, Pontifici Parmam ac Placentiam, ex fœderis Legibus (*ut Onuphrius in Julio tradit,*) ceſſiſſe; & ſic in Eccleſiæ Dominio per triennium & usque ad Melenianenſem pugnam in Franciſcum Galliæ Regem ab una &, Pontificem & Helvetios ex altera parte infeliciter commiſſam manſit. Tunc enim Parma & Placentia à Francis, Pontifice repugnare non auſo, (*Onuphrius in vitâ Leonis X.*) occupatæ. Paulò tum pòſt inito inter Carolum V. Imp. & Leonem X. fœdere, & Gallo iterum Italiâ pulſo, Parma & Placentia eodem, quo ſuprà titulo Eccleſiæ reſtitutæ fuerunt, & ſervatæ usque ad Annum MDXLV. quo Dux earum à Paulo III. Pontifice Maximo Petrus Aloyſius Farneſius Filius ſuus Camertium Principatu & Nepe Dominio, quæ contracto cum Octavio nepote & Margarita Auſtria matrimonio, avus ipſis liberisque ipſorum conceſſerat, permutationis titulo in locum illarum civitatum viciſſim Eccleſiæ attributis cum onere annualium Cameræ Apoſtolicæ ſolvendorum ſeptem ſcutorum millium, ut perhibet Author Nepotiſmi Romani *lib. 2. cap. 7.* ſive, ut alii, cum penſione octo millium aureorum, vel, Onuphrius ut voluit, decē millium aureorū annuo tributo impoſito contra voluntatem complurium Cardinalium inſtitutus fuit. A Cæſare tamen Carolo V. Petrus ille Aloyſius impetrare haud poterat, ut Parmæ & Placentiæ Principatum ſibi (ut loquitur Onuphrius *in vitâ Pauli III.*) vel potiùs Octavio filio, Cæſaris genero, à Pontifice donatum probaret, ſic ut filio Pontificis à conjuratis interfecto (*Thuanus lib. 4. Hiſtor.*) Placentia à Cæſareanis Duce Ferdinando Gonzagâ interciperetur, Parmâ ægrè à Pontificiis conſervatâ. (*Onuphrius d. loc.*) Quinimò ipſum Papam ſuperioris facti haud dubiè pœnituit, quum Octavio ſucceſſori poſt patris mortem perſuadere conaretur, ut pro Parma Camerinum reciperet. (*Idem Onuphrius ibid.*) Sequens Papa Julius III. tamen Octavio Farneſio Parmam non ſolùm denuò tradidit, ſed pactus inſuper fuit, ut urbem à Cæſarianorum vi & inſidiis, qui eam (ut dum ferebatur) eripere tentabant, tueretur, ſingulis menſibus duo millia ſeſe attributurum. Quâ occaſione deinceps atrox bellum, quod Onuphrius *in vita Julii III.* enarrat, excitatum fuit. Anno demum MDLVI. Coſmi interventu Octavius Farneſius Parmæ Dux cum Cæſare ſocio reconciliatus, Placentiæ, Navarræ, ac Navarienſis territorii & caſtellorum in Parmenſi agro à Cæſarianis occupatorum poſſeſſionem accepit. De Laet *de Princ. Italiæ*, Lindenſpür *de Imp. & famil. orig. p. 41.* cui Alexander; ei Ranuitius; huic Odardus omnes ex gente Farneſia ſucceſſerunt, ultimus verò ab Urbano VIII. gravibus ob Caſtrenſem Ducatum (ſuper quo adhuc lis pendet) & aliquot ultra Apenninum bona &c. implicitus fuerat; (de quo, & Pacis inter belligerantes Anno MDCXLIV. initæ legibus, præter Hiſtoricos, Gotofredus *in Archontol. Coſm. de Ducatu Parmenſ. part. I. p. 522.* legi poterit) A quo tempore hucusque ſuis fruuntur Farneſii, niſi quòd adhuc hodienum non obſtantibus Pacificationis hujus, & illius, quæ inter Ludovicum Galliæ R. & Alexandrū VII. $\frac{1}{2}\frac{2}{2}$. menſis Febr. Anno MDCLXIV, Piſæ firmiter concluſæ articulis Caſtrenſis Ducatus à Pontificibus detineatur. Quomodo autem ceſſerit Carolus hunc Ducatum Eccleſiæ Romanæ, pulchrè explicat Rerum Germanicarum ſcientiſſimus Dn. Conringius *de Finibus Imp. Germ. lib. 2. c. 9. p. 439. ſeqq.* Denique notandum id, quod Fournier *Geogr. Orbis notat. part. 2. lib. 9. cap. 35.* tradit, Nullum huic Duci pecuniæ cudendæ jus eſſe, vix firmo ſtare talo, quum ex Thuani *lib. 4.* contrarium colligere haud difficile ſit; Ille enim ibidem de Petri Aloyſii (*de quo ſuprâ*) cæde à conjuratis ipſi illatâ hæc interponit: Ferunt, nec vanus rumor eſt, Ducem jam de conjuratione certum, cæterùm de perſonis ac loco ignarum, ad vetitas artes, quas à Patre, ut conjurati ajebant, edoctus familiariter colebat, poſtremò confugiſſe, & incantationibus evocatum dæmonem de conjuratorum nominibus interrogaſſe; illum verò nihil aliud, quàm ut diligenter *in ſuam monetam* inſpiceret, reſpondiſſe; in eâ quippe locum conjurationis & conſciorum nomina reperturum: Id verò tunc minimè intellectum, pro deluſione habitum, quod factâ cæde verum fuiſſe compertum eſt. Nam cùm in anticâ parte Farneſianorum numorum ſcriptum ſit, P. ALOYS. FARN. PARM. ET PLAC. DUX. Vocis Placentiæ, ubi cædes facta eſt, prima quatuor elementa Pallavicinos, Landum, Auguiſciolam & Conſalonerium deſignaſſe. Quod inter memorabilia Magicæ deluſionis exempla meritò recenſeri poteſt. Hactenus Illuſtris Thuanus.

Num. 36.

(51) *Romaniola &c.]* Cum haſce Regionum præcipuas deſcribant Geographi paſſim; item exactiſſimè Leander Albertus in deſcriptione totius Italiæ Romaniolam olim Flaminiam, *à pagina inde 447.* & Gotofredus *in Archontol. Coſm. lib. 1. pag. 7.* Marchiam Anconitanam, olim Picenum L. A. *pag. 418. ſeqq.* Got. *pag. 6.* Patrimonium S. Petri. L. A. *pag. 50.* Gotof. *pag. 6.* Latium L. A. *pag. 162. ſeqq.* Got. *pag. 6.* Umbriam, cujus maxima pars nunc Ducatus Spoletanus dicitur, L. A. *pag. 131.* Got. *pag. 6.* Camerinum L. A. *pag. 424.* &c. ob oculos ponant, lectorem eò ablegamus, neque longiores ſumus; Gnari quòd quamvis pleraque hæc dominia vel Conſtantini Magni Donationi vel Mechtildis teſtamento accepta ferantur à Pontificibus; Priorem tamen Papæ Sylveſtri oppugnari magno numero tam à Catholicis quàm Acatholicis Scriptoribus, quod noviſſimè Dn. Hermannus Hermes J. U. D. Conſil. & Profeſſor in Academia Salisburgenſi *in faſcil. Juris Publ. cap. 4. num. 12.* fatetur, indeciſamque quæſtionem illam relinquit; & ante ipſum Philip. Mornayus

in

in Hiſtor. Pap. pag. 17. & 18. & Banck *de Tyr. Papæ cap. 12.* additis firmiſſimis pro negativa rationibus obſervavit; eamque ab Ottone III. Imp. Anno. Chriſti DCCCCXCVIII. apud Goldaſtum *Conſt. Imperat. Tom. unic. pag.* 40. commentum vocari ab illis ipſis inventum, quibus Joannes Diaconus cognomento Digitorum mutuis præceptum aureis literis ſcripſit, ſub titulo Magni Conſtantini longi mendacii tempora finxit &c. ut taceamus, notum illud Hieronymi Donati Reip. Venetæ nomine apud Alexandrũ VI. Legati, quod inter alios Lanſius *in Orat. contra Italiam p. m.* 573. adducit dicteriũ; Gnari, inquã, de poſteriori verò hæc legi apud Godefridum Monachum S. Pantaleonis: Eodem etiam anno (ſcil. MCCIX.) Otto Rex Italiam cum magno apparatu intravit, ubi Principes totius Longobardiæ ei occurrentes cum gloria ſuſceperunt, civitates & caſtella ejus dominio ſubdiderunt, infinitam pecuniam vectigalium & tributorum à temporibus Henrici Imp. reſervatam tradiderunt. Poſt hæc Romam progreſſus, occurrente ſibi Papâ cum Cardinalibus & Senatu, cum honore ſuſcipitur, & ſequenti Dominica poſt Feſtum S. Michaelis Archangeli i. e. III. Non. Octobr. in Eccleſia majori S. Petri Apoſtoli in Imperatorem conſecratur. Quo conſecrato oritur inter eos *controverſia propter Marchiam Domnæ Methildis*, quæ quondam fuit filia Rutgeri Principis Siciliæ, viri famoſiſſimi, & uxor Conradi Regis, filii Henrici IV. Imp. viri Catholici & Apoſtolicæ Sedi ſubjectiſſimi: quæ contra voluntatẽ Patris per quaſdam Italiæ Partes, & nomen & dignitatem Regis annis ferè novem obtinuit, & terrã ſpatioſiſſimam poſſedit. Poſt cujus mortem illa turturinâ prædita fide ſecundos deteſtabatur amplexus, & in viduitate permanens Marchiam ſibi à viro relictam, ut vir ſapientiſſimus gubernabat. Quæ ad ſenilem perveniens ætatem circumventa à Papa, tunc temporis Marchiam (Anconitanam, *vid. extravag. 12. Johannis XXII.*) Imperium attinentem, quam regebat, magiſtratibus & poteſtatibus inſciis & inconſultis, beato Petro tradidit. Quæ tamen poſt mortem ejus ab Imperatoribus Sedi Apoſtolicæ ablata & Imperio reſtituta eſt. Hanc ergo terram Papa ante conſecrationem ſibi reſtitui poſtulans, Imperator ut novus homo & rei neſcius annuit & promiſit: ſed poſt conſecrationem à poteſtatibus & magiſtratibus revocatus & prohibitus, minimè reſtituit. Quibus majorem lucem, quæ Dn. Conringius *de Fin. Imp. Germ. c. 10.* habet, addunt Gnari præterea, quòd quamvis hæ donationes & diſpoſitiones invalidæ reputentur, cùm tamen ea teneat, & quamvis tituli hi paleæ ſint, eæ nihilominus multum grani Eccleſiæ Romanæ attulerint & adhuc adferant, in vanum laborare, qui pennâ & non gladio has poſſeſſiones impugnare præſumunt.

(52) *Ex Præfecturis à Pontifice retentis &c.]* Quod Sixtum V. feciſſe Legatus Venetus in ſua Relatione apud Honorium memorat. Qui poſt recenſitas provincias Romano Pontifici ſubjectas inquit: conſueverunt præteriti Pontifices harum Provinciarum Præfecturas, & quarundam Civitatum gubernacula affinibus ſuis, tam Eccleſiaſticis, quàm ſecularibus, & Cardinalibus à ſe promotis & benemeritis, concredere, ut inde utilitatem ac beneficium conſequantur: Nonnulla enim gubernatio & Legatio, tria, quatuor, & usque ſeptem millia aureorum, nonnunquam ampliùs in reditibus habebat. Verùm hic Pontifex hæc emolumenta omnia ad ſe traxit, ipſeque Gubernatores illuc mittit &c.

(53) *Quos Pontifex in Cardinales &c.]* Penſio Cardinalium ordinaria ultra mille & quingentos, ſive bis mille, non excurrit, idque Penſionem, (perhibente Sprengero *in Roma Nova l. 4. c. 2.*) pauperum Cardinalium indigitant. Conſtat verò, Alexandrum VII. Pontificem, ſex Cardinalibus ingratiis multorum à ſe $\frac{5}{17}$. Febr. Anni MDCLXVI creatis, nempe Jacobo Nini, Magiſtro Domus (*Maggior domo*) 2. Joh. Nicolao Conti, Gubernatori Romæ; 3. Cæſari Raſponi, Secretario Conſilii Status; 4. Palutio Paluzzi, Auditori Cameræ; 5. Nereo Corſini, Theſaurario Cameræ; 6. Alſonſo Litti, Archi-Epiſcopo Mediolanenſi, unicuiq; horum aſſignaſſe reditum annuum quinque mille aureorum. Addit tamen Sprengerus, paucos penſione ordinariâ frui, cùm illam dignitati ſuæ minùs congruam judicent, inprimis ubi penſiones beneficiorum & prælaturarum, ut & Donativa Regum Cardinalibus ſatis ſuccurrant. Nec Romanos latet, multos Cardinales ſæpius annuatim quindecim millia Coronatorum à Regibus Hiſpaniæ & Galliæ accepiſſe. Quorum factionem arripuêre, illorum inſignia ante fores ſuſpendunt, quæ Incolæ vulgò *trappole*, i. e. muſcipulas per ironiam nominant.

Num. 37.

(54) *Annatæ &c.]* Annatæ inde nomen habent, quòd qui recens in demortui locum ſucceſſit Epiſcopus aut Abbas, Pontifici Romano fructus integros unius (& maximè primi) anni perſolvere teneatur ex eo ſacerdotio; vocantur & aliàs vacantiarum redditus, ſive, *ut in extravag. comm. de privil. c. 4.* annalia beneficiorum vacantium. (Sleidan. *Comm. 4.*) Hoc vectigal barbaro vocabulo annatam appellarunt, non quòd anniverſarium, aut annuus Canon ſingulis annis recurrens, ſed quòd, (ut innuimus jam) unius & primi anni ſit. Porrò Joannes XXII. declaravit *in extravag. comm. de præbend. cap. 12.* quòd ſi duo beneficia alicui collata ſucceſſivè vacare contingat, eorundem amborum beneficiorum fructus, reditus & proventus cùm utrumque ipſorum vacet) pro Camera Pontificia debere percipi & haberi. Quinimò quoties vacabant beneficia (etiamſi ter aut pluries vacaſſent in anno) pro qualibet mutatione tituli, voluerunt habere & exigere fructus, & primi anni beneficii ſive Prælaturæ vacantia, & aliquando longè ultrà, & quandoque Papa qualibet vice annatas vacantes habebat, & Cardinales nihilominùs partem mediam, quodque propter vacantiam fuerunt quandoque privati prælati & tranſlati inviti, & quandoque propter plus offerre (ſumptis aliis coloribus) aſſumpti & aliis prælati, qui fortè non fuerunt præferendi, ex quibus ſequutæ ſunt ſtrages, guerræ, ſcandala etiam nondum ſopita, inquit, qui de Annatis non ſolvendis, tempore Conſtantienſis Concilii, ab hujus iſtâ in re Decreto appellationem inſtituit, & nomine Eccleſiæ Gallicanæ ſcripſit *Nicolaus Clemenges.* Nec noſtram Germaniam ab onere illo immunem fuiſſe, quamvis per Concordata Anno MCCCCXLVII. inter Fridericum III. Imp. & Nicolaum V. Pontif. concluſa, eidem cautum fuerit, quòd annatæ de Eccleſiis cathedralibus omnibus & monaſteriis virorum duntaxat vacantibus, & vacaturis, ſolvantur de fructibus primi anni à die vacationis, ſummæ pecuniarum in libris Cam. Apoſt. taxatæ, quæ communia ſervitia nuncupantur.

tur. Et p.p. Taxæ autem prædictæ, pro media parte infra annum à die habitæ poſſeſſionis pacificæ totius vel majoris partis, ſolvantur, & pro alia media parte infra annum ſequentem, & *ſi infra annum bis vel pluries vacaverint, ſemel tantùm ſolvantur;* nec debitum hujusmodi in ſucceſſorem in Eccleſia vel Monaſterio transeat. &c. &c. (Goldaſt. *Tom. 1. Conſt. Imp. pag. 209.* Caniſius *in ſumma Juris Canon. pag. 492. ſeq.* Weſſelingus in Aurifodina, v. *Annatæ* de, quibus tamẽ Hoorenbeeck *in Diſp. ad Bullam Innocentii X. pag. 223.* adeatur) indicio ſunt Gravamina illa Germanicæ Nationis cum remediis Anno MDX. Cæſareæ Majeſtati exhibita apud Goldaſtum *Tom. 2. Conſtit. Imp. p. 120.* & der Reichshandlungen *Tom. 1. pag. 216.* ibi enim pro VIto. ponitur, quòd annatæ absque dilatione & ſine miſericordia, etiam Epiſcopis intra paucos annos mortuis exiguntur. Interdum plus, quàm debeatur, extorqueatur, propter nova officia, & novos familiares. Exemplum de Moguntinenſi & Argentinenſi Eccleſiâ. (*de quibus in remedio contra Gravamen illud agitur pluribus.*) Inde Proteſtantes in Reſponſo ſuo de reformandis Eccleſiæ abuſibus, dato Imperatoriæ Majeſtati decimo quarto Julii Anno MDXLI. apud Goldaſtum *citato loco, pag. 214. num. 16.* in hæc verba erumpunt: Propterea ferendum deinceps non eſt, ut Annatæ aut ulla alia pecunia pro confirmationibus, transactionibus, diſpenſationibus, aut ullâ aliâ Romanenſi cauponatione, ab Eccleſiis Germanicis, & Eccleſiarum miniſtris, Romanis perſolvatur. De Authore Annatarum, & ſub quo uſus earum introductus fuit, ſic Platina *in vitâ Bonifacii IX. qui Anno MCCCLXXXIX. ad ſedem pervenit, & Anno MCCCCIV. ſedere deſiit,* ſcribit: Bonifacius, ſive Vice-Comitum potentiam veritus, ſive augendæ ditionis Eccleſiaſticæ cupidus, Annatarum uſum beneficiis Eccleſiaſticis primus impoſuit, hâc conditione, ut qui beneficium conſequeretur dimidium annui proventus fiſco apoſtolico perſolveret. Sunt tamen, qui hoc inventum Johanni XXII. adſcribant. Quod & ex ſuprà allegato capitulo colligere datur. Polydorus autem Vergilius *de rer. invent lib. 8. cap. 2.* aſſerere non dubitat, nullum inventum majores Romano Pontifici cumulaſſe opes, uſum verò multò antiquiorem eſſe, quàm recentiores quidam Scriptores ſuſpicantur. Qui omninò in ſequentibus videatur, & præter illum Duarenus *de Sacris Eccl. miniſt. lib. 6. cap. 4.* Petrus Gregorius Tholoſanus *in partit. Juris Can. lib. 1. Tit. 25. num. 3. lit. n.* nec non VII. Decretalium à Dn. Petro Matthæi JC. Lugdunenſi collectus *lib. 2. tit. 3. de annatis.* Hoornbeeck *in Exam. Bullæ Papalis Innocentii X. pag. 53. & 208.* ubi plurimos annatas improbantes, & ipſa Concilii Baſileenſis *ſeſſ. 21. verba*, cumulat. Titulum earum quod attinet, allegatur ille Anno MD. à Maximiliano in *R. I. Auguſtani* ejusdem anni, in quo de auxilio contra Ottomanidas agitur, fuiſſe, ut in bellum contra Turcas ſemper eſſet paratus theſaurus. ibi: tit. Wie mit dem Pabſt zu handlen ꝛc. Soll ein Pottſchafft zu dem Pabſt geſchickt werden ꝛc. ſeine Heiligkeit zu bittẽ ꝛc. daß er die Annata der Teutſchen Nation/ſo darzu ſonderlich zu geben verordnet ſind / darzu gebe ꝛc. Prout Carolus quoque V. in Epiſtola ad Hadrianũ VI. Pont. Rom. de Anno MDXXII. ſcribit: annatas, quas novi antiſtites Romano Pontifici ſolvere conſueverunt, ab origine eâ maximè ratione conceſſas eſſe, ut hujusmodi pecuniis Chriſti fidei hoſtes arcerentur &c. (Goldaſt. *in Collect. Conſtit. Imp. Tom. un. p. 447.* Sleid. *l. 4. Comm. p. m. 52. a.* D. Borgoldenſis *in Notitia Imp. Rom. Germ. p. 2. d. 11. m. 3.* Atverò habent hodie Proteſtantes in Germania quod gaudeant, cùm vigore Inſtrumenti Pacis inter Sacram Cæſareã Majeſtatem Ferdinandum III. Glorioſiſſimæ memoriæ, & Regiam Majeſtatem Chriſtinam Suecorum &c. Reginam A. MDCXLVIII. concluſam, à nexu Annatas ſolvendi art. V. §. 5. his verbis liberantur: Si quid Annatarũ, Jurium Pallii, Confirmationũ, Menſium Papaliũ, & hujusmodi Jurium, & Reſervationũ nomine in bonis Statuũ A. C. Eccleſiaſticis imediatis, à quocunq;, quandocunq; aut quomodocunq; prætendatur, id validitate & executione à brachio ſeculari impertiendâ careat. Neq; obſtat Fabii Chiſii Epiſcopi Neritonenſis ad Tractatus Pacis ejusdẽ dũ temporis Nuntii Apoſtolici A. MDCXLVIII. XXVI. Octobris interpoſita Proteſtatio, aut ipſius Inocentii X. Papæ A. MDCLI publicata Bulla contra Pacem Monaſterienſem & Oſnabrugenſem. Cùm hujus Proteſtationes & Reſervationes publicâ Imperii Lege in ipſo Inſtrumento Pacis, ſimiliter in ſubſecuta Executionis Conventione principali, A. MDCL. ſubſcriptâ, caſſatæ atq; abrogatæ & in priſtinũ locũ repoſitę ſint. Plura legere quiveris apud ſæpè laudatũ Hoorenb. *loco allegato à p. 247. inde, maximè p. 255. ſeq.*

(55) *Penſiones pro bullarũ redemptionibus &c.]* Dicam, quod à viris peritiſſimis, ac diu in Republ. verſatis non ſemel accepi, *inquit Duarenus de Sac. Eccl. miniſt. ac benef. lib. 1. c. 6.* quanquam incredibile videtur, quotannis variorũ diplomatũ à Pontifice obtentorum nomine ad ſeptuaginta aut eò ampliùs aureorum millia Romam hinc exportari ſolere, quæ ita illic velut capta vinctaq; detineantur & cuſtodiantur, ut nullo unquam poſtliminio ad nos redeant. Quid multa? In proverbium abiit jam dudũ Romana permutatio, plumbi videlicet cum auro, non minùs, quàm illa Diomedis & Glauci apud Homerum, cujus & Ulpianus noſter (*l. 1. de contr. empt.*) meminit. Notum namque eſt, Papas bullas ſuas plumbo obſignare. Cujus rei Authores Polydorus Vergilius *de rer. Invent. l. 8. c. 2.* Stephanum III. ac deinde Hadrianum I. P. P. conſtituit. Quod factum ideò, ut diplomata eò diuturniora forent. Hinc non dicitur Bulla Papalis, niſi in eâ appoſitum fuerit plumbum. *Gl in verbo: aurea. Clem. un. in fin. de Jurej tx. in c. licet x. de crim. falſ.* vid. Höpingk *de Jure Sigill. c. 3. §. 3. n. 26. ſeqq.* Deniq; notandum, Brevia Apoſtolica, i. e. ſcripturas modicas, in parvis conceſſa negotiis, quæ in papyro frequenter ſcribi ſolent, non plumbo, ſed cerâ rubrâ annuloq; piſcatoris ſigillari; ſicq; Pontificem & Bullâ plumbeâ & Brevi Apoſtolico uti, non tamẽ indiſtinctè. Cùm Bulla plumbea Brevi Apoſtolico non opponatur. Limnæus *l. 1. de Jure publ. c. 11. n. 39.* Et ubi Principes Sigillo ſecreto in majore circumferentia, quàm annulus, & minore, quàm ſigillum dignitatis ad chartacea Edicta & Epiſtolas obſignandas utuntur; ibi ſumum Pontificem loco ejus Annulum Piſcatoris in cera rubra uſurpare. Hœping. *d. loc. §. 5. n. 90. ſeqq.*

Num. 38.

(56) *Mille modos &c.]* Sic Alexander VI. novũ collegium Scriptorum Brevium inſtituit, & octoginta ejusmodi officia, ſingula pretio centum & quinquaginta auri ſcutorum vendidit. Suſcepit etiam Romæ propter ingentem aureorum ſummam Mauritanos, quos Rex Hiſpaniæ Regnis ſuis expulerat.

lerat. (Author Nepotiſmi Romani *lib. 2. c. 4.*) Sic Alexandri VII. tempore Anno. MDCLXIV. captivi ditiores ingenti lytro perſoluto dimittebantur,contra pauperiores & quibus pecunia deerat,ad remiges damnabantur; pro ſingulis oneribus fructuũ aſinis impoſitis mercatum portatis, ſinguli denarii A.MDCLXV.exſolvebantur;quiq; etiam à corbibus fructibus plenis,quas ruſtici manibus gerebant,exigebantur; nec panis,nec papyrus,nec tabacum ſive Nicotiana vectigalia effugere poterat; Quarum ultimarum rerum impoſitio lapideo Paſquino hanc vocem expreſſit: *Supra folium, quod vento rapitur, & ſuper herbam ſiccam oſtende, Domine, potentiam tuam.* At nihilominus minimam partẽ Eccleſiæ ceſſiſſe,maximâ partem ad Chigios cognatos perveniſſe, ſic ut illi ferè ex Eccleſia Herculem(de quo proverbio nos ſuprà) facerent,decimam partem ei dantes, ſibi novem auferentes,cõmunis dum Romæ vox erat. Inde Author Nepotiſmi *l.3.c.22.*de fabricaMachinæ S. Petri vaſtiùs deductæ,inquit; Ululat interea Nepotiſmus (maximè Don Marius, qui naturâ avariſſimus eſt) dum Pontificem tot pecunias expendere videt,in plateis ornandis, vel reficiendis, & aliis ad publicam utilitatẽ erectis ædificiis. Vellet enim eas conſervari; ut eò magis familiæ Chigiæ theſauros coacervare poſſet, qui tamen ſingulis diebus creſcunt,cum Eccleſiæ detrimento,quæ exhauſta,& debitis onuſta manebit,Plura apud dictum Authorem tum citato in loco,tum in præcedentibus capitibus deprehendere licet, quæ hîc allegare prolixiora forent.

(57) *Diſpenſatio &c.*] Addendum & Pallium Archiepiſcopale, atq; Annus Jubilæus,qui tamẽ fortaſſis ſub nomine generaliori Indulgentiarum ab Authore noſtro comprehenditur,& de eo principaliora capita Banckius *in ſua Roma triumphante circa finẽ* congeſſit.Prius verò deſcribitur,quòd ſit ornamentũ quoddã de corpore Beati Petri ſumptum,Pontificalis officii plenitudinem continens, *c.ſignificaſti 3.de Elect.c.niſi ſpecialis.3.de auctorit. & uſu pallii.*Competit autẽ ſolùm Archiepiſcopis atq;Patriarchis.Epiſcopi verò pallio haud utuntur niſi ex ſingulari privilegio;*indicium ejus aſſerti eſt in c.cũ in juvent.15.x.de præſ.*ubi id de Quinque-Eccleſienſi Epiſcopo traditur:Idemq; de Hoſtienſi in oſtiis Tiberis fluvii;de Papienſi in Longobardia; Lucenſi in Tuſcia; Bambergenſi in Germania,alibi memoratur.Debetque Archiepiſcopus &c.intra tres menſes,à die conſecrationis,(ſi antè non fuerit conſecratus,)vel à die confirmationis,(ubi antè fuit conſecratus,) ceſſante juſto impedimento per ſe vel per procuratorem,ad hoc ſpeciale mandatum habentem, & quidem obnixè atq; inſtanter, *can.priſca 2. diſt.105.* illud petere: Hocq; ſub hac forma verborũ tradi pallium,*Gl.ad c. Ad honorem 4. x. de auct.& uſu pallii* notat: Ad honorem Dei omnipotentis & Beatæ Mariæ Virginis,& Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum, & Domini Papæ N. N. & Eccleſiæ Romanæ,& Eccleſiæ talis tibi cõmiſſæ,tradimus tibi Pallium de corpore Beati Petri ſumptum: in plenitudinem Pontificalis dignitatis,ut utaris eo infra Eccleſiam tuam certis diebus, qui exprimuntur in privilegiis Eccleſiæ tuæ conceſſis à Romana Eccleſia,& hi ſunt; Nativitas Domini,feſtivitas ſancti Johannis,& ſancti Stephani,in Circumciſione, in Epiphania, in ramis Palmarum,in Cœna Domini,in Sabbato ſancto,tribus diebus Reſurrectionis,Pentecoſtes, in feſtivitate ſancti Johannis Baptiſtæ, & omnium Apoſtolorũ, in tribus Feſtivitatibus B. Mariæ,in commemoratione omnium Sanctorum, in Dedicatione Eccleſiarum, in principalibus Feſtivitatibus Eccleſiæ tuæ,in ordinationibus Clericorũ,& in conſecrationibus Epiſcoporũ,& in die anniverſarii ſuæ conſecrationis. Illud præterea ſingulare eſt,quòd pallium alteri commodari aut cedi nequeat, cùm illud perſonam non tranſeat, ſed quisque debeat cum eo ſepeliri. Prout Canoniſtæ pluribus *ad tit. de auct.& uſu pallii* docent. Sic autem pallium illud conficitur: In die Agnetis virginis, qui eſt Januarii dies XXI. in templo Divæ Agnetis Romæ, cùm in Miſſa imploratur agnus Dei, ſuper altare ponuntur agni duo candidi.Poſtea traduntur Baſilicæ D. Petri ſubdiaconis. Hi mittunt illos in paſcua, ſuoque tempore tondent, ex eaq; lana, permixta reliquæ lanæ, cùm in filum diducta fuerit, parantur pallia. Latitudine ſunt ad tres digitos:ab humeris propendent in pectus atq; renes: ad extremum ſunt laminæ plumbeæ tenues ejusdem latitudinis. Ad hunc modum contexta deferuntur ad corpora Divi Petri atq; Pauli, ac certis ibi precibus expeditis, relinquuntur per noctem unam: Altera die ſubdiaconi recipiunt, & honeſto loco diligenter aſſervant, donec, qui opus habet, Archiepiſcopus, aut ejus Procurator, dari ſibi petit. Traditur autem multis cum ceremoniis, & deferentibus mandatur,ne ſupra noctem unam,ſi modò fieri poſſit, in eodẽ loco ſubſiſtant aut commorentur, inquit Sleidanus *comm. lib. 13. p. 215.* Onuphrius *de Obſcur. vocũ Eccl. interpret. in voce pallium:* rem paulò aliter & ſic enarrat: Antiquitus candidi agni ſine macula nutriebantur, à monialibus albis ſancti Andreæ prope ſanctum Marcellum de Urbe, poſteà ea cura ad moniales S. Agnetis extra Urbem via Nomentana tranſlata fuit: hodiè eſt monialiũ Turris ſpeculi. Qui Dominicâ in albis circuibant altare S. Petri. Ex ejusmodi agnis ſumitur lana,de qua per easdem virgines pallia texuntur, quæ Papæ & Archiepiſcopis per manum primi Diaconi initio ipſorum promotionis dari ſolent. Forma à Panormitano & aliis *ad rubr. de auct.& uſu pallii deſcribitur*,quòd in eo ponantur quatuor cruces nigræ ſeu nigri coloris: (*Polydorus Vergilius de rer. Invent. l.4.c.12. Onuphrius in Interpr. voc. obſc. Eccl. in h. voce, alii cruces purpureas dicunt*) quarum prima eſt ante pectus ſeu in pectore: ſecunda eſt ſuper brachio ſiniſtro: tertia retro: quarta ſuper brachio dextro. Quid autem hæ cruces ſignificent,latiùs ille ibidẽ, nec nõ Polydorus Vergilius *ſup. d. l.* Serrarius *rer. Mogunt. l.3. not.26.* Speidelius *in Speculo lit. P. voce Pallium Archiepiſcopale*, aliique, Juris Pontificii Cõmentatores inprimis, explicant. De Authore verò Höppingk *de Inſig. Jure c. 2. §. 6. mem. 5. n. 354. ſeqq.* disquirit. Sed redeundo ad propoſitum, Pallium illud antè gratis dari conſuetum (*Limnæus in Addit. ad Jus Publ. Tom.2. ad l.3. c. 3. n. 51.*) hodiè inter compendia Curiæ Romanæ numerari cœpit,ita ut ejusdem pretium ad XXV. millia, imò XXX. millia aureorum excreverit. Quod nec ipſi Pontificii diffitentur. Indeq; Hermannus Hermes *in Faſcic. J. P. c.13. n. 29.* dicit: Multi hoc concoquere non poſſunt,quòd,cùm pallium ſine cõmodo dari voluerit Gregor. Papa, *c. novit. diſt. 100.* hodie tamen non detur, niſi ſolutis ferè XXX millibus aureorum. Unde Proteſtãtes ſuperiori ſeculo queſti fuerunt in publicis conventibus, hoc modo expilari Germaniam, quaſi Curia Romana non paſcat ovem ſine lanâ, & nimis carè vendatur linum. &c. Nam Sedes Moguntina (ut dicitur) olim ſolùm dedit decem millia florenorum. Quæ cùm qui-

quidã illic Electus dare renueret, ſicq; uſq; ad mortem ſuam perſiſteret, electus poſt eum confirmationis cupidus ſe opponere timuit Sedi Apoſtolicæ, offerens antiquam ſummam, puta decem millium florenorum. ...s nec confirmationem impetrare potuit, niſi & reliqua decem millia ſimul redderet, quæ adhuc extabant à prædeceſſore nondũ perſoluta. Sicque cogebatur dare viginti millia florenorum: quæ tunc indubiè in regiſtrum Cameræ ſignata ſunt, & usque ad noſtram ætatem (*ſcil. ad Annum MDX.*) à ſingulis Archiepiſcopis exacta: & nedum viginti millia, ſed & viginti quinque propter nova officia & novos Pontificum familiares. Tandem excrevit ſumma usque ad viginti ſeptem millia, quæ Archiepiſcopus Jacobus cogebatur nuper perſolvere, ut retulit vicarius in ſpiritualibus Moguntinenſis. (*al. Moguntinus.*) Sicq; in vita unius hominis ſepties viginti quinque millia à ſolo Archiepiſcopatu Moguntinenſi pro confirmatione Archiepiſcopi Romam pervenerunt. Et cùm Archiepiſcopus Jacobus vix quatuor años ſediſſet in Archiepiſcopatu (*electus A. MDIV. XXX. Decemb. mortuus A. MDVIII. XV. Septemb.*) mox poſt eum electus Dominus Uriel ad minus viginti quatuor millia coactus eſt perſolvere, &c. Goldaſtus *Tom. 2. Conſtit. Imper. p. 120.* Tanti ſcilicet novit Pontifex vendere ſuum linum! exclamat Sleidanus *loco ſuprà allegato pag. 214.*

Num. 39.

(58) *Pius IV. &c.]* Pontifex Pius IV. ante Presbyter Cardinalis tit. S. Pudentianæ, dictus Johannes Angelus ex Medicæa familia, ad Papale faſtigium Anno MDLIX. ſeptimo Calendarum Januarii evectus, ſedem morte commutavit quarto Idus Decembris, Anno ætatis LXVI. Sub eo finis Tridentinæ Synodo impoſitus eſt, in qua *Seſſ. 25. cap. 7.* de regreſſibus inhibendis expreſsè ſub ipſo cautum: Cùm in beneficiis Eccleſiaſticis ea, quæ hæreditariæ ſucceſſionis imaginem referunt, ſacris conſtitutionibus ſint odioſa, & Patrum decretis contraria; nemini in poſterum acceſſus, aut regreſſus, etiã de conſenſu, ad beneficium Eccleſiaſticũ cujuscunq; qualitatis concedatur nec hactenus conceſſi ſuſpendantur, extendantur aut transferantur. Hocque decretum in quibuscunque beneficiis Eccleſiaſticis, ac in quibuscunque perſonis, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, locum habeat. Et ſic hodie regreſſui præcluſa omnis via eſt. Differt autem in materia beneficiali Regreſſus ab Acceſſu, quia acceſſus totaliter pendet à futuro eventu, nec aliquod jus de præterito habet. Regreſſus verò propriè dicitur, qui habet cauſam de præterito, quia non eſt acquiſitio novi tituli, ſed antiqui continuatio; inquit ex Caſſidoro Riccius *collect. deciſ. part. 4. collect. 1249.* Etenim ſi quando ſic v. g. Epiſcopus Epiſcopatum ſuum reſignaverit, ut ſi is, cui confertur, præmoriatur, Epiſcopatus ad reſignantem revertatur &: reſignans retineat interea quosdam Epiſcopatûs fructus, Jus illud retentum, Regreſſum vocabant; Cum Acceſſu verò eſt, ut ſi Papa velit Epiſcopatum conferre puero, verùm, quia dignus non eſt, conferat ſuo Præceptori, cum hoc tamen, quòd poſt ætatem legitimam ipſe propriâ authoritate poſſit accedere ad talem Epiſcopatum, & vocatur cum Acceſſu, Rebuffus *in praxi beneficiorum. Tit. de Regreſſibus pag. 480.* cui jungatur Camillus Borellus *Deciſ. Tit. 27. per totũ,* Guil. Redoanus *de Simonia part. 2. c. 17. ſeqq.*

(59) *Compoſitiones &c.]* Scilicet amicabiles, quales intervenire poſſe in decimis & aliis ſpiritualibus contractibus, *Gl. in c. ſtatuimus 2. x. de Tranſact. & in c. ex multiplici 3. 6. nuper 34. x. de Decim.* notat, ſi nimirum ſpirituale pro ſpirituali detur. Cùm ſi temporale pro ſpirituali detur ſimoniacum ſit. Illo in ſignificatu uſurpatur hæc vox in Bulla Compoſitionis, quæ peculiare diploma eſt Pontificis, in quâ conceditur cuilibet habenti debita incerta, aut bona malè acquiſita ignoto Domino infra ſummam CCC. aureorum, & viginti unius cum carenis VIII. & granis VI. ut accipiendo tot Bullas, quot requiruntur, computando per ſingulas Bullas uncias II. carenos XVII. & granos IV. illa ſibi retineant. Ita tamen, ut talia debita, aut furta incerta facta non ſint ex confidentiâ talis Bullæ. Si verò ſumma debitorum, aut talium furtorum excedat ſummam præfatam, non poteſt debitor uti beneficio Bullæ, ſaltẽ quoad exceſſum, ſed poteſt facere peculiarem Compoſitionem cum Commiſſario. Verùm quia hæc Compoſitio in Sacro Romano Imperio non eſt in uſu, ſed ſoli Bellonæ in Italia, vel alibi in Militia contra Saracenos, & Turcas deſervit. Ideo lectorem hîc detinere nolo. Weſſelingius *in Aurifodina lit. B. pag. 133.*

(60) *Spogli &c.]* Spolii vox, prout hoc loco accipitur, ſignificat bona quæcunque à quibusvis perſonis Eccleſiaſticis etiam Regularibus, intuitu Eccleſiæ acquiſita: juraque & actiones, ac fructus inexacti, tempore obitus eorundem relicta, à Romano Pontifice Cameræ reſervata. De qua materia integer Tractatus Guilielmi Redoani extat; quò lectorem remittimus.

(61) *A Sixti V. Pontificatu venalia &c.]* Teſtis hujus rei luculentiſſimus eſt Cicarella *in vita ejusdem:* In cumulandis corradendisque officiis erat aſſiduus, (*inquit*) quare officia quædam vendidit, quæ antea non vendi, ſed gratis dari à Pontificibus ſolebant, inter alia officium Commiſſarii (ignoſce Lector, quòd barbaris vocabulis utor, ubi latina non habemus congrua) Cameræ Theſaurarii, vicariorum cubicularii, (*vulgò vicecamerlengatum,*) & alia (de quibus Lucas de Linda *in Deſcriptione Orbis, poſt Lunadorum* videatur) ſimilia. Quæ venundatio Officiorum in cauſa fuit, ut ſæpè etiam immeriti meritiſſimis, nonnunquam Nepotum artibus, anteponerentur. Et hoc vel maximè ſub Urbano VIII. Innocentio X. Alexandro VII. accediſſe, memorat Author Nepotiſmi Romani *lib. 3. cap. 9. 13. & 17.* ubi vide.

Num. 40.

(62) *Porrò vectigalia Romæ &c.]* Cùm hæc Deſcriptio *à num. 40. inde usque ad n. 74.* ea ipſa ſit, quam Honorius *in Theſauro ſuo Politico, parte 2. pag. 127.* exhibet, ipſeque Theſaurus jam Anno MDCXVIII. typis expreſſus ſit, interim verò conſtet, quot modi exactionum ætate poſteriorũ Pontificum excogitati, quantum veteres aucti ſunt, haud moleſtum huic catalogo erit, cuilibet ex ingenio ſuo demere vel addere fidem. Nos eum propterea ſine ullo notamine aut correctione relinquimus. *Num. 74.*

(63) *Ad decies & octies centena millia &c.]* Zeiller *in Itinerario Italiæ c. 1. p. 9.* perhibet, vidiſſe ſe à Protonotario Apoſtolico monſtratã deſignationẽ redituũ Papæ Urbani VIII. de A. MDCXXIX, quæ conſũmata efficiebat reditũ añuũ 359188 ſ. Coronatorũ, nõ coñumeratis ibidẽ, quæ ex Ducatu Urbini recipiuntur. Quo magis fide dignũ mihi videtur quod author Nepotiſmi R. õ. *l. 3. c. 6.* de Nepotibus ejusdẽ Pontificis ſcriptũ reliquit, nimirũ numeratæ pecuniæ illorũ abyſſum ſolùm rationabilẽ imaginationẽ penetrare valere. Cũ credatur Cardinalẽ Franciſcũ ſeorſim ultra vigeſies centena aureorũ

lia ſub terrâ poſſidere ſepulta; ultra id, quod etiam Cardinalis Antonius habeat ſepultum, & quod in diuturno ſuo exilio expendit: ne dicatur de iis, quæ Don Ihadenus miſit Paleſtrinam, ut honorificè in fabrica ſub terra nuper facta ſepeliretur. Veriſſimum quoq; ſit tribus menſibus ante Urbani mortem, plus quàm ſexaginta mulos pecuniis onuſtos, viſos eſſe duabus noctibus Paleſtrinam verſus deduci, ubi Don Ihadenus illos recepturus aderat. *Hactenus ille, qui lib. 5. cap. 7. quoque monſtrat, quomodo ſub prætextu Germaniam afflictam juvandi, res ſuas Barbarini auxerint.* Interim tamen res Pontificis ipſius tam acciſæ erant, ut ferè inter opes Cognatorum, Ille atque ſtatus Eccleſiaſticus inops fuerit, ſicut bello cum Duce Parmenſi ingruente ex Theſauris Sixti V. ad ultimas neceſſitates in arce Sanct-Angelicana repoſitis Anno MDCXLII. primùm CCM coronatorum, & eodem menſe Novembris duodecim millia, & ineunte menſe Decembris centum & quinquaginta coronatorum millia decerpenda fuerant. (*Theatr. Europ. parte. 4. pag. 810.*)

(64) *A potentiſſimis colitur &c.*] De eo vide Angeli Corrari Legati ſereniſſimæ Reipubl. Venetæ ad Papam Alexandrum VII. Relationem, *maximè à pag. 64. ſeq. Latinæ verſionis*, ubi Pontificis ejus circa Annum MDCLXI. ſenſa erga Orbis Chriſtiani Principes prudenter detegit.

Num. 75.

(65) *Nihil compercit &c.*] Hæc, quæ de Clemente VIII. referuntur, an rectè tanquam generalis aulæ Pontificum forma ob oculos ponantur, planè dubito. Quoniam cum ingeniis Pontificum & aulam, & expenſas, & impenſas mutatas fuiſſe, nemo, credo, rei Romanæ gnarus mecum inficias ibit. Qui verò aliqualem numerũ expenſarum Paparum antiquiorum perluſtrare ſatagit, eum quoque apud Gotofredum *in Archontologia Coſmica de terris & Dominiis Pont. Rom. Tom. 1. pag. 15. n. 26.* inveniet.

(66) *Nepotum &c.*] Sic appellari ſolent Pontificum Romanorum Cognati, quos à tempore inde Sixti IV. introductos ideò Hiſtoriæ teſtantur, ut Papæ illorum commodis & utilitatibus promovendis alligato, ſui ipſius nec non Eccleſiæ oblitò, id tantùm eſſet curæ, quomodo illum ditare, quomodo alium Principem efficere, & quomodo omnium aviditatem explere poſſet. De quo per totum tractatum Author Nepotiſmi Romani tractat, qui omninò adeundus.

Num. 78.

(67) *Idem Legatus &c.*] Confundit Author noſter hoc loco duos Reipublicæ Venetæ Legatos, quorum alter ſuprà *n. 76.* allegatus vices ſuas ſub Clemente VIII. alter verò hîc citatus, (uti ex amborum relationibus pateſcit,) ſub Sixto V. circa annũ MDLXXXV. obiit. Ut hoc modo clarum planè ſit, intercedere inter hujus & illius tempora ſeptennium.

(68) *Qui antehac fuerunt Pontifices &c.*] Ante Sixtum nimirũ Vtum. Conſtat enim ex ſuperioribus Ferraram, Urbinum, Caſtrum, aliaque à Pontificibus poſterioribus recepta, imò etiam nunc Caſtrum ob prætenſam Bullam Alexandri VII. (vi cujus declaraverat, pacta conventa Piſana, per quæ inter alia ad reſtitutionem Caſtri ſemet Gallo & Parmenſi obſtrinxerat, vi & metu extorta, & proinde nulla eſſe) à Succeſſore Clemente IX. Anno MDCLXVII. retentum legitur. (*Diarium Europæum parte 18. pag. 316.*)

Clemens autem hic IX. dictus antea Julius Roſpiglioſus Piſtorienſis, & ab Alexandro VII. tit. S. Sixti Cardinalis *IX.* Aprilis Anno MDCLVII. creatus, tanti jam Anno MDCLXI. à Legato Veneto ad Pontificem, Angelo Corraro, habitus fuit, ut de illo tunc pronunciaret; Si hoc tempore vacaret ſedes, non prorſus inanẽ ejus adipiſcendi ſpẽ fore &c. ſic 1/2. Maii Anni MDCLXVII. Alexandro VII. mortuo, 1/8. Junii anni ejuſdem ritè Papa electus, & 1/2. Junii ſolenniter coronatus fuit, & biennio abhinc adhuc ſedit, (*vid L' Europe vivante, ſeconde partie Tableau VIII.*) non ſine ingenti Cognatorum ſuorum emolumento; Quoniam 1/2. Auguſti Anno MDCLXVII. Frater ipſius Pontificis, Don Camillus Roſpiglioſus Generalis Eccleſiæ; Vincentius Roſpiglioſus Camilli F. Generalis Triremium Papæ; alius quidam cognatus, dictus Celleſius, ejuſdem Vice-Generalis; alter Camilli F. Thomaſus Roſpiglioſus Caſtellanus arcis Sanct-Angelicanæ; Don Johannes Baptiſta Roſpiglioſus Generalis Cuſtodiæ Corporis; Lanfredinus Celleſius Capitaneus cataphractorum; Vice Caſtellanus Abſalon Celleſius, pronuntiati & conſtituti fuerunt. Quo ipſo approbavit, ſeſe haud aſpernaſſe D. Chryſoſtomi doctrinam (*Homil. 14. ad Timoth. 1.*) dicentis: Si quis propinquos genere atq; affinitate conjunctos aſpernetur, quo pacto erit in alios clemens! nonne vanitati, judicio omnium, erit obnoxius, ſi alienos beneficiis fovens, propinquos ſummâ inhumanitate deſpiciat? Verùm enim verò cùm Pontifex hic annos duos, menſes quinq;, & dies novendecim Eccleſiam rexiſſet, IX. Decembris Anno MDCLXIX. ætatis anno LXXI. vitã cum morte cõmutavit, ampliſſimâ ſpe Cardinali cuipiam ex congregatis in Conclavi relicta, locum, quẽ deſeruerat, occupandi. Cujus ſpei fructus poſtquam Cardinales in Conclavi menſes ſex, dies viginti congregati fuiſſent (quod à centũ & decem inde annis, videlicet à Pauli IV. morte haud factũ obſervabatur) XXIX. Aprilis A. MDCLXX. elect⁹ in Pontificem Romanum Cardinalis Æmilius Altierius, Romanus, vir octoginta annorũ, ampliter ſenſit. Qui nunc, cùm hæc typis cõmitterem, ſub titulo Clementis X. Eccleſiæ præeſt.

Num. 79.

(69) *Curam aut cogitationem, &c.*] De probabilibus incõmodis Electivorum Regnorum & Principatuum Secularium ſimilia ediſſerit apud Barclajum (*in Argenidis l. 1.*) Dunalbius, inquiens: Qui ſuffragiis in hunc verticem rerum humanarum attollitur, nondum primæ immemor ſortis eſt, in quam recidere ſui hæredes poſſunt. Itaq; à publicorum munerum ſedulitate propiori cura ſubducitur; ut filio vel proximo cognatorum eos conciliet, quorum eſt regnum dare; aut familiam ſaltem tot opibus expleat, ne deinde ullus ignoret fuiſſe ex ea, qui regnarit. Sic publica ornamenta, publicæ opes, quacunq; ratione in privatam degeruntur familiam; & quæ ſplendori, quæ utilitati communi vota majorum deſtinaverant, triſtiſſimo errore in neſcio quos lares profunduntur, eoſq; laborant in lucem vindicare &c. Et in ſpecie de Pontificum ſtatu inter alia ſic cõmentatur Author Nepotiſmi Romani *l. 4. c. 7.* Sunt, qui Eccleſiæ ſtatũ occupatæ ab hoſtibus Urbi comparent, quã cũ diu conſervare non poſſe conſpiciant, undiq; eam diripiunt & deſtruunt, optima & pulcherrima quæque exportant, & ſolum nomen nudum miſeræ Urbi relinquunt, cum licentiâ adverſam deplorandi fortunam. Ita quoq; faciunt Eccleſiaſtici, qui cùm Pontificis morte videant eorum Authoritatem &

Præfe-

Præfecturam finiri, faſces & Imperium deponere, & ſucceſſori conſignari compelli, ne manibus vacuis diſcedant, Statum vel Provinciam omnem diripiunt, ut non aliter ac ſi ab hoſtibus depopulata eſſet, appareat. Nec eſt tamen populis conceſſum de anteceſſorum Præfectorum geſtis conqueri, quia ſucceſſores idem quoque facere cogitant, & ita anteceſſorum facta excuſant, & laudant. Hæc ille, cujus rei fidem ipſe vindicet.

(70) *Minùs ſit munitum &c.]* Temporis progreſſu hæc in melius mutata fuiſſe, licet ex Sprengeri *Roma Nova lib. 5. cap. 7.* colligere. Verba ejus hæc ſunt: Ultra quod Status Eccleſiæ belli- coſiſſimos, & inprimis Romania, & ager Picenus, producat, habet Papa ſemper paratam in ſuis terris militiam, quam *li Soldati delle bande* appellat, ad octoginta mille pedites, & ter mille quingentos Equites, (monſtrante ita matriculâ) qui nullo fruuntur ſtipendio, magnis tamen gaudent privilegiis & libertatibus, parati in caſum, quò Papæ libuerit. Armamentaria ſunt Ferrariæ, Bononiæ, Romæ in Caſtro S. Angeli, & in Vaticano, Anconæ, & Ravennæ: In Tiburtina Civitate, *vulgò Tivoli*, optima conficiuntur arma, quibus armamentaria Romana replentur. Ex Vaticano quinque millia, ex Caſtro S. Angeli duodecim millia, ex Bononia decem millia, ex Ferraria viginti quinque millia peditum armari queunt. Et quia armamentaria nihil proficiunt absque annona militari, ad thermas Diocletianas extruxêre horrea publica, pro ſervando frumento, Gregorius XIII. Paulus V. & Urbanus VIII. Aliàs quantâ potentiâ polleant Pontifices, demonſtravit ultimò Urbanus VIII. Parmenſium Duci, illiusque confœderatis, qui tandem ſe humiliare, & Sedi Apoſtolicæ cedere utile & honeſtum duxerunt, arma inferens.

CAPUT IV.

De Aquila Imperii & Imperatore Romano, ejusq; Potentia, Viribus, & Ærario.

SUMMARIA.

1. BIceps Imperium Orientis & Occidentis, *indicat* Aquila *duplex.*
2. Imperatores *moderni Romano-Germanici iisdem Aquilæ bicipitis Inſignibus utuntur.*
3. Aquilæ *antiquitus Romanorum Legionibus prælata, uti ſigna; unde* Aquiliferi.
4. *Præter* Aquilas, *etiam alia ferociora animalia in Inſignibus militaribus ferebant olim Romani.*
5. *Primus in Inſignia* Aquilam *aſſumpſit Marius.*
6. Aquila *aurea in haſta longa extenſa ſignum regale Perſis fuit.*
7. *Quid Inſigne* Aquilæ *notet.*
8. *Excellit inter alites* Aquila, & num 11.
9. *Duæ boni* Principis *virtutes, Prudentia pacis tempore, Fortitudo belli caſibus neceſſaria.*
10. Aquila *deſignat virtutes hasce; ſicut ſui ipſius notitiam & perennitatem,* num. 12. *& magnum reminiſcentiæ vigorem,* num. 15.
13. *Aſtutia* Aquilæ *à cornicibus & picis ſe deplumari paſſæ.*
14. Jaurinum *Anno 1597. ab Adolpho Comite Schvvartzenburgico plusquam miraculosè recuperatum.*
16. Aquila *non niſi cum grandioribus feris certamen ſuſcipit.*
17. Aquilæ *plus eſt in animi magnitudine, quàm in virium robore præſidii.*
18. Aquilæ *imperium dabatur ideo, quòd præſtet robore & virtute debellandis hoſtibus.*
19. *Patientia & perſeverantia indicatur in Aquila, &* num. 20.
21. Germania *à bello ad ſaniora pacis conſilia revocatur;* & num. 22. 23. 24. 25. 27. 28 & 29.
26. *Religio prætextus eſt tàm ſævorum, quàm calamitoſorum noſtri ævi bellorum.*
30. Penuria *ſæpè &* egeſtas *utrique parti præliantì extorſit pacem.*
31. *Contra eos, qui fruges & ſegetes, agricolas cum villis & horreis devaſtaſſent, &* n. 32. 33.
34. Aquila *typus Juſtitiæ.*
35. *Memorabile exemplum gratitudinis in* Aquila *erga Pyrrhum, à quo erat educata.*
36. *Cur Imperator bicipitem, Rex verò* Romanorum *unicipitem Aquilam gerat?*
37. Aquilæ *in Indiæ Occidentalis valle* Cautem *& Provincia* Chili *inventæ.*
38. Batavi *olim Cæſarum Aquiliferi: unde habent in Inſignibus Aquilam nigram, rubeam, albamq;.*
39. Comitum Palatinorum *ampla poteſtas.*
40. *Jus* Comitum Palatinorum *dandi Inſignia; & quæ, qualiáve.*
41. Aquilæ *Inſigne Imperator elargiri poteſt. Inſignium Regni Bohemiæ jocoſa mutatio,* ibidem num. 42.
43. Aquila *aliquando genitiva Gentis ac illuſtrium familiarum nota.*
44. Conzanorum Reges *corporis nævum Aquilam nigram monſtrarunt in humero.*
45. Imperatoris *Romani patrimonium nullibi conſignatum reperitur.*
46. Ærarium Baſilii *Imp. Orientis, à Zonara deſcriptum.*
47. Fiſci Regalia *ad augendam Imperatoris ærarium pertinent.*
48. Regalia Imperatoris *non ſemper eadem fuêre.*
49. *Quænam ſint* Majeſtatis *vel* Majora Regalia?
50. *Quænam ſint* Minora Regalia?
51. Fodrum *à vulgari Germanico* Futter: *alia* Fodri *acceptio,* num. 52.
53. *Fodrum* inter Regalia refertur.
54. *Sub* Friderico Barbaroſſa, *infirmioribus jam Imperii viribus collecta in Germania & Italia ex ſolius Imperii juribus LX. vaſa auri.*
55. Regalia *dicta, quaſi Regi ſeu Imperatori reſervata.*
56. Aquila deplumata, *id eſt, eviſceratum Imperium,* & 58.

57. Quantas *opes Imperator percipiat ex Germania: ubi & de Expeditione Romana, & Contributionibus Turcicis.*

59. Florentini, Lucenſes, Senenſesque *quanto pretio libertatem ab Imperio redemerint.*

60. Dynaſtæ Italiæ *portiones opulentas ab Imperio ad ſe pertraxerunt.*

61. *Quantum terrarum reſtet hodie* Romano Imperio.

62. *Alienatæ* Civitates Imperii, Argenti Aurique Fodinæ, Vectigalia, & num 63. 67.

64. Caroli V. *Reſcriptum ad Hadrianum VI. Pontificem.*

65. *Quot* Status & Ordines *à tempore Imp. Rudolphi I. ab Imperio defecerint.*

66. Aquila *à Carolo IV. ita deplumata, ut Cæſar hodie Imperialem ſuo faſtigio dignam pompam ex Imperii reditu minimè tueri poſſit.* & n. 67.

68. Carolus IV. *juramento adactus, ne oppignorata vectigalia revocaret.*

69. Ruſtici *olim ultrà 26. denarios pro quolibet capite vel fumante Imperatori non ſolverunt.*

70. Collectæ *pro exſtirpandis Huſſitis in Comitiis Imp. indictæ.*

71. Collectarum Imperialium *quænam tempore Friderici III. & Maximiliani I. fuerit ratio,* & num. 72.

73. Cæſar *centies centena millia ex ſuis opibus olim impendit, ut Germaniam in pace retineret.*

74. *Cur* Imperator *non in Imperio, ſed Pragæ reſideat?*

75. Tributorum *onus Romano Imperio ceſſante, ab aula receſſit.*

76. *In* Electione Imperatoris *reſpectus eſt maximus ad opes, ut nimirum talis eligatur, qui ex patrimonio ſuo poſſit magnificentiam Imperialem tueri.*

77. Piſarum *dominatus venditus à Carolo IV. Hujus Imperatoris vitia virtutesque collatæ.*

78. Carolus IV. *non Imperator, ſed Diſſipator vocitatus; quo peſtilentior peſtis Germanis non obtigit,* num. 79.

80. Aureæ Bullæ *inventum utiliſſimum.*

81. Wenceslaus *Imperator natus, baptizatus, inauguratusque peſſima de ſe dat indicia.*

82. *Quas regiones, urbes, pagosque* Wenceslaus Imp. *alienaverit ab Imperio.*

83. *Ex malè geſtis hujus* Wenceslai, *deſtitutæ ſunt* Civitates Imperiales *omni præſidio Imperatoris, proinde inter ſe fœderibus cœptæ præmuniri.*

84. *Capitur Imperator* Wenceslaus, *in cuſtodiamque datur.*

85. Wenceslaus *è cuſtodia liberatus ab Electoribus Imperio movetur.*

86. Fridericus Dux Brunſvicenſis & Luneburgenſis *Imperatori ſubſtituitur, fraude Moguntini Electoris interficitur.*

87. Rupertus, Bavariæ Dux, Rex Romanorum *renunciatur.*

88. *Quæſita media* deplumatam Aquilam *denuò* veſtiendi, *id eſt, cenſus Imperii reſtituendi,* *hoc* & num. 89. 90. 91. 92.

93. *Ex* bonis Eccleſiaſticis *aliquid Imperatori cedendum.*

94. Feuda caduca *nemini dentur, ſed Imperatori aſſerventur.*

95. *Ex* Auſtriæ *reditibus, vectigalibus & tributis quantum* Imperator *percipiat.*

96. Auſtriæ *inferioris,* Bohemiæ, Hungariæque *cenſus quantus ſit?*

97. *Quo pacto* Auſtriaca familia *ad hanc, quam videmus, magnitudinem excreverit,* & num. 98. 99. 100.

101. *Summa felicitas* Philippi I. *ex Maximiliano Imperatore nati.*

102. Caroli V. *Imperatoris exordia.*

103. Maximiliani I. *eximia bonitas cum ſumma liberalitate conjuncta: ejusdem theſauri,* num. 104.

105. Archiduces Auſtriæ *naturâ noſcibiles.*

106. Mento *naſci oblongiore* Auſtriacis *in utroque ſexu eſt familiare.*

107. Mentum *oblongius animi pii, placidi, & conſtantis indicium.*

108. Auſtriacorum *familia non agnoſcit Tyrannos.*

109. Aquilæ *alarum remiges attritæ; Principum verò & Civitatum reditus opesque auctæ,* num. 110.

111. Ordinum *diſſenſio, Imperii diſſolutio.*

112. Statuum *Imperii in Comitiis altercatio: Diæta diætam parit. ibid.*

113. *Quæ* duæ res *præcipuæ deſint Imperio Germanico.*

114. Aquilæ *implumis exuviæ.*

115. Imperator & Aquila inter *Electores, Principes, Comites &c. diviſâ prædâ ſuâ non curavit omnibus epulis os adponere.*

116. Regalia Superioritatis, *Jurisdictionesque Principum modernorum longè recedunt à Jurisdictione Magiſtratuum priſci Romani Imperii: Nunc tamen hæc Principibus & Statibus Imperii acquiſita non poſſunt ab Imperatore revocari,* n. 117.

118. Principum Germaniæ *potentia exaggeratur.*

119. *Exinde* ſplendor Imperatoris *vehementer imminutus adparet.*

120. Medium *& remedium in neceſſitate,* indictio Contributionum.

121. *Hisce* mediis *aliquando quater centena aureorum millia collecta, proditum eſt.*

122. Germania *in decem Circulos diviſa.*

123. Status Imperii *nonnunquam cumulativè jus in Imperatorem transferunt, non privativè, quaſi ſeſe privent & abdicent.*

124. Carolus V. *ajebat, imperare ſe alibi mancipiis & ſervis: at in Germania* Liberis & Regibus.

125. *Quàm diverſis quique* Reges *Subditis imperitent.*

126. Turcâ *cum innumeris copiis Auſtriam invadente, quantos Carolus V. & Maximilianus II. Impp. ex Germania contraxerint exercitus.*

127. *Quantum exigente uſu militum numerum cogere poſſit* Imperator.

128. *Ad* Comitia Imperii *quinam vocentur?*

130. *De compoſitione Gallo-Mantuana &* Electorali dignitate *Comiti Palatino ademptâ in Ducem Bavariæ translatâ.*

131. Autoris *votum.*

Quà populoſa patet Germania, Cæſar habenas
Imperii flectit, cenſus & inde redit.
Hungariæ Regnum ſi jungas atque Bohemum;
Ingens Ærarî naſcitur inde lucrum.

Ad Inſignia FERDINANDI III. Rom. Imp.

AUSTRIACAS AQUILAS nemo ſine clade laceſſit,
Si neſcis, iſtu fulmen ab ungue venit.

CON-

1 CONSTANTINUS Imp. *cùm novam Romam* (1) ſive Conſtantinopolim condidiſſet, prorſus biceps Imperium reddidit, illudque in duas partes diviſit. Orientale nimirum, & Occidentale. Unde bicipitis Imperialia Inſignia Aquilæ, *quarum una alteram alis expasſis* (2) obtegit, nata eſſe, non abſurdè plures opinantur, Dauth. *tract. de teſtament. fol. 215.* Pighius *in Hercule Proditio fol. 42.* Quod & probat Molinæus *ad Conſuetud. Pariſ. tit. 1. in princ. num. 21.* Mutius Surgens *de præfect. prætor. lib. 1. cap. 2. n. 11.* Gregor. Tholoſan. *lib. 6. de Republ. cap. 13. num. 18. 19. & lib. 25. cap. 1. num. 7.* Joſeph. Scaliger *lib. 5. emendat. temp.* Quamvis iſtâ diviſione fiſſam Aquilæ imaginem vetuſtiorem cēſeat Lipſius *in analectis ad Militiam Romanam pag.* 278. ubi originem Aquilarum Imperii refert ad ea tempora, quo nomen Orientis Imperii ab Occidentali diverſum cœpit inclareſcere. *Curio* (3) quoque ad duplex illud Imperium oculos reflectit; at non Conſtantini, *ſed Caroli Magni* (4) conſiderat tempora. Pacârat, *ait*, Occidentis fines Carolus, & cum Nicephoro, Imp. Græco, ſocietatem ita inivit: ut Orientem ille; Carolus verò Occidentem bicipitis Aquilæ auſpiciis gubernarent. Inde bicipitis Aquilæ initium. Münſter. *libr. 2. Coſmograph. c. 141. pag. 306.* Renat. Choppin *libr. 3. de Domanio tit. 8. num. 4.* Freher. *ad P. de Andlo de Romano Imperio libr. 2. cap. 14. pag. 199.* Beſold. *de jurisdict. Imper. Rom. diſcurſ. 4. pag. 10.* Quibus adplaudit *nonnemo Poëtarum:* (5)

Picta biceps Aquila, hinc occaſum, hinc dum adſpicit ortum,
Alter, ait, noſtri eſt, Cæſaris alter erit.

2 Hisque Aquilæ Inſignibus *adhuc Romano-Germanici Imperatores* (6) gaudent: Licet quidam bicipitem Aquilam excogitaſſe ſcribant *Carolum V.* (7) qui primùm Hiſpaniæ Rex, cujus Inſigne Aquila eſt, mox Imperator factus, & Hiſpanicam & Imperatoriam Aquilam conjunxit. Ineptè ergo *Nordermannus* (8) *in Diſputat. de jure Principatus concluſ. 14.* conjectat, Inſigne Imperii Aquilam bicipitem non ex Imperii diviſione; ſed duas Aquilas alis expaſſis dorſa juncta habentes, Quintilio Varo ab Arminio Cheruſcorum Principe *cæſo apud Bructeros,* (9) inter Amaſim & Lippiam ereptas eſſe. Wolffgang. Heider *in Polit. Syſtem. c. 5. de bello & pace, fol. 768. ubi dicit,* hanc conjecturam probabilem, ſi Germani ante Carolum Magnum aquilis uſi.

3 Verùm enim verò non nuperum hoc eſt inventum; Nam & Aquilam avium Reginam, & Dominatricem à præſtantia priſcis Romanis placuiſſe, teſtes ſunt *complures*, (10) & inter illos Joſephus *lib. 3. de Bello Judaico cap. 5.* Aquila, *inquit*, Legioni aqud Romanos præeſt, Rex ipſa omnium avium, & eadem valentiſſima. Unde etiam Imperii ſignum ipſis eſt, & velut *omen victoriæ,* (11) in quoscunque eant. Et Vegetius *de re militari c. 13.* ait; Totius *Legionis ſignum* (12) Aquila eſt, quam Aquilifer præfert. Bellè Joan. Schöſſerus Poëta *Eleg. lib. 1. eleg. 3.*

Tempore, quo toti Romana potentia mundo
Regibus innumeris ac dominata fuit;
Infeſtos aciem quoties produxit in hoſtes,
Hanc volucrem turmis prætulit illa ſuis.
Hâc unâ voluit Legionum ſigna notari,
Hâc voluit regni ſignificare decus.
Nā velut exſuperat cunctas regina volucres,
Altiùs & reliquis omnibus una volat:
Sic etiam totum frænarat legibus Orbem,
Abdideratq; polo Martia Roma caput.
Manſit in Imperio mos ille, fuitq; retentus
Cæſaribus, quotquot ſceptra tulêre manu.
Nam cunctis clypeo volucrē geſtare Tonantis,
Ceu decus Imperii nobile, cura fuit.

Nonnulli Aquilam à Trojanis ad Romanos translatam commemorant. Ego, *inquit*, Lipſius *d. tract. de Militia Roman. lib. 4. Dial. 5. fol. 255.* fortaſſe nihil errem, ſi aut ipſos à ſe Romanos reperiſſe dixerim, aut vicinorum exemplo. Sanè rapacium aliquot animalium effigies adſumi & præferri, bello convenit: & video variè olim feciſſe Romanos. Nec enim ſolùm Aquilam priſci illi, ſed plura ejusmodi animalia prætulerunt, nata *in pugnas aut raptus.* (13) Mutius Surgens *de præfect. Prætor. lib. 1. cap. 20. num. 10. & ſeq.* Aquilam (*inquit*) antiquitus Romani non 4
modò, ſed etiam Lupum, Equum, Aprum in inſignibus ſeu vexillis militaribus ferebant. Leo etiam uſu aptatus eſt veteribus Romanis docente hoc, præter alios, Claudiano de Bello Gethico:

Nerrius inſequitur, meritusq; vocabula Felix,
Dictaq; ab Auguſto Legio, nomenq; probantes
Invicti, clypeoq; animoſi teſte Leones.

Cæterùm primus inter Romanos, qui Aquilā ſibi ſumpſit, eam ut perpetuā conſtitueret, uti ex Valerio diſcimus, fuit fortiſſimus Ducum ille Marius. Poſtea Aquila illis fuit perpetū Inſigne exercitus ſupremi Ducis; Limnæus *l. 1. de jure publ. c. 14. n. 24. & ſeq.* Alii, dum in hoc preſſiùs inquirunt, Aquilā Jovi, qui Romani generis author perhibebatur, ſacram fuiſſe pronunciant, Natalis Comes *lib. 2. c. 1.* Joan. Gerard. Voſſius *Inſtit. Orator. c. 3. p. 94.* Nec tantùm Imperatoribus Romanis, ſed & Perſis regale ſignum fuit Aquila aurea, in haſta longa extenſa, teſte Xenophonte 7. *Cyropæd.* Et nunc quoque ipſum *hoc Inſigne Perſarum Regi manet,* (14) Briſſon. *l. 3. de Regno Perſar.*

5 De Aquila Imperii, & quid Inſigne hoc notet, multis diſquirit Limnæus *d. c. 14. ubi n. 27.* Imperatorem Sigismundum *in Reformatione ſua c. 26 apud Goldaſtum tom. 2.* der Reichs-Satzungen. Der Adler iſt in einem güldin Feld bezeichnet GOtt den Herrn/deß Sunnen clar ſcheint/vnd der Nacht Ru/von dem alle Frucht

entſpringt. Der Adler bezeichnet uns die hohen
Adelſchafft/ die wir ſo gar von Himmel darein
bezeichnen / verkündigung auff dem Erdreych
der Nacht als er ſchwartz iſt / do uns Johannes
Evangeliſt ſo erlichen in des Adlers weiß er-
manet. Aber das Gold/ in dem der Adler ge-
figuriert iſt/ bedeut uns die klaren Göttlichen
ſchöne/ und Koperkeit deß ſcheinenden ewigen
Glantz/Klarheit/und aller koperlichen Lauter-
keit. Sed hæc cujus furfuris & farinæ ſint, o-
mnes vident & rident, quibus

De meliore luto finxit præcordia Titan.

In eo plerique conveniunt, Majores no-
ſtros, atque eorum Rectores Cæſares, acqui-
ſito Imperio Romano, inſignia ejusdem in
victoriæ, poſſeſſionis & dominii ſignum u-
ſurpaſſe, nullâ curioſitate aliâ, quàm quòd
præſtantia, nobilitas atque prærogativa A-
quilæ cæteras ſit inter aviculas. Quod igi-
8 túr vetus Sapientum apud omnes ferè gen-
tes *Imperii Emblema* (15) fuit Aquila; res eſt
ejusmodi, ut eam neque ſequi ſine laude, ne-
que refugere quisquam poſſit ſine reprehen-
ſione.

Sunt enim Principis virtutes potiſſimùm
9 duæ. Prudentia una, quâ tractantur tem-
pore pacis gubernacula Reipublicæ: Fortitu-
do altera, cujus præſidio, tempore belli, ho-
ſtium franguntur conatus. *Quod probè in-
telligentes* (16) Poëtæ antiqui, Chreunti Ti-
reſium, Policidium Minoi, Palamedem U-
lyſſi, & Jovi Prometheum adjunxerunt, non
alio-versùs, quàm ut excellentem ſapienti-
am potentiamque, ad unam & eandem me-
tam, quaſi contendere, & alteram alterius ope
atque adminiculo indigere ſignificarent.
Nam præterquã quod juxta *Satyricum*, (17)

Nullum numen abeſt, ſi ſit prudentia: (18)
ſola quoque illa præit & ducit ad rectè fa-
ciendum, tanquam regni unica cuſtos, quâ
Princeps, velut alter Janus, Argus, vel Pano-
ptes à fronte ſimul, & tergo redditur ocula-
tus. Cujus rei haud ignari olim Ægyptii in
ſceptro regio Oculum ſuis hieroglyphicis de-
ſignarunt, ut oſtenderent, in Rege potenti-
am requiri, tanquam Reipublicæ vigilantem
& proſpicientem oculum: Quicquid enim
Sol in mundo, id Princeps prudens in po-
pulo; Sol mundi oculus, Princeps verò mul-
titudinis: Sicut è regione, cui talis deeſt pru-
dentia, cùm quidvis aggrediatur ingenti rerũ
tumultu ſine ullo judicio, quid aliud profe-
ctò dixeris eum eſſe, quàm Cyclopem exo-
culatum, qui manus quoquoverſum porri-
git, nullo certo ſcopo niſus. Et ſanè probatiſ-
ſima eſt Imperatoris noſtri Juſtiniani vox:
Majeſtatem Cæſaream non ſolùm armis de-
coratam, ſed & legibus oportere eſſe arma-
tam, ut utrumque tempus & belli & pacis re-
ctè poſſit gubernari; & ut ſic (quod addo) ve-
rè ambidexter, ſeu *ex utroque Cæſar* (19) dici
mereatur. Parva enim ſunt arma foris, niſi
ſit conſilium domi:

— — — Alterius ſic
Altera poſcit opem res, & conjurat amicè.

Et quia prudentiæ medium inſtar cæte-
rarum virtutum non in puncto verſatur, ſed
aliquid ſpatii habet, in quod aſtûs ſeu *callidi-
tatis quid influere* (20) poſſit, ſatis liquet, ean-
dẽ *Martis temporibus* (21) cũ fortitudine ſimul
licitè conjungi, &, ut *Lyſander dicebat*, (22)
leoninâ pelle deficiente, vulpinã aſſui poſſe,
quod non tantùm in viribus corporis & la-
certis fortitudinis gloria ſit, ſed magis in vir-
tute animi; ſicut & Valerius Flaccus præſcri-
pſiſſe videtur jam antè hoc diſticho:

Sed te non animis, nec ſolis viribus æquum
Credere, ſæpè acri potior prudentia dextrâ:

atque ita ſerpentis prudentia in malis, co-
lumbinæ ſinceritati circa bona, miſcenda e-
rit, quod qui facit, neque prudentiam ſinet
malignam fieri, neque ſimplicitatem ſtoli-
dam: Hæc eſt bona temperatura, quæ eti-
amnum inter milites noſtros glorioſè ſerva-
tur, ſervabiturque dum

Teneræ attondent ſimæ virgulta capellæ.

Prudentiæ (23) verò partes numerantur 10
tres: Proſpicientia, rerum futurarum nuncia
& domina: Intelligentia, exiſtentium ma-
giſtra: Memoria, præteritarum cuſtos &
arx munitiſſima. Hasce omnes ſimul virtutes
videtur Natura certis quibusdam monu-
mentis, per Aquilam adumbrare, hoc mo-
do. Quoniam ſilentium non obſcurum eſt
proſpicientiæ argumentum, cùm inter ho-
mines loqui ignoret, *qui tacere neſciat*; (24)
Virtutis ejus veluti quoddam in Aquila latet
documentum. Nam alitum regina cùm ſit,
(ut bellè deſcribit Aquilam Nicol. Reuſner. 11
in ænigmatographia:

Sum volucrum Regina, Jovi gratiſſima, lu-
men
Sollicitans proprio lumine, Phœbe, tuum.)

ne terrori ſit cæteris alitibus, ſola omnium
volat *ſine clangore*; (25)

Fulva Jovis volat altè ales, non arva, ſed
aſtra
Sublimi attingens, ſpernit declive, volatu.

Nec in ea obſcura ſpectantur intelligentiæ
veluti quædam veſtigia. Nam cùm in rerum 12
intelligentia nihil ſit majus, quàm ſui cogni-
tio, ut veteri fertur adagio: Nosce te ipsum;
(26) tantam habet Aquila ſui cognitionem, ut
neque morbo, neque vetuſtate, ſicut placet
Plinio, (27) pereat, ſed tantùm fame; cùm ro-
ſtri tàm ſinuoſa ei fiat aduncitas, ut cibũ mi-
nimè poſſit capere. Albertus refert, ſe vidiſſe
aquilam, quæ à cornicibus & picis paſſa ſit ſe 13
deplumari: demum picâ unâ correptâ devo-
ravit eam. Idque evenire ſcribit Cardan. *lib. 7.
de rerum variet. c. 36.* cùm ob ſenectutem, aut
morbum invalidæ ſunt. En ſolertiam & aſtu-
tiam Aquilæ! Ad hanc aſtutiam alluſit Mar- 14
cus Gerſtenbergius JC. Elect. Saxon. Cancel-
larius, in venuſto ſuo carmine de *Jaurino* (28)
ab Adolpho Comite Svvarzembergico An-
no

no MDXCVIII. plusquam miraculoſè *recu-
perato*:(29)

Captus erat CORVUS non vi, ſed deditione;
Dum cuſtos juſſum non facit officium.
Hunc Aquilæ eripuit, non vi, ſed calliditate,
Et poſtliminii munere reſtituit.
Vis aſtu regitur: res Marte vel arte gerenda
eſt.
Mole ruit propria vis ſine conſilio.
Fallor, an hæc pellis vulpina aſſuta leonis,
Quâ tot monſtra labor ſuſtulit Herculeus?
A Domino factum eſt oculis mirabile noſtris.
Fauſtum quicquid agit, cui Deus adſit, erit.
Macte Aquila, hâc virtute: jugum pertæſa
Tyranni,
Pannonia exſpectat Regia vindicias.
Millibus haud opus eſt multis: tranſcen-
dere muros
Cum Domino facile eſt: perfide Turca cave!
Non Aquilam imbellem vidi generare co-
lumbam,
Cui dedit in volucres Jupiter imperium.
Nil poſſunt foſſæ, aut muri, nil claudere por-
tas:
Omnia divinæ pervia ſunt Aquilæ.

Memoria quoque cùm ſit præteritorum,
15 de præteritis ſic judicat Aquila, ut ſi pulli ad-
verſum Solẽ ſuſtineant, alat eos, pro legitimis;
ſin ſplendore Solis iis oculorum perſtringa-
tur acies, hebeſcatque intuendo, *eos exclu-
dat, tanquam degeneres.* (30) In quo Naturæ
oſtento, non ſolùm memoriæ vis incluſa vi-
detur, ſed etiam cum admiratione expreſſa.
Hæc ſunt Prudentiæ monumenta. Venio
nunc ad ea, quæ interpretationem habent
Fortitudinis; cujus quatuor cenſentur eſſe
partes; Magnanimitas, Fidentia, Patientia,
& Perſeverantia. Magnanimitas eſt, præclara
& difficilia appetere, ut Caligula & Marcel-
lus ſolebant; quorum alter dicere eſt ſolitus;
nullarum rerum deſiderio unquam majorẽ
in modum ſe ardere, quàm earum, quæ ab o-
mnibus negarentur fieri poſſe: alter bellum
nullũ ſtudebat inire, niſi periculoſum & dif-
ficile. Quorum utrumque vix adeò in illis,
quàm in Aquila, licet probare. Hæc enim a-
16 les nunquam, *niſi cum grandi beſtia* (31)
deſcendit in certamen, ut non ſolùm præ-
dam faciat, ſed & glorioſè faciat. *Cum
cervo* (32) igitur congreditur; illumque,
quem vi ſuperare non poteſt, eludit hoc ſtra-
tagemate: In arenam ſe primùm immergit,
atq; ubi alas corpusq; univerſum pulvere re-
ferſit: tum in cœlum ſe attollit, furtimque
cervum explorat, deſcendentem cujus inter
cornua ſtatim de ſublimi dat ſe præcipitem:
quid? eum roſtro & pulvere occæcatum, at-
que unguibus, plurimisque plagis ſaucium,
urget in fugam, fugatumque terrere antè nõ
deſerit, quàm aut contra arborem colliſus, aut
ex præcipiti loco aliquo detruſus, fiat præda.
Quorſum? plus eſt in animi magnitudine,
quàm in virium robore (33) artis & præſidii.

Evagrius & Procopius (34) juraſſe Martia- 17
num Imp. ſcribunt. Vandalis Africanis pa-
cem, accepto omine imperii, quod Aquila
dormienti umbram feciſſet, nec fas duxiſſe
jam Auguſtum à fœdere, quod privatus per-
cuſſerat, reſilire. Fidentiæ item argumentum
habet hic Aquilæ Apologus. Cùm enim ce-
lebrarentur alitum Comitia, quò Regem a-
liquem pro ſtatu ſui ordinis gubernando, cre-
arent; tum & pavo colorum varietate elatus,
ſuum ajebat ex jure naturali eſſe imperium:
& Corvus huic reclamando, id ipſum aliis
ſuadere nitebatur, quòd Mercurii eſſet Ales
quadraginta duabus utens vocibus, & alia a- 18
litum aliam ob cauſam ſibi Diadema deberi
aſſeverabat. Verùm Aquila roſtro & ungui-
bus, tanquam armis validiſſimis, ad tutelam
Imperii commonſtratis: *ejus dixit eſſe impe-
rium*, (35) quæ ad hoſtes debellandum, vir-
tute plus valeret & robore. Patientiæ aper- 19
tius Aquila habet ſymbolum. Ajunt enim
Poëtæ Aquilam Jovi contra Gigantes *fulmi-
na miniſtraſſe*; (36) ideoque illam ſolam inter
omnes aves, quaſi mercedis loco, *non tangi*
(37) de cœlo; Plin. *lib.10. Hiſt. Natur. cap.3.*
Unde Schöffer *d. eleg.3.*

Admonet hæc volucris, quam nunquam ful-
mina tangunt,
Eſſe Dei tutos numine ſæpè Duces.

Laurentius Lippius de Aquila:

Sola queo Phœbi radios ſpectare nitentes:
Non aciem frangunt lumina clara meam.
Portavi puerum, qui miſcet vina Tonanti.
Ob meritum hoc in me fulmina nulla ru-
unt.

Præclarum certè Patientiæ exemplum in 20
Jovis obſequio. Nec obſcurum perſeveran-
tiæ ſignum, quòd Aquilæ *pennæ commixtæ*
(38) cum aliarum alitum pennis, imperium,
eas abſumendo & corradendo, etiam exerce-
ant, cruorque ejus cum Draconis cruore
commixtus recurrat: quo intelligimus Aqui-
lam in retinenda Imperii Conſtantia usque
adeò perſiſtere, ut vitam multi, nemo perſe-
verantiam ei poſſit adimere.

O felix Germania, ſi hoc in Aquila agno- 21
ſceres, nec incertum belli eventum paci præ-
ferres; nec extra modum cædibus, rapinis, in-
cendiis prodires; nec totius Imperii nervos
incideres, omniáve direptionibus vaſtares!
Qui ſapiunt, bellum abſolvunt celeriter, pa-
ce fruuntur, quàm poſſunt, diutiſſimè. Sed
hoc internecinum bellum quàm levibus ini-
tiis *ante annos XXX.* (39) cœpit, & ex quàm
paucis ſcintillulis tantum incendium paula-
tim exortum, ut non hoc ſolùm imperium,
totius Orbis Chriſtiani Caput, miſerabiliter
eo conflagrarit, ſed univerſa propemodum
Europa nunc ardeat? At quæ cauſæ tam in-
gentis mali? inteſtina Principum odia ac
diffidia, partim ex nullius momenti litibus,
partim ſuſpicione & æmulatione potiùs,
quàm aliunde nata, nec à viris prudentibus,

moderatis, & bonis maturè repreſſa, ſed à temerariis, malis, & novarum rerum cupidis nutrita & aucta, totam patriam funditùs everterunt. Legatur vel hic novitius Poëta.

Noli avium vulgus, facilisq; in bella popelle,
Noli Aquilam infeſto Mavorte laceſſere; pugna hæc
Planctum pro cantu; parit hæc audacia ſtrages,
Implumes avium turmas, intutaq; tecta,
Everſos nidos, ſilvasq; rubosq; peruſtos,
Nusquam ut ſit fidus ceſpésve ſpecúsve latebris.
Criſtam upupæ geſtant, murmur faciuntq; columbæ,
Fœda tamen pharetra eſt, & ineptior arcus utrisque.

E contrà Aquila roſtro eſt & unguibus pervicaciſſimè minax; volat, ut invadat, inſtar vibratæ haſtæ vehemens & terribilis; ut in ſublimè ſe recipiat, & quaſi pedem referat exercitatiſſima. Oculis (quos illi ſolos invideo) & fulmine, Jovis præſertim ſub curâ univerſo Orbi formidabilis; cunctis etiam quadrupedibus inimitabilis. Edicam ſine ambage? Imperium eſt & Regnum, cujus Symbolum & inſigne veterrimum eſt AQUILA; ſub tu-
22 tela eſt, ſub ſcapulis & in ſinu Magni JOVÆ, qui Divosque mortalesque turmas imperio regit unus æquo; ut qui AQUILAM tetigerit,
23 pupillam oculi divini tetigiſſe videatur. Deſiſte itaque ô mortalium genus univerſum, deſiſte invertere velle hocRegnum, cujus occaſus à ſolo dependet arbitrii divini momento. Monemus, aut, ſi mavelis,

Hoc te rogamus, flectito tempore,
Et ſanioris conſilii ſequax,
Fœda antequam ſentina navem
Hauriat, Oceano migrato.

24 Eſt nihilominùs in divinâ hac alite nonnulla Patientia & connivens indulgentia: cum modeſtia etenim & ſine clangore, pompoſoque ſtrepitu per aëra remigat, utque eat in alta ſupplicumque pectora,

Et miſto reverentia fidat amori,

25 dignabitur manus humilis & verba precantum. Cavendum tamen, ne ad extrema irritetur neceſſitatis, cogaturque ad ſecures ſæviſſimas, potentiſſimosque enſes violentatæ Innocentiæ. Scitum eſt & vulgatiſſimum, quòd durum & immite ſit telum nimiùm tentatæ Patientiæ. Hæc ales intacta ſemper fulminat proceſſu fulminato. Securiſſimum erit clamitare, O pacem! pacem, à Principe Pacifico. O veniat tandem præteritarum curarum & dolorum oblivio, ut læto omine dicere poſſimus;

— — Quò tandem nubila rerum,
Et fœdi ceſſêre dies?
O veniat, veniat! qui vili vectus aſello
Pacem aſtris, terris Pacem animisq; ferat.
Hanc ſi quis reſtaurabit vel dabit,
Olli perenne hoc Principis inclyti
Sit nomen inſcripſiſſe Faſtis:

Tu PATRIÆ PATER *atq;* PACIS. Hoc ſi nobis repræſentabis Omen, Auguſtiſſime Cæſar,

— — Te cuncta loquetur
Tellus, te variis ſcribent in floribus horæ,
Longaque perpetui ducent in ſæcula faſti. (40)

Claudian. *de conſ. Prob. & Olyb. verſic. ult. juxta editionem Martini Antonii de Rio.*

At RELIGIONEM nominant. Hanc 26
hederam pugnis ſuſpendunt. O infauſta iſta Religio, quæ nil niſi bella parit! O irreligioſa de Religione bella, quæ dum Religionem ſe præfiſcinè tueri ſimulant, eandem radicitùs exſtirpant! O funeſtum vexillum, quod in hanc Cadmæam pugnam adfertur! Quicunque Religionem quàm religioſiſſimè zeloſiſſimeque vel primitùs ſtatuerunt vel porrò propugnaverunt, ii herculè nec *Megæra*, (41) Tyſiphonesque verbere, nec flammante & utrinque *acutâ romphæâ*, (42) ſed oſtenſione Spiritus & virtutis rem geſſerunt, *1. Corinth. 2. v. 4.* Veritate ſuccincti, loricati juſtitiâ, galeâ ſalutis obtecti, gladio linguæ inſtructi, per omnem orationem & obſecrationem orantes omni tempore in Spiritu, & in ipſo vigilantes in omni inſtantia, & obſecratione pro omnibus ſanctis, *Epheſ. 6. verſ. 14. 15. & ſeqq.* In vigiliis, in jejuniis, in caſtitate, in virtute Dei, aliisque compluribus nobiliſſimis, diviniſſimisque Evangelicis donis, prodigiis, & virtutibus, quas ſerie longiore, choro quodam amabili inducit & depingit unus illorũ D. Paulus *2. Cor. 6. v. 6.* Iisque conſimilibus 27
cœleſtibus machinis & tormentis expugnavêre breviculo totum Terrarum Orbem; nõ tàm hominibus, quàm præſidiariis Acheronticis Dæmonibus formidabile Chriſti Athletæ vexillum Salvatoris glorioſiſſimè intulerunt, pulſis præcipitatisque quaquaverſum gehennæ legionibus ipſisque Principibus & Poteſtatibus tenebrarum grunnientibus ejulantibusque;

Hos puer (43) *Hebræus, Divûm Deus atque hominum Rex,*
Cedere ſede jubet, triſtemq; redire ſub Orcum.
Aris ergo dehinc triſtes abſcedite noſtris.

Protritis Dæmonibus, mitiſſimo ſuaviſſimoque Evangelii Chriſti jugo ſubmiſerunt homines multò liberaliùs & fortiùs, quàm olim à Regibus & Dictatoribus bellicoſiſſimis fuerant ſubjugati; hac indefeſſâ operâ, & inculpatiſſimâ vitâ Religionem transportaverunt etiam extra cœli Soliſque vias; moderante omnia & aſpirante illo Pneumate Deo, qui in omnem veritatem clavum tenens ducebat. Hâc ratione fiebant admi- 28
randi & glorioſi Principes terræ imbelles iſti piſcatores, non ſtrictis contra Vitellios, Helioga-

liogabalos, Caligulas, Neronesque ſicis & mucronibus, non excitis in arma, ductisque in aciem Subditis, non Regnis Regiisque everſis & ſanguine fluitantibus, ſed in ſua & Mundi ſcelera vitiorumque dehoneſtamenta, in Tartari dominatum & tyrannidem infracti vindices: Nominis & gloriæ Redemptoris Chriſti exaugendæ valentiſſimi Heroes: & hoc non furore Martio ſed manſuetudine Chriſtianâ pervicerunt, ut Roma illa, tum Mundi Domina, latiùs præſideret Religione divinâ, quàm unquam Dominatione terrenâ: quamvis multis aucta victoriis jus imperii tui terrâ mariq; protuleris; minus
29 tamen eſt, quod tibi bellicus labor ſubdidit, quàm quod Pax Chriſtiana ſubjecit, ait Leo M. *Anno Chriſti* 440. Et quia nunc, proh dolor & proh pudor! hæc talia Religionis arma projecta & fracta exoleverunt, proq; iis cœptum ſtipitibus duris bellum ſudibusq; præuſtis, ſplendidâ ſimultate & fuco aſſerendæ reducendæq; Religionis, cachinno nos exſibilant & enervant Dæmonis legiones & de eo triumphant; Religio Evangelica in ſua germana indole, pura & immaculata circa Deum & Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti occupata, *Jacob. 1. verſ. 27.* ipſa ſibi ſufficiens, dives, potensque ſatis, in vaſis electionis & gratiæ inermibus, *Actor. 9. v. 15.* portanda coram Regibus & gentibus terræ,

Non eget Mauri jaculis, nec arcu,
Nec venenatis gravidâ ſagittis,
Fuſce, pharetrâ.

Horat. *lib. 1. Od. 22.*

30 De bello gravi inter Albertum Marchionem Brandenburgenſem (qui Achilles fuit cognominatus,) ejusque ſocios & adjutores *ſeptendecim* (44) Principes; ac Norimbergenſes geſto, ſcribit *Æneas Sylvius*, (45) certatum fuiſſe biennio prœliis novem, ac damni plurimum utrinque datum & acceptum fuiſſe, exuſtos agros, everſas villas, cæſos agricolas, abacta pecora tantiſper, donec exhauſtâ utraque parte *egeſtas* (46) pacem extorſerit. Utinam iſtiusmodi antiquorum documentis ætas hæc noſtra fieret cautior & inſtructior; ut vel malefactis ſaperet, vel malè toleratis exſaturata, ſaniora conſilia capeſſeret! Fuit olim in illa unius veri Dei ignarâ gentilitate, *Tyranno cuidam* (47) immaniſſimo præciſa cervix & in deſpumans humano ſanguine dolium projecta, ſaturari juſſa cruòre, cujus fuiſſet inſatiabilis. Utinam vel incentores ſoli omnium malarum cladium, peſtiumque Chriſtianæ Germaniæ in immenſum perditionis, quod aperuerunt, barathrum præcipitarentur nunquam explendi: mœſtiſſimo illo quidem, at feliciſſimo tragœdiarum Germaniæ eventu & Cataſtrophe, ſempiternis lamentis æternas pœnas, ſeque & ſua ſcelera deteſtaturi. At malè metuo, ne ſint inanes minæ, & in ventum omnium noſtrûm vota, perennabunt tamen eorum ſceleſtiſſimè deſignata flagitia inverſæque patriæ ſuæ funeſta monumenta.

Quæ non imber edax, non Aquilo impotens,
Sed nec ſanguineæ fluenta cædis
Poſſint diluere; aut innumerabilis
Annorum ſeries, fugaxq; tempus.

Perſtabunt, inquam, immanitatis eorum immortales columnæ; inclamabunt omnia Principum tribunalia; tortores & carnifices in cervices ſuas accerſent; quin jam nunc quàcunque liberè vagantur, inſaniuntque, in oculis juſtiſſimi DEI vindicis ſunt, in nervo tenentur & vinculis, ſupplicii moram cum duro tormentorum fœnore compenſaturi.

Anno MCCCCLXII. cùm Ditericus Iſenburgicus, & Adolphus Naſſovius infeſti animis & aciebus concurrerent, prœliumque committerent inter Rhenum & Neccarum, non procul ab Heidelberga, *victorq; evaderet Fridericus* (48) Palatinus, adverſarios Adol- 31
phi & Pontificis defenſores cœpit, & in arcem deduxit, ubi convivium adparavit illis ſplendidum quidem, ſed ſine pane; quem cùm deſiderarent & poſcerent convivæ, renunciari illis juſſit Palatinus, non æquum eſſe, panem iis præbere, qui contra belli jura ſegetes perdidiſſent, agricolas innocentes fame necaſſent, & frumentum in horreis paſſim combuſſiſſent. Quid ſi hodiè hac ſolâ caſtigatione *deſæviretur in eos* (49) duntaxat, qui pro terendis frugibus etiam in meſſem, vix adultis, exurendis villis, prædiis, plenisque horreis operam execrabilem poſuiſſe gloriati ſunt, ut pane per omnem vitam corrogando, vitam deteſtabilemque animam trahere cogerentur? Næ illis tum mitiſſimè foret & mi- 32
ſericordiſſimè conſultum; poſteris verò cunctisq; retro ſeculis fixum exemplum, ne protervientes dona cœleſtia faſtidirent, ſed meminiſſent, obviis eam ſemper ulnis laxatoque ſinu cum laude & gratiis amplecti, vel frui, & egentibus exinde quàm liberaliſſimè impertiri. Interea dum hoc illis accidat, apage ſit quicunque ſit

Tanta lues frugum, tanta ſoliq; lues,
Et peſtes terræ, Cereris peſtesq; nefandæ.

Accumulabuntur in capita eorum pœnæ cladesque omnes tàm immanes, quàm gran- 33
des illi, qui neceſſarios Bonæ Cereris cumulos proculcaverunt. Sint hæ Diræ in tergum illorum:

DI dent & citò dent, cupiant periiſſe famentes,
Neu liceat quantumcunq; perire velint:
Nec lolium liceat, ſteriles neq; mandere avenas,
Urticis aſini neu ſaturi eſſe queant.
Quisquilias ſine farre legant, ſociiq; ſuûm ſint;
Quisquiliasq; vorent, quisquiliasq; bibant.

Nec

Nec paulò miſeriùs, quàm Acheronti deſtinatus ille Rex celeberrimus,

Captat aquas in aquis, & poma fugacia captat
Tantalus, &c.

Sic inhient rabidi, panem captentq; fugacem,
Nil nutrituras & ſine pane dapes.

34 Porrò & Aquila typus eſt Juſtitiæ, in qua ſcientiarum gloria maximè eſt poſita. Quî ſic? quia ab aliena præda ſe continet, nihilque quod humi ſerpit attingit Aquila, ſed victum ſibi comparat labore, & induſtriâ de cœlo petitum, nec obliquo & contorto, ſicut cæteræ aves, ſed *directo volatu*(50) in cœlum
35 tendit. Magnum quoque Charitatis in Aquila argumentum. Aquilam enim educarat aliquando Pyrrhus (*à ſubditis Aquila,*(51) *Hannibali rei militaris peritiſſimus,* (52) dictus) quem ſic illa dilexit, ut maluerit vitâ, quàm eo carere. Mortuo igitur Pyrrho, *inediâ ſibi mortem conſcivit.*(53)

36 At verò Imperatorem bicipite uti Aquilâ, Regem verò Romanum unicipite, ſcribit Limnæus *dict. cap. 14. num. 29.* Quod fortasſis exinde eſt, cùm Imperator non tantùm unum, ſed duplex Imperii repræſentet caput: ſcilicet Imperatoris & ſimul Regis Romano-
37 rum. Rex autem Romanorum unicum tantùm, puta Regis. Illud mirandum, quod Hiſpani ſcribunt, in Indiæ Occidentalis valle, quæ *Cautem* dicitur, in *Chili* (54) Provincia oppidum eſſe, quod Imperiale ab hac cauſa nominant, quoniam in pleriſque domibus & portis repererunt Aquilas bicipites formatas; ut hodiè videmus in Romani Imperii ſignis. Quo ipſo diſperguntur ſomnia Hiſpanorum, inventionem Orbis Novi (ſi novum eſſe poteſt, *quod plurima ante ſecula fuit* (55) antiquum & vetus) ſibi impudenter arrogantium. Nam unde iſtæ bicipites Aquilæ, niſi ab Europæis? Et corroborat fidem, quòd nulla in iis locis avis biceps, quam potuerunt adumbrare.

Cæterùm nullum Imp. ante Henricum VI. bicipite Aquila uſum, poſtque eundem
38 Wilhelmum Hollandum & Fridericum III. ſimplici tantùm & unius capitis ex Octavio de Strada obſervavit Limnæus *dict. loc.* Qualis etiam prima Romanorum fuit, quæ aliarum mater. Sic Batavi, qui olim Cæſarum fuerunt Aquiliferi, *multis ex poſteris ſuis Aquilam* (56) nigram, rubeam, albamque pro Inſignibus reliquerunt; Gerard. Noviomag. de Batavorum Inſula apud Scriverium *in Batavia illuſtrata pag. 7.* Atque ita virtus officiumque Cæſarum, accedente indulgentiâ, dedit, quod *Comitum Palatinorum*(57) ampliſſi-
39 ma hodiè dare non poteſt poteſtas. His quippe licèt ab Imperatore Inſignia concedendi facultas pleriſque detur, illa tamen ad id limitata eſt, ne alicui integram Aquilam maximè verò Imperialem concedant. Idque Imperator in Diplomate mihi conceſſo expreſſis verbis indicat. Poſtremò tibi ſæpè nominato CASPARO KLOCK liberam poteſtatem & facultatem damus, ut poſſis & valeas honeſtis perſonis, illud à te petentibus, *ſingulis annis quatuor* (58) Inſignia ſeu Arma concedere & elargiri *idonea & convenientia* (59) qualitati perſonæ (quod ex tuo judicio & arbitrio pendere volumus) eosdemque tum inſignium & armorum, tum *feudorum capaces reddere.*(60) Dummodò tamen in hujusmodi armorum atque inſignium con- 40
ceſſione abſtineas, ne alicui integram Aquilam, maximè Imperialem, aut coronam Regiam in galea, vel *galeam apertam* (61) aut avita quorumvis Principum, Comitum, Baronum, & Procerum, Arma ſeu Inſignia præciſè elargiaris, &c. Ipſemet verò Imperator Aquilam elargiri poteſt; uti SIGISMUNDUS Imp. Anno MCCCXXXIII. Johanni Fran- 41
ciſco Gonzagæ, primo Marchioni Mantuæ creato, Inſignia *Aquilæ nigræ* (62) albo in campo, cum cruce rubente; Et Fridericus Barbaroſſa *Anno MCLXII.* (63) Reipubl. Lubecenſi Imperialem Aquilam, cum campis purpureo niveoq; colore coruſcantibus, *junctis haſtis militaribus.*(64) Coronæ aureæ innitentibus, conceſſit, dubio procul *in ſignum Imperialis ac liberæ urbis;* (65) tum ut eſſet *Aquilæ Imperialis fœtus*, (66) & pars ejusdem corporis, à nemine eidem demembranda; tum ne ab Imperatore & Imperio deſciſceret, aliive nomen daret, ut ita Aquilæ inſpectio fidei memoriam perpetuam illi ſuggerat. Cùm & olim militibus ſigna ſive Inſignia, *ſcutis inſcribenda* (67) ab exercitus duce tributa fuerint; ne à vero ſuo Domino deflecterent, ſed ipſius cohorti ſemper adhærerent; Veget. *lib. 2. cap. 18.* Cùm Uladislaus 42
Bohemiæ Rex Fridericum Barbaroſſam in expeditione Mediolanenſi egregiè juviſſet, expugnato Mediolano Imperator coronam, auro & gemmis reſplendentem (perpetuum victoriæ, honoris & amicitiæ monumentum) capiti Regis impoſuit, *Aquilamq; Regni Bohemiæ* (68) inſigne nigram, cum fulvo permutavit leone; eò, quòd Aquilæ robore leonis excelleret fortitudo. Aſſenſus grato animo Rex, juſſuque Cæſaris pictor Inſignia Bohemici Regni nova Bohemis repræſentavit. Accidit tum res ridicula. Depinxerat forte pictor leonem in vexillo ita, ut caudam intra femina ſulcaret, quaſi prorſus eâ truncus; quem Bohemi intuentes: Et ubinam cauda, inquiunt, nónne hæc ſimiæ turpis beſtiolæ magis, quàm generoſi leonis imago? Ideoque Aquilam ſuam contempto hujusmodi leone velut anxiè repetebant. Quod ubi Cæſari relatum, in riſum ſolutus; Non, inquit, difficile erit huic Bohemorum querelæ mederi. Itaque mox pingi leonem album jubet, *non unâ caudâ tantùm, ſed duabus,* (69) iisque in altum porrectis conſpicuum. Atque hujuscemodi leonem hodieque Bohemi 43
præſe-

præferunt. Hiſce coronidis loco adponimus; Aquilam quandoque genitivam Gentis, Regum, ac Familiarum Illuſtrium *Notam ſignúmve* (70) eſſe. Scribit enim Marcus Venetus in Itinerario, naturam omnes
44 CONZANORUM in Aſia Regulos Aquilæ nigræ Inſigni, quamprimum de matris ſuæ utero producuntur, ornaſſe in humero; indeque licèt ſub Tartarorum Rege ſint; ſe tamen aliis terræ Regibus nobiliores jactare, & per dies vitæ hoc imperiali ſigno inſigniri. Meminitque hujus maculæ Felix Malleol. *de Nobilit. cap. 26.* Felix Fabri Monach. Ulmenſ. *lib. 1. Hiſt. Suev. cap. 15. fol. 175.* Philipp. Camerar. *cent. 3. oper. ſubceſivar. cap. 42. pag. 145.* Michaël Piccart. *decad. 1. obſ. Hiſtor. cap. 7. pag. 48.* Hactenus de Aquilæ antiquitate, dignitate, præſtantia, prudentia, fortitudine, magnanimitate, juſtitia, charitate, & amore, nec non de Aquila bicipite & unicipite diſſeruimus; ne tantillum ſubdubitantes, quin ea omnia Imperatoriæ Majeſtati conveniant, & dexterè applicari poſſint. Succedit de potentiâ, viribus, opibus & Ærario Aquilæ Romanæ & Imperii pro ratione hujus Status & temporis inſtituta diſquiſi-
45 tio; In quo argumento brevitati ſtudebimus, & vela contrahemus; Cùm publicum Imperatoris patrimonuim, ſeu reditus, quos ab Imperio Imperator olim habuerit, nullibi conſignatum hactenus reperiatur.

Circa annum Chriſti DCCC. (quod magnoperè mirandum eſt) acciſo jam admodum Imperio Orientali, regnanti Baſilio, tantas tamen divitias fuiſſe ſcribit Lipſius *de magnitud. Imper. Rom. lib. 2. cap. 7.* quantas vix in toto Imperio Romano, niſi valdè
46 florente. *Zonoras* (71) refert, implêſſe totum Ærarium; & ipſos aditus, viasque pecuniis confertim ſtipatis. Habuit, *inquit*, in theſauris ducenta millia talentûm auri. Nam alterius pecuniæ nec numerus iniri poterat, adeò ut terræ eam infoderet, ærariis aut repoſitoriis utique repletis. Quin & arculas habuit lapillis gemmisque pretioſis plenas, cùm aliis, tum illis, quæ candent, & quas margaritas propriè appellavit. Ducenta illa millia talentûm auri, quæ reddunt mille & ducentos milliones, ſi quis nunc Rex poſſideat, facilè, ſi uti velit, mundi imperium obtinebit. Sed ab Oriente ad horizontem Im-
47 perii Occidentis, jam ad luteos pedes redacti, me rectà converto. Illud liquet, tria ferè eſſe genera bonorum Principis. *Primum* privatorum, quæ vel habet quæſita nomine proprio, vel relicta à majoribus, alio nomine quàm Principatûs. *Secundum* dicitur eorum, quæ Principatui annexa ſunt vel incorporata; quæ & Reipublicæ dos appellantur, quòd dotalia ea accipiat inauguratione ſui Principatûs, tanquam per deſponſationem ſibi conjuncti. Vocatur etiam Domanium Reipubl. ſeu Coronæ. *Tertium*, quod ex his naſcitur, vel ex caſualibus percipitur reditibus, & in theſaurum fiſcalem defertur, ad communemque Principis ac Reipubl. negotiorum utilitatem, à Principe adminiſtratur, Gregor. Tholoſan. *lib. 3. de Republ. cap. 2. numer. 10.* Renat. Choppin. *de Domanio Gallico l. 1. tit. par. 4.* (ubi duplex genus patrimonii Romanis Auguſtis quondam attributum ſcribit: Publicum unum, fiſcale, vel Imperiale: Alterum privatum Cæſaris patrimonium dictum) Sixtin. *de Regalib. lib. 1. cap. 1. num. 29. & ſeqq.* Goldaſt. *tom. 1.* der Reichsſatzungen *fol. 37.*

Conſtat & illud; Fiſci regalia pro ſalute & utilitate Imperii ad conſervandum & augendum Imperatoris Ærarium pertinuiſſe, eidemque adjudicata fuiſſe, *c. un. quæ ſint regal. 2. Feud. 56.* De quo Güntherus *in Ligurin. lib. 8.*

Vectigal, portus, cudendæ jura monetæ,
Cumque molendinis, telonia, flumina, pontes,
Id quoque, quod fodrum, vulgari nomine, dicunt,
Et capitolitium certo ſub tempore cenſum.
Hæc Ligures ſacro tribuerunt omnia fiſco.

Vultejus *de feud. lib. 1. cap. 5. num. 7.* Borch. *in d. c. unic. num. 4.* Bocer. *dict. c. Regal. cap. 3. num. 6.* Arniſæ. *de jurib. Majeſtat. major. cap. 1. num. 3.* Qui reditus hodiè valdè diminuti ſunt; cùm Rudolphus Habſpurgenſis, ejusque ſucceſſores metu Pontificum Italiam neglexerunt, nec hosce reditus in Germania conſervare ſtuduerunt, uti paulò pòſt clariùs innoteſcet.

Regalia verò quæ ſint, (72) vix definiri 48
poterit, cùm varia à variis adducantur, nec omni tempore fuerint eadem. Imò uſu ac conſuetudine induci poteſt, ut jura, quæ olim Regalia non fuerunt, pro Regalibus hodiè habeantur, Henric. Roſenthal. *de feud. cap. 5. concluſ. 94. num. 1.* Negari non poteſt multos in cumulandis iis, quæ Principi tanquam Regalia non competunt, *nimis eſſe effuſos*, (73) cùm *non omnia, quæ Princeps poteſt*, (74) ſint inter Regalia referenda, eaque omnia, quaſi ſint Regalia, operosè conglomerare *inconcinnum foret.* (75) Ex iis, quæ *Majora* 49
ſive Majeſtatis (76) ſunt, præcipua ſunt. Poteſtas legum *generalium* (77) condendarum: Jus creandi *Reges*; (78) *Electores*, (79) *Archiduces*, (80) *Duces*, (81) Principes, Marchiones, Landgravios, Pfaltzgravios, Burggravios, Comites, Barones; *Jus nobilitandi*; (82) Jus creandi *Comites Palatinos*, (83) *Doctores*, (84) Licentiatos, Magiſtros, Baccalaureos, *Tabelliones & Notarios*; (85) Jus conſtituendi *Magiſtratus*; (86) Jus *legitimandi*; (87) *Veniam ætatis tribuendi*; (88) *Abſolvendi à juramento*; (89) *Famæ reſtituendi*; (90) *Extrema provocatio*; (91) Jus *concedendi Jurisdictionem*; (92) *Erigendi Academias*; (93) Jus *Comitiorum*, (94) *Commerciorum*, (95) *nova vectigalia erigendi*, (96) *cudendi mone-*

monetam, (97) *belli gerendi*; (98) Quæ omnia tractare, hujus inſtituti ratio non patitur.

50 Regalia Minora, quæ ad Ærarium & Compendium Fiſci ſpectant, & de quibus *lib. 2. hujus tractatus* paſſim agam, ſunt hæc: Viæ publicæ; Poteſtas inſtituendi curſus publicos; Flumina Navigabilia, & ex quibus alia fiunt navigabilia; Salinæ; Jurisdictio foreſtica; Reditus piſcationum; Mulctarum pœnarumque compendia; Bona vacantia; Bona, quæ indignis auferuntur; Bona contrahentium inceſtas nuptias; Bona damnatorum; Bona committentium crimen læſæ Majeſtatis; Dimidium theſauri in loco Cæſaris vel religioſo inventi; Vectigalia; Armandiæ; Ripatica; Præſtationes angariarum & perangariarum; & ut plauſtrorũ naviumque præſtationes; & Collationes extraordinariæ, &c.

51 *Fodrum* (99) verò, cujus ſuprà à Günthero, *& in d. c. unic.* mentio facta, quid fuerit, non ſatis expeditum eſt. In Cauponis Germaniæ fodrum pro pabulo Equorum uſurpatur, Sixtin. *de Regalib. l. 2. c. 14. n. 3. ubi ſcribit:* Fodrum haud dubiè appellari à vulgari verbo Futter / quod eſt pabulum equorum. Et ſic Fodrum nihil aliud ſignificat in literis antiquis Advocatiarum, Schutz⸗und Schirmb iſſen / quàm Futter und Mahl / der Narung in einem Cloſter / oder Commenthu-
52 rey: Mager. *de Advocat. armat. cap. 10. n. 232.* Petrus autem de Vineis, Cancellarius Imperatoris Friderici II. *Epiſtol. l. 2. c. 29.* ubi Capitaneo Regni de fodro ſcribit, ita hujus fodri meminit, ut interpretetur, eſſe frumentum, hordeum, & res alias victui neceſſarias ad Imperatoris exercitum: ex quibus haud obſcurè colligitur, quod fodrum voluerit nihil aliud eſſe, quàm extraordinariam quandam annonæ collationem militarem, ſive ad expeditionem Imperatoris pertinentem. Hotom. Charondas, Gothofred. & Cujacius *in c. unic. quæ ſint Regal.* fodrum accipiunt,
53 pro extraordinariâ ad expeditionem Imperatoris collatione, quam Frid. *in d. c. unic.* vocat feliciſſimam Numinis regalis expeditionem. Et Radevicus in vitâ Friderici *l. 2. c. 5.* de eadem agens, fodrum inter Regalia refert; eique adſtipulatur Sigonius *de Regno Ital. l. 12.* Fuiſſe autem ejusmodi militarem collationem etiam apud priſcos Franciæ Reges in uſu, & fodrum vocatum, tandemque ut populus eo onere levaretur, temporibus Caroli Magni in locum ejus collationis, pecuniariam indictionem ſuffectam fuiſſe refert Choppin. *de Domanio Franciæ l. 1. tit. 13. n. 18. & l. 2. tit. 14. n. 359.* Mager. *d. loc. n. 237.* Vide quoque Me *tract. de Contribut. cap. 1. n. 186. & 189.*

Sed ut è ſemita in viam revertamur, notat Paulus Windeckius *de Electorib. Imperii cap. 23. punct. 9.* Fridericum I. Imper. ex Imperii reditibus annuatim percepiſſe viginti tonnas auri, quorum maximam partem Italia, minimam autem Germania contribuerit. Verùm Schneidevvinus *Inſtitution. de ſucceſſ. ab inteſtat. ſub rubric. de ſucceſſione fiſci num. 5.* liberaliori ſtylo ſcribit ac prodit, annuos Imperii Romani proventus ſub Friderico Barbaroſſa (viribus Imperii admo- 54
dùm attenuatis & imminutis; Thom. Lanſ. *de Principat. Provinc. Europæ in Orat. pro Gallia, fol. 284.*) fuiſſe ſexaginta tonnarum auri ex Germania & Italia, collectarum ex Civitatibus immediatis, ex portoriis, vectigalibus, teloniis, quæ non erant Principum aut Privatorum, ſed Imperatoris & Imperii. Unde & Regalia dicta, quaſi Reſervata Re- 55
gi, ſeu Imperatori Romano, *d. c. unico, quæ ſint Regalia, in uſibus Feud. &c.* Satis ampla pro ratione illius temporis pecuniæ ſumma & non exigui momenti, aut numeri. Haud cauti fuerunt Imperatores, qui ne ii reditus ad alios pervenirent, non præcaverunt. Inde enim Succeſſoribus præciſi ſunt rerum gerendarum nervi, eviſceratum eſt Imperium, & Aquila deplumata, ut cæteris 56
animantibus ſit contemptui, & nihil propriis pennis efficere queat; poſt Crantzium *Saxon. lib. 10. cap. 8.* Chriſt. Beſold. *tract. de ærar. cap. 2. n. 4.* De qua deplumatione Aquilæ paſſim conqueruntur Hiſtorici & Politici; Crantz. *d. libr. 10. cap. 8.* Münſter. *lib. 2. & 3. Coſmogr.* Cuſpinian. *in Carolo IV. p. 358.* Æn. Sylv. *c. 33. Hiſt. Bohem. circa fin.* Choppin. *d. tr. l. 2. de Domanio cap. 14. n. 12. in fin.* Pet. de Andlo *lib. 2. de Roman. Imp. cap. 18.* Gregor. Tholoſan. *d. lib. 25. de Republ. cap. 1. num. 15.* Aquilam deplumarunt *Turcus*, (100) *Rex Gallus*, (101) *Hiſpanus*, (102) *Polonus*, (103) *Danus*, (104) *Principes Italiæ*, (105) *Veneti*, (106) *Lotharingus*, (107) *Helvetii*, (108) *Belgæ*, (109) *& quis non?* (110) Et vide quæſo, fatum & imminutionem Imperii Romani, cujus *amplitudo maxima* (111) cùm fuiſſet imperante Ulpio Trajano, aut Diocletiano & Conſtantino cum ſuis Collegis; ab ultima Hiſpania & Africa in confinia usque Parthiæ longitudo graduum XC. (cujusmodi CCC. abſolvunt *circulum totius Orbis* (112)) latitudo ab æquinoctiali versùs Septentrionem minimum gradum XLV. extitit. Gradui autem Geographi aſſignant milliaria ſexaginta, vel Germanica mediocria quindecim. Nunc ſi ad eam rationem vocemus, quæ in utraque Germania cis & trans Rhenum, ad confinia usque Galliæ, & Sarmatiæ, & Oceanum, tum in Rhetia, Norico, Illyrico, atque Italia hodiè juri Imperii Romani accenſentur: vix implebunt longitudinem & latitudinem X. graduum, hoc eſt, vix quadrageſimam portionem veteris Monarchiæ Romanæ æquabunt; Marquard. Freher. *in Notis ad Petr. de Andlo cap. 18.* Adeòque Imperium Romanum hodiè ob tot plumas

plumas Aquilæ avulſas, nil niſi tenuis magni corporis *umbra eſt*, (113) & palea è pingui ulmo; *ut meritò lamentari poſſimus*(114) cum Claudiano Poëta:

Hei mihi, quò Latio vires, Urbisq; poteſtas
Decidit?

Ubi nunc Italia, *Britannia*, (115) *Neapolis, Sicilia*, (116) *Livonia* (117) & alia quamplurima nobilia Imperii membra, quæ Romanis olim Imperatoris fuerunt, nunc aliis accreverunt? A tempore Imper. Rudolphi I. vel ultra CC. Status & Provinciæ à ſola *Regia Aquisgranenſi ſede* (118) avulſæ leguntur. Nec tamen unquam exungulata eſt Aquilæ Romanæ potentia, licet pennarum plumarúmve ſatis per corpus amiſerit, quas tamen ipſa de jure ſuo nil dubitans aliquando non legibus armatis, ſed armis decoratis, non Canonum placitis, *ſed ferratis Canonibus* (119) ſe vindicare & perſequi poſſe confidit, quaſi in ſui hosce deplumatores, non ſecus ac domini in *Barbarium Philippum*, (120) perpetua manûs ungulæve fiet injectio. Hunc unguem experta eſt olim ranula illa Veneta, de qua *Poëta* (121) non invenuſtus ſic effatur:

Rana procax nuper Venetas egreſſa paludes
Auſa eſt, quam tetigit, dicere: terra mea eſt.
Quā procul ut vidit ſpeculâ Jovis ales ab altâ,
Convulſam ad luteas ungue retruſit aquas:

experienturque tandem fortaſſis & alii, qui milvinis & ſubvulturiis ungulis hujusmodi Aquilæ nullo jure ſubalares & egregiores aliquot ex Latio ſurripuêre pennas, neſcio ſolâ quâ chimæra fulti. Hinc Cæſarem hodiè tributa non habere, *Monachos habere* (122) ait Sturmius *ſerm. 2. de bello adverſ. Turc. perpetuò adminiſtr. fol. 114.* Et, Maximilianus I. Imperator, referente Lehmanno *in Chronico Spirenſi. l. 4. c. 4. pag. 248.* dixit in Comitiis Wormatienſibus Anno MCCCCXCV. dz Römiſch Reich ſey jetziger Zeit ein groſſe Laſt/und falle davon kleine Beht/ (123) Granvellano quoq; apud Landgravium in Colloquio Spirenſi intrepidè affirmante; ex Imperio ne tantillum quidem *emolumenti* (124) habere Cæſarem; Sleidan. *Commentar. l. 17. fol. 500.* Thomas Lanſius *d. Orat. pro Gallia fol. 239.*

Conſtat tamen Civitates Liberas, quarum
57 numerus *ad ſexaginta* (125) accedit, obligari ad numerandum duas quintas partes illius ſummæ, quæ Imperatori *in Comitiis confertur.* (126) Inter has ſunt quædam, quæ Imperatori *peculiarem Cenſum* (127) conferre tenentur, cujus ſumma ad *quindecim millia* (128) florenorum aſcendit. In univerſum autem reditus Imperii ad *ſeptem milliones* (129) auri conſtituere creduntur; quod quidem non eſt leviter æſtimandum, cùm populus non adeò oneribus exactionibusq; oppreſſus ſit, ut in Italia; ſed magnam auri vim præter ſtata vectigalia mutatis in melius tēporibus, conferre poſſit. Imperium ex veteri conſuetudine obligatum eſt Imperatori Romã ad ſumendũ Diadema proficiſcenti, ſuppeditare viginti millia peditum, & quatuor millia equitum, in menſes octo: & hæ copiæ appellantur *Auxilium Romanum*, (130) Römerzug; de quo dixi *tract. de Contribut. 1. n. 17. & ſeqq.* Nonnunquam conferuntur, Imperatori pecuniæ, militesque, cùm bellandum eſt contra Turcam; conſtatq; eum *ſub hoc prætextu* (131) confeciſſe interdum quinquies centena millia florenorum. Et, ut breviter dicam, multò majores opes ad Imperatorem redeunt, quàm inepti quidam & ex fatui cerebri ſuggeſtione judicantes ſibi perſuadere poſſint. Ludovici Bavari (à quo triſtior, quàm hæc, regiminis facies in 58
Rom. Imperio nusquam adparuit) & Rudolphi, eorundemq; ſucceſſorum ævo, Jura Fiſci paulatim imminuta & debilitata fuêre. *Rudolphus I.* (132) enim id nominis cùm metu Pontificum negligeret Italiam, Civitatibus Italiæ libertates, immunitates, jura, & reditus annuos vendere cœpit.

FLORENTINI (133) ſex millibus à Rudol-
pho, Natta *conſ. 637. n. 23.* Sigon. *de Regno Italiæ l. 20.* Decius *Cap. 357.* Platina *in vitâ Honorii; LUCENSES* (134) duodecim millibus, vel ut Choppinus, 25000. aureorum nummûm ab eodem, Fulgoſ. *conſil.* 212. Caſtald. *de Imperat. quæſt. 54. n. 2. SENENSES* (135) verò 10000. coronatorũ ab Henrico V. Imp. libertatem compararunt, Bodin. *lib. 1. de Repub. c. 9. n.* 15. Cæſarum hâc incuriâ vel deſidiâ abuſi reliqui domicelli, ſenſim & quaſi ſine ſenſu Imperatorem agro Italico exuerunt: ut *Scalæ Veronâ*, (136) Gon-
zagæ Mantuâ, Bentivoli Bononiâ; Fregoſi 60
& Doriæ Genuâ, aliisque id genus Dynaſtis. Et quis omnes numeret? qui partim vi aut dolo, partim contractu aut pacto, partim præſcriptione aut privilegio redemptos ſe jactitant, ita, ut hanc alienationem (qualis tandem ſit) & violentam exemptionem verè dicamus cauſam conciſæ noſtræ Monarchiæ cum Onuphrio Panuinio de Comitiis Imper. Crantzio *d. lib. 10. Saxon. c. 3. & n.* Mich. Coccinio *lib. de Imper. translat.* Zoannet *de*
Roman. Imperionum. 120. Hotoman. *quæſt.* 61
illuſtr. 1. Petra *de Poteſt. Princip. cap. 3. quæſt. 4. n. 15.* Choppin. *l. 2. de Domanio tit. 1. & 14.* Erneſt. Cothman. *conſil. 52. n. 380. vol. 2.* Quis abnuat, cùm de XC. gradibus Romani Imperii in longitudinem & XLV. in latitudinem ab æquinoctiali Septentrionem verſus, hodiè vix X. tàm in longitudinem, quàm latitudinem reſtent; ſicuti doctê hunc calculum ponit Marquard. Freherus *in Not. ad l. 2. Petr. de Andlo c. 18.* Adde Bodin. *l. 1. de Repub. c. 9. n.* 229. Quin omnes adeò Imperii Romani evanuit poteſtas in Italia, ut Imperator hodiè non poſſit Pontificis ſubditum reſtituere natalibus in ditione Pontificia, absque illius conſenſu; qui ſi abſit, defectu poteſtatis legitimatio reddatur nulla, Joh. Vincen. Hondedæus *conſil. 64. n. 26. 27. 28. vol.* 1.

H Exem-

62 Exemplum imitati ſucceſſores, non tan-
tùm in Italia, ſed & Germania fieri permi-
ſerunt, ut in Italia nulla Civitas Libera Im-
perio reliqua ſit. Quare in hac Imperii an-
guſtia & tenuitate Imperatoribus jam *Sem-
per-Auguſtis vix eſſe licet*, (137) præſertim
63 cùm nervi illius, quod reſtat, Imperioli,
non tantùm Civitates, ſed & vectigalia,
tributa, telonia, argentifodinæ, portoria, &
ſimilia, ad ſubditos Principes tranſierint;
& præterea omnium Ordinum res ſint tam
64 acciſæ & fractæ, ut Imp. Carolus V. Hadri-
ano VI. Papæ ſcripſerit: Germaniam ad
eam egeſtatem & inopiam redactam eſſe,
ut non modò contra Turcas nullam expe-
ditionem ſuſcipere, ſed domi juſtitiam ac
pacem tueri, & ſceleratorum audaciam co-
hibere non poſſit; *Goldaſt.* (138) *in Conſtitut.*
65 *Imperialib.* Idem *Goldaſtus* (139) in **Reichs-
handlungen** *in præfat. ad Ducem Würtenberg.*
refert, à tempore Imp. Rudolphi I. ad no-
ſtram usque memoriam, *ſupra ducentos Sta-
tus atque Ordines*, Archiepiſcopatuum, Epi-
ſcopatuum, Ducatuum, Principatuum, Ab-
batiarum, Dynaſtiarum, Civitatum, & aliis
titulis illuſtres, qui omnes Sedi Regi A-
quenſi & Imperio Germanico jurisjuran-
di religione devincti erant, & ad Comitia
evocabantur, ab Imperii obſequio diſceſſiſ-
ſe vel defeciſſe.

66 Inprimis verò *CAROLUS IV.* (140) Im-
perator maximam, bona Reipublicæ alie-
nando, jacturam fecit Imperio. *Regnum* ſi-
quidem *Arelatenſe* (141) ab Ottone I. adje-
ctum Imperio, prandii unius gratiâ, in Villa
Nova prope Avinionem Galliarum Regi
tradidit: Wolff. *cent. 10 lect. mem. fol. 258. &
cent. 15. fol. 782. Aventinus l. 7. Ann. Bojor. p.
491. Sedecim liberas Civitates* (142) ad Impe-
rium pertinentes vicinis Principibus vendi-
dit; Aliæ quatuordecim immediatè reco-
gnoſcentes Imperium, cùm intelligerent,
conſpirarunt invicem, fœdere mutuo ſe con-
ſtringentes, ut non ſe patiantur in morem pe-
cudum venales exponi. Cruſius *lib. 5. Annal.
Suevicor. part. 3. c. 11.* Porrò ut filium ſuum
Wenceslaum ſibi *Succeſſorem* (143) conſtitue-
ret, cuique Electorum centum millia aureo-
rum promiſit, quæ cùm ſolvendo non eſ-
ſet, cum maximo Imperii detrimento pu-
blica Vectigalia Imperatoribus ad ſubſi-
dia relicta, ipſis Archi-Principibus non tam
oppignoravit, quàm perpetuò abaliena-
vit; Dubrav. *lib. 22. Hiſt. Bohem.* Egnatius
in vita Caroli. Peucer. *in vita Caroli IV.* A-
ventin. *Annal. Bojor. lib. 6. pag. 639.* Et ut
competitoribus (144) Imperii, quibus inhia-
bat, liberè potiretur, iisque ex animi ſen-
tentia negotiari poſſet, Günthero, Comiti
Schvvartzenburgico, ab Electoribus ipſi
contrariis electo, & Imperatori deſignato
viginti duo millia marcarum argenti, ac
duo oppida Imperialia in Thüringia ad
tempus vitæ dedit. Cuſpinian. *in vita Gün-
theri.* Frider. Hortleder, *de cauſis belli Ger-
manici lib. 3. fol. 612.*

Luſatiam (145) itidem, quæ Imperialis
beneficii nomine multis annis ab Epiſcopo
Magdeburgenſi poſſeſſa fuerat, Alberto ejus
temporis Epiſcopo corrupto, Regno Bo-
hemiæ adjunxit; Fabricius *libr. 6. Orig. Sax.*
Inſigne quoque privati commodi ſtudium
in eo adhibuit, quòd *Marchiam Brandenbur-
genſem*, (146) Ducatumq; Bavariæ emptio-
nibus aut dotalibus pactis ad ſe & regnum
Bohemiæ traduxit. Ita nimirum à Caro-
lo IV. *deplumata eſt Aquila*, (147) ut hodie ea 67
ſit Imperatoris, quos ex Imperio percipit,
redituum exilitas, ut eximii JCti *Schneide-
vvini* (148) judicio, diſponendis & alendis
poſtis vix ſufficiat; nedum ut Imperator ſe &
ſuam familiam commodè ſuſtentare: imò,
niſi ab hæreditariis Provinciis multa cen-
tena aureorum millia annuè impendat,
Imperialem & in tanto faſtigio neceſſari-
am pompam minimè tueri poſſit; Julius
Pflug *in Orat. de Republ. German. Ordinat.*
Author **der Politiſchen Schatzkammer** *lib. 2.*
Qua de re ex Nauclero Hotoman. *illuſtr.
quæſt. 1.* Carolus, *ait*, Wenceslaum filium
Cæſarem deſignare voluit, promiſit uni-
cuique Electorum centum aureorum mil-
lia pro conſenſu, quæ cùm ſolvere non
poſſet, obligavit illis telonia & vectigalia
Imperialia, oppida, proprietates & jura ti-
tulo pignorum, perpetuum Imperii ma-
lum. Hinc Romana poteſtas ad nihilum
redacta, nec poſthac extollere caput Im-
perium potuit: Cùm Principes Electores 68
omnia ſibi retinerent, Imperatoremque ju-
rejurando adigerent, ne pignora revoca-
ret. Cuſpinian. *in vita Caroli IV. fol. 385.* per-
que hanc oppignorationem vel potiùs ali-
enationem Imperii Aquila valdè depluma-
ta, ejusdemque pennæ ad Solem exuſtæ
ſunt. Cæteroquin Princeps fuit religio-
ſiſſimus, in literarum cognitione peritiſſi-
mus, & quinque in linguis expeditiſſimus,
authore eodem Cuſpiniano. Dubrav. *d.
lib. 22.* ut meritò *Aquilas* Imperii in Muſa-
rum hortis jucundè *paviſſe*, (149) purpuram-
que & diadema Cathedræ inter ſubſellia
ſcholaſtica ſubmiſiſſe dicatur. Thomas Lan-
ſius *in Orat. pro German.*

Quid multis? Baldus *in l. ex hoc jure, 5. n.* 69
28. ff. de juſt. & jure exclamat, tenues ru-
ris incolas ſuâ jam dudum ætate indictio-
nibus opprimi, quos olim conſtiterit, mo-
dicum æris tributum Cæſari penſitare con-
ſueviſſe; & *ex gl. in l. ager 27. §. 1. ff. de Verb.
S.* ibidem refert, quòd Ruſtici olim non te-
nebantur Imperatori ſolvere, niſi XXVI. de-
narios pro quolibet capite vel fumante,
quia plus non indigebat Imperium; Nicol.
Boërius *deciſ. 304. num. 4.* Thomas. *de Col-
lectis*, §. *neſcientes, num. 7. pag. 397.* Ex quo
clare-

clareſcit, cùm Baldus ætate Caroli IV. Wen-
ceslai, & Sigismundi vixerit, & circa *Annum*
MCCCCXX. (150) in humanis eſſe deſierit,
tum temporis ſubditos ſenſim & quaſi ſine
ſenſu, gravioribus exactionibus diſtrictos fu-
iſſe. Quod etiam inſinuat Renat. Chop-
pin. *de privileg. ruſticor. l. 1. cap. 4. verſ. aſt*
70 *meritò exclamat. fol. 6.*

Ex matriculis quoque & Actis Imperii
planum evadit, tempore Sigismundi Imp.
Anno MCCCCXX. (juxta Cuſpinianum
in Sigismũdo, *n. 50. f. 396.*) MCCCCXXVI.
MCCCCXXVII. MCCCCXXXI. de co-
ercendis atque ex Bohemia exſtirpandis
Huſſitis in Comitiis Imperialibus delibera-
tum, eoque nomine Collectas ſubditis in-
dictas fuiſſe.

71 Similiter inter Fridericum III. & Ordi-
nes Imperii, belli Turcici metu perculſos,
Anno MCCCCLIV. MCCCCLVI.
MCCCCLXVII. MCCCCLXX.
MCCCCLXXI. MCCCCLXXX. de
Cenſu extreordinario in ſubſidium confici-
endo convenit. Eidem Friderico III. Prin-
cipes cæterique Imperii Status, communi-
bus votis ac ſuffragiis A. MCCCCLXXIV.
MCCCCLXXV. MCCCCLXXXVII.
contra Matth. Corvinum, Regem Hunga-
riæ, fines Auſtriæ depopulantem, nec non
Anno MCCCCLXXXIX. contra Ganda-
venſes, eò, quòd filium Maximilianum, de-
in Auguſtum creatum, in cuſtodia detine-
rent; & denique Anno MCCCCXCI. No-
rimbergæ in ſolatium afflictæ Hungariæ &
Bohemiæ ſuppetias tulêre.

72 Atque ut tandem finiam, ex actis Impe-
rialibus liquidò apparet, Maximiliano I.
graviſſimis bellis implicato contra Comi-
tem Palatinum Rupertum, ejusque paren-
tem Philippum Electorem Anno MDIV.
(cujus belli cauſam & eventum retulit Heu-
ter. in Hiſtoria Belgica *lib. 6.* in Maximiliano
I. *Cap. 6.*) uti & Anno MDX. contra Vene-
tos ſubſidia collata fuiſſe. Cumque Ordi-
nes Imperii pro conſervanda ſalute Imperii
deberent illi quingenta millia aureorum
contribuere; ibi vix dimidium accepit.
Nihilominus ut ipſe Germaniam in pace re-
tineret, ex ſuis opibus plus quam centies cen-
tena millia aureorum expendit. Propte-
rea idem Auguſtus in Conſtantienſibus Co-
mitiis Anno MDVII. in frequenti Ordinum
conſeſſu graviter conqueſtus eſt, rationibus
in medium adductis affirmans, *Hactenus ſe*
73 *pro S. R. Imperii ſalute ad centum auri tonnas*
ex patrimonialibus reditibus erogaſſe, cùm to-
to eo tempore tamen ab Imperii Ordinibus vix
quadraginta florenorũ millia in accepti tabulas
retulerit: Gerard. de Roo, *l. 12. Annal. Auſtriæ*

Hisce ex radicibus marmoreum antea Im-
perium paulatim lateritium redditũ eſt, ma-
laq; ſuccreverunt & pullulârunt plurima, quę
lachrymis potiùs quàm literis & atramento
exprimenda. Inter alia tria mihi præcipuè
nunc ſuccurrunt. *Primum* eſt, quòd Impera-
tor ſedem in Imperio non poſſit conſtituere: 74
Cùm Carolus VI. per Legatos (151) Imperii re-
quireretur, ut in Imperio reſidere
dignaretur; Aurum ſuum omne de-
monſtraſſe perhibetur, dixiſſeque; An vel
integrum Romanum Imperium tantũ poſ-
ſit Redituum præſtare, quantum una Bohe-
mia nobis importat? Ad quod Legati, non
poſſe, *inquiunt*, ut quod nimiùm in dies o-
porteat aggravari. Hagec. *in Chron. Bohem.*
fol. 134. Goldaſt. *tom. 2. conſtit. Imper. p. 164.*

Hinc *Secundò* nova ſurrexerunt Vecti-
galia, Exactiones & onera, quibus Status
& ſubditi Imperii diſtricti, ſecundùm Schnei-
devvinum *d. loc.* Quinimò Caſtrenſis *in l.*
placet, num. 4. circa finem, & num. 6. C. de SS.
Eccleſ. conſtanter affirmat, nullas hodie eſ-
ſe functiones publicas merè reales; Cùm 75
decreſcente Romano Imperio omnia tri-
buta & onera merè patrimonialia ab aulâ
receſſerint, & nova iisdem onera ſubroga-
ta inveniantur, Lancellot. Galiaula *conſ. 3. n.*
27. Cacheran. *deciſ. 95. num. 44.*

Hinc quoque, *Tertiò*, nonnulli ſcribunt
evenire, quòd licet Electio in Imperio ad-
huc vigeat, illa tamen adeò libera, ut olim
amplius eſſe haud poſſit, dum inter alia,
quàm maximè Electores opum & divitia- 76
rum tenentur habere reſpectum, ut vide-
licet talem ipſi in Imperatorem eligant, cui
ex patrimonio proprio tantum ſuperſit æ-
ris, quantum ad magnificentiam hanc ſu-
ſtinendam æquivalens eſſe poſſit. Unde
factum eſt, ut à multo jam tempore *Au-*
ſtriaci, (152) cæteris Germaniæ Principibus
opulentiores, (153) *cum ingenti Germanicæ li-*
bertatis periculo, (154) Cæſareo diademate
ſoli micuerint. Bella quidem communi Cæ-
ſaris & Statuum decreto ſuſcepta, communi
eorum impendio geruntur. *Camerale* item
Judicium Spirenſe (155) Procerum Imperii
ſumptibus conſiſtit. Sed quæ ad ſplendorem
Cæſaris dignitatemque ſuſtentandam ſpe-
ctant, hæreditariis Imp. Provinciis & Ditio-
nibus incumbunt.

PISARUM *Dominatus* (156) MCCXII. aure-
orum Gambacurtæ veniit à Carolo IV. 77
Marta *de juriſdict. part. 2. cap. 33. num. 108.*
Dignus fuerat laude Carolus Imperator, ni
Regnorum Bohemiæ & Franciæ, quàm
Imperii amantior; ni rei privatæ, quàm
publicæ; ſuæque poſteritatis, quàm Maje-
ſtatis Imperii amplificandæ, conſervan-
dæque ſtudioſior; ni pecuniæ, quàm re-
cti, juſtique fuiſſet avidior; & niſi ex di-
minutis potiùs paſſim in Germania & Ita-
lia, dignitatibus, & opibus Imperii, alienati-
one regnorum, (ut publicorum vectigali-
um, venditione immunitatum, conceſſi-
one libertatum; niſi, inquam, ex his dimi-
nutis & labefactatis potiùs, quàm adauctis
& ſtabilitis, maluiſſet pernitioſa magis rei-
publicæ, quàm ſuis utilia & tuta compa-

rare præſidia, ad diuturnitatem & firmitatem: ſi denique florente Republicâ, ſuis etiam benè futurum cogitaſſet. Quare ſecutum & hoc eſt, ut non tantùm in Imperio pluri- mis ornamentis & præſidiis ſpoliato, ſui non diu dominarentur, ſed poſteritas infortunata eſſet, & tandem intercideret.

78 Alluſit ad hoc, retentorum immobilium & diſtractorũ, diſpendium irreparabile Maximilianus I. Imperator, quando Carolum IV. non Imperatorem & Auguſtum, ſed Diſſipatorem appellaſſe fertur, non Patrem Patriæ, ſed Vitricum, & alterum Craſſum, & peſtilentiorem peſtem nunquam Germanis contigiſſe, Spiegel. *ad libr.* 5. *Güntheri*
79 *Ligurini.* Wolff. *cent.* 10. *lect. memor. fol.* 182. quòd tot bona Imperii alienarit, nec augeri, ſed diminui paſſus ſit Imperium; Nihil verò fecit præclarius & ad firmandam tuendamque Imperii utilitatem utilius, quàm quòd *Auream Bullam,* (157) ſuffragantibus Imperii
80 Ordinibus, publicavit. Ea enim *firmamentum eſt* (158) & propugnaculum, murusq; tranquillitatis & pacis in Imperio. Suſtulit, fateor, divino conſilio diſſidia, quæ in Electionibus anteà accidere conſueverant: Sed Cæſarum opes ac patrimonia exitioſiſſimo ferè exemplo diſtraxit.

81 WENCESLAUS *verò, Caroli IV. filius,* (159) inertiæ, ignaviæ, deſidiæ, luxuriæ, libidinis, crudelitatis, aliorumq; vitiorum documenta nõ obſcurè dedit: primùm in partu, cùm matrem extingueret, deinde in Baptiſmo, cùm aquam Baptiſmi pollueret, tum in ipſa etiam inauguratione, cùm aram cœno ſuo contaminaret. Quamobrem Sardanapalus, Margites, Therſites appellatur in Hiſtoriis. Eo ergò imperante privatis & publicis incommodis Imperium affici neceſſe fuit. Atque ut è multis unicum exemplum afferam.

82 Joannes Galeatius, primus Dux Mediolanenſis à Wenceslao Imperat. dictus, *accepit nominatim ab ipſo* (160) has Urbes, Regiones, Pagosque: Brixiam, Bergomum, Comum, Novariam, Vercellas, Alexandriam, Dertonam, Bobium, Placentiam, Regium, Parmam, Cremonam, Laudam, oppidaque conjuncta, Tridentum, Cremam, Soncinum, Burmium, Burgum Sancti Domini, Pontem Tremulum, Miſſam novam, Felicianum, cum oppido arceque Araſſi, ac omni ejus jure in Aſtenſi Diœceſi; itemque Seravallem, præterea Comitatus & Juriſdictiones ad Sacrum Imperium ſpectantes, aquas, ſtagna, torrentes, lacus, fluvios in iiſdem Diœceſibus; inſuper Veronam, Vicentiam, Feltrium, Bellunum, Baſſanum cum territoriis; Sarzanam, Laventinum, Carrariam, D. Stephani caſtrum, & arces, oppida, pagosque Diœceſis Lunoæ omnes. Poſt etiam anno CIↃ.CCC.XCVII. Comes Ticini Angleriæque, ac omnium oppidorum Urbani lacus ab eodem Imperatore appellatus eſt.

In Imperio autem Civitatibus multum 83
damni à vicinis Principibus datum eſt. Ex quo diſtractio Principum & Civitatum horribilis ſecuta eſt; deſtitutæque Civitates omni ſpe atque præſidio Imperii, fœderibus ſeſe munire cæperunt. Helveticæ contra Suevicas: Suevicæ contra Helveticas. Cùm verò tolerari diutiùs tanta, in figura 84
Imperatoris, feritas & immanitas belluæ non poſſet, captus eſt ab Ordinibus Bohemici Regni, & *in cuſtodiam datus, Anno MCCCXIII.* (161) Sed poſt hebdomadas XVII. opera Johannis Luſatiæ, & Procopii 85
Moraviæ Ducum dimiſſus eſt. Tandem verò A. MCCCC. cùm ſæpius fruſtra eſſet admonitus, Principes Electores imperium ei abrogarunt, & in munere alium ſubſtituerunt, Fridericum Ducem Brunſuicenſem & Lüneburgenſem, prudentia & bellicâ laude 86
excellentem, qui ſtatim *inſidiis & fraude Archiepiſcopi* (162) Moguntini ad Friſlariam interfectus eſt. Ex quo motus & tumultus magni in imperio orti ſunt, & pervulgari illud cœpit, quod Moguntiæ in limine baſilicæ Cathedralis inventum eſt lapidi cuidam inciſum: *Moguntia ab antiquo nequam.* Idem Wenceslaus ſic de faſtigio Imperiali dejectus, cùm Norimbergenſes, religionẽ fidei datæ veriti, ab eo ſolutionem juramenti peterent, & XX. millia numûm offerrent; homo ebrius auditis Legatis liberos Norimbergenſes dicit, ſi *currus quatuor Baccharacenſi vino* (163) onuſtos tradant. 87

Poſt Wenceslaum RUPERTO Bavariæ Duci & Regi Romanorum electo, in Italiam à Pontifice & Florentinis contra Galeatium Mediolani Ducem vocato, Papa conceſſit, ut deficientibus Imperii reditibus *decimas à Sacerdotibus* (164) ad eam expeditionem exigeret; Moguntinus non ſolùm exactionem impediebat, ſed Leopoldum etiam Auſtriæ Ducem & Colonienſem Præſulem ab eo alienabat.

Quandoquidem verò publici reditus Imperii ita diminuti erant, ut Imperator, qui ex iis olim vel ampliſſimum alere exercitum potuit, hodiè nequidem vitam inde ducere poſſit; Michael Coccinius *de bello Maximiliani I. cum Venetis geſto, apud* Freherum *Rer. Germ. Tom. 2. p. 289.* Auguſtin. Patritius *de Friderici III. Imper. Comit. Ratiſpon. Anno 1471. apud eundem d. Tom. pag. 143.* Crantz. *l. 10. Saxoniæ, c. 3. & l. 11. c. 1.* Julius Pflug. *in Orat. de Republ. German. conſtitut. apud* Melchiorem Goldaſtum *in politic. Imperial. p. 15. f. 674. & ſeq.* Clapmar. *l. 5. de arcan.*
Rerumpubl. c. 12. Everhard. à Weihe *de Re-* 88
gni ſubſid. cap. 5. num. 42. & ſeqq. & tractatu de fœderib. lib. 1. cap. 3. num. 34. quæſita eſt ſæpenumero ratio à prudentioribus, quâ veſtiri rurſus deplumata Aquila & hone- 89
ſtus Imperii cenſus conſtitui queat? Coccinio reſtitutionem vectigalium publicorum, quæ

quæ ad ſe quondam tranſtulerunt Principes, rigidiùs urgente; Pflugio autem cenſente, fortè ſatiùs, vitandorum motuum causâ, ad utilitatem Imperatoris inſtitui vectigalia nova, quàm vetera reſtitui; euntibus in eandem ſententiam Heigio *p. 1. quæſt. 2. num. 18. & ſeqq.* & Clapmario *d. loc.* Sed nulla ratio Imperio æquior & expeditior viſa fuit, quàm ut Feuda Imperio aperta, eidem reſerventur, & incorporentur, prout in Capitulatione Cæſarea proviſum, Frideric. Hortleder *in notis ad Conſtitution. Maximiliani I. Imp. de inveſtitura Ducatus Wirtemberg. tom. 1. lib. 3. de cauſis belli Germ. cap. 1.* Idque optimum viſum fuit remedium ad labeſcentes Imperii vires nonnihil reſtaurandas, etiam in Regno Galliæ, ex quo iſtud ad præſentem potentiam eſt evectum. Vide Me *libr. 2. hoc tractat. cap. 39.* Qua
90 de re egregiè & graviter diſſerit Nicolaus Cuſanus Cardinalis, & Imperii Romani rerum maxumarum & abſconditarum peritiſſimus, *de Concord. Cathol. lib. 3. capit. 30.* Et inſuper (*inquit*) alia imperii deſtructio: quoniam cùm Imperator ſolùm adminiſtrator in utilitatem Reipublicæ exiſtat, ſæpè per pacta Electorum, ſua quærentium, intrat regimen, & occupata contra jus imperialia, ob jusjurandum non audet repetere, telonia gravantia Rempublicam deponere, ac alias utiles Ordinationes facere, & per anteceſſores inconſultè absque omnium conventu amoris ordinati, aut affectionis, vel ſanguinis, in præjudicium imperii donata vel impignorata revocare inhibetur. Et ſic fit, ut dum Electores ſua quærunt, ita ſibi creditâ poteſtate abutantur, quod eis conceſſa poteſtas pro bono Imperii, in ejus deſtructionē convertatur. Quoniam Imperatores non deberent permitti ab ipſis facere alienationes præjudiciales; Imperatori ipſi aſſiſtere deberent, ut ſemper Auguſtus eſſet: ſed quia eum ligant, ne ipſis donata vel obligata aliquando fictè, vel per conſanguineos aut parentes, qui imperio præfuerunt, auferantur, tacent, dum idem facere vident Imperatorem, ne ſe ipſos damnent. & p. p.

Curantibus enim omnibus ſua augmentare, imperio ad nihil tendente: quid ſequitur, niſi univerſorum deſtructio? Quoniam non exiſtente potentiâ majori conſervativâ, & pacativâ imperii, invidiâ, eâdemque ſemper creſcente cupiditate, bella, ſchiſmata, diviſionesque faciet, & tunc, ſicut omne regnum in ſe diviſum, deſolabitur iniquè collectum. Decipiuntur itaque Principes ſub imperio, dum ob illum finem attrahunt & colligunt undique imperialia emolumenta, ut potentiores & fortiores fiant; quoniam poſtquam totam Capitis & Imperii poteſtatem, membraque laniaverint & deglutiverint, deſinet hierarchicus ordo. Non enim eſt primus, ad quem concurratur, & ubi non eſt ordo, ibi eſt confuſio; & ubi confuſio, ibi nullus tutus; & ſic Nobilibus inter ſe altercantibus, jus omne in armis propriis quærentes ſurgent: Quoniam ſicut Principes Imperium devorant, ita populares devorabunt Principes. Idem Cuſanus *cap. 39.* Ad hoc, *ait*, maximè ſtudendum, ut poteſtas Imperii reſuſcitetur; alioqui de omnibus ordinatis & ordinandis nullus ſequetur effectus. Vigor Legis in coërcitione eſt, coërcitionem potentia cuſtodit & exequitur: quâ ſublatâ (quia nitimur in vetitum, & ſumus ab adoleſcentia proni ad malum) legalis cenſura, & per conſequens pax, & juſtitia non diu perſiſtent.

Quum ergò hoc ita ſit, oportet per reformationem modus ab hoc detur. Quondam ſolebant Epiſcopi, Abbates, Principes, Comites, ſecundùm ſibi ſubjectam Provinciam & terram, annua & quotidiana ſervitia, perſonalia, & realia, Imperio facere: ex quibus quidam ſtipendiarii exercitui quotidiano imperiali pro defenſione Reipublicæ tenebantur: ac etiam ipſe Imperator honeſtiſſimum Imperialem ſtatum geſtare ſolebat. Quo quidem Imperiali & Reipublicæ defenſorio exercitu deficiente, periit Reſpublica multùm & p. p.

Perutile itaque foret, huic ordinationi diligentiſſimam operam dare, ut per annuas contributiones moderatas, ſecundùm dominia & loca, talis exercitus erigeretur, & ut per ipſum juſtitia & pax ſervarentur. Poſſet itaque facilè de imperialibus teloniis & gabellis, Principibus pro Republica conceſſis, competens & ab omnibus teloniis in portione moderata abſtrahi: Hactenus Cuſanus *dd. locis.*

Quod ſi ea, quæ de reſtituendis publicis
Imperii Vectigalibus dicta ſunt, de illis, quæ 91
ab aliis ſpecioſo tantùm vel nullo poſſidentur titulo, acceperimus, congrua erunt & convenientia omninò: At ſi ad ea quoque tranſtulerimus, quæ benignitate Imperatoriâ privilegiis munita alii poſſident, cùm Pflugio *in dicta Orat. de Republica German.* inconveniens hoc appellabimus remedium, & contrarium quoque Capitulationi Imperatoriæ. Quod ſi ſpontaneo motu, ad
exemplum Ducum Lombardiæ, (quorum 92
ſinguli dimidium ſuorum redituū aliquando Regi ſuo, in vicem Domanii attribuerunt, ut ex Paulo Diacono refert Eſtienne Paſquier *des recherches de la France, livre 2. chap. 12. pag. 144.*) Status iſti privilegiati aliquid Imperatori concederent, res eſſet expeditior. At eum modum expectent illi, qui aureum præſtolantur ſeculum.

Alii ex bonis Eccleſiaſticis aliquid Imperatori concedendum exiſtimârunt, ſed
in uſum ſaltem belli Turcici; Waremund. 93
ab Ehrenberg *in meditament. pro fœderibus,*

lib. 1. cap. 3. num. 34. Limn. *d. cap. 10. n. 17. 18. & 19.* quæ tamen ſine dubio, Statibus nunquam fuerunt adprobata; ideoque nec Cæſareæ Capitulationi inſerta. Occurrere qui-
94 dem Electores publicæ huic inopiæ, *in* Imperatoria *Capitulatione* (165) voluerunt, ſancitâque lege, ut Cæſares aperta Imperii feuda nulli alii conferant, ſed Cæſareo patrimonio reſervent: quomodo verò id usque dum ſucceſſerit, eventus declarat. Ea ſanè eſt rerum facies, ut nec vitia noſtra, nec remedia pati queamus. Sed abſint querelę, ne tum quidem gratæ futuræ, ut ait ille, cùm forſitan neceſſariæ erunt.

Ex Auſtriæ reditibus, (166) tributis, &
95 vectigalibus *decies centena aureorum* (167) millia Imperatores Auſtriacos percipere poſſe, nonnulli ſcribunt: cujus tamen ſummæ tres partes oneribus exſolvendis haud ſufficiunt, ita vix quarta Ærario inferatur. Quan-
96 tum ad ſubſidia extraordinaria; ſuperioribus annis ab Auſtria inferiori quater centena ſeptuagena, ex ſuperiori verò ter centena aureorum millia in cenſum relata perhibentur. Hungaria ſexies centenis millibus æſtimatur: ita ut in univerſum fiant vicies centena aureorum millia. Quin & ex ſola *Alſatia*, (168) Suevia, Rhætiaque, in qua Familia Auſtriaca quatuordecim poſſidet Communitates, quæ horum Principum ſubſunt Jurisdictioni, percipit quotannis duos milliones auri cum dimidio, ſi *uſitata tantùm* pendantur *vectigalia*, (169) & tantundem, ſi urgentibus neceſſitatibus extraordinariæ imperentur Contributiones.

Quomodo autem Auſtriaca Gens ad
97 eam, quam nunc videmus, *magnitudinem excreverit, perpendit Reipublicæ Venetæ Orator* (170) *in Relatione de Aula & Regno Imperii Romani à Philippo Honorio Anno 1610. Francofurti edita, pag. 65.* Rudolphus, *inquit*, Comes Habſpurgenſis *Anno MCCXIII.* (171) Imperator fuit electus; cui *Manardus*, (172) indignatione contra liberos ſuos & cognatos conceptâ, Tirolenſem Comitatum donavit. Huic filius fuit Albertus, qui *pa-*
98 *tri in Imperatoria dignitate ſucceſſit*, (173) adjectis ad patrimonium *Auſtriâ & Styriâ*, (174) (quarum poſſeſſione Rudolphus Ottocarum Bohemiæ Regem depulerat:) & inveſtiturâ in Comitiis Auguſtanis Anno MCCCXXVIII. confirmatâ; his acceſſit non multò pòſt Carinthia. Tumque Stirps Auſtriaca in multos veluti ramos fuit diviſa. Poſtea tamen ditiones omnes *ad Fridericum III.* (175) Alberti II. Imperatoris fratrem devo-
99 lutæ ſunt. Filium Fridericus habuit Maximilianum, qui ductâ in matrimonium Caroli Burgundiæ Ducis filiâ Mariâ, *Burgundiam,*
100 *Brabantiam*, (176) Flandriam, Hollandiam, Selandiam, Luxemburgum, & alias Belgii provincias ſuo adjecit Imperio. Ex hoc natus Philippus I. matrimonio ſibi copulavit Joannam, Ferdinandi & Iſabellæ Arragoniæ & Caſtiliæ Regum filiam; cumque eadem univerſâ Hiſpaniâ, Neapolitano item, & Siciliæ Regnis potitus eſt. *Tanta hujus fuit fe-* 101
licitas, (177) ut intra quindecim annorum ſpatium omnibus in Orbe Chriſtiano Regnis vel Reges, vel Reginas ſederit, exceptâ Scotiâ. Ex hoc genitus Carolus V. Im- 102
perator omnium regnorum, quæ matris fuerant, hæreditatem auxit. At ex paternis ditionibus diviſis, Carolo Belgicæ Provinciæ, ac Burgundia; Ferdinando ejus fratri Auſtria cum annexis regionibus, antiquiori Sereniſſimæ hujus Familiæ patrimonio, & cum annua ſexagenûm millium ſcutatorum ex Regno Neapolitano penſione obvenerunt. Conjugem Ferdinandus duxit Annam, Ludovici Hungariæ & Bohemiæ Regis ſororem; quo ſine liberis *defuncto*, (178) *ex conventione* (179) jam olim inter avum ejus Maximilianum & Ladislaum ſocerum factâ Anno MDXXVI. Hungariæ Rex creatus: Anno *MDXXXVI.* (180) die V. Januarii in Romanorum Regem fuit electus.

MAXIMILIANI I. Imperatoris eximia 103
bonitas cum ſumma liberalitate fuit conjuncta, adeò, ut plerique nihil in eo reprehendendum duxerint, quàm quòd ſæpè ob penuriam rei pecuniariæ res magnas proſperè inchoatas deſerere coactus ſit. Non tamen unquam, etiam in ſumma neceſſitate voluit auream argenteamque & ex gemmis multis ſeculis congeſtam ſupellectilem, à Patre, Avo, Socero, ac majoribus ſuis, diſtrahere aut alienare, ſed integram in Nova Civitate Auſtriæ reliquit nepotibus, do- 104
nec Ferdinandus Archidux juſſu fratris Caroli V. Cæſaris, aperto theſauro & viſo, obſtupuit tremebundus, atque incredibilem & inæſtimabilem theſaurum fratri ſuo in Flandriam traduxit. Adeò, ut qui eum pauperem ex tot bellis geſtis arbitrabantur, mirati ſint tantas poſt ſe reliquiſſe divitias. Cuſpinian. *in Maxim. pag. 494. Quatuor arcas Argentinæ*, (181) quatuor Ulmæ, quatuor Auguſtæ Vindelicorum, & quatuor Norimbergæ habuit: in his omnibus theſauri continebantur, quos reliquerant Fridericus Imperator III. Cæſar Albertus Dux Auſtriæ, Sigismundus, & Philippus Dux Burgundiæ; ex Hedione, &c. Theod. Zuingero *in Theatro vitæ humanæ vol. 18. libro 1. fol. 2804.*

Anno MDXLVII. Carolus V. (182) Imper. Ordines Imperii popoſcit pecuniam, ob ſumptus belli, quod ipſorum causâ potiſſimùm, & pro ſalute Germaniæ ſuſceptum eſſe dicebat. Nobilitas etiam omnis, & ii, qui Smalcaldicis militaverant, tota paſſim Germania mulctabantur. Ejus verò pecuniæ, quam à Principibus atque Civitatibus tùm Pontificiis tùm Lutheranis conſecutus eſt Cæſar, Summa cẽlebatur ſupra decies ſexties centena aureorum millia.

Mirum

105 Mirum & relatu dignum eſt, quod Sereniſſimam ARCHIDUCUM Auſtriacorum Familiam ipſa quoque natura, exteriori nota inſignes, ac primo ſtatim aſpectu noſcibiles reddere voluerit. Eſt autem rarum, ſingulare ac notabile in Auſtriacorum Principum
106 familia MENTO naſci oblongiore prominentioreque, non tamen indecenti, ſed cujus forma vultum Principis gravi quadam Majeſtate decoret, intuentibusque reverentiam concitet; eaque tam genuina his Principibus à proavis, atavisque nota eſt, ut præter maſculos ferè omnes, etiam fœminæ plurimæ hâc inſigniantur. Eſt autem Men-
107 tum oblongius, pii, placidi, conſtantis, & minimè turbati animi indicium; Limnæus *lib. 5. de jure publ. cap. 2. num. 3.* Atque hinc eſt, quòd ſicut hæ virtutes & dotes magnæ & eximiæ ſunt: ita quoque in Auſtriaco-
108 rum Familia nullum inventum fuiſſe Tyrannum, perhibeant; Herm. Kirchner. *lib. 2. de offic. & dignitate Cancell. cap. 5. numer. 38.* Limn. *dict. lib. 5. cap. 5. num. 4. & num. ſeqq.*

109 Cæterùm ex ſupradictis liquidò adparet, Aquilæ, ſubtractiones Civitatum Italiæ, oppignorationes & alienationes portoriorum, vectigalium, teloniorum, aliorumque proventuum, nec non civiles & inteſtinas diſſenſiones, alarum remiges, (die Schwingfeder) majori ex parte attriviſſe, ac penè evulſiſſe, ut inde vires corporis haud leviter attenuatæ, ne dicam enervatæ ſint, omneque onus ad ſubditos reciderit, qui, neceſſitate & utilitate publicâ exigente, maximas pecuniarum Summas extraordinariè penſitant & contribuunt: Adeò ut conſtet, Imperatorem bello Hungarico contra Turcas gliſcente, hoc prætextu confeciſſe interdum quinquies centena millia florenorum.
110 Principum verò ac *Civitatum reditus* ordinarii & extraordinarii valde *crevêre*, (183) tũ uſurpatione bonorum Eccleſiaſticorum, tum variis impoſitionibus populo irrogatis, quæ cùm in Italia & Gallia ortum habuerint, facilè ſe diffuderunt per Germaniam.

111 *Quæ* (184) etiam Imperii jugulum petit, eſt toties facta animorum Imperatoris ab Ordinibus, & Ordinum quoque inter ſeſe diſſentientium periculoſa diſtractio: quæ ſubinde fœderum, ſocietatum, ligarum, & aliis nominibus robur & auctoritatem nacta, non rarò in ſæviſſima bella erupit, & vix civili ſanguine potuit interdum ſopiri; aliquibus tamen diſcordiarum ſeminibus ſemper remanentibus: ita ut quantæcunque Germaniæ vires jugi diſſenſu Ordinum, dum in commune non conſulant,
112 facilè diſſolvantur. Ne dicam de Comitiis, quæ ſarciendæ paci publicæ, & communi patriæ bono ſtabiliendo augendoque ſacra eſſe debebant; quæ conſiliorum ibi ſunt ſciſſuræ & factiones, imò, quæ communium conſiliorum ſunt effugia? quæ ibi gliſcunt ultra modum de ſubſelliorum jure majoritateque votorum certamina? Iccircò in uno conventu cauſæ ad deliberandum propoſitæ rariſſimè expediuntur omnes, ſed plerumque in nova Comitia rejiciuntur. Quod Æneas Sylvius falſò iſto dicterio arguere conſueverat; Omnes Germanorum dietas eſſe fœcundas; & quamlibet in ventre habere alteram; ac credibile eſſe, quia fœmineum ſit nomen, libenter imprægnari dietas, ac parturire; (*Epiſtol. 72. & 92.*)

Quod verò in tali ſenſuum Euripo, in illis confuſionibus & ingeniorum fluctuationibus in hoc ferè immortali & irreconciliabili Ordinum diſſidio, Imperatori præſtetur obſequium; ecquis non intelligit? Quis ad commiſerationem pereuntis Reipublicæ commotus, animum, linguam, vocem, & omnes ſenſus non componit in vota STATUS MELIORIS? Quis in illis domi foriſque vulgatis vocibus; *Cæſaris nomen quidem hodiè extare, ſed poteſtatem mutaſſe; Et, Imperatores antiquæ Majeſtatis umbram retinere, rem verò penitus amiſiſſe;* ſummum dulciſſimæ patriæ contemptum non advertit?

JURIS erat quondam & RECTI Germaniæ regnum;
At nunc JUS REGNI regnat ubique novum.

Duæ itaque res ſunt, (185) quas in Ro- 113
mano-Germanico Imperio deſiderare jure poſſis; Prior eſt animorum Concordia; altera Promptitudo ad expeditiones. I. *Diſcordia* inter Germanos vel potiùs *Diffidentia* multis cauſis accepta ferenda eſt. Nam & Civitates Liberæ *non nimis fidunt* vicinis *Principibus*, (186) quorum ſemper iis eſt ſuſpecta potentia: & *diſſidium in cauſa Religionis* (187) aliorum ab aliis alienat mentes; ut jam de aliis taceamus. Et hæc eſt cauſa, ob quam tàm frigidè & infrequentes ad Comitia veniant ipſi Principes: & ſi quando convenerunt, plus temporis inſumunt in dijudicandis Controverſiis Religioſis, quàm conſideratione & cura boni publici.

II. *Promptitudo* etiam deſideratur: quod multum temporis requiratur ad Comitia, ſine quibus nihil in Republica effici poteſt: acciditque interdum, ut tres menſes intercedant inter primam Comitiorum indictionem ipſumque conventum; quodque deterius eſt, ubi convenitur, extrahitur tempus deliberando, contradicendo, altercando, dum ſuam quisque adſtruere nititur opinionem: & ſi quid concluſum eſt, tardè admodùm executioni mandatur, quamvis interdum urgens belli neceſſitas celeritatem requirat, & occaſiones præclarè agendi in

 momenti

momenti ſpatio effluant. Accedit & aliud incommodum, quòd decreta Imperatori auxilia nunquam unà expediuntur; ſed alii quidem ſua maturè, alii tardiùs mittant ſubſidia; unde fit, ut illis ad caſtrorum locum properantibus, hi tum primùm domi delectus habeant. Cui abſurditati ut remedium afferret Maximilianus II. Imperator, omni ope nixus eſt; cùm in expeditione Sigethana expertus eſſet, quantum noxæ afferret cunctatio iſta, non quidem in ſubmittendis militibus, ſed pecuniis, quibus non minùs opus habebat, quàm hominibus.

Sed Æthiopem lavare tentaverit, qui Germanos ad concordiam & unitatem reducere ſe poſſe ſperaverit, aut qui aliquid cedro ac poſterorum præconio dignum effici poſſe crediderit, donec illa opinionum diverſitas apud eos locum obtinuerit.

114 De potentia ergo, viribus, opibus, ac Ærario Imperatoris plura dicere nihil attinet. Nam in quamcunque ferè Orbis partem circumſpiciamus; cùm dolore videmus foris Imperii expilata ſpolia, & inplumis Aquilæ exuvias; domi autem miſerabiles auguſtiſſimi olim corporis reliquias intuemur, aliquam emaciati & omnino attenuati corpuſculi ſpeciem, imò penè exſuccum aridumque cadaver. Niſi forſan hæc ita conciliemus; quod cùm Imperator magnificus & glorioſus ſicut Aquila, inter Electores,
115 Principes, Comites, Barones, Civitates, alioſque Status Imperii diſtribuerit prædam ſuam, non curans in omnibus epulis os adponere (quod ſcitum ex Reſtauro Caſtaldo *de Imperat.* refert Sigismundus Scaccia *tractatu de appellatione, quæſtione 8. numero 13.*) alia Jurisdictionis juriumque Superioritatis conceſſerit, & ea quidem inducta ſit ratio, ut Ditiones & Territoria *in patrimonio & Dominio Principum* (188) vel allodii vel feudi jure habeantur, Imperatore ex contractu, & *Capitulatione Cæſarea* (189) Statibus Imperii ad hæc omnia efficaciter *obligato*; (190) quorum Regalia, Superioritatum Jurisdictionumque indoles *aliquantò longiùs à jurisdictione magiſtratuum* (191) priſcorum
116 Romanorum recedant. Ex quo enim perpetui Præſides Provinciis præfici Juraque Superioritatis communicari conſueverunt, Imperium quidem, ejusque jura ſciſſa *gloſſa in rubric. Codicis de ſtud. liber. Urb. Rom. & Conſtantinopolis libr. 11.* Dauth. *de teſtament. in princip. numero 86. verſ. Hæc ad Principes, pagina 129.* Cardinalis Thuſcus *practicarum concluſionum, lit. 1. concluſione 33. numero 28.* Philibertus Bugnon. *de legib. in omnib. Galliæ Prætoriis abrogatis libro 1. Satyra 16. pagina 29.* ac Jurisdictio & pleraque *Regalia minora*, quæ potiſſimùm ad compendium Fiſci ſpectant, Reipublicæ formâ mutatâ, *communicata ſunt*, (192) *vel per conceſſionem, vel per præſcriptionem,* (193) ita ut ea interveniente præſcriptione, vel contractu perpetuæ Inveſtituræ, Principibus & Statibus Imperii quæſita, non poſſint ab Imperatore uſurpari nedum auferri: 117
Eoque excrevit & progreſſa eſt hodiè potentia Principum ut dignitates & Imperia 118
non minùs propria ſibi vendicent, ac ſi Reges eſſent, *aut Imperatores*: (194) fertque hoc Germaniæ conſuetudo, ut Principes in ſuis Principatibus Imperatoris radium, tanquam ſui Solis pleniſſimâ imagine referant & repræſentent, nihil jam priſcæ civilitatis retinentes, omnia arbitrio ſuo ſtatuentes: quique (ut Homericus ille Jupiter) qui quò ſe converterint, omnia circumagant, nutu etiam ſolo omnia quatientes.

Quo factum eſt, quòd Imperatori pauci, imò ferè nulli ordinarii reditus in Imperio remanſerint; juribus ſcilicet fiſcalibus ſive fiſci, quæ pro ſalute & utilitate Imperii ad conſervandum & augendum Im- 119
peratoris Ærarium pertinebant, & Magiſtratui ſummo, tanquam digna pro labore merces & compenſatio, debebantur, eaque de cauſa eidem adjudicata erant, in Principes alioſque Status Imperii translatis: quorum Reditus ordinarii & extraordinarii, permagni, & modus colligendi commeatus facillimus eſt, ob fluviorum navigabilium oportunitatem & multitudinem. Atque hoc ipſum eſt, quod Sleidanus *in Oration. ad Proceres Imperii, folio 80.* conſignavit; quot in Germania ſunt Principes ac Civitates, totidem videantur eſſe Reges & capita.

Præterea hodiè Capitulatione & Juramento fidelitatis, quod præſtatur Imperio 120
veluti duobus frænis ac retinaculis Imperatorum Germanorum ſiſtitur poteſtas: adeò ut, ſi ingruat vis neceſſitatis, ad medium & remedium Contributionum extraordinariarum recurrendum & confugiendum ſit, quas Imperator ad uſum publicum, ſed non niſi cum ſimultaneo Cæſ. Majeſtatis Statuumque Imperii conſenſu, indicere conſuevit; uti latè probavi *tract. de Contribut. cap. 4. n. 22. & ſeqq.*

Qua de re Sereniſſimæ Reipublicæ Venetæ Legatus *in Relatione de Aula & Regno Imperatoris Romani* ita ſcribit: Ab Imperii Ordinibus parum accipit Imperator. Aliquando tamen ſubſidia aliquot ei Romana conceduntur. Hoc ſubſidio ad bellum contra Turcas, Gallos, & quoſcunque Imperii hoſtes olim Imperatores uſi ſunt, & jam utuntur, poſtquam Romanæ illæ expeditiones in deſuetudinem venerunt: ex eo aliquando ad quater centena aureorum millia collecta quidam prodiderunt.
Hæc ille. Neceſſitate exigente, *inquit Boterus in Relat. de Imper. Roman.* contribuit 121
Imperium maximas pecuniarum ſummas, colli-

122 colliguntur que extraordinariè. Ut eæ Contributiones faciliùs cogi poſſint, Germania *in decem Circulos* (195) diviſa eſt, in quibus fiunt conventus particulares, pro Executione Sanctionum Imperialium, & aliis ſimilibus incidentibus. In ſumma; plerumque omnium Germaniæ Comitiorum ſummam eſſe pecuniam, dixit Jovius; Clapmar. *de arcan. Rerumpubl. libr. 6. cap. 13.* Quo verò modo, & quâ formâ collationes hæ extraordinariæ, à ſubditis ubivis locorum in Imperio ſint ſolitæ exigi, ex archivis, libris theſaurariis & cataſtris deprehendere licet. Neque enim ſemper uniformis modus in colleCtando obſervatus fuit, ut latè dixi *tractat. de Contribut. cap. 1. num. 215. & ſeqq. cap. 2. num. 125. & ſeqq. cap. 11. n. 43. 44. & quàm plurimis ſeqq. & c. 18. per tot.*

123 Ex prædictis quoque Sole meridiano clariùs eluceſcit, Status Imperii cumulativè non verò privativè aut abdicativè jus ſuum in Imperatorem contuliſſe: ut proinde Eraſmus Roterodamus in hunc ſenſum rectè ſcripſerit, Cardinali Compegio; Magnam quidem eſſe Caroli V. Cæſaris potentiam, ſed hoc nomen non ab omnibus agnoſci: Germanos illud ſic agnoſcere, ut imperent veriùs, quàm pareant. Sleidan. *lib. 7.* Wolff. *in lect. rer. memorabil. cent.* 16. *fol. 33.* Imò & ipſe Carolus V. ſæpius profeſ-
124 ſus eſt, ſe aliis in Regnis mancipiis & ſervis; at in Germania liberis, & Regibus imperare. Quod idem aſſeruiſſe legimus Maximilia-
125 num I. dicendo; *Regem Hiſpaniæ eſſe Regem hominum,* (196) Regem Galliæ, Aſinorum: Britannum eſſe Regem Diabolorum: Se verò ſolum Regem Regum; Achill. Dux Wirtembergic. *in conſultat. de Provinc. Europ. Princip.* 211.

126 Quare nec aſpernanda, nec leviter æſtimanda eſt Imperatoris potentia, maximè ſi conſideremus, quantos exercitus ſuperiores Imperatores è Germania contraxerint. Turcis enim cum infinitis copiis Auſtriam invadentibus, & ad obſidionem Viennæ properantibus, conſtat CAROLUM V. Cæſarem circiter *nonaginta millia peditum,* (197) triginta equitum hoſtibus oppoſuiſſe. MAXIMILIANUS II. (198) Imperator majores etiam copias contraxerat, quarum numerus ad centum millia peditum, equitum triginta quinque accedebat. Hoc in exercitu, quamvis immanis eſſet, annonæ cæterarumque rerum tolerabilia fuerunt pretia. Habuit autem Maximilianus caſtra juxta Jaurinum oppidum in Hungaria adverſus Turcas, qui non expectato conflictu retro ceſſerunt.

Nec vana fides eſt eorum, qui ſcri-
127 bunt, Imperium Germanicum in bellum ſuppeditare poſſe ducenta millia expeditorum militum, cujus rei teſtimonium exhibent ea, quæ modò adduximus, exempla. Præterea conſtat, ab Anno Chriſti MDLX. ad hæc usque tempora nunquam ferè ceſſatum fuiſſe à bellis in Gallia & Belgio, quibus ſemper ingentes interfuêre Germanorum copiæ tàm pedeſtres quàm equeſtres. *Circa id ævi,* (199) vidit Gallia Ducem Bipontinum ingredientem cum exercitu duodecies mille peditum, & octo millibus equitum, ad fovendas Proteſtantium partes, cùm contra ſeptem millia equitum Germanorum militarent pro Catholicis, ſub ductu *Aumalii,* (200) Ducis & Comitis Mansfeldii. Guilielmus Naſſovius verò ad Flandriæ Franciæque fines adduxit octo millia Germanorum equitum, peditum verò decem, cùm contra Albæ Dux & ipſe copiis Germanicis inſtructus eſſet. Quantos autem exercitus Johannes Caſimirus, Comes Palatinus Rheni, aliquoties in Belgicam & Celticam introduxerit circa Annum MDLXXXVII. & poſteà, ſatis *notum eſſe puto.* (201) In univerſum reputanti patebit, nullum per totam Europam bellum geri aut unquam geſtum fuiſſe, *cui non Germanorum numeroſæ interfuerint copiæ,* (202) in quibus tamen non computo inferiores Germanos, quos aliquando octoginta millia armatorum contraxiſſe conſtat; neque Helvetios, quibus nequaquam difficilè eſt viginti aut triginta millia peditum in expeditionem mittere, quod tunc potiſſimùm patuit, cùm *Ducatum Mediolanenſem ſibi defendendum* (203) ſumpſiſſent adverſus Franciſcum I. Gallorum Regem.

Maximis autem ſumptibus exercitus Germanorum plerumque contrahuntur, multisque impedimentis tardantur, cùm *fœminarum ſervitiorumq; agmina* (204) poſt ſe trahant, unde commeatus inutiliter abſumitur; quò fit, ut hujusmodi copiæ *magnâ difficultate colligantur,* (205) majore verò conſerventur, cùm vel pueri didicerint, in defectu alimoniæ fruſtra laudabilem ſperari belli eventum. Vix eſt quicquam, quod Turcarum copias reddit expeditiores noſtris, quàm eorum *ratio* vivendi *paucis contenta.* (206) Vinum enim & cupediæ, cæteræque delitiæ plus negotii exhibent Germanorum exercitibus, quàm univerſus commeatus Turcis. Non eſt igitur mirandum, quòd quoties Turcæ in militiam prodeunt, tàm egregiè ipſis proſpectum ſit de tormentis æneis, pulvere pyrio, globis, cæteriſque belli inſtrumentis: quòd his potiùs rebus onerent, in militia terreſtri quidē, currus jumentaque ſua, in marina naves; quàm vino, cereviſiâ, carnibus, piſcibusque. Vis uno verbo dicam eduliis? Turcæ militaturi ad bellum pugnamque proficiſcuntur, non ad comeſſationem, ebrietatē, popinas, aut lupanaria. Sed ſurdo narratur fabula, & fatali huic

Germa-

Germanorum exercituum morbo, velut deſperato, manum medicam adhibere vanum eſt.

129 Notandum quoque eſt, ad Comitia Imperii non tantùm Electores, verùm etiam Principes, Comites, Barones immediatos, ac Civitates Imperiales, qui tam *in Matricula Imperii* (207) quàm communi uſu ac conſuetudine ſub nomine Statuum comprehenduntur, conſcribi, & ibi comparere ſolere; & *tres claſſes*(208) in conventu Imperii generali conſtituere: Ad primam Electores, ad ſecundam Principes, Comites, & Barones immediati, ad tertiam Civitates Imperiales pertinent. Solet tamen nonnunquam Imperator generalem omnium Statuum conjunctionem ex evidenti quadam neceſſitatis cauſâ reſtringere, quando ſcilicet vel ob motus bellorum civilium, vel propter ſubitaneas aliorum hoſtium irruptiones, itinera periculoſa, variisque hoſtium & latronum aſſultibus expoſita ſunt, ut Status univerſi coire nequeant, vel quando evidens in mora periculum; hiſce ſimilibusque ex cauſis Imperator *in* certa quadam *Civitate Imperiali*, (209) *cum Electoribus nonnunquam convenit* (210) aliis Statibus non vocatis, prout nuper Ratisbonæ MDCXXX. obſervatum, ubi *inter alia præ-*
130 *grandis momenti negotia* (211) de pace Italica & compoſitione Gallo-Mantuana, uti etiam de irruptione Regis Sueciæ reprimenda, deliberatum. Interdum cum Electoribus Circulorum Duces vel omnes, vel quosdam ex iis, prout è re Imperii videtur, conſcribi curat, de rebus arduis cum illis deliberaturus, prout Anno MDCXXIII. itidem Ratisbonæ actum; in quo conventu inter alia, Electoralis dignitas Comiti Palatino adempta in *Ducem Bavariæ transferebatur.* (212) Atque hæc de Aquila Imperii, ejusque potentia diſſeruiſſe ſuffecerit: ex quibus cuivis plenum ſit, tantam eſſe Germaniæ potentiam, ut ſi unanimi conſenſu vires jungat, *vinci à nullo hoſte* (213) unquam poſſit.

Quis impoſterum Eccleſiaſtici & Politici regiminis per Germaniam *futurus ſit Status*, (214) hoc atroci ac diuturno bello, quo omnia ruinam minitari videntur, ſoli Deo cognitum eſt. *Manſit tamen, manebitq;,* (215) propitio Deo, quamdiu hic Orbis, hujus ſummi Imperii corpus aliquod aliis etiam formidabile.

Denique hoc voveo, ut quemadmo- 131
dum obærata illa vidua, cujus filii etiam à creditoribus in miſeræ ſervitutis nexum depoſcebantur, jubente Eliſæo, miraculoſâ olei ubertate, nomina eluit, & chara familiæ pignora in præſentiſſima calamitate eſt tutata, *4. Reg. 4.* Sic viduata & deſolata Germania dulciſſima omnia noſtrorum pignora, imperio Viri Dei (tales enim ſunt, quos divina providentia rebus humanis ſuſtentandis ſubſtituere dignatur) multiplicato oleo Pacis, exſolvat, & filios ab armorum perpetua ſervitute lætè redimat.

Pax erit in terris, regnumq; redibit amoris.
Has mihi ſpes FERDINANDE *facis,*
DEUS omina firmet! (216)

In partes diviſum ferreum ſeculum, ſatis, plus ſatis, viximus;

— — — *ſuccedant otia curis,*

& ut quondam Dei Filius, ſub primæ (ſecundùm noſtra horologia) horæ initium ferrum in cruce eſt expertus, & ad tertiam pati deſiit: ſic ſub FERDINANDO I. cœpit per Germaniam graſſari bellum, ſub Imperio FERDINANDI III. eliminetur ferrum, modus ſit calamitatis, & Pax

— — — *ſucceſſu læta reſurgat.*

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT IV.

Num. 1.

(1) *CUm Novam Romam &c.]* Conſtantinus M. à nomine ſuo Urbem relicturus, primò prope Trojam ad Ajacis tumulum, poſt Chalcedone cùm rem tentaſſet, ultimò Byzantium Severi ſeveritate ſolo (penè) æquatum reſtauratum, Conſtantinopolim vocavit, cultu Idololatrico purgatam, iisdem Privilegiis ac moribus ut antiquam Romam dotavit, alias urbes, ut hanc ornaret, (ſecundùm Hieronymum) denudans, inquit Joh. de Laet *in Compend. Hiſtor. Univerſ. prerido. Græcâ cap. 1. ſect. 1. pag. 98. ex Sozomeno & Euſebio.* Cuſpinianus *in Conſtan. M. pag. 94. 95.* Hinc diſtinctio illa inter Romam veterem & novam, in conſtitutionibus Imperatorum aliquoties occurrit, *v. g. l. 52. C. de Epiſcop. & Cler. l. 5. C. de Oper. publ. l. unic. C. de Privil. urbis Conſtant.* quibus Pancirol. *in Not. Imperii cap. 35.* & Paulus Diaconus *Hiſt. miſcell. lib. 10. c. 14.* junguntur; Romam veterem vocando, Romam quam ſecundùm Communiorem opinionem Romulus condidit, Romam Novam Conſtantinopolim à Conſtantino M. inſtauratam & privilegiis impertitis veteri exæquatam, nunc à Turcis detentam & *Stamboldam* ſive *Stambol* appellatam. (Dn. Sigm. von Bircken in Donau-Strand *circa finem.*) Quò etiam non ſolùm Imperatoriam (bono an malo conſilio Politici judicent, negantium partes tueatur G. v. Hagen *Comitiolog. Ratiſpon. parte 4 diſſert. 8. n. 47. ſeqq. pag. 225.*) ſedem transtulit, ſed etiam eo ipſo totum orbem Romanum denuò diviſit, novos diœceſium vel provinciarum diſtinctiones fecit, novos magiſtratus excogitavit, (vid. Panciroll. *in Comment. ad Notitiam Imp.*) & ſic Conſtantinopolim Orientalis Imperii caput, Romam Occidentalis deſignans, Imperium omne Roma-

Romanum ſuprema diviſione in duas partes ſecuit, Orientale & Occidentale, dicente Boxhornio *in Hiſt. Univerſ. pag. 291.* Interim negandum non eſt, etiam ante Conſtantini M. tempora, à tempore Antonini Philoſophi, qui Anno Domini CLXIII. poſt Antoninum Pium electus, Imperii adminiſtrationem diviſam, & ante Romam vidiſſe in uno corpore duo, tria, vel plura capita appoſita, de quo Petr. Gregor. Tholoſan. *de Republ. lib. 25. cap. 1. n. 7.*

(2) *Quarum una alteram alis expaſſis &c.]* De Figura externa Aquilæ Sacri Romani Imperii inſignis non eadem omnium eſt opinio. Quibusdam bicipitem eam unius corporis fingentibus, ut habetur in R. I. de Anno MDLIX. tit. Neue Müntzordnung §. wie aber vorgeſtellte / *ibi:* Unſer und deß Reichs Käiſerl. Adler / mit zweyen Köpffen und deß Reichs Apffel in deß Adlers Bruſt / ꝛc. cum allegatis à Hœppingio *de Inſign. Jure part. 2. §. 5. n. 218.* Qualem & Lipſius *in Analect. ad Mil. Roman.* in columna Antonini obſervatam ſcribit. Quâ indicari putat portantem è legione gemellâ fuiſſe: quoniam duæ velut aquilæ in unam ſic mixtæ. Aliis, inſignia hæc unam aquilam nigram fiſſam & explanatam in campo aureo deſcribentibus, quod Nic. Upton *de Militari Offic. lib. 4 pag. 173.* facit. Aliis aſſerentibus duas fuiſſe Aquilas expasſis ſe obtegentes alis, cujus ſententiæ aſſeclas plures Hœpping. *cit. loco num. 231.* ſiſtit. Sed cùm inter Aquilam bicipitem, fiſſam, & duplicem, nihil reſideat diſcriminis, ut etiam qui per duûm capitum aquilam binas deſcripſerit, à ſcopo haud aberraſſe videatur, præſertim cùm melioris compendii gratiâ in priori forma tam in monetis quàm picturis, imò ipſo Imperiali Sigillo ubique circumferatur, meritò cum Livio *decad. 1. lib. 3. cap. 23.* concludo. Quia nulla apud veteres ſcriptores ejus rei mentio eſt, certum affirmare non auſim. Quod & de origine geſtandi aquilam bicipitem haud alienum erit dicere, prout apud laudatum Hœppingium clarum evadit, qui accuratè materiam illam pertractat, quædam etiam huc pertinentia apud Silveſtrum zum Arenthal *in Iconiſmo Aquilæ Romanæ colat. 9.* & ſubjuncta eidem Epiſtola *ſive diſc. 3.* Antonii Bullæi de Bicipitis Aquilæ Romanæ forma occurrunt, quæ hoc loco non tranſcribimus.

(3) *Curio &c.]* Apud Majolum *Dier. Canic. tom. 5. coll. 5. §. TH. Imò verò conſtat &c. pag. 903.* Sed hujus & ſequacium ſententiam ab Hiſtoricâ veritate planè alienam videri, Hœpping. *d. loc. §. 7. n. 283.* putat: quod & Limnæus *de J. P. lib. 1. c. 14. n. 14.* evincere conatur.

(4) *Sed Caroli M. &c.]* Caroli tamen M. Statua, in foro Bremenſi conſpicua, non duplicem aliquam Aquilam ſive bicipitem, in inſigniis, ſed in una dimidiata clypei parte dimidiatam Aquilam, in altera tria lilia præfert, prout apud Zeillerum *in Topographia inferioris Saxoniæ pag. 63.* videre eſt.

(5) *Nonnemo Poëtarum &c.]* Hœpping. *dict. loc. num. 219.* ipſum vocat Blaſium Palladium Romanum.

Num. 2.

(6) *Adhuc Romano-Germanici Imperatores &c.]* Illi ſcilicet Aquilâ bicipiti nigrâ in campo aureo; Reges verò Romanorum Aquilâ ſimplici. Nolden *de Stat. Nobil. Civ. cap. 21. n. 75.* Quod ſi veritate nititur, inquit Limnæus *de J. P. tom. I. cap. 14. n. 29.* (quem & Author noſter *inf. n. 36.* hæc dicentem allegat,) fortaſſis inde eſt, cùm Imperator non tantùm unum, ſed duplex repræſentet caput, ſcilicet Imperatoris & junctim Regis Romanorum. Rex autem Romanorum unicum tantùm, puta Regis. Ad Capitulationis Ferdinandi I. procem. *pag. 441.* Idem Limnæus, quando primùm mos iſte cœperit, ſe neſcire ingenuè fatetur; nec ſe quoq; meminiſſe, inquit, ullam Legem Imperii vel Pontificis (ſcilicet ob prætenſum jus in Imperium) hanc inſignium differentiam injungere, ſtabilire, vel confirmare. Et pleraque inſignia hæc quæ attinent, opinione vel traditione incerta conſtare: quod circa Aquilam bicipitem laudatus Author *in ſeqq.* enucleat. Præter Imperatorem tamen, & Imperatrices inſigniis bicipitis Aquilæ uſas aliquando fuiſſe, indicio eſt numus Elizabethæ Auguſtæ, Alberti Imperatoris uxoris, Meinhardi Ducis Carinthiæ & Comitis Tyrolis filiæ (apud Octavium de Strada *de vitis Imp. p. 450.*) item numus Margarethæ Ducis Brabantiæ filiæ, Henrici VII. Imp. Uxoris ſecundæ, (apud eundem *d. loco pag. 456.*) nec non Leonoræ Auguſtæ, Friderici III. Imper. uxoris (apud eundem *dict. loco pag. 478.*) & uxoris primæ Imperatoris Maximiliani I. Mariæ Caroli bellicoſiſſimi Burgundionum Ducis filiæ argenteus numus. Quinimò & Turcarum Imperatoris Selymi II. & Roſſæ Solymani Uxoris numum bicipiti aquilâ inſignitum exhibet de Strada *d. loc. pag. 367.* fortaſſis quòd Solymanus ille ob victorias quamplurimas Imperiique magnitudinem elatus, Romanum totiusq; Occidentis imperium ad ſe ſpectare contenderet, cùm Imperatoris Conſtantini, qui imperium tranſtulit Conſtantinopolim legitimum ſucceſſorem ſe profiteretur; & ſic uxor radiis mariti fulgere cuperet. Ille verò anteceſſoris ſui veſtigia premere vellet. Inſuper hodiè præter Imperium & Imperatorem noſtrum, Magni Ducis Moſcoviæ Inſignia duplici Aquilâ fulgent; cujus Authorem Johannem Baſilidem, qui morem hunc ideò introduxerat, quia Romanorum Imperatorum ſanguine oriundum ſeſe gloriabatur, Olearius *in Itinerario Moſcovico - Perſico pag. 220. ſecundæ Edit.* conſtituit.

(7) *Carolum V.]* Verùm longè ante illum Henricus II. ſive ſecundùm alios III. dictus Niger, qui Anno MXXXIX. ad Imperium pervenit, & Wenceslaus, Caroli IV. filius, qui Anno MCCCLXXVIII. ſceptra capeſſivit, numos aureos, apud de Stradam *pag. 412. & 467.* depictos, duplici aquilâ percuſſerunt. Imò hanc ſententiam, quæ ex Reſtauro Caſtaldo *tract. de Imp. quæſt. 89. numer. 11. in fin.* profluit, mercenarium eſſe præconium, ac ad gratiam potiùs captandam, quàm ad veritatem eruendam, ſcriptum, Hœpping. *de Jure inſign. cap. 6. parte 2. §. 7. n. 291.* cenſet & pluribus monſtrat.

(8) *Nordermannus &c.]* Non hic profectò ſolus aut primus opinionem hanc propugnare animum intendit, ſed longè ante illum Cuſpinianus *in Aurel. Caſſiodori Conſules ſcripto Commentario pag. 282.* ad Tiberium Neronem, & P. Quintilium Varrum Coſſ. illam propoſuit, inquiens: Hic eſt ille Quintilius Varus, qui cum tribus legionibus à Germanis rebellantibus funditùs deletus eſt, cùm illius ſuperbiam libidinemque ferre non poſſent. In qua ſtrage Germani Italis quibusdam oculos, quibusdam manus, quibusdam linguam amputabant; ipſius Conſulis Vari corpus humi abditum effoderunt, ſigna & AQUILAS DUAS

eripue-

eripuerunt: ut Florus in fine libri quarti de bello Germanico ſcribit, QUIBUS AQUILIS adhuc hodiè Germani & Romani Imperatores in ſuis armis utuntur. Ut ridendi ſint illi, qui ſuſpicentur, Aquilam eſſe bicipitem, cujus caput alterum Orientem, alterum Occidentem aſpiciat: quo nihil eſt monſtroſius &c. Et in Imperatore Auguſto Idem Cuſpinianus *pag.7.* de Clade hac Variana, ſcribit. Nihil fuit illa cæde cruentius. Tres enim Legiones obtruncatæ, ſigna & Aquilæ duæ à Germanis captæ, quas hodiè poſſidemus. Non enim biceps eſt Aquila, ut imperitum vulgus credit: ſed duæ ſimul, quarum altera alteram expaſſis alis obtegit. Tertiam ſignifer legionis tertiæ abſtulit, paludeque demerſit, ne in hoſtium manus veniret. Alioqui tres haberemus Aquilas in inſignibus Imperii. Nec unquam hæ redditæ ſunt Imperatoribus Romanis, quod Parthi fecerunt, ſed ſemper in hunc usque diem ſervatæ. Licèt Tacitus ſcribat, Germanicum cum in Teutoburgenſi ſaltu reliquias Varianæ cladis inſpicere concupiſceret, per L. Stertinium apud Bructeros undevicefimæ Legionis Aquilam cum Varo amiſſam reperiſſe &c. Sed utut ex Floro hæc *lib.4.cap.12. num.37.ſeqq.* deſumpta, ſpecioſa dictu videantur, plus tamen Tacito, planè eximio Scriptori Hiſtorico, qui ambas iſtas à Romanis recuperatas innuit, tribuerim. Quorum ille *in Annalibus 1.60.5.* unam à Stertinio receptam, alteram *2. Annal.25. num.3.* à Malevendo indicatam & inventam memorat. Sic ut, obſervante Lipſio ad eum locum *num.62.* receptæ tunc fuerint omnes, quia tertia ſervata militis aſtu: *ubi pergit:* Florus tamen ſcripſit, ſigna & Aquilas duas adhuc Barbari poſſident: tertiam ſignifer &c. Parùm conſideratè. Niſi ex Livii perſona & ætate loqui hominem placet. Præterea idem Tacitus *2. Annal.45.* Fine anni (ſcil. ab Urbe Condita DCCLXIX, Anni Chriſti XVIII. Siſennâ Statilio Tauro, L. Libone Coſſ.) arcum propè ædem Saturni ob recepta ſigna cum Varo amiſſa, ductu Germanici, auſpiciis Tiberii obſervat, quod & numus confirmat, quem laudant Scaliger ad Euſebium *num.2033.* & Pigh. *in A.U.769.* conſpicitur in ſuperficie Germanicus Cæſar altus quadrijugo curru, cum inſcriptione GERMANICUS. CÆSAR. In alterâ ſtat in habitu militari tenens haſtam. Adſcriptum: SIGNIS. RECEPT. DEVICTIS. GERM. ubi intelligit ſigna, Variania clade perdita. Rupertus *in Obſerv. ad Flor. lib.4. cap.12.§.35.* Verùm ſi Dioni *lib.60* fides adhibenda, dum inquit: Gabinium divictis Marſiis, *(aut ut Leonclavius ad Dionem ſubſtituit Cauchis)* inter alia, quæ laudi ipſi eſſent, militarem Aquilam, quæ ſola à Clade Variana adhuc ſupererat *(apud illos, ut alii vertunt, reſtabat)* recuperaſſe, conſtat demum ſub quinto Claudii Conſulatu & ſic Anno U.C. DCCCIV. Aquilam illam alteram in poteſtatem Romanorum receptam. Redeundo autem unde digreſſi fuimus, utut hæc opinio binas Aquilas victrici Germanorum manu clade Varianâ Romanis quondam ablatas aureoque clypeo inſertas aſſumſiſſe Imperatores noſtros, Germanorum laude gravida, multis (quorum catalogum exhibet Hœpping. *de Jure Inſign. part. 2. cap. 6. §. 6. num. 248.*) adeò plauſibilis viſa fuerit, ut arbitrati fuerint, eam cum Sybillinis foliis multum participare. Verùm ſequeſtrato nonnihil affectu deprehendit Limnæus *l. de J. P. 14. num. 17. ſeqq.* aliſve, hanc ſententiam fundamento niti valdè ruinoſo, nec ullis probæ rationis pedamentis, & crepidinibus firmatam, facili motu & levi aurâ corruere. Quemadmodum laudatus Limnæus *d. loc. in ſeqq. numeris, & iterum in Additionum Tom.I. ad n.16.* pluribus egregiè demonſtrat.

(9) *Cæſo apud Bructeros &c.]* De loco editæ hujus ſtragis recentiores non parùm diſſentiunt. Etenim Æneas Sylvius *in ſua Germania cap.35.* Werdenhagen *part.3. Rerump. Hanſeat. cap.1.* cladem hanc Moguntiæ accidiſſe cenſent, eoque nomine à Serrario *lib.1. rerum Moguntiacarum c.8.* prior rectè notatur. Alii, quos Meibomius *in Not. ad lib.2. Joh. Sleidani de IV. Monarch.* recenſet, prope Auguſtam Vindelicorum pugnatum ſcribunt: ſed & hi à Welſero *lib.3. Comment. rer. Vind. pag.34.* refutantur. Aliis Francofordia cladis locus eſt, ut Mutius *lib.3.* tradit. Aventinus *lib.2. Annal. Bojorum,* Varum in ſaltu Teutoburgenſi, ubi adhuc civitas & ſaltus nomen ſervat, in Ducatu Clevenſi deletum fuiſſe narrat. Alii alibi id factum perhibent, uti videre eſt in Zeilleri Itinerario Germaniæ. *cap.1. pag.46.* Conſtantiſſima inter omnes eorum videtur opinio, qui internecionem Romanarum harum legionum inter Amiſiam atque Luppiam amnes, prope Dietmelle, & Horn, intraque Lipsbergam, patratam cenſent, de quo Lipſius *ad lib.1. Ann. Taciti cap.61. num.211.* Cluverius *in Germ. Antiq. lib.3. cap.19. pag.580.* Hermann. Stangefol. *in Annal. Circuli Weſtphalici lib.1. pag.5. ſeqq.* Nordermann. *de Jure Princip. concluſ.14.* Hœpping. *d. loc. num.243. ſeqq.* ut & Johann. Henric. Hagelgans *in Arminii Hiſtoria part.1. pag.96.* videantur.

Num. 3.

(10) *Complures &c.]* Quos citat Hœpping. *de Jure Inſign. part.2. c.6. §.2. n.160.*

(11) *Omen victoriæ &c.]* Sic cùm ante pugnam inter Germanicum & Germanos commiſſam octo Aquilas petere ſylvas & intrare viſas, Imperator adverteret, exclamat, Irent, ſequerentur Romanas aves, propria legionum Numina. Tacito *2. Annal.17. num.2.* ſcriptore, ad quem locum annotata à Lipſio *num.47.* vide. Exempla plura habet Hœpping. *d. loc. à numero inde 111. ſeqq. multis.*

(12) *Legionis ſignum &c.]* Nec niſi unius una. Imò nec ſociorum quidem, & quia hæc præcipui Imperii ſignum, ſubjungi ſub eam ſocios voluerunt & auxilia, non ſeorſim habere, laudatus jam modò Lipſius *de famil. Rom. l.4. dialog.5.* ſcriptum relinquit.

(13) *In pugnas aut raptus &c.]* Romanis Aquilam Legionibus C. Marius in ſecundo Conſulatu ſuo propriè dicavit. Erat & anteà prima cum quatuor aliis: lupi, minotauri, equi, aprique ſingulos ordines anteibant. Paucis ante annis ſola in aciem portari cœpta erat: reliqua in caſtris relinquebantur. Manus in totum ea abdicavit. Ex eo notatum, non ferè legionis unquam hybernaſſe caſtra, ubi aquilarum non ſit jugum, inquit Plinius *lib.10. Natur. Hiſt. cap.4.* cui Lipſius *dict. loco* jungatur. Et hujusmodi quoque ferarum effigiebus pro bellicis ſignis uſos fuiſſe Germanos, ex Tacito *4. Hiſtor. 22. num.4.* colligit ſolertiſſimus Cluverius *Germ. Antiq. lib.1. c.49.* ubi vide.

Num. 6.

(14) *Hoc inſigne Perſarum Regi manet &c.]* In militia nempe, ut Hœpping. *d. l. n. 100.* multis autho-

authoribus probat. Nam aliàs hodiè Perſarum inſigne Solem in dorſo leonis eſſe, Olearius *in ſuo Itinerario Moſcovico-Perſ. l.5. c.29.* docet.

Num. 8.

(15) *Imperii Emblema &c.]* Conſulatur de eo Johan. Pierius Valerianus *in Hieroglyphicis lib. 19.* Wolffgang. Franzius *in Hiſt. animal. part. 2. cap. 1.* Chaſſanæus *in Catal. Gloriæ mundi part. 12. conſid. 80.* Farneſ. *lib. 1. de ſimulach. Reip. paneg. 2. cap. 11. pag. 27. ſeqq.* ab Hœppingo *n. 155.* citatus.

Num. 9.

(16) *Quod probe intelligentes &c.]* Ipſiſſima hujus numeri verba leguntur, apud Sylveſtrum zum Arenthal *in Iconiſm. Aquilæ Rom. coll. 3.*

(17) *Satyricum &c.]* Juvenalis *Satyr. 10. in fin.*

(18) *Prudentia &c.]* Prudentia igitur, quæ cœleſtibus quibusdam ſcintillis diſtincta eſt, & à bona prorſus mente proficiſcitur, felicem fortunatumque Principem faciet; cùm ipſa conſiliorum actionumque omnium facula ſit, humanitùs accenſa, divinitùs illuſtrata, norma ac regula rerum, quæ publicè privatimque fugiendæ vel appetendæ. Definitore Ariſtotele, Prudentia rationis virtus eſt, apta comparare, quæ ad felicitatem faciant. Alius non abſurdè dixit, artem & arcem Principis unam eſſe prudentiam: & juſtitiæ quidem ſummum eſſe præceptum, honeſtè vivere, & alterum non lædere, id eſt, jus ſuum cuique tribuere; prudentiæ autem id nihilo inferius, ne decipiaris aut impingas, efficere. Marſelaer *de Legato l. 1. diſſert. 29.*

(19) *Ex utroq; Cæſar &c.]* Vide Camerarium *cent. 1. Horar. ſubciſivarum cap. 2.* ubi occaſionem hujus dicti explicat.

(20) *Calliditatis quid influere &c.]* Dixi de hoc argumento & miſcendâ prudentiâ ſerpentinâ cum ſimplicitate columbina, quædam in Notis ad Politicum Sceleratum *cap. ult. pag. 553. & paſſim*, quæ hìc non repeto.

Mores *agninos*, ſimul *anguinosq;* ſequamur,
Nam ſimplex *agno* noſcitur, *angue* catus.

inquit Hoffmannus *Luſ. Epigram. cent. 6. Epigr. 53.*

(21) *Martis temporibus &c.]* Cùm enim juſtum bellum ſuſceptum fuerit, utrum apertâ pugnâ, utrum inſidiis hoſtis vincatur, nihil ad juſtitiam intereſt; modò fides data inviolabiliter ſervetur. Lacedæmone (Plutarchus author eſt *in Marco Marcello Tom. I. pag. 311.*) Dux depoſito imperio, qui aſtu vel blandè agendo rem ſuſceptâ confecerat, immolabat bovem: gallum gallinaceum, qui acie. Qui quanquam eſſent bellicoſiſſimi, excellentiorem tamen ac magis congruentem ducebant homini rem dicendi facultate & ſolertiâ perpetratam, quàm vi & virtute. Sive ut alibi Plutarchus *in Inſtit. Lacon. Tom. 2. pag. 238.* loquitur: Cùm callido conſilio hoſtem viciſſent (*Lacones*) bovem Marti mactabant: ſi apertè, gallum: Duces adſuefacientes, ut non pugnaces modò, ſed callidi etiam fierent. Atque hujusmodi ſtratagematum exempla plurima & ſacra & profana Hiſtoria recenſet. Dubitandúmve minimùm eſt, uſitata ſtratagemata inter Principes, jure Gentium probata, ut qui per illa decipitur, non de dolo hoſtis, & ruptâ fide, (*præſuppoſito nullam datam eſſe*) ſed de ſuâ imprudentiâ & credulitate conqueri debeat. Omnibus ſcriptum eſt: Vigila, & diffidere memento: ſunt hi nervi prudentiæ. Peccat, qui fidendo facilis eſt, laudémve ad ſtupido candore ambit.

(22) *Lyſander dicebat &c.]* Hoc reſponſi loco datum fuiſſe à ridente Lyſandro reprehendentibus ipſum, & indignum Hercule dicentibus, quòd pleraque impoſturis ageret, doloque res non ingenuè gereret, Plutarch. *in Apophthegmatibus Laconicis Tom. 2. Operum pag. 229.* perhibet. Junge Lipſium *in Polit. lib. 5. cap. 16. & 17.* Sylveſtrum zum Arenthal *in Iconiſmo Aquilæ Rom. collat. 3.*

Num. 10.

(23) *Prudentiæ &c.]* Verborum *in num. 12. 15. 16. 17.* præter ea, quæ de Martiano (minùs fortaſſis cohærentia) adducuntur *n. 18* & pars *n. 19.* nec non *20.* Farneſius *lib. 1. de ſimulacr. Reipubl. paneg. 2. cap. 11.* à Hœppingo *n. 155.* adductus Author eſt.

(24) *Qui tacere neſciat &c.]* Refertur à nonnemine, Demoſthenem, cùm adoleſcens quidam inter pocula multas nugas effutiret, & tacere nollet, adoleſcenti dixiſſe: Quomodo non didiciſti tacere ab illo, à quo didiciſti loqui.

(25) *Sine clangore &c.]* Plinius *lib. 10. Natur. Hiſt. c. 3.*

(26) *Noſce te ipſum &c.]* Et eruditorum omnium diſſertationibus, & populi, ut Poëta ait,

--- --- Fama celebrata per orbem eſt
Litera, cognoſci quæ ſibi quemq; jubet:

Sententia, verbis aut literis quidem exigua, ſed doctrinæ fœcundiſſima, & effectu operoſiſſima, & uſu ſaluberrima. Quæ proinde major auguſtiorq; viſa eſt, quàm ut eam hominis ſuſtineret auctoritas: neque inſcribi conſtanter vel Chiloni, vel Bianti, vel Pythagoræ, vel denique Thaleti potuit, quantumvis claris ſapientiâ viris, & crebro ſermone hoc dogma inculcare ſolitis. Referri igitur ad DEUM auctorem, & illum quidem, qui ſapientiâ cenſebatur, maximè, Apollinem, debuit: quem quidam id reſponſi dediſſe Chiloni ferunt conſulenti, quid cognitu præſtantiſſimum eſſet? Has enim de origine hujus moniti opiniones Porphyrius recenſet; ipſe ſtatuens, aut à Numine id, aut non ſine Numine conceptū eſſe. Sic exorditur aureum ſuum libellum, de Cognitione ſui, Diodorus Tuldenus. Benè proinde Juvenalis *Satyra 11.*

--- --- --- Illum ego jure
Deſpiciam, qui ſcit, quantò ſublimior Atlas
Omnibus in Lybia ſit montibus: hic tamen idem
Ignoret, quantum ferrata diſtet ab arca
Sacculus: è cœlo deſcendit, γνῶθι σεαυτὸν,
Figendum & memori tractandum pectore &c.

Divinum enim hoc & primum homines præceptum diſcimus, inquit *apud Stobæum Sermon. 21.* Agapetus ad Juſtinianum, ut noſcat quisque ſe ipſum. Nam qui ſeſe novit, DEUM cognoſcet, qui DEUM noverit, DEO aſſimilabitur. Similis autem fiet DEO, qui DEO dignus fuerit. DEO autem dignus ſit, qui nihil DEO indignum committit; ſed cogitat res divinas, & quæ cogitat, loquitur, & quæ loquitur, facit.

(27) *Plinio &c.]* *Lib. 10. Nat. Hiſt. cap. 3.* Hinc Aquila præ fame morientem ſignificat. Quod ſi hominem, inquit Pierius Val. *lib. 19. Hieroglyph. pag. 193.* eo mortis genere periturum, quod Homero Platonique omnium eſt miſerrimum, iidem (*ſcil. Ægyptii Sacerdotes*) ſignificare voluiſſent, hieroglyphicum habebant Aquilæ, cujus roſtrum eſſet enormiter incurvatum: ſeneſcentibus enim aquilis roſtrū ſupernum accreſcit adeò, incurvaturque ſubinde magis ac magis, ut, nullâ

nullâ demùm aperiendi datâ copiâ, inediâ plerumque deficiant & extinguantur. Hinc illa in bibaces, Aquilæ ſenectus, exprobratio : quippe quæ amiſsâ edendi facultate humorem aſſiduè ſorbillare cogitur, vitamq; aliquandiu pertenui eâ ope protrahere. Ac ne usquam deſint Græcorum fabulæ, commenti illi ſunt, fuiſſe olim hominem, qui hoſpitem affeciſſet injuriâ, proindeq; deorum irâ in Aquilam commutatam, inque ſceleris pœnam eo affectum malo, ut fame conſumeretur. Indeque fluit D. Auguſtini explicatio dicti in *Pſalmo 102. verſ. 5.* ubi dicitur: Renovabitur ut Aquilæ Juventus tua &c. ſcilicet Aquilam dicto modo ad incitas redactam, cùm cibi inopiâ langueſcat, labium illud ſuperius collidere ad petram, atque excutere ſumptoque cibo vires renovare, ac poſt ſenectam veluti juvenem videri. De quo Pierius Valer. *citat. loco.* Caſpar. Schottus *in Phyſica Curioſa lib. 9. cap. 4.* & Franzius *in Hiſtor. animal. part. 2. c. 1. n. 9.* conſuli poterunt.

Num. 14.

(28) *Jaurino &c.]* Quod Hungaris *Nagy Gyeor*, Romanis olim *Arabo*, nobis ab alluente flumine Raab/ dicitur. Quò etiam Poëta reſpexit in verſu primo, Captus erat Corvus &c.

(29) *Recuperato &c.]* Deditum enim fuerat Jurinum obſidenti Sinano à Ferdinando Comite Hardeco Anno MDXCIV. die St. Michaelis XXIX. Sept. (*Iſthuanffius Hiſtor. Rer. Hung. lib. 29. Johan. Nadanyus in Floro Hungar. cap. 10.*) qui tamen anno proximè inſequenti die XVI. Junii, ob deditionem illam puſillanimitate an proditione, de quo multi dubitant, factam, Viennæ unà cum Nicolao Perlinio deditionis ſocio capite & dextrâ truncatâ, morti traditus fuit. (*Iſthuanffius d. loc. lib. 29. Hieron. Ortelius* in der Ungeriſchen Chronick/ *part. 2. pag. 237. & 260. ſeqq. Eraſmus Franciſci cognomento Mynſicht* im hohen Trauer-Saal/ *part. 2. cap. 14. ubi & obſidionem & mortem Comitis exactè deſcribit.*) Recuperatum verò iterum ab Adolpho Schvvartzenbergiæ Comite, Ipſi æthere militante Anno MDXCVIII. 19/29. Martii. De quo d. Ortelius *parte 3. pag. 389.* Iſthuanffius *lib. 31.* qui inter alia, ferunt, *inquit*, Aquilam ſuprà noſtrorum agmina, à Comaronio, usque huc (*ſcil. Jaurinum*) volitantem viſam, militesque eo omine boni eventus accepto, alacriùs ad rem gerendam incitatos eſſe. Nadanyus *in Floro Hungar. cap. 13.* qui in laudem ſuæ gentis pronior, deſperato Svvartzenbergo Palfium ſuccurriſſe perhibet.

Num. 15.

(30) *Eos excludat tanquam degeneres &c.]* Hoc tantùm de certo genere aquilarum, quæ ex diverſo aquilarum coitu naſcuntur, *Haliæetos* Aquilas Marinas dictas, adſtruit Plinius *dict. lib. 10. c. 3.* Ariſtoteles *lib. 9. Hiſtor. Animal. c. 34.* Schottus *in Phyſica Curioſa lib. 9. cap. 1. §. 5. & cap. 2. §. 2.* ubi modum probandi ſic deſcribit: Pullos adhuc teneros, antequam nutrire pergant, hunc in modum, an genuini ſint, aut degeneres ac ſpurii, probant. Ex ungue ſuſpendunt, utpote volare nondum valentes, Solisque adverſi radios intueri cogunt fixis oculis. Qui oculos vi ſplendoris perſtrictos inflectunt, aut nictatione obnubant; eos tanquam degeneres & adulterinos laxatis unguibus in præceps dejiciunt: qui verò conſtanter adverſum Solem oculisque immotis aſpiciunt, extra omnem ſuſpicionem inter legitimos fœtus numerant, ac nido reponunt.

(31) *Niſi cum grandi beſtia &c.]* Imò etiam cum cygnis pugnare Aquilas & ſubinde vinci; etiam cum trochilo, cum gruibus, anſeribus, ardeolis, omnibus denique avibus, tam rapacibus, quàm non rapacibus, Author eſt Schottus *loc. cit. cap. 1. §. 8.* & Klockius ipſe ſui immemor ſuperiùs *n. 13.* pugnæ cum cornicibus & picis ab Aquila initæ meminit.

Num. 16.

(32) *Cum Cervo &c.]* Plinius *lib. 1. Nat. Hiſt. c. 4.* Schottus jamjam citato loco.

(33) *Quàm in virium robore &c.]* Euripides *in Antiope:*

Viri prudentia facit, ut benè habitentur civitates,
Itemq; familia: & ad bella magnum ejus momentum eſt.
Conſilium enim ſapienter initū, multas manus
Vincit: imperitia verò cum multitudine deterius malum eſt.

Num. 17.

(34) *Evagrius & Procopius &c.]* Sunt hæc ipſiſſima verba Cluveri in Hiſtoria Univerſali *pag. m. 388.* ubi citat illius *l. 2. c. 1.* hujus verò *lib. 3. de Bello Vand.* pleniùs Pezelius *in Mellif. Hiſt. part. 2. pag. 423.* ſic enarrat: Non illuſtri, ſed humili genere ortus, & origine Thrax fuit Martianus, militiam verò ſecutus, ante imperium, ſtipendia meruit in Lycia & Africa, utrobique peculiaribus veluti ſignis atque præſagiis ei imperium promiſſum eſt. Nam cùm in Lycia in morbum incidiſſet, hoſpitio uſus duorum fratrum, Tatiani & Julii, poſtquam convaluit, animi recreandi gratiâ, cum his in venationem progreſſus, atque Solis ardore fatigatus, ſub arbuſcula conquievit. Ibi tum Aquila (quæ regnum portendere exiſtimatur, quēadmodum & vultur) alis ſuis eum texit, ne læderetur à radiis ſolaribus. Eam Tatianus prior excitatus, conſpectam à ſe fratri quoque ſenſim excitato monſtravit. Uterque igitur rem inuſitatam mirati, ubi ſomnus abiit, Martiano aperuerunt, regnum ex eo portendi nuntiantes. Cùmque petiiſſent, ut ſui aliquando meminiſſet, abeuntem viatico ducentorum aureorum proſecuti ſunt. Idem prodigium ei contigit in Africa militanti. Nam cùm in prælio contra Vandalos captus, & cum cæteris captivis cuſtoditus, ſub dio quieſceret, Aquila ſupra caput dormientis umbram facere viſa eſt, unde Genſericus Imperium ei portendi conjiciens, accerſitum eum ad ſe ſpontè dimiſit; hoc ſaltem pactus, ſi imperio potiretur, ne Vandalis bellum inferret. Sed & hoc tanquam omen futuri Imperii annotatum eſt, quòd, cùm primùm profeſſus eſſet nomen ſuum apud tribunum militum, Scriba errore pro Martiano nomen Auguſti ei tribuit. *& p. p.* Imperium adeptus, ſtatim Tatianum & fratrem hujus, veteres hoſpites & benefactores ſuos, ad ſe venire juſſit, atque illum quidem Urbis Conſtantinopolitanæ præfectum conſtituit, huic Illyricam provinciam tradidit. Cum Vandalis etiam fœdus pacemque fecit. Hactenus Pezelius; cui conſonat Hœpping. *de Jure Inſign. part. 2. cap. 6. n. 126.* Cæterùm de Vandalis videatur Lazius *de Gentium migrat. lib. 11.* & in ſpecie de ſede eorum in Africa capta, *pag. 606.* Geographique paſſim.

Num. 18.

(35) *Ejus dixit eſſe Imperium &c.]* Vide Pierium Val. *lib. 9. Hierogl. pag. 190.*

Num. 19.

Num. 19.

(36) *Fulmina miniſtraſſe &c.]* Idem Pierius *d. loc. p. 195.* Hœpping. *d. loc. §. 9. n. 109. ſeqq.* cum plurimis ab eo citatis Authoribus.

(37) *Non tangi &c.]* Prima ratio ſecundùm authorem noſtrum & ab eo citatum Plinium, cur Aquila cœlo non tangatur, eſt, quòd Jovi fulmina miniſtraverit: altera ex Lippio viſus acumen: & tertia ex eodem Ganymedis pueri elatio in cœlos, de quo Natalis Comes *Mytholog. lib. 9. cap. 13.* Stephanus *in Lexico lit. G.* Imò Jovem ipſum ſeſe in Aquilam mutaſſe Ovidius *lib. 10. Metam.* vult, dum canit:

Rex Superûm Phrygii quondam Ganymedis amore
Arſit, & inventum eſt aliquid, quod Juppiter eſſe
Quàm quod erat, mallet, nulla tamen alite verti
Dignatur, niſi quæ portat ſua fulmina terræ.
Nec mora, percuſſo mendacibus aëre pennis
Arripit Iliadem &c.

Sed Poëtæ cum Poëta facilè conveniet. Quoniam ficta hæc omnia eſſe omnibus perſpicuum eſt.

Num. 20.

(38) *Pennæ commixtæ &c.]* Ita quidem Plinius *ſæpè citato lib. 10. cap. 3.* In cauſas verò inquirit Pierius Val. *d. loc. pag. 193.* ubi vide. Franzius tamen *in Hiſtoria animal. part. 2. cap. 1. num. 13.* putat, non phyſicè & realiter & verè aquilinas pennas reliquas abſumere, ſed ſaltem diutiùs durare etiam ſeorſim aſſervatas aquilinas, & citiùs in nihilum reſolvi anſerinas, itidem ſeorſim ab aquilinis collocatas. Junge Plutarch. *Sympoſiacon. l. 5. Tom. 2. Oper. pag. 680.*

Num. 21.

(39) *Ante annos XXX. &c.]* Horret animus meminiſſe feralis illius belli, quod in Bohemia, prælucente Anno MDCXVIII. ſub menſem Septembris dirâ ſideris face, nuncio & præcone futurarum calamitatum, caudatâ Cometâ, exortum, inde ſe in Palatinatus Rheni ditiones deflexit: hinc in Hungariam & Tranſylvaniam ſubitò tranſiliit; inde Auſtriam reſpexit; mox in Saxonia inferiori conſedit; inde Pomeraniæ & Megapolitano Ducatui incubuit: abhinc totam Germaniam ferè unâ ruinâ involvit: poſtremò in Bohemiam regyravit, & ibi aliquando conſedit; quo

Serente bello, ter decies propè
Haſtis per agros meſſis inhorruit:
Juxtaq; Cadmæos bimembres
Armiferi rubuère ſulci,
Injuſſa tundit ſollicitum manus,
Sed certa pectus.

Horreo commemorare, quot myriades hominum cæde, igne, fame, peſte occubuerint, quorum conſummationem poſteritas vix credet; quot regiones pervaſtatæ; quot urbes funditùs everſæ aut ruinæ datæ fuerint, quas necdum pace inſecutâ noſtri priſtino flori reſtituere potuerunt aut fortaſſis nunquam poterunt. Ut taceam immaturas puellas corruptas, virgines & viduas ſtupratas, mulieres ſæpè etiam in præſentia maritorum violatas, nec ſeptæ pudicitiæ clauſtra obſtare libidinibus militum potuiſſe, & alias calamitates, quæ à Poëtarum noſtræ ætatis facilè Principe, Jacobo Balde *in Ode ſive Oratione, quam lib. 4. Sylvarum ſubjunxit;* comprehenſæ leguntur his verbis:

Quem DEUS noſtro ſtatuis labori
Æquior finem? tulimus Cometam
Jam quater ſenos, & onuſta ferro
Bella per annos.
Inter hæc nullo miſerante flemus;
Tot malis preſſi, foliis quot Auſter
Nudat Autumnum, refugusq; torquet
Spicula Parthus.
Aſtra corrupto rubuère vultu:
Putris annonam vitiavit aër.
Et venenato nigro traxit unco
Funera peſtis.
Hoſtis ad votum, trepidi dolemus.
Noſtra victori male fœnerantur.
Ille Germanis ſolet ad triumphum
Mortibus uti.
Monſtra letali gemuère partu.
Terruit cunas capricornus infans
Fœta bos agnum, mulier juvencum
Edidit alvo.
O SATOR rerum: quid enim meremur
Et fugam terræ? tremefacta movit.
Cive fugerunt proprii relicto
Oppida muri.
Fluminum proni niviumq; lapſus,
Strage diviſâ ſecuère vicos.
Montium totas ſubitò ruina
Obruit Urbeis.
Merſa cum fundo fluitare tecta
Pyrrha confuſi nova vidit Iſtri.
Teſtis eſt ſupra ſonuiſſe pontem
Iſara remos.
Poſt vagos amnes, reliquum favilla
Hauſit, & cæli lapidoſus imber.
Jurat in ſacrum caput, hinc & illinc
Ignis & unda
Prima MENS ævi, roſeæq; clara
Lucis inventrix, & amica flecti:
Si ſatis culpam luimus rebelles,
Annue Pacem.
Balthicum tandem mare detumeſcat,
Fas ſit exhauſtas revocare vireis.
Redde diſcuſſa nitidum Poli caligine Mundum.

Horreo, inquam, hæc penſiculatiùs exequi aut in cauſas hujus belli curioſiùs inquirere (*vid. Florus Germanicus Waſſenbergius in introduct. ad bell. Bohem. Dn. Burgoldenſis in Notitia Rerum Illuſtrium Rom. Germ. Imp. diſc. 1. & 2. & Scriptores hujus belli plerique*) cùm poſt Pacem Monaſterii atque Oſnabrugis Anno MDCXLVIII. concluſam, & Norimbergæ Anno MDCL. Executionem ejus ſuſceptam, nunc etiam in ſeptennalibus Comitiis Ratisbonæ durantibus non omninò neglectam, rem ab ævo repetere, hoc loco alienum & nihil aliud ſit, quàm vulnus religatum & fomentis ferè ſanatum digitis, quia teli poteſtas eſſet erepta, dilacerare. Cùm vel maximè vi Inſtrumentorum Pacis cum Regina Succiæ §. 2. & Rege Galliæ §. *eod.* perpetuâ oblivione & Amneſtiâ, omnea ea, quæ ab initio horum motuum quocunque loco, modóve ab una vel altera parte ultro citroque hoſtiliter tam ante bellum, quàm in bello, factis, verbis, ſcriptis, patrata ſunt, ſepulta & inulta jaceant. Quocirca Authori noſtro de hoc bello differenti vel parum vel nihil addam, hoc votum ſolùm ingeminans, ut Janus perpetuò in Imperio clauſus ſit maneátve; exequenda

adhuc exequantur, gliſcentesque diſcordiarum ſæpè privatarum utilitatibus publicis remittendarum inter cineres favillæ, antequam in flammam abeant, extinguantur; vigeat & perennet membrorum cum Capite ſuo ſacratiſſimo in Imperio ſincera Concordia, ergo eos verò, qui ſanguinem uni alteriſve membro ſubtrahendo emaciatum corpus reddere cupiunt, internecinum odium; ſtabiliatur Juſtitia æquabilis, & ut nemo ampliùs id Juris in alium poſtulet vel ei concedatur, quod in ſe ipſum concederet nemini, neque permittatur, ut potentior per varias ambages vado omni & ingreſſu, ne dum exitu carentes, vim Legum in ſe verſam, cum quibus ipſis imbelliorem fatigaret adverſarium. Tu Trinune DEUS annue votis, cuſtodi, ſerva, protege hunc Statum, hanc pacem, clementerque largire, ut Comitiorum tot impendiis, tot laboribus, tot moleſtiis hucusque celebratorum finis ſit, non niſi exaptatiſſimus, quietus atque conſtans. Fiat!

Num. 26.

(40) *In ſecula faſti &c.]* Fortean ad hos Claudiani verſus reſpexit Henricus Schmid, Theologus & Profeſſor Illuſtris Tubingæ Excellentiſſimus, *in Oratione Panegyrica de Pace Anno MDCXLVIII. facta.* Dum Ferdinande Cæſar Auguſte, *inquit*, Pie, Felix, Triumphator ſalve! Felicior Julio Cæſare, qui gloriabundus fatebatur, undecies centena & nonaginta duo millia hominum præliis à ſe occiſa, atque ita, ut non veniat in hanc rationem ſtrages civilium bellorum. TUA IMPERATOR, quâ major eſſe non poteſt, Gloria & Claritudo erit, totidem myriades, aut plures non mactaſſe, ſed ſervaſſe. Macte animo iſto TUO, IMPERATOR. Habent affine quid Lux & Majeſtas, Pax & Serenitas. Ideò TU ut Auguſtus, ut Sol terrarum, radios MAJESTATIS TUÆ ſanctiſſimæ rei commodaſti, ut bellorum nebulas diſſipares, Venenum omne conſumeres, Orbem Chriſtianum ſerenares. TUIS auſpiciis novum Calendarium JULIANO longè melius ac emendatius Orbi Chriſtiano exhibetur, quod PACIS ÆRA inſignitur. Tibi novos debebimus faſtos, novas Ephemerides, non cladibus datis aut acceptis, ſed ſola tranquillitate illuſtres; in quibus exeuntem hunc annum Bellorum malorumque Germaniæ ultimum, quadrageſimum verò & nonum nobis imminentem feliciſſimorum, quæ Orbi poſthac Chriſtiano erunt, ſeculorum primum legemus.

(41) *Megæra &c.]* Megæra, Poëtis una Furiarum eſt, atque Noctis & Acherontis filia fingitur, ita dicta ἀπὸ μεγαίρειν, quod odiſſe ſeu invidere ſignificat; Tyſiphone altera: de quibus Stephanus *in Lexico-Hiſtorico voce, Furiæ &c.*

(42) *Acutâ romphæâ &c.]* Ita Maximilianus II. Anno MDLXXIV. Viennâ XXII. Februarii ad Lazarum à Schwendi ſuâ manu, teſte Goldaſto *Conſtit. Imp. pag. 383. 384. ut & parte 2.* der Reichsſatzungen *pag. 384.* ſcripſit: Ac revera ſic eſt, ut tute prudenter ſcribis, Pietatis res gladio non volunt dijudicari, neque tractari. Neque aliter ſentiet quisquam, in quo aliquid eſt pietatis & honeſtatis, ullum vel pacis & tranquillitatis ſtudium reliquum. Ad hæc, longè aliud nos docuerunt Chriſtus & Apoſtoli ejus. Nam ipſorum Gladius erat lingua, doctrina, verbum DEI, & vita Chriſto digna. Ipſorumque mores invitare nos debent atque allicere, ut eos ſequamur, quemadmodum & quousque ipſi Chriſtum ſequuti ſunt. Taceo, quòd inſanum illud genus hominum *(Galli ſcilicet, nam de Lanienâ Pariſienſi Imperator Optimus verba facit)* oportebat in tot annis jam vidiſſe atque expertum eſſe, ipſis rerum argumentis & eventu ipſo, ſuppliciorum crudelitate, ſectionibus, (inquam) & uſtionibus, non poſſe hanc rem confici. Hæc Glorioſiſſimus Imperator Maximilianus II. qui quanto pacis ſtudio flagrarit, quàmque pacifico fuerit ingenio, & æquitatis, tranquillitatisve percupido, in negotio præſertim Religionis & conſcientiarum, diſci poteſt ex Oratione funebri D. Maximiliano II. Imper. à Johanne Cratone à Craftheim, Conſiliario & Medico Cæſareo &c. ſcripta, & quoad hoc à Goldaſto *dict. loc. p. 400.* adducta, ubi inter alia, Videntur quidem hæc, *inquit Crato*, ad licentiam quaſi nimiam, feneſtram ſubjectis patefacere: ſed ſi verâ rem repetemus viâ, eò tendebant, ut pace illâ vel tolerantiâ potiùs in Germania conſtituta, in quâ animorum pax conſiſtit, cujus Authorem ſapientiſſimum Principem, D. Ferdinandum Imper. S. M. parentem ſuum habebat, nihil antiquiùs ſibi, nihil præſtabilius Chriſtianæ Reipubl. duceret, præſertim cùm exitiales motus ſedare non poſſet, & animos ita exulceratos, & diſtractos animadverteret, ut nulla conſenſionis ſpes, nullus remedii locus videretur &c. Certè purpureus perſecutionum imber monſtroſos ut plurimum fœtus producit. Plerunque non aliud ægriùs quàm ſanguinis macula eluitur. Unde errare mihi graviſſimè videntur, qui ubi homines aliquos ſuæ ditioni ſubegerunt, illicò in aſſenſum, in mentem impetum faciunt: quaſi tam facilè animi quàm corpora ſubjugentur, & quaſi non vinciantur illi meliùs cautelis quàm catenis. Merentur hîc legi verba Zevecotii *in Obſervat. ad Florum ad lib. 1. cap. 2. pag. 187.* Notavi ego, vix ulli unquam benè ceſſiſſe uſurpatum in conſcientias imperium; quo peccatum nullum gravius eſſe, eosque, qui id moliuntur, cum Gygantibus cœli arcem invadere velle. Olomucenſi Ariſtiti reſpondit Maximilianus II. Precibus potiùs & inculpatæ vitæ exemplis in partes noſtras diverſum ſentientes trahendi ſunt, quàm ſuppliciis aut armis. In Diſcipulorum Capitibus apparuerunt linguæ igneæ, non patibula, aut flagra, aut reſtes: ut doceret Spiritus Sanctus, non vi, ſed inſtructione & puriore doctrinâ ad fidem ducendos eſſe infideles: unde Auguſtinus (*Epiſt. 65.*) Docendo magis quàm jubendo, monendo quàm minando opus eſſe dicit. Et apud Thuanum (*lib. 16. Hiſtor.*) Summus Pariſienſis Senatus Henrico II. Regi Anno MDLV. ſic ſcribit: Quandoquidem miſerorum, qui quotidiè ob religionem plectuntur, ſuppliciis id tantùm hactenus effectum eſt, ut crimen potiùs deteſtabile eſſet, quàm errores ipſi corrigerentur; æquum videri, ut potiùs veteris Eccleſiæ veſtigiis inſiſtatur, quæ non ferro & flammis in religione conſtituenda ac propaganda ſed, puriore doctrina, & honeſtis vitæ antiſtitum exemplis rem confecit &c. Uti unam tantùm veram religionem eſſe ſcio, ſic tantùm illam optandam eſſe credo, ſed optandam non extorquendam. Fruſtrà quis vi obtinere conatur, quod à mera DEI liberalitate profectum, donum eſt non omnibus conceſſũ.

Regis

Regis Gothi apud Caſſiodorum (*lib. 10. var. Epiſt. 26.*) nobile effatum eſt; Cùm Divinitas diverſas eſſe Religiones patiatur, nos unam non audemus imponere. Sunt ſæpe in corpore humano fiſtulæ, quas quamvis injucundas & graves, tantùm abeſt ut tolli velit Medicus, ut etiam quotidianâ curâ alat & foveat, ne vita ipſa vocetur in diſcrimen. Nec ullam unquam tam fatuam civitatem fuiſſe arbitror, quæ cætera omnia horologia fregerit, quæ cum præcipuo eodem non ſonabant momento. Politico Magiſtratui curandum eſt, ut de Republica benè ſentiant, præſentique Statu contenti ſint, qui in ea vivunt. Si qui ſunt, qui aliud agunt, & quietem publicam turbant, aut turbare conantur, non ut minùs ſincerè de religione ſentientes, ſed ut ſeditioſi plectendi ſunt, aut expellendi. Hucusque laudatus Zevecotius: vide infrà Notata *ad cap. 6. num. 84. Not. 63.*

Num. 27.

(43) *Hos puer &c.*] Scribitur aliàs effatum hoc

Me puer Hebræus jubet hinc, rex ille DEORUM,
Tartareas remeare domos hâc æde relictâ,
Poſt ergo ora tenens altaria noſtra relinquas.

Sive ut alii vertunt:

Me puer Hebræus, divos DEOS ipſe gubernans,
Cedere ſede jubet, triſtemq; ſubire ſub Orcum,
Aris ergo dehinc tacitus diſcedito noſtris.

redditum] fuiſſe Cæſari Auguſto, reſponſi loco à Delphico Oraculo circa Nativitatem Domini noſtri JESU CHRISTI, (*ex Suida, & Nicephoro, Camerarius Horarum ſubciſiv. centur. 1. cap. 59. Scriptorésve plerìq;.*) Verùm quid ea de re Cauſabonus ſentiat *Exercit. 1. contra Baronium n. 12.* Georg. Mœbius *in Tr. de Oraculis cap. 6.* docet.

Num. 30.

(44) *Septendecim &c.*] Numerant ejus belli ſcriptores & rerum gnari ad ſeptem millia Sociorum, quorum omnium expreſſo nomine diffidatio circa Annum MCCCCXLIX. ad Senatum & Communitatem Norimbergenſem emanavit. Ex Principibus, præter Albertum Marchionem, Ducem & Authorem belli, numerati XXVI. vel, ut ipſe jactitabat Albertus in congreſſibus & in literis quibusdam ad Helvetios, XXXVI. nominetenus noti fuerunt: Fridericus Elector unà cum Johanne & Friderico Juniore, Marchiones Brandeburgici; Dietericus Archiepiſcopus & Elector Moguntinus; Antonius Bambergenſis, & Johannes Eychſtetenſis Epiſcopi; Wilhelmus Dux Saxoniæ; Albertus Dux Auſtriæ, Styriæ, atque Carinthiæ; Otto & Stephanus Comites Palatini Rheni & Duces Bavariæ; Fridericus Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ, Comes Spanhemii; Ludovicus Haſſiæ Landgravius; Jacobus, Bernhardus, atque Carolus, Marchiones Badenſes; Henricus, Fridericus, Wilhelmus, Duces Brunovicenſes & Lunæburgenſes; Henricus Dux Megapolitanus; Ericus, Wertislovius, Bernimus, Duces Pomeraniæ; Fridericus, & Johannes Duces Lotharingiæ; Johannes Dux Limburgiæ, Comes Iſenbergi; Ulricus Comes Ciliæ, Ortenburgi &c. Ex quibus ſoli Johannes, Alberti Frater, Marchio Brandeburgenſis, Wilhelmus Saxoniæ Dux, Ludovicus Haſſiæ Landgravius, & Antonius Epiſcopus Bambergenſis duobus millibus equitum, & ſex millibus peditum ſubſidio fuerunt. Præter hos ex Comitibus ſeſe adjunxerunt XLI. videlicet Uldaricus Würtenbergiæ Comes; Philippus Cattimælibocco rum; Henricus Schwartzenburgi, Arnſtadii, & Sondershuſum Comes; Henricus & Fridericus Comites Hennebergæ; Leonhardus Comes Caſtellanus; Ludovicus Comes Leichtenbergenſis, & Halſenſis; Albrechtus Kirchbergæ Comes; Henricus Burggravius Miſniæ, Dominus Plaviæ; Johannes Zigenhani Comes; Otto, & Volrath Comites Waldeccenſes; Dietericus de Sano; Georgius Witgenſteini Comes; Ludovicus Iſenburgi Comes; Sigismundus & Adolphus Comites Gleichenſes; Emnithus & Bernhardus Comites à Leiningen; Johannes Comes Naſſovienſis; Sigismundus Hohenbergæ Comes; Henricus Comes Fürſtenbergæ; Conradus Comes à Tübingen; Wilhelmus Comes Lützelſteini, Dominus Geroltzeckiæ; Reinhardus Comes Hanovienſis; Johannes Solmenſis; Albertus & Rudolphus Comites Sulzenſes; Johannes Eberſteini Comes; Ulricus, Conradus, Ludovicus, Fridericus Comites Helffeſteini; Wilhelmus Weidenbergæ & Saruneti Comes; Ulricus & Wilhelmus Ottingenſes Comites; Fridericus Comes Bipontinus; Martinus, & Sigismundus Frangipanii, Comites in Seng, Nagel & Matrucii; Ladislaus Comes St. Georgii & Poſonii; Nicolaus Comes Phalagiæ. His ſeſe adjunxere Barones XLV. Urbes VIII. Bamberga, Coburgum, Forchemium, Altdorffium, Cronacum, Pegneſium, & Lichtenfels. Contrà à partibus Norimbergenſis Reipublicæ ſtabant Ludovicus Comes Palatinus Rheni; Albertus Dux Bavariæ Monachienſis; & Epiſcopus Herbipolenſis. Quorum priores duo aliquantò pòſt ſeſe & auxilia ſua ſubduxerunt; tertius verò præter ſubmiſſa auxilia, quæ ipſa tamen non ſemper aderant, ſi quando id neceſſitas poſtulabat, parùm præſtitiſſe memoratur. Demum ſociorum fœderis Suevici lenta ſubſidia acceſſerunt; ultimo Hincko & Cruſina, Domini Schwanbergæ & Rotzks, à Reyſenburg literas diffidatorias Anno MCCCCL. miſerunt. His, Norimbergenſibus contra tot Principes & viros Illuſtres pugnandum erat, nî poſtulatis iniquiſſimis & hinc inde conglutinatis aſſentire vellent.

(45) *Æneas Sylvius &c.*] In Commentario de Europæ Statu ſub Friderico III. Imp. *cap. 31.* ubi multis laudibus ornat Albertum hunc, Tangermundæ Anno MCCCCXIV. Nov. XXIV. hor. VII. matutinâ, juxta veriorem ſententiam natum, in Comitiis Frãcofurtẽſibus A. MCCCCLXXXVI. denatum, & Heilsbrunæ (ubi adhuc paucos ante annos ejus Calvaria, nullas habens ſuturas, earumque ne veſtigia quidem apparentia, à furiis militaribus in ultimo abhinc bello impiè effoſſa monſtrabantur) ſepultum. In quo loco ſimul Æneas ille Picolomineus teſtatum facit, eum hoc in bello omnes fermè Teutoniæ Principes ad ſe traxiſſe; Civitates verò Norimbergenſibus ſuppetias tuliſſe &c. Sed ut Achillis hujus Germanici laudibus nihil detractum, ſed potiùs memoriam ejus vigere in Gloria exoptem, velim; Illud tamen falſum eſt, quòd certatum fuerit præliis novem &c. quamvis & Mutius *lib. 28. Rer. Germ. in fin.* Bucholtz *in Indice Chronologico ſub Anno 1449.* Stumpfius *lib. 2. cap. 36.* M.

Theodorus Graman. *in Genealogia March. Brandenburg. pag. 12.* (qui in eo errat, quòd bellum hoc in Annum XLVIII. conjicit, cùm veriſſimum ſit, Anno MDCXL cœptum, Anno L. Pacem Bambergæ die Lunæ ante feſtum S. Johannis concluſam fuiſſe) Johann. Cernitius *in Decem Electoribus è familia Burg. Norimberg. pag. 38.* & alii eum ſequantur. Conſtat enim, bellum hoc prædis hinc inde abactis, & pagis, & arcibus in cinerem redactis rarò aperto Marte & tot juſtis prælìis confectum fuiſſe. Teſtanturque fida monumenta, non niſi bis inſtructa acie depugnatum fuiſſe. Et quidem primâ vice prope piſcinas Königsbruggenſes & Ritterbühlenſes non longè à monaſterio dicto Wildenreutt ſitas, quò Marchio piſcatum cum ſuis venerat & Norimbergenſes ad hoc eò invitaverat, Anno MCCCCL. die Jovis ante medietatem Feriarum eſurialium, decertatum fuit dubio primùm marte, ſed tandem victores evaſerunt Norimbergenſes Hoſtibus in fugam conjectis, vexillo majori cum duobus minoribus in poteſtatem ſuam redactis, & plusquam octoginta ut plurimum nobilibus captis. Ferunt hoc in prælio Albertum ipſum Marchionem à Conrado à Kauffingen, notiſſimo illo plagiario, qui Anno MCCCCLV. XIV. Julii horâ quartâ poſt Meridiem ob Principes Saxoniæ Juniores, Erneſtum atque Albertum, captivum abductos Friburgi capite plexus eſt, (*vide Petrum Albinum* in der Meiſniſchen Land-Chronica/ *tit. 21. pag. 265. ubi totam hiſtoriam exactiſſimè enarrat.* dum temporis jaculatorum Norimbergenſium centurione, captum ſed fide datâ ſub verbis Principis, quod ſe, quocunque locorum à Kauffingo citatus fuerit, ſiſtere velit, dimiſſum, nec ea de re unquam Senatum Norimbergenſem certiorem redditum, ſed hoc demum incarceratum confeſſum fuiſſe. Iterum verò poſt aliquot menſium decurſum prope Leutershauſum Marchio Civitatenſes magno animo invadit, & receptâ victoriâ, penè damna priora compenſavit. Cæteri præter hos duos congreſſus vix velitationum nomen, multò minùs prælii merentur. Ubi obiter notandum ea, quæ Æneas Sylvius à Cernitio & aliis citatus, de Alberto magnificè hoc in bello geſta enuntiat, ex ipſius Alberti ore vel maximè excepta, quod ipſe his verbis innuit: *Hæc nobis & ALBERTUS ipſe, cùm ſimul è nova Civitate Auſtriæ Viennam pergeremus, & alii quàm plures viri graves retulerunt, &c.*

Num. 30.

(46) *Egeſtas &c.]* Probari facilè poſſet, ab initio ſtatim apparuiſſe, Marchionem hac fini ad arma proſiliiſſe, ut Norimbergenſes cogeret, vel jura, quæ antea poſſederant, ab eo emendi; vel pecuniam mutuò dandi; vel vexam non niſi magno ære, ut poſtmodum eventus probavit, redimendi.

(47) *Tyranno cuidam &c.]* De Cyro id refert & Tamyre Meſſagetarum Reginâ Juſtinus *1. Hiſtor. cap. 8. n. 13.* Herodotus *lib. 1. cap. 214.* Diodorus autem Siculus *lib. 2. Biblioth. Hiſt. cap. 44.* Cyrum in acie captum & cruci affixum tradit.

Num. 31.

(48) *Victorq́; evaderet Fridericus &c.]* Paulò clariùs hæc refert Bucholcerus *in Indice Chronologico pag. 415.* ſcribens. Fridericus Comes Palatinus Rheni commiſſo prælio non procul ab Heidelberga inter Rhenum & Neccarum, tres Principes cœpit 1. Julii (*alii pridie*) Carolum Marchionem Badenſem, Georgium ejus fratrem, Epiſcopum Mediomatricum, & Huldericum Comitem Wirtebergenſem, defenſores Adolphi Naſſovienſis, qui à Romano Pontifice deſignatus erat Archiepiſcopus Moguntiæ, contra Dietherum Comitem Iſenburgenſem, quibus in arcem deductis, & convivio Principibus digno exceptis, prohibuit apponi panem, eumque poſtulantibus juſſit renuntiari: voluiſſe ſe illos commonefacere: bella ſic geri debere: ut petatur hoſtis, non innocens turba agricolarum fame necetur, quorum ſegetes ipſi contra jura belli crudeliter vaſtaſſent, & frumentum jam importatum ſuccenſis pagis corripuiſſent. Eosdem tamen poſtea grandi redemptos pecuniâ dimiſit. Cæterùm de controverſia ipſa inter Dietherum, ſive ut alii vocant Dieterichum Iſenburgenſem, & Adolphum Naſſovienſem copioſè Mutius *lib. 29. p. 298.* Nauclerus *generat. 49. p. 1091. ſeqq.* aliíve à Serrario *Rer. Mogunt. l. 5. p. 857.* allegati Hiſtorici tractant.

(49) *Deſæviretur in eos &c.]* Sunt tamen alii, qui in Hoſtis agro tempore belli id omninò licitum arbitrantur. Munitiones enim hoſtium, portus, urbes, viros, naves, FRUCTUS, & hæc genus alia occupare aut perdere, ut eo pacto res inimicorum atterantur, propriæ adaugeantur, & ad exitum conſilia faciliùs perducantur, ad hæc (*inquit Polybius Hiſt. lib. 5. cap. 11.*) omnia, leges & Jura belli nos cogunt. Rectè tamen Hugo Grotius *de J. B. & P. lib. 3. cap. 12.* abſtinendum à populatione putat, ſi nos ipſi rem frugiferam ita teneamus, ut hoſtibus non poſſit eſſe in fructu. 2. Etiam in dubiâ agri poſſeſſione; ſi magna ſpes ſit celeris victoriæ, cujus præmium & ager & fructus futuri ſint. 3. Si hoſtis habere poſſit aliunde, quo ſe ſuſtentet; puta ſi mare, ſi fines alii pateant, &c. Junge Zevecotium *ad Florum, lib. 3. c. 1. pag. 335. ſeq.*

Num. 34.

(50) *Directo volatu &c.]* Aquilæ volatum habent altiſſimum, & velociſſimum. Tam enim ſublimes ſurſum rectâ viâ, & deorſum tantâ velocitate ac impetu, jaculi inſtar, & rectâ itidem viâ feruntur, ut cæteras omnes aves ſuperent. Scaliger. *Exerc. 228.* ſcribit, in Alpibus Veſantiorum ante oculos venatorum præveniſſe unam canes ſuos, & leporem ſuſtuliſſe, quem inter vepreta diu multumque ſpeculata multis gyris exſpectaverat, dum exiret. Cauſam tam pernicis & alti volatus adſcribit Aldrovandus alis nervoſis, pennis maximè denſis, & corpori admodùm exiguo, ſi alis & pennis comparetur. Volant tamen à meridie tantùm ad veſperam, antemeridiano tempore quieſcunt. Schottus *in Phyſica Curioſa lib. 8. c. 1. §. 3.*

Num. 35.

(51) *A ſubditis Aquila &c.]* Pyrrhus Epirotarum Rex ex pugna reverſus domum inclutus geſtivit gloriâ & animi elatione. Ac quum ab Epirotis Aquila nominaretur Per vos; (*inquit*) Aquila ſum. Quidni enim ſim, veſtris armis velut alis evectus, ſcribit Plutarchus *in vita Pyrrhi Tom. 1. Oper. pag. 388.* Vidimus ejus nummum, addit Pierius Vale. *Hieroglyph. lib. 19. pag. 190.* in quo Aquilam cum fulmine ſub pedibus

dibus jacente, & ramis duobus quernis in Coronam flexis, cum Inſcriptione Dorica ΑΓΠΕΙΚΩΑΝ, ab altera parte caput eſt, quod alii Jovis, alii Pyrrhi ipſius eſſe dicunt: nam inſcriptio Epirotarum videtur ad Regem ſpectare. Querna verò Corona, quæ apud Romanos hieroglyphicum ejus eſt, qui Civem ſervarit, in hoc numo glandes Chaonias, & oracula Jovis Dodonæi ſignificare poteſt.

(52) *Hannibal militaris rei peritiſſimus &c.]* Livius verba Hannibalis ſic effert *lib. 35. cap. 14.* Claudius ſecutus Græcos Acilianos libros, P. Africanum in ea fuiſſe legatione (*ſcilicet ad Regem Antiochum*) tradit: eumque Epheſi collocutum cũ Hannibale & ſermonem unum refert, quo quærenti Africano, quem fuiſſe maximum Imperatorem Hannibal crederet, reſpondiſſe, Alexandrùm Macedonum Regem: quòd parva manu innumerabiles exercitus fudiſſet: quodque ultimas oras, quas viſere ſupra ſpem humanam eſſet, peragraſſet; Quærenti deinde, quem ſecundum poneret. Pyrrhum dixiſſe, caſtra metari primum docuiſſe: ad hoc neminem elegantiùs loca cepiſſe, præſidia diſpoſuiſſe; artem etiam conciliandi ſibi homines eam habuiſſe; ut Italicæ gentes regis externi, quàm populi Romani tamdiu principis in ea terra, imperium eſſe mallent. Exſequenti, quem tertium duceret, haud dubiè ſemetipſum: tum riſum ſubortum Scipioni, & ſubjeciſſe: Quidnam tu diceres, ſi me viciſſes? tum me verò, inquit, & ante Alexandrum, & ante Pyrrhum, & ante omnes alios Imperatores eſſe. Similiter ſcientiam rei militaris Pyrrhi celebrat, paulò tamen aliter ordinem horum Imperatorum enarrat Plutarchus *in vita Pyrrhi Tom. 1. Operum pag 387.* & quidem hoc modo: Hâc pugnâ (*cum Pantaucho commiſſa,*) non ita ob cladem ipſorum incendit & offendit Pyrrhus Macedonas, ut opinionem & admirationem de ſe virtutis & ſermonem præbuit iis, qui facta ſua conſpexerant & in pugna fuerant ſecum congreſſi. Nam vultum exiſtimabant & agilitatem motumque referre eum Alexandri, illius etiam impetus & fervoris inter pugnandum cernere ſe umbras in hoc & imagines, quum alii reges purpurâ, ſatellitibus, flexu colli, & elatiore ſermone, Pyrrhus factis militaribus & ſtrenuitate unus Alexandrum redderet. De illius ſcientia & arte inſtituendæ aciei atque rei militaris documentum accipias ex commentariis, quos de his reliquit. Dicitur inſuper interrogatus Antigonus, qui optimus Dux foret, reſpondiſſe, Pyrrhus, ſi ad ſenectutem perveniſſet. Atque ille de ſui temporis æqualibus modò pronunciavit. Hannibal cunctorum Imperatorum cenſuit peritiâ & arte primum Pyrrhum, Scipionem ſecundum, tertium ſe. Denique & Juſtinus *lib. 25. cap. ult. 5.* Satis conſtans, inter omnes auctores fama eſt, *inquit*, nullum nec ejus, nec ſuperioris ætatis Regem comparandum Pyrrho fuiſſe; raroque non inter Reges tantùm, verùm etiam inter illuſtres viros, aut vitæ ſanctioris, aut juſtitiæ probatioris viſum fuiſſe: Scientiam certè rei militaris in illo viro tantam fuiſſe, ut cum Lyſimacho, Demetrio, Antigono, tantis Regibus bella gerens, invictus ſemper fuerit. Illyriorum quoque, Siculorum, Romanorumque, & Carthaginenſium bellis, nunquam inferior, plerumque etiam victor extiterit, &c.

(53) *Inediâ ſibi mortem conſcivit &c.]* De Canibus gemina huic exempla annotavit Camerarius *hor. ſubſciſiv. cent. 3. c. 94.*

Num. 37.

(54) *Chili &c.]* Cornelio Wytfliet *in deſcript. Ptolomaicæ augmento ſive Notit. Occidentis* authore, Chili Peruanarum provinciarum remotiſſima, in Auſtrum excurrens Chicâ & Patagonum terris clauditur; à Septentrione (harchantes & Collaones habitant, ab Oriente Platam reſpicit, reliquum Oceano & pacifici maris undis pulſatur, abluitur. Propter intenſum illis in partibus frigus, à frigore nomen habet, quod ibidem tam acerbum eſſe refert, ut homines & jumenta gelu rigeant ſæpe & enecentur; eſſe tamen maritima loca temperatiora; In provinciæ hujus montanis peculiarem ventum dominari, non aliquâ vehementiâ ſed nimiâ ſuâ ſubtilitate noxium, &c. Ceterùm terrâ gaudere naturâ ſuâ fertili omniumq; ad vitam neceſſariorum abundantiſſimâ, melle, pecore, verzino ſive tinctorio ligno divite, non ſine aliis maximè auri obrizii ingentibus proventibus. Quæ omnia à citato Authore fuſiùs enodantur. De Aquilis Chilienſibus vid Silveſtrum zum Aruthal *in Iconiſmo Aquilæ Rom. Collat. 8. circa finem.*

(55) *Quod plurima ante ſecula fuit antiquum &c.]* Verior tamen mihi Berneggeri *in quæſt. ad Tac. in Germ. & Agric. diſt. 188.* videtur ſententia, cum pleriſque Coſmographis ſtatuentis Americam nec à Romanis, nec ab aliis ex antiquioribus intratam, quamvis negari non poſſit, ratione potiùs & cogitatione, quàm ſenſu, αὐτοψίᾳ, aut famâ cognitam illam habuiſſe, hoc eſt, ſciviſſe in Orbem habitari terram, & proinde noſtræ adverſam aliam eſſe. Vide infrà hoc libro *cap. 6. n. 60.* & ibi notata.

Num. 38.

(56) *Multis ex poſteris ſuis Aquilam &c.]* Quicquid ſit, abundant hodiè Belgarum Principes, & Provinciæ, imò privati Nobiles præcipuè Leonum diverſi coloris inſigniis, nec uſpiam in Clypeis tot Leones atque Aquilæ, quàm noſtro tempore in Germania ac Belgio reperiuntur, dicente Ponto Heutero *de vet. & ſui ſæculi Belgio lib. 2. c. 24* quo in loco falsè eorum morem ridet, qui omnibus in- & extra ædes locis: & cloacis ferè & latrinis adpictis ſignis, ſpectantium nauſeam, ut ille loquitur, onerant. Vide Hoepping *de Jure Inſign. cap. 6. part. 7. §. 6. num. 1259. ſeqq. multis.*

Num. 39.

(57) *Comitum Palatinorum &c.]* Quod de Comitibus Palatinis dicitur, id non de iis, qui Imperii Principes ſunt, & quibus poteſtas conferendi inſignia nullatenus abneganda eſt, ſed de iis, qui Comitatu carent, titulo Comitum Palatinorum ſive Sacri Palatii Lateranenſis, Germanicè Reichs-Hoff Graffen/ Kayſerliche Pfaltz und Hoff-Graffen (de quibus integer tractatus Georgii Mundii, & Diſp. Inauguralis Thomæ Sagittarii extat,) intelligendum venit. Quibus utut quandoque concedatur facultas honeſtis & dignis perſonis concedendi Jus armorum ſive inſignia *vid. Hœpping. cap. 8. §. 1. memb. 4. n. 72. ſeqq.* ſecundùm formam privilegii ad hoc dati; illa tamen hos plurimùm habet limites, quos Author noſter in

Diplomate ſuo poſitos refert; prout Hœpping *c. 8. §. 1. memb. 4. n. 80. & n. 108.* teſtatur, & ad Diplomata Typis exſcripta Lectorem remittit. Junge Sagittarium *de Jure & Priv. Comit. Palat. Cæſar. 6. 33. lit. e.*

(58) *Singulis annis quatuor &c.*] Animadvertit Mundius *de Comit. Palat. cap. 3. n. 294. ſeq.* Quorundam Comitum poteſtatem inſignia conferendi certo tempore & numero eſſe definitam, ut ſcilicet quolibet anno non ampliùs duobus, (quod à Maximiliano II. Samſoni Hertzogen Conſiliario Naſſovico) vel etiam tribus (prout ab eodem Imperatore Michaeli Vollando Conſiliario Cæſareo & Cameræ Procuratori Fiſcali generali factum) & quidem honeſtis perſonis concedere poſſit arma & inſignia: quorundam indefinitam, ut ſcilicet tot, quot velint, inſignibus ornare poſſint, (ceu Gödelmanno, Draconi, ipſi ſibi Mundio) gratioſiſſimè indultum memorat. Proindeque in exercitio hujus Juris ſtrictiſſimè Privilegii verbis inhærendum.

(59) *Idonea & convenientia &c.*] Id ipſum à Regibus atque Imperatoribus vel maximè, in diſtribuendis ob egregia facinora armorum inſigniis obſervatum fuiſſe, multis exemplis declarari poſſet. Unicum ſufficiat attuliſſe ex Hageccio *Chronicor. Bohem. pag. 243.* & Dubravio *Hiſtor. Bohem. lib. 12.* ubi enarrant Uladislaum diverſos Bohemorum, ob Abduam flumen ab Odoleno Chyſſio cognomine & Bernhardo Lubnenſi trajectum, exque ipſa urbe Mediolanenſi receptam & in caſtra allatam prædam, diverſis ſignis cujuslibet facinus exprimentibus, hoc modo cohoneſtaſſe. Et quidem primò Odoleno Chyſſio imperaſſe, ut inpoſterum gereret in campo argenteo cæruleum palum à ſummo ad imum ſcuti decurrentem; in memoriam trajecti fluvii, quod palus cæruleus denotat; Secundò Bernhardo Lubnenſi, eoque quòd unà cum Odoleno tranare tentaſſet, carpionem aureum in cæruleo ſive azurio campo; Tertiò Chauſtricio, eò quòd ſcalis muros tentaſſet, primusq; in murum conſcenderit, in campo itidẽ azureo ſcalas aureas; quartò Danieli Stratziſchtio quòd vidente Cæſare Mediolanenſem à ſummo ad imum medium diſſecuiſſet, brachium loricatum unà cum chirotheca ænea, in qua Gladium evaginatum teneret, in rubeo campo; Quintò Georgio Troſchitzkio, quòd & ipſe vidente Cæſare gladio ſuo Italorum non paucos internecioni dediſſet, in campo aureo brachium & manum candidam itidem evaginatum gladium tenentem; Sextò Beneſio Lubnenſi, quòd perforandis foribus marmoreæ turris ſecurique diſſecandis operam ſuſcepiſſet & illam peregiſſet, ſecurem Romanam argenteam in campo rubeo; Ceſchekio verò Kotautſchi filio dimidiatum equum aureum, cum capiſtro rubeo ſuper Galeam, eò quòd cancellatæ portarum fores ad impetum hoſtilem deciduæ medium ipſius equum diſſecuerint. Alia Exempla Lindenſpûr *de Imp. & famil. orig. mutat. 81. p. 141. ſeq. n. 19.* congeſſit.

(60) *Feudorum capaces reddere &c.*] Si quando enim in Diplomate cõceſſionis clauſula legitimandi ad feudum extet, atque Comes Palatinus in inſtrumento legitimationis eam exprimat, tunc hujusmodi legitimatos in feudis ſuccedere communior ICTorum opinio tenet, prout videre eſt apud Roſenthal *Synop. Feud. c. 7. Concl. 19. Gl. l.* Ubi tamen notandum, Cephalum *Conſil. 23. n. 63.* velle; Privilegium Palatini legitimandi etiam ad feudum, non includere feudum à Domino conceſſum, à quo ipſe privilegium recepit. Non enim Principem cenſeri Palatino dediſſe poteſtatem revocandi vel alterandi beneficia ipſius concedentis. Quia ſpecialis gratia non debet minui vel alterari per factum ſui miniſtri, generalem poteſtatem habentis. *Ubi vide.*

Num. 40.

(61) *Galeam apertã &c.*] Diſpeſcitur genus Galearum communiter, in apertas & clauſas, offne/ oder zugethane und verſchloſſene Helm. Apertas vocant illas, quæ habent aſpectum per quædam intervalla patentia, laminis extrorſum & arcuatim projectis, unde clathratorum inſignium eſt appellatio, apud Herm. Kirchner *de Republ. pag. 147.* Clauſa Galea, apud Silium Ital. *lib. 14.* illa eſt, quæ

--- *atratro munimine clauſerat ora,*

vergitque in hanc, aut in illam partem, non ſanè per ulla talia intervalla, qualia ſunt in ſuperioribus Galeis, ſed per minuta & crebra quædam foramina, quà militi datur aſpectus: Noſtri mores Galeam duplicem faciunt, Stech- und Thurnier-Helm. Illam plebejorum, hanc, ut aliis quem præſtare etiam hinc appareat, utriusque tam ſagatæ quàm togatæ militiæ Nobilium; Illam clauſam, hanc apertam eſſe, aſſeruit, de quibus Hœpping. *de Jure Inſig. cap. 9. §. 4. memb. 3. per totum*, ubi notabiliora adducit.

(62) *Aquilæ nigræ &c.*] Rectiùs Mennenius *in Equeſtr. Ordin. Symb. & Orig. ſub Ordine Equitum Sacro Sancti Sanguinis Redemptoris Jeſu Chriſti apud Mantuanos pag. 193.* ſcriptum reliquit, Sigismundum Caroli IV. F. (*ſic enim legendum*) Imp. cùm Johannem Franciſcum primum Mantuæ Marchionem in D. Petri foro, ſuo ipſe ore X. Kal. Octobris Anno MCCCCXXXIII. pronuntiaſſet, ejus inſignia quatuor aquilinis pullis nigris, candido in clypeo, ad crucem rubram, hinc inde ſparſis exornaſſe. Quod ipſum & pictura inſignium notat, & Hœpping. *de Jure Inſign. cap. 6. part. 3. num. 596.* Hodie præter antiquiores Germanicas familias, & Comites, Teſta-Piccolomineum, Colloredum, Rueberum, Montecuccoleum, Iſolanum, Bucellinum à Reichenberg, Marchionem Visconte, Cis-Laghium, Comitem Labroni, Capram, Parrium, alióſve plurimos in inſigniis ſuis, præcipuè Ferdinandi III. Imperatoris clementiſſimi indulgentiâ, monſtrare, notius eſt, quàm ut ullâ demonſtratione egeat.

Num. 41.

(63) *Anno MCLXII. &c.*] Aut ſphalma typographicum hoc loco irrepſit, aut magnum hoc loco errat errorem Author noſter, quum ex Alberto Cranzio *lib. 6. Saxoniæ capite 43.* Fabritio *rer. memorab. Saxoniæ lib. 2.* Spangenberg. in der Schaumburg. Chronick *lib. cap. 20.* Peterſen in der Hollſteiniſchen Chronick/ & qui hos ſequitur Conrad von Hovaln von Herrlichkeit und Alterthum der Stadt Lübeck *pag. 21.* factum hoc fuiſſe non Anno MCLXII. ſed captâ Urbe Lubecâ demum Anno MCLXXXII. ad oculum pateat. Et ſic ſub Friderico I. Imperio primùm acceſſit. Poſt obitum autem ejus reddita eſt Henrico Leoni Saxoni (Anno MCXC.) eo defuncto ceſſit Regi Daniæ, victa à Voldemaro Canuti Regis fratre Duce Slesvicenſi (Anno MCC.) Sed quum eam Dani durius premerent, dederunt ſe Lubecenſes in poteſtatem Friderici II. & ab illo impetrarunt priſtinam, illam ſuam Imperii libertatem,

(Anno

(Anno MCCXXVI.) Bertius *rer. Germ. l. 3.* Limnæus *de J.P.l. 1. cap.30.*

(64) *Junctis haſtis militaribus &c.]* Ita communiter ferè ab omnibus Inſignia Urbis Lubecenſis deſcribuntur, quorum Hieroglyphicum variis conjecturis explicari apud Sibrandum *in Urb. Lubecæ & Anſeatic. nec non Imp. Civit. Jur. publ. part. 2. ſect. 8.* Hœpping. *de Jure Inſig. cap. 6. part. 7. num. 1054.* & Limnæus *citato loco*, poſtque alios Knipſchildius *de Jurib. & Priv. Civit. Imp. lib. 3. cap. 32. num. 10.* tradunt. Author tamen relationis de ſtatu Lubecenſi apud eundem, *num. 30.* hæc Inſignia ita depingit: Der Stadt Lübeck Wapē iſt ein doppelter oder zweyköpffigter Adler/ mit zwey in Roth und Weiß an der Bruſt getheilten Feldern/ und einer Güldenen Crone/ mit zwey Fähnlein auff dem Kopffe: ſo ihro von dem Kaiſer Friderico I. ſpecialiter conferirt und ertheilt worden.

(65) *In ſignum Imperialis & liberæ Urbis. &c.]* Negari enim non poteſt Aquilam Imperialem libertatis & ſuperioritatis, à quâ talis libertas fluxit, indicium, maximè concurrentibus aliis adminiculis, eſſe. Ideo ſi longiſſimo tempore in portis aut ædificiis publicis Inſignia Imperatoris & Imperii, nemine ea evertente ſuſpenſa fuerint, Urbem Imperialem eſſe, Hœpping *loco jam jam citato* §. *2. per totum, & inprimis num. 976.* Knipſchild. *lib. 1. cap. 12.* §. *14. num. 37. ſeqq. multis* arguunt, & de diſtinctione Civitatum illarum immediatarum, quòd aliæ dicantur Imperiales ſimpliciter tantùm, aliæ Liberæ Imperiales, tractant; Quam plurimis quoque argumentis Limnæus *de J. P. lib. 7. c. 1. n. 33. ſeqq.* rejicit, dicendo: Meum ſi de hiſce requiras judicium, ſcias velim, verbalem potiùs differentiam quàm realem inter Imperii liberas Civitates & Imperiales dari, aut ſi realis aliqua detur, me neſcire fateor, unde petenda ſit. Idque inde, cùm videam, libertatem æqualem atque eodem ſenſu, omnibus immediatis Civitatibus competere, licet privilegia earum æqualia in cæteris non ſint: Matthiæ verò Stephani catalogum (*quem Author ibid. adducit*) multis laborare vitiis evincit.

(66) *Aquilæ Imperialis fœtus &c.]* Notum eſt, inclutam noſtram Norimbergam duobus inprimis Inſigniis condecoratam, cujus primum & antiquiſſimum ſignum, quod & ante perpeſſam ſub Henrico V. ob conſtantiam in fide erga patrem Henricum Imp. circa Annum MCCVI. diram vaſtationem, portaverat in Clypei dimidiati parte unâ campo aureo, aquilam nigram, in alterâ bendas tres albas in campo rubeo, (quibus flumina tria, quibus Norimbergenſe territorium alluitur, Pegneſum, Regneſum, atque Svvartzachum denotare aliqui tradunt) refert. Secundum verò in cæruleo ſive azureo campo, aurei coloris Aquilâ, cujus caput facie virginis decorum, flavisque crinibus ornatum & coronatum, reſplendet, quibus Inſigniis ſigilli loco adhuc Reſpublica noſtra utitur. Originem ejus acceſſunt à jam dicta vaſtatione Henricæa, & quòd tunc temporis caſtrum Norimbergenſe inexpugnabile & virgo manſerit. Quod Zeillerus quoque *in Itinerario ſuo Germ. cap. 4. pag. 108.* ipſumque ſecuti Knipſchild. *de J. & Priv. Civ. Imp. lib. 3. cap. 38. n. 50.* & Limnæus *in Addit. ad J. P. lib. 7. cap. 35. p. 279.* agnoverunt. Faceſſant igitur hinc malevoli illi ſive imperitiores, qui ſatyricâ bile Inſignia hæc conſpurcare audent, ſcribentes: Imperatorem quendam Aquilam virgineo deformatam capite Urbi noſtræ in ſignum & monimentum dediſſe, quia fœminæ maritis eſſent imperioſæ & andromachæ, viri autem γυναικοκρατουμένοι, id eſt, qui uxoreæ poteſtati parerent &c. Saniùs ſentit Hœppingus etiam verioris ſuprà allatæ cauſæ, ut ipſe fatetur, ignarus; dum cenſet *cap. 6. part. 7. n. 1056.* Rem ſanè antiquitatem ſapere, & quid divini (ut ex Clypeo Oſtfriſiæ, Galea Lotharingica, & Magdeburgi urbis inſignibus clarum eſt,) continere. Add. Knipſchild. *loco antea dicto num. 50.*

(67) *Scutis inſcribenda &c.]* Mos quoque fuit (*inquit Pontus Heuter de vet. & ſui ſeculi Belgio lib. 2. cap. 25.*) in Clypeis & ſcutis ſignum aliquod depictum oſtendere, unum bellico vigore ferventem, ferocem, imperterritum, & ad quævis adeunda pericula promptiſſimum, omnibus notum cupiebant. Scutorum vix ullus ampliùs apud Chriſtianos remanſit uſus, peditesque noſtri certis ſignis, è leviſſimo lectiſſimoque diverſorum colorum panno ſerico confectis diſtincti, & pertinaciſſimè obſervant, ſequuntur ac defendunt. Equites verò quamquam certa etiam ad lanceas ferant ſerica ſigna, unumque inter omnes Sacroſanctum, tamen inprimis hodiè dignoſci volunt è ſago militari laneo, aut ſerico, armis ſuperinducto, variisque coloribus atque ornamentis diſtincto. Duces verò tam equitum quàm peditum è criſtata variis plumarum coloribus caſſide, aureo torque ex collo pendente, atque inprimis inſigni perampli unius certi coloris ſerici panni ab altero humero ad dorſum ventremque fluentis, & in adverſum femur duplici nodo conſtricti, aureisque filis finiti, volunt internoſci. Tormentorum enim ac mediocrium minorumque ſclopetarum multitudo, omnibus hodie uſitatiſſima, facit, ut clypeorum & ſcutorum uſus ferè deſierit, quemadmodum in univerſum, arcuum ſagittarumque diverſa genera. Certè Gallos olim, Britannos, ac Germanos ſcuta variis coloribus eleganter & ſcitè infeciſſe, teſtis ſunt Cæſar, Tacitus, aliique multi. Id autem nihil aliud fuiſſe certum eſt, quàm certa Regum, Ducum, Patronorumque ſuorum domeſtica ac militaria ſigna, quæ honoris causâ ferebant, ſignificantes eandem ſe cum eis fortunam experiri ſtatuiſſe. Hucusque Heuterus, qui An. CIↃ IↃ XCIX. hæc ſcripſit. Noſtrâ ætate quin nec hæc ampliùs in uſu fuerint, quis dubitet?

Num. 42.

(68) *Aquilamq́, Regni Bohemiæ &c.]* Si Hagecio *in Chronicis Bohemicis* omninò fides adhibenda, primum Bohemorum inſigne fuit aquila nigra in campo albo; poſtea Boleslao Bohemiæ Duci, ob interfectum Fratrem ſuum S. Wenceslaum & obſtinatum erga Cæſarem animum Anno nongenteſimo ſexageſimo quarto ab Imperatore Ottone Magno imperatum fuit, ut aquilæ loco extunc ipſe ſinguli que Bohemiæ Duces (*ex cauſa ibidem enarrata*) in inſigniis, ahenum ſui coloris, in rubeo ſeu igneo campo portarent, (*pag. 100. parte 1.*) Quem ipſum Pragam redux & in vexillo & ſcuto præ ſe ferebat, aquila verò nigra cum Imperatore avolaverat; ſed redierat iterum ab Imperatore Conrado II. Anno MXXXII. Breteslao in gratiam recepto, & interventu Jutthæ, ut à quibusdam vocatur, ſive Judithæ Comitis Ottonis Albi filiæ à ſe raptæ, bello ſopito, ademptâ ſervitute aheni portandi, ſubſtitutâ pro inſigniis aquilâ fœmina, flamma tacta, in campo argenteo (*pag. 240. b.*) Tandemque ob fortitudinem Leoninam

ninam Friderico Barbaroſſæ contra Mediolanenſes demonſtratam, Aquila in Leonem Anno MCLIX. mutata fuit, ut ſcilicet inſigne Bohemiæ Regum inpoſterum & in perpetuum Leo duplicatâ caudâ candidus, corona inſignis in rubeo campo eſſet (*pag. 254. b.*) Quod adhuc hodierno die Reges Bohemiæ geſtant. Dubravius autem *lib. 5. Hiſtor. Bohemicæ pag. 32.* atque Georg. Barthol. Pontanus à Braitenberg *in Bohemia pia.* Ottonem I. Imp. in Comitiis Wormatienſibus ferunt juſſiſſe Wenceslaum Bohemiæ Ducem, (qui poſt mortem inter Sanctos relatus fuerat,) ferre fuſcam aquilam in clypeo candido &c. ex quibus prior *lib. 12. pag. 99.* quoad colorem ſeſe corrigit, & atram aquilam dicit. Notandum præterea, valde inter ſeſe diſcrepare Authores circa Patrem Jutthæ ſive Judithæ ex cœnobio à Bretesiao abductæ, atque Imperatorem, qui ob id Bohemis bellum intulerit. Dubravius enim & Boregk *pag. 23.* Ottonem illum, quem Hagecius Comitem appellat, Ottonem cognomine Rufum, Imperatorem hujus nominis III. (quem Rufum cognominatum fuiſſe, Siffridus Presbyter inter alios *Epitom. lib. 1.* teſtis eſt) ulciſcentem verò Imperatorem Henricum (*ita Thomas Jordanus notat,*) Nigrum, indigitat. *lib. 8. Hiſt. Bohem. pag. 49.* At Æneas Sylvius eundem Ottonem & Patrem & ultorem conſtituit. Sicuti verò de raptu Scriptores Bohemici aliive conſentiunt, & inter hos Bonfinius *dec. 2. Rer. Ungar. Edit. VVegelianæ 193.* Cramerus *Polon. rerum lib. 3.* qui extat in corpore Hiſt. Polon. *Tom. 9. pag. 439.* ubi tradit, Prædislaum rectiùs ſcribi hujus Ducis nomen, &c. Ita & hoc certum eſt, Ottonem Tertium Imp. improlem Anno M. objiſſe (Marianus Scotus *Chronic. lib. 3. ætat. 6.* Aventinus *Ann. Bojor. lib. 310.* Cuſpinian. *in Ottone III. pag. 255.* Beneventus de Rambaldis *in libro Auguſtali apud Freherum tomo Rer. Germ. 1. pag. 11.*) & conſequenter Juttham ejusdem filiam falsò prædicari; veroque ſimilibus Juditham illam patrem habuiſſe Ottonem Palatinum, cognomento Album (Theobaldus *in Genealogica & Chronologica ſerie Iudic. Ducum & Regg. Bohemiæ &c.*) & fortaſſis illum ipſum, qui ſecundùm Hermannum Contractum Anno MXLV. paſchali Hebdomate Dux Alemanniæ apud Goslare à Rege Henrico III. dicto Nigro conſtitutus, Anno MLVII. obiit. Porrò Hagecius raptum Judithæ conjicit ad Annum MXXVI. bellum verò inde ortum & pacem ſtatim interventu Juthidæ initam ad Annum MXXXII. Hiſtorici verò unanimiter teſtantur Conradum II. electum Romanorum Imperatorem fuiſſe, Anno MXXV. & mortuum Anno MXXXVIII. Proinde ex temporum collatione planum evadit, Imperatorem Ulrico Bohemiæ Duci ob filii Breteslai audax facinus Juthidam, quam ut diſceret pſalterium pater miſit in cœnobium (*ita Coſmas Pragenſis in Hiſt. Bohemiæ loquitur*) rapientis bellum inferentem, alium quàm Conradum illum II. Salicum dictum, aut certè filium, pòſt & ipſum Imperatorem Henricum III. cognomine Nigrum tum temporis Principem Juventutis loco patris belligerantem (*vid. Brunerus parte 2. Annal. Bojeor. pag. 833.*) ſtatui ſalvâ Chronologiâ haud poſſe. Denique obſervat Brunnerus generatim (*parte 2. Annal. Bojcorum pag. 412. & 606. & 831.*) Scriptores Bohemicos res aut prorſus præterire, aut loco earum, quæ certiſſimis nituntur Auctoribus, paſſim commenta portentaque ſubſtituere, aut rem aliter enarrare; non quidem quòd illis amor veri defuerit, ſed quòd per infelicitatem temporum, ejus indagandi facultas abfuerit, cùm certi unicique duces, quos nunc redivivos poſteriores Hiſtorici intrepidi ſequuntur, è tenebris ſuis nondum emerſiſſent.

Num. 42.

(69) *Non unâ caudâ tantùm, ſed duabus &c.]* Joci gratiâ ita rem enarrant Dubravius *lib. 12. Hiſt. Bohem.* Boregk *in Chron. Bohem. in Uladislao 2.* Pontanus *in Bohemia Pia l. 2.* Nos didicimus, *inquit Goldaſt. de Regno Bohemiæ lib. 3. cap. 14.* geminam iſtam caudam denotare Uladislai Regis virtutem præcellentiorem, quaſi fortiùs cæteris Principibus ſeſe geſſerit, &c. A qua ſententia nec Limnæus *lib. 6. de J. P. cap. 6. num. 40.* nec Hœpping *de Inſign. cap. 6. parte 3. §. 2. num. 556.* alieni ſunt.

Num. 43.

(70) *Notam ſignúmve &c.]* Notam generis naturalem vocat tale ſignum Juſtinus *lib. 15. cap. 4* Genetivam notam Suetonius *in Aug. cap. 80.* Ingenuum Signum Auſonius; de quibus haud protrita quædam Camerarius *lib. 3. Horar. ſubſciſiv. cap. 42.* Piccartus *dec. 2. Obſerv. Hiſtorico-Polit. cap. 7.* allegatique à Klockio alii, & poſt illos Hœpping. *de Jure Inſig. cap. 18. à numero inde 13. maximè num. 27.* de origine & cauſa harum notarum, *n. 40. ſeqq* de generibus earum, & alia huc pertinentia *num. 29. 98 &c.* obſervaverunt, qui omnes id, quod Author noſter hoc loco de Conzanorum familiæ nota genetiva notat, referunt.

Num. 46.

(71) *Zonoras &c.] Annal. tom. 3. pag. 120. edit. Feyerabendianæ.* Verba autem ejus paulò aliter & ſic ſonant: Fiſcum obſtructis foribus pecuniâ referſit. Fertur enim ducenta millia talentûm auri in theſauris habuiſſe. Nam alterius pecuniæ nullus iniri numerus poteſt, adeò ut conclavibus repletis, eum terræ mandavit, anfractibus inſtar labyrinthorum effoſſis. Sed & ciſtellæ plenæ erant gemmis cùm aliis, tum candidis illis, quæ peculiari nomine margaritæ dicuntur.

Num. 48.

(72) *Regalia verò quæ ſint &c.]* Allegavi jam olim in Diſputatione de Majeſtate Altdorffi Anno 1654. à me conſcripta & die 3. Junii publicè defenſa *θ. 46. ſeqq.* (quæ à Præſide Dno Johanne Paulo Felvvinger, Fautore meo, nunquam ſine honore nominando, inter ejusdem Diſſertationes politicas de omnib. rerumpubl. ſpeciebus *p. 817.* lucem aſpexit,) & adhuc ſequor ſententiam illam, de Juribus ſcilicet Majeſtatis (barbara voce Regalia vulgò, à Rege dicta, aliis Jura Imperii ſummi, & Sacra Regni,) Imperatori vel aliàs Superiorem non recognoſcenti in ſignum ſupre-

ſupremæ poteſtatis, & Imperii utilitatem competentibus, Bodini *de Republ. lib. 1. cap. 10.* locum, dicentis, eos, qui de Republica ſcripſerunt, non uti decuerat aperuiſſe ac illuſtraſſe videri, ſive adulatione, ſive metu, ſive odio, ſive obligatione id factum ſit. Inter alios Ariſtotelem, Polybium, ac Dionyſium Halicarnaſſeum tantâ brevitate & obſcuritate ſcripſiſſe, ut diſputationem potiùs propoſuiſſe, quàm quid ſentiendum eſſet aperuiſſe putandi ſint. Et hoc ipſum *ibid. θ. 49.* citatum à nobis acutiſſimum Belgam, Hugonem Grotium *de J. B. & P. lib. 1. cap. 3. n. 5.* conqueri, noſtro ſeculo viros eruditos, quosq; ex uſu magis rerum præſentium, quàm ex vero illud argumentum exſequutos, rem per ſe haud expeditam multò impeditiorem reddidiſſe.

(73) *Nimis eſſe effuſos &c.]* E. G. Lucas de Penna *in l. contra publicam col. 2. & trib. ſeqq. n. 11.* ſexaginta & ſeptem Jura hujusmodi Principi attribuit; Matthæus de Afflictis *in c. un. in pr. quæ ſint Regal.* centum & viginti quinque Jura enumerat pertinentia ad ſupremam Principis poteſtatem. Chaſſanæus *Catalog. glor. mundi conſid. 24.* ducenta & octo cumulat Regalia. Petrus Anton. de Petra *de poteſt Princ. & infer. ab eo usque ad cap. 21. n. 5.* quadringenta & tredecim recenſet. Vide Conrad. Carpzov. *de Regal. parte pr. cap. 1.* qui eadem cum Authore noſtro verba habet.

(74) *Non omnia, quæ Princeps poteſt &c.]* Sed ea demum, quæ per Excellentiam poteſt.

(75) *Inconcinnum foret &c.]* Ita ſentit Alv. Valaſcus *de Jure Emph. quæſt. 8. num. 34.* Alia enim (*addit*) ad poteſtatem Regiam pertinent, non ad jura Regalia.

Num. 49.

(76) *Majora ſive Majeſtatica &c.]* Majeſtatis Jura à Pruckm. *de Regalib. cap. 3. num. 2.* Sixtino *cap. 2. num. 1.* Borchold. *ad c. regalia. 2. Feud. 56. n. 3.* Roſenthal. *in Synopſi Juris Feud. c. 5. concl. 3.* Vult. *de Feud. c. 5. n. 7.* & Dd. communiter, in Majora & Minora dividi vel pueri norunt. Paulò tamen aliter Zaſius *in Uſus Feud. c. qui Feud. dare vel ac poſ. num. 13. 14. Tom. 4. Operum pag. 256.* Regalia quædam Potiora, quædam Communia dicit. Communia appellat, quæ facilè concedi ſolent; Potiora, quæ non niſi cum difficultate (*in feudum*) conceduntut, & Regum ſunt & Principum: à qua diviſione nec alienus omninò eſſe quoque videtur Scipio Gentilis *Diſput. Illuſtr. 6. §. 31.* hæc tamen in effectu cum priori coincidere videtur. Aliter Bocerus *Tr. de Regal. c. 2. n. 4.* qui repudiatâ hâc utraque diviſione Regalia dividit in Regalia Majeſtatis, & Regalia Fiſci. Quæ & ipſa in effectu cum ſuperioribus convenit; cùm ea, quæ Bocerus Majeſtatis, Zaſius Potiora adpellat, Doctoribus Majora ſint; quæ Fiſci, & Communia, vulgò Minora indigitentur; adeoque, ut de verbis potiùs quàm rebus litẽ moveri, opinari quis non immeritò poſſit. Illud autem non prætereundũ, minùs aptè majora Jura tantùm Majeſtatis ſive Majeſtatica, ut Author noſter loquitur, vocari, ac ſi illa tantùm ad ſummam poteſtatem pertineant, & à Majeſtate ſeparari nequeant: minora verò ſalvâ manente Majeſtate in alios transferri queant. Omnia etenim Majeſtatis Jura, tàm ea, quæ majora, quàm illa, quæ minora vocant, eſſentiales Majeſtatis partes ſunt, ſublatâque unâ ſaltem parte, integra Majeſtas ampliùs non eſt. Si tamen aliqua differentia inter Majora & Minora Civilis Poteſtatis Jura retinenda eſt, vocamus Majora poteſtates illas, quæ præcipuas res pro objecto habent; Minora illas, quæ circa res non adeò magnas occupatæ ſunt. His junge Beſoldum *de Jurib. Majeſtatis cap. 1. num. 3. in fin. 4. ſeqq.* Porrò eleganter & rectè, ſic ut facilè, quæ huc ſpectant, reperiet quis omnia, & ut nihil aut deſit, aut redundet, hoc modo partitur Jura Majeſtatis in genere Incomparabilis Hugo Grotius *de J. B. & P. lib. 1. c. 3. n. 6.* Qui Civitatem regit, *inquit*, eam partim per ſe, partim per alios regit. Per ſe autem verſatur, aut circa univerſalia, aut circa ſingularia. Circa univerſalia verſatur condendo Leges easque tollendo, tam circa ſacra (quatenus eorum cura ad civitatem pertinet) quàm circa profana. Ars circa hæc Ariſtoteli ἀρχιτεκτονικὴ architectalis. Singularia, circa quæ verſatur, ſunt aut directè publica, aut privata quidem, ſed quatenus ad publicum ordinantur. Directè publica ſunt actiones, ut pacis, belli, fœderum faciendorum; aut res, ut vectigalia, & ſi quæ his ſunt ſimilia: in quibus comprehenditur & dominium Eminens, quod Civitas habet in Cives, & res Civium ad uſum publicum. Ars circa hæc Ariſtoteli nomine generis πολιτικὴ i. e. Civilis & βουλευτικὴ, Conſultatrix. Privata ſunt res Controverſæ inter ſingulos, quas publica authoritate dirimi publicæ quietis intereſt. Ars circa hæc eidem Ariſtoteli δικαςικὴ, judicialis. Per alium quæ expediuntur, ea expediuntur aut per Magiſtratus, aut per alios Curatores, in quibus ſunt & Legati. His ergo in rebus conſiſtit, *concludente Grotio*, poteſtas Civilis.

(77) *Generalium &c.]* Hoc eſt, quibus ſubditi univerſi & ſinguli obſtringantur. Quin verò Princeps & omnis Sũma Poteſtas privilegia quoq; concedere valeat, *l. 16. de LL.* dubitare non permittit. Cùm autem Majeſtati Deus ſummum rerum arbitrium, ſubditis obſequii gloriâ relictâ, dederit, ea propter ſummum Imperium tenentes fidelitatem legumque obſervantiam, ab omnibus æqualiter exigere poſſunt. Hinc Jus Homagii, fidelitatis & obſequii, majeſtatis functionibus ii adſcribunt, qui id nullũ, niſi Majeſtatem habentẽ, uſurpare poſſe autumant. Vide Beſold. *de Jure Majeſt. cap. 2. per tot. inprimis circa finem.* Aliquo modo tamen centro & ſpatio circumſcriptam eſſe in Imperio noſtro LL. ferendi poteſtatem, exiſtimat Cluten *in Sylloge rer. quotid. θ. 21.* Vid. Conradus Carpzovius *de Regal. part. prior. cap. 2. n. 11. 12. 13. 14. 15.*

(78) *Reges &c.]* In Exemplum adducunt Reges Bohemiæ, quibus Regia dignitas ab Imperatoribus collata, (de quo accuratiſſimè ſcripſit Goldaſtus *de Regno Bohemiæ lib. 3. cap. 10.* Item **der Reichs-Satzungen** *tom. 2. pag. 8. ſeq. pag. 13. & 14.* Limnæus *de J. P. lib. 2. cap. 9. n. 18. ſeq.* Et *in Addit. Tom. I. pag. 354. Tom. II. pag. 47.* Freherus ad Petrum de Andlo *pag. 156.*) Poloniæ Regem Boleslaum cognomento Chrobry, i. e. acrem, appellatione hac propter excellentem virtutem atque animi magnitudinem ei tributâ, primum dictum, ab Ottone III. circa Annum DCCCCXCVII. in Regem coronâ condecoratum, cujus rei teſtis eſt Cramerus *lib. 3. qui extat tom. 2. Corporis Hiſt. Pol pag. 437.* Et ejus verbis Salomon Neugebaur *Rer. Polon. lib. 3. pag. 53.* Idem *in Icon. & Hiſt. Principum ac Regg. Polon. pag. 32.* Vide tamen Limnæum *in Add. ad J. P. Tom. I. pag. 245.* & *Tom. II. pag. 48.* nec non D. Con-

Conringium *de Finibus Imp. Germ. c. XIIX. pag. 316.* Sic nonnulli Daniæ Regium Titulum Imperatoribus adſcribunt. (Limnæus *d. loc. n. 22.*) Ita Fridericum II. Imp. Ducem Auſtriæ & Styriæ Ducem, de conſilio quorundam Principum ſuorum, in Regem promoviſſe, indicat diploma ejusdem apud Goldaſtum *Conſtit. Imper. tom. unic. p. 305.* Sigismunus à Bircken im Spiegel der Ehren deß Ertz-Hauſes Oeſterreich *lib. 2. cap. 3.* Conrad. Carpzov. *de Regal. parte priori c. 2. n. 16.*

(79) *Electores &c.*] An nova collatio Electoratûs à ſolo Imperatoris arbitrio & ſola ejus benevolentia dependeat, adeò ut Electorum cæterorum conſilium & conſenſus non debeat præcedere nec intervenire? diſputat Limnæus *in Annot. ad art. 24. Capitul. Caroli V. n. 14. ſeqq. pag. 267. & n. 40. n. 272.* Ubi pro Electorum Conſilio adhibendo ex rationibus ibidem adductis concludit. Cui adſtipulantur verba Inſtrum. Pacis inter Sacram Cæſ. Majeſt. & Reg. Sueciæ *art. 4.* ibi: Quod ad Domum Palatinam attinet, Imperator cum Imperio, publicæ tranquillitatis causâ conſenſit, ut vigore præſentis conventionis inſtitutus ſit Electoratus Octavus, quo Dn. Carolus Ludovicus, Comes Palatinus Rheni, ejusque hæredes & agnati totius Lineæ Rudolphinæ, juxta ordinem ſuccedendi in aurea Bulla expreſſum, deinceps fruantur. &c. junge Dn. Burgoldenſem *in Not. Rom. Ger. Imp. part. 1. diſc. 1. §. 78. p. 87. 88.* maximè *diſc. 24. §. 2. pag. 425.* Cæterùm de Electorum origine & poteſtate Simon Schardius, Andreas Knichen *de Jure Sax. non provoc. verbo Electorum*, Johann. Paulus Windeck, Onuphrius Panvinius *de Comitiis* &c. Hermannus Conringius, & Scriptores Juris Publici paſſim tractant. Adde Carpzov. *d. loc. num. 17. 18. 19.*

(80) *Archiduces &c.*] Hoc titulo ſolùm cluere Principes ea ex Domo, de qua & Principibus ejusdem ita canit Balde, *de Eclipſi part. 2. p. 165.*

Hoc Domus electa eſt, ut, quod facit, imperet. Orbe
Everſo, non antè mori cogetur. eundem
Accipiet mundus caſurus & Auſtria finem.
Ut ſint terrarum Domini, Natura potenteis
Inſtituit. Fatis ad rerum culmen aguntur.
Libera non ipſis datur optio: publica dici
An privata velint perſona. Capeſſere clavum,
Atque, ut multa loquar paucis, regnare rogantur.
Sed videor dixiſſe parum: regnare jubentur.
Nec ſic me explicui totum: regnare neceſſe eſt.
Non licet, ut cupiant, grandeis avertere curas.
Ut Leges & Jura ferant, hoc Fata requirunt.
Hâc ſunt lege dati: ſunt hoc & lumine nati,
Ut ſemper radiet. Natalibus iſta poteſtas
Ex æquo affixa eſt. Regimenq́ & vita cohærent.
Cum luce aſpiciunt ſceptrum: gremioq́ parentum,
Ut ſolio, inſidunt. Simul infans hauſerit auram;
Afflat cum major genius melioŕq feroci
Vagitu jam ſceptra petit ſibi debita tradi.

De qua Familia Illuſtriſſima Limnæus *de Jure publico lib. 2. & in Addit. Tom. I. pag. 669. ſeqq. Tom. II. pag. 335.* Dn. de Monzambano *de Statu Imp. Germ. cap. 2.* & Pacificus à Lapide *in Notis & Stricturis ad eundem pag. 289.* Joh. Gans *in Arboreto Genealogico Dom. Auſtriacæ*, Vernulæus *de virtutibus auguſtiſſimæ hujus Gentis &c.* G. C. B. C. T. L. P. A. C. T. S. H. *in Phoſphoro Auſtriaco*, & demũ laudatus ſuprà à nobis Sigismundus à Bircken/ im Spiegel der Ehren deß Ertz Hauſes Oeſterreich/ Beſoldus *in Theſauro Pract. verbo* Ertzhertzog/ ut & Speidel. *in Speculo verbo eodem.* aliique pulcherrima commentati ſunt; quâ Familiâ ſceptrum tenente meritò dici poterit,

Auſtriacis Electis, Imperium Orbis Viget.

Junge Conrad. Carpzov. *de Regalibus parte pr. c. 2. num. 20.*

(81) *Duces &c.*] Sic nempe de fulgore throni Cæſarei, velut ex Sole radii, ita cæteræ dignitates prodeunt, ut primæ lucis integritas minorati luminis non ſentiat detrimentum. inquit, Fridericus II. *in formula de Jure ac privilegio Regis in Imp.* apud Goldaſt. *tom. unic. Conſtit. Imp. pag. 305.* junge de dignitatibus hisce loquentem Limnæum *de J. P. lib. 2. c. 9. n. 23. ſeqq.* Catalogus ſive Deſignatio omnium à Sacra Cæſarea Majeſtate Ferdinando II. creatorum Principum, Comitum, ac Baronum conſcripta Anno MDCXXXVI. & Statui particulari ejusdem Glorioſiſſimi Imperatoris à *pag. 203.* inde inſerta monſtrat, Principum Titulo ornatos fuiſſe Septem, & inter hos Albertum à Wallenſtein Fridlandiæ Ducis; Alios Principum & Marchionum dignitati aſſociatos, quindecim; Commites appellatos Septuaginta, Barones centum & decem. In genere de Ducibus, Germanicè Hertzog, quaſi perpetuis belli Ducibus, Comitibus, Graffen, *de quibus Gl. in Spec. Sax. l. 3. art. 53.* Ein Graff bedeutet nach alten Sächſiſchen Teutſchen ein Richter/ darum haben dieſen Namen viel unterſchieden Richter ꝛc. de Marchionibus Marggraffen: qui finibus præfecti incurſionibus hoſtium reſiſtebant, & ſimul ibi Jus dicebant; Comitibus Provincialibus, Landgraffen; Palatii Cæſaris Præfectis, Pfaltz- oder Pallentz-Graffen; Arcis cujusdam Præfectis, Burggraffen, eorundem origine & poteſtate vide Dn. Conringii *Diſſertationem de Germanici Imp. Ducibus & Comitibus.* Beſoldum *in Theſauro Practico, in his vocibus*, Limnæum *de J. P. lib. 4. cap. 2. 3. 4. 5. & in Additionibus ad eadem Tom. I. à pagina inde 395. ſeqq. Tom. II. pag. 235. ſeqq.* Spangenberg im Adelſpiegel *lib. 10. cap. 8. 9. ſeqq. usque ad finem ejusdem libri.* Jacob. Andreas Cruſius *de Jure* προεδρίας *cap. 17. & c. 21. &c.* Carpzov. *d. loc. n. 21. ſeqq.*

(82) *Jus Nobilitandi &c.*] Junge Nolden *de Statu Nobilium cap. 2. cum ibidem allegatis.* Carpzov. *d. loc. n. 26. ſeqq.*

(83) *Comites Palatinos &c.*] Abuſivè & καταχρηστικῶς ita dictos, ſicuti Univerſitas Ingolſtadienſis in Conſilio quodam, quod apud Kirchovium *vol. 1. eſt Conſil. 29. n. 4.* loquitur. Et quod Anſonius ait,

Muneris exortes, nominis participes.

Conradus Carpzov. *de Regal. parte priore cap. 2. num. 27.*

(84) *Doctores &c.*] Hodiè Imperatoris nomine Doctores, Licentiati, Magiſtri, atque Baccalaurei in Academiis, & à Comitibus Palatinis renuntiantur: Siquidem Jure Regalium hæc Doctorum in quavis arte creatio & renuntiatio fit. Quod & Laurentius Öhm innuit *de J. Epiſcop. θ. 17. lit. t.* addens: Rudolphum II. Auguſtiſſimæ memoriæ D. Barthol. Bezium Tyrolienſem, Oratorem

torem primum & Legatum Cæſareum ad Portam Othomannicam, ut vocant, pòſt Conſilii Bellici in Aulâ Pragenſi Præſidem ſupremum, antequam Cæſar operâ ejus tàm illuſtri uteretur, majoris dignitatis ac reputationis gratiâ ſolemni diplomate Doctorem Juris renunciaſſe. Tales autem actus rariùs exerceri in propatulo eſt. Concludunt ergo Dd. creatum per Imperatorem præferri Doctoribus creatis ab inferioribus. Ut Nolden *de ſtatu Nobil. cap. 2. num. 20.* authoritatibus probat. Porrò de Baccalaureis, Magiſtris, Licentiatis, Doctoribus multi multa congeſſerunt, & inter illos evolvi meretur Limnæus *de J.P. lib. 8. cap. 8. Addit. Tom. I. pag. 385. Tom. II. pag. 346.* Beſoldus *in Theſauro Pract. &* Speidel *in his verbis. G. C. Walther de Privil. Doct.* Benius *de Privil. ICTorum* Lanſius *de Academiis.* Dn. Conringius *de antiquit. Academ.* Borellus *de Magiſtrat. Edict. lib. 9.* Conrad. Carpzov. *de Regal. part. priore c. 2. num. 28. 29. &c.* Notat denique Dn. Conringius *citato loc. diſſert. 4. pag. 135.* extra dubium eſſe, ſeculo Chriſtiano Tertio decimo, apud Theologos, Juriſconſultos, Medicos, Philoſophos honorum titulorumque collationem noſtram uſu receptam eſſe. Et quidem initium ſi non omnium, ſaltem plerorumque fortè factum eſſe in Gallia. Quod inde fiat probabile, quòd vocabulum Baccalaurei merè Gallicæ ſit originis & uſus: quâ tamen primi honores ſemper & paſſim terrarum pòſt appellati ſint. Quod laudatus & nunquam ſatis laudatus Dn. Conringius *in ſeqq.* probat. Addendi his & Poëtæ Laureati, quos condecorandi facultatem Maximilianus I. Cæſar Conrado Celti primo per Fridericum III. Imp. Poëtam laureâ ornato, primùm & pòſt ſucceſſoribus ejus impertitus eſt; quod ex Maximiliani Conſtitutione de honore & privilegiis Poëtarum de Anno MDI. apud Goldaſtum *Conſtit. Imp. Tom. III. pag. 482.* & ex *Vincentii Longini Eleutherii* panegyrico, *apud Freherum Tom. 2. Rer. Germ. pag. 241.* patet, dum de Maximiliano Glorioſiſſimo, pro inſtituto & erecto collegio Poëtarum, & Mathematicorum in Vienna, ſic canit:

Audiit ut nuper Lyricum reſonare poëma
Germani vatis, Phœbi præſente catervâ;
Obtulit huic hilari mox regia numera vultu.
Munera quæ donare poteſt tantummodo Cæſar.
Nam potis eſt lauro ſacros decorare Poëtas,
Celtis, in Auſtriaca memorandi Principis aula.

(85) *Tabelliones & Notarios &c.]* Carpzov. *loco ſæpe dicto c. 2. n. 30.* Synonymorum hoc primum deductum à Tabulis eſt, in quibus olim ſcriptum fuit. Unde Tabellionatus officium deſcendit, *c. ſicut 8. x. Ne Cler. vel Monach. ſecul. negot.* & in *Novell. de Tabellion. 44.* Alterum à Notis, ſive ſiglis, quarum uſus veteribus perquam familiaris & apud eosdem communiter ferè receptus fuit. De quibus ſignis inter alios conſuli poterit Hermannus Hugo *de prima ſcirbendi origine. c. 18. per totum.* de officio verò Reiffenbergius *de Nomoth. Spirenſi,* Hornegk *in Stella Notar.* D. Jacob. Brinckmann *in Diſp. Inaug. Altdorffi Anno 1633.* habita, Samſon Hertzog. Joh. Rudolph Sattler. Fridericus Ortlep. *de Notariorum immatriculandorum examine. De Exceſſibus, erroribus atque peccatis,* Antonius Teſſara, Henricus Cnauſtinus, &c.

(86) *Magiſtratus &c.]* Inprimis majores, ut bene monet Beſoldus *de Jur. Majeſtat. cap. 3. §. 2. 3.* Carpzov, *d. loc. n. 31.*

(87) *Legitimandi &c.]* Puta naturales liberos per reſcriptum. Quod beneficium Legitimationis eſſe de Reſervatis Principi, oſtendit *Nov. 89. cap. 9.* ibi: *hoc agat per noſtrum reſcriptum,* & ibi: *Imperio preces offerre. cap. 20.* ibi: *donum Principis.* Dec. *Conſ. 557.* quod expeditur vel à Principe ipſo, vel ab aliis, qui hodie Comites Palatini vocantur, ſi nempe ipſis hoc ſpecialiter in Diplomate ab Imperatore conceſſum fuerit. Carpzov. *d. loc. num. 32.* Vid. Sixtin. *de Regal. lib. 1. cap. 2. num. 20.* cum allegatis, Limnæus *de J.P. lib. 2. cap. 9. num. 140.* ubi legitimationis exemplum apud Goldaſtum *tom. 3. Conſtit. Imp. pag. 398.* allegat, Beſold. *de Jurib. Majeſt. cap. 4. §. 6.*

(88) *Veniam ætatis tribuendi &c.]* Sixtinus *de Regal. d. loc. num. 22.* Limnæus *de J. P. lib. 2. cap. 9. num. 143. 149.* ubi dicit, mutato Imperii ſtatu, hodiè & Principibus Imperii Jus hoc competere, & Civitatibus ſuperiorem non recognoſcentibus; auguſtiorem verò eſſe hâc in re Cæſaris poteſtatem &c, & exemplum *num. 150.* ut & *Addit. Tom. I. pag. 254. Tom. II. pag. 55.* rem firmat. Beſold. *d. loc. §. 7.* Carpzov. *d. loc. num. 33.*

(48) *Abſolvendi à Juramento &c.]* Quoniam frequentiſſimè in Germania (*obſervante Gailio 1. Obſ. 22.*) contingit, ut ſubditi plerumque innocentes, ob cauſas etiam civiles à ſuis Dominis carceribus iniquè mancipentur, nec aliter relaxentur, niſi ſub obligatione jurata, & elgoio de non vindicando carcere, vulgò geſchworne Urphedt appellant, alii literas exultionis ſive ſecuritatis vocant, rectè in Ordinat. Cam. *part. 2. tit. 24.* conſtitutum & proviſum eſt, ut à tali Juramento relaxatio ad effectum agendi peti poſſit, & ab Imperatore ſive ejus Conſiſtorio ut vulgò vocant Imperiali Camerâ gravatus relaxari. Plura vide apud Conradum Carpzov. *de Regalibus parte priore num. 34.*

(90) *Famæ reſtituendi &c.]* Sixtinus *d. cap. 2. num. 31.* Limnæus *de J. P. lib. 2. cap. 9. num. 143. ſeqq.* Jacobus Nimmer *Tr. de Regalibus §. 5. lit. F.* Beſold. *de Jur. Majeſt. cap. 4. num. 5.* Carpzov. *d. loco. n. 35.*

(91) *Extrema provocatio &c.]* Sixtinus *d. loc. num. 14. ſeqq.* Beſold. *de J. Majeſt. c. 5. num. 9.* Nimmer *de Regal. §. 5. &c.* Summæ enim & ultimæ cognitionis Jus veram præ ſe fert Majeſtatem. Carpzov. *d. loc. num. 36.*

(92) *Concedendi Jurisdictionem &c.]* Ita Bocerus *de Regal. c. 2. num. 247.* & Carpzovius *d. loc. num. 37.* ſtatuit: Sed huic acutiſſimus eheu! quondam noſter Ludvvellus in Synopſi Juris feudalis *cap. 13.* ubi pleraque ſuperiùs producta jura enumerat n. XXXI. reponit: quamvis hoc jus à Jure Magiſtratum conſtituendi diverſum eſſe non videatur, ut cognoſcit quodammodo ipſe Bocer. Sed an ipſa etiam jurisdictio & imperium Regalibus annumeranda ſunt? Ita putat Roſenthal *cap. 5. Concl. num. 3.* Vult. *cap. 5. num. 7.* Verùm Negativa verior eſt, per ea, quæ habet Bocer. *d. tr. cap. 9. num. 26.* Nam quamvis Jurisdictionis conceſſio & magiſtratus conſtitutio rectè Regalibus annumerentur, jurisdictio tamen ipſa conſtituta ad inferiores magiſtratus propriè pertinet, *arg. l. 2. §. 13. ff. de O. J.* Nec obſtat, quòd pœnarum compendia Regalibus adſcribantur, *in cap. regalia 2. Feud. 26.* Reſpondetur enim, hæc differre ab ipſa Jurisdictione criminali & mero imperio: pœnæ exactæ ad fiſcum

ſcum ſpectant, Jurisdictionis verò vel Imperii exercitium ad eos, quibus conceſſum eſt. Bocer. *d. loc. num. 30.*

(93) *Erigendi Academias &c.*] Carpzov. *de Regal. d. loc. num. 39.* Sixtinus *d. l. c. 2. num. 26.* Limnæus *lib. 8. cap. 1. num. 33.* ubi exempla ejus juris exerciti ponit. Cluten *Syllog. rer. quotid. 6. 21. lit. e.* & poſt illum Lanſius *de Academ. lit. e.* ubi rectè definit hujusmodi Univerſales ſcholas, quòd talis ſive Academia, ſit ex ſingulari Majeſtatis Imperii indultu, docentium ac diſcentium bono publico, commodè inſtituta ſocietas: jurisdictione, aliis privilegiis, atque poteſtate Scholaſticos honores benè meritis & dignis conferendi (Beſold *de J. Majeſt. cap. 8. §. 3. ſeqq.*) decorata. De quarum ſcholarum antiquitate Dn. Conringius in eruditiſſimo ſuo ea de re Tractatu conſuli poterit; De barbarie verò in has irruente, & collapsâ in iis diſciplinâ, Johann. Matthæus Meyfartus in ſuo Tr. Germanico, *ſub Tit.* der Chriſtlichen Erinnerung von den aus den Evangeliſchen hohen Schulen in Teutſchland entwichenen Ordnungen ꝛc. Diverſas autem dari & maximè in Italia Academias particulares, ubi præſtantioris ingenii majorum civitatum inquilini conveniunt, eum in finem, ut de certis ſcientiarum articulis conferant, aut diſſerant de rebus ſibi propoſitis, aut quas ipſi elegerunt, ac ſcripta collegarum judicio afferant, in proſa vel ligata oratione, Limnæus docet *in Addit. ad J. P. lib. 8. cap. 1 num. 10.* Cui palmam præfert Societas Regia Londini inſtituta; de qua ſingularis extat liber Gallicus; collegarumve ejus catalogus ab Eduardo Chamberlayne *dans L' Eſtat. preſent de l' Angleterre*, nobis exhibetur Et proximè accedit Collegium Curioſum, & alterum Eruditorum Pariſiis, quorum operæ typis excuſæ jam lucem adſpexerunt. Ad quorum inſtitutionem non ita ſtrictè Majeſtaticum conſenſum, neceſſarium cenſeo. Deſtruendas verò, ſi ad inquirendos abditos Principum ſenſus & perfringenda penetralia Status ſub umbra eruditionem acuendi vergant, tanquam illicita collegia omninò exiſtimaverim.

(94) *Comitiorum &c.*] Carpzovius *num. 39.* Traditur quidem à plerisque ſoli Imperatori Comitia cogere & Status convocare permiſſum, quod & ad tempora Caroli V. Invictiſſimi noſtri Imperatoris usque obtinuiſſe haud negandum, cùm clari ejus rei indices in aliquibus Imperii Receſſibus extent, ut monſtrat Arumæus *in Tr. de Comitiis cap. 3.* Verùm enim verò cùm priſci illi Cæſares non rarò pro lubitu, & neceſſitate non ita magnâ flagitante, Status convocarent, bella obtenderent, eorumque nomine tributa exigerent, &c. ideo Electoribus placuit, hâc quoque in parte Imperatoriam moderare poteſtatem, additumque primitùs Capitulationi Caroli V. Imp. Ipſi conventum nullum, niſi de Conſenſu Electorum, indicere licere. Das er die Churfürſten und andere deſſelbigen Reichs Ständ / mit den Reichstägen / Cantzley - Geld / Nachreiſen / Aufflagen oder Steuer unnothdürfftiglich und ohne redliche und dapffere Urſach nicht beladen / noch beſchweren / noch in zugelaſſenen Fällen die Steuer / Auflagen und Reichstäg / ohne Wiſſen und Willen der ſechs Churfürſten darzu erfordert / nicht anſetzen noch ausſchreiben / und ſonderlich keinen Reichstag auſſerhalbē deß Reichs Teutſcher Nation fürnehmen oder ausſchreiben ſolle. *art.* XII. qui eſt in Capitulatione Ferdinandi I. & Rudolphi II. *art. XI.* Matthiæ, *XII.* Ferdinandi II. *X.* Ferdinandi III. *art. XIII.* ubi additur, auch in zugelaſſenen nothdürfftigen unverzüglichen und unvermeidlichen Fällen (*de quo & adſeqq. Limnæus ad d. Capit. pag. 693. videatur*) & poſt verbum Nation &c. auch ehe und zuvor der ſechs Churfürſten Conſentz und Bewilligung durch ſonderbare Schickung darzu eingeholt / vornehmen oder ausſchreiben ꝛc. in moderni noſtri Auguſtiſſimi Imperatoris Capitulatione *articulus XIV.* hic legitur cum additamento poſt verbum eingeholt: oder ſie von ſelbſten deß Reich Ungelegenheit halber / uns darum unterthänig angelanget und erinnert ꝛc. Interim Limnæus *ad art. XII. Capitulationis Carolinæ*, collegit aliquando in Comitiis præſentibus Statibus, ubi de aliis Comitiis habendis actum, eorum quoque conſenſum interveniſſe, ad quod adducit verba in Erklärung deß Land-Friedens zu Augſpurg An. 1500. in pr. ibi: haben wir mit Verwilligung der Ständ / ſo daſelbſt (nempe in Comitiis Friburgenſibus) bey uns verſamlet waren / aus trefflichen beweglichen Urſachen / einen andern Reichstag beſtimt ꝛc. & in R. A. zu Speyer Anno 1526. ibi: durch uns / mit Rath und Bewilligung der Churfürſten Fürſten und Ständ deß H. Reichs / und derſelben Bottſchafften / ſo damals zu Augſpurg geweſen / fürter ꝛc. verlegt. Licet hoc poſterius neceſſitatis fuiſſe, vel hodie eſſe, ipſe rectè non credat alibi Limnæus, (*de J. P. lib. 9. c. 1. n. 18.*) Cùm in R. A. de Anno 1654. §. Wann aber bey erſtgemeldten ꝛc expreſſa hæc verba legantur: auf nechſtkünfftigen Reichstag ausgeſtellt und verwieſen werden / welchen wir mit der Stände Beliebn vor dißmal / doch ohne Nachtheil und Abbruch der ſambtlichen Churfürſten hergebrachten Rechtens / dero vorhergehende requiſition und conſenz zu reaſſumirung und continuirung ꝛc. Cætera lege apud Arumæum *Tr. de Comitiis maxime cap. 3.* Joh. Gunther. *Diſſ. Inaug. de S. R. I. Comitiis Argentorati habitam Anno 1626.* Limnæum *ad Capitulationes & de J. P. lib. 9. cap. 1. per totum*, & *in Addit. Tom. I. à pag. inde 400. Tom. II. pag. 349 ſeqq.* Joh. Staritium *in Comitiorum Fido Achate* G. von Haagen *in Comitiologia Ratisbonenſi de Anno 1654* & inprimis *parte 3.* nec non Eitel Friederichen von Herden Grundfeſte deß H. Römiſchen Reichs 1. Stuck *cap.* 2. alioſque Juris Publici Doctores paſſim.

(95) *Commerciroum &c.*] Com̃unis Doctorum opinio eſt Jura Foralia, nundinas, mercatus publicos, Jura Emporii, (quæ à Keckermanno *lib. 1. Syſtem. Polit. c. 14. dicuntur*, Mercatura ſolemnis ſeu Penegyrica, differens à mercatura ſtata & in genere abſolutè conſideratâ) & quæ ad illorum ſpectant privilegia, neminem, niſi ſummum Principem, & qui Jura Principis habent, & ſunt alii Reges, Principes, & Reſpublicæ ſuperiorem non recognoſcentes, conſtituere poſſe, cùm ſit hoc de Regalibus, & quidem majoribus, quæ non niſi à ſuprema Poteſtate dependent. Marquardus *de J. Mercatorum lib. 1. cap. 5. num. 2. ſeqq.* cum multis ibid. allegatis, Carpzov. *de Regalib. cap. 2. num. 4.*

(96) *Nova*

(96) *Nova vectigalia erigendi &c.]* Carpzov. *d. loc. num. 41.* putat, ſi Jus hoc ex præſcriptione tanti temporis, cujus initii memoria non extat, quo inſtitui vectigalia poſſunt, acquiſitum fuerit, tunc ad minora referenda Regalia eſſe. Verùm alia ex ratione haud malè Ludvvellus *in Synopſi Jur. Feudal. cap. 13. num. XXIII.* dubitat, annon vectigalia rectiùs ad Fiſci Jura, ſive minora Regalia indiſtinctim referantur; quoniam ad commodum pecuniarium & Fiſcum Imperii pertinent, *per tex. in l. 6. C. de Vectigal. & commiſſ.* quod agnoſcit etiam Bocerus *de Regal. c. 2. num. 183.* (& ſui fortaſſis immemor Klockius noſter in numero ſequenti, ubi expreſsè vectigalia *in num. 50.* inter minora Regalia emunerat.) Nec obſtat, quòd diſtinguat inter vectigalia ipſa, & poteſtatem tribuendi Jus vectigalium. Nam ſi hæc diſtinctio recipienda, de omnibus minoribus idem dicendũ erit, videlicet jus ſive poteſtatem ea tribuendi vel concedendi alteri, ad vectigalia majora pertinere, quod an concedi poſſit, valde dubito. Deinde non movet, quòd hoc Jus ſoli Imperatori competat, *arg. textus in l. 10. ff. de public. & vectigal. l. 3. & tot. t. C. vectig. nov. inſtit. non poſſ.* Mynſing. *cent. 5. Obſ. 29.* Reſpondetur enim, hoc omnibus Regaliis commune eſſe, & differentiam aliunde dependere, utrum videlicet principaliter ad decus & dignitatem Imperii, an verò ad lucrum & pecuniarium commodum pertineant. Sed de his plura dicenda ad Klockii noſtri partem poſteriorem reſtabunt, quo ea ſeponimus.

(97) *Cudendi monetam &c.]* Carpzovius *d. loc. n. 42.* Sixtinus *de Regal. d. l. & c. n. 38. & lib. 2. cap. 7, n. 23.* Ant. Hanffmann *in Diſput. de re monet. θ. 4. lit. B.* Beſoldus *de Iur. Majeſt. cap. 8. §. 5. ſeqq.* Cluten. *in Sylloge. rer. quot. θ. 22. lit. a.* &c. vide Limnæum *ad Capit. Matthiæ Imp. art. 34* Sprengerum *in Font. J. P. cap. 19.*

(98) *Belli gerendi &c.]* Carpzovius *d. loc. n. 43.* Et hoc ultimum vel ex præcipuis Juribus Majeſtatis eſſe, nemo credo dubitabit, qui conſiderabit, etiam ab iis, qui vel tribus verbis ea Jura delinearunt belli gerendi, jus non omitti, ſed inter præcipua numerari.] In Imperio noſtro Romano Germanico autem hodie conjunctam poteſtatem Cæſaris cum Statibus bellum indicendi atque gerendi quodammodo eſſe docet & probat Limnæus *ad Capit. Caroli V. art. 11. pag. 183.* Et hæc maximam partem ſtrictim recenſitis addita ſufficiant Regalibus. De minoribus impoſterum ſuo quoque loco agemus.

Num. 51.

(99) *Fodrum &c.]* Spigelius *in Scholiis ad Güntheri Ligurinum lib. 9. Tomo Rer. Germ. Reuberi fol. 515.* ſic commentatur: Apparet, *inquit*, Italis *fodrum* appellatas eſſe omnes illas exactiones, quæ ad commeatus præſtandos ſpectabant. Non ignoro, hanc quoque vocem in vetuſtis Francorum Germanorum Legibus, quarum Codex apud nos in Divæ Fidei templo extat, uſurpatam eſſe, ſed pro pabulo tantùm equorum: ex quo libuit in gratiam cultorum venerandæ vetuſtatis, quæ ſequuntur, adſcribere verba: LOTHARIUS Imp. & CAROLUS Rex in Palatio Valentianis *cap. 15.* Ut miſſi in illorum miſſatias curam habeant, ne homines noſtri, aut alii quilibet, vicinos ſuos majores vel minores, tempore æſtatis, quando ad herbam ſuos caballos mittunt, vel tempore hyemis, quando Mareſcalcos illorum ad Fodrum dirigunt, deprædentur aut opprimant. Et an ſic egerint hoc etiam, ut prædiximus, veraciter, miſſi noſtri inveſtigent, & nobis renuncient: ut in ſeniore hoc ſic emendemus, quatenus homines ſuos in poteſtate habeant, & contenti ſint debitis, & indebita injuſtè non appetant. Et in hac ſignificatione accipitur vox hæc apud Petrum de Vineis, Friderici II. Imp. quondam Cancellarium *lib. 2. Epiſt. 29.* viarum aſperitas fodri (*explicat Schardius in margine annonæ*) confluentiam interdicat. In priori verò ſignificatione ſumitur in LL. Longobardorum *l. 3. tit. 8. leg. 4. circa finem. in Codice LL. antiq. Lindenbrogii p. 679.* Vide quoq; Sixtinum *de Regal. lib. 2. cap. 14. num. 2. ſeqq.*

Num. 56.

(100) *Turcus &c.]* Exceptâ enim Italiâ, Gallia, Hiſpania, Germania, & Sarmatis, cum exigua Hungariæ Græciæque parte, terrarum omne Romanis olim ſubjectum, hodie Turcarum ditionem, noſtrâ omnium fatali ignaviâ, conceſſiſſe, aliquibus inſuper provinciis populisque adjectis, qui Romanorum Imperio expertes nihil ultra ipſorum arma novere, cenſet Joh. Bapt. Montalbanus, *in Comment. Rer. Turcicarum.* Et hoc Anno MDCLXIX. Candia, olim Creta Inſula famigeratiſſima per undecim & quod excurrit annos bello in ejus viſceribus geſto, deditâ, quæ totidem annos fortiter toleraverat obſidionem ejusdem nominis metropoli, tota poteſtati Ottomañorum, non ſine univerſæ Chriſtianitatis decumano damno acceſſit.

(101) *Rex Gallus &c.]* Galliæ Reges quoad Regnum ſuperiorem recognoſcere neminem, (V. *Conring. de Finibus Imp. Germ. cap 8.*) & in ſignum, quòd ſuperioritatem & poteſtatem Regalem ſoli Deo acceptam ferant, in actu coronationis ſuæ propriâ manu apprehendere gladium altari ſuperimpoſitum, monſtrat ex Bacquet Limnæus, *in Not. Regni. Franciæ lib. 2. cap. 6.* Et quamvis olim Franciæ Rex Carolus, à Sigismundo Imp. A. MCCCCXIII. ſub titulo FIDELIS DILECTI (*quæ verba aliàs in Cancellariis Principum ſi non ſubjectionis, certè clientelæ, niſi iis contradictum fuerit, indices ſunt, vide Beſoldum in Theſ. Practico verbo* Liebe Getreuen) ad Concilium Conſtantienſe pro tollendo Schiſmate Paparum & reformanda Eccleſia indictum citatus fuerit; (*Goldaſtus Conſtit. Imp. Tomo un. pag. 306.*) quamvis referente Limnæo *ad Capitul. Caroli V. pag 122. Not. Reg. Franc. lib. 2. c. 6. tit. ddd.* Ex Roſardo, Fuyn, Carolus V. dictus Sapiens Rex Franciæ eò quòd ex antiqua Galliæ conſuetudine ſi quando Rex Galliarum ſolemni introitu Lutetiam ingreditur, metropolim ſuam equo albo inſidere debeat, quo Imperatoris Caroli IV. ad ſe venientis opinionem frangeret, & ne Galliam ſibi ſubjectam arbitraretur, eum equo nigro in ingreſſu Lutetiæ vehi curaverit, quem ei ideò dono dederat, indicaturus Imperatorem non ingredi Metropolim, quaſi civitatem Imperialem & ad ſe pertinentem, ſed ut ſubditam Principi amico, & cognato; quamvis inquam negandum non ſit, certa propter feuda (*Vide Limnæum de J. P. lib. 1. c. 9. n. 31. Addit.* [*Tom. 2. num. 9. & n. 31. Ad Capitul. Caroli V. p. 122. & in Not. Regni Franc. l. 2.*

 cap. 6.

cap. 6. lit. b. lit. uu. xx. ſeqq. Conringius de Finibus Imp. cap. 24. Chifletius in vindic. Hiſp. cap. 13.) Imperio obnoxium fuiſſe. Attamen vix eſt, ut ratione Provinciæ (*Bellamera Conſil. 115. num. 6.*) aut ratione Delphinatus, (*Betſius de pact. famil. illuſtr. cap. 7.*) aut ratione Regni Arelatenſis (*Chifletius in Vind. Hiſp. cap. 13.*) aut aliarum ab Imperio avulſarum, aut in ſolemni illo Monaſterienſi Pacis Inſtrumento de A. MDCXLVIII. §. *primò, quod ſupremum dominum &c. in Theatro Pacis, à me olim A. 1663. adornato pag. 339. ſeqq.* ſibi ceſſarum Provinciarum atque Urbium ampliùs Imperium & ullam ejus in ſe Jurisdictionem Rex Galliæ agnoſcat, ut potiùs Scriptores Francici intrepidè ſcribant, Galliæ Regi eſſe in Imperium noſtrum, Jus planè quæſitum. Quod vel maximè orbi nuper obtrudere conatus eſt Aubryus, Parlamenti Pariſienſis & Conſiliorum Regiorum Advocatus *ſub tit. Des Juſtes Pretentions du Roy ſur l' Empire*, cui ſcriptis in ipſum Notis & Animadverſionibus, Henricus Kippingus, & Nicolaus Martinus Libertatem aquilæ triumphantem opponens, maſculè unà cum aliis reſtiterunt. Manet ergo veriſſimum illud axioma Politicum; Neminem in Regno palmum tenere, quin toti immineat; & notandum Regem Galliæ per Ambaſciatorem ſuum, Dn. de Gravelle, votum & ſeſſionem in Comitiis adhuc duraturis, cùm hæc ſcriberem, Ratisbonæ ob ceſſas ſibi in Germania ditiones petentem, admiſſum non fuiſſe.

(102) *Hiſpanus &c.*] Qui, ut de Hiſpania ipſa nil dicam, olim fiduciario, ſuo nunc jure poſſidet plurimas ditiones Italicas, Mediolanum, Neapolim, Siciliam, Belgii Provincias decem, partem Regni Lotharingici; liberum Burgundiæ Comitatum, miſerè nunc à Gallo diſcerptum, aliaque; & vix erit ut, quod olim fuit, (*Conring. de Fin. Imp. Germanici lib. 2. cap. 23.*) ſeſe ob certa feuda Imperii vaſallum lubens agnoſcat; neque adhuc planè hominum mentibus excidit, quàm grave onus hujus feliciſſimo quondam Palatinatui fuerit. *Sed quod belli calamitas induxit, Pacis Lenitas ſopiat!*

(103) *Polonus &c.*] Poloniam ab Ottonis M. ævo ad Friderici II. tempora penè ſemper, & ſubjectam & tributariam fuiſſe Imperio Germanico, monſtrat & demonſtrat Conringius *de Finibus Imp. German. cap. 18. per totum, à pag. inde 307. usq. 339. (vide tamen Limnæum de Jure P. lib. 1. cap. 9. numer. 59. 60. ſeqq)* Hæc verò hodiè Superiorem planè non recognoſcit, imò Boruſſiam, quæ in fidelitate quoque Imperii fuit, (*Limnæus d. loc. num. 23. Conring. de Finibus Imper. Germ. cap. XXIX. pag. 820. ſeqq.*) ad ſe traxit, partemque vi Summæ Poteſtatis in eam conteſtatæ Marchioni Brandeburgico, Electori hodierno Friderico Wilhelmo fiduciariam olim, nunc liberam ceſſit. Ut Livoniam maximam partem Regis Sueciæ ſceptra hodiè venerantem, antea à Polono correptam & Imperio Germanorum ereptam, ſileam & prætercam, de quo Conring. *d. l. p. 828. ſeqq.* Limnæus *d. l. n. 50.*

(104) *Danus &c.*] Vide Conringium *d. l. cap. 14. p. 193. ſeqq. & c. 15. p. 221. ſeqq. c. 16. p. 232. ſeqq.* Limnæum *de J. P. lib. 1. c. 9. n. 27. ſeqq. Addit. Tom. II. p. 127.* &c.

(105) *Italiæ Principes &c.*] Hinc eſt, quòd Imperio, præter nomen, nihil ferè remanſiſſe, dicere non vereatur Boterus *in Politia Regia, Relatione de Imp. Germ.*

(106) *Veneti &c.*] Qui hodiè Marchiam omnem Treviſanam, Forum Julium, Iſtriam, Lombardiæ Tranſpadanæ partem, territorium nimirum Brixienſe, Bergomenſe, & Veronenſe, Cremam denique in regione Genomannorum, tenent. Quæ omnia olim Regno Italico ſubjecta in ditione illorum ita permanſerunt, quaſi Cæſarum Juribus extinctis, extra Imperii territorium jam ſint collocata; inquit Excellentiſſimus Dn. Conringius *de Finib. Imp. Germ. lib. 2. c. 23. p. 548.* ubi lege, & invenies ex iis facilè ab ipſo *p. 543. ſeqq.* allatis lucem fœnerari dictis Limnæi, qui indiſtinctam Reipubl. Venetæ libertatem in dubium vocare (*de Jure Publ. lib. 1. cap. 9. num. 67.*) velle videtur.

(107) *Lotharingus &c.*] Trahi hoc poteſt pro præſenti rerum ſtatu ad illa loca, quæ durante bello Germanico à Lotharingiæ Duce Carolo in Germania occupata & detenta fuerunt, nimirum Homburg atque Hohenlandſtuel, &c. quæ adhuc nondum reſtituta Anno MDCLXVIII. occaſionem motorum inter Sereniſſimum Electorem Palatinum, Dn. Carolum Ludovicum, atque Ducem Lotharingiæ, armorum præbuerunt.

(108) *Helvetii &c.*] Omnem Helvetiam, *inquit*, Dn. Conring. *de Finib. Imper. Germ. lib. 2. cap. 25. pag. 648.* Imperii fuiſſe ditionem, antequam in fœdus aliquod populi illi coaluerunt, usque eſt adeò palàm in omnibus, etiam domeſticis illorum annalibus proditum, ut demens ſim, id ſi tentem teſtimoniis probare. Ne id quidem in controverſia eſt, an ſtatim ab icto fœdere in plenam illi libertatem ſint aſſerti. Refragantur enim omnia itidem monumenta: & immunitates pleraſque adſcribunt demum privilegiis Cæſarum, Adolphi, Henrici VII. Ludovici IV. Caroli IV. Wenceslai, Ruperti, & Sigiſmundi. Imò (ut laudatus Conringius *ibid. pag. 650. ſeqq.* oſtendit) Carolo Burgundiæ Duci, ad exhortationem & requiſitiones Maximiliani Imperatoris; TANQUAM SACRI IMPERII MEMBRA, bellum indixerunt Helvetii; & in litteris ad Leonem X. Pontificem, & ad Moguntinum Cardinalem An. MDXIX. eadem ſe eſſe profeſſi fuerunt; A. MDXXII. adhuc Abbas S. Galli, quæ in Comitiis Imperii tribuere juſſus erat, perſolvit; & denum per Legatos ad Auguſtana Comitia à Ferdinando I. Cæſare Privilegiorum ſuorum confirmationem expetierunt. Atque adeò hactenus eo ipſo ſubditos Imperii ſe declararunt. Verùm hæc quidem ita ſeſe habuerunt. Ex quo autem fœderibus Gallicis fuêre ſubnixi Helvetii, ſenſim ad majorem libertatem aſpiraverunt. Nec tamen unquam remiſſionem omnium ſuorum Jurium ab Imperatore & Ordinibus nanciſci potuerunt, ipſo Camerali Judicio frequenter cumprimis eos impetente. Per tabulas tamen Pacis nuperæ videntur denique in plenam libertatem aſſerti, expreſsâ ſimul ejus publicâ confeſſione. Quarum partem (*ſcil. art. VI.*) non poſſumus non heic adferre. Cùm item Cæſarea Majeſtas, ad querelas Civitatis Baſileenſis & univerſæ Helvetiæ, coram ipſius Plenipotentiariis, ad præſentes congreſſus deputatis propoſitas, ſuper nonnullis proceſſibus & mandatis executivis, à Camera Imperiali contra dictam Civitatem, aliosq; Helvetiorũ unitos Cantones eorumq; Cives & Subditos emanatis, requiſitâ Ordinum Imperii ſententiâ & conſilio, ſingulari decreto die XIV. menſis Maii anno proximè præterito declaraverit, prædictam Civitatem Baſileam cæteros-

que

ſosque Helvetiorum Cantones in poſſeſſione vel quaſi PLENÆ LIBERTATIS ET EXEMPTIONIS AB IMPERIO eſſe; placuit hoc idem publicæ huic Pacificationis Conventioni inſerere, ratumque & firmum manere, atque idcirco ejusmodi proceſſus unà cum Arreſtis eorum occaſione quandocunq; decretis prorſus caſſos & irritos eſſe debere. *Hæc Tabulæ illæ.* Poſſis tamen fortè dubitare, an non illa poſſeſſionis confeſſio multùm diverſa ſit à Jurium remiſſione. Sed non eſt, quare hoc ipſum heic diſputemus. Hactenus Dn. Conringius. Cui jungi poterit Limnæus *de J. P. lib. 1. cap. 1. n. 25. in Addit. Tom. I. n. 35.* Dn. Burgoldenſis *in Notitia Rer. Illuſt. Rom. Germ. parte 2. diſcurſu 20.* & Rerum Helveticarum Scriptores, inter quos Stumpfius palmam tenet. Quantum verò inde Imperio deceſſerit & Cameræ Imperialis ſuſtentationi, exinde colligere licet, quòd ſecundùm matriculam Imperii de A. MDLXVII. Epiſcopus Conſtantienſis & Curienſis, Baſilienſis, Sedunenſis in Valeſia, Genevenſis, & Luſanenſis, Archiabbas Sancti Gallenſis, Abbates Schaphuſianus, Steinenſis ad Rhenum, Petershuſanus, Crucilinganii Erimitanus ſive Einſidelenſis, S. Johannis in Turtalia, Magiſter Johannitarum; Civitates Conſtantia, Schaphuſia, Sanctigallum, Baſilea, & Mülhuſium, ſoli, non connumeratis Tigurinis, Soloduranis, Bernatibus, Friburgenſibus, Nuichtonibus, quos veteres pagos vocarunt, cum aliis &c. obſtricti erant exhibere menſtruè collectos Equites LXXX. Pedites DCCCIV. ſuſtentandæ verò Cameræ Imperiali DLXXV. flor. ſine augmento perolvere. Quo cenſu nunc carendum.

(109) *Belgæ &c.*] Conſtat enim, Ducatum Geldriæ, Comitatum Zutphaniæ, Status Ultrajectenſes, planè dependiſſe ab Imperio (*Conringius de Fin Imperii Germ c. XXVIII. p. 753.*) quibus ipſi Belgæ in libello ſupplici Imperatori & Statibus in Comitiis Spirenſibus (quem & Limnæus *de J. P. l. 1. c. 9. Tom. I. Addit. p 83.* recitat) Anno MDLXX. exhibito, cujus Meteranus *l. 3.* quoque meminit) Friſiam atque Groningam addunt, & Jura in cæteras provincias competentia deducunt. Verùm enim verò poſt annum ſuperioris ſeculi octuageſimum primum, quo Hiſpano confœderatæ Provinciæ ſeſe ſubduxerunt, Imperio ſe quicquam ampliùs debere videri noluerunt, ſuntque paſſim per omnem terrarum Orbem à potentiſſimis Regibus habitæ & cultæ quaſi ſui ſint Juris, nec ulli Principi Superiori obnoxiæ. (V. *not. ad n. 101. hoc cap.*) Hinc nec à Cæſare quidem titulum *dilectorum fidelium* dari ſibi paſſi ſunt ampliùs, nec à Principibus Imperii æſtimari ullo indicio in cenſu eorum, qui Imperio ſunt obnoxii. Idque obtentu vel priſcæ exemptionis ab Imperio, vel partæ ſibi armis libertatis interim, dum ab Imperio deſererentur. (*Conringius d. loc. p. 774. ſeq ubi in ſequentibus docet, Imperatorem eò quòd ſe ad amicitiam & bonam vicinitatem colendam cum Belgis adſtrinxerit, videri Juribus Superioritatis in Provincias renunciaſſe. Tandemq; concludit: Si ſanè & Ordines (Imperii in id conſenſerint, jam fortaſſe ſeptem illæ nobiliſſimæ Provinciæ finibus Imperii ſubductæ ſunt, nec eſt cur ampliùs diſputemus, jure an injuriâ ab Imperii obſequio illæ deſciverint.*) Notandus autem hîc venit articulus, Tractatus Pacis inter Philippum Hiſp. Regem & Ordines Generales Fœderatarum Belgii Provinciarum A. MDCXLVIII. Monaſterii, in dicta illa Pacificatoria concluſæ, quinquageſimus tertius: Prædictus Dominus Rex obligat ſe effectivè ad procurandâ continuationem & obſervantiam neutralitatis, amicitiæ, & bonæ vicinitatis nomine Suæ Cæſareæ Majeſtatis & Imperii, cum prædictis Dominis Ordinibus. Ad quam continuationem & obſervantiam ibidem prædicti Domini Ordines ſe reciprocè obligant. Et de eo ſequatur confirmatio à Sua Cæſarea Majeſtate inter ſex menſes, & ab Imperio intra annum à concluſo & rato habito præſenti tractatu. Plura lege apud Limnæum *de J. P. lib. 1. c. 9. n. 17. ſeqq.*

(110) *Et quis non? &c.*] Hinc igitur conqueritur Imperator in R. A. zu Speyer de A. MDLXX. §. Als wir dann weiters ꝛc. *pag. 689.* daß das H. Reich an ſeinen Gliedern nicht allein von fremden Potentaten mercklich geſchwächt / ſondern auch etliche ſich ſelbſt darvon abgeſondert / viel Prælaturen / Graff- und Herꝛſchafften / auch Fürſtenthume / durch allerley Mittel darvon entwendet / zertheilet und der maſſen zertrennet / daß man ihrer Anſchläge nicht häbig ſeyn kan / ja auch wol gar aus der Matricul verlohren werden ꝛc.

(111) *Amplitudo maxima &c.*] Vide Lipſium *de Magnitud. Rom lib. 1. c. 3.*

(112) *Circulum totius Orbis &c.*] De magnitudine Univerſi variorum ſententias collegit Daniel Angelocrater *de Ponderibus & menſuris &c. cap. 7. pag. 139.* Jacob. Capellus *De menſuris lib. 1. n. 38. pag. 41.* & Geographi, quò curioſum Lectorem remittimus.

(113) *Umbra eſt &c.*] Imperium Orbis, inquit Benevenutus de Rambaldis *in libro Auguſtali apud Freherum Tom. II. Script. Germ. pag. 14.* Cœlum verſat, & illud quondam potens, veneratum gentibus & Regibus Romanum Imperium, præfiguratum in tibiis ferreis, cui nihil olim defuit, niſi modicum Orientis; nunc (proh dolor!) nihil poſſidet, niſi modicum Occidentis. Si Romanum Imperium in ſtatu præſenti compararetur veteri, quando in altiſſimo culmine poteſtatis dominabatur, comparatio non teneret majorem proportionem, quàm inter Regaliolum & Aquilam; Nam Romanum Imperium, cùm in primâ Dominii & Gloriæ altitudine effloruit, dum ſuper ſeptem ſuos colles evecta ſteterat, digito quaſi cœlum attingens, unde proſpiciebat univerſum orbem, videbatur non habere ullum horizontem, aut terminos dominii; Civitas Roma tunc habebat quinquaginta milliaria in circuitu; quingenti mille Cives, (præter plebeculam) computabantur coaluiſſe intra ſuos muros ſecundùm celebrem illum cenſum, quem Vopiſcus memorat. Aquila Romana tunc figebat ungues ſuper ripas fluvii Euphratis verſùs orientem Solem; ſuper cataractas Nili & montes Lunæ verſus Meridiem; ſuper ripas Danubii & Rheni verſus Septentrionem; & verſùs Occidentem usque ad Germanum & Britannicum, Maria. Cenſus illius, & vectigalia annuatim calculabantur plus quàm 200000. Talenta Auri, & ſtipendia legionarium militum ducentum mille: Sed illa altivolans Aquila quæ ſeculis retro actis dicebatur habere Solem ipſum pro Comite, nunc eheu! unâ tenui alâ, eaque exiliter plumatâ inter Rhenum ac Danubium ſolummodò volitat; Et niſi aliquæ pennæ Auſtriacæ illi inſertæ eſſent, tam nuda foret Aquila, quàm gallus deplumatus; &c. Sic ſubſannat Imperium Romano-Germanicum Jacobus Hovvell Anglus, & ejus Interpres Lati-

nus Hariſſus *in προεδρία βασιλικὴ pag. 45.* Qui ſibi alibi *pag. 7.* non temperat viliſſimam inter vetus & hodiernum Imperium Romanum inſtituere comparationem: Dici poſſit, Germ. Imperium, *inquiens*, ſi priſtinam reſpiciamus ſtaturam, contractum eſſe à Leonina pelle in Cati cuticulam; ab ingenti monte in colliculum; vel à volumine in folio ad decimum ſextum. Verùm enim verò ut Balde *de vanitate Mundi pag. m. 60.* ſub perſona Scazontis loquitur, acres improbasque cenſuras, plebs imperita pro lubentia ructat. Quod cuique pronum. Nulla merx magis venalis eſt minusque emenda, quàm rhonchus. Ubique proſtant Zöili. Inprimis multos exterorum contagio hæc pervaſit, ut Imperiis petulanti pennâ illudere, aliquando ſecurè nocere, ludus jocusque ſit, immemores, longas Regibus eſſe manus, aut certè, his ſilentibus & quieſcentibus, ſummum Numen, quod Imperia dat, minuit, adimit, gravitate pœnæ lentam ſuam Iram adverſus hujusmodi ſanniones compenſare.

(114) *Ut meritò lamentari poſſimus &c.]* Jam laudatus Balde *d. loc. pag. 45. de veteri Roma n. XXVI.* ſic canit:

An iſta Roma? fumus iſtud eſt Roma?
Hic Roma truncus? hoc cadaver eſt Roma?
Quis per me! O viciſſitudo Regnorum!
Ergo iſta Volſcos vicit, & Numantinos
Canes abegit SCIPIONE latranteis?
Hæc tauriformis abſtulit caput Byrſæ?
Quis me! fugavit iſta Larva Germanos?
Vah! quis per altum me ferat? VALE ROMA.

(115) *Britannia &c.]* Limnæus *de J. publ. lib. 1. c. 9. n. 25.* quod & Hovvell *de προεδρία βασιλικὴ pag. 8.* fatetur: inquiens: Reputatur (*Imperator*) primus Principum Chriſtiani Orbis; & de bono Jure cæteri Reges ita eum agnoſcere obligantur; quia illorum Regna non poſſunt dici alia, quàm Rami avulſi à magna Arbore Romana, qui radices novas ſumentes gradatim ceperunt & ipſi ſe erigere in Regales arbores; Magna Britannia ſicut illa erat ultima (ob reſiſtentiam militarem tam pertinaciter factam) quæ reducta fuit ſub jugũ Romanum: Ita erat prima, quæ excutiebat illud jugum, & libera evaſit.

(116) *Neapolis, Sicilia &c.]* Idem *d. loc. num. 65.*

(117) *Livonia &c.]* Idem *d. loco num. 50.*

(118) *A Regia Aquisgranenſi ſede &c.]* Goldaſtus *in Præfat. ſeu Dedicatione* der Reichshandlungen / ita ſcribit: Daß von Anbegin der Regierung Kaiſers Rudolphi I. dieſes Namens / bis auf unſere Zeit / ſich bey 200. und mehr Ort und Stånd / von Ertz- und Biſthumen / Hertzog- und Fürſtenthumen / Marg- und Landgraffſchafften / Abt- und Probſteyen / Gefürſte- und Pfaltzgraffſchafften / Graff- und Freyherrſchafften / Freyen- und Reichsſtådten / ſo dem Königlichen Stul zu Aach unterworffen / dem Teutſchen Reich einverleibt / mit Ayd und Lehenpflicht zugethan / und in der Matricul angeſchlagen / auf die Reichståg erfordert / und neben andern getreuen Stånden deß Reichs Ihre Seſſion und Stimme gehabt / von demſelben Reich eximirt und entzogen / und werden ohne / noch durch Mittel mehr verwand ſeyn / und diß allein von dem Königlichen Stul zu Aach / in dem Reich Teutſcher Nation. Von dem Kaiſerlichen Stul zu Rom iſt in Italien / und anſtoſſenden Låndern und Reichen / ſo den Römiſchen Kaiſern und Königen Teutſcher Nation vor Zeiten ohne Mittel unterworffen geweſt / noch viel mehr Abfall geſchehen. Vide tamen G. V. H. *Comitiolog. Ratisbon parte 4. diſſ. 8. n. 67.* Indeque à Carolo V. Capitulationibus Cæſareis articulus quidam acceſſit, cujus virtute Imperatores ſeſe adſtringunt ad recuperationem violenter detentarum aut occupatarum ad Imperium pertinentium Urbium, Provinciarum atque Poſſeſſionum, de quo Limnæus *in Annot. ad Capit. Caroli V. art. 9.*

(119) *Sed ferratis Canonibus &c.]* Reſpicit fortaſſis Sylveſter zum Arenthal (*cujus hæc verba in Iconiſmo Aquilæ Rom. collat. 2. p. 14. ſunt*) ad dictum Henrici IV. Gall. Regis, quem ferunt aliquando dixiſſe: demonſtraturum ſe Jus ſuum in Urbem quampiam obſeſſam Canonibus atque aliquot millibus hominum. Sive ut Joh. Wilhelm. Zinckgrâf *in Apoph. pag. m. 82* refert, dedentibus ſeſe Carnutibus (Anno MDXCI.) obſeſſis clavesque Urbis porrigentibus hisce, verbis: Promptos ſeſe obedire Regi non ſolùm de Jure divino, ſed & humano &c. verba facienti Regem humeros blandè vapulantem, adjeciſſe; nolite quæſo obliviſci Juris Canonum. Quæ vox & Juris Pontificii Canones & majora tormenta Gallis ſignificat. Pierre Matthieu, in re conſentiens in circũ ſtantiis parumper diſcrepans, Magiſtratui verbis addidiſſe, & Jure Canonũ, quo ſignificaret moleſtiam ab ipſis creatam, antequã illos ad priſtinam obedientiam redigeret, *en l' Hiſtorie de Henry IV. lib. 1.*

(120) *Barbarium Philippum &c.]* De quo *l. 3. ff. de Offic. Prætor.* agit.

(121) *Poëta &c.]* Uldaricus Huttenus ſcilicet, qui verſibus hisce Maximiliano I. Imp. ab Anno MDVII. per octennium variâ fortunâ, bellum cum Venetis gerenti (*de quo Guicciardinus Comm. l. 8. & ex eo Author Reipubl. & Status Imperii ab Elzeviriis Anno 1634. editus pag. 339. ſeqq. Cuſpinianus breviter in Maximilian. pag. 488. Cluverus in Epitome Hiſtor.* Sigm. von Bircken im Spiegel der Ehren deß Ertz-Hauſes Oeſterreich *lib. XVIII. Joh. Baptiſta Verus ex recentioribus agunt*) applaudit. Autumnat nonnulli Authores tunc temporis Epiſtolam à Duce & Senatu Venetorum, Reipublicæ & Communitati Norimbergenſi ſcriptam, quâ Norimbergenſium interpoſitionem ad procurandam pacem efflagitabant, quæ inter Opera illuſtris Viri Bilibaldi Pirckheimeri, Conſiliarii quondam DD. Maximiliani I. & Caroli V Impp. Augg. Equitis Aurati, Senatoris, & Patricii Norimbergenſis, ut & in Cardinalis Tuſchi *Selectis de Jure Statuum in Imperio Romano membr. 25. pag. 78. ſeq.* extat, & ſic ſe habet: Non equidem noſtrâ culpâ, P. N. Cæſar nobis hoſtis eſt; atque adeò ejus aures obduratæ ſunt, ut colloquendi nusquam facultas ſit. Neque id tamen in ipſum referimus, qui clementiſſimus eſt, ſed potiùs id fieri putamus ſuggeſtione malevolentium, qui, dum ſibi tantùm conſultum exiſtimant, nullam habent rationem collapſuri Romani Imperii. Etenim muneribus capti ſunt, & non vident, Gallos naturâ Germanis infeſtos eſſe, & geſtire coronam Imperii. Et quidem ea Cæſari in aperto res eſt. Namque ipſe ſæpè etiam profitebatur, facilè collapſura machinamenta hujusmodi, ſi celeri remedio occurratur, ſicut & nos futurum credimus, ſi modò Cæſar ita velit, ut poteſt, obviam ire: atque ea, quæ facimus, & quæ per Oratores facturi dicturique

ſumus, in bonam partem accipere. Et quænam nos egimus adverſus Cæſarem, niſi ea, quæ plena officii ſunt? Bello laceſſiti, tuendi nos gratiâ obſiſtimus: & quæ ceperamus, ultrò reddidimus, dum ea re Regem Maximilianum placatum iri meritò putaremus. Inſuper modò nedum cupimus fœdus ritè factum validum & inviolatum eſſe, ſed etiam pacem perpetuam intercedere cum veſtro Cæſare, cujus, ſi poſſumus, eſſe volumus ſemper cultores obſequentiſſimi. Verùm obſtant obtrectatores, quibus vos obviam ire par eſt, dum noſtra ſimul & veſtra res agitur, quando mutua noſtra commercia viciſſim ſemper uſui ſint. Noſtra præſertim in vobis ſpes eſt, & in DEO Opt. Maximo, quem procul dubio ſperamus nobis auxilio fore, non immemorem eorum, quæ ſemper egimus, ſervandæ & augendæ Chriſtianæ Religionis gratiâ. Namque alioquin Reges terræ nobis infeſti ſunt magis, quàm unquam in Turcas fuerint, & rem Venetam, quantò maximo poſſunt ſtudio, perditum eunt. Vos igitur, auctore Deo, in vobis, qui ſemper antiquâ benevolentiâ nobis conjuncti fuiſtis, noſtram quæſo cauſam agite apud Cæſarem, ut, veſtrâ operâ Ipſo conciliato, nobiscum vos rebus noſtris omnibus uti poſſitis, atque conſervata dignitas & civitas noſtra non magis, quàm vobis ſemper uſui ſit. Sed, ut verum fatear, Epiſtola illa ex eo mihi non parùm ſuſpecta eſſe incepit, quòd, licèt aliæ eo tempore à Duce & Republica Veneta, ad Senatum noſtrum Norimbergenſem literæ perſcriptæ & plumbo ſignatæ in archivo noſtro reperiantur & aſſerventur ſanctiſſimè, dicta tamen nuspiam appareat. 2. Tenor illarum, quas ipſe legi, ab hâc non parùm vel in his diſcrepet, quòd illic in Imperatorem D. Maximilianum hoſtem ſuum acriùs invehat, in hâc alia omnia ſcribat. 3. Quòd hîc nec nomen Ducis nec annus extet. Ut alias conjecturas ſilentii ſipario involvam. Interim quisque volet, demat vel addat uni alterive opinioni fidem.

(122) *Monachos habere &c.]* Similiter Theodoricus à Niem, Epiſcopus Verdenſis, *de Schismate lib. 3. cap 43.* conqueritur, reperiri in Allemannia aliquem Archiepiſcopum vel Epiſcopum, qui fortè in duplo plus habet in reditibus, quàm percipit Rex Romanorum in omnibus terris ſibi ſubjectis, & aliquis Princeps ſecularis, qui detinet plures terras, quàm poſſidet Imperator.

(123) Beth ꝛc.] Hoc vocabulum (ita enim ſcribendum, contrà quàm in prima Editione Klockius ſcripſerat Leicht / ex Lehmanni evolutione patet,) explicat Knipſchild. *de J. & Privil. Civil. Imp. l. 2. c. 17. n. 3.*

(124) *Emolumenti &c.]* Verùm reſpondit ſtatim Landgravius Haſſiæ, etiamſi fortè non ita multùm ad Cæſarem ex Imperio redit, tamen quòd in Turcam & Galliæ Regem & in alios ei dantur auxilia, quòd Imperii dignitas hæc authoritatem ei ſummam ad cæteros Reges conciliat, quòd copias perpetuò conſcribere, & exercitus maximos in Germania conficere poteſt, cùm id cæteris non liceat, quanti id eſſe putabitur? junge Limnæum *ad Capit. Caroli V. art. 9. n. 20. usq; ad fin. pag. 169. ſeq.*

Num. 57.

(125) *Ad ſexaginta &c.]* In Repartitione, ut vocant, ſive Diſtributione quinque millionum, & quod excurrit, Thalerorum Imperialium, ad ſatisfactionem militiæ Suedicæ per Circulos Imperii Norimbergæ XXV. Junii Anno MDCL. compoſitâ & approbatâ, recenſentur ſequentes Imperii Civitates ſexaginta & duo, quibus ſolis ultra millionem, unde unde etiam maximam partem deſolatæ & ad paupertatem redactæ coacervarent, exſolvendũ erat: In CIRCULO FRANCONICO, Norimberga, Rotenburgum, Windsheimium, Schvveinfurtum, Weiſſenburgum; In SUEVICO, Auguſta Vindelicorum, Kauffbeyra, Ulma, Memminga, Campodunum, Biberacum, Iſena, Leukircha, Wangena, Lindavia, Ravenſpurgum, Buchorna, Uberlinga, Pfuledorffium, Reutlinga, Eslinga, Gemunda, Wila, Heilprunnia, Wimpina, Hala Sueviæ, Dinckelſpûla, Bopfinga, Gienga, Ala, Nordlinga, Buchavia, Offenburgum, Gengenbachium, Cella ad Hamerbachium, Rotvvilla; In SUPERIORI RHENANO, Cæſaris Mons, Turcchæmium, Monaſterium in valle S. Gregorii, Ehenhæmia, Colmaria, Argentoratum, Roshæmium, Seleſtadium, Hagenoa, Weisburgum, Landavia, Spira, Wormatia, Francofurtum, Fridberga, Wetzlaria; In WESTPHALICO, Colonia Agrippina, Aquisgranum, Dortmunda, Herfordium; In SAXONIÆ INFERIORIS, Lubeca, Brema, Hamburgum, Goslaria, Mulhuſium, Northuſa. De quibus omnibus ſcripſere Nicolaus Reuſnerus, *(qui Ammersvveierum, Conshæmium atque Metim quoq; accenſet,)* Joh. Limnæus *de J. publ. per totum lib. VII. & in Addit. Tom. I. & II.* Zeilleri Topographiæ Germaniæ paſſim, Respublica & Status Imperii Romano-Germanici *ab Elzeviriis Anno 1634. editus*, & demum Philipp. Knipſchild. qui juſto volumine harum origines, jura atq; privilegia complexus eſt.

(126) *In Comitiis confertur &c.]* Collectas Imperii, vulgò Reichs-Steuren / imponendi modus in duplici eſt differentia. Prior conſtitutione Maximiliani Primi introductus fuit in Imperio Romano-Germanico, Denarius communis, der Gemeine Pfenning / quem quilibet Imperii Civis & Subditus ſive mediatus ſive immediatus Cæſari ſolvere obligatus erat, eumque exigebat deß Reichs Pfenning-Meiſter. Quæ collecta communiter Capitatio dicebatur. Alter, poſterioribus temporibus enatus, modus vocabatur nach den Römer-Monaten / dum cuilibet Principi ac Statui Imperii certus numerus, juxta quantitatem in Imperii matricula definitam aſſignatur. Qui poſterior adhuc in Imperio obſervatur, quamvis & de reducendo priore ſæpiùs, & in durantibus etiamnum hoc Anno MDCLXIX. Ratisbonæ celebratis Comitiis quoque conſultatum fuiſſe, protocolla docent. De utroque latè agunt Limnæus *de J. P. lib. 4. cap. 7. num. 50. ſeqq.* Beſoldus *in Theſauro Practico, in verbis* Reichs-Anlag / Reichs-Steuer. Speidelius *in Speculo verbis*, Gemein-Pfenning & Römerzug. Dn. Nicolaus. Myller. *de Statibus Imper. part. 3. cap. 97.* Author noſter infrà *lib. 2. cap. 53. num. 14. ſeqq.* & *in Tr. de Contributionibus c. 1. num. 216. ſeqq. cap. 2. n. 115. cap. 11. num. 45. ſeqq. &c.* Cùm autem ad impoſitionem collectarum in Imperio noſtro & Statuum conſenſus requiratur, omnium frequentiſſimus cœpit hic eſſe in Comitiis punctus, ita ut Paulus Jovius, *citante Arumæo de Comitiis cap. 8. num. 26.* argutè dixerit, Pecuniam eſſe Summam Comitiorum Germanicorum. Hincque fortaſſis eſt, quòd Author noſter in genere collectas Imperii

perii dixerit, *Summam, quæ Imperatori in Comitiis confertur.* An verò Liberæ Imperii Civitates præcisè duas quintas illius collectæ offerant, dubitarem ex ſuperiùs ducto calculo Summæ in ſatisfactionem militiæ Suecicæ collatæ. Ultimò notandum, juxta declarationem Reformationis Friderici III. Imperii collectas nonniſi ſingulis decenniis recurriſſe; quod fortaſſis nunc inter LL. abrogatas connumerandum.

(127) *Peculiarem cenſum &c.]* Liberas Civitates Imperii ferè ſingulas, olim Imperatori quotannis in recognitionem immediatæ ſubjectionis, non levem pecuniæ ſummam ſolvere obſtrictas fuiſſe, & quaſdam adhuc eſſe, rectè Limnæus *ad Capitul. Caroli V. artic. 23. pag. 252. ſeqq. Author Actorum Lindavienſium,* Valentinus Heiderus *pag. 78.* ubi *pag. 630. ſub lit. vv vv vv. exemplis rem demonſtrat,* & poſt illos Knipſchild. *de J. & Privil. Civit. Imp. lib. 2. cap. 17. num. 21.* docent; conſtatque Inclytam Norimbergam ad ſolvendas MM libras Hellerorum (quæ deinde à Carolo IV. Anno MCCCLX. & Wenceslao Anno MCCCLXXIX. Impp. in totidem florenos commutatæ, per emtionem venditionem à Friderico III. Imp. Anno MCCCCLXXXVII. ad dimidietatem redactæ fuerunt,) Imperatoribus obligatam extitiſſe. Cæterùm quæ Civitates adhuc oneri cenſus ſubjectæ remanſerunt, ſingulæ diverſas quotas habent, quas quotannis ſolvere tenentur, tanquam præcipuas & diſtinctas à reliquis Imperii oneribus, ſive collectis ordinariis vel extraordinariis. Nam has illarum curſum non ſiſtere, rectè Limnæus opinatur.

(128) *XV. millia fl. &c.]* Ita quidem Legatus Venetus *apud Honorium in Theſauro Polit. parte 1. pag. 46.* D. T. U. Y. *en Theatre de Monde,* & ejus interpres Gotofredus *in Archontologia Coſmica de Imper. per Germ. num. 15. part. 1. pag. 73.* Sunt tamen alii qui ſummam adhuc eſſe XX. mille florenorum ferunt. Limnæus *d. l. n. 2.*

(129) *Septem milliones &c.]* Sequitur in eo Author noſter iterum Authorem Gallicum & ejus Interpretem Gotofredum *d. loc.* quod nos in medio relinquimus.

(130) *Auxilium Romanum &c.]* Uſitatiùs *Expeditio Romana* dicitur, eſtque Comitatus, qui Romanorum Regi pro conſequenda Pontificia inunctione & Corona Imperiali Romam eunti præſtandus eſt. De ea extat Caroli III. dicti Craſſi Conſtitutio, quam beneficio Marci Welſeri adeptam Conradus Rittershuſius JCtus, *in fine Notarum ad Guntheri Ligurinum*, edidit primus, dein Marquardus Freherus, cum mellitiſſimo in eam Commentario, cui mantiſſam Joachim Cluten adjunxit, & à Goldaſto *Conſtit. Imper. Tom. I. pag. 28.* exhibetur. Qui idem tamen aliam Caroli II. Calvi nempe, *Tom. III. pag. 292.* apponit. Denique conſtitutum legitur in Comitiis Wormatienſibus Anno MDXXI. numerum concomitantium ad viginti millia Equitum, quatuor millia Peditum extenſum fuiſſe. Licèt verò inde à Caroli V. tempore nemo Imperatorum Romam pro conſequendâ coronâ adierit, ſumma tamen in matricula taxata à Principibus & Statibus in caſu neceſſitatis præſtanda manſit, &, non obſtantibus implorationibus & demonſtrationibus multorum obedientium Statuum, quòd collectæ ſecundùm vires patrimonii præſentis non præteriti, conſiderando fructus & reditus, quos quilibet Imperii Status percipit, imponendæ ſint, vigorem ſuum tenuit. Sed cùm plures de Expeditione hac multa congeſſerint, & inter illos Limnæus *de J. Publ. lib. 2. cap. 4. num. 107. cum allegatis.* Goldaſtus *de Regno Bohemiæ lib. 2. cap. 15.* Beſoldus *in Theſ. Pract. voce* Römerzug. Carolus Tapia *de Conſtit. PP. part. 1. cap. 4. num. 42. ſeqq.* Mylerus *de Princ. & Statibus Imp. part. 3 cap. 97. num. 11. ſeqq.* & Juris Publici Scriptores paſſim, Lectorem eò remittimus; illud tantùm hoc loco ex Speidelio, *in Speculo, ſub verbo* Römerzug/ ſubjungentes: Licet ſubditi & ruſtici Statuum Imperii cauſam & originem Expeditionis Romanæ, deß Römerzugs neſciant, effectum tamen ejus, quamvis nullus Imperatorum (uti poſt Carolum V. experientia docuit) coronationis ergò profectus Romam, per hactenus collectandi modum der Römer-Monat / ſat ſuperque notum habent, und ſind die Römer-Monat præteritis & nondum ceſſantibus annis, ſo offt in manches Bauren Haus kommen/ ut quidam haud ineptè dixerit: Er wolte die Römer behielten ihre / und lieſſen den Teutſchen ihre alte und gezeichnete zwölff Monat; denn die Römer-Monat wären ſo kurtz / daß deren hundert und noch wol mehr auf ein Teutſch Jahr giengen.

(131) *Sub hoc prætextu &c.]* Vid. Author noſter Klockius *Tr. de Contrib. cap. 17. num. 164. & 169.*

Num. 58.

(132) *Rudolphus I. &c.]* De Rudolpho, ſic Cuſpinianus *in ejus vita pag. 353.* Italiam intrare internis implicitus negotiis non potuit. Quæſitus autem à Principibus, cur non Romam pro Imperiali corona peteret? ut erat facetus, talem iis Apologum reddidit. Quondam, *inquit*, omnes feræ à rege animantium in altum quendam montem, ſpecubus & antris concavum, accerſebantur. Venerant cicures, venerant feræ pleræque omnes: Sagax vulpes antro quidem proxima, ſed priusquam ingrederetur montis profunditatem, aliarumque animantium reditum præſtolabatur. Cùm autem pauciſſimæ egrederentur: Neque ego, *inquit*, ingrediar, fortè in illarum numero, quæ intus manent, connumerarer, non harum, quæ egrediuntur. Innuere volens, plures quidem Cæſares Italiam ingredi, ſed paucos cum ſuo & patriæ commodo feliciter redire. Manſit ergò in Germania, ab Alpibus ad Balthicum mare pacata omnia cum Juſtitia reddens. Licèt ab Adriano Pontifice vocaretur, admonereturque voti ſub Gregorio facti, tamen id ſolvere non potuit. Sed vicarium Imperii in Ethruria conſtituit Luchinum Maphæum vice Comitem, Romandiolamque, & Ravennatem Exarchatum Pontifici & Eccleſiæ conceſſit, quòd modico tributo ſub Imperatore liberè degebant, multaſque auri libras per Henricum Baſilienſem Epiſcopum in Italiam miſit Piſanis. A Bononienſibus verò, Florentinis, Genuenſibus, Lucenſibusque pro libertate (ſed in gravem Romani Imperii jacturam) grandem congeſſit pecuniam. Italici Scriptores tradunt (ſed perperam & falsò) Nicolaum III. Pontificem Max. Vicariatum Ethruriæ Rudolpho, quòd terram Sanctam non ingrederetur, abſtuliſſe. Qui certè non fuiſſet paſſus hanc ſibi fieri contumeliam, qui Princeps erat ſuâ ætate bellicoſiſſimus. Sed id profectò omnes atteſtantur, quòd ab omnibus pecuniam recepit libertate conceſſâ, & Imperii fideles pronuntiavit. Quam rem Honorius IV. Pontifex, ut infamem, ſibi tamen & Italiæ non inutilem, non

magis

magis probavit, quàm prohibuit. Avaritiæ itaque notatus ſtudio, à plerisque reprehenditur, in cæteris laudatiſſimus. *Hactenus Cuſpinianus.* Ceſſam verò Romandiolam & Exarchatum Ravennatem non niſi certis conditionibus, ſcribit Sigismundus von Bircken im Spiegel der Ehren deß Ertz-Hauſes Oeſterreich *lib. 1. cap. 10.* quem de conceſsâ Urbibus Italiæ ad quietem conciliandam libertate *ſeq. cap. 14.* omninò vide. Interim quamvis multi Scriptorum hoc de Rudolpho referant, plenam tamen libertatem ab eo Italis collatam, rectè negat & validis rationibus Negativam ſuffulcit rerum Germanicarum peritiſſimus Dn. Conringius *de Finibus Imperii Germ. lib. 2. cap. 23. pag. 493. ſeqq.*

Num. 59.

(133) *Florentini &c.]* Limnæus *de Jur. Publ. lib. 1. cap. 9. num. 30.* & *ad Capitul. Caroli V. art. 9. pag. 167.* Conring. *de Finib. Imp. German. dict. lib. 2. cap. 23. pag. 498. ſeqq.* Cluten *rer. quotid.* θ. *13.*

(134) *Lucenſes &c.]* Limnæus *dict. loc. num. 53.* ubi tamen in fine, maximè in Additionibus ad d. locum *Tom. I. & II.* eorum opinionem ſequi videtur, qui Lucam adhuc hodiè Imperialem Civitatem (quod & Conringius *d. l. p. 538.* facit) eſſe autumant, Cluten *d. l.* θ. *15.*

(135) *Senenſes &c.]* Idem quod de Lucenſibus de Senenſibus ſentit laudatus Limnæus *dict. loc. n. 63. 64. Addit. Tom. I. pag. 62.* & *Tom. II. pag. 153.* Conringius *dict. loc. & cap. pag. 507. ſeqq.*

Num. 60.

(136) *Scalæ Veronâ &c.]* Platina *in Clemente V* Lætus *in Compend. Hiſtor. univerſ. cap. 21. pag 312.* & à Pezelio *in Mellif. Hiſt. part. 3. p. 635. a.* largiter citati Authores.

Num. 62.

(137) *Semper-Auguſtis vix eſſe licet &c.]* Adeò hæc Corona gravis videtur, ut non poſſit quieſcere, niſi in capitibus jam antea coronatis, nec electione ſuſcipi, niſi ab illis, qui alias ſucceſſione jam obtinuerunt totas, inquit Limn. *ad Capit. Caroli V. art. 9. p. 172.*

Num. 64.

(138) *Goldaſtus &c.]* Cæſaris verba apud Goldaſtum *Tom. 1. Conſtit. Imper. part. 2. pag. 24.* ita ſonant: Germaniam ad eam egeſtatẽ, rerumq; inopiam redactam eſſe, ut non modò ipſi (*Status*) quicquam contra Chriſti fidei hoſtes truciſſimos Turcas dignè gerere poſſint: Sed nec tantulas ſupereſſe S. Rom. Imperii opes & facultates, unde Juſtitiam & Pacem tueri & conſervare, ac nefariorum hominum ſcelera & in inferenda injuria audaciam poſſint cohibere, &c.

Num. 65.

(139) *Goldaſtus &c.]* Ipſiſſima ejus verba Germanica ſuprà *ad n. 56.* adduxi.

Num. 66.

(140) *Carolus IV. &c.]* Theod. à Niem. *de Schiſmate lib. 2. cap. 25.* inquit: Carolus hujus nominis Quartus Auguſtus, imò verus diſſipator injuſtus &c. Et Aventinus (*loco in tr. citato*) hoc cum elogio mactat: Imperium alioquin in ruinam pronum peſſumdedit &c. Contra auſpicia, & interceſſiones, adverſus leges avitas, & patrias, contra morem majorum, novo, inaudito & peſſimo exemplo Imperium ſibi primùm, deinde filio mercatus. Quod ultimum & Cuſpinianus *in vita Caroli pag. 382.* & Albertus Crantzius *Saxoniæ lib. 9. cap. 26.* affirmant, dum hic ſcribit: Ferunt multis largitionibus effectum, ut ea fieret Electio: (*ſcilicet Caroli IV.*) neque enim Pater, neque filius profuſionibus pepercêre, quò minùs ad optata perveniret.

(141) *Regnum Arelatenſe &c.]* Primus hujus traditionis Author legitur, jam allegatus Theod. à Niem, ſecundus Johan. Aventinus *cum ſeqq.* ſed falſum eſſe, quòd Carolus IV. Cæſarea jura Gallo in perpetuum ceſſerit; fieriq́ue ea in re à Niemio, Aventino & aliis Cæſari illi ingentem injuriam Dn. Conringius *de Fin. Imp. Germ. l. 2. c. 24. p. 569. ſeqq.* demonſtrat.

(142) *Sedecim liberas Civitates &c.]* Krantzius *Saxon. lib. 10. cap. 3.* hoc de Sueviæ Civitatibus refert, ſubjungens (*poſt verba illa: venales exponi.*) Plurimum enim intereſt, hanc vel illam ſupra ſe agnoſcere poteſtatem. Imperator ex eis unam indignatus obſeſſam niſus eſt expugnare ad terrorem cæterarum: cæteræ ad arma concurrentes obſeſſis opem tulêre. Tum quoq; nonnulli ex his, ſalvâ libertate ſolitâ, Principibus Auſtriæ ad protectionem ſe commendavêre, non ut Dominis parituri, ſed ut Protectoribus viciſſim obſequuturi.

(143) *VVenceslaum ſucceſſorem &c.]* Mirus hic omnium ferè Hiſtoricorum conſenſus, uti poſt allegatos ab Authore noſtro Klockio Scriptores, ex Ænea Sylvio *Hiſtor. Bohem. cap. 33.* Hagecio Böhmiſcher Chronica *part. 2. pag. 44.* Mutio *Rer. Germ. lib. 25. ad Anno 1369.* Lehmanno *lib. 7.* der Speyeriſchen Chronica *cap. 40.* Nauclero *vol. 2. gener. 46. pag. 1018.* Adelzreittero *Boicæ Gentis Annal. part. 2. lib. 6. num. 4.* & aliis recentioribus & antiquioribus Hiſtoricis apparet. Inde Barclajus *in ſua Argenide lib. 1. p. 94.* Ipſi Aquilii diverſo è genere lecti, quàm ſæpè Majeſtatis ſuæ vires his proditas curis fregerunt? Inter hos ille, cujus Sanctiones aureas dicunt, ut filio regnum pararet, quo pretio ſuffragatores emit? Quo deinde ſceptri incommodo, cùm ſolvendo non eſſet, publica iis vectigalia conceſſit, quæ primùm pignoris nomine occupata, mox iſti imbecillitate vel errore regnantum in hæreditatem verterunt. Inde Krantzius *d. loc. cap. 4.* de Imperatore Carolo & Wenceslao; Aliquantoque meliùs, *inquit*, actum eſſet cum Imperio, ſi neque pater neque filius in eo fuiſſent. Nam pater largitionibus, ut filium extolleret, filius ignavis diſſimulationibus, Imperium attrivêre, inque eam tenuitatem, quæ nunc cernitur, adduxêre. Auguſtos ſe amant interpretari, quaſi augendo inſtantes Imperio: ſed longè ab hac interpretatione patris largitio, & filii ignava diſſimulatio.

(144) *Competitoribus &c.]* Quorum Tres Cuſpinianus *in vita Caroli IV.* nominat, Eduardum nempe Angliæ Regem, qui electionem multa cum gratiarum actione recuſavit; Fridericum Marchionem Miſnenſem, qui abjecto Principum Conſilio, à Carolo acceptis decem millibus marcarum, feudi inveſtiturâ inſequenti, fidelitatis juramentum præſtitit; Guntherum Schwartzenburgicum, qui & ipſe Regno ſe abdicavit prece & pretio & veneno victus.

(145) *Luſa-*

(145) *Luſatiam &c.]* Id ipſum tradit Theod. à Niem *in Nemore unionis Tr. 6. in Labyrintho cap. 33. fol. m. 365.* Et Goldaſtus *de Regno Bohemiæ lib. 2. cap. 10. num. 15.* inquit: Anno MCCCLVI. in Comitiis Norimbergenſibus utraque Luſatia Regno Bohemiæ incorporatur, ſalvo tamen Jure Imperii; quæ ſalutaris clauſula ſemper ſolet ſubintelligi, nec obſcurè indicatur in Conſtitutione Caroli IV. Imperatoris, & confirmatione Electorum Imperii, quæ Statibus Regni Bohemiæ ſuper hâc incorporatione ſunt conceſſæ. *(vid. Goldaſt. Tom. unic. Conſtit. Imp. pag. 345. & 348.)* Quàm variis olim Imperiis ſuperior atque inferior (*ita enim dividitur*) Luſatia ſubjecta fuerit, docet Goldaſtus jam laudatus, *de Regno Bohem. lib. 1. cap. 16.* & *lib. 2. cap. 10. lib. 3. cap. 16. n. 29. ſeqq.* Conring. *de Finib. Imper. lib. 2. cap. 29. pag. 786.* Zeiller. *in Compendio Itinerarii German. cap. 23. num. 4. pag. 777. ſeqq.* M. Paul. Stransky *de Rep. Boiemæ cap. 7. num. 4. ſeq.* Tandem cùm Johanni Georgio Saxoniæ Duci, Electori, Luſatia ad officium reducenda à Cæſare Anno MDCXIX. poſt conventum Mûlhuſianum, commiſſa fuiſſet; (Brachel. *Hiſtoriar. noſtri temp. lib. 1.*) capta illa Provincia ipſi in compenſationem impenſarum bellicarum VII. Junii Anno MDCXXIII. Imperatoris nomine relicta (Theatr. Europæum *part. 1. pag. 758.*) demùm per ſpeciale pactum, cujus mentio fit in Pace Pragenſi Anno MDCXXXV. §. was der Röm. Käiſerl. Majeſt. Erb-Königreich Beheim ꝛc. in fin. planè ceſſa, 1/2 4. Aprilis ejuſdem anni ſolenniter in manus ditionemque tradita, & ab ipſo Dn. Electore ad filios per teſtamentum tranſlata fuit. Extitit quidem nonnemo, qui ſub nomine Juſti Aſterii, Luſatiam iniquè à Regno Bohemiæ diſtractam in Diſſertatione de Pace Pragenſi, quam ſub titulo Deplorationis Pacis Germanicæ in publicum emiſit, *pag. 27.* aſſerere conabatur, ſed huic maſculè Sinoldus dictus Schütz *in Collegio Publico de Statu Rei Romanæ Diſp. 7. theſ. 26. lit. m.* reſtitit.

(146) *Marchiam Brandenburgenſem &c.]* Cuſpinianus *in vita Caroli pag. 583.* Ut patriam dilataret, Marchionatum Brandenburgenſem & Luſatiæ, item Ducatum Sileſiæ, Bavariæ, Mulberg, & Advocatorum terram, cum multis aliis Dominis, pro Regno Bohemiæ obtinuit, partim emptione ac pretio, partim bello & aliis artibus.

Num. 67.

(147) *Deplumata eſt Aquila &c.]* Rudolphum cum Carolo IV. Julius Pflugius *in Oratione de ordinanda Republica Germ. pag. 27. & 28.* conjungit, originem verò exitiali, Imperio noſtro, poſt Fridericum II. ſubſecuto, XVII. annorum Interregno adſcribit, inquiens: Profectò cùm diu & aliquot ſecula floruiſſet Imperium Germaniæ noſtræ, ita tulit tandem caſus rebus noſtris infeſtos, ut poſt mortem Friderici II. idem duodeviginti annos Imperatore careret. Interea cùm Majores noſtri non haberent, cui parerent uni, optimam illam, de quâ egimus, Reipublicæ ſuæ formam propè amiſiſſe videntur. Quam etſi poſtea per Rudolphum Habſpurgum Reſpublica recuperavit, non ita tamen, ut ante interregnum floruit. Nam quo tempore Magiſtratus Principeſque nationis noſtræ præſidio Principis ſui nudati erant, nec habebant, à quo defenderentur, opes ipſi ſuas, quibuſcunque rebus poſſent, firmarunt: & multa eorum, quæ ante Imperatorum fuerant propria, ad ſe tranſtulerunt: ut cùm quiſque in civitate atque ditione ſua & regenda & tuenda munus Imperatoris obiret, ipſe ejus nervis & quaſi viribus niterentur. Ac cùm Magiſtratus Principeſque noſtri illa uſurpaſſent aliquandiu, nec ſine vi ab eorum poſſeſſione dimoveri poſſent, maluit Rudolphus de jure ſuo decedere, quàm offendere voluntates eorum, quorum operâ & domi & militiæ utiliter uti poſſet: nec ſuſpicatus fuit unquam fore, ut qui ex ipſo quaſi patrimonio Imperii creviſſent, non obtemperaturi eſſent ſibi, poſteriſque ſuis ultrò, nec Rempubl. gratis animis adjuturi. Et quanquam Princeps hic ſtatuebat, ſe imperium beneficiis multò faciliùs, quàm vi atque armis tenere poſſe, deceſſit tamen non parum de publicis Imperii ejuſdem facultatibus atque emolumentis. Quin ab eo tempore indies magis ac magis extenuata fuerunt jura atque vectigalia Imperatorum noſtrorum, ut poſt Carolum IV. è publico noſtro & vectigalibus Imperii non modò non nervos bellorum, ſed ne pacis quidem ſubſidia ampliùs Imperatores noſtri habuerint. Debilitavit quidem ratio hæc poteſtatem, quam penes eſſe debebat ſumma rerum noſtrarum, atque ita convulſit, ut quibus Principibus populiſque Germaniæ imperare oportebat Cæſarem, eorum ipſe nutum intueri quodammodo cogeretur: cùm præſertim ei non ampliùs liceret pecuniam atque militem (ſine quibus nihil rerum magnarum benè geri poteſt,) populis Germaniæ noſtræ imperare, niſi Principum atque Ordinum conſenſus publicus accederet.

(148) *Schneidewini &c.]* Scilicet loco ſuprà *n. 53.* allegato, ubi expreſsè de reditibus ordinariis tantùm verba facit.

(149) *Aquilas paviſſe &c.]* In Scholam Pragenſem ingreſſus aliquando Carolus IV. Roman. Imperator, cùm diſputantes liberalium artium magiſtros in horas quatuor audiviſſet, idque purpurati moleſtè ferrent, ac cœnæ tempus adeſſe dicerent: Mihi, *inquit*, tempus eſt minimè, nam cœna mea hæc eſt: apud Freherum *Tom. 2. Rer. Germ. pag. 175.*

Num. 69.

(150) *Annum MCCCCXX. &c.]* Inſcriptio marmoris ſepulchralis ſub quo primùm conditus fuerat Baldus in templo Franciſcanorum, quam nobis exhibet Fichardus *in vitis JCtorum p. 244.* teſtatur obiiſſe eum Anno MCCCC. die XXVIII. Aprilis in Aurora.

Num. 74.

(151) *Cùm Carolus IV. per Legatos &c.]* Hiſtoriam hanc ſic enarrat Dubravius *lib. 22. Hiſtor. Bohem.* Principes Germaniæ dolentes vicem patriæ, quam velut viduam factam eſſe videbant, cùm Cæſarem non haberet in conſpectu complexuque ſuo, Carolum adeunt, ut jam ſaltem inviſat Germaniam, & illum præſentiâ conſoletur ſuâ, poſtquam Bohemis Regem dederit filium ſuum. Conſentaneum enim videri, ut Rex in Regno, Cæſar autem in Imperio reſideat. Paucis illos Carolus abſolvit, inquiens, ut nunc ſilentio tranſeam, natale mihi ſolum eſſe Bohemiam: nam Pragæ natus ſum, quæ quantum mihi auri & argenti ſuppeditet, venite & videte. Et eductos in Gazophylacium, maſſas auri atque argenti nondum ſignati illis oſtendit, & rogat, potéſtne mihi fiſcus in Germania Imperialis tantam, quantam Regius in Bohemia, copiam metalli exhibere? Quibus muſſitantibus: Nónne igitur, *inquit*, & mihi

mihi & vobis magis expedit, me hîc paternis cum commodo etiam veſtro bonis perfrui, quàm ibi mutuam exercere deplumationem? Nec enim aliter fieri poſſe, quàm ut Aquila, quam ad vos advolantem bellè noſtis deplumare, illa viciſſim, ut veſtras èvellat alas, quæ ægrè interdum nonnullis renaſcuntur. Quin potiùs hoc in præſentia agimus, ut concordiâ utrinque & in Bojemia, & in Germania noſtras fulciamus opes, quò faciliùs malum undecunque veniens arcere mutuâ ope valeamus.

Num. 76.

(152) *Auſtriaci &c.*] Ut taceamus RUDOLPHUM HABSPURGENSEM, qui ſceptra coronamque Imperialem Anno MCCLXXIII. adeptus, per ſeptendecim annos cum menſibus novem tenuit; & Filium ejus, qui poſt Adolphum Naſſovium, inſigniis iisdem Anno MCCXCVII. condecoratus per novennium, poſt quod occiſus fuerat, claruit; ALBERTUM AUSTRIACUM, quem ſeptem ex diverſis familiis Imperatores, nempe Henricus Lützelburgius, Ludovicus Bavarus, Carolus IV. Wentzeslaus, Rupertus Palatinus, Jodocus Marchio Moraviæ, atque Sigismundus exceperunt; Sole meridiano clariùs eſt inſequentes Imperatores ab Anno inde MCCCCXXXVIII. & ſic ad Annum usque MDCLXIX. per duo ſecula & plus quàm triginta annos, ritè ex Auguſtiſſima illa Gente lectos atque coronatos omnes. Nempe Imperatores XI. cum uno Rege Romanorum; Albertum II. Fridericum III. Maximilianum I. Carolum V. Ferdinandum I. Maximilianum II. Rudolphum II. Matthiam, Ferdinandum II. Ferdinandum III. & demum modernum noſtrum Imperatorem LEOPO DUM. Quibus fortaſſis & Ferdinandus IV. qui Anno MDC III Auguſtæ Vindelicorum Romanorum Rex electus ſummâ omnium voluntate, Ratisbonæ coronatus, accenſendus veniret, ni DEI voluntati aliud non ſine prodigiis præcedentibus placuiſſet, ex qua Anno MDCLIV. die IX. Julii Variolis deceſſit, & Fratri Leopoldo Ignatio Bohemiæ Hungariæque ſceptra, cum ſpe conjungendi Imperium illis reliquit; Qui & Ipſe Leopoldus Anno MDCLVIII. cùm Imperium plus quàm XV. menſes vacaſſet, à Principibus Electoribus, ſuperatis difficultatibus cunctis tandem unanimi Octoviratus conſenſu VIII. Julii in Germaniæ regali ſolio collocatus, ſucceſſorq; Auguſtiſſimi & Glorioſiſſimi Parentis D. Ferdinandi III. declaratus, XXII. Julii apparatu pompaque auguſtali coronâ redimitus fuit. Princeps Devotus, Benignus, Clemens, Magnificus, Pacificus, verbo dicam, illa ex Familia natus & progeneratus, cui fata Imperium deſtinarunt & ad illud ſuſtinendum virtutum præcellentiâ abundè cumularunt. Vivat! (non tam ex veteri formula, quàm imis præcordiis voto) FELICIOR AUGUSTO, MELIOR TRAJANO!

(153) *Opulentiores &c.*] Et verò Auſtriacæ Gentis vires, jam ſuprà Fortunam eſſe, ajunt, omniumque aliorum metus, niſi caveatur, infrà ejus potentiam futuros, quæ tanta eſt, ut nec major olim Romanorum fuerit, nec ullorum hodiè Principum ſit, aut Regum. Orientem enim unâ, Occidentem alterâ manu tenere videtur, & ille temporum Parens Sol, dum aliis occidit, ſemper in aliqua Gentis Auſtriacæ Provincia oritur, & diem facit. Noctem neſcit tantum Imperium, quod alicubi diem ſemper habet. Inquit & probat Phoſphorus Auſtriacus *de Gente Auſtr. parte 2. cap. 3.* qui ipſe tamen non ſolam opulentiam Domûs Auſtriacæ inter cauſas Imperii continuati, ſed & ejus ditiones, quibus, veluti fræno injecto, Turca ab invadendâ Germania reprimitur; nec non Religionis Statum, *part 2. c. 10.* referre videtur, quibus Limnæus *de J. Publ. lib. 2. cap. 3. num 6. ſeqq.* gratitudinem pro benemeritis Anteceſſorum accenſet. Exiſtimat enim G. von Hagen Author *Comitiologiæ Ratisbonenſis de Anno 1654 part. 2. num. 1.* nullam pennam beneficia tum belli tum pacis Auguſtiſſimæ Domûs Auſtriacæ ſufficienter deſcribere poſſe, idque conantem, Solem carbone effigurare, wer ſichs unterſtehet zu thun/ der mahle die Sonne ab mit einer Kohlen ꝛc. ubi vide & dictis ſuprà eundem *d. loc. part. 1. Diſſ. 1. pag. 3. ſeqq.* & *part. 1 Diſſ. 2. pag. 19. Diſſ 7. pag. 48. ſeq. part. 2. Diſſ. 1. pag. 65.* adde.

(154) *Cum ingenti Germanicæ libertatis periculo &c.*] Tranſumpta hæc videntur ex Jacobi Lampadii *Tr. de Republ. Rom. Germ. part. 2. cap. finali.* ubi verba hujus *num. 76.* ipſiſſima leguntur, quæ verò ejus periculi cauſa metus ſit inquirit G. von Hagen *in Comitiologia Ratisbon. part. 2. Diſſ. 1. num. 2. ſeqq.* isque metus in tantum Electores perculſit, ut Capitulationibus Cæſariis in quas electi jurant & hoc inſeruerint: Inſonderheit/ ſollen und wollen wir uns auch keiner Succeſſion/ oder Erbſchafft/ deß offternannten Römiſchen Reichs/ annaſſen / unterwinden/ noch in ſolcher Geſtalt unterziehen / oder darnach trachten/ auf uns ſelbſt/ unſere Erben und Nachkommen/ oder auf jemand anders unterſtehen zu wenden/ ſondern wir/ dergleichen unſere Kinder/ Erben und Nachkommenden/ die gemeldten Churfürſten / ihre Nachkommen und Erben/ zu jedlicher Zeit bey ihrer freyen Wahl / wie von Alters her auf Sie kommen/ die Gulden Bull/ Päpſtliche Recht/ und andere Geſetz oder Freyheiten vermögen/ ſo es zu Fällen käm/ die Nohtdurfft und Gelegenheit erforden wird/ geruhiglichen bleiben/ und gantz ungetrangt laſſen: wo aber dawider von jemands geſucht/ gethan/ oder die Churfürſten in dem gedrungen würden / das doch keines weges ſeyn ſoll/ das alles ſoll nichtig ſeyn/ und dafür gehalten werden; ut ſonat art. 28. Capitulationis Caroli V. apud Goldaſtum *parte 2.* der Reichsſatzungen *pag. 181.* ad quem articulum vid. Limnæum *in Annot. pag. 291. multis ſeqq* Capitulationis Ferdinandi I. *cum quibusdam Additionibus art. 26.* Maximiliani II. *art. 14.* ubi illud Päpſtliche Recht non ſine ratione omittitur, quod tamen Capitulationis Rudolphi II. *art. 30.* iterum inſeritur (ubi Limnæum *pag. 518.* vide.) Capitulationis Matthiæ *art. 35. 36.* (vid. Limnæum *pag. 572.*) Ferdinandi II. *34. 35.* Ferdinandi III. *art. 38.* Leopoldi *art. 36.* quæ extat apud Limnæum *Tom. II. Addit. ad Juris Publ. lib. 1. c. 12. pag. 318. & 356.*

(155) *Camerale Judicium Spirenſe &c.*] Non repetam hîc, quæ Limnæus de hoc Judicio *lib. 9. J. P. cap. 2. per totum*, & *in Addit. Tom. I. & II* nec non *ad Capit. Ferd. III. art. 40. p 730.* habet, ut & Beſoldus, Wehnerus, Speidelius *in verbo* Cammer-Gericht. Magenhorſt. *ad Ordinat. Cameralem.* Petrus Danais, Gylmannus, Guilielmus Rhodingus, Otto *de J. Publ. c. 11. n 9.* Dn. Blumius aliive commentantur, cùm ſufficere putem ejus rei Lectorem tantum admonuiſſe.

Num. 77.

Num. 77.

(156) *Piſarum Dominatus &c.]* De hac venditione tamen nil quicquam apud Hiſtoriarum Italicorum Scriptores, veluti Leandrum Albertum, aliósve à Zeillero *in Itinerario Jtaliæ in deſcrip. hujus urbis citatos* legitur, proinde fides ſit penes Authorem.

Num. 80.

(157) *Auream Bullam &c.]* Per excellentiam ab aurea bulla appenſâ ita dictam conſtitutionem, quam ad unitatem inter Electores fovendam & electionem unanimem inducendam, ac deteſtandæ diviſioni, variisq; periculis ex ea ſequentibus aditum præcludendum, *ut eſt in proœmio d. A. B.* quoad Capita priora XXIII. Anno MCCCLVI. quarto Idus Januarii Norimbergæ, (quam favore ſingulari complexus eſt, civili diſcordiâ concuſſam reſtituit, & plurimis privilegiis exornavit) in domo hodiè Grundherriana, quam vocat zum Gülden Schild (*non verò* zum Gülden Löwen/ *ut minùs rectè Hermannus Hermes in faſciculo J. P. cap. 1. num. 13. ſcribit*) auf den Ponnerberg collegit; quoad ſequentia verò Metis Anno MCCCLVI. in die Natalis Chriſti, *quemadmodum habetur in proœmio d. cap. 24.* utrobique in Curiâ ſolenni promulgavit. Ejus varia extare Exemplaria; & ex illis alia Latina, alia Germanica, ex Limnæo *in Addit. Tom. I. ad lib 1. cap. 11. num. 90. pag. 121.* quem omninò ibidem, nec non *ad Capitul. Caroli V. art. 14. num. 19. ſeqq. pag. 219. ſeqq.* vide. Præter alios Scriptores unum profert Goldaſtus *Tom. un. Conſtit. Imper. pag. 352.* cum tribus originalibus aureâ bullâ ſigillatis, ſc. Bohemico, Palatino, & Francofurdiano, & uno veteri MSS. collatum, ac, ut ipſe aſſeverat, emendatum. Illud, quod Pileus Cardinalis ab Urbano VI. Papa in Germania miſſus A. MCCCLXXIX. ſe vidiſſe & tenuiſſe atteſtatur, ſic ille apud Freherum *in Not. ad Petrum de Andlo cap. 5. pag. 71.* deſcribit: Prædictus liber erat ſcriptus in pergameno in XXIV. foliis cum coopertura groſſa, in quo erant ſcripta diverſa negotia ſacrum Imperium & Electores ejusdem tangentia: qui quidem liber transfixus erat cum filis ſericis glauci & rubei coloris involutis, cum bullâ ſeu ſigillo aureo rotundo Imperiali appendente, in cujus uno latere apparebat figura Imperialis, in majeſtate ſedens, cum Corona Imperiali in Capite, habens in manu dextra ſceptrum, & in ſiniſtra manu pomum cum cruce deſuper modo Imperiali, & à latere dextro clypeum cum Aquila, & ſiniſtro clypeum cum forma leonis. In circumferentia verò legebantur hæc verba: CAROLUS IV. DIVINA. FAVENTE. CLEMENTIA. ROMANORUM. IMPERATOR. SEMPER. AUGUSTUS. ET. BOHEMIÆ. REX. Ab alio verò latere caſtrum magnum cum duobus turribus habens portam inferiùs in medio, cum literis: AUREA ROMA. In circumferentia verò legebantur hæc verba: ROMA. CAPUT. MUNDI REGIT. ORBIS. FRENA. ROTUNDI. *Hæc ille.* Ad hanc Auream Bullam juſtos Commentarios ſcripſerunt, Gerlacus Buxtorffius, Dominicus Arumæus, Martinus Rümmelin, & qui notas in eum ſcripſit Nicolaus Müllerus, Georg. Ludovicus Lindeſpür, Joannes Limnæus, aliîve, quos Dn. Georgius Chriſtoph. Stirnius *Nomotheſiæ Rom. Germ. Tit. 11. §. 14. pag. 321. ſeq.* citat, quibus Scriptores Juris Publici, præſertim Limnæus *Tom. I. J. P. cap. 11. n. 89. ſeqq.* paſſim de ea commentantes, jungi poterunt.

(158) *Firmamentum eſt &c.]* Plura Encomia vide apud citatum ſæpius Limnæum *lib. 1. J. P. cap. 11. 98.*

Num. 81.

(159) *Wenceslaus verò, Caroli IV. Filius &c.]* Natus fuit hic Wenceslaus Imperator, matre Annâ, Caroli IV. Imperatoris filiâ, Henrici II. Ducis Jaurinenſis ſecundogeniti Bernhardi Ducis Schweidnitzenſis (*vide Hagecc. part. 2. pag. 27. Cureum in Anal. Sileſ. part. 2. in Chronic. Sileſiacis Germanicè anno 1607. editis, pag. 105. 107. ubi ſic diſcrepantes conciliantur*) die Veneris poſt Feſtum St. Matthiæ (*Hagecc. part. 2. pag. 27.*) ſive (ut Cuſpinianus *in vita Wenzeslai* vult) XXVIII. Septembris, ſive in ſacra quadrageſima (Sigmund Meiſterlein *in Chronico MS. Norimbergenſi, quod Anno 1480. conſcripſit*) & baptizatus Die Dominicâ, quâ Miſericordias Domini cantatur, in templo D. Sebaldi fuit, Anno MCCCLXI. (*Henr. Rebdorff. in Annal. ap. Freherum Tom. I. p. 451. ubi de offertorio Aquisgranenſi 16. marcarum auri, tantum enim puer Wenzeslaus pendebat, videatur*) ſed non ſine omine pernitioſiſſimi ſui regiminis, cùm non ſolùm baptiſma primo congreſſu fœdaret ac coinquinaret, ſed & ædes Parochiales Sebaldinæ (der Pfarrhof zu St. Sebald) Norimbergenſes, in quibus aqua ad baptizandum calefacta fuerat, incendio hoc ipſo die abſumerentur. (*Annales Norimberg. MS. ſub hoc anno.*) Quod verò attinet Cuſpiniani aſſertum, Wenzeslaum matrem partu quoque interfeciſſe, illud à vero alienius videtur, Hageccio *d. ſuprà loco*, expreſsè ſcribente, altero à partu anno, nempe MCCCLXIV. in Octava St. Procopii Annam Ducis Schweidnitzenſis filiam, Caroli IV. Uxorem, Wenzeslai matrem obiiſſe & Pragæ ſepultam jacere. De Wenzeslao Adelzreitter *Bojecæ Gentis Annalium part. 2. lib. 5. n. 8.* Norimbergæ Imperatrix, *inquit*, Anna, Sileſiæ Dux, enixa eſt Wenzeslaum, qui Luſtralibus undis tingendus, ſuo eas lotio reſperſit, nihilo honeſtior quàm cùm bimus regio diademate Bohemiæ redimitus, aram ipſam alvi ſordibus conſpurcavit.

Num. 82.

(160) *Accepit nominatim ab ipſo &c.]* Teſtis eſt Leander Albertus *in deſcript. totius Italiæ p. 679. ſeqq.* perſolutâ pro Titulo novo Ducis Mediolanenſis à Joh. Galeatio, centum millia aureum numûm. De quo Jovius *in vita Joh. Galeatii*, ut & Dn. Conringius *de Finib. Imp. Germ. lib 2. cap. 23. p. 533.* Nauclerus *Vol. 2. Chronograph. generat. 47. pag. 1028.* Theod. à Niem *in Nemore Unionis in labyrintho Tr. 6. cap. 33. pag. m. 367.* conſulantur. Et hoc ipſum adeò ægrè tulerunt Sacri Rom. Imperii Electores, ut in ſententia Exauthorationis & Privationis Domini Wenceslai Regis Romanorum Anno MCCCC. latâ atque promunciatâ (quæ apud Goldaſtum *ex interpretatione latinâ Chriſtiani Urſtiſii Tom. un. Conſtit. Imper. pag. 379. Germanicè verò Tomo I.* der Reichsſatzungen *p. 158. ſeqq.* extat) inter cauſas & illam allegarent: quòd Imperium membris aliquot pernitiosè mutilarit, & mutilum reddi permiſerit. In quorum numero ſint Mediolanum, & Provincia Longobardiæ, quæ Juris Sacri Romani Imperii fuerant, redeuntibus inde ad Imperium ampliſſimis emolumentis. In qua ditione Mediolanenſis, veluti miniſter, Sacri Imperii partibus fungebatur; quòd eum is, contrà quàm ejus ſublimitatem & dignitatem decebat, acceptâ pecuniâ Mediolani Ducem & Comitem Papienſem creaverit &c.

Num. 84.

Num. 84.

(161) *In cuſtodiam datus Anno MCCCXCIII. &c.]* Confundit hoc loco Author noſter(Æneam Sylvium *Hiſt. Boh. c.34.* & Nauclerum *vol.2. generat.47.p.1032.* fortaſſis ſecutus)primam Wenzeslai, cùm ſecundâ, captivitates,cùm è priori,de qua hîc ſermo,& quæ,teſte Hageccio *Hiſt.Boh.part.2. p.93.* in d. annum incidit, ſolùm operâ Balneatricis nominis Suſannæ eductus fuerit (*d. Hagecc.d.l. Dubravius lib.23.*) & quamvis in ſecunda quoque liberationem Piſcatori cuipiam Johanni Grundel debuerit(*iidem,ut & Lehmannus in Chronico Spirenſi l.7.c.61.62.*)conſtat tamẽ exDubravio(*d loco*) in illa altera Anno MCCCXCIV. in quam Pragâ clam Grumbloviam, hinc Viennam ad Albertum Principem Auſtriæ deductus erat, Johannem Fratrem & Procopium Vindices, quamvis fruſtrà,extitiſſe.

Num. 85.

(162) *Inſidiis & fraude Archiepiſcopi &c.]* Ita quidem Cuſpinianus *in Ruperto Palatino p.392.* Kranzius *Saxon.l.10.c.19.* aliíve volunt. Attamen Serrarius *Moguntiacarum rer. l.5.p.868* per Johannis à Naſſaw Archiepiſcopi inſidiarum inſimulati Juramentum; II. Propriam Reorum cædis Henrici Comitis de Waldeck,Cuntzmanni à Falckenberg, Friderici ab Herttingshauſen, juratam confeſſionem in ſcriptis de dato Fritzlar Dominicâ proximâ poſt Feſtum Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum Anno MCCCC. quâ eum facinoris & cædis ejusdem prorſus innocentem, & illius,neque conſilio, neque facto, cognitione, aut auxilio conſcium ullo modo fuiſſe,pronuntiant; & III.per ſententiam abſolutoriam in Comitiis Norimbergenſibus Anno MCCCCIII. Sabbatho poſt B. Virginis Purificationem ab Imperatore hac in cauſa latam, falſam priorem traditionem probare nititur, ubi vide.

Num. 86.

(163)*Currus quatuor Baccharacenſi vino &c.]* Meminit iſtius rei Spangenberg. in der Mansfeldiſchen Chronic *cap.303.* Scriptores Apophthegm. Impp. *apud Freher. Tom.2. Rer. Germ.p.176.* additurque Wenzeslaũ inter purpuratos ſuos crebro ſermone uſurpare ſolitum: Ego, ſi me diripiendis urbibus Italiæ fors præſentem dederit,cæterarum rerum prædam militibus impartiar, vini tantùm apud me ſpolia reſervabo. Si quis autem in cellam vinariam injuſſu meo fuerit ingreſſus, gladio ferietur. Cuſpinianus *in Jodoco Barbato, Marchione Moraviæ, Rege Rom. pag.391.* Aventinus *Edit. Germ.pag.819.* qui tamen vinum Franconicum dicit, & finit: Alſo lieſſen die von Nürnberg König Ruprechten mit guten Ehren ein / und ſchenckten König Wentzla einen guten Wein. Æneas Sylvius, Dubravius, Hageccius,omnes Bohemicarum rerum Scriptores, de eo ſilent.

Num. 87.

(164) *Decimas à Sacerdotibus &c.]* Cuſpinianus *in Ruperto pag.393.* Cùm autem Bonifacius Pontifex, *inquit*, illum proſequeretur amore, ne impenſæ deficerent, Ruperto conceſſit à clero totius Germaniæ decimas exigere. Quod cùm tres Archiepiſcopi, Moguntinus, Colonienſis, ac Trevirenſis recuſarent, Imperium,quod ſub Bohemis langueſcere cœpit, paulatim deficiebat apertè. Nam tota Italia à Tyrannis vexabatur undique, qui Imperii urbes ſubigebant, coarctabantque, ne Imperio ſubeſſent. Ac ſic Italici potentiâ ac viribus aucti, Romanis Regibus ingreſſum Italiæ intercludebant. Adde Mutium *Rer. Germ. lib.26.*

Num. 94.

(165) *In Capitulatione &c.]* Impp. Caroli V. & Ferdinandi I. *art.9.10.23.24.* Maximiliani II. *art.6.12.13.* Rudolphi II. *art.8.9.24.25.26.* Matthiæ *art.8.9.10.28.29.30.* Ferdinandi II. *art.8.27.28.* Ferdinandi III. *art.9.10.31.32.33.* Ferdinandi IV. Rom. Regis *art.9.10.29.30.31.* Leopoldi *art.12.29.30.31.*

Num. 95.

(166) *Ex Auſtriæ reditibus &c.]* In ſtatu particulari Regiminis S. C. Majeſtatis Ferdinandi II. glorioſiſſimæ memoriæ,de Auſtriæ reditibus, cenſet Author, *cap.6.* Auſtriæ Inferioris,Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ &c. reditus (*circa Annum MDCXXXVII. cum illum Statum deſcriberet*) omnium certiſſimos,tutiſſimos,&ordinarios fuiſſe; hos verò, ut fama fuit, ad duos circiter florenorũ milliones ſeſe extendiſſe. Fideles etiam ditionum Cæſarearum ſubditos,conſpicua aliquot centenorum millium florenorum Donativa, Cæſareæ Majeſtati ad ipſius Aulam mittere ſolitos fuiſſe. Conventus item Provinciales multum quoque pecuniæ ei ſuppeditare.

(167) *Decies centena aureorum &c.]* Planè pedibus in ſententiam eo Limnæi *Addit. Tom. II. ad lib.2 cap.9.n.12.pag.56.* Omninò mihi perſuaſum habet, *inquientis*, omnes,quotquot de reditibus Imperatoris,Pontificis,Regum, atque Principum, ſcripſerunt, alienam fidem, & maximâ ex parte lubricam, pro fundamento habuiſſe,itaq; illos audiendos eſſe cenſeo non ut oracula, ſed ut curioſos alieni patrimonii inquiſitores, qui aliquando plus minúsve,quàm in illis revera eſt, literis conſignarunt.

Num. 96.

(168) *Alſatia &c.]* Amore Pacis Imperator Ferdinandus.III.pro ſe totaque Sereniſſima Domo Auſtriaca, itemque Imperium, Briſacum,cum villis Hochſtadiô,Niederimſingâ Hartenio, & Acherreno, cumque omni territorio & banno,Landgraviatum ſuperioris & inferioris Alſatiæ; Suntgoviam, Præfecturamque Provincialem Decem Civitatum Imperialium in Alſatia ſitarum, ſcilicet Hagenoam, Colmariam, Seleſtadium, Weisburgum, Landaviam, ſuperiorem Ehenhæmiam, Monaſterium in valle S. Gregorii, Cæſaris Montem, Turcchæmium, cum omnibus Juribus, Regalibus, & appertinentiis quibuscunque in Regem Chriſtianiſſimum Ludovicum XIV. Regnumque Galliæ vigore Inſtrumenti Pacis inter dictos Monarchas Monaſterii Anno MDCXLVIII. confecti. §. *Tertio Imperator &c.* transtulit, eique plenariè ceſſit. Indeque ibidem §. *Loca &c.* anxiè cavetur,ut titulus Landgravii Imperatori in Inſtrumento Pacis Cæſareo Suecico attributus Gallorum Regi Chriſtianiſſimo ſine præjudicio fiet. Et hanc ceſſionem Jurium in Superiorem Inferiorémve Alſatiam, Suntgoviam, Comitatum Ferretenſem, Briſacum &c. confirmat, iisque renunciat Rex Catholicus in Tractibus Pacis inter Franciæ & Hiſpaniæ Coronas Anno MDCLIX in Inſula à Phaſianis dicta, ſuper flumine Vedaſo concluſis, §.41.

(169) *Uſitata tantùm Vectigalia &c.]* Quæcunque pro temporum neceſſitate ab Auſtriacis vectigalia jubentur, ſervato regionum more, eam habent moderationem,ut eorum,qui pendere debent, facultates non excedant. Neque enim graves eſſe populis ſuis volunt, ſed patriæ neceſſitati ex ſingulorum opibus ſubvenire. Ac plerumque ipſi ordines conceſſum vectigal colligunt, & Principibus

cipibus ſuis perſolvunt. Ita fit, ut populum plus æquo onerare, etſi vellent, non poſſint. Inquit Phoſphorus Auſtriacus *in Tr. de Auguſt. Gente Auſtr. part. 2. cap. 36.*

Num. 97.

(170) *Magnitudinem excreverit, perpendit Reipubl. Venetæ Orator &c.]* Et juxta eum Heuterus, Gerhardus de Roo, Sigismundus à Bircken, aliíve Hiſtoriæ Auſtriacæ Scriptores, nec non Joh. Gans *in Arboreto Genealogico inprimis in annot. ad arborem 14. pag. 56. ſeqq.* Dn. Lindenſpür, *in Diſſert. de Succeſſ. ac mutat. Imper. & Famil. pag. 196. & 199.* Limnæus *de Jure Publ. lib. 5. cap. 2. num. 0. ſeqq.* & *in Annot. ad d. loc. n. 21. Tom. I. pag. 682. ſeqq.* Phoſphorus Auſtriacus *de Auguſtis. Gente Auſtr. part. 1. cap. 38. 39. 40. 41. 42. 46. parte II. cap. 14. ſeqq. multis. &c.*

(171) *Anno MCCXIII. &c.]* Aut fallitur Orator Venetus aut ſphalma Typographicum in editione de Anno MDCXVII. pag. 48. propagatum irrepſit. Cùm ex hiſtoriarum monumentis conſtet Rudolphum I. demum Anno MCCLIII. Imperatorem Romanorum creatum fuiſſe.

(172) *Manardus &c.]* Graviùs hic ceſpitat author, Tyrolim Rudolpho Habspurgico Imperatori à Manardo: (*quem alii rectiùs Mainhardum ſcribunt*) donatam aſſerens: Quamvis enim ſub Rudolpho quopiam Auſtriaco Auſtriæ Comitatum Tyrolis accreviſſe, uno ore Hiſtorici fateantur; Illum tamen planè diverſum ab Imperatore Rudolpho tum Chronologia tum Genealogia evincit. Tradunt enim probatiſſimi Authores, Auſtriam Tyroli auctam Anno MCCCLXIII. Rudolphum verò Habspurgicum Imperatorem, (qui primùm coronam ſcreptraque Romano-Germanica Familiæ ſuæ intulit) mortuum Anno MCCLXXXIX. quo tempore Mainhardus III. Comes Tyrolis adhuc in vivis extitit & demum anno MCCXCVI. ad plures abiit. Cui ſucceſſit filius Henricus ſine maſcula prole, relictâ filiâ unicâ Margaretha, vulgò die Maultaſch Johannis Marchionis Moraviæ conjuge Anno MCCCXXXI. Quæ, filio ejus Mainhardo IV. improle ſublato, Comitatum hunc, (quem quotannis Principi ſuo è re metallica pendere, trecenta millia aureorum numûm Cuſpinianus auctor eſt) ut & Goriciam, ac terras, quas Atheſina & Oenama vallis complectitur, & ſi quid præterea haberet in Bojariâ dominatûs, *Rudolpho, Alberto* atque *Leopoldo* Auſtriæ Ducibus, filiis Alberti Pii, *pronepotibus Rudolphi* Imperatoris, veluti proximo ſanguinis jure conjunctis legitimis dictis omnium ſuorum hæredibus ditionum, abſolutâ donatione, retéto duntaxat quoad ipſe ſupereſſet omnium proventuum uſu atque poteſtate, tabulis anno milleſimo trecenteſimo ſexageſimo tertio, octavo Calendis Februariis Bolſani conſcriptis, (Adelzreitter *Hiſtor. Boicæ gentis Annal. parte 2. lib. 5. n. 16. ex Cancell. Monacen.*) ceſſit (Phoſphorus *Auſtr. part. 2. cap. 14. §. 4.*) Quæ ut eò redderet firmiora, denuò alteris tabulis Septembri menſe, feriâ quintâ ante feſtum Natæ Deiparæ Virginis rata fixaque habuit. (Idem Adelzreitter *d. loc.*) Ubi notandum, tradere quosdam veluti Cuſpinianum Aventinum, Lazium, atque Adelzreiterum aliósve, Margaretham Maultaſchiam Rudolpho nupſiſſe, & ditionibus hisce eum dotaſſe, ſed his rectè objiciuntur, quæ in contrarium Gerhardus de Roo *Hiſt. Auſt. lib. 3. ſub Anno 1363.* & poſt eum Sigismundus à Bircken im Spiegel der Ehren deß Ertz-Hauſes Oeſterreich *lib. 3. cap. 8.* adferunt.

Num. 98.

(173) *Patri in Imp. dignit. ſucceſſit &c.]* Non equidem immediatè, ſed Adolpho Naſſovio Anno MCCXCI. poſt patrem Rudolphum Imperatore electo, & per ſexennium ſceptra tenente victo & cæſo, Cuſpinianus *in Alberto & Adolpho Impp.*

(174) *Auſtriâ Styriâque &c.]* Gerhardus de Roo *Hiſtor. Auſtr. lib. 1. circa annum 1282.* Pontus Heuterus *de Habſpurg. Orig. cap. 18.* & ex eo Phoſphorus Auſtriacus *de Aug. Gente Auſtr. parte 2. cap. 14. §. 2.* Cuſpinianus *in Rudolpho pag. 352. 353.* Sigismund à Bircken *d. loc. lib. 1. cap. 13. n. 7.* ubi Comitia Auguſtana, in quibus Rudolphus filiis Auſtriam, Styriam, Carniolam, Marchiam Sclavonicam, Carinthiam, Terviſum in feuda Imperii conceſſit, *auguſtiſſimos Natales hodiernæ Familiæ Imperatoriæ*, indigitat. Cæterùm Comitia illa non, ut vult Venetus Orator, & eum ſecutus Author noſter, Anno MCCCXXVIII. (quo tempore Ludovicus Bavarus ſceptra tenuit,) ſed MCCLXXXII. celebrata ſunt. De quibus præſertim in voce Carinthia, *in Annot. ad arbor. 14. Dom. Auſt. pag. 57.* Joh. Gans *conſulatur.*

(175) *Ad Fridericum III. &c.]* Phoſphorus Auſtriacus *d. loc. part. 1. c. 18. & cap. 44.* ubi vide. Hodiè Imperator noſter Dn. Leopoldus præter Imperium Regnaque Hungaricum atque Bohemicum, Auſtriam cum annexis provinciis in ſuperiori Germaniâ ſitis, poſſidet Jure omnes; ex altera parte Hiſpaniam cum ſuis regnis ditionibusque, nec non Belgii Burgundiæque reliquiis, Carolus. II. Hiſpaniarum Rex, qui Anno MDCLXI. die VI. Novembris patre Philippo die I. Novembris ejusdem anni mortuo natus. In quibus duobus ramis & capitibus, cùm hæc ſciberem, Auguſtiſſima Auſtriacorum Gens maſcula, utinam mox numeroſior! conſtitit.

Num. 100.

(176) *Burgundiam, Brabantiam, &c.]* Præter antiquiores Hiſtoricos vide citatum ſæpius Phoſphorum *part. 2. cap. 51. ſeqq.*

Num. 101.

(177) *Tanta hujus fuit Felicitas &c.]* Hanc non minimam experta fuit Agnes, quæ Leopoldi IV. cognomento Pii, Auſtriæ VI. Marchionis Conjux fuit, Henrici IV. Imperatoris filia, Henrici III. Imperatoris Neptis, Henrici V. Imp. ſoror, & item Chunradi Regis Italiæ ſoror: & ex primo marito, Duce Sueviæ Friderico, ab Henrico IV. creato ex Barone de Hohenſtauffen / produxit Fridericum Ducem Sueviæ, patrem Friderici I. Barbaroſſæ Imperatoris, & Chunradum Regem Romanorum, Ducem Franconiæ, pòſt ex D. Leopoldo decem & octo liberos, ut hæc Agnes

Clareſcat eſſe Imperatoris	Neptis Filia Soror Avia	Regis	Soror. Mater.

Elizabetha quoque, Alberti V. Romanorum, Hungariæ, & Bohemiæ Regis filia, Ladislai Bohemiæ & Hungariæ Regis ſoror, Caſimiri Regis Poloniæ Uxor, mater verò Uladislai, Johañis, Alberti, Alexandri, Sigismundi, Regum Hungariæ & Bohemiæ, ac Friderici Cardinalis, & Caſimiri in numerum Sanctorum relati: Avia Regis Ludovici Hungariæ & Bohemiæ. *Cuſpinian. in Auſtr. pag. 19.*

Num.

Num. 102.

(178) *Defuncto &c.]* In prælio illo famoſiſſimo ad vicum Mohatium cum Turcis inito, infeliciter Anno MDXXV die XXIX Auguſti patrato, quo Ungari cum Bohemis cæſi fugatique. Ipſe Rex Ludovicus inter fugientes cum equo in undis Danubii collapſo, priusquam caſum deductor, Sambucus eum *loco mox infrà citando*, ut & Iſthuanfius *Hiſtor. lib. 9. pag. 135.* Zetrizium vocat, conſpiceret, ferreque opem poſſet, ſubmerſus fuit. De quo Dubravius *Hiſtor. Bohem. lib. 33. circa finem.* Hagecc. der Böhmiſchen Chron. *parte 2. pag. 221. a.* Nicolaus Iſthuanfius *Hiſtor. lib. 8. pag. 128. ſeqq.* (*qui in Caroſſo paluſtri & cænoſo rivo, inter Mohatium & Cheliam vicum, intercepto vado limoſoque præterlabentem, tum fortè à Danubii exundantis aquis & repentino imbre nonnihil accreviſſet, periiſſe eum aſſerit*) Broderithius *in deſcriptione ejus pugnæ apud Bonfinium ex editione Sambuci pag. 757. ſeqq.* Joh. Sambucus *ibid. pag. 756.* plura annotarunt.

(179) *Ex conventione &c.]* Ex Concordia ſcilicet inter Fridericum III. Imp. & Maximilianum I. Rom. Regem ab una, & Uladislaum Ungariæ & Bohemiæ Regem ex altera parte, Poſonii Anno MCCCCXCI. renovata & concluſa, quæ à Sambuco *d. loco pag. 842. ſeqq.* producitur, ubi inter alia *pag. 747.* hæc leguntur verba: Quod ſi ipſum Uladislaum Regem hæredem maſculum non contingat ſuſcipere, aut ſuſceptum vitâ fungi, nullo hærede maſculo per lineam rectam deſcendente poſt eum relicto; regnum ipſum cum aliis univerſis regnis, provinciis & dominiis ad Coronam regni Ungariæ ſpectantibus, in ipſam Regiam Romanam Majeſtatem, aut ejus hæredes lineam rectam ex lumbis ſuis deſcendentes, devolutum intelligatur ipſo facto. &c. Hujus quoque meminit Sambucus *d. loco pag. 774. inquiens*: Excipit regnum Ferdinandus, divinitùs omnium voto, nunc Imperator & Rex, idque ſuo jure non modò connubiali, ſed majorum cum Matthia, poſtea Ladislao quoque conventionibus & pactis, quæ vel ab Ibraim Baſſa per Laſcium aliquando Byzantii recitata, & audita comprobata fuiſſe lego. Non tamen ſine labore diverſisque Baronum ſtudiis, illud eſt conſecutus, coronamq; Albæ in feſto Emerici accepit Anno MDXXVII. ac Budæ in Regia collocatus eſt, cùm Johann Vayda jam ad Tokay militem colligeret, & à Nicolao Salmenſi, ferrea manu dicto, fuſus, turpiterque profligatus erat &c. Nec latuiſſe Iſthuanfium pacta de ſucceſſione interveniſſe ratione Ungarici Regni, apertè ipſius verba teſtantur *p. 79.* qui Ipſe tamen pòſt *l. 9. pag. 137.* non tam ſucceſſiſſe quàm electum fuiſſe Ferdinandũ innuit. Quod & de Bohemia Hagecc. *parte 2. pag. 221. a. ſeqq.* perhibet, & electione ritè peractâ Ferdinandum eodem anno die S. Matthiæ ſacro coronatum affirmat. Sed his obſtant plurium Authoritates non infimi ſubſellii Scriptorum, quos Goldaſtus *de Regno Bohem. lib. 6. cap. 9. per totum* recenſet.

(180) *MDXXXVI. &c.]* Hîc quoque errat Orator Venetus, quoniam Sleidano *Comment. lib. 7. teſte* Anno MDXXXI. Ferdinandus I. Glorioſæ recordationis Rex Romanorum à Principibus Electoribus renuntiatus, & XI. Januarii Aquis coronatus erat, & XVIII. Martii Anno MDLVIII. Imperator creatus eſt, Bucholtzer *in Indice Chronolog. ſub hoc anno.*

Num. 104.

(181) *Quatuor arcas Argentinæ &c.]* Aniles videntur fabulæ, cùm theſaurum hunc integrum in Nova Civitate Auſtriæ reliquiſſe Cuſpinianus σύγχρονος teſtetur.

(182) *Anno MDXVII. Carolus. &c.]* Sleidano *Comment. lib. 19.* autore, qui id quidem ex rationibus editis apparere tradit.

Num. 110.

(183) *Civitatum reditus crevêre, &c.]* Ignoſcendum hoc loco eſt homini extero atque Gallo Davety, qui in deſcriptione Imperii noſtri *n. 16. en noveau theatre du Monde Tom. 2.* & ejus interpres *in Archontologia Coſmica pag. 78.* hæc ita ſeſe habere profitetur, inſimulque Status Proteſtantes ob bona Eccleſiaſtica occupata ſugillat. Quē Author noſter an rectè ſequatur, quilibet cordatus nec paſſionibus faſcinatus videre & dijudicare poterit. Certè ſi ſic ſeſe res haberet, credo toties de moderanda matricula in Comitiis non fuiſſet agitatum, non tot moratoria deſiderarentur, non tot profeſſiones paupertatis emanarent, non tantę privatorum creditorum querelæ exiſterent, imò, ut concludam, nonnullæ Civitatum Imperialium opus haud habuiſſent, ut ſuperioribus annis ad colligendas ſummas in ſatisfactionem militiæ Suecicæ imperatas & exſolvendas, quas cives & ſubditi illorum contribuere ob inopiam haud poterant, mutuò peterent, eoque nomine vel bonorum ſuorum publicorum partem aliquampiam aut alienarent, aut oppignorarent.

Num. 111.

(184) *Ad Num. 111. 112. ſeqq. &c.]* Vide Lanſium *in Orat. contra Germaniam. &c.*

Num. 113.

(185) *Duæ itaque res ſunt. &c.]* Davety & ejus Interpres *in Archont. Coſmica. pag. 74. 75.*

(186) *Non nimis fidunt Principp. &c.]* Profectò malè ſolis Civitatibus Imperialibus, earũq; concepto metui juſto erga Principes vicinos, (cùm juxta Dn. Referentē apud Meichſnerũ *Deciſ. Cam. Imp. Tom. 4. deciſ. 27. vot. 4. n. 44. §. etenim &c.* Principes Civitatibus ſoleant eſſe infeſiores ac moleſtiores; & plerumque nequeant pati, ut vicinus libertate fruatur, juxta Beſoldum *de Fœder. Jure cap. 4. n. 11. ut eapropter libertatis tuitio Civitatibus tantæ majori curæ meritò eſſe debeat,*) Oratoris Veneti apud Honorium, *quem ſuprà citavit pag. m. 47.* veſtigia legens Author noſter adſcribit. Ipſi enim nato Germano & in Germania Cancellario non potuit non eſſe notiſſimum, in Principum quoque contra Principes, tam Secularium quàm Eccleſiaſticorum, animis tantas radices egiſſe Diffidentiam, & adhuc languente Juſtitiæ æquali adminiſtratione quotidie agere, ut ferè deſperandum, an iterum plenè & planè eradicari funditus queat. Inde, ut vir quidam politiciſſimus in Epiſtola quapiam Anno 1667. ipſis Calend. Aug. ad Illuſtriſſimum quempiam Germaniæ Principem perſcripta, inquit; Limitanei oppidi munitio, vel cujusque novi operis nemini nocitura conſtructio, lapis terminalis ambiguè poſitus, cervus aut aper in alieno captus, mediaſtinus ab alio alapâ aut pugno tactus, conducendi per alienum territorium jus, & ſimilia componi facilia, in bellum usque coaleſcunt. Cæterùm de Principum in Civitates liberas affectu videri poterunt Author noſter *Tr. de Contributionibus cap. 5. n. 73.* Knipſchild *de J. & Priv. Civit. Imp. lib. 1. cap. 14. n. 33.* Limnæus *de J. P. lib. 7. cap. 1. n. 50.* Johann

 Michael

Michael Moſcheroſch in der Zuſchrifft ſeines Chriſtlichen Vermächtniß *editionis ſecundæ & in contextu pag. 100. ſeqq.*

(187) *Diſſidium in cauſa religionis. &c.]* Inde fœdus Schmalcaldicum, & ex eo prognatum bellum: inde Aquisgrani & Donavverti proſcriptiones: inde infauſta *Unionis* & *Ligæ* nomina: Inde Bohemorum motus, & tota Europa in partes adſcita: Et nuperrimè inter Würtenbergiæ Ducem & Marchionem Badenſem, atque Moguntinum inter & Palatinum Electores unius miniſtri causâ exorta diſſidia. *Inquit ſcriptor ſuperiùs allegatæ Epiſtolæ ab amiciſſima manu mihi communicatæ,* nunc, antequam hæc prælo ſubjicerentur, typis publicè exſcriptæ. Hiſce duobus, quæ in Imperio deſiderat Author noſter, nempe Concordiæ & Promptitudini in Expeditiones, adderem ego Judiciorum vigorem, quæ penè in Germania emarcuit, adeò ut nulla Legum aut Judiciorum apud pleroſque, (*ſcribente jam jam laudato Politico,*) reverentia, quæ vi, ambitu, pecuniâ haud rarò turbantur. Non jam Spiram aut Viennam itur: aut ſi quæ ibi cauſæ diſceptantur, litigantium artibus, Advocatorum ſuperſtitioſâ captioſâque litigandi ſcientia non niſi poſt decurſa ſecula finiuntur, poſtremò ſententiæ quoque, ſi quæ feruntur, victæ partis potentiâ eluſæ, ſine Executione manent. Vis & arma promptior expediendarum litium ratio habetur. Cauſa Juliacenſis niſi armis & utrimque armatis Advocatis, Hiſpanis & Batavis, decidi non potuit; Controverſiæ Caſſellenſi & Darmſtadienſi Cæſar, Sueci, Galli, patrocinium præbuêre; Epiſcopus Monaſterienſis in lite, quæ ipſi cum Civitate ſua intercedebat, nullâ Cæſaris, nullâ Juris & Judicii habita ratione Ipſe ſibi jus dixit. Quid ergo? (*pergit idem cum antea de remediis fruſtra adhibitis in Epiſtola illa diſſeruiſſet*) poſtquam prima non provenêre, nulla præterea remedia malis noſtris admovenda ſunt? & Conſilia, quibus impares videmur, fatis permittenda? Ante omnia illud monendum eſt, cùm nihil unquam conſiliorum humanorum proſperè ſuccedat, niſi Gratia DEI adſpiret, Ipſeque in ſe non in noſtris conſiliis ſpem omnem reponi velit, primam ac præcipuam noſtram curam eſſe debere, ut propitio Numine utamur. Quod fieri nequit, niſi ſummi pariter ac infimi vitam & actiones ſuas omnes ad Legum divinarum præſcriptum dirigant, pravè acta & contra ſummi DEI Majeſtatem commiſſa ſeriis lacrymis deplorent, vitamque emendent. Qua in re cùm cæteris, qui ſacris præſunt, præire viamque monſtrare debeant, ſummâ curâ Principes providere decet, ut Eccleſiis Miniſtri præficiantur, non tam docti quàm pii, non tam pugnandi de controverſis articulis periti, quàm Regulam, Chriſti edocti, eamque ſuâ Converſatione exprimentes. Qualis antehac Johannes Arndius fuit: quem non ſolùm in Ducatu Brunſvicenſi, ſed alibi terrarum quàm plurimos diſcipulos imitatoreſque reliquiſſe, ſummopere exoptandum foret. Et poſtquàm ademptam ſibi morum cenſuram Clavemque ligantem, uti vocant, ex Templis in Curiam & Aulam translatam reddi ſibi expoſtulant Miniſtri; contrà parùm tutò apud homines, amori, odio, aliiſque animi paſſionibus non minùs quàm cæteros mortales obnoxios, reponi tantam poteſtatem cauſentur: In id ſaltem omni ſtudio enitendum Principibus & Magiſtratibus eſt, ut negatas Eccleſiaſticis pœnas Ipſi ſeveriſſimè exequantur, nec impunitis ſceleribus majorem licentiam faciant. Neq; ulteria tantùm, homicidia, furtaq; & quæ alia ſocietatem hominum & tranquillitatem publicam lædunt, ſed præcipuè Idololatria, magicæ artes, blaſphemiæ, Sabbati profanatio, & cætera, quæ in DEI contumeliam directè tendunt, fortiſſimè vindicanda ſunt. Nihil enim impium magis magiſque profanum dici potuit, quàm quod Tiberius olim dixit, DEORUM INJURIAS DIIS CURÆ ESSE, quaſi nihil ad homines pertineret DEUM lædi. Sed hæc monenda inculcandaque Theologis relinquens ad Civilis Sapientiæ præſcripta pergo. Quicquid alii judicent, & vel Capiti, vel pedibus, cæteriſque membris Imperii noſtri mederi volent, recentiſſimum quodque paventes, ſummi diſcriminis incurioſi: Ego tamen cordi molles manus, & mollia fomẽta admovenda, h.e. ut ſine ænigmate loquar, extirpandas diſſidiorũ cauſas & conciliandos animos ante omnia neceſſarium arbitror. Hoc niſi fiat, fruſtra reliquis partibus medebimur. Lis ex lite, bellum ex bello pullulabit, & tandem præda erimus, vel externæ potentiæ vel domeſticæ ambitioni. Ex diverſo cum ſeriâ & ſincerâ fide concordia ſanſcietur, cùm in commune non conſulemus tantùm, ſed vires quoque noſtras conjugabimus, neutram iſtarum peſtium timebimus; nemo audebit libertatem noſtram vel per vim conſtuprare, vel ambitioſis artibus attentare; Redibit Juris & æqui amor & judiciis vigor, & legibus reverentia, & cunctis ſecuritas, adeòque neque Gallorum neq; Suecorum, aliorúmve auxiliis non minùs intutis quam caris indigebimus. Amicos habebimus & vicinos, non Socios & Commilitones, niſi fortè contra Ottomannos. Ut igitur propiùs rem aggrediar, oſtendere initio oportet, poſſe noſtris Principibus redire bonam mentem & concordiæ ſtudium, atque diſpelli ſuſpicionum nebulas & extirpari odiorum ſemina; Ipſa temporum noſtrorum mutatio alium hominibus animorum habitum infudiſſe, viamque ad tranquillitatem boniqué ſtudium publici, ex quo Pax Monaſterii & Oſnabrugæ ſancita fuit, planiorem feciſſe videtur. *&p.p.* Hoc itaque modo, cùm res noſtræ à Pacificatione Weſtphalica conſtitutæ ſint, ut, modò velimus, concordibus eſſe liceat. In id incumbendum erit, ut quæ deliberationes publicis plerumque obſtant, de prærogativis in Comitiis ſedendi, dicendæque ſententiæ, controverſiæ amoveantur, (*ſcilicet ut in ſequentibus docet,*) aut rei judicatæ authoritate, aut ſorte, aut placidâ compoſitione. &c.

Num. 115.

(188) *In patrimonio & dominio Principum. &c.]* Præfecturarum ſeu officii aut Regiminis permiſſiones, olim in Imperio frequentatas, ſub Ottonibus Imperatoribus deſiiſſe; ac Ducatus, Marchionatus, Comitatus, ſimilieſque ditiones Imperii Principes, & Status, jure proprio, cum dignitate quaſi Regia, ceu Autocratores hæreditario obtinere cœpiſſe; Aſt fiduciariâ clietelæ, ſeu feudi lege, ſub reverſionis conditione in defectu prolis, ac ſemper ſalvo & illibato Imperialis Majeſtatis faſtigio; ex Andrea Knichen, Daniele Heider, Hiſtoricisve monſtrat Dn. Nic. Myller *in Archologia Ordinum Imperialium cap. 7. 8. 9. & 10.* ac quod jam tum ſub Ottonibus Principes & Status Imperii aliqui (*non enim generaliter, & ſimultaneè hæc ſublimitas penes omnes Imperii Proceres, ſed diverſo tempore ac pedetentim invaluit, Myll. d. loc. c. 10. n. 2.*) omnia penè territorialia Jura, ac ſuperioritatem in territorio, ipſis ex benevolâ actione ab Imperatore conceſſo, habuerint,

rint, æquè ac ea, quæ hodie à Statibus Imperii exercentur, apparet ex Diplomate Ottonis III. Imperatoris, apud Refutatorem deß Reichsvogts discurs. *fol. 3.* Et hinc factum, ut quemadmodum Imperatori in toto Orbe competeret omnimoda Superioritas, Jurisdictio, & Dominium; ita etiam Principes ſibi vendicarent Superioritatem & Jurisdictionem in ſuis territoriis erga ſubditos. Knichen *de ſubl. & reg. territorii Jure cap. 1. n. 215. 216.*

(189) *Capitulatione Cæſarea &c.]* Huc pertinet Caroli V. Capitulationis articulus *4.* Ferdinandi I. & Rudolphi II. Matthiæ, Ferdinandi II. Ferdinandi III. Ferdinandi IV. Rom. Regis *art. 3.* Verba *art. 3.* Capitulationis Cæſareæ Invictiſſimi Imperatoris moderni Leopoldi I. hæc ſunt. **Und zum Dritten ſollen und wollen Wir in allweg die Teutſche Nation / das H. R. Reich und die Chur-fürſten / als deſſen vorderiſte Glieder / nach Inhalt der Guldenen Bull / ſonderlich deß 13. Articfels / wie andere Fürſten / Prælaten / Grafen / Herren und Stände / ſampt der ohnmittelbahren Freyen Reichs-Ritterſchafft / bey Ihren Hoheiten / Geiſt- und Weltlichen Würden / Rechten / Gerechtigkeiten / Macht und Gewalt / auch ſonſten jeden nach ſeinem Stand und Weſen verbleiben laſſen / ohne unſern und männigliches Eintrag und Verhinderung / und ohne der Churfürſten / Fürſten und Ständen vorhergehende Einraht- und Bewilligung / keinem Reichs Stand / der** Seſſionem & Votum **in den Reichs-**Collegiis **hergebracht hat / darvon ſuſpendiren oder ausſchlieſſen / darzu den Ständen / ſamt erſtgedachter Reichs-Ritterſchafft / ihre** Regalia **und Obrigkeiten / Freyheiten /** Privilegien **/ Pfandſchafften und Gerechtigkeiten / auch Gebrauch und gute Gewohnheiten / ſo Sie bishero gehabt haben / oder in Ubung geweſen ſeyn / zu Waſſer und zu Land / auf gebührendes Anſuchen / ohne einige Weigerung und Auffenthalt / in guter beſtändiger Form** confirmiren **und beſtättigen / ſie auch darbey / als erwählter Römiſcher König / handhaben / ſchützen / und ſchirmen / und niemanden einig** Privilegium **darwider ertheilen ꝛc.**

(190) *Obligato &c.]* Eodem in ſenſu fortaſſis Johannes Fridericus Elector Saxoniæ & Philippus Haſiæ Landgravius **in der Verantwortung auf Käiſer Karls Achtbrieff** *de Anno 1546. apud Goldaſtum in Append. part. 1.* **der Reichs-Satzung** *pag. 315.* Capitulationem Cæſaream à loco **die Franckfurtiſche** Obligation: **Item die** Obligation **/ darzu Ihme die Recht verpflichten ꝛc. Item die Geſchworne** Obligation: **Item die Franckfurtiſche** Obligation **und** pacta, **auf welche der Käiſer Eyd und Pflichte geſchworen ꝛc. Item den Franckfurtiſchen** Contract. appellant. Alibi quoque Idem Landgravius *in ſcripto ad Mauritium Saxoniæ Ducem eodem Anno directo, vocat* **der Käiſer zu Franckfurt geſchworne / verbriefte und verſigelte** Obligation / ut apud Sleidanum *l. 18.* Iidem inquiunt. Quid Cæſari debeant Principes, quid invicem ipſe præſtare debeat, abunde nobis conſtat: ut nos illi, ſic ipſe viciſſim & nobis obligatus: quòd autem (*Cæſar*) indictâ cauſâ nos proſcribit, & poſſeſſionibus omnibus dejicere conatur, in eo juris vinculum diſſolvit, quo clienti ſeu beneficiario devinctus & invicem patronus. Indè Carpzov. *de L. Reg. Germ. cap. 1. ſect. 16. n. 5.* ſic cenſet & probat: Conditionibus in Capitulatione ſibi præſcriptis Imperator adſtringitur, ex contractu cum Principibus Electoribus inito, cui neutiquam contravenire poteſt, quippe qui non minùs ac quilibet privatus cum alio contrahens inde obligatur. &c.

(191) *Aliquantò longiùs à Jurisd. Magiſtratuum Rom. &c.]* Sunt namque Germaniæ Duces, Principes, & cæteri, perpetui Magiſtratus & perpetuas dignitates atque dominia ab Imperatore pro ſe & ſuis hæredibus accipiunt, in quibus reſpectu Cæſaris jus utile habent: quia in iis Cæſarem & Imperiū pro ſuperiore recognoſcunt. At reſpectu rerum & hominum ſibi ſubjectorum, directū dominium obtinent: quia quoad ſubditos omnia poſſunt, quæ Imperator in Imperio poteſt. Unde hi in ſuis terris, magis Imperatori, quàm Præſidi comparantur: ut ait Obrechtus *in Tr. de Imper. & Jurisdict. lib. 2. cap. 7. per Diſcurſ. & lib. 3. cap. 19. n. 20.* Perperam ideò Dn. D. Bocerus *Tr. de moneta cap. 3. n. 26. ſeqq.* eos vetuſtis Romanorum Magiſtratibus æquiparare videtur, ut benè Beſoldus *in diſc. de Statu Reipubl. ſubalterno cap. 3. n. 2.* Joh. Herm. Stamm *de Servit. Perſonali l. 3. c. 10.* & Dom. Nic. Myllerus *in Archolog. Ordin. Imperial. cap. 23.* advertunt. Quum Principes & Status Imperii tum reſpectu patrimonii, officii, & adminiſtrationis commiſſæ; tum ratione dignitatis, tum intuitu potentiæ & Imperii, Præfectos Prætorio vel Præſides multis paraſangis præcellunt. Uti citati authores pleniùs evincunt.

Num. 116.

(192) *Regalia minora communicata ſunt. &c.]* Non equidem ab initio ſtatim abſolutè, plenariè atque omnimodè, cùm adhuc ſalvâ Superioritate, ſibi & Imperio Cæſares varias urbes, pagos, villas, loca, fundos, Regalia atque jura in Ditionibus Principatibusque ceſſis, reſervarent, & ideò ad conſervanda Imperialia & Regalia Jura propagandáve, Ducibus Comites Palatinos, Epiſcopis atque Abbatibus Advocatos, Civitatibus Præfectos, vulgò **Reichs-Vögt** adjungerent & ſuperinducerent. Quod Author Diſcurſus **von den alten Reichs-Vogteyen** / & in ejus Apologia *paſſim,* nec non D. Myller. *in d. tractatu* eleganter exequitur.

(193) *Vel per conceſſionem vel per præſcriptionem &c.]* Antonius Colerus ICTUS *de J. Imper. Germ. ſect. 1. §. 41. ſeqq. in Diſſert. de J. Publ. nonnullorum Weſtphaliæ J CC. parte 2.* tres modos conſequendi Superioritatem in Imperio territorialem regiaque Jura numerat, videlicet *Relationem in numerum Statuum*; Conceſſionem, ſc. per inveſtituram, & ſingulare privilegium; *Præſcriptionem.* Chriſtophorus Mingius verò *de Superioritate Territoriali cap. 2.* ſex modos recenſet. *1.* Inveſtituram. *2.* Cooptationem in numerū Statuū. *3.* Præſcriptionem *4.* Spontaneam ſubjectionem. *5.* Suſpenſionem Jurisdictionis Eccleſiaſticæ. *6.* Electionem & Succeſſionem, qui tamen omnes ad duos ab Authore noſtro allegatos modos, conceſſionem nempe, & præſcriptionem, ſcilicet immemorialem, (quæ ſola contra Principem titulum præbet per citatos Autores.) reduci commodè poſſe videntur.

Num. 118.

(194) *Aut Imperatoris &c.]* Quid enim vulgò tam receptum, quid tritum magis eſt, quàm *Principem in territorio ſuo eſſe Imperatorem, & tantū poſſe in ditione ſuâ, quantum Imperator in univerſo Imperio?* (Gail. *1. de P. P. cap. 6. n. 10.*) Infinitas penè authoritates in eam rem allegari videas

deas Reinkingk *de R. S. & E. lib. 1. cl. 5. cap. 9.* Cùm enim ex veteribus nonnulli primo, ut fertur, Authore Caſtrenſi (*Klock. de Contrib. cap. 4. num. 143.*) hoc protuliſſent, mirè ſtatim omnibus placuit, adeò ut nonnemo (*VVaremund. ab Ehrenb. de ſubſid. regni cap. 15. num. 15.*) dicere auſus ſit , nullum ferè librum à JCto conſcriptum lucem vidiſſe , quin hoc axiomate ornetur. Alii tamen ſubtiliùs hoc examinantes, cùm plurimum diſcriminis animadvertiſſent inter Principum, & Imperatoris poteſtatem, comparationem iſtam in dubium vocare cœperunt. Nonnulli deinceps vehementiùs invecti, non dubitarunt aſſeverare, dictum iſtud falſiſſimum, & craſſo quodam errore receptum eſſe. (*Paurm. de Jurisd. lib. 2. part. 2. cap. 4. num. 70. Sixtin. de Regalib. lib. 1. num. 121. Limnæus de J. Publ. lib. 4. cap. 8.*) Quidam etiam ab adulatoribus Principum confictum putant, & propterea receptum dicunt, quia gratum ſit. (*VVaremund. ab Ehrenb. d. loc.*) Plerique horum Imperatorem longè plus poſſe putant in Imperio, quàm Principes in territoriis : nonnulli tamen etiam certâ quâdam ratione Principibus plus tribuunt. (*Dauth. ad l. fin. C. de pac. numer. 16.*) Sed alii hujusmodi dimenſionem proportionis, quæ inter poteſtatem Imperatoris & Principum intercedit, inſtituere periculoſum putant. Itaque conſultiùs judicant manum de tabulâ removere. Arcanum enim Status aliquod, & quaſi myſterium quoddam Politicum ibi latere rati. (*Klock. Diſp. de Contribut. cap. 8.*) Alii denique mediam viam ingreſſi, quòd veteres iſti generaliter dixerant, explicationibus quibusdam mitigare, & diſſenſiones Doctorum diſtinctionibus conciliare annituntur. (*Carpzov. de L. Reg. Germ. cap. 1. ſect. 13. num. 7. & ſeqq.*) Sed longum foret omnia adferre. Quanquam autem tam variæ hâc de re diſſenſiones ſint ; ex iis tamen, quæ à nobis dicta , facilè intelligitur, quid de comparatione Imperatoris & Principum ſentiendum ſit. Quoniam enim, ut oſtendimus, Principes poteſtatem , quam antea Imperatores habuerant, exercere, & Regiones eâdem ferè formâ, quâ Imperatores univerſum Imperium regebant, adminiſtrare cœperunt ; quid tunc aliud dici potuit, quàm Principes quodammodo Imperatoris perſonam in ſuis ditionibus repræſentare? Quoniam autem deinceps in Imperio mutatio aliqua facta, Reip. ſimilitudo iſthæc obſcurior reddita eſt, ut non æquè ampliùs, ac olim , in oculos incurrat. Quid mirum igitur hodiè comparationem iſtam non agnoſci à multis, vel etiam in controverſiam vocari? Solent enim mutatione factâ in Republica diſſenſiones inter homines etiam peritos oriri de iis, quæ ad Rempublicam ſpectant; dum alii antiquum, alii præſentem ſtatum reſpiciunt. Nec tamen omnis planè ſimilitudo inter Imperatorem & Principes exolevit. Quemadmodum enim Imperator univerſo Imperio, ita Principes ditionibus ſuis, Regio quodam Imperio præſunt; Quippe Imperator Regem ſignificat (*2. Feud. 24.*) Principes igitur in Territoriis ſuis inſtar Imperatoris eſſe, eo ſenſu intelligi poteſt, quo Baldus *ad l. fin. C. de teſt. milit.* dixit, Principes Alemanniæ eſſe quosdam Reges &c. Ita elegantiſſimè diſſerit Dn. Ludolph. Hugo *in perdocta ſua Diſputatione Inaugurali de Statu Regionum Germaniæ &c. cap. 4. n. 9. 10. ubi n. 11.* concludit: Satis opinor manifeſtum eſt, quod JCti dixerunt , Principem quemlibet in territorio ſuo tantùm valere, quantum Imperator in univerſo Imperio, id eos ita intellexiſſe: quemadmodum Reipubl. Imperii præeſt Imperator, ita Principes in ſuo ſingulos Territorio inferiori cuidam Reipubl. præeſſe , & propterea, cum officio Imperatoris in Imperio reſpõdeat officium Principum in Regionibus Imperii, jura quædam Imperatoria etiam ad Principes accommodanda eſſe. *& p. p.* Poteſtatem igitur proportione, non ſpecie eandem intellexerunt. Eodem tendunt illi, qui dicunt, (*Reinkingk de R. S. & E. l. 1. cl. 5. c. 6. n. 169.*) Principes poſſe in ſuo, quod Imperator in univerſo, ſimilitudine Juris, non paritate & plenitudine poteſtatis &c.

Num. 122.

(195) *In X. Circulos &c.]* Quò in Imperio Romano - Germanico omnia ordinatè decerni, Cameræ Jurisdictio meliùs exerceri, contributiones Imperii commodiùs exigi, ac Imperatoris Decreta faciliùs exequi queant , diviſio ejusdem in Circulos Circkel oder Kraiſe inſtituta fuit; Eorumque primùm Glorioſiſſimæ memoriæ Imperator Maximilianus I. Sex Circulos denominavit in Comitiis Auguſtanis Anno MD. *uti patet ex Ordinat. Camerali Conſtantiæ Anno 1507. confecta, tit.* Wann das Cammer-Gericht angehen ſoll. §. *Anno &c. ſeptimo : ibi :* Haben die Stände aus den Sechs Kraiſen / zu Augſpurg gemacht ꝛc. *&* R. A. zu Cölln *de Anno 1512.* §. Item / ſollen die 4. Churfürſten *ibi* : Und ſollen die Sechs Circkel hiebevor auf dem Reichstag zu Augſpurg verordnet/ bleiben ꝛc. Nempe Franconicum, Bavaricum, Suevicum, Rhenanum, Weſtphalicum, & denique Saxonicum. Quibus poſtca in Comitiis Trevirо-Colonienſibus Anno 1512. *vigore Receſſus eorundem*, Quatuor alios, nempe Auſtriacum, Burgundicum, inferiorem Rhenanum, & Saxonicum ſuperiorem adjunxit, ſic ut nunc univerſum Imperium Decem Circulis conſtet. De quorum juribus, uſu, variâ collocatione, JurisPublici Scriptores, & inter illos Limnæus *de J. P. lib. 1. cap. 7. num. 19. ſeqq.* & *in Addit. Tom. I. & II.* nec non Speidelius atque Wehnerus *in voce* Krais. Dn. Myllerus *in Archologia Stat. cap. 23.* cum Zeillero *in Tract.* Von deß Heil. Röm. Reichs 10. Kraiſen/ conſulantur.

Num. 124.

(196) *Regem Hiſp. eſſe Regem hominum &c.]* Manlius, *in loco de Magiſtratu*, illud ſic effert: Imperator Maximilianus ſolitus eſt dicere : Tantùm tres Reges ſunt hoc tempore: unus eſt Rex hominum, alter aſinorum, & tertius Rex Regum. Rex hominum eſt Rex Hiſpaniæ, ille adhuc moderatè regnat & ſentit ſe præeſſe hominibus. Alter, Rex aſinorum, eſt. Rex Galliæ, cujus ſubditi omnia onera ut aſini patiuntur, quæ ipſis imponuntur. Tertius, Rex Regum, *inquit*, ego ſum, nam quilibet meorum ſubditorum vult eſſe Rex, & facere quæ ipſi placent. Author Relationis Hiſpaniæ *apud Philippum Honorium in Theſauro Polit. pag. m. 73.* Maximilianus I. Auſtriæ, *inquit*, illud uſurpare ſolebat, ſe Regem eſſe Regum , Regem Hiſpaniæ hominum , & Galliæ Regem aſinorum, quia ſuos ſubditos arbitratu ſuo onerare poterant nemine repugnante ; ipſe verò ab Alemannis nihil ampliùs, quàm ipſi conceſſiſſent, exigere poterat: & Hiſpani Regi ſuo negare ſolent ea, ad quæ pendenda ex Legibus, Statutis , ordinationibus & conſuetudinibus ſuis non obligantur. Vid. Limnæus *de J. P. lib. 4. cap. 8. n. 3.* & *Addit. ad hunc locum Tom. I. pag. 604. ſeqq.*

Num.

Num. 126.

(197) *Nonaginta millia peditum &c.]* Hunc calculum Boterus, Davety, ut & ejus Interpres Gotofredus *in Archontologia Coſmica in Relat. de Imperio Rom.* ponunt; Ortelius verò in der Ungariſchen Chronick *pag.m. 49.* numerat viginti millia Peditum, Equitum duo millia. Iterum Iſthuanffius *Hiſtor. l. 10.* inquit, ſic confluxêre ſub idem tempus ad propugnandam Viennam circiter XVI. millia peditum, equeſtris verò ordinis bis mille; ſelectiſſimi omnes ac fortiſſimi Germanici nominis milites; quorum virtute ac viribus, ſecundùm Divi Numinis opem, urbs celeberrima à clade & cæde conſervata fuit. Diſceſſit autem Solymannus XIV. die Octobris, qui fuit dies Jovis, obſidionis autem vigeſimus tertius horâ noctis decimâ, Anni MDXXIX. deſideratis ex ejus copiis præter maximum jumentorum numerum, pluribus XX. (ut Iſthuanffius *lib. 10. pag 165.*) ſive (ut Ortelius *pag. 59.*) XIV. millibus.

(198) *Maximilianus II. &c.]* Sic quoque Maximilianus Archidux cùm ante pugnam ad Creſteſſum Anno MDXCV. die XXII. Octobris inter ipſum & Turcas commiſſum, univerſum Exercitum Chriſtianum perluſtraſſet, ac à ſingulis præfectis & tribunis cenſum equitum & legionum popoſciſſet, quot nimirum quisque armatos in aciem perducere poſſet, deprehenſum eſt, Germanorum Equitum tria millia, peditum quatuor, tormenta campeſtria XXII. Transſilvanorum Equitatum unà cum Sileſiacis, quos Raibnicius ductabat, quinque millium eſſe, pedites totidem, ac XL. tormenta. Tieffenbachianos Germanos pariter & Ungaros ſuperioris Pannoniæ incolas quinque millia equitum, ac parem peditum numerum, ac XXXV. tormenta; ita ut ſumma totius exercitus in unum collata, ſimul cum Palffianis, XXXIX. millia equitum & peditum efficeret, ac XCV. tormenta haberet, inquit planè eximius Ungaricæ Hiſtoriæ ſcriptor Iſthuanffius *lib. 30. pag. 697. ſeqq.* Variat tamen Ortelius in der Chronica deß Ungariſchen Kriegsweſen *parte 2. pag. 334.* Munerum totius exercitus conſtituens, XXXII. equitum, XXVIII. millia peditum, ac CXX. tormentorum.

Num. 128.

(199) *Circa id ævi &c.]* Annum nempe MDLXIX, quo Wolffgangus ille Bojoarius, ſive Palatinus Rheni Bipontini Dux, adjuncto ſibi Legato Volrado Mansfeldio, militares Hugonotis, ut vocant, in Galliam adduxit, quæ (*ut eſt apud Thuanum lib. 43.*) Hochefeldi in præfectura Haganoenſi luſtratæ, & in fidem adactæ, cenſitæ ſunt, ut ex codicillis militaribus conſtiterunt VIICIƆICXCVI Equites, non putatis equis currulibus. Serranus autem *in Invent. Franc. Hiſt. ſub Carolo IX.* Bipontinum quatuor Equitum & ſex Peditum millia ſub ſignis habuiſſe refert; Noviſſimè Buſſieres *Hiſtor. Franc. lib. 19.* numerat ſepties mille quingentos Equites, Pedites ſexies mille. Sic bella civilia aditum plerumque præbent vicinis peregrinis, qui absque alterius partis permiſſu & invitatione tentare nil quicquam auderent.

(200) *Aumalii &c.]* V. millia Equitum Germanorum Auxiliarium Aumalio cum Andino advenisſe, & horum inter primarios duces Philibertum Marchionem Badenſem, fuiſſe, memorat Thuanus, *d. loco.* De Mansfeldio autem Gallis Pontificiis tum militante ſilet.

(201) *Notum eſſe puto &c.]* Benè addit Gotofredus *in Archontologia Coſmica de Imper. Rom. per German. 17. parte 1. pag. 74* In ſtuporem autem rapi neceſſe eſt, quisquis conſideret ultima illa horrenda bella ab Anno MDCXIX. hucusque geſta, magno & continuo molimine: Bone DEUS! quot centena millia hominum ſtetêre ſæpe in caſtris Cæſaris, Palatini, Ligiſtarum, Unioniſtarum, Ducis Bavariæ, Tylli, Bohemorū, Fridlandi, Brunſvicenſis, Mansfeldii, Guſtavi illius Magni Sueci, aliorumque heroum ſub ſignis militantium. Certum eſt eum eſſe numerum copiarum, quas Furor Martialis eduxit, gladius conſumpſit, & tempus attrivit, durante & flagrante hoc Germaniæ incendio, ut poſteri vix credere poterunt, ſicubi catalogum contextum Hiſtoria prodet in poſterum. Memorat autem Author der Summariſchen Chronick deß 31jährigen Krieges *Coloniæ primùm impreſſi, Anno 1650. recuſi,* quantum certò ſciri poterit, cæſa tempore hujus belli fuiſſe treciescentum viginti quinque millia hominum.

(202) *Cui non Germanorum numeroſæ interfuerint copiæ &c.]* Beatiſſimus Forſtnerus *in ſuprà laudata Epiſtola de moderno Imperii Statu,* Magnæ ſunt, *inquit,* & ſplendidæ Germaniæ noſtræ res, ingens potentia & invictum robur; cui rei comprobandę non demeſticis atq; adeò ſuſpectis, ſed præter omnium nationum conſenſum unius Petri Victorii Itali Teſtimonio nunc utar, qui in Oratione, quam in obitu Maximiliani II. habuit, non ſemel ab harum rerum curioſis obſervatum affirmat, uno tempore bis cẽtum millia Germanorum diverſis Principibus extra patriam militaſſe, nullis domi ſolitudinis aut imminutæ frequentiæ veſtigiis comparentibus. Ipſi meminimus ſuperiori bello Germanico Joh. Georgium Saxoniæ Electorem XXX & Anno MDCLV. Brandenburgicum ſupra XLM. ſub ſignis habuiſſe Anno MDCXXXI. exauctorato Fridlando Cæſar quadraginta millia & Ligiſtæ maximâ copiarum parte dimiſſâ, quadraginta Equitum turmas & viginti millia peditū retinuêre. &c. Anne verò mos ille Germanorum, ſtipendia militaria apud exteros merendi, probandus ſit, disquiritur apud Berneg. *in Quæſt. ad Tac. verba in Germ. cap. 14. n. 4. Si Civitas, in qua orti ſunt, longâ pace & otio torpeat, plerique nobilium adoleſcentium petunt ultrò eas nationes, quæ tum bellum aliquod gerunt: quia & ingrata genti quies: & faciliùs inter ancipitia clareſcunt, &c. quæſt. 73.* Ut autem per occaſionem & hoc adjiciam. Non parùm ad commendationem ac laudem Germanorum facere videtur, quòd eorum præcipua opera in cuſtodiis Magnatum fuit expetita. Sic enim Imperatorem Auguſtum Germanos ſibi ſatellites allegaſſe, teſtatur Suetonius *in Aug. cap. 49.* & Tiberium, *Tacitus lib. 1. Annal. cap. 24. num. 2.* & Caligulam, *Sueton. in Calig. cap. 43. 45. 48.* & Claudium, *idem in Claud. cap. 10.* Vitollium, *Dio lib. 65.* Caracallam, *Herodianus lib. 4. cap. 4.* Græcos Imperatores, *Saxo Grammaticus lib. 12. Hiſtor.* Sed & alii Reges in ſuo Satellitio Germanos habere gaviſi ſunt: quemadmodum de Herode Judæorum Rege id teſtatur Joſephus *lib. 17. Antiq. Judaic. cap. 7.* Nec quẽmpiam credo latet, & Pontificem Romanum, & Galliæ Monarcham, & alios Principes Corpora ſua Helvetiis vel maximè concredere ſolere. Cauſam quærenti optimè ex Tacito *13. Annal. 54.* reſpon-

reſponderi poterit: NULLOS MORTALIUM ARMIS AUT FIDE ANTE GERMANOS ESSE.

(203) *Mediolanenſem Ducē ſibi defendendum &c.]* Adfuiſſe tantùm in Italia triginta millia Helvetiorum militum, teſtatur Joh. Baptiſta Plantin *en abbrege de l'Hiſtoire Generale de Suiſſe lib. 5. pag. 296. ſeqq.*

(204) *Fœminarum ſervitiorumq́ agmina &c.]* Jam olim Fridericus I. Barbaroſſa dictus, hanc (ut eſt apud Guntherum *in Ligurino lib. 7.*) legem tulit:

Non erit in noſtris nobiſcum fœmina caſtris.
Qui reus extiterit, ſpoliis nudatus abibit
Turpiter, & naſo mutilabitur illa reciſo.

Qui ipſe Imperator poſtmodum, (*Guntherus dict. loc. lib. 8.*)

Illecebroſa ſuis purgavit ſcandala caſtris,
E quo ſuo cœtu lixas & ſcorta, nocivum
Ac petulans vulgus ſatis indignanter abegit.

Inde ſic judicat Zevecotius *in Obſervat. ad Flori librum 3. cap. 3.* Ego, ſi ſententiam roger, malo fœminas abeſſe, &, quæ domi curanda ſunt, curare, ne pluribus impedimentis (quæ quàm poſſunt eſſe pauciſſima opto, ut expeditior ſit ad omnia exercitus) majorique commeatuum copiâ ſit opus; quibus deficientibus non rarò partes affliguntur, & certa ſæpè victoria è manibus extorquetur. Ridiculum porrò eſt, quòd cùm in exercitibus bellisque omnia in horrorem terrorisque imaginem compoſita ſint, videanturque & audiantur ubique arma, viri, equi, tubæ, tympana; ultima in vilia ſcorta deſinant. Extat inter articulos Juris Militaris Hollandici Quintus, illud ad ſcorta tantùm reſtringens, cujus verba hæc ſunt: Die gemeine Huren ſollen das erſtemahl mit Schand aus dem Läger getrieben / für das andermahl / wenn ſie ſich in denſelben wieder betretten laſſen / tapffer mit Ruhten geſtrichen und verbannt werden: ad quem Petrum Pappum *pag. 64. 65.* vide. Quod & Guſtavus Adolphus Suecorum Heros *Tit. 15. num. 70.* deß Krieges-Articuls-Brieff ſancit, præcipiens: Keine Huren ſollen im Läger oder Guarniſonen gedultet werden / da aber einer wäre / der die ſeinige bey ſich zu halten gemeinet / der ſoll ſie ihme ehelich trauen laſſen / wie denn ſonſten einem jeden frey ſtehen ſoll / ſein ehelich Weib bey ſich zu haben.

(205) *Magna difficultate colligantur &c.]* Appoſitè Renati de Luſinga Interpres Latinus, Jacobus Geuder ab Hereltzberga *de Increm. conſervat. & occaſu Imperiorum lib. 1.* Præterea, *inquit*, ſobrietas & parcimonia, quæ peculiaris eſt in Turcico milite, nunquam impediunt vel retardant expeditionum accelerationem, puræ aquæ potu contenti vivunt, oryza & caro ſale condita, atque in pulverem redacta quotidianus ei cibus eſt, & quilibet, quantum ad menſem unum ſufficiat, ſecum circumfert: Ubi hæc eſca deficiat, ſuos equos mactant & comedunt, utque diutiùs caro equina duret, ſale condiunt, quod etiam à Tartaris & Moſcovvitis fieri ſcimus. Noſtri autem exercitus nunquam ſuas auſpicantur expeditiones, quin priùs immensâ impedimentorum & munitionum copiâ abundè ſint inſtructi, nec facilè præparationibus finem imponunt, ut confuſiones, quibus expeditiones promptè & celeriter perfici impediuntur, hinc oriri mirum nemini videri debeat. Duo autem impedimenta, quæ præcipuè expeditiones remorantur, hinc naſci ſolent: prius in apparatu faciendo conſiſtit, in quem cùm nimio ſtudio milites incumbant, juſto & neceſſario tempore parati ad profectionem eſſe nequeunt; alterum conſiſtit in ducendo exercitu, ubi tam lentè omnia ſuccedunt, ut tempus agendis rebus commodiſſimum fruſtrà elabatur. Eventus expeditionis Eſſechianæ (Anno MDXXXVIII. duce Calciano) abundè id teſtatur, quâ Chriſtianorum exercitus fame & victualium inopiâ propter conducendi difficultatem, vehementiùs afflictus fuit, quàm à vi hoſtili, quæ vana prorſus atque irrita extitiſſet, niſi exercitus Chriſtianorum extremâ inediâ & cibariorum ſummo defectu laboraſſet: milites enim, præ nimia fame ſemimortui, animum deſponderunt, deſideriumque ſe ſuaque tuendi planè amiſerunt. Id cùm Dux belli Turcici perſenſiſſet, tam diu prælium ſuſpendit, donec Chriſtiani inediâ prorſus extenuati, inviti caſtra relinquere ac retrocedere coacti fuerunt, tunc poſtrema diſcedentis exercitus agmina aggreſſus continuis velitationibus & invaſionibus ita exercuit & attrivit, ut ultrò ordines deſeruerint milites, & latâ fugâ ſaluti conſulere quæſierint. Memini mihi à viro fide digno relatum, jam pridem fuiſſe Emanuelem Philibertum Sabaudiæ Ducem, cùm Belgicis copiis (Anno MDLVII.) imperaret, majorem difficultatem in eo bello nullam, præterquam in procurandis adducendisque ad exercitum rebus ad victum neceſſariis, expertum fuiſſe. Verùm quod citra ignominiam Chriſtianorum dici nequit, nullum reperimus Turcicum exercitum inopiâ victus inceptam expeditionem deſeruiſſe, vel ordines turbaſſe. Hactenus ille.

(206) *Ratio paucis contenta &c.]* Obſervat tamen Lazarus Soranzius *in Ottomanno cap. 25.* Turcas nunc multò molliores & effœminatos è Perſarum delitiis, quæ eosdem ferè in ipſis, quos luxuria in Romanis quondam & Græcis effectus habuerint, redditos, plurima impedimenta, quæ commoditates lectorum & rerum ad victum pertinentium conducunt, ſecum trahere ſolere, ut multis ad eam rem equis uti neceſſe ſit. Neque quemquam eſſe equitum, licèt ruſticus ſit, vel aliàs paupertate prematur, qui non plures unà ſecum in bellum ducat equos: qui tamen ſtrigoſi, malè habiti, & ad militiam planè inutiles ſunt, quod eventus pugnæ ad Agriam commiſſæ declaraverit.

Num. 129.

(207) *In Matricula Imperii &c.]* Deſcribi Matricula Imperii poterit, quòd ſit libellus publica authoritate deſtinatus, ut in eo deſcribantur nomina Imperii Statuum, & quantum quisque eorum ad uſus communes contribuat. Quamvis igitur extra controverſiam ſit, omnes in ea Status contineri debere, certum tamen & illud eſt, in nulla earum, quæ quidem ab Anno inde MCCCXCVII. extant, (*vid. Limnæum de J. P. lib. 1. cap. 7. num. 69.*) perfectam quampiam, in quam omnium relata Statuum nomina, hodiè reperiri, ut inde non ſolùm olim in Comitiis de redintegranda & perficienda Matricula conſultatum, (*Limnæus d. loc. n. 77.*) ſed etiam de renovandâ Matricula, in Inſtr. Pacis Cæſareo-Suecico *§. 8. cautum*, & in R. A. zu Regenſpurg de A. 1654. moderatio ejusdem dilata fuerit. Hincq; natum videtur Authoris noſtri aſſertum, quòd nō ſolùm in Matricula deſcripti, ſed & alii ad Comitia vocentur Status. Quod hactenus verum, ſi de Matricula de A. MDXXI. (quam Imperiū in R. A. zu Regenſpurg *de A. 1594.* pro genuina agnovit) intelligit. In propatulo enim eſt, in ſequentibus annis alios multos, quàm in ea deſcriptos, & ſic Anno MDLIV.

MDLIV. Principem Dieterichſtenium, Amalphitanum, atque Auersbergium ad Conſilium & Senatum Imperii adſcitos. *(De quibus Dn.* Gottlieb von Hagen *Comitiol. Ratisp. part. 3. diſſ. 3. num. 26. ſeq. & 38. ſeqq.*) Conſuetudinem verò tam efficientem eſſe, ut quis Status Imperii, votum & ſeſſionem habens, eâ ſolùm fultus, evadat, perſuadere mihi nequeo, vel ex Capitulatione moderni glorioſiſſimi noſtri Domini Imperatoris *art. 4.* edoctus, non ſolùm Imperatoris voluntatem, ſed & Statuum conſenſum aliaque requiri ad id, ut quis, etiamſi Princeps vel Comes ſit, Stimm und Stand / (*quemadmodum* im R.A. zu Augſpurg *de Anno 1348.* §. wann auch ein ausgezogener ꝛc. *dicitur*,) in deß Reichsverſammlungen habe ꝛc. Verba Capitulationis hæc ſunt: Deßgleichen wollen wir bey unſerer Königlichen und Käiſerlichen Regierung bey Collation Fürſtlicher und Gräflicher/ auch anderer Dignitäten / vornehmlich dahin ſehen/ damit auf allen Fall dieſelbe allein denen von uns ertheilet werden / die es vor andern wol meritirt / im Reich geſeſſen / und die Mittel haben / den affectirenden Stand pro dignitate auszuführen / niemand aber von den neu-erhöheten Fürſten / Grafen und Herren/ dem Fürſtlichen Collegio, es ſeye gleich auf ſelbigen/ oder der Grafen Bäncken/ ad ſeſſionem & votum, wider deroſelben Willen / aufdringen/ ſie haben ſich denn darzu mit Fürſtmäſſigen und Gräflichen Reichs-Gütern vorhero gnugſam qualificirt/ und zu einer Standswürdigen Steuer in einen gewiſſen Creis eingelaſſen/ und verbunden / und über ſolches alles neben den Chur-Fürſtl. auch dasjenige Collegium, oder Banck / darinn ſie aufgenommen werden ſollen / vorhero gnugſam gehöret worden ꝛc. Porrò cùm de Comitiis, & de iis, qui ad ea vocari debeant, aliisve huc pertinentibus Arumæus *Tr. ſing. inprimis cap. 4.* Bernhardus Bertranius *Diſſert. de eisdem, quæ extat in nucleo J. Publici Gieſſenſi Hampelii pag 745. membro 3.* Joh. Guntherus *Diſp. Inaug.* Joh. Staricius *in Comitiorum fido Achate.* Gottlieb von Hagen *in Comitiologia Ratisponenſi.* Limnæus *de J.P. lib. 9. cap. 1.* aliique Juris Publici Scriptores, Auguſtinus Patricius & Campanus, delicatulus ille Ligur, *in Commentariolo & Epiſtolis de Comitiis Imperii apud Goldaſtum in Politicis Imperialibus pag. 814. ſeqq.* & noviſſimè Eitel Friderich von Herden / in der Grundfeſte deß Heil. Röm. Reichs Teutſcher Nation/ aliique, quos omittere hoc loco conſultum duximus, ſcripſerint, Lectorem Benevolum ad eos & ad exitum durantium adhuc ultra ſeptennium Ratisponenſium Comitiorum, remittere hoc loco volui.

(208) *Tres claſſes &c.*] Vide d. von Herden *loc. cit.* im 2. Stück und 3. Capitel. Arumæum *d. tract. cap. 4. n. 7.* & *num. 30.* G. v. Hagen *in Comitiologia Ratisp. part. 3. Diſſert. 4. n. 55. ſeqq. ubi n. 117.* von dem Supplication-Raht ꝛc. tractat.

(209) *In Civitate Imperiali &c.*] Notius eſt, quàm ut multis neceſſe ſit hîc annotare, vigore Aureæ Bullæ *cap. 28. §. 5.* Regem vel Imperatorem Romanorum, niſi intercedente legitimo impedimento, primam ſuam Curiam Norimbergæ celebrare debere. Indeque ſi quando prima Regalis Curia alibi quàm Norimbergæ habetur, in Receſſibus quibusdam exprimi ſolitum, id factum ſalvo Jure Civitatis atque Aureæ Bullæ, rectè obſervavit & exemplis confirmavit Limnæus *ad A. B. d. cap. Obſerv. 17. & ad Capitul. Caroli V. art. 29.* An autem præcisè in Civitatibus Imperialibus fieri debeant Comitia, controvertitur adhuc inter Scriptores, quemadmodú apparet ex Limnæo *de J. P. lib. 9. cap. 1.* Arumæo *de Comitiis cap. 5.* Knipſchild. *de J. & Priv. Civit. Imp. lib. 2. cap. 1. n. 26. ſeqq.* Ego illorum acceſſerim opinioni, qui putant, & alibi quàm in Civitatibus Imperialibus celebrari ea poſſe, ſi modò locus cum conſenſu Electorum electus, extra Germaniam ſitus non ſit, maximè inductus ad eam ſententiam per Domini noſtri Imperatoris Leopoldi Capitulationem *art. 17. & quæ Tom. II. Addit. ad J. P. cap. 1. & 12. p. 339.* ad eam *& antea ad Caroli V. Capit. art. 12. n. 6. ſeqq. p. 195.* Limnæus annotavit, cui jungi poterit Dn. Myllerus *in Addit. ad Rumelinum in A. B. p. 387.* Eitel Friederich von Herden in der Grundfeſte im 1. Stuck Cap. 4. Quòd verò in ſpecie Conventuum Electoralium locum attinet, expreſſa leguntur in der Vereinigung unter den ſechs Churfürſten *Anno 1521.* zu Worms aufgericht/ *§. 7. 9. & 16.* hæc loca Maintz/ Franckfurt/ Gelnhauſen oder Fulda / ubi Electores conveniant.

(210) *Cum Electoribus nonnunquam convenit &c.*] Hujusmodi Conventus vulgò Churfürſten oder Collegial-Tag ꝛc. ſicut alii particulares Conventus in Imperio nunc Deputations-Täge (Arumæus *de Comit. c. 3. n 32. ſeqq.*) qualis dieta ultimò Francofurti ad Mœnum A. MDCLV. celebrari cœpta, & aliquot per annos, ferè ad Comitia usque Ratisponæ Anno MDCLXII indicta, continuata fuit. Ad qualem ex Imperii Statibus *ſecundùm* R.A. zu Augſpurg *de Anno 1555.* §. So ſich dann aber ꝛc. convocabantur Domini Electores, Imperator tanquam Archidux Auſtriæ, Melchior Epiſcopus Herbipolenſis, Wilhelmus Epiſcopus Monaſterienſis, Dux Bavariæ Albertus, ut & Gervicus Abbas Weingartenſis, & Ochſenhuſanus ex Prælatis; Fridericus Comes Fürſtenbergenſis ex Comitibus & Baronibus; ex Civitatenſium Collegio, Colonia atque Norimberga. In Comitiis tamen Auguſtanis Anno 1559. *ut patet ex eorundem Receſſu* §. Auf daß dann dißfalls ꝛc. Ordinatio hæc ad certas tantùm perſonas reſtricta ad ſucceſſores atque hæredes horum Deputatorum extenſa, iisque Dux Juliacenſis, Landgravius Haſſiæ, Spiræ, *vigore* R. A. *de Anno 1570.* §. Und damit ſolche ꝛc. Epiſcopus Conſtantienſis, Dux Burgundiæ, Julius Dux Brunovicenſis & Johannes Fridericus Dux Pommeraniæ, adjuncti fuerant. Cæterùm Receſſui deß Deputations Tag zu Franckfurt Anno 1571. ſubſcriptus quoque legitur Archi-Epiſcopus Salisburgenſis, & Epiſcopus Leodienſis. Quorum tamen, nec in ſuperioribus Receſſibus, nec in Receſſu Imperii de Anno 1654. nulla mentio fit. Verùm cùm in Inſtrumento Pacis Oſnabrugenſis *art. 5. §. 18.* conſtitueretur, quòd in Conventibus Deputatorum Imperii ordinariis, numerus ex utriusque Religionis Proceribus exæquetur; De perſonis autem, vel Statibus Imperii adjungendis, in Comitiis tunc) proximis ſtatuatur, Anno 1654. per Receſſum Imperii §. Und dieweil ꝛc. Anno 1570. electis, additi fuerunt; Domus Saxo-Altenburgica, Brandenburgico-Culmbacéſis, Duces Megapolitanus, Würtenbergenſis, unúsve ex Comitibus Wetteravicis & cum his ex Urbibus, Aquisgranum, Uberlinga, Argentoratum, atque Ratispona. Alii dein Conventus particulares Circulorum ſunt, vulgò Kreis-Täge / de quibus Arumæus *d. l. n. 37. ſeqq.* Limnæus *lib. 9. cap. 1. n. 24.* & *in Addit. ad J. P l. 9. c. 1. n. 242.* ubi potiſſimùm de Circulo Franconico agit, conſulantur. Alii *Viſitatorum Cameræ* indigitantur quotannis 1. Maji Spiræ inſtituendi.

Sic

Sic enim in Ordinatione Camerali *part. 1. tit. 50.* Fürter und zu mehrer Beſtändigkeit dieſes Cammer-Gerichts ordnen/ ſetzen / und wollen wir / daß hinfürter jährlich das Cammer-Gericht durch der Käiſerl. Majeſt. oder Ihrer Liebd. und Käiſerl. Abweſens/ unſer als Römiſchen Königs / auch Churfürſten / Fürſten und Stände verordnete Commiſſarien und Raht alle Jahr den erſten Maji an dem Ort/ da es gehalten/ viſitiret werden ſoll. (*Arum. d. loc. num. 48. ſeqq.*) De quo noviſſimè in conſcripto à Dn. Jacobo Blume Proceſſu Camerali *Tit. XXIV.* multa annotantur. Si unquam Conventus Electorum frequentes extiterunt, certè hoc ſeculo extiterunt. Sic, ut ab anno inde MDCXXV. Conventus Electorum numerentur, nempe Mulhuſanus in Thuringia, dicto anno, Ratisponenſis Anno ejus ſeculi XXIII. Schleuſinganus Anno XXIV. alter Mulhuſanus Anno XXVII. Norimbergenſis Anno XL.

Num. 130.

(211) *Inter alia prægrandis momenti negotia &c.*] Conſultatum fuiſſe, I. de Pace Imperii univerſali procuranda. II. de Palatino puniendo. III. de reſiſtendo Hollandis. IV. de reprimendo Sueco, & V. de bello Italico, docemur ex propoſitione Cæſarea & conſultatione ſubſecuta, quæ habetur in Theatro Europæo *part. 2. p. 168.*

(212) *Ducem Bavariæ transferebatur &c.*] Cœpit inter diverſos Scriptores doctiſſimos publicisq; documentis inſtructiſſimos circa Annum MDCXII. agitari illa quæſtio, *Utrum Electoralis dignitas in Palatina familia prior? an in Bavaricâ fuerit?* occaſione Scripti Marquardi Freheri *de legitima tutela curâq; Electorali Palatinâ*, in quo contendit, invaluiſſe jus tale, ut qui Palatinatum Rheni poſſideret, idem etiam Elector audiret & eſſet, ad quem *Antitheſin* exaravit Chriſtophorus Gewoldus, priore per *literas reſponſorias* Palatini Electoratum aſſerente; poſterior *Replicationem* miſit, ut & *Epiſtolam Monitoriam*, cui Freherus *Recipiſſe* tradidit; Gewoldus in tantum non acquievit, ut potiùs in Tractatu ſuo *de Sacri Rom. Imperii Septemviratu* Anno MDCXVI. reciprocaret ſerram *cap. X. per totum*, ubi incidenter & Ciſneri, & Schardii opiniones refutandas ſumſit. Cujus argumenta tanta ponderis eſſe putavit Nicolaus Burgundus, ut jam victo & exauctorato Friderico Electore Palatino, Electorali verò Dignitate & Electoratu in Maximilianum I. Bavariæ Ducem Anno MDCXXIII. in ipſis Comitiis Ratisponenſibus collatâ, contra Anonymum quendam ſub Schemate *Deplorationis Pacis Germanicæ*, Jura Principis Palatini defendentem Anno MDCXXXIV. *Electoratum Bavaricum* ſive *Apologiam pro Gevvoldo* ſcribens in hæc erumperet verba: Hîc tamen (*creando Electorem Maximilianum*) ſi verum fateri volumus, nihil Bavaro Cæſar dedit. Rem Domino ſuo reſtituit, vacantem poſſeſſionem proprietario aſſignavit. Dic enim quicquid potes, & quantum potes, & quàm eloquenter ac magnificè potes, noſtra tamen hæc eſt gemma, quam Otto III. Bavariæ inſeruit. Ex illo in poſſeſſionem venimus, ex illo incumbimus &c. Porrò cùm Palatinorum nomine Anno MDCXXXIX. evulgaretur ſcriptum, cui titulus: *Manifeſtum &c.* hujus Bavari *Antimanifeſtum* oppoſuerunt; Illis ſub nomine *Manifeſtationis* Replicas edentibus, Hi reſponderunt libello cum inſcriptione *Antimanifeſtationis*. Demum prodiit Anno MDCXL. magnum illud opus Johannis Joachimi à Rusdorff, titulum præferens *Vindiciarum cauſæ Palatinæ &c.* adverſus quem iterum Johannes Adelzreitter *Aſſertionem Electoratus Bavarici* præ ſe ferens in aciem prodiit. Et hactenus paribus vicibus bellum in hac cauſa literaria ſubſtitit. At verò quicquid horum ſit, Maximilianus Bavariæ Dux, à ſuis alter Salomo appellatus, ut ſuprà innuimus, electus Elector, & ſolemni ritu à Ferdinando II. Imperatore inauguratus, Ratisponæ dicto Anno die XXV. Februarii S. V. inveſtitusque fuit. Hâc tamen lege additâ & modo, ut dicta Inveſtitura neque Ipſi Imperatori ac Sacro Imperio, neque proſcripti tum Friderici Comitis Palatini Liberis, & Fratri Ludovico Philippo Comiti Palatino, neque cognato & affini ſuo Wolffgango Wilhelmo Comiti quoque Palatino, cæterisque Agnatis & omnibus aliis, in ſuæ reſpectivè aggratiationis, prætenſique Juris, quantum cuilibet convenit, præjudicium ſit, verùm ea prætenſa jura & privilegia iſtis reſervata, ac, quàm primùm fieri potuerit, vel amicabili compoſitione, vel per ordinarium proceſſum Juris, coram Imperatore & Electorali Collegio, deciſa & determinata eſſe debeant &c. Ut verba Diplomatis Inveſtituræ Ferdinandeæ primæ, quâ dignitas Electoralis Palatina Maximiliano Bavariæ Duci ſoli, ſine mentione hæredum, in illa dieta collata fuit, (*quod ſubjunctum Statui particulari Imper. Ferdinandi II. exhibetur*) evincunt. Cui translationi tamen primitùs & Saxo & Brandenburgicus Electores, alii, aſſenſum ſuum denegarunt. Prout apud Adelzreitterum *Boicæ Gentis Annal. part. 3. lib. 3. num. 5. ſeqq.* Authorem Theatri Europæi *part. 3. pag. 712. ſeqq. multis* (*ubi inſimul proceſſus Inveſtituræ deſcribitur*) Freyberger *in Germania perturbata & reſtaurata part. 3. pag. m. 86.* Dn. Burgoldenſem *part. 1. Notitiæ Rerum Imp. Rom. Germ. diſc. 24.* alios, videre licet. Res notatu digna, (*ſi modò fides omninò Rusdorffio in Vindiciis Palatinis cap. 38. num 18. pag. 451 habenda*) quæ in peragendo ritu contigit, hæc viderur; dum novus Elector mitrâ & trabeâ Septemvirali inductus ante Imperatorem conferentem inveſtituram congenicularet, ſubitò è fornace, nimio igne propter adgeſta ligna repletâ, flammam erupiſſe, quæ, ſi non extemplò obſervata & extincta fuiſſet, totum conclave deuſſiſſet, & hominibus magnum damnum dediſſet. Quales tunc fuerint animorum motus circa translationem ipſam, graphicè delineat Author *Epitomes Rerum Germanicarum circa Annum 1623.* De ipſâ verba faciens: Variè, *inquit*, ea res accepta, prout favor aut odium animos occupaverat, quamquam uterque & præmium & pœnam commeritus videbatur, tamen apud multos ſtudio Religionis alioverſum verſa interpretatio & plaga uni inflicta partium connexu terrorem in omnes vulgaverat: nec deerant externi, qui ſuſpiciones intenderent, recta detorquerent, rem tantam ſine conſenſu Ordinum novo, aut à nimia vetuſtate exoleto ſummæ poteſtatis exemplo peractam altiùs ſpectare, ſi fortunarum everſio pœnam ſequatur, has in ejus arbitrio fore, penes quem pœnę modus ſit; nec defore reos, ubi factio imperet, accuſatio pretium habeat, & Lex Majeſtatis nullis jam exceptionibus unius familiæ ſit futura auctoritas. Hæc à Saxone & Brandenburgico non obſcurè jactata, ſed alterum Luſatia tenebat, alter erat potentioris acceſſio, ita res non ultra queſtus progreſſa,

greſſa Imperatoris beneficium Bavaro ratum fuit, licet & Hiſpanis id faſtigii alteri, qui exinde non tam altè emineret, adſtrui malentibus. *Hactenus ille.* Alius perſonatus ille Dn. Severinus de Monzambano *cap. 4. §. 4. de Statu Imp. German.* mentionem ablatæ uni dignitatis Electoralis, in agnatum ex eadem familiâ collatæ, injiciens, factum id fuiſſe cenſet ab Imperatore, ut eo ipſo non modò invidia facti inſigniter molliretur; ſed & potentiſſimæ familiæ æternâ æmulatione diſtraherentur, obnoxiis Cæſari illis partibus, quas ipſe validiores reddiderat. Sic pronæ ſunt in ſuſpicionem perculſæ ſemel mentes! Demum Dignitas hæc Electoralis Maximiliano Bavaro ejusque liberis, totique lineæ Wilhelmianæ, quàm diu maſculi ex ea ſuperfuerint, cum omnibus Regaliis, officiis, præcedentiis, inſigniis, & juribus &c. in Pacificatione Oſnabruggenſi Anno MDCXLVIII. *§. 4. verſ. ante omnia verò cauſam Palat.* confirmata, Domino Carolo Ludovico verò, Comiti Palatino, Octavus Electoratus collatus fuit, qui tam diu duret, quàm diu maſculi ex dictâ lineâ Wilhelmianâ ſuperfuerint, extinguetur & in Bavaros tranſlata dignitas ad Palatinos lineæ Rudolphinæ redibit, extinctis illis; prout latiùs ibidem & à Dn. Burgoldenſi *d. loco diſc. 25.* deducitur. Sic ut ex tunc lis hæc de dignitate Electorali hodiè ſublata eſſe videatur. Reſuſcitata tamen alia hinc deſcendens controverſia, inter celſiſſimos utriusque Domûs Electores, Dn. Ferdinandum Mariam utriusque Bavariæ &c. Ducem, atque Dn. Carolum Ludovicum Comitem Palatinum Rheni &c. fuit, Dn. Ferdinando III. Imperatore, pacatis jam undique afflictæ Germaniæ motibus, è vivis Anno MDCLVII. die XXIII. Martii, ſublato, *de Vicariatu Imperii*, quem juxta Celſiſſimum Dn. Electorem Saxoniæ Johannem Georgium, eodem fervore, quo Palatinus, Bavarus ad ſe pertinere contendebat, proindeque uterque ſeſe Vicarium in partibus Rheni, Sueviæ & Juris Franconici eſſe omnibus primò *literis patentibus* affixis ſignificabat, (*vide Diarii Europæi part. 1. pag. 69. ſeqq.* Thuldenum *in Hiſtor. per Europam lib. 7. pag. 34.*) dein ſcriptis publicis prior ſub titulo, Kurtzer und Summariſcher Bericht ꝛc. alter ſub titulo eines Gegenberichts ꝛc. denuò prior ſub tit. einer Ableinung ꝛc. alter, ſub tit. der endlichen abgenöhtigten Ableinung ꝛc. Iterum patentibus literis Cameram Imperialem & hinc emanantes proceſſus, Inveſtituras feudorum Imperialium, Privilegia impreſſoria, & reprobationem numorum quorundam alborum concernentibus, prior XII. Maji, alter II. Junii, VI. Julii, XII. Auguſti, I. Aprilis Anni MDCLVIII. Palatinus iterum XXII. Aprilis, & mox I. Maji jura ſibi ratione Vicariatus Imperii aſſerebant. Cui adſtipulari conabatur privatus quidam ſub nomine Gratiani Philœci, ſcriptum *de Vicariatu Palatino* edens. Quinimò atramento nihil operante & atramentarium additum fuiſſe, in Conſeſſu Electorali Francofurti V. Maji ejusdem narrat Martin Meyer in der Europæiſchen Geſchichts-Erzehlung/ *parte 2. pag. 451.* atque Thuldenus *Hiſtor. per Europ. lib. 9. pag. 245. vide & Theatrum Europæum parte 1. pag. 802. ſeqq.*) Quod finem huic controverſiæ hactenus impoſuit.

(213) *Vinci à nullo hoſte &c.]* Coite ſolùm, viri Principes, & trepidabunt vires veſtras exteri, quibus ob inteſtinas liticulas vileſcere cepiſtis. Tollite Thuſca illa jurgia, & videbitis, neque terrarum orbem, neque cunctas gentes conglobatas (humanitùs loquendo) movere, aut contundere Imperium hoc poſſe, monet Vietor *de cauſ. exempt. Imperii Coroll. 3.* ex Salluſtii *Orat. ad C. Cæſarem de Republ. Ordin. 1.* Adverſarii autem noſtris diſſenſionibus ac diſcordiis læti vitia hoſtium in gloriam exercitûs ſui hactenus verterunt. Firmanda igitur ſunt concordiæ bona, & diſcordiæ mala tollenda.

(214) *Futurus ſit Status &c.]* Conabantur quidem priſtinum reſtituere ſtatum Pacificatores Monaſterio-Oſnabruggenſes Imperio noſtro, faciemque ad priorem formam exornare, ſed in tantum laxata fuerunt membra illius, & in tantum deturpata facies ejus apparuit, ut nullo hactenus opere plenè & planè redintegrare aut fronti ullis pigmentis honor & nitor reſtitui potuerit. Sic dum ſibi quisque tendit, raro in commune conſulitur.

(215) *Manſit tamen, manebitq; &c.]* Vide Tertullianum *ad Scapulam*, Æneam Sylvium *de ortu & auth. Imp. c. 8.* Petrum de Andlo *1. cap. 7. & 2. cap. 20.*

Num. 131.

(216) *DEUS omina firmet &c.]* Firmavit certè DEUS Omina, Ferdinando III. Imperatore Glorioſiſſimo Jani templum claudente! Velit modò æternus ille Diribitor omnis boni conſervare hanc nobis pacem ſartam tectamque, averruncare molimina exterorum, firmare concordiam internam, imprimere ſuperioribus amorem erga ſuos, inferioribus reverentiam & ſubjectionem, omnibus Juſtitiæ cultũ, & jugam obſervantiam illius, QUOD TIBI FIERI NON VIS, ALTERI NE FECERIS, purumque Religionis cultum. Fiat!

CAPUT V.

De Ærario Turcico.

SUMMARIA.

1. *De* Mahometæorum *Sectæ Origine præliminaria & de* Ærario: *quod eſt* Turcis *duplex; peregrinum, & domeſticum,* & n. 2.

3. *Extraordinarii* Turcæ *reditus magnifaciendi : hujus* Tyranni *tàm firmata ſunt inſtituta, priùs ut imperium corruat, quàm deficiat pecunia.*

4. Dona ac munera *huic Tyranno ſupra fidem multa ac magna afferuntur.*

5. *Nemo ſine* munere *venit, auditurq;.*

6. *Inde eſt, quod undecunque rapitur, ut dona* Imperatori *parentur.*

7. Baſſarum, *aliorumq; miniſtrorum Turcicorum theſauri, ut plurimum Fiſco cedunt.*

8. Reditus Cairi, *pretium hæreditatum ab opulentioribus relictarum, & mancipiorum huc devolvuntur, &* n. 9. *Mulctæ, Decimæ, Spolia, &c.* n. 10. 11. 12.

13. Chriſtiani *cum XIV. annum attigerunt, certum genus tributi pendunt.*

14. Judæi

14. Judæi *& Græci Chriſtiani quantum Turcico Ærario penſitent?*

15. Turcæ *nusquam pendunt: Onera penes ſolos Chriſtianos ſunt.*

16. Mahometes *etiam flores horti ſui volebat divendi, ac inde pecuniam confici:&* numero 17. *In neminem juſtus aut munificus; niſi liberalis in pellices*, num. 18. *&* 19.

20. Chriſtiani Principes *etiam Turcæ pendunt.*

21. Patriarcha Conſtantinopolitanus *quid tribuat?*

22. *Quantum* Turcæ *ratione Regni Hungariæ datum?*

23. Principes Wallachiæ & Moldaviæ *quantum?*

42. Reſpublica Raguſienſis *quid præſtet? & quid* Veneta Reſpublica *? ibidem.*

25. *Alia tribuunt* Afri, Arabes, Georgiani, *aliiq; Principes.*

26. *Qui* officia *ambiunt, qui officium geſſère, & omnes munera danto.*

27. Equitum *quantum numerum habeat?*

28. *Aluntur illi non ſtipendiis annuis, ſed* agris aſſignatis.

29. Othomani *occupantes hoc imperium, multa in regimine immutarunt.*

30. *Si* Turcarum Imperator *alere vellet, & ſtipendiare equitatum ſuprà dictum, oporteret impendere quindecim milliones aureorum.*

31. *Alia etiam ingens inde utilitas* Turcico ærario.

32. Turca, *hoc eſt, Vaſtator, omnia etiam ſua patriæ devaſtat.*

33. *Ob peccata populi* Deus *tàm feram belluam, tàm latè & immaniter graſſari permittit.*

34. *Unde* Turca *habeat ſine ſumptu remiges pro claſſibus, aliaq; emolumenta? videl. à Timarrorum inſtitutione, qui hoc imperium faciunt diuturnius, &* num. 35.

36. *Qui* Timarros *habent opulentiores, plures tenentur equites in bellum ducere.*

37. Bello, *quod cum Perſâ Turca geſſit, profecit & proſperavit plurimum* Turca.

38. *Duo commoda potiſſima* Equitatus Turcici, *de quo hîc multa, &* num. 39.

40. *Alii* Equites Turcici, *quibus ſtipendia ſolvuntur.*

41. Acanzi *& auxiliarii, Tartari, Wallachi, Moldavi.*

42. Peditatus Turcicus *conſiſtit in Janizzaris.*

43. *Eſt* peditatus *vilior* Azapporum.

44. Equitatus *ſtipendiarius* Turcicus & Timarrotæ *robur exercitus ſunt hi.*

45. Acanzi *accidentales, Janizzari, uti Legio prætoria, Azappi numeri ſunt.*

46. *Reliqui in exercitu ſunt* mancipia.

47. *Totum* Turcicum Imperium *quantum penderit Solymanni tempore?*

48. *Quid undelibet ex particularibus* Turca *conficiat? habes* num. 49. 50. 51. *& ſequent. usque* 61.

62. Turcicus Proventus *æſtimatur à Viginiario ad XII. milliones auri.*

63. Conjectura *hinc fit de antiquâ potentiâ Romanorum, qui hac univerſa, cum multò pluribus obtinuêre.*

64. Turcici annui reditus *faciunt XL. milliones auri, quarum ex ſuis ditionibus XX. percipit, &* XX. *milliones à Chriſtianis Principibus. &* n. 65.

66. *Epiphonema.*

Turcicus exhaurit bellis Æraria Princeps
Sæpè, ſed ex rapto muneribusque replet.
Plura quidem poſſent in triplice climate mundi
Acquiri, modo non negligeretur ager.

HERACLIO *Imperatore*, (1) cùm magna ex
parte Imperium Romanum concidiſ- 1
ſet, nova è profundo barathro erupit Religio, ſeu clades potiùs ac lues humani generis; quæ non ſolùm per univerſum *Oſmanniđarum imperium*, (2) puta Ægyptum, Syriam, Armeniam, Meſopotamiam, Chaldeam, Cappadociam, Aſiam minorem, Imperium Trapezuntinum, Græciam omnem, inſulasque & Maris Mediterranei & Archipelagi, Peloponneſum item, Epirum, Ætoliam, Achajam, Macedoniam, Sclavoniam, Boſniam, Wallachiam, Serviam, Bulgariam, Myſiam, Ungariam ſive Panoniam, aliasque regiones, verùm etiam apud Scythas, Tartaros, *Perſas*, (3) Indos, Arabes, Æthiopes, Africanosque cæteros, longè latèque dominatur. Hi quidem omnes *unum Deum*, (4) æternum *creatorem cœli & terræ*, (5) confitentur & *adorant*, (6) eumque *omnipotentem*, (7) *omniſcium*, (8) *benignum, miſericordem*, (9) *bonis præmia*, (10) malis cruciatus tribuentem prædicant; Deum verò habere eſſentiam corpoream, *animâ præditam*, (11) *non eſſe tres in Deitate perſonas*, (12) *Chriſtum non eſſe Deum*, (13) ſed magnum & ſanctum quendam *Prophetam*, (14) *& circumciſionẽ*, (15) *delectum ciborum*, (16) *lotiones* (17) varias corporis, & ſimilia *ad ſalutem eſſe neceſſaria* (18) profitentur; Mahometem autem *nuncium*, (19) atq; *Prophetam Dei ultimum*, (20) itemq; *Paracletum tum* (21) in Evangelio promiſſum, cæterisque, qui ante eum fuerunt, & digniorem, & gratiorem, ac Deo chariorem affirmant. Et cùm præcepta Chriſti obſervatu difficillima, imò impoſſibilia putent, Mahometem idcirco miſſum à Deo Prophetam, ac Dei juſſu *mitiorem ac faciliorem* edidiſſe *legẽ* (22) volunt; quò facilior foret credentibus via ſalutis. Atque *ut Evangelio prodito abrogata* (23) eſt lex Ceremoniarum Moyſis, ſic Mahometem ſucceſſiſſe Chriſto, *Deiq; mandato AlCoranum* (24) in Evangelii locum ſubrogatum exiſtimant. Neque ſolùm Chriſto Mahometem ſucceſſiſſe, ſed etiam à Deo in mandatis habuiſſe, ut non ampliùs exemplo Chriſti, hortatione, verbo, & precibus ad Legis ſuæ obſervationem homines induceret; aſt *ferro & viribus renitentes aggrederetur*, (25) & tanquam juſtitiæ divinæ vindex Chriſtianorum perfidiam (in tot hæreſes ſectasque diviſam) caſtigaret, eorumque ſummam erga Deum ingratitudinem ulciſceretur, ac de nefario prioris legis contemptu vin-

dictam

dictam ſumeret, prædicant. *Unumquemque* tamen *in ſua lege*, ſive Chriſtianum, ſive Hebræum, aut Mahometæum, modò honeſtè & juſtè vixerit, *ſalvari*(26) poſſe, & miſericordiam à Deo conſecuturum putant. Hinc eſt, quòd Chriſtianos ſub imperio Oſmannico degentes ad fidem Mahometanam amplectendam minimè cogant: Cujuſcunque enim ſectæ Chriſtiani fuerint, ſua lege, ſuoque ritu vivere cuilibet liberum eſt.

Peculiarem propterea quæque natio Chriſtiana in eorum urbibus, oppidisque Eccleſiam habet, & in ea *publicum* ſuæ *religionis exercitium uſurpat*: (27) Quod ad Imperii Oſmannici *incrementum plurimùm*(28) facit. Hâc namque ratione, Imperator ſubditos ſuos etiamſi alienigenæ legis ſint, ſibi benevolos reddit, auctoritatem etiam atque regnorum amplitudinem ſibi conſervat.

Quare ut provinciam aliquam bello ſubjugaverit, ſat ſibi eſſe putat, ſi ſubditos obedientes habeat, & modò tributum præſtent, quâ religione vivant, curat nihil: quâ arte amplitudinem Imperii ſibi peperiſſe, atque hactenus ſtabiliviſſe, multi putant. Tametſi verò aliquæ, uti dictum, in iis locis ſint Chriſtianorum Eccleſiæ; nihilominùs quàm miſera ſit earum conditio, & quàm depravata ſit doctrinæ confeſſio, vel ex eo colligi & intelligi poteſt, quòd decem ſint genera Chriſtianorum, qui Orientem hinc inde habitare creduntur. Quorum primi ſunt LATINI, (29) qui ſunt ſub obedientia Pontificis Romani: Secundi, GRÆCI, qui Patriarcham Conſtantinopolitanum pro ſuo agnoſcunt capite: Tertii, INDI & ÆTHIOPES ſub Presbytero Johanne, de quo infrà hoc libro, *cap. 25.* Quarti, JACOBITÆ, qui & COPTITÆ, qui circumciduntur, & unam tantùm in Chriſto naturam agnoſcunt: Quinti, NESTORIANI, in Tartaria & India: Sexti, MARONITÆ, qui ſunt Monotheletæ, in Lybia & Phœnicia: Septimi, ARMENII, qui ſuum habent Præſidem, cui omnes parent, quem appellant Catholicum: Octavi, GEORGIANI, qui ſic dicti à Georgio equite, (cujus imaginem in vexillis circumferunt) & Mediam, Perſiam, & mare Caſpium incolunt, & Græcorum linguâ atque ritibus utuntur: Noni, SYRIANI, qui ſic dicuntur à Sur, Civitate Aſſyriæ, & in plerisque ſequuntur Græcorum religionem, & aliàs appellantur Samaritani: Decimi, MAZARADES, in Arabia, qui in multis conſentiunt cum Eccleſia Latina.

Fuit verò Mahometes natione Arabs, humili & ſordido loco natus, qui ad majora aſpirans, auſus eſt Prophetam ſe dicere à DEO miſſum, ut Leges perennes, noviſſima ſacra mortalibus traderet, cui *nec acrimonia ingenii* (30) defuit, nec peritia ſacrarum rerum: quam ex Judæis & Chriſtianis hauſerat. Hic flagitia ſua ac mores quantumvis perditiſſimos callidiſſimè ſcivit occultare; & ſi quando emergerent, in Deum & religionem transferre, ut facilè barbaros & rerum ignaros à veri cognitione averteret, atque in ſuam ſententiam pelliceret; eoque magis, quòd novas leges, quas eâ tempeſtate Arabibus & Idololatris impoſuit, *ad Gabrielem Angelum*(31) referret: quo monitore ſeſe omnia gerere, mentiebatur. A Chriſtiano autem Sergio, hæreſeos damnato, & ab *Italia profugo*, (32) adjutus, hæreſim omnium peſtilentiſſimam in lucem edidit, imò potiùs omnes antiquarum hæreſium fæces, quas Diabolo imbuente ſorbuerat, revocavit.

SERGIUS, vafer ille turpiſſimæ & nefandæ *Legis compilator* (33) noverat, artem artium eſſe regimen affectuum & animorum; ideoque ſingularia & media quædam capita ex Chriſtianiſmo, Judaismo, atq; Paganiſmo congeſſit, quibus omnium gentium aſſenſum ſibi pollicebatur. Ut autem absq; prodigiis & ſignis lex ejus acciperetur, *laſciviam*, (34)(ad quam Orientales populi proni atque proclives admodùm fuêre) permiſit, & etiam quibusdam in locis inculcavit, ſicque ii, qui neglexerant ambulare in ſpiritu, declinarunt ad opera carnis.

Cum *Sabellio* (35) & *Ario* (36) Trinitatem abnegavit: cum *Ebione* (37) & *Neſtorio* (38) Chriſti divinitatem abjecit: cum *Macedonio* (39) Spiritum S. Deum eſſe noluit: cum *Manichæo* (40) mortem Chriſti negavit: cum *Cerintho* (41) circumciſionem tenendam docuit. Ad hæc leges ſanxit, quæ mortalibus maximè arriderent, neque juberent quidquam, quod explendæ libidini adverſum eſſet; ut ſic homines ſeveritatis legum ſuarum pertæſos ad ſe traheret. Neq; improbam ſpê feſellit eventus. Nam ut ſunt plerique magis ad vitia, quàm ad virtutem proni; brevi factū eſt, ut etiam multi à Chriſtiana fide deſciſcentes, peſſimam ejus Legem amplexi fuerint. Quibus artibus tandem regnum adeptus, hoc ſucceſſu lætatus, nefariam hæreſim longè latèque diſſeminavit: jacto quidem dolis fundamento, gladiis tamen prolato imperio: nam quos arte capere non potuit, viribus in novum dogma ſubjugavit. Quo humanis exemto rebus, poſteri aucti viribus & potentiâ, mirum in modum Imperii ſui *limites propagarunt*, (42) ut jam Aſiam, atque Africam penè totam, ac magnam Europæ partem invaſerint, victoriisque frequentibus fermè Mundum occupaverint univerſum.

Cæterùm opes, vires, & potentiam Turcici Imperatoris quod attinet, duo is *Gaſnad* (alii cum aſpiratione *Haſnad* (43) pronunciant,) ſeu Theſauros habet, qui ærarium exterius peregrinum, & domeſticum ſeu

interius vocantur. Illud decem auri milli-
ones annuos habet in reditu, qui in ſumptus
Regni, & in ſtipendia eorum, qui munera
gerunt publica, atque alios uſus ad conſerva-
tionem Imperii neceſſarios, impenduntur.
Rara per imperium vectigalia, exiguaque
portoria: hæc defraudantibus, geminan-
dum eſt vectigal debitum.

Etſi autem Ordinarii Turcæ reditus eò,
3 quod diximus, majores non ſint; extraordi-
narii tamen magni faciendi ſunt, qui conſi-
ſtunt potiſſimùm in confiſcationibus & do-
nariis. Magno quippe domino facilè eſt
anſam & occaſionem arripere, ut cuivis, pro
lubitu vitam cum bonis auferat. *Ejusmodi
enim firmatæ tyrannidis* (44) hujus ſunt inſti-
tuta, ut priùs imperium ipſum corruat, quàm
pecunia milésve deeſſe poſſit. Et ita omnes
inſuevêre tyrannidi, Principumque vitia
non minùs amare, quàm virtutes revereri, ut
intoleranda vel nova iſthæc non videantur.
Ex crebris etenim mutationibus, è copia, ma-
gnitudine, ac facilitate præmiorum, & digni-
4 tatum, *æmulandi oritur amor* (45) obſequi-
um in Principem, metusque validior, quàm
pœna ex legibus; Inſuper omnia, quæ Impe-
ratori dona & munera ab aliis, Principibus
Chriſtianis potiſſimùm dantur, tum etiam
ſuis ſubditis & ſervis, atq; adeò à cunctis, qui-
bus aliqua coram ipſo negotia ſunt expedi-
enda, hunc in locum conferri ſolent. Magni-
ficentiæ id tribuunt; quod immenſam ſecum
trahit utilitatem.

Anno MDCXL. d. III. Febr. *Novo Im-
peratore* (46) Sultano (47) Ibrahim (48) fra-
tre demortui Sultani Murad Chan Tur-
cici Imperii thronum conſcendente, populi
paſſim lætantes, donis, ſpectaculis, acclama-
tionibus, & vario cultu publicum gaudium
concelebrarunt. Singulare autem munus ad
pedes Monarchæ depoſuit Baſſa Budæus, vo-
catus *Ebrobekyr*, vir admodùm belli avidus,
& atrociſſimi contra Chriſtianos odii. Obtu-
lit nempe Periſtromata VI. ſericis, aureis, ar-
genteisque filis contexta, gemmis illuſtrata,
ſolertiſſimâ acu depicta, & defuncto priùs
Imperatori in donum deſtinata, tunc verò
ex occaſione, gratante dexterâ oblata, ut ſic
Solem Orientem adoraret, præfatus Baſſa;
in hisce periſtromatis, Europæ Provincias
ſub certis exhibuit typis, ut quaſi in ſpeculo
commonſtraret, exanimatas, languentes &
marcidas ſingularum vires & rudera, quibus
Imperii Ottomannici magnitudinem ſuper-
ſtruere ratum habuit. Et quum hoc Emble-
ma lætas futuræ amplitudinis ſpes Imperio
Turcico ſpondere videbatur, gratum illud
ſemper Barbaris, in æſtimatione habitum,
& tanquam magni excitando contra Chri-
ſtianos bello momenti, & victoriarum in-
dubitatum augurium primo loco adorna-
tum fuit.

5 *Nemo etiam Legatus* (49) coram ipſo
comparere poteſt *absque donis*: (50) nemo
aliquod munus aut dignitatem momento-
ſam ſperet, niſi pecunia adſit: nullus à Pro-
vincia, cui præfuit, aut ab expeditione, quam
confecit, vacuis, quod dicitur, manibus in
conſpectum Principis venit, nec tam poten-
ti Principi dantur teruntii. Benjamin Ju-
dæus circa annum MCC. Conſtantinopo-
lim vidit, & narrat, in ea urbe vidiſſe res
atque opes inenarrabiles. Deferuntur e-
nim, *inquit*, in Principis palatium quotan-
nis tributa, quibus turres implentur, cocci-
neâ purpureâque veſte, & auro: ita ut nullibi
terrarum par congeſtæ pecuniæ exemplum
reperiri poſſit. Affirmatur etiam ipſius ſoli-
us urbis Vectigal, ex foris venalium, & portu
ac mercatorum penſionibus collectum, ad
viginti millia aureorum in ſingulos dies ac-
cedere.

Quòd ſi quis penitus (51) in omnes Tur- 6
carum actus oculos infigere velit, cognoſcet,
eò ipſos unicè intentos eſſe, quò aliunde cu-
mulatè rapiant, ut Imperatori, quæ rapta
ſunt, donent: ſic per eorum manus, tanquam
per aquæductum quendam, omnes iſti the-
ſauri hujus Imperii diffluunt, ſeque in Ocea-
num avaritiæ Imperatoris exonerant. In-
primis verò Baſſæ, aliique miniſtri Turcæ 7
exſugunt, tanquam harpyæ ſanguinem ſub-
ditorum, accumulantque theſauros inæſti-
mabiles, qui utplurimum Fiſco Imperato-
ris cedunt. Sic *Anno MDCXXIII.* (52)
Amurathes IV. (quem Muſtaphæ Imper.
ſubſtitutum, adhuc *Anno MDCXXXII.*
(53) regnaſſe, Dionyſius Petavius refert *Ra-
tionarii tempor. lib. 10. cap. 7.*) *Muphtium*,
(54) magnum Vezirium, cujus cura ad Im-
perium pervenerat, gratiâ Principis ſui ni-
ſum, ac poteſtate quâ pollebat abuſum, odio-
que communi laborantem, & *vitâ ſimul
exuit*, (55) divitiisque ingentibus. Spatio
enim ſeptem menſium, quibus Ærario præ-
fuit *Muphtius*, (56) ſeptem Ducatorum ton-
nas corraſerat; atque à rei monetariæ præfe-
cto, qui monetæ bonitatem *perfidè depravâ-
rat*, (57) indies *aſprorum* (58) centum millia
acceperat; quem Theſaurum Amurathes u-
nico momento ſuſtulit, Ærarioque ſuo addi-
xit, Auctor *Supplem. Meterani lib. 41.*

In hoc quoque Ærarium, reditus *Cairi*,
(59) qui *millionem auri* (60) excedunt, depo-
nuntur. Hanc urbem Turcæ & Arabes *Mis-
zir* vocant, corruptâ voce Hebraicâ *Mizra-
im*, quam quondam *Memphim* (61) appella-
re ſolebant.

Eodem congeritur pretium vel æſtima- 8
tio hæreditatum ab opulentioribus relicta-
rũ, quas pro ſuo arbitrio tractat, cùm omnes
mancipiorum omnium facultates in ipſius
manu & *poteſtate ſint*. (62) Huc etiam refe- 9
runtur Confiſcationes, pœnæ pecuniariæ,
quæ multæ & magnæ ſunt; tributorum, ve-
ctigalium, atque ſalinarum reditus: decimæ
omnium

omnium ſpoliorum & prædarum, quæ ter-
râ mariqúe acquiruntur; animalium, fru-
gum proventus, metalli fodinarum, quæ
11 multæ ſunt & diverſiſſimæ *in Servia* (63) un-
de Argenti Provincia dicitur: in *Boſnia* (64)
prope *Iaiza*, (65) in Macedonia, & aliis in
locis.

12 Hi reditus omnes innumeram auri co-
piam conficiunt, prout Imperatorem ſua
trahit avaritia, vel miniſtri diligentes ſe &
avidos in extorſionibus & exactionibus præ-
bent.

13 Eſt & aliud tributi genus, *quod Chriſti-
ani ſolvere coguntur*, (66) videlicet, pro ſin-
gulis capitibus, ubi XIV. ætatis annum atti-
gerunt, Sultanium ſive aureum Ungaricum
unum: *inſtans* tamen *bellum* (67) Ungari-
cum fecit, ut tributum illud auctum ſit.

14 Tributum, quod ſoli Judæi, qui Con-
ſtantinopoli degunt, pendunt, conſtituit
quotannis undecim millia trecentos *Zequi-
nos*. (68) Et Græci Chriſtiani, qui ad unam
leucam (69) circa Conſtantinopolim habi-
tant, idem quod Judæi ſolvere coguntur
Tributum, in ſingula capita maſcula ſingu-
los Zequinos, qui conficiunt ultra triginta
octo millia annua. Pendunt iidem Græci
viginti quinque millia Zequinorum quot-
annis, ut ipſis *habere liceat Patriarcham*, (70)
utque conſervetur numerus Templorum,
quæ ipſi paſſim habent. Sed & Jus ſepeli-
endi mortuos, conſtat iis ultra tria Zequino-
rum millia.

15 Turcæ ex Lege Mahometana ab ejus-
modi *tributis immunes*, (71) ſed in eorum vi-
cem quilibet XXV. aſpros (monetæ genus
eſt) ſolvit, quod donum vocant. Quinimò
nullibi Turcæ in Europa tributum vel quid-
quam aliud pendunt: onera cuncta penes
Chriſtianos ſunt. Reperit Mahometes in ſuis
ærariis vim auri immenſam à patre Amura-
the congeſtam; qui omnium avidiſſimus
habendi, & ferè ſordidus in corradenda pe-
cunia; contrà in expenſis & largitionibus at-
que *muneribus parciſſimus* (72) ſemper fue-
rat. Unde etiam *flores horti* (73) ſui diven-
6 di & pecuniam inde colligi volebat. Quod
etiamnum conſuetudine receptum eſt, ut
ſcilicet ex horto vivant. Fructus enim, qui ex
horto iſto colliguntur, ab hortulanorum
Præfecto venduntur, pecunia ea Imperato-
ri offertur, nec in alium uſum adhibetur,
quàm ut cibaria pro ipſius Imperatoris men-
ſa inde coëmantur. Lucrum enim è fructi-
17 bus terræ acceptum, honeſtum & divinum
judicat Imperator, quippe quod non ex ſub-
ditorum gravaminibus, ſed ex divina bene-
dictione colligatur, ideoque vetat ex ea pe-
cunia, quæ ex vectigalibus, decimis, & ex-
actionibus conquiritur, cibaria pro ſua men-
ſa comparari, Lonicerus *Turc. hiſtor. Tom. 1.
parte 3. cap. 20.* Idem Amurathes debitoribus
nunquam ſatisfaciebat; militibus dona &
congiaria ferè nulla aut perexigua conferebat 18
quod inuſitatum planè & contra morem &
conſuetudinem hujus imperii eveniebat. In
omnibus denique impenſis quotidianis æ-
què ac extraordinariis, reſtrictiſſimus, & ad
exactam rationem diligens erat, exceptis iis, 19
quas in ſuas pellices faciebat, (74) quas nun-
quam è ſuo complexu, niſi inſigni aliquo
munere donatas, vel pretioſâ gemmâ orna-
tas, diſcedere volebat.

His omnibus adjungi quoque poſſunt
(horret animus dicere) tributa, vel, ut ho-
neſtiori vocant titulo, recognitiones, quas
Principes Chriſtiani Turcico Imperatori 20
pendunt: quarum recordatio ſola, & me-
moria, animos ipſorum juſtâ irâ & indigna-
tione contra iniquum hunc & barbarum ty-
rannum accendere & inſtigare deberet, quò
tandem aliquando jugo hoc excuſſo, con-
junctis viribus & opibus, ad gloriam Chriſti,
ad ſuorum ipſius ſalutem vigilent, & ſum-
ptus hosce in ipſius Tyranni perniciem atq;
ruinam impendant atque collocent.

Conſtantinopolitanus Patriarcha quo- 21
tannis aureorum triginta millia præter alias
expenſas Turcico Imperatori pendet, quæ
omnia è miſeris ſuæ Religionis Sacerdoti-
bus, Monachis, ac plebe, per varias artes
emungit, (75) Joan. Bapt. Montalbanus *in
Comment. Rer. Turcic. ſub tit. Regiones ſub Tur-
cis in Europa, fol.* 80. Anno MDLXXXII. quo
MAHOMETES ſolenni ritu *circumcideretur*,
(76) & adeſſent Rudolphi Cæſaris, *Regis
Galliarum*, (77) Poloniæ, Senatus Veneti,
Perſicus, Maroccenſis, Feſſanus, Tartaricus,
Tranſylvaniæ, Moldaviæ, & Vallachiæ Prin-
cipum, Legati. Inter Turcas fortaſſe toleran-
dum fuit, ut *ſacerdotes* (78) eorum ſpectaculis
intervenirent, quæ rei ſacræ occaſione cele-
brabantur: Sed prorſus lamentabile Chriſtia-
nis fuit, videre *Patriarcham Conſtantinopoli-
tanum*, (79) qui mox cum toto Sacro ordine
ſequebatur, & poſt eum Antiochiæ itidem
Patriarchum, palliis ſacris indutos, cum mu-
neribus in ſcenâ prodire, & fauſta omnia Im-
perio Sultani precari; renovatâ per id ſpecta-
culum in piorum animis calamitoſorum
temporum memoriâ, quibus poſt Babylo-
nicam migrationem, electus Dei populus
miſeram ſervitutem Aſſyriorum Regibus
ſerviebat; Beſold. *l. 2. de ſerie & reb. geſt. Turc.
fol. 1245.*

In Ungariâ Cæſar, pacis fruendæ gratiâ 22
ſuperioribus annis Turcarum Sultano, ejus
Regni nomine quadraginta quinque millia
Thalerorum ſolvit, quę tamen annua penſio
nullam inducit ſubjectionem, (80) neque Im-
perii dignitatem imminuit, ut dixi tract. *de
Contributionibus, cap. 3. 210. & ſeqq.* Sic & i-
pſe Sultanus omnibus officiis & beneficiis
Tartarorũ Reges ſibi demereri & conciliare
ſtudet, eoque nomine contributiones mul-
taque ipſis dona confert.

23 *Waivvodæ ſive Principes Valachiæ, & Moldaviæ* (81) *quadraginta millia* (82) Thalerorum Ottomannico Imperatori quotannis, præter alias res, ſinguli pendunt; Cannabem videlicet ad triremes, ſebaceas candelas, oves, ac ceram. Hâc donativorum vi conſervant ſe in ſuis Principatibus, mutanturque quotidiè Waivvodæ Valachiæ, Moldaviæque: dantur enim Principatus plus offerentibus, qui ut præſtent, quod obtulerunt; opprimunt populos, rediguntque ad inopiam Provincias. Ipſi verò Principes vectigalia multa, decimam quoque omnium, tàm frugum, quàm pecudum, à ſubditis colligunt; quæque illis videntur, indies tributa imponunt; unicuique ſcilicet domui argenteos tot numos indicunt, quot ipſi volunt, eosque intra quindecim dierum ſpatium per exactores vi (ſi fuerit opus) undique cogunt. Trecenta & ampliùs aureorum millia ſuo Principi quotannis Valachia miniſtrat; Moldavia, tanquam dimidio major, longè plura præbet. Quamvis verò Moldaviæ Princeps hocce Turcico Imperatori tributum pendat; inſuper tamen Tartarorum dominium, deprædationis formidandæ causâ, aliquo modo reſpicere & venerari cogitur: Sicut & his ipſis Tartaris Moſcovita & Polonus priusquam cum Turcis Societatem inirent, ut ab ipſorum excurſionibus & deprædationibus, quas Tartari vel proprio motu, vel inſtigati à Turcis in eorum regiones tempore meſſis facere conſueverunt, ſecuri atque immunes ſint, dona quædam & pelles Scythicas mittere ſolebant; eaque munera etiamnum conferunt; quo ipſimet Turcæ gratum faciunt.

24 Reſpublica Raguſienſis (quæ *Epidaurus* (83) quondam dicta) *duodecim millia* (84) cum quincentis Zequinis ſolvit. Reſpublica Veneta propter Inſulam *Zante* (olim *Zacynthum*) C. Zequinos.

25 Sunt porrò & alia tributa, quæ Principes Afri & Arabes, atque Georgiani, *aliiq;* (85) Turcico Imperatori tribuunt: Tandem & alia quàm plurima *dona* ſunt, *quæ extra ordinem* (86) Principes, quorum ſuperiùs memini, in miniſtros hujus barbari Tyranni faciunt, ut eos ſibi concilient. Occaſione & neceſſitate id requirente, etiam ipſi Imperatori ſuo profusè & liberaliter donare coguntur, ut vel in ejus ſe gratiam inſinuent, vel conceptum erga ſe odium & iram leniant.

26 *Præterea omnes ii*, (87) qui vel aliquod ambiunt officium & munus, vel qui è Provinciarum adminiſtratione, vel expeditione domum redeunt, res pretioſiſſimas Imperatori offerre, quaſi ex debito quodam tenentur. Hunc in finem omnia, quæ donantur munera, publicè & in conſpectu omnium offerri vult, ut hoc barbaro faſtu, ſubditorum ſuorum & peregrinorum animos ad largiter donandum accendat.

Quamvis verò Turcæ reditus non tàm magni ſint, quàm amplitudo Imperii & regionum fertilitas exigere videri poſſet, habet tamen in ſua ditione fructum majoris valoris, quàm ſunt ipſi reditus, nempe multitudinem Timarorum vel feudorum. Equites enim centum quadraginta quinque mille detinet: quorum octuaginta mille quaſi 27
in hibernis per Europam diſtributi ſunt, cæteri quinquagenta per Aſiam. Hi ſunt, qui Spachi Timariotæ vocantur; quia non annuo ſtipendio pecuniario ſuſtentantur, ſed 28
adſignatis agris detinentur, eo pacto, ut tot equos ad bellum alant, quot agrorum aſſignatorum proportio poſtulat. Etenim cùm Ottomanni hoc imperium occupaſſent, non modò directum dominium ſibi aſſeruerunt; ſed utile etiam juris publici fecerunt, deſtruentes atque expellentes Nobilitatem, *cæterosq; poſſeſſores quoslibet*, (88) iisve talem 29
partem (exiguam aut nullam) prout ipſis viſum eſt, relinquentes. Hæc autem bona ſive *Timaras, quæ ſunt tanquam Commendæ*, (89) inter milites repartiti ſunt loco ſtipendii, eâ lege atque conditione, ut aliquot equos in belli uſus paratos alant. Nec Timarus adeò exiguus invenitur, cujus poſſeſſor quinque vel ſex milites ad minus alere non poſſit. Joan. Bapt. Montalban. *in Comment. Rerum Turcic. tit. de Timaris, pag. mihi 16.*

Cujusmodi beneficium ex hac re Turcarum Imperator capiat, vel inde conjicere 30
licet, quòd ſine ullo ſumptu, vel publici ærarii diminutione, tàm ingens equitum numerus detineatur, ut ſi pecunia eroganda foret, quotannis quindecim aureorum milliones non ſufficerent. Tot militum ſuſtentatio non modò in emolumentum ærarii publici redundat, ſed etiam fit majore cum utilitate & ſatisfactione militum, majoreque cum imperii ſecuritate. Nam cùm regiones bello acquiſitæ, & agri occupati fuerunt, eorumque facta fuit æſtimatio; tunc propter ſolitas belli confuſiones, atque turbas, minimo pretio bona æſtimata fuêre, ut militibus facilioris victûs facultas concederetur: cùmque apud acta publica eædem ferè æſtimationes cenſentur, quia raro variari ſolent, cùmque fructuum pretia valde aucta ſint, in præſens Spachi & Timariotæ longè majora emolumenta, & plerique in duplum auctiora, ex bonis ſibi attributis extrahunt: adeò ut ſi juſto judicio fructus, qui iſtis Timariotis applicati ſunt, æſtimentur, quindecim aureorum milliones ſingulis annis hos reditus adæquent.

Juvat & aliam & non minorem utilitatem ab hac re dependentem conſiderare. 31
Turcicum Imperium infeliciſſimis populis, qui ei ſubduntur, adeò grave eſt, ut inculta omnia, & undequaque deſtructa cernantur: Quod & res & nomen oſtendit.

Sara-

Saraceni (89) enim dicuntur Turcæ, non, quòd originem ducant *à Sara*, (91) ut vulgò creditur, ſed ab Arabico (Alſarach) quod eſt
32 nomades, ſeu prædatores: & TURCA vaſtatorem notat, & res haud aliud declarat, cùm terræ, ditionesque, quas ipſi occupant, artibus, doctrinâ, aliisque ornamentis florentiſſimas, in ſolitudinem, meramque barbariem ſine cultu ac luce literarũ deducunt, ſine legibus ac vitæ normâ ſordeſcentes, id-
33 que fato & DEO mortalibus iraſcente, qui ob delicta populorum tàm latè ac læte graſſari ſævam adeò ac trucem gentẽ permittit. Joh. Iſaac. Pontan. *lib. 7. rerum Danicarum f. 382.* Nihilominus niſi hæc Timariotarum loca inſtituta fuiſſent, omnia vaſta jacerent, & pejoris eſſent conditionis. Unde ipſemet Turcæ dicere ſolent, quòd ubi magni Domini equus pedem ponit, ibidem ampliùs *herba non creſcat.* (92) Quia verò bona illa Principis bona ſunt, eorumque uſusfructus tantùm ad mancipia & milites ſuos pertinet, eam ob cauſam inquilini & coloni eorum privilegio aliquo fruuntur, neq; ita aſperâ tyrannide premuntur, ac proinde, cùm faciliorem tutioremque victum habeant, ager ideò fit excultior. Ex quibus colonis altera uti-
34 litas Principi reſultat, quod ordinarios equites, ac præterea remiges pro claſſibus, aliaque ſolita Principis emolumenta, ſubminiſtrant: adeò ut dicendum eſſe videatur, ſo-
35 lam hanc *Timarorum inſtitutionem* (93) cauſam eſſe, cur hoc imperium tàm diu ſuſtineatur: quandoquidem tantus ex iis fructus exigitur, ut ad quinquaginta milliones aureorum quotannis aſcendat, ſi modò computemus militum & colonorum ſuſtentationem: quæ niſi inſtituta fuiſſet, meritò credendum eſſet, fore, ut ob malam Turcarum gubernationem Imperium magnâ ex parte deſtrueretur. Hi Timari adeò partiti ac diſtributi ſunt, ut qui militiæ unum equum debet, adſignatus ſit illi ager ad æſtimationem trium millium aſprorum, qui
36 LX Scutos aureos conficiunt: ſed qui Timaros opulentiores habent, ii tenentur ad bellum ducere tot equites, quot habent millia aſprorum in reditibus ſupra quinque mille aſpros; & ſuis mancipiis ad hoc uti conſueverunt, non ſine magna utilitate atque commodo; quia propter ſuas neceſſitates & ad commeatus ferendos coguntur multos ſecum ducere famulos, & animalia multa. Quæ cùm ita ſint, non immeritò miratur, in cenſu Regnorum & Dynaſtiarum perquirendo perquam ſolers & induſtrius Joannes Boterus *in Politiâ ſua Regiâ*, quòd aliqui reditus Turcarum, cum Chriſtianorum reditibus conferentes, tanti membri, opum Ottomannicarum nullam faciant mentionem.

37 Fertur Turcam bello, quod cum Perſa geſſit, *tantum ſibi terræ ſubjeciſſe*, (94) ut XL Timarorum millia in ea erexerit, inſtitueritque novum Gazophylacium Tau-
riſi, unde aureorum millio ad ipſum redit. 38
Dictus Equitatus Turcicus *duos effectus* (95) valdè egregios in Imperio Turcico facit: unus eſt, quòd ſubditos tanquam fræno ita coërcet, ut non tam citò ſe movere poſſent, quia hos ſicut tot falcones in cervicibus habe-
rent: Sunt enim in hoc per totum Imperium 39
diviſi. Alius effectus eſt, quòd una eorum pars, (dum altera ad continendos retinendosque in obſequio populos domi manet) ſemper ad eas, quæ occurrunt expeditiones parata eſt. Eſt igitur pro præſidio Imperii ad coërcendos tumultus, qui oriri poſſent, & pro præcipuo belli nervo.

Præter eum Equitatum habet Turca 40
penes ſe bonum equitum numerum, quibus ſtipendia pendit: ii in Spachos *Ulufagos*, (96) *& Caripicos*, (97) dividuntur, ſuntque tanquam ſeminaria miniſtrorum & præfecto-
rum Imperii. Inde enim ordinariè ſumun- 41
tur *Baſſæ*, (98) *Beglerbegi*, (99) *Sangiaci*. (100)
Præter hos ſunt *Acanzii*, (101) & auxiliarii 42
Tartari, Valachi, Moldavi. Altera virium pars eſt peditatus, qui conſiſtit in *Janizzaris*.
(102) Habet & Sultanus *Azappos*, (103) pedi- 43
tatum vilem, qui plus ligone, quàm enſe utitur, magisque ad hoſtes multitudine delaſſandos, quàm ad eos virtute ſuperandos conducit, ſolentque *Janizzari Azapporum cadaveribus* (104) foſſas implere, iisque uti pro ſcalis, quibus hoſtium muros ſcandunt. Sicut autem Romani habebant milites legionarios & auxiliares (quorum illi præcipui nervi militiæ, hi autem velut addita-
mentum & auctarium erant) ita & Turca 44
Equitatum, quem ſtipendiarium habet, & Timariotas pro robore exercitus æſtimat:
Alzanzos pro accidentali; Janizzaros tan- 45
quam Legionem prætoriam; Azappos tanquam numerum ducit.

Janizzari (ait Paulus Jovius *libr. 14. hiſt. pag. 288.*) peculiari prærogativâ *exarcolam*, (105) hoc eſt, pileum album, aureâ anteriore faſciâ, & criſtis inſignem, acinaci impenetrabilem, dimiſſaque per tergum latâ caudâ cervices munientem pro galea geſtant. Lunatosque item calceos cæteris vetitos induunt. Breviores togulas colore cyaneo, aut rubro, aut præſino ab interiore fimbria in tergum redactas, baltheis ſubcingunt.

Cæterùm præter Timariotas, Janizza- 46
ros, & alios milites, qui privilegiis gaudent, Turcarum exercitus conſtat hominibus abjectiſſimis, & viliſſimis mancipiis, quæ nullâ ſpecie libertatis fruuntur, reliquorum militum inſolentiis expoſita. Ruſtici inprimis, quibus arma quidem relinquuntur, quos cum Judæorum fæce abjectiſſima, qui inter Chriſtianos vivunt, comparat Achilles Traduccius *in Turca vincibili, folio 284.*

 Sed

Sed nolo in his enarrandis me detinere diutiùs, quàm neceſſe eſt. Summatim di-
47 cam: Turcici Imperatoris proventus pro diverſitate tyrannorum diverſi ſunt. Solymanni tempore totum Imperium ſolvit quotannis decem milliones, nongenta quadraginta octo millia ducatorum, & quingentos, ut refert Theodorus Spanduginus Patricius Conſtantinopolitanus *lib: de morib. Turc.* qui *particulatim hæc ita explicat:* (106)

48 Ex tributo *Garazzi,* (107) quod à Chriſtianis penditur, recipit millionem unam, & quingenta millia *Seraphorum.* (108)

49 Ex mineraliis, metallicis fodinis, ſalis, aluminis, colorum, boli Armeni, terræ ſigillatæ, & ejusmodi, nongenta millia.

50 Ex Datiis & Gabellis, ut vulgò loquuntur, ſeptingenta millia.

15 Ex privilegiis & Diplomatibus centum millia.

Ex bonis caducis quingenta millia.

Ex ſalinis quingenta millia.

Ex bonis defunctorum ſine hærede vel patrono centum millia.

50 Ex naulis, quæ penduntur pro egreſſu regnorum, quingenta millia.

Ex monetariis officinis centum millia.

Ex piſcationibus, quingenta millia.

52 Ex reditibus mortuorum Baſſarum, & aliorum, quibus ſtipendia quotannis ab Imperatoribus ſolvuntur, poſt quorum mortem redeunt ad ærarium, quotannis plusquam ſexcenta millia.

53 Cyprus hodiè pendit octo millia. *Moldavia* ſex millia. *Valachia* duodecim millia. *Raguſium* (109) duodecim millia. Chios X. millia. Ægyptus, decies centena millia Sultaniorum.

54 Ex decimis omniumurbium, quatuor milliones.

Ex dicimis aliorum regnorum, ſeptem milliones.

Boterus dicit, Ægyptum olim ſolviſſe VII. milliones. Franciſcus Sansovinus ait, Turcam poſſidere quotannis quindecim milliones auri, ex illis autem quinque tantùm referri in ærarium, ex reliquis decem per imperium ali milites.

55 Jovius in vita Solymanni ſcribit; Connumeratis cum prioribus ſuis etiam Sultanici regni reditibus, ſexagies centena millia aureorum ſingulis annis habet: ex quibus quinquies & quadrageſies centena millia expendit.

56 *Bernhardus Novagerius*, Sereniſſimæ Venetæ Reipublicæ apud Turcam Legatus ſcribit: Ego dico me animadvertiſſe ex rationibus ærarii, quod *Gaſnad* dicitur, recipi annuatim octo milliones ducenta ſeptuaginta duo millia ducatorum, quæ ſumma ex his particularibus colligitur.

57 Tributum Aſiæ minoris, quod à Chriſtianis Græciæ & Anatoliæ extorquetur, ſuperat decies centena millia ducatorum.

Ex Datiis, Diplomatibus, & Privilegiis, colliguntur quotannis centum millia Ducatorum. 58

Ex bonis defunctorum ſine hærede, trecenta millia.

Incolæ Ducatus Arrago, qui à tributo Carazzi immunes ſunt, ſolvunt annuatim per ſingulas domos Ducatum unum, quod efficit ſummam ducentorum millium. 59

Ægyptus, Memphis, & Arabia ſolvunt unam millionem & octingenta Seraphorum aureorum millia, ex quibus in Turcæ ærarium redeunt trecenta millia: reliquum ad tuitionem provinciarum impenditur. Meſopotamia ducenta millia, ex quibus ad ærarium redeunt centum & quinquaginta millia. 60

Ex Rhaguſio tributo decem millia. 61

Ex tributo Moldaviæ ſedecim millia.

Ex Tranſylvania decem millia.

Ex Valachia duodecim millia.

Ex Inſulis Archipelagi ſex millia.

Ex Chio decem millia.

Ex Cypro octo millia. 62

Viginarius Turcicum proventum æſtimat duodecim milliones auri, quæ quotannis ingrediuntur ærarium Sultani: non computatis aliis reditibus, quos ex Timarris, ſive feudis, aliisque agris, ſilvis, fluviis, hortis & paſcuis totius Imperii Turcici percipit, & alendis ſuis militibus diſtribuit, quoties expeditionem in hoſtem molitur. Ad bellum enim omnes coguntur, quotiescunque Principi libet, ſtipendiis, armis, equisque, & annonâ ex ærario acceptis. 63

Ex his facili negotio colligi poteſt, quantum olim fuerit Romani Imperii robur & potentia: quantis facultatibus & divitiis abundaverit. Nam quòd ex Syria & Meſopotamia colligantur hodie octies centena millia ducatorum, mirum videri non debet: teſtatur enim *Herodotus*, (110) Darium, Hiſtaſpis filium, primis ſuæ Monarchiæ annis, ex his duabus provinciis contraxiſſe quotannis quatuordecim Talentorum millia, & quinquaginta, quæ efficiunt octo milliones, & ſepties centena millia aureorum.

Quòd ſi verò Turcicis reditibus annuis, qui efficiunt viginti milliones auri, addas alias viginti milliones, quæ à Chriſtianis percipiuntur Principibus, totius ſumma erit quadraginta milliones, quæ quotannis ex Provinciis colliguntur, quæ Imperio Romano olim erant ſubjectæ; & ſic differentiam inter hodiernum & priſcum Romanum perpende Imperium. 64 65

Hodiè etiamnum Infidelibus ſcandalo eſt *Chriſtianorum diſcordia*, (111) qui non propriâ virtute, ſed noſtris vitiis felices, gloriantur in fortitudine ſuâ, & ex occaſione atrociùs 66

trociùs in capita noſtra conſulere aggrediuntur. *Regna ſuis Regibus* (112) & privatis emolumentis diſcreta, nunquam eò conciliari poſſe autumant; ut commune commodum Chriſtianæ Religionis contra Turcarum arma protegere velint & valeant. Diſſidere etiam Reſpublicas libertatis tenaces, putà, Helvetiorum, Venetorum, Belgarum, & præter inania vota nihil conferre, quod contra immenſam tam vaſti Imperii potentiam in conſiderationem venire poſſit.

Et certè nunquam magis invitantur externi hoſtes, quàm cùm intus omnia bello ardent, & tum maximè aliorum furori patent Imperia, nec unquam impelli poſſe putantur faciliùs, quàm cùm diſcordiis civilibus feſſa languent. *Dum Sylla & Marius* (113) in Italia Romanis viribus dimicant, Mithridates interim occaſionem arripit Aſiam Romani juris occupandi. Poteſt & nunc ille Ponti, Aſiæ, Græciæ, Thraciæque Tyrannus & potentior Mithridate ejusmodi impetus capere, nec Ungariam modò cogitare, ſed vires maximas contra totum torquere Imperium. Flagrat implacabili dominandi libidine, mox erumpet incendium velut in abdito cohibita flamma.

Qui nunc rerum potitur Sultan Ibrahim (114) ultimus ex hac gente eſt, ſoluto in laſciviam animo, maſculam prolem firmando Imperio omnibus modis flagitat, & ſic *Monarchæ ſocordiâ*, (115) rerum ſumma penes *Beglerbeg*, id eſt, militiæ Duces, reſidet, quibus nil altius cordi eſt, quàm parato jam dudum numeroſiſſimo exercitu tentare fortunam belli.

Ipſe Imperator facilè permittet, ſuis auſpiciis egregia gerantur, cùm arrogantia potentiſſimi Principis, gliſcente adulatione, *novis quotidiè nominibus aſſurgere* (116) ſoleat, audire geſtit, utriusque Paradiſi Sultanus, Caput alterius hemiſphærii, Donator donorum & gratiarum, Cæſar Cæſarum, glorioſus, invictiſſimus, dominator magni maris, & inferioris *Europæ, Syriæ, Arabiæ*, (117) Judææ, Cananeæ, Galilææ, Phœniciæ, Alexandriæ, Ægypti, Magni Charis, & Æthiopiæ, Mediæ, Libyæ, Lanchæ, rubri maris, Tyberiadis, Damaſci, Alepii, Magnæ Antiochiæ, Meſopotamiæ, Chaldææ, Magnæ Babyloniæ cum majore & minore Armenia, Parthiæ, Perſiæ, Maris Caſpii, Trapezuntiæ, Tauriſiæ, Cappadociæ, Cæſareæ, Pamphiliæ, Ciliciæ, Nicomediæ, Magnæ Calcedoniæ, Anatoliæ, Græciæ, Thraciæ, Macedoniæ, Theſſaliæ, Peloponeſi, Corinthi, Cherſoneſi, Albaniæ, Bounæ, Bulgariæ, Valachiæ, Moldaviæ, Scythiæ, Tartariæ, & multarum aliarum infinitarum Provinciarum, Regnorum, & Imperiorum Magnus Dominus. Quid non arbitrabitur, totum ſibi deberi mundum, cùm Deus majoribus ſuis tantam potentiam per M.XLI. annos in ipſis regionibus, ubi primitùs religio Chriſtiana cœpit & incrementum habuit, conceſſerit?

Cæterùm cùm rebus Chriſtianis compertum ab Oriente immineat diſcrimen, cur Gallorum Rex, qui gentilitio titulo Chriſtianiſſimus audire geſtit, cum publico omnium hoſte amicitiam habere non erubeſcit? Cardinalis Oſſat. *epiſt. 38.* hanc Politicam ait eſſe neceſſitudinem, maximis exemplis nixam. Pacem cum Infidelibus coluêre Iſraëlitæ quondam, Pontifices, Imperatores, Reges, Principes, & Reſpublicæ, non quòd abſurdas illorum probarint ſuperſtitiones & nefandas, ſed ne nocerent; utque Chriſtiani ſub tyrannico gementes ſceptro multis modis ſublevarentur. *Sed languida eſt excuſatio.* (118) Abraham, David, Salomon, Judas Macchabæus, &c. fœdera habuêre cum infidelibus, ſed contra alios infideles, in cauſâ defenſionis.

At ſi ultionis causâ, cum Chriſtiani nominis hoſtibus, contra Chriſtianos arma & cōſilia junguntur, locū obtinet vox præcipientis Dei: Cave, ne unquam cum habitatoribus terræ iſtius jungas amicitias. Non inibis cum eis fœdus, *Exod. 34. verſ. 12. & 15. & alibi:* Quòd ſi volueritis Gentium adhærere erroribus, & cum eis copulare amicitias, erunt vobis in foveam & laqueum. *Deut. 7. verſ. 2. Joſuæ 23. verſ. 13. Hinc Franciſcus I.* (119) Galliarum Rex, hæc verba moriturus ingeminaſſe fertur: Perii, eheu! perii, quia volui fœderatus eſſe ei, qui hoſtis eſt Chriſtiani nominis. Quare etiam Anno MDXL. in Comitiis Spirenſibus æquè ac Turcarum tunc Imperator Solymannus pro Chriſtianorum hoſte declaratus legitur.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT V.

(1) *Heraclio Imp. &c.*] Fl. Heraclii (qui occiſo Phocâ, imperium Anno Chriſti DCX adeptus fuerat, ac Arabibus *Herchil* (*Leunclavius, Hiſtor. Muſul. Turc. lib. 1. pag. 32.*) dicti) temporibus, Muhammedem, qui & *Muchemet*, *Machemet*, *Machmut*, Latinè *virum Deſideriorum* (*Hotting. Hiſt. Orient. pag. 9.*) juxta pleroſque, certò tamen poſt initium ſeculii VII. circa vigeſimum aut trigeſimum hujus annum vel notum maximè fuiſſe, (*vid. Jacob.* Struckhuſen *in Syntagm. Hiſt. Saraceno Turc. ſect. 1.*) Sarracenorum Polyarchum & Pſeudoprophetam Itraripi, in agro urbis Meccæ, poſthumum Abdallæ, nepotem Abdalmutaliffs Regulo apud Meccanæ illuſtris (*ita vult AlCora-*

num Muhamed. lib. 1. c. 3. Schikhardus tamen *in præfatione Tarich, à ſe enarrati pag. 6. a & 7. b.* Schuſter in Mahom. und Türcken-Greuel *part. 1. cap. 3.* Wagnerus *Inſt. Hiſtor. lib. 6. c. 5.* Cedrenum, Chalcocondylam, Paulum Diaconum, Leunclavium, Cuſpinianum ſecutus, à nobilitate ſanguinis Muhammedem alieniſſimum pronuntiant, quod & Author noſter infrà facit) ex matre Hemina, ſive Emina, Wahebi filia gente non Judæa, nec, uti vulgò perſuaſum, ignobili & abjecta, ſed ex illuſtri familiâ quamvis tum temporis inopi & paupere (*Hotting Hiſt. Orient. lib. 1. cap. 4.*) natum. A matre autem unà cum patre Ethnicæ ſuperſtitioni additâ, primis ſtatim annis Koreiſchitarum (quæ inter veteros Iſmaëlitas, tribus erat nobiliſſima, quæ Meccam incolebat & peculiaribus ritibus à cæteris differebat Arabibus, (laudatus Dn. Struckhuſen *d. loc. pag. 3.*) ritibus & idolorum cultu imbutus fuit. Deinde cum jam adultam ætatem attigiſſet, à Scenitis (*de quibus* Struckhus *poſt alios, d loc. pag. 9. conſulatur*) captus Abdimonepoli Iſmaëlitici generis ditiſſimo Mercatori venditus fuit; vel eidem operam ſuam ſponte obtulit, ſervitque in conducendis agendiſque Camelis, usque dum mortuo Domino viduam ipſius prædivitem Chadigam in matrimonium accepit, quæ ipſi ad majora nitenti decus fuit & emolumentum. At cum morbo epileptico ſæpiùs correptus, & mente alienatâ proſtratus, uxori haud leve tædium mœroremque conciliaret, ad technas confugit, perhibuitque eſſe paroxyſmos cœleſtium revelationum, quas tum pateretur, cùm epilepſiâ corriperetur (*Hotting. dict. loc.*) In quo commento egregiè à quopiam Sergio Abbate manſionis Calliſtrati Conſtantinopolitano, (quem Græci Scriptores ψευδαββᾶν, *Pſeudabbam* & execrabilem dicunt) ob Monothelitarum ſectam, cui adhæſerat, urbe Byzantio pulſo ad Arabes concedente, (*Leunclavius Hiſtor. Muſul. Turc. lib. 1. pag. 33.*) adjutum fuiſſe, Zonoras *lib. 3.* his verbis enarrat: Illius (*Monachi*) inſtinctu, uxori ait Archangelum Gabrielem de cœlo ad ſe deſcendentem, divina quædam arcanaque ſibi revelare: cujus conſpectum quia ferre non poſſit, ſe obortâ ex metu vertigine, humi procumbere. Ea verba teſtimonio doloſi monachi confirmabantur, qui mulieri dicebat, omninò Gabrielem ad omnes Prophetas mitti ſolere. Ex eo mulier, abolito dedecore, ac potiùs Prophetæ conjugio glorians, fabulam iſtam inter cæteras mulieres ſpargit. Sic impurus ille, apud ſuos populares, Prophetæ nomen conſequutus, & uxoris mortuæ hæreditate locupletatus Iſmaëliticæ gentis Princeps, Doctor & Legislator eſt habitus, quum alios verbis ſeduxiſſet, alios imperium detrectantes gladio ſibi cedere coëgiſſet. Cæterùm, ut jam dictum, Chadigæ mortuæ opibus ſplendidior & opinione ſanctitatis inclareſcens, Bubaci, ejus Arabiæ partis facilè Principis & ex eadem tribu nati, filiam Aiiſcham in matrimonium adſciſcens, eaque affinitate & nervo rerum gerendarum pecuniâ fretus, palàm ſeſe DEI nuntium & vatem profiteri & novam quandam religionem, ex omnium ſectarum erroribus conflatam (*de qua in ſequentibus dicendi locus erit*) docere auſus eſt; adjutus videlicet in illâ confingendâ, partim à Judæis, partim à Pſeudochriſtianis (Sergio cumprimis illo, quem diximus, nec non Phinea, & Abdia-ben-Salon Judæis) in quibus hinc inde iter faciens ſæpè incidit. (*Mich. Glycas, Johann. Cuſpin.*) Cùm itaque jam adfines omnes & Bubaci familiam in ſectam ſuam pertraxiſſet, Meccæ Magiſtratus, cumprimis Koreiſchitæ Principes Reipublicæ ſuæ, ne citò hominis audacia reprimeretur, pernitioſum fore animadvertentes, (*apertè enim in Principes invehebatur: quin & Koreiſchitas ſuos in AlCorano diris devovit*) manus illi, ut ſupplicio adficerent, conati ſunt injicere. Qua de re certior factus Muhammed, Meccâ Medinam, (exinde per Antonomaſiam Medina, & Medina-Talnabi, hoc eſt, Civitas Prophetæ appellatam) antea dictam Jathrib, aufugit; à qua ejus fuga Muhammedani æram ſuam inchoant, quam Hegiram appellant, (*vid. AlCoranus cum Cenſurâ Norimbergæ Anno 1659. germanicè editus lib. 1. cap. 23. pag. 151.*) quod ſignificat fugam; ſeu ut ipſi interpretantur διωγμὸν, perſecutionem vel peregrinationem Religionis causâ. Incipitque hæc Æra Arabum, ſeu anni Hegiræ die XV. Julii, veſperi occidente Sole, quando inchoatur feria ſexta. (vide quoque *Gabr. Sionitam de urbib. & mor. Orient. cap. 8. Hottinger. in Hiſt. Orient. pag. 260. ſeqq.*) Profugum cùm plurimi ſequerentur, jurejurandoque fidem ipſi ſuam manumque adſtringerent, & Doctor, & Propheta, & Imperator exercitu inſtructo Meccam perrexit, illatam injuriam ulturus Muhammedes, ſed à Meccanis cedere dum coactus, novis viribus auctus & alterâ & tertiâ & quartâ vice iterum oppugnationem fruſtra ejus Urbis tentaſſe ſcribitur. (*Hottinger. Hiſt. Orient. lib. 11. cap. 5. AlCoranum lib. 1. cap. 23.*) Anno demum Hegiræ octavo exercitu X. millium Meccam, quam aliquot ante annos deſerere fuit coactus, ſine cæde & pugna ingreditur, ſecuritate præſtitâ Meccenſibus, exceptis paucis, quos mori maluit, quàm ſuperſtites novum regnum turbare. Poſthac Tambicum caſtra movit, & devicto Allendeli Rege vectigaliq; facto totam Arabiam ſubegit, errores ſuos latè longèque per regionem illam diſſeminavit, propagavit; ſucceſſu elatus legationes ad vicinos Reges miſit; quatuor tribunos militum, Amirantes vulgò adpellatos, Abubecer, Omar, Oſman, & Ali, (*vid. Sionita de mor. & urb. Oriental. cap. 8.*) tres acutos DEI gladios nominans, & jubens in diverſas terrarum partes abire, omnesque, qui legem ſuam accipere detrectarent, trucidare, creavit. (*Cœl. Auguſt. Curio Sarac. Hiſtor. lib. 1.*) Denique Muhammedem Anno ætatis LXIII. è vivis exceſſiſſe aliqui memorant, ut Leunclavius *Hiſtor. Muſulm. Turc. lib. 1.* Gabr. Sionita *loc. ſuprà cit. 8.* Struckhuſen (*ex quo pleraq, cùm fidem optimorum Authorum ſecutum deprehenderim, hæc in epitomen redegi*) *in Syntagm. Hiſtor. Saraceno-Turc. ſect. 1. qui omninò videatur*, Medinæ (non ut Chriſtoph. Richerius *de morib. & Inſtitut. Turcarum Arabum &c.* Spondanus *in Epit. Annal. pag. 683.* aliive ſcribant Meccæ) nec in ſepulchro ſublimè in medio templi pendente, ut Laonicus Chalcocondylas *de Reb. Turc. lib. 3.* Curio *Sarac. Hiſtor. lib. 1.* Author *Chronicorum Turc. Francof. Anno 1664. impreſſorum c. 11.* exiſtimant, ſed tumulo quatuor ferreis columnis tenuioribus inſiſtente & aliquantum elato, ſic ut ob ſacelli tum parvitatem tum opacitatem, cùm nullo niſi lampadum lumine irradietur, è longinquo quaſi in aëre pendulus videatur, appropinquantibus verò columnulæ ſatis apparent, quemadmodum ex literis Principis Razevielii Theophilus Urbinus, fictitii nominis Scriptor, im Türckiſchen

Stådt-

Stádtbüchlein refert: vide & Sionitam *loco ſuprà dicto*, Cuſpinianum *de Cæſarib. in vita ejus pag. 432.* ubi ait: tamen priorum opinioni ferè ſubſcribens ait: Moriens autem prædixit ſe iturũ in cœlum: quod diu expectantes, tandem tetro coacti odore, ferreâ arcâ, quam ſibi vivus exſtrui pro monumento juſſit, ſepelierunt: cùm homines magnete lapide in thalo templi exſtructo fallere cogitaſſet, ut videlicet ejus ſimulachrum è ferro pendere in aëre videretur. Quod & Ptolomæus Arſinoæ ſorori, ut ei templum exſtrueret concameratum de magnete ingenioſus Dimocrates architectus, Alexandriæ, juſſerat (de quo Plinius *Nat. Hiſt. lib. 34. cap. 14.*) ſed mors negotium intercepit. Quibus jungi poterit alia de Sepulchro hoc tradens Joh. Ulric. Wallich. *de Relig. Turcica & Mahometis vita pag. 101. ſeqq.* David Schuſter in Mahomets- und Türcken-Greuel *part. 1. c. 14.*

(2) *Oſmanidarum Imperium &c.*] Ita dictum à conditore ſuo Oſman I. Turcarum Padiſchach, ſive ut Leunclavius *in Onomaſtico* interpretatur, Imperatore Principe maximo aut ſupremo, quem perperam aliqui Otmanem, vel Ottomanum, contra Arabicæ Turcicæque linguæ proprietatem, (*vide Dn.* Struckhuſen *ſect. 3. pag. 120.*) ſcribunt, ita dictum. Cùm enim Aladinus Anno MCCXCVIII. ſine liberis obiiſſet, Turcarum Proceres univerſum Imperium inter ſe diviſerunt, unde nata ſunt Novem Regna Turcica. Præcipua tamen auctoritas penes Oſmanem filium ErthoGrul natione Turcam, cujus majores ex Perſiâ in Aſiam à Tartaris expulſi apud Sultanos Guniæ tantam obtinuerunt gratiam, ut ſpem conciperent Imperii conſequendi, fuit, cui Bythinia obvenerat. Sedes regni ejus Burſa, Bythiniæ urbs ad montem Olympum. Inter hos Turcarum Reges perpetua fuerunt bella, donec oppreſſis minoribus tres tantùm remanerent potentiores, Oſmaniæ, Caramaniæ, & Dulgadiriæ. Inter hos diu certatum, & præcipuè implacabiles Oſmaniorum hoſtes erant Caramanni. Hi quoque ab Oſmanidis everſi, atque ita omnis poteſtas Turcarum ad eos circa annum Chriſti MCCC. in ſolidum translata fuit. Qua de re conſuli poterunt Laonicus Chalcocondylas *de Reb. Turc. lib. 1.* Leunclavius *Hiſtor. Muſul. Turc. lib. 2.* Lonicerus *Hiſtor. Turc. Tom. I. pag. 17.* Cuſpinianus *in Cæſar. de Origine Othomannorum pag. 433.* Beſoldus *in Hiſtor. Conſtantinop. pag. 635. ſeqq.* Struckhuſen *Hiſtoriar. Saraceno-Turc. ſect. 3. pag. 120. ſeqq.*

(3) *Perſas &c.*] Differt tamen, docente Oleario *in Itinerar. Perſo-Moſcovitico lib. 5. cap. 89.* Perſarum Turcarumque Religio; 1. quoad Interpretes Interpretationemque AlCorani; 2. quoad Imamos ſive Sanctos Doctores, quos eosdem non habent; uti nec 3. Ceremonias atque ritus Eccleſiaſticos; nec 4. quoad miracula ab utriusque Gentis Sanctis edita. Schiſmatis Authorem non omnes uno eodemque nomine appellant, aliis eum Secchiunum ſeu Sec Giunetum, (Minadous *de Bello Turco-Perſico lib. 11.*) vel Gunet & Sedi Gunet, (*Hottinger. Hiſt. Orient. lib. 11. cap. 7.*) dicentibus, auſteræ vitæ Monachum temporibus Magni Timuri, (Struckhuſen *in Syntagm. Hiſtor. Saraceno-Turc. ſect. 1. pag. 25.*) circa ſeculum XIV. Cotovicus *in Itinerar. Hieroſol. & Syriaco*, (cujus excerpta exhibet Deſcriptio Arabiæ à Guilielmo & Joanne Bleau Anno MDCXXXV. Amſtelodami edita, *pag. 102.*) vocat Scheichadarem, cum Haruſti, quorum & Joh. Leunclavius *Supplem. Annal. pag. 74.* meminit. Olearius dicto loco Muſai-Caſim pòſt, ob vitæ ſanctimoniam, dictum Scheic Soffin indigitat, & eum Anno MCCCLXIII. claruiſſe perhibet. Sed utut de nomine diſcrepent Authores, de occaſione tamen conveniunt omnes, primum illum Imamum tribus Muhammedis ſociis, Abribecere, Omare, & Oſmane, primis ejus ſucceſſoribus tanquam illegitimis rejectis, docuiſſe ſolum Alim legitimum fuiſſe Prophetæ ſucceſſorem, ac verum Legis interpretem, & Calipham, non alios, hunc ſolùm ſequendum. Primos enim illos contra Jus & æquum Caliphatûs dignitatem uſurpaſſe, eâque Alim defraudaſſe; qui Juſtitiæ & modeſtiæ laude clarus, hæres legitimus extiterat. Quum igitur, ex mente hujus & ipſius aſſeclarum, tres iſti contra ſupremum elogium teſtamenti, præceptumque Prophetæ Muhammedis deliquerint: nullam iis Perſæ fidem adhibent, quæ à tribus illis vel voce tradita, vel literarum monumentis prodita ſunt. Imò ubicunque libros ipſorum & ſcripta reperiunt, confeſtim flammis exurunt, & crudeliter in eorum obſervatores animadvertunt. Inde conceperunt preces: *ſit maledictus Abubecer, Omar, & Oſman, & DEUS clementiam ſuam exhibeat Ali, deq; ipſo ſit contentus*; natum quoque hinc putidum proverbium, quod Perſæ evomunt: *Kiri ſek der deheni Abubeker, Omar Hanifebad: Teſticuli canini ſint ſuper os illorum.* (*Olearius dict. loc.*) Contrà Perſis adeò ſunt infeſti Oſmanici, ut Muphtis (qui eſt apud Turcas ſupremus ſacrorum antiſtes,) in illos ſententiam tulerit, quâ gratiùs eſſe DEO affirmat religionis causâ Perſam unum occidere, quàm ſeptuaginta Chriſtianos, Mahummedææ legis hoſtes acerrimos; ſive quemadmodum ſententia Muphti Eſad Efendi ſonat apud Briotum *loc. ſæpe dicto lib. 2. cap. 20.* (*qui omninò, multa circa hoc ſchiſma haud aliàs obvia notans, evolvatur.*) Si ille, qui rebellem Chriſtianum occidit, facit opus DEO gratum, is, qui Perſam interficit, facit aliquod ſexcenties & decies majori præmio compenſandum, &c. Ut verò Perſæ illi aliquo ſigno à Turcis Muhammedanis, qui ſe Sunnos vocarunt, quòd (ut perſuaſi ſunt) veram & meliorem religionem haberent, ſecernerentur, voluit illorum Imam, ne lineis involucris, ut Turcæ, caput faſtuosè ornarent, ſed tegmine tantùm laneo & vili uterentur. Hinc Perſas etiamnum contra morem Turcarum nequaquam tulipantho albido, ſed rubro è lana pileo, (ex quo communiter *Kiſilbaſch* appellantur) duodecim habente plicas, ab ipſis *Tatſch*, quod Coronam ſignificat, & *Takie*, ſi lino circumvoluti, vocant, vel tulipantho lineo verſicolore caput tegunt. Prout omnia hæc latiùs deducunt, aliaque huc pertinentia explicant laudati ſuprà Authores, inter quos Olearius *d. loc. lib. 5. cap. 10.* figuram ejusdem exhibet.

(4) *Unum DEUM &c.*] AlCoranum, *lib. 2. cap. 1. 3. 13. 22. & 25.*

(5) *Creatorem cœli & Terræ &c.*] AlCoranum, *d. lib. 2. cap. 1. 22. & 25. l. 3. c. 13. 14. 26. & 46.* & paſſim.

(6) *Adorant &c.*] AlCoran. *lib. 2. c. 11. c. 22. lib. 3. cap. 15.*

(7) *Omni-*

(7) *Omnipotentem &c.]* AlCoranum, *lib.2.c. 1.5.10.13.& 15.*

(8) *Omniſcium &c.]* AlCoranum, *lib.2. cap.7. & 10.l.3.c.9.& 42.*

(9) *Benignum, miſericordem &c.]* AlCoranum, *lib.2.c.1.*

(10) *Bonis præmia &c.]* AlCoranum, *lib.1.c.5. l.2.c.1.2.& 20.l.3.c.13.l.3.c.81.* ubi dicitur: Si quis ad magnitudinem formicæ boni quid fecerit, retribuetur id ei; contrà ſi vel minimum mali quis patraverit, inultum id non feret.

(11) *Animâ præditam &c.]* Fortaſſis hoc colligere licèt ex AlCorani *lib.2.cap.24.* ubi dicitur, partem animæ ſuæ DEUM hominibus dare voluiſſe.

(12) *Non eſſe tres in Deitate perſonas &c.]* AlCoranum, *l.2.c.17.& 26.*

(13) *Chriſtum non eſſe DEUM &c.]* AlCoranum, *d.l.2.c.10.& 11.l.3.c.25.* ubi Chriſtus purus putus homo blaſphemè vocatur.

(14) *Prophetam &c.]* AlCoranum, *lib.2.c.4.10. 11.& 12.lib. .c.25.*

(15) *Circumciſionem &c.]* Quamvis in AlCorano de circumciſione expreſſè nihil cautum legatur, attamen Muſelmannis omnibus, Ebræorum more, circumciſionem præcepti loco eſſe, rerum Turcicarum Scriptores & inter illos Gabr. Sionita *de Urb.& Mor. Orientalium cap.15.* atteſtatur; quæ non octavo à natali die juxta Judæos celebratur, ſed poſtquam pueri octavum, nonum, decimum, undecimum ac duodecimum, imò etiam decimumquintum (*ut infrà ex Notis ad n.13. colligere licet*) attigerint annum: ut ſic, inquiunt, quid agant, intelligant; ac fidei profeſſionem cum rationis uſu teſtentur. Fœminæ verò quanquam juxta multorum opinionem huic legi ſubjectæ non ſunt, pleræque tamen, ut in Ægypti regno fit, huic legi ſe ſubmittunt: ubi enim tredecim, quatuordecim, & quindecim annorum, circumciduntur: At Sidi Ben-Aali capite de circumciſione ait, circumciſionem maſculis legem eſſe, fœminis verò honoris cauſam. Plura vide apud Joh. Ulricum Wallich *de Religione Turcica &c.pag. 18.19.20.* David Schuſters Mahomet- und Türcken-Greuel/*part.5.cap 8.* D. Kipping. *in Notis ad Pappi Hiſtor. Ecclеſ.pag.231.* Lonicer. *Chronic. Turc. Tom.I.lib.2.cap.24.* in Chronicis Turcicis à Serlino editis *parte 2.pag.59.&c.* inprimis apud Petrum Holm *in Conſider. Theol. Muhammedanæ part.3.art.11.* ut & Dn. Briot *en l' Hiſtoire de l' Empire Ottoman. liv.2.chap.22.pag.374.ſeqq.*

(16) *Delectum ciborum &c.]* AlCoranum, *lib. 1.c.13.l.2.c.1.15.& 25.*

(17) *Lotiones &c.]* AlCoranum, *l.2.c.8.& 11.* Wallich *d.loc.pag.25.26.ſeqq.* Briot *d.l.cap.23. pag.376.ſeqq.*

(18) *Ad ſalutem eſſe neceſſaria &c.]* Induxit enim Muhammed opinionem de meritis operum tanquam per ea Salus hominibus contingat, uti patet ex Alcorani *lib.2.cap.5.17.& 26. lib.3. cap.55.*

(19) *Nuncium &c.]* AlCoranum, *lib.1.cap. 3.& 4.*

(20) *Prophetam DEI ultimum &c.]* AlCoranum, *l.1.c.2.4.5.& 13.l.3.c.12.*

(21) *Paracletum &c.]* Hottinger *Hiſtor. Orient.pag.9.*

(22) *Mitiorem & faciliorem legem &c.]* AlCoranum, *l.1.c.5.*

(23) *Ut Evangelio prodito abrogat &c.]* AlCoranum, *l.2.c.4.*

(24) *Deiq; mandato AlCoranum &c.]* AlCoranum, *l.1.c.13.18.& 19.*

(25) *Ferro & viribus renitentes aggrederetur &c.]* AlCoranum, *lib.2.cap.5.9.& 18.lib. 3.cap.29.& 48.* Fructus hujus præcepti in bellis maximè eleganter explicat Ricotius Nobilis Anglus, & ejus interpres Gallicus *en l' Hiſtoire de l' Empire Ottoman. l.2.chap.3.* ubi omninò vide.

(26) *Unumquemque in ſua lege &c. ſalvari &c.]* AlCoranum, *lib.2.cap.1.& 18.lib.3.cap.4. & 81.* quibus tamen mediis & artificiis Chriſtianos ad ſuam Religionem pertrahant, vide apud Briot *l.2.c.3.*

(27) *Publicum Religionis exercitium uſurpat &c.]* Vide Schuſterum *d.l.part.5.c.38.* Montalbanum *Rer. Turc. Comment. pag. 63. vid. infrà Not. ad num.13.* Quamvis verò Religio Mahummedana toleret, quòd Chriſtiani Eccleſias & ædes religioſas iis in locis, in quibus multis abhinc annis exædificatæ fuerunt, habeant. Illa tamen nequaquam vult, ut exſtruantur novæ. Poterunt Chriſtiani reparare tecta & fornices, ſed addere quicquam prohibentur. Si quando accidit, ut vel igne vel alio caſu ædificia deſtruantur, haud queunt ex fundamento ea reſtaurare, aut illa novæ ſuperficiei ſupportandæ apta reddere. Inde neceſſe eſt, ut Eccleſiæ Chriſtianæ, quæ nunc in Turcico Statu exſtant, tempore conſumantur, ut quemadmodum multis in locis jam factum eſt. Anno milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo ingens Galatæ & dein Conſtantinopoli exortum fuit incendium, quod multas Eccleſias plurimasque Capellas Chriſtianorum exuſſit atque in cineres redegit. Sed zelus ipſorum pietásve eos impulit, ut illas mox reficerent, vix operibus ultima acceſſerat, cùm ex decreto Magiſtratus iterum demolirentur, dicentibus Turcis reædificare Eccleſias ex quibus præter fundamenta nihil reſtaret, permiſſum minimè eſſe. Uti obſervat Dn. Briot. *en l' Hiſtoire de l' Empire Ottoman. lib.2.chap.2.p.257.*

(28) *Incrementum plurimum &c.]* De Sultano Soleimanno, qui in obſidione Sigethi extinctus eſt, narrant, quum à Muphti & Cadileſcheris (qui noſtros Archiepiſcopos repræſentant) atque nonnullis Baſſis admoneretur, ut Chriſtianos & Judæos, aliosque diverſos ritus in religione ſequentes, vel ejiceret vel cogeret, ut muſulmanizarent, cum illis quum fortè ex feneſtra in hortum variis floribus fragrantem deſpiceret, uno in loco diverſi coloris floſculos ſimul enatos, monſtraſſe atque dixiſſe: Quemadmodum iſta varietas diſtincta herbarum & florum non ſolùm nihil obeſt, ſed mirificè oculos & ſenſus recreat; ita in Imperio meo diverſa fides & religio potiùs uſui quàm oneri mihi eſt, ſi modò pacatè vivant, & in aliis rebus politicis mandatis meis parent. Præſtat igitur eos diutiùs, ſicut majores mei permiſerunt, ita more ſuo religiones ſuas ſequi, quam turbas excitari, & Imperium meum deformari. Non ſecus ac ſi floſculos incolores tantùm relinquerem, & reliquos evellerem. Camerarius *cent.1.Hiſtor.ſubciſ.c.58.* & ex eo Lindeſpür *de Imp.& Famil.orig.mutat. &c.cap.25.n.3.*

(29) *Latini &c.]* Hos in loca illa perduxiſſe, exiſtimat Henricus Kipping. *in Notis ad Johann. Pappi Hiſtor. Eccleſ.pag.228.* Europæorum expeditiones Godofredi Bullionei, Balduini Flandri, Conradi, Friderici Barbaroſſæ, Friderici Neapo-

Neapolitani, Ludovici Franci, Andreæ Ungari, Richardi Angli. Nec non Venetorum, Genuenſium, Piſanorum navigationes, tunc cùm Imperium Græcorum alienis nervis ducebatur. *Hæc ille.* Quem porrò, de aliis Religionibus ex Pappo, ab Authore noſtro, ut videtur, relatis, in iisdem notis vide, ſcilicet de Græcis *pag. eadem*, de Indis & Æthiopibus, nec non Jacobitis & Coptitis *pag. 229. ſeqq.* de Neſtorianis, de Maronitis *pag. 233.* de Armeniis *pag. 234. eademq;* de Georgianis, ubi notat errare illos, qui Georgianos dictos volunt à Georgio Equite; cùm non ſatis attendant, quòd antiquiſſimi Geographi ad mare Caſpium & deſerta Scytharum incolas ponant Comanos, Caduſios, Iberos, GEORGOS, Moſcos. Pomponius Mela *in Deſcript. Orb. lib. 1.* Atque is etiam *lib. 2.* nominis rationem oſtendat: Colunt Georgi exercentque agros, conſtat autem Melam Claudio Cæſare imperante (pervenit ille verò ad Imperii Annum poſt natum Chriſtum XLI.) ſcripſiſſe, quod Vadianus demonſtratum dedit. Sed Georgium Equitem Anno CCLXXXIX. vixiſſe, & ſecundùm Nicephorum *lib. 7. Hiſtor. Eccleſ. cap. 15.* Anno CCCI. die XXIII. Aprilis martyrio affectum fuiſſe. Sed hæc obiter. Porrò de Syrianis ſive Surianis *pag. 234. 235.* ubi & multa de Samaritanis profert. De Maceradibus denique *pag. 238.* commentatur.

(30) *Nec acrimonia ingenii &c.]* Ingenii ejus ſagacitatem & verſutiſſimam res moliendi ſolertiam ex artibus, quas exercuit, videre licet. In ſtatu Eccleſiaſtico *loquatur ejus AlCoranus, cujus compilationi Sergium Monachum, & alios quosdam hæreticos Judæosq; adhibuiſſe ſcribitur*, hominum verſutiſſimus, ut liber blaſphemiarum nulli non hominum generi acceptior eſſet, jactatis colloquiis cœleſtibus, & enthuſiaſmis, ut authoritatem Religionis novæ augeret: In ſtatu domeſtico non acquievit, donec ex ſervo liber, ex libero mercator, ex mercatore Dux & Princeps fieret, ductâ Chadigâ Abdimonepolis, heri ſui nuper defuncti, locupletiſſimâ viduâ, & per hanc occaſionem pecuniâ comparatâ. In ſtatu politico ſagaciſſimè eſt odoratus capillatam apud Saracenos occaſionem inchoandi regnum, quod diu meditatus fuerat. His enim usque ad Imperatorem Heraclium in fide Conſtantinopolitanorum Imperatorum manentibus, ſed tandem Quæſtoribus ob ſtipendia petita, inſtar canum repulſis, (*vid. Paulus Diaconus, qui hoc ſub Abobecer accidiſſe ſcribit Hiſt. miſcell. 18. cap. 62.*) Muhammedi pronum erat, offenſos ſe Duce ad capienda arma contra Imperatorem pellicere; cujus prima præda erat Damaſcus, Mecca, & cum Meccâ integra Arabia. Dn. Wagner. *Inſtitut. Hiſtor. lib. 6. c. 5. n. 3.*

(31) *Ad Gabrielem Angelum &c.]* AlCoranum *lib. 1. cap. 5. lib. 2. cap. 1.* Alibi dicit, DEUM ipſum compoſuiſſe AlCoranum, *lib. 3. c. 22. 23. 38.* quandoque DEUM ſuâ manu exaraſſe AlCoranū, *l. 3. c. 24.* Ideò ſtatuit, comprehenſa illa verba ab ullo hominum mutari fas non eſſe: Cùm exinde DEUS offendatur, *l. 2. c. 25.*

(32) *Italiâ profugo &c.]* Perhibent alii Conſtantinopoli Sergium pulſum in Arabiam conceſſiſſe, ſeſeque Muhammedis favori inſinuaſſe, ut ſuprà innui.

(33) *Legis compilator &c.]* Narrant poſt exceſſum Muhammedis (qui farraginem tantùm ſchedarum, profana ipſius dogmata continentium mortuus reliquerat) Omarem ſucceſſorem ſcripta ejus colligi, atque in unum volumen componi curaviſſe, & in eos, qui iſtum laborem ſuſceperant, liberaliſſimum ſe præbuiſſe. Easque ſchedas Oſmanum in meliorem ordinem redigiſſe, in capita diſtribuiſſe, ex iisque librum, qui AlCoran ſive Alphorhan vocatur, Muhammedicæq; ſectæ dogmata atque inſtituta continet, compoſuiſſe (Struckhuſen *Syntagm. Hiſt. Saraceno-Turc. ſect. 1. pag. 18. & 21.*) Derivatur verò vox illa ab articulo *Al* & τὸ *Coran*, ſignificatque *Al Coran* Lectionem, vel ſecundùm alios (*vide VVagnerum, Salmaſium citantem d. l. n. 5.*) collectionem, ſcilicet præceptorum. Ab ipſis Muhammedanis, & in ipſo AlCorano, poſterior collectio *Alphurkan* appellatur à ברק diviſit, ut ſit quaſi diſtinctionum volumen, vel diſtinctis regulis & capitibus traditum, vel ſecundùm verſionem Roberti Retinenſis Angli discretivum boni & mali (Struckhuſen *d. loco*) Qui plura de veneratione hujus libri ejúsve pretio legere deſiderat, adeat D. Wallich *Relig. Turc. pag. 12. ſeqq.* M. Bonifacium Stöltzling im Türckiſchen Bund *quæſtione 10. pag. 47.* Schuſter *d. loc. parte 2. cap. 1.*

(34) *Laſcivam &c.]* Cùm enim Deum ſcire, ArabicæGenti grave imò impoſſibile eſſe, abſtinere uxoribus, *lib. 2. Alcorani c. 1.* edixiſſet, atq; ea ex ratione DEUM, qui mitis atque benignus ab ipſis res graviores haud exigeret, permittere, ut etiam jejunii tempore cum uxoribus concumbant: & *ejusdem libri cap. 2.* extra hunc caſum cū uxoribus ſuis & illis, quæ ſubjectæ ſunt, quando, ubi, & quoties libuerit, virum concumbere poſſe; imò debere viros, quoties voluerint, coire, modò in timore DEI id fiat, eò quòd caput uxorum ſint. Subjungit haud impediri virū accipere binas, tres, quatuor, & tot, quot quis alere, aut conſervare in pace confidit, uxores (*lib. 2. cap. 7.*) & has ſi ampliùs non placent permutare, & alias in locum ipſarum ſurrogare poſſe. Hanc conſuetudinem verò retinere Saracenos, Arabes, Indos, Ægyptios, Mauros, Tartaros in Precop, & Crim: ſed Turcas (exceptis Sultanis) veterum Scytharum, è quibus oriundi ſunt (*de quo infrà aliquid annotabitur*) continentiam imitari, & uxorem unam ſingulos habere, ex Sweiggero & Wilde, aſſerit Kipping *in Not. ad. Pappi Hiſtor. Eccleſ. pag. 225.* certè plures non quàm quatuor. Quod cum rationibus hujus conſuetudinis, demonſtrat eleganter Dn. Briot. *alleg. ſæpe loco l. 2. c. 21. p. 365. ubi in ſequentibus de Divortiis Turcarum differit.* Divortia demum leviſſimis de cauſis permittit. (*AlCoranum lib. 2. c. 2. & 7. lib. 3 c. 47. vid. & Kipping loc. ſuprà dicto pag. 225.*) Ubi notandum, quod Joh. Baptiſta Montalbanus tradit, à parte uxorum duas divortii eſſe cauſas: ſi victum vir neget; vel ſi contra ſexum uxore abuti velit; quod ante Judicem accuſatrix fœmina, dum ſibi verbis exprimere verecundū putat, calceamento pedibus detracto, ſoleaque ſurſum verſâ, ſignificat. Hactenus ille Scriptor, *qui extat in deſcriptione Status Imperii Turcici ab Elzeviris Anno 1634. edita. p. 59.* Imò & poſt mortem in Paradiſo omnia aurea & argentea mundana, corporalia & carnalia deſcribit, qualia brutis ſuis & brutalibus ingeniis convenire augurabatur vanus Poëta, ſplendida palatia, epularū delitias, mulierum formoſarum greges ad concubitus voluptatem, *AlCoranum lib. 1. c. 13. l. 2. c. 1. 28. l. 3. c. 4. 19. 20. 25. 29. 34. 49. 60.* Adde Kipping. *d. l. p. 277.*

(35) *Sa-*

(35) *Sabellio &c.]* Sabellius Pentapolitanus Ægyptius, cujus doctrina damnabilis Pentapolitana vocata fuit, non tam novam hæreſim condidit, quàm ferè collapſam circa Annum CCLX. ſub Imp. Valeriano inſtauravit: cùm ante eum Praxeas, & Hermogenes, & Noetus, quo Præceptore uſus fuit Sabellius, idem venenum ſparſerint. Docuit autem Sabellius: Unam tantùm eſſe in Divinitate Perſonam: & Trinitatem nominibus ſolummodo, non autem reipsâ ſive ὑποςάσει diſtinctam, de quo præter antiquiores Scriptores videatur Joh. Pappus *in Epit. Hiſtor. Eccleſ. pag. 250.* Hornius *Hiſtor. Eccleſ. art. 2. num. 18. pag. 73.* Theodorus Petreus *in Catalogo Hæreticorum p. 197.* & confer Muhammedis AlCoranum *lib. 1. cap. 3. lib. 3. c. 7.*

(36) *Ario &c.]* Qui circa Annum Chriſti CCCX. ſub Conſtantino M. inclareſcere cœpit, & de quo agit Pappus *Hiſt. Eccl. p. 275. ſeqq.* Hornius *Hiſt. Eccl. art. 3. n. 3. pag. 82. ſeqq.* Petreus *in Catal. Hæret. p. 21. ſeqq.*

(37) *Ebione &c.]* Quem Epiphanius vocat πολύμορφον τέρας ιον, hoc eſt, multiforme monſtrum, quod Samaritarum quidem haberet abominationem, Judæorum autem nomen, tum verò Obeorum & Nazareorum opinionem, Corinthiorum formam, Carpocratianorum improbitatem, & Chriſtianorum appellationem, uti Pappus *d. l. p. 210.* loquitur: junge Hornium *cit. loc. art. 1. num. 22. pag. 52.* Petreum *in Catal. Hæret. pag. 61. ſeqq.* vixit hic circa Annum Chriſti LXXIV. ſub Fl. Veſpaſiano Imp.

(38) *Neſtorio &c.]* Vide Pappum *d. loc. p. 224.* Hornium *Period. 1. num. 34. pag. 111. ſeqq.* Petreum *pag. 11.* qui tamen B. Lutherum malè ibidem cum Lindano, ejusdem hæreſos reum inſimulat. Vixit poſt natum Chriſtum Anno CCCCXXX. ſub Valentiano III. junge ſuperiùs allegata de Chriſto AlCorani loca.

(39) *Macedonio &c.]* Conſtantinopolitano Epiſcopo, circa Annum Domini CCCLX. ſub Imp. Juliano cognomine Apoſtatâ. De quo conſulatur Pappus *pag. 292.* Hornius *Period. 1. art. 3. n. 18. p. 96.* Petreus *pag. 124.* junge Cenſorem AlCorani Muhammedani *l. 1. c. 25. p. 168.* Sectatores hujus hæreſeos dicti fuere Macedoniani & πνευματομάχοι.

(40) *Manichæo &c.]* Hujus hæreſeos Author Manes Perſa fuit, quem diſcipuli ipſius faſcinati Mannichæum pro Manichæo, id eſt, inſano dixerunt, quaſi Manna fundentem, inſaniæ nomen, (ſic cenſente Auguſtino *de Hæreſi c. 46.*) vitantes. Vixit imperante Probo, circa Annum Chriſti CCLXXVII. Pappus *pag. 260.* Hornius *art. 2. n. 23.* Petreus *pag. 130.* qui tamen ibidem venenum ſuum contra Megalandrum noſtrum Lutherum evomendi à geminatione literæ N. occaſionem arripere ſatagit. Junge AlCorani Muhammedani *lib. 2. cap. 10.*

(41) *Cerintho &c.]* Quem Euſebius ſtatim poſt tempora Petri, Hermannus Contractus Anno XCII. ſub Domitiano, dogmata ſua malitioſa, in quibus plerisque cum Ebione conſentiebat, diſſeminaſſe tradit. Vide Pappum *pag. 208.* Hornium *Periodo 1. art. 1. n. 22. pag. 52.* Petreum *pag. 48.* & quæ ſuprà de circumciſione ad hoc noſtrum caput notata extant. Alia porrò cum aliis communia, falſa dogmata Muhammedis collegit cenſor AlCorani *lib. 1. c. 25.* quibus addi poterunt Pappus *Hiſt. Eccl. pag. 163. multis ſeqq.* ut & Additionator ipſius Kipping. Hornius *Hiſt. Eccl. Period. 2. art. 1. n. 3.* Petreus *pag. 127.* Joh. Ulric. Wallich. *de Religione Turcica.* M. Bonifacius Stöcklin im Türckiſchen Bund/ *præcipuè quæſt. 11.* Türckiſche Chronica à Serlino edita *parte 2.* David Schultzer im Mahomets und Türcken-Greuel/ *part. 2.* Alexander Roſs à Joſua Sandero in Belgicam linguam translatus, *van s' VVeerelds Gods-dienſten. part. 6. pag. 221.*

(42) *Limites propagarunt &c.]* Accretiones Imperii Ottomannici videre poterunt apud Joh. Baptiſtam Montalbanum *Rer. Turc. Comm. p. 69. ſeqq.* easq; inde ab A. MCCC. ad Annum MD. Caſpar. Dornavius *in libro de Incrementis Dominatus Turcici*, collegit. Ab Anno verò DCXXXII. usque ad MDCLXIII. menſem Octobris Author libri, cui Titulus, Türckiſchen Staats und Regiments Beſchreibung / *Anno 1664. impreſſi, cap. 1.* Quibus occupatis nunc accenſenda venit pars Hungariæ, annis proximis capta, &, ut Fautor & amicus multis mihi nominibus colendus J. P. E. in tumulo Candiæ, quem non ita pridem ei exſtruxit, loquitur:

Iſta Magna regIna CanDIa, LVX orbIs
CentVM, Vt referVnt, nobILIs oppIDIs
tonantIsqVe DeVM parentIs InCLVta patrIa,
quæ
quadringentos & quod excedit annos
Sereniſſimæ Reip. Venetæ
Diadema
& pretioſiſſimus mitræ Ducalis carbunculus
fuit
nunc in carbonem verſa.

De qua etiam ſuprà aliquam mentionem injeci.

Num. 2.

(43) *Hasnad &c.]* Soranzius *in Ottomanno cap. 47.* Tradit verò Lonicer. *Chron. Turc. Tom. 1. l. 3. c. 17.* Juvenes, quibus horum cura commiſſa eſt, vocari *Aslaoglandaros*, quorum per ſingulos dies alii decem, alii quindecim aſpros habent. Eis aurea argenteaque vaſa, monilia, aliaque ejus generis ornamenta, gemmas, & quicquid in theſauris eſt Imperatoris, committi. His præeſſe Eunuchum *Asnadarbaſciam* (Leunclavius *in Onomaſtico Hiſt. Muſulm. ſubjecto, vocat Hasnadar baſſam*, & interpretatur, præſidem Theſaurorum, magnum Theſaurarium) cui claves Theſaurorum commiſſæ ſunt, nec tamen quicquam reſerare poſſe, niſi præſentibus aliis duobus, quorum alter *Teſteder*, alter *Niſangi* (fortaſſis ille, qui Leunclavio *d. loc. Niſchanzi baſſa*, i. e. magnus Cancellarius dictus) vocatur. Hos enim feras arcasque obſignare. Asnadarbaſciæ (*addit*) eſſe in ſingulos dies, C & L. aſpros. Præterea ſi quid ex Theſauris depromatur, ſuam etiam portionem Præfectis inde accedere, ſic ut de centum aureorum pretio, duo ipſis numerentur &c.

Num. 3.

(44) *Ejusmodi enim firmatæ Tyrannidis &c.]* Montalbanus *Rer. Turc. Comment. pag. 16.* Junge omninò Briotum *en l' Hiſtor. de l' Empire de Ottoman. t. lib. 1. c. 16.* ubi modos attenuandi potentiam etiam ope fœminarum eleganter explicat.

(45) *Æmulandi oritur amor &c.]* Sicuti ex adverſo nunquam magis offenduntur generoſorum animi, quàm cùm debita illis gloria & præmia negantur. Defecit ideò (*animadvertente Zevecotio in Obſervationib. ad Flori lib. 2. cap. 8. pag. 289.*) à Juſtino Narſes, à Gallo Borbonius, ab Hiſpano Schenckius, Mansfeldius, & Scherenbergius.

Num. 4.

Num. 4.

(46) *Sultano &c.*] Sultani vocabulũ Cedrinus ſignificare dicit παντοκράτορα, καὶ βασιλέα βασιλέων, hoc eſt, Imperatorem omnium, & regem regum. A Turcis jam vulgò pro Domino uſurpatur. Et nomen hoc princeps eorum habet κατ' ἐξοχήν, ceu ſolus & maximus Dominus. Leunclavius *in Onomaſtico ſubjuncto Hiſt. Muſulm. h. voce.*

(47) *Novo Imperatore Sultano &c.*] Verba hæc deſumpta ſunt è præfatione in Periſtromata illa Turcica Anno 1641. typis & figuris æneis latinè conſcripta & vulgata. Quibus tamen an benè cohæreant verba illa: *Et quum hoc Emblema lætas futuræ amplitudinis ſpes &c.* ſub finem hujus n. 4. ab Authore noſtro Klockio addita (quæ verba ſunt in demonſtratione Periſtromatis, quo Imperium Turcicum per candelam coruſcâ luce ſplendentem, cui flammam addebat adamas, tribus aliis candelis extinctis, cum lemmate, HALLA VERE, i. e. DEUS DABIT, repræſentabatur, occaſionem dicti explicantia,) alii viderint, mihi certè non liquet. Sed contra hæc *Periſtromata*, ſive vera, ſive à Legato Gallico ad Turcam in Regis ſui gratiam & ad palatum Card. Richelii efformata, *Aulæa Romana* expanſa omen concordiæ Chriſtianæ exhibentia proſtant, quæ videre & menti infigere, Benevolo Lectori haud diffidiæ ſit.

(48) *Ibrahim &c.*] Occidere plerumque Turcarum Imperatores, ſi quando Imperii ſolium conſcendunt, fratres, cùm ferre vix poſſint quem ob arctiùs vinculum majori ſpe inflare poſſe ſuſpicio eſt, & lippi & tonſores norunt. Hos imitaturus Sultan Murad imperiũ recens adeptus, tres fratres natu ſe minores ſtrangulari juſſerat: quartus verò Sultan Ibrahim, curâ Parentis (cui Validæ nomen erat) prudentis fœminæ ſervatus, atque clam in Ægyptum miſſus, ibique educatus fuit, donec Murade mortuo, Imperium ipſi oblatum erat. Et hic eſt Imperator ille, qui contra datam fidem occaſione captæ à Melitenſibus Equitibus prædæ, cujus participes fuiſſe Venetos inſimulabat, Sereniſſimæ illi Reipublicæ in partibus Dalmatiæ bellum inferre cœpit, quod ad annũ usq; MDCLXIX. duravit. Aſt omnibus exoſus anno ætatis XXXV. regni verò IIX. à Genizaris, in quos duriora quædam ſtatuere intendebat comprehenſus ſtrangulatúsve fuit; ſuffecto in ejus locum Muhammede IV. quem nonnulli perperam Achmetem II. vocant. De quo Struckhuſen *in Syntagm. Hiſtoriæ Saraceno-Turcicæ pag. 266. ſeqq.* David Schuſter **in Mahomets und Türcken Greul** *parte 4. cap. 18.* Theatrum Europæum *parte quinta pag. 154.* (ubi dicitur Selim poſt imperium adeptum Ibrahimus,) & neoterici Hiſtorici plerique ſcribunt. Si quando verò Sultanus vel paucos habeat, aut naturali ex temperamento ad clementiam potiùs quam crudelitatem feratur, ſufficere ſibi putat, ipſos in loco quopiam tuto continere, & cuſtodiæ perſonarum fidarum committere; quod non longè abit à captivitate ipſa; cùm iis permiſſum non ſit, cum ullo, quisquis etiam ille ſit, converſari. Et hac ipſa ratione Sultan Mahumed hodie regnans fratres ſuos duos tractat. Cùm in obſcuro vitam traducant, & nemo de illis cogitet, non ſecus ac ſi nunquam lucem hanc adſpexiſſent. Mon. Briot *en l' Hiſtoire de l' Empire Ottoman. lib. 1. cap. 16. p. 186.* Cæterùm de exſtirpatione æmulorum ex regnatrice domo ortorum vide, quæ D. Joh. Andreas Boſius *in Diſputatione Reſpondente* Albard Hermann Bunmen *habita Jenæ Anno 1664. de Imperio Turcico* θ. 12. annotavit, & quæ Zevecotius *ad Florum lib. 4. cap. 2. pag. 405.* obſervat, præcipuè quæ Montalbanus *Rer. Turc. Comment. pag. 59.* habet.

Num. 5.

(49) *Nemo etiam Legatus &c.*] Prodeat hîc iterũ in teſtem D. Briot *in libello Gallico ſub titulo, Hiſtoire de l' Empire Ottom. l. 1. c. 19.* cujus verba in linguam Latinam translata hæc ſunt. Sicuti apud Principes in Oriente perpetuò in conſuetudine poſitum erat, ut in ſignum mutuæ amicitiæ dona ſibi invicem mitterent; Ita Imperator ſi quando ad Portam Legatum miſerit, munera quoque mittere tenetur: Quò verò hoc ipſum illud Ei in dedecus haud cedat, reciprocè Magnus Dominus obſtrictus eſt, ex veteri conventione, eò quoque mittere alium Legatum cum ejusdem valoris donariis. Sed mos hic erga alios Legatos ſive Reſidentes aliorum Principum ab Ipſo longiùs diſſitis, & qui alias ob cauſas principaliter quàm ob commerciorum & negotiationum libertatẽ, quales Angli, Galli, Batavique ſunt, non miſſi, minùs ſervatur. Sultanus excipit illos cum muneribus ſuis, quæ communiter *Jus ſuum* indigitat, nec ſe ad redhoſtimentum obſtrictum putat, ratus quòd tractatus inter ipſos intercedentes privilegia proficua ſint, ſubditis illorum conceſſa. Marſalaer *in ſuo aureo libello de Legato lib. 1. diſſert. 30.* Legatum ſuum inſtruens de iis, quæ in Aula Ottomannica obſervanda veniunt, inter alia *pag. 186.* ſic inquit: Quia verò Turcæ, religione quapiam ac velut naturæ ductu, ingratitudinem execrantur; tum quia muneribus plus quàm cæteri mortalium inhiant; quod alibi conſultum, hîc prorſus neceſſarium dixero, munera Domino atque etiam familiaribus ejus offerre: quamvis ille ex oblatorum pretio atque præſtantiâ, eò majus obſequium ſibi ab exteris, ceu clientibus, in Majeſtatis & Authoritatis ſignum, deferri putet. Ideoque oblatis muneribus, ut ut multis & magnis, vix quidquam rependit, quaſi ſibi debitis. Abeunti Legato auratis phaleris equus datur, nec quicquam præterea; immenſo immanis arrogantiæ tumore. Lubet hîc annectere, quæ ad redundandum hunc faſtum ad Regem Galliæ miſſo miniſtro Turcico Solymanno Mutafaracæ Dn. de Lyone Regis Galliæ miniſter & Secretarius Status Anno MDCLXIX. in prima audientia, ut vocant, dixiſſe fertur, hunc in modum. Quòd ſi in literis fidei, quas ſecum ab Imperatore Turcico adferre perhibeat, nomen *Legati* expreſſum reperiatur, caveat ſine muneribus allatis Imperatorem ſuum, (*ſcil. Galliæ Regem*) adire. Quoniam ſine iis aditus ipſi eò minùs pateat, quòd haud incerto rumore conſtet, Imperatorem Turcicum dona à generoſo Imperatoris ſui animo profecta & transmiſſa, ſubjectionis ſignum à Porta Ottomannica interpretari, quod haud admitti queat, cùm par, ſi non major, Majeſtas Domini ſui, quàm Sultani, ſit &c.

(50) *Absque donis &c.*] Indeque ſunt, qui barbaram notantes illam Ottomannicorum avaritiam, neminem niſi dona adferat, ad ſuum conſpectum admittunt, per facetiam aliquam produnt, ſic dictam *Portam Ottomannicam*, quòd non ingredi poſſit, qui non aliquid portet. Quæ enim apud Principes Chriſtianos *Aulæ*, apud Venetos *Scalæ*, & apud Romanos *Sedes Apoſtolica* & *Sancta ſedes*, Conſtantinopoli & apud Turcas *Porta* dicitur, ut porta idem ſit quod Aula, eo nimirum ſignificatu quo pro cortili accipitur, ubi miniſtrorum & negotiatorum

torum continetur multitudo. Veriorem autem hujus nominis rationem putat Anonymus, *in diſcurſu, quare Turcarum aula, non aula ut aliorum Principum Chriſtianorum, ſed Porta dicatur, apud Honorium in Theſ. Polit. parte 2. pag. 7.* à Tartarorum conſuetudine à quibus originem, trahunt, derivatam. Cum apud hos porta aut domus Principis, & præcipuè ipſum limen Sacroſanctum æſtimetur, quod non niſi maximâ cum reverentia & circumſpectione erat prætereundum, &c. Hæc ille. Traduccius verò *in Turca vincibili pag. 242.* Aulam illam *Portam* dictam fuiſſe proditum quaſi apertum quoddam Aſylum, omnibus iis patens, qui benignæ protectioni hujus Imperii ſe ſubjecerint.

Num. 6.

(51) *Quod ſi quis penitus &c.]* Lazarus Sorantius *in Ottomanno cap. 47.*

Num. 7.

(52) *Anno MDCXXIII. &c.]* Hoc quidem Anno Amurathes, ſive ut aliàs & numero 4. ſuprà vocatus fuit Murad Chan, Imperium Turcicum adeptus fuit; ſed demum, ipſo allegato authore Supplementi Meterani *d. loc.* teſte, in hunc Vizirium & alios anno ſequenti poſt milleſimum ſexcenteſimum vigeſimo quarto, graviter animadvertit.

(53) *Anno MDCXXXII. &c.]* Imò ad annum usque MDXL. ut ſuprà ipſe Author noſter *n. 4.* è vero dixerat.

(54) *Muphtium &c.]* Muphtius, ut eſt apud Leunclaviũ, *in Onomaſtico*, princeps Sacrorum eſt apud Turcas, ut apud Græcos Patriarcha Byzantinus, apud Latinos Papa Romanus; ſed nullum ei dominium temporale concedunt, quo & Patriarchæ Græcorum caruerunt. Integrum caput, de Muphti officio & poteſtate, & quomodo ſe gerat in negotio Religionis, vide apud Dn. Briot. *en l' Hiſtoire de l' Empire Ottoman. Liv. 2. chap. 4.* Ubi ipſi nullam etiam in Emaumos ſive prædicatores ſingularum Parœciarum competere Jurisdictionem, docet. Sed quid ille (de quo Meteranei ſupplementi Authoris *d. lib. 41.* ſermo eſt, nomen verò ejus reticetur,) Muphtius fuerit nusquam: ſed quod Vezir. h.e. Conſiliarius & fortaſſis primus Græcis Hiſtoricis πρωτοσύμβουλος, fuerit, apparet ex loco citato.

(55) *Vitâ ſimul exuit &c.]* Nempe die III. Aprilis Anno MDCXXIV. Addit verò Author ibidem, Aſtrologos ſive potiùs Magos huic Vezir caſum & tragicum ejus exitum, imò & diem prænuntiaſſe, quo Eclipſis exoritura, & ipſe neci daturus foret: Sed cùm authoritate ſummâ dum polleret, resque ejus fortunâ reſpiciente gauderent, eum hæc floccipendiſſe.

(56) *Muphtius &c.]* Subſtituendum Vezir.

(57) *Perſidè depravârat &c.]* Indeque caritas omnium rerum adeò creſcebat, ut tali per ſæculum haud laborarit Conſtantinopolis.

(58) *Aſprorum &c.]* Aſpri Græcæ monetæ genus ſunt, Turcis *Acſe*, ſic ab albedine dicti, ut Italis *bianchi*, Gallis *les blancs*, Germanis Weiß-pfenning / certa nimirum & ipſa monetæ genera; eorum quælibet noſtros valere numulos quinque cum quadrante, ſic ut ſexaginta aſpri coronatum valeant, quem XC. cruciferis æſtimamus & vulgò thalerum vocamus, notat G. Heniſchius *de Aſſe. pag. 220.* & Leunclavius *in Pandectis Turc.* ubi de augmento & diminutione monetarum etiam in Turcia uſitata tractat. Angelocrator *de ponderibus, monetis &c. cap. 2. p. 25.* Diverſa planè ab hac eſt ſignificatio aſpri numi apud Latinos quâ nũmum benè percuſum & recentem, non tritum atque ipſo uſu levem diſignabant. Sic apud Perſium *ſat. 3.* dicitur,

--- --- --- *Quid aſper*
utile numus habet?

Quod Farnabius & Joh. Bond. rectè ſignatum recentem numum interpretatur.

(59) *Cairi &c.]* Alcairi deſcriptionem vide in Itinerario Nobiliſſimi Domini Chriſtophori Füreri Duumviri Reipublicæ Norimbergenſis dum viveret Principis &c. *pag. 14., editionis Germanicæ verò pag. 37.* apud Gotofredum *in Archontologia Coſmica parte 2. pag. 37.* qui ipſe ibidem *pag. 54.* ſcribit; Creditur Abrahamus Baſſa Cairo exportaſſe circiter VI. Millionum pretium, Muhamedem autem Vizirium ajunt etiam ulteriùs &c. Et deſcriptionem Regni Algerii ſubjunctam Turcici Imperii Statui, *Amſtelodami Anno 1634. editi.*

(60) *Auri millionem &c.]* Præter auri millionem, etiam quindecim millia Equorum ſingulis annis mittere Cairum, Traduccius *in Turca vincibili pag. 239.* author eſt. Denique Dn. Briot. *lib. 1. cap. 16. in fin.*

(61) *Memphim &c.]* Dn. Fürerus ſuprà laudatus prudentiſſimus Ulyſſes & Patriæ Senator edecumatus *pag. in Itiner. ſuo pag. 18.* Cairum in duas dividi partes, quarum unam novum, alteram vetus appellari, ſcribit, & quidem veterem partem ad Nilum formâ oblongâ ædificatam eſſe, totam ferè à Cairo novâ ſeparatam, & hodie admodùm devaſtatam, medio urbis excepto, ubi egregia ædificia viſuntur; Hanc Memphim illam fuiſſe priſcis ſeculis clariſſimam, cujus pauca veſtigia appareant. Præterea illud hoc loco annectere liceat annotaſſe Dn. Fürerum tanquam inuſitatum Cairi & aliis quoque vicinis urbibus & pagis, quod non, ut Europæi ſolent, ova gallinis incubanda Incolæ ſubjiciant, ſed per certos homines menſibus Martio, Aprili, & Majo multo ſtercore fimoque congeſto ingentem veluti furnum conſtruant, in quem tot ova conferant, ut ſingulis vicibus, quæ ſemper unius & viginti dierum ſpatio finiuntur, ad quadraginta millia pullorum ſolis & ſtercoris putreſcentis vapore animent atque edant.

Num. 8.

(62) *Poteſtate ſint, &c.]* Soranzius *in Ottomanno cap. 47.* tamen addit his verbis: Non etiam eorum, qui Turcæ naturales ſunt. Junge Dn. Briot. *d. loc.*

Num. 11.

(63) *In Servia &c.]* Regione illa, quæ ſe à Samandria ad Danubium poſita extendit ad Niſſam ſive Niſſavam usque ubi Bulgaria incipit.

(64) *Boſnia &c.]* Quæ inter Danubium & Sclavoniam jacet, & à Leunclavio *Hiſtor. Muſulm. lib. 15. fol. 585.* Bozinacorum regio appellatur; olim duplex erat, ſuperior & inferior (*Nadany in Flor. Hung. cap. 15.*) quarum hæc Regem habuit: quem Illyricorum Regem nuncupat Chalcocondylas: illa Principem ſive Ducem, quem etiam Ducem Sancti Sabæ vocabant (*ex Leunclavio Collector Comment. Rer. Turc. ſive de ſtatu ejus Imperii pag. 84.*) aliàs Boſnæ Deſpotam (*Fournier Geograph. Orb. notit. lib. 11. cap. 16.*) Regnum à Turcis occupatum,

cùm

cùm ultimus Regum Stephanus nomine Anno MCCCCLXIII. quum in ſuperiore Myſia latè imperaret, qui blanditiis Muhammetis II. Turcarum Imperatoris è Caſtello Jaitzæ clam evocatus, accitus in colloquium, repentè captus: Barbari juſſu, cute exutus; Regnum, quod à patre dolo ſurripuit, cum vitâ ſimul amitteret. Hujus igitur temeritate ſcelereque Muhammedis Raſcia & Boſnia cum magna Serviæ parte, in Turcæ ditionem pervenit. Bonfin. *Rer. Hung. decade 3. lib. 10. pag. 534.* Beſoldus *in Hiſtor. Conſtant. Turc. pag. 835. n. 13. ſeq.* Ducatus verò anno ſequenti ſubjugatus fuit.

(65) *Jaizam &c.]* Hanc alios *Gaitzam*, Turcas & Croatas *Covadzam* vocare vult Beſoldus *(d. loc.)* deſcribitur verò à Bonfinio *(d. loc.)* quòd ſit urbs in edito monte ſita, in mediterranea Illyrici regione, quam duo amnes, Plena & Bozvvta (Sigm. von Bircken im Donau-Strand *pag. 94.*) circumfluunt admixtique unà (ſub nomine Verbani prope Gradiſcam) in Savum deinde feruntur, à tergo profuſa planities (Boſnienſis quondam Regni caput erat) inexpugnabili arce ac hoſtibus inacceſſibilis. Fortunâ tamen Matthiæ Corvini circa annum MCCCCLXIV. Turcis cum aliis oppidis pagiſque iterum erepta aliquoties fruſtra à barbaris illis tentata fuit. (*vid. Zeiller. in Deſcript. Hung. pag. 158. ſeqq.*) Tandem circa Annum MDXXVIII. Jaiza pro qua tot tantaq; bellorum certamina (*verba ſunt Iſthuanffii Hiſt. lib. 9. pag. 149.*) contracta, tot obſidiones toleratæ, tantum roboris & virium inſumptum, tam multum ſanguinis effuſum fuit, turpiſſimâ profectò ſocordiâ & ignaviâ (Stephani Grobonoci, Ferdinandei ibidem Præfecti,) non ſine ſummo dedecore Chriſtianorum, ac Reipublicæ detrimento, puncto temporis, (deditione ejus Mahummedi Jahiogli Belgradi ac Samandriæ ſub Solymanno præfecti, ſociiſque hujus factâ) fœdè amiſſa eſt: ita ut Johannes (Zapolyai Vayvoda Transylvanus ante Ferdinandum Hungariæ Rex electus) in arce Tarnoviana apud Polonos extorris & exul, ſcriptis Ratisponam ad Principes Romani Imperii ſecundâ die Reſurrectionis Domini literis (*vide contenta eorundem apud Sleidanum Comment. lib. 6. pag. m. 96.*) ac deinde menſe Majo ad Carolum Cæſarem, ejus loci tam celebris jacturam Ferdinando Regi acrioribus verbis vehementiùs objiciendam exprobrandamque exiſtimaverit. Auditâ enim Jaizæ deditione cæteræ arces, quæ eò pertinebant, numero duodecim, partim infami deditione, partim militum præſidiariorum fugâ & metu in hoſtium poteſtatem devenêre. Iſthuanffius *citato l. 9.* Nadanayi *in Floro Hung. lib. 4. c. 1.* Beſoldus *ſuprà allegato loco.*

Num. 13.

(66) *Quod Chriſtiani ſolvere coguntur &c.]* Illuſtrare hæc & in univerſum ſtatum Chriſtianorum ſub Turcis viventium locus Metrophanis Critopuli Hieromonachi ex monte Atho & Patriarchalis Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Protoſyncelli *in tr. de Confeſſione Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ in Oriente, cap. 23.* poterit, ubi, Interprete D. Johanne Hornejo, de cultoribus & ſucceſſoribus Pſeudoprophetæ Saracenorum, ſic loquitur: Everterunt nobis Magiſtratum & poteſtatem omnem; privarunt nos diſcipulis atque liberalibus artibus; ſpoliarunt divitiis omnique hujus mundi felicitate; exigunt tributa gravia atque intolerabilia. Atque utinam in tributis illi acquieſcerent, quin & præterea alia difficillima, quæque in poteſtate noſtra non ſunt, imperant. Exercitum enim educentes, exigunt à nobis equos, pecora, viatica exercitui, aliaq; ſimilia. Claſſe autem pugnantes, picem & ſtupam & ſebum atq; id genus alia pro triremibus inſtruendis. Vicorum agrorumque præfecti ſubditos ad miniſterium angariarum præſtandum valdè inhumaniter compellunt, ita ut plus temporis inſumant angariis dominantibus præſtandis, quàm ſuis ipſorum negotiis. Equum generoſum ſi apud ſubditorum quempiam viderint, hunc iniquiſſimè abripiunt; ſin bovem præſtantem, ſimiliter faciunt: ſin oves, vel capras, vel mulos, vel aſinos, vel canes eximios, idem illud faciunt homines ſcelerati. Unde adeò vita eorum, qui ſub imperio ipſorum ſunt, (paret autem huic tyrannidi omnis ferè Eccleſia Orientalis, exceptâ Muſcoviâ & parvâ Ruſſiâ, nec non Iberiâ Orientali, & Colchide; quin etiam exceptis paucis Inſulis, illuſtriſſimo Venetorum Imperio, quæ multâ humanitate & benevolentiâ benigniſſimi illius Regiminis fruuntur) acerba & ipsâ morte gravior exiſtit. Denique etiam Chriſtianorum liberis immanſueti illi lupi inſidiantur. Etenim ſeptimo quoque anno mittitur à tyranno puerorum collector, qui oppida illius tranſiens, debitos pueros colligit. Unaquæque autem Civitas vel quatuor vel tres, vel duo minimùm debet. Fortaſſis autem & hoc tolerari poſſet; cùm utcunque remedium adhiberi queat: vel enim Saracenorum filios nondum circumciſos (hi verò circa annum decimum quintum circumciduntur) mercede conductos puerorum collectori offerimus tanquam Chriſtianos ſuppoſititios: vel etiam de Chriſtianis eos, qui malè & nati & educati atque edulti & ſuſpendio digni ſunt, & unà cum his ſufficientes pecunias, ut recipere illos velit: neque enim abſque pecuniis tales ſuſceperit; ſed quærit egregios, præclaros, ac præſtantes. Si autem unà cum malis, quos diximus, pecunias obtulerimus, acceptos illos veluti pulcherrimos, reddimus. Nequaquam verò hiſce contenti ſunt: Sed præter debitos quemcunque puerum invenerint abripiunt. Atq; hinc accidit, ut tempus illud omnibus Chriſtianis moleſtiſſimum ſit. Quilibet enim diſpicit, ubi & quomodo filios ſuos occultare poſſit. *Hactenus laudatus Author;* cui Leunclavius *Hiſtor. Muſulman. lib. 5. pag. 242.* jungatur, & Achiles Tarduccius *in Turca vincibili pag. 239.* ubi inquit, ſub Bajazethe luſtrata fuiſſe undecim centum & duodecim millia Chriſtianorum, qui omnes tributa ſolverunt: Sub Selimo tredecim centum cum triginta tribus millibus, non connumeratis iis, qui in Aſiæ Provinciis, (tunc temporis) nuper devictis, habitant, & ſex millibus domibus Chriſtianis, quæ homagii loco unum tantùm falconem donant.

(67) *Inſtans bellum &c.]* Subintellige, quod Muhammed III. qui Anno MDXCIV. Imperator creatus parabat; Etenim vel ex prioribus tribus Soranzii capitibus, ex quo Klockius hæc deſumpſit, pateſcit, eum tempore hujus Padiſchachi ſcripſiſſe.

Num. 14.

(68) *Zequinos &c.]* Zikinus (*ſic enim alii ſcribunt*) eſt ducatus aureus Venetus, ſic dictus à *Zecca*, quod officinam monetariam notat, æqualis Hungarico, poſt pretium ejus nunc auctum nunc minutum valens, hoc tempore tres florenos, ſive thaleros duos.

(69) *Leucam &c.*] Menſura Gallica eſt, quam ſuâ linguâ *Lieve* vocant, in media Francia juxta Pariſios brevior, in reliqua Gallia longior eſt. In Cadurcis & Toloſatibus & locis finitimis non multum à communi Germaniæ milliario diſtat. Mediocris leuca duo millia paſſuum continet: & ſic Scriptores plerique eam definiunt: ut ſit dimidium milliare Germanicum, quod dimidiâ horâ ab expedito pedite confici poteſt.

(70) *Habere liceat Patriarcham &c.*] Attamen in Patriarchæ monaſterio & collegio, nullus ſplendor, nulla pompa, conſpicitur. Non Epiſcopos, aut magnos Prælatos alit; Sed Monachos aliquot cucullatos: Ex Laicis nobiliores & doctiores, familiares, & quaſi Conſiliarios, rerumque adminiſtros habet. Patriarcha à Turcis prætereuntibus non honoratur; Sed contrà à malignioribus omni convitiorum genere proſcinditur: quibus blanditiis etiam Legatos Principum Chriſtianorum obvii quique excipiunt: appellando incredulos, ethnicos, canes, meretrices, & alia multa. Nec inter purpuratos Imperatoris locum habet, niſi quando tributum quatuor millia (Montalbanus *ut infrà ex numero 21. patet.* triginta millia ponit) Ducatorum, & tantundem ferè Baſſis, præcipuisque Officialibus Regis adfert. Tunc miſero inter ipſos locus datur. Seorſim tamen ei ſupremus Baſſa familiariter & clementer loquitur. Cruſius *in Græco-Turcia fol. 197.* ubi pergit: Authoritas Patriarchæ apud Imperatorem amplior non eſt: quàm alicujus Legati Chriſtianorum munera illi offerentis. Alium ei honorem non habet: niſi quòd eum admittere dignatur: ut ad pedes Imperatoris provolutus, pallium ejus oſculetur: quod & omnes Legati facere, & pro magno honore reputare ſolent.

Num. 15.

(71) *A Tributis immunes &c.*] Lazarus Soranzius *in Ottomanno. pag. 66.* Achilles Traduccius *in Turca vincibili pag. 239.* E Leunclavio tamen *Hiſtor. Muſulm. lib. 15. pag. 580. ſeq.* diſcimus, occupatâ & incolis iterum repletâ Conſtantinopoli, ſolo ſingularum ædium cenſum impoſitum fuiſſe, ſingulis añis ſolvendum etiam à Muſulmannis, eumque adhuc ſuo tempore ſolutum. *ubi vide.* Legi hîc merentur, quæ ex eodem *in Rer. Turc. Comment. pag. 84.* referuntur: Devoluto Turcarum in manus Boſnæ regno, multa hominum millia uno atque eodem tempore à Solymanno Imperatore locum veniamque ad Turcicam Religionem Chriſtianâ Fide abrogatâ poſtulaſſe ferunt, miratumque Solymannum, hujus rei cauſam percunctantem ab eis reſponſum hoc habuiſſe; ut tributis, quæ loci ejus indigenis Chriſtianis imponebantur, eâ ratione levari poſſent: (nullibi enim Turcæ in Europa tributum vel quicquam aliud pendunt; onera cuncta penes Chriſtiauos ſunt:) ſtomachatum ejusmodi fœdâ hominum impietate Solymannum, pro ſimplici tributo impoſuiſſe duplex; eorumque filios ad Genizerorum prætorii numerum ordinario puerorum delectu ſupplendum cum cæteris deſtinaſſe dicunt.

(72) *In muneribus parciſſimus &c.*] Thuanus *lib. 114.* adverſari videtur, dum Amurathem ſive Sultanum Murat III. largum opum inter notos ac dilectos diſpenſatorem ac præcipuè inter mulieres, quarum numerum immenſum habuiſſe dicitur, prædicat.

(73) *Flores horti &c.*] Soranzius *cap. 47. pag. 66.* ex quo *num. 18. 19.* 20. hujus capitis deſumitur.

Num. 19.

(74) *Quas in pellices faciebat &c.*] Gentis Hiſpanicæ Generoſitatis quoddam vitium eſſe, nullis parcere ſumptibus in gratiam fœminei ſexûs, tradit Author Itinerarii Hiſpanici *gallicâ linguâ ante paucos annos conſcripti cap.* 8. additque, pro certo haberi, quòd Admiralius Caſtilliæ, cui tamen præ cæteris haut nimiùm leniter fortuna arriſit, dari curaverit octoginta millia coronatorum alicui quæſtum corpore facienti mulieri. Pallavicinum Genuenſem, ajunt, intra breve tempus duo millia coronatorum in amorem ſuum impendiſſe, videntem verò Glyceram, cujus ipſum uſſit

--- --- --- *nitor*
Splendentis Pario marmore puriùs,
Uſſit grata protervitas
Et vultus nimium lubricus aſpici.

(*Horatius* 1. *Od. 19.*) protelare implere cupita, ſpe potiundi eâ planè decollatâ, nuntium eidem remiſiſſe. Adeò opera meretricum ſæpè nimiùm pretioſa eſt.

Num. 21.

(75) *Emungit &c.*] Addit Montalbanus *d. loco*, aut per extorſiones undique corrogat; Chiauſſios enim habet Imperatorios, & Genizeros, ad tuendam dignitatem aſſignatos, quibus in contumaces invehitur & cætera exequi curat.

(76) *Circumcideretur &c.*] Circumciſionis feſtivitatem barbaros *Duzunem* ſive nuptias, & *Zunettum* nominare linguâ ſua, Author eſt Leunclavius *Hiſt. Muſulm. lib. 18. pag. 764.*

(77) *Regis Galliarum &c.*] Sed Galliarum Regis Legatus ſpectaculo huic nõ interfuit, quòd obtinere non potuiſſet, ut Legati Poloniæ Regis excluderentur, quem pro Rege non agnoſcebat. Nam hos titulos Rex Galliarum ſibi ſumebat. Thuanus *Hiſtor. lib. 77. ſub initium.*

(78) *Sacerdotes &c.*] Narraverat ſcilicet antea Thuanus, (*cujus verba Beſoldus citato loco expreſſit*) in Theatrum introductos Orbis ordines & artifices munera quisque ſua pretioſa, quàm maximè poterant, & exquiſita ad Sultanum afferentes, hæc illam innatam genti avaritiam & moroſè penſitaſſe & avidè accepiſſe. Hos præceſſiſſe Muhammedanæ Sectæ Sacerdotes longo ordine, & inter eos Sacrorum Principem Muphtim camelo inſidentem, & in Corani ſui foliis pervolutandis attentâ contemplatione defixum. Quibus ſubnectit ab Authore noſtro allegata verba: *Sed prorſus lamentabile &c.*

(79) *Patriarcham Conſtantinopolitanum &c.*] Patriarcha, inquit Iſidorus Origin. *lib. 7. cap. 11.* & ex eo *cap. 1. cleros, diſtinct. 21.* Græcâ linguâ, *ſummus pater* interpretatur, quia primum i. e. Apoſtolicum retinet locum, & ideò, quia ſummo honore fungitur, tali nomine cenſetur. Habent verò Græci Patriarchas IV. Conſtantinopolitanum qui, Europæis Eccleſiis præeſt; Antiochenum, qui monaſteria & Eccleſias curat Beryti, Tripolis, Halebi, aliisque Aſiæ locis; Alexandrinum, qui Eccleſiis præeſt in Ægypto & Arabiâ, ſedemque Memphi ſive Cairo habet;

Memphi ſive Cairi habet; & Hieroſolymitanum, qui monaſteriorum per Syriam diſperſorum curam gerit, & quotannis XV. Auguſti in monaſterio Montis Libani Sacra peragit. Dn. Chriſtoph. Fürer &c. *in Itinerar. edit. Latina pag. 76. Edit. Germ. 1192.*

Num. 22.

(80) *Nullam inducit ſubjectionem &c.*] Vide Hortlederum von Urſachen deß Teutſchen Kriegs *lib. 1. c. 18. n. 12. pag. 80.* Inter articulos Pacis Rudolphum II. Cæſarem inter & Achmetem Turcarum Imperatorem Anno MDCXVI. viginti in annos concluſæ, apud Iſthuanffium *Hiſt. lib. 34. pag. 846.* reperitur & hic: Legatus Cæſareus nunc ſtatim deferat Conſtantinopolim Achmeti Principi Turcarum munus honorarium CC. millium Thalerorum, juxta promiſſum antea factum, idque hâc ſolùm vice, nec ampliùs ullo tempore. Quando is Legatus Conſtantinopolim ad confirmandam ab Achmete pacem venerit; inde quoque Achmetes mittet Pragam Legatum ſuum ad Cæſarem, cum muneribus majoris quàm antea pretii. Nunc verò Murates purpuratus & ſummus exercitûs præfectus, quem Serdarium vocant, Principi Matthiæ per nuntios ſuos munera dabit, & accipiet. Cùm munus honorarium Byzantium adferetur, poſtea per integrum triennium à mittendis mutuò legatis & muneribus ceſſabitur: elapſo autem triennio, mittet uterque Imperator invicem, abſque obligatione, & nomine, vel numero, munera pro ſuo quilibet arbitrio per homines utrimque dignos & condecentes &c. Sive, ut articulus ille, qui eſt in numero, prout Viennæ Auſtriæ expreſſi articuli illi, decimus, de verbo ad verbum ſonat. Ut ex noſtra parte, mittatur Legatus cum muneribus ad Imperatorem Turcarum. Et Magnificus Murath Baſſa Zerdar mittat ſuum Legatum ad noſtrum Sereniſſimum Archiducem Matthiam cum muneribus. Et quando noſtri Legati Conſtantinopolim venerint ad ratificationem Pacis, inde quoque mittat Turcarum Imperator ad nos Pragam, cum majoribus muneribus, quàm antea erat ſolitum.

Num. 23.

(81) *Waivvodæ ſive Principes Wallachiæ & Moldaviæ &c.* Primum Valachorum nomen in Ungarorum Hiſtoria reperio, *inquit Cromerus de orig. & rebus geſtis Polon. lib. 12. pag. m. 607. circa Annum 1358.*) tempore Caroli Regis, qui anno Chriſti milleſimo trecenteſimo trigeſimo contra Bazaradum Valachorum regulum quem illi Slavico nomine *Vaievodam* vocant, Latinè *Palatinum* dici uſus obtinuit, bellum geſſit. Vocatur etiam Moldavia hæc ipſa regio, ſed utrum à flumine, an aliunde, nondum ſatis compertum habemus. Poſteriori quidem tempore gens una in duos dominatus ſecta, nominibus quoque diſtingui cœpit, ſic ut ii, qui ad Orientem & Septentrionem vergunt, & Podoliæ finitimi ſunt, Valachorum nomen retineant: qui verò meridionale Tranſylvaniæ latus attingunt, Multani à noſtris, (*Polonis*) à cæteris verò Transalpinenſes, Moltavi & Valachi vocentur. Et harum Regionum Palatinos ut terminis diviſos, ita animis quoque diviſos aliquando fuiſſe, indicio eſt bellum illud Anno MCCCCLXX. inter Stephanum Moldaviæ & Radulonem Transalpinæ Valachiæ Palatinos geſtum, cujus Neugebaur *Hiſtor. Polon. lib. 6.* meminit, in quo Radulo captus, eique oræ, ejectis Turcarum præſidiis à victore unus ex ſuis purpuratis præfectus fuit. Qui ipſe Author quoque *lib. 5.* tradit, Anno MCCCCXXXIV. etiam Palatinum Moldaviæ Leopoli in verba Regis Poloniæ præſentis & habitu regio præſidentis, unà cum proceribus ſuæ partis juraſſe; vexilloque ritu ſolemni ad pedes Regis abjecto, in fide ac clientela ejus, & omnium deinceps Regum Poloniæ ſemper ſe fore, & contra quosvis hoſtes ſummâ ope ipſis affore, profeſſum fuiſſe. Quo facto, Regem eum ſublatum oſculo excepiſſe, Proceribus verò Valachis dextram dediſſe, tributumque centum equorum, totidem, ſive (ut volunt alii) quadringentorum ſericorum pannorum, quæ *Camchæ* vulgò vocantur, totidem boum, ac ducentorum curruum Viſonis (*piſcis id prægrandis nomen eſt*, *cujus ferax eſt Danubius*) in ſingulos annos impoſuiſſe &c. Et in ſequentibus eadem, quæ de Elia, de Alexandro Palatino Valachiæ narrat. Iſthuanffius verò *lib. 13.* ſcriptum reliquit, tam Moldaviam mari nigro, ut vocant, ſeu ponto Polemoniaco propinquiorem, quàm Tranſalpinam Danubio conterminam, quo etiam à Bulgaria ſeparatur, Ungrorum Regum clientelæ attributam, ab eo jam olim tempore, quo Conſtantinopoli Imperatores Chriſtiani florebant. Sed ipſe ille Iſthuanffius *ſub finem libri 29.* fatetur, litis controverſiam, *an provinciæ hæ jure clientelari ad Polonos, an ad Ungaros pertinuerint*, ſæpius non tantùm verborum præjudicio & contentione, ſed etiam armis tentatam, non tamen idoneo judice deciſam, ſic ut in ancipiti pendere videatur. Hodie & Valachia & Moldavia vel maximè Turcico Imperio obnoxiæ, eorumque Principes ſive Palatini inſtabiles admodùm ſunt, & plerumque ab Ottomannicis Imperatoribus in Principatu confirmantur. Quibus non ſolùm, ſed aliis quoque vicinis tributa ſolvunt. Quemadmodum Georgio Rakocio Transylvaniæ Principi circa annum adhuc MDCL. & Baſilium Moldaviæ Principem, & Conſtantinum Valachiæ Transalpinæ Principem tributum annuum pendere non erubuiſſe, Dn. Johann. Betlenius *Rer. Tranſylv. lib. 2. Sect. 1. pag. 31.* teſtis eſt.

(82) *Quadraginta millia &c.*] Ita quidem tradit Montalbanus *in Rer. Turc. Comment. cap. 91.* Lazarus Soranzius verò *in Ottomano cap. 48.* inquit: Waivoda Moldaviæ ſolvit XXXI. ſommas aſprorum. Somma autem unica centum millibus aſprorum conſtabat, qui duo millia coronatorum faciebant, eo tempore, quo tributum illud imperatum fuit. Coronatus enim tunc L. aſpros valebat, nunc plus C. valet. Idem Tartarus ſolvit XX. carros, quorum quisque quatuor bobus trahitur mille onuſtos & L. equos: ſed forſitan ex novis conventionibus & pactis hodie plus, vel minus ſolvit. Quod me latet. Veivoda Valachiæ, plusquam Transylvano ſe conjunxit, L. ſommas aſprorum pendebat. Et hoc ex ipſis Moldaviæ, & Valachiæ Commentariis excerpſi, quæ diverſa eſſe ab aliorum qui ea de re ſcripſerunt, opinionibus ſcio. *Hactenus Soranzius.* Author autem der Beſchrei-

bung/deß Türckiſchẽ Staats und Regiments *c. 3.* perhibet Moldavũ ſolvere quotannis centũ & octoginta millia; Valachũ verò ſedecim millia Coronatorum. Fournier *in Geograph. orbis not. lib. 11. capit. 21. & 22. ſcribit* Polonis ſæpius, aliquando Hungaris utramque (Valachiam & Moldaviam) fuiſſe ſtipendiariam, nunc & Polonis & Turcis; Bogdanem Valachiæ Turco pendere CXX. mille florenos, Moldaviæ Vaivodam LVIII. mille aureos Italicos in ſingulos annos, equos D. & falcones CCC. (*Georgius à Reichersdorff in Chorographia Transylvaniæ.*) Vaivodæ ſuccedere filios etiam nothos, electum Turcam mittere in poſſeſſionem traditione vexilli, gladii, & militaris clavæ. Quo nunc oneretur tributo Moldavia, Turcis Bugdan dicta, noviſſimus rerum Ottomanicarum ſcriptor ſive interpres Gallicus Briot *en l' Hiſtoire de l' Empire Ottoman. l. 1. chap. 14.* docet, cum præfatione, quòd Lector omninò relationi tributorum ab ipſo adductæ adhibere fidem queat, utpote fideliſſimæ & exactiſſimæ, cùm illa ipſi tradita fuerit à perſona quapiam, quæ Turcarum nomine pluribus annis Vajevodæ Moldaviæ & Valachiæ munere functa fuerat; pergitque, en igitur, quæ Moldavia tributi nomine quotannis pendat.

1. Magno Domino centum viginti crumenas argenti ſignati quarum quilibet quingentos coronatos contineat, ſic ut in univerſum ſexaginta millia coronatorum efficiant.

2. Decem mille *Okes* Ceræ, unumquemque *Oken* duas libras cum dimidia Anglicanas pendentem.

3. Decem mille *Okes* mellis.

4. Sexcentum quintal ſevi in uſum Armamentarii.

5. Quinque *Okes* præparatorum coriorum.

6. Quincentas telas cannabinas pro veſtitu & induſiis mancipiorum, qui in triremibus deſudant.

7. Mille tercentum triginta *Okes* ceri in uſum armamentarii.

8. Primo Viziro decem crumenas argenti, ſive quinque millia Coronatorum, cum pellibus martis Scythicæ in veſtimentum.

9. Viziro *Kahija*, ſive primario Aulæ Magiſtro, crumenam quincentorum coronatorum.

10. *Tefterdar* ſive magno Theſaurario tantum quantum Viziro Kahija.

Et hoc eſt tributum illud Ordinarium, quod provincia illa Sultano, in ſignum Superioritatis exſolvit; quibus multa plura onera, miſeris illis Incolis ferè inpatibilia, ſenſim inducta accedunt, de quibus ipſe laudatus Dominus Briot *d. loc.* conſulatur, qui in ſequentibus Cenſum annuum Valachiæ hoc modo enumerat; pendenda ſcilicet refert,

1. Magno Domino duo millia cum ſexaginta crumenis, ſive centum triginta millia coronatorum.

2. Quindecim mille *Ockes* mellis.

3. Novem mille *Ockes* ceri.

4. Primo Viziro decem crumenas argenti, ſive quinque millia coronatorum, cum veſte ex marte Scythica.

5. *Tefterdar*, ſive magno Theſaurario, crumenam argenti, ſive quincentos coronatos, cum veſte ex marte Scythica.

6. *Kuslir Aga*, ſive primario Evnucharum fœminarum duodecim mille Aſpros.

7. Viziro *Kahija*, ſive Aulæ Magiſtro quincentos Coronatos cum veſte ex marte Scythica.

Præter quæ intolerandis modis non ſecus ac Moldavia hæc ipſa Valachia impoſitionibus aliiſve exactionibus divexatur.

Num. 24.

(83) *Epidaurus &c.*] Epidaurum condidiſſe quempiam Epidaurum nomine in Argolide, ubi templum Æſculapii, non procul à Trœzene. Aliam verò civitatem hujus nominis in Peloponneſo & Laconia ſitam, Græcis hodie μονεμβασίαν dictam, Italicè Malvaſiam, unde Vinum Malvaticum generoſiſſimum, adeò ut & Cretenſe vinum ob parem virtutem ita nominetur. Tertiam in Parthinis, quæ hodie Raguzi, notat *in Animadverſ. in Euſb.* Scaliger. De qua etiam Lucanus *lib. 2.* canit:

Illyris Ionias urgens Epidaurus in undas.

In Illyrio enim ſeu Dalmatia ſita, à Gothis diruta, Pauſaniæ & Straboni *Limira* cognominata, quòd ſit portuoſa, è cujus ruinis Raguſia juxtà ædificata. (Stephan. *in Lexic. Hiſtor. h. voce.* Gotofr. *in Archont. Coſm. part. I. pag. 661.*) Nobilis hæc Urbs verò Anno MDCLXVII. die XXVII. Martii Styli veteris, terræ motu penitùs conquaſſata, vi ventorum excitato igne in cineres redacta, & juxta alias urbes planè diruta fuit, quâ ſuâ ruinâ quoque Dn. Georgium Croock, Ordinum Fœderati Belgii ad portam Ottomanicam miſſum Reſidentem, ut vocant, cum uxore ſuâ filiolaque, virgine quapiam & ancilla, Paſtorem animarum, aliaſque qui ſub lapideâ mole miſerè periêre, involvit, Domino Jacobo à Damm, eorundem Ordinum ad Smyrnenſes ablegato Conſule, (qui in iisdem ædibus commorabatur) incolumi relicto. (*Diar. Europæum. parte XVII. pag. 281. ſeqq.* Montanus in Beſchreibung deß Königreichs Japan. *pag. 28.*) Cùmque reædificari inciperet, Turcarum Imperatorem, calamitate, quam perpeſſi incolæ fuerant, motum, annuum tributum, nempe ſex mille coronatorum in biennium Raguſiis remiſiſſe perhibent. (*Vide Diarii Europæi partem XVIII. pag. 238.*)

(84) *Duodecim millia &c.*] Soranzius *d. loco*, Diarium Europæum, ut jam dictum, ſex millia Coronatorum pendere Raguſiam Turcæ ſcribit; Author der Beſchreibung deß Türckiſchen Staats &c. *cap. 3.* tredecim millia Coronatorum habet; Gotofredus *in Archont. Coſm. pag. 662.* ſummam extendit, Urbs hæc, *inquiens*, tuetur libertatem, ut Turcarum Principi quotannis XIV. millia ducatorum pendere cogatur, & propè tantundem in donativa inſumere, cùm barbara illa gens contenta non ſit annuo tributo, niſi duplum addatur, quod partim ipſi Tyranno, partim ejus Conſiliariis auliciſque donetur. Ex quo Incolæ illius hoc emolumentum capiunt, quòd liberè negotientur per omnes Ottomanici Imperii provincias & regna, & quidem ſine vectigalibus atque portoriis. *Gotofredus d. loc. pag. 663. num. 11.* Notandum vel maximè hoc loco, venit quod de Raguſia ſcribit Dn. Briot *d. loc. pag. 162. & 163.* hunc in ſenſum: Raguſia ſemper conſilio potiùs, cùm amicitiam potentioris cujuſpiam Protectoris quæreret,

quàm

quàm ſuis viribus ſervata fuit; Illam Turca efflagitavit, antequam ullam Europæ partem teneret, eamque hactenus ſartam tectam conſervavit. Ajunt, factum illud fuiſſe ex conſilio, quod Religioſus quidam, quem Sanctum putabant, Raguſiis impertitus fuerat; Hic præſagiens futuram Imperii Turcici Magnitudinem, dixerat ipſis unicam rationem ipſorum Rempublicam liberam multa per ſecula ſervandi, fore, ut feliciſſimo omnium Principum eique, qui aliquando maximam mundi partem ſibi ſubjecturus ſit, ſe ſubmittant. Illi huic conſilio fidem adhibebant, mittebantque ſtatim Legatos duos ad Sultanum Orchanem, qui Pruſæ, ante univerſalem Imperii Græcorum ruinam regiam ſuam habebat. Legati ipſum donariis afficiebant, literásve porrigebant, quibus Raguſii exponebant, quàm anxiè expeterent, ab ipſo inter tributarios ſuos referri, & ut Reſpublica ipſorum debilis, auxilio & Protectione Illius confirmaretur. Sultanus Legatos hoſce optimè excepit, eoſque tanto majori favore proſecutus fuit, quòd ob locorum ingentem diſtantiam à metu armorum ſuorum liberi eſſe deberent, iniitque cum Raguſiis fœdus, ſub conditionibus æquiſſimis. Tributum ad quincentos Zequinos annuos ſtatutum fuit. Orchanes ſuam ipſis Protectionem ſtipulabatur, omnia, quæ poſtulabant, privilegia omneſque immunitates largiebatur, & ſignabat, ſecundùm morem illius ævi, articulos Tractatûs, manu ſua tota atramento infecta, & ſic papyro impreſſa. Et talis modus ſignandi tanta in veneratione apud Turcas eſt, quanta apud Judæos Tabulæ Moyſis, aut Pontificios Sanctorum reliquiæ ſunt. Hæc ille, de quo tamen alii rerum Turcicarum Scriptores ſilent.

Num. 25.

(85) *Aliiq; &c.*] Sic de Georgio Rakocio, qui Patri Anno MDCXLVIII. in Principatu Tranſylvaniæ ſucceſſit, legitur apud Betlenium *Rer. Tranſylv. lib. 2. cap.* 1. quòd Turcæ Tributum quindecim millium aureorum, quod per tres annos genitor ipſius perſolvere neglexerat, (regalibus ſuperadditis muneribus) ſine tergiverſatione perſolverit. Junge Dn. Briot *en l' Hiſtoire de l' Empire Ottoman. lib. 1. chap. 14. pag. 160. ſeqq.*

(86) *Dona, quæ extra ordinem &c.*] Cujusmodi fuerunt dona illa, quæ Invictiſſimus Imperator Leopoldus, pace inter ipſum & Turcarum Sultanum concluſâ, per Legatum ſuum Comitem Leslæum Anno MDCLXV. Muhammedi IV. obtulit. Quorum catalogum Diarium Europæum *parte XII. pag. 497. ſeq.* munerum verò Turcicorum *ejuſd. parte XIII. pag. 41.* exhibet.

Num. 26.

(87) *Præterea omnes ii &c.*] Noviſſimè idem teſtatur laudatus toties à me Dominus Briotus *d. loc. cap. 17.* ex quo patet, neminem ad ullum Imperii munus pervenire, niſi qui immenſas pecuniæ ſummas, valori ejus & fructui exinde capiendo adæquatas, pro eo pendat. Inter illa officia quædam ſunt, uti Bachæ magni Cairi & Babyloniæ, quæ in numerato tria vel quatuor millia coronatorum ſolvant, antequam commiſſionem regiminis ſuorum adipiſcantur; alia ducentis millibus, ſexaginta millibus, quinquaginta millibus coronatorum, prout vel majoris vel minoris momenti ſunt, conſtant. Mutuò ſumunt Canditati argentum illud ſub uſuris (*Vide de modo uſuras, alias prohibitas, conſtituendi d. Author. lib. 2 cap. 1. pag. 282.*) quadraginta & quinquaginta ad centum per annum, & nonnunquam duplo majus quid numerant, ſi vel maximè incidant in manus avarorum in Serrailio Evnuchorum; Ut hoc modo ejus farinæ homines reputent ſe, in ingreſſu officii ipſorum, eſſe viros debitis obrutos, in idque toti incumbant, quò bona, quo etiam id fiat modo, ad ſe pertraherent, debitis ſe liberent, & peculium ſuum augeant; idque ut faciant brevi temporis ſpatio neceſſe eſt, ob metum, ne improviſum mandatum accipiant, quod ipſos revocet & rationem geſti muneris exigat. Similiter Lazarus Soranzius *in Ottomanno cap. 47.* (cui Achilles Traduccius *in Turca vincibili pag. 140.* addendus,) ſic inquit: More receptum eſt, ut omnes Baſſæ, Beglerbegi, Sangiacchi, & alii officiales Imperatori, ubi ad exercitum pervenit, ſeſe ſiſtant, & munere quodam ipſum honorent, id cùm fiat in publico & in conſpectu omnium, ambitioſè invicem certare ſolent, quis ſplendidius & præſtantius donum Imperatori offerat. Non igitur expendit, ſed colligit pecuniam belligerando. Secus evenit noſtris Principibus, qui rarò ditiores, plerumque exhauſtis ærariis pauperiores ex ex bello redeunt.

Num. 29.

(88) *Cæteroſq; poſſeſſores quoslibet &c.*] Hæc autem bona (*pergit Legatus Venetus apud Honorium in Theſ. Polit. pag. 90. ex quo num. 27. & ſeqq. deſumpti, paucaq; Montalbani verba interpolata ſint*) deinde inter milites partiti ſunt loco ſtipendii, adeò ut quoties nova regna capta ſunt, militum numerus ſimul auctus fuerit. *Cujusmodi beneficium &c. ut eſt in num. 30.*

(89) *Quæ ſunt tanquam commendæ &c.*] Timarum propriè dici poteſt penſio quædam vel aſſignatio certorum redituum, qui ex fundis percipiuntur, bello acquiſitis, qui certâ portione diſtribuuntur militibus, quorum præ cæteris emicuit magnanimitas, quique ſtrenuam in bello navarunt operam, cum coloniis antiquis vel feudis, vel quæ noſtrâ ætate dicuntur Commendaturis, comparari poſſent. Præmium, quod Romani in milites benè de Republ. meritos conferre ſolebant, ut ad dies vitæ eo fruerentur, beneficia appellabant: beneficiarios verò, qui illo præmio fruebantur. Cum his convenit, quod Græcis τιμάριον, τιμαριῶται & τιμαριῶτοι perſonæ dicuntur. Etymologia à voce τιμὴ ducta, quæ honorem ſignificat, &c. Bodinus *de Republ. lib. 1. cap. 10. non longè à principio, lib. 2. cap. 2. lib. 5. cap. 5.* ubi docet, Timaria non tranſire ad hæredes. Cui contrariari videtur Lex Oſmanis apud Leunclavium *lib. 3. Hiſtor. Muſulm. pag. 153. in hæc verba concepta:* Quicunque timaria, vel in villarum, vel aliorum prædiorum conſtituta proventibus, liberalitate noſtra conſequutus fuerit; Eis ſic uti frui debebit, ut illi abſque juſta cauſa, ne minis, ullâ ſive fraude, ſive vi, adimantur. Quod ſi morte deceſſerit, eadem ipſius filio

lio cedere volumus; etiamſi minor adhuc, ſive pupillus ſit: illâ tamen lege, ut belli tempore, pupilli loco, mittantur alii; donec ipſe pupillus adoleverit, & armis gerendis idoneus evaſerit. Junge, Ricautii Nobilis Angli, Comitis Winchelſey Legati extraordinarii Caroli II. Magnæ Britanniæ Regis ad modernum Sultannum Muhammedem ejus nominis IV. Secretarii, Interpretem Gallicum Dn. Briot. *en l' Hiſtoire de l' Eſtat preſent de l' Empire Ottoman. lib. 1. Chap. 2.* Ubi docet, communiter ejusmodi poſſeſſiones ex beneplacito Sultani devolvi ad hæredes. *adde lib. 3. cap. 4. ejusd. Authoris.*

Num. 31.

(90) *Saraceni &c.*] Sive enim Oſmanides Sarraceni ſive Turcæ dicantur, infauſta illa nomina ſunt, cum Sarraceni vox à latrociniis derivetur, eò quòd סרק Arabicè ſit latrocinari. Quàm dediti autem latrociniis ſemper fuerint iſti Arabes, nemo, niſi in hiſtoriis planè hoſpes, eſt qui neſciat. Quò facit, quòd Sarracenos ipſi ſe nunquam adpellent, ſed à vicinis populis per contemptum ſic vocentur. (Struckhuſen *Hiſt. Sarracen. pag. 11.*) Turcarum verò nomen Elmacinus Arabs à verbo quodam Arabico derivat, quod relinquere ſignificat, quia videlicet Alexander M. in expugnatione Gogi & Magogi, gentes quasdam extra murum illum ferreum, à ſe paratum reliquerit. Laconicus Chalcocondylas hominem agreſtem iſto vocabulo denotari autumat, & qui inſtar Nomadum agreſtiorem victûs rationem ſequitur, inque eo maximam vitæ partem conſumit: quam ob rem nomen hodiernis Oſmanicis inviſum eſſe, memoriæ prodidit Doctiſſimus Leunclavius *Pandect. Hiſt. Turc. cap. 22.* (Struckhuſen *d. loco. pag. 45.*) alibi (*in Onomaſt. priore*) de Turcis laudatus Leunclavius ita ſcribit: Jurchi, qui & Jurchæ, & Jurkæ, Herodoto rectè ſcripto veteri vocabulo ἰῦρκαι, ſunt illi ipſi quos nunc Turcas & Turcos dicimus, & ipſorum more Tzurcos aut Tzurucos literâ I. per Z, vel Tz fortiùs expreſſâ. Vocabulum verò Zurki vel Tzurki ſignificat ipſorum linguâ prorſus id, quod Græcum Nomades παρὰ τῶν νομῶν, hoc eſt à paſcuis deductum. Quippe notum, Nomadas dici, qui nullis utentes domiciliis fixis, paſcuorum causâ hinc inde cum familiis, armentis, & gregibus, obvagantur. Et erant olim Turcæ tales, & ſunt in Anatolia paſſim hodieque Turromanleri. Ferunt etiam moleſtè nunc Oſmanei milites & aulici, quum quis eos Turcos, ceu ruſticos, adpellat. Et in ipſorum Comœdiis ſemper introducitur aliquis Turcus, aut Turcman, veluti ruſticus; perinde ac Italicæ Comœdiæ Zano ſuo non carent. Notandum autem hoc loco venit, Serraceni Regni Muhammedem fundamenta jeciſſe; ſed ejusdem ſucceſſorum potentiam paulatim diminutam, ac ferè in totum abſorptam fuiſſe à Turcis, quorum Imperium ab Anno Chriſti MCCC. ſive MCCCIX. inde longè lateque propagari cœperit. Ac in eo maximè differunt Sarraceni à Turcis; quòd illi literatiſſimi inprimis fuerint, & infinitos libros conſcripſerint; Turcæ verò non illiterati ſolùm, ſed & vaſtatores ſint. *Beſoldus Hiſtor. Conſtant. pag. 600.*

(91) *à Sara &c.*] Vide Struckhuſen *d. loc. pag. 10.* ubi ſimiliter hanc opinionem erroris convincit.

Num. 33.

(92) *Herba non creſcat &c.*] Apud Dalmatas tale quid in proverbio eſſe, Ludovicus Tubero *Comment. de rebus ſui temp. lib. 6. pag. 130.* perhibet. Nempe; Quodcunque ſolum Turcæ equorum ſuorum ungulis attigerunt, illud de cætero, ne vernis quidem imbribus revireſcere, aut herbis veſtiri.

Num. 35.

(93) *Timarorum inſtitutionem &c.*] Præter ſuperiùs de Timaris adducta, legi poterunt & ea, qua Traduccius *in Turca vincibili, pag. 251. ſeqq.* tradit, ubi concludit: Cùm igitur ultra tredecim centum millia Timariatorum in exercitu non compareant, hi tamen ultra triginta centum millia militum, qui in aciem educi poſſunt, ob ſervorum copiam efficiunt, non annumeratis iis, qui Cairos, vehicula, & jumenta conducunt, vel qui mercaturæ exercendæ, & lucri faciendi causâ caſtra ſequuntur. Minorem numerum tamen Soranzius *in Ottom. c. 19.* habet. Junge Dn. Briot. *d. loc. lib. 3. c. 2. & 3.*

Num. 37.

(94) *Tantum ſibi terræ ſubjeciſſe &c.*] Intelligenda hæc ſunt de temporibus Schach Chodobande, qui ad Perſicum Regnum Anno MDLXXVIII. evectus, Anno MDLXXXV. mortuus, & Schach Emir Hemſe, qui ipſi ſtatim tunc in regno ſucceſſit, illud verò, poſt ſpacium octo menſium emenſum trucidatus, cum vitâ reliquit. Cui Murat Chan III. provinciam Schirvvan ad mare Caſpium ſitam eripuit. Prout Joh. Thom. Minadous *de bello Turco-Perſico*, Henricus Porſius *de eodem bello*, cæterique à Dn. Struckhuſen *pag. 241.* allegati teſtantur. Cùm certum ſit, Boterum, (*qui authori noſtro præit*) circa ſeculi prioris finē hęc ſcripſiſſe, & Schach Abam Succeſſorem urbem Tabrim ſive Taurim & Babylonem vulgò Bagdad & reliqua amiſſa à Turcis recuperaſſe, tenuiſſe & ad Succeſſores transmiſiſſe. Vide Olearium *in Itin. Moſcovico-Perſico lib. 5. cap. 31. ſeqq.*

Num. 38.

(65) *Duos effectus &c.*] Cùm antea Author noſter emolumenta à Legato Veneto apud Honorium obſervata, quæ Imperium Turcicum ex Timariotis capiat, *n. 30. 31. 34. 35. 36.* recitaſſet, nunc quoque alia duo, *hoc. n. 38.* ex Botero ſubjungit, quæ ad priora referenda. Junge Montalbanum *Comm. Rer. Turc. pag. 15.*

Num. 40.

(96) *Ulufagos &c.*] Ulefe & Ulofe ſtipendium eſt, quod à quæſtoribus militi numeratur. Et apud Turcas hujusmodi ſtipendia plerumque diurna ſunt, ut apud nos annua vel menſtrua (*Leunclavius in Onomaſtico poſter.*) indeque milites ſtipendiati, quibus annonæ ſalariaque hæc largiuntur *Ulefedzilar*, item *Ulofezgi* à Græco illo ὀλοφάγων fortaſſis appellatur. Vide Soranzium *in Ottom. cap. 15.* & Legatum Venetum *apud Honorium parte 1. pag. 91.*

(97) *Caripicos &c.*] Fortaſſis hi ii ſunt, quos Soranzius *in Ottom. cap. 16.* Guraba vocat; Guraba, inquiens, nomen plurale eſt, à Carip ductum, quod pauperem & nudum denotat.

Num. 41.

Num. 41.

(98) *Baſſa &c.*] Baſſa & Baſſi, caput ſignificat. Baſſileri, capita ſive Duces: ut à κεφαλὴ Græcis ſunt dicti κεφαλάδες; noſtris à capite Capitanei.

(99) *Beglerbegi &c.*] Begler-beg, idem eſſe dicit Leunclavius *in Onomaſtico*, quod ἄρχων ἀρχόντων, princeps principum, vel dominus dominorum, qui ſub ſe dominos aut præſides alios habet. Item ſupremus caſtrorum præfectus, ϛρατοπεδάρχης. Turci cum Banis Ungerorum Beglerbegos ſuos comparant.

(100) *Sangiaci &c.*] Sanzac-beg Leunclavio dominum vexilli, dominum vexillarem; cui ſcilicet cum vexillo tradita eſt provincia, ceu præſidi; & cui propterea militatum eunti vexillum præferri ſolet, Græcis hodie φλαμβουλαρὴν dictum, ceu φλαμουλαρὴν aut flammeolarim denotat; Sanzac-begluc verò dignitatem vel officium Sanzaci, aut vexillani, h. e. provinciæ præſidis. Præſidatum.

Num. 42.

(101) *Acanzii &c.*] Qui Acanzii vocantur, inquit Soranzius *cap. 17.* ut plurimum agricolæ ſunt, ſed falluntur, qui eos Haiduchis Ungarorum comparant, cùm illi equites, hi pedites militare ſoleant. Nec rectè eos à Jovio, & aliis Scriptoribus recentioribus voluntarios milites appellari puto, cùm propter exemptiones ipſis conceſſas in bellum proficiſci cogantur; Sæpius tamen Zingarorum vel Tartarorum more integras regiones deprædando pervagentur & devaſtent. Ex quorum numero XV. illa Turcarum millia fuiſſe tradit Traduccius *in Turc. vinc. cap. 256.* quæ in ſecunda Solymanni expeditione Viennenſi, Linzium usque excurrerunt. Non magna ipſorum ratio habetur: in Dobruccia Bulgariæ Provincia ut plurimum ad Danubium deſident & morantur. Hos, puto, Leunclavius appellat *Akenzileros* vel *Akinzileros*, ab *Akin*, quod ſignificat incurſum, graſſationem, depopulationem.

(102) *Janizzaris &c.*] Jani-zari craſſiùs enuntiatur, cenſente Leunclavio *in Onomaſtico priori*, quod elegantiùs loquentes, Geni-zeri dicunt. Significat autem novos milites ſive tirones, ex lingua Turcica à *Geni* & *Zeri*, quod poſterius milites; non à Janua, Latino vocabulo, deductum. Nam Laonicus etiam ſcivit haud dubiè, vocem Jani Turcico ſermone novum aliquid denotare, quum Janizam alibi, forma deminuta dicat urbem novellam; quæ Turcis eſt Genitze, verbi causâ, Vardar Genitze. Originem Genizarorum ad Sultani Muratis imperium plerique referunt, de quibus Leunclavius *Hiſtor. Muſulm. lib. 5. pag. 227. 228.* Soranzius *in Ottom. cap. 20.* Orator Venetus *apud Honorium parte 1. pag. 96.* Beſoldus *Hiſtor. Conſtant. pag. 653. ſeqq.* Lonicerus *Hiſtor. Turc. Tom. 1. lib. 1. pag. 75. ſeqq. & pag. 140.* tractant. Exinde autem apparebit, malè à Strickhuſen Murati II. adſcribi, qui Murati I. adſcribendus erat, originem. Et de his Genizaris conſulatur Briot, *en l' Hiſtoire de l' Empire Ottoman. liv. 3. chap. 7. & 8.* Diverſi ab his Geni-Zaris ſunt Janiceri à Pontifice Xyſto IV. inſtituti (*Platina in vita ipſius pag. m. 330.*) in curia Romana. De quibus Sollicitatores centum ibidem exiſtere, Merula *Coſmogr. part. 2. lib. 4.* perhibet. Vide Theophili Elychnii *Tr.* von den Janizaren *Argentorati Anno 1624. editum.*

Num. 43.

(103) *Azappos &c.*] Aſappi pedites ſunt Turcæ, quorum ingens multitudo, ſtipendia licet viliſſima accipiant: eorum in Europa quadraginta millia inveniebantur tempore Traduccii, (*in Turca vincib. pag. 257.*) haſtâ, arcu, & machærâ pugnantes; Verùm cùm neque aſueti ſint ad militiam, neque exercitati, præſtat illis uti ad expugnationes locorum, ad comportandam materiam, & cuniculos agendos, quàm ut in aciem producantur, &c. Inde in urbium oppugnatione primi ipſi periculo objiciuntur, nec ſtrages ipſorum magni æſtimatur. Lonicer. *Turc. Hiſt. tom. 1. lib. 1. pag. 77.*

(104) *Janizzari Azapporum cadaveribus &c.*] Notat Leunclavius *Hiſtor. Muſulm. lib. 14. pag. 495.* tempore Duſmes Muſtaphæ Genizarum quempiam pro uno vervecis capite cocto, Azapos duos vendidiſſe. Ab eoque tempore infinitas inter Genizaros atque Azapos continuatas fuiſſe inimicitias.

Num. 45.

(105) *Exarcolam, &c.*] Turcæ *Zerculam* vocant, Leunclavius *in Onomaſtico.* Quarum usûs originem laudatus Author *Hiſtor. Muſulm. lib. 4.* Vrchano adſignat his verbis; Proceres non niſi pileis aut Zerculis albis è filtro vel tulipantis capita tegebant. Ac ſi qui fortè de Begorum ſive Magnatum numero non ejusmodi tegumentis capitum uterentur, quoties ad Divanum, ſive conſilii publici locum itarent; ignominiâ quâdam notabantur. Sic enim ex Urchanis inſtituto mos inolevit, ut in Divano caput ejus tulipanto eſſet involutum, belli tempore pileum coloris albi geſtarent; cujus poſterior pars à tergo longè dependet, anterior impoſita fronti, ſubter hanc minimè demittitur. Ex quo colligere licet, Zerculas has primitùs Magnatum tantùm capitis tegumen fuiſſe, ad præmiandam demum Genizerorum virtutem eis conceſſam pòſt fuiſſe.

Num. 47. usque Num. 66.

(106) *Particulatim ita explicat &c.*] Ut refert Reiffenbergius *in Notis ad Boteri Relationes.*

Num. 48.

(107) *Carazzi &c.*] Leunclavius *in Onomaſtico*, regionem hanc Caraſiam, vulgo Caraſili vocat, includereque hodie finibus ſuis ait Trojæ rudera, Palæocaſtron, Abydum, Pergamum, Atramytium.

(108) *Seraphorum &c.*] Seraphini à Melechſeraph, à quo nomen ſortiti primùm percuſi fuerunt, aureorum numorum Ducatis noſtris reſpondentium genus quoddam ſunt, uti *ex Deſcript. Turciæ pag. 184.* patet.

Num. 53.

(109) *Moldavia, Valachia, Raguſium, &c.*] Diverſos tum in n. 23. tum in hoc ſequutus Scriptores contrariatur quoad quantitatem tributorum *hic* & *n. 61.* ſibi Author, quemadmodum ex collatione horum numerorum cum numero ſuperiori *23.* clarum evadit. Ubi vide.

Num. 63.

(110) *Herodotus &c.*] *Lib. 3. à capite 90 usq. 96.* Ubi tamē tributū non ex ſola Syria & Meſopotamia, ſed

ſed ex Aſia, & aliquantulum ex Libya, obveniſſe memorat, ibidemque exacta in ſummam annui tributi à Dario talentorum quatuordecim millia quingenta & ſexaginta.

Num. 66.

(111) *Chriſtianorum diſcordia &c.]* Admirandorum Oſmanidæ gentis progreſſuum, quorum alios alii non magnis temporum intervallis ſequuti ſunt, ſi conſiderare libuerit, inveniemus duplices; externas nimirum, & internas. In externis commemorandæ veniunt pœnæ ſcelerum, quas infligere populis enormium flagitiorum reis iratum Numen per alios immites quaſi carnifices, ſuæque vindices Juſtitiæ & voluntatis exequutores, ſolet: itemque rerum humanarum inconſtantia, quæ variis obnoxiæ mutationibus, ſemper in eodem ſtatu manere nequeunt; ſed velut à ventis Oceanus, ita & ipſæ perpetuis diverſorum motuum viciſſitudinumque fluctibus agitantur. Acceſſerunt in noſtris hominibus, hoc eſt, Chriſtianis, curæ de republica ſegniores, ejusque tuendæ remiſſa ſtudia; continuæ diſſenſiones animorum, & inteſtina tam odia, quàm bella; quibus diſtracti, nunquam ſolidè ſuas adversùs hoſtem communem junxêre vires; & ſemetipſos debilitando, fores ad opprimendos ſingulos Turcis aperuêre, qui conſociatis armis univerſi non tantùm eis reſiſtere, ſed etiam poſſeſſores injuſtos occupatis ejicere provinciis nullo pœnè labore potuiſſent. Ita nobilis illa Græcorum natio, ſuismet exhauſta diſſidiis, periit; quum ſuſceptis inter ſe graviſſimis inimicitiis, parentes adversùs liberos, ſoceri contra generos, liberi generique adversus germanos fratres, Turcarum ſubſidia, qui fortunis omnium inſidiabantur, ad perniciem mutuam arceſſerunt. Ita deſerti per ignaviam ſocordiamque vicinis à Regibus, aliisque Principibus Chriſtianis, Epirotæ, Bulgari, Servii, Valachi, Boznienſes, Rhodii ſub jugum miſſi fuerunt. Ita florentiſſimum Pannoniæ regnum partim per occaſionem exſecrandæ ambitionis, civilisque diſcordiæ, dum qui viribus imbecillior erat, cum internecione Patriæ totius & ſuâ, gravique rei Chriſtianæ detrimento, Turcica ſollicitat auxilia; partim etiam veterno noſtrorum ad reſtinguendum vicini parietis incendium non eâ concurrentium fide, ſtudio, alacritate animorum, quæ meritò eſſe debebat, in omnibus peſſum ire nemo non vidit. Mitto recenſere prolixiùs cauſas alias, unde noſtri (quòd ajunt) fundi Calamitas hactenus exiſtit: in quibus ſunt privatorum ſtudia commodorum, publicæ neglectus rei: libertas propè nimia nonnunquam Superiorum Imperia detrectans: animorum acerbitas & diffidentia mutua, ſuperioribus ſeculis inter Græcos & Eccleſiæ Romanæ adhærentes, deinceps inter nos ipſos, ex opinionum in Religione diſſidiis nata; dum pars una quibuscunq; poteſt præſidiis ſeſe munit ad vim, à qua jam pridem ſibi metuit, propulſandam; altera pacandis animis propria non quærit, nec adhibere vult remedia, ſed externis innixa conſiliis & auxiliis, excitatas in pectoribus adverſariorum ſuſpiciones quotidie magis ac magis accendit. Mitto fœdum in quovis hominum genere luxum, crapulam, faſtum; quibus patrimonia privatorum exhauriuntur, ut publicis ſubvenire difficultatibus nequeant: mitto ſalutaris illius & accuratæ majorum noſtrorum diſciplinæ militaris abolitionem, quæ noſtri contemptum in animis hominum excitat. Ita cenſet Leunclavius *Hiſtor. Muſul. Turc. lib. 1. in proœm. pag. 26. 27.* ubi in ſequentibus ad eas Turcicorum ſucceſſuum cauſas accedit, quas internas propterea dicere voluit, quòd in ipſorum induſtria ſitæ, non ab aliena vel imperitia vel oſcitantia pendeant, quas nimis longum foret hoc loco ſubjungere.

(112) *Regna ſuis Regibus &c.]* Sunt verba Legati Gallici in Explicatione periſtromatis Turcici VI. *pag. 37.*

(113) *Dum Sylla & Marius &c.]* Eleganter de bello Mithridatico Florus *lib. 3. cap. 5. n. 4. ſeqq.* loquitur: Elatus animis ingentibus (*Mithridates*) Aſiæ totius, &, ſi poſſet, Europæ cupiditate flagrabat. Spem ac fiduciam dabant noſtra vitia: quippe quum Civilibus bellis disjungeremur, invitabat occaſio: nudumque Imperii latus oſtentabant procul Marius, Sylla, Sertorius. Inter hæc Reipublicæ vulnera, & hos tumultus, repente quaſi captato tempore in laſſos ſimul atque diſtrictos, ſubitus turbo Pontici belli, ab ultima veluti ſpecula Septentrionis erupit. Sic Idem *lib. 4. cap. 2. num. 62.* dicit hujus Mithridatis filium magis diſcordiæ noſtræ fiduciâ, quàm virtutis ſuæ bellum cœpiſſe. Sed an benè ſemper ſibi conſulant, qui quorundam inteſtinis & civilibus diſcordiis excitantur ad bellum, disquirunt Politici, & inter illos Zevecotius *in Obſerv. ad Flor. locum priorem pag. 3. 47.* ut & Politiciſſimus Forſtnerus, *in Not. ad Taciti 1. Ann. 55. num. 2.* qui ultimus obſervat populos inter ſe diviſos diſſentientesque adoriri ſucceſſiſſe interdum, ſæpe laceſſenti nocuiſſe, at cogitanti ſibi, quæ diverſi eventûs cauſæ fuerint, ſuccurriſſe, vocatos ab alterutra parte proſperè moviſſe; ſuâ ſponte alienam in ſe pugnam derivantes ſuo ſibi, quod dicitur jumento malum quæſiviſſe. Quod pluribus declarat, & tutius eſſe exiſtimat diſſentiente inter ſe unâ gente, quieſcere, dum mutuâ ſe cæde conficiant. Ita miſeros patriam viris, armis, cæterisque belli nervis exhaurientes tertio pugnaturos, nec deinde ſupervenienti reſiſtere potis fore. Conſilii quoque partem eſſe, debiliori parti occultè ſubmittere auxilia, ſed quæ trahendo in longum bello ſufficiant. Et hic ſunt illi tranſitus rerum, quos vocat Tacitus *1. Annal. 21. num. 4.* magnis conatibus opportunos, cùm in mutatione rerum, his vel illis inter ſe decertantibus, multa magnaque videntur effici poſſe, quæ aliàs non poſſent. Quâ ſpe illecti Turcæ, DEUM precari non ceſſant, ut inter ſe diſcordes perpetuò Gauros (*Chriſtianos veluti gentiles aut paganos, ſic appellatos à Muſulmanis prætensè orthodoxis, Turcis*) eſſe velit. Leunclavius *Hiſtor. Muſul. Turc. in proœm. p. 28.*

(114) *Qui nunc rerum potitur Sultan Ibrahim &c.]* Scilicet An. MDCXLI. dum ſcriptum emblematicum, quod ſub nomine Legati Gallici titulóve *Periſtromatum Turcicorum* (ex cujus operis Epiphonemare præcipuè *p. 40. ſeqq.* hæc deſumpta) editum fuerat. Eo enim Sultano ob ſævitiam & malum adminiſtratum Imperium exoſo omnibus, quum etiam in Genizaros crudeliùs ſtatuere inciperet, ab iisdem comprenſo atq; anno ætatis XXXV. Imperii IIX. die IV. Aug. A. MDCXLVIII. ſtrangulato, ſuffectus biduò pòſt fuit frater ejusdẽ Muhamedes IV. ſive, ut à nonnullis vocatur, Achmet IV. qui adhuc rerum potitur. Nimis, ob bellum atrox, nobis infelix, Ungariæ illatum; Neuheuſelium cum aliis locis, in jus ditionemq; ſuam redactum; cladem Chriſtianorum propè S. Gotthard ab ipſius exercitu perpeſſam; Candiâ Venetis ereptâ non ſecus ac frater ſuus ob Caneâ ſimiliter occupatam,

tam,

tam, notus; quorum vulnerum Chriſtianitati inflictorum, boni recordantur cum gemitu, nec ſine lacrymis.

(115) *Monarchæ ſocordiâ &c.]* Quàm prudenter conjecturâ aſſecutus fuerit Rupertus animum hujus Sultani, cùm dixerat *in Obſerv. in Synopſ. Beſoldi minorem cap. 16.* vereor, ne ſimilis ſit Mecænati, de quo Vellejus *lib. II. cap. 88.* perhibet: Speculatum eſſe per ſummam quietem ac diſſimulationem præcipitantiam aliorum; nemo non videt, qui Hiſtoriam ejus Imperii ruminatur.

(116) *Novis quotidie nominibus aſſurgere &c.]* Modernus Turcarum Padiſchachus in litteris Anno MDCLXIII. quas ad Invictiſſimum Imperatorem noſtrum ſcripſiſſe, & à Barone de Goys, dum temporis Cæſarea, ad Portam Legato, allatas perhibent, in der Fortſetzung der Ungariſchen Chronick A. 1664 *impreſſa pag. 118.*) ſequenti titulo uſus eſt: ***Ex cœleſtis & præpotentis DEI gratia, hac in terra unus Deus & invincibilis Imperator, ac in univerſo Orbe dominans, ab Oriente usque ad Occaſum Solis Cæſar, Babylonis, Mediæ, & Armeniæ, terrarum ex radice Niſi Dux, Auxiliator maximus duorum Divorum Mahumeti ac Lunæ, Hieruſalem Superator & Victor, Dominus & indubitatus inimicorum Ruinator, & Confuſor totius Chriſtianitatis, nec non aliorum, quicunque Chriſtianorum nomine cenſentur, &c.*** A ſuis verò ſubditis Imperatorem Turcicum, DEUM in terris, Umbram DEI, fratrem Solis & Lunæ, diribitorem omnium Coronarum Mundi &c. ſalutari, teſtis eſt. ſuprà citatus Briotus *en l' Hiſtoire de l' Empire Ottoman. lib. 1. chap. 2. pag. 18.*

(117) *Europæ, Syriæ, Arabiæ &c.]* De Imperio Ottomannico, præter ſuperiùs allegatos legi quoque meretur D. Hermannus Weſſelingius *in ſuâ Aurifodina, pag. 1694. ſeqq. ubi de devictis regionibus haud contemnenda adducit.*

(118) *Sed languida eſt excuſatio &c.]* Quum author noſter Legatum Gallicum Gallorum Regis ſui amicitiam cum Turca *in ſuo §. Cæterùm cum rebus Chriſtianis &c.* excuſantem produxiſſet, in verbis illis, *ſed languida eſt excuſatio &c.* ſimiliter Authorem *Aulæorum Romanorum hæc in exordio p. 55.* refutantem ſiſtit. De quæſtione verò ipſâ in genere, an Fœdera cum his, qui alieni ſunt à vera religione, licita ſunt? jam dudum eam tractarint Theologi & inter illos Beatus Gerhardus *Loc. Comm. Theolog. de Magiſtratu Politic. ſect. 4. n. 154.* & inter Conſilia Theol. Dedekenni *vol. 2. ſect. 10. pag. 256. ſeqq.* Cauſinus cum allegatis *de Regno Dei Diſſert. 48.* Ex ICTis atque Politicis Oldradus de Ponte *Conſil. 71.* Cacheranus *diſput. un. ſubjecta Deciſionibus ejusdem Pedemontanis.* Decianus 3. *Conſil. 20.* Albericus Gentilis *de J. Belli lib. 3. cap. 19.* Martinus Laudenſis *Tr. de bello quæſt. 3.* Hugo Grotius *de J. B. & P. lib. 2. cap. 15. n. 7.* Reinkingk *de Regimine ſec. & Eccl. lib. 2. cl. 3. cap. 3. n. 45. & inprimis num. 63.* ubi multos Authores conſentientes allegat. idem in der Bibliſchen Policey *lib. 2. axiom. 205.* Schönborn *lib. 4. Polit. cap. 36.* Beſoldus *tr. de fœderib. cap. 4.* Arumnæus *d. J. Publ. vol. 1. diſc. 23. θ. 4. pag. 220. diſc. 28. n. 21. pag. 260.* Johann Wilhem Neumayer von Bündniſſen *cap. 9.* Si tam difficili in re & ego rogarer, planè eorum in ſententiam irem, qui tunc licita fœdera Chriſtianorum cum Turcis aliisve infidelibus cenſent, ſi de non offendendo, de finibus tenendis, de comerciis, de neceſſariis ad vitam importandis aut exportandis, quæ jus naturale, quod inter omnes homines cognationem quandam conſtituit, introduxit, &, ut generaliter dicam, fœdera pacis & commercciorum ineantur; ac quoque defenſiva contra alias gentes, à vera fide alienas; Offenſivi autem belli causâ, etiam contra infideles; aut prætextu defenſionis contra fideles, & fidei in totum vel ex parte ſaltem fratres, vix fœdus iniri ſalvâ conſcientia poſſe putarim. Et de poſteriori intelligenda graviſſima illa eloquentiſſimè prolata verba Cauſini *d. loco,* quæro, (*inquientis*) an ſine ſcandalo de auxiliaribus Turcarum copiis cogitare Princeps Catholicus poteſt? Inibit ſcilicet belli & pacis, vitæ & mortis, arctiſſimam ſocietatem Rex Chriſtianus cum æterna Chriſtiani Nominis hoſtes, cum æterno Chriſti etiam triumphantis perſecutore? Implorabit illa vexilla, illa arma, quæ patres calcavêre, calcabit quicquid adoravere? propinabit barbaris Chriſti ſanguinem, adhuc in tot priorum venis bullientem? dabit immundis Sancta & Sanctis immunda, omnia confundet jura, qui nullum habet, omnia divina humanaque proſtituet, pro libidine ulciſcendi? Quas deinde aras aſpiciet, & quem invocabit Deum? Quo ſanguine redimetur, qui Domini ſanguine redemptos ultricibus furiis devoverit? Ignoſcat Deus Principibus, qui hæc non vident, & eorum pectora timore ſuo configat, qui nimis in rebus humanis vident, obliti cœli & Dei in omnibus præpoſteri, luminis fulgore cœci, in omnibus miſerandi. Licet nulla hujusmodi fœderibus conſcientia, nulla ſanctitas reclamaret, ſtaret ex adverſo prudentia, quæ diſſuaderet. Ubi enim tetra non fuere atque infauſta? Quid profuit Machabæis toties invocatum etiam in juſta cauſa Romanorum nomen? Num per Romanos ad internecionem deleti ſunt filii, quorum Patres Romanorum ſocii? Num Tryphonis fœderati penates ſuo & filiorum cruore Jonathas reſperſit? Per hæc fœdera Conſtantinopolis arſit, luxit Græcia, Imperium concidit. Execranda proinde vox eſt Montlucii *en ces commentaires, pag. 96.* de Turcis in auxilium Franciſci I. Galliarum Regis venientibus verba facientis, cúm ſic inquit: *Tous les Princes Chreſtiens, qui ſouſtenoient le party del' Empereur, faiſoyent grand cas de ce, que le noſtre Roy Maiſtre avoit employe le Turc à ſon ſocurs: Mais contre ſon ennemy on peut de tout bois faire fleches. Quand à moy ſi je pouvois appeller tous les eſprits des Enfers, pour rompre la teſte à mon ennemy, qui me veut rompre la mienne, je le ferois de bon cœur.* Dieu me le perdoyent. I. e. *Principes Chriſtiani omnes, à partibus Imperatoris ſtantes, exaggerabant valdè, quòd Rex, Dominus noſter, auxilio Turcarum uſus fuerat. Sed contra inimicum ex quolibet ligno ſagittæ formari poſſunt. Si quando ego omnes Spiritus infernales provocare poſſem, ut cerebrum excuterent inimico meo, qui me obtruncare vellet, lubentiſſimè id facerem. Deus hoc mihi ignoſcet.*

(119) *Hinc Franciſcus &c.]* Haud equidem me latet dictum hoc à multis circumferri, ſed plerumque ſine authore aliquo probato, niſi quòd Schönbornerus *loco allegato à me antea* Sleidanum *lib. 15.* citet. Verùm evolventi nihil horum ibidem occurrit, nec etiam in libro laudati Sleidani 19. ubi mortem Franciſci I. Regis deſcribit, dicti illius ulla mentio injicitur. Adeò ut Alexander Patricius Armacanus, qui

Marte Gallico lib. 2. cap. 7. interitum Valeſiæ Familiæ, contractæ cum Turcis Societati adſcribit, de hoc planè ſilcat. Quin potiùs ipſe Rex in literis, Pariſiis Cal. Febr. Anno 1534. & iterum 22. Januarii An. 1536. Ordinibus Imperii ſcriptis, (*Quarum exemplaria apud Freherum Tom. 3. Rer. Ger. pag. 299. ſeqq. & pag. 315. extant.*) omnibus viribus inſimulationem illam quaſi ſuo hortatu vel conſilio Solymannus ad inferendum Cæſari bellum ſeſe accinxiſſet, à ſe amoliri nititur; egregieque à Belcario *Comment. Rer. Gall. lib. 15. cap. 35. 36. 37.* Et ab Anonymo *in Apologetica Epiſtola apud citatum Freherum d. loc. paginâ inprimis 352.* defenditur. Quamvis negandum non ſit, hæc haud magnifacta ab Imperatore, ſic ut in Comitiis Spirenſibus Anno MDXLIV. in Receſſu ipſo hæc accuſatio, Gallum nempe incitaſſe & vocaſſe ad bellum Imperatori inferendum Turcam (*pr. & in §.* und demnach) repetita & inſerta, eamque ob cauſam non minùs quàm Turca communis Chriſtianitatis hoſtis declaratus fuerit. Et auxilium Ottomannorum revera advocatum fuiſſe à Gallis, Montluc. *ſuprà dicto loco in ſeqq.* abundè confirmat.

CAPUT VI.

De Ærario Regis Hiſpaniarum.

SUMMARIA.

1. *Nulli Regum Orbis, major pars Orbis, quàm* Hiſpano *obtigit.*
2. Imperium *hoc decuplo amplius, quàm Turcicum, & majus eſt quàm Romanum, quando vel maximum fuit*, num. 3.
4. Portugallia *CC. partes ſive gradus admittit.*
5. *In* Europa *Rex tenet* Hiſpanias, (*quarum appellatione Luſitania, Arragonia, & cætera Regna continentur*) Belgium, n. 6. Majoricam, Minoricam & Eviſam Inſulas, num. 7. Regnum Neapolitanum, 8. Siculum, 9. Inſubriam, 10. Marchionatum Finalis, 11. Sardiniam *Inſulam*, 12.
13. Regni Neapolitani *annui reditus: & numero* 14. 15.
16. Fraus Officialium Hiſpan. *in erogatione ſtipendiorum militarium.*
17. Mediolanenſis Ducatus *annui reditus: &* num. 18. 19.
20. Expenſæ *in hisce Ditionibus omnes reditus abſorbent.*
21. *In* Africa *tenet portum* Maſalquivir *dictum, qui ſuperat omnes portus Maris Mediterranei: item* Oranum, Mellilam & Velez, num. 22. *nec non Inſulas* Canarias *duodecim*, 23.
24. *Obtinet* claves maris Mediterranei & Atlantici: *item inſulas* Azores, Terzeram, 25. *nec non inſulam* S. Michaelis, Portum Sanctum, 26.
27. *Imperat inſulæ* Capitis Viridis, Verdæ *dictæ.*
28. Madagaſcar *omnium penè inſularum totius Orbis maxima exiſtimatur.*
29. Inſulam S. Thomæ *ſub Æquinoctiali habet ſacchari abundantiorem.*
30. *Dominus eſt* navigationis *omnis Oceani & Inſularum Caprariæ inter promontoria* Bonæ Spei & Guardafuenſe.
31. *In Aſia* Armutium, Dium, Goam, & Malacam *poſſidet.*
32. Dium *Cambajæ clavis, inenarrabilibus divitiis abundans tenetur ab Hiſpano: Tantum Regi pendit, quantum alia nulla Europæa Regna*, num. 33.
34. Goa *totius Indiæ Metropolis.*
35. Malacâ, Moluccis, & Bandâ *potitur Rex.*
36. *In* America *tenet Rex* Braſiliam.
37. Braſiliæ *ſitus, deſcriptio & diviſio in duodecim Capitanias.*
38. Nova Orbis diviſio, *ejusq; incredibilis amplitudo.*
39. Cuba, Jamaica, Hiſpaniola, & Boriquena *quantum ſe in longum latumq; porrigant.*
40. *Continentis in* Novo Orbe *immenſitas deſcripta.*
41. Florida *Americæ provincia deſcribitur.*
42. *Pars* Floridæ *Occidentalis inculta.*
43. Imperii Mexicani *ſive Novæ Hiſpaniæ diviſio.*
44. Novæ Hiſpaniæ *propriè ſic dictæ metropolis: Epiſcopatus & Archiepiſcopatus: & Regis Hiſpaniarum ex his reditus*, num. 45.
46. Nova Hiſpania *variis indigenis abundat;* Chichimecæ *inter illos crudeliſſimi &*, num. 47.
48. America Meridionalis *ejusq; termini.*
49. *Quid in hac parte* Rex Hiſpaniæ *poſſideat, verſus Septentrionem*, 50. *ad latus Occidentale*, 51. *Orientale*, 52.
53. Americæ Auſtralis *nobiliſſima Provincia* Peruvia. Regi Hiſpaniæ *quales ex Nova Hiſpania & Peruvia: reditus ſubminiſtrentur, &* 54.
55. Nova Hiſpania *mercium opulentior* Peruviâ.
56. Peruviæ *theſauri duo admirabiles.*
57. Inſulæ Philippinæ *Novi Orbis quaſi appendices: Earum* num. 58.
59. *Quæritur; an* America *Veteribus ante Americi Veſputii & Columbi adventum fuerit incognita?*
60. Novum *non eſt, quod ante ſecula antiquum & vetus fuit.*
61. Indiam Orientalem *Platonem non latuiſſe, latè diducitur.*
62. Senecæ *Tragici Poëtæ de America Oraculum.*
63. Sibillæ Cumanæ *vaticinium;* Virgilius *ejus interpres.*
64. Virgiliani vaticinii *explicatio.*
65. Ariſtotelis *veriſimilis hujus rei ratio.*
66. *Quidam ex ſacro Codice* Ophiram *& terram Auſtralem unam eandemq; eſſe, evincere conantur. Et hujus ſententiæ deſtructio.* num. 67.
68. *Probabilis* ratio: *quare neglectæ fuerint hæ Regiones.*
69. Nautica pyxis *veteribus incognita fuit.*
70. Sancti Patres *ne audierunt quidem, terram rotundam, & antipodes eſſe, aſſerentes.*
71. *Evincitur itaq;* Regionum Auſtralium *indagationem neglectam fuiſſe; Veteresq; attentaſſe tantum eas adire.*
72. *Quo jure* Hiſpani *Indis bellum, ſervitutemq; intulerint? quæritur.*

73. An

73. *An authoritate & conceſſione* Alexandri IV. *Pontificis Max? Neg.*

74. Regis Peruani Attabalipæ *ad hoc argumentum reſponſio*

75. Religionis Chriſtianæ *propagationem, non juſtum eſſe belli titulum oſtenditur.* Fides *non tollit jus naturale,* num. 76. & 77.

78 Prædicatio Evangelii *non facit Reges.*

79. Hiſpanorum *in Indos crudelitas.*

80. Bellum *contra Charitatem incongruens medium Religionis propagandæ.*

81. Religionis Chriſtianæ *felix ſucceſſus in Orientali India.*

82. *Modus hic emendandarum gentium ab ipſis* Hiſpanis Theologis *improbatus.*

83. Surperſtitio Indorum *de diluvio &* Virococa *Deo non in prætextum belli trahenda.*

84. Hiſpani *auri cupiditate Indias occiduas indagarunt:* Barbari, *apud Tacitum ingenua ſententia,* num. 85.

86. Hiſpani *Indiam utramque ſibi ſolis vendicant.*

87 Novi Orbis *detectio plus damni, quàm commodi, & Orbi Chriſtiano & ipſis Hiſpanis attulit.*

88. *Ex qua gente, terra, quoq; tempore homines & animantia pervenerint in* Novum Orbem?

89. Reditus Hiſpanici *conſtant* (1) *regio patrimonio, cujus quantitas hactenus ignorata.*

90. Alcavala *quid?*

91. Almoxariff *quid? Et* num. 120. 121.

92. Annuum tributum, *quod regna Hiſpaniæ pendunt; & quinam ab hoc tributo immunes?*

93. *Rex* decimas *habet omnium mercium undiquaque advectarum.*

94. Vectigal lanarum *evectarum: &* num. 119.

95. Vectigal *ex moneta Hiſpanica; &* n. 122.

96. Tributum *mancipiorum & triremium: &* num. 130.

97. *Reditus annuus de ſingulis* focis: *ex* herbis & paſcuis, num. 98. & 124. ex argento vivo *eruto,* n. 99. & 125. *ex* fodinis Guavalcanæ, *quæ argenti ſunt,* num. 110. & 129. *ex* Chartis luſoriis n. 101. & 139. ex pannis *invectis in Hiſpaniam* n. 102. *ex* piſcatura, n. 108.

103. Reditus ordinum militarium *S. Jacobi, Calatravæ, & Alcantaræ &* num. 123.

104. *Ex* Bullis Papalibus *ſibi indultis percipit Rex à ſubditis, quibus eas divendit, &* num. 126.

105. *Reditus* Tertiæ, *id eſt, tertius numus redituum ex omnibus bonis Eccleſiis: Item* Decima *ex omnibus bonis Eccleſiarum,* num. 106. 127. 128.

107. *Percipit* Rex *duas milliones ducatorum à populo extra ordinem.*

109. *In neceſſitate* Clerus *Hiſpaniæ exactiones præſtat, ſed non niſi cum Pontificis conſenſu.*

110. Hugo Linſcotanus *quomodò annuos Regis Hiſpaniarum reditus recenſeat? Et* num. 111. 112. 113. 114. 115. 116.

117. *Vectigal ex* ſiccis portubus; & num. 118.

131. India Hiſpanica *quantum Regi annuatim pendat? & quid* Navarræ, Valentiæ, *& cætera Regna?* n. 132. 133 134. 135. 136. 137. 138.

140. Reditus *hi in unam ſummam contracti quid faciant?*

141. Philippi Honorii *relatio.*

142. Reditus Portugalliæ; & num. 147. Magiſtratuum Ordinum Militarium, 143. Guineæ, 144. Braſiliæ, 145. aromatum, *aliarumq; mercium* 146.

148. Hiſpaniæ Rex *totius Orbis poſſidet* Ærarium: *& eſt illi uxor, quæ dotem attulit potentiæ perpetuitatem,* num 149.

150. Rex Hiſpaniæ *novus Archimedes: ejus expenſa anniverſariæ rationes accepti æquant, & interdum ſuperant,* num. 151.

152. Boterus *altiori buccinâ, quàm par eſt, Regis Hiſpan. potentiam decantat.*

153. Colinii *judicium; &* Noalii *cenſura,* n. 154. *nec non* Trajani Boccalini *hac de re ſententia & lepida fictio,* 155.

156. Hiſpania *mole ſuâ laborat.*

157. *Remedium* Boteri *huic incommodo paratum; Et quale illud ſit?* num 158.

159. Hiſpanorum *terreſtres copiæ.*

160. Milites *ex agris collecti, rudes, facilè in prælio ſuperantur, itemq; de militibus conductitiis,* 161.

162. Ærarium Regis Hiſpaniæ *jam pridem exhauſtum.*

163. Hiſpania *ſimilis corpori humano immanis proceritatis: hujus caput,* 164. *ſtomachus,* 165.

166. Boterus *Regem novum Orbem absque rivali poſſidere ait; probatur contrarium* 167.

168. *Rivales habet,* Gallos, Anglos, & Batavos. *Ditiones hujus regni ſibi invicem auxilio eſſe nequeunt.* 169.

170. Hiſpanis *ab ipſis barbaris, præſertim* Chichimecis, *cavendum eſt.*

171. Ditiones *hujus regni neq; ab externis hoſtibus ſatis tutæ.* Boterus *in quo fallatur?* 172.

173. Boterus *in demonſtranda harum ditionum ſecuritate operam perdit.*

174. *Quid ab* Anglis *perpeſſa ſint, Boterus haud ignorat.*

175. Africæ *ora, atq;* India *invalida.*

176. Regis Hiſpaniæ *Provinciæ & Regiones à Belgis exhauriuntur.*

177. *De* conatu Hiſpanorum *ad Imperium unicè obtinendum.*

Plurima dona quidem Regi præbentur Ibero,
Plebs etiam pendit multa tributa Duci.
Quin regio eſt citris, oleis, & fœta caballis,
Ob fera bella minax Rex tamen ære caret.

Aliud.

Juppiter in cœlis, in terris regnat Iberus;
Diviſum imperium cum Jove Iberus habet.

NUlli Imperatorum, Regum, vel Principum à condito mundo majus Imperium obtigit eo, quo *Philippus IV.* (1) Hiſpaniarum & Indiarum Rex hodie potitur, Ferdinand. Vaſqu. *in præfat. illuſtr. controverſ.* Boter. *in Relat. part. 2. l. 4.* Canonher. *ad Tacit.* Jacob. Valdeſ. *de dignitate Hiſpanica c. 12. f. 243. & ſeqq.* Anno quippe MDLXXVIII. in Philippo II. Caroli V. F. omnia Hiſpaniarum regna confluxerunt; videlicet regnum Hiſpaniæ, Arragoniæ, Siciliæ, Neapolis, Sardiniæ, *Portugalliæ* (2) &c. qui tamen periit *phthiriaſi* (3) horribili, & in agone faſſus eſt, ſpatio triginta trium annorum expendiſſe DLXIV. milliones ducatorum, è quibus nihil,

hil, niſi cordolium pro fructu reportaverit. Quinimò Regnum hoc *decuplo eſſe majus*, (4) quàm Turcarum Imperatoris, ſcribit Bodin. *lib. 2. de Republ. cap. 2. pag. 190. C.* & Romanum Imperium quando vel maximum
3 fuit, Hiſpanico minus fuiſſe, oſtendit *Lipſius* (5) *de magnitud. Roman. lib. 1. cap. 3.* & *quocunque ſe* die noctéque *Sol vertit*, (6) nunquam in hoc regno Regem cernere occaſum, tradit Joan. Bapt. Villalpand. *præfat. in Ezech. p. 7.* nullo Cæſarum aut Regum præſentis ævi aut præteriti exemplo. Nec alia de cauſa Reges Portugalliæ, quorum potentia omnis hæreditario jure ad Philippum II. Hiſpaniarum Regem tranſiit, Sphæram mundi, inſignibus ſuis conjunxiſſe videntur, quàm ut oſtenderent, illorum Imperium in omnes mundi partes, in Ortum & Occaſum, in Meridiem & Septentrionem extendi *Petr. Matth.* (7) *in Hiſtor. Henrici IV. lib. 1. narrat. 4.*

Quid multis? Portugallia, ex CCCLX.
4 gradibus, quibus orbis terrarum deſcribitur, ducentos uſurpare dicitur; nihilque ferè eſt ſub Sole populorum, quod non Regi Hiſpaniarum pareat; in qua Ditionum abundantia & multitudine Alexandros, Trajanos, Carolos Magnos omneſque alios magnitudine & gloriâ longè antecellit. Ampliſſimas enim Europæ Provincias, nobiliſſimaſque Aſiæ, Africæque regiones complectitur; Novum deniq; Orbem, qui Europa Africaque latiùs patet, ſolus ſine ullo corrivali, pacificè poſſidet, aſſerente Botero *in d. relat. in princ.* qui tamen in viribus & potentia Regis extollenda, & in finitimis Regibus & Provinciis deprimendis nimius eſt; atque in utroque immodicus; ut dicetur infra *hoc Cap. num. 152. & ſeqq. usque ad fin.*

In Europa (quæ cùm armorum virtute tum literarum gloriâ reliquis Orbis partibus anteſtat) tenet *Hiſpaniarum Regna*, (8)
5 quorum appellatione venit quoque Luſitania, Arragonia, Valentia ac cætera Regna, quæ Hiſpaniæ incorporata ſunt, Auguſtin. Barboſa *in tract. de Verb. appellat. lit. H. apepllat. 115. per tot.* Belgium, quod
6 mille ferè milliaribus ambitur; *Majoricam, Minoricam*, (9) & Ebuſum inſulas, quarum prima CCC. altera CL. tertia VIII. mil-
7 liaribus in Orbem porrigitur. Poſſidet quoque in Italia Regna, Neapolitanum
8 (quod mille & quadraginta milliaria circumeunt) & Siculum (cujus circui-
9 tus eſt DCC. milliarium) quæ fiduciario jure ab Eccleſia Romana agnoſcit; tributique nomine quotannis aſturconem Pontifici pendit, cum ſex ſcutatorum millibus. Poſſidet etiam Inſubriam, ſive Ditionem Mediolanenſem (cujus ambitus eſt CCC.
10 milliarium) quo & Senenſis continetur, Mediceæ genti fiduciario jure conceſſa: ad hæc Marchionatum Finalis, & Dyna- 11
ſtiam Pontremolenſem, Ditiones fiduciario jure, eoque libero, à Cæſare conceſſas. 12

Poſſidet denique inſulam *Sardiniam* (10) cum titulo Regni liberi, quæ DLXII. milliaribus patere dicitur. Ea tamen à Rege non magni cenſetur, prædæ ſæpè piratiſque expoſita; tum tuendæ Siciliæ ejuſque feudo inſulæ *Melitæ*, (11) (è qua hoc titulo quotannis falco ei penditur) Sardorum triremibus utitur. De hac Inſula ita Claudianus, de bello Gildon.

Dives ager frugum, quæ pars vicinior Afris
Plana ſolo, ratibus clemens: quæ reſpicit Arcton
Immitis, ſcopulſaa, procax, ſubitisq; ſonora
Fluctibus: inſanos infamat navita montes:
Hinc hominum pecudumq; lues, hinc peſtifer aër
Sævit, & excluſis regnant Aquilonibus Auſtri.

Cæterùm annui *Regni Neapolitani redi-* 13
tus (12) ad duas milliones & quinquaginta millia ducatorum dicuntur aſcendere, ſi millionem & ducenta millia ducatorum comprehendas, quàm ſummam Rex ſingulis bienniis Donativi nomine à populo accipit; quod jam in ordinarium tributum converſum eſt; item triginta & unum grana, quæ à ſingulis focis ſolvuntur pro hoſpitiis præſidiariorum, & Nobilium quorundam, qui Proregem comitantur & continui dicuntur, penſionibus; grana ſeptem pro cuſtodibus Turrium maritimarum; novem pro ſemitarum refectione; quinque deniq; pro Circitoribus compeſtribus. Ab hoc reditu ſi deducas millionem & trecenta millia ducatorum, quæ in penſiones, variaſque conceſſiones expenduntur, quæ reſtant, vix ac ne vix quidem Præſidiis, Peditatui, Equitatui, Triremibus, aliiſque ſimilibus ſumptibus ordinariis ſufficiunt.

Scipio Mazzella Neapolitanus hujus Re- 14
gni reditus ita deſcribit; Reditus annuus, *ait*, Regni Neapolitani, quem *Rex Alphonſus* (13) anno MCCCCXLIX. cum conſenſu Baronum ex ſingulis focis & liberis communitatibus percepit, fuit ducatorum ſex centum quinquaginta quatuor mille octingenta ſeptuaginta tria. Eodem tempore & Tributum indictum Feudatariis, quod appellant *Adogo*, (14) quaſi dicas ſervitium reale, quod Feudatarius ſolvebat pro ſervitio perſonali, quod præſtare Regi tenebatur pro feudi ſui qualitate: & Vaſalli ejuſmodi Feudatarii mediam partem ſolvere tenebantur: quæ res cùm varias lites pareret, Ferdinandus Rex Catholicus voluit Barones omnes & feuda eorumque reditus denuò recenſeri, omneſque regni focos numerari; & mediam partem, quam vaſalli dominis ſuis pendebant pro ſervitio reali, deinceps à quæſtoribus

ribus Regiis percipi. Tunc autem Feudatarii quotannis ſolvebant ducatos ſeptuaginta quinque mille ſexcentos & ſedecim, & vaſalli totidem; Hodie autem tributum hoc in ſingulis Provinciis ſolvitur ad hunc modum:

	Duc.	Carl.	gran.
Terra di Lavoro	18346.	0.	9
Contado di Moliſe	3152.	2.	9
Principato citra	12489.	4.	17
Principato ultra	10348.	0.	10
Baſilicata	14671.	4.	6
Calabria citra	6962.	4.	0
Calabria ultra	7317.	2.	9
Terra d' Otranto	13495.	1.	9
Terra di Bari	8142.	3.	11
Abruzzo citra	7280.	0.	12
Abruzzo ultra	8651.	3.	18
Capitanata	966.	2.	11
Summa Ducat.	120568.	1.	6

15 Solvunt præterea ſinguli foci, exceptis communitatibus liberis, quotannis grana quatuor in ſtipendiũ peditatus Hiſpani; quæ aſcendit ad Duc. 216, 236. Carl. 4. grana 6.

Item in ſtipendium Circitorum (Barigelli di Campagna vulgò) qui Provincias obeunt, ut latrocinia & furta impediant, duc. 18, 506. 7. 2.

Item in ſtipendium præſidiariorum, qui turres maritimas cuſtodiunt, duc. 25, 348.

Item in complanationem viarum & ſemitarum publicarum, in ſingulos annos duc. 41, 640.

Item in ſtipendium equitum cataphractorum per ſingulos focos, gran. 17, & in totum duc. 74. 900.

Item Vectigal pecorum & armentorum, atq; illorum quidem anno MDXCII. numerata fuerunt 4, 461, 496. horum autẽ 9600. pro quibus fiſcus regius percepit 621, 163. ſubductis verò ducat. 380, 491. quæ pro paſcuis ſolvuntur, ſuperſunt duc. 241, 264.

Item Vectigal Serici & Croci reddit quotannis duc. 148, 003.

Item Vectigal Ferri, Chalybis, & Picis, duc. 61, 836.

Item Vectigal mercium omnis generis in civitate Neapolitana, Salernitana, Cajetana, Policaſtro & Provincia Abruzzo duc. 115, 025

In Provinciis, Terra d' Otranto, Bari, Baſilicata, & Capitanata duc. 97, 000.

Item Vectigal vini, duc. 970, 013.

Itẽ Vectigal olei & ſaponis, duc. 104. 000.

Item Vectigal chartarum, quibus aleatores utuntur, duc. 15310.

Item Vectigal animalium, quæ in urbe Neapolitana necantur, 11. 690.

Itẽ mulctæ omnes fiſcales, duc. 34, 000.

Item Vectigal mannæ, duc. 700.

Item jus Salmarũ, ut vocant, id eſt, Vectigal tritici, hordei, leguminum, quæ evehuntur, duc. 4000.

Item reditus urbium Veſtinæ, S. Severini, & feudi, quod vocant, di Tacina, & aliorum, 24, 577.

Item quæ fiſcus percipit è releviis & compoſitionibus, aliisq; ejuscemodi cauſis; licet enim reditus incertus ſit, tamen utplurimum reddit 150, 000.

Præterea habet Rex in hoc regno XXIV. Eccleſias Cathedrales, quæ utplurimũ ipſi reddunt 50; 000. duc. minuta quædam conſultò omiſimus. Deniq; ut author ille colligit, Rex è regno percipit, præter Donativum, ordinarii reditus annuatim duc. 2996, 937.

Quia autẽ donativi mentionem fecimus, operæ pretium fuerit à ſuperiori ſeculo repetere, quantũ diverſis temporibus Neapolitani Regi Hiſpaniarum extra ordinẽ donaverint.

Anno cIↄ Iↄ XLVI	240.	000.	duc.
cIↄ Iↄ XLVIII.	150,	000.	duc.
cIↄ Iↄ VI IX.	600,	000.	duc.
cIↄ Iↄ LII.	800,	000.	duc.
cIↄ Iↄ LIII.	300,	000.	duc.
cIↄ Iↄ LIV.	30,	000.	duc.
cIↄ Iↄ LV.	156,	000.	duc.
cIↄ Iↄ LVI.	40,	000.	duc.
Eodem anno	300,	000.	duc.
cIↄ Iↄ LX.	2, 200,	000.	duc.
cIↄ Iↄ LXII.	1, 000,	000.	duc.
cIↄ Iↄ LXIV.	1, 060,	000.	duc.
cIↄ Iↄ LXNI,	1, 200,	000.	duc.
cIↄ Iↄ LXVIII.	1, 200,	000.	duc.
cIↄ Iↄ LXXII.	1, 200,	000.	duc.
cIↄ Iↄ LXXIV.	1, 200,	000.	duc.
cIↄ Iↄ LXXVII.	1, 200,	000.	duc.
cIↄ Iↄ LXXIX,	1, 200,	000.	duc.

Atq; ita porrò ſingulis bienniis eandẽ ſummam donativi nomine ſolverunt, ut jam ordinarium factum videri debeat.

Quia autem hoc Regnum vix ab ullo hoſte tentari aut invadi poteſt, qui non per mare ſubſidia ſibi comparare valeat, Rex Hiſpaniæ jam dudum per miniſtros ſuos magnum triremium numerũ ſibi comparavit: Verùm id à peritioribus obſervatum invenit *Thomas Segethus* (15) *in Comment. de Principib. Italiæ* 16 *fol. 111.* pacis tempore: non modò terreſtres Copias negligentiùs haberi, & longè infra numerum præſtitutum conſiſtere, ſed etiam triremes: Proreges enim, aliiq; regii miniſtri ſtipendia militum in proprium emolumentum ſolent convertere, & ſervitiis nauticis ad alias operas abuti. Vix quoque dici poteſt, quàm licenter Proreges aliique miniſtri Hiſpani plebem exhauriant, & quantas pauculis annis, quibus præſunt, opes ſibi conquirant: Unde minimè mirum eſt, interdum *graviſſimas ſeditiones* (16) in Regno, & præſertim in Urbe Neapolitana oriri; quibus tamen Rex ſatis feliciter ſeſe hactenus extricavit.

MEDIOLANENSIS *Ducatus quoque re-* 17 *ditus* (17) ampliſſimi ſunt. Nam ſuperiori ſæculo, ut *Cominæus* (18) refert, Duces quotannis ad ſeptingenta millia ducatorum perceperunt: nunc autem Rex Hiſpaniarum octingenta percipere dicitur, præter exactiones multas, quæ extra ordinem

 mi-

miſeræ plebi imponuntur: tantaque eſt regiorum miniſtrorum crudelitas & avaritia, ut proverbio in Italia locum dederit; In Sicilia quidem miniſtros Regis arrodere, in Neapolitano autem Regno comedere, in Mediolanenſi verò Ducatu penitus devorare.

18 Fortiſſimus eques Guarinus ita annuos hujus Ducatus reditus expreſſit; Hodierni, *inquit*, hujus Status reditus annui, in diverſis rebus conſiſtunt. Primò eſt Menſuaria (ita dicta, quia in ſingulos menſes ſolvitur pro rata portione) nimirum trecenta millia Coronatorum annua, quæ ſolvuntur ab omnibus locis Status, tàm eis, quæ in feudum conceſſa ſunt, quàm quæ immediatè Duci ſubſunt.

Secundò Datia, quæ mercibus impoſita ſunt ad rationem antiqui valoris earundem, octoni coronati in ſingulos centenos; & rediumuntur annuatim pro CXL. millia coronatorum.

Tertiò Vectigal Salinarium. Non enim licet ſalem exoticum invehere, niſi iis, qui licentiam à Camera pretio comparaverint, quam plerumque redimunt ducentis triginta millia coronatorum.

Sunt præterea datia vini, farinæ, carnium, ſed aliis jam diu oppignorata. De in-
19 certis non opus eſt dicere; qualia ſunt mulctæ pecuniariæ, & bona condemnatorum, quæ Fiſco cedunt. Maximos Rex ſumptus hîc facit. Nam utplurimum etiam pacis tempore tria millia peditum Hiſpanorum hîc alit, mille velites, & ſexcentos equites cataphractos. Multis autem annis jam impacata hîc fuerunt omnia, *propter Controverſias cum Sabaudo*, (19) nunc propter *bellum in Rhætia*, (20) *nuper propter Sabaudi* & Gallorum *expeditiones* (21) in Genuates; quibus haud dubiè & incolarum opes exhauſtæ, agri variis locis vaſtati; & Rex ingentes belli ſumptus ſuſtinuit.

20 Summatim dicam: Ex omnibus prænemoratis Ditionibus percipit Rex quotannis Summam ferè quadragies centenûm millium ſcutatorum. Verùm ea maximâ partem variis eſt *oppignorata;* (22) quod verò ſupereſt, in præſidia, peditatum, equitatum, triremes impenditur. In eandem rationem veniunt *penſiones*, (23) quæ in varios Principes, Barones, diverſarumque nationem Proceres, item in Præfectos, miniſtros erogantur, præmiaque, quæ ex his ferè Ditionibus confert Rex, Triremium ſumptus, Principis Auriæ, aliorumque Magnatum Genuatium penſiones, militum, qui in Belgium mittuntur, ſcriptio, armorum in eorundem militū paratus, variorum locorum munitiones, veredariorum expeditiones, aliaque onera, omnes, quos ex his ditionibus percipit Rex, reditus abſorbent.

Quas autem ex iiſdem opes & emolumenta percipit, hæc ſunt: multos milites ditare: multos ſibi obnoxios reddere Principes & Dynaſtas: in clientes multa præmia conferre, equitatum, peditatumq; quoties opus eſt, conſcribere: quinquaginta triremes in omnem uſum inſtructas habere: ad hæc, negotia forenſia, vacationes feudorum, munerum publicorum & ſacerdotiorum, quibus addi poſſunt largitiones, quæ in aula Hiſpanica effunduntur, ut ſui quiſque voti compos evadat. Hæc, hæc, inquam Regem conſtituunt Italiæ arbitrum, aliis ſub clientela ejus viventibus, aliis illi per penſiones obſtrictis; *Genuates* (24) verò & Lucenſes ipſi ſe per ejus patrocium atterunt.

In AFRICA (25) Caſtellæ nomine potitur magno illo portu, quem incolæ *Maſalquivir* appellant, quo portu nullus inſignior, 21
capacior, ſeciuriorque in Mari Mediterraneo eſt: habet etiam Oranum, Melillam & 22
Rupem Pegnonum, *Velez* dictam: habet & extra fretum Herculeum Inſulas Canari- 23
as, (in quarum *numero variant* (26) Scriptores, aliis ſeptem, aliis decem & ſuprà numerantibus;) inter quas præcipuè ſunt ſeptem, quarum nulla minùs, quàm nonaginta milliaribus ambitur. Nomine Regni Por- 24
tugalliæ poſſidet in Africa & mari Atlantico *Septam*, oppidum in Mauritania Tingitana ad fretum Gaditanum ſitum, à Johanne Rege Portugalliæ Anno *MCCCCXV.* (27) Mauris ereptum; & *Tingim*, quam hodiè vocant *Tanger;* quæ oppida claves freti imò maris Mediterranei & Oceani Atlantici ſunt. 25
Poſſidet idem Rex Luſitaniæ nomine Inſulas *Azores.* (28) quas & Flaudricas vocant. Earum præcipua appellatur *Tercera*, quæ milliaria quindecim aut ſedecim complectitur, altiſſimo ſolo & rupibus aſperis undique cin- 26
cta: Poſſidet & Inſulam *S. Michaëlis, Portum Sanctum*, nec procul inde *Maderam* (29) vino præſtantiſſimam, ex qua Regi quotannis decimarum nomine nunc decem, nunc viginti millia doliorum (*pipas* vocant) obvenire dicuntur: Hæcque regina Inſularum Oceani Atlantici eſt, & CLX. milliaribus cingitur.

Sed ad continentem Africæ revertamur. Ad quam poſt *Magazaon*, occurrit Caſtrum 27
Arguin (30) Inſulæ capitis viridis, quas ita nominant à promontorio continentis illis adverſo, *Madagaſcar*, ſive *Inſula S. Laurentii*, (31) quæ omnium penè Inſularum to- 28
tius Orbis maxima exiſtimatur; in qua quinque Reges jam ſe Regi Hiſpaniæ ſubjecerunt, ejuſque Vaſalli ſunt facti: Inſula S. Thomæ, in qua maxima ſacchari copia quotannis 29
conficitur. Quin & Hiſpaniarum Rex totius oræ illius Africanæ, quæ à Capite Aguero ad illud, quod *Guardafu* dicitur, extenditur: Deníque commerciorum, negotiationis 30

& navi-

& navigationis, totque Inſularum , quas
30 natura ibidem diſſeminavit, vel inprimis
è regione Caprariæ inter promontoria Bo-
næ Spei & *Guardafuenſe* dominus herusq;,
ut & eſt, agnoſcitur.
Idem & in ASIA Luſitanici Regni jure
potiores oræ Occidentalis partes, nempe
Armutium, (32) *Dium*, (33) *Goam*, (34) *&*
Malacam (35) poſſidet. *Armuzium* Inſula
31 duarum leucarum intervallo, à continente
Arabiæ, diſcreta, totius Perſiæ, Arabiæque
emporium commoditate ſui ſitus adeò di-
ves eſt, ut in proverbium abierit;
Si terrarum orbis, quaquà patet, annulus eſſet,
Illius Armuſium gemma, decusq; foret.
DIUM olim Cambajæ Regi paruit.
Portugalli autem primùm Rege conce-
32 dente hîc Caſtellum condiderunt; mox
verò Urbis atque Inſulæ compotes facti,
multis munimentis locum penè inexpu-
gnabilem fecêre; ſemel anno MDXXXIX.
& ſecundò Anno MDXLVI. obſidionem
infidelium fortiter ſuſtinuit. Civitas com-
33 merciis variarum gentium florentiſſima, &
tanti momenti eſt, ut Regi Luſitaniæ tan-
tum, quantum ulla Europæ regna, pendat.
Daman quoque, *Tarampor*, *Vaylite*, *Cacil*,
Chaul, *Cananor*, *Avor*, *Bancelor*, *Mangalor*,
Cranganor, *Cochim*, *Ceylaon*, *Columbo*, *Ma-
nara*, *Maluco &c.* Inſulæ, arces & oppida à
Portugallis poſſidentur. *Goa* ad principium
Malabaricæ ſita, & exiguo intervallo à con-
34 tinente disjuncta nobiliſſima Civitas eſt, to-
tius Indiæ Metropolis, Archiepiſcopi &
Proregis Indiæ ſedes. Potiuntur & *Ma-
laca* Civitate ditiſſima, (quæ clavis eſt ne-
35 gotiationis & commerciorum Oceani Evi)
Moluccis & *Banda* inſulis: de quibus latè
Joan. Hugo Linſcotanus, Petrus Texeira,
Nicolaus Oliveira, & alii.
36 In AMERICA Auſtrali Rex Hiſpania-
rum ratione Portugalliæ poſſidet terram
Braſiliæ. (36) Ea initium ſumit à Para, quæ
37 Portugallorum arx eſt in æſtuario maximi
fluvii Amazonum, ſub ipſo penè Æquatore
ſita, & deſinit in XXXV. gradu ab Æquatore
verſus Auſtrum, & ſecundùm oræ mariti-
mæ ductum, maximo gyro, complectitur
leucas mille, quadraginta & unam: quem
ingentem tractum Portugalli invenerunt,
luſtrarunt & etiamnum ſui juris eſſe pro-
fitentur. Dividitur hæc regio in quatuor-
decim Capitanias: Eæ ſunt *Parà*, *Ma-
ranhaon*, *Ciara*, *Rio grande*, *Parayba*, *Ta-
maraca*, *Pernambuco*, *Seregipe*, *Bahia*, *Ilheos*,
Spirito Santo, *Porto Seguro*, *Rio de Ianeyro*,
San Vincente; Quarum ſex ad Dominos
particulares pertinent, qui illas armis ac-
quiſivêre, hodieque poſſident: reliquæ o-
cto ſunt Regis. Qui plura de ſingulis hiſce
Capitaniis deſiderat, adeat Oliveiram &
Joannem de Laet *in Deſcriptione Hiſpaniæ
cap.* 10. ubi in fine ait: Ex hac provincia
in Europam traduci plurimas pretioſiſſi-
mas merces, magnam Ambari copiam,
Balſamum præſtantiſſimum, lignum Bra-
ſil, aliasque materies magni pretii; Tobac-
cum, & plurimum gingiberis; aliasque
ejuscemodi merces.
Ratione Caſtellæ Rex Hiſpaniæ in A- 38
merica ampliſſima Regna & Ditiones poſ-
ſidet. Eſt autem America ſive India Oc-
cidentalis, quæ & Novus Orbis appellatur,
ingentibus terrarum ſpatiis inter Auſtrum
atque Arctum projecta; commodeque in
tres partes dividi poteſt: in Inſulas; conti-
nentemque, Septentrionalem atque Meri-
dionalem. Inſulas voco non omnes, quæ
variis locis continenti prætenduntur, ſed
quatuor majores illas; *Cubam*, *Jamaicam*, 39
(37) *Hiſpaniolam*, *&* *S. Joannis*, quæ olim
Boriquena dicta, & quæ hiſce tàm ad dextrã,
quàm ad lævam adjacent, quarum nume-
rus (*Lucaiæ* tantùm excedunt 400. Leucas)
necdum cognitus & incertus, ſed non infi-
nitus. De harum Inſularum ſitu, longitu-
dine & latitudine, cœli temperie, urbibus,
arcibus, fertilitate, divitiis, &c. videatur
Joan. de Laet *in Deſcriptione Hiſpan. cap.* 11.
pag. 214. *ſeqq.*
Quod ad Continentem ſpectat; ejus
pars, quæ ad Septentrionem vergit, vaſtis 40
terrarum ſpatiis ad omnes cœli plagas in
longitudinem atque latitudinem extendi-
tur, maximâ ſui parte adhuc incognitâ. In
hac primò occurrit *Florida*, (nam, quæ ad
Septentrionem illius Provinciæ jacent, aut
Galli, aut Angli, aut denique Batavi poſſi-
dent) ampliſſima regio & variæ conditio-
nis: In hac *Floridæ* parte Hiſpani aliquot 41
oppidula, cum ſuis arcibus poſſident, non
magni momenti, quæq; tàm à Gallis, quàm
Anglis ſuperiori ſæculo non magno moli-
mine Hiſpanis erepta & rurſus relicta com-
perimus. Reliqua pars *Floridæ*, quæ ad Oc-
cidentem magnis terrarum ſpatiis ad oram
maris leviter nota, intra continentem ab
Hiſpanis magna cum hominum jumento-
rumque jactura aliquoties luſtrata, & va-
riis laudibus decantata, quæ fabulis pro-
piora videntur: Cæterùm revera triſti uli-
gine in multis partibus ſquallida, aut ſylvis 42
horrida, denique arenoſis & ſterilibus cam-
pis magnâ ſui parte triſtis & inculta, vix ul-
lum operæ pretium promittit.
Nobiliſſima pars hujus Continentis u-
no nomine Imperium Mexicanum comple- 43
ctitur, & Nova Hiſpania appellatur, licet
in varias Provincias & non unius bonitatis
aut opulentiæ diviſa. Illius pars, quæ ver-
sùs Septentrionem vergit, & cum Florida
ad Orientem conjungitur, Nova Mexica-
na vulgò audit. Ab hac ad Meridiem pri- 44
mò ſita eſt Nova Hiſpania propriè dicta, cu-
jus Metropolis eſt *Mexico*, vaſta quondam
civitas, dum barbari illâ potirentur, nunc

 quoque

quoque magno incolarum numero cele-
bris, & commerciis vicinarum provincia-
rum locuples. Sub hac jam vulgò cenſen-
tur hæ Provinciæ, Archiepiſcopatus *Mexi-
canus*, & Epiſcopatus *Mechoacanenſis*, *Tla-
ſcalenſis*, *Guaxacanus;* præfecturæ denique
Panucenſis & Yucatana: quarum civitates,
oppida, municipia, arces, portus, illisque
conterminas provincias, regiones & penin-
ſulas accuratè recenſet & deſcribit Joann. de
Laet *in Hiſpan. cap. 11. fol. mihi 222. & ſeqq.*
ex quibus ampliſſimi reditus Regi Hiſpania-
45 rum quotannis ſubminiſtrantur: Nam præ-
ter argenti gazam; claſſe illâ, quæ quotan-
nis è portu S. Joannis *de Ulloa* ſolvit, in Hi-
ſpaniam importantur pretioſiſſimæ merces,
inprimis autem nobiliſſima illa *cochinilla*,
(38) & varia aromata, balſama, aliaque
quantivis pretii. Tota autem hæc regio,
46 quæ Novæ Hiſpaniæ nomine cenſetur, ad
hunc diem innumeris indigenis abundat, quo-
rum multi Chriſtianam fidem amplexi, ju-
gum Hiſpanicum non admodum inviti fe-
runt; plurimi adhuc barbaris inſtitutis mor-
dicus adhærentes, priſtinam ferociam & odi-
47 um in advenas ſervant, inter quos Chichime-
cæ omnium crudeliſſimi & pugnaciſſimi,
ingens damnum non rarò tàm Hiſpanis,
quàm illorum ſervitiis & ſubditis dederunt,
hodieque dant. Et tantum de America
Septentrionali pro inſtituti noſtri ratione di-
xiſſe ſuffecerit.

48 *Americam* (39) Meridionalem cum Se-
ptentrionali conjungit *Iſthmus* ſatis angu-
ſtus. Hæc plurimas & vaſtiſſimas regio-
nes complectitur, quippe quæ à decimo &
duodecimo gradu Septentrionalis latitudi-
nis ad quinquageſimum ſecundum Auſtra-
lis latitudinis excurrat inter Septentrionem
& Meridiem; inter Ortum autem & Occa-
ſum ſub ipſo penè Æquatore latiſſima, ver-
ſus Auſtralem Polum vergendo ſenſim an-
guſtatur, & in obtuſum conum ad fretum
49 Magellanicum deſinit. In hac parte Rex
Hiſpaniæ pro amplitudine regionum pauca
& ferè ad oram maris poſſidet: Ad latus
quidem, quod Septentrioni obvertitur, has-
50 ce Provincias, *Cartagenam* & novum Re-
gnum *Granadæ*, *S. Martham*, *Venezuelam*,
& Pariam. Ad Occidentale latus, quod à
51 mari Mediterraneo pulſatur, *Popaianam*,
Peruviam, & Chilen: Ad Orientale potiſ-
ſimam partem nomine Portugalliæ poſſidet,
nimirum *Braſiliam*, de qua alibi diximus.
52 Caſtellæ autem nomine *Ria de la Plata*, quæ
provincia multum intra continentem ſe in-
ſinuat, & ſe cum *Tucuman* conjungit, cujus
beneficio in hac parte Rex ab Oceano Se-
ptentrionali ad Auſtrale penetrare poteſt.

53 Ex Nova autem Hiſpania & Peruvia, (qua-
rum hæc Nobiliſſima & longè maxima A-
mericæ Auſtralis Provincia eſt) trahuntur,
præter merces, *opes inexhauſtæ auri atque
argenti;* (40) quarum Peruvia communiter 54
duas tertias partes, Nova Hiſpania unam
tertiam partem ſubminiſtrat. Sed mercium
longè opulentior & abundantior eſt nova 55
Hiſpania, quàm Peruvia. Inter alia dat Co-
chinillam mercem maximi pretii, *Anil*, (41)
& tergora vaccarum infinita, quorum etiam
Inſulæ ingentem copiam præbent, uti &
Goſſypii, Sacchari, Caſſiæ, Fiſtulæ, & Unio-
num. In Peruviæ theſauros duo ſunt admi-
rabiles; prior argenti fodinæ Potoſianæ an-
no cIↃ IↃ XLV. primùm repertæ, è quibus 56
tanta argenti copia hauſta eſt, hodieq; hau-
ritur, ut quinta pars, quæ Regi cedit, qua-
draginta annis centum & undecim millio-
nes Pezorum ſuperârit; (valet autem Pezum
XIII. *Regales* (42) & quartam partem regalis)
& tamen vix duæ tertiæ quintatæ dicuntur.
Purgatur hæc argentei metalli copia quin-
quaginta duabus machinis, ſuper vicinum
flumen extructis & viginti duabus in valle
Tarapaia, præter alias, quæ à jumentis cir-
cumaguntur. *Alter eſt, Guancavelicæ me-
tallum*, (33) locupletiſſimum hydrargyri an-
no milleſimo quingenteſimo quinquageſi-
mo ſeptimo detectum, è quo Rex citra ullas
expenſas percipit circiter quadringenta mil-
lia Pezorum.

Atque hæc hactenus de locis, quæ Rex
Hiſpaniarum Caſtellæ nomine in America
poſſidet: de quibus omnibus & ſingulis,
qui plura volet, adeat Joan. de Laet *d. cap.
11. pag. mihi 441. & quamplur. ſeqq.*

Novi Orbis appendices ferè ſunt *Inſulæ* 57
Philippinæ. (44) Quamvis enim, ſi earum
ſitum conſideres, habendæ ſint pro parte A-
ſiæ, tamen per Novam Hiſpaniam primi
earum exploratores penetrârunt. Earum
inſularum ampliùs XL. ſuæ clientelæ ſubje- 58
cerunt, pacatasque reddiderunt Caſtellani;
de quibus latè Joan. Boterus *in Relat. de Hi-
ſpan. tit. de Philip.* & Carolus Utenhovius *in
parallelo*, ubi explicant Hiſpaniarum & Tur-
carum opes.

De Orbe Novo, non curioſa, vel inu- 59
tilis conſideratio eſſe videtur; Anne Ame-
rica ante Americi Veſpucii, Chriſtophori Co-
lumbi, & aliorum adventum, veteribus
Philoſophis ac Coſmopolitis omnibus in
noſtratis Mundi parte conſtitutis planè fue-
rit incognita? & quomodo hæ tantæ am-
plitudinis, ſimul & opulentæ terræ Au-
ſtrales, & circa Antarcticum Polum (quæ
magnitudine vix Europæ, Aſiæq; cedunt, &
pro tertia parte habentur) tot jam retrò ſecu-
lis præterlapſis potuerint latere noſtrates?

Equidem video Hiſpanos Novi Orbis 60
inventores ſe arroganter jactare. At no-
vum non eſt, quod plurima ante ſæcula fuit
antiquum & vetus. Et ſanè terras hasce
novas, quas nunc Indiæ Occidentalis titu-
lo indigitamus, *antehàc aciem humanam non
effugiſſe*, (45) neque Platonem latuiſſe, vel

61 inde probabiliter arguitur; quòd is in *Timæo pag. 528. & Critia pag. 663.* Atlantidem Inſulam ad fauces Gaditani freti locat; quæ longè latèque in introrſum ſcilicet pateret, & ex qua eſſet gradus tranſitusque ad alias inſulas; iterumque ex iſtis ad oppoſitam continentem adjacentem mari, &c.

Hiſce quid aliud innuit, quàm *columnas Herculis,*(46) & prægrandem illam Atlantidem, Libyâ ſimul atque Aſiâ majorem, quæ poſtea, eodem Platone referente, ingenti terræ motu, jugique diei unius & noctis illuvione abſorpta & ſub vaſto gurgite merſa, eaque de cauſa, innavigabile pelagus iſtud ob limum abſorptæ Inſulæ relictum fuit? quid aliud indigitat, quàm Inſulam hanc ſtatim ab Hiſpania fuiſſe, ubi nunc reliquiæ & velut fragmenta ſunt Inſularum Canariarum, Fortunatarum & aliarum, oræ Africæ ſeſe affricantium; & ex illa tranſiri potuiſſe in inſulas; eas nimirum, quæ nunc etiam præjacent continenti; quas ergo? Cubam, Hiſpaniolam, Jamaicam, & plures: inde verò in continentem ipſam; quam? in Peruanum vaſtum tractum, vel in vaſtiorem Mexicanum, trajici potuiſſe. Accedunt huc etiam Plinius, & Strabo in Geographicis *lib. 1.* quorum uterque Platonis ſententiam de Inſula magna Atlantica agnoſcit, quum aliud nomen tunc non fuerit indicatum. Quinimò unus Plinii locus inventioni Novi Orbis auſpicium hactenus fecit, tantoque facinori anſam dedit. Unde didicimus, Africam, etiam versùs Auſtrum, ſuperato Bonæ Spei promontorio circumnavigari poſſe, & hinc in Arabiam, Ægyptum, Perſas iri, niſi ex eodem Plinio, & Strabone? Quid *Columbo, Veſpucioq;*, (47) primis Americæ detectoribus, fiduciam fecit, ut relicto Veteri Orbe, novo exemplo, proras Occidenti obverterent? Ariſtotelis, Platonis, & Senecæ loca in cauſa fuere.

Et nonne Avitus Declamator Americam reſpexit, cùm diceret; *fertiles in Oceano jacere terras, ultraq; Oceanum rurſus alia littora,* ALIUM NASCI ORBEM? Senec. *Suaſor. 1.* Annon admirationem meretur, cumprimis Oraculum ejusdem Senecæ Tragici,
62 Poëtæ & Prophetæ, qui cùm ex veterum monumentis aliquid de hac terra cognoviſſet, denuò eam inventum aliquando iri, œſtro poëtico percitus, *in Medea ad fin. act. 2.* ante mille & quingentos annos prædixit:

— — *Venient annis*
Secula ſeris, quibus Oceanus
Vincula rerum laxet, & ingens
Pateat tellus, Tiphysq; novos
Detegat orbes; nec ſit terris Ultima Thule.

63 Quin idem hoc Cumana indicavit Sybilla; quæ (ut ex ſuo ſenſu Virgilius *Eclog. 4.* interpretatur) ita eſt vaticinata:

Alter erit tum Tiphys, & altera, quæ vehat Argo
Delectos Heroas.

Itidem Virgilius terræ illius mentionem facit; 64
& vaticinatur, Romano Imperio eam ſubjiciendam, *Æneid. 6.*

— — *Jacet extra ſidera tellus,*
Extra anni Soliſq; vias, ubi Cœlifer Atlas
Axem humero torquet ſtellis ardentibus aptum.

Extra ſidera quòd eam locat, Planetas intellige, qui intra Tropicos decurrunt, & ideò, velut interpretans addit; extra Solis & Anni vias. Ergò ultra torridam ponit, ac quidem Auſtrum verſus, & ἀντάξονα nobis. Sic &, quod de Atlante ſcribit, haud de illo Africæ eſt accipiendum, ſed eo, quem Plato celebravit; quemque iſtis in locis regnaviſſe refert.

Sed neque heîc *Diodori Siculi* (48) ſententia ſilentio involvenda eſt, qui *lib. 5.* hæc habet: Phœnices vetuſtiſſimis inde temporibus, cùm extra columnas Herculis Africæ littora legerent, ventorum procellis ad longinquos in Oceano tractus abreptos fuiſſe, ac permultos dies vi tempeſtatis jactatos, tandem ad inſulam aut terram ingentis magnitudinis perveniſſe in alto Oceani Pelago contra Africam in Occaſum verſus jacentem; cujus ſolum amœnum ac frugiferum, & amnibus navigabilibus irriguum, ſumptuoſiſque ædibus inſtructum: Quæ terra Inſularis nulla alia eſſe poteſt, quàm America. Sic & in Apuleio de mundo idem fermè habetur, velut & de mirabilibus auditis ſic ſcribitur; In mari Atlantico extra Columnas Herculis Inſulam olim à Carthaginenſibus fuiſſe inventam, à nullis tunc hominibus, ſed tantùm feris habitatam, & frequentibus arboribus refertam, fluminibus plurimis ad navigandum aptiſſimis plenam; incredibili rerum ubertate mirandam; à continente plurium dierum navigatione remotam. Hæc de America à Columbo priùs denuò inveſtigata eſſe intelligenda, quis non videt, ſi ſanitatem mentis non amiſerit?

Ariſtoteles (49) quoque *in lib. de Ad-* 65
mirand. cap. 82. veriſimilem hujus rei rationem adducit, dum ita ſcribit: In Atlantico Mari extra Herculis columnas, inſulam olim à Carthaginenſibus repertam eſſe; à nullis tunc hominibus, ſed feris tantùm habitatam, arboribus frequentibus refertâ, fluminibus pluribus ad navigandum idoneis irriguam, à continente aliquot dierum ſpatio remotam. Et addit: Cùm animadverterent Carthaginenſes (qui olim, Oceano Occidentali, ut hodiè ferè Hiſpani, imperitabant) compluſculos mercatores hominesque alios fertilitate loci, amœnitate aëriſque clementiâ allectos, ſuam ibi fixiſſe ſedem; veriti ſunt, ne, ſi inſulæ illius fama ad alias nationes per-

perveniret, magnus ex variis terræ locis ad illam fieret hominum concurſus; qui forſan poſtea peculiari imperio conſtituto, ſibi non tantùm præriperent illius inſulæ felicitatem, ſed & ex ea Carthaginenſe imperium infeſtarent, eíve maris dominium extorquerent. Publico itaque conſilio decreverunt, morte etiam indictâ, ne quis poſthàc eò navigaret: & ne ab illis, qui jam dum illam inſulam occupârant, periculum ſibi metuendum eſſet; omnes eos, quibus quidem potiri potuerunt, expulerunt, aut interfecerunt. Atque hoc fortaſſis modo factum eſt, ut, cum Carthaginenſibus id prohibentibus & hoſtiliter avertentibus, hoc tentantes, nemo ampliùs eò navigare auderet; Inſula inde illa (quæ ſine dubio America, vel eidem vicina erat) tum non fuerit explorata, neque detecta.

66 Nonnulli quoque ex Sacris Pandectis operosè adſtruere nituntur, *Ophiram* (50) (in quam claſſis à Salomone & Hieramo ad advehendum aurum, aliasque res pretioſas emiſſa fuit (*3. Reg. 9. verſ. 26. 2. Paralipom. 8. verſ. 17.*) eandem eſſe cum America & terra Auſtrali: Ajunt enim, locum, ubi ſolverunt, portum eſſe rubri Maris; inde per Mare Indicum & Æthiopicum Oceanum ad Americam commodo curſu naves pervenire potuiſſe. Ajunt, nomina non admodùm diſcrepare: Ophiram etenim eandem eſſe, quæ hodiè Peruana; præſertim cùm eadem Hiſtoria ſacra aurum illud ex Ophira præſtantiſſimum, alibi aurum Peruanum vel ex *Parvaim* (51) ſoleat indigitare: *2. Paralip. 3. verſ. 6.* Neque tempus totius navigationis, videlicet triennium huic ſententiæ adverſatur: unde remotiorem à mari rubro illam terram fuiſſe colligimus: Et non ſtatim ad prima littora Inſulæ Atlanticæ vel Americæ, ſed per fretum Magellanicum ad Occidentalia littora appuliſſe veriſimile, ad eum fortaſſe tractum, ubi nunc nova Hiſpania eſt. Ea quoque, quæ inde fuerunt advecta, ut auri talenta quadringenta viginti, gemmæ pretioſæ, Hebenus ad Architectonicam apta, & alia, Americæ ſive Atlanticæ Inſulæ ſuffragari videntur: de qua Plato in Critia teſtatur, quòd auro, lignis omnis generis pretioſis, & ad ædificationes aptiſſimis, gemmisque ac metallis abundârit, ut unde plus auri advehi potuerit, niſi ex hac ipſa inſula, non poſſimus ominari: præſertim cùm hiſtoriæ hodiernæ teſtentur, Regnum Peru, quod Americæ pars eſt, auro gemmisq; abundare, ac Hebenum in vicinis Inſulis, maximè Hiſpaniola multum inveniri.

At verò claſſem illam haud Occiden-
67 tem versùs, ſed magis in Indiam Orientalē intendiſſe vela, luculenter oſtendit Thom. Lanſius *in Orat. pro Hiſpan. fol. 436. & ſeq.* Beſold. *d. diſcurſ. de increment. Imper. cap. 4. num. 6. pag. mihi 34. & ſeq.* Videatur omninò Auguſtin. Torniellus *in Annalib. ſacris Anno M. 3043. num. 8.* Petr. Maffeius *lib. 1. Hiſtor. Indic.* qui duo poſteriores, non abſurdis ſanè conjecturis, exiſtimant, auriferas Ophir, Tharſisque regiones, in Scripturis Sacris memoratas, fuiſſe ditiſſima quædam regna, inter cis Indiæ Orientalis provincias, quæ hodie Pegu & Malaca dicuntur, poſita.

Ita ergo terram illam, quam nos propter recentem inventionem Novum Orbem appellamus, priſcis veteribus quoque cognitam fuiſſe, nec hodiè demum inventam primò, ſed potiùs redinventam, ipſa Sacra Scriptura & alii ſupradicti Authores ſatis apertè unanimi conſenſu atteſtantur, ut heîc dubii quicquam ſubeſſe ampliùs nequeat.

Probabile autem eſt, neglectas fuiſſe 68
hasce Regiones propter Imperiorum Romani præſertim, Græcanicique commutationes; quarum ſanè occaſione totus noſter Orbis bellis vaſtationibusque jugiter ardebat; & quia Barbarorum primùm incurſiones tum & Turcici Imperii incrementa, vires & cogitationes Europæorum ita in ſe ex toto convertebant, ut navigationibus inſtituendis haud ullus iis locus relinqueretur.

Nautica quoque pyxis veteribus inco- 69
gnita fuit, de qua prolixiùs agam *hoc tract. lib. 2. cap. 114. num. 43. & ſeqq.* ideoque ferè ſemper terrarum oras tantummodò legerunt olim navigantes; nemoque ſe facilè vaſto truciqúe Oceano committere fuit auſus. At poſtquam Joannes Goia ante CCC. annos mirificam Magnetis virtutem monſtravit, beneficio hujus pyxedulæ ſive acus marinæ, nautæ aquarum vaſtitatem feliciter ſunt emenſi.

Occurrit & alia ratio, quare non citiùs 70
exploratæ fuerint Regiones illæ Auſtrales, nempe, quòd *Lactantius*, (52) Auguſtinus, Nazianzenus, aliique Sancti Patres, terram haud rotundam eſſe cenſuerint, ideoque eos, qui Antipodes credebant, irriſerint, & circa Annum DCCC. *diſputatio de Antipodibus* (53) inter Vergilium Epiſcopum Salisburgenſem & Bonifacium Germanorum Epiſcopum Moguntiæ primum (qui hanc rationem attulit, quòd Antipodibus conceſſis, etiam alio Chriſto eſſet opus:) inſtituta à Pontifice prohibita, Vergilioque pro affirmativa contendenti ſilentium indictum fuerit, anathemate etiam illi, nî deſiſteret, interminato. Tam abſurda certè fuit veteribus inſcitia in pluribus, ut prorſus nec externa ratione uti rectè voluerint. Sed ſi ſaltem cœli formam aliquo judicio reſpicere voluiſſent, nunquam ſanè in tàm blaſphemum errorem incidere potuiſſent improvidi, unde facilè terræ rotunditatem æſtimaſſent rectiùs. Sed experientia illis defuit in uſu Magnetis,

gnetis, ut non potuerint eò penetrare, ubi habitatio Antipodum ſe exerit.

Tum annon omnes mortales *ex uno nati ſunt Adamo*, (54) ut nova generatio hominum in terris non alia poſſit per naturam dari? An verò diſtantia tàm longinqua locorum novum exigat Chriſtum? Miſera certè locutio; & longè miſerior cenſura hujus nefandæ opinionis.

71 Prædictis aliisque rationibus forſan indagatio illarum regionum Auſtralium, aliquot ſæculis neglecta & intermiſſa fuit: Et credibile eſt (ut & ſuprà attigi) Veſpucium & Columbum, non tantùm Aſtronomicâ virtute navigationem hanc tentaſſe, ſed potiſſimùm ex Annalibus Athenienſibus, & *ex Platone*, (qui eorum meminit) *atque ex Ariſtotele* (55) permotum, & ſibi efficaciter perſuaſum fuiſſe, terras ſub illo cœlo comperiendas; proindeque navigatione tentaſſe, ſi continens, aut aliæ etiam circumjacentes Inſulæ adiri ab iis poſſent.

72 De Jure quoque Hiſpanorum, quo Indis bellum, ſervitutem, omnemque tyrannidem intulerunt, operoſiùs quæri ſolet.

73 Nonnulli prætextum & colorem ex conceſſione Apoſtolica *Alexandri VI.* (56) Pontificis Max. bello Indico obducunt. Atqui ne Imperator quidem, qui tamen Imperio poſſidet omnia, ſingulorum dominium, & proprietatem intervertere poteſt: tantùm abeſt, ut Pontifex contra Dei, naturæ & Gentium jus in Indos ſibi poteſtatem arrogare, aut aliis concedere poſſit: Niſi credere velimus, paganos & infideles non eſſe rerum ſuarum dominos; *quod hæreticum eſt.*

74 (57) Et jam diu *Attabalipa* (58) Rex Peruanus ad hoc argumentum ſufficientem docuiſſe videtur reſponſionem; qui cùm Vincentius de Valle Viridi, Franciſcanus Monachus, eodem prætextu Carolo V. Imp. Indiarum aſſereret Monarchiam; Pontificem inſigniter fatuum & impudentem eſſe oportere, dixit, quòd is aliena tam liberaliter largiretur; Hieron. Benzo. *Hiſt. Indiæ Occident. lib. 3. cap. 31.*

75 Alii Religionis Chriſtianæ propagationem juſtum eſſe titulum contendunt. At

76 nec ſolius Religionis propagandæ ſtudio & zelo bella ſunt ſuſcipienda. Nam Fides non tollit Jus Naturale aut humanum; ex quo Dominia ſunt profecta, quodque

77 vult, ut homo homini non inſidietur: neq; Chriſtus ullam condidit legem, quâ liberi populi, vel ob paganam ſuperſtitionem, vel ob Evangelii rejectionem fierent manci-

78 pia: Nullus Apoſtolorum ex prædicatione Rex factus eſt: D. Paulo Evangelium Romanis annuncianti Cæſar Imperium non obtulit vel ceſſit. Chriſtus dixit Apoſtolis, Marci cap. 16. *Ite in mundum univerſum*, (59) *prædicate Evangelium omni creaturæ.* Hiſpani ſuis Apoſtolis dicunt; *Ite in omnes auri & argenti locupletes regiones, & Catholici Regis imperium prædicate, omnes populos pecudum inſtar ſervitiis addicite, vendite, mactate.* Sicuti Bartholomæus de las Caſas Epiſcopus ſcribit; quadragies quinque an- 79
nis, & quod paulùm excedit, variis & portentoſis carnificinis, plusquam ducenties centena millia Indorum ſuſtuliſſe Hiſpanos; ſpatio terrarum ad ſolitudinem redacto, quod decimo tantò ſit totâ Hiſpaniâ majus. Idem Epiſcopus in tractatu ſingulari, de crudelitate Hiſpanorum in Indianos circa finem; Erubeſcere & rubore, *ait*, ſuffundi deberemus, quòd omni Dei timore remoto, tàm execrandis facinoribus colorem addere, & ea excuſare tentemus; cùm præcipuè cernamus, nos Hiſpanos, quadraginta quinque vel quadraginta octo annorum ſpatio, regiones majoris longitudinis, quàm ſit tota Europa, & pars Aſiæ, ob hanc ſolam cauſam, ut divitias conſequeremur & cumularemus, deſtruxiſſe: eas terras deprædantes, & omni crudelitate, injuſtitiâ, & tyrannide occupantes & uſurpantes; quas humanis habitatoribus & incolis refertas vidimus, & in iis ultra viginti hominū milliones periiſſe & morti ſuccubuiſſe certò ſcimus. &c. Adhæc bellum eſt contra Charitatem: Ergò non congruens eſſe
videtur medium Religionis propagandæ, 80
quæ Charitatem inprimis intendit. Non bello, ſed pœnitentiæ prædicatione, viam noſtro Salvatori præparavit S. Joannes Baptiſta. Et felici magis ſucceſſu in India Ori-
entali Chriſtianam propagant Religionem 81
Jeſuitæ prædicando & patiendo, quàm factum fuit in Occidentali, armis multorumque hominum internecione.

Rem profectò faſtigio ſuo dignam fecerint Ptiecipes, ſi claſſes non ad divitias indagadas, quæ hodie ſola ferè periculoſarum & longinquarum navigationum illecebra eſt, ſed ad verbi Dominici promulgationem inter illos adhuc veri luce deſtitutos, miſſis populos ad hoc Theologis propagandam inſtruerent; ſi quid inde utilitatis poſtea ex commercii libertate in publicum rediret, in lucro ponentes. &c. Thuan. *Hiſtor. lib. 64.* in fine, quem evolve. Videatur inſignis, omniumque piorum lectione dignus libellus Juſti Heurnii, *de Legatione ad Indos capeſſenda* inſcriptus.

Accedit, quòd color ille redigendi in- 82
vitas gentes ad mores humaniores, ad veramque Religionem compellendi, *à Theologis* (60) ferè cunctis, etiam Hiſpanis impius atque improbus reputatur. *Covarruv.* (61) *in c. peccatum* §. *10. de Reg. Juris in 6.* Alber. Gentil. *lib. 1. de jure belli cap. 9. & 12.* Petr. Heig. *lib. 1. quæſt. jur. qu. 12. num. 47.* Hugo Grotius *in tract. Mare liberum cap. 2.* Niſi infideles & pagani Chriſtianos offendant,

vel etiam detineant Provincias eas, quæ olim ad Chriſtianorum Principum Juriſdictionem ſpectabant, *c. diſpar. cauſ. 23. qu. 8.* Quo reſpectu aliquatenus defendi poſſunt Expeditiones Hieroſolymitanæ: licet eas, ut ſtultiſſimi claſſici, ita *triſtiſſimi eventus* (62) plenas fuiſſe, eventus docuerit, ut dixi *tract. de Contribut. cap. 10. ſect. 2. num. 57.*

Boterus *in Relat. de Regno Hiſp. c. 27.* verò autumat, prætextum belli Mexicanis & Peruvianis illati fuiſſe, quòd jactaverint in diluvio in ſuis Ingis ſive Regibus ſervatum mundum eſſe, & quod ipſi ſoli haberent veram religionem, eamque alios docere tenerentur. Narrat etiam Boterus illorum Deum eſſe Viracocam, hoc eſt, Univerſi Creatorem. Quo reſpectu Inga ſive Rex Pacacuti, qui majorem ſuperſtitionum partem reperit; quum aliorum Deorum templis prædia reditusque attribuiſſet, (Vide me infrà *hoc tract. libr. 2. cap. 1. ſub. num. 49.*) nullos Viracocæ aſſignavit, quod cùm ille, inquiebat, creator omnium eſſet, eis non indigeret.

84 Denique Petr. Matth. *livr. 1. de l' hiſtoire de France, narrat. 4.* ſcribit. Hiſpanos auri magis cupiditate, *quàm Religionis* propagandæ *ratione* (63) Indias occiduas indagaſſe, ejusque divitias (quas ad oppugnandum Turcam convertere debuiſſent) in Europa non utiliter expendiſſe. Una hæc & vera bellandi cauſa eſt, libido Imperii & divitiarum. 85 Ingenuè Barbarus ille apud Tacitum *15. annal. 1 n. 6.* Id in ſumma fortuna æquius, quod validius, & ſua retinere privatæ domus: de alienis certare laus Regia eſt. Hæcque Imperii cupido profunda & divitiarum, ex eo diſpaleſcit, quòd Hiſpani Indiam utramque ſibi vendicant ſolis; ab Indianisque commerciis *Anglos* (64) & Batavos prohibere atten- 86 tant: quâ de cauſâ rei ambitionis & communis juris gentium violati vulgò arguuntur. Et meritò.

Nam nonne ille, quem Deus terris circumfundit Oceanus, undique & undiq; versùs navigabilis, & ventorum ſtati aut extraordinarii flatus, nec ab eadem ſemper, ſed à nulla non aliquando regione ſpirantes, nonne ſignificat ſatis, conceſſum à natura cunctis gentibus ad cunctas aditum? Hug. Grotius *in diſſert. de mari libero cap. 1.* Et nonne Elizabetha Angliæ Regina Bernardino Mendozæ Philippi II. in Anglia Oratori querimonias prudenter & fortiter diſpulit? cùm veriſſimè aſſereret, non intelligere ſe, cur aut ſui aut aliorum Principum ſubditi in Indias navigare prohibeantur, quas Hiſpanici juris eſſe ex Pontificis donatione, aut quia Hiſpani primi ad eas appulerint, flumen aut promontorium de Ducis aut Diei nomine appellaverint, perſuadere ſibi nō poſſit. Cambd. *in Annalibus Anglicis ad annum Chriſti 1580.* Thuan. *hiſtor. LXXI.* quippe cùm Papa judex inter partes, non vocatis cæteris Principibus, aut conſentientibus, conſtitui nequierit; nullaque ſit illius in hujusmodi cauſis prærogativa, nedum authoritas, ut Principes obliget, qui nullum ei obſequium nec deferunt, nec debent: proinde talē rei alienæ donationem, quæ nullum jus tribuit, atque adeò imaginariam proprietatem obſtare nō debere, quò minùs alii Principes commercia in illis remotis regionibus exerceant, & colonias, ubi Hiſpani non habitant, jure gentium nequaquam violato, deducant; ſiquidem in his rebus tantum intelligatur præſcriptum eſſe, quantum ſit poſſeſſum. Jus igitur aſſerendum naturæ eſt contra Hiſpanos, qui niſi potenter probent uſurpationem, regula pro omnibus erit, *Licere quaquaverſum Maria navigare, & commercia habere cum omnibus.* Alberic. Gentilis *de Unione Regni Britann.* Thomas Lanſius *in Orat. contra Hiſpan. fol. 412. & 413.*

Sunt quoque, qui arbitrantur, Novi Or- 87 bis detectionem *plus damni* (65) quàm commodi non orbi ſolùm Chriſtiano, Boccal. *cent. 2. regaguagl. 90.* Hippolit. à Collib. ſub nomine Johann. Werner Gebhardt in den Fürſtlichen Tiſchreden / *lib. 2. capite 6. ſed & ipſis Hiſpanis* (66) adferre. Et ſi Luſitani tantì res vicinas, quanti longinquas feciſſent, easque vires, quibus Caput Bonæ Spei ſuperarunt, penetraruntque in Indiam Occidentalē, Malacā & Moluccas, contuliſſent expeditionem Africanā faciliùs (Boteri *de Reg. Hiſp. ſect. 3. cap. 27.* judicio) minorique expensâ ſibi opes paraſſent. Nulla enim in Orbe regio auro argentoque ditior eſt Regnis *Mandinga, Æthiopia,* (61) Congo, Angola, Buctua, Teroa, Maticuca, Boro, Quitievi, Monomatapa, Cafati, Monoëmugi.

Humanis ſed enim cupiditas plerumq; rem
Pluris alienam, quàm ſuam ipſius facit,
Remotiùsq; res videtur diſſita
Propiore major eſſe re.

Alia huc adpoſitè conferentia adducit, & laxiori ſtylo reſolvit D. Beſold. *diſcurſu de increment. Imper. cap. 3. & 4. ferè per tot.* ubi *cap. 3. num. 8. & 13.* etiam more ſuo exquiſitè & ingenioſè pertractat, ex quanam gen- 88 te, ex qua item terra, quóve tempore homines & animantia pervenerint in illas regiones. Quò Lectorem remittimus; ne alienis rivulis noſtros irrigare hortulos, aut ex ſparſis aliorum velleribus nobis politam ordiri & variam texere telam videamur. Ac licet in Theologorum Schola didicerimus, eum non inſultare punitis, qui ſciſcitatur puniendi

niendi cauſas; Attamen cùm clades hæc *arcano Dei judicio* (68) Americanis immiſſa ſit, à tali examine & cenſura nos temperantes, pro ratione ſuſcepti muneris ad conſignationem redituum regiorum nos accingemus.

89 Reditus Regni Hiſpaniarum extra regium patrimonium (quod quale, quantumque fuerit, aut hodie ſit, à nemine hactenus conſignatum legi) ſunt:

90 (1) *Alcavala* (69) quæ jus *onusq; eſt perſonale* (70) Regi debitum à venditoribus & permutatoribus, eos obligans ſeu adſtringens ad ſolvendam decimam partem pretii venditæ, & æſtimationis, vel valoris rei permutatæ, de qua latè egi *Tractat. meo de Contribut. cap. 1. num. 338.* Videatur quoque de origine & juſtitia hujus tributi Joannes Gutierrez *tract. de Gabellis, quæſt. 2. per tot.* Ludovic. Molina *de tribut. diſput. 663.* Joan Parlador. *lib. 1. rerum quotidian. cap. 3. in pr & num. 15. & ſeqq.* Alphonſus de Azevedo *ad Conſtit. Regn. Hiſpan.*

91 (2) *Almoxariff*, ſive Vectigal è decimis omnium mercium, quæ è Belgio, Francia, Anglia, Italia, Portugallia, aliiſque exteris Regnis & Dominiis in Hiſpaniam transferuntur.

(3) *Almoxariff Indiæ Hiſpanicæ*, ſive Decimæ omnium mercium, quæ Hiſpali, aut ex aliis Andaluziæ portubus ſolvunt in Indiam Occidentalem. Omnes enim illæ merces cum Hiſpali aut aliis illis locis ſolvunt, vigeſimam Regi pendunt, itemque ubi in Indiam delatæ fuerint, in eundem modum denuò vigeſimam ſolvunt.

92 (4) *Los ſervitios ordinarios* ſive tributum annuum, quod *quotannis* (71) Regi præſtatur ſecundùm facultatum & bonorum uniuſcujusque æſtimationem; à quo Nobiles feudatarii & Equites immunes ſunt.

93 (5) *De Puertos Secos* ſive Decimæ omnium mercium, quæ terreſtri itinere è Regnis Valentiæ, Arragoniæ, Navarræ, in cætera Hiſpaniæ regna devehuntur, aut viciſſim ex Hiſpaniæ regnis in prædicta loca conducuntur. Idem quoque in Luſitaniam & viciſſim è Luſitania locum habet.

94 (6) Vectigalia lanæ, quæ è regno evehitur, nam ſinguli ſacci (qui ferè decem arobas pendent, aroba autem viginti quinque libras) duos ducatos pendunt, ſi indigenarum ſint; ſin verò à peregrinis priùs empti fuerint, quatuor ducatos.

95 (7) *El Senneoreaxo, de la Moneda*, eſt vectigal, quod Rex habet ex Hiſpanica moneta, nempe ex quaque marca ſex ducatorum argenti, quæ in monetaria domo laboratur Realem unum.

96 (8) *El exercitio*, Tributum quod quotannis omnes Hiſpaniæ terræ reddunt mancipiorum & triremium gratiâ.

97 (9) Reditus, quem vocant, *de la moneda focera*, quo unusquiſque focus ſingulis annis Regi cogitur ſolvere VII. *maravediſios*, (72) cujuscunque conditionis ſint homines.

(10) Ex herbis & paſcuis publicis, quæ quotannis à Rege elocantur. 98

(11) Ex argento vivo, quod Almalæ eruitur in montanis Sierræ Morenæ in Campo Calatravæ. 99

(12) E fodinis Guadalcanæ in Eſtremadura & montanis Morenæ, quæ argenti ſunt; quæ olim magnam ſummam reddebant, & interdum CLXXVII. argenti Quentos, ſed nunc admodùm imminuta vix taxari poſſunt. 100

(13) Locatio ſive reditus *luſoriarum chartarum*, (73) quæ foris in Hiſpaniam invehuntur. Nam è ſingulis percipit Rex dimidium realem. 101

(14) Vectigal, quod panni, Florentinæ Raſſæ vulgò dicti, qui foris in Hiſpaniam invehuntur, ſolvunt: nimirum ſinguli panni VI. ducatos. 102

(15) E reditibus ordinum militarium *S. Jacobi*, (74) *Calatravæ* (75) *& Alcantaræ*, (76) quos Rex Fuggeris Auguſtanis locare ſolet annuo pretio nonaginta & octo Quentorum: id vulgò vocant *El ſubſidio.* Videatur Carol. Scriban. *l. 1. Inſtit. Polit. Chriſt. c. 42. fol. 292.* 103

(16) E bullis ſive indulgentiis Papalibus, quas Papa Regi concedit in ſex annos, & ita porrò, quæ ſubditis à Rege venduntur, ut ipſis vetitis diebus carnes liceat edere, vulgò vocant *la Cruzada*, (77) quia primùm conceſſa fuit ad belli ſumptus ſuſtinendos adverſùs infideles & hæreticos gerendi. 104

(17) Tertiæ vulgò *Terze*; Pontifices enim Romani jam olim Regibus Hiſpaniæ conceſſerunt tertium numum omnium Eccleſiæ redituum, rerumque Eccleſiaſticarum, in ſubſidium bellorum, defenſionemque Catholicæ ac Romanæ Religionis, qui item à Receptoribus Alcavalarum recipitur, & unà cum Alcavalis elocatur. 105

(18) *El excuſado* eſt Decima, quam Rex per conceſſionem Pontificis percipit ex omnibus bonis & terris Eccleſiæ. 106

(19) Extra ordinem autem percipit Rex à populo duas milliones duc. unde hoc ſubſidium ſive tributum *des millions* appellant; Id autem in conventu ordinum regni Regi indulgeri ſolet in quatuor aut ſex annos; quibus elapſis rurſus conveniunt Ordines, & pro re nata idem tributũ in alios annos prorogant. 107

(20) Ex piſcatura piſcium, quos vocant *Atun*: (78) Id vectigal vocant *Almadrava*. 108

Denique ubi aliqua neceſſitas urget, ad Papam recurritur, & illius conceſſione Clerus Hiſpaniæ novis *oneribus gravatur.* (79) 109

Aliter reditus annuos Regis Hiſpaniarum recenſet Joannes Hugo Linſcotanus. 110

Salinæ, *inquit*, Hiſpanicæ Coronæ annuâ taxâ ferunt, nonaginta tres Quentos. 111

Decimæ maris, merciũ foris in Biſcayam 112 venien-

venientium, atq; ex provinciis Guipiſcoæ,
112 quatuorq; Montanarum urbium mari adjacentium, ſolvunt ex omnibus mercibus, quæ in Caſtiliam terreſtri itinere devehuntur, decimas; ſuſcipiunturq; in ædibus tributis deſtinatis urbium Victoriæ, Hordunæ, & Valmoſcedæ; redduntq; annuatim Regi LXX Quentos.
113 Decimæ maris mercium, quæ per Regnum Legionis tranſeunt ac per portus Sanabriæ & Villæ-Francæ procedunt, reddunt 1. Quent.
Decimæ maris, Principatus Aſturiæ per urbẽ Oviedo tranſeũtes, reddunt 375000. marav.
114 Reditus præfecturæ Urbis Blibao ex mercibus foris advenientibus. 490500. mar.
Burgos Civitas cum territorio ſuo ſolvit no-
115 mine Alcavalarum & Tertiarum. 17. Quentos 329. 880. mar.
Ballivatus Burgos, qui de Bureba dicitur, ſolvit annuatim 2. Quent. 646000. mar.
Montana Ocæ 34. Quent. 000. mar.
Ballivatus provinc. Rioz 3. Quent. 757000. mar.
Ballivatus Hebri 2. Quent. 346000. mar.
Ballivatus dictus angulus Hebri 1. Q. 402. mar.
Victoria Civitas Regi quotannis opendit 269000. mar.
Guipiſcoa provinc. ex Alcav. & Tert. 1. Quent. 181000. mar.
Ferrum illius provinciæ pro vectigali 150000. mar.
Septem Ballivatus antiquæ Caſtellæ in Montanis ſiti 942. 000. mar.
Vallis Mena in iiſdem Montanis 225000. mar.
Provincia Civitatis Logronno. 7. Quent. 746000. mar.
Langus oppid. & territorium 151000. mar.
Opidum S. Dominici 4. Qu. 812000. mar.
Ballivatus urbis Diego 1. Q. 545000. mar.
Ballivatus Candemunnon 4. Quent. 612000. mar.
Ballivatus caſtri Xeres 8. Q. 485000. mar.
Ballivatus Serrata 1. Quent. 965000. mar.
Ballivatus Monſon 2. Quent. 276000. mar.
Pallericia civitas ac provincia Campos ſolvunt quotannis 16. Quent. 940000. mar.
Carion urbs 4. Quent. 945000. mar.
Ballivatus Carion 2. Quent. 920000. mar.
Vici P. Alvareſii de Vega 655000. mar.
Satiagon oppid. 2. Quent. 125000. mar.
Saldanna oppid. 1.013000. mar.
Ballivatus Perinæ 178000. mar.
Ballivatus Campi in Montanis 1. Quent. 73000. mar.
Vallis Miranda 557000. mar.
Quatuor urbes maritimæ, Laredo, Sant Ander, Caſtro de Urdiales, S. Vincente ſolvunt quotannis 3. Quent. 345000. mar.
Aſturiæ Principatus & Civitas in Oviedo 12. Quent. 345. 000. mar.
Urbs Lugo Regni Galæciæ cum Epiſcopatu ſuo ſolvit annuatim. 4. Quent. 137.000. mar.
Urbs Mondonedo Regni Galæciæ 1. Quent. 732000. mar.
Orenſe ejusq; territorium 6. Q. 505000. mar.
Complutum cum Archiepiſcopatu ſuo ſolvit annuatim 18. Quent. 212000. mar.
Civitas Tuy cum territorio 5. Quent. 827000. mar.
Civitas Ponte Ferara 1. Quent. 975000. mar.
Civitas Leon & Epiſcopatus 6. Quent. 350000. mar.
Aſtorga Civitas & Epiſcopatus 2. Quent. 455000. mar.
Abbatia Leg & Aſtorgæ 797000. mar.
Parœciæ Salæ in Aſtur. 231000. mar.
Zamora ejusq; territor. 15. Q. 525000. mar.
Toro ejusque territorium 11. Quent. 112000. mar.
Vienæ Ducatus Oſſunæ urbs 62000. mar.
Vallis Guyrenæ 2. Quent. 335000. mar.
Urbs Paraſil de la Coma 250000. mar.
Salamantica cum territor. 24. Quent. 345000. mar.
Urbs Rodrigo cum territ. 14. Quent. 345000. mar.
Juriſdictio Trigeros 417000. mar.
Civitas Olmillo 47000. mar.
Tordeſillas cum territorio 2. Q. 600000. mar.
Vallodolid cum territor. 29. Q. 730000. mar.
Torde Humos Civitas 827000. mar.
Medina del Campo illiusque juriſdictio ſolvit annuatim 31. Quent. 375. 000. mar.
Civitas Olmeda 2. Quent. 149000. mar.
Nova Civitas & ſeptem Eccleſiæ 333. 000. mar.
Madrigal Civitas 682. 000. mar.
Arenalo Civit. & territ. 5. Q. 310. 000 mar.
Avila Civitas ejusque poteſtas. 19. Quent. 000. mar.
Segovia cum diœceſi 12. Quent. 480. 000. mar.
Aranda de Duero 3. Quent. 350000. mar.
Roa Civitas 1. Quent. 515000. mar.
Gumiel de Yzan, quæ eſt Ducis Oſſunæ Civitas 154000. mar.
Sepulveda & territor. 3. Quent. 540000. mar.
Sovia oppidum cum poteſtate ſua 10. Quent. 282000. mar.
Oſinæ oppidum & Epiſc. 4. 000. 000. mar.
Agreda & Taraſona 2.083000. mar.
Molina oppidum 5. Quent. 792. 000. mar.
Siguenza ejusque diſtrictus 3. Quent. 662. 000. mar.
Cuenca & Dominium 24. Q. 645. 000. mar.
Huete oppidum & territ. 17. Quent. 916. 000. mar.
Villa Rexe de Fuentes 2. Quent. 517. 000. mar.
Villenæ Marchionatus, qui complectitur urbes Timihillam, Abaſetten, Rodam, S. Clementem, & Civitatem Villenam cum territ. 31. Quent. 503. 000. mar.
Belmonte

Belmonte oppidum tantùm ſolvit Tertias, quia Alcavalæ ſunt Marchionis 476000.mar.
Murtia ejusque dominium 14. Quent. 820.000.mar.
Lorea oppidum 5.000.000.mar.
Cartagena cum territor. 2.Quent.
Alcazar cum territorio 16.Quent. 948.000.mar.
Segura de la Sierra cum Provinc. & terra Magiſtr.S.Jacobi 11.091.000.mar.
Villa nova den los Infantes ejusque Provincia, dicta El Campo de Moryel. ad Magiſterium S.Jacobi pertinens 8. Quent. 664.000.mar.
Ocanna oppid.ac Provincia Caſtilla dicta Magiſt.S.Jacobi 23.Quent.
Guadalaxara oppid. 11.064.000.mar.
Pios & Poſo oppida 160000.mar.
Almonaſid oppid. ac provinc.Sonta, Magiſtr.S.Jacob. 1.Quent.188.000.mar.
Oppida Vzeda, Talamanca, Tortelaguna cum territorio, quæ ad Archiepiſcopatum Toletanum pertinent. 18. Quent. 250000.mar.
Oppidum Yepas 423000.mar.
Alcala de Henares cum oppid.Brivega,quæ ſunt Archiepiſcopatûs Toletani 16.Quent. 250000.mar.
Oppidum Madrit cum territorio ſuo 23.Quent.250000.mar.
Comitatus Punno en roſtro 1.Quent. 262000.mar.
Urbes Cubas & Grinnon, quæ Alvarum de Mendoza Dominum agnoſcunt, qui Alcavalas percipit, è Tertiis 117000.mar.
Urbs Galapagar D.Infantat. 160000.mar.
Urbs Illeſcas 2.Quent.297.0000.mar.
Urbs Toletum ejusque membra 73.Quentos.
Domini armentorum, quæ è Montanis Eſtramaduram paſtus gratiâ petunt 19.Quent 503000.mar.
Vici Prioratus S.Joann. 7.055000.mar.
Urbs Almagro ejusque Provincia, quæ dicitur Campo de Calatrava 7 Quent.120000.mar.
Alcavalæ herbarum & olerum,quæ in eodem Magiſter. veneunt, 3. Quent. 438000.mar.
Urbs Ciudad Real 4. Quent. 150000. mar.
Vici in ea plaga ſiti, quæ Archidiaconatus Talaveræ del Rey dicitur 14. Quēt.326000.mar.
Placentia urbs ejusque Dominium & vici, qui Archidiaconatus dicuntur 18.Quent.475000.mar.
Truxillo ejusq; diſtrictus 12.Quēt.2224000.mar.
Caceres urbs & territor. 7. Quent. 85000.mar.
Badajoz ejusq; provinc. 9. Quent. 973000.mar.

Alcantara cum territorio 9. Quent.403000.mar.
Paſcua & Olera ibidem 3. Quent. 481.000.mar.
Serena Provinc. Mag. Alcantar. 7. Quent. 570000.
Merida ejusq; territorium in Provin. Leon pertinens ad Magiſtr.S.Jacobi 21.Quent.234000.mar.
Urbs Fuente el Maeſtro in Prov. Leon. Magiſtr.S.Jacobi 6.Quent.973000.mar.
Urbs Guadalcana Magiſterii S. Jacobi cum territorio 3.Quent.305000.mar.
Urbs Xeres de Badajoz ſub Magiſterio S. Jacobi 7.Quent.100000.mar.
Urbs Hiſpalis ſive Sevilla,ejusdem membra & diſtrictus 382.Quent.387000.mar.
Reditus Domini ut vocant, 2.Quent.
Urbes Palma & Guelves ſub Comitibus ſuis ſunt pro Tertiis 235000.mar.
Urbes Tevar & Ardales ſub Marchione Ardales pro Tertiis 235000.mar
Urbs Ellerena Provinc. Leon, & Magiſterii S. Jacobi 3. Quent. 125000.mar.
Urbs Cadiz 8.Quent.452000.mar.
Ex Almadrava, id eſt piſcatu Thynnorum vul.Atun. 3.Quent.350000. mar.
Gribaltar ab Alcavalis immunis eſt, ſolvit pro Tertiis 1.Quent.500000.mar.
Xerez de la Frontera 21.Quent.050000.mar.
Urbs Carmona 9.Quent. 450000.mar.
Lora & Setefilla 680000.mar.
Urbs Ecyja cum ſuburbib. 15. Quent. 500000.mar.
Corduba ejusque diſtrict.48. Quēt.995 000.mar.
Loca dicta Realengos de Corduha 17.Quent.316000.mar.
Civitas Anduſcar 4. Quent.800000.mar.
Civitas Vieda 11.346.000.mar.
Civitas Baeza 17.Quent.316.000.mar.
Civitas Quexada 1.Quent.415000.mar.
Adelantado de Carcola 6. Quent. 885000.mar.
Comitatus S. Stephani 1. Quent. 340000.mar.
Urbs Martos in Andaluzia Magiſterii Calatravæ cum diſtrictu 11.Quent.436000 mar.
Urbs Iaën & territorium 15.Quent.609000.mar.
Granata & territor.42.Quent. 910000.mar.
Sericum Regni Granatenſis olim *ante expulſos Mauros* (80) valebat 42.Quent. nunc tantùm 22.
Aquela & Aviſſos Granat.2.Quent.750000.
Loxa & Alhama G. 3.Quent.650000.mar.
Civitas Baza G. 10.Quent.626000.mar.
Guadix Civitas G.6. Quentos 395000. mar.
Almena Civitas G. 308000.mar.
Almunecar, Mutril, & Salabrena Regni G. 2.Quent. 643.000.mar.
Malaga Civitas G.16.Quent.269. 000.mar.
Veles Malaga Civ.G.3.Quent.519000.mar.

Pulchena urbs 410000.mar.
Ronda & territor. 5.Quent.334000.mar.
Inſulæ Canariæ 4.Quent. 850000.mar.
Teneriffæ 3.Quentos.
Palma 2.Quentos

116 Tributum annuum, quod Regna Hiſpaniæ Regi pendunt nomine Servitii ordinarii, valet quotannis centum & quatuor Quentos & 305000. maravediſios 104.Quentos 305000.mar.

117 Vectigalia ſiccorum portuum, ut vocant, è Regnis Valentiæ, Arragoniæ, & Navarræ, tàm in exitu quàm introitu ſolvunt quotannis quadraginta novem Quentos & triginta quinque millia Maravediſiorum, id eſt 49.035000.mar.

118 Vectigalia ſiccorum portuum Regni Portugalliæ tam in exitu quàm introitu reddunt annuatim. 34 Quentos 155000. mar.

119 Vectigal Lanarum, quæ è Regnis Hiſpaniæ exportantur, reddit quotannis. 53. Quent. 586000. mar.

120 Summum Almoxariff Civitatis Hiſpalis vulgò Seviliæ, quod urbs ipſa à Rege conducere ſolet, ſolvit quotannis 154.Quent. 309000 mar.

121 Almoxariff Indiæ Hiſpanicæ, quod civitas Hiſpalis in eundem modum à Rege conducit, pendet annuatim 67.Quentos.

122 Moneta Hiſpanica vulgò *El Senneoraxo de la Moneta* in ſola urbe Hiſpalenſi, quæ tantum reddit, quantū cæteræ omnes, valet 22. Quentos.

123 Magiſtratus S.Jacobi, Calatravæ, & Alcantaræ Rex Fuggeris Auguſtanis locare ſolet pretio annuo *nonaginta & octo* (81) Quentorū.

124 Locat præterea Rex herbas & paſcua Magiſtratuum prædictorum & annuatim ex illis percipit triginta ſeptem Quentos. 37000000.mar.

125 Ex argento vivo Almadæ, è montibus Morenæ, in Campo Calatravæ, quod Rex annuatim locat, ſeptuaginta tribus Quentis. 73. 000000.mar.

126 Bullæ ſeu indulgentiarum Papalium literæ omnibus impenſis deductis reddunt annuatim ducentos quentos: ea ſumma deducta in Belgicam monetam (inquit author) facit ſedecim auri tonnas. Alii obſervant, ex hiſce bullis annuatim à Rege percipi duas milliones & quadraginta millia librarum, ſive florenorum, ut nos vocamus.

127 Subſidium, quod Clerici ex beneficiis annuatim pendunt, valet quotannis promiſcuè 65. Quentos, id eſt 65. 000000. mar. 172800. duc.

128 *El Excuſado*, id eſt, tributum annuum, quod Epiſcopi & Eccleſiæ annuatim pen-
129 dunt, valet 110.Quentos, id eſt 293333.duc. 125.marav. idq; omnibus expenſis deductis.

130 Fodinæ Guadalcanæ quoniam multùm exhauſtæ, quid hodiè reddant, taxari nō poteſt.

Tributum, quod Regi quotannis præbent cunctæ terræ Hiſpaniæ, mancipiorum & triremium gratiâ (vulgò vocant *Exercitio*) 7.750000.mar.

Tributum forarium vulgò *de la Moneda Forera* quotannis reddit 9. Quentos, 656000. mar. 131

India Hiſpanica quotannis Regi Hiſpaniæ reddit 35.500000. maraved. 94666. duc. & 259.mar. 132

Navarræ Regnum quotannis Regi Hiſpaniæ *reddit* 35. Quentos, *500000. maraved.* (82) 94666.duc. & 250.maraved. 133

Regna Valentiæ, Arragoniæ, & Cataloniæ præter alia tributa, Regi quotannis reddunt 75.Quentos, id eſt 200000.duc. 134

Inſulæ Sardiniæ, Majorica, & Minorica nullum Regi emolumentum adferunt, quia cuncti earū reditus in eiſdem impenduntur. 135

Inſula Siciliæ quotannis dat 375. Quentos, id eſt, unam millionem duc. 136

Regnum Neapolitanum 450. Quentos. 137

Ducatus Mediolanenſis 300.Quentos. 138

Provinciæ Belgicæ ac Burgundia ſolebant Regi reddere 700.Quent. 139

Locatio chartarum luſoriarum fert per totum Hiſpaniæ Regnum 20.Quent.

Panni Florentini 10.Quent.

Cuncta hæc (inquit Linſcotanus) ex authographis codicibus fideliter ſunt translata, fuitque hic rerum ſtatus anno MDLXXVIII cùm Rex Hiſpaniarum nōdum Portugalliæ potens eſſet. Omnes verò hi reditus in unam ſummam contracti faciunt XIII. milliones auri & 48000. ducatos; Belgicâ autem monetâ, ſi tres florenos in ducatum computes, 452.tonnas auri, & 44000. florenos. Hæc ille. Sed calculus non convenit, & in alterutro numero vitium ſubeſſe neceſſè eſt: Nam 13.048.000. duc. tantùm faciunt 39. 144.000.florenos. Nos ſupputatione ſingulatim factâ deprehendimus in priore numero 13. millionum & 48000. ducat. errorem non eſſe. D. T. V. V. qui relationem præcedentem redituum regiorum in ampliſſimū ſuum Commentarium retulit, & ad monetam Gallicam revocavit, ab hoc calculo non multū abludit; collegit enim in unam ſummam 12.199048.coronatos. 140 141

Relatio de Regis Hiſpaniæ opibus apud Honorium *in Theſaur. Polit. parte 1. pag. 73.* ita colligit.

Regna Majeſtatis Catholicæ non ampliùs quàm novem milliones aureorum quotannis Regi pendunt hoc modo:

Hiſpania	1.400.000.aureos
India	2.300.000.
Flandria & Burgundia	2.100.000.
Majorica & Minorica	50.000.
Sardinia	60.000.
Sicilia	600.000.
Regnum Neapolitanum	1.500.000.
Ducatus Mediolanenſis	1.000.000.
Summa totalis	9.010.000.

Hiſce

Hiſce autem non comprehenduntur ampliſſimi reditus, quos Rex quotannis percipit à Clero ſuo.

Atque hæc quidem ratio redituum annuorum Regis Hiſpaniæ fuit; certiſſima quidem anno MDLXXVIII. Nam quæ è Linſcotano noſtro relata ſunt, ex rationibus Regni, & aliis indubitatæ fidei monumentis fuerunt tranſcripta, ut ipſe teſtatur. Verùm crebrò mutari multa, nullum dubium eſt, neque enim Regni vectigalia, quæ Almoxariff vocant, ſemper eadem ſummâ rediмuntur; & reditus, quos Rex ex India Hiſpanica percipit, non unum ſingulis annis ſervant tenorem; quod ut evidentiùs pateat, hîc aliquot annorum cenſus, prout accepimus, adjungemus.

Anno MDCVIII. claſſis Indica Hiſpaniæ intulit undecim milliones ducatorum; quarum quatuor Regi ceſſerunt. Anno MDCX ex India appulerunt 8. million. 151896. ducator. pro Rege 2.716. 932. duc. Anno MDCXII. ex India appulerunt 11. milliones & 796695. duc. è quibus Regi ceſſerunt 3.504657.

Anno MDCXIII. ex *India appulerunt* (83) 10. mill. 59.794. duc. aut ut alii, 10. 320. 991. ducat. è quibus Regi ceſſerunt 2.810. 761. duc. aut ut alii ſcribunt, 2.810.743.

Anno MDCXIV. ex India appulerunt 11. mill. 297068. duc. è quibus Regis ærario acceſſerunt 3.028.8921. duc.

Anno MDCXV. ex India in totum appulerunt 10. milliones 129. 331. duc. è quibus Regi ceſſerunt 2.305.710. duc.

Anno MDCXVI. ex India appulerunt 11. mil. & 131852. duc. pro Rege 2.252.459. duc.

Anno MDCXVIII. ex India appulerunt 14. mill. ducat. pro Rege 1.674.031. duc.

Anno MDCXXII. Regi deſtinata erant è Continente & Nova Hiſpania 1.913875. duc. Sed claſſis illa horrenda tēpeſtate jactata magnam jacturam paſſa eſt, neque illo anno in Hiſpaniam appulit.

Anno MDCXXIII. Claſſis Indica æſtimata fuit 12. 135. 207. ducat. è quibus Regi competebant 3.465.600. duc. Sed hæc quoque claſſis maximam jacturam paſſa eſt, 2. 229.365. ducator. mari hauſtis.

Anno MDCXXIV. eadem claſſis appulit, æſtimata 14. 113. 801. duc. è quibus Regi ceſſerunt 2.525. 565. ducat.

Anno MDCXXV. eadem Claſſis Regi attulit 1. 144. 919. duc. in totum autem 5. 846. 632. ducat. nam nihil auri aut argenti è Peruvia venerat illo anno ob metum Belgarum, qui cum claſſe ſua mare Meridionale infeſtabant.

Anno MDCXXVI. ex India appulerunt 17. milliones 520.257. ducat. è quorum numero Regi ceſſerunt 3.504. 297. duc.

142 Porrò Ordinarii reditus Regni Portugalliæ annuatim aſcendunt ad 1. 100. 000. ducat.

Reditus autem Magiſtratuum Ordinum 143
Militarium, quorum Rex ipſe hodie magiſter eſt, quique poſſident Inſulas Azores, Maderam, Inſulas capitis Viridis, S. Thomæ, *del Principe*, reddunt quotañis 200.000. duc.

Reditus Caſtelli de Mina in Guinea, qui 144
ad *Ordinis Chriſti* (84) magiſterium pertinent, 100000. duc. 145

Reditus Braſiliæ 150000. duc.

Vectigalia aromatum aliarumque mercium 146
quæ ex India Orientali quotannis in Portugal invehuntur, 600000. ducat. ſive 18. tonnas auri, ut Belgæ vocant: nam quæ in ipſa India è vectigalibus aut tributis quocunque modo percipiuntur, ibidem rurſus impenduntur, ita ut Rex nullum emolumentum illius capiat.

In ſumma reditus annui (85) Regni Portugal- 147
liæ ſunt 2.200. 000. duc. aut 66. tonnæ auri ut noſtrates vocant.

Quamvis verò Regis Hiſpaniarum redi- 148
tus annui ingentes ſint, adeò, ut Orbis ferè totius poſſidere Ærarium videatur; ejusque uxor ſit Fortuna, quæ pro dote attulit in mariti domum potentiæ perpetuitatem; Domus verò ſit Principis aula, quæ ſit illud pun- 149
ctum extra mundum, toties ab Archimede deſideratum; ex quo Rex Philippus, novus 150
Archimedes Hiſpanicus, totum terrarum Orbē facilè movere, & hinc inde propellere poſſit, ut loquitur Thom. Lanſius *in Orat. pro Hiſpan. circa princip. fol. 429. & 431.* Nihil tamen minùs, ſi immenſæ illius expenſæ & ſumptus, quos in familiam Regiam, Præfectos, Nobiles, aliosque aulæ miniſtros, nec non in Senatores, Conſiliarios, Inquiſitores, Rationales, ſuſceptores publicorum vectigalium, & in ipſa loca publica, in claſſes maritimas, milites, & præſidia militaria Regni
Neapolitani, Siculi, Ducatûs Mediolanenſis, 151
Belgii, in Africa, Inſulis, India Orientali, & in ſumma in omnibus Provinciis extra Regnum bello acquiſitis annuatim ſuſtinere & erogare cogitur, cum rationibus accepti conferantur, illæ has aut æquant, aut non rarò ſuperant; omnesq; penè reditus conſumi, & interdum non ſufficere, Joannes de Laet, præcipuè in hoc Hiſpanorum & Portugallorum fidem ſecutus, exactè ſubducit & probat, *in deſcript. Hiſpan. cap. 15. per tot.* Quinimò cùm Orbem propè univerſum auro, argento, gemmis laſſent Hiſpani, regnum ipſi ſuum ære fatigant ignobili: & pro auro argentoque æs illis ab hoſte cuſum eſt, cùmque divitiarum ſuarum reconditoria ære onerent, cacabeis gloriari opibus poſſunt, fors ne multò pòſt plumbeis, exinde etiam ligneis, aut boum tergoribus; Carol. Scriban. Jeſuita *l. 1. Inſtitut. Politico Chriſtian. c. 28. pag. mihi 176.*

Licet quoque Boterus in extollenda Re- 152
gis potentia nimius (ut diximus ſuprà ſub *n. 4.*) amplitudinem & immenſitatem Regni in tot partes diviſi, & per totum penè

Orbem ſparſi, nihil obeſſe illius firmitudini & ſtabilitati judicet; Attamen ſi hîc judices non minùs notæ prudentiæ & integritatis audiamus, contrarium Sole meridiano clariùs elucescet.

153 Magnus ille Colinius apud Thuanum *l. LI.* ad Regem Galliæ ita ſcribit: Cùm ſolenne ſit Hiſpanis, ditiones Regi ſuo ſubjectas in provinciæ formã redigere, crebras arces ubique ædificare, easque validis præſidiis armare, coguntur vires ſuas pluribus locis diſtractas habere, in Sicilia, Africa, Neapolitano Regno, Inſubribus, & in Belgio, ubi in ſolo limite Galliam ſpectante viginti ſeptem præſidia magnis ſumptibus alere neceſſe habeant. *Et poſt pauca.* Quòd ſi Philippum maritimis prævalere contra nos opibus quis dicat, huic reſponſum eſto, nos non in Italia bellum gerere, in qua illum claſſe potentiſſimum nemo inficiatur, ſed in Oceano, in quo non triremibus, ſed navigiis rotundis certatur; & in quo proinde non eædem opes, non vires, non eadem rerũ navalium peritia in Hiſpanis conſpicitur & laudatur: nam Anglos, Scotos, atq; adeò Belgas & Batavos, quibus cum illis res eſt, Hiſpanis præſtare in eo mari, nemo eſt qui dubitet.

154 Huic accedit Noalii judicium apud eundem Thuan. *Lib. LXXXI.* ubi ita Regi loquitur: Hoſtiles vires quales ſint, quandoquidem multi eas tantopere ad terrorem extollunt, operæ pretium eſt diligentiùs conſiderare: qui multitudine ditionũ, & titulorũ amplitudine eas metiuntur, næ ignaris rerũ terrorem incutere poſſunt: verùm illa ipſa amplitudo robur ejus minuit, cùm disjunctis tot locorum intervallo regnis, quæ omnia ferè validis Hiſpanorum præſidiis tenet, ſeparatas habere vires cogatur.

Sed Gallorum fortaſſe uti infenſorum ju-

155 dicium apud multos levius fuerit; itaq; Italos audiamus: prodiit anno cIɔIɔxv. libellus ſub titulo *Pietra del Paragone Politico*, ſub nomine Trajani Boccalini: verus an fictus auctor ſit, non jam quæro: In eo lepidè fingitur, in Curia Parnaſſica Apollinis omnia regna Europæ in ſtatera à Laurentio Medices Florentino fuiſſe appenſa: Regnum autem Hiſpaniæ cum ſumma antiquorum admiratione, qui exiguam illius originem meminerant, ad pondus XX. millionũ aſcendiſſe. Hiſpanos verò ſperaſſe aliorum regnorum ſupplementa, pondus Hiſpaniæ ſuperaturum, aut ſaltem æquaturum pondus Monarchiæ Gallicæ, quod fuerat millionum viginti & quinque, itaque quantocius ad lancem adjunxiſſe regnum Neapolitanum, nihil dubitantes ad minimũ duas milliones ad pondus acceſſures: ſed contrà evenit: nam ſtatera millionem unam & dimidiam declinavit: hic Hiſpani indignati de Laurentio queri inſtiterunt, & ſtateræ fidem in dubium vocare; verùm ille prudenter reſpondit, ſtateram eſſe juſtam, ſed non aggravare illam Neapolitanos & Mediolanenſes, tam disjunctos à potentia Hiſpaniæ, ditiones plenas populis, qui iniquiſſimo animo ferant dominationem extraneorum, uti nec Indias incolis penè vacuas. Sed obſequium & multitudinem ſubditorum, fœcunditatem & conjunctionem ditionum demum grave pondus addere & lancem inclinare. Narrat deinde, Hiſpanos etiam addidiſſe Ducatum Mediolanenſem; ſed & hîc lancem millione unâ leviorem eſſe repertam: Hiſpanos porrò graviter commotos non auſos fuiſſe adjungere Belgium, ne gravius dedecus incurrerent. Fuiſſe denique, qui dicerent, ſi Indias adderent, fortè rem meliùs proceſſuram eſſe; ſed non ea miracula addenda eſſe, quæ quidam largis buccis effutiunt, qui tantâ levitate de millionibus coronatorum ratiocinantur; quanta figularii de tegulis & laterculis.

Quid multa? prudentiores quique judicant, Regnum Hiſpaniarum jam dudum *mole ſua laborare.* (86) 156

Sed jam remedium videamus, quod 157 Boterus huic incommodo paravit. Duabus validis claſſibus membra tantis ſpatiis & locorum intervallis disjuncta probè uniri & in 158 officio retineri poſſe judicat. Verùm primò, ut facilè admiſerim, ditiones omnes, quas Rex intra Mediterranei maris limites poſſidet, unâ, eâque validâ claſſe conjungi & conſervari poſſe: quis vel paulò gnarior rerum maritimarum, Oceani Atlantici, Indici, Eoi, Auſtralis, & Septentrionalis Dominium vel acquiri vel conſervari poſſe unâ claſſe crediderit? Deinde qui ſatis norit, quid ad claſſes inſtruendas requiratur, & Hiſpaniam multarum rerum neceſſariarum ad naves & nautica inſtrumenta penè inopem eſſe, quomodo crediturus eſt, Hiſpanum tot claſſibus inſtruendis parem eſſe poſſe. Adde ſolos Batavos (ut de Anglis jam nihil dicam, quos maritimis rebus Hiſpano multum præſtare nemo facilè inficias ierit) cum quibus ipſi res eſt in utraque India, plures naves inſtruere poſſe uno menſe, quàm ipſe ſenis, aut fortaſſe vix unquam poſſet. Nec hoc diffitetur Boterus, ſed obiter Hollandiæ Selandiæque mentione factâ, unguem ab hoc ulcere abſtinet.

De terreſtribus copiis porrò videamus: 159 Hiſpanos (*inquit* Colinius jam ſuprà à me citatus) homines ſtrenuos haud inficior, ſed raros & in provinciis minimè populoſis natos, ut nũquam Carolus V. cùm plurimos habuit, plures VII. cIɔ. peditum Iɔ CCC. equitum in caſtris habuiſſe dicatur: & nobilitas in Hiſpania, cùm non niſi ex conventione privilegiis ſuis firmatâ pro provinciarum ſuarum defenſione Regibus militet, raro Pyrenæum tranſcendit. Quòd ſi quando major 160 numerus in Hiſpania conſcribatur; ex

ruſticis

ex ruſticis & tironibus ferè conſtat & ejuſmo-
di hominibus, quales nuper Medinæ Cœ-
li Dux ſecum in Belgium advexit, qui armo-
rum rudes ad primum certamen ferè uni-
161 verſi deleti ſunt. *De conductitiis exteris* (87)
quid dicam, quorum fides tantiſper durat,
quamdiu ſtipendia benè procedunt; quan-
quam quicquid de ſummo illo Hiſpanorum
erga Principem obſequio dicatur, non de-
ſunt hoc noſtro & ſuperiori ſeculo exempla,
Hiſpanos ob non ſoluta ſtipendia tumultu-
antes res Principis ſui graviter afflixiſſe & in
ſummum diſcrimen adduxiſſe.
162 Jam verò ſatis conſtat, Ærarium Regis
penitus exhauſtum eſſe, idque jam à multis
annis; unde & fidem mercenariorum mili-
tum labaſcere neceſſe eſt: ſed de hoc paulò
pòſt plura dicemus; nunc eò regredientes,
unde paulò digreſſi ſumus, dicimus immen-
ſum hoc Hiſpanicæ Monarchiæ corpus ad-
modùm debile eſſe & graviſſimè laborare.
163 Ut ſingula illius membra compendio luſtre-
mus, ſequemur hunc ordinem; Hiſpaniam
ſimilem eſſe exiſtmo magno alicui homini;
cujus corporis moles præter naturalem mo-
dum excrevit; aut corpori humano, quod
ſupra ætatis modum eam proceritatem jam
adeptum eſt in juventute, ad quam ne per-
venire quidem debet perfectâ jam ætate:
uti lepidè de Hiſpania ludit idem, qui ſuprà
164 Boccalinus: hujus autem corporis caput
Hiſpania eſt, prout hodie particularia *omnia
Regna* (88) complectitur; Satis quidem
grande fateor, ſed ſi cum cæterorum mem-
brorum mole compares, nonnihil deforme
165 & impar; Stomachus autem, qui ferè hodie
totum hoc corpus nutrit, India eſt Occiden-
talis. Nam ut poſtea ex ipſorum Hiſpanorum
confeſſione audiemus, illa hodiè ferè ſola
166 ærario Regio ſubſidia ſubminiſtrat. Hunc
Novum Orbem, *inquit Boterus*, ſine ullo ri-
vali poſſidet Rex Catholicus; Itemque Di-
tiones Regis Catholici in Novo Orbe tàm
immenſæ ſunt, tàm potentes, ut hoſtes ti-
167 mere minimè neceſſe ſit. Sed quantum
in hac parte fallatur Boterus, paucis faci-
am manifeſtum. Primò habet Rex Hiſpa-
niæ æmulos & rivales in hac parte poten-
168 tiſſimos Europæ Principes, qui re maritimâ
non minùs poſſunt, quàm ipſe, *Gallos*, (89)
Angloſq́; (90) qui ne jure quidem primæ lu-
ſtrationis in quibuſdam partibus ipſi conce-
dunt. Habet & *Belgas*, (91) qui quicquid in
hac parte poſſint efficere, *jam aliquoties* nu-
perrimè *demonſtrârunt*: (92) quid futurum
cenſes, ſi Angli, quemadmodum olim,
169 nunc rurſus manum admoverint? Secundò
ditiones hæ neque ſingulæ per ſe ſatis validæ,
& ita longis terrarum ſpatiis à ſe invicem
ſunt diſcretæ, ut mutuo ſibi auxilio eſſe
170 non poſſint. Tertiò, neque intus metu
vacare poſſunt, quæ domi quidem in
variis provinciis crudeliſſimos hoſtes bar-
baros imminentes habeant; & à quibus non
rarò gravia damna patiuntur: in Nova
Hiſpania Chichimecas & alios ejuſdem im-
munitatis barbaros, qui & itinera ipſis in-
feſta reddunt, & agros pagoſque devaſtant:
in Braſilia non unam nationem crudeliſſi-
morum Antropophagorum, in Chilenſi
provincia, barbaros libertatis ſuæ amantiſſi-
mos, bellicoſos, ſtrenuos & ne artium qui-
dem militarium rudes. Atque hæc quidem
à Barbaris ipſi metuenda ſunt; quid ſi ob-
ſequium eorum erga Regem vacillet? non
deſunt exempla; neque manifeſtæ occultæ-
que cauſæ, quæ hodie paria poſſent efficere;
inprimis hoc ſis vide, quanta jam copia *Hy-
bridarum* (93) (quos *Meſtecos* vocant, è
barbaris & Hiſpanis prognatos) hic nume-
retur; quanta *Nigritarum*, (94) qui non-
nullibi ipſos Hiſpanos ſuperant; de quorum
fide Regem ſemper ſollicitum eſſe neceſſe
eſt. Quartò adverſus externos hoſtes, quo- 171
modo hæ ditiones tutæ eſſe poſſint, quæ
tàm immenſo orarum ſpatio Oceano utri-
que protenduntur; ita ut totam Hiſpaniam
incolis exhaurire neceſſe fuerit, ut vel dimi-
diam partem orarum occupes.
Sed Hiſpani (*inquit Boterus*) omnibus 172
locis opportunis optimas colonias funda-
runt. Quantum in hoc fallatur, ex deſcri-
ptione harum ditionnm adverti poteſt.
Nam præter Habanam, Carthaginem,
Pernambucum & pauca alia loca, quæ ſu-
perioribus annis Rex communiri curavit;
quid uſquam validum eſt in toto orarum
ductu; quid non omnibus, quibus mariti-
mæ ſunt copiæ, expoſitum? A Meridiona-
li parte nullum (*inquit idem*) hoſtem ha-
bent, quem metuant, at metuunt *Chilenſes*,
(95) neque immeritò; at metuerunt omnes,
qui claſſibus in mare illud pacificum jam ali-
quoties penetrarunt, & jam adhuc ampli-
ùs metuunt, poſtquam præter fretum Ma-
gellanicum, apertior & facilior aditus à
Batavis fuit inventus. Cætera, quæ Bote- 173
rus ad ſecuritatem harum ditionum de-
monſtrandam accumulat, Inſularum ob-
jectarum magnitudinem & multitudinem;
vadorum breviumque incerta; æſtus, qui
ſe per Bahaniæ canalem egurgitat, rapidum
curſum, & ſimilia, næ ille opera ſua egre-
giè abutitur. Nam hæc ipſa Inſularum mul-
titudo facit, ut exteri commodiùs latere,
aquare, lignare, & è propinquo nunc hìc
nunc illic colonias Hiſpanorum invadere,
naves ultrò citroque commeantes capere
& diripere poſſint: nec vadorum brevi-
umque incerta illis minùs nota & vitatu fa-
cilia, quàm ipſis Hiſpanis: nec portus de-
eſſe poſſunt, cùm vix centeſſimam eorum
partem aut communierint Hiſpani, haud
coloniis ac juxtà poſitis aliis acceſſu diffi-
ciles reddiderint: nam ut cætera taceam,
vix quatuor aut quinque ab ipſa Habana leu-

cis portus à Batavis aditi, & frendentibus licet Hiſpanis neceſſaria omnia accepta, aqua, ligna, cætera.

Poſſem nunc è contrario oſtendere in univerſo Hiſpanicæ Monarchiæ corpore, ſi quidem Principes aliquot, quibus opibus hiſce Indicis negotium faceſſit, operas ſuas ad hoc velint conjungere, nihil debilius eſſe, nihil quod faciliùs ſubverti poſſit, quàm hunc ſtatum Indiæ; ſed illud jam non ago, & malo Anglos, Belgasque ipsâ operâ oſtendere, quàm me laborando id rationibus demonſtrare, qua parte maximè Hiſpani inju-
174 riæ expoſiti ſint. Mirum eſt autem, Boterum vel eo tempore, quo ſcripſit, diſcrimen hoc, quod huic membro ab hoſtibus imminet, tàm parvi feciſſe, præſertim cùm non ignoraret, quæ proximè ſuperioribus annis ab Anglis in utroque mari, tàm Auſtrali, quàm Septentrionali geſta fuerunt, quæque ad eundem modum geri poterant: nam huic diſcrimini ſatis proſpectum eſſe *paucorum locorum munitione* (96) id verò nimis fri-
175 volum eſſet.

Sed de America jam ſatis multa diximus: quid de Africæ orâ atque India dicemus, quàm invalida hîc ſint omnia, quivis facilè videt. Nam ut confœderatorum illius fluxam & inſtabilem fidem ſileam, quod haud ita nuper ex *Congo* Regis infido obſequio, ex *Angolæ* Regis conatibus ſatis patuit; India quoq; nutare ex *Ormuzii jactura*, (97) & damnis, quæ Portugalli à duabus *mercatorum tantùm ſocietatibus* (98) paſſi ſunt, manifeſtum eſt; Molucæ, Banda, Amboina, & ditiſſimum caryophyllorum, & nucum myriſticarum commercium, penitus amiſſa; mare Eoum Batavis penè liberum, Portugallis intutum, oræ omnes Anglorum, & Belgarum claſſibus infeſtatæ denique faciunt fidem.

176 Breviculo rem expediam, & hoc tantùm dicam; eas, quas Rex Hiſpaniæ hodie poſſidet, Regiones, non modò *per ſe penè exſangues eſſe*, (99) ſed ob belli, quod cum Belgicis confœderatis Provinciis jam tot annis geſtum eſt, molem, maximam copiam ſanguinis è reliquo illius Corpore exhauſiſſe & quotidiè exhaurire. Cæterùm hic Hiſpanorum genius & conatus eſt, ut proferre potentiam, *quàm pace frui malint.* (100) Publicæ 177
Libertati omniumque fortunis inhiant; Concordiam, quâ Chriſtiani Orbis Societas fulcitur, ſcindunt & diſſipant, novasque ſemper ad bellum alendum quærunt occaſiones: Unicus tantùm illis obex eſt, fertiliſſima hominum Genitrix Gallia, quæ luxuriantem eorum, ac Superbiæ pennis altiùs evolantem Fortunam cohibet, adeptasque palmas in manibus infringit. Hæc nimirum quaſi arbitria Gentium in medio Europæ ſinu ſedens, cunctorum arma Principum ad nutum jungit, dividit, temperat, modò impotentem graſſantium in vicinos ambitum compeſcendo, modò juſtitiam imbecillium validè juvando: Ita nempe à fronte tenet Italos, à tergo Britannos frænat; ſiniſtrâ Germanorum res pacat; dextrâ verò Hiſpanis gladium oſtentat.

Agedum Hiſpani, & ſanioribus acquieſcentes conſiliis ſaga exuite, ferrum vaginæ reddite, pacem colite, *veſtræq; Fortunæ terminos* (101) tandem ſtatuite. Mutat illa vices: fallaciſſimi ſunt illius nutus: quos blanda effert, infeſta dejicit, & cum perpeti favore aſpirantem ſenſiſtis, ad ultimum fatigata, quantumvis eam preſſis manibus teneatis, temeritati veſtræ non ſufficiet. Quod ſi extremum hoc obſequium ei non eſſe remittendum cenſetis, omninò reputate, Deum, cui humanæ artes ſunt impares, vindicem habere oculum, & potentiam ſcelere quæſitam haud eſſe diuturnam. Grandius hoc veſtrum inceptum malè quondam Alexandro ceſſit: magno Romanis conſtitit, neque his contigit: qui enim obſecundante rerum ſucceſſu nimis exultant, felicitatis ſuæ ſponſorem inter mortales nullum, qui fallere nequeat, nanciſcuntur. O vos felices, ſi intra vos tantùm felices eſſe voluiſſetis; tutior quippe illa eſt potentia, quæ viribus ſuis, atque cupiditatibus modum imponit. Videte ergo, ne, dum Imperium quæritis, amittatis. Author Vindic. Gallic. *adverſus Alexandr. Patricium Amarcanum tit. 18. fol. 177. & 178.*

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT VI.

(1) P*Hilippus IV. &c.]* Authores hoc loco poſt Lanſium *in Orat. pro Hiſp.* à Klockio quoq; allegati, de Philippo III. Hiſp. Rege loquuntur, & quidem rectiùs, cùm neminem latere poſſit, præſertim Hiſtoriarum peritum, ſub Philippo IV. avulſas à fœderatis Belgis libertatem omnimodam nactis plurimas provincias. Adeò ut Philippus Ille, pace inter Ipſum & Belgii fœderatarum Provinciarum Ordines Generales XXX die Januarii Anno MDCXLVIII (& ſic triennio antequam Klockius noſter præſentem de Ærario Tractatum ederet) Monaſterii Weſtphalorum inita *art. 15.* declaraverit & agnoverit dictos Dominos Ordines Generales unitarum Provinciarum Belgicarum & provincias ipſas cum omnibus ſibi aſſociatis ditionibus, urbibus, & terris appertinentibus (*de quibus art. 3. & 5. cavetur*) liberos & ſupremos Ordines, Provincias ac Terras, in quos vel eorum carúmve aſſociatas ditiones, urbes ac terras prædictas, dictus Dominus Rex, nec nunc, nec poſthac,

hac, pro ſe ipſo, ſuis ſucceſſoribus & poſteritate, unquam quicquam prætendat &c. & antea quoque Anno MDCXL. Portugalli, occiſo Secretario Statûs, Michaele de Vaſconcellos, ad libertatem provocarunt, electóve Johanne Duce Bragantino in Regem, qui ſe abhinc hujus nominis IV. Luſitaniæ Regem vocabat, Caſtellanorum poteſtati ſeſe ſubduxerunt. (*vid. Theatr. Europæ. part. 4. pag. 460. ſeqq.*) Ut taceam eas, quæ ab Illo Rege, vi Pacis cum Galliarum Rege Anno MDCLIX. initæ, Francicæ Coronæ, ex tot provinciis & urbibus ceſſis (*vide infrà notata ad cap. 7. n. 7. Not. 5.*) acceſſerunt gemmas. Sic Imperium Hiſpanicum eò quòd & Catalonii ſeſe in clientelam Regum Galliæ tradiderint, antequam Luſitani moverunt lacertos, Imperium Hiſpanicum dimidiâ ſui parte imminutum fuerit regnante Philippo IV. Hicque Anno MDCLXV. die XVII. Septembris ſtyli novi, fatis concedens, filio ſuo ſecundogenito ſuperſtiti, Carolo ejus nominis II. Anno MDCLXI. die VI. Novembris nato, Regnum reliquit, qui ſub tutamine matris Reginæ, Conſiliariis, Præſide Caſtilliæ, Vice-Cancellario Arragoniæ, Generali Inquiſitore, Comite de Peneranda, Archiepiſcopo Toletano, Marchione de Aytona adhuc ſceptra, tenet. *Diarium Europæum part. 13. pag. 201. ſeqq.*

Num. 2.

(2) *Portugallia &c.]* Hæc Europæa Meſopotamia, quam Celtæ & Luſitani inhabitarunt, dicitur. Celtas Gallos conſtituit Marinæus, juxta Durium, ubi Urbem Porto (quæ apud Antoninum *Portus Cala* & *Calem* appellatur) condiderunt, à qua dicta regio *Portugallia.* Luſitani ripas incoluerunt Anæ fluvii, quem Martianus Capella vocat Luſitanium, à quo Luſitaniæ nomen potiùs quàm à Luſo, vel Lyſa, Bacchi præfecto. Hanc poſtea occuparunt Romani, ſub quibus Turduli, Celtæ, & Vettones in tres Conventus Juridicos diviſi. Romanos expulerunt Alani, hos Sueci, ibidemque regnarunt Gothi Saraceni, tandemque Reges Aſturiarum & Legionis ad Alphonſum VI. qui Anno MXCIV. Thæraſiam filiam ſuam dedit uxorem Henrico Comiti, tertio filiorum Ducis Burgundiæ, abnepoti Hugonis Capeti, Regis Galliæ, (*vid. Dn. D. VVagner. Deſcript. Genealog. p. 340.*) & ob præclara quæ in Maurico bello patrarat facinora, dotis nomine conceſſit, quicquid in Portugallia & Gallicia Mauris eripuerat. Ex eo matrimonio natus Adelphonſus, Olyſiponam à Saracenis recepit, fugatis quinque Regibus uno prælio, pro qua re titulo Regio auctus Anno MCXXXIX. quinque ſcuta uno inſigni comprehenſa poſteris regni decus reliquit, & ſe ſuumque regnum ſic commiſit tutelæ B. Mariæ de Clarevalle in Lingonibus, ut voluerit quotannis regnum Portugalliæ nomine feudi & vaſallitii L. Morabitinos auri probati eidem Monaſterio appendere. Ejus poſteri cùm defeciſſent in Rege Sebaſtiano, cæſo in Africa Anno MDLXXVIII. ætatis XXIV. ipſi Henricus Cardinalis, avi illius frater grádi jam natu, affectâque valetudine ſucceſſit: & eo mortuo caducam Regni poſſeſſionem, multis ad ſe trahentibus, Philippus II. Hiſpaniæ Rex adiit Anno MDLXXX; ejusque poſteri retinuerunt ad diem XV. Decembris Anno MDCXL. quo Johannes Dux Bragantiæ Princeps Gentilis coronam regni admiſit. Fournier *Geogr. Orb. Not. part. 1. lib. 7. cap. 10.* Cæterùm exactiorem Regum Portugalliæ ſeriem J. B. Lambertinus *in Theatro Regio* nobis exhibet, ut & Eduardus, Nonius Leo, Reſendius &c. in Portugalliæ Deſcriptione contenti, ubi etiam de ſucceſſione Regis Caſtellæ in Regnum Portugalliæ plura *à pag. inde 226.* quædam verò per compendium cum allegatione multorum Authorum à Zeillero *in nova Deſcript. Regni Hiſp. pag. 111. ſeqq. edit. latinæ* adducuntur. Dn. Lindenſpür *de Imp. & Famil. origine &c. cap. 14. num. 7.* Dn. D. Wagner. *loco ſuprà citato*, aliive plurimi Scriptores. Quamvis verò Hiſpani nullum non lapidem moverent, ut Johannum hunc Portugalliæ Regem iterum de ſolio deturbarent, immotus tamen ſedit, fœdereque cum Gallis & Batavis inito, bellum contra Caſtellanos geſſit, conſpirationes oppreſſit, Braſiliam iterum fœdere ſublato Batavis eripuit. Eo ante diem quintum Idus Novembres Olyſiponæ in Portugallia Anno MDCLVI. è vivis ſublato, filius ex uxore planè Heroica Ludovicia Güsmanna de Medina Sidonia, defenſione filii ſtrenuè & prudenter contra Hiſpanos continuatâ, clariſſimâ die XX. Auguſti Anno MDXLIII. natus filius, Alphonſus nomine, hæres quinquaginta myriadum auri millium & Regni ſucceſſit. (*Thulden Hiſtor. per Europ. lib. 6. p. 277.*) Duxerat hic Anno MDCLXVI. die XIX. Auguſti S. Nov. in matrimonium Mariam Franciſcam Elizabetham (ſive ut vocatur in Diario Europæo, Iſabellam) Aumaliæ Duciſſam, filiam Caroli Ducis Naumurcenſis ex Domo Sabaudicâ & Elizabethâ filiâ Cæſaris Ducis Vindocinenſis, ſed & eam mox cum adminiſtratione regni Anno MDCLXVII. & Fratri Petro primùm ſub titulo Infantis & Regentis Portugalliæ, dein Johannis IV. Regis ejúsve conjugis Reginæ Dominæ Ludoviciæ filii, fratris & curatoris Illuſtriſſimi & Potentiſſimi Regis Alphonſi VI. tanquam vero & naturali horum regnorum Coronæ ſucceſſori &c. ceſſit, vel cedere coactus fuit. (*Diarium Europæum parte 18. circa finem, & parte 19. pag. 1. 2. 60. 292. 451.* & paſſim.) Ex qua A. MDCLXIX. magno omnium gaudio & lætitia ſingulari, filiolam ſuſcepiſſe dicitur.

(3) *Phthiriaſi &c.]* Thuanus *Hiſtor. lib. 120.* ubi tamen dicit, Regem moriturum hoc morbi genere, codicillis productis ſe quinque millia quingentas nonaginta quatuor auri myriades inutiliter conſumpſiſſe, ingenuè confeſſum, nullum aliud tantæ operæ pretium ſupereſſe, dicentem, præter Luſitaniæ Regnum, quod tam facilè amitti poſſit, quàm citò concepta de Franciæ Regno ſpes evanuit &c. Cum quo Meteranus *Hiſt. Belgicæ lib. 20.* & Petrus Matthæus *Hiſtor. Henr. 4. lib. 1. narrat. 4. num. 16.* facit, Scriptores verò Hiſpanicarum rerum de morbo hoc pediculari planè ſilent, eumque quantum poſſunt obtegunt. Sic Lambertinus *in Theatro Regio pag. 135.* ſolùm, morbo correptum Chriſtianiſſimum Creatori ſuo Omnipotenti DEO Spiritum reddidiſſe pronuntiat. Vernulæus *de Virt. Aug. Gent. Auſtr. lib. 3. cap. 10. num. 7.* ſcribit, Philippum articulari morbo, manuum pedumque ulceribus, apoſtemate, febri tertianâ, febri continuâ, hydrope, dyſenteriâ vexatum &c.

(4) *Decuplo majus &c.]* Imò, ſecundùm ſupputationem Horatii Malagucci *apud Honoriũ in Theſ. Polit. part. 1. pag. 555. ſeqq.* Catholici Regis Imperium Turcico Imperio ſexies ferè & dimidia parte aliquando majus fuit.

Num. 3.

(5) *Lipſius &c.]* Concludit autem Author

ille caput his verbis: De Imperio Hiſpanico quod ajebas; id ſanè, ſpatia terrarum ſi conſideras, præſertim in novo illo Orbe & Inſulis, Romanum longè vel ſuperat: ſed junctio & devinctio Provinciarum, viri, & copiæ, quàm deficiunt & delinquunt? Nunc quidem, nam poſteà quid futurum ſit neſcio, florebunt, creſcent fortaſſe.

(6) *Quocunque Sol ſe vertit &c.]* Similiter Valdeſius *de Dignit. Hiſp. cap. 12. num. 7.* de Philippo Tertio ſermonem injiciens inquit: Ubicunque mare fremit, ſive in Oriente, ſive in Occidente, ſive Septentrione, ſive Meridie Hiſpanum nomen triumphat & dominatur, qui ſicut Sol ſtellas, mareque flumina ſuperat, ita Alexandrum, Trajanum, & omnes, qui ante & poſt eos fuerunt, Philippus vincit potentiâ & magnitudine regnorum &c. At non ſine admiratione dici poteſt (*cenſente Petro Matthæo in Hiſtor. Henr. IV. lib. 1. narr. 4. num. 12.*) Regem hunc Indias Orientales & Occidentales gubernaſſe in ſeceſſu Curiali exiſtentem, apud quas tantum ejus auctoritas & reverentia voluit, ut unus homo cum mandatis & literis ejus plus imperavit, quàm alibi tot millia militum cum armis & auri milliones efficere potuerunt. Indeque Campanella *de Monarchia Hiſp. cap. 4.* aſſerit, Hiſpanum juge ſacrificium in univerſo mundo collocaſſe; quandoquidem omnibus ſemihoris, & continuò, celebratur miſſa in illius Imperio, ubi Papatus Romanus, Hieroſolyma, & templum exſtructum eſt. Neque unquam in ejus Imperio noctefcat. Cùm enim Sol ab Hiſpania per Braſiliam, Fretum Megalanicum, Philippinas, Japponem, Sinam, Calecuttam, Archipelagum Lazari, Goam, Bengalam, Ormuzium, Caput bonæ Spei, oram maritimam Africæ, Inſulasque fortunatas, usque ad eandem Hiſpaniam circumactus, nulla non hora aliquam partem illius regni illuminet, dubium non eſt, quin etiam ſemper ibi ſacrificia fiant DEO cœli & terræ. Sed de magnitudine hac inſequentibus temporibus plura deceſſiſſe Hiſtoriæ docent.

(7) *Petrus Matthæus &c.]* Adde Franciſc. Mennenium *in Deliciis Equeſtr. pag. 115.* Draconem *de Patr. lib. 3. cap. 2. in Append. n. 9.* Hodiè tamen in inſigniis Portugalliæ Regum ſphæra haud apparet. Et fortaſſis hæc magis ſymbolicè quàm verè de Portugalliæ armis celebrantur. Vide & Valdeſium *de Dignit. Hiſpan. cap. 12. numer. 7. in fin.*

Num. 4.

(8) *Hiſpaniarum Regna &c.]* Cluverius *in Introd. Geograph. lib. 2. poſtquam cap. 3. de veteri Hiſpaniæ diviſione tractaſſet cap. 5. num. 11.* ſtatuit: Triplici titulo tenere Hiſpaniarum Regem, quicquid tenet; Caſtellæ, Arragoniæ, & Portugalliæ. Sub *Caſtellæ regno eſſe;* duas Caſtellas, Legionem, Aſturiam, Gallæciam, Extramaduram, Andaluſiam, Granatam, Murciam, Biscajam, Navarram, Mediolanum, Belgium, Burgundiæ Comitatum, Inſulas Canarias, Americam, Inſulas Philippinas. Sub *Regno Arragoniæ,* Cataloniam, Valentiam, Inſulas Baleares, quæ Majorica & Minorica, Regnum Neapolitanum, Siciliam, Sardiniam. Sub *Regno Portugalliæ;* ipſam Portugalliam, Algarbiam, Guineam, Æthiopiam, Indiam Orientalem, Braſiliam, Inſulas Moluccas. De quibus Weſſelingus *in Aurifodina pag. 654. ſeqq.* & *pag. 1536. ſeqq.* Zeiller. *in Itiner. Hiſpan.* Joh. de Laet. *in Deſcript. Hiſpaniæ à pag. 153. inde, ſeqq. multis,* & Author *Deſcript. Regni Portugalliæ,* nec non Geographi, atque inter illos Merula, paſſim conſulantur. At verò quantum de ſua magnitudine Hiſpanicæ Monarchiæ deceſſerit, exinde liquet, quòd Septem Confœderati Belgii Provinciæ, unà cum Majoratu Sylvæ Ducenſi, Urbe Marchionatúsve Bergozomenſi, urbe Baronatuque Bredano, urbe Trejectina ad Moſam, Comitatu Vronhovio, urbe Graviâ, & ditione Cuykiâ, Hulſta, & Baillivatu Hulſtæ, Ambachtâ Axelia, cum ſuis pertinentiis, ut & fortalitiis in ditionibus Waaſiæ; Præterea omnes in Orientali & Occidentali Indiis, ut in Braſilia, item in oris maritimis Aſiæ, Africæ, & Americæ, Urbes Caſtella & ditiones, quæ Batavi Anno MDCXLVIII. in illis tractibus poſſederunt, Statibus Provinciarum Unitarum plenariè ceſſæ in Pace Monaſterienſi fuerunt. Alia decrementa paſſa fuit Corona illa, cùm Comitatus Ruiſconenſis, & Comitatus Confluentium, parsque Comitatus Cerdanæ cum ſuis appertinentiis & juribus, in Regem Chriſtianiſſimum Rex Catholicus vigore Pacis Anno MDCLIX. transferret; Rocroyum, Caſtelletum, & Lincampium reſtitueret; Demum ſub prætenſo *Jure devolutionis* inter Ipſos Hiſpanum Gallúmve natum bellum, conceſſis Fortalitio Carolo-Regio, Duaco, Tornaco, Aldenarda, Inſulis, Armenteria, Cortraco, Montibus aliisque locis, ab Ibero pace Anno MDCLXIII. die IV. Maji Styli novi pactâ Aquisgrani ſopitum, & Comitatus Burgundiæ undique devaſtatus à Francico milite liberatus fuit. (*Diarium Europæum parte 19. p. 318.*) Cùm & antea die XIII. Februar. Anno MDCLXVIII. procuratâ inter Hiſpaniam Portugalliámve concordiâ, exceptâ Urbe Zeutâ, omnia, quæ ante bellum inter Philippum IV. atque Johannem IV. geſtum, Portugalliæ Corona poſſederat, ipſi remiſſa fuêre. (*Diarium Europæum d. parte pag. 212.*) Ex quibus intelligere datur, quantes Eclipſes Sol Hiſpanicæ Monarchiæ paſſus fuerit & adhuc patiatur, ab imminenti ſibi Gallorum victorioſo Rege.

Num. 6.

(9) *Majoricam & Minoricam &c.]* Vide Zeillerum *in Regni Hiſp. nova deſcriptione pag. 87.* & Johan. de Laet *pag. 153. ſeqq.* ubi ditiones Hiſpaniæ poſt alios accuratè deſcribuntur, quibus jungi poterit Fournier. *Geogr. Orb. Not. lib. 8. cap. 8.*

Num. 12.

(10) *Sardiniam &c.]* De veteri Sardinia doctiſſimè commentatus eſt Cluverus *tractatu ſingulari,* de veteri & nova, Gotofredus *in Archontologia Coſmica Tom. I. pag. 254.* de Laet *in Hiſp. Deſcript. pag. 158. ſeqq.* Fournier *Geograph. Orb. Not. lib. 9. cap. 12.* & Geographi paſſim, qui inter alia notant, naſci in hac Inſula herbam quampiam *Sardoam* dictam, quam nonnulli Apio ſimilem putant, Latini Ranunculum & Strumeam vocant; quæ ſi comedatur, ora hominum & rictus contrahat, & quaſi ridentes perimat. Ut hinc proverbio locus factus videatur, *Riſus Sardonius,* de quo Eraſmus *Adag. Chil. 3. cent. 5. proverb. 1.* videatur.

(11) *Melita &c.]* Hodiè *Malta* appellatur Inſula illa, naufragio ſancti Pauli Apoſtoli, (*cujus meminit Lucas in Act. Apoſt. c. 27. & 29.*) nobilitata, quod pleniùs demonſtrat Burchardus Niderſted *in Malta veteri & nova cap. 4.* ubi in cæteris capitibus de dominio hujus inſulæ; de Ordine Equeſtri Melitenſi; & ejus in hanc inſulam

adventu;

adventu; naturâ ſoli populorumque; aliaque, quæ curioſo ſatisfacere queant Lectori, accuratè exſequitur. De ipſo verò Melitenſium ſive Rhodiorum Equitum ſymbolo & Origine Mennenius *in Delic. Equeſtr. p. 68.* & Miræus *in Orig. Ordin. Equeſtr. l. 1. c. 2.* videri poterunt.

Num. 13. 14. 15. 16.

(12) *Regni Neapolitani reditus &c.*] Joh. de Laet *in Comment. de Princip. Ital. pag. 109. & 120. & 111.* Referens apud Honorium *Theſ. Polit. parte 1. p. 220.* junge Camerarium *Hor. ſubciſiv. cent. 1. cap. 85.* & Latherum *de Cenſu lib. 1. cap. 17. n. 29. ſeqq.*

Num. 14.

(13) *Rex Alphonſus &c.*] Alphonſus enim ſubacto pacatoque Regno, rebusque ex ſententiâ compoſitis, immutavit ac in majus auxit ſtipendia. Nam pro ſingulis quibusque laribus & foco ſeptem numos argenteos imperavit, ex eo genere, quos vulgò *Carlenos* appellant; cùm priùs unaquæque Civitas oppidúmve pro numero, amplitudineque, & opibus ſtipendia penderet, per collectas, ut ajunt. Ad hæc oſtiatim per ſingulas domos emere modium, vel, ut Neapolitani vocant, tumulum ſalis, unumquemque patrem-familias in quinque Carlenos compulit. Beſoldus *de Reg. Sicil. & Neap. c. 8. n. 2. ex Ritio.*

(14) *Adogo &c.*] A Doctoribus dicitur communiter *Adoa*, *Adoha* ſive *Adohamentum*, barbaro verbo & ex Barbarorum traditionibus reliquo, eſtque, ſecundùm Camillum Borellum *in ſumma deciſ. Tit. 37. num. 1.* loco ſervitii, quod præſtatur regi in Regno Neapolitano ſive Siculo, & fit ſolutio in pecunia, pro eo ſervitio, quod præſtare tenebantur Barones, & Feudatarii ipſi Regi tempore belli. Dictam autem ſic putant, quòd, cùm præſtatio, quando fiebat in pecunia, feudum reddere debebat viginti uncias, & tamen fortè feudum eſſet diviſum, & eſſent plures, quorum portio ſola non aſcenderet ad tantum reditum, vel eſſent plura feuda ex ſe ipſis minoris reditus, jungebantur & adunabant plures inſimul, qui juncti & aſſociati faciebant adohamentum, ita quòd facerent unum militem pro ſervitio ipſis competente (*idem Borellus 7.*) Jacobus de Ayello verò, qui de Jure Adohæ expreſsè ſcripſit, *num. 53.* vult dici Adoham medietatem fructuum unius anni, & in feudis novis aliquid plus. Quia pro ſingulis XX. unciis ſolvuntur X. cum dimidio de feudis cum vaſallis: In feudis verò antiquis, prout conſueverunt, quia interdum caſtrum magni valoris pro Adoha quaſi nihil ſolvat, nec augeri ſervitium in præjudicium poſſidentis poſſit. Ubi vide.

Num. 15.

(15) *Thomas Sagethus &c.*] Vult dicere Author, Johannes de Laet; nam ejus hæc verba *d. loco* ſunt.

Num. 16.

(16) *Graviſſimas ſeditiones &c.*] Cujusmodi fuit illa à Maſſaniello excitata, de qua ſuprà *libro hoc cap. 1. ad num. 10.* mentionem injecimus. Quâ non ſolùm omnes vectigalium exactores, plerique alii ex miniſtris Regiis occiſi ſunt, verùm etiam Fratri Ducis Mataloniæ à Lanio impunè cultro caput præciſum fuit; Ad hæc multæ Baſilicæ & Palatia cum omni ſupellectili in cineres redacta fuêre; Prorege quoque cum omnibus Hiſpanis in ſummas redacto anguſtias. Cauſas quæris? Inter illas non minima fuit, Populum diu duriter à Proregibus habitum, qui identidem novis tributis eum gravabant, quæ & crudeliter exigebantur. Adeò ut onera deprecantibus quibusdam Regius quidam miniſter reſponſi loco hoc dederit: Si, unde ſalvatis, non habetis, hem! conjugum ac filiarum veſtrarum corpora proſtituite, & ex pretio inde redacto tributa ſolvite. *Author Deſcriptionis Sedit. Neapol. pag. 27.* Hæc tamen citiùs, quàm unquam ſperari poterat, ſedata, & populus veteri domino reconciliatus fuit.

Num. 17. 18. 19.

(17) *Mediolanenſis quoq; Ducatus reditus &c.*] Johann. de Laet *de Princip. Ital. Comment. pag. 155.*

Num. 17.

(18) *Cominæus &c.*] Verba ejus *Commem. rer. Geſt. lib. 7. cap. 3. edit. Barthianæ pag. 448.* hæc ſunt: Ipſa regione (*Mediolanenſi*) tota non memini pretioſiorem & locupletiorem videre; Nam ſe Princeps ejus quingentis in annum Ducatorum millibus contentus eſſe velit, ſubditi erunt ad votum copioſi, & ipſe ſummâ ſecuritate regnabit; ſed ſumma hodiè aucta eſt ad ſexcenta & quinquaginta millia, vel ipſa ſeptingenta, per ſummam Tyrannidem, ut populus nihil magis, quàm Dominum mutare cupiat. *Hæc ille.* Celebratur verò urbs ipſa capitalis Mediolanum, quæ Ducatui nomen dedit, quòd ſit fueritque Regia Italiæ, hoſpitium Imperatorum, ſpecula & arx totius Italiæ, Galliæ, & Germaniæ mirum in modum ſibi horum regnorum propinquitate accommoda, (*Alciatus de forma Rom. Imp.*) quòd ſit vallo, foſſis, arce & armis inſtructiſſima, ambitu ſuo VIII. millia paſſuum complectens; quòd ad CCXXX. millia capitum hîc numerentur, tantaque ſit artium & opificiorum varietas, ut jactetur, Mediolano deſtructo Italiam his inſtrui poſſe. (*Fournier Geogr. Orb. Not. parte 2. lib. 9. cap. 33.*) Ipſe Ducatus Mediolanenſis Imperii feudum, primò Vicarios, quos vulgò vocarunt *Visconten*, ſeu *Vice-Comites*, deinde Duces, qui ei Imperii nomine præerant, habuit, inter eos fuit Galeacius, qui duos reliquit filios, Johannem & Philippum Mariam, atque unicam filiam Valentinam, Ludovico Aurelianenſi nuptam. Galeacii itaque filiis ſine maſculâ prole extinctis, Ludovici Aurelianenſis filii, occaſione prætenſi juris materni, Ducatum invadebant, ſed repulſi; demùm Ludovicus Galliæ Rex ex Valentinâ nepos, eundem occupavit; Maximilianus Cæſar, eò quòd Mediolanum Imperii feudum & quidem ad maſculos ſaltem tranſitorium eſſet, & per conſequens demortuis Galeacii filiis ad Imperium ſit reverſum aſſerebat, Gallo omnem ſucceſſionem & meritò quidem denegabat; Poſtea tamen certis conditionibus pacem cum eo pepigit. Hæ pacis conditiones (nec enim Rex Ludovicus clauſulas præſertim matrimoniales pactioni conſentaneas eique inſertas adimplevit) à Gallis non fuerunt obſervatæ; Et licèt præterea Cameraci inter Cæſarem & Regem Galliæ de prædicto Ducatu alia interceſſerit Pacificatio, cùm tamen ea in præjudicium Caroli Auſtriaci facta, atque Ludovicus Galliæ Rex, ſe Conciliabuli Piſani defenſorem præbuiſſet, Cæſarique ſe oppoſuiſſet, conventio hæc meritò annullata fuit; Et quòd ampliùs, Valentinæ deſcendentibus & ſtirpe Valeſiâ extinctâ, Borboniis modernis Galliæ Regibus nihil Juris in Ducatu Mediolanenſi competat, Cæſariani validis Juris fundamentis ſtatuerunt. Cùm verò iterum Ludovico XII. Galliæ

Rege

Rege defuncto Franciſcus I. Ducatum Mediolanenſem bello aggrederetur & occuparet,& in poſſeſſione iſtius Ducatûs, Pace Anno MDXVI. die XV. Auguſti Navidum (*Nayon*) concluſâ permaneret, poſtliminiò verò victo ad Paviam Franciſco ad reſtitutionem iſtius Ducatûs captus ſeſe adſtringeret , liberatus ad pacta ſervanda ſe neutiquam adſtrictum profiteretur, eoque nomine infeſta arma Italiæ inferret; accidit tum temporis, ut Anno MDXXXV. menſe Octobri Franciſcus Sfortia, qui Mediolanenſem Statum hactenus gubernarat, nullâ ſobole relictâ obiret, cumque Ducatus ille feudum Imperatoris,atque familiæ Sfortiæ in caſum extantium maſculorum conceſſū eſſet, Mediolanum primò ad Imperatorem,deinde hæreditario Jure ad Philippum II. Hiſp. Regem translatus fuit , cui tamen translationi, ob jus, quod Franciſcus Galliæ Rex à Ludovico competere ſibi arrogabat , arma oppoſuit, induciis Nicenſibus paulò pòſt aliquantum tardata , concordiâ Anno MDXLIV. iterum apud Crepinium firmatâ, inter pacis Leges ſub certa conditione & renuntiatione depoſita ; reſumpta tamen iterum fuerunt , ſic ut Cameracenſibus ſive ut alii Cambreſianis induciis Anno MDLVI. iterum opus foret, quò furor bellandi in Italia quoque mitigaretur. Uti hæc omnia Georgius Braudlacht pleniſſimè pertractat *in Pacificationum Auſtro-Hiſpano-Gallicarum Hiſtoria cap.4.ſeqq.* Leonhard Wurſbain *in Hiſtor. Relatione Pacis & induciarum*, & Hiſtorici paſſim. Ab hoc inde tempore ſub Jure ditioneque Hiſpanorum Ducatus Mediolanenſis remanſit, & ejusdem feudum ab Imperatore Ferdinando II. Philippo IV. Hiſpaniarum Regi Anno MDCXXI. Viennæ ſolemniter collatum perhibent. (*Theatr. Europ. part.1. pag. 563.*)

Num.19.

(19) *Propter Controverſias cum Sabaudo &c.]* Quæ propter dotem à Philippo II. ob filiam Duci Sabaudiæ elocatam Ipſi è reditibus Ducatus Mediolanenſis promiſſam, diu non numeratam, exortæ inter utrumque intercedebant, & in apertum bellum Anno MDCXIV. abibant , de quibus per Compendium Laet *de Princ. Italiæ pag. 223.* agit.

(20) *Bellum in Rhætia &c.]* De quo pro partibus Galliæ Fortunatus Sprecher. *in Hiſtoria Rhætica* ſcribit : junge Bucelinum *in Rhætia ſacra & profana*, & alios Hiſtoricos hujus ſeculi recentiores &c.

(21) *Nuper propter Sabaudi expeditiones &c.]* Anno ſcilicet MDCXXV. quo belli hæc alea jaceri cœpta fuit.

Num.20.

(22) *Oppignorata &c.]* Qua de re Conſilium Philippo III. Hiſpaniarum Regi ſubminiſtratum à Conſiliariis Statûs Anno MDCXIV. ita loquitur, *apud de Laet in Hiſp. Deſcript. pag. 513.* Henricus III. filius II. Caſtellæ Rex cùm Patrimonium Regni pro quatuor millionibus maravedis oppignoraſſet, ſeſe in ſummam neceſſitatem cernens incidiſſe (quæ illi mens fuiſſet, ſi talis fuiſſet rerum Status, qualis eſt hodiè Majeſtatis Tuæ, qui cogeris omnia mutuò accipere, cùm reditus tui ſupra omnem comparationem longè ampliſſimi ſint) non quod quidam ſuadebant, à populo ſubſidium petiit, ſed ditiſſimos & potentiſſimos miniſtrorum capi & in opes illorum inquiri juſſit, ut ratione initâ eorum, quæ antea, quàm ipſius ſervitio ſe applicaſſent, poſſederant, liquidò conſtaret, quibus modis rem familiarem in immenſum auxiſſet, & largitionibus, quas fecerat, recognitis,& accepti modo inito, quæ contra rationem fecerat, optimo Jure revocavit. Bellum illi erat cum Mauris , & tamen non tanta erat ærarii inopia, quanta hodiè: Oppignorationes non erant tales, neque conceſſiones tam immenſæ, quàm ſub regno M.T. quæ ab initio regni tui ad hodiernum diem aſcendunt ad LIV. milliones : & expenſæ tum longè aberant ab hodiernis, quæ intra viginti annos aliàs C. milliones ſuperant : Monſtri ſimile videatur, ſi adjunxerimus , gazam Indicam, Gratias , Servitium ordinarium & extraordinarium, & plura media , quibus M.T. uſa eſt, & quæ non parùm publico incommodarunt.: quibus omnibus ſi modò rectè fuiſſent applicata & directa, tandem aliquando Dominium totius Orbis acquiri poſſe videatur &c.

(23) *Penſiones &c.]* Author Itineris Hiſpanici, Linguâ Gallicâ ante paucos annos in lucem emiſſi, Latinè ſic loquitur *cap 7.* Præter argentum quod Principi Condæo (*ſcilicet cùm hæc ſcriberet nobilis ille*), & iis,qui ipſius partes ſequuti ſunt, ſingulis menſibus debetur, peſſimè verò ſolvitur, Aula hæc expenſas extraordinarias facere in Cataloniam immenſas obſtricta eſt. Non habet illa niſi paucas admodùm copias,tamen ut venirent illuc illa tria vel quatuor millia Walonum & Germanorum,ſic pacta eſt, ut vel viliſſimus peditum ipſi viginti ſex ſcutis conſtet. Promiſit ea Marchioni Serræ, ſub qua conditione Barcelona rediit, ſcutorum centum millia per menſem, ut ibidem copiis militaribus præeſſet & Gallis reſiſteret. *& p.p.* Univerſum Orbem haud latet,quantas impenſas gravia illa bella, quibus Hiſpaniæ Rex implicitus eſt,requirant; ſed præter has,intra Regna alias erogat, quæ ipſi evidentiùs reditus ſuos conſumunt. Hæ ſunt diverſæ illæ penſiones ; vix enim aliquis ex Grandibus (ut vocant) Hiſpaniæ, Dux, Comes, Marchio, Eques eſt , qui non publico ſeſe tegat. Et hujus rei cauſa , non ſervitia in bellis præſtita, ſed urgens neceſſitas eſt, quæ plurimos illorum urget: adeò ut nonnemo pro certo mihi affirmarit,eſſe inter illos haud paucos,qui cum Creditoribus ſuis convenerunt, ut perſolutâ exiguâ ſummâ,quam poſtea ad ſuſtentandam vitam capiant, penſiones acciperent ſuas. Hinc evenit, ut præter Ducem Albanum , Marchionem de Leganez, Comitem de Ognato, & tres vel quatuor aliquos alios,quorum nomen mihi non ſuccurrit, inter illos nemo dives reputetur. Reliqua Nobilitas non habet,unde ſumptus,quos facit, ſumat. Relata ſolùm refero, neque enim tam diu Madriti ſubſtiti, ut de eo clariùs mihi conſtare queat. Verùm utut ſeſe res habeat, etiamſi Rex ab earundem perſolutione immunis eſſet, ſupereſſent tamen alii, qui meliorum redituum partem abſorberent ; Numerantur in copiis militiæ Regiæ neſcii quot Officiales,ut vocant, Reformati, qui nihilominus ac ſi actu ipſo officiis ſuis præeſſent ſtipendiis ſolitis fruuntur. Illud quidem certum eſt, minimam quæ poteſt ipſis partem ſolvi, ſic ut me lateat quomodo exinde vivere queant. *&c. Hæc Ille.* His penſionibus jungit alias Zevecotius *in Obſerv. Polit. ad Julium Cæſarem Suetonii cap. 27. pag. 77* quibus in Aulis exterorum miniſtri quidam demerentur ; verba ejus inter alia hæc ſunt: Unum ex præcipuis Monarchiæ Hiſpanicæ fundamentis hoc eſſe exiſti-

mo,

mo, *inquit*, quòd non tantùm Romæ Cardinales multos beneficiis & penſionibus ſibi obſtringat; ſed etiam in Regum & Principum aulis aliquos tacitâ liberalitate ſibi ſic obliget, ut conſiliorum omnium ac decretorum ſit conſcius, & ſi quæ contra illius commoda proponâtur, plauſibili aliquo, at damnoſo revera argumento intercedant, aut ſaltem differant illi, qui ſe totos quidem jam vendidêre, ſed quia Patriæ & Statui ſtudere ſe ſimulant, idque ignaris perſuadent, nondum pro proditoribus habentur. Sic ille, parùm æquior Hiſpanis, Belga.

Num. 20.

(24) *Genuates &c.]* Alibi *ad Polit. Sceler. cap. 43. p. 494.* ex Gramondo diximus, Hiſpanici Regis dominium in Genuenſes ex debito manare: *ubi vide.*

Num. 21. ſeqq.

(25) *In Africa &c.]* Iiisdem verbis Valdeſius *de Dignitate Hiſp. c. 12.* Potentiam & multitudinem Iberi deprædicat, in quo conſentientes Vernulæum *Orationum parte 2. diſſ. 2. art. 2.* Weſſelingum *in Aurifodina*, alios habet. Quin tamen ſplendida hæc rerum facies aliarum gentium inimicarum Hiſpanis, navigationibus in has oras inſtitutis, haud paululùm obnubilata ſit, tum Anglicarum, tum Batavicarum, tum Gallicarum, tum Portugallicarum rerum Scriptorum lectione extra omnem dubitationis aleam poſitum videtur.

Num. 23.

(26) *In numero variant &c.]* Inſulas haſce Fortunatas antiqui in Atlantico Oceano ponunt, quas Canarias hodiè vocamus, in quorum nominibus recenſendis parùm convenitur, in earumque diſpoſitione ac ſitu, moderni valdè à priſcis discrepant. Plinius & Solinus haſce ſex recenſent; Ombrio, Junonia, Junonia minor, Capraria, Nivaria, & Canaria. Ptolomæus autem numerat eas; Aproſitum, Heran vel Antolalam, Pluitaliam, Caſperiam, Canariam, & Centuriam. Moderni, qui eas Anno MCCCCII. detexerunt (cùm antea poſt Romani Imperii interitum latuiſſent) recenſent ſeptem, easque alio ordine diſponunt, & hæ ſunt: Lanzerotta, Forteventura, Magna Canaria, Tenariffa; Ferrum, & Gomera ſunt particularium Dominorum. Reliquæ ad Regem Portugalliæ ſpectant, inquit *Author Compendii univerſi ſive Geograph. Enarr.* Matth. Quad. *lib. 1. cap. 27. ubi vide.* Sr. Chaulmer verò *en Le Tableav de l' Afrique chap. 9. tit. 5. ſect. 3.* majoribus ſeptem Inſulis hisce addit Palmam, & Procam, minores Vechio-Marino, S. Claire, Rocho aut Roch, Gracienſe, Alegranza aut Alegriam, & Selvaiam, quæ tamen haud magni momenti eſſe putantur. *Vid. & Joh. de Laet Hiſp. Deſcript. p. 176. ſeqq.*

Num. 24.

(27) *Anno MCCCCXV. &c.]* Ad undecimum Kalendas Septembris. Mariana *de reb. Hiſp. l. 20. c. 7. p. m. 223.*

Num. 25.

(28) *Azores &c.]* Vid. Mandelslo Morgenländiſcher Reiſebeſchr. *l. 2. c. 22. p. 185. ſeqq.*

Num. 26.

(29) *Maderam &c.]* Quæ Anno MCCCCXX. primùm detecta & habitata fuit. Vid. *Quad. Geogr. enarr. lib. 1. c. 26. p. 101.*

Num. 27.

(30) *Arguin &c.]* De his & aliis locis, quæ Luſitani in Africa tenuerunt, vid. Chaulmer *en le Tableav de l' Afrique chap. 9. art. 4.* de Laet *in Deſcript. Hiſp. p. 181. ſeqq.*

(31) *Inſula S. Laurentii &c.]* Sic dicta à Portugallenſibus, quòd D. Laurentii feriâ Anno MDVI. detecta eſſet. Mandelslo in der Morgenländiſchen Reiſebeſchr. *lib. 2. c. 19. p. 175. ſeqq.* Chaulmer *d. loc. ſect. 3.*

Num. 30.

(32) *Armuzium &c.]* Hujus infrà ad *cap. 21.* hujus libri mentio fiet, & de eâ omninò Mandelslo *d. loc. lib. 1. cap. 8. p. 32. ſeqq.* Quad. *Geograph. enarrat. lib. 2. c. 16.* de Laet *dict. loc. pag. 201.* evolvatur.

(33) *Dium &c.]* Idem de Laet *pag. 202.*

Num. 34.

(34) *Goam &c.]* Mandelslo *lib. 2. c. 2. ſeqq.*

(35) *Malacam &c.]* Quæ & Malays. *Idem l. 3. p. 203. ſeqq.* de Laet *loco cit. p. 206.*

Num. 36.

(36) *Braſiliæ &c.]* Loquatur pro me Caſpar. Barlæus *de rebus Braſiliæ imperante Mauritio Naſſoviæ Principe pag. m. 32. ſeqq.* Braſilia ad Occaſum avia Caribum, Peruviam, Provinciarum totius Orbis Novi nobiliſſimam & celſa montium juga è longinquo adſpectat; ad Meridiem ignotas regiones inſulasque, maria & freta; Orientalem oram Oceanus Atlanticus, Borealem ſeptentrionalis pulſat. Luſitani eam fluvio Maragnone, & æſtuariis fluminis Argentei ſive PLATENSIS definiunt. Trigoni ſpeciem refert, cujus baſis Æquatori & Septentrionibus obverſa, ab Oriente rectà in Occidentem abit, ad promontorium HUMOS aut Maragnonem, aut, ſi Nicolao de Olyveira fides, PARAM usque. Angulus Auſtralibus regionibus abſorbetur. Populos ejus, ut & totius Americæ, Aborigines eſſe, neſas creditur: cùm ex Aſiaticis parentibus totum genus humanum fluxiſſe, fide conſtet. Qui primi hominum, & quomodo ex veteri Orbe huc pervenerint, an per Anianis Fretum, an per continuas ad Arctum Europæ terras, an per Septentrionalium Inſularum trajectus, an per vicinam olim & objectam Gaditano freto Atlanticam, (quam Americam eſſe, ex Platonis Critia & Timæo quidam autumant) an tempeſtate, in incerto eſt; pro ingenio ſuo quisque demat vel addat fidem tot placitis; mihi in partes ire, aut hoc præ illo vel impugnare vel aſſerere, tantâ veri caligine, animus non eſt. Primi eam Ferdinandi & Iſabellæ Catholicorum Regum auſpiciis aperuerunt Vincentius Pinzonius, & Didacus Lopezius; Portugalliæ Regis, Capralis & Americus Veſpucius &c. *& p. p. idem Barlæus.* Coloniæ quotquot fuêre ante nos, *inquit*, Luſitanorum fuêre. Epiſcopi & Præſidis totius Provinciæ ſedes, Portus omnium Sanctorum & S. Salvatoris Civitas. Nunc aliis rectoribus Hiſpanica, aliis Belgica Braſilia paret, aliaque Imperii Luſitanici, alia Belgarum ſedes.

Num. 39. 40. 41. 42. 43. ſeqq.

(37) *Cubam, Jamaicam &c.]* De quibus omnibus latè tractant Geographi & rerum Orientalium Scriptores, nominatimque poſt antiquiores Cornelius Wytfliet *in Deſcriptionis Ptolomaicæ augmento*, Matth. Quad. *Enarrat. Geograph. lib. 6.* Caſp. Ens *in Hiſtor. Indiæ Occidentalis.* Petrus Martyr *de rebus Oceanicis & Inſulis nuper inventis*, alii.

Num. 45.

(38) *Cochinilla &c.]* Vermiculi illi ſunt ex ſeminibus arboris, dicti *Nochez nopali*, id eſt, arboris cocci-

coccineæ provenientes, extus albeſcentes, intus coccinei, quibus adhibitis color coccineus ſive purpureus conficitur. Tanta autem in copia reperiuntur tantoque in pretio ſunt, ut ſuperioris ſeculi Anno LXXXVII. in Hiſpaniam quinque millia ſexcentum ſeptuaginta ſeptem Arrobæ (*quarum ſecundùm Heniſchium de Aſſe pag. 105. ſingulæ libras civiles XXV. faciunt*) collatæ, confecerint pretium ducentorum octuaginta trium ſeptingentorum quinquagintorum Peſorum ſive Realium Octonariorum, (*quorum ſecundùm Heniſchium d. loc. p. 216. quilibet LXIV. cruciferis æſtimatur*) prout Continuator Acoſtæ *lib. 4. c. 23.* & ex eo Eraſm. Franciſci im Oſt- und Weſt-Indiſchen Luſt-Garten *pag. 818.* narrat.

Num. 48. ſeqq.

(39) *Americam &c.]* Vide iterum præter ſuprà citatos Joh. de Laet *in Deſcript. Hiſp. p. 238. ſeqq. maximè p. 240.*

Num. 54.

(40) *Opes inexhauſtæ auri atque argenti &c.]* Pleraque enim montium pars innumerabiles auri argentique gazas nobiliſſimis fodinis emittit, nec ulla ferè urbs aliquo nomine ſpectata offertur, quam non inſigni alicujus minæ auro natura ditarit, ut meritò harum comparatione divitiæ ſordeſcere debent. Nam præter inexhauſtas montium Arrugias, quis eloqui poſſit, quantum auri, argentique vim canalitia, aut egeſti fluminibus theſauri ferant? quæ rutilantibus arenis, & pellucidis undis limpidi aureo quodam profluxu nitere videntur. Nec in tanta fodinarum copia minii, ſicut accidere Plinius teſtatur, aut ſandaracæ, & id genus verſicoloris terræ ad veſtimenta inficienda venæ deſunt. Caſp. Ens *Hiſtor. Occid. Indiæ lib. 3. cap. 21. ex Levinio Apollonio.* Notum eſt ejus Regis quodam Atabalipæ nomen & patratum cũ illo facinus, de quo Hiſtorici rerum Occidentalium, Bartholomæus de las Caſas *de Indiarum devaſtatione*, alii agunt. De Hiſpaniolæ verò auro Petrus Martyr *Oceanæ Decadis 3. l. 8. p. 296. 297.* videatur.

Num. 55.

(41) *Anil &c.]* Annil ſive Indigo, inquit Linſchottanus *parte 4. Indiæ Oriental. cap. 25.* in Guſaratte *Gali*, aliàs *Nil* vocitata, color ſeu pigmentum pretioſiſſimum eſt, quod magnis ſumptibus in Luſitaniam conquiritur. In regno Indiæ Cambaja naſcitur. Herba Roriſmarini ferè facie eſt: quæ, ut aliæ, ſuo tempore ſeritur, plantatur, evellitur, ſiccatur. Siccata denuò madefit, tunditur, & artificio peculiari præparatur, iterumque ſiccatur. Primò viridem, deinde cyaneum colorem aſciſcit: quo apud nos viſitur. Hujus creſcentis quò terra ſeu fundus pulchrior, eò color quoque ſplendidior & nobilior. Bonitatem hujus exploraturi, admotâ candelâ eam urunt. Quòd ſi ergo deflagrans in farinam abit, optima eſt. Sin ſubſtantiam relinquit arenoſam, nihili eſt. Annil in pretio magno eſt apud Indos & Luſitanos, ita ut valore in multis locis Caryophyllos excedat. Ante paucos elapſos annos ejus commercium Indicis Mercatoribus Hiſpaniarum Rex abdicavit: & ſibi ſoli, non ſecus ac piperis mercaturam præſervavit. *Hæc ille.*

Num. 56.

(42) *Tredecim Regales &c.]* Ita quidem Daveti & ejus Interpres Gotofredus *in Archontologia Coſmica lib. 1. pag. 275.* ponderant; at ſuprà *num. 45.* oſtenſum fuit ex Acoſtæ Continuatore, & Heniſchio, Peſum ſive Pezum conſtare Reali octonario, quorum quilibet LXIV. cruciferis noſtris æſtimatur. Ubi tamen in transcurſu notandum, argentea numiſmata ferè unius generis eſſe in Hiſpania, & vocari vulgò *Regales* ſive *Reales*, quæ ab una ad octo multiplicantur, (*Joh. de Laet in Deſcript. Hiſpan. pag. 396.*) minorem verò hujusmodi numum vulgò *Real de plata*, i. e. de argento edicto Cæſareo octo cruciferos valere, *Heniſchius d. l. p. 216.*

(43) *Alter eſt Guancavelicæ metallum &c.]* Proventus alter (*Regius*) ſubterraneus conſiſtit in argento vivo, quod copioſum eruitur apud Guancavelaquam. Fuerunt autem hujus metalli venæ primùm detectæ Anno MDLXVII. unde ingens quoque ad Regem Hiſpanorum lucrum redit, cùm inde percipere dicatur ad CCCC. mille pondo. Gotofredus *d. l. p. 275.*

Num. 57.

(44) *Inſulæ Philippinæ &c.]* Philippinæ Inſulæ, ad novam Hiſpaniam pertinent, non quòd illius, aut novi orbis limitibus contineantur, ſed quia primùm Anno MDLXIV. mandato Ludovici Velaſcii, novæ Hiſpaniæ tunc Proregis, à Michaële Lopezio de Legaſpe fuerunt inventæ. Dictæ autem ſunt Philippinæ in honorem Philippi Hiſpaniarum Regis, cujus felicibus auſpiciis primùm luſtrari cœperunt. In Oceano illo immenſo, qui inter novam Hiſpaniam & Sumatram producitur, circa undecim millia Inſularum variæ magnitudinis ſpargi opinantur: licèt autem Hiſpani omnes uno Philippinarum nomine deſignent, tamen id nomen magis proprium eſt Septentrionalioribus; quarum quadraginta hactenus ſubjugarunt, cum millione incolarum. Principalis appellatur Luzon, longa quidem ſupra CC. leucas, ſed ſatis arcta. Hîc perpulchrum oppidum condiderunt juxta oſtium fluminis, quod vocant Manillam: à duobus lateribus mari cingitur & flumine; ubi autem flumen in mare ingreditur, ab una parte turrim munitam, ab altera caſtellum fabricarunt, quod primum lignis & ceſpidibus ſeptum erat, nunc autem muro è lapide & cæmento. Maxima Inſularum eſt Vendenao: famoſiſſima Tandaja, quæ, quia prima detecta, per excellentiam Philippina vocatur. Inter alias ibidem eſt Cebe, ubi Magallanes diem ſuum obiit; capit ambitu ſuo XI. leucas, ſitaque eſt ad X. grad. ab Æquatore. Hæ uti & vicinæ Inſulæ abundant auri metallis, & annonâ; Vendenao inſuper Canellâ, cujus copia ad novam Hiſpaniam traducitur, atque adeò in ipſam Hiſpaniam, perhibente Merula *Coſmograph. part. 2. pag. 328. ſeqq. ubi pluribus, quanti momenti ſint hæ Inſulæ, demonſtratum dedit.*

Num. 60.

(45) *Antehac aciem humanam non effugiſſe &c.]* Video circa quæſtionem illam, *an India Occidentalis veteribus ante Columbum & ejus ſequaces cognita fuerit*, & ejus deciſionem Scriptores in duas abire partes; quibusdam cum Authore noſtro & Hornio *de Gent. Americ. cap. 10.* id affirmantibus; quibusdam id negantibus; inter quos non imi ſubſelli vir, Matth. Bernegger. *in quæſt. Polit. ad Tac. Germ. & Agricol. quæſt. 188.* & Barlæus eloquentiſſimè ſic partes Negantium tuetur, & authoritates in contrarium ex veteribus

adductas

adductas elidere conatur, *in Comment. Rer. Geſt. ſub P. Mauritio in Braſilia pag. 20.* Latuêre hæc loca Veteres, *inquit,* ut ne quidem famam ſui ad nos tot ſeculis transmiſerint. Quæ Plato *in Critia & Timæo* ex Solonis, hic ex relatu Sacerdotum Ægyptiorum perhibet de Atlantica Inſula, extra fretum Herculeum poſita, in quam paucorum ex Hiſpania dierum ſit trajectus, quæ Europæ Aſiæque par magnitudine, Africam Ægyptum usque, Europam ad Tyrrhenum mare armis poſſederit, auri argentique ſit ferax, utpote fabulis & ubere falſo permixta, Americam ſegniter, Utopiæ aliquod regnum & luxuriantis in Platone ingenii commenta certiùs monſtrant. Diodori Siculi (*lib. 5. cap. 20.*) magnam Inſulam, Occaſum versùs, in quam Phœnices, lecto Africæ litore, tempeſtateque abreptos ait, Americam eſſe, interpretum placita ſunt, non ſeria veri oracula. Nec enim metus erat, ut ad antropophagos, & ferinæ indolis gentes, relictâ Carthagine confluerent cultiores Pœni; ut neceſſe fuerit prohibere edictis Carthaginenſium in illam trajectiones. Senecæ Tragici (*in Medea act. 2. in fin.*) carmina de laxandis Oceani vinculis, detegendis novis Orbibus & non ultima Thule, Poëtarum vaticinia & adulantis Claudio Cæſari vota habent. Quæ de numo Imperatoris Auguſti effigiem exhibente, & in aurifodinis alicubi invento, narrat Lucius Marineus Siculus (*lib. 19. Rer. Hiſp.*) ſpecioſè dicuntur, creduntur ſtupidè. Tale & illud, quod Hiſpanis adlubeſcit: in Chilenſium Provincia, quæ Cautena dicitur, oppidum eſſe, quod *Imperiolam* hâc de cauſa nominant, quoniam in plerisque domibus & portis repertæ fuêre Aquilæ bicipites, quales & hodiè videre eſt in Romani Imperii ſignis. Neq; enim ſilentio tantam rem involviſſent, quotquot Auguſti & Romanorum geſta accuratè edidêre Scriptores, aut miraculum credidiſſet Tacitus, illuſtris Reip. Rom. Senator & Conſul, Uſipios Britanniam circumvectos, (*in Agric. 28. 24. 38. 5.*) ſi quidem in Americam itum fuiſſet. Quid? quod Britanniam & mare glaciale terrarum finem, Naturæ terminũ neutiquam appellaſſet. ILLUC USQUE (ET FAMA VERA) TANTUM NATURA. (*in Germ. cap. 45. num. 2.*) Nec majoris fidei ſunt, quæ Ammianus (*lib. 17.*) recenſet in Obeliſcis Ægyptiorum ſculpta conſpici volucrum ferarumque, etiam alieni mundi genera multa, cùm facilè illi fuerit, alieni mundi appellatione indigitare transmarinos Afros Europæos, vel remotiores Indos. Nec Ariæ Montano, viro aliàs gravi & ſerio, habenda fides, qui Salomonis claſſem ab Heziongaber huc navigaſſe autumat, & moram navigantium triennalem, & mercium varietatem, & locorum aliquot, & Inſularum interjacentium ſitus, Americæ convenire. Nec enim aſſequi poſſunt rei nauticæ periti, qui trajici poſſint immenſa Oceani ſpatia, fluxibus & refluxibus obnoxia, absque magnetica directione. Merces à Sacro Scriptore deſignatæ ex Aurea Cherſoneſo, ubi Malacca hodiè eſt, vel Africæ littoribus Auſtralibus peti potuerunt. Parvaim, cujus Sancta pagina meminit, Peru eſſe & Novam Hiſpaniam, conjecturæ ſunt graciles. Si literarum aliqua communio in re tanta pondus habet, credam, ad Afros potiùs iviſſe Salomonem, lecto littore; cùm minùs diſcrepent Ophir & Afer, quàm Peru & Parvaim. Sed hæc Grammaticorum pulpam ſapiunt. Ariſtotelis (*de Admir. lib. 8. de Cœlo lib. 2. c. 4.*) narratio de Inſula à Carthaginenſibus inventa extra Herculis columnas, quæ ſilvas haberet & flumina apta navigiis, ac plurium dierum itinere diſtaret, Britanniæ magis aut Canariis Inſulis, quàm Americæ convenire videntur. Illud non negaverim, veteres Coſmographiæ peritos, ratione potiùs & mentis agitatione, quàm ſenſu & famâ ſciviſſe, terræ adverſam aliam eſſe: mundi globum duabus oris diſtantibus habitabilem & cultum: quorum altera, quam nos incolimus, poſita ſub axe ad ſeptem ſtellas: altera Auſtralis, ignota nobis; & hinc profectos Senecæ verſus de novis Orbibus & non ultimâ Thule, & illos Maronis, JACET EXTRA SIDERA TELLUS, EXTRA ANNI SOLISQUE VIAS. Vatem quoque agit Seneca (*lib. 7. quæſt. cap. 31.*) non veri teſtem, cùm in hæc verba loquitur: Multa venientis ævi populus ignota nobis ſciet, multa ſeculis tunc futuris, cùm memoria noſtri exoleverit, reſervantur. Puſilla res mundus eſt, niſi in illo, quod quærat, omnis mundus habet. *Et:* Unde ſcio, an nunc aliquis magnæ gentis in abdito dominus fortunæ indulgentiâ tumens, non contineat intra terminos arma? an paret claſſes ignota moliens! unde ſcio, hic mihi an ille ventus bellum invehet? At antiquitùs fuiſſe habitatam Americam, tum alia multa teſtantur, tum potiſſimùm Imperii certa & conſtans ratio, ſuperba urbium & viarum ſtructura, ædificiorum ſplendor, hominum frequentia, & mores, qui nihil novi præ ſe ferunt. Nec enim poterunt à minimis ad maxima provehi, niſi longâ temporis morâ. *Hactenus Barlæus.* De Gentium autem ipſarum, quæ ante Hiſpanorum adventum illas habitarunt terras (quæ incognitæ veteribus, ut jam demonſtratum) & quas alii ab Americo Veſpucio Americam, alii Occidentalem Indiam appellant, Origine pro & contra H. Grotius & Joh. de Laet, ut & Georgius Hornius ex profeſſo ſcripſerunt.

Num. 61.

(46) *Columnas Herculis &c.*] Vide Strabonem *l. 3. Geographiæ p. m. 207. 208. ubi de ſitu & appellatione earundem agit.*

(47) *Columbo, Veſpucioq; &c.*] Primus certè proavorum memoriâ, *inquit Barlæus d. loc. p. 23.* ultra Atlanticos fluctus, Occidentem versùs, terras populosque aperuit, Chriſtophorus Columbus Genuas, qui acris admodùm ingenii vir, cùm extra Fretum Herculeum & Gades delatus frequentiores ventos Occidentales obſervaſſet, quos non niſi è terris ſpirare magnâ ratione didicerat, poſt vanas apud Principes plurimos ſupplicationes tandem Ferdinandi & Iſabellæ Caſtellæ Regum auſpiciis Anno cIↃ CCCCXCII. emenſo ingenti Oceano, ad Occidentis Inſulas, Hiſpaniolam, Cubam, Jamaicam, appulit. Quem ſecutus Americus Veſpucius Florentinus, (unde Americæ appellatio) Emanuelis Portugalliæ Regis mandato, idem iter auſus, Pariam & Braſiliam in Novi Orbis continenti primus tenuit. Poſt quos Magellanus, Dracus, Candiſchius, Nootius, Ralegus, Forbiſcherus, aliique Argonautæ, Americæ alia prodiderunt. Quæ frequentata poſtmodum Luſitanis, Caſtellanis, Belgis, Anglis, Gallis mercatoribus quæſtûs uberrimam nõ ſpem ſolùm, ſed & materiam præbuêre. At Hiſpaniarum Regi, cui per tot annos infeſſus fuit univerſus penè Americanus Orbis, coloniis, armis, caſtellis, Imperii Auſtriaci grande munimentum exſtitêre, & ob immanium opum annuos reditus, tot Europæ populorum flagellum & terror. His jungantur ſcripta à Cornelio Wytfliet *Tabb. Ptolom. augmento pag. 94. 95. ſeqq.* Honorio Philopono *in Nova Navigatio-*

vigatione in Indiam Occident. p. 5. Matth. Quad. *Geograph. enarr. L. 5. c. 4. ſeqq.* Caſp. Ens *Hiſtor. Indiæ Occident. l. 1. cap. 2. ſeqq.* Arnold. Montanus in der gedenckwürdigen Geſandſchafft an den Käiſer zu Japan *pag. 7.* præter Maffeum alioſque rerum Indicarum Scriptores. Præterea notandum, animadvertente, poſt Benzonem, Rhamuſium, atque Ortedum, Johann. de Laet *de Orig. Gent. Americ. Diſſ. 1. adverſus Grotium p. 48. 78.* & *Diſſ. 2. pag. 6.* ab Hiſpanis, qui Italo gloriam inventi novi Orbis invidebant, temerè confictum fuiſſe, Columbum à Navarcho quopiam novi Orbis notitiam accepiſſe, proindeq; aſſertum illud merè fabuloſum eſſe. Denique Columbum hunc, cujus vita inter Elogia Virorum Illuſtrium à Jovio conſcripta *lib. 4. pag. 123. ſeq.* extat, ab aliis, *ut apud Berneg. d. ſuprà loco.* Colonum dici. Claudant hæc Oweni verſus *Epigram. ad Henric. Pr. Cambriæ lib. 1. Epigr. 27.*

Cedere diluvium, campoſq; patere liquentes,
Nuntia de cœlo prima columba venit;
Æquora ſic ultra noſtris incognita, primus
Nuntiat immenſos eſſe Columbus agros.
Aurum arrham ſecum tulit alter, at altera olivam;
Alter divitias, altera delitias.

Num. 64.

(48) *Diodori Siculi &c.]* Vide ejus *cap. 19. 20. & 21. citati lib. 5.*

Num. 65.

(49) *Ariſtoteles &c.]* Verba ejus hæc ſunt, *prout in editione Pariſienſi p. 724. habentur Latinè;* Extra Columnas Herculis, ajunt in mari à Carthaginenſibus Inſulam fertilem deſertamque inventam; ut quæ tam ſylvarum copiâ, quàm fluminibus navigationi idoneis abundet, cùm reliquis fructibus floreat vehementer, diſtans à continente plurium dierum itinere: in qua cùm Carthaginenſes quidam ob ſoli fertilitatem connubia agitare, ac habitare cœpiſſent, ferunt, præſides, ne quis deinceps Inſulam ingrederetur, pœnâ capitis interdixiſſe, incolaſque ejeciſſe, ne coitione (ſi habitare iſtic pergerent) factâ, Inſulæ Principatum conſequerentur, & Carthaginenſes eâ felicitatis parte privarent.

Num. 66.

(50) *Ophiram &c.]* Vide ſuprà notata *ad lib. 1. cap. 1. n. 57.* & hoc ipſo Capite *ad n. 60.* & hoc Capite textum *in num. 67.* cum citatis ibidem Authoribus, & perpende, quod ex dictis illorum Authoris noſtri opinio adhuc plus dubii, quàm firmamenti capiat.

(51) *Parvaim &c.]* Ita quoque Beatus noſter Lutherus in Germanica verſione habet *v. 6.* Das Gold aber war Parvaim Gold. Tremellius & Junius: *Aurum autem ipſum erat aurum Parvajimorum.* Vulgata verſio ſubſtituit, *Porrò aurum erat probatiſſimum.*

Num. 70.

(52) *Lactantius, Auguſtinus &c.]* Negavit quidem uterque antipodes, ſed uterque horum diverſis ex principiis atque fundamentis, uti benè notat ad Auguſtinum *de Civit. Dei l. 16. c. 9.* Leonhard. Coqueus *lit. a.* neque omninò Auguſtinum, orbem terrarum rotundum eſſe, inficias ire, ex ejus loco citato colligere licet.

(53) *Diſputatio de Antipodibus &c.]* Aventinus *lib. 3. Annal. Bojor. 172.* hujus controverſiæ his verbis meminit: Erat Vergilius (*de quo in textu*) etiam in diſciplinis, quas Mathematicas vocamus, & in Philoſophia prophana magis quàm tum Chriſtiani mores ferebant, eruditus. Ex illiuſmodi literarum ſcitis, contra opinionem vulgi, & D. Aurelii Auguſtini, & aliorum fortè, docuerat id, quod noſtro ſeculo non argumentis inveſtigandum, ſed experimentis cognitum eſt, circumfundi terræ homines undique, & converſis inter ſe pedibus ſtare, unde antipodas Græcâ nuncupat voce. Hoc ita acceptum eſt, quaſi Vergilius alium mundum, alios ſub terra homines, alium denique Solem, atque aliam Lunam eſſe adſereret. Bonifacius hæc velut impia & Philoſophiæ divinæ repugnantia, refutat: Vergilium publicè, privatim arguit, ad recantandum has nænias provocat, efflagitatque jure ſuo, ut Legatus Germaniæ, ne ille hujuſmodi deliramentis ſinceram & ſimplicem Chriſti Sapientiam polluat atque contaminet. Divus Vergilius (ut omnes homines ſumus, & nihil eſt ex omni parte beatum) hâc injuriâ ac contumeliâ laceſſitus, animum Utilonis reguli Bojorum, apud quem plurimùm valebat, abalienare à Bonifacio, atque inter eos diſcordiam, & odium ſerere conatur. Jactabat etiam à Romano Pontifice deſignatum Epiſcopum, qui primus ex his quatuor, quos Bonifacius Bojis conſecrarat, deceſſiſſet. Divus Bonifacius id Zachariæ, Pontifici Maximo, literis conqueritur. Zachariæ quoque Philoſophia Vergilii ſuſpecta eſſe cœpit. Ipſe igitur Legatos cum mandatis & literis ad Utilonem ire jubet, partes ſuas Bonifacio commendat. Vergilium Philoſophum (ſi ſacerdos ſit, inquit, neſcio) à templo DEI & Eccleſia depellito, ſacerdotio in Concilio abdicato, ſi illam perverſam doctrinam fuerit confeſſus. Sidonio quoque & Vergilio comminatorias ſcripſit literas Romanus Epiſcopus, poſtulavitque, ut Bonifacio obſequantur. Inſuper Regulo Bojorum denuntiatum eſt, ut Vergilium Romam mittat, ubi Vergilius rationem reddat, ac à Pontifice Romano examine comprobetur. Meminêre quoque diſſidii ejusdem Marcus Velſer. *lib. 5. Rerum Boicarum Anno 746.* qui addit: Diſceptationis exitum non comperio. Fit veriſimile, aut purgaſſe ſe Vergilium Pontifici, ſive coràm, ſive per literas: aut cognitis invidorum utrimq; fraudibus, (nam quâ Vergilius animi probitate & vitæ ſanctimoniâ fuit; quæ Bonifacio renuntiata neque dixiſſe neq; feciſſe potuit) ultrò, quod inter bonos ſolet, in gratiam eſſe reditum. Sanè Bonifacius toto deinde ſeptennio ſuperfuit: neque iſtius tamen diſſenſionis præterea veſtigium apparet. Quod quidam conjecêre, non abnuerim, Vergilium de terræ ſpatio acutiùs, quàm pro vulgi captu, diſputaſſe globoſum eſſe, & vivere è contraria parte, qui adverſis veſtigiis ſtent contra noſtra veſtigia, quos Antipodas vocemus; hos perinde ac nos Sole & Lunâ luſtrari; ea, ignoratione audientium, perperam accepta, detortaque, longè alio ſenſu ad Bonifacium perlata, offenſionum præbuiſſe ſementé. Hæc totidem verbis recitat Serrarius *Mog. Rer. lib. 2. Not. 35. p. 518. ſeq.* ſequique eum videtur Dn. Adeltzreitter *Boicæ Gentis Annal. part. 1. lib. 7. n. 29.* Cæterùm & hoc adjiciendum, Diſputationem An. DCCXLVI. non verò, ut Author noſter tradit, in Annum DCCC. incidiſſe; cùm Papa Zacharias Anno DCCXLI. ſedere cœperit, & Anno DCCLII. die XV. Martii deſierit; denique apud prædictos Authores, & fortaſſis nec apud alios probatos, illationem, quam ex opinione Vergilii de altero Chriſto Bonifacium (*qui teſte Serrario d. loco primus Archiepiſcopus Moguntinus fuit*) formatam tradit Klockius, haud legi.

(54) *Ex*

(54) *Ex uno nati ſunt Adamo &c.]* Iſaacus tamen Peyrerius ex dicto Pauli ad Romanos *cap. 5. verſ. 13.* in publicum edito *Anno 1655.* ſcripto, evincere conatus fuit, ante Adamum quoque homines & ſic PræAdamitas extitiſſe. Sed non ſolùm per D. Samuelem Mareſium & alios error ejusdem detectus fuit, verùm ipſe Peyrerius quoque, *ut ex Epiſtola ejus ad Philotium apparet*, opinioni huic nuntium remiſit, de quo Iſaac. Voſſius *Diſſert. de verâ ætatione mundi cap. ult.* conſulatur.

Num. 71.

(55) *Ex Platone & Ariſtotele &c.]* Verùm non tam eorundem ex locis de Atlantide Inſula, quàm intimâ eorum Philoſophiâ, (ut credibile) cum Geographiâ, & Experientiâ, quam ex tot navigationibus ſibi acquiſiverat, conjunctâ.

Num. 73.

(56) *Alexandri VI. &c.]* De qua conceſſione legatur Mariana *de Reb. Hiſp. l. 26. c. 3. pag. m. 450.* Maffeus *Hiſtor. Ind. lib. 1.* Grotius *de Mari libro cap. 3 & 6.* & Alber. Gentilis *de J. Belli qui lib. 1. c. 19.* quòd & Mariana & Grotius facit, innuit non hanc novam fuiſſe conceſſionem, ſed laudum potiùs Papæ, quo controverſias Caſtellanorum & Luſitanorum, in quam quisque partem occupandam proficiſci jure videretur, diremit. Honorius verò Philoponus, ex Franc. Lopez *in Nova Novi Orbis peracta navigatione p. 21.* diplomatis tenorem adducit, quo in perpetuum Caſtellæ Regibus novi Orbes Inſulæ plenè à Papa Alexandro conceſſæ, donatæ, & attributæ fuerunt. Ubi vide.

(57) *Quod Hæreticum eſt &c.]* Ex mente D. Thomæ à Grotio *de Mari libero c. 2.* allegati, ubi dicit: Fides non tollit Jus naturale aut humanum, ex quo dominia profecta ſunt. Imò credere infideles non eſſe rerum ſuarum dominos, hæreticum eſt: & res ab illis poſſeſſas ob hoc ipſum eripere furtum eſt, & rapina, non minùs, quàm ſi idem fiat Chriſtianis.

Num. 74.

(58) *Attabalipa &c.]* Attabalipam & Atagualipam dictum tradit Honor. Philoponus *d. l. p. 68.* Hiſtoriam verò ejusdem compendiosè recenſet L. v. Bos *int' Vorſtelyck Treur Toonneel. Hiſt. 23.* & Eraſm. Franc. im Hohen Trauer-Saal *Hiſt. 51.*

Num. 78.

(59) *Ite in mundum univerſum &c.]* Citatus Barth. de las Caſas vel Caſaus Epiſcopus *cit. tr. p. 19.* ſic inquit: Maxima & damnoſa fuit ſemper eorum, qui Indiis præfuerunt (quod ad converſionem & ſalvationem hujus populi attinet) cœcitas; effectu enim negligebant, quod fucato ſermone præ ſe ferebant; & ore affirmabant, quod latente cordis linguâ negabant; eoque perventum eſt, ut Indianis mandaretur ſub pœna cruenti & ſanguinolenti belli, mortis, & perpetuæ ſervitutis, ut fidem amplecterentur & obedientiæ Caſtellæ Regis ſe ſubmitterent; quaſi DEUS filius, quo pro omnium redemptione mortem ſubiit, lege caviſſet, cùm dixit: Euntes docete omnes Gentes, ut infidelibus, pacificè & quietè & in hæreditaria & patria regione viventibus, mandaretur ſub pœna confiſcationis omnium bonorum, terrarum, libertatis, conjugum, liberorum, & mortis, ut nulla præcedente inſtructione DEUM confiterentur & agnoſcerent, & obedientiam præſtarent Regi, quem neque viderant, nec de illo quicquam audiverant, & cujus nuntii, omni humanitate deſtituti tam crudeliter ſe gerebant. Quod certè ſtultum eſt & abſurdum, omnique vituperio & irriſione, imò ipſis inferis, dignum. Cùm autem nefando huic, & iniquo Gubernatori cura demandata fuiſſet, executioni hæc edicta (*de quibus paulò antè dixerat de las Caſas*) tradendi, ut juſtiora & æquiora apparerent (erant enim per ſe Juri & æquitati repugnantia,) juſſit, (vel quibus demandata erat executio propriâ authoritate id agebant) ut cum deſiderio tenerentur, vel propoſitum haberent, aliquem locum, in quo eſſet auri copia, Indianis, in urbibus aut domibus, ſine ulla mali ſuſpicione degentibus, compilare & eripere; improbi Hiſpani, ut latrones, ad aliquem locum medio milliari ab urbe, pago, aut villâ diſtantem furtim accederent, & ſoli noctuque edictum publicarent & pronuntiarent hoc modo: *Cacici, & Indiani hujus continentis, talis loci,* (quem nominabant) *habitatores: Vobis omnibus notum facimus, unum eſſe DEUM, unum Papam, & unum Regem Caſtellæ, qui harum terrarum eſt Dominus: Statim accedite, & authoramentum lege clientelæ inite.* Et ſic quarta noctis vigilia, his miſeris innocentibus ſomno oppreſſis, in eum locum, quem nominarent, igne in domos, quæ omnes erât ſtramineæ, immiſſo, irruebant, ſicque viros, fœminas, & pueros, antequam animadverterent, comburebant; illicò quos volebant occidebant; quos verò captivos detinebant, tormentis, ubi quod domi non invenerant aurum abſcondiſſent, fateri cogebant; qui verò vitæ ſupererant, Servi ſtigmate priùs notati fiebant: extincto demum igne ad aurum inveniendum accurrebant, &c. quem Authorem omninò adeas, ſimilia *pag. 39. 50. 81. & paſſim*, eadem deplorantem, cui & Levinus Appollonius *Hiſtor. Peruvinæ l. 4. à pr.* adſtipulatur, & Hiſtorici paſſim.

Num. 82.

(60) *A Theologis &c.]* Ex noſtratibus à Beato Gerhardo *Loc. Theol. de Magiſtratu Polit. n. 410.* alios laudat Beſold. *de Increm. Im. c. 3. n. 3.*

(61) *Covarruvias &c.]* Qui *n. 2.* plures conſentientes, ut ab initio diſſentientes (quibus cum citatis ab ipſo Hieronymus de Cævallos *Tom. 4. Opin. Comm. contra Comm. quæſt. 735. n. 28.* accedit,) allegat, cui jungi poterit Bocerus *de Bello & duello cap. 4. n. 18.* Salmuth. *in Notis ad Pancirol. de nov. repert. Tit. 1. pag. 16. ſeqq.* & Vasquius *lib. 1. controv. c. 10. n. 10.* ubi inquit: Novi autem Orbis infideles ac incolæ, an ſi potentiſſimo Domino noſtro Hiſpaniarum Regi ſervire parati non ſint, poſſint juſtè debellari, tradit Alphonſus Guerrerius *in Speculo Principum c. 31. n. 5.* cujus ſententiam nec probo nec improbo, quia non vacat inveſtigare aut ſcribere, &c. Quam quæſtionem & ego jure intactam relinquo.

(62) *Triſtiſſimi eventûs &c.]* Ita quidem Joh. Cammannus *Diſp. de Jur. Majeſt. 3. th. 22.* loquitur. At benè addit verba illa recitans Beſold. *de Increm. Imp. c. 3. n. 4.* Fateor equidem multa errata fuiſſe commiſſa, impietatemque & æmulationem ex noſtratibus nonnullorum, res ibi turbaſſe & tandem evertiſſe. Verumtamen bella hæc ſuaſa fuerunt à viris ſanctis ab ipſoque Bernhardo &c. & multis miraculis approbata. *Hæc ille.* Ubi vide; cùm inprimis recenſionem duodecim Expeditionum Chriſtianorum adverſus Saracenos ibidem deliniet.

Num. 84.

(63) *Quàm Religionis ratione &c.]* Duriora ſunt verba Bartholomæi de las Caſas *pag. 50.* dicentis. Sæpiſſimè Hiſpani ſuâ avaritiâ & ad aurum accumulandum cupiditate vendiderunt, negarunt

garunt Jeſum Chriſtum. *& pag. 81.* Hoc præterea addam à principio usque in hunc diem, non magis ſollicitos Hiſpanos fuiſſe, ut his gentibus Evangelium Chriſti annuntiaretur, quàm ſi canes, aut beſtiæ fuiſſent, ſed quod prius eſt, eos Religioſis expreſsè prohibuiſſe, multas afflictiones & perſecutiones illis imponentes, ne concionibus & prædicationibus vacarent, illud enim impedimento eſſe ad aurum comparandum, & divitias acquirendas, quas illis avaritia proponebat, exiſtimabant. Nec majorem adepti ſunt DEI cognitionem, utrum ſcilicet DEUS ligneus ſit vel æneus vel terreus, quàm ante centum annos habuerint, demptâ Hiſpaniâ novâ, quæ eſt Americæ particula, quam religioſi profecti ſunt, & ita ſine fide, & ſacramentis periêrunt & adhuc hodiè pereunt &c. Interim homines ab omni ævo bellorum, quantumvis iniquiorum, cauſam prætenderunt RELIGIONEM. Sua quoque arma ſancta prædicant, ſuam cauſam religioſam. DEUS, pietas, cultus divinus prætexuntur. (*vid. Forſtnerus ad 1. Annal. Tac. 27. num. 4.*) Scilicet non verbo ſed ferro, non legibus ſed legionibus Religionem propagare ſatagunt, in hoc etiam religioſi magis, quàm religentes, ſecus ac fas eſſe dicitur, *apud AGellium lib. 4. c. 9.* cui hominum generi illud meritò reponit Author noſter *Tr. de Contrib. cap. 10. n. 81.*

Sæpè ſcelus cœlum zeli velamine texit,
Cui zelus cœlum eſt, non facit ille ſcelus.

Plura ſuprà notavimus *ad c. 5. n. 26. Not. 42.*

(64) *Anglos &c.*] Seldenum tamen pro Anglis librum, cui titulus *Mare clauſum*, ſcripſiſſe in vulgus notum eſt, cui inter alios Schoockius ſe oppoſuit, Belgarum advocationem, ſub titulo *Imperii maritimi* ſcripto libro, in ſe ſuſcipiens.

Num. 87.

(65) *Plus damni &c.*] Sic cenſet præter Keckermannum *in Synopſ. Oeconom. cap. 7.* & *Diſſert. Pract. 28. th. 45.* & Hugonem Linſcotanum *in Itinerario*, ſtructor Monarchiæ Hiſpanicæ Campanella *de Monarch. Hiſp. cap. 16.* Verè affirmare poſſumus, *inquiens*, Mundum novum quodammodo perdidiſſe mundum veterem; nam mentibus noſtris avaritiam inſevit & mutuum amorem inter hominem extinxit. Quilibet enim ſolo auri amore flagrat: hinc facti ſunt fraudulenti, fidemque ſæpè pretio vendiderunt & revendiderunt, videntes pecuniam paſſim prævalere & in admiratione haberi, & ſcientias ſacrasque conciones numis poſtpoſuerunt, agriculturæque cum cæteris artibus valedixerunt, mancipantes ipſos fertilitati pecuniæ, & divitum domibus. Produxit pariter magnam inæqualitatem inter homines, reddens illos aut nimis divites, unde inſolentia; vel nimis pauperes, unde invidia, latrocinia & aggreſſiones. Hinc pretia frumenti, vini, carnium, olei, & veſtimentorum ſupra modum adaucta ſunt, quia nemo illarum rerum mercaturam exercet, unde penuria; & pecuniæ interim expenduntur; adeò ut inopes tantis expenſis haud ſufficientes in ſervitutem ſe præcipitent, vel etiam profugiant aliquò latrocinatum aut militatum, impulſi paupertate, non amore Regis aut Religionis; ſæpeq; etiam ſigna deſerunt aut commutant: nec dant operam liberis per legitima matrimonia, cùm tributa exſolvere nequeant; aut certè omnem movent lapidem, ut in cœnobia pro monachis aut concionatoribus recipiantur. Nunc conſiderandum Regi relinquo, annon vincatur ab auro, quod tot malorum cauſa eſt. *Hæc ille.* Sed talia mala hominum perverſitati potiùs, quàm ipſo auro inventionique novi Orbis adſcribenda eſſe ex dictis ad Caput *1. num. 66. Not. 84.* liquet. Ubi candidus ille, ubi innocens Enſis, quem in immeritum vulnus non poſſit geſtantis temeritas urgere? (*Barclajus in Arg. lib. 4.*)

(66) *Sed & Hiſpanis &c.*] Quantis Hiſpania verò hoc invento ærumnis afflicta fuerit, deſcribit Author *Itinerarii Hiſpanici c. 11.* verba ejus Gallica latinè ſic ſonarent: Detectio ante aliquod tempus facta Indiarum, deducit Colonias ingentes, & non ceſſat novum mundum populis replere Hiſpanicis, tum concurſu illorum, qui ſedes ibidem figere ſuas ideò cupiunt, quòd reperiant regiones, quas adeunt, multis paraſangis præcellere eas, quas relinquunt, maximo, tum ob neceſſitatem quâ urgentur Hiſpani eò transferre homines ad bella gerenda, navales copias inſtruendas, pariterque munimenta, quæ exſtruxerunt, & civitates, quas vallis, muris circumdedêre, præſidiis firmanda; ſic ut florem Hiſpaniæ Indiæ teneant, & Reges argenti indigi ſubditos auro permutarint, & nunc haud ullæ tam fertiles minæ Potoſii aut in tota Peruana regione ſunt, quæ omnibus expenſis ſufficiant, quas ob defectum hominum erogare neceſſe eſt; In tantum, ut ſi quando navigia appellant, tot copias adferre nequeant, ut non pluribus & majoribus opus ſit, ad exſolvenda debita Statûs; accedit, (præterquam quòd maxima eorum pars ad privatos Flandriæ, Hollandiæ, Genuæ, & Galliæ pertineat,) quòd Regis portio diverſis perſonis ſolutionis loco aſſignata jam dum ſit. Si quando igitur aurum Indicum ad portum venit, Hiſpania ſolummodò Canalis eſt, per quem fluit & recto curſu ſeſe in Mare Abundantiæ aliarum regionum effundit. Non ſecus ut ad ſimilitudinem mundi cum corpore humano comparetur quoad hoc ori ſive buccæ, quæ cibos omnis generis recipit, manducat, præparat, ſed ſtatim ad alias corporis partes dimittit, & nihil ſibi præter guſtum, aut id quod fortè dentibus inhæret, retinet. Ideoque non præter optimam rationem quidam, ſecum perpendens quòd in Hiſpania aurum rariùs videatur, & quòd in aliis partibus mundi ubique eorum piſtoles (ut vocant) reperiantur, quodque ſi & alias numorum aureorum ſpecies haberent, illæ & mox ipſi ſubtili auferentur ingenio, cenſuit Hiſpanos aliis nationibus, in modum damnatorum in metallum, ut olim Imperatoribus, ſervire.

(67) *Mandinga, Æthiopia &c.*] Vid. Gramaye *in Afric. Illuſtr.* & Sr. Chaulmer *en le Tableau de l'Afrique*, cæterique Scriptores Neoterici de hac mundi parte, præter Geographos.

(68) *Arcano DEI judicio &c.*] Sic judicat Beſoldus *dict. loc. c. 3. n. 4.* additque, inde Ferdinandum Corteſium (quem Peru & Mexicanam ſubegiſſe regionem putat) Symboli loco habuiſſe illud: *Judicium Domini adprehendit eos & fortitudo corroboravit brachium meum.*

Num. 90.

(69) *Alcavala &c.*] Sumpſiſſe vectigal hoc Alcavala, (nomine, re, & voce à Mauris mutuato, ſive ab Ebræo verbo *Cavala*, quod receptionem ſignificat, ſecundùm Gutierrez. *quæſt. 2. num. 14.* appellatum) initium ſuum circa Annum MCCCXLI. teſtis eſt locupletiſſimus Mariana *de Reb. Hiſp. lib. 16. cap. 9. per totum*, & de hujus

hujus confirmatione etiam *lib. 17. c. 8.* mentionem injicit.

(70) *Onus perſonale &c.*] Explicantem hæc Gutierrezium *quæſt. 1. de Gabell. n. 19. ſeqq.* omninò vide.

Num. 92.

(71) *Quotannis &c.*] Extra ordinem tamen quandoque hoc ſervitium præſtare Regi Regna Hiſpaniæ, tribus exemplis ſub Philippo II; uno Anno MDXCI ob claſſem illam formidabilem Anno MDLXXXVIII. quo ſervitio octo milliones; dein rurſus quatuordecim; ad extremum novendecim milliones Regi, paucos intra annos collatæ fuerunt, monſtrat Joh. de Laet *Hiſp. Deſcript. p. 402.*

Num. 97.

(72) *Maravediſios &c.*] In plerisque Hiſpaniæ regnis in minoribus & majoribus computationibus utuntur nomine *Maravediſiorum*; vel ut Azevedo loquitur *Morapetinorum*; quorum CCCLXXV. efficiunt unum Ducatum. Eorum autem decies centena millia vulgò appellant *Quento*, quæ vox in rationibus eorum ſæpè occurrit & peculiari notâ à reliquis numeris diſtingui ſolet. Quentus autem maravediſiorum continet duo millia ſexcentos ſeptuaginta tres Ducatos, octo reales, & viginti ſex maravediſios. Nam & rationem marevidiſiorum & Ducatorum cum realibus comparare ſolent, licèt in publicis computationibus rarus eorum ſit uſus; quippe XXXIV. marevidiſii faciunt unum realem & undecim Reales faciunt unum ducatum; licèt non exactè ubique eadem proportio obſervetur; nam in Arragonia, Barcinona, Valentia, & Catalonia Realem ſubdividunt in XXIII. denarios, & Ducatum XII. Realibus definiunt (*Johann. de Laet loco ſæpè citato pag. 397.*) quæ ad enodationem harum computationum apponere hîc non inutile viſum fuit.

Num. 101.

(73) *Luſoriarum chartarum &c.*] Hiſpanias longè latèque luſtranti, *inquit Lanſius in Orat. contra Hiſp. pag. m. 291.* ſæpè hoc ſolet contingere, ut cùm multis locis nihil eorum, quæ ad victum faciunt, non panem, non vinum, invenire poſſit, tamen nunquam caſtellum, aut vicum adeò abjectum & obſcurum tranſeat, in quo non chartulæ veneant. Quod quidam in aula Regia advertens non parvi nominis & induſtrius mercator, ſummâ curâ parique ſtudio à Carolo V. Imp. contendebat, ut nemini præter ſe toto decennio tabulas luſorias in Hiſpaniis diſtrahere licitum eſſet. Quo privilegio ita prædives deinde factus eſt ille, ut cæteros ibi mercatores opibus ac potentiâ facilè ſuperavit. Hiſpani autem quàm præ aliis populis præclives ſint & præcipiti impetu ferantur in aleam, exemplis laudatus Author declarat.

Num. 103.

(74) *S. Jacobi &c.*] Equitum horum vulgò S. Jacobi de Spata inter Hiſpanos primipilarium S. Auguſtini Regulæ addictorum & magnis opibus fulgentium, inſigne in veſte candida crux rubra in gladii militaris modum conformata eſt, cui præterea antiquitùs Venerea (conchulæ ſpecies eſt, quòd Venus in iis vecta fortè dicta) quæ in Hiſpania pro theſſera D. Jacobi ſemper eſt habita, apponeretur. De quorum origine, inſtitutis, & domicilio, conſulantur Franciſc. Mennenius *Delic. Equeſt. pag. 94. ſeqq.* Miræus *in Orig. Ord. Equeſtr. c. 7.* Gotofr. *Archont. Coſm. l. 3. n. 14.*

(75) *Calatravæ &c.*] Dicti hi ſunt Equites à Civitate Calatrava, quam primi illorum, auctore militiæ Raimundo Abbate Ordinis Ciſtertienſium, defendendam contra Mauros ſuſceperunt, utunturque in Comitiis publicis veſte candidâ, crucis rubræ ſigno notatâ, cujus extrema deſinunt in quatuor Lilia. Mennenius *dict. loc. p. 99.* Miræus *cap. 8.* Gotofredus *lib. 1. Archont. Coſmica p. 215.*

(76) *Alcantaræ &c.*] Itidem ab arce Alcantara denominati, uniti primi ſub nomine Pirariorum Calatravæ Ordini, demum eo exempti auctoritate Benedicti XIII. crucis viridis figurâ floridâ in candido ſcapulari, ad lævam ſe diſtinxêre; cùm antè cucullo & rubrâ faſciâ tantùm diſtincti eſſent. Ubi notandum, Carolo V. Imperatori & ſucceſſoribus ejus tres iſtos Ordines in omne tempus adminiſtrandos à Pontificibus tabulis conditis, conceſſos fuiſſe. Mennen. *dict. loc. pag. 102. ſeqq.* Miræus *cap. 9.* Gotofredus *lib. 3. n. 16.* Zeiller. *in Regni Hiſp. Nova Deſcript. pag. 57. 58. & 59.*

Num. 104.

(77) *Cruzada &c.*] Bulla Cruciata eſt diploma Pontificium, per quod certæ indulgentiæ, & privilegia conceduntur ſolventibus certam Eleemoſynam in ſubſidium belli contra Infideles. (*Weſſelingius in Aurifodina lit. B. pag. 134.*) Illud ſolùm notam è Mariana *de Reb. Hiſpan lib. 22. cap. 18.* In belli adversùs Mauros gerendi ſubſidium (circa Annum MCCCCLVII.) Calixtum Pontificem Cruciatam indulſiſſe, non modò viventibus, ſed etiam vitâ functis, novo in Hiſpaniâ exemplo. Ejus evulgandæ curâ (*perhibente eodem*) Alfonſus Spina Palentiæ, ubi Rex (*Aragonia Henricus*) erat, demandatâ monuit, ne pecunia ex ea redacta in alios uſus converteretur; qui aut arma ſumeret contra Mauros, aut ducentos quadrantes conferret, ei quivis Sacerdos ſub mortem peccatorum omnium veniam dabat; etiamſi interclusâ voce nil aliud quàm conceptum animo dolorem ſigno aliquo declaret: Eadem venia vitâ functis concedebatur. Quadriennium ejus veniæ promulgationi præfixum: quo tempore ad trecenta millia aurei in regium fiſcum redacta. Sed quantulùm ex ea ſumma in bello ſacro conſumptum?

Num. 108.

(78) *Atun &c.*] Hic Piſcis aliàs (ut infrà ex Linſcotano *num. 105. pag. 75. a.* in medio apparet) Thynnus & Thunnus appellatur, de quo Jovius *de Piſcib. cap. 6.* multa commentatur, & inter alia ſcribit: Retulit Johannes Marius Cataneus Novarienſis, multarum literarum notitiâ inſignis, qui Locrenſi in littore Xiphiorum piſcationi interfuit, eos (*ſcil. Thynnos*) tantâ eſſe ingenii docilitate, ut Græcanicum ſermonem, quo ille Magnæ Græciæ tractus utitur, ab Italico diſtinguere videantur, idque admirandis argumentis deprehendi, quum Græcas voces minimè reformident, ad Italicum verò ſonum repentè diffugiant, quod complures Brutii teſtati ſunt. Hæc ille, cujus rei fidem ei meritò vindicandam relinquo.

Num. 109.

(79) *Oneribus gravatur &c.*] Pertinent huc Epiſtolæ Cardinalis Oſſati *76. 274. 283.* cujus tenorem de Laet *Deſcriptioni horum redituum pag. 405. 406. ſeqq.* ſubjunxit.

Num. 151.

(80) *Ante expulſos Mauros &c.*] Factum hoc Anno MCCCCXCII. quo Ferdinandus Rex Maurorum reliquias ex Granatæ regno & Urbe, quò ſe receperant, ejecit, & Saracenicum Hiſpaniæ Dominatum finivit. Marianâ teſte *lib. 25. inprimis ejusdem cap. 18.* Hanc expulſionem non minimam cauſam deſolationis Hiſpaniarum reputat Author Itinerarii Hiſpanici noviſſimi, *cap. 21.* verba latinè à nobis expreſſa hæc ſunt. Diverſæ rationes ſuadebant purgandas fore Hiſpanias hac hominum deterrimâ colluvie, præcipuè poſtquam incolæ ipſis imputabant infectionem aquarum, quo mediante veneno Chriſtiani è medio tollerentur, & compertum fuerat ſemper & perpetuò ipſos cum Africanis, Turcis, aliisque Regni hoſtibus colludere. Philippus III. non poterat meliorem animo concipere ſententiam, quàm ut ſimul ſemelque haſce haud ceſſuras depelleret formidines. Attamen præbuit multis contrariis opinionibus, argumentandique in diverſum, actio hæc locum. Nempe bonum Politicum, quantum poſſit, abſtinere debere ab hujusmodi univerſali coërcitione, quòd univerſi Status debilitatos quàm correctos hoc ipſo ſe ſentiant, & quòd cultro ſinum pertundere, ut eo ſe quis liberet à malo imminenti, deſperabundi potiùs quàm fortis & prudentis ſit; quodque ille neſciat vim & uſum lenitivorum, qui ſtatim ad illud *ure* & *ſeca* recurrit; quòd longè major ſit virtus, convertere malos, & vitio imbutos corrigere, quàm domo ſuâ illos expellere & aditu arcere; & denique quòd error profligari, perſonæ conſervari queant. Præterea certum eſt, Edictum illud Regem Hiſpaniarum copiâ proborum & divitum ſubditorum, quibus ſpiritus turbulentus haud erat, quique tractu temporis ad cognitionem & profeſſionem Chriſtianiſmi perduci poterant, privaſſe. Verùm media omninò dempta erant. Quoniam ſi qui Chriſtianiſmo nomen dederant, dicebatur ſimulatè id agere, & eo ſolùm fine, ut rigori Edicti hujus ſeſe ſubducerent. Eo ipſo avaritia Executorum ludum ſuum ludebat, & reliqui nulli manſerant, quàm qui ſic manus illorum inungebant, ut domus eorum ſine pulſu tranſirent, tanquam illos non internoſcerent, nec inde expellerent. Attamen quicquid diverſi illi diſcurſus ſentiant de cauſa extraordinarii hujus rigoris, & utut alii admirati fuerint artificium hoc politicum tanquam merè generoſum; alii verò, tanquam abortum præternaturalis crudelitatis, deteſtati fuerunt, cùm hoc medio Rex privatus fuerit ſubditis ſuis, & populus Patriâ ſuâ; Certum illud eſt, quòd ab eo inde tempore Hiſpania tanquam deſerta remanſerit, & ob ingens hoc damnum, quod aliquot hominum millionibus æſtimatum fuerat, illud lacertos nunquam movere iterum potuerit.

Num. 123.

(81) *Nonaginta & octo &c.*] Ab aliis obſervatum invenio, Magiſteria horum Ordinum Regi Hiſpaniæ quotannis reddere bis centena & quadraginta millia Ducatorum, quæ ſumma multò minor eſt eâ, quam prodit Author noſter, quæque facit 261333. duc. & 125. mar. Merula *Coſmograph. parte 2. l. 1. p. 298.* ſive de Laet *in Deſcript. Hiſp.*

Num. 132.

(82) *Reddit 35500000. maraved. &c.*] Merula *d. l. p. 299. ex eodem de Laet* ponit, trecentos Quentos, i. e. 800000. ducat.

Num. 141.

(83) *Ex India appulerunt &c.*] Cùm Anno MDCXXVIII. Petrus Heinius Societatis Indicæ Occidentalis confœderatarum Provinciarum Præfectus Claſſicus, claſſem argentiferam Hiſpanorum ad portum Manetacæum debellaret, partemque ejus in Hollandiam deportaret, cœpit præter alias merces argenti partim cuſi, partim in laminas fuſi XLVI. onera, i. e. tonnas CCC auri. *Lætus in Compend. Hiſt. Univerſ. pag. 553. Vid. Theatr. Europ. part. 1. pag. 1137.* ubi omnes merces captas conſummat, & CLXVIII. Tonnas auri effeciſſe Author narrat. Et Anno MDCXXXII. claſſe argentiferâ fluctibus abſorptâ ſimul argenti milliones tres, 358986. Reales periiſſe narrant. *Theatr. Europ. part. 1. p. 707.* Ex quibus de divitiis aliorum facilè judicium ſumi poterit.

Num. 144.

(84) *Ordinis Chriſti &c.*] Appellatur hic Ordo, à Dionyſio cognomento Perioca Portugalliæ Rege inſtitutus, vulgò *de Portugallo* & *à Chriſto.* Pro ſigno crucem rubram aliâ candidâ interſecantem, in atro amictu gerit. Mennenius *Delic. Ord. Equeſtr. p. 115.* Miræus *cap. 33.* Gotofred. *Archont. Coſm. l. 3. c. 7.*

Num. 147.

(85) *In Summa reditus annui &c.*] Alium Calculum ex Nicolao Oliveira, qui Anno MDCXX. librum edidit, in quo diligentiſſimè & minutatim explicavit reditus omnes annuos Regni Portugalliæ, & ididem alium ex India Orientali Eduardi Meneſii, adducit Author Deſcriptionis Portugalliæ *pag. 296. ſeqq. & 315. ſeq.* quod indicare vel eo nomine ſufficiat, quòd ejusmodi calculi redituum Regnorum multis erroribus ſint obnoxii, & de tempore in tempus mutentur, præſertim ob belli flammam, quæ ab Anno inde MDCXL. Luſitaniam corripuit, & valdè depaſtam nonnullis in locis reliquit.

Num. 156.

(86) *Mole ſuâ laborare &c.*] Periculoſum eſt prægrave imperium, difficilè eſt continere quod capere non poſſis. Vidésne, ut navigia, quæ modum excedunt, regi nequeant? Neſcio an Darius ideò tam multa amiſerit, quia nimiæ opes, magnæ jacturæ locum faciunt. Facilius eſt quædam vincere, quàm tueri, inquit Darii Legatus ad Alexandrum M. *apud Curtium lib. 4. cap. 11.* Verè Ariſtoteles *7. Pol. 4.* ſcribit, certam aliquam in omnibus Rebuspubl. magnitudinem requiri, non minùs quàm in rebus aliis, quorum ſingulæ ſi aut nimis exiguæ ſint, aut propriam ſibi ac debitam excedant magnitudinem, ægrè munus & vim ſuam tuentur: idque exemplum navis (*fortaſſis ad Darii Legati habitum jam laudatum ſermonem reſpiciens*) egregiè demonſtrat, quæ ſi unius tantùm palmæ ſit, vel duorum fortè ſtadiorum, æquè ad navigandum reddetur inutilis. Magna Imperia magnis mutationibus obnoxia ſunt, & cùm mediocria durent, ipſa facillimè diſſolvuntur. Calanus inter Gymnoſophiſtas magnæ æſtimationis Philoſophus ad Alexandrum Macedonem ſe conferens, bubulam pellem aridam in medium

dium conjecit, cujus cùm extrema obambulans, pedibus premeret, reliquæ pellis partes in altum ſe attollebant; hoc exemplo Alexandrum docens, eum, cui Imperium nimis magnum eſt, cùm ubique eſſe non poſſit, tumultibus plerumque & ſeditionibus vexari. Indeque non ignaviâ credo, ſed conſilio, & quia Auguſtus Imperator breviario, quod ſuâ manu ſcriptum Tiberio reliquerat, conſilium addiderat coërcendi intra terminos Imperii, (*Tacit. 1. Annal. 11. num. 3.*) proferendi Imperii incurioſus fuiſſe legitur apud Tacitum *4. Annal. 32. num. 3.* Qui verò cauſas, quare magnorum imperiorum non ſemper optanda ſit conditio, videre deſiderat, evolvat politiciſſimum Forſtnerum *ad citatum Taciti locum*, ubi in ſpecie de Hiſpaniarum regnis, & noſtri ſapientes, *inquit*, Galliæ Regem expeditis viribus Hiſpano potiorem affirmant. Nam & ſterilitate homines, & inde ſolitudine præcipua regna damnata ſunt. Membra quoque tam vaſti corporis nimiùm diſtracta: quæ quamvis Genuenſium patronatu, & affinitate cum Allobrogum Principe initâ, jungere Reges Hiſpaniæ tentaverint; tamen quòd non iisdem finibus utantur Allobrox & Genuenſes, quibus Hiſpani, fruſtrà hactenus illa conſilia fuerunt.

Num. 161.

(87) *De Conductitiis exteris &c.*] Quantum fieri poteſt, ab exteris in militiam adſciſcendis abſtinendum potiùs Principi conſultiſſimum eſſe, è ditionibus ſuis majori ex parte militem colligere, monent Politici, quique de re bellica ſcripſerunt, & inter illos illuſtris Ranzovius *Comment. bellic. lib. 1. cap. 11.* his rationibus: ut enim, *inquit*, hic parùm fidus refractarius, ad receſſum & abitum proclivis, incolis gravis, ærarii hirudo; ſic ille contrà fidelis, obſequens, imperii patiens, acer in acie, modeſtus, patriæ ſuæ Dominique amans ac obſervans. Ac ad cætera quoque incommoda hoc quoque accedit: quòd advenæ illi, non tam bello finiendo, quàm alendo ſunt ſolliciti. Quum enim ſuum nihil peregrinâ in terra poſſideant: planiſſimè ſciunt, jacturam ſe nullam facere poſſe: ſed ſubortis, & magis magisque gliſcentibus diſſidiis & certaminibus, ex qualibet rerum perturbatione, noto artificio, dejectis aliis ad honores potiùs & divitias aditum ſibi patere; quò rebus quietis aſpirare nequaquam poſſent. Omnino itaque danda Regi ac Principi opera, ut domeſtico milite utatur; cùm præter reliquas utilitates, quicquid ſtipendiorum illi numeratur intra Regni ac ditionum fines maneat: Ac quod peregrini in itu ac reditu conſumunt, hoc ſi armandis & exercendis ſuis impenderit, egregiam ſit habiturus, & ad manum ſibi ſemper paratam militarem manum. Quod ſi omninò major vis ac neceſſitas ingruat: per hanc demum ad finitimos mittatur, ut auxilia mercede faciant; ac verè quidem auxilia, non vires ſint & robur exercitus; nec corpus, ſed membrum. Cui planè gemina ſunt, quæ Bernegger *in Q. ad Taciti Germ. & Agri. quæſt. 73. & 127. in med.* adducit.

Num. 164.

(88) *Omnia Regna &c.*] Ea ſunt Regnum Legionis, veteris & novæ Caſtiliæ, Arragoniæ, Luſitaniæ, Navarræ, Granatæ, Valentiæ, Toledi, Galæciæ, Algarbiæ, Murciæ, & Cordubæ. Zeiller. *in nova regni Hiſp. deſcript. pag. 4.* Hodie verò Luſitaniam avulſam & alias ditiones diminutas, non eſt quod pluribus moneamus, cùm jam ſuprà de eo dictum ſit.

Num. 168.

(89) *Gallos &c.*] Exemplum ſuppeditat Lundorpius *Contin. Sleid. l. 3. Tom. 3.* Montius Nobilis Gallus, *inquit*, novi orbis partem, quam vernaculè *Canada* vocant, peregrinatione perviâ delibaverat, ut plagâ, temperie cœli, amœnitate, & ubertate ſoli, ad incolandum arriſit, rurſus adornatâ claſſe, mandato & vicariatu Regio, illuc proficiſci, ſedes figere, Gallico Imperio Gentem ſubdere, novis accolis, armentis, pecoribus, vitibus, arboribus, ad conſerendos noſtris ſeminibus agros excolere & ornare, oppidis municipiisque firmare conſtituit. &c. Quomodo porrò in Inſulas Antillas in Americâ Galli & Angli Ducibus *Desnambuc* & *Waernaer* Anno MDCXXV. & Belgæ Anno MDCXXXII. colonias eduxerint, docet in Tractatu Gallico Monſ. de Rochefort *in Tr.* cui titulus *Hiſtoire des Iles Antilles de l'Amerique.*

(90) *Anglos &c.*] Ii ſunt, qui Hiſpaniarum æmulatione aliisque cauſis moti Virginiam (in honorem Anglicæ Heroinæ Elizabethæ ſic dictam) ampliſſimam Americæ regionem Anno MDCVII. primùm aperuerunt, cujus poſſeſſionem nullus in Europa populus ſibi præterea vindicavit, uti laudatus jam Sleidani Continuator *lib. 14. Tom. 3.* docet, Johnſton. *Rer. Brit. lib. 13. pag. 431.*

(91) *Belgas &c.*] Navigationes in America quâ occaſione A. MDCVIII. Hollandi primùm cœperint, monſtrat idem Lundorp. *d. loc.* de ſocietate verò Indiæ Occidentalis, vide Schoock. *de Imp. maritimo cap. 22.* Barlæum *de reb. geſt ſub P. Mauritio in Braſil. pag. 14. & 20. ſeqq.* ubi multa de Heynio annotavit.

(92) *Jam aliquoties demonſtrarunt &c.*] Vid. Schoock. *d. l. cap. 25. & 27.* ubi in priore capite de Centurionibus Belgicis, quorum virtus præ aliis ſuſpicienda, in poſteriore de exiſtimatione Belgarum Fœderatorum apud extraneos propter navalem experientiam & fortitudinem &c. tractat.

Num. 170.

(93) *Hybridarum &c.*] Antiquos ea animalia, in quibus mixtura cum feris, *hybridas* ſeu ſemiſera vocaſſe, pòſt vocem ad homines quoque ut in C. Antonium Ciceronis in conſulatu Collegam, translatam fuiſſe, author eſt Plinius *Natur. hiſtor. lib. 8. cap. 53.* Aliud exemplum occurrit apud Suetonium *in Aug. c. 19.* & Hirtium *de Bello Afric.*

(94) *Nigritarum &c.*] Nigritæ populi ſunt ejus partis Africæ, quæ poſt Barbariam, Numidiam, Libyam, quarta eſt, & Nigritarum terra vocatur, nomine aut ab incolis, qui Nigri ſunt coloris, aut à flumine Nigro, qui mediam regionem permeat, & Nili inſtar agros vicinos fœcundat. A Septentrione Libya, à Meridie Oceano Æthiopico, ab Occidente Gualatæ, ab Oriente Goagæ regnis clauditur. Aër ad Guineæ littora, noſtratium corporibus noxius eſt, ob caloris intemperiem & pluvias, quæ putredinem gignunt & vermes, Nigredinem à Solis aduſtione eſſe, minùs vero ſimile, cùm promontorii bonæ ſpei incolæ nigerrimi ſint, Hiſpani Italique, pariter ab Æquatore diſtantes, candidi. Nec minùs torret Sol ad Fretum Magellanicum, ubi candent, quàm in Africæ extremis, ubi nigricant. Qui ſub Presbytero Johanne vivunt, ſubfuſci ſunt, in Ceilonio Inſulâ & Malabrica regione nigerrimi, pari tamen intervallo à mundi linea ſemoti. Quid, quòd per univerſam Americam, etiam ea loca, quæ Solis viâ includuntur, nuſquam nigri reperiantur præter paucos in loco,

Quareca dicto, ut potiùs ad terræ & cœli aëriſque occultas qualitates (ignorantiæ pro dolor! humanæ aſyla) ut hominum innatam & à parentibus acceptam temperiem, aut utrumque referenda cauſa videatur; præſertim cùm mixtis inter ſe candidis nigriſque naſcantur ſubfuſci, caſtigata candidiore colore nigredine ob ſeminum confuſionem. Quales *Mulatas* vocant Hiſpani. Barlæus *loco aliquoties citato pag. 102. & 103. qui idem pag. 5.* Magno Hiſpanorum & Luſitanorum quæſtu (*inquit*) transvehi ex his oris ſolent in Braſiliam & Occidentalem Indiam, in illam elaborando potiſſimùm ſaccharo, in hanc effodiendis metalis laborum tolerantiſſimi parvo, victitant, & in naturæ inclementiam & miſeram ſervitutem nata mancipia magno ære penſantur.

Num. 172.

(95) *Chilenſes &c.*] Horum alii teſte Barlæo *d. loco pag. 446. ſeqq.* ſub Hiſpanorum degunt Imperio, alii ſui Juris ſunt. Illi civiliùs vivunt, moribusque Europæorum ad humanitatem plus formantur. D E I ſenſum admittunt, ac domiciliis habitant; aliis vita agreſtis planè & effera, pronâ hominũ in deteriora cupidine, quàm majorum conſuetudo culturæ omnis expers validam facit. Quod in ſequentibus latiùs exponit.

Num. 174.

(96) *Paucorum locorum munitione &c.*] Imò non proſpectum fuiſſe, documento fuit Franciſcus Dracus Anglus, cùm A. MDLXXVI. urbem in Iſthmo Darienæ (*cui Nombre de Dios Hiſpani nomen impoſuerunt*) irruptione factâ expugnaret *Jonhſton, Rer. Britan. lib. 2. pag. 66.*) pòſt mare Auſtrale ſcrutatus naves Bœticas onuſtas margaritis, gemmis, auro, obryzo diriperet, & argenti facti & infecti tantam copiam contraheret, quanta navi in ſaburram ſufficeret; (*d. loc. pag. 67.*) & primùm terrarum orbem audaci facinore circumvectus navis Gloriæ palmâ inſignis rediret, cùm, *inquam*, ille ipſus Anno MDLXXV. cum Chriſtophoro Carlilo Sancti Dominici urbes ex improviſo occuparet & diriperet, Cartagenam vi in poteſtatem Anglorum redigeret, in reditu S. Antonii & S. Helenæ oppidulis in Inſula Florida ignem immitteret; Cùm Dracus Azoras Inſulas infeſtaret, Thomas Chorendiſhius Anno MDLXXXVII. in orâ Peruviæ & Novæ Hiſpaniæ oppidula paſſim incenderet, per Inſulas Philippinas, Moluccas, & promontorium Bonæ Spei incolumis navigaret. (*d. Auth. lib. 4. pag. 126.*) Et quis omnes recenſere poſſit in tam brevi compendio clades Hiſpanis hisce in oris inflictas, quibus Hiſtoriæ plenæ ſunt, eapropter pergo ad alia.

Num. 175.

(97) *Ormuzii jactura &c.*] Quæ incidit in Ann. MDCXXII. ut ſuprà innui.

(98) *Mercatorum tantùm Societatibus &c.*] Fortaſſis intelligit vel Orientalem & Occidentalé Societates Indicas Belgarum, vel Belgicam & Anglicam, de quibus dicto loco. *Johannes de Laet* tractat. *ex cujus Deſcriptione* tota *hæc refutatio Boteri à numero inde 152. hucusque deſumpta eſt.*

Num. 176.

(99) *Per ſe exſangues eſſe &c.*] Superiùs allegatus Satyricus Trajanus Boccalinus *del Paragone Politico*, ſive *Lapide Lydio Politico edit. Latinæ pag. 104* falſè traducit Regios Hiſpaniæ miniſtros, dum inquit: Ante triduum, horâ octavâ nocturnâ, videre erat in Regiam Hiſpanicæ Monarchiæ quadraginta invehi plauſtra fœni. Quoniam id tempus non mediocrem continuò injecerat ſuſpicionem Gallis, Venetis, reliquisque Principibus, qui in perpetua agunt ſollicitudine & ſuſpicione ob magnitudinem tam formidabilis Principis; exactâ diligentiâ inquirebatur, quò certiores fierent, num ſub fœno vehiculis iſtis apportato damnoſas occultaſſent merces. Referebant Exploratores, ſub fœno abſconditas eſſe arcas ligonibus, batillis, & bipaliis plenas. Quoniam hæc erant inſtrumenta depopulantium. Galli conſilium armandi ſe inierunt; Veneti volebant productas ex Arſenali triremes æquori committere. Sed decretum eſt, priusquam tentarent quidpiam, utile eſſe explorare, num Hiſpani plura intulerint in ædes id genus inſtrumenta, vel num alia aliunde expectarent. Certioresque facti ſunt, ad hunc diem non ultrà accepiſſe, neque inpoſterum expectari. Imò verò ſubjungebant exploratores, non ſimulac exoneraſſent has capſas, illas in regium detuliſſe armarium, ſed omnes Hiſpaniæ magnates, præcipuosque tanti regni miniſtros, ligones illos, batillos, bipaliaque ſubitò inter ſe diviſiſſe: illisque inſtructos manè aggreſſos eſſe terram fodere, aquæductus derivare, & aquarum agmina mille quaquaverſum ducere, idque tanta cum diligentia & labore, ut quisque trahendo aquam verſùs molam ſuam, Reſpublicas ad tantam deduxerit calamitatem, ut aquarum defectu non ampliùs molerent.

(100) *Quàm Pace frui malint &c.*] Adde Forſtnerum *in Not. Polit. ad Tacit. Omiſſ. ad 1. Ann. 16. n. 2. & ad 15. Annal. cap. 11.*

Num. 177.

(101) *Veſtræ Fortunæ terminos &c.*] Fortuna mortales omnes in ſcenam producit, partes ſuſtinendas diſpenſat, quas ſi aliquibus triſtes injunxerit, comico ſæpe & læto exitu turbulentum principium compenſat: at pullis ſuis, quibus ex voto omnia fluere credimus, gravis imminet & tragicam ſæpe cataſtrophen minatur. Plerumque enim quæ in vegeta ætate viget floretque, in Senibus marceſcit felicitas, quod Forſtnerus *in Not. Pol. ad Tac. 4. Ann. 1. n. 1.* exemplis evincere tentat. Junge, ſi placet, *Not. ad Polit. Scel. cap. 12. pag. 108. ſeq. & Epilog. pag. 558.*

CAPUT VII.

De Opulentia, Ærario & Reditibus Regis Galliæ.

SUMMARIA.

1. Regni Galliæ *Opulentia.*
2. Gallia *in meditullio Chriſtiani Orbis ſita ab utroq; latere habet maria*, num. 3.
4. Galliæ *Regnum munitiſſimum, omnibus ſuis partibus unitum*, num. 5. *ejusdem termini*, num. 6.
7. Oppidorum *in Gallia immenſus numerus.*
8. Loca Galliæ *deſerta & occulta.*
9. Frugum *in Gallia abundantia.*

10. Fluviorum *in Gallia multitudo & opportunitas, in Ducatu Andegavenſi numerantur XL*, num. 11.

12. Catharinæ Mediceæ, *Regina Franciæ, Hyperbole.*

13. Civitates *Franciæ ad mare ſitæ.*

14. Lini *in quibusdam provinciis copia, præſtantiaq́.*

15. Opulentia *indigenarum.*

16. Argenti, *argenteæq́ ſupellectilis abundantia.*

17. Regni Galliæ *potentia in quo conſiſtat, in incolarum numero, &* 18. *munitiſſimus caſtellis,* 19. *in Cataphractis equitibus magis, quàm peditibus*, 20. *multis tormentis bellicis.* 21. *Nobilium virtute.* 22. *plebis patientiâ.* num. 23.

24. Beata Gallia *ante extraordinariorum tributorum neceſſitatem.*

25. Tributa *nunc nominibus vix indigitari poſſunt.*

26. Redituum Regis *incrementum. Henrici II. incommoda adminiſtratio.* num. 27.

28. Divitiæ *Principum à bono regimine æſtimandæ.*

29. Franciſci I. *modus locupletandi ærarium.*

30. Patrimonium *Regium.*

31. Quintæ & Requintæ, *aliaque jura dominica.*

32. Patrimonium *hoc Sacrum alienari per ſe nequit.*

33. Tributa *Perſonalia & Realia. Mixta*, numero 34.

35. Eccleſiaſtici *à Tributis exempti*, num. 36. *Nobiles.* 37. *Milites.* 38.

39. Rex *quid ex his reditibus percipiat.*

40. Compendium *è Breviculo tributorum ſecundùm ſingulas Generalitates.*

41. Regalia *quid ſint? Quando vacat Epiſcopalis ſedes*, num. 42.

43. Reditus Eccleſiaſtici.

44. Reditus *tales alimenti modum excedentes Regi Galliæ cedunt.*

45. *Recenſentur* Epiſcopatus *aliiq́ ſacri Ordines in regno Galliæ.*

46. Indictum Regis Galliæ *Clero indultum ex Botero.*

47. Decimarum *exactio.*

48. Rex Galliæ *conceſſione privilegiorum pecuniam corradit.*

49. Rex Hiſpaniarum *opibus hoc inferior.*

50. Regiones *unitæ faciliùs reguntur.*

51. Franciſcus Galliæ Rex *riſit inanes Hiſpaniæ Regum titulos.*

52. Hiſpaniarum Rex *imperio ſuo integrè uti nequit.*

53. Hiſpanorum *proverbium.*

54. Præcipuorum Politicorum *judicium arcanum politicum*, num. 55.

56. Anglia *metuebat Galliæ & Belgii unionem.*

57. Gallia & Hiſpania *ſunt quaſi lances in Europæ libra.*

58. Cardinalis Richelii *laudes & blanditiæ, quas à Scriptoribus ſuis emit & amat.*

59. Richelius *Statuam Regi poſuit cum Elogio: Ejusdem antilogium*, num. 60. *Ejusdem faſtus Epigrammate quodam egregiè ultus.* num. 61.

IN *INSIGNIA* (1) CHRISTIANISSIMI GALLIARUM REGIS, LUDOVICI XIII.

Aurea cæruleum decorant *tria Lilia campum*
Rex ô inſigni Maxi e Galle tuo.
Sunt *tria*, perfectus numerus quia trinus habetur,
Lilia: vulneribus certa medela malis.
Aurea: quò virtus tua & auri magna notetur;
Campus cæruleus, Juſtitiamq́ notat.

ALIUD.

Copia multa meri, ſegetis Cerealis & auri,
Mercatura frequens, ſanctaque Jura tori;
Æquârunt cœlo jam dudum Gallida terram,
Sentit & hinc ſua Rex emolumenta potens.
Lutetia inprimis ad ſe, ceu ſpongia, multum
Attrahit argenti, luxuriatque bonis.

REgni hujus Opulentiam atque poten- 1
tiam Primùm æſtimare licet ex illius ſi-
tu; cujus reſpectu hæc obſervanda; (1) Jacere
veluti in meditullio totius Chriſtiani Orbis, 2
ideoque aptiſſimum eſſe ad uniendas & dis-
jungendas, prout libuerit, vires reliquorum
Principum Chriſtianorum, qui ipſi ab o-
mnibus mundi plagis finitimi ſunt: (2) Ab 3
utroque latere habere maria, quæ ipſi facili-
tatem conferunt, merces cum quibusvis
gentibus nullo negotio commutandi; item-
que vires vicinorum labefactandi: (3) *Re-* 4
gnum ab omni penè plaga, (2) aut à natura, aut
ab induſtria munitiſſimum eſſe; quippe ab
Italia Alpibus, ab Hiſpania Pyrenæis monti-
bus defenditur; ab Anglia mari; à Germa-
nia maximis fluviis; quà maximè patet,
munitiſſimis urbibus aut Caſtellis tegitur:
(4) Totum Regnum omnibus ſui partibus 5
conjunctum & *veluti compactum* (3) eſſe;
nec ut alia ferè disjectis membris aut ſepara- 6
tis laxatum: Cùm initium ſumat ad mare
Septentrionale *à gradu* (4) ferè quinquageſi-
mo, & definat in gradum quadrageſimum
ſecundum, quâ mare mediterraneum at-
tingit, tàm varia & multiplici frui aëris tem-
perie, ut omnibus omnis generis frugibus &
tolerandis atque maturandis idonea ſit tel-
lus.

Secundò, *ex immenſo oppidorum* (5) vi- 7
corumque numero; in quo edendo plurimi nimiùm prodigi fuerunt; ſed ſi certa ſequi volumus; cùm Anno CIƆ IƆ LIV. ab Henrico II. Rege tributum XXXI. libellæ Turonenſis, in ſingulas parœcias indictum fuiſſet, numerus parœciarum exſtitit XXIV M D CCCXXVII. præter Burgundiones ac Pictones, ut refert *Bodinus*; (6) qui inſuper teſtatur, à ſummo Parlamenti Præſide è rationibus publicis relatum, numerum parœciarum XXVIII. millibus minorem eſſe, ſi urbes pagis æquentur. Et tamen author Gallicus de Regnis & Rebuspublicis Orbis, ratione ſingularum diœceſium initâ ſupra XL. mill. enumerat tàm parœciarum, quàm Campanilium. Ut ut ſit, nullum regnum tot urbibus murò cinctis, tot municipiis, tot pagis abundat, quàm Gallicum;

cum: licet inteſtina bella non pauca oppida aut funditùs deleverint, aut penitùs corruperint.

8 Tertiò licet Bodinus exploratum ſcribat, deſerta & inculta loca, ſi aquas & vias adjungas, duos Galliæ trientes auferre; tamen conſtat, nullam penè Galliæ partem ita ſterilem eſſe, quin debito cultu fruges ſuis cultoribus reddat.

9 Quartò, *ex abundantiſſima frugum* (7) atque adeò rerum omnium, quæ ad vitam neceſſariæ ſunt, copiâ; in quo hæc conſideranda: (1) Galliam nullius rei indigam eſſe, quâ incolis aut ad victum, aut ad veſtitum opus eſt, ideoque nullius alterius regni aut reipublicæ, ſi luxuria abeſſet, commercio indigere: (2) Vicinas ferè Provincias & Regna his aut illis rebus egere, atque ab illâ neceſſaria petere; eamque ſufficienter & ſuis & alienis eaſdem ſubminiſtrare poſſe: (3) Ideoque neque ipſam commeatûs inopiâ unquam laborare, etiam cùm maximos exercitus alit, & per commercia magnam auri atque argenti vim vicinis ſubducere. Hodie certè Gallia, tanquam bona nutrix, annuis frumentationibus Hiſpanicæ gentis menſam inſtruit opiparè, ſed tanto cum fœnore, ut Hiſpani directum Peruviæ dominium, & Galli utile habere videantur. H. Bignon *du Royaume de France, libr. 1.*

10 Quintò, ex multitudine & opportunitate fluviorum, qui navigia patiuntur, atque horum quidem pars illam cingit, ut Moſella, Araris, Rhodanus, Somma; pars mediam ſecant, ſicut Sequana, Ligeris, Garumna. Quorum Rhodanus quidem in mare Mediterraneum, reliqui fluvii in Oceanum Septentrionalem ſeſe evolvunt. Porrò in hæc majora flumina influunt partim ex Regni extremitatibus, partim ex illius meditullio, tot alia flumina, ut totum regnum ſupra modum commerciis aptum reddant: facillimè enim hiſce mediis & Provinciæ inter ſe, & *cum exteris, merces* ſuas *communicant.* (8) In

11 ſolo Ducatu Andegavenſi numerantur flumina XL. tàm magna, quàm parva. Unde

12 Catharina Medicæa, Regina Franciæ, ſolita erat dicere; in regno ſuo plura navigabilia flumina eſſe, quàm in reliqua Europa. Quæ hyperbole à rei veritate non multùm abludit. His accedit, quòd Ligeris longior eſt curſus, quàm omnium fluviorum Europæ, ſi Danubium exceperis, ut ſcribit Maſſon. Oritur enim in Velaunis, & per mediam Galliam, planitie & bonitate agrorum felix, longiſſimo curſu in Armoricum Oceanum evolvitur; & à Rodumnâ (vulgò Roanne) ad oſtium usque ſupra centum & ſexaginta leucis navigatur.

Sextò obſervat *Boterus,* (9) quàvis Fran-

13 ciæ multi boniquе portus non deſint, meliores tamen civitates non ad mare, ſed in locis mediterraneis ſitas eſſe; indeque jure colligi, ipſarum amplitudinem non extrinſecus venire, ſed quaſi domeſticam eſſe.

Septimò, ex præſtantia & copia vini, 14
quod in plerisque Provinciis naſcitur, quorum nonnullam optimis aliarum Provinciarum Europæ vel comparari vel præferri poteſt. Incredibile videri poſſit (inquit Bodinus *lib. 6. de Republ. cap. 2. p. 653.*) quantum vini Gallia in Angliam atque Belgium effundat: cujus rei argumentum majus habeo nullum, quàm quòd unus *Lauda* mercator Cameracenſis anno MDLXXVIII. triginta tria millia modiorum vini terreſtri vecturâ in Belgium exportari curaverit, tametſi aditus arduos ac multis locis ab hoſtibus intercluſos ſibi videret. Pretium in ſingulos modios ut minimum fuit quatuor Coronatorum. Ex quo intelligi poteſt, quantò plura in Angliam, Belgium, & Septentrionales Regiones navibus deducantur.

Octavò, ex opulentia indigenarum, quæ 15
in quibusdam urbibus maxima, *in oppido Pariſiorum* (10) penè incredibilis eſt.

Nonò, ex auri argentique abundantia, 16
& ejusdem in argentea ſupellectile perfectione. Nam argenti Pariſienſis bonitas omnium laudatiſſima putatur: quippe quadrageſima ſexta pars tantum æris admiſta eſt, argento Hiſpanico optimo ferè trigeſima ſexta, ut inquit Bodinus *lib. 6. de Rep. c. 3. pag. 682.* Qui hæc legerit, inde fortè ſuſpicetur, *Galliam metallis abundare:* (11) Id quo pacto ſe habeat, è Thuano licet audire. Ad Pyrenæos (ait lib. LXXIX.) & in Principatu Foxenſi argenti venæ & auri ramenta per Aurigeram inde dictam ſcatere memorantur, & Carcaſſonæ argenti, in Cemenis montibus & Gabalis plumbi & ſtanni; in Arvernis ferri laudabiles ſunt fodinæ, & nuper ad Martini fanum in agro Lugdunenſi aurum & argentum magnâ copiâ erutum, ſed laboris improbi & plerumque periculoſi aſſiduitatem, parcimoniam, & victûs tenuitatem, quæ in operariis requiritur, terræ Franciæ abundantia ſubminiſtrare minimè poteſt, in qua homines lautiùs vivere aſſueti, quantum ad opes tanti ſumptus eſt, ſibi parcere nequeunt, &c.

Atque ex his quidem Opulentiam æſti- 17
mare licet, ex ſequentibus Potentiam, & quidem Primò, ex *ingenti incolarum numero,* (12) 18
qui ſub Carolo IX. Cenſu inito, XV. milliones ſuperaſſe ſcribitur; licet poſt illa per crudeliſſima bella civilia & mutuas lanienas *multum imminutum ſit.* (13)

Secundò, ex longè maximo *numero mu-* 19
nitiſſimorum oppidorũ (14) & Caſtellorũ, tàm ad limites regni, quàm in ipſo meditullio.

Tertiò, ex militum & præſertim Cata- 20
phractorum equitum copiâ; nam *pedeſtris Gallorũ militia* (15) minùs laudatur; ideoq; Reges ferè peregrinis ſtipendiariis uſi ſunt.

Quartò ex tormentorum bellicorum 21
ingen-

ingenti numero, de quibus obſervat *Gallicus author*, (16) ea longè commodiſſima mole eſſe, & ferè æqualia, ita ut globorum varietate nihil opus ſit. Sunt autem ferè modica, & rarò longiora pedibus decem.

22 Quintò, ex numeroſæ Nobilitatis obſequio erga Principem & ſingulari in præliis virtute, & gloriæ immenſa cupiditate.

Sextò, ex plebis in oneribus publicis ferendis patientia. Unde Ludovicum XI. regnandi
23 peritiſſimum (ut refert Lupanus) *dicere ſæpe ſolitum* (17) accepimus, cùm immenſas *Regni Francici opes* (18) oſtentaret, ſe pratum longè optimum, & graminoſum habere, quod quoties fœniſecio opus eſſet, ſecaretur: Atque Maximilianus I. Imp. dicere conſueverat, Regi Francorum chryſomallas eſſe oves, innuens, Pitharchicos Francos nullum tributi à Rege impoſiti onus recuſare.

24 Beata verò admodùm & felix fuit Gallia; antequam rebellio incolarum, & ambitio extraneorum, adegit Reges recurrere ad rigorē & aſperitatem *tributorum extraordinariorum*. (19) Non exigebatur ſub Regis nomine quicquam præter vectigalia & tributa quædam, quæ Pedagia, Barragia, & Traverſa vocant, & alia quædam præcipua Regia non magni momenti, Bella Anglica introduxerunt (ita appellant) ſubſidia Talliarū aliarumque impoſitionum. Aucta poſtea in eum numerū Tributa fuerunt, ut nomina
25 ipſa vix inveniantur, quibus ea exprimi poſſint; PierreMatthieu *l.2.Narr.3.n.2.* Hinc deſcendunt *le Don & Ottroy, creuës, Fouages, Aydes, Douane, Equivalent, Bilott, levées de chevaux & chariots, Impoſition de Traitte foraine, Gabelles, Solde de cinquante mille hommes, Taillon, Augmentation de la gendarmeriè, Impoſition ſur l'entree des vins, Emprunts generaux & particuliers, ſubvention de partie ſur les villes cloſes, Augmentation eu diminution du prix de Monnoües, creëuer ſurcharges de deux, trois & quatre ſols pour livre gros du vin, & huictieſme du vin qui ſe vend en detail, &c.* Secret. des Finances *in Epiſt. Dedicat. Petrus Matth. d. lib. 2. narrat. 3.* Julius Cæſar Bulenger. *tract. de vectigalib. Pop. Rom. cap. 58.* De quorum origine & progreſſu cùm ad ſatietatem dixerim *in tractatu de contribut. cap. 1. num. 339.* eadē huc tranſcribere, & actum agere minimè convenit. Jam olim Juſtitiæ munia, tanquam *ſub haſta venalia* (20) proſtabant, & nunc venduntur plus offerenti, emit autem, qui quæſtum facere, & majus inde pretium fœnerari noverit: unde oppreſſiones pauperum, & exercitus Harpyarum Curialium, qui ex injuria populi ſaginantur.

26 Joannes Boterus, de Reditibus regiis edisserens, Ludovicum XII. ex regno Franciæ myriadem & ſemiſſem percepiſſe; Franciſcum I. ad tres; Henricum II. ad ſex; Carolum IX. ad ſeptem myriades perveniſſe; Hen- 27
ricum II. verò ab unoquoque pecunias fœneratitias ad XVI. per centum ſumpſiſſe, & filios ære alieno ad XXX. myriades aureorum obligatos reliquiſſe, nec mercatores ei quadrantē crediſiſſe, ſcribit. Unde Carolus XI, & Henricus III. ejus filii, magis tamen hic, quàm ille, non ſolùm populum, ſed & Clerum maximis impoſitionibus gravare coacti fuerint. Ex quo porrò elicit *Boterus*, divitias Principis non æſtimari debere à magnitudine Redituum, ſed à bono regimine. Franciſcus enim I. minoribus reditibus geſſit majora 28
bella, reliquitque fidem apud mercatores, & paratam pecuniam filio. Contrà Henricus 29
II. longè minora bella geſſit, reliquitque regno debita & calamitatem. De hoc Thuanus *libr. 2.* Franciſcus I. (*ait*) moriens, ære alieno omni exſoluto CCCC aureorū millia & quartam Regni Vectigalium partem nondum coactam reliquit. Et Bodin. *lib. 2. cap. 4. pag. 206. & pag. 552. lib. 5. de Republ. cap. 4. inquit.;* Franciſco I. moriente ferè millies Seſtertiûm, id eſt, decies ſepties centena aureorum millia in ærario publico reſtabant, prætertrimeſtria tributa, quorum dies jam venerat: nec ulli Reſpublica tunc obærata fuit, præterquam Helvetiis & argentariis Lugdunenſibus. Et paulò pòſt: *dicto loco lib. 6. cap. 2. pag. 666.* Franciſco I. perſuaſum à Turnonio Cardinali, ut pecunias moderato fœnore acciperet, ac Lugduni ſtatis nundinarum temporibus uſuras ſolveret; ita futurum, ut Italorum & Germanorum opes brevi cogeret, hoſtibus eriperet. &c. Accurrunt Itali ac Germani mercatores, Gallorum etiam quàm plurimi; ita paucos poſt annos, quàm mortuus eſt Franciſcus, ſors D. aureorum millia ſuperabat: quæ ex ærario pecuniis refertiſſimo diſſolvere potuiſſet: noluit tamen, etſi nec pecuniis Reſpublica egeret, & cum omnibus Principibus aut fœdus aut pacem iniviſſet. Secuta eſt calamitoſiſſima Henrici II. dominatio, qui brevi exhauſto Patris ærario, uſuras centeſimas, pòſt etiam ſeſquicenteſimas, tandem ducenteſimas pactus eſt; Cùm verò pecunia fœnori ſolvendo non ſufficeret, uſurarum uſuras Creditoribus promiſit: Hactenus Bodinus.

Patrimonium Regium (vulgò *Domanium, le Domaine*) (21) eſt maximè legitimus 30
& certiſſimus Regum reditus, eoque Reges Galliæ longo tempore contenti fuerunt. Sunt autem in Gallia, terræ, & dominia Coronæ annexa, cenſus, annui reditus, quos Principes impoſuerunt terris ab ipſis in Nobiles aut alios collatis, ſive ad certum 31
tempus, ſive in perpetuum: Quintæ & Requintæ, ut vocant, & alia jura dominica, quæ debentur ab illis, qui *ea in feudum tenent*, (22) & aut quotannis ſolvuntur, aut cum tenens mutatur ſive per mortem, ſive aliam ob cauſam. Item tributa & vectigalia,

lia, impoſitiones, portoria eorum, quæ aut invehuntur aut evehuntur: dinumeratio ſive profeſſio rerum beneficialium ſive clientelarium: *adeſpota* (23) (*eſpaues*) caduca bona (*aubaines*) peregrinorum aut ſpuriorũ, niſi aut illi *jus Civitatis*; (24) aut hi legitimationis obtinuerint: aut alioqui defectu hæredis vacantia; manus mortuæ; nemora, ſylvæ cæduæ, glandium aut amygdalarum proventus, paſcua, aquæ, rivi, fluvii, & quæ in trajectu illorum ſolvuntur. Decima omnium metallorum, mineralium & aliorum, quæ per totum Regnum terræ venis continentur. Itidem Regalia, quæ Rex poſſidet in Archiepiſcopatibus & Epiſcopatibus Regni; id eſt, jura perfruendi bonis & prædiis Antiſtitum, donec qui in demortui locum ſuffectus eſt, præeunte Cancellario, jurejurando fidem Regi obſtrinxerit.

Patrimonium autem hoc ſacrum eſt, & non tàm Regis quàm Regni: itaque per ſe *alienari non poteſt*, (25) niſi in *duobus caſibus*: (26) per aſſignationem, quâ minoribus Regum filiis certa dominia & terræ aſſignantur *in Apennagium* (27) cum conditione, ut maribus deficientibus ad Coronam redeant: per venditionem pro parata pecunia, *neceſſitate id exigente*, (28) & decreto Parlamenti præeunte. Verùm hodie quoq; donatur, & nonnunquam pro rebus inutilibus venditur. Sunt qui putent, alienari non poſſe ſine conſenſu Ordinum Regni, idque tempore belli, cùm hoſtes regnum ſunt ingreſſi. Vide Hering. *tract. de jure molend. quæſt. 9. nu. 72. 73. 74.* ubi res fiſcales ac privatas Principis magno intervallo inter ſe diſtare, *ait*.

Patrimoniũ ſequuntur *Tributa* (29) (vul-
33 gò Tailles) Quæ quo tempore primùm in Gallia ſint inſtituta, incertũ eſt; & ſuperioribus temporibus: non niſi extra ordinem & belli tempore imponebantur. Carolus autem VII. ordinariam fecit hanc exactionem, ut militibus ſufficeret: Tributa autem hæc diſtinguuntur in Perſonalia & Realia; quorum tantùm in Provincia & Languedocia uſus eſt; & mixta, quæ hodiè maximè in uſu,
34 quæ domiciliis imponuntur, habitâ ratione omnium bonorum, quæ à Tributis addicto ubicunque poſſidentur.

Exempti à Tributis (30) ſunt primùm
35 Eccleſiaſtici, modò Eccleſiaſticè agant, id eſt, *nullam mercaturam*, (31) aliquod munus agricolarum, aut aliud vocatione ſuâ indignũ exerceant; licèt hodie *quinta pars* (32) redituum Eccleſiæ Clericis extorqueatur, & ipſa Connubii Sacra, & peccatorum remiſſiones ab Archidiacono pretio ſummo redi-
36 menda ſint. Secundò *Nobiles, qui ſunt duplicis generis*, (33) ex origine, aut per accidens, quales ſunt miniſtri aut familiares Regis, Reginarum, filiorum & filiarum Regis, fratrum & ſororum: *modò non exerceant mercaturam*; (34) quibus tamen fructus & proven-
tus terræ venundare licet. Tertiò milites, eo- 37
rumque Tribuni, legati, ſigniferi, aliique miniſtri militares, monetarii, Secretarii, Rectores Univerſitatum, Præfecti Collegiorum, ſcribæ, pedelli, ſtudioſi, medici, præſides, conſiliarii, advocati, procuratores, graphiarii, apparitores, aliique Officiales.

De Tributi additamento (vulgò *Taillon & les Crües*) (35) itemque de auxiliis & ſubſidiis, vulgò *les Aydes*, Equivalent, Traitte, Foraine, ſolde de cinquante mille hommes, ſive ad L. mill. militum ſtipendio, Gabellâ Salis, vectigali vini & aliis dixi *dict. cap. 1. de contrib. num. 339. fol. 34.* Eſt & genus oblationis ſive Tributi; quod vocant *La Compoſition*: Nam cùm olim mitterentur per Galliæ provincias, qui fructuum ubertatem vel utilitatem diſpicerent ſingulorum, & ex quantitate cenſum dividerent; certum aliquod Provinciales obtulerunt Regi, pactique cum eo ſunt, ut ſe ab hac annua moleſtiâ liberaret inſpectionis.

Ut verò inclareſcat, quantum Rex quot- 38
annis ex hiſce Tributis percipiat, non abs re fuerit, hîc addere è libro, qui inſcribitur les Eſtats, Empires, Royaumes, & Principatez du Monde, par le S.D.T.V.Y.&c. Compendium, è Breviculo tributorũ Anni MDCIX *omnĩum ſummarum, quæ exactæ* (36) fuerunt 39
è tributis & additamentis, & Officialium ſtipendiis; ſecundùm ordinem ſingularum Generalitatum.

E generalitate Pariſiorum.	
pro tributis	lib. 769000.
pro ſtipendiis Officialium	147000.
E generalitate Sueſſionum.	
pro principalibus tributis	362465.
pro ſtipendiis Officialium	3624.
Cabilonum, Chalons:	
pro tributis principalibus	473000.
pro ſtipendiis Officialium	72000.
Ambianum, Amyens:	
pro univerſis tributis	263000.
pro ſtipendiis Officialium	36000.
Rotomagi, Rouen:	
pro univerſo tributo	1072000.
pro ſtipendiis Officialium	11000.
Cadomi, Caen:	
pro tributo	638280.
pro ſtipend. Offic.	9720
Aureliani, Orleans:	
pro tributo	537500.
pro ſtipend. Offic.	705000.
Cæſaroduni, Tours:	
pro tributo	919000.
pro ſtipend. Offic.	102000.
Bourges:	
pro tributo	360740.
pro ſtipend. Offic.	4960.
Moulins:	
pro tributo	423993.
pro ſtipend. Offic.	66406.

Picta-

Pictavii, Poictiers: pro tributo.	670000.
pro ſtipend. Official.	75000.
Rion:	
pro tributo	656000.
pro ſtipendiis Officialium	9000.
Lugduni, Lyon:	
pro tributo	865000.
pro ſtipendiis Official.	45000.
Burdegalæ, Bourdeaux:	
pro tributo	623036.
pro ſtipendiis Offic.	40663.
Languedoc, Tholoſæ & Montpell.	
In univerſum	751517.
In Delphinatu:	
in univerſum	77673.
In Provincia, Provence:	
in univerſum	86463.
In Burgundia & Breſſia:	86463.
pro tributo regio	168250.
pro ſtipend. Offic.	9445.
In Britannia:	
in univerſum	380460.
In Lemovicibus	
pro tributis & additament.	670000.
pro ſtipend. Offic.	65000.

40 Rex quoque Epiſcopali ſede vacante, prædiorum omnium adminiſtrationem ſuſcipit, fructusque percipit, ipſisque arbitrio ſuo utitur ac fruitur. Idque jus *Regalia vulgò appellatur* (37) Franciſ. Duaren. *libr. 3. de ſacris Eccleſiæ miniſteriis & beneficiis c. 11.* ſcribit:
41 Ut autem vacare deſinat Epiſcopalis ſedes, hæc requiruntur: 1. Novum Antiſtitem ritè ac legitimè creatum lectúmve eſſe: 2. Regis
42 Clientem *jurejurando* (38) in ipſius verba adactum & addictum; & literas regias, jurisjurandi hujus ſolemnis nomine apud præfecturam Ratiociniorum receptas, perſcriptasque eſſe: 3. Aliis quoque literis opus eſt, quibus Præfecti Ratiociniorum, regio fundorum Epiſcopaliū diſpenſatori mandent, ut novum Antiſtitem iis frui ſinat.

43 Porrò *ex reditibus Eccleſiaſticis* (39) Rex Galliæ ingens emolumentum Ærario infarcire poterit: De quo Illuſtris Præſes Thuanus *libro 27. hiſtor.* Multa, *inquit*, & ſacro Ordini detrimentoſa propoſita. Ut ex ſacerdotiis: Si Iɔ. numarias libras æquarint, quarta pars;
44 ſi cIɔ. tertia; ſi III. cIɔ. librarum exceſſerint, dimidia pars decidatur, & ærario applicetur: qui XII. cIɔ. librarum annuos reditus percipiunt, his III cIɔ. relinquatur, cætera Regi attribuantur. Cartuſianis item, Cæleſtinis, Ma-
45 turinis, Minimis, ac Monialibus omnes reditus, qui ipſorum alimenti modum ſuperent, adimantur: item res ſoli omnes, exceptis præcipuis caſtellis ac ædibus, in quibus Epiſcopi & Canonicorum Collegia domicilia habeant, venundentur; Ex quibus ratione diligenter initâ conſtabat CXX. librarum myriades confici poſſe; quarum tertiâ parte ſacerdotibus relictâ & fœnori collocatâ tantum emolumenti dominis, quantum ex fundis ſuis rediret; reliquæ ſummæ ad æs regni diſſolvendum impenderentur; ſicque aucto regio ærario tandem populus tributis, quibus ultra modum gravatur, in poſtremum levaretur.

Bodinus de Republ. lib. 5. cap. 2. pag. 532. Caroli IX. Regis juſſu cùm cenſus ageretur bonorum Eccleſiaſticorum in hoc imperio, quater millies ſeſtertiûm, ſive duodecim milliones annui reditûs in cenſum relatos video, extra pecuniam & gratuitas oblationes. Id tamen parcè ac tenuiter, ne ex vero cenſu invidia aut periculum Ordini Pontificio crearetur. Allemanus enim, rationum publicarum prætor, mihi curioſiùs omnia conquirenti narrabat, duos ferè trientes agri Gallici ad ſacrum Ordinem poſſeſſione vel dominio pertinere. Incredibile id quidem mihi viſum eſt; tametſi non ignoro, quatuor ſupra centum Epiſcopos, duodecim *Archiepiſcopos*, (40) quingentos & quadraginta octo Abbates, Curionum viginti ſeptem millia & quadringentos; ſi modò ſingulis urbibus & pagis ſinguli Curiones tribuantur; extra minores Archimandritas & cœnobia tenuium Monachorum vicatim mendicantium. Ac multò majores apud nos Eccleſiæ opes fuiſſent, niſi Joannes XXII. P. M. Nicolai Pontificis Maximi decretum antiquaſſet: quo quidem licebat mendicantium Ordinibus prædia poſſidere, quæ uſu & fructu ad ſe pertinerent, nexu verò & mancipio ad Pontificem Maximum, &c.

Botereus *lib XV. Hiſtor.* ad annum cIɔ. 46
IɔCCVIII. Jam à biennio Rex Chriſtianiſſimus Edicto indulſerat Clero Gallicano, ut intra quinquennium cenſus & fundos Eccleſiæ, ob penſitationes regiarum indictionū, à quadrageſimo quarto anno diſtractos, ab emptoribus poſſeſſoribusq; redhibito pretio impenſisq; in rem neceſſariò & utiliter verſis perſolutis, reciperent: Probavit magnū Conſilium ſanctionem, cautione adhibitâ, ne Eccleſiaſtici obtentu gratiæ edictalis, clam & ſemotis arbitris, apophoreta, & ut latio verbo noſtratem ſermonem adæquem, propinationes accipiant, Edicti violatoribus inflictâ
mulctâ quadrupli. *Decimarum* (41) item exa- 47
ctio antiquiſſima eſt, quas Reges Galliæ percipiunt non tantùm ex bonis Eccleſiaſticis, quæ ipſi fundarunt, quorumque ipſi ſunt patroni; ſed & ex omnibus ratione temporalium. Solvuntur autem in loco diœceſeos principali, & ab omnibus, qui habent reditus certos, & ordinarios. Excipiuntur Xenotrophia & alia Eleemoſynaria.

Præterea in Regni ingreſſu pro vena- 48
libus militiis, immunitatibus, aliisque Regum benignitate conceſſis privilegiis grandem pecuniam corradi ſolitum fuiſſe, teſtis eſt Thuan. *lib. 3.* ibidem ſubdens; Cùm lege Regni Sacerdotum collegia res ſoli & immobiles, ignobiles, item prædia nobilia &

R patro-

patronalia poſſidere prohibeantur, quadrageſimo quoque anno, ne ultrà præſcriptio excurrat, eo nomine magna pecunia dependi ſolet. *Lib. verò 8.* ita inquit: Eodem tempore Septimani fundorum patrimonialium & nobiliũ, quæ ab ignobilibus poſſidentur, poſſeſſionum item ſacerdotalium cauſa Regi C. numûm Francicorum millia dependerunt; cujus rei ratione ſingulis XL. annis ab omnibus regni provinciis ingentes ſummas Principibus noſtris exigere jus eſt.

49 Quamvis verò Rex Hiſpaniarum opibus immenſis & theſauris cumulatus eſſe videatur, & quamvis plurimis imperitet Regnis, ſpatio terrarum hominumque multitudine abundè dotatis, ita ut nullus ferè unquam fuerit Monarcha, qui cum eo comparari poſſit; Thom. Lanſius *in Orat. pro Hiſpan.* Nihilominùs tamen potentiâ vix ſuperare Galliæ Regẽ exiſtimatur: Keckerm. *diſput. pract. 31. problem. 15.* multoque minùs æquiparari poſſet Hiſpanica potentia Germaniæ, ſub unum parileque Imperium redactæ. Beſold. *in diſſertat. de jure territ. fol. mihi 267.* qui ſubjungit: Et adſerunt inprimis Gallicanæ potentiæ patroni, quòd Franco-Gallici Regni partes omnes arctè & quidem circulariter ſunt continuatæ.

50 Quo fit, quòd quemadmodum diſcontinuatio Dominiorum & Regnorum magnas parit difficultates atque confuſiones; ſic contrà ea, quæ unius generis vel unita ſunt, longè faciliùs reguntur, & in ordine continentur. Indeque Galliæ Rex Franciſcus multitudinem titulorum Hiſpaniæ Regum riſit jam olim; & loco pompoſæ inſcri-
51 ptionis, quâ Carolus V. Imperator utebatur, præcepit, ut literis dicto Imperatori præſentandis præfigeretur ſolùm Franciſcus, DEI gratiâ, Franciæ Rex, & *Dominus Goneſſæ*, (24) quæ pagus eſt mini-
52 mus totius propè Regni. Et ſanè Rex Hiſpaniarum toto ſuo Imperio uti non poteſt: quodlibet namque Regnum indiget ſemetipſo, & alteri ſuccurrendo debilitat ſemetipſum: ſicque ad mutua auxilia ferenda, non ita promptè, prout res poſtulat, concurrere poteſt: Licet Boterus diſtantiam ac disjunctionem Ditionum, & amplitudinem immenſitatemque Regni in tot partes diviſi, & per totum penè Orbem ſparſi, nihil obeſſe, imò prodeſſe illius firmitudini & ſtabilitati arbitretur; Cùm eæ ita ſint comparatæ, ut ſingulæ per ſe defendere ſemet poſſint. Cùm unâ non ſimul queant oppugnari omnes: & nec ſubditi ſimul unà contra Principem conſpirare poſſint; ac ita in proclivi ſit, ſubſidio fidelium caſtigare rebelles, & viribus Regnorum non oppugnatorum ſuccurrere iis, quæ periclitantur: De quo tamen aliorum judicia & ſimul cenſuras retuli *cap. præcedenti num. 152. & ſeqq.* Evanido igitur irritoque conatu vulgò jactitant Hiſpani, ſe poſſidere Orbes multos. Nam ut ipſimet 53
in communi proverbio dicunt: *Ne todo lo grande es bueno, ma todo lo bueno es grande.* Non omne magnum eſt bonum; ſed omne bonum eſt magnum, Floreſta Eſpagnola *libr. 11. capit. 1. numer. 4.* Hiſpanicum Regnũ caput eſt, diverſa corpora habens: & ita ajunt magnitudinem ipſius eſſe monſtroſam hoc eſt, non Rempublicam exiſtere unitam.

Galliam quoque *Hiſpaniæ multùm præfert* (43) Buchananus, in ſcripto illo, cui titulum fecit, *Fratres fraterrimi*; ubi de adventu ſuo in Galliam agit:

Jejuna miſeræ teſqua Luſitaniæ,
Glebæq; tantùm fertiles penuriæ,
Valete longùm. At tu beata Gallia
Salve, bonarum blanda nutrix artium.
Cœlo ſalubri, fertili frugum ſolo,
Umbroſa colles, pampini molli comâ &c.

Politici item, qui acutè vident, *Hiſpa-* 54
niam & Galliam in æquilibrio (44) eſſe debere judicant: Idque cupere Reges & Principes Europæ omnes, ſcribit Perez *fol. 114. num. 75.* Namque ſi quis ex hisce Regibus duobus alterum vincet, plures alios adhuc rediget in ſuam poteſtatem. Quò etiam ſpectat Arca- 55
num Politicum; Velle, ut vicini ſui *hoſtes diminuantur, non extinguantur.* (45) Quod Venetorum ſtratagema refert Cominæus *lib. 7. cap. 5.* Item Vicino adeſſe auxilio, vel non impedire, quò minùs confidenter moveat bellum & vincatur. Ita Ludovicus XI. inducias cum Carolo Burgundo prolongavit, ut eò majori commoditate Helvetiis, aliiſque moveret Germanis, quorum invincibile robur ſibi cognitum erat; Cominæ. *lib. 4. cap. 1.* Pertinet quoque hûc, quòd Anglia olim metue- 56
bat Galliæ & Belgii unionem: Ideoque omni conatu Angliæ Rex Eduardus impedivit, ne quis ex Gallorum Regis familia duceret filiam unicam Caroli Burgundi. Comin. *l. 3. c. 8.* Beſold. *in diſſert. de præcedent. & ſeſſ. prærog. 99.* Et verè Cambden. *in Annal. Anglic.* Anno Chriſti MDLXXVII. ſcripſit; Gal- 57
liam & Hiſpaniam eſſe quaſi lances in Europæ libra, & Angliam lingulam ſive libripendem.

Hodiè *Armandum Richelium* (46) jactant 58
paſſim, Francici Imperii Genium, ſummam regii conſilii Intelligentiam, Eminentiſſimũ mortalium, Galliæ Angelum tutelarem, cujus ſit nova ſeculis fata condere, futura temporum ænigmatibus evolvere, & totius mundi fortunam uno veluti digito moderari, non ſecus ac mundus aſtrorum influentiis ſubeſt. Statuam Regi ſuo in area Regia, *a la* 59
place royale, Lutetiæ Pariſiorum, cum hac inſcriptione poſuit.

Ita

Tu quisquis es,
Reverere hunc Regem, ſi ſubditus,
Mirare, ſi exterus,
Metue, ſi injuſtus.
Hic Est

LUDOVICUS XIII.

Quem natura Regem Francorum,
Juſtitia Regem amicorum,
Fortitudo terrorem hoſtium fecit.
Hic
Ut naturâ juſtus eſſet, natus eſt, dum Sol extaret in libra,
Sed Sol ſæpè libram, nunquam Æquitatem Ludovicus deſeruit,
Hæc æquitas eum Europæ Judicem fecit, vel Vindicem.
Hoc Vindice
Rhætia in hoſtium caſſes non incidit,
Sabaudia & Verruca non unà periit,
Caſalis ter oppugnata non cecidit.
Hunc arbitrum ſi Germania elegiſſet,
Et libertatem retinuiſſet,
& Religionem,
Et ſi neutra eſſe voluiſſet, utraque eſſet.
Fortitudinem ex Victoriis collige.
Intra Galliam alterum Regnum ſuperavit,
Dum rebellibus trecentas arces eripuit,
& Rupellam
Cum Rupella omnia Mundi Elementa vicit:
Ignem aquis; Terram vallis; Aërem carcere; Oceanum aggere.
Stetit ad hunc aggerem Anglus, ubi Oceanus ſteterat;
Sed ter victus & fugatus eſt.
Ter ſolo adſpectu ad Caſalem Hiſpanus, ſemel & non adſpectus.
Pinorolum Domitorem Alpium & tropæum toti Europæ teſtabitur.
Quid ultrà Alpes agere potuiſſet Ludovicus!
Niſi
Propugnator Libertatis Italicæ, quàm expugnator eſſe maluiſſet,
Nanceium Gallicum voluit, ne Gothicum fieret;
Et ne unquam eſſet inimicum;
Elegit eſſe ſubditum.
Motta ſolo nomine immobilem ſe jactabat,
Expugnata eſt:
Ne quid armis Ludovici immobile eſſet.
Hæc miracula videntur hoc ſeculo perpetrata:
Sed meditatur majora,
Interea Ludovico Justo, & Victori hanc armatam
Statuam
Humilis & gratus
ARMANDUS RICHELIUS
Ponit.

Huic elogio quis hoc ſequens Antilogium appoſuit & oppoſuit:

Tu, quisquis es,
Verere hunc Cardinalem, ſi amicus,
Mirare, ſi ſtolidus,
Metue, ſi juſtus,
Hic Est

ARMANDUS RICHELIUS,

Quem natura ſervum Francorum,
Injuſtitia tyrannum Dominorum,
Crudelitas terrorem bonorum fecit.
Hic
Ut naturâ injuſtus eſſet, natus eſt, cùm Sol erraret in libra:
Sed Sol ſæpè libram, Æquitatem ſemper Richelius deſeruit.
Hæc iniquitas eum Principum Proditorem, vel perditorem fecit.
Hoc Proditore
Rhætia in Francorum caſſes incidit.
Sabaudia & Verruca ferro periêre,
Caſalis non oppugnata, dolo cecidit.
Hunc arbitrum ſi Germania elegiſſet, nec Libertatem retinuiſſet,
nec Religionem.
Et ſi neutra eſſe voluiſſet, nulla fuiſſet.
Impietatem ex ſcelere collige.
Intra Galliam Christi regnum pervertit,
Dum ſacra, quibus præeſſe debet, evertit.
Omnia in Mundo Elementa contaminavit:
Ignem incendiis, Terram cædibus, Oceanum Piratis, Aërem peſtibus.
Stetit ad Rupellam Anglus; ubi Richelius non ſteterat.
Abiit à Rupella non victus,
Sed territus
Solo Hiſpanicæ claſſis nuncio,
Ter ad Caſalem Hiſpanos timuit,
Semel ſimulato diſceſſu prodidit.
Pinorolum proditi Sabaudi ludibrium, toti Europæ teſtabitur.
Quid ultra Alpes agere potuiſſet Richelius,
Niſi
Oppugnator Libertatis Gallicæ,
Quàm Propugnator eſſe maluiſſet:
Nanceium Gallicum voluit, quia Gothicus erat,
Et ne unquam eſſet amicum,
Elegit eſſe ſervum.
Motta, quæ ſe nomine immobilem jactabat,
Rapta eſt,
Ne quid Richelicæ rapacitati immobile eſſet.
Hæc ſcelera videntur in Gallia patrata:
Sed meditatur majora,
Qui Ludovico Justo, ſed decepto
Statuam
Erga Regem ſuperbus, erga Reginam ingratus
ARMANDUS RICHELIUS
Poſuit.

Ecce

Ecce miſerrimum miſerrimi Regni ſtatum, ſub adminiſtratione injuſta, & uſurpatione injuſtiſſima præfati Cardinalis Riche-
61 lii. Faſtum quoque ejus Poëta Epigrammate egregiè eſt ultus, cùm præmemoratam Statuam Regi ſuo ſtatuerat, Regem in hunc modum affatus;

Juſtus inermis eras, Armandus TE armat iniquè,
Armandum armatus ſternito, juſtus eris.
Hanc tibi Richelius ſtatuam, ſed conſcius Orbis,
Vim metuens, ſpeciem Regis & arma gerit,
Vel te jam vicit, vel te vult vincere ſervus,
Vel quæ geſſiſti, prædicat eſſe ſua.
Quas tibi dat laudes, ergo, ſi intelligis, ipſe
Se Regem, Statuam Te LUDOVICE, vocat.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT VII.

(1) I*Nſignia &c.*] Quæ olim Regum Franciæ inſignia fuerint, diſcrepant inter ſe Scriptores, neque cujus Authoris opinio pro certa amplectenda fiet, adhuc dum liquet. Sunt enim, qui tres Bufones ſive ranas aut rubetas; ſunt, qui tres Coronas, ſive tria diademata; alii, qui Lunulas, alii Alaudam; Navem alii; alii haſtarum Spicula; alii Leonem, in cujus cauda aquila eminebat; alii qui Lilia! alii denique qui Irides in armis geſtaſſe Gallorum Reges memorant: de quibus latè Limnæus *in Notitia Regni Franciæ lib.1.cap.10.*item *de J.P.VI. 6.n.33.*Hœping *de Jure Inſig. part. 3. cl. 1. §. 2. ſeqq.*Cruſius *de Jure* προεδρίας *lib.1.cap.5.n.6.ſeqq.* Valdeſius *de Prærog. Hiſpan.cap.25.n. 11. 12.ſeqq.* cum allegatis ab ipſis Authoribus, tractant. Imò Chifletius *in anaſtaſi Childerici Francorum Regis cap.12.*eò abiit, ut Childericum I. Regem pro ſymbolis Apes geſtaſſe pro certo habeat. Cùm planum ſit, Lilii flores à Merovingis Regibus nunquam uſurpatos, neque à Carolovingis, in quorum annulis & ſigillis non appareant. Probatque aſſertionem ſuam à forma, à comparatione, quòd quæcunq; liliis tribuant recẽtiores Franci, ea belliſſimè apibus cõveniant, qui omninò cum ab ipſo Scriptoribus citatis videri poterunt. Hanc diverſitatem conſiderantes alii (*inter quos Author Gallicus Paſquier liv.2.des recherch.de la France chap. 16.& ut Claud. Minos comm.in Alciat.Embl. nec non Hœping citato loco circa finem & cap.ſeq.n. 405.exſtant*) ne ulli fidem denegarent, credere maluerunt, omnes iſtas imagines in uſu, ſed diverſis Regibus, atque diverſis temporibus fuiſſe: ſed adhuc res omnis ſita eſt in incerto, maximè cùm ſolis conjecturis Opinio hæc innitatur. Cæterùm cùm hodierna inſignia in oculis incurrant, ambigere ampliùs operæ pretium non eſt, an Lilia ſcutum exornent, cùm Lilia eſſe omnibus perſuaſum ſit. Quando autem uſus eorum cœperit? an Lilia Gallica cœlo dimiſſa fuerint? an aſſumptio in certo & determinato numero conſtiterit? cum ſimilibus quæſtionibus, hîc tractare longum nimis foret, quocirca curioſum Lectorem ad Limnæum, Chifletium, Hœppingiũ, qui præſertim paragrapho 3.& 4. latiſſimè hæc pertractat, & Ferrandi Epinicion pro Liliis Franciæ, ſolùm hac vice ablegamus. Placet coronidis loco ſcribere breve hac de re Joannis de Buſſieres *H.Franc.l.1.ſub Clodovæo* judicium. Ita autem creditur eo tempore (*nempe Clodovæo R. ad fidem Chriſtianã converſo*) ne qua vel umbra ſuperſtitionis prioris hæreret, mutaſſe Regum inſignia; ac patribus coronis lilia aurea ſcuto cæruleo impreſſiſſe. Nempe hæc lilia, quæ feraciſſimis ſurculis per Europam, Aſiam atq; Africam inſita, & Religionis fragrantiſſimo odore, & radianti victoriarum ſplendore, vel priùs miſſa ſunt cœlitùs, vel cœleſti curâ ſervata poſteriùs. Præter Regem, Liliis in Gallia utuntur ejus Liberi (*inquit Hagemeierus de Statu Galliæ*) ſive legitimi ſive naturales, & Principes Sanguinis: ſed tota res in hunc modum diſtincta eſt; Rex habet tria Lilia cum Corona ſuperiùs; (ſcuto impoſita) Delphinus itidem tria Lilia cum duobus Delphinis. (Corona inſuper ejus hodiè conſtat ex Delphinis, qui caudis ſe invicem in altum ſublatis attingunt, quibus impoſitum Liliorum florem ſuſtinent, quam formam invenerat Abbas Brianvillæus, & Rex approbavit. *Beſongne en l' Eſtat de la France d' an. 1669.*) Reliqui liberi legitimi pariter tria Lilia, ſed cum hoc ſigno ⊓⊓ ſuperiùs appoſito, quod Galli appellant *Les lambeaux.* Principes ſanguinis utuntur tribus Liliis cum transeunte filo ⟍, Gallicè *la barre,* à dextro, & liberi naturales à ſiniſtro latere.

Num.4.

(2) *Regnum ab omni penè plaga &c.*] Similia de hoc Regno Jacobus Hovvell *in* προεδρία βασιλικὴ *ſect.2.pag.143.* refert his verbis: Quicunque accuratè perluſtraverit glorioſum illud Regnum, judicabit nullum aliud commodioris & fortioris ſitûs eſſe ipſius Naturæ indulgentiâ; Nam poſitum eſt quaſi in centro Europæi Orbis, habens versùs Occidentem Solem Magnam Britanniam; versùs Orientem, Italiam, & Helvetiam; Meridiem versùs Regna Hiſpaniæ; & versùs Septentrionales mundi plagas Germaniam Superiorem & Inferiorem. Jam verò notatu digniſſimum eſt, quo modo munita & circumvallata ſit Gallia, contra omnes hosce Vicinos ſingulari quâdam providentiâ; Contra primum, videlicet Regem Britanniarum habet profundiſſimam foſſam, ſeu Neptunum ipſum interpoſitum; Contra ſecundum habet confragoſos Alpium montes; Contra tertium habet ſaltus Pyrenæos, ſicut valla ipsâ naturâ erecta; Contra quartum caſtra, urbes & propugnacula habet cum præſidiis, aggeribus, & omni genere fortificationum; Oceanus uno latere, & Mediterraneum Mare alterâ parte fimbrias ejus alluit & Commercium invitat; Nam tanta eſt commoditas illius poſitionis, quòd obvia & facilè acceſſibilis appareat univerſo Generi humano commercii & negotiationis gratiâ Terrâ Mariquè.

Num. 5.

(3) *Veluti compactum &c.*] Regio eſt figuræ commodiſſimæ, nam circularis eſt, ideoque una pars poteſt citò præſtare opem alteri, quum

quum contiguæ ſint, ſaltem non longè diſtantes, inquit *citato loco* Hovvell. cui jungatur Limnæus *in Not. Regni Franc. cap. 4. & 6.* qui fusè de finibus, latitudine, longitudine, nec non Provinciis Franciæ & ejus excellentia ibidem agit: junge Gotofredum *in Archontologia Coſmica parte 1. in Galliæ Deſcriptione*, Mercatorem *in Atlante de eadem*, & Geographos ferè omnes.

Num. 6.

(4) *A gradu &c.*] Gerhard. Mercator *citato loco* de Qualitate Regionis ſic cenſet: Subjacet parti quidem Quinti, tota autem Sexto Septimoque Climatibus, parti quoque Octavi, inter gradus Latitudinis XLI. & LII. Longitudinis autem XX. & XXXVIII.

Num. 7.

(5) *Immenſo oppidorum &c.*] Qui numerus eò major eſt, quò plures poſt concluſam cum Imperio, Anno MDCXLVIII. $\frac{14}{24}$. Octobris Monaſterii, dein cum Rege Hiſpaniarum Anno MDCLIX. 7/[illegible]. Novembris in Inſula à Phaſianis dicta, ſuper flumine Vedaſo, pacem, Galliæ Regi vel remanſerunt vel ceſſæ fuerunt ditiones, oppida, præfecturæ, atque Jura, Imperator enim atque Imperium convenit: quòd primò (*ſunt verba Inſtrumenti Pacis*) ſupremum Dominium, Jura Superioritatis, aliaque omnia in Epiſcopatus Metenſem, Thullenſem, & Virodunenſem, urbesque cognomines, eorumque Epiſcopatuum diſtrictus, & nominatim Moyenvicum, eo modo, quo ad Romanum ſpectabant Imperium, inpoſterum ad Coronam Galliæ ſpectare eique incorporari debeant in perpetuum & irrevocabiliter, reſervato tamen jure Metropolitano ad ArchiEpiſcopatum Trevirenſem pertinente &c. Secundò Imperator atque Imperium ceſſit atque tranſtulit in Regem Chriſtianiſſimum ejusque in Regno ſucceſſores, Jus directi Dominii, Superioritatis, & quodcunque aliud ſibi & S. Rom. Imperio hactenus in Pinerolum competebat & competere poterat. Tandem Imperator pro ſe totaque Sereniſſima Domo Auſtriaca, itemque Imperium ceſſerunt omnibus juribus, proprietatibus, dominiis, poſſeſſionibus, ac jurisdictionibus, quæ hactenus Sibi, Imperio, & Familiæ Auſtriacæ competebant in oppidum Briſacum, Landgraviatum Superioris & Inferioris Alſatiæ, Suntgoviam, Præfecturamque Provincialem decem Civitatum Imperialium in Alſatia ſitarum; ſcilicet Hagenavv, Colmar, Schlettſtatt, Weiſenburg, Landavv, Oberenhaim, Rosheim, Münſter in valle S. Gregorii, Kaiſersberg, Turinghaim, omnesque pagos & alia quæcunque Jura, quæ à dicta Præfectura dependent, eaque omnia & ſingula in Regem Chriſtianiſſimum Regnumque Galliarum transtulerunt, ita ut dictum oppidum Briſacum cum villis Hochſtat, Niederrimſing, Hartem, & Acharren ad communitatem Civitatis Briſacenſis pertinentibus, cumque omni Territorio & Banno, quatenus ſe ab antiquo extendit &c. nec non Landgraviatus utriusque Alſatiæ & Suntgoviæ, tum etiam Præfectura Provincialis, cum omnibus hominibus, Juribus, atque Pertinentiis &c. ad Regem Galliæ pertineant, atque dictæ Coronæ incorporata intelligantur &c.

Per Tractatus verò cum Hiſpaniæ Coronâ concluſos, vigore Articulorum XXXV. XXXVI. ſeqq. usque ad Art. XLV. non ſolùm partim ſupra inita & recenſita confirmata fuêre, ſed inſuperque ſequentia Coronæ ſuæ vel ſervavit vel acquiſivit: in Comitatu nempe Artheſiæ; Atrebatum, Hesdinum, Bapalmam, Betunam, Lilertium, Lendium, Comitatum S. Pauli, Teravannam, Paſſam, cum ſuis Baillivatibus & Caſtellaniis quibuscunque. In Comitatu & Provincia Flandriæ; Grevelingam, Fortalitium Philippinum, Sluſam, & Halovinam, Burburgum, Fanum Divi Venantii. In Comitatu & Provincia Hannoniæ; Landrecæjum & Quercetum cum ſuis Baillivatibus. In Lucemburgenſi; Theonvillam, Mommedium, Damvillerium, Præfecturam Ivoſii, Caſtrochaventii, Marvilii: Mariæburgum autem & Philippolim, in commutationem Baſææ & Winocibergæ; Avennam. In Hiſpania retinuit Comitatum Ruisconenſem, & Confluentium, nec non partem Comitatûs Cerdaniæ extra montes Pyræneos Galliam verſùs ſitam. Recuperavit verò Rocroyum, Caſtelletum, & Lincampium &c. Tandem quoque ſub certis conditionibus à Carolo Lotharingiæ Duce Jus Directi Dominii & Superioritatis in Ducatus ſuos Lotharingiam atque Barri in Regem Galliæ translata fuit; Quam Tranſactionem Rex actis Parlamenti XVII. Febr. Anno MDCLXII. inſeri curavit; prout Author Diarii Europæi ſub eo tempore teſtatur, tenoremque articulorum unà cum aliis huc pertinentibus ibidem exhibet Eodem inſuper Anno XXVII. Octobris à Magnæ Britanniæ Rege titulo emptionis venditionis in Gallorum manus veniſſe Dunkerckam, idem Author ibid. tradit. Quæ verò Annis proximè elapſis, in Belgio iterum poteſtati ſuæ ſubjecerit, ſuprà *ad cap. 6. num. 4. Not. 8.* innuimus. Adeò virtus & fortuna in augmentum Regni Galliæ conſpiraſſe videntur.

(6) *Bodinus &c.*] *De Republ. lib. 6. cap. 1. pag. 664.* ubi de homine, qui ex Galliæ ditionibus ampliùs ſepties millies ſeſtertiûm, ſublatis cæteris omnibus tributis & vectigalibus, facillimè ac ſine cujusquam incommodo in ærarium cogi poſſe, vanè promiſerat, tractat.

Num. 9.

(7) *Ex abundantiſſima frugum &c.*] Galliæ ſuæ ubertatem per compendium Fournier *in Geographica Orbis notitia part. 1. lib. 6. cap. 5.* his verbis jactat: Galliam laudat Strabo, quòd in ea otioſum ſit nihil, non Montes, non Litora, non Agri, non Incolæ; ſanè prudenter, hinc enim fons totius ubertatis. Montes celebrat maximè Cemenios in Gabalis, Ruthenis, Tarbellis & Tarnim fluvium (*potuiſſet plures alios recenſere*) quòd abundent auro domeſtico. Celtarum theſauros ſilet, quos incolæ paludibus, metu hoſtium, immergebant. Miſſum facit Gallicum magnetem quadruplicem, qui infinitam externi auri copiam ad ſe pellicit, frumentum ſcilicet, vinum, ſalem, & cannabim ſeu telas, quibus omnes fermè claſſes Europæ, jam ab ævo Plinii inſtruuntur. Enimverò ſalinarum Santonenſium Redemptor ſexties centena millia Francorum præter decem myriades in gazam regiam confert annis ſingulis, cùm hæc ſcribo. (*Anno videl. MDCXLVII.*) Conſtat ex publicis inſtrumentis Anni MDCXLII. & MDCXLIII. quibus maximè omnia ardebant bello, in ſola Luparæ officina monetali, cùm in argento, tùm in auro

cuſos

cuſos & ſignatos LXXVI. milliones, & centum quinquaginta quatuor libras ſupra octingentas quinquaginta duo millia. Scriptum ſimiliter in monumentis Curiæ rationum reperies, ex quo indictum bellum, vix ullum effluxiſſe annum, in quo plures quàm C. milliones in ærarium non contulerint Publicani, mitto fodinas æris, quas recenſet Cæſar, ferri quæ per totum Regnum obviæ ſunt, maximè apud Nivernenſes, & Northmannos. Si hæc montes proferunt & litora, quid vaſta camporum æquora, quid valles, quid ſilvæ? Frumenti vis infinita ubique provenit, nullibi feliciùs ſeruntur vites, nullibi diligentiùs excoluntur: ubi generoſius vinum Graviano & Aurelianenſi, ubi ſuavius Chaloſſenſi & Aiſiano, ubi gratius & minùs nocens Francico? Provinciæ oleo quid dulcius, quid pretioſius? Ubique ſunt armenta, ubique greges innumeri, lana, quæ Biturigibus ex agnis, vel collo ovium deſecatur, tantæ eſt molliciei, ut Canadenſi Caſtoreæ lanæ vix cedat: hîc altitudine ſues præcellunt, ex quibus pernæ, petaſones eſchinees & Tomacla ſauciſſes Romam usque delata, teſtatur Varro. Equas famâ celebres in Galliis commemorat Trebellius *in Claudio*. Equitatus Galliæ, ubique penè ſemper Victor, præſtantiæ equorum argumentum eſt non invalidum. Denique vix quidquam deſideres, quòd paſſim in Galliis non occurrat. Deſunt, inquies, Aromata: non inficior, ſed iisdem caret omnis Europa; ſed audi, quæ ſit Galliæ felicitas. Vina, flores, herbulæ & frutices odoris & ſaporis longè gratiſſimi paſſim in Galliis enaſcuntur, quarum aliæ aliis certâ ratione permixtæ ſi temperentur debitè, Molucarum Caryophylla, Braſiliæ ſaccarum, & omnia Indorum aromata, ſapore, odore, & ſuavitate ſuperabunt. Imponere me ne credas, hoc prudentiſſimus Galliæ Cancellarius, Dn. de Syllery Legatum Hiſpaniæ nimiùm fortaſſis extollentem delicias & utilitatem, quæ Gallis ex commercio cum Hiſpanis obveniebant, experientiâ docuit, cum laudatiſſimo & percelebri eum excepit convivio, in quo non panis, non vinum Aromatites, non carnari, non piſcaria artocreata, nec ullum genus deerat piſturæ dulciariæ, cùm tamen nullâ re aliâ, quàm herbis Francicis, nec bellaria, nec carnes imbutas ſummâ fide Legato aſſeveravit, producto etiam, qui id præſtiterat, Artocopolo. Quid dicam de incolis, tanta hîc eſt multitudo hor[illegible]m, ut quadragintis millibus dicat Strabo G[illegible] cum Cæſare depugnaſſe; aſſeruitque, non ita pr[illegible]dem virium Galliæ ſcientiſſimus Cardinalis Richelius, ſexcenta peditum millia & centum quinquaginta equitum poſſe conſcribi, ipſeque eodem tempore in Belgium, Germaniam, Lotharingiam, Comitatum Burgundiæ, Italiam, & Hiſpaniam exercitus Regios immiſit, qui omnes de hoſtibus Nobiles victorias reportarunt, licèt non incruentas, cùm exiſtiment aliqui, trecenta hominum millia pro patria glorioſè dimicantia in his occubuiſſe. Plura de Galliæ ſingularumq; Provinciarum dotibus ſingularibus, præter alios, Gotofredus Operis Gallici D. T. U. Y. interpres *in Archontologia Coſmica in Deſcriptione Galliæ num.* 7. Lanſius *in Orat. pro Gallia*, ut & Limnæus *in Not. Regni Franc. cap. 6.* notata reliquerunt. Hanc Galliæ fertilitatem ubertatemq; diverſis Climatibus adſcribit Howell *in προεδρίᾳ βασιλικῇ, ſect. 2. p. 145. & 165.*

Num. 10.

(8) *Cum exteris merces communicant &c.*] Hinc laudatus Hovvel, & ejus Interpres Harmarus dicit *loc. ſæpe citat. p. 147.* Hiſpanus & alii inediâ periret, niſi ſupplerentur tritico Galliæ. Tamen Illa non exportat, niſi quod ſuperfluum eſt, quod Illa Chymico quodam modo transmutat in Aurum Indicū; Nam tanta eſt indigentia Hiſpaniæ, ut non habeat unde ſuſtentare pane poſſit centeſimam partem ſuæ Gentis. Quamobrem quando aliqua Navis ibi appellit onuſta tritico, ſubitò poſſit illud convertere in monetam, aut ditiſſimas merces viâ Commutationis.

Num. 13.

(9) *Boterus &c.*] Rationem reddit ipſe Boterus *in Relat. de Regno Galliæ*, ubi videri poterit.

Num. 15.

(10) *In Oppido Pariſiorum &c.*] Hac de Re ita loquitur Gotofredus *in Archontol. Coſm. in Deſcript. Galliæ. n. 15.* Lutetia Pariſiorum cum tantæ vaſtitatis ſit, ad inſtar ſpongiæ attrahit ad ſe potiſſimam argenti partem, quod in Galliam infertur: ut ſi quis velit numerare illuſtres ac potētes viros, qui denſi frequentesque ibi habitant, Senatores ſummæ Curiæ divitiis abundantes, Advocatos & Procuratores, quorum domus quotidie ab aliquot hominum chiliadibus implentur, Præfectos rationum & Fiſci, quorum opes ad Principum virorum facultates adſcendunt: nec non Præſides, Conſiliarios, Theſaurarios, Exactores tributorum ac vectigalium, Mercatores ac Cives cæteros Pariſienſes, modum inventurus non ſit. Nec enim ex Gallia ſolùm pecuniæ in hanc urbem comportantur, verùm etiam è Germania, Italia, Hiſpania, Anglia, adeoq; ex univerſa Europa. Argenteæ præterea ſupellectilis hîc tantum invenitur, quantum vix in cæteris Galliæ oppidis omnibus ſimul ſumptis: magna inſuper vis auri argentique ſignati, & tantum pretioſarum mercium, ut ſola Lutetia numeroſum exercitum alere poſſe videatur. *Hæc ille.* Cui adſtipulatur Gramondus *Hiſtor. Gall. lib. 2.* Nemini ignotum eſt, *inquiens*, Europæarum urbium Lutetiam eſſe facilè Principem, non alia nomine major, non ambitu; ſeu populus, ſeu urbem componunt immenſa ſpatia Regiis ædificiis diſtincta, creſcit & augetur indies plus æquo urbs impatiens ſui, adeò ut periculum ſit, ne mole ruat ſuâ, aut in ruinam agat aliquando, quam ſpoliat, Galliam. Non alibi urbs opulentior; ſeu opulentiam, incruſtatum parietibus aurum & marmora omnis generis, ſeu faciunt cives in regiam amplitudinem aucti. Illic præcipuo in cultu ſupellex curioſa; Illic auri copia ingens facti, infecti: memorant, qui apprimè norunt urbem, auri in Hiſpania cuſi plus haberi Lutetiæ, quàm in tota Hiſpania. Quid gazam, quid gemmas, quid pretioſa periſtromata memorem, auro diſtincta & ſerico? optimè, qui dixerit Lutetiam magis orbem quàm urbem, adeò effundit ſe Orbis univerſus illuſtrandæ, ornandæ &c.

Num. 16.

(11) *Galliam metallis abundare &c.*] Vide Merulæ *Coſmographiam part. 2. l. 3. c. 2.*

Num. 17.

(12) *Ingenti incolarum numero &c.*] Boterus *in Relatione de Regno Galliæ.* Quis Galliæ eſt angulus, (*exclamat Lanſius in Orat. pro Gall.*) quæ loca ibi in ulla oſtendi poſſunt parte, quæ non frequentia hominum obumbret, quæ non gentium hinc inde commeantium & diſcurrentium exercitus occupet? Nulla ibi ſolitudo, nihil vacuum, & deſer-

deſertum nihil eſt. Omnia itinera & viæ omnes ædificiis, domibus, arcibus, pagis, oppidis, urbibus ſunt repletæ: vixque tranſeunti aliquod ex oculis elabitur, & alia decem conſpicienti comparent, ut tota Gallia tantùm una urbs quædam, in regiones & vias diſtincta, eſſe videatur. Et quemadmodum in formicarum receptaculis & domiciliis nihil eſt inane, ſed omnia ſolertiſſimo animalculo, in cumulos ſine numero perpetuò circumrepente, ſunt pleniſſima: ita Gallia tota hominibus infarcta & ubique populus eſt, &c. Memorant Hiſtoriæ, regnante Carolo IX. viginti millia Equitum, XXX. millia Peditum extraneorum, è Gallis autem Equitum millia XV. Peditum C. extitiſſe in Gallia, neque has copias ullam in regno annonæ caritatem excitaſſe. De quo Gotofredus *in Archontologia loco ſæpius citato n. 20.* videatur.

Num. 18. in fin.

(13) *Multum imminutum ſit &c.*] Credibile tamen eſt, & experientia teſtatur, damnum, quod perpeſſa erat Gallia à Civilium armorum fluctibus, alcedoniis hiſce temporibus, quibus ſub incomparabili ſuo Monarchâ Ludovico XIV. gaudet, abundè à benigniſſima Natura penſatum fuiſſe. Ipſique tanquam ab alio Deucalione atque Pyrrha, cùm diluvii internecinorum bellorum aquæ deſediſſent, ex lapidibus homines reſuſcitatos fuiſſe.

Num. 19.

(14) *Numero munitiſſimorum oppidorum &c.*] Urbes celebriores Galliæ recenſent paſſim Geographi, & inter illos Cluverius *in Introduct. in Geographiam univerſam lib. 2. cap. 15.* & Buno *in notis ibid.* quarum catalogum hîc inſerere tædioſū fortaſſe Lectori foret. Præbet ejus rei exemplum illuſtre, ſi non ſufficiens Briſacum, quod (ut anno MDCLXV. vidi) operâ de Vauban Capitanei in cohorte Picardicâ primarii nec non Regis Ingeniarii ordinarii, ſic undiq; circumductis operibus, ſecto lapide circummuniri cœptum, ut ſi tādem opus ad umbilicū (quod intra ſeptenniū fore tunc pro certo ab artis magiſtro creditū) productū fuerit, de illo haud injuriâ jactari poſſit, Micat inter omnes velut inter ignes Luna minores. Illud mirari meretur quod cùm olim ęrumnabili labore ſumptibusq; maximis cūcti lapides per currus devehendi erant, tunc temporis laudati de Vauban ingenio, atque induſtriâ Rheno perfoſſo & per canalem (ut vocant) ad lapicidinas uſque perducto, facilè operâ, naviculâ inde ad operas ipſas uſque appellente die uno tot lapides aſportati fuerunt, quot nec centum equorum robur curribus junctum inferre ſuffeciſſet.

Num. 20.

(15) *Pedeſtris Gallorum militia &c.*] Rationem aliam aſſignat D.T.U.Y. Author libri, cui titulum fecit *Les Eſtats, Empires du monde &c.* ſive ut poſteriori Editione ſonat *Le' Theatre du monde &c.* & ejus interpres Gotofredus *in Archontologia Coſmica*, atq; Boterus *in Politia Regia in deſcriptione Regni Galliæ*, ob quam minùs uſi ſint priſci Francorum Reges peditatu Gallicano, hanc nempe; Quòd ſeditiones populares hâc re excitatum iri metuerunt: qui Authores ibid. præſertim Gotofretus *n. 20.* videri poterint. Cui Honorius *in Theſauro Politico* plures adjungit dicendo: Cauſæ multæ redduntur, inter quas potiſſima ea eſt, quòd plebs armis ſe inſtructam cerneret, contra proceres inſurgeret, cùm propter invidiam, tùm propter onera, quæ patitur, cumque à magiſtratibus compeſci nequeat, artes negligeret, & agriculturam omitteret maximo omnium detrimento, latrocinaretur, demum regnum totum confunderet: cùm experientia doceat, quoties plebejus aliquis in militiam nomen dedit, protinus eum inſoleſcere & domi ſuæ velle imperare, ac parentibus, fratribus, & cunctis dominari &c. Quin enim ut Equitatu, quo omnibus populis eos palmam præripere Lanſius *in Orat. pro Gallia* cenſet, ita & Peditatu plurimùm valeant, dubitare nos non ſinit Martius Francorum Genius. In univerſum enim Galli omnes armis inſueverunt; & inter tubarum clangores, perdentium & pereuntium hoſtium clamores, telorum & gladiorum fragores, terrificos tormentorum boatus, ſemper impavidi, ſemper imperterriti lætitiâ exultant & ultrò paſſim militiæ dant nomen; ac gregarii milites, ut duces ſint, virtute ſuâ merētur, *ſicut ibidem Lanſius loquitur.* Præterea, ut alia taceamus, Turenna atque Fertea pedeſtres Gallicæ cohortes, nuper in famoſo illo cum Turcis ad S. Gothardū 22. Julii 1. Auguſti Anno MDCLXIV. commiſſo prælio ſatis monſtrarunt, quantum ad rem reſtituendam virtus illorum & fortitudo valeat. Plura qui de hodiernâ militia Gallorum & numero Legionum ſcire deſiderat, is adeat ſcriptū Anno MDCLXIX. à Beſongne Franciæ ſtatum, *Tom. I. Chapitre 5. & II. Chapitre 4.* Cæterùm de virtute bellica Gallorum tractat latè ſatis Hovvel & ejus Interpres *in προεδρ. βασιλ. ſect. 2. arg. 9.*

Num. 21.

(16) *Gallicus Author &c.*] Nempe D.T.U.Y. & ejus Interpres Gotofredus *in Archontologia Coſmica, in deſcriptione hujus regni in 21.* Cui meritò adjungatur Philippus Honorius *in Theſauro Politico, in Relatione de hoc Regno pag. m. 129.* ubi eleganter de hujuſcemodi tormentis diſſerit.

Num. 23.

(17) *Dicere ſæpe ſolitum &c.*] Hoc dictum Ludovici XI. *ex Theneto és vies illuſtres des hommes liv. 4. chap. 6.* ita refert Limnæus. *in Notitia Regni Franciæ lib. 2. cap. 9.* Tempore Ludovici XI. jam eò perventum erat, ut interrogatus, quantum ex Regno quotannis perciperet? reſponderit, ſe id facilè non poſſe exprimere, percipere autem tantum, quantum ſibi placeret. Regnum pratum eſſe fertiliſſimum, quod meteret in annos, & toties quoties vellet, falce paulisper ſuſpenſâ herbam novâ luxuriâ recreſcere.

(18) *Regni Francici opes &c.*] Potentiam hodierni Galliæ Regis Hovvel & ejus interpres Harmarus in *προεδρία βασιλικῇ ſectione ſecunda, de Rege Franciæ arg. ſeptimo* ſic deſcribit: Non eſt alia tam unita, & intrinſeca potentia; talis pharetra ſagittarum, ſeu nodus fortitudinis alibi non invenitur quàm in Gallia; habet triginta mille Parochias, quo conſtat, quòd conſcribentes decem homines in quavis Parochia, exercitus apparari poſſit ducentorum & quinquaginta mille hominum. Præterea Civitas Pariſienſis, ingens Illa machina & miſcellanea omnium Gentiū alios tantos emittere poteſt, ſi neceſſitas requiſiverit. Jam verò affirmari poſſit, Regnum Galliæ nunquam fuiſſe tam potens & integrum, quàm in ſtatu, quo nunc eſt, à tempore Caroli Magni, quod diverſis rationibus probari poſſit. Prima eſt, quia Calviniſtæ, quos Huguenottos vocant, debellati ſunt & ad perfectam obedientiæ regulam adducti, qui antea judicabantur eſſe maxima Franciæ infirmitas, nam ſæpe fuerunt ut fomites ad accendenda bella & tumul-

tus

tus inteſtinos in viſceribus Regni excitandos. Dici poſſent eſſe Regnum in Regno habentes ducentas Urbes cautionarias & multas earum præſidiis ſuis munitas: Ipſeque Rex ad eorum ſtipendia ſolvenda contribuebat; Quarum Urbium duæ mandabant Fluvio Ligeri, qui intercurrit Regnum; Aliæ Urbes erant ſitæ ad littora Maritima, ideoque aptè poſitæ ad recipienda extera auxilia, ut Rupella, cujus Reductio pulicem, ut ajunt, in aurem Hiſpani immiſit; nam ſi putarat Angliam Illi ſuccurrere non voluiſſe, Ipſe auxiliatrices copias miſerat ad ſolvendum obſidium; Quod induxit Cardinalem de Richelieu oſtentare, quod ſubegerat Rupellam *en depit de Trois Roys*, videlicat Regum Angliæ, Hiſpaniæ, & Ipſius Galliæ, qui diu anxius hæſitavit in Illo negotio; Jam verò omnes Illæ Urbes præſidiales ſunt in manu Regis, & liberæ præſidiis. Itaque dicti Calviniſtæ jam dependent ſolo nutu Regis, & incolumitatem recipiunt ab ejus voluntate, quia reducti ſunt ad exactam Obedientiam; Quod magnum opus quinque præcedentes Reges moliebantur, ſed nunquam potuerant illud perficere. Secundò, Gallia eſt potententior in ſtatu, quo nunc eſt, quàm in ſeculis retroactis ſolebat eſſe, ob tres claves, quas Cardinalis Richelius legabat Regi Galliæ; quorum Prima erat Civitas Briſac, ex qua Germaniam; Secunda Pignerol, ex qua Italiam; Tertia clavis eſt Perpignan, ex qua Hiſpaniam poterat intrare, & irrumpere quando libuerit. Cui ſubjungatur Comitatus Ruſſilionis. Tertia Ratio, quòd Rex Galliarū potẽtior ſit ſuis prædeceſſoribus, eſt quòd Lotharingiā ſubegit, quæ obligata erat antea homagio Imperatori, & quæ murus ſeu munimen erat inter Galliam & Germaniam. Quarta ratio eſt, quòd præſidium exterum, quod erat in Principatu Auriaco dimittitur, & Caſtellum immunitum eſt. Poſtremò Gravelinga & Dunquerca cum aliis Belgicis Civitatibus adduntur Galliæ Dominiis; His rationibus benè trutinatis clariſſimè conſtat, potentiam Regis Galliarum multùm creviſſe & Majorem eſſe impræſentiarum, quàm erat ſub regimine ſuorum Anteceſſorum. Hactenus Howell.

Num. 24.

(19) *Tributorum extraordinariorum &c.*] De variis Impoſitionum in Galliâ generibus tractat quoque Limnæus *in Not. Regni Franciæ lib. 2. cap. 8.*

Num. 25.

(20) *Sub haſtâ venalia &c.*] Notat Limnæus *jam jam loco citato. lit. a a. in fin.* (*ubi elegantē ex Loyſeau diſcurſum attulit.*) à tempore quo Ludovicus XIII. Coronam Regiam adeptus fuerat, ad menſem usque Januarii Anno MDCXXIV. quod tempus triginta annos cum dimidio conficit, ex venditione & reditibus officiorum, (quæ illic recenſet) plus quàm ducentas libellarum milliones receptas fuiſſe. Sed anne expediat Reipubl. hujusmodi Magiſtratuum atque publicorū munerum nundinatio? inferiùs fortaſſis cenſendi locus dabitur.

Num. 30.

(21) *Domanium &c.*] Domanium Hottomannus *in ſua Franco-Gallia c. 9.* ſic deſcribit: Sciendum eſt, antiquitùs inſtitutum fuiſſe, ut Francorum Regibus non modò Fiſcalia illa Jura, qualia Romanis Imperatoribus conceſſa erant, verùm etiam certa quædam fruenda prædia ad Regiam ſuam dignitatem tuendam aſſignarentur, quæ barbaro vocabulo DEMANIUM Regium appellantur: plerumque autem Domanium. Eſt enim Domanium Regium, quaſi Dos Regni, quomodo veteres dicebant Vatem prædii, ſive (ut planiùs loquamur) quaſi quidam uſusfructus certarum poſſeſſionum, Regi ad tuendum dignitatis ſuæ ſplendorem attributus; &c. Huic gemina planè ſunt, quæ de Domanii naturâ Paponius *lib. 5. Arreſtorum tit. 10. arreſt. 1.* habet, inquiens: Domanium Regis vera dos eſt, quam Reſpublica Regi Sponſo ſuo in matrimonio quodam civili ſeu politico dicit ſeu dat. Et quoniam non niſi unus Rex eſt, hujusmodi Domanium non ad alium ſpectare poteſt, quàm ad ſolum Regem, privativè ſupra cæteros Regis defuncti liberos, qui in eo rigore juris nihil juris habent. Prædictum Domanium præcipuus flos eſt coronæ, qui pati non poteſt ſeu neſcius ceſſionis, alienationis aut diviſionis, ut ait Bald. *in Auth. hoc amplius. C. de fideicommiſſ.* Atque ita jura, quæ ad coronam ſpectant, quæque ex Domanio ipſius ſunt, unione quadam ad eum ſpectant, qui Rex eſt, & non ad alium ſpectare & perpetuò manere debent: nam ſi plures ſint liberi, unus tantùm ex ipſis Rex eſt, neque cæteri Reges ſunt, neque ad ſucceſſionem & communionem jurium & Domanii Coronæ & Regni admittuntur, utpote cùm ſint, ut ſuperiùs dictum eſt, vera dos Reipubl. quæ nullum alium conjugem habet præter Regem, qui onera, defenſionem, tutelam, & conſervationem Reipubl. ſponſæ ſuæ ſuſtinet. Quinimò non poſſunt prædicti cæteri legitimam petere: ut communiter exiſtimant omnes Canoniſtæ, ac nominatim Hoſtienſis *in ſumm. de feud.* His addatur Lex Franciæ, quâ individuè & citra imminutionem aliquam omnia ad primogenitum pertinent. Nihilominus tamen ſecundogeniti liberi Franciæ jure naturali ali & exhiberi debent, & pro ipſorum exhibitione & eorū poſteritate masculâ ipſis proviſio quædam datur, quæ appellari ſolet Appanagium: neque tamen ita ceſſio aliqua aut diviſio Regni fit: proprietas enim terrarum & Dominiorum, quę ita traduntur, penes Coronā remanet, & propriè loquendo id, quod vocamus Appanagium, nihil aliud eſt quàm uſusfructus aut proviſio &c. *Hactenus ille.* Quibus meritò conjūgatur Choppinus, cujus integer Tractatus *de Domanio Franciæ* exſtat, ut & Limnæus *in Not. Regni Franciæ lib. 2. cap. 8.* nec non Petrus Gregorius Tholozanus *de Rep. lib. 3. cap. 2. n. 11. ſeqq.* Qui *n. 12.* bellè diſtinguit: Inter *Domanium Immutabile*, quod in fundis patrimonialibus, locatis, vel datis privatis cum onere penſionis certæ, in perpetuum; ita dictum immutabile, quia penſio ſeu cenſus debitus ſemper æqualiter ſingulis annis ſolvitur ſine immutatione. Et inter *Domanium* vel dominium *Mutabile*, eò quòd ſint jura Reipublicæ, habentia reditus vel compendia, quæ ſingulis annis, vel aliis temporibus vel augeri vel minui poſſunt, jure exigendi tamen remanente immutabili penes Principem vel Rempublicam &c. Ubi etiam Exemplis allatis rem declarat.

Num. 31.

(22) *Ea in feudum tenent. &c.*] De his reditibus ita jam jam laudatus Gregorius *loco citato n. 14.* loquitur: Sunt & his (*ſcilicet ab eo paulò antè enumeratis*) affinia jura, quæ debentur Regi pro feudorum transmutatione à perſona in perſonam aliam, vel per ſucceſſionem, vel per alienationem permiſſam, in quibus aliquando morte poſſeſſoris jura quædam exiguntur, quæ dicuntur *Relevamenta*, ut in Normandia feuda Comitatus relevan-

levantur pretio quingentarum librarum; Baronia centum; feudum loricationis, *vocant d'haubert*, mille quingentarum; medium feudum loricationis ſeptuaginta quinque ſolidorum Turonenſium. Aliquando Jus redemptionis ex feudo Principi aut Domino debetur, quod eſt reditus unius anni dicti feudi, quod tenetur in fide & hominio Principis, quando dominus ſeu poſſeſſor vel vaſallus, qui habuit ſub hominio & fide, decedit ſine liberis, ſuperſtitibus fratre aut ſorore, quo caſu hæres, qui ei ſuccedit, debet Regi, ſuperiori Domino, à quo feudum pendet, pro redemptione dare reditum anni unius dicti feudi. Quando verò Feudum venditur, debetur in aliquibus quinta pars pretii venditionis ab emptore Regi, ut ſuperiori: & deinceps alia quinta pars, quæ facit decimum denarium, cum dicto quinto denario, vocantur in Gallia QUINTS & REQUINTS, ut ecce, feudum venditur centum libris, pro quinto denario ſunt viginti libræ, & iterum quatuor libræ pro requinto: unde in ſumma, pro tota præſtatione centum librarum, debentur viginti quatuor libræ. Qui reditus ex conſtitutione Caroli IX. editâ ad Sanctum Germanum A. MDLXI. menſis Januarii, converti debebant in refectiones & conſervationes caſtrorum, & aliorum ædificiorum regiorum.

(23) *Adeſpota &c.*] De his omnibus Juribus planiſſimè cùm agat Limnæus, actum hoc loco non agemus, B. Lectorem ad ejusdem Notitiæ Regni Franciæ *lib.2.cap.7.præcipuè lit. a a a a a a. ſeqq. multas*, remittere contenti. Id tamen hoc loco ſolùm annotamus circa Jus *Albenagii*, ut vocant, vi cujus peregrini in Gallia ratione bonorum quæ ibi tenent, vivunt quidem ut liberi, ſed moriuntur ut ſervi, ita ut nec admittantur ad officia, vel beneficia, nec ad ordinem Equitum Spiritûs Sancti, nec in officinis monetariis, nec ad conductionem vectigalium, ita ut nec poſſint cedere bonis, ut docet ex Bacquet Limnæus *d. loc. lit. x x.* ſive ut Paponii *lib. 5. Arreſt. tit. 2. Arreſt. 1. & 2.* verbis vim ejus efferamus, quo Jure ſucceſſio *albini*, i. e. *alibi nati* ſive advenæ in Gallia domicilium habentis vel habitantis, jure civitatis non-donati Regi competit: adeò ut talis in præjudicium Regis (niſi liberis legitimis in hoc regno ex uxore in illo regno aſſumpta & non peregrina natis, quibus hæreditatem (*ut vult quoq; Bodinus 1. de Republ. c.6. p. 63.*) capere permiſſum) de bonis, quæ intra hoc regnum habet, diſponere non poſſit. Vid. Limnæum *N. F. lib.2. c. 7.* præter alios à Limnæo enumeratos. Ab Albinagio exemptos eſſe ſingularibus Conſtitutionibus atque Privilegiis Paparum & Franciæ Regum Studioſos omnes Nationis Germanicæ, qui in Univerſitate Aurelianenſi ejusdem Albo ritè nomina dederunt, & in eo conſignati exſtant, teſtatur Gölnitzius *in Ulyſſe Belgico-Gallico p.m. 211.* Similiter apud D. Marquardum *de Mercatura parte poſter. lit. I.* extant privilegia Mercatorum Germaniæ Civitatum Imperialium, quibus à Franciſco inde I. Galliarum Rege beniguiſſimè dotati ſunt, inter quæ non minimum illud eſt, quo Anno MDLXIX. menſe Auguſti ſingulari planè gratiâ, ipſis libertas teſtandi, diſponendique de bonis ſuis indultum fuit, ita ut omninò à Jure albinagii immunitatem habeant. Quod Privilegium cum aliis à Ludovico quoque XIII. menſe Januarii Anni MDCXVII. dictis Mercatoribus confirmatum fuit. Sperandumque foret ab hodierno Monarcha easdem confirmationes obtineri poſſe, ſi modò pertimeſcendum non foret, omni conatu omnique animi impetu vectigalium & portoriorum conductores ob ceſſans lucrum executioni ſeſe oppoſituros.

(24) *Jus Civitatis &c.*] Quod fit, ſi Rex, (cui ſoli hoc competit,) peregrinis, qui in Gallia nati non fuerunt, Literas Naturalitatis irrogat. Tunc enim illi omnibus commodis, gratiis, & favoribus, quibus in Gallia orti Cives potiuntur, Bocrius *deciſ. 13. n. 21.* Ita ut Albinagii Juri ampliùs ſubjecti non ſint. Dicuntur autem ſecundùm Limnæum *in N. F. l.2. c.7. lit. u u.* Literæ Naturalitatis ideò, quòd hoc reſcripto Regio peregrini Juri naturali, quo jus peregrinitatis incognitum erat, reſtituantur & perinde habeantur, ac ſi in Regno Galliæ nati eſſent, fiantque Francigenæ, ſive Regnicolæ. Quoad *manum mortuam*, cujus hoc ipſo num. Klockius meminit, Merula *part. 2. Coſm. lib. 3.* ex quo hæc deſcripſiſſe Author noſter videtur, addit: manus mortuæ (ut vocant) quæ duplices, aut Eccleſiaſticæ aut plebejæ ſive adſcriptiorum. De utraque hæc notat ſuprà laudatus Gregorius Tholozanus *3. de Republ. c.2. n.16.* Eſſe inter Jura Domanii mutabilis, ſeu cenſûs incerti & indefiniti ea, quæ percipiuntur à Principe ſeu Rege Jure morticinii, quod vocant *Amortiſationem*; cujus natura eſt, ut quando feudum nobile pervenit titulo acquiſitionis, vel donationis, aut alio, ad Eccleſiam, (addit ad *n. 18.* corpora civilia Univerſitatum, Collegiorum, Hoſpitalium, quæ & ipſa nunquam mori dicuntur, Klock. *Tom. 3. conſil. 133. n. 20.* Belluga *in Speculo Princ. 15. in Not.*) dicatur pervenire ad manum mortuam, eoque dictum feudum non poteſt à manu ſeu poſſeſſione ejus regulariter exire, cùm patrimonium Eccleſiæ ſit perpetuum, & inevitabile. Proinde qui ex corpore ejus Eccleſiæ ſunt, tenentur ex lege dicta rebus, aut emancipare illa bona, ſeu extra manum ponere, & diſtrahere prædictum feudum intra annum & diem, à die acquiſitionis, aut pro ejus ſervitio dare & conſtituere Principi hominem viventem, morientem & confiſcantem, id eſt, talem, qui obire poſſit munera, & ex cujus morte & vita, aut facto, feudum poſſit ſubire mutationes & actiones, ex quibus proventus & jura renovantur Domino Principi. Niſi, ſi Principi viſum fuerit, illis dentur Codicilli morticinii ſeu Amortiſationis, quibus eximuntur res feudi, & feudum ab illis juribus & obſequiis. Quocirca pro jure hoc Amortiſationis ſeu exemptionis, datur Principi ſemel tertia pars integræ æſtimationis totius feudi, atque literæ exemptionis præſcribuntur à Camera Computorum ſeu ratiociniorum regiorum, ratione quarum impoſterum tale feudum vel poſſeſſores ejus non tenentur ad debita, quæ jubet exigi Rex à Francis feudis, & novis quæſitis, & quæ exiguntur à poſſidentibus ab eo feuda, aut alia bona non amortiſata, & à plebejis poſſidentibus feuda nobilia &c. *Ubi paulò pòſt num. 20. ſubjungit:* Huic Juri manus mortuæ Quæſtores jungunt aliud nomen propè ſimile, ſed inverſum & alterius generis: Nam *Manum Mortuam* prædictam vocant, aliud autem, Jus *mortuæ manus*. Appellant enim *droit de main morte*, jus, quod pertinet ad Regem, in quibusdam Provinciis ſui regni: nempe, quando is, qui cenſum aut reditum debet Regi, ibi moritur ſine liberis: tunc enim hæredes ejus defuncti debent, pro anno, quo moritur, duplicem cenſum & reditum &c. Et huc pertinet Deciſio *361.* Guidonis Papæ, ubi ponit, quòd mortua manus ſit, ſi quando ruſticus decedat

cedat ſine liberis, vel alio deſcendente, ſubjungens eo caſu Barones, Banneretos, alios nobiles Delpinatûs ab antiquiſſimis temporibus mortuam manum accipere, i. e. totum occupare Jure peculi. Vide quoque Speideliũ *in ſpeculo lit. H. n.52. voce* Haubt-Recht ꝛc. qui idem alibi *lit. A. n. 97. voce, Amortiſatio Bonorum*, dicit: Amortiſare eſt humano commercio eximere prædia: vel amortiſatio eſt licentia bona immobilia per manum mortuam retinendi & in perpetuum poſſidendi. Petr. Peck. *de amortis. bon. cap. 1.* Per manũ mortuam in hac materia Eccleſia, Civitas, Collegium, ſive aliud quodcunque corpus Eccleſiaſticum, vel ſeculare, quod bonorum capax eſt, intelligitur. Nam ſicut ſemel mortuus denuò non moritur; ita quoque corpus ejusmodi, etiamſi omnes perſonæ, ex quibus conſtat, rebus humanis eximantur, & mutentur, immutatum permanet. Vel manus mortua ideò dicitur, quemadmodũ moriẽtis hominis manus id, quod comprehendit, firmiſſimè concluſum tenet, neq; facilè remittit; ſic etiam quicquid Eccleſia ſeu corpus iſtiusmodi ſemel acquirit, ac in manum, hoc eſt, poteſtatem ſuam accipit, non niſi magnâ cum difficultate & ſolennitate in commune hominum commercium pòſt deinde remittit, ſed accumulando conſervat &c. Ad majorem hujus Juris cognitionem faciunt, quæ de eodem, poſt alios ab ipſo citatos Authores, Limnæus *in Not. Reg. Franc. lib. 2. cap. 7. lit. iii.* ſcripſit.

Num. 32.

(25) *Alienari non poteſt &c.]* Ideò Domanium illud à quibusdam cum tunicâ vacante futuris & indiviſâ comparatur. In eo enim conſentiunt tam JCTI, quàm Scriptores rerum Gallicarum omnes, quòd Regibus Galliæ Domanium alienare non liceat, niſi magnâ cogantur neceſſitate, quæ multâ Senatûs deliberatione adeò curioſè examinatur & disquiritur, ut propter incertitudinem venditionis, pauci earum aliquid ſibi emendum & ſubeundum eſſe periculum putent, dicente Seſellio *de Rep. Galliæ cap. 1.* Si enim vel minima ſolemnitatum, quæ requiruntur, non obſervata fuerit: veluti ſi cauſa alienandi non benè cognita fuerit, ſi non aliunde pecunia reparari potuerit, ſi non commodum & incommodum perpenſum fuerit, pretium item competens, niſi proclamationes præceſſerint, itemque publicatio & ratihabitio Curiæ, Alienationem talem planè nullam eſſe, Author nobis Paponius *l. 5. Arreſt. tit. 10. arreſt. 2.* eſt, ubi ejus rei exempla ponit. Plura apud Limnæum *in Not. Franciæ lib. 2. c. 8. lit. bb. ſeqq. ubi, ut & in toto capite, expreſſe de Domanio* agit, lege.

(26) *Duobus Caſibus &c.]* In his iterum poſt Merulam Author noſter ſequitur Haillanium. Attamen Exceptiones plerique tres, quamvis alii pauciores, alii plures, annumerant, de quibus videatur Limnæus *loco ſæpius citato lit. gg. hh. ſeq.* Qui tamen *eodem teſte lit. ii.* non omnes, quotquot fuerint, in neceſſitate, utilitate, & honeſtate fundamentum habent. Cæterùm perpetuò Jus reluitionis ſalvum Regibus manere tam certum eſt, quàm quod eſt certiſſimum.

(27) *In Apennagium &c.]* Unde Apanagii vox deſcendat, variè à variis traditur, prout videre eſt apud Limnæum *in Notit. Regni Franciæ lib. 2. cap. 21. lit. ss.* Betſium *de pactis famil. illuſtr. cap. 8. p. 333.* Tilium *de Rebus Gallicis pag. m. 180 ſeq.* Gotofredum *in Archontologia Coſmica ſive* D.T.U.Y. *en les Eſtats &c. in deſcriptione hujus regni cap. 23.* nec non Springsfeldium *de Apanagio, c. 1. n. 9. 10. 11. 12. ſeqq. multis. ubi 18. ſeqq.* ita inquit: Plures ac quidem communiter apanagium derivant à pane. Quo generatim victus & alimentum hominis donotatur, cùm ſermone Gallico, ubi dicitur: *il a veſcu de ſon pain*, comedit de pane illius, pro, fuit ab illo educatus, tùm Hebraico *Lechem*, quemadmodum in Oratione Domini Panis quotidianus dicitur. . . Quam derivationem etſi rideat Nicolaus Betſius eamque ineptis Practicis adſignet, tamen naturæ ac Origini rei perquàm conſentaneam eſſe puto. *Hæc ille.* Quanta autem circa vocis originem, tanta quoque circa definitionem exiſtit inter Authores differentia. Aliquas exhibet nobis citatus Springsfeldius *d. loc. à n. 40. usq. 48* Quarum omnium Apanagio Francico convenientiſſima videtur illa Betſii *cit. loc.* deſcriptio; Apanagium Francicum vocabulum eſt, ſumique ſolet pro ea bonorum parte, quæ Regis Franciæ liberis natu minoribus ſolet cõcedi poſtquam natu maximus mortuo patre regnum adeptus eſt, ut directum dominium Rex in eâ parte retineat: etſi poſteri virilis ſexûs deficiant, utile dominium cum directo conſolidetur, & ad Regem redeat. Quò pertinent verba Pasquierii ſic à Limnæo *loc. dicto lit. u u.* latinitate donata: In vicem ejus quòd primùm omnes liberi Regis acciperent ſingula regna (*de quo vide Tilium de Rebus Gallicis p. m. 174. ſeqq.* atque Springsfeldium *n. 51. 52. ſeqq.*) pro portione hæreditatis paternæ, & poſtea illis darentur magnæ Provinciæ tanquam Ducatus, cum magnis prærogativis, adeò ut ſub titulo Ducis viderentur non longè abeſſe à regia poteſtate, Reges noſtri inventione admodùm politicâ & utili, quo Regnum auguſtius conſtituerent, cœperunt diminuere hanc fratrum ſuorum magnificentiam, concedendo illis bona & dominia in apenagium. Hoc facientes, putabant ſe illis nihil contuliſſe, niſi dominium & annuos reditus, ſibi autem reſervaſſe totam Jurisdictionem, Superioritatis jus, ac potentiam imponendi collectas ſubditis, qualescunq; neceſſitas efflagitaret. Extat ſententia ſolemnis lata à Paribus, aliisq; triginta quinque perſonis egregiæ notæ, Anno MCCXLIII. quâ cõſtitutum, ut deficientibus hæredibus maſculis, ex lumbis apanagiati prognatis, apanagia revertantur ad Regem, non verò ad proximiorem cognatum. Hac ſententiâ Regi adjudicati fuerunt Comitatus Pictavienſis, & Alvernenſis, (quos tenuerat Alphonſus S. Ludovici Regis frater) contra inſtantiam Caroli Regis Siciliæ. Ubi tamen notandum à tempore Ludovici Ducis Aureliani, qui frater fuit Caroli VII. in omnibus minorum natu aſſignationibus disertè cautum eſſe de reverſione ad Regnum; ſi mares hæredes matrimonio legitimo prognati deficerent, ut ſublata eſſet omnis controverſia, docente Springsfeldio *c. 2. n. 65. ſeq.* Incunabula certarum tantùm aſſignationum, cùm referant ad tertiam Regum familiam, ab Hugone Capeto denominatam, Scriptores ferè omnes, operam perderemus ſi iis perſcrutandis tempus inſumeremus. Dictis jungantur ſuprà citati Authores & inprimis laudatus ſæpè Springsfeldius, qui univerſam materiam & quatenus Jus hoc in noſtra Germania obtineat, eleganter enucleat.

(28) *Neceſſitate id exigente &c.]* Contrà Thuanus *lib. 63. Hiſtor.* memorat, cùm Henricus III. Galliarum Rex Anno MDLXXVII. in Comitiis Blæſenſibus propoſuiſſet, ob imminens bellum, decreviſſe ſe centum aureorum annuo-

annuorum millia ex regio patrimonio in perpetuum alienare: idque ut accedente Ordinum auctoritate fiat expetere &c. reſpondiſſe Ordines quantum ad regii patrimonii in perpetuum alienationem, omninò ſe non poſſe aſſenſum præbere. Et cùm poſtridiè Pomponius Belleureus à Rege miſſus eſſet, qui de capite, quod ad Regii Patrimonii in perpetuum alienationem pertinet, ageret, & neceſſitate, quæ potentiſſimum telum eſt, urgente, id licere contenderet, quippe cùm conſtet ſalutem populi ſupremam Legem eſſe debere, Æmarum Burdegalenſem præſidem Ordinum nomine reſpondiſſe, & nullo caſu alienari à Rege patrimonium Coronæ poſſe, multis verbis diſſeruiſſe, quippe cujus Rex tantùm ſit uſufructuarius, proprietate penes regnum manente; quam nullo tempore alienatam, ne quidem extremâ neceſſitate urgente, cùm Johannes Rex apud Anglos captivus eſſet, meminerint homines, quippe fulcrum & columen regni illud eſſe, quod ſacrum, inviolabile & proinde inalienabile majores ſemper exiſtimaverint, ita remiſſus Belleureus, (*pergit idem,*) & peſſimum de Domanio affectatæ neceſſitatis obtentu alienando commentum, Bodino præcipuè auctore (nam præcipui jam promiſſis corrupti mutabant) evanuit.

Num. 33.

(29) *Tributa &c.*] Et hæc iterum ex Haillani atque Merulæ mente Klockius ediſſerit, præter quem vide Limnæi *Notit. Franciæ lib. 2. cap. 9. per totum, maximè verò lit. n n.* Dicuntur autem Realia, ratione patrimonii, Perſonalia ratione habitationis, Mixta ratione proportionis facultatum: ad Differentiam Auxiliorum (*des Aydes*) quæ ſolummodo Impoſitiones reales ſunt, uti teſtatur Beſongne *en Etat de la France Tom. 2. chapit. 2. & 3.*

Num. 35.

(30) *Exempti à Tributis &c.*] De hac immunitate ita Bodinus *6. de Republ. 2. pag. 661.* exclamat: Quid abſurdius quàm apud nos tria hominum genera, Sacerdotes, inquam, Nobiles ac Magiſtratus ferè omnes omnia Tributa in miſeros opifices & aratores rejicere? Sunt igitur ea vectigalia, ſi modò neceſſaria, probanda, quæ in omnes ordines pro ſingulorum facultatibus exæquantur, ut ſalarium & vinarium vectigal, & quæ ſunt generis ejusdem: earum verò rerum, quæ minutatim væneunt vectigalia prohiberi oportet, ne mancipes plebem ad ſeditiones incendere poſſint, ut Carolo V. & VI. Regibus ſæpiſſimè contigit. Cui invidiæ atque exinde orienti periculo depellendo, ac Tributorum aſperitati molliendæ, haud ſcimus ullum ne fomentum convenientius inveniatur, quàm ſi juſta ſit, æquabilis, uniformis contributio, nec per bonam malámve gratiam hic ſublevetur, ille prematur. Quam cautelam ſimulque cautelæ rationem unam Mæcenas etiam adducit *in Orat. ad Auguſt.* apud Dionem *lib. 52. pag. 484.* ſic diſſerens: Juſtum æquumque eſt, neminem ſubditorum, neque privatum hominem, neque populum, à vectigalibus immunem eſſe; quum ex æquo ad omnes utilitas eorum, in quæ inſumuntur, redeat. Ut enim (*verbo Plinii in Panegyr. 35, 5.*) Sol & dies non parte aliquâ, ſed ſtatim totus, nec uni aut alteri, ſed omnibus in commune profertur: ſic etiam Princeps incommoda & commoda civium divellere non debet, ſed omnes eâdem æquitate continere. Cæterùm quantum Immunitas conceſſa Bodini tempore incommodi attulerit Galliæ, Ipſe *6. de Rep. 2. pag. 660.* teſtatur inquiens: Quemadmodum valentiſſima quæque corporis humani membra putres ac defluentes humores ad imbecilliora rejiciunt, & cùm eò pervenerint, apoſtema aut exanthema ingenti cum totius corporis dolore erumpere neceſſe eſt: idem nobis contigiſſe videmus, ut cùm ſacer ac patritius ordo fortunis & opibus locuples, miſeros aratores & opifices omni tributorum genere urgeri & opprimi pateretur, quousque plebs oneribus aſſiduis gravata ſuccumberet: tunc in urbes antea ſemper immunes, atque in Nobilium & Sacrum Ordinem onus rejici oportuit: ac Sacerdotes quidem decimas pendere, Nobiles verò ſuis ſtipendiis militare, & in modum equi Æſopici, qui partem oneris ferre cum recuſaret aſino, ſuccumbente ac pereunte onus integrum perferre.

(31) *Nullam Mercaturam &c.*] Clericos enim negotiationibus potiùs ſecularibus, quàm officiis divinis intendentes, cùm facto abjiciant Privilegium clericale, meritò ab Eccleſia non defendi Honorius III. P.M. *in c. fin. extrà de vita & honeſtat. Cleric.* jubet. Vid. etiam Guid. Papæ *deciſ. 196. cum ibid. notatis.* De ſubjectione & exemptione Clericorum verò in genere latè agit Arniſæus, in Tractatu ſuo ſingulari de hac materiâ conſcripto, Author noſter, *in Tr. de Contributionibus cap. 12. per totum*, & in ſpecie de Clero Gallicano Limnæus *in Regni Franciæ Tom. II. l. 3. c. 2.* alii.

(32) *Quinta pars &c.*] De eo ita diſſerit Author Hiſtoriæ de Miniſterio Cardinalis Richelii *lib. 2. cap. 34. in Politica reminiſcentia, & ejus interpres:* In poteſtate Regum eſt, Eccleſiaſticos neceſſitate urgente, ad partem redituum erogandam adigere, ut ſubveniant Reipublicæ, cùm bona Eccleſiaſtica ejusdem ſint conditionis cum cæteris, per eum curſum rerum. Neque enim per filium DEI, aut Apoſtolos à tributo communi eximebantur, Eccleſiâ id temporis bonorum immobilium vacuâ. A pietate igitur Imperatorum & Regum hanc obtinent gratiam, eâ tamen lege, ut ſummis Reipubl. neceſſitatibus ne deſint, cum ſucceſſoribus Principum ſine ſcrupulo liceat receptare neceſſaria. Pietatis eſt, petere, quod pro ſummâ Auctoritate capere licet, fruſtraneo alioqui patrocinio in Eccleſias, niſi uſus in neceſſitate concederetur: modeſtia igitur Principum Eccleſiaſticos reddat promptiores ad ſubſidia, cùm imperantis preces arctiùs vinciant, quàm mandata. Sicubi verò omnes corporis partes, nec ulla nobiliſſimarum exceptâ conſervationi ejusdem inſerviunt, ita æquum fuerit, ut omnes Reipublicæ partes connitantur ad ejusdem conſervationem, aut gloriam reſtaurandam. Gratianus Imperator ſanxit, ut ſinguli bono publico obedirent, ex officio ſubveniendi ſine ullis immunitatibus pro dignitate conceſſis. Sic ferè Plato, omnes omnium mortalium debere neceſſitati obſequium, cùm eidem ne quidem Dii reſiſtant. Si verò Eccleſiaſtici tergiverſarentur Regibus eo rerum ſtatu ſubvenire, meritiſſimè illis objiceretur, quod Diocletianus olim Philoſopho immunitatem mutui à populo exacti petenti exprobravit: Iſta petitio tuæ vitæ inſtituto per diametrum contrariatur, quod imperium in animi motus præ ſe fert, & ſummis in mundo deſideriis calcaneum minatur, cùm ab avaritia ſubigaris. Ita Eccle-

ſiaſtici,

ſiaſtici, diſcipulorum & imitatorum Chriſti profeſſi æmuli, quibus paupertas ſumma cordi erat, uſu etiam auri atque argenti interdicto ad contraria tranſirent, ſi immunitatem eorum onerum, quæ Reges reliquis ſubditis, urgente neceſſitate publicâ, imponunt, prætenderent. *Hæc ille.*

Num. 36.

(33) *Nobiles, qui ſunt duplicis generis &c.*] Approbare videtur hanc Nobilitatis diviſionem Tiraquellus quoq; *de Nobilit. c. 6. n. 9. & 10.* dum inquit: Nec ſolùm is nobilis eſt, quem expreſsè Princeps nobilitat: ſed & plerumq; tacitè, & ſine alia expreſſa nobilitatione, quis à Principe, aut alio hujusmodi poteſtatem habente nobilitatur &c. *& p. ppergit idem*: Si quis enim lateri Principis ipſius permiſſu adhæreat, Nobilis efficitur. *ubi id Authoritatibus confirmat.* Inde videmus, quòd poſt Baldum coquis Principum dignitatem, *citati à Nolden de Statu Nobilium cap. 22. n. 20. Authores*, Barbitonſoribus Principis *Decius in l. 1. n. 15. C. de in jus voc.* Nobilitatem malè adſcribant. Quò pertinet, quod Guiterrez ex Otalorio ſcribit, *l. 3. quæſt. 15. n. 34.* Tandem Otalorins, *inquit*, generalem definitionem, quæ omnes Nobilitates ſpecies comprehendit, eſſe illam, quam ponit Clytoueus *in pr. tr. Nobilitais*, dicens, quod Nobilitas eſt generis vel alterius rei excellentia ac dignitas. Et addit ex Bartolo, quòd Nobilitas apud nos eſt inventa ad ſimilitudinem illius Nobilitatis, quæ eſt apud Deum; ſicut ergo ille apud Deum eſt nobilis, quem Deus ſuâ gratiâ gratum ſibi facit, ita apud nos ille eſt nobilis, quem Princeps vel ſuâ gratiâ ſibi gratum vel nobilem facit. Sed ab horum & aliorum, quos allegat, ſententia diſcedit Bodinus *3. de Republ. 8. pag. 355.* dicendo: Multò minùs verum eſt, quod quidam ſcripsêre, Principum comites ac domeſticos Nobiles eſſe: ut enim vacationibus munerum & immunitatibus fruantur, non propterea tamen Nobiles judicandi ſunt, niſi Magiſtratus & imperia majora geſſerint: à quo non abludere videtur Beſogne *en Etat de la France part. 1. du I. Livre. chap. 13.* qui cúm primò omnes Commenſales Curiæ Regiæ atq; regalis exemptos ad tributis pronunciaſſet tandem ſubjicit: Omnes Regis & Regiæ Domûs officiales Nobiles ſunt propter Officia ſua, niſi aliunde procedant: poſſuntque Tymbro galeam armorum ſuorum ornare. Dicit, Officiales omnes, quod intelligendum, paucis exceptis, quorum miniſteria vilia nimis ſunt. Cæterùm plenè & exactè de Nobilitate commentantem vide Limnæum in *Tractatu ſæpe citato, lib. 4. cap. 1.* ubi inter officia benè diſtinguit.

(34) *Modò non exerceant Mercaturam &c.*] Quid de Mercatura Nobilium ſit ſentiendum, indicavimus nos in Politico Scelerato Impugnato *in Addit. ad cap. 35. quæ hoc loco non repetemus.*

Num. 37.

(35) *Taillon & les Crues &c.*] Hæc & hujusmodi generis alia vectigalia recenſet atque deſcribit quoque Limnæus in ſæpe laudata *Notitia Regni Franciæ lib. 2. cap. 9.* Merula *Coſmographiæ part. 2. lib. 3.*

Num. 39.

(36) *Omnium ſummarum, quæ exactæ &c.*] Tempore Ludovici XIII. reditus ordinarii, uti apud Limnæum *in Not. Reg. Franciæ lib. 2. cap. 9. lit. p.* videre eſt, fuerunt centies ſexagies centena millia librarum. Ex tributis autem collecta ſunt, ferè centies nonagies, centena millia librarum. Ex locatione generali gabellarum ſeptuagies quater centena millia librarum. Ex locatione auxiliorum, ferè ducenties centena millia librarum. Porrò quantum redituum ærario ex ſingulis Generalitatibus annis proximè præcedentibus illatum fuerit, docet Beſongne *en Eſtat de la France de l' Ann MDCLXIX. tom. 2. part. 3. chap. 1. Des Generalitez. &c.* Verba ejus latinè verſa ſic ſonant: Generalitates auditoria ſunt ſive Collegia Theſaurariorum generalium Franciæ; ad eò faciliùs colligendos ex taleis, (*des Tailles*) ſuperindicto, (*Taillon*) & ſubſiſtentiâ (*ſubſiſtance*) exactos numos. Sunt autem illæ in totū numero viginti tres, nempe ſeptendecim, quæ diſtributæ ſunt in electiones; & ſex in terras ſive Regiones hujus Regni, quæ in Electiones diſpartitæ non ſunt; hæ convocant Status ad ſolvendam ſummam à Regibus ſibi imperatam, ipſæque eam exigunt & ærario publico inferendam transmittunt.

1. *Generalitas Pariſienſis* ſub ſe continet Electiones XX. & MDCCCCIV. Parœcias Reditus Talearum & ſubſiſtentiæ, ex illa percepti, aſcendunt ad ſummam quinque millionum centum & triginta novem librarum.

2. *Generalitas Aurelianenſis* ſub ſe continet XII. Electiones & MCXLVIII. Parœcias. Reditus Talearum & ſubſiſtentiæ, ex illa percepti, aſcendunt ad ſummam trium millionum, trecentarum octuaginta ſex millium ſexaginta quinque librarum, aſſes ſedecim.

3. *Generalitas Molinenſis* ſub ſe continet IX. Electiones & MCLXX, Parœcias. Reditus Talearum & ſubſiſtentiæ, ex illa percepti, aſcendunt ad ſummam novendecim centum octuaginta duo millia, ſeptingentarum, nonaginta ſex librarum, aſſes quatuordecim.

4. *Generalitas Alenzonia* ſub ſe continet Electiones IX. & MCCLXXVI. Parœcias. Reditus Talearum & ſubſiſtentiæ, ex illa percepti, aſcendunt ad ſummam duarum millionum ducentarum undecim millium quadringentarum ſeptendecim librarum.

5. *Generalitas Cabilonenſis* ſub ſe continet Electiones XI. & MMCCXCIV. Parœcias. Reditus Talearum & ſubſiſtentiæ, ex illa percepti, aſcendunt ad ſummam tredecim centum quingentorum quinque millium nongentarum ſexaginta librarum.

6. *Generalitas Sueſſonia* ſub ſe continet Electiones VII. & MLXXXVIII. Parœcias. Reditus Talearum & ſubſiſtentiæ, ex illa percepti, aſcendunt ad ſummam quadraginta centum viginti & uno millium, ducentarum viginti duarum librarum, novendecim aſſes.

7. *Generalitas Rothomagenſis* ſub ſe continet XII. Electiones, & MDCXXIII. Parœcias. Reditus Talearum & ſubſiſtentiæ, ex illa percepti, aſcendunt ad ſummam trium millionum centum quinquaginta millium, quatringentarum & quadraginta librarum, decem aſſes.

8. *Generalitas Cadomenſis* ſub ſe continet Electiones IX. & MVIII. Parœcias. Reditus Talearum & ſubſiſtentiæ, ex illa percepti, aſcendunt ad ſummam duarum millionum ducentarum ſeptuaginta & quinque millium, ſexaginta quinque librarum, quatuor aſſes.

9. *Generalitas Lemovicenſis* ſub ſe continet Electiones VII. & MCCLXVIII. Parœcias. Reditus Talearum & ſubſiſtentiæ ex illa percepti, aſcendunt ad ſummam duarum millionum trecenta-

rum triginta octo millium centum atque tredecim librarum, quatuordecim aſſes cum duobus denariis.

10. *Generalitas Pictavienſis* ſub ſe continet IX. Electiones & M C L X I V. Parœcias. Reditus Talearum & ſubſiſtentiæ, ex illa percepti, aſcendunt ad ſummam ducentarum viginti millium, trecentum ſeptuaginta duarum librarum.

11. *Generalitas Bituricenſis* ſub ſe continet Electiones IV. & DLXVI. Parœcias. Reditus Talearum & ſubſiſtentiæ, ex illâ percepti, aſcendunt ad ſummam mille & centum ſeptuaginta ſeptem millium, ſexcentarum quinquaginta ſeptem librarum, ſex aſſes cum ſex denariis.

12. *Generalitas Rionenſis* in Arvernia ſub ſe continet Electiones VIII. & DCCCXXVII. Parœcias. Reditus Talearum & ſubſiſtentiæ, ex illa percepti, aſcendunt ad ſummam duarum millionum, octingentarum nonaginta & ſeptem millium, ſeptingentarum & undecim librarum, decem aſſes.

13. *Generalitas Burdigalenſis* ſub ſe continet Electiones IX. & MMDCCCCXCV. Parœcias, Reditus Talearum & ſubſiſtentiæ, ex illa percepti, aſcendunt ad ſummam trium millionum, centum octuaginta trium librarum, novem aſſes.

14. *Generalitas Montalbanenſis* ſub ſe continet Electiones X. & DCCCLI. Parœcias. Talearum & ſubſiſtentiæ, ex illa percepti, aſcendunt ad ſummam trium millionum, ducentarum, ſeptuaginta cum uno millium, ſeptuaginta quinque librarum, decem aſſes.

15. *Generalitas Ambiana* ſub ſe continet Electiones VI. apud quas Reditus Talearum & ſubſiſtentiæ, ex illa percepti, aſcendunt ad ſummam quingentarum quinquaginta quinque millium, ducentarum quinquaginta librarum.

16. *Generalitas Turonia* ſub ſe continet Electiones XVI. & MDXXXIX. Parœcias. Reditus Talearum & ſubſiſtentiæ, ex illa percepti, aſcendunt ad ſummam quatuor millionum, quadringentarum & decem millium octingentarum viginti librarum, octo aſſes cum decem denariis.

17. *Generalitas Lugdunenſis* ſub ſe continet Electiones V. & DCCCLXV. Parœcias. Reditus Talearum & ſubſiſtentiæ, ex illa percepti, aſcendant ad ſummam mille & nongentarum nonaginta & ſeptem millium, ſeptingentarum quatuordecim librarum, ſeptem aſſes.

Generalitates terrarum ſive Regionum hujus Regni ſunt hæ:

1. *Generalitas Nannetenſis in Britannia*, quæ Electionibus caret. Reditus ſupradictarum Jurium, qui ex hac Generalitate percipiuntur, conficiunt ſummam quingentarum octuaginta duarum millium ſexcentarum tredecim librarum.

2. *Generalitas Montiſpeſſulana*, quæ dividitur, loco Electionum, in XI. diœceſes, in quibus reperiuntur MCCCCLXVI. Parœciæ & tres ſpeciales Exactores. Reditus ſupradictorum Jurium efficiunt duas milliones, ſeptingentas quadraginta millia nongentas ſexaginta cum unâ libras, octodecim aſſes, tres denarios.

3. *Generalitas Tholoſana*, quæ præter Civitatem, in qua habetur ſpecialis Exactor, diviſa eſt in undecim Diœceſes, in quarum quâlibet reperiuntur tres ſpeciales Exactores, & ſub ſe continet MXIII. Parœcias. Reditus Talearum & Subſiſtentiæ aſcendit ad ſummam octodecim centum undecim millium, quadringentarum octuaginta ſeptem librarum, octodecim aſſes.

4. *Generalitas Divionenſis* in ſe comprehendit MDCCLXI. Parœcias. Reditus aſcenduut ad ſummam ſeptingentarum octuaginta novem millium, trecentarum ſeptuaginta novem librarum, quinque aſſium, decem denariorum.

5. *Generalitas Grationopolitana*, quæ ſex Electiones, & ærarium ſpeciale *Brianconii* habet; necnon DCIV. Parœcias. Reditus Talearum atque ſubſiſtentiæ aſcendunt ad ſummam mille trecentarum viginti trium millium, nongentarum quadraginta duarum librarum, ſex aſſes.

6. *Generalitas Aquenſis*, in qua reperiuntur XVII. vicariatus (*vigueries*) & DCXLIV. Parœciæ, nec non tres exactores ſpeciales Domanii Regii, ſub qua comprehenditur Ceſteronenſis & exactor ſpecialis Domanii Aquilenſis. Reditus conficiunt trecentum quindecim millia centum octoginta libras, quatuordecim aſſes.

Et tantum important Taleæ, ſuperindictæ, & ſubſiſtentia, quarum univerſa ſumma, prout ex ſpecialibus colligere datur, conficit quinquaginta milliones, trecentum quinquaginta novem millia, ducentas & octo libras, novem aſſes, octo denarios. Dubitandum tamen non eſt, quin tempore præteritarum turbarum multi extiterint lenti debitores, (*non-valeurs*) quemadmodum etiam taxatio hæc non hujus, ſed præcedentium annorum eſt. Quoniam Rex Anno MDCXLVIII. per Declarationem ſive Edictum ſuum quinquageſimam partem dictarum Talearum remiſit. Ab eo inde tempore, quo antiquata iſta Declaratio à Majeſtate ſua fuerat, illæ plus quàm tertiâ parte auctæ ſunt. *Hæc ille.* Quid verò *Subſiſtentia*, de qua paſſim in præcedentibus mentio facta eſt, ſit, docet idem Beſongne *ibid. Chapitre 2.* cujus verba, latinè reddita, hæc ſunt: Subſiſtentia eſt aliud quodpiam Jus, quod ab annis inde aliquot exigi cœpit, ex eo nomen ſortita eſt, quòd ſubſiſtere faciat milites in hybernis, propterea hanc conferentes, immunes ſint ac hoſpitiis militibus tempore hyberno præſtandis. Subjungit præterea laudatus Beſongne *d. loc. chap. 5.* Breviarium aliquarum alterius generis pecuniarum, quæ quotannis ærario publico inferuntur, quorum ſumma conficit undecim millionum, nongentarum ſexaginta trium millium ſeptingentarum nonaginta ſex librarum, unius aſſis, octo denariorum.

Præterea in quibus quinque majores in Gallia Vectigalium conductiones conſiſtant, idem Beſongne *d. loc. chap. 2.* monſtrat.

Num. 40.

(37) *Regalia vulgò appellatur &c.*] *Regalia* Jus inter omnes dignitates atque ſplendores Regiæ Domus refulget, & eſt unus inter inſigniores Coronæ flores, ſoli Regi competens, non Regentibus Regni. Nam quamvis Regentibus in omnibus ſummum Rerum arbitrium datum ſit, nihilominus eò quòd uncti, coronati, conſecratique non ſint, beneficia in Regaliis vacantia conferre nequeunt, quemadmodum è Curia Parlamenti, cùm Ludovica Sabaudia Franciſci I. mater Regens renunciaretur, conſtitutum legitur. Hoc loco vox *Regaliarum* ſignificat Jus, quod ab antiquo & uſu perpetuo Regibus Galliæ competiit in omnibus Regni Franciæ Epiſcopatibus, ut illarum ſede per mortem Epiſcopi vacante fructus eorum ſuos faciant & diſponant, usque dum novus Epiſcopus in demortui locum ſuffectus, Regi fidelitatis Juramentum

ramentum præſtiterit. Quando verò hoc Jus Regaliarum cœperit; quibus rationibus ſuffulciatur; quomodo à Canoniſtis impetatur, cum aliis huc pertinentibus legi poterunt apud ſæpe laudatum Limnæum *libr. 2. cap. 7. lit. x. y. z. ſeqq.* & *libr. 3. cap. 2. lit. t.* cui conjungatur Merula *pag. 2. Coſmographiæ libr. 3. pag. 194.*

Num. 42.

(38) *Jurejurando &c.*] Juramentum Fidelitatis, quod Regi tactis Evangeliis Epiſcopi præſtant, tale eſſe Beſongne *en E'tat de la France Tom. I. pag. 19.* ſcribit: Ego per Sacro-Sanctum DEI nomen, *Sire*, juro atque Majeſtati veſtræ promitto, quòd, dum vivam, ejus ero fidelis Subditus atque ſervitor, & quòd utilitatem ejus bonumque Status pro viribus procurabo; quodque nunquam interero Conventui, Conatui, aut molimini, quod in damnum ejus vergat, & ſi quidpiam tale ad notitiam meam pervenerit, quòd de eo Majeſtatem veſtram certiorem reddam. Ita me DEUS adjuvet & Sancta ejus Evangelia.

Num. 43.

(39) *Ex reditibus Eccleſiaſticis &c.*] Ita Rex poſt conventum Anno MDCLVII. per conſenſum Dominorum de Clero, perpendentium præſentis Status neceſſitates, percepit ſummam duarum millionum ſeptingentarum millium librarum, prout Contractu 19. Maii celebrato, Beſongne *Tom. 2. part. 3. pag. 187.* probat.

Num. 45.

(40) *Archi-Epiſcopus &c.*] Claudius Robertus *in Galliâ Chriſtiana*, & Beſongne *pag. 116. ſeqq. ex Gallia Chriſtiana Reverendi Domini Sanctæ Marthæ*, nec non Merula *Coſmographiæ part. 2. libr. 3. cap. 18.* Archi-Epiſcopatus plures & quidem XV. enumerat. Nempe Archi-Epiſcopatus Aquenſem, Arelatenſem, Auſcenſem ſive Auxitanum, Bituricenſem, Burdegalenſem, Ebrodunenſem, Lugdunenſem, Narbonenſem, Pariſienſem, Remenſem, Rotomagenſem, Senonenſem, Tholoſanum, Turonenſem, Viennenſem. Epiſcopatus verò CVIII. (Beſongne *d. loc.* CIII. qui aliquos omittit, aliquos alios prodit; ubi vide,) nempe Epiſcopatum Aquenſem, Agathenſem, Agennenſem, Adurenſem, Albigenſem, Aletenſem, Ambianenſem, Andegavenſem, Aptenſem, Atttebatenſem, Abrincenſem, Autiſſidorenſem, Æduenſem, Bajocenſem, Baïonenſem, Vaſatenſem, Bellovacenſem, Bellicenſem, Biterrenſem, Briocenſem, Bononienſem ſeu Teroanenſem, Cadurcenſem, Carcaſſonenſem, Caſtrenſem, Catalaunenſem, Cabilonenſem, Cabillionenſem vel Cavellicenſem, Carnotenſem, Claromontenſem, Ciſtaricenſem vel Siſtaricenſem, Convenenſem vel Convenatenſem vel Convenas, Condomenſem vel Condomienſem, Conſeranenſé, Conſtantienſem, Coroſopitenſem, Dienſem, Dinienſem, Dolenſem, Engoliſmenſem, Ebroicenſem, Forojulienſem, S. Flori, Gapicenſem, Genevenſem, Gratianopolitanum, Graſſenſem, Tricorienſem vel Trecorenſem, Lingonenſem, Laudunenſem, Lactoracenſem, Leonenſem in Armorica, Leſcarienſem, Leodienſem, Lemovicenſem, Lexovienſem, Lodevenſem vel Lutavenſem, Lombarienſem, Luxonienſem vel Lucionenſem, Maleacenſem, Maclovienſem, Cœnomanenſem, Maſſilienſem, Matiſconenſem, Meldenſem, Mimatenſem, Metenſem, Mirapicenſem, Monſpeſſulanum vel Magalonenſem, Montalbanenſem, Nannetenſem, Nivernenſem, Nicenſem, Nemauſenſem, Noviomenſem, Oleronenſem, Auraſienſem vel Auriacenſem, Aurelianenſem, Apannienſem, Sancti Papuli, Petragoricenſem, Pictavienſem, Sancti Pontii Tomeriarum, Podienſem vel Avitienſem, Redonenſem, Regienſem vel Reinenſem, Rivenſem, Rutenenſem, Santonenſem vel Xantonenſem, Sajenſem vel Sagienſem, Sarlatenſem, Sanitienſem, Silvanectenſem, Sueſſionenſem, Tarbenſem, Teroüanenſem ſive Morienſem nunc, Telonenſem, Tullenſem, Tricaſtinum, Trecenſem, Tutelenſem, Vabrenſem vel Vabricenſem, Valentinum vel Valentinenſem, Ventienſem, Veraetenſem, Vaurenſem, Virdunenſem, Vivarienſem, Vcetienſem vel Vticenſem. Abbatias porrò contexere operoſum nimis fuerit, atque fortaſſis Lectori tædioſum, ſi quis tamen eos cognoſcendi deſiderio flagret, ei abundè ſatisfacient, ſpero, ſuprà nominati Scriptores. Illud ſingulare eſt, annotante Joachimo Hagmejero *in Diſſert. de ſtatu Galliæ*, quod Titulum *Abbatis S. Hilarii* apud Pictones ipſi Reges Franciæ non dedignentur aſſumere, unde natum jocoſum illum: Abbati hujus Eccleſiæ licitum eſſe primam noctem inire thalamum Reginæ Franciæ.

Num. 47.

(41) *Decimarum &c.*] Franc. Duarenus *de Sac. Eccleſ. miniſt. ac beneſ. lib. 7. cap. 1.* duplex Decimarum genus conſtituit, unum vocans Decimam ſive Decimas ordinarias & legitimas, hoc Decimas extraordinarias atque indictas. Extraordinarias atque indictas has vocat, quòd à Pontifice Romano prætextu belli hoſtibus noſtræ Religionis inferendi, alteriusque neceſſitatis, extra ordinem beneficiariis indicantur, ad quod citat *clem. ult. de decim. & eund. tit. in extravag.* Et ſubdit: Hanc decimam Rex in Gallia beneficiariis indicere atque imperare pro poteſtate ſolet, nec ullum ferè certius atque expeditius, quàm ex decuma iſta pecunia vectigal habetur. A quo non longè abeunt, quæ Limnæus *in Not. Franc. lib. 3. cap. 2. lit. x. y. ſeqq.* annotat, ubi *lit. z.* inter alia ex Breto inquit: Decimas ſolvere debent omnes communitates, quæ erectæ ſunt in titulum beneficiorum, ſi habent reditus ordinarios, & perpetuos: atque poſſunt cogi ad ſolvendam æſtimationem, omnibus mediis, etiam apprehenſione & venditione, fructuum ex beneficiis, cùm ſpecialiter addicti ſint ſolutioni hujus Juris. Judicatum præterea fuit, quòd qui penſiones accipiunt, ſub titulo beneficii, debeant ſolvere decimas, ex diſpoſitione *cap. 1. §. de piſcib. Extravag. Comm. de Decimis.* Ab earum tamen ſolutione immunes ſunt religioſi ordines pauperum mulierum, omnia noſocomia, & aliæ domus DEI, inſtitutæ ad ſuſcipiendum religioſos peregrinatores & ægrotos, ac alendum impotes membrorum. Pluribus de his decimis agit præter citatum Limnæum, qui *lit. y.* ex Coquille, quando decimæ illæ ordinariæ redditæ ſint, monſtrat, at-

que Duarenum, *& cap. 1. extravag. de dec.* nec non *Clem. 1. §. ſimiliterq. Gl. in Clem. 2. de Decim.* Tholoſanus *lib. 2. Syntagm. Juris. cap. 20.*

Num. 51.

(42) *Dominus Gomeſſæ &c.*] Variant Authores in relatione hujus Tituli. Alii dicunt, Franciſcum tunc in literis ad Carolum V. ſe ſcripſiſſe, *Roy de Gentilli*: alii ſolo titulo, *Roy de France*, ſed ſæpius reiterato uſum: alii titulo Regis Franciæ addidiſſe, *Seigneur de Vannes*, *& Goneſſe*, qui pagi ſunt, quorum unus panem ſapidiſſimum, alter butyrum, Lutetiæ ſubminiſtrant. Limnæus *in Not. Regni Franciæ lib. 2. cap. 6. lit. oooo. pppp.* ubi Piccartum, *dec. 4. Obſerv. Hiſtorico-Politic. cap. 10.* in teſtimonium vocat. Lanſius *in Orat. pro Hiſpania*, Draco *de Patriciorum origine & Jure in append. ad cap. 2. num. 9. ſeqq.* qui ob hoc in Franciſcum Cenſoriâ notâ animadvertit.

Num. 53.

(43) *Hiſpaniæ multum præfert. &c.*] Lubet hoc loco adducere Hiſtoriolam ex Huberto Thoma Leodio, *quam lib. 6. Annal. de vita Frid. II. Palat. recenſet.* Cùm Fridericus II. Elector Palatinus cum Aulico tantùm viginti hominum Comitatu ad Imp. Carolum V. proficiſceretur in Hiſpaniam, & Cerveram perveniſſet, ubi die Corporis Chriſti quieſcere Princeps conſtituerat, ut equi æſtu nimio defatigati, vires reficerent. Timens Magiſtratus, ne diutiùs cum ſuo Comitatu maneret, acceſſit Principem & rogavit, ut diſcederet, ne cariorem panis, vini, & reliquarum rerum annonam ſuâ comeſtione redderet. Promoto itaque itinere, venit ille Gomorram, urbem non inelegantem; cùmque edendi appetitum diurni caloris vehementiâ corruptum patrio aliquo & familiari cibo diſcuperet, interrogat in Hoſpitio, num venale reperiertur butyrum, & annuente caupone, atque ſatis reperire confirmante, converſus Princeps ad diſpenſatorem ait; vade & eme butyrum, quantum uni mulæ onerandæ ſufficiet, & ut quotidie habeam ova frixa, cura. Iſte cum dicto abit ſciſcitaturus de butyro, & ductus ad aromatarium poſcit ducentas vel trecentas libras: Sed hic admirabundus, quærit in quem uſum? regerente diſpenſatore, in coquinæ. Atqui, inquit, tota Caſtilia non ſuppeditaret tantum: In Extremaduram tibi foret eundum, ubi ſunt boum armenta: in his terris nihil herbarum creſcit: & nos alibi emimus, pro emplaſtris ad ulcera conficiendis; aliàs nobis nullus eſt butyri uſus; & ſimul attulit capellæ veſicam axungiâ potiùs, quàm butyro, plenam, & ibi eſſe omne ſuum butyrum dixit. Quod cùm diſpenſator ita renunciaret Principi, fuit id ſolutioris cachinni argumentum. His ſubdit Thomas. Propterea ego hæc retuli, ut ſciatur in mediterraneis Hiſpaniæ nihil herbarum creſcere, & arida omnia eſſe, vixque tellurem capris & ovibus pabula præbere, quarum ut & lignorum magna eſt inopia. Plura apud ipſum Authorem extant, ad quem te (B. L.) relego.

Num. 54.

(44) *Hiſpaniam & Galliam in æquilibrio &c.*] Reperiuntur in orbe Chriſtiano duo potentiſſima Regna, quæ poli quaſi duo ſunt, unde pacis & belli influentiæ ad alios Status dilabantur, Regnum videlicet Galliæ & Hiſpaniæ. Hiſpaniæ Regnum quia ſubitò in tantam potentiam accrevit, intentionem ſuam, quibusvis videlicet dominandi, & in Occidente Monarchiam novam ſtatuminandi, celare non potuit. Gallia contrà maturè hoc egit, illi ſe ut opponeret. Reliqui Principes huic vel illi, pro exigentia cujusque ſtatûs, ſe conſociarunt. Rohaneus & ejus Interpres *in Trutina Statuum Europæ parte prima in proœm.* ubi in ſeqq. Diſcurſibus in veram hujus palmariorum Regnorum, & aliorum inde quaſi dependentium Rationem Statûs inquirit: *circa fin. partis 1.* de Anglia addens: Ecce veram Regni Angliæ Status rationem, quæ diligenter obſervata tertiam eminentem potentiam in Orbe Chriſtiano conſtituet. *Hæc ille*, qui utpote Scriptor ſagaciſſimus ut omninò perlegatur meretur. Elegantiſſima eſt illa apud Gramondum *Hiſtor. Gall. libr. 6.* inter Galliæ atque Hiſpaniæ Rege comparatio. Certè ſumma rerum Europæarum penes duos Principes eſſe nemo ambigat: Hiſpanus auro potens; eſt milite Gallus: multiplices ille coronas: hic ſub una Gallia plura diademata poſſidet: vaſta illi regna, ſed longiori terrarum intervallo disjuncta, eoque invalida: huic unitæ Provinciæ plures, uno tractu, nullo inter medio, quas inter quæ minima eſt, coronæ dignitatem etiam cum ſplendore ſuſtineat: illi poſſeſſio unde ortus Solis ubi occaſſus eſt; hic orbem totum, ut Roma olim, in virtute Gallorum poſſideret, niſi quòd Galliæ contenta orbis capite, amat protegere, uſurpare neſcit, &c.

Num. 59.

(45) *Hoſtes diminuantur, non extinguentur &c.*] His conjungantur quæ Beſoldus *in θ. 5. citato loco à Klockio hoc & ſeq. numero huc translato & in θ. anteced. 3. 4.* habet. Hæ enim regulæ conſectariæ ſunt illius, quam 3. ponit, ſcilicet curandum eſſe, ne vicini fiant nimis potentes. Ideoque ſummâ curâ proſpicere omnes cautos Principes ſolere, ne cujuspiam vicini potentia, eò magnitudinis perveniat, ut cæteros, ſi velit, opprimere poſſit, &c.

Num. 58.

(46) *Armandum Richelium &c.*] Hic Joannes Armandus du Pleſſis, Franciſci du Pleſſis filius natu minor, virtute & ſcientiâ operantibus gratiam, vivo etiamnum Henrico IV. veniam impetraverat, fratriq; Alphonſo pôſt Cardinali, abdicante dum Epiſcopatum Lucionenſem fratri ſubſtitutus Eccleſiæ Galliacanæ lumen erat adhuc adoleſcens. Poſt Mangoto in munere Secretarii Statûs, ut vocant A. MDCXVI. ſuffectus; dein à cæde Ancræi, Luynæi operâ, arctiore rerum externarũ ſecreto A. MDCXVII. dejicitur (*officium eſt inter præcipua*) pauloq; pôſt finibus regni abſiſtit, mox Reginæ comes in diſceſſu ab aula; inde Couſſayum regalibus, poſtmodum in diœceſim ſuam amandatus, tandem Avenionem, ſed clam revocatus in aulam Reginæ Parentis Mariæ Medicææ tũ temporis Regni Regentis, ei Pacis Author fuit, diſſuaſorq; ne in Aquitaniam, relicto Andegavo, migraret optimo ſanè Regi Conſilio; Tandem à Pontifice Rom. pro voto Chriſtianiſſimæ Majeſtatis, utq; fieret ſatis Reginæ Parentis petitioni enixæ, proclamatusq; Cardinalis in Collegio Purpurato Richelius fuit, Avenioniq;, ubi nuper proſcriptus Armandus exiliũ tulerat, Cardinalis renunciatur à Rege, Lugduni autem Rex diu ambitum ex purpura pileum candidato præbet. Paulò pôſt dejecto à ſumma rerum Veteravillio, in primam Regni curam A. MDCXXIII. (*munus*

eſt,

eſt, cui ſuprema auctoritas ineſt. Quæcunque mandaverit, in legem tranſeunt; ſi quis obſtiterit, hoc ipſo reus eſt.) vocatur unus; unde major contra ipſum invidia fuit. Ægrè tulêre, (*dicente Gramondo Hiſtor. Galliæ lib. 13.*) Principes & primores Regni, omnium officio fungi unum; tulêre tamen, donec vixit. Deſcribitur autem à dicto Gramondo his verbis: Non antè in eum apicem evectus eâ ætate homo: vix annos quadraginta natus eſt, & ſummam rei Gallicæ tenet; experientiâ valet in omne negotium expeditus: adeò ut non viderit Gallia ab exordio Regni in hanc ætatem, non viſura ſit poſtmodum, qui in comparationem venire poſſit, (haud ignota loquor, nedum Gallis, ſed univerſo Orbi,) cujus fortuna ſequentibus annis ſub Richelii adminiſtratione librabitur. Hæc quantacunque ſunt, amici gratulantur, lugent inimici & indignantur, fatentur omnes. *Hactenus ille.* Cumulatiores laudes congerit Author & ejus Interpres Miniſterii Cardinalis Richelieu *capite ſtatim primo.* qui cùm ejus actiones, ut & Gramondus percenſeant, his enarrandis non immorabimur. Maximè cùm & ejus præconia, ſortem humanam ferè prætergredientia, plura extent in libro Pariſiis Anno MDCXXXIV. impreſſo, cui titulus, *Epinicia Muſarum, Eminentiſſimo Cardinali, Duci* de Richilieu. Quorum cumulus nonnemini in tantum bilem movit, ut Anno MDCXXXV. Scripto quopiam publico ſub frontiſpicio *Scriptorum Galliæ Maledicentia & Adulationes impiæ &c.* in has poëticas laudes inveheretur. Tandem cùm proculcatâ invidiâ, unius fortuna Richelii prævaleret omnibus, proſtratis ex omni ordine inimicis, Ipſe quarto Decembris feriâ quintâ Anno MDCXLII. à meridie ante horam primam ætatis annum agens LVIII. concatenatorum negotiorum ſerie obrutus, ferè inter Regias manus exſpirans, fati legem implet, Galliæ certè æternum ſui deſiderium relinquens (*dicente Authore Miniſterii ejusd. lib. 19. cap. 3.*) quæ profectò tantæ jacturæ ſolatium non inveniſſet, niſi perpenderet, genium adeò divinum potiùs Cœlo, quàm terris deberi. Poſſet addi, (*inquit d. Scriptor cap. 5. circa fin.*) cum gaudio immenſo eum exceſſiſſe vivis; quòd Principi ſuo vixerit, Principi ſuo mortuus ſit, etiam proximum habuerit Principem. Quamvis autem modeſtiâ cæteras animi dotes æquaverit, facilè tamen intelligebat, nomen ſuum non penitiſſimè aboletum iri, niſi univerſus interiret mundus: quin imò dicemus, egregia quæque facinora æternitati conſecrari, mundum autem perire. *Hactenus ille.* (*Vide R. P. P. Labbi Teſtamentum Richelii Chriſtianum & Politicum, cum Epithaphio Sorbonico Anno 1643. impreſſum.*) Hoc è vivis abeunte, Cardinalis Julius Mazarinus, dignus quondam collega, nunc tanti viri ſucceſſor habitus fuit: de quo dici poſſe putat, eundem genium pari dignitati acceſſiſſe. Imò & variantis fortunæ Socium; adeò enim nunc reſpicientem, nunc averſantem fortunam expertus eſt, ut meritò dubitare liceat, plúsne in illo muneris tam anxia cura, non verò adverſus tot procellas monſtrata conſtantia admiranda. Sed & hic cùm vitæ annum LVIII. cum menſibus VII. adimpleviſſet; annosque XIX. periculoſiſſimis temporibus, pace interim cum Hiſpaniæ Rege interque Ludovicum XIV. Glorioſiſſimum Franciæ Regem initâ, atque Mariam Thereſiam felici matrimonio concluſo confirmatâ, ſervitio Regio ſemper præſens, ſemper invigilans impendiſſet. De Mazarini porrò Encomiis videatur Author Miniſterii Cardinalis Richelii, nec non Scriptor *du Relation Succincte de la vie, mort, & qualitez du Cardinal Mazarin*; cui jungatur ejusdem Teſtamentum. In quo verò Richelius & Mazarinus comparari queant, nonnemo Anonymus ante aliquot annos publico perbrevi, ſed elegantiſſimo ſcripto monſtravit, quod nunc, uti videtur, tanquam partum ſuum Dominus Robertus Kenchenius unà cum vita Antonini Pii Anno MDCLXVII. publicæ luci iterum expoſuit, quò curioſum Lectorem remittimus.

Hodie ad Gubernacula ſedet Ludovicus hujus nominis XIV. Monarcha, qui animo Julii Cæſaris poſſidens Fortunam Alexandri viget, floretque gratiis atque juvenilibus Annis Achillis. Hic ipſe, de quo tale Elogium extat apud Perefixe Archi-Epiſcopum Pariſienſem *en la vie de Henry IV.* Imò, Sire (*inquit ille*) Cœlum Tibi dedit mentem generoſam, benignam atque decoram, ingenium erectum & maximarum rerum capax, memoriam felicem atque facilem, animoſitatem heroicam, Martiumque genium ſpirantem, judicium exactum atque ſolidum, ſanitatem ſtabilem atque exoptatam; Et, quod ſupereſt præcipui loco Majeſtaticam illam corporis præſentiam, loquelam atque geſtus ferè divinos, ſtaturam illam cum pulchritudine Imperio Univerſi dignam, quæ oculos atque cultum totius mundi in ſe pertrahunt, & quæ ſine vi armorum, ſine authoritate Legum, omnes, quibus Majeſtas Tua ſeſe conſpiciendam præbet, Tibi obnoxios reddis. Quod ipſum quoque unà cum ſtatu hodierno Regiæ, pulchrè exequitur Author Relationis *de la Cour de France* ante aliquot annos publicè vulgatæ.

Num. 59.

(46) *Adminiſtratione injuſta &c.*] An adminiſtratione injuſtâ, & uſurpatione injuſtiſſimâ Cardinalis Dux Richelius miniſterio Regni præfuerit, meritò Klockii aut ejus opinionis aſſeclæ vindicent. Cùm conſtet, Regi officia ejus ſemper grata, ſemper probata, ſemper fructuoſa extitiſſe. An verò conveniat, ut Princeps omnia in unum aliquem reponat? noſtrum non eſt hoc loco penſiculatiùs disquirere, aliqua tamen ad Politicum Sceleratum impugnatum, *ad caput ejusdem 25. pag. 241. ſeqq. ad cap. 38. pag. 439. ſeqq. & ad cap. 44. pag. 467.* annotata à nobis, mentem noſtram explicent. Res ipſa nervosè explicatur *in Obſervationibus Politicis ſuper nuperis Galliæ motibus* (prodiit autem libellus anno hujus ſeculi XLIX.) hoc modo: Nihil exiſtimationem Principis graviùs lædit, quàm de ignavia & incapacitate illius, opinio; & naſcitur illa dum Princeps ſeipſum officio privat, & vices ſuas uni Miniſtrorum committit, eo ipſo enim vel ineptum ſe & rebus imparem confitetur, vel ignaviam ſuam prodit, dum otium præfert curæ Rerum publicarum. Præterea periculo non caret, unum ex ſubditis nimis ma-

mis magnum facere, & quæ diviſa, plures ſociatis laboribus meliùs exequerentur; juncta in unum conferre, cæteris ad invidiam ſpretis neglectisque. At invaluit mos; non Reges regere, ſed primum Miniſtrum; Regibus pariter & ſubditis dominari. Odioſa exempla ſunt, & ferè ubivis recentia, at quid inde utilitatis, obvium cuivis & ante oculos. Excuſare ſexus & ætas aliquid poterunt, ſed non ideò ſequitur, omnia ab uno cum ſumma Authoritate expediri debere. Habet Hiſpania conſilia certa, per quæ ordine & induſtriâ expediuntur, quæ ſunt publica. Et quid impedit Reginam Sueciæ, quin illa virgo & juvenis graviſſima negotia, & quæ ſunt Principis agat, & diligentiâ & dexteritate incomparabili, Senatui relictis, quæ illorum ſunt, prout, ex natura negotiorum, inter illos unicuique ſunt partita.

Corōnidis loco Notis & Obſervationibus noſtris id ſolùm addimus, fuiſſe quondam hoc in Regno Galliæ regionem quampiam exiguis finibus circumſcriptam, haud procul Urbe Rotomagenſi, in ea Germaniæ parte, quæ vernaculè Conſtantin dicitur, nomine *YVETOT*, quæ & ipſi Regni titulo cluebat, vulgò *Royaume d' Yvetot*. Regni titulus natus fertur ſub Clothario I. Francorum Rege. Rem totam ſic refert Serranus *in invent. Franc. Hiſtoriæ ſub hoc Rege*, Antequam ſolus Rex eſſet (ſcil. Clotharius) parvum illud Yvetoti Regnum hac occaſione inſtituit. Die Veneris ante Paſchatis feſtum in ſacello, in quo ſacrum audiebat officium, Gualterium Yvetotium familiarem ſuum occiderat: cauſa hujus facti diverſis narratur modis; plerique putant, objectum fuiſſe Regi cum ipſius uxore adulterium, cùm in ipſius divertiſſet domum. Eugenius tam infami homicidio ad indignationem commotus, ſub excommunicationis comminatione, eum ad ſatisfactionem condemnat. Jubet itaque Clotharius inpoſterum Yvetoti (parvum eſt territorium in Normannia) dominos ab omnibus regni oneribus, ac Regi debitis miniſteriis eſſe immunes. Atque hinc longo tempore & libertas & titulus Regni parvulo huic territorio manſit, donec tandem in Principatum mutaretur, cujus titulo in hodiernum usque diem Bellayorum familia ornata eſt. *Hæc Serranus.* Aliter paulò narrant Ganguinus atque Chaſſanæus. Sed fidem hujus hiſtoriolæ in dubium vocant Mornacius *ad l. 16. ff. de LL.* ut & Scipion du Pleix, prout videre eſt apud Limnæum *in Not. Franc. lib. 1. cap. 4. lit. ccc.* Hodiè audit Principatus vel Comitatus; variant enim ea de re Authores. Limnæus *loc. citato. lit. eee.*

CAPUT VIII.

De Regis Angliæ ſive Magnæ Britanniæ Ærario, Reditibus, & Vectigalibus.

SUMMARIA.

1. Angliæ Regnum *ſex modos ſibi peculiares habet reditus colligendi.*

2. Domanium ſive *patrimonium regni.*

3. Jacobus Rex *viva voce declaravit, nullum in orbe Chriſtiano Principem pulchriores reditus coronæ annexos habere, quam Regem Angliæ.*

4. Quantum reditus *accreſcat, nimirum ad 50000. aureorum.*

5. *Ex* tutela pupillorum, *quam ipſe Rex ſuſcipit, auget ærarium.*

6. *Nemini horum* pupillorum *licet contrahere matrimonium abſque* Regis conſenſu.

7. *Inde ſumit* Rex *pretium, quæ omnia ad 30. vel 60000. Sterlingenſium extendunt, &* num. 8.

9. *Quomodo* pupilli *ab amicis redimantur ab hac tutela. Idem in* Regno Scotiæ *uſitatum, &* num. 10.

11. Incommoda, *& gravamina hujus tutelæ,* num. 12. & 13.

14. Reditus *vocantur* Reluffum *ſive* Relevium; *eſt pretium conſiſtens in recognoſcendis feudis, ad 60000. Equeſtrium feudorum putantur.*

15. Proventus *Regni, huc pertinet Vectigal dictum* Pondage, *Mariæ Reginæ ex parte conceſſum,* num. 16.

17. Jacobo Regi *Tributum hoc aſſignatum, isq; aliter atq; aliter de eo conſtituit.*

18. Lanificium Pannificiumque *Tributum.*

19. *Quid* indigenæ *ſolvant, pro quolibet panno 24. ulnarum? quid exteri?*

20. *Quarum* mercium Vectigal *Rex Jacobus auxerit.*

21. *Poſtmodum tamen* moderatio *eſt ab eodem adhibita tolerabilior.*

22. Portorium *id omne, undecunq; exactum, cedit Principi.*

23. *Hæc* Vectigalia 7000. *alii, alii* 200000. *æſtimant.*

24. *Anno 1612. aſcenderat* evectarum mercium *portorium ad 93794. invectarum verò ad 80657. libr. Sterling.*

25. *Accedit huc, quod emolumentum capitur à* ferro, plumbo, ſtanno, *hæc trahuntur ex fodinis fere ubiq;, præſertim Mineris abundat provincia Cornvvalliæ.*

26. Henricus VIII. *auxit ſuos reditus ex bonis Eccleſiaſticorum, ſuppreſſit Curas opulentiores; & ſimilibus conſuluit ærario,* num. 27. & 28.

29. *Aſcendunt hi* reditus *& alii ordinarii ad ſummam myriadis unius & 300000 aureorum.*

30. *Accedunt huc* ſubſidia extraordinaria.

31. Duplicia *ſunt hæc. Primum dicitur ſubſidium, quoties & quantum pendant indigenæ & exteri, quantum de mobilibus & immobilibus,* num. 32. 33. & 34.

35. *Hæc à* Parlamenti *authoritate multùm dependent; variantq; pro ratione temporum.*

36. *Alterum genus vocatur* Dena & Quindena.

37. *Quid ſit hæc Dena ſive Decima, & Quindena?*

38. *Petit aliquando* Rex *ſubſidium extraordinarium, quod* Benevolentiam *vocant.*

39. *Conflatur nunc pecunia ab iis, qui* prædas *faciunt in maritimis Oris Hiſpaniæ.*

40. In-

40. Incertum *eſt hoc genus lucri, uti & ipſa ſic prædatoriè parta.*

41. Fiſco *debentur bona rebellium, & mulctæ tribunalium, quantum hinc conficiatur*, num. 42.

43. Scotiæ *reditus non ſupra* 100000. *aureorum.*

Anglia terra ferax, tibi pax ſecura quietem,
Multiplicem luxum merx opulenta dedit.
Tu nimio nec ſtricta gelu, nec ſydere fervens,
Clementi cœlo, temperieque places.
Cùm pareret natura parens, varioque favore
Divideret dotes omnibus una locis,
Sepoſuit potiora tibi, matremque profeſſa,
Inſula ſis felix, plenaque pacis, ait,
Quicquid amat luxus, quicquid deſiderat uſus.
Ex te proveniet. vel aliunde tibi.

EST quippe *hæc Inſula*(1)totius Orbis longè celeberrima & maxima; quæ à circumvicinis regionibus commodo undique intervallo disjuncta, gremiisque paſſim patentibus univerſi Orbis commerciis opportuna, & tanquam ad juvandos mortales avidè in mare omni ex parte ſe projiciens, undiquaque cœlo & ſolo juxtà fruitur feliciſſimo. Cœlum enim ita mite & temperatum eſt, ut æſtatis fervorem perennes auræ, terræ naſcentia recreantes, & homini pecorique ſaluberrimè abblandientes, caſtigent ſuaviter; & hyemis inclementiam craſſiuſculus aër in frequentes ac ſedatas pluvias diſſolutus, mare quoque circumfuſum moderato tempore terras fovens, penè tollant; remiſſioribus frigoribus, quàm in Gallia, aut Italia.

1 Colliguntur verò in hoc Regno ordinarii reditus quinque aut ſex modis Regno illi peculiaribus, & *nemini Regum Principumq; cognitis & uſitatis.* (2)

2 Primò habet Rex patrimonium Regni, quod barbarè vocant Domanium, ac quale quantumque ſit, vix explicari poteſt; Id liquet *ex annalibus Cambdeni*, (3) Henricum VIII. *licèt tres liberos* (4) haberet, multa è regio Domanio profuſè elargitum fuiſſe: Elizabetham verò pauciſſima è Domanio donaſſe, nec quicquam aliud ferè, niſi eâ cautione, ut maſculis deficientibus, ad coronam reverteretur. Rex quoque *Jacobus plurima elargitus eſt*, (5) & tamen Anno MDCVII. in comitiis Parlamentari-
3 is ipſe vivâ voce declaravit, ſe putare nullum Principem in Orbe Chriſtiano *pulchriores poſſeſſiones* (6) Coronæ annexas habere. A Botero *in relat. de hoc regno* obſervatum eſt, ex Ducatibus *Lancaſtriæ* (7) & *Cornu-
4 biæ*, (8) qui Coronæ conjuncti ſunt, quotannis percipi LXXX. aureorum millia. Idem *Ordinarios Regni Anglicani reditus*, (9) antequam *Henricus VIII.* (10) *bona Eccleſiaſtica occupaſſet*, (11) ad quingenta aureorum millia acceſſiſſe prodidit.

5 Secundò Rex omnium pupillorum parenti ſuo ſuperſtitum, quorum bona, aut vel minima pars bonorum, *aliquo modo Coronæ obnoxia eſt, tutelam ſuſcipit*, (12) ad annum usque ætatis vigeſimum primum, & durante pupillari ætate *omnes reditus ipſorum percipit*, (13) & *quantum lubet, in alimenta eorum expendit.* (14) Pupilli *vigeſimum primum ætatis annum* (15) ingreſſi, Coronæ *certi aliquid perſolvunt*, (16) quod unius anni fructus exhaurit. Obligantur prætere- rea ad tributum, quod Regi pro nuptiis pen-
dunt. Nec enim quiſquam ejusmodi bo- 6
norum poſſeſſor poteſt matrimonium contrahere, niſi *priùs Regis beneplacitum impetraverit*, (17) utpote qui ſe matrimoniorum, id eſt dotis tradendæ patronum & domi-
num dicit, eoque nomine pretium pro con- 7
jugiis accipit. Et hoc fit, ut ingens ſumma quotannis ex hac tutela in Ærarium Regis inferatur: quam alii XXX. alii LX. millium librarum Sterlingenſium faciunt. Haud 8
raro tamen Rex bonam partem *aliis elargitur*, (18) ut ab agnatis certo pretio redimi
patitur, qui non raro X. imò & XX. millia 9
librarum Regi numerant, ut ſuos ab ea tutela eximant.

Hoc Regni hujus *& Scotiæ* (19) ſpecia- 10
le privilegium eſt, cùm à cæteris Principibus, vel Chriſtianis *vel infidelibus* (20) *nullo in uſu habeatur.* (21) Quæ autem *gravamina & incommoda* (22) ex hujusmodi tutelis e-
manent, Autor Relationis de Regno Bri- 11
tannico, à Philippo Honorio editæ, oſtendit, dicens, quòd bona pupillorum negligantur, ipſi quoque pupilli malè tractentur; cùm ut primùm tutores mercenarii ſint, qui tutelas lucri causâ emunt, ſuamque utilitatem tantùm reſpiciunt, affinitatesque quaſi vi
contrahunt; filios ſuos, filiásve aut nepotes 12
aut proximos cum pupillis matrimonio fraude conjungentes, licèt aliquando à parte tutorum nulla ſit ad pupillos proportio vel in divitiis vel in nobilitate: unde conjunctis nobilibus & ignobilibus, præter-
quam quòd ſtirpes degenerant, graviſſima 13
proficiſcuntur odia, ac divortia frequentiſſima: *Hæc ille.*

Tertium genus redituum Reluſſum ſi- 14
ve *Relevium* (23) vocant, id eſt, pretium, quod in recognoſcendis feudis ſolvitur: quorum feudorum tanta eſt multitudo, ut quidam equeſtrium numerum LX. millia eſſe prodiderint.

Quartò regius eſt proventus dignus 15
conſideratione ex portoriis rerum omnium, quæ exportantur & importantur, tàm ab Anglis quàm à peregrinis: ſed non ſine aliqua differentia: nam in aliquibus quadruplo magis aggravantur peregrini, quàm Britanni, in quibusdam aliis omnis exceditur proportio.

Hoc vectigal ſub nomine *Pondage* Ma- 16
riæ Reginæ anno primo ita conceſſum erat, ut vigeſimam partem juſti pretii mercium caperet; exceptis pannis, lanis, coriis, vi-

no, & aliquot aliis mercibus: itaque indicem
edi curaverat, quo pretia plerarumq; mer-
cium continebantur, ſecundùm quæ porto-
rium hoc ſolveretur. Qui index & toto
Regni Elizabethæ tempore obtinuit. Verùm
17 Rex Jacobus, eodem tributo, cùm animad-
verteret anno regni ſui ſecundo multas mer-
ces viliùs, multas cariùs æſtimatas, quaſdam
etiam omninò præteritas: omnes denuò æ-
ſtimari fecit, & indicem edi, ſecundùm quem
deinceps portorium hoc ab indigenis atque
advenis ſolveretur.

18 Porrò, quia ſuperioribus ſæculis maxi-
ma Coronæ redituum pars *e lanis*, (24) quæ
evehebantur, collecta fuerat, & tributum
illud ob lanificium ſive pannificium in ipſo
Regno inſtitutum, multum erat imminu-
tum, & ferè ad nihilum redactum. Maria
Regina ut hanc jacturam reſarciret, pannis
in Regno textis, cùm ex eodem evehuntur,
certum vectigal impoſuit: Quod ab Eliza-
bethâ Reginâ continuatum, Rex Jacobus
quoque confirmavit. Solvunt autem indi-
genæ Angli pro ſingulis pannis, qui capiunt
ulnas viginti quatuor, ſive albi ſint, ſive co-
lore aliquo tincti, ſolidos ſex, denarios octo:
19 peregrini verò & advenæ ſolidos quatuor-
decim, denarios ſex. Cætera autem panno-
rum genera *certâ proportione* (25) aut nume-
ro tantundem ſolvunt. In *Eboracenſi* Angliæ
Provincia ſunt *Halifax* & *Kingſtonium*, (26)
oppida mercatoria magni nominis; illud ex
re pannaria, hoc ex Islandiæ piſcibus indura-
tis quaquaverſum divendundis, ingentes
divitias conſecutum. In Norfolcia verò,
haud procul Norvvico, urbe clariſſimâ,
halecum piſcatus (27) eſt copioſiſſimus. Vi-
de, quæ dicam infrà *capit. 14. de unit. Belgii
provinc. num. 24.*

20 Rex Jacobus anno regni ſui ſexto, por-
torium ſive vectigal omnium mercium no-
vâ impoſitione auxit; exceptâ ſolùm anno-
nâ & iis, quæ ad victum hominum perti-
21 nent; itemque adparatu omni bellico & e-
juſmodi rebus, quæ ad fabricandas & inſtru-
endas naves ſunt neceſſariæ; mercibus quo-
que exceptis, quæ in regnum importantur,
eo conſilio ut rurſùs exportentur, aut ut inde
panni linei aut ſerici texantur; denique auro,
argento, & gemmis. Sed cùm impoſitio
hæc mercatoribus gravior videretur; anno
regni ſui VIII. merces omnes, quæ è regno
exportantur; ab illa impoſitione ſolvit, ſolùm
illo pannorum genere, quas *Baijes* vocant,
& plumbo, ſtannoque exceptis. Earum ve-
rò mercium, quæ importantur, impoſitio-
nem aut minuit aut auxit.

22 Portorium inſuper omne, quod ex o-
mni genere mercium, tam domeſticarum
quàm peregrinarum, ad ſuperiorem mo-
dum exigitur in uſum Principis, id jam certâ
penſitatione à Rege redimitur à publicanis
tum Londini, (quæ civitas veluti centrum
Commerciorũ regni eſt) tum in cæteris por-
tubus: quum ſub longè maxima parte regni
Elizabethæ Reginæ nomine colligeretur,
& magna fraus vectigalibus jam fieret, ma-
jore parte conſumpta in largitionibus & fur-
tis. Nam ex ducentis & ampliùs millibus
librarum, quæ putabantur inde provenire,
vix quarta pars Coronæ ſupererat: reliquâ
miniſtrorum & exactorum ſumptibus ex-
inanitâ. Boterus hæc vectigalia ſeptem mil-
libus librarum æſtimat; alii ducentis milli- 23
bus, niſi quòd fraudis hujus vitio minora
longè eſſe fatetur. Joannes de Laet in deſcri-
ptione Angliæ *cap. 7. num. 504.* è tabulis publi-
canorum teſtatur, portorium omnium eve-
ctarum mercium Anno MDCXII. aſcendiſ-
ſe ad 93794. libr. ſterling; importatarum 24
verò ad 80657. libr. ſterling. Eaſdem tabulas
facere fidem ait, Anno MDCXXI. vectigal
mercium evectarum reddidiſſe publicanis
82162. libras, invectarum autem 91059. li-
bras ſterling.

Hi fuerunt antiquitùs, & in præſens ha- 25
bentur Coronæ reditus: præter quos com-
putandum eſt Emolumentum, quod ex fer-
ri, plumbi, & ſtanni præcipuè fodinis extra-
hitur, cùm vix ulla Inſulæ pars hoc naturæ
munere careat. Potiſſimùm verò Provincia
Cornovalliæ mineris abundat.

Præmemoratis reditibus alios adjunxit 26
Rex Henricus VIII. Concidit enim proven-
tus Epiſcopatuum, *adſcripſitq; Fiſco Abba-
tias* (28) & Commendas Equitum Ordinis
Rhodiorum, aliorumque Ordinum Milita- 27
rium; ſuppreſſit Curas (ut vocant) opulen-
tiores, vendicavitque ſibi Annatas, & Deci- 28
mas omnium beneficiorum. Pro his rebus
ordinavit Curiam augmentationum & de-
cimarum, qui reditus omnes important plus,
quàm octingenta aureorum millia. Redi- 29
tus itaque ordinarii, computante Botero,
accedunt ad ſummam unius myriadis, &
trecenta & ampliùs aureorum millia.

Sunt præterea ſubſidia extraordinaria: 30
Quotieſcunq; enim Regi aut belli neceſſitas,
aut aliud quid incumbit; *Parlamentum* (29)
indicere ſolent Reges, & ejuſdem authorita-
te auxilium ab omnibus ſubditis ſuis impe-
trare; idque duplex. Prius Subſidium vo-
cant. Eſt autem penſitatio quædam, quam
omnes omninò ſubditi è bonis ſuis omnibus 31
ratione quâdam æſtimatis, (quæ quidem le-
viſſima eſt,) Regni aut certis momentis ſi-
ve per partes, aut ſimul & ſemel ſolvunt: id-
que ſemel, bis, ter, quatérve, prout Parla- 32
mentum decreverit. Pro ſingulis autem
libris, quibus bona æſtimata fuerint, ſolvunt
laici, indigenæ quidem, quorum bona mo-
bilia valent tres libras, annuatim, pro ſingu- 33
lis libris 11. ſchillingos & VIII. denarios; ad-
venæ autem V. ſchilling. & denarios quatu-
or. Dein quibus bona ſunt imobilia, indige-
næ quidem pro ſingulis libris annui antiqui
reditûs

reditus quatuor ſchillingos; Advenæ VIII. *Clerici* (30) autem ſive Eccleſiaſtici, ex annuis ſuis reditibus pro ſingulis libris ſolvunt IV. ſchillingos. Parlamentaria authoritate hæc limitantur, temporibusq; ſuis & momentis
35 circumſcribuntur, & variis clauſulis muniuntur; quæ hîc referre longum foret. Subſidium ejusmodi ingentem argenti ſummam Ærario Regis ſolet adferre; ſed quæ pro temporum ratione multum variet.

36 Alterum auxilii extraordinarii genus, quod *ab eisdem Comitiis Parlamentariis Regi indulgetur*, (31) dena & quindena appellatur; harum quoque binæ, ternæve, interdū & plures ſucceſſivè ſolvendæ, Regi conceduntur. Eſt autem quindena hæc & de-
37 cima (inquit Cambdenus *in hiſtoria Elizabethæ R. pag. 96.*) taxatio certa, olim. impoſita ſingulis Civitatibus, Burgis, & Oppidis, non viritim, ſed generatim, pro ratione decimæ quintæ partis facultatum locorum. Dicitur autem Decima, quia in oppidis Decima facultatum ſolvebatur; Quindena verò, quia in pagis & rure tantùm decima quinta. Poſterius hoc nomine maximè in uſu eſt.

Tempore Henrici VI. ſex millia librarum cōmuni ratione remiſſa ad preces quorundā oppidorum, & provinciarum, quarum opes imminutæ dicebantur: quæ Exceptio impoſſibilitatis hodieque in actis apponitur.

38 Aliquando Rex ſine Parlamenti authoritate à particularibus & locupletioribus ſubſidium extraordinarium (quod *benevolentiam* vocant) petere ſolet. Ea in re unusquisque ſuum obſequium conatur probare. De quo dixi *tractat. de Contribut. cap. 1. num. 291. & ſeqq.* ubi vide.

Noſtris quoque temporibus inventa eſt alia via conflandi pecunias, nempè ex quinta parte, aut ſimili; quæ Coronæ penditur
39 ab iis, qui licentiam habebant *prædas faciendi*, (32) in oris maritimis Hiſpaniæ & Novi Orbis. Conſueverunt idem facere, faciuntq́ue id adhuc Prorex Algieræ, qui piratas recipit cum pacto, ut partem mancipiorum, prædarum, ſpoliorumq́ue ei dent. Sed rarò accidit, ut malè parta non malè dilabantur. Eos quoque, qui prædatum excurrunt, *ſæpè*
40 *manet damnum*: (33) vendunt enim patrimonia, ut arment naves, ſed lucrum incertum eſt. Hiſpani enim, qui initio ex improviſo obruti fuerunt, fortificant quotidiè acceſſus, ſecurasq́ue reddunt ſuas claſſes.

41 Denique adſcribuntur Fiſco *bona rebellium*, (34) præter pœnas pecuniarias, quæ ex mulctis exiguntur tribunalibus, cùm ſcilicet delicta Nobilium aut Eccleſiaſticorum, aut publicorum Officialium, aut quorumcunque hominum indies puniuntur: adeò, ut auxilio jurium fiſcalium ſive fiſci Regalium
42 Regem Angliæ in annuis reditibus millionem, aut cum exceſſu quindecies centena millia coronatorum habere nonnulli ſcriptum relinquerint.

Hæc de Ærario Angliæ, ejusq́ue redituum & pecuniarum nervis dixiſſe ſuffecerit. *Sunt enim & alii* (35) tam ordinarii, quàm extraordinarii Ærarii ſupplendi modi, quorum ratio nondum ſatis nobis cognita eſt; idcircò Anglis hæc prolixiùs explicanda relinquimus. Illud conſtat *ex tabernis Tabaccanis*, (36) ingens emolumentum ærario quotannis inferri, & generoſos juvenes Tabaccophilos reperiri; qui in expenſi Codicem quotannis referre ſoleant Tabacci pretium, *argenti uncias MDC.* (37)

SCOTIÆ Regnum (38) vix centum millia coronatorum, aut non multò ampliùs 43
Regi pendet, quantum ferè majorum gentium Comites in noſtra Germania colligunt. Quare cùm Regni Ordines ſuperiori ætate Bothuelium apud Orcadas & ulteriores inſulas piraticam facientem comprehendere conſtituiſſent propter inopiam publicam privatis Mortonii ſumptibus inſtructa, & duce Kirkadio claſſis miſſa eſt. Et quo tempore Elizabetha Angliæ Regina Norfolciæ Ducem reprehenderat acerbiùs, quòd ipsâ inconſultâ Mariam Scotorum Reginam in matrimonium poſtulaſſet; ille non dubitabat aſſerere (quaſi Scotam planè negligeret) *Proventus ſuos in Anglia non multò eſſe minores, quàm Regni Scotorum tunc miſerè bellis exhauſti.* Et quid extremus ille & Septentrionalis mundi tractus, Naturæ privignus, inter vaſtas paludes, inter montium ſupercilia, inter ericeta ſpinoſa, producat opimum & locuples? ubi *etiam lupi* (39) non ſolùm in armenta maximo damno, ſed etiam in homines magno periculo adeò im̃aniter graſſantur, ut ex Parlamentaria ſanctione Vicecomites & incolæ in ſingulis Comitatib. ter ſingulis annis ad lupos & eorum catulos tollendos venatum prodire jubeantur.

Hâc luctuosâ temporum facie res tàm Anglorum, quàm Scotorum, maximè perturbatæ ſunt:

— — — *En, quò diſcordia cives*
Perduxit miſeros!
Virgil. *Eclog. 1.*

Scotis in Scotos (40) *adverſa ferentibus arma,*
Angli inter ſeſe magna vi prælia miſcent,
Horrida ſanguineis ardeſcit Hybernia flammis.
Hæc tria terribili quatiuntur regna tumultu,
Docta nocere ſibi, externo nullo hoſte premente,
Conflagrant inteſtinis ſimul omnia bellis.

Poſt hæc ſcripta, famâ infeliciſſimum magnæ Britanniæ Regis fatum increbeſcit, & erumpit tandem, quod diu parturivit Anglia, & ignorarunt ſecula hactenus, ut poſteri omnes execrarentur. A populo ſuo ad tribunal rapitur Rex, ô audax facinus! Rex à populo ſuo condemnatur capitis: ô ſcelus ultimum! *Benè tamen, quod innocens,* (41) Quanquam ne noxium quidem da-

damnandi ſubjectis Jus ullum eſt. (42) Trahitur in pegma ferale à milite ſuo; traditur Carnifici Rex ſecuri publicè percutiendus. Quæ unquam Barbaries tale quid auſa? Ita in omnium moritur oculis, qui omnibus moritur. Nec pulchrius teſtimonium innocentia habet, quàm omnium quod conſcientia redditur. Sed vocalis admodùm Regum eſt ſanguis. Nusquam non ejus audiuntur voces; ac Reges advertunt inprimis, qui & intelligunt maximè: Et dum advertunt, moventur ac flammant. Intereſt Regum, ne quis impunè Rex pereat. Quos ſcelus deterruit, ſucceſſus invitat. In fomite extinguendum incendium eſt; ac niſi maturè confutes flammam, ſpargetur latiùs, & plena mox ſui omnia paſcet. Non ſiſtunt exempla, ubi cœperint: & quamvis anguſtum nacta tramitem, in partes omnes divagantur. Certè Orbis ſtare non poteſt, majeſtate Regum calcatâ. Quid ſunt in Orbe Principes? Columnæ & Fulcra, quibus innititur publicum. Et his revulſis ædificium ruit. Quid multa! in Regis jugulo ſalus inciditur Britanniæ. Ictus unius impetus CAROLO exegit animam. Utinam tàm brevi tempeſtas tranſeat, cujus nunc coëunt nubes, in diras procellas & flumina, ni Sol amicior diſſipet, mox erupturæ.

Allubeſcit huc Epitaphium Regis, & nonnulla alia Epigrammata ad nos aliunde delata ſubnectere, ex quibus Luporum gregi cuſtodem abſtrahentium, & ovium ſimplicitati inſidiantium conſilia & intentiones manifeſtiùs apprehendere licet.

Epitaphium.

C A R O L U S

Angliæ, Scotiæ, Franciæ, Hiberniæ
R E X,
Defenſor Fidei.
JACOBI VI. REGIS & ANNÆ FRIDERICI II. REGIS DANI FILIÆ
F I L I U S,
HENRICI STUARDI DARLII REGIS ET MARIÆ
SCOTORUM GALLORUMQUE REGINÆ
N E P O S,
PRINCEPS PIUS, BENIGNUS, PLACIDUS, HUMANUS, INNOCENS, AMABILIS, IPSE CIVIUM AMOR;
Verùm

Ex quo de reducendis Religionis ceremoniis, juribus, reditibusque regiis,
Qui erant ſublati, cogitare, agitareque cœpit,
Suſpicioſus factus Democratiæ conditoribus,
Contra Legem, Placita quæque pro Regni Lege Venditantibus,
Sine Lege, Regia Statuta abolentibus,
Principem auctoritate & eminentiâ exuentibus,
&
Ne ipſi auctoritate in regno quidvis patrandi perpetua deficerentur,
Perpetuum Parlamentum, ſed ſine capite, trahentibus.
Tandem
Bello à ſuis provocatus, belli jurium Ipſe arbiter
Fortunâ, neutiquam animo vel causâ deſertus,
iterum iterúmve tutâ ſede pulſus;
Dehinc Sterlinorum librarum millibus aliquot emptus,
In inſulam abductus, & tantùm non deportatus;
Porrò non à Parlamento,
Quod abolendum privatis nonnullis videbatur,
Sed à militiæ ferocioribus impotentioribusque
Captivus detentus,
Atque, ne ſceleri ſpecies deeſſet,
ficto populi aſſenſu,
Nomine repræſentationis juris Parlamentarii,
Contra Jura & Leges,

Quæ

[Quæ non à privatis, ſed à populo univerſo, regibus, naturâ, ipſo Deo,]

Contra auctoritatem Magiſtratuum,
Contra juramenta & obſequii fidem,
Sententia [advortite] damnatus,
Inaudito ab orbe condito, inter Chriſtianos, exemplo,
Incredibili barbarie,
Vertiginoſo & planè phanatico fremitu,
Auſu magis quàm Dæmoniaco,
Parlamenti, Legum, Magiſtratuum Sanctitas, diſſoluta, proſtrata,
Regia jura & Majeſtatis violata, eluſa,
Ipſa Regis Majeſtas proculcata, & plebeia facta;
Ut verbo exprimatur:

Rex magnæ Britanniæ, Franciæ, Scotiæque,
Divus Carolus, Unctus Dei,
Dei per Britanniæ inſulas imago,
Sacrum Cœlorum Depoſitum,
Divinitùs conſtituta poteſtas,
Peccati, præterquam in Deum neſcia;
Ipſe patriæ, populique Parens,
De generibus divinæ, humanæque legis deſultoribus perjuris,
Seditioſis, vibicibus patriæ ſuæ ac dehoneſtamentis,
Adeoque
Maledicti divini, inferni, cœleſtium flammarum reis Ezech. 12. Judæ v. 8. n. 16. v. 33. 35.
(Vah abominabile facti, vah gentis propudium!)
Capite plexus,
Et cum Eo Nationis Fama, Gloria, Majeſtatum reverentia,
Ipſe ferè Deus excuſſa ſunt.

Hoc ſorti, ab octennio, apud monarchomachos ſuperſtite
in Regem honore,
Quod eidem miniſtrarint proſtrati.
Sed ut ipſum cum throno, diademate, majeſtate proſternerent,
Quo tot nobiles adfuerint mactando Regi capitibus nudis,
Sed ut ipſum nefas inexpiabile, mox capite privarent,
Integerrimum omnium caput, non ad ejuſdem vel veri,
Sed ſimulati corporis membris omnibus,
Sed pauciſſimis, ſed putridis, ſed phreneſi quaſi affectis violarent,
Caput adorandum ſecuti maledictâ truncatum.
Sacrum caput, ignominioſâ carnificis manu pollutum, productum
irriderent, execrantur.

MONUMENTUM

Optimo deſideratiſſimoque Principi ac Parenti,
Carolus II. proclamatus Scotiæ Rex,
Angliæ, Franciæ & Hiberniæ hæres,
Suo, Reginæ Matris, Fratrum, Sororumque nomine
poſuit.

ALIUD.

Proh ſcelus infandum, quale haud Sol viderat antè,
Ipſa nec atra quidem Tartara conciperent!
Qui mihi debuerant vitam, & decus omne tueri,
Facti ſunt Regni carnificesq; Mei.

IN ANGLIAM

O crudele nefas, quod nullum deleat ævum,
Nec circumfuſus diluat Oceanus!
ANGLIA dira, ſui profuſo ſanguine Regis,
Omnem barbariem perfidiâ ſuperat.
At, Regnum Regemq; uno dum ſuſtulit ictu,
Illum adeò atq; ipſam ſe ſimul ulta fuit.
Nam, pro Rege uno, multos jam nacta Tyrannos;
Ipſa ſuo pœnas mox dabit exitio.

In Anglos.

Omnes terrarum gentes commercia veſtra,
Angli, devitent, carnificesq; manus.
Nam ſcelus exſuperat veſtrum Buſiridis aras,
Et dirum Regis Threicii ſtabulum.
Ille enim in externos tantùm ſævire ſolebant:
At vos viſceribus paſcimini propriis.
I nunc, & veros quondam Cyclopas, & ipſum
Antiphaten verum fortè fuiſſe nega.

In Eosdem.

Gens crudelis, & humani ſitibunda cruoris,
Sævitiâ æqualis carnivoris Cafribus!
Quis lupus, aut Lybicis ſerpens jejunus arenis
Affectat proprium dilaniare genus?
Ergò vos meritò diverbia juſta ſequuntur,
Tetrior Anglo, quod bellua nulla repat.

Aliud.

Communem, Reges, veſtram defendite cauſam,
Averruncando exemplum communibus armis,
Angli quod dederunt ſceleratè Rege necato.
Veſtrum eſt, æquales tutari vindice ferro,
Et proprio æqualem prohibere à vertice peſtem.

Aliud.

Judicium egregium! Judex, Pars, Lictor es idem,
Quis tibi delegit tot ſimul officia?
Quis ſacrum Regis caput hoc excindere ferro;
Tollere quis juſſit te diadema loco?
Longè aliter ſenſit Jeſſæus ductor, & uncti
Noluit ipſe manus ſanguine polluere;
Quamvis hoſtis erat; quamvis occaſio ſæpè
Se daret, & facilis juſtaq; præda foret.
Ergò omnes Mundi jurent in fœdera Reges,
Atq; ulciſcantur regia ſceptra manu.
Nulla etiam cum illis habeant commercia gentes,
Qui conculcârunt omnia jura ſimul.

IN THOMAM FAIRFAIXIUM,
Anglum Parricidam.

Abominande ſæclis poſt omnibus.
Fairfaix; caput ſcelerum, tuba & fax omnium;
Quæ te impulerunt concitatum Erinnyes,
Ante hac inauditis & extremis modis
Us exhiberes patriæ hanc tragœdiam?
Nimirum id exemplum unicum Orbi defuit,
Ut ſubditi eſſent judices Domini ſui,
Et carnifex Regis caput præcideret;
Sacrum quidem, verendum, & inviolabile.
At, te quis exitus manebit interim?
Certè, Æaco ſortes parandæ erunt novæ;
Legesq; Rhadamanto ordinandæ atrociùs,
Æquanda ſceleri pœna ſi fuerit tuo.

IN OLIVERIUM CROMWELLUM,
Anglum Parricidam.

Fairfaixio, Cromvvelle, ſocius criminis,
Pœna ſocius idem quoq; ut ſis, par erit.
Nam parricidas Regis ac Regni ſimul
Divina Nemeſis vos inultos non ſinet.
Ludum ergò tantùm Ixionis puta rotam,
Titiiq; vulturem: Tibi nam centuplæ
Apud Inferos dehinc ſunt paratæ ſymbolæ.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT VIII.

(1) H*Æc Inſula &c.*] Sic celebrat Britanniam Lanſius *in Oratione pro Britannia*, nec diſſentit, ſed potiùs confirmat dicta Fournier *in Geograph. Orb. notitia lib. 5. cap. 2.* & noviſſimè Eduard. Chamberlayne *en l' Eſtat preſente de l' Angleterre, chap. 1. pag. 5.*

[*Num. 1.*

(2) *Nemini Regum aut Principum uſitatis &c.*] Ex mente ſcilicet Authoris Relationis apud Honorium. Verùm cùm Domanium Galliæ Regibus, ut ſuprà oſtenſum, aſſignatum fiet, Portoria ubique recepta, Benevolentia cum Hiſpanorum ſubſidiis, alii modi colligendi reditus cum cæterarum gentium modis conveniant, ambigo, an præter ſuſceptionem Tutelæ exindeque proveniens emolumentum in hoc regno, ſingularis & planè aliis incognitus ærarium ditandi modus uſu receptus aſſeri queat. Cæterùm cùm Wilhelmus Conquæſtor per formam acquæſtus in Domanium ſuum, uti JCTi loquuntur, omnes Angliæ terras, præter Eccleſiaſticas, adque Conventus & domus religioſas pertinentes, redigiſſet, mox partes illarum ſubditis ſuis diſtribuit, reſervatis in recognitionem reditibus & ſervitiis quibuſdam ſibi debitis; aut etiam utroque tam ſibi quàm ſucceſſoribus ſuis, Angliæ Regibus, quam recognitionem, non ſecus atque ante acquiſitionem *la teneure des terres, Tenutam,* ut Dd. noſtri id efferunt, terrarum appellant. Reliquum in formam Domanii ſibi retinuit, quod dicebatur, *Coronæ Regis Dominica, Sacra Patrimonia, Prædium Domini Regis, Directum Dominium, cujus nullus Author niſi Deus.* Cæteræ omnes terræ, quas quidam Domini, cujuscunque etiam dignitatis ſint, tenent, vel directè vel indirectè à Corona dependent. Sed quas Ipſa Corona poſſidet, ut nec ab homine poſſidentur, ita nec ab homine alienari poſſunt; quoniam, cùm Sacratæ ſint, profanari nequeunt, verùm ſunt, aut certè

certè eſſe debent ſemper & in perpetuum inalienabiles. Interim Domania illa Regis, ſucceſſu temporis multùm deminuta, & in alios, nunc facilitate Regum Angliæ, qui illas aliis conceſſerunt, nunc ad conſervationem Status neceſſitate quâdam abuſæ ſunt. (*Chamberlayne l' Eſtat preſent de l' Angleterre chap.* 4.*pag. 93. 94.*) Ubi hoc ſolùm monemus, circa alienationem Domanialium rerum probè diſtinguendum eſſe inter res, quæ in fructu ſunt patrimonii, & res patrimonii ipſas. Verbi gratiâ: Jus alluvionum in patrimonio eſſe ſolet, ipſæ res, quas fecit alluvio, in fructu; jus confiſcandi in patrimonio, fundi confiſcati in fructu. (*Grotius de J. B. & P. lib. 1. chap. 6. n. 12.*) ut ſcilicet facilior concedatur translatio fructuum, quàm rei ipſius; niſi Lex Imperii obſtet.

Num. 2.

(3) *Ex annalibus Cambdeni &c.*] Ad Annum MDLXI. ubi addit Eduardum etiã & Mariam, cùm liberos non haberent, multa donaſſe; Elizabetham, licèt nullos haberet, contraria patraſſe.

(4) *Tres liberos &c.*] Mariam nempe natam A. MDXVII. die XVIII. Januarii, electam Reginam A. MDLIII. nuptam Philippo II. Hiſpaniarum Regi A. MDLIV. mortuam A. MDLVIII. die XVII. Octobris; II. Elizabetham natam A. MDXXXIII. die VII. Sept. Reginam creatam A. MDLVIII. virginem illam excellentiſſimam, mortuam XXIV. Martii A. MDCII. ætatis LXX. Regnorum XLV. atq; III. Eduardum VI. qui natus XII. Octob. A. MDXXXVII. & cælebs Anno MDLIII. denatus.

(5) *Jacobus plurima elargitus eſt &c.*] Nullus dies, imò temporis punctum, beneficio vacavit. Familiares, amici, ſervi, alieni, omnes denique homines, liberaliſſimum munificentiſſimumque experti ſunt. Nemo ferè expers liberalitatis fuit. Multas indulſit; damnatis ſupplicia remiſit; municipiis immunitates petentibus conceſſit; alios immunitatibus, & agris emphyteuticis ſublevavit. Haud minùs grata in vulgus Munificentia. Latifundia Ducis Norfolciæ, redacta ab Elizabetha in fiſcum, Thomæ & Henrico Havartis conceſſit; Nobilitatem utriusque Senatoriâ Dignitate & agrorum cenſu juvandam ratus, ut conſiliis eorum ad ſubſidium dominationis uteretur, Arundeliæ Comitatum, unde Pater reatu exciderat, Thomæ Havarto familiæ ſuæ Principi reſtituit. Multis gaudentibus, antiquam & nobilem, & ſæpe de Patriâ benè meritam familiam, de ſuo locupletatam. Hi ſubſidium belli, hi ornamentum Pacis. Rex multa multis longâ manu concedendo, nihil aliud effecit, quàm ut acriùs expoſcerent; Ærarium exhauſturus, ſi inſatiabili cupiditati poſtulantium ultrà indulſiſſet. Tandem ſummâ Ærarii Fiſcique inopiâ, cùm nullus eſſet petendi pudor, hiantes Amicorum cupiditates, iniquas preces, moleſta & immodeſta Procerum deſideria pertæſus eſt A Quæſtore interrogatus, quomodo tot impendiis, tot annuis Penſionibus, tot Erogationibus, & Regni Neceſſitatibus ſufficeret? promiſit, ſe nulli ſubventurum, niſi Senatui juſtas petendi cauſas probaſſent, nec per continuos dies quicquam, niſi ſub Exceptione, largitus eſt, *ſi tamen per Senatum licuerit;* ſalvâ ſemper Imperii Majeſtate. Ita ad magnitudinem beneficiorum accurrentem multitudinem ſervorum, pro cupiditatis potiùs, quàm officii præſtiti modo, pudore, & Senatus authoritate, abegit. Prout de Jacobi Magnæ Britanniæ Regis munificentia verba faciens Robertus Jonhſtonus *Rer. Britann. Hiſt. lib. 11. pag. 367.* inquit; ibidem varia variorum de ea judicia *in ſeqq.* adducens, ubi vide. Edoctus autem experientiâ Ipſe Ille Magnæ Britanniæ Rex, quid circa munificentiam exercendam, Principi obſervatu opus ſit, in libello ſuo, cui titulus βασιλικὸν δῶρον *lib. 2. pag. m. 151.* ſic inſtruit filium ſuum Henricum: Veram munificentiam versùs bonos omnes exerceas, quod in tuum honorem & incolumitatem cedat: ſed ea tamen cum ratione modoque, ut unusquisq; pro ſua menſura à te accipiat: in quo ordinis, virtutis, neceſſitatis cujusq; ratio habenda eſt. De vectigalibus tibi ſedulò proſpicias, & ne temerè ſine cauſâ profundas. Inprimis autem cavendum, ne ordinarii Coronæ tuæ reditus imminuantur, quibus & tuum & ſucceſſorum tuorum decus conſervari oportet; Ne exhaurias fontem liberalitatis: illud autem Sacroſanctum & extra commercium cuſtodiri convenit: aliter enim liberalitas in prodigalitatem degenerabit, ſi dum aliis prodeſſe vis, tibimet ipſi, & tuis Succeſſoribus noceas. De liberalitate verò Principum in genere annotata quædam extant ad Politicum Sceleratum *ad cap. 44. pag. 501. 502. 503.*

Num. 3.

(6) *Pulchriores poſſeſſiones &c.*] Lanſius *in Orat. contra Britanniam*, idipſum ita effert: Regem Jacobum teſtari, patrimonium ſuum Regium non ita attritum eſſe, quin magnitudine & ſplendore cũ quovis alio Chriſtiani Orbis Principe facilè poſſit comparari. Jacobus etenim hic cùm jam Triginta ſex annos apud Scotos regnaſſet, Primus totius Britanniæ (niſi fabulis de Athelſtano temerè credamus;) declaratus Anno MDCII. fuit. (*Jonhſton. Rer. Britan. Hiſt. lib. 11. pag. 360.*) Indeque in indictis Comitiis Anno MDCVII. coaleſcere, jungi, miſcerique duo Regna, Legibus, Moribus, & Inſtitutis, Connubio, & Commercio non ſolùm commodum, verùm etiam ſalutem flagitavit; ut diſcrimine omni ſublato, non præcidatur ſpes Scoto quoque, ſi dignus ſummo honore in Republica eſſet, adipiſcendi ſummi honoris; Cæterùm, ſe utilitatis id magis omnium causâ, quàm privatâ charitate Gentilium, orare dixit; ut Scoti participes eſſent publicorum munerum; & Civium, non peregrinorum numero cenſerentur; denique, in hâc unione, diſeruit, nihil eſſe mali, quod Angli metuerent: nihil boni, quod non ſperarent. (*Jonkſton. d. loc. lib. 13. pag. 430.*) Sed (redeundo ad propoſitum) utut tantum fuerit Domanium regium, tanti tamen ejus reditus haud fuerunt, quin opus eſſet frequentiùs in Comitiis ſub hoc Rege, ut Fiſco ære alieno laboranti ſubſidium pararetur, deliberare, prout Hiſtoriæ ejus temporis planum faciunt. Ita Sarisberienſis Quæſtor, in Comitiis Idibus Februarii Anno MDCIX. convocatis, ad inferiorem Conſenſum, cum primoribus miſſus, diſſeruit, Regni reditus, vectigalia, tributa, tot impendiis, tot erogationibus, tot neceſſitatibus Reipublicæ non ſufficere; multasq; pecunias publicè erogatas, non per luxum & laſciviam, ſed munificentiam, Regi in primordiis Regni neceſſariam; Ærariũ alieno ære laborare; Regiam dignitatem inopiâ periclitari. Proinde Regem ſubſidio egere, ſi ipſum onera Regni ſuſtinere velint.

Num. 4.

(7) *Lancaſtriæ &c.*] Regio hæc Landcaſtria vulgò *Lancisbire* ad Auſtrum Marſeio flumine à Ceſtria ſecluditur. Ab Ortu Darbiæ Comitatum proximũ habet. Ad Septentrionem Eboracenſem conſpicit provinciâ, ſed ab occaſu Hybernico clauditur mari. Forma oblongior in circuitu habet centum ſexaginta & tria paſſuum millia; Ær ſalubris, nec incolæ gravibus obnoxii morbis. Non omnis ager fertilis. Reliquam ſterilitaté ceſpitum compenſat copia in alimentum ignis. Illi in campos æquatur tritici ferax eſt & hordei, ad montium radices avenæ fera-

cior. Numeroſa armenta, quæ magnitudine corporis, & cornuū proceritate maximè ſpectabiles. Homines aſpectu decori. (*Hermannides in Brit. Magna p. 158.*) Habuit primùm Lancaſtria Dominos ſuos, dein ſub Henrico III. Comites, ſub Eduardo III. Duces: Eduardus verò IV. Angliæ Rex Ducatum illum ſuo tempore Coronæ (*ut loquuntur*) appropriavit: ſed Henricus VII. illam ſtatim ſejunxit. Uti latiùs id deducit Guilielm. Cambdenus *in Britannia p. 621. ſeq.* In ore verò Orbis tum Lancaſtriæ Ducum nomen verſari cœpit, & pòſt verſebatur, cùm Henricus Lancaſtriæ Dux Ducatu eo à Richardo II. Angliæ Rege exutus, armis ſumptis priſtinam poſſeſſionē nactus, Richardū Regno ſe abdicare cogeret, captivū detineret, Ipſeq; ſceptra capeſſeret circa Annum MCCCXCIX. cui Henricus V. filius & nepos Henricus VI. ſucceſſerunt. Tunc enim temporis nobile illud deſſidium inter Lancaſtrenſem & Eboracensē familiam, (quarū priori Roſa rubens, æmulæ poſteriori Roſa candida pro inſigni erat, indeq; partes ſub Nomine unius alteriúsve Roſæ vulgò cluebant) exortū fuit, quo de regni Jure utraq; familia contendebat, quodq; ad Henricum usq; VII. qui Regnum Angliæ adiit A. MCCCCLXXXV. continuatū. Licet enim temporibus ipſius Henrici IV. Henrici V. & aliquibus annis Henrici VI. ex una parte, & Eduardi IV. altera, lucidis intervallis, & felicibus ceſſationibus, hoſtiles illæ familiæ, (dicente Verulamio *in Hiſtor. Regni Regis Henrici VII. p. 17.*) gaviſæ eſſent, nihilominus perpetuò, veluti nubes procelloſæ Regno imminebant, novos motus & calamitates minantes. Sed hic ducta in Uxorem Elizabethâ Eduardi IV. Richardi Eboracenſis filii filiâ fœdere cōnubii diſſidia illa acerrima, per tot annos inter Lancaſtrenſem familiam & Eboracenſem durantia compoſuit. (Videatur Polydorus Vergilius *Angl. Hiſt. l. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26.* Wilhelmus Lombardus *in ſerie Regū Angliæ, Vergilio ſubjunctæ p. 790. citatus.* Het vorſtelyck Treur-Tooneel, *1. Hiſtor.* Eraſmus Franciſc. im hohen Trauer-Saal *VIII. Hiſt. p. 67. ſeqq.* qui Hiſtoriam Diſcordiarum harum, à Scriptoribus rerum Anglicarum fusè ſatis & ſparſim enarratā, in compendium redegerunt.) Quid verò Legato Anglico, Pontifici Romano conjunctionem hanc nuntianti, & de quietis hujus perpetuitate Aſtrologum quempiam percunctanti monſtratū fuiſſe quidā referant, diximus in notis ad Politici Scelerati *c. 4. p. 44. ſeqq.*

(8) *Cornubia &c.*] Cornubia ſive Cornvallia Anglis dicitur *Cornvval*, maximè totius Britanniæ in Occidentem properat ſolem. A reliquiis Britannorum habitatur. Nomen habet à forma, quòd Cornu inſtar procurrat in mare. Aer ab utroq; marium littore perpetuis perflatur ventis, & quamvis penetrantior ſit, non tamen minùs ſalubris. Solū crebris attollitur montibus. Auguſtæ & breves interjiciuntur convalles. Plurimæ illius divitiæ ex æris & ſtanni fodinis. Hæc regio prima omnium has aperuit divitias. Maritima ora celeberrimis nitet oppidis. Interior divite ubiq; metallorum venâ abundat. Datur hic etiam aurum & argentum, nec non Adamantes à natura in angulos formatos; horū nonnulli ad juglandis accedunt magnitudinem & Indicis tantùm nigrore cedunt atq; duritie. Frugum ita ferax, ut non ſibi, ſed & alii maximè verò Hiſpaniæ ſufficiat. Pylchardum piſciculorum hîc copia ingens, qui in Galliam, Hiſpaniam, & Italiam deferuntur ubertim. Cives omnes ad ſtupendam usque facti humanitatem. In extremo promontorio, quod aliàs *Belerium* dicitur, ubi recedentibus aquis nonnulli nudantur ſcopuli, candens manifeſtè conſpicitur metallum. (*Hermannides in Britannia Magna pag. 353. ſeqq. & ante eum Cambdenus in Britannia pag. 112. ſeqq.*) Primùm Cornvalliam Comitibus paruiſſe, ab Eduardo III. Rege in Ducatum erectam, Eduardumque filium ſuum bellicis laudibus Principem cumulatiſſimum Anno Chriſti MCCCXXXVI. Ducem Cornvalliæ dixiſſe, & ex eo tempore Walliæ Principes, fuiſſe itidem Cornvalliæ Duces, qui in actionum quibusdam formulis, rebus metallicis, naufragorum bonis, & portoris Regalia habuerunt, docet Cambdenus *in Britannia p. 126.* Indeque dubio procul eſt, quod Hovvell & ejus Interpres Harriſius *in προεδρία βασιλικὴ* ſcribit *pag. 38.* Quum filii aliorum Regum ex utero egrediantur tam nudi, ut vix habeant ex ſuo, unde faſciolas emant, aut nutrices ſuſtineant, niſi ex dono Patrum regnantium, Primogenitus Regis Angliæ ipſiſſimo inſtante quo naſcitur, eſt Dux Cornubiæ, & ſecundùm Legem Terræ inveſtitur plenaria poſſeſſione, cum reditibus & honore ejusdem Ducatus.

Num. 4.

(9) *Ordinarios Regni Anglicani Reditus &c.*] De hodiernis Regni reditibus ſic loquitur Eduard Chamberlayne *en Eſtat preſent de l' Angleterre p. 94.* Certi Regis Angliæ reditus olim majores erant, quàm alterius Europæi Regis ullius. Ex domaniis & Juribus Feudorum plus percipiebant, quàm opus ei erat ad ordinarias Coronæ expenſas ſuſtinendas. Sic ut nullatenus cogebatur ſubditos ſuos impoſitionibus & collectis onerare. Poſtquam duæ Cameræ Parlamenti ob feliciſſimam Regis moderni reſtitutionem congregatæ eſſent, invenerunt Illæ Coronæ reditus ſic diminutos, & onera in tantum ob expenſas, quæ neceſſariò ad bella tam mari quàm terrâ contra duos potentiſſimos noſtros vicinos gerenda extra, & ob ingentem numerum factioſorum, ſeditioſorum & rebellium intra Regna ſuſtinenda erant, aucta, ut unanimiter concluderent, omninò ad pacem, & quietem Status, & ad honorem Regis Regnive conſervandum opus eſſe, ut certi definiantur Regis reditus ad ſummam duodecies centenorum millium librarum Sterlingenſium annuarum, & quod inſimul conſenſu Regis, ad Dominorum & Communitatum ſupplices oblatas preces mercibus, quæ in Regnum importantur vel exportantur, piſcibus Anglicanis, & focis tantum imponatur vectigalis nomine argenti, quantum cenſebitur reditus Coronæ ad concurrentem usq; ſūmam exæquare poſſe. Atq; hoc non obſtante omnes Regis Angliæ reditus non aſcendunt ad duodecimam partem reditûs ſui Regni, cujus loco Rex Franciæ annuatim plus quàm centum & quinquaginta milliones i.e. præter propter undecim milliones librarum Sterlingenſium, & plus quàm quintam partem omnium redituum ſui Regni percipit.

(10) *Henricus VIII. &c.*] Henricus nempe ille Princeps magnanimus, in cujus maximo ingenio (dicente Cambdeno *in Annal. Angl. in apparatu*) inerant confuſo quodam temperamento virtutes magnæ, & vitia non minora; qui natus XXVIII. Junii A. MCCCCXCI. ſupremum ſpiritum pinguedine diffluens ex virulenti herpetis in crure inflāmatione XVI. Januarii A. MDXLVII. cū vixiſſet annos LVI. quorum XVIII. cælebs transegit; viginti ferè & ſex, non niſi cum Catharina Hiſpaniæ Regis filia, duodecim verò reliquis uxores expertus eſt ſex, quarum duas ſecuri percuſſit, tertiam ad partus commoditatem laxandam (ex quo & mortua eſt) curavit: duas repudiavit; & ſextam ſuperſtitem reliquit, quam & ipſam, ut Sanderus *de ſchiſmate Anglicano l. 1.* perhibet, animo tamen ad cædem, ſi vixiſſet, deſtinaverit. Harum uxorum I. fuit *Catharina* Ferdinandi Catholici filia, fratris ſui Arthuri

Walliæ

Walliæ Principis vidua, (à quo tamen ſe haud cognitam conſtanter aſſeverabat,quam in uxorem III. Nonas Junii A. MDIX palàm accepit. Poſtquàm genuiſſet Ipſis Calendis Januarii Anno MDXI. filium, qui tamē moxd. XXIII. Februarii ſequenti extinctus eſt; & duos alios cum filia, qui liberi omnes non diu, poſtquam nati erant, vixerunt, (Sanderus *d. loc.*) demum Mariam A. MDXVII. die XVIII. Januarii natam, quæ utriq; parenti ſuperſtes manſit, repudiata A. MDXXXIII. & mortua A. MDXXXVI. II. *Anna Bolena*, quæ XXV. Januarii A. MDXXXIII. in uxorem ducta, mater Excellentiſſimæ Elizabethæ die VII. Septembris Anni MDXXXIII. natæ, gladio A. MDXXXVI. die XIX. Maji, cùm non totis quinque menſibus poſt Catharinæ mortem Reginæ titulo clueret, decollata fuit. III. *Jana Seimera*, quam poſtridie, quàm Annæ cervices amputatæ ſunt, Rex in uxorem accepit, ex qua XII. Octobris Anno MDXXXVII. natus eſt Henrico Regi filius, quem vocavit Eduardum, matre ex partu (ut ſuprà dictum) mortuâ. IV. *Anna* Johannis Cliviæ Ducis filia, Guilielmi Soror, A. MDXL. Regi in feſto Epiphaniæ legitimo connubio juncta, poſt ſex menſes repudiata, XV. Julii Anni MDLVII. defuncta. V. *Catharina Havvarda*, Ducis Norfolciæ ex fratre Neptis, quam octavo poſt divortium Annæ die ſibi copulavit, Anno verò MDXLII. ſub ejus initio ob ſcortationes neci cum procis ſuis data. VI. demum fuit *Catharina Parra*, vidua Baroni Latimero prius nupta, Comitis Eſſexiæ poſtea Marchionis Northantoniæ Soror, XII. Julii A. MDXLIII in Uxorem accepta, Ipſi Henrico ſuperſtes. De quibus vide Annales rerum Angl. *Henrico VIII. Eduardo III. & Mariâ regnantibus*, Anno 1653. Hagæ impreſſas, Sanderum *de Schiſm. Anglicano*, Cambdenū, Sleidanum *Comment. lib. 9, circa Annum 1534. l. 10. Anno 1536. lib. 12. Anno 1539. lib. 13. Anno 1540. lib. 14. Anno 1542.* alioſq; horum temporum Scriptores. Item Het Vorſtelyck. Treur Tooneell. *Hiſt. 9.* Eraſmum Franciſcum im hohen Trauer-Saal *Hiſt. 10.*

(11) *Bona Eccleſiaſtica occupaſſet*] Tanto amoris impetu in Pontificem Romanum Rex Henricus ferebatur, ut Megelandrum Lutherum & Evangelii lucem reſplendentem in tanto numero adverſariorum publicis ſcriptis oppugnaret; primò quidem judicium illius de Indulgentiis convellens, Pontificatum defendit: poſt illam diſputationem de Sacramentis Eccleſiæ, ſumpto ſcribendi argumento ex libro de Captivitate Babylonica. (Sleidanus *Comment lib. 3.*) Qui nominatiſſimus Liber, ſive Authore ſive adjutore Johanne Fiſchero Epiſcopo Roffenſi (Nic. Sanderus *de Schiſmate Angl. lib. 1. pag. 93.*) qui A. MDXXXV. cum Moro ſecuri percuſſus periit, editus, Papæ oblatus fuit in pleno Conſiſtorio à D. Johanne Clerk, tunc temporis Regis Angliæ Romæ Legato ſolenni oratione præhabita; Tradit autem Jacobus Hovvel & ejus Interpres *in προεδρία βασιλικῇ p. 38.* Originale ejus libri adhuc extare in Vaticana Bibliotheca, cum hâc Dedicatione propriâ Regis manu ſcriptâ: ANGLORUM REX HENRICUS LEONI X. MITTIT HOC OPUS, ET FIDEI TESTEM, ET AMICITIÆ. Quo ipſo à Papa in quodam publico Inſtrumento ſive, ut vocant, Bulla hoc mactatus fuit honore, ut Ipſi ab omnibus Chriſtianis dari poſt Regis, DEFENSORIS FIDEI titulus mandaretur. Et hanc celebrem Apoſtolicam Bullam ab ipſo Pontifice & XXVII. Cardinalibus A. MDXXI. ſignatam, dignam cenſuit D. Hovvel operi ſuo inſerendam, prout extractam copiam ab Originali, ut loquitur, habuit, & nos huic noſtro labori; Verba Bullæ hæc ſunt: Leo Epiſcopus Servus Servorum Dei, Chariſſimo in Chriſto Filio, Henrico Angliæ Regi, Fidei Defenſori, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

Ex ſupernæ diſpoſitionis arbitrio, licet imparibus meritis, Univerſalis Eccleſiæ Regimini præſidentes ad hoc cordis noſtri longè lateq; diffundimus cogitatus, ut fides Catholica, ſine qua nemo proficit ad ſalutem, continuum ſuſcipiat incrementum. Et ut ea, quæ pro cohibendis conatibus illam deprimere, aut pravis mendacibusq; commentis pervertere & denigrare molientium ſana Chriſti Fidelium, præſertim dignitate Regali fulgentium Doctrina ſunt, diſpoſita continuis proficiant incrementis partes noſtri Miniſterii & operam impendimus efficaces: Et ſicut alii Romani Pontifices Prædeceſſores noſtri Catholicos Principes, prout rerum & temporum qualitas exigebat, ſpecialibus favoribus proſequi conſueverunt, Illos præſertim, qui procelloſis temporibus, & rabidâ Schiſmaticorum & Hæreticorum fervente perfidiâ, ſolùm in Fidei ſerenitate & devotione illibatâ Sacro-Sanctæ Romanæ Eccleſiæ immobiles perſtiterunt; Verùm etiam tanquam ipſius Eccleſiæ legitimi filii ac fortiſſimi Athletæ Schiſmaticorum & Hæreticorum inſanis furoribus ſpiritualiter & temporaliter ſe oppoſuerunt.

Ita etiam Nos Majeſtatem Tuam propter Excelſa & immortalia erga nos, & hanc ſanctā ſedem, in qua divinâ permiſſione ſedemus opera, & geſta condignis & immortalibus præconiis ac laudibus efferre deſideramus, ac ea ſibi concedere, propter quæ invigilare debeat à grege dominico arcere lupos, & putrida membra, quæ myſticum Chriſti corpus inficiunt, ferro & Martiali gladio abſcindere & nutantium corda fidelium in fidei ſoliditate confirmare.

Sanè cùm nuper dilectus filius Johannes Clerk Majeſtatis Tuæ apud Nos Orator in Conſiſtorio noſtro coram venerabilibus, fratribus noſtris, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, & compluribus aliis Romanæ Curiæ Prælatis Librum, quem Majeſtas Tua Charitate, quæ omnia ſedulò & nihil perperam agit, Fideiq; Catholicæ Zelo accenſa, ac devotionis erga Nos & hanc Sedem ſanctam fervore inflammata, contra errores diverſorum Hæreticorum ſæpius ab hac Sancta Sede damnatos, nuperq; per Martinum Lutherum ſuſcitatos, & innovatos, tanquam nobile & ſalutare quoddam Antidotum compoſuit, nobis examinandum, ac deinde Authoritate noſtra approbandum obtuliſſet, ac luculentâ ſuâ Oratione expoſuiſſet, Majeſtatem tuam paratam ac diſpoſitam eſſe, ut quemadmodum veris rationibus, ac irrefragabilibus Sacræ Scripturæ ac Sanctorum Patrum authoritatibus, notorios Errores ejuſdem Martini confutaverat, ita etiam omnes eos ſequi & defenſare præſumentes totus Regni ſui viribus & armis perſequatur, noſque ejus Libri mirabilem quandam & Cœleſtis Gratiæ rore conſperſam Doctrinam diligenter accurateque introſpeximus, Omnipotenti DEO, à quo omne datum optimum, & omne donum perfectum eſt, immenſas Gratias egimus, qui optimam & ad omne bonum inclinatam mentem tuam inſpirare, eiq; tantam gratiam ſupernè infundere dignatus fuerit, ut ea ſcriberes, quæ ſanctam ejus fidem contra novum errorum damnatorum hujuſmodi ſuſcitatorem defenderes, & reliquos Reges & Principes Chriſtianos tuo exemplo invitares, ut & ipſi etiam Orthodoxæ Fidei & veritatis Evangelicæ veritati, in periculum & diſcrimen

crimen adductæ omni ope ſua adeſſe, opportuneq; favere vellent; Æquum autem eſſe cenſentes, Eos qui pro Chriſti Fidei hujusmodi defenſione pios labores ſuſceperunt, omni laude & honore afficere, volentesq; non ſolùm ea, quæ Majeſtas Tua contra eundem Martinum Lutherum abſolutiſſimâ doctrinâ nec minori eloquentiâ conſcripſit, condignis laudibus extollere ac magnificare authoritateq; noſtra approbare & confirmare, ſed etiam Majeſtatem Ipſâ tuam tali honore ac titulo condecorare, ut noſtris, ac perpetuis futuris temporibus Chriſti Fideles omnes intelligant, quàm gratum acceptumq; nobis fuerit Majeſtatis Tuæ munus hoc præſertim tempore Nobis oblatum.

Nos, qui Petri, quem Chriſtus in Cœlum aſcenſurus Vicarium ſuis in terris reliquit, & cui curam ſui gregis commiſit, veri ſucceſſores ſumus, & in hâc ſanctâ ſede, à quâ omnes dignitates & Tituli emanant, ſedemus, habitâ ſuper iis cum eisdẽ Fratribus noſtris maturâ deliberatione de eorũ unanimi conſilio & aſſenſu Majeſtati Tuæ Titulum hunc videlicet FIDEI DEFENSOREM donare decrevimus, prout Te tali Titulo per præſentes inſignimus, mandantes omnibus Chriſti Fidelibus, ut Majeſtatem tuam hoc Titulo nominent, & cùm ad eum ſcribant poſt Dictionẽ Regi, adjungant FIDEI DEFENSORI.

Et profectò hujus tituli Excellentiâ & dignitate ac ſingularibus meritis tuis diligenter perpenſis & conſideratis, nullũ neq; dignius, neq; Majeſtati Tuæ convenientius nomẽ excogitare potuiſſemus, quod quoties audies, aut leges, toties propriæ virtutis meritiq; optimi Tui recordaberis; nec hujusmodi Titulo intumeſces, vel in ſuperbiam elevaberis, ſed ſolitâ tuâ prudentiâ humilior, & in Fide Chriſti ac devotione hujus Sanctę ſedis, à qua exaltatus fueris, fortior & conſtantior evades, ac in Dño bonorum omnium largitore lætaberis, perpetuum hoc & iṁortale Gloriæ Tuæ monumentum Poſteris tuis relinquere, Illisq; viâ oſtendere, ut ſi tali Titulo ipſi quoq; inſigniri optabunt, talia etiam opera efficere præclaraque Majeſtatis Tuæ veſtigia ſequi ſtudeant, quâ prout de nobis & dictâ ſede optimè merita eſt cum Uxore & Filiis ac omnibus, qui à Te, & ab illis naſcentur noſtrâ benedictione in nomine illius, à quo Illâ concedendi poteſtas nobis data eſt, largâ & liberali manu benedicentes Altiſſimum Illum, qui dixit, per me Reges regnant, & Principes imperant, & in cujus manu corda ſunt Regum, rogamus & obſecramus, ut eam in ſuo ſancto propoſito confirmet, ejusq; devotionem multiplicet, & præclaris pro ſanctâ Fide geſtis ita illuſtret, ac toti Orbi terrarum conſpicuum reddat, ut Judicium quod de ipſa fecimus, eam tam inſigni titulo decorantes, à nemine falſum aut vanum judicari poſſit. Demum mortalis hujus vitæ curriculo finito, ſempiternæ illius Gloriæ conſortem atque participem reddat.

Dat. Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo Quingenteſimo Viceſimo primo, Quinto Idus Octobris, Pontificatûs noſtri Anno Nono.

EGO LEO CHRIST. CATHOLICÆ ECCLESIÆ EPISCOPUS.

Tum ſigillum & ſignum, cui inſculptum fuit interius, *S. Petrus* † *S. Paulus*, hoc dicto circumambiente, *Ad Dominum, cùm tribularer, clamavi, & exaudivit Me.* Huic adjunctum fuit chirographum XXVII. Cardinalium in utroque latere ſigilli; Cardinales Epiſcopi ad dextrum ſigilli juxtim; Tum ad dextrum eorum Cardinales Presbyteri ſignabant; & ad ſiniſtrum ſigilli (ut pro more eſt in omnibus Decretis & Inſtrumentis publicis) Cardinales Decani ſubſcribebant. *Hactenus Hovvell.* Licet verò (quod ſuprà innuimus) Henricus Rex tanto papalis amoris fervore æſtuaret, accidit tamen poſt paucos annos, cùm Legati Pontificii deciſionem in cauſa divortii inter ipſum & Catharinam Catholicam protelarent, re haud definitâ abirent, precibusq; Rex ut & Præſules Angliæ maturationem ſententiæ efflagitantibus nil quicquam efficere in Curia Romana poſſent, ut per quinq; plus minùs annos neglectus Rex ſuâpte Catharinam repudiaret, Annam Bolenam duceret, Wolſæum Cardinalem, qui ante primum mobile ipſius erat, bonis omnibus exueret, publica præconis voce per univerſum Regnũ A. MDXXX. menſe Septembri ſub magna pœna edici curaret, ne quis ſubditorum ſuorum aliquid omninò commercii haberet cum Pontifice Romano, néve aliquid acciperent ab eo, aut ad illum mitterent præſertim pecuniarum ſive per collybum, ſeu aliâ quâvis ratione, *Tyrannum* eum vocans, *& prædonem orbis terrarũ bellorũ, incentorem, & quovis potiùs alio nomine dignum quàm Vicarii Chriſti, quem titulum ſibi haud bono jure & perperam arrogaſſet;* Paulò deinde pôſt, ut potentiam cleri jam valdè opulenti retunderet, à quibus nonnihil metuebat propter Pontificis Authoritatẽ hoc modo conculcatam, vires eorum diminuere decerneret, pecuniâ eos quantâ potuit emungendo, univerſos itaq; ad Tribunal citatos noxæ reos faciendos curaret, cujus paulò ante Wolſæum, (*vide Annales Rer. Anglic. I. ſuprà cit. à p. inde 43. ſeqq.*) nempe quod Pontificiæ authoritati paruiſſent, Legatum Wolſæum agnoſcentes, non exſpectato priùs mandato Regio. Cùmq; Clerus Cantuarienſis Provinciæ in Synodo congregatus pœnam juxta leges irrogandam pecuniâ redimendam arbitratus, centum librarum millia Regi pendenda decreverit, modò prædictæ pœnæ eximeretur. Accidit, inquam, ut Rex hoc non contentus eo amplius poſceret, ut ECCLESIÆ ANGLICANÆ ſe CAPUT ſub Chriſto ſupremum declararent, authoritati cuicunq; exoticæ renuntiantes. Cui poſtulationi quamvis ægrè conſenſum cùm eſſet ab utriusq; Provinciæ Clero, & Eboracenſibus imperaretur ſuper octingentos & quadraginta, ut ii centum octodecim librarum millia conficerent. Ita univerſo Clero Anglicano minùs 118840. (quod facit aureorum Gallicorum millia ferè CCC.) hoc unum peccatum conſtiterit, ſi peccatum id dicendum eſt, cùm certo certiùs eſſe dicat Author Annalium Anglic. *ſub Henrico VIII. &c. ex quo ſuperiora deprompta, p. 165.* diplomate Regio Wolſæo factam Authoritatem Legativam (in cauſa divortii Regii) exercendi. De occaſione Tituli jam memorati Sanderus *de Schiſmate Angl. p. 59.* hæc notat: Indicto igitur conceſſu quodam, pro neceſſitate præſentis temporis unâ voce Regi ſupplicarunt, ut aureorum quadraginta millia, quæ ob criminis commiſſi expiationem ſuæ Majeſtati offerebant, benignè accipere, reliquamq; ejus pœnam remittere & condonare dignaretur: idq; pro ſumma illa poteſtate, quam in Regno ſuo eum tàm in Clerum, quàm in reliquum populum habere jam primùm fatebantur. Ex quâ dicendi formula artificio Regiorum Conſiliariorum expreſſa, primam occaſionẽ ſumptam ajunt, ut Rex SUPREMUM CAPUT ECCLESIÆ ANGLICANÆ poſteà diceretur. Sed quicquid horũ ſit, in Parliamento porrò A. MDXXXIV. congregato, decretũ eſt, de abroganda Synodi authoritate in Canonibus Eccleſiaſticis condendis, niſi quatenus Rex eos ratas habuiſſet. Sancitum etiam, ut Epiſcopatibus vacantibus Ipſe novos Epiſcopos præficeret, néve quemquam aut eligi per capitulum, aut conſecrari per Archiepiſcopum jam poſtea fas eſſet, quem

Rex

Rex ſuis literis ad id muneris nō deſignaſſet. Cumque multi quererentur ſublatum nunc omne remedium leniendi rigorem Juris Eccleſiaſtici per diſpenſationes, poſtquam omne cum Papa commercium interdictum eſt: Archiepiſcopo Cantuarenſi conceſſa eſt facultas ea perficiendi, quæ Papa Jure olim potuiſſet, modò in gravioribus cauſis regibus accederet conſenſus. Conſtitutum etiam, ut provocationes, ab Archiepiſcopo ad Papā fieri conſuetæ, jam ad Regē transferantur, cui liceret per Judices à ſe delegatos omnes hujuſcemodi lites ac controverſias terminare. Et altero indicto menſe Novembri ejusdem anni Parliamento latâ lege ſancitū, Eccleſiæ Anglicanæ Caput Supremum Regem dicendū, & omnium criminū coërcitio ad ipſum delata, quæ ad fori Eccleſiaſtici cognitionē ſpectare ſolebant; conceſſæ quoq; tunc temporis cunctarum promotionū Eccleſiaſticarum primitiæ: hoc eſt, ut Epiſcopus vel Sacerdotii nuper adepti fructus omnes, qui toto inſequenti añno colligerentur, fiſco regio addicerentur: aut ſaltem (quod eodē recidit) annui fructus dimidium per totum deinde biennium. (*Adde Sanderū de ſchiſm. Angli. 1. p. 83.*) Sed ut Exempla rarò ubi cœperunt conſiſtunt, ita hîc planè evenit, ut Rex conſilium circa A. MDXXXV. caperet, & inſequenti anno effectui daret, univerſa per totam Angliam cœnobia minora demoliendi: ut eorum opibus tunc temporis præſentem prementemq; inopiam ſublevaret ac partē prædæ ex iis collectæ proceribus ſuis dividendo, à Secta Pontificia penitùs eos divelleret, quibus nempe cum Eccleſia Romana reconciliatis acceptam prædam denuò reddendam prævidebat. (*Adde Sanderum d. loc. p. 140.*) Hunc igitur in finē qui cauſam Pontificiam ferociùs propugnabant & conatibus Regiis pervicaciùs obſtituri credebantur perduellionis rei peragebantur, & Regem Eccleſiæ Anglicanæ ſub Chriſto Supremum Caput cognoſcere detrectantes, in crucem paſſim agebantur. (*vid. Authorē Annal. p. 189. ſeqq.*) Oppreſſiſſe verò hoc primo impetu Henricum, monaſteria trecenta ſeptuaginta ſex, & ex eorum ſpoliis ceſſiſſe in Fiſcum Regium, annui cenſûs ad centum plus minus & viginti millia aureorum; in ſupellectili verò bonisq; mobilibus ad quadraginta ferè millia præter ea, quę miniſtri Regii ſibi quiq; rapuerint; Religioſorum autem utriusq; ſexûs plusquam decem millia ad ſeculum rediiſſe, author nobis eſt Sanderus de *Schiſm. Angl. l. 1. p. 106.* cum quo Author Annalium Angl. *202. ſeq.* conſentit. Anno poſt MDXXXIX. majoribus idem quod minoribus cœnobiis in univerſum omnibus, fatum iṁinuit, monachi ejecti, & Sanctorum ab Anglis cultorum ſepulchra corporaq; donis, ornamentis, gemmis nudata fuere à Rege. (*Sanderus de ſchiſm. Angl. l. 1. p. 120.*) Atq; ex ſolius monumenti Thomæ Cantaurienſis quondam Archiepiſcopi ſpoliis duæ arcæ repletæ ſunt tam capaces, ut ſingulis efferendis vix octo robuſti homines ſufficerent, cùm auro vilius nihil inde exportaretur. (*Author Annal. Anglic. p. 222.*) Sive ut Sanderus *d. loc. p. 131.* ſcriptum reliquit, tanta vis auri, argenti, ac lapidum pretioſorum, & Sacrarum veſtium vis ablata fuit, quanta XXVI. plauſtra boum ingentia oneraverat. Tandem à Parliamento omnia Collegia, Xenodochia, & Noſocomia totius Regni, omniaque prædia, ſalaria, ſtipendia ad ea ſpectantia vel porrò Sacerdotibus, qui pro defunctorum animabus miſſificarent, hæc inquam omnia latâ lege Regi conceſſa ſunt, ut iis pro ſuo arbitrio uteretur, (*Annal. Anglic. p. 278.*) In Comitiis pòſt A. MDXL. Londini celebratis decretum fuit, ut ordo militum S. Johannis, quos Rhodienſes vulgò appellabant, qui unicus in univerſa Anglia fuit, omninò deleretur, eorum proventibus omnibus in fiſcum Regium redactis. Ut ut verò Rex Henricus VIII. tantas opes corraſerat, ad eam tamen tunc temporis redactus eſt fiſcus tenuitatem, ut inopiæ ſublevandæ rationem cum amicis inire eum oportuerit, & plura tributa & vectigalia civibus ſuis impoſuerit Ille ſolus, quàm omnes ſimul Reges per quingentos antè annos fecerant. Primo enim, quo monaſteria invaſit, anno, tributum graviſſimum & inauditum populo impoſuit, quo unusquisque bonorum, quæ poſſidebat, plus quàm tertiam partem fiſco Regio ſolveret; quòd genus Tributi non rarò poſtea exercuit. Ita Anno MDXL. ſi Sandero *d. loc. lib. 1. pag. 143.* fides adhibenda, Cromvvelus quo ſe Henrico Regi egenti gratum probaret, extorſit ab Ordinibus, ut æſtimatis omnium Anglorum bonis ac poſſeſſionibus, Decima una & quatuor quindecimæ (res planè inaudita) Regi decernerentur: adeò ut, qui viginti aureis æſtimaretur, octo; qui verò centum quadraginta, id eſt, plus quàm tertiam bonorum omnium partem, Regio fiſco penderet. Deinde anno regni XXXIV. aliam formam excogitavit, quâ æſtimatis bonis, ſinguli qui ſupra ducentos aureos, in bonis aut poſſeſſionibus habere dicerentur, egregiam quandam pecuniæ ſummam, pro facultatum magnitudine, Regiæ Majeſtati dare mutuò cogerentur. Anno verò ſequenti tertium genus inventum eſt, ut omnes nimirum ad ſtudium animumq; benevolum erga Regiam Majeſtatē teſtificandum pro ratâ bonorum portione ſponte pecunias contribuerent, unde & *Benevolentiæ* nomine hoc tributum appellabatur. Exactores tamen ſeveriſſimi huic Benevolentiæ colligendæ aſſignabantur; qui non ſolùm quod dabatur acciperent, verùm etiam unicuique, quantum eſſet ſolvendum, præſcriberent, quorum ſi quis fortè eorum poſtulatis non ſtatim acquieſceret, eum ut malevolum & Regiæ cauſæ minimè faventem caſtigabant. (*Exempla ejus rei in Richardo Reado, & Guilielmo Rocho, notantur in Annal. Angl. pag. 272. & à Sandero pag. 160.*) Quid? quòd, cùm pecunia numerata ex tam puro argento eatenus in Anglia conſtitiſſet, ut non niſi undecima ferè pars ex cupro, & ſtanno adderetur, idque moderandi & commiſcendi gratiâ, quò faciliùs characterē impreſſum ſuſciperet: poſt illū diem per gradus quosdam ab Henrico inchoatos, eò res demum redacta eſt, ut tandem vix duæ argenti unciæ, cum undecim cupri & ſtanni commixtæ reperientur. Ut verò priorem monetam probatam de ſingulorum manibus quoad poterat auferret, & in ſuas transferret; plus aliquantò in ſingulas uncias, quàm vulgò eam æſtimaſſent, ei daturum ſe obtulit, qui eam ad ærarium argenteamque officinam attuliſſet. Solvit autem non mogò magiſtratibus, miniſtris, militibus; ſed etiam illis, ipſis qui veterem monetam ei vendebant, novâ illâ minùs probâ monetâ. Qua arte effecit, ut à ſingulis, quibus cum ei pecuniarum negotium erat, non decimum, non quintum, ſed quartum quemlibet denarium veluti tributi nomine caperet. Prout hæc omnia Sanderus *dicto ſæpius loco pag. 143. 159. ſeqq.* enarrat.

Num. 5.

(12) *Coronæ obnoxia eſt tutelam ſuſcipit &c.]* Polydorus Vergilius *Angl. Hiſt. l. 16.* Originem Tutelæ

telæ Nobilium Henrici III. tempore in Anglia inoleviſſe ad juvandum Aſiaticum bellum, concedentibus Anglis, ut quoties quiſpiam eorũ, qui poſſeſſiones haberent, quarũ Rex Dominus eſſet, antè morerentur, quàm liberi, quos feciſſet hæredes, vigeſſimũ alterum agerent annum, tum eatenus tam ipſe hæres quàm partimonium in poteſtate atq; tutela Regis foret, & ille Patrimonii hujusmodi vectigalia caperet, quoad hæres ad eam ætatem perveniret: quia apud Anglos more majorum pervetuſto, conſervandarum facultatum causâ, filius mas natu major fit ſolus hæres, & filiæ, ſi mares liberi nulli ſunt. Pòſt, *tradente eodem*, non modò Reges, ſed reliqui locorum Domini in hæreditates nobilium demortuorũ eodem modo invaſerunt. Id quod etiam nunc fit, & lege certâ obſervatur. Hocq; fieri autumat Covvell. *Inſtit. Jur. Anglic. l. 1. tit. 17.* ob feudũ, quod quisq; poſſidet à Domino. Atq; in harum tutelam vel cuſtodiam, pauciſſimos eſſe minores, in pinguius aliquod patrimonium ſuccedentes, qui non cadant, cùm ut nemo apud Anglos pleniori quàm feudi Jure (ſi Regem & Coronam exceperimus) terras vel tenementa aliqua poſſidet: Sic feudum ferè nullum eſſe paulò pinguius, quod ſervitio militari erga Dominũ non adſtringatur; hujus verò ſervitii propria eſſe Cuſtodiam, Maritagium, & Relevium. Hocq; cuſtodiæ Jus ab hac ratione proficiſcitur, docente *d. loco §. 2.* laudato Covvello, quod cum is, qui per ſervitium militare tenetur, militis loco Dominum ſuum in bella Regis, juxta conventionem in feudi inveſtitura initam, ſequi teneatur; nemo præſumitur infantem, talem in actibus bellicis ſolertiùs velle inſtituere, quàm ipſum Dominum. Plura qui de Jure hujusmodi Cuſtodiæ legere deſiderat; dictum Covvellum evolvat, qui etiam §. 9. ad quæſtionem, *Si heres maſculus vel fœmina ſit, & plures Domini capitales, an ad unum vel omnes tutela illa devolvatur!* pro illo, qui primò tenentem illum feudo militari feoffavit (*ut loquitur*) reſpondet; Aliis interim cuſtodiâ, terrarum, quæ ſui feudi ſunt, permiſsâ; ſubjungens §. 10. Si tamen aliquis hæres terras aliquas tenuerit de Domino Rege in capite per ſervitium militare, ſive alios Dominos habuerit, ſive non, Dominum Regem in cuſtodia hæredis aliis præferri: idque ſive ipſe hæres ab aliis priùs feoffatus fuerit, ſive poſteriùs: Cùm Rex parem non habeat, nec ſuperiorem in Regno ſuo. Quod verò ab Henerici III. temporibus hanc tutelã nonnulli deducunt, inter quos ſuperiùs allegatus Vergilius eſt, à veri ſcopo alienum Thomæ Smitho *l. 3. de Rep. Angl. c. 5.* videtur. Quoniam ex eo ſtatuto, quod de re pupillari ſub Rege illo ſancitum, invenitur, ſi quis id diligentiùs introſpexerit, modum Tutelæ potiùs aſſignatũ deprehendet, indeque argumentum capiet, Tutelam longè antiquiorem fuiſſe.

(13) *Omnes reditus ipſorum percipit &c.*] Definiunt Cuſtodiam ſive guardiam eſſe ſervitutem realem feudi militaris propriam, quâ Dominus Feudi tam Curam feudi, idq; in ſuam rem ſine rationibus reddendis, durante minori ætate feudatarii, quám etiam tutelam & educationẽ ipſius hæredis habet. Minor autem eſt, quisq; apud Anglos donec annum vigeſimum primum compleverit, ſi maſculus ſit, Covvel. [*Inſtit. Jur. Angl. lib. 2. tit. 3. §. 16.*

(14) *Quantum libet in alimenta &c.*] Fieri hoc equidem ſæpius ſolere, facilè crediderim, gravamina ob cuſtodiam hanc toties interpoſita & à Vergilio *Hiſt. Angl. l. 16. p. m. 378.* Smith. *de Rep. Angl. l. 3. c. 5.* & ab Authore noſtro *infrà n. 11.* memorata perpendens. At verò aliter fieri debere, indicat laudatus jam aliquoties Covvell. *lib. 1. tit. 21.* inquiens: Hæredes quamdiu fuerint in cuſtodia, honorificè exhibebunt, & debita hæreditaria acquietabunt (*Guardiani*) pro quantitate hæreditatis, & pro rata ſecundùm tempus cuſtodiæ. *Et p. p.* Tutores domos minorũ parcos (*aras in fundo circumſeptas vivaria, ſtagna, molendina* aliaq; pertinentia ſuſtentare debent, ne per negligentiã corruant vel depereant, per quam vaſtum (*terrarũ aut domorum devaſtatio*) valeat adjudicari. Et terras de carucis (*plauſtris*) inſtauratas tempore debito, ſaltẽ prout eas receperunt, illis quietè ſine relevio (*de quo infrà*) vel ſine fine (*transactione judiciali, quâ quis ad aliũ terras transfert. v. Covvelli l. 1. tit. 21. §. 5. l. 2. t. 13. in pr.*) gratis liberare tenentur: dum tamen de maritagio fuerint unanimes & concordes. Quòd ſi ſecus fecerit Tutor ſive præceſſerit prohibitio ſive non, amittet cuſtodiam & emendabit damnum: & tradetur terra propter delictũ diſcretis & legalibus hominibus de feudo illo, vel propinquioribus conſanguineis, dictus Author *lib. 1. cap. ult. §. 2.*

(15) *Vigeſimum primum ætatis annum &c.*] Scilicet maſculi, fœminæ cùm decimum quartum, aut in caſu decimũ ſextum prætervectæ ſunt. Covvell. *lib. 1. tit. 22. §. 1. & Tit. 15. §. 4.*

(16) *Certi aliquid perſolvunt &c.*] Notandum cenſet Covvell. ſæpe citatus, *l. 2. tit. 3. §. 18.* hæres Comitum, Baronum, aut aliorum, qui de Rege in capite (*i. e. jure Coronæ ſuæ*) per ſervitiũ militare tenentur, ſi ad plenam ætatem ante mortẽ parentũ pervenerint, conſuetum relevium Regni perſolvere: Comitem nimirum centum libras, Baronem centũ marcas, militis hæredem pro unico feudo militari centùm ſolidos. Sin quis ſit, qui duplex feudum militare tenet, bis centum ſolidos: atq; ita plus vel minus pro rata. Quod quoq; de aliis feudorum Dominis verum eſt. *Num. 6.*

(17) *Regis Beneplacitum impetraverit &c.*] Nam qui feudum tenent de Rege in capite, i. e. jure Coronæ ſuæ, aut etiam de aliquo Honore (*feudo nobiliore, quod regalibus exornatur, & multa inferiora ſervitutem ſibi debentia habet*) aut Manerio ejus (*feudi circuitu*) vel etiam de communi perſona per ſervitium militare, ſi die, quo moritur ejus anteceſſor, ſit intra plenam ætatem & adhuc cælebs, uxorem à Domino feudi oblatam non tutò recuſat. Nam hoc caſu ſolvat ei valorem ſui maritagii: ſi tamen Dominus idoneam illi & ſine diſparitate, vel (*ut Angli loquuntur*) diſparagatione uxorem infra ætatem prædictam obtulerit. Imò ſi Dominus nullã omninò offerat, ab hærede tamen, juxta aliquorum opinionem, cùm ad ætatẽ pervenerit, maritagii ſui pretium rectè vindicare poteſt. Sed hîc tamen differentia eſt, utrum minor tantùm recuſet fœminã illi per Dominum oblatam, atq; ſic usq; plenam ætatem cælebs permaneat, an, illâ recuſatâ, aliam adhuc minor ducat. Nam illo caſu ſimplicem valorem maritagii, hoc verò duplum ſolvere cogitur. Quod ſimiliter in fœminis obtinere tradit Covvell. *Inſt. Jur. Angl. l. 1. tit. 10. §. 4. & 5.* Fuit quoq; jam inde à principio apud Scotos inſtitutum ſeu lex, ut liceret Domino loci virginem nuptam vitiare, antequam vir eam compreſſiſſet. At Malconus Scotorum Rex LXXXIII. qui circa annum Chriſti DCCCCXLIII. regnavit, Sanctiſſimæ Margarethæ hortatu, hoc, uti inſtitutum poſt homines natos turpiſſimũ, penitùs exſtirpavit, ſanciens, ut virgo nupta numum aureum pudicitiæ redimendæ causâ, Domino loci penderet, id quod adhuc tempore Polyd. Vergilii ſervatum fuiſſe, ipſe *Hiſt. Angl. l. 10. p. 222.* teſtis eſt, quem infrà quoq; Author noſter Klockius *l. 2. c. 46. n. 27.* hoc ipſum tributum inter turpia recenſens, adducit. *Num. 8.*

(18) *Aliis elargitur &c.*] Unde oritur illa diſtinctio,

ſtinctio, ut alius *Jure*, alius *facto* dicatur Anglis Guardianus (*Cuſtos*) *Jure* eſt ipſe Rex ſive alius Feudi Dominus: *facto* eſt ille, cui Dominus cuſtodiam hæredis ſui conceſſit. Covvell. *d. loc. l. 1. tit. 17. §. 7.*

Num. 10.

(19) *Et Scotiæ &c.*] Author deſcriptionis Reipublicæ Scotiæ *pag. 127.* narrat, Malcolmum ſive Milcolumbum II. Kemethi filium, (cujus mentio jamjam ſuprà facta eſt.) omnes agros regios Nobilitati diviſiſſe. Nobilitatem contrà Regi conceſſiſſe, ut cùm eorum aliquis moreretur, liberi ad XXI. ætatis annum in tutela Regia eſſent; Rexq; proventus omnes, præterquam qui in educationem liberorum impenderentur, acciperet. Præterea ut puberum in matrimonium collocandorum poteſtas penes illum eſſet, ad eumque dos rediret.

(20) *Infidelibus &c.*] Jam verò longè antè Dionyſius Siciliæ Tyrannus Familiarum, quæcunq; parentibus orbæ eſſent, pecunias apud ſeſe eſcribi juſſit, & teſte Ariſtotele *l. 2. Oeconom. Tom. 3. Op. p. m. 689.* illis uſus eſt, donec populi in ſuam tutelam vel adultiorem veniſſent ætatem.

(21) *Nullo in uſu habeantur &c.*] Fatendum equidem ab aliis Principibus ſummis Jus hoc in pupillorum bona haud exerceri, quin tamen veſtigia ejuſdem apud alias Gentes reperiantur, nemo facilè morum exterorum gnarus negabit. Sic enim apud Aurelianenſes exſtat lex vel potiùs conſuetudo, vigore cujus Nobilium tutores legitimi faciunt fructus omnes mobilium & immobilium pupilli ſuos, ſic tamē ut pupillos alant, eosq; alieno ære liberent, nec non illorum prædia colant indemniaq; ſervent. Prout Pyrrhus Englebermeus *ad Conſuet. Aurelianas Tit. de Feud. c. 29 fol. 102. b.* notat. Et conſimilis conſuetudo apud Bituricenſes (*Boer. in Conſuet. Bitur. tit. de conſuet. Jur. Stat. perſon. §. XI. p. 10. b.*) Burgundos (*Chaſſanæus in Conſ. Burg. rubr. 6. §. 4. verbo, & faict la dicte femme &c. & verbo Balliſtæ.* ut & Iſtrianos Italiæ populos. (*Caſtrenſis Conſil. 374. l. 2.*) Sic & in Luſitaniæ & Caſtellæ Regno, in illo vigeſimam, in hoc decimam redituum pupillarium partem ſuam facere Tutores, præter alios Molina *de J. & J. Tom. 1. parte 2. diſp. 224. n. 44.* Author eſt. Adde de his & aliis conſuetudinibus atteſtantem Thomam Schrötern *Inſtit. Tut. & Curat. parte 3. quæſt. 22. pag. 377. ſeqq. multis.*

(22) *Gravamina & Incommoda &c.*] Hæc gravamina ſæpius in Comitiis quoq; Regni agitata, & Anno quoq; MDCIX. inter alias querelas hanc jactatam fuiſſe de miſeriis Nobilium puerorum, mortuis Parentibus, ad viceſimum primum usque annum; Illuſtribus familiis, ad interitum Tutelæ ſpecie redactis, reſpondiſſe verò dum Sarisburienſem, penes quē pupillorum eâ tempeſtate cuſtodia; Regem Tutelis Adoleſcentium Nobilium carere non poſſe; nec Tutelas eſſe inutiles Nobilitati; benè merenti plerumq; dari ſuetas, notat Jonhſtonus *Rer. Britan. Hiſt. l. 14. p. 458.* junge Smith. *de Republ. Anglic. lib. 3. c. 5. p. 148.*

Num. 14.

(23) *Relevium &c.*] Relevii nomen hinc fluxiſſe veteres dixerunt, quia hæreditas, quæ jacens fuit, per anteceſſoris deceſſum relevatur in manus hæredis, & propter factam relevationem, facienda erit ab hærede quædam præſtatio, quæ dicitur Relevium. Covvell. *Inſtit. Juris Angl. lib. 2. tit. 3. §. 17. 18. 19.*

Num. 18.

(24) *Elanis &c.*] Hoc vellus verè aureum eſt, in quo potiſſimùm Inſulanorum divitiæ conſiſtunt: nam magna vis auri atq; argenti copia à negotiatoribus ejusmodi inprimis coëmendæ mercis gratiâ, in Inſulam quotannis undiq; apportatur, ibiq; perpetuò manet, quia aliò terrarū referre omnibus lege vetitum eſt; unde fit, ut opes majores nusquam gentium ſint, inquit Polydorus Vergilius *Angl. Hiſt. l. 1.* Recenſetq; Cambdenus *Annal. Angl. A. 1564.* ſuo tempore pannos Anglicos ſolos Antverpiā quotannis exportatos V. millionibus aureorum fuiſſe æſtimatos. *Et alibi*: Inde ab Eduardi III. temporibus juxta Nevvenden in Cantio laneficii ſive rei pannariæ laudem inprimis floruiſſe. Hunc enim propoſitis præmiis, & plurimis conceſſis immunitatibus Belgas in Angliam anno regni ſui decimo evocaſſe, qui Anglos artem illam panni lanei contexendi edocerent, hancq; inter Reipublicæ columina meritò numerari. Porrò ſtatuta & curam Regni Angliæ circa rem pannariam expreſſam videre licet apud Dn. Marquard. *de J. Mercatorum in parte poſter. lit. P.*

Num. 19.

(25) *Certa proportione &c.*] Alii enim ſex, alii quatuor, alii terni, alii deniq; bini pro uno panno, ut Author dixerat ex de Laet, ſumuntur.

(26) *Kingſtonium &c.*] Kingſton *up on Hull, ſed vulgò Hull*, paucos antequam Britanniam deſcriberet Cambdenus (*teſte eo d. loc. p. 579.*) annos, tempore nimirum Richardi II. Ex viculo, & piſcatorum caſulis in eam dignitatem emerſit, ut magnificis ædificiis, firmis propugnaculis, navibus inſtructiſſimis, mercatorum copiâ, & rerum omnium affluentiâ fuerit emporium Eboracenſis tractûs longè celeberrimum. Quæ omnia accepta ferunt Cives partim Michaëli De-la-Pole, qui privilegia huic impetravit, cùm illum è mercatore Hullenſi ad Comitis Suffolcienſis dignitatem Richardus II. evexiſſet, partim quæſtuoſæ mercaturæ ex Islandiæ piſcibus induratis (*Stockfish vocant*) è quibus divitias congeſſerunt maximas.

(27) *Halecum Piſcatus &c.*] Piſcem quem Germani Haring vel Hering appellant, recentiores Ichthyologi, penuriâ Græci ac Latini vocabuli, vocant Haringum vel Heringum, aut Harengem & Herengum, voce à Germanica derivatâ. Iſidorus tamē, Albertus, noſtriq; Germani, qui latinè loquuntur, communiter nuncupant nunc Halecem, tametſi vocabulum Halex piſciculum longè ignobiliorem, quàm Harengus eſt, ſignificet. (*Caſpar Schottus Phyſ. Curioſæ l. 10. c. 19.*) Cambdenus *in Brit. deſcript. Norfolciæ p. 376.* Heringos à doctis Chalcides & Leucomænidas appellari author eſt. Haleces verò hæ, adnotante dicto Cambdeno *p. 584.* Britanniam non ſine divino conſilio, numeroſis examinibus quotannis circumnatant. Circa Solſtitium æſtivum ex alto littora Scotiæ petunt; quo tempore pinguiores ſunt, ſtatim divenduntur; inde Anglica littora adeunt, & ab Auguſto medio ad Novembrem optima & uberrima eſt eorum captura à Scarborrough usq; ad Tameſis oſtium. Poſtea aliquâ vehementiori procellâ in Britannicum mare deferuntur, & in eo ad Chriſti usq; Natalitia ſe piſcantibus offerunt; hinc Hiberniam, utrinque pernatantes in Septentrionalem Oceanum, circumnavigatâ Britanniâ, ſe transferunt, & ad Junium quaſi ſubſiſtunt. Quod ſi maturiùs fortè (*in Angliæ Oceanum*) adventare incipiat frigus, inquit Ludovic. Guicciardinus *in Belgicæ deſcript. part. 1. p. 39.* tempeſtiviùs quoq; haleces præſtò ſunt, & quidem longè majori, quàm ſi æſtus ſit, abundantiâ. Unde fit veriſimile, eas glacialem illum & rigidum nimis Oceanum fugere, & tepidiores aliquas aquas appetere. adeoq; ex calido frigidoq; cœli temperamento, judicari

 ſolet

ſolet de bona vel ſequiore halecum captura, tum & tempeſtiviúsne an tardiùs adfuturæ ſint. Adnatant ergò, ut dictum, inſtante autumno, & ſemen in clementiore hoc mari ſpargunt usq; ad Chriſti Servatoris natalem. Tradit. Is Pontanus *Hiſt. Dan. l. 6. & diſcuſſ. hiſt. l. 1. c. 18.* Halecum capturam abundantiſſimam, circa Rugiam Inſulam olim celebrem, poſtea apud Scanienſes increbuiſſe: hinc ad Norvegos, ab his ad Scotiæ Angliæq; oras migraſſe. Sic Divina Prudentia beneficia ſua de gente in gentem circumferre ſolet! Mirum deniq; eſt, quod retulit Hubertus Languetus, vir doctus & fide dignus, Georgio Fabricio apud Geſnerum *l. 4. de Aquatilibus p. 437.* de Terra Sancta, Oceani Germanici Inſula., nimirum circa Annum Virginei partus MDXXX. ex captura Heringorum bis mille homines vitam ſuſtinuiſſe: & cùm aliquando per petulantiam Heringum virgis cædiſſent, adeò imminutos illos fuiſſe piſces, ut, cùm illud ſcirbebat (annis XXIV. pòſt) vix centum homines ex illo quæſtu viverent. Mirũ & hoc: cùm quidam à vidua, quæ jus piſcandi habebat, jactum unum trecentis florenis emiſſet, ſperans ſe plurimùm lucraturum, quoniam plerumque ingens eorum copia pariter irretiretur; eo jactu non niſi tres cœpit. Uno ergo prandio trecentos florenos abſumere poterat, nec famem ſedare. Schottus *loco ſuprà citato.*

Num. 26.

(28) *Adſcripſitq; Fiſco Abbatias &c.*] Jacobus verò Rex circa Annum MCCVIII. in primis Regni Comitiis, antiquato ſceptri privilegio in Prædia Eccleſiaſtica, ſtatuit, ne quid ſibi, ſuprà vulgus, in Sacrum Patrimonium liceret; & genus illud lucri è manibus Aulicorum eripuit; miniſtris reginæ poſſeſſione pulſis. Nunquam, ex quo gubernacula regni ſuſcepit, Eccleſiarum cenſus, vacante ſede in Fiſcum per Procuratorem, referri paſſus eſt; ſed velut Fide-Commiſſarius, Præſulibus ſuffectis, in defunctorum locum, intactos reliquit; ceſſitq; Jure ſuo, ut illis agrorum ſpatiis diteſcerent; idq; cum inſigni Proventuum Regiorum damno. Jonhſtonus *Rer. Brit. Hiſtor. lib. 14. pag. 446.*

Num. 30.

(29) *Parlamentum &c.*] Parlamenti vocem & a'ud Italos, & Gallos, & Anglos in uſu eſſe, linguae morumq; Gentium harum gnari norunt. Sed à quolibet diverſimodè uſurpari in propatulo quoq; eſt. Ita Italis Parlamentum eſt, publica congregatio, collocutio, conciliũ. *Quo in ſignificatu ſumitur in c. decet 2. de immun. Eccleſ. in 6. ibi: Ceſſent in locis illis (ſcil. Eccleſiis) univerſitatum & ſocietatum quarumlibet concilia, conciones & publica parlamenta.* Apud Gallos Parlamentum ſupremorum Judicum collegia ſive ſupremas Juſtitiæ Curias ſignificat. quarum hodie IX. numerantur; Nempe Parlamentum Pariſienſe, Tholoſanum, Rhotomagenſe, Gratianopolitanum, Burdegalenſe, Divionenſe, Aquenſe, Rodonenſe, Bearnenſe, quod Pavii eſt. *(De quorum ſingulorũ inſtitutione ac Jurisdictione Limnæus Not. Franc. l. 7. c. 4. & ſeqq. Gotofredus in Archont. Coſm. in deſcript. Galliæ. Beſogne en Eſtat de la France d' A.* 1669. *vol. 2. part. 3. &c. videantur)* Britanni verò Parliamentum vocant Solemnes Regni conventus, ſeu ſuprema Regni concilia, in quibus de ſummis Pacis belliq; negotiis, à Clero, Nobilibus, Popularibus in domo ut vocant ſuperiore atq; inferiore congregatis conſultatur & decernitur. Inſtitutionem autem Parliamenti Henrico I. Angliæ Regi adſcribit Polyd. Vergilius *Angl. Hiſt. l. XI. p 245.* his verbis: Henricus cùm domi foriſq; vacaret à rebus bellicis, converſus hinc ad confirmandum Regni ſtatum, tam Sacerdotum quàm reliqui populi Principes Sariſberiam convocavit. Hîc habito Concilio, quod è Republica eſſet, maturè proviſum. *&p.p.* At illud appoſitè dicere habeo, Reges ante hæc tempora non conſueviſſe populi conventum conſultandi cauſâ, niſi perrarò facere, adeò ut ab Henrico id inſtitutum jure manaſſe dici poſſit, quod tã altis defixum, uti etiã nunc, radicibus ſtetit, ut deinceps quicquid ad Rempubl. benè gerendã ejusq; conſervationẽ deliberandũ foret, illud ad Conciliũ ferretur: & ſi quid aut Regis aut populi juſſu decretum factumq; eſſet, id totum pro nihilo haberetur, niſi ejusmodi concilii authoritate foret comprobatum; ac ne imperitæ vulgi multitudinis (cujus proprium eſt, nihil ſapere,) judicio Conſilium impediretur, certâ lege exceptum fuit à principio, qui ex Sacerdotum cœtu, quive quótve ex reliquo populo vocari deberent ad Concilium. More Gallico vulgò Parliamentum appellant, quod unusquisque Rex initio ſui principatûs habere ſolet, ut, ubi ſi quid ex antiquis inſtitutis legibusq; tollendum, ac rurſus condendum ſit, id de Concilii ſententia fiat: qui & deinde, quoties res poſtulat, ſuo arbitratu illud ipſũ convocat. Modus autem conſultandi eſt ejusmodi: Cùm enim de Principum pariter atq; cæteri populi commodo in concilio agetur, ut æqua unicuique loquendi poteſtas fiat, alteri ab alteris disjuncti conſulunt: Nam Rex, Pontifices, Principes, & Abbates in unum conveniunt locum, ibiq; conſident: & procuratores Civium populiq; in alterum proximum, ubi de rebus agandis inter ſe diſputant. Iſti ex ſe unum virum gravem optant, quem Prolocutorem vocant, is proponit res agitandas, rogat ſingulorum ſententias, de iis quæ decreta ſtatutaq; ſunt, ad Principes refert: etenim nihil ratum habetur, niſi quod major pars utriusq; conſeſſûs ſenſerit, idque Rex comprobarit, qui idcirco poſtremus omnium ſententiam rogatur à Cancellario Regni, qui apud Principes Prolocutor eſt. Hanc formam vel Epiſcopi habent in ſuo conventu, quippe illi, Abbates, Priores, i. e. monachorum Præpoſiti, unà conſident, alibi verò Decani, quos dicunt Archidiaconi, ac reliqui Sacerdotum cœtus Procuratores ſe congregant, quorum Prolocutor de rebus actis Patres docet, apud quos Archiepiſcopus ex ſententia majoris utriusq; partis eas definit, Legesq; ſimul facit. Ex iſtiusmodi igitur Regum populiq; Decretis authoritate Concilii ſancitis, jus conſtat proprium Gentis ac municipale, quod vocant, caputq; legum omnium, quando illa Jus aliud, quod Civile dicunt, non admittunt. De Parliamento Angliæ plura qui ſcire avte, volvat Smithium *de Republ. Angl. l. 2. c. 2.*

Num. 34.

(30) *Clerici autem &c.*] Sacrum Clericorum Ordinem tributorum exactionibus minimè ſubjiciendum eſſe, multi, & ii præcipuè, quorum res agitur, contendunt. Sed ut Clericos à perſonalibus, quæ vocant, muneribus obeundis, cùm Sacerdotalis dignitas, tum occupationes Sacræ liberant: ſic à patrimonialibus ordinariis eximendos eſſe minimè, vel inde conſtare poteſt, quia pars Reipublicæ ac ſubditi ſunt. Atqui tributum, ſubjectionis habetur ſignum. Unde D. Paulus *Rom. XVIII. v. 61.* omnes fideles & proinde Clericos etiam terrenæ poteſtati ſubjectos eſſe probaturus, *ideo & tributum*, ait, *præſtatis.* Et ſanè perabſurdum fuerit, pro membro Reipublicæ ſe venditare in favorabilibus: in iis autem, quæ ad conſervandam Rempublicam contribui debent, extranei locum velle ſubire: nec ferendum eſt, ut, qui lucrum amplectitur, onus ſubire recuſet. Adde, quod Servator noſter Chriſtus ipſe didrachmam perſolvit, *Matthæi XVII. v. ult.* Nec Gentilium Sacerdotes tributorum immunes legimus apud Livium *XXXIII. 28. 3.*

Num

Num. 36.

(31) *A Comitiis Parlamentariis indulgetur &c.*] Nec enim hæc nec illa taxatio unquam imponitur, niſi ex Ordinum Conſenſu in Parliamento. Cambdenus *in Hiſt. Elizabethæ R. pag. 96.*

Num. 38.

(32) *Licentiam prædas faciendi &c.*] De hac materia infrà ad hujus libri *I. cap. 14. n. 21.* quædam dicere differimus.

Num. 40.

(33) *Sæpe manet damnum &c.*] Nam in bello plerumq; non melior, nec fortior, ſed tantùm felicior vincit, & plerumq; ſimilior victo eſt, qui vicit. Quis enim, quæſo te, unquam bello victor extitit, ſine aliqua aut ſua clade, aut ſuorum?

Num. 41.

(34) *Bona rebellium &c.*] Communiter quidem totus mundus (ſic cenſente Julio Claro *recept. ſent. lib. 5. §. fin. Quæſt. 78.*) ſervat, quòd bona non confiſcantur in aliquo caſu, excepto crimine Hæreſeos & læſæ Majeſtatis, niſi ex diſpoſitione ſtatuti vel conſuetudinis aliter caveatur. In Anglia tamen vigere Conſuetudinem, ut omnium, ob quodcunq; Scelus damnatorum, bona fiſco applicentur, Arniſæus *lib. 3. de J. Majeſt. cap. 6.* contendit.

Num. 42.

(35) *Sunt enim & alii &c.*] Sic Cominæo *Commemor. Rer. geſt. l. 4. c. 1. p. m. 219.* authore, erat & ad colligendam pecuniam Angliæ Regum inventum, ut ſimularent profectionem in Scotos & Gallos (ob quam cauſam ad contribuendum populus facilè inducebatur) colligere interea militem, quem intra tertium ferè menſem dimitterent, in annum integrum ſtipendio à ſubditis collato, cujus doli Eduardus quidem pereruditus erat & ſæpius eo uſus.

(36) *Ex tabernis Tabaccanis &c.*] Dracus cum ſociis reduces Indicam illam plantam, quam Tabaccam vocant, & Nicotiam, quâ contra cruditates ab Indis edocti, uſi erant, in Angliam primi, quod ſciam, intulerunt. Ex illo ſanè tempore uſu cœpit eſſe creberrimo, & magno pretio, dum quamplurimi graveolenté illius fumum, alii laſcivienter, alii valetudini conſulentes, per tubulum teſtaceum inexplebili aviditate paſſim hauriunt, & mox è naribus (*ore*) efflant, adeò ut Tabernæ Tabaccanæ, non minùs quàm cerviſiariæ & vinariæ paſſim per oppida habeantur. Cambdenus *Annal. Angl. A. 1585. p. 409.* Attamen olim Sereniſſimum Angliæ Regem Jacobum VI. publicè in Academia Oxonienſi diſputaſſe contra hanc fatuitatem (*ſcilicet alternis fumum potare cicutis*) oſtenſis exemplis illorum, qui laboraſſent diu inſanabilibus pectoris morbis, deliriis, inſaniis, convulſionibus. Poſt mortem autem inventi fuerint pulmones habuiſſe totos nigros & retorridos, non ſecus ac ſi fumo indurati eſſent, ex Hoffmanno refert D. Jacobus Tappius *in Orat. de Tabacco ejusq; hodierno abuſu.*

(37) *Argenti uncias MDC. &c.*] Ut teſtatur Iſaacus Wake *in Rege Platonico.*

Num. 48.

(38) *Scotiæ Regnum &c.*] Vide Lanſium *in Orat. contra Britann. p. 412. ex quo hic §. 43. deſumptus*, ubi Authores horum aſſertorum bona fide allegat, qui tamen alibi *in Orat. pro ea*, in laudes Scotiæ, ut hîc in vituperium, haud parcus exiſtit.

(39) *Etiam Lupi &c.*] Carnivoras illas beſtias lupos omnes ex tota Anglia ſic extirpatos hodie eſſe, ut jam non minùs peregrini in Anglia nunc ſint, quàm Leo aut Elephas, nemo ferè erit, qui ignorat. Ii verò vel tunc deleti erant per univerſam illam regionem, poſtquam Edgarus WeſtSaxo Ludovallo Wallorum regulo trecenos lupos in ſingulos annos tributi nomine, quo genus tam malefici animalis & gregibus ovium valdè pernicioſi, quod tunc in ea Inſulæ parte plurimum abundabat, prorſus deleretur, imperaſſet; quod Polydorus Vergilius *Angl. Hiſtor. lib. 6. pag. 152.* & Cambdenus *in deſcript. Britanniæ pag. 536.* aſſerunt: Vel ut ex ore Philippi Sydnei Vice Regis tunc temporis Hiberniæ filii Sereniſſimæ Angliæ Reginæ Elizabethæ Anno MDLXXVI. ad Rudolphum Imperatorem Romano-Germanicum Legatum ſeſe audiviſſe, refert Philippus Camerarius *horar. ſubciſiv. c. 21.* accidit, ut tandem omne Lupinum genus penitus & radicitus interficeretur & evelleretur, cùm decretum ſuperioribus ſeculis factum fuiſſet, ut ii, qui aliquod delictum non doloſum commiſiſſent, & tale eſſet, ut mortis pœnâ aliquâ ex parte mitigari jure poſſet, hoc modo plecteretur, ut tamdiu extorres & infames eſſent, donec aliquot capita vel linguas luporum à ſe interfectorum, quorum numerus pro modo delicti, ex arbitrio Judicis, major vel minor imponebatur, afferrent, & hoc pacto veluti noxam ſolverent, & ſeſe expiarent. Quod tam diu aliquot ſeculis duraverat, ut creſcente improbitate hominum, & multitudine delinquentium, ſontes continuè tam exquiſitè lupos & catulos rimati fuarint, ut quum lupicidarum plures eſſent, quàm ferarum, quæ indagabantur, ii univerſi ex latebris & antris remotiſſimis extracti & interfecti ſint.

(40) *Scotis in Scotos &c.*] Scilicet poſtquam ſcintilla civilis motûs in Anglia emicans Anno MDCXXXIX. paulò pòſt in apertas flammas fatalis quaſi Anglos inter atque Scotos belli exurgit, Staffortio Pro-Rege HiberniæA. MDCXLI. ſupplicio affecto inarſit, affectatâ contra vetera inſtituta Parliamenti Impotentiâ innutrita; Harum Flammarum vi Britanniæ circumcirca correptæ adeò nemo Britannorum opem proficuam tulit, ut potitiùs illum, qui unicè aquam infundere conabatur, Pientiſſimum Carolum Magnæ Britanniæ Regem inaudito per Univerſum exemplo ſubditi fugarent, Scoti Parliamentariis publicæ quietis hoſtibus Anglis in manus traderent, à quibus ille in Jus vocatus publico in pegmate Anno MDCXLIX. die Martis XXX. Januarii ſecuri percuſſus innocenti ſanguine Innocentiam ſuam teſtatus, Regnis ſuis ſubtractus fuit, florentiſſimi ante has turbas Regiminis, Olivero Cromvvello primùm ſub titulo Protectoris commiſſis habenis, quas usque ad Annum MDCLVIII. diem III. Septembris (*eodem ſcil. quo antea bis Scotos diviceraт, nunc obiit, die*) regens, filium Mylord Richardum Cromvvellium ſucceſſorem habuit, qui tamdiu præfuit usque dum legitimus Regni hęres defuncti Caroli filius hujus nominis Secundus Anno MDCXXX. die XXIX. Maii natus, ex Anglia proſcriptus, Hollandiâ pulſus, Coloniæ Agrippinæ aliquamdiu commoratus, Bredæq; ſpem redeundi in Regna avita nactus & in illa confirmatus, Hagæ Comitum magnificè acceptus, operâ potiſſimùm Georgii Monckei tum Prætoris Scotiæ, pòſt Albemarlæ Ducis honore clari, menſe Majo Anno MDCLX. Londini non metu, non ſanguinis effuſione, ſed ſtatu pacato, amore gentilium, Parliamenti auſpiciis, ſedibus ſuis reſtitutus, regna, quibus injuſtè exutus erat, punitis reis regere occepit & adhuc pergit. Sic ut hodie, dum ad ſanos mores rediêre, Britones fateantur ipſi, ſe non, quemadmodum antea perhibebant, Tyrannum, ſed Regum hominumq; optimum peremiſſe, libertatemq;, dum eam quærere annisi fuerint, verè amiſiſſe. Quod ipſum Inſcriptio ſupra Imaginem inter cæteras Icones

Regias

Regias in ſuprema Inſulæ Curia, ſive domo Parliamenti, quæ Londini eſt (& vulgò *Weſtmünſter* vocatur) poſitam teſtatur. Cùm loco veteris, occiſo Carolo I. ſupraſcriptæ Epigraphes: EXIT TYRANNUS, REGUM ANGLIÆ ULTIMUS d. JANUARII XXX. A. MDCXLIX. hodie hæc legatur mutatis animis mutata Tabula: ECCE, EXIT NON TYRANNUS; SED REGUM HOMINUMQUE OPTIMUS, ANNO LIBERTATIS ANGLIÆ AMISSÆ PRIMO, Januarii XXX. A. MDCXLIX. Quæ omnia latiùs deducuntur, in ſcriptis Salmaſii & quæ hîc oppoſita & iterum refutata extant aliisque tunc temporis maximè prodeuntibus, à Bateo *de motibus Anglicanis*, Theatro Tragico Londini celebrato; en la voyage & ſejour que le &c Charle II. Roy de Grand Braitagne à fiat en Hollande, Chamberlayne *en l' Eſtat præſent de l' ab Angleterre chap. VIII.* & pluribus tunc ſcripturientibus, nec non hiſtoricis modernis. Ex quibus Bateus Carolum I. Regis Britanniarum Characterem *parte I. p. 163. ſeq.* his verbis depingit: Princeps ſanè erat inter Optimos omnis retrò ævi Principes numerandus: magnâ ingenii vi, majoribus morum dotibus; omnium ſuffragiis (vel inimiciſſimorum) dignus Imperio, ſi non imperaſſet: qui omnium confeſſione illud magnum præſtitit, quòd Idem ubiq; fuerit, quòd eundem Virtutis & morum tenorem, eundem vultum tenere in diverſiſſimis (quas expertus eſt) fortunis noſſet; quaſi è torrida in frigidam transmigraret Zonam, nil ad quicquam mutato Pectoris temperamento. Qui vel invitis placuit, & quaſi incantamento quodam multorum odia lenivit, Hoſtes in amicitiam conciliavit, Convitia in laudes convertit. Qui tantâ Prudentiâ tot heroicis planè virtutibus præpolluit, ut clariùs per opprobria & calumnias emicuerit. Qué mentis inopé finxerant hoſtes, experti ſunt non Politicis modò, ſed & Theologis ſelectiſſimis parem, ſi non & ſuperiorem: Quem timidum & ad omnia facilem fluxæ fidei & muliebris inconſtantiæ infamarant, eundem in præliis milite promptiorem, minis, probris, periculis interritum, carcere & morte ſenſerunt inconcuſſum: Quem Pontificium affirmarant, Reformatam Apoſtolicam Religionem ſcriptis viderunt nervoſè confirmantem, nec fuſo tantùm atramento, ſed & ſanguine vindicanté. Qui eū ut ſanguinarium & ſævum proſciderant, ad eam calumniandi licentiam ſolâ Regis Clementiâ perducti proceſſerunt, ad quam facilem nimis receptum ſibi promiſerant Rebelles, donec ultra veniæ metas aſpirante fortunâ evecti, mallent tantæ Clementiæ Principi veniam negare, quàm eandem ab eo jam exarmato petere. Cui ſi revera quid objici poteſt, næ illud fuerit non eximii Principis vitium aliquod, ſed corruptiſſimi ſeculi, & alieni temporis, intempeſtiva quædam & noxia virtus, nimia ſcilicet apud ſævos Lenitas, apud prava ingenia Candor, rigidumq; Honeſtum vix Regibus conceſſum, a Verecundia ſuis diffiſa viribus, animusq; tantopere à Faſtu alienus ut minùs ſibi tribuerit in optimis conſultis, quàm aliis in minùs bonis, quaſi inimicorum de ſe convitiis crederet. Magnum vivendi, majus moriendi exemplum; quem eâdem quâ, Virtus ipſa ſorte, indignis modis habitum

--- --- *Incolumem odimus,*
Sublatum ex oculis quærimus invidi.

Hucusq; Bateus.

(41) *Bene tamen quòd innocens &c.*] Vide Syllogen variorum Tractatuum, quibus Caroli Magnæ Britanniæ &c. Regis innocentia illuſtratur &c. Anno 1649. impreſſam.

(42) *Damnandi ſubjectis Jus ullum eſt &c.*] Munus enim Regum maximè ſuperiorem non recognoſcentium ſemper divinum eſt; neq; Regis, cùm regnat, alia eſt quàm divina occupatio: ſed cum muneris formulam egreditur, cùm regnum in dominationem vertit, vim facit auſpicio, quod accepit, & violat primus Sanctitatem, quæ apud omnes eſſe inviolabilis debebat. Non tamen propterea in tantum ſequeſtranda eſt muneris ipſius veneratio, ut ſtatim contemni aut impugnari poſſit, qui indignis munere moribus utitur. Quæ enim alia promptior ad ſeditiones via eſſet? Multa hîc ſibi Deus reſervat: qui ſuam ordinationem, ut cum ſacris literis loquamur, in qualicunq; Rege, dummodo Rex ſit, vult honorari; neque vindictam ſibi ſoli reſervatam privatis attrectari manibus patitur. Quæ quæſtio toties periculoſè agitata, (*Vide Thuanum lib. 53. & 57.*) utinam moderatioribus animis, ac rationibus definita eſſet. Præter enim Regna, quæ Jus Imperii cum Ordinibus participant, in cæteris aſtrictiora obſequii vincula & ſanctiora ſunt, quàm ut ſolvi argutiis, aut ferro rumpi debeant. Quo nomine commendari meretur Hugonis Grotii prudentia, qui (*de J. B. & P. lib. 1. cap. 3.*) in tempore ſanè, & graviter compeſcuit nimiam in hoc argumento philoſophandi libidinem: quæ ſæpius affectibus & cauſæ ſuæ, quàm publicæ tranquillitati ſervit. Non ſum ex iis, qui Tyrannidis excuſationes adornare, inter artes obſequii numerant: & ſcio exempla evenire, ac evenire poſſe, quæ communibus concludi regulis nequeant: ſed cavendum religioſè eſt, ne quis ultra peram ſapiat. Sic Europæ Ornamentum moderatè diſſerit, Dn. Bœclerus *de Auſpicio Regio c. 2. n. 13. ſeqq.* dixi & ego pauca quædam ad Politicum Sceleratum *ad præfat. p. 9. & 10.* & in Diſput. Academ. de Majeſt. θ. *31. 32.* Plura vide apud Forſtnerum *in Not. Polit. ad Tacitum 1. Ann. 8. n. 7.* Arniſæum *Relect. Polit. p. 721. n. 21. ſeqq.* Berneggerum *in Quæſt. Polit. ad Tac. Germ. & Agric. quæſt. 191.* Naaman Benſen *diſp. de ſumm. poteſtatis ſubjecto* θ. *53. 54.* Wilhelm. Barclaium *de regno & regali poteſtate, adverſus Buchananum, Brutum, Boucherium & reliquos Monarchomachos*; In ſpecie verò de Angliæ Regibus apud Salmaſium *in defenſ. Regia*, & Henricum Kemmighauſen *in Examine Anglicano*, cæterosq; hujus Regiæ cauſæ Patronos. Interim ſic cenſerem cum Tacito, ferenda Regum ingenia (*12. Annal. 11. n. 3.*) Bonosq; Principes voto expetendos, (*4. Hiſt. 8. n. 3.*) qualescunque non ſecus ac ſterilitatem, aut nimos imbres, & cætera naturæ mala tolerandos. Cùm Spiritu Sancto Teſte (*ad Rom. 13. v. 12.*) non ſit poteſtas niſi à Deo, quæ autem ſunt, à Deo ordinatæ ſint. Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirant. Dictis junge Theod. Grasvvinckel *de Jure Majeſtatis cap. 9. per totum.*

CAPUT IX.

De Ærario, Divitiis & Viribus Regis Sueciæ.

SUMMARIA.

1. Regnum Sueciæ *valdè antiquum.*
2. Sueci & Gothi, *item* Hunni, Poloni, Dani. &c. *quare à* Scythis *orti dicantur?*
3. Suecia *olim, quàm nunc, multò populoſior.*
4. Gothi & Sueci *inſtar apum in diverſas Orbis partes progreſſi; etiam Italiam, reginam gentium, invaſerunt*, num. 5.
6. *Gothia & Suecia* Vagina & Officina populorum.
7. *Quinam* populi *ab hisce exiverint*; Italiæ, Africæ, Galliæ, Britanniæ &c. *domitores*, num. 8. *Imperii majeſtatem labefactarunt*, n. 9.
10. Aſtronomi *quidam* quotuor Monarchias, *non ſecundùm prædominium, ſed ſecundùm cardines mundi ſtatuunt: idq́ ex ſpeculo Mundi evincere conantur*, n. 11.
12. Reditus *Regni Sueciæ ordinarii.*
13. *Primum genus Vectigalium Regni Sueciæ ſunt* Fodinæ, *unde ferrum, cuprum, plumbum, imò & argentum habetur, & pauxillum auri.*
14. *Hisce ſuperat ferè alias Europæ regiones.*
15. Metallifodinas *fortè repertas* Ruſtici *ſummo ſtudio occulunt.*
16. Minerarum *aliquæ publico Regis, aliquæ privato ſumptu effodiuntur.*
17. *Quantam inde ſummam* Rex *conficiat.*
18. Thaleri *Suecici.*
19. *Quantum ex* Cupro & Æro *Rex percipiat.*
20. *Hinc armantur* Naves, *& magnus eſt numerus* tormentorum *bellicorum.*
21. *In* Arce Stockholmienſi 400. *tormenta majora numerantur.*
22. Salis *mica ex terris extractæ.*
23. *Alterum genus Vectigalium eſt ex* frugibus & teloniis. *Hæc ad novem vel decem milliones putantur aſcendere*, n. 24.
25. Piſcium *in Suecia ingens varietas & copia.*
26. Gothiæ *ubertas*, Finlandiæ *amœnitas*, n. 27. Bothniæ *feracitas*, n. 28.
29. *De* Vectigalibus *Regni conſtitutum eſt Anno* 1602. *in* Comitiis Stockholmienſibus. *& Anno* 1604. *in* Norcopienſibus, num. 31.
30. *De fraude in* teloniis *præcavendâ.*
32. *Pro* centum thalerorum mercibus *ſolvendi decem ſolidi thaleri.*
33. *Præcipui Sueciæ* portus *ſunt* Colmariæ, Lodhuſii, &c.
34. Vectigal pellium *creſcit & decreſcit.*
35. *A* Lapponum *populis plurimæ pelles, & accuratè colliguntur, earumq́ uſus.*
36. *Aliqui in* Regno *pendunt quotannis certum argenti modum, puta quinque, ſex, &c. thaleros.*
37. *Tertium genus Vectigalium ſunt arbitrariæ* Contributiones. Modus *eas poſtulandi & moderationum*, n. 38.
39. Nobiles, *eorumq́ ſubditi vix contribuunt, niſi ſumma exigat neceſſitas.*
40. Ruſtici *juxta æs & libram ſive pro modo facultatum contribuunt.*
41. Subditi *collectantur pro Dote regiarum filiarum.*
42. Tributum *de ſingulis jumentorum capitibus quale conſtitutum.*
43. *De* agris *ac* ſemente *pendendum.*
44. Tributo *huic exigendo termini ſunt Feſta Michaëlis & Philippi Jacobiq́.*
45. Tributum Molarum.
46. *Quantum reponat in ſuum* theſaurum *Rex annuè.*
47. Proventus regii *poſſent amplificari, ſi ea eſſet in Suecia artificum ad publica commoda promovenda ſolertium multitudo, quæ in aliis regnis.*
48. *Quartum genus redituum conſiſtit in* bonis Eccleſiaſticis.
49. *De* Quæſtoribus *& Miniſtris* Ærarii *ſive Fiſci, hoc &* n 50. 51. 52. 53.
54. Fortalitia *& propugnacula in hoc Regno recenſentur, &* n. 55. 56. 57. 58. 59.
60. *Optimum* munimentorum *genus, quæ in hoſtico exſtructa, noſtri tamen juris ſunt & dominii: &* n. 61. 62.
63. Seriem Regum Sueciæ *qui pertexant.*
64. *Quomodò* Carolus IX. *Sudermanniæ Dux ad Regnum pervenerit.*
65. *De Rege* Guſtapho Adolpho, *Uxore, & regiâ Prole. Præſertim adhuc ſuperſtite* Chriſtinâ, num. 66.
67. *Hæc declarata* Hæres Regni *in Comitiis Stockholmienſibus.*
68. Militia Suecorum *hodiè ad meliores leges revocata & compoſita.*

Proventus ex Eccleſiaſticis bonis
Largus, fodinis è metalli largior,
Porrò è tributis atque vectigalibus,
Decimisque frumenti, atque de portoriis
Ærario Regis Sueciæ adfluit;
Hodieque Mars genti luctuoſus exſtitit.

Regnum Sueciæ eſt valdè antiquum. 1
Nam continuâ ſerie, adnotato charactere temporis, *deducitur à Magog* (1) nepote Noachi ex Japheto, qui primus cum familiâ Sueciam Gothiamque occupavit anno 2
Mundi MDCCXL. octogeſimo octavo poſt diluvium. Bert. *in German.* Quòd verò Gothi & *Sueci* (2) item Hunni, Poloni, Dani & alii à Scythis orti dicuntur, cauſa hæc eſt, quòd à Magog orti ſunt Scythæ & Gothi. Et Scythæ quidem manſerunt in Scythia, Gothi verò inde progreſſi occuparunt Sueciam, & poſtea aliqui redierunt in Scythiam parvam. Reliqui omnes ex Scythia in proprias ſedes progreſſi ſunt.

Fuit autem Suecia olim, (3) quàm nunc, 3
multò populoſior, quod teſtantur plurimæ illæ, quarum Hiſtoriæ mentionem faciunt, Suecorum, Gothorum, aliorumque populorum Septentrionalium in reliquas mundi partes expeditiones & quaſi inundationes; cùm *partim ob populi frequen-* 4
tiam,

tiam, (4) ac innatam fœcunditatem, partim divinitùs immiſſam annonæ caritatem, partim naturam populi ſuetam prælio, & fugientem diſſidia, inſtar apum, diverſis ſe Orbis partibus infuderint, & ſibi ſuisque liberis novas quæſierint ſedes. Gothi, inquam, & Sueci vel ſoli docuère, non poſſe ſe torpere, otio & inertiâ, cùm inſtar numeroſiſſimorum examinum deſertâ patriâ, non cæteras duntaxat Europæ partes, *ſed*
5 *ipſam Italiam*, (5) Reginam gentium, invaſerunt, obtinuerunt, & longo tempore ibi dominati fuerunt. *Quare eam Jornandes*
6 (6) & veteres Scriptores meritò Vaginam & Officinam populorum nationumque appellarunt. Exiverunt enim hinc, non ſo-
7 lùm bellicoſi illi Suevi, Normanni, Vandalique & alii, verùm etiam domitores & terror Orbis, Gothiæ illius Suecanæ indigenæ & propago, Weſtrogothi & Oſtrogothi, qui multis perluſtratis regnis & provinciis pleroſque (ut dixi) Europæ populos bello defatigarunt.

8 *Habuit Gothos*, (7) Longobardosque Italia: Vandalos Africa: Francos, Burgundos, Gothos Gallia: Suevos, Alanos, Gothos, Vandalos Hiſpania: Saxones, Anglos, Danos Britannia. Hæ verò gentes Germanicæ omnes ab Aquilone erumpentes ingenti populorum eluvie Italiam, Galliam, Hiſpaniam, Britanniam, Africam, Aſiam, Pannonias, Noricum, Vindeliciam & alias provincias invaſerunt. Ita muta-
9 tis vicibus, &c. Imperii Majeſtate everſâ, qui *ſpoliarunt*, *Romani*, (8) ſpoliati ſunt. *Huc forſan reſpexit Propheta dicens:* (9) *Ab Aquilone omne malum.* Hoc quoque ſcopo nonnulli rerum Aſtronomicarum periti numerant quatuor monarchias non ſecundùm prædominium, ſed *ſecundùm quatuor cardines mundi.* (10) Prima eſt Orien-
10 talis, Aſſyriorum: ſecunda Meridionalis, Perſarum & Græcorum: tertia Occidentalis, Romanorum: quarta Septentrionalis, ſive Borealis, quam conſtituet Deus in Septentrione per Leonem ſeptentriona-
11 lem: Idque *ex Speculo Mundi*, (11) ſive potiùs Harmonia trium voluminum, puta voluminis Biblici ſive Prophetici, cœleſtis ſive aſtrologici, & Hiſtorici ſeu experimentalis; atque ita ex conjunctionibus ſive revolutionibus planetarum collatis cum numeris Chronologicis, propheticis & apocalypticis, eorumque explicatione, hiſtoriarum collatione, novarum ſtellarum obſervatione, & denique morum hominum inſpectione, perſpicuè *evinci poſſe exiſtimant.* (12) Vide Danielem *cap. 12. Apoc. 20.*

Nos miſſis illorum opinionibus puncta & momenta tum præteriti, tum futuri temporis, ſolius DEI definitioni reſervantes, id, quod inſtituti noſtri ratio poſtulat, proſequemur, & Ærarium, theſauros opesque Regni Suecici indagabimus.

Quatuor autem ferè rebus conſtant 12
reditus Regis Sueciæ ordinarii. Primò è Metalli fodinis. Secundò è Tributis & decimis frumenti, alimoniæ omnis, pellium, cæterarumque rerum, quò referuntur etiam portoria & donativa. Tertiò è Contributionibus arbitrariis & extraor- 13
dinariis. Poſtremò, è proventibus bonorum Eccleſiaſticorum. E fodinis non modò cuprum, ferrum, plumbum copioſè eruitur, ſed etiam argentum, & pauxillum auri.

Regnum enim hoc minerarum, plum- 14
bi & æris, adeò dives eſt, ut nulla Europæ regio illud ſuperare æſtimetur. *Ubique propè deteguntur* (13) utriusque hujus metalli venæ, quanquam ruſtici eas fortè repertas ſummo ſtudio occulunt, ne labore in iis 15
perfodiendis diſtineantur, aut convehendis ad defæcationem lignis fatigentur, ad quod quidem ſervitiorum genus obligantur. Minerarum verò aliquæ impenſis Regis effodiuntur, aliquæ privatarum per- 16
ſonarum. Illarum quicquid effoditur, Rex habet; harum non minùs quàm ſiliginis, frumenti, hordei, piſcium, boum, pellium, rerumque ſimilium, conſequitur partem decimam. Trium æris fodinarum 17
decima pars, quæ Regis eſt, accedit ad ſummam triginta millium Thalerorum quotannis. Inde judicium de argento, & plumbo fieri poteſt.

Argentum puriſſimum & defæcatiſſimum, nulli alii permixtum metallo, erui- 18
tur Selburgii, quod oppidum eſt in *Veſtroſienſi Comitatu*, (14) ex quo cuduntur numi craſſiores ſive Thaleri Suecici, quorum ob puritatem metalli & *argenti abſolutam perfectionem* (15) commendatur probitas. Inter argenteos numos majoris pretii, præter Thaleros cuduntur etiam alii, qui partim ſemithalerum, partim quartam ejus partem conſtituunt: ut & alii, quorum in frequentiſſimo uſu ſunt ii, qui triceni vel bini unum Thalerum conficiunt. Ex cupro & ære, quod ex duabus tantùm fodinis extrahitur, Rex per hæc tempora ML. 19
Squipones ſive *ſcipundt*, & aliquando ampliùs colligit.

Valet autem Squipo unus triginta millia thalerorum. Atque ex abundantiâ dictarum fodinarum fit, ut non modò ad muniendas arces, ſed etiam ad armanda 20
navigia magnus reperiatur numerus tormentorum bellicorum, quorum ſumma ultra octo millia aſcendere dicitur, quæ ex ære conflata ſunt; ipſumque multò plura conficere poſſe æſtimatur, ſi major ſtanni copia ſuppeteret.

In ſolâ arce regia Stockholmenſi nume- 21
rantur machinæ fuſiles quadringentæ, in quibus multæ duplices, ut vocantur, plures colu-

colubrinæ, aliæ minores: unde poteſt fieri
judicium, quantum tormentorum per u-
niverſum Sueciæ regnum ſit. Sed & ex Me-
talli fodinis longè majus colligi lucrum poſſe
multi arbitrantur, ſi ea res peregrinis com-
mitteretur, qui majore ſcientiâ metalla tra-
ctarent, & ligno parcerent.

Multum enim *lignorum* (16) fruſtra im-
pendunt, quibus parcere poſſent, nec nove-
runt fumum Mineralium colligere ad colo-
22 res & pigmenta. Ajunt præterea ſuperiori-
bus annis graves Salis micas ex terra extractas
fuiſſe: ſed ille ſal foſſitius, ejuſque vena, exa-
ruit, incuriâ eorum, ut putatur, quibus ejus
rei cura concredita fuit.

23 II. Alterum genus Vectigalium, ex quo
præcipui reditus Regi annuatim proveni-
unt, eſt fructus frugum, & telonia tàm
terreſtria, quàm maritima. Nam Rex per
omnia regna indictiones, tributa & vecti-
galia exigit, uti & decimas frugum, ſiligi-
nis, frumenti, hordei, butyri, boum (ex quo-
rum decima aliquando XVIII. millia ha-
buit) piſcium, pellium, rerumque ſimilium;
quarum rerum ſumma & certus numerus
iniri non poteſt, quamvis in Quæſtura &
Ærario Regio exactæ cujuſcunque proven-
tus reddantur rationes.

24 Tantum autem eſt, ut Rex hinc alat
non ſolùm exercitus cum ductoribus & tri-
bunis, ſed & comitiva Aulæ, & totius Re-
gni Miniſteria. Nonnulli hoſce proventus
ad novem vel decem milliones aſcendere
25 arbitrantur. In Suecia ingens eſt piſcium
varietas & abundantia, qui tàm è fluviis &
lacubus, quàm è mari extrahuntur. Capiun-
tur & in Suecia *Bubali*, (17) quorum longè
major eſt corporis moles, quàm Italicorum.
26 Gothia quoque dives eſt frumento, pecori-
bus, equis, piſcibus marinis & fluviatilibus.
Finlandia (18) amœnior eſt (ipſum nomen
27 Etymo Germanico, *Finlad*, id profitente) &
Sueciam propriè ſic dictam ſupergreditur in
bonitate & ubertate frumenti, ut quæ maxi-
mâ ſui parte plana ſit, nec adeò montibus
aſpera, aut paludibus uliginoſa. Bothniæ
28 feracitas prædicari non poteſt; utraque ta-
men hæc provincia non piſcibus ſolùm eſt
abundans, ſed & animalibus, quorum pel-
les in magno ſunt pretio. In Lapponia ve-
rò frumentum non invenies, ſed urſos al-
bicantes & mures ponticos magno numero,
ſimilesque beſtiolas.

29 De cenſu telonario, quem Regni hu-
jus incolæ perſolvunt, *in Comitiis Stockhol-
mienſibus* (19) Anno MDCII. ſancitum, ut
more ſolito merces extra regnum mittendo
mediatum cenſum ſolvant indigenæ; ex
transmarinis autem oris merces excipiendo
ſint liberi: tamen qui mercimonia emit-
30 tunt aut recipiunt, rationibus & juramentis
in veritate demonſtrent, quòd nullas ad pe-
regrinos ſpectantes ſuis mercibus ſuppoſue-
rint: & ſi quis deprehenſus fuerit, quòd
hoc pacto aligenarum merces occultet & e-
mittat, tam illis, quàm etiam propriis ſpo-
liandus.

Quæ Conſtitutio & in Comitiis Nor- 31
copiæ celebratis Anno MDCIV. renovata
eſt in hunc ferè modum; ut omnes merca-
tores negotiantes, tàm interni, quàm exter- 32
ni, pro centum thalerorum mercibus, quas
inde in exteras nationes transmittunt, in te-
lonio decem ſolidos thaleros deponant, aut
certè dextantem argenti, atque pro his pro-
tinùs recipiant ex monetâ Sueciâ, nunc per
regnum uſitatâ, integram ſuam perſolutio-
nem, pro quovis ſcilicet thalero imperiali
triginta ſex groſſos Suecicos, & pro quovis
argenti dextante ſedecim groſſos Suecicæ
monetæ: uti hoc latiùs enarrat Henri-
cus Soterus *in Deſcriptione Sueciæ tit. 4. fol.
177.*

Præcipuæ tamen impoſitiones, porto- 33
ria, vectigalia in portubus marinis ſedem
ſuam habent, putà Calmariæ, Lodhuſii,
Stockholmiæ (ubi aliquando 300. & plures
naves onerariæ viſuntur,) Ranginæ, Abo,
Ange, Revaliæ, Parnoviæ, Narvæ. Pellium 34
reditus & vectigal modò majus eſt, modò
minus, prout frigora majus minúsve intenſa
& nives abundant; Quò enim plus ningit,
eò plura capiuntur animalia.

Ex regione Lapponum, (20) qui in ulti-
ma Septentrionis plaga degunt, Rex majo- 35
rem pellium copiam extrahit; Utque earum
certiorem habeat rationem, quotannis illuc
miniſtrum mittit, quem ſcribam appellant:
Is adeò diligenter in captivarum beſtiarum
multitudinem inquirit, ut regium ærarium
difficulter defraudari queat. Hæ pelles ad Re-
gem allatæ diſtribuuntur inter propinquos
& amicos Regis, vel etiam dantur mercato-
ribus, qui exoticas varii generis mer-
ces ad aulam regiam advehunt. Neque ve-
rò miſeri Lappones aliud tributum pende-
re poſſunt ſemper occupati in beſtiarum illa-
rum Venatione, quas pro aliis rebus neceſſa-
riis permutant, quanquam & ſint inter eos,
qui acu laborent, & alia elegantia
opera manu conficiant, quibus oſtendunt
ingenium ſibi non omninò deeſſe.

Sunt inſuper in regno, qui Regi non perſol- 36
vunt pro ratione & proportione bonorum
ſuorum, ſed certum argenti modum, qui-
dam thaleros quinque, quidam ſex, quidam
octo aut plures quotannis, Quod ſi Rex be-
nè merenti referre gratiam & ſingulare
præſtare beneficium velit, conſuevit ei certũ
ruſticorum attribuere numerum, qui ſunt
ejus ſubjecti tributarii: huic quidem plures,
illi pauciores, prout quisque meritus eſt, aut
Regi viſum fuerit.

U III. Ter-

III. Tertium redituum genus conſi-
37 ſtit in Contributionibus arbitrariis. Nam
quotiescunque Regi militares copiæ con-
ſcribendæ ſunt, vel ad bellum à finibus Re-
gni propulſandum, vel hoſtibus inferen-
dum, Comitia Regni ſolet indicere, in qui-
38 bus exponitur, quanto commeatu atque
aliis ad bellum gerendum ſubſidiis opus ſit;
& Ordines Regni conſentiunt in certam
Contributionem, quæ & crebra & inter-
dum valdè oneroſa accidit Subditis pro
belli gravitate aut diuturnitate. Quare,
ut Subditis aliquantulùm ſuccurratur, ne-
que opus ſit, toties Regnum Contributi-
onibus & novis Exactionibus onerare, de
aliis mediis in Comitiis Stockholmienſi-
bus, in quibus Sigismundus Rex abdica-
tus fuit, eſt cogitatum, quæ refert Henricus
Soterus *in Deſcriptione Sueciæ fol. 180. &
181.* Et dixi in meo tractatu de Contributio-
nibus *cap. 1. num. 341. verſ. Aliud reme-
dium.*

39 Eſt nihilominus in hac Contributione
hæc differentia, quòd Nobiles pariterque
eorum ſubditi nihil ut plurimùm contri-
buunt, niſi ſumma Neceſſitas efflagitet. Ve-
rùm quoties decernuntur bella conſenſu No-
bilium & defectus in commeatu reperitur,
tunc ipſorum ſubditi medietatem taxationis
pendunt pariter cum iis, qui Regiæ Majeſta-
40 ti immediatè ſubjecti ſunt. De ruſticis verò,
aliisq; qui tributum annonarium non pen-
dunt, ſolet Rex, ſecundùm facultates bono-
rum, quotannis quinque aut plures thaleros
viritim exigere.

Similiter tenentur Subditi ex obligati-
41 one quadam, Regis filiabus, cum nuptum
elocantur, dotem conferre de ſuo. Eſt au-
tem ea pars dotis, quam populus confert, ab
antiquis temporibus æſtimata centies mille
Thaleris, præter argentea vaſcula, pretio-
ſam ſupellectilem, & cætera mobilia. Ni-
hilominus Rex illud ſuperaddere poteſt,
quod honeſtati conſentaneum eſt. Vide me
d. tr. de Contribut. cap. 8. ſub n. 13.

42 In Comitiis Stockholmienſibus XXIV.
Decembris Anno MDCXXVII. habitis un-
animi Ordinum Regni Sueciæ conſenſu de-
cretum fuit, ut *ſingulis jumentorum capiti-
bus* (21) tributum, quod ſuperiori anno pen-
ſum fuit, rurſus imponatur, nec quisquam
eo liberetur; niſi quòd Nobilium pecudes,
43 quæ paſcuntur in prædiis, ubi ipſi morantur
Nobiles, hâc lege eximantur. De agris ac
ſemente idem obtineat. Pendit itaque, quis-
quis ſe incolam ac ſubditum Regni agnoſcit,
pro quâlibet tonnâ ſeminis VI. Oras; quo-
libet equo XXIV. ſemis; equâ XII. & quar-
tam partem; equâ juvenculâ VI. pullo equi-
no ſex annorum VI. bove XXIV. ſemis:
vaccâ XII. & quartam partem; tauro XVIII.
ſemis; juvenco XII. & quartam partem; ju-
vencâ VI. ove annoſâ II. & quartam partem;
ove juvene 1. ſemis, hirco IV. & quartam
partem; capro II. & quartam partem; capro
juvene 1. ſemis; caprâ plurium annorum II.
& quartam partem; ſive III. Oras. Exigendo 44
colligendoque huic tributo termini feſta
Matthiæ & Philippi Jacobi præſtituti. Molis
quoque tributum impoſitum eſſe, ibidem 45
videre eſt. Henricus Soterus *fol. mihi 252. 253.
ſeqq.*

Obſervatū eſt (22) Anno MDLXXVIII. 46
illatas fuiſſe in Ærarium regium, ſingulis an-
nis deductis ſumptibus, nec ſimul computa-
tis ſubſidiis extraordinariis & collationibus:
inferri, inquam, ſolitas *ſex aut ſeptem auri
Tonnas,* (23) ſingulis Tonnis centenis milli-
bus Thalerorum Germanicæ monetæ æſti-
matis: cùm tamen conſtaret in Munitiones
& præſidia militaria apud urbem *Revaliam
& Wiburgum,* (24) quæ ſunt in finibus regni
Moſcovitici, quotannis centena thalerorum 47
millia inſumpta fuiſſe. Exiſtimant autē mul-
ti, quorum non eſt leve aut futile judicium,
proventus regios longè futuros uberiores, ſi
eadem in Suecia eſſet artificum virorumque
ad publica commoda promovenda ſolerti-
um multitudo, quæ in aliis multis re-
gnis.

Eſt enim hic magnus numerus navium in-
ſtructiſſimarū, quæ procul à regno ad exteras
nationes negotiandi gratiâ emitti poſſent,
exportato frumento, materiâ ligneâ ad fa-
bricandas naves, aliisque mercimoniis: vi-
ciſſim importato in reditu ſale, cæterisq; re-
bus neceſſariis, quas ſi extranei mercatores
afferant, duplo vendunt pretio, cùm ipſi ea,
quæ regnum Sueciæ ſuppeditat, bona vili
coëmant.

IV. Quartum & poſtremum genus re- 48
dituum regiorum conſiſtit in bonis Eccleſia-
ſticis. Nam licet ante mutatam Religio-
nem Archiepiſcopus Upſalienſis, cæterique
Epiſcopi, & cum his tot Monaſteria, & Col-
legia, incredibiles ex tanto regno perceperint
fructus; attamen poſtea manus hisce bonis
ac proventibus injecta, eaque Fiſco addi-
cta, relictâ aliquâ eorum, ſed exigua par-
te Epiſcopis. Quod factum *tempore Guſtavi,*
(25) quem Ordines, repudiato ob crudelita-
tem *Chriſtierno Johannis filio,* (26) Regem
elegerant, atque diademate cinxerant. Hic
enim Edictum propoſuit, in quo perſcriptū
erat; non licere Epiſcopis plus poſſidere, *quàm
Regi placuiſſet.* (27)

De Miniſtris fiſci, vel Ærarii, (28) vel 49
proventuum regiorum res ita habet. Eſt qui-
dam, quem Primum Commiſſarium vo-
cant, qui ſubſcribit decretis de ſtipendiis eo-
rum, qui cum aliquo ſunt officio. Quan-
quam autem ipſe pecunias non tractat, ne 50
hæredes ejus ad rationes & in jus vocari poſ-
ſint;

ſint; tamen neque ſtipendium ullum aut
ſalarium cuiquam perſolvitur, niſi ipſe ſub-
51 ſcripſerit, ſignaveritque. Habet hic Conſilia-
rius generalis Quæſtorem, qui accipit argen-
52 tum regium, illud in Ærarium infert, & ra-
tiones de eo reddit. Hunc ſequuntur decem
Camerarii vel Computorum Magiſtri, qui
in archivis ſervant indices omnium proven-
tuum regiorum per totum regnum. Solent
hi cum Quæſtore deliberandi gratiâ conve-
nire, ſi uſus ferat, & temporis ratio: in
univerſum tamen omnes rationem acce-
ptorum expenſorumque ſingulis annis red-
dunt Commiſſario Generali, præſentibus
quibusdam Conſiliariis regiis. Habet in-
ſuper quisque Quæſtor in ſua Provincia di-
53 verſos Exactores, qui ad eum referunt ar-
gentum è vectigalibus, decimis, cæterisque
proventibus regiis, ut in Fiſcum infera-
tur.

54 Fortalitia & propugnacula in hoc Re-
gno ſunt munitiſſima, quorum nonnulla *in
noviſſimis bellis inter Sigiſmundum* (29) Polo-
niæ, & Carolum Sueciæ Regem velut è ru-
deribus iterum excitata fuerunt. In littore
maris Occidentem verſùs juxta *Elsburgam*
(30) Fortalitium eſt Elffzburgenſe: nec lon-
gè ab eo duæ aliæ arces munitiſſimæ; qua-
rum alteri nomen eſt *Goltburgo*, (31) alteri
55 Cronebergæ. Verſùs mare Balthicum haud
longè à Scania Danici regni Provincia eſt
Calmaria, (32) oppidum cum Arce: aſt in
56 Oſtgothia caſtrum Waſſenenſe. In Inſula Oe-
landia eſt *Borcholmia, deinde Nicopia, Vicer-
binum, Gryphſolmia, & Arx Upſalenſis.* (33)
Inprimis autem ſub hunc computum veni-
unt Arx Stockholmenſis & Urbuenſis, qua-
rum hæc undecim milliaribus ab illa abeſt.

57 In Finlandia eſt Arx in Urbe Abo, & alia
in penitioribus Provinciæ, cui nomen El-
58 ſingsfort. Apud Tavaſtiam rurſum alia,
quæ Tavaſthauſa dicitur. Eſt & Munimen-
tum Vipurgenſe in finibus Moſcovitarum,
59 quo nihil hisce in locis firmius. Habet inſu-
per Suecus in eo Moſcorum confinio *Nar-
vam & Revaliam*, (34) cum nonnullis aliis
arcibus, quarum beneficio Ruſſos velut in-
jecto freno coërcet. Et profectò hoc eſt o-
60 ptimum munimentorum genus; quæ in ho-
ſtili agro exſtructa, noſtri tamen juris ſunt
& dominii, quod non tantùm noſtra defen-
dant, ſed & adverſariis in ſuo ipſorum agro
moleſtias faceſſant: quoque longiùs à noſtro
in hoſtico abeſſe putantur, tantò meliùs no-
ſtra domi defendunt. Hoſte enim circa illa
61 velut ulcera laborante, nos non tantùm do-
mi pace frui poſſumus, ſed & argenti & mi-
litum compendium facere, eâ duntaxat lege,
ut noſtris procul abſentibus neceſſaria ſub-
mittantur ſubſidia.

62 Præterea quo propiora noſtra hoſti ſunt
munimenta, & plus ei exhibent negotii. *Quæ
autem in noſtra Provincia* (35) ſive domi ſunt
Fortalitia, & ſi ſua quidẽ defendant, magno
tamen id faciunt ſuarum rerum cum diſpen-
dio. Quoties enim hæc hoſtis aggreditur,
neceſſe eſt, totam provinciam detrimento
affici, unde varii rumores & terrores, cùm in-
ſuper loca imbecilliora in prædam hoſtili-
bus copiis expoſita ſint.

Seriem Regum Sueciæ prolixo filo & 63
ſtylo pertexunt Joannes Magnus, Petrus Ber-
tius, Salomon Neugebauerus & *alii*, (36) ad
quos Lectorem remitto. Illud ſaltem memi-
niſſe lubet, quod Sigismundus, Johannis III.
Regis Sueciæ filius, ante patris obitum factus 64
Poloniæ Rex, Anno MDLXXXVII. ipſo
defuncto, Sueciæ quoque regnum adiit, cer-
tis quibusdam legibus ipſi Anno MDXCIV.
delatum. Adverſus quas cùm Proceres ipſum
poſtea peccaſſe judicarent, negarentque, li-
cere ſibi jura transmarina ex Polonia petere,
Carolum patruum ejus conſtituerunt regni,
ipſo abſente, adminiſtratorem. (37) Anno
autem MDXCVIII. Sigismundus ex Polo-
nia in Sueciam profectus cum ingenti mili-
tum copia, cùm vellet facta reſcindere ar-
mis, eò redactus eſt, ut Sueciam deſerere ſit
coactus. Carolus IX. Sudermanniæ Dux,
Sigismundi patruus, coronatur VIII. Maij
Anno MDCVIII. cùm priùs regnum ad-
miniſtraſſet, ut Ephorus, & Regẽ Sigismun-
dum à vi & armis ad pacem revocari poſſe
deſperaret.

Huic ſucceſſit GUSTAVUS ADOLPHUS 65
filius admodùm adoleſcens, quippe IX. De-
cembr. Anno MDXCIV. natus: Anno
MDCXI. inauguratus, & Anno MDCXVII.
coronatus eſt. De rebus ab ipſo præclarè ge-
ſtis *Hiſtoriæ loquuntur.* (38) Duxit in uxorem
Anno MDCXX. *Mariam Eleonoram*, (39)
ſororem Georgii Guilielmi Electoris Bran-
deburgici: quæ peperit illi aliquoties, ſed in-
feliciter. Primo & feliciori partu edidit fi-
liolam *Chriſtianam* (40) Anno MDCXXIV.
Menſe Octobri; quæ eodem anno in vivis
eſſe deſiit.

Secundo partu alteram filiolam, etiam
Chriſtinam, enixa eſt, quæ adhuc ſuperſtes 66
eſt, & *declarata Regni hæres* (41) in Comitiis
Stockholmienſibus An. MDCXXVII. Men-
ſe Decembri. Decreti verba in primo articu-
lo ita ſe habent: Quumque propoſitum ho-
ſtis noſtri dudum nobis innotuerit, fiduciâ
haud levi deceſſûs S. R. M. ex hac mortali
vitâ innixum, quumque multi ex plebe ſim-
plices non probè intelligant articulum in
unione hæreditariâ Norcopiæ A. MDCIV. 67
ab Ordinibus adprobatâ, concernentem jus
hæreditariæ ſucceſſionis competens filiabus
regiis: Itaque liberâ voluntate & deli-
beratò eandem hæreditariam Unionem
jam redintegrare, declarare, omnibusque
in memoriam iterum revocare voluimus.
Obſtringimus proinde nos ſingulos & u-
niverſos, tàm præſentes quàm abſentes,

jam natos aut pòſt naſcituros, quòd ſi quid humanitùs evenerit S. R. M. ſine legitima prole maſcula emori; nos pro verâ Principe noſtrâ hæreditariâ ac Regina agnituros Illuſtriſſimam ac Sereniſſimam Chriſtinam, Suecorum, Gothorum, ac Vandalorum Principem hæreditariam; & omne ſuæ Celſitudinis jus regium tuituros, ſecundùm dictę Unionis hæreditariæ decretum, & Regni Sueciæ ſcriptas leges, quæ huic noſtræ obligationi non adverſantur.

Multa quidem ab Oratore Pontificio (*uti videtur*) (42) in relatione illa ad Pontificem Romanum de Regno Suecico, quæ extat apud Honorium, commemorantur, de militarium copiarum hujus regni per Provincias diſtributione, de numero illarum diſciplinaque & ſtipendiis; quæ quia hodiè penitùs in melius mutata ſunt, & *ad meliores hodiernæ militiæ leges* (43) compoſita; ſupervacaneum exiſtimavimus hîc adjicere.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT IX.

Num. 1.

(1) A *Magog &c.]* Ita quidem tradit Johannes Magnus *Gotho-Suecicæ Hiſtoriæ lib. 1.* cùm inquit: Magogus, Noë ex filio Japheto nepos (*teſte Joſepho lib. 1. Antiquit. Jud. cap. 11.*) Scythiæ gentis Pater & Conditor erat: primùmque in ea Europæa Scythiæ parte, quæ nunc Finlandia vocatur, & Gothorum Regi Orientem ſive Tanaim versùs hodiè paret, imperabat: deinde, ut publica patriæ hiſtoriæ fides habet, transmiſſo Venedici maris ſinu in Gothiam, Scandianæ peninſulæ partem, navibus vectus, magnaque populi multitudine ſociatus, pervenit, & eas gentes ex ſuo nomine (*ut Author eſt idem Joſephus*) Magogas nominavit: quibus poſtea Græci Scytharum nomen impoſuerunt. Complures quoque Latinorum totam Scandiam, uti diximus, Scythico nomini attribuêre: at patriâ linguâ à gentis origine usq; in præſens, ſemper (ut paulò antè dictum eſt) Gethæ fuerant nuncupati. Demum Latini, poſtquam cum eis de imperio contendere cœperunt, ipſos frequentiùs Gothos vocare voluerunt: quamquam non raró promiſcuo nomine nunc Gothi, nunc Gethæ, in Latinorum hiſtoriis appellentur &c. *Et paulò pòſt idem Joh. Magnus pergit:* Fuerunt huic Magogo quinque filii; quorum primus Sueno, Sueonicæ gentis propagator fuit & rector: ſecundus verò Gethar, quem alii Gagum dixêre, nomen ſuum Gethis, quibus præerat, adaptandum curavit: reliqui tres, Thor, Germam, Ubbo, fideli promptoque obſequio fraternum illorum Imperium coluêre &c. Ubbo deinde, poſtquam præterirent à Diluvio univerſali anni circiter ducenti quadraginta ſex, Suenone fratre fatis abſumpto, principatum ſuper Sueones adeptus eſt. Ab hoc Ubbone ante tempora Abrahæ ædificata eſt Urbs Upſalia: ſic dicta à principio, quaſi Ubbonis aula, ſive quòd circa littora Salæ fluvii ſitum obtineat: à quâ etiam diuturno temporum curſu, Sueonum Principes dici voluerunt Reges Upſalenſes. Hæc ille, qui ſequentes Reges usque ad ſua tempora ordine enumerat. Verùm fabulis quis credat? Contenti poterunt eſſe Sueci, cùm rerum Germanicarum tanta ignorantia pleraſque alias hujus gentis nationes cœperit, ut quoad antiquiora plerumque ad ſcriptores exteros recurrendum fiet, ſola hæc invenerit Authores, qui Reges ab Erico inde I. id eſt, Anno Mundi MMCCXV. continuâ ſerie enumerare conati fuerint, quod inter alios Anno MDCLVII. Joh. Loccenius *in Hiſtor. Rer. Suecic.* præſtitit. Indeque ſolertiſſimus rerum Germanicarum indagator, Philipp. Cluver. *German. Antiquit. lib. 3. cap. 34. pag. 630.* inquit Johannes Magnus Archiepiſcopus Upſalenſis, quòd Gothorum, etiam ante exitum è Scandinaviâ, XIII. reges nominatim enumeravit; id ſanè de ſuo, multò Jornande (*de quo ille in præcedentibus*) veſanior, adfingere auſus eſt. Cæterùm hoc loco notandum, nonnullos Authores Gothos Gethásve diverſas gentes fuiſſe aſſerere, quos noviſſimè Marcus Zuerius Boxhornius *Hiſtor. Univerſ. p. 217. ſeqq.* refellere intendit.

Num. 2.

(2) *Sueci &c.]* Quos Tacitus *de German. cap. 44. n. 1.* Suiones, Jornandes *de Reb. Getic. pag. m. 83. & paſſim*, Suethidos, indigenæ Svvenska, Svvia, & Svvea, exteri & vulgus Suecos & Suedos nuncupant; de cujus vocis derivatione latè jamjam laudatus Boxhornius *in Hiſt. Univ. pag. 223. ſeqq.* agit.

Num. 3.

(3) *Fuit autem Suecia olim &c.]* Andreas Bureus, cujus hæc verba in Orbis Arctoi inprimis Succiæ deſcriptione ſunt, non de ſola Suecia, ſed de univerſa Scandia vel Scandinavia loquitur.

Num. 4.

(4) *Partim ob populi frequentiam &c.]* Cauſas emigrationum & ſedium diverſarum Gentium pulchrè complectitur Seneca *Conſol. ad Helviam cap. 6. circa finem* inquiens: Alii longo errore jactati, non judicio elegerunt locum, ſed laſſitudine proximum occupaverunt: alii armis ſibi jus in aliena terra fecerunt: quaſdam gentes cùm ignota peterent, mare hauſit: quædam ibi conſederunt, ubi illas rerum inopia depoſuit. Nec omnibus eadem cauſa relinquendi, quærendiq; patriam fuit. Alios excidia urbium ſuarum, hoſtilibus armis elapſos, in aliena, ſpoliatos ſuis expulerunt: alios domeſtica ſeditio ſubmovit: alios nimia ſuperfluentis populi frequentia, ad exonerandas vires emiſit: alios peſtilentia aut frequens terrarum hiatus, aut aliqua intoleranda infelicis ſoli vitia ejecerunt: quoſdam fertilis oræ, & in majus laudata fama corrupit: alios alia cauſa excivit domibus ſuis. Illud itaque eſt manifeſtum, nihil eodem loco manſiſſe, quo genitum eſt; aſſiduus humani generis diſcurſus eſt, quotidiè aliquid in tam magno orbe mutatur.

Num. 5.

(5) *Sed ipſam Italiam &c.]* Conſule, ſi lubet, Iſidorum *in Chronico Gothorum*, Jornandem *de Regn. Succeſſ. & de Reb. Geticis*, Claudianum *de Bello Getico*. Paul. Diaconum *Hiſt. miſcell. l. 16. c. 19.*

Num. 6.

Num. 6.

(6) *Quare Eam Jornandes &c.]* Scilicet Scanziam, Inſulam ſeu potiùs Peninſulam, quæ & Sueciæ & Norwegiæ regna continet, uti apparet ex Jornandis *de Bello Getico pag. m. 83.* allegato loco, ubi dicit: Ex hac igitur Scanzia Inſula, quaſi officina gentium, aut certè veluti vagina nationum, cum rege ſuo nomine Berich Gothi quondam memorantur egreſſi &c.

Num. 8.

(7) *Habuit Gothos &c.]* Vide Bertium *Rer. Germ. lib. 1. cap. 15. per totum.* Summam verò eorum, quæ Gothi extra patriam poſt Alexandri M. tempora patrarunt, Alb. Crantzius *lib. 1. Sueciæ cap. 1.* hisce verbis complectitur: In longinqua militia Gothorum gloria ſublimibus inclaruit titulis: quòd Romanis rerum Dominis, diu ea gens colluctata, aliquoties quidem repreſſa quievit, aliquando magis ſe Romanorum cladibus vindicavit, nonnunquam pari manu confligans, deceſſit. Demum Romanorum proculcans imperium, Italiam pervaſit, urbem Romam vaſtavit, in eadem Italia Regnum multis annis tenuit: Gallias occupavit, in Hiſpaniis regna fundavit, & ex eo ſanguine nobiliſſimas domos Principum erexit. Qua in re Romani Scriptores non tam in barbarorum, ut ipſi vocant, quàm in ſuorum laudibus profuſi ſunt. Hæc Crantzius *dict. loc.*

(8) *Qui ſpoliarant, Romani &c.]* Sic *Dignum eſt artificem arte perire ſuâ.*

Num. 9.

(9) *Huc forſan reſpexit Propheta dicens &c.]* Non huc, ſed potiùs ad Babylonios, qui reſpectu terræ Chanaan Septentrionales populi ſunt, reſpexiſſe Jeremiam, dum hæc *cap. 1. v. 15. & cap. 4. verſ. 6.* prædixerat, ut ſcil. ab his populo regni Judæ mala quæque exſpectanda fient communii Theologorum ſententiâ evinci ex facili poſſet, ſi res non per ſe clara eſſet, aut ullâ probatione egeret.

Num. 10.

(10) *Quatuor mundi cardines &c.]* Hanc ſententiam Altſtedio adſcribit Dn. Paulus Hönn JCtus & pro tempore Conſiliarius Saxo-Altenburgicus planè ad exemplum factus, in Oratione quapiam nunc C. A. Ruperti Oratori Hiſtorico *p. 365. ſeqq.* inſertâ, quam olim Anno MDCXLII. ſub titulo: *Corvus hians deluſus, ſive de non ſperanda nova Monarchia,* Altdorffi recitavit; additque ipſum hâc in parte ſecutum fuiſſe Authorem Tractatûs de Sulphure, Coloniæ Agrippinæ Anno MDCXVI. impreſſi, qui barbaro anagrammate, *Angelus doce mihi Jus,* nomen ſuum *(Michaël Sendivogius)* obtexere voluit, qui fatidico an fanatico ſpiritu plenus ſic *in Præfat. ad Lector.* inquit: Jam illa Monarchia quarta Borealis incipere habet: Jam tempora appropinquant, mater ſcientiarum veniet, majora elucidabuntur, quàm in his tribus præteritis Monarchiis factum eſt; quoniam hanc Monarchiam (ut veteres divinarunt) plantabit DEUS per unum ex Principibus, omnibus virtutibus ditatum, quem fortaſsè nobis jam tempora produxerunt: Habemus enim in hac parte Boreali Principem ſapientiſſimum ac belliсoſiſſimum, quem nullus Monarcharum victoriis ſuperat, humanitate ac pietate excellit, *(fortè præcellit.)* In hac Monarchia Boreali, DEUS omnium conditor rerum, majora arcana ſine dubio in natura elucidabit, quàm illis temporibus, ubi aut Paganorum aut Tyrannorum Principum ſedes fuit. Sed has Monarchias Philoſophi non ſecundùm potentiores, ſed *ſecundùm cardines* mundi numerant. Inprimis Orientalem, poſtea Meridionalem; jam verò Occidentalem habent, & ultimam Septentrionalem in hac parte Boreali expectant &c.

Num. 11.

(11) *Ex Speculo Mundi &c.]* Quod exhibet Alſtedius *in Theſaur. Chronol. ad Tit. 54. pag. 501.*

(12) *Evinci poſſe exiſtimant &c.]* Tales fuêre illi, qui electo in Regem Bohemorum Friderico Palatino, & pòſt adveniente, Germaniam intrante, & victricia arma latè circumferente, incomparabili Heroe, Guſtavo Adolpho Suecorum, Gothorum, Vandalorumque Rege, prophetico Spiritu, (uti vanè videri volebant) impleti, circa Annum MDCXVIII. ſeqq. non niſi Monarchias quintas crepabant. Inter quos præprimis Paulus Nagelius *in Tractatu ſuo de Cometa Anno MDCXVIII. exorta, Aſtrologia Apocalyptica,* aliisve tractatibus primicerius extitit. Sed Prophetias has exitus deſtituit, & ipſe Nagelius fanaticus declaratus & condemnatus, ſine ullis ceremoniis terræ mandatus fuit. Enimverò quamvis ſæpè pars quædam hujus prædictionum adimpleatur, caſui tamen fortuito, aut etiam magicis quandoque artibus id potiùs, quàm prudentiæ humanæ adſcribendum venit. Quemadmodum ſi cœcus vim lapidum ſpargit, aliquando imprudens tangit metam; ſic dum multa & paſſim harioli mentiuntur, nihil mirum eſt, ſi nonnunquam fortuna illorum audaciam commendat.

Num. 14.

(13) *Ubique propè deteguntur &c.]* Præſertim ubi montes in ſummitate rotundi ſunt, & in umbilico ac rotunditate non fiſſi vel fracti, ſed nix in hyeme, propter ſulphuris fumoſitatem, liqueſcens. Ictu verò fulguris in vertice vel latere aut pede tacti montes, elucentes argenti venas in fiſſuris oſtendunt, ſuosque lucri cupidos allectos, magis magiſque ad ardorem inexplebilis avaritiæ incedunt, ut nullius reſpectu periculi, ſaxa cavando perveniant ad interiora; prout Olaus Magnus *in Gent. Septentr. Hiſt. Breviario lib. 6. c. 1.* obſervavit.

Num. 18.

(14) *VVeſtroſienſi Comitatu &c.]* Bureus *in Orb. Arct. Deſcript.* Salbergh ſitum pronunciat in Veſtmannia, & in ea Civitatem præſtantiorem eſſe Weſteras pronunciat.

(15) *Argenti abſolutam perfectionem &c.]* Perhibet Zeiller. *in Regni Sueciæ nova Deſcriptione, edit. lat. pag. 51.* in quibusdam Sueciæ oris argentum adeò purum eſſe, ut ejus quindecim libræ unam auri reddere queant.

Num. 21.

(16) *Lignorum &c.]* In Suecia multi plurimis variorum metallorum generibus ditiſſimi ſunt montes, inquit Bureus *loco ſuprà dicto,* quæ certè metalla, ut conflentur, maximâ lignorum egent copiâ. Unde videre eſt, mirandam ſtupendamque naturæ opificis benignitatem, quæ, ne tales metallorum venæ hominibus inutiles eſſent, ſemper in noſtra patria (*Suecia*) iis aſſociavit ſylvas, perenneſq; quibus elaborari poſſent, aqua-

rum decurſus; neque carent iidem montes ſylvæque etiam aliis commoditatibus. Accolis namque venationes aucupiaque præſtant optima.

Num. 25.

(17) *Bubali &c.]* Qui nil aliud ſunt, quàm boves ſylveſtres nigri, retortis cornibus, parvo pilo, parvâque caudâ ſed magnâ velocitate, & fero aſpectu, docente Schotto *Phyſ. Curioſ. lib. 8. c. 13.*

Num. 26.

(18) *Finlandia &c.]* De hac & ſequentibus vide Bureum *loco ſæpius dicto*, ut & Gotofredum *in Archontol. Coſmica in deſcript. Regni Sueciæ.*

Num. 29. 30. ſeqq.

(19) *In Comitiis Stockholmienſibus &c.]* Teſte Sotero *in Sueciæ deſcriptione pag. 176. 177.*

Num. 35.

(20) *Ex Regione Laponum &c.]* Laponum gens, inquit Zieglerus *in Schondia*, validiſſima eſt: & diu libera fuit, & arma ſuſtinuit Nordwegiæ Sueciæque: donec conceſſit tandem ſub imperium, & tributum pendit pretioſas ferarum pelles. Præſidem eligunt propriis arbitriis, quem Regem vocant: verùm Rex Sueciæ Jus adminiſtrationis donat.

Num. 42.

(21) *Singulis capitibus jumentorum &c.]* Decentiùs profectò vectigal id fuit, quàm illud Margarethæ Sueciæ Daniæque Reginæ, quæ pro ſingulis jumentorum caudis certum numum tributi loco exigebat, ut Joh. Magnus *in Hiſtor. Suec. lib. 21. cap. 19.* atque Loccenius *Hiſt. Suec. lib. 4. pag. 124.* narrant. Cæterùm cùm in Comitiis Regni Suecici Anno MDCXXII. Holmii habitis, ſubſidia militiæ novo vectigalis genere augere Ordinibus regno placuiſſet; Tributum verò ex armentis & ſegete Anno MDCXX. in Comitiis approbatum, ut antè memoravimus, æquius quidem & toleratu faciliùs videretur: dum quilibet pro modo facultatum eam præſtabat: Tamen quum ad tantos belli, quod demenſè non veſcitur, expenſas haud ſufficeret, nec peræquè ab egentibus, ut ditioribus, in tempore pendi poſſet; in ejus locum viſum eſt, præter portorium conſtituere communi conſenſu vectigal, Regno Sueciæ antea inuſitatum, quod *Acciſum* vulgò vocant, more aliorum populorum rebus, quæ uſu conſumuntur, & maximè ad cibos & potum pertinent, impoſitum. Quod Civibus & plebi minori credebatur oneri fore: dum ipſæ res vendendæ & emendæ vectigal, inter plures diviſum, præſtant; majori verò publicæ rei emolumento futurum: quum nullus cujuscunque loci & ordinis hîc exemptus ſit; atque ſi bonâ fide rectèque adminiſtretur, non exiguam vim pecuniæ fiſco Regio illaturum ſit, & poſtquam uſu invaluiſſet, alia extra ordinem onera vel per omnia ſublaturum vel imminuturum, uti Rex promiſerat, ſpes erat. Ita refert Loccenius *Hiſtor. Suec. lib. 8. pag. 542. ubi edicta huc pertinentia ſubjungit;* dictoque loco *pag. 544.* notat Anno MDCXXIV. ob bellum cum Polonis, ab Ordinibus Regni duplicatum ex pecoribus tributum decretum fuiſſe.

Num. 45.

(22) *Obſervatum eſt &c.]* Vide Gotofredum *in Archontol. Coſm. in Deſcript. Regni Suec. n. 14. p. 435.*

Num. 46.

(23) *Sex aut ſeptem auri tonnas &c.]* At verò quis dubitet & proventus hosce auctos aucto Regni corpore. Poſtquam ſcilicet vigore Pacis Oſnabrugis Anno MDCXLVIII. concluſæ §. 10. Reginæ dum Suecorum Chriſtinæ ejusque poſteris & ſucceſſoribus in Regno ab Imperio in feudum ceſſa fuit univerſa citerior Pomerania, (vulgò Vor-Pommern) cum Inſula Rugia è Pomerania ulteriori, (Hinter-Pommern) Stetinum, Gartz, Dam, Golnau, & Inſula Wollin, unà cum interlabente Oderâ & mari vulgò das friſche Hafft vocato, ſuisque tribus Oſtiis, Pein/ Swine & Diurnau, atque adjacente utrinque terrâ ab initio territorii Regii usque in mare Balthicum; juxta antiqua ibidem uſitata vectigalia atque reditus. Poſtquam, inquam, porrò ceſſa Civitas Portusque Wismarienſis cum fortalitio dicto Wallfiſch/ & parte majori Præfectura Poel & Neuenkloſter; ArchiEpiſcopatus Bremenſis & Epiſcopatus Verdenſis, cum oppido & præfectura Wilshuſen &c. Deinde quoque Anno MDCLVIII. pace Roſchildiæ, inter Carolum Guſtavum Sueciæ Regem ab una, & Fridericum III. Daniæ Regem ab altera parte ſancitam *art. 5. & 6.* Sueciæ Regno accreverunt Provinciæ Hollandiæ, Sconia, Bleckingia, Bornholmia, arx & præfectura Bahus, ut & domus & præfectura Truntheimenſis ſeu Nidroſienſis unà cum omnibus ſubjacentibus urbibus & oppidis & munimentis. Quæ ceſſio in Pacificatione Septentrionali inter eosdem Reges denuò Ann. MDCLX. *art. 4. & 5.* confirmata legitur. Demum bello Polonico Olivæ Anno eodem, conditionibus Pacis quibusdam interpoſitis, Regnum Suecorum Livoniâ trans- Dunanâ, Inſula Rünen, & ſic multiplicibus reditibus ditatum fuit. Si inprimis verũ ſit, quod Author *Obſervat. Polit.* ſuper nuperis Galliæ motibus Anno MDCXLIX. *Obſervat. 3. pag. 27.* ſcriptum reliquit, inquiens: Sueci diuturnius bellum geſſerunt, & fortius, totamque penè Germaniam ſubjugarunt, ſed diſpendio & ſumptibus hoſtium. Vix enim ex proprio millionem bello annuatim contulerunt, & interim militia obediens, & contenta reperitur, & domi ſtatus illorum incrementa cœpit & floreſcit.

(24) *Revaliam & Wiburgum &c.]* Priorem Zeillerus *in Deſcript. Regni Sueciæ pag. edit. lat. 258. ſeqq.* poſteriorem verò *ibid. pag. 191.* delineat.

Num. 48.

(25) *Tempore Guſtavi &c.]* Circa Annum MDXXVII. in Comitiis Arrhoſienſibus, in quibus decretum, Fructus Regni diminutos, & ad Epiſcopos, ac reliquum ſacrum Ordinem ex ſuperfluo translatos, ab iisdem ad Coronam unà cum arcibus revocandos eſſe. Quæ verò ſint oppignorata, à veris hæredibus ex lege redimi fas fore. Nimias opes, ut otii, luxuriæ, & rebellionis materiam, præſulibus accidendas, honeſta vitæ ſubſidia relinquenda eſſe. Quod Decretum deinceps de ſupervacuis Præſulum opibus ad Coronam retractis executioni mandatum fuit. Præter arces enim tredecim millia prædiorum, quæ Epiſcopi & Eccleſiaſtici poſſederant, ad Coronam & ordinem Equeſtrem redierunt: quum Regnum & nobiles vix tertiam partem bonorum, comparatione poſſeſſionum ſacri ordinis, antea tenerent. Loccenius *Hiſtor. Suec. lib. 6. pag. 271.* cui jungi poterit Bureus *in Deſcriptione Sueciæ pag. 15. & 16.*

(26) *Chriſtierno Johannis filio &c.]* Nempe Secundo ejus nominis Sueciæ Daniæque Rege, Johannis Regis ex Chriſtina Erneſti Ducis ſuperioris

oris Saxoniæ atque Electoris filia, primogenito, in quo Principe ad ſupremam dignitatem evehendo, rurſusque ad infimam ſortem è ſupremo gradu dejiciendo, omnem potentiam omnemque artem ſuam non ſolùm exercuiſſe, ſed omninò conſumpſiſſe viſa fuit Fortuna, uti Johan. Swaningus Danus *in primo Capite vitæ Chriſtierni* loquitur, & *in ſequentibus Capitibus usq; ad finem* copiosè demonſtrat. De eo notat ille ipſus *num.6.* memorabile cùm Chriſtiernus naſceretur oſtentum, quod in adminiſtratione regni ipſius crudelem ſanguinariumque eum fore certò portendebat. Nempe in genitura alteram manum planam explicatamque, alteram in pugillum contractam extuliſſe: quam cùm obſtetrix explicaſſet, intus ſqualidam cruoreque plenam manum inveniſſe; eoque oſtento attonita facta, quum hoc parenti infantis commemoraſſet, nihil reticuiſſe illum, ſed palàm humani ſanguinis immanem effuſorem filium fore prædixiſſe. Contrà refert Loccenius *dict. loc. pag. 210.* Recens nati (*Guſtavi adverſarii Chriſtierni*) caput naturali pileo, vulgò galeam vocant, & pectus rubrâ cruce inſignitum fuiſſe, ex illuſtrium matronarum, quæ partui interfuerant, relatione traditum. Illud proſperitatis bellicæ, libertatis, & Imperii, hoc veræ Religionis acceptandæ tuendæque omen interpretatum à Curioſis.

(27) *Quam Regi placuiſſet &c.*] Dixi jamjam, quatenus Clero nimiæ divitiæ acciſæ fuerint, quæ non repeto.

Num. 49.

(28) *De miniſtris Fiſci vel ærarii &c.*] Soterus de Collegio Regiæ Cameræ ſeu Fiſci *pag. 164.* tradit, quòd in eo omnium totius Regni redituum, ſeu tributorum, tam caſtrorum, quàm prædiorum, nec non teloniorum, tam in mari quàm in terra, rationes reddantur, examinentur, expungantur atque laudentur. Eique collegio præeſſe Præfectum generalem ærarii, qui ſecum duos ex nobilitate habeat & ſcribas multos ex plebejorum ordine: qui pro labore annuatim habent ſtipendium; Hunc quoque Præfectum eſſe promum & condum Theſauri Regii, ſymbolorum ſeu inſignium Regni, qualia ſunt corona, pomum, ſceptrum, & gladius: monetariæque officinæ magiſtrum. Denique ſtipendia, tam militaria, quàm aulica, abſolvere, reddendæ rationi ſoli Regi obnoxium.

Num. 54.

(29) *In noviſſimis bellis inter Sigismundum &c.*] Incidit hoc bellum inter Sigismundum III. atque Carolum IX. in annum MDXCVIII. (quo primùm diſſidia inter utrumque orta,) & ſequentes, quibus Sigismundus ille Sueciæ & Poloniæ Rex ejusque progenies omnis Suecico diademate exutus, Carolus contrà Sudermanniæ Dux ſub Sigismundi ejus ſceptri Gubernator, unà cum ſubſecutura legitima propagine à Sueciæ Ordinibus ſurrogatus in Regnum fuit. De quo Piaſecius *Chronicorum geſtorum in Europa, diverſis in locis*, Loccenius *Hiſt. Suec. lib. 7.* Henricus Soterus *in Suec. deſcrip. pag. 211. ſeqq. multis*, nec non Exegeſis Hiſtorica cauſas commemorans, ob quas de Solio Suecico Sigismundus deturbatus &c. Stockholmiæ Anno MDCXX edita, & Hiſtorici moderni conſulantur.

Num. eod.

(30) *Elsburgum &c.*] Videatur Zeillerus *in Regni Sueciæ nova deſcript. edit. lat. pag. 200. ſeqq.*

(31) *Goltburgo &c.*] Idem *pag. 103. ſeqq.*

Num. 55.

(32) *Colmaria &c.*] Idem *pag. 94.*

(33) *Borcholmia, Nicopia, Grypsholmia, arx Upſalenſis &c.*] Idem *ibid. pag. 93. 117. 106. 173.*

Num. 59.

(34) *Narvam & Revaliam &c.*] Idem *pag. 252. & 258.* & Olearius *in Itinerario Perſico-Moſcov. lib. 1. cap. 2. & l. 2. c. 8.*

Num. 62.

(35) *Quæ autem in noſtra Provincia &c.*] Diſputant prudentiæ Civilis Doctores, plúsne periculi ſit, an ſecuritatis in munimentis? ut videre eſt apud Forſtnerum *in Cont. Not. Pol. ad Tacit. lib. 12. Ann. 19. n. 2.* Indeque cùm extra controverſiam verum ſit, plures diverſis locis extructas munitiones non teneri, niſi à maximæ potentiæ Principibus; Imò his non Princeps ſibi aſſerere oppida, in quorum ſtant cervicibus, ſed Præſidiariorum Præfectis tradere in certiſſimam ſervitutem, qui ſæpius cives invitos ſtare in Principem coëgerunt, quàm rebelles aut dubios traxerunt ad Regem, intelligantur, Cleobulus Meleandro *ap. Barclaium in Argenide lib. 3. pag. m. 257.* munitiones arcesque inter viſcera Regionis evertendas ſuaſit.

Num. 63.

(36) *Alii &c.*] Soterus *in deſcript. Suec.* Loccenius *ſæpe ſuprà allegatus*, atque Gotofredus *in Archontologia Coſmica in deſcriptione Regni Sueciæ. &c.*

Num. 64.

(37) *Ipſo abſente, adminiſtratorem &c.*] Imò juraverat flexis genibus ante altare majus Upſaliæ Anno MDXCIV. Sigismundus, *teſte Piaſecio in Chron. geſtor. in Europa ſingul. pag. 118.* quòd gubernare velit regnum ex conſilio Ducis Caroli & Senatûs, & ſic antè quàm in Poloniam rediret, Comitiis ſub finem menſis Martii celebratis conſtituta forma fuit, quâ in abſentia ſua Regnum illud gubernaretur, adminiſtrationeque ejus Carolo Patruo, uti in pactis erat conventum, commiſſâ, adjunctis ei Erico & Guſtavo Brahe.

Num. 65.

(38) *Hiſtoriæ loquuntur &c.*] Inter Hiſtoricos illos eminent Chemnitz *de Bello Suecico*; Loccenius *Hiſtor. Suedicæ lib. 8.* Matthæus Langwitus im dreyfachen Schwediſchen Lorbeer-Krantz. Joh. Philip. Abelinus *Theatri Europæi parte 2. Le Soldat Suedois*, cæterique modernæ Hiſtoriæ Scriptores. Imò & virtus ejus tanti quoque ab hoſtibus æſtimata fuit, ut inter eorum Hiſtoriographos Petrus Baptiſta Burgus Genuenſis *de Bello Suedico n. 25. circa finem*, in hæc verba, alicubi tamen fellem inimicam, quod facilè patet, redolentia, eruperit. Erat Guſtavus grandiori corporis ſtaturâ quàm vulgò ſunt homines, ac proportionatâ membrorum compagine robuſtiſſimo corpore, candidâq; facie, cum grandi naſo, ac ſubrufa cæſarie & barbâ, ut in iis regionibus ut plurimùm naſci homines ſolent, ſolumq; in oculis erat vitium, quorum obtuſam aciem dicitur habuiſſe. Laudabiliores erant animi dotes, quippe magnanimus liberalis affabilis, miſericors fuit, pius quoque ac juſtus: ſi hæreſim & alieni Regni uſurpationem dempſeris, regnandique libidinem condonaveris: præterea linguarum ſtudium coluit, libereque Latinè, Italicè, Gallicè, ac Germanicè loquebatur, callebatque militarem Architectonicam, & Mathematices non omninò erat ignarus: in militari quoque diſciplina quàm excelluerit, quantaque cum ſeveritate, & cautelâ in expeditionibus

ſe gereret partim narravimus, ac ipſius alia geſta teſtantur; perveneratque, permittente DEO, ad eum ſtatum ut ſi huic prælio ſupervixiſſet, parem in terrarum Orbe fortaſſis non habuiſſet. *Hæc Burgus.* Stanislaus à Kobierzycko *in Hiſtor. Uladislai IV.* de Heroe illo Septentrionali; Carolus Suecus, *inquit*, unico felix Guſtavo filio, cujus virtutes regiæ, militaris rei peritia, bellandique felicitas, non hoſtium tantùm, ſed totius orbis Chriſtiani inclaruit encomio. *Et alibi*: Quanquam Ipſe ad Lutzenam in prelio animoſus occubuerit, felicitatis nihilominus ſuæ genium ſuperſtitibus armorum Ductoribus reliquit. Vix autem ullius Regis, quàm Guſtavi Magni facta laudesque, præter Hiſtoricos, plures fatigaſſe Oratores & Poëtas credo. Licet quicquid & quantum prædicarit, ejus rebus geſtis, omni laude majoribus, minus ſit; tamen nomen ejus, non æri aut marmori inciſum, ſed totius orbis, inprimis Sueciæ ac poſteritatis indelebili memoriæ atque æternitatis monumentis inſcriptum, ſupra mortalitatem ſtabit. Quemadmodum Loccenius *dicto ſæpius loco* auguratur. De morte ipſius Guſtavi memorabilis inprimis eſt locus Piaſecii *in Chronicis pag. 436.* quem, ſi libet, B. L. evolvat.

(39) *Mariam Eleonoram &c.*] Johannis Sigismundi Electoris filiam, XI. Novembris Anno MDXCIX. natam, & poſt mariti fata usque ad XVIII. Martii Anni MDCLV. ſuperſtitem.

(40) *Chriſtianam &c.*] Langwitzius *d. loco cap. 2. partis 1.* tres numerat filias Magni Guſtavi. I. mortuam in hunc mundum XXIV. Julii Anno MDCXXI. editam. II. Chriſtianam (ut communiter Genealogi contrà quàm Soterus, *ex quo hic numerus 65. & 66. ab Authore noſtro mutuatus*, Chriſtianam dictâ volunt,) ejus nominis primam. Et III. Chriſtinam alteram, de qua mox verba facienda reſtant.

Num. 66.

(41) *Declarata Regni hæres &c.*] Ita quoque Guſtavo Magno Anno MDCXXXII. VI. Nov. ad Lutzâ cadente ab Ordinibus Regni unanimiter eo & ſequentis anni decreto repetitum eſt Jus ſucceſſionis in Regnum Sueciæ Chriſtinæ Principis, Guſtavi Magni Filiæ; Tutoribus ipſi conſtitutis quinque præcipuis Regni Proceribus ac Senatoribus, tanquam capitibus Collegiorum Regni, Gabriele Guſtavi Oxenſtiernâ, Jacobo de la Gardie, Carolo Caroli Gyldenhielm, Axelio Oxenſtiernâ, & Gabriele Benedicti Oxenſtiernâ. Sic ut hi rerum ſummam adminiſtrarent: literæ autem, reſcripta, & diplomata publica Reginæ nomine ſcripta & obſignata, ab illis ſubſcriberentur; In Germania verò rerum Suecicarum ac militiæ ſupremâ curâ Regni Cancellario atq; Legato Axelio Oxenſtiernæ à Regni Proceribus & Ordinibus cum liberâ & plena poteſtate, ſed Reginæ auſpiciis regni communique bono quâvis conſulendi occaſione, commiſſâ. Dein circa finem Anni MDCXLIV. die VIII. Decembris Reginæ Chriſtinæ, decimum octavum annum agenti plenum Regni Imperium à Tutoribus, qui illud per XII. annos inſigni cum laude adminiſtrarant, traditum eſt, patratisque cum Cæſare, Rege Poloniæ, & Rege Daniæ ingentibus bellis, & Pace cum omnibus ſancitâ & reſpectivè executâ, ejus inauguratio & coronatio tam regiâ & ſplendidâ pompâ Anno MDCL. die XVII. Octobris celebrata fuit, ut parem Suecia nec habuerit nec viderit. (*hanc recenſet Schlederus in Theatri Europæi parte 6. pag. 1177. ſeqq.*) In qua ipſa inauguratione Carolus Guſtavus, Johannis Caſimiri Comitis Palatini Bipotini in Cleeberg, è Catharina Caroli IX. Sueciæ Regis filia, filius, natus Nicopiæ Anno MDCXXII. die VIII. Novembris, poſt in regno ſucceſſor Regni Sueciæ Princeps hæreditarius, conſentientibus omnium R. Ordinum animis, publicè & ſolenniter declaratus ac renuntiatus eſt, præſtito Reginæ ac Regno fidelitatis juramẽto. At verò A. MDCLIV. Comitiis Upſaliæ habitis inopinato prorſus incepto, conſiliũ de abdicando Regno Ordinibus aperuit Chriſtina Regina cauſata Imperii onus, tanquam Principis Cognati humeris, & ſpem prolis habituri hæreditario juri & ſucceſſioni accom̃odatius, quietis ſtudium, & valetudinis curam. Monſtrato Carolo Guſtavo ſucceſſore, qui mox inde VII. Junii ſolenniter inauguratus Upſaliæque coronatus fuit. (*Vide Jrenico-Polemographiam ſive Theatri Europæi Continuat. parte 1. pag. 638. ſeqq.*) De abdicatione illa Regni non unam eandemq; ſententiam fuiſſe, indicat Author ſcripti Gallici, quod Anno MDCLV. in quarto prodiit, ſub titulo *Brieve Relation de la vie de Chriſtine Reyne de Suede &c.* nunc verò Anno MDCLXVIII. ſub titulo *L'a Dieu des Francois à la Suede, entre Recueil de quelques Pieces curieuſes ſervant à l'Esclarciſſement de l'Hiſtoire de la vie de la Reyne Chriſtine &c.* iterum excuſum. Verba ſcripti, ſtatim ab initio latinè ſic ſonarent: Univerſa Europa, ut nil dicam de aliis mundi partibus, jam dubio procul certior facta eſt de abdicatione Reginæ Chriſtinæ, ignorantibus & in Politicis minùs verſatis videbitur illa prodigium virtutis & quaſi actio quædam generoſitatis pleniſſima; prudentibus bonisve Politicis extrema ſtultitia, quæ quidem in caput ejusdem fœminæ cadere poterit; iis, qui pleniorẽ cognitionem negotiorũ & Statûs Regni Sueciæ ſibi acquiſivere, produnt fuiſſe illam nihil aliud, quàm decoctionem famoſam, quâ ſuos Creditores affligere volebat. Ii, quos minùs ea res tangebat, crediderunt, pertæſos Suecos illius Dominationis multimodè perverſæ, illamque quaſi ſecretò coactam fuiſſe, ut voluntariè Regno ſe exueret, ſicque anteverteret prudenter illud, quod ipſi ab altera parte contingere poſſet: peritiores autem & qui Principis hujus ingenium leve & inconſtans noverant, publicè dicebant, provenire illam abdicationem ex animi levitate & cerebrino raptu, quo uſa fuerat in omnibus hujusmodi negotiis. Studiò hîc intactos relinquo diſcurſus, quos tam in Dania, tam in Germania, tam in Belgio, quàm in Suecia ipſâ audivi, cùm nullas in iis rationes ſtringentes reperire quiverim, quibus ſatis tutò fides adhiberi potuit. *Hucusq; Gallicus ille Scriptor.* Addit Sprengerus *in Roma Nova lib. 2. cap. 3. ubi de Chriſtinæ Reginæ Sueciæ domicilio Romæ ſibi electo tractat*, Comitis Schlippenbachii Suecici illius Demoſthenis, *ut inquit*, fervidam operam, & ſtudium mutandi Religionem, *aliam iterum cauſam Thuldenus Hiſtor. per Europ. lib. 4. pag. 47. prodit*, quas ego omnes cum ſuperioribus in medio relinquo, à Tacito *6. Ann. 8. n. 6.* edoctus, abditos Principis ſenſus, & ſi quid occultius parat, exquirere inlicitum, anceps; nec ideò adſequare. Verùm redeundo unde digreſſi fuimus, Paulò pòſt abdicatum regnum Chriſtina Regina itineri ſe dans Hamburgum pervenit, inde Belgium peragravit, mox Germaniam tranſiens atque Oenoponti ab Archiducibus Auſtriæ excepta Anno MDCLV. quartâ hebdomatis feriâ, quæ incidit in ante diem tertium Novembris in Templo apud Franciſcanos ut vocant Obſervantes, Catholicam Romanam fidem geni-

genibus innixa, ante ſedentem Lucam Holſtenium, ad id à Pontifice Alexandro VII. miſſum, profeſſa publicè, inque gremium Romanæ Eccleſiæ recepta, tandem magnificè Romam intrans & in Vaticano templo confirmata Chriſtina Maria Alexandrina vocata fuit. De quibus omnibus Loccenius *Hiſtor. Suec.* Thuldenus *loco ſuprà citato paginis 47.48. ſeqq. usque ad pag. 68.* Schlederus *Irenico-Polemograph. part. 1. p. inprimis 750.* Martin Mayr Europæiſcher Geſchichts-Erzehlung *pag. 149. 150. 175. 193. 203. 207. 313. 214.* Sprenger. *loco dicto, Recollectio diverſorum ſcriptorum Gallicorum ſuperiùs citata (in qua etiam narratio cædis nomine Reginæ Chriſtinæ in Montalteſcium perpetratæ, quam Eraſmus Franciſci Germanicè redditam exhibet* im Hohen Trauer-Saal *parte 2. 41.* Geſchicht *continetur)* moderniſve Hiſtorici præſertim de actis poſt abjuratam fidem Catholico-Evangelicam conſulantur. Plura enim adjicere tempus haud patitur. Succeſſit Chriſtinæ in Regno, ut jam inunimus, Carolus Guſtavus, qui cum Hedwige Eleonora Friderici Holſatiæ Ducis in Gottorf. filia Anno MDCXXXVI. die XXIII. Octobr. nata, nuptiis regio ſplendore (*vide Irenico-Polemographiam parte 1. pag. 642. 643. ſeqq.*) Anno MDCLIV. die XXIV. Octobr. non Upſaliæ (ut quidam ſcribunt,) ſed Stockholmiæ feliciter peractis, pòſt & Polonicis & Danicis, & Brandeburgicis & Cæſareis, & Belgicis & Ruſſicis armis implicitus, ex conjuge hac ſua Anno MDCLV. filio, cui in baptismate Caroli nomen impoſitum, auctus, pace cum pleriſque ſtabilitâ poſt Comitia Gotheburgica finita, febri malignâ correptus, cùm antea Principis filii ad magna & optima nati atque educati tutelam Reginæ Conjugi ac Proceribus Regni ſedulò commendaſſet, piè in Chriſto XIII. Februarii Anno MDCLX. obdormivit. (*Vide Diarii Europæi partem IX. pag. 222. ſeqq.* Loccenium *Hiſt. Suec. lib. 9. pag. 808. ubi laudes ipſius canit, Irenico-Polemographiam ſive Theatri Europ. contin. 2. pag. 1385.* E. Lindenmanni *Officium Pietatis eidem Argentorati XX. Maji Anno MDCLX. conſcriptum,* Alexandri Erskein *Arminium Suecicum, Diarii Europæi part. 4. pag. 403.* &c.) Cui in Regno ſucceſſit Filius Quinquennis CAROLUS, adhuc Reginæ matris & Regni Senatorum conſiliis ſceptra feliciter tenens. De eo inter caſus apprimè memoriâ dignos Stockolmiâ perſcriptus fuit; nempe cum animi recreãdi causâ in flumine quodã Rex ille Anno MDCLXV. menſe Junio hamatilem piſcatum aggrederetur, añulum pretioſum valdè, digito ipſius in flumen cecidiſſe, illum tamen paucis diebus abhinc eodem in loco in faucibus capti cujusdam piſcis repertum ſuæque Majeſtati reſtitutum fuiſſe.

Num. 68.

(42) *Uti videtur &c.]* Et colligitur ex fine Relationis, *quæ extat apud Honorium parte 1. p. 259. ibi:* Reliqua, quæ magis peculiariter ad meam vocationem & miſſionem pertinent, oretenus referam ei, *cuicunque Beatitudo veſtra mandaverit.*

(43) *Ad meliores hodiernæ militiæ leges compoſita &c.]* De Suecorum armis & militia ante Pacem in Germania initam ſic loquitur nonnemo in diſcurſu *ſur les Motifs pour la Guerre d' Allemagne;* Non eſt de nihilo, quare Suecorum monſtrata inclinatio in quietem Imperii Germanis valde ſuſpecta ſit. Habent enim (*Sueci*) pulcherrimas, optimas, diſciplinâque ſubactas copias, quales inde à Legionibus Cæſaris unquam quis tenuit. Jam ferè certæ ſunt, aut vincere omnes, quicunque viribus ipſarum ſeſe oppoſuerint, aut patientiâ extinguere eos, qui ſe pugnæ ſubtrahunt. Omnia anni tempora in campis ex æquo tolerant, & æſtus ſtellæ canicularis & frigora intenſiſſima ex æquo ſufferre edocti. Subſiſtunt per tres menſes illic, ubi copiæ Imperiales nec per octiduum vivere poſſent: ſic ut militia ſit ipſorum Aula, ipſorum domus, ipſorum opificium, genuina præterea ipſorum Patria. Siquidem liberi, quos ab annis inde viginti generarunt, infantes caſtrenſes ſunt, qui in cunis aſſuefacti exploſioni bombardarum, exinde ſexto anno cibum adferre Parentibus, vel in foſſis aggeribus munitis commorantibus, vel ipſo actu pugnantibus. Et quamvis caſtra ſint locus aptiſſimus ad corrumpendos juvenum animos, nihilominus educatio illorum ipſis maximæ curæ eſt, docendo ipſos & legere & ſcribere in parvis illis ambulatoriis ſcholis, quas erigunt, vel in metatis, vel in aprico gramine campi, ſi quando illic degere contingat. Quantocyus militia ſubſiſtit, & caſtra metata ſunt, infantes illi illuc ſe conferunt ubi locus parvis illis ſcholis deſignatus eſt. Ubi olim evenit caſus, qui fidem omnem ſuperare videretur, niſi ille pro vero certoque affirmaretur ab omnibus Generalibus, qui perhibent, aliquando hoſtes tam prope caſtra poſita habuiſſe, ut tormentis ſuis æneis ſcholam talem parvam quaterent; ibique deprehenſum fuiſſe tres vel quatuor pueros uno ictu ſublatos, cæteris ſeſe haud de loco moventibus, nec pennas ſcriptorias, quas manu tenebant, abjicientibus. Quæ conſtantia planè diverſa eſt ab illa puerorum Lacedæmoniorum qui potiùs pertulêre, ut ad viſcera usque corroderentur, quàm furta commiſſa detegerent. Peditûm ſupplementa non aliunde ac ex iſtis caſtrenſibus infantibus petuntur. Anno ætatis decimo ſexto ſclopeta geſtare incipiunt neque illa abjiciendi cura iis in mentem venit, cùm aliud vitæ genus aut vocationem haud noverint. Equitum ſupplementum præſtant ipſorum famuli, qui equos conſcendunt, poſtquam per octennium vel ſeptennium caſtra ſequuti ſunt; qui militiæ aſſueti antequam albo militari inſerti fuêre, ut ſic dici queat, tot illos habere Capitaneos, quot milites. Quod ipſum in omnibus juſtis pugnis velitationibusque inſignioribus apparuit, ubi ſi quando ductor cujusdam turmæ interfectus erat, proximus quisque equitum illis prævivit, & non ſecus ac fortis & ſagax Capitaneus aliquis imperia diſtribuit. Neque ſtipendia ipſorum aliquid ex iniquo trahunt, cùm per gradus ad officia, ſine commendatione ulla, niſi quæ à fortitudine ipſorum & experientia proficiſcitur, evehantur. Hoc modo officia ſecundùm ordinem & merita diſtribuuntur & non ad favorem, multique reperti fuerunt centuriones, qui in eadem legione, quam ducunt, non niſi militis nomen profitebantur, quemadmodum Capitanei Capi & Baſſæ apud Turcas. Ut paucis rem expediam militia talis eſt, qualem ſiſtere omnibus hujus Univerſi Regibus impoſſibile foret; quoniam & tempus & diſciplina illos generavit, & ſub Magno illo Guſtavo, & digniſſimis ipſius Locumtenẽtibus & parere & imperare didicerunt. Porrò ut Ducibus abſolutum competit in copias militares imperium, ita non minore pollent authoritate miniſtri ipſorum Eccleſiaſtici. Quæ conſiſtit in ſevera cenſura morum, vi ejus nec blaſphemias nec ſcandalum ex fœminarum contubernio, intacta relinquunt. Si quando fama ad

ipſas

ipſos perfert, eſſe ex Officialibus quendam, qui fœminam non tamen legitimam uxorem ſecum ducat, Generalem militiæ adeunt, qui ipſum adſtringat, ut eam vel dimittat vel intra duorum dierum ſpatium matrimonio ſibi jungat, quod ſine remiſſione effectui datur ; Hinc continuum exercitium belli , & diſciplina anxiè ſervata copias illas invincibiles reddidit, adeò ut hoc medio Corona Suecica in pari gradu cum potentiſſimis Coronis conſiſtere reputetur. Hæc ſcriptor ille, qui an non ſæpè proloquatur hyberbolas, æquus Lector dijudicet.

CAPUT X.

De Regis Daniæ Divitiis & Ærario.

SUMMARIA.

1. Regum Daniæ *proſapia hoc num. & quas Inſulas modernus* Rex Daniæ *poſſideat*, num. 2.
3. *Inſula præ cæteris nobilis*, Selandumia.
4. *Deſcriptio* Daniæ *ex Pontano*, & num. 5. & 6.
7. Hordei *ubertate* Dania *commendatur, præſertim* Selandia, num. 8.
9. Norvvegiæ Regnum *quo pacto ad Regem Daniæ pervenerit. Ejus onera*, num. 10.
11. Lignorum *dives* Norvvegia, *uti &* Piſcium, *pellium &c.*
12. *Piſcium & Halecum affluentia, præſertim in regno* Juthiæ, n. 13.
14. Halecaria *negociatio nunc alibi major.*
15. Divitiæ Regis Daniæ *in copia pecudum & piſcium maris.*
16. Fretum *celebre* Porthmus der Sundt. *Ejus deſcriptio.* Vectigal *hîc ingens penditur*, nu. 17. & 18.
19. *Hinc ad Germanos mittuntur agminibus magnis* Boves, *etiam equi.*
20. Rex *hic ex VVardhuſia percipit emolumentum.*
21. Ærario præfectus *eſt, qui omnia Vectigalia proventusq́ colligit, habet alios adjunctos: Percipit ſtipendium certum*, n. 22.
23. *De* Telonariis *particularibus aliis.*
24. *Qualis fuerit ratio* Vectigalium *tempore* Erici *VII. in hoc regno.*
25. Potentia *hujus* Regis *maritima.*
26. Romanenſes *ſperarunt ex hoc regno ingens rerum ſuarum incrementum, maximè Belgii rebus afflictis.*

Immenſis gregibus boum atque equorum
Turget DANIA, piſciumque turbâ;
Vectigalque opulens, quod erogatur
SUNDI, æraria Regis auget ampla:
Hoc abs ore ſteti quot ora pendent?

1 MOrtuo *Chriſtophoro* (1) Erici Regis Daniæ nepote, Palatino Rheni & Bavariæ Duce, Septentrionalis Germaniæ Domino, cùm Adolpho Sleſvicenſi , Regis Waldemari IV. pronepoti, regnum Proceres deferrent, ſtudium præ ſe ferentes in proſapiam illam regiam, DEUS Chriſtianum oſtendit, Diderici Oldenburgici filiorum natu maximum, itidem à matre *Hedvviga*, (2) Adolphi ſorore , genus regium contigentem, & hunc ſolio impoſuit. Ille verò, ſicut regna, *quibus artibus parantur, iis optimè* (3) aſſeruntur, quod à Deo ob virtutem accepiſſet, per eandem cum ingenti laude ſuâ diu habitum, mox decedens, filio Joanni tradidit: iſque rurſum in veſtigiis patris hærens, Chriſtiano (vel, ut Danis in uſu eſt) Chriſtierno, item filio, ejus nominis ſecundo. Verùm hic neglecto DEO, per quem Reges omnes regnant, cùm deflecteret à virtute, illo animum, & conſilia perturbante, regno temerè ipſe excedens, nec redire in id potens, didicit experiendo ; Regem nullum adeò potentem eſſe, quin iratus illi DEUS, quando ita viſum fuerit, ſceptrum frangat. Itaque ab iſto ſolo, Rege Regum, Dominoque Dominantium, regna univerſa pendent. Ille ea dat, & adimit ineffabili conſilio, & arcanâ providentiâ. Poſt Chriſtiani II. exilium, Fridericus I. Rex electus eſt. Cui ſucceſſit Chriſtianus III. Friderici F. An. MDXXXV. Fridericus II. Chriſtiani F. obiit Anno MDLXXXVIII. Chriſtianus IV. Friderici F. Anno decimo ſeptimo nondum impleto ob ſingulares & regias animi dotes ab Imperatore Rudolpho II. (haud ſecùs, ac Ludovicus Rex Hungariæ & Bohemiæ, defuncto patre Uladislao Regna adiit annos natus tredecim, veniâ ætatis ab Imperatore Maximiliano I. impetratâ ; *Dubrav.* (4) *l. 33. Hiſtor. Bohemic.* Goldaſt. *de Regno Bohem. lib. 4. c. 1. num. 6.*) veniam ætatis conſecutus fuit Anno MDXCIII. d. XXVI. April. Hering. *de fidejuſſoribus cap. 7. num. 110.* Coronam regni cepit Anno Chriſti MDXXVI. die XXVI. Auguſti.

Hic, præter Cimbricam Cherſoneſum (5) 2
(ubi Holſatia, Ditmarſia , Ducatus Sleſvicenſis & Flensburgenſis, Friſa & Jutia, regiones herboſæ, ideoque pecoribus & feris abundantes ſunt,) poſſidet alias amplas Inſulas, ſed præcipuæ ſunt eæ, quæ ad oſtium maris Balthici jacent , quarum ibi quindecim numerantur, comprehendunturque ſub Daniæ nomine. Earum præcipua eſt *Selandumia*, (6) quæ in longitudinem ad LX. milliaria extenditur, latitudo eſt paullò minor, 3
præſtat Nobilitate , propter *pagorum frequentiam*, (7) aëris clementiam, & Regis in ea habitationem.

De Dania in univerſum ità Pontanus 4
in Chorographica Daniæ Deſcriptione p. 773. Habet Dania ſolum haud depreſſum aut paluſtre, ſed leviter collibus aſſurgens , uberi paſſim glebâ dotatum, ornatumque. Circa ingreſſum Cherſoneſi Cimbricæ , quà eſt Sleſvicenſis Ducatus, terræ ubertas haud uniusmodi eſt. Nam alibi , quà mare ſpectat,

ctat, ſolum, ut plurimùm, eſt argillaceum, pingue ac uliginoſum, ſilvisque ſuperbum. Alibi denuò, quod terræ dorſum dicere liceat, ager eſt ceſpititius, ericoſus, nec uno modo habens, variè tamen fœcundus. Theutomarſiæ, ſive, ut vulgò vocamus, Ditmarſiæ gleba ple-rumque eſt ſalſuginoſa, profunda, mireque fertilis.

5 Quà deinde Septentrionem eadem ſpectat Cherſoneſus, regionem videas ſubinde ſilvis ac lucis opacam incultamque; & alibi viciſſim culturâ hominumq; induſtriâ in jugera frugifera & amœnos fundos, interfluentibus hinc inde maris ſinubus, reſplendentem; qui fruges leguminaque multiplici fœnore refundant; quique boum & equorum præſtantium, piſciumque variis generibus nobilitantur: ita ut copiâ atque ubertate eorum vicina regna regionesque, urgente annonæ caritate, ſæpenumero ſublevari contingat.

6 Saltus præterea feris ubique abundant. Quas inter cervi haud ultimum tenent locum, ut & damæ, capreoli, lepores, & id genus aliæ. Nam avium captura paſſim obvia, & inprimis perdicum, anatum, anſerumque ferini generis, itemque *ſcolopacum*, (8) quas *ruſticas perdices* Martialis, Plinius *ruſticulas* appellat. *Et p.p.pag.774. idem inquit:*
7 Cæterùm præter ſecale, præſertim hordei ubertate commendatur Dania.

8 Nam ut reliquas illius partes taceam, vel ſola Selandia ejus frugis tantâ circumfluxit copiâ, ut onerarias aliquot hordeo ſtipatas ad exteros quotannis demittat, & ſibi interim, quod ſatis ſit, excoquendæ cerviſiæ, aut aliis uſibus, domi retineat. *Hæc ille.*

Regnum Norvvegiæ cùm electioni
9 obnoxium eſſet, diſcordiis aliisque turbis exagitatum pervenit ad Regem Daniæ, qui, ut de eo ſecurus ſit, *tractat durè incolas* (9) ſpoliatque eos facultatibus, nec miſeris hominibus ſpes eſt melioris fortunæ, quòd Regis omnes aditus & portus maris ſint; Nor-
10 vvegia autem *nullas alicujus momenti divitias* (10) habet præter lignorum fabricandis domibus & navigiis aptorum, pecudumque, caſei, & lactis magnam copiam. Sylvæ
11 introrſus denſiſſimæ ſunt, ex quibus non ſolùm in Hollandiam & Flandriam; ſed in univerſam propemodum Europam illa ingentium arborum robora, tot tigna, lignaq; devehuntur.

12 Piſcium è mari vicino copioſa captura eſt. Aſellorum ſive Merluciorum, quos vulgò Germanico idiomate propè ubique **Stockfiſch** vocant, apud Norvvegiam incredibilis capitur vis, inprimis menſe Januario, quòd eo menſe, cùm frigus eſt intenſiſſimũ, optimè exſiccentur. Hi deinde indurati in proxima ac latè circumjacentia regna regionesque pro annona, maximo lucri proventu, deferuntur. Vendunt quoque Norvvegii præter coria ac pelles pretioſas animaliũ, permultum butyri, pinguedinis è Balænis, ſevi bubuli, picis liquidæ, trabes quernas, tigna abiegna, malos, & aſſeres.

Ex hisce piſcibus frigore induratis, ven- 13
toque expoſitis Rex Daniæ magnum percipit emolumentum. Saxo Grammaticus ſeculi ſui præco, *in Præfat. in Hiſtor. Dan.* memorat, in hoc regno & Juthiæ oris, piſcium & Halecum præſertim fuiſſe affluentiam, ut manibus non modò & absque naſſis aut piſcatoriis verriculis caperentur, ſed ita ſæpenumero freta ac ſinus omnes eorum repletos frequentiâ, ut impacta ſubinde navigia vix remigii conamen (*ſunt ejus verba*) eriperet,
cujus fortaſſè fidem excedere narratio poſ- 14
ſet. Verùm interim fatendum, eam hodiè per univerſum regnum capturæ ac piſcium ubertatem haud eſſe, & Halecariam præſertim negotiationem jam aliò translatam. Haleces enim circa Scioniam, inde Hollandiam verſùs migrare narrant.

Conſiſtunt itaque divitiæ Regis Daniæ 15
in copiâ pecudum & *piſciũ maris*, (11) è quibus ingens pecuniæ vis conficitur, ærarioque infertur. Omnes tamen hos proventus ſuperat quæſtuoſiſſimum illud fretum inter Helſinoram & Helſinburgum oppida, *vulgò* **der Sundt**: (12) à quo freti ore tot pende- 16
re ora, non inconcinnè ſcripſit Lipſius. Eſt
is tranſitus tàm anguſtus, ut nulla navis in- 17
vitis præſidiariis militibus, quos utrinque Rex conſtitutos habet, tranſire ſive *prænavigare poſſit.* (13) Nominatim *à Saxone commemoratur*, (14) Haraldum XXXIX. Regem Daniæ, cùm nepote ſuo Ringone, quem Sueciæ præfecerat, infeſtis armis concurrentem exercitu & navibus ſuis texiſſe eũ in modum fretum illud, ut ponte veluti ſtrato, Selandiam Scaniæ conjunxerit. Neceſſe 18
eſt, ut naves ibi *ingens Regi vectigal*, (15) & portorium pendant. Nec facilè quis hujus numerum Vectigalis iniverit, niſi qui noverit, quàm incredibilis navium multitudo ex Hollandia, Selandia, Gallia, Anglia, Scotia, Norvvegia, Germania, Boruſſia, Livonia, adeoque omni maris Balthici ora, indeſinenter per has fauces tranſeat.

Nam omnes Septentrionales Provinciæ importato opus habent vino Rhenenſi, Gallicano, Hiſpanico, ſaccharo & aromatibus è Luſitania: fructibus exoticis ab Andaluſia: Cùm hæc regna omnia viciſſim ab Aquilonaribus petant mel, ceram, pelles, & coria, inprimis autem frumentũ ex Boruſſia, Livonia, Moſcoviaque. Sunt tamen, qui exiſtimant, Ærarium Dani Regis adeò abundare non poſſe, quòd in regnis ejus nullum præ cæteris ſit quæſtuoſum mercimoniorum genus, ſi piſces excipias: & quòd vix ullum ſit celebrius Emporium, quod argentum exoticum attrahere ad ſe poſſit, & negotia-

gotiationem conſervare perpetuam. Supereſt igitur grande illud tàm famoſi freti vectigal, quod ex navibus, quæ id mare ſulcant, & anguſtas Porthmi fauces intrare coguntur, cum eo, quod ex equorum & boum in Jutia proventu percipitur.

Obſervatum quoque eſt ex illis regio-
19 nibus & boum & equorum numeroſa agmina in Germaniam quotannis emitti, & unico ſemel anno *quinquaginta boum millia* (16) acta fuiſſe, qui Vectigal Gottorpii pendunt. Aliquot etiam emolumenta percipit Daniæ
20 Rex ex Wardhuſia. Ex quo tempore Angli inceperunt navigare inter Norvvegiam & Grœnelandiam, alii ad *Colmigraff*, alii *Chilcheme*, quod S. Nicolao vicinum eſt. Hic enim cum Ruſſis commercia exercent, reportantque inde ſevum, ceram, mel, linum: Eò quoque navigant Bergenſes, Scoti, Franci. In maris ſinus ferè medio eſt Inſula illa & oppidum *Wardhus*, quod Rex Daniæ Fridericus II. egregiè muniri curavit. Mercatores hîc pendunt vectigal ſuarum mercium.

Ærarii Præfectos (17) omnes totius Re-
21 gni reditus, tam caſtrorum, quàm prædiorum, nec non telonia, cùm in mari, tum terrâ colligit, rationes audit, examinat, inquirit, apochas ſive quitancias pecuniam offe-
22 rentibus reddit. Huic adjuncti ſunt duo ex Nobilitate, & ſcribæ ex plebe plures. Ei laboris ac curæ hujus nomine annuum ſalari-
23 um eſt deſignatum. Præter ærarii hunc Præfectum ſunt & alii à Rege conſtituti Vectigalium præſides, qui ærariis ac teloniis aliis ac ſeorſim colligendis vacant. Et, inter cætera, habent ferè ſinguli trajectus ejuſmodi, quos vocant, telonarios. Et in his præcipuè eminet nauticum telonium, quod Helſingoræ ad Suntæ fretum (ut ſuprà dixi) eſt collocatũ: Cujus, ut & aliorum, non tam ex Nobilitate, quàm ex Optimatibus aliqui, aut quibus id Rex meriti loco, aut aliàs indulſerit, curam gerunt.

Anno MCCCXVI. tempore Erici VII.
24 Regis, Vectigalium ratio per Daniæ regnum ejuſmodi obtinuit, referente Joh. Iſacio Pontano *lib. 7. Rerum Danicar. fol. 416.* Equulus ſolvebat, ſchellingam ſterlingicam 1. Butyri *ſuminis, ſevi*, ſimilisque adipis pondo nauticum, vulgò Schiffpfund / ſterlingos VIII. Laridi libra ſterlingos VI. Mille albicæ ſterlingos VI. Piſcium aſellorum tonna una ſterlingos III. Anguillarum laſta X. ſterlingos. Bos ſterlingos IV. Ovis ſterlingos II. Coriorum ſalitorum decas ſterlingum 1. Laſta nucum avellanarum ſterlingos VI. Laſta frumenti ſterlingos XVIII. Centum ulnæ panni Borelli ſive Leysk, ut eo ævo vocabant, ſterlingos IV. Tabernæ ruſticanorum cerviſiariæ pro tonna ſive vaſe unoquoque cereviſiæ ſterlingos VI. Daventrienſibus quoque tum temporis immunitates conceſſæ, ut Neoburgi & Torneburgi pro ſegeſtri unoquoque (packe Plade) portorii nomine ſolverunt marcam unam cupreæ monetæ pro panni faſciculo (ſterling) Slagloſæ ac Roſchildiæ obolos II. Si quid venderet, Schillingam; ſi nihil venderent, liberè & ſine Vectigali decedere ipſis permittebatur; ita tamen, ut pro plauſtro mercimoniis onuſto ſchillingam telonio inferrent, ſi ſemel cenſus eſſet ſolutus, alibi ſolvere non tenebatur.

Quid Rex Daniæ mari (18) poſſit, æſti- 25
mari poteſt ex claſſibus, quas aliquot vicibus coëgit. *Chriſtiernus II.* (19) rogatu Regis Franciæ Henrici II. miſit in Scotiam contra Anglos, claſſem centum navium, in quibus decem millia militum erant. Cùm tantum oræ maritimæ, totque portus in Daniâ, Scaniâ, Norvvegiâ, totque *Inſulas* (20) intra & extra mare Balthicum poſſideat, veriſimile eſt, ipſum magnum navium numerum colligere poſſe. Joan. Boterus Ca- 26
nonicus Romanus in Theſauro Politico ſcribit, quænam utilitas ex occupatione Regni Daniæ ad Religionem Catholicam redundare poſſit, ſcilicet auxilia hinc poſſe accipere res Catholicorum in Belgio afflictas. Mirus hic nobis Politicus Boterus. Cicarella quoque in vita Sixti V. Pontificis memorat, quinque milliones in Caſtro S. Angeli reconditos, ad recuperationem alicujus regni *ab inimicis Romanæ Eccleſiæ occupati.* (21)

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT X.

(1) M*Ortuo Chriſtophoro &c.*] Lubet hîc rem paulò altiùs repetere. Cùm Margaretha loco Waldemari Patris in Dania Norvvegiaq; diu regnaſſet, Albertumque Megapolitanum Sueciæ Regem Anno MCCCLXXXIX. in prælio ad Faloniam Weſtrogothiæ commiſſo, in acie cæſum & comprehenſum ex campo in carcerem egiſſet, (*Loccenius Hiſt. Suec. lib. 4. p. 117.*) & ipſa Sueciæ Regina adſcita Anno MCCCXCV. fuiſſet prole autem præcipiti jam ætate careret inque eo tota eſſet, ut munimentis ex ſua familia, tria Borealia Regna firmaret, Ericum Wratislavi Pomeraniæ Ducis filium, ex ſororis ſuæ Ingeburgæ Henrico Megapolenſi nuptæ, ex filia Anna (*Maria aliis*) nepotem, (*Pontanus Rer. Dan. lib. 7. p. 357. appoſita tabula Geneal.*) Proceribus Regni Sueciæ inſtanter commendans, effecit, ut Ille Rex Sueciæ ad Morſtrenium ſolemni ritu undecimo Calendarum Auguſti Anno MCCCXCVI. ſolemni ritu lectus ſequenti anno Calmariæ coronaretur (*Loccenius*

nius d. loc. p. 126. Erpold Lindenbruch apud Stephanum Johannis Stephanium in Deſcript. Regni Daniæ p. 203. ſeq. Dn. Lindenſpür de Famil. & Imp. orig. mut. cap. 16. p. 70. & 71.) unioque vel fœdus trium regnorum Sueciæ, Daniæ, Norvvegiæ, ingens concordiæ inteſtinæ munimentum conſtitueretur. Quoniam verò hic Ericus ejus nominis VIII. D. S. & N. R. legũ regni immemor, & ut Loccenius tradit *Hiſt. Suec. l. 4. p. 142.* plus Cupiditatibus ſuis atq; exterorum præfectorum avaritiæ ac libidini quàm publici boni curæ conceſſiſſet, & quo præverteret caſum, regno exceſſiſſet, atque in Gothlandiam & Pomeraniam ſuam ac Rugenvvaldiam ſeceſſiſſet, XX. annos privatus ab Anno inde MCCCCXXXIX. vivens; aſſumptus fuit Chriſtophorus Bojus, Johannis Comitis Palatini ex Catharina, ſive ut alii eam nominant Sophia (*vide Pontanum loco citato*) Erici Pomerani Sueciæ, Daniæ Norvvegiæque Regis ſorore natus filius, juſtis Procerum Ordinumque regnorum Septentrionalium ſuffragiis Erico patruo ſuffectus fuit, qui regna nō niſi ſeptem, ſive ut Pontanus numerat, quinque annis usque ad annum MCCCCXLVIII. ſed magno cum laude adminiſtravit, longè felicior quàm ſi malè imperaſſet. Præclarus Princeps obiit ſine liberis, glorioſius ex bene factorũ memoriâ, quàm ex ſobole, nomen apud poſteros habiturus: ut enim nobilis ſit proles, tamen eſt mortalis & dubiæ virtutis, juſtitiæ verò ac ſapientiæ, quæ dotes Regiæ ſunt, certa eſt gloria & immortalis, dicente Dn. Adelzreittero *Boicæ gentis Annal. part. 2. l. 8. n. 14. p. 173.* Erat autem iſte Chriſtophorus ejus nominis III. Danis quidem acceptus, Suecis inviſus: quibus tamen ad mortem usque dominatus eſt. *Stephanius in Deſcript. Dan. p. 207. 208.* Eo defuncto ſine prole maſcula, cùm haud lateret Danos, Suecos in eo totos eſſe, ut ſibi ſpecialem Regem deligerent, & ipſi de eligendo ſibi Rege conſilium cœpêre. Erat quidam vir equeſtri dignitate opibusque inter Danos & auctoritate præſtans; is & nuptias Dorotheæ, & per eas etiam regnum, appetebat. Verùm, quia exemplum hactenus nullum erat eligendi ex nobilitate regis; & Dorothea (vidua Chriſtophori D. R.) generoſi animi fœmina, nuptias planè recuſaret, aut Principum ſanguine virum dari ſibi poſtularet; ac nupturam ſe promitteret, cui regnum à Senatu datum foret, (*Meurſ. Hiſt. Dan. l. 1. p. 3.*) abhinc unanimia Danorum vota, ut refert Herman. Hamelmann *part. 3.* der Oldenburgiſchen Chronic *p. 199.* Spangenberg *lib. 1.* der Schaumburgiſchen Chronic *cap. 11.* Adolphum Schlesvvicenſem Holſatiæ Ducem, Regem eligebant. Qui cauſatus provectam ætatem, honore ſummâq; illa dignitate indignum ſe profitebatur, cumque nihilominus inſtabant Regni Ordines, ut ſuffragio ſuo, quē huic muneri aptum æſtimaret, declarare vellet, arbitrio ipſorum commiſit, annon luberet ſororis ſuæ Heilvvickæ & Dieterici Comitis Oldenburgici filium natu majorem, Comitem Chriſtianum, ad hoc evehere faſtigium, quòd is non ſolùm ortum ſuum antiquiſſimo Saxonum origini, Wittekindi nempe Magni acceptum ferat, inſuper Princeps Juventutis candidus, fortis, atque magnanimus, ab ipſo à teneris inde unguiculis ad ſumma quæque virtutesque Principi dignas educatus eſſet, ſed etiam facilè ſecuturas cum vidua Regia nuptias, eoque toti Regno haud leve emolumentum acceſſurum fiet. In hancce ſententiam adeò pedibus ibant Ordines regni, ut omnes & ſinguli Anno MCCCCXLVIII. annum agentē XXII. (*& non ut Funcius exiſtimat XXXIV.*) in Regem eligerent; Dein anno ſequēti proximo MDXLIX. Rex Daniæ, Anno MDL. Norvvegiæ Rex Drunthemii die S. Olao ſacro Olai coronâ coronatus, eo ipſo tempore glorioſæ memoriæ Regis Chriſtophori viduam, Reginam Dorotheam, natam Marchioniſſam Brandeburgicam, Marchionis Brandeburgici Johannis (cujus frater Marchio Albertus Achillis Germanici titulo cluebat) filiam in matrimonium accepit. Cui ordine ſucceſsêre Johannes I. filius; Anno MCCCCLXXXII. Chriſtianus ſive Chriſtiernus II. nepos; Anno MDXIII. (*de quo capite præcedenti aliquid annotatum*) iterum filius Chriſtiani I. ſecundogenitus Fridericus hujus nominis primus, Anno MDXXII. & ex eodem nepos Chriſtianus ſive Chriſtiernus III. A. MDXXXVII. pronepos Fridericus II. Anno MDLIX. abnepos Chriſtianus IV. Anno MDXCVIII. atnepos Fridericus III. Anno MDCXLVIII. Et ad hunc usque, Daniæ Regnum electione Reges ſibi ſumpſit, ſic tamen ut non facilè eâ Regis Primogenitum præterierit, qui juxta certam Capitulationem in Coronatione Ordinibus regni antiqua privilegia & receptas conſuetudines jurejurando confirmaret. (*Author Juriſpubl. Europæi Epiſt. 1. de Daniæ Regni Statu.*) Friderico verò illo III. nóvum cuncta Dania Regi ſuo tot malis belli Suecici & domi defuncto decorem Anno MDCLX. (*vide Diarium Europæum parte 5. menſe Junii*) impertiebatur, hæreditarium ſibi Dominum eum & liberos tam maſculini quàm fœminini generis ſucceſſivè conſtituendo. (*Thulden Hiſtor. Europæ. parte 4.*) Vi cujus Juris Friderico III. die IX. Novembris Anno MDCLXX. Hafniæ placidè fatis concedente, primogenitus ejusdem Chriſtianus V. Princeps hæreditarius (Anno MDCXLVI. die XVIII. Aprilis natus) ſucceſſit, homagium à Regni Ordinibus ſtatim poſt mortem Parentis accepit, & etiamnum DEO juvante feliciter regnat regnabitque. Fiat! Cæterùm qui Regum catalogum & ſucceſſionem penſiculatiùs inſpicere cupit, adeat laudatum Pontanum *in Hiſt. Dan.* ejusdem continuatorē Meurſium, Gotofredum *in Archont. Coſm. Deſcript. hujus regni*, Stephanium *dicto loco*, Cranzium *in Dania l. 1. c. 2. ſeqq.* Hornium *in Orbe Imp. p. 240. ſeq.* & ex parte Loccenium *in Hiſtor. Suec.* Lazium *de Gent. Migrat. l. 9. p. 515. ſeqq.* & modernæ Hiſtoriæ Scriptores, Zeillerum *Deſcript. Daniæ ab initio inprimis pag. 88. ſeqq.* Olaum Worm. *in libro, cui titulus, Regum Daniæ ſeries duplex.*

(2) *Hedvviga &c.*] Hermannus Hamelmann *parte 3.* der Oldenburgiſchen Chronick *p. 192.* ex veteribus monumentis illam *Heilvvick*, & non *Hedvvigam* dictam, fuiſſe Dieterici Oldenburgici uxorem, Gerhardi Ducis Schlesvvicenſis & Holſatiæ filiam, Gerhardi & Adolphi Ducum ſororem & Adamus Olearius im kurtzen Begriff der Holſteiniſchen Chronick *cap. 1.* probant.

(3) *Quibus artibus parantur, iis optimè &c.*] Sic Salluſtius *in Epiſt. 1. de Rep. Ordin.* inquit: Ut fabricata; ſic virtute parta quàm magnâ induſtriâ habere decet. Ad quod Loccenius *pag. 260.* notat, Sultano Turcarum templum ſupplicandi cauſâ ingredienti Sacerdotem occurrere claraque voce, ut ferunt, pronunciare: Meminiſſe velit Imperium, quod juſtitia & virtute bellicâ partum ſit, iisdem artibus propugnari & conſervari. Qui autem bonis artibus ad regna pervenêre, iisdem etiam ſubditorum animos retinere gaudent; qui diverſâ irrupêre viâ, quoniam charitatē civium promittere

ſibi non poſſunt, metu & terrore, ſolitis tyrannidi vinculis exprimunt obſequia. Exempla vide apud Forſtnerum *in Not. Polit. ad Tacit. 1. Annal. 10. pag. 35. ſeqq. & p. 533.*

(4) *Dubravius lib. 33. &c.]* Planè diverſum à Goldaſto ſentire videtur Dubravius, qui non à Cæſare impetratam, ſed à Statibus Hungariæ impetrandam ætatis veniam, ipſis Cæſareis Legatis ſuadentibus conſultum, narrat: verba ejus ipſiſſima hæc ſunt: Paternorum regnorum decus Ludovicus excepit, impar adhuc per ætatem tanto oneri ſuſtinendo, quod per ſe ſatis grave, inſuper factionibus Hungaricis prægravabatur: nonnulli enim gubernacula Regni ſtatim ad Ludovicum deferenda cenſebant, alii gubernatorem requirebant, cujus authoritate & conſilio tantiſper regnum adminiſtraretur, dum Ludovicus paulò ad ætatem maturiorem adoleſceret, atque in hanc partem Jani Trencinenſis familiarium vehemens ſtudium apparebat. Sed miſſi ad tempus à Cæſare, & à Rege Sigiſmundo in Hungariam Legati, dignitate ac nobilitate conſpicui, facilè in hanc ſententiam Hungaros adduxerunt, ut regimen penes Ludovicum eſſe ſinerent, usque ad publicum Hungarorum Concilium, in eo quod omnium conſenſu fuerit definitum, id meritò ut præpolleat &c.

Num. 2.

(5) *Hic præter Cimbricam Cherſoneſum &c.]* Ita ſcribit Boterus *in Relat. de hoc Regno*, exactiùs Adamus Bremenſis, Item Jonas Coldingenſis, Pontanus *in Chronographica Daniæ Deſcriptione*, Geographi communiter.

Num. 3.

(6) *Selandumia &c.]* Dicere fortaſſis Boterus volebat, *Selandia*, ſive *Selandorum Inſula*, Fioniæ, Orientem verſùs, proximè objecta. Quæ inter cæteras hujus regni Inſulas omnium habetur amœniſſima maximaque, utpote quæ longitudine cenſeatur milliarium Germanicorum octodecim, latitudine duodecim.

(7) *Pagorum frequentiam &c.]* Imò urbium; Habet enim civitates tredecim maximè celebres Haffniam (Regum ſedem,) Helſingoram, Roſchildiam (ob pacem anno MDCLX. inibi concluſam notiorem) Ringſtadium, Coagiam, Neſtvedam, Callumburgum, Slangendorpium, Preſtocam, Slagloſam, Corſoram, Scielſoram, Holbekam. De quibus & aliis Stephanium *in Deſcript. Daniæ p. 66. ſeqq. multis* vide.

Num. 6.

(8) *Scolopacum &c.]* Nemaſianus Olympius de Venatione:

Cùm nemus omne ſuo viridi ſpoliatur honore:
Fultus equi niveis ſilvas pete protinus altas
Exuviis: præda eſt facilis & amœna Scolopax.
Corpore non Paphiis avibus majore videbis.
Illa ſub aggeribus primis, quà proluit humor,
Paſcitur, exiguo ſectans obſonia vermeis.
At non illa oculis, quibus eſt obtuſior, etſi
Sint nimiùm grandes, ſed acutis naribus inſtat:
Impreſſo in terram roſtri mucrone, ſequaces
Vermiculos trahit, & vili dat præmia gulæ.

Quibus verbis inquit H. Junius, *in Onom.* clariſſimè depingit, ut nullus æquè Pictor noſtram *Sneppam.* Eſt ergo Scolopax Germanis Sneppf/ Sneppfhun/ Belgis *Sneppe, hout ſnippe &c. (Martinius in Lexico.)* Dicta autem videtur, à figura roſtri, quod inſtar pali longum & rectum habet. Græci enim palum dicunt σκόλοπα. Schottus *in Phyſ. Curioſ. l. 9. c. 69.*

Num. 9.

(9) *Tractat durè incolas &c.]* Confirmat hoc Boteri aſſertum Bureus *in Orbis Arctoi Deſcriptione circa finem*, quando notat, fuiſſe aliquamdiu Norvvegiam admodùm florentem, Emporiumque tenuiſſe per Daniam ac Inſulas maris, donec per indigenas domeſticosque Reges ſucceſſione hæreditariâ Imperium adminiſtrabatur. Poſtea deficiente in Olavo IV. regiâ familiâ, Proceres conſenſiſſe, ut Reges per Electionem ſuſciperentur. Quare regnum ad noſtra usque tempora ſub Danorum poteſtate manſiſſe; hos, ne quis defectionis potens Author exiſteret, procuraſſe ſemper, ut nobiliores familiæ vel extenuarentur, vel cum Danis conjugia contraherent, eſſeque ita voti compotes factos, ut nullus jam reſtet alicujus dignitatis, ex antiqua nobilitate Norvvegica oriundus, nullosque niſi Danos, vel ex Danica conſanguinitate ortos, vel ad minima officia admitti, Imperii diuturnitatem ex infirmitate ſubjectorum ſtatuentes. Vid. Zeiller. *in Daniæ Deſcript. pag. 45. ſeqq.*

(10) *Nullas alicujus momenti divitias &c.]* Attamen Zeillerus *in Deſcript. Daniæ, Norvvegiæ &c.* ex Heldvadero *pag. 44. edit. lat. & p. 132.* docet, Anno MDCXXIII. in Provincia Sendwert ſumptibus Regis Chriſtiani IV. Argentifodinam inventam fuiſſe, ex qua poſtmodum & aurum erutum fuerit, & Schinam æris & ferri fodinis divitem pronunciat.

Num. 15.

(11) *Piſcium maris &c.]* Cùm contentio, referente Pontano *in Chronographica Daniæ Deſcript. pag. 773.* inter Europæorum legatos aliquando exorta eſſet de ſupereminentiâ ſuorum Regum, quis videlicet præſtantior ac opulentior jure haberetur: & alius aurum, alius argentum, alius denique frumenti ac vini copiam jactaret, (non enim omnia uni regioni data) memoratur Danorum Regis Legatus, cui poſtremò loquendi poteſtas facta, in hanc repoſuiſſe ſententiam: Si potentiſſimi ac locupletiſſimi omnium totius Europæ Regum gazæ univerſæ latifundiaque venum exponerentur, cariſſimèque omnia venderentur, eoque repræſentato pretio ligneæ viciſſim eorum loco paropſides viliſſimò coëmerentur, omnibus tamen iſtis licet infinitis futuris vaſis ſufficere Daniæ, Norvvegiæque &c. Regem triplici diverſi generis recenter capto piſce onerandis exornandisque. Quo dicto ſuffragium omnium qui aderant, Daniæ Regis felicitatem pluris, quàm omnium cœterorum opes, faciendam demonſtravit. *Hæc ille.*

Num. 16.

(12) *Vulgò* der Sundt *&c.]* Quem Dani ſinum *Ore ſundt* appellant. Hic igitur perque ſinus hujus faucis, illa non tantùm ingentia Germaniæ, Sueciæ, Livoniæ, Ruſſiæ, Boruſſiæque flumina, in mare ſeſe Orientale ſparſim exonerantia, ceu per cataractas quasdam, in Oceanum Norvagicum procurrunt, ſed & naves totius Europæ in idem Suecicum ſeu Orientale mare commerciorum gratiâ properantes atque inde viciſſim mercimoniis onuſtæ redeuntes, hujus tranſire perpetuò Porthmi anguſtias tenentur. Si quæ verò minora navigia ſint, Lubecâ aut proximis ex urbibus Holſatiæ Cimbriæque ſolventia, ea

per

per Balthicum ſinum, qui inter Selandiam & Jutiam eſt, pluribus minoribus inſulis, tum & vadis impeditior, curſum inſtituunt; ita tamen, ut Neoburgi, (*Nyburg*) quod Fioniæ oppidum, ſubſiſtere, atque ibi vel Regiæ navi prætoriæ, quæ fauces ſervat, mercium ſuarum ac tranſitûs rationem reddere cogantur. Adeò ut verè hæc Orientalis totius Oceani, quâ ſe latiſſimè versùs Moſcos ac Sarmatas expandit, clauſtra cenſenda: Et maximè Oreſundæ hoc fretum, quod non Croneburgo tantùm arce, ſed & Hellingburgo, quod in adverſa Scandinaviæ ripâ caſtrum eſt, communitum ſpectetur: ita ut omnes Ortum versùs aut in Oceanum Occidentalem navigaturi hîc ſubſiſtere, arcemque Cronenburgum, uti ſedem Regiam, ſuppari demiſſione cohoneſtare, ac velis mox omnibus complicatis, jactâque anchorâ, in terram exſcendere, ac debitum Regi telonium collectoribus, ad id in oppido Hellingoræ à Regia Majeſtate conſtitutis, pendere neceſſe habeant. Qui ſecus faxit, amiſſionem bonorum incurrit. Jactarunt olim Græciæ Principes aureum ſuum vellus, alii Hermum, Tagum, aut Pactolum ramenta aurea ferentem: Et alii denique Jovis imbrem aureum cœlitùs dimiſſum: Sed ut fabulis quodammodo iſta & Poëtarum ingeniis ad delectationem conficta, inque majus aucta, ita hîc verè res agitur, verè Balthici hoc maris oſtium appellare auriferum liceat, quod aurum argentumque in bono aſperoque numo ſine ullo aut labore aut periculosâ ſubterraneorum diurnâ nocturnaque inquiſitione, velut Amaltheæ quoddam cornu, aut virgula divina regio ærario copioſè affundat. Nec deſunt interim & ſuæ regno opes, & inter cætera, argenti quoque fodinæ ſubterraneæ, quæ præſertim Norvagiæ & Sueciæ eſt contigua Dania, regiâ nuper curâ feliciter adinventæ excultæque, ut omittam terræ fruges marisque proventus, atque inde tot boum, equorumque generoſorum myriades, quibus ut è regno abduci tutò poſſunt, certis ſunt locis conſtituta vectigalia, maximum etiam momentum regni gazophylaciis inducentia, quamvis ſuperet cætera, meritoque prærogativam mereatur priùs iſtud, utpote, cui Europa penè univerſa ditioneſque ejusdem maritimæ omnes, quatenus hæc iter ex oris earum navibus agitur, agnoſcuntur tributariæ. Hactenus Pontanus *Chorograph. Daniæ Deſcript. pag. 727.* Cujus locum integrum eò libentiùs adſcribere volui, quòd in illo Regis Daniæ præcipuorum redituum fontes digito quaſi monſtret. Accuratam ejus Sinus delineationem vide in Theatro Europæo *part. 5. p. 520.*

Num. 17.

(13) *Præternavigare poſſit &c.*] Nihilominus Hiſtoriarum Scriptores noſtri temporis & inprimis Theatrum Europæum *part. 5. d. pag.* teſtis eſt, Anno MDCXLIV. ad diem XXI. Auguſti Ludovicum de Guerre Suecico-Hollandicum Amiralium viginti & unâ, aut ut alii numerarunt XXIII. Navibus, propè fortalitium Helſenburgo ſubjectum, Oreſundum tranſiiſſe & Balthicum mare ingreſſum fuiſſe, nullo damno quamvis Cronoburgo, ex ſeptem tormentis æneis majoribus peteretur, ipſi aut ſuis illato, quod ipſum paulò pòſt Martinus Thyſius imitatus legitur. Similiter quoque d. VIII. Junii Anno MDCXLV. Hollandicarum navium bellicarum Amiralius Witte Wittens quinquaginta ſuis navibus bellicis & CCCXXVI. mercatoriis, diem unum & noctem unam in freto apud arcem Cronenburg commoratus, plenis velis ſine ulla vectigalis ſolutione Croneburgum (ex cujus feneſtra Rex proſpiciebat) prætervectus eſt, ac in mare Balthicum indemnis Regem aperto capite ſalutans tranſivit. *Theatr. Europæ. part. 5. pag. 769.*

(14) *A Saxone commemoratur &c.*] *Lib. 8. Hiſtor. Dan. pag. 144.* Verba ejus hæc ſunt: Igitur frequens Danicâ claſſe pelagus Sialandiam Scaniæ veluti interſito ponte committere videbatur. Quas quidem Provincias intermeare cupientibus conſertiſſimo navium globo pedeſtre compendium exhibebat. Vide quoque Pontanum *Rer. Dan. Hiſtor. lib. 1. pag. 31. & Chorograph. pag. 726.* Loccenium *Hiſtor. Suec. lib. 1. pag. 34.*

(15) *Ingens Regi vectigal &c.*] Ex Itinerario Auguſtini Liberi Baronis à Mœrsberg & Beffort Equitis Melitenſis Anno MDXCII. in his locis Legati, allegat Zeillerus *in Daniæ &c. Deſcript. pag. 176.* de vectigali ponendo ſequentia: Omnibus (*inquit*) navibus ex alterutro horum marium in alterutrum navigaturis hoc fretum (*Oreſund*) transeundum, & vectigal pendendum eſt. Quotidiè ferè quadringentæ aut quingentæ naves tam parvæ, quàm grandes ibi vectigali ſoluto transeunt. Pro quovis malo aureus numus, vulgò *Roſenobel*, ſolvendus: qui tales numos non habet, in Regis argentaria permutationis pretio addito eorum compos fieri poteſt. De centum thaleris ad minimum unius ſolutione vectigali ſatisfaciendum. Vectigal itaque hoc incredibiles numos parit. Cum eo ita comparatum eſt: Exempli gratiâ; Si navis vino onuſta eſt; mercatori, aut nautæ, qui vehit, illud æſtimandum: Si pretium excedat, vectigal opimius erit, ſin minus juſto fuerit, vinum Rex ſibi ſervat. Cogitur itaque mercator ſe inter æquitatis terminos continere, & Rex fraudibus nullis circumvenitur. Quod an adhuc obtineat, mihi non liquet. Conſtat enim ex Schoockio *Fœderati Belg. lib. 6. cap. 6.* cùm Rex Daniæ haud ſemel grande à Belgicis navibus portorium exigere inſtituerit, Ordines Generales, quibus præ cæteris mercatura cordi eſt, aliquoties miſſis ad Regem Oratoribus de moderatione onerum illorum, quorum impatiens mercatura eſt, egiſſe, ac ante annos non ita multos, dum arbitri inter dictum Regem ac Coronam Sueciæ electi eſſent; eò controverſiam hanc deduxiſſe, ut Rex in modica recognitione Juris, quod ibi obtinet, ab eo tempore acquieſcat; maximè poſt ultimam confœderationem Anni MDCL. Deinde Pactione factâ Anno MDLXX. inter Fridericum Daniæ, & Ericum Sueciæ Regem, Suecorum merces liberè transire ſolebant, & inter alios Pacificationis Septentrionalis Anno MDCLX. d. XXVII. Maji inter Sueciæ Daniæque Coronas concluſæ articulos tertius, ea de re ſic ſonat: Conventum quoque & concluſum eſt, ut omnes S. R. M. Sueciæ, ejusdem ſubditis, & incolis tam ipſius Sueciæ, quàm ſubjacentium Provinciarum, Regionum, ac Urbium, ſine omni exceptione propriæ naves, ſive ſint armatæ, ſive non armatæ, ſive parvæ, ſive magnæ, cum mercibus cujuscunque generis, quas vectant, ſine diſcrimine, non ſolùm in Oreſunda & Balthico freto, ab omnibus

vectigalibus, inquiſitionibus, viſitationibus, detentionibus, aliisque moleſtiis ac oneribus, quocunque demum nomine venire queant liberæ ac immunes; ſed & nullatenus obſtrictæ eſſe debeant, ut ſecum habeant vel monſtrent certificationes quaſdam de mercibus impoſitis, ſi tantummodo S. R. M. Daniæ telonio, Helſingnoræ & Neoburgi, legitimas ſuas Salvi paſſus nautici literas exhibeant & oſtendant. Verùm cùm bonis iſtis atque mercibus, quæ quidem ad S.R.M. Ejusdemq; Succeſſorum ſubditos & incolas, tam in Suecia, quàm in omnibus aliis Sueciæ ſubjacentibus Provinciis, Regionibus, Urbibus ſpectant atque pertinent, ſed peregrinis navibus impoſitæ ſunt, eadem impoſterum ratio, quantum certificationes concernit, juxta tenorem pactorum Branſebroënſium obtineat & obſervetur: In eum quidem ſenſum, ut ſi tantummodò legitimas ſuas certificationes oſtenderint, tunc ſine impedimento, detentione, interdicto, aut vectigalium exactione, quocunque demum modo per Oreſundam ac fretum Balthicum, ultro citroque liberè transire poſſint. Aſt bona Suecica peregrinis navibus impoſita, quæ legitimas certificationes ſuas oſtendere nequeunt, in freto Oreſundico ac Balthico vectigali obnoxia ſunt & ſubjecta.

Num. 19.

(16) *Quinquaginta millia boum &c.]* Ex Heldvaderi (*in Sylva Chronologica Circuli Balthici*) narratione conſtat, Anno MDCXII. quadraginta bis mille boves ex Dania Albim versùs actos eſſe, non annumeratis iis, qui magno numero navibus in Belgium trajecti ſunt. Zeiller. *in Deſcript. Daniæ, Norvvegiæ p. 68.*

Num. 21. 22. 23.

(17) *Ærarii Præfectus &c.]* Ita nos docet Pontanus *Chorograph. Dan. Deſcript. pag. 768.*

Num. 25.

(18) *Quid R. D. mari poſſit &c.]* Quid verò in militia terreſtri, oſtendit non ita pridem Anno nempe MDCLVII. Fridericus Rex, quando decem mille Equitibus & undecim millibus cum octingentis Peditum, Suecorum arma præſtolabatur. Interim præſidiariis militibus, diverſis in locis relictis, qui ad numerum tredecim millium aſſurgebant; & aliis in Scania & Norwegia copias felicem Suecicorum armorum progreſſum remoratus. *Theatr. Europæ. Contin. ſive Irenico-Polemo-Graphiæ part. 2. p. 208.*

(19) *Chriſtiernus II. &c.]* Subſtituendus hoc loco Chriſtiernus hujus nominis Tertius, quod ratio temporis evincit. Cùm ex fide Hiſtoriarũ indubitatum ſit, Chriſtiernum II. Magnum, illum crudelem, infelicem exulem (cujus vitam Svvaningius, ut ſuprà innuimus, peculiari libello complexus eſt, & Meurſius *Hiſtor. Daniæ lib. 3.* deſcripſit,) circa Annum MDXXII. Regnis exutum. Henricum Galliæ Regem Anno MDXLVII. ad ſolium Regium evectum, & Anno MDXLIX. obiiſſe. Chriſtiernum verò III. Daniæ Regem Anno MDXXXVII. coronatum, Anno MDLVIII. vitam cum morte commutaſſe; Sic hunc non priorem Henrici Synchronum fuiſſe.

(20) *Inſulas &c.]* Inter quas eminet Islandica, de qua Arngrimus Jonas *in Crymogæa ſive rebus Islandicis, & in Specimine Islandiæ Hiſtorico* latè agit. Præterea Grœnlandiæ partem cognitam ad Danos pertinere indubitatum, & mare contiguum ex balænarum captura innotuit; Hactenus verò detectum non eſt, Inſula, an terra continens ſit cum America, ulterioribus navigationibus impeditis propter mare glaciale. *Author Juriſpubl. Europ. Epiſtola 1. pag. 10.*

Num. ult.

(21) *Ab inimicis R. Eccleſiæ occupatis &c.]* Junge Piaſecium, qui hæc *in Chron. Geſt. in Europa ſingul. p. 85.* confirmat.

Illud Coronidis loco ad hoc Caput addimus, dum Saxo Grammaticus *Hiſt. Dan. pag. 193.* Johannes Magnus *lib. 18.* & Olaus Magnus *lib. 18. cap. 25.* narrant, ex puella ab Urſo quopiam rapta & ab illo impprægnata, filium natum fuiſſe nomine Urſum, cui poſteri Daniæ Sueciæque reges aliquot gentis ſuæ initium debuêre, Authores circa quæſtionem, quis ille Urſus beſtiàne an homo, an quid aliud fuerit, in varias abire ſententias. Inter quos Franciſc. Torreblanca *Dæmonomagiæ lib. 2. cap. 31.* ſic ſentit: Quod ſi quando accidit, potiùs ex muliere, & incubo Dæmone urſi formâ, quàm ex muliere, & urſo natos exiſtimo. Nam ex homine & fera non naſcitur homo, ſed monſtrum, ut ex hyæna, & lupo thoës; ex equa & aſino, mulus: & ex aliis ſpecie diſcrepantibus animantibus, Leopardi, Pantheræ, & aliæ hybrides. Quia ferinum ſemen perfectionis illius expers eſt, quæ ad tam nobile animæ domicilium requiritur; ut non malè Manilius:

--- — *Permiſcet ſæpè ferarum*
Corpora cum membris hominum, non ſemini at illi
Partus erit, quid enim nobis commune feriſq.

Hæc Torreblanca. A quæ ante eum non admòdùm alienus videtur fuiſſe ſententiâ Martinus del Rio *Disquiſ. Mag. lib. 2. quæſt. 14. p. 138.* Contrà verò non urſum, ſed urſi, ſeu Biornonis nomine, inſidiatorem & raptorem, originem fabulæ dediſſe, ſtatuit Stephanus Johannis Stephanius *in Not. ad lib. 10. Hiſtor. Danicæ Saxonis Grammat. pag. 210. a.* ubi ait: Hoc ipſum quoque fateri Centuriatores Magdeburgenſes, quamvis Saxonem, (*ut putat*) immeritò tanquam nugatorem ſugillent: verba ab ipſo ex Centuriis Magdeburgenſibus allata hæc ſunt: Inter metamorphoſes Ovidii referri poſſet, quod Saxo Grammaticus de Urſo nugatur: quem ait in agro Suecico virginem quandam rapuiſſe, & in latebris ſuis ejus concubitu uſum eſſe: tandem à vicinis paſtoribus, quorum gregibus moleſtus fuerat, captum & interemptum eſſe: virginem verò, quæ ex Urſo gravida fuerat facta, filium enixam eſſe, cui à Parente Urſi nomen ſit impoſitum. Qui poſtquam adoleviſſet, agnitâ ſuæ propaginis veritate, à patris interfectoribus funeſta egit ſupplicia. Fuit autem hic urſus, latro aliquis nobilis, qui id facinus perpetravit; poſtea hoc ſcelus Poëtæ tali modo finxerunt, cum Authorem potentem apertè non liceret reprehendere. *Cent. Magdeb. cap. 15. p. 693.* Pontanus denique *Rer. Dan. Hiſt. lib. 5. p. 162.* excuſat Danos ſuos Hiſtoricos, putatque haud vitio vertendum eorum annalibus, ſi & illi, quò regis præſtantiſſimi Suenonis Eſtrithii auguſtiores natales facerent, non tam manifeſta ſectari, quàm fabulæ involucris obſcurata tradere, vel potiùs à majoribus ſimpliciter prodita, & ipsâ vetuſtate in majus aucta repetere voluerint &c.

CAPUT

CAPUT XI.

De Regis Poloniæ Opibus, Viribus ac Ærario.

SUMMARIA.

1. Polonia *à planitie dicta.*

2. *Copia regni* Poloniæ *in frumento, melle, cerâ.*

3. Mel *cum lupulo aquâ decoctum Polonis, Ruſſis & Podoliis in frequenti eſt uſu.* Müdonem *vocant*, n. 4.

5. Opes Polonorum *potiſſimùm conſiſtunt in lino, cannabe, jumentis, gregibus & armentis, pigmentis, & coloribus, ferro, ſuccino, pellibus ferarum pretioſis, &* n. 6.

7. Succinum *quomodò colligatur?*

8. Polonia *mercimoniis haud frequens, aut apta ad commercium; auro argentoq; non abundat, ideoq; regnum opulentum dici nequit*, num. 9. Salinis *Ocenſibus & Veliſcenſibus potens*, n. 10.

11. Proventus *annui Regis Poloniæ quousque aſcendant.*

12. Sal *foſſilis, ex aqua ardente Sole concretus*, num. 13.

14. Nobilium *prærogativa, ut ſalem minoris, quàm cæteri, emant.*

15. Bona caduca *applicantur Coronæ regiæ.*

16. Regnum Scotiæ, Navarræ & Sardiniæ *non ultra centum ſcutatorum millia Fiſco Regio pendit.*

17. Arragonia *quantum annuè pendat.*

18. Rex *eſt in ſuos Palatinos & Caſtellanos aliquantò liberalior.*

19. Rex *gravat populum magnis impoſitionibus, ſed in neceſſitate.*

20. *Nupera* Conſtitutio de Contributionibus *Anno 1640. in Regno Poloniæ promulgata nunquam ſatis laudanda, & ubique gentium obſervanda.*

21. *Ingens Equitum in Polonia numerus.*

22. Nobiles *propriis expenſis pro Regno ſervire tenentur.* Coſacchorum *deſcriptio*, n. 23.

24. Divitiæ Poloniæ *ut plurimùm inter Dominos & Nobiles ſatis benè diviſæ ſunt.*

25. *Non eadem ratio & conditio eſt* Ducum Boruſſiæ & Curlandiæ *cum reliquis Palatinis & Statibus Poloniæ.*

26. Vectigalia *nunc non tàm ampla, quàm olim. Ea qualia fuerint, deſcribuntur: Ita ut neque Eccleſiaſtica monaſticaq; prorsùs eſſent immunia*, n. 27. & 28.

29. Militum *inſolentia deſcripta.*

30 *Ex* potu venali, *ex* molendinis *penſitatur, aliiq; complures*, n. 31. & 32.

33. Tributum capitale, *in magna neceſſitate.*

34. *Imponit ſibi ſubinde* Nobilitas *cum Rege & proceribus tributum.*

35. Vectigal *è teloniis mercium & vectorum. Vetus & novum*, n. 36.

37. *Quæ perpetua* Regis vectigalia, *ea diſtrahere, vel cuiquam addicere hæreditariè vetitum.*

38. Judæi *extraordinariè ſubindè pendunt.*

39. *Unde ſe* Rex *ſuſtentet, unde aulicis ſtipendia præbeat.*

40. *Subjecti ſunt* Poloni *ſuo Regi, at haberi volunt, uti fratres.*

41. *Inſigne Poloniæ* Aquila *coronata.*

SARMATA dives agris, dives Salis eſtq; fodinis,
Eſt opulentus equis, torvis bobus atque metalli
Venis. Hinc Fiſcus ſua commoda regius haurit.

POLONIÆ *à planitie* (1) terræ, quam 1
Scythico vocabulo *Pole* appellant, no-
men inditum arbitrantur plerique. *Hujus
opes* (2) conſiſtunt in copia frumenti, fru- 2
gumque omnis generis, quibus adeò abun-
dat, ut multis exteris provinciis cum fame
luctantibus annonam ſuppeditaverit, nec
vicinis ſaltem gentibus, ſed & aliquando *I-
taliæ ſubvenerit*, (3) frumento Genuam, Ro-
mam, & Etruriam ſubmiſſo. Colligunt
& multum argenti ex divendito *melle & ce-
râ.* (4) Mel cum lupulo aquâ decoctum in 3
frequenti uſu eſt, Ruſſis præſertim & Podo-
liis, apud quos permagna eſt apum & mellis
optimi ex dictamno & aliis benè olentibus
herbis ac floribus collecti copia. Nec Pruſ-
ſis & Maſſoviis mel deeſt. Qui & ipſi itidem
id decoquunt. *Müdonem*, ſive Meth vulgò 4
vocant. Faciunt quoque rem è lino, ſparto,
ac cannabe, *pinguiſſimis bobus* (5) & equis,
nec non è pigmentis & coloribus terrâ effoſ-
ſis, inprimis glauco, cæruleo, *uti & metallis*, 5
(6) ferro & ære Cyprio, pice, ſulphure ac
Succino, (7) quod in littore Prutenico lectum
magno pretio venditur. Electrum hoc ſive
ſuccinum fluctibus appulſum ad littora, ho-
mines nudi obviam euntes *parvis retibus ex-* 6
cipiunt, (8) & extrahunt, molle primùm, ſed
mox in aëre dureſcit, tornoque ac ſcalpro va-
riè conformatur. Incolæ Germanico uten-
tes idiomate *Augſtein vocant*, (9) ſive *Born-
ſtein. In Boruſſia* (10) hoc Succinum *ſoli
Duci reſervatur*, (11) ſicuti Cetini dentes in
Islandia, (12) ad Regalia Regis Daniæ perti-
nent; ac Elephantorum dentes Æthiopes in
tributum pendere ſolitos, legimus. Vendunt
inſuper Poloni immanem copiam pretioſa- 7
rum pellium, diverſis beſtiis detractarum,
cujusmodi ſunt *vulpes nigræ & albæ*; (13)
ſciuri, lupi, urſi, ictides ſive martes, & mures
Pontici, pantheræ ſive lupi cervarii, roſomal-
ci, lutri, item harmelini, & caſtores.

In univerſum tamen fatendum eſt, Po- 8
loniam non eſſe frequentem mercimoniis,
aut aptam ad negotiationes, *ne in oppido qui-
dem exercendas*, (14) cùm ingenia Polono-
rum ad has res facta non videantur, ſed po-
tiùs *ad indulgendum genio*, (15) & prodigen-
das in comeſſationibus, lautitiisque veſtium
opes, quas ſi ſint mundiores extrinſecùs ad il-
los importari neceſſe eſt; putà pannos non
modo ſericeos & aureos, ſed etiam laneos li-
neosq; ſubtiliores, margaritas, gemmas, au-
læa, tapetes, & alia parietum, equorum & ho-
minum ornamenta, quorum opificia minùs

 exqui-

exquiſita ſunt apud Polonos, licèt non deſit materia, & aliis gentibus ſuppeditetur. Ex quo clareſcit, eos auro argentoque abundare non poſſe, cùm regnum opulentum dici non poſſit, quod non plurimas ad exteras provincias emittit merces, paucis verò importatis opus habet. Quod enim exportatur, argento mutatum, lucrum affert; *quod importatur, aurum aufert.* (16)

10 *Theſauri Regni* (17) adeò exigui non ſunt, ut quidam arbitrantur. Narrant enim, qui rem calculo ſubduxerunt, proventus annuos, qui è *Salinis Ocenſibus* (18) (quas repertas fuiſſe aſſerunt Anno MCCLII.) & *Veliſcenſibus* (19) in Satrapia Cracovienſi & me-
11 talli fodinis *ad Regem redeunt*, (20) extendi ad ſexies centena coronatorum millia. Eruitur autem partim ſal ille, raro naturæ beneficio,
12 è terræ viſceribus & venis, tanquam è ſaxo, prægrandibus micis, partim aqua è ſalis fontibus hauſta excoquitur, ut præter ingentem ſalis vim, qui terrâ effoditur, multum etiam coquatur. Præterea in deſertis Podoliæ ad
13 Boryſthenem locis lacus eſt, cujus aqua ſereno & ardente Sole in ſolidum ſalem concreſcit, ita ut homines cum jumentis, & curribus in eo tanquam in glacie verſentur, ſectum-
14 que in fruſta arbitratu ſuo avehant. Nobilitas in Salinis hanc habet prærogativam, ut in uſum ſuum domeſticum ſtatis anni temporibus *aliquantò minoris emat* (21) ſalem, quàm cæteri homines. Poſſunt autem Reges Poloni facilè augere proventus ſuos Beneficiis
15 morte fiduciariorum caducis factis, & Coronæ denuò applicatis, inprimis iis, quæ ad tempus, & privatis hominibus conceſſa fuêre. Quinimo Rex omnes hoſce proventus, ſi velit, aut maximam eorum partem, poteſt in futuros recondere uſus, cùm aulæ ejus de rebus neceſſariis proſpiciatur ex Lithuania, partim etiam ex Polonia, dum vel in hac vel illa commoratur provincia.

Neque profectò hæc levis ad Regis commoda videri debet acceſſio, aut proventus il-
16 li Polonici extenuari, cùm conſtet, Regnum Scotiæ, & Navarræ, & Sardiniæ nô ultra centum ſcutatorum millia Fiſco Regio quotan-
17 nis largiri, ſed nec ipſum Arragoniæ Regnû toto triennio ultrà ſexcenta millia coronatorum pendere. Multò autem ampliores Re-
18 gem Poloniæ percepturum fructus veriſimile eſt, niſi is tàm profuſè liberalis eſſet in Palatinos Caſtellanoſque ſuos, quibus caſtella, pagos, vicoſque regaleis utendos concedit, atque uſitato more earum, quibus præſunt, Provinciarum reditus ex tertia parte, aliquãdo duas tertias exemplo Regis Narſingæ (de quo infrà dicturus ſum) quandoque in univerſum omnes permittit.

19 In neceſſitatibus tamen bellicis, & arduis expeditionibus, *convocatis Ordinibus* (22) Proceribuſque Regni, & diſceptatâ re, in communes & publicos regni uſus populus ingentibus tributis oneratur, quæ *vel agrorum nomine, quos poſſident, penſitare coguntur, vel à Vectigali cerviſiario* (23) hoc nomine aucto defalcantur, unde tanta pecuniæ vis redundat, ut hujus beneficio *Stephanus Rex* (24) ingentem toto triennio adverſùs Moſcorum Ducem aluerit exercitum. Quâ de 20
re nuper optima & ubique gentium obſervanda Conſtitutio in puncto Contributionis eſt promulgata. Quamquam enim ob Turcicos impetus ſedandos, ut & Religionis diverſitatem componendam Rex Poloniæ *Comitia indixerat*, (25) quæ quoque XIII. Calend. Maji Anno MDCXL. fuêre inchoata; Attamen ob invaleſcentem Regis morbum languidè admodùm & gradu teſtudineo quaſi proceſſerunt. Imò primis ſtatim diebus penè diſſoluta fuiſſent, & Ordines absque certa rerum geſtarum diſcuſſione, prout antè acciderat, propè diſceſſiſſent, *niſi Rex* (26) denuò ſuâ interpoſitâ authoritate rem ſummo ſtudio gravique judicio promoviſſet. Propterea tàndem, pecuniæ defectum reſarciendi ergò, *ſtatuerunt*, (27) *bona ad Regis Oeconomiam* (28) ſublevandam propriè ſpectantia & ſingulis annis quatuor auri tonnas pendentia, à Rege verò hactenus in alios Dynaſtas conferri ſolita, ad Regiam Majeſtatem debere revolvi, haud ſecus ac id Sigismundi Auguſti Regis Poloniæ ætate fuit præſtitum. Inſuper conſenſêre, ut *Poborrum* unà cum pecuniis *Caminis ſive per fumantes* (29) impoſitis, & *ſingulis Judæorum capitibus* (30) addicta pretia colligerentur: Quæ omnia, ut ex certa ſupputatione conſtat, excepto *poborro*, ſedecim auri Tonnas pretio Polonico referunt. Hanc tamen Regni Proceres adjecêre conditionem, ne videlicet pecuniæ congeſtæ vel Regi vel Ærarii Præfecto, potiùs verò cujuslibet Provinciæ & Circuli Fiſco committerentur, & publicâ *ob Turcicos incurſus* (31) ingruẽte neceſſitate, ſi milites extraneos conſcribi rerum ſtatus & ratio temporis poſtularet, eorum legiones cuique Territorio, aſſignarentur, ut inde ſua peterent ſtipendia. Interea dum copiæ mercenariorum cogerentur, ad repetinos Reip. motus urgente periculo univerſa *Nobilitas ſigno dato ad arma vocata* (32) comparere, & hoſtiles impetus arcere juſſa. Equitatus enim, qui ex milite voluntario apud Polonos conficitur, cætero- 21
rum *Chriſtiani Orbis Principum robur & vires ſuperat.* (33) Nam Rex ex ſolis Nobilibus, *qui privatis ſumptibus* (34) pro regno militare aſtricti ſunt, *centum quinquaginta millia* (35) gravioris & levioris armaturæ militum cogere, & in aciem, ſi neceſſitas ferat, educere poteſt: Et Nobilitas univerſa omnibus ſolu- 22
ta vectigalibus, bellica tantummodò munera privatis obire ſtipendiis tenetur, idq; non niſi ad propulſandam hoſtiû vim intra Sarmatici regni fines.

Nam ſi ad inferendum exteris gentibus

bellum

bellum extra Poloniam proficiſci jubeantur, ſingulis ternis menſibus quinos aureos numos ſtipendium in haſtam accipiunt. Serviunt hi equis, *armis inſtructi partim ſicut noſtri* (36) cataphracti equites, partim aliquantò levioribus, partim ſicut Tartari. Dicuntur
23 hi *Coſachi.* (37) Horum ars eſt furari, depopulari, omnia vaſtare, peſſundareque. *Tantum autē habēt fiduciæ* (38) *Poloni in equeſtri illa copia*, ut omne præ ſe robur militare contemnant; *nihili facientes munitiones* (39) oppidorum caſtrorumque. Sic enim arbitrantur deductum per loca aperta exercitum adverſus hoſtem, majori animo præliari pro patria, uxoribus, liberis, libertate, aris, focis, tumulis.

24 *Cæterùm Nobilitatis opes* (40) propemodum æquis portionibus inter eos diviſæ videntur, cùm alter altero non multò ditior ſit aut potentior, ut qui plurimum apud eos poſſideat, ultra viginti quinque millia co-
25 ronatorum non percipiat. Soli Duces Boruſſiæ & Curlandiæ ab hoc cenſu ſunt excipiendi; Hi duo enim, *etſi Superiorem agnoſcunt* (41) Regem Poloniæ, ſuasque ab eo feudi nomine dependere fatentur Provincias, quia tamen Germani ſunt Principes, & quia peculiares Leges, peculiariaque Judicia & comitia, Ærariumq; & belli gerendi rationem à reliqua Polonia diverſam habent antiquitùs; viva ac genuina Polonici regni membra non ſunt, ideoque *nolunt intereſſe Polonorum conventibus*, (42) neque eorum ſtare decretis, ſed nec Electioni, Coronationique interſunt Regum, neque Præfecturas Provinciarum regni ſuſcipiunt, contenti ſuis hæreditariis ditionibus. Neque profectò cives regni Polonici habendi ſunt, verùm extranei, Germani inquam ambo: prior quidem Marchio Brandeburgicus, & noſtrâ ætate *Ducatum Boruſſiæ obtinet Elector Brandeburgicus*: (43) *alter ex illuſtri Ketlerorum familia* (44) in Weſtphalia oriundus Curlandiam & Semigalliam poſſidet.

26 Vectigalia Regis aliquantò luculentiora & ampliora olim fuêre, quàm nunc ſunt. Penſitabant enim ei omnes agreſtes & adſcriptitii quotannis tributum *Poradline*,
27 quod nos raſtrale dicere poſſumus (regale etiam vocatur) in jugerum, ſeu *manſum* (45) (certus agri modus eſt) duodenos groſſos, & quidem latos *ſeu Pragenſes*; (46) qui dimidio eos, qui nunc ſunt in uſu, groſſos vernaculos excedunt. Penſitabant & alias quasdam cùm numarias, tum pecuarias, frumentarias, avenarias, & aliarum rerum penſiones: nec modò agricolæ, ſed & oppidani:
28 quin & Equites ſive *Milites non penitùs immunes* (47) neq; Monaſtica & alia Eccleſiaſtica bona initio prorſus erant libera ab hujusmodi oneribus ac tributis; quorum appellationes videre licet in vetuſtis Principum Diplomatis: Nempè *Prezevvod Povvos*, *Stoza*, *Stan, Povvolove, Targove, Crova, Podvvodii, Voginia, Narzas, Sep, Podvvorovve, Opolie.* Martin. Cramerus, & ex eo Joan. de Laet *in deſcriptione Poloniæ, fol. mihi 118. & ſeqq. & folio 413.* Qui Cramerus *in deſcript.* Poloniæ ait: Ad facienda militum ſtipendia, publicè conferri pecuniam tributo, quam exactionem vulgò vocant, agreſtibus ac oppidanis Regi juxtà ac Nobilitati ſubjectis imperato. Quò illi non inviti agrorum domorumque ſuarum vexationem *redimunt*, (48) mercenariorum etiam militum, non-contentorum 29
ſtipendiis ſuis, licentiâ & rapacitate indies magis ac magis progrediente, & nec ſacerdotum, nec nobilitatis, atque adeò neque Regis ipſius bonis abſtinente. Id autem tributum ex agris quidem in laneum ſive manſum ex oppidis verò oſtiatim, penditur. Quin etiam *venalis cujuslibet potûs nomine* (49) in oppidis juxtà ac in pagis penſitatur. *Pendunt* 30
& molitores (50) de molitrinis quidam: & *ſculteti ſeu advocati* (51) de ſuis agris, itemq; equites ii, qui nullos habēt adſcriptitios, & plebeii, qui neq; domos neq; agros habēt, & arte 31
aliquâ vel operâ ſuâ victitant: *Et paullò pòſt:* Eſt & aliud quoddam tributum in magnâ ne- 32
ceſſitate, aliquando plebi univerſæ, exceptis Scholaſticis, imperatum: Quod quia de ſingulis capitibus pendebatur, *Capitale dictum* 33
eſt. (52) Imponit noñunquam & ipſa ſibi Nobilitas cum Rege & Proceribus tributum de 34
agris, vel de cenſibus ſuis penſitandum, ſi uſus & neceſſitas poſtulet. Non niſi in Comitiis autem hæc tributa ſciſcuntur ac decernuntur, & quidem conſentientibus conſiliariis pariter & *Nunciis Terreſtribus.* (53)

E teloniis (54) quoque mercium & vectorum provenit Vectigal Principi. Du- 35
plex autem eſt telonium, Vetus, & Novum. Ac vetus quidem exile eſt, quod ab iis ſolvitur, qui intra regni fines negotiantur. No- 36
vum autem majus aliquantò, quod boum, equorum, coriorum, frumenti, lanæ, ceræ, ſebi, & aliarum mercium, quæ ad exteras oras *exportantur*, *& earum*, *quæ aliundè importantur*, (55) nomine penſitatur. Hæc nunc ſunt perpetua Principis Vectiga- 37
lia: quæ diſtrahere, aut addicere cuipiam hæreditario jure Rex Alexandri Regis lege prohibetur. Extra ordinem nihil à quoquam, niſi fortè à Judæis Regi penſitatur. Ex his autem Vectigalibus Rex cum domeſticâ 38
familiâ ſuâ ſeſe ſuſtentat: inde comitatui ſuo aulico ſtipendia præbet: inde in legationes, dotes & elocationes filiarum, arcium præſi- 39
dia, & ſarta tecta viarum publicarum refectiones, machinas & apparatum bellorum, præmia benè merentium de ſe, ac de Republicâ, & in alios uſus *impendit.* (56) Et hæc de Poloniæ Rege ejusque Tributis ac Vectigalibus.

Quibus ſubjungere placet, quòd Poloni, licèt Regi ſe ſubjectos fateantur, tamen (ut de 40
Gallis

Gallis *Boter.*(57) *lib.2. Polit. Illuſtr.c.3.* dicit) tractari velint, ut fratres: alioquin ſtatim audiet: *Apage, faceſſe hinc.* Juramentum Henrici *Andegavenſis*,(58) & Stephani Batori refert Arniſæus *in Polit. de Statu Poloniæ, lib. 2. cap.6. ſect.7.* ubi alia confert, & de ſtatu hujus Regni ſcitè & doctè diſquirit. Joannes quoque Januvvski, qui Statuta regni concinnavit, in Præfatione ad Lectorem memorabilia de Statu Regni Poloniæ habet, & *temperiem Monarchiæ*,(59) Ariſtocratiæ, & Democratiæ oſtendit.

41 Habent Poloniæ Inſignia *Aquilam* (60) Coronatam, quòd Lechus, primus gentis Dux & fundator, pacato imperio ſuo, deſerta Poloniæ peragrans, ſexto à Verta vel Warto flumine milliario, versùs Septentrionem à nidificantium Aquilarum multitudine, urbem & Arcem Gneznam (vel Gneſnam, vel Gneſto) quod Slavis nidum ſonat, ædificarit, indeque vexillorum ſchema elegerit. Aquila verò candida cum litera S. inſignita, Boruſſiæ inſignia ſunt: hæc enim *Sigismundus I.* Poloniæ Rex, cum Boruſſiæ Ducatu, tanquam feudo ſuo, Alberto Marchioni Brandeburgico in perpetuam rei memoriam largitus eſt Anno Chriſti MDXXV.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT XI.

Num. 1.

(1) A *Planitie &c.]* Polonorum nomen ab urbecula *Poloneza* quidam petunt: alii Polonos dictos autumant quaſi *Polachos*, i.e poſteros Lechi, qui Czechi Bohemorum Principis frater, primus Polonis imperitavit: ſic Cromerus *Poloniæ lib. priori, & de orig. geſtisque Polon. lib. 1. cap. 13.* ſentit, qui ideò Polonos ab Ungaris *Lengel*, quaſi *Lechel*, à dicto Lecho dici tradit. Turcas item Polonos ob eandem rationem adhuc hodiè *Lechas* aut *Lechiadas* appellare, tradit Marcus Zuerius Boxhornius *in ſuæ Hiſtor. Univerſali pag.70.* Ruſſi Græcam Religionem profitentes eosdem Latinæ Eccleſiæ addictos *Lachos* vocant, quia *PoLacko* idem notat, quod Latinè dicitur, pro more aut cõſuetudine Latinâ. Sunt & quidam doctiores, qui hanc vocem derivant à nomine *Pole* aut *Pelska*, quæ & planitiem, & venationem notat: Paſſim enim Regiones pleræque æquali planitie excurrentes æquoreis ſuis campis commodiſſimam venationis occaſionem ſuppeditant: ne de ipſis incolis dicam, qui ad venationis ſtudium perquàm propenſi exercitio ejusdem mirè delectantur. Nomen autem hoc octingentis abhinc annis antiquius eſſe non creditur, nec facilè apud exteros Scriptores illis temporibus ſuperiores invenietur. Cellarius *in noviſſ. deſcript. Regni Poloniæ pag. 15.* Mart. Zeillerus *in Itiner. Polon. pag. 12. & in recent. Pol. deſcript. p.1.* Salomo Neugebauerus *Hiſtor. Pol. pag. 4.* qui ante annos ſeptingentos nusquam in annalibus ullis exteris inveniri nomen illud ſcribit.

Num. 2.

(2) *Hujus opes &c.]* Gaudet enim Polonia tota admodùm fertili ſolo, omnis generis frumentorum feraciſſima, & fructus varios ferentibus arboribus pleniſſima. In Podolia agros ſemel cultos & conſitos biennii ſpatio ter, & quidem nonnunquam centuplos fructus reddere, notat Cellarius *d. loc. pag. 22.* Eſſeque, qui unius anni culturâ paratos & conſitos eodem anno etiam tertiâ meſſe demeti poſſe dicant, idem obſervat.

(3) *Italiæ ſubvenerit &c.]* Teſte Botero *in Relat. de Regno Poloniæ*, cui jungatur diſcurſus apud Honorium *Theſauri Polit. parte 2. pag. 272.* ubi enodatur, ex quibus regionibus aſportatum fuerit frumentum, quibus ſuperiori ſæculo penuriæ annis Italiæ ſubventum fuit.

(4) *Melle & cerâ &c.]* Habet enim Polonia & cicures apes ſive domeſticas, & feras; quarum illæ domi in alvearibus ſuis, hę in ſilvarum excavatis arboris melli conficiendo ſtudent. Incidenter illud hîc notandum venit, olim non niſi certo hominum generi certisque prædiis, quos *Zeidlarios* item *Butigliarios* Zeidler / & prædia Zeidelgüter vocitabant, conceſſum fuiſſe in Sylvis Norimbergenſibus, Laurentiano ſcilicet & Sebaldino, apes alere, examina apum includere, mélve colligere, prout inter alia patet ex Caroli IV. Imp. Confirmatione talis privilegii, quæ extat apud Goldaſtum der Reichs-Satzung andern Theil *pag. 40. 41.*

Num. 4.

(5) *Pinguiſſimis bobus &c.]* Paſcua, *inquit in nova deſcript. Regni Poloniæ pag. 21. Cellarius* gramine adeò luxuriari feruntur, ut boum illud depaſcentium vix ventres, imò & quandoque cornua ipſa oculos effugiant. Hinc res pecuaria per totam Poloniam opulentiſſima pecudum & pecorum copiam incredibilem incolis ſuppeditat. Boum ſolorum ultra ſexaginta millia quotannis in Germaniam & cæteras regiones ante hæc bella præſentia (*de Anno MDCLVI. ſeqq.*) emitti ſolita, teſtatur Poloniæ defenſæ Author *pag. 52.* Imò quandoque numerus longè major fuit; Taceo autem eos, qui ab incolis ipſis quovis anno conſumpti ſunt, quorum quanta copia fuerit, quivis facilè conjecturâ aſſequi poteſt. *Hæc ille.*

Num. 5.

(6) *Uti & metallis &c.]* Dotes, quibus benigniſſima Natura viſcera terræ Regni Poloniæ ditavit, ſpecialiùs ſic enumerat Neugebauer *Hiſtor. Pol. lib. 1. pag. 9.* Nec metalla foſſiliaque (*inquiens*) deſunt in montanis: plumbi quidem intermixto argento apud Ilcuſſum, Sclaucoviam, Chranoviam, & Novagoram, oppida Satrapiæ Cracovienſis, & in finibus Sileſiæ: argenti vivi apud Tuſtanum in Ruſſia: æris & lazurii & plumbi item apud Chencinos: ferri in plurimis locis ſylveſtribus: nitri apud Visliciam, & alibi: ſalis apud Bochnam & Vieliscam in Satrapia Cracovienſi, & apud Haliciam, Colomejam, Solum & aliis compluribus in locis Ruſſiæ. Ac in Ruſſia quidem id ex aqua è profundis puteis hauſta decoquitur, & partim in modum farinæ vel nivis minutim relinquitur, partim in fruſtula conformatur; in tractu verò Cracovienſi partim lapideâ duritie ſolidũ inſtar ingentiũ ſaxorum & rupiũ in ſubterraneis ſpecubus

altè

altè latèque excavatis, & villas, & templa oppidaque ſuperædificata ſuſtinentibus, ferro exſcinditur, comminutumque deinde & molâ tritum, ad uſus hominum accommodatur, partim & ipſum ex aqua injectis lapidei ſalis fruſtulis & quisquiliis, quæ ſecantibus id abraduntur, decoquitur. In majori quoque Polonia apud Pinſcum ſalinæ ſunt, verùm tenuiores. Sunt etiam in confinio Oſuiecimenſis territorii & Scepuſii aquæ ſalſæ, unde Sal coctus Regi exhibetur, ſalinæ tamen nullæ ſunt. Porrò in deſertis Podoliæ & Borystheni vicinis locis lacus eſt, (*cujus Author noſter infrà n. 13. meminit.*) cujus aqua ſereno & ardente Sole in ſolidum ſalem concreſcit, ita ut homines cum jumentis & curribus in eo tanquam in glacie verſentur, ſectumque in fruſta arbitratu ſuo avehant, quàm primùm autem pluit, ſolvitur illa glacies non ſine periculo inſiſtentium. Apud Bieczum verò in ſubmontana regione vitriolum effodi, ac in viridem lapideamque duritiem decoqui nuper cœpit. Marmor quoque & Alabaſter quibusdam in locis effodiuntur. Eſt in majori Poloniæ prope Sremum oppidum oppidum Collis, ubi ollæ, amphoræ, cacabi, & aliarum figurarum vaſa fictilia ſpontè naſcuntur, & ſub terra effodiuntur mollia, in aërem autem prolata dureſcunt. &c.

(7) *Succino &c.*] Ita Stanislaus Krziſtanowic *in Poloniæ deſcript. pag. 49.* Cæterùm Materia quæ, & ortus ſuccini quis ſit, opiniones, quibus ea de re ſcatent libri, multæ prodigioſæ, & pleræque fabuloſæ ſunt. Prima ſententia eorum eſt, qui ſuccinum eſſe lacrymas ſororum Phaëthontis; altera, qui lacrymas populi arboris: tertia, qui ſudorem arboreum Solis radiis expreſſum: quarta, qui lacrymas Meleagridum avium: quinta, qui ſperma ceti vel jecur piſcis: ſexta, qui concretam lyncis urinam: ſeptima, qui lacrymam pinei generis: octava, qui ſuccum radiorum Solis: nona, qui foſſile eſſe: decima deniq; opinio eorum eſt, qui cum Cardano genus bituminis eſſe ſtatuunt. Unde Jure dici poteſt, ſuccinum apud hos Authores vel cereum, vel figulino luto ſimilem haberi, cùm ipſum in tot varias formas, ac imagines transmutaverint; quo fit, ut de ſuccini hiſtoria adhuc ſub judice lis ſit. Prout hæc omnia fuſiùs explicans Cæſius *in Minerologia lib. 3. cap. 8. ſect. 2. n. 49.* loquitur, tandem concludens: Si tamen rogarer, vel cogerer, calculum libentiùs candidum darem primo loco Agricolæ, tum Plinio, & Solino, deinceps Tacito, *qui omnes ſuccinum bitumen quoddam definiunt.* Ubi vide: verba enim Authorum ipſorum ordine hoc loco percenſere atque adducere, tædioſum fortaſſis & longùm nimis foret, quocirca B. Lectorem ad ipſum Cæſium (*qui ſequentibus ſect. 3. de ſuccini loco & pretio, ſect. 4. quomodo ſuccinum colligatur, ſect. 5. de ſuccini differentiis. ſect. 6. de translucentibus in electro. ſect. 7 de ſuccini vi attractiva. ſect. 8. de medica vi ſuccini &c. agit*) remittimus; quibus addi poterunt Cluverius *in Germ. antiqua lib. 3. cap 44. pag. 689. ſeqq.* Jonſtonus *Tavmatographia Naturalis claſſe 4. cap. 10. pag. 136. 137.* Commentatoresque ad Taciti Germ. *cap. 45. n. 9. ſeqq.* nec non Andr. Aurifabri & Johann. Wigandi *Succina vera Hiſtoria*, & Eraſinus Stella *de Boruſſia Antiquitat. lib. 1.*

Num. 6.

(8) *Parvis retibus excipiunt &c.*] Quod quomodo fiat, ex Agricola Cæſius *jam jam citato loco ſect. 4.* deſcribit. Cluverius *verò loco jam allegato pag. 690.* Legitur autem (*Succinum, inquit*) tribus modis: quorum duos annotavit antiquus ſcriptor Tacitus, nempe inter vada, atque in ipſo litore. Inter vada, ſive inter brevia, magna protenduntur æſtuaria, ſive foſſæ, in quas id majoribus maris fluctibus devehitur. Piſcatores, ventorum ſimul, quibus fluctus impelluntur, vadorumque gnari, nudis corporibus undas ingreſſi, corbibus contis præfixis viſendâ dexteritate expiſcantur; non modò Vere, ut priſci opinabantur, ſed quocunque anni tempore, tam aſperrimo hyemis, quàm lætiſſimâ æſtate. In ipſo litore legitur manibus, ſine alio quopiam labore, aut difficultate; quòd eò fluctibus in planum apertumq; expellitur. Tertius hinc modus eſt, quo ipſam litoris humum ſcrutantur: in qua duarum ſæpè orcyarum altitudine latet. Peritis ſigna & indicia nota ſunt. Habent ſua inſtrumenta, quibus ſcitè docteque extrahunt.

(9) *Augſtein vocant &c.*] Antiquis Germanis fuiſſe *Gleſſum*, auctores ſunt Plinius *lib. 37. Natur. Hiſt. cap. 3.* atque Tacitus *Germ. cap. 45. n. 6.* Quamquam apud hunc perperam legitur Gleſum unico ſ. Nam ipſis Germanis fuit Gleſs; quo vocabulo poſtea, paullùm variato in *Glaſs*, vitrum, quum id novum & antea ſibi inuſitatum Germaniæ inferretur, interpretati ſunt, ob ſimilitudinem quandam. Poſteriores Germani vocabant *Agtſtein* ab agate, voce depravatâ & deflexâ; vel, quòd oculis conduceret, *Augſtein*; vel denique *Bernſtein*, ab ardore, quòd igni admotum ardeat.

(10) *In Boruſſia &c.*] Cui Succino omnis fama & præſtantia omni ævo uni ſoli (quod hodieque Turci ſummoperè expetunt, eoque Perſæ ſua conclavia, muſæa, & ſacraria ornare ſolent. *Aug. Busbeq. Turc. Epiſt. 3.*) manet.

(11) *Soli Duci reſervatur &c.*] Ea fortaſſis ex ratione, quòd venæ quoque ſaxorum pretioſorum, veluti marmoreæ & coctariæ ſubterraneæ, non in ſuperficie fundi repertæ, ſint ejusdem conditionis prout venæ metallorum, ſicut docet Paul. Caſtrenſis *in l. divortio. §. ſi vir. ff. ſolut. matrim. & latiùs in ſuis Conſiliis 3. 4. 23. in 2. vol.* ſecutus Afflictum *in d. loc.* ubi infert, venam lapidum, ex quibus conficiuntur alumina, itidem eſſe de Regalibus. Quicquid verò ſuccini ruſtici piſcantur colligúntve Cameris (*vulgò BornſteinCammern*) ad id Ducibus Boruſſiæ deſtinatis, (inter quas etiam una Lochſtadii eſt) inferre tenentur, ita tamen, ut pro ſingulis tonnis ſuccini unam tonnam ſalis mercedis loco recipiant. Uno & dimidio milliari Pillovia diſtat, locus appellatus *Grecke*, qui maximam ſuccini copiam, & quidem Borea tempeſtate excitante, ſi triduum aut paulò ampliùs duraverit X. XV. aut etiam XX. tonnas ſuppeditat. Ne autem quid Succini fraude à piſcantibus auferatur, accuratiſſimâ curâ ab iis providetur, qui piſcationi huic præſunt, eum in finem patibula in litore erecta cernuntur, quibus affiguntur ii, qui ſuccinum furtim auferentes deprehenduntur. Reditus ex ſuccino Boruſſiæ Ducibus duodecim florenorum millia (*Dn. Lucas de Linda in Deſcript. Orbis pag 965 decem millia ponit*) quotannis afferre dicuntur; Cùm dolium ſive tonna ſuccino repleta florenis C. aut CL. vendi ſoleat, prout melius aut vilius, (quatuor enim generum eſſe ſolet, inter quæ album excellens cætera pretio longè ſuperat, & rarò ſe offert) fuerit. *Cellarius in Deſcript. Nova Poloniæ p. 574. ſeqq. & ante eum Zeiller. in Cont. Itiner. Germ. p. 316.*

(12) *Iſlan-*

(12) *Islandia &c.]* An Islandia Inſula Septentrionis vaſto circumfuſaOceano,ſit vetuſtiſſima Græcis & Latinis Scriptoribus celebrata Thule? quæſtio primùm ævo Adami Bremenſis mota, & poſt ipſum multùmque diu ſopita, tandem ex ipſius cineribus, in flammas erupit validiores, cum Joh. Iſaacus Pontan. *in Hiſt.Daniæ Chorograph. & de Inſulis Borealibus*, ad quæſtionis affirmativam defenſandam, Angrinus Jonas Islandus *tam in Crymogæa,quàm Specimine Islandiæ Hiſtorico*, negativam propugnandam arma arriperent; de quo argumento utrumque eruditè differentem evolvere rerum harum curioſus non ſine fructu poterit. Illud hoc loco ſolùm annotamus Ariſtocratiam laudabilem in Islandia primùm viguiſſe,pòſt illâ in peſſimam Oligarchiam transmutari cœptâ,ſic ut optimatum quisque quò eſſet potentior, ſic principatum affectaret magis ſpretâ Legum & Juſtitiæ normâ omnia vi & armis gererent,cædibus, ſeditionibus, rapinis & omnimodis injuriis nullũ modum ſtatuerunt magnates Islandi ab Anno MCCLXI.cœpiſſe apud ipſos ſtatum Regium, quo Haquino Haquini F. Norvegiæ & provinciarum Regi & ſucceſſoribus ejus legitimis fides & obſequium, tum tributum annuũ & mulctæ ſcelerum pecuniariæ jurata ſunt. Quæ omnia laudatus Angrinus Jonas *in Crymogæa* operosè ſatis enuncleat. Deniq; de Monte Islandiæ Hecla videantur quæ ex Dietmaro Blekſenio Camerarius *Hor.ſubciſiv.cent.3.cap.17*.adducit.

Num.7.

(13) *Vulpes nigri & albi &c.]* Feras in Polonia frequentiores recenſet quoque Neugebauer *Hiſtor.Polon.lib.1.pag.10.*

Num.8.

(14) *Ne in oppido quidem exercendas &c.]* In Polonia tamen ipſiq; innexa Boruſſia mercatu celebrior locus eſt, Gedanum Urbs, totius Boruſſiæ & Poloniæ ocellus,& Europæ granarium. Ubi ob mare alluens, ingens mercatorum peregrinorum reperitur confluxus, merciumque pegrè advectarum incredibilis & pretioſa varietas. Ejus nundinas Dominicales Menſe Auguſto celebrandas, tot peregrinæ viſunt nationes, ut inter præcipuas Europæ nundinas ab auctoribus numerentur. Cracovia etiam à mercatorum ex Italia, Hungaria, Germaniaq; ingenti confluxu, Divitiarum nobilis eſt Civitas,ut alias tam Wilnæ quàm Boruſſiæ mercatu celebres taceamus Civitates. *Dn.Lucas de Linda d.loc.pag.911.*

(15) *Ad indulgendum Genio &c.]* Confirmat hæc Polonus ſcriptor Staravolſcius,qui *in Polonia pag.197.* ſic inquit: victus Genti noſtræ dapſilior ferè omnibus aliis Europæis,atq; ita in menſis ditiorum exquiſitus, ut potiſſimam proventuũ ſuorum partem Magnates in aromata & vina inſumant. Antiquitùs ſiliginei panis, & cerviſiæ ex hordeo aut tritico factæ promiſcuus erat omnibus uſus, & quaſi quotidianus: nunc jam non elegantiores tantùm,ſed vulgus etiam ipſum,pane triticeo,atque vino in conviviis utitur; præſertim in urbibus majoribus,& qui viciniores ſunt Hungariæ.Et plebs quidem vicina,ſuccidia,vervecina,bubula, vitulina,lardo,lactariis,piſciculis, oleribusq; potiſſimùm menſam inſtruere ſolet: quarum rerũ fora in pagis quoque, apud templa & parœcias, feſtis diebus inſtituuntur. At urbanis & nobilitati multò delicatior victus, menſæq; eorũ cùm altilibus omnigenis, tum feris animalibus avibusque & piſcibus lautis usque ad luxum interdum onerantur: aromatumque diverſorum, ſacchari, vini, confectionum, & aliorum exoticorum condimentorum, aut bellariorum, maximus quotidie uſus. Ruſſis tamen & Lituanis, apud quos permagna eſt apum & mellis copia, mulſum, itidem prout & cerviſia cum lupulo aquâ decoctum, in frequenti uſu eſt, *Medonem* vulgò vocant. Veſtium verò genus, neque unum eſt, neque certum, aut ſuum cuique ordini, conditioni, ætati, & generi hominum: ſed prout cuique diviti, aut pauperi placet. Exoticis tamen delectantur ut plurimum nobiles; milites autem potiſſimùm inventores habituum fiunt. Sic cùm bellum nobis cum Moſco fuiſſet, illorum more latas oblongasque togas, pellibus pretioſis, marderinis, pantherinis, aut zebellinis ſuffultas, prægrandesque pileos geſtavimus. Poſtea verò quàm cum Turcis in Valachia rẽ geſſimus, equorum ornatus, ſagos militares, nonnullasque oblongas, curtas & aſtrictas veſtes ab illis atque eorum ſociis Tartaris deſumpſimus. Mox bello in Boruſſiam contra Suecum translato, laxiores caligas, coriaceas oblongas ocreas, pallia, atque alia veſtium genera, Germanico habitui ſimilia, nobis fecimus, atque ſic ſpatio decennii unius, ter aut quater habitum veſtium noſtrarum correximus, aut veriùs corrupimus, permutando: cùm ſtatim licentiam militarem ſequuntur, qui domi manſêre, juniores præſertim ne dignoſcantur, aut certè vilipendantur ab illis, qui alicui expeditioni interfuerunt. Idem ſanè faciunt & fœminæ, atque omnes Europæarum matronarum habitus ſibi uſurpant, & ad ſuum patrium accommodant, prout cuique tam diviti, quàm pauperi, libet. Communiſſimè tamen omnes pannis extraneis, puta Germanicis, Flandricis, Gallicis, Anglicis, Hiſpanicis atque Italicis utimur: maxima autem pars ſericis diverſorum colorum, & panno aureo. Nec obſtat pretium, quòd è longinquo iſta veniant, cùm reperiantur nonnulli, qui interdum ſexaginta veſtibus quàm pretioſiſſimis pro ſua perſona comparatis, etiam famulos ſuos ſimilibus induant, & potiſſimam partem bonorum ſuorum in id ipſum impendant, ut ſplendidè cum ſuo comitatu veſtiantur, tam fœminæ quàm viri. Ad exornandos ſiquidem gladios ſuos, pileos, atque equos non minùs pretioſis gemmis utuntur & auro, quàm & filiæ aut uxores ipſorum, quæ clenodiis, torquibus, monilibus, annullis, alioq; mundo muliebri nimiùm delectantur. Et vidimus nonnullas ſæpiùs nec valde divites tamen, totam ſuam veſtem gemmis & lapidibus pretioſis usque ad talos exornaviſſe, lex tamen ſumptuaria, neſcio quo peſſimo fato noſtro, in Comitiis Reipubl. non præſcribitur, cùm paſſim videamus nimio iſto luxu, maximas quasvis familias ad ſummam deinde egeſtatem pervenire, cum ingenti opprobrio & dehoneſtamento majorum ſuorum. Et non in veſtibus modò hunc nimium luxum & prodigalitatem quodammodo habemus, ſed in ædibus quoque & fabricis ligneis, quæ nihil ſunt, quàm rogus aptè compoſitus ad comburendum: in ſupellectili varia, in conviviis & comeſſationibus. Paſſimque jam laquearia, nunc & in privatis domibus auro teguntur: parietesque ædium non proceres modò aut principes viri, ſed mercatores, jam & urbica plebs pretioſiſſimis aulæis ac tapetibus veſtiunt: Nec in urbibus modò, ſed etiam in villis lautiùs habitare ſtudent, Italorum ferè opificum operâ & induſtriâ. Ita graphicè luxum ſui temporis delineat in opuſculo ſuo Anno MDCXXXII. edito laudatus Staravolſcius.

Num.

Num. 9.

(16) *Quod importatur, aurum aufert. &c*] Inde monent Politici, ſi eò res devenerit, ut luxui & amori peregrinarum non neceſſariarum mercium, quo ſubditi ſæpè flagrant, Princeps vel Magiſtratus reſiſtere jam propter inveteratam conſuetudinem nequeat, illas aliunde allatas ſic vectigalibus eſſe onerandas, ut mercatores iis deterriti hujusmodi irritamenta malorum adferre deſiſtant, vel emere ea, nimio exinde aucto pretio deterriti, nepotuli haud cupiant. Aliàs omninò fieri, ut aurum cujusdam regionis aut civitatis mirâ metamorphoſi nec Ovidio cognitâ in lanam linumque aliásve quisquilias transmutetur. Si quis eſt, *inquit Bodinus 6. de Republ. c. 2. pag. 1034.* qui ſcire de me velit, quodnam genus vectigalium immortali DEO gratiſſimum, Civitatibus pulcherrimum, Principibus honeſtiſſimum, plebi utiliſſimum videatur, illud eſt, quod iis rebus imponitur, quæ ad corrumpendos civium mores, quæ ad delitias, quæ ad luxum, quæ ad libidinem ſpectant.

Num. 10.

(17) *Theſauri Regni &c.*] Authore Staravolſcio *loco citato pag. 289.* Neque magnæ, neque contemnendæ ſunt opes Polonorum, ſed tales, ut omnes bellorum expeditiones hactenus ſuismet reditibus peregerint, ſumptusque quosvis maximos in coronationes, nuptias, aut ſepulturas Regum ſuorum ære proprio exſolverint; nullius vicini populi auxilio egentes. Et quamvis nonnulli Reges noſtri (*Polonorum ſcilicet*) ob nimiam prodigalitatem ſuam, fœneratorum, aut cognatorum Principum pecuniis, ad privatas ſuas neceſſitates aliquando uſi fuerint: nusquam tamen vel in maximis neceſſitatibus Respubl. extraneorum emendicabat opem, aut mutuabatur aurum, etiam tum, cùm nondum ipſa pecuniam ſignaret. (*de quo poſtea dicendum aliquit erit.*) Idem tamen Author *p. 499.* ſcribit, quòd ſi bellũ ingruat, pecuniam paratã in ærario nusquam reperiri, ſed tum demum, cùm bellum per Comitia edicitur, provincialibus imponi, vectigaliaque diverſa bello finiendo ſufficientia ſtatui. Sed & hæc ipſa, vel tardè conferri, vel non ex integro in ærarium inferri, potioremque partem privatorum cupiditati cedere; *ſubjungens*: Quæ ſi paulò ordinatiùs colligerentur, atque etiam tum, cùm bellum nobis nullum eſt, moderatè imponerentur & aſſervarentur in promptuariis: profectò & exercitus noſtros celeriùs in hoſtes educeremus, & militem ipſum obſequentiorem in bellis haberemus; qui dum avaritiâ Gubernantium ſtipendia retineri ſibi vident, facilè in pernitiem patriæ conjurant quod jam ſæpiſſimè ſumus experti.

Num. 10.

(18) *Salinis Ocenſibus &c.*] Fortaſſis pro Ocenſibus Bochnyenſibus legendum venit, de quibus Matthias de Michovia *in Chronicis Polonorum lib. 3. cap. 53. in tom. 2. Corporis Hiſtor. Pol. pag. 1110.* ita ſcribit: Anno MCCLI. in Bochnya villagio à Cracovia quinque milliaribus diſtante, ſal minerale in Bancis & peciis magnis repertum eſt, quod meritis beatæ Kunegundis Boleslai Pudicis conſortis eſt adſcriptum. Namque ut corruptam ſuſpicer priorẽ lectionem, me movet, quòd in nullo probatorum Hiſtoriæ ſive Geographiæ Polonicæ ſcriptore de inventione Salinæ cujuspiã in Anno MCCLII. ut Author noſter vult, aliquid legatur; & inſuper ſi vel maximè Ociecum per locum Ocenſium ſalinarum intelligetur, nuspiam tamen tales illic fuiſſe obſervetur.

(19) *Vieliscenſibus &c.*] A.C. MDCXLIV. die XVI. Decembris, inquit Piaſecius *in Chron. geſt. in Europa ſing. pag. 505.* in Vielicenſibus ſalinis, (naturæ unicum in Europa tam mirabile opus) fodinis Bonarovianis dictis, excitatum fuit horrendum incendium à pabulo equorum incautè ad lychnum in imo fundo illius foſſæ ardentem dejecto ac incenſo. Tantum autẽ impetum ſtatim ſumpſit, quod illicò operarios, qui intro (fortè fortunâ pauci) aderant, ac equos ſuffocavit, & nullâ ope humanâ cohiberi potuit, quin dilateretur per illarum cavernarum tot ſeculis eruendo evacuandoque ſale in latum & profundum vaſtè excavatarum, in intimis terræ viſceribus longè abditas ſpecus; duravitque toto ſubſequenti Anno MDCXLV. & magis inacceſſa reddidit antra illa fœtor ingens, ac vapor ab eo incendio excitatus, cum ſummo diſpendio Regiorum emolumentorum, quorum nervus præcipuè in pretio illius ſalis conſiſtit. De alio incendio Anno MDX. exorto, & ſtudio Andreæ Koſcielcii ſalinarum tunc præfecti & Severini Bethmanni Conſulis Cracovienſis extincto, conſuli poterit Neugebauer *Hiſtor. Pol. lib. 7. pag. 460.*

Num. 11.

(20) *Ad Regem redeunt &c.*] In Republica Polonica, ut vult Paulus Piaſecius *Chron. geſt. in Europa ſingul. pag. 49.* præeſt Rex ſummo contentus dignitatis gradu, & cenſu fiſci ſui à primordiis Regni præfinito, quem minuere vel augere lege prohibetur. Ac illa abundè ad omnes ſumptus aulæ Regiæ perquam magnificos ſplendori cujusvis opulentiſſimi in Europa Regis æquales ſufficit, & ad munificentiam quantumvis excelſi animi Principe dignam. Nec aliunde niſi ex iſto cenſu fiſci proprii Rex Poloniæ liberalitatem exercet penè profuſum in tantùm, quòd in tam vaſto imperio & populorum multitudine, pauciſſimi ſunt ex nobilioribus & militaribus, melioris notæ, qui non participent ex gratia Regis aliqua emolumenta fiſci Regii, & plerique tam amplâ ut inde opes non mediocres comparent. Integras enim fiſci ſui præfecturas Civitatũ, & poſſeſſiones opulentiſſimas, cum earum fructibus univerſis Rex concedit, & ſæpe complures, ut non raró ſint, qui plusquam ducenta millia numorum aureorum (florenorum uſitato nomine) in annuis fructibus, dum vivunt, ex hujusmodi donationibus Regiis percipiunt, ac etiam ad hæredes uſumfructum earundẽ, Rege conſentiente, transmittunt. Et plurimi tenuiores, tali beneficentiâ Regiâ ſuccreſcunt, ac ſtirpem ſuam provehunt in amplitudinem divitiarum parem locupletiſſimis quibusq; in eo Regno Proceribus, nempe talibus, quales etiam in Republica Romana cum Craſſo divites cenſeri potuiſſent; ut qui legiones ex cenſu proprio alere valent, atque alunt. Nec tamen exhauritur hujusmodi largitionibus Regiæ munificentiæ theſaurus; Immò & materiam ac vires inde acquirit ad uſum continuum: E tanto enim regiorum beneficiorum numero, in dies aliqui decedunt, & ab illis ad fiſcum Regium recurrentia bona, iterum Rex aliis benemeritis diſtribuit, ad minimumque ducenta millia annui cenſûs occurrunt, quæ Rex in annos ſingulos hujusmodi munerum ſuorum privatorum circuitu, prout voluerit, diſpenſat.

Quanti

Quanti verò proventus Regii ſint in Poloniæ Regno, Henrico Valeſio, pòſt Regi Sarmatiæ Populorum, exponit Conraſcius Epiſcopus Poſnonienſis gravi oratione ad Henricum habita, apud Fredum *geſtorum populi Poloniæ ſub Henr. Valeſ. Polon. poſt Gall. R. p. 121.* ubi inter alia ſic inſit: Jam opus eſt, ut opes quoque Regias cognoſcas; Tibi uti Regi; ærario opus, quantū ad domeſticas aulæ impenſas ſatis habeas, ut munificus ſis, ut militum ſtipendiis ac bello ſuſtentando non deficias. His Tu omnibus ſufficies abundè. Privati Tui reditus (uti nobis Regiæ Menſæ bona vocantur,) propè tertiam florenorum millionem aſcendunt. Ingens ſanè æs, ſi præſertim expenſarum paucitate metieris; non inde bella providebis, non munificus eris, nō publicos Curiæ miniſtros, aut aulicos ſuſtentabis, qui in aliorum ſpem præmiorū cum honore adeunt: ſed menſam tuam inde inſtrues, & paucum miniſterium provid ebis.

Num. 14.

(21) *Aliquantò minoris emat &c.]* Utteſtatur Neugebauer *Hiſtor. Pol lib. 1. pag. 21.*

Num. 19.

(22) *Convocatis Ordinibus &c.]* Neque enim Rex, Senatu Regni inconſulto, aut tributa, aut vectigalia, aut telonia nova inſtituere poteſt, *Staravolcius loc. dicto pag. 81.*

(23) *Vel Agrorum nomine &c. vel à Vectigali Cereviſiario &c.]* Bello, in Comitiis Warſoviæ Anno MDLXXVIII. celebratis, contra Moſcum Johannem Baſilidem à Rege Poloniæ Stephano Batoreo cum Regni Senatoribus decreto, proxima cura de pecuniis fuit. Delecti igitur fuerunt è Senatu, qui quantum in bellum milite, quanto in militem ſtipendio opus eſſet, diſpicerent, ſcitū tributum in ſingulos menſes floreni unius cereviſiarium, item in oppidis & urbibus, quo in ſingula dolia duodeviceſima cujusque pretii pars exigeretur. Quod majus fuiſſe, quàm antehac quisquam meminiſſet, Neugebauer *in Hiſtor. Rer. Polon. lib. 10. pag. 668.* notat. Vid. **Rheinhold Heydenſtein in Beſchreibung dieſes Krieges.**

(24) *Stephanus Rex &c.]* Stephanus nempè, ut jam dictum, Batoreus, Tranſylvaniæ antea Palatinus in Regem Poloniæ, Henrico Valeſio abſcedente, & Maximiliano Cæſare electo mox repudiato, Anno MDLXXV. aſſumptus, ſequenti anno Calendis Maji Cracoviæ inauguratus; Grodnæ Anno MDLXXXVI. anno regni decimo vitâ functus. Ob ſolertiam in Republica adminiſtranda & maximè in retundenda ferocia hoſtium circumquaque Regno iſti imminentium, qui fortitudinem ejus experti, (*dicente Piaſecio in Chron. geſt. in Europ. ſingul. pag. 53.*) quieſcentem bello laceſſere nolebant, notiſſimus. Vitam ejus inter alias Poloniæ Regum exhibet Neugebauer *in Iconibus &c. pag. 136. ſeq.* res geſtas verò in compendio Joachim. Paſtorius, *in Floro Pol. lib. 4. pag. 293. usque ad pag. 349.* Ubi hocce hujus Regis elogium profert. In templo plus quàm Sacerdos. In Republ. plus quàm Rex. In ſententia dicenda plus quàm Senator. In Judicio plus quàm J C Tus. In Exercitu plus quàm Imperator. In acie plus quàm Miles. In adverſis perferendis, injuriis condonandis plus quàm Vir. In publica libertate tuenda plus quàm Civis. In amicitia tuenda plus quàm Amicus. In convictu plus quàm Familiaris. In venatione feriſque domandis plus quàm Leo. In tota reliqua vita plus quàm Philoſophus.

Num. 20.

(25) *Comitia indixerat &c.]* Vid. Theatrum Europ. *part. 4. pag. 158. ſeqq.*

(26) *Niſi Rex &c.]* Scilicet Uladislaus ejus nominis Quartus Poloniæ Rex, qui poſt mortem Patris Sigismundi III. P. R. Anno MDCXXXII. die XXVII. Januarii Anno MDCXXXIII. electus & VI. Februarii ejusdem anni Cracoviæ coronatus fuit. Cujus vitam uſque ad adeptam coronam deſcripſit Stanislaus Kobierzicho, & in compendium ad ipſius obitum redegit Cellarius *in nova Deſcript Regni Polon. pag. 113.* Obiit verò ſine liberis poſt ſe relictis, Anno MDCXLVIII. Rex Uladislaus Meretzii, (quod oppidulum eſt Lithuaniæ, decem ab urbe Viltiâ milliaribus diſtans) $\frac{20}{10}$. Martii, acutâ febri, poſtquam LII. annos XI. menſes & XI. dies vixiſſet. Quem in Regno ſecutus fuit Johannes Caſimirus ex Conſtantia Auſtriaca Sigismundi III. ſecunda Conjuge frater, Anno MDCIX. die $\frac{11}{21}$. Martii Cracoviæ natus; Princeps per æqua per iniqua jactatus, demum abdicato Cardinalatu, quo antea decoratus fuerat, Anno MDCXL. d. XVII. Novembr. Poloniæ Rex deſignatus, & Anno MDCXLIX. $\frac{7}{17}$. Januarii Cracoviæ coronatus. Caſimirus hic non ſolùm Regnum turbulentiſſimum invenit maximè à Tartaris cum Coſaccis junctis afflictum; (*de quo bello ſingularem tractatum ſub titulo belli Scythico - Coſacici* Paſtorius *Anno MDCLII. edidit Dantiſci,*) ſed pòſt diſſidiis civilibus invitantibus Moſcos, ab Magno eorum Duce Alexio Michaelis bello impetitum, à Carolo Guſtavo Sueciæ glorioſæ memoriæ Rege ferè expugnatum; & nunquam nō inteſtinis diſcordiis laſſatum, ad annum usq; MDCLXVIII. tenuit, quo die XVI. Septembris abdicatâ coronâ & ſceptro vitam privatam amplexus, libertatem Polonis ſuis eligendi ex voto novum Regem reliquit. Cauſas abdicationis apperit author Examinis Sarmatici, ut ſe vocat, Floria nus de Gurry Gurski, quod Anno 1669. prodiit, ubi videri poterunt. Actum Abdicationis verò Ceremoniasq; in eo adhibitas Carolus Kirchmajerus **im Polniſchen Königs-Stamm** recenſet. Sed cùm Interregnum per novem menſes & quod excedit duraſſet, ex Koributi Ducis Luthuaniæ, Uladislai Iagellonis Poloniæ Regis, fratris poſteritate præter omnem ſpem & exſpectationem ſui, ambigentibus Senatoribus Principem Palatinum ne, Neoburgicum, an Lotharingum, an Condæum, an alium eligerent, (*vide cenſuram Candidatorum ſceptri Polonici.*) d. XIX. Junii Anni MDCLXIX. Michael Wiſſnioviezkius Princeps Juvenis virtutum omnigenarum, inprimis probitatis pietatisque laude cumulatiſſimus, XXVIII. annorum, electus & $\frac{19}{29}$. Septembris ipſo Archangelo Michaeli ſacro fecto Anni ejusdem ſolemniter, acclamātibus cunctis VIVAT VIVAT MICHAEL REX POLONIÆ! Cracoviæ coronatus fuit, qui adhuc conjugio Eleonoræ Mariæ Archiduciſſæ Auſtriæ Ferdinandi III. Invictiſſimi Imperatoris filiæ, Leopoldi Clementiſſimi Imperatoris ſororis, hoc anno celebrato felicior, nunc feliciter regnat. Cui boni quique vitam, proſperos ſucceſſus, victoriamq; adverſùs hoſtes, votis communibus precantur.

(27) *Statuerunt &c.]* Concluſum hoc fuiſſe Anno MDCXLI. (& non, ut Klockius noſter tradit, Anno MDCXL) Author Theatri Europæi *parte 4. pag. 496.* teſtis eſt. Cùm enim ad deliberandum propoſitum fuiſſet, quomodo à Statibus Coronæ debita, à Rege in emolumentum & ratione

one ejus Coronæ contracta exſolvi queant, ſancitum & decretum ab Ordinibus, ad debita illa Regia exſolvenda aliter ſe obſtrictos haud profiteri, antequam menſæ Regiæ bona oppignorata & alienata ab eorum poſſeſſoribus avocentur, reditus Regii integrè reſtituantur, atque denuò in ordinē redigantur. Ut exinde Ordines colligere queant, quatenus ad ſolutionem teneantur. Perinde quoque debita illa liquidanda, liquida ab illiquidis ſecernenda, à Creditoribus ratiocinia exhibenda, & Statibus permittendum, ut ea Ipſimet exſolvant, minimè verò, ut Regiis miniſtris in manus tradant, aut Cameræ inferant, adigendos fore.

(28) *Bona ad Regis Oeconomiam &c.*] Ex bonis Regibus in Polonia attributis, quædam ad ſuſtentandam familiam, alia ad præmiandum benemeritos conſtituta fuiſſe, indicat locus Andr. Max. Fredr. *Geſtor. Pop. Pol. ſub Henr. I. R. P. p. 142.* ubi inter alia, à plerisque Regis iſtius liberalitatem dicam, an profuſionem, taxatam fuiſſe, his verbis refert; Conciliaverat verò ſibi Hic Rex (*inquiens*) multorum Optimatum animos, quibus non ſolùm bona publica, benemeritorum præmia, verùm patrimonia menſæ Regiæ plerisq; conceſſit, contra inſtituta Regni. Quod ab Equeſtri Ordine jure in vitium acceptum, ut prodigalior quàm munificētior haberetur. Poſuiſſe modū leges publicas (ajebant) munificentiæ regiæ; multorum agrorum Adjutalitates donari à Rege; reliqua tamen ſibi retineri oportere; ideoq́ue ſegregato à benemeritorum agris nomine, regiæ menſæ bona vocari. Ne ſi æquè hæc ac illa bona prodigaliùs in cives ſpargerent Reges, attenuato Principis domûs magnifico ſuſtentamento, flagitia abirent in cenſum; uti ob eam cauſam ominabantur pleriq; gravem Reipublicæ futurum Regē, qui profusè largiendo placere vellet Senatui, & infaſcinaret affectum conſilii; blanda verò ſæpiùs ei Principi dici, quàm vera, qui nimis amaretur. Addebant dicto alii impendere publico ærario non leves impenſas, quæ tantæ prodigalitati Regiæ haud ſuffecturæ eſſent; quare compellandos Senatores Nobilitas cenſuit, quatenus reſtituerent Menſæ Regium Patrimonium, néve acceptarent, quæ legibus in contrarium irent, multa eſſe alia in Republica benemeritorum præmia, multas præfecturas; ea verò bona Oeconomica, quibus neceſſitatibus Regiis à Republica proviſum eſſet, nec à Rege cuiquam dari, nec à quoquam acceptari poſſe. Quia verò acceptaret Senatus, malos haberi Conſiliarios, nec poſſe ſecundùm leges conſulere, qui ſuo facto leges violatum irent; dubitari præterea, quomodo non venalia haberent jura, ob leve præmium, qui ut illicita poſſiderent, acceptando legem vitavêre. Hæc privatim inter Nobiles agitabantur, & ſine dubio ad reſtitutionem res deveniſſet, ni Henricus propero è Regno diſceſſu prævertiſſet conſilia. Hactenus Fredro; qui & alibi *pag. 122.* de benemeritorū agris in perſona Legati ſuprà nominati ad Henricum Valeſium ſic loquitur: Feliciſſimum crede mihi, in ea Regiæ dignitatis parte, (*munificentia nempe*) Reſpublica te fecit, neque Gallia aut ullum Regnum (abſit invidia verbo) tam fœcundū præmiorū eſt, quàm divite manu Regibus ſuis ſubminiſtrat Polonia diſtribuenda. Sive infulam ſpectes, ſive ſpectes gladium, ſunt opulentiſſimi Epiſcopatus & Abbatiæ, ſunt Præfecturæ plurimæ, centenis & ultra millibus florenorū cenſus annui dotatæ; & alii minores fundorum proventus, qui publici & benemeritorum fundi vocantur: Horum etſi tu Rex arbiter diſtribuendo futurus es, nec tamen tibi retinere vetante lege poteris, quia hæc benemeritorum virtuti præmia dicata, ut plus munificus ſis, qui lege munificus eſſe teneberis, ea tu pro arbitrio certâ judicii menſurâ benemeritis civibus divides; his amicos parabis, his virtutem tuorum provocabis, ac benefaciendo unquam deficies, è tanto beneficiariorum numero, aliis indies concedentibus fatis, aliis nova præmia exſpectantibus ac promeritis; Quia regiæ munificentiæ triplo aut quadruplo plùs quàm privatis impenſis à Republica tibi in annum conceſſum. Scivit namq; Regium eſſe, plus cæteris dare, quàm habere ſibi &c. Vide & Franciſcum Marinium *de Scopo Reip. Pol. c. 12.*

(29) *Caminis ſive per fumantes impoſitis &c.*] Vide Latherum *de Cenſ. l. 1. c. 5. n. 2.* Beſoldum *in Theſauro pract. in voce* Camin/Herdzins/Herdgeld/ & allegatos à Bornitio *de Ærar. lib. 5. c. 7.*

(30) *Singulis Judæorum capitibus &c.*] Aliàs multis gaudere privilegiis Judæos in Polonia, ſic ut Regnum illud Judæorum aſylum ab aliquibus vocetur, ex Hiſtoriis rerum Polonicarum conſtat, & confirmat Marinius *de Scopo Reipubl. Pol. c. 13. p. 320. ſeqq.*

(31) *Ob Turcicos incurſus &c.*] Adde: & Tartaricos. Duorum enim horum hoſtium metu in Comitiis Varſavienſibus Anno MDCXL. in Contributionem quindecim Tonnarum auri, ſub modo ab Authore noſtro expreſſo, à Regni Statibus conſenſum fuiſſe, ex Theatro Europæo *part. 4. p. 161.* diſcimus. Qui modus in Comitiis Anno MDCLXI. celebratis d. XXX. Julii repetitus legitur. *Vide Diarium Europæum part. 7. p. 351.*

(32) *Nobilitas ſigno dato ad arma vocata &c.*] Morem convocandi Nobilitatem hunc Cromerus *in Pol. Deſcript. p. 191.* fuiſſe ſcribit: Evocatur ad bellum Nobilitas antiquo more, dimiſſis quoquoverſus per præfecturas literis ſigno Regio conſignatis: quæ deinde in pertica reſti alligatæ (unde reſtium nomen acceperunt) à præconibus ſive miniſterialibus terreſtribus ad dignitarios & Officiales, ſive Magiſtratus, primoresq́ue Nobilitatis cujusque præfecturæ, ſublimes & conſpicuæ circumferuntur, & in foris urbium & oppidorum altâ voce publicantur. Ter autem id fieri oportet, interpolatis quaternis ſeptimanis: niſi decreto Comitiali tempus id accidatur, binæq́; reſtes conjungantur. Poſt tertias demum reſtes domo ſe quisq; movet ad ſuæ ſatrapiæ conventum, ad certum locum certamq́; diem indictum. Inde porrò auctore ac ductore Palatino cum ſui quisque territorii Caſtellano ad conſtitutum à Principe prope fines regni locum pacati proficiſcuntur. Verùm (*addit Cromerus*) hoc quoque, ut alia nonnulla rectè à majoribus inſtituta, augeſcente indies Equitum licentiâ, conniventiaq́ue Magiſtratuum, in deſuetudinem abiit, magno non modò Sacerdotalium, verùm etiam Regnorum, & ipſius Nobilitatis prædiorum & adſcriptitiorū incommodo damnoq́ue. Et hæc evocatio generalium armorum fortaſſis illa eſt, quam Poloni vulgari voce *Poſpolite Ruſſenie* vocant. De qua ſic ſentit Fredro *Geſt. Pop. Pol. ſub Henr. pag. 27.* Magni certè momenti eſt hæc evocatio generalium armorum, præſertim ſi ad numerum & ordinem redigatur, ſi pro ratione temporis aut ſingulos in annos, hoc anno militent Palatinatus tres, altero totidem, & ſic deinceps commodiſſimè ſine impenſa ærarii defenderetur Respublica, mutuam inter annulationem Provincialium virtutis, & fortium, ac colonorum quietem à tributo. Diverſa planè ab illa eſt altera *Rokoſs*, cujus nominis genuinum Etymon vix dari poſſe,

Piaſecius *in Chron. Geſt. per Europ. ſingul. pag. 234. & 235.* cenſet, ſed ſonare terminum ſtato tempore controvertendi (*fortaſſis conveniendi*) & eſſe ſymbolum in iſta gente uſitatum, quo univerſi Nobiles genere ad conſurgendum contra Regem & Senatum pro vindicandis libertatibus ſuis convocantur. Formidoloſum quondam Regibus, cum eo Nobiles etiam familiares Regis & Proceres heros ſuos tunc deſerere, & in commune opem ſuam conferre obligabantur. Uſus tamen ejus, (pergit Piaſecius *d. loc.*) nunquam alius fuit, niſi cùm occaſione alicujus conventûs publici ſeu expeditionis bellicæ, ad Regem omnes Nobiles congregarentur. Exempla Rokoſs & inchoandi modum apud eundem, ut & Sigismundum Friderich Wartmann *in Polon. ſuſpir continuat. c. 12. & 13.* legere poterit rerum externorum curioſus.

Num. 21.

(33) *Orbis Principum robur ſuperat &c.*] Ita Franc. Marinius *de Scop. Regni Polon. cap. 9. p. 225.* de gente hac magnifica prædicans. Quicquid ſit, *inquit*, certum tamen hoc eſt, Poloniam noſtram Equitatu ſuperare Reſpublicas omnes. Propter illud robur jam olim famâ claruerant Poloni apud Romanos & alias gentes. Hinc Tacitus *lib. 3. Annal.* (*vult dicere 3. Hiſtor. ubi in recentioribus exemplaribus Lipſio ad d. loc. Excurſu 1. docente, cap 5. n. 2. hæc extant.*) Principes Sarmatarum Jazygum (*dicuntur hodiè Podlachi*) penès quos civitatis Regimen, in comilitium adſciti, plebem quoq; & vim Equitum, quâ ſolâ valent, offerebant. Et clariùs *lib. 1. Hiſt.* (*cap. 79. n. 4.*) Namque mirum dictu, ut ſit omnis Sarmatarum virtus, veluti extra ſe poſita; (*Tacitus inquit extra ipſos*) nihil ad pedeſtrem pugnam tam ignavum; ubi per turmas advenêre, vix ulla acies obſtiterit. *Hæc ille.* Verùm, ut hoc obiter notem, ſecundùm Cromerum *de Orig. & Geſt. Polon. lib. 1. cap. 10.* Roxelani Sarmatica Gens, de qua Tacitus *lib. 1. Hiſtor. c. 79. n. 4.* loquitur, non Poloni, ſed Ruſſi fuerunt, quod ibidem latè deducit, inſimulque *lib. 4. p. 542.* docet Jazyge ſive Jasvingos ejusdem cum Lithuanis linguæ, ut volunt nonnulli, earundemque morum & religionum fuiſſe, & ad Auſtrum finitimas Poloniæ ſilvas incoluiſſe; Hancque regionem à Polonis *Poleſſe* ſive *Podleſſe*, quaſi ſubſylvanam vocari: alios *Podlaſſe*, quaſi Lachis, hoc eſt, Polonis finitimam dici voluiſſe, ejus caput eſſe *Drohicinum* oppidum. Gentem bellicoſam admodùm contemptricemque mortis: verùm pugnandi cupiditate & pertinaciâ ad paucos redactam; & deinde ſub Boleslao Pudico Poloniæ Duce à Polonis deletam.

(34) *Qui privatis ſumptibus &c.*] Staravolſcius *in ſua Polonia pag. m. 94.* perhibet, certum eſſe, Regem Poloniæ poſſe ducenta Equitum millia habere absque ullis ſtipendiis & oneribus publici ærarii: quorum quilibet ſumptu proprio, vel eo nomine quòd Nobilis ſit, militare tam diu tenetur, donec vel bellum finiatur, vel à Rege in hiberna omnes dimittantur.

(35) *Centum quinquaginta millia &c.*] Aſſerunt nonnulli, inquit Fredro *Geſt. Pop. Polon. ſub Henr. I. pag. 25* CCCXL. vel ultra millia Equitum poſſe numerari, cùm mota ſedibus ſuis ſub ſignis ſteterit Nobilitas; Ego, quò magis vero cohæream millia ducenta, aut parum ultra, dixerim, non gravia tamen caſtris onera, ſed manus bello aptas. Nam Polonæ Nobilitati ea vitæ conſtat ratio, more & uſu antiquata, ut cùm ex umbraticis Scholarum ſtudiis exceſſerit, militaribus ſe accingat, ſigna ſequatur. Turpe aut deriſorium hîc maritum agere, qui nulla ſtipendia numerarit, nec facilè creditur poſſe togatum Remp. adminiſtrare, qui in ſago minimum profuerit. Univerſa Juventus bellis intereſt, quò quisque imaginibus majorum clarior, ſuæ ad naturam domûs, promptiùs à domeſtico otio in caſtra migrat, neque poſt emerita ſtipendia Martis deliciarum oblitus, arma abjicit, verùm propè ut recepturus ſeponit, Equum militarem in deliciis habet, acta pericula cum guſtu ad focum memorat, vocari, aut iterum currere in caſtra, in æquo habet. Hoc vitæ genere & plebejorum Nobilitas, & Nobilium fama paratur, nec majores ſuos, verùm ſe ipſum Rempublicam defendiſſe in laude reputatur. Illud eſt, quare Polonia hoſtium nominis ſui viribusque ire contra poteſt (aut ſi verum dixerim antè potuit, nam quantum hisce annis ab antiquis moribus receſſimus? charæ parentis libertatis & bellicæ virtutis prodigales filii, in noſtros poſteros indiſcreti!) benignioribus fatis hujusce Gentis ordinantibus, ut ea ſola reſtaret, cui Chriſtianus Occidens libertatem deberet. Hæ ſunt opes & vires gentis, dicente Neugebauero *Hiſt. Pol. lib. 1. p. 38.* hæ copiæ, externis penè incredibiles, ac cum quibusvis maximarum Gentium opibus ac divitiis comparandæ; quibus olim Poloniæ Principes res magnas geſſerunt, non domi modò illata bella propulſando, ſed foris etiam hoſtes ulciſcendo, fines imperii longè latèque proferendo, ac amicis & ſociis ſuccurrendo. Sed cùm abuterentur ii nonnunquam obſequio Nobilitatis, eamque crebrorum ac diuturnorum, minimeque neceſſariorum bellorum incommodis exercerent, lege cautum eſt intra ducentos annos & ampliùs, ut ne liceat Regi bellum facere ſine Comitiis & aſſenſu Senatûs: & ut Nobilitas fines quidem Regni, quoties & ubi opus eſt, absque ullo ſtipendio tueri neceſſe habeat, non ſine Principe tamen, præterquam in interregno. Cæterùm extra fines ne ad ullam militiam educi poſſit invita, niſi acceptis à Rege in quemlibet haſtatum Equitem quinque marcis. Adde dictis omninò Staravolſcium *in Polonia p. 95.*

Num. 22.

(36) *Armis inſtructi partim ſicut noſtri &c.*] Audiamus iterum de Polonis Polonum modò laudatum Staravolſcium *d. loc. p. 93.* Et ſunt Equites ipſi, *inquientem*, quaſi in quadruplici differentia pedites in duplici. Ex Equitibus alii ſunt gravioris armaturæ, & alii levioris: & qui gravioris armaturæ dicuntur, alii ſunt haſtati & vulgò *Huſſari* vocantur, & alii ſclopetis tantùm armati, & vocantur *Harcabuſſari*: utrique autem iſti ferreis thoracibus atque galeis ſunt veſtiti. Levioris deinde armaturæ alii ſclopetis oblongis, alii autem pharetris & lanceis brevioribus ſunt armati: & utrique loricis induti, atque communi nomine *Coſachi* appellati. Pedites verò alii vocantur *Haiduci*, qui ſunt è Polonia aut Hungaria conſcripti: alii *Coſachi Zaporoſenſes*, qui è partibus Ruſſiæ vicinis Scythiæ ultrò nomina dant militiæ, & ducem ſuum proprium diſciplinamque caſtrenſem habent &c.

Num. 23.

(37) *Coſachi &c.*] Coſachi ſunt genus quoddam militum, & quidem eſt ruſtica collectitia gens robuſta & fortis, plus arma quàm aratrum colens. Sunt autem legionarii & ſoluti; Legionariis aut conſcriptis Reſpublica certos diviſit agros & ſcripſit privilegia; unde privato commeatu

bellis

bellis adeſſe tenentur per Duces evocati. Scripta in hanc militiam VI. virorum millia; jam ſolutorum ignota nobis domus & manſio, caſtra tamen & locus armorum nota ſunt; æſtate per Inſulas & oſtium Boriſthenis viſuntur, hyeme huc & inde per vicos oppidáve dilabuntur: Vitæ ratio eſt, feris ſclopo & retibus inſidiari, prædas in Scythas Turcáſve agere: Ducem, quem ſibi eligunt, habent; authoritatem tamen Reipublicæ ſuſpiciunt, ad bella pro ſubſidio vocati adſunt, nec leviter officium præſtant; Arma illis, arcus aut ſclopi, ſed hi frequentiùs. Inſueta bellandi ratio; audaciâ, tumultu, remedio malorum patientiâ hoſtem vincunt, cùm minùs ſperantur, adſunt, ac inter inopinata maximùm metuendi: Imbre turbida nox, tenebris obſcura, quo tempore beſtiæ cubilibus ſe continent & quieſcunt, illis per conticinium invadendo accommodatiſſima, licèt non invadunt, quietem tamen caſtrorum turbant, aliâ parte clamorem excitant, alterâ inſidiantur; periculoſiſſimum verò, quia multa per ſtadia furtim proni inter gramina rependo caſtra invadunt, & ſæpiùs fallunt excubitores; ſparſim & ſine ordine pugnant, illud tamen ſervant, ut ſigno dato medio in prælio uno veluti motu in globum coëant. Aggeres cùm gradiuntur elevant, ut, cùm cedere opus ſit, eò ſe recipiant, inter foſſas eminus rem acturi; frontem ictus dirigendi certiſſimi, terga rudes occupant, alios atque alios ſclopos onerant, jaculando præparant, primis porrigunt; hi verò jaculari, hoſtem ferire conantur, certum autem ictuum cum minimas volucres jaculo quærunt, & habent; parva iis caſtrorum impedimenta, carros ſecum trahunt magis pro defenſione, (*vulgò Tabor*) quàm pro commoditate & deliciis caſtrorum, quibus intercluſi pro vallo utuntur; ſic contra equitatum mediis in campis tuti, nec facilè diſturbantur; in itinere fluvios nulla difficultate transeunt; tranant enim ſuper utres, (vel ſine etiam,) armis tergori ſuperpoſitis, aut Equorum tranantium caudas prehendunt, impedimenta item miris inventis transvehentes, ſuper faſces arundinum aut ſepes colligatos, aut rates. Hæc de terreſtri Coſachorum militia; de maritima (cujus peritiſſimi) majora ſequuntur. Boriſthenes fluvius è Moſcovia profluens, aquis rapaciſſimis & altus, mari Euxino propinat, propè oſtium & labra medio Inſulas intercipiens, totus fluvius navigabilis, ſed interrupto tractu, infra ingreſſum fluvii Samajas per duodecim *Porohos* (qui gradus ſeu obices dici poſſunt) deſcendit, naturâ rapido flumini inſultante ac rupes objiciente. Incredibile eſt, hominem ſine nocumento illac transire; nonnulli graduum aliquot ulnas alti, unde impetu decidentes aquæ inter ſe colluctantur, jam in fundum revolutæ, jam in alto ſpumantes, undarum iras loquuntur; Coſachis deſcenſus eſt ſine nocumento; & exinde apparet, audaciam & auſum periculis poſſe imperare. Cùm mare aſcendunt, tempeſtate ſuperveniente, arundinis cumulos lateribus navigii undiquaque alligant, quo fluctibus irati maris faciliùs ſupernatent. Navigiis utuntur parvis, quæ LX. virorum cum juſto commeatu capaces ſunt, celoces aut ſcaphæ dici poſſunt; velociſſimè ſequuntur & fugiunt. Turcis damna inferunt, ſuburbana aliquando Conſtantinopolitana invadunt; (unde Amuratis Turcarum Imperatoris dictum erat, cùm inter arma Principum in ſe conſpirantium Conſtantinopoli degens, in utramque dormiret aurem, ſolos Coſachos eſſe, ejectamenta Polonorum, qui tanti Principis turbarent ſomnum) civitates & oppida Pontho littori proxima populantur, furtim omnia præſtant, neq; dum pugnandum fortiùs reſiſtunt: Numerus horum militum incertus eſt, viſa ſunt aliquando XVIII. aliquando XXX. millia: quod moderna rebellio Chinelniciana, ultra ducenta millia Coſachorum ſub ſignis aliquoties eduxerat in prælium, totâ Ruſſiâ in perfidiam ac rebellionem actâ. Dicuntur verò Coſachi nomen habere à voce Ruthenica *Cozac*, quæ militem vagum & rapto viventem ſignificat, ut poſt Zeillerum in der andern Beſchr. deß Königreichs Polen *pag. 21. ſeqq.* Cellarius *in nova Deſcript. Regni Pol. p. 49.* notant, vel ut Piaſecius, qui *in Chron Geſt. in Europ. ſingul. p. 45.* vult à *Kosà* in Polonico Idiomate, in Latino ſonante *Capra*, quaſi qui æquent vel aſſimilent capram agilitate, & curioſitate penetrandi inacceſſa. *Ubi omninò vide, cùm plura de iis tradat ibidem.* Quibus addi poterit Marinius *loco ſæpè allegato cap. 9. p. 203.* Brachel. *Hiſt. noſtri temp. l. 2. p. 110.* Author *Polon. ſuſpir. c. 13. p. 89.*

Num. 23.

(38) *Tantum habent fiduciæ in equeſtri illa copia &c.*] Disquirunt rei militaris periti, & Politici, equitum peditúmne in militia terreſtri major uſus, cùm utriſque ſanè opus ſit? docente Beſoldo *de Arte Jureq; belli cap. 2. §. 14.* Bernegger. *in Quæſt. Polit. ad Taciti G. & A. quæſt. 24.* Ranzovio *Comment. Bellic. lib. 1. c. 11.* Staravolſcio *in Inſtit. Rei Milit. l. 8. quæſt. 12.* aliis, qui ultimus ſic concludit: Ubicunque bona & compoſita militia eſt, ibi plus penes peditem roboris puto, quia & in mari, & in propugnatione oppidorum magis utiles, & magis formidandi propter machinas majores, quas equites ſecum ducere nequeunt. Equites autem non niſi in pugna terreſtri, idque in locis commodis & planis. Jam verò ſi hoſtis peditatu abundans collibus inſidebit, ab impreſſionibus & impetu equitum omninò ſecurus erit. In planicie autem, aut ſylvam aut foſſam aliquam, aut ſepem, aut vineta adminiculi loco habebit, & ſic impetum equitum reprimet. Vel ſi in pura & aperta planicie conſiſtet, haſtas & fariſſas complicatas, aut trabes transverſas in eam rem paratas habebit & objiciet: ſiquidem minimum quodvis impedimentum equorum vim frangere ſolet, ut bello Boruſſico Poloni experti ſumus, qui equitatu potentes, Guſtavum in locis ſylveſtribus, montoſis, & paluſtribus acies ſuas diſponentem, nullo modo aggredi potuimus; præſertim haſtati, quos Huſſaros dicimus, & in quibus omne robur militiæ noſtræ conſiſtere putamus. *Hactenus Staravolſcius.*

(39) *Nihili facientes munitiones &c.*] Quantum ad munitiones & fortalitia: candidè fatendum eſt, *inquit jam citatus* Staravolſcius *in Polonia pag. 100. & 101.* illa omninò in Polonia nulla exiſtere, præter aliquot caſtella privatorum, idque ſparſim per Provincias & regnum, ut eſt Zamoſcium, Lancutum, Zbaraſium, Neſuizia, Lachovica, Medirecia, Dubna, aliæque minutiores populationes. Cæterùm tamen facilè potuiſſent excitari plures, ſi Reſpublica in id operam ſuam intendiſſet, ſiquidem & lapidis, & calcis, & ferramentorum atque lignorum copia ubique maxima in Polonia reperitur. Quum autem non ſumus cupidi aliena invadendi, noſtra facilè vel pectoribus noſtris tueri poſſumus; prout & hactenus tutati ſumus, aperto potiùs Marte cum hoſte decertan-

do, quàm vel propugnaculis ſeſe includendo: ſed rectè monet cum Emmio Marinius *dicto loco cap. 9. p. 234.* Virtutem virorum fortium munimenta Reipublicæ equidem præſtare; poſſe tamen illam virtutem aut degenerare, dum voluptates prævalent; aut etiam numerus virorum fortium deficiat.

Num. 24.

(40) *Cæterùm Nobilitatis opes &c.]* De Divitiis Polonorum & quidem Magnatum Boterus (*cujus verba Author noſter hic exhibet*) ſcribens, ditiſſimos eorum vix viginti quinque millia coronatorum excedentes reditus annuos poſſidere dicit. Sed eas minùs ipſi cognitas, aut certè tunc alium planè Equitum & Nobilium ſtatum fuiſſe, cùm Italus illa ſcriberet, arguunt longè majores reditus annui, quibus ſuperioribus & proximis his temporibus ante Suecorum in Poloniam irruptionem Magnates quotannis fruebantur. Non enim unus, & alter, ſed plures ingentes divitias poſſederunt, & proinde etiam reditibus annuis grandibus abundarunt. Sufficiat unum alterúmve exemplum ex Piaſecio *cit. Chronico* adducere. Cujus primo loco deſerviat Januſſius Dux Oſtrogiæ, Caſtellanus Cracovienſis, qui initio Septembris Anno MDCXIX. deceſſerat, quem hoc encomio mactat, *pag. 323.* quòd fuerit vir longè præſtans cæteris Proceribus dignitate Senatoriâ, ac magis magnificentiâ opum, quibus etiam Craſſum Romanum æquaret, cùm potuerit legiones alere, alueritque propriis ſtipendiis in omnibus expeditionibus Regni Polonici bellicis. Inmò (*pergit ille*) & hæreditatem ſuam (caruit liberis virilis ſexûs, & cum unica filia ſuſcepta ex Hungara Comitatus Macoviciæ Domina ad Duces Zaslaviæ ab eadem ſtirpe profectas, & iſtis deficientibus ordine præſcripto ad alios ſuos cognatos ampliſſimas poſſeſſiones transmiſit per Fiduciam ſeu Fideicommiſſum, ut nunc dicitur, decreto Comitiorum Generalium publico ſtabilitum, cùm alioquin irritum haberetur, ut legibus Gentis iſtius vetitum) obligavit, ut ejus ſtipendiis ſexcenti Equites armati perpetuò in caſtris iſtius Reipublicæ contra hoſtes finitimos Ruſſiæ militarent ac militant. In peculio autem ſuo numerato, reliquerat trecenta millia numorum ſeu Ducatorum aureorum Hungaricorum, ac communioris pecuniæ, tam & gemmarum, aureæ argenteæque ſupellectilis vim ingentem, maximamque copiam omnis generis apparatuum. Alterum exemplum præbet Andreas Lipski, Epiſcopus Cracovienſis, qui menſe itidem Septembri Anno MDCXXXI. mortuus nonaginta Polonica aureorum ſeu florenorum millia numeratæ pecuniæ, præter ſupellectilem pretioſam, & tot horrea plena reliquit. Plura apud Authorem *defenſæ contra Barclajum Poloniæ pag. 126. 127. & 133.* vide.

Num. 25.

(41) *Etſi ſuperiorem agnoſcunt &c.]* Regem ſcilicet quoad conceſſa ipſis à Regibus Poloniæ feuda; tanquam Dominum Feudi.

(42) *Nolunt intereſſe Polonorum conventibus &c.]* Contrarium adſtruit Fredro *de Geſt. Pop. Pol. per Henricum I. pag. 263.* his verbis: Auditæ præterea (*in conventu Stenſyceo, quo Ordines Anno MDLXXV. convenêre*) legationes Alberti Friderici Marchionis Brandeburgici, Ducis Boruſſiæ; item Ducis Curlandiæ, (Vaſallorum Poloniæ) partim in Collegio Senatûs, partim coram Equitibus, (plenus enim Ordinum conſeſſus & honos ſummis Europæ aſſervatur Regibus) qui utrique Reipublicæ fiduciarii, aut quaſi Cives, locum ſibi aſſignari in Senatu petiêre, ut de ſumma rerum diſceptarent in commune; verùm ab utroque collegio negatur. Inſcripti quidem regno Principes, ſed externis moribus viventes externa vota & ſtudia ad Rempubl. allaturi erant. Cùm præterea æqualibus Nobilitatis titulis in Republica eſt compoſita libertas, Duces conſeſſuri in Senatu, vel ob ignoti nominis opinionem, ſententiæ impoſituri pompam videbantur, non quòd domi deeſſet par Optimatum honos aut poteſtas, ſed quia in externa faciliùs conſentiret admiratio. Alibi idem narrat *dict. loco n. 43.* de Brandeburgico ſequentia. Placuit legatis exterorum Principum (*in Comitiis Anno MDLXXIII. habitis*) dari conſeſſum, ac primum Legato Marchionis Brandeburgici, Ducis Boruſſiæ, uti vaſallo & domeſtico, vel quòd neceſſaria quædam ſe allaturum dictitabat. Is multa oratione poſcebat ſuo Duci locum dari in Senatu, Civem Polonum eſſe dicens, titulo Boruſſiæ & prætextu, quam nomine fiduciario à Republica teneret. Huic reſponſum: Sufficere Duci beneficium Reipublicæ, cui tanti Feudi munus contulerat. Locum verò in Senatu, & ſuffragium in eligendo Rege non poſſe concedi.

(43) *Ducatum Boruſſiæ obtinet Elector Brandeburgicus &c.]* Notum eſt, *Boruſſiam* vulgò in *Regiam* atque *Ducalem* diſpeſci. *Regia* illa pars Boruſſiæ appellatur, quæ eodem cum Polonis regno continetur, peculiare tamen conſilium publicum, peculiares leges, peculiaria judicia, & comitia, ærariumque & belli gerendi rationem à reliqua Polonia diverſam habet antiquitùs, uti Cromerus *in Deſcript. Polon. pag. 199.* loquitur. *Ducalis* verò, quæ ab Alberto inde Brandeburgico, Marchionibus à Poloniæ Rege in feudum cum Ducatûs titulo conceſſa fuit. De utraque præter Geographos Staravolſcius *in Polonia pag. 53. 54. 55. 56. 57. 58.* commentatur. Repetemus autem ex Sleidano *lib. 5. Comment. ad Annum MDXXV.* (*quo nempe Status Reipublicæ per Boruſſiam mutatus fuit,*) *pag. m. 131.* rem paulò altiùs. Henrico VI. Friderici Barbaroſſæ filio, Cæſare, cùm pro recuperanda Hieroſolyma Chriſtiani bellum gererent, inſtitutus eſt Ordo militum, ut vocant, Marianorum Teutonicorum, (*de quibus vide Miræ. Orig. Ordin. Equeſt. lib. 1. cap. 3. Menneniùm Delic. Equeſtr. pag. 78. ſeqq.*) qui quoniam pro Religione pugnabant, crucem albam in veſtibus ferebant (*rectiùs Mennenius, crucem nigram albis chlamydibus appoſuêre*) velut inſigne quoddam atque notam ſuæ profeſſionis; fuit hoc ad Annum Salutis MCXC. Ejus Ordinis primus Magiſter fuit electus, uti memoriæ proditum eſt, in caſtris ad Ptolomeida. Boruſſiam deinde ſibi ſubigerunt illi, Friderico II. Cæſare: & quum auctis viribus bella geſſiſſent aliquandiu cum Poloniæ Regibus, prælio victi fidem per Jusjurandum dederunt Caſimiro Poloniæ Regi, Patri Sigismundi. A primo Magiſtro (*Henrico à VValpot*) usque ad Albertum Marchionem Brandeburgicum interceſſerunt triginta tres. (*Quos ordine recenſet Münſterus lib. 3. Coſmographiæ cap. 474. ut & Alexander Guagninus in Chorograph Polon. Tom. 1. Corporis Hiſt. Pol. p. 57.*) Albertus autem electus fuit Anno Salutis MDXI. per biennium grave bellum geſſit cum Poloniæ Rege Sigismundo, & Anno Salutis

Salutis MDXXI. pactæ fuerunt in annos quatuor induciæ. Interea ſubinde ſolicitat Cæſarem Albertus & Ordines Imperii de Auxiliis, & ad Comitia Norimbergæ (Anno MDXXIV.) Ipſe venit, &, ut Imperii Princeps, locum ſuum habuit in conſeſſu. Nam belli cauſa erat, quòd in Poloni verba jurare nollet. Cùm autem & Cæſar eſſet bello Gallico impeditus, & Turca in Hungariam impetum faceret, & ſeditione Ruſticorum detineretur Germania, ſic, ut auxilium inde nullum exſpectari poſſet, & jam exirent induciæ, Pacem cum Polono facit, eique fidem dat, ut præcipuo ſuo Magiſtratui, *(rectiùs Domino Feudi)* & Evangelii doctrinam ſuſcipit, & mutato Ordine Boruſſiam ſibi vendicat, & qui fuit antè Magiſter, jam de voluntate Regis, Dux Boruſſiæ ſalutatur, & aliquantò pòſt in matrimonium ducit Friderici Daniæ Regis Filiam Dorotheam, & Academiam Cõnigsbergi, Montem Regium vocant, inſtituit. Eo facto univerſum Ordinem in ſe concitavit. Nam etſi Boruſſiam tenebat, ac Poloniæ Regis præſidio nitebatur, tamen de communi conſenſu Waltherus Cronbergus ei ſuffectus eſt, qui priſcum nomen atque Statum repræſentaret. Is deinde in omnibus Comitiis graviter eum accuſabat, ut ſuo loco dicitur. *(Scil. lib. 6. pag. 185. ubi narrat, quomodo Auguſtæ in Comitiis Anno MDXXX. Poloniæ Regis & Alberti Brandeburgici Transactio caſſata, & Albertus proſcriptus fuerit, lib. 8. litem inter Polonum & Cronbergum A. MDXXXII. agitatam, de quo negotio & Cromerus lib. 29. de Reb. Polon. agit. denique lib. 20. in princ. ubi contraria Legati Poloni Stanislai Laſci & VVolffgangi Boruſſiæ Magiſtri Orationes pro & contra, utrum ditionis Poloniæ Boruſſia ſit an Imperii? exhibet: junge Thuanum lib. 1. Hiſtor. & libr. 5. Goldaſtum* in Reichshandlungen *à pag. 149. usq. ad pag. 186.)* Ille autem, edito ſcripto, ſui facti rationem explicat, & quemadmodum extremâ neceſſitate coactus, cùm ab Imperio deſtitueretur in Poloni clientelam ſe dederit, oſtendit. *(Quod exhibet* Hortleder von Urſachen deß Teutſchen Krieges *lib. 5. cap. 1.)* Conditiones autem, ſub quibus Boruſſiam Feudi Lege à Poloniæ Rege Sigismundo Primo Albertus Brandeburgicus, Friderici filius, Alberti Achillis Germanici Nepos, Onoldſpachi Anno MCCCCXC. natus, Anno MDXXV. ſuſcepit, literæ inveſtituræ, quas Limnæus *in Addit. Tom. I. ad lib. 5. cap. 7. n. 28. pag. 780. ſeqq.* exhibet, monſtrant. Inveſtituræ autem actum exactè deſcribit Guagninus *loco ſuprà dicto pag. 61.* adde Neugebauerum rerum ſeriem *lib. 7. Hiſtor. Polon. pag. 505.* exactè annotantem. Et exinde cùm Rex Poloniæ partem tantùm Boruſſiæ Alberto feudi titulo conceſſiſſet, diſtinctio illa ſuprà allata, inter Boruſſiam Regalem & Boruſſiam Ducalem, firmata fuit. Cumque illic in prima Inveſtitura comprehenſi fuiſſent, unà cum Alberto tres ejusdem fratres, Marchiones Brandeburgenſes, Georgius, Caſimirus, ac omnium horum quatuor, legitimi feudi hæredes maſculi, duo verò ex prædictis fratribus, non relictâ maſculâ prolè è vivis exceſſiſſent, Joachimus II. ipſe quoque Marchio Brandeburgenſis, & Elector inveſtituram feudi Prutenici ſimultaneam per Legatos ſuos à Rege Sigismundo Auguſto ſive II. Anno MDLIX. in Conventu generali Petricoviæ petiit, & in Comitiis ibidem iterum celebratis Anno MDLXII. obtinuit, quod Limnæus amplìter *d. l. pag. 785. ſeqq.* deducit, & ſimul controverſias circa hanc inveſtituram ſubortas, cum novis inveſtiturarum literis & conditionibus producit. Add. Piaſecius *in Chron. Geſt. in Europ. ſingul. p. 4. 274. & 444.* Theatri Europæi *pars 4. p. 497. ſeqq* ubi moderni Domini Electoris Brandeburgici Friderici Wilhelmi inveſtituram Prutenicã & difficultates circa eam obortas explicat Author. Inito verò Anno MDCLVII. inter Poloniæ Regem Johannem Caſimirum, & Brandeburgicum Electorem de mutuis contra Suecos auxiliis Brombergæ fœdere, ei inter cæteras conditiones & hæc adjecta fuit; Ut ſua Electoralis Serenitas Supremus Dominus maneat, nec unquam à Regibus Poloniæ Ducalis Boruſſiæ ſuprema Feudi Jura exigantur aut recipiantur, quamdiu Linea Electoralis ſuperſtes fuerit. Adeò ut nec proceſſus, nec appellationes inpoſterum ad aulam Regiam Polonicam decernantur aut devolvantur. Et Electoralis ſua Serenitas à tributo, ad exſolvendum quod antea vi inveſtiturarum pactionum quotannis obſtricta erat, immunis ſit &c. Theatri Europæi *cont. 1.* ſive Irenicopolemographiæ *pag. 150.* Atque hoc modo ab Alberto Brandeburgico ex Linea Onoldſpacenſi orto, Anno MDLXVIII. d. XX. Martii denato, *(vide Genealog. Synopt. March. Brandeb. cujus Author perhibetur M. Theodorus Gramann, Curiæ Anno MDCX. impreſſam pag. 36. 37.)* Boruſſiæ Ducatus ad Filium Albertum Fridericum translatus, ſic in Familia illa permanſit, ut tamen ad Electorem Brandeburgicum, Dn. Joh. Sigismundum, fratresque ejusdem Germanos Johannem Georgium in Sileſia Ducem Jägerndorffenſem, Erneſtum & Chriſtianum Wilhelmum Archiepiſcopum Magdeburgenſem, eorumque omnium legitimos ſucceſſores maſculos ex lumbis eorum deſcendentes ſolos, præteritis Franconicæ ſtirpis Principibus, Johannis Georgii poſteris, hæc ſucceſſio Feudalis per Inveſtituram ſimultaneam de Anno MDCXI. die XVI. menſis Novembr. delata fuit, qua de re graviter conqueſtos fuiſſe cæteros Marchiones Brandeburgicos excluſos, teſtis eſt laudatus antea Limnæus *d. loc. pag. 793. ſeq. ubi vide.* Ejusque rei & Piaſecius *loco ſuprà dicto pag. 4. & pag. 274.* meminit.

(44) *Alter ex Illuſtri Ketlerorum familia &c.*] Longum nimis foret penſiculatiùs hîc exequi quomodo Livonia (*cujus pars & Curlandia & Semigallia eſt*) à Bremenſibus ad fidem Chriſtianam deducta, atque ad feliciorem propagationem fidei certus quidam Ordo Gladiferorum ſeu militũ Chriſti in Livonia, qui ſic dicti, quòd enſis rubri ſignum cum cruce pallio inſutum, aut veriùs binos gladios formâ crucis decuſſatim poſitæ rubeſcentes, præferrent, ab Innocentio III. confirmatus, inſtitutus fuerit; quomodóve illi Equites unà cum Archiepiſcopo Rigenſi dominio totius ferè Livoniæ potiti, erga exteros bello felices, domi, pace partâ, infeſta invicem odia in bella eruptura geſſerint; quomodoque hæc occaſio & Moſcum & Suecum aliósve contra ipſos moverit, ſic ut externa auxilia advocare neceſſe haberent, cùm in compendio hæc jam exhibeat Zeillerus *in Livoniæ Deſcript. pag. m. 225. ſeqq.* Mennenius *in Delic. Ord. Equeſt. p. 88. 89. ſeqq.* Miræus *lib. 1. c. 6.* Sed ſolùm ſufficiat hoc loco mutationem & occaſionem mutationis regiminis in Livonia & Curlandia ex Neugebaueri *Hiſt. Polon. lib. 8.* annorare: ita autem ille *pag. 603.* inquit; Proximo poſt hunc Anno (i. e. MDLXI.) Rex Poloniæ Sigismundus Auguſtus, ad cujus patrociniũ & tutelam Ordinis

Livoniæ Magiſter, Archiepiſcopus Rigenſis, ac Nobilitas ſubjecta confugit, cùm diſtractiones Livoniæ inteſtinas varias ac multiplices, & Revaliam tota cum vicinia Sueco ſe ſubjeciſſe, aliquot etiam Provincias à Magno Holſatiæ Duce teneri videret, non ampliùs teneri prioribus pactis de defenſione cum Ordinis Magiſtro & Archiepiſcopo initis, multò minùs ſpeciem defenſionis alicujus adversùs Moſcos oſtendere voluit, niſi Archiepiſcopus & Ordinis Magiſter cum omnibus ſubditis ſuis ſe Poloniæ & Lithuaniæ penitùs ſubderent, & ſolemni ſubjectionis juramento obligarent. Cùm igitur Archiepiſcopus & Ordinis Magiſter ab Imperio Romano, cujus auxilium & opem aſſiduis Legationibus ſupplices imploraverant, ſe planè deſertos animadverterent, & ingentia Livoniæ, jam magnâ ex parte à Moſco & aliis occupatæ & vaſtatæ, vulnera remedium præſens flagitarent, extremâ coacti neceſſitate, ut reliquas adhuc Livoniæ provincias, ne in Moſci poteſtatem pervenirent, nomini & Religioni Chriſtianæ conſervarent, conditionem ſubjectionis à Rege Poloniæ flagitatam ſubire coacti ſunt. Quare poſt multorum menſium tractationes tandem Rex Nicolaum Radivilum Palatinum Vilnenſem plenis cum mandatis in Livoniam miſit, ut permiſſas ſibi ab Ordinis Magiſtro arces, provincias, documenta, & literas acciperet, & à Rigenſi Civitate juramentum fidelitatis nomine Regis exigeret. *Et p.p. pergit:* Cùm igitur de ſubjectionis Livoniæ Regi Auguſto faciendæ conditionibus inter Livoniæ Ordines ac Poloniæ Regem Vilnæ jam transactum eſſet, ut executioni illæ mandarentur: die V. Martii in arce Rigenſi Magiſter Ordinis Gothardus Ketlerus coram regio Commiſſario atque vicario Nicolao Radivilo Palatino Vilnenſi Ordinem ſuum reſignans, primùm crucem, dein ſigillum, poſtea literas & diplomata omnia, quæ Ordo à Cæſaribus & Pontificibus acceperat, præterea claves arcis Rigenſis & portæ Civitatis, officium Commendatoris, jus cudendæ monetæ, vectigal piſcium, & omnia alia ſua & Ordinis ſui jura Poloniæ cedit & tradit. Statim autem factâ reſignatione, Gothardus Ketlerus à Radivilo, nomine Regis Poloniæ, Curlandiæ & Semi-Galliæ Dux ſolemniter proclamatur, cui è veſtigio Nobilitas Curlandica & Semigallica, velut hæreditario Domino ſuo, ſacramentum dixit. Poſtridie verò Dux Curlandiæ ab eodem Radivilo Prorex & Gubernator Livoniæ in Curia Rigenſi publicè renuntiatus, & claves arcis & portæ Civitatis ipſi redditæ ſunt. Hactenus Neugebauer: cùm quo Lundorpius *in Contin. Sleidani lib. 2. pag. 194.* nec non Piaſecius *d. loco pag. 51.* conſentit. Huic primo Duci Curlandiæ & Semigalliæ Gothardo Ketlero, Anno MDLXXXVII. d. XVI. Kal. Junii vitâ functo, & VI. Non. Quintil. terræ mandato, ſucceſſit Fridericus natu major filius, ipſi natus ex Anna, Alberti Megapoleos Ducis filia. Hunc ſecutus eſt frater Wilhelmus, à Rege Poloniæ Sigismundo III. ob necem Magni Noldæ Nitaviæ Anno MDCXIII. forte ſuâ in Ducatu Curlandiæ abdicatus & proſcriptus fuerat. (*Piaſecius in Chron. pag. 444.*) Illum filius Jacobus, qui Vilnæ ſolemni ritu ſucceſſionem fiduciariam Curlandiæ & Semigalliæ à Rege Uladislao IV. Anno MDCXXXIX. accepit. *Theatr. Europæ. parte 4. pag. 66.* Piaſecius *d. loco. pag. 504.* qui notat, multas querelas auditas fuiſſe in proximis Comitiis, propterea quòd non in Comitiis Regni, nec prævio decreto Ordinum illa Fiducia eſſet tradita. Hic ipſe Dux tanquam in bello Suecico-Polonico contra pacta conventa, ut prætendebatur, medium ſeſe haud geſſiſſet, Anno MDCLVIII. die XXIX. Septembris unà cum Conjuge ſua Ludovica Carlotta, Electoris Brandeburgici Sorore, quam Anno MDCXLV. die XXX. Septemb. matrimonio ſibi junxerat, (tunc puerpera, triduo enim ante Principem infantem enixa erat,) cumque duobus Principibus Juvenibus & filiabus à Duglaſio Suecicæ militiæ Campi-Mareſchallo captus & Narvam abductus, (*Theatri Europæi Cont. ſive Irenico-Polemograph. parte 2. pag. 694.*) demum pace inter Sueciæ & Poloniæ Reges & Regna Anno MDCLX. die XXIII. Aprilis Olivæ concluſa ſub cautione de non offendendo & non vindicando, (*ut habetur ibid. art. 6.*) priſtinæ libertati d. XV. Junii ejusdem anni & Ducatui cum omnibus ſuis reſtitutus fuit. *Diar. Europæ. parte 5. pag. 158.*

Num. 27.

(45) *Manſum &c.*] Vide Lexicon Criticũ Martinii, ut & Lexicon Juridicum Calvini in hoc vocabulo.

(46) *Seu Pragenſes &c.*] Annotante, poſt Cromerum *in Deſcriptione Polon. lib. 1.* Neugebauero *Hiſtor. lib. 1. pag. 17.* Olim Poloni proprium numum non habebant, ſed externis & maximè Bohemicis uſi ſunt aliquandiu. Cœpit deinde ante ducentos annos à Caſimiro Magno (qui Anno MCCCXXXIII. ad regnum pervenit) Rege Poloniæ æs & argentum ſignari ad Bohemorum exemplum.

(47) *Milites non penitus immunes &c.*] Addit Cromerus *lib. 2. deſcript Pol.* Et jumenta autem hi ei, quacunque iter faciebat, alii ſecundùm alios ſuppeditabant, & canes cum venatoribus ejus alere neceſſe habebant.

Num. 28.

(48) *Redimunt &c.*] Supple ex Cromero, ſi modò redimunt, mercenariorum etiam &c.

Num. 30.

(49) *Venalis cujuslibet potûs nomine &c.*] Refert Thuldenus *Hiſt. per Europ. lib. 8. pag. 99.* Judæos Cracovienſes uti liberè metonem, cerviſiam, & vini ſpiritum uſtulatione expreſſi venderent, ducentis millibus Ducatorum in annos ſingulos pactos fuiſſe.

(50) *Pendunt & molitores &c.*] Omnis generis tributa complexus fuit Fredro *in Geſt. Pop. Pol. ſub Henrico pag. 41.* cùm enarrat ea, quæ ante Electionem novi Regis dum imperata erant: Non agricolæ, *inquiens*, non opifices, non cauponarii & mercatores, non miniſtri horum omnium, in vicis, urbibus, & oppidis, absque tributo miſſi, item ſchismaticorum ſacrificarii & Armeniorum, à ſingulâ marcâ censûs, molendinarii à lapidibus, nautæ à navibus, Judæi à capite, denique quæque perſonæ, quæ ſub titulo Nobilitatis non laterent, contribuere juſſæ, ceſſêre quoque infulati Senatores: bono exemplo ac Zelo Cleri nomine, parte decimarum ut in ærarium deferretur; unde ingens corraſum æs, multis millibus equitum peditumq; in copia ſufficiens, quare firma limitum parata præſidia, ne provocaret in arma facilitas invadendi amicos æquè ac hoſtes.

Num. 31.

(51) *Sculteti ſeu Advocati &c.*] Qui ſunt quaſi deductores ac defenſores Coloniarum, qui vel ipſi per ſe, vel per vicarios ſuos (& ipſos Advoca-

tos

tos,ſed judiciales vocant) cum adjunctis aliquot ex aratorum numero ſcabinis (ſic appellantur Judices ſive aſſeſſores judicii) jus dicunt. *Johan. de Laet ex Cromero pag. 156.*

Num. 33.

(52) *Capitale dictum eſt &c.]* In Comitiis Anno MDCLXII. menſe Aprilis celebratis tale quidem *Capitale* impoſitum fuit, ſic ut Epiſcopus aliquis per univerſum Regnum C. Ducatos, Senator Regni C. Imperiales, Clericus aliúsve de ſuo victitans, qui nec aliunde aleretur, ut & ruſticus quilibet, duos Imperiales, fœmina unum, & ſic deinceps penſitarent. Sed immenſitas oneris ſucceſſum retardavit, quemadmodum in Diario Europæo *parte 8. pag. 407. & 597.* refertur.

Num. 34.

(53) *Nunciis Terreſtribus &c.]* Sine quibus hodiè legitima Comitia in Polònia nòn habentur, quæ verò & antiquitùs fuerit, & nunc Comitiorum ratio ſit, ex Cromero Johann. de Laet *in Deſcript. Polon. pag. 182. ſeqq.* & Marinius *de Scopo Reipubl. Polon. cap. 8.* quò Lectorem hâc vice remitto, docent.

Num. 35.

(54) *E telonìis &c.]* Cæterorum hominum neminem jus ullum habere inſtituendi & exigendi in Regno Poloniæ telonii, præter peculiarem Regis indulgentiam, idque ob neceſſariam extra ordinem refectionem viarum, pontium & aggerum; Verùm naulum à trajectu fluminum in ſuo cuique ſolo inſtituere licere, Neugebauer *Hiſt. Pol. l. 1. p. 21.* obſervat.

Num. 36.

(55) *Exportantur & importantur &c.]* Utriusque tamen immunitatem, notante jamjam citato Neugebauero *dict. loc.* habet Eccleſiaſticus & Equeſtris ordo, modò ne mercaturam quis exerceat, hoc eſt, venum ea exportet, quæ ipſe abundè emerit, ac non de ſuo pararit. Si quis tamen boves emptos ſuo pabulo ac frumento per hyemem aluerit, perinde habetur, ac ſi domi ejus nati eſſent. Publicæ quoque Civitates nonnullæ habent immunitatem veteris telonii.

Num. 39.

(56) *Impendit &c.]* Addit Neugebauer (*ex quo Author hos numeros 35. 36. 37. 38. 39. deſumpſit*) inde & Senatoribus ferè, ac Magiſtratibus publicis, ac nonnullis Sacerdotiis certi ac perpetui reditus antiquitùs conſtituti ſunt, partim pietate ac beneficentiâ Principum attributi, partim accepto in uſus neceſſarios pretio venditi.

Num. 40.

(57) *Boterus &c.]* In Poloniæ Deſcriptione id ſolùm dicit; verſantur cum Rege (*Nobiles*) non tantùm tanquam cognati, (quod faciunt Franci) ſed ut fratres; verba verò, quæ Author adducit, Arniſæo alleganti ea debet. Pertinet huc Conarſcii Epiſcopi Poſnanienſis Oratio ad Henricum Andegavenſem electum Regem Poloniæ oratio ad famam, quæ de reſtricta poteſtate Regis Poloniæ currebat in Gallia, directa, apud Fredrum *loco ſæpius dicto pag. 118. & 119.* Emanavit in vulgus Gallicum fama, *inquit Fredro*, tam ſtrictas à Polonis Henrico ſcribi leges; Unde variè à variis accepta. Nonnulli ut gnari legum liberi populi, & Rerumpublicarum, ubi Reges non naſcerentur, verùm eligerentur, ſine admiratione rem tulêre; reliqui verò Rectorem populorum non poſſe fieri niſi Monarcham, ſorte ſuâ naſcendi metientes, varia muſſitavêre. Henricum non Regem, ſed Legum Polonicarum mancipium futurum, non majori in Republica poteſtate uſurum, quàm Princeps Venetiarum uteretur; Sufficere Henrico ſuas opes, nec alienas, quibus libera Principum ligaretur poteſtas, oportere quæritare. Hæc paſſim per urbem, paſſim in Curia Regis agitabantur, &c. *Contra quæ Epiſcopus ille ſic perorat* : Audio nonnullos vocitantes, qui Regum Polonorum Majeſtatem intra Venetiarum Ducis occludunt Authoritatem : nil de eo Principe loquar, noſtra qualiter ſe habeant, à me audi : Jura Majeſtatis ſunt: Leges populo dare, bellum indicere, Legatos mittere & accipere, monetam cudere, honores Reipublicæ pro arbitrio conferre, & cætera minutiora. Illis prioribus Reſpublica mutuâ tecum poteſtate utitur: tria poſtrema ab unius Regis dependent voluntate : Nec ideò tamen arbitrere, te ea in parte Regem infelicem haberi, quia non in omnibus abſolutus; gaude potiùs; feliciſſimus es: proviſum ea communitate poteſtatis à Republica, ne ſui Reges, laxiùs legibus habiti, civibus atque adeò Reipublicæ nocere poſſint, ideoque Tu, quia nemini nocendo acerbus futurus, ab omnibus quidni meros amores exſpectas? aut (quod proprium Regum Poloniæ Symbolum) in ſinu cujusque civis tutus obdormire audebis.

(58) *Andegavenſis &c.]* Qui inter alia Capitula, uti Bodinus *1. de Republ. 9. pag. 88. d.* ſic jurabat : Ac ſi quidem (quod abſit) ſacramentum meum violavero, nullam Nobis incolæ Regni obedientiam præſtare tenebuntur &c. Quod tamen ſic declaratum fuiſſe, Fredro *ſæpè cit. loco pag. 106.* refert. Quòd non ſtatim ſolvi & laxari obedientia erga Regem debeat, ſi quid per errorem humanum Regi exciderit, aut obrepſerit, ſed tùm demum; ſi, volente & ſciente Serenitate illius, jura libertatesque Polonorum aut per potentiam opprimerentur, aut per contemptum & temeritatem in dubium vocarentur, ut ne admonitione Senatûs, aut reliquorum Regni Ordinum, quicquam profectum eſſe videretur.

(59) *Temperiem Monarchiæ &c.]* Vide Franc. Marinium *de Scopo Reipubl. Pol. c. 2. & 14.* expreſsè de forma Reip. Polonicæ contra hæc diſputantem.

Num. 41.

(60) *Aquilam &c.]* Adde albam cùm expanſis ad volandum alis. Teſtibus Alexandro Guagnino *in Compendio Chron. Polon. quod extat in Corpore Hiſtor. Polon. Tom. 2. pag. 341.* Cromero *de Orig. & Geſt. Polon. lib. 2. ibid. pag. 419.* Matth. de Michovia *Chron. Reg. Polon. ibid. pag. 7.* Neugebauero *Hiſtor. Polon. lib. 2. pag. 40.* *Et in Icon. & Hiſt. Princip. & Regg. Polon. pag. 2.* Staravolſcio *in Polonia pag. 7.* Hœppingo & ab eo citatis *cap. 6. parte 3. num. 546.*

CAPUT XII.

De Magni Ducis Moſcoviæ Ærario, Opulentia & Viribus.

SUMMARIA.

1. Magnus Dux Moſcorum *regit ferè ſuos deſpoticè præ aliis omnibus Principibus.*

2. *Docentur parvuli* Moſci *granditer loqui de ſuis Ducibus.*

3. *Habetur* Dux *iſte pro DEO potiùs, quàm pro Principe: ſervitur illi, ut à mancipiis*, n 4.

5. Opes Moſcovitarum *præcipuæ in coriis Alcium, Cervorum, Urſorum aliorumq́; animantium: ut & in copia lini, cannabis, melle & cerâ.*

6. *Ex* ferarum exuviis & piſcibus *arrogat ſibi, quantum vult.*

7. *In* venditionibus *Ipſe primus vendit; ubi & de ejus inſignioribus Emporiis.*

8. *Reditus ejus eſt primò* Patrimonium principale, *ex propriis Principis terris.*

9. Patrimonium *hoc* Vochim *nominant, continet XXXVI. urbes.*

10, Incolæ *harum Urbium quid pendant annuè? idq́; vocant* Obrokei, *hæc annona copioſior eſt, quàm ut conſumatur à Principe*, n. 11.

12. *Ad quantam* ſummam *excreverit hoc genus redituum.*

13. *Aliud genus redituum* Tagla & Podat *dicitur, colligiturq́; ex quatuor hujus Imperii tetrarchiis.*

14. Tagla *quid?* Podat *quid?* n. 15.

16. *Deſignati* proventus Provinciæ & *Oppidorum ſingulorum, unde ſumma eſt* 400000. *rublarum*, n. 17.

18. *Eſt & aliud genus redituũ* Bulsha prechod, *& magnum tributum; unde id, & quantum ex ſingulis oppidis?* n. 19.

20. *Reliquarum urbium incertius eſt Vectigal.*

21. *Pro* incremento decrementoque commerciorum, *nunquam minùs annuè, quàm* 34000. *rubl. percipit.*

22. Tributum *eſt ingens ex* thermis & cauponis *utrisq́; frequentibus.*

23. *In cauſis criminalibus convictorũ damnatorum quid Fiſcus, quid delator, quid Magiſtratus reliquus.*

24. *Tempore pacis id, unde erat miles conſcribendus, totum in* ærarium *infertur, aſcendit id non rarò ad* 25000. *rubl.* n. 25.

26. *Quicquid anno lapſo ſupereſt à bellico apparatu pecuniarum infertur* ærario; *attingit ſumma ſæpius* 800000. *rubl.* n. 27.

28. *Quæſtores reddunt omnium horum rationem in Gazophylacio Principis.*

29. Summa rublarum, *quæ quotannis paratâ pecuniâ in* ærarium *inferuntur*, 143000.

30. *Demptis omnibus* expenſis *tam domeſticis quàm militaribus.*

31 *Supereſt, quæ ingens ex* pellibus, & mulctis *conficitur pecunia.*

32. Salis *proventus.*

33. Narratio *digna notatu, quàm magnificè habuerit Magnus Moſcoviæ Dux Legatum Imperatoris Romani.*

34. *Alia & quidem noviſſima* recenſitio redituum *Magni Ducis Moſcoviæ hoc A. MDCXLVII. luci donata.*

Tergora multa boum, pelles truciumq́ue ferarum,
Cannabis, & linum, mel purum, flavaque cera,
Mercatusq́ue Duci proprius ſolſq́ue relictus
Ærari Moſci diſtendunt ſplendida clauſtra.

QUamvis *Magnus Dux Moſcorum* (1) partim in Europa, partim in Aſia *longè lateq́;* 1
dominetur; (2) Inter Europæos tamen Monarchas ideò computatur, quia potiſſima pars potentiæ ejus ipſaque adeò propriè ſic dicta Moſcovia intra Europæ limites continetur, *ſi diviſionem Neotericorum ſequimur*, (3) qui eam non tantùm Tanai, ſed versùs Septentrionem prægrandi fluvio Obii & Provincia Obdora terminant; & quia Principes iſti cum pleriſque ſuis populis jam à multis annis *Chriſtianam Religionem profitentur*, (4) etſi nonnihil diverſo à cæteris Europæis ritu atque ratione. Regit hic Dux ſuos populos *magis deſpoticè*, (5) quàm ullus alius Princeps. Unde divitias proventusque ejus annuos neceſſe eſt magnos eſſe, cùm ſupremus ſit & abſolutus dominus omnium hominum atque rerum per ſuum imperium, utens non aliter rebus ac peculio ſubditorum ſuorum, quàm ſi ſervi ac mancipia ejus forent univerſi. *Docentur à pueris Moſci* (6) credere & loqui de ipſorum 2
Principe, ſicut de Deo; *Deus ſolus* (dicunt) *& Magnus Dominus ſcit hoc: Magnus noſter Dominus ſcit omnes res: Omne, quicquid habemus ſanitatis & commodi, procedit à Magno Domino.* Quo fit, ut ſui Subditi, videntes tantam amplitudinem majeſtatemque in ſuo Principe, nec aliarum, quàm ejus, rerum notitiam habentes, revereantur ipſum, obediantque ei, non ſicut ſubditi, ſed tanquam mancipia, habeantque eum pro Deo potiùs, quàm pro Principe. Non 3
habet ſub ſe Dominos *titulis inſignes*, (7) ſicut inter nos ſunt Duces & Barones: ſi ipſe alicui pagum aut prædium concedit, non tranſit ad hæredes, niſi id Ipſe confirmet. Et ſi Ipſe aliis ea conceſſerit, villici tamen ei perſolvunt portionem fructuum, debent- 4
que ei operas; id in cauſa eſt, ut unusquisque à nutu Magni Ducis dependeat, & quantò aliquis ditior ſit, tantò ei plus debeat. Ut obviet ſeditionibus, transfert integras familias, ex uno loco in alium, mittitque in præſidia, quos vult, longè è domo, tanquam in exilium.

Plurima boum tergora, ut & Alcium, 5
Cervorum, (8) Urſorum pelles, Luporum, Vulpium, Viverrarum, & muris Pontici, præcipuum eſt Moſcovitarum genus mercimonii, cùm in omnes propè Europæ partes

tes exportentur. Inſuper nobile vendunt
Linum & Cannabim in reſtes: *Mellis præte-*
6 *rea ingentem vim* (9) & maſſas Ceræ ingen-
tes. Sed ex pellibus, quas è venatione ani-
malium colligunt, Magnus Dux pretioſio-
res ac pulcherrimas quasque ſeligit ſibique
retinet, initâ cum ſuis Leoninâ partitione.
Idem facit quoque in piſcibus omnis gene-
ris, quorum maximam partem ſiccari jubet
ventis, & in uſum præſidiariorum in arcibus
7 limitaneis ſervari. Nemo quicquam in
nundinis locisque publicis mercatui deſtina-
tis vendere poteſt, antequam ſua omnia
divendita fuerint. Emporia autem præci-
pua, ex quibus plurimum lucri trahit, ſunt
hæc: *Aſtracana oppidum ſitum ad mare Hyr-*
canum (10) ſive Caſpium, quò convehuntur
merces ex Perſide & Armenia. Deinde *Por-*
tus S. Nicolai (11) in ſinu Gradvico, quò ap-
pellere ſolent naves ex Anglia, & Hollandia,
oneratæ cupro, ſtanno, aliisque mercibus.

Reditus verò ordinarii hujus Principis,
ut ferè aliorum Principum, conſtat primò
8 Patrimonio principali, id eſt, annuis rediti-
bus, quos Princeps percipit è terris, quæ ad
ipſum Principatum peculiariter ſpectant.
Hasce terras conjunctim ipſi vocant *Vochim;*
quæ complectuntur triginta ſex urbes, cum
9 ſuis territoriis & agris. Inter has urbes
amplitudine redituum præſtant Alexandri-
ſca, Cozelska, Otfer, Slobodoy, Dinielska,
Moiſalskoy, Chara, Semetska, Srararauſe,
Brænſove &c. oppidani & agricolæ harum
1 urbium & agrorum quotannis pendunt
Principi partim certos cenſus in pecuniâ nu-
meratâ, partim in frugibus terræ, ut tritico,
ſecale, hordeo, avenâ &c. (hoc tributorum
poſterius genus ipſi vocant *Obrokey;*) item-
que in animalibus terreſtribus aut volatili-
bus & domeſticis avibus, denique in aliis ter-
ræ frugibus, cerâ, melle, & ſimilibus. Qui-
dam etiam illorum tenentur aliquot jugera
terræ in uſum Principis colere, certâ aliquâ
pactione in proprium uſum ipſis attributâ.
Annona autem, quæ hoc pacto Principi col-
11 ligitur, longè copioſior eſt, quàm aut in fa-
miliam illius expendi, aut per penſiones,
quas familiaribus ſuis Nobilibus pro merce-
de attribuit (*ſclavoney* vocāt) exhauriri poſſit:
itaque reliquum venditur magno pretio &
numi in ærarium Principis inferuntur.

12 Id redituum genus ſub dominatu *Joan-*
nis Vaſilovvitz (12) (qui ſplendidiſſimè vive-
bat) quotannis vix ſuperabat ſexaginta millia
rublarum: (13) ſed ſub filio *Theodoro* (14) ad
230000. ſummam excrevit; maximè indu-
ſtriâ Theſaurarii illius Gregorii *Vaſilovvitz*
Godonove. Maxima autem pars hujus pro-
ventûs expenditur in ſtipendia miniſtrorum
qui aut in familiâ Principis, aut extra illam
Principi ſerviunt.

Secundum Tributorum & redituum ge-
nus appellatur *tagla* & *podat*, quod è quatuor
imperii hujus Tetrarchiis colligitur. Eſt au-
tem *tagla* annuum tributum, quod ſolvitur 13
pro ſingulis *Witis* (id menſuræ apud illos ge-
nus) farris, quod in ſingulis provinciis prove- 14
nit. Id colligitur à juratis, & ad ærarii regii mi-
niſtros affertur. *Podat* verò eſt cenſus annuus,
qui imponitur ſingulis Provinciarum diœ-
ceſibus aut *hundredis.* Ex hoc redituum ge- 15
nere conjunctim ingens pecuniæ gaza quot-
annis in Principis Ærarium infertur: Uti vi-
dere eſt è ſequentibus.

Provincia & oppidum Vobsko ſolvit
quotannis utriusque nomine, 8000. rubl. 16

Novogrod	35000.
Torshocke & Otfer	8000.
Rezan	30000.
Morum	12000.
Colmigroe & Dvvina	8000.
Vologda	12000.
Caſan	18000.
Vſtiug	30000.
Roſtove	50000.
Mosko	40000.
Siblersky	20000.
Caſtrome	12000.

Summa totalis eſt 400000. rublarum: quæ
ſingulæ libræ Flandricæ aut *ſex florenis* (15) 17
æquiparantur. Hoc tributi genus Kalendis
Septembribus, *à quibus Ruſſi annum auſpican-*
tur, (16) ad Quæſtores affertur.

Tertium redituum genus (quod ipſi *Bulsha* 18
prechod, id eſt, magnum tributum vocant)
colligitur è Vectigalibus & portoriis civita-
tum & municipiorum totius Principatus.
Oppida autem, quæ grandiora Vectigalia
quotannis ſolvunt, ſunt hæc ferè:

Moſco reddit	12000. rubl.	
Smolensko	8000.	19
Vobsko	12000.	
Novogrod Velica	6000.	
Stararauſe	18000.	
Torshock	800.	
Otfer	700.	
Yarauslave	1200.	
Caſtrome	1800.	
Niſnanovogrod	7000.	
Caſan	11000.	
Vologda	2000.	

Atque quidem Vectigal è majoribus urbibus
certum ſtatumque eſt, quia ita quotannis re-
dimitur, redemptorum quidem damno, ſi 20
minùs reddat; Principis verò emolumento,
ſi ampliùs. Reliquarum urbium incertiùs pro
commerciorum aut incremento aut decre-
mento. Certò tamen conſtat ex Rationali- 21
um archivis, nunquam hoc redituum ge-
nus minùs quotañis reddere, quàm 340000.
rubl.

His accedit tributum annuum, quod colli-
gitur *è thermis* (17) & *cauponis publicis*; (18) 22
quod licet incertum ſit, tamen valde opu-
lentũ eſſe, ex ingenio incolarũ judicari poteſt,
qui utriusq; hisce locis inprimis delectantur.

Item

23 Item in cauſis Criminalibus ex convictorum
& damnatorum bonis fiſcus Principis capit
ſemiſſem, *delator quadrantem*, (19) & Ma-
giſtratus (coram quo cauſa agitatur) reliquū
quadrantem: Tribunal, ubi hæ cauſæ agun-
tur, vocāt *Rosboinoy* (20) Pricas. Præterea quū
Roſeradin Pricas officio certi & magni redi-
24 tus annui attributi ſint, quibus milites con-
ſcribant & alant, atque paucis tantùm opus
ſit tempore pacis, magna pars eorum redi-
tuum ſuperat, & in ærarium infertur; ita ut
non rarò ad 25000. rublas aſcendat. Eadem
25 eſt ratio officii illius, quod *Stelletskoy* (21) vo-
cant; cui reditus annui concrediti ad ſtipen-
dia ſclopetariis numeranda, qui tàm ad au-
lam Principis (numero XII M.) quàm alibi
præſidia habent, & cuſtodes ſunt corporis
Principis; nec alia officii *Inaſemskoy Pricas*,
quod curat milites mercenarios exteros,
itemque *Puskarskoy*; cui ſimiles reditus an-
nexi ad apparatus bellicos & nitratum pul-
verem coacervandum. Quicquid autem ex
26 omnibus hisce ſub finem anni ſupereſt, id
omne in ærarium Principis ſeu *prulsha pre-
chod* infertur: ita ut univerſa ſumma receptæ
27 pecuniæ à *prulsha prechod* quotannis aſcen-
dat ad octingenta millia rublarū aut circiter.

28 Ratio autem ab omnibus his quæſtori-
bus redditur in Principis gazophylacio; ubi
omnes ipſius gemmæ, & ceimelia, corona,
ſceptrum, aurea argenteaque vaſa, aurum
argentumque cuſum, & alia hujuscemodi
cuſtodiuntur. Qui accuratè rationem ac-
cepti & expenſi tempore Theodori Princi-
pis inivit, Angliæ Reginæ Legatus Ægidius
Fletcher, vir prudentia ſingulari, ſcribit in
pecuniâ numerata in ærarium inferri
29 1430000. rublarum, demptis omnibus ex-
penſis tàm domeſticis, quàm militaribus;
30 Nec tamen in hanc rationem venire pretio-
ſas pelles, quas immensâ copiâ è Sibioria,
31 Petzora, Permia, tributi nomine accipit, &
advenis mercatoribus vendit: neque mul-
ctas, quas fiſcus capit è condemnatorum bo-
nis, licet ſæpè ad grandem ſum̄am aſcendant.

Quid multa? Princeps adeò eſt abſolu-
tus, ut nunquam egere poſſit, quamdiu ſub-
ditis illius aliquæ opes ſuperſunt. Atque ut
uno verbo rem expediam, quicquid in uni-
verſo ſuo Regno habet pulchrum atque pre-
tioſum, *ad ſe attrahit*, (22) ſibique vendicat.
Unde non absque ratione putatur habere
ingentes theſauros. Conſtat enim Johan-
nem Moſcorum Principem univerſas cruces
argenteas, calices, patinas, reliquiarum ca-
pſulas, adeòque omnem ſacrum Eccleſiarum
ornatum ex tota propè abſtuliſſe Livoniâ,
ſuisque intuliſſe Gazis. Quanquam negan-
dum non ſit, *amiſsâ Livoniâ*, (23) quam
ceſſit Magnus Dux Stephano Poloniæ Regi
circa annum M. D. LXXXII. multum
à proventibus annuis deceſſiſſe Moſcovitis,
ademptâ non ſolùm regione optimâ, ſed &
Vectigalibus atque mercimoniis Maris Bal- 32
thici. Nec tamen ob hanc cauſam exiſti-
mandæ ſunt Magni Ducis parvæ divitiæ,
cùm præter ſuperiores augendi fiſci modos,
quos commemoravimus, plena *ſalis* (24)
horrea in iis partibus regni, quæ in Livoni-
am converſæ ſunt, habeat, è quibus quot-
annis non infra unam auri millionem condu-
cere putatur, non ſine detrimento & præju-
dicio Gallorum, qui antiquis temporibus ſa-
lem ſuum in has vendidêre regiones. Defer-
tur inſuper plurimum è Moſcovia frumenti
in vicina regna, Sueciam, Daniamque, alia-
que loca extranea, ut & ad littora Maris
Caſpii, & Pontum Euxinum.

His ipſis populis ſubmittunt Moſci *fer-* 33
rum, (25) ſevum bubulum, cineres, canna-
bim, pelles, atque coria, unde non parum
quotannis colligunt argenti. Ut autem pa-
radigma quoddam & ſpeculum Magnifi-
centiæ & opulentiæ hujus Principis Lectoris
oculis ſubjiciatur, operæ pretium duximus
ſubnectere paucis verbis ea, quæ *Philippus
Bernſteinius* (26) Baro, qui Legatione ad Mo-
ſcum functus eſt, nomine Ferdinandi I. Imp.
de eo commemorat. Ait igitur, eum capite
ſuſtinuiſſe *Diadema ſive Coronam* (27) aure-
am tanti pretii, ut triplicem illam Papæ, &
Coronam Imperatoriam, & Regis Franco-
rum, & Regis Hiſpanorum ſuperaverit, adeò
ut magnitudo pretii illius concipi animo, aut
iniri ratio ejus non potuerit. Togam ejus, ait,
non perpictam ſparſamque fuiſſe, ſed obſi-
tam penitus riguiſſe Adamantibus, Pyropis,
Smaragdis, aliisque gemmis, non vulgaribus
illis, ſed pretioſiſſimis, quarum nonnullæ ad
avellanæ magnitudinem acceſſerint: ut Ora-
torem Cæſaris ſubierit admiratio, quo pacto
tàm grande onus corpore ſuſtinere potuerit.

Filium ejus propè ad eundem modum
veſtitum ornatumque fuiſſe refert. Cùm cœ-
nam caperent, *ait*, centum viros Nobiles cir-
cumſtetiſſe menſam, qui cibos totidem lan-
cibus aureis intulerint, è quibus cùm nemo
ampliùs guſtaret, eos, qui miniſtrarent men-
ſæ, ablatas lances grandi repoſitorio impo-
ſuiſſe, aliam alii, velut ſtruem quandam,
quamvis pleræque adhuc plenæ eſſent cibis.
Legato Imperatoris ab aula ſua diſcedenti
dono miſit Magnus Dux CCCXX. pre-
tioſas pelles *animalium*, (28) quarum una-
quæque ſigillatim Viennæ æſtimata fuerit,
ita, ut quadragenæ ducentarum librarum
pretio caræ eſſe judicarentur. Addit his
Bernſteinius, cùm ipſe à Magno Duce menſæ
adhibitus fuiſſet, tantum adfuiſſe vaſorum
ac ſupellectilis aureæ argenteæque, ut trigin-
ta currus vectando illi vix ſuffecturos exiſti-
maverit, quanquam hæc nequaquam omnia
fuerint ejus vaſa, verùm ea duntaxat, quæ in
arce illa, ubi cœnabatur, aſſervari erant ſo-
lita.

lita. Pecuniâ inſuper ſupra modum eum abundare neceſſe eſt, quòd *quidam ex numero Magnorum Ducum* (29) expugnatâ & ſpoliatâ Novogroda narretur trecentos currus argento ſignato onuſtos inde in Moſcoviam aſportaſſe.

Ut verbo rem finiam; infiniti ſuppetunt
127 huic Principi modi acquirendi, cùm ipſe ſolus *tractet omnia mercimonia* (30) & negotiationes, ut & jam antè diximus, nihilque omninò *ex theſauris ſuis exponat*, (31) ne iis quidem, *qui negotia regni tractant*, (32) ut nec iis, qui ſibi militant, niſi quòd, cùm in expeditionem itur, ductoribus ordinum pauxillum argenti in ſingulos impertit milites.

Et hæc de opibus divitiiſque Magni hujus Principis dixiſſe ſuffecerit: Quibus addo ea, quæ noviſſimè de magni Moſcoviæ Ducis reditibus in Beſchreibung der neuen Orientaliſchen Reiſe (33) M. Adamus Olearius ediſſerit hiſce verbis: Die jährliche Intraden und Einkunfften deß Großfürſten werden auf ſehr hohes geſchätzet/ denn Er von ſo vielen Ländern und Provintzien/ reichen Tribut/ und von den Handelſtädten und Gräntzen groſſe Zolle einzunehmen hat. Es ſoll alleine die fürnehme Handel Stadt Archangel/ ſo an der weiſſen See liget/ einsmals deß Jahr/ wie man uns berichtet/ eine unglaubliche Summa Geldes/ nemlich drey hundert mal tauſend Rublen Zoll/ ſeind 6. Tonnen Goldes/ eingebracht haben. Es bringen ihme auch die Kabecken oder Krüge/ ſo er und zwar alleine hin und wieder in allen Städten und Dörffern unzehlich viel hat/ ein groſſes ein; Zu Neuegarten ſeyn drey Kabecken und geben jegliche deß Jahrs 2000. Rublen oder 4000. Reichsthaler. Zu geſchweigen/ was er an den groſſen Handlungen der Peltereyen und andren Wahren/ ſo theils inner- theils auſſerhalb Landes gefallen/ gewinnet; denn er treibet in Tartarien/ Türckeyen/ und ſonderlich in Perſien durch gewiſſe Perſonen viel Gewerbe und Handlung. In dem er etlichen ſeinen Underſaſſen eine gewiſſe Summa Geldes anvertrauet/ und ſie darmit für ihn zu handeln an gedachte Oerter aus ſendet. Einen ſolchen Grosfürſtlichen Kauffmann/ Namens Savelli/ ſo mit 4000. Reichsthalern ausgeſandt war/ treffen wir in Perſien an; Als dieſer aber ſein Pfund nicht wol angelegt/ ſondern in drey Jahren/ die er ausgeweſen/ gedachtes Geld meiſt durch gebracht/ gab der Großfürſt ſeinem Poslanik oder Klein-Geſandten Alexio Savvinovviz Remantzikovv, welchen er mit uns in Perſien ſchickte/ Befehl/ ſelbigen ungetreuen Kauffmann in Ketten zu ſchlieſſen/ und mit heraus zu bringen.

Der Geſandte trifft ihn zwar zu Schamachie in Meden an/ weiln aber damals eben ſein Dolmetſcher geſtorben/ gebraucht er ihn an deſſen ſtat/ läſt ſich ſeines habenden Befelchs nichts mercken/ ſtellet ſich allezeit gegen ihn freundlich an/ und nimt ihn mit zum Könige in Perſien/ in Meinung/ mit guten Worten ihn bis an die Gräntze zu locken. Sevelli aber mercket den Poſſen/ uñ als der Geſandte ſich wieder auf die Rückreiſe begeben wolte/ lieff er zu Iſpahan in die Allacapi oder Freyheit/ und ließ ſich beſchneiden/ damit begab er ſich unter den Mahometiſten Schutz und blieb in Perſien.

Unter andern jährlichen Einkunfften iſt nicht die geringſte/ ſo das auf der Tartariſchen Gräntze bey Tula (26. teutſche Meilen von Moßkaw) neuerfundene Bergwerck bringet; Dieſes iſt erſt vor wenig Jahren daſelbſt eröffnet/ und durch etliche Teutſche Bergleute/ ſo Ihr Churfürſtl. Durchl. zu Sachſen/ ꝛc. auf ihre zu Moßkaw Bitte hinein geſchickt/ zum Stande gebracht worden/ daß es jetzt gute Ausbeute gibt. Sieben Werſte oder faſt anderthalb Meil von derſelben Mina/ iſt zwiſchẽ zweyen Bergen/ in einem luſtigen Thal/ durch Anlaß eines bequemen Baches/ ein trefflicher Eiſenhammer angeordnet/ woſelbſt das Eiſen bereitet/ in Stangen geſchmiedet/ und allerhand Sachen gegoſſen werden: Uber ſolchen Hammer hat der Königl. und Fürſtl. Commiſſarius Peter Marſellis/ durch einen gewiſſen Contract/ ſo der Großfürſt mit ihme aufgerichtet/ die Verwaltung/ und lieffert in dero Majeſtät Rüſtkammer jährlich neben einer gewiſſen Zahl Stangen Eiſen/ etliche groſſe Stück Geſchütz ſamt 50000. Pfund Kugeln: dahero er bey J. Z. M. wie auch dero Sohn Kneß Alexio Michalowitz in groſſem Anſehen/ und in unterſchiedlichen Handlungen/ ſo er allein führen mag/ als benenntlich neben dem Eiſen/ auch Korn/ Thär/ und Trahnhandel/ item Goldſpinnerey/ welches ſonderlich/ weiln die geſtickte Arbeit in Rußland ſehr gebräuchlich/ ein groſſes träget/ hoch privilegirt.

Die jenigen aber/ ſo ſich/ wie an Fürſtlichen Höffen zu geſchehen pfleget/ mit neuen Inventionen/ die Herren reich zu machen/ aber ſich bisweilen am meiſten meinen/ angeben/ haben an dem Moßkowitiſchen Hof wenig Glück und Gedeyen; Es mag zwar dieſer Großfürſt wol leiden/ das man was neues angibt/ dardurch der Schatz vermehret werden könnte/ aber darmit/ ſo etwa ein Betrug darunter/ oder die Sache nicht/ wie man verhoffet/ gelingen möchte/ Er ohne Schaden bleibe/ muß der Inventor den Verſuch und praxin auf ſeinen eigenen Unkoſten thun/ oder ſo er den Verlag nicht hat/ werden ihme auf gewiſſe Caution und Bürgſchafften/ etliche Gelder vorgeſtrecket/ gelingts wol/ ſo hat der Inventor reiche Belohnung/ im widrigen Fall muß er/ und nicht der Großfürſt einbüſſen.

Wie ſolch Exempel noch neulicher Zeit mit einem Engeländiſchen Kauffman (deſſen Namen ich Ehrenhalber verſchweige) ſonſt einem frommen/ aufrichtigen und wolhabenden Manne/ ſo lange in Moßkaw gewohnet/ und gute Handelung getrieben/ iſt vorgangen. Als die-

ſer

ſer angab / und vermeinte eine Gold⸗Mina im Lande zu finden / hat es ihme der Großfürſt zwar gefallen laſſen / auch Gelder darzu vorgeſtrecket / als aber dem guten Manne das Werck zu Waſſer / Arbeit und Unkoſten verlohren wurden / und ſeine Güter die vorgeſchoſſene Gelder wider zu erlegen nicht zureichen wolten / wurde er in den Schuldthurn geſetzet / hernach auf gewiſſe Bürgen wieder fußfrey gemachet / daß er umher gehen / gute Leute anſprechen / und ſo viel zuſammen bringen könnte / darmit er den Großfürſten und ſeine Bürgen contentiren / und frey aus dem Lande kommen könnte. Solchen ſeinen Unfall und Rußiſchen Proceß hat er mir / als ich neulich in der Moßkaw war / und diß damals eben vorgieng / ſelbſt umſtänd⸗und beweglich erzehlet. *Hoc eſt*, Annui reditus Magni Ducis ingentem ſummam conficere exiſtimantur: quandoquidem ex tot regionibus & Provinciis ampla tributa, & ex tot emporiis, ut & à confiniis, magna Vectigalia recipit. Sola S. Archangeli urbs ad mare album ſita uno anno, ut accepimus, incredibilem aliquando ſummam reddidit, trecenta nimirum Rublarum millia, quæ VI. Tonnas auri conficiunt. Tabernæ quoque & cauponæ, quas immenſas per omnes Pagos ac Civitates & quidem ſolus habet, ingentem pecuniæ vim conferunt. Novogardiæ tres ſunt tabernæ, quarum è ſingulis bis mille rublas, ſive quater mille thaleros recipit. Ne de quæſtu dicam, quem ex mercatura pellium aliarumque rerum, ſive illic naſcentium, ſive aliunde allatarum colligit. Nam in Tartaria, Turcia, & præcipuè Perſia per certas perſonas amplas negotiationes exercet, dùm nonnullis ſubditis certam pecuniæ Summam, quam ipſius lucro exerceant, committit, eosque in loca, quæ diximus, ablegat.

Hujusmodi Ducalem Mercatorem, Savellum nomine, in Perſia offendimus, cui quatuor thalerorum millia commiſſa fuerant. Hic autem cùm talentum ſuum non benè collocaſſet, & intra tres annos, quibus domo abfuerat, maximam iſtius pecuniæ partem confeciſſet, Magnus Dux Poslanicio ſuo, ſive minori Legato, Alexio Savvinovvitz Romantzikovv, quem nobiscum in Perſiam miſerat, in mandatis dedit, ut malefidum mercatorem impactum catenis ſecùm raperet.

Legatus Schamagiæ provinciæ Mediæ urbe, hominem reperit, & loco interpretis, quem circa id tempus mors abſumpſerat, ejus operâ utitur, mandatum diſſimulat & humaniter habet, ad regem Perſiæ adducit, ſperans, ſe ad fines usque eum protracturum. Savellus inſidias ſuſpicatur, cùmque Legatus reditum pararet, ad Iſpahanum in Allacapi ſive aſyli locum confugit, ſeque circumcidendum præbet, ſimul in Muhamediſtarum ſeſe dat tutelam, & in Perſia ſubſiſtit. Inter alios reditus non minimus eſt, quem in finibus Tartariæ juxta Tulam (ſex & viginti milliaribus Germanicis à Moſcovia diſtat) nuper repertæ metalli fodinæ præbent. Has paucos ante annos foſſores Germani à Sereniſſimo Electore Saxoniæ rogatu Magni Ducis miſſi aperuerunt, præbentque lucrum ſatis amplum, ſeptem Werſtis, ſive ſesqui milliari hinc abeſt amœna vallis, ubi occaſione commodi cujusdam fluminis inter duos montes ferro exercendo mallei molarii inſtituti ſunt.

Hìc ferrum præparatur, in perticas extenditur, & varias in formas funditur. Huic officinæ ex contractu cum Magno Duce inito præeſt Petrus Marſellius, isque quotannis in armamentarium infert certum perticarum numerum, aliquot grandia tormenta quinquagies mille pondo globorum. Unde apud Magnum Ducem, ut & filium ejus Alexium Michalovvitz, ſingulari gratiâ eſt, & amplis privilegiis gaudet circa merces nonnullas, quamvis ipſe ſolus commercium habet, ſcilicet ferri, frumenti, picis liquidæ, liquaminis balænarum, vini, auri, argentique netilis, unde grande lucrum eſt, quandoquidem Phrygia opera per Ruſſiam in frequenti uſu ſunt.

Ii autem, qui novis inventis Principes ditare promittunt, ſed interea ſuam rem præcipuè agunt, in aula Ruſſica parùm propitiam inveniunt fortunam. Sanè haud ægrè fert Magnus Dux novi nonnihil, quo ærarii compendium fiat, proponi, ſed ne damnum ipſe faciat, ſi vel dolus ſubſit, vel eventus conatui non reſpondeat, inventori ſuo ſumptu periculum faciendum eſt, aut ſi faciundo non eſt, datis fidejuſſoribus pecunia ei prænumeratur. Si res ſuccedit, præmium liberale ſibi poteſt promittere, ſin ſecus, ſuo, non Magni Ducis, damno erravit. Tale exemplum non ita pridem obtigit in Anglo, mercatore (cujus nomini honoris causâ parco) viro aliàs probo, integro, non inopi, qui Moſcoviæ diu habitaverat & mercaturam uberem exercuerat. Hic cùm auri ſeſe venam inveniſſe exiſtimaret, idque proderet, res quidem ipſa Magno Duci non diſplicuit, quin pecuniam quoque in hunc uſum erogavit. Cùm autem bono illi viro opus ſecus cederet, labor & impenſa periret, neque bona ipſius refundendis ſumptibus ampliùs ſufficerent, in turrim conjectus eſt, deinde libertati præſtitâ cautione hactenus redditus, ut circumire poſſet, atque ab honeſtis hominibus tantum corrogare, unde Magno Duci ac fidejuſſoribus ſatisfieret: ipſique regione decedere liceret. Hunc caſum ſuum & procedendi morem Ruſſicum ipſe mihi, cùm nuper in Moſcovia eſſem, ſollicitè, nec ſine dolore commemoravit.

ANNO-

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT XII.

Num. 1.

(1) M*Agnus Dux Moſcorum &c.]* A tempore *Rurich*, ſeculo à nato Chriſto nono, in Ruſſia regnantis, usque ad Johannem Baſilidem non alio uſos fuiſſe Principes illos, quàm *Magnorum Ducum* aut *VVolodimeriæ*, aut *Moſcoviæ*, aut *Novogardiæ* &c titulo, hunc verò ſe *Dominum totius Ruſſiæ, & Magnum Ducem VVolodimeriæ* &c. appellaſſe, dein nomen & titulum *Regium*, *Czarium* ſe vocando, filium ipſius *Baſilium III.* vindicaſſe, ex Sigismundo L. B. ab Herberſtein, à Gotofredo *in Archontologia Coſm. in Ruſſiæ & Moſcov. Ducat. deſcript. pag. 468. 469* & Republica Moſcovitica *Lugd. Anno 1630. impreſſa pag. 18. & 19.* traditur. Quem titulum nunc plerique ſi non omnes *Imperatorem* interpretantur, cujus tituli & erroris cauſa *d. loc. p. 19. 20.* hæc aſſignatur. *Czar* Ruthenicâ linguâ Regem ſignificat: cùm autem communi Sclavonicâ linguâ apud Polonos, Bohemos, & alios omnes ſumptâ quadam conſonantiâ ab ultima & ea gravi quidem ſyllaba *Czar*, Imperator ſeu Cæſar intelligatur: unde omnes, qui Ruthenicum idioma ſeu literas non callent, idem Bohemi, Poloni, atque etiam Sclavi regno Hungarico ſubditi, alio nomine *Regem* appellant, nempe *Kral*, alii *Kyrall*, quidam *Corolli*; *Czar* autem ſolum *Cæſarem*, ſeu Imporatorem dici exiſtimant: inde factum, ut Rutheni interpretes audientes Principem ſuum ab exteris nationibus ſic appellari, cœperunt & ipſi deinceps Imperatorem nominare, nomenque Czar dignius eſſe, quàm Regis, (licet idem ſignificent) exiſtimant. Cæterùm ſi evolvas omnes eorum Hiſtorias atque Sacram Scripturam ubique Regis nomine Czar, Imperatoris verò Keſſar reperies. Eodem errore Imperator, Turcarum Czar appellatur, qui tamen non alio eminentiore, quàm Regis, hoc eſt, Czar titulo ab antiquo jam tempore eſt uſus. Hinc Conſtantinopolim *Czarigrad*, quaſi dicas Regiam Urbem, Turcæ Europæi, qui linguâ Slavonicâ utuntur, appellant. Junge Olearium *in Itinerario Moſco-Perſico lib. 3. cap. 10. pag. 220.*

(2) *Longè latèque dominetur &c.]* Uti ex titulo, quo Magnus Moſcoviæ Dux Alexius Michalewitz *(i. e. Michaelis filius)* qui die XVII. Martii Anno MDCXXX. natus, anno ætatis XVI. die nempe XIII. Julii Anno MDCXLV. coronatus *vide Olearium lib. 3. cap. 13. Itiner. Moſco-Perſici.)* adhuc ſceptra tenet, uſus eſt, in Mandato Legato in Galliam Anno MDCLXVIII. ſuo dato, qui ſic ſe habet: Alexis Michalewitz, DEI gratiâ, Dominus Czar & Magnus Dux totius Ruſſiæ, magnæ, parvæ, & albæ, Magnus Dux Moſcoviæ, Kioviæ, Wolodimeriæ Novogardiæ, Czar Caſaniæ; Czar Aſtracaniæ; Czar Sibiriæ; Dominus Pleſcoviæ; Magnus Dux Smolenczhiæ, Tiveriæ, Jugariæ, Permiæ, Viakiæ, Bulgariæ, &c. Dominus & Magnus Dux Novogardiæ inferioris, Czermigowiæ, Rezaniæ, Roſtoviæ, Iaroslaviæ, Bielozeriæ, Udoriæ, Obdoriæ, Condiniæ, & omnium aliarum partium Septentrionalium Dominator; Dominus Iveriæ, Cariarum, Kertalinſoviæ, & Gruzinſoviæ, Gabardiniæ, & Ducum Czarkiſoviæ & Horskoviæ, & multorum aliorum Dominatuum & terrarum Orientalium, Occidentalium, atque Septentrionalium paternus avitusque Hæres, Succeſſor, Dominus & Dominator. Mr. de Sainte Marthe *en l' Eſtat des Roys d' Europe Tom. 2. pag. 520.* ubi libros Magni hujus Ducis, ex quibus primogenitus ipſius Alexius Alexiewitz Anno MDCLIII. natus, ordine enumerat.

(3) *Si diviſionem Neotericorum ſequimur &c.]* Ita ſentit Cluverus *lib. 4. Introd. Geograph. Cap. 28.* Fournier *Geograph. orbis not. lib. 1. cap. 13. & 15. cum aliis.*

(4) *Chriſtianam Religionem profitentur &c.]* Illam ſcilicet maximè quam Græca Eccleſia colit. Religionem Moſcoviticam verò fuſiùs qui cognoſcere cupit adeat Johannem Fabrum *in Deſcript. Moſcov. pag. 64.* Alexandrum Guagninum *pag. 95.* Davidis Chytræi Epiſtolam ſingularem *pag. 125. ibid.* Antonii Poſſevini Moſcoviam, qui omnes in ſpecie de illa commentantur. Cui jungi poterit Sig. L. B. ab Herberſtein *in rer. Moſcov. Comm. p. m. 19. ſeqq.* Paulus Jovius *in Moſcov. pag. 91.* Gotofredus *in Archontolog. Coſmica de hoc Ducatu*, Olearius *in Itiner. Moſco-Perſico pag. lib. 3. cap. 21. & 24. 25 ſeqq.* Alexander Roos, & ejus Interpres Sanderus *in s' Weerlds Gods-Dienſten pag. 643. ſeqq.*

(5) *Magis deſpoticè &c.]* Hujusmodi regendi forma ab Ariſtotele *3. Polit. 10.* Regnum Barbaricum ſive Dominatus vocatur, definiturque quòd ſit Monarchia ſeu Reſpublica, ubi unus ſummam habet poteſtatem, & primariò ad ſuam, ſecundariò verò ad ſalutem ſubditorum demum reſpicit. Vocaturque hujusmodi Reſpublica Dominatus propterea, quòd ſicut dominus in imperando ſuam primariò, ſervi autẽ non niſi ſecundariò reſpicit ſalutẽ, ut habet Ariſtoteles *3. Pol. 6.* ita in Dominatu qui imperat, idem facit. Ejus generis ſunt Regna Aſiæ, Africæ, & Americæ penè omnia: Europa præter Turcicum & Moſcoviticum Regna Dominatûs expers creditur. Ideoque authore Botero *in relat. cap. 6. de hoc regno* dicebat quidam Muhammedes Vezirus, quod Moſcus & Turca ſoli inter Principes eſſent Domini ſuorum Dominiorum. Vide Gotofredum *in Archontol. Coſm. de magno Ruſſiæ & Moſc. Ducatu, n. 42. pag. 461.*

Num. 2.

(6) *Docentur à pueris Moſci &c.]* Dicta hæc, quæ Boteri ſunt confirmat Olearius *in Itin. Moſco-Perſico lib. 3. cap. 10.* inquiens, Moſcos à teneris inde unguiculis inculcare pueris, ut de Majeſtate Czari ipſorũ non aliter ac de DEO ſentiant loquantúrve; indeq; eos frequenter in ore habere; *Scit hoc DEUS & Magnus Dux*, hucque collimare formulas ipſorum loquendi, v. g. pro eo quod coram Magno Duce comparere dicerent, inquiunt, *claros Czari Majeſtatis oculos videre*; Et quò teſtatam faciant reverentiam & vinculum, quo colliguntur, dicere illos, *quòd omnia, quæ poſſident, non tam ipſorum quàm DEI Magnique Ducis ſint.* Edoctosque talia proferre verba fuiſſe à Johannis Baſilidis impotentia præcipuè, tum quòd revera ſtatus ſubditorum eorúmve bonorum ſic ſe habeat. Adiungitque laudatus Olearius

rius *dicto loco*, quo in ſervitute tali metuque continentur quietè, interdictum eſſe ſub pœna corporali, ut nemo proprio motu pedem regione efferat, & hoc modo de peregrinarum Rerumpublicarum libertate certior fiat, ſic ut nec Mercatoribus commerciorum causâ ſine permiſſu Czari limites excedere & mercimonia exportare liceat. Quod ille exemplis ibidem confirmat, ubi vide.

Num. 3.

(7) *Titulis inſignes &c.*] Habent interim *Bojaros* ſuos atque *Kneſen*, de quibus Olearius *lib. 3. cap. 18.* conſulatur.

Num. 5.

(8) *Cervorum &c.*] Olearius tamen *lib. 3. cap. 2.* tradit, Cervos aut nunquam, aut, ut nonnulli volunt, rariſſimè illic videri.

(9) *Mellis præterea ingentem vim &c.*] Campi, inquit Jovius *in deſcript. Moſcoviæ pag. 90.* tritici, ſiliginis, milii, paniciique & omnis generis leguminum ſegetes ferunt, ſed certiſſima meſſis in cera & melle conſiſtit, Regio enim tota fœcundiſſimis opibus plena eſt, quæ non in manufactis agreſtium alvearibus, ſed in ipſis arborũ cavis probatiſſima mella conficiunt. Hinc per ſylvas, & opaciſſimos ſaltus, frequentia & nobilia examina ramis arborum pendentia videre eſt, quæ nullo æris crepitu colligere ſit neceſſe. Reperiuntur ſæpe favorum ingentes maſſæ arboribus conditæ, veteraque mella deſerta ab apibus, quum ſingulas arbores, in vaſtis nemoribus rari agreſtes minimè perſcrutantur, ita ut in admirandæ craſſitudinis arborum ſtipitibus permagnos mellis lacus aliquando reperiant. Retulit & cum multo omnium riſu Demetrius Legatos (*ad Clementem VII. P. R. à Baſilio Magno Duce Moſcoviæ miſſus, ex cujus relatione Moſcoviam ſuam Jovius compilavit*) ut eſt ingenio comi & faceto, proximis annis viciniæ ſuæ agricolam, quærendi mellis causâ in prægrandem novam arborem ſupernè deſiliiſſe cumque profundo mellis gurgite pectore tenus fuiſſe hauſtum, ac biduo vitam ſolo melle ſuſtinuiſſe, quum vox opem implorantis in ea ſylvarum ſolitudine, ad viatorum aures penetrare nequiviſſet, ad extremum verò deſperatâ ſalute mirabili caſu ingentis urſæ beneficio inde extractum evaſiſſe, quum fortè ejus belluæ ad edenda mella more humano ſe demittentis, averſos renes manibus comprehẽdiſſet, & eam ſubito timore exterritam ad exiliendum tum tractu ipſo, tum multo clamore excitaſſet.

Num. 7.

(10) *Aſtracana ad mare Hyrcanum &c.*] De Urbe hac agit Olearius *lib. 4. cap. 10.* traditque ſola vectigalia, quæ Czar ex ea percipit efficere XII. millia rublarum ſive viginti quatuor millia Imperialium; De mari verò Caſpio *d. lib. cap. 16.* pulchra quædam annotat.

(11) *St. Nicolai &c.*] Hujus loco hodie Civitatem Archangel à Mercatoribus exteris frequentari notum eſt. Situm ejus Olearium *lib. 3. cap. 1.* deſcribit, itidemque *cap. 10.* obſervat omnes tam exteros quàm indigenas, tam Aſtrachani quàm Archangelo appellentes, ex præcepto Magni Ducis Quinque de centum vectigalis nomine hodie pendere.

Num. 12.

(12) *Johannis Vaſilovvitz &c.*] Hujus vitam & res geſtas Paulus Oderbornius *tribus libris deſcripſit*, multaq; de eo apud Olearium præſertim *lib. 2 cap. 12. & lib. 3. cap. 11.* ut & Gotofredum *d. loc. pag. 469.* extant, quò curioſum Lectorem remitto.

(13) *Rublarum &c.*] Ex Oleario *loc. dicto lib. 3 cap. 10.* patet, Moſcos contrahere ad valorum *Altinorum, Griffonum*, atque *Rublarum*. Et quamvis hujusmodi numos in ſpecie non habeant, æquiparari tamen illos certâ Capeckorum ut vocant, quorum quilibet ſtiberum Hollandicum valet quantitate; Valere autem Altinum III. Griffonem X. & Rublam C. Capeckos. Sic ut Rubla duos Imperiales noſtros valeat.

(14) *Theodoro &c.*] Quem Ruſſi communiter Fedorem nominant, quod teſtatur Gotofredus atque Olearius *locis ſuprà dictis.*

Num. 17.

(15) *Sex florenis &c.*] Tribus hodie noſtris, ut jam jam dictum.

(16) *A quibus Ruſſi annum auſpicantur &c.*] Teſtatur id ipſum Olearius *loc. cit. lib. 1. cap. 8. p. 37.* Jovius *in Moſc.* Anni, *inquiens*, apud Moſcos non à natali Chriſti, ſed ab ipſo mundi initio numerantur, qui non à menſe Januario, ſed à Septembri incipiunt. Quâ verò anni tempeſtate mundus creatus ſit, disquirunt inter ſe Chronologi, multiq; pro Autumno ſtant. Quemadmodum videre licet apud Eliam Reuſnerum *Quaſt. Illuſtr. 1.* Joh. Henr. Alſtedium *in Elem. Mathem. & quidem in Aſtron. lib. 3. parte 2. cap. 5.* qui pro verno tempore; & Sethum Calviſium *Iſag. Chronol. cap. 34.* Robertum Bailium *Oper. Hiſt. & Chronol. lib. 1. cap. 2. quaſt. 2.* qui pro autumno pugnant.

Num. 22.

(17) *E Thermis &c.*] In tantum enim Ruſſi balneis dediti ſunt, ut ex neglectu Thermarum Pſeudo-Demetrius inter alia agnitus fuerit. Olearius *in Itiner. Moſco-Perſiæ lib. 3. cap. 7.* ubi de modo abluendi, & de forma balneorum plura notat.

(18) *Cauponis publicis &c.*] Olim ubique in Civitatibus hujus Ducatûs cauponæ & tabernæ publicæ, quas *Kabakas* vocant, erant, in quibus quisque accumbere & pro ære ſuo potare poterat. In quo potandi pruritu ſic excelluêre & excellunt Ruſſi, ut defectu æris & veſtes & induſia hoſpitibus ſolutionis loco relinquerent. Quò verò huic vitio poneretur obex, atq; populis occaſio otio & gulæ indulgendi præſcinderetur, tales Kabakæ publicæ, quarũ quædam ad Czarũ, quædã ad Bojaros ſpectabant, inhibitæ fuêre, ſic ut nemo in poſterum pro duobus vel tribus Copeckis, Schillingis, vel Groſſis vinum aduſtũ comparare ſibi quiverit. Earum verò loco Magnus Dux ſolùm in qualibet urbe unicum *Cruſisnoy dour*, ut appellant, ſive Domum unam conſtituit, ex qua ad menſuram majorem vinum aduſtum, & quidem per homines juramenti vinculo adſtrictos divenderetur, qui exinde in Fiſcum Czari incredibilem pecuniæ ſummam inferunt. Olearius *d. loc. cap. 6. pag. 195.*

Num. 23.

(19) *Delator quadrantem &c.*] Quoniam verò Delatores nimis frequentes in hac gente, falſi etiã ſæpenumero exiſterent, conſtitutũ fuit, quòd in Criminalibus Accuſator & Delator primus ipſe torturæ ſubjiciatur, & tunc demum, ſi quando accuſationem & delationem in ipſis tormentis confirmet, adverſùs accuſatum & reum procedatur.

Vide

Vide Olearium *d.loc.pag.187.& 188.*

(20) *Rosboinoy &c.]* De hisce Cancellariis, quos Ruſſi *Pricas* vocant & numero XXXIII. numerant, laudatus toties Olearius in laudatiſſimo ſuo opere *lib.3.cap.19.*

(21) *Stelletskoy &c.]* Hujus officii Olearius non meminit.

Num. 31.

(22) *Ad ſe attrahit &c.]* Notandum ex Oleario *lib.3.cap.10.* Regnantem hodiè Magnum Moſcoviæ Ducem non ſic ut olim Tyrannus, in bona ſubditorũ ſuorum, quamvis hac poteſtate polleat, involare, ut alii, fortaſſis ex antiquioribus Libero Barone ab Herberſtein, Jovio, Guagnino &c. qui de ſtatu tum temporis Ruſſorum, ſub ſceptro æneo Tyranni gementium ſcripſerint, id ipſum nunc temporis tradant. Quemadmodum & hujus farinæ res aliæ multæ de Ruſſis literis conſignatæ reperiuntur, quæ hodiè planè ſe aliter habent, dubio procul ob temporum, Regiminum, atque hominum viciſſitudines. Imò regnantem Czarum ad exemplum Domini ſui Parentis haud permittere, ut vel ſuis ex ruſticis quidam ad paupertatem redigatur; & ſi quando quidam fortè ob fruges vel ſegetem tempeſtate deminutam, vel alium ob caſũ ſeu fortunã minùs arridentem affligatur, ſubſidio tali ruſtico, ſive Czari, ſive cujusdam Bojari fit, Pricam ſive Cancellariam, cui ſubeſt, adeſſe, & in actiones ipſius curioſo oculo circumſpicere, quo lacertos iterum movere, debita exſolvere, & Dominis præſtare ea, ad quæ obſtricti ſunt, omninò queant.

(23) *Amiſsâ Livoniâ, quam ceſſit &c.]* De bello hocce inter Johannem Baſilidem Magnum Ducem Moſcoviæ, & Stephanum Batoreum geſto, & Pace inſequutâ libellum conſcripſit ſingularem Reinhold Heydenſtein *Anno 1590 germanicè impreſſum*, cui Oderbornius, & ſcriptores rerum Polonicarum & Moſcoviticarum jungi poterunt. Tractatûs verò & Pacis capitula, quibus Livonia Poloniæ Regi ceſſa, extant in Republica Poloniæ *à pagina inde 365. usque ad pag. 519.*

Num. 32.

(24) *Salis &c.]* Campi Aſtracani ſalis copiâ, quod in fodinis diverſis, ſtagnis, ac lacubus eorum reperitur, vel maximè nobilitantur: præcipuè fodinæ ſunt *Moza Koffsk 10.m. KainKavva 15.m.& Gvvoſtoffski 30.m.* Aſtracano diſtantes, lacus venis ſalis gaudent, per quas ſalſedo aſſurgit, & vi radiorum Solarium pellucidum ſalem, qui Chryſtalli inſtar ad digiti craſſitiem non ſecus ac glacies protuberat, ſapore jucundiſſimo, qui violas proximè accedit. Aſportandi ejus facultatem quilibet habet, modò Magno Duci pro duobus vaſis (pudis) quorum quodlibet XL. libras continet, unum Copeckum ſive ſchillingum unum perſolvat; notante Oleario *lib.4.cap.10. ubi Petreum de his ſalinis diverſa narrantem refutat*, & alibi *lib.3.cap. 16.* refert, fuiſſe quempiam, qui quò ob reditus Czari auctos gratiam promereret, Authorem fuiſſe, ut per Ruſſiam univerſam pro Sale, cujus antea quodlibet vas (*Pude*) XL. librarum duos Griffos ſive X. Groſſos valebat, unum inſuper Griffum vectigalis nomine penderet; conſummaſſeque Inventorem, quot millia hæc impoſitio Gazæ Czari annuatim inferret; verùm vertente anno calculo ſubducto, apparuit multa millia in piſcibus ſalitis, (quibus plus quàm carne Ruſſia fruitur, eò quòd ob ſalis caritatem, haud debito modo ſale conſperſæ, putredine conſumpti, deperditum fuerat. Et quantum ſalis in horreis relictum & non venditum deperierit.

Num. 31.

(25) *Ferrum &c.]* De metalli fodinis Moſcovicis d. Olearius *lib.3.cap.2.* conſulatur, & Gotofredus *in Archontolog. Coſmica d.loc.pag.465.*

Num. 33.

(26) *Philippus Bernſteinius &c.]* Exhibet Relationem hujus Legati Philip. Honorius *in Theſauro ſuo Politico parte 1. pag. 280. ſeqq.* ſed quum hæc ſcripta ſit Anno MDLXXIX. ratio temporis evincit, Bernſteinium non à Ferdinando I. Imperatore, qui jam Anno MDLXIII. è vivis exceſſerat, ſed à Rudolpho II. Imperatore, qui Anno MDLXXV. Rex Romanorum coronatus, Anno MDLXXVI. Maximiliano II. Parenti ſucceſſit, & usque ad annum MDCXII. Imperio præfuit, miſſum ad Moſcoviæ Czarum fuiſſe. Quod etiam ex reſponſione Moſci, dicentis ſe decreviſſe inceptam amicitiam cum Imperatore excolere, ac promovere unà cum ſua gente in perpetuum quẽadmodum Parens ſuus effecit & cum Maximiliano Cæſare, & cum Cæſare Ferdinando.

(27) *Diadema ſive Coronam &c.]* Verba ipſa apud Honorium ſic ſonant: Paludamento indutus erat cum diademate ferè ſimili Pontificio, quod in arce S. Angeli vidi anno præterito Romæ. Quod attinet ad formam, quantum enim ad æſtimationem, neque illud, neque Corona Regis Catholici, neque Regis Galliæ, & Magni Ducis Etruriæ, quæ à me viſæ fuerunt, ſicuti neque Corona Cæſaris & Regis Hungariæ atq; Bohemiæ cum illo Diademate comparandæ ſunt. Paludamentum totum adamantibus interſtinctum erat, rubinis, ſmaragdis, ſimilibusque gemmis inſtar nucum magnis: adeò ut valde miratus fuerim, quo pacto tantum oneris ferre capite poſſet. &c.

(28) *Animalium &c.]* Octo quadrigenas Zebellinorum, inquit Bernſteinius, quarum ſingulæ æſtimari ſolent Viennæ ducentis florenis.

(29) *Quidam ex numero Magnorum Ducum &c.]* Johannes nempe III. Johannis Baſilidis Tyranni illius avus, uti Guagninus *pag. 163.* notat.

(30) *Tractet omnia mercimonia &c.]* Quisquis porrò merces qualescunq; Moſcoviam attulerit, eas continuò apud portitores ſeu telonii præfectos, profiteri ac indicare cogitur; quas hi ſtatâ horâ cõſpiciunt æſtimantque; æſtimatas verò nemo nec vendere, nec emere audet, niſi priùs fuerint Principi indicatæ. Porrò ſi Princeps emere quicquam voluerit, tum mercatori interim res ſuas nec indicare, nec cuiquam licitari eas integrum eſt. Quo fit, ut mercatores interdum diutiùs detineantur. Sigism. B.L. ab Herberſtein *Rer. Moſc. Comment. pag. 42.* ubi *paucis interpoſitis* ſubjungit; Civis Cracovienſis quidam ducentos centenarios cupri advexerat, quos Princeps emere voluit, & mercatorem tam diu detinuit, ut is tandem faſtidio affectus, rursùs verſùs patriam cuprum reduceret. Porrò cùm aliquot milliaribus ab urbe abeſſet, ſubordinati quidam illum ſequuntur, ejusque bona, ac ſi portorium non ſolviſſet, inhibent interdicuntq;. Mercator rurſus Moſcoviam, apud Conſiliarios Principis de injuria ſibi illata conqueritur. Illi auditâ cauſâ, mox ſe ultrò conſtituunt

medios: ac negotium ſeſe transacturos, ſi gratiam petat, pollicentur. Mecator callidus, qui ſciebat Principi ignominioſum fore, ſi ejusmodi merces ex ditione ſua reduceretur, ac ſi non reperiretur quispiã, qui tantas merces mercari & exſolvere poſſet, non ullam gratiam petit, ſed juſtitiam ſibi adminiſtrari poſtulat. Tandem cùm viderent adeò obſtinatum, ut qui abduci à propoſito non poſſet, neque illorum dolo aut fraudi cedere vellet, cuprum Principis nomine emunt: ac perſoluto juſto pretio, hominem dimittunt.

(31) *Ex Theſauris ſuis exponat &c.*] Addit Gotofredus *Archont. Coſm. pag 458.* quòd neſciat redintegrare, obſervans regulam illam Oeconomicam, *Bonus Paterfamilias ſit magis vendax, quàm emax.*

(32) *Qui negotia tractant &c.*] Imò iis ſalaria ſingulis menſibus exactè ſolvuntur (*Olearius d. loc. lib. 3. cap. 16. pag. 253. & cap. 7. pag. 296. ubi in ſpecie de Bojarorum reditu agit.*) Militibus verò certi agri aſſignantur, ex quorum proventu milites aluntur. (*Olearius ibid. cap. 15. p. 250. 259. ubi vide, & cap. 19. n. 9. ubi expreſsè habetur, quòd tempore pacis quilibet equitum XXX. Rublas ſive LX. Imperiales annuatim ſtipendii loco, ex Reiteraskoi Pricas accipiant.*) Teſtaturque Jovius *in Deſcript. Moſcov. circa fin.* Exercitum omnem, quum bellum ingruit, vel hoſtibus indicitur, ex evocatis veteranis, novisque Provinciarum delectibus cogi; nam cunctis in urbibus præfectos militiæ juventutem inſpicere, idoneosque in ordinem militiæ tranſcribere: quibus ex ærario Provinciarum certa pacis tempore, ſed ea quidem exigua, ſtipendia perſolvuntur. Verùm eos, qui militant, immunitate vectigalium gaudere, & cæteris paganis præſtare, Regiâque Gratiâ omnibus in rebus potentes exiſtere.

Num. 34.

(33) **Der neuen Orientaliſchen Reiſe ꝛc.**] Vult dicere Author noſter **der Moſcowitiſchen und Perſiſchen Reiſe** / ubi ab Klockio noſtro mutila hîc prolata, integra *partim lib. 3. cap. 14. p. 248. partim cap. 2. pag. 157.* reperiuntur.

CAPUT XIII.

De Potentia & Ærarii Venetorum Copia aut Inopia.

SUMMARIA.

1 Veneta Reſpublica *percipit è Civitatibus in Italia continente* 800000. *coronatorum.*
2 *Solum* Vectigal vini 130000. *coronatorum facit.*
3 *Accedunt* decimæ & taxæ *diverſæ*, portoria & tributa *urbium maritimarum.*
4 *Olim è* Regno Cypri 500000. *percipit.*
5 *Unde hujus* Reipublicæ potentia *potiſſima.*
6 Veneti tres *ferè ſpecies vel modos augendi ærarii habent*, num. 7. & 8.
9 Honores *pretio vendunt in hac Republica in neceſſitate.*
10 Nobiles *adhuc minorennes ad honores per diſpenſationem admittuntur.*
11 *Accipiunt item in grandi neceſſitate* Mutuum, *rapiuntq́ ſæpè vi* num. 12.
13 Reſpublica *tamen ſe obligat ad reſtituendum cum modicis uſuris.*
14 *Transferuntur item per ſortes aliquando* bona immobilia *ad privatos, habetq́ alios infinitos modos locupletandi ærarii ibidem: leni manſuetoq́ imperio & exactiſſimâ juſtitiâ ſibi hac Reſpublica omnes conciliat*, num. 15.
16 *Nil refert, an* publicæ pecuniæ *ſint exiguæ, modò quiq́ privati abundent.*
17 *Affert centena millia florenorum* portorium vini.
18 *Sunt, qui nihil agrorum fundorumq́ poſſident*, negotiationibus *tamen ſunt locupletiſſimi.*
19 *Ex* omnibus vectigalibus urbis *ſupra ducenta millia decies aureorum colligi certò dicitur.*
20 *Recenſentur complura, in quibus* Reditus Venetorum *conſiſtant: ex Vino, Oleo, ingreſſu egreſſuq́ mercium*, num. 12.
22 *Item quantum ex ſeptem nobiliſſimis civitatibus colligant.*
23 *Ex univerſo* dominio Veneto *quindecies centena millia confici, ſcribit Viginarius, Hiraut, aliiq́ aliter*, num. 24.
25 Tributa artium Mechanicarum *Venetiis quanta?*
26 Subſidia *ex aliis civitatibus. Quantum eadem ad ſtipendia Centurionum & Equitum tribuant?* num. 27.
28 *Ex* Ducatu, *qui olim continebat oppida.*
29 *Quid ex aliis urbibus, oppidisq́* Venetianis. *Lacunarum ſinus Atriatici quantum?*
30 *Ex* Iſtria *quanti reditus?*
31 *Ex* Dalmatia *ſpecificantur reditus.*
32 Novegradi *etſi ab omni tributo immunes, pendunt tamen militibus præſidiariis.*
33 *Ex* Inſulis, *quæ vergunt ad Græciam, quantum conficiatur?*
34 Summa *omnium proventuum Venetianorum quatuor milliones ducatorum*, & 165048. *item ducatorum.*

Vectigal & portorium è vino frequens.
Decimæ bonorum duplicatæ ſæpiùs,
Sal albidum, verſura facta, Cambii
Uſus, lubensque penſio pecuniæ,
Bello ingruente, Venetam Rempublicam
Reddunt ferè cuique formidabilem.

DOminium Venetum (1) quotannis ex omnibus Statibus tempore pacis percipit *duas aureorum numûm milliones* (2) in hunc modum.

Ex Civitatibus, quas in Italiæ continente poſſidet, puta Tarviſio, Patavio, Verona, 1
Vicentia, Brixia, Bergomo, Utino, octingenta coronatorum millia, cujus ſummæ Brixia & Bergomum ferè trecenta millia pendunt. In ipſa autem Venetiarum Civitate è diverſis portoriis, Vectigalibus, datiis, aliisque tributis colliguntur ſeptingenta millia coronatorum. Solum enim ve- 2
ctigal vini quotannis CXXX. millibus Coronatorum ærarium auget.

Præterea è diverſis decimis, taxisque 3
Nobi-

Nobilibus, mercatoribus, populoque civi-
tatis impoſitis magna argenti vis percipi-
tur; reliqua quingenta millia dictarum dua-
rum millionum percipiuntur ex Sale, qui
fit multis locis ad mare ſitis, itemque è por-
toriis & tributis urbium maritimarum. Olim
quoque *è Regno Cypri* (3) quingenta millia
4 Coronatorum percepiſſe Rempub. autho-
res ſunt idonei; quam ſummam hodieque
ex aliis ſubditis ſuis, per alium modum,
haurire vulgò creditur. Tanti talesque ſunt
reditus ordinarii Reipub. Venetæ; cujus
haud diſſimile eſt fatum, quàm aliorum
Principatuum in Chriſtiano Orbe, nimi-
rum omnes reditus ſuos quotannis in ordi-
narias expenſas, quæ fiunt in præſidiarios,
claſſem, munitiones urbium & Caſtellorum,
ſalaria magiſtratuum & ſimilia, impendere.
Unde vulgò creditur nihil ab ipſa reponi, (4)
& ſiquid forte ſupereſt, in antiquis debitis
exſolvendis inſumi. Quamvis autem or-
dinarii & annui reditus in ordinarias expen-
ſas, quæ tempore pacis fiunt, erogentur;
inde tamen inferri non poteſt, hanc Rem-
publ. non eſſe adprimè potentem.

5 Nam Principes & Reſpublicæ eò po-
tentiores judicantur, quò plures habent oc-
caſiones & modos pecunias extra ordinem è
ſuis emungendi; Reſpublica autem Vene-
ta & longe habet plures modos, & valdè tu-
tos, neque eſt cur ſubditos ſuos hac in parte
metuat, quemadmodum plerique alii Prin-
cipes coguntur facere. Nam bello ingru-
ente, aut quando ſupra ordinarium mo-
dum claſſis armanda eſt, ad extraordina-
rios Ærarium ſuum augendi modos Res-
6 publica ſe convertit, qui quidem multi di-
verſorumque generum ſunt, ſed ad tres ferè
ſpecies revocantur.

Prior eſt multiplicatio decimarum,
quæ Nobilibus juxtà ac plebeis ratione bo-
norum ſoli & immobilum conſtitutæ ſunt;
nimirum ut, quod *ſemel quotannis penſitare
conſueverant*, (5) id jam bis térve, prout Se-
natus decreverit, penſitent. In eundem
modum & vectigalia aut portoria omnium
mercium, quæ à mercatoribus ſecundùm
valorem earundem ſolvuntur (quod vecti-
gal plerumque decimam partem lucri, quod
ex illis mercibus vulgò percipitur, æquat)
augent; idque perfacili negotio à Nobilibus
juxtà ac plebeis conſequuntur.

Primò huic modo includitur alius cen-
ſus, qui populo indicitur, quando præter
ordinarium inſtruitur claſſis: Omnia enim
opificia certum hominum numerum Rei-
publ. *commodo ſolvere* (6) debent. Facilè Res-
publ. itaque primùm hoc colligendi pecuni-
as modo uti poteſt, ſolvuntque omnes liben-
ter, patriæque ferunt auxilium.

8 Secundus modus eſt, ubi prior non ſuf-
ficit neceſſitati Reipublicæ, Patricii *magi-
ſtratuum munera gratis obeunt* (7) aliquot
annis; itemque præcipuos *honores, quos pro* 9
*meritis conferre ſolebant in patricios, pretio
vendunt*, (8) non tamen in perpetuum, ne-
que iis ſemper, qui plurimum offerunt: nam
non raro eosdem potiùs minùs offerentibus
addicunt, quàm ut indignos in iisdem pro-
pter opum abundantiam verſari patiantur.
Hoc modo cùm ex fœdere Cameracenſi pe-
nè omnes Europæ Principes in Rempub.
impetum facerent, illam ſupra quingenta
millia aureorum in ærarium retuliſſe con-
ſtat. Huic accedit, quòd per diſpenſationem 10
& certo pretio *Nobiles adhuc minores* (9) ad
Conſilii aditum admittant, & honorum ca-
paces declarent.

Tertius eſt, grandi aliquâ neceſſitate ur- 11
gente, *à particularibus argentum mutuò acci-
pere*, (10) quas cum viâ benevolâ nanciſci
non poteſt, rapit eas vi, vendendo ſupelle- 12
ctilem & bona immobilia pertinaciter re-
luctantium, neque inde oritur tumultus ge-
neralis, aut alicujus momenti, quod poſſet
fieri apud alios ſubditos. Reſpubl. autem
ſe obligat ad reſtituendum intra certos an- 13
nos, quicquid in hunc modum ſumpſerit, &
modicas uſuras quotannis perſolvit, puta
aut duo pro unoquoque centenario, quo
modo antiquiora debita ſolvit; aut quinque
pro unoquoque centenario. Inſuper & bona
certa immobilia per ſortes à Republica ad 14
particulares nonnunquam tranſtulerunt.
Denique infinitos habet hæc Reſpublica
ærarium ſuum ſupplendi modos, quibus &
uſa eſt interdum, &, ubi res exegerit, *adhuc* 15
uti poſſit. (11) Nam cùm privatorum opes
immenſæ ſint, & Reſpublica leni manſue-
toque ſuo imperio & nunquam ſatis laudan-
da juſtitiæ adminiſtratione omnium obſe-
quium & amorem ſibi conciliaverit, nullo
non tempore publico ærario laboranti ſuc-
currere perfacile erit. Eſt itaque in hac ma-
gnifica Civitate tritum proverbium: Non 16
multum referre, ſi publicæ pecuniæ exiguæ
ſint, modò privati divitiis abundent. Nec
facilè ratio iniri poteſt, quos quantosque the-
ſauros Reſp. poſſideat.

Juvat referre, quæ Donatus Jannotius
Florentinus *l.3. de Reg. Venet.* ſcribit; Reipu- 17
blicæ, ait, vectigalia ampliſſima ſunt, atque
multiplicia, utpote rebus omnibus, quæ
vel importantur, vel exportantur, impoſi-
ta portoria, inter quæ centena millia flore-
norum affert, quod pro vino duntaxat ſolet
exigi; ad hæc ſcriptura maris atque conti-
nentis, Decumæ, & Cenſus Patriciorum,
omniumque civium. Sunt enim multi ex 18
Patricio atque civium ordine, qui, licet fun-
dos atque agros minimè poſſideant, nego-
tiationis tamen causâ locupletiſſimi. His
ergo pariter, atque illis hoc tributum impo-
nitur; ſingulorum opes atque facultates de

more taxantur,&quanti res uniuscujusq; fuerint æſtimatæ, pro eo conſtituitur,quid illi dependendum ſit.

19 Aſſeveranter à multis affirmatur, ex omnibus vectigalibus urbis,maris,atque continentis, in annos ſingulos ſupra ducenta millia decies aureorum colligi. Aliam redituum annuorum collectionem ponit Author relationis de Sereniſſimâ Republ. Venetorum, deque illius Imperio & populorum moribus; quæ à *Philippo Honorio* (12) fuit edita. Reditus (*inquit*) Venetiarum
20 in pluribus conſiſtunt. Ex vino ſunt aureorum octuaginta millia : ex oleo ſex millia: *ex mercium portoriis* (13) centum millia: ex egreſſu mercium *triginta millia:* (14) ex car-
21 ne triginta millia : ex fructibus ſex millia: ex lignis octo millia : *ex Paneriis octo millia.* (15) Hosque ferè eſſe omnes Reipublicæ reditus, præter eos,quos ex ſeptem ſuprà memoratis *nobiliſſimis Civitatibus* (16) colligi notat:

22

Ex urbe Patavina,aureorum	140000
Ex urbe Vincentina,	36000
Ex Veronenſi diſtrictu,	90000
E Brixienſi,	1000450
E Bergomenſi,	60000
E Foro Julienſi Patria,	30000
E Tarviſina civitate,	90000
E Dalmatia,	10000
In ipſa urbe Venetiar.	394000
Summa totalis,	1840450

Coronatorum.

23 *Viginarius* (17) Venetorum Rempublicam ex univerſo dominio quindecies centena millia percipere ſcribit: & ſic Italia, ſecundùm Viginarium,redderet novem auri milliones: Sed Hiræus ſingula exactiùs conſiderans, ex particularibus collegit quatuor milliones, centum ſexaginta quinque millia ducatorum, ut Ærarii Quæſtores ſub-
24 ductis rationibus invenerunt Anno Chriſti MDLXXXIII. Ex ſolo ſale enim collecta ſunt ſeptingenta duo millia ducatorum & ſede-
25 cim. Tributa omnium artiũ mechanicarum effecerunt centum quinquaginta ſex millia, ſexcenta nonaginta octo.

Ex piſcatione 5752. ducati.
Ex lignis ædificiorum, 5754. ducati.
Ex piſtrinis & molis, 1997.
Ex naulis maris & fluminum, 6591.
Ex venditione vinorum, 2361.
Ex officinis monetariis, 33081. & hæc ex ſola urbe Veneta.

26 Subſidia verò ex Patavio, Tarviſio, Verona, Cologna, Bergamo, Baſſano, Citatella, Feltrium, Rovigo, Crema, Breſſa, Vicentia, earumque Statu, æquarunt centum ſexaginta millia ducatorum, ſeptingentos & nonaginta.

27 Eædem Urbes ſolvunt annuatim ad ſtipendia Centurionum, equitum, & peditum 80000. coronat.

Ex Ducatu, qui antiquitùs continebat oppida lacunarum ſinus Adriatici, qui circum urbem, & dicuntur vulgò portæ urbis; & ſunt Muranum, Malomocum, Torcellum, Buranum, Mazorbum, Chiozza, & loca littoralia, quæ ſeparant Adriam à Lacunis. 28

Ex Murano 862. Ex Torcello, Mazorbo, Burano, aliisque locis pertinentibus ad ditionem Torcelli 1187. Ex Malomoco 94. Ex Chiozza 3538.

Quod autem alias Urbes & Oppida Status Veneti attinet, ex iis ſequentia colliguntur Tributa: 29

Ex Adria 1010.	Lorico 1460.
Gambarra 400.	Conigliano 6421.
Cavargere 1095.	Saravalle 1136.
Patavium 48504.	Cadore 2551.
Preve di ſacro 920.	Rovigo 8547.
Novale 950.	Lendonara 1446.
Campo Santo Piero 914.	
Montagana 2346.	Abbatia 7525.
Eſte 934.	Utina 5726.
Azolo 1782.	Civitalle 2838.
Caſtel Franco 1700.	Porto Gruaro 1476.
Caſtel Citadella 1522.	Lignago 5630.
Meſtre 2914.	Peſchiera 1190.
Vincentia 47337.	Sorve 1212.
Caſtella Vincentina 1064.	
Longino 1628.	Breſcia 89958.
Verona 75170.	Solo&Riviera 12427.
Caſtella Veronenſia 11106.	Romano 1168.
Cologna 6240.	Martinengo 1466.
Caſtelbaldo 248.	Lona 1471.
Mons Celiſi 932.	Azolo 2136.
Baſſano 4976.	Orzi 1336.
Trevigi 25265.	Bergamum 34697.
Caſtel Triviſana 932.	Crema 77610.
Valerzo 1261.	Monfalcon 1122.
Porto Buffale 793.	Chiaſa 750.
Sacile 1490.	Perdonove 4577.
Caneva 718.	Feltre 4620.
	Civital di Bulleno 5398.

Ex Iſtria colliguntur reditus 30

Capo d' Iſtria 2612.	Parenzo 1116.
Piran 1021.	Cita Nuova 881.
Rovigno 633.	Pola 200.
Dignam 1384.	Pinguente 2756.
Albona & Fianona 1143.	Humago 590.
Valle 878.	Salvia 752.
Montana 1820.	Bore 342.
Grittiguana 1584.	Portole.
S. Lorenzo 1456.	

Ex *Dalmatia,* (18) ubi notandum, ejus confiſcationes, & mulctas omnes condemnationum peculiari privilegio communitati Dalmatarum attribui, non Venetorum fiſco adplicari 31

Cherſo & Oſero 6101.	Limiſſa 8720.
Veglia 4735.	Spalato 15567.
Arbe 2780.	Curzola 3070.
Zara 2287.	Pago 600.
Nona 640.	Cataro 8507.

Sebeni-

Sebenico 6246. Piazza 6000.
Trau 4980. Budua 1240.

32 Novegradi immunes ſunt ab omni tributo, ſed ſingulis militibus præſidiariis, qui arcem tuentur, quotidiè numerant XXV. ſolidos.

33 Ex Inſulis, quæ ad Græciam vergunt.
Corcyra (19) 8059. Zacynthos 17184.
Cephalenia 13877. Canea 4107.
Cerigo 2340. Cytia 2930.
Candia (20) 16810. Leve & Miceſi 2706.
Retimo 4510.

Summa ſummarum (21) omnium proventuum Reipublicæ Venetæ redit ad quatuor milliones, centũ ſexaginta quinq; millia ducatorum, & quadraginta octo ducatos. 34

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT XIII.

(1) D*Ominium Venetum &c.]* De Venetorum nomine ac genere, item de Venetiæ finibus, fœcunditate ac fertilitate, exactè admodùm Philippus Cluverius antiquitatum promus condus fideliſſimus commentatur *Italiæ antiquæ lib. 1. cap. 17. per totum*, quò Lectorem remittimus. Micat verò inter cæteras Italiæ Urbes, velut inter ignes Luna minores Urbs Veneta, ſive Venetiæ, totius ditionis Venetorum domina, quas hoc Carmine laudavit Actius Syncerus Sannazarius Neapolitanus Poëta planè inſignis, *Epigram. l. 1. pag. m. 154.*

Viderat Hadriacis Venetam Neptunus in undis
Stare Urbem, & toto ponere jura mari:
Nunc mihi Tarpeias quantumvis Juppiter arceis
Objice, & illa tui mœnia Martis, ait:
Si pelago Tybrim præfers, Urbem aſpice utramque
Illam homines dices, hanc poſuiſſe DEOS.

quos verſus in tantũ placuiſſe Venetis refert, *in Sannazarii vita* Joh. Batiſta Criſpus à Schotto *in Itin. Ital. p. 56.* allegatus, ut ſingulos verſus ſingulis centenis aureis remunerarent. Sita verò eſt Urbs illa in intimo maris Hadriatici ſinu, noſtro ævo omnium celeberrima opulentiſſimaque, cujus tanta magnificentia ac dignitas, ut etiam illi, qui eam perluſtrarunt, admirari illam potiùs, quàm dignis laudum præconiis exornare queant. Hinc Trajanus Boccalinus *in Lapido Lydio Politico pag. m. 72.* Venetam Rempublicam, *admirabilem ſuâ magnitudine & opportunitate ſitûs aptam conatibus magnis*, deprædicat, & Magnificos Venetos ſic alloquitur Martialis Anglicus, Johann. Owenius *Epigram. lib. 1. Epigr. 18.*

Imperii Emporii, (mirum) fundamina veſtri
Funditus in fluido ſunt ſolidata ſolo.
Ne ſolùm mutis habitentur piſcibus undæ,
Æquoris incultas incoluiſtis aquas.
Orbis in Oceano quæ quondam pars fuit, Urbs eſt:
Naturâ antè Salum quod fuit, arte Solum.
Imperio ſedem hanc æterno plus propè vobis
Quam ſibi conſtantem conſtituiſtis aquam.
Quid mirum, veſtram conſiſtere legibus urbem,
Legibus exleges cùm teneatis aquas?

De primis Venetiarum initiis diverſa Hiſtoriographi tradunt, inquit Matth. Quad. *Geograph. enarrat. lib. 3. cap. 17.* & ex eo Hentznerus *in Itiner. pag. 318. ſeqq.* Sabellico Leander ſubſcribit, prima hujus inclytæ Urbis initia in annum à Chriſto nato CCCCXXI. incidere, quo tempore fama jam ſparſa erat, transgreſſuros Danubiũ Hunnos, Italiæ invadendæ causâ. Aquilegienſes itaque & Patavini, ferociſſimi hoſtis terrore, & ob urbium ſuarum interitum, Hadriatici maris Inſulas fugâ occuparunt, & initio in Rivum altum ſe recipientes, prima Venetiarum Urbis fundamenta jecêre. Hæc Quad. ubi vide, & Cluverium *d. loc. cap. 18.* & Leandrum Albertum, & Martinum Zeillerum *in Itiner. Ital. pag. 59.* præter Venetarum rerum ſcriptores Sabellicum, Bembum, Contarenum, Jannotium, Nic. Craſſum, P. Juſtianum, Johannem Baptiſtam Verum, &c. junge, qui omnes adminiſtrandi hanc Rempubl. nunc per Conſules, nunc per Tribunos, demùm Duces & Senatum, formas monſtrant. De plena hujus Dominii ab Imperio Romano-Germanico libertate multi multa diſſerunt, alii eam impugnantes, alii propugnantes, uti apud Weſſelingum *in Aurifodina pag. 1778.* Limnæum & ab eo allegatos *lib. 1. Juriſpubl. cap. 9. n. 67. ſeqq.* videre licet. Subſcripſerim ego ſententiæ Domini Conringii *de finib. Imp. Germ. lib. 1. cap. 11. pag. 131.* inquientis: Venetam Urbem ipſam intra Hadriaticas aquas ſubſiſtentem, nos quidem ingenuè fatemur, nunquam Germanici Juris eſſe factam. Illam fœdere æterno inter Carolum M. & Conſtantinopolitanos Cæſares inito, Orientali illi Imperio redditam, certè à Legibus Imperii Occidentalis abſolutam, jam tum fide Annalium Francicorum profeſſi ſumus. Ex eo ad Ottonis usque tempora, nemo ſive Cæſarum Occidentalium, ſive Regum Italiæ in Urbem illam quidquam ſibi poteſtatis arrogavit. Certè in monumentis nulla ejus veſtigia apparent. Neque verò ſine injuria libertati iſti opponuntur illa Sigonii *ex lib. 4. de Regno Italiæ*, de Carolo Craſſo, quòd fœdus inter Venetos atque Italos ſibi ſubjectos in quinquennium renovaverit: aut quod Wido Cæſar Anno DCCCXCI. Petro Venetiarum Duci, Hugo Italiæ Rex Urſo Duci Anno DCCCCXXVII. vetus privilegium de tuta juſtaque rerum ſuarum in regno Italico poſſeſſione Venetis firmaverint; denique Berengarii II. pactum Anno DCCCCL. cum Venetis initum de finibus. Pugnant hæc potiùs pro libertate Urbis, quàm quòd eam impugnent; tum disertè Urbem illam eximunt, ab Italicis Cæſari ſubjectis & regno Italiæ. Quanquam privilegia illa id doceant, in Regno Italiæ bona quædam Venetorum civium fuiſſe jam tum ſita, in continente ſcilicet: quæ regni Legibus obnoxia fuiſſe non negamus. In ea itaque libertate, ſi non majore, reperit Otto Venetam Urbem, in qua Caroli M. conſenſu collocata eſt. Sed nec Ille, nec ſequentium Cæſarum ullus vi Urbem iſtam adegit in Leges Imperii, nec Urbs ipſa ſponte ſeſe dedidit. Ne attentata quidem à Cæſaribus noſtris libertatis illius ſigna reperias in vetuſtis Annalibus: ſed Duces quidem *Amicorum Imperii*, ipſas autem Venetias *Regni* titulis à Cæſaribus condecoratos. Affert Nicolaus Craſſus *in ſuis ad Donati Jannotti de Republica Veneta aureum ſanè libellum*

annotatis, Henrici V. Cæſaris Tabulas Anno MCXI. Veronæ exaratas: quæ clariſſimè docent, illa, quæ modò diximus, ſimulque oſtendunt, continentis terræ omnia Venetorum bona Italici tum fuiſſe adeoque Imperatorii Juris, eximiis licèt privilegiis munita, & quænam Inſulæ Venetiarum nomine tum venerint. Illiusque libertatis fuerint participes. Tabularum partem exhibet ibidem quoque antiquitatis Germanicæ ſcientiſſimus Conringius, & hocce argumentum in ſequentibus, *ut & lib. 2. cap. 23. pag. 543*. firmat, nec non in poſteriori loco, quo jure cætera, quæ in Italia tenent Veneti, poſſideant doctè, disquirit, inſimul Jura Imperii vindicans. Quæ omnia huc adſcribere longum nimis foret, digito indicaſſe ſufficiat.

(2) *Duas aureorum numûm milliones &c.]* Author diſcurſus Politici de Principibus Italiæ, quem Joh. de Laet Commentario ſuo de hoc ipſo argumento *pag. 336. ſeqq.* inſeruit, de Venetorum potentia reditúve ſic loquitur: Veneti reliquos Italiæ Principes & potentiâ & Dominii amplitudine longè præcellunt. Fines autem habent ab una quidem plaga Dominium Eccleſiaſticum per Ducatum Ferrarienſem, ab altera Ducatum Mediolanenſem, à tertia Rhætos & regiones quæ hodiè Auſtriis parent, denique in Dalmatia & cæteris Provinciis, quas ad mare Hadriaticum occupant, Turcas. Dominium autem illorum omne contiguum & optimè per ſe diſtinctum; in limite autem munitiſſimis quà urbibus, quà arcibus undiquaq; vallatum; quales ſunt Urſinovi, & Palma in finibus, vel ut quidam volunt in ipſa ditione Auſtriorum versùs Forum Julii. Porrò inter ea, quæ Veneti in continente poſſident, excellunt Lombardiæ quædam partes, ſive oppida reſpicias Patavium, Vicentias, Veronam, Brixiam, Bergamum, & plura, & opum affluentiâ, & munimentis præclarè adverſus hoſtes quoſcunque comparata: ſive agrorum fœcunditatem; è quibus non minùs, quàm ex commerciis maritimis ingentes fructus percipiunt. Ii, ſi ipſis credimus, quotannis ad tres quatuórve milliones auri aſcendunt, & licèt alii minorem ſummam prodant, tamen magis veriſimile eſt, rem ita uti fertur ſeſe habere; ea eſt ditionis illorum amplitudo & ubertas: quibus accedunt artes ipſis ferè peculiares, quibus è ſubditis ſuis haud quaquam invitis, ampla tributa emungere norunt, quæ licet per ſe gravia, eò æquiùs & faciliùs tolerantur, quia ab omnibus æquabili temperamento exiguntur. Magnum autem theſaurum quotannis accumulare creduntur. Nam licet immenſos ſumptus faciant, in arcibus reſtaurandis, præſidiariis militibus alendis, triremibus fabricandis & inſtruendis, & ſimilibus; idque adeò ſplendidè, ut nihil addi poſſe videatur; tamen tantâ tamque accuratâ Oeconomiâ ſingula diſpenſant, ut plus uno coronato efficiunt, quàm alii binis. *Hactenus Anonymus ille.* Segethus *de Princip. Italiæ pag. 14. & 15.* ſimiliter Reditus annuos Venetorum tricies centenis aureorum millibus æſtimat, aitque Urbem Venetam reddere quotannis octingenta ſcutatorum millia. Plura ad hanc rem adducit Zeillerus *in Itiner. Italico ſuo pag. 20. ſeq.*

Num. 3.

(3) *E regno Cypri &c.]* Cyprus felix quondam Inſula inter majores mediterranei maris locum ſibi vendicat. Hæc Græcis à Richardo Britanniarum Rege erepta, cùm Europæi Principes ad ſacrum bellum confluerent, Guidoni Luſiniano Gallo tradita eſt. (*Vide Polydor. Vergil. Angl. Hiſt. lib. 14. pag. m. 325.*) Hujus poſteri per annos propemodùm trecentos regnum in Inſula obtinuerunt; ſed variis ſubinde fortunæ caſibus agitati, Janus prælio navali cum Ægyptiis commiſſo in poteſtatem barbarorum venit, qui tandem, ut ſe captivitate redimeret, ingenti auri vi, & annui ſolutione tributi ab Soldano Victore Inſulam cum adminiſtratione recepit. Hujus Joannes filius iisdem legibus ſucceſſit, qui ex Helena Palæologa conjuge unicam ſuſcepit filiam, nomine Carlottam, Ludovico, Allobrogum Ducis Ludovici ſecundogenito, deſponſatam: ex concubina Jacobum habuit, quem adhuc juvenem Nicoſienſi Archiepiſcopatui deſtinavit: Johanne mortuo ſine aliis liberis, Allobrox in ſpem novi Regni erectus, Cyprum uxorio nomine ſibi poſtulabat. Cyprii Jacobum, nullâ ejusdem regni lege Imperio prohibitum, depoſcebant Patri ſucceſſorem. Inter diſſidentes non leve exarſit bellum. Verùm cùm Jacobus ægrè Allobrogem depellere poſſet, ad Soldanum profugit, cujus tributaria erat Inſula: ab eo exceptus impetrat libero Jure totius regni adminiſtrationem: reverſusque cum auxiliis competitorem & ſocios totâ Cypro exterminat. Ita Jacobus, pacatæ Inſulæ Rex ſalutatus, in uxorem poſtea ſibi delegit Catharinam, Marci Cornelii (*ſive Cornarii*) Patricii Veneti filiam, ab Republica quoque filiali ſolennitate adoptatum per Nicolaum Marcellum ejus temporis Principem. (*Vide tamen Sabellicum Hiſtor. Rer. Venet. decad. 3. lib. 9. ex quo patet, ſubſtituendum hoc loco Nicolaum Thronum, cum mortuo jam Jacobo Rege Cypri Marcellus huic ſubſtitutus fuerit.*) Tandem vitâ exceſſurus Rex fœtam conjugem cum poſthuma prole Regni hæredem ſupremis tabulis reliquit: atque interim tutelæ ac Veneti Senatûs Patrocinio commendavit. Porrò defuncto Rege continuò repentinis tumultibus Inſula vexari cœpta: & primò eam turbavit Jacobus apud Ferdinandum Neapolis Regem Orator, dum ſe acturum pollicetur, ut notho Regis ſui filio pariter filia Jacobi Spuria nuptui, atque adeò dotali nomine Cyprus Aragonio daretur. Placuit regiæ cupiditati conſilium, &, ut promiſſa adimplerentur, illicò in Cyprum cum armatis triremibus remittit Legatum. Hujus adventu in Reginam, ejusque familiares oritur conjuratio, quâ illius patruus cumprimis Andreas Cornelius opprimitur. Sceleri additur poſtea violentia, coacta Regina, ut ad Petrum Mocenicum, ſub id temporis Venetæ claſſis Imperatorem ſcriberet, Cornelium denegato præſidiariis ſtipendio ſublatum, eodem nomine ad Senatum decreti Oratores. Cæterùm in hac rerum perturbatione ratas nuptias Legatus paciſcitur: interim fraudis per occultos nuncios certior redditus Mocenicus, è veſtigio Victorem Superantium cum ſelectis navibus præmittit. His auxiliis exhilarata Regina, ac in priſtinam quietem ſecuritatemque traducitur. Quia expoſitis ad Tamaſſum copiis jam indictum perduellibus bellum videbatur. Sic illi armorum famâ, claſſisque conſpectu perterriti ſe mulctant voluntario exilio, & Cypro optata Pax reſtituitur. Hoc pacto excitatas turbas compeſcuit Venetus Anno MCCCCLXXI. Sed ne ampliùs, aut tam facilè emergerent conſpirationes, annitente Reginâ, deſtinavit, veluti Præfectum Inſulæ, eundem Superantium; & ſic

integris

integris ſexdecim annis Cyprus manſit incolumis, ac omni metu ſecura: quo demum tempore, quia ferebatur Bajazethus Turcarum Imperator Inſulæ animum adjeciſſe, timeri cœptum eſt, atque tum major injectus timor, cùm idem barbarus comparatâ validâ claſſe, in proxima maria ducendâ, à Senatu commodum Cypri appulſum petiiſſet. Verùm Patrum conſtantia omnem metum excuſſit. Negatus eſt enim Barbaro acceſſus, novaque claſſis inſtructa, ac Franciſco Priolo demandata Inſulæ propugnatio. At quoniam ab externo non ſolùm hoſte, ſed etiam à domeſtico timendum erat (adhuc enim remanſerant, qui Aragoniis, Allobrogibusque faverent) ex Senatus-Conſulto Georgius Cornelius, Reginæ frater, Cyprum navigat, ei perſuaſum, ut permiſsâ Reipublicæ Regni ſui gubernatione, Ipſa, tum parvulo filio orbata, vellet in Patriam tranſire, tutiùs victura in natali ſolo, quàm in rebelli Inſula, tamque remota & circumdata ab immaniſſimis hoſtibus. Illa fraternas adhortationes lubens admiſit. Venetiasque ſubeunti totus Senatus fit obvius, qui nihil ad ſummos honores, & verè regios in ea excipienda colendaque omiſit. Mortuâ tandem Reginâ, Cyprus in Venetam provinciam redacta eſt. Sic rem enarrante Joh. Baptiſta Vero *Rer. Venet. lib.3.p.273.ſeqq.* Turcis nunc paret, qui Anno MDLXX. Selymi II. auſpiciis Inſulam illam aggreſſi, cum Famaguſta, quam Marci, Antonii Bragadini, deditâ urbe perfidè cute exuti, virtus ſtrenuè, ſed tandem fruſtrà propugnaverat, brevi totam juri ditionique ſuorum adjecêre. Quod bellum eleganter Antonius Maria Gratianus, *qui libro 1.pag.5.ſeqq. Dominos Cypri ab initio inde recenſet*, ut & Petrus Bizarus ſingularibus libellis executi ſunt. De Famaguſtæ verò deditione & Bragadino, adiri poterunt Het vorſtelyck Treur Tooneel *XXVI. Hiſtor.pag.471.ſeqq.* & Eraſmus Franciſcus in dem hohen Trauer-Saal/ der 43. Geſchicht *p. 788.ſeqq.* Thuanus *lib.49.* ubi ex profeſſo Inſulam & dominos deſcribit.

Num. 4.

(4) *Inde vulgò creditur, nihil ab ipſa reponi &c.]* Et hinc fortaſſis originem traxit, quod Cominæus *ad libri hujus 1.cap.1. num.74.* allegatus tradit, Ducem coram Senatu ipſi dixiſſe, capitali pœnâ inter ipſos vetitum eſſe, ne reponendæ pecuniæ mentio fiat, &c. ex quo tamen perperam Klockius noſter (ipſe ſibi contrarius, cùm hoc *lib.1. cap. 1. num.54.* dixiſſet, Venetos duplex habere ærarium) inferre videtur publicum ærarium Venetos non habere &c. Cùm communis Scriptorum conſenſus, qui plerique ærarii mentionem injiciunt, reclamet, & inter officia Reipublicæ Gubernatores redituum, *vulgò Gouvernatori dell Intrade*, & Quæſtores Urbani *Camerlinghi* non imi ſubſellii numerentur, vide Johann. Cotovici *Synopſ. Reipubl. Venetæ cap. 12.pag.283. & ſeqq.* ſic ut Cominæus vel de privato Principis & Ducis ærario intelligendus veniat, vel ſic interpretandus ſit, quòd contributiones extraordinariæ non tam ad ditandum ærarium, quàm ob neceſſitatem ſummam exigantur, eaque ceſſante & ipſæ ceſſent, ordinarii verò reditus plerumque ab expenſis abſorbeantur, ut nihil facilè reliqui maneat, quemadmodum Boterus & ex eo hoc loco Author noſter tradit.

Num. 7.

(5) *Semel quotannis penſitare conſueverant &c.]* Ut qui *v.g.* modium dederat, duos, tres, pluresque modios conferat. Joh. Ruremundus *in Mammona cap. 40.*

Num. eod.

(6) *Commodo ſolvere &c.]* Interpone, (ut res clarior fiat,) poſt *commodo* exhibere ad operas præſtandas & ſolvere debent &c.

Num. 8.

(7) *Magiſtratuum munera gratis obeunt &c.]* Sic ad bellorum ſumptus contra Sfortiam perferendos Veneti SenatusConſultum fecêre: ut urbani peregrinique Magiſtratus, Judices, ſcribæ, cæterique inferiores Ordines Magiſtratibus ipſis ſubjecti, qui publicum aliquo modo ſalarium mererent, Reipublicæ vectigales eſſent: Et ut Patricii Magiſtratus poſt annuum munus (etenim ſuum cuique in id tempus eſt præmium adſcriptum) gratuitam Reipublicæ operam in ſex proximos menſes impenderent. Sabellicus *Hiſtor. Rer. Venet. decad. 3. lib.7.pag.515.516.* Quod ſæpius repetitum conſtat ex Bembo *Hiſtor. Venet. lib.6.pag. 225.ſeqq. ubi Orationem Ducis Lauredani & obſtrepentis Johannis Antonii Minii recitat; & lib.7.pag.301.* ibi: Domi autem Patribus de pecunia in bellum (*poſt ictum Camaracenſe fœdus Venetis illatum*) eroganda ſolicitis, præter alia tributa, de hoc quoque Senatusconſultum factum eſt, & quidem ſolito fieri ſuperioribus in bellis altero tanto graviùs, uti à Magiſtratibus urbanis ſex menſium ſtipendia integra Reipubl. remittantur: reliquorum verò compendiorum, quæ omninò ex Juriſdictione ipſa, vel ex portoriis fraudatis, vel quacunque alia ex re ad eos redeunt, media pars in ærarium inferatur, Quadraginta-viralibus Judicibus exceptis, quibus unis media ſtipendiorum pars maneat, propterea quòd aliunde nihil lucrantur: Magiſtratus autem Provinciales, & arcium præfecti, intra ſinum Phanaticum qui ſunt, mediam ſtipendiorum partem Reipublicæ remittant, reliquis in rebus eâdem, quâ urbani, lege teneantur. Horum autem Magiſtratuum Urbanorum & Provincialium omnium Juris interpretes, & ſcribæ, miniſtrique mediam & ipſi cùm ſtipendiorum partem, tum compendiorum tribuant Reipubl. Veronæ, Brixiæ, Bergomi, Cremæ, Cremonæque, atque Flaminiæ, Magiſtratibus item exceptis, & iis, qui ultra Sinum Phanaticum ſunt miſſi, qui omnes quartam modò partem earum utrarumque rerum conferant: ſatis enim magna alteris incommoda bellum eſſe ipſum allaturum, alteris iter longum & impeditum jam attuliſſe, ne aliis etiam oneribus ferendis æquè ac cæteri affligentur. Vide præterea eundem Bembum *d.l.lib.10.p.401.*

(8) *Honores &c. pretio vendunt &c.]* Ita ut Claſſis contra Genuates à Venetis educta ingens, in Reipublicæ tunc præſenti rerum anguſtiâ ali poſſet, priusquam in hoſtem ſit itum, decreto Patrum propoſitum eſt publicum Edictum, ut quicunque è populo pecuniâ, commeatu, militéve, aut claſſem, aut littorales copias juviſſent, fore ut ubi cum hoſte debellatum eſſet, ex eorum numero triginta, qui optimè omnium meriti crederentur, ad Patricium traducerentur ordinem, quæ dignitas illis eorumque poſteris rara perpetuò maneret. Daturos ad hæc Patres operam, ut quinque aureorum numûm millia quotannis reliquis dividerentur, qui dignitatem non eſſent conſecuti. Multi ſpe prætenſæ dignitatis, quidam etiam charitate

ritate Patriæ, in medium proceſſerunt, alii alia pollicentes: ſupra ſexaginta familiæ repertæ ſunt, qui ſuum in Rempublicam beneficium contulerunt: atque ita ut ditiſſimus quisque fuit, ita optimè de illa meritus & videri & eſſe voluit. Ferunt igitur multa & ampla hinc inde collata. Quo factum, ut Patres defuncto bello, ut fides ſibi publica conſtaret, ad triginta eorum, qui medio ardore belli Rempublicam privato ſumptu juverant, ad Patriciatum traducerent; reliquis quina millia quotannis dividenda in perpetuum decernerent. Qui inter Patricios relati fuerunt, antequam Curiam aſcenderent, divinæ rei interfuerunt: inde ad Principis & Patrum conſpectum adducti, in aliena verba jurare coacti, fidem & ſilentium Reipubl. promisêre. Teſte Sabellico *Rer. Venet. Hiſtor. decad. 2. lib. 8. p. 291. 324.* & hi fortaſſis ſunt, quorum Bodinus *1. de Republ. 6. p. 61. B.* meminit. De quo & Ruremundus *cit. loco pag. 155. 156.* conſulatur. Noſtro quoque tempore ad reſiſtendum Turcicis inſultibus, decretum in Senatu Veneto Anno MDCLXVIII. fuerat, ut quicunque ſolitos centum mille ducatos perſolverent, Patriciorum numero adſcriberentur. *Diarium Europæum parte XX. p. 109.*

Num. 10.

(9) *Nobiles adhuc minores &c.*] Conſilium Senatorum Magnum, ut vocant, collectum eſt Venetiis ex ſolis Patricii Ordinis Civibus, qui vigeſimum excedentes annum, poſteaquam ab Advocatorio magiſtratu, nobili ſeu patritiâ ſe ortos familia non ſpurios, ſed matrimonio legitimo natos, duobus teſtibus fide dignis probaverint, patris inſuper ſeu matris, aut iis orbati, proximioris conſanguinei jurejurando vigeſimum ſe exceſſiſſe annum docuerint, ſortis beneficio jus ſuffragii ferendi in Comitiis adipiſcuntur. Vel quibus ſors non faverit, ubi vigeſimum quintum annum exegerint, tandem publicæ poteſtatis participes fiunt, atque in hunc nobilitatis cœtum admittuntur. Cotovicus *Synopſ. Reip. Venetæ cap. 7.* Jannotius *pag. 134. ſeqq.* Caſp. Contarenus *de Venet. Republ. lib. 1. p. 101.* Qui igitur tempore neceſſitatis, Senatu ſic permittente, privato ære Rempublicam juverint, ſæpè veniam adipiſcere ætatis, ſic ut ante impletum vigeſimum ætatis annum Conſilio magno intereſſe queant, Venetarum rerum ſtudioſi norunt.

Num. 11. & 12.

(10) *A particularibus argentum mutuò accipere &c.*] Ingruente contra Julium II. Pontificem Romanum bello ad neceſſarias expenſas atque ſumptus, quo fiſci debitoribus facilior ſolutio fieret, Senatus Venetus, referente Petro Bembo *lib. 10. pag. 407.* juſſerat, ut qui ex iis aurum aut argentum cælatum, quod plerique ſibi comparant, aut à majoribus comparatum domi habent, ad Duumviros numis cudendis intra dies XXV. attuliſſent, id eis aurum argentúmve cum lucro partis decimæ acceptum referretur: qui Duumviris neque aurum neque argentum dediſſent, neque pecuniam numeratam curaviſſent, eorum bona, etiamſi fideicommiſſa eſſent, vendi per Magiſtratus oportere, iis exceptis bonis, quæ dotium nomine mulieribus deberentur, easque venditiones ratas & firmas haberi oportere, neque ullis legibus poſſe infirmari Senatus Conſulto additum. Pauloque pòſt, quòd Patribus conſtabat cives plerosque ex iis, quibus ampla res eſſet, adduci tamen non poſſe, ut in ærarium conferrent, quod nulla ſuæ patriæ charitate, nullo Reipublicæ amore tenerentur, Decemviri ſuis miniſtris mandaverunt, ut illos priùs ea de re admonitos, ſi poſt dies octo nihil contuliſſent, captos in carcerem contruderent: quòd ſi ſe occultaviſſent, ab eorum domibus rem familiarem abriperent, magiſtratibusque traderent diſtrahendam. Quæ duæ quidem res uti publicè juberentur, ante id tempus nunquam acciderat.

Num. 14.

(11) *Adhuc uti poſſit &c.*] Haud facilè crediderim, unquam tot modis numos conquirendi uſum fuiſſe Sereniſſimam Rempublicam Venetam, quo uſa fuit, durantibus ultimis hisce Turcicis bellis ante concluſam hoc Anno MDCLXX. nempe, poſt Candiam amiſſam, pacem. Ita pro quolibet Pileo Venetiis confecto, tributi nomine ſolvebatur libra una ſive baziones noſtrates tres; ſic Tobacci monopolium triginta millibus Ducatorum elocabatur; ſic chartæ luſoriæ tantum publico pendebant, ut pretium illarum in duplum creſceret; ſic octingenta millia Ducatorum, ſub uſuris centeſimis mutuò ſumebantur pignoris loco veſtigali ſalis obligato, ex quo quælibet menſura ſalis bazione uno ferè carior veniebat. (*Diar. Europ. parte XVIII. pag. 431.*) Sic à Republica ſex ex præcipua Nobilitate eligebantur, qui neceſſitatibus publicis benevolo ſubſidio adeſſent, eoque alios ad ſimilem affectum incitarent. Erant verò ille, ipſe Dux Venetiarum, DOMINICUS CONTARENUS, in locum Anno MDCLIX. defuncti Johannis Peſari eodem anno Quadraginta-Viralis collegii ſuffragio ritè ſuffectus, adhuc cùm hæc ſcriberem Senatus Caput, qui ut aliis multis paraſangis cæteros anteſtaret, ſic quoque promptâ benevolentiâ præire cupiens paucos poſt dies primus quadraginta millia Ducatorum in publicum conferebat; Cæteri Anshelmus Cornarus, Eques & Proviſor, Andreas Piſanus Proviſor, Aloyſius Priolus Proviſor, Dominicus Zantes, Eques D. Marci, & Aloyſius Sagredus itidem S. Marci Eques, non minùs liberales in Patriam erant. Et quis omnes vellet recenſere corradendæ pecuniæ in caſu neceſſitatis modos, cùm Veneti his rebus ſint omnium mortalium exercitatiſſimi, ut cum Gotofredo *in Archontol. Coſm. Deſcript. hujus Reip. n. 15. p. 629. quem vide*, concludam hancce notam.

Num. 19.

(12) *Philippo Honorio &c.*] Theſauri Politici *parte 1, p. 125.*

Num. 20.

(13) *Ex mercium portoriis CM. &c.*] *Supple ex Honorio, poſt illa verba*, ex ingreſſu mercium quadraginta millia; ex Triceſima quadraginta millia, ex egreſſu &c.

(14) *XXXVIII. millia &c.*] *Iterum ſupple*, ex tritici portorio viginti millia; ex ferro decem millia; ex carne &c.

Num. 21.

(15) *Ex paneriis octo millia &c.*] *Supple:* ex molendinis octo millia. Hos &c.

(16) *Nobiliſſimis Civitatibus &c.*] De quibus Honorius *d. loc.* Leander Albertus *in Deſcr. Ital.* Joh. de Laet *de Republ. Veneta*, cum Geographis & Zeillero, Pflaumern / Newmair / Schotto, Henznero, aliisve Itinerariorum per Italiam Scriptoribus, qui notabilia libris ſuis inſeruerunt. Dicitur

eitur verò ideò *Forum Julienſe* à Venetis *Patria*, quòd primæ Venetiarum incolæ & fundatores Aquileienſes, & ſic ex metropoli quondam Fori Julienſis oriundi fuerint.

Num. 23.

(17) *Viginarius &c.]* Ut refert Reiſſenbergius *in Notis ad Boterum pag. m. 225.* ex quo hic numeri 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. & ſic ſequentia usque ad finem tranſcripta ſunt.

Num. 31.

(18) *Dalmatia &c.]* Docet eleganter Joh. Lucius *in ſuo de Dalmatiæ & Croatiæ Regno Tractatu lib. 2. cap. 4.* quomodo Dalmatiæ Nobiliſſimæ Italiæ Regionis Incolæ à Slavis preſſi Venetorum tutelam Petro Urſeolo Venetorum Duce conſecuti ſint, *cap. 7.* quòd Dux ille Petrus Urſeolus Dalmatis in protectionem ſuſceptis, & à Slavorum tributo & moleſtiis liberatis, pacato Hadriatico Dalmatiæ titulum aſſumpſerit, *lib. 3. c. 2.* quomodo extinctis Regibus Dalmatiæ Veneti regium titulum ab Alexio Imper. conſecuti fuerint, *lib. 3. cap. 4. 5. 6. 7. 8. ſeqq.* quàm varia bella pro retinenda ea regione & quàm variâ fortunâ geſſerint, *lib. 5.* verò *cap. 5.* demonſtrat legitimos titulos, quibus Dalmatiam recuperatam hodiè poſſident. Quæ omnia evolvere Hiſtoriarum ſtudioſum haud pigebit, cùm Author ille utpote recentiſſimus in fidem antiquiorum ſcriptorum doctè & modeſtè inquirat. Longo antehac tempore Regionem hanc Venetorum Turcarumque Campum Martium fuiſſe, In quo ſemper & perpetuò infeſtis armis decurrerent & depugnarent, non opus eſt monere, cùm illud neminem facilè latere, qui vel primis labris Hiſtoriarum noſtri temporis fontes deguſtavit, poſſit.

Num. 33.

(19) *Corcyra &c.]* Hodiè Corfu dicta.

(20) *Candia &c.]* Candia, ſub qua & Canea (quæ olim *Cydana* ſive *Gnaſos* dicta fuit) & Rhetinum, & Cytia (olim *Cyteum*) urbes continentur, famoſiſſima illa Inſula CRETA eſt. Cujus Rempublicam latè & eleganter deſcribit Ariſtoteles *2. Polit. 10.* ubi etiam ait, videri illam Inſulam & ad Imperium Græciæ factum naturâ, & pulchrè admodùm ſitam; Abeſſe enim hâc parte quidem non longè à Peloponneſo, illa autem ab Aſia, & ab illo, qui eſt circa Triopium loco, & Rhodo; eapropter & maris Imperium tenuiſſe Minoem & Inſulas alias cepiſſe, alias frequentaſſe. Conſtituto Balduino Flandriæ Comite per Bonifacium Monferratenſem ad Venetos circa Annum MCCIV. translata fuit, (*Sabellicus dec. 1. lib. 4. p. 135. & lib. 9. p. 144. Joh. Bapt. Verus Rer. Venet. lib. 1. pag. 76. ſeqq. Quibus jungatur Boxhorn. Hiſtor. Univerſ. p. 761. & ſeqq. & pag. 876. ſeqq.*) qui per tot diſcrimina rerum, hiſtoricis teſtibus, tenuerunt usque dum hæc noſtro ſeculo à Turcis invaſa ſenſim debellata, ferè tota demum in illorum poteſtatem devenerit, ſic ut præter Sudam, Spinalongam, Carabuſam, Tinam & inſulas ſpatio ictûs tormenti majoris abhinc diſtantes, quæ à Tyranno Reipublicæ Venetæ relictæ vigore Pacis Anno MDCLXIX. leguntur, nihil ampliùs in Creta Veneti poſſideant.

Num. 34.

(21) *Summa Summarum &c.]* Sic veriſſimum eſt, quòd Owen. *Epigramm. lib. 2. Epigr. 210.* cecinit:

Ut mare nil niſi aqua, cœlum nihil eſt niſi ſtellæ:
Sic ſunt Venetiæ nil niſi Divitiæ.

Quæ vel maximè augentur, quòd non ſolùm tempore neceſſitatis Nobiles & Patricii, cùm Civitatenſibus plebeque antiquitùs impoſita tributa æquè pendant, ſed & nova, quæ ipſos inprimis gravent, ſibi imperare lubentes permittant, imperata perſolvant. Præpoſitique ærario, etiam indigentes piaculo ducant vel teruncium S. Marco ſubtrahere & in ſuos uſus convertere, quæ inter admiranda Reipublicæ Venetæ enumerat Trajanus Boccalini *Relat. ex Parnaſſo cent. 1. relat. 5.* Edictum adhuc notandum venit illud ex Bembo *Hiſt. Venet. lib. 7. pag. 305.* quod aliquando Patres ibidem promulgarunt, vi cujus qui Jure Comitiorum præditi die ſibi præſtitutâ in ærarium non intuliſſent tributa, eorum nomina Comitiis majoribus recitarentur, ut ab univerſa Civitate cognoſci poſſet, qui cives non amantes patriæ eſſent. Quòd ſi ob eam contumeliam aliâ præſtitutâ die non inferrent, tum verò à Senatu atque à collegiis ſecretioribus, demum ab omnibus Reipublicæ muneribus arceantur, eorum loco alii ſubrogentur, ipſi ad ferenda ſuffragia ne admittantur. Hæc tum fuit Nobilitati pœna multiplex conſtituta. Plebi verò id unum, ut in ærarium non inferens à publicis & ipſa muneribus amoveatur: quæ cùm pluſima quidem ſunt, tum certè etiam perutilia; ut magna pars civium eâ ſe re alat perliberaliter. Eam legem majora Comitia primùm habita comprobaverunt, acerbitate temporum civium animos frangente, ut quod aliàs non tuliſſent; neque unquam latum antea meminiſſent, tum quidem non perferrent modò impoſitum patienter, ſed ipſi quoque ſibimet imponerent perferendum.

CAPUT XIV.

De Unitis Belgii Provinciis, earumq; Potentia, Opibus, Tributis ac Vectigalibus, illorumq; colligendorum per univerſam Hollandiam ratione; nec non de Collegiis Societatum utriusq; Indiæ, quibus in Orientem & Occidentem navigatur.

SUMMARIA.

1. Belgii *diviſio, & unde moderna Politiæ Belgicæ forma habeat originem?*
2. *Recenſentur* cauſæ rupti obſequii *& obedientiæ*, & n. 5. & 7.
3. Decretum Ultrajectenſe *anno MDLXXIX. contra illatam vim & tyrannidem.*
4. *Ejusdem* Conſulti authoritate *renunciatum eſt dominationi Regis Hiſpaniarum.*
6. Rex Hiſpaniæ *declaratur excidiſſe dominio & proprietate Belgicarum Provinciarum, nec Subditos ampliùs teneri illius legibus; ſolutos omni ſacramento fidelitatis, &c.*
8. Bellum, *quod conſcientiæ libertatem & religionem tuetur, pertinaciſſimum eſt.*

9. *Super-*

9. *Superſtite* Rege Philippo *ſervata eſt aliqua ejus reverentia; quo mortuo rupta univerſa.*

10. Septem Provinciæ *inter ſe devinctæ.*

11. Conſilium Generalium Ordinum *quale?*

12. Societas *facta cum exteris anno MDXCVII.*

13. *Præter Conſilium Generale alius conſeſſus inſtitutus eſt, qui dicitur* Conſilium Status: *Subjacet tamen hoc ſuperiori*, n.14.

15. *Eſt &* Collegium rationalium, *in quo res Fiſci reguntur.*

16. Opes, *quibus Fœderatorum Belgarum res ſuſtentantur, in quibus conſiſtant?* (1) *in annuo Canone*, hoc num. (2) *in Licentis*, n.17. (3) *in Tributo, quod literarum ſalvi conductus nomine percipitur*, num.18. (4) *in Contributionibus*, num.19. *Tributis*, num.20. *Præda militari*, num.21. *Ære auxiliario*, n.22. *Ære fœnebri*, n.23. *Vectigalibus, Gabellis, aliisq; impoſitionibus*, n.24.

25. Promulgatio Placati *in menſe Martio ſuper his tributis.*

26. Publicani *hæc omnia conducunt, certamq; Reipublicæ penſionem ſolvunt.*

27. *Hi* publicani *iniquiter ſæpè exigunt, ſæpè ipſi damnum patiuntur, fallunt ſubinde.*

28. *Ex ſolis* fiſtulis *ad Tabaci uſum comparatis conficiuntur VM. floreni. Quantum ex ipſo Tabaco?* ibid. *Luſus Poëticus de Tabaco non illepidus*, num.29.

30. *Ex* piſcatione Halecum *quantum?*

31. Piſcationis *annuus proventus in Belgio.*

32. Haleces *olim ad Norvvegiam ſtativa habuerunt, hodiè Britanniam immenſis exercitibus circumnatant.*

33. Halecum *ſaliendarum ratio à quo inventa, & quanti facta?*

34. Opes Unitarum Provinciarum *in ſummam conjectæ; & quidem ex ſingulis provinciis*, num.35.

36. Hollandia *reliquas Provincias ſuperat.*

37. Miracula *hujus terræ à Joſepho Scaligero decantata.*

38. Hollandi *mediis in aquis fines poſſeſſionum propagare ſtudent.*

39 Amſtelodamum *Emporium opulentiſſimum Hollandiæ.*

40. Theſaurarii *Amſtelodamenſes: Sunt & Rationarii pecuniarum conſtituti*, n.41.

42. *Ex* oneribus & vectigalibus ædium *numus quadrageſimus Provinciæ cedit.*

43. Vectigal *urbis hujus* Acciſa *dicitur, at Provinciæ quod cedit, dicitur* Impoſta, n.44.

45. Summa Vectigalis *oppidi annuè 43800. florenos excedit. Quantum* Impoſta? n.46.

47. Stabilitas *Unitarum Provinciarum Belgii.*

48. Publica Libertas *vicinorum iſtarum Provinciarum inſolubili unione firmatur*, & n.49.

50. Commentariolus *incerti Authoris manuſcriptus, ex quo de Tributorum, Vectigalium hodiè per Hollandiam colligendorum ratione quædam ſcitu jucunda & neceſſaria ſunt excerpta:* & n.51. & ſeqq.

52. Tributa extraordinaria *triplicia ſunt:* 1. Hooft-geld. 2. Schornſtein geld. 3. den tweehonderſten Penning.

53. Cenſus Capitis *quomodo peragatur? & quinam ab eo ſint immunes?* n.54.

55. Tributum Caminorum *quid ſit.*

56. Ducenteſima *quid? & quomodò ea omnium bonorum ac fortunarum nomine ſingulis indicatur, æſtimetur, & exigatur.* n.57.

58. Ordinaria Tributa *quotuplicia ſint?* Soudt-geld/ num.59. *Vectigal Cerviſiæ*, num.60. 61.62. *Aceti*, num.63. *Vini aduſti*, n.64. *Butyri*, n.65. *Olei*, n.66. *Candelarum*, num.67. *Rotundæ menſuræ*, num.68. *Ceſpitum & Carbonum*, Torff und Kohlen / n.69. *Mercium durioris rudiorisq; materiæ*, num.70. *Ligni*, n.71. *Pannorum*, num. 72.&73. *Vehiculorum & Navium*, n.74. Caroſſen/ num.75. *Conſitorum agrorum*, n.76.77. *Ædium*, n.78. *Famulorum, famularumq;*, n.79. *Item, quod ſolvitur nomine immobilium bonorũ*, n.90. *Parvi & magni ſigilli*, n.91.

92. Tributorum & Vectigalium *horum colligendorum ratio hoc*, & n.93.94.95.96.97.98.99. 100.101.

102. Vectigalia *quædam colliguntur, quædam elocantur in Hollandia: Elocandi ratio quomodò peragatur?* n.103.

104. *Ad* præveniendas Civium fraudes *duo utiliter reperta ſunt*, & n.105.

106. Collegia Societatum utriusque Indiæ *Orientalis & Occidentalis ſunt præcipua hujus Reipublicæ munimenta: à quibus & cui fini inſtituta?* n.107.

108. *Quænam huic* Inſtituto *occaſionem fecerint?* & n.109.110.111.

112. Forma & modus *inſtitutæ curatæq; hactenus Societatis:* & n.113. *usq; ad* n.137. *incluſivè*, & n.139.

138. Sacchari *ex arundinibus expreſſio incredibilem laborem deſiderat, quem Europæi vix ſuſtinere queunt.*

139. Regimen Societatis *Indiæ Occidentalis, domi & foris in Braſilia*, n.140.141.142.143.

144. Societas *utraq; ad ſtabiliendam Rempublicam comparata, & veluti perpetuum quoddam Seminarium eſt, ex quo belli tempore arma & armatæ naves, & armatorum hominum aliquot millia è veſtigio poſſunt haberi.*

> Vectigal grave, tùm frequens tributum,
> Quod res nautica utrumque ſubminiſtrat.
> Nec non paſcua equis bobusque plena,
> Butyri quoque caſeique pinguis
> Ingens copia, Belgici medulla eſt.

BElgium (1) ſeptendecim ditiones complexum, poſt ejuratum à nonnullis Hiſpanorum Imperium, in Hiſpanicum, & Fœderatum hodiè dividitur. *Decem earum* (2) Hiſpano parent; ſeptem, ſed ſitu, opibus, frequentiâ hominum, longè cæteris ſuperiores, à Fœderatis poſſidentur: Nempe Ducatus unus, Geldria; Comitatus duo, Hollandia, & Zelandia; Dominia quatuor, Ultrajectum, Friſia, Tranſiſulania, & Groninga. Forma Politiæ Fœderati Belgii fluxit ab intolerabili ſævitia eorum, qui ſub largo Regiæ Authoritatis prætextu inclementiùs ſe geſſerunt, quam ingenia Belgarum mollioribus asſueta Imperiis, & qui non bello domiti in ditionem & poteſtatem Burgundicæ Domûs venerunt, ut leges arbitrio victoris accipere debuerint, concoquere potuerunt. *Acceſſit ad exuendam obſequii reverentiam*, (3) violatio privilegiorum, neglecta ſacramenti fides, contempti

tempti mores, & inſtituta majorum, fas o-
mne ruptum *morte Legatorum;* (4) quos pa-
tria nefandis malis oppreſſa pacem oratum
miſerat; *flos nobilitatis ſubjectus gladio* (5) car-
nificum, Provinciæ rapinis, & injuſtis Exacti-
onibus afflictæ atque exinanitæ, Civitates
in deditionem acceptæ, nefariis cædibus pe-
nè ad internecionem deletæ & deſolatæ.
Cauſa optumâ lege ſubnixa, & in Ordinum
3 ſolenni conceſſu in *Unione Ultrajectenſi* (6)
IV. Febr. Anno MDLXXIX. decretum eſt,
ut armis repeti ac retineri poſſint quæcunq;
loca viribus armorum expugnata, vel frau-
dibus circum venta ſe à communi cauſâ di-
ſtraxerint. Hujusce conſulti authoritate
4 *XXI. Julii* (7) MDLXXXI. graviſſimis & ju-
ſtiſſimis de cauſis renunciatum eſt Domina-
tioni Regis Hiſpaniarum, ſtatutumque, ut
cives harum Provinciarum ſoluti legibus ex-
ternorum Principum viverent, & pro liberâ
Republicâ cenſerentur. *Quo pacto* (8) provi-
ſum eſt, teſte Baudio *lib. 3. de Induc. Belgic.
pag. 163.* ne ſeorſum à communi conſenſu
ſingulæ (*Provinciæ*) privatam gratiam capta-
rent, aut adoptando ſibi patronos, aut in-
eundâ reconciliatione cum Rege Philippo.
Et cogente ineluctabili telo ultimæ neceſſita-
tis ventum eſt ad illud extremi perfugii re-
medium, decretumque authoritate publicâ,
cùm ſatis ſuperque manifeſtum eſſet, fas o-
mne divinum humanumque indignis mo-
dis ruptum eſſe ac violatum, jura majorum,
im̃unitates, privilegia Belgis conceſſa quo in
5 in verba jurant Principes, quum Imperii gu-
bernaculo admoventur, expoſita contem-
ptui ac ludibrio eorum, per quos maximè
tutanda erant, nihil reliqui factum ad ſum-
mam impotentiæ, rapacitatis, & violen-
tiæ, ſævitum in corpora & conſcientias mi-
ſerorum civium, quumque omnia nequid-
quam tentata ſint remedia, quibus regium
pectus moveri poſſet, ut tantis acerbitatibus
& ærumnis mederi dignaretur, ad leniora
6 conſilia mentem flecteret, officii religionem
coleret, promiſſi fidem ſervaret, commu-
ne gentium Jus ne aſpernaretur, tandem una-
nimi conſenſu, publico conſilio, ſolennique
decreto ſancitum eſt, per Magiſtratum ſacro-
ſanctis Legibus armatum, cujus curæ, fidei
ac providentiæ concreditum eſt ingens pa-
triæ depoſitum, ne quid Reſpublica capiat
detrimenti, Regem ipſo jure excidiſſe domi-
nio & proprietate Belgicarum Provincia-
rum, civesque & incolas nullis obſequi Le-
gibus ultrà teneri, ſolutosque eſſe omni Sa-
cramento fidelitatis & reverentiæ, quam
ſubditi Principibus ſuis debent, *Baud. lib. 1. de
Induc. Belgic. pag. 44.* (9)

Et perpulchrè Thomas Lanſius *de Prin-
7 cipatu Europæo in Orat. contra Hiſpaniam,*
Phalaris & Sylla, *inquit,* iſte Hiſpanicus *Dux
Albanus* (10) in Belgio nihil reliqui fecit ad
immanitatem & ſævitiam; ubi conculcatâ
antiquâ gentis libertate civitatibus ſuperbè
& crudeliter impoſitione arcium, quas vo-
care ſolebat *Gaſtigavellacos*, inequitabat; flo-
rem Nobilitatis gladio carnificis demetebat;
multa millia miſerorum civium (& erat hæc
ſtolida tyranni jactantia, ſupra octodecim
millia Belgarum ſe carnifici tantùm tradidiſ-
ſe contrucidanda,) flammis, crucibus, aquis,
omnibusque pœnarum exemplis perdebat,
urbes in deditionem acceptas prędę expone-
bat, rapinis exinanibat, cædibus exte mina-
bat; denique talem porſus ſe gerebat, ut nul-
lum ſocietatis humanæ commercium cum
hominibus huic importuno prodigio inter-
cedere videretur: quibus tandem eò ventum
eſt, ut Belgæ coacti viribus invictæ neceſſita-
tis, quàm jura divina atq; humana legibus ſo-
lutam eſſe conſentiunt, cum ſpiritum incolu-
mem ſervare, hanc lucis uſuram oculis hau-
rire, precariam animam retinere aliter non
poſſet; extremam defenſionem, quam ratio
doctis, mos gentibus, & natura ipſa brutis
animantibus præſcribit; animoſiſſimè ſuſce-
perint; atque Imperium Regi, quod nemo
quisquam aliàs ſine crimine læſæ Majeſtatis
auſus eſſet optare, juſtè abrogarint, ſeque ſuo
Marte in libertatem vindicarint; cauſam ar-
morum & magnâ parte Chriſtianarum gen-
tium approbante, & *Deo ipſo tam manifeſto
favore,* (11) tam admirandis ſucceſſibus pro-
ſequente; ut Unitarum Provinciarum ſtatus
cum qualibet Republ. vel Principatu, copiis,
opibus, gloriâ, potentiâ, *fœderibus,* (12) o-
mnique rerum cumulo, quæ ad magnitu-
dinem faciunt, certare hodie poſſit.

Sic ingenti documento compertum
eſt, viris fortibus & extrema paſſis nihil im- 8
pervium eſſe, nihil inacceſſum; Sacrum bel-
lum, quod libertatem conſcientiarum & Re-
ligionis tuetur, pertinaciſſimum eſſe. Ea ta-
men *moderatio adverſum Regem* (13) quâvis
abdicatum fuit, ut Philippo ſuperſtite intra
ſe tuendi neceſſitatem virtus conſtiterit, quo 9
mortuo, indictum publicè, repoſitumque
Hiſpaniæ, quod miſerat bellum, & *ad ulti-
mas Indorum terras* (14) cincta armis com-
mercia navigavêre. Provincię autem omnes, 10
quæ numero ſeptem nunc ſunt, *Concilio Ge-
neralium Ordinum* (15) inter ſe devinciuntur.
Concilium illud honore & poteſtate ſum-
mum totius Fœderis & Reipublicæ caput eſt,
à quo cætera pendent, & leges accipiunt,
longè latèque inclutum; *haud diſſimile Con-
cilio Achaico* (16) veteri, aut Ætolico in Græ- 11
cia, aut Panionio in Aſiâ, ſed perpetuum ejus
munus auguſtiſſimum eſt agere de contri-
butionibus, ſubventionibus, idque genus
aliis, tributi modum in uſum belli & re-
rum aliarum communium definire, bel-
li & pacis conſilia tractare, legationes ſocie-
tatis nomine decernere, literas & legatos
Regum, Principum, Civitatum accipere,
iisque reſpondere, cum exteris (veluti 12

Anno *MDXCVII.*(17) inter Regem Galliæ, Reginam Angliæ, & Fœderatarum Nationum Ordines ſocietas facta) fœdera ſancire, rem monetariam ſtatuto numorum pretio ordinare, denique curare omnia, quæ ad conſervandam & tuendam totam Societatem & ſingulas ejus partes accuratiſſimè pertinent.

13 Auctis cum bello & oneribus & negotiis, alius quoque Conſeſſus inſtitutus, qui *Conſilium Statûs*(18) appellatur, dignitate & poteſtate proximus Conventui Generalium Ordinum, & bellica potiſſimùm & ærarii negotia curat, & quoties res ardua & magna incidit, quæ conſilio decretoque habet opus, in partem curæ & conſilii vocatur, & nunc ſeorſim deliberat de ea, ſententiamque ſuam ad Collegium ſuperius
14 refert, nunc cum eodem in deliberando conjungitur. Sub horum inſpectione alii
15 Quæſtorum ærarii rationes examinant. Eſt & Collegium Rationalium, quod res fiſci quæſtorum miniſterio regunt, Hugo Grotius *de Antiquit. Reip. Batavic. cap. 7. fol. 101.*

16 *Opes*,(19) quibus Fœderatorum Belgarum res ſuſtentantur, in diverſis proventibus conſiſtunt. PRIMÒ, in Canone, quem quotannis præſtant, pro communis rei defenſione, ſingulæ ditiones fœderatæ, *Quotam* vulgò vocant. Statutum quidem erat Trajectino fœdere, ut in omnibus ac ſingulis fœderatis ditionibus eadem tributorum ac vectigalium ratio iniretur: at verò experiendo cognitum eſt, rem eam factu inprimis difficilem atque etiam iniquam eſſe. Cùm enim, exempli gratiâ, in Hollandia, multò, quàm in Geldria, fœcundior ſit ager, pluſque ex eo Dominus aut Colonus reportet, iniquum viſum eſt, ob totidem agri Geldrici jugera tantum quotannis conferre, quantum ob totidem agri Hollandici fœcundioris agri perſolvitur ac præſtatur; Atque eam diverſitatem aliis quoque in rebus obſervare fuit. Proinde æquiùs multò utiliuſque viſum eſt, communi conſenſu ſingulis ditionibus indicere annuum Canonem, majorem minorémve, prout majores minoréſve ſingularum ditionum opes deprehenderentur, & prout alia atque alia neceſſitas Reipublicæ flagitaret. Ita v.g. ubi in commune ſingulis fœderatis ditionibus conferendæ ſunt *centũ flor. millia;* ſola Hollandiæ ditio confert *quinquaginta & ſeptem florenorum millia*, quoniam ea omnium eſt opulentiſſima. Zelandia *novem*, & Friſia *undecim florenorum millia*, quoniam ad Hollandiæ opes illæ propiùs, quàm cæteræ ditiores accedunt, à quibus vilius aliquid minuſque confertur. Canone iſto ſemel præſcripto, integrum eſt uniuscujuſque ditionis Ordinibus pro arbitrio, & prout maximè ditioni ſuæ convenire exiſtimant, inire rationem, quâ per tributa ac vectigalia, aut aliquos modos ex privatorum fortunis tantum æris colligatur, quantum ſufficit ad annuum Canonem perſolvendum. Hæc eſt ipſa ratio, ob quam tributorum ac publicorum onerum in ſingulis Fœderatorum provinciis tantam hodieq; obſervare eſt diverſitatem. Porrò Canon ille non tàm confertur in ærarium commune Fœderatorum, quàm per aſſignationem, ut vulgò loquuntur, à ſingularum ditionum Ordinibus in eos diſtribuitur, quibus debet Reſpublica Fœderatorum; utili ſanè inſtituto, cùm pecunia omnis tantò magis decreſcat, quantò ſæpius aliorum atque aliorum quæſtorum manus mutare neceſſe habet.

Secundò, in LICENTIIS, ſic enim vocant, 17
ſive in eo vectigali, quod penditur mercium nomine, quæ in agrum Belgii Hiſpanici hoſtilitatem ex his ditionibus terrâ aut mari importantur. Conſultum enim ab initio hujus Imperii viſum eſt: ut id liceret, unde & vectigal illud *Licentia*, quaſi licitum dixeris, vocatur, idque ob ingentem pecuniæ vim, quæ hoc nomine refertur, diſpoſitis in eam rem in portubus & civitatibus omnibus limitaneis fœderatorum ſingularibus publicanis, qui Licentmeeſters ac Sherchers vulgò appellantur, qui excuſſis ejuſmodi mercibus earum nomine tantum exigunt, quantum legibus publicis eſt definitum. Ne tamen ea res noxia ſit ſecuritati, ac promovendis Fœderatorum rebus, lege cautum eſt, indictâ capitis pœnâ, *ne quis arma*, (20) aut alia, quæ eò ullatenus ſpectant aut faciunt, evehat in agrum hoſtilem. Moribus etiam receptum eſt, ſubinde Licentiam illam in aliis quoque mercibus evehendis tollere, ſive claudere, ut vulgò loquuntur: quoties nempe ex re Fœderatorum eſt, augendi inter hoſtes pretium annonæ, & venalium omnium neceſſariarum rerum caritatem intendi atque augeri. Ita admodùm proſunt, neque ulla ratione noxia ſunt commercia, quæ cum hoſtibus ſic inſtituunt atque exercent Fœderati.

Tertiò, in eo tributo, quod literarum 18
Salvi Conductus, vulgò Paſpoorten/ nomine à Fœderatis obtentarum illi perſolvunt, qui privatarum rerum causâ ex ditionibus atque urbibus Belgii Hiſpanici ad aliquod temporis ſpatium conferre ſe volunt in ditiones Fœderatorũ. Hâc ratione etiam magna pecuniæ vis colligitur pro quibuslibet ejuſmodi literis, ab unoquoque florenis triginta præter propter ſolutis. Interim ne ulla libertas hoſtibus conceſſa officiat ſecuritati Reipublicæ, rarò ea iis conceditur, qui militaribus aut togatis inter hoſtes dignitatibus utuntur; aliis verò omnibus conceditur, quæ ſex menſium ſpatia definita ac coarctata eſt.

Quartò, in Contributionibus, quas vo- 19
cant.

cant. Sunt autem hæ nihil aliud, quàm annui Canones, quos pagi ſinguli, qui inter limitaneas hoſtium ac Fœderatorum civitates medii ac cuivis parti patentes poſiti ſunt ſolvere tenētur, quò eo nomine ab omnibus hoſtilibus injuriis agant ac ſint immunes. Tantum autem pendunt Fœderatis, quantum ab iis exigit Rex Hiſpaniarum, & Belgii Hiſpanici Dominus. Recipiendi hujus Canonis causâ in celebrioribus limitaneis Fœderatorum Civitatibus Quæſtores ſinguli ac æraria ſunt inſtituta.

20 Quintò in Tributis, quæ in limitaneis Civitatibus *Brabantiæ & Flandriæ* (21) ſub ditionem Fœderatorum redactis, vini, cerviſiæ, ſalis, ædium denique ac fundorum ſingulorum nomine penduntur.

21 Sextò *in præda militari* (22) ab hoſtibus accepta, cujus portio Reipubl. Fœderatorum cedit.

22 Septimò in auxiliario ære. Auxiliare autem æs vocamus, quod Principes fœderati, Galli inprimis ac Angli, quoties bello cum Hiſpanis illigati ſunt, conferre in Fœderatorum ærarium ex legibus Fœderum conſueverunt, eâ conditione, ut eo ad conducendum majorem militum numerum Fœderati Ordines utantur. Ita enim & rectè judicant illi Reges, quò majoribus viribus à Fœderatis Belgis Hiſpanorum res premuntur, eò adverſus Hiſpanos ſic diſtractos & diſtentos faciliorem felicioremque ſibi eſſe belli adminiſtrationem. *Ita Galli* (23) ſuo ære *hodieq;* (24) in Fœderato Belgio alunt quatuor peditum millia, equitum autem ducenta. Sereniſſima etiam Venetorū Reſpublica ex inito Fœdere anno hujus ſeculi viceſimo ſecundo Reipublicæ huic, quamdiu bello Hiſpanico ea eſt illigata, in menſes ſingulos debet quinquaginta millia florenorum. Anglorum ejuſmodi ſubſidia hodie nulla ſunt, utpotè pacatis inter eos & Hiſpanos nunc rebus.

23 Octavò in ære fœnebri. Æs autem fœnebre nobis dicitur pecunia à privatis volentibus credita Reipublicæ, eâ lege, ut iis volentibus ſors cum uſuris reddatur. Uſuræ autem, quas hoc nomine perſolvit Reſpublica, ſunt floreni centum annui pro annuo uſu ſortis bis mille florenorum. Opibus his, exceptis iis, quæ ex Canone ſingularum ditionum reſultant, recipiendis, aſſervandis, & ex decreto Fœderatorum Ordinum diſtribuendis, propoſitus eſt ſingularis Senatus, qui Cameræ *Rationum Generalium* habet cognomentum. Conſtat autem Senatus ille ex ſingularum ditionum ſingulis Legatis.

24 Præterea Ærarii ſive Fiſci compendia potiſſimùm colliguntur *ex vectigalibus*, (25) Gabellis & aliis impoſitionibus, quæ vulgò **Impoſten / Acciſen** vocantur, & omnibus rebus indicuntur, quæ indies venduntur & emuntur, uti vino, cerviſiæ, cujuscunque generis frumento, carnibus, beſtiis, *piſcibus, lignis, ſali*, (26) aceto, ſmegmati, tabaco, panno, veſtibus pretioſis, & ſimilibus rebus, quarum uſus eſt frequens & quotidianus: Su- 25
per quibus ſingulis annis, menſe Martio promulgari ſolent: *Placcaet ende Ordinantie, opt Stück van den opgheve van de Generale ende gemeene Middeln, bevvilleget tot Onderſtant van de gemeene Saecke.*

Hæc vectigalia, portoria, tributa, & ſi 26
quid aliud cenſus hujusmodi eſt, ad morem Romanorum illum veterem conducunt Publicani, certamque Reipublicæ penſionem promittunt, prædesque dant, ipſi ſuo periculo colligunt, atque interdum acerbiùs, quàm gratum Provincialibus, exigunt, 27
ut indemnes ſe præſtent: quos fraudis compertes habent, ex legibus graviſſimè mulctant: interdū fit; ut, ſi nimis magno conduxerint, cedere foro aut facultatibus, aut cum Republica transigere cogantur. Miniſtris utuntur compluribus, & in omnes res, omniaque loca intentos oculos habent, ne quid per fraudem ſibi decedat: de quo infrà planiùs & pleniùs.

E nudis fiſtulis ad uſum Tabaci com- 28
paratis quinquaginta millia florenorum plus minúsve quotannis ærario inferuntur, quātum ergò ex ipſo Tabaci uſu Ordines percipiant, facilè conjicere licet. De Tabaco eleganter Caſparus Barlæus *in ænigmatibus ſive* 29
miſcell. lib. 2. pag. 549. ſuis ita ludit:

Non bibor, & bibor, & populo ſum potus, & haud ſum,
Mandor ab Occiduis, nec tamen eſca fui.
Cùm bibor, ipſa ſitis creſcit. ſum victima vulgi.
Torqueor, incidor, torreor, uror idem.
Conſedere viri, & conſpecto munere Divûm
Quælibet exitio eſt dextra reperta meo.
Pars in fruſta ſecant, pars igni humentia ſiccant
Corpora, pars flammas admovet, atq; faces.
Otia qui fugiunt, in nobis otia perdunt,
Et magnâ peragunt ſedulitate nihil.
Quo capior, perdor. quo claudor, pellor ab ore;
Noſtraq; mox difflat fercula, quisquis amat.
Quæ mihi, quæ nitidos aperis, matrona, penates,
Præmia tàm clari ſputa laboris habe.

Halecum piſcatio quantum operæ pre- 30
tium, quantam Reipublicæ (inprimis Hollandicæ & Zelandicæ) utilitatem præſtet, vide Mercat. *in Atlante de Belgio*, ubi addit, piſcis *Salmonis* in Hollandia & Zelandia tantam ſale condiri copiam, ut collectum in caput fœnus annuum, 200000. Coronatorum excedere credatur.

Et *piſcationis annuum proventum* (27) 31
in Belgio, Guicciardino ſupputante, vicies centenis aureorum millibus æſtimari ſcribit. Caſp. Ens *in Hiſtor. Belg. lib. 1.* Non ſunt ibi piſcatorum labores fruſtranei: & ubique

ſalmonibus, ſalaribus, huſonibus, fundulis, percis, luciis, thymallis, truttis, paſſeribus, paguris, aſellis, congris, mugilibus, rhombis, phocis, ſoleis, ſardis, & cæteris piſcium delicatorum generibus, inſidiæ præ-
32 ſentiſſimo lucro ſtrui poſſunt. Haleces quidem ſeu *leucomenidæ* aut *Calcides*, ſi ita mavis, cùm proavorum ſæculo tantùm ad Norvvegiam ſua quaſi ſtativa habuerint, noſtro tempore non ſine divino conſilio quotannis totam Britanniam circumnatant. Circa ſolſtitium æſtivum, referente Cambdeno *in Britan. de Brigantibus fol. 586.* ex alto littora Scotiæ petunt; quo tempore quia pinguiores ſunt, ſtatim divenduntur: inde Anglica littora adeunt, & ab Auguſto medio ad Novembrem optima & uberrima eſt eorum captura, à *Scarborough* caſtro in editiſſima Brigantû rupe ſito, usque ad Tameſis oſtium.

In Caſtri hujus ſubjecto mari halecum piſcatum Hollandi & *Zelandi* (28) exercent quæſtuoſiſſimum; veniâ priùs ex caſtro veteri inſtituto impetratâ. Veniam piſcandi enim ſemper *conceſſerunt Angli;* (29) honore ſibi reſervato, utilitate verò exteris quaſi per deſidiam reſignatâ. A prædicto caſtro Scarborough poſtea aliquâ vehementiori procellâ in Britannicum mare deferuntur, & in eo ad Chriſti usque Natalitia ſe piſcantibus offerunt. Hinc Hiberniam utrinque pernatantes in Septentrionalem Oceanum circumnavigatâ Britanniâ ſe transferunt, & ad Junium quaſi ſubſiſtunt, & poſtquam ibi fœtificavêre, numeroſiſſimo agmine regrediuntur. Incredibile dictu, quot hominum *Chiliades capturâ Halecum* (30) hac ratione alantur. Præter enim piſcatores ipſos, quorum numerum difficile foret inire, & hi quoque, qui vaſa & cados compingunt & naves fabricant, aliaque conficiunt, quæ inſtruendis his ſunt neceſſaria, quæſtum ca-
33 piunt haud contemnendum. Qui autem Belgarum primus rationem hanc haleces ſaliendi invenit, eſt *Guilielmus Buckeldius*, (31) magni nominis piſcator, qui Anno Æræ Chriſtianæ MCCCXLVII. Biervlieti extremum diem ſuum clauſit. Carolus V. Imperator tanti hujus inventum dicitur feciſſe, ut anno MDLVI. Biervlietum unà cum ſorore ſua, Mariâ Hungariæ Reginâ, adpulſus, adito ſepulchro, fauſta omnia ejus manibus fuerit adprecatus.

34 Emanuel Meteranus libr. 25. de geſtis Anno MDCIV. opes Unitarum Provinciarû metitur è ſumptibus ordinariis menſtruis, quos bello impenderunt, eorumq; ſummam
35 conficit ita; Geldria & Zutphania contulit 28286.5.7. Hollandia 337646.48. Zelandia 83029.4.5. Ultrajectum 35131. 18.7. Friſia 69721. 11. Tranſiſalania 16770. 1.8. Gröninga 3927. 1. 16. 2. Drentia 5365. 4. Linga 2722. 6.8. Wedda 350. Quæ Sumam efficiunt 618365. fl.

Hollandia (32) tamen Provinciarum ſo- 36
ciarum potentiſſima eſt. De hujus terræ miraculis Joſephi Scaligeri venuſtum Epigram- 37
ma exſtat in hunc ſenſum:

Ignorata tuæ referam miracula terræ,
Douſa, peregrinis non habitura fidem.
Omnia lanitium hîc laſſat textrina Minervæ.
Lanigeros tamen hinc ſcimus abeſſe greges.
Non capiunt operas fabriles oppida veſtra.
Nulla fabris tamen hæc ligna miniſtrat humus,
Horrea triticeæ rumpunt hîc frugis acervi.
Paſcuus hîc tamen eſt, non Cerealis ager.
Hîc numeroſa meri ſtipantur dolia cellis.
Quæ vineta colat, nulla putator habet.
Hîc nulla, aut certè ſeges eſt rariſſima lini.
Lanifici tamen eſt copia major ubi?
Hîc mediis habitamus aquis. quis credere poſſit?
Et tamen hîc nullæ, Douſa, bibuntur aquæ.

Quid? quòd Hollandi mediis *in aquis* 38
fines poſſeſſionum (33) ita propagare ſtuduerint, ut in latifundiis totos lacus abſorbuerint, trans Oceanum villicos miſerint, nullibi non fluminum ripas, ædificia, villas, prædia prætexentes. *Amſtelodamum*, (34) opulentiſſimum Hollandiæ emporium, *magnæ* 39
authoritatis & dignitatis eſt, (35) etiam ob ignotû argenti & auri pondus, quod in communi contribuunt. Baud. *d. l. 3. de Induc.* Et Amſtelodamenſium haud poſtremâ curâ rectisque conſiliis ærario publico & bello nervi rerum gerendarum ſuppeditati ſunt; Iſacius Pontan. *in præfat. rerum & urbis Amſtelodam.*

Theſaurarii ibidem publicas pecunias 40
ſibi concreditas habent, quæ, ut plurimum, ex urbis reditibus, vectigalibus, ædium locationibus, cenſu atque ambactu agri contermini, more majorum per publicanos alioſq; colliguntur: eique pecuniæ, cùm ingentem auri vim conficiant, conſtituti ſeorſim Ra- 41
tionarii ſunt. Pontan. *d. loc. lib. 3. c. 2. Illas autem pecunias* (36) Ordines intra urbis pomœria accipiunt: Unde & expenſi acceptique rationem, non Urbi, ſed Provinciæ Quæſtoribus reddunt. Nec ex vectigalibus modò, ſed 42
oneribus etiam & locationibus ædium numus circiter quinquageſimus ad publicam Provinciæ rationem redit. *Qui pecuniis navium merciumq;* (37) omnium portoriis colligendis deſignantur, Convoymeeſters quaſi publici commeatûs Præfecti nominantur; quòd hisce pecuniis maritimarum expeditionû omniû onera, tum & prætoriæ illæ naves, quæ ad perducendos in tutum receptum negotiatores navigiaque cætera, inſtrui atque apparari ſolent. Pontan. *l. 3. c. 8.* Vectigal Urbis *acciſa* communiter appellatur, quot- 43
annisque à publicanis certo pretio de novo redimitur. Provinciæ quod cedit, impoſtam ſive impoſitionem nominant, ſin- 44
gulisque ſemeſtribus elocatur quèm maxumò

45 xumò licitantibus. Unum hoc oppidi ve-
ctigal annuum aliquando florenorũ 43800.
Summam excedit, eamque Summam, pro-
vinciæ quæ debetur colligiturque Impoſitio,
46 ſemeſtri uno longè ſuperat.
Nam ſæpenumero, æſtivis præſertim
ſemeſtribus, quinquaginta florenorum mil-
libus redimitur; hybernis verò 48300. & cir-
citer ferè: Pontan. *l.2.c.11.* ubi & quam ſum-
mam vectigal navium vectationis pro adve-
cto frumento, aliiſque rebus aliquando (in-
gens ea eſt) conficiat, egregiâ laude comme-
morat. Hiſce aliiſque perennibus Ærarii
47 fontibus fundata & ſtabilita eſt Unitarum
Belgii Provinciarum magnitudo, quam po-
tentiſſimus Hiſpaniarum Monarcha convel-
lere non potuit hactenus; de qua *Lipſius*, (38)
cùm nondum animus illius auri Indici vene-
ficio corruptus eſſet, *Europæ libertas corruit,*
48 *ſi ſemel hoc vallum.* Vero utique verbo; nam
pax gentium (39) & publica libertas incolumi-
49 tate illuſtrium harum Provinciarũ firmatur.
Cæterùm poſt hæc ſcripta incidit in
50 manus meas non ita pridem conſcriptus de
ſtatu Reipublicæ Fœderatorum Belgarum
Commentariolus, ex quo, cùm *nondum ſit
publicè divulgatus,* (40) quædam excerpere,
& inprimis quænam hodiè per Hollandiam
colligendorum Tributorum vectigaliumque
ſit ratio, indicare & huc transferre, operæ
pretium duxi.
Tributa in uſu hîc eſſe duorum generum
51 ſtatuit Author; quorum alia Ordinaria, alia
Extraordinaria ſollent appellari. Ordinaria
dicuntur, quæ ſemel imperata ſemper exi-
guntur. Extraordinaria autem, quæ pro
diverſa ratione vel ſeparata; vel imminente
52 Reipubl. neceſſitate ſubinde exiguntur, *ſub-
inde non item.* (41) Extraordinaria illa tributa
triplicia ferè ſunt. Primum illud, quod ſingu-
lorum Capitum: Secundum illud, quod ſin-
gulorum Caminorum: Tertium illud, quod
omnium opum ac poſſeſſionum in univer-
ſum pariter æſtimatarum nomine exigitur.
Iſtud Hooft-geld/ alterum Schoorſteen-geld/
53 tertium den tweehonderſte Penningh/ appel-
latur.
Cenſio capitis ita peragitur, ut unius-
cujusque capitis nomine florenus unus in
Rempubl. conferatur: Quam rationem æra-
rio inprimis augendo facere, & *ex infinita
54 quadam hominum frequentia* (42) hanc diti-
onem incolentium cuivis eſſe poteſt aper-
tum. Ab eo tamen onere immunes ſunt ho-
mines pauperrimæ conditionis. Pro talibus
autem habentur illi, quibus pudori non eſt,
extremam paupertatem ſuam apud Cenſo-
res profiteri. Semel cenſus ille actus eſt mul-
tas inter civium querelas, quibusdam etiam
imperata præſtare detrectantibus. Quam
ego ob cauſam ejus poſteà intermiſſionem
factam crediderim.
Tributum illud, quod caminorum no-
mine exigitur, nihil aliud eſt, quàm tributum, 55
quod Domini ædium, ſive ruſticorum ſive
urbanorum prædiorum perſolvunt ſingulo-
rum caminorum nomine, qui extra tectum
eminent. Florenus autem unus ſive aſſes
viginti uniuscujusque camini nomine pen-
duntur in qua agendi ratione Hiſpani in Re-
gno Neapolitano Batavis præiverunt; Nam
is mos ibi quoque obſervatur.
Quod Tertium ſpectat, quo omnium
opum nomine ſingulis tributum indicitur, 56
poſſet haud adeò incommodè *ducenteſima* il-
lud vocari. Nam ducentorum e. g. flore-
norum, quos quis poſſidet, nomine florenus
unus in Ærarium publicum conferendus
eſt; quadringentorum florenorum nomine
duo, atque ita porrò. Atqui, dicat hîc ali-
quis, difficulter admodùm, aut vix uniuscu-
jusque privati opes à Magiſtratibus cogno-
ſci poſſe, aut æſtimari. Neque enim facilè
quis fortunarum ſuarum vel magnitudinem
vel tenuitatem ſolet explicare: Unde colligi
poſſit, ſæpè fieri, ut in hujus tributi exactione
haud ſatis æqui ſint Magiſtratus, dum aliter
fieri non poteſt, quin quidã pauperiores qui-
dam ditiores, quàm ſunt, Magiſtratuũ judicio
æſtimentur.
At huic difficultati prudenti temperamen- 57
to ac moderamine obviam itur. Moris quip-
pe eſt, ut in Ducenteſima imponenda Con-
ſules reliquique Magiſtratus Urbani pro pu-
blica de uniuscujusque opibus ac fortunis fa-
ma ab aliis plus, ab aliis minus exigant,
prout alii ditiores, alii tenuiores celeb-
rantur. Quò fit, ut nemo opes ſuas de-
ferre ad Magiſtratum cogatur, cùm ipſorum
Magiſtratuum judicio ex publica celebritate
æſtimentur. At iſta cùm plerunque erret;
& hîc etiam errare poſſit fama, unicuique
privato per leges conceſſum eſt, inſtituere ni-
mii oneris ſibi impoſiti querelam apud Ma-
giſtratum, ſi agnoſcat opes ſuas majoris,
quàm ſunt, æſtimatas. Si quis enim ſolen-
ni juramento affirmare velit, non tantum ſe
in bonis habere, quantum à Magiſtratibus
æſtimatum, impoſitæ Ducenteſimæ, quan-
tum æquum juſtumque eſt, detrahitur. Qua
in agendi ratione id obſervari dignum eſt,
quòd cùm homines pleriq; ſint ambitioſi, ni-
hilq; æquè affectent, quàm opulentorũ ho-
minum famam atque exiſtimationẽ, multi,
à quibus nimia exegerunt Magiſtratus, ma-
lint nimia illa præſtare, quàm fortunarum
ſuarum tenuitatem apud Magiſtratum
profiteri. Adeò, ut ambitio Subditorum
hîc proſit Reipublicæ, & tributum reporte-
tur earum quoque opum nomine, quæ non
poſſidentur. Singulis ferè trienniis illud
Ducenteſimæ tributum per Hollandiam exi-
gi conſuevit.
Ordinaria tributa multiplicia ſunt, quo- 58
rum præcipua nunc perſequemur. Primò
autem ſe offert id, quod *Salis* nomine exigi-
tur, 59

tur, & Gout-geldt vulgò appellatur. Ejus indicendi hæc eſt ratio, Magiſtratus Urbanus ſingulas familias, earumque capita luſtrare ſolet. Prout autem *minor vel numeroſior eſt uniuscujusq; familia*, (43) major minórve Salis menſura quotannis conſumenda indicitur, aut potiùs præſumitur, ejúsve nomine major minórve pecuniæ ſumma præſtanda imperatur. In nonnullis Civitatibus ſingulis majoribus minoribúsve Salis menſuris certum præſtitutum pretium, & quod tributi nomine ab emptoribus perſolvitur.

60 *Vectigal Cerviſiæ*, quod ſoli Cerviſiæ coctores ſolvere tenentur, eſt aſſium duodecim in ſingula vaſa. Tantum quoque pendere tenentur nautæ ſive mercatores, quotquot navibus aliunde huc deferunt cerviſiam in Anglia, Germania, vel alibi coctam.

61 *Vectigal Cerviſiæ*, quod promiſcuè omnes cives ſolvere tenētur, eſt aſſium viginti in vaſa ſingula. Vaſorum autem nomine, quibus inditur cerviſia tenuiſſima, conſtans tantùm pretio aſſium triginta, nihil perſolvitur; quod in pauperum gratiam eſt inſtitu-

62 tum. *Vectigal Cerviſiæ*, quod præter jam dictum *Caupones & Tabernarii* (44) ſolvere tenentur, eſt viginti ſeptem aſſium in vaſa ſingula.

Vectigal aceti conſtat floren. quatuor &

63 aſſibus ſedecim, in majora dolia ſingula, quæ vulgò Amen vocant.

Vectigal vinorum aduſtorum (45) con-

64 ſtat aſſibus decem in ſingulas majores amphoras, quas vulgò Stoopen dicunt, ſi ex vino; aſſibus autem quinque, ſi ex frugibus id ſit confectum.

65 *Vectigal butyri* conſtat florenis quatuor in ſingula majora dolia, quæ libras butyri continent trecentas & viginti. Singularum autem particularum butyri nomine, quas vulgò Kopſtücken vocant, ſolvenda eſt quarta pars aſſis, ſive ortha / een oortjen/ ut vulgò loquuntur.

66 *Vectigal olei* conſtat florenis quatuor in ſingula majora dolia, quæ *Pipas* vocant: Singulorum doliorum olei nomine, quod ex pinguedine marinarum belluarum excoquitur, ſolvendi ſunt floreni tres. *Vectigal candelarum* tam ex cera, quàm adipe con-

67 fectarum, conſtat florenis duobus & aſſibus decem in centum libras ejusmodi adipis aut ceræ.

68 *Vectigal rotundæ menſuræ* vulgò den Impoſt van de ronde maten eſt, quod penditur omnium earum mercium nomine, quæ rotundæ formæ menſuris ſolent menſurari, ut ſunt frumenta, ſemina, ſal, calx, & alia ejusmodi. Pro *vehe*, (vulgò Laſten) tritici aſſes viginta & duo, ſiliginis aſſes viginti & quinque, rotundi minoriſque ſeminis aſſes triginta & ſex. Pro centum libris ſalis aſſes triginta & ſeptem, & ſic porrò. In eam rem jurati menſores in civitatibus ſingulis ſunt conſtituti. Solvitur autem hoc vectigal ab iis mercatoribus, qui magnam copiam ejusmodi mercium majoresq; menſuras emunt.

Vectigal ceſpitum (46) *& carbonum* conſtat aſſe uno & dimidiato in ſingula ceſpitum vaſa, & florenis octodecim in centū tonnas majorum carbonum, qui ex Anglia aut Scotia advehuntur. 69

Vectigal mercium durioris rudioriſq; materiæ, vulgò de Impoſten van grove Waeren/ 70 conſtat aſſibus quinq; in centū libras plumbi, aſſe uno & dimidiato in mille coctos lapides, aut in fornacibus induratos & ſic porrò. *Vectigal ligni*, vulgò den Impoſt van Brandt-hout/ conſtat numo octavo ejus pretii, quo e- 71 jusmodi lignum venditum eſt, adeò, ut ſi Hìc ſtrues ligni vendita ſit pretio florenorū octo unus hujus vectigalis nomine ſolvendus ſit.

Vectigal pannorum, quibus aurum intextum eſt, adeoque omnis ſerici conſtat numo 72 duodecimo in ulnas ſingulas, adeò, ut ſi ulna ſerici vendita ſit pretio florenorum duodecim, unus Reipublicæ cedat. *Vectigal pannorum laneorū* florenis ſex Flandricis in partes 73 majores ſingulas panni Anglici colore nondū infecti, ſi pars quæque major ſit pretii ſexdecim librarum Flandricarum (Libra autem Flandrica conſtat *ſex florenis*. (47) Pro panni parte libris Flādricis viginti quatuor æſtimata, ſolvuntur floreni duodecim. Pro panni parte ſupra viginti quatuor libras Flandricas æſtimata penduntur floreni ſexdecim. Pro ſingulis ulnis tenuiorū pannorū aſſem unum ſolvere oportet. Pro tapetibus quibusvis & deaurato corio aliisq; ſimilibus mercibus, ſolvēdus eſt numus nonus pretii, quo æſtimantur, hoc eſt, novem florenorū nomine, unus. Æſtimatio omnis hujus pretii quæritur ex mercatore, qui ne vectigalis hujus redemptorem fallat, vero pretio diſſimulato ac imminuto, prudenter inſtitutum eſt, ut ſolutâ unâ librâ Flandricâ, præter indicatum à mercatore pretium, redemptor hujus vectigalis, ſi ita ei videatur, merces illas ſibi poſſit, ut venditas, *retinere*. (48)

Vectigal vehiculorum & navium con- 74 ſtat aſſibus viginti quotannis ſolvendis in vehicula & navigia ſingula minora; Majorum navium nomine plus perſolvitur, prout plurium vel minorum vehium ſive Laſtarum ſunt. Carrucarum nomine, vulgò Caroſſen/ 75 quibus vehuntur Magnates, pendendi quotannis ſunt floreni ſex. *Vectigal conſitorum* 76 *agrorum*, den Impoſt van zaeÿ Landen/ menſuræ terræ nomine, quæ vulgò Morghen appellantur, quocunque tandem ſemine, quibuscunque plantis arboribusque conſitæ, ſingulis menſibus ſolvendi ſunt aſſes quatuor & dimidiatus: Numerantur autem menſes à tempore injecti ſeminis usque ad tempus agri demeſſi. *Vectigal cujuscunque generis agrorum* conſtat ferè numo ſex- 77

to

to pretii,quo agri aliis elocantur. Si quis a-
gros non conduxerit,ſed ſuos colat poſſide-
atque,eorum æſtimatio à Magiſtratu initur.
78 *Vectigal ædium*, den Impoſt van de Huyſen/
conſtat ferè octavo numo illius pretii, quo
in annos ſingulos aliis ædes elocantur. Sed
cùm elocationis pretium non unum ſemper
idemque ſit, æſtimatio ſingularum ædium à
Magiſtratibus initur, ac Dominis ſive pro-
prietariis plus minúsve ſolvendum impera-
tur, prout ædes majus minúsve ſpatium cõ-
79 plectuntur. *Vectigal famulorum famularumq;*
conſtat floreno uno annuo, quem heri aut
heræ ſingulorum famulorum famularumq;
nomine perſolvunt.

90 *Vectigal, quod ſolvitur, omnium immobi-
lium bonorum*, quorum nomine etiam naves
majores comprehenduntur, conſtat numo
quadrageſimo illius pretii, quo unaquæque
res immobilis vendita eſt, nempe ſingulo-
rum quadraginta florenorum nomine, pen-
ditur Reipublicæ florenus unus. Quæ res
quantum ad ærarium augendum conferat,
vel ex eò colligi poteſt, quòd non alibi, quàm
hîc, frequentiores ſint bonorum immobili-
um venditiones. Certè de Civitate Leydenſi
natum proverbium eſt, ſingulis trienniis vẽ-
di ferè & alienari dimidiatam partẽ civitatis.

91 *Vectigal magni & parvi ſigilli*(49) con-
ſtat aſſibus duobus, quod ſingulorum papy-
raceorum foliorum, quibus Hollandiæ Or-
dinum minus Sigillum impreſſum eſt, no-
mine perſolvitur. Quod ut luculentiùs de-
claretur, ſciendum eſt, Ordines Hollandiæ
non alia de cauſa, quàm ſolius hujus tributi
nomine recipiendi publico decreto ſanxiſſe,
neque teſtamenta, neque contractus, ne-
que alia inſtrumenta, quæ in publicis judici-
is eſſent valitura, neque libelli ſupplices, ac
denique, ut à privatis nihil eorum, quæ in
publicis conventibus, judiciis, tribunali-
busque ærariis admitterentur, niſi in ejus-
modi foliis papyraceis ſigillo Ordinum in-
ſignitis eſſent conſcripta. Placuit autem
ſigillum diverſum, aliud majus, aliud mi-
nus, pro diverſo momento majori aut mi-
nori illarum rerum, quæ ſic veniunt deſcri-
bendæ.

Reſtant plurimæ adhuc aliæ Vectiga-
lium aut tributorum ſpecies, quarum o-
mniũ rationem ac modum exponere nimis
nunc prolixum foret, neq; neceſſum eſt, cùm
publicâ authoritate Ordinum Hollandiæ
typis deſcriptæ exſtent.

92 Itaque tandem colligendorum ejusmo-
di vectigalium diverſam rationẽ videamus,
quod quò accuratiùs à nobis præſtari poſſit,
diverſæ ſententiæ ac deliberationes publicæ,
earumque rationes ante omnia obſervandæ
ſunt.

Cùm enim in Comitiis Ordinum(50) hac
de re quæreretur, quidam exiſtimaverunt.
Nomine publico quosdam è Magiſtratibus
Urbanis aut ſtipendiis cõductos, alios in ſin-
gulis civitatibus eſſe ac creari oportere, qui-
bus colligendorum pro Republica vectiga-
lium cura incumberet, exiſtimantes, elo-
cationem vectigalium, eorumque pro cer-
ta pecuniæ ſumma factam à privatis re-
demptionem Reipub. & intutam & noxiam
fore.

Cujus ſui Conſilii has afferebant ratio- 93
nes: Primò, quòd in publicis perſonis quàm
in privatis plus eſſet authoritatis. Eam
autem maximè requiri in re odioſa; Rem
autem odioſam eſſe vectigalium exactionẽ.

Secundò, quòd incertus ſit quorundam
vectigalium annuus proventus, ut eorum,
quæ vini, & cerviſiæ, aliarumque ejusmodi
rerum nomine perſolvuntur: Nam e.g. in
eadem civitate ſubinde centena, ſubinde
centum & quinquaginta vini dolia quotan-
nis inter cives conſumi. Non igitur certâ
pecuniæ ſummâ vini nomine ſolvendum
vectigal privato alicui elocari poſſe aſſere-
bant. Aut enim majore, aut minore ſum-
mâ redemptores vectigalium vectigalia re-
dempturos. Si majore, quàm ipſi acceptu-
ri eſſent, id futurum conjunctum cum da-
mno Reipublicæ redemptorum; Si autem
minore, quàm accepturi eſſent.

Tertiò addebant illi, ſingulis annis in-
creſcere frequentiam civium, illâ increſcen- 94
te augeri vectigalium proventus. Si igitur
in annos plures elocarentur privatis quibus-
dam, vectigalia indies augenda, pro certa &
eadem pecuniæ ſumma annuatim penden-
da, futurum quoque, ut damnum præſentiſ-
ſimum Respublica ſentiret.

Quartò denique & poſtremò afferebant 95
illi in medium, periculoſum eſſe, proventus
publicos credere fidei ſubditorum. Quid ſi
enim redemptores eorum nomine plurima
promiſerint, & nihil præſtent? quid ſi ea con-
vertant in privatas neceſſitates? quid ſi deni-
que annuæ penſioni, in quam conventum
eſt, ſolvendæ impares deprehendantur? in
manu igitur & poteſtate Reipublicæ ea eſſe
ac manere oportere, ſine quibus Resp. con-
ſiſtere non poteſt.

Contrà verò ab aliis diſſerebatur, exiſti- 96
mantibus, privatis vectigalia quædam elo-
cari pro certa annua ſumma pendenda o-
portere. Obſervabant quippe illi, duorum
generum ſive duplicis conditionis eſſe vecti-
galia; quædam certis rebus imponi, & pro-
inde eorum certam iniri poſſe rationem. Ex-
empli gratiâ, vectigalia aut tributa eſſe, quæ
ſingulis ædibus, ſingulis agrorum latifundiis
imponuntur, quàm horum certus numerus
& certa ſpatia cognoſci poſſunt, & iniri, tàm
certum eſſe horum vectigalium proventum.
Alia eſſe, quæ rebus incertis, & quæ eodem
modo ſe non habent, ac judicantur, impo-
nuntur, incertam igitur eſſe eorum ratio-
nem; qualia vectigalia ſunt, quæ ex vino &

cerviſia; quæ uſu nunc majora, nunc minora conſumuntur, ſolent indici; quàm horum incertus numerus, tàm incertum eſſe eorum vectigalium proventum.

97 Statuebant igitur illi, priora iſta, ut certa, nomine publico ab ejus rei publico curatore colligi poſſe: poſteriora autem illa, ut incerta, privatis pro certa pecuniæ ſumma elocari oportere. Habebant illi conſilii ſui has rationes. Primò, quòd in his vectigalibus multis fraudibus inter Subditos ſit locus, quibus eludant illorum præſtationem. In eas fraudes diligentiùs inquiſituros privatos redemptores, ut tantò plus lucri reportaturi, quantò diligentiùs fraudes omnes obſervaverint atque averterint. Plerumque enim ita fieri, ut anxiè magis res privata, quàm publica, adminiſtretur.

98 Secundò, ſatis in illis privatis futurum authoritatis; Nam contractu cum illis inito exigendi vectigalia idoneam authoritatem, & velut publicam perſonam in eos transferre magiſtratus.

99 Tertiò addebant, quia incertus ſit horum Vectigalium annuus proventus, pro certa penſione annua privatis illa elocari oportere. Præſtare enim certi quid pro Republ. decernere & ſtipulari, quàm reditus ejus eſſe incertos; ſic enim calculum in Imperio poſſe poni, ſi plus, quàm acceperint, ſoluturos ſe promiſerint redemptores; ex contractu enim teneri ad ſolvendam promiſſam annuam penſionem. Sin autem plus acceperint, quàm debeant Reipubl. ex contractu, commodum etiam penes Rempubl. eſſe. Nam anno proximo, ubi iterum publica velut auctione ea vectigalia privatis elocanda venerint, aut prioris anni redemptorem accepto commodo illectum, aut alios ſimilis lucri ſpe invitatos majorē ſummam pro redemptione eorundem vectigalium Reipublicæ oblaturos.

100 Quartò iidem teſtabantur, non velle ſe in plures annos, quàm unum, privato alicui vectigalia elocari, ut quotannis meliori factâ civium conditione, quotannis etiam eorum nomine plus Reip. offeratur & præſtetur à redemptoribus.

101 Quintò deniq; affirmabant fruſtrà prætendi, periculoſum eſſe, res & opes publicas credere privatis. Nam illa mala illumq; motum idoneis fidejuſſoribus à redemptoribus Reip. oblatis, poſſe præcaveri. Poſſe etiam conſtitui, ut pro modo annuæ penſionis partem ejus ſingulis menſibus in ærarium publicum inferre redemptor teneatur.

Poſtrema illa ſententia ab omnibus tandem recepta eſt, isque modus agendi hodieque adhuc obſervatur.

210 Vectigalia igitur quædam colliguntur, quædam elocantur. Colliguntur à perſonis publicis in ſingulis Urbibus cōſtitutis ea, quorum certa, ut diximus, ratio poteſt iniri: Elocantur autem illa, quæ diverſi ingenii ſunt.

Elocandi autem ratio ſic peragitur. Quotannis in ſingulis Civitatibus & territoriis Ordines programate typis deſcripto publicisque in locis affixo, tempeſtivè indicant, ſe ſtato die ac loco hæc aut iſta vectigalia privatis maximam pro iis pecuniæ ſummam oblaturis elocaturos, iis legibus atque conditionibus, quæ formulis Edictorum de iis vectigalibus publicatorum continentur. Ubi ſtatus dies ille illuxit, Ordinum legati per præconem publicum dictorum vectigalium redemptionem veluti haſtæ ſubjiciunt & vendunt, ut in publica auctione. Is, qui conductor eſt, aut redemptor Telonarius, vulgò **Pachter** appellatur, cogiturque idoneis fidejuſſoribus illo ipſo momento cavere, ne quid Reſpublica capiat detrimenti. Si enim redemptor aut conductor deficiat in præſtanda penſione annua, quam obtulit, fidejuſſorum ipſorum bona ac fortunæ diſtrahuntur, quò ex iis Reſpublica ea, quæ debentur, ſibi poſſit reportare. 103

Ad præveniendas civium fraudes, duo 104
inprimis utiliter ſunt recepta. Nam & bajuli omnes Civitatum, qui vehunt ac portant merces, quarum nomine vectigalia ſunt inſtituta, ſolenni juramento ſe quotannis obſtringunt, in privatorum ædes nullas earum mercium ſeſe illaturos, niſi exhibitâ ſibi & acceptâ ſchedulâ, quâ teſtatur redemptor vectigalium, ſibi eſſe ſatisfactum. Secundum
eſt, quòd immanes pecuniariæ mulctæ eos 105
omnes maneant, qui vel in re modica tantùm redemptorem fefelliſſe deprehenduntur. Delicta enim, quæ facilè poſſunt perpetrari, & ex quibus multum utilitatis referre poteſt, qui ea impunè committit, non niſi ſummâ pœnarum ſeveritate prohiberi poſſunt aut præveniri. Et hæc de Tributis & Vectigalibus Ordinum Hollandiæ, quæ omnium cæterarum Provinciarum loco in exemplum adducitur, dicta ſufficiant. De
Collegiis Societatum utriusque Indiæ opor- 106
tunus hîc ſeſe offert dicendi locus, partim quia inter ejus Imperii præcipua ſunt munimenta, ut quibus im̄enſæ opes in hanc Rempublicam derivantur; partim quia illæ Societates non unius illic ditionis propriæ, ſed omnibus Fœderatis ditionibus ſunt com-
munes. Collegia iſta haud aliud ſunt, quàm 107
quorundam privatorum Societates auſpiciis publicis inſtitutæ ac confirmatæ, quibus fit, ut ſolis illis, privatis aliis omnibus excluſis, integrum ſit, ſuis ſumptibus militem conducere, naves adornare, deniq; idoneas claſſes inſtruere, ad communem hoſtem Hiſpanū opibus Utriusque Indiæ tot per annos incubantem poſſeſſionibus ſuis jure belli exturbandum, ac *ex gentium inſuper jure* (51) cum Indorum nationibus ab Hiſpanis nondum ſubjugatis fœdera ineundi, & commercia quælibet exercendi.

Occaſi-

108 Occaſionem huic inſtituto duo inprimis fecêre. Primò Decretum ab Hiſpaniæ Rege promulgatum, *quo commercia & navigationes Fœderatorum in Hiſpaniam omninò vetebantur*, (52) ex qua ſola Fœderatis Indicas & exoticas illas merces petere tùm
109 licebat. Secundò, ingens & enorme pretium, quod earundem mercium nomine Hiſpanici mercatores tunc temporis exigebant, utpote Regi ſuo earum nomine graviſſima portoria pendere coacti; adeò, ut in unica propè Hiſpania Monopolium eſſet univerſi ditioris Orbis, quibus Orbem reliquum jugo ſubjiceret ſuæ dominationis.

110 Accedebat etiam cauſa, quæ tunc incidit, privata, memoratu inprimis digna. Nam eodem tempore *Batavus quidam*, (53) qui per annos plurimos Hiſpanis ac Luſitanis Mercatoribus in Indiam navigantibus miniſterium ac fidem ſuam probaverat, à Luſitanis tandem captus, è carcere haud liberari potuit, niſi immenſi pretii lytro perſoluto, ad quam cùm non ſufficerent privatæ ejus opes; ſubſidium Amſtelodamenſium aliquot Mercatorum & petiit & impetravit; eâ lege, ut in patriam reverſus arcana omnia, leges, & commoda Hiſpanicæ Navigationis in Indiam aperiret ac revelaret: Unde tum cognitum eſt, Mercaturam in India exercentibus certum lucrum nomine expenſorum quinque ſexve florenorum, centum propè florenorum eſſe.

111 Unum conſiliis Batavorum tùm adhuc obſtare videbatur, nimirum Sereniſſima Venetorum Reſpublica, quæ commerciis in Perſia exercitis hactenus Indicas etiam merces ab Indis in Perſiam delatas, terreſtri itinere per deſerta Orientis Conſtantinopolim, ac dein domum deferebat, quæ etiam cauſa eſt illius, quæ hodieque in ea Republica eſt opulentia. At verò vanos in poſterum futuros Venetorum conatus, Batavis ex eo colligere promptum fuit, quòd Batavi maritimo & minùs ſumptuoſo itinere negotia ſua poſſent expedire, terreſtribus illis Venetorum itineribus ſuſceptis, cum multò majoribus impenſis conjunctis.

112 Sed forma ac modus inſtitutæ curatæque hactenus utriusque Societatis propiùs nobis expendenda ſunt. Igitur ante ipſam Orientalis Indiæ Societatem inſtitutam privati quidam commerciorum causâ adierant viſitaverantque illas Indiæ ditiones, quæ Hiſpanis aut Luſitanis non parebant. At verò cùm ſinguli illi mercatores conſilia illa non conjungerent aut communicarent, atque alii aliorum inſtituti ignari eosdem Indiæ portus cum iisdem mercibus peterent, aliique aliis ſic eſſent impedimento, pro lucro ſæpè non niſi damnum reportabant. Præterea cùm in ipſa navigatione ac itinere vires navesque haud conjungerent, ſæpiùs Hiſpanis ac Luſitanis in prædam cedebant. Horum malorum avertendorum causâ inſtituerunt Ordines Fœderati Belgii *Generalem quandam Societatem*, (54) quæ ad certum annorum ſpatium ſola privilegio uteretur navigandi in Orientalem Indiam, ſecundùm certos limites certasque leges præſcriptas.

Decretum illud Ordinum mox pro- 113
mulgatum eſt, invitatique ſimul ſunt omnes harum ditionum Subditi ad certam pecuniæ ſummam, quantam quidem vellent ſinguli, conferendam, quâ hujus Societatis deſtinationes optatum ad effectum perducerentur. Sic factum eſt, ut alii amore Reipub. capti, alii certiſſimâ lucri ſpe allecti, pro ſuis quisque opibus eam pecuniæ vim certatim contulerint, ex qua ſumma *ſexaginta & ſex tonnarum* (55) auri conficeretur. Hæc e- 114
nim prima Capitalis, ut vulgò loquuntur, Summa inſtitutæ hujus Societatis fuit. Omnibus iis, qui in hanc rem aliquam pecuniæ Summam contulerant, datum eſt *Participantium* cognomen, quòd nimirum participes eſſent rerum, quas hæc Societas feliciter aut infeliciter eſſet geſtura. Illis verò, qui contulerant eam pecuniæ ſummam, quæ excederet quinquaginta florenorum millia, datum nomen eſt, quo *Capita Participantium*, vulgò Hooft-Participanten dicebantur. Ex his ſolis, excluſis cæteris, qui minùs contulerant, & delecti tum ſunt, & hodiè etiamnum deliguntur illi, qui curandis Societatis rebus cum maxima authoritate impoſiti *Curatores Societatis*, vulgò Bewint-Hebbers/ appellantur.

Capita illa Participantium nominandi 115
Curatores illos habent poteſtatem: Electio autem alibi Ordinibus ditionis, alibi urbano Magiſtratui competit, prout diverſis hujus Societatis Collegiis in aliis atque aliis ditionibus inſtitutis aliter atque aliter viſum fuit. Iisdem Capitibus Participantium Cu- 116
ratores Societatis quotannis adminiſtratæ rei & impenſarum acceptarumque opum rationem reddere tenentur. Cætera Curatores pro arbitrio, & prout conſultum eſt, expediunt, neque ea cura in iis, niſi cum vita vel lapſu unius & viginti annorum finitur. Curatores illi in ſingulis ditionibus certo in loco ac navigationibus commodo Conventus ſuos habent, qui *Cameræ* vulgò ſolent appellari.

Sunt autem in Cameris ſingulis nu- 117
mero *ferè viginti.* (56) Porrò præter hos ordinarios Conventus in quavis ditione inſtituitur, urgente neceſſitate Amſtelodami in Hollandia, vel Middelburgi in Zelandia, extraordinarius aliquis & ſupremus Conventus, ad quem ſingularum ditionum Cameræ ſuos mittunt Legatos: in eo de rebus arduis & extra ordinem oblatis Conſilia

118 ſilia ineuntur, & decreta ſanciuntur, quæ ſin-
gulæ Cameræ perſonæ probare ac ſequi ne-
ceſſe habent. Extraordinarius ille Supremus
Conventus conſtat Collegio Septendecim
Virorum, qui **de Vergaderinghe van de ne-
ghenthien** appellatur, certusque cuivis Came-
ræ numerus eſt præſcriptus eorum, quos ad
hunc conventum debeant deſtinare, aliis
major, aliis minor: Quemadmodum Am-
ſtelodamenſis Camera VIII. Middelburgen-
ſis IV. Reliquæ ditiones unius aut duorum
Legatorum mittendorum habent poteſta-
tem, pro diverſitate nimirum pecuniariæ
ſummæ, quam Camera alia majorem, alia
minorem contulit ad res hujus Societatis
119 conſtituendas. Et ſanè æquum eſt, ut cujus
res potiſſimùm agitur, quiq; plus, quàm cæ-
teri, credidit Societati, plus etiam, quàm alii,
habeat authoritatis.

Ita quidem inſtituta forma eſt domi re-
gendæ Societatis: Inter cujus initas leges hæc
præcipua fuit, ut Curatores collatâ pecuniæ
ſummâ in adornandam claſſem idoneam,
ac comparanda arma neceſſaria ad Hiſpano-
rum Luſitanorumque ex India exturbatio-
nem, coëmendasque merces, quibus ad
permutationem cum Indiæ quibusdam po-
pulis inſtituendam, quamprimum uteren-
tur; & quotannis expenſarum & illatarum
opum accurata ratio redderetur, ut ex lucro
quotannis facto ac reportato pars ſeponere-
tur ad commercia, & ad res Societatis au-
gendas ac confirmandas; pars autem in u-
ſum Participantium, quos vocant, pro ratio-
ne ratæ & ſummæ pecuniæ, quam Socie-
tati quisque credidiſſet, diſtribueretur; quæ
diſtributio **Uytdeelinghe** vulgò appellatur.

120 Ita ſuſceptum eſt tàm illuſtre inſtitu-
tum, cui ſub initium ſucceſſus ampliſſimi
non defuerunt. Nam partim *permutatio-
ne mercium*, (57) quas Batavi viliſſimas in
Indiam deportabant, ut ſpecula, plumas, or-
bes aut globulos vitreos, denique puppas,
aliasque ejuscemodi quisquilias Norimber-
gæ potiſſimùm in Germania, ex cupro, li-
gno, aut alia materia affabrè factas, quibus,
incredibile dictu eſt, quantum Barbari illi
delectentur, reportatisque mercibus omni-
um pretioſiſſimis, ut Serico, Margaritis, no-
bilioribus aromatibus, & ſi quæ ejus generis
alia ſunt; partim Caſtellis aliquot Hiſpano-
rum Luſitanorumque, ſecurè inprimis tum
agentium, feliciter expugnatis. In quo po-
ſtremo quorundam Indiæ Regulorum au-
xiliares manus iis haud defuerunt, utpote
quibus Hiſpanici nominis incomparabilis
ambitio ac avaritia jam pridem eſſet vehe-
menter infenſa & deteſtata.

121 His ſucceſſibus factum eſt, ut primo ſex-
ennio ab inſtituta Societate hac exacto, ab
anno nimirum MDCII. usque ad annum e-
jusdem ſæculi octavum, Capitalis Summa
ſexaginta, ut ſuprà diximus, & ſex tonnarum
auri aucta ſit, præter factam *inter Participan-
tes reportati lucri diſtributionem*, (58) ad 122
plus, quàm trecentarum tonnarum auri
Summam. Sed & pomœria ditionum ac
limites Batavorum in India adeò mox ſunt
prolata, ut non unum, ſed plurima ampliſ-
ſima ditiſſimaque regna partim vi ſub ſuam
redigerent poteſtatem, commerciorum in
iis exercendorum cauſa, partim donis fœde-
ribusque ſic ſua facerent, ut excluſis Hiſpanis
Luſitanisque ſibi ſolis referrent poteſtatem
commerciorum in iis exercendorum. Er-
go de ordinanda illic componendaque Ba- 123
tavica quadam Republ. tandem eſt cogita-
tum. Placuit ut caput & Regia illius Impe-
rii eſſet civitas, cui *BATAVIÆ*, (59) fa-
ctum eſt cognomentum, adeò munita
murisque lateritiis cincta, ut ſuperioribus
annis Magni Javanenſium Imperatoris, tunc 124
hoſtis, nunc amici inſultus ſuſtinere potue-
rit; quanquam ab eo plus quàm ducenta
hominum millia tracta dicantur in eam ex-
peditionem. Placuit, ut in ea Regia ſedem
haberet Supremus Gubernator totius Indiæ
Batavicæ. Hujus tanta eſt ibi authoritas,
quanta in Fœderato Belgio Gubernatoris
Supremi & Imperatoris. Utitur autem
pompâ longè majori; quàm Europæi ferè
Reges. Qui mos datur ingenio illarum
Barbararum gentium, quæ externa illa ſpe-
cie potiſſimùm capiuntur. Sub initium per-
petua ferè hæc dignitas fuit: ſed, cùm res ea
plena magni periculi videretur; placuit, ut
Hiſpanorum Luſitanorumque recepto mo-
re, non niſi triennalis eſſet in poſterum illa
adminiſtratio.

Præterea in eadem Regia inſtituti ſunt 125
duo Supremi Senatûs, in quorum altero res
publicæ Societatis, quæ pacem, bella, fœde-
ra, ac commercia ſpectant, cum Supremo
Gubernatore pertractantur: in altero eſt i-
pſum juſtitiæ tribunal, in quo cauſæ privato-
rum ac lites, & alia ejusmodi expediuntur.

Ad iſta in ſingulis Provinciis, Ditioni- 126
bus, ac Inſulis, quæ huic Societati parent,
conſtituti ſunt duo Supremi quaſi Magiſtra-
tus, quorum alter præeſt militiæ paſſim di-
ſpoſitæ; partim ad continendos in obſequio
Barbaros; partim ad reprimendos vicino-
rum hoſtium inſultus; alter iis curandis ge-
rendisque rebus præeſt, quæ ſpectant com-
munem commerciorum rationem; planè ut
veteres Romani plerasq; Provincias *per Le-
gatum ac Quæſtorem*(60) adminiſtrabant. Ne
autē in exercenda mercatura hi, qui ei curan-
dæ præſunt, fraudulenter agant, ſuiq; potiùs
commodi, quàm publici habeant rationem,
additi iis ſunt Cenſores quidam, qui non ſo-
lùm attendunt ad ea, quæ geruntur, ſed ea-
dem etiam annotata ſingulis trium menſiū
intercurrentium ſpatiis ad Supremum Gu-
bernatorem ac Senatum transmittunt; ex
quibus omnibus iidem Senatores confici-
endum

endum curant unâ ſcripturâ totum Societatis illius ſtatum , ex qua in Fœderatum Belgium transmiſſa, Curatores, qui domi agunt, continuò intelligunt, quomodò ſe habeat totum illud Imperii ſui Corpus, quidquid in eo ſe benè habeat, quidquid ſit vitioſum.

127 Sed & tum cogitatum eſt de propagando in iis locis Belgico aut Batavico ſanguine, quo illo ſenſim aucto, Belgarum incolentium numerus par aut ſuperior evaderet numero Barbarorum; eo nempe conſilio, quo Romani in Provincias ad Provinciales in obſequio continendos, *transferebant Colonias*, (61) quæ ex ſolis civibus Romanis conſtarent. In eam rem ampliſſimum aliquod gynecæum publicum in regia civitate erectũ eſt, in quod tenuioris fortunæ virgines plurimæ, in Belgio ad eam rem pretio conductæ, delatæ ſunt , quæ ſumptibus Societatis alebantur, factâ militibus ſociiſque navalibus Belgis aut aliis mercaturam ibi exercentibus poteſtate, eas ambiendi atque in matrimonium accipiendi, quas amarent. Verùm id Conſilium optato eventu caruit. Nam experiundo cognitum eſt , prolem ex patre & matre Belgis in Orientali India natam, haud eſſe vitalem, vitamque brevi cum morte commutare; contrà autem vivax deprehenditur , quæ ex patre Belga & matre Indica ibidem locorum pronaſcitur. Nihilominus quod per naturam ibi non licet, frequentiâ hominum in Belgio ſuppletur, quorum infinita quædam vis in navigationibus iſtiſque in locis ab hac Societate occupatur.

128 Porrò Mercatura in Orientali India vel præſenti pecuniâ, vel permutatione exercetur. Præſenti pecuniâ inter paucas quaſdam & callidiores gentes, ut Japonenſes & quaſdam alias, quæ cùm pecuniæ uſum, ante Hiſpanorum Luſitanorumque adventum, ignorarent , ex horum avaritia pecuniam etiam æſtimare didicerunt. Permutationi tamen frequentior eſt locus, quâ merces ex Belgio advectæ, cum mercibus Indicis permutantur, obſervato in eo *antiquiſſimorum hominum more*, (62) qui ante pecuniam inventam non niſi permutatione inter ſeſe utebantur. Merces autem ex Belgio devectæ adeò nullius pretii ſunt , quod & ſuprà annotavimus, merceſque Indicæ adeò pretioſæ, ut pleriſque in locis merx noſtratium, quæ pretio florenorum , exempli gratiâ, è quinis conſtet, redimatur merce Indicâ pretii centum pluriumque florenorum, certo argumento , pretium rebus non naturam, ſed uniuſcujuſque populi aliam atque aliam libidinem poſuiſſe.

129 Maximum tamen lucrum reportatur ex iis gentibus, quæ ex initi fœderis legibus monopolii poteſtatem Societati huic fecerunt. Ita, exempli gratiâ, piperis illîc emendi ſoli ferè Batavi jus habent, ac proinde ei merci adeò per univerſum Orbem neceſſariæ pretium conſtituere Batavi poſſunt, quod volunt. Merces illæ quotannis in Belgium avehuntur ſtato quodam tempore, quo ipſo etiam, quantum fieri poteſt, naves aliæ ex Belgio in Indiam deſtinantur.

Merces illæ in Belgium delatæ auctione publicâ ſtatim dividuntur, & pro majore aut minore pecuniæ vi ex venditis mercibus acceptâ, decretum fit de facienda in *Participantes* diſtributione lucri, quod factum eſt. Ita fit, ut, exempli gratiâ, centum florenorum nomine, quos quis ad conſtituendam hanc Societatem contulit, in eum conferantur rarò viginti, ſubinde triginta, plerumque quadraginta præter propter floreni. Adeò ut reditus annuus propemodum adæquet ſortis dimidiatam partem. Neque id mirum alicui videbitur, qui cognoverit, quemadmodum, id eſt certiſſimum, merces ex India in Belgium quotannis advectas ſuperare hac ætate ſex auri milliones, ſive ſexagies centum florenorum millia. Unde etiam agnoſcere proclive eſt, ſortem ſive capitalem ſummam, quâ hæc Societas primùm inſtituta eſt, totam quotannis plerumq; Societatem lucrari. Plerumq; dixi, quia ſubinde tẽpeſtatibus, ſubinde diſſenſionibus inter Indos ac Batavos exortis, reditus annui aliquantò ſunt minores. 130

Diſtributio illa vel præſenti pecuniâ, vel 131
mercium in Participantes diſtributione peragitur: cujus poſterioris conſilii hæc interior eſt ratio, quòd ſuperioribus annis vicini aliquot populi ſpe tanti lucri allecti de ejuſmodi Societate cœperint cogitare, inſtructiſque aliquot navibus commerciorum causâ in Orientalem Indiam inſtituerint navigationes. Societas igitur Batavica, quò eluderet ejuſmodi conatus, efficeretque, ne quid lucri ſic facerent vicini populi, conſultiſſimum judicavit , pecuniæ loco in Participantes ſuos diſtribuere ejuſcemodi merces, quales ex India vicini populi advexerant. Tantâ enim copiâ ejuſcemodi mercium pariter diſtributâ earum pretium vehementer decreſcit, fitque ut pro lucro non niſi damnum reportetur. Eſt ea res Societati Batavicæ quidem etiam damnoſa, ſed pro lucro reputandum eſt , ſi minori damno majus aliquod præveniatur, quemadmodum nullum majus huic inferri poteſt, quàm ſi aliæ gentes Indiana illa commercia etiam invadant. Id
quoque obſervatione hîc dignum eſt, quòd 132
Participantes non modò quotannis fruantur ampliſſimis illis reditibus , de quibus jam diximus, ſed etiam Summa Capitalis, quam huic Societati conſtituendæ ſinguli contulerunt , indies & pretio atque æſtimatione creſcat, hoc modo, ſi quis, exempli causâ, Societati crediderit quatuor florenorum millia, ſi eam ſummam & actionem, quam ejus nomine habet, alteri alicui vendere

dere voluerit, quod haud rarò fit, facilè reportat octodecim florenorum millia. Nam floreni centum huic Societati ſub initium crediti ſive dati ad participandum ſi vendantur, valent pretium plusquam quadringentorum florenorum. Neque id mirum videri debet, cùm enim magis magisque indies res hujus Societatis effloreſcant, nihil tandem aliud expectandum eſt, quàm ut progreſſu temporis annua diſtributio in Participantes facienda adæquet ipſam Summam Capitalem.

133 Porrò ſuperioribus annis, exemplo, auſpiciis & modo, paribus, Societas illa quoque inſtituta eſt, quæ INDIÆ OCCIDENTALIS (63) appellatur. Cui ſub initium turbandæ, *duodecennales Inducias* (64) Rex Hiſpaniarum à fœderatis Belgis petiit & obtinuit, quòd nimirum intelligeret, in Indici argenti ditiſſimis meſſibus omnem rerum ſuarum cardinem verſari. At *elapſis illis Induciis*, (65) quibus *inter alia cautum erat*, (66) ne in Occidentalem Indiam à Batavis navigaretur, pulcrum adeò & neceſſarium inſtitutum *ſtrenuè ac ſeriò eſt promotum.* (67)

134 Ad eam conſtituendam collata eſt ſumma ſeptuaginta duarum tonnarum auri. Quâ pecuniâ cùm adornata eſſet frequentiſſima & inſtructiſſima claſſis, oppidum S. Salvatoris, quod vulgò *Baja de todos los Sanctos* Hiſpani vocant, caput rerum Hiſpanicarum in Braſilia, feliciter eſt *expugnatum; ſed & mox infeliciter amiſſum.* (68) Interim ex direptis captisque iis in oris Hiſpanorum Luſitanorumque ditiſſimis navibus tanta collecta eſt præda, ut jam ſtatim inter ipſa initia floreni, exempli causâ, viginti quinque in ſingulos Participantes diſtribuerentur, qui conſtituendæ huic Societati florenos centum contulerant. Paulò pòſt *captâ argenteam meſſem ferente Hiſpanorum claſſe*, (69) præda ad duodecim auri milliones & ampliùs æſtimata eſt. Qua occaſione dimidiata pars creditæ ſortis ſive ſummæ capitalis in Participantes diſtributa eſt, adeò ut ſingulorum florenorum centum nomine, quisque florenos quinquaginta reportaverit. At ex-

135 periundo cognitum eſt, in ea diſtributione Curatores hujus Societatis, prodigos potiùs fuiſſe, quàm liberales; & incautos potiùs, quàm prudentes. Cùm enim eâ tempeſtate nullam adhuc fixam ſedem Imperii rerúmve ſuarum hæc Societas in Occidentali India haberet, potiùs fuiſſet, ſi ea præda ad res conſtituendas ac confirmandas fuiſſet collata, quàm eam in Participantes immaturis adhuc rebus diſtribuere. Nam huic Societati graviſſimum bellum gerendum erat cum Hiſpanis Luſitanisque, quos acriter defenſuros ſuas in Occidentali India ſedes ſatis conſtabat.

136 Hæc eſt ratio, cur abſumptâ jam illâ capitali ſummâ, octoginta tonnarum auri, de qua jam diximus, neceſſe habuerint hujus Societatis Curatores ex Participantibus colligere novam quandam pecuniæ ſummam, dimidiam nimirum partem illius capitalis ſummæ, *quam quisque ſub initium contulerat.* (70) Quod quò faciliùs inter ancipites hujus Societatis res & proſperas nimis prodigè curatas fieret, convenit inter Curatores ac Participantes, ut novæ iſtius ſummæ collatę nomine ſingulis quovis anno ordinariæ & in Hollandia receptæ uſurę perſolverentur, hoc eſt, floreni ſex, centum florenorum nomine.

Sic aucto hujus Societatis ærario expe- 137
ditio iterum in Braſiliam eſt ſuſcepta, ejusque maritima ora, & in ea munitiſſima & opulentiſſima civitas *Pernambucum* (71) eſt expugnata, in qua Sacchari inprimis immenſa provenit copia; & mox in interiores limites magis magisque ſunt porrecti. Dehinc in oram Africæ itum eſt, ibique etiam expugnatis aliquot Luſitanorum munimentis hæc Societas aperuit ſibi commercia cum illis Africanis gentibus, quæ juventutem ſuam vẽdunt in ſervitutem, quos ſervos vulgò *Negros* ſolent appellare. Qua in re multum poſitum eſt momenti.

Cùm enim incredibilis quidam labor 138
ſit, quem ſuſtinere oportet in iis molis, in quibus Saccharum ex arundinibus exprimitur, nulla natio Europæa, quamvis compacti ac validi corporis ſit, eum perferre poteſt. Poſſunt autem illa mancipia Africana, quorum ſtatura brevis eſt, ſed vis corporum adeò ſolida, ut ſoli & ſinguli ferre pondus poſſint, quod tres validiores ex Europæis non poſſent ſuſtinere. Quanquam autem hæc ſic ſatis feliciter ceſſerint, nulla in Participantes ex eo tempore facta eſt diſtributio, non, quòd non multæ & pretioſæ merces bis térve quotannis, (duodecim enim ſeptimanarũ ſpatio ultrò citroque hæc navigatio perfici poteſt, cùm navigationes in Indiam Orientalem, ad itum reditumq; conficiendum, requirant plerunque ſpatium menſium ſedecim) ex iis locis advehantur, ſed quod hactenus usque ad nuperam *Luſitanorum ab Hiſpanis defectionem*, (72) partim ad tuendos limites, partim ad eos neceſſariò augendos, multi operis multarumq; impenſarum bella fuerint gerenda.

Regimen hujus Societatis domi ſe ha- 139
bet ad eum planè modum, quo Societas Indiæ Orientalis, niſi quòd à Supremo & extraordinario hujus conſeſſu, qui vulgò **de Vergaderinghe van de neghenthien** appellatur, ſemper Præſidis locum impleant, ac tueantur Generalium Fœderatorum Ordinum aliquot Legati, idq; eo potiſſimũ titulo, quòd ipſa Univerſitas Fœderatæ Reip. haud contemnendam pecuniæ ſummam contulerit ad hujus Societatis conſtitutionem.

Foris in ipſa Braſilia Imperium eſt penes Supremum terrâ marique ibi Imperatorem, qui

qui nunc eſt *Mauritius Naſſovius*,(73)quòd crederetur illuſtris adeò ſpectatæque familiæ nomen decus aliquod, ac venerationem allaturum huic Societati inter illas gentes, quæ longè ferociores magisque barbaræ ſunt, quàm in India Orientali. Gubernatori additi ſunt duo vel tres, qui à Curatoribus hujus Societatis ex ipſo Curatorum Collegio deliguntur, & in Occidentalem Indiam deſtinantur, Horum eſt, conjunctis conſiliis deliberare ac decernere ea omnia, quæ ſalutem Societatis ſpectant. Eſt & ibidem locorum Senatus, quem Politicum vocant, inſtitutus, in quo jus dicitur, & lites cauſæque privatorum cognoſcuntur.

141 Cætera omnia ſe habent ad eundem modum, quo res alterius Societatis in Orientali India adminiſtratur. Cæterùm hæc Societas intra unius Braſiliæ anguſtias ſe continere haud conſtituit, omnesque eò convertit deſtinationes, ut aditum ſibi in Occidentalis Indiæ interiora & argenti ditiſſimas fodinas, quarum partem Hiſpani poſſident, partem ipſi Indi nondum ſubjugati ab Hiſpanis, eorumque contumaciſſimi hoſtes, ſibi ſervaverunt. Spes verò de ſucceſſu vix dubia eſſe poteſt, oblatâ præſertim nunc eorum bellorum occaſione, quæ Chilienſes populi in ora hujus Indiæ maritima poſiti, cum Hiſpanis omnium atrociſſima gerunt, quibus cum ſola deſint arma ac alia militiæ inſtrumenta, iis è Batavia eò delatis ſocietatem cùm his ac fœdus facilè obtineri poſſe, plerisque eſt perſuaſum, & jam eò idonea claſſis, armaturâ ejusmodi referta, ante aliquot menſes eſt deſtinata.

142 Utriusque hujus Societatis milites militiæque Præfecti non ſolis Societatum Curatoribus, ſed Ordinibus Generalibus fœderati Belgii, ſupremoque etiam militiæ Imperatori dicunt Sacramentum, quod neque tutum, neque decorum ſit, vim armatam in privatorum eſſe manibus, ſolenni ſacramenro toti Reipublicæ non obligatam. Utraque etiam Societas utitur privilegio illo, quo ſolis illis in utramque Indiam navigare conceſſum eſt, non perpetuò, ſed verò intra certum annorum intervallum conſtricto, viginti puta, aut triginta præterpropter annorum. Cujus in- 143
ſtituti duplex quidem eſt ratio. Prima eſt iſta, quòd eæ in Fœderatam Rempublicam fortè aliquando incumbere poſſent neceſſitates, quibus ad ineundas cum Hiſpanis inducias, vel quoque pacem compelleretur, neque eas obtinere poſſet, niſi prohibitis ulterioribus in utramque Indiam expeditionibus. Itaque ne eâ occaſione contra dati privilegii fidem aliquid Ordines Generales conſtituerent, cautè placuit, certo annorum ſpatio ejus uſum definiri. Secunda eſt, quòd ſic fiat, ut Curatores utriusque Societatis identidem neceſſe habeant eorum privilegiorum ab Ordinibus petere continuationem, quâ occaſione pro auctis utriusque Societatis opibus, Respubl. identidem ſibi velut redhoſtimenti loco ingentem quandam pecuniæ ſummam poteſt ſtipulari.

Denique utraque Societas *ad confir-*
mandam hanc Rempul.(74)maximè eſt com- 144
parata, dum utriusque rebus feliciter geſtis Ærarii Hiſpanici res inprimis conturbantur; dum etiam utraque Societas veluti perpetuum quoddam ſeminarium eſt, ex quo, belli tempore, ingruente ſubitò aliquo tumultu, & arma & armatas naves, & armatorum hominum aliquot millia è veſtigio poſſint haberi; in quo etiam Pacis aut Induciarum tempore plurima militum millia, quaſi alio in orbe, in perpetua quadam bellorum meditatione agunt.

ANNOTATIONES

Ad

CAPUT XIV.

Num. 1.

(1) B*Elgium &c.]* Germaniam, *inquit Merula in Orat. de Rep. Batav.* non ignobilem Europæ portionem, poſterioris ævi Scriptores tradunt duplicem, Superiorem & Inferiorem. De Superiore, quæ item vetus & magna, non jam dicendi locus. Inferior, quæ nonnullis ab inſigni præſtantia Ocellus dicitur Orbis Boraelis, hodie XVII. habet Provincias, quarum quæ ad Septentrionaliorem Rheni ripam, in queis Batavia noſtra, olim veteri erant Germaniæ, quæ verò ad Auſtraliorem ejusdem fluminis marginem, Galliæ quondam contributæ erant Belgicæ. Singulis ante centum, & qui excurrunt, annos, ſui ferè fuerunt Principes, ſucceſſione nobiliſſimâ; qui ſexûs utriusq; propter virtutis comunionem, illuſtriaq; exempla naſci nobis meliùs, pacatiùs, ſecuriùs conſueverunt quàm eligi. Sui verò fuerunt Brabantiæ quidem, Limburgo, Luzeburgo, & Geldriæ Duces; Flandriæ, Arteſiæ, Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Namurco, Zutphaniæque Comites; Imperio ſacro, cui ſuum Antverpiæ Sacrarium, Marchiones; reliquis denique Friſiæ, Ultrajecto, Tranſiſulanæ, Mechlinicæ, & Groningæ Domini. Atque horum pars, *dicente Ponto Heutero in Epiſtola ad Belgarum Ordines præmiſſâ lib. 4. Rer. Burgundic.* Germanorum Imperatores, (*Vide Conringium de finib. Reip. Germ. lib. 2. cap. 28. Limnæum de J. P. lib. 1. cap. 9. num. 16. ſeqq. ut & libellum ſupplicem Imperatori D. Maximiliano II. Statibusq; Imperii in Comitiis Spirenſibus A. MDLXX. oblatum p. m. 81. v. Nos verò &c.*) pars Francorũ Reges agnoſcebat Patronos, pauci titulo abſoluti Principis ſuperbientes nullius ſe clientes ferebant. Hi continua inter ſe

bella eaq; aliquan lo atrociſſima ob varias, frivolasq; ut plurimùm gerebant cauſas, inteſtinis laborabant ſeditionibus; accedebant populorũ crudeliſſimæ factiones, ac bella plusquàm civilia, procerum ſanguinariæ conjurationes, ſeceſſiones vehementes, periculoſæ rebelliones, externorum invaſiones, rerum ordinumq; omnium perturbationes, quòd imbecilles Reguli, populis naturâ ferocibus, ac præteritorũ temporum anarchiâ, præliis pugnisque aſſuetis perſuadere obedientiam difficulter poterant, multò minùs renitentes cogere, donec Deus his malis finem ad tempus impoſiturus, Philippo Audaci Burgundiæ Duci in uxorem dedit Margaretham, Ludovici Malani filiam, Flandriæ & Atrebati Comitem: quo tempore apud *Brabantos* imperabat Johanna, filia hæresque unica è ſex liberis Johannis III. Brabantiæ Ducis; apud *Hollandos*, *Zelandos*, *Friſios*, ac *Hannonios* Albertus Bavarus; apud *Geldros*, Guilielmus Juliacenſium Ducum familiâ ortus; apud *Namurcenſes*, Theodoricus, Flandriæ Comitum Stemmate creatus; apud *Lutzenburgios*, Wenceslaus, Imperatoris Caroli IV. frater natu minimus; *Ultrajectenſes* & *Tranſiſulani*, Antiſtitum precario contenti imperio, Imperatorem præcipuè colebant. Philippi Audacis filius. Johannes Intrepidus, quòd perſequendis Aurelianis animi corporisq; vires devoviſſet, de augendis finibus parum fuit ſollicitus, contentus illatâ clade contumaciâ ſe Leodienſium contudiſſe. Tandem hujus filio Philippo Bono rerum potiente, illuſtre ac ſalutiferum Belgis ſidus apparuiſſe, veriſſimè Georgius Caſtellanus dixit. Tanta enim in eo Principe induſtria, cum ſumma felicitate ac pietate conjuncta fuit, ut circiter quindecim Belgarum Provinciæ partim jure hæreditario, partim teſtamento atq; emptione, ad ejus imperium, nulli illatâ injuriâ, devenerint, ac feliciſſimè multis annis ſub eo, legitimorumq; ejus ſucceſſorum dominatione floruerint. *Hactenus Heuterus, qui in ſeqq. explicatiùs tradit, quomodo à Patre Johanne Digeonio Intrepido dicto, qui juſſu Delphini XI. Sep. A. MCCCCXIX interfectus, Philippus ille Burgundus populi favore BONUS cognominatus hæreditario Jure conſecutus relictas provincias à patre poſſeſſas apud Atrebates ac Flandros eodem anno inauguratus* (*d. lib. 4. cap 1.*) *Anno MCCCCXXIX. Namucerum à Theodoro, poſtremo Namurcenſium Comite, liberis non procreatis ſene viduoq;, ſervato tamen ad mortem usq; uſufructu atq; titulo, mortuo, cùm conſenſu omnium Ordinum emerit.* (*c. 3.*) *Anno MCCCCXXXII. à Jacoba Johannis Brabantiæ Ducis, poſt Franciſci Borſellii vidua, pace facta, Hollandiam, Zelandiam, Friſiam, ac Hannoniam, ceſſas adierit*; (*c. 5.*) *A. MCCCCXLIII. per venditionem Lutzeburgum Belgicis provinciis antè obtentis junxerit.* (*c. 9.*) *deniq; Brabantiæ Ducatus aliis cum provinciis morte Patruelis ſui, Philippi Burgundi Brabantiæ Ducis, ad ipſum devolutus fuerit.* (*Adde Petrum Divæum de Galliæ Belgicæ antiquitatibus, ubi de Statu, quem terræ hæ ſub Romanorum imperio habuerunt, tractat*; *Grotium de Antiq. Reipubl. Batav. Jacobi Cornelii à Marca Duces Burgundiæ. &c. Schookium de Juſt. Belli Belg. cap. 5.*) Huic PHILIPPO BONO filius CAROLUS, cui à ſtrenua & pugnaci Indole BELLICOSO cognomentum fuit, in ditionibus hisce A. MCCCCLXXVII. ſucceſſit, qui propè Nancejũ in Jarvillæ campis d. V. Januarii A. MCCCCLXXVII. cæſus (*Gerhard. de Roo. Hiſt. Auſtr. lib. 8. Pontus Heuterus Rer. Burg. lib. 5. cap. 15. Jacob. Corn. à Marca d. loc.* Sigm. von Bircken im Spiegel der Ehren deß Ertz-Hauſes Oeſterreich *lib. 5. cap. 25. pag. 335. Cominæus lib. 5. cap. 8. qui cladem, contra communiorem traditionem, in Annum MCCCCLXXVI. reiicit, quod tamen mendum typographicum eſſe ſuſpicor &c. Meteranus Hiſt. Belg. lib. 1.*) Filiam unicam Mariam Burgundionũ ac Belgarũ Principẽ Maximiliano Archiduci Auſtriæ, pòſt *Primo* hujus Nominis Romanorum Imperatori à Carolo Patre antea deſponſatam reliquit. Quæ contractis & concelebratis ex Ordinum Belgii cum Ipſo Maximiliano die XVIII. ſive, ut alii volunt, XX. menſis Auguſti A. MCCCCLXXVII. nuptiarum ſolemnibus. (*vid. Heuter. Rer. Auſtr. lib. 1. cap. 7.* Sigm. von Bircken *d. loc. lib. 5. cap. 26.*) Auſtriam paternis avitisque Provinciis mirum quantum ditavit. Et ex hac Principum conjugum pari natus eſt d. XXIII. Junii Anno MCCCCLXXVIII. Philippus, cujus filius, Glorioſæ recordationis, Carolus A. MDXV. paulò antè tutelam egreſſus, & ab Avo Cæſare Maximiliano emancipatus, à Belgis in Principem dicto acceptoq; Sacramento inauguratus; (*Heuterus Rer. Auſtr. lib. 7. cap. 9. Meteranus lib. 1.* Sigmund von Bircken *d. loc. lib. 6. cap. 17. &c.*) Anno ſequenti Hiſpaniarum Rex proclamatus, Anno verò MDXVIII. die VII. Februarii Hiſpanicâ Coronâ redimitus, Anno MDXIX. in Imperatorem electus & inauguratus fuit. In hunc anno ſtatim MDXV. Georgius Saxoniæ Dux Jus omne, quod in utramque Friſiam transactione, liberâ acceptatione, emptione, aut Cæſaris dono habebat, ſolemnibus tabulis, (*quas Heuterus d. loc. lib. 7. cap. 10. exhibet*) tranſtulit; Hic ibidem pòſt A. MDXXVIII. Urbem Ultrajectum, Amersfortium, Rhenam, Wicam, reliquasq; Provincii agriq; Ultrajectini, oppida, arces &c. ut & Tranſiſulaniam, cum Jurisdictione Civili omni ab Henrico Bavaro, tunc temporis Antiſtite Ultrajectino, emit; emptionem non tantùm Clero & Ordinibus, ſed & Pontifice Romano Clemente VII. annò ſequenti confirmante. (*Laudatus toties Heuter d. loc. lib. 9. cap. ult.*) Geldriam & Zutphaniam à Guilielmo Cliviæ Duce armis ſubacto & ſupplici, per leges deditionis nactus cum reliquis Provinciis A. MDXLIII. (*Heuterus ibid. lib. 11. cap. 25.*) eſt, cùm jam antea A. MDXXXVI. Civitatem ac Ditionem Groninganam, Ommelandios, &c. (*Heuter. d. loco. l. 11. c. 6.*) eodem jure ſibi ſubjeciſſet. Sic ut primus omnium Carolus V. in Belgio ſubditas ſibi habuerit & filio Philippo Hiſpaniarum Monarchæ vivus adhuc ceſſerit XVII. Provincias univerſas, quarum deinde nonnullæ nimis preſſæ, (ut in ſequentibus dicetur) ad priſtinam ſub eo ipſo libertatẽ provocarunt, & in eam, temporis progreſſu, ſe vindicarunt. (*Vide Stradam de Bell. Belg. lib. 1. pag. m. 30. ſeqq.*)

(2) *Decem earum &c.*] Nempe *Brabantiæ*, *Limburgi*, *Luceburgi* Ducatus; cum parte *Geldriæ Flandriæ*, *Arteſiæ*, *Hannoniæ*, *Namurci* Comitatus; Marchionatus Sacri Imperii *Antverpianus*; *cum Mechliniæ* Dominio. Quemadmodum verò, ut jam innui, non niſi Tetrarchiam unam Geldriæ, *Ruræmundam* videlicet Hiſpanus obtineat, reliquas verò tres Tetrarchias (*in totidem enim illa Provincia dividitur, v. Joh. de Laet in Belg. Confœd. Republ. pag. 3.*) *Neomagienſem*, *Zutphanienſem*, atque *Arnheimenſem*, ſui Juris fecerunt Uniti Belgii Ordines; (*Schookius in Belg. Fœd. lib. 1. c. 5.*) & *Zutphaniam* Geldriæ conjunxerunt; Ita tum iidem vi Pacis Monaſterii initæ, tum vel maximè Galliæ Rex vi Tractatuum Pyrenæorum, & nuperimè bello, ob Jus devolutionis Uxori ſuæ Reginæ in Brabantiam competens, moto & Anno MDCLXVIII. ſopito, plurimum hisce ſuprà recenſitis

ſenſitis Provinciis decerpſerunt. De quo argumento ſuprà *ad cap. 6. num. 1.* quædam annotavimus. Quid verò de prætenſo illo Jure Reginæ Galliæ in Brabantiam cenſendum ſit, facilè ex ſcriptis dum temporis pro & contra evulgatis, nempe *Dialogue ſur les Droits de la Reyne Tres-Chreſtienne*; *Traittè des Droits de la Reyne Tres-Chreſtienne ſur Divers Eſtats de la Monarchie d'Eſpagne &c. Soixante & quatorze raiſon qui prouvent plus clair que le jour que la renonciation faite par la Reyne de France eſt nulle. &c. Bouclier d'Eſtat & de Juſtice &c. P. Stockmann de Jure Devolutionis &c. Item Deductio &c. Obſervationes ſive Reſponſiones ad iſtos duos Tractatus &c. Stockmanni Tr. alter de J. Devolutionis. La Verite defendue, &c.* quorum pleriq; libelli diverſis Diarii Europæi partibus ſubjuncti, & ut plurimum in vernaculam tranſlati in Germania quoq; prodierunt, prudens colligere poterit. *Num. 2.*

(3) *Acceſſit ad exuendam obſequii reverentiam &c.*] Facundus ille Famianus Strada ad deſcriptionem motuum Belgicorum viam ſibi ſternens, de Cauſis illius belli *Dec. 1. l. 2. p. 53. & 54.* hæc præfatur: Fateor nusquam me tumultum bellúmve aliquod legiſſe, cujus de Origine tam variè diſſimiliterque ſenſerint, Scriptores diſſeruerint. Credo, quòd aliqui, cùm eas, quæ ferebantur hujus belli cauſæ, viderent longè impares eſſe tantis rerum motibus excitandis, ipſi ſuſpicati ſunt alias atq; alias, ad Hiſtorici ingenium, quàm ad Hiſtoriæ fidem aptiores. Alii pro ſtudio partium ac Religionũ habuêre delectum cauſarum; iis nempe ſilentio calidè transmiſſis, quæ rebus ſuis officere videbantur. Alii demũ non tam ut Lectorem fallerent, quàm falſi ipſi deceptiq; earum ſpecie cauſarum, quæ obtentui habebantur, ignari quid à principiis differant cauſæ, veram ſub iis nominibus diſſidiorum originem non expedivêre. Cùm tamen id Hiſtorico inprimis incumbat, ut quę Pacis belliq; aut ſeditionum principia, quæ horum cauſæ ſive origo fuerint, & internoſcat ipſe, & lectores opportunè ſubmoneat: ne illi perperam de factis eventisq; rerum, ignorato principiorũ & cauſarum diſcrimine, judicium ferant: quæq; eſt magiſtra prudentiæ, fiat illis erroris occaſio. *Hæc ille.* Qui dein in ſequentibus disquirit, an I. Retentio militũ Hiſpanorum, II. Auctus Epiſcoporum numerus, III. Inquiſitio, occaſiones tumultuum, ut vocat, fuerint; concluditq; veriores cauſas fuiſſe I. Hæreſim, II. Nobilium abalienationem, natam potiſſimũ ab æmulatione aulicâ, ob potentiam Granvellani auctam, III. Orangium: Tandem *p. 95.* concludens: Quare, ut ſemel omnia ſub aſpectum ponam, plurimum refert, ſuccedántne, ne concurrant infortunia, utque ex aliquarum coitione cœtuq; ſtellarum gigni noxios afflatus perhibent; ita inter mortales, atq; in excidio regnorum obvenire certum eſt. Immiſſa impetu hæreſis, offenſi Hiſpanis militibus populi, aucti per Provincias Epiſcopi, repetita Cæſaris Edicta, ac ſumpta de violatoribus ſupplicia, injectus ex Hiſpanica fidei cenſura terror, fruſtratæ nobilium ſpes, prælatus in aula Granvellanus, quia unà fuêre, tumultus illos ac turbas facilè concitarunt: ſed non eodem modo. &c. Quibus cauſis poſt Margarethæ Parmenſis Gubernatricis ex Belgio diſceſſum, nova rurſus in Albani præfectura offenſionum principia multò funeſtiora acceſsêre. *Hactenus Strada.* Ferventiori aliquanto Stylo cauſas Belli Belgici exponit Martinus Schoockius *Belgii Fœderati l. 1. c. 1.* quando, Carolum excepit Philippus II. filius, *inquit*, cui præmiſſis ſeriis admonitionibus de obſervandis Belgarum privilegiis, regimen Belgicarum Provinciarum Carolus ipſe vivus & valens Bruxellis ceſſit XXV. die Octobris A. MDLV. circa quod ne fortè quid innovaret, aut faciles aures iñovationem ſuadentibus præberet, ipſe Philippus præſtitit ſolemne Juramentum de obſervandis privilegiis, cujus hæc clauſula extitit: Et ſi nos aut ipſi, aut per alium quemvis, aut etiam hæredes poſteriſve noſtri, contra hæc aut univerſa, aut ſingula quocunq; modo fecerimus: conſentimus volentique animo permittimus iisdem noſtris Prælatis, Baronibus, Equitibus, Civitatibus, municipiis, omnibusq; noſtris jam dictis, ut noſtriſve hæredibus, aut poſteris, nullum omninò Nobis obſequium præſtent, neque ulla in re, quâ nobis opus ſit, quamvis ab ipſis petemus, aut requiremus, parent, donec quod ita commiſſum fuerit correxerimus, reſtituerimus, ab eoq; plane deſtiterimus, atq; renunciaverimus. Simulq; acceſſerunt ſeria patris monita, eò ſpectantia, ne audiret eos, qui fortè conſulturi eſſent, Belgicas provincias, ad modum aut Caſtiliani regni, aut Indię adminiſtrandas eſſe. Cæterùm imemor tum paternorum monitorum, tum Sacro-Sancti Juramenti Philippus II. eſſe cœpit, ex quo abiit in Hiſpaniam: (accidit hoc d. XXVI. Sextilis A. MDLIX.) relictâ enim in Belgio Margarethâ Parmenſi, titulo Gubernatricis, eiq; adjuncto Cardinale Granvellano, I. dirâ illam Inquiſitionẽ Hiſpanicam in liberas terras introduxit, atq; intolerandam in conſcientias Tyrañidem exercuit; II. eo fine novos quoq; Epiſcopos, tũ Hiſpanicæ dominationi, tum Inquiſitioni in Belgio novæ & inauditæ addictiſſimos, inconſultis Ordinibus invitoq; Clero, cui magna pars redituũ annuorum adimebatur, novis Epiſcopatibus præfecit; III. Ordines liberũ Conſilium, in quo remedio in commune conſultaretur, flagitantes, præfractè audire recuſavit; IV. Nova & intoleranda tributa, obloquentibus fruſtra Ordinibus, impoſuit. V. Everſis ordinariis Tribunalibus, novum, Sanguinariũ vulgò dictum, conſtituit, in quo coram Judicibus Hiſpanis ſæpius de Capite, quàm de fortunis diſputari ſolet; VI. Non tantùm aliquot millia è vulgo ſed primarii proceres, Comes Egmondanus, & Hornanus, falſis Criminibus circumventi, ac deinceps Capitis damnati fuerunt; VII. Montigniacus, & Comes Bergenſis, Oratores in Hiſpaniam miſſi ad perferenda populi mandata, primò in carcerem conjecti, & dein interfecti ſunt; hoc quidem clanculario veneno ſublato, illo verò in propatulo ſecuri percuſſo; VIII. Liberis Civitatibus præſidia Hiſpanica, à quibus tyrannicè habiti ſunt Cives, impoſuit; IX. Nobilitati Belgicæ præter omnem rationem omnes prærogativas, atq; privilegia eripuit. Denique omnibus modis laboravit, liberas Provincias jure ſuo, quod ſe ſartum tectumque ſervaturum eſſe, ſanctè promiſerat, exuere, ut in iis pro lubitu, quemadmodum in Indiis ſolet, dominari poſſet, atque ſubmotis Belgicis, per Hiſpanicos miniſtros quidvis impunè perpetrare. His ſimilibusq; malis non tam fatigati, quàm oppreſſi Belgii Proceres, ſcutum antè, quàm gladium arripuerunt. Eoq; I. Ordines Brabantiæ ad arcendos novos Epiſcopos, ex Conſilio Principiſſæ Parmenſis A. MDLXII. Legatos in Hiſpaniã miſerunt, qui Regi privilegia ſua exponerent: Sed ultra annum & ampliùs detenti, ac deluſi, vaniſq; promiſſis onerati domũ redierunt. Quod & accidit Montigniaco, qui eâdem de cauſa eodẽ añoà Principiſſa, & Equitibus Aurei Velleris ad Regẽ Orator erat miſſus. II. Iteratò A. MDLXV. Legatus in Hiſpaniã miſſus eſt Egmondanus: Sed quamvis ſæpe cũ Rege egerit, promiſſũ tamen Inquiſitionis moderamẽ non

ſenſit Belgium. III. Toties deceptis Belgis, qui inter eos Nobilitate præſtabant (licet plerique eorum Papanæ adhærerent Religioni) magno numero ad mutuam defenſionem & ſecuritatem fœdus inierunt A. MDLXVI. IV. Confœderati Nobiles eodẽ año, Principiſſæ ſupplicem obtulerunt libellum, quo humillimè & obnixè petebant, aut veriùs implorabant, ſanguineorum Edictorum abolitionem: Sed præter abjectum Geuſiorum titulum nihil impetrarunt. V. Eodem anno, nomine Principiſſæ & Confœderatorum Nobilium in Hiſpaniã ablegati Montigniacus, & Comes Bergenſis, contra Jus Gentium cuſtodiæ mandati, & interfecti ſunt. VI. Licet inter Principiſſam, & Nobiles confœderatos conveniſſet æquis conditionibus, nihilominus Albanus Dux cũ delecta Hiſpanorum militum manu in Belgium A. MDLXVII. ad inquiſitionem invehendam, & privilegia opprimenda, miſſus eſt. Ipsâ Parmæ Principiſsâ admirante, exercitum, ſub tam immanis crudelitatis Duce in Belgium per ſe jam antè pacatum, à Rege immitti. Fatigatâ per quadriennium hunc in modum patientiâ Ordinũ Belgicorum, animi eorum ſeriò tandem irritati fuerunt ſupplicio, quo Albanus Dux de Comite Egmondano, & Hernano, per omnia inſontibus, ſumpſit Bruxellis A. MDLXVIII. menſe Junio: Ex quo tempore multi eorum de vindicta cogitare cœperunt. Quæ enim anno præcedenti arma Duce Brederodio paraverant, ad vitæ fortunarumq; defenſionem neceſſariam ſolummodò parata erant. Ab eo tempore, usq; ad Pacificationẽ Gandavenſem, variâ fortunâ, cum Marana Tyrannide luctati ſunt Belgii proceres, certante quaſi cum libertate fidei, nihil enim ad pacem poſtliminiò reſtituendam reliqui fecerunt. Per illam autem Anno MDLXXVI. die VIII. Novemb. cunctæ Provinciæ (omnibus & ſingulis libertate Religionis ſuæ conceſsâ) arctiſſima Unione ſe obſtrinxerunt ad mutuam defenſionem, & auxilium contra Hiſpanorum Tyrannidẽ, cùm antè A. MDLXXVI. d. XIX. Julii, Ordines Hollandiæ inſtituto Dordraci Nobilium Delegatorumq; ex pleriſq; urbibus conventu bellum contra Albanum decreviſſent. Cùm verò Philippum II. (cujus honori nimiùm quantum pepercerant) nulla ratione ad ſaniorem mentem revocare poſſent, multæq; Provinciæ à Pacificatione Gandavenſi ſe ſubduxiſſent, initâ antè Anno MDLXXIX. inter Provincias, quæ & hodie inde Unitæ vocantur, Unione Ultrajectinâ; Hagæ Congregati, qui Unioni illi adhærebant Ordines, quà Pontificii, quà Reformati XXVI. die Julii Anno MDLXXXI. pronunciarunt eum Imperio excidiſſe. Quod facere illis licuit non tantùm propter plurimas graves rationes; ſed etiam ex vi pacti, cujus jam antea facta fuit mentio. Hucusque Schoockius, & in eo cum plerisque fatalis illius diſſidii & ſæviſſimi hinc exorti belli Fœderatarum partium, & alicubi adverſorum Scriptoribus conſonat. Qui quoque Author pleniùs in antecedentibus capitibus dicta ſuperiora illuſtrat, & ad argumenta contraria, in Tr. *de Juſtitia Belli Belgici cap. 26. 27. 28. 29.* reſpondet, ubi vide.

(4) *Morte Legatorum &c.*] Scilicet Johannis Glimæi Bergæ Dynaſtæ, (quod eſt oppidum ad fluvium Somam in extrema Brabantia,) ut & Florentii Momarantii Montinii Domini, qui ambo in Hiſpaniam A. MDLXVI. ad procurandam Belgio quietem à Gubernatrice miſſi. Quorum prior non ſine ſuſpicione veneni in carcere XII. Kal. Junii Anno MDLXVII. obiit, quod nec Strada omninò negat cùm *dec. 1. l. 6. p. 330.* de eo ſic loquitur: Sunt, qui veneno ſublatum ſcribant, perinde quaſi nemo Principi offenſus inviſusq; decedat, niſi accerſitâ morte, mihi absq; conjectura id affirmare conſilium non eſt. Alter haud meliori fato raptus fuit. De quibus præter Belgicarum rerum Scriptores *L. v. Bos. in t' vorſtelyck Treur Tooneel Hiſt. 24 & 27.* & Eraſmus Francisci im hohen Trauer-Saal / in der 23. & 33. Geſchicht conſulantur.

(5) *Flos nobilitatis ſubjectus gladio &c.*] Et in illo flore præcipuè Lamoralius Princeps Gaveræ Comes Egmondanus, ut & Philippus Baro de Montmorency Comes Hornanus, A. MDLXVIII. *(vide jamjam citatos Authores, & junge Thuanum Hiſt. lbi. 43. & 68. & Stradam Decad. 1. lib. 7.)* Gisbrechtus & Dietericus fratres à Batenburg, Petrus de Andelot, aliive, quorum catalogum Meteranus *lib. 3. Hiſt.* exhibet.

Num. 3.

(6) *Unione Ultrajectenſi &c.*] Quoniam Ultrajectina hæc Unio fundamentum fuerit & ſit potentiſſimæ Reipublicæ Belgii Fœderati, liceat hoc loco ejusdem capitula, prout illa à Meterano *Belg. Hiſt. Univerſ. lib. 9.* recenſentur, oculis ſubjicere. Ita autem ille inquit: Ordines Generales ſimul ac Hoſtem (*ut antea dixerat*) Provinciarum diviſionem moliri intelligunt, propinquiore Concordiâ ſive contractu Unionis ſecuriores tutioresque reddere Provincias ſatagunt: quam Ultrajecti Anno MDLXXIX. die XXIX. Januarii conſtituunt atque concludunt. Primò quidem Ducatus Geldriæ, Comitatus Zutphaniæ, Provinciæ Hollandiæ, Zelandiæ, Ultrajecti, & Friſicarum regionum inter Amiſam & Lauvverſam incepêre: poſtea reliquæ Ordinum Provinciæ ac Civitates his ſe junxerunt, conſultiſſimum reputantes vinculo magis propinquo ac ſingulari devinciri atque uniri: non ut ab Unione Pacificationi Gandavenſi adjunctâ diſcedant, ſed ut eam firmiùs muniant, & injurias omnes præcaveant: neque interim ſe à ſacro Romano Imperio ſubtrahant.

I. Itaque dicti omnes ſimul ſe devinciunt & uniunt perpetuo fœdere tanquam unica tantùm Provincia; ſic ut Teſtamentis, codicillis, donationibus, ceſſionibus, permutationibus, pactis conjugalibus, aut ſimilibus ſeparari nequeant; nihilominus cujusque Provinciæ, Civitatis, membri, atque indigenarum privilegiis, libertatibus, legibus, ſtatutis, conſuetudinibus ſervatis; parati vitâ, facultatibus, & quocunque modo auxilia mutua præſtare, ſeque contra quoscunque hoſtes munire ac defendere: nequaquam autem ſe ingerere mutuis controverſiis, quæ cauſâ privilegiorum, libertatum, ſimiliumque naſci poſſent, niſi tanquam interpretes probi concordiæ conciliandæ gratiâ: lites autem hujusmodi, juſtitiæ ordinariæ committent, aut eas ipſimet amicâ deciſione diriment.

II. Mutuâ ope ſe defendent quocunque eventu, ſive ſub nomine Regis, ſive Religionis prætextu.

III. Mutuum ſimiliter auxilium præſtare tenebuntur, contra quoscunque, tum extraneos tum intraneos, Principes, & Poteſtates: verùm hujusmodi auxilia à Generalitate Unionis decernentur.

IV. Ut autem Provinciis certiùs ſecuriùsve caveatur & proſpiciatur; Urbes limitaneæ & aliæ communi conſilio munientur, ejus Provinciæ, in qua ſitæ ſunt, ſumptibus: quorum mediam partem Generalitas ſuppeditabit: Verùm ſi Generalitati conſultum videbitur, novas muni-

munitiones conficere, aut veteres mutare, ii ſumptus generaliter contribuentur.

V. Communes ſumptus neceſſarii pariter & æqualiter conſtituentur, colligentur, & exſolventur tertio quoque menſe, aut tempore, ſi opus ſit, commodiore. Publicani, ſive coactores, id officii auctione redimunt; colligentque tributa & vectigalia vini, cerviſiæ, frumenti, ſalis, & omnis generis pannorum, beſtiarum, agrorum cenſitorum, & aliorum, quæ inprimis commoda videbuntur; his quoque ſumptibus communibus impendentur canones, ſive dominia Regis, oneribus demptis.

VI. Hæc communia ſubſidia atque collectæ communi conſilio augebuntur & minuentur, ut tempus ac res poſtulabit: & ſolummodo commmuni defenſioni impendentur.

VII. Oppida limitanea quocunque tempore, decreto & juſſu Gubernatorum, tenebuntur præſidia recipere, quibus Generalitas ſtipendia exſolvet. Præfecti milites q; ſtipendiarii non tantùm generale, ſed & ſingulare juramentum dabunt iisdem Civitatibus ſive locis. Milites diſciplinâ militari in officio continebuntur: neque à vectigalibus aut canonibus immunes erunt, ùt nec cives: civibus autem, hoſpitii militaris merces, à Generalitate ſolvetur.

VIII. Incolæ tam Urbium quàm pagorum & agrorum, intra menſem annotabuntur, delectuque recenſebuntur ac luſtrabuntur ab anno ætatis XVIII. usque ad LX. ut certus numerus inde colligatur ad Patriæ defenſionem; donec proximâ Synodo aliter provideatur.

IX. Nulla induciarum aut pacis pactio inibitur, nullum bellum acceptabitur, nullæ exactiones aut contributiones pro generalitate conficientur, niſi communi omnium Provinciarum conſilio & conſenſu: reliqua autem, quæ ad hujus fœderis adminiſtrationem pertinebunt, decernentur & conſtituentur pluralitate ſuffragiorum Provinciarum hoc fœdere devinctarum: eademque ſuffragia, more hactenus apud Ordines Generales ſolito, colligentur: donec latiùs de iis communi conſilio ſtatuatur. Quod ſi contingat, ut provinciæ de induciis, pace, bello, contributionibus unanimiter decernere non poſſint, negotium omne Dominis Vicariis ſive Legatis dictarum Provinciarum unitarum committetur, ut ſententiam pronuntient: ſi autem horum operâ tranſigi non poſſit, aſſument deligentque ſibi aſſeſſores: tenebunturque partes ſententiam dictorum Vicariorum ratam habere.

X. Nulla ſociarum Provinciarum, Civitatum, membrorúmve, ſe vicinis poteſtatibus, aut regionibus fœdere junget aut devinciet, absq; dictarum ſociarum Provinciarum, & Fœderatorum conſenſu.

XI. Verùm ſi qui vicini, Principes, poteſtates, Provinciæ, aut urbes ſe concordibus his provinciis jungere & huic fœderi dare velint, communi conſenſu & conſilio recipientur.

XII. Provinciæ tenebuntur ſe accommodare conſtitutionibus, quæ de re numaria ſive monetaria decernentur.

XIII. Quod verò ad Religionem attinet, Hollandi & Zelandi pro ſuo arbitrio Religioné exercebunt reliquæ autem Provinciæ leges Religionis pacis jam conceptæ ſequentur: vel ſaltem generali ſingularíve conſenſu ſtatuent ea, quæ ad tranquillitatem ac ſalutem Provinciarum, & civitatum, membrorum ſingularium, & ad conſervationem tam Eccleſiaſticorum quàm ſecularium facere videbuntur: ut unicuique vita, fortuna, jura, integra maneant: neque id aliæ provinciæ ulla ratione impedient: quisq; enim ſuâ religione liberâ fruetur, absq; ullâ aut perſequutione, aut inquiſitione, veluti dicta Pacificatione Gandavenſi ſancitum eſt. Pòſt etiam articuli hujus latior amplior que expoſitio à Fœderatis facta eſt Calend. Februarii: nempe à dicta hac Unione nequaquam excludendas Provincias aut urbes, quæ tantùm Catholicam Romanam Religionem ſervare volent: Verùm easdem quoque recipiendas, dummodo reliquis articulis ſe obligent, ſeque ut veros patriæ amatores gerant.

XIV. Cœnobitæ & Eccleſiaſtici, omnibus ſuis bonis in dictis provinciis reciprocè fruentur, ex ſtatuto Pacificationis Gandavenſis: illis etiam, qui relictis ſuis cœnobiis in Hollandiam aut Zelandiam tempore belli confugerunt, alimenta ad vitam ſuppeditabuntur à ſuis cœnobiis ſive collegiis.

XV. Cœnobitæ & Eccleſiaſticorum collegiorum in his regionibus alumni, qui juſtam aliquam ob cauſam ſua cœnobia aut collegia relinquere volent, aut ea relinquerunt: ab iisdem alentur ad vitam, pro facultatum ſive bonorum proventu ac ſtatu. Quicunque verò poſthac ſe cœnobiis dedent, & ea rurſus relinquent, nullis fruentur alimentis: ſed ſi quid attulerunt, id aſportare poterunt. Qui verò nunc in Cœnobia aut Collegia veniunt, aut ſe eis denuntient, religionis libertatem & veſtitûs habebunt: verùm cœnobiorum Præpoſitis aliis in rebus omnibus obedientes permanebunt. Ampliatio tandem Calendis Februarii huic articulo addita eſt: de iis nempe, qui cœnobia jam reliquerant, aut adhuc relinquerent, & jus ſucceſſionis in bonis parentum, fratrum, conſanguineorum prætendere vellent, unde lites oriri poſſent, jamq; ortæ erant: ut difficultates omnes his de cauſis evitentur, decreverunt hi Fœderati, hujusmodi litibus Superſedendum eſſe, donec aliter à Fœderatis, etiam ſuperiorum, ſi neceſſe ſit, auctoritate, conſtituatur ac declaretur.

XVI. Quod ſi inter Provincias diſſenſio, aut controverſia naſcatur, ea à reliquis Provinciis aut ab earum Deputatis componetur; verùm ſi negotium ad omnes pariter provincias attineat, ab ipſis Vicariis ſive Legatis Provinciarum tranſigetur. ut & ſuprà art. IX. dictum eſt: tenebuntur autem hi partibus litigantibus Jus adminiſtrare intra menſem, aut, ſi neceſſitas urgeat, citiùs, poſt interpellationem, quæ absque ulla appellatione, reſtitutione, recognitione, nullitate, &c. continuabitur.

XVII. Fœderati cavebunt, ne extraneis Principibus, Potentatibus, Regionibus, Civitatibus anſam aliquam belli inferendi dent: ac proinde extraneis intraneisque Jus æquitasq; adminiſtrabitur; adjuvabuntq; reliqui Fœderati ſimul omnes ſedulò, ut jus bonum ac æquum reddatur, abuſus ab impoſtura avertantur, æquitas ratioq; privilegiorum ſervetur, &c.

XVIII. Nulla Unitarum Provinciarum, Urbium, aut partium, in alterius onus aut damnum, exactiones, vectigalia, commeatus, tributa, aut, alia hujusmodi onera inſtituet, neque Fœderatos ampliùs quàm ſuos incolas gravabit.

XIX. Ut autem difficultates quæ, oriri poſſent præcaventur, Fœderati libello ſive ſcripto conveniente vocari comparere tenebuntur Trajecti die conſtituto, ut aut communibus ſententiis aut ſuffragiis de rebuspublicis decernatur. Non comparentes, decreta hujusmodi nihilominus rata habere debebunt: niſi cauſa ſit magni momenti, & dilationem ferat, & mulcta ſuffragii perdendi conſtituta iterum appellentur. Illis autem, quibus comparere integrum aut oportunum non erit, ſcripto ſuam ſententiam mittere licebit.

XX. Quæcunque oborientur negotia, ea Fœderati, rebus omnibus exactè deliberatis & examinatis, ad illos, penes quos authoritas erit, perſcribent: ut ab iisdem reliquæ Provinciæ convocentur.

XXI. Si qua obſcuritas aut dubitatio in his inveniatur, unde controverſia aut diſputatio oriri queat: interpretatio penes ipſos Fœderatos erit: ſi autem ab eis componi non poſſit, Dominis Vicariis res committetur.

XXII. Si qui etiam articuli in hoc fœdere ſint mutandi vel augendi, id communi conſilio, haud aliter, fiet.

XXIII. Hoc XXIII. articulo, formulâ optimâ ſe devinciunt dictis omnibus conditionibus & articulis. &c.

XXIV. Utq; hæc certiùs ſanciantur & confirmentur, Domini Vicarii Provinciarum, & ipſi Magiſtratus, & Præfecti publicis officiis cujusq; Provinciæ, Civitatis, & Membri, hanc Unionem & Fœderis obligationem, ſingulosq; articulos, ſingulatim jurabunt, ſe ſervaturos & ſequuturos, atq; ut alii ſervent, & ſequantur, curaturos.

XXV. Jurabunt ſimiliter, ſe omnia collegia jaculatorum, fratrias atq; ſodalitates in omnibus oppidis ac locis hac Unione devinctis ſervaturos.

XXVI. Huic literæ debitâ formâ conficientur, quæ à Dominis Vicariis & præcipuis membris ac civitatibus ea de cauſa rogatis, ac interpellatis ſigillabuntur, atque ab eorundem Secretariis reſpectivè ſubſignabuntur.

Hæc propinquior Unio, atque pactio Trajectenſis, à dictarum Provinciarum Vicariis, ſive Legatis, nominatim, primò à Comite Johanne Naſſovio, Geldriæ & Zutphaniæ Gubernatore, deinde à reliquarum Provinciarum Civitatumq; delegatis, Ultrajecti XXIII. Januarii A. MDLXXIX; & à Gandavenſium Deputatis IV. Februarii ſubſignata fuit: Tertio deinde Maji à Principe Auriaco Antverpiæ comprobata: idem quoq; XI. Junii Georgius Lalainius Comes Rennenbergius, Tranſiſulaniæ, Groningæ, & vicinarum regionum Gubernator: ſimiliter Antverpia, Brugæ, Yperiæ, Breda, & aliæ Civitates unanimiter præſtitere. Hasce Unionis Ultrajectenſis leges, quæ ut initium huic Reipublicæ fecêre, ita hodie (*vide L. V. A. Herſtelde Leeuvv p. 14. ſeqq.*) pleræq; omnes accuratiſſimè adhuc obſervantur. Paulò aliis verbis & numeris hæc recitat Author Comentarioli de ſtatu Confœderatarum Provinciarum Belgii, (*ex quo Klockius noſter plerosq; hujus capitis numeros præſertim à n. 16. usq; n. 24. & iterum à n. 51. usq; ad finem mutuatus eſt, ut ipſe innuit ibidem.*) qui communiter Marco Zuerio Boxhornio adſcribitur. Verùm nec ille, nec Meteranus expreſsè capitula hîc *n. 1. & n. 4.* ex Baudio allegata, exhibet.

Num. 4.

(7) *XXI. Jul. &c.*] Meteranus *l. 10.* alii ve communiter d. XXVI. Julii ponunt. De re verò ipſa, ſive de exauctoratione Philippi II. præter Meteranum, Martinum Schoockium *de Juſt. Bel. Belg. c. 24.* alios, Strada *de Bel Belg. dec. 2. l. 4. p. 179. ſeqq.* conſulatur.

(8) *Quo Pacto &c.*] Loquitur in proximè antecedentibus Baudius de articulo Unionis Ultrajectinæ, quo ſancitum fuerat, ut omnes Provinciæ ſimul junctæ quaſi unica Provincia cenſerentur. Subjiciens: *Hoc enim pacto &c.* quæ majoris intellectûs & connexionis gratiâ hîc monere non abs re eſſe videbatur.

Num. 6.

(9) *Baudius &c. p. 44.*] Ubi addit: Quod quidem fieri licuiſſe nemo Juris humani diviniq; conſultus negaverit, ſed potiùs omnes morum ac temporum gnari, ſeriùs quàm oportuit factum eſſe aut mirabuntur aut reprehendent; quò haud longè abit Jacobus Lampadius, *part. 3. de Conſtit. Imp. Rom. Germ. c. 21. n. 12.* ubi ſic infertur: Ex ſuperioribus (*à ſe allatis*) cognoſcitur quàm abſurda ſuerit & ridicula Philippi Hiſpaniarum Regis commiſſio, qui Alvari Albano pro Gubernatore in Belgium eunti, pleniſſimâ rerum omnium, quam ipſe non habebat, poteſtatē demandavit, vel obtritis & convulſis quibuslibet privilegiis & juribus. Sed Albanus hujus impotentis mandati veſtigia ita preſſit, ut rebellarintne Belgæ, an propriam in gerenda Republica poteſtatē propugnarint, non adeò abditi ſit intellectûs. Sanè mireris, Belgas hanc ſuâ Imperii Comunionē, ubiq; privilegia appellaſſe, cum Jure proprio, non privilegiis, quæ alieno beneficio acceptò feruntur, indeq; dependent, de Regimine participarint. Junge Marcum Zuerium Boxhornium *deſcr. Reipubl. Batavic. inter Tractatus ſuos Polit. Amſtelodami A. 1663. conjunctim expreſſos, ultimum, c. 1. p. 607. ſeq.* ut & Schoockium *de Juſt. Bell. Belg. cap. 24.*

Num. 7.

(10) *Dux Albanus &c.*] Addit Baudius, ex quo hæc Lanſius deſumpſerat, *l. 2. de Induc. Bell. Belg. p. 72.* & ipſe Lanſius, monſtrum piacularibus Sacris luſtrandum, & in ſolas terrarum oras atque gentes ultimas deportandum, &c. De ſtatua, quam ſibi erexit Triumphans quaſi de Belgis, vide à me allegata ad Politici Scelerati *c. 15. pag 153.*

(11) *Deo ipſo tam manifeſto favore &c.*] Confirmat hoc Baudius *de Ind. Belli Belg. l. 1. p. 46.* Cauſam, *inquit*, (*Belgarum*) Ipſe Deus exercituum approbavit, qui tot inſignibus victoriis, tam admirandis ſucceſſibus beavit Unitas Provincias, ut fatò potiùs & miraculo, quàm humanis opibus aut conſiliis tanta rerum proſperitas tribuenda eſſe videatur. Bellum jam tot annos geritur cum Rege tam latè Domino, tot imperante ditionibus ac populis, ut vix percenſendis omnibus nominibus memoria ejus ſufficere valeat: cujus immenſis terrarum tractibus comparatum hærediolum Unitarum Provinciarum vix puncti inſtar obtinet. Interim non tantùm armis atque animis fortiter ſtant, ſed potentiâ atque authoritate, copiis atque opibus ita abundant, ut omnibus terris atque gentibus admirabili ſint documento cœleſtis curæ ac providentiæ. Hæc ſecum ruminans Amurathes III. Selimi filius Turcarum Imperator valdè conſternabatur. Cùm enim imbecillem harum Provinciarum defenſionem, adversùs Potentiſſimi Hiſpaniarum Regis vires totâ nocte animo volutaret, manè Baſſas ſuos advocabat, vocationisq; cauſas exponens, poſcebat, ut liberè cenſerent, quî tam parvæ terræ ſpatium, quale Hollandia Zelandiaque complectatur, reſiſtere valeat vi Regis Hiſpaniarum, tot Regnorum, tot Ducatuum, tot opum & divitiarum Domino? Hisce verò obmuteſcentibus nec quicquam alicujus ponderis in medium adferentibus, provocantibusq; ad Legatum Venetum, qui rerum magis gnatus Majeſtatem ſuam ea de re certiorem reddere poſſet, comparuit & ille, ſed & Ipſi

--- *Steteruntq; comæ & vox faucibus hæſit.*

ſed tandem animum colligens rebatur, ſuſtineri Provincias iſtas fulcro auxilii Reginæ Angliæ; Sed reſponſo hoc Imperator minimè contentus, exclamabat. Vah hæc Ipſa Regina domi habet, quod agat, nec parca hæc ſubſidia potentiam Regis enervare poterunt. Pergebat Legatus inquiendo, adeſſe ipſis & Franciam. Vah & hoc regnum (reſpondebat Majeſtas ſua,) bellis civilibus ſcatet ardetque illorum flammâ, cui extinguendæ ipſum ſibi vix ſuffi-

ſufficit. Adjiciebat Legatus,haud latere debere Majeſtatem ſuam, Provincias haſce ſuperbire copiâ munitiſſimarum Urbium, & fortalitiorum, magniſque fluminibus circundatas. Nec hoc negotii molem exhaurit, reponebat, quoniam Rex ille tam potens eſt,tantâque hominum multitudine abundat, ut vel virorum corporibus aggerem hiſce fluminibus ponere, & quaſi pontem ipſis, ſibi aditum, ſuperſternere haud difficulter valeret. Cùmque nullæ rationes, quæ Imperatori ſatisfacerent, in medium adferrentur; tandem, inquiebat Imperator, & ego vobis animi mei ſenſa expromam! Deus, Deus, (manus in cœlum extollens exclamabat,) ille eſt, qui Provincias illas protegit & conſervat, & extra illum nemo! Et hâc Hiſtoriâ, ſive verâ ſive fictâ, opus ſuum D. P. Pers ſub titulo *de vervvarde Adelaer en ontſtelde Leeuvv*, concludit. Cæterùm iis, quæ de Tyrannide Ducis Albani dixerat Author, lucem adferunt,tum *Apologia* Principis Auraſionenſis,tum ejusdem de Hiſpanorum & Albani Ducis Tyrannide ad Ordines Populumque Belgarum *libera Denunciatio*, XXVI. Junii Anno MDLXII. emiſſa,& Anno MDXIX. iterum typis excuſa. Huic plerique ſi non cauſam certè principium armorum à Batavis ſumptorum adſcribunt, de quo Strada *de Bell. Belg. dec. 1. lib. 7. pag. 350. 429.* & Schoockius *de Juſt. Belli cap. 21.* videantur. Notabilis eſt locus Forſtneri *in Not. Pol. ad Tacitum lib. 6. cap. 24. n. 6.* qui hîc legi meretur, quando inquit: Quò magis reprehenſione dignus eſt Philippi II. Hiſpaniarum Regis rigor, apud Hieronymum Coneſtagium; (*4. de Bell. Belg.*) Maximiliano Cæſari reſpondentis, propugnaturum ſe omni ratione ac modo authoritatem ſuam: facturumque priùs rerum ſuarum jacturam, quàm ut quicquam de reputatione ſua decedere patiatur. Sed quantum Regi nocuerit hæc aſperitas, eventus docuit. Et conſtat inter omnes, qui ferale iſtud Belgicum bellum deſcripſerunt, Alexandri Farneſii prudentiâ & moderatione atque conſiliis, à priorum Gubernatorum ratione diverſis, reliquias Belgii Regi ſervatas: quemadmodum ex diverſo auſteritati Albani Ducis,quæ populorum illorum, nec totam libertatem nec totam ſervitutem ferre aſſuetorum, rabiem concitavit, tot malorum cauſas adſcribunt penè omnes. (*Thuan. Coneſtag. Joh. Bapt. Cin. &c.*) Atque ita ferè evenire videmus, ut poſtquam vehemens aliquis & imperioſus Appius rem imperio agendam cenſuit, laſcivire magis plebem quàm ſævire, unoque arrepto aut altero quieturos cæteros arbitratus, ex amicis dubios, ex dubiis hoſtes fecerit; tandem ad Servilii aut Quinctii alicujus popularitatē confugiendum ſit; qui blandâ oratione & lenibus remediis animos concitatos mulcere,ſuſpiciones eximere,parteſque conciliare poſſit. Hinc adhuc hodie hæret in mentibus Belgarum Hiſpanica maximè Albani Tyrannis, erga quam tanto tamque immani odio flagrant, ut nihil intermittant, quò & in concionibus & ubicunque vulnus inflictum refricent; obſervavique ego, cùm Ultrajecti commorarer, etiam pueris literas diſcentibus ad legendum inter alios proponi Dialogum patris filio ſuo atrocitatem facinorum in miſeros Belgas commiſſorum exponentis; quo, ut ego reor, à teneris unguiculis concepto odio abhorrere ab inimica ſibi illa Natione cum literis diſcant, & averſionem cum lacte quaſi maternâ inbibant.

(12) *Fœderibus &c.*] Vide Authorem de Statu Fœderati Belgii Provinciarum *cap. 7. per totum.*

Num. 8.

(13) *Moderatio adverſum Regem &c.*] Prima enim Belgarum ab Hiſpanis ſeceſſio, inquit Forſtner. *in Cont. Not. Polit. ad Tacit. 12. Annal. 5. n. 3.* ad hoc Stradam atque Hadrianum citans, fidei erga Regem prætento nitebatur. Geuſii per contemptum appellati, nummum initio è cera vel ligno exſculptum, poſtea auro argentoque cuſum inſtar bullæ è collo ſuſpendebant: in cujus altera parte Philippi Regis cælata erat effigies, cum verbis, FIDELES REGI; in altera mantica viſebatur, duarum complexu manuum intercepta adſcripto ſymbolo: USQUE AD MANTICAM. *Fideles au Roy jusques à la beſace.* Quod & Schoockius *de Juſtitia Bell. Belg. cap. 11.* confirmat.

Num. 9.

(14) *Ad ultimas Indorum terras &c.*] Cùm circa Annum MDCIX. de induciis pangendis Hiſpaniæ Ordinumque Belgii legati convenirent, omni cônatu Hiſpani eò allaborabant, ut in Tractatuum illorum Fœderati Indicis navigationibus excluderentur, contrà illi ſtrenuè ſeſe huic propoſito opponentes libertatem in omnes terrarum oras navigia exercentes omnimodam retinuerunt, quemadmodum videre eſt apud Baudium *de Ind. Bell. Belgici inprimis lib. 2.* ubi *pag. 65.* ſcribit, nullâ re magis gloriam ac decus Unitarum Provinciarum, quàm quòd duos Orbis terrarum trientes commerciis ac navigationibus conjungant. Hanc libertatem lege naturæ omnibus communem, & belli tempore multis illuſtribus victoriis quæſitam non debere per conditiones Pacis eripi vel imminuuni. Nunquam fando auditum, ut à naturali jure commerciorum excluderentur cives, qui confeſſione adverſarum partium liber populus pronuntiatus eſſet &c. Confer Caſp. Ens *in Actione Belg. Pacificatoria pag. 33. & paſſim*, & Schoockii Imperium maritimum. Pertinent huc verſus illi elegantiſſimi Caſp. Barlæi *Eleg. lib. 3. pag. 242.* ſcripti ab eo in Seldeni Mare clauſum, qui ſic ſonant:

Lecta fuit cunctis Seldeni pagina Divis,
Et Superi chartis obſtupuere novis.
Quis, Neptunus ait, noſtro dare Jura profundo
Audeat, & regnis ponere clauſtra meis.
Oceanus mihi ſorte datus. Sunt cætera Fratrum.
Hîc titulo ſolo liberiore color.
Aſſenſit Citherea Seni. Nam fluctibus orta
Non paſſa eſt Tameſi ſubdere colla Deum.
Mnemoſyne veterum tabulas & ſcripta revolvens,
Hac, ait, intactas iſſe, rediſſe rates.
Phœbus, ut audaces Carolo faviſſe Poetas
Audiit, imminuit vatibus ipſe fidem.
Tum Themis, omne patet, me judice, gentibus æquor,
Inquit, & hæc noſtri lex veneranda fori.
Ultimus intonuit ſtrictis Mars horridus armis,
Et ſuperos inter talia dicta dedit:
Non terrent Batavos chartæ, non æquora voces,
Non vitreas teneat pagina ſcripta Deas.
Inveniet Gens iſta viam; quà flectere vela
Charta vetat, clauſas ira recludet aquas.

Num. 10.

(15) *Concilio Generalium Ordinum &c.*] Junge Commentariolum de ſtatu fœderat. Belgii Provin-

Provinciar. *cap. 2.* Boxhornium *de Rep. Batav. cap. 2.* Schoockium *Belg. fæder. lib. 1. cap. 14. 15. 16.*

Num. 11.

(16) *Haud diſſimile Concilio Achaicos &c.*] Vide Schoockium *d. loc. cap. 3.*

Num. 12.

(17) *Anno MDXCVII. &c.*] Teſte Meterano *lib. 18.*

Num. 13.

(18) *Conſilium Status &c.*] Adde Schoockium *citato loco cap. 17.*

Num. 16.

(19) *Opes &c.*] Numerus 16. cum ſeqq. ad numerum 24. usque, ut jam diximus, Caput Quintum Commentarioli de Statu Fœder. Belg. complectuntur.

Num. 17.

(20) *Ne quis arma &c.*] Arma privatis mercatoribus, de Jure Civili non licebat vendere, emere, vel transferre; ſolùm enim fieri & vendi à privatis cultellos minores, qui parvæ macheræ dicuntur, permiſſum fuit, quibus nullus in prælio utitur. *Nov. 85. de armis cap. 1. & Gl. rubric. C. de Fabricenſ.* Imò antiquitus lege Juliâ Majeſt. tenebatur, cujus operâ hoſtes populi Romani armis, telis, equis, pecuniâ, aliâve quâdam re adjuti erant, *l. 4 ff. ad L. Jul. Majeſt.* De jure verò Canonico venditores ejusmodi, uti de Jure Civili confiſcatione omnium bonorum & capitis pœnâ multabantur & puniebantur, ſic excommunicari jubentur, & ſervi capientium efficiuntur, *c. ita quorundam 6. c. ad liberandum 17. extra de Judæis.* Atque hujusmodi prohibitionis, à barbaris, de quibus Jura loquuntur, ad omnes hoſtes etiam inter populos Chriſtianum nomen profitentes, peſſimo luctuoſiſſimoque exemplo inter ſe belligerantes, tractas, adhuc hodiè frequentari notius quàm notum eſt, & exempla teſtantur. Hujusmodi prohibitiones quoque ſuppoſito bello legitimo, meritò ſuſtineri, probatur in Collegio Argentoratenſi *ad L. Jul. de vi publica θ. 10. n. 11.* & à Tabore in Armamentario Juſtinianeo *cap. 2.* cui D. Marquardus *de Jure Mercatorum lib. 2. cap. 1. n. 46. ſeqq.* adjungatur, qui docet, vocari has Res *Marchandiſes de Contrebande.* Talis prohibitio vigore pacis inter Franciæ Hiſpaniæve Coronas Anno MDCLXIX. initæ, ratihabetur, inter dictas Coronas; quod teſtatum faciunt Tractatus illius *art. 11.* & *art. 12.* ubi hæc habentur: Transportatio illa *(de quâ antè mentio facta erat)* & mercatura ſemet extendet ad omnis generis res vendibiles atque merces, quæ liberè transportantur atque tutò in illa regna, regiones, & ſtatus, poſtquam ea armis cum Hiſpania decertent; ita tamen, ut nihilominus, quamdiu dictum bellum duraverit, ſubditi Regis Chriſtianiſſimi merces, in Statibus Regis Catholici provenientes, tales, quæ contra ſe & ſtatus ſuos uſui eſſe poſſint, maximè verò merces illas prohibitas, quæ ſub nomine *Marchandiſes de Contrebande* veniunt, illuc apportare abſtineant. Sub hujusmodi mercibus prohibitis, ſive de *Contre-bande*, comprehenſæ ſolummodò intelliguntur omnis generis Machinæ ignivomæ, & alia huc pertinentia inſtrumenta: v. g. Tormenta ænea majora, ſclopeta, mortaria, exoſtræ, globi incendiarii, granatæ, fauciſſæ, coronæ & ſerta picea, tormentorum bellicorum fulcimina lignea, ſclopetariorum furcillæ, coramina ad pulveris ac plumbi menſuras reponendas apta, pulvis pyrius, funes incendiarii, ſal nitrum, glandes, longiores haſtæ, gladii, caſſides, galeæ, loricæ, bipennes, fariſſæ, equi, ephippia, bulgæ quibus ſclopi inſeruntur, baltei, aliaque hujus farinæ ad bellum ſpectantia. De utilitate verò Licentiarum in Belgio introductarum Meteranus *lib. 16. Hiſtoriæ ſuæ* legatur.

Num. 20.

(21) *Brabantiæ & Flandriæ &c.*] Quales ſunt, Bergæ ad Zomam, Sternberga, Lilloa arx, Wilhelmi oppidum, Gravia, Sylva-Ducis, Trajectum ad Moſam; Sluſa, Axella, Terneuſium, Birfletum, Stodenburgum, Middelburgum, Yſendyckium, &c. quæ Joh. de Laet *in Belgiæ deſcriptione* memorat.

(22) *In præda militari &c.*] Quàm variè olim prædæ ab hoſtibus captæ multas apud Gentes diviſæ fuerint, monſtrat acutiſſimus Belga Hugo Grotius *de J. B. & P. lib. 3. cap. 6.* & Beſoldus *de arte Jureq; Belli cap. 8. n. 3.* Circa quod nunc uniuscujusque Reipublicæ liberæ mos vel maximè inſpiciendus. At verò Belgis non tantùm publico milite prædas facere in uſu fuiſſe, ſed etiam privatis hoſti nocendi licentiam indultam, & ad id publico nomine auctoratam ſuperiora belli tempora docuerunt. Tales inſidiatores hoſtilium navium in proprium commodum convertendis, Caep-Vaerders/ uti eorum profeſſio Caperye aut Vrye-Neerinck/ audiunt; quam uti ſecundùm jus Poli *(verba ſunt Schoockii de Imp. marit. cap. 23.)* hîc non examinamus; (novimus enim bellum non eſſe gerendum, propter prædam ſolam, nec illud eſſe convertendum in excidium privatorum, qui ſæpè ingemiſcunt illud motum eſſe ab iis, quibus ſolis jus eſt publicè hoc indicere) ita ſolummodò notamus eam aut toleratam, aut permiſſam à ſupremis poteſtatibus, admodùm antehac præjudicioſam fuiſſe Hiſpanorum per mare potentiæ, atque exiſtimationem fœderatorum Belgarum mirum quàm auxiſſe. Ut enim privata magis quàm publica ſentiri ſolent; ſic is publicè in armis plurimùm poſſe creditur, cujus potentiam quàm plurimi cum ſuo malo & damno ſentiunt. Hactenus Schoockius, cujus verba ſequentia vide, & ei laudatum jam Grotium *d. loc. lib. 3. cap. 18.* junge.

Num. 22.

(23) *Ita Galli &c.*] Varia Gallorum cum Belgis, tempore Cardinalium Richelii & Mazarini, inita pacta de ſubſidio Batavis in bellum Hiſpanicum mittendo, exhibentur & ſubjunguntur Horum miniſterio latinè deſcripto; videlicet Transactio Hagæ Comitis XVII. Junii Anno MDCXXX. cap. 9. Pacta Confœderationis inter Ludovicum XIII. R. G. & N. & Ordines Fœderatos ibid. Anno MDCXXXIV. die XVI. Aprilis cap. 22. eadem die VIII. Febr. An. MDCXXXV. repetita & extenſa Pariſiis, cap. 43. Item Transactio de ſubſidio duodecies centies millibus librarum, quæ Rex dat Ordinibus Unitarum Provinciarum die IX. Febr. Anno MDCXXXVII. cap. 33. & Anno MDCXXXIX. cap. 37. Porrò pacta confœderationis inter Regem Ludovicum XIV. & Ordines Generales de Anno MDCXLIV. cap. 68. inita & concluſa. Quibus Boxhornii *Diſquiſitionem Polit. 5.* adde.

(24) *Hodieq; &c.*] Scilicet cùm ea Author Commentarioli de Statu Fœderati Belgii ſcriberet.

Num. 24.

(25) *Ex vectigalibus &c.]* Quæ aliis in locis publicæ opes naturæ debentur, hîc debentur (*dicente Marco Zuerio Boxhornio de Republ. Batav. cap. 8.*) inſtituto; Inſtitutum autem illud circa vectigalia verſatur: ſunt autem vectigalia duorum generum; quædam rerum, quæ advehuntur, & evehuntur; quædam rerum, quæ ab ipſis incolis conſumuntur: Illis præter incolas etiam exteri, his incolæ tantùm onerantur: Illa quod ſpectat, pro mercium pretio majora ſunt vel minora, ſuntque in ſingulis Bataviæ portubus conſtituti, qui eorum ex fide colligendorũ habent rationem. In vectigalibus impoſitis rebus, quæ, ut diximus, ab ipſis incolis conſumuntur, varias eorum ſpecies, varias formas obſervare licet. Vix enim quidquam tam leve eſt, tam nullius ponderis, cujus nomine vectigal non ſit ſolvendum. Id autem obſervatione longè digniſſimum, ita ordinatam eſſe vectigalium illorum rationem, ut, quæ graviſſima ſunt, ditiores tantùm, & potentiores contingant, quemadmodum in vectigalibus, vino, agris, prædiis, domibus, aliisque hujusmodi rebus impoſitis unicuique facilè patere poteſt: jam autem qui vino utitur, & qui domos, agros, prædia propria, ac ſua habet, facilè eorum nomine aliquid in publicum effundere poteſt.

(26) *Piſcibus, lignis, ſali &c.]* Quamvis videatur id iniquè peti, cùm res, quæ in proprios uſus, præſertim victûs & corporis tuendi causâ deferuntur, meritò à vectigalibus immunes eſſe debeant, *l.5.C.de vectig.& commiſ.l.4.§.1.ff.de publ. & vectig.* Henricus Klock *Diſcept. de Jure vectigal. &.46.ſeqq.* Surdus *de Aliment. tit.8.priv. 19.n.3.* Attamen & neceſſitas & conſuetudo, collectarum magiſtra, in eo genere Datii ſeu Impoſitionis, quod conſumendis impoſuit, hodiè per Europam ferè receſſit ab iſto jure, & ſine uſus proprii aut alieni intuitu mercibus impoſuit vectigal. De cujus æquitate, an pro uſu Reipubl. id fiat, haud nimiùm diſputo, in eo veſtigia Dn. Marquardi *de J. Mercat. lib.2. cap.3. n.72.* legens. Inde Simon à Grœnewegen *de Legibus abrog. in Hollandia ad titulum Codicis de Vectig. & commiſ. ad rubr.* de Belgio in ſpecie hæc notat: Nulli Gentium pro libertate plura atque majora vectigalia, atque impoſitiones perſolvunt, quàm Batavi noſtri: de his multa extant edicta (Placcaten van de gemeene Middelen) quibus utimur, non autem hujus tituli legibus. *vide infrà notata ad numerum 73. hoc capite.*

Num. 31.

(27) *Piſcationis annuum proventum &c.]* Iſta halecum piſcatio quantum operæ pretium, quantam Reipubl. Hollandicæ utilitatem præſtet, quo ore efferam, (*inquit Hadrianus Junius Batav. Hiſtor. cap. 15. pag. 345.*) ignoro, quando non unius, ſed plurium civitatum ſalus & fortuna inde pendere propemodum videantur: inde plebs urbana pariter & ruſtica victum quærunt, æs alienum diſſolvunt, familias ſuſtentant, opes qualescunque conquirunt, aut partas tuentur. Conſtat namque Oudewateram, Wœrdenum, Roterodamum, Sciedamum, Brielam, neque ignobilia, neque exilia oppida (ut de aliis taceam) præcipuas inde fortunas traxiſſe, plebem omnem propemodum in texendis tragulis, everriculis, ſagenis, reliquoque inſtrumento omni reticulato, quo piſcatio inſtituitur, item in torquendis reſtibus, unde retia plectuntur, toto anno occupatam habere. Ex quo facilè æſtimare poteſt quivis, quantum momenti ad omnia poſitum ſit in hujus piſcationis fauſta vel adverſa captura, de qua dici poteſt, quod de Fortuna extulit Plinius, quòd utramque paginam faciat. Nam cum ſecunda piſcatione decreſcit minuiturque rerum omnium fermè edulium pretium, adversâ augeſcit atque intenditur: neque ſola hujusce tunc calamitatis vim regio noſtra experitur, quinimo & ad alias celeriter tranſit doloris ſenſus, eò quòd in magnam Europæ partem diffundatur ea merx, utcunque res ceciderint, vendibilis & expedita. Atq; ex una piſcatura Halecũ, quæ ex Arctoi maris latebris (in nullo enim flumine, neque mari mediterraneo, ſed ſolo Septentrionali Oceano reperiuntur) præcipitante jam vere, velut commutatis ſedibus, tantâ multitudine, ut oppoſitis retibus ſiſti nequeat eorum impetus, in æſtiva contendunt, palabundi, in Hollandia quotannis unum millionem, & quatuor centena ac ſeptuaginta millia confici ajunt. Marquardus *de J. Mercat. lib. 2. cap. 3. num. 74.* quem vide.

Num. 32.

(28) *Zelandi &c.]* Ad quorum Provinciam ex unius halecis ſaliti & fumigati copia, eorumque extra provinciam exportatione plus CC. florenorum millia redire, idem ex Thuano ſcribit.

(29) *Conceſſerunt Angli &c.]* Vide Seldenum *de mar. clauſo lib. 2. cap. 21.* Loccenium *de Jure marit. lib. 1. cap. 9. §. 4.*

(30) *Chiliades captura halecum &c.]* V. D. H. author ſcripti Belgici, cujus titulus *Intereſt van Holland cap. 5.* aſſerit, annuè plus quàm tria millia onerum (*ein* Laſt *vocant, quorum quodlibet duodecim tonnas, tonna verò mille halecos continet. Heniſchius de aſſe pag. 139.*) ſalitorum piſcium ſive Harengorum ab Hollandis capi atque conſumi. Dein verſus Septentrionem quotannis, plus quàm ducenta hominum millia ex Hollandia ad capturam Balænarum ſolvere. Hinc ſi rectè calculus ponatur, & conſideretur, quòd naves omnes illic ædificentur, funes, reſtes, retiaque cum tonnis reficiantur, nec non ſal ſuppeditetur, facilè colligi poſſe, incredibilem hominum multitudinem ex eo vitam trahere, vel maximè ſi addatur, quòd & homines illi omnes indigeant eſu, potu, veſtimentis, domibus, & per univerſum mundi tractum capti per Hollandos piſces circumferantur. Quæ dictus ille Author ex relatione Gualteri Raleigii ibidem confirmat. Cæterùm de Legibus circa capturam Halecum Schoockius *Belg. Fœder. lib. 8. cap. 2.* conſulatur.

Num. 33.

(31) *Guilhelmus Buckeldius &c.]* Vide Boxhornium *in Theatro Hollandiæ pag. 44.*

Num. 36.

(32) *Hollandia &c.]* Hollandiæ ſolius reditus duodecim millionibus florenorum (quorum quilibet valet baciones novem) conſtitiſſe Anno MDCXLIII. ex Liewe de Aisma refert V. D. H. *in Intereſt van Holland cap. 2.*

Num. 38.

(33) *In aquis fines poſſeſſionum &c.]* Cujus rei vel maximè teſtis eſt Hollandia Septentrionalis, vulgò Weſt-Friesland, & in ea de Beemſter, Wormer, Purmer &c.

Num. 39.

(34) *Amſtelodamum &c.]*

Urbs ſpatioſa, potens opibus, tectisq; ſuperba,
Viribus invidiam, crimina lege domat.

Civibus

Civibus aucta novis nunquam ſtat finibus iisdem,
Latiùs expanſis mœnibus hoſpes abit.
Invertas, fit tota nemus, quo condita fundo eſt,
Nuper Hyberboreo priùs in orbe fuit.
Quicquid mortalis fingit ſolertia curæ,
Vel natura ſuæ parturit alma ſinu,
Illa dabit, totoq; parans commercia mundo
Nunc emere, & totam vendere ſemet amat.
Has adfert, has tendit opes, ſic lucra parantur.
Quid valeat fraus, ſors, ars, mare, terra, docet.
Moſchus, Arabs, Perſæ, Maurus, Judæus uterq;
Quod ferat huc, rurſusq; auferat, Indus habet.
Hanc dum mundus adit, mundumq; hæc ipſa pererrat,
Non urbs fixa loco, ſed vagus Orbis erit.

Sic urbium Hollandicarum Reginam decantat Barlæus. Hanc tam potentem, tam ſuperbam urbem, illam ipſam fuiſſe ſcopulum illum, ad quem Gubernatores olim Hollandiæ allecti Auriaci Principes, allíderent, viique ventorum impotentium gubernaculum ab Anno inde MDCL. amitterent, à multis creditum eſt. Cui haud minimam cauſam conatus ſubjugandi illam urbem Principis Guilielmi II. (qui natus An. MDCXXVI. & Anno MDCL. mortuus) fortaſſis præbuit. De quo inſultu cùm parùm modernæ Hiſtoriæ ſcriptores plerique in monumenta ſua retulerint, eum hoc loco juxta ductum & ferè verba Authoris van de Herſtelde Leeuw. *pag. 73. ſeqq.* ſecutus penſiculatiùs hîc ſubjungere haud abs re viſum fuit. Hoc modo verò dictus Author, cùm de controverſiis quibusdam in Senatu Ordinum in diſquiſitionem vocatis antea dixiſſet, negotium illud deſcribit: Cùm res hæ eo in ſtatu eſſent, atque unicuique videretur mentem ſe ſuam ſufficienter explicaſſe, porrò nemo alteri cedere vellet, Celſitudo Sua (Principis Auriaci) negotium magni ponderis aggreſſa, arreſto nempe conſtringendi membra quædam Comitiorum Hollandiæ, & armis Urbem Amſtelodamenſem in ordinem redigendi. Eum in finem jam dum ante aliquot dies ſecretò patentibus literis in mandatis quibusdam Equitum Noviomagi, Arnhemii, & alíorſum, dedit, ut ad diem Sabbathi ſummo mane XXX. Julii ante portam Amſtelodamenſem comparerent. Præſidiarii Ultrajectini ſub prætextu Principiſſam Regiam excipiendi die Veneris jam antè viæ ſe dederant. Comes Guilielmus die Veneris, qui erat XXIX. Julii à Meridie Hagâ exibat & circa medium noctis Abcoviæ commorabatur, ad quem locum Dominus de Somerdyck & Baro à Dona cum turmis Equitum quatuor ſtatâ horâ ſe ſiſtebant; at alii Noviomagenſes Arnhemienſesque Equites in Velavia viâ aberrabant; cujus culpæ reus Equitum Magiſter Momius putatur; quamvis Dominus à Somerdyck ipſe ille erat, qui univerſis turmis imperio præeſſet. Cui & hic error ſupervenit quoque, quòd Momius de ipſo conatu, præterquam quòd milites Abcoviam deduceret, certior redditus haud fuiſſet, nec in mandatis peregrinantes detinendi haberet. Unde factum, ut Tabellarius ſive Curſor Hamburgenſis, veniens ad turmas ſuas, minimè detineretur, verùm pergens, Amſtelodamum manè attingeret, novellarumque loco primùm Poſtarum Magiſtro prope domum conventûs Mercatorum vulgò *Burſam*, dein Dn. à Swiete illius Urbis Conſuli, incidiſſe ſe ſub diluculum in mille Equites, (quos Lotharingicos perhibebat) Amſtelodamum tenentes, enarraret. Conſul ille vigiliarum Præfectum ad ſe vocabat, curabatque ut pontes ſubductiles attraherentur, vigilum numerus augeretur, atque ſtatim in Curiam ſe proripiens, (cùm ille ſolus Conſulum præſtò eſſet, altero vel abſente, vel ægrotante, vel mortuo) in mandatis dabat, ut tormenta bellica in aggeribus ſiſterentur, Civesque ad arma currerent. Interim & cæteræ Equitum turmæ adventabant; & celebrato conſilio bellico Comes Guilielmus pergebat, & ſeriùs horis pomeridianis, juxta Amſtelam incedens Amſtelodamo appropinquabat. Conatus ipſius & mandatum eò collimabat, ut pedetentim per portam Sanct-Antonianam ingrederet, cùm vel maximè minùs uſitatum Amſtelodami erat, vel vigilias accuratiùs agere, vel ſcrupuloſè unde quis adventaret inquirere; hoc præſuppoſito, ut aliàs ita nec nunc forè ut impediretur, inprimis tempore illo matutino, & cùm pauci hominum adhuc præſtò eſſent. Quidam Capitaenus vigilum Præfectus Gallus *Jentilot* nomine die Veneris veſperi unà cum quinquaginta viris ex variis nationibus (poſtulabat quidem Princeps, ut ſolos Gallos aſſumeret; ſed ne majus nationi ſuæ odium conciliaret, petebat & impetrabat, ut liberum eligendi quascunque nationes foret) ab ipſo ſelectis, inter quos tamen multi Præfecti militares erant, gladio, & ſclopis in ſacco abſconditis armati, Ultrajecto in navi helciaria adpropinquabat: qui in mandatis habebat, ut manè Amſtelodamum veniens ſine tumultu Portam occuparent. Dixerat mihi ille ipſe, injunctû ſibi fuiſſe, quòd nullam planè hoſtiliditatē exerceret, nec exploderet ſclopos, etiamſi in ipſos bombardæ exonerentur; Equites eodem modo intrantes in mandatis acceperant, ut ipſi quoque nil quicquam hoſtiliter facerent, & etiamſi in ipſos explodantur ſclopi, contrà non explodérent (niſi cives modum planè excederent: eo autem caſu de jure defenſio licita & à Principe permiſſa erat) ſed unumquemque certiorem redderent, ſe bono Civitatis ſtatûsque amicos venire, ut concordiam Pacemque inter Provincias in genere, & ſpecialiter inter membra Hollandiæ conſervarent; Hocque modo lentè & ritè procedentes, Curiam in ſuam poteſtatem redigerent, & præſidio ſuo firmarent, tunc Celſitudo ſua ſequeretur, poſteaquam nonnullos Senatores ſibi iniquiores removiſſet, cæteros concordes, ratione intercedentium controverſiarum, reddidiſſet. Quilibet Equitum Magiſter ducentos aut trecentos Ducatos in auro in ſacculo ſuo habebat, quo equitibus (quorum plerique, ſi non omnes, citiùs & ſine pecunia aut commeatu equos conſcenderant) in caſu neceſſitatis providerent, & eos ſuſtinerent, aliis dixerant, quo unum alterúmve ex plebe. qui fortè in Porta ſeſe oppoſituri erant, demulcerent & in partes ſuas pertraherent. Jentilot in tempore ad condictum pervenerat locum, at ex jam allata cauſa nil quicquam de Comite Guilielmo perceperat. Guilielmus tandem ſuperveniens portas clauſas & civitatem in armis reperiens, omnino nihil tentabat; ſed literas quasdam Celſitudinis ſuæ, per Nobilem quendam Magiſtratui mittebat, ſequentis tenoris:

Honoratiſſimi, Prudentiſſimi, ſpectabiles, Amici optimi &c. Cùm nuperrimè, pro bono Provinciarum, in Urbe veſtra eſſemus, à vobis tam inhumaniter habiti fuimus, ut nunc, ne ſimili tractationi nos obnoxios redderemus, Comitem Guilielmum cum turmis ſuis in Urbem veſtram miſeri-

miſerimus, cum mandatis, ut illic omnia ſic parata & quieta reddat, ne in proponendo eo, quod Nos vobis ad bonum Provinciarum unicè tendens indicemus, ab uno alteróve perverſa ſentiente, impediamur. In quo ut vos Nobis manum porrigere velitis, percupimus. De eo planè certiores, Protectioni Altiſſimi vos commendamus, permanemusque Veſter bonus Amicus. Inferiùs ſcriptum erat G.P. Orange. Datum Hagæ XXIX. Julii Anno MDCL. Poſteaquam Magiſtratus ea de re deliberaverat & conſultaverat, à meridie celoce armis inſtructâ Dominus Huydekooper, Dominus à Marſeveen, & Scabinus Verdoes urbe excedebant, appellentesque in via Amſtolana prope prædium Dn. Dirck Wittiers, vulgò Welna, repererunt ſuam Excellentiam, Comitem Guilielmum, aſſociatis præfectis militaribus, ſtante in circulo ſub dio, quem reverenter ſalutatum Dn. Huydekooper ſic alloquebatur:

Generoſe Domine, ægrè ferimus, quòd oporteat Excellentiæ Veſtræ in hiſce incommoditatibus nos congratulatum venire:

Dominis Conſulibus literæ Suæ Celſitudinis Principis Auraſionenſis de dato hujus XXIX. Julii, quas per Excellentiam Veſtram in Urbem illorum miſerat, ritè traditæ fuêre, verùm optaſſent, ut tam ſplendidè concomitati haud fuiſſent, ea propter neceſſe duxerunt ſtatim Senatores convocare eorumque Amplitudinibus illas communicare, quo coadunato conſilio, hoc rerum ſtatu, quid reſpondendum foret, decernerent; Quæ maximè conducere cenſebant, ex medio illorum aliquib9, Domino nempe Van der Does, mihique injungere, hoc reſponſi Excellentiæ veſtræ referre; quòd nempe Amplitudines ipſorum (certiores factæ, quantus numerus Equitum peditumque urbi ſuæ appropinquaret) expreſſum quempiam ad Deputatos ipſorum, & ad ſuas Nobiles Præpotentias, Hagæ Comitis congregatas, ſtatim delegarint, qui Nobilium Præpotentiarum ſuarum conſilium & informationem expeteret, unde Amplitudinibus ſuis ſine illarum maximi momenti ſententiâ, nunc temporis, reſpondere ad Celſitudinis ſuæ literas integrum haud eſſe; Rogare ſe interim amicè planè atque ſeriò, ut interim Excellentia ſua urbi ipſorum parcat, nec propiùs accedat, ne aliàs Amplitudines ſuæ eò redigantur, ut Urbem ſuam omnibus poſſibilibus mediis atque armis, quæ Deus & Natura Ipſis conceſſit, defendant.

Quo inexſpectato Reſponſo Excellentia ſua perturbata, per aliquod longius temporis ſpatium ſilens perſiſtebat, indeque Domino Huydekooper viſum fuit iterare verba ſua dicendo: Domine, quicquid Excellentiæ Veſtræ retulimus, planè id eſt, quod nobis Domini noſtri Principales concrediderunt, & quantum ad me in particulari, Excellentiæ Veſtræ amicè ſubmiſsèque ſuaſerim, ut quantum poterit commodè hinc recedat, cùm Excellentia Veſtra hîc loci extra ingens periculum poſita haud ſit, inprimis cùm Urbs noſtra variis nationibus, & miris ingeniis, repleta ſit, quæ erumpentes, fortaſsè quid tentarent, quod Excellentiæ veſtræ ruinam acceleraret, nobis minimè gratum acceptumque foret; quoniam illic hujusmodi verba ſparguntur, ob quæ Domini Regentes intermittere haud poſſent, verùm neceſſitate cogerentur uti iis mediis armisque, quæ Deo & Naturæ Amplitudinibus ſuis ſuppeditare placuit. Silens aliquantum ad hæc Excellentia ſua tandem reſpondebat. Quicquid negotii pro nunc ſuſcepi, illud ipſum voluntas mandatumque eſt, quod Celſitudini ſuæ mihi committere placuit, non intermittam hæc ſuæ Celſitudini referre. Poſtquam igitur amicè ritèque hinc inde partes ſibi invicem valedixerant, Delegati ad ſuos reverterunt Principales, Excellentia verò ſua versùs Oudenkerckam gradum retrahebat. In Urbe contrà tympana ſonabant, milites conſcribebantur pro diurno ſtipendio X. ſtüverorum, cæteraque ad propugnationem pertinentia adſtruebantur. Illa ad Urbes Hollandiæ literas mittebat, rogitans ut illæ ad ſe delegatos mittere, & Amſtelodami convenire vellent. Quæ omnia & ſingula geſta ſunt die Sabbathi in Urbe & ante Urbem Amſtelodamenſem, anno ſuprà dicto. Quamvis igitur & plures milites Hagæ Ipſe Princeps Guilielmus congregaret, aliquot ex Deputatis Ordinum Hollandiæ detineret quaſi captivos, ſcripto ad Ordines Hollandiæ intentionem ſuam declararet, Ipſe XXXI. Julii conſcenſo equo Amſtelodamum versùs pergeret, tandem tamen res illa Transactione finita & obſidio ſoluta fuit. Prout hæc omnia Author illius libri, cui titulus de Herſtelde Leeuw, latiùs unà cum articulis Transactionis *à pagina inde 73. usq; ad pag. 86. ubi videri poterunt*, exponit. Certè mox VI. Novembris ejusdem Anni MDCL. ætatis anno XXIV. Guilielmo Principe mortuo tantum gaudium aliquos corripuit, ut nonnulli Amſtelodami largiùs eleemoſynas diſpartirent, & inter alia à Diaconis inter concionandum colligebantur in ſacculo aliquot aurei numi unà cum hiſce verſiculis:

De Prins is doodt, Noyt bleyder Maer,
Myn Gaef vergroot, In tachentigh Jaer.

i. e. *Mortuus eſt Princeps, ſic nunc mea munera creſcunt,*
Octoginta annus abhinc lætiſſima verba hæc!

Num. 39.

(35) *Authoritatis & Dignitatis eſt &c.]* Addamus ipſa verba Baudii *d. loc. pag. 175.* cùm ad commendationem ocelli illius Orbis Belgici facientia, cùm Amſtelodamum hoc encomio mactat: Civitas amans patriæ libertatis, & obſervantiſſima Religionis, optimis fundata legibus atque inſtitutis, magnæque in Republica dignationis & authoritatis, tum propter opinionem multiplicis prudentiæ & experientiæ, quòd ad eos ex omnibus mundi partibus nuntii rerum deferuntur, tum ob ignotum argenti & auri pondus, quod in commune conferunt.

Num. 41.

(36) *Illas autem pecunias &c.]* Ordines autem ipſi, *inquit Pontanus alleg. lib. 3. cap. 8. (qui omninò videatur, majori Ordine, quod ſparſit Klockius adfert, enarrans,)* cùm, ut ſuprà meminimus, plurimas etiam & ingentes ex vectigalibus, ſive impoſtis intra Urbis pomœria pecunias accipiant, earum ex Magiſtratu aut Civibus ſpectatiſſimus Quæſtor ab iis conſtituitur; ad quem omnis ea pecuniæ vis defertur. Undè & expenſi, &c. redit &c. *ut pergit Pontanus & Author noſter.*

Num. 42.

(37) *Qui pecuniis navium merciumq; &c.]* Connexionem harum cum ſuperioribus pete à Pontani citato loco.

Num. 47.

(38) *Lipſius &c.]* Magni Lipſii vitam deſcriptam vide apud Joh. Meurſium *Athen. Batav. lib. 2.*

lib. 2. pag. 100. ſeqq. & Nic. Vernulæum *in deſcr. Acad. Lovanienſis pag. 311.* Aubertum Miræum, & qui vitam ab eo conſcriptam Lipſianam in compendium redegit, Franc. Swertium, ſubjunctam Floribus Lipſianis, ab eo ex operibus illius excerptis.

Num. 49.

(39) *Pax Gentium &c.*] Vel maximè nunc hæc ſe ita habent, poſtquam longâ quiete Belgæ ſic vires ſuas firmârunt, ut nec domi hoſtem ſuum formident, ſed & externis, vel ſponte vel laceſſiti, bellis impliciti, nunquam non formidandi exiſtant; quinimò & circa pacis negotia mediatio illorum expetatur ſæpè, rarò reprobetur. Quod ipſum præteritis annis, cum de Pace inter Gallum atque Hiſpanum negotium intercederet his verſiculis innuit nonnemo:

Præſcripſit Pacis Leges Hollandia Suecis,
Edixit Leges, & tibi Dane, pares;
Nunc etiam Gallis & ibero ponit eaſdem,
Ni Pacem faciant, arma minata ſua.
Per populos dare jura volentes, Regia res eſt,
Sed dare per Reges, Batave, jura tuum eſt.

Num. 50.

(40) *Nondum ſit publicè divulgatus &c.*] Scilicet tunc temporis, cùm Klockius hæc ſcriberet, ſed nunc iterum iterumque typis publicis deſcriptus, ſicut Anno MDCLIV. quartùm prodiret, omnium Politicorum manibus teritur. Neque alia recentior & accuratior, præſertim quoad regimen publicum & onera Belgica, deſcriptio prodiit. Quapropter & nobis multa his locis annotare nec lubet, nec licet.

Num. 52.

(41) *Subinde non item &c.*] Obſervandum enim in ordinariis tributis, (*Belgii*) quòd illa ſubinde pro rerum ac temporum neceſſitate increſcere ſoleant, atque adaugeri, quod profectò fit quàm prudentiſſimè; enimverò præſtat invetera-ta illa tributa augere, quàm nova imponere. Novum enim novi oneris & plurimùm plebi eſt inviſum: Onus autem, quod veteri additur, propter conſuetudinem non difficulter toleratur. Sic cenſet Boxhornius *de Republ. Batavica cap. 9. pag. 621.*

Num. 54.

(42) *Ex infinita quadam hominum frequentia &c.*] V. D. H. *in Intereſt, van Hollandt/ cap. 8.* docet, Anno MDCXXII. cùm cenſus hic indiceretur omnibus Hollandiæ incolis, exceptis ſolùm captivis, vagabundis, & qui ultra alteram lineæ partem peregrè aberant, nec non omnibus Forenſibus; cenſa tunc fuiſſe in partibus Hollandiæ Borealis capita 481934 Cui Author ille accenſet in Friſia Occidentali capita 120483, & ſic numerat capita in ſola Hollandia & Weſt Friſia huic oneri ſubjecta 602417. addit tamen, hodie facilè reperiri homines hanc Provinciam inhabitantes 2400000.

Num. 59.

(43) *Minor &c. familia &c.*] Sanè familias ſingulas modicas Civium, duobus ferè florenis quotannis, hujus Tributi nomine, publico ſatisfacere teneri, teſtis eſt Boxhornius *de Republ. Batav. cap. 9. pag. 621.*

Num. 62.

(44) *Caupones & Tabernarii &c.*] Rationem illius inſtituti Boxhornius *d. loco* hanc reddit, quòd grande illud cauponum vectigal non tam neceſſariis rebus, quorum onera ferè moroſiùs ferre ſolent, quàm revera ſuperfluæ, quum intermittere quisque poteſt, impoſitum eſt vivendi voluptati, nec nimium id exiſtimat ille, qui propter plura non intermiſſurus eſſet illas vitæ ſuæ delitias.

Num. 64.

(45) *Vectigal vinorum aduſtorum &c.*] Præmittit Author Commentarioli vectigal vinarium his verbis: Vectigal vini Gallici conſtat aſſibus ſex in ſingulas amphoras ſive ſtopas, ut vocant; Rhenani verò, Hiſpanici, & id genus aliorum vinorum vectigal conſtat aſſibus duodecim in ſtopas ſingulas, & dein ſubjungit, quæ Klockius in n. ſeqq. habet.

Num. 69.

(46) *Vectigal ceſpitum &c.*] Quum enim in fœderatis Provinciis maxima ſit ſylvarum penuria, nec, quæ ſunt contra frigus ſufficientia præſidia omnibus ſuppeditare queant: DEUS admirabili ratione hisce regionibus ſuccurrit, terram ſic præparando, ut ex ea glebæ erui poſſint, quæ teſſellatim diviſæ dein, aut vento aut Sole ſiccatæ abunde ſufficiunt alendo igni in omnium, etiam tenuiorum, focis. Materia illa non tantùm bitumine terreo, ſed etiam ſulphure conſtat, inquilinisque harum regionum idem præſidium præſtat, quod lithanthraces Britannis, Leodienſib9, aliisve vicinis populis. Uſtibiles hæ glebæ non inconvenienter à viris doctis, ceſpites bituminoſi vocantur, vulgò *turffen* aut *torffen*; ut & loca, è quibus eruuntur *Veenen.* Schoockius *in Belgio Fœder. lib. 8. cap. 13.* qui ibi plura lectu digna annotat, & ſingulari tractatu materiam hanc exequutus eſt.

Num. 73.

(47) *Sex Florenis &c.*] Sive uſitatis noſtris florenis tribus, cum bacionibus novem, ſive cruciferos XXXVI.

(48) *Retinere &c.*] Addenda huc & inter numerum 74. Quæ porrò Author Commentarioli recenſet *cap. 12. num. 24. ſeqq.* Nempe Vectigal Frumenti, quod in Hollandia molendinorum ope frangitur, omnesque incolæ ſine diſcrimine ſolvere tenentur, conſtat ſexaginta tribus florenis & duodecim aſſibus pro laſta tritici: triginta & uno florenis, & ſexdecim aſſibus pro laſta ſiliginis: viginti & uno florenis & quatuor aſſibus pro laſta hordei, avenæ decorticatæ, & fabarum, quæ in furno coquuntur: undecim florenis & quindecim aſſibus pro laſta fagopyri.

Vectigal Beſtiarum, quod omnes incolæ ſine diſcrimine ſolvere tenentur: videlicet boum, vaccarum, vitulorum, ovium, agnorum, & porcorum, qui mactationi deſtinantur, conſtat ſeptimo numo pretii, quo venduntur, ſic pro beſtia, quæ LXX. florenis venditur, decem floreni pro vectigali ſolvuntur.

Vectigal Beſtiarum cornigerarum, eſt trium aſſium ſingulis menſibus in ſingulas beſtias trium annorum & ultrà.

Vectigal Equorum, quod Proprietarius ſolvere tenetur, conſtat duobus aſſibus ſingulis menſibus in ſingulos equos trium annorum & ultrà.

Vectigal Halecum & piſcium ſalſorum, qui civium vel divenditorum domibus apportantur, eſt viginti aſſium in ſingula vaſa.

Pro Vectigali Accipenſerum & Salmonum ſolvitur nona pars pretii, quo à divenditoribus emuntur.

Vecti-

Vectigal Tobaci, quod ſolvere tenetur is, qui primùm id intulerit.conſtat decem aſſibus in ſingulas libras.

Vectigal ſaponis, qui in his provinciis conſumitur, conſtat ſeptem florenis in ſingula vaſa.

Et nunc demum incipit numerus capitis noſtri 74. *junge notata ad n. 24. hoc cap.*

Num. 91.

(49) *Magni & parvi ſigilli &c.*] Adde Boxhornium *Diſq. Polit. cap. 59. & de Republ. Batav. cap. 8.* ubi ſingulari, *inquit*, arte recens inventa eſt corradendæ in uſum Reipubl. magnæ pecuniæ ſummæ ratio: quum plurimi ſint ditiorum, qui magnam pecuniæ vim ærario publico crediderunt, cujus intereſſe, dato chirographo accepti, quotannis utuntur; quum autem plurimæ circa forum lites, quæ non niſi inter potentiores ſolent excitari, nec confici, aut ad finem perduci, niſi confectis plurimis invicem, ut loquuntur, inſtrumentis: quum continui & quotidiani inter ementes & vendentes hoc in loco commerciis florentiſſimo contractus ineantur, iique in fidem rerum ſint conſignandi; viſum Ordinibus edicto publico cavere, ne aut chirographa, aut libelli forenſes, aut contractus, aliaque ejusmodi inſtrumenta pretii alicujus eſſent aut authoritatis, niſi in iis ſchedis conſignata, quibus *Ordinum majus vel minus ſigillum* impreſſum eſſet: ſchedis autem iſtis ſuum impoſitum pretium, quod ſolvendum unicuique, qui opus habet; ſic fit, ut ſcheda, quæ obolo antè comparari ſolebat, ad pretium plurium aſſium excreverit, pretium nimirum ſemel præſtitutum. Incredibile autem eſt, quantum vectigal illud ad publicas opes conferat, propter frequentiſſimum earum ſchedarum uſum. Pauperiores verò, & qui tenuioris ſunt fortunæ, parum, aut nihil hinc ſentiunt oneris, quia ditiorum ferè eſt agere, quæ jam recenſuimus.

Num. 92.

(50) *Cùm enim in Comitiis Ordinum &c.*] Vide Diſquiſ. Polit. M. Zuerii Boxhornii *caſu 42.* qui judicium de hujusmodi elocationibus hoc annectit: Quædam publicà curanda meliùs privatis, quàm publicis perſonis mutuo contractu inito relinquuntur, illa præſertim, quæ incerta ſunt, quæque opus habent anxiis quibusdam, & perſonâ publicâ inferioribus curis. Ergò ubi induſtriâ quâdam privatâ & accuratâ opus eſt in re aliàs publicâ, ejus commodum inter privatos & Rempublicam inito contractu eſt diſtribuendum. Aliter enim ſi fiat, & minùs curæ eſt in publicis perſonis, & ideò minus commodum ad Rempublicam refertur.

Num. 107.

(51) *Ex Gentium Jure &c.*] Quòd perbellè demonſtrat Immortalis Hugo Grotius *in ſuo Tr. de Mari libero*, Schoockius *de Imp. Marit.* & Dn. Marquardus *de J. Merc. lib. 1. cap. 15. n. 1. 2. 3. ſeqq.*

Num. 108.

(52) *Quo Commercia & navigationes &c. vetabantur &c.*] Pro nobis hîc eloquentiſſimus Barlæus *de rebus geſtis Principis Mauritii in Braſilia &c. pag. 6. ſeq.* loquatur: Potuiſſet ſanè virtus noſtra intra ſe tuendi neceſſitatem & ſolitos Oceani limites contineri. Verùm impedita in Hiſpanias, mox & in Orientem prohibitâ Regiis vocibus noſtratium Navigatione, latiùs vagari cœpit, & aquis innutrita gens, velut excuſſo cupiditatis frenò, in longiſſima Orbis loca abiit, etiam eas vias affectando, quas natura homini negavit. Quippe mercantium mentes, fruſtratâ lucri ſpe, aſperiùs offenduntur & ab ipſis incitantur periculis. Ita ſtatuebant; mari, quod omnibus patet, privatâ Principum lege ſervitutem imponi non poſſe: non habere ſe domi neceſſaria, niſi aliunde accerſant: rerum parentem etiam apud Indos Belgis ſalubria gignere: majora ſemper mercium è longinquo eſſe pretia: admiſſis iſtic commerciis inutiliter adiri hoſticas terras: acciſum iri noſtrorum navigationibus Hiſpani Regis opes: alibi occupatum, domi quietiorem fore: famam verò populi apud exteros latè differri, Regiam flagellari: Didicerant aliorum exemplis, navium beneficio detegi novos Orbes: Religionem, opes, leges, mores & humanitatem ad diſtantes ſideribus populos transferri: magnæ ſemper potentiæ præſidium fuiſſe, mercandi libertatem. Sic Tyrios, Pœnos, Perſas, Arabes, Græcos, Romanos creviſſe. Quare in Ortum primùm, mox & Occaſum cincta armis commercia navigavêre, & duo veluti Principatus, duabus nixi Societatibus, extra Europam conſtituti. Nimirum quantò arctioribus terræ finibus incluſum ſe ſenſit Belga, tantò latiorem viam Oceani affectavit, & mercatum imperiumque cum Sole diffudit. Diſputatum ab Hiſpanis & Luſitanis, an jure quaſi poſt arma & bellum legibus & anxiis JCtorum litibus locus eſſet. *Paucisq; interjectis pergit:* Et prudentum ſententia eſt, peſſimis conſultoribus uſum Regem, cùm ab Hiſpaniarum & Indiæ acceſſibus arceret Belgas. Quibus Geometras ferre promptum fuit ſemper, Thalaſſometras nequaquam. Quò enim per maris incerta & locorum immenſa ſpatia, adeoque rei novitate ire deterrebantur, neceſſitate truſi iter fecêre, ipſi allaturi merces, quas à Venetis primùm, mox ab Hiſpanis & Luſitanis petere conſueverant &c.

Num. 110.

(53) *Batavus quidam &c.*] Meteranus *lib. 23. (qui omninò evolvatur,)* vocat ipſum Petrum Hautman.

Num. 112.

(54) *Generalem quandam Societatem &c.*] Hagæ Comitis nimirum XX. Martii Anni MDCII. teſte Meterano *d. loc.* quem ad explanandum Authoris locum legere B. Lector poterit.

Num. 114.

(55) *Sexaginta ſex Tonnarum &c.*] Schoockius *de Imp. marit. cap. 21.*

Num. 117.

(56) *Ferè viginti &c.*] In typis expreſſo Exemplari ſic legitur. Sunt autem in Cameris ſingulis Amſtelodami XX. in Zelandia XII. ad Moſam XIV. ut & in Weſt-Friſia XIV.

Num. 120.

(57) *Permutatione mercium &c.*] In principio, inquit Boxhornius *de Republ. Batav. cap. 13.* cum Indis, hominibus altæ cujusdam, & ignavæ ſimplicitatis pro mercibus pretioſiſsimis merces viliores, & quæ nullius ferè pretii, oblatæ acceptæque fuere. Eſt Amſtelodami etiamnum ſuperſtes nonnemo, qui pro ducentis præter propter catenis, ex vitreis globulis confectis, tantam margaritarum vim ab Indis accepit, ut, quum antea nullius penè rei eſſet, brevi tempore ad duarum vel trium tonnarum auri opes pervenerit. Verùm ita diutiùs ſeſe falli jam Indi non

patiuntur, & mercibus quidem noſtris, ſed paulò pretioſioribus & ſuarum ferè pretio adæquatis delectantur.

Num. 122.

(58) *Inter participantes reportati lucri diſtributionem &c.*] Confirmat Schoockius *de Imp. Mart. cap. 21.* eos, qui ab initio ſortis ſuæ Symbolam contulêre, jam diu illam multoties multiplicaſſe, ſingulisque annis reditus quàm maximos percepiſſe. Quò verò conſtet, (*pergit ille,*) quantum lucri ſocii in hac ſocietate percipere conſueverint, exiguum duntaxat ſpecimen, præcedentes annos concernens proponam. Ergo octo annis ſubſequentibus talis facta diſtributio, ut quivis reditu-um nomine pro quoque florenorum centuria acceperit, quod ſequitur:

Anno MDCV. menſe Julio -- XV. flor.		
Anno MDCVI. menſe Martio - LXXV. fl.		
Anno MDCVII. menſe Julio - - XL. fl.		in
Anno MDCVIII. menſe Aprili - - XX. fl.		Centuriâ.
Anno MDCIX. menſe Junio - - XXV. fl.		
Anno MDCX. menſe Auguſto - - L. fl.		
Anno MDCXIII. menſe Majo XXXVII. fl.		

Pro una ergo Centuria, ratione ſortis adhuc integra uſuræ nomine accepti CCLXII. floreni.

Num. 123.

(59) *Batavia &c.*] Quæ antè *Kalappa* pòſt *Jakatra* dicta fuit, *Javæ* majoris inſulæ urbs vel præcipua, de qua & ejus regimine, ut & obſidione, (ad quam fortè Author hoc loco reſpicit) vide noviſſimè ſcribentem Dn. Joh. Neuhoff in der Siniſchen Reis-Beſchreibung *pag. 31. ſeqq.* & Arnoldum Montanum in der Beſchreibung der Geſandſchafft der Oſt Indiſchen Geſellſchafft der Niederländer nach Japan &c. *pag. 25. ſeqq.*

Num. 126.

(60) *Per Legatum ac Quæſtorem &c.*] De his vide Roſinum *Antiq. Rom. lib. 7. cap. 42. 43. 44. 45. & 46.*

Num. 127.

(61) *Transferebant Colonias &c.*] Notum eſt, Coloniarum inſtitutum, uti ſummæ utilitatis, omnes commendare ſcriptores artis Civilis, & inter illos Joh Boterum *Polit. lib. 6. & 8.* Beſoldum *de Increm Imp.* Juſtum Lipſium 1. *de Magnitudine Rom. cap. 6. Polit. cap. 2.* Roſinum *d. loc. lib. 10. c. 22 & 23.* qui inter alia ſic loquitur: Quid verò impedit, ea hoc loco iisdem penè verbis, quæ ex Caroli Sigonii doctiſſimis Commentariis tum deſcripſimus, repetere, quædam etiam, quæ omiſſa ibi ſunt, addere. Cauſæ cur Coloniæ deducerentur, *ſex* potiſſimùm fuerunt: *una*, ut priores populi, qui eum locum, in quem colonia deducebatur, inhabitarant, coërcerentur: *altera*, ut hoſtium incurſus reprimerentur: *tertia*, ut ſtirps Romana augeretur: *quarta*, ut plebs urbana exhauriretur: *quinta*, ut ſeditiones Romanæ à plebe motæ ſedarentur: *ſexta*, ut præmiis milites veterani afficerentur. Quibus adde Forſtn. *in Cont. Not. Polit. ad Tacit. 12. Annal. 32.*

Num. 128.

(62) *Antiquiſſimorum hominum more &c.*] Quod vel ex Homeri verſibus ab Imperatore noſtro *in §. 2. J. de emt. vendit.* citatis patet, & multis aliis exemplis à Barlæo *de reb. geſt. ſub P. Mauritio in Braſil. pag. m. 101.* probatur

Num. 133.

(63) *Quæ India Occidentalis appellatur &c.*] Immotus diu Occidens, dicente jamjam laudato Barlæo *d. loc. pag. 15. ſeqq.* nondum arma Belgarum inſigni clade ſenſerat. Verùm his ad Orientem ſucceſſibus excitatus idem Fœderatorum populus, nova ſocietate opulentiores quosque & Hiſpano infeſtiores devinxit. Quæ quia in Occidente belli & mercatûs fortunam experiri voluit, OCCIDENTALIS dicta eſt. Collata in hanc rem pecuniarum vis grandis, major quàm quæ in Oriente iſta audendi fiduciam fecit. Agitatum diu, an ex re eſſet publica & privatorum, Occidentem bello tentari. Qui authores erant, hæc afferre: Braſiliæ littora adversùm externum hoſtem invalida patere: remotiora terrarum, famâ noſtrarum perterrita, inopino claſſium ſuperventu labefactari poſſe: regias naves opum Peruanarum in mari Pacifico traduces, ut & Novæ Hiſpaniæ & Terræ Firmæ luculenta mercimonia, primi occupantis fore: iſtis opibus bella Europæa ab Hiſpanis geri, his fruſtratos placibiles fore & minùs terribiles: merces & ſperata hîc ſpolia ſufficere redimendis belli, & mercantium ſumptibus: ſolos ſaccharorũ reditus ſolari poſſe impendia: non magis Occidentalibus novercam eſſe naturam, quàm Orientalibus: Barbaros Luſitanorum potentiæ & dominationis impatientes, facilè Regis imperia excuſſuros: trajectum adhæc in novum Orbem nec longi temporis eſſe, nec tot diſcriminum: non magis deſperanda eſſe Americanâ, quàm Aſiaticâ navigatione: tantarum rerum apparatu millena hominum occupari poſſe, qui ab egeſtate & turbidis conſiliis metuendi eſſent, niſi ejusmodi laboribus ab otio rebusque novandis averterentur: utile eſſe in magno populo exhaurari ſentinam & ſecerni nocitura, ut in affectis corporibus expedit peccantem vel copiâ vel malignâ qualitate ſanguinem mitti. Urgebant, mercaturâ & negotiatione ſtare Fœderatorum res, ideoque laxanda quaquaverſum mercantibus quæſtus faciendi ſpatia eadem hæc auſos & aggreſſos fuiſſe Britannos: ſic Græcos, ſic Romanos invaſiſſe hoſtium terras, avertendis patrio ſolo bellis: adeſſe nauticos & milites laboribus maris & præliorum promptiſſimos, nec ulla re magis celebrari poſſe gloriam & decus unitarum Provinciarum, quàm ſi duos Orbes, Veterem Novumque, commerciis ac navigationibus nectant: hanc libertatem lege naturæ communem, & tot illuſtribus victoriis & hoſtium cladibus tutam, non deberi negligi: aliaque movendis animis lucri cupidis apta. Qui religioſiores erant, cauſas à Religione & doctrinæ purioris propagatione petebant: hanc in tenebrarum regno cæcutientibus populis accendendam facem: non imperia ſolùm humana, ſed & Chriſti proferenda eſſe: cùm mercantium commodis ſalutis tot Gentium curam jungi debere & poſſe: ſic negotiationes pias, pietatem utilem fore.

Quotquot Authores non erant, illâ exaggerare: belli hanc ſocietatem fore, non mercatûs: penitiora Occidentis caſtellis præſidiisque invicta hoſtem externum contemnere: Braſilienſium maritima vinci poſſe, victa defendi minùs, ob Barbarorum vim & continuas terras: non Inſulas hîc, ut ad Orientem, expugnandas, quibus ad tutelam eſt circumfluum mare, ſed Continentem incurſionibus mediterraneorum oportunam: Barbaros in convictum, mores, Religionem Luſitanorum ultra ſeculum tranſiiſſe: & hoſtili in nos eſſe animo: Societati Orientali hæc cœpta damno fore, diſtractis in plures claſſes & mundi partes navalibus ſociis & armis: faciles fore ſimultatum occaſiones inter illam, & hanc novam, ob lucri invidiam, communes

nes aliquot merces, & easdem belli & mercatus neceſſitates, arma, militem, navalia inſtrumenta & nauticos: non poſſe ab Occidente eos reditus ſperari, qui ſufficiant tuendæ, etiam cùm parta fuerit, per bellum fortunæ; nec eſſe irritandam novis bellis maximi Regis potentiam, nec prudentiæ fore, oſtendere, quamvis rebus impares ſimus: tentaſſe hæc ipſa Britannos, ſed terribili magis, quàm utili ſucceſſu. Qui anxiè pii habebantur, ajebant, injiciendum dominationis ſtudio frenum: ſufflaminandam quidvis ad ſe pertrahendi cupiditatem: ſtolidè hoc & irreligioſè tentari, ut omnibus regnis exuatur Hiſpania Majeſtas; ſuppetere ambitionis ſatis Batavis ad invadendum omnia, non virium ad cuſtodiendum: magnam potentiam finitimorũ invidiæ primùm, mox & odiis locum facere: ideò fortunam reverenter habendam ab iis, qui ex humili in hoc ſecuritatis faſtigium aſſurrexiſſent: ſatius fore, ſi, ubi conſiſtendum ſit nobis, deliberetur, quàm quò abeundum ſemper: plura adeptos magis in lubrico eſſe: illos tutiores qui viribus ſuis modum imponunt. Belgas labori & patientiæ aſſuetos, externarum delitiarum contagione & otio ſolvi & hebetari. Hiſtoriarum & veterum exemplorum periti perhibebant Barbarorum voces eſſe: SUA RETINERE, PRIVATÆ DOMUS, DE ALIENIS CERTARE, REGIAM LAUDEM ESSE, MAXIMAMQUE GLORIAM IN MAXIMO IMPERIO PUTARI. Cavendum ſapienti populo, ne, dum immodica appetit, quæ obtinet, amittat: præſertim Chriſtiano, ne in ipſum quadret, quod de Romanis dixit Galgacus, Britannorum Dux; quos non Oriens non Occidens ſatiaverit; qui omne ignotum pro magnifico haberent, & poſtquam deeſſent ad victoriam terræ veteres, novas ſcrutarentur, etiam ultra mare. Hanc ambitionem exprobrare Scythas Alexandro, quòd altera manu Orientem, altera Occidentem contingere allaboraret: quin & infelices illos judicari à Seneca (*Epiſt. 113.*) qui jus dominandi trans maria cupiunt mittere. Hæc vulgi, hæc ſapientum ſermonibus ferebantur, apud gentem rei ſuæ & hoſtis damnis valde intentam. Et prævaluêre poſt longa conſulta & moras, qui Americanum iter ſuadebant, ratumque hoc fecêre Reipubl. Patres ſolemni Edicto, quo cautum, ne cui ſubditorum fas ſit, intra annos viginti & quatuor, Novum Orbem, & adverſa Africæ littora ob negotiationes adire, præterquam Novæ Societatis Sociis. Impetrata in hanc rem indulta auxilia publica, & legibus adſtricta expeditio quæ Diplomate Potentiſſimorum Ordinum enarrantur.

(64) *Duodecennales Inducias &c.*] Quarum Hiſtoriam ſecundùm Civilis Prudentiæ ductum elegantiſſimè deſcripſit tractatu ſingulari Dominicus Baudius, Caſpar Ens *itidem in lib. cui titulus, Actio belli Belgici pacificatoria.* Jo. Meurſius *Rer. Belg. lib. uno.*

(65) *Elapſis illis induciis, &c.*] Accidit hoc Anno MDCXXI. die IX. Aprilis, uti ex Hiſtoriis palàm fit.

(66) *Inter alia cautum erat &c.*] Apud Baudium tamen nil tale quid legitur.

(67) *Strenuè ac ſeriò eſt promotum &c.*] Propoſito nempe die III. Junii Anno MDCXXI. ab Ordinibus Generalibus privilegio, conceſſaque Societate illa Indiæ Occidentali. De qua præter alios videatur Schoockius *de Imp. marit. cap. 23.*

Num. 134.

(68) *Expugnatum; ſed & mox &c.*] Compendio rem enarrat Barlæus *de reb. geſtis ſub P. Mauritio in Braſilia pag. 25. ſeqq.* Abelinus *Theatr. Europ. parte I. pag. 841. ſeq. & 881. ſeqq.*

(69) *Captâ argenteam meſſem ferente Hiſpanorum claſſe &c.* Quod accidit A. MDCXXVIII d. VIII. Septembr. Claſſis ſummo Præfecto Petro Heinio. *Vid. Theatr. Europæ. d. loc. pag. 1157.* Barlæum *d. loc. pag. 27.* Ubi inconſultam illam profuſionem ab authore Commentarioli, & noſtro *num. 135.* percenſitam quoque corripit his verbis: Obiiciebant immanem prædam fata commiſſis ad Mataneæ portum, non conſilio, ſed æſtûs marini impete claſſibus: Ex eo ſerenior ſocietati facies fuit & fortuna certior, utpote, immenſis opibus ſubnixa, quam mox ſubruit avarities & multorum animis ſubrepens futuri diffidentia. Etenim abſorpta in erogationes intempeſtivas & immodicas pecuniarum vis, vagiente adhuc Societate, & nondum foris ſtabilitâ potentiâ, invalidam eam fecit, nec parem diu oppugnando hoſti. Ita dum augendæ ſingulorum ſorti ſtudetur, defecit publica, & præceps habendi & recuperandi amor, futuri quæſtûs ſpem præcidit.

Num. 136.

(70) *Quisque ſub initium contulerat &c.*] Adjicitur in impreſſo exemplari *cap. 8. num. 39. ubi hæc recitantur*: cui mox imaginaria auctio acceſſit XVIII. tonnarum auri, ita, ut tum fuerit ſumma Capitalis CXXVI. tonnarum, mox aucta LIV. tonnis, & ſic jam excrevit ad CLXXX. tonnas auri.

Num. 137.

(71) *Pernambucum &c.*] Deſcriptionem illius Provinciæ vide ap. Barlæum *de loc. pag. 65.* ex quo de Negris & ſacchari confectione quædam alibi annotavimus.

Num. 138.

(72) *Luſitanorum ab Hiſpanis defectione &c.*] De qua quædam ſuprà *lib. 1. cap. 6. n. 2.* (2) attigi.

Num. 140.

(73) *Mauritius Naſſovius &c.*] Cujus geſta ibidem, tam ornato ſtylo ſplendidè deſcripſit laudatus ſæpe & citatus à nobis Barlæus. Qui, eodem teſte, Anno MDCXL. rediit, & de ſtatu Braſiliæ dignè & exactè Patribus retulit. De forma regiminis verò plura qui legere avet, eundem Barlæum *pag. 520.* conſulat.

Num. 144.

(74) *Ad conformandam hanc Rempubl. &c.*] Claudat Obſervationes & Additiones ad hoc caput ſimilis Baudii *de induc. Belli Bel. lib. 2. pag. 68. ſeq.* ſententia: Quantum inde (*ex prohibita ſcilicet Belgis navigatione*) potentiæ, magnitudinis & Authoritatis acceſſerit Ordinibus, quanta verò labes facta ſit Majeſtati Regis Hiſpaniarum, nulli meliùs quàm adverſariis creditur qui, ſæpe gravibus damnis, & internecione ſuorum experti ſunt, quid Navalis Batavorum manus bellicâ virtute poſſit.

CAPUT XV.

De Helvetia.

SUMMARIA.

1. Helvetii *non habent Ærarium, quo nec egent.*
2. *Quæ ſit* fertilitas Helvetiæ *& quibus abundet?*
3. Agri Tigurini *aliorumq́; pagorum* proventus, *& quid illi proferant.*
4. Baſilea *frumenti viniq́; copia abundat, à mercatoribus frequentatur.*
5. Soli qualitas *circa Lacum Lemanum & Rhodanum.*
6. Lucernatum commoda; *ubi & de tractu* Valleſiano, num. 7.
8. *Sunt tamen, quibus* publicæ pecuniæ *cura ſit commiſſa.*
9. *Baſileæ ſunt* Triumviri, *qui ſanctioris ærarii urbis ſummam curam gerunt.*
10. *Vini ac frumenti, quod quisq; civium, domi abſumit, nullum datur* Vectigal.
11. Quæſtor, *qui ærario Eccleſiaſtico præficitur.*
12. Helvetiorum *indoles in bello.*
13. Fœderata Gallorum *aliorumq́; Regum & vicinorum Principum ac Communitatum cum Helvetiis.*
14. Æmulatio Hiſpanorum *adverſus Gallos propter fœdus cum Helvetiis.*
15. Bellieuræi *&* Bruslardi *Legatorum Gallicorum prudentia*, hoc & num. 16.
17. Fœderis Gallici *cum Helvetiis icti encomium.*
18. Fœdus *hoc renovatum Anno 1624.*

Non gazas Arabum, nec opes Babylonis opimas
Helvetiæ tellus nobilis obtinuit.
Vivere ſueta tamen parcè, luxumque peroſa
E farre & gregibus, quod ſatis, ipſa capit.

1 DE Helvetiorum Ærario nihil dicam; cujus cùm ne egeant, agant illi DEO *pro tanto libertatis beneficio* (1) dignas gratias, & piis majorum inſiſtant veſtigiis. *Vel binæ illæ de Carolo Burgundo victoriæ* (2) ſufficiant loco maximorum redituum, ſufficiat regio amœniſſima, fertiliſſima, ſaluberrima, munitiſſima.

2 Opes Babylonicas, Arabumque divitias regionis ſitus & qualitas negat, quæ ejusmodi eſt, ut multum præſtet, quod incolas ſuos alas. Quod ſi is luxus inter Helvetios eſſet, quemadmodum apud alias gentes, mox extrema inopia & paupertate conflictarentur. Sed *magnum ipſis Vectigal eſt parſimonia*, (3) & argentum, quod à vicinis Principibus accipiunt, facit, ut in re ſint lautiori, quàm ſi fœdera ipſorum non tàm carè emerentur. Principes enim ſumma ope nituntur, ut hanc gentem ſibi obnoxiam reddant atque retineant. Ut tamen aliquid dicam de eo, ex quo commodum capere poſſunt, rem ſæpè faciunt ex pecore, quod alunt, & ex paſcuis, quæ habent. Nam *Regio Helvetiorum* (4) multos montes & valles continet, ex quibus hæ utcunque ſunt fertiles; & quamvis illi ſint aſperi, tamen eorum cacumina non minùs virent, & jucunda ſunt, quàm amœniſſimi campi. Quapropter incolæ pecus magno numero alunt: & abundat hæc regio cùm animalibus manſuetis, tum feris, urſis, cervis, damis, capreis, lyncibus, apris, & aliis ſimilibus animantibus, quæ incolæ venantur. Multa in ea lacticinia, & magna butyri & caſeorum copia reperitur. Multis quoque locis tàm generoſum vinum creſcit, ut Rhenanum cùm guſtu, tùm præſtantiâ longè ſuperet. His addenda ſunt amœna prata, in quibus greges magno numero paſcunt.

Solum circa *Tigurum* (5) uber admodùm eſt, & vini ac frumenti feraciſſimum, tantaque frumenti copia ibi venditur, ut res penè fidem ſuperet. Lacus Tigurinus innumerabili piſcium multitudine ſcatet. 3

Nec minùs eſt ſolum fertile circa *Baſileam*, (6) quod optimum vinum, & magnam frumenti copiam gignit: ita ut incolæ vicinis penuriâ laborantibus alimenta ſuppeditare poſſint. A mercatoribus multum frequentatur; & Rhenus eam alluens magnas ipſi commoditates & grande emolumentum affert. *Multi libri in hac urbe excuſi* (7) per totam Europam diſtrahuntur, unde ad incolas quæſtus redit uberrimus. 4

Circa Lacum Lemanum & Rhodanum ſolum facile & aptum eſt ad cultum, & admodùm fœcundum. Nam vinum, frumentum, omne genus leguminum, fœnum, avenam, & hordeum largè profert. Fructus ordinarii ſunt nuces, poma, pira diverſorum generum, ceraſa Aquitanica, dulcia, acida, mora candida & nigra, caſtaneæ, amygdalæ. Animalia volatilia non magis deſunt, quàm piſces aut feræ. Lucernenſes plus ferè commodi ex lacu vicino, quàm ſolo percipiunt, tametſi florida prata & optima paſcua habeant, pecori alendo apta. Deponuntur Lucernæ merces, quæ ex Comitatu Burgundiæ, & regionibus vicinis in Italiam, & ex Italia in alias regiones transvehuntur. Nam illac iter eſt in Italiam per montem Sancti Gothardi: & merces, quæ veniunt ex Italia per lacum & fluvium Ruſſum in Rhenum, atque in mare devehuntur. 5 6

Solum

Solum Uriæ, Suitſiæ, & Undervvaldiæ 7 tantum profert, quantum alendis incolis ſufficit. *In tractu Valeſiano* (8) cacumina montium ubique ſunt candida, ſed ima & valles ſuaviter virent. Solum tam felix eſt, modò aliqua cura & cultura adhibeatur, ut granata, ficus, & mala aureaferat. Abundat præterea frugibus, vino, croco, & lacticiniis. In montibus, varia animalia naſcuntur, frequentiores capreæ montanæ in ſummitatibus duntaxat montium agunt; ſaltu montes integros metiuntur: nive victitare ajunt; ligno & foliis rariùs: calorem averſantur, nec ferunt, certo experimento, in valles expulſas ſtatim deficere. Eſt & *Ibex* (9) velocitate admirandâ; licet capite vaſto, cornuum pondere onerato, mirâ & incredibili pernicitate è monte alio in alium tranſiliens. Librat ſe in cornua: ut tormento aliquo rotatus in petras, viſu celeriùs huc aut illuc exſultet. Sed magis mirere, loci illic tantillum ſufficere, quantum capiendis extremis ungularum tibiis ſatis ſit; eas arctiſſimè conjungit, & uno impetu aſſurgens tanquam vento raptus, oculis eripitur. In præcipitia montium ſunt *venæ argenti*, (10) quædam etiam plumbi, æris, cryſtalli, & agarici. Sunt etiam illic thermæ diverſorum generum, & balnea admodùm ſalubria.

Helvetiæ ſoli naturam pulchrè deſcribit Henricus Glareanus: (11)

Si verò, Helvetiæ quæ ſit natura, requiris,
Conditio eſt duplex; terræ natura biformis.
Namq; ubi ad Italiam vergit, Solemq; calentē,
Montana eſt, ſed enim ridenti fertilis arvo,
Fontibus irrigua, & florentibus optima pratis,
Lucis & Sylvis, pecori gratiſſima tellus,
Phæacum terras, corcyrea gramina vincit,
Et longè poſitos alio ſub Sole Britannos.
Sed contra Boream, ortumq; obitumq; aſtrorum
Plena jacet campis, fœcundoq; utilis agro:
Frumenti viniq; ferax, & divite rure,
Collibus apricis, quos Pampinus ornat & uva.

Ad quæ *Oſvvaldus Molitor*: Montium Helvetiæ hi perpetuis nivibus albicant: illi procul aſpicientibus nihil promittunt, niſi ſaxa duriſſima, poſtquam inſcenderis, prata pinguiſſima offendis; alii verò & aſpectu ſunt amœni & re ipsâ. In iis per æſtatem menſes ad ſummum tres paſcuntur, cùm greges, tum vaccæ, è quibus tanta emolumenta, ut brevi oratione nemo poſſit conſequi. Nam ſerum inde, caſeus, butyrum, aliaq; lactaria tantâ fiunt copiâ, ut non tantùm Helvetia iis rebus expleatur, ſed finitimæ quoque nationes. Transvehuntur namque in Sueviam, ultra Juram montam, in Italiam, multaque alia loca. Atque tam ingens inde redit pecunia, ut vix credi poſſit. Illud mihi compertum, ex viginti vaccis fructum eſſe annuum centum coronatorum, præter ſumptum omnem, quem in familiam, famulos, & famulas diſtribuunt. Omitto fœturam copioſiſſimam, lac in liquidum & concretum, quæque ex lacte adhuc alia conficiuntur in quotidianum uſum.

Hinc eſt, quòd tantus populus in tam anguſto circulo enutritur, quòd adeò pauci mendicant. Non adſunt illis lautitiæ Italorum & Gallorum; quamvis & hæ quibusdam locis non deſint: at illa patriæ terræ munere, lac, butyrum, mel liberaliter largiuntur: & quem horum pudeat, quum *Abraham tantus Patriarcha* (12) hæc Angelis hoſpitibus appoſuerit.

Quamvis verò tantæ ipſorum opes non 8 ſint, ut magni faciendæ videantur; primæ tamen dignitatis Conſulibus & Tribunis publicæ *pecuniæ cuſtodia commiſſa* (13) *eſt*. Hos in plerisque Helvetiæ Civitatibus nominant Seckelmeiſter/ (14) loculorum aut fiſcorum magiſtros. Baſileæ vocantur Triumviri, Dreyer Herrn: quaſi ſanctioris Ærarii, 9 in quo theſauri urbis reconditi ſunt, curam gerunt. Præter hos tamen alii ſunt Triumviri, qui vulgò arcæ Præfecti, Ladenherrn/ nominantur. Hi minora Vectigalia & reditus annuos Reipublicæ adminiſtrant. His adfines ſunt, quos vocant die Umgelder/ qui Vectigalia vini & frumenti adminiſtrant, & per certos homines colligunt. Solvitur autem Vectigal illius tantùm vini, quod publicè divenditur, & frumenti, quod evehitur, aut quod piſtores emunt: alioqui vini & frumenti, quod ſinguli ci- 10 ves domi ſuæ abſumunt, nullum Vectigal penditur. Præter Reipub. ſive urbis Quæſtores, qui duo ſunt, tertius Quæſtor Tiguri eſt Ærario Eccleſiaſtico præfectus, der Cloſter Obmann. Hic ex ſingulis Cœnobiis certos colligit reditus; ſi quid ſuper eſt, poſt 11 tot expenſas in miniſtrorum ſtipendia, templorum ædificia, pauperum eleemoſynam, hoc recondit, ut publicâ neceſſitate urgente plebi ſubveniatur.

Cæterùm perquam fida ſunt auxilia Hel- 12 vetiorum in caſtris & ad machinas, ita, ut nullo quovis ingenti diſcrimine à ſtationibus, nec ipſo veſtigio dimoveantur, ſed magni conſtant illa, cùm etiam oſcitantibus in pace, ac mortuis ſtipendium ſolvatur, plus licitanti ſe addicunt, mercede pugnant, atque auro venales habent animas, ſi Gallus contempſerit, Hiſpanus, aut alius, ut in auctionibus fieri ſolet, ceu mancipia conducit. Et tamen ſe liberos vocent; cùm in illis pretium ſit auctoramentum ſervitutis. Illa demum vera libertas eſt, quæ ſub patrocinio ductuque Principis à vicinorum incurſu tuta liberè ſuis perfruitur bonis. Non eſt liber ille, qui arma vitamque non propriæ virtuti, ſed aliorum commodis mancipavit. Prin-

cipum, quibus fœderibus adſtricti, apud ſe legatos eſſe patiuntur, hi ſpecie amicitiæ, etiam imperio utentes, pecuniæ vi, ambitu, corruptionibus trahunt turbantque res, ut pro arbitrio fiant.

13 De Fœderibus Helvetiorum cum Romanis Pontificibus, *Sixto*, (15) *Julio II.* (16) *Leone X. Clemente VII.* (17) *cum Principibus vicinis*, (18) Auſtriis, Sabaudis, Mediolanenſibus, Wirtembergenſibus; cum Epiſcopis Conſtantienſi, Baſilienſi; cum urbibus Vindelicis ad Lacum Acronium; cum Suevicis item & Rhætis jam nihil dicam; ſed hiſce prætermiſſis nonnulla de Fœdere Gallico omnium celeberrimo atque recentiſſimo commemorabo

Gallorum autem Regum primus cum Helvetiis fœdus percuſſit, & annua ſtipendia publicè ſingulis Pagis perſolvit *Ludovicus hujus nominis XI.* (19) Hic cùm Carolum Burgundum odio haberet, neque tamen aperto bello eum petere auderet, ſtuduit eum cum Helvetiis committere: ut autem hoc faciliùs efficeret, & ad omnes caſus Helvetica auxilia parata haberet, fœdus cum illis decem annorum fecit, & Pagis annuas præſtationes largitus eſt, ſeptem millia francorum ſingulis: bello quoque Burgundico magnam pecuniæ vim Helvetiis ſuppeditavit, ne ejus inopiâ bello abſiſtere & de pace agere cogerentur; & victo Carolo ad Moratum, ampliſſima munera & publicè Helvetiis, & privatim etiam ducibus belli, largitus eſt: poſtremò, cæſo Carolo, ne Helvetii Burgundiam jure belli invaderent, multorum animis in Burgundia pronis ad deditionem, pecuniâ redemit, & eo bello, quod poſt mortem Caroli geſſit, in occupandis illius Provinciis Helvetico peditatu uſus, uberiora quàm quisquam antehac ſtipendia illis numeravit.

Porrò filius Ludovici Carolus Octavus anno milleſimo quadringenteſimo octuageſimo tertio, Paternum Fœdus cum Helvetiis renovavit, & eorum milite uſus eſt bello, quo Franciſcum (II.) citerioris *Britanniæ Ducem* (20) vicit; potiſſimùm verò bello Neapolitano fortem & fidelem operam militis Helvetii multis in locis expertus eſt. Qui verò huic in imperio ſucceſſit Ludovicus XII. cùm Mediolanum recuperare vellet, ut Helvetios amicitiâ Ludovici Sfortiæ averteret, *fœdus ipſe quoque in decennium* (21) cum illis conjunxit. Succeſſit Ludovico gener Franciſcus Valeſius. Hic Helvetios in Inſubribus ad Marignanum memorabili prælio ſuperavit, & abducto in Galliam Maximiliano Sfortia, imperio Mediolanenſi potitus eſt. Cæterùm tam ſplendidam victoriam adeptus, conſcius ſibi, quanti & Gallis conſtaret, & quàm non incrueta fuiſſet, nihil priùs potiùsque habuit, quàm *cum Helvetiis pacem & amicitiam* (22) facere, & eos Regno Galliæ firmo ſtabiliique fœdere conjungere. Pacis hujus & amicitiæ conditiones & leges capitibus tredecim comprehenſas refert Joſias Simler. *de Repub. Helvet. libr. 1. circa fin. pag. 264. ſeqq.*

Pace & amicitiâ his legibus ſancitâ, non conquievit Rex Franciſcus, donec Helvetios arctiori fœdere Galliæ regno uniret. Id quod factum eſt Lucernæ, *quinto anno poſt pacem factam.* (23) Junxerunt autem fœdus cum Gallo omnes Helvetici Pagi, eorumque fœderis ſocii, uno Tigurinorum pago excepto. Summam Confœderationis hujus recenſet idem Joſias Simlerus dicto loco *pag. 267. ſeqq.*

Finito hoc fœdere Henricus (II.) Galliarum Rex, Franciſci filius & ſucceſſor, novum *fœdus cum Helvetiis* (24) fecit, iisdem legibus, quibus & pater; quod quinquennium poſt obitum ejus duravit. Cujus Leges Simlerus *d. loco pag. 271. ſeq.* ibidem recitat. Confectumque eſt hoc fœdus Salodori Anno MDXLIX. ac eo Pagi & Confœderati omnes tenentur, exceptis Tigurinis, & Bernatibus.

Poſteà *Carolus Nonus*, (25) Henrici Filius, Galliæ Rex, denuò Fœdus cum Helvetiis pepigit, conditionibus non multum diverſis à paterno & avito Fœdere. 14
Rege Hiſpaniæ autem ſuam rivalitatem propter Fœdus hoc generale prodente, operamque dante, ut Helvetios paulatim ad ſuas partes alliceret, Reges Francorum ipſis conatibus ſemper obſtiterunt, neque ille in Fœdus eorum recipi potuit tanquam Rex Hiſpaniæ, quamvis rationé Domus Auſtriacæ *ex fœdere* (26) ipſi junctus ſit.

Et cùm in Gallia regnante *Carolo IX.* (27) Rex Hiſpaniæ Fœdus cum Helvetiis inire vellet, *Belleureus*, (28) Regis Galliæ Legatus, videns Helvetios Catholicos eò 15
inclinare, ut novam amicitiam veteri præferrent, ipſis ob oculos poſuit magna auxilia & beneficia, quæ à Regibus Galliæ ad ſtabiliendam eorum Libertatem accepiſſent, quam contrà Auſtriaci omnibus viribus conati eſſent peſſundere. Helvetios bellum geſſiſſe cum Leopoldo Archiduce Auſtriæ, *qui in pugna Sempachiana cæſus* (29) fuerit, & *cum Alberto* (30) ac *Maximiliano Impp.* (31) octo præliis cum hoc poſtremo diverſis commiſſis. Ne igitur fiderent fœderi cum familia, quam tàm graviter offenderint, & in qua vulnus, quod *ex morte trium Principum* (32) ab ipſis

ipſis cæſorum accepiſſet, etiamnum ſanguinem ſtillaret: Non dubium eſſe, quin Rex Hiſpaniæ, ex familia Auſtriaca prognatus, odio hæreditario peſtem ac perniciem ipſis machinetur: quapropter ejus potentiam & felicitatem ipſis ſuſpectam eſſe debere.

Quæ commonefactio tantam vim habuit, ut Legati Regis Hiſpaniæ, re infectâ, domum redierint. *Sed poſteà cùm Rex* (33) propter bella civilia tot negotiis in ſuo regno implicitus eſſet, ut exterorum curam gerere non poſſet, Rex Hiſpaniæ exoptatam rei gerendæ apud Helvetios, & victoriam obtinendi, cùm nemo eſſet, qui ipſi adverſaretur, occaſionem nactus, quandoquidem amicitiæ mercenariorum, deficiente pecuniâ, evaneſcunt, auro Gallico non ampliùs in Helvetia lucente, tot. ducatones, ſive argenteos, inter minores pagos diſperſit, ut propria liliorum ſemina præfocarent, & in Gallia Helvetii contra Helvetios in acie ſtantes conſpicerentur, quorum illi, tanquam fœderati, Regi debita officia præſtabant; hi tanquam ſtipendiarii Regis Hiſpaniæ, infeſta in Galliam arma pertulerant.

Cùm igitur hi viderent penſiones à Rege ſibi debitas non ſolvi, & Ducibus ac Tribunis ſuis ſtipendia non numerari, *quinque minores pagi* (34) arctiori vinculo cum Rege Hiſpaniæ ſe conjunxerunt, & Caſparus Pfifferus, Lucernas Chiliarcha, qui magnâ apud populos authoritate pollebat, ipſis auctor fuit, ut Solem in Indiis Orientem reſpicerent, & veterum amicorum oblivíſcerentur. Potentiores pagi conſtantes in amicitia cum Rege Galliæ perſtiterunt.

19 Hac adversâ tempeſtate, Nicolai Brulardi, qui poſteà factus eſt Galliæ Cancellarius, prudentia eluxit. Nam bellis inteſtinis maximè ſævientibus, cùm Rex nullum aliud ſceptrum haberet, quàm lanceam; nullam Luparam, quàm tentorium, nullum theſaurum aut ærarium, quàm jus legitimi Regis, Helvetios *præter omnem ſpem retinuit.* (35) *Rex fecerat, quod potuerat*, (36) ut aliquid pecuniæ ipſis ſuppeditaret: Curia Senatus aliquot Edicta promulgaverat, per quæ argentum ipſis dandum conficeretur: qualia fuerunt, de Officiis Scribarum dominio ſuo rurſum adunandis, de nota coriis imprimenda, de magiſterio opificum. Dum Duces Tribuni militem conſcribebant, Legatus cæteros verbis deliniebat, & aureos montes ipſis pollicebatur. Ad hæc Regis Conſilia, quomodo res ſuas ſtabilire, & ipſis ſatisfacere vellet, ipſis communicavit. Tandem Rex ipſis pecuniam miſit XIX. Junii M. D. XCVIII. ſub præſidio Gubernatoris Lugdunenſis: ſed cùm illa expectationi eorum non reſponderet, & maxima pars illis aſſignata fuiſſet, qui in extremo periculo fidelem operam Regi navaverant, animi cæterum exaſperati potiùs quàm ſatiati, & clamores aucti fuerunt; ita ut ſub initium anni MDXCVIII. Morfontanius, legatus Regis munus ſuum deſereret, & *in Galliam rediret.* (37)

In eundem penè modum *& Henricus III.* (38) Henricus autem IV. pro ſe & ſucceſſore ſuo fœdus cum Helvetiis renovavit, Anno MDCII. pollicitus, ſe Helvetiis pro annuis penſionibus, quæ illis debebantur, ſoluturum auri myriadem: quin & VI. Pagis Catholicis, ut vocant, cautum eſt, licere ipſis manere in fœdere Mediolanenſi & Sabaudico, absque præjudicio Regiæ Majeſtatis, ſecundùm conditiones expreſſas: Pagis autem Reformatis, ut milites ſubmittere teneantur, ſi bellum aliquod à Rege in Gallia inferatur iis, qui eandem cum ipſis religionem colunt. Quam actionem maximi momenti omnium in Regno Franciæ nobiliſſimam bellè deſcribit *Petr. Matthæus* (39) *Hiſtor. Henrici IV. l. 5. narrat. 6.* 17
dicens, in hujus fœderis ſcaturigine ſancta & juſta principia cum certis atque adeò felicibus effectibus eructare, ut dubitare non poſſit, quin juſtitia fundamentum, fides cæmentum, tempus teſtimonium atque index ſit, radicesque ejus in cœli aditus egiſſe videantur, dignumque certè omnium calculo ſit, cujus nomen *cum fœdere ſalis* (40) verè conveniat, quo infinitæ felicitatis Diribitor juſtas & firmas confœderationes beat.

Modernus quoque Rex *Ludovicus* 18
XIII. (41) eisdem per Legatum ſuum *Marchionem de Cœuvre* in diæta, A. MDCXXIV. habita, certam argenti ſummam pacto fœderis offerri juſſit. Vide Orationem à dicto Legato recitatam apud Mercurium Franciſcum *tom. 10. Anno MDCXXIV.* quæ ita incipit: *Magnifiques Seigneurs,* (42) *le Roy mon Maiſtre voſtre meilleur ami, allié & confederé, &c. m' à commendé, touſchant le payement de vos penſions, &c. pag. mihi 170. & 175.*

ANNOTATIONES

Ad

CAPUT XV.

Num. 1.

(1) P*Ro tanto libertatis beneficio &c.*] De libertate Helvetiorum, per ipſum Inſtrumentum Pacis, confirmatâ otioſum eſſet hîc repetere, quæ in ſuperioribus ad hujus libri caput I. annotavimus, monere eâ de re Lectorem ſufficit. Add. Zeilleri *Itiner. Germ. part. 1. cap. 11. n. 9.*

(2) *Vel binæ illæ de Carolo. Burg. victoriæ &c.*] Intelligendæ hîc veniunt Victoriæ, quarum prima à Carolo Burgundo *Pugnace*, ſive ut alii eum vocant

Bellicoſi Anno MCCCCLXXVI. Helvetii ad Granſam, Comitis Jacobi Remontii oppidum in Helvetiorum finibus ſitum, diſſipato Caroli exercitu captisq; omnibus tormentis bellicis, cum omnibus theſauris & ſupellectile plus quàm decies centenis florenorum millibus æſtimatis, in poteſtatem redactis, reportarunt, teſte Stumpf in der Schweitzer-Chronic *lib. 8. cap. 14.* cui conſonat D. Joh Jacob. Fugger apud D. Petrum Lambecium *Comm. de Biblioth. Vindobon. Cæſ. lib. 2. cap. 6.* (*ubi omninò delineationem quorundam cimeliorum & pretioſiſſimi pilei Ducis animadverte.*) add. Pont. Heuter. *Hiſt. Burgund. lib. 5. cap. 12* ubi, Veniunt in hoſtium poteſtatem, *inquit*, bellica tormenta, tentoria, commeatus, impedimentaq; exercitus omnia; pecuniæ tantum, ut acervis factis Helvetius miles inter ſe divideret, nihilque Pugnaci ex immenſa pretioſiſſimaque ſupellectile, perdito etiam utroque ſigillo, præter eorum memoriam reſtaret. Æſtimata fuit hæc ejus ſupellex tricies centenis aureorum liliorum millibus &c. Cominæus *Commemor. Rer geſt. lib. 5. cap. 1. & 2. pag. 287.* Alterâ verò ad Nancejum Anno MCCCCLXXVII. pugnâ commiſſâ, in qua etiam Carolus Pugnax interfectus, potiti fuerunt. Stumpf *d. loc. lib. 13. c. 19.* Heuterus *d loc. cap 14.* Cominæus. *lib. 5. cap. 8.* Quibus & meritò Moratana tertio loco adnumeranda, cujus ibidem A. MCCCCLXXVI. patrati prælii, in quo Helvetii victores exſtitêre, & perpeſſæ cladis ingentes oſſium cumuli certa quadam in ædicula repoſiti cum hac inſcriptione: D. O M. CAROLI INCLYTI & FORTISSIMI DUCIS BURGUNDIÆ EXERCITUS MURATHUM OBSIDENS AB HELVETIIS CÆSUS HOC SUI MONUMENTUM RELIQUIT. A. MCCCCLXXVI.

Diß Gebein iſt der Burgunder Schaar/
Als man zehlt 1476. Jahr/
Vor Mourde durch ein Eidgnoßſchafft/
Erlegt mit Beyſtand Gottes Krafft/
Auf der zehentauſend Ritter Tag
Geſchach dieſe groſſe Niederlag.

teſtes ſuperſunt. Quoniam vulgò dicebatur, Amiſiſſe Carolum Granſæ opes, Morati copias, Nancejo Vitam. Uti Stumpfius d. loco notat, & vulgati verſus indicant:

Oppida Trina tibi Dux Carole dira fuêre
In rebus Granſen *grege* Murten *corpore* Nanſen.

Tres has clades nervoſè, (*ſed tamen contra aliorum fidem à meretricula Burgundum cæſum agnitum*) enarrat, & præſagium addit ejus Cladis Bullieres *Hiſt. Franc. lib. 13. cap. 19. & 20.* Hottinger *in ſpeculo Tigur. Milit. pag. 479. ſeq.*

Num. 2.

(3) *Magnum ipſis vectigal eſt parſimonia &c.*] At Simlerus *de Republ. Helvetiorum l. 1. pag. 296.* conqueritur: Negari non poteſt, illa veterum in victu & veſtitu & omni vita frugalitas & temperantia magnâ ex parte periit; non eſt illa continentia, & perſimonia, quæ olim fuit, cùm abſque ſtipendiis exterorum Regum & Principum omnes ſuo labore & induſtria victum ſibi compararent: itaque vereor, ne illa quoque nobis pereant, quæ adhuc ſuperſunt, fortitudo & laus in re militari, in omni vita humanitas & felicitas, atque Juſtitiæ & æquitatis ſtudium; ut tandem aliquando illi, qui olim tanto ſtudio Helvetiorum amicitiam & ſocietatem appetierunt, mutatâ voluntate nihil magis quàm de illis opprimendis cogitent: id ne eveniat clariſſimæ Patriæ, & Deum precor, ut pro ſua bonitate hæc avertere velit, & omnes, quorum intereſt, rogo & exhortor, ut veteres mores, & illam verè Helveticam frugalitatem, continentiam, æquitatem, humanitatem, fidem, & conſtantiam in omnibus actionibus revocare in uſum velint. Hactenus Simlerus. A quo haud longè abit Stumpf. in der Schweitzer-Chronic *lib. 4. cap. 6.*

(4) *Regio Helvetiorum &c.*] Hujus deſcriptionem vide quoque apud Gotofredum *in Archontol. Coſm. part. 1. n. 29. pag. 560.* Fournier *in Geograph. Orbis Notit. lib. 1. c. 35.* Mart. Zeillerum in *Topograp. Helvetiæ p. 15. ſeqq. in Itinerar. Germ. verò c. 11. n. 9. pag. 255. parte 2. c. 11. num. 19. p. 140.* Stumpfium in der Schweitzer-Chronic *lib. 4.* & Geographos paſſim.

Num. 3.

(5) *Tigurum &c.*] Tigurum complexus eſt ornatiſſimè in Speculo Helvetico-Tigurino, D. Joh. Henr. Hottinger, in quo ejus ſtatum Politicum, Eccleſiaſticum, Militarem politè cuiq; monſtrat, ad quod brevitatis causâ me hoc loco refero.

Num. 4.

(6) *Baſileam &c.*] Hujus deſcriptionem exhibet Zeillerus *in Topographia. p. 46. ſeqq. & in Itiner. Germ. parte 1. d. c. 11. p. 251. & parte 2. cap. 11. pag. 138. ſeqq.*

(7) *Libri in hac urbe excuſi &c.*] Præſertim à Johanne & Hieronymo Frobeniis, Johanne Operino & Euſebio Epiſcopio, qui optimorum quorumvis Authorum Typographicas lucubrationes privatæ utilitati prætulit, Celeberrimis Typographis Baſilienſibus. Cui priori, qui A. MDXXVII. vitâ functus, Eraſmus Roterodamus, (qui itidem Baſileæ A. MDXXXVI. obiit, & in templo ſummo, ubi adhuc eſſe Bibliothecæ pars viſitur, ad dextram menſæ Domini ſepultus jacet, *vide jam citanda Epitaphia p. 9.*) trilingue, hebraicum, græcum, latinum, Epitaphium fecit, inter quæ latinum ſic ſonat: (*Epith. Baſi. Joh. Groſſii pag 146.*)

Arida JOANNIS tegit hic lapis oſſa FROBENI,
Orbe viret tota neſcia fama mori.
Moribus hanc niveis, meruit ſtudiisq; juvandis,
Quæ nunc mœſta jacent orba parente ſuo.
Rettulit, ornavit veterum monumenta Sophorũ,
Arte, manu, curis, ære, favore, fide.
Huic vitam in cœlis date Numina ſancta perennem,
Per nos in terris fama perennis erit.

Hieronymi verò Frobenii inſcriptio ſepulchralis talis eſt.

(*Groſſius ibid. pag. 77.*)

D. O. M. S.
HIERONYMO FROBENIO,
Johannis F.
Typographo Clariſſ.
inter initia Fed. Helvet.
Baſileæ nato,
Sinceræ Religionis & æquitatis
Obſervantiſſ.
De Republ. liter. optumis authoribus,
emendatè atq; eleg. edend.
præclarè merito:
humanitate ac beneficentiâ
domi foriſq; omnib.
charo;
in acerbiſſ. ac diuturnis
Stomachi cruciatibus, quibus
& extinctus eſt,
ſupra fidem
ad extr. usque patientiſſ.
M. S. ergò
AMBROSIUS & AURELIUS FF.
Parenti longè chariſſ.
M. PP.

M. PP.
B. Anno LVI. menſ. VII. dies VII.
O. Anno Chriſti M. D. LXIII.
III. Eid. Martii.

Oporini porrò hoc legitur. (*ibid. pag. 21.*)

ÆTERNITATI.
JOHANNES OPORINUS
BAS. TYPOGRAPHUS
DOCTUS, OPEROSUS, ELEGANS
LIBRIS INNUMERIS
VIRTUTUM HÆREDE EX IV.
CONJUGE UNICO
RELICTO,
PUBLICIS LACRYMIS, PRIV.
PIETATE,
SEXAGENAR. MAJOR
HEIC COND.

Frugifer Autumnus periit DIs notus & Orbi,
Orthion elapſus nautis meditatur Arion.
Quantula ſint hominum corpuſcula diſce Viator.
Magnus Oporinus conditur hoc tumulo.

Ejusdem viri tumulum quidam amicorum hiſce verbis ornare meditatus eſt:

OPEROSUS OPORINUS
HEIC SITUS EST.
ERGO REQUIESCIT ARION!
DIXISSE PLURA FAS NEFAST.
AN SAL. MDLXIIX.
PR. EID. IVL.
ÆT. LX.

Oporinus, *inquit Thuanus lib. 41. pag. 868.* ſecundum Frobenios nulli ſumptui parcens induſtriâ ac diligentiâ ſuâ literariam rem multùm promovit, editis ſummâ Characterum elegantiâ innumeris veterum ac recentiorum monumentis, ob idque de ſuo & poſtero ſeculo optimè meritis, eoque magis, quod dum in utilitatem publicam totis animi & corporis viribus incumbit, res privatas, quas admodum confuſas reliquit, ita contempſit, ut plus de gloria, quàm de hæreditate ſua cogitaſſe videatur. Quorum veſtigia Matthæus Merian cum hæredibus ſuis & ipſe ex Helvetia oriundus, operoſiſſimis operibus, dum Hiſtoricis, dum Typographicis aliiſve, publicæ luci Francofurti donatis, anxiè & ad exemplum preſſit.

Num. 7.

(8) *In Tractu Valleſiano &c.*] Ita tradit Daniel Eremita Belga *in Epiſtol. de Helvet. Rhætor. Sedunenſium ſitu &c. in Helvet. deſcript. pag. 476. ubi vide.*

(9) *Ibex &c.*] Vulgò Steinbock Schottus *Phyſicæ Curioſæ lib. 8. cap. 26. §. 4.* Stumpf in der Schw. Chronic. *lib. 9. cap. 17.*

(10) *Venæ argenti &c.*] Johann. Henr. Suizerus *in Helvet. Deſcript. pag. 33.* Habet Helvetia ſuas ferri & chalybis optimi fodinas, ſed & argenti venas in montibus Glareanis, aliiſque vicinis repertas fuiſſe conſtat. Urſa flumen aurum arenis trahit: Idem Emanna minor, qui Urſam influit, præſtat, magno argumento in montibus, in quibus oriuntur, aurum naſci. Sunt, qui exiſtiment, eſſe auri venas eo loci, quo thermæ Fabarianæ ſcaturiunt, cujus ſatis manifeſta ſigna in petris apparent. Cæterum in Helvetia nullæ ferè præter ferri ſecturas ſunt. Gens enim militiæ dedita rem metallicam, cujus ignara eſt, negligit: neque patitur peregrinos fodinas facere, ne ſylvæ cæduæ in carbonum uſum cædantur, & paſcua in montibus optima pereant aut vaſtentur, & regione peregrinis repletâ, indigenis inde multa & magna incommoda naſcantur.

(11) *Glareanus &c.*] Citatus cum Molitore in Deſcrip. Helv. *pag. 21. ſeq.*

(12) *Abraham tantus Patriarcha &c.*] Geneſeos *cap. 17. v. 8.*

Num. 8.

(13) *Pecuniæ cuſtodia commiſſa &c.*] Scilicet ſingularum Urbium, uti ex ſequentibus apparet.

Num. 9. 10. 11.

(14) Seckelmeiſter 2c.] Simlerus *lib. 2. de Rep Helv. pag. 334.*

Num. 13.

(15) *Sixto &c.*] Sixto nempe V. hujus nominis Pontifice Romano, uti ex Cicarella *in ejus vita pag. m. 472.* apparet.

(16) *Julio II. &c.*] Anno videlicet MDX. notante Stumpfio *dicto loco lib. 13. cap. 36. per totum & cap. 37.* Onuphrio *in vita illius pag. 345.*

(17) *Leone X. & Clemente &c.*] Vide Onuphrium *in vita Leonis pag. 349. & in vita Clementis pag. 362.*

(18) *Cum Principibus vicinis &c.*] Summam horum fœderum exponit Simlerus *de Republ. Helvetica lib. 1. ſive in ejus deſcriptione à pagina inde 245. usq; ad finem libri I. ſive pag. 273.* junge Cominæum *lib. 4. cap. 2. & lib. 5. cap. 1.*

(19) *Ludovicus hujus nominis XI. &c.*] Simlerus *d. loc. pag. 360. quem de incitamento ad hoc fœdus conſule.* Stumpfius *d. l. lib. 3. c. 15. ubi tamen Ludovicum hunc falsò decimum appellat, lib. 13. c. 18. lib. 13. c. 24. c. 26. c. 28. ſeqq.* Cominæus *lib. 6. c. 4. p. 585. ſeq. item lib. 2. c. 2.* Serranus *Hiſtor. Franc. Invent. p. 354. latinæ editionis.* Joh. Buſſieres *Hiſtor. Franc. lib. 13. c. 17. p. 56.* Pont. Heuter. *Rer. Auſtr. lib. 1. cap. 9.* Petrus Matthæus *Hiſtor. Henr. IV. lib. 5. num. 6.* primum Helvetiorum fœderatum Galliæ Regem Carolum VII. nominat.

(20) *Britanniæ Ducem &c.*] Stumpf. *lib. 13. cap. 22.*

(21) *Fœdus ipſe quoq; in decenniū &c.*] Stumpf. *lib. 13. cap. 24. pag. 765. b. & cap. 26.*

(22) *Cum Helvetiis pacem & amicitiam &c.*] Stumpf. *lib. 13. cap. 39. pag. 761. b.* Serranus *Hiſt. Franc. Invent. pag. 464. & 466.*

(23) *Quinto anno poſt pacem factam &c.*] Scilicet Anno MDXXI. Stumpf. *d. lib. 13. cap. 40.*

(24) *Fœdus cum Helvetiis &c.*] Stumpf. *lib. 13. cap. 42.* Thuanus *Hiſt. lib. 6. pag. m. 117.*

(25) *Carolus IX. &c.*] Thuanus *lib. 30. p. 619. lib. 35. p. 718.*

(26) *Ex Fœdere &c.*] Monet nonnemo Zeillerum, dum adhuc viveret, *uti in Miſcellaneis ſub tit.* Schweitzerland *annotavit*, perperam Auſtriacum fœdus *fœdus* dici, cùm potiùs pacta hæc, *Unio hæreditaria* ſit, & vocanda ſic veniant. Nam apud Helvetios fœdera plerunque imò verò ſemper alias pactiones, auxilia verbi gratiâ, & certa ſtipendia contineret. Unionis verò capitula ipſa præter alios Gotofredus *in Archontologia Coſmica parte I.* & Davety nobis exhibent.

(27) *Carolo IX. &c.*] Diceret quis rectiùs hæc Henrici III. temporibus adſcribi, niſi Petri Matthæi fides (quam Author noſter omninò ſecutus) *Hiſt. Henr. IV. lib. 2. narr. 2. n. 10.* obſtaret. Cùm vel maximè ſub Carolo IX. turbationes ejusmodi Hiſpanorum interceſſiſſe, apud Hiſtoricos alios ſcriptum non reperiatur, benè verò ſub dicto Rege Henrico. Quod ex ſequentibus patebit. Le Lundy, vingthuitiesme du Novembre (Anno MDLXXXII. *l'Autheur du Journal du Regne du Roy Henry III.*) arrive-

arriverent à Paris les Deputez de Suiſſes, venans jurer la Ligue par eux accordeè avec le Roy, non obſtent les brigues & menees du Roy d' Eſpagne, quel depuis quatre ou cinq ans eſtoit à les gagner jusques à offrir de leur payer comptant les huit cens mil livres que le Roy leur devoit des arrerages de leurs penſions, & leur doubler à l' advenir, & charge encore de ſe departir par eux de ſon alliance, ſi bon leur ſombloit, des le premier terme qu' il faudroit à les payer. &c. i. e. Die Lunæ vigeſimo octavo Novembris Anno MDLXXXII. *inquit Author Diarii Regni Regis Henrici III.* Lutetiam Pariſiorum venerunt Helvetiorum Deputati, ideò huc contendentes, ut fœdus ab ipſis cum Rege initum Jurejurando firmarent. Nihil attendentes Regis Hiſpaniæ ſtudia contraria & perſuaſiones, quæ per quator aut quinque annos, quo in partes ſuas illos pertraheret, in tantum impenderat, ut paratâ pecuniâ octoginta millia librarum, quæ pro reſiduo penſionum Rex ipſis debebat, ſeſe ſoluturum, eaque inpoſterum duplicare promiſerit, hanc adjectâ inſuper conditione, ut liceat ipſis proprio motu, ſi ita ipſis viſum fuerit, ſub primo ſolutionis termino, à fœdere ſuo recedere. Sic Illuſtris Thuanus *Hiſtor. lib.76. p. 123. ad Annum 1582.* ſcribit: Renovatum & eo anno fœdus Helveticum, miſſis à Rege Procuratoribus Franciſco Mandeloto, Provinciæ Lugdunenſis Præfecto, Johanne Belleureo Altafortio, Senatûs Gratianopolitani primario Præſide, Henrico Clauſſa Floriano, qui tunc apud Helvetios Regii Oratoris munere fungebatur, & Johanne Grangerio Liverdio, qui apud Rhætos res Regis procurabat. Tabulæ Soloturni confectæ XI. Kal. Vtilis Capitibus XXV. quibus eædem ferè conditiones, quæ ſuperiorum fœderũ inſtrumentis continebantur, repetuntur &c. *& p. p.* Conditiones poſtea Rex ratas habuit, & Lutetiæ IV. Non. (*fortè Kalend.*) Xbris publicâ ceremoniâ coram pagorum delegatis in majori Urbis templo, tactis Sacroſanctis Evangeliis ſolemni ſacramento confirmavit. De quo renovati fœderis anno & Stumpfius in der Schweizer Chronic/ *lib. 13. cap. 42.* atteſtatur. Si quis igitur annos illos quatuor vel quinque ſuprà dictos retrò numeret, perpendatque, quod Bucelinus *in Rhætia Chronologia pag. 347. ad annum 1577.* ſcribit, Regibus, nempe, Galliarum acriùs modò contra Hugenotas certantibus, Catholici æquè atque Acatholici ſua militiæ dare nomina difficulter perſuaderi ſe ſinunt, his ne ſocios, illis ne concives offenderent, fuêre tamen ſemper aliqui, qui Veterẽ Patronum, à quo non minima commoda Rhætiæ obtigerant, minimè dicerent deſerendũ; jungatque Joan. Baptiſtæ Plantin *en Abregè de l' Hiſtoire Suiſſe lib. 6. pag. 352. 353. ad annum 1578.* dicentem, Un Ambaſſadeur d' Eſpagne arrivè à Coire offroit aux Griſons de grandes penſions & autres avantages, pour les deſtourner de l' alliance de France. L' Ambaſſadeur du Roy deſcouvrant ces artifices Eſpagnols, les rendit pour lors inutiles. i. e. Legatus quidem Hiſpaniæ Curiam veniens Rhætis offerebat ingentia ſtipendia aliaque emolumenta, ut illos à Fœdere Francico averteret. Legatus Gallicus artificia hæc Hiſpanica deprehendens, ut vana tunc eſſent effecit; facilè colliget communiter hæc temporibus Henrici III. ſic ut geſta narrantur, adſcribenda. Diffiteri equidem nequit, & antea Anno MDXLIX. commemorante Sleidano *Comment. lib. 21.* Helvetico Fœderi cum Gallo Henrico II. renovando, literis & nuntiis dehortantem Carolum V. interceſſiſſe; ſed ut CÆSAREM, non verò ut Hiſpaniarum Regem. Imò & ipſum irrito, quod ſuis rebus ita magis convenire putarent, conatu.

Num. 15.

(28) *Belleureus &c.*] Simili modo A. MDLXXV. Princeps Condæus adverſus Reginam Regnantem arma movens, cùm ſeptendecim turmas Helvetiorũ in auxiliũ adſciviſſet ex Bernenſi pago, dum temporis Legatus Gallicus apud Helvetios, ſerò quidem ejus rei certior factus, maturè tamen effecit, ut turmæ illæ auxiliares revocarentur, quemadmodum videre eſt apud Dn. D. Aubigne *en Hiſtoire Univerſ. livre 2. chap. 18. p. 758. ſeq.*

(29) *Inpugna Sempachiana cæſus &c.*] Patratum eſt hoc prælium Anno MCCCXXXVI. cujus occaſio & ſucceſſus breviter talis: Leopoldus Auſtrius quàm maximo poteſt apparatu loca Tiguro vicina occupat: Itaque Lucernates, Urii, Suitii, & Subſylvani MDC. milites Urbi præſidia mittunt. Cujus Leopoldus non ignarus profectionem Sempachum versùs inſtituit. Propterea præſidium Tiguro ſolvit & nocturno itinere tantùm promoti, eadem quâ Auſtrius venerat horâ IX. Julii Sempachum venit. Pugnatum eſt utrinque infeſtis animis, victoriâ penes Helvetios relictâ. Ceciderunt eo prælio cum Leopoldo Auſtrio Principes, Comites, Barones, Nobiles, Equites ad MM. Hottinger *in Spec. Tigur. Militari p. 476.* Stumpf. in der Schw. Chronic/ *lib. 7. c. 18. c. 35. lib. 13. c. 6.* Felix Fabri *lib. 1. c. 15.* quem vide, Münſter *Coſmogr. lib. 5. c. 65.* Gerhard. de Roo. *Annal. Auſtr. lib. 4.* Sigmund von Bircken im Spiegel der Ehren deß Ertzhauſes Oeſterreich/ *lib. 3. cap. 11. p. 368.* Ipſe ille Leopoldus Auſtriæ Dux, cum multis procerum atque Nobilium in pugna Sempachiana cæſus, Konigsfeldi ſepultus perhibetur cum plurimis inſigniis depictus, hac inſcriptione monumentum interitus ſui celebrare: Dit iſt die Aecontroſetung Hertzog Lupoldts von Oſterreich / der zu Sempach mit diſer ſeiner Ritterſchafft/ Adel/ und mit Raht erſchlagen wardt/ uff dem Sinen/ in dem ſinen/ und umb dat ſine/ uff S. Cyrillen Tag/ im MCCCLXXXVI. Jahr.

(30) *Alberto &c.*] Qui ter, ſed ſemper fruſtra Tigurum obſedit. Stumpf. *d. loco lib. 7. c. 17.* Hottinger *in Speculo Tigur. milit. p. 472. 473.*

(31) *Maximiliano Imperatoribus &c.*] Geſtarum ſub Maximiliano in Helvetia rerum, ut & Gentis originẽ luculenter libris duobꝰ de bello Helvetico teſtis ipſe ocularis (cùm in hoc bello non parvis copiis tam equeſtribus quàm pedeſtribus præfuerit ac imperaverit) Senator quondam Reipublicæ Norimbergenſis, laudatiſſimus Bilibaldus Pirckheimerus, exequutus eſt. Qui libri inter Opera Illuſtris illius Viri à Melchiore Goldaſto Haiminsfeldio collecta *pag. 64. usque 93.* extant. Adde Stumpfium in der Schw. Chronic *lib. 13. cap. 23. cap. 24. cap. 25. 26. 27. & 28.* ubi pugnam I. ad S. Lucii clivum, II. Treiſam, III. Hardam, IV. Bederholtz, V. Svvaderloch, VI. Fraſtenzum, VII. in Mulſæ campis, VIII. Dornaci, in quibus omnibus Helvetii victores extiterunt, ſemel tantùm ſecuritatis mala experti, commiſſas enarrat. Cui planè Hottinger *d. loco p. 482.* adſtipulatur.

(32) *Ex morte Trium Prnicipum &c.*] Leopoldi Ducis, & Alberti Imperatoris Auſtriacorum, & Caroli Burgundi, Maximiliani Imperatoris ſocri.

(33) *Sed poſtea cùm Rex &c.*] Scilicet Henricus Magnus ejus nominis IV. Galliarum Rex, ut ex Petro Matthæo *loco ſuprà citato*, & Serrani *Hiſt. Franc. Invent. in vita Henrici IV. p. 765.* ad oculũ patet.

(34) *Quinq. minores pagi &c.*] Lucerna nempe. Urania, Suitia, Untervvaldia, Tugium. Vide Simleri *Deſcript. Helvet. pag. 298.* Percuſſum verò, teſte Matthæo & Serrano, hoc fœdus A. MDXCIX. fuit.

Num. 16.

(35) *Præter omnem ſpem retinuit &c.*] Vide Matthæi excurſum *d. loc. pag. 183. & 184.*

(36) *Rex fecerat, quod potuerat &c.*] Verùm cùm Helvetii viderent, (*inquit Petrus Matthæus n. p. 184.*) totam Galliam redactam in Regis poteſtatem & obedientiam, patientiam converterunt in querimoniam, & palàm minari cœperunt, niſi promiſſa efficerentur, quibus contenti fuerint, quamdiu vidiſſent in Regis poteſtate non eſſe ea exequi, venturos ſe ultrò & vi petituros eſſe. Durante (Anno MDXCVII.) obſidio Ambianenſi, quidam Capitaneus ex minoribus pagis, qui uſurus occaſione temporis & extremi ſtatus rerum Regis, ſuis propoſuit conſilium valde audax, ad ſolutionem extorquendam. Regnum erat adhuc plenum infidelitate, Rex peſſimè habitus ab unâ parte ſubjectorum, vires Hiſpanorum valdè potentes, & Hiſpania jam admodùm progreſſa in Galliam, adeò ut ſi voluiſſent exequi, quod propoſuerant, noſter Cæſar non tam facilè eos repuliſſet, ut quondam ille Julius. (*Cæſar lib. 2. de Bell. Gall.*) Fecit itaque, quod potuit, ut argentum pro illis componendis conficeret, & Curia Parlamenti comprobavit quædam edicta, quibus ærarium erat deſtinatum pro eorum ſolutione, velut Edictum de reunione Officiorum ad Donarium Regni, de marca coriorum & de gubernatione Opificum. Capitaneis & Colonellis ad executionem ſeſe præparantibus, Legatus ſuſtinebat populum verbis quàm blandiſſimis ſpe maximâ, quâ nihil eſt efficacius ad rumpendam impatientiam impetuoſam, & ſublevandam hominum laſſitudinem. &c.

(37) *In Galliam rediret &c.*] Vide Matthæum *d. loco.*

(38) *Et Henricus III. &c.*] Malè hæc cohærere, perpendenti *n. 14. 15. & 16.* usque ad hæc verba jam de Henrico IV. loqui, non poteſt non eſt clariſſimum.

(39) *Petr. Matthæus &c.*] Botereus *Commemor. rer. Gall. lib. 9. p. 334.* Lundorp. *Cont. Sleid. lib. 8. pag. 378. ſeqq.* Serran. *Hiſtor. Franc. Invent. pag. 794.*

Num. 17.

(40) *Fœdere Salis &c.*] Quaſi dicat, hoc pactum ſeu promiſſum tam non violabitur, quàm Sal non poteſt putredine corrumpi; quemadmodum locutionem hanc *2. Paralipom. 13. v. 5.* Oſiander in notis marginalibus, & Interpretes ad locum *Num. 18. v. 19.* explicant, ut hinc haud malè verterit Lutherus *d. l.* Pactum Salis, ein unverweſentlichen Bund/ꝛc.

Num. 18.

(41) *Ludovicus XIII. &c.*] Sicuti Ludovicus XIII. Galliarum, (cùm opus hoc ſcriberet Klockius) glorioſus Rex eò ſemper anniſus fuerat, ut Helvetios fœderis legibus conſtrictos ſibi amicos retineret. Eodem quoq; modo modernus Franciæ Monarcha Ludovicus XIV. cum Prædeceſſoribus & Avo & Patre concluſa ab Helvetiis fœdera Anno MDCLXIII. die VIII. Novembris Pariſiis ſolenniter juramento denuò confirmavit. *Diarium Europæum parte X. pag. 854.* In cujus rei memoriam Numus Ceremonias Jurejurandi exprimens percuſſus & evulgatus fuerat.

(42) *Marchionem de Cœuvres &c.*] Vide Hiſtoriam Cardinalis Richelii *pag. 45. latinæ editionis.* Plantin *en Abregè de l' Hiſtoire Suiſſe, liv. 6. p. 390.* Gramond *Hiſtor. Gall. lib. 13. p. 594.* qui, Marchio Cuvrius, *inquit*, legatione ad Helveticos pagos defungitur ſedulò; ſuadet, urget, minatur, dona de more diſtribuit, epulatur lautè & ſplendidè regiis ſumptibus cum gente, cui in vinum prima inclinatio eſt, præbibit Helveticis pagis nomine Regis ſui prolixiùs: Illi referendæ gratiæ rebibunt Ludovico ut ſoſpiti, ut protectori, & amico. Cæterùm quæ inter pocula ad Chriſtianiſſimi Regis ſalutem vino incaluerant, in Conventu pro ipſius rebus habito rigent; communisque cauſæ parùm ſolliciti, Auſtriacæ dominationi poſtponunt publicam libertatem. &c. Buſſieres *Hiſtor. Franc. lib. 24. pag. 514.* junge omninò deſcriptionem Legationis Mareſchali Baſſompierre, quum in Helvetiam A. MDCXXV. abiit, ante paucos annos publicè typis excuſam, in qua mens Galliæ Regum ad oculum monſtratur.

(42) *Magnifiques Seigneurs &c.*] I. e. Magnifici Domini, Rex Dominus meus, optimus veſter amicus, unitus, & confœderatus &c. quoad ſolutionem penſionum veſtrarum mihi in mandatis dedit. &c.

CAPUT XVI.

De Ducis Sabaudiæ Ærario & Reditibus.

SUMMARIA.

1. Dux Sabaudiæ *Princeps Italiæ atque Germaniæ quid ab Imperio recognoſcat clientelari jure*, num. 2.

3. *In* Italia *quas opes habeat, Italorum Principum minimè ultimus*, & 4.

5. Regis Hiſpaniarum *Filiæ dos Principi Sabaudiæ promiſſa, non perſoluta*, num. 6. *Cauſa diſſidii inter Regem & Ducem*, num. 7.

8. *Bellum inter* Sabaudiæ Ducem & Mantuanum, *quòd ob iniquas conditiones ſuſpicioſa pax ſecuta eſt*, num. 9.

10. *In quas Civitates* Duci Sabaudiæ *jus competat*, Genevenſem, num. 11. *Marchionatum* Montisferratenſem, num. 12. Achaiam, num. 13. Regnum Cypri & Hieruſalem, num. 14.

15. Sabaudia *ferè ſterilis.*

16. Pedemontana *locupletior.*

17. *De* reditibus *Ducis Sabaudiæ.*

18. *De* expenſis *ejusdem agitur.*

19. Princeps *fœderibus ſtabilire res ſuas conatur cum* Rege Angliæ, 20. Belgii *Ordinibus*, 21. Principibus Germaniæ, 22. & Rege Galliæ *amicitiam colit*, 23.

24. *Nihil ipſi cum* Venetis *negotii eſt.*

25. *Sollicitus eſt de libertate* Italiæ *potentiaq;* Regis Hiſpaniæ.

26. *Fruſtra oppidum* Genevenſe *repetiit.*

27. *Adverſatricem ſemper habuit* fortunam.

28. *Miratur author ejus* ſumptus bellicos, *ſuorumq; affectus*, 29.

Frumentum, pecudes, multum Cerealis oryzæ,
Canabem, itemque merum, Chartam, goſſypium, & acrem
Caſeum, & ingentem vim Sparti mittere poſſunt
Allobroges populis vicinis munere cœli.

SAbaudiæ (1) Dux non ſolùm Italiæ, ſed 1
& diverſo reſpectu *Princeps eſt Germaniæ & Imperii Vaſallus.* (2) Recognoſcit namque clientelari jure ab Imperio Civitatem Aſten-

Aſtenſem, Marchionatum Geræ, & Regionem Pedemontanam, Octav. Cacher. *conſ. 9. num. 39. & conſil. 27. n. 21.* Menoch. *conſ. 2. n. 104.* Petr. Anton. de Petra *tract. de poteſt. Princip. c. 22. num. 18.* Tob. Paurmeiſt. *de jurisdict. lib. 2. c. 1.* Marchiam Saluziarum,
2 D. Marta *de Jurisd. part. 1. c. 33. num. 61. & ſeqq.* atque Sabaudiam, Henning. Arniſæ. *de jure majeſt. lib. 2. num. 4.* Limnæ. *de jure publico lib. 5. c. 14. num. 2.* Et dixi ac deduxi hoc prolixiùs *tract. de Contribut. cap. 4. num.*
3 *238. & ſeqq. In Italia autem* (3) magnas quoque opes & loca plurima habet, opumque vi & potentiâ paucis Italorum Principum cedit: Et qui minutim Ducis potentiam & annuos reditus deſcribere ſategerunt, longè, prudentiorum judicio, infra dignitatem illos deſignarunt.

4 Sed obiter hîc obſervandum; Regem Hiſpaniarum Philippum II. per tabulas dotales inter *filiam illius*, (4) & Ducem Sa-
5 baudiæ, ipſi inter alia promiſiſſe ſexaginta millia ducatorum annuatim percipienda *è reditibus Ducatûs Mediolanenſis*; (5) itemque octo millia ducatorum, annuatim percipienda è vectigalibus Urbis Neapolitanæ; quæ utraque anno clↄ Iↄ cxiv. Dux conqueritur aliquot annis ſibi minimè fuiſſe ab Hiſpano perſoluta; videlicet ſexaginta illa millia ducatorum jam tum ab annis octo; octo autem millia jam ab annis
7 quatuor aut quinque. Hæc occaſionem dederunt diſſidiis inter Regem & Ducem; quæ potiſſimùm originem ſumpſerunt è bello, *quod Dux Sabaudiæ movit Mantuano* (6) in Marchionatu Montisferratenſi. Nam cùm Rex Hiſpaniæ Mantuano faveret, eique per Gubernatorem Ducatûs Mediolanenſis auxilium ferret, odium inter hos Principes, jam antè è variis cauſis natum, in apertum bellum erupit. Cui cùm aliorum Principum interventu finis eſſet impoſitus, animi tamen exulcerati, nunquam penitus reconciliari potuerunt:
8 querebatur enim Dux, ſe ab affinibus ſuis minùs amicè habitum, quinimo contra æquitatem ad iniquas conditiones urgeri, & penè cogi; quarum præcipuæ erant, ut Dux filiam ſuam Mantuano hoſti ſuo, nondum ritè conciliato, in uxorem traderet; & conditionibus, quæ in pacis confectæ tabulis pactæ fuerant, nondum plenè præſtitis, omnes ſuas copias dimitteret: quibus addebat, filium ſuum primogenitum in Hiſpania indignè & minùs decorè habitum; ſibique penſiones annuas præter jus fasque jam multis annis detine-
9 ri; & alia hujuscemodi. Quid multa? nunquam ab illo tempore ipſi benè cum Hiſpano convenit, ſed ſemper aut infida & ſuſpicioſa pax inter illos viguit, aut apertum bellum fuit.

10 Præter autem Provincias, quas Dux Sabaudiæ actu poſſidet, jus ſibi competere aſſerit; primò *in urbem Genevenſem*: (7) argumenta illius cum Genevenſium refu- 11
tatione egregiè explicantur à Thuano lib. 12
CXXV. ad annum clↄ Iↄc. quæ tractatio quia prolixior eſt, eò lectorem remittendum putavimus. Secundò in Marchionatum Montisferratenſem, rationes paulò pòſt explicabimus, cùm de Mantuano Duce agemus. Tertiò in Achajam; Phi- 13
lippus enim Sabaudus, Thomæ tertii filius, filiam Principis Achajæ, nomine Jamben, uxorem duxerat, ex qua filium Jambum ſuſcepit, qui Princeps Achajæ factus, Amadeum filium & principatûs hæredem reliquit, quo (ſicuti & fratre illius Ludovico) ſine liberis defuncto, Regina Siciliæ tanquam feudi domina jus ſibi in principatum arrogans, jus ſuum militum *Rhodiorum Magiſtro* (8) ceſſit, Rho- 14
diis denique Turcarum Imperator unà cum inſula principatum abſtulit. Quartò *in Regnum Cypri* (9) & Hieruſalem, idque variis argumentis; quæ hîc prolixè recenſere nihil opus eſt, cùm Turca utroque jam po- 15
tiatur.

Sabaudia ferè tota montoſa eſt, &, pau- 16
cis fertilibus vallibus exceptis, ferè indigens & *frugum infœcunda*: (10) Sed Pedemontana regio multo locupletior eſt, & fœcunditatis Lombardiæ particeps: Utriusque reditus annui ad duas milliones aureorum putantur aſcendere: præter hæc neque extraordinarii ærarium augendi modi ipſi deſunt, neque fides apud exteros. Denique, ſi fortuna illius magno animo reſponderet, quemadmodum poſt Hiſpanum facilè cæteros Italiæ Principes potentiâ præcellit, ita & inter potentes Europæ Principes omninò eſſet numerandus.

Abſolvam rem verbis Boteri: Reditus 17
(*inquit ille*) Ducis Sabaudiæ ordinarii extraordinariique accedunt ad quingenta aureorum millia, nempe vectigal ſalis 50000. Telonium *Suſæ* (11) 24000. Vectigal mercium exterarum 18000. Alia vectigalia, cum eo, quod Villafrancæ ſolvitur, dicunt accedere ad 25000. Ordinarium antiquum cum eo quod Balliaggi, accedit ad 70000. Taxa ordinaria Pedemontii, cum mutatione ſalis, ab alio montium latere, in vectigal ordinarium perpetuumque 263000. Confiſcationes bonorum, condemnationes, augmentum ſubſidiorum, compoſitiones delictorum.

Cenſuales, qui vulgò *Tagliabeli* dicuntur, hi homines de ſuis bonis diſponere haud poſſunt, niſi pendant aliquam pecuniæ ſummam Duci pro ejus arbitrio, & tributum, quod pendunt Judæi, & ex ſimi-
libus rebus percipitur 50000. Summa to- 18
talis eſt aureorum numor. 500000. De expenſis nihil certi dici poteſt, tamen hoc ſcitur,

ſcitur, in militiam impendi aureorum 10000. In aulam Ducis 60000. In Duciſſam 20000. In Triremes 22000. Duci *Nemorſio*, (12) cognato Ducis, penduntur aureorum millia quatuordecim. In ſtipendia Officiariorum ab utroque Alpium latere, in Senatum, Cameras Judiciarias, aliaque impenduntur 90000. In Legatos & res extraordinarias inſumuntur aureorum 16000. In donativa 12000. In viridarios, & eos, qui Duci ſunt à pedibus 10000. Dux impendit in res ſibi gratas 10000. Summa harum impenſarum accedit ad 380000. aureorum millia.

19 *Cæterùm hic Princeps* (13) *variis fœderibus* (14) res ſuas ſtabilire ſatagit, atque in e-
20 um finem etiam amicitiam colit cum Re-
21 ge Angliæ, Fœderati Belgii Ordinibus,
22 Principibus Germaniæ, & præſertim Electore Saxone, quia *ex hac familia genus ducere* (15) perhonorificum ſibi putat. Quia
23 autem jam cum Hiſpano haud ſatis bene ipſi convenit, amicitiam Regis Galliæ ſtudiosè captat, & omnibus officiis demeretur: quippe potentiſſimis hisce Principibus, Gallo atque Hiſpano, æquè opportunus, utri eorum acceſſerit, illi magnum momentum afferre poteſt; ſed difficili inter utrumque temperamento, vix tantillum
24 in unum inclinare poteſt, quin ſtatim alteri ſuſpectus fiat, eumque offendat. Venetos neque metuit, neque ab illis metuitur; cùm nihil ipſi cum illis intercedat negotii, quippe finibus longè ab illis diviſo.

Cæterùm par utriusque ſollicitudo & 25
libertatem Italiæ conſervandi, & ſedulò cavendi, ne potentia Regis Hiſpaniæ majus hîc incrementum capiat. Jus autem
ſibi arrogat in oppidum Genevenſe, quod 26
jam aliquoties intercipere conatus fuit irrito eventu: itemque in Valleſiæ partem, quam Gallicè vocant *le pays de Vaud*, quam à majoribus ſuis tantùm exiguâ pecuniæ ſummâ Bernatibus oppignoratam fuiſſe contendit; verùm cùm Bernates nimiùm potentes ſint, quàm ut illos poſſit cogere, hactenus fruſtra illam repetiit. Atque ita majori ſpe, quàm operâ, & majoribus animis, quàm viribus pollens, toto vitæ curſu cum fortuna ſua luctatus
eſt, & *nunc ad Galliæ Regem*, *nunc ad Hi-* 27
ſpanum inclinando, (16) ab utrisque obtinuit, quæ alter ipſi eripuerat, pro re nata, res ſuas alteriusutrius viribus confirmaturus.

Mirum autem meritò videri poteſt, 28
quibus modis tantis ſumptibus, quos in poſtremum bellum contra Hiſpanum impendit, par eſſe potuerit, licet conſtans opinio ſit, à Venetis ipſum fuiſſe adjutum: magis adhuc mirum, cùm ſubdi-
tos ſupra modum exactionibus continuis 29
gravare cogatur, illum tanto affectu à ſuis diligi & coli, quanto vix ullus alius Princeps in Europa.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT XVI.

Num 1.

(1) S*Abaudiæ &c.*] De Sabaudiæ ſitu & antiquitate vid. Lambertus van der Burch *in deſcript. Reipubl. Sabaudiæ, & ibid. adduct.* Belleforeſtus.

(2) *Princeps eſt Germaniæ & Imperii vaſallus &c.*] R. A. zu Regenſpurg de Anno 1541. ibi: Nachdem aber in dem/ unſerm Schwager und deß H. Reichs-Fürſten und Lehenmann/ dem Hertzog in Soffoya ein gut Theil ſeines Fürſtenthums mit Kriegs-Gewalt abgetrungen und eingenommen iſt / ſeynd wir in Betrachtung unſers Käiſerlichen Amts verurſacht/und zu Errettung und Unterhaltung deß H. Reichs Eigenthums in Gegenwüſtung einzulaſſen. ꝛc. Quibus Comitiis Carolum Sabaudiæ Ducem interfuiſſe, ſubſcriptio Receſſus iſtius indicio eſt. Item R. A. zu Speyer Anno 1544. in procem. vocatur ein Fürſt und Glied deß Reichs. In Inſtrumento Pacis Oſnabruggenſis de An. 1648. inter Imperatorem & Coronam Sueciæ, §. hac pacificatione comprehendantur &c. nominatim Dux Sabaudiæ inter Principes Imperii pactis includitur. Denique in Inſtrumento Pacis Monaſterii inter Imperatorem & Regem Franciæ hæc leguntur: Cæſarea Majeſtas decenter requiſita concedet Domino Duci Sabaudiæ, unà cum inveſtitura antiquorum Feudorũ & Statuum, qualem inclytæ memoriæ Ferdinandus II. Duci Sabaudiæ Victori Amadeo conceſſerat, Inveſtituram quoq; locorum, ditionum, ſtatuum, omniumq́; jurium Montisferrati, cum appertinentiis, quæ illi vigore prædicti Tractatûs Cheraſcenſis, nec nõn executionis inde ſubſecutæ decreta & remiſſa fuerunt, ſicuti quoq; Feudorum Novelli, Monfortis, Sinii, Moncherii, & Caſtelletti cum appertinentiis, juxta tenorẽ Inſtrumenti acquiſitionis ab eodem Duce Victore Amadeo factæ ſub XIII. Octobris A. MDCXXXIV. & congruenter conceſſionibus ſeu permiſſionibus, nec non approbationibus Cæſareæ Majeſtatis, cum confirmatione quoq; omniũ, & quorumcunq; privilegiorum, quæ Sabaudiæ Ducibus hactenus indulta fuerunt, quotiescunq; à Dño Duce Sabaudiæ requirentur, & poſtulabuntur. Itẽ conventũ eſt, quòd Dux Sabaudiæ, hæredes, & ſucceſſores ejus, nullatenus à Cæſarea Majeſtate turbentur aut inquietentur in Superioritate ſeu Jure ſuperioritatis, quod habent in Feudis Rocheverani, Olmi, & Cœſolæ cum appertinentiis, quæ à Romano Imperio nullâ ratione dependent; revocatis annullatisq́; donationibus & inveſtituris dictorum feudorum poſſeſſione, ſeu quaſi Dominus Dux manuteneatur & quatenus opus ſit redintegretur &c. Confer Sleidanũ *l. 10. Comment.* Bodinum *1. de Republ. c. 9.* Card. Tuſch. *Pract. Concl. 819. lit. S. verbo Dux Sabaudiæ &c.* D. Conring. *de finibus Imp. Germ. l. 2. c. 24. p. 629. &c. 25.* Quin VICARIUS IMPERII audit, quod pluribus cum aliis Limnæus *de J. Publ. lib. 5. cap. 14. n. 4. & in Addit.*

Tom. I. p. 910. & 911. Tom. II. pag. 439. demonſtrat. Vide tamen Claud. de Battandier *in tr. de legitima art. 13. n. 14.* Jaſ. *Conſil. 227.* Ant. Gabriel. *l. 5. de acq. rer. dom. Concl. 3. n. 17.* Eguin. Baro *de benefic. Feud. l. 2. c. 1.* qui neminem ſuperiorem recognoſcere Ducem Sabaudiæ aſſertum eunt.

Num. 2.

(3) *In Italia autem &c.*] Pedemontii nempe Principatum, Marchionatum Saluciarum &c. ob quarum poſſeſſionem etiam Italiæ Principibus annumeratur.

Num. 4.

(4) *Filiam illius &c.*] Catharinam nomine, quam X. Martii A. MDLXXXV. Carolo Emanueli Sabaudiæ Duci &c. in matrimoniũ locaverat. Pertinet huc articulus 93. Tractatuũ Pacis inter Franciæ Hiſpaniæq; Coronas concluſorum A. MDCLIX. qui ſic ſonat; Quoad dotem Sereniſſimæ Infantis Catharinæ, gloriosæ memoriæ, ratione cujus inter domum Sabaudicam atq; Mutinenſem vertitur controverſia, Majeſtas ſua Catholica promittit atq; ſtipulatur ſe curaturam, ut Domino Duci Sabaudiæ reſidua, quę ſuæ Domui debebuntur, à conſtituta inde dote usq; ad diem XVII. Decembris anni ſupra millefimum ſexcenteſimum vigeſimi, quo inclytæ memoriæ Carolus Dux Sabaudiæ, inclytæ memoriæ Principi Philiberto filio ſuo dotem illam Appanagii loco aſſignârat, ſecundùm id, quod per libros Cameræ Regiæ Regni Neapolitani eo nomine deberi docebitur, realiter exſolvantur. Quoad ſolutionẽ verò penſionum dictæ Dotis & aliorum reſiduorum impoſterum juxta inferiùs in alio Articulo (*nempe 98.*) hujus pacis diſpoſita procedetur.

Num. 5.

(5) *E reditibus Ducatûs Mediolanenſis &c.*] Vide Capriatæ Hiſtoriam ad A. 1613. Italicè conſcriptam *part. 1. pag. 17.*

Num. 7.

(6) *Quod Dux Sabaudiæ movit Mantuano &c.*] Illuſtrat hæc omnia à n. 4. usq; ad n. 9. ex Joh. de Laet *de Princ. Italiæ p. 223. dicta,* laudatus jam Capriata Italicus ſcriptor horum bellorum diligentiſſimus; Compendio hocce bellum Mantuanũ ſic complectitur Joh. Cluver. *in Epitom. Hiſt. p. m. 773.* Subinde arſit & Italia (*ſub Cæſare Matthia*) bello, ex Francici Mantuani Ducis obitu. (*qui contigit d. XXI. Decembr. A. MDCXII.*) Ferdinandus enim Gonzaga, frater defuncti & Cardinalis, abdicato pileo, conjugem quærens ditionem avitâ apprehenderat, à quo Carolus Emanuel Sabaudus repetebat filiæ ſuæ, quõdam Franciſco nuptæ, dotalia, & Montisferratenſem Marchionatum. Mantuanus, Mediolanenſi ſubnixus Producis Hiſpaniæ ſubſidio Montisferratum ſibi aſſerebat, coactoq; exercitu, Hiſpanicas Allobrogi objectabat vires; quas ille viriliter ſanè ſuſtinuit, donec pace quadam interpoſitâ, Mantuanus ſe dotem Margarethæ perſoluturum reciperet, reliquâ lite arbitris permiſsâ. Sed cùm Hiſpanus leges ferret Sabaudo intolerandas, mox acriùs reſumptum eſt bellum, plurimumq; ſanguinis fuſum, hinc Helvetiis Galliſq; Sabaudo, iſthic Hiſpanis Italiſque Mantuano opem ferentibus. Vercellas tandem Produx Hiſpano expugnavit, cùm viciſſim Sabaudus multa Mediolanenſis Ducatûs vaſtaret loca, nec modicis hoſtem cladibus multaret. Ad poſtremum An. XVIII. hujus ſeculi reſtitutis utrinq;, quæ armis occupata fuerant, transactione diſcordia ſolvitur. Junge Paulum Piaſecium *Chron geſt. in Europa ſingul. ad Annum 1613. p. 286. & ad Annos 1614. & 1618 p. 290 & 315.* Braudlacht *Pacific. Auſtro-Hiſpano-Gallic. cap. 10. p. 91.*

Num. 10. 11. 12. 13.

(7) *In Urbem Genevenſem &c.*] Confer Limnæum *de J. P. l. 5 c. 14. n. 13. 14. cum allegatis ab ipſo Authoribus.* Interets & maximes des Princes *p. 152.* De Controverſiis noviter inter Ducem Civitatemq; A. MDCLXVII. exortis Diarii Europæi *part. XVI. ſeqq.* De cæteris verò prætenſionibus in Ducatum Montisferratenſem & in Achajam eundem Limnæum *d. loc. n. 15. & 16. Addit. Tom. 1. ad n. 17. pag. 919.* Gotofr. *in Archontol. Coſm. p. 485. n. 14.* Les interets & maximes des Princes, *p. 145. & 155.*

(8) *Rhodiorum Magiſtro &c.*] De Ordine Equitum Hoſpitalariorum S. Johannis Hieroſolymitani, qui pòſt Rhodii, nunc Melitenſes dicuntur, confer Miræum *Orig. Ord. Equeſt. lib. 1. c. 2. p 3.* & Mennenium *p. 68. ſeqq* Hanc ipſam Inſulam Sabaudiæ Comitis Amadei acceptam fere fortitudini debuiſſe Chriſtianos, teſtantur Hiſtoricorum plerique, inter quos van der Burch *in Hiſt. Sabaudiæ ſub Amadeo Comite ejus nominis IV. pag. 62. ſeq.* Cæterùm quia ſeculi illius (*inquit*) anno decimo ipſo Aſſumptioni Virgineæ feſto die, Amedei hujus unius potiſſimùm virtute fortitudineq; Rhodus Inſula in Chriſtianorum venit poteſtatem (in qua ad annum usq; MDXXII quo, toties fruſtra Turcis petita obſeſſaq;, à Solimano tandem per vim capta fuit, perſeveravit) & Magni meruit nomen, & ut Sabaudiæ inſignia, quæ eadem & Imperii erant (Saxoniæ Ducum, ex quibus Sabaudici orti Proceres, inſignibus interſtincta hactenus) ſcuto Equitum Hieroſolymitanorum ſodalitii Johannitani, cruce ſcilicet argenteâ in rubri coloris clypei ipſis petentibus Equitibus (qui Rhodo ab Imperatore Conſtantinopolitano donati tum, Rhodii ab eo tempore Equites dicti fuêre,) in navatæ virtutis præmium decorarentur, utque ædibus, quas Lugduni ſitas habebant Equites Templarii (quorum funditus ea tempeſtate exſtirpatorum, juréne an injuriâ? variant annales, bona Johannitis ceſſare) ab ejus ſodalitii præfecto donaretur. Errant graviter quippe, qui Amadeo ejus nominis Secundo per Sabaudiam imperante, Rhodum captam, cæteraque, quorum meminimus, contigiſſe ajunt. Ortum ab Rhodi hac expugnatione ſymbolum illud quadriliterarium F. E. R. T. Sabaudicæ ab eo tempore familiæ proprium manſit. Variæ ſymboli hujus traduntur interpretationes & pleræque prorſus abſonæ: veriſſima illa, quâ FORTITUDO EJUS RHODUM TENUIT, eo ſignificari plerique autumant. Adde Hoeppingium *de inſign. Jure c. 6. part. 5. §. 13. n. 839. ſeqq. & citatos ab ipſo n. 843. circa fin. Authores,* ſimiliter de Rhodo à Turcis capta Beſoldum *Hiſtor. Conſtantinop. Turc. p. 1034. ſeqq.*

Num. 14.

(9) *In regnum Cypri &c.*] Limnæus in *Addit. ad d. loc. n. 17. Tom. II. pag. 445.* Les Interets & Maximes des Princes, *pag. 150,*

Num. 16.

(10) *Frugum infæcunda &c.*] Non adeò ſterilem Sabaudiam eſſe, uti ab Anonymo in diſcurſu quodam de Principibus Italiæ, & ejus verba exprimente Authore noſtro inculpatur, ex Gotofredo *in Archontol. Coſm. parte 1. pag. 481. n. 8.* Leandro Alberto *in Deſcript. Italiæ pag. 384.* & Geographis paſſim colligere licet.

Num. 17.

(11) *Suſæ &c.*] Suſa urbs eſt Sabaudis, & Pedemontanis contermina, quam aperit vallis abruptis utrinque montibus arcta & paſſim aſpera, inquit Gramondus *Hiſtor. Gall. lib. 18. pag. 788. ubi vide.*

Num. 18.

Num. 18.

(12) *Nemoroſio &c.*] Philippi nempe Ducis Nemoroſii, Comitis Gebennæ, Philippi II. cognomento *ſine ſolo* Sabaudi filii VIII. Decemb. Anno MDXLIX. mortui. Qui tunc, cùm Boterus Relationem de hoc Ducatu ſcriberet, adhuc in vivis extitit.

Num. 20.

(13) *Caterùm hic Princeps &c.*] Notandum omnia à numero hoc 20. usq; ad finem ex Anonymi allegato ſuprà ad *n. 16.* Diſcurſu eſſe deſumpta, atq; interim multis in partibus vel in melius vel in pejus, prout ſe Fortuna vertit, verſa.

(14) *Variis Fœderibus &c.*] Adde & cum Helvetiis, quod tangit Simlerus *in Helvet. Deſcript. p. 258. ſeq.*

Num. 22.

(15) *Ex hac familia Genus ducere &c.*] Tradunt pleriq; Scriptores, Bertholdum ſive Beraldum Witikindi Magni Ducis Saxoniæ abnepotem patriæ ſolum vertere coactũ, in eam Burgundiæ Transjuranæ partem conceſſiſſe, quæ inter Allobroges Comitatus Morienæ vocatur, quem poſtea obtinuit, & adeò ſucceſſores proximos omnes Marienæ Comitum titulo claruiſſe usq; ad Amadeum eo nomine ſecundum, hunc primum Sabaudiæ Comitem ab Henrico V. Imperatore creatum, ejusq; poſteros Sabaudiæ fines haud parùm dilataſſe, usq; dum Amadeus ejus nominis VIII. ab Imperatore Sigismundo, ex Anglia A. MCCCCXVII. reverſo, primùm in arce Montluetana non procul Lugduno (*alii paulò antè in Concilio Conſtantienſi factum id firmant*) Sabaudię ex Comite Dux factus fuerat. Et hoc titulo omnes ad hunc usq; diem inſequentes Duces usq; ad modernum Carolum Emanuel DEI Gratiâ, Secundum hujus nominis Ducem Sabaudię &c. (*qui natus die XX. Junii A. MDCXXXV. adhuc rerum potitur*) præferentes in inſigniis ſuis Saxonicam corollam rutaceam, gaudent. Limnæus *de J. P. l. 5. cap. 14. n. 1. Addit. 1. Tom. 1. p. 910.* van der Burch *in Hiſtor. Sabaudiæ.* Diephold Genealogia *de Duc. Sabaud. p. 108.* Lazius *de Gent. Migr. l. 9.* Simler. *in Deſcript. Valleſiæ l. 1. p. 4.* Sprenger. *Juriſpr. publ. p. 434. ſeq.* M. de Sainte Marthe *en l' Eſtat d' Europe Tom. 3. pag. 361. ſeqq.*

Num. 26.

(16) *Nunc ad Galliæ Regem, nunc ad Hiſpanum inclinando &c.*] Variam fortunam Sabaudiæ Principum, in Orbe Europæo inter duos potentiores vicinos poſitorum, cùm à centum inde annis repetat Præ Nobilis Dominus Joh. Hieronymus in Hoff &c. *in Diſſert. Politico-Militaribus diſcurſ. 22.* liceat ejus ipſiſſima verba hîc apponere. Ita autem ille infit: In uſu olim habuerunt (*Sabaudiæ Duces*) Galliæ adhærere, & à partibus ejus ſemper quaſi ſtare viſi ſunt: tempore autem Caroli V. precibus & perſuaſionibus Conjugis ſuæ Carolus Emanuel commotus, Franciſco I. tranſitum in Italiam claudere cœpit; aſt magno ſuo malo. Exutus enim poſtea à Franciſco I. meliore parte Statûs ſui, & à Carolo V. in pace, quam cum Franciſco inierat, poſthabitus, pœnas parùm prudenter obſervatæ rationis & conditionis Statûs ſui dedit: Filii autem ſui Emanuelis Philiberti prudentia, perdita ſub Patris Regimine, facilè recuperavit: ille enim inter continuatas potentiſſimorum Principum dimicationes immotus ſtans, adeò benè regere ſe novit, ut nulli amicum aut inimicum ſe geſſerit: qui ſanè exemplo fuit cunctis, ſub tali difficillimo rerum articulo latitantibus, quando gubernare ſe debeant, ſi inter duos potentiores Magnates, quibus acre inter ſe certamen eſt, ſine turbis quieſcere volunt, ſcilicet ad libram revocare actiones ſuas, & cavere, ne neuter inimicorum materiam ſuſpicandi aut metuendi habeat. Carolus Emanuel, Philiberti filius, cùm vidiſſet ſolertiſſimâ Patris ſui curâ, ſtatum ſuum non ſolùm integrum, ſed multis modis ex altercantium Principum ruinis adauctum & ampliatum ſibi relictum eſſe, cùmque animadverteret, ſe vivi pectoris Heroem eſſe, à principiis Patris ſui receſſit, utque ſigna vivacitatis ſuæ mundo ederet, præprimis autem clarum Europæis faceret, in arbitrio ſuo Pacis & Belli negotia poſita eſſe, & à nutu ſuo dependere, ſecundùm commoda aut incommoda ſua jam Gallorum, jam Hiſpanorum partes ſequebatur: Quare cùm videret, ſub Henrici III. regimine Regni Gallicani negotia valde tumere, totamque Rempubl. violatam eſſe, in tanta perturbatione rerum, cùm crederet extremis Galliæ partibus Regem ſuccurrere non valere, Marchionatus Salutiæ poſſeſſionem ſibi attribuit, & Hiſpanorum ſuffultus armis in Provinciam atque Delphinatum prorupit, & niſi Hiſpanus vires ſuas in illo tempore ſubtraxiſſet, (quod fortè temerarium putaret, inquietiſſimi & ambitioſiſſimi vicini vires ampliores reddere) ſub iſtis ſanè turbis Gallia in extremis partibus ſuis non modicam à Sabaudo paſſa fuiſſet cladem: aſt, ut dixi, viribus Hiſpanorum ſub medio ſuo piſcatu deſtitutus, & in Pace Vervniana ab Hiſpanis parùm amicè habitus, ut Marchionatum Salutiæ, quem ſibi jam vindicaverat, retineret, útve illatas ſibi ab Hiſpanis injurias ultum iret, Henricus IV. ad Ducatûs Mediolanenſis Dominium ſibi acquirendum invitat, ſperans, Gallum, alieni potiundi labore diſtentum, Marchionatûs Salutiæ obliturum, ſeque ad minimum particulâ quâdam Lombardiæ inter turbas & diſcordias auctum iri. Verùm à Rege Gallorum fraude viſus agere, per ſimilem deceptus fallaciam, ut conſervaret ſibi Marchionatum Salutiæ, Breſſam Regi Gallorum cedere coactus fuit: Cùm igitur fruſtratio hæc magnum Sabaudo inferret dolorem, odio erga Hiſpanos, in perniciem eorum, firmiſſimo Henrico IV. ſe ſociabat fœdere, quod tamen ſubitanea Regis mors paulò pòſt annihilavit. Nihil tamen minùs ulteriùs fortunam experiri voluit Allobrox, nimiùm quantùm confiſus viribus ſuis, Montisferratum igitur poſt Franciſci Mantuani obitum, ex cauſa dotis Filiæ ſuæ, quondam Franciſco nuptæ, armis petit, Ferdinando Gonzagâ defuncti Franciſci fratre, Montisferratum ſibi aſſerente: fit inter Sabaudum & Mantuanum acre certamen: nec contentus Dux Montisferrati cauſâ Italiam turbaſſe, Coronam Bohemiæ inter alios & ipſe non obſcurè ambiebat: Respublica Genuenſis quoque armis ejus infeſtata, multa ab eo perpeſſa eſt damna, cùmque Hiſpanorum vires tam Reipubl. Genuenſis quàm Montisferrati causâ graviter ſibi oppoſitas, viriliter ſæpiùs ſuſtinuiſſet, magnam ubique ſibi comparabat famam, admirantibus cunctis, quòd Allobrox viribus Hiſpanorum longè impar, exterorum prætera non ſuffultus auxiliis, cum potentiſſimo tamen Monarcha manus conſerere auſus fuerit, victor ſæpiùs, quàm victus recedens. Tandem autem cùm plenus ſpe potiundi Marchionatus Montisferratenſis, ad obſidendam Urbem Caſalim Hiſpano ſuppetias ferret, & Gallo Alpes tranſcendenti itum occluſiſſet, effractis Alpium repagulis, ſub extremo vitæ

ſuæ articulo graviſſimas Galliarum Regi Ludovico XIII. pœnas ſolvit, & tota Sabaudia exuebatur. Pedemontium autem Gallis, Hiſpanis, & Germanis militibus in prædam datum fuit. Victor Amadeus, Caroli Emanuelis filius, ad has ſub Patre, & poſt mortem ejus, redactus anguſtias, Philiberti Avi ſui conſilia denuò apprehendere optimum ratus, quod vi armorum repetere impoſſibile eſſe videbat, pactis acquiſivit, & venditâ Regi Gallorum Ludovico XIII. Pinarolâ, ceu Clave Italiæ, majorem ſtatûs ſui partem à Gallis vi armorum partam, reſtitui ſibi vidit, cùmque putaret, Galliarum Regis amicitiam utilem juxtà & neceſſariam ſibi eſſe, cùm ille totis viribus ſuis ſtatui ſuo incubaret, quod non ita facere datum eſſet Hiſpano, adhærere Galliæ, utpote cujus parietem, ut dixi, propiùs tangeret, voluit: in qua amicitia hucusque Sabaudus continuavit, Hiſpano non adverſarius, nec Gallo contrarius. *Hactenus Dn. Im Hoff.*

CAPUT XVII.

De Ærario Magni Ducis Etruriæ.

SUMMARIA.

1. Ducatus Etruriæ, *nobiliſſima pars Italiæ, undiq; præmunita, &* 2.

3. Principatus *hujus diviſio, dominium vetus & novum,* num. 4.

5. Vetus Dominium *liberum,* Novum *in feudum tenet.* num. 6. *aut à* Rege Hiſpaniæ, 7. *aut* Sede Apoſtolica, 8. *aut ab* Imperio, 9.

10. *Utriusq; Dominii* Urbes Epiſcopales *aliaq; oppida.*

11. Florentini & Senenſis *agri conditio, &* num. 12.

13. Senenſium *opes in agricultura.* Florentinorum *in mercatura divitiæ conſiſtunt,* 14. *cernuntur in bellis & ædificiis,* num. 15.

16 *De* clero *hujus Ducatus ex eoq; reditu,* num. 17.

18. Opes *hujus Ducis in* territoriis: Subditorum *divitiis,* num 19.

20. Magni Ducis Etruriæ *varii reditus.*

21. Florentini *pro bonis immobilibus decimam ſolvunt.*

22. Reditus *ex officina monetaria, mulctis, bitumine &,* num. 23.

24. *Quomodo* Princeps *privatorum opibus utatur.*

25. *Hodierna* Ducum *opulentia.*

26. *Ex quibus* lucrum *faciant*: Theſaurus Ducis Ferdinandi, *&* num. 27.

28. Computatio redituum *tàm ordinariorum quàm extraordinariorum.*

29. *De* expenſis *in miniſtros & officiales.*

30. Aula Ducis *deſcribitur.*

31. *Cura obſervandorum ſubditorum* Duci *incumbit.* Senenſium *priſtina libertas, &* 32.

33. Principatûs *firmiſſima conſtitutio.*

34. Princeps *Papam, Hiſpaniæ & Galliæ Reges, amicos habet.*

Vectigal atque cambium, fodinaque
Ferrique & argenti ferax, ſal foſſile,
Textura panni Sericique diligens,
Promptum tributum Plebis. Hæc Ærarii
Nervi putantur eſſe Etruriæ Ducis.

MAgnus *Etruriæ* (1) Ducatus, longè
1 nobiliſſimam Italiæ partem occupat;
camque in ipſo veluti meditullio Italiæ; undique aut altis montibus incinctam, aut
2 mari, & plurimis munitiſſimis arcibus circumſcriptam. Dividitur Principatus vul-
3 gò in Dominium vetus & novum, quorum illo Florentina, & Piſana Reſp. comprehenduntur; hoc Senenſis; cum aliis acquiſitis. Princeps autem dominia hæc u-
traque diverſo jure poſſidet. 4

Nam *Vetus Dominium abſolutum eſt,* 5
(2) & liberum, nullique obnoxium; quam libertatem à pluribus Imperatoribus jam olim impetravit: Novum au-
tem magna ex parte in feudum tenet: 6
à Rege Hiſpaniarum, puta *Senenſem Rem-* 7
pub. (3) & Ilvæ ſive Elbæ Dominium; 8
aut à ſede Apoſtolica, ut *Radicofanum* (4) cum vicinis pagis; & Burgum Sancti Sepulchri in Umbria; quod quum à ſede Apoſtolica *pro certa ſumma* (5) Duci oppignoratum ſit, repoſci poteſt; atque adeo Commiſſarius Cameræ Vigilia Sancti Petri hoc oppidum inter oppida ſedi A-
poſtolicæ ſubdita recitat: aut denique ab 9
Imperio, uti *Filaterram,* (6) & alios Marchionatus agri Lucenſis, olim à Malaſpinis poſſeſſos.

In utroque Dominio, tàm veteri, 10
quàm novo, urbes Epiſcopales numerantur XVII. (ſi Fæſulas annumeres, antiquam Urbem, ſed jam dirutam:) Florentia, Piſa, Piſtorium, Cortona, Aretium, Volaterræ, Monspolitanus, Burgus Sancti Sepulchri, Collis, & Fæſulæ in veteri Dominio: In novo autem Sena. Mons Ilcinus, Pienza, Cluſium, Maſſa, Sovana, Groſſetum, & alia aliquot oppida, quæ agri fertilitate & incolarum frequentiâ & opulentiâ civitati-
bus nequaquam cedunt. *Florentinus quidem* 11
ager (7) frumenti indigus eſt, licet vino, animalibus, & cæteris ad vitam humanã neceſſa-
riis abundet; Senenſis contrà omnibus ita 12
abundat, ut etiam vicinis ſuis elargiatur, & aliorum ſubſidio ferè nunquam indigeat: nihilo tamen minùs Magni Ducis territoria nonnunquam frumentum è longinquis regionibus petere coguntur.

Senenſium opes maximè conſiſtunt in
reditibus, quos è fundis & campis ſuis per- 13
cipiunt, exigua ipſis mercaturæ cura. Florentini verò potiùs è mercatura quæſtum fa-
ciunt, cujus admodùm gnari ſunt. Urbs om- 14
nis

nis generis artificibus conſtat, qui magnâ induſtriâ pannos texunt è lana, maximè verò è ſerico, quorum maxima copia in exteras regiones deportatur magno oppidanorum lucro. Divitiæ autem illo-
15 rum maximè enituerunt, dum libertatem ſuam tuebantur, tam bellis foris maximo ſumptu geſtis, quàm domi *magnificis ædificiis* (8) publicis privatisque.

Clerus hic ſatis opulentus, ob plures *E-*
16 *piſcopatus*, (9) Abbatias, Xenodochia & ingentem numerum Cœnobiorum, quorum omnium reditus annuos ad quinquaginta
17 millia coronatorum aſcendere fama eſt. Opes hujus Ducis primùm æſtimari poſſunt
18 è territorii amplitudine, quod in longitudine ducenta circiter milliaria Italica occupat, in latitudine, ubi minimum, quinquaginta. Deinde *è divitiis ſubditorum*, (10) quas in ſuum uſum Dux variis modis poteſt convertere. Hisce autem modis ærarium ſuum explet. Et quidem ordinariè: Primò
19 è tributo *omnis generis frugibus* (11) impoſito, quod vocant *il Dritto delle Macine*; itemque carnibus; quod annuatim valet duc. 250000. Secundò è vectigali ſalis, & aliis rebus, quæ
20 huic ſuccenturiantur; quod valet ducat. 200000. Tertiò è gabella *contractuum dotalium*, (12) hæreditatum, venditionum, & ſimilium; quæ reddunt quotannis duc. 100000. Quartò è portoriis, quæ variis locis ſolvuntur pro omnis generis mercibus, quæ invehuntur, hæc enim pluribus locis ſolvuntur, prout olim diverſis Dominis paruerunt, licet jam unus ſit Principatus, ea reddunt ut plurimùm quotannis duc. 150000.

21 Præterea ſolvunt Florentini pro omnibus bonis immobilibus decimam; licet eorum bonorum taxatio jam olim adeò benignè ſit facta, ut non ſupra vicesimam ſolvant: peculiaris huic tributo Magiſtratus deſtinatus: reddidit annuatim olim centum mill. ducatorum; (quorum XL cIↃ. ſerviunt fœnori abſolvendo octies centenorum mill. duc. quæ à privatis Rebusp. ſumpſit, *Monte delle Graticiole* dicitur:) ſed hi reditus ſuperioribus annis in immenſum aucti, præſertim poſt reformationem anni cIↃ IↃ LXXIV. quia quàm plurima ædificia quotidie tàm in urbe quàm agro ædificantur, & venundantur. Hisce accedunt mulctæ, quæ à negligentibus ſolvere decimas exiguntur.

22 Officina quoque monetaria quotannis reddit Principi duc. 100000. nam licet auri atque argenti ſumma hîc ſit perfectio præ cæteris Italiæ Provinciis, tamen è minutis numis & auri fabrorum induſtriâ
23 utilitas ad Principem redit, ut ſuprà. Mulctarum, & eorum, quæ fiſcus è bonis damnatorum percipit, certa ratio iniri non poteſt. Sicuti neque tributi, quod à Judæis accipit Princeps. Florentiæ quidem in ſingula capita ducatos duos; Senis unum & dimidium; Piſæ perparum. Reditus bituminis in portu Ferrario, & *ferri fodinarum in inſula Elba*, (13) nonnullam quoque utilitatem præſtant.

Inſuper Princeps, ubi opus habet, priva- 24
torum opibus facilè utitur hoc modo; Si centum aut ducentis millibus coronatorum ipſi opus fuerit, cenſum init eorum, qui maximè opulenti habentur; neque enim facilè latere poſſunt: & quid à ſingulis pro opum ratione poſtulet, explicat, modò ne à quoquam ſupra V. mill. ducatorum exigatur. Facta hac diviſione ſingulis indicatur, ut illam ſummam intra breve tempus in ærarium inferant & mutuam dent: neque quisquam facilè officium ſuum hîc deſiderari patitur, ne Principis gratiâ excidat aut mulctetur. Summâ autem perſolutâ, tantundem ſingulis aſſignatur tributorum aut vectigalium, per totum illius ſtatum, biennii ut plurimum tempore, percipiendorum; atque ita ſummo compendio, & nullo aut levi ſubditorum detrimento Princeps ærarium ſuum ſupplebat. Sed ea eſt hodie Ducum opulentia, ut hoc
medio uti minimè neceſſe ſit, ſed ipſi ma- 25
gnam pecuniæ vim apud menſarios deponant. Reditus annui (ut *à Legato Veneto* (14) obſervatum invenio) adſcendunt ad ſesqui millionem aureorum. In Florentina quippe urbe è tributis & vectigalibus aliisque oneribus colliguntur duc. 600000. Senis 150000. Lyburni 13000. Datium molendinarum per totum Ducatum (exceptâ Senenſi urbe) reddit 180000. Datium carnium Duc. 16000. Ex ſalinis, ferri & argenti metallis, penè tantundem. Lu-
crum quoque facit è pecuniis, quas apud 26
menſarios deponit, quarum ingens eſt ſumma; itemque è naulo duarum triremium, quæ merces quaquaverſum vehunt.
Ingentem autem theſaurum, *à Duce Fer-* 27
dinando potiſſimùm (15) congeſtum, haud fruſtra opinantur, & ut quidam produnt, millionum decem, vel, ut alii, viginti; præter gemmas & monilia maximi pretii.

Qui diligentiſſimè rationes annuorum 28
redituum tàm ordinariorum, quàm extraordinariorum ſcrutati ſunt, hunc calculum nobis prodiderunt, ordinarios reditus eſſe millionem ducatorum. Novum quippe Dominium, quod pluribus etiamnum immunitatibus gaudet, unà cum Marchionatu *de Caſtiglione*, quē Duciſſa Eleonora à D. Silvia Piccolominea tercentum mille ducatis comparavit, reddere quotannis tercentum millia ducatorum; vetus autem Dominium ſepties centena millia. Quæ è quatuor fontibus promanant, quos jam

antè indicavimus. Præter hæc extra ordinem è variis redibus proveniunt annuatim, ut ſuprà enumeravimus, ad ducatorum 300000. Quibus accedunt reditus è bonis fundi Magni Ducis *& familiæ Mediceæ;* (16) qui deductis expenſis annuatim valent 300000. ducat. & ampliùs. Ita ut omnibus ſubductis, annui reditus ſint 1300000. ducat. Et quum plurimos officiales deſignare, plurimaque & utiliſſima beneficia poſſit in ſuos miniſtros Princeps
29 conferre, ſine ulla ſua expenſa bene meritis refert gratiam. Iidem authores & expenſarum accuratam ineunt rationem; eaſque ad octies centena ducatorum millia aſcendere probant in hunc modum. Caſtellorum præſidia aliaque neceſſaria poſcunt quotannis ducat. 20000. Equitum turmæ cum ſuis tribunis & aliis officialibus poſcunt 100000. Pedeſtres copiæ cum ſuis tribunis & aliis officialibus poſcunt 22000. Maritimarum copiarum expenſæ hic non veniunt in rationes, quia eæ aliunde capiuntur, nimirum è decimis Cleri & *ordine S. Stephani*, (17) item è ſpoliis inimicorum, & vectura mercium, & ſimilibus.

Quibus ſi addas ſumptus, qui fiunt in aula; in ſtipendia aulicorum, aliaque ejus generis, fiet totalis ſumma, ut creditur,
30 800000. ducatorum.

Aula Ducis (18) plus habet veræ magnitudinis, quàm pompæ; nam modicam familiam alit; & cùm reditus illius annui facilè ad duas milliones aureorum aſcendant, magnam illius partem in ærarium recondit; nam haud ita magnos ſumptus facit in quaſdam arces & triremes: præterquam quòd magnam paratæ pecuniæ ab avo Ferdinando congeſtam poſſidere credatur; *putantq; nonnulli*, (19) ipſum in theſauro Magni Ducis defuncti reperiſſe plus decem millionum, & in clenodiis valorem duarum millionum, poteſtque hoc colligi ex computatione redituum & impenſarum, quas Magnus Dux mortuus fe- 31
cit multis jam annis. Sed Principatus illius recentior eſt, & *ſuperiori primùm ſeculo natus.* (20) Quare & vigilanter ſubditos ſuos obſervat, haud fruſtra metuens, ne populi hi, qui ingenio atque animi magnitudine inter reliquas Italiæ nationes eminent, priſtinam aliquando ſatagant recuperare libertatem; præſertim Senenſes; qui ſecundam civitatem hujus Ducatus obtinent, vi 32
atque armis à majoribus illius ſub jugum miſſi. Quod ne nunc quidem ſatis patienter ferunt. Quare & arcem munitiſſimam urbi impoſuit, & principalium oppidanorum dicta factaque curioſè rimatur.

Licet autem principatus hic, ut dixi, novitius ſit, tamen ita benè & intus & foris 33
conſtabilitus eſt, ut difficulter ſubrui poſſit, modò benè ipſi *cum Rege Hiſpaniarum & Papa conveniat;* (21) quos, uti & Regem Galliæ, multis officiis & obſequiis demereri ſatagit, exemplo majorum ſuorum, qui ſæpè Gallis, plenè & planè Hiſpani partibus adhærere viſi ſunt, licet Dux Ferdinandus Regi Galliæ in rebus arctis clam ſubſidia ſubmiſerit, quo nomine penè è gra- 34
tiâ Regis Hiſpaniæ excidiſſet, niſi novis officiis ipſum poſtea placaſſet. Hodiè utrumque Regem pari quidem obſequio colere videtur, Hiſpanum tamen magis metuit, quàm Gallum.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT XVII.

Num. 1.

(1) E*Truria &c.*] Tribus potiſſimùm nominibus celebris eſt hæc Regio apud Hiſtoriarum ſcriptores, cùm nunc *Tyrrhenus* vel *Tyrrhenia*, nunc *Etruria*, nunc *Tuſcia* indigitetur. Ejus terra ipſa, dicente P. Merula *Coſmographiæ parte 2. l. 4. c. 21. parte altera p. 303.* quà mari proprior, planior eſt, oræq; ſpectatu jucundiſſimæ; intus montoſior: univerſim pulchra, nobilis, nulliq; Italiæ Regioni ſuâ Beatitudine poſtponenda. Hanc ubertate ſuâ Soli ſacratam voluit Martianus. Latos lætosq; aperit Campos, rerum omnium fertiles; amœniſſimas Valles; Montes colleſq;, vicis, prædiis, hortis, qui arboribus omnis generis, præcipuè malis medicis citreisq; conſiti, ſupra modum nitentes. Vinetis abundat, vina producentibus generoſiſſima; in his quæ vulgò *Tribiana, Apiana, Volſinienſia, Senenſia,* & id genus alia. Fluviis ſcatet Piſcium optimorum fœcundiſſimis, *Arno, Boacto, Palia*, aliisq;, ut & lacubus, in quorum numero principes, Peruſinus olim Thraſumenus, Volſinius, Sabatinus. Habet & ſaluberrima Balnea, nobiliſſimas Thermas, aliaſque aquas mirabili præditas virtute. Confer Cluverium *Ital. Antiq. lib. 2. cap. 1.* Zeiller. *in Itiner. Ital. cap. 5. pag. 106.*

Num. 5.

(2) *Vetus Dominium abſolutum eſt, &c.*] Ita quidem cum aliis tradit Legatus Venetus, Joh. de Laet, *de Princip. Italiæ p. 238.* (cujus verba à principio usq; ad numerum 30. qui & ipſe in plurimis Legati Veneti apud Honorium *Theſ. Polit. parte 1. p. 205. ſeqq.* relationem ſequitur, Author noſter mutuatus eſt.) At verò validis oſtendit argumentis D. Conring. *de finib. Imperii Germ. l. 2. c. 23. p. 498. ſeq. & pag. 513.* fabuloſum id eſſe omne, quod vulgò refertur de empta à Rudolpho Cæſare Florentinæ Urbis integra libertate, (quod ſuperioris aſſerti fundamentum eſt) fortè momenti nullius, qui inter alia *p. 515.* producto Jovii teſtimonio evincere conatur, ſola Cæſarea auctoritate illũ, qui hodie Florentiæ obtinet Mediceæ familiæ Principatum, & cepiſſe & in universũ niti. Ubi vide. Ipſe ille *ibid. p. 511.* ſic cenſet: Atq; hic quidem (*Magnus Etruriæ Ducatus*) binas in partes vulgò ſolet dividi, *Dominium vetus* ſcil. & *novum*: Quorum *illud* Florentinæ Piſanæq; Urbis omnia, *hoc* Senenſem Urbem aliaq; noviter

viter Magnis Ducibus acquiſita comprehendit. Jam verò inter nova illa Filaterra & alii Marchionatus à Malaſpinis olim poſſeſſi, citra controverſiam feuda ſunt Imperii, & hactenus vaſallum ſe Imperii Magnus Dux ultrò profitetur, paſſim receptâ ſcilicet Vaſallagii lege Cæſari in ea re obſtrictus. Radicofanum & Burgum S. Sepulchri in Umbria, à Pontifice accepit cùm pignori, tum beneficio. Atque cùm Pontificia omnia ſint ſummæ poteſtati Cæſarum obnoxia, ut proximè quidem Magnus ille Dux horum ergo in Pontificis ſit clientela, tamen hactenus etiam Imperii legibus tenetur. Regis Hiſpaniæ beneficio jure poſſidetur Senenſium Respublica & Ilvæ dominium. Utriusque verò nomine Hiſpanus ipſe agnoſcit ſeſe Imperii vaſallum: ut proinde etſi non proximè, ſubvaſallus, (liceat ſic loqui) tamen ſit Imperii horum etiam locorum ergo Magnus ille Dux.

Num. 8.

(3) *Senenſem Rempubl. &c.*] Quo artificio nactus ſit Senenſem Rempublicam Coſmus Medicæus, Etruriæ Dux, politiciſſimus Forſtnerus ex Joh. Baptiſta Cino *6. de vita Coſmi* his verbis *in Not. Polit. ad 4. Taciti Annal. cap. 17. n. 4.* enarrat: Primùm apud Philippum Hiſpaniæ Regem, qui Urbem illam tenebat (*Coſmus*) egerat, ut ſibi pecunia in rem Caroli Cæſaris commodata reſtitueretur, aut loco ejus Plombienſis ditio traderetur. Reputatis deinde ſumptibus, quos in bellum Senenſe impenderat, ſpem de Univerſa Senenſi ditione occupanda concepit. Quam tum cogitationem ille, ne fidem ſuam ſuſpectam Hiſpanis redderet, prudenter diſſimulavit, petitionibus ſuis crebrò renovatis, & de Plombino tantùm factâ mentione; tempus ſcilicet idoneum apperiens, quo declarandæ voluntatis occaſio ſe afferret, quæ ſe paulò pòſt in manus dedit. Etenim cùm ex literis Oratoris ſui, quem Romæ habebat, & Albano Duce reſciſſet, Philippum, cui tunc cum Pontifice omninò diſcedere, eiq; Senenſem ditionem tradere velle, primùm cum Albano, cui id negotium à Philippo commiſſum erat, egit, ut rem minimè præcipitaret. Miſit deinde ad Regem Ludovicum Toletanum; qui poſt repetitam meritorum Coſmi ſeriem modeſtè iis nullam rependi gratiam queſtus eſt. Tum quantum & ipſius Regis, & Coſmi rebus allatura ſit detrimentum, Senarum in Caraffarum manus conſignatio, diſſeruit. Caraffas non tam recentis beneficii, quàm veteris injuriæ memores novâ potentiâ auctos univerſam Italiam, maximo cum Regis incommodo turbaturos. Coſmo verò, etſi univerſa pecunia debita exſolvatur, minimè cautum eſſe, ſi cogatur eos habere vicinos, quos, ut Regis rebus inſerviret, tanquam hoſtes hactenus proſecutus ſit. Proinde eum non poſſe tutò reſtituere, quæ in Senenſi ditione poſſideat, ut Caraffis tradantur: quæ eadem tamen ſemper reſtituere paratus ſit, modò ea in Philippi poteſtate permaneant. Quòd ſi verò certum ſit Regi, rem Senenſem à ſe abdicare, non poſſe ſine maximâ injuriâ in alium, quàm Coſmum transferre. Petere igitur eũ, ut, quando res ſuæ ampliùs non ferant, ut diutiùs in incerto dubii eventûs ſalo fluctuet, quid ſuæ voluntatis ſit, Philippus definiat. Eodem tempore, quo Coſmus Toletanum ad Regem miſerat, Romæ famam ſpargi curat, quaſi perpetuis Hiſpanorum deluſionibus irritatus Galliæ Regis amicitiam expeteret. Philippus igitur, qui rem ſeriò agi crederet, rebus ſuis in Italiâ, quibꝰ ſeu evertendis ſeu fulciendis magnum monentum Coſmus afferebat, timere cœpit. Nutabant enim tum temporis res Hiſpanorũ in Italia, hinc Briſſaco Duce Galliæ Regis in ſubalpina regione progreſſus indies faciente, hinc Guiſio in regnum motibus obnoxium irrumpente. Aſſenſit igitur, ut Coſmus ſuo beneficio Senenſem ditionem poſſideret. Quod ſophisma Politicum, Italos eleganter *injicere alteri Zelotypiam*, dicere ibidem Forſtnerus tradit. De libertate verò ipſius Senenſis Reipublicæ, & quomodo in Philippi Hiſpaniorum Regis poteſtatem devenerit, vide nunquam ſatis laudatum Dn. Conringium *de Finibus Imp. Germ. cap. alleg. 23. pag. 507. ſeqq.* De Urbe ipſa Zeillerum *in Itiner. Ital. pag. 128. 129. 130.* Merulam *parte 2 lib. 4. pag. 351. ſeqq.* Philip. Cluverium *Ital. Antiq. lib. 2. cap. 3.*

Num. 8.

(4) *Radicofanum &c.*] Vid. Zeiller. *in Itiner. Ital. cap. 5. pag. 131.*

(5) *Pro certa Summa &c.*] De Laet, ſed ſine authore *d. loco pag. 146.* Burgum S. Sepulchri, *inquit*, Urbs Umbriæ nullâ antiquitatis notâ inſignis, diuq; ſub Eccleſiaſtico dominio verſata, ab Eugenio IV. aureorum XII. millibus Florentinis fuit oppignorata.

Num. 9.

(6) *Filaterram &c.*] Vulgò Volterram ſive Volaterram: vid. Zeiller. *in Itin. d. cap. 5. pag. 127.*

Num. 11. 12. 13. 14. 15.

(7) *Florentinus quidam ager &c.*] Dictis in hisce numeris junge le Theatre du Monde, & Gotofredum *in Archontol. Coſm. in Deſcript. Magni Duc. Etrur. pag. 497. num. 8.*

Num. 15.

(8) *Magnificis ædificiis &c.*] Hinc ut quemadmodum Venetiam Divitem, Mediolanum Magnum, Genuam Superbam, Bononiam Fertilem, Ravennam Antiquam, Neapolim Nobilem, ita Florentiam tanquam florem atque pulchritudinem Italiæ Florentiam Bellam eſſe nominatam, Hentznerus *in Itiner. pag. 520.* perhibet. Ut in honorem Florentiæ veriſſimum prolatum notet à Carolo Archiduce Auſtriæ, Ferdinandi I. Imperatoris filio, Lanſius *in Orat. pro Germ. Eam Civitatem tantùm diebus feſtis & ſolennibus monſtrari* debere: uti ſcilicet pretioſæ veſtes in magna pompa & feſtivitate ſolùm indui ſolet. Confer Merulam *lib. 4. c. n. 21. parte 2. p. 335. ſeqq* Zeillerum *in Itin. Ital. cap. 5. p. 111. n. 13.* Cluverium *lib. 2. Antiq. Ital. cap. 3.* Machiavell. *Hiſt. Flor. lib 2. pag. 61.*

(9) *Epiſcopatus &c.*] Ex quibus tres, Florentinus, Senenſis, & Piſanus, ArchiEpiſcoporum honore & titulo fulgent.

Num. 19.

(10) *E Divitiis ſubditorum &c.*] Facultates enim privatorum, uti Legatus Venetus apud Honorium *d. loco p. 270.* inquit, nihil aliud ſunt, quàm Principis theſaurus in multorum loculos diviſus. Plures hocce argumentum tractantes, ad Politicum Sceleratum *in Not. ad cap. 40. in fin. p. 457. & ad cap. 45. p. 505.* citavi Authores, ad quos Lectorem denuò remitto.

Num. 20.

(11) *Omnis generis frugibus &c.*] Quadrat ſe huc Illuſtris Forſtneri *ad 1. Annal. Tac. 78. num. 2.* Nota, dicentis: Pudet referre quàm excreverint, in Italia maximè, venalibus rebus impoſita vectigalia. Hæreditates quoque & dotes, & Legata, quorum olim viceſima pendebatur, non delibantur hodiè, ſed magnam illorum partem fiſcus rapit.

(12) *Contractuum Dotalium &c.*] Similiter Legatus Venetus *d. loco p. 270.* de ſuo tempore uſitatis collectis; ex dotibus *(inquit)* Dux percipit octo pro unoquoq; centenario, tantundem ex ven-

ditione & emptione bonorum immobilium & domuum: Locatores domuum pendunt decimam pretii partem: Litem inſtituentes certam ſummam pecuniæ, quæ *Sportula* dicitur, Duci ſolvunt. Datium autem ſeu vectigal quoque penditur Duci pro animalibus, quæ Florentiam ducuntur. Carnis pondere vendita libra pendit numum, vulgò quatrinum. Cambia pendunt certum quid pro centenario: ut abſolvam, omne, quod Florentiam infertur, aut ibidem laboratur, habet, ut dici ſolet, ſuam campanulá. (*Che non habbia la ſua campanella.*)

Num. 23.

(13) *Ferri Fodinarum in Inſula Elba, &c.*] Ferri metalla ubique propemodum, docente Plinio *lib. 34. Natur. Hiſtor. cap. 14.* reperiuntur, quippe inſula etiam Italiæ Ilua gignente. Sed hoc loco obſervandum eſt, quòd hac in inſula è quâdam ferrifodina, ex qua ſemel erutum hoc metallum, denuò poſt XXV. circiter annos renaſcatur, ut ex probatiſſimis Scriptoribus autumant Maginus, Agricola, & poſt illos Cæſius *de mineralib. lib. 1. cap. 5. ſect. 5. num. 2. §. tertiò.*

Num. 25.

(14) *A Legato Veneto &c.*] Qui à Sereniſſima hac Republica ad Ferdinandum I. Coſmi filium, Etruriæ Ducem circa Annũ MDXC. miſſus erat. Qui annus inde colligitur, quòd Legatus ille expreſsè dicat, (*in relatione apud Honorium ſuprà aliquoties allegata p. 215.*) Ferdinandum hunc Chriſtinæ Caroli Lotharingiæ Ducis filiæ maritum, tunc temporis duos & quadraginta egiſſe Annos, ex Genealogicis verò conſtet, Ducem hunc A. MDXLVIII. natum fuiſſe. Ut ſic ad Principatus hujus ætatis divitias argumentari à præteritorum tot luſtrorum reditibus tutò haud queat.

Num. 27.

(15) *A Duce Ferdinando potiſſimùm &c.*] Dicit Legatus Venetus *d. loc. p. 208.* Fama fert, ipſum (*ſcil. Ferdinandum*) magnam paratæ pecuniæ vim habere, putantq; aliqui, eundem in theſauro Magni Ducis mortui reperiſſe plus minùs decem millionum, & in Clenodiis valorem duorum millionum, poteſtq; hoc facilè colligi, ſi computentur reditus & impenſæ, quas Magnus Dux mortuus fecit multis jam annis &c. Ut proinde perperam eadem de Ferdinando prodant Joh. de Laet & Klockius, quæ de Franciſco Mediceo, Magno Duce, Ferdinandi Fratre & anteceſſore A. MDLXXXVII. mortuo, obſervarat, uti videtur, Venetus Legatus, aliive à Zeillero *in Itiner Ital. c. 1. p. 11.* citati tradunt; aut certè de Coſmo Mediceo utriusq; Parente, quod Gotofredus vult, *in Archont. Coſm. p. 1. p. 508.* intelligenda veniunt. Atq; hic Coſmus (*quẽ vulgò Secundũ nominat,*) primus fuit quem Papa Pius V. à Civibus Florentinis Ducem electum MAGNUM DUCEM ETRURIÆ, additâ Coronâ Regiâ A. MDLXIX. menſe Novembri nominaret, (*Gotofr. d. l. p. 507.* Onuphrius *in vita Pii V. p. 437.* ejus inaugurationis ceremonias Modius *Pandect. Triumph. Tom. 1. lib. 4. n. 27. p. 191. 192.* exhibet.) Cui tamen actui Maximilianus I. Cæſar per Oratores ſuos non ſolùm interceſſit, Coſmũ, *cui lis ab Alphonſo Ferrarienſi movebatur*, tanquam Imperii beneficiariũ citavit, tandemq; Franciſcus obtinuit precibus, ut hic titulus ab Imperatore Ipſi confirmaretur, quemadmodum ex Thuano demonſtrat D. Conringius *de Finib. d. l. p. 522. ſeq.* Add. Limn. *de J. P. lib. 1. c. 9.* Zeill. *d. l. p. 11. cum. cit. Auth.* Prudentia ſua, quâ inſigniter pollebat, vel ex eo eluxit, quòd adhuc in vivis & decennio antequam mereretur publicâ Imperii adminiſtrationem in Franciſci, qui tum XXIV. annum attigerat, grandioris natu filii manus reſignavit, titulos ac dignitates ſibi ſervans, pio juxtà ac prudenti (*ſic cenſet Thuanus Hiſt. lib. 57.*) conſilio, & ab iis ſemper Principibus uſurpato, qui imperium recens partum in familiâ firmaſſe & ad poſteros transmiſiſſe memorantur. Ea reſignatio, ut ſpeciem certæ & quaſi delatæ ſucceſſionis obtineret, magnâ pompâ Piſis celebrata fuit. Franciſcum hunc in ordine ſecutus fuit Frater ejusdem antea Cardinalis Ferdinandus ejus nominis I. hunc filius Coſmus III. hunc Ferdinandus II. qui Anno MDCXX. natus d. II. Auguſti Anno MDCXXXIV. Victoriam Rovercam, principiſſam Urbinatem, Guidobaldi hujus nominis II. ſed ultimi Ducis Urbini ex Claudia Medicea filiam, matrimonio ſibi junxit, & Anno MDCLXX. d. XXIV. Maji vitam cum morte commutavit, relicto in Ducatu digniſſimo ſucceſſore filio Coſmo hujus nominis Tertio, qui nunc rerum feliciter potitur. Si famæ credendum, referunt reliquiſſe Magnum illum Ducem defunctum in parata pecunia centum milliones Coronatorum, Magnum verò Ducem Coſmum ultra expenſas ordinarias Matri reditum triginta quatermillium Coronatorum conſtituiſſe. Adde de ſucceſſione Ducum horum Zeillerum & Gotofredum *dd. ll.*

Num. 28.

(16) *Et familia Medicea &c.*] De Gente Medicea, antiqua Origine illuſtri, ſceptris & imperio deſtinatâ, quæ diffuſis olim per Italiam, adeoq; Græciam radicibus, Florentiæ æternitatem fundavit & Mediolani cum laude floruit, (*Erycus Puteanus Hiſt. Ciſalp. lib. 1. p. 10.*) ejusdemq; inſigniis, vide quæ dixi ad Politici Scelerati impugnati *c. 27. p. 534. ſeqq.* & Gotofredum *in Archont. Coſm. p. 506. ſub Juliano Medicæo.* Haud minimum verò incrementum ſumpſiſſe hanc familiam ex Johannis XXIII. P. R. poſt mortẽ relictis theſauris aliqui autumant, & in eo Marianam *de reb. Hiſp. lib. 20. c. 6. circa finem* ſequuntur, qui (*Johannes ille*) honore purpuræ recepto, Florentiæ, quæ Caput eſt Etruriæ, deceſſit. Corpus in Divi Johannis Baptiſterio ſepultum; theſauris, quos Pontificatûs tempore congeſſit maximos, Coſmus Medices potitus eſt: qui illis gradus & poſteris ad ampliſſimas divitias fuit, urbisque ſuæ Principatum. Sic vulgò perſuaſum. Plura docet Gotofredus *in Archont. Coſm. parte 1. pag. 502. n. 18.* & Joh. de Laet *de Princip. Ital. Comment. p. 621.*

Num. 29.

(17) *Ordine St. Stephani &c.*] Coſmus Mediceus Florentinorum Dux ingentis animi & profundæ prudentiæ Princeps, qui potentiſſimi totâ hodie Italiâ Imperii in ea familia confirmati, fundamenta jecit. Cum rebus ſuis firmandis & Senarum Urbi, temporum ſuperiorum incuriæ ac belli recentis ruinâ deformatæ, curam non ſegnem impendiſſet: eodem ferè tempore, quo Ordo Livonicus extinctus eſt, ut felicis ad Marciarum prælii, quod ejus fortunas, oppreſſis etiam libertatis vindicibus, velut in Etruria fundavit, memoriam renovaret; & eâdem operâ littus Tyrrhenum à Turcarum & pyratarum excurſionibus tueretur, claſſemq; ad expeditiones contra Muhammedanos ſuſcipiendas, non ſolùm rebus neceſſariis, ſed & hominibus rei maritimæ gnaris optimè inſtructam haberet, ad imitationem inquam Hieroſolymitani Ordinis A. MDLX. Militiam S. Stephani Pontificis & Martyris, quòd pugna Marciana III. Non. Sextilis, qui dies ei ſacer eſt, incidiſſet, ſtatutis ac legibus (*quæ à Franciſco Sanſovino recitantur*) auditis inſtituit, & ut à Pio IV. confirmaretur impetravit, qui & complura privile-

gia

gia militaris illius collegii ſodalibus indulſit, diplomate eâ de re Non. Quintilis condito. Atque inter alia, ut milites conjugati ac etiam digami penſiones annuas usque ad CC. ducatorum Summam ex ſacerdotiis percipere, atque ad alias ſacras perſonas transferre: Item ut de bonis tam fundi, quàm mobilibus, quomodo & undecunq; quæſitis liberè teſtari, etiam inter ſpurios & illegitimos filios poſſent, quartâ eorum Ordini ſervatâ. Hujus militiæ Sibi ac ſucceſſoribus Ducibus Principatum ſumpſit Coſmus, cum poteſtate Legibus à ſe conditis addendi, detrahendi, abrogandi, & interpretandi: quâ Ipſe & Filii ejus poſtea uſi ſunt, Templumq; Equitibus, ac domicilium Piſis attribuit. Pro inſigni autem geſtant crucem rubrā Rhodienſium cruci neutiquam diſſimilem, at prætextâ aureâ ornatam. Suntq; inter eos, uti & apud Melitenſes, & Hiſpaniæ milites Spatiferos, præter Equites etiam *Sacerdotes*, itemque *Servientes*, ut nuncupant, & *Donati*, aliquo tamen diſcrimine. *Donati* enim non quadrimembrem, ſed trimembrem præferunt crucem, ſuperiore ſtipite ſublato. Melitenſium ferè inſtituta ſequuntur, etſi vivant ex præſcripto regulæ S. Benedicti, quod addit Paulus Moriſius, & à matrimonio non arceantur, caſtitatem nempe Conjugalem ſolummodo profitentes. Mennenius *in Delic. Ord. Equeſtr. p. 184. ſeq.* Miræus *in Orig. Ord. Equeſt. lib. 2. c. 7.* Daviti *en Theatre du Monde, ou les Eſtats & Empires &c.* & ejus interpres Gotofredus *in Archont. Coſmica parte 3. p. 13. n. 45.* de Laet *de Princip. Ital. p. 271. ſeq.* Zeiller. *in Itin. Ital. c. 5. p. 108.*

Num. 30.

(18) *Aula Ducis &c.*] Quæ hoc n. 30. 31. 32. 33. 34. ex Diſcurſu Politico, *de Principibus Italiæ Joh. de Laet operi inſerto*, Author adducit, intelligenda ſunt de Magno Duce Ferdinando II. adhuc ſub tutela Aviæ Chriſtinæ Lotharingicæ, & matris Mariæ Magdalenæ, Caroli Auſtriæ Archiducis filiæ, vivente & ſic minorenni, ut ipſe Author ille *p. 345.* innuit. Quo tempore plerumque Principum Aularum ſplendor nubibus ſuis obvolutus apparet, nec tantis radiis, quantis apud pleroſque Magnates majorennes cernentium oculos perſtringit.

(19) *Putantq; nonnulli &c.*] Vide notamina ad ſuperiorem hujus capitis numerum 27. & deprehende, quàm fœcundi ſint errores, quàmque facilè unus alterum pariat.

Num. 31.

(20) *Superiori primùm ſeculo natus &c.*] Si ſcilicet incunabula ejus à Coſmo Magno ejus nominis vulgò II. in quem populus Florentinus jus ſuum plenè transtulit, repetantur. Notum enim eſt vel ex Machiavelli Hiſtoria Florentina, jam Coſmum ejusque Gentes plures longè antè vim Imperii illic tenuiſſe. Verè Trajanus Boccalinus *I. Ragguag. LXXXIV.* primæ paginæ Annalium Taciti præceptis à Medicis feliciſſimè curatum eſſe cancrum populi Florentini ait. Confer Forſtnerum *ad Tacitum 1. Annal. 1. n. 1.* quem evolvere Lector curioſus poterit

Num. 33.

(21) *Cum Rege Hiſp. & Papa conveniat &c.*] Fœdera & amicitias Magni Etruriæ Ducis cum vicinis Regibus & Principibus politicè ennarata vide apud laudatum Gotofredum *d. loc. pag. 520. n. 15. ſeq.*

CAPUT XVIII.

De Ducibus Mantuæ & Montisferrati, Mutinæ & Rhegii, Parmæ & Placentiæ, nec non Urbini; eorumq; Ærario & Reditibus.

SUMMARIA.

1. Dux Mantuæ, *quid in eo Ducatu poſſideat, hujusq; dominii termini*, num. 2.
3. *Uterq;* Ducatus *quid reddat?*
4. Sabaudiæ Duci, *Montisferrati Ducatum ſibi vendicanti, reſiſtit Rex Hiſpaniæ.*
5. *De* Vincentio Duce Mantuæ, *itemq;* Niverneni *Duce*, num. 6.
7. *Qui* Duces Mutinæ *conſtituti ſint; quo tempore?* num. 8. *quo ſucceſſu?* num. 9. *qui Principatum retinuerint.* 10.
11. *Ad* Mutinæ & Rhegii Ducatum *pertinentia.*
12. Familiæ Ateſtinæ Nobilitas *alias Familias propagavit*, num. 13. *Res geſta ejusdem*, 14. *hujusq;* Ducatus *reditus*, num. 15.
16. *De* Farneſiorum *potentia. Quâ ratione* Parma & Placentia *ad Petrum Aloyſium Pontificis filium pervenerit*, & 17.
18. Cæſar *ad Mediolanenſe Imperium pertinere contendit.*
19. Octavius Farneſius Parmæ Dux *cum Cæſare in gratiam rediit, quibus conditionibus*, numero 20.
21. Octavii *obitus. Succeſſores*, 22.
23. Urbini Ducatus *antiquior Parmenſi; periculum, ne ad Eccleſiam revertatur*, num. 24.
25. Dux Hiſpanum *nuper de tutela appellavit.*
26. *Hujus Ducatûs fertilitas, Situs*, 27. *Reditus*, num. 28.
29. Mercurius Gallicus *de hoc Ducatu.*
30. Feudorum Eccleſiaſticorum *natura.* Dux *filium amiſit*, 31.
32. Urbanus VIII. *Ducatum Urbini, ut ad Eccleſiæ patrimonium rediret, ſategit.*
33. Ducis Urbinatis *Cæſari data reſponſio, de non alienando à Sede Apoſtolica.*
34. Papa *animum Ducis à ſe abalienavit.*
35. Annui reditus *hujus Ducatus, viri militares*, 36. *Epiſcopatus & arces*, num. 37.
38. Neptis *hujus* Ducis *dos.*
39. Papæ *in recuperando hoc Ducatu callidum conſilium. Ejusdem ex hoc potentia*, num. 40.
41. Dux *hic inſiſtit veſtigiis anteceſſorum.*
42. *Hi* Duces *ſinguli cum Sabaudiæ, Etruriæq; Ducibus comparantur.*
43. *Omnes* Hiſpanum *aut metuunt, aut venerari ſimulant.*

Mantua dives agri, Fiſco emolumenta miniſtrat.
Proficua. Hoc præſtat quoque Monſerratum
Meſſe ferax Cereris. Mutinæ genius viget idem;
Reginique racemifero quoque clarus Iaccho.
Non ſecus Urbinas multùm generoſa Ducatus
Vina parit. Vectigalis quæ munera præbent
Sub Jove fœcundo Parma atque Placentia floret.

Dux Mantuæ (1) in Ducatu ſuo præter urbem Mantuanam non habet, niſi plurima municipia; & *Dominium illius undiq; claudunt*, (2) Ducatus Mediolanenſis, Venetorum ditio, & Dominium Eccleſiaſticum per Ducatum Ferrarienſem. Idem & Mon- 1

& Monteṁferratum tenet intra Pedemon-
2 tium veluti concluſum, in quo & inſignia
aliquot oppida poſſidet, & inprimis Caſa-
lium, cum munitiſſima quidem arce, &
3 ſeptem propugnaculis, ſed quæ Principi non
tàm opulento magnas adferat expenſas. U-
terque hic Ducatus annuatim illi reddit
4 *ſexcenta millia coronatorum.* (3) *Sabaudus
quidem Ducatum Montisferrati* (4) ad ſe per-
tinere contendit, ut latè diducit *Anton.
Faber in Conſultat.* (5) *de Montisferrati Du-
catu per tot. Sed Rex Hiſpaniæ*, (6) qui Ducis
potentiam tantâ acceſſione augeri non vult,
nunquam videtur permiſſurus, ut illum
Mantuano eripiat. Non magis & Veneti ipſi
adversùs Mantuanum fauturi ſunt ob ean-
dem cauſam; quippe quibus hoc veluti Im-
perii ſecretum propoſitū eſt, imbecillioribus
adversùs potentes auxiliari, nec quemquam
tamen in Italia tantùm creſcere ſinere, ut ipſis
formidabilis eſſe poſſit.

5 Anno MDCXXVII. menſe Decembri
Vincentius II. Dux Mantuæ (7) ſine liberis
diſceſſit, eique ſucceſſit, ut proximus hæres
Carolus Dux Nivernenſis. Paulò antè obi-
tum Vincentii Ducis venerat ad ipſum *Le-
gatus Regis Galliarum*, (8) qui, quum ſingu-
lari induſtria omnia, quæ adverſarii atque æ-
muli Ducis Nivernii moliebantur, oppor-
tunè admodùm eſſet ſubodoratus, & Duci
6 ægro aperuiſſet; ita illum rei indignitate
commovit, ut non modò publico decreto
Nivernium hæredem & ſucceſſorem no-
minaret, ſed & filium illius primogenitum
D. *Rhetclenſem* (9) nepti ſuæ Mariæ Franci-
ſci D. filiæ conjugem daret. Hæc res poſt
obitum illius Ducem Sabaudiæ magnopere
exacerbavit, qui exinde quæſito colore &
ipſe Nivernio infenſior fuit, & grave Bellum
per Imperatorem & Hiſpanum ipſi inferen-
dum procuravit.

Mutinæ dominatum (10) primus Opizo
7 Ateſtinus Raynaldi Ferrarienſis Marchionis
filius à civibus Mutinenſibus (ut tradit Joan.
Bapt. Pigna *lib. 3.*) accepit Anno cIↄ
8 CCLXXXIX. Anno autem cIↄ CCCXII.
Franciſcus Picus Mirandulanus ab Henrico
VII. Imperatore Vicarius Mutinæ eſt conſti-
tutus, ſic tamen, ut integrum urbis jus Im-
perator ſibi reſervaret. Exin Paſſarinus, &
9 Butiro Bonæculſius, Mantuæ Tyranni in-
vasêre, & tenuêre ad annum cIↄ cccxxvii.
Deinde anno cIↄ cccxxxi. Manfredus
Pius Vicarius à Joanne Bohemiæ R. inſti-
10 tutus, hic Principis nomen aſſumpſit. Qui
illam Opizoni ſecundo Ferrariæ Marchio-
ni conceſſit anno cIↄ cccxxxvi. Ex hoc
tempore in Ateſtinæ familiæ ditione Mu-
tina perſeveravit usque ad annum cIↄ Iↄx.
quo Julius II. urbem cepit, & Maximilia-
no Auguſt. ceſſit; à quo anno cIↄ Iↄ xiv.
Leoni X. pro decem millibus aureorum
numûm pignori data eſt. Demum anno
cIↄ Iↄ xxvii. cùm Clemens à Caroli V. legio-
nibus in mole Hadriani obſideretur, Alfonſi
Ateſtini Ferrariæ Ducis armis recepta eſt.
Unde in illius & Herculis II. ditione perman-
ſit. Herculi II. ſucceſſit Alfonſus II. qui ſine
legitimis hæredibus deceſſit. *Cæſar tamen fi-
lius* (11) Alfonſi alterius, qui Alfonſi primi
ex contubernio vilis fœminæ gnatus erat, &
Juliæ Roboreæ Guidi Ubaldi Urbinatis Du-
cis filiæ, cùm Ferrarienſem Ducatum, quod
Alfonſus II. obnixè petierat, obtinere à Pon-
tifice non potuiſſet, Mutinam, Rhegium Le-
pidi, & Carporum oppidum, aliasque ad
Imperialem ditionem ſpectantes ditiones ab
Imperio obtinuit. (Certis pactis cum Pontifi-
ee conditionibus.) Conditiones, quibus cum
Pontifice transegit, recenſet Thuan. *lib. 119.*

Mutinæ & Rhegii Ducatus continet, 11
præter has duas Civitates, Carpenſe domi-
nium, Fugnanum, atque Caſernianæ vallis
bonam partem: à Septentrione ſunt Mantu-
anum & Mirandulanum territoria: ab Orien-
te Eccleſiaſticum dominium propè Sculte-
nam: ab Occidente Parmenſis Ducatus, at-
que à Meridie, cùm ultra Appenninum exten-
datur, finitimi ſunt Magnus Etruriæ Dux, &
Lucenſes.

Nobilisſima autem hæc familia Ateſti- 12
na non modò in Italia illuſtris fuit à multis
ſeculis, ſed & *nobiles familias in Germania* 13
propagavit, (12) Brunſuicenſem & Lunebur- 14
genſem, Badenſem & alias; connubiisque
vincta fuit cum ſummis Principibus; uti ple-
niùs videre eſt in Hiſtoria *Joan. Baptiſt. Pi-
gnæ*, (13) qui res geſtas Principum Ateſtino-
rum libris VIII. elegantisſimè deſcripſit. Du- 15
catus hic non niſi octo aut decem milliaria
occupat, & Duci ſuo quotannis reddit circi-
ter trecenta millia coronatorum.

Farneſiorum potentia (14) *ſub Paulo III.* 16
(15) Pontifice primùm adolevit, qui ſueto
Pontificum more, filio ſuo Petro Aloyſio,
primò Novariam urbem à Cæſare Carolo
V. impetravit; dein Nepoti ſuo è Petro Aloy-
ſio Octavio Margarethæ Auſtriæ Cæſaris fi-
liæ & Alexandri Medicis Florentiæ Ducis
viduæ nuptias conciliavit, & Camertium
Principatum, poſt Franciſci Mariæ Ruve-
ri vel Roborei Urbinatium Ducis obitum,
ab hærede illius extortum; causâ quæſitâ,
quòd jam olim ad Eccleſiam per defectum
maſculi hæredis devolutus eſſet; grandique
pecuniâ cunctis, qui aliquid juris in illo præ-
tendere poterant, perſolutâ, Octavio Far-
neſio nepoti ſuo unà cum Nepe ditione &
Ducatûs inſignibus beneficiario jure con-
ceſſit, quum ipſum paulò antè in ejusdem 17
Roborei defuncti locum urbis præfectum
dixiſſet. Anno autem cIↄ Iↄxliv. Parmam
& Placentiam à Gallis olim conſervatas,
demum Eccleſiæ ademptas, Petro Aloy-
ſio at-

ſio attribuit, Camertium principatu & Ne-
pe dominio, quæ, contracto cum Octavio
nepote & Margaretha Auſtria matrimonio,
avus ipſis liberiſque ipſorum conceſſerat,
permutationis titulo in locum illarum civi-
tatum viciſſim Eccleſiæ attributis, cum
penſione VIII. cIↃ. aureorum, ut ſcribit
Thuanus, (16) vel ut Onuphrius X. cIↃ. aureo-
rum annuo tributo impoſito. Rem graviſſi-
mè tulit Cæſar, quippe qui has civitates
18 ad Mediolanenſe imperium pertinere con-
tenderet: itaque licet urgeret Pontifex, ut id
ratum haberet Cæſar, ille primò excuſare &
tergiverſari, ad extremum dicere, ſuarum
non eſſe partium, ſiquidem illæ civitates Ec-
cleſiaſticæ ditionis eſſent, de his ſtatuere; ſi
verò ad Imperium pertinerent, non poſſe ſe
in ditiones ac dignitatis Imperialis præjudi-
cium illas alienare. Anno cIↃIↃLVI. Octavius
19 Farneſius *Parmæ Dux cum Cæſare* (17) ſocero
reconciliatus eſt, acceptâ Placentiæ, Nova-
ræ, ac Novarienſis territorii & caſtellorum in
20 Parmenſi agro à Cæſarianis occupatorum
poſſeſſione. Hiſce legibus, ut Placentiæ arci-
bus præſidium Hiſpanorum accipere, & il-
lud ſuo ſtipendio alere teneretur; manerent
Imperio & Romanæ Sedi ſalvę rationes, quas
in Parmenſi ditione habent, &c. *Obiit Octa-
vius* (18) admodùm ſenex an. cIↃ IↃ LXXXVI.
21 cùm Margaretha illius uxor *Caroli Cæſaris fi-
lia naturalis* (19) paulò ante Ortonæ, quæ il-
li dotalis erat civitas in regno Neapolitano,
fatis conceſſiſſet. Succeſſit Alexander filius,
22 qui anno MDLXXXV. cùm in Antverpiæ
obſidione hæreret; Philippum Hiſpaniarum
Regem eò perpulit; ut & Placentinâ arce
præſidium militare, ob præclaram operam
in Belgio Regi navatam abduceret. Hic an-
no MDXCII. deceſſit, ætatis XLVII. duos fi-
lios relinquens ex Maria Luſitana, *Rainutium*,
(20) qui ipſi in Ditionibus ſucceſſit, & Edu-
ardum, qui poſtea in Collegium Cardina-
lium cooptatus fuit. Mutinenſem *neque po-
tentiâ* (21) neque oppidorum numero mul-
tùm præcellit.

Urbini Ducatus (22) (*ait Author incer-
23 tus*, (23) qui Anno MDCXXIV. rationem
Principatuum Italiæ inivit) paulò antiquior
eſt Parmenſi, ad Roboreorum Familiam
pertinens, per Julium II. P. multùm auctus,
qui nepotem ſuum Familiæ Montisfeltrii,
quæ tum Ducatu potiebatur, per connubi-
24 um inſevit. Periculum eſt, ne Ducatus hic ad
Eccleſiam revertatur, haud ſecus quàm Fer-
rarienſis, quandoquidem eisdem conditio-
nibus ab Eccleſia in Feudum tenetur. Dux
quippe octogenarius jam ante paucos men-
ſes Principem filium ſuum unicum amiſit,
qui uxorem reliquit prægnantem, unde ſuc-
ceſſio incerta eſt, quippe cùm tantùm in ma-
25 ſculum cadat. Papa autem ægerrimè tulit,
quòd Dux nuper admodùm Hiſpanum de
tutelâ appellaverit, ſerioque poſtulaverit, ut
Status ſui rationem habere dignaretur, haud
fruſtrà ſuſpicatus, Ducem iſta moliri in juris 26
Eccleſiæ præjudicium. Cæterùm Ducatus
hic peropportunus eſſet Eccleſiæ Statui, ſiqui-
dem limites conjunctos & permixtos habent
versùs Marchiam Anconitanam; ipſeq; Du-
catus ſolo gaudet fertili, habetq; quinq; aut 27
ſex oppida, & annuum reditum trecentorum
aut quadringentorum millium coronato- 28
rum. Hæc ille.

Mercurius Gallicus de hiſce rebus ſcri-
bit in hunc modum, tomo X. ad annum 29
MDCXXIV. Julius II. P. R. cui magis curæ
fuit exaltatio familiæ ſuæ, quàm Italiæ quies,
Ducatum Urbini Laurentio Mediceo abla-
tum in nepotes ſuos contulit, additis *Piſau-
ro*, (24) Senegaliâ, & Ducatibus Montisfel-
trii, & Caſtelli Durantis, quæ feuda Imperii
eſſe dicuntur.

Porrò feudorum Eccleſiaſticorum eâ
eſt natura & conditio, ut ſoli mares iis inve- 30
ſtiantur, *neq; fœminæ quicquam juris* (25) in
iis ſibi poſſint arrogare. *Dux Urbini, qui ho-
diè vivit*, (26) *filium unicum habuit*, (27) qui
nuper ſubitaneâ morte deceſſit, relictâ uxore
prægnante, Magni Ducis Florentiæ, qui ho-
diè rerum potitur, amitâ, quæ paulò pòſt fili-
am enixa eſt; quare Ducatus Urbini poſt obi-
tum præſentis Ducis absque dubio ad patri- 31
monium Eccleſiæ rediturus eſt, neque un-
quam alteri infeudari poterit, propter bullas
Papales, quas Papæ & Cardinales ſolemni
juramento ſe obſervaturos promittunt. Ju- 32
nior hic Dux paucos dies obiit *ante Papam
Gregorium XV.* (28) Urbanus VIII. qui illi
ſucceſſit, nihil prius habuit, quàm operam
dare, ut Ducatus Urbini patrimonio Eccle-
ſiæ ſine ulla contradictione aut imminutio-
ne reuniretur, atque in hunc finem tres Præ-
latos, quibus fidebat, ad vicinas Ducatui
provincias dimiſit, cum poteſtate quantas
poſſent copias cogendi, ſi quid in Urbinate
Ducatu moveretur. Cauſa præcipua erat,
quòd Papæ innotuiſſet, Florentiæ conſilium
captum eſſe de connubio inter Ducem Etru-
riæ & filiolam hanc contrahendo, idq; con-
ſcio & authore Imperatore. Imperator quip-
pe Comitem Franciſcum Gambaram lega-
verat ad Urbinatem, in ſpeciem quidem ut
ipſum conſolaretur, reverà autem ut ab ipſo
impetraret, ut Ducatum Montisfeltrii & Ca-
ſtelli Durantis haud invitus pateretur poſt
obitum ſuum ad Imperium redire, eâ condi-
tione, ut neptis illius iisdem inveſtiretur, &
per conſequens Magnus Dux, qui ipſi mari-
tus deſtinabatur.

Hæc petitio nequaquam ita à Duce Ur-
bini fuit accepta, ac ſperabatur; Dux enim, 33
qui reliquam ætatem quietè tranſigere deſi-
derabat, reſpondit, ſe Ducatum Urbini &
terras illi conjunctas tenere à ſede Apoſtoli-
ca beneficio Sixti IV. & Julii II. itaque non
licere ſibi conſenſum præbere ulli rei, quæ ju-
ſti ſe-

ri ſedis illius præjudicare poſſit; Imperatori autem, ſe defuncto, integrum eſſe cum Papa experiri. Quod frigidum Ducis reſponſum placuit parùm Comiti, minùsque Conſiliariis Magni Etruriæ Ducis. Papa eodem tempore ad Ducem Urbinatem miſit Cardinalem Cennini, qui ab ipſo haud invito impetravit, ut ſolemniter profiteretur, ſe Ducatum Urbini, & terras omnes illi conjunctas, tenere à ſede Apoſtolica, & ut poſt deceſſum ſuum deficiente maſculo hærede ad patrimonium Eccleſiæ reverterentur, jam tum velle & percupere. Itaque Papa apud Ducem Etruriæ inſtitit, ut & ipſe tanquam futurus filiolæ Ducis Urbinatis maritus declarationem hanc ratam haberet; quod & poſt aliquot tergiverſationes tandem obtinuit.
34 Verùm cùm Papa jam omnia ex voto ſe conſecutum putaret, incidit res, quæ benè caoleſcentem inter ipſum & Ducem Urbini amicitiam penè diſſolvit; Papa quippe, ut res ſuas in Ducatu meliùs ſtabiliret, & conſilia Ducis atque aliorum penitiùs ſcrutaretur, Santorium ad Archiepiſcopatum Urbinatem promovit, virum quidem doctum, ſed rudem & ingenii fervidi atque adeò violenti, qui ſimul ac Epiſcopatum adiiſſet, cùm ſe in Ducis gratiam inſinuare, eumq; omni officiorum genere demereri debuiſſet, ob ceremonias quaſdam cum ipſo altercari & in conſiliis ita diſſidere ab ipſo cœpit, ut etiam minaretur. Quibus rebus Dux ſupra modum irritatus, loca pleraque munire & novis præſidiis Florentinorum & Neapolitanorum firmare inſtitit: quæ cùm animi à Pontifice abalienati, & eorum, quæ antè promiſerat, pœnitentis haud dubia indicia à plerisque acciperentur, Pontifex haud leviter angebatur; quibus acceſſit incertus rumor, Ducem Etruriæ, qui interim Ducis neptem ad ſe traduxerat, de matrimonio jam minùs minùsq; cogitare, ſed de illa Imperatoris filio elocanda agere; quo futurum erat, ut Imperator jus ſuum eò impenſiùs urgeret, & Rex Hiſpaniæ, qui Papæ potentiam tanta acceſſione augeri invitus animadverteret, diſſidium inter Papam & Imperatorem aleret, quantum poſſet.

Ducatus autem Urbini (inquit author)
35 valet circiter trecenta millia coronatorum annui reditus; abundatque viris militaribus,
36 qui inter omnes Italos longè excellunt, & armorum uſu, & numero. Decem habet
37 Epiſcopatus, duos portus maritimos, ſeptem aut octo arces benè munitas; deniq; peropportunus eſſet Dominio Eccleſiaſtico, quòd illius acceſſione ab uno mari ad alterum ſe extenderet.

Neptis autem Ducis absque hoc etiam 38
ditiſſima futura eſt; nam avus præter hunc Ducatum in regno Neapolitano poſſidet L. mill. coronatorum annui reditus, quos percipit è variis agris & dominiis: itemque terras allodiales quàm plurimas in ipſo Ducatu, & trecenta aut quadraginta millia ducatorum in ſupellectile aliisque mobilibus bonis. Quid multa? dos illius haud dubiò duas myriades aureorum ſuperabit; neque facilè Dux Etruriæ locupletiorem ſponſam poterit reperire. Hæc ille ad annum MDCXXII. Ad annũ autem MDCXXVI. narrat: Urbanum VIII. cùm animadvertiſſet, Leopoldum Auſtrium, Argentinenſi & Paſſavienſi Epiſcopatibus relictis, cum Ducis nepte conjugium meditari, (inque illum finem jam ab Imperatore feuda imperialia poſt diſceſſum Ducis impetraviſſe) neque 39
quicquam ſibi negotii cum Imperatore intercedere cuperet Papa, rem aſtu ita tractaſſe, ut Dux adhuc ſuperſtes ipſi Ducatum omnem ceſſerit, centum millibus Ducatorum pro machinis, armis, & reliquo apparatu bellico arcium ſuarum acceptis, atq; 40
ita Papam jam Ducatus Urbini potentem factum; & dominium Eccleſiaſticum ſupra centum viginti milliaria in longitudine, à Terracina & ultimis regni Neapolitani limitibus, ad fines usque dominii Venetorum, ab oſtio autem Tiberis ad Anconam juxta Mare Superum integram Italiæ latitudinem obtinere. Reditus Ducis Urbini, quos percipit ex bonis hæreditariis, Gabellis, aliisque proventibus, æſtimantur accedere ad centum aureorum millia quotannis, & ſi vellet Dux ſuis ſubditis imperare, multò majorem pecuniarum ſummam ab ipſis poſſet conſequi, ſed ipſe inſiſtens veſtigiis ſuorum Anteceſſorum, volensque à ſubditis amari, eos 41
non gravat inſuetis oneribus, mavultque minus pecuniarum poſſidere.

Omnes præmemorati Duces & Principes ſimul vix tantum poſſunt, quantum vel unus Dux Sabaudiæ, vel Magnus Etruriæ 42
Dux: nihilo tamen minus omnes de libertate ſua conſervanda ſunt ſolliciti; quare & omnes; ſed magis impotentiores *Hiſpanum metuunt*, (29) & quò minùs amant, eò magis in ſpeciem ſe venerari illum ſimulant: nonnulli patrocinium illius occultis quibusdam officiis ambiunt & demerentur: ab 43
hac autem ſimulatione ne Magnus quidem Etruriæ Dux penitus liber eſt, qui non rarò Regem Hiſpaniæ venerari & ſuſpicere viſus eſt, cùm revera illum abhorreret & hoſtium illius molitiones clanculum adjuvaret.

ANNO

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT XVIII.

Num. 1.

(1) D*Ux Mantuæ &c.*] Citra Controverſiam Mantuæ & Montiſ ferrati Ducatus clientelari Jure Imperio obſtricti ſunt. Idque fatentur utriusq; poſſeſſores Gonzagæ. Primus ejus familiæ Mantuæ *Capitaneus Dominusq; & vicarius Romani Imperii perpetuus* auctoritate publicâ inſtitutus eſt Ludovicus, qui A. MCCCLXIX. rerum ſummam tenere cœpit. Ejus Nepotem Johannem Franciſcum Sigismundus Imp. A. MCCCCXXXII. *Marchionem* dixit: Quemadmodum Carolus V. Fridericum Gonzagam anno ſeculi ſuperioris triceſimo *Ducem* nominavit, quum Cæſarem Bononiæ coronatum Gonzaga ſplendidiſſimo hoſpitio excepiſſet. Ducatûs hujus quondam partes fuêre, quæ ceſſerunt natu minoribus: ut Guaſtella, Novellaria, S. Martino, Berrolo Guazzado, alia, cum oppidis & caſtellis. Sed qui illa tenent, non agnoſcunt Ducem ſuperiorem: quin & dicunt directè ſe Cæſaris eſſe vaſallos, quod etiam in Commentario Segethiano eſt annotat. m. D. Conringius *de finib. lib. 2. c. 23. pag. 526.* Obwoln beyde Hertzogthum Mantua und Monferrat zu deß Reichs Patrimonio gehörig / ſo ſeynd ſie doch keine Mitglieder / und Stände deſſelben / und hat das Reich / auſſer deß Juris Feudalis (welches werde von einem / oder dem andern prætendirenden Theil beſtritten / ſondern all rdings geſtanden wird) ſonſt einigen Nutzen oder Vortheil nicht daran / ꝛc. Ita Electores ad Imperatorem *19.* Julii Anno MDCXXX. vid. Limnæus *ad Capitul. pag. 627.* Mantuanorum Ducum ſeriem & res geſtas eleganter deſcribit Antonius Poſſevinus in Gonzaga, & in Compendio, Joh. de Laet *de Princip. Ital pag. 281.* Zeillerus *in Itiner. Ital. cap. 1. pag 14. ſeqq.* Qui hodie hunc Ducatum, regit eſt Carolus hujus nominis IV. Gonzaga Caroli III. XIV. Auguſt. Anno MDCLXV. mortui, ex Iſabella Clara, Leopoldi Auſtriæ Archiducis filia, filius d. XXXI. Auguſti Anno MDCLII. natus.

(2) *Dominium illius undiq; claudunt &c.*] Hos limites Ducatûs Mantuani ponit Author discurſus de Princip. Ital *apud Joh. de Laet pag. 348.* Paulò alios ipſe de Laet *pag. 281 inquiens:* Mantuæ Ducatus partim eſt in Lombardia Ciſpadana, partim Transpadana: circumvallaturque à Venetorum Dominio; ſiquidem Veroneneſm agrum habet à Septentrione & ab Ortu; à qua parte Ferrariæ Ducatum quoque attingit: ab Occaſu autem habet Brixienſe territorium, uti & Cremonenſe; à Meridie autem Mutinæ Ducatum habet ac Mirandulaunm Principatum.

Num. 3.

(3) *Sexcenta millia Coronatorum &c.*] Segethus *pag. 28.* numerat trecenties quinquagies ſcutatorum millia. Reiffenbergius *in Notis ad Boteri Relationes*, Mantuanus *inquit* Ducatus & Montisferrati Marchionatus pendit ter centena millia ſecundùm Viginarium, vel ſecundùm Hieræum 849000.

Num. 4.

(4) *Subaudus quidem Ducatum Montisferrati &c.* Rationes ejus dem vide congeſtas à Joh. de Laet *de Princ. Ital pag. 285. & 290* Gramond. *Hiſt. lib. 1. pag. 35. ſeqq.* Sprenger. *in Pratenſ. Illuſtr. pag. 207.*

(5) *Faber in Conſultat. &c.*] Pro Duce Sabaudiæ quoque ſcripſit Menoch. *Conſil. 1. vol. 1.* Pro Poſſeſſoribus verò Ducibus Mantuanis Socinus Junior *Conſil. 77. vol. 1.* Paris *Conſil. 22. & 23. vol. 1.* Gozadin *Conſil. 8.* Grat *Conſil. 9. lib. 1.* Alciat *Reſp. 199.* Rolandus à Valle *Conſil. 3. volum. 1.* Verùm controverſia hæc primùm per pacta inter Ferdinandum glorioſiſſimæ memoriæ Imperatorem hujus nominis II. & Ludovicum XII. Galliarum Regem Anno MDCXXX. Ratisbonæ ad conciliandam Italiæ quietem inita, (*Theatr. Europ. parte 2. pag. 200*) ſopita, per Transactionem Chieraſcenſem Anno MDXXXI (*cujus tenor ſubjunctus Miniſterio Cardinalium Richelii & Mazarini pag. 228. ſeqq. extat.*) compoſita, & demum per Inſtrumentum Pacis Monaſterienſe inter Imperatorem & Coronam Franciæ, §. *Item ne controverſia inter Dnn. Sabaudiæ &c.* deciſa fuit; interim adhuc in nuperis Comitiis de Sabaudo nondum inveſtito de Ducatu Montisferratenſi querelas obortas eſſe, (Ertel Friederich von Herren in der Grundfeſte deß H. R. Reichs ꝛc. im *III.* Stück *cap. 9*) in propatulo ſit.

(6) *Sed Rex Hiſpaniæ &c.*) Summa diſſidii erat Succeſſio, *dicit Gramondus loco dicto*, Monferrati; de tutela Infantis parùm ambigebatur, aſſentiente Ferdinando, mater ut tutelam ſuſciperet, modò non transferretur pupilla extra Patrios lares, maneretque feudorum poſſeſſio qualis erat: Urgebat Sabaudus, tutelam fore negans niſi corpus & bona traderentur: tandem & tutelam negavit matri Ferdinandus, quia ipſa minor viginti quinque annis adhuc ſub cura erat. Quæſtione ad Matthiam (*Imperatorem*) delatâ jus omne ad Ferdinandum transfertur: hinc bellum atrox inter Principes: Sabaudo decem legionariorum millia merebant: ex adverſo rarus miles; & niſi Reges Galliæ & Hiſpaniæ intercederent, opprimebatur in ipſo belli exordio Ferdinandus. Hiſpanus Sabaudi protectionē ſuſceperat naſcente diſſidio, ratus fore unam avo cauſam cum nepte Maria, cui & ipſe proximâ affinitate junctus erat: ubi Sabaudum jure proprio inſtare audit, mutat protectionis conſilium, Ferdinandoque tanquam minori Principi favet, ne major factus auctior intumeſcat, quod pro Imperii arcano eſt utriq; Regum. Nivernus Dux Gonzaga è gente, milite Gallo firmaverat Caſalim: Mareſcallus Eſdiguerius lectâ raptim legione intentabat Sabaudo minus: Mediolani Prorex quatuor peditum millibus properabat; nec deerant fœderato Principi ſubſidia Reip. Venetæ, & Magni Etruſcorum Ducis, quanquam tardabantur: hinc Sabaudo metus, ex metu concordia & pax: & p.p. Italorum Principum eo bello ſtudia contra Sabaudum ibant, planè ſuſpectis Reguli augmentis ſi prævaleret, qui aliunde plus æquo potens & quietus erat: colligunt ſe vicini Principes in cauſam unam, & inſectantur collatis unà viribus, quem ſuprà modum fortuna extollit.

Num. 5.

(7) *Vincentius Dux Mantuæ &c.*] Vid Gramondum *lib 18 p. 78 ſeqq* Joh. de Laet *de Princ. Ital. p. 293 ſeqq* Theatr. Europ *p. 1 fol. 1106.* Zeillerum *in Itin. Ital. c. 1. p 16.* qui tamen Ducem hunc Ferdinandum appellat. D. Conring. *de Finib. Imp. lib. 2. c. 23. p. 587.*

 (8) *Le-*

(8) *Legatus Regis Gall. &c.*] San Chaumontius, *Hiſtor. de Miniſter. Cardin. Richelii libro 4. cap. 26.*

Num. 6.

(9) *Rhetelenſem &c.*] Confer eandem Hiſtoriam *d. loc. cap. 27.*

Num. 7.

(10) *Mutinæ Dominatum &c.*] Vide Joh. de Laet pag. 298. ex quo omnia hoc & ſeqq. numeris octo deſumpta ſunt, Dn. Conringium *de finibus d. cap. 23. pag. 323.* Gotofredum *in Archont. Coſm. parte 1. pag. 520. n. 15.* Zeillerum *in Itin. Ital. c. 1. p. 16. ſeq.* & ab ipſo ibid. allegatos Authores.

Num. 10.

(11) *Cæſar tamen filius Alphonſi &c.*] Cæſari verò huic in Ducatu ſucceſſit Franciſcus I. filius, alii. Hodiè ei præeſt Alphonſus Ateſtinus hujus nominis IV. Alfonſi III. ex Laurentia Martinozzia Julii Cardinalii Mazarinii nepte filius, Anno MDCLVI. natus.

Num. 13.

(12) *Nobiles familias in Germania propagavit &c.*] Sed audiamus Hermannum Kircherum *de Republ. Diſp. 12. Corol. 12.* Nobilitas Germanica omnium hodie antiquiſſima, *inquit*, quæ αὐτόχθονες & indigena, non aliunde deducta. Falſæ itaque iſtæ quarundam illuſtrium familiarum Germanicarum Origines, quas nonnulli ab Italis, & veteribus Romanis derivant Nec enim antiquiſſima Domus Hennebergica, quæ noſtrâ memoriâ in Georgio Erneſto extincta, à Columneſiis, uti Paulus II. P. R. & Antonius de Columna, finxerunt, ſed à vetuſtiſſimis Salicorum Francicorum Ducibus orta, *Cyriac. Spangenberg. in Chron. Heneb.* Nec à quibus, neſcio, Romanis exulibus Sereniſſima Domus Auſtriaca, *ut Albertus Argentinenſis fabulatur, in vit. Rudolphi I.* deſcendit: Neque Anhaltinorum illuſtriſſima familia ab Urſinis, *Spangenb. in Henneb. Chron.* neque Welfia domus Brunswicenſium ab Eſtenſibus, ſed Eſtenſes ab antiquiſſima Welficorum ſtirpe, quod ipſi Itali confitentur, *Calcag. in Orat. funeb. Adolfi Ducis Ferrar. &c.*

Num. 14.

(13) *Joh. Baptiſtæ Pignæ &c.*] Cui accenſendi Monachus Paduanus *in Chronico (quod in Tomo Hiſtoricorum Germaniæ Chriſtiani Urſtiſii extat,)* Paul. Jovius *in pr. vitæ Alfonſi Ferrariæ Ducis, alii.*

Num. 16.

(14) *Farneſiorum potentia &c.*] De Parmæ & Placentiæ Ducatu, vide, ſi lubet, quæ dixi ſuprà, *ad libri 1. cap. 3. num. 35. (50.)* Add. Zeiller. *in Itin. Ital. c. 1. p. 17.*

(15) *Sub Paulo III &c.*] Junge omninò Authorem Nepotiſmi Romani *lib. 2. c. 7.* & memorabilem ejus vocem, quâ moriens ſuorum ingratitudinem ſæpius incuſaret, ſe felicem dictitans, ſi nunquam genuiſſet, ac ſubinde illud ex Pſalmo XVIII. quod in tertio nocturno decantari ſolet, ingeminans; *Si nati non fuiſſent dominati, tunc immaculatus eſſem, & emundarer à delicto maximo.* Thuanus *Hiſt. lib. 6, ad Annum 1549.*

Num. 17.

(16) *Thuanus &c.*] *Lib. 4. Hiſt. ad Annum 1547.*

Num. 19.

(17) *Parmæ Dux cum Cæſare &c.*] Vide Thuanum *lib. 17. ad Annum 1556.*

Num. 21.

(18) *Obiit Octavius &c.*] Iterum Thuanus *lib. 84. ad Annum 1586.* Strada *de Bello Belgico decad. 2. lib. 8. pag. 461.*

(19) *Caroli Cæſaris filia naturali &c.*] Margaretha illa, prima Caroli V. proles, quadriennio antè genita quàm ille uxorem duceret, matrem habuit ejusdem nominis Margaretham Vangeſtiam, (quod quidem ſerò innotuit) Johanne Vangeſtio ac Maria Cocquamba Nobilibus Flandris Aldenardæ ortam. Quibus peſtilentiâ ſublatis, Margaretham quintum annum agentem, quoniam Johannes pater precatus fuerat Antonio Latino Comiti Hochſtratano, domi ſuæ Comes paternè ſuſcepit, ejusque conjux Elizabetha Calemburgica uti filiam educavit. Adulta, ut erat excellenti tum formâ, tum quæ formam conſecrabat honeſtate, compluribus expetita certatim ad nuptias, horum ſpes omnium diu fruſtrata eſt objectu caſtitatis intra clauſtra propediem dedicandæ. Donec ad convivale tripudiantium oblectamentum, intra Nobilium fœminarum choros adhibita, in eo nocturnæ licentiæ laxamento, ſerò utique ſenſit, quam propè ſe conſequantur, proponi formam, & exponi pudicitiam, ſi præſertim locuples emptor præſtò ſit. Etenim cùm feſtæ huic ſaltationi Aldenardum prætervehens intereſſet Carolus Imperator, Margaretham, quam Culemburgica ſecum adduxerat, ſpecie inter omnes pulcherrimam conſpicatus, decorem ejus impensè laudavit apud Comites, viſusque eligere, dum laudavit. Inde asſeclarum unus, ex illo videlicet aulicorum genere, qui ad Principum gratiam non niſi malis artibus aditum habent; puellam per tenebras dolo ſubreptam induxit ad Cæſarem, ex eaque hæc, de qua loquimur, Margaretha (Anno MDXXII.) procreata eſt. Strada *de Bello Belg. Dec. 1. lib. 1. pag. 41.* Qui idem *d. dec. lib. 9. pag. 503. ſeqq.* Alexandri Farneſii nativitatem & majorem partem curriculi vitæ delineat, ubi vide.

Num. 22.

(20) *Rainutium &c.*] Huic ſucceſſerunt in Ducatu filius Eduardus A. MDCXII. natus d. XII. Septemb. A. MDCXLVI. denatus, Nepos Rainutius II. qui hodie Principatum tenet.

(21) *Nec potentia &c.*] Secundùm Segethum *de Princ. Ital. p. 35.* hujus Ducatûs reditus olim erant centum millium ſcutatorum annuorum; nunc ducenta millia reddit, eo quòd præcipui Feudatarii, nimirum Palavicini, Lundi, Scotti, & Anguſcioli, maximam ditionum ſuarum partem amiſerunt, quæ fiduciario Jure à Ducatu Placentino posſederant; quorum omnes reditus fiſco Ducis accreverunt; nundinæ in Urbe Placentiæ inſtitutæ, & Lyceum in Urbe Parma, aliquid afferunt emolumenti: quin & à Pontifice conceſſum eſt Principibus nova à ſubditis exigere vectigalia; pœnæ etiam mulctæque pecuniariæ ob æs alienum indictæ, reditus augent; ad hæc, prædiorum Emptio, bonorum publicationes, ad fiſcum relapſæ; quæ omnia juncta memoratam ſummam conficiunt.

Num. 23.

(22) *Urbini Ducatus &c.*] De hoc Ducatu vide quæſo Obſervationes noſtras ad hujus libri 1. cap. 3. n. 36. (49.) & Zeillerum *in Itiner. Ital. c. 1. pag. 9.*

(23) *Ait Author incertus &c.*] A Joh. de Laet *de Princ. Ital. p. 313.* citatus,

Num.

Num. 29.

(24) *Piſauro &c.*] Confer Dn. Conringium *de finibus Imp. Germ. lib. 1. cap. 10. pag. 115.*

Num. 30.

(25) *Neque fœminæ quicquam Juris &c.*] Recitatis nonnullorum Dd. opinionibus, quodnam Feudum ſeculare quodnam Eccleſiaſticum ſit, Immortalis Ludvvellus *cap. 3. Synopſis Jur. Feud.* rectè tandem concludit, & probat deſcriptionem ab objecto ſive materiâ deſumptam, ut Seculare ſit, quod in re profana; Eccleſiaſticum, quod in re Eccleſiaſtica conſtituitur, ratus hanc opinionem aliis, præter Dd. authoritatem, vel ideò præferendam, quòd & in Nov. 7. c. 3. Nov. 55. c. 2. & Nov. 120. Eccleſiaſtica Emphyteuſis ea dicatur, quæ in rebus Eccleſiæ conſtituitur, non attento eo, quis vel cui conſtituatur: & præterea, quòd Clericus nonnunquam ſeculare feudum det, ſi nimirum illud in bonis ſuis propriis & patrimonialibus conſtituat, *c. clerico, in fin. de Cleric. qui inveſt. fac. 2. Feud. 35.* & Laicus contrà feudum Eccleſiaſticum, ſi videlicet bona Eccleſiæ habeat, & de iis liberam diſponendi facultatem, *arg. cap. hæc ſunt de capp. Corrad. Feud. 40.* Illud verò quæſitum & valdè adhuc dubium eſt, an hujusmodi Feuda, quæ vulgò à baculo curvo von Krummenſtab dependere dicuntur, ad fœminas etiam tranſeant. Cujus Affirmativam de ConſuetudineGermaniæ veriorem aſſerunt plures, & inter illos Joh. Fichardus *Conſil. 17. n. 7. vol. 1.* ubi refert Joh. Ferrar. Montanum *Collect. in uſus Feud. cap. 2. circa fin.* de Conſuetudine Eccleſiæ Fuldenſis & Hirsfeldenſis, atteſtantem, cui ibidem conſulendo in Archiepiſcopatu Colonienſi ſubjungitur. Herm. Vultejus *de Feud. lib. 1. c. 9. n. 48.* Andreas Knichen *de veſtit. pact. part. 1. c. 4.* Weſenb. *Conſil. 74. n. 47. & 88.* Garzon. *de fœm. ad feud. recip. n. 126.* eò quòd Eccleſiæ à Summo Pontifice & à DEO defenſæ non indigent auxilio manuali vel armato, cùm lachrymæ & jejunia ſint arma Eccleſiæ, quæ magis congruant fœminis quàm maſculis, & illarum eſſe ſanctiores DEOq; magis acceptas. Unde nata trita illa proverbio vox der Krummſtab ſchleuſt niemand aus. At tutior & magis recepta mihi videtur Negantium ſententia, qui cenſent, Conſuetudinem illam Germaniæ, quâ Feuda Eccleſiaſtica à curvo baculo dependentia ad fœminas devolvi communiter perhibetur, difficilis admodùm fore probationis, quod ipſe cum aliis fatetur Merckelbachius *apud Klockium vol. 2. Conſil. 15. n. 41.* ubi exempla in contrarium allegat. Accedit quòd textus & rationes, quibus arcentur regulariter fœminæ à feudorum ſucceſſione, Generales ſint, & non minùs ad Eccleſiaſtica, quàm ad ſecularia feuda pertineant. Junge Gotofredum Antonium *Diſp. Feud. 1. th. 4. ad fin.*

(26) *Dux Urbini, qui hodie vivit &c.*] Scilicet cùm Mercurius Gallicus hæc & ſequentia ſcriberet.

(27) *Filium Unicum &c.*] Fridericum nempe Ubaldum Ducem Urbini Claudiæ Ferdinandi M.D. Etruriæ filiæ maritum, poſthumæ Victoriæ dein Ferdinando M.D. Etruriæ Anno MDCXXXI. nuptæ, progenitorem Anno MDCXXXI. mortuum.

Num. 32.

(28) *Ante Papam Gregorium XV.*] Qui VIII. Julii Anno MDCXXII. in vivis eſſe deſiit.

Num. 42.

(29) *Hiſpanum metuunt &c.*] Hiſpaniam nullum ſibi amiciorem gentem habere, quàm Italiam, Campanella de Mor. Hiſp. cap. 21. putat, ea propter monet, quo illius ſibi benevolentiam conſervet, par & æquum eſſe, ut Neapolitanos & Mediolanenſes ita beneficiis demulceat, ut cæteræ Gentes harum duarum regionum felicitatem admirentur, illarumque fortunam ſibi quoque expetant.

CAPUT XIX.

De Regum Chinenſium Ærario.

SUMMARIA.

1. Regnum Chinæ 2300. *annis, iisdem Regibus & Legibus ſtetit.*

2. Defendunt *ſe facilè ab aliis, difficulter impugnant alios; & ſe extendunt, ſuaq; proferunt.*

3. Lex *hujus* Regni *ad pacem & conſervationem unicè collimat.*

4. *Hic* Juſtitia, Politia, Induſtriaque *florent.*

5. Fertilitas *hic certat cum induſtria hominum.*

6. *Fatuitas eſt, ſua perdere, ut rapias aliena; quod multis oſtenditur,* num. 7.

8. *Quantus* numerus incolarum Chinenſium: *dicuntur eſſe 70. milliones animarum, unde redituum multitudo conjectanda,* num. 9.

10. Vectigalium Tributorumque reditus 150. *milliones aureorum excedunt.*

11. *Hæc* Provincia *paulò minor eſt Europâ.*

12. Rex *habet decimam omnium, quæ terra illa exquiſitiſſima producit, opesq; Chinenſium conſiſtunt in arro & argento, quod terâ effoditur, aliisq; metallis, unionibus, vaſis fictilibus, Porcellanis, pellibus pretioſis, lino, lanâ, xylino, ſerico, ſaccharo, melle, cerâ, Rhabarbaro, Camphorâ, moſcho, rubea tinctoria, & aliis.*

13. Vectigal ſalis *unicæ Civitatis* Canton 180000. *aureorum reddit.*

14. Cenſus, reditus, vectigalia, decimæ, & tributa *Regis Chinenſium.*

15. Regi *ſoli hoc loco Tributum penſitatur; nec enim Comites, idq; genus ſatrapas patitur, aut opulentos privatos.*

16. *Hinc ſolus* Rex *Vectigal percipit immenſum.*

17. *Augentur* reditus *ex eo, quòd ſolvatur Regi ipſis rebus, non ſolùm pecuniâ; Et quòd ipſe ea in ſubditos eroget ad cenſum*, numero 18.

19. China *in maximorum Imperiorum numero cenſenda.*

20. *Unus* Magnus Chan *terrâ Chinenſibus formidabilis.*

21. *Habent tamen* Chinenſes, *quo pacto huic hoſti occurrant: ubi & de Muro incredibilis longitudinis, qui Chinenſes à Tartaris ſeparat.*

21. Exteri, *præter Legatos, regno excluduntur; Internis vetitum peregrinari.*

23. *Quo nihil attento*, Jeſuitæ *in hoc regnum Zelo penetravère.*

24. *Obtinuêre illi* privilegium naturalitatis; *converſis non paucis ad Chriſtum, toleratisq́; graviſſimis perſecutionibus excedere coacti ſunt.*

25. Terræ motus *illic frequentes, quibus integræ Civitates abſumptæ.*

26. Chinenſes *omnium mortalium ingenioſiſſimi.*

27. Scloporum & tormentorum *bellicorum uſus unde Chinenſibus.*

28. Rei Tormentariæ *inventum ejusq́; uſus & perfectio; qualis hodiè cernitur, Germanis adſcribitur.*

29. Libri *hisce locis reperti dicuntur typis excuſi, quingentis annis antè quàm ſint inventi in Germania.*

30. Typographiæ *inventum quidam attribuunt Chinenſibus. Alii Cathainis*, num. 31. *quorum opinio refellitur*, num. 32. 33. 34. 35. 36. 37. & 38. *Alii & præſertim Laurentium quendam, civem Harlemenſem, hujus artis inventorem laudant*, num. 39. *Quorum ſententia exploditur*, n. 40. *& taxatur inſolentia ac ambitio Belgarum*, num. 41.

42. Aldus Manutius *typographiam omnium ſolertiſſimè excoluit.*

43. Artis typographicæ *nobilitas & utilitas ſumma celebrantur hoc*, & num. 44. 45. 46. 47. & 48.

Argenti nitidi & micantis auri
Vis ingens generatur in Sinarum
Terra, prætereaque margaritæ,
Porcellanaque vaſa, & expetitæ
Pelles, materiæque Sericæ, atque lini
Albi, cannabis & venuſta te'a,
Radix Chinæ, rhabarbarumque, cera,
Sacchar, Camphora, melque dulce, moſchus
Fragrans, hoc faciunt ſolum celebre.

1 REgum Chinenſium (1) ſive Sinenſium (ut mavult Joſeph. Scaliger. *Iſagog. Chronologiæ Canonum lib. 3. fol. 319.*) Imperium per bis mille & ampliùs ter centum annos, atteſtantibus ipſorum annalibus, iisdem Regibus & legibus conſervatum fuit.
2 A Chinenſibus ſucceſſio Regum arceſſitur inde ab anno M. 1160. *quo primus Rex Vitey regnaſſe dicitur.* (2) Inde numerant Reges 264. ita: ut ducenteſimus quartus nomine *Bonog* regnare cœperit anno Chriſti 1580. Verùm enim verò initium hujus & auctor dynaſtiæ ante diluvium nullus eſt.

Regni hujus potentia defenſioni magis (3) quàm offenſioni prona eſt & aptior, ut ſua conſervet, quàm ut ea augmentet. Ac licet hoc regnum & limitum amplitudine, & gentis frequentiâ, & commeatuum copiâ, omnique materiâ redundet, ex quâ navigia cæteraque omnia bellica armamenta conflantur, quibus auxiliis facilè vicina ſaltem Regna ſibi aggreget; neque Rex tamen, neque ſubditi de eo laborant, nec iis in mentem venit: ſed ſuis contenti, aliena nec ambiunt quidem. Qua in re longiſſimè ab Europæis gentibus diſſident, quas ſæpè videmus propriis regnis exturbatas, dum ad aliena aſpirant, quæ in explenda dominandi libidine omnia devorant, nec à majoribus parta & accepta norunt conſervare, quod Chinenſes multis annorum millibus potuêre.

Reges itaque Chinenſium omnem in-
vaſionem abhorrent, belloque alios offen- 3
dere prorſus abſtinent. Scilicet hæc regni lex eſt, ut ad nihil aliud, quàm ad pacem & conſervationem Reipublicæ colliment: ideò floret hîc Juſtitia, quietis mater, gubernationis omnis bonitas, & Reipubl. felicitas; deinde politia magiſtra legum; denique induſtria pacis filia. Non aliud regnum, nec
Dominium antiquum, nec novum illo ma- 4
gis politicum eſt. *Et ſanè cùm ipſi feliciſſi-*
mâ regione potiantur (4) ubi terræ fertilitas 5
cum hominũ inæſtimabili induſtriâ certat; cui nihil deeſt, multaque eorum uſibus abundant, cur conſumerent ſuas opes in faciendis acquiſitionibus, ſuo ſtatui parùm profuturis? Cur abſumerent proprias & vires & ſubſtantiam, ut acquirerent aliena? Quid piſcarentur reti aureo?

Quamvis verò hæc Chinenſium reſolutio hodiè prudentiæ non adſcriberetur, tamen pro maxima ſapientia habenda eſt.
Cùm enim major fatuitas non ſit, quàm 6
ſua perdere, ut rapias aliena; deſtruere fines proprii regni, ut invadas alieni; profundere ſanguinem vitæ neceſſarium, ut haurias alienum; regium magis & Principe dignius eſt, conſervare quàm dilatare. Conſervatio enim ſtatûs dat ei eſſentiam, ampliatio autem eò ſpectat, ut ei benè ſit. Ad quem finem autem ſe macerabit aliquis, ut ſua ampliora reddat, ſi ampliatio ſta-
tuum non ſolùm non efficit, ut benè com- 7
modeque eis ſit, ſed deſtruit id, quod antè benè erat? ad quid expendet proprium pro alieno? rem, quæ jam ſubſiſtit, pro incerta, & quæ accidere poſſet? neceſſarium pro utili? quare debilitabit Princeps ſuam perſonam, ut major fiat? Princeps ſapiens debet alienus eſſe ab iis expeditionibus, quæ ipſum ſecurum non faciunt, aut inſigne commodum ſecum ferunt. Securitas enim ſtatûs eſt una baſis, in qua ſubſiſtit: quod ſtudet acquirere, ut ſecurior ſit: ſecuritatem autem adferunt acquiſitiones anguſtiarum, clauſtrorum, viarum, rerumque opportunarum, ut hoſtem longè à te removeas: utilitatem commodumque adferunt eæ regiones, quæ pecuniis ditant, aut commeatibus adparatuque bellico, rebusq; talibus inſtruunt.

De numero habitatorum Chinæ non- 8
nulli referunt, *eum LXX. milliones anima-* 9
rum excedere. (5) Ex hac populi frequentia

tiâ judicari poteſt de opibus, viribus & reditibus Chinæ: de quibus tamen diverſi diverſimodè ſentiunt. *Sunt, qui ad CL. milliones* (6) auri proventus hujus Regni quotannis extendant, quæ quidem vis tanta eſt, quantum ne tenaciſſimus quidem
10 Romanorum Imperatorum VESPASIANUS toto vitæ ſuæ tempore colligere potuit. Non tamen hi reditus in palatii ærarium inferuntur, nec eos Regi expendere ſuo arbitratu licet; ſed omnia, ſive argentum, gentis moneta, ſive oryza ejusdem commeatûs, in æraria & horrea publica toto Regno congeruntur. Ex iis Regis, conjugum, filiorumque ſumptus, nec non Regiorum Propinquorum & Eunuchorum, & univerſi famulatûs Regii ſuppeditantur, Regio ſemper ſplendore & copiâ, nil tamen plus minúsve, quàm legibus præſcribitur. Inde magiſtratuum, militumque ſtipendia, & cæterorum toto regno curialium miniſtrorum, ſolvuntur, quæ ſumma major eſt, quàm quis ſibi perſuadere poſſit. Hinc etiam ædificia publica, Regis Palatium, & regiorum propinquorum, urbium muri, arcium propugnacula, bellicus denique omnis adparatus inſtauratur: In hac namque regni amplitudine nunquam deeſt, quod erigas aut inſtaures. Et, quod incredibilius videtur, annis quibusdam contingere ſolet, ut ne hæc quidem tam ingens vectigalium ſumma ſumptum exæquet, ſed nova etiam tributa imponi neceſſe ſit.

Ac quamvis numerus hic vectigalium & tributorum incredibilis videri ei poſſit, qui ex Statibus Europæ, Chinæ æſtimationem facere velit, fidem tamen facilè inveniet
11 apud illos, qui conſiderabunt amplitudinem & naturam Provinciæ, quæ Europâ paulò minor eſt: frequentiam habitatorum, quam conſequitur, inæſtimabilis opulentia: diverſitatem & divitias minerarum, auri, argenti, ferri, ſtanni, aliorumque metallorum, inexplicabilem copiam mercimoniorum, quibus merè favent tot flumina navibus pervia, tot ſinus & brachia maris, emporia,
12 portus maritimi, telonia, vectigalia mercium, tributa perſonalia & ſimilia. Colligit inter alia decimam omnium, quæ terra producit, ut ſunt omnis generis frumenta, hordeum, oryza, olivæ, uvæ, goſſipium, linum, lana, xylinum, ſericum infinitum, pelles pretioſæ, metallorum omne genus, uniones, vaſa fictilia, *Porcellana*, (7) germina infinita, pecudes, ſaccharum, mel, rhabarbarum, radix China, Camphora, glaſtum, colores & pigmenta, rubea tinctoria, Iſatis herba, *Moſchusq;* (8) odoratiſſimus, qui colligitur ab animalculo quodam, quod veſcitur odoratâ quâdam radice, quam illi *Camatuam* vocant, ad digiti unius magnitu-
13 dinem. Ex ſolo portu Cantonenſi, qui non eſt inter quæſtuoſiſſimos hujus regni, conſtat Regem ex vectigali Salis percipere C. LXXX. millia aureorum, & ex vicinia ex decimis ad eum redire ultra C. millia. Hinc judicium fieri poteſt, quantæ auri argentique maſſæ quotannis in ærium ejus inferantur; ſi conſideremus multitudinem & magnitudinem provinciarum hujus regni, cum infinito populo, cenſu ſingulorum capitum, domuumq; contributionibus oppidorum, vectigalibus & decimis mercimoniorum, fructuumque terræ: adde his metalli fodinas, ſubſidia pecuniaria, tributa, exactiones accidentarias, tributa ex lucro meretricum, & quicquid in hunc indicem præterea referri debet. Ut autem Lectori omnis ſcrupulus & dubitatio eximatur, curæ pretium arbitramur, exactiùs omnia perpendere.

Primo loco occurrit nobis numerus tributariorum, qui in unaquaque ſunt provin- 14
cia, quorum catalogus eſt penes Præfectos Quæſtoresque regios, ut tributa ab iis exigere poſſint: ubi notandum eſt, tantum prope eorum numerum eſſe, qui nihil pendunt: cum Loytiæ (quæ vox non ſolùm Doctorem, ſed & Equeſtris Ordinis virum ſignificat) ipſorumque domeſtici nihil ſolvant, ut nec, qui in judiciis vel officiis publicis: poſtremò quicquid eſt usquam militum tàm terrâ quàm mari, ab hoc Tributo immune eſt.

Sed ad Provincias ipſas veniamus; (9) ſecuti eos, qui de his rebus ſcripſerunt diligentiùs. Sunt in Provincia Paſquienſi hominum, qui tributum regi ſolvunt Milliones duo, præterea 704000. In Cantonenſi Milliones 3. & 600000. In Foquienſi Milliones duo & 407000. In Olamenſi Milliones duo & 240000. In Cinſaiana Milliones tres cum 380000. In Suſuana Milliones duo & L. millia. In Tolanchiana Provincia, ubi rex habitare ſolet, Milliones ſex 90000. In Caſaiana Millones duo cum 850000. In Oquiamenſi Milliones tres & 80000. In Avechonenſi Milliones duo & 840000. In Honamenſi Millionem I. cum 200000. In Xantonenſi I. Millio, CMXLIIII. millia. In Quichevana Milliones 2. & 340000. In Chequeamienſi Milliones duo, cum 244000. In Sanclenſi, quæ provinciarum minima eſt, I. Millio, & 672000.

Eſt autem hoc Tributum, quod unusquisque, qui domicilium & focum habet, ſolvit quotannis duas Maſas, quæ ſpecies eſt monetæ, valens duos Regales Hiſpanicos. Etſi autem hoc tributum videtur eſſe exiguum, & ab eo multi, de quibus ſuprà diximus, exempti ſunt, tanta tamen eſt populi multitudo, ut detractis omnibus expenſis, in Perſonam aulamque Regis, in ſtipendia militum præſidiariorum, in ſalaria miniſtrorum regni, in claſſes, in conſervandos portus marinos, in ædificia publi-

ca: tantum tamen Regi ſuperſit, quantum ex libro rationum regni Chinenſis hîc ſubjiciemus: quanquam Chinenſes dicant, illas eſſe rationes priſcorum temporum, & hodiè in tanta Regum opulentia multò minùs pendi.

Auri puri ſive Obryzi dantur ei Milliones CCLVI. millia, (10) & CM. Tahæ: Valet autem Taha decem regales numos & 24. Maravedas Hiſpanicas: Argenti verò defæcati Milliones III. cum CLIII. millibus & CCXIX. Tahis. Ex Margaritis, etſi non exactè rotundæ ſint, redeunt ad eum Milliones duæ, DCXXX. millia Taharum. Ex Gemmis & Metalli fodinis Millio una, & XXXV. millia Taharum. Ex vaſis Porcellanis XC. millia Taharum. Ex Moſcho & Ambra Millio una cum XXXV. millibus. Habet præter, has divitias hinc inde Rex Agros Decumates, ex quibus infinita vis frugum ad ipſius quotannis redit Granarium. Oryzæ quidem modiorum Milliones LX. cum CLXXI. millibus, DCCC. XXXVIII. modiis. Ordei Modiorum Milliones XXIX. CCCXCI. millia. D. CCCLXXXII. Modiorum tritici percipit Milliones XXXIII. cum XXVI. millibus & CC. Salis Modiorum XXV. milliones, cum CCCXL. millibus, & CCCC. Reconditur autem ſal iſte in horrea ſive Apothecas regias, donec tempeſtivè vendatur, unde ingens lucrum accedit ærario regio. Frumenti Indici, quod Mayz appellatur, cedunt Regi quotannis milliones XX. & modiorum CCL. millia. Milii modiorum milliones XXIV. Panici milliones XIV. & CC. modii. Avenæ & Leguminum junctim milliones XL. & CCM. modiorum.

Materiæ ſericæ factæ infectæque, ut & goſſipii, atque inde confectarum telarum tantum eſt, ut nec ſatis iniri ratio, nec numerus latinis verbis commodè exprimi poſſit. Hæc autem omnia colliguntur pro Rege Sinarum, qui omne, quod non impendit in magnificentiam ſplendoremque aulicum, in ſuum infert ærarium atque Gazam, in quo ærario quanti inſint theſauri, ex ſupradictis colligi poteſt, ſi modò tantæ divitiæ ab hu-
15 mana mente cogitari colligique poſſunt.

Subditis nihil præter victum & amictum relinquit. Nulli alteri tributum aut vectigal penditur, quàm Regi: Nec enim ſub ſe ullos Comites aut Dominos alterius gene-
16 ris habet, nec privatos, qui opulenti ſint. Cùm itaque Regnum immenſum ſit, reditusque ferè omnes in Regis manu ſint, non eſt, quod quis miretur ejus divitias, vires & potentiam. Duo præterea ſunt, quæ hanc
17 ſummam ærarii & redituum credibiliorem reddunt. Unum, quòd non omnia ſolvantur
18 in pecuniâ, ſed pars in rebus, nempe fœno, oryzâ, frugibus, paleâ, ſerico, goſſipio. Alterum, quòd Reges CL. Millionũ, quas percipiunt, tres partes (plus minúsve) expendant. Dum itaq; è manibus Regis exit, quod à populo percepit, nemini mirum videri debet, quòd populus ipſi id quotannis reddere poſſit. Sicut enim aqua tantum deſcendit, quantum ſe in altum extulit, ita & tributa facilè tantum inferre poſſunt, quantum Regi in ſuſtentaculum ſuorum expendendum eſt, ipſeque populus tantum Regi pendere poteſt, quantum ipſe in regno expendit. In Regno dico; ſi enim extra Regnum expenderet, angariæ dupliciter conſumerent populum: Nam ex ejus manibus elaberentur pecuniæ, facultatesque, neque ſpes ſupereſſet emolumenti, aut fructus alicujus.

Quandoquidem ergò *China* non mi- 19
nùs amplum ſpatioſumque regnum, quàm unitum, plenum populo, annonâ & opibus, pro uno maximorum imperiorum, quæ unquam fuêre, habendum eſt, ſimul & inde manifeſtum fit, Regem hunc potentiſſimum in
continente nullum formidare Regem, præ- 20
ter Magnum Chanum Tartarorum. Adversùs hunc hoſtem curarunt Reges prædefuncti, exſtrui prælongum & ſtupendum 21
ad fines Tartariæ murum, (11) qui inſtar valli fortiſſimi huic regno prætenditur, initium habens ad Civitatem *Ochior* (inter duos altiſſimos montes poſitam) & ſe extendens ad ſexcenta milliaria Ortum versùs, donec ei alius mons occurrit, qui ad Oceanum usque protenditur, dividitque Tartaros à Chinenſibus. Verùm ab altero latere, quà Orientem reſpicit, Lapones habet objectos, & alia ex parte Hiſpanos ſive Luſitanos, Philippinas inſulas incolentes, quæ inſulæ non ſine cauſa huic regno ſuſpectæ ſunt, cùm is ſit eorum ſitus, ut non parùm poſſint Chinenſibus creare incommodi.

In eos, qui cum exteris absque Regis vo- 22
luntate quicquam commercii habent, ſeveriſſimis pœnis advertitur. Et ſi neceſſitas poſtulat, aliquem extra regni fines cum mandatis mitti, nemo ferè eſt, qui adduci poſſit. Proficiſcentem univerſa Familia, quaſi ad mortem raptum deplorat: redeuntem verò Magiſtratus aliquo dignitatis munere in præmium afficit. Advenis, niſi ii *Legatorum munere* (12) fungantur, regnum ingredi non licet, eò, quòd eorum converſatio conſuetudoque aliquam mutationem, aut aliquid novi in regimine introducere poſſit. Neque tamen externum, qui clam in Sinarum regnum penetrarit, ſervitute vel morte plectunt; ſed reditum ei in patriam interdicunt, nè fortè apud ſuos res novas in Sinenſis regni perniciem moliatur. Non 23
ita pridem eſt, cùm *Jeſuitæ*, (13) moti intenſo deſiderio gloriæ DEI, & ampliatione ſuæ ſanctæ legis, in campo adeò ſpatioſo, qualis ille eſt, magnâ & Sinoniâ arte, nec minori patientiâ regnum Sinenſe ſunt ingreſſi,

ſi, comparatâq; ſibi aliquorum magiſtra-
24 tuum benevolentiâ, obtinuerunt privile-
gium naturalitatis; ſed *diverſas perſecu-
tiones paſſi*, (14) tandemque coacti ſunt, civi-
tate, in qua habitaverant, aliquosque
converterant, excedere, & maritima ver-
sùs ſe conferre. Uni incommodo & pro-
25 pè ſoli Chinenſes obnoxii ſunt, quòd cre-
bris *regiones illæ concutiantur terræ moti-
bus*, (15) quibus aliquando non ædes tan-
26 tùm, ſed oppida & urbes evertuntur. Cæte-
rùm in inventionibus ſuis videntur ſibi o-
mnium mortalium eſſe ingenioſiſſimi, mul-
tùmque & crebris induſtriam ſuam jactant
ſermonibus, dicentes: Chinenſes ſolos ha-
bere duos oculos, Europæos unum, alios
cæcos eſſe. Atque ut de eorum ingenioſis
inventis aliquid dicam; primùm illud non
eſt aſpernandum, quòd uſtrinæ in fabricis
ipſorum follibus non indigeant, cùm a-
ptiſſimè diſpoſitis tubis quibusdam aërem
perpetuâ quâdam reciprocatione ita attra-
hant, ut nunquam vento deſtituantur.

27 Tormenta quoque ignivoma, Pulve-
rem Nitratum Pyriumque, nec non artem
Typographicam jactant ſe aliquot ſeculis
ante Germanorum inventionem habuiſſe;
narrantque de illis rerum Chinenſium ſcri-
ptores, uſum tormentorum bellicorum
Regi cuipiam, Magicæ artis perito, mon-
ſtratum fuiſſe, à quodam ſpiritu ex terræ clau-
ſtris erumpente. *Quidam etiam narrant*, (16)
inveniſſe eos ſingulare artificium fundendi
machinas æneas, ita, ut in partes dividi & ve-
lut reſolvi queant, atque ita jumentorum
dorſis, ſive etiam à bajulis facilè de loco in
locum deportari.

28 Sed nos compertum habemus, & me-
morant Annales, Anno M. CCC. LXXX.
ſub Imperatore Wenceslao, à Bartholdo
Nigro, vulgò Schwartz / Monacho Franci-
ſcano & Chymiſta Germano uſum bom-
bardæ, prout nunc eſt, inventum vulga-
tumque eſſe. Aliàs ante hæc tempora
bombardæ etiam fuerunt in uſu. Nam
tempore Caroli M. *Cimoſcus Friſiæ Rex* (17)
ſclopeti ictu Hollandiæ Comitem cum duo-
bus filiis transverberavit. Et Rogerius Ba-
co, qui circa annum Chriſti MCCLXXXIV.
obiit, *pulveris pyrii meminit*. (18) Porrò *Nau-
clerus* (19) originem hujus machinæ ad tem-
pora Otthonis IV. & Innocentii III. Anno
MCCXIII. refert. Froſſardus etiam mentio-
nem facit bombardarum Anno MCCCXL.
& Anno MCCCLV. item *Petrarcha*, (20)
qui obiit Anno MCCCLXXIV. Hiſtoria i-
tem rerum geſtarum *Alphonſi XI. Caſtellæ
Regis docet*, (21) barbaros Anno Chriſti
MCCCXLIII. bombardas, informes tamen
(dolia namque ignivoma appellantur) *mul-
tis anteà ſeculis in bello uſurpaſſe*. (22) Ex qui-
bus colligere licet, bombardarum inventio-
nem non ita ſimpliciter, ut vulgò fit, adſcri-
bendam eſſe Bartholdo Schwartz; ſed *uſum
illum & perfectionem*, (23) vel potiùs imper-
fectionem, qualis hodie cernitur. *Illud ſanè
conſtat*, (24) Perſas, Chinenſium vicinos an-
te conflictum in Armenia cum Selimo Tur-
carum Imperatore habitum, de tormentis
æneis nihil vel fando accepiſſe, quæ ignoran-
tia in cauſa fuit, quòd Iſmaelis Sophi exerci-
tus à Turcis, qui in imperitos hujus rei ful-
minabant, victus fuerit.

Typographiam quod attinet, Hiſtoria
recens ait, in Inſulâ Chinâ, quæ à Scythis vel 29
Maſſagetis incolitur, libros reperiri, annis
quingentis impreſſos, ante uſurpatam in
Germania Typographiam. Sic enim fabu- 30
loſus & venalis Jovius *libr. 14. hiſtor.* ait:
Quod maximè mirandum videtur, in India
ſunt Typographi artifices, qui libros more
noſtro imprimant, quorum longiſſima folia
introrſus quadrata ſerie replicantur. Cui plu-
res exteri, Joannes Conſalvus *Mendoza*, (25)
& *Garzias ab Horto*, (26) nec non *Johannes
Petrus Maffejus* (27) unà cum *Hermanno Hu-
gone*, (28) *Petro Gregorio Tolozano* (29) *lib. 16.
de Republ. cap. 3. n. 22.* & *Nicolao Trigautio*,
(30) atq; B. Paludano & Guidon Pancirolo,
ſuccenturiati, artem hanc Typographi- 31
cam Sinenſibus authoribus tribuerunt. Sicu-
ti & Busbequius Cathainis *epiſt. 4.* Et avo-
rum jam tum memoria Pomponius Lætus
Germanos hoc invento fraudere malâ fide
voluit. Tametſi Herm. Hugo tandem dubita-
rit, an à Sinenſibus ad Germanos hæc ars dela-
ta ſit, an fortè apud Germanos divinâ quadã
ingeniorum ſimilitudine denuò ſit inventa?

Quantò meliùs iſtis calumniatoribus
Scaliger Pater *exercit. 99. §. 1.* Indis & Orien- 32
ti inventionem ſcientiarum, & dictaturam
artium detrahit, Europæis vel potiùs Ger-
manis eam aſſignans: Cujus nationis *inven-
tum* eſt Bombarda, *inquit*. Quis horologio-
rum momenta docuit? quis memoriæ ſta-
tuit æternitatẽ typis æneeis? Bombarda Jovis
iram imitati, horologiis temporum comites
genuimus rotarum circumactiones, tempus
ipſum librorum perpetuitate ſuperavimus;
& audes pretioſiſſima quæque Indis adſcri-
bere? Eadem *idem* quoque *in Epitaphio Ger-
manorum, qui ad Viennam bello Turcico cecide-
runt*, repetiit. Nec celavit Cælius Calcagni-
nus *fol. 551.* Multùm profectò Germaniæ, 33
illi maximæ orbis Chriſtiani parti, ſine ulla
ſuſpicione injuriæ debemus, quòd eminen-
tiſſima ad nos miſit ingenia, & ſeneſcenti
quodammodo Italiæ laudi ſuccreſcat, ad o-
mnem proventum optimarum artium fera-
ciſſima. Sed & officinam impreſſoriam, ty-
posque chalcographos tàm utiles ac neceſ-
ſarios rei literariæ, quorum adjumento
Reipublicæ facta ſunt ingenia, atque per
omnem latè orbem propagata, prima ex-
ercuit, atque aliis accommodavit Germa-
nia. Nec ejus ſanè culpa, ſi qui in perni-

ciem iis pariter, ut Bombardis abutantur: nec enim inventori hoc vitio verti poteſt, ſed utenti: Quando nihil eſt tàm ſanctè inſtitutum, quo ad noxam uti non poſſit improbitas. Quibus & tertius Italus Chriſtophorus Milæus *in conſilio hiſtoriæ Univerſitatis ſcribendæ pag. 269.* ſubſcribit: Res literaria (*inquit*) magnum incrementum accepit,
34 ſingulari characterum à Germanis uſu introducto, quo protinus librorum omnis generis maxima copia eſt proſeminata. Ut proinde cum Philippi Beroaldi Hendecaſyllabis Patriæ noſtræ meritò ſic debeamus acclamare:

O Germania, muneris repertrix,
Quo nil utilius dedit vetuſtas;
Libros ſcribere quæ doces premendo.

35 Et Udalricus Huttenus Eques Francus hoc Germanorum inventum elegantiſſimis olim verſibus illuſtravit in Idyll. de non degeneri ſtatu Germanorum:

— — — *Nos primi excudimus ære*
Et ſculptis manſura notis tot ſecla, tot annos,
Omne genus ſcripti, Vatum æternosq; labores.
Quæq; diu nemo perituris ſcribere chartis
Poſſet, & in multas ita paſſim ſpargere gentes.
Per nos una dies in mille volumina profert:
Quod tantum eſt, ut ſi cunctas perpenderis artes.
Itala quas acies, Latiumq; exercet acumen,
Invenias omnes has utilitate minores.
Nunc quisq; innumeros etiam de paupere turba,
Exiguo parat ære libros, & munere noſtro
Conſequitur decus ingenii, parvoq; labore.
Omnia vel per ſe, quæ longo addiſceret uſu,
Et vigili curâ, ſomnoq; carentibus horis,
Imbibit, hoc tantum eſt, ut quæ nunc omnia plenis
Sunt congeſta libris, ut quot nunc oppida doctos
Cuncta viros referunt: quot nulla ita barbara tellus,
Quin animum colat & fœcundis artibus ornet.
Solis deberi nobis nemo neget unquam.

36 Cæterùm tanta eſt inter Scriptores in Primo artis hujus Cadmeæ authore Germanico denominando varietas & diſcordia, ut hucusque de eo Hiſtorici certent, & adhuc ſub judice lis ſit. Jacobus Wimphelingius *in rer. Germanic. Epitome c. 65.* Et Polydorus Vergilius *de rer. inventorib. lib. 2. c. 7.* Idem Sabellicus *l. 6. Enneade 10.* quorum ætas paulò poſt tempus inventionis illius incidit, & ex his Gilb. Genebrard. Pariſienſis *lib. 2. Coſmographiæ p. 233.* ut & Alex. Sardus *de rerum inventorib. lib. 1. p. 5.* Melchior Guilandinus *de papyro memb. 26.* Thomas Garzon. *in amphitheatro univerſali artiū diſcurſ. 129.* Serarius *Mogunt. rer. libr. 1. c. 38.* JOANNEM GUTTENBERGIUM Argentinenſem *equeſtri virum dignitate,* (32) excogitaſſe hanc imprimendarum literarum artē A. MCCCCXL. (33) & *Moguntiæ* (34) compleviſſe volunt. Aliis verò omnibus Joannes Fauſtus inventor hic nuncupatur. Quo ipſo usq; adeò incertus redditus fuit Henricus Salmuthus, ut dubitarit, utrum idem cum Fauſto Guttenbergius, an diverſus ab eo fuerit? Sicut & Polydorus eundem vocavit, Petrum Fauſtum, generi nomen cum ſoceri cognomine, hoc eſt, Janum Fauſt cum Petro Schöffern / confundens, quem Petrum à Gernsheim alii de patria nuncuparunt, & eidem quoque tantæ rei inventionem aſſeruerunt. A quo Petro deinde ultra integrum ſæculum tàm familia, quàm typographia in urbe Moguntia fuit propagata.

Verùmenimverò hæ omnes diſcrepantes ſententiæ nomini Germanico nihil derogant, & quàm optimè ex Aventino *l. 7. annal.* conciliari & ad concordiā reduci poterunt: Quem, quòd multa notabilia contineant, non pigebit integrum attexere. Anno, qui eſt Chriſti M. CCCCL. (*Pontifice Nicolao V. & Friderico Cæſare*) magnum ac verè divinum beneficium Joannes Fauſtus Germanus, civis Moguntinus, generi humano contulit: novum ſcribendi genus haud dubiè cœlitùs revelatum (quod Chalcographiam excuſſoriam, impreſſoriamq; vocare ſolent) invenit & biennio complevit. Conſulit Pater indulgentiſſimus honeſtis literis, Authoribusq; præclaris, de quibus actum fuiſſet; ita torpore langueſcimus, adeò delicatuli ſumus, fugitantesq; laborū: tantum literarum uno menſe ab uno homine imprimitur, quantum uno anno à pluribus ſcriberetur. Hinc indies magis ingenia vigent, ſtudia literarum floreſcunt, copia librorum parvo ære egenis ſuppetit, omnes ad capeſſendas præclaras artes, tantâ librorum commoditate alliciuntur. Hoc cœleſtiſſimum munus à Fauſto & Petro Schœffer de Gernsheim, genero ſuo, cui unicam filiam ſuam Chriſtianā deſponderat, inter ſecreta, adactis omnib. ſociis ad ſilentii fidem jurisjurandi religione, habitum, decimo pòſt anno Fauſti miniſter, Joannes Guttenberger Argentoratenſis in Germania vulgavit. Municipes hujus Ulricus Han, hoc eſt, Gallus & Xyſtus Reſius Romæ, Italiæq; intulère, ubi hoc artificio, meâ memoriâ, Aldus ille Manutius, vir ad inſtaurandas literas natus, claruit. Nunc verò in Germania Baſileæ Joan. Frobenius; Hagenoiæ Thomas Anshelmus; Argentorati Matthias Schürerius; Moguntiaci Petrus Schöfferius, nepos ex filia authoris hujus inventi, alii item aliis Germaniæ civitatibus, quotquot ubiq; ante fuerunt, & adhuc ſunt, ſuperant, longoque intervallo poſt ſe relinquunt. Græca, Hebraica, Latina diligentiſſimè & quàm emendatiſſimè excundunt. Optimos quosq; authores, ſacros, prophanos in triplici lingua, Poëtas, Oratores, Hiſtoricos, Philoſophos, maximè religionis noſtræ priſcos Heroas certatim paſſimque reſtituunt, & periclitanti Reipublicæ

bliæ pro virili ſuppetias ferunt. *Hæc Aventin.*

Quod ſi verum eſt, uti de fide Germani Hiſtorici, & qui de re Germanica, in ſibi finitima civitate paulò ante tempora ſua per-
37 acta, quàm optimè teſtimonium perhibere poteſt, non eſt ambigendum; præſertim cùm & reliqui ſcriptores huic vel in eo ſubſcribant, quod *Guttenbergius* (35) Argentinas, aurifex nobilis, Moguntiæ demum artem hanc perfectè, (à Fauſto ſcilicet apprehenſam) compleverit, & magnis ſuis ſumptibus anno M. CCCC. XL. primùm publicarit; Sicuti poſt alios Sethus Calviſius *Chronolog. fol. 289.* atteſtatur. Nihil igitur mirum fuit, cur præ Fauſto ille Guttenbergius magis celebratus, illique inventio, quaſi ſoli & primo, in ſolidum fuerit vendicata: utpotè quòd hic cum proditoribus complicibus, ſociis ambobus illis & civibus ſuis, Ulrico Hahn & Xyſto Reiſio, (qui omnes erant Argentinenſes) Romam & Neapolim, velut ad præcipuas Famæ & Fortunæ officinas, opera operaſq; ſuas & formas librarias, tanquam rem inauditam, nec unquam Italis priùs viſam primi tranſtuliſſent, & ibidē ſtrenuè exercuiſſent, ingens decus & emolumentum illic conſecuti, ut prolixè narrat Wimpheling. *d. l.*

Germanis itaque hoc inventum attribuendum, non Sinenſibus vel Cathainis, qui fortaſſe ſimile quid conati fuerunt, quo-
38 rum labores rudiſſimos à Germanorum illis exquiſitiſſimis, non terrâ ſaltem diviſâ & maximo ſolo, ſed toto cœlo diſtare, in propatulo eſt. Quam ipſam manifeſtiſſimam veritatem Pet. Bertius Belga *in comment. rer. Germ. lib. 3. p. 613.* diffiteri non ampliùs potuit, ſed multis ſententiam noſtram confirmavit.

Riſum igitur, imò pœnam nobis meritò debebunt Belgæ cæteri cum ſuis non tam liberè, quàm malè dictis, nec ſine injuria noſtra prolatis, uti ſunt Caſparis Barlæi, *ſub perſona urbis Harlemenſis* (36) verſus:

39 *Invidet excuſas populoſa Moguntia Muſas,*
Quodq; meum eſt laudis, jactitat eſſe ſuæ.

Quorſum etiam tendit iſta aureis literis ad exterius domûs Coſterianæ in foro Harlemenſi extantis faſtigium, non ita pridem appicta inſcriptio:

MEMORIÆ. SACRUM.
TYPOGRAPHIA.
ARS. ARTIUM. OMNIUM
CONSERVATRIX.
HIC. PRIMUN. INVENTA.
CIRCA. AN. cIↄ CCCCXL.

Cui ſtatim ſubjectum ſimile ſuperiori, Epigramma Scriverianum:

Vana quid Archetypos, & prela Moguntia jactas?
Harlemi Archetypos, prelaq; nata ſcias.
Extulit hîc monſtrante Deo Laurentius *arte,*
Diſſimulare virum hunc, diſſimulare Deum eſt. P. S.

Et illud Marci Zuerii Boxhornii *in Theatro Hollandiæ, fol. mihi 141.*

Vana quid Harlemis indicis prælia prælis?
Iſta parant jugulo vimq; necemq; tuo:
Siſte precor. Batavum felicia præla typosq;
Ni taceas, acreis experiêre magis.

Mirum verò, *Scriveri*, fuerit, quòd non 40
Deum feceris, aut Apollinem lauro delectatum iſtum tuum Laurentium? Sed profectò falleris cum Patriotæ tui ἀποθεώσει; non enim Deus ille ſalutari meret, qui, ut alibi dicis, tantùm ædituus fuerit.

Jam (pergis) *veri Cuſtodis erat ſervare penates,*
Adfuit Autolyci ſed ſcelerata manus.

Nequaquam verò *Cuſtos* ille major erat, aut plus juris habebat, quàm *Myſta*; neque hunc ille à ſacris rejicere poterat, niſi fortaſſis ut canis in præſepe pabulum, quo ipſe ſaturari neſciviſſet, aliis invidere, aut *Gryphis Indici* inſtar (quem Chalcographi pro inſigni habent) homines auro uſuros ſtudioſè arcere debuiſſet. Sicuti nec furis aut plagiarii ſtigmate dignus, qui publicæ utilitatis causâ rem in- 41
juſtè detentam aliunde cœperit, eamque meliorem redditam, libertate donaverit. Sed hæc inſolentia, vel potiùs barbaries Belgis valdè ſolemnis, & hoc vitium inſectandi alios iis veluti peculiare eſt, quibus præter gentiles ſuos aut cives & municipes cæteræ omnes ſordent nationes, (uti Cæſar Scaliger de moribus ipſorum à ſe exploratis teſtatus, vel potiùs deteſtatus eſt *Declamat. contra Eraſmum*) & ſibi ſolis pro innata ſua dominandi libidine & ambitione vindicant.

Quicquid ſit, non inconcinnè Chriſtoph. Beſold. *diſſert. de Typographiâ, quæ eſt in tractatu de arte jureq; belli*, autumat, huc accommodari poſſe illud *Ariſtotelis* pronunciatum; *nihil prohibet, eaſdem artes, à diverſis, vel eodem, vel etiam diverſo tempore, citra ullam communicationem inveniri.* Et faciliùs ſemper fuit ingenioſis hominibus, ad res præclaras inveniendas natis, ex rudimento progredi ulteriùs, & ad conceptam animo perfectionem ſuperatis impedimentis eniti; quàm protinus conſummata omnia reddere, & primo actu abſoluta. Nihil enim ſimul & cœptum eſt & perfectum; ſed per intervalla creverunt artes.

Nemo tamen univerſo orbe characteres inventos ita excoluit, ut Aldus Manutius, è 42
cujus officinâ Græci ac Latini Scriptores totâ Europâ diffuſi ſunt, ut poſt Aventinum, aliosque Mylæus *in hiſtoria Univerſitatis p. 270.* affirmat. Et Thuanus *l. 59. & hiſtor.* eam ob rem *de Manutiana familia honorificentiſſimè ſenſit*, (37) *l.* verò *25.* ei plus debere Chriſtianū orbem cenſuit, quàm cuiquam fortiſſimorum belli Ducum ob propagatos fines, patria unquam debere poſſit. Sicuti & Beza in Juvenilibus, Aldum Manutium Deum vocavit.

Ipſis

Ipſis qui potuit ſuo labore
43 *Vitam reddere mortuis Poëtis,*
Qui vitam dare mortuis ſolebant.(38)

Certè Typographia tempori cuncta abli-
gurienti, & ſub mortalitatis jugum tra-
henti, frænum injecit: illaque verè eſt
ars memoriæ, & mors oblivionis, & inge-
niorum aſylum, nec minùs quàm Philonis
alexipharmaca, Deorum manus & munus,
imò ipſa, cum mortuos in vitam revocet,
omninò Diva eſt. Germaniæ miracu-
lum optimum maximum, quod toti Orbi
commune, viam ad virtutum & doctrina-
44 rum myſteria, ad Religionem, ad Cœlum,
ad Chriſtum ipſum Salvatorem noſtrum
communiat. Eſt ea Lydius veluti Lapis,
aurum à plumbo, æra lupinis, album ab a-
tro, verum à falſo, bonum à malo diſcer-
nens. Eſt annulus quidam Angelicæ, cun-
cta veterum Philoſophorum, nube plerum-
45 que nugas ſuas obſcurantium, incantamen-
ta revelans atque confundens. Hæc ipſa
vera eſt Fortunæ & Famæ officina, perſo-
nis meritiſſimis nomen, dignitates, opes,
immortalitatem, æternitatemque conci-
lians; indignis & vitioſis ignominiam, con-
temptum, egeſtatem, obſcuritatem & ob-
livionem, mortemque non modò civilem
ſed perpetuam objiciens, & in profundam
terræ noctem eos penitùs abjiciens. Ho-
ſpitium ampliſſimum eſt admirandorum
& divinorum ingeniorum; Receptus eſt
Spirituum acutiſſimorum; Diverticulum
eſt commune & perenne Theologorum,
ICtorum, Senatorum, Medicorum, Phi-
loſophorum, Hiſtoricorum, Academico-
rum, Scholaſticorum; breviter: Omnis
boni & pulchri, quod in Urbe & Orbe
reperiri poteſt: Cujus unius artis beneficio
innumeræ nunc artes proſtant, conſervan-
tur, illuſtrantur, propagantur, quibus pri- 46
ora ſæcula infelicia minitabantur interi-
tum. Nunc enim vel mediocris fortunæ
homo, vili pretio Bibliothecam plurimis
libris inſtructiſſimam habere poteſt, qualis
olim ne Regi aut Principi conceſſa fuit.
Unde & Sebaſtiani Brands JCti Epigram-
ma in Chalcographiam olim emanavit:

Nuper ab ingenio Rhenanæ gentis & arte
Librorum emerſit copia larga nimis.
Et qui divitibus vix Regi obvenerat olim,
Nunc liber in tenui cernitur eſſe caſa.
Gratia DIs primùm, mox Impreſſoribus æquè
Gratia, quorum operâ hæc prima reperta via
eſt.
Quæ doctos latuit Græcos, Italosq; peritos,
Ars nova Germano venit ab ingenio.

Cui congruit & illud *Cardani*: Mira
certè ars, *inquit*, qua MM. chartarum unâ 47
die conficiuntur. Nec facilè eſt judicare,
an in tanta facilitate, ac celeritate pulchritu-
do? an in tanta pulchritudine celeritas & faci-
litas ſit admirabilior? Idem Polyhiſtor egre-
gius alibi *lib. 17. de artibus, artificioſisq; reb.*
eandem excudendorum librorum artem,
nulli alii, nec utilitate, nec dignitate, nec
ſubtilitate, ſecundam exiſtimavit; Bodinus 48
verò *in methodo hiſtor. cap. 7.* etiam primam:
utpote, quæ unà cum omnibus omnium ve-
terum vel Muſarum quoq; inventis certet, &
rerum naturæ ferè munificentiam ſuperet,
nulli vitæ miraculo juxta Forcatulum *lib. 4.*
de Imperio & Philoſoph. Gallorũ. poſtponen-
da. Quemadmodum & Chaſſanæus *part. II.*
Catalogi glor. mundi conſiderat. 39. inter
artifices præferri ſcripſit Chalcographos

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT XIX.

Num. 1.

(1) R*Egum Chinenſium &c.*] Martinio, *lib. 6. Hiſt. Sin. pag. 195.* admodùm probabile videtur, non apud Indos modò, verùm apud exteras etiam nationes SINARUM nomen ab imperante Familia CINA fluxiſſe, ut SINARUM ſeu CINARUM potiùs appellaretur Imperium. Iſtorum namque Regum tempore primùm CINARUM nomen famaque pervenit ad exteras gentes, ad Indos præcipuè, apud quos poſtmodùm hæſit, & ab illis accepêre ſubactâ Indiâ Luſitani. Hæc enim CINA familia in maximâ Sinarum ad Occidentem vergentium parte regnabat; imò cum exteris gentibus bellum geſſit. Fixâ dein ibidem Imperii ſede CINICUM dicebatur imperium. Poſtea verò quàm ad rerum humanarum culmen evaſit, multò plura externis bella fecit. Unde nil mirum, ſi CINICÆ appellationis usq; apud eos invaluit. Notandum verò dicit, primam literam C non Italorum, ſed Hiſpanorum vel Germanorum more pronunciandam, ita ut ſcriptum CIN per Z aſperiore ſono prodeat è gutture.

Num. 2.

(2) *Quo primus Rex Vitey regnaſſe dicitur &c.*] Et in hoc quidem D. Klockius, cum Authore Gallico D. T. V. Y. libri dicti *Les Eſtats, Empires, & Principautez du Monde pag. 1587. aut ut nunc inſcriptus iterum prodiit ille liber, Novueau Theatre du Monde p. 1118. n. 41.* ejusq; Interprete Gotofredo, *in Archontologia Coſmicæ ſpecialis modernæ lib. 2. pag. 201.* atque aliis ſequi videtur Joſephum Scaligerum, qui omnium Regum Chinenſium primum vocat VITEY. Sed ferè dubitare cogor, annon, ſalvis manibus tanti viri, majorē fidem mereatur Martinus Martinius Jeſuita, qui longo tempore in iſtis terris moratus, & ex moleſtiſſimis Sinicis characteribus res Sinenſium conſcripſit, hic planè alios, quàm ſuprà citati Authores, recenſet Reges ſive Imperatores in elegantiſſimâ ſuâ Decade Hiſtoriæ Sinenſis, vocatque primum Imperatorem ſive Regem FOHIUM, ſive, ut Author artificiorum & mirandorum in Sinâ & Europâ *c. 47.* illum appellat, FOLY, què Sinenſes Imperium auſpicatum fuiſſe Anno ante vulgarem Chriſti Epocham

cham 2952. regnaſſe verò annis 115. dicunt. II. XINNUNGUM, ſive, ut d. A. artif. & mirand. HNNUNGUM, qui annis 140. Imperium tenuit III HOANTIUM, qui ſolium aſcendit ante Chriſtum Anno 2697. & annis centum imperavit. Et ab hoc omnes Sinarum Reges *Hoangtii* communi appellatione, quemadmodum apud nos à primo Cæſare Cæſares dicuntur. IV. XAOHAUUM, qui Anno ante N. C. 2597. ab Hoangtio patre imperium per manus accepit, & annis. 84. tenuit. V. CHUENHOJUM, ſive CHUENHAUM Hoangti ex fratre nepos, qui imperium adeptus eſt Anno ante N. C. 2513. & regnavit 78. annis VI. COUM, qui Anno ante N. C. 2435. cœpit imperare, detruſusque fuit de ſolio, & in exilium miſus Anno Imperii nono. VII. YAUM nominat, qui eodem quo de gubernaculis detruſus fuerat Cous Anno ad navem reipublicæ gubernandam admotus fuit, perque Annos 90. optimè præfuit, hic vivus ſemet imperio abdicavit, atq; raro exemplo, præteritis filiis ſuis, etſi nec degeneribus, nec vulgò ingratis imperium Anno ante N. C. 2258. in XUMUM tranſtulit. Et ſub hoc Imperatore demum, magna eluvie aquarum Sinas inundatas memorant eorum Annales, de quo Diluvio laudatus Martinius *in Dec. I. Hiſt. Sin. lib. 1. pag. 26.* conſulendus erit. Ex quibus colligere licet, ſententiam Authoris noſtri, non usquequaq; à Sinenſibus album mereri calculum. Quemvis enim facilè ambabus manibus largiatur, omnis gentis Hiſtoriam ad tempora usque diluvii Noetici, vel confictam fuiſſe, vel ea narrare, quæ ante eluviem contigêre, quorum in arca fortaſſe ſervata memoria; Attamen Sinis hæc talia perſuaſa velle, temerarium (*ſic cenſente Martinio Hiſt. Sin. lib. 1. pag. 27.*) foret, quippe qui ſcriptorum ſuorum fidem, oraculi vicem tenere, putant, & ab eo, quod ſemel credidêre, dimoveri ſe difficulter patiuntur. De Regibus cæteris videri poterit laudatus in laudato opere Hiſtoriæ Sinicæ Author Martinius. Nunc à Tartaris Sina ſubjugata, & ultimum ex gente ſua Regem videns Zunchi ſive Zunchinium victoribus paret, eique hoc tempore Anno nempe MDCLX. & quod excurrit Xunchi, qui anno ætatis VI. Imperator proclamatus A. MDCLI. coronatus fuit Imperar. vid. Martinium *de Bello Tartarico* & D. Nieuhoff *circa finem cap. 15. Operis ſæpe laudati.*

(3) *Regni hujus potentia defenſioni magis &c.*] Damnant enim ex Philoſophorum ſuorum doctrinâ maximè bellum, & ſolùm ſuſcipiendum cenſet, cùm reliqua omnia ad quietem & conſervationem Provinciarum deſunt. Ut hinc haud indecorum ſibi credant Sinæ, hoſtibus ſuis pace initâ tributum vel dona transmittere. uti d. Martinius in libello *de Bello Tartarico* docet.

(4) *Et ſanè cùm ipſi feliciſſima regione potiantur &c.*] Vide Boterum *in Politiâ Regiâ de Rege Chinæ pag. 118.*

Num. 8.

(5) *Eum LXX. milliones annorum excedere &c.*] Inque eâ ſententiâ eſt Boterus *d. loc.* Martinius verò in *Atlante Sinico*; atq; Author admirand. Sinæ & Europæ *c. 5.* Ex Libris cenſus Sinici ſecundùm Provinciarum numerū numerant I. PEKING 418989. familias: 3452254. viros, exceptis excipiendis. Scilicet regii ſanguinis familiâ, magiſtratibus, Eunuchis, militibus, ſacrificulis, mulieribus, pueris. II. in XADSI 589959. familias: 5084015. viros. III. in XENSI 831051. familias: 3934176. vires. IV. in XANTUNG 770555. familias: 6759675. viros. V. in HONAN 589296. familias: 5106270. viros. VI. in SUCHUEN 464129. familias: 2204170. viros. VII. in HUQUANG 531686. familias: 4833590. viros. VIII. in KIANGSI 1363629. familias: 6549800. viros. IX. in KIANGNAN vulgò NANKING 1969816. familias: 9967429. viros. X. in CHEKIANG 1242135. familias: 4525470. viros. XI. in FOKIEN 509200. familias: 1802677. viros. XII. in QUANGTUNG 483360. familias: 1978022. viros. XIII. in QUAMSI 186719. familias: 1054790. viros. XIV. in QUEICHEU 45305. familias: 231365. viros XV. in JUNNAN 132958. familias: 1433110. viros in ſummâ Millio, viginti octo millia, ſeptingenta, octoginta & ſeptem familiarum; 10028787. quinquaginta tria milliones, ſeptingenta & triginta millia, ſexaginta & duodecim virorum. 53,730,612. ſive ut idem Martinius *in præfatione d. Atlantis*, ex iisdem libris Sinicis & poſt illum D. Johann. Nieuhof. *in deſcriptione Legationis Batavicæ*, ad Sinas, editionis Germ. pag. 11. refert, ſunt ad quinquaginta octo milliones, nongenta & quaduordecim millia, ducenta, octoginta & quatuor, 58,914,284. Hinc non adeò mirandum putant, ſi quis Sinam ducentos hominum milliones continere dicat: aut quod Luſitani ſub initium acceſſus ſubinde rogare quosdam ſoliti fuerint, num mulieres ibi quinque vel decem uno ederent partu.

Num. 9.

(6) *Sunt, qui ad CL. milliones &c.*] Huic planè concordat Martinius ſæpè laudatus *in ſuo Atlante in præfat. p. 12.* ita ſcribens: Nemo vel pedem terræ poſſidet, ex quo tributū Regi non pendat, unde nil mirum tantos illum habere reditus annuos, ut præter expenſas publicas Regulorum, præfectorum, ac militum, tamen ultra LX. milliones ſcutatorum quotannis in regiam deferantur, adeò ut ſumma omnium ad CL. ſcutatorum milliones facilè pertingat: ex iis tamen nihil Regi pro lubitu inſumere licet, at in ærarium publicum omnia congeruntur, cum opus, à præfectis ærarii ſcripto petit Rex, & nunquam non, quod petit, obtinet: quod ipſum & D. Nieuhof *loco citato p. 11.* repetit. Alii tamen ut D. T. U. Y. *en Theatre du Monde pag. 1192. num. 2.* Ejusque Interpres Gotofredus *in Archont. Coſm. ſpec. modern. lib. 2. pag. 202. num. 23.* (quem aliàs ſecutus fuit Author noſter,) reditus hujus regni non ultra XXVI. milliones auri quotannis extendant.

Num. 12.

(7) *Porcellana &c.*] De Porcellanis ita Pancirollus *lib. 2. Tit. 11. rer. nov. repert.* ſcribit: Superioribus ſeculis nunquam viſæ fuerunt *Porcellanæ.* Sunt autem maſſa quædam, ex gypſo, ovo trito, putamine locuſtæ marinæ, & aliis ſpeciebus compoſita; quæ ſi probè ſtipata & denſata fuerit, ſub terra in locum aliquem ſecretiorem reconditur, quem pater Liberis ſuis (alios enim hunc ſcire non vult) deſignat. Atque ibi octoginta annos manet recondita. Quo tempore elapſo filii vel nepotes eam eruunt, eaque rurſum ſubactâ, & ad elaborandum idoneâ redditâ, pretioſa illa vaſa conficiunt, aſpectu pulcherrima & tralucentia, nec non formâ & colore, quo Architecti illi volunt, conſpicua. &c. Sed aliam Porcellanarum deſcriptionem exhibet ex Mendoſa atque Joh Hug. à Linſchoten Salmuth *in commentariis ad eundem*, & magis veriorem, utpote à viris exhibitam, qui ipſimet florentiſſimum hoc regnum perluſtrando, in rem præſen-

ſentem venerunt, & vaſorum illorum materiam oculis ſuis contemplati fuerunt. Cum quibus conveniunt, quæ diligentiſſimus rerum Sinenſium Scriptor & oculatus teſtis Martinius *in Atlante ſuo in deſcriptione provinciæ Kiangſi, urbis Jaocheu. pag. 86. 87.* & ex eo Athanaſ. Kircherus *in China Illuſtr. lib. 2. cap. 208.* tradit. Urbem Jaocheu, in provinciâ Kiangſi, *inquit*, maximè commendat elaboratio ac copia ſcutellarum Sinenſium, quas PORCELLANAS, neſcio unde petito nomine, vocant, & nullibi in toto regno faciunt præſtantiores quàm in pago *Feuleang* Civitatis. Licet enim alibi terram, ex quâ fortè confici poſſint, habeant, nullo tamen modo ad iſta accedunt. Imò, quod admiratione dignum, terram, ex quâ eas efformant, non ex hujus provinciæ ſolo hauriunt, ſed ex *Kiangnan* provinciæ urbe *Hoiecheu* advectam accipiunt: neque ibi, licet tanta illius adſit terræ copia, ullo modo eas effingere queunt. Sunt, qui id aquarum temperaturæ adſcribant. Ex hoc ergò hujus urbis pago, omnes ſcutellæ illæ, ac vaſa Sinenſium ſunt, quæ à ruſticis rudibusq; hominibus figlinâ arte elaborantur, eodem modo, quo Faënſes in Italiâ Coloris varii ſunt, licet omnes ex ſubtiliſſimâ illâ argillâ, ac aliquantulum diaphanâ conſtent; quæ colore illinuntur croceo, variisque draconum figuris illuſtæ ſunt, regio deſtinantur palatio; pro vulgo fiunt rubræ, luteæ ac cæruleo colore, ad quem effingendum glaſtum à Sinis adhiberi ſolet, quod ibi magnâ reperitur copiâ, præcipuè in Auſtralibus Provinciis, quo etiam ad tingendas veſtes utuntur: quàm verò rara ac præclara vaſa hîc fiant, longum eſſet referre; nullam formam, nullum florem figurámve pinges, qui non eandem ex procellana argilla apud illos admittat; quanta verò horum vaſorum ſit copia, facilè quivis colliget ex eâ, quam quotidie videmus in Europâ noſtrâ; ac miror, unde hic increbuerit rumor, ex ovorum teſtis, aut contuſis conchulis marinis præparari hanc materiam, idque ex relatione quorundam centum annorum ſpatio repoſitum ab ovis pro ſucceſſuris nepotibus: planè rerum gnaris ridicula ſunt hæc & merè commentitia. Namque omnia ex terrâ, quæ ad hunc pagum ex urbe vicina Hoeicheu advehitur, figlina arte fiunt; terra autem illa non pinguis aut creta eſt, ſed veluti arenula pellucida, quam macerant, & adſperſâ aquâ in maſſam cogunt, quin & ex fractis vaſculis denuò fruſta comminuunt, atque iterum nova vaſa efformant, ſed hæc ad priorum vix accedunt nitorem, aut pulchritudinem. &c. Vide & Dominum Nieuhof. *loco citato pag. 95. ſeqq.*

(8) *Moſchusq; &c.*] De Muſcho ita Martinius *in Atlante ſub Provincia Xenſi p. 44.* At ne diutiùs, quòd Muſchus ſit, quiſpiã hærere poſſit, dicam ipſe plus vice ſimplici teſtis oculatus. Tuber ſeu exuperantia quædam ad umbilicum animalis eſt, parvum marſupium referens, ſubtili pelliculâ ac ſubtiliſſimis pilis veſtita conſtans. Animal ipſum Sinæ *Xe* vocant, inde *Xehiang*, hoc eſt animalis *Xe* odor, ſeu fragrantia, quod muſchum ſignificat, quadrupes eſt, exili cervulo non abſimile, pilo paulò magis nigreſcente, cornuum omnino expers eſt, caro occiſi etiam pro cibo adhibetur à Sinis: in hac Provincia, prætereaque in Suchuen, Yunnam, locisque illic ad Occaſum viciniori bus ingens Muſchi reperitur copia. Tubera illa ſeu marſupia ſi ſincera ſunt, minimeque adulterata, præſtantiſſima ſunt, adeòque vehementis odoris, ut organum ipſum, ſicut & Zybethus pura, omniſque lux aut ſonus æquo vehementior aures, aut oculos, oderatum offendant: at verſipelles Mercatores ex ſanguine, pellibus, aliiſque animalis exuviis muſcho additis, marſupia, quæ pellis animalis ſubminiſtrat, infarciunt, ac tanquam vera ac genuina venditant. Plura de Muſcho vide apud Salmuth *in Comment. ad Pancirollum rer. nov. repert. lib. 2. tit. 1.* ubi ex Scaligero rationem colligendi Muſchi tradit, & alium adulterandi Muſchi, corruptique & odoris expertis reſtituendi modum monſtrat; Athanaſium Kircherum *in China illuſtrata lib. 2. cap. 7.* Dn. Nieuhof. *d. loco pag. 13. & in generali hujus regni deſcript. pag. 351.* Schottum *Phyſic. curioſæ lib. 8. cap. 21. §. 8. cap. 54.* ex quo apparebit, etiam Provinciarum nomina, planè ab Authoris appellatione diverſa exiſtere.

Num. 14.

(9) *Sed ad Provincias ipſas veniamus &c.*] De numero Habitatorum nos in ſuperioribus ad num. 8. egimus. Numerus autem virorum in Sina tributariorum abſque ullo ferè labore juxta Sinicas Leges facillimè ſubducitur. Quilibet enim paterfamilias ſub gravi pœnâ tenetur tabellam ex portâ majori domûs ſuſpendere, in qua habitantium numerus conditioneſque, qui qualeſque ſint, exprimuntur. Singulis autem decem domibus aſſignatus eſt Decurio, *Tifang* vocant, cui incumbit numerum hunc colligere, ac ſi quid peccatum fuerit in cenſu, urbis admonere præfectos. Hæc ſeveriùs turbatis rebus ſervantur, adeò ut neminem omninò admittere liceat, cujus non expreſſum ſit nomen, ſi diutiusculè ibi hæreat. Sic docente Martinio homine his in terris, uti ex ſcriptis illius patet, verſatiſſimo, *in Atlante ſuo Sinico in præf. pag. 5.*

(10) *Auri puri ſive Obryzi dantur ei milliones CCLVI. millia &c.*] Sequitur hîc iterum Klockius Gotofredum *in Archontologiâ Coſmica à numero inde 13. de verbo ad verbum;* nos, quò clariùs fiat, quid quælibet Provincia pendat, rationes ex Martinio ſæpe laudato & ex judicio Doctiorum ut inter ultimos ita antiquioribus, qui de Regno Sinæ ſcripſerunt, anteferendo. Tributum igitur, quod I. Provincia *Peking* ex oryza, milio, vel tritico pendet, eſt 601. 153. ſaccorum non laboratæ byſſi libræ (*quarum ſinguli viginti unciarum ſunt*) 224. ex ſerico confecto 45135. Goſſipii libræ 13748. Straminis ſeu fœni faſces, ad equos regios alendos 8737. 284. Salis pondera, quorum quodlibet centum viginti quatuor libras continet, 180. 870. ut omittam reliquum vectigal, quod ex pecunia & teloniis prodit. II. *Xanſi* tributum tritici vel milii eſt ſaccorum 2274022. byſſi libras ſolvit 50. ſericos pannos jam confectos omnis generis 4770. Straminis aut fœni faſces pro equis Regiis alendis 3544850. ſalis pondera 420000, atque hæc quoque omnia numerantur præter teloniorum reditus. III. *Xenſi* pro tributo ordinario ſolvit tritici miliive ſaccos 192. 9057. byſſi libras 360. ſerici confecti omnis generis 9218. goſſipii 17172. panni goſſipini 12, 8770. pro equis regiis fœni faſces 151. 4749. demptis teloniorum aliarúmve

aliarúmve rerum ſingularium plurimis vectigalibus ac reditibus. IV. *Xantung*, Tributum milii, oryzæ & tritici eſt ſaccorum 281.2119. Serici confecti volumina ſolvit 54, 990. Goſſipii libras 52, 449. ſtraminis ac fœni faſces 3, 824, 290. præter vectigalia teloniorum, quorum tria habet in fluvio Jun, per quod omnes naves Peking tendunt: etenim tametſi mercium pertranſeuntium tributum, ſeu portorium non admodùm magnum ſit, ſed leve potiùs ac exiguum, tanta tamen earum eſt varietas ac copia, ut Martinius ipſemet à Præfectis audiviſſe ſe teſtetur, aſcendere illud ad decem milliones, ſeu centies centena aureorum millia, præter id, quod clanculum ſibi inde Præfecti ſurripere ac in rem ſuam convertere norunt. V. *Honan* Tributum tritici vel oryzæ eſt ſaccorum 2414477. byſſi non laboratæ libras ſolvit 23509. ſerica confecta varii generis 9959. pannos ex goſſipio, quibus tamen non ita abundat, 341. faſces fœni pro pabulo equorum regiorum 2288744. VI. *Suchuen* oryzæ tributum eſt ſaccorum 6106, 660. Serici confecti, infectique libras dat 6339. goſſipii 74851. ſalis pondera 149177. præter vectigal, quod duo in hac Provinciâ colligunt telonia. VII. *Huquang* Tributum oryzæ eſt ſaccorum 2167, 559. confecti ſerici volumina tribuit 17, 977. VIII. *Kiangſi* Tributum oryzæ, quod pendit, eſt ſaccorum 161, 6600. Serici non laborati libras ſolvit 8230. ſerica confecta volumina 11516, quibus reliquarum rerum ac teloniorum vectigalia non adſcribuntur. IX. *Kiangnan* oryzæ tributum excedit ſaccos 599, 5034. ſerici non laborati ſive fili tantùm libras ſolvit 6863. pannos ſericos confectos omnis generis 28, 452. ex cannabi telæ textæ volumina 2077. pro tributo goſſipino argentum ſtatutum; quod faciat ſummam ducentorum & quinquaginta millium ducatorum, ſtraminis autem ſeu fœni faſces ad equos regios alendos 580, 4257; ſalis pondera 705100. addit Martinius audiiſſe ſe à Tributorum Præfecto, hanc unam Provinciam conferre quotannis in ærarium Imperatoris, omnibus ſupputatis, ad triginta duos millioncs ducatorum. X. *Chekiang* oryzæ tributum eſt ſaccorum 2, 510, 299; byſſi ſeu ſerici infecti libras pendit 370, 466. ſerici confecti volumina 2574, præterea quater in anno naves regiæ ingentes *Lungychuen* dictæ, ſingulari artificio elaboratis ſericis onuſtæ in regiam tendunt: hæc ſerica auro, argento, imò & avium diſcoloribus pennis, draconibusque rarâ arte intertextis, miràque colorum varietate conficiuntur; illorum uſu cæteris interdicto, Imperatori ſoli ac regiis ſerviunt, aut cui ille ex ſingulari privilegio conceſſerit, ut apud nos variorum Ordinum cruces aut inſignia geſtantur; fœni aut ſtraminis faſces tribuit 870, 4491. ſalis pondera 444, 769. præter communia duorum teloniorum vectigalia, quæ in metropoli hujus Provinciæ ſunt. Et quindecim milliones coronatorum ſeu decies quinies centies centena aureorum millia ſuperare dicuntur. XI. *Fokien* oryzæ tributum eſt ſaccorum 88, 3115; byſſi libras ſolvit 194; ſerici confecti volumina 600. maximum tamen tributum eſt ex navibus, ſolvitur enim pro cujusque capacitate ac magnitudine, nec aliud in hac Provinciâ telonium eſt. XII. *Quangtung* tributum oryzæ, quod pendit, eſt ſaccorum 1017, 772. ſalis pondera 37380. quibus telonii ac navium tributa adſcripta non ſunt. XIII. *Quangſi* oryzæ tributum eſt ſaccorum 431359. XIV. *Queicheu* oryzæ tributum non excedit ſaccos 47658. pannos ex cannabe atque herbis textos ſolvit 5900. XV. *Junnan* Oryzæ tributum eſt ſaccorum 1400, 568. ſalis pondera pendit 56965; præter innumera alia mercium, agrorumque tributa. Quæ tributa unà falce collecta ſic recenſet Author *artif. homin. & mirand. naturæ in Sinâ & Europâ cap. 4.* Pendunt provinciæ annuatim 32207445. ſaccos oryzæ, quorum ſinguli ſufficiunt centum hominibus in diem unam. Byſſi crudæ 409949. libras, ubi ſingulæ 20. faciunt uncias Europæas, itaque 512436. libras pannorum ex cannabe & herbis 7977. volumina: goſſipii verò 630550. vol. confecti ſerici 191530. volum. Sed urbs Hucheu tributum hoc quingentis aureorum millibus annuatim redimit. Salis 1594261. pondera, quorum quodlibet eſt 124. librarum, in univerſum 187688364. libras: Faſces fœni aut ſtraminis pro regiis equis 32418625. præter vectigalia & portoria. Vide & Dn. Nieuhof. in deſcript. Legationis Batavicæ ad Sinas pag. 11. qui aliquantum in numeris variat.

Num. 20. & 21.

(11) *Ad fines Tartariæ murum &c.* Murum illum Sinarum ſic deſcribit Martinius *in Atlante Sin. in præfat. pag. 15.* Exciderat mihi tumultuariè hæc in chartam conjicienti magnus ille totque Scriptorum monumentis inclytus, & ætatis noſtræ ac ſuperioris maximâ exceptus admiratione, æternâque dignus memoriâ, magnus inquam ille Sinarum murus: cujus celebris quidem, ſed adhuc admodùm obſcura, uti video, apud Europæos fama eſt; is non unam, ſed quatuor omninò Provincias ambitu ſuo cingit, quamquam mihi quidem de nimia ejus hactenus exiſtimata longitudine ſemper aliquid demendum viſum eſt. Nec enim, quòd trecentas Germanicas leucas ſuperet, invenio, ex quibus XV. uni gradui pares: tota enim illius longitudo à Sinu maris, in quem *Yalo* fluvius ex Tartaria Orientali influit, ad usque *Kin* Civitatis montes prope ripas *Crocei* fluvii non excedit gradus viginti, licet illud, quod deeſſe ob parallelorum coarctationem videtur, abundè ſuâ inflexione & curvitate compenſet: nusquam interrupta illius continua ſeries, præterquam ad Boreales partes urbis Siuen Provinciæ Peking, ubi exiguum ſpatium tenent horridi & inacceſſi montes, qui firmiſſimum murum nectunt, & ubi Croceum fluvium ad ſe & fauces admittit, reliqua flumina minora, ab exteris ſubingredientur regionibus arcubus hinc inde, fornicibusque ſuperſtructis ad inſtar pontis, admittit. Cætera totus ſibi conſtans, ac ferè uniformis non per planiciem modò, quæ in his partibus rarior eſt, nec per montium crepidines tantùm, ſed & quà ipſos montes tranſcendit: certis intervallis altiores habet turres, portas etiam quasdam ad exeundum, ubi neceſſitas poſtulat, & illis vicina caſtella munitisſima, tum ad muri cuſtodiam, tum ad militum habitationem aptè diſpoſita, ut in mappis videre eſt: habuit enim, aluitque ad ejus cuſtodiam, quà longè ab Ortu in Occaſum pa-

tet, Imperator Sinicus haud minùs quàm millionem, ut vocant, militum, ſeu decies centena millia. Muri altitudo triginta Sinenſium cubitorum (*quorum quilibet, ſupputante Authore admir. & artif. Sinæ & Europæ, cap. 3. facit pedem architecturæ: paſſus habet ſex cubitos, pertica decem; ſtadium numerat 360. paſſus &c.*) eſt; latitudo duodecim & ſæpius quindecim, (*ita ut teſte Martinio in dec. I. Hiſtor. Sin. lib. 6. ſenos ſimul & octenos etiam equites capiat, nullo extra orbitam labendi periculo;*) Sinæ quidem *Vanli Ching* vulgò dicunt, hoc eſt, decem millium ſtadiorum mœnia, quo numero non veram, ſed ingentem, ac prodigioſam muri longitudinem denotant: cùm enim ducenta, & quinquaginta Sinica ſtadia gradum unum Æquatoris conſtituant, extenderetur illius longitudo ad gradus omninò quadraginta, qui longius ſpatium occupant, quàm tota hæc extrema Aſia in longitudinem excurrat. Inchoavit hoc opus Xius Imperator Cinæ Imperialis familiæ auctor, qui Sinicos Imperatores omnes & operum magnitudine & rerum geſtarum ac bellicâ gloriâ, vel æquavit, vel ſuperavit. Hic poſtquam totam jam Sinam, devictâ Chevâ familiâ, ſuo ſubjeciſſet imperio, ex Regulo factus Imperator Tartaros ipſos multis magniſque cladibus afflixit: ut autem futuras eorum in poſterum in ipſam Sinam irruptiones reprimeret, planèque impediret, murum hunc magnum exſtruxit, quo tanquam continuis mœnibus arceantur Tartari. Aggreſſus eſt opus anno ſecundo ſui Imperii ſupra vigeſimum, qui fuit ante Chriſtum natum ducenteſimus decimus quintus, & quinque annis totam abſolvit fabricam incredibili hominum adlaborantium multitudine: nam ex denis tres viros adeſſe per totam Sinam delectu habito voluit. Variis in partibus regni exſtructio cœpta, & quinquennii ſpatio incredibili velocitate abſoluta, tantâ operis firmitate ac ſoliditate ex meris ſcilicet ſilicibus, lapidibusque, ut ſicubi clavus infigi poſſet per lapidum commiſſuras, morte luerent, qui partem illam fabricaſſent. Ad Sinum maris, in quo illius initium per aliquot ſtadia aquas ſubit, ſcribunt Sinæ ad hæc ſub aquis jacienda fundamenta, quamplurimas naves non lapidibus, ſed crudi ferri maſſis plenas fuiſſe demerſas. His innixus fundamentis aſſurgit Occaſum versùs, & Leaotung regionem: mox excurrit ad Peking: inde Xanſi, & Xenſi provincias munit, non rectà ſemper progrediens, ſed quandoque deflectens, juxta varium locorum ſitum. Opus ſanè magnificum ac ingens, & omni dignum admiratione, ad hæc usque tempora ferè ſine labe aut noxâ, contra tot injurias temporum perſiſtens. Hæc ille, cui jungatur Nieuhof *libro citato pag. 190. ſeqq.* Athanaſius Kircherus *in China Illuſtrata parte 5. cap. 1.* ubi *pag. 217.* particulam muri illius Sinenſis, quà ſtructuram æri inciſam ad oculos ponit. Alibi verò *parte 2. cap. 6.* Iter Marci Pauli Veneti monſtrat, additâ causâ quare Paulus ille in ſcriptis ſuis nullam muri magnifici Sinenſium mentionem faciat. Quam probabiliter rejicit in id, quòd per *Coreanum* Sinum maritimo itinere intra *Catajum* id eſt *Chinam* fortè pervenerit. Ex quibus apparebit, an benè ſe habeant termini à Klockio muro conſtituti.

Num. 22.

(12) *Legatorum munere &c.*] Inde cùm Sina ſit exteris ita clauſa, ut ingreſſus non facilè ulli quàm legatis pateat; Turcæ, Laoſii, Samarcandæ, Mogotes, & Tibetani pedeſtri itinere, Siones verò & Cambois navibus advecti, Sinas ingrediuntur, ubi per ſpeciem legationis tractant privata mercimonia. Neque hi Principum, quos ſibi fingunt, ſimulati oratores munera ſuo ſumptu parata, gratis apud Imperatorem profundunt. Nam longè plura inde receſſuri accipiunt, quàm dederant; illo turpe ſibi futurum exiſtimante, ſi munerum opulentiâ cuiquam concedat. Quin legati omnes, dum inibi commorantur, cum toto comitatu aluntur è publico, eorumque merces regio ſumptu in regiam usque deportantur, eas quoquoverſum diſtrahendi, aut novas coëmendi factâ poteſtate. Ubi regno iterum excedunt, pari liberalitate ad Sinarum fines nullâ ſuâ impensâ deducuntur, vecturis regio juſſu & ære procuratis. Id legationis genus exteris plurimum lucri affert, alieno ſumptu rem ſuam augentibus. Interea ſplendidè Imperatores decepti legatorum commento à Regibus ſalutantur, qui neque regnum aliquanto neque vitam habuerunt. Prout ſcriptum reliquit Martinius *Hiſt. Sin. Dec. 1. lib. 2. ſub Imp. Is.* cui jungatur Boterus *in Polit. Reg. de Reg. Chinæ pag. 123.* Et teſtis ex experientia Dn. Nieuhof *in generali hujus Regni deſcriptione pag. 221.*

Num. 23.

(13) *Jeſuitæ &c.*] Primus, qui ex hoc ordine Sinicam expeditionem aggreſſus eſt, fuit Franciſcus Xaverius, quem Sinicæ Miſſionis non anteſignanum modò glorioſiſſimum, ſed etiam Moyſen alterum vocari jure merito poſſe, Martinius, *in Brevi Relatione de Rebus Sinenſibus*, cenſet: Hic tamen continentem Sinarum ingreſſus non eſt, ſed ad illius januas mortuus in Inſula Sancham, Sinico Imperatori ſubjectâ, ſuorum laborum præmia apud ſuperos obtinuit. Biennio autem, aut paulò plus poſt feliciſſimam tanti viri mortem, hoc eſt, Anno MDLV. P. Melchior Nunes Luſitanus aliquam Sinis Legis Evangelicæ notitiam dedit, ex occaſione, quòd Japoniam petens, non parvo tempore ſubſtiterit ad Urbem nobiliſſimam Quangcheu, quæ Quangtung Provinciæ Metropolis eſt. Poſt hos hanc ſacram Expeditionem Patres Societatis Jeſu ingreſſi ſunt quamplurimi, quorum catalogum texit Author *loco citato §. 1.* Confer Athanaſium Kircherum *parte 2. Chinæ Illuſtratæ cap. 8.* qui tamen hujus Patris Nunis non meminit.

Num. 24.

(14) *Diverſas perſecutiones paſſi &c.*] Ultimæ, de quâ quidem hactenus aliquid in Hiſtoriarum monumenta relatum eſſe ſcimus, perſecutionis his verbis meminit Martinius *de Bello Tartar. pag. 11.* Eodem anno MDCXVIII. Imperator Vanlieus, rogatus à quibusdam, ut Patres Societatis JESU, Chriſtianæ fidei propagato-

gatores Regno expelleret; poſtquam ſæpius abnuiſſet (nam Chriſtianam rem ac Patres amore proſequebatur) tandem importunitate maximi cujusdam Præfecti, Xinkio dicti, victus (qui capitalis Chriſtianæ Religionis hoſtis pridem fuerat) decretum fecit, ut Patres, qui Chriſtianam rem in Sinis procurabant, ejicerentur omnes. Per varias provincias Patres ſparſi erant; unde aliqui occultè à Chriſtianis Præfectis ſervati ſunt, reliqui caveis clauſi, Macaum ſunt ablegati; quo in itinere incredibilia die noctuque in ſummis anguſtiis illis perpeſſi ſunt; aliqui etiam crudeliter à Præfectis verberibus cæſi, non ſine gaudio, quod digni habiti eſſent pro nomine JESU aliquid pati. Ad hæc Vanlicus Chriſtianam Religionem ſuis interdixit &c. Sed paucos poſt annos, Patres Jeſuitæ (cùm Imperatori Taichango perſuaderetur, ut contra Tartarorum inſultus à Luſitanis majora nonnulla tormenta peritosque eorum liberatores depoſceret) qui hactenus occultè rem Divinam procurabant, adeſſe jubentur; novi non pauci admiſſi cum Luſitanis militibus ſunt: ita res Chriſtiana, conſenſu Imperatoris, ad hæc usque tempora, fremente dæmone ac Chriſtianæ Religionis inimicis, perbellè proceſſit, continuoque augetur, ſic memorante ſæpius dicto Authore. Cui omninò addendus Kircherus *loco jam citato ad num. 23. not. 13.*

Num. 25.

(15) *Crebris concutiantur terræ motibus &c.]* Id ipſum Boterus *in Politia Regia*, de hoc regno, adſtruit dicens: Accidunt in China terræ motus, qui plus damni, quàm peſtis faciunt: abſorbent enim integras civitates, deſertas reddunt regiones: condunt antiqua flumina, & recondunt nova: montes ſolo æquant, faciuntque miſerandam ſtragem illius populi. Quod alii de Japania quoque perhibent.

Num. 27.

(16) *Quidam etiam narrant &c.]* Joh. Petr. Maffejus *Hiſtor. Indic. lib. 6.* Conſalvus Mendoza *Hiſtor. de China part. 1. lib. 3. cap. 15.* aliique rerum Indicarum ſcriptores. Verùm rectiùs pulveris tormentarii & machinarum bellicarum inventionem Germanis adſcribit & vendicat Michael Majerus *inter vera inventa Germaniæ cap. 4.* ubi vide.

Num. 28.

(17) *Camoſcus Friſiæ Rex &c.]* Quod ex Arioſti Orlando Furioſo *cent. 9.* refert Camerarius *medit. hiſtor. cent. 2. cap. 28. atque Cornelius Kempius lib. 2. de Friſia cap. 20.* ad quem lectorem plura cognoſcendi avidum Primus remittit.

(18) *Pulveris pyrii meminit &c.]* In Epiſtolâ *de ſecretis operibus artis & naturæ*, ubi *cap. 7.* ſcribit: Soni velut tonitrus, & coruſcationes poſſunt fieri in aëre; imò majore horrore, quàm illa, quæ fiunt per naturam. Nam modica materia adaptata, ſcilicet ad quantitatem unius pollicis, ſonum facit horribilem, & coruſcationem oſtendit vehementem. Et hoc fit multis modis, quibus civitas & exercitus deſtruatur, ad modum artificii Gedeonis: qui lagunculis fractis, & lampadibus igne exſiliente cum fragore inæſtimabili, infinitum Midianitarum deſtruxit exercitum, cum trecentis hominibus. Mira ſunt hæc, ſi quis ſciret uti ad plenum in debita quantitate & materia &c. Ita tum temporis Pyrius pulvis fortè inventus quidem, ſed nondum vulgò vulgatus fuit.

(19) *Nauclerus &c.]* Citante Camerario *meditat. hiſtoric. cent. 3. cap. 82.*

(20) *Petrarcha &c.] De remedis utriusque fortunæ dialog. 99.*

(21) *Alphonſi XI. Regis Caſtellæ docet &c.]* De eo ita Mariana *de Reb. Hiſpan. tom. 2. libro 16. cap. 11.* de obſeſſu Algezira ſcribit: Excuſſa tormentis tela lapidesque à noſtris; barbari ex urbe contrà ferreos globos cum igne & fragore, pulvereque tormentario ejaculabantur, haud levi ſæpè noſtrorum damno. Hujus tormenti mentionem nunc primùm in hiſtoria factam invenio. *Hactenus Mariana.*

(22) *Multis antea ſeculis in bello uſurpaſſe &c.]* Lehmannus quoque *in Chronico Spirenſi lib. 7. cap. 53.* ſub Carolo IV. Anno MCCCLXXIII. tormentorum majorum minorumque uſum cognitum fuiſſe ex Manuſcripto quopiam annotavit his verbis: 2 Pf. 13. Schill. 4. Pfenning gab man dem neuen Meiſter / der mit den Büchſen ſchieſſen kunt / die der Raht machen laſſen / und ward viel auf Büchſen und Armbruſt gewandt. Daraus erſcheinet / daß man damals allbereit Büchſen klein und groß gehabt. Und wird in der Böhmiſchen Hiſtori Anno MCCCLXXIII. eines Büchſenmachers zu Prag gedacht. Teſtis hujus ſit Hagecius *in Chron. Bohem. part. 2. pag. 41. b.* Deſſelben Jahrs *(ſcil. 1373.)* iſt in Böhmen ein kunſtreicher Mann geweſen / welcher köſtliche Glocken / Geſchütz / und andere Ding aus dem Metall gegoſſen / mit Namen Wentzel Kundtſchaffter ꝛc. Miræus quoque *in Chronico Belgico ſub Anno 1380.* memorat: Lovanienſes bombardis An. MCCCLVI. uti cœpiſſe: & triginta duas publico ære tunc emptas fuiſſe, quas vulgus *Donderbuſſen*, ab horrendo fragore, vocitabat.

(23) *Uſum illum & perfectionem &c.]* Et hæc opinio quoque eſt Beſoldi *in diſſert. de Bombardis, quæ inſerta eſt tractatui de arte jureq. belli num. 3.* plura qui de Inventione bombardarum tormentorúmve muralium legere deſiderat, adeat Pancirollum *de reb. deperd. & nov. invent. lib. 2 cap. 18.* & ad illum Henricum Salmuth. Polydorum Vergilium *lib. 2. de Invent. rer. cap. 11.* Camerarium *medit. Hiſtor. cent. 2. cap. 28. & cent. 3. cap. 82.* Lanſium *in Orat. pro Germ.* ubi etiam reſpondet illis, qui Chinenſibus inventum hoc attribuere tendant. Majolum *dierum canicul. tom. 1. colloq. 23. pag. m. 314.*

(24) *Illud ſanè conſtat &c.]* Ex Gotofredo *Archontologiæ Coſmicæ lib. 2. pag. 190. de regno Chinæ.* Et Alex Valignanus, *citante Lanſio in Orat. pro Germ.* ſcribit: Præterea Chinenſes à Luſitanis uſum ſclopetorum acceperunt, & magna hujusmodi ſulfureorum tormentorum vis in China reperitur: neque dubitandum, exercitatione peritiam iis utendi adepturos.

Num. 30.

(25) *Mendoza &c.] Part. 3. lib. 3. cap. 16.* vide omninò Dn. Nieuhof *d. loco pag. 237.*

 ubi

ubi de origine Sinenſis Typographiæ & de differentia inter illam noſtramque eleganter diſſerit.

(26) *Garzias ab Horto &c.*] *Lib. 2. Aromat. apud Indos naſcent. cap. 38.*

(27) *Joh. Petrus Maffejus &c.*] *Hiſtor. Indic. lib. 6.*

(28) *Hermanno Hugone &c.*] *De prima ſcribendi orig. cap. 34.*

(29) *Petr. Gregorius Tholozanus &c.*] An hic attribuerit Chinenſibus inventum Typographiæ, non ſatis liquet, recenſet enim diverſas tantummodo Authorum opiniones ſine ullâ gentis illius mentione.

(30) *Nic. Trigautio &c.*] *De Expedit. Sacra lib. 1. cap. 4.*

(31) *Guidone Pancirollo &c.*] *Lib. 2. de reb. deperd. & nov. repert. Tit. 12.*

Num. 36.

(32) *Equeſtri dignitate virum &c.*] Serarius tamen, ſe non videre dicit, cur ex equeſtri ordine Guttenbergerum aliqui ſtatuant, niſi quia ob rei tantæ partum, induſtriamque ipſius & labores cum honore illo non indignum cenſuerunt, *lib. 1. Rer. Mogunt. cap. 38.* ubi de inventore & tempore, prout in priore capite de loco diſſerit.

Quamvis major pars Authorum Equeſtris dignitatis virum, ut bombardarum Inventorem Monachum fuiſſe perhibeant. De Illis ita Lanſius *in Oratione pro Germania 2.* perorat: In Inventoribus autem noſtris ſine maximâ admiratione hoc nunquam conſidero: quod Monachus, homo literatus Berchtoldus Schwartzius, ſclopetorum machinas; Johannes Guttenbergius, vir Equeſtris dignitatis, Typographiæ artem excogitavit: quaſi toti terrarum orbi ſignificare & denunciare voluerint; neque Germanum literatum à militia abhorrere, neque Germanum militem à literis refugere, atque ita utriusque militiæ, togatæ & armatæ, gloriam ſub Germanorum tutela & imperio quàm optimè & laudatiſſimè vigere, florere, ac creſcere.

(33) *MCCCCXL. &c.*] Contrà Boxhornius *in Hiſt. Univerſali* ponit initium circa Annum MCCCXI. Phil. Cluverius *in Epitome Hiſtoriæ Univerſ.* Anno MCCCCL. Paulus Lang *in Chronico Citizenſi* Anno MCCCCLIII. Alii alios & ſæpe poſteriores annos.

(34) *Moguntia &c.*] Pro Moguntiâ primo Inventionis loco pugnat Serarius *lib. 1. Rerum Moguntiac. cap. 37. per totum.* & Bernhardus Mallincrotius, qui librum ſingularem hac de re ſcripſit. Pro Argentoratenſibus prodiit Anno MDCXL. Argentorati libellus, cui titulus: Bericht von Erfindung der Buchdruckerey. Quorum cauſam etiam agit D. Johann Schmid in den Predigten von der Buchdruckerey / cum ſequacibus, Mentelium Civem Argentoratenſem. Ubi dicunt primum Inventorem fuiſſe Johannem. Vid. quoque Theologus nunquam ſine laude nominandus, Johan. Saubertus *in Orat. de Bibliotheca Norimbergenſi.* Stumpff in der Schweizer-Chronick *lib. 2. cap. 4.*

Num. 37.

(35) *Guttenbergius &c.*] Rem paulò aliter narrat Salmuth *in Append. ad lib. 2. cap. 12. Pancirolli, de nov. reper.* qui Inventorem Fauſtum fuiſſe ibidem perhibet, & teſtimoniis confirmat: verba ejus quoad Guttenbergium apponere lubet: Eodem tempore Moguntiæ commorabatur Johann. Guttenbergius, *inquit*, honeſtis Parentibus natus, qui proximè Fauſti ædes habitabat. Hic cùm animadvertiſſet, inſignem hanc artem typographicam non ſolùm omnium ore paſſim celebrari, ſed etiam admodùm lucroſam eſſe, familiaritatem cum Fauſto contraxit, & quia opulentus erat, pecuniam ei ad ſumptus neceſſarios obtulit. Quod Fauſto minimè ingratum fuit, quandoquidem comperiebat, ſumptus, quos in eam artem faciebat, quotidie creſcere, & tunc opus chartæ pergamenæ imprimendum præ manibus habebat. Quapropter cum Guttenbergio convenit & pactus eſt, ut quicquid in illud opus impenderetur, communi utriusque lucro vel damno cederet. Quoniam verò Fauſtus plus inſumpſerat, quàm Guttenbergius neceſſitatem poſtulaſſe arbitrabatur, hic dimidiam ſuam partem exſolvere detrectavit: quâ ex re cùm lis orta eſſet, alter alterum Moguntiæ in jus vocavit: ubi, partibus auditis, pronunciatum fuit: ſi Johannes Fauſtus interpoſito juramento affirmare poſſet, omnem pecuniam, quam mutuam ſumpſiſſet, in commune opus erogatam, non autem in proprios ipſius uſus converſam fuiſſe, Guttenbergium ad ſolvendum obligatum eſſe. Cui Sententiæ Fauſtus paruit, ſicut ex archetypo Inſtrumenti, quod etiamnum ſupereſt, & Anno 1455. 6. Novembris à Joh. Ulrico Helmaſpergero Notario ea de re confectum fuit, liquidò demonſtrari poteſt. Unde evidenter apparet, Guttenbergium nequaquam artis typographicæ inventorem & primum auctorem eſſe, ſed aliquot annis poſtquàm ea inventa fuiſſet, à Johanne Fauſto in conſortium adſcitum, pecuniam ei ſuppeditaſſe. Cùm igitur Guttenbergius ad ſumptus refundendos damnatus fuiſſet, & ex eo ſimultates inter ipſum & Fauſtum magis exarſiſſent, ille autem interea artem vidiſſet & didiciſſet, ſiquidem inter tot operas, quæ ad eam exercendam requiruntur: fieri non poterat, ut ea diutiùs occultaretur, quod etiam DEUS procul dubio noluit, Moguntiâ Argentinam ſe contulit, quò aliquot ex operis ſecum attraxit. *Vid. Saubertus in appendice ad Orat. de Bibliotheca Norimbergenſi.*

Num. 39.

(36) *Sub perſona Urbis Harlemenſis &c.*] Hujus artis inventionem ſuis denuò vindicat Batavis Boxhornius *in Hiſtoriâ univerſali pag. 947. ſeqq.* ubi multa teſtimonia, & inter illa Hadriana (qui primus Urbi Harlemenſi hancce laudem tribuere auſus fuerat Scripto,) verba adducit. Placet de hac Batavorum arrogantiâ judicium Excellentisſimi Bœcleri *in Orat. habita Kal. Octobr. A. 1640.* Nobiliſſimæ Harlemenſium Urbi non invidemus ſuam gloriam, ſed gratulamur: auctiorem tamen exiſtimamus fore, ſi de aliena nihil decerpat, aut decerpentem privatâ opinione auſuque popularem ſuum, publicæ exiſtimationis periculo propugnet.

Num. 42.

(37) *De Familia Manutiana honorificentiſſimè ſenſit &c.*] Extat hoc elogium apud Thuanum

num non libro 25. ut Author exiſtimat; ſed libro 23. eoque non Manutios ſed Robertum Stephanum Typographum Pariſienſem mactat, *additq́,* majus ex ejus unius induſtriâ, quàm ex tot præclarè bello & pace geſtis ad Franciſcum I. Galliæ Regem decus & nunquam interitura gloria redundaſſe. Manutiorum verò demum *lib. 119.* honorificam mentionem injicit.

Num. 43.

(38) *Ipſis qui potuit ſuo labore &c.]* Quatuor verſus præcedentes ſic ſonant:

Quòd ſi credere fas Deos Poëtas;
Vitam reddere quòd queant ſublatam:
Quantò eſt juſtiùs æquiùsq́, quæſo,
Aldum Manutium Deum vocare;
Ipſis qui &c.

CAPUT XX.

De Magni Chan Tartari Opibus, Viribus & Ærario.

S U M M A R I A.

1. Magni Chan *Tartari* (1) *origo: In quo ejus potentia.*
2. Reditus & Vectigalia *hujus Principis.*
3. *Habet ſemper* armatam militiam *in promptu: nullum huic Principi* Ærarium. num. 4.
5. Equis, *portoriis, metallis, decimisq́, dives.*
6. Principi *annonam domi & in militiam populus miniſtrat.*
7. *Percipit quinquies mille & Iↄ. aureos annuè à* Turcis.
8. *Tenuia hæc apparent: tamen ejus* copiæ militares *excedunt omnes Chriſtianorum.*
9. Flumina *trahunt ſecum multum auri.*
10. Moneta *eorum ex arborum cortice & cochleis marinis: parcitur argento, idq́, aſſervatur,* num. 11.
12. Excubitores *habet Magnus Chan.*
13. *Quæ ratio virium magnarum ſit huic* Chano, & num. 14.
15. Vires *magnæ & expeditæ huic eidem: quod in feris ipſis demonſtratur,* num. 16.
17. *Arma* Tartarorum *quæ præcipua? & ratio præliandi,* num. 18.
19. Eruptiones Tartarorum *usq́, ad Ruſſiam: Batus Poloniæ, Sileſiæ, Moraviæ & Ungariæ vaſtator.* ibid.
20. Legatio Papalis *ad Magnum Chanum pro pace.*
21. *Habentur hîc duodecim* Barones, *qui* 34. *provinciis præficiuntur. Eorum officium,* num. 22.
23. *Diviſio* Tartarorum *in Hordas, cœtus, conventusq́.*
24. Horda *quid?*
25. *Hi multis prudentibus plus, quàm* Turcæ *formidabiles viſi.*
26. Chani *in Turcia reditus à Martino Bronivio recenſiti.*

Tarraria è ſpoliis prædives, abundat oryzâ,
Lanâque, ſericoque, nec non cannabe:
Eque pilis pannus contexrus, ab arte Cameli
Præſtans, Rhabarbarum, lapilliq́ue aurei
In fluviis, auriq́ue fodinæ in montibus altis,
Tum Cariophyllum & gingiber primas tenent.

1 MAgnus *Chanus* (2) à Magno *Changi* originem ducere exiſtimatur: Ejus potentia conſiſtit in munitione ſitûs, in amplitudine regionum, in magnitudine civita-
2 tum, in abundantia Commeatûs, in copia redituum. Percipit inter alias res decimas ex lana, ſerico, cannabe, frugibus, pecudibus: eſtque abſolutè Dominus rerum omnium:
3 Sed *potentiæ ejus nervi* (3) conſiſtunt in militia, *quam ſemper armatam habet.* (4) Illuſtris Præſes Thuanus *libro 67. Hiſtor.* aſſerit;
Principem ipſum (5) nulla prædia, nullum ex 4
agris vectigal ærariúmve habere, præter equos ex ſingulis fontibus ſingulos, & portoria, quæ ei cum Turcis communia ſunt;
metalla item (præter aurum, quod ex fœde- 5
re Turci eſt,) ejus propria, accedentibus ad hæc *decimis ex prædis* (6) omnibus; Item ex ſingulis captivis majoris pretii III. ex vilioribus ſinguli aurei ſeu chequini Chano pen-
duntur. Annonam populus domi & in mi- 6
litiam ſponte ſuppeditat; ex ærario etiam Turcico, quinquies mille & Iↄ. aureos quo-
tannis accipit, filio obſide dato. His tenui- 7
bus opibus immane quantum virium & co-
piarum ſuſtentatur, quæ omneis *Chriſtianos* 8
exercitus numero vincunt. (7) *Hæc Thuanus.* Flumina *trahunt* (8) *ſecum multum auri.*
Moneta, quâ populi in tàm diverſis hujus 9
Imperii regnis utuntur, *non eſt uniusmodi.* (9) In Regno Cathajenſi qui expenditur nu-
mus, conficitur ex delicata pellicula ſive 10
membrana, quæ eſt inter ſtirpem ſeu truncum & corticem *arboris cujusdam,* (10) ea pellicula cum trita, contuſa, temperataque glutine fuerit, ſigno ac nomine Magni Chani *inſignitur.* (11) At in Regno *Gajocano* (12) & Carajano certæ quædam cochleæ marinæ ſeu conchylia ſunt, qnæ aliqui *Porcellete* (13) vocant. Id numi genus quoque in uſu eſt in multis Indiæ & Æthiopiæ locis.
Hâc ratione trahunt Principes ad ſe omne 11
aurum argentumque Provinciarum, curantque id in maſſas fundi, & in munitiſſimis locis conſervant: unde ſunt, qui credunt, Magnum Chanum inæſtimabiles poſſidere theſauros. Eodem artificio utitur Prete-Janus Abyſſinorum Rex, in cujus Regno ſalis micæ & piperis grana pro numis ſerviunt. Cùm autem *Chambalu* Metropolis umbilicum *Regni Cathajenſis* (14) obtineat, deferuntur eò merces exoticæ ab India, *China,* (15) aliisque Orientis partibus, inprimis gemmæ, *margaritæ,* (16) *ſericum,* (17) aromata, & ſi quid præterea pretioſum eſt, potiſſimùm Rhabarbarum, cujus uſus in toto propè Orbe eſt, ex regno *Tanchut* petitur. In Tanchucenſi Provincia lapis laſurius effoditur, ſunt & ibi auri venæ ſubterraneæ, unde multum lucrum accipitur. At Thebetenſibus mercimonia multas divitias conciliant,

 puta

puta Coralia, Muſcus, Cinnamomum, &
alia aromata. Si quid incommodi eſt in hoc
Imperio, in illos incumbit, qui Septentrio-
nales partes inhabitant, quibus infinitæ res
deſunt, etiam ad victum neceſſariæ, quas
aliunde & à vicinis petant oportet.
12 Excubant Magno Chan duodecim mil-
lia, æſtimaturque ipſum colligere poſſe mul-
tò majorem *equitum* (18) numerum, quàm
13 ullus alius Princeps poſſit. Ejus virium ra-
tio una eſt multitudo copiarum, quæ ex am-
plitudine Ditionis ipſius colligi poteſt: alte-
14 ra eſt, promptitudo eorum. Perpetuò enim
eos in ære habet, quæ res magni compendii
eſt. Sicut enim in milite ſpectanda eſt agili-
tas potiùs, quàm robur; ita in exercitibus
pluris faciendi ſunt prompti expeditique,
15 quàm prægrandes & numeroſi; Illi autem
Principes fortes potentiſſimique habendi
ſunt, qui vires magnas expeditasque habent.
Sunt enim hi tanquam aquilæ, tygrides, leo-
16 nes, aut pardi, quæ quidem animalia inter
alia principatum obtinent, non ob aliud,
quàm propter agilitatem robori corporis
adjunctam, ſuntque iis duabus partibus e-
quis, tauris, bubalis etiamque elephantis
17 quamvis multò majoribus ſuperiores. Præ-
cipua verò Tartarorum arma ſunt *arcus &*
ſagittæ, (19) quibus non minùs fugiendo,
18 quàm aggrediendo nocent: In prælio non
congrediuntur cominus cum hoſte, ſed
nunc à fronte, nunc latere. Verùm perpe-
tuò ſagittarum grandine, ad modum Par-
thorum, obruunt hoſtes. Poſt Chingis (de
quo ſuprà diximus) mortem, ejus Succeſſo-
19 res Europam afflixerunt. Anno enim
MCCXII. expulerunt *Polovvczos* (20) ex
confiniis Ponti Euxini. Anno MCCXXIV.
invaſerunt, deprædatiq; ſunt Ruſſiam: (21)
& Anno MCCXLI. exciderunt Kioviam,
Ruthenorum Metropolim: Batus ipſorum
Capitaneus diripuit Poloniam, Sileſiam,
Moraviam, Hungariam. Hâc de causâ per-
20 terrefactâ Europâ, *Innocentius IV.* (22) Papa
Anno MCCXLII. ad aulam Magni Chani
aliquos Patres Ordinis S. Dominici & Fran-
ciſci miſit, ut pacem Chriſtianis impetra-
rent.

Habet Magnus Chan duodecim Baro-
nes aulicos, qui triginta quatuor Præfecti
21 ſunt Provinciis. Horum officium eſt, ut ſin-
gulis Provinciis *duos præficiant Rectores*, (23)
ac regiis exercitibus, in locis, ubi morantur,
res neceſſarias provideant, & quicquid de-
cernunt, id Regi indicant. Is ſua auctorita-
te id confirmat, quod illi ſtatuendum duxe-
22 rint. In *Hordas* (24) Tartari dividuntur. Eſt
23 autem *Horda* conventus multorum homi-
num, qui unà habitant, & quaſi parvam
quandam Rempublicam conſtituunt, ita
tamen inter ſe diſtributorum, ut Decurio-
nes aliis quidem imperent, ipſi pareant Cen-
turionibus, & hi Chiliarchis. Sunt tamen
quædam Hordæ, quæ ſuos Duces ſingulares
agnoſcunt, quædam parent Moſcovitis, iiſ-
que perſolvunt tributum annuum: maxima
tamen earum pars Magno Chano ſubſunt,
ejusque venerantur Imperium.

Adhuc prudentes viri plus metuunt 24
Tartaros quàm Turcas, quia Tartari ſunt
Septentrionaliores. (25) Et ſunt multi in hac
opinione, *Germaniam tandem à Tartaris va-*
ſtatum iri, (26) & illis prædam futuram.

Aliter reditus Magni Chani deſcribit 25
Martinus Broniovius de Biezdzfedea ad
Tartarum Legatus in ſua Tartaria. Pereco-
piæ (ait) Coslovrelated, Caphæ, ac aliis, quæ Tur-
carum ditionis ſunt, Tauricæ ſeu peninſulæ
Civitatibus Chanus telonium commune
cum Turca habet. Contributionem à Tar-
taris, Armenis, Judæis, Cerceſiis, Petigoren-
ſibus, & Græcis Chriſtianis, Turcis tantùm
exceptis, exigit in annum: diebus ſingulis
Chano thaleri XXV. *Galgæ* (27) thaleri duo-
decim cum medio: Soltano obſidi thaleri
duo cum medio, ex Turcico ærario in ſtipen-
dium perpetuum numerantur, ac eidem ob-
ſidi pagi & agri ampliſſimi ad Adrianopo-
lim *Janbolu* dicti à Turca conceduntur. Du-
cibus, *Cajaceis, Ulanis, Murzis* (28) ac cæte-
ris quàm plurimis, qui merentur, & pro ſin-
gulorum conditione, ſtipendia perpetua
dantur. Veruntamen captivos bello captos
utriusque ſexûs, pelles nobiliores ſeu pretio-
ſiores ac viliores, butyrum, ſal, quo in Tau-
rica ſeu peninſula ille plurimùm abundat,
Imperatori Turcarum annis ſingulis Cha-
nus perpetuò pendit. Ac in quodcunque
bellum miſſus vel vocatus fuerit, illud detre-
ctare, nec cuipiam alii, præter Moſcorum
Duci, Imperatore Turcarum inſcio & invi-
to, bellum inferre poteſt. *Reditus annuos*
pecuniarios è captivis (29) inſignioribus bello
acquiſitis aureos tres, à tenuioribus talerum
unum, eorumque decimam; à fontibus ve-
rò ſingulis, qui in Tauricæ ſeu peninſulæ
campis ditionis ejus plurimi admodùm
ſunt, equum unum à Tartaris Chanus exi-
git, aut urgente neceſſitate aliquâ contribu-
tionem certam univerſi Tartari Chano de-
cernunt, nunquam tamen illis oneroſus eſt.
Inſigniores Tartari diverſi generis alimoni-
am (nam ei non colitur nec ſeritur domi &
bello etiam) Chano ſemper præbent: equo-
rum, camelorum, boum, ac ovium infini-
tos greges proprios ille ſemper habet. In
cudenda moneta commodum ſeu quæſtum
uberrimum habet; nam tribus vel quatuor
annis ex eadem moneta, quæ in officinam
monetariam ab univerſis importatur Tar-
taris, vel peregrinis, moneta nova inventa
perpetuò cuditur. Etenim in univerſa Tau-
rica ſeu peninſula illa nemini licitum eſt, Tar-
taro vel peregrino etiam in Turcarum ditio-
nis civitatibus, ſub capitali pœna bonorum-
que confiſcatione, cujusve conditionis ille
eſſet,

eſſet, aureum numum Turcicum, vel peregrinorum thalerum vel aſpram argenteam Turcicam valore alio in numos Tartaricos computare; Nec moneta aurea vel argentea, verùm Tartarica, mercari: quàm univerſi peregrini, nullis exceptis, Chani edicto, perpetuò decipiunt.

Plura qui volet, legat (30) Hiſtoriam Orientalem Haythoni Armenii, & M. Pauli Veneti Itinerarium Helmſtadii Anno 1585. excuſum, & Joann. Ludovici Gotofredi Archontologiam Coſmicam *lib. 2. cap. de Imperio Magni Chani ſive Regis Tartarorum, fol. 168. & ſeqq.*

ANNOTATIONES *Ad* CAPUT XX.

Ad Pr.

(1) T*Artari &c.*] Gens & nomen *Tartarorum* ut Sinenſibus & Perſis ab antiquo cognitum, ita Europæis demum Anno c I ɔ CCXII. infelici ſuâ (Cometa octodecim diebus menſis Maji durante pronuntiatâ,) in has partes factâ excurſione innoteſcere cœpit. Prout Matth. de Michovia *in Chronic. Regni Polon. lib. 3. cap. 33. & in libro de Sarmatia Aſiana atq; Europæa lib. 1. c. 2.* clarè teſtatur. In eo (*verba ſunt Georgii Hornii in Orbe Imp. tit. de Tartaria pag. 287.*) plures conſentiunt Tataros, tribum quandam ſive Hordam Scytharum fuiſſe appellatam à fluvio *Tatar.* Quâ autem ratione nomen illud unius tribûs univerſæ Scytharum genti impoſitum fuerit, nemo exactiùs oſtendit, quàm Monachus Rubruquis ante IV. ſecula in Tartariam à Rege Galliæ miſſus. Quippe tradit, Tataros, cùm in exercitu Mogolûm ſeu Scytharum militarent, perpetuò præmiſſos fuiſſe & ſparsâ adventûs eorum famâ, cûm populus paſſim inclamaret, Tataros adventare, nomen illud paulatim univerſo exercitui, mox toti genti impoſitum: quæ opinio etiam hinc capit fidem, quòd ipſi Scythæ ſeſe in hunc diem non Tataros, ſed Mogolos appellant. Dividitur à plerisque Geographis in Tartariam Europæam, ſive Minorem, & Majorem, quæ in ipſa Aſia eſt. Prior iterum ſubdividitur in Præcopenſem & Cremeam; poſterior in quinque partes, Tartariam deſertam, Tartariam Zagatajam, Turckeſtan Regnum, Cataini Magni Imperatoris Imperium, & Tartariam veterem, de quibus conſuli poterit Cluverius *Introd. Geograph. lib. 4. cap. 20. & lib. 5. cap. 3. 4. ſeqq.* ubi inſimul docet, plerasque hasce provinciarum nunc Magno Moſcoviæ Duci vel ſubjectas vel tributarias factas eſſe. Ubi tamen obiter notandum, quòd Trigautius intrepidè tamen aſſerat, ex ſuo tempore (i.e. Anno MDCVIII.) nullam extra muros Sinenſes Regionem repertam fuiſſe, quæ Catajum vocitetur. Sed potiùs apparere, Marcum Paulum Venetum eo tempore in hoc regnum penetraſſe, quo Tartari Sinis imperitabant & fortaſſis cum illis ipſis eò penetraſſe, cùm vel maximè conſtare certò cœperit, hoc regnum (nempe Sinenſe) illud ipſum eſſe, quod MAGNUM CATAJUM apud alios Auctores appellatur, & urbem Pechinenſem Regiam eſſe illius, quem MAGNUM CAN vocant, qui nunc eſt Rex Sinarum &c. *de Regno Chinæ lib. 4. cap. 3.* Cui quoque Martinius *in ſuo Atlante Chinico,* Athanaſius Kircherus *in China illuſtrata part. 2. c. 3.* ut & Hornius *in Arca Noe, in tit. Hiſtoriæ Tartaricæ pag. 277. adſtipulantur.* Quod vel inde robur accipit, quòd, teſte jam laudato Hornio, Magnus Chan ab Anno c I ɔ CCLXXVIII. usque ad Annum c I ɔ CCCLXVIII. non alius fuerit, quàm Imperator Tartarorum in Sinis regnans. Marcus Paulus Venetus autem (*ex quo plerique Cataini Regni deſignationem formarunt*) *cap. 1. de Reg. Oriental.* dicat, ſeſe iter Anno c I ɔ CCLXIX. vel, ut ejus Gloſſator monſtrat, Anno LIX. ingreſſum fuiſſe.

Num. 1.

(2) *Chanus &c.*] Cùm olim Tartaria, ut vult Vincentius Belvacenſis, *in Speculo Hiſtoriali lib. 30. cap. 69.* usque ad Annum c I ɔ CCIII. Indiæ Regi fuerat ſubjecta, atque promptè & ſine contradictione ad usque tempus illud tributa exſolviſſet, tunc negare illa & pro libertate Duce & Authore Changio dimicare Tartari cœperunt, illámve obtinuerunt. Hic homo ſenex, pauper, faber ferrarius viſionem vidit in ſomno, teſte Haythonio *Hiſtor. Orient. cap. 16.* militem videlicet totum album, armatum & ſuper albo equo ſedentem, qui ipſum nomine proprio appellavit & dixit: Changi, voluntas DEI immortalis eſt, quòd tu Tartarorum ſis Rector & Dominus ſuper illas nationes Moglorum, & quòd per te à Servitute vicinorum, in qua ſteterunt diutiùs, liberentur, & dominabuntur vicinis eorum, & vectigalia, quæ præſtare conſueverant, recipient ab eisdem. Changius magna jucunditate repletus audiens verbum DEI, & narravit viſionem, quam viderat, univerſis. Sed duces & majores iſtorum noluerunt credere viſioni, imò ſenem quodammodo deridebant. Nocte verò ſequenti prædicti Duces viderunt militem album, & viſionem, ſicuti ſenex Changius omnibus reſeraverat: & præceptum fuit eis ex parte DEI immortalis, quòd obedirent Changio & ſua mandata facerent ab omnibus obſervari. Unde prædicti Duces & majores ſeptem nationum Tartarorum congregatis populis fecerunt fieri obedientiam & reverentiam Changio ſuperiùs nominato, tanquam eorum Domino naturali. Poſt hæc verò ſedem ſuam ſtatuerunt in medio ipſorum & extendentes filtrum (*fortè, ut Gloſſator explicat, gauſape dicit,* **ein Filtz oder Kotze**) nigerrimum ſuper terram deſuper ſedere fecerunt Changium, & ſeptem majores Duces elevantes illum, poſuerunt in ſedem cum magno tripudio & clamore, & vocaverunt eum CAN, primum Imperatorem, ſolemnem reverentiam cum genu flexionibus eidem, tanquam Imperatori & Domino, facientes &c. *Hactenus Haythonius,* ubi in ſequentibus de LL. felicitate armorum, fato, victoriâ, & in ſequenti capite de iterato ſomnio, morbo, teſtamento, ſucceſſore & morte ejusdem plura enarrat. Et ab hoc *Chango Can,* ut rectè Author noſter tradit, probabiliter *Magni Chani* reliqui usque ad Timur ultimum, qui commemoratur, deſcendere creduntur. An verò, ut inquit Hornius *in Orbe Imp. pag. 292.* deſtructum Magnorum Tartariæ Chanorum imperium ſit, an verò Magnus Chan, qui

qui nunc ſubjugatis Chinenſibus imperat, ejusdem ſanguinis ſit, ob defectum Hiſtoriæ monumentorum, è quibus aliquid certi tradi poſſit, mihi non liquet, ſed ampliandum videtur.

Num. 3.

(3) *Potentiæ ejus nervi &c.*] Recenſet quoque Marcus Paulus Venetus *lib.2.cap.65.* aliquot Magni Chani alios reditus, & in fine addit, quòd ſemel audiverit computum fieri ſingulorum redituum, qui Magno Chan penduntur annuatim in regno Quinſai, quod ſit nona pars provinciæ Mangi; aſcendiſſeq; ſummam omnium, ſale tamen excepto, (cujus ſolius obventus octoginta aureorum myriades efficiunt) ad quindecim millia millium aureorum, atque ſexcenta millia.

(4) *Quam ſemper armatam habet &c.*] Nimirum ſecuri Imperii non aliud certius eſt pignus, quàm paratus & ſemper in caſtris exercitus miles. Hinc Eurymedes Meleandrum Regem ſuum *in Barclai Argenidis lib.4.* monet, ut colligat Exercitum, quem hoſtes formident, qui ſit pace belloque aſſiduus; cenſens conteturum talem terrorem Cives in fide; amicitias, & hoſpitia externorum tam vetera firmaturum, quàm nova inventurum. Etenim cùm in repentinis armis ſi quando implendæ chortes ſunt, cùm in expertis & obviis cingulum datur, ſæpe neſcias virum an ſtatuam adornes. Ut novum exercitum ab exemplo differre exiſtimem, quod navem, quæ probatis trabibus eſt compacta, ab ea, quam intempeſtivè exciſæ arbores, & omnia non penſatis vitiis ligna componunt. Plura ad hanc rem vide apud Boterum *in Relat. 15. de Magno Chano, & ejusd. verba apud Authorem noſtrum infrà n. 14.*

Num. 4.

(5) *Principem ipſum &c.*] Hæc de Præcopienſium & Crimenſium Tartarorum Chano intelligenda eſſe, ipſe Thuanus in antecedentibus innuit, cùm de Chano Taurico ſolùm ſermonem inſtituere, cuique facilè ex contextu pateat. Nam quamvis olim Tartaris fortaſſis unus Chanus ſive Dominus, nunc tamen plures ſciſſo Imperio dominantur, ut hinc malè reditꝰ unius cum reditibꝰ alterius Author noſter confundere videatur, cùm paſſim de Magno Chano abſolutè regnante ex Botero deſumpta adferat, his interim Thuani verba de alio tributario Chano intermiſceat. Id verò, quod jam annotatum, pluribus illuſtrant ea, quæ Martinus Broniovius (*infrà n. 25. allata*) tradit.

Num. 5.

(6) *Decimis ex prædis &c.*] Imò etiam quamprimum in Confinibus ipſis Chanus conſtiterit, eum decimam ex univerſo exercitu percipere; agminum verò præfectos ex ſingulis turmis, ac eos, qui captivorum majorem numerum adduxerunt ex reliquis, captivos accipere; Reliquos etiam promiſcuæ multitudinis Tartaros, per agmina ſua captivos inter ſe partiri, author eſt Broniovius *in Deſcriptione Tartariæ.* Ita tamen, *teſte eodem*, ut, antequam ad diviſionem eam Tartari deſcendant, ſingulis iis, qui equos, veſtes, vel quippiam aliud turmatim diſcurrentes amiſerant, in primis ſatisfaciant.

Num. 8.

(7) *Chriſtianos exercitus numero vincunt, &c.*] Etenim, *ut Thuanus ibidem addit*, ſi exercitum educere eſt opus, centum & quinquaginta millia Equitum (in ſingulis tuguriis tantùm relictis ſingulis viris, qui focos & lares tueantur) celerrimè conveniunt, quibus ſi Circaſſii & Aſtracani ſe conjunxerint, ducenta millia erunt & ampliùs &c. Et hæc quidem tempore Illuſtris & Experientiſſimi Thuani ſic obtinuiſſe credibile videtur, an verò adhuc Præcopenſes Tartari tantùm ab Aſtracanis auxilium ſibi tutò pollicere queant, poſtquàm plerique ejusmodi Tartarorum Hordæ cum Urbe Aſtracan in jus ditionemque Magni Moſcoviæ Ducis conceſſerunt, illi judicent, qui cum judicio hujusmodi Regiones perluſtrarunt, quibus lubentiſſimè lampada trado.

Num. 9.

(8) *Trahunt ſecum multum curri &c.*] Benè dicit Author noſter, *trahunt*: hujusmodi enim auriferos amnes aurum non generare, ſed è terra, quam rodunt, effoſſum, aut è fontibus in alveos derivatum ſecum vehere, ex Georgio Agricola *lib.3. de re metall. in fin.* & Conimbricenſibus *tr. 13. meteorolog. cap. 3.* Bernardus Cæſius *de Mineralibus lib. 5. cap. 2. Sect. 1. n. 1.* docet.

Num. 10.

(9) *Non eſt uniusmodi &c.*] Ita in regione, quam Marcus Paulus Venetus *lib.2.cap.37. Tebeth* vocat, incolæ Corallio pro moneta utuntur, in Provincia *Caniclu* (*idem lib.2.c.38.*) Moneta Tartarorum major ſunt Virgulæ quædam aureæ certum habentes pondus, & juxta pondus virgulæ eſt valor monetæ. Minor verò ex ſale conſtat. Coquunt enim Sal in caldario, & poſtea faciunt ex eo in formellis maſſulas parvas, quas conſolidatas pro moneta exponunt. In Provincia *Carajam* monetæ vicem lapilli quidam aurei & albi, qui in mari reperiuntur, obtinet, ut laudatus M. Paulus *cap. 49.* narrat. In Taurica ſeu Peninſula Chanus ejusdem propriam monetam habet, cupream vilem, quæ in oppido ditionis ejus Crimo cuditur, numos rotundos, quorum deni aſpra argentea Turcica, quæ groſſum unum vel minùs Polonicum efficit, æſtimantur. Nunc autem, pergit Broniovius *in Deſcript. Tartariæ*, cudebantur numi cuprei deargentati majores, qui aſpris quinque computabantur.

Num. 10.

(10) *Arboris cujusdam &c.*] Arborem hanc Marcus Paulus Venetus *lib.2.c.21.* Morum eſſe perhibet.

(11) *Inſignitur &c.*] Et quidem Haython *lib. 1. c. 1. Hiſtor. Rer. Orient.* dicit in forma quadrata, ſubjiciens, quòd ſi fortè illa moneta propter vetuſtatem incipiat devaſtari, ille verò, qui illam habuerit, ad regalem Curiam deportaverit, tunc pro illa detur nova. Nulli enim, dicente Marco Paulo *in loco jamjam allegato*, & Broniovio *loc. citato*, ſub pœna mortis in omnibus regnis & terris utriusque Chani, de quibus ambo ſcripſerunt, licet aliam cudere vel etiam expendere monetam, aut illam recuſare. Unde fit, ut non rarò negotiatores ex longinquis terris & regionibus ad Civitatem Cambalu venientes ſecum portent aurum, argentum, margaritas, & gemmas, & pro illis accipiant monetam regiam. Et quoniam hæc in terris ſuis non recipitur, commutant rurſus eam in imperio Magni Chani pro mercimoniis, quæ ſecum abducat.

(12) *Gajocano &c.*] Pro *Gajocano* legitur apud Boterum *in Relat. de Magno Chano*, Catacan, ſed de neutro Regno aut provincia quicquam apud Marcum Paulum aut recentiores ſive Geographos ſive Hiſtoricos, puto, aliquid legitur.

(13) *Porcellete &c.*] Monſ. de Rochefort *en Hiſtoire des Iles Antilles de l'Amerique art. 7.* vocat

vocat *Porcelaines* gallicâ in lingua & dicit multivarii coloris multivaria hæc conchylia exiſtere tantæ pulchritudinis, ut videatur, Naturam non niſi planè exporrectâ fronte ad creationem eorum deſcendiſſe. Eſſe autem omnia ſive majora ſive minora, ſive illuſtriora ſive minùs illuſtria, uniusmodi & quidem ovalis figuræ, quæ extremitates ſuas dentatas contrahant & quaſi ad interiores partes revolvant, tantique à Curioſis æſtimari, ea ut inſtar eorum, qui Flores nominibus propriis (*puta Imperatoris, Cæſaris, Duciſſæ, Ammiralii &c.*) ad demonſtrandum naturæ luſum inſignire ſolent, ea ſuo quæque nomine nominare inceperint ſimiliter.

Num. 11.

(14) *Regni Cathajenſis &c.*] Uti Trigautium & plerosque rerum Sinicarum peritiores putare, Catajum partem Sinæ eſſe, vel certè ad Auſtrum regna novem, cui juncta ad Boream regna ſex, quæ planè cum quindecim Sinenſis regni Provinciis non numero ſolùm, ſed ipſa quoque re conveniunt, certè nullam extra muros Sinenſes regionem certam, jam ſuprà innuimus; ita non poſſumus non huc annotare, quæ etiam Trigautius de Urbe Cambalu *cap. 5. cit.* habet: Sinæ, *inquit*, ſcriptis libris quoties Tartaros nominabant, LU dicunt, & Septentrionis plagam PA, nec ſolùm PE; Tartaris verò CAM, à nobis MAGNUS redditur: quam vocem ne ipſi quidem Sinæ ignorant: & quoniam eo tempore, quo ſe Tartari in Sinarum regnum intruſerunt, Rex Tartarus ſedem Pechini fixit, ideò CAMPALU appellavit. Et quoniam apud varios P conſonans in B commutatur, ideò CAMBALU cœpit appellari. Quanquam Sinæ, qui conſonante B ferè carent, etiam nunc CAMPALU pronunciant &c. Plura apud Kircherum *lib. 2. cap. 3. Chinæ illuſtratæ* vide.

(15) *China &c.*] Pro China ſive Sina Marcus Paulus *lib. 2. cap. 11.* Mangi ponit, quod regni Sinæ partes Meridionales; ut Catajum Boreales ſignificare, ex ſuperiùs dictis clarum evadit, & notat Kircherus *in China illuſtrata lib. 2. c. 3. § 1. & alibi.*

(16) *Margarita &c.*] Perhibent in Provincia *Cainclu* lacum eſſe, in quo tanta ſit margaritarum copia, ut pretium earum omninò vileſceret, ſi pro hominum libito aſportari permitterentur. Unde ſub capitis pœnâ cautum eſt, ne ullus in hoc lacu piſcari margaritas absque Magni Chani indulto præſumat. Marcus Paulus Venetus *lib. 2. c. 38.* Vide tamen Dn. Nieuhof *in deſcript. gener. regni Sinæ pag. 362. de Palude Cinchu.*

(17) *Sericum &c.*] Tempore Marci Pauli, uti ille *lib. 2. c. 11.* ſcriptum reliquit, nec dies tranſibat ulla per integrum annum, in qua non circiter mille quadrigæ ſerico oneratæ in Urbem Cambalu ab exteris negotiatoribus conveherentur, ex quo per ingenioſos Urbis artifices mira parabantur indumenta.

Num. 12.

(18) *Equitum &c.*] Scilicet Equitum, quos *Queſitam*, i. e. fideles Domini milites, qui corpus ſuum cuſtodiant, vocat. Hi Cuſtodias ſuas tali diſtribuunt ordine, ut cùm per triduum dux unus cum tribus millibus militum intra palatium Regem ſtipaverit, tribus ſequentibus diebus Dux alius cum aliis tribus militum millibus, qui interim quieverunt, hoc obeat cuſtodiæ munus, cui iterum Dux alius cum militibus ſuis ſuccedit; ſicque integrum per annum Cuſtodiæ hæc obſervetur conſuetudo. Non quod Regem tanta pericula maneant, cenſente M. Paulo *lib. 2. cap. 12.* ſed ut magnificentia ſua major appareat.

Num. 17.

(19) *Arcus & ſagitta &c.*] Narrat Nieuhoffius in Deſcriptione Legationis Batavorum Societatis Indicæ ad Magnum Chanum pag. 62. inter alios Tartaros, quos viderant legati, quempiam militiæ, tantâ ſagittandi arte percelluiſſe, ut ſagittâ arcu commiſſa præfixum ſcopum palmæ magnitudinem haud excedentem quinquaginta ſex paſſus diſtantem trinâ vice, ſic ut nunquam aberraret, trajicere potuerit.

Num. 18.

(20) *Polovvezos &c.*] Polowezi docente Matthia de Michovia *lib. 3. Chronici Polon. cap. 32.* fuerunt gentes, ſecundùm latus ſeptentrionale Euxini maris commanentes ultra Paludes Mæotidis, quos alii Gothos appellant: ultimò per Baiſſetum Imperatorem Turcar. A. MCCCCLXXXVI. exterminati, in Cherſoneſo & Inſula Tauricæ, quam vulgari Polonorum linguâ *Przecop* dicunt, à Tartaris Przecopenſibus occupata.

Num. 19.

(21) *Invaſerunt deprædati ſunt Ruſſiam &c.*] Cauſam hujus invaſionis *d.* Michovius *loc. cit.* rejicit in violatos & occiſos à Ruſſis Tartarorum Legatos, & auxilium intempeſtivè Polowezis latum. Duravit autem Tartarica hæc Servitus in Ruſſos usque ad tempora Baſilii & A. MD. per tria ferè ſecula, teſte Hornio *in Orbe Imperante in Ruſſia pag. 249. & in Arca Noe pag. 327.*

(22) *Poloniam &c.*] Vaſtationem Poloniæ & cæterorum Regnorum atque Principatuum in textu nominatorum Batho non Capitaneo, ſed Regi Tartarorum adſcribit Matth. à Michovia *lib. 3. c. 39.* In fine tamen addit non Bathum, qui tunc temporis rectà in Hungariam contenderat, ſed quempiam Petam nomine Tartarorum Principem cladem gentibus tuliſſe. Quod à veritate haud diſcrepare videtur. Tanta autem Potentia Tartarorum fuit, ut ingreſſi, ad quinquies centum millia pugnatorum recenſerentur. Sileſiaca ad Lignitzium clades, in quo Henricus Dux Lignitzenſis, Pappo Magiſter Crucigerorum, & alii eximii & bellicoſi viri occubuerunt, exinde æſtimari poteſt, quòd ſingulis occiſis, ſingulæ auriculæ à Tartaris præciſæ, IX. ingentes ſaccos expleverint. Pugnam ipſam & Ducis Henrici fortitudinem & fatum laudatus Author *d. loc.* graphicè depingit, ibidemque incantationes adhibitas à Barbaris refert, *inquiens:* Magna ex parte Tartaris cæſis, & in fugam ſpectantibus, quidam Tartarorum vexillifer, valdè magnum vexillum ferens, in quo *Chi* litera Græca depicta erat talis X. & in ſummitate haſtilis imago teterrimi & nigerrimi coloris cum barba prolixa, cœpit incantando, fortiter caput imaginis quatere, ex quo illicò fumus & nebula horrendi & intolerabilis fœtoris in Polonos diffuſa eſt, ut penè exanimati, & invalidi ad bellandum redderentur. *Ubi addit:* Hanc cladem univerſam Beatam Hedvigem, quæ cum Sororibus ex Trzebnicza in Croſna fugerat, per Spiritum horâ quâ acciderat cognoſcens, Adleydi Sanctimoniali revelaſſe. Et utinam noſtra ætas Tartarorum invaſiones planè ignoraret, neque in Moravia A. MDCLXIII. menſe Septembri crudelitatum acerbitates in ſenes & teneram puerorum ætatem exercitas, ſtupra & adulteria perpetrata,

trata, abductos vegetiores cum fœminis viros, exuſtos pagos villásve, temporis noſtri Hiſtoriarum monumenta loquerentur, ſed conſignatæ eheu! extant, & quotidie à Chani mancipiis luctuoſæ Poloniæ nuper invecta mala augebantur. Sed dedit DEUS his quoque finem!

(22) *Innocentius IV. &c.*] Summa Capita Legationis referente Michovio *lib. 3. cap. 43.* erant, veniſſe Nomine Papæ Legatos poſtulatum, ut Chanus DEUM univerſorum agnoſceret atque coleret, & eum, quem miſit, Jeſum Chriſtum, utq; gentem Chriſtianam crudeli nece quemadmodum in Polonia, Hungaria, & Moravia fecit, non perderet. Ad quod reſponſi loco tulerunt: Quod Chanus per quinquennium gentem Chriſtianam non invadere velit. In cujus rei fidem cum literis Imperatoris Tartarorum Legati redierunt. Sed mox Chanus Saracenis inſtigantibus Muhamedanam perfidiam conſtanter amplexus eſt, ut ſcribit Thuanus *lib. 67.*

Num. 21.

(23) *Duos præficiant rectores &c.*] Inde fit, teſte Marco Paulo Veneto lib. 2. cap. 22. ut cùm multa beneficia & privilegia paſſim concedant, plurimùm à populo obſerventur (*hi Barones*) & favor eorum ambiatur. Vix verò eſſe, ut non Princeps peccet, ſi patiatur ab aliis quàm à ſe officia & beneficia diſtribui, alibi in Notis ad Sceleratum Politicum *ad caput 39. pag. 443. ſeq.* oſtendimus, quæ hîc repetere ſupervacaneum duximus. Lectorem ejus rei admonuiſſe ſufficiat.

Num. 23.

(24) *Hordas &c.*] Ordas ſive Hordas Michael Lituanus *in fragmentis Nationes*; Martinus Bruniovius *in Tartaria Provincias*; Thuanus *lib. 67. Tribus* appellant. Quæ tamen omnia communionem quampiam ſive Reipublicæ cujuſpiam ſpeciem in latâ ſignificatione denotare videntur, ut tali modo à deſcriptione Authoris noſtri ſive potiùs Gotofredi *in Archontologia Coſmica* haud omninò abeant.

Num. 24.

(25) *Septentrionaliores &c.*] Adeò certum exploratumque à Phyſicis habetur axioma, Septentrionaliores animoſiores præ Auſtralibus eſſe, ut ea de re non ampliùs quæſtionem, an ſint? inſtituant; ſed ſolummodò circa cauſas indagandas cum aliis deſudent. Varias variorum adfert opiniones Honoratus Nicquetius *Phyſiognomia Humana lib. 1. cap. 16.* & inter illas videtur vel maximè probare eorum ſententiam, qui id fibroſo ſanguini earum gentium tribuunt. Qui Author videri poterit.

(26) *Germaniam tandem à Tartaris vaſtatum iri &c.*] Fortaſſis qui ea in opinione hærent, experentiæ ſuffragio adjuti ita cenſent. Sanè enim (quod mirum eſt,) ſemper imperia à Septentrione verſus Meridiem propagata fuiſſe Hiſtoriæ teſtantur. Sic Aſſyrii Chaldæos, Medi Aſſyrios, Græci Perſas, Parthi Græcos, Romani Pœnos, Gothi Romanos, Turcæ Arabes, Tartari Turcas fregerunt. Romani verò ultra Danubium excurrere noluerunt. Trajanus quidẽ extruxerat ad Belgradum ſeu Albam Græcam pontem, ut in Tranſylvaniam tranſiret; Attendens verò gentem nec facilè vinci, nec facilè acquieſcere victam, deſtrui mandavit. In Anglia vix Scoti poſt mille & ducentorum annorum pugnam devicti. Quid referam Hunnos, Scythas, Vandalos, Tartaros, Normannos, Moſcovitas, qui ſæpe in Aſiam, Europam excurrerunt victricibus ſignis? inquit Nicquetius *loco paulò antè citato.* An verò ipſi Tartari an alii, an verò ſub quarta, ad finem mundi duratura, Monarchia repræſentatum Imperium Romano-Germanicum à Daniele, & præcipuum ejus membrum Germaniam noſtram imperii delere funditus poterint, Ille noverit, qui omnia; Hic mala, ſi quæ Patriæ noſtræ imminent, clementiſſimè averruncet.

Num. 25.

(27) *Galgæ &c.*] Tartari, Bruniovio ab Authore noſtro laudato teſte, Chano viventi præficiunt fratrem, vel filium natu maximum, magisque idoneum Imperii ſucceſſorem, penes quem in pace belloque ſumma poteſtas eſt; hunc ut Galli Primigeniti Delphinum, Angli Walliæ Principem &c. ſic illi *Galgam* vocant.

(28) *Cajaceis, &c.*] Ut Ulanis, Murzis &c. *Cajacei* Chanorum Conſiliarii & præcipui officiales ſunt. Ita *Ulani* ii, qui ex Chanorum ſanguine antiquitus orti, ac ſi Chanorum legitima & ultima poſteritas defecerit in principatu ſuccedunt, & *Murzæ*, qui & *Murſi* & *Murzones* appellantur, eximiæ Nobilitatis viri.

(29) *Reditus annuos pecuniarios à captivis, &c.*] Faciunt huc, quæ Gotofredus *in Archontologia Coſmica lib. 2. de Imperio Magni Chani* de Tartaris notat. Suffurantur, *inquit*, homines Ruſſos, Polonos, Moldavos, Walachos & undecunque poſſunt ſolis parcentes Tartaris ſui ſanguinis. Unde Judæus quidam ad portam illam unicam Tauricæ Telonio præſidens, & innumeram hominum multitudinem importari illuc cernens, quærebat ex Polonis, utrum adhuc homines in regionibus ipſorum ſupereſſent?

(30) *Plura qui volet, legat &c.*] Nec non Hornium *in Arca Noe*, & *Orbe Imperante de Tartaria*, Dn. Nieuhoffium *in Deſcriptione Legationis Batavorum Societatis Indicæ ad Magnum Chanum*, & Olearium *in Itinerario ſuo Moſcovitico-Perſico vernaculâ noſtrâ conſcripto*, alios.

CAPUT XXI.

De Ærario, Potentia & Opibus Regis Perſiæ.

SUMMARIA.

1. Vaſtitas & Latitudo regni Perſici, *& quod ab Indo flumine ad usque* Euphratem *pateat, potentiam inſinuat.*
2. *Item opulentiſſimæ* merces, *ſericæ præſertim.*
3. *Quinque milliones auri annuè in* Ærarium Perſicum *illatos eſſe, ſcribitur.*
4. *Auxit ipſe* Rex, *ad octo usque milliones.*
5. *Solymannus, aliiq; Turcarum Imperatores Perſæ potentiam nonnihil minuêre.*
6. Georgiani *&* Armenii *Chriſtiani.*

7. Recu-

7. *Recuperavit iſta, acquiſivitq́, & auxit ſua, Rex* Abas *Perſa.*

8. *Quibus modis auxerit ærarium* Rex Abas.

9. *Copioſa huic Regi ſupellex aurea, ad oſtentationem, & ut neceſſitate premente ſignetur aurum, num. 10. & 11.*

12. *Munera ingentia* Regi Perſarum *oblata aurea & argentea, advecta 350. Camelis.*

13. Regis Perſarum *opes vix explorabiles, tamen duo argumenta ejus potentiæ afferuntur, & nu n. 1*

15. Tammas Sophus, *Rex Perſarum, ob ingentes alios ſuos reditus, ſuſtulit vectigalia 60000. tomanorum.*

16. *Provincia* Ipſana dat *70000. aureorum. Tantundem Provincia* Syras; *quæ tamen inter ditiores non cenſentur, quantum ergo aliæ opulentiores?*

17. Reditus *ingentes percipit ex ſuomet dominio, fructuum decimis, & fructibus minærarum, tabernarum, & ex donativis, confiſcationibus, &c. & num 18. & 19.*

20. *Percipit è* commerciis, *quæ ipſemet exercet, num. 22. & 23.*

21. Mercatorum *merciumq́ hisce locis abundantia. num. 22. & 23.*

24. *Nemini fas cum* Mercatoribus *contrahere, priusquam ab regiis omnia viſa & explorata, an in Regis uſum & mercatum ſint.*

25. *Quin ipſe Rex emit domeſticas merces pene omnes, commodo incolarum, & advenarum mercatorum.*

26. Perſarum *commercium cum Luſitanis aliisq́ Chriſtianis, nec non Mauris & Gentilibus.*

Sit ſua laus illis, maneant & præmia Famæ,
Qui magni Arſacidum referunt Exordia Regni,
Incrementa, Statum, Bellorum incendia, Cædes,
Et Studia & Mores: ſit quanta Potentia, Vires,
Et Nervi belli qui ſint: quô vincere Marte
Oſmannos ſolear, quòve aſtu caſtra ferocis
Sæpiùs evertat Turcæ, ſine clade ſuorum
Conglomerata manus Perſarum, neſcia vinci.

Aliud Poëtæ novitii.

Sericus in regno Perſarum pannus abundat,
Unio rorigena hîc gemmaq́ue multa nitet.
Cæruleus Sapphirus, perſpicuusq́ue Smaragdus,
Fulgens Chryſolithus, tuq́ue Hyacinthe rubens.
Littora cùm pareant quoque Mercatoribus æqua,
Perſicus hinc dudum nomina luxus habet.

1 REgis Perſarum opulentia ex eo primùm
poteſt æſtimari, quòd tam vaſtum terrarum ſpatium, tot Provincias, tantas Urbes poſſideat; &, ut teſtatur Petrus del Valle, *hodie regnum hoc pateat* (1) penè ab Indo flumine usque ad Euphratem, & in latitudinem circiter viginti gradibus inter Au-
2 ſtrum atque Arctum. Secundò ex opulentiſſimis mercibus, quæ in regno illius proveniunt, præſertim ſerico. Tantum enim conficitur in regnis provinciisque *Imperii Perſi-*
3 *ci pannorum ſericorum*, (2) ut non contenti duntaxat iis ſint incolæ atque cives, ſed & magnum eorum numerum in remotiſſimas regiones, in Ægyptum usque & Syriam divendant.

Communis eſt opinio omnium, (*inquit* Minadous *lib. 2. de Bello Turco-Perſico*) qui rerum Perſicarum notitiam habent, ſub *Ta-*
4 *maſi* (3) imperio quinque auri milliones annuos vel circiter in Regni Ærarium collatos fuiſſe: ipſe autem ſingulari uſus ſtratagemate, longè majorem eam ſummam effecit, ut ad octo milliones accederet. Edixit enim ſeveriſſimè, ut omnis generis monetæ duplo quàm antè pretio venirent, & paſſim ab omnibus eo valore expenderentur & acciperentur: ſuis quoque militibus eâ pecuniæ
æſtimatione ſtipendia ſolvit. Poſtea au- 5
tem ærarium imminutum fuiſſe, partim inde conjicere licet, quòd tot opulentæ ditiſſimæque regiones huic Imperio à Solymanno aliisque Turcarum Imperatoribus adem-
ptæ fuerunt, & inprimis Meſopotamia, Aſ- 6
ſyria & Erzerum: partim etiam, quòd Tributa à Georgianis & Armeniis (qui religionem Chriſtianam profitentur, in Perſas propenſi, Turcis infeſti) & aliis Regni ſubditis non perſolvuntur.

Verùm cùm ſatis conſtet, Superiorem
Regem Aban, (4) non modò hæc omnia re- 7
cuperaſſe, ſed & Provincias opulentas Imperio ſuo adjunxiſſe, ut *Lur*, *Candahar*, *Harmuzium &c.* par eſt credere, ingentem theſaurum quotannis in ærarium illius inferri.

Ut autem meliùs adpareat, quibus mo- 8
dis Rex Perſiæ Abas (*cùm pauca ſint in regno illius Tributa* (5) aut Vectigalia, aut ſaltem non magni momenti) immenſas opes in ærarium ſuum derivarit; operæ pretium me facturum ratus ſum, hîc inſerere memorabilem locum è Commentario del Valle, qui in Commentario ſuo de conditionibus
Abas Regis Perſiæ ita inſit: Regi valde pla- 9
cet aurum: quantumcunque aliunde in ipſius regnum infertur, id univerſum ſibi ſumit, juſto illius pretio perſoluto, *& ex illo efformari curat grandia vaſa*, (6) magni quidem ponderis, ſed levis operis, quorum copioſiſſimam habet ſupellectilem & grandisſimi valoris: quæ ſecum ducit, quocunque mo-
vet, atque adeò in caſtris, tum ut illis utatur, 10
& regiam magnificentiam oſtentet in publicis conviviis, ſecundùm regni conſuetudinem, extraneis, qui magno numero ad aulam ipſius ſolent accurrere: maximè verò,
ut neceſſitate urgente quàm minimâ jactu- 11
râ illud convertere poſſit in numos. *Hæc ille.*

Quod de aureis vaſis dictum eſt, verisſimum eſſe ſcribit Joan. de Laet *in Deſcriptione Perſiæ, fol. mihi 170. ubi refert*, tantam eorum in aula uſurpari atque exponi in ſolemnibus conviviis copiam, ut ſpectatores obſtupefaciat. Recenſet quoque ibidem,
Anno MDCXXIII. à Chano Schiras Regi 12
Perſarum fuiſſe oblata quadringenta ſexaginta quinque millia florenorum in paratâ pecuniâ; quadraginta & novem amphoras ex auro abſoluto; & duas ſupra ſeptuaginta ex argento; præter alia quàm plurima magni pretii, quæ à trecentis quinquaginta Camelis vehebantur.

Joan-

Joannes Boterus in generali cenſuum
theoriâ felix & facundus, *in Politiâ ſuâ Re-*
gia profitetur, ſe præciſè non ſcire, ad quam
13 ſummam ejus reditus accedant. Et profe-
ctò ita eſt, nemo in hunc usque diem *cer-*
tò ſcire potuit, (7) quousque proventus re-
gii ſe extendant; cùm ne ii quidem, qui in
eam unam rem omnibus ſtudiis incubue-
runt, ſimilia memoriæ prodiderint. Alii
14 ei tribuunt trium Millionum auri reditus,
alii quinque. Duæ autem res ſunt, quibus
perſuademur, ut non niſi opulentiſſimum
15 eſſe credamus eum Principem. Prior eſt,
quòd Tamas *Sophus* (8) Perſarum Rex, qui
patrum memoriâ regnavit, prohibuit, ne
ampliùs exigeretur vectigal ab iis rebus, quæ
importantur vel exportantur. Conſtitu-
erat autem anteà Vectigal iſtud XC. mil-
lia Tomanorum, id eſt, Auri Millionem
unam & DCCC. millia Coronatorum,
ſi *Tomanum unum XX. Coronatis* (9) æſti-
memus. Quod tam luculentum por-
torium Rex iſte ſine dubio non ſuſtuliſſet,
niſi aliunde multò majores habuiſſet pro-
ventus, quibus invitatus hanc peregrinis
16 mercatoribus gratiam fecit. Altera eſt,
quòd omnes Regni Perſici Provinciæ di-
viſæ ſint in ſeptem (ut loquuntur) *genera-*
litates, (10) quarum *Ipſana* ſolvit quotan-
nis DCC. millia Coronatorum, & *Syraſa-*
na tantundem, etſi non ſint opulentiſſimæ:
nam *Choraſana* & *Diargument* utramq; lon-
gè ſuperant; quarum illa *abundat metal-*
lis (11) gemmisque; hæc materiâ Sericâ.

17 *Unde igitur Rex ille percipit tantos the-*
ſauros, (12) cùm ſeipſum portoriis atque ve-
ctigalibus importatarum & exportatarum
mercium ſpoliaverit? Ex decimis fructuum,
ex ærifodinis, & ex cenſu pergularum atque
tabernarum mercatoriarum: quilibet e-
nim, qui erigere officinam aut tabernam
rerum venalium vult, tenetur ſingulis an-
18 nis Regi certam pecuniam perſolvere. Ex
donis quoque particularium, ex donatio-
nibus Communitatum ac Provinciarum,
confiſcationibus, ſimilibusque hamis, qui-
bus ingentem vim auri quotannis attrahit.
19 Poſtremò de Tributis exterorum Princi-
pum, qui Perſico ſubſunt Imperio, quales
ſunt Principes Tar, Candaar, Macran, Pa-
tan, Guadell, Georgiæ, & alii.

Inſuper commercia ipſe Rex exercet,
20 exindeque obvenientia lucra Ærario addi-
cit, ſalutari & maximè neceſſario Regno
ſuo conſilio. Solent continuò Provinciæ
illius frequentari à numeroſiſſimis Cara-
vanis, ut vocant, ſive numero mercato-
21 rum, qui ex Indiâ, Tartariâ, & aliis longin-
quis regionibus merces varias adducunt
immensâ copiâ: & tantus eſt mercium nu-
merus, ut difficillimè reperiri poſſint mer-
catores, qui univerſas emant. Nam ex-
empli gratiâ interdum adveniunt trecen-
ti *Cameli* (13) onuſti pipere; aliquot centeni
Cameli onuſti Turbantis, atque ad eundem 22
modum pluribus mercibus exoticis: ita
ut aliquot millia Camelorum quotannis
adducantur, & omnimodæ merces im-
menſo numero: quas & minutatim ven-
dere mercatoribus longum & magnæ ex-
penſæ foret. Quare Rex, ut hisce incom-
modis obviam eat, merces exoticas uni-
verſas ſimul emit, & in regno ſuo natas, aut
vendit, aut evehendas curat, magno tam 23
exterorum, quàm ſuorum commodo: con-
trahitque cum exteris pro immenſis ſum-
mis, eisque ſolvit partim numis, partim
mercibus Perſicis, aut etiam exoticis, quas
ſibi comparavit. Ita ut exteri brevi tempo-
re abſolvantur, & regnicolis quàm optimè
neceſſaria ſubminiſtrentur. Unde nulli fas 24
eſt cum exteris contrahere, antequam mi-
niſtri Regis, ad id deputati, merces luſtrave-
rint, & aut illas in uſum Principis emerint,
aut refutaverint, factâ aliis easdem emendi
facultate. Merces quoque, quæ in Regno
illius proveniunt, ingenti quidem numero,
ſed parcè in ſingulis locis; uti goſſipium &
ſericum, quorum penè ſinguli oppidani uni-
verſis urbibus aliquantum colligunt, à ne-
mine coadunari, præterquam ab ipſo poſ- 25
ſunt, inſigni oportunitate & compendio ex-
terorum mercatorum, qui hoc pacto ingen-
tem copiam, & aliquot navium interdum
onera (uti Anglos & Belgas facere ſatis con-
ſtat) brevi tempore, ab ipſo Rege poſſunt
comparare: & ſuorum quoque levamento,
quibus nihil neceſſe eſt, urbes ſuas egredi &
merces ſuas cum moleſtiâ & ſumptu aliò tra-
ducere. Petr. del Valle *d. comment. de con-*
ditionibus Abas Regis Perſiæ.

Veniunt & ſtatis temporibus anni ab 26
omnibus Perſici Regni Provinciis tota Mer-
catorum agmina *Armuſium*, (14) ibique
cum Luſitanis, aliisque Chriſtianis, nec non
Mauris Gentilibusque, qui eo loco habitant,
negociantur, advectis in eam urbem merci-
bus ſuis, auro, argento, gemmis, unionibus,
ſerico rudi & elaborato, pannis aureis & ar-
gentatis, aulæis, periſtromatis, ſive tapetiis
Perſicis, bubia tinctoria, alumine, thutiâ,
rhabarbaro, aquâ roſatâ, *equis pulcherri-*
mis, (15) aliisque mercibus innumeris, quas
mercatoribus facto cambio vel permutatio-
ne tradunt, ipſi viciſſim ab iis accipientes ve-
ſtes & togas pretioſas, caryophylla, cinna-
momum, cardamomum, gingiber, nuces
myriſticas, ſaccharum, ſantalum, lignum In-
dicum, ſtannea & porcellana vaſa, mo-
ſchum, *ambram*, (16) lignum aloës; & quis
omnia percenſere poſſet? Perſarum potiſſi-
ma navigatio eſt in Mari Caſpio; qui enim
ab Armuſio in Indiam navigant, faciunt
id conſciis & permittentibus Luſi-
tanis.

ANNO

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT XXI.

Num. 1.

(1) HOdie *regnum hoc pateat &c.*] Dn. Adamus Olearius in deſignatione Itinerarii Moſcovico-Perſici linguâ vernaculâ conſcripta *libro 5. cap. 1.* Author eſt, pertinere ad hoc regnum Perſicum, quicquid à Septentrione versùs Occidentem Mare Hircanum ſive Caſpium & Sinum Perſicum interjacet; ab Oriente versùs Occidentem verò Euphrates (*ſive Morat ſu*) & limites Candahar complectuntur. Quinimò exſurgere in partibus Caſpii Maris ad ejusdem dimidium usque circa Armeniæ montes; versùs Occidentem usque ad fluvium Ruth Chane Kurkhan (*olim Oxum dictum*) in hujus partibus Septentrionalibus Usbekes ſive Bucharenſes Tartaros, horum nonnullos quoque Perſiæ Regis tributarios eſſe. Et in ſequentibus inſtat, Boterum non minimum errare errorem, dum ſtatuit, hujus Regni ſpatium eſſe plus quàm XX. graduum ab Ortu ad Occaſum & XVIII. à Septentrione ad Meridiem. Cùm tamen in latitudine non plus quàm XII. graduum Æquatoris, in longitudine verò XX. graduum fiet, quod ibidem demonſtrat, & *in cap. 2.* Provincias hujus Regni principaliores ſequentibꝰ nominibus deſignat: Erak, (*olim Parthia*) Fars, (*olim Perſia in ſpecie ſic dicta*) Schirwan, (*olim Media Atropatia*) Kilan, (*olim Hircania*) Adirbeitzan, (*olim Media Major*) Thabriſtan vel Meſanderan, (*Hircaniæ Pars Orientalis*) Iran vel Karabach, Choraſan, (*olim Bactriana*) Sabluſtan, (*hujus Incolæ Paropamiſidæ Curtio à Paropamiſo parte montis Tauri dicuntur*) Sitziſtan, (*hujus Incolæ Drangæ dicebantur*) Kirman, (*olim Carmania*) Chuſiſtan, (*olim Suſiana*) Tzifire (*olim Meſopotamia*) ſive Diarbek. De quibus ipſe laudatus Olearius conſuli poterit.

Num. 2.

(2) *Pannorum ſericorum &c.*] Tradunt colligi quotannis pro ratione temporum decem ad viginti millia usque voluminum (vulgò **Ballen**) ſerici in Regno Perſiæ. Quorum voluminum quodlibet CCXVI. libras contineat. Solam Provinciam Kilani annis ubertate inſignibus octo millia voluminum; Schirwan tria milli; Choraſan tria millia; Meſanderan duo millia; Karabach duo millia, præter Georgiam, & ea, quæ alia loca contribuêre. Ex his præter propter ad mille tantùm volumina remanere, reliqua ſtanno, cupro, Anglicis Batavicísve pannis & aliis mercibus ex Anglia, Hollandia, Italia, India, Turcia, &c. permutari, aut pretio certo ſoluto divendi. Vide Olearium *lib. 5. cap. 18.*

Num. 3.

(3) *Tamaſi &c.*) Tamas hic A.C. MDLXXVI. fatis conceſſit ſexagenarius, cùm Regno præfuiſſet Annos XXXV. ferè inglorius. De quo legi poterit, præter Minadoum *lib. 2. Belli Turco-Perſici*, Olearius; quem, ut recentiorem & Perſiam ipſam luſtratum, eò lubentius in Additionibus ad hoc caput ſequi voluimus.

Num. 7.

(4) *Regem Aban &c.*] Laudat hunc Schach Aban Hornius *in Orbe Imperante in deſcriptione Regni Perſiæ*, dicens, quòd eo nullus, poſt Iſmaëlem Sophi, Major in Perſia Rex admotus, quòdque fuerit Princeps & prudentiâ & humanitate & rerum geſtarum magnitudine quibusvis comparandus. Cum eo Imperator Rudolphus (*pergit laudatus Author*) Anno MDC. fœdus contra Turcas pepigit: Hoc uno infelix, quòd proprium filium tanquam affectati regni falsò inſimulatum interfecit. Nec diu poſtea ſuperſtes fuit, & ætate & animi dolore fractus. Obiit autem, ut ſcribit Dn. Olearius *libro citato cap. 32.* Anno MDCXXIX. anno ætatis LXIII. regni XLV. Cùm, ut aliquo modo luctui ſuo ſatisfaceret, Nepotem ſuum Schach Sephi hæredem & ſucceſſorem regni ſui teſtamento declaraſſet. De quibus, ut & fortuna Abani in bellis maximè reſpiciente; Sephi verò, utrâque manu cruore repletâ in hunc mundum editi, crudelitate, & quàm ſæpè ille ipſe deteſtabile carnificis miniſterium occupârit, latiùs agit laudatus Olearius *à cap. 31. usque ad 35.* ubi *circa finem capitis 34.* tradit: Anno MDCXLIII. Schach Aban II. juvenem tredecim annorum ſceptra Regni Perſici tenuiſſe; huic verò A. MDCLXVIII. mortuo ſucceſſiſſe filium Schach Ismaël antè Schach Sophi appellatum, Anno MDCXLVI. natum, docet nos M. *de Sainte Marte en Eſtat d'Europe tom. 3.*

Num. 8.

(5) *Pauca ſint in Regno illius Tributa &c.*] Contrariantur huic traditioni ea, quæ Olearius *lib. 5. cap. 36.* de immenſis Tributis notat, ut inferiùs ex ejus ipſo citando loco patebit.

Num. 9.

(6) *Ex illo efformari curat grandia vaſa &c.*] Teſtis eſt Olearius, tunc ipſum Schach Aban vaſa menſæ, culinæ, pompæve inſervientia ex puro puto auro confecta ad tria millia & ſexcentum librarum reliquiſſe. Quibus adhuc ipſius poſteri in Conviviis ſolemnioribus ſuperbiunt. Imò Idem Author eſt *lib. 4. cap. 38.* Regum equis ex aureis crateribus potum præbitum, & glaciem ad refrigerandum potum in magnis vaſis aureis, quorum diameter ad ulnæ longitudinem ſeſe extenderet, ſervatam fuiſſe.

Num. 13.

(7) *Certò ſcire potuit &c.*] De incertitudine calculi, quem aliqui Authores Cenſuum & Redituum annuorum unius alteriúsve Regis, aut Principis, vel etiam Rerumpublicarum, ponunt, jam antea quædam diximus; ea propter ad alia pergimus.

Num. 15.

(8) *Sophus &c.*] Notum eſt, recenſeri hocce Regnum inter Quatuor Monarchias eminentiores, & inter illas quidem ſecundum obtinere locum, compararique in ſtatua Nebucadnezaris pectori & brachiis argenteis, *apud Danielem cap. 7.* urſo tribus dentibus prævalido & carnivoro, 8. arieti bicorni propter duo Regna, Medicum & Perſicum. Plures ac diverſos habuit Dominos: indigenas non ſemper, ſed aliquando etiã extraneos. Nam cùm Alexander ille Magnus Darium viciſſet, paruit aliquamdiu Imperium hoc Macedonibus,

donec ortâ inter eos diſſenſione Arſaces à Theodoto Bactrianorum Præfecto deficiens rerum ſummam ad Parthos transferret. Poſtea reductum fuit ad Perſas virtute Artaxerxis. Sed nec iſtius familia tenuit ultra IV. ſecula. Eripuerunt enim id Saraceni Caliphæ. Poſt ipſos tamen emicuerunt filii Bojæ, qui genus ducebant ex priſcis Perſarum Regibus, adeòque ab ipſo Dario Hyſtaspis, & veterum Regum tot jam ſeculis interruptam proſapiam inſtaurarunt, circa Annum Chriſti DCCCCXXXII. Hos excuſſerunt Anno MLV. Turcæ; Turcas Anno MCCLX. Tartari; Sed hos iterum circa Annum MCCCVI. Turcomanni, paſtoritius Armeniæ populus, dejecerunt. Tandem abhinc Anno MD. Sophiani avita regna recuperarunt, qui hodie regnant. Vocantur autem *Sophiani* & *Sophi*, Reges Perſiæ ultimi, à Sectæ ſuæ Authore *Schich Sophi*, à quo inde omnes, qui imperarunt in honorem Religionis, quam in Alcorano quidem fundatam, opinionibus tamen ac ceremoniis immane quantum à Turcis differentem colunt, & ejusdem nomen Saphorum gerunt. Deſcendere autem vocabulum in Arabica voce *Sophi*, quæ lanam ſignificat, Leunclavius alicubi tradit. Nam quum Muhammedani & præſertim Oſmanidæ, more veteri, Tulipanto lineo ſubtiliſſimi operis caput involvant, nova hæc ſecta præcipit inter alia, ne caput faſtu quodam lineis ejusmodi ſpiris ornent, ſed ut tegumenta Capitum è lana non magni pretii conficiantur, *vide notata ſuprà ad libri hujus primi cap. 5. num. 1. Not. 3.*

Num. 15.

(9) *Tomanum unum vigintiCoronatis &c.*] Ita Author noſter poſt Boterum, Gotofredúmve Tomanum unum viginti Coronatos valere ſtatuit; Dn. Olearius verò *in Itinerar. Moſco-Perſico lib. 5. cap. 6.* pagina mihi 559. ſeqq. Monetæ argenteæ ſpecies enumerans, inquit: hujusmodi ſunt: *Abas*, *Garem Abas*, ſive *Chodabende*, *Schabi*, & *Biſti*. Abas unum ratione Imperialis juxta monetam Miſnicam valet octo groſſos cum numis octo. Imperialis verò pendere poteſt quatuor Abas. Majores pretioſioresque merces *Tomainis* definiuntur, Tomainum verò quinquaginta Abas comprehendit. Si igitur ſupputetur ad noſtros florenos uſuales, quorum quilibet ſexaginta crucigeris conſtat, ſequitur valere Tomainum XXVII. florenos cum crucigeris quinque. Alibi tamen Olearius ipſe aliter Tomainum definit, quando *libro 4. cap. 9.* quòd LX. Tumain CCCCLX. Imperiales efficiant, dicit; ut ſic Tumain conſtaret Imperialibus ſeptem cum dimidio nec non quindecim crucigeris. Sed de his non opus eſt ut ſolliciti ſimus, cùm reditus hi mutatis Regibus & temporibus inſignem quoque paſſi fuerint mutationem. Ut paulò pòſt patefiet; Ubi notandum, ipſum Boterum pro Gotofredi XC. Tomanos LX. ponere.

(10) *Generalitates &c.*] Sequitur hîc iterum Klockius minùs tutos jam nominatos Duces. Uti enim certarum *Generalitatum* non facilè quis meminerit ex recentioribus & ocularibus teſtibus: Ita neque ſeptem, ſed tredecim in Provincias Perſia dispartita, nec Ipſana ſive rectiùs Ispahan & Isfahan Provincia; ſed ſolùm Provinciæ Erak metropolis Sophorum ſedes eſt. Similiter ſi per Syraſan, ut videtur, Schiran atelligit caput Provinciæ Fars & ex ruderibus Perſepolis extructam Urbem, non ipſam Provinciam eſſe, ex Oleario, & aliis limatioribus Authoribus conſtat. Diargument (quod notandum) vulgò à Geographis Meſandran appellatur.

Num. 16.

(11) *Abundat metallis &c.*] Metalli fodinas In Perſia, quæ quidem excoluntur, haud multas dari ocularis Teſtis Olearius *lib. 5. cap. 9.* vult. Ferrifodinas verò Maculæ & Kenztis, ſed exquiſitiſſimum ferrum Maſulæ, quod tam flexibile, ut fruſta minutiora etiam ſine igne malleo contundi queant, inveniri ſcribit. Reperiri quidem intra Serab & Mianem Auri Argentive venas, ſed ultra impenſas vix aliquod emolumentum ſperari poſſe, cùm vel maximè eo locorum ligna, quibus venæ excoquantur, non ſuppetant. Atq; hoc defectu laborare & alias Provincias in tantum, ut ſi vel venæ ſe offerrent, metalla tamè excoqui minimè poſſent. Gemmæ, quæ in hoc Regno effodiuntur & maximè circa oppidum Niſabur, Turchoides ſunt, Rubei, Smaragdi minùs tamen pellucidi, atque Granati, quæ vili plerumque pretio & emuntur & venduntur.

Num. 17.

(12) *Unde igitur Rex ille percipit tantos theſauros &c.*] Unde Rex tantos Theſauros colligat, docet noviſſimè Olearius *libro quinto, capit. trigeſimo ſexto;* verba ejus Latinè ſic ſonant: Annui Reditus, quos Rex percipit, tanti ſunt, ut juxta ſupputationem nonnullorum indigenarum ad octo milliones Imperialium asſurgant. Etenim non ſolùm Provinciæ atque Urbes ingentia tributa pendunt, ſed & vectigalia, gabellæ, nec non munera maximopere ærarium ejus augent. Perhibent, divitem Provinciam Candahar ſolam quoad cenſus, vectigalia, aliáſve obventiones præter propter Imperialium millionem unam conferre. Nec minorem ſummam Iruanem & Babyloniam inter ſe junctam. Calculo ex Codice Rationario Cancellariæ ſubducto apparuit, ſuburbia, vicos, atque pagos circumcirca Ispahan per annum unicum quadraginta millia Imperialium contribuiſſe. Atqui hujusmodi pluribus oppidis iisdem Negotiationibus deditos Perſia ſuperbit. Tempore Schach Tamas, ut multæ provinciæ ipſi ereptæ, ſic multa vectigalia ſublata fuerunt, quæ, Abas reſtauravit, Seſique plura adinvenit. Conſtitutum eſt, ut non tantùm in aditu & limitibus, ſed & in meditullio Regionis præſertim Emporiis hinc illinc, ubi transitus anguſtior atque pontes reperiuntur, quilibet, ſive indigena ſive exterus ſiet, vectigal aut pedagium ſolvat, mercimonia quoque, prætprimis ſericum haud parum gabellarum auferunt. Solvuntur enim Regi pro quolibet volumine ſive balla ſerici in terris ſuis collecto Imperiales decem. Kilan octo millia convolutorum ſerici; Maſanderan duo millia; Schirwan tria millia; Georgia Armeniáve quinque millia, Karabach duo millia convolutorum, præter Choraſan, nec non alia loca (quæ quidem tantis divitiis non pollent, attamen haud exiguas portiones reddunt,) confert. Pro quolibet Equo ſive mulo vendito, Rex unum abas ſive groſſos Miſnicos octo & numos octo: Pro aſino partem dimidiam: Pro bove Didrachmam; Pro ove qualibet, quarum multa centum millia in hisce regionibus venduntur unũ Kesbeki ſive numos novẽ accipit. Carawanſeræ i.e. Di-

Diverſoria in Urbibus, quæ mercatores maximè incolunt, quinquaginta millia Imperialium penſitant. Horum in ſola Urbe Ispahan vinginti quatuor, quorum quodlibet duobus imò tribus millibus Tumainorum cenſetur, numerantur. Inſuper merces quælibet gabellas, fluvii piſcinales Kiliani viginti quinque millia Imperialium; Fontes Naphtæ (quæ quoddam bituminis genus) quatuor millia Imperialium; Balnea & Lupanaria ultra Auri tonnam; Horti pro irrigatione & quidem pro ſpatio longitudinis quadraginta, & latitudinis triginta unarum unum Abas ſive octo groſſos Miſnicos cum octo numis ſolvunt. Præterea perhibent unicum rivum Senderud in Ispahan ſedecim millia Imperialium tribuere. Armenianorum Chriſtianorum, quorum hiſce in terris aliquot centum millia vivunt, capite cenſi quilibet duos Imperiales confert.

Omnes & ſinguli rei alicui operam dantes, qui ſine ſtipendio Regis vivunt, ad exſolutionem ingentis tributi adſtringuntur, adeò ut nec Obſtetrices, aut aliæ res, quas ſuis nominibus exprimere Olearius nequit, vacuæ à cenſu ſint. Denique Chani aliive quotannis oblatis donis ærario proſunt. Cùm, ut olim, ſic & hodiè ſine dono etiam minimo, res ſuas coram Rege agere permiſſum nemini ſit. Et hi Ærarii Regii canales ſunt, per quos divitiæ, imò ſuccus & ſanguis Regionum ad illud derivatur. &c.

Num. 21.

(13) *Cameli &c.*] Si quilibet Camelus, *ſupputante Botero in Relatione de Regno Perſiæ*, onus mille pondo ferat, facilè de copia mercium, quæ huc aſportantur, quilibet vel mediocris ingenii homo judicium ferre poterit.

Num. 26.

(14) *Armuſium &c.*] Armuſium vulgò Ormuz veteris Carmaniæ regni pars, ejusdemque Nominis emporium, quod continebat, ob mercimonia ibidem frequentata, nec non commoditatem ſitûs ſui adeò celebrabatur, ut Arabibus in proverbium abiiſſe ſcribat Boterus *in Relat. de Regno Hiſpaniæ.*

Si terrarum Orbis quaqua patet, annulus eſſet,
Illius Armuſium gemma decusq; foret.

Ejus Regem Anno MDCVII. Luſitani ſibi ſubjecerunt, ipſi poſtea iterum à Perſarum Rege Schach Aban Anglorum auxilio, Anno MDCXXII. exturbati inſulâ, & Urbe Ormuz, quæ regni caput erat, expugnatâ &, (ut Johann Jacob Mercklein *in deſcriptione Itineris in Indiam Orientalem emenſi*, vult,) in tantum everſâ, ut locum Inſulámve pauci tantummodo piſcatores incolant. Narrat Boterus *in Relat. de Regno Perſiæ*, Tamaſum (*de quo ſuprà aliquid dictum*) ipſum, cùm aliquando inſtigaretur, ut expeditionem in Ormuzium ſuſciperet, rogaſſe, quid ea in Inſula creſceret, num frumentum, fruges, fructus, aut quid aliud boni? cùmque intellexiſſet, fundum Inſulæ ſterilem, omniumque rerum eſſe inopem, ſed commercio valde conducere Inſulam, ideoque magni momenti eſſe, neglexiſſe irriſiſſeque eos, dicentem ſe ſuis populis XC. Tumainorum millia talis reditus remiſiſſe. Sed mutato regno Sopho ejusque ſceptro in Aban translato mens quoque & opinio mutata fuit.

(15) *Equis pulcherrimis &c.*] Equos apud Perſas præſtantiſſimos eſſe, veloces in curſu, longi ſpiritûs, culturâ faciles, inter pugnandum acres, domi mitiſſimos ideoque inter eos ingentis pretii, quippe pleroſque M & MCC. ſechimis & ampliùs venire, Teſtis eſt Thuanus *Hiſt. lib. 67. pr.*

(16) *Ambram &c.*] Tot ſunt de Ambræ materiæ Authorum diverſæ opiniones, ut Klobius *in Hiſtoria Ambræ*, diſcrepantiam & diſſenſum circa eum, pelagum controverſiarum undis pleniſſimum appellere non dubitet. Sunt enim qui Ambram *nativam* reperiri *negant*; Sunt qui ſcribunt eſſe *ſpumam maris*; alii *jecur cujusdam piſcis*; alii *ſpermam ceti*; alii *fructum arboris* ſub mari creſcentis; alii *Camphoræ ſpeciem* eſſe ajunt; *Naphtæ ſpeciem* alii; alii *gummi* quoddam; alii cenſent quod ambra generetur in mari in *ſpeciem fungorum* & à fluctibus maris in littus ejectari; alii Ambram *gemmam* quandam eſſe arbitrantur; alii verum & nativum *ſulphur*; alii *terram*; alii autumant quòd ex quodam *fructu ad maris littus* naſcente fiat; alii quòd ſit *manatio fontis* in mari ad inſtar bituminis; alii quòd *ſuccinum*; alii quòd *excrementum beluæ* cujusdam marinæ; alii quod ſit *recrementum Balenæ*; Denique Klobius putat illorum opinionem veriorem eſſe, qui cenſent Ambram *fimum* eſſe *Avis* (cujus nomen, linguâ Madagaſcariâ *Aſchibobuch*, Inſulanorum verò de Inſulis Maldivis *Anacangris paſqui*) Indiæ Orientalis odoratiſſimum, ad varios uſus in Medicina maximè ſalubre medicamentum.

CAPUT XXII.

De Ærario Magni Mogolis.

SUMMARIA.

1. Mogoles Indiæ Reges *unde primitùs oriundi: Contermini Perſis: Cum quibus bello de Imperio & religione contendunt*, n. 2. & 3.

4. *Magnus* Tamerlanes *Samarcadâ oriundus.*

5. Luſitani *hunc Regem cogunt indigniùs.*

6. *Per* Anglos *&* Belgas *nunc eſt Securior.*

7. *Clades* Luſitanorum *accepta hic à Belgis.*

8. *Poſſidet* 37. Ditiones *&* Regiones; *unde ejus potentia æſtimanda.*

9. *Quod quis in regno hoc poſſidet*, Regis *liberalitate poſſidet.*

10. Hæres *eſt ſummorum infimorumq;, ſumit de bonis defunctorum pro arbitrio*: Regimen *ejus merè tyrannicum.*

11. *Accipit* donaria *immenſa ab internis & externis quotidiè. Ubi jucundo exemplo id illuſtratur*, n. 12. & 13.

14. *In oppido* Surate *vectigal accipit ad vigeſies centena millia mamudeorum, item oppidi* Brochiæ 126000. *mamudeorum*, num. 15. & 16.

17. *Univerſus* cenſus Regis *facit* 150. *Tonnas auri.*

18. Avus moderni Regis *moriens, quantum theſaurum reliquerit*, n. 19.

20. Parens moderni Regis *quantum reliquerit: In numiſmate aureo. In numiſmate argenteo: In* gemmis *&* monilibus *omnis generis*, num. 21. 22. & 23.

24. Gladii, vaginæ, manubria, pugiones, &c. *omnia hic pretioſiſſima ad luſum*, numero 25. & 26.

27. Umbellæ *quibus Solis ardorem arcent.*

28. Vaſa *argentea & aurea, &c.*

29. *Annulis incluſæ* gemmæ *pretioſiſſimæ infinitis.*

30. *Quibus arcibus ingens hic* Theſaurus *asſervatur.*

31. *Quantam hæreditatem ab unico Principe defuncto hic* Rex *acceperit.*

Serica materia & goſſipl magna paratur
Hoc regno, gemmæ pretioſæ, & aromata odora
Divitias augent Magni Mogolis opimas.

MAgni *Mogoles*, (1) ſive hodierni Indiæ
Reges & Monarchæ gloriantur, *ſe de-
ſcendere à famoſiſſimo* (2) illo Tartarorum
Imperatore *Tamerlane*; (3) qui natus erat è
proſapia Chingvis-kan Regis Tartariæ;
non autem è vili genere, ut quidam perpe-
1 ram tradiderunt: Et communis opinio
eſt, Mogoles Tartariâ oriundos eſſe, pro-
diiſſeque ex eâ regione, quam *Maſſagetæ*
(4) inhabitarunt, qui invicti roboris in armis
fuêre; nam cùm nunquam ſub alieno Im-
perio fuerint, ipſi ampliſſimorum regno-
2 rum dominium ſibi paraverunt. Conter-
mini ſunt Perſis ad flumen Oxum, conten-
3 duntque ut plurimùm cum ipſis bello, tum
4 de Religione, tum de Imperio. Eorum Ci-
vitas metropolis eſt *Samarcanda*, (5) unde
Magnus Tamerlanes prodiit. Noſtro ævo
5 *Luſitani* (6) hunc Regem indigna pati non-
nunquam coëgerunt, quia ipſe claſſibus de-
ſtituebatur, & ſubditos rerum maritimarum
minùs peritos habebat: tamen de dominiis
illius quicquam decerpere non poterant, li-
cet arcem & oppidum *Diul* (7) jam à multis
annis ad oram Regni illius poſſederint. Poſt-
quam autem jam portus ſuos *Anglis & Bel-
6 gis* (8) aperire cœpit, & ad commercia in
Regno ſuo exercenda eosdem admiſit, lon-
gè ſecuriorem ſe à Luſitanis præſtare poteſt;
Neque enim ipſis hodiè tam facilè eſt, lybur-
cis ſuis præcipuos illius portus obſidere, &
ipſo aut invito, aut connivente à Subditis
illius, qui exteras regiones navibus inviſunt,
vectigalia extorquere: quum jam aliquoties
tàm ab Anglis quàm à Belgis malè accepti
fuerint Luſitani, &, cùm antecæteros p rtu-
7 bus hujus Regis arcerent, ipſi prohibiti & in-
ſigni clade repulſi ſunt.

Opulentia verò hujus Principis æſtima-
ri poteſt Primò *ex amplitudine Ditionum &
8 Regnorum*, (9) quæ poſſidet, (quarum ſeptem
& triginta recenſet Joan. de Laet *in Topogra-
phica deſcriptione Indiæ veræ, fol. mihi 4. &
ſeqq.*) quæ ſi benè conſideretur, longè major
eſt, quàm ſit Imperium Perſarum, & par Im-
perio Turcico, ſi non amplior.

Secundò ex eo, quòd nullus in ipſius re-
gno quicquam poſſidet, niſi ex ipſius libe-
ralitate, & quamdiu ipſi placet; & quòd 9
omnium *non modò Magnatum, ſed & infe-
riorum hæres* (10) eſt ipſe, & tantum ex re- 10
lictis defunctorum bonis ſibi ſumit, quan-
tum ſibi allibuerit. Nam cùm Rex ſolus
ſit Dominus ſoli, pro libitu omnes donat &
adimit agros ſubditis ſuis: Magnates quoq;
crebrò locum mutare cogit, ſimul cum ter-
ris, quas ipſis in cenſum attribuit, tenuiores
verò & plebem ita vexat, ut ſæpè ſingulis ſe-
meſtribus agros mutare cogantur.

Tertiò ex immenſis donariis, quæ quo- 11
tidiè ipſi non modò à ſubditis, ſed ab exte-
ris Principibus donantur: Cujus rei illu-
ſtre exemplum commemorat Thomas
Roëus Eques; nimirum ipſo *Legatione no-
mine Magnæ Britanniæ Regis* (11) apud hunc
Principem fungente, à Rege Biſampores
ſive Viſiapores per Legatum huic Principi
ſubmiſſos fuiſſe triginta ſex pulcherrimos
Elephantos; quorum duobus catenæ erant 12
aureæ pondere quadringentarum librarum
auri abſoluti; binis itidem ex argento, re-
liquis ex ære. Quinquaginta equos ſum-
ptuoſiſſimè ornatos; denique monilia, pu-
ta uniones & rubinos ballaſios, quæ de-
cem *Lackis rupiarum* (12) fuerunt æſtimata.
Idem Roëus Eques refert, ſe à Præfecto
Patanenſi accepiſſe, præter alios Regum re-
ditus, quotannis à ſingulis Præfectis Pro-
vinciarum aut oppidorum certum cen-
ſum in Regis Ærarium inferri. Quid mul- 13
tis? nullus ſine munuſculo aliquo Regem
accedit.

A Belgis obſervatum reperitur, vecti-
gal Regis in oppido Surate, quotannis a- 14
ſcendiſſe ad vigeſies centena millia mamu-
deorum. Idem notant, vectigalia oppidi
Borchiæ quotannis Regi reddere 1260000.
mamudeorum, (13) id eſt, ſi ad noſtrum cal- 15
culum reducas, 672000. Carolinos; oppi-
di autem Broderæ vectigalia 400000. ma- 16
mudeorum ſive 213333. florenorum no-
ſtratium: Univerſum autem cenſum vecti-
galium Regni Guzeratenſis ut plurimúm 17
conficere *centum quinquaginta tonnas auri*,
(14) ut noſtri loquuntur.

Achabare, (15) Principis, qui hodiè re-
rum potitur avo decedente, rationibus ac- 18
curatè ſubductis, conſtitit, theſauros ipſius,
in auro, argento, ære facto atque infecto, in
gemmis ſupellectile omnis generis aſcendiſ-
ſe ad XXXIV. Caroras, LXXXII. Lackas, &
XXVI. mill. CCCLXXXVI. Rupias: Quod
latiùs explicat Joan. de Laet *in deſcriptione
Indiæ veræ tit. 7. fol. 144. & ſeqq.* Univerſus 19
hic theſaurus, ſi ad calculum noſtratem revo-
cetur, computando ſeſqui florenum noſtra-
tem ſive thalerum in unamquamq; rupiam,
efficiet aureos Carolinos ſive florenos 522.
519.579.

Wil-

Wilhelmus Havvkinus Anglus,qui ali-
20 quot annis in aulâ hujus Principis vixit,
theſauros Selimi, qui parenti ſuo Achaba-
ri in Imperio ſucceſſit, recenſet in hunc mo-
dum.

In numiſmate aureo.

21 Seraſinorum Achabaris, quorum ſin-
guli valent decem rupias, erant LX. Lackæ.
Alterius numiſmatis, cujus unumquodque
valet mille rupias,erant XX. millia. Tertii,
quod dimidium tanti valet, X. millia. Quar-
ti, quod XX. tolos pendet, XXX. millia.
Quinti, quod X. tolos, XX. millia: Sexti,
quod V. tolos, quale Rex hic cudi juſſit, L.
millia.

22 In numiſmate argenteo.

Primo Rupiarum Achabaris XIII. Crou,
ſive cIↄ CCC. Lackæ. Secundo numorum,
quos Selimus cudi juſſit, pondere C. Tolo-
rum, L. millia. Tertio ponderis quinqua-
ginta Tolorum, una Lacka. Quarto ponde-
ris XXX. Tol. XL. millia. Quinto ponderis
XX. Tolorum, XXX. millia. Sexto ponderis
X. Tolor. XX. millia. Septimo ponderis V.
Tolor. XXV. millia. Octavo numorum,
quos vocant Savoy, qui pendent Tolum u-
num & quadrantem, duæ Lackæ. Nono nu-
morum, quos vocant Lagaries, quorum
quinque pendent ſex Tolos, una Lacka.

23 In gemmis & monilibus omnis
generis.

Primo Adamantum infectorum & di-
verſæ quantitatis, ita tamen ut nulli minùs
pendant quàm duo *ceratia* (16) cum dimi-
dio, ſeſqui Batman. (Batman autem ut ſuprà
efficit libras Anglic. LXXXII. cum dimidia.)
Secundo Rubinorum Ballaſiorum, diver-
ſæ quantitatis & conditionis duo millia.
Unionum omnis generis XII. Batman.
Rubinorum omnis generis duo Batman.
Smaragdorum V. Batman. Gemmarum è
Cathaia, quas vocant Eshime, magnique
faciunt, quinque millia. Corallii, Topaſio-
rum, & ſimilium gemmarum vilioris pretii
infinitus penè numerus.

Gladiorum, quorum manubria & va- 24
ginæ pretioſiſſimis gemmis diſtinguuntur,
bis mille ducenti. Pugiones duorum ge-
nerum, bis mille. Tympana, quibus in au-
cupio equites utuntur (quorum quædam
ſunt ex auro abſoluto & gemmis diſtincta) 25
quingenta. Monilia, quæ Capitibus ſuis
aptant, & iisdem plumas inſigunt, magni
pretii, duo millia. Sellæ equeſtres, ex auro
atque argento & gemmis variegatæ, mil-
le. Lanceæ prægrandes (Teukes ipſi vo- 26
cant) auro obductæ, quarum cuſpides
gemmis ſunt diſtinctæ, viginti quinque,
quas loco ſignorum Principi ad bellum
egredienti præferunt. Umbellæ ſive Ca- 27
nopea, quibus Solis radios arcent, (ſoli
Principi his uti fas eſt) viginti. Throni re-
gii, duo quidem ex auro, tres verò ex argen-
to fabrefacti: Sellæ aliæ, ex argento cen-
tum, ex auro quinque. Specula opulentiſſi-
ma ducenta. Oenophora elegantiſſima &
gemmis ornata centum. Scyphi quingenti,
quorum quingenti è pretioſis gemmis facti.
Aliorum vaſorum argenteorum, puto pati- 28
narum, paterarum, amphorarum & ſimili-
um pondus duorum millium Batman; au-
reorum autem mille. Annulorum, quibus
omnis generis pretioſæ gemmæ continen- 29
tur, numerus incertus eſt. Atque ingens hic
Theſaurus in una arce Agrenſi recenſetur:
habet præterea & alios in arcibus Gnaliar, 30
Narvar, Ratambor, Haſſere & Rougtaz ſive
Rotas; longè autem maximum in arce La-
horenſi. Idem narrat, ſe in aulâ agente, Re- 31
gem hæreditatem cepiſſe Principis *cujuſdam
Gentilis*, (17) Ragæ Gaginat, in cujus the-
ſauris præter gemmas & monilia inventæ
fuerint LX. Maunæ auri. Maunæ autem ſin-
gulæ pendent LV. libras.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT XXII.

(1) MOgoles &c.] Regnum Mogor, quod incolæ, (qui literam R exprimere nequeunt) Mogol dicunt, ſcribente Athanaſio Kirchero *in China illuſtrata cap. 5.* inter Indum & Gangem ab Occaſu & Ortu, quod *Indoſtan* vulgò dicitur, concluditur; à Meridie partim Oceano, partim Regno Decan; à Borea Usbec, Tebeticis montibus, & Regnis Smiagar, Caparnague, Radoc, ab Ortu Necbal Regno terminatur; ob amplitudinem & potentiam Regum, Imperii nomine haud indignum, omnibus ad vitam delicioſè ſuſtentandam egregiè inſtructum, climate, ut refert Henricus Roht, *in relatione rerum notabilium Regni Mogor*, adeò calido eſt, ut ſeptem ipſis menſibus ne nubecula quidem cœlum obtegat; reliquis quinque menſibus tanta agrorum, neglectiſſimè etiam cultorum eſt fertilitas, ut præter cæteros innumeros fructus, bis meſſem maximè orizam copioſam & præſtantem, præferant.

(2) *Se deſcendere à famoſisſimo &c.*] An revera hodierni Mogoles à Tamerlane deſcendant, dubium me redderet, quòd aliqui ſcriptorum narrent duos, quos ex uxore ſuâ Bactriani cujusdam Reguli filia ſuſceperat filios, neq; ad percipiendam regnandi voluptatem, ut loquitur Perondinus *c. 26.* neq; ad propagandam ſobolem diu patri ſuperſtites extitiſſe, regnisq́; privatos atq; ſpoliatos, imperio alieno ſubjectos fuiſſe, niſi tam conſtanter Indorum Annales, uti ex de Laet *in deſcriptione Indiæ veræ* conſtat, communiter traderent, ea, quæ Author noſter, nec non Hornius *in Arca Noe p. 315.* de Babur unum ex Tamerlanis poſteris ejúsve ſucceſoribus, narrant.

(3) *Tamerlane &c.*] Hunc Scytharum ſive Tartarorum Imperatorem, qui propter inauditam animi feritatem atque ſævitiam portentoſaſque vires ORBIS TERROR & CLADES ORIENTIS appellatus fuit, non rectè à noſtris *Tamerlanem* & *Tamburlanem*, ac Græcis *Temirem* vocatum, à Turcis plerumque *Temirem*, vel *Temur Chanum*, quod regiæ dignitatis eſt nomen, dici ſolere, ac ſi nominaretur Hiſpanorum more, *Don Temir*, Joh. Leonclavius *in Pand. Hiſtor. Turcicæ pagina 133.* Author eſt, additque ibidem; Significare vocem *Temir* ſive *Temur* ferrum, i.e. gladium; Tataros eum propter ſucceſſus rerum proſperrimos *Temir Cutlu* cognominaſſe, hoc eſt ferrum ſeu gladium felicem. Nonnunquam tamen *Temir-Lancum* appellari, quòd Temirem claudum ſignificet. Eo quòd vel caſu vel ex vulnere ipſi inflicto claudicaret. De quo Laonicus Chalcondylas *libro 3.* Jovius *Elog. libro 2. in vita Tamerlanis*, Thuanus *Hiſtor. libro 67.* qui planè novam vocis derivationem adfert, conſuli poterunt. De Origine ejus duæ inter ſcriptores Hiſtoriæ, ejusdem opiniones ſunt Achmed enim Arabſiades, qui teſte Hornio *in Orbe Imperante in Tartaria pag. 296. ſeq.* res geſtas Tamerlani linguâ Arabicâ ſcripſit. Eum ex obſcura familia pauperem, latronèm; Emirkond Perſarum Hiſtoricus ex Regia Chinguis Chanis familia, cujus majores perpetuâ ſerie ſummi militiæ in Scha-Jadaia Duces fuiſſe vult. Priori opinioni adſtipulantur Neoterici Scriptores plerique, & præter citatos Petrus Perondinus *in vita ipſius c. 1. & 2.* Poſteriori Author noſter, ut & Hornius *in Arca Noe pag. 311.* Sed quicunque fuerit Tumur, id ſatis conſtat, eum ſcientiâ rei militaris (*verba Cromeri ſunt de orig. & reb. geſt. Polon. lib. 15. pag. m. 645.*) & felicitate eò potentiæ provectum, ut duodecies centena millia hominum haberet in exercitu; ac Turcis profligatis, Imperatoreque eorum Bajazete capto, & in ferrea cavea feræ in modum circumvectato, & Iberiâ, Albaniâ, Armeniâ, Perſiâ, Meſopotamiâ, Aſiâ, & Ægypto incredibili celeritate vaſtatis, orbem terrarum terrore ſui nominis impleverit.

Num. 1.

(4) *Maſſagetæ &c.*] Maſſagetarum, olim populi Scytharum nobiliſſimi, fines ita deſcribuntur ab auctoribus, ut à Septentrione Oceano, ab Occaſu Obio & Rha ſive Volga amnibus, à Meridie Caſpio mari, & Oxo fluvio fuerint incluſi. Et ab his ipſis populis Cyrus Perſarum Rex unà cum exercitu extinctus eſt.

Num. 4.

(5) *Samarcanda &c.*] Scilicet Tartarorum Zagataienſium, qui Maſſagetis ſucceſſerunt. Quod autem Maracanda ſive Samaracanda Temuris patria fuerit, teſtimonio ſunt victoriæ, hoſtium manubiæ, prædæque ingentes, quibus eam donavit, & longè ſupra cæteras Orientis urbes locupletavit Tamerlanus, uti argumentatur Perondinus *in vita ejus cap. 2.*

Num. 5.

(6) *Luſitani &c.*] Primi Luſitanorum, imò verò Europæorum, qui terras Orientales juſſu Johannis eo nomine Secundi Luſitaniæ Regis explorarent, Bartholomæus Diacius atque Antonius ex Franciſcorum ordine fuerunt. (*Mariana de reb. Hiſp. lib. 25. cap. 11.*) Hos Petrus Couillanius & Alphonſus Paiua inſecuti ſunt; Tandem ſub Rege Emmanuele, qui Anno MCCCCXCV. ad regnum pervenit, Anno MDXXI. illud cum vita reliquit, auſpiciis Vaſci Gammæ ad interiora (*Mariana de reb. Hiſp. lib. 26. cap. 17.*) Indiæ Orientalis ipſi quoque Luſitani penetrarunt. Inſequentibus annis non ſolùm in continenti multa munimenta & caſtella extruxerunt, ſed etiam Urbes in poteſtatem redegère plures; quæ omnia partim adhuc poſſident, partim iterum amiſerunt. Inter quas plures Belgæ ſui juris fecerunt, & commercio in iis Luſitanos planè excluſerunt. Sic ut multis retro annis Belgæ plures naves, aromatibus omnis generis, (ſolâ Canellâ ſive Cinnamomo exceptâ,) onuſtas acceperunt, quàm Luſitani, & commercia Indiæ ad ſe traduxerunt; plures Portugallorum naves mercimoniis Indicis repletas aut ceperint aut depreſſerint. Præter ingentia damna, quæ Luſitani paſſi ſunt ſuperioribus annis, Caraquis aliquot aut mari hauſtis aut ad littora Galliæ fractis, unâ quoque opulentiſſimâ à paratis Mauris haud ita nuper interceptâ, dicente authore in Commentariolo de Regis Portugalliæ regnis & opibus *pag. 190.* ubi paulò antè Oppida & caſtra, quæ Rex Portugalliæ in Aſia atque Indiæ partibus poſſidet, ex Nicolao d' Oliveyra & aliis enumeraſſet.

(7) *Diu &c.*] Urbs & Inſula Dium (*inquit Linſchotanus*) exiguo intervallo à continente disjuncta LXX. leucis abeſt à flumine Indo, & XXI. gradus ab æquatore, olim Cambajæ Regi paruit: Portugalli autem primùm Rege concedente hîc caſtellum condiderunt, mox verò urbis atque Inſulæ compotes facti, multis munimentis locum penè inexpugnabilem fecère; ſemel Anno MDXXXIX; & ſecundò Anno MDXLVI. obſidionem infidelium fortiter ſuſtinuit. Urbs commerciis variarum gentium florentiſſima; Inſula ipſa fœcunda eſt, & omnibus rebus ad vitam humanam neceſſariis abundans.

(8) *Anglis & Belgis &c.*] De Anglorum & Belgarum in partibus Orientis commerciis quædam Joh. Albrecht van Mandelslo, *in Itinerario Orientali lib. 1. cap. 13. notat*, & fortaſſis, ad loca convenientia ut & nos quædam adferemus, occaſio ſe offeret.

Num. 8.

(9) *Ex amplitudine ditionum & regnorum &c.*] Hawking, qui Anno MDCVIII. has oras frequentavit, tradit, continere hoc Imperium in ſe regna quinque, nempe 1. *Pengag* & in ea urbem primariam Lahor. 2. *Bengalem* in regno metropolis Sanargham. 3tium vocat *Malvam*, & in eo urbem Vagain, 4tum *Decian*, caput Provinciæ Brampoet. 5tum *Cambajam* regiam Amandandor. Similiter Dn. Nieuhof *in deſcript. Legat. Batav. in Sinam pag. 173.* Gotofredus *in Archontologia Coſmica in deſcriptione Indiæ intra Gangem num. 1.* diſpertitur illud in quinque præcipua regna, *Cambajam, Delli, Sanca, Mandre, Bengala:* Sed poſterior addit duos Ducatus, videlicet *Mizzamolucum* Principem & *Idelcanum*, quamvis non diſſimulet, quòd quidam ſint, qui in illo ad XLVII. regna numerent. At Henricus Roth Jeſuita in reditu ſuo in Germaniam ex hisce regionibus refert: Totum Imperium in octo Regna & duos Ducatus dividi, quibus ſingulis Proreges ab Imperatore conſtituti ſint; qui in magno libro, vulgò *Thafft*, omnes Urbes, Ducatus, Comitatus, proventus accuratè notatos habeat; quive ſingulis Pro-Regibus Duces,

Duces, Tribunos, Capitaneos certumque militum numerum ita attribuat, ut ſingulis, ex proventibus ſalarium certum & juſtum aſſignet, reſidua verò communi ærario inferantur, ut tempore belli nervum habeat. &c. Quo verò nomine Regna hæc atque Ducatus indigitentur, ſilentio involvit. Joh. de Laet *in deſcript. Indiæ veræ* poſt M. Eduardum Anglum dividi hoc Imperium in ſeptem & triginta largas Provincias, quæ ſuperioribus ſeculis ponè ſingula Regna fuerunt. Has hoc ordine in ſequentibus deſcribit; 1. *Kandahar*, cum metropoli ejusdem nominis, ſed hanc hodie Perſis ſubjacere, addit. 2. *Kabul*, ſic ab oppido principali. 3. *Multan*, à metropoli ejusdem nominis. 4. *Hajajan* ſive *Haagickan*, quæ Provincia, Bolochum ſive Balaochum regnum dicitur. 5. *Buckor* ſive Buckar, cujus metropolis Buckot-Suckor appellatur. 6. *Tatta*, ab Urbe ſua Principali ſic denominata. 7. *Soret*, cujus metropolis vocatur Sanagar. 8. *Jeſelmere* (metropoleos nomen eſt.) 9. *Attack*, à metropoli ſic appellata. 10. *Pangab*, cujus metropolis eſt Lahor. 11. *Caſmere*, *Chiſmeer* ſive *Quexmir*, cujus metropolis appellatur Siranakar. 12. *Barckish*, cujus metropolis dicitur Beiſchar vel Biſchur 13. *Jengapor* vel *Jenupar*, à ſua metropoli ſic appellata. 14. *Jenba* vel *Jamba*, cujus præcipua urbs eodem nomine cenſetur. 15. *Dolly*, cum urbe primaria ejusdem nominis. 16. *Bando*, cum metropoli ejusdem nominis. 17. *Mallvvey* ſive *Malna*, cujus metropolis eſt Rantipore. 18. *Chitor*, cum metropoli ejusdem nominis, amplum & perantiquum regnum. 19. *Guzuratte* pulcherrimum regnum & opulentum communiter *Combaja*, cujus metropolis Hamed Evvat, corruptè Amadavar, & Amadabat vocatur. 20. *Candiſch*, cujus metropolis appellatur Bramport ſive Burhampur, largum regnum & populis frequens. 21. *Berar*, cujus metropolis dicitur Shapore ſive Shahpur. 22. *Navvar*, cujus metropolis eſt Gehud. 23. *Gvvaliar* ſive *Gualoor*, cujus metropolis eodem nomine cenſetur. 24. *Agra*, ſic dicta à metropoli ſuâ. 25. *Sanbal* ſive *Sambel*, idem & metropoleos nomen. 26. *Bakar*, cujus metropolis appellatur Bikaneer. 27. *Nagrakut* ſive *Nakarkut*, cum metropoli ejusdem nominis. 28. *Siba*, cujus metropolis eſt Hardvvair. 29. *Kakares* cujus præcipua oppida ſunt Dankaler & Furkola. 30. *Gor* à metropoli ſua ſic dicta. 31. *Pitan* ſive *Peitan*, metropolin habens eodem nomine. 32. *Kanduana*, cujus metropolis eſt Kerahkatenck. 33. *Patna*, ſic dicta à ſua metropoli. 34. *Jeſual*, cujus metropolis eſt Raiapore ſive Ragapor. 35. *Mevat*, cujus metropolis appellatur Narnel. 36. *Udeſſa* vel *Udeza*, cujus metropolis dicitur Jokanat vel Jekanat. 37. *Bengala*, ſpatioſiſſimum & fertiliſſimum regnum, cujus principales urbes Ragmehell & Dekaka ſive Daack; Philipatan; Satighan &c.

Hunc locum non poſſumus non concludere verbis *Joh. de Laet ſæpius allegato loco in præfatione ad Lectorem, quem ſic compellat*: Unum rogandus es, ne nominum propriorum varietate & nonnunquam diverſitate offendaris, quæ inde nata eſt, quòd ea aliter à Luſitanis, aliter ab Anglis & Belgis enuncientur, neutris interdum ſatis probè aſſequentibus Perſicorum atque Indicorum vocabulorum genuinam pronunciationem.

Num. 9.

(10) *Non modò Magnatum, ſed & inferiorum hæres eſt, &c.*] Id aliquantum veriſimilius explicat Joh. Albr. à Mandelslo *in Itinerario Orientali lib. 1. cap. 28.* dicens: Quòd omnes *Raſchi*, (ita Principes vocant tum in aula, tum alibi in Regionibus iſtis commorantes) tales non naſcantur, ſed, uti quoque in Perſia, à Rege eligantur atque declarentur, ſi quando patratis factis heroicis & periculis maximis ſemotis, dignos ſe, in quos tanta gratia conferatur, reddiderunt. Si verò quempiam Principis honore ac dignitate afficit, tantum ipſi tribuit Magnus Magol, ut ad dies vitæ pro dignitate tali vivere poſſit. Mortuo ipſo bona omnia recipit, alterive in feudum confert; Ejusdem liberi verò capiunt ſolùm hæreditatem eorum, quæ ex bonis Paternis allodialibus ſuperſunt, & quæ tempore, quo de feudo inveſtitus fuerat, acquiſivit, parſimonia conſervavit, futuriſque neceſſitatibus repoſuit, aut quæ Rex intuitu parentis, proprio motu in ipſos liberos liberaliter confert. Et hoc modo vel infimæ ſortis homo, dummodò vel fortitudine vel aliâ re Mogoli gratâ & acceptâ ejusdem pronam voluntatem ſibi conciliaverit, ad dignitatem illam adſpirare valet.

Num. 10.

(11) *Legatione nomine M. Britanniæ Regis &c.*] Quæ incidit in annum MDCXV.

Num. 12.

(12) *Lackis Rupiarum &c.*] Inire Indos rationes ſuas per *Lackas* ſive *Leckas*, quæ vox ſonat centum millia; & *Crou* ſive *Caroras*, quæ centum Leckas; & *Arab*, quædecem Crou; *Rupiam* verò communiter valere duos ſolidos & novem denarios Anglicos; interdum etiam duos tantùm; Porrò in argenteis numis XIV. Rupias facere unam *Maſſam*; & clↃ cl Maſſas centum *Tolos*; decem autem Tolos argenti efficere unum Tolum auri, ab Harokino obſervatum Joh. de Laet *in deſcr. Indiæ veræ pag. 141.* invenit.

Num. 15.

(13) *Mamudeorum &c.*] *Mamudei* numi argentei Guzaratenſis provinciæ ſunt ex argento minùs abſoluto cuſi, qui valent XXX. *picos* æneos, quorum tres denario Anglicano æquiparantur.

Num. 17.

(14) *Centum quinquaginta tonnas &c.*] Putat Havvkinus, qui nomine Angliæ Regis ab Anno inde MDCVIII. Legationis ad Mogolem munus geſſit, Reditus annuos Ejusdem ex univerſo Imperio tunc temporis quindecim exæquaſſe milliones &c. Et à Mandelslo *loc. ſæpius dicto lib. 1. cap. 20.* notatum ſeſqui mille milliones, auri argenti, Margaritarum, gemmarumque reconditas ſervare, de quibus nec quicquam ordinariè expendat.

Num. 18.

(15) *Achabare &c.*] *Achabar*, ſive ut ipſum Hornius *in Orbe Imperante pag. mihi 300.* vocat,

cat, *Acbar* ad regnum pervenit Anno MDLV. Anno autem MDCVI. regni quinquageſimo anno obiit. Illi Selimus Muhammed Schi-Hangir; Huic verò inter maximas turbas A. MDCXXVII. Chorum cognatione Schaſchihan ſucceſſit. Poſt Annum MDCLX. demum Aorangzeh, Schaſchihæ ſive ut aliàs vocatur Schajahano aut Xaziahano, qui & Xa d' Ghan, *de Laet pag. 279. authore*, voluit appellari, filius fratribus internecioni datis ſucceſſit, de quo Author Relationis rerum notabilium Regni Mogor &c. Aſchaffenburgi Anno MDCLXV. impreſſæ hæc refert: Numerabat præcedens Imperator Schajahan filios quatuor. Quorum primum, Daraxam nomine, ſucceſſorem ſuum, cum primogenito ejus filio Sepachſchaka in Imperio deſignarat, traditis ei Regnis Lahor & Mallon. Alteri Schasſchian Regnum Bengalæ aſſignavit, cujus filiolus Sultan Dundan dicebatur. Tertium Aorangzeh filio carentem Regem Decan creaverat. Quartum Muratbacksh Regno Guzurat præfecerat. Singulis ita regnis attributis, Schajahan filiis & regno optimè proſpectum putabat. Sed ecce, dum ipſe contra ſtylum Regni Mogor, morbo præpeditus, quatriduo publico & juſtitiâ adminiſtrandâ abſtinet, fama Agram Urbem, totúmve regnũ (ut fieri amat) de Imperatoris morte circumvolat, & licet populo fratribusq; Primogenitus Daraxa Imperatorem Patrem morbo impeditum affirmaret, fide tamen non inventâ, à tribus fratribus in campo ſuburbano Agræ juſtis exercitibus fuſus eſt victusque, ſic ut cum uxore, filio, pauculisque comitibus Lahorem fugeret. Cui Pater eò Elephantos, literas & claves ad theſaurum (qui decem caroras ſeu octoginta millionum erat) auferendum miſit; quem ipſum ipſe fortalitio Rhacher (*fortaſſis Ratambora*) Chriſtianis firmato, incluſit; & collecto equitum octingenta millia & quatringenta millia peditum exercitu, eodem in loco poſt annum & eâdem fortunâ fratres aggreſſus eſt. Quare cum uxore, filiolo, pauciſſimisque per deſerta fugiens, uxore ſiti & incommodis amiſsâ, cum filio ad Regulum Ahmadtan à ſe olim promotum & conſtitutum, totus exhauſtus miſerque pervenit; à quo comiter benevoleque exceptus, tandem ſpe præmii perfidè proditus fratribusque traditus, cum filio, inſpectante R. P. Roth totoque populo, jugulatus eſt, proditore ad ſuos (muneribus, ut putabat, acceptis felix) redeunte. Sed docuit is exemplo ſuo, ſcelera non diu ſtare inulta. Paulò enim pòſt, Secundògeniti juſſu, fortunis & vitâ exutus fuit, eò quòd ille ſeſe jam Imperatorem, neglecto & capto Patre, haberi & dici vellet. Quod ſentiens Tertiogenitus, callidis promiſſis Quartogenitum fratrem Muratbacksh ad Imperii ſpes erigit, ſupra Alcoranum jurans ſeſe fratre Schaſchia deleto, ei Regnum traditurum, & ad Muhammedis in Mecca ſepulchrum ſolitariam & monachialem (ei regno tradito) vitam acturum. Quibus promiſſis Murarbacksh, allectis quadraginta millibus equitum, fratri junctus, Secundogenito plenâ acie unà cum filio pugnante deleto, victoriam obtinuit, regnum à fratribus benevolentiâ poſtulans; qui pro jucundo introitu ſeſe, magnifico epulo Proceribus triduo inſtituendo, id ei daturum affirmavit. Dictum factum, vocato etiam ad id honoris ergà R. P. Henrico Roth, ſive Roa, Conſuleque Batavorum, ſed mediis in deliciis, juſſu Aorangzeb moderni Imperatoris, ingenti cultro, & Muratbacksh & filio ejus, horrentibus convivis, collum caputque abſciſſum, regnumque fratrum ſanguine, patrisque captivitate firmatum, barbarâ crudelitate, quâ etiamnum ſceptra firmat, licet Chriſtianos foveat, ab ipſo arreptum fuit. Adde omnino M. de Sainte Marthe *l' Eſtat d' Europe tom. III. pag. 663. ſeq.*

Num. 23.

(16) *Ceratia &c.*] Caractus vulgò *Barat*, ſecundùm Georg. Heniſchium *de Aſſe pag. 202.* gemmulariis pondus eſt pendens viginti quatuor minutula, grana Romana duo. *Batman* verò, docente Joh. de Laet *d. loc. pag. 142.* pondus eſt LV. librarum, ſive LXXXII. librarum Anglicarum, quod & Author noſter innuit.

Num. 31.

(17) *Cujusdam Gentilis, &c.*] Incolæ hujus regni (inquit Tenxeira *citante de Laet. pag. 115.*) dividuntur in Muhammedanos & Gentiles; ſed harum duæ tertiæ partes ferè unius ſunt opinionis; licet ferè Gentiles omnes ſequantur ſectam & opinionem Pythagoræ; credunt enim animarum immortalitatem, illasque aut præmium aut pœnam conſequi per transmigrationem in alia corpora; aſſerunt enim, quum quis moritur, ſecundùm quod benè aut malè vixerit, in alterius animalis aut boni aut mali corpus tranſire; atque inde aut melliorem aut pejorem conditionem nanciſci, idque in infinitum: atque cauſa eſt, cur vaccas tantopere venerentur, & Legislator illorum Kamak illas ipſas unicè commendaverit, quas tanquam Numina colunt, quia ſunt animalia domeſtica, utilia, &, ſi benè tractentur, (ſecundùm ipſorum opinionem) ad bonas animas recipiendas comparata: præter hanc plures alias habent opiniones abſurdas. De quibus Joh. de Laet *d. loco in ſequentibus* videri poteſt.

CAPUT XXIII.

De Ærario Regis Narſingæ.

SUMMARIA.

1. Regis Narſingæ *potentia & Regni ſitus*: *percipit quotannis 12. milliones Ducat.* num. 2. *habet ingentem militiam*, num. 3.
4. Argumentum *aliquod amplitudinis redituum hujus regni.*
5. Flumina *ſic Rex ſibi vendicat, ut lavare vix in quibusdã liceat ſine Vectigali: Quin ipſe emere cogitur, & balneat, & ſuperſtitioſus luſtrat.* n. 6.
7. *Brachia & laborem retinent* Subditi, *ipſe eſt abſolutus Dominus Ditionis. Ad bella hic collimatur ſemper*, num. 8.

Quot-

Quotannis auri milliones percipit
Bis ſex Tyrannus ille Narſingæ potens,
Multumque quæſtuoſa ſunt Feudalia.
Regi dynaſtarum ſuorum & arvum fertile,
Auri fodinæ, & unda Gangis fluminis
Venalis ære certo Ærarium Regis beant.

1 POtentiorum Principum, qui inter In-
dum Gangemque ſunt, unus eſt *Rex*
Narſingæ:(1) Ejus enim dominio paret, quic-
quid eſt inter promontoria *Guadavernum*
& Comorinum, quod ſpatium CC. leucas
continet: Abundantiâ & copiâ rerum cum
aliis Indiæ regionibus certare poteſt. Re-
giæ ejusdē ſunt duæ: Narſinga, unde Regno
nomen, & *Biſnagar. Onor*, *Batecala & Man-*
galor Luſitaniæ ſunt ditiones. Coromandel,
& *Maliapor* (2) ab Indis Chriſtianis habitan-
tur: Quarum hæc D. Thomę ſepulchro clara.
2 Pro certo habetur, Regem Narſingæ XII.
Ducatorum milliones quotannis recipere,
quodque eorum tres, aut duo & ſemis ipſi
manent, omne reſiduum impendere in ma-
3 gnum corpus militiæ, nempe XL. *Nairorum*
(3) & XX. equitum millia, quibus pacis belli-
que tempore ſtipendia largitur. Neceſſitate
urgente, multò majorem exercitum educe-
re poteſt: Ejus enim ſtipendia merentur CC.
Capitanei, quibus territoria ſuæ Ditionis
confert, ſub obligatione, ut certum equitum,
peditum, elephantorumque numerum ſem-
per ad manum paratumque habeant. Am-
4 plitudinis redituum Regni argumentum
eſſe poteſt, quòd Capitaneorum aliqui à Re-
ge millionem Ducatorum conſequuntur.
Sed pro re incredibili habendum minimè
eſt, quòd hîc, ſicut in majori Orientis parte,
omnes terræ, ſylvæ, minæræ, etiam aquæ i-
pſæ aliquorum fluminum, ad Principem ſpe-
ctant: nemo enim aquâ fluminis *Gangis*, (4)
quod Regnum Bangalæ perlabitur, nec *Gan-* 5
gæ, (5) quod per Oriſſæ regnum fluit, ſe la-
vare poteſt, niſi Regibus Vectigal telonium-
que perſolvat. Ut meritò hîc cum *Poëta* (6)
exclamare liceat:

Quid prohibetis aquas? uſus communis aqua-
rum eſt.

Ipſe quoque Narſingæ Rex aquam jam di- 6
ctorum fluviorum emere cogitur; eam enim
è longinquo ad ſe deferri jubet, ut in eâ bal-
neetur, aut quâdam ſuperſtitione ſe eâ pur-
get luſtretque. Rex omnium fundorum ſuæ
ditionis Dominus eſt, populis autem præter
brachia & laborem nihil relinquitur. Quic-
quid è reditibus Regni percipitur, id inter I-
pſum & *Capitaneos dividitur*: (7) Ipſi enim
Regi pars tertia redituum, Capitaneis duæ 7
reliquæ partes cedunt. Cùm itaque maxima
Principum Orientalium pars ſibi non pa-
cem aut juſtitiam pro ſcopo, in quem colli-
ment, proponant, ſed victoriam, amplitu-
dinemque, collocant omnes facultates in
militiam, nec aliud eis curæ eſt; indeq; con-
ſequitur, ut equitum, peditumq; numerum
nobis vix credibilem tenere alereque poſ-
ſit.

ANNOTATIONES

Ad

CAPUT XXIII.

(1) REx *Narſingæ &c.*] Indiæ Occidentalis unum latus, quod Orientali obvertitur, & per continua montium juga à Malabra diſterminatur, à capite Comorino ad Nagund fl. per centum ferè milliaria extenſum in tria regna, erat diſtinctum; quæ fuerant *Coromandel*; unde hodieque omne illud littus à Comari ad Magund fl. adpellatur: 2. *Narſinga*; & 3. *Bisnagar*, ſingula à ſuis gubernata Regibus. Verùm unius hodie ſubſunt Imperio, qui modò Narſingæ, modò Bisnagari reſidet. Unde mox Rex Narſingæ, mox Bisnagaris ſalutatur.

(2) *Maliapor &c.*] Maliapor, ſive, ut Maffeus *Hiſtor. Ind. lib. 2. & paſſim* illam vocat, Meliapor erat quondam Coromandalis caput ac regia, quam vetuſtate bellisque dirutam poſtea Luſitani, deductâ eò militum emeritorum coloniâ frequentarunt, ac mutatâ appellatione honoris Apoſtoli cauſâ *à Sancto Thoma* denominarunt. Credunt enim plerique Sanctum Thomam Evangelii lucem Indis prætuliſſe ibidemque à Brachmanis ſupra petram quampiam *Calus* dictam prope Melioporam, quam Apoſtolus orandi gratiâ quotidiè aſcendere ſolebat, orantem occiſum & martyrio affectum fuiſſe. Uti Kircherus. *in China Illuſt. lib. 2. cap. 2.* pluribus ex Malabarum Annalibus refert, inſimulque eorum errorem, qui Calaminæ diſtincta Indiæ urbe, & qui Salaminæ in Cypro paſſum fuiſſe tradunt, redarguit. Sepulchrum Sancti Thomæ quod attinet, Maffeus *lib. 8. Hiſtor. Indic.* tradit, tempore Joh. Luſitaniæ Regis reperta quidem ejusdem oſſa Meliaporæ, biennio deinde poſt eadem oſſa intra ipſam aram occulto loco abdita, ac poſtremò Goan translata fuiſſe. Quamvis negandum non ſit, Ruffinum *lib. 2. cap. 5.* & Socratem *Hiſtor. Eccleſ. lib. 4. cap. 18.* ſcriptum reliquiſſe, Edeſſæ in urbe quapiam Meſopotamiæ & interfectum & ſepultum jacere. Quod Maffeus *d. loco nec non lib. 2.* quoque innuit. Quibus jungatur Zeillerus im Hiſtoriſchen Anzeiger vieler heiligen Leute *pag. 577.*

Num. 2.

(3) *Nairorum &c.*] Naires Indicarum rerum ſcriptoribus dicuntur, rei bellicæ ſtudioſi è nobilitate duntaxat ſelecti. De quibus quomodòve in armis à teneris inde unguiculis exerceantur, fusè tractat Maffeus *d. loc. lib. 1.* ut & Olearius *in addit. ad Itinerarium Joh. Alberti à Mandelslo lib. 2. cap. 10.*

Num. 5.

(4) *Gangis &c.*] Ganges fluvius etiam *Gaberus* dictus omnium toto orbe maximus creditus,

decem

decem & novem, magnâ ex parte navigabilibus fluminibus receptis, gemmifer & auri fœcundus ex Scythicis oritur montibus, cujus latitudo minima, duo millia Germanica, maxima quinque, ubi vadoſiſſimus menſuram centum pedum devorat. Sinus, in quem ſe exonerat, Gangeticus appellatur; hodie vulgò *Golfo di Bengala.* De quo tamen Mercator & Hondius *in Atlante minore conſuli* poterunt.

(5) *Gangæ &c.*] Schröterus *in Mercurio Coſmico pag. 97.* Fluvium, quem Oriſſæ Regnum habet, non Gangam, ut Author ex Botero, ſed Cangum vocat.

(6) *Poëta &c.*] Scilicet Ovidio *6. Metamorph.* Confer Grotium *de mari libero cap. 5.*

Num. 7.

(7) *Et Capitaneos dividitur &c.*] Et quidem pro meritis & fide Capitaneorum, quod Boterus *in Relat. in deſcriptione hujus regni* innuere videtur, dicens: Hic Rex ut Capitaneos ſuos ſedulos diligentesque reddat, inſtituit quotannis luſtrationem, in qua omnes ſe ſiſtere tenentur: eâ luſtratione peractâ, gradu movet eos, qui minùs militum quàm debebant, aut armis non probè inſtructos adduxerunt, eos autem, qui plenum numerum riteque inſtructum ſecum traxerunt, complectitur benignè, melioremque reddit eorum conditionem.

CAPUT XXIV.

De Regum Japoniæ, Sian, & Pegu, Calicutii, Golcondæ, &c. Viribus Opibus & Ærariis.

SUMMARIA.

1. Japoniæ *ſitus, & Japonia Corpus quaſi variarum Inſularum*, num. 2. *deq; ipſarum incolis*, num. 3.

4. Regna *in his Inſulis in quas partes diſtributa? ſingularum quantitates*, num. 5.

6. Regna *in tertia parte nobiliora*; *eorum metropolis*, num. 7.

8. *Imperatores ſeu Reges Japoniæ, in ſpecie de* Nabunanga *& Paxiba*, num. 9.

10. Tres viri, *penes quos ſumma totius imperii, deq; unius cujusque officio*, num. 11.

12. *In quo conſiſtat* potentia regis Japoniæ *inter quos regna bello acquiſita dividantur*, n. 13.

14. Dominiorum *hujus regni mutabilitas.*

15. Reges Japoniæ *videntur Tyranni.*

16. De Subditorum *animo erga Superiores.*

17. Faxibæ *præ cæteris eminentia & reditus.*

18. Opes Japonum *conſiſtunt in negotiatione, copia margaritarum, & gemmarum pretioſiſſimarum.*

19. Oſſacaiæ *mercatura floret.*

20. *Regni Sian determinatio, ejusq; fines.*

21. *Harum regionum* flumina, montes, hoc n. *quibus rebus abundet*, num. 22.

23. *Quæ* regna *contineat*; Gueoni *carne humana veſcuntur*, n. 24.

25. Regni Sian *provinciæ, & urbes præcipuæ*, num. 26.

27. Regni Peguani *ſitus & amplitudo, ejusq; Portus.*

28. *In quibus rebus* opes *atque* divitiæ hujus Regni *conſiſtant, &* n. 29. 30.

31. *Quibus conditionibus* Rex *Baronibus ſuis terram locat*; *& vires ejus* bellicæ, num. 32. *quibus in bello utatur*, num. 33.

34. *Ab armis dependet ſpes parandi opes, exercitia bellica*, num. 35.

36. *Aurum* Ophir *ex Sumatra Inſula petitum nonnulli cenſent.*

37. Peguani *delitiis & voluptatibus dediti.*

38. *Regni* Sian *&* Pegu *ſtatus quomodo immutatus.*

39. Legatus *quidam ſive Prorex Peguanus quas turbas dederit, qui concitatâ contra Regem ſuum ſeditione & hoc, & alia Regna atque Provincias armis ſibi ſubjecit*, num. 40.

41. Calicut *reliquas provincias antecellit.*

42. *Rex ejus* Pereimal.

43. Longitudo *& Latitudo hujus Regni: Urbs* Calicutum *Metropolis*, num. 44.

45. *Opes &* divitiæ *ejus conſiſtunt in abundantia Piperis, Zingiberis, Cinnamomi, Cariophyllis, Nuce myriſtica, Moſcho odorato, Nardo, & Myrobalanis, Thure, Aloë, Camphora, Caſia.*

46. Ratio prœliandi: *In Suecia cur pedites haſtis, equites lanceis non utuntur*, num. 47.

48. Robur Regni Calicutenſis *conſiſtit in peditatu & claſſibus.*

49. Exercitia bellica, *& de militum agilitate: à quibus artem fundendi tormenta bellica didicerint?* n. 50. *in prœliis nudi incedunt.* n. 51.

52. *Quantas* copias *educere poteſt* Rex Calicutii: *expeditio ejus contra Luſitanos* num. 53.

54. Vires *ejus* maritimæ *plus ſpei in numero, quàm in robore ponunt.*

55. *GOLCONDÆ* Regni *ſitus.*

56 Regis *hujus* opulentia, *& reditus annui*, n. 57

JAPONIÆ Rex milliones bis duo
Auri lucratur ex oryzæ ſemine.
Hic unionum & aureorum plurimum eſt;
Et offerunt tributa Regi reguli.
SIAN, Peguque regna abundant plurimis
Barris, equisque, oryza, ſtanno, Soleque
Lunaque liventi coruſcis gemulis,
Succo Minervæ, fuſili inſuper ſale.
Sed CALICUTIJNA mercimoniis,
Se gens alit, præ cæteris aromatum,
Vectigal unde valde opimum Rex capit.

DE JAPONIA.

JAPONIA (1) ſive Japania eſt Corpus multa- 1
rum variarumque Inſularum. Ab Oriente
obvertuntur hæ Inſulæ Novæ Hiſpaniæ: ab
Aquilone Tartaros alioſq; habent novæ fe- 2
ritatis populos: ab Occidente ſpectant Chi-
nam: à Meridie vaſto Mari interfuſo inex- 3
ploratæ obvertuntur terræ. Sicunt autem à
cætero Orbis terrarum ſitu diſtinctæ ſunt, ita
à populo multum ab aliis *moribus ritibusq;* 4
diſſimili (3) incoluntur. In hiſce Inſulis ſunt
LXVI. regna, quæ *in principales partes tres di-* 5
ſtribuuntur, (4) quarum pars una IX. altera
IV. tertia LIII. Regna complectitur: inter quæ 6
V. regna *Coquinai* nobiliora & illuſtriora ſunt
in quibus urbs totius Inſulæ princeps eſt *Me-*
acum, (5) acciditque plerumq;, ut qui eorum 7
quin-

quinque regnorum dominium ſibi arripue-
8 rit, Imperator aut Rex Japoniæ & quando-
que Dominus Tenzæ, ubi illa quinque regna
Meaco vicina ſunt, dicatur. Tales fuêre pro-
ximis annis *Nabunanga*(6)& Faſſaha, qui do-
9 minii amplitudine potentiâque omnes ſu-
os prædeceſſores ſuperarunt: Nabunanga
namque XXXVI. Regna ſive Ditiones ſibi
comparaverat, ſicque *Faxiba* (7) ſive Faſſaha
10 ut minimùm L. earum ſub jugum egit. Re-
ſident Meaci Triumviri, penes quos eſt ſum-
ma rerum conſtituendarum poteſtas: Pri-
mùs, qui *Zazo* dicitur, Pontificis Maximi in-
ſtar præeſt ſacris: Secundus *Voo dignitatibus*
11 (8) & honoribus. Tertius *Cucabama* paci &
bello, cæterùm Potentiâ Principis. Differt
autem modus Gubernationis hujus Regni
multum ab eo, qui nobis per Europam no-
12 tus eſt. Neque enim potentia & magnitudo
hujus Principis conſiſtit in proventibus ejus
annuis & reditibus ordinariis, neque in be-
nevolentia populi & amicitia vicinorum;
13 ſed in mera authoritate imperioque. Quic-
quid enim capit ab hoſte, dividit inter ami-
cos, clienteſque ſuos, quorum perſpectam
habet fidem hac dicta lege, ut ſibi Regi ſervi-
ant ſuis propriis impenſis, ſive pax ſit, ſive bel-
lum, adducto certo militum numero. Hi rur-
ſum partiuntur ſuas Ditiones & poſſeſſiones
fiduciariis clientibusque ſuis, ut eos hoc mo-
do ſibi devinciant. Sic fit, ut omnes Japo-
niæ opes tam privatæ quàm publicæ in va-
go ſint, & à paucis dominis, hi pauci autem
ab uno, nempe Tenzæ Domino depende-
ant, qui pro libidine dat, aufertque, quid
& quibus vult, attolit & deprimit, divi-
tat & ad inopiam reducit Principes. Si er-
14 gò vel aufert vel mutat Principatum ali-
quem, mutat ſimul omnes Nobiles milites-
que ejus Ditionis relictis duntaxat artificibus
& agricolis. Ea regiminis forma converſio-
nes perpetuas mutationeſque imperiorum
ſecum trahit. Sic enim fit, ut Principes Ten-
zæ aliique Principes videantur Tyranni & u-
15 ſurpatores alienorum bonorum, deſtructo-
res Monarchiæ, & hoſtes magnitudinis Japo-
niæ: unde & populo, aliquando etiam à ſo-
ciis tales habiti, perpetuò in armis vivere co-
guntur. Accedit quòd Principes, cùm ſubinde
16 mutentur, non ita amentur à populo, ut Do-
mini naturales; iique metu repentinæ mu-
tationis, nullo viciſſim conſtanti amore po-
pulum proſequantur, certi eadem facilitate,
quâ unum obtinuêre Principatum, ſe obten-
turos alium, & forſan meliorem. Hinc vel
ipſi ſoli, vel conjunctâ cum aliis operâ, ſem-
per rebus novis ſtudent, & perpetuis Inſulam
bellis implicant. Nunquam deeſt illis cau-
ſa diſſidii bellorumque, quòd fines Ditio-
17 num anguſti ſunt. Hinc Faxiba, ut abſo-
lutum ſibi ſtabiliret imperium, ſolebat ſub-
inde de alia in aliam regionem transferre
Principes, ut præfecti novis populis rebella-
re ſibi facilè non poſſent. Præterea ut eo-
rum frangeret potentiam, diviſit Regna
ſingula in plures Præfecturas minores, ut in
tanta Provinciarum anguſtia non modò ni-
hil contra ſe poſſent, ſed & ipſi inter
ſe de finibus litigarent. Voluit inſuper,
ut in omnibus mutationibus tàm is,
qui meliorem nanciſceretur conditionem,
quàm qui deteriorem, quotannis ad Re-
giam ſuam venirent, ibique præſtarent
homagium (9) ſive fidelitatis juramentum,
ſimulque offerrent Regi dona atque mune-
ra, quo quidem invento potiſſimas totius 18
Inſulæ opes ad ſe pertrahit: Præter hæc do-
nativa & tributa, quæ ei Reguli Inſulæ ex
debito offerunt, putantur ad eum redire
quotannis duo auri milliones. Ex oriza,
quæ in prædiis regiis colligitur, magnam
quoque incolæ mercatoribus exteris vim
vendunt & Margaritarum. Multum hic e-
tiam eſt gemmarum, nec parum auri; unde
facilè colligi poteſt, harum rerum copiâ hoc
regnum ditiſſimum judicari debere. *Oſſaca-* 19
ia Civitas potens & libera, &, ut quidam
cenſent, omnium Orientalium locupletiſſi-
ma eſt. Magna hîc Mercatorum undiq; con-
currentium frequentia quorum qui me-
diocres facultates habent, XXX. aureorum
millia poſſidere creduntur.

Quantæ etiam ſint hujus regis vires, faci-
lè ex eo cognoſci poteſt, quòd Faxiba,
cùm totam ſibi Inſulam, inque ea L. Re-
gna ſubjeciſſet, omninò ſtatuerit, collecto
ingenti exercitu, trajicere in Chinam, ei-
que regno bellum inferre, in quem finem
tantum juſſit cædi lignorum, ut inde claſ-
ſis bis mille navium confici poſſet, ad trans-
portandas ſuas copias. Multum hoc labo-
ris atque ſtudii impenderunt *Xaverius* (10)
& Turrianus Jeſuitæ, multoſque ad fidem
Chriſti converterunt.

DE REGNO SIAM ET PEGU.

SIAM ſive *Gornao* potentiſſimum Aſiæ Re- 20
gnum, cujus longitudo CCC. latitudo
CLX. conficit milliaria. *Extenditur ab Ortu*
(11) Occaſû versùs à Civitate *Campaa* ad Civi-
tatem *Tavay* usq;, quod ſpacium efficit cir-
citer CCC. leucas: à Meridie Septentrio-
nem versùs extendit ſe à *Syncapura*, quæ in
medio gradu eſt, ad populos, qui vernacu-
lè *Gueoni* dicuntur: Lacus *Chiamai*, qui ſex-
centis milliaribus à mari diſtat, Regis *Sian*
eſt: in locis mediterraneis dilatatur à fini-
bus *Caucinchinæ* ultra *Avam* fluvium, ubi
regnum *Cencran* poſſidet. Sunt itaque ipſius
ſimul cum lacu *Chiamai*, *Menon*, (12) (quod
capitaneum aquarum ſonat) *Menam*, *Caipu-
mo*, *Ava* flumina, quæ omnes illas regiones
omni annonæ genere fertiles reddunt. Po-
tiſſima regionis pars undique montibus
Avæ, Bremæ, Jangomæ cincta, ſitu plana 21
eſt, ſatisque Ægypto ſimilis. Abundat e-
lephantis, equis, pipere, auro, ſtanno. In
regni

regni parte Occidentali, habet ſylvas immenſas, tigridibus, leonibus, lyncibus, & hyenis plenas.

23 Comprehendit autem hoc Regnum intra ſe alia quædam minora: *Siam* propriè ſic dictum, & *Muantay*, cujus caput eſt *Odia* Urbs, & *Bremenſe*, *Caipumo*, *Chencram*, *Camboiam*, & *Campaën*; præterea que, *Cucray*, & *Lancaan*, quæ tres Provinciæ planæ

24 & opulentæ habitantur à Laiis: In has Gueoni, aſperrimorum montium incolæ (Marcus Paulus Venetus appellat eorum regionem *Cangigu*) ex montibus deſcendentes appetitu carnis humanæ, faciunt eorum horribilem lanienam. Ab his ſibi metuentes *Laii*, agnoſcunt Regem *Siami* in ſuperiorem dominum. Niſi id facerent, jam dudum ab homivoris iſtis exciſi eſſent. *Præcipuæ totius Regni Urbes* (13) ſunt hæ: Sian, Odia, Cambaja, Campæ, Syncapura, Que-

25 doa, & Malacca.

Eſt autem Sian (14) Regia & Urbs ampla atque populoſa, apta ad negotiationem, ſita in ripa lati profundique fluvii *Menam*, frequens habitatoribus, quatuorque milliaria Germanica complecti dicitur, cùm in ea præ-

26 ter cives & indigenas numerentur propè tricies mille familiæ Æthiopum Mercatorum. *Odia* Metropolis regni *Muantay* major eſt, quàm *Sian*, cùm in ea numerentur *CCCC. millia domuum.* (15) Eſt autem hæc Urbs Venetiarum inſtar in aquis ſtructa, ut per omnes plateas eatur minoribus navigiis, quorum ultra CC. millia ibi ſunt. Cambaja ſita eſt in ripa Menonis fluvii, qui à China prodiens, antequam Mare Indicum irrumpat, receptis multis fluviis minoribus, lacum quaſi alterum *Meotidem efformat*, (16) cujus ambitus ducentarum creditur Leucarum; eſtque hæc urbs caput Regni Cambaienſis. *Campaä* maritima urbs eſt, unde tota Provincia denominationem trahit. Habet autem Regnum Campaanſe uberes auri fodinas, & res omnes ad vitæ ſuſtentationem neceſſarias. *Lignum Aloës*, (17) quod hic creſcit, cæteris in hoc genere præfertur, inprimis id, quod in montibus naſcitur, cujus pretium apud Orientales populos non eſt inferius ipſo argento. *Syncapura* in extremo angulo Meridionali ſita, in Promontorio, quod appellatur Grande. *Quedoæ* celebritatem peperit ingens piperis in ejus agro proventus.

27 *Malaccam* Luſitani ſibi vendicarunt.

Situs regni Pegu (18) refert creſcentem Lunam, jacet inter Montes, quos Brami & Janchomei habitant, extenditurque in longitudinem, ſecundùm littus Maris ab urbe *Rei*, quæ ſub XIV. gradu ſita eſt, usque ad *Sedoc* ſub gradu XVII. quod omne ſpatium eſt milliarium propè nonaginta in longitudinem, latitudine alicubi ferè æquali. Alii dicunt, regnum Peguanum ab littore maris, quà Sinus eſt Bengalenſis, CCC. milliaria complecti, facto initio ab urbe *Tavaya* usque ad Promontorium Nigraenſe. Perluit hoc medium *Pegu* fluvius, totique regno ſuum impertit nomen. Portus ejus præcipui ſunt *Pegu*, ad oſtium fluvii ejusdem nominis, *Mataban, Tavay & Colmin.*

Regni Peguani opes & divitiæ ex ſoli 28
fertilitate percipi poſſunt, quod cùm plurimis irrigetur magnis pulcherrimisque fluviis, quibus impinguatur, velut Ægyptus à Nilo; dici non poteſt, quantopere Provinciæ illæ omnibus rebus abundent. Magna hîc copia Orizæ, Auri, Argenti, Stanni: plurimi Equi, & Elephanti, (19) pecoraque infinita: & hæc omnia exteris vendunt. Huc igitur veniunt Mercatores ab omnibus partibus, auferentes ſecum Orizam, Laccam, Laſerpitium, Moſchum, Gemmas, Argentum, Butyrum, Oleum, Salem, & multa terrâ naſcentia. Solvunt enim quotannis ultra XL. magnæ naves onuſtæ Orizâ pro ſola Inſula Sumatra, ex portu Pegu urbis. Hæc terræ fertilitas in 29
cauſa eſt, ut populus ſe valdè *deliciis & voluptatibus obruat.* (20) Agriculturam exercent, ſed artibus non admodùm delectantur, eamque ob rem regnum exigui commercii eſt. Feles Civettæ hîc reperiuntur, & arundines ſive Cannæ tantâ vaſtitate, ut capacitatem dolii æmulentur. Inveniuntur & hîc Pyropi ſive Rubini, gemmæ & Lacca, quam quidam *putant eſſe reſinam arboris*, (21) alii ſuccum, qui colligatur in foliis arborum inſtar Mannæ.

Regnum Sian ſubmittit exteris Piper, 30
Moſchum, Laſerpitium, vulgò *Benioin*, (22) Aurum, Argentum, Stannum, & infinitum numerum Equorum, præter Elephantos. Campaënſe verò multum ex Aloë percipit lucri.

Quedoæ piper præ cæteris commendatur, unde magnus ad hanc Urbem à Mercatoribus eſt recurſus.

In Regno Avenſi multi commorantur Mercatores gemmarii, quanquam ibi etiam multum vendatur Moſchi; & Equi, atque Elephanti magno numero.

Ex his omnibus liquet, *Regem Peguanum*, (23) cujus terræ adeò rebus omnibus affluunt, longè maximas poſſidere divitias. Si quis peregrinus ſine hærede moriatur, ſuccedit ei Fiſcus, ita, ut ne teſtari quidem illi liceat, Regem ſe aſſerente Dominum omnium.

Et revera Rex omnium ſui regni terrarum Dominus eſt, easque locat colonis, 31
aut dat ſuis Baronibus ad certum tempus, aut quamdiu vivunt, ſed nunquam jure hæreditario: dat quoque iisdem Baronibus, ſive Vaſallis & Beneficiariis Civitates oppidaque cum jurisdictione ad tempus præfinitum, vel etiam ad vitam, ſed eâ conditione, *ut ei in bellis certo cum peditum*

ditum numero, (24) equis, & Elephantis in-
32 ſerviant. Hoc modo triginta Equitum & ducenta & quinquaginta Peditum millia. (quibus nulla ſtipendia largitur) habet, qui ſemper præſtò ſunt ad militiam, ita ut regnorum incolas fatigare nihil ſit neceſſe.

Quòd ſi urgentior aliquis caſus majores copias exigat, poteſt ad decies centena millia hominum cogere, cùm Regnum hoc ſit ampliſſimum, Provinciæ urbibus plenæ, populoſæ, cultiſſimæque. Sola enim Civitas *Odia* (quæ Regni *Siami* caput, ſedesque regia eſt,) putatur emittere poſſe L. hominum millia.

Quamvis Rex Siami novem regno-
33 rum dominus ſit, non aliis tamen, quàm Siamitis, in bellis utitur, qui duo regna *Siam*, ſive *Sian* (quod ipſi *Chaumua* vocant) & *Muantay* (in quo Civitas *Odia* eſt) inhabitant. Cùmque ſpes parandi opes, & ac-
34 quirendæ magnitudinis, in hoc regno, ab armis dependeat, vigente etiam pace, fiunt exercitia bellica; & in aliquibus ludis, quos Rex quotannis Odiæ exhibet, referuntur omnia ad exercitia militaria. Vi-
35 tæ quod ſupereſt, *impenditur delitiis* (25) & vitiis.

Quidam Hebræi Scriptores ſentiunt,
36 *aurum Ophir*, (26) cujus in ſacris literis mentio fit, è Sumatra Inſula petitum fuiſſe, & quòd Incolæ Peguani originem ſuam traxerint à Judæis, quos Salomon Rex huc miſerit. Ipſi tamen Peguani tam ſtolidi ſunt, ut dicant, ſe à cane & muliere Chinenſe ortos: & ſunt ſanè in cæteris quoque rebus hi homines mille ſuperſtitioſis & ridiculis opinionibus imbuti, & nulli rei niſi volu-
37 ptatibus dediti. Quibus nihil cedunt habitatores regni *Sian*, immerſi omnibus delitiis, toti rebus venereis mancipati, & lurcones graphici.

Sed quæ hucusque diximus de regnis
38 *Sian & Pegu*, ita ſe habuerunt, quando Luſitani Indiam primùm ſunt ingreſſi. Ab eo tempore res valdè mutatæ fuerunt, modo qui ſequitur. *Regi Pegu obediebant* (27) quondam aliqua *Bramorum* ſive *Brachmanorum* regna, quatenus illa extenduntur, ſecundùm littus & versùs Lacum Chiamaium, in quibus regnis provinciisque ſuos habebat Legatos ſive Præfectos. Accidit autem *ante annos LXXX.* (28) & quod ex-
39 currit, ut Prorex regni *Tangut*, fretus multitudine hominum, qui eum ſequebantur, & auctoritate armis partâ, rebellione id ſibi regnum vindicaverit proprium, interfectis Proceribus in eo, occupatisque inſuper Regnis ſive Provinciis Promenſi, Melintæo, Calamenſi, Bacamenſi, Mirandùenſi & Avenſi, quas omnes regiones in Septentrionem converſas, & in CL. milliarium ſpatium excurrentes, Brachmani habitabant. His effectis adjecit etiam ſpem deſideriumque ſuum ad regnum Sian, pervenitque usque ad Odiam caput Regni Muantæi: ſed nihil efficere potuit. Suſceperat illam expeditionem cum CCC. peditum millibus, conſumpſitque plusquam tres menſes in aperiendis viis, & itinera per montes aſperrimos, ſylvas vaſtas, & loca inacceſſa, in quibus amiſit CXX. hominum millia, abduxitque viciſſim ſecum Sianenſium captivorum ducenta millia. Domum reverſus, aggreſſus eſt ipſum regnum Pegu, illudque ſibi ſubjecit.

Quo ſucceſſu elatus, Anno N. C. MCLXVII. iterùm invaſit regnum Sian, Regemque victum cepit, qui hauſto veneno mortem ſibi conſcivit, liberi verò ejus captivi manſerunt, & ſic victor magnam partem regni illius ſuo ſubjecit dominio. Hujus ſucceſſores ideò, quòd eorum potentia incœperit, occupatione regnorum Bramorum, vocantur à Neotericis Hiſtoricis Reges Bramæ: Luſitani autem à nobiliori, & magis cognita occupatorum parte, vocant eos Reges de Pegu.

Hic Rex Pegu ſive Bramæ aliquot po- 40
ſtremis regni ſui annis occupavit duos portus marinos celeberrimos, Martabanenſem & Tarnaſſerinum: armaque deinde nunc in Aquilonem vertens, nunc in Occidentem, bello afflixit Principes Caorenſem, & Tipurenſem, occupatisque regnis Macino & Aracano, *abduxitq; inde hominum captivorum CCC. millia*, (29) & multa millia Elephantorum. In eam ad Septentrionem, nunc ad Occaſum versùs circumagendo, divexavit Principes *Caor & Tipuræ*, in expeditionē duxit ter centum millia, & quadrageſies mille Elephantos. Nec aliud regnum eſt, quod majorem Elephantorum copiam habeat, iisque plus utatur. Ex quo vires & potentiam hujus Regis facili negotio colligere licet.

DE REGE CALICUTI.

PRæmemoratorum tamen Regum nul-
lus viribus potentiâque cum Rege *Cali-* 41
cuti conferri poteſt. In Indiæ enim parte nobiliſſima, inter Gate montem, Oceanumque Indicum, ejus ditiones ſitæ ſunt, nunc ſinubus maris, nunc fluminibus, aliquando lacubus, ſtagnisque ita diſciſſæ, ut eam natura in plures diviſiſſe videatur, nempe *Travancor*, (30) *Coulam, Cochim, Cranganor*,
Calicut, Tavo, Cananor. Harum Calicut cæ- 42
teris præſtat. *Ante ſeptingentos* (32) annos præfuit hisce regionibus *Pereimal* Rex totius Malabaris, qui Muhammedanæ ſectæ addictus *Meccam* profecturus, ibiq; finem vitæ facturus, regnum in plures partes diviſit, voluit tamen, ut Majeſtas Superioritasque eſſet apud Regem Calicutenſem, cum titulo *Zamorini*, quod Imperatorem ac
Deum in terris ſignificat. Habet hoc Re- 43
gnum in longitudinē Leucas xxv. in latitudine vix decem. Caput Regionis eſt

 Urbs

Urbs *Calicutum*, communicans nomen ſu-
44 um toti regioni, ſita in littore maris, tria
milliaria ambitu ſuo complexa *Mœnibus*
cincta minimè eſt,(32) quanquam contineat
VI. habitationum millia, longis à ſe invicem
disjunctarum ſpatiis. Milliari uno ab urbe
diſtat portus, cui Capocatenſi nomen eſt.
Domus hujus urbis ferè ſunt humiles, ſtru-
cturâ vili, quod, ſi fundamenta paulò depri-
mantur in terram profundiùs, aqua ſubſile-
at, ut magna & ponderoſa ædificia ſuperſtrui
non poſſint.

45 Divitiæ Regni Calicutenſis conſiſtunt
in zingibere & pipere.(33) Nec ſolùm ven-
dunt piper ſuum cum zingibere peregrinis,
ſed & aromata advectitia,(34) quæ ipſi nul-
lo negotio permutatione nanciſcuntur. *Cin-
namomum* (35) enim ad eos defertur ex Inſu-
la *Zeylon*, (36) quæ L. milliaribus Germani-
cis ab Calicuto abeſt versùs Orientem. *Ca-
riophyllos*(36) cum *nuce myriſtica* (37) & flo-
ribus ejus accipiunt ab Moluccis: Moſcum
ab Pegu: Margaritas ab Armuſio: *Nardum*
(39) cum *Myrobalanis* (40) ex Cambaia:
Thus (41) ex Arabia: Aloën & *Camphoram*
(41) ab China: Piper oblongum ex Sumatra
Inſula: poſtremò *lignum Braſilienſe* (43) ab
urbe Tarnaſſori. Subminiſtrat etiam Cali-
cutum exteris magnam vim *Caſſiæ*,(44) quæ
in ejus creſcit agro. Hæc mercium varietas
facit, ut urbs iſta ſit velut commune Empo-
rium Mercatorum Arabum & aliorum, qui
in Oriente negotiantur, unde inter ditiſſimas
Indiæ referri poteſt: unde etiam facilis con-
jectura fieri poteſt, quantæ ſint Regis opes &
proventus. Verè autem dicere poſſumus,
negotiationem rerum aromaticarum tam
eſſe quæſtuoſam, ut vel ſola Principem opu-
lentum reddere poſſit, ſi portoriorum & ve-
ctigalium magnitudinem conſideremus: ac-
cedentibus mercatorum divitiis, quæ tantæ
ſunt, ut cum nonnullis Principibus Europæ,
Africæque de pecuniarum multitudine cer-
tare queant.

In Malabar(45) communiter in præliis
46 equis non utuntur, non ob id ſolùm, quòd
equos regio non generet, (magno enim nu-
mero ex Perſia & Arabia eò ducuntur) ſed
quòd regio id non ferat: ſicut enim in Suecia
pedites haſtis, equites lanceis non utuntur ob
47 ſylvarum frequentiam, quæ earũ uſum im-
pediunt, easque inutiles reddunt: ita & in
Malabar rarò equis utuntur, propter regio-
nis anguſtiam, & quòd mille in locis hîc flu-
48 minibus, illic maris ſinubus, aliquando lacu-
bus rumpatur: vires itaque in peditatu & ar-
mis navalibus conſiſtunt. Peditatus his in re-
gionibus ad militiam adeò probè inſtructus
eſt, ut id creditu difficile ſit. Milites omnes
nobiles ſunt, dicunturque Nayri. Hi cùm ſe-
ptimum ætatis annum attigerunt, mittun-
tur ad Gymnaſium, ut ibi uſum armorum
addiſcant, inſtituti à Gymnaſiarchis, qui eos
non tantùm in ea palæſtra exercent, ſed &
membra, nervos, juncturasque eorum un-
gunt oleo ſeſamino, ut aptiſſimi evadant ad
pugnandum, & ſupra modum agiles, ut
membra ſua jactare atque flectere poſſint,
tanquam ſi deſtituerentur oſſibus. Accedit 49
ad hoc perpetua armorum tractatio, quod
gnari, unum aliquem in multis rebus ſimul
excellere non poſſe, toti ſe addicant gladia-
toriæ ſcientiæ. Sunt autem arma eorum
antiquitùs uſitata, haſta longa, arcus, & ſa-
gittæ, gladius cum clypeo. Poſt Luſita- 50
norum verò adventum didicerunt artem
fundendi machinas æneas & conficiendi
bombardas minores, ut tractare ea omnia
jam ſatis ſcitè atque commodè norint: nam
& pulvis eorum pyrius multis modis noſtro
melior eſt.

In aciem prodeunt toti nudi, præter 51
umbilicum, neque thoracibus utentes, ne-
que galeis ferreis. Hinc fit, ut optimè tractent
arma, & ad quodvis pugnæ genus apti ſint.
Imminent enim hoſti ex improviſo, & rur-
ſus in momento oculi mirâ agilitate, levita-
te, falconum inſtar, recipiunt ſe: ita ut cùm
eos longè abeſſe putabis, à tergo tibi inſtent,
ut neque inſequi cedentes, neque fugere in-
ſtantes rectè poſſis. Neque enim tardior eſt
eorum curſus, quàm Pardi vel expeditiſſimi
equitis. Nec minùs timenda eſt eorum fu-
ga, quàm aggreſſio. Ubi ad manus ven-
tum eſt (quod non niſi coacti faciunt, aut
invitati occaſione) ſæpiùs punctim feri-
unt.

Laminas æreas aut argenteas manubri-
is enſium alligatas geſtant, quarum concuſ-
ſarum ſtrepitus illis eſt pro tubis tympanís-
ve, eosque ad prælia accendunt: Scutis ſe
tam probè tegunt, ut nullum feriendi locum
hoſti relinquant.

Quantas copias educere poſſit Calicu-
tanus Rex, cognoſci poteſt ex expeditioni- 52
bus, quas contra Luſitanos fecit: in primis
anno MDIII. cùm LX. millia eduxit con-
tra Eduardum bellatorem Paciccum Regis I. 53
Luſitaniæ Emmanuelis Ducem, qui tunc ſibi
defendendas ſumpſerat partes Regis Co-
chinenſis. Marina verò ejus regis claſſis
conſtitit CC. navibus, in qua expeditione
per menſes V. perſeveravit. A. MDXXIV.
obſedit idem Rex propugnaculum, quod
Luſitani ſtruxerant, non longè à Calicuto,
exegitque in illa obſidione totam hyemem.
Etſi autem Joannes Lima & Luſitani ali-
quandiu ſatis maſculè defenderunt muni-
mentum, poſtremò tamen ipſi potentiam
Regis perpendentes iſtud dejecerunt & com-
planârunt. Idem Rex Anno MCLX. cum
exercitu XC. militum millium obſedit ar-
cem *Ciale*, eamque obtinuit, coacto Luſita-
norum in ea Præfecto facere deditionem.
Nec ſemel oſtendit idem Rex, quantum
claſſe valeat. Cùm enim aliquot obtineat
portus

portus marinos, ad quos crebri commeant mercatores, facile ei eſt, tantum armare navium numerum, quantus ipſi placuerit. Fatendum tamen eſt, noſtro tempore, omnes Indorum vires plurimum cedere claſſibus Luſitanorum, ſive ipſas naves, ſive milites claſſiarios ſpectes. Idem quoque, ſi quis de militia terreſtri dixerit, non erraverit.

Quo pacto enim fieri poteſt, ut homo nudus non metuat ferrum: aut quomodo armatus tectusque bonis ferramentis non erit audacior nudo? Nimirum hæc eſt cauſa, ob quam omnes populi, qui in bello armis defenſivis non utuntur, multò plus collocent fiduciæ in agilitate, quàm robore: magis enim pugnant fugientes, quàm cominus pugnantes, & in hominum multitudine, non virtute, proram puppimque victoriæ collocantes.

DE REGNO GOLCONDÆ.

55 Golcondæ Regnum (cujus præcipuus portus *Muſilipatuam* (45) ſitus eſt ad ſinum Gangeticum ſedecim gradibus & triginta ſcrupulis ab Æquatore versùs Arctum) nomen accipit à primaria urbe & Principis regia Golconda, Muhammedanis & Perſis *Hidraband*. Ea diſtat à Muſilipatua viginti octo leucis illius regionis, ſive itinere decem dierum. Civitas & aëris amœnitate, & agri fœcunditate nulli totius Orientis urbi inferior. Rex hic palatium habet, ambitu vaſtum, quippe quod duodecim milliaria Anglica capiat; muris undiquaque cinctum; ædificia omnia è ſaxo, quorum præcipua multo auro ſplendent.

Quid multa? elegantia & opulentia 56
Principis ſumma eſt. Nam elephantorum copia & gemmarum atque opum abundantia cum Mogolûm Imperatore certat, regnorum amplitudine ſuperatur. Princeps religione Muhammedanus à Perſis originem repetens, quorum & *ſectam ſequitur.* (46) Magni Magolis quidem imperio non eſt ſubditus, Majeſtatem tamen illius anniverſariis donis comiter veneratur. Reditus 57
illius annui dicuntur eſſe viginti Lackes ſive milliones pagodum; pagode autem pondere & valore æquat coronatum Gallicum. Solus quippe dominus eſt omnium terrarum, easque ſubditis ſuis magno pretio elocat. De *Adamantum fodina* (47) in hoc Regno ſuperioribus hisce annis repertâ, vide quæ retuli infrà *lib. 2. cap. 34. ſub* num. 8.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT XXIV.

Num. 1.

(1) *Japonia &c.*] Japaniæ ſive Japoniæ vaſtum illud regnum, quod incolæ *Nippon* vocant, vulgò quidem Inſula eſſe creditur, ſed cùm ipſi Japonenſes, nunquam ad finem regionis pervenerint aut magnitudinem ejusdem emenſi fuerint, & ſic ingens ejusdem pars incognita ſiet. Hinc meritò de veritate aſſerti de Inſula Caron *in deſcriptione ejus regni quæſt. 1.* dubitat. Confer Montanum in der Geſandſchafft an die Käiſer von Japan *pag. 6.*

Num. 3.

(3) *Moribus ritibusq; diſſimili &c.*] In quo præcipuè Japaniæ incolæ moribus ab aliis populis differant, Montanus *jam dicto loco pag. 5.* declarat.

Num. 4.

(4) *In principales partes tres diſtribuuntur, &c.*] Laudatus Fr. Caron, *qui Anno 1636. ſcripſit*, ut & Montanus *p. 275.* tradunt, dividi Regnum illud *Nippon* in quinque Provincias, nempe *Jam, Ayſtero, Jetſengo, Jetſeſen, Quanto,* & *Ochio.* His ſi addantur Inſulæ duæ inſigniores *Chiekock* atque *Saykock*, in univerſum Imperium illud ſeptem conſtare Provinciis, & in his omnibus regiones, urbes, arcésve inter Reges ut & Dynaſtas diſpartitas eſſe, horúmve reditus annuos, exceptis Imperatoris proventibus & ſolùm numeratis, quæ in victum illius, filiive, atque amictum, inque gynecæum, expenduntur,) ducentas octoginta tres milliones quadringenta quinquaginta millia Carolinorum efficere. De quo ipſe quæſt. 2. videri poterit. Primus, qui ex Luſitanis terras has adierunt, Maffeus *Hiſtor. Ind. lib. 12.* Antonium Motam, Franciſcum Zeimotum, & Antonium Pepotum, cùm ex urbe Sionis Dodra peterent Sinas, pertinaci vento ad Inſulas Japaniorum Anno MDXLII. abreptos fuiſſe perhibet. Aliorum opiniones de iis, qui ex Europæis primi in Japaniam penetrarunt, vide apud Montanum *dicto loco pag. 17.* junge eundem *pag. 205.*

Num. 7.

(5) *Meacum &c.*] De hoc ipſo ita Maffeus *d. loc.* Summus & potentiſſimus Japaniorum omnium Rex ille habetur, quisquis Meacum & Mecaonam finitima nobiliſſima regna (quem tractum communi nomine *Tenſam* appellant) armis atque arcibus occuparit. Ipſius verò Urbis Miako delineationem & deſcriptionem ad oculum ſiſtit Montanus *d. loco pag. 69. ſeqq.*

Num. 8.

(6) *Nabunanga &c.*] Antiquiſſimi Japaniæ Monarchæ DAIRI dicebantur. Duravit autem hoc Imperium Dairorum usque ad Annum Chriſti cIↄ Iↄ Lv, quo quidem exercituum Dux, nomine Nabunanga ſummam Monarchiam, cæteris debellatis Regibus, invaſit, & Dairis nomen inane & voluptates reliquit. (Montanus *d. loc. pag. 71. 72. 77. & 143. item pag. 139. & 140.* Sed circa Annũ cIↄ Iↄc. Taicoſamma à Dairo (Montanus *pag. 15.*) ſpontè ſe abdicante Imperatore totius Japaniæ declaratus fuit, cui ſucceſſerunt Anno cIↄ Iↄcvii.

Filius Fiderus Samma Anno cIↄ Iↄcxvi. Ognoſchio, Anno cIↄ Iↄcxvii. Komboſamma Anno cIↄ Iↄcxxxi. Chinogon, Hornius *in Arca Noe pag. 453. & in Orbe Imperante pag. 311.* Caron *dicto loco quæſt. 4.* Verùm Montanus paſſim narrat; quomodo omnis juramenti Daifuſama, Fideri filium Tokoſamæ poſt XV. annum ætatis ad ſolium evehendi, præſtiti oblitus, ipſum internecione deleverit, conſtituto ſibi ſucceſſore filio Konboſamâ circa Annum MDCXVI. (*pag. 204.*) tunc ſecutum fuiſſe Anno MDCXXXI. filium Toxogunſama; (*pag. 232.*) Eo Anno MDCL. ſine liberis mortuo, proximiorem ſanguine Quane, impuberem licet, ſolio Siamico ſub regimine certorum Tutorum admotum. (*pag. 238.*)

(7) *Faxiba &c.*] De Nabunanga vide apud Montanum *pag. 71. ſeqq. & 143. ſeqq.* de Faxiba verò antea dicto Toquixero, *eundem pag. 148. ſeq.* plura.

Num. 10.

(8) *Dignitatibus &c.*] Ex Maffeo *Hiſtor. Indic. lib. 12.* conſtat, ordines ipſos ſive hominum claſſes conſtituere quinque. Primum eorum, qui cum imperio ſunt rerumque potiuntur, quos communi nomine Tonos vocant. Secundum eorum qui inter occulta flagitia & ſtupra, cælibem nihilominus vitam profeſſi, gentis ſacra procurant, & communi appellatione omnes Bonzii (*confer Montanum dicto loco, pag. 46. & pag. 129. 144. 146.*) vocantur. Tertius Ordo civium ac reliquæ nobilitatis eſt. Sequuntur Inſtitores, ac ſellularii & variarum rerum opifices. Poſtremus eſt agricolarum locus, & eorum, qui propter inopiam, in ditiorum famulatu ac miniſterio victitant.

Num. 17.

(9) *Homagium &c.*] Notum eſt, Homagium dici Juramentum fidelitatis, quod ſubditi in alicujus territorio habitantes, Domino ſuo præſtant in fidem, & pro ratione Jurisdictionis ac ſubjectionis, donec in terra manent. Unde quoque prima agnitio & probatio ſubjectionis, per hoc juramentum fieri traditur, Thomas Michael *de Jurisdict. concluſ. 57.* Knichen *in Encycl. cap. 3. per tot.* Dictum eſt autem *Homagium* quaſi *Hominium*, quia is, qui hoc jusjurandum præſtat, homo Domini, vel quaſi meus fieri dicitur, vel agit ſe hominem i. e. profitetur ſe ſubditum. Diverſæ tamen ejus ſunt ſpecies. Nam aliud præſtatur à vaſallis, aliud à domeſticis, aliud à confœderatis, aliisve pro natura contractuum & obligationum de quibus Roſenthal *de feud. c. 6. concluſ. 85. & ſeqq.* Dn. Nicolaus Myler *Tr. de Principibus & Statibus Imperii cap. 38.* Maulius *Tr. de Homagio*, conſulantur.

Num. 19.

(10) *Xaverius &c.*] Franciſcus Aſpilcota Navarrus, claro inter ſuos genere natus, cognomento Xaverius, inter primos, qui Societati Jeſu ſeſe addixerunt, primus, ex Luſitania ſolvens mare peragrato circa annum MDXLII. feliciter Indias adiit, Nuntii Apoſtolici Indiæ charactere inſignitus, demumque Anno MDXLIX. Japoniam peragravit, Japonibusque ut & aliis gentibus Evangelium Chriſti annuntiavit, multisque illarum nationum Regibus & Magnatibus, ut colla ſuavi Chriſti jugo ſubderent, Author fuit. Tandem conſummato feliciter peregrinationis ſuæ curſu, famâ ſanctitatis clarus Orientalium Indiarum Apoſtolus communiter dictus, dum aditum Evangelio in vaſtiſſimo Sinarum Imperio quærebat, aſſiduis laboribus fractus, in oris hujus Imperii in Inſula nempe Sancham die ſecundo Decembris Anno MDLII. vitam cum morte commutavit, & ad preces Regis Catholici ab Urbano VIII. P. M. Anno MDCXXII. Idus Auguſti ſolemni ritu Canonicatus fuit. De quibus omnibus pleniùs in Literis Apoſtolicis de ejus Canonizatione, *quæ extant in libris Inſtituti Societatis Jeſu pag. 348.* & in libro, quo Honor Ignatio de Lojola & Franciſco Xaverio habitus Antverpiæ, cùm inter Divos referrentur, deſcribitur Anno 1622. impreſſo; & ab Horatio Turſellino *in vita Xaverii*; nec non à Maffeo *Hiſtoriar. Indic. lib. 12. & 14. itemq. paſſim*, denique à Montano *loco ſæpius dicto, pag. inprimis 205. ſeq* diſſeritur. Alter Coſmus nempe Turrianus hujus profectionis in Indiam Xaverii fidus Achates fuit, ab eo Amaguntiano gregi, dum aliis ad Chriſtianiſmum converſis præfectus fideliter DEI vineam quoque excolere, multis magnisque laboribus ſuperatis ſategit; cujus rei luculentiſſimi teſtes Joh. Fernandus, Melchior Nonnius, Arias Sanctius, Ludovicus Almeida, Ludovicus Froijus aliiſve in libris ſelectarum Epiſtolarum ex India Maffei Hiſtoriæ ſubjunctæ, exſtant.

Num. 20.

(11) *Extenditur ab Ortu &c.*] In deſcriptione hujus Regni ſequitur Klockius noſter plerumq;, imò paucis exceptis, ipſiſſima verba Boteri *in deſcriptione Regni Siam*, qui tamen diverſa illa regna *Siam* & *Pegu* non ſemel confundit. Limites regni Siam quod attinet, illas diligenter ducit (*pag. 272. ſeqq.*) qui aliquot per annos in hoc regno Indicæ Societatis Belgicæ Director, ut vocant, fuerat A. MDCXXXVI. Jodocus Schout, in deſcriptione hujus Regni, germanicè ſtudio Philologi eruditè docti, omnisque elegantioris literaturæ promi condi Dn. Chriſtophori Arnoldi editâ aliquot ante annos Norimbergæ, qui à rerum exterarum curioſo, ſi lubet, evolvatur.

(12) *Menon &c.*] Ut Menon *aquarum capitaneum*, ita Menam *aquarum matrem* ſignificare perhibent. Schout *pag. 274. ubi fluvium hunc deſcribit.*

Num. 24.

(13) *Præcipuæ totius Regni Urbes &c.*] Plures Schout nominat pag. 276.

Num. 25.

(14) *Eſt autem Sian &c.*] Contenta hujus & ſequentium duorum numerorum eadem ſunt, quæ Gotofredus *in Archontolog. Coſm. parte 2. p. 200. num. 5.* habet.

Num. 26.

(15) *Quatuor centum millia domuum &c.*] Teſtatur Joh. Jacob Merckliin im Journal ſeiner Oſt-Jndianiſchen Reiſe *pag. 450.* creditu eſſe facillimum, plus quàm 400000. animas Urbem hanc, quam *Indiam* alii, alii *Odiam* ſcribunt, continere, ubi *vide, & Jodocum Schout pag. 276 junge.*

(16) *Mæotidem efformat &c.*] Mæotidem dicunt Palum Scythicam, in regione Septentrionali juxta Phaſidis oſtium, Cimmerio Boſphoro à Ponto Euxino diſcretam hyeme congelaſcentem, Tanaim alioſq; immuneros ferè recipientem fluvios, quorũ aquæ adeò ex omni parte paludem replent ut non poſſint inter ſua labra contineri, quæ exinde quoque nomen *Ponti matris* à Scythis, teſte Mercatore *in Atlante in deſcript. Tauricæ Chreſoneſi,*

ſoneſi, traxit; ita appellatam ab Accolis, qui *Mæotæ* vocantur. Plinius *lib. 4. Hiſtor. Natur. cap. 12.*

(17) *Lignum Aloes &c.*] Id lignum, inquit Boterus *in relat. de hoc regno*, (quod Arabes dicunt *Calambuco*, alii lignum *aquila*) propter odorem ſuaviſſimum, æſtimatur ab omnibus illis populis Orientalibus argenti pondere. Utuntur eo in India & Cambaja, in exequiis magnorum Principum, in balneis, & ſimilibus delitiis: naſcitur ut plurimùm, in aſperioribus montibus Campæ, Cambajæ, Macin. &c. Pleniorem hujus ligni deſcriptionem exhibet Linſchottanus *parte 1. Navig. Orient. c. 22.* ubi *Calambam* & *Palo d' Aguilla* vocat. Kircherus autem *in China Illuſtrata parte 4. cap. 6.* ſtatuit, licet lignum *Aquilinum* & *Calambanum* unius & jusdem ſpeciei arboris ſint, differre tamen in hoc, quòd *aquilinum* illud vocetur, quod adhuc tenerum & in florida ætate conſtitutum eſt: *calambam* verò tum dici, cùm ad maturam & quaſi decrepitam ætatem pervenerit. Hæc ille, ubi plura ad elucidationem Boteri locum jam adductum in ſequentibus profert.

Num. 27.

(18) *Situs Regni Pegu &c.*] Quod exactè deſcribit Caſp. Balbus Venetus & Eliud Nicolai in der neuen und warhafften Relation von dem / was ſich in Indien zugetragen / *cap. 3.* Utrumque verò & Regnum Siam & Pegu ex mente plurimorum, qui de illis terræ partibus ſcripſerunt, Eraſmus Franciſci in dem Oſt- und Weſt-Indiſch- wie auch Sineſiſchen Luſt- und Stats-Garten *parte 3. pag. 1508. ſeq.* deliniat.

Num. 21.

(19) *Elephanti &c.*] Quantum mole corporis, tantum ingenio, prudentiâ, ſagacitate, docilitateque reliqua ſuperat animalia Elephas, animal Aſiaticum & Africanum, Europæis atque Americanis peregrinum. De quo animali librum integrum, quàm brevem notam adſcribere facilius ſit. Qui tamen haud vulgaria de hoc animali cognoſcere avet, is Schotti Phyſicam curioſam *lib. 7. cap. 19. & lib. 8. cap. 33.* Camerarium *Horar. Subciſiv. cent. 1. cap. 25. cent. 2. cap. 96.* Schout *in deſcript. Regni Siam pag. 296. 300. ſeqq. & 451.* Albrecht von Mandelslo in der Morgenländiſchen Reisbeſchreibung *lib. 3. pag. m. 200. 201. 202.* Kircherum *in China Illuſtrata parte 2. cap. 5. ubi admirandam ægri cujusdam Elephanti curam recenſet*, Joh. Jonſtoni *Thaumatographiam claſſ. 6. cap. 17.* evolvat.

Num. 29.

(20) *Delitiis & voluptatibus obruat, &c.*] Contrariantur his, quæ Schout *in deſcript. hujus regni pag. 312. ſeqq* de moribus, victu, & commerciis hujus gentis obſervavit.

(21) *Putant eſſe Reſinam arboris &c.*] Variorum de Lacca ſententias ex Hernandez & Lynceo, Acoſta, Garſia &c. congeſtas lege, ab Eraſmo Franciſci im Oſt- und Weſt-Indianiſchen wie auch Sineſiſchen Luſt-Garten *parte 1. pag 820. ſeq.* adductas, *confer ejusdem partem 1. pag. 278.*

Num. 30.

(22) *Benioin &c.*] Quod & *Benivin* dicitur de quo vide Eraſmum Franciſci *d. loc. parte 1. p. 701. & parte 2. pag 987.*

(23) *Regem Peguanum &c.*] Qui hoc loco idem fortaſſis, qui Rex Siami eſt, cùm olim Regnum Pegu ſub Siami Regno continebatur à legatis adminiſtratum, *uti ex num. 38. ſeqq. hujus capitis conſtat.* Scribit autem Jodocus Schout, *pag. 287* Reditus Obventionesque Regis eſſe ingentes, quæ ad aliquot milliones annuè aſcendant; eosque præcipuè ex oryza, quâ terra hæc abundat; item Sappang, ſtanno, plumbo, nitro &c. hauriri, & hæc omnia à Regiis Inſtitoribus peregrinis mercatoribus divendi; corpore quoque eum emolumenta ex auro partim inter arenas collecto, partim è fodinis eruto, iis accenſenda vectigalia peregrinorum mercatorum, dona & tributa ipſi obnoxiorum Dominorum & Gubernatorum diverſarum Provinciarum & urbium; qui omnes ex indicto certum quid contribuere obſtricti ſunt; præter ea omnia Regi mirum quantum inferre mercaturas, quæ ſuâ pecuniâ in Choromandel & Sina exercentur: nec non mercatura in regno, quibus tam in Urbe India quàm alibi præfecti aliqui ſunt; ſic ut acquæſtus ferè centum mille Imperialium annuè numeretur; Et ex hoc exploratum fieri, Regem Siam unum ex ditisſimis Indiæ Regibus eſſe. Addit laudatus Schout, ad recipienda hæc Regni ſubſidia diverſos eosque plurimos miniſtros eſſe conſtitutos, qui de illis rationes reddere tenentur; hosque reditus à ſua Majeſtate impendi in exſtruenda Idolorum delubra; remunerationem fidelium ſervitiorum; Imperii, ſtatus, decorisque aulici impenſas: reliqua inferri in ærarium; indeque dici verisſimumque eſſe, Regem hunc immenſos posſidere theſauros.

Fernandus Mendez Pinto verò, qui A. MDCXL. has oras peragravit, *citante Dn. Arnoldo p. 330.* cenſet, tunc temporis Regios proventus duodecim millium, certè, non connumeratis vectigalibus & tributis, trigintarum ſexaginta Tonnarum fuiſſe. Ubi tamen additur, ipſum illum Siami Regem communiter Imperatoris Sinarum agnoſcere Majeſtatem, Ipſique eo nomine teſtandæve obſervantiæ ergò quotannis certum tributum transmittere eum.

Num. 32.

(24) *Ut ei in bellis certo peditum numero &c.*] Ingens ille exercitus, ut eſt apud Schoutum *pag. 294.* militesque Regis, tam mari quàm terrâ, conſtat è vaſallis incolisque regni; inter quos tamen etiam exteræ nationes, Æthiopes v. g. Malagenſes, aliive pauci numero comprehenduntur, ex quibus quinque aut ſex millia militum Japonenſium primas tenent; quòd ob laudatæ eximiæve fortitudinis famâ à gentibus circumvicinis ſuſpiciebantur, & ea propter à Rege Siamenſi magni æſtimabatur; ſed à moderno Rege (ob metum ambitioſi ſuperciliosique illorum genii) interfecti Regnoque ejecti fuêre: nihilominus brevi temporis quaſi momento reverſi. Sic potentia Regis in Simiatis ſolis, & paucis aliis gentibus conſiſtit, qui ſine ſtipendio ullo præſtò ſunt & in bellum ire tenentur; Igitur ſi bellum ingruat pro temporis neceſſitatisque ratione, vel è nonnullis Provinciis, vel etiam ex univerſo Regno, nunc centeſimus, nunc quinquageſimus, nunc vigeſimus, nunc decimus evocatur & colligitur: qui dein ſub certis militiæ præfectis unà cum Rege aut ejus Legato militatum abeunt. Præter hos communiter aliquot centum virorum in ſervitio Magnatum vivunt, qui ipſos caſtra ſectantes ſequuntur; Itaque Rex copias maximas aliquot centum mille virorum cum ducentis vel trecentis Elephantis, (pugnæ, commeatui & tormentis portandis aptis) in bellū educere. &c. Obiter hoc loco notanda Regula, quam Hirtius *de Bello Africano*

cap. 27. extruxit. *Elephanti multorum annorum doctrinâ uſq; vetuſto vix edocti, tamen communi periculo in aciem producuntur.* Alexander quin etiam apud Curtium *lib. 9. cap. 2.* Plus ſuis, *ait*, quàm hoſtibus periculum inferre. Exempla ſuppeditat Florus *lib. 1. cap. 18. n. 12. ſeqq. lib. 4. cap. 2. n. 67.* Curtius *lib 8. cap. ult.* Plenæque ſunt horum eventuum Hiſtoriæ paſſim.

Num. 35.

(25) *Impenditur delitiis &c.*] Conferatur Schout *pag. 282.*

Num. 36.

(26) *Aurum Ophir &c.*] De hac materia & Salomonis Navigatione aut ſuprà *in lib. 1. cap. 1. n. 57. & in Not. ad illud n. 70.* & alibi dictum fuit, quibus junge Eraſmum Franciſc. im Oſt- und Weſt-Indiſchen Luſt-Garten *parte 1. p. 693. & 1112.* Marianam *de reb. Hiſp. lib 26. cap. 20.* Quæ verò de Origine hujus gentis adfert Klockius, ea ipſa ſunt, quæ Davety & Gotofredus *in Archont. Coſm. parte 2. in deſcript. regni Brachm. ſive Pegu pag. 211. num. 10.* refert.

Num. 38. 39. 40.

(27) *Regi Pegu obediebant &c.*] Ita narrat Boterus & poſt eum Gotofredus *d. loc. pag. 208. num. 1.* Non longè hinc abeunt ea, quæ Hornius *in Orbe Imp. pag. 305. ſeq* de hoc Regno refert, quando ſic inquit: Anno MD. Hoc Regnum unum ex ampliſſimis per Indiam fuit, ac univerſam ad fluvium Gangem Indiam complectebatur. Circa Annum C. MDLX. quidam Præfectus Provinciæ Tangath rebellare contra Dominum ſuum cœpit, ac felici expeditione regno Pegu inſuper Brom, Melindai, Calan, Mirandu, Ava, Arcan, Makin ſingula Regna adjecit. Hoc ſucceſſu elatior regnum quoque Siam bello petiit, cujus cauſam fuiſſe Elephantum Album, quem Siamenſes Peguenſibus negaverant, refert Lindſchoten *cap. 17.* (*Gottard Artus à Dn. Arnold, in deſcript. Regni Siam p. 328. allegatur apud* Mandelslo *d. loc. pag. 200. Balbus Venetus &c.*) Sed potentia injuſtè acquiſita perennare non potuit. Primò autem defecit patruus Regis regno Ava præfectus, quem tamen in bello Anno MDXCVIII. ſuâ manu interfecit. Sequenti anno defecit Regnum Siam, ac ingruentibus undique innumeris calamitatibus, fame, peſte, bello ita deſtructum fuit Regnum Pegu, ut Anno MDC. per multa milliaria nil niſi hominum cadavera ſpectantibus cum horrore occurrerent. Nunquam ſimilis accidit integræ gentis internecio, quæque de Judæorum ſub Romanis, Hungarorum ſub Tartaris excido leguntur, levia præ his ſunt. (*Videatur Hiſtoria Indiæ Orientalis ſcripta à Petro Jarrige pag. 850.*) Ita regnum Pegu penitus deſolatum pervenit ad Regem Arcan (*vide citatum ſuprà Eliud Nicolai d. loco.*) Hodie tamen ita inſtauratum eſt, ut nullæ tantæ cladis ſuperſit memoria. Poſtremus Rex Siami, de quo aliquid ad nos conſtans fama attulit, & cujus rerum Siamiticarum à Dn. Arnold editi Scriptores meminerunt, adhuc circa annum MDCXX. & quod excurrit vocabatur *Ragihapi*, poſteriores poſteriorum ſcripta & exactiorem hujus ſtatus, nunc proſperam, nunc iniquam, fortunam manifeſtabunt.

(28) *Ante annos LXXX. &c.*] Eliud Nicolai *d. loco* exprimit Annum nempe MDXXXVI.

Num. 40.

(29) *Abduxitq; inde hominum captivorum CCC. millia &c.*] Boterus *in relat. ſæpè citata*, pro eo quod Author noſter dicit hoc loco, ſcribit: *duxitq; in eam expeditionem tercentum mille & quadrageſies mille Elephantorum &c.*

Num. 41.

(30) *Travancor &c.*] Omnia hæc regna primitus non partes Calicutani Regni, ſed Mabatrici Regni fuerunt, cujus regnum Calicut pars quædam erat. Ipſum tunc eminere & in alia imperium obtinere cœpit, cùm uni ex intimis amicorum ſuorum Sarama Perimal tribuiſſet titulum *Zamari*, i. e. Imperatoris, cui reliqui tanquam ſupremo Domino ſubjacerent, quod & Author noſter *ex Botero hic n. 42.* notat. Is, *ut Hornius in Orbe Imp. pag. 304. tradit*, Anno C. DCCCCVII. extruxit urbem Calicut, & in ea Imperatoriam ſedem, quam poſteri ejus in hunc diē, quamquam multùm imminutâ Authoritate, retinent. Nomina Imperatorum propria ignorantur, nec niſi confuſo Zamorum nomine memoria eorum extat. Unus tamen nomine Ganfer memoratur ab Aloyſio Cadamuſto (*in Deſcript. Navig. ad terras ignotas*) quem regnaſſe tradit circa Annum MCCCCXCVIII. Potentia eorum decrevit circa Annum MD. infractа potiſſimùm à Portugallis, qui ſedem mercaturæ Calicutâ Cochinum vicinam urbem transtulerunt. Ita hoc regnum ex maximo minimum factum. Retinuerunt tamen ejus Reges titulum Zamori ſeu Imperatoris. Regna minora fuerunt Cochin, Canonor, Baricola, Chala, Onor, & Culon, cum aliis quibusdam minoribus, quorum pleraque hodiè Luſitanis parent. *Hactenus Hornius*, junge Eraſmum Franciſci *loco jam dicto, qui notabiliora de hoc Regno à pagina inde 1476.* ex Aloyſio Cadamuſto, Ludovico Romano, Petro Wilhelmo, Verhouſen, & ipſo Klockii Duce Botero, una quaſi faſce complectitur; atq; Fernandum Guerrerium in der Indianiſchen Relation erſten Theil *pag. 50. ſeqq.*

Num. 42.

(31) *Ante ſeptingentos &c.*] Intelligenda hæc ſecundùm tempus, quo Boterus hanc ſcripſerat Relationem.

Num. 44. ſeqq.

(32) *Mœnibus cincta minimè eſt &c.*] Ut vult Gotofred. *in Archont. Coſm. parte 2. pag. 217. & 218.*

Num. 45.

(33) *Zingibere & pipere &c.*] Zingiberis ſive Gingiberis radix non infra tres pedes in terra occultatur, ut cannarū ſive arundinum radices. Cùm eruitur Gingiber, relinquitur internodium unum in foſſa & cooperitur terrâ, unde in futurum annum denuò tantundem Gingiberis inde depromi poteſt. Quod in terra plana colligitur, ſpeciem aliquam Myrobalanarum refert. Sed in agris humidis & rubeſcente ſolo quod reperitur, non unius eſt generis. Ita refert Gotofredus *d loc. n. 3.* De Pipere verò ſic commentatur *ibid. n. 2.* Eſt autem, *inquit*, arbuſcula piperis ſtirpe imbecillâ, ut ſua ſponte erecta ſtare non poſſit, ſed ridiculis fulcrisq; ſtatuminanda ſit, ut vites. Multum accedit ad ſimilitudinem hederæ, quæ creſcendo prorepit ſcanditq; in altum, ſi claviculis ſuis aliquid vicinum apprehendere poſſit. Habet autem frutex ſive virgultū iſtud pluſculos ramos, duas vel tres ſpithamas longos: Folia ei ſunt, qualia ferè Malo Aſſyriaco, niſi quòd hæc

hæc ſpiſſiora paulò ſunt, & transverſis vineis diſtincta. Dependent à ſingulis plantis circiter VI. Botri, pedem unum longi, colore qualis eſt uvarum jam primùm matureſcere incipientium. Colliguntur Octobri & Novembri Menſibus, cùm adhuc virides ſunt, deponunturque in mappa, & Solis radiis exponuntur, vel etiam ſupra ſtoreis junceis, ubi granum intra tertium diem nigreſcit, inſtar baccæ juniperi. Non autem egent arbuſculæ illæ inciſione aut amputatione luxuriantium foliorum, ſed terra tantum bonum ſine humanæ manûs cultura procreat. De pipere & ejus diverſis ſpeciebus plura congeſſit Eraſmus Franciſci im Oſt- und Weſt Indiſchen ꝛc. Luſt-Garten *parte 1. pag. 398. ſeqq.* De Gingibre verò *pag. 450.*

(34) *Sed & aromata advectitia &c.*] Secundùm Gotofredum *parte 2. pag. 219. num. 10.*

(35) *Cinnamomum &c.*] De quo vide Eraſmum Franciſci *pag. 394. & 690.*

(36) *Zeylon &c.*] Deſcriptionem Inſulæ Zeylon exhibet Mandelslo in der Morgenländiſchen Reisbeſchreibung *lib. 2. cap. 12. pag. 145. ſeqq.* quem omninò, cum annotatis ibidem, videre non pigebit Lectorem.

(37) *Cariophyllos &c.*] Eraſmus Franciſci. *pag. 378. & 379.*

(38) *Nuce myriſtica &c.*] Idem *pag. 305. 396. 979. 990.*

(39) *Nardum &c.*] Idem *pag. 709.*

(40) *Myrobalanis &c.*] Idem ibid. *pag. 640. 641.*

(41) *Thus &c.*] Idem *pag. 702.*

(42) *Camphoram &c.* Idem *pag. 708.*

(43) *Lignum Braſilienſe &c.*] Vide eundem *pag. 752. ſeqq.*

(44) *Caſſiæ &c.*] Idem *pag. 690. & 695.*

Num. 46.

(45) *In Malabar &c.*] Gentem hanc deſcribit Mandelslo in der Morgenländiſchen Reisbeſchreibung *lib. 2. cap. 10 pag m. 141. ſeqq.* atque de iis oris genteque eâ Mariana *de reb. Hiſp. lib. 6. cap. 18* hæc literis conſignavit: Malabres gens ineptis Deorum ſuperſtitionibus miſerrimè ſerviens in quatuor genera hominum tributi ſunt. Nobiles, quos Caymales vocant: Sacerdotes, qui & Brachmanæ ſunt, præcipuâ authoritate homines milites *Nayres* dictos; poſtremò plebem ex agricolis & opificibus conſtantem. Mercatores fermè ſunt externi. Fuſco colore omnes umbilico tenus nudi incedunt, cætera usque ad tibias bombycinâ aut goſſypinâ veſte contegunt, acinaces ex humero pendent ſpectaculum noſtris inſolens. Ritus & mores gentis inſolentiores planè ſunt & feri. Ex uno cætera conjice. Fœminæ multis pro libidine viris nubunt. Ita patres teſtamento filios, quippe incertos, hæredes non inſtituunt, ſed ſororum liberos. Multos in reges diviſa gens erat. Regi Calecutii tanquam Domino parebant cæteri, ex eo Zamorinum vocabant, h. e. Imperatorem. Opes & à majoribus relictas habebat, & ipſe longâ Imperii poſſeſſione ingentes cumulaverat. Lauta inprimis Civitas & ampla Calicutium eſt, mercatorum ex locis omnibus confluentium frequentiâ, & mercatu aromatum præ cæteris celeberrimum emporium Orientis. In media regione ad mare poſita. Latiſſima ſpatiis, quoniam domus inter ſe conjunctæ non ſunt, ſed latè ſpaciantibus ſylvis & viridariis diviſæ. Regia tantùm & DEORUM templa è lapide extruuntur: privatorum ædes è materia palmarum foliis & ramalibus contectæ: neque pluribus ſublatæ tabularis, ſed humiles. Sumptuoſiùs ædificare nobilibus juxtà ac plebi eſt vetitum. Is erat Calicutii rerum ſtatus, ii gentis ritus & mores: quo tempore Vaſcus Gama ad ejus regiones applicuit. *Hactenus Mariana.*

Num. 55.

(46) *Muſulipatnam &c.*] Quod ſecundùm Joh. de Laet *in India vera deſcript. pag. 81.* ex Wilhelmi Methold, qui ibidem per octennium vixit, relatione, exiguum eſt oppidum, ſed incolis frequens, nullis mœnibus cinctum, nec ædificiis pulchrum, nec ſitu commodum, quum omnes illius ſcaturigines ſint ſalſæ; commerciorum opportunitas è piſcatorum nido emporium facit.

Num. 56.

(47) *Sectam ſequitur &c.*] Addit de Laet *d. loc. pag. 82. (cui hanc Golcondæ deſcriptionem Author noſter debet;)* Gentile illius nomen *Cotubſcha*, quod à prædeceſſoribus acceptum ſervat.

Num. 57.

(48) *Adamantum fodina &c.*] Reliquæ hujus Regni (quod ab aliis, atque à Mandelslo etiam, in der Morgenländiſchen Reisbeſchreibung *lib. 3. pag. m. 197. Orixa* vocatur,) merces (*docente de Laet d. loc. pag. 85.*) ſunt, ferrum & chalybs; nam auri, argenti, æris metallis caret. Lapides Bezoares; goſſypini panni omnis generis, præſertim eleganter tincti & pecti, in qua arte cæteros Indos excellunt; utuntur inprimis ad hanc operam plantâ, quam vocant Chay; hâc perfectiſſimum & pertinaciſſimum colorem rubrum exprimunt, Annil, &c.

CAPUT XXV.

De Abiſſinorum ſive Prete-Jani Imperio, Viribus & Ærario.

SUMMARIA.

1. Abiſſinorum *Rex in Æthiopia albo eſſe colore fertur.*
2. Abiſſini *unde dicti? &* num. 5.
3. *Variæ* Geographorum *ſententiæ in deſcribendis hujus imperii longitudine & limitibus.*
4. *Refert* Rex *hic originem generis ſui ad Regem Salomonem & Reginam Sabeæ: Quibus utatur* Titulis & Nominibus, num. 6.
7. *Quo pacto* Judaiſmus, *hoc num. &* Fides Chriſtiana *in has regiones introducta fuerint*, num. 8.
9. Tigia *Civitas primùm doctrinam Chriſti ſuſcepit.*
10. Tigiani *poſted in Eutychianam hæreſin prolapſi, Alexandrinum Patriarcham pro capite Eccleſiæ agnoverunt.*
11. Abiſſini *quoque Cophitarum combiberunt delicias.*
12. Rex Abiſſinorum *ſchiſmaticus eſt, habet ſub ſuo imperio Regulos Chriſtianos LXII. præter Gentiles & Mahometiſtas*, num. 13.

14. Forma Imperii *Deſpotica eſt ; deprimantur vehementer ſubditi, vult divinus ſacerq; haberi*, num. 15.

16. Rex *tertio quoque anno ſolitus ſe viſendum præbere: Moderni humaniores ſunt*, num. 17.

18. Aula *ejus mobilis, habitatq; Princeps ſub tentoriis.*

19. *Opes & divitiæ Abiſſinorum ex metallis: auro, argento, cupro, ferro, copiâ ſacchari, &c.*

20. *Proventus annui hujus Monarchæ; Et Ærarium, quibus conſtet, quàm amplum, & unde augeatur, &* num. 21. 22.

23. *Quantum ſcripto obtulerit Regi Portugalliæ ad bellum contra infideles.*

24. *Recondit annuè tres milliones aureorum.*

25. *Gens eſt ignava: Regio apta ad culturam & induſtriam.*

26. *Uſum neſcit hæc gens ſuorum bonorum.*

27. *Animi abjectiores, eò, quòd ut mancipia habeantur.*

28. *Vicini Reges Burnæ, Adelæ, Dancalæ & Turcæ hoc Regnum infeſtant.*

29. *Hodiè alia belli gerendi ratio apud Abiſſinos in uſu eſt.*

30. *Centum millia poteſt, & plures in expeditionem belli ducere.*

31. *Eſt hic Religio Militaris S. Antonii: Hujus jura & propoſitum*, num. 32.

Magnus Abiſſinis gemmarum creditur eſſe
Uſus, & argenti ſolidi, regalis & auri,
Inprimis æris duri ferrique rigentis,
Sacchara larga etiam tribuit Natura Coloniſ.
Unde minùs mirum, quòd tàm bona terra putetur.

1 INteriori Æthiopiæ imperat Abiſſinorum Rex. Hic *albo eſſe colore* (1) fertur, & Presbyter ſive Pretioſus Joannes, vulgò *Prete-Gianni*, (2) ſive *Preti-Jani* vocatur, magno, recepto tamen errore; cùm is
2 quondam in Aſiæ regno *Tanduc* regnaverit Abaſenos populos uti recenſet Stephanus in Arabia; unde veriſimile eſt, eos in Africam trajecto ſinu Arabico commigraſſe. Aut ſanè in ipſa Africa fuerunt ad ſiniſtrum Arabici ſinus latus, ubi Arabia ſive regio Troglodytica. Hæc quippe nunc ſub Abiſſinorum imperio eſt; Alii tamen ab
3 Arabico vocabulo *Elhabaſchi* (ſic enim Mauri Principem Abiſſinorum appellant) vulgò factum opinantur Abaſſii, ac deinde Abaſſeni, quod denique commutatione vocalium in Abiſſinorum nomen evaſit.

4 In deſcribenda autem hujus *Imperii longitudine*, (3) latitudine & limitibus plerique Geographorum balbutiunt, cùm quæcunque ſcripſerunt, ex Abiſſinorum, qui ipſi peregrini ſunt in ſua patria, narrationibus, imperfectis illis quidem & malè ordinatis, hauſerint. Non omnia, quæ priſci Abiſſinorum Reges ſub ſuo habuerunt imperio, noſtro tempore ſub Prete-jani dominio cenſentur; unde & diverſitas adparet, in conſtituendis hujus Imperii finibus, quos clariùs deſcribunt Belleforeſtus, Mercator, Maginus, Hugo Linſchotanus, Boterus & alii, quorum varias & diſcrepantes opiniones refert Joan. Ludov. Gotofred. *in Archontolog. pag. 225. & 226.*

Philippus Cluverius verò *in Introduct. Geograph. lib. 6. fol. 357.* Clauditur, *inquit*, hoc regnum ab Ortu Arabico ſinu & regionibus *Aiana & Zangebara;* à Meridie *Monomotapa;* ab Occaſu *Congo* & *Medar* regnis; à Septentrione *Nubia* & Ægypto. Longum eſt ab Ægypto ad *Monomotapa* usque milliaria Ib LXXX. Latum inter fauces Arabici ſinus & Nigrum fluvium, M. CCCCL.

Cæterùm jactat ſe Princeps hic *oriundum ex ſtirpe Davidis* (4) & è filio quodam 5
Salomonis Meilecho, Regina Sabæa nato, *nominatq;* *ſe* (5) barbaro faſtu, Imperatorem utriusque Æthiopiæ, Regem Goæ, 6
Caphetum, Fetigaris, Angolæ, Barni, Baliguazæ, Adeæ, Vangæ, Goiamæ (ubi eſt ſcaturigo Nili) Aumaræ, Bagomodri, Ambeæ, Xanguei, Tigremahonis, Sabaimi, Sabæ, Barnagaſſe: breviter Domina- 7
torem finium Nubiæ & Ægypti. *Ajunt præterea Abiſſini*, (6) ſe primò Judaiſmum amplexos fuiſſe, operâ potiſſimùm prædicti *Meilechi*, filii Salomonis, Mabuedæ Reginæ matris ejus, & Judæorum, qui hanc redeuntem fuerant comitati; aſſeruntque, hæc omnia pluribus enarrata reperiri in antiquiſſimo Chronico, quod cum multis aliis libris aſſervetur in urbe *Cazumo.* Chriſtianæ verò Fidei compotes facti ſunt per Eunuchum Candaces Reginæ, 8
quem Philippus & Baptiſmo & Chriſtianitate induit, ut *Acta teſtantur Apoſtolorum*: (7) Unde & *Euſebius* (8) hoc Regnum, velut primitias gentium annotavit; ajuntq; nonnulli, *S. Matthæum poſteà in hæc loca* (9) delatum, convertiſſe Iphigeniam virginem illuſtri prognatam familiâ: Deinde Apoſtolum in viſione apparuiſſe Proceribus, & eos hortatum fuiſſe, ut Iphigeniæ fratrem, qui Chriſtianus erat, Regem crearent in defuncti Regis locum, qui leprâ conſumptus perierat, quòd Matthæum interfeciſſet Apoſtolum.

Tigia primus locus fuiſſe perhibetur, qui 9
doctrinam Chriſti ſuſcepit, unde etiamnum hodie ſcripturæ ſacræ Tigianorum linguâ prælegυntur. Hi ipſi poſteà unà cum Cophitis Ægyptiis in Eutychianam hæreſin lapſi fuerunt, quòd dependerent ab Alexandrino Patriarcha, quem caput Eccleſiæ ſuæ agnoſcebant, & à quo ipſi Abu- 10
nam ſive Patriarcham ſuum recipiebant. Hujus doctrinam ſecutus populus Æthiopum, eandem hauſit corruptelam, cùm Abiſſinis nulla eſſe poſſent cum Romanis commercia, niſi per Alexandriam & Ægyptum.

Ut autem omnis error fœcundus eſt, vi- 11
resque acquirit eundo; ſic Abiſſini cum Co-

Cophitarum erroribus etiam alia combi-
berunt deliria. Acceſſere ad ignorantiam
& errores, & eorum commercia cum
Idololatris & Muhamedanis; ita ut rem pro-
12 piùs intuenti diſpaleſcat, Regem Æthio-
pum Schiſmaticum dici poſſe, & ſequi Fi-
dem & Ceremonias Patriarchæ Alexan-
drini, à quo confirmatus eſt in ſua Opinio-
ne, quam etiamnum mordicus defendit.
Eſt tamen hic Monarcha, profiteturque ſe
eſſe Chriſtianum, *habetq; ſub ſuo Imperio
Regulos Chriſtianos* (10) LXII. præter Gen-
tiles & Muhammediſtas, qui ei ſunt tribu-
13 tarii. Cæterùm quæ Boterus & alii de *tri-
um Regum, Caſparis, Melchioris, & Bal-
thaſaris* (11) poſteritate hîc longis ferunt
ſermonibus, ad Hiſtoricam veritatem parum
facere videntur.

14 *Forma regiminis Deſpotica eſt.* (12) Depri-
mit enim valdè vaſallos, tum potentes,
15 tum pauperes, tractatque eos potiùs tan-
quam mancipia, quàm ſubditos. Quò
hoc tutiùs faciat, ita ſe gerit, ut ab iis tan-
quam divinus ſacerque colatur. Nam &
audito nomine Principis, omnes ſe infle-
ctunt, terram manu contingentes, & ho-
norem ſummum deferunt *Tentorio ejus*,
(13) quamvis ipſe in eo non ſit. Sole-
bant in hunc finem Reges Abiſſinorum *ſe
16 non niſi ſemel in anno* (14) oſtendere popu-
lo: poſtea id ter quotannis fecerunt. Die
Nativitatis Dominicæ; Feſto Paſchatos;
Poſtremò ſolenni die S. Crucis, Septem-
17 bri Menſe. Noſtro autem ævo familiares
populo facti ſunt. Aula nunquam fixa ma-
net, ſed modò huc, modò illuc commi-
18 grat, habitatque Princeps in campis ſub
tentoriis, quorum ſex millia eum ſequun-
tur. Hæc aula occupat decem & plura
milliaria: *Urbes in univerſo Imperio paucæ
ſunt*: (15) vicis plurimùm habitatur, do-
mibus ex creta & ſtramine conſtructis.

19 Divites eſſe Abiſſinos fateri nos cogit
aurum & argentum, (16) quod apud eos
terrâ eruitur, ut & cætera metalla, inprimis
æs & ferrum. *Saccharum* (17) natura iis
largiter dedit, non item artem extrahendi
atque defæcandi: quæ eadem quoque ars
eos in excoctione Metallorum deficit, quam
inſcitiam ſi profligarent, multò majores
ſine dubio opes habituri eſſent. Regii Æ-
20 rarii proventus *in triplici ſunt differentia*:
(18) Vel enim conſiſtunt in fundis regiis,
quos vel boum vel mancipiorum opera co-
lunt, creſcente ſemper ſervorum multitudi-
ne, cùm liberi ſequantur parentis conditio-
nem: vel in cenſu capitum, quem populus
viritim ſolvit; & decimis metallorum, quæ
ex aliis, quàm ſuis fodinis eruuntur. Vel
in tributis ſubjectorum Principum, quorum
alii quidem equos mittunt, alii boves, alii
materiam veſtiariam, alii denique aurum,
goſſipium, aliasque res imperatas, ſinguli
pro facultatibus provinciæ ſuæ. Prorex 21
Barnagaſſæ huic Monarchæ quotannis mit-
tit CL. equos præſtantes cum magna vi
telæ ſericæ, goſſipii, & auri infecti. Rex
Tigremaonis loco tributi mittit CC. equos
Arabicos, nec minùs cæterarum rerum,
quàm ſuperior. Cæteri ſolvunt, quod 22
poſſunt, pro captu facultatum. Præterea
aufert ad libitum bona Subditorum, (19) &
fiſco addit, vel aliis confert, nec ei, qui pri-
vatur, facere demonſtrationem, ſe id ægrè
ferre, licet.

Theſauros non exiguos hunc Monar-
cham poſſidere, inque iis plurimum auri,
gemmarum & pannorum (quibus totum
propè Regnum abundat) habere, commu-
nis fert opinio. Intelligimus hoc ex Epi- 23
ſtola quadam ad Portugalliæ regem, in qua
huic offert, ad bellum contra infideles ge-
rendum, auri *C. millia drachmarum*, (20) mi-
litum verò atque alimoniæ infinitum nu-
merum, vimque incredibilem. Putatur
etiam quotannis ærarium ſuum, quod eſt 24
in Caſtello Amaræ, inferre tres Auri Mil-
liones.

Quamvis autem reditus facultatesque ſa-
tis amplæ ſint, gens tamen ipſa ignava eſt, 25
& regio alioqui generationi multiplicati-
onique, tum plantarum, tum animalium
aptiſſima, parum adjuvatur induſtriâ in-
colarum, eò quòd naturâ ingenioque tar-
di ſint & lenti: habent enim inprimis li-
num, ſed non texunt telam; cannas mellis, 26
ſed ſaccharum inde deducere non norunt;
ferrum, ſed ejus uſum ignorant, habentque
fabros pro nigromanticis: ſunt ibi flumina
& aquæ, nec tamen iis agros irrigant, nec
reddunt eos fertiliores. Quid venatio &
piſcatio ſit, vix intelligunt: itaque campi a-
vibus, animalibusque ſylveſtribus, flumi-
na & lacus piſcibus ſcatent. Quin & ipſe
Princeps gentem ſuam in mancipiorum 27
numero habet, unde ipſis non eſt illa ani-
morum generoſitas, quæ homines ad arma
promptos, audacesque ad pericula facit: &
pauperes videntes ſe à primariis malè tra-
ctari, ſibique auferri, quod habent, non
faciunt plus ſementis, quàm neceſſitas ef-
flagitat. Armis prophylacticis ferè deſtitu- 28
untur. Loca munita, arces atque propu-
gnacula nulla habent. Vicinis Monar-
chis Regibusque Burnæ, Adelæ, Danca-
litano, Turcæ & Muhammediſtis in Pro-
vincia Domenſi, velut in prædam expoſiti
ſunt. Accedit jejunium L. dierum, quo
ita exhauriuntur atque enervantur vires
eorum, cùm totos dies inediâ tranſigant,
ut vix ingredi rectè poſſint, & his & aliquot
ſequentibus diebus. Hanc occaſionem
arripiunt Mauri & Arabes, eosque ita de-
bilitatos bello adoriuntur, certi propè de
victoria. Anno tamen M. DLXII. cùm
res Æthiopiæ admodùm fluctuarent, Lu- 29
ſitani,

ſitani, illatis in regnum omnis generis armis, excitaverunt languentes Abiſſinorum animos, ſuo exemplo ad capeſſendam militiam, inſtitueruntque eam belli gerendi rationem, quæ apud nos in uſu eſt, ita ut etiam cœperint Æthiopes hinc inde per Regnum exſtruere propugnacula, & oppida vallo ac foſſâ munire. Ab eo tempore cœpit Rex Abiſſinus ſupra modum diligere Europæos homines, quos cùm ſemel nactus eſt, admodùm gravatè ab ſe dimittit.

30 Narrat Franciſcus Alvarezius, quòd Presbyter Johannes poſſit centum millia in expeditionem belli ducere; cùm tamen conſtet, in neceſſitate conſtitutum tantum exercitum conflare non potuiſſe. Eſt
inter eos *ordo militaris* (22) ſub protectione S. Antonii, cui omnes patresfamilias nobili genere prognati, ex tribus filiis unum, excepto primogenito, addicere coguntur: 31
ex his ſeliguntur XII. Equitum millia, qui 32
omnes dicuntur cuſtodes corporis regii. Scopus hujus Ordinis Equeſtris eſt, Imperii fines defendere, & hoſtibus fidei reſiſtere.

ANNOTATIONES

Ad

CAPUT XXV.

Num. 1.

(1) A*Lbe eſſe colore &c.*] Gotofredus *in Archontologia Coſmica, in deſcriptione hujus regni pag. 229.* inquit: Negant (Principem illum Prete-Janum, eſſe coloris atri, ut cæteri ſunt Æthiopes, ſed ex albo & nigro mixti.

(2) *Prete Gianni &c.*] De Etymo hujus Regis ſic loquitur Tagafetta *in deſcript. Regni Congiani lib. 2. cap. 10.* Vocatur Rex corrupto vocabulo *Prette Giani*, quod ipſorum lingua reſtitutum *Bel Gian* ſonat, nomine compoſito à *Bel*, quod ipſorum linguâ, ſummum, perfectiſſimum & omnium excellentiſſimum, & *Gianni*, quod Principem ac Dominum ſignificat: & cùm poſterius cuique Principi aut Regulo detur, compoſitum, non niſi ipſi Regi, omnium maximo & excellentiſſimo, qui Davidem etiam ſe vocat, competit. Kircherus verò *in China Illuſtr. parte 2. cap. 1.* quemadmodùm, *inquit*, Ægyptiorum Reges primùm *Pharaones*, deinde *Ptolomæi*; Mauritanorum *Seriphi*, Perſarum *Xerxes* quondam, & *Artaxerxes* nunc *Sophi* dicuntur; Ita *Presbyteris Johannis* nomen quorundam Chriſtianorum Principum à longo jam tempore denotat dignitatem. Quos quidem non apud Æthiopes, aut in ulla alia Africæ parte, ut perperam multi opinantur, ſed in Aſia imperaſſe peritiores opinantur. &c. Kircherus tamen hic *d. loco pag. 50.* malè Abiſſinorum Regi titulum hunc tribui probare contendit. ubi vide.

Num. 4.

(3) *In deſcribenda autem hujus Imperii longitudine &c.*] Terminos huic Regno Matthæus, Prete-Jani ad Regem Luſitaniæ Emanuelem ſuperiori ſeculo Legatus, recenſente Damiano de Goes *in deſcript. Legat. illius* adſignat, inquiens: Regna, Provincias, & ditiones Imperii Presbyteri Joannis ſe extendere ad utramque usque Nili partem. Nullum præter Erythræum, hoc eſt, rubrum mare illis cognitum eſſe. Confer Eraſm. Franciſc. in dem Oſt-und Weſt-Indiſchen Luſt-Garten *pag. 1661.*

Num. 19.

(4) *Oriundum ex ſtirpe Davidis &c.*] Et hæc eſt communis ferè omnium, qui de Regno Abiſſinorum aliquid literis mandarunt, ſententia, cui conveniunt, quæ Schuppius in Salomone habet, quando ſic ſentit: Die Philoſophi ſagen: Unius rei poſſunt eſſe plures fines. Es vermeynen etliche gelehrte Leute / daß von dieſer Königin herkomme Rex Abyſſinorum, der ſich in ſeinem Titul nennet einen Sohn David / einen Sohn Salomonis. Es ſagen etliche / daß / da die Königin aus Arabia den Salomon ſo trefflich beſchencket habe / da hab er ihr bey ihrem Abzuge wiederum anſehnliche Geſchencke offerirt. Allein ſie hab es mit Höfflichkeit abgeſchlagen / und gebetten / er wolle einmal bey ihr ſchlaffen / damit ſie von einem ſolchen fürtrefflichen und hochweiſen Potentaten möge Erben bekommen 2c. Sed ut juxta Imperatoris effatum erubeſcendum eſt ſine Lege loqui. Ita multò magis in ſacris ſine textu; ideoque fictorum horum non factorum fidem Authores vindicent.

Num. 6.

(5) *Nominatq; ſe &c.*] Titulum, quo Prete-Janus utitur, alium Mercator *in Atlante*; Alium Damianus de Goes *loco ſuprà citato* refert. Prior ſic ſonat: N. N. ſupremus meorum Regnorum, à Deo unicè dilectus, Columna fidei, ortus ex ſtirpe Juda, Filius David, Filius Salomonis, Filius Columnæ Sionis, Filius ex Semine Jacob, Filius manus Mariæ, Filius Nahu ſecundum carnem, Filius Sanctorum Petri & Pauli ſecundùm gratiam, Imperator ſuperioris & minoris Æthiopiæ, & ampliſſimorum regnorum, Juriſdictionum & terrarum, Rex Noæ, Caffares, Fatiger, Angolæ, Baru, Balignacæ, Adeæ, Vanguæ, Gayamæ, ubi Nili fontes, &c. Alter, qui Majorem fidem mereri videtur, & quem recenſet Legatus Abiſſinus apud dictum de Goes talis eſt, Rex Regnum NN. Rex Ebeſſinorum, Presbyter Joannes, Rex Regum ipſis Ebiſſinis, omniumque ſuarum Provinciarum, & juxta, & ad finem marium, Rex Nili, & judex magni Sultani, & habitationis Cayri, & Cathedræ Alexandrinæ, virtute Dei & redemptoris noſtri Jeſu Chriſti, & virtute D. Virginis Mariæ.

Num. 7.

(6) *Ajunt præterea Abiſſini &c.*] Breviter hæc ita complectitur Mercator *in Atlante ſuo*: Nomen Reginæ (Auſtri ſcilicet de Saba, quæ ad Salomonem Regem audiendi admiranda ejus Sapientiæ causâ venerat *de qua Drexelius in Salomone cap. 8. videatur*) huic fuit Maqueda. Credunt, Æthiopiæ Reges ex Davidis ſtirpe, & Salomonis familia

ſeſe

ſeſe procreatos eſſe. Idcirco ſe Filios Davidis & Salomonis, atque adeò Sanctorum Patriarcharum appellare ſolent, quòd ex eorum ſemine orti ſunt. Nam ex Salomone filium ſuſcepiſſe Maquedam illam fingunt, quem Meilech nominarit. Poſtea David fuit dictus. Iſte, ſecundùm eorum commentum, cùm annum ætatis vigeſimum attigiſſet, ad Salomonem Patrem & Præceptorem à Matre remiſſus, ut doctrinâ & ſapientiâ utili ab eo imbueretur. Quod ſimul atque aſſecutus fuit Meilech ſeu David, permiſſu Salomonis Sacerdotes & Comites Nobiles multos de ſingulis duodecim Tribubus ſibi adjunxit, & in Regnum Æthiopiæ reverſus ejus gubernationem ſuſcepit. Ac unà etiam legem Domini Circumciſionemque eodem importavit. Hæc Primordia fuêre Religionis Judæicæ in Æthiopia, & ajunt in hodierum usque diem ad aulica miniſteria & canonicatus nullos admitti, niſi de ſtirpibus ex Judæa adductis oriundos. Ab his igitur propagata eſt doctrina de Deo in Æthiopia, & radices egit, ut ad omnes ætates conſequentes permanarit. Nam & libros Propheticos retinuerunt Æthiopes & Hieroſolymam adorandi causâ verum Deum patefactum in Regno Iſraëlis profecti ſunt. Quod ex hiſtoria Eunuchi Candaces Reginæ, quæ Judith proprio nomine dicta eſt, profecti, intelligi poteſt. Is enim circa annum à morte & reſurrectione Jeſu Chriſti, X. Hieroſolymam CCXL. milliarium itinere acceſſit. Cumque ibi officium & cultum Deo debitum tribuiſſet, & jam domum rediret, in curru ſedens Prophetam Eſaiam legit. Itaque ad eum divino mandato miſſus fuit Philippus, Chriſti Diſcipulus. Et cùm proceſſiſſent ambo ad Urbem Bethzur, tribus milliaribus ab Hieroſolymis: ibi in radice Montis Fontem conſpexit Eunuchus, cujus aquis à Philippo baptizatus eſt. Reverſus verò in Æthiopiam Eunuchus baptizavit Reginam, & magnam familiæ Regiæ & populi partem. Ex quo Chriſtiani cœperunt eſſe Æthiopes, fidemque Chriſtianam omni ſequenti tempore profeſſi ſunt.

Num. 8.

(7) *Acta teſtantur Apoſtolorum &c.*] Cap. 8. v. 27. ſeqq.

(8) *Euſebius &c.*] Lib. 2.

(9) *Sanctum Matthæum poſtea in has loca &c.*] De hoc videatur Surius *in Hiſt. Eccleſ.* atque Stengelius *in Hierologia.* nec non Honorius *in Theſauro Polit. Continuat. cap. 32.*

Num. 12.

(10) *Habet ſub ſuo Imperio Regulos Chriſtianos &c.*] Matthæus Legatus *apud Damianum de Goes* narrat Prete-Janum, præter ſexaginta Chriſtianos ingentium regnorum Reges ſibi ſubditos, habere adhuc quinque Reges Muhammedicos.

Num. 13.

(11) *Trium Regum, Caſparis, Melchioris, & Balthaſaris &c.*] Hos Gelenius *de admiranda Sacra & Civili Magnitudine Coloniæ lib. tertio Syntagm. 8. §. 5.* Gentium vocat ad Chriſtum primitias, peregrinationum Chriſtianarum Sacrarumque; oblationum inchoatores inclytos, coram primo perſecutore Chriſti confeſſores, miraculosè per viam longinquam ductos & reductos poſtmodum quando Apoſtoli, inprimis verò Paulus, Arabes pertranſierunt, in Epiſcopos ordinatos, primos ex Chriſtianis Regiam dignitatem Sacerdotio Chriſtiano conjunctam gerentes, qui ut F. Lucius Dexter ad Ann. 68. vult, vitæ & ſanguinis etiam profuſione defenderunt. Ubi addit, aſſervari hodie eorum corpora Coloniæ in Eccleſia Metropolitana non ſolùm tumbæ pretioſiſſimæ incluſa, ſed etiam ipſam tumbam includi magnificæ Ædiculæ, inſcriptione tali:

Corpora Sanctorum loculus tenet ipſe Magorum,
Indeq; ſublatum nihil eſt alibíve locatum,
Sunt juncti Felix, Nabor, Gregorius iſtis.

Cùm hierotheca Sanctorum Regum gemina ſit, in ejusque faſtigio condantur in primis. *Hæc ille, ubi de Translatione horum corporum prolixè ſatis diſſerit.* Sed iſtos Chriſti adoratores Magos Philoſophos potiùs, quàm Reges fuiſſe, præter Theologos, & alios bonæ monetæ ſcriptores, docet Boxhornius *in Hiſtoria ſua Univerſali pag. 59. Poſt allatum ex Apuleio in Apologo locum* his verbis: Præceptores igitur ac Pædagogi Regum fuerunt Magi, non Reges; eorumque fuit, futuros Reges quomodo regnandum eſſet docere, non autem regnare. Magi, qui ex gentibus primi ſalutarunt natum Dominum, hoſpites Sapientiæ conſulti, id eſt, Philoſophi, Theologi Chaldæorum, ſacrorum Ægyptiorum & Arabicorum gnari, ſacrificiorum & ceremoniarum præſides, & Mathematicarum contemplationum Profeſſores & Sapientes, quales erant ſuis, & credebantur ab antiquis Scriptoribus, non autem Reges, quia revera Reges non erant, appellantur. Reges igitur non erant; fuiſſe illi probent, qui fuiſſe, nullâ idoneâ auctoritate in medium productâ, tradunt &c. *Hactenus Boxhornius, ubi id ipſum pluribus firmat.* Illud hîc obiter notamus, teſte Zeillero *in Itinerario ſuo Italiæ,* Mediolani numiſma aureum, thuris & myrrhæ ut & auri particulam, quæ Magi illi Chriſto dono dederint, aſſervari. Quid de ternario numero Magorum ſit cenſendum, docet Gloſſa interlinearis: Tres Magos fuiſſe, & nón plures, vel pauciores, dicant, qui volunt: ſi modò poſſunt probare, quod dicunt. Nam, etſi tria munera obtuliſſe dicantur: non ideò non plures, quàm tres fuiſſe, probatur: ſed ut per eos gentes, quæ ex tribus filiis Noæ nata ſunt, venturæ ad fidem præfigurentur.

Num. 14.

(12) *Forma Regiminis deſpotica eſt &c.*] Optimæ Monarchiæ, quæ in ſpecie Regnum ab Authoribus Politicis vocari conſuevit, affinis eſt illa, quæ à Platone *3. de LL.* & Ariſtotele *3. Polit. cap. 4.* δεσποτικὴ, eorumque imitatione à Latinis Dominatus vocatur. Eo quòd maximam affinitatem cum ſocietate ſimplici ultima, quæ eſt inter Dominum & Servum, habeat. Intelligitur autem per Dominatum Monarchia media inter optimam & peſſimam, ſeu ambigua, inter Regnum & Tyrannidem. Nam cùm Rex omnia confert ad ſalutem publicam; Tyrannus omnia agat contra eandem; mediâ viâ incedit Dominus, qui nec refert omnia primò ad commoda civium, nec tamen illa negligit, ſed ſecundariò curat, poſtquam rebus ante omnia ſuis proſpexit. Totam rem declaravit Ariſtoteles *tum alibi paſ-*

bi paſſim, tum præcipuè lib. 3. Polit. cap. 4. ex illa Domeſtici Imperii ſpecie, quâ Dominus utitur in ſervos. Cui jungatur Arniſæus *in Relect. Politicis lib. 2. cap. 3. ubi in ſeq. capite num. 23.* ipſam Abiſſinorum Regiminis formam inter exempla Dominatûs refert.

Num. 15.

(13) *Tentorio ejus &c.]* Quod ipſum ferè imitati ſunt olim in Europa Helvetiorum præfecti; ſed quàm malè ceſſerit exacta hæc ſtrictior ſignorum veneratio, apud gentem illam libertatis ovidam, notum vel eo eſt, quod de Tellio ſcriptorum Helveticarum rerum plerique, & ex illis præcipuus Joſias Simlerus *de Republ. Helvet. pag. 59. ſeqq.* narrant. Nam cùm Griſlerus Præfectus Altorffii in foro, quò maxima hominum totius regionis frequentia convenire ſolet, pileum prælongæ perticæ impoſuiſſet, ac omnes juſſiſſet nudato capite flexisque genubus honorem eum pileo exhibere, quo ſe præſentem afficere conſueviſſent; Wilhelmus Tellius verò aliquoties pileum illum ſtipiti impoſitum præteriiſſet, nullo reverentiæ & honoris exhibito ſigno, cumque ob hanc cauſam à Præfecto accuſaretur, & ille eò, quòd non exiſtimaret ullius hoc eſſe, excuſaret, evenit, ut Præfectus, qui hominem de inito contra Præfectos fœdere ſuſpectum haberet, è liberis Tellii filiolum unicè charum Patri deligeret, & hujus in vertice pomum ſagittâ illum petere juberet additis minis, ni illud dejiciat, capite pœnas daturum; At verò cùm rejectis precibus atque obteſtationibus cunctis, exequenda ipſi cum diſcrimine filioli ſententia lata eſſet, Telliusque pomum è vertice filii dejeciſſet; paulò pòſt Præfectum ſagittâ confecit; Ab eoque tempore movere lacertos Libertas Helvetica, atque excutere Præfectorum jugum cœpit. Pro ut hæc latiùs *d. loc.* à Simlero referuntur, quò curioſum Lectorem remitto.

Num. 16.

(14) *Non niſi ſemel in anno oſtendere &c.]* Boterus *in Politia Regia* in hoc ab Authore, ſive potiùs Gotofredo, *in Archontologia Coſmica in deſcriptione hujus Regni*; Interprete Operis Gallici DUTY. *Cui Titulus les Eſtats, & les Empires de toute la monde &c.* (quos in hoc capite paucis lineis exceptis verbotenus plenè & planè ſecutus eſt,) aliena tradere videtur, Ita enim ille refert: Solitus erat Princeps ſe quoque tertio anno, unâ ſolâ vice, populo viſendum præbere, poſtea largiores ſunt facti, ſeque tribus vicibus quotannis ſpectandos dederunt, nempe diebus Nativitatis, Paſchatis, & S. Crucis in Septembri.

Num. 18.

(15) *Urbes in univerſo Imperio paucæ ſunt, &c.]* Matthæus tamen, Prete-Jani Legatus apud Damianum de Goes *loco ſuprà citato*, dicit, Monarcham ſuum in ampliſſimis illis regnis immenſam habere Urbium pagorumque multitudinem.

Num. 19.

(16) *Aurum & argentum &c.]* Hîc tamen adnotandum, quæ d. Matthæus *d. loc. apud de Goes* habet, nullam (in regno Abiſſinorum) haberi monetam, præter eam, quæ illuc ex finitimis regnis aſportatur, aurum verò & argentum monetæ loco pondere accipi.

(17) *Saccharum &c.]* Liceat hoc loco inſerere, quæ de Sacchharo ejusq; elaborandi ratione eloquentiſſimus Barlæus, *in rebus geſtis C. Mauritii in Braſilia pag. mihi 121.* docet: Arundo Sacchariſera ad arboris altitudinem non aſſurgit, ſed milii & aliarum arundinum calamis ſe erigens ſeptenûm aut octenûm pedū, pollicis craſſitie; fungoſa, ſucculenta, dulcis albæque medullæ plena. Folia illi duos cubitos longa, flos comoſus, radix ſuavis minusque lignea, quæ germina protrudit in novæ meſſis ſpem, gaudet humenti ſolo, aëre calidiore, & aurâ tepidiore. Harum arundinum feraciſſima eſt India Occidentalis, licet & Orientalis ferat. *&p. p.* Ejus elaborandi ratio veteribus ignota hæc eſt. Evulſæ arundines mundatæque à frondibus, in taleolas palmi longitudine inciduntur, ſic inciſis prælo extunditur liquor, qui aheno exceptus, & aquâ dilutus ſtatis horis coquitur, deſpumatusque ac evaporante humore aqueo, fictilibus vaſis, quæ metæ aut pyramidis formam referunt, infuſus, inſtar ſalis concreſcit. Cuſpis his fictilibus, primò per dies aliquot clauſa, humorem concretum ſervat, mox adaperta ſordidiori craſſamento viam facit purgando ſaccharo. Dein lutum figulinum ſuper metæ latiorem rotundamque baſin effunditur, cujus repetitâ aliquoties ſuperfuſione & fortiùs expelli creduntur excrementa & magis albeſcere ſaccharum. Hic primus ille labor. At puriori & magis defæcato ſtudetur novis operis coctionibusque Saccharo; namque impuriori lixivium calce vivâ maceratum affundunt, ut & albumina ovorum, continuaque agitatione ſpumantem humorem mellea & ſordida pinguedine deſpumant. Interea ferventis ſacchari ebullitiones & ſuperfuſionem minantes, injecto butyro caſtigant, tum coctum liquorem, lixivio nondum abſumpto, transmittunt per cilicium aut ſtamen, colligendis, ſi quæ ſuperſunt quisquiliis, rurſusque, donec abſumptum fuerit lixivium, efferveſcere ſinunt. Inde infundibulis, ut antè, eundem, velut renatum, accipiunt, dilutiore argilla baſim vaſorum opplent, quâ in cruſtam areſcente nova aliquot vicibus affunditur, iisdem, quibus factum antè conſiliis, elabente, iterum craſſiori, & fæculentiore ſyrupo. Hactenus laudatus Barlæus, ubi in ſequentibus Sacchari diviſionem, ejusque varias formas accuratè enucleat. Cui Eraſmum Franciſci in dem Oſt- und West-Indianiſchen Luſt-Garten *pag. 264. & 274.* junge.

Num. 20.

(18) *In triplici ſunt differentiâ &c.]* Addit Matthæus, Prete Jani Legatus, *referente de Goes*, Imperatori uberrimos vectigalium eſſe proventus. Eundem tàm ab incolis, quàm peregrinis mercatoribus decimam lucri partem ſibi vectigalem facere, ſorte manente liberâ.

Num. 22.

(19) *Aufert ad libitum bona ſubditorum &c.]* Hoc ita effert Gotofredus *in Archontol. Coſm. in deſcriptione Imperii Abiſſinorum pag 232.* Toparchias & Dominia Rex auferre vel donare poteſt, quibus vult, nec fas eſt ei, qui dignitate privatus fuerit, vel contra mutire.

Num. 23.

(20) *C. millia drachmarum &c.]* Boterus *in Politia Regia, de Presbytero Johanne &c.* dicit, millies centum drachmarum aurearum millia

Num. 25

Num. 25. ſeqq.

(21) *Gens tamen ipſa ignava &c.*] Et in eo ſequitur Author noſter Boterum atque Gotofredum. Indolem & naturam Abiſſini Regni pleniſſimè quoque deſcriptam ex Mercatore & aliis exhibet Lucas de Linda *in Deſcriptione Orbis & omnium Rerumpublicarum p. m. 227.* ubi dicunt, Æſtatem ibi geminam eſſe in anno & fermè perpetuam, ut uno tempore in aliis agris fiat ſementum, in aliis verò meſſis. Imò Draudius *in Annot. ad Solini memorabilia, in Africa cap. 39. circa finem* vult; Binam Abiſſinis meſſem eſſe, binam etiam æſtatem.

Num. 31.

(22) *Ordo militaris &c.*] Confirmat hoc ipſum ex Damiano de Goes & Johanne Metella Franciſcus Menennius *in Delic. Equeſtr. pag. 177.*

CAPUT XXVI.

De Monomotapæ Ærario & Opibus.

SUMMARIA.

1. Monomotapa *reliquis Regulis Aethiopiæ celebrior, cujus Regio auri eſt feracior.*
2. *Dicuntur hic* 3000. auri fodinarum *eſſe, eſtq́; aurum in terra fluminibusq́;.*
3. Tributi *loco Subditi donaria ferunt, & operam locant.*
4. Fidem & Baptiſmum *ſuſcepit hic Princeps, bello* ab Luſitanis *appetitus ob cædem ſe baptizantis Jeſuitæ,* n. 5.
6. Civitates, *quæ ad hoc regnum pertineant.*
7. Regnum *hoc in quatuor regna diviſum.*
8. Fluminum *arenæ auri ramenta vehunt: Elephanti, Copia frumenti, paſcuorum.*
9. Proventus *hujus Regis annui in quibus rebus conſiſtant.*
10. Mulierum Monomotapatenſium *audacia, quæ in bellum proficiſcuntur, exemplum Amazonum.*
11. *Huic* regno *ſubjugando hodiè Portugalli dant operam.*

Monotapæ regnum liquidus quia rivus inaurat
Fortunæ, atque auro eſt nobile, dives erit.

IN reliquo Æthiopiæ regnum obtinent diverſi magni Principes, quales ſunt Reges, Adel, *Monomugi*, *Monomotapa*, (1) *Angolæ, & Congi*, quorum nos exiguam notitiam habemus. Monomotapa tamen (quod vocabulum ſignificat Imperatorem, unde ipſi terræ, cui hic imperat, nomen
1 inditum) aliis major & potentior, ſolum fertile & amœnum, nec alia regio auri feracior hac eſt: affirmant enim aliqui, hic
2 tria fodinarum (unde aurum eruitur) millia eſſe: omnes quoque aurum, & ſylvæ elephantos magnâ copiâ producunt. Aliud tamen tributum Principi non penditur,
3 quàm aliquot dierum operæ & donaria, ſine quibus nemo coram ipſum venire poteſt. *Clauditur Regnum ab Ortu*, (2) Meridie & Occaſu, Oceano; à Septentrione regno *Congi*, Abiſſinorum imperio & regione *Zangibar*. Longitudo ejus eſt inter duo maria, Rubrum Æthiopicumque, juxta Lunæ montes mill. German. CCCC. Latitudo inter Nili fontes & promontorium bonæ Spei mill. CCC. Philipp. Cluver. *Introduct. in univerſ. Geograph. lib. 6. cap. 10. fol. 359.*

Regnante Sebaſtiano (3) Luſitanorum
Rege, accidit, ut quidam Regulus, Mo- 4
nomotapenſis Regis beneficiarius, converteretur operâ Petri Conſalvi de Sylva, Jeſuitæ, qui & pauló pôſt baptizavit ipſum Monomotapæ Regem cum conjuge, indiditque Regi nomen Sebaſtiani, & Reginæ Mariæ. Regis exemplum ſecuti ſunt circiter CCC. Proceres, qui & ipſi baptizari voluerunt. Aliquo tempore pôſt perſuaſerunt quatuor Muhametiſtæ, quos Rex in deliciis habere ſolebat, Regi, Conſalvum eſſe Magum, qui Regem Magicis ſuis incantationibus transverſum raperet: ſed & eundem Conſalvum Speculatorem in Regno agere, qui populum ad ſeditionem commoveret. Credidit Rex ſuſurronum horum accuſationibus, effecitque, ut Conſalvus ab octo ſervis regiis interficeretur, ejusque corpus abjiceretur in Menſiginam fluvium. Hoc interfecto, eodem furore occiſi ſunt L. homines nuper ad Chriſtum converſi. Cùm autem quidam ex Optimatibus Regni, inque primis Luſitani Regem de atrocitate facti monuiſſent, excuſavit ſe is ut potuit, translatâ culpâ in Muhmetanos iſtos, quos & è veſtigio jugulari juſſit, alioſque huic crimini ad funes, ad ſupplicia conquiri. Et videbatur quidem Chriſtianæ Religioni ſtrata eſſe ſemita: Verùm Luſitani cùm deberent ſubmiſſis novis concionatoribus facilitate & doctrinâ admiſſum errorem corrigere, ſtatuerunt cædem Conſalvi armis vindicare.

Adveniente ergo cum numeroſa claſſe, in qua multi Nobiles Luſitani erant, Franciſco Barreto, Rex Monomotapæ, videns ſibi imminere cladem aliquam, mittit ad Franciſcum Oratores, qui pacem peterent. At Thalaſſiarcha iſte, cùm auro Regio inhiaret, contemptis æquiſſimis Regis conditionibus bellum ſpirabat. Finis expeditionis hujus is fuit, ut tam formidabilis illa claſſis conſumptis Luſitanis militibus ab aëris Æthiopiæ ſingulari qualitate, quæ Europæis hominibus intolerabilis eſt, & morbis, qui exercitum depaſti ſunt, in fu-

mos abiret; Civitatum præcipuarum ad
hunc Principatum una *Zimbas*, altera *Be-*
6 *nomotaxa* nuncupatur. Caput verò Re-
gni ac ſedes Regum eſt Monomotapa ad
flumen S. Spiritus. Neque tamen intra
hujus Inſulæ limites corcecetur Regis hujus
potentia, cùm Imperium ejus multò lon-
giùs extendatur, tàm in mediterranea,
quàm ſecundùm littus usque ad Promon-
toria, Mozambicanum & Bonæ Spei. Sol-
vunt enim vicini Regis nonnulli huic tri-
butum, interque eos Butuenſis, cujus regio
porrigitur à flumine S. Spiritus, usque ad
Promontorium Currentis. Spectatur eti-
am in hoc regno celebre illud *ædificium
Symbaoæ*, (4) olim ex quadrato lapide du-
riſſimo ſtructum incredibilis magnitudi-
nis: ſuntque, qui hîc collocari debere putant
Agiſymbam Regionem Ptolomæi, vel allu-
ſione nominis perſuaſi, vel ratione ſitûs.

Johannes de Santos hodiè hoc Regnum
7 in quatuor regna diviſum eſſe ſcribit, Mo-
nomotapæ, Quitevæ, Sedandæ & Chi-
cangæ; Rex enim ſuperiori ſæculo, cùm u-
num ſe tot Regnis regendis imparem vi-
deret, inter quatuor filios eadem diviſit,
& majori quidem natu Monomotapæ re-
gnum attribuit; ſecundo autem Quitevæ
regiones, Sofalæ fluvio conterminas: tertio
Sedandæ regiones, quas Sabia fluvius lam-
bit, qui ex adverſo Bociarum Inſularum
mare intrat: quarto dènique Chicangæ
regionem Manicæ ſubjectam. Tres au-
tem poſteriores poſt Patris obitum nun-
quam fratrem majorem natu ſuperiorem
voluerunt agnoſcere, unde continua ferè
bella inter ſe geſſerunt. Horum Regum
Quitevæ facilè potentiſſimus eſt, tum ob
commercia, quæ cum Portugallis exercet;
cùm ob ſubditorum ſuorum vires, qui in-
ter Mocarangas (ita enim Cafres omnes has
gentes vocant) fortitudine & arte bellandi
excellunt.

Magna in hoc Regno copia eſt fru- 8
menti & variorum animalium, inprimis
frequentes hîc ſunt Elephanti, ut ex numero
dentium ſive *cornuum*, (5) quæ inde ad alias
gentes aſportantur, nonnulli judicent;
quotannis ad V. millia harum beſtiarum
ibi interfici. Invenitur multis in locis per
hoc regnum aurum, quod non fluviorum
duntaxat arenæ ſuppeditant, ſed & viſcera
terræ. In hoc autem divitiarum genere ex-
cellit Regnum Butuenſe, accedentibus pa-
ſcuis uberrimis.

Ex auri copia, quod in Monomotapa 9
reperiri diximus, facilis poteſt de eorum di-
vitiis, qui id regnum incolunt, fieri con-
jectura. Nam Rex ab iis aliud tributum
non exigit, quàm ſervitia quædam & ope-
ra gratuita, cum donis muneribusque, ſine
quibus coram Rege ne comparere quidem
fas eſt. De viribus ejus in bello nihil aliud
conſtat, quàm quòd *totum regnum ſcatet
populo*, (6) & plerique ſatis ſunt animoſi, le-
viter tamen & perfunctoriè armati; Magna
eſt horum hominum *in curſu celeritas*, (7)
ut equorum pernicitatem æquent. Qui in
hisce oris fuerunt, perſuadere nobis co-
nantur, militiam regiam conſtare potiſ-
ſimùm *ex armatis mulieribus*, (8) quæ in- 10
ſtar *Amazonum* (9) arcu ſagittisque peritiſ-
ſimè utantur, mittentes filios, quos pepere-
runt, ad patres extra provinciam, puellas ſe-
cum retinentes: & has quidem mulieres cir-
ca occaſum habitare, non longè à Nilo flu- 11
vio. Regno huic ſubjugando Portugallos
hodiè dare operam, refert Joan. de Laet *in
Deſcript: Hiſpan. cap. 8. num. 9.*

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT XXVI.

Num. 1.

(1) MOnomotapa &c.] Author Portugalliæ deſcriptionis, ſcribit *Manamotapam*, perhibetque ſitum eſſe in Mocaranga, quæ olim integra ad Imperium unius Regis pertinebat, (qui barbaris *Mana* dicitur, & inde *Manamotapa*, ut *Manaconge* & ſimilia) hodiè verò in quatuor Regna diviſum eſſe, ut infrà ex eodem quo Author ille demonſtrat Johanne de Santos Klockius *n. 7.* docet. Chaulmer *en le Tableau de l' Afrique artic. 4. ſect. 2.* Dictum quoque fuit ab aliquibus *inquit Bonomotapa*, & *Benomotaxa*, & *Bena-Motapa*, aut *Bena-Motaxa.*

Num. 3.

(2) *Clauditur Regnum ab Ortu &c.*] Longitudini Latitudiniq; huic regno d. Author hos terminos figit: Regnum Monamotapæ ducentas leucas in longitudinem, nec pauciores in latitudinem patet; versùs Corum terminos dividit cum Regno Abutuæ, quod ad fines usque Angolæ ſe extendere creditur; versùs Orientem terminatur flu. Zambeze; versùs Eurum Oceano, in quem promontorio X. aut XII. leucas lato, inter fluvios Luabum & Tendanculum vaſtè ſe projicit; versùs Auſtrum ad flu. Inhabanem pertingit: reliqua ad reliquos tres Reges (*alii quatuor, de quibus infrà. n. 7. agitur*) pertinent à Sofala flu. nimirum ad Tendanculum Quieteve imperat: inde ad Auſtrum regnum Sabiæ patet, ſub Sedandæ imperio, qui & Botongæ Dominus ad Inhabanæ regionem usque; utrique deniq; in Mediterraneis prætenditur Manicæ regnum, ubi Chicanga dominatur C. circiter leucis à mari versùs Çorum. Alios terminos tamen ponere videtur Chaulmer *d. loco art. 4. ſect. 2.*

Num. 4.

(3) *Regnante Sebaſtiano &c.*] Quod Klockius hoc loco ex Gotofredi Archontologia Coſmica *in hujus regni deſcriptione* enarrat, idem pluribus refert Guerrerius *in Relatione Indica nova, quæ Germanicè verſa Auguſtæ A. MDCXIIII. prodiit*:

ubi Jeſuitam P. Gonzalum de Silveira vocat, addit-que L. homines ſimul occiſos, eodem die à Conſalvo, quo interfectus, baptizatos fuiſſe &c. quem evolve.

Num. 6.

(4) *Ædificium Symbaoæ &c.*] Chaulmer Author Gallicus *en Tableau de L'Afrique* dicit, Simbaoë idem ſonare quod aulam ſive Regiam, eſſeque ædificium quodpiam inſigne inter plurimas fodinas metallicas, quibus hæc regio abundat, in medio ſpacioſiſſimi campi ſitum. Ædificiorũ aliorũ in Æthiopiâ mirabilium Author *admirand. in Sina & Europa cap. 28.* meminit his verbis: In ipſa Æthiopiâ loco, cui nomen Argo, templum D. Mariæ uno è ſaxo excavato conſtat. Viſuntur ibi bini ordines columnarum, ſcabella, altaria, ſacraria ſpeculæ, januæ, ac quicquid ſupernè, infernéve ſpectatur, aliunde devectum non eſt, ſed excavatum, tradente Alvarezo, ſic Abugana ejusdem Æthiopiæ inter non paucas Baſilicas conſpicitur, quæ titulo Salvatoris dicata eſt, longa palmulos ducentos, ac centum viginti lata, ſunt columnarum ordines quinque, clauſtra ampliſſima, ſacella, atque alii plurimi loci uno ex ſaxo excavati &c. ubi vide.

Num. 8.

(5) *Cornuum &c.*] Cornutum enim potiùs, quàm dentatum Elephantum appellandum, Camerarius *hor. ſubciſiv. cent. 1. c. 25.* ex Plinio, Pierio, Pauſania; & *cent. 6. c. 96.* ex Varrone, Heresbachio, atque Bodino probat.

Num. 9.

(6) *Totum regnum ſcatet populo &c.*] Rectè Vegetius *lib. 3. de re milit. cap. 1.* judicat, præſtat eruditos armis, quàm univerſos exercitus habere: Et *cap. 26.* Ampliùs juvat virtus, quàm multitudo. Hinc Dario multitudinem Exercitûs oſtentanti præclarè à Charidemo Athenienſi (ut demonſtraret Alexandrum viros, Darium homines in exercitu ſuo habere) reſponſum fuit: Hic tanti apparatûs exercitus, hæc tot gentium, & totius Orientis excita ſedibus ſuis moles, finitimis poteſt eſſe terribilis: nitet purpurâ, aurumque fulget armis & opulentia, quantam qui oculis non ſubjecêre, animos concipere non poſſunt. Sed Macedonum acies torva ſanè & inculta, clypeis hoſtisque immobilis, cuneos & conferta robora virorum reget. Ipſi phalangem vocant peditum ſtabile agmen. Vir viro, armis arma conſerta ſunt, ad nutum monentis intenti; ſequi ſigna, ordines ſervare didicerunt. Quod imperatur, omnes excudunt: obſiſtere, circuire, diſcurrere in cornu, mutare pugnam, non duces magis quàm milites callent. Et ne auri argentique ſtudio teneri putes, adhuc illa diſciplina paupertate magiſtra ſtetit. Fatigatis humus cubile eſt: cibus, quem occupant, ſatiat, tempora ſomni arctiora quàm noctis ſunt. Jam Theſſali equites & Acarnanes, Ætoliq;, Invicta bello manus, fundis, credo, & haſtis igne duratis, repellentur: pari robore opus eſt. In illa terra, quæ hos genuit, auxilia quærenda ſunt. Argentum iſtud atque aurum, ad conducendum militem mitte. *Curtius lib. 3. cap. 2.*

(7) *In curſu celeritas &c.*] Jam jam laudatus Curtius de Philippo Lyſimachi fratre *lib. 8. cap. 2.* narrat, quòd pedes loricâ indutus arma geſtans (incredibile dictu) per CC. ſtadia vectum & ſubinde equos mutantem Regem Alexandrum M. comitatus fuerit. Simili modo & Saxo Grammaticus Huraldi cujusdam mentionem facit, qui cùm equis curſu certaverit, iisdemque prævaluerit. Plura exempla vide apud Garzonum *in Emporio Emporiorum lib. 3. diſcurſ. 5. circa finem.*

(8) *Ex armatis mulieribus &c.*] Confirmat id Pigafettæ Interpres Latinus Auguſt. Caſſiod. Reinius *in Deſcript. Regni Congo, cap. 9.* inquiens: Rex magnum ſemper alit exercitum, multasque inſtar Romanorum Legiones: cùm enim maximus ſit Imperator multos diverſosque regens populos, armis ſemper ad coërcendos rebelles opes habet. Bello etiam mulierum operâ utitur, quæ milites præbent ipſis viris multò cordatiores. Amazonum hæ antiquarum more ſiniſtram mammam exurunt, ne in emittendis ſagittis aliquid ferat impedimenti. Arma earum ſunt ut virorum, (arcus, ſagittæ & levia pila) quibus utuntur magnâ dexteritate, tantâq; conſtantiâ, ut mortem potiùs exſpectent, quàm ſe loco moveri patiantur. In præliis hoc utuntur inter cætera (ut fraudum eſt hoc genus refertiſſimum,) ſtratagemate, quòd fugam ſimulantes, jacula ſubinde retro mittant, & cùm hoſtium nimio fervore perſequentium vident turbatos ordines, ſubitò convertentes, obvios omnes jaculis & telis conficiunt, nemini parcentes, unde & ab hoſtib9 tam propter crudelitatem, quàm propter admirandam celeritatem, valdè timentur. Propriam Provinciam Regis permiſſu ſolæ habitant: viros certo anni tempore ad ſe intromittentes: & ſi maſculum fuerint enixæ, viris eum remittunt: ſi verò fœmellam, exuſtâ ſiniſtrâ mammâ, omnibus artibus militaribus inſtruunt. Ita & Achini Regis cuſtodiam non viri, ſed fœminæ agunt, armis quàm optimè inſtructæ, uti Lundorpius *in Contin. Sleidani Tom. 3. lib. 11.* teſtatur, de quo videatur Gotardus Arthus *in Ind. Oriental. part. 8.*

(9) *Amazonum &c.*] Strabonem Amazones tales, quales à hiſtoricis nonnullis deſcribuntur, haud credere indicio ſunt ea, quæ *Geograph. lib. 11.* habet, dum inter alia inquit: Quis enim credat, ut vel exercitus vel civitas, vel gens unquam ex ſolis conſtiterit mulieribus, & non ſolùm conſtiterit, verùm etiam invaſerit aliena, & non modò vicinis fuerit dominata, adeò ut usq; in Joniam proceſſerit, ſed etiam exercitum trans Pontum miſerit, usq; in Atticam? Hoc perinde eſt, ac ſi quis dicat, viros tunc mulieres fuiſſe, & mulieres viros: cui & alios Scriptores album adjicere calculum palàm eſt. Juſtinus verò *lib. 2. c. 4. ubi expreſsè de earum Origine atq; moribus tractat*, tandem concludit, fuiſſe quidem, ſed Amazonum Minithya ſive Thalaſtri reginâ, cùm expetitum concubitum Alexandri M. ad generandam ex eo ſobolem obtinuiſſet, tredecimq; diebus in obſequium deſiderii ejus (*uti Curtius lib. 6. c. 5. loquitur*) abſumpti eſſent, reversâ in regnum, brevi tempore cum omni Amazonum nomine intercidiſſe. Sed his non obſtantibus Sommer *in ſuo Itinerario c. 8.* ſtatuit ex fama, adhuc in Archipelagi Inſula Melo, eandem illarum Amazonum, quæ tempore Alexandri extiterant, progeniem ſub veterum inſtituto durare. Quod nos Geographis atq; Hiſtoricis diſcutiendum meritò relinquimus, & ad ſequens caput Authoris noſtri pergimus, Lectorem ad Olearium *lib. 6.* der Perſianiſchen Reiſebeſchr. remittere contenti.

CAPUT XXVII.

De Regni Congo Opibus, Facultatibus & Divitiis.

SUMMARIA.

1. *Error Veterum, qui* Torridam Zonam *inhabitabilem exiſtimarunt.*

2. Ariſtoteles *quoque hanc partem Orbis Terræ habitatoribus omnino vacuam eſſe ſcripſit, quem ſequitur* Plinius, n. 3.

4. *Sed longè aliter habet; diverſum navigationibus Luſitanorum & Belgarum aperientibus.*

5. Congii Regnum *ſub ipſa Zona torrida eſt,* Æquinoctium *hic propè æternum,* num. 6. *Hyemis tempore, cùm nos* Ver *habemus, perpetuò hic pluit,* n. 7.

8. *Veneti* Etheſii.

9 Regni *amplitudo, Situs, Fines: dividitur in ſex Provincias,* n. 10. *Regia* Banza *ſive* Congo, *nunc Civitas S. Salvatoris,* n. 11.

12. Divitiæ incolarum *conſiſtunt in mercimoniis, in metallis, Elephantis, Civetta, piſcatione Oſtreorum, Concharum, telis, è palma arbore deſumptis & Cryſtallo, hoc &* num. 13. 14. 15. & n. 22. 23. 24.

16. Frumento *omnis generis abundant Congenſes; in ditione* Pemba *nova ſpecies frumenti, cui* Luco *nomen eſt, itemq;* Milium album, Ficus Indicæ, & n. 17. 18.

19. Palmæ *arboris novum genus, ſuggerens incolis oleum, vinum, acetum fructus, & panem.*

20. *Montes pleni* Jaſpidibus *&* Porphyrite *lapide.*

21. Loanda *Inſula cochleas habet Cinericei coloris, ſplendentes admodùm.*

25. Robur militare *hujus Regni, & quot inde armatorum hominum millia in bellum haberi poſſint.*

Albens hîc ebur, & metalla multa,
Cryſtallum glaciale, candidumque,
Civettæ pariter liquorem odorum
Telæ Achæmeniæ bonum apparatum,
Hæc Provincia Congiana præbet.

FIrmiſſimè credidit Vetuſtas, tres in Orbe *Zonas* (1) inhabitabiles eſſe, Macrob.
1 2. *ad Somn. Scip. cap. 5.* Unde Virgil. *in Georgicis.*

Quinque tenent Cœlum Zonæ; quarum una coruſco
Semper Sole rubens, & torrida ſemper ab igni;
Quam circum extremæ, dextrâ lævâq; trahuntur,
Cærulea glacie concretæ, atque imbribus atris.

Et Ovid. 1. *Metamorph.*

Quarum quæ media eſt, non eſt habitabilis æſtu;
Nox tegit alta duas: totidem inter utramq; locavit,
Temperiemq; dedit, miſtâ cum frigore flammâ.

Ariſtoteles item 2. *Meteor. c. 5.* mediam
2 regionem, quam torridam ſive exuſtam vocamus Zonam, aſſerit prorſus habitatoribus carere; quod calore exuratur, propter Solis vicinitatem, quodq; pabulis careat & aquâ. 3
Quam ſententiam & Plinius eſt ſecutus, cùm *lib. 2. cap. 68.* ſcribit: Lux media terrarum, quâ Solis orbita eſt, exuſta flammis & cremata cominus vapore torretur: circa quam duæ tantùm inter exuſtam & rigentes temperantur; hæque ipſæ inter ſe non perviæ propter incendium ſideris.

Sed tamen contrarium planè ſtupendæ 4
Hiſpanorum & Belgarum navigationes ab Anno MCCCCXCII. factæ, & quorundam etiam terreſtres peregrinationes aperuerunt; ac eo ſeculum noſtrum multis nominibus *beatiùs* (2) reddiderunt. Et certè novi iſtius Orbis longè maximam partem, & etiam jam ante cogniti mundi eam portionẽ, quæ Æquatori ſubſtrata eſt, ac intra utrumque Tropicum continetur, frequentiſſimè habitari, quibusdam etiam in locis pabulis atque aquâ ſupra omnes terrarum regiones abundare, magna etiam ex parte temperatiſſimâ eſſe, latè ac pluribus probat Joſeph. Acoſta *Hiſtor. Natural. des Indes lib. 1. cap. 9. & 10. item lib. 2. cap. 1. & multis ſeqq. Loys Guyon lib. 2. des diverſes leçons lib. 4. cap. 14.*

Congii Regnum (3) (quod aliis *Manicon-* 5
go) Oceano Æthiopico perfuſum, ſub ipſa Zona torrida eſt, & tamen occupat amœniſſimum tractũ aëre ultra fidem potiùs quàm modum temperato. Brumæ enim tempore *nullum ibi frigus,* (4) quod noſtrum autumnũ
excedat reperies; unde veſtimentis quidem 6
ad arcendum frigus nullis indigent, parvo exiſtente diſcrimine inter hyemem & æſtatem. Noctes hic ferè æquales ſunt diebus, ut exigua per totum annum obſervetur differentia. Hyems quidem incipit cum noſtro verè, Æſtas verò, cùm apud nos ingreditur 7
hyems. Continuæ autem ibi totis quinque menſibus ab Aprili ad Septembrem usque pluviæ ſunt, aquâ decidente copioſâ, & guttis ad miraculum magnis, quas tamen terra cõtinuo per æſtatem calore exſiccata, in principio omnes imbibit; eâ verò repletâ, fluvii mirum in modum aucti, undiq; ſe effundunt & terram adeò irrigant, ut tota æſtate, quâ ne ſemel quidem pluit, nulla humectatione in- 8
digeat. In cauſa ſunt Etheſii venti, qui cùm apud nos æſtate, apud ipſos ferè hyeme ſpirant, nubes ad montium cacumina colligunt, unde poſtmodum pluviæ indubitatò deſcendunt. Cæterùm ipſorum æſtate, quæ nobis hyems eſt, ſpirant venti Etheſiis è diametro contrarii, qui frigidiſſimi cùm ſint, intenſum iſtarum regionum calorem moderantur, nubes & pluvias ab ipſis depellunt, &

ad has regiones perducunt. Et profectò niſi Æthiopum Congiique Regnum horum Ventorum beneficio perflaretur; incolæ intenſiſſimum illum colorem perferre non poſſent. Qui Græciam, Cretam, Cyprum, Aſiam minorem, Syriam, Ægyptumq; incolunt, ejusdem venti perfruuntur beneficio. *Incolæ ſunt Chriſtiani*, (5) de quorum Religione, Moribus, & Modo Gubernationis tàm Civilis quàm militaris alii latiùs.

Regnum hoc ampliſſimum eſt, (6) extendi-
9 turq; à Promontorio S. Catharinæ, quod abeſt uno & dimidio gradu à Linea Æquinoctiali, porrigiturque usque ad Promontorium *Ledo* versùs Meridiem. Ab Occidente fines ejus ſunt Oceanus Æthiopicus; à Meridie Montes Lunæ & Caphres Æthiopes; ab Oriente Montes, è quibus defluunt amnes in Fontes Nili; ab Aquilone habet regnum Beniense. Comprehendit itaque hoc Regnum ingens ſpatium, nempè à medio gradu tertii lateris Meridionalis usque ad XIII. gradum versùs Polum Arcticum, non minùs DCLX. milliaribus Italicis; dividiturq; in Provincias
10 VI. quas illi *Mani*, (7) id eſt, Præfecturas vocant, quarū hæc ſunt nomina; Bamba, Songus, Sundus, Pangus, Batta & Pemba, in qua ultima ſpectatur *Congo* (8) Civitas, quæ &
11 *Banza*, dicitur, id eſt, *Curia* ſive *Regia*, nunc Civitas S. Salvatoris, incumbens monti ſatis alto, qui circiter II. milliaria Germanica complectitur, totus obſitus vicis, pagis & habitationibus hominum, ſupra modum ferax omnium rerum bonarum ob bonitatem aëris, ut credatur alere C. incolarum millia: Hic enim aquæ ſaluberrimæ, & herbæ optumæ, & armenta ac greges numeroſi, & arbores fructiferæ ſemper virentes.

Opes & facultates Congenſium conſi-
12 ſtunt in negociatione, in metallis, Elephantis, Zibethis, piſcatione Oſtrearum, telis è Palma arbore deſumptis, Cryſtallo, Conchulis, &c.

In *Bamba* mons eſt, ex cujus viſceribus
13 multum effoditur argenti aliorumque Metallorum. Abundat inſuper hæc Provincia Elephantis, *ob multitudinem ſylvarum*, (9) in quibus illi vivunt. Sunt autem hi *Elephanti* (10) immani corporis mole, cùm creſcant ad medium ætatis ſuæ: perhibentur autem vivere poſſe CL. annis; poteſtque belluarum iſtarum vaſtitas colligi ex magnitudine dentium, cùm reperti ſint, quibus fuerit pondus CC. librarum. Auriculæ eorum non ſunt minores ampliſsimis clypeis Turcicis, qui verò maximas habent, eorum lati-
14 tudo ad VI. pedes acceſſit. *Felium Zibethariarum* (11) hìc non exiguus numerus, *quæ manſuefactæ* (12) in domibus aluntur, ut inde extrahatur fragrantiſſimus ille liquor, qui neque noſtris officinis ignotus eſt.

15 Provincia *Songo* præ cæteris, multos alit Elephantos, & magnum Simiarum numerum. Multum quoq; effoditur hìc *Cryſtalli*, (13) nec non Metallorum, ferro tamen præcipuam æſtimationem obtinente, quod Sundenſes (quibus perpetuum bellum eſt cum Anzincanis vicinis eorum) pluris faciunt, quàm cætera Metalla omnia, quod ex eo gladii, cultri, ſecures, aliaque inſtrumenta varia fabricari poſſint. Frumento omnis ge- 16
neris abundant, inprimis *Luco* (ut vocant) quod tanti faciunt, quanti nos optimum triticum. Molunt teruntque hoc piſtrinis manuariis & verſatilibus, unde emergit farina ſuaviſſimi ſaporis. Creſcit inſuper hìc magna 17
vis *Milii albi*, quod ab ipſis incolis appellatur frumentum, (ſive Mazza) id eſt, Granum de Congo. Provenit inſuper hìc *Maizum*, ſive frumentum Indicum; & Oryza, quæ tamen in exiguo eſt pretio.

Ficus Indicas, quas *Bennanas* (14) vocant, nusquam majori affluentiâ, quàm hìc 18
inveneris. Guſto ſunt ſuaviſſimo, dulcedine cum aciditate quadam permixta, nec earum eſus, quantumvis largus, quicquam nocet ventriculo, cùm alimentum præbeant optimum. Campi hinc inde conſiti ſunt variis arboribus *è palmarum genere*, (15) quarum aliæ quidem ferunt dactylos, aliæ verò nuces Indicas.

Tertia palmarum ſpecies utiliſſima eſt, 19
cùm ſuppeditet colonis & oleum, & acetum, & fructus, & panem. Oleum exprimunt è fructibus hujus arboris, ſicut nos è baccis olivæ, eſtque eadem oleo illi conſiſtentia & color, qui noſtro Butyro, niſi quòd paulùm ex flavo in viridem degenerat. Hoc illis & Butyri & olei uſum præſtat, cùm eo lucernas alant, & corpus ungant ad celeritatem: eſtque præterea multiplex hujus olei utilitas. Vinum quoque extrahunt è ſumma arboris hujus ſtirpe, perfoſſo cortice, unde ſtillat liquor albicans, limpidus idemque gelidus: hic primùm dulcis eſt, ut jucundè bibatur, ſed aſſervatus diutiùs aceſcit, ut ad lactucas inſtar aceti adhibeatur. Hoc vinum recens hauſtum, ſuſcitat urinam, unde pauciſſimos hìc reperies calculoſos. Si quis ſe eo invitet hilariùs, inebriatur, citra tamen noxam. Panem inſuper coquunt è nucleis fructuum hujus arboris, qui Coccos ferunt amygdalis dulcibus ſimiles, guſtûs ſuaviſſimi. Ipſe fructus intus & foris viridis, ſalubriter comeditur, tam crudus, quàm coctus.

Inveniuntur & aliæ palmæ, (16) ſed quas ſylveſtres dicere poſſis, quæ uberrimos proferunt fructus aptos ad cibum, & quorum foliis ad *varios uſus* (17) in domo juvantur.

Saxorum atque lapidum ad ædificandum, & glaberrimi marmoris ingens copia. Nihilominus Incolæ humiles valde anguſtas domos habent, non defectu materiæ, cùm ſaxis, marmoribus, ligniſque abundent,

undent, ſed ruditate & inſcitiâ ædificandi, cùm neque cementarios, neque fabros lignarios habeant. Multorum quoque montium
20 viſcera ſcatent Jaſpide & Porphyride lapide, adde & marmore candido & verſicolori, quod Romæ Numidicum & Africanum appellatur. Adnaſcitur quibusdam ſaxis Hyacinthus lapis, qui facilè inde ſeparari poteſt. Si permixti hi lapides relinquantur, confici inde poſſunt columnæ integræ, Obeliſci, aliaque opera ad miraculum usque pulchra ob admiſtos marmori Hyacinthos. Inveniuntur quoque rupes, ex quibus exſcinduntur Metalla, inprimis Æs viridis flaviquè coloris, unde fundi poſſunt ſtatuæ, aliaque
21 utilia opera efformari. In ripis *Loandæ* Inſulæ reperiuntur conchæ quædam ſubcinericei coloris, valdè ſplendentes, qui in magno pretio ſunt.

22 Ex quibus conjicere licet, quantas *Congenſes* divitias poſſideant, cùm adeò abundent metallis, ut non ſolùm multum divendant exteris, ſed & ipſi incredibilem vim ſibi retineant. Si quis his adjungat Elephantos, colliget, quantum ex ebore percipiant, quod pro exoticis mercibus permutant. Adde his pretioſiſſimum Zibethæ & odoratiſſimum liquorem, & omnem abjice dubitationem.

Jam quid de Rege ipſo dicemus? qui cùm *tot Principatuum ſit Dominus*, (18) neceſſe eſt, ut longè omnium ſit opulentiſſi-
23 mus. Quanti ſint proventus ejus, impoſſibile eſt dicere, cùm non, ut noſtrorum Principum, in auro argentóve conſiſtant. Conſentaneum tamen eſt rationi, cùm Subditi hujus Regni tantis affluant divitiis, ob mercimoniorum, quæ ibi exercentur, frequentiam & multitudinem; Regem, qui iis imperitat, *eſſe ditiſſimum*, (18) potentiſſimumq; inter Monarchas totius Africæ. Nam conchularum piſcatio in Inſula *Loanda*, quæ inſtar argenti fodinæ eſt, tota ad eum ſpectat, qui & ejus rei gratiâ Præfectum in ea Inſula conſtituit. Piſcantur autem conchas hoc modo: Certæ quædam mulieres cum fiſcellis junceis deſcendunt ab littore in mare, extractamque ſportulis arenam effundunt, legentes in iis conchulas parvas admodùm: quæ duûm generum ſunt, mares & fœmellæ, ſed hæ multò pulchriores illis: & his quidem emere omnia poſſunt, etiam aurum argentumque ipſum, & quicquid eſt in pretio. Nec apud has duntaxat gentes monetæ aureæ argenteæque uſus in deſuetudinem venit, ſed & in aliis Africæ regnis, ut & in China, & quibusdam Indiæ locis. Æthiopes enim pipere emunt; regni Tombudenſis Incolæ juxta Senegam fluvium pariter, ut hi, cochleis conchulisque.

Inſuper ex Provincia Pemba Rex magnos 24
adipiſcitur theſauros, quam argento cæterisque metallis affluentem eſſe diximus. Eſt & in ea magnus mancipiorum mercatus, ementibus Luſitanis ſervos, eosque in longè diſſitas regiones mittentibus, ut ibi pluris vendantur.

Præter hæc omnia *telæ Congenſes*, (20) contextæ ex arbore Palma Indica, multùm appetuntur à mercatoribus exteris, cùm non ſolùm Æhtiopes eas coëmant, ſed & Luſitani totas naves iis onerent. Eſt & Cryſtallo ſuum pretium, quæ in his locis effoditur. Denique percipit hic Rex quotannis ſplendidiſſima munera *ab Angolæ Rege*, (21) quem Congenſis ſibi fecit tributarium.

Cùmque frequentiſſimas populo hic Rex poſſideat provincias, & plerique ad arma nati aptiq; ſint, facilè cogitatu eſt, eum multum habiturum negotii, qui Regnum *Congo* ſit bello appetiturus.

Munitis tamen deſtituitur urbibus pro- 25
pugnaculisque, neque præſidia conſtituta habet in finibus Regni. Neque etiam ea eſt *Congenſium armatura*, (22) ut non poſſit vehementer ab Europæis exagitari affligique, ſi hi bono & numeroſo exercitu regnum illud ingredi vellent. Vicinis tamen ſuis facilè imperitant Congenſes, eosque potentiâ ſuâ velut fræno coërcent, aut imperata facere nolentes cogunt vi & armis. Eſt autem Provincia *Banga* propugnaculum totius Regni: hinc enim Rex bello illato compeſcit rebellantes, cùm incolæ hujus præ cæteris ſint animoſi armisque adſueti, ut hinc facilè Rex, ſi neceſſitas urgeat, poſſit colligere exercitum *CCCC. millium* (23) hominum, qui armati ſunt pro conſuetudine regni. Poteſt & Provincia *Batta* emittere exercitum LXX. ſive LXXX. millilium hominum ſatis benè armatorum & promptorum ad faciendum officium. Et ex his duabus Provinciis, *Pemba*, & *Batta*, de reliquis facilè poteſt judicari.

ANNOTATIONES

Ad

CAPUT XXVII.

Num. 1.

(1) ZOnas *&c.*] Zona à Græco ζώνη, Latinè cingulum ſive faſciam eſt ſpatium in Globo terreſtri, inter duos circulos minores, vel inter circulum minorem & polum comprehenſum. Perhibet autem Strabo *libro 2. Geograph. pag. mihi*

mihi 167. & cum eo communis Geographorum Schola, univerſam terram Zonis quinque contineri. Hujusque in Zonas quinque partitionis Authorem Parmenidem extitiſſe, tradere Poſidonium. Adpellantur Zonæ ab habitatoribus ſeu naturâ, una Torrida, frigidæ duæ, totidemque temperatæ. Harum Diſcrimen Probum Grammaticum è Manu ſumi poſſe, ſcribere, author nobis eſt Merula *Coſmographiæ part. 1. lib. 3. cap. 22.* ſi videlicet lævam contra ora noſtra, in Ortum Solis verſa, digitis expanſis introſpexerimus. Ubi enim pollex eſt; ibi Zonam ait eſſe Arcticam, quæ & Septentrionalis, nimio rigore inhabitabilem; Proximo Pollici digito Temperatam noſtram, quam Auſtralem nominat, indicari: Medium digitum Æquinoctiali aduſtæ & inhabitabili repondere: Quartum alteram Temperatam oſtendere, quam Hyemalem nominat, quòd Sol in eam inclinans nobis Hyemem relinquat: ſicut in noſtram aſcendens, Æſtatem aperit, diesque longiores facere ſolet: Digitum denique minimum Quintam Zonam referre, Notiam & Auſtralem dictam, ob gelu perpetuum, ſicut Septentrionalis noſtra, inhabitabilem. Sed de his, & num ut Temeperatæ, ſic etiam Intemperatæ ſint hominum habitationi commodæ, conſuli poterunt Geographi, & ex his laudatus Merula *dicto loco*; ubi tandem de Torrida Zona agens, his verbis concludit: Sed quid rationibus, quid argumentis, quid indicio cauſarum opus in re tam manifeſta, quaque nobis hodie Navigationum variarum beneficio nihil certius? Loquuntur edita nuper à Navarchis Hiſpanis, Anglis, Gallis, Noſtratibus, qui ſuis viderunt oculis ſcripta; Populos innumerabiles in locis, quæ Zonæ Torridæ ſubdita, agere, neque incommodè, ut hactenus creditum; non ſolùm littoreis, verùm etiam Mediterranis. Hæc ille, qui in ſequentibus Exemplis id illuſtrat.

Num. 4.

(2) *Beatius &c.*] Contrà ſentire videtur Campanella *de Monarch. Hiſp. cap. 16.* inquiens: Verè affirmare poſſumus, Mundum Novum quodammodo perdidiſſe mundum veterem; nam mentibus noſtris avaritiam inſevit, & mutuum amorem inter homines extinxit. Quilibet enim ſolo auri amore flagrat; hinc facti ſunt fraudulenti, fidemque ſæpè pretio vendiderunt & revendiderunt, videntes pecuniam paſſim prævalere, & in admiratione haberi, & ſcientias ſacrasque conciones numis poſtpoſuerunt, agriculturæque cum cæteris artibus valedixerunt, mancipantes ſe ipſos fertilitati pecuniæ & divitum domibus. Produxit pariter magnam inæqualitatem inter homines, reddens illos aut nimis divites, unde inſolentia; vel nimis pauperes, unde invidia, latrocinia, & aggreſſiones. Hinc pretia frumenti, vini, carnium, olei, & veſtimentorum ſupra modum adaucta ſunt; quia nemo illarum rerum mercaturam exercet, unde penuria: & pecuniæ interim expenduntur; adeò ut inopes tantis expenſis haud ſufficientes in ſervitutem ſe præcipitent, vel etiam profugiant aliquò latrocinatum aut militatum, impulſi paupertate, non amore Regis aut Religionis. &c. Cui ferè conſona ſunt, quæ de Germanis Cluverus *in Germ. antiq. lib. 1. cap. 18.* habet. Certè non minùs propitius DEUS (*inquit,*) Germanis noſtris erga aurum argentumque, & reliqua, quæ pretioſa habentur, dedit animum averſantem, quàm primis omnium mortalium parentibus, Adamo ac Hevæ; quibus & ipſis pelleis tantùm dedit in veſtitum; victum verò ex herbis & arboribus monſtravit. Poſterioribus carnis eſum, aurumque & argentum, gemmas, ebur, & quidquid ad luxum pertinet, iratus magis conceſſit, ut parens infanti pertinaciùs vagienti, quàm propitius largitus eſt. Neque enim hos magis amavit, quàm primum omnium parentem Adamum; neque hoc fuêre probiores illi. Vis, dicam, quantum damni per opeis mortalium generi invectum? Nempe immoderati paucorum dominatus; reliquorum verò omnium infima ſervitus, & per ſervitutem ſumma mollities, Ignavlaque fœda, & quicquid improborum morum, horrendorumque ſcelerum enumerari poteſt, &c.

Num. 5. 6. 7. 8.

(3) *Congii Regnum &c.*] Hæc omnia latiùs aliquantùm deducunt Lopez & Pigafetta *in Deſcript. hujus regni cap. 2.* & poſt illos Gotofredus *in Archontologia Coſmica.* Chaulmer *en le Tableau de l' Afrique chap. 8. art. 2. ſect. 6. pag. 273.* Eraſmus Franciſci im Oſt- und Weſt-Indiſch. Luſt-Garten *parte 2. pag. 942. ſeqq.*

Num. 6.

(4) *Nullum ibi frigus &c.*] Notat citatus Pigafetta *d. loc.* quòd in his & circumjacentibus regionibus, nulla unquam, neque in ipſis montium cacuminibus conſpiciatur nix, niſi in quibusdam, longè tamen ab hoc regno Congo remotis versùs promontorium Bonæ Spei, qui à Luſitanis *Sierra nevada*, i. e. montes nivei, propter raritatem, dicuntur: ut neque glacies, neque nix reperiatur, imò ſi horum alterum aliquando habere poſſent incolæ, auro, ad miſcendum vel refrigerandum pocula, quæ calida ferè ſemper ſunt, præferrent.

Num. 8.

(5) *Incolæ ſunt Chriſtiani &c.*] Quibus initiis res Chriſtianæ in hoc Regno ab Anno MCCCCXCI. creverint, fusè demonſtrat Pigafetta *d. loc. à cap. 2. ad caput usque ſeptimum.* At verò quanquam ſcintilla Chriſtianæ Religionis in his etiam oris gliſcat, multis tamen idololatris repletæ ſunt, quorum quidam Solem pro ſupremo colunt DEO, alii Lunam venerantur, quidam etiam Dracones adorant, Terram nutricem omnium rerum: Verbo, omni falsâ imbuti opinione ſunt. De quo videatur Gotofredus *in hujus Regni deſcriptione.* Hinc Barlæus *in rebus geſtis ſub C. Mauritio in Braſilia pag. m. 412.* de Congenſium religione ſic loquitur: Chriſtianos ſe vulgò jactant, verùm tunc, cùm apud Chriſtianos ſimulari regionem expedit, cæterà gentiles, & idololatræ, purpuræ magis cultores, quàm Dei.

Num. 9.

(6) *Regnum hoc ampliſſimum eſt &c.*] Penſiculatiùs Pigafetta *cap. 4. & tribus inſequentibus* Regnum Congii nobis ob oculos ponere ſatagit, qui unà cum Gotofredo *in Archontologia Coſmica*, ſi placet, evolvatur.

Num. 10.

(7) *Mani &c.*] Pigafetta *d. loc. cap. 9.* *Mani* Dominum ſignificari aſſerit & huic adjectam dictionem,locum ei ſubjectum, atque ita Manibambam idem eſſe, quod Dominum Bambæ &c.

Num. 11.

(8) *Congo &c.*] De hac urbe Congo integrum caput extat apud Pigafettam, *quod eſt lib. 2. cap. 1.* ubi numerum Habitatorum ad X. ſaltem millia reſtringit.

Num. 13.

(9) *Ob multitudinem Sylvarum &c.*] Addit Pigafetta, *cap. 10.* & pabuli, fluviorum, aliarumque rerum ad victum ejus requiſitarum tam abundantiam, quàm excellentiam.

(10) *Elephanti &c.*] De Elephantorum in cruribus junctura, eorũ captura, & alia multa notabilia docet dictus author *cap. 10.* quæ ibidem videri poſſunt: cui jungatur Jan Huggens van Linſchoten *in Itinerario ſuo cap. 46.* cum notatis à nobis ad libri hujus *c. 24. n. 28. Not. 19.*

Num. 14.

(11) *Felium Zibethariarum &c.*]Zibeth vocatur odoramentum quoddam, pingue, craſſum, nigri ſaponis facie; quod ſudor eſt animalis, cui felis figura. Quod animal alii propterea vocant animal Zibethi, alii cattum ſeu felem Zibethicam, alii etiam Sivettam, vel Civettam, & cattum ſilveſtrem appellant. Magnitudinis eſt ferè vulpinæ, colore lupino, nigris maculis reſperſo, ricto oblongo inſtar taxi, linguæ non tam ſcabræ ut felis. Armatur dentibus, & pilis aſperioribus. Folliculum circa inguina geſtat, in quo dictum odoramentum colligitur. Meminit & Salmuth *ad Pancirolli Novarum repertarum lib. 2. cap. 1.* hujus animalis his verbis: Feles quoque nutrit India, Zibethum, Algalliam, ſive Ambarum ferentes, unde & nomen Cattorum Zibethinorum fluxit, qui ad nos etiam vivi deferuntur, & cùm ipſi, tùm pelles eorum in gynæceo ſummis habentur in deliciis. Naſcitur autem Zibethum in poſterioribus animalculi crumenulis, loculis ſcilicet genitalibus exactum, ut Cardanus putavit; quem Scaliger refutat *Exercit. 211. cap. 2.* ineptire eos ſcribens, qui liquorem illum Catti ejus ſemen eſſe arbitrantur. Strigmentum enim eſt, quod vel argenteo, vel æreo, vel etiam, quod nonnulli magis probent, corneo cochleari eraditur, extergiturque: non tamen niſi irritatis: quoniam hoc modo & plus materiæ cietatur, & odoratius fit virus illud. Horum tres vidiſſe ſe ait Romæ apud Cardinalem Galeottum: cui odores, arma, ſcorta, equi, canes, pro bibliotheca fuerint, quartum Mantuæ. Solet autem Zibethum ob gentis Indicæ artes veteratorias ac fraudulentas olei ac arenæ admixtione ad augendum pondus plerumque adulterari. Nec deſunt, qui Muris peregrini pelliculam ex illo animali eſſe ſuſpicantur, unde Zibethum haberi ſolet. *Hactenus Salmuth.* Eſt autem id excrementum, teſte Schotto *Phyſices Curioſæ parte 2. lib. 8. cap. 37.* quod ex loculo circa extremam abdominis partem, intra femora cavernis & anguſtiis inſtructo dimanet, primò album, progreſſu temporis ſubluteum, tandem nigreſcens. Odor ejus primis diebus gravis; expoſitum deinde aëri, & concretum, redditur gratiſſimum. &c. vide quoque citatum Schottum *d. loc. c. 41.*

(12) *Qua manſuefacta &c.*] Cicurari enim adeò Fellem illam, ut innoxiè ſuprà humeros ab hominibus geſtetur, & cum hominibus colludens vellicet eorum naſum, labra, aures, dentes; author nobis eſt laudatus Schottus *d. loco.*

Num. 15.

(13) *Cryſtalli &c.*] Cryſtalli gemmæ illius relucentis, claræ, & colore aquoſæ, tanta in hoc Regno copia eſt, ut etiam in ſe montem comprehendat, qui ob ſummam in ejus venis omnis generis Cryſtalli abundantiam, totus (*teſte Pigafetta loc. ſæpius cit. cap. 5.*) Cryſtallinus appellatur. De Cryſtalli materia atque generatione non una eſt omnium Authorum ſententia, dum quidem exiſtimant, Cryſtallum eſſe aqueam glaciem diuturno gelu concretá; ad quod nonnulla Sacræ Scripturæ dicta adducunt. Alii verò cenſent, nec glacie, nec nive fieri unquam; ſed eo ipſo humore, quo in terræ viſceribus gignitur beryllus, adamas, & alii id genus lapides: gigni autem Cryſtallum ex humore omnium puriſſimo ſanè conſtare, quòd omnium gemmarum clariſſimum, translucidiſſimumque ſit. &c. nos cum Bernh. Cæſio *de Mineralibus lib. 3. cap. 9. ſect. 18. §. 2.* meritò aſſentiendum ſententiæ poſteriori putamus. Ita autem Ille recenſitis utriusque partis authoribus *num. 14.* inquit: His in utramque partem de ortu cryſtalli diſputatis, ita ſtatuendum videtur, eſſe quidem authoritates, pro ſententia priori majoris ponderis, at ſolidiores rationes à poſteriori; cui proinde, pace tam inſignium ſcriptorum, ſubmittendos faſces recta dictat ratio. Neque verò putet quiſpiam, Sacra nobis adverſari oracula; quippe quæ objectis locis non loquitur de cryſtallo gemma; ſed de glacie, quæ Græcis habet idem cum ea cryſtalli nomen, & meritò id quidem, ob magnam, quam oculus videt, inter utramque ſimilitudinem. Hoc ille, quem, ſi lubet, vide, & huic Salmuth *in notis ad Pancirolli rerum deperd. tit. 6. circa finem,* nec non Barthol. Anglicum *de rerum propr. lib. 16. cap. 31.* junge.

Num. 18.

(14) *Bennanas &c.*] Pigafetta *lib. 2. cap. 1.* non *Bannanas*, ſed *Banam* dicit.

(15) *E Palmarum genere &c.*] Pleræque enim ſub Palmarum nomine comprehenduntur à Congianis; ut jam jam nominatus Author *d. loc.* refert.

Num. 19.

(16) *Inveniuntur & alia palmæ &c.*] Vide omninò Pigafettam *citato loco,* ubi plures arbores & fructus enarrat.

(17) *Varios uſus &c.*] E foliis enim ſtoreas, quibus domus ſuas pro tegulis cooperiunt, & corbes, & alia ejusmodi utenſilia conficiunt, ut idem Author *ibid.* teſtatur.

Num. 23.

(18) *Tot Principatuum ſit Dominus &c.*] Rex Congenſis, notante Barlæo *de reb. geſt. ſub Com. Mauritio in Braſ. pr. m. 412.* hisce titulis appellationibusque ſuperbit: Manni-Congo D E I gratiâ Rex Congi, Angolæ, Macambæ, Ocangæ, Cumbæ, Lullæ, Zouzæ, Dominus Ducatûs Buttæ, Sudæ, Bambæ, Amboillæ, ejusque provinciarum, Dominus Comitatûs Songenſis, Aggoiæ, & Cacongi, & Monarchiæ Ambondarum, & magni ſtupendique

que fluminis Zairè. Inter Congenſes potentiſſimus eſt Songenſis iſte Comes. Regiam conjugem Manimonbandam vocant; quaſi dicas Reginam ſive Eminentiſſimam, inter tot concubinarum agmina & greges. Titulum contractiorem vid. apud Pigafettam *cap.* 8.

Num. eod.

(19) *Eſſe ditiſſimum &c.*] Imò in toto Regno Congiano, referente Pigafetta *cap. 12.* nemo eſt, qui hæreditates habeat proprias, ut eas hæredibus pro libitu diſponere poſſit: ſed omnia ſibi Rex vendicat, & dominia quibus vult largitur, aut adimit; cui Legi etiam filii regii ſubſunt: ita ut, niſi annuos Regi & conſtitutos reddant cenſus, absque ullo reſpectu ſubmoventur, & ſucceſſores ferre cogantur.

Num. 24.

(20) *Telæ Congenſes &c.*] Modum pannos hosce ex foliis palmarum conficiendi hunc exhibet toties à nobis citatus Pigafetta *cap. 6.* Deſcribam, *inquit*, paucis incolarum hujus loci incredibilem ſolertiam in conficiendis omnis generis pannis, ſericis noſtris pannis ſimiles, non tamen è ſerico, (quod quamvis ibi ſit copioſum, tamen ibi non creſcit, verùm à Luſitanis advehitur, ſed è palmarum foliis, quas ut humiles maneant, putant quotannis & diligenter rigant, ut tantò majori copiâ tenera folia producant. Hisce itaque foliis ſuo modo præparatis & emundatis filum nent, ſerico filo haud abſimile, ex quo omnis generis pannos texunt: & inter alios pannum texunt holoſerico ab utraque parte ſimilem, variis quoque floribus aut aliis figuris (ſi volunt) ornatum, ita ut holoſericum Italicum non ſolùm videatur, ſed etiam pretio & valore æquet. Undulatum quoque, quem Itali Damaſto appellant, ex iisdem, Italico ſimilem variis modis figuriſque exornatum, conficiunt. Textum quoque Attalicum, quod Itali Brocato vocant, conficiunt duûm generum, Italicum pretio multùm ſuperans, quo nemo, niſi Rex, & cui ipſe ſpeciatim permiſerit, utitur. Pretioſiſſimum eſt, & quinque palmos in longitudine, & tres quatuórve in latitudine habet, cùm reliqui panni, ſecundùm folii, ex quibus filum provenit, brevitatem, multò ſint & breviores & anguſtiores. Et his Anzicani plerumque pro facultatibus cujusque veſtiuntur; quamvis enim paulò ſint craſſiores, leves tamen ſunt, & firmi, ita ut tam aquæ & ventis, quàm calori reſiſtant. Unde & Luſitani iis cœperunt uti, non ſolùm ad conficiendas veſtes, ſed etiam ad conficienda tam tentoria quàm vela, ventis enim & aquis incredibiliter reſiſtunt.

(21) *Ab Angolæ R. &c.*] Rex hic, ut eſt apud Pigafettam *cap. 7.* vaſallus olim fuit Regis Congiani, & non ſolùm ejus arripuit dominium, cujus erat adminiſtrator, ſed & alios circumjacentes populos ſibi ſubditos reddidit, ita ut jam Rex ſit potentiſſimus, nec Congiano inferior, undè etiam ei cùm libet tributum aut pendit aut denegat. *ubi tamen addit*; Poſtquam Johannes II. Luſitaniæ Rex Chriſtianam Religionem in Regno Congo plantaſſet, factos iterum fuiſſe amicos, ita ut Angolanus Congianum Dominum dono ſingulis annis miſſo, propè agnoſcere videatur.

Num. 25.

(22) *Congenſium armatura &c.*] Milites enim gregarii inferiore ſaltem corporis parte veſtiuntur, arcu, ſagittis & pugione armati. Adeò ut Principi Battæ pro ſingulari privilegio conceſſum apud Pigafettam *cap. 14.* legatur, ut ſclopetarios proprios & ex ſuis ſubditis habere valeat.

(23) *CCCC. millium &c.*] Pigafetta *cap. 9. d. loc.* ſolummodò quadraginta millium meminit, quod credibilius videtur, cùm hæc Provincia Bambæ Regni Congenſis non niſi ſexta pars ſit.

CAPUT XXVIII.

De Marocci & Feſſæ Regis Ærario & Cenſu.

S U M M A R I A.

1. Regni Marocci & Feſſæ *opulentia & ſitus.*
2. Maroccum & Feſſa *inter alias ditiones celeberrimæ.*
3. *De urbis* Marocci *magnitudine & ſitu.*
4. Feſſa *unde dicta? penes quos rerum ſumma in* Tingitana *fuerit?* num. 5.
6. *Abul Texifii imperium: Filiiq́;* Joſephi *res geſta.*
7. Halis *templum primarium extruxit.*
8. *Abrahami triſtis exitus, & qui poſt eum regno potiti ſunt.*
9. *Horum Succeſſores latè in* Hiſpania *dominati, cladem ab Hiſpanis perpeſſi ſunt.*
10. *De* Mahumetis Evaſir *ſobole, Nova dominatio*, Gamarazani & Abdulaci. num. 11.
12. Sirifius *à Saido profligatus: regnum tandem recuperavit.*
13. Sebaſtianus Luſitaniæ *Rex gloriatus ante triumphum: infelix ejus pugna, & clades Chriſtianorum*, num. 14.
15. Melici *Regis mors, laudesq́;: quot Chriſtianorum occiſi atque capti*, num. 16.
17. Regis Marocci *dominium in Vaſallos decimam ab ipſis accipit*, num. 18.
19. Medium, *quod ſubditos ſuos ad ſolvendum faciliores reddit. Quidam immunes à tributis*, num. 20.
21. *Regis Telonia & Vectigalia: & Judæi quid pendant*, num. 22.
23. *A* Coriariis *quid accipiat? deq́; molarum numero*, num. 24.
25. *Templi* Carrauven *reditus: item Collegiorum & Xenodochiorum Regis ſunt.* num. 26.
27. Rex *hæres eſt omnium Judicum. Quid de ipſorum filiis filiabusq́; fiat?* num. 28. *manus injicit divitum bonis, qui opes ſuas occultant*, n. 29.
30. *Aliter à* Joanne Leone Africano *recenſiti ejus reditus.*
31. *Suſceptoris ſive* Quæſtoris regii *in urbe Feſſa officium.*

Hîc armenta jugis montanis plurima paſci
Narratur, paſſim campi, frugumque feraces:
Tela camelina & corium ſcitâ arte paratum;
Citria poma etiam, ſaccar, goſſipium & album;
Haud parvo numero Feſſæ cernuntur in orâ.

Regni

REgna Marocci & Feſſæ, (1) quæ in unum Imperium coaluerunt, ſunt longè opulentiſſima totius Africæ: & inter omnes Africæ Principes nullus opum & viriũ magnitudine Regi Marocci & Feſſæ præferri poteſt.

1 Ejus enim Ditio continet omnem illam *Mauritaniæ partem*, (2) quam Romani Mauritaniam Tingitanam appellarunt, extenditurque à Promontorio *Spartio*, *Spartel* vulgò, & ab Oceano Atlantico ad fl. Mulviam, qui in mare egreditur prope oppidum & Inſulam *Jaffarim* ſive *Zeffarim*: quo ſpatio continetur, quæ & incolis magis frequens & amœnitate & fertilitate, & morum civili-
2 tate reliquas ſuperat: & inter alias ditiones famâ celeberrimæ ſunt *Maroccum & Feſſa*, quarum hæc in ſeptem dividitur Provincias; *Temeſnem*, *Feſſam*, *Elabatam*, *Erriſitim*, *Garetum*, *Azgaram & Elehaus*; illud totidem ſub ſe regiones comprehendit; *Heam*, *Suſam*, *Guzulam*, *Marocci terram*, *Duccalam*, *Haſcoram & Tedletem*.

3 Inter maximas totius mundi urbes, ea adnumerari ſolet, quæ *Maroccum* (3) appellari conſuevit. In ſpatioſiſſimo eſt ſita campo, ab Atlante milliaribus circiter quatuordecim diſtat. Portas in ambitu 24. habet. Murus maximæ craſſitudinis ex candido lapide atque calce viva exſtructus eſt.

4 Fessam verò (totius Mauritaniæ atque totius Regni caput) ſic dictam *nonnulli* (4) ex eo eſſe opinantur, quòd, quum prima ejus jacerentur fundamenta, eo loco inventus fuerit auri cumulus, quod Arabibus *Fez* appellatur. Alii à flumine ſic dicto nominatam putant.

5 *Rerum potiti ſunt in Tingitana* (5) poſt virus Muhammedanum diſſeminatum in eas regiones, ſparſi Arabes, partim Calipharum Duces, partim Reges ipſi, omnes externi.

6 Quibus de medio ſublatis, *Abul-Texiſius* Almoravidum ſive Lomtuniorum gentis Princeps; exterorum Imperium exoſus, circa annum Chriſti MLI. adminiſtrationem rerum ſuſcepit ſedemque imperii *Agmeti* (6) fixit, & poſt eum *Joſephus* F. qui XXXV. annis regnavit; & urbem à patre inchoatam condidit, Tremezenum inſuper regnum & Feſſanum ac Tunetanum ſubegit, multas ci-
7 vitates in *Hiſpania* (7) cœpit, ac totâ ferè Bæticâ potitus eſt. Hujus filius *Halis primarium templum extruxit*, (8) quod quamvis dirutum & poſtea inſtauratum, ſemper de no-
8 mine ejus cognominatum eſt. Is ab Alfonſo VII. in Bætica victus & magnâ ſtrage acceptâ occiſus eſt, cùm regnaſſet ſeptem annos. *Poſt Halim* (9) Abrahamus F. Joſephi N. in regno ſucceſſit, cujus triſtis exitus fuit; vili quodam homine exorto natione barbaro, qui *Abdata* (10) antea vocabatur, ſed unionis & concordiæ prætexto nomine ſe *Elmuahedinum* (11) appellari juſſerat. Is ex ludimagiſtro & concionatore tantam potentiam arripuerat, ut cum eo, tanquam fortunæ æmulo prælii aleam Abrahamus coactus ſit ſubire Anno MCXL. in quo victus, & *profugus ſe cum uxore præcipitavit*: (12) victoriæ fructum percepit *Abdul-Mumen*, Abdalâ è morbo defuncto, ipſe ex ludimagiſtro à XL. diſcipulis & XVI. ſcribis, primus in Africa Pontifex & Imperator ab exercitu ſalutatus; qui *Iſaaco*, Abrahami F. in oppido Marocco capto & à ſuis jugulato, imperium firmavit, & propriis manibus ad Tripolin usque, imperio potitus eſt.

Hujus filius *Joſephus* & *Jacobus Manſor* N. & hujus F. Muhammetes Enaſer, à 9
ſuis *Miramamolinus* appellatus, *in Hiſpania & Africa longè lateq; dominati ſunt*. (13) Hic verò ab Alfonſo X. Caſtellæ Rege Anno MCC. ex Hiſpania profligatus, atque ingenti clade perculſus in regno *Valentiæ*, profugit Maroccum. Ab eo tempore res Maurorũ non modo in Europa, ſed & in Africa retrò fluxerunt. Decedens Muhametis Enaſer *numeroſam reliquit ſobolem*, (14) quæ Mauro- 10
rum imperio & ſuæ genti exitio fuit; nam omnes ejus liberi mutuis cædibus ſe confecerunt: Poſt illa nova dominatio inſtituta à 11
Gamaraxano à Tremezenſibus regibus oriundo. *Abdulacus item* (15) ex Merina familia Feſſæ rerum potitus eſt, circa annum MCCX. Poſt hunc è Merina familia plures regnarunt usque ad Abdulacum ultimum, quem Scirifius occidit: Scirifium profligavit 12
Saidus ex Oatazenorum familia, Anno MCDLXXXI. à Saido, qui Feſſæ regnavit, duxêre genus Oatazeni reges, ſub quibus Africæ regna & ſingulæ regnorum *provinciæ atque urbes à præfectis deficientibus occupatæ* (16) & miſerè dilaceratæ ſunt: donec Scirifiorum gens, Oatazenis depulſis, rurſus ſparſas regnorum reliquias collegit, & noſtra memoria imperium novum in Africa excitavit. Avorum memoria *Sebaſtianus* 13
Luſitaniæ Rex (17) cùm ſibi galea & paludamentum, quibus Imperator Carolus V. olim indutus Tunetem victrici pompâ ingreſſus fuerat, *ab Albano* (18) in Africa offeretur, muneribus acceptis ad inſaniam exultavit, patres triumphos ſibi in Feſſæ & Marocci, quæ primariæ (ut dixi) duorum regnorum urbes ſunt, ingreſſu; atque adeò totius *Africæ Imperium ſibi ſpondens*. (19) *Sed ô vana ſpes*! ô lubrica & incerta vota! Non longè pòſt, heu! infelix pugnæ alea tentatur, & quid multis? Chriſtiani undique circumventi quaſi pecudes à Mauris miſe- 14
rando omninò ſpectaculo inter currus, & equos, æſtu, labore & ictibus *pereuntes promiſcuè cæduntur*, (20) tribus eodem prælio Regibus extinctis; *Sebaſtiano*, *qui à centurione repetitis vulneribus confoſſus* (21) eſt. *Muhammete*, (22) qui fugiens in Mucazeni vado nimiâ feſtinatione ſubmerſus periit; & 15

Molucco

Molieco, (23) qui gravi febri jactatus cùm ſu-
os retro cedere indignaretur, lecticâ egreſſus,
ut præſentia ſua injecto pudore fugam ſuo-
rum ſiſteret, vix precibus à familiaribus re-
vocatus, & præ irâ compreſſo ſpiritu penè
ex equo titubans cecidit, indeque in lecti-
cam denuò illatus & adductis repagulis, ac
priùs monitis, qui circa eum erant, ut
mortem ſuam celarent, admoto ori di-
gito animam efflavit, vir fortitudine, pru-
dentiâ, æquitate, induſtriâ, & liberalita-
te, & (*qui in Africanis ingeniis rarus eſt,*) *can-
dore* (24) inſignis, & ab iis vitiis, quæ dete-
ſtandâ licentiâ inter ſectæ illius homines re-
gnant, allieniſſimus, & alioqui, ſi belli cau-
ſam demas, Chriſtianis non ita infeſtus.
Ex Chriſtianis pauci admodùm elapſi ſunt:
16 ex iisque VII. clɔ occiſi, totidem capti;
quorum liberatione Mauri poſtea non exi-
guam pecuniæ vim coegerunt.

17 *Rex Marocci & Feſſæ habet abſolutum
dominium* (25) in omnes facultates vaſallo-
rum, etiam in ipſos vaſallos: Quamvis enim
eos oneret impoſitionibus tributisque gra-
viſſimis, contra tamen mutire non audent.
Percipit à ſuis vaſallis tributariis decimam,
18 & primitias fructuum pecudumque; quan-
quam Exactores Regii hâc utantur mode-
ratione, ut de fructibus vigeſimâ contenti
ſint, & è centum pecudibus non niſi duo
exigant capita. De unoquoque agri jugero
ſolvuntur Quæſtori Regis quinque qua-
drantes unius ducati, tantundem de ſin-
gulis focis ſive domiciliis: Idem quoque
cenſus eſt ſingulorum capitum, quæ deci-
mum quintum annum exceſſerunt, ſive
mares ſint, ſive fœminæ; unde facilis eſt
conjectura, quanta hinc vis auri quotannis
colligatur.

19 In cæteris exactionibus ita verſatur, ut ad
vitandam plebis ſeditionem prope duplum
exigant Quæſtores & ſimplum accipiant,
quam peculiarem gratiam interpretantur
20 ſimplices Mauri. Qui tamen montes inco-
lunt, homines indomiti & immanes, freti lo-
corũ munimentis, ut quidquam pendant a-
digi non poſſunt: ſed ſi quas ſolvunt decimas,
21 ideò pendunt, ut iis in plana & campeſtria
deſcendere liceat. Accedunt his proventibus
longè maximis Telonia, Vectigalia, Tributa
& ſubſidia pecuniaria; quæ tàm in urbe *Feſ-
ſa*, (26) quàm aliis Regi cedunt, cùm cives
Feſſani peregrinarum mercium, quæ in urbẽ
importantur, quinquageſimam partem pen-
22 dant, exteri verò decimam.

*Judæi, qui à Mauris expilati inq; novam
Feſſam* (27) migrare juſſi, Feſſæ Regi au-
reos quadringentos in ſingulos menſes enu-
merant. Coriarii urbis Feſſæ etiam per-
multas habent in ripa fluminis manſiones,
& pro quolibet corio unius aſſis vectigal
23 pendunt, unde ſingulis annis ducenti ferè
colliguntur aurei.

Junge his molarum proventus & metal-
lorum aliarumque rerum quæſtuoſiſſima- 24
rum & ingentem conficies ſummam. In-
venies in urbe Feſſa CCCC. & pluries mo-
las frumentarias, quæ de ſingulis magnis
frumenti modiis Regi ſolvunt dimidium
numum regalem.

Putantur in hac Urbe eſſe DCC. Templa,
ſive Oratoria, in quibus numerantur L. ma- 25
gnificæ & ſuperbiſſimæ ſtructuræ. *Prima-
rium Templum nominatur Carruvenum*, (28)
ſtructurâ ſupra fidem magnâ, cùm circi-
ter M D. paſſus ambitu ſuo complectatur,
habeatque portas XXXI. Lacunar ejus in
longitudine fornices habet XXXVIII.
& ultra XX. in latitudine. Exteriora am-
biunt complures porticus, in quibus ve-
lut Apothecis ſacris reſervatur oleum ad u-
ſum lucernarum ampullæ, aliæque res ad u-
ſum Moſquearum: neque enim ullus arcus
eſt in fornice, de quo non pendeat ar-
dens lychnus, ut initâ ratione comper-
tum fuerit, ſingulis noctibus CM. lucer-
nas ardere. Hujus templi ſive Moſqueæ
Carruvenſis proventus olim fuêre quotan-
nis LXXX. millia ſcutatorum; *quorum* 26
MM. ſingulis ferè annis (29) ex *Banibaſil*
oppido à Feſſa Occidentem versùs circa de-
cem & octo paſſuum millibus diſtante
colliguntur. Nec minores erant reditus colle-
giorum & *Xenodochiorum Feſſæ*, (30) & in ea
urbe eſt templum, cujus reditus in ſingulos
dies feruntur eſſe ducentorum coronatorum
aureorum: Et omnia Rex Fiſco ſuo addixit.

Quin etiam hæres eſt Rex omnium judi-
cum, quos *Alcaides* appellant, & omnium ſu- 27
orum officiariorum; Nam ſi quis Prorex
vel præfectus Provinciæ vel Miniſter regi-
us, qui ſalarium ab eo accepit, moriatur,
Rex ab inteſtato ei ſuccedit, omnesque de-
mortui poſſeſſiones ſibi vendicat, nec has
ſolùm, ſed & equos, arma, theſauroſque.

Si quis horum decedens relinquat filium,
qui Regi in bello utilis eſſe poteſt, eodem, 28
quod pater perceperat, fruitur benefi-
cio. Si liberi impuberes ſint, nutriuntur
impenſis regiis, mares quidem, donec ad
arma ſint habiles, puellæ, donec maritos
inveniant, quos ut celeriùs nanciſcantur,
promittuntur ſponſis earum præfecturæ
& opulenta beneficia ſive officia. Hinc fit,
ut morituri omni animantur ſtudio, ut bo-
na theſauroſque ſuos occultent, aut eos 29
procul à Regia & ab oculis Principis ſub-
moveant, certi, manus ejus non evitaturos,
ob quam cauſam civitati Feſſanæ multum
de antiquo ſplendore deceſſit. Alter Regis
Feſſæ reditus recenſet Joannes Leo Afri- 30
canus *in deſcriptione Africæ lib. 3. fol. mi-
hi 371*. Habet, *inquit*, Feſſæ Rex latam ad-
modùm ditionem, cæterùm exiguus pro-
ventus vix trecentorum millium aureo-
rum ſummam attingit, quorum ne

quinta

quinta quidem pars Regi cedit: nam reliquum in varias ſecatur partes. His adde, quòd redituum maxima pars frumento, pecudibus, oleo atque butyro perſolvitur, atque hoc minus pecuniarum adfert.

Quibusdam locis pro jugero quolibet aureum cum quarta parte numerant, alibi tantundem quælibet perſolvit familia. Aliæ quoque reperiuntur regiones, in quibus, qui annum decimum quintum exceſſerit, tantum quoque auri adferre cogitur. Neque alia in re gravatur populus in maximo hoc oppido, quàm in cenſu perſolvendo. Illud quoque hoc loco notandum, quòd Muhametanis (ſacerdotibus exceptis) non licet majores habere proventus, quàm quos illis Muhametem conceſſiſſe legitur, hoc eſt, ut qui centum aureos præſenti poſſidet pecuniâ, duorum cum dimidio cenſum annuum perſolvat. Qui ex agro decem frumenti menſuras colligit, decimam adferre pro tributo tenetur. Statuit autem hæc tributa ad Pontificem adferri, qui quod Principi abundare novit, in publicam confert utilitatem: ex eo namque egeni, ægroti, viduæque foventur, bellaque adverſus hoſtes ſuſtinentur: verùm ex quo Pontifices defecêre, Principes tyrannidem exercuerunt. Non enim illis abundè fuit hos proventus omninò uſurpaſſe, ac pro eorum libidine expendiſſe, verùm majora etiam à populo exegerunt tributa, adeò, ut omnes ferè Africæ coloni tàm ſint exactionibus quotidianis gravati, ut vix illis ſuperſit, quo veſtes aliaque vitæ neceſſaria ſibi comparent: cujus rei causâ nullus ferè eſt inter doctos ac probos homines, qui cum aulicis aliquam quærat conſuetudinem, nec eadem menſa dignetur, neque munera, quantumvis pretioſa, ab illis recipere velit: quicquid illis divitiarum eſt, ex furto atque rapinis collectum æſtimantes.

Unus tantùm eſt in tota Urbe Feſſarum, 31 qui cenſus ac vectigalia recipit, numeratque ſingulis diebus in Regis uſum triginta aureos: ſubſtituit nonnullos, qui ſingulas urbis portas obſervent, neque ulla res eſt, quamvis exigui pretii, quæ non aliquid cenſûs exſolvere cogatur. Solent & interdum in campos usque extra urbem mulionibus obviam procurrere, ne qua fortaſſe mercatura celetur, aut tecta in Urbem devehatur. Quòd ſi fraudem comperiant, duplex exigunt vectigal. Is autem hac in re ſervari ordo conſuevit, ut duos aureos in ſingulis centum vectigalis loco pendant: pro onychinis gemmis, quorum magna huc affertur copia, quarta perſolvitur: ligna, frumentum, boves, gallinæ, nihil cenſûs enumerant, neque ad ingreſſum urbis arietes tributum exſolvere coguntur, ſed in macello duos Liardos: & ejus præfecto unum penſitant.

Qui accuratiorem plenioremque Regni Feſſani delineationem deſiderat, legat *Joan. Leonem Africanum* (31) *d. lib. 3. per tot.*

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT XXVIII.

(1) R*egna Marocci & Feſſa &c.*] Si unquam aliquod Imperium rerum viciſſitudinibus atque perpetuis, &, ut ita dicam, univerſariis mutationibus obnoxium fuit, fuit illud certè Regnum Feſſo-Maroccanum. Adeò ut res penè fidem ſuperare videretur, niſi infinitis hiſtorica narratio ſuffultà eſſet teſtimoniis. Hinc nunc Feſſæ regnum dominabatur, ſerviebat Maroccanum; nunc Maroccanum movere lacertos, Feſſæ jugo ſe ſubducere, & ipſi leges præſcribere, nec non tributa imperare cœpit, usque dum demum, anno Chriſti MD. quidam Hamedus Scirifius prætextu Religionis (*de quo Thuanus lib. 7. ab initio, Boterus in Politia Regia de Seriffo. cum aliis conſulantur,*) Regnum Maroccanum occupavit, hujus verò ſucceſſor frater Muhammedes, extincto Hamete atque oppreſſo, ſolus Africæ nempè totius Mauritaniæ atque majoris Numidiæ partis Getuliæ & in iis XIV. provinciarum &c. Africæ Imperium poteſtati ſuæ Anno C.MDLVII. teſte Thuano *lib. 20.* ſubjiceret. Sed ſicuti hi atque alii hujus farinæ Principes unius ejusdemque familiæ ſceleratis & indignis actibus ad Dominatum conſcenderunt; Ita factum, ut gliſcente inter eos, & perpetuas flammas ſpirante diſcordiâ, nunc hic nunc ille Princeps diſſenſionis & ſeditionum igne correptus in cineres redigeretur. Uti plenius & meliùs Hiſtoriarum monumenta docent. Demum Anno MDCXII. cùm in Mauritaniam intenta eſſet Aula Turcica, & à ferro ad Magicas artes deveniretur, Zidanus Rex Marocei unà cum ingenti exercitu à Mago parvâ manu ſtratus, faſcino victus, & regno exutus fuit. Et quamvis Zidanus conducto alio Mago artem deluderet arte, victoremque iterum devinciret; ille tamen inſtauratâ incantatione denuò potitus Marocco, credulæ plebi ſpeciem vatis præbuit. Sic ludunt Dæmones inter ſuos aſſeclas, in perniciem infelicium animarum. Vide ſupplementum Meterani *lib. 31.* De Taffileta Rege, qui hodie Regna hæc ſibi ferè ſubjecit, narratio in appendice partis *20.* Diarii Europæi extat, proinde factorum ipſorum ſeriem hîc omittimus.

Num. 1.

(2) *Mauritaniæ partem &c.*] Mauritaniæ nomen plerique ſcriptores à Græca voce μαῦρον, quod nigrum ſignificat, derivant, Mauritanosque ſic vocatos cenſet propter nigredinem. Hinc Manilius *lib. 4.* canit:

Mau-

- - - *Mauritania nomen*
Orbis habet, titulumq; ſuo fert ipſa colore.

Pleroſque enim hujus incolas ſubfuſci eſſe coloris, experientia teſtatur. Dividitur à Geographis, ut, notum, in *Cæſarienſem* à Cæſarea, & *Tingitanam*, (quam etiam Bogudianam à Rege Bogud, aliquando ab aliis aliter cognominatam fuiſſe, Geographi & Hiſtoriographi docent) à civitate ejus primaria Tingi, quæ Luſitanis Tangiara, ita dictas. Hujus diviſionis Authorem Imperatorem Claudium fuiſſe, Dio *lib. 60.* tradit. Habet autem, teſte Bunone *ad Cluveri Introd. Geograph. lib. 6. cap. 5. circa fin.* Mauritania hæc Tingitana ab Occaſu mare Atlanticum; à Septentrione fretum Herculeum & Ibericum usque ad Malvæ fluminis oſtia; ab Ortu Mauritaniam Cæſarienſem; à Meridie Getuliam & Lybiam interiorem.

Num. 3.

(3) *Maroccum &c.*] Latiùs hanc urbem Maroccum & exactiùs deſcribit Johann. Leo Africanus, *in Deſcriptione Africæ lib. 1. pag. 49.* ubi inter alia habet, quòd Hali Joſephi Regis filii Maroccani Principis tempore, domos numeravit plusquam centies mille. Sed jam dum cùm Boterus Seriff. ſtatum delinearet, paulatim decrevit, fuitq; deſertior quàm habitatior: cui quoque Thuanus *lib. 7.* & ipſe Leo *in poſterioribus, præſertim de Regia Mimſoris pag. 160. 161.* conſentit.

Num. 4.

(4) *Nonnulli &c.*] Joh. Leo Africanus *in Deſcript. Africæ lib. 3. p. 273.* Exactiorem hujus Urbis deſcriptionem apud eundem Authorem *in ſeqq. à pag. 177.* nec non apud Boterum *in Polit. Reg. in delineatione Status Seriff.* vide.

Num. 5. 6. 7. ſeqq.

(5) *Rerum potiti ſunt in Tingitana &c.*] Eodem modo ante Authorem horum Regum brevem & ſuccenturiatam Imperii vim Thuanus *initio lib. 7.* depingit, cui jungatur Gramaye *Africæ illuſtratæ lib. 4. cap. 7.*

Num. 6.

(6) *Agmeti &c.*] Agmeti deſcriptionem ob oculos ponit Johann. Leo Africanus *lib. 2. pag. 163.* Tuneti verò *lib. 5. pag. 555. ſeqq.*

(7) *In Hiſpania &c.*] Mariana *de Rebus Hiſpanicis tom. 1. lib. 10. cap. 1. ſeqq.*

Num. 7.

(8) *Halis primarium templum extruxit &c.*] Quod quomodo factum ſit, Joh. Leo Africanus enarrat *lib. 2. pag. 150.* his verbis: Nullum (*ſcilicet Marocci*) artificioſius neque magnificentius templum eſt, quàm quod medio urbis, ab Hali Joſeph illius filio, primo Marocci Rege, ædificatum eſt, vulgò templum *Haliben Joſephi* nominant. In hujus tamen locum ſucceſſit quidam Abdul Mumen, qui ut prius illud nomen deleret, ſuumque apud poſteros notum redderet, maximum hoc totius Marocci templum extinguere, atque aliquantò quàm antea magnificentius reformare curavit. Verùm non oleum modò, ſed ſumptum omnem atque operam perdidit: vulgus enim & in hunc usque diem templum antiquo illo nomine appellant.

(9) *Poſt Halim &c.*] Mariana *jam citato loco lib. 11. cap. 1.* dum hæc refert, non Halim, ſed Almohatum vocat, rem tamen paulò aliter exponit Gramaye *in Africa illuſtrata libro 4. cap. 7. ubi vide.*

Num. 8.

(10) *Abdala &c.*] De hoc ipſo evolvi poterit Johannes Leo Africanus *loco allegato lib. 2. pag. 153.* nec non Gramaye *ſuperiùs indicato libro & capite.*

(11) *Elmuahedinum &c.*] Leo *Elmahelum*; Gramaye autem *Elmohadam* indigitat.

(12) *Profugus ſe cum uxore præcipitavit &c.*] Nam cùm Oraniam ſub ſpe recolligendarum virium militarium cum fugæ reliquiis perveniſſet, ſubitò verò Abdul Mumen cum ingenti exercitu accedente, cives Regi denunciarent, ſe nihil periculi illius causâ ſubire velle, miſer ille Rex omninò ſibi deſperans, noctu equo inſedit, ſumptâ ſecum, quam habebat, uxore, atque in equo ſibi à tergo locatâ, urbem reliquit. Aſt ubi ſe ab hoſte notum animadvertit, mox ad rupem quandam, quæ Oceanum reſpiciebat, confugit: hîc equo eum in modum calcar addit, ut ſe cum conjuge cariſſima, cumque equo præcipitem dederit; ac paulò pòſt inter rupes atque ſaxa interfectus ab incolis vicinis repertus ſit. *Johann. Leo Africanus dicto loco.*

Num. 9.

(13) *In Hiſpania & Africa longè lateq; dominati ſunt &c.*] Nempe poſt infelicem illam ad Alacum XIV. Kalend. Auguſti, die Mercurii MCXCV. regnante Alfonſo IX. Caſtellæ Rege, commiſſam pugnam, de quo conſulatur Mariana *tom. 1. lib. 11. cap. 18.* Verùm enimvero Miramamolinus hic, non ab Alfonſo X. (quod Klockius noſter vult) ſed Alfonſo IX. nec Anno MCC. (ut iterum opinatur) ſed MCCXII. die Lunæ menſis Julii XVI. memorabili prælio patrato repulſam & ultima paſſus fuit, prout penſiculatiùs id Mariana *tom. 1. libro 11. cap. 23. 24. 25.* teſtatum relinquit. Nec prodeſt Thuano atque Authori, (quod pace tantorum Virorum dixerim) ſi quis dicat, ratione Anni MCC. poſitum fuiſſe eo loci numerum rotundũ; cùm notum ſit, eo quidem uti Authores in collectione ſeu recapitulatione quâdam, ſecus ubi certum aliquod factum ſuo tempori reddere volunt. Facitque contra Authorem, quod Mariana expreſsè *circa finem libri undecimi* memoret; His confectis Henricum futurum regni hæredem Regis adventum exſpectaſſe Toleti; factumque id Anno MCCXII. cùm pro certo habeatur, Alfonſum IX. ab Anno MCXC. usque ad Annum MCCXXV. Caſtellæ ſceptra tenuiſſe; Alfonſum verò X. demum Anno MCCLII. ad rerum gubernacula admotum. Primum Henricum filium ex Eleonora Henrici Angliæ Regis filia unicum; Secundum autem, Sanctium IV. filium regni ſucceſſores habuiſſe. De quo poſt Marianam & alios rerum Hiſpanicarum ſcriptores, Lambertinus *in Theatro Regio* videatur. Illud adhuc obiter notandum, miraculo proximum videri, quod Mariana *d. cap. 24.* ſcribat, in illa pugna ſuprà memorata, (quàm à poſteris *prælium de navibus Toloſæ* dictum fuiſſe, Lambertinus *ſub Alfonſo IX.* author nobis eſt,) ducenta Maurorum millia, & in his triginta millia Equitum, aut certa mediam partem ex Caſtellanis & Arragoniis viginti quinque tantùm, aut, ut alii affirmant, quindecim ſupra millia (exiguus uterque numerus pro tam illuſtri victoria,) occubuiſſe, nec ullum veſtigium ſanguinis toto campo viſum.

Num. 10.

(14) *Numeroſam reliquit ſobolem &c.*] Et quidem teſte Joh. Leone *lib. 2. pag. 162.* Decem jam profectæ ætatis filios, inter quos variè de regni imperio certatum. Adeò facilè materni lactis atque adeò ſanguinis colorem immutant purpuræ. Et

Non bene cum ſociis regna Venusq; manent. Ubi enim ortûs inter fratres plures conditio par, non æqua dignitas vel auctoritas eſt, verendũ ne de propinquo æmulationis igne atq; facibus ſtimulata progenies, nimium ſibi polliceri ac poſtulare incipiat, & quia non æqua, iniqua eſſe audeat. Ambitio hîc valet & impellit, raro æquitas, & ſæpè plus deſiderium, quàm conſilium. Maximè cùm ſolo tempore actiones ac jura Principum nunquam præſcribantur. Imò numeroſâ prole Regna plerumque & Provinciæ minuuntur, ac veluti ſcinduntur. Primogenitus quidem Imperium ſibi jure naturæ & ætatis prærogativâ, adde & ſingularibus in Principatu conditis conſtitutionibus, vindicat: at cæterorum dos atque apenagium dum partem aufert, totum labefactat aut convellit. Inde Zevecotio ad Florum *c.1.* cenſente, vix is ferri poteſt, quem ob arctius ſanguinis vinculum majori ſpe inflari poſſe ſuſpicio eſt. Sæviunt ideò plerumque in fratres ſuos Turcarum Tyranni &c. *& p. p. de alio quopiam Regno famoſiſſimo ſubdit.* Illi Regum filios aut fratres ob promptioris ingenii alacritatem ſuſpectos, non temerè regni limites, imò Civitatum excedere ſinunt, ne, quod alibi ſub de accidere vaferrimi mortalium ſciunt, quiſpiam, etiam antea moderatus omninò & probus aures pejoribus commodet, & ad res nòvas tentandas utatur occaſione &c *Hactenus ille, quem etiam in Obſerv. ad lib.4. cap.2. vide.* Regem enim ſive Principes & ex his prognatum fuiſſe nemo facilè obliviſcitur, & ſi ipſe obliviſceretur, cæteri meminiſſent, uti nonnemo dixit. Sed utut ita ſe res habeat, cùm tamen liqueat, quantopere orbitas, ſi Principes ſine liberis ſint, quemadmodum Alexander M. *apud Curtium lib.6. cap.9.* conqueritur; atque non legiones, non claſſes, perinde firma imperii munimenta, quàm numerus liberorum ſint, *Tacitus 4. Hiſt. 52. n. 2.* ideò, ſi quid fato accidat, filius & ſucceſſor ſi adeſt, pravæ aliorum ſpes cohibeantur, uti idem politiciſſimus Tacitus *3. Annal 56. n.* 3. docet, & *4. Annal. 3. n. 1.* probat plenam Cæſarum domum moram cupitis Sejani attuliſſe; Planè in Frederici de Marſelaer *de Legato lib. 2. Diſſ. 26.* ſententiam pedibus imus, cùm inquit: Votis ſi locum facimus, optandum fortaſſe ſit, unicam Principibus, ſed maſculam & vitalem eſſe prolem, omnibus animi & corporis virtutibus cumulatiſſimum, cui onus Imperii aliquando incumbat. Cùm plures tamen erunt, in ſpem Regni atque grandium rerum adminiſtrationem ali debent; ut, ſi fortè humanitus quid Primogenito accidat, ſuperſint qui ſuccedant. Digni proinde omni curâ & humanitate, digni omni reverentiâ & honore, niſi Regni causâ affectum omnem Chriſtianæ (quod DEUS oderit) pietatis exuamus.

Num. 11.

(15) *Abdualcus item &c.*] Notatur à ſedulis Hiſtoricorum monumentorum perſcrutatoribus, non ſolùm, quemadmodum hoc loco indicatur, ut Maroccano atque Feſſano Regi primo ex Marinorum familiâ *Abdulaci*, ſive ut Leo *lib. 2. cap. 162. effert Habdulach*, ita idem & ultimo, (poſt quem faſces ad aliam planè familiam translatæ) nomen fuiſſe; ſed & alia regna, & imperia plerumque vel incidiſſe, vel ſaltem inſignem ſubiiſſe mutationem, ſub Principibus cognominibus primis Imperii Auctoribus, Perſarum Regnum ſub Dario caput extulit, imperante Dario Codomanno corruit. Macedonum Regnum ſub Philippo Alexandri Patre incrementa, ſub Philippo Perſei Patre decrementa inſignia & mox excidium cœpit. Roma libertatem nacta eſt auctore L. Bruto; in dominatum recidit temporibus M. Bruti. Poſt hos Romanam rem diſcordiis civilibus feſſam, nomine Principis ſub imperium accepit Auguſtus, Auguſtulus Odoacrum Herulorum Regem coactus ad ſolium admiſit, & Imperii Occidentis periodum abſolvit. Sol Imperii Byzantini imperante Conſtantino M. oriebatur, ſub Conſtantinp Palæologo occidit, & Turcicæ Lunæ locum dedit. Et quis omnia enarraret exempla? Benè cecinit Ovidius *Metam. 15. verſ. 420.*

> — — *Sic omnia verti*
> *Cernimus, atque alias aſſumere pondera gentes,*
> *Concidere has.*

Ut hinc haud obſcurè colligere liceat eſſe ſupremum aliquod & imperſcrutabile Numen, DEUM nempe, qui transfert Reges & conſtituit Reges. *Daniel cap.2. verſ.21.* Hic enim fecit ex uno ſanguine totam gentem hominum, ut habitaret ſuper univerſâ ſuperficie terræ, definitis præſtitutis temporibus, & poſitis terminis habitationis eorum. *Act. 17. verſ. 26.*

Num. 12.

(16) *Provinciæ atque Urbes à Præfectis deficientibus occupatæ &c.*] Ita Domicelli ſive Civitatum nonnullarum in Italia Capitanei Imperatorum noſtrorum vel abſentiâ vel incuriâ abuſi, Reguli volebant ſalutari, & ſenſim agro Italico Cæſares exuerunt. Scalæ ſive Scaligeri Veronâ; Gonzagæ Mantuâ; Bentivolii Bononiâ, Fregoſi & Doriæ Genuâ; Carrarienſes Patavio; Paſſarini Mantuâ; Eſtenſes Ferrariâ potiti. De quibus videatur Vietor *de Cauſ. Exempt. Imperii. Concl. 2. circa fin.* Bernegg. *in Quæſt. ex Tac. Germ. & Agric. quæſt. 291. in med.* alii.

Num. 13.

(17) *Sebaſtianus Luſit. &c.*] De infeliciſſimis hiſce ſpebus ſupra ſortem, conſiliis ſupra ætatem, expeditione ſupra vires ſuſceptis, Juvenis XXII. annorum Luſitaniæ Regis Sebaſtiani, ut petitioni auxiliorum Scirifii Muhammedis contra Molejum Moluccum ſive Melicum patulas, omnibus ſanioribus conſiliis ſurdas, aures præbuerit, ardore belli percitus, adeò ademptionem novorum regnorum jam conceptâ fiduciâ devoraverit, ut etiam coronam & reliqua, quæ ad coronationem Regis Feſſæ & Marocci requiruntur conficienda curaverit, ſecumque tulerit; ut denique tragicâ pugnâ occiſus magnum Chriſtianæ rei detrimentum attulerit, Regno verò concatenatas malorum & mutationum myriades morte ſua peperit, latè pertractatur à Coneſtaggio *de Portug. & Caſtell. conjunctione lib.1. & ſeqq.* Thuano *lib. 65.* Meterano *Hiſtoriarum lib.8. circa finem.* Lundorpio *in Contin. Sleidani lib.18. ſub Anno MDLXXVIII.* Cicarella *in vita Pont. Gregorii XIII.* & reliquis hujus & inſequentium temporum Hiſtoricis atque Chronologis, quò Lectorem remittimus.

(18) *Ab Albano &c.*] Ipſe hic Dux Albanus, referente Coneſtaggio *dicto lib. 2. pag. 50.* interitum Regis & Regni perſpexerat. Sed tamen poſtea per Aldenam, cùm per literas à Sebaſtiano Rege certior factus fuiſſet, ipſum tantùm Caraccen uſque cogitate, eidem unà cum reſponſoriis, munus,

nus, quod erat galea, quâ olim Carolus V. uſus erat, & chlamys ex ſerico candido, quâ indutus idem Imperator olim Tunetum victor ingreſſus fuerat, transmiſit, *eodem Coneſtaggio pag. 75. authore.*

(19) *Africæ Imperium ſibi ſpondens &c.*] Plerumque malè ceſſiſſe cantatum ante victoriam triumphum Piccartus *Obſervat. Hiſtorico Polit. Deciſ. 3. cap. 8. & Deciſ. 10. cap. 6.* pluribus exemplis demonſtrat, cui addi poterunt duo à Forſtnero *in Not. Polit. ad Taciti 2. Ann. 18. num. 1.* allata Gedanenſium in bello, *inquit*, quod cum Polonis geſſerant, tantam fuiſſe confidentiam arrogantiamque memorant, ut quidam cauponibus quatuor Polonos, pro uno capone promitterent. Iſabellam Claram Eugeniam (*pergit idem*) Belgarum Principem in nupera obſidione Oſtendanâ votum feciſſe ajunt, non ſe priùs interulam mutaturam, quàm capta foret Oſtenda. Capta quidem eſt Oſtenda, ſed non niſi poſt tertium obſidionis annum: nec mihi credibile fit, Principem triennium & ultrà uno indufio uſam.

Num. 14.

(20) *Pereuntes promiſcuè cæduntur &c.*] Ita ut, ſecundùm Authorem *infr. num. 16.* ſeptem millia Chriſtianorum occiſi, totidem capti ſint; vel ſecundùm Coneſtaggium *de Portug. & Caſtel. conjunct. lib. 2.* verius ſit Maurorum ad tria millia, Chriſtianorum ultra ſex millia occubuerint; Et in eodem prælio, intraque ſex horarum ſpatium tres Reges perierint, quorum uni morbus, alteri ferrum, tertio aqua vitam eripuit. Sicuti Author quoque noſter innuit.

(21) *Sebaſtiano, qui à centurione repetitis vulneribus confoſſus &c.*] Et in eo ſequitur Klockius Thuanum, qui *lib. 65. Hiſtoriarum* ſcribit: Tandem Sebaſtianus, cùm vires diuturnâ pugnâ feſſum deficerent, & languidos ictus dirigentem cuncti impunè circumſtarent, captus & erepto enſe & galeâ omninò exarmatus eſt, exortaque de tanto captivo inter Mauros rixâ, cùm ſe ad mutuam perniciem ob id perituri viderentur, multique jam confecti vulneribus, in turbâ cecidiſſent, ſuperveniens CENTURIO Mauros increpat, quaſi ex tantâ victoriâ fructum eum captantes, ut ſe mutuâ peſte conficerent; atque, ut finem rixæ imponerent, ſtricto gladio Regem captivum in capite graviter ſauciavit, ita ut ex eo ſemianimis in terram caderet; ſtatimque repetitis vulneribus in terrâ jacens confoſſus eſt, præſente Nonio Maſcaregna, penes quem unum rei fides fuit. Quod Coneſtaggius *dicto loco* in medio relinquit, interim Sebaſtiano hoc modo parentat: Talis infelicis illius Principis mors fuit, in qua concurrunt ea omnia, quæ lachrymabilem illam efficere poterant: ætas juvenilis, expectatio virtutum, inopia hæredis, mortis violentia, cadaveris ipſius captivitas. Erat à natura ornatus eximiis dotibus, quæ tamen inutiles ipſi fuerunt, ideò quòd propter immaturam ætatem prudentiâ, actionum humanarum moderatrice, deſtitueretur. Omnia enim illa conſilia, quæ ipſum tandem in exitium præcipitarunt, à magnanimitate, à liberalitate, à ſtudio religionis, à deſiderio laudis bellicæ, à corporis robore, ab animi denique fortitudine proficiſcebantur. Sanè non malè in hunc infortunatum juvenem quadrare videtur id, quod olim dictum fuit de Alexandro Magno; nimirum eum à natura virtutes habuiſſe, vitia à fortuna. Revera enim Sebaſtianus à naturâ multis virtutibus inſtructus erat; ſed educatione prava nonnullos nævos contraxit, &c. Corporis formam Lambertinus *in Theatro Regio ſub Regibus Portugalliæ pag. 26.* ſi delineat: Erat Sebaſtianus mediocri ſtaturâ; colore candido, ſubflavo capillo; oculis ſubnigris vegetiſque, aſpectu gravis; regiam prorſus Majeſtatem præ ſe ferens, ad iram pronus; cuique nihil tam arduum videbatur, tamque difficile, quòd intentatum relinqueret. Undè manifeſtis periculis ex nimia, quam de ſe habebat, confidentia, levi de cauſa ſeſe objiciebat. Cujus corporis formam indolemque naturæ (*pergit Lambertinus*) paucis his delineare volui, quò Pſeudo-Sebaſtianus ille, qui Venetiis ante annos XVI. ſe Regem Portugalliæ fingens, captus fuit & corpore & naturâ huic omninò diſſimilis fuiſſe comperiatur, &c. Contigit enim, ut Anno à nato Chriſto MDXCVIII. Venetiis quidam compareret, qui ſe Sebaſtianum Luſitaniæ Regem publicè profiteretur. Ajebat hic poſt pugnam infeliciter in Africa pugnatam, cùm ipſum cuncti cæſum putarent, pudore confuſum & conſpectum hominum veritum obviâ celoce conſcenſâ Algarbium perveniſſe, curatiſque vulneribus orbem terræ obire, Abiſſinorum Principis ditiones, aliaſque remotiores provincias luſtrare, decreviſſe. Hoc conſilio in Perſiam usque penetraſſe, variiſque præliis ab eo tempore interfuiſſe, ac multa in iis vulnera accepiſſe: poſteà peregrinationum pertæſum apud Hiberos (Georgiani dicuntur) cum devoto quodam viro latuiſſe; denique Anno MDXCVIII. ab eo diſceſſiſſe, & in Siciliam navi delatum: unde Romam euntem à famulis ſpoliatum Venetias divertiſſe. Commendabat ſermonem, quòd apud vulgus fama vigebat, ab Africano prælio non ampliùs viſum Sebaſtianum & quod oris totiusque corporis parte lævâ brevioris ſimilitudinem, in ſupercilio dextro cicatricem ex vulnere ab infantia notabilem, verrucam denique in imo pedis articulo haud multam digito minorem oſtenderet iſte; quisquis fuit. Implacabile quoque in Caſtellenſe nomen Luſitanorum odium faciebat, ut plerique crederent aut credere fingerent. Sed precibus Dominici Mendozæ Hiſpanici Oratoris datum, ut homo Venetiis in carcerem conjiceretur; ex quo Anno MDCII. dimiſſus, facto per Etruriam itinere, à Franciſco Magno-Duce captus, & Hiſpanis traditus, Neapolim abductus & ad triremes ablegatus eſt. Tandem cùm Neapoli in Hiſpaniam avectus eſſet, & eò acriùs in Luſitania coitiones fierent, in arcem concluſus, ſive accelerată ſive naturali morte tragœdias quotidiè ex ea cauſa exorientes finivit. Prout pleniùs id omne enarrat Thuanus *lib. 126. circa fin.* Zevecotius *ad Flor. lib. 2. cap. 14.* qui addit: Ipſe Medinæ Dux, non verbis (fateri enim non audebat) ſed ſuſpiriis ſatis & lachrymis eum ſe pro vero Sebaſtiano habere indicavit. Cùm enim ad eum videndum cum Uxore veniſſet, & multa quærens, accuratè ſibi ad ſingula & verè reſponderi miraretur. Rogatus tandem à Luſitano, an enſem adhuc illum haberet, quem olim illi ad ſe Legato dederat; & proferre, cùm affirmaſſet, admonitus eſſet, plures juſſit adferri; ille inter omnes primùm allatos ſuum eſſe negavit; oſtenſum poſteà ſtatim cognovit. Majus eſt, quòd ſe-

quitur. Converſus ille ad præſentem Ducis conjugem quæſivit, num meminiſſet, ſe illi olim pretioſum obtuliſſe monile; faſſa illa fuit, ſe à Rege Sebaſtiano tali dono ornatam fuiſſe. Rogavit igitur, ut illud adferretur, addens eſſe in monili quiddam, quod hactenus illa neſciverat, & conſtitutum ſibi eſſe, ut Sebaſtianum ſe eſſe audacter crederent, id illi monſtrare, prolatum fuit monile; is gemmam juſſit eximi, & poſteriori, quæ auro antè obducta & tecta fuerat, parti nomen ſuum oſtendit inſculptum. &c. Cui conſonat Author Belgicus libri, cui titulus, *het Treur Tooneel der Doorluchtige Mannen Onſer Eeuvve, part. 2. de XXX. Hiſtorie*, & ejus interpres Johann Merck / in der Traur-Schau-Bühne der durchleuchtigen Männer unſerer Zeit *Ulmæ Anno MDLXL. impreſſo.* Nos verus, an falſus & ſuppoſititius fuerit Sebaſtianus, cuique Authorum vindicandum relinquimus, nec litem illam cum Zevecotio noſtram facimus, contenti digito indicaſſe ambiguas ſcriptorum opiniones, & quàm ponderoſa argumenta à fautoribus Sebaſteanearum partium adducantur. Neque putamus, digreſſionem hanc uni aut alteri Lectorum omninò ingratam fore.

Num. 15.

(22) *Muhammede &c.*] Audiamus de Morte Muhammedis Cicarellam *in vita Pont. Gregorii XIII.* Rex Muhammedes videns victoriam ad hoſtes inclinare, & jam conclamatum eſſe, fugâ ſibi volens conſulere, & ab una parte elabi, in fluvium Mucazenum ſeſe præcipitem dedit. Erat autem hic fluvius, ad cujus ripam pugnatum eſt. Sed cùm in locum paludoſum incidiſſet, unde equus ſeſe expedire non potuit, ephippio excuſſus, quia natura non potuit, in luto & aqua vitam ſimul cum ambitione ſuâ depoſuit. Hujus cadaveri pellem detractam & ſtramine impletam Molucus in pompa, cùm Feſſam ingrederetur triumphans, præferri curabat, ut Mauri, ſi quam de eo ſpem concepiſſent, penitus abjicerent. *Coneſtaggius dicto loco lib. 2. pag. 98.*

(23) *Moluco &c.*] Moluci fortitudinem celebrat celebris ſcriptor Coneſtaggius *ſæpe cit. loc. lib. 2. pag. 89.* Molejus Molucus, *inquit*, cùm ſuos in fugam verſos vidiſſet, quanquam morti vicinus, equum conſcendit irâ inflammatus, ut fugientes ſiſteret, animaretque. Et licet multitudo hoſtium magis magiſque creſceret, ac Luſitani ſclopetarii ex vicino loco globorum magnam vim ejacularentur, tamen ipſe ſolus in confertiſſimos hoſtes irruere conſtituit, ut ſuos pudore adfectos, & periculo Imperatoris commotos, à fuga revocaret. Cæterùm familiariſſimi quique ipſum circumſteterunt, & alii ſubicem ephippiarium, alii veſtem, alii habenas prehendentes retinebant, orabantque ne in tam manifeſtum periculum ſe præcipitaret: cumque ille in ſententia perſiſteret, & hi etiam eum retinere pergerent, ita excanduit, ut ad viam ſibi aperiendam manum gladio admoveret. Verùm eodem momento vis morbi ita invaluit, ut qui animi deliquium paſſus, ferè ex equo delaberetur. Itaque in ulnas à ſuis acceptus, & in lecticam illatus, cùm digitum labiis in ſignum ſilentii admoviſſet, ſtatim, aut, ut quidam volunt, etiam. antequam in lecticam rediiſſet, expiravit. Renegati, quorum operâ utebatur, & qui circa illum erant, ſumma cum diligentia mortem ejus celaverunt. Ita enim ille fieri juſſerat, antequam moreretur: id quod eſt manifeſtum argumentum magnitudinis animi in hoc barbaro, qui conſilia ſua ad horas, & momenta vitæ accommodans, cavit, ne mors ſibi victoriam è manibus extorqueret.

(24) *Qui in Africanis ingeniis rarus eſt, candore &c.*] Candor non rarus Africanis, ſed congenitus quaſi videtur, ſi Leoni *lib. 1. deſcript. Afr. pag. 89.* fidem adhibere velimus: Probiſſimi enim, *dicit*, ſunt viri, nullus illis fucus: ſimplicitatem omnem atque veritatem non amplectentes modò, verùm & re ipsâ comprobantes: quanquam longè aliter Latini quidam ſcriptores, qui de iis regionibus ſcripſerunt, ſentire videantur.

(25) *Rex Marocci & Feſſæ habet abſolutum dominium &c.*] Boterum *in Polit. Regia de Regno Seriff*, ut & Gotofredum *in Archontologia Coſmica*, nunc iterum à num. 17. usque ad num. 22. ut & à num. 27. usque ad num. 30. Author noſter ſequitur, cui quod addamus, ob ſcriptorum inopiam non habemus, cùm malimus de longè disſitis Lectorem avidum, quàm falſis pro compertis narratis deceptum dimittere.

Num. 21.

(26) *Feſſa &c.*] Feſſa omnium hodiè Africæ Civitatum potentiſſima, & ideò, (*Thuano lib. 7. teſte*,) à Saracenis Aula Occidentalis & quaſi Muhammedani Imperii altera ſedes dicta, triplex eſt, & tribus urbibus conſtat: prima & antiquiſſima Salam fluvium ad Orientem habet, & Beleida (*eodem Authore*) nunc dicitur, ab Idri condita. Secunda urbs Feſſa vetus dicta, in qua Carruveni templum, ab occidente fluvio alluitur à Marinorum familia condita à Joſepho II. Almohadarum Rege, ſolo æquatis muris, qui Civitates dividebant, pontibus junctis, ex duabus una effecta Civitas fuit. Tertia, à veteri unius ferè milliarii ſpatio diſtans, idque ad Occidentale atque propemodum Meridiale latus, à Jacobo ex Merinenſium Regum familiâ ædificata, duplici muro altiſſimo atque fortiſſimo cincta, hodie κατ' ἐξοχὴν Nova dicta, & in hanc Regia totius Feſſæ atque Marocci translata eſt.

Num. 22.

(27) *Judæi, qui à Mauris expilati, inq; Novam &c.*] De quibus latè Leo *lib. 3.* agit, quò Lectorem remittimus. Cùm igitur Judæi priùs Feſſam veterem incolerent, pòſt Regis verò alicujus fatum, à Mauris expilarentur Ahuſabid Rex, illos in Novam Feſſam migrare juſſit illiſque tributum annuum duplicavit, ita ut Regi memoratum quadringentorum aureorum in ſingulos menſes tributum ſolvant. Hi igitur longum admodùm occupant, (*eodem Leone perhibente d. loc. pag. 366.*) vicum, in quo ſuas habent officinas & Synagogas, accrevitq; in infinitum illorum numerus, ab eo potiſſimùm tempore, quo ab Hiſpaniis ejecti ſunt.

Num. 25.

(28) *Primarium templum vocatur Carruvenum &c.*] Pluribus ea ipſa de magnifica & ſplendidiſſima hac æde dicta confirmat Boterus, nos haud ita

ita omninò extra oleas, uti videtur, feremur, ſi Leonis teſtis ocularis deſcriptionem Lectori curioſo hoc loco exhibeamus: ita autem ille de ea inquit; Summum in hoc oppido templum, *Carauven* appelatur, eſtque tantæ magnitudinis, ut in circuitu ſesqui-milliare ferè contineat; triginta & unam habet viſendæ magnitudinis atque altitudinis portas. Tectum in longitudine centum & quinquaginta capit cubita. Etruſca, in latitudine verò plus minus octuaginta. Hujus turris, unde plusquam ſtentorea voce ad concionem vocatur populus, altiſſima eſt. In latitudine viginti, in longitudine verò triginta innititur columnis. Ex Oriente, Meridie, atque Occidente deambulacra habet, quorum longitudo quadraginta, latitudo autem triginta capit cubita. His ſubjecta eſt cella quædam, in qua oleum, lynchni penſiles, ſtoreæ, aliaque id genus templo neceſſaria recondere ſolent. In hoc templo ſingulis noctibus DCCCC. accenduntur lucernæ; habet enim quilibet arcus ſua lampada, atque ii præſertim, qui per medium chori extenduntur. Reperies & quosdam arcus, qui ſinguli centum & quinquaginta habent lucernas: item luminaria quædam maxima ex ære conflata; quæ mille & quingentas capiunt lucernas, quæ ex campanis confecta ferunt, Chriſtianis olim à Feſſano Rege ademptis.

(29) *Quorum MM. ferè ſingulis annis &c.*] Imò, niſi in Leone *lib. 3. pag. 272.* ſubſit mendum Typographicum, duas myriades aut viginti millia.

Num. 26.

(30) *Xenodochiorum Feſſæ &c.*] Quomodo id factum ſit, docet toties à nobis laudatus Johannes Leo Africanus *in deſcript. Africæ lib. 3. pag. 286. ſeq.* Xenodochiis Feſſanis nihil olim opulentius, *inquit*, excogitari potuiſſes, verùm eo tempore quo Sabidicum adhuc gerebatur bellum, cùm ingenti pecuniarum ſummâ egeret Rex, non defuerunt, qui ut Xenodochiorum divenderet bona hortati ſunt. Quod ubi populis permittere nolet, Orator Regius ea omnia bona ab hujus Regis avis arq; proavis data populo perſuaſit, proinde multò præſtantius eſſe, his periclitanti occurrere Regi, qui finito bello omnia brevi recuperare poſſet, quàm omnes Regis fortunas in diſcrimen adducere. Venditis igitur omnibus, Rex priùs immaturâ morte interiit, quàm quod erat in animo abſolvere potuerit; quare bonis omnibus deſtituta remanſerunt Xenodochia &c. Adeò etiam apud infideles, qui ſacris uſibus deſtinata abuſu profanant, Divina Nemeſis impunitos abire non ſinit. Sed de his inferiùs latior dicendi ſeſe aperiet campus.

(31) *Joh. Leonem Africanum &c.*] Johannes Leo, vulgò quidem appellatur Africanus, revera autem Granatenſis fuit. Hic, notante Voſſio *de Hiſtoricis Latinis*, patriâ ab Hiſpanis occupatâ, in Mauritaniam profugit, & Feſſæ operam Arabicæ linguæ dedit Bonam partem Europæ, & minorem Aſiam, & omnem propè Africam luſtravit, ejus ſitum, intervalla, loci & incolarum naturam obſervavit, & Arabicè conſcripſit. Tandem juxta Inſulam Zerbi captus à Piratis, Leoni X. Pont. donatus eſt, qui eum, ob egregiam eruditionem, honeſtè admodùm habuit; & cùm, Muhammedicâ religione deſertâ, fieret Chriſtianus, ei in baptiſmo à ſe nomen impoſuit Johannis Leonis. Cùm verò Romæ linguam didiciſſet Italicam; deſcriptionem Africæ, quam Arabicè compoſuerat, Italicè vertit. Eam autem poſtea latinè tranſtulit Joh. Florianus.

Finis Notarum ad Librum Primum.

CASPARIS KLOCKII JC.
DE
ÆRARIO
LIBER SECUNDUS.
CAPUT I.
Nullum Medium Augendi Ærarii expeditius, magisq; inculpatum ac innocens, quàm Agricultura.

SUMMARIA.

1. Agricultura *circa terram fœcundiſſimam matrem verſatur, hæreditaria eſt omnibus ab primo parente.*
2. *Ne* Regibus quidem, *aut Principibus pudenda.*
3. Agricultura *ſalutaris, jucunda & beatitudinis plena.*
4. Agricultura *non una, ſed omnis virtus videtur.*
5. Aſtronomiæ, Arithmeticæ, Geometriæ *uſus in Agricultura: exinde ſtrenuiſſimi milites leguntur.*
6. Familiæ *celeberrimæ ab Agricultura oriundæ.*
7. *Ab* Agricultura *evocatur Dictator Romanus.*
8. Eburneum ſceptrum *ſeu ſcipio nil ſtivam erubeſcit.*
9. *Illuſtriſſimus quisque Veterum* Paſtor *fuit.*
10. Sceptrum Polonicum *olim Piaſto agricolæ delatum.*
11. *Duæ artes ingenuis hominibus relictæ*; Agricultura *alendis militibus &* Militia *tuendis agricolis.*
12. *Certis & doctiſſimis regulis utendum* agricolis. Et n. 13.
14. Agricolarum *exercitium & laus.* Et n. 15. 16. 17. 18. 19. 20. & 21.
22. *Libera & vitio carens* Agricultura.
23. David *agriculturæ deditus*; Joſias, num. 24. Ezechias, num. 25. Ozias, num. 26. *Abraham caeteriq; Patriarchæ, Moyſes,* Job, num. 27.
28. Cyrus *agriculturam magnifecit.*
29. Agrorum *cura* Romanis *ingens.*
30. Italia *à vitulis nuncupata.*
31. *Expeditiſſimum inculpatiſſimumq; augendi Ærarii medium* Agricultura.
32. Agricolarum *deligentiorum curam peculiarem ne dedignetur Princeps.*
33. Novi agri *quærendi, & nulla portiuncula terræ inculta relinquenda.*
34. Numidia & Barbaria *mediterranea Maſſaniſſæ Africæ Regis ſtudio evaſit feraciſſima.*
35. Loca deſerta inculta *Principatus dominio inſtar vacantium cedunt.*
36. Germania *noſtra jam plurimum diſtat ab ea, quam nobis Cornelius Tacitus deſcripſit.*
37. Solertia Comitum Naſſovienſium *in excolendis terræ inutilibus plagis.*
38. Gallia *fertilitate beata, in qua nulla ſolitudo, nihil vacuum, & deſertum nihil.*
39. Belgæ *olim fera natio.*
40. Batavi *ex aquis terram conficiunt, habitant aquas, aquasq; ſeminant.*
41. Induſtria peculiaris, *quâ Subditi inducendi ad excolenda loca ſteriliora*; & num. 42. 43.
44. Romani, *imò* Turcæ *ad agros colendos Subditos dextrè alliciebant*, & num. 46. *ubi & de ratione colendi ſoli à Pertinace Imp. introducta,* num. 45.
47. Magiſtratus *deſignentur, qui ad agricolas attendant: Vocantur Inſpectores,* n. 51.
48. Ignavi agricolæ *puniendi*: & n. 49.
50. Agri *deſerti, ſemel ſuſcepti, non relinquendi.*
52. Agrimenſorum *officium: & quando de dolo teneantur?*
53. *Defendere* agricolas *eſt paſcere civitates.*
54. Agricolæ *à militum moleſtiis legibus civilibus vindicantur: apud* Indos *ſunt inviolabiles*, numero 55. *ubi & pulchra de* Beliſario *&* Totila *Gothorum Rege.*
56. Agricolarum *privilegia: inſtrumenta ad agriculturam pertinentia in executionem capi nequeunt*, ibid.
57. Princeps, *quoad ejus fieri poteſt, agriculturas à ſe in cives alióſve ſubditos rejiciat*, & numero 58.
59. Romulus *agri Romani partem ſacris obeundis, partem oneribus Reipublicæ, partem civibus communiter aſſignavit.*
60. Dividi agrum *expedit*; *exemplo Aphytæorum, Lacedæmoniorum & Athenienſium,* num. 61. 62. 63.
64. Vectigal agrarium *vel etiam paſcuarium*: *Solarium à ſolo,* n. 65.
66. Vectigalia, *quæ ex agricultura Rex Indiæ percipit, excedunt ML. tonnas auri.*
67. Prædia *domusq; ruſticanæ agriculturæ commodiùs exercendæ.*
68. Proventus, Fruges, frumentum *ut differant?*
69. Frumentorum *varia genera.*
70. Linum *ad Linteaminum texturas.*
71. *Ex* agris *ſecundùm partita jugera ſolvendum.*
72. *Utrum decima vel minor moderatiorq; pars ab* agricultoribus *exigenda?* & numero 73.
74. *In* Podolia *ſemen quomodocunq; in agrum conjectum centuplum refert fructum.*
75. *Si ſinguli ſolidi pro quovis modio frumenti ſeminati exigerentur, ingens acceſſio* Ærario *fieret.*

76. Marga, *terræ adeps & medulla inveſtiganda.*

77. *Utiliúsne elocet* Dominus *agros ſuos, an colat? cum diſtinctione deciditur.*

78. Votum *pro concluſione.*

MONOSTICHA TROCHAICA.

Artium omnium parens eſt unica agricultio.
Haud agri uſus abſque cultu, haud ſali abſque navibus.
Vomeris ſtiva ad ſecures miſit olim Conſules.
Nunciatum aranti, dictum Dictatorem, Quintio:

JAMBICA.

Se paſcit ipſum rus; macellum urbs poſtulat.
Suo labore omnes alit vir ruſticus.
Vitæ genus dulciſſimum agricultio.
Urbes procellas, rura, portus nomines.

A*Gricultura* (1) Civilis ſocietatis alumna cum terra matre commercium habet honeſtiſſimum, ab omni injuria
1 alienum, propenſum ad virtutem, quod exercitio ſuo vires corporis firmat, corroborat & excitat: cujus ſtudium omnium antiquiſſimum à primo parente omnibus hæreditarium. *Geneſ. 3.* (2) quod non regiæ, nedum Conſulares manus erubuerunt. Quâ ob rem Xenophon *in Oeconom.* illam multis laudibus effert, ejusque exercitationem omnibus aliis præfert, eamque non modò patri familias, ſed & cuicunque viro, tanquam rem utilem & perneceſſariam, ut quæ univerſum genus humanum nutriat, imò &
2 Regibus Principibusque commendat. Omnium enim rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nihil Agriculturâ (teſte Cicerone *lib. 3. offic.*) melius eſt, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius; nullumq; juſtius genus reditûs, quàm quod terra, cœlum, annus refert; Plin. *Epiſt. 37. lib. 9.*

Oraculum Delphicum, quærente Gyge, quis hominum eſſet feliciſſimus? primò quidem reſpondit, Phedium, qui pro patria pugnans occubuiſſet. Iterum conſultum, Aglaum Pſophidium feliciorem eſſe, reſpondit. Senior hic in anguſtiſſimo Arcadiæ angulo parvum, ſed annuis victibus largè ſufficiens, prædium colebat, nunquam ex eo egreſſus: atque minimâ cupidine minimum in vita mali expertus; Plin. *lib. 7. cap. 46.* Aurum per bella quærere nefas, per maria periculoſum eſt, per falſitates autem opprobriũ, per Agriculturam licitũ eſt, inquit Caſſiodorus *in Epiſt.* Idem Cicero *in Catone majore;* Meâ
3 quidem ſententiâ, *inquit*, haud ſcio agricolatione an ulla vita beatior eſſe poſſit, neque ſolùm officio, quòd hominum generi univerſo cultura agrorum eſt ſalutaris, ſed & delectatione, & ſaturitate, copiaque omnium rerum, quæ ad victum hominum, & cultum etiam pertinent. Ut natus infans ſine nutricis lacte non poteſt ali, neque ad vitæ creſcentis gradus perduci; Sic nec Civitas ſine agris & eorum fructibus in mœnibus affluentibus creſcere poteſt, nec ſine abundantiâ cibi frequentiam habere, populumque ſine copia tueri. Ideoque Heſiodus ſolam agriculturam Perſæ fratri commendavit, tum utilitatis nomine, tum honeſtatis. Ex terra enim hæc fructus elicit, quibus paſcuntur homines, quibus non ſolùm boni viri, ſed etiam doctrina omnis nutritur. Et Oſorius, omnes naturæ opes, quibus communis omnium hominum vita ſuſtentatur, telluris diligentiſſimo cultu contineri & multiplicato fœnore reddi, dicit. Qua de cauſa Stobæus Agriculturam aliarum rerum Parentem & Nutricem appellat, quâ bene habente, etiam cætera valeant; ac neglectâ, terrâ marique jaceant omnia. Ac veluti Reſpublica eorum bonorum parens eſt, quæ animi, quæ corporis, quæ denique ſunt fortunæ; ita Agricultura egentibus opes, infirmis incolumitatem, mentem demum ſanam inſanis videtur ſubminiſtrare, ut non una, ſed omnis videatur virtus. Itaque hæc ars ali-
quando tanti eſt habita, ut Euboei non aliam 4
ob rem Heſiodum Homero prætulerint, quàm quòd virtuti bellicæ agriculturam anteponeret. Et Poëtæ eam cùm vellent commendare, *Atalantam* (3) finxerunt etiam tantâ celeritate, ut illam in curſu ſequi poſſent multi, nemo poſſet aſſequi.

Et quia agricola debeat ſiderum cogniti-
onem habere ad ſerendum & metendum, 5
quod eſt Aſtronomiæ; & quid ferat unaquæque tellus cognoſcere, quod eſt Geometriæ; & ſata numerare, quod eſt Arithmeticæ, quarum artium omnium cùm frequens item uſus ſit in re militari, fit hoc agrariæ artis beneficio, ut ex agricolis *& milites* (4) gignantur ſtrenuiſſimi, & optumi Conſules. Teſtes ſunt apud Romanos Hortenſii ab hortorum ſtudio; *Pilumni* (5) à pilo con-
terendi frumenti inſtrumento; *Stolones* (6) 6
à pampinatione arborumque cura, quòd diligentiùs curarent, ne ſtolones, *id eſt*, inutiles frutices ad arborum caudices naſcerentur; *Fabii à fabis*, (7) Piſones à piſis; Lentuli à lente & agro lenticulari; Lactucini à lactucis; Cicerones à ciceribus & leguminibus, quæ quisque optumè ſereret, ſic cognominati. Bubulci verò, Bupecii, Equitii, Juvenci, Tauri, Suilli, Vituli & *Vitellii*, (8) Ovini & Opilii, Capriani & Caprilii, Portii, Catones, Annii à Bucolica & Brobatica, *hoc eſt*, à bobus, equis, juvencis, tauris, ſuibus, vitulis, ovibus, capris, porcis, &c. nutriendis ſic indigitati; ut ſic omne culturæ genus ad annonam conferens æquè in pretio habitum dignoſcamus; obſervemusque eò usque rerum copia affluenter uſos majores illos, quousque nobiliores ipſi ruſticæ rei operam impendebant.

Quid multa; eò demum gloriæ res proceſſit agraria, ut ſummi quique Principes etiamnum Paſtores vocentur; iisque univer-

ſus

ſus populus commendetur. Ex artis hujus Officina vocatus eſt *Quintius Cincinnatus*, (9) qui cùm nudus trans Tyberim terram araret, à Viatore S. P. Q. R. juſſu ad Dictaturæ Principatum vocatus, ſumptis inſignibus *Quintum Minucium* (10) Conſulem ab Algido monte obſeſſum ſtatim obſidione liberavit, & Dictaturâ depoſitâ *ad agros rediit*; (11) quibus delectabatur & vivebat; Gregor. Tholoſan. *lib. 4. de Republ. c. 8. n. 4.* Idem plura de ſtudioſis agriculturæ *in Syntax. art. mirabil. lib. 27. c. 1. & in Syntagm. jur. univerſ. lib. 18. cap. 23.* ATTILIUM quoq; qui ad eum accerſendum à Senatu miſſi erant, ad imperium populi Romani ſuſcipiendum, ſemina ſpargentem viderunt; ſed ille ruſtico opere *attritæ manus* (12) ſalutem
8 publicam ſtabilierunt; ingentes hoſtium copias peſſundederunt; Quæque modò arantium boum jugum rexerant, triumphalis currûs habenas retinuerunt; nec fuit iis rubori, eburnio ſcipione depoſito, agreſtem ſtivam aratri repetere. Valer. Maxim. *lib. 4. c. 4. de paupertate laudata.* Quo intuitu olim cultus agrorum in tanto fuit pretio, ut ipſorum quoque Regum manus aratro occalluerint.

Tot triumphis ſpectatus *Lucullus prope Neapolin*, (13) Ruri ſenectam tranquillam tranſegit. *Cato Cenſorius* (14) relictâ Româ, prope Picenum in Villa reſiduum vitæ elegit, & manuum labore victitans ſtudiorum & vini culturæ viciſſitudine ſe recreabat, hoc meritus continentiâ, ut foribus adſcriberetur: O felix Cato, Tu ſolus ſcis vivere: Simile conſecutus Prætorius ac dives ille Servilius Vacca, qui ſeceſſum captans Romamque fugiens, Tiberii crudelitate afflictam in villa inter Cumas & Avernum lacum ad littus conſenuit. Prudens Senex Pericles relictis Athenis ad villam conceſſit, agricultioni & ſtudiis vacans, in cujus Prædii oſtio hæc verba ſignabantur.

Inveni portum; ſpes & fortuna valete.

Ita Lacon ſenex Corycius ſub Oebaliæ turribus in paupertate ſua Regum æquabat opes animis, & rarum, quod in clumis alebat olus, cúm aliis ruris donis ſufficere putabat, divitiarum modum ex animo ſtatuenti. Ergo dum demum magni viri ſe vivere exiſtimabant, cùm in Ruris ſui angulis latebant, *ſoluti impeditioris fortunæ curis.* (15) Sic Similis, Hadriani temporibus clarus, cùm ſe præfecturâ prætorianorum exſolviſſet, & ægrè dimiſſus, Ruri reliquos ſeptem vitæ annos conquieviſſet, ſepulchro moriens inſcribi juſſit hæc verba: Hic jacet Similis, cujus ætas multorum annorum fuit, ipſe ſeptem duntaxat annos vixit. Beatum ſeneſcendi genus, ſi caperent ambitioſi, quos fortunæ ſplendor obcœcat. DIS vitam hanc probari crediderim, cœleſti tranquillitate ſecuram, cui non oculis tantùm obverſante cultu, ſed occultiore vi tracti conciliamur.

Veteres cùm *bonum virum laudarent*, (16) 9
ita laudare ſolebant; Bonum agricolam, bonumque colonum: Et ut Varro *lib. 2. de re ruſtica ait:* De antiquis Illuſtriſſimus quisque paſtor erat, & plurimo pecore, plerique apud vetuſtiſſimos laudabantur. Sic Cicero *in Orat. pro Rege Deiotaro* eum iſto nomine laudat, quòd non ſolùm Tetrarcha nobilis, ſed & optimus paterfamiliâs, & diligentiſſimus Agricola & pecuarius haberetur. Et Plinius ſcribit *d. lib. 18. cap. 2.* manibus ipſorum Imperatorum agros olim coli ſolitos, gaudente terra vomere laureato, & triumphali aratore. Annon *Tullius Hoſtilius* (17) Ro- 10
manorum Rex Tertius, ruſtico patre natus, oves in adoleſcentia pavit; Ecquis ignorat, ſceptrum Polonicum priſcis ſæculis *Piaſto* (18) agricolæ delatum; ac *Primislaum* (19) à ferreâ menſâ, *hoc eſt*, à vomere, in quo prandebat, ad ſolium & Regnum Bohemiæ accitum; Sylv. *Hiſtor. Bohem. cap. 6.* Fulgoſ. *l. 3. cap. 4.* Idem Primislaus III. Bohemorum Dux interrogatus, curnam calceos, querno robore factos, ſecum afferret; ſervandos in arce Viſſegradenſi, *reſpondit*, oſtendendosq; poſteris, ut ſcirent omnes, primum, qui Principatum inter Bohemos accepiſſet, ex agro fuiſſe vocatum: neque inſoleſcendum eſſe, qui ex humili fortuna ſolium aſcenderit. Servati Calcei diu apud Bohemos, religiosè habiti, ac per Sacerdotes templi Viſſegradenſis ante Reges delati, dum pompa Coronationis educitur. Annon Belitaras & Aymonus hortulani fuêre; quorum ille Regno Perſico, hic Regno Cypri ſuffectus; Agath. *lib. 2. Rer. Perſicar.*

Paſtores fuerunt Romulus & Remus, Romanæ urbis conditores. E paſtoribus ad imperium *aſſumptus fuit Diocletianus.* (20) Paſtores erant *Paris*, (21) & pater Æneæ Anchiſes, & à Venere dilectus Endymion, Poliphemus, & centum oculorum Argus. Ex ipſis denique Diis Apollo Admeti Theſſaliæ armenta pavit, & Mercurius, fiſtulæ inventor, paſtorum princeps fuit, atque ejus filius Daphnis. Pan quoque paſtorum Deus, & Proteus Paſtor atque Deus.

Quare gloriari poteſt agricultura, quòd 11
ſi regia virtus non eſt; regiæ tamen virtutis ſit procreatrix. Eam ob cauſam Romani duas ſaltem *artes* (22) ingenuis *hominibus reliquerunt*, (23) ad ſuſtinendam ac ſervandam Rempub. utiliſſimas; nempe agriculturam propter militum alimenta, & militiam propter agricolarum tutelam. Hinc non tàm verè, quàm piè Bartol. *in l. ſi quis pro eo 7. ff. de fidejuſſor.* ſcribit: In agricolarum opera ac miniſterio verſatur publica utilitas, ex eoque vita hominum propendet: Reges militares etiam inter medios hoſtium & armorum ſtrepitus ſancta tamen ſemper habuerunt arva, inviolabilesque imbelles agricolas, ut teſtatur exemplum Nabuchodo-

noſoris, *Jerem. c. fin. v. 16.* Et in Belgio tàm tutò media inter arma agricultura exercetur, fructusque venum exportantur, quàm in urbe unitiſſima & munitiſſima: Arma tuentur Rempublicam, ſed arma nutriunt aratra.

12 Cæterùm *hujus artis præcepta ſunt:* (24) bene colere, agri, aëris, aquæ, terræ, & induſtriæ habere rationem.

Quid faciat lætas ſegetes, quæ ſidera ſervet
Agricola, ut facilem terram proſcindat aratris;
Semina quo jacienda modo, cultusq; locorum
Edocuit — —

13 Neque enim agricultura eſt *ſine ſiderum cognitione,* (25) ut ſuperiùs attigi. Nam Lunâ decreſcente frumenta meliùs metuntur, ligna cæduntur: tondentur oves: utiliusque Verres, Juvenci, hædi, arietes emaſculantur. Creſcente contrà Lunâ ſatiùs ova ſupponuntur, atque ſeminaria exercentur: muſta verò calcantur utiliùs, cùm Luna eſt ſub terra; Hæcque ex Plinii *lib. 18. Nat. Hiſt. c. 24.* & Varronis *lib. 1. c. 37.* & paſſim ſententia.

Pleiades quoties athlantis pignora ſurgunt, agricola meſſem incipit;
— *cùm cadunt, ſumit aratrum,*

14 Spectant anni tempeſtates, Lunæ curſum, aſtrorumq; ortum, & imbres atque ventos. Sin & corporis virtus & in ſubeundis laboribus utriusque inſpicienda eſt patientia, minimum quo opus exerceat, militi relictum eſt tempus: nullum non ſibi vindicat agricola. Semper ſub dio verſatur, Soli amicus, nivibus aſſuetus, bene compacto corpore, pedibus nudis, operis ſui adminiſtrator ipſe inſomnis; velox, cùm currendum, robuſtus, cùm aliquid ferendum eſt. Quod ſi bellum fortè vocet, videbis militem non umbraticis exercitum laboribus: *qualem ad Marathonem expertus eſt Darius.* (26) Milites enim tum temporis Athenienſes habebant, non qui cum cataphractis in acie ſtetiſſent, aut ſagittam emittere didiciſſent: nec qui in mari aut ex equis pugnaſſet: Verùm ipſi populi tributim diviſi meri agricolæ, appellente Marathonem claſſe Barbarorum paſſim accurrunt Milites, qui iras alerent non contemnendas. Quorum hic ligone armatus erat, alter vomere pugnabat, tertius falce in hoſtem ferebatur. O pulchrum nativumque exercitium, ô ingenuos viros! ô pulchri præſtanteſque terræ atque agriculturæ alumni, quàm virtutes veſtras admiror, quàm arma veſtra laudo, quibus pro terra veſtra pugnaſtis; pro vinetis, quæ coluiſtis; pro olivetis, quæ plantaſtis! Poſt pugnam rurſus ad terram veſtram rediiſtis, ex militibus agricolæ, ex agricolis milites fortiſſimi. O mutationem pulchram!

Ruri degenti ad cuncta ſatis temporis ſuppetit, quæcunque expedienda ſe offerunt, dummodo ipſe horas benè digerat. Secus *quos munia diſtinent,* (27) quorum omnis in obſequio vita eſt, velut carceri incluſi latitant; ſæpe peregre inviti ablegantur, optimum tempus negotiis tranſigunt, imò ſuſpiciendo, honorando, ſupplicando & humiliando ſe, vel potiùs ſuſpirando: ut oportunè in ipſos Auguſti Cæſaris in negotioſum nimis civem oratio quadret; Qui mirari ſe ajebat, cúm negotiis defuerit, ut ad mortem illi ſuffecerit tempus.

Quam diu hæc Agricolarum ars defuit, nulla in re differebat hominum vita à belluina: neque urbes ullæ ſunt conditæ, nec ſtatus ullus civilis ſocietatis, nec legum conſtitutio, ſed jus gratiâ ſtatuebatur, & infirmus à potentiore agebatur ac trahebatur. Equidem opinor, Agriculturam homines conciliaviſſe, oppida conſtruxiſſe & concordiam inſeruiſſe; ac proinde lites & controverſias legibus diremptas eſſe. Ergo cùm innumeræ ſint hominum occupationes, & ſtudia, omnium certè optimum eſt agricolatio: Maximum ſiquidem agricolis quæſtum affert: cùm eos videlicet bonos efficit. 15

Nam qui rationi incumbit, & agri colendi ſtudio tenetur, *procul quidem abeſt à foro,* (28) & contentione forenſi: procul etiam à prætoriis & præteriorum calumniis: procul à concione & tumultibus concionis: non defert, non mentitur, non in jus vocatur: non falſum teſtimonium perhibet: non remunerari viciſſim poſtulat: non parandis inhiat pecuniis, ex quibus alteri periculum creet. Verùm poſt ſementem aliaque operam, quam in ſtirpibus colendis impendit, anni tempeſtatem, & proventum annuum expectat: cum precibus ac votis ſemina terræ mandat; & pia moderatione quicquid Deus ſedulitati conceſſerit, lucro adponit, cupiditatum ſecurus. A negotiis aliis faceſſendis quàm longiſſimè abſiſtit; quippe qui inter boves, oves, & capras verſatur. Quapropter id genus hominum mihi videtur faciliùs Deum exorare, cùm ipſum invocant, & bona ſibi poſcunt; neque enim unquam aliis imprecantur mala. Præterea ruricolæ uxori tantùm animum adhibent, & juſtos ſolùm concubitus norunt, liberorum ſuſcipiendorum causâ. 16 17

O fortunatos Agricolas, qui liberis juxta ſe uxores maritosque conquirunt, tum propinquis jungunt. Qui generos, nepotes, qui totam familiam ſumma cum voluptate in conſpectu habent; qui majores ſuos amant, ſuſcipiunt & omni officio colunt: languentes ſublevant, & fovent, quæ ſumma ſenectutis ſolatia. Non alienos talis hæredes, non fiſcum, aut bonorum translationes formidat. O felix agricola in prædiis ſuis agens, qui nec horâ conſtitutâ Curias obire cogitur, ut conſilia emendicet, 18

cet, aut beneficia Eccleſiaſtica nundinetur, inania verba perdat janitoribus, miniſtris & cauſarum Patronis ſupplicet, latinitatemque eorum, rudis ipſe cum dolore audiat; deinde & adulatoribus & Paraſitis blanditur (quos fruſtrà tamen ſæpè adit) denique Magiſtratum extrema humilitate veneretur, vereaturque à Cyclopibus
19 & Legyſtrionibus devoretur. Felix agricola talium immunis, qui procul hac ſuperſtitione in fundis ſua rura, agros, prata, hortos, fontes, & rivos ſumma cum voluptate contemplatur; ut Deus & Natura ſapientiſſimè omnia & mirè operentur, & nova ſubinde creent; Immenſa Numinis bonitate erigitur, ovium & agnorum balatu, Boum mugitu, & Equorum hinnitu quotidie oblectantur; Dulciſſima Luſitaria & reliquarum avium chorus aures mulcet, catelli diſcurrunt, arietes ſaliunt, hædi luctantur, Pavones variegatam caudam explicant, gallinæ cugurriunt, galli crocitant. Felix atque iterum Agricola, quem hæc indies oblectant, qui tranquillo in ſilentio debitâ cum gratitudine hiſce fruitur.

20 Porrò hoc etiam ex capite ruris decus eminet; Quod tàm crebra damni ibidem occaſio non occurrat, ut in aulis urbibusq; nullus altero fit pluris; omnes ex agris, ex pecuaria victum quæritant, nec ſplendida nimis dignitas latentium invidiam proritat. Illic nec numularii ad fœnera inſtigant peccatiſque fœdant. Nullus hìc judiciorum pavor & tamen liberè de injuriis quærere licet. Et quod præcipuum eſt; Ruri nullæ voluptates, & illecebræ, unde impietatis Epicuriſmique flagitia extimeſcenda.

21 Quod ſi fortitudinis eſt, æſtûs ac frigoris vim vehementem tolerare; Agricolis ſemper neceſſe eſt adversùs hæc præliari, non enim procul ſub tecto manentibus opus promoveretur, ſed opus eſt ſub dio & Jove frigido, æſtate, atque hyeme laborem inſumere plurimum, etiam laborent, qui philoſophiæ incumbunt: hi verò cùm pauci numero ſint, magno ſe dignos honore cenſent, Sapientiæ profectò ſcientiæve non exigua pars ad agriculationem pertinet. Annon Sapientiæ eſt, peritiam habere aſtrorum? At qui niſi Agricola de Pleiadibus aliiſque ſideribus ea noverit, quæ ſcienti futura ſunt adjumento: nomen quidem agricolæ ſibi vindicare poterit; ſed à re officioque plurimùm aberraverit: & omnis ejus labor peribit, eritque in damno, cùm opportunitatis articulos non teneat. Tales utique evadunt agricolæ ex eo, quòd animos ſuos excolunt. Quin etiam multiplices morbos evitant, quos nimiæ parunt deliciæ: & quibus confectos videmus eos, qui
22 beati vocantur. Nam priusquam hæc invaletudo tollatur, altera ſuperincidit. Ita perpetuò manibus egent medicorum; Agricolis verò ne opus quidem fuerit medicus. Etenim quod ſemper in terra colenda ſe exerceant, præſidium corporibus eſt; quare robuſtiores ſunt, quàm ut morbi capiantur impetu. Si ergo maximum bonum ſanitas habetur, eo ſanè fruuntur agricolæ.

O fortunatos nimiùm, ſua ſi bona norint,
Agricolas: quibus ipſa procul diſcordibus armis,
Fundit humo facilem victũ juſtiſſima tellus.

Virg. lib. 2. Georgicor. & paulò pòſt:

Fortunatus & ille, Deos qui novit agreſteis,
Panaq; Sylvanumq; ſenem, Nymphasq; ſorores.

Horat. in Epodon. libro Epod. 2.

Beatus ille; qui procul negotiis,
(Ut priſca gens mortalium,)
Paterna rura bobus exercet ſuis,
Solutus omni fœnore:
Nec excitatur claſſico miles truci,
Nec horret iratum mare:
Forumque vitat, & ſuperba civium
Potentiorum limina.

Horat. *Sermonum lib. 2. Satyra 6.*

O rus, quando ego te adſpiciã? quandoq; licebit,
Nunc veterum libris, nunc ſomno, & inertibus horis
Ducere ſolicitæ jucunda oblivia vitæ?
O quando faba Pythagoræ cognata, ſimulq;
Uncta ſatis pingui ponentur oluſcula lardo?
O noctes, cœnæq; Deûm: quibus ipſe, meiq;
Ante larem proprium veſcor;

Boët. de Conſolat. Phil. lib. 2. carm. 5.

Felix nimiùm prior ætas,
Contenta fidelibus arvis,
Nec inerti perdita luxu:
Facili quæ ſera ſolebat
Jejunia ſolvere glande.

Seneca *in Hipp. verſ. 482. ſeqq.*

Non alia magis eſt libera, & vitio carens,
Ritusque meliùs vita quæ priſcos colat,
Quàm quæ relictis mœnibus ſylvas amat.
Non illum avaræ mentis inflammat furor
Qui ſe dicavit montium inſontem jugis:
Non aura populi, & vulgus infidum bonis,
Non peſtilens invidia, non fragilis favor.
Non ille regno ſervit; aut regno imminens
Vanos honores ſequitur, aut fluxas opes; &c.

Martialis 1. *Epigram. 18.*

Cogit me Titus actitare cauſas
Et dicit mihi ſæpe, magna res eſt.
Res magna eſt, Tite, quam facit colonus.

Auſonius *Epiſt. 22.*

Hic ſæpe falſus meſſibus vægrandibus
Nomen peroſus villici
Semente ſera, ſive multùm præcoqua,
Et ſiderali inſcitia,
Cœlum laceſſens, ſeque culpæ ſubtrahens
Reos peregit cœlites.
Non cultor inſtans, non arator gnaturis;
Promusq; quàm condus magis,
Terram infidelem, nec feracem criminans

Neg-

Negotiari maluit.

Claudianus in Epigrammat. de Sene Veronenſi.

Felix, qui propriis ævum tranſegit in arvis,
Ipſa domus puerum quem videt ipſa ſenem:
Qui baculo nitens, in qua reptavit arena,
Unius numerat ſæcula longa caſæ,
Illum non vario traxit fortuna tumultu,
Nec bibit ignotas mobilis hoſpes aquas.
Non freta mercator timuit, non claſſica miles:
Non rauci lites pertulit ille fori.
Indocilis rerum, vicinæ neſcius urbis,
Adſpectu fruitur liberiore poli.
Frugibus alternis, non Conſule, computat annum,
Autumnum pomis, ver ſibi flore notat.
Idem condit ager Soles, idemq́ reducit,
Metiturq́ ſuo ruſticus orbe diem.
Ingentem meminit parvo qui germine quercũ,
Æquævumq́ videt conſenuiſſe nemus,
Proxima cui nigris Verona remotior Indis,
Benacumq́ putat littora rubra lacum.
Sed tamen indomitæ vires, firmisq́ lacertis
Ætas robuſtum tertia cernit avum.
Erret, & extremos alter ſcrutetur Iberos:
Plus habet hic vitæ, plus habet ille viæ.

23 Omnes, qui prudenter Rempub. inſtituerunt, aut gubernarunt, agriculturæ primas dederunt. *Joſephus ex agricolatione* (29) ditavit Pharaonem. David ipſe ejus rei ſummam curam habuit. Poſtquam enim Scriptura opes ejus & potentiam recenſuit, curam quoque rei ruſticæ deſcribit, 1. *Paralip.* 27. *v.* 26. Salomonis etiam res præclarè geſtas *enumerans*, (30) ædificaſſe ſibi domos, plantaſſe vineas, feciſſe hortos, & pomaria, eaque cuncti generis arboribus conſeviſſe, ait; ſed & exſtruxiſſe piſcinas aquarum, ad ſylvam lignorum germinantium irrigandam, poſſediſſe ſervos & ancillas, multamque familiam habuiſſe, armenta quoque, & magnos ovium greges ultra omnes, qui fuerunt ante eum in Jeruſalem, coacervaſſe ſibi argentum & aurum, & ſubſtantias regum, & provinciarum; Ex quo quis miretur, quòd ex ſolis tributis abſque vectigalibus & negotiatoribus, colligeret in annos ſingulos ſexcenta *ſexaginta & ſex auri talenta*; (31) 3. *Reg.* 10. *v.* 14. 15. Hæc ad noſtrates pecunias redigentes aliqui quadragies centena millia, *id eſt*, quatuor milliones, ut vulgus loquitur, quingenta quinquaginta quinque millia, & quadringentos quadraginta numos aureos confeciſſe teſtantur.

24 Nec minùs ſtudioſus fuiſſe agriculturæ videtur *Joſias*, (32) qui populo in epulum dedit minoris pecoris 30000. boum, tria millia, de Regis ſubſtantia, Principes templi dederunt pecorum duo millia ſexcenta, boves trecentos. Deinde Chonenias & cæteri fratres ejus dederunt Levitis quinque millia pecorum, boves quingentos. De Eze-
25 chia dubitare fas non eſt, qui ut eſt 2. *Paral.* 31. *v.* 28. Apothecas quoque frumenti, vini, & olei, & præſepia omnium jumentorum, caulasque pecorum, & urbes ædificavit ſibi: habebat quippe greges ovium, & armentorum innumerabiles, eò quòd dediſſet ei Dominus ſubſtantiam multâm nimis. 26
Ozias etiam inter belli curas agriculturæ deditus fuit. Exſtruxit enim turres in ſolitudine, & effodit ciſternas plurimas, eò quòd haberet multa pecora, tàm in campeſtribus, quàm in eremi vaſtitate: vineas quoque habuit, & vinitores in montibus, & in Carmelo; erat quippe homo agriculturæ deditus; 2. *Paralip.* 26. *verſ.* 10. *Abraham*, (33) pater multarum genti- 27
um, & *Jacob* (34) pater populi electi, cæterique Patriarchæ, item *Moyſes* (35) Legislator & Propheta Deo familiaris, & dives ille *Jobus* (36) patientiæ exemplum, exercitus paſtoritios, & egregiè fortes habuerunt. *Cy-* 28
rus (37) magnus ille Perſarum Rex gloriari plurimùm ſolebat, cùm venientibus ad ſe amicis hortum oſtenderet, ſuis manibus conſitum, & arbores ſuâ manu in ordinem poſitas. Sed & *Seneca* (38) plantavit platanos, ſuâ manu piſcinas effodit, aquas diduxit, nec alibi lubentiùs erat, quàm in agris. Quin etiam apud veteres Græcos, illuſtriſſimus quisque paſtor erat. Hinc alios Polyarnas, alios Polymedas, alios Polybutas appellârunt, videlicet à multitudine agnorum, ovium, & boum, nomina illis imponentes.

Magni quoque honoris apud Romanos 29
ea res fuit: Eumolpus Petronianus per Numidiam Africæ provinciam (à paſcuis ita dictam) *tam magnam familiam* (39) ſparſam habuiſſe dicitur, ex more Romanorum, ut capere Carthaginem poſſet. Cur ſparſa? nonne ad agriculturam & paſtiones? Arabant utique Romani, paſcebant, fœ- 30
nerabantur, negotiabantur. Et his artibus bellum ſuſtentabant. *Sic etiam Italiam à vitulis* (40) nuncupatam (quos antiqui Græci ἰταλοὺς vocabant) nemo ignorat. Atque uterque Boſphorus Cymmerius & Thracius, atque Ægeum mare, & Agros, Hippion, à bovis tranſitu, à capris, ab equis dicta ſunt.

Quid dicam de Antonino Pio Imp. qui an agriculturæ ſtuduerit, inde noſſe licet, quòd *non niſi ex propriis fundis* (41) vixiſſe tradatur; Capitolin. *in eod.* Sed & Cæſares univerſi quantum in id intenderint, venerabiles illæ ipſorum conſtitutiones ad fundorum patrimonialium (ut imperiales fundos vocabant) item & fiſcalium, & ſaltuum, & agricolarum & gregum regimen ſpectantes, apertè teſtantur, *lib.* 11. *Cod. per tot. maximè à titulo inde* 48. Et ſæculis antè non ita multis Fridericus Imp. id præcipuè celebre de ſe poſteris nomen tranſmiſit, quòd multa ſibi prædia colenda,

da, multa armenta paſcenda curaſſet, eaque viâ pecunias non modicas in ærarium conflaſſet. Facinus Imperatore dignum, & quod Principes populorum omnes imitentur, tum ad cives ad ſimilia excitandos, tum ne in Regno ſuo omninò quaſi advenæ & peregrini ſemper vivant. Enimverò qui ſingula ſibi alimenta pecuniâ ſemper in urbe coëmit, is ut advena potiùs quàm ut civis inter cives vivit. Vin præſentius exemplum? Turca dabit; qui ex hortorum ſuorum venalitiis, redditus ad propriam menſam ſatis ſibi comparare ſcribitur; ut pluribus referam *ſeq. Capite 3. ſub num. 8.*

Quandoquidem ergo non exigua virtutis civilis pars in Agriculturæ ratione ſita, in ejusque arte, tanquam in optima cellâ penariâ, munitiſſima communis ſalutis & vitæ ſupellex eſt poſita, adeò ut omnes naturæ opes, quibus communis hominum vita ſuſtentatur, telluris diligentiſſimo cultu contineri, & multiplicato fœnore reddi non inconcinnè quis dixerit; ſanè Politici
31 nullum aliud medium augendi Ærarii expeditius, magisque inculpatum judicant, quàm ſi curetur, ut nulla pars Territorii maneat inculta; & ager tanquam fundamentum, quo innititur Reipublicæ machina univerſa, non negligatur. Ut enim

Neglectis urenda filix innaſcitur agris:

Horat. 1. *ſerm. ſat. 3.* Sic exectis filicibus condenda vel ex ſterilibus agris meſſis provenit: Ut proinde prudentiſſimè Agriculturam ſub initium Rei ſuæ Ruſticæ M. Cato commendarit, quòd ex hac maximè pius quæſtus ſtabiliſſimusque conſequatur, minimeque invidioſus, nec malè cogitantes ſint, qui eo in ſtudio occupentur. Ubi parcior ager, bonus paterfamilias è frutetis etiam paluſtri barbaroque rure, arva parat aut paſcua, quam inter vetuſtiſſimas curas refert Columella, circumductis nimirum foſſis collectâ palude, virgultis verò incenſis, radicibusque ſuffoſſis, campo in arvi ſtatum veniente.

32 *Princeps itaque* (42) agriculturæ ſtudium promovere, eosque, quorum labor & diligentia in eo genere conſpicua eſt, quacunque ope juvare, & omnia, quæ ad agrorum fertilitatem, omnigenasque commoditates conducant, diligenter rimari non dedi-
33 gnabitur. Curabit nempe novos agros, ſeu *novalia* (43) inſtitui, vepribus exciſis, ſiccatis paludibus, evulſis dumetis & fruticetis, deductis rivis & incilibus, arbores plantari, *neglectos agros coli*, (44) parùm utiliter cultos aliter coli, veluti, ne illic vineta ſint, ubi vinum culturâ indignum provenit, & frumenta gigni poſſunt. Hoc olim facilè erat, cùm ſpatioſa terra delectum ſui paucis habitatoribus præberet; nunc arduum optimis occupatis in ſterili ſudare loco. Sic
34 Maſſaniſſa Rex Africæ Numidiam & Barbariæ Mediterranea, antehac vaſta & deſerta, aſſiduo cultu fertilem, feraciſſimamque reddidit. Valer. Maxim. *lib. 5. cap. 13.* Boter. *lib. 8. de Polit. c. 2.* quos rectè in hanc rem allegat Henric. Lather. *tr. de Cenſu lib. 3. cap. 5. n. 9.*

Similiter Princeps loca deſerta, inculta 35
& vacantia (quæ ad Dominum Territorii pertinere *tract. de Contribution. cap. 1. num. 303.* probavimus) nec non montoſa & ſylveſtria induſtriâ ad culturam redigere ſtudeat, Veterum Germanorum exemplo, qui 36
nobis longè aliam Germaniam reliquerunt, quàm quæ à *Cæſare* (45) & *Tacito* (46) ita deſcribitur, quòd olim aſpera cultu, *nec urbes*, (47) *nec panem* (48) habuerit, ſed pultibus uſa ſit. Hujusce rei egregium exſtat exemplum, *in Comitatu Sarvverdano*, (49) in quo 37
ante paucos annos, quòd in locis terra ſilvis & vepribus obſita, ita exculta eſt, ut Comites Naſſovii inde multis aureorum millibus ſuos reditus amplificârint.

De Gallia refert *Strabo* (50) *Geograph.* 38
lib. 4. nullas in ea eſſe terras otioſas & inutiles, niſi ubi lacubus & ſylvis impeditur. Sed *ſi hodiè Strabo Galliã perluſtraret;* (51) omninò eam undiquaque fertilem, utilem & beatam, ſine omni exceptione & laudum temperamento diceret; nec ulla deſerta, nulla inculta, nulla impedita & ad uſus hominum inepta, quantumvis oculatiſſimâ perveſtigatione jam reperiret: ſtagna enim, quæ adhuc ſuperſunt, reditus præbent opulentiſſimos, & ſylvæ lucique reliquæ telluri emolumento pares, niſi & ſuperiores ſunt. Quid fecerit priſcorum induſtria, facilè conſpicimus & fruimur. Cæſar *lib. 3.* de Belgis ita loquitur: Ubi Oceano, *inquit*, adpropinquat Rhenus, in plures diffluit partes, multis ingentibusque inſulis effectis; quarum pars magna à feris barbarisque nationibus incolitur, ex quibus ſunt, qui piſcibus, atque ovis avium vivere exiſtimantur. At nunc toto terrarum Orbe locum cultiorem an invenire poſſis? Cultura hoc fecit. *Olim tota Ditio Fuldenſis* (52) ſaltus erat, jam nulli Germaniæ parti, exceptâ Rhenanâ & Iſtrianâ, cedit.

Quare Princeps hac in parte *ſolertiam* 39
Belgarum imitetur, (53) qui etiam paludoſa, uliginoſa & lacuſtria loca inſigni induſtriâ ſiccant & excolunt. Inde tria miracula in 40
Batavia, daß die Leute unter dem Waſſer wohnen / aus Waſſer Land machen / und ins Waſſer ſäen / id eſt, quòd ex aquis terram conficiunt, aquas habitant, aquasque ſeminant. Sed hæc cultura civibus committen- 41
da: ſin ſumptus & labores graviores deſideret, publicâ ope adjuvanda erit; unde maximum poſſeſſori ſubſidium comparabitur; qui ſucceſſu temporis ſolo fertiliori reddito, multis acceſſionibus ex ſedulâ culturâ provenientibus ditabitur, exi-

miumque inde emolumentum ſentiet pro ærario locupletando.

Ab initio tamen ſteriles & deſertos in-
42 ventos agros, gratis & ſine penſione ad tempus concedendos eſſe, ſuadent Prudentiores; Gregor. *lib. 3. de Rep. c. 2. n. 9. & paſſim.*
43 Ita olim agri dabantur colendi certâ penſione, vel cum parte, ut ſteriles ad fœcunditatem reducerentur, interim verò cultores eos gratis poſſiderent, & poſtmodum certâ mercede, *l. 1. 3. 6. & 7. de omni agro deſert.* Qui agri propterea Vectigales dicti, *tot. tit. ff. ſi ager Vectig. Romani enim agros*, (54)
44 quos hoſtibus adimebant, ſi culti erant, civibus dividebant; ſi inculti, Italicis hominibus, vel plebi Romanæ locabant, eâ conditione, ut qui araſſent, decimam frumenti, quintam aliarum frugum partem Reipublicæ penſitarent: qui pecora majora vel minora alerent, certum ſtipendium ſolverent.
45 Ita Pertinax Imperator, teſte *Herodiano* (55) *fol. 135.* quicquid in Italia aut alibi gentium inculti ſoli, etiam ſub regibus vacaret, id totum occupantibus ac colentibus adjudicavit decemq; annorum immunitatem perpetuã ac libertatẽ agricolis conceſſit &c. Aurea lex eſt Valent. Theod. & Arcad. A. A. A. 8. d. tit. de omni agr. deſer. *Qui agros Domino ceſſante* (56) *deſertos, vel longè poſitos, vel in finitimis, ad privatum pariter publicumque compendium excolere feſtinat: voluntati ſuæ noſtrum noverit adeſſe reſponſum: ita tamen, ut ſi vacanti ac deſtituto ſolo novus cultor inſederit, ac verus Dominus intra biennium eadem ad ſuum jus voluerit revocare, reſtitutis primitus quæ expenſa conſtiterit, facultatem loci proprii conſequatur. Nam ſi biennii fuerit tempus emenſum, omnis poſſeſſionis & domicilii carebit jure, qui ſiluit.* Tantâ curâ colendis agris boni & prudentes Imperatores inſtiterunt.

Mahumeti ii. quoque uſitatum fuit,
46 referente Botero *libr. 7 de polit. cap. 4. fol. 422.* quoties agris abundaret, nonnullos ex Sclavis ſeu mancipiis ſuis eò amandare, & ſingulis, quantum agri quindecim diebus ararent boves, & frumentum, quo primo anno ſementem facerent, dare. Primis duodecim annis dimidiam partem fructûs ex illis agris ſibi ſumebant; inſequentibus verò ſeptimam. Hoc ipſo egregiè ſuos proventus adauxit.

Quemadmodum verò David prudentiſſimus Rex ad exemplar boni Principis in Sacris Pandectis propoſitus operi ruſtico, vineis, olivetis, pecoribus non ſuis tantùm ſed civium omnium præfecit viros ſelectos;
47 Ita & eodem conſilio (quod Ariſtoteles etiam ſecutus eſt) rector & moderator Reipublicæ per oppida & urbes magiſtratum creet, cui curæ ſit, prædia, omnes agroſque luſtrandi. Sit de publico præmium induſtriæ ejus, qui præ cæteris oppidanis poſſeſſiones diligenter coluerit, cujus nitidiores fuerint agri majori fructuũ ubertate; ignominia pecuniáve 48
mulctetur ignavia ejus, qui eam curam neglexerit, præſertim ſi inopiâ rei familiaris oppreſſus non erat: & nihilominus publicè ii agri colantur; quod inſumptum fuerit, primum omnium de fructibus detrahatur, deinde reliquorum fructuum pars tertia, aut omnino quarta fiſco addicta ſit, aut publicè oppido, Civitatíve cedat, quæ in publicos uſus inſumatur. Multum eâ diligentiâ proficeretur, ait Joan. Mariana Hiſpan. Jeſuita *de Rege & Regis inſtituit. lib. 3. cap. 9. fol. mihi 280.* Et ſentit Betil. *exarch. lib. 6. c. 24. fol. 337.* multis commodis propterea Rempub. auctam iri: Cives operi intentos, minùs à ſceleribus comprehendendos, ſed & ſobrietati maximè aſſuefaciendos, publicos proventus adaugendos, laudatiſſimis omnium divitiis locupletandos.

Sic Numa Pompilius olim apud Romanos, poſtquam agros diviſiſſet, Terminumque,

— — *litem ut diſcerneret arvis,*

Deum adjunxiſſet ſigillatim qui obſervarent; quique agros circumirent, ſtatuit, ex operibus civium mores conjectans; *Plutarch. in Numa.* (57) Et agrum malè colere 49
Romæ cenſorium probrum judicabatur, authore Plinio *lib. 18. cap. 3.* Quod hodiè dum negligitur, præcipua ars locupletandæ Reipub. agricultura ſcilicet, paulatim corruit. Et pulchrè, Romanorum ſi quis agrum ſordeſcere ſinat, *ærarius fit*, (58) inquit Gell. *lib. 4. cap. 12.* Et Livius *lib. 4.* Agri ne deſerantur, eſt à Magiſtratu proſpiciendũ, ac proinde ne ruſtica plebs per ullam occaſionem in urbem vocetur, aut in ea retineatur. Fames enim ſequitur. Ac prudenter Valentinianus & Valens Impp. ſtatuerunt *in l. 3. C. de omn. agr. deſert.* Quicunque deſerta prædia meruerint ſub certa immunitate, ad poſſeſſionem im- 50
petratorum non priùs ſinantur accedere, quàm vel fidejuſſoribus idoneis periculo curialium datis: vel fundis patrimonii ſui maximè utilibus obligatus, idoneâ Cautione firmaverint; ſuſceptam à ſe poſſeſſionem nullo detrimento publico relinquendam.

Ex quibus clareſcit, agrorum culturam præter fructum, quem magno fœnore reddit terra, etiam præmio pœnâque promovendam; ſingulisque annis bis minimùm inſpiciendos agros, vineta, hortos, ſeduliſque cultoribus laudem, interdum partis tributi remiſſionem dandam, otioſos arguendos, agrum bonum, ſed negligenter cultum magis gravandum eſſe. Sic quoque paſſim *in Ordinationibus Provincialibus* (59) Ducum, Principum, Comitum, 51
&c. ſingulare officium Inſpectorum introducitur, quod conſiſtit in eo, ut videant, ne

ne agri, vineæ, &c deſerantur vel malè colantur. Confer *Gail. lib. 1. obſ. 26. num. 9.* Tiraquell. *de retract. lignag. §. 4. gloſſ. 1. num. 37.*

52 Hisce adde *Agrimenſores* (61) Landmeſſer/ de quorum officio & menſura latè tractat Anton. Sola *in Conſtit. Sabaud. tit. de cenſuum ſolut. p. 1. decret. omnibus. gloſſ. un. per tot.* Coler. *de proceſſ. executiv. p. 3. cap. 9. num. 137. & ſeqq.* Quorum relationes fidem mereri ſcribit Frideric. Pruckman. *conſ. 2. num. 87. volum. 1.* eos verò, qui doloſam faciunt relationem, de tolo teneri, & *rectâ viâ conveniri poſſe*, (62) probat *text. in l. ſi duobus §. primo & ſeq. & ibi gloſſ. ff. ſi menſ. falſ. mod. dixer.* Anton. Sola *d. tit. part. 3. gloſſ. un. num. 4.* Oldendorp. *claſſ. 3. action. 15.* Camill. Borell. *conſil. 84. per tot.* ubi agit de agrimenſuratione, quæ præcedere, quæ ſubſequi debeant, & quis menſorem eligat, ad quem benivolum Lectorem remitto.

53 Inſignis quoque fuerit prudentiæ, agricolas immunes conſervare ab aulicorum nobilium, potentium, rabularum, injuriis. Illæ enim efficiunt; ut nec agrum colant diligenter; nec de augenda re cogitent, ut ille dum

Nec ſpes libertatis erat, ne cura peculi.

54 A militum quoque moleſtiis & concuſſionibus agricolas *vindicat Imp.* (63) *in l. prata 3. Cod. de paſcuis public. Prata provincialium noſtrorum, & præcipuè rei privatæ noſtræ, pernicioſum vel periculoſum eſt militum moleſtiâ fatigari. Ideoque lege ad ampliſſimam præfecturam promulgatâ, cenſemus, ne hoc deinceps uſurpetur. Super qua re univerſos, quorum intereſt, convenire tua magnificentia non moretur: neque permittat poſſeſſores vel colonos pratorum gratiâ qualibet importuni-*
55 *tate vexari. Apud Indos* (64) in bellis inviolabiles ſunt agricolæ; Arian. *rer. Indic. libr. 5.* Nefas, *inquit*, fuit apud Indos, agricolas in bello capere, aut agrum eorum vaſtare. Reliqui bellum inter ſe gerunt, ſeſeque mutuò interficiunt: ipſi juxta eos tranquillè aut arationi, aut vindemię, vel frondationi vel meſſi vacant. Cùm Lacedæmonii devictis Athenienſibus agriculturam impedire, omniaque diripere vellent, Archidamus eos hac ratione & oratione à propoſito dimovit, repreſſitque, quòd terra Athenienſium nihil ſit aliud, quàm obſes, tantoque magis quantò meliùs exculta, & omnibus rebus ornata eſſet. Huic (*inquit Archidamus*) nos parcere quàm diutiſſimè oportet, ne Athenienſes ad deſperationem rabiemque adactos difficiliùs expugnemus; Thucyd. *lib. 1.*

Hoc quoque *Beliſarius*, (65) inter Juſtiniani Imp. duces præſtantiſſimus animadvertit. Tantam enim Ruſticorum curam babuit, ut in ducendo exercitu neminem eorum violari, nemini inferri damna pateretur, ne poma quidem in arboribus pendentia milites ſui attingere audebant. Eundem in expeditionem proficiſcentem contra milites fructus pendentes incolarum, unde exercitus tranſibat, attingentes acerrimè invectum, illis verbis ignominiam notantibus; *Vim afferre, & ex alienis paſci, turpe ſemper, ac proboſum videtur;* memorat, Procop. *lib. 4. de Bello Vandal.* Hac ille ſeveritate diſciplinæ conſequebatur, ut caſtra ejus abundantiora eſſent, quàm ullum in urbe forum; ita libera & ſecura erat rerum venalium importatio, referente Procop. *lib. 3. in princ.* Idem fecit Totilas Rex Gothorum, dum contra eundem Beliſarium bellum in Italia gereret. Agrorum enim cultoribus, teſte eodem Procopio *lib. 5. de Bello Gothor.* per omnem Italiam nil quicquam intulit, ſed terram ut intrepidè colerent, nihil ſecius, ut antea, imperavit, ſibique ac Reipub. tributa dependerent, & fructus dominis reportarent. Hæc priſca ſecuritas data etiam fuit agricolis in bello illo diuturno, quod inter Carolum V. Imp. & Franciſcum I. Galliarum Regem geſtum eſt, quum uterque in Pedemontio numeroſum exercitum, annum unum atque alterum, continuò inter ſe belligerantes, alerent. Alioqui milites maturè commeatus, obſeſſis & impeditis itineribus, defeciſſent. Quotus quiſque ex noſtris militibus eſt, qui (uti nunc bella geruntur) non infamiam & imperialem animadverſionem incurreret; Siquidem plerique inter tot millia reperiuntur; qui abſque ullo diſcrimine, tam amicos, quàm hoſtes impunè deprædantur.

Quid dicam de Privilegiis in jure no- 56
ſtro Agriculturæ affatim indultis; putà quòd ſationibus vel frugibus inſiſtentes agricolæ ad onera extraordinaria non ſint avocandi, *l. 1. C. de agric. & Cenſit. lib. 11.* & quod equi, vel boves aratorii (vel oves, aliáve pecora ad ſtercorandum comparata,) ligones, aratra, ſurculi, falces putatoriæ, bidentes vel vomeres, item caſtella, & ſimilia inſtrumenta ad culturam deſtinata, pro debito publico & liquido nō poſſint in executionē capi, & capta debeant reſtitui, de quibus Mantua. *ſingular. 497.* Cardinal. Thuſc. *pract. concl. jur. in lit. A. concl. 247.* Renat. Choppin. *de privileg. ruſtic. c. 7.* Coler. *de proceſſ. Executiv. p. 2. c. 3. num. 187.* Moller. *ad Conſtit. Elect. Sax. p. 2. conſtit. 27. num. 4.* Sichard. *in Cod. tit. quæ res pign. oblig. poſſeſſ. num. 5.* Noviſſimè Baptiſta Fragoſus Jeſuita in regimine Reipublic. Chriſtianæ, *part. 1. libr. 3. §. 1. num. 25. fol. mihi 372.* Cabed. *p. 1. deciſ. 213. num. 12.* Idque propter utilitatem rei ruſticæ & agriculturæ, text. *in l. executores 7.* ubi pulchrè Gothofr. *& l. pignorum 8. C. eod. quæ res pign. obligat. poſſid.*

Inter alia exſtat egregia Conſtitutio *Friderici II.* (66) inſerta uſibus feudorum *libr. 5. tit. 17. §. 11.* quæ conſpicitur etiam in Codice Juſtiniani *ſub. tit. quæ res pignor. obligar. poſſ.*

cujus hæc ſunt verba: *Agricultores & circa ruſticitatem occupati; dum villis inſident, dum agros colunt, ſecuri ſint quacunque parte terrarum: ita ut nullus inveniatur tàm audax, qui perſonas, vel boves, agrorum inſtrumenta, aut ſi quid aliud ſit, quod ad operam ruſticalem pertinet, invadere, capere, aut violenter auferre præſumat. Si quis autem hujusmodi ſtatutum auſu temerario violare præſumpſerit, in quadruplem, ablata reſtituat, infamiam ipſo jure incurrat, Imperiali animadverſione nihilominus puniendus.* Similem ejusdem Frid. II. ſanctionem contra devaſtantes hortos & vineas refert Petr. de Vineis *lib. 5. Epiſt. 20.* Et par fermè privilegium Normannis villicis Franciſci I. Conſtitutione datum, Choppinus recenſet: At Phrygum inſtituto, qui Ruſticum inſtrumentum agricultione aptũ ſuſtuliſſet, morte mulctabatur, referente Stobæo. Sicuti qui rigor *Saxonum propè jure perſeverat.* (67)

Nec Thracicum fœneratorum commentum Antichreſis, in prædio Agricolæ locum habet, uſurarumque modus ejus favore à Juſtiniano temperatus. Ac pluribus, intuitu innocentiæ, legibus & ſanctionibus ruſticæ ſimplicitati impensè fautum comperimus; Ne oneri eſſent, quorum ingenio culta juſtitia adoleverat, quæ cuique præſidio eſt. Utili namque ratione proſpectum Gratianus reſcribit: ut innocens & quieta Ruſticitas peculiaris patrocinii beneficio Defenſoris locorum perfruatur. M. Anrelius Aurelianus memoranda benignitate Agros Agricolasque defendit: Et Alexander Pontifex *in Lateranenſi Concilio* (86) conſtituit; Cultores agrorum & boves aratores in tutela fideque publica militum omnium dehinc perſtituros.

57 De cætero ſuadent ſaniores Politici, maximam partem loci, culturæ ſingulorum civium deſtinandam & addicenda eſſe: Quoniam ſi Princeps oppidis, Civitatibus, lacubus, fluviis, collationibus, tributis, vectigalibus, aliisque regalibus & proventibus, quibus ſeſe honeſtè alere, & ea, quæ ad adminiſtrationem, ſuſtentationem & defenſionem Reipublicæ ſpectant, expedire poteſt, omnium obedientiâ ac veneratione perfruitur; æquitati conſentaneum videtur, ut Subditos cæteris rebus uti fruique permittat, nec eisdem media illa ſubtrahat, quibus victum & amictum quæritant, ne ſemetipſum reditibus ordinariis ſpoliet, & ſingulos egeſtate & inopiâ opprimat. Proinde Tacitus *lib. 4. cap. 7. in prin.* de Tiberio, *antequam in nequitias dilaberetur,* (69) ſicuti ad finem Principatûs delapſus eſt, loquens, eumque collaudans, hæc verba ſcribit: *Rari per Italiam Cæſaris agri.* Pulchrè Scipio Amirat. *lib. 3. diſſert. politic. in Tacit. diſc. 8. fol. 174.*

58 Pauciores itaque agros Reſpublicæ & Principes ſibi reſervent, cæteros omnes civibus pro æqua & annua penſione diſtribuant, cùm major pars hominum in Republica ex agricolis & paſtoribus conſtet; & agrorum cultura, ſi ad ſolius lucri finem inſtituatur, Principe viro indigna ſit. Quo medio & Ærarium & ſtudium agriculturæ ad ſufficientiam rerum parandam mirum in modum augebant. Sic Romulus agrum Romanum, teſte Livio, in tres partes diviſit, 59
quarum unam ſacris faciendis, ſecundam Reipub. oneribus ſubeundis, poſtremam civibus æqualiter aſſignavit, ut agri diligentiùs excolerentur, Vide Me *lib. 1. cap. 3.* Quis Principum eſt, qui non aliquot millia jugerum in mediocri ditione colligere poſſit? Det libertatem ſubditis, ut ſi oportunis locis culturæ idoneum locum occuparint, datâ Reipub. penſione annuâ ſibi retineant, atque ad hæredes transmittant. Quantas opes Reipub. parare poſſit Princeps, ſi agros vel coli ſuo ſumptu, vel colendos privatis pro decimis aſſignaret?

Inprimis verò in paucas particulas agrum dividi expedit, ut meliùs colatur. Laudabilem conſuetudinem Aphytalorum ſeu 60
Aphytæorum recenſet Ariſtot. *lib. 6. Polit. cap. 4.* qui licet numero multi eſſent, & agrum 61
anguſtum haberent, omnes tamen erant agricolæ. Nec enim totas Divitum poſſeſſionis cenſebant, ſed eas tot dividebant in partes, ut divites cenſu pauperes ſuperarent, hoc eſt; Apud Aphytæos in mandandis honoribus censûs quidem habebatur ratio, ſed is ſic inſtitui ſolebat, ut ditiorum non omnes cenſerentur facultates, ſed quædam ſolummodò partes ſeu agri tantùm, qui æquales inter cives ſine bonis mobilibus. Sic enim pauperes interdum excedere poterant Divites, aut ſaltem æquare & honorum participes reddi, quam ob cauſam omnes cives aliquid comparabant agelli. Lycurgus etiam omnibus agros eâ æqualitate diviſit, ut laborum quisque & fructuum terræ particeps eſſet; & non cives ſolùm, ſed fratres 62
ſibi invicem viderentur. Eandem rationen ſecuti ſunt Athenienſes. 63

Utilitas ejusmodi diſtributionis duplex eſt. Prima, quòd talis diſtributio conſentanea eſt juſtitiæ, quæ jubet, ut ad declinandam invidiam, quando inter æquales quid diſtribuendum eſt, etiam ſervetur æqualitas ſecundùm proportionem Arithmeticam. Deinde; quia utilis eſt hujusmodi diſtributio in deliberationibus tempore belli; ut ſententiæ civium ſint magis liberæ, eò quòd omnium civium agris æquale periculum metuendum ſit ab hoſtium incurſionibus, vaſtationibus, direptionibus: quibus remotiores agri magis expoſiti ſũt, quàm propinquiores. Huc quodammodo cura primorum Cæſarum ſpectaſſe videtur, qui omnium agrorum & di-

& diviſorum & aſſignatorum formas & diviſiones in ſanctiori apud ſe tabulario perſcriptas habere ſatagebant, licet militares ii potiſſimùm eſſent. Huc & poſteriorum item qui Peræquatores inſtituerunt, qui patrimoniales fundos argricolis & cenſitis æquè dividerent, poſteà & æquè ab omnibus capitationem exacturi, *l.1.C.de agric.& cenſit.l. fin.C.de Cenſ.& Cenſitor.*

Pacacuti ſive Ingæ Regis Peruviæ in America inter alias res memorabiles per ipſum inſtitutas pro regionibus acquiſitis una fit, quod terras in tres partes diviſit: primâ religioni & DIs dedicatâ; alterâ Ingæ deſtinatâ, quâ ſe-ipſum, curiam, Parentes, Barones & præſidia ſuſtentavit, fuitque ea pars cæteris major: tertia pars populo ceſſit. Nemo rem propriam habuit, ſed Ingæ beneficio, nec ea res ad hæredes tranſiit. Agros populi & communitatis quotannis diviſit, aſſignavitque unicuique tantum terræ, quantum ad ſui & familiæ ſuſtentationem opus, fuitque ea portio aliquando major, aliquando minor: deque ea tributum non penſitatum. Qua in re longè ſuperaſſe videtur diviſiones terræ, quas Lycurgus fecit, ac Leges Agrarias Romanorum.

Prædictis conſequens eſt, minimè ferendum, ut ditiores emant, in quantum velint, & tandem omnem agrum ſuum faciant. DEUS Iſraëlitis Palæſtinam diſpertiri jubet æqualitate Arithmeticâ, & pluribus plures, paucioribus pauciores portiones aſſignare. *Num. 26. vers. 53. 54.* Quin & Jubilæo non tantùm omnes Iſraëlitæ, qui ſervi, manumittebantur; ſed etiam agri & reliquæ poſſeſſiones, quæ divenditæ, priores ad dominos & familias ſine pretio redibant, *Levit. 25. vers. 14. & 28. Lex Licinia*(70) Romæ à Cajo Licinio Stolone Tribuno plebis lata prohibebat; ne quis plus quingenta jugera agri, centum pecoris majoris capita, quingenta minoris poſſideret; Varro *lib. 1. de re ruſtica c.2.* Columella *lib. 1.c.3.* Liv. *lib. 6.* Roſin. *libr. 8. Antiquitatum Roman.cap.15.num. 3.* quâ tamen Lege primus omnium damnatus fuit ipſe Stolo; *Liv. lib.7.* Et hæc de quantitate agri dixiſſe ſuffecerit.

Qualitatem ſive bonitatem ejusdem deſcribit Cato, cui bonus eſt ager, in quo (1) Vineæ vini boni & multi, (2) Horti irrigui, (3) Saliceta, (4) Oliveta, (5) Prata, (6) Campus frumentarius, (7) Sylva cædua, (8) Arbuſtum, (9) Sylva glandifera; Franciſc. Patrit. *libr.7.de Inſtit.Reipubl.tit.4.*

Huc ſpectat illud Horatii, *lib.2.Serm. Satyra 6.*

Hoc erat in votis: modus agri non ita magnus,
Hortus ubi, & tecto vicinus jugis aquæ fons, &c.

Quamvis autem loci ſterilitas cives ab otio abſtrahat, & à rerum novandarum ſtudio, & ſæpenumero faciat, ut varias artes partim addiſcant, partim ipſi inveniant, quod vel una Norimberga ſuo docet exemplo; tamen agri præoptanda fertilitas: Sed ita tamen, ut legibus ſeveriſſimis ea coërceantur vitia, quæ ex ubertate rerum naſci conſueverunt; Machiavell. *libr.1.diſcurſ.cap. 1.* Hoc cùm olim apud Lydos, Umbros, Campanos, & Sybaritas negligeretur, omnium propè deliciarum & flagitiorum infamiâ flagrare cœperunt.

Porrò ad compendia ex agro proveni- 64
entia referendum eſt Vectigal, quod ex agris publicis pro paſtu percipitur, de quo *Lipſ. lib.2.de magnitud.Roman.1.*(71) & Fulv.Pacian. *de vero juſtoque Principe, c.3.pag.57.* Et **Grund und Bodenzins** / quod eſt Vectigal agro impoſitum, ſive agrarium: & in nonnullis Galliæ Provinciis nomen retinet *agrier*, ac vulgò appellatur *terrage*, *Vide Me* 65
tract. de Contrib. c. 1. n. 107. Aliquando **Grundzinß** denotat tributum, quod ab iis, qui in Reipub. fundo ædificarunt, quotannis ſolvitur & peculiari voce Latinis dicitur *Solarium* (72) *d.cap.1.num.107.* Univerſum cen- 66
ſum Vectigalium Regni Guzeratenſis (quod paret Magno Mogoli ſive Regi veræ Indiæ) conficere quotannis ut plurimum centum quinquaginta tonnas auri, maximam partem ex agricultura, memorat Joan. de Laet *in deſcriptione Indiæ pag. 151.* Et *pag. 130.* refert, conditionem Agricolarum hanc eſſe, ut accedant præfectos pagorum, qui in ſingulis Provinciis à Rege conſtituuntur, & apud illos profiteantur, ubi & quantum ſoli ipſis conſerere in animo ſit: ubi ſeges maturuerit, & ſecta fuerit, regii miniſtri vocantur, qui in Regis uſum capiunt penè tres quadrantes omnium frugum; & miſero colono unum tantùm quadrantem reliquam relinquunt; ita, ut interdum nullum laborum aut ſumptuum emolumentum capiant.

Verumenimverò cùm agricultura in- 67
duſtrialis ſine ædificiis non poſſit perfici, ideò prædia ruſtica fructuum gratiâ quocunque loco conſtituenda, & in ſuis partibus principalibus & minùs principalibus ſunt abſolvenda, quæ plerunque Villæ à vehendo, quaſi *vehillæ*, appellantur, **Forwercke/Gebäue** (73) ubi familia ruſtica & inſtrumenta cum ſupellectile villica & rei ruſticæ, villici, ſervi & miniſtri præficiendi & alendi. Quod quî fieri poſſit, prudentiæ relinquendum eſt politicæ & Oeconomicæ.

68
Ex agro *proventus, aut fruges.*(74) Proventus eſt, quicquid ſine peculiari cultura, & plerunque eadem ſtirpe redit. Fruges, quæ culturam & induſtriam huma-

 nam

nam requirent. Hæ ſegetes; quæ vel fru-
mentum, vel legumen. Frumentum eſt
fruges, quæ miſſis ariſtis, quibus quaſi acu-
69 leis à morſu minorum animalium defen-
ditur, areſcendo perficitur & ſecatur. Fru-
menti varia genera ſunt; far à frangendo
ita dictum, quod, ut frumentum olim, non-
dum adhuc uſu molarum comperto, frange-
batur, ſiligo, triticum, hordeum, ſpelta,
ſecale, avena. *Legumina* (75) à legendo
ſunt fruges, quæ ex terræ ſatis in ſiliquis na-
ſcuntur ſine ariſtis. Was Hülſen hat oder
Schoten/ und was man mit Ausrupffen ſam-
let / ut ſeſamum, piſum, cicer, faba, lens,
70 lenticula, &c. Ex agro linum, cujus ad
linteorum texturas quæſtuoſiſſima chrema-
teſtica. Ex agro Cannabis Hanff / ad ve-
la nautica, carbaſa, retia, funes & amictoria,
& id genus alia; Ex agro raporum, napo-
rum, olerum, leguminum, lactucæ, alia-
rumque herbarum uſus frequentiſſimus.
71 Ex agro ſecundùm jugera & manſos ſolvi-
tur terræ ſeges, Hoffkorn / Pachtkorn/Schuld-
korn / Hubekorn/ Samhaber / Vogthaber/
Hundhaber/die dritte/ zehende oder zwanzigſte
Garb von allen Früchten / Pfluggeldt oder
Rottgeldt oder Reuthzehend / *Vide Me tract.
de contribut.cap.1, n.298.*
72 Etſi verò non ignorem, antiquis etiam
Romanis ex agris & novalibus decimam ſe-
minum Vectigalis nomine datam fuiſſe,
(namque aratores decimam frumenti po-
pulo Romano pendere cogebantur, Alex.
ab Al. *l.4. genial. dier. cap.10.*) tamen Bodini
ſententia æquitati & pietati magis conſo-
73 na ſemper mihi viſa fuit, *lib. 6. de Republ.
c.2.* nimirum ſi adverſus tenues id fiat mo-
dicè, vel etiam intra modum, ne bonis
artibus, ac induſtriæ bellum indici videa-
tur. Potiſſimùm verò cum aratoribus, qui
alienos agros colere, non ſuos, conſue-
verunt, mitiùs agi debet. Indicæ Hiſtoriæ
me docent, duo millia granorum fuiſſe nu-
merata ex unica ariſta. In Podolia autem
74 ſemen quomodocunque in agrum conje-
ctum centuplum referre fructum, ſcribit
Albert. Guagnin. *Rer. Polonicar. tom. 2.*
Et factâ ſemel ſemente & leviter ſarritâ
humo, tribus ſequentibus annis meſſis
colligitur. Neque verò opus eſt, ſingu-
lis annis agros conſerere, ſed ſufficit, ut
mergæ concutiantur leviter, antequam ab
agro auferantur, & quod excidit, faciendæ
ſementi ſufficit in ſequentem. Incredibi-
le quoque dictu eſt, quantum ex XXXIV.
Palatinatibus Polonicis ad alias exteras di-
tiones exportetur ſiliginis, tritici, hordei,
avenæ, & aliorum leguminum. Quod ſi
Turca, qui tantum terræ deſertæ & fertilis
poſſidet, vel milleſimam partem in Græcia,
in Aſia, Palæſtina ſeriò colendam ſuſciperet,
facilè tantos greges, quantos *Joſaphat*, (76)
Ezechias, Joſias, in ſumptum exercitûs
alere poſſet; Sed noluit Deus tantæ ſævitiæ
addere prudentiam politicam, ne viribus ſuis
totum orbem occuparet.

Quibus ita ſubductis manifeſtum ſit, è
ſtudio & medio agriculturæ non ſolùm
maximam utilitatem proventuum anniver-
ſariorum capi, ſed & ad Ærarium coadju-
vandum ingens inde lucrum & emolumen-
tum peti ac conferri poſſe. Quod ſi pro ſa- 75
tione unius modii ſiliginis, hordei, tritici,
avenæ, &c. tot vel tot ſolidi vel bazeni ſol- 76
verentur? Maximum ſanè inde compendi-
um ad Fiſcum redundaret. Marga quoque
Reipubl. moderatori ad promovendum
agriculturæ ſtudium enixè indaganda; quæ
eſt terræ medulla ſive adeps & creta foſſitia,
ſtercorandis agris ſerviens. Germanis Mer-
gel quaſi Marghel / qui terram facit magis
pinguem, aut à Mürz & Geil/ quia merga
mollis eſt & fœcũda. Eſt enim Germanis Geil
pinguis, fœcundus, uber: Unde Plinius *lib.
17.cap.6.* de marga: *Spiſſior ubertas ex ea col-
ligitur*, hoc eſt, fruges uberiores in eo loco
colliguntur; qui illa ſtercoratus fuit. Marti-
nius *margam* derivare mavult *à marco.* Eſt
enim terra marcida & putris, id eſt, ſolubi-
lis. Nam putre non ſemper eſt corruptum
& inutile. In nonnullis rebus putredo ama-
tur ad certos fines moderata; ut in fimo &
caſeo, &c. Ita meſpila edere non poſſu-
mus, antequam eorum pulpa molleſcat,
& diſponi ad putredinem cœperit. In Au- 77
lis Principum ſæpiculè quæri ſolet; Uti-
liúsne ſit Domino, agros prædiaque ſua
alii colenda locare, vel ſuis propriis ſervis
& equis aliiſque inſtrumentis colere? Di-
ſtinxerunt tenendo affirmativam, ſi Domi-
nus abundet pabulo, avenâ, fœno, ſervis,
equis, bobus reliquiſque jumentis, & inſtru-
mentis ad inſtructionem fundi neceſſariis;
Negativam, ſi talis deſit occaſio.

Concludo Caput hoc voto: Utinam de- 78
curſâ tot caſuum malorumque periodo pax
aurea tandem refloreſcat, redeantque ſæ-
cula, quibus attritus ſulco vomer in pretio
ſit, & defuncta periculis mortalitas reſpi-
ret, ut agris honore reddito ſub ſuæ ficûs &
vitis umbraculis tuta quivis habitet nemo-
ra, duraturæ pacis munera ſancta gratitu-
dine celebraturus. Sentient hoc meum, qui-
bus Rura placent, votum & cordata integri-
tas mortalium potiùs ſtudia agnoſcat,
quàm miſceri iis con-
tendat.

CHRI-

CHRISTOPHORI PELLERI

OBSERVATIONES ATQUE ADDITIONES
AD
KLOCKII
LIBRI SECUNDI
CAPUT I.

Num. 1.

(1) A*Griculturæ &c.]* Cùm de laudibus Agriculturæ & re Ruſtica multi Authores copioſè ſcripſerint, conciſiores in Additionibus atque Obſervationibus noſtris erimus, Curioſos Lectores remittentes ad Authores, quos recenſet Iſidorus *lib. 17. Etym. 1.* Xenophon *in lib. Oeconom.* quos laudat Cicero *in Catone Major.* M. Catonem, M. Ter. Varronem, Columellam, à diverſis Authoribus, videl. Petro Victorio, Joſepho Scaligero, Fulvio Urſino, & aliis recognitos, Heſiodum *in Opere*, Virgilium *in Georg.* Ciceronem *lib. 1. de Offic. & in Orat. pro Roſcio Amerino*, Plinium *lib. 18. Natur. Hiſt.* Rutilium *lib. 14.* quos citat Menochius *lib. 4. præſumpt. 152. num. 7.* Petrum de Creſcentiis, etiam Germanicè redditum, ex quo multa in Oeconomiam ſuam *lib. 4. & ſeqq.* transtulit Colerus, Conradum Heresbachium, *lib. 4.* Joachimum Camerarium, Philipp. Camerarium *lib. 1. medit. 5.* Beroaldum, Friſchlinum *in Orat.* Horat. *in Epod. 2.* Bodinum *de Republ. 3. & 4.* Franc. Patricium *lib. 8. de Inſtit. Reip. 2.* Lipſium *in Epiſt. miſcell. 8.* Tiraquell. *de Nobilit. cap. 32.* Chaſſanæum *Conſil. 37.* Boërium *Deciſ. 322. num. 11.* Cardinalem Thuſcum *Comment. concl. 247. lit. A.* Speidel. *in Not. voce* Bauer. Joh. Hering. *de Molend. quæſt. 1. num. 32.* Adam Contzen *lib. 8. Polit. cap. 11.* Guevaram, Wolffgangum Seberum, Egidium van der Myle *de Oblect. vitæ Ruſt.* quædam etiam alibi *ad Polit. Sceler. cap. 33. in Notis pag. 362. ſeq.* dixi. Bornitius *lib. 1. de Rer. Suffic. 10. & 18.* hos refert Lawaſſeri rythmos:

Wer aber baut/ die Schinderey/
Und GOtt vertraut/ und Wucherey/
Bleibt bey ſeim Erb/ geneuſſt davon/
Fleucht böß Gewerb/ was ihm GOtt gan/
Fürwar der iſt ein ſelig Mann.

(2) *Geneſ. 3. &c.] Verſ. 17. ibi:* Adæ verò dixit (*Dominus DEUS*) quia audiſti vocem uxoris tuæ & comediſti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos geminabit tibi & comedes herbam terræ. In ſudore vultus tui veſceris pane, donec revertaris in terram, de qua ſumptus es. Iterumque *v. 23.* Et emiſit eum Dominus DEUS de paradyſo voluptatis, ut operaretur terram.

Num. 4.

(3) *Atalantam &c.]* Cujus fabulam Ovidius *lib. 10. Metam.* refert.

Num. 5.

(4) *Et milites &c.]* Præter cæteros Vegetius *1, 3.* ubi optimos à Rure milites exemplo Quintii Cincinnati, (*de quo infrà ad num. 7.*) & rationibus probat. Plinius etiam *lib. 18. Nat. Hiſtor. lib. 5.* Fortiſſimi viri, *inquit*, & milites ſtrenuiſſimi ex agricolis gignuntur.

Num. 6.

(5) *Pilumni &c.]* De Pilumno Servius *in 6. Æneid.* Pilumnus & Picumnus fratres fuerunt Dii: horum *Picumnus* ſtercorandorum agrorum invenit uſum: unde & Sterquilinus dictus eſt: *Pilumnus* verò pilendi, ſeu pinſendi frumenti, unde à Piſtoribus colitur, & ab ipſo pilum dictum eſt. *Hactenus Servius.* Junge Roſin. *Antiquit. Rom. lib. 2. cap. 20.* Stephanum *in Diction. Hiſtor. hac voce.*

(6) *Stolones &c.]* De Stolone & Scrofa vide Varronem *de Re Ruſtica l. 1. c. 2.*

(7) *Fabii à Fabis &c.]* Fabios à Fabo Herculis filio ortos, tenet Plutarchus *in Fabio Max.* & Silius *lib. 2. & 6.* Unde Juvenalis: Natus in Herculeo Fabius Lare. Sic Sex. Pompejus: Favii, qui nunc Fabii dicuntur, dicti, quòd Princeps gentis ejus ex ea natus ſit, cùm qua Hercules in Fovea concubuit. Alii putant eum primùm oſtendiſſe, quemadmodum urſi in foveis caperentur. Onuph. Panvinius *de Antiq. Nom. p. 37.*

(8) *Vitellii &c.]* Vide Suetonium *in Vita Vitellii cap. 1.*

(9) *Quinctius Cincinnatus &c.]* Livius *lib. 3. cap. 26.* Spes unica Imperii Populi Romani L. Quintius trans Tyberim, contra eum ipſum locum, ubi nunc Navalia ſunt, quatuor jugerum colebat agrum, quæ *prata Quintia* vocantur. Ibi ab Legatis, ſeu foſſam fodiens bipalio innixus, ſeu quum araret, operi certè, id quod conſtat, agreſti intentus, ſalute datâ invicem, redditâque, rogatus (ut quod benè verteret Ipſi Reique publicæ) togatus mandata Senatûs audiret, admiratus, rogitansque, ſtatin' ſalva eſſent omnia? togam properè è tugurio proferre Uxorem Raciliam jubet, quâ ſimul abſterſo pulvere & ſudore proceſſit: Dictatorem cum gratulatione conſalutant: in urbem vocant: qui terror ſit in exercitu, exponunt &c. Junge Dionyſium Halicarnaſ. *Antiq. Rom. lib. 10. cap. 28.*

Num. 7.

(10) *Quintum Minucium Cos. &c.]* Sic & Auctor *Vir. Illuſtr. cap. 17.* Minucium Quinti prænomine deſignat. Zonaras verò *lib. 2.* & Florus

 lib. 1.

lib.1.c.11.n.12. Marcum vocant; Livius & reliqui paſſim Lucium.

(11) *Ad agros rediit &c.]* Sic expeditione finitâ rediit ad boves rurſus, triumphalis Agricola. Fidem Numinum! quâ velocitate? intra quindecim dies cœptum peractumque bellum: prorſus, ut feſtinaſſe Dictator ad relictum opus videret..r. Dicente Floro *cit. loc. in fin.* Adde Dionyſium Halicarnaſſ. *d. lib.10.c.30.*

(12) *Attritæ manus &c.]* Quænam ergo tantæ ubertatis cauſa erat? Inquit Plinius *18. Natur Hiſt.3.* Ipſorum tunc manibus Imperatorum colebantur agri (ut fas eſt credere) gaudente terrâ vomere laureato, & triumphali aratore: ſive illi eâdem curâ ſemina tractabant, quâ bella, eâdemque diligentiâ arva diſponebant, quâ caſtra: ſive honeſtis manibus omnia lætiùs proveniunt, quoniam & curioſiùs fiunt. Serentem invenerunt dati honores Serranum, unde cognomen. Aranti quatuor ſua jugera in Vaticano, quæ prata Quintia appellantur, Cincinnato Viator attulit Dictaturam, & quidem, ut traditur, nudo, plenoque pulveris etiamnum ore. Cui Viator, Vela corpus, *inquit*, ut proferam Senatus Populique mandata.

Num. 8.

(13) *Lucullus propè Neapolim &c.]* At quanto luxu vixerit in hoc ſeceſſu, ex Plutarcho *in ejus vita Tom. 1. Oper. pag. 518.* patet. Hinc Cicero *lib. 1. de Officiis* inquit: Cavendum eſt autem, præſertim ſi ipſe ædifices, ne extra modum ſumptu & magnificentiâ prodeas: quo in genere multum mali etiam in exemplo eſt. Studioſè enim plerique, præſertim in hanc partem, facta principum imitantur. Ut, L. Luculli ſummi viri virtutem quis? at quàm multi villarum magnificentiam imitati ſunt? Porrò ipſe apud jam antè citatum Plutarchum *in lib. an ſeni ſit gerenda Reſpubl. Tom. 2. Oper. pag. 792.* & alio nomine haud ſatis benè audit, verba hæc ſunt: Inter Romanos non invenies multos Lucullo meliores Imperatores, dum is rebus gerendis curam impoſuit. Ubi verò ſeſe in vitam otioſam domi deliteſcens & curis vacuus demiſit, ſpongiæ inſtar tranquillitate enecatus & contabeſcens, ac Calliſtheni libertorum uni ſe alendum, ſuamque ſenectutem cicurandam tradens, creditus fuit ab eo veneficiis & amatoriis poculis corruptus.

(14) *Cato Cenſorinus &c.]* Vitam ejus deſcriptam vide apud eundem Plutarchum *loc. d. à pag. 336.*

(15) *Soluti impeditioris fortunæ curis &c.]* Multi & ſunt, & fuerunt, qui tranquillitatem expetentes, à negotiis publicis ſe removerunt, ad otiumque profugerunt: in his & nobiliſſimi Philoſophi, longèque Principes: & quidem homines ſeveri & graves, nec populi, nec Principum mores ferre potuerunt, vixeruntque nonnulli in agris delectati re ſuâ familiari. His idem propoſitum fuit, quod & Regibus: ut ne quâ re egerent, ne cui parerent, libertate uterentur: cujus proprium eſt, ſic vivere ut velis. Quare cùm hoc commune potentiæ cupidorum, cum iis, quos dixi otioſos: alteri ſe adipiſci id poſſe arbitrantur, ſi opes magnas habeant: alteri ſi contenti ſint & ſuo, & parvo. In quo quidem neutrorum omninò contemnenda eſt ſententia. Sed & facilior, & tutior, & minùs aliis gravis aut moleſta vita eſt otioſorum: fructuoſior autem hominum generi & ad claritatem amplitudinemque aptior eorum qui ſe ad Rempublicam, & ad res magnas gerendas accommodarunt, uti Cicero *lib. 1. Offic.* cenſet.

Num. 9.

(16) *Bonum virum laudarent &c.]* Teſte Catone *de Re Ruſt. poſt princ.* Plinium &c. *Integrum locum ſuprà allegatum vide ad num. 7.*

Num. 10.

(17) *Tullius Hoſtilius &c.]* Incunabula Tullii Hoſtilii agreſte tugurium cepit: ejuſdem adoleſcentia in pecore paſcendo fuit occupata: validior ætas Imperium Romanum rexit, & duplicavit. Senectus excellentiſſimis ornamentis decorata, in altiſſimo Majeſtatis faſtigio fulſit, inquit Valerius Max. *lib. 3. cap. 4. num. 1.* Vitam ipſius deſcripſerunt Livius *lib. 1. Hiſtor. c. 22.* Dionyſ. Halicarn. *l. 3.* Eutropius *l. 1. c. 6.* Plin. *2. Nat. Hiſt. 35. & l. 28. c. 2. &c.*

(18) *Piaſto &c.]* Fuit hic, teſte Cromero *de Orig. & Reb. Geſt. Pol. lib. 2. quem vide*, Cruſviciæ oppidanus Caſſisconis Filius, ſtaturâ infrà mediocrem, craſſis atque robuſtis artubus, mediam ætatem ſupergreſſus, agello modico colendo & mellificio vitam ſuſtentans, homo ſimplex & juſtus, & beneficus tamen in egenos, atque hoſpitalis pro modo facultatum ſuarum.

(19) *Primislaum &c.]* Fulgoſ. &c. & præter hos Coſmas Pragenſis *in Chronic. Bohem. pag. 5.* Dubravius *lib. 2. Hiſtor. Bohem.* ubi de calceis, de quibus Author ex Ænea Sylvio mentionem facit, hæc habet: Cumque paulùm proceſſiſſet, Heu mihi, *inquit*, (*Primislaus*) manticulam, in qua obſonium inerat, & carbatinas, quibus calceatus eram, charas mihi exuvias, mecum auferre oblitus ſum, redeat oro unus aliquis in agrum, & ad me utraque referat. Qui retulit; quid eſt, *inquit*, Princeps, cur tanti æſtimes vilem perulam & agreſte calceamentum, abjicienda meâ opinione utraque potiùs, quàm oculis alicujus ingerenda, niſi rideri ob hæc à ſpectatoribus, quàm celebrari mavis? Imò celebrabor per iſta, *inquit*, magis, quàm deridebor, ſi fortunæ meæ ad poſteros monumentum reliquero, quo ſubmoniti ſucceſſores Principes, minùs olim intumeſcant. Valdè enim inſolens Princeps fuerit, quisquis crepundiis originis ſui tam agreſtibus conſpectis, tumorem animi & inflationem non ſepoſuerit. Hagecc. in der Hiſtoriſchen Beſchreibung deß Königr. Böhmen *parte 1. pag. 13. b.* Qui addit, tunc cùm Sigismundus Rex Vicegradum in ſuam poteſtatem redegerit, calceamenta hæc deperdita fuiſſe.

(20) *Aſſumptus fuit Diocletianus &c.]* Virum fuiſſe obſcuriſſimè natum, Eutropius *lib. 9.* Libertinum Annulini Senatoris, Sextus Aurel. Victor *in Epitom. Hiſtor. Auguſtæ pag. 765.* ſcribæ filium, Paulus Diac. *Hiſtor. miſcell. lib. 10. cap. 40. ibid. pag. 875.* fuiſſe perhibent. De paſtore verò ſilent. Hic tamen ipſe apud Nicomediam ſpontè Imperiales faſces relinquens, in propriis agris conſenuit; Ipſeque dum ab Herculio atque Galerio ad recipiendum imperium rogaretur, tanquã peſtem aliquam deteſtans, in hunc modum reſpondit; Utinam Salonæ poſſetis viſere olera noſtris manibus inſtituta, profectò nunquam iſtud tentandum judicaretis. Aurel. Victor. *dict. loc.* Paulus Diaconus *Hiſt. Miſcell. lib. 10. c. 44. in fin. & cap. 45.*

(21) *Paris, &c.]* De his Poëtæ & Stephanus *in Lexico Hiſtorico* conſuli poterunt.

Num. 11.

(22) *Artes &c.]* Impropriè tantùm agricul-

turam

turam artem dici, poſt alios monſtrat Joh. Gryphiander *Oeconom. Legal. l. 1. c. 17. n. 6.*

(23) *Hominibus reliquerunt &c.*] Ex inſtituto ſcilicet Romuli, de quo Dionyſ. Halicarn. *Antiquit. Rom. lib. 2. cap. 29.* videndus.

Num. 12.

(24) *Hujus artis præcepta ſunt &c.*] Scrofa, citante Varrone *de Re Ruſtic. lib. 1. cap. 5.* Agriculturæ, *inquit*, quatuor ſunt partes ſummæ: à queis prima cognitio fundi, ſolum, parteſque ejus quales ſint, II. quæ in eo fundo opus ſunt, ac debeant eſſe culturæ cauſâ. III. quæ in eo prædio colendi cauſâ, ſint faciunda IV. quo quicquid tempore in eo fundo fieri conveniat.

Num. 13.

(25) *Sine ſiderum cognitione &c.*] Benè monet Gryphiander *Oeconom. Legal. lib. 1. c. 17. num. 67.* Quamvis Aſtrologia ad agriculturam utilis ſit, tamen ſuperſtitionem abeſſe debere, quam improbat Eccleſ. *cap. 11. v. 4.* qui obſervat ventum, non ſeminat, & qui conſiderat imbres, non metet. Adde Plinium *Nat. Hiſt. l. 18. c. 22. & 27.* Caſman. *l. 1. Aſtrolog. 12. quæſt. 8.*

Num. 14.

(26) *Qualem ad Marathonem expertus eſt Darius &c.*] Pomponius Mela *lib. 2.* hanc Urbem magnarum multarumque virtutum teſtem cognominat. Ipſaque ſi non aliunde, certè ex pugna illa in campis ejus, ducenteſimo & ſexageſimo anno poſt Romam conditam, aut non longè ampliùs, teſte AGellio *lib. 17. Noct. Attic. cap. 21.* commiſſa, in qua Duce Miltiade decem millia armatorum Athenienſium cum auxiliaribus Platæenſibus contra Perſiæ Regis Darii peditum centū, equitum decem millia depugnantes, tantâ virtute valuerunt, ut decemplicem numerum hoſtium profligarint, adeoque perterruerint, ut Perſæ non caſtra, ſed naves peterent, (*Cornelius Nepos in Vita Miltiadis cap. 5.*) ſatis nobilitata fuit. Imò tanto animorum fervore certarunt de victoria Athenienſes, ut Callimachus eorum Ducum unus multis transfixus haſtis, etiam mortuus ſteterit. *Plutarchus in Parallelis Tom. 2. Oper. pag. 305.* Cynægirus verò miles itidem Athenienſis poſt prælii innumeras cædes, cùm fugientes hoſtes ad naves egiſſet, onuſtam navim dextrâ manu tenuerit, nec priùs dimiſerit, quàm manum amitteret; tum quoque amputatâ dextrâ, navem ſiniſtrâ comprehenderit; quam & ipſam cùm amiſiſſet, ad poſtremum morſu navim detinuerit. Sic tanta in eo fuerit virtus, dicente Juſtino *lib. 2. cap. 9. num. 19.* ut non tot cædibus fatigatus; non duabus manibus amiſſis victus; truncus ad poſtremum, & veluti rabida fera, dentibus dimicaverit. Adde Valer. Max. *lib. 3. cap. 2. num. 22.* De famoſa hac Marathonia pugna, præter jam citatos Authores, porrò conſulendi Herodotus *lib. 6. cap. 111. 112. ſeqq.* Plutarchus *in Ariſtide Tom. 1. Oper. pag. 321.* Pauſanias *in Veter. Græc. Deſcript. in Atticis ſive libro 1. pag. 39.* ubi inter alia recenſet: Accidiſſe in ea pugna, quòd vir quidam ſpecie atque habitu agreſti opem tulerit; qui cùm ex Barbaris quàm plurimos aratro interemiſſet, repentè evanuit: Neque verò quærentibus quisnam ille fuiſſet Athenienſibus, aliud reſpondit oraculum, quàm ut Echetlæum heroa colerent. Et hic fortaſſis equus ille Trojanus fuit, ex quo Authoris noſtri milites, quorum hic ligone armatus, alter vomere pugnabat, tertius falce in hoſtem ferebatur, prodiêre, cùm omnes ſupra laudati Hiſtorici de eo ſileant.

(27) *Quos munia diſtent &c.*] Fortunæ enim Hominum Publicis negotiis vel Dominorum ſervitio addictorum rota, ab aliis movetur, ſæpeque impellitur ad ea, quæ animus averſatur. Interim æquâ mente ſuperandum aut ferendum quicquid ſeſe adverſitatum obtulerit. Levius fit patientiâ, quicquid corrigere eſt nefas. Nec cum Seneca *lib. de Tranquill. animi*, ego negaverim aliquando cedendum: ſed ſenſim relato gradu, & ſalvis ſignis, ſalvâ militari dignitate. Sanctiores tutioreſque ſunt hoſtibus ſuis, qui in fidem cum armis veniunt. Hoc puto virtuti faciendum, ſtudioſoque virtutis; ſi prævalebit fortuna, & præcidet agendi facultatem; non ſtatim averſus inermisque fugiat, latebras quærens, quaſi ullus locus ſit, quò non poſſit fortuna perſequi: ſed parciùs ſe inſerat officiis, & cum delectu inveniat aliquid, in quo utilis civitati ſit.

Num. 16. ſeqq.

(28) *Procul quidem abeſt à foro &c.*] In eo nunc totus eſt Klockius noſter, ut agriculturæ ſtudium cæteris ferè omnibus præferat atque ad cœlum extollat, nihil interim omittens, quod commendationi innocentiæ ruſticorum conducere queat, in quo etiam multos & inter illos Tympium *in Spec. boni Magiſtratus ſign. 9. num. 5.* & Chaſſanæum *parte 11. Catalog. Glor. Mundi conſid. 37.* & Philipp. Zorerum in ſeinem Bedencken *quæſt. duodecima num. 899. ſeqq.* & Petrum Gregorium Tholozanum *de Republ. lib. 4. cap. 8.* & Gryphiandrum *Oeconom. Legal. lib. 1. cap. 17.* Sed addit Tholozanus *dict. loc. num. 9.* Hæc priſcis maximè obtinuerunt temporibus: verùm ætatibus poſterioribus, degeneravit probitas ruſticorum, ut in dies fient pejores, ſed noſtro potiùs vitio, ut ait Columella, qui rem ruſticam noſtram peſſimo cuique ſervorum, veluti carnifici noxæ, quàm majorum neſtrorum optimus quisque, optimè tractavit. Nunc certè ſunt ut plerumque mancipia, ſervi, coloni, mercenarii in exſugendis potiùs quàm colendis arvis intenti, quia ad illos conſervandis ac emendandis illis non pertinet, & facilè Dominos fallunt. Variæ inter illos fraudes in heros ſeu Dominos proprietatis, ad intercipiendas penſiones; in vicinos, ad terminos ſubmovendos; & in emptores rerum ſuarum promercalium. Tantumque vafricies eorum crevit, ut ſtultâ ſuperbiâ intumeſcant, & agreſti modo, & DEUM & homines contemnant, ut ruſticitatis appellatione, plerumque ſuperbia ſignificetur, & perfidia. Ita & definitur, juxta mores iſtos ruſticitas, ab Stobæo (*ſermone 4. ex Theophraſto*) inepta & deformis tarditas, ut appareat nunc agri cultores (pleroſque) non mereri nec laudem neque honorem, ſed inter vilia mancipia eſſe numerandos. His verbis à Majolo *Dier. Canicul. coll. 6. pag. m. 596.* recitatis: Interlocutorum alter reponit: Illiacos intra muros peccatur & extra. Nemo enim ſine crimine vivit. Reliquorum nimirum Ordinum corruptelæ velut ad imitandum propoſitæ, ſociam atque comitem quaſi ſibi adjungunt ruſticitatem, eamque adeò ad ſe attrahunt. Sua ergo ſibi quilibet imputet vitia &c. Adde & ipſum Tholozanum *ad præcedentis capitis n. 4.* citatum, & Gryphiandrum *Oecon. Leg. lib. 1. c. 17. n. 237. 238.*

Num.

Num. 23.

(29) *Joſeph ex agricolatione &c.]* Geneſ. *cap.40. v.47. ſeqq. & c.47. v.14. & 20. ſeqq.*

(30) *Enumerans &c.]* Apud Eccleſiaſten *cap.2. v.4. ſeqq.*

(31) *Sexaginta ſex auri talenta &c.]* De tantis Divitiis jam ſuprà hoc Tractatu *l.1. c.1. n.57. & Obſervat. 67.* actum.

Num. 24.

(32) *Joſias &c.]* Dedit præterea Joſias, inquit Sacra Scriptura *2. Paralip. 35. v.7.* omni populo, qui ibi fuerat inventus in ſolemnitate Phaſe, agnos, & hædos de gregibus triginta millia, boum quoque tria millia, hæc de Regis univerſa ſubſtantia. *Et p.p.* Porrò Helcias, & Zacharias, & Jahiel, principes domûs Domini, dederunt Sacerdotibus ad faciendum Phaſe pecora commixtim duo millia ſexcenta, & boves trecentos. Chonenias autem, & Semeias, etiam Nathanael, fratres ejus, nec non Haſabias, & Jehiel, & Jozabad, principes Levitarum, dederunt cæteris Levitis ad celebrandum Phaſe quinque millia pecorum & boves quingentos.

Num. 27.

(33) *Abraham &c.] Geneſ. 12. v. 2. & 16. cap. 13. verſ. 2.6. & 7. & c.7. v.15.16. 17. c.17. v.4. & paſſim.*

(34) *Jacob &c.] Geneſ. 28. v.14. cap.29.30. ſeqq.*

(35) *Moyſes &c.] Exod. c.3.*

(36) *Jobus &c.] Lib. Job. cap. 1. verſ. 3. &c.*

Num. 28.

(37) *Cyrus &c.]* Rem ſic enarrat Cicero in Catone M. *pag. 89. b.* Cyrum minorem (*nempe*) Regem Perſarum præſtantem ingenio atque imperii gloriâ, cùm Lyſander Lacedæmonius vir ſummæ virtutis veniſſet ad eum Sardis, eique dona à ſociis attuliſſet, & cæteris in rebus comem erga Lyſandrum, atque humanum fuiſſe, & ei quendam conſeptum agrum diligenter conſitum oſtendiſſe. Cùm autem admiraretur Lyſander & proceritates arborum, & directos in quincuncem ordines, & humum ſubactam atque puram, ſuavitatem odorum, qui efflarent è floribus, tum eum dixiſſe: mirari ſe non modò diligentiam, ſed etiam ſolertiam ejus, à quo eſſent illa dimenſa & deſcripta: & ei Cyrum reſpondiſſe, atqui ego iſta ſum dimenſus, mei ſunt odores, mea deſcriptio. Multæ etiam earum arborum mea manu ſunt ſatæ: Tum Lyſandrum intuentem ejus purpuram & nitorem corporis, ornatumque Perſicum multo auro, multisque gemmis, dixiſſe: Rectè verò te Cyre beatum ferunt, quoniam Virtuti tuæ Fortuna conjuncta eſt.

(38) *Seneca &c.]* Confirmet verbis ſuis hoc ſapientiſſimus Romanorum Seneca, *qui Epiſtolam ſuam 12. his exorditur.* Quocunque me verto, argumenta ſenectutis meæ video. Veneram in ſuburbanum meum, & querebar de impenſis ædificii dilabentis: ait villicus, non eſſe negligentiæ ſuæ vitium: omnia ſe facere, ſed villam veterem eſſe Hæc villa inter manus meas crevit. Quid mihi futurum eſt, ſi jam putria ſunt ætatis meæ ſaxa? Iratus illi, proximam occaſionem ſtomachandi arripio. Apparet, inquam, has platanos negligi, nullas habent frondes, quàm nodoſi ſunt, & retorridi rami? quàm triſtes & ſqualidi trunci? Hoc non accideret, ſi quis circumfoderet, ſi irrigaret. Jurat per Genium meum, ſe omnia facere, in nulla re ceſſare curam ſuam: ſed illas vetulas eſſe. Quod inter nos ſit, ego illas poſueram, ego illarum primum videram folium. Et alibi *lib.3. Nat. Quæſt.* diligentem vinearum foſſorem ſe affirmat.

Num. 29.

(39) *Tam magnam familiam &c.]* Ita ſcilicet Petronius ex more, ſi non ex vero, de Eumolpo ſuo facetiſſimâ narratiunculâ ſcripſit, notante Lipſio *de Magnit. Roman. l.2. c.ult.*

Num. 30.

(40) *Sic etiam Italiam à vitulis &c.]* Quemadmodum Varro *de Re Ruſt. lib. 2. cap. 1.* autumat; qui tamen eodem libro *cap.5.* à tauris, quos antiqua Græcia ἰταλοὺς appellare ſolebat, derivat, cui Columella *de Re Ruſt. lib. 6.* adſtipulatur. Junge Merulam *Geograph. parte 2. lib.4. pag. 9. ſeq.* inprimis Cluverium *Ital. Antiquit. cap.3.* qui ab Italo quodam, Siculorum tum has terras incolentium Rege, Thucydidem ſecutus, Italiæ nomen derivat.

(41) *Non niſi ex propriis fundis &c.]* Victus teſte Capitolino *cap.7.* Antonini Pii talis fuit, ut eſſet opulentia ſine reprehenſione, parſimonia ſine ſordibus, & menſa ejus per proprios ſervos, proprios aucupes, piſcatores, & venatores inſtrueretur.

Num. 32.

(42) *Princeps itaq; &c.]* Hoc argumentum eleganter pertractat Georgius Obrecht *in Secretis Politicis tit.11.* ubi tandem concludit: In ſumma cuique Magiſtratui ſemper diligens opera danda eſt: ut omnes ſui territorii partes benè expiſcetur & exploret, & exploratas eò deducat, ut etiam terra largiatur & effundat ea, quæ tam in ſuperficie comprehendit, quàm quæ intra terræ viſcera ſunt abſcondita, tenet. Terra enim dicitur γῆ: ſed meliùs nominatur γαῖα, ſecundùm Platonem: quia eſt Genetrix; & quia plurimos illis fructus ſuppeditat, qui eam ut Genetricem colunt & amplectuntur. Qui ipſe Obrecht Author fortaſſis eſt Conſilii, quod eſt inter Conſilia Argentoratenſia vol. 2. LXVIII. *ubi num. 45. ſeqq. vide.* Confer Zorerum in ſeinem Bedencken *quæſt. 12. n. 915. ſeqq.* Joh. Ruremundum *in Mammona c.25.* Anonymi Bedencken / welcher Geſtalt ein verdorben Land wieder aufzubringen / *impreſſum Anno 1636. pag 14. ſeqq.*

Num. 33.

(43) *Novalia &c.] Novale*, eſt ager nunc primùm præciſus, *uti eſt in cap. 1. extrà de V.S.* ſive ut Innocentius III. P. R. *in cap. quid per noval. 21. extrà eod. tit.* loquitur: Novale intelligitur ager, de novo ad cultum redactus, de quo non exſtat memoria, quòd aliquando cultus fuiſſet. De quibus & eorum Decimis inferiùs quædam dicenda erunt.

(44) *Neglectos agros coli &c.]* Eo fine in Ordinationibus Politicis inclyti Ducatûs Wurtembergici ſingulare officium der Feldſtützler introductum fuit; quod conſiſtit in eo, ut videant, ne agri, vineæ, &c. malè colantur; ſic enim *in tit. 47. §. 1.* der Land-Ordnung ſancitur: Damit unſere / auch der Wittwen / Waiſen / Pfründen und andere Pflegereyen / und Unterthanen / einig und Landgebige Güter / von den Bauleuten / wol und nützlich jederzeit gebauet / und der gemeine Nutz dardurch befördert werde; So befehlen und wöllen Wir / daß unſere Amtleut und Gericht / in jeder Stadt und Amts-Flecken / drey oder vier Perſonen / nach Gelegenheit jeder Stadt und

Fleckens /

Fleckens / ſo deß Ackers und Weingartbaus Bericht/ die zwey von Gericht / die andere vom Raht oder Gemeind/ zu rechten Feldſtützlern ſetzen und verordnen/ auch mit Pflichten und Eiden beladen ſollen / zu allen Orten und Arbeiten deß Acker und Weingartbaus/ durch das gantze Baufeld / am Acker und Weingart/ zu gehen / auf ſolche Bau und Landgebige Güter zu ſehen/ ob die zu jeder Art recht gebauen / und wo ein Art unterlieſſen/ oder in Bau gebracht/ denſelbigen bey ſonder aufgeſetzter Straff zu einen Abtrag deß Unbaus und Schadens nach Gelegenheit und Geſtalt der Sachen / zu geben erkennen/ und hierunter niemand verſchonen. *Et §. 3.* Und dieweil auch mancher befunden wird / der ſeines Faullentzens oder Fahrläſſigkeit halber/ ſeine eigene Güter in Unbau gerahten läſſt / welches nicht allein ſolchen Leuten / ihren Weib und Kindern ſondern auch dem gemeinen Nutzen nachtheilig/ ſo wollen Wir/ daß auch gleicher Geſtalt mit eines jeden ſelbſt eignen Gütern/ ſo einer ihme ſelber bauet / den Unbau nach/ wie oben/ mit der Straff erkennt und gehandelt ſolle werden. Ad quam Ordinationem commentantem Chriſtophorum Beſoldum *in Commentario* über die Fürſtl. Würtemberg. Lands-Ordn. *pag. 164. ſeqq.* vide, & junge Authorem noſtrum *infrà hoc Capite num. 46. 47. & 51.*

Num. 36.

(45) *A Cæſare &c.] Lib. 4. & 6. de Bello Gallico.*

(46) *A Tacito &c.]* Ille libro de Germania, quam, *uti ex cap. 27. n. 4. ejusdem libri apparet,* ſecundo Trajani Conſulatu, i. e. primo Principatûs ejus Anno compoſuit, ſic Germaniam veterem *cap. 2. num. 2.* depingit: Quis porrò præter periculum horridi & ignoti maris, Aſiâ, aut Africâ, aut Italiâ relictâ, Germaniam peteret? informem terris, aſperam cœlo, triſtem cultu aſpectuque, niſi ſi patria ſit. Et *2. Annal. 24. num. 1.* Truculentia cœli præſtare Germaniam ait. Et *cap. 5. num. 1.* Terra etſi aliquanto ſpecie differt, in univerſum tamen aut ſylvis horrida, aut paludibus fœda, humidior quà Gallias, ventoſior quà Noricum ac Pannoniam aſpicit: ſatis ferax frugiferarum arborum impatiens, pecorum fœcunda, ſed plerumque improcera &c. Similiter Seneca *de Providentia cap. 4. inquit:* Perpetua illos (*Germanos*) Hyems, triſte cœlum premit, malignè ſolum ſterile ſuſtentat *&c.* In quo veteres plerique conſenſerunt. Sed utinam reviviſcerent, inquit Lanſius *in Orat. pro Germ.* & ipſimet oculatâ fide, omnem, quanta quanta eſt, Germaniam jam diſpicerent; tot florentiſſimas Provincias, tot muniтiſſimas & præclariſſimas urbes, tot vicos amœniſſimos, tot agros omnium frugum fertiliſſimos, tot fodinas auri, argenti, plumbi, ferri, & omnium metallorum ditiſſimas; tot denique in Martio & victore populo ſcientiarum & virtutum gloriâ longè Principe, ampliſſimas Regum, Archiducum, Ducum, Marchionum, Landgraviorum, Comitum, Baronum, Equitum, familias; & quicquid in felicitatis Germanicæ theatro ſpectatorem morari, & in ſtuporem conjicere poteſt, accuratè conſiderarent: nullus dubito, quin illi redivivi & Orci liberti, veritatis lumine & rei novitate attoniti, in hanc ſententiam liberè faſſuri ſint: *Nos Romani in multis olim in hoſtium vitia creduli, in non paucis etiam ingenii noſtri figmento injurii fuimus; ſed in plerisque hoc omnibus ſenſibus convicti nunc teſtamur, Germaniam hodiè eſſe aliam &c.* Confer, præter Commentatores in Taciti Germaniam, Cluverium *German. Antiquit. lib. 1. cap. 12* Zeillerum *in Itinerario Germ. lib. 1. cap. 1. ubi ex Lehmanno notat, hodiè circumcirca Landaviam intra duo milliaria, non longè à flumine Rheni CCCL. vicos pagosque, qui ad nundinas ſingulis ſeptimanis inſtitutas ibidem commeant, ſitos eſſe.* Berneggerum *in quæſt. Polit. ex Taciti G. & A. quæſt. 5. qui ibidem in cauſas hujus mutationis inquirit.*

(47) *Nec Urbes &c.]* Vide jam laudatum Cluverium *d. loc. cap. 13.* & Bernegger. *dict. loc. quæſt. 82.* ubi affirmat, urbes multas in Principatu eſſe, easque cinctas mœnibus prodeſſe; & Dn. Conringium *de Urbibus Germanicis inter alia θ. 24.* ubi defendit, Germaniam nullam habuiſſe Urbem ante quintum ſeculum Chriſtianum; ſequentibus usque ad ſeculum nonum temporibus paucas itidem vel propè nullas exſtructas fuiſſe à Germanicis populis, qui certè Germanico ſolo non egreſſi ſunt &c.

(48) *Nec panem habuerit &c.]* Id ſolùm de Germanis Cæſar *lib. 4. de Bello Gallico* ſcribit: Non multùm frumento, ſed maximam partem lacte atque pecore vivunt: multumque ſunt in venationibus. Et *d. loc. lib. 6.* Agriculturæ non ſtudent; majorque pars victûs eorum in lacte, & caſeo, & carne conſiſtit. Et Tacitus *Germ. cap. 23. num. 2.* Cibi ſimplices, agreſtia poma, recens fera ac lac concretum. Ad quæ Germaniæ recentioris decus, Dn. Conringius *in Diſſert. de Germanicorum corporũ habitûs veteris noviq; cauſis,* hæc commentatur: Non ego cum Æthiopibus illis longævis frumentum & panem ſtercus duxerim, eoque ejus uſum officere vitæ aſſenſerim, memoriam tamen veterem repetentibus id penè apparet, omnes annorum & ſtaturæ longitudine eximios olim parciore frumento victitaſſe. Æthiopibus certè illis, qui Cambyſis tempeſtate crediti mortalium maximi & pulcherrimi, pro cibo caro cocta fuit, pro potu lac, ſi fides habenda iis, quæ narrat Herodotus *lib. 3.* Hæc ille, qui in ſequentibus de lactis nutrimento pluribus diſſerit, ubi vide.

Num. 37.

(49) *In Comitatu Sarvverdano &c.]* Conſilio nempe Nobiliſſimi Viri, Johannis Philippi Streiffii à Lawenſtein, quod notat Latherus *de Cenſu lib. 3. cap. 5. n. 28.* & Obrecht *in Secret. Pol. tit. 11. n. 17.*

(50) *Strabo &c. lib. 4.]* Verba ejus ſic ſonant; Nulla ipſius (*Galliæ ſcilicet*) pars inculta jacet, excepto duntaxat, ſi quid paludes ac ſylvæ coli prohibeant.

Num. 38.

(51) *Si hodie Strabo Galliam perluſtraret &c.]* De Galliæ Fertilitate & beatitudine jam ſuprà *ad lib. 1. cap. 7. n. 9. Not. 7. & n. 12.* quædam notavimus.

(52) *Fuldenſis &c.]* De Fulda, ſive Fuldenſi Monaſterio, aut, ut in Caroli M. Diplomatibus reperitur, *Monaſterio Sancti Salvatoris in Sylva Buchonia ſito;* potentiſſima Ordinis & inſtituti D. Benedicti Abbatia in Buchonia Germaniæ tractu, inter Haſſiam, Franciam Orientalem, & Wetteraviam ſito, ad amœniſſimum ac piſculentiſſimum ejusdem nominis fluvium, & intra ejusdem nominis præclaram Civitatem, amœniſſimo loco fundatâ & conſtructâ Anno Domini DCCXLIV. multa notavit Bruſchius *in centuria 1. Monaſtr. pag. 56. b.* Zeiller. *in Itiner. Germ. cap. 30. p. 625. & in Topograph. Haſſiæ pag. 36. ſeqq.* Præterea

notum

notum eſt, Abbatem Fuldenſem Imperatricis Auguſtæ eſſe ArchiCancellarium; cujus officii eſt, ut quotiens Imperatricem ſive Reginam Romanorum coronari, aut in veſte Imperiali, ſeu Regia ſedere, vel ſtare contigerit, Ipſe coronam, quoties ea, ordine vel more poſcente, à Capite Imperatricis deponenda, eandem deponendi, tenendi, & reponendi fungatur officio. *Carolus IV. in Conſt. de Offic. ArchiCancell. Imperatr. in Coronat. ejus apud Goldaſt. tom. unic. Conſt. Imperat. pag. 344.* De Præcedentia verò & ſeſſione Abbatis Fuldenſis D. Jacobus Andreas Cruſius *Tr. de Jure* προεδρίας *c. 17. p. 273. ſeqq.* agit.

Num. 39.

(53) *Solertiam Belgarum imitetur &c.*] Loquatur pro nobis Martinus Schoockius *Belg. Fœder. lib. 8. cap 12.* Omnium (*ſcilicet & colonorum, & agrorum proprietariorum, de quibus in præcedentibus dixerat*) hoc ſtudium eſt, ſi agros ſteriliores nacti fuerint, eos meliores ſucceſſoribus ſuis relinquere; unde factum, ut quantumvis magnis oneribus præcedentibus annis, tum agri reſtibiles, tum pecora quoque per prata vagantia, fuerint gravata, agrorum tamen Domini nihil detrahi ſenſerint ſuo canoni, ſed potiùs de anno in annum haud refragantibus colonis adauctus fuerit. Per hanc curam tum Dominorum fundi, tum etiam colonorum factum, ut agri ericeto olim accenſi, hodiè aut lætiſſimas ſegetes proferant, aut gratiſſima paſcua pecori ſuppeditent. Qui agros ita emendant, propriâ Belgarum formulâ dicuntur Land aen Maecken; in hoc verò ſic excellunt Fœderati Belgæ, ut ſæpe intra paucos annos, ubi antè aut ericetum, aut ſteriles arenæ conſpiciebantur, ſegetes, aut paſcua compareant. Nec hoc ſilentio prætereundum eſt, Belgas Fœderatos maximè Hollandos, ſingulari induſtriâ atque laborioſâ patientiâ paludes ſcire exſiccare. Teſtis poteſt eſſe majori ſuâ parte Borealis Hollandia, in qua villæ ſumptuoſæ, & Domus ſuperbæ, eo loco oſtentantur, ubi antea navigari ſolebat. Teſtes quoque ſunt varii lacus Amſtelodamo vicini. Quia verò his agris recenter emergentibus, aliqua ferè immunitas ſolet à parte onerum publicorum concedi, magno pretio locantur, recentique illo uliginoſo ſolo plerumque admodùm pingui exiſtente, tum fundi Domini, tum etiam coloni breviſſimo temporis ſpatio rem magnam faciunt. Ut haud mirandum ſit, incolas harum Provinciarum lucro faciendo admodùm diligenter vacantes, ea etiam aggredi, quæ natura negaſſe videtur, ac conari eos lacus exſiccare, (notum, quid acciderit circa lacum Nardenſem, & adhuc agitetur de lacu Harlemenſi) qui occultos ad majus mare aditus habent, ſuamque induſtriam & laborem Galliæ etiam atque Angliæ, nec non Boruſſiæ & Pomeraniæ communicaſſe. Immenſa autem hæc opera, (ad quæ antiquitas, ſi ea explorata habuiſſet, jure meritò obſtupuiſſet) molendinorum ſubſidio peraguntur, in quibus conficiendis & aptè diſponendis jam olim tam induſtrii Belgæ fuerunt, ut Cardanus, vir maximus, quum aliquando in Belgium excurriſſet, nihil æquè atque has ſimilesque molas admiratus fuerit.

Num. 43.

(54) *Romani enim agros &c.*] Cujac. *ad l. 5. C. de omni agro deſer.* & Appianus *lib. 1. Bell. Civil.*

Num. 45.

(55) *Herodiano &c.*] *Lib. 2. Hiſt. c. 15. p. m. 54.* quæ verba Cuſpinianus in vita Ælii Pertinacis *pag. 52.* retinuit.

(56) *Agros Domino ceſſante deſertos &c.*] Hanc ipſam materiam Author noſter infrà *libro hoc ſecundo cap. 48. n. 8. ſeqq.* quoque tractat.

Num. 48.

(57) *Plutarchus in Numa &c.*] Ubi *pag. m. 71.* ſic ſcribit: Videtur verò planè hic Rex agrum Romanum terminaſſe, quum noluiſſet Romulus menſurâ proprii prodere rapinam alieni: ſiquidem compedes terminos eſſe, ſi ſervarentur, virium & injuriæ indicium, ſi non ſervarentur. Neque ſanè latus initio ager fuit Romanus, ſed eum magna ex parte quæſivit Romulus bello, quem diviſit totum Numa egenti plebi, quò præciſâ injuriæ neceſſitate inferendæ, inopiâ traductum ad colendos agros populum arva mitigarent. Quippe inſtitutum aliud nullum tam acrem amorem & celerem inducit Pacis, quàm vita ruſticana, quæ ex audacia bellica, quatenus propugnatio poſtulat proprii, retinet, libidinem violentiæ & rapiendi reſecat. Quamobrem agriculturæ Numa, & quietis illecebris implicans cives, atque hanc ut morum magiſtram potiùs quàm opulentiæ conciliatricem amplectens, diſtribuit agrum in partes, quas pagos vocavit; ſingulisque cuſtodes præfecit & arbitros. Interim inſpexit ipſe eos, atque ex operibus conjecturam capiens de moribus civium, alios ad honores & authoritatem provehebat, ſocordes & ignavos caſtigabat probris & conviciis.

(58) *Ærarius ſit &c.*] In *ærarios* relati, inquit Philipp. Caroli *ad hunc AGellii locum*, ſuffragio privabantur, ex albo Cenſuræ ſuæ eradebantur, redigebanturque in numerum Capite cenſorum; nec militiæ ampliùs poterant adſcribi, quæ graviſſima fuit ignominia.

Num. 51.

(59) *In Ordinationibus Provincialibus &c.*] Qualis in Ducatu Wurtembergico promulgata ſuprà *ad n. 33.* adducta fuit.

(60) *Gail. lib. 1. Obſ. 26. n. 9. &c.*] Ubi probat, ocularem inſpectionem omnium probationum firmiſſimam eſſe; quod & Tiraquellus *loco citato* intendit.

Num. 52.

(61) *Agrimenſores &c.*] De quibus tractat Keller. *de Offic. Jur. Polit. lib. 1. cap. 11.* Speidel. *in Speculo voce* Feldmeſſen ꝛc. Joh. Oetinger *de Jure & Controverſiis limitum &c. lib. 1. cap. 16. per totum*, Dn. Mylerus ab Ehrenbach *Metrologiæ cap. 13.*

(62) *Rectâ viâ conveniri poſſe &c.*] Oldendorpius *ab Authore noſtro citato loco* cenſet, hanc actionem ideò competere, quoniam functio metiendi agri planè expoſita ſit fraudibus, & ſemper ferè deciperent menſores, niſi intelligerent ſeſe teneri ex fraude ſua. Atque ut omni dolo eò meliùs obviam eatur, ferè antequam ad officium agrimenſoris adhibeantur, certâ juramenti formulâ de illo ſine dolo exercendo conſtringi ſolent; qualem formulam Oetinger. *d. l. n. 15.* exhibet. Demum ex Hieronymo de Monte *de Fin. Reg. c. 33. n. 5.* notandum, quòd tunc doloſè dicatur fieri, quando malo animo aliquid fit; & quando bonâ fide, dicatur per errorem.

Num. 54.

(63) *Vindicant Imperatores &c.*] Pertinet huc articulus 69. in der Reuter-Beſtallung zu Speyer *Anno 1570.* aufgericht: Item/es ſoll auch keiner

keiner kein Pflug berauben / noch Mühlen / Backöfen / und was zu gemeiner Nohtdurfft dienſtlich iſt/ es ſey Freunden oder Feinden zuſtändig / ohne Erlaubniß / beſchädigen oder zerbrechen/ noch kein Wein/ Korn oder Meel muthwilliger Weiß auslauffen laſſen/ verderben oder zu Schaden bringen / bey Leibs Straff. Sed inter antiquatas Leges hæ ſimilésve leges à militum infrenata inſolentia referuntur , proh dolor! Nusquam enim plus gemituum & ſuſpiriorum auditur, quàm quà milites tranſitum faciunt. Quod ruricolæ omnes experiuntur, deque iis anxiè conqueruntur, quandoquidem viri militares plerique hodiè militiam, (*ut verbis Taciti in Agricola cap.5.n.2. utar*) in laſciviam vertunt, & diſciplina militaris ubique languet, ſi non planè exſpiravit.

Num. 55.

(64) *Apud Indos &c.*] Junge Ammiratum *Diſſert. Polit. lib. 12. diſc. 3. pag. m. 359.* à Lathero *de Cenſu lib.3. cap.6. n.57.* allegatum, ut & Chaſſanæum *in Catalog. Glor. Mund. parte 11. Conſid. 37.* Renat. Choppinum *de privil. ruſtic.* Jacobum Menoch. 2 *de A. J. Q. caſ. 194.* Ariſm. Tepat. *Deas. tit. 109.* Joh. Gryph. *in Oeconom. legal. lib. 1. cap. 17. n. 26. 27. & 61.*

(65) *Beliſarius &c*] De cujus putativa cæcitate atque paupertate poſt maximos geſtos honores, vide, ſi lubet, quæ notavi ad Politici ſcelerati *cap. 20. pag. 206. ſeqq.*

Num. 56.

(66) *Friderici II. &c.*] In ipſis uſibus Feudorum numerus II. quidem appoſitus non eſt, ſed quum in fine legatur approbatio Pontificis Honorii, exinde facilè colligitur, Imperatorem fuiſſe Fridericum II. Sueviæ Ducem contra Ottonem Anno MCCXII. electum; Pontificem verò Honorium III. Anno MCCXVII. Papam renuntiatum, à quo ille Fridericus ſummo cum apparatu conſecratus Auguſtusque appellatus fuit, ut Cuſpinianus & Ciſnerus *in vita illius obſervant.* Obiter hîc notari liceat, in cæteris Fridericorum Imperatorum Cæſarum numeris mirum quantum variare Authores Hiſtoricos, certum verò ipſorum numerum Hiſtoricum & Cæſareum Bibliothecarium Illuſtriſſimum Dn. Petrum Lambecium *in Addit. 1. Diar. Sacr. itin. Sacr. Cell. pag. 217.* conſtituere hoc modo I. Fridericum Barbaroſſam, qui Anno MCLII. ex Duce Sueviæ in Imperatorem electũ. 2. Fridericum noſtrum II. cujus Imperialis Majeſtatis natalem à morte demum Ottonis IV. (quæ in Annum MCCXVIII. incidit) contra quem Anno MCCXII. electus, numerat. 3. Fridericum cognomento Pulchrum contra Ludovicum Bavarum Anno MCCCXIV. electum, qui à reſtituta inde libertate à Bavaro, cujus captivus fuerat, pari cum illo poteſtate Imperium Germanicum gubernavit, proindeque immeritò è catalogo Imperatorum excluditur, quod ibidem diplomatibus & rationibus demonſtrat. 4. Fridericum Ducem Brunsvicenſem & Luneburgenſem abdicato Wenceslao Ignavo Anno MCCCC. ſuffectum. 5. Fridericum Maximiliani I. Imp. Parentem. Quem omnino Authorem de Authentico Diplomate præſertim, quo Imperatorum Friderici & Ludovici Bavari Reconciliatio, & de S. Imperio Romano pari poteſtate adminiſtrando Concordia continetur, conſule.

(67) *Saxonum Jure perſeverat &c.*] Colligit fortaſſis Author hunc de Saxeo Saxonum Jure opinionem *ex text. in art. 13. lib. 2.* **Landrecht v. Alle Mörder und die den Pflug berauben ꝛc.** die ſol man alle radebrechen / putatque exinde ſequi, fures hosce, qui ex aratris vomeres, equos, vel ipſa aratra furantur, rotâ contundendos eſſe, ſed monſtrat Carpzovius *in Praxi Crim. part. 2. quæſt. 88. n. 48. 49.* hujus farinæ fures perinde ut alios arbitrariè, ſcilicet carcere, mulctâ pecuniariâ, relegatione, fuſtigatione puniendos, aut etiam ſi furtum excedat ſummam quinque ſolidorum laqueo ſuſpendendos; hocque in foro Saxonico quotidie ſic practicari. Junge in der P. H. O. Caroli V. *art. 167. & ad eum Commentatores.*

(68) *In Lateranenſi Concilio &c.*] Verba hac de re *in c. Innovamus x. de Treuga & Pace,* ſic ſonant: Innovamus, ut presbyteri, monachi, converſi, peregrini, mercatores, *Ruſtici*, euntes vel redeuntes, *vel in agricultura exiſtentes*, & animalia, quibus arant, & ſemina portant ad agrum, congruâ ſecuritate lætentur.

Num. 75.

(69) *Antequam in nequitias dilaberetur &c.*] Morum quoque tempora Tiberio diverſa: egregium vitâ famâque quoad privatus, vel in imperiis ſub Auguſto fuit, occultum ac ſubdolum fingendis virtutibus, donec Germanicus ac Druſus ſuperfuêre. Idem inter bona malaque mixtus, incolumi matre: inteſtabilis ſævitia ſed obtectis libidinibus, dum Sejanum dilexit, timuſtive: poſtremò in ſcelera ſimul ac dedecora prorupit, poſtquam remoto pudore & metu, ſuo tantùm ingenio utebatur, inquit Tacitus *6. Annal. 51. num. 5. ſeqq.* Adde Excellentiſſimi Bœcleri Diſſertationem in Suetonii Tiberium Cæſarem, ubi has viciſſitudines eleganter & politicè explanat.

Num. 63.

(70) *Lex Licinia &c.*] Cùm multæ Liciniæ leges extiterant, videl. Lex Licinia *de cooptatione Sacerdotum*, alia *de fœnore*, de *Ludis Apollinaribus*, de *Sumptibus* alia, alia *de tempore inferendis Legibus*, Item Lex Licinia & Mucia *de Civitate*, (*de quibus Manutius de Leg. Rom. paſſim, & Antonius Auguſtinus itidem de Legg. videantur*) ad differentiam harum hæc Lex Licinia, cujus Author noſter meminit, dicta fuit, *de agris;* hâc nemini ultra D. agri jugera (*Livius lib. 6. cap. 35.*) neque pecoris majoris ultra C. minoris ultra D. capita (*Appianus lib. 1. bell. civ.*) licuit habere. At paulò pòſt ipſe C. Licinius Stolo, à M. Popilio Lenate ſuâ hac lege decem millibus æris (*C. Coronatis*) eſt damnatus, quòd mille jugerum agri cum filio poſſideret, emancipandoque filium fraudem legi feciſſet. Quod Livius *lib. 7. cap. 16. in f.* notat. Confer Auguſtinum *de LL. pag. 100.* Paulum Manutium *de LL. pag. 91.*

Num. 64.

(71) *Lipſius de Magnit. Rom. lib. 2. cap. 1. &c.*] Ubi docet, vectigal hoc propriè & vulgò SCRIPTURAM appellatum; & Scripturarium agrũ publicum dictum, in quo ut pecora paſcuntur, certum æs eſt, quia publicanus SCRIBENDO conficit rationem cum paſtore. Junge Authorem noſtrum *Capite 2. ſequenti n. 22.*

Num. 65.

(72) *Solarium &c.*] Vide *l. 8. §. 17. ff. Ne quid in loc. publ.* &c.

Num. 67.

(73) **Vorwercks-Gebäu ꝛc.**] De quarum ædificiis & quomodo ritè exſtrui & inſtrui queant, & quid in illis emendis obſervandum, latè Sebizius **von dem Feldbau** *lib. 2.* Colerus *in Oeconom. lib. 4. cap. 10. ſeqq.* **Furttenbach von Meyerhofs Gebäuen** / docent.

Num. 86.

(74) *Proventus aut frugis &c.]* Hi aliàs ſub generali nomine fructuum in hac materia venire ſolent, & diſtingui inter fructus *naturales* & *induſtriales*. Appellanturque *naturales*, qui ſine ulla cultura producuntur, ut ſunt fructus arborum, &c. Induſtriales, quos operis & laboribus noſtris cooperante tamen naturâ producimus, ita ut terra det materiam, induſtria formam, & vel ex opera & terra ſimul. Hi iterum ſunt vel aridi vel liquidi. Quorum duo ſumma genera ſunt Frumentum & Legumen &c. Gryphiander *Oeconom. Legal. lib. 1. cap. 17. n. 91. ibique n. 96. ſeqq. de frumenti appellatione generali & ſpeciali cæteriſque 5. ab Authore noſtro adductis farre, ſiligine, tritico, hordeo &c. tractat.* ubi vide.

Num. 69.

(75) *Legumina &c.]* Confer jam jam laudatum Gryphiandrum *d. loc. n. 113. ſeqq.*

Num. 74.

(76) *Joſaphat &c.]* 2. Paralip 17. v. 10. ſeqq. &c.

CAPUT II.

Ærario augendo inſervit ſylvarum cæduarum, incæduarum, & lignorum cura.

SUMMARIA.

1. Sylvæ cæduæ *& incæduæ utilitas:* Fundus *& ſimilia ſive in planitie, ſive in montibus,* num. 2.

3. *Utilitas varia* lignorum cæduorum *& neceſſitas.*

4. Sylvarum *certis anni temporibus cædendarum cura; earum jus regium; & cura nemorum inter ſummæ politiæ curas ob ſecuritatem itinerum & utilitatem communem conſulibus etiam demandata, ibid.*

5. Cædes ſylvarum *ſupplantandis novellis ſtirpibus reſtauranda, &* num. 7.

6. *Contra* devaſtatores nemorum *& ſylvarum ligna, probam monetam, & ſynceros amicos ſæpè deſiderari & deficere: ibid.*

8. *Ex* Norvegiâ *longè latèque devehuntur arborum robora pro neceſſitatibus diverſis; ubi & de* Cedrorum *proceritate laudatiſſima.*

9. Ficus *cæterarum arborum antiquiſſima; Cur Chriſtus Ficui maledixerit?* num. 10.

11. Ficus *aptum Synagogæ Judaicæ ſymbolum.*

12. Salicetorum *in multis locis oportuna utilitas.*

13. Sylva *incædua quid ſit.*

14. Sylvarum *& montium arbores ſteriles, non tamen inutiles.*

15. *De iis, qui alienas* arbores *aut* viviradices *ubivis locorum ſucciderint; eorumq́; pœnis.*

16. Carbones, prunæ, *titiones ex lignis coctis.*

17. Carbones foſſiles *uſus & utilitas: Hiſce etiam fornax, calcaria & ſalinæ excoquuntur.*

18. Menſura *certa carbonum & lignorum; pretiumq́;.*

19. Ceſpites *è paluſtri terra effoſſi magno uſui ſunt.*

20. De mercatibus lignariis, *nemo hiſce carere poteſt.*

21. Prata, Fœnum, Pabula *quid differant, & unde colligantur.*

22. Paſcuorum *ratio & utilitas pro privatis & Magiſtratu.*

23. *Ex* paſcuis publicis *Curia Regia Neapolitana quotannis magnos reditus colligit.*

24. Animalia *immittens in paſcua vel ſylvam Principis, ſi non habeat jus paſcendi, illa Fiſco addicuntur: Quod ſingulare eſt in paſcuis Principis,* num. 25. *jure communi Domino fundi læſo datur jus retentionis animalium, & actio ad damni emendationem,* num. 26.

27. Animal *abigendo lædens, damnum reſarcire tenetur.*

28. Animalia *in alieno prædio reperta pro damno dato reſarciendo retineri poſſunt.*

29. *In* notorio *non tam judex, quàm juris executor offenſus dicitur.*

30. Proceſſus *duntaxat ad facti informationem indagationemque eſt inventus.*

31. Magiſtratus *turbantes ſuam Juriſdictionem abſque ſtrepitu judicii captis pignoribus & mulctis coërcere poſſunt.*

32. Weidgeld quid.

33. Jus paſtoralitium *dandi bacillum vel virgam.*

34. Decimæ Novalium Neu-Bruch zehenden / *an Statibus Imperii competant, &* num. 37. *Jure Canonico Parochis penduntur,* num. 35. *Quando ad Epiſcopum pertineant,* n. 36.

38. Ausſtocken *non permittunt Domini Juriſdictionem foreſtalem habentes.*

39. Saltus *quid ſint?*

40. Jurisdictio Foreſtalis *quid comprehendat?*

41. Forſters und Jägermeiſters *diſtincta officia ſunt.*

42. Diverſitas *nominis diverſitatem rei arguit.*

43. Jus venandi & ſaltuarios conſtituendi *diverſa & ſeparata jura ſunt: &* num. 44. *Præjudicia Cameralia,* n. 45.

46. Jagt-Haber *ejus eſt qui jus foreſti habet.*

47. Maß-Forſt-Holtzgeld.

48. Jus glandis legendæ *an competat Domino proprietatis, vel ei, qui jurisdictionem foreſtalem habet.*

49. Wild-Obs *Juri Foreſtali cohæret.*

50. Windbrüche und Windfälle ad quem ſpectent.

51. Forſt-Wald-Jagt- und Weidwercks-Ordnungen / ſive Ordinationes Principum & bannimenta ſylveſtria: & num. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 67. 68. 69. 70.

Rem magnam Sylvæ præſtant, & Adonidis horti,
Fructiferumque parit commoda multa nemus.
Nec tantùm Fauni, Dryades, Satyrique petulci
Hinc ſua, ſed quivis fœnora Cenſor habet.

MONO-

MONOSTICHUM TROCHAICUM.

Succreſcit ideo ſylva, ut fiat cædua.

1 Agriculturæ munus non ſolùm concernit agros & vineas; ſed & ſylvas, lucos, nemora, ſaltus, ſaliceta, fruteta (vel fructeta, fruticeta) hortos, paſcua, adeoque omnia bona ruralia immobilia, ad fundum ſeu prædium pertinentia ſub ſe comprehendit. Fundi enim appellatione hîc continentur agri, prædia, villæ, paſcua, vineæ, oliveta, horti publici, & omnes poſſeſſiones, quæ conſervandæ Reipub. cauſâ ideò reſervata, ut eorum fructus in Ærarium colligantur. Renat. Choppin. *lib. 3. de Domanio Franciæ tit. 22. num. 6.* Natta *conſil. 357. num. 8. & ſeq.* Heig. *parte 1. quæſt. jur. 25. num. 23.* Meichſner *tom. 3. decis. Cameral. 33. n. 85.* Illaque fundorum, vallium, montium, campi & ſoli cultura comprehendit etiam ſylvarum cæduarum curam, in planitie & montibus. Quan-
2 tum enim interſit publicè ſylvas cæduas (quæ in hoc habentur, ut cædantur, & quæ ſucciſæ rurſus ex ſtirpibus vel radicibus renaſcantur, *l. 30. ff. de V. S.*) groſſe Häydenwälde und Büſche/ in ſua Repub. colere, quis eſt, qui
3 non videat? Ex hiſce enim materiam ſuppeditari oportet, ad tecta & ædificia, ligna, aſſeres, axes, (ſive lignum teres, circa quod rotâ currus agitatur & volvitur) tabulas ſectiles Latten / aliaque ligna attenuata & concinnata, tigilla vel tranſtilla, quæ tecto ad tegulas opponendas aptantur: Item ad coquendum, comburendum, ad braxandum & ad varias pyrotechniæ & chymiæ operas, vulgò Bau- Braue- Back- Brennholtz: Item Klötzer zu Bretmühlen/ ut taceam de pice, & aliis emolumentis, quæ ex arboribus & radicibus colliguntur, Pech zu brennen aus den Kienſtöcken. Quibus adminiculis nulla Respublica, nulla Civitas, nullum oppidum, nullus vicus, nulla familia carere poteſt; Idcoque multum pecuniæ ex hoc medio honeſtè congeri, & Ærario inferri poteſt, præſertim, ſi nemora ad gratiam Solis attendeantur, & certis temporum ſpatiis ligna cædantur, daß die Höltzer in gewiſſe Häu abgetheilet werden / & uſus non abuſus ſylvarum præ oculis habeatur.

Uſus habet laudem, crimen abuſus habet.

Bellè novitius Poëta:

Cædua ſylva parit domibus ligna apta locandis:
Arbore ſulcamus mare: terram vertimus: ædes
Ædificamus, & arbore vaſa paramus in uſus,
Sculpimus & ſtatuas abacosq;, gradusq;, cathedrasq;,
Atque pavimentum, telonem, pegma, totasque
Obbas cum vannis, mactras, menſasq;, triquetra,
Queis ſubigit madidam pultem coquus, in triremes,
Vel claves teretes, vel condos inde trinotes.
Et clavum puppis regimen, baſin organi & hauſtum.
Arbor dat malos, antennas, tranſtra, trapetum:
Artificisq; manus calathiscum ſculpit & ornat
Arte cadum, Rhombum, fuſum, tritoria & urnam,
Colaque cum capulo, cæditq; ciconiam aduncam,
Porrò cibus crudis lixandis lignea prodeſt
Materies: Brumâ fornax urgente caleſcit:
Inde frutex animantibus, inde volucribus arbos
Suppeditat victum communem. Vinitor ipſum,
Atque olitor teſtantur hoc, impigri coloni,
Et frondatores vel Carbonarius ater.

De ſylveſtri melle, quod in ſylva fit, hîc dicere nihil attinet. De quo *Matth. 3. v. 4.* in quem textum Maldonatus; In regionibus, *inquit*, calidioribus tanta apum copia eſſe ſolet, ut, cùm alvearibus capi non poſſint, in ſylvas avolent, & aut in arborum truncis, aut in rupium fiſſuris mellificent. Vidi ego in Bætica homines pauperes, qui hoc ex ſylvis colligendo, vendendoque melle quæſtum factitarent. Id in Palæſtina multum fuiſſe credendum eſt, & quia calida & fertilis erat regio, & quia Deus ſæpè vocat terram lacte & melle manantem. Quod autem quidam boni etiam auctores tradiderunt, mel fuiſſe amarum & ori inſuave, expertus non credo. Sapit quidem plerumque naturam florum, quibus apes paſcuntur & arborum, in quarum truncis confectum eſt, ſemper tamen eſt mel; id eſt, dulce. Minùs etiam probabile eſt, quod Suidas & alii nonnulli auctores putaverunt, hoc non mel, ſed neſcio quem rorem fuiſſe, quo Johannes, ſicut olim in deſerto populus alitus ſit. Magna cura Sylvarum veteribus ſemper fuit, 4
ac apud Romanos cautum reperitur, ut Conſules (unde Virgil. *Bucol. Eclog. 4. ſilvæ ſint Conſule dignæ*) (1) curam Collium & Sylvarum haberent: ut hac ratione non ſolùm ſylvas, aliaque loca latrociniis accommodata repurgarent, eaque redderent viatoribus tutiora, ut innuit Juvenal. *Satyr. 3. v. 305.*

Armato quoties tutæ cuſtode tenetur,
Et Pontina palus, & Gallinaria pinus. (2)

Sed etiam publicam earum curam habe- 5
rent ad deligendam & conſervandam materiam uſibus publicis, ædificiis & navigiis, reliquisque ligneis operibus neceſſariam: Sicuti Lãpridius memorat *in Alex. c. 24.* Alexandrũ Cæſarem in publicarum uſus thermarum eas deputaſſe. Et jus regium in ſylvas fuiſſe, evincitur ex textu *3. Reg. cap. 5. v. 6.* ubi Salomon Rex ideò petiit à Rege Tyriorum Hiramo, ligna cedrina & abiegna, tanquam ab eo, in cujus manu ſylvæ regni eſſent. Et Neemias ædificaturus Hieruſalem, petiit ab Artaxerxe epiſtolã ad Aſaph cuſtodẽ ſaltûs Regis, ut

ut daret ligna; 2. *Eſdr.cap. 2. verſ.8.* Sic jura Galliæ in ſaltibus Normanicis aliasque Conſtitutiones regias, quæ latè de horum cura & juriſdictione, & reditu tractant, *des eaux & foreſtz* refert Gregorius Tholozanus *in ſyntagm.jur. univerſ. lib. 3.cap. 16.num.3.& 4.* Et Bodin.*libr.6.de Republ.cap.2.numer. 675.* ait, in Gallia olim nemora publica fuiſſe, in quibus grandium excelſarumque arborum innumerabilis multitudo ad omnes creverit oportunitates; quæ urgente bello, ſi pecunia Ærario defuiſſet, cædebantur. *Ex ſylvis quoque Normandiæ* (3) venditis accedit Regi, tanquam ex Domanio coronæ ſpecies quædam censûs, qui dicitur *tiers* & *danger*; tertia pars & periculum. Exempli gratiâ ſi venditio fiat triginta ſolidis, tertia pars, quæ ad Regem pertinet, habet decem ſolidos: periculum verò, ſeu *danger*, eſt decima pars dictorum XXX. ſolidorum, & ita iſtius venditionis ſumma cenſus eſt XIII. ſolidorum pro XXX. ſolidis. Sic & *in Republica Veneta* (4) etiamnum accuratè obſervatur, ut ſylvarum cura peculiari Magiſtratui demandetur, & quotannis ſupplantentur publico decreto, ne deſit materia copioſa in uſus ædificiorum navigiorumque. Helvetiæ militiæ deditirem metallicam, cujus ignari ſunt, negligunt, neque patiuntur peregrinos fodinas facere, ne ſylvæ cæduæ in carbonum uſum cædantur, & paſcua in montibus optima pereant aut vaſtentur, & regione peregrinis repletâ indigenis inde multa & magna incommoda naſcantur.

Hodiè quoque ferè ubivis locorum certæ conſtitutæ ſunt perſonæ, ut ſunt die Forſtmeiſter/(5) Waldvogt/&c. quibus cura ſylvarum commiſſa, ac in eos, qui prohibito tempore ligna ex ſylvis auferunt, animadverſio conceſſa eſt. Hinc Patricius *lib. 7. de Repub. tit.5.* ſcribit, omnibus in rebus vitam humanam ita adjuvare ſylvas, ut illæ poſt ſegetes maximè *ſint optandæ* (6) nec ullo modo va-
7 ſtandæ. Eſtque *devaſtationibus nemorum & ſylvarum maturè occurrendum*, (7) ne vaticiniũ Philippi Melanchthonis impleatur, qui dixit, tria mundo aliquando defutura: *Ligna, probam monetam*, (8) bonos amicos. Quorum ſanè hodiè copia nõ eſt abundans. Monetam enim probam paucos ante annos *oſtraciſmum paſſam* (9) vidimus, ſubſtitutâ & inductâ aliâ; quæ primum ad aſpectum rubore haud ingenuo crimen profitebatur, & tanquam ſorex ſe ſuo ipſius judicio prodebat. Ligna (inquit Joan. Limnæus *lib. 3. de jure publico c.2.n.66.*) immenſâ prodigalitate abſumpta deprehendimus, ut hodiè Magiſtratui tantum non ſit, quantum ad ultrices flammas, quas Conſtitutio Imp. *in l. 2. C. de falſ.monet.* monetarum iſtis adulteratoribus addixit, ſufficiens eſſe poterat. Et ne qua in parte Melãchthonis claudicet effatũ, Amicis deſtituimur: cùm veritas probata odiũ pariat.

In Ducatu Luneburgenſi Ruſticorum 7
laudanda eſt induſtria, quia arborum eradicatarum loco alias plantant & feliciter propagant. Vide omnino hac de re *Politicam Ordinat.* (10) *Duc. Luneb. c.51.fol. 225. & ſeq.* In Italia magnum quæſtum ex olivetorum lignis ad cultores redundare videmus. Conſiderandum, quod Ariſtoteles ait, 2. *Oeconom.* quinam fructus aut non proveniant, cùm poſſint provenire, aut cùm exigui ſint, an augmentum admittant? Sic maxumè, ut puto, accommodum & utile eſſet, ſi ſubditi cogerentur, ut in fundis ſuis pomos, piros, prunos, ceraſos, perſicos, aliasque ſererent arbores fructiferas; idque in publicis etiam locis non negligeretur: ita ut nulla pars foret Regionis, quæ non arboribus pro ſoli genio opacaretur.

E Norvegiâ quot arborum robora, 8
quot tigna lignaque fabricandis domubus & navigiis apta, in Hollandiam, Flandriam & univerſam propemodum Europam devehantur, diximus ſuprà *libr. 1. cap. 20. num. 11.* Magnam cedrorum copiam gignit Syria, nec arbor ulla ferè melior ad aſſeres proceros. In Cypro ſucciſa cedrus *ad Demetrii Regis navium*, (11) pedes triginta & centum longa, ad trium hominum complexum craſſa fuit. In divinis voluminibus cedrorum proceritas laudatiſſima, *altiora quæque cedro conferuntur.* (12) De profectu virtutem amantium Hebræus *Pſaltes*, (13) Juſtus, ait, ut Palma florebit, ſicut Cedrus Libani multiplicabitur. Ad meliora jugiter ſuccreſcendo. Multi cum Paraphraſte Chaldæo exiſtimant arcam Noëmi parte maximâ è cedro factam. Durat enim hæc cedri materia in aquis, levitate præſtat, ſupernatando excellit, *cariem neſcit.* (14)

Ficus cæterarum arbor antiquiſſima & 9
notiſſima, ſub Orbis incunabula, in Paradiſo *Protoplaſtis ſuſidium præbuit* (15) tegumenta commiſſi furti inſignia. Ea propter *Chriſtus ob veterem injuriam* (16) etiamnum animo altum inſidentem, veterem in ficum inimicitias aperuit, & in ficum potiùs, quàm in alias arbores excanduit, illique ſeriâ execratione indignatus; *Nunquam* ait, *ex te fructus naſcatur in ſempiternum. Et areſacta eſt continuò ficulnea.* mirantibus diſcipulis tàm ſubitam arboris mortem, *Matth.c.21.v.19.* Pulchrè hoc exponens Ambroſius *lib. de Paradiſo c.13. circa med.* Docet me Adam, *inquit*, quid ſint folia, qui poſteaquam peccavit, de foliis ficûs fecerit ſibi ſuccinctorium qui de fructibus ejus magis guſtare debuerit. Juſtus fructum eligit, folia peccator. Facit ſupra ſe folia, qui culpam velare deſiderans, aut Diabolum delicti memorat auctorem, aut carnis prætendit illecebras, aut alium quempiam perſuaſorem prodit erroris. Adam profectò Dei oculos omnia cernentes non ſatis reveritus, nec contractam cul-

culpam deprecatus,latebras quæſiit, è late-
bris extractus,ad excuſationes confugit. Rex
David longè ſanctiùs: *Quò ibo inquit*, (17) *à
Spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? Si
aſcendero in cœlum, tu illic es: ſi deſcendero in
infernum, ades.* Ergo omiſſis excuſationibus,
iniquitatem meam annunciabo. Auguſt.autem
Torniell. *tom. 2. Annal. Anno Mundi 4084.
n. 5. fol. 389.* arbitratur,Chriſtum eo ipſo,
11 quòd maledixit ficulneæ non habenti fru-
ctum, *præfigurare voluiſſe fore, ut Synago-
ga*, (18) quæ ſine fructu bonorum operum,
foliis duntaxat ceremoniarum abundabat,
ipſo deſerente, etiam virorem illum exter-
num brevi amitteret. In quam ſententiam
condeſcendit Corn. à Lapide *comment. in
Luc. c. 13. fol. 158.* dicens, quòd ſicut arbor
iſta foliis redundans fluentibus, ſpem poſſeſ-
ſoris ſuæ causâ ſperatorum proventuum ex-
pectatione deſtituerit; ita etiam in Synagoga
dum Dd. ejus operibus infœcundi, verbis
tantùm velut foliis redundantibus gloriati
ſunt,inanis umbra legis exuberarint; ſpes au-
tem falſi expectata proventus, populi vota
credentis illuſerit.
12 Porrò quanto cum fructu ac emolumen-
to,iis in locis, quæ ſylvarum lignorumque
copiâ deſtituuntur, ſalices plantentur & ab-
ſcindantur, nemo non videt. Cædua ſalici
ſemper fertilitas manet, atque augetur,dum
cæditur & ſubinde putatur, **die Weide läſt ſich
wol beſchneiden / und wächſt doch immer fort/**
etiamſi planè reſecetur, ut truncus pugni
inſtar maneat; Plin. *lib. 16. cap. 37.* Et pueri
didicimus ejusmodi ſalicetorum (contractè
ſalictorum) transplantationem, **Weiden-
pflantz/Weidenbuſch** / in Weſtphalia multis-
que Epiſcopatus Halberſtadienſis & Archie-
piſcopatus Magdeburgenſis Præfecturis ac
in totâ Germaniâ,ubi vel ſylvæ longè abſunt
vel non adſunt, valdè & validè frequentari.
Salices ipſæ per metonomyam ſubjecti; Vir-
gil. *Georgic. 2.*

Populus & glaucâ canentia fronde ſalicta.

Ubi Servius locum ſalicum pro ipſis ar-
boribus poſuit. Benè autem ait, glauca & ca-
nentia. Nam ſalix ab una parte alba eſt, ab
altera viridis. Abietes quoque,ajunt,felici fa-
tu provenire; quod notent, qui vivunt in
locis, ubi olim multa, nunc nulla ligna. Ab-
jectaria etiam negotiatio (**Dählenhändel**)
in Hercynia ſylva ab abiecibus coëmendis &
diſtrahendis plusquam nota.

Huc etiam pertinent omnis generis ar-
tes & media,quibus Princeps ſive Reſpublica
lucrum ex ſolo & ſuperficie captare poteſt:
**dadurch ein Herr ſeinen Acker / Wieſen / Hol-
tzung / als zum Brauen / Brennen / Kohlen/
Bauen / Bretſchneiden nutzen und genieſſen
mag.** Bornit. *lib. 1. de ærar. c. 3. circa fin. &
tract. de rer. ſufficient. lib. 1. c. 11.* Et olim quo-
que de ſylvis compendia publica fuiſſe, con-
ſtat ex Juvenale, dum ait, *Satyr. 3.*

*Nunc ſacri fontis nemus, & delubra locantur
Judæis; quorum cophinus, fœnumq; ſupellex.
Omnis enim populo mercedem pendere juſſa eſt
Arbor, & ejectis mendicat ſylva Camænis.*

Incidua ſylva eſt, non cædua, **ein Hein-** 13
holtz / Hegeholtz / Fructus ſunt proceræ arbo-
res, lignaque per tot annos, ne cæderentur,
tuta, è quibus tempore extremæ neceſſitatis
multum pecuniæ colligi & Ærarium collo-
cupletari poteſt. Sylvarum & montium ar- 14
bores propriæ & ſteriles ſunt, Ulnus, Alnus,
Tilia, Buxus, Betula, & ſimiles, quæ fundunt
ligna, trabes, perticas, palos, **Bau- oder
Stamholtz / Schlagholtz / Brennholtz / Bol-
holtz/Fimenholtz/Aichenholtz/ꝛc.**

Sciendum quoque & notandum, quòd
nulli liceat amputare vel ſuccidere arbores 15
alienas, vel frutices aut plantas fructiferas
in fundo, in quo habet jus in re, niſi loco inci-
ſarum vel demortuarum alias plantet, uti
notat Foller. *in Conſt. Regn. de offic. Inſt. n. 92.*
& ſi inciderit ſpretâ monitione Domini dire-
cti, *caderet ab Emphyteuſi*, (19) Foller. *d. loc.
n. 93.* Ideoque & eo nomine mulctæ pecunia-
riæ cogi & Ærario addici poſſunt. Sic *Statuto
Mechlinienſi iis*, (20) qui alienas arbores aut
viviradices in ſylvis, plantariis, aut alibi lo-
corum ſucciderit, in ſingula corpora, quæ
ſucciderit, decem drachmis punitur, referen-
te Paulo Chriſtinæo *Com. in l. municip. Mech-
lin. art. 18.* Conf. *tot. tit. ff. arbor. furtim cæſar.*

Ex lignis coquuntur Carbones: ſunt li- 16
gna cocta habentia proprium genus, à ma-
teria, & ligno, ut & titiones & alia ligna co-
cta, *l. 55. §. 7. ff. de leg. 3. l. carbonum 162. ff. de V.
S.* titio eſt ſtipes ligni fumigans & extinctus,
torris eſt accenſus: pruna ignita eſt carbo
extinctus, *l. 4. §. modum. 1. ff. de ſervit. l. fundi.
17. §. ſi ruta & cæſa. 6. ff. de act. empt.* [A] Car- 17
bones neceſſarii ad officinas ferrarias, uſtri-
nas, fuſorias, monetas, & omnem rem me-
tallariam, ad focum & culinam, etiam ad fo-
rum. Inprimis verò *Carbones foſſiles* (21)
(**Steinkohlen**) [B] ſive Lithantraces tam nò-
bilitati ſunt, ut annuatim multorum milli-
um cenſum Ærario inferant. *Comitibus
Schaumburgenſibus* (22) plus paratæ pecuniæ
reddunt, quàm aliis argenti fodinæ. Hinc
cenſus vel Canon ex foro Carbonario, **Koh-
leſinß.** Pulchrè Joan. Orſæus *in Schaumburgia.*

*Theſaurus ſupereſt multò pretioſior, hisce
Sub terræ latebris ſaxus abſconditus atris.
Foſſilis hic carbo eſt, Graia qui voce Lithan-
trix
Mulciber ignipotens quo ferra rigentia
mollit,* (23)
*Tundendoq; nimis, varios informat ad uſus.
Hinc etiam terris longè lateq; propinquis,
Advehitur ratibus tàm furvus carbo, rotis-
que.
Vix aliis Dominis auri argentiq; fodinæ
Tantum producunt lucri, Vulcanius ille
Quantum carbo poteſt argenti ferre parati.*

Ignibus his etiam coquitur calcaria fornax,
Quæq; Salem revomunt ferventia fontibus æra.

In Haſſia quoque Carbonum foſſilium nonnullam copiam haberi ac ne in cauſis fodinas carbonarias concernentibus appellatio admittatur, Epiſcopi Leodienſis privilegio cautum eſſe, poſt Fridericum Mindanum refert Knichen *in Comment. de Sax.non prov.jur.c.5.n.136.pag.mihi 222.in fol.*

18 Menſuram ut lignorum, ita Carbonum certam & probatam exigimus, **ein gerecht richtig Holtz-und Kohlmaß** / ex qua etiam lucrum Fiſco comparatur. Pretium per ædiles definiendum, *l. item quæritur 13.§.ſi quis*
19 *menſuras, 8.ubi Gothofredus ff.loc.* Huc etiam referendus eſt ceſpes uſtibilis, quem Belgæ dicunt **Torff** / (24) qui naturalis eſt, paluſtris, pinguis ac decoctæ glebæ terra. In Brabantia quoque & inferiori Germania effodiuntur ceſpites in locis uliginoſis & paluſtribus; effoſſa humus ſeu unctuoſæ teſſelæ abraſâ ſuperficie exemptæ, in cumulos coguntur & exſiccantur, quæ ignem facilè concipiunt & diu ſervant, præbentque carbones multò, quàm quodvis lignum ardentiores. In Friſia quoque Occidentali & tractu proximo, lignorum inopia eſt; ſi inopia dici poteſt, quam admirabilis ceſpitum è paluſtri terra effoſſorum, & ad ſolem torrefactorum copia incredibili fœnore compenſat. Loca Bataviæ, unde ceſpes eruitur, ita deſcribit Barlæus.

Dic, quibus in terris pereunt ſua rura colonis,
Ipſaque concepto fomite flagrat humus?
Et mox effoſſi vectantur navibus agri,
Naîadesq; natant nunc, ubi Veſta ſtetit.

De mercatibus lignariis annuatim vel
20 per ſemeſtre ſpatium, **Holtzmarckte** / inſtituendis, & de jure & politia foreſti, **das Forſt- und Waldes-Recht** *alii egêre*, (25) ad quos Lectorem remitto. Quomodo lignis compendio fornacum an fractuoſè factorum parcatur, vide authorem **von der Holtzſparſamkeit.** Heîc ſuffecerit Xilotrophiæ ſtudium in Civitate vel Repub. Politico inſinuaſſe, ex quo ſemper pecunia ad compendium Fiſci colligi poteſt, cùm cives & Ruſtici lignorum uſu carere nequeant.

21 *Prata* (26) ex eo dicta, quòd parata ſint ad fructum recipiendum. Eleganter Columella *lib.2.c.17.* Neceſſarius, *inquit*, cultus eſt etiam prati, cui veteres Romani primas in agricultura tribuerunt. Nomen quoque indiderunt ab eo, quòd protinus eſſet paratum, nec magnum laborem deſideraret. Horum fructus fœnum, quod duplex eſt; aut primarium aut ſecundariũ. Illud propriè fœnum; hoc autumnale fœnum coridum dicitur. Pabula enim in pratis conſeri ſolita **Rauche- und Wickenfutter / Brabandiſch Kley** / quæ animalibus pabulum, ut eſcam, ſubminiſtrant. Ex pratis cenſus pratenſis, **Wieſenzins**.

Adfinia pratis ſunt [C] paſcua, **Zu-** 22
ſchläge / Weidtkämpe / campi paſculatorii, in quibus paſculantur pecudes & armenta. Campi hi à pratis, tabulis, palis, ſeptis, ut etiam lateribus ſeparantur & contrà diſtinguntur, quæ ſepta munire refert, ne laſcivientes pecudes elabantur. Ex paſcuis compendium lacticiniorum, lactis, caſei, butyri. Ex paſcuis paſcuarium ſive cenſus, qui ex paſcuis ſolvitur. In LL. Wiſigothor *lib.8.tit.5.* Ls.LL. Bajor.*tit.1.c.14.* Formul.Solemni. 61. **Weidegeld / Kühegeld / Trifftgeld.** Ex paſcuis Romæ ingens Vectigal perveniebat ad ærarium publicum, vocabanturque agri illi ſcripturarii, in quibus ut pecora paſcerentur, certum æs erat: Et eorum, qui paſcua publica conducebant, ratio, Scriptura dicebatur, ut ait Aſaon.Pedian.*in divinat. Cic.* Scribit & Plin. *lib. 18. c.3.* in tabulis Cenſoriis paſcua dicuntur omnia, ex quibus populus reditus habet, quia diu hoc ſolùm Vectigal fuerat.
Curiam quoque Regiam Neapolitanam ex 23
publicis paſcuis *magnos reditus* (27) quotannis habere, ſcribit Carol. Tapia *de Conſt.Princ. in ruber.c.4.n.97.cum pluribus ſeqq.*

Inde quoque immittens animalia in pa- 24
ſcua vel ſylvam, vel ſaltum Principis, ſi non habeat jus paſcendi, illa amittit, & Fiſco dantur: Atque ſaltuum vel paſcuorum procurator, id eſt, qui curam gerit eorum, ſi connive-at, & pretio venalem gratiam fecerit, graviſſimo ſubditur ſupplicio, *l. 1. C. de fund. &*
ſalt.rei. domin. lib. 11. Sed hoc ſingulare in 25
paſcuis Principis, ut animalia inibi inventa aliena Fiſco adjudicentur pro noxa; in aliis
aliorum nequaquam receptum: nam tan- 26
tum dominus animalium, quæ damnum dedêre, tenetur illud reſarcire, *nec domino fundi læſi jus retentionis animalium datur*, (28) ſed actio ad damni repetitionem *l. 10.*
ff.ad L.Aquil. Quinimò ſi quis duriùs, (29) aut 27
aliter, quàm ſuum, animal, à fundo ſuo alienum expellendo & abigendo lædat, ut ſi abortũ equa abacta fecerit, pro damno tenetur, *l.39.ff. eod. l. qui ſervandarum. 14. §.fin.ff.de*
præſcript. verb. Ex conſuetudine tamen ani- 28
malia in alieno prædio reperta pro damno toto reſarciendo retineri poſſe, teſtatur Coler. *de proceſſib. Executiv.p.1.c.2.n.256.* (ubi innuit, hoc magis ex uſu, quàm vi juris deſcendere) Peck.*tract. de jure ſiſtent. c. 4. num. 24. fol.46.* Althus *lib.2. Dicæolog.c.17.n. 17.* Zaſ. *in l. prætor ait. §. de iis autem, n. 8.ff.de damn. infect.fol. 45.* ubi loquitur de alieno pecore fundos alicujus depaſcente, quòd poſſit ca-
pi & includi, donec damnum ſarciatur. Quò 29
adprimè facit, quod in notorio offenſus non tam judex, quàm juris Executor dicatur; Gail.1.*obſ.39.n.3.* Et proceſſus ſaltem ad facti
informationem indagationemque ſit in- 30
ventus,

ventus, Neviz. *conſ. 30. num. 5. & 14. usque ad fin. Vincent. de Franchis* (30) *deciſ. 221. num. 12. & deciſ. 262. num. 1. in fin.* Quo
31 reſpectu & Superior turbantes Jurisdictionem, absque ſtrepitu judicii captis pignoribus & indictâ mulctâ coërcere, ſeque in exercitio Jurisdictionis tueri ac defendere poteſt; *Dd. in l. unic. ff. ſi quis jus dicent.* Weſemb. *conſil. 33. num. 17. & conſ. 43. num. 96.* Natta *conſ. 349. n. 1.* Gail. *de arreſt. cap. 10. num. 1.*

32 Hâc ratione conſideratur etiam Weidgeld / quatenus Jurisdictionis emolumenta concernit: ſiquidem pecunia hæc penditur, ut damna campeſtria evitentur, & paſcua ſarta tecta indemniaque ſint; debitoque tempore permittuntur, vetantúrve; (*pulchrè Greg. Tholoſ.* (31) *lib. 3. ſyntagm. cap. 15.*
33 *num. 10.*) Alioqui transgreſſoribus irrogatur mulcta, in quem finem conſtituuntur Cuſtodes ſaltuarii, banderii, ferracerii dicti, quæ jurisdictionis perhibentur, & in conſequentiam etiam comoda Domino cedunt. Ac porrò ſub clauſula generali; und anderer Vogteylichen Obrigkeit / continetur quoque jus paſtoralitium & conferendi bacillum vel virgam, Hirtenſtab vulgò, videatur *Knichen.* (32) *tract. de territ. jure cap. 4. num. 502. & ſeqq.*

34 Ex ſylvis ſive locis ſylveſtribus eradicatis, & in agrum conſertis Decimas Novalium, Neubruch Zehenden / *Sæcularibus Imperii Statibus* (33) attribuere conatur Hartman. Hartmanni *lib. 2. pract. obſ. tit. 53. obſerv. 10. num. 17.* Et dixi latè *tract. de Contribut. cap.*
35 *1. num. 298. & multis ſeqq.* Jure verò Canonico Novalium decimæ prædialium numero cenſentur, atque idcirco Parocho loci pendi debent, *c. quoniam 13. c. cùm contingat. 29. de decim.* Covarruv. *var. reſol. libr. 1. cap. 17. num. 13.* Caniſius *lib. 2. Inſtit. Canon.*
36 *26.* §. *novalium pag. 154.* Quod ſi novalia incertæ parochiæ ſint, propiùs eſt, ut eorum decimæ ad Epiſcopum pertineant, qui vel alteri Eccleſiæ eas adſignabit, vel ad opus ſuum retinere poterit, *d. c. quoniam.* Si verò decimæ alteri; quàm Parochiali Eccleſiæ ex præſcriptione vel *Privilegio* (34) competunt; decimæ Novalium non continebuntur, *d. c. cùm contingat. 29. c. tua 25.* §. *in fin. d. tit.* Idque ideò fit, quia præſcriptio non procedit absque poſſeſſione, quæ *in decimis Novalium* (35) nulla dari poteſt, Wehner. *verb. Noval-Zehend.* Videatur Paul. Chriſtinæus *deciſ. Belgicar. 106. vol. 1. & deciſ. 26. vol. 2.* Joan. Werndle *tract. von Zehendrecht lib. 4. cap. 4.* Mart. Uran. *conſ. 15. de decim. tom. 3.*
37 Nec officit, quòd Territoriorum Domini ſub prætextu einer Forſtgarben / und wegen Abgang ihres Forſts die Neubruch-Zehenden fordern; Rutger. Ruland. *deciſ. jur. controv. q. 19.* Beſold. *tract. de jurib. majeſt. cap. 7. ſub num. 6. fol. 176.* Nam hoc rationem planè non habet. Ab initio enim omnes agri Novales erant; ſicque nullæ non decimæ ad dominos locorum pertinebant. Ac quamvis Magiſtratus das Ausſtocken in locis, ubi 38
ipſis competit die Forſtliche Obrigkeit / non permittere cogantur, Beſold. *in Theſaur. Pract. verb.* Ausſtocken. Hoc tamen ſeparatum quoddam jus exiſtit, & cum decimis nihil commune habet. Nec ideò impedire poteſt id, quod Eccleſiaſticis competit *jure divino,* (36) & ex uſu Eccleſiæ primitivæ; Baron. *ſub An. Chriſti 57. num. 23.*

Adfinia quoque ſunt pratis & paſcuis 39
ſaltus, qui ſunt propriè loca inculta crebris ſylvis & dumetis reperta. Virgil. *lib. 3. Georgic.*

Saltibus in vacuis paſcant & plena ſecundùm
Flumina.

Et Varro *lib. 4. de Ling. Latin.* §. *4. pag. 7.* *Quos agros, ait, non colebant propter ſylvas, aut id genus, ubi pecus paſci poßit, & poßidebant; ab uſu ſuo* ſaltus *antiqui nominarunt;* Hæc etiam Græci τὰ ἄλσεα καὶ νομαὶ, *noſtri Nemora.* Innuit ex eo dici, quòd pecudes ibi ſaliant. Sed fortè rectiùs ex eo, quòd arbuſta ibi ſaliant, hoc eſt, germinent. Ita Iſidor. *lib. 14. cap. 8.* Saltus ſunt vaſta & ſylveſtria loca, ubi arbores exſiliunt in altum. Et *lib. 17. cap. 6.* Saltus eſt denſitas arborum alta, vocata hoc nomine, eò quòd exſiliat in altum, & in ſublime conſurgat.

Obſervandum hîc, quòd Jurisdictio 40
Foreſtalis, ſi conſideratur ut totum, tàm Forſtrecht quàm Wildbann / complectatur, cùm *hæc duo conjunctim,* (37) non verò ſeparatim Jurisdictionem Foreſtalem conſtituant: Unde & paſſim *diſtincta officia ſunt,* (38) 41
Forſters / und Jägermeiſters; ille non venationi, ſed ſylvis nemoribusq; eo potiſſimùm fine præficitur, ut curet, ne per excifionem arborum vel alio modo ſylvæ devaſtentur, contrà facientes mulctentur, ſylvæ cingantur, reliquaq; ad ſylvas ſpectantia procuret. Gail. *2. obſ. 67. & ſeq.* Jägermeiſter autem venationi præeſt, eique ea, quæ venationi 42
conveniunt, inſtituenda ſunt. Ut ſanè ex uno ipſorum officio ſeparato & longè diverſo, quod vel ſola diverſitas nominis indicat, ad aliud valida haud inferatur conſequentia, eò quòd diverſa habentia nomina, diverſa quoque cenſeantur in ſubſtantia, Petr. Ant. de Petra *tract. de fideic. q. 13. n. 79.* Gail. *de arreſt. cap. 5. num. 5.* Bertazzol. *conſ. civil. 1. num. 84.* & nominis diverſitas juris ac rei diverſitatem deſignet. Burſat. *conſ. 235. num. 53.* Hier. Gabriel. *conſ. 18. num. 2. lib. 1.* Schrader. *conſ. 13. num. 46.* Quemadmo- 43
dum cuſtodum quoque appoſitionem ſæpè ad dominum proprietatis, imò ad quemlibet, qui modò jus aliquod in re, cui apponuntur, habet, pertinere, ita, ut ex ea non

ſemper poſſit Superioritas vel Jurisdictio,
multò minùs jus venandi in iſto loco, cui
apponuntur, concludi, *l. ſi ita legatus* §. *do-*
minus proprietatis ff. de uſu & habitat. Hon-
dedæ *conſ. 100. num. 66. & ſeq. vol. 2.* Petr.
Aug. Morla *in Emporio Juris p. 1. ad tit. de*
jurisd. omn. judic. in promiſſis num. 14. & vi-
44 ce verſa eum, qui jus venandi habet, non
habere continuò jus ſaltuarios conſtituendi
vel ſylvas cingendi, ſeu, Hagen/ *ſed ea ſepa-*
rata jura eſſe, (39) comprobavit Cam. Im-
per. Ann. MDLXXVIII. die XV. Octobr.
45 in Sachen der dreyen Gemein St. Johann/
Daſſenheim und Steinberg/ Klägern/ con-
tra Herꝛn Philipſen Grafen zu Hanau/ Liech-
tenberg/ latâ ſententiâ, dum Domino Co-
miti jus venandi abſolvendo permiſſum;
46 ſylvas cingendi & Förſter zu ſetzen/ apertè
prohibitum fuit, formaliter pronuncian-
do, daß gedachten Beklagten auf den in actis
angezogenen der Kläger eigenthümlichen
Wald zu hagen/ auch Förſter und Baum-
warter zu ſetzen/ nicht geziemet noch gebüh-
ret/ ꝛc. Aber das Jagen belangend/ von an-
geſtelter Klag zu abſolviren und erledigen
ſeyn/ ꝛc. in qua cauſa vota & ſententiam retu-
lit Tileman. de Benignis *deciſ. Cameral. ſyn-*
tagm. 1. decad. 3. vot. 2. Ejus quoque, qui jus
foreſti habet, avena ſaltualis, der Jagtha-
ber erit; de qua Schrader. *conſil. 5. numer.*
3. Knichen. *de ſublimi territor. jure, cap. 4.*
num. 69.
47 Ex ſylvis Maſt-Forſt- und Holtzgeld Æ-
rarium collocupletari experientia teſtatur.
Et ex una Haſſiæ ſylva (Reinhardts-Wald)
(40) ſi glandis copia ſuppetat, annuatim
20000. ſuibus ſaginandis ſufficere, & lu-
crum inde proveniens ad 30000. floren.
ſummam aſcendere, refert Conrad. Diete-
ricus *in Eccleſiaſt. tom. 1. conc. 4. ſuper cap.*
2. fol. 220.
48 Non inconcinnè nec inutiliter quæri-
tur; An jus glandis ſive fructus ſylvæ vena-
toriæ, ad dominum ſylvæ, an verò ad e-
um, qui in illa jus venandi poſſidet & ex-
ercet, pertineant? Nos *Domino ſylvæ pa-*
trocinamur, (41) modò conventio, vel præ-
ſcriptio, aut conſuetudo contrarium non
ſuadeat, ut in multis Germaniæ locis vide-
mus, *arg. l. Julian. 9. §. 1. ff. ad exhibend. l.*
unic. ff. de glande legend. Gail. *2. obſerv. 68.*
num. 1. & ſeqq. Mor. *d. tract. part. 2. cap. 3.*
num. 23. & ſeqq. Ultrò tamen concedimus,
inutiles & viles fructus ſylvæ ſervienti pro
uſu & alimentis ferarum, ne intereant, de-
beri; *arg. d. l. ſylva cædua §. planè, ff. de V. S.*
arg. l. 2. ff. de jurisd. omn. jud. Gail. *dict. loc.*
49 Facit *Exod. 23. verſ. 11.* Sicut & Wildobſt
oder Gräcker Juri Foreſtali cohærere, & Do-
mino Foreſti competere, cenſet Paul. Matth.
Wehner. *pract. obſ. lit. V. in verbo* Wildobſt/
ubi etiam ait, daß das Haſelnußbrechen Krafft
Fürſtlicher Obrigkeit zu gewiſſen Zeiten ver-
botten/ und dann ufgethan/ und zugelaſſen
wird. Von Windbrüchen und Windfällen/ 50
ſo von dem Wind ausgeriſſene/ umgeworffene
und abgebrochene Bäume und Höltzer ſeyn.
Vide eundem Wehnerum *in lit. W. verb.*
Windbrüche.

Huc conducunt *Ordinationes Princi-* 51
pum (42) & Bannimenta ſylveſtria; Forſt-
Wald- Jagt- und Weidwercks- Ordnungen/
putà, daß an Statt der Mahlbäume Steine
geſetzet/ und wo die Waſſer die Gräntzen ſchei-
den/ dieſelbe in ihrem rechten Strom behalten/
die Gräntzen der Gehöltze durch die Beambte
jährlich bezogen/ darzu die Angräntzende be-
ſcheiden/ und die junge Mannſchafft herbey
genommen/ den neuen Forſtbedienten von den
Beambten die Wald-Ordnung vorgeleſen/ und
die Gräntze gewieſen/ auch diejenige/ ſo die be-
zeichnete Marckbäume fürſetzlich verſtümpe-
len oder abhauen/ nach Gelegenheit ihrer Ver-
brechung geſtraffet. Item ſondere Schreib-
Tage zur Waldmüth verkündigt/ und jährlich 52
zum wenigſten zweymal gehalten/ zu den An-
weiſungen ein gewiſſer Tag beſtimmet/ nichts
in Wäldern auſſer den ordentlichen Gehäuen
angewieſen oder gefället/ und aus den Wäl-
dern ein immerwehrender beharꝛlicher Nutz ge-
nommen/ und übern Ertrag nicht angegriffen:
denen/ ſo ſich deß Sammel- und Les-Holtzes
gebrauchen/ Zeichen ertheilet/ und das Holtz
taxiret/ bey Lieferung der Waldmüthe eine
Quitung gegeben: auch/ wann und wovor 53
die Zahlung geſchehen/ erinnert/ gleichlauten-
de Wald-Regiſter gehalten/ was für Holtz mit
dem Wald-Eiſen gezeichnet/ eigen Holtz aufs
theurſt nicht geſpahret werden ſoll. Item was 54
in Verlaſſung bey jeder Gattung Holtz zu
lautern Weinpfählen/ von Eſthen gefälleter
Bäume anzuweiſen/ wo die Reff-Stäbe aus-
zuziehen/ wie Windbrüche den Köhlern/ und
Affter-Schläge von Flößholtz zum Brenn-
holtz anzuweiſen. So dann/ wie Mühlwel-
len/ groſſe Träger/ Fiſch-Tröge/ Schach-
tel- Schindel und andere Blochbäume/ nach
den geordneten Rincken/ Maß und Augen-
ſchein anzuſchlagen. Nutzholtz vor den Köh- 55
lern auszuhauen/ und der Obſt- und Frucht-
tragender Bäume zu verſchonen. Das Klaff-
ter- und Malter-Holtz durch geſchworne Hau-
er zu machen. Item/ Flöß-Gebäu in richti-
ger Ordnung gehalten/ alles Reiſſig/ Zahl/
Abgang/ Schlauff-Reiſer/ Windfälle und
Trifft-Brüche dem Lands-Fürſten berechnet/
und zu Nutz angewendet/ eine rechte gleich-
förmige Maß und Meſſung bey Verlaſſung
der Malter- und Klaffter-Holtzes gebraucht:
auf einem jeden Acker Holtz etwa ein hundert 56
und ſechszig Ruhten gezehlet/ das Aus- und
Nachmeſſen/ wie auch Abzehlung der Klaff-
tern und Malter in Beyſeyn der Jäger- und
Forſtmeiſter durch andere geſchworne Bedien-
te/ nach gewöhnlicher Maß/ Stecken und
Scheitlänge gehalten/ und bey Anweiſung
deſſen

deſſen Schlagholtzes die rechte Zeit in Acht genommen/ und daſſelbe im Mertzen / im neuen Liecht gefället/ und dieſes Holtzes Waldmüth auf Bartholomæi bezahlet/den Leuten an Holtz nichts verſchencket/oder am Gelde etwas erlaſſen/ohn Vorwiſſen der Forſtmeiſter oder Ober-Forſter kein Holtz zu hauen verſtattet. Schreib-Pfenninge und Stammgelder zu Verhütung
57 Irrthums und Untreu nicht vorhero/ ſondern nach der Verſchreibung und Anweiſung eingefordert/ die Leute mit Schreib- Stamm- und Anweiſe- oder Maß- Gelder über gemachte Verordnung nicht überſetzet/ auch einige Geſchenck nicht angenommen / kein Feuerholtz Stammweiſe über Haupt verkaufft/den Bürgern und Handwerckern in den Städten ohne Verördnung der Gehöltz und Nachtheil deß Wildbahns Holtz gelaſſen/ und in fleiſſige Aufmerck gefaſſet werden möge.

Item/ daß die jenige/ ſo Holtz im geringen Tax/ oder aus Gnaden von der Obrigkeit bekommen/ſolches nicht verkauffen/und hernacher anders ſtehlen/und aller Uberfluß / unterführliche vortheilhaffte Geſuch und Partirerey vermitten/ verhindert und abgewendet / und die Verbrechere in das Wald- Buß- Regiſter gebracht/ und nach Befindung ihres Frevels der Gebühr beſtraffet.

58 Schläg- und andere Höltzer/ ſo zur Flöſſe gelegen / verſchonet / das ausgelaſſene Holtz zu rechter Zeit abgeführet/ Wald-Räume in Monats Friſt angeſtellet/ oder das Holtz bey Verluſt deſſelben auſſerhalb deß Waldes auf einen Hauffen geſchaffet/junge Schläge vor der Zeit nicht begraſet/ auch in keinen Gehöltzen Laub geſtreiffelt/Häge und Schläge weder mit Pferden/Rindviehe/Schaafen/ Geiſen noch andern Viehe/das Schaden thun mag/betrieben/keine Wald-Röder gemacht/Bienen oder Honig in Wälden und Gehöltzen in die Aempter gezogen/verkaufft und berechnet: Auf einem Acker Schlagholtz 32. Hegreiſer von Eichen und Buchen / neben allen Obſt-tragenden Bäumen ſtehend bleiben / und aus den jungen Schlägen nichts gehauen : den Bauren ihr eigen Gehöltz in der Wildbahn ihres Gefal-
59 lens zu verwüſten nicht geſtattet. Gemeinde und Unterthanen Schläghöltzer in ordentliche Gehäu abgetheilet / gehäget / und/ daß ſie Grund und Boden unter ſich theilen/ nicht erlaubt oder nachgegeben/ der Gemeinden Förſter in Aemptern beſtellt/ und verpflichtet / inmaſſen dann auch die Pfarzhöltzer nicht verwüſtet/ſondern den Pfarr-Herren angewieſen wer-
60 den ſollen / und endlich wo Schlagbäume an Feldern und Gärten gelegen/ allzeit/ wann dieſelbige abgetrieben werden/die Frohne am Felde oder anſtoſſenden Gütern ſtehend bleiben/ damit von den Angräntzenden dieſelbe nicht geſchmälert und dero Herrſchafft darvon Schaden zugefügt / und auch als die groſſe Bäume geheget werden ſollen.

APPENDIX. (43)

[A] Ad num. 17. ſuprà. De Carbonariis ſive Köhlern probè notandum. 61
Daß (1) das Malter-Holtz zu den Meyler-Köhlen in ſeiner rechten Länge und Höhe/ wie hieroben von der Holtzmaſſe gemeldet/ gehauen und gelegt/ davon nichts eingerichtet werden ſoll / es ſey dann zuvor abgezehlet / inmaſſen auch die Liechtköhler/ wo ſie das Holtz nicht Ackerweiſe erkaufft/ derſelben Kohlen keine abführen laſſen ſollen / die ſeyn dann zuvor in Beyſeyn der Förſter richtig abgemeſſen / und aufgeſchnitten/wie dann ſie die Köhler deßwegen mit einem leiblichem Eide in den Aemptern beladen werden ſollen/ daß ſie nemlich mit einem bezeichnetem Korbe/ deren einer drey viertheil eines Malters hält / und achtzehen auf einen Karren gehen/ abmeſſen/ und deme Hammermeiſter ſo wol/ als dero Herrſchafft zuforderſt getreu ſeyn ſollen und wollen / bey Vermeidung der Straff / welche auf Meineid gerichtet / wie dann auch der Hammermeiſter/ wann er mit dem Köhler wider die Herrſchafft colludirte / mit Ungnad geſtrafft werden ſoll.

Die Köhler mit Pflichten zu belegen/ und wie ſie ſich zu verhalten.

Vide ſuprà num. 18.

2. Der Forſtmeiſter hat ihnen auch bey 62
der Anweiſung mit allem Ernſt einzubinden/ daß ſie das Feuer in guter Acht haben/ſolches in truckenen Zeiten nicht lauffen laſſen/ noch den hohen Fichten/Dannen und andern benachbarten Wäldern Schaden damit thun. Solte es aber geſchehen / daß ſie alsdann an Leib und Leben geſtraffet werden ſollen.

Köhlern einzubinden/ daß ſie das Feur keinen Schaden thun laſſen.

3. Und iſt von Forſtbedienten dahin zu 63
ſehen/daß ſich die Köhler nicht eigenes Gefallens an einem oder andern Ort einlegen / oder ſelbſten anweiſen/ſondern am wächſigen geſunden Holtze in den Flößjahnen und beſſern Waldnutz Schaden zufügen.

Köhler ſollen ſich nicht eignes Gefallens einlegen.

4. Sie ſollen aber gewieſen werden an die 64
in den Schlägen verbliebene Affterſchläge/alte/ zerfallene/ungeſunde / wandelbahre / krumme/ kurtz und ſtrüppige/ knorrige Bäume/ Windfälle/ und was auf dem Stamme ausgetrucknet/ und nicht mehr fortwachſen kan: und ſollen alles/was den Keihl hält/mit Einſchlagen einen Ort nach dem andern raumen/damit die Dannen und Büchene Wälder wiederum in guten Wachs kommen.

Was den Köhlern für Holtz anzuweiſen.

5. Da auch in den alten überſtändigen 65
Holtzhäſelen / Bircken- und ander Schlagholtz vorhanden / ſo ſollen die Gruben- und Liecht-Köhler den Meyler-Köhlern nachfolgen/ und ſie nebeneinander eingelegt werden/damit die Eſte und Reiſigholtz/ſo die Meyler-Köhler ligen laſſen/ mit zu Nutz kommen/ und mit aufgeraumet/ verköhlet/ und daſſelbige Schlagholtz in einen gleichen Wachs und Gehäge gebracht werden : und ſollen die Gruben- oder Liechtköhler die Kohlen nicht nach der Hand/ ſondern nach Stutzen und Karren in ihrem rechten Werth bezahlen.

Liecht- oder Gruben-Köhler den Meyler-Köhlern zu folgen/ und nebeneinander zu legen.

6. Durch

66 Das deckreiſig Holtz von hohen Bäumen zu nehmen.

6. Durch die Forſter iſt auch darauf zu ſehen / daß die Köhler oder andere Leute das junge Fichten und ſonderlich das Weisdannen oder ander tüchtiges Gewächs nicht abhauen/ noch zu Deckreiſig ausſteyern und gebrauchen/ bey Straff drey Groſchen von einem Stamm/ der ſey ſo klein er wolle/ ſo viel wol ſolches ausgemachet würde; Sondern ſie ſollen das Deckreiſig von Eſten der hohen Bäume nehmen/ und ſich/ den Wäldenſcheiden zuzufügen / enthalten.

[B] Vom Steinkohlenberg- und Saltzwerck exſtat Ducis Julii Brunſvicenſis & Luneburgenſis Ausſchreiben und Befelch an alle Amtleute Wolffenbüttelſchen und Calenbergiſchen Theils de dato 31. Maji Anno 1588. typis impreſſum: Von Gottes Gnaden Julius Hertzog zu Braunſchweig und Lüneburg/ ꝛc. Lieber Getreuer : Wir kommen in glaubwürdige Erfahrung / wie daß etliche Dorffſchafften unſerer Fürſtenthumen und Graffſchafften / ſonderlich in unſerm Untern- und Obern Fürſtenthum Calenbergiſchen Theils zwiſchen Leiſter und Leine / und im Land zu Göttingen / auch unſerer Obern Graffſchafft Hoye / bey weyland der Hochgebornen Fürſten / Herrn Erichen / beede deß Eltern und Jüngern / Hertzogen zu Braunſchweig und Lüneburg / ꝛc. unſerer freundlichen lieben Vettern Hochlöblicher Chriſtmilder Gedächtniß / Leb- und Regierungs-Zeiten / etliche viel Jahr hero aus der Graffſchafft Schaumburg/ Steinkohle / nach unſer Erb- und Land-Stadt Braunſchweig und anderſt wohin zu Kauff verführet / dargegen Bier und anders daſelbſt wieder geladen/ und ihrer Gelegenheit nach hin und wieder den Städtẽ/ Flecken/ Dörffern und Krügen zugebracht und verkauffet haben.

Wann wir dann den Leuten ſolches / ihre Nahrung deſto baß zu treiben / gerne gönnen/ und darmit auch in mehrerm ihren Nutz und Beſtes gnädiglich zu befördern gemeinet ſeyn; aber wie es darum eigentlich bewand / gerne ſattſamen Bericht/ und darneben auch unſere eigene ebenmäſſige Steinkohlen- und andere Berg- und Hüttenwercke/ damit GOtt der Allmächtige unſere Fürſtenthumen begabt / billig macht/ und zu unſerm und der Unterthanen Frommen und Beſten dieſelbigen befördert und fortgeſetzet werden wollen ; Als befehlen wir dir hiermit gnädiglich / daß du dich in unſerm dir anbefohlenem Amte mit Fleiß erkündigeſt / was für Dorffſchafften / gantze oder Halbſpänner zu ſolcher Fuhr ſich der Zeit und noch gebrauchen laſſen/ und uns deroſelbẽ Namen/ auch wie theuer ſie jedesmal die Schaumburgiſche Steinkohlen eingekaufft / wohin ſie die geführet/ wie theuer ſie dieſelbige wieder verkaufft / und was ſie auch dargegen an Saltz/ Maltz/ Korn / Meel / Speck / Bier / Dihlen/ Eiſen / Bley / und dergleichen angenommen/ auch wo ſie dieſelbige geladen/ und wohin/ auch wie theuer ſie ſolches wieder verkaufft. Item/ wie weit die Schaumburgiſche / auch unſere eigene Steinkohlen / wie auch Eiſen / Saltz/ Stahl/ ꝛc. eingekaufft und abholen laſſen/ und was ihnen ſolches unterſchiedlich mit der Fuhr gekoſtet/ auch wie viel ſie deß ungefehr jährlichs bedörffen. Item/ ob nicht deine Amtsverwandte hinfüro von unſerm eigenen Steinkohlenberg/ ꝛc. und Saltz/ auch Hüttenwercken / die Steinkohlen / Eiſen / Saltz nähers Weges als an fremden Oertern laden / und in den Städten / wie vorhero geſchehen / verkauffen/ oder dir ins Amt/ oder auf unſere danächſt gelegene Commiſs, oder Hütten und Schmeltzwercke liefern/ und gegen die Steinkohlen aus unſerm Amt oder nächſter Commiſs, Brau- oder Hüttenwercken / Bier/ Korn/ Meel/ Maltz/ Saltz/ Victualien/ Eiſen/ Stahl/ Dihlen/ Bley/ kupffernen und meſſing Gezeug wiederum laden/ und mit Nutz verhandlen mögen. Dann wir wolten/ wie auch nicht unbillig/ gerne/ daß unſere Unterthanen die eigene unſers Fürſtenthums Gaben mit der Zeit in Acht nehmen/ und durch Nähe der Fuhr ihnen ein Vortheil ſchaffeten; Wir auch bey und in allen unſern Aemtern einen Vorraht angedeuter unſer Landes Bergs-Arten/ nicht allein zu unſer eigenen Nohtdurfft überkommen/ und haben/ ſondern auch den Unterthanen/ ſo viel ſie bedürffen/ davon in zimlichen Kauff mitgetheilet/ und dieſelbe nicht mehr/ wie hiebevor geſchehen/ das jenige/ ſo wir ſelbſt/ GOtt Lob/ in der Nähe haben/ von fremden und weitabgelegen Oertern auf groſſen Unkoſten zu holen / oder von theuer/ auch offt an Statt guter tüchtiger Waar/ alte verlegene brüchige und untaugliche Materi zu kauffen gemüſſiget werden möchten. Wie es nun hierum allenthalben bewandt / und wie ſolchem allen zum füglichſten/ rahtſamſten und bequemſten / zu unſerm und der Unterthanen Beſten und Frommen zu thun ſeyn wolle/ deſſen wolleſt du uns/ nach gehabter fleiſſiger Erkündigung/ auch vernünfftiger Erwegung aller Umſtände und Gelegenheit/ unnachläſſig/ und ſo fort hinwieder eigentlich in Schrifften notificiren und verſtändigen. So ſeynd wir gemeint / denſelben unſern Leuten für allen andern Ausländiſchen damit ihren Nutz und Gedeyen zu gönnen und fortzuſetzen / ſie auch jederzeit mit der Wiederladung und Zuruckfuhr an oberwehnten Dingen/ beſſerer Waar und nähers Kauffes / dann ſie in den benachbarten Städten haben können / mit Gnaden befördern zu laſſen/ daran verrichteſt du deiner Verwandniß nach unſere gnädige und gefällige Meinung / und Wir ſeyn dir mit Gnaden gewogen / Datum Friedenſtädt bey der Heinrichſtadt zum Gottes-Lager / am 31. Maji Anno 88. Julius &c.

[C] De paſcuis ſive von Trifften pulchra exſtat Conſtitutio in Ordinatione Sereniſſimi Dn. ERNESTI Ducis Saxoniæ, &c. impreſſa Anno 1644. *cap. 5.* Von Trifften/ 67 Adel/ Städte und Dörffer/ ſo der

Trifft berechtiget/ ſollen darum anhalten/ und die Hirten dem Forſtampt vorſtellen.

ten/ quam heîc inſêrere placet: Es ſollen hinfüro jährlich alle/ ſo auf unſern Wälden der Trifften berechtiget/ bey dem Jägermeiſter/ Forſtmeiſter und Oberknechten/ und nichts privats-Weiſe bey den Knechten um die Hut und Trifft anſuchen/ auch jedesmals/ wann ein Hirt abgeſchaffet/ und dargegen wieder ein anderer aufgenommen werden ſoll/ deſſen Perſon gleichfalls anmelden und vernehmen/ ob man Forſt-Amts wegen mit ihme könne zu frieden ſeyn oder nicht.

68 Weil an den Orten/ da man hauet/ der jungen Schläge halben die Hut auf etliche Jahr eingeſtellet werden muß: ſo ſollen unſere Jägermeiſter/ Forſtmeiſter und Oberknechte nach Gelegenheit der Wälde und Wildbahn/ dargegen an andern Orten in den hohen Gehöltzen wieder anweiſen und einräumen/ damit ſich der Hut und Trifft halber mit Fug niemands zu beſchweren.

Abgang der Trifft/ mit andern gelegenen Oertern zuerſetzen.

69 Unſere Forſtmeiſter/ Ober- und Unterknechte ſollen fleiſſige Aufficht haben/ daß den Wäldern/ ſonderlich jungen Schlägen/ bey Vermeidung ernſter Straffe/ mit heimlichen und offentlichen Huten/ auch ſonſt kein Schade geſchehe.

Kein Hüten in den jungen Schlägen zu geſtatten.

70 Wiewol man auch gute Fug und Urſach hätte/ von wegen deß mercklichen Schadens/ (44) ſo in Wäldern/ Höltzern und Gärten die Ziegen thun/ in den Walſämtern dieſelbe gänzlich abzuſchaffen; dieweil aber der Arme/ ſo keine Kuh zu halten Vermögens/ die Kinderlein durch ſolche Ziegen ernehren kan/ ſo ſoll ſolchen armen Leuten gegönnet ſeyn/ bis daß ſich die Zeiten beſſern/ und ſie eine Kuh zu halten Vermögens/ etwas von Ziegen zu halten/ doch keinem über zwey/ und ſoll der Hirt die Böcke/ ſo viel deren nöhtig/ halten; und die jungen Ziegen wann die abgeſtoſſen/ wegthun; deme aber/ ſo eine Kuh ſchaffen kan/ ſolle keine Ziege ferner geſtattet werden. Handelt aber jemand darwider/ der ſoll das erſtemal um fünff Groſchen und drey Pfenning/ das andermal um einen halben Gülden geſtrafft/ das drittemal aber ihme die Ziegen gar genommen werden. Wie dann auch die Hütung derſelben alſo anzuſtellen/ damit ſie dahin vom Forſtmeiſter gewieſen werden; derer Orte aber/ da man wegen deß Waldes ihnen keine Hut verſtatten kan/ ſollen auch gantz keine geduldet werden; dann obgleich die Leute dieſelben im Stall ernehren wolten/ ſo thun ſie doch mit Laub-ſtreiffeln und Sommerlatten abſchneiden im Walde deſto gröſſeren Schaden.

Wann die jungen Schlagholtz-Gehäge in acht Jahren etwas aufgewachſen/ daß mit der Sichel dem jungen Gewächs nicht mehr Schaden zugefügt werden kan/ ſo haben die Forſtmeiſter und Oberknechte das Graſen/ nach eingenommenem Augenſchein zuverſtatten/ obgleich der Ort zum Hüten noch nicht alt genug/ jedoch daß es/ wie im vierdten Haupt-Puncten einverleibet/ um einen gewiſſen Zins geſchehe/ und entweder die gewöhnliche Grashüner/ oder ein benandtes an Gelde dargegen abgeſtattet/ und berechnet werde.

Wann das Holtz zum Graſen auszuthun.

Vor und in den Jagtzeiten ſollen die/ welche der Trifft berechtiget/ auf Anſchaffung deß Jägermeiſters/ der Hütung in denen Höltzern ſo wir zu hägen in Vorhaben ſeyn/ ſich enthalten.

Oerter ſo bejagt werden/ vor und in der Jagtzeit nicht zu betreiben.

Demnach auch unterſchiedene/ ſo auf ihrem eigenen Hute haben/ dieſelbe zu ſpahren/ und ſich nur unſerer Gehöltze zu gebrauchen/ unterſtehen dürffen/ ſo ſollen unſere Forſt-Beampte und Diener mit Fleiß darauf Achtung geben/ und nach Gelegenheit beederſeits Oerter dahin ſehen/ daß dieſelbe wöchentlich/ ſowol ihre eigene/ als unſere Oerter betreiben/ ſonderlich diejenigen/ ſo auf dem Ihrigen deß hohen Weidwercks befugt: In Verbleibung aber deſſen/ es pflichtmäſſig an gebührenden Orten ein jeder vermelden.

Die auf dem Ihrem zu hüten haben/ ſollen der Fürſtl. Gehöltze nicht allzeit gebrauchen.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT II.

Num. 4.

(1) S*Ylvæ ſint Conſule dignæ &c.*] Verſus integer Virgilii hic eſt:

Si canimus Sylvas, ſylvæ ſint Conſule digna.

Ad quæ Taubmannus hæc notat: Si carmen Bucolicum canimus & ſylveſtre, (nam paſtores in ſylvis pecus paſcere ſolebant) demus tamen operam, ut dignum ſit Majeſtate Conſulis: Ita Turnebus *lib. 3. 22. & 16. 13.* Exiſtimat autem Cælius Rhodiginus *lib. 26. 5.* ſcientiſſimum Poëtam reſpexiſſe morem, quo ſylvarum cura inter Officia Conſulis fuerit; teſte Suetonio *in Cæſare cap. 19.* Adſtipulatur huic & Jul. Cæſ. Scaliger, magni iſtius Doctoris major diſcipulus *lib. 1. cap. 4. Poët.* item P. Nannius, & P. Crinitus *de Hon. Diſcip. quem vide lib. 4. cap. 5.* Turnebo tamen ſubtilius hoc, quàm verius videtur. Ad explicationem verò loci jam allegati Suetonii, facit Obſervatio Lipſii *ad Tacit. 4. Annal. 27.* ubi *ad verba: & erat iisdem Regionibus Curtius Lupus Quæſtor, cui Provincia vetere ex more Cales evenerat &c.* notat; Utrum *Calles* hîc legimus, an *Cales?* Si Calles: interpretor ex Suetonii loco, *in Julio cap. 19.* Opera ab Optimatibus data eſt, ut Provinciæ futuris Coſſ. minimi negotii, i. e. ſylvæ callesque decernerentur. Ut antiquitùs quidem calles, (eo nomine intelligimus curam publicorum ſaltuum calliumque, in quibus pecora paſcebantur, ære aliquo conſtituto) Provincia Quæſtorum fuerit: interdum & Conſulum, ſi bella nusquam aut hoſtes. Sed nec Cales mihi diſpliceat: ut in eo oppido Quæſtoris fuerit ſedes &c. Similiter Pulmannus exiſtimat, apud Suetonium ſignificari ſylvarum publi-

publicarum adminiſtrationem & ſaltuum publicorum, in quibus profeſſi pecoris ſui capita pecuarii paſcebant, ſcripturamque ſolvebant. Nam callis ex eo appellatur, quod pecudum callo calcetur, eſtque via à pecore durata.

(2) *Gallinaria pinus &c.]* Confer Cluverium *lib.4. Ital. Antiq. c.2. p.1101. ſeq.*

Num. 6.

(3) *Ex ſylvis quoque Normandiæ &c.]* Teſte Tholozano *de Republ. l.3. c.2. n.15.*

(4) *In Republica Veneta &c.]* Tholozanus *in Syntagm. loco in textu Klockii notato, ad hoc in teſtimonium Crinitum advocat.*

(5) Forſtmeiſter ꝛc.] Sic Imperialis illa quæ Norimbergenſem, *Scriptore Eobano Heſſo (in Pirckheimeri Operibus pag.151. Deſcript. Urb. Norimb. cap.10.)*

Circuit incluſam pulchris amplexibus urbem
Sylva patens paſſum per millia quinq; receſſu
Interiore ſui, vel paulò plura, nec ulli
Herciniæ nemorum cedens, ſi commoda ſpectes,
Aut etiam quæ ſylvarum ſolet eſſe voluptas
Te juvet, atque animi tantùm oblectamina quæras,

commiſſa eſt Curæ ſex ex Ordine Senatorio Perſonis, (den Wald-Herren) duobus Præfectis (Wald-Amtmännern) quorum hic Laurentianæ, ille Sebaldinæ partis Sylvæ (cum illam ut Parochiales Ædes Sebaldinam & Laurentianam Pegneſus dirimat) præeſt, qui ſub ſe, duos ſcribas, minoris ordinis miniſtros, die Amtknecht/ Forſter und Stockforſter alios habent, qui omnes eò intendere debent, ut ſylva

--- --- --- *maxima duret, & omnes*
Viribus ipſa ſuis velut æmula creſcat in annos.

Hinc *canente Eobano Heſſo d. loc.*

Cùm vel arena ſiti ſterilis confecit iniqua
Vel labor excidit diuturnus & arida facta eſt
Planities, tum ne jaceant loca vaſta reciſis
Arboribus nova conficiunt, & ſemina mittunt
Sparſa ſolò vacuo, campisq; injecta relinquant.
Tum videas prodire novas ſine ſtipite frontes,
Mox quoque colliculos tenues, tum cortice robur
Adcreſci, parvosq; umbram defendere ramos
Exiguam, tenebramq; novo de germine ſylvam
Surgere, & in patrias paulatim adoleſcere formas,
Donec in antiquum redeat decus, altaq; cælo
Attollat capita, & concuſſo vertice nutet
Laſſatura iterum patrias jam ſylva ſecures.
Has aliæ innumeræ per tot jam ſecula, terræ
Neſcivere artes reparandarum ſylvarum
Inventrix docuit Germania, tanta cupido eſt,
Tantus amor nemorum, quorum vel blanda voluptas
Vel gravis utilitas ſit reſponſura labori.

Reperitur autem aratro centum & duobus equis ducto aratâ A. MCCCLXVIII. Sylvam Norimbergenſem ex ſeminibus propagari cœptam, propè Lichtenhoff initio ſumpto, per aliquot terræ partes (Morgen) Authore Petro Stromero. Cujus aratri figura æri inſciſa à præcellenti, quopiá Reip. noſtræ Senatore inter alia diligenter aſſervata mihi monſtratam, vide Colerum *in Oecon. l. 8. c.1. & cap.11.* Noe Meurern vom Jagt-und Forſt-Recht *parte 1 p.4.* Inde à Cæſaribus plurimis, (ad Burgum enim Imperii ſive Vogteyam ſylva hæc univerſa pertinebat, Burggraviis Norimbergenſibus certis ſolummodò juribus minoribus, & quidem feudi lege ex indulgentia Cæſarum in illas conceſſis, videlicet privilegio Rudolphi Imper. de Anno MCCLXXIII. & Anno MCCLXXXI. Friderico Burggravio indultum, quod tertiam arborem de Foreſto ac omnia ligna jacentia in eodem tollere poſſit; inſuper Officium de Foreſto ab illa parte pontis verſùs Caſtrum Diœceſis Bambergenſis, cum ſuis attinentiis, & quod ibidem Foreſtarium poſſit ponere ſeu locare &c. (vide Acta H.H. Marggraven contra die Stadt Nürnberg die Freiſſ. Obrigkeit betreffend / præſertim Rotuli Onoldſpacenſis Num. 3.4.8.9. & Culmbacenſis Num. 15.17.29. quod pòſt nimiùm quantum extendere ſatagebant, cui ſolida ſua & inconcuſſa argumenta à parte altera hactenus oppoſita ſunt) à Cæſaribus inquam Senatui Civitatis Norimbergenſis procuratio incolumitatis hujus ſylvæ ſic data fuerat, (Privilegio Henrici VII. Regis Rom. Anno MCCCIX. & MCCCX. Ludovici IV. Reg. Anno MCCCXIX. Caroli IV. Anno MCCCL.) ut cum illa perpetuùm unita maneret, præter jam mentionata, ex Privilegio Friderici Imperatoris à Goldaſto der Reichs-Satzung *parte 2. p.169.* & Limnæo *de J.P. lib.7. cap.35. num.30.* (ubi tamen notandum, apud Limnæum in illo Privilegio pro Forſt-Stuben ſemper Forſt-Huben legendum) adducto, ad oculum patet; Certæ quædam ei fini conditæ Leges & quidem primùm circa Annũ MCCXCIV. dein Anno MCCCLXXIII. Foreſtariis den Forſtern datæ; Anno MDXVI. in unum corpus illa multa capitula redacta fuerunt. Quò pertinet etiam Caroli IV. Imperatoris Auguſti Conſtitutio de Foreſtariis & Zeidlariis de Anno MCCCLVIII. apud laudatum Goldaſtum *Conſtit. Imp. Tom. unic. pag. 368. ſeqq.* Et demum obſervandum Foreſtarium Judicium (das Forſt-und Zeidel-Gericht) coram quo actiones Hubas Foreſtales, Bona Zeidlerorum, Jura lignandi, & hinc exorientes pignorationes, contractus, aliaque jura inter perſonas huic ſubjectas controverſa, concernentes (alle Sachen/ Sprüch und Forderungen/ betreffend die Forſthuben/ Zeidelgüter/ Waldrecht und derſelben Pfändungen/ ꝛc. Reform. Norimb. leg. 1. tit.7.) terminantur, Privilegio de non appellando multorum Imperatorum munitum eſſe.

(6) *Sint optandæ &c.]* Niſi ignis elemento carere velimus, quod addit *ibidem* Patricius.

(7) *Devaſtationibus nemorum & ſylvarum maturè occurrendum &c.]* Sic à Sylva Norimbergenſi per Ludovicum IV. Ann. MCCCXL. die Kohlenbrenner / Bechſcherer / und die Glasöfen arcentur; multæque aliæ huc conducentes leges à Reipublicæ noſtræ Patribus ſancitæ extant.

(8) *Ligna, probam monetam, &c.]* Latherus *de Cenſu lib.3. cap.6. n.42. ex Pezel. part.3. Poſtill. Melanchth. pag.129.* id ſic effert; Sub finem mundi ſubinde majorem defectum futurum eſſe metallorum, lignorum, & hominum, qui ſint idonei ad gubernationes: Es wird miteinander aufgehen/ Ertz/ Holtz/ und Leut.

(9) *Oſtraciſmum paſſa &c.]* Et fortaſſis adhuc Patriæ nationis Germanicæ tam infenſa eſt, ut cum illo ſepulchro ſuo inſcripſerit: INGRATA PATRIA NE OSSA QUIDEM MEA HABES. Quæ nunc iterum monetarum corruptio in Imperio noſtro exiſtat, & quàm fruſtra huic morbo medendo hactenus deſuderint viri etiam cordatiores, vel ex ſolo Lenzii Diſcurſu vom Müntzweſen palàm fit. Morbum ipſum DEUS curet, & Ille, qui eum in his terris repræſentat!

Num. 7.

Num. 7.

(10) *Politicam Ordinat. Duc. Luneb. &c.]* Et adde Illuſtriſſimi Ducis Brunſvicenſium Auguſti Lands-Ordnung Anno MDCXLVII. die VII. Januarii promulgatam *art. 37. ibi:* Bey allen und jeden Dörffern ſo Hölzung haben/ ſoll ein jeder Ackermann alle und jede Jaar beſonders / vyr eichene und vyr buchene junge Stämme : Ein Köler aber einen eichenen / und einen buchenen Stamm/ in oder bey dy gemeine Hölzung oder andere Oerter / ſo inen angewieſen werden ſollen/ mit beſtändigen Wurzeln pflanzen/ und mit Dornen verbinden/ und ein jeder das Seinige ſo er gepflanzet/ wol in Acht nemen / und was nicht bekommen/ wieder mit anderen erſetzen/ bei Strafe 10. gr. für jeden Stamm den er jährlich nicht geſetzet.

Num. 8.

(11) *Ad Demetrii Regis navigium &c.]* Teſte Plinio *Nat. Hiſt. l. 16. c. 40.*

(12) *Altiora quæq; Cedro conferuntur &c.]* V. G. apud Eccleſiaſtic. *c. 24. v. 17.* Eſai. *c. 37. v. 24.* Jerem. *c. 22. v. 15.* Zach. *11. v. 1. &c.*

(13) *Pſaltes &c.]* Pſal. *91. v. 13.*

(14) *Cariem neſcit &c.]* Cariem, inquit Plinius *lib. 16. Natur. Hiſtor. cap. 41.* vetuſtatemq; non ſentiunt cupreſſus, CEDRUS, ebenus, lotos, buxum, taxus, juniperus, & oleaſter & olea &c.

Num. 9.

(15) *Protoplaſtis ſubſidium præbuit &c.]* Cùm enim primi noſtri Parentes poſt lapſum cognoviſſent ſe nudos eſſe, conſuerunt folia ficûs, & fecerunt ſibi perizomata, *Gen. c. 3. v. 7.*

Num. 10.

(16) *Chriſtus ob veterem injuriam &c.]* Diſpiciant Theologi, an hæc conjectura rectè ſe habeat, mihi de firmitate ejus, ex veteri formula, non liquet.

(17) *Quò ibo, inquit &c.]* Pſalmo nempe *138. v. 7. & 8.*

Num. 11.

(18) *Præfigurare voluiſſe fore, ut Synogoga &c.]* Sic D. Chytræus, *notante Oſiandro ad locum Matthæi lit. ß.* Imago, *inquit*, Synagogæ Judaicæ proponitur: quæ cùm Chriſtum non velit fide amplecti, & fructus Chriſto placentes ferre, omnibus donis, quibus præ cæteris populis donata fuit, privatur, areſit, perit, & concidit. Monet etiam Chriſtum, etſi in omnibus eſurit fructus Juſtitiæ, tamen eos præcipuè odiſſe, qui procul intuentibus ſpeciem pietatis hypocriticam oſtendant, & penitiùs introſpecta, cor omnis pietatis expers habeant; quam ipſam explicationem amplexus eſt Beatus noſter Dilherrus in der Hohen Schul/ in der erſten Betrachtung *v. 180.*

Num. 15.

(19) *Caderet ab Emphyteuſi &c.]* Ad hoc tamen oportet, quòd inciſio debeat eſſe arborum fructiferarum, ut omnes, dicente Fulgineo *de Jure Emphyteut. de variis caducit. quæſt. 2. num. 53.* notant. Et Damnum exinde ortum magnum ſit, Si autem arbores ſint cæduæ (*i. e. ſylva cædua, arundinetum, & alia, quæ incidendo renaſcuntur & ſunt in fructu,*) non ſolùm Emphyteuta pro uſu ſuo poteſt incidere, ſed etiam poteſt aliis vendere; quia utitur ad uſum deſtinatum. Dummodò inciderit arbitrio boni viri & forma ſylvæ ex. gr. non mutetur. Quæ pluribus declarat laudatus Fulgineus *d. loco à n. 51. usq; ad n. 73. ubi alias quoq; declarationes adducit.*

(20) *Statuto Mechlinenſi &c.]* Imperator Carolus V. *in Ordinatione Criminali* haud certam aliquam pœnam in eum, qui ligna alterius ſucciderit, conſtituit, ſed inprimis ex moribus regionis & loci hujusmodi delinquentem *art. 168.* punire jubet. Adhibito tamen, ſi delictum illud inſolito vel interdicto tempore, ut nocte vel diebus feriatis perpetratum, circa pœnam infligendam prudentiorum conſilio. Sic Grœnewegen *de LL. abrog. in Hollandia ad tit. arbor. furt. cæſar. l. 2.* notat, ob hoc crimen ruſticum quendam, alligatâ ſuper caput ipſius unâ ex furtim cæſis arboribus, publicè virgis cæſum Hagæ Comitis ex Judicio Scabinorum ſe vidiſſe. Adde Commentatores ad P. H. O. Caroli V. Remum, Zieritzium, Oldendorpium, Bullæum, Stephanum, Blumlacherum, *ad art. citatum.* Carpzovium *in Praxi Crim. parte 2. quæſt. 83. num. 2. ſeqq.* ubi tamen probè tenendum, juxta alios, docet, diſcrimen inter cædentem arbores ex ſola malitia, & inter eum, qui animo lucri faciendi, cùm de Jure Civili ille ex Lege Aquilia tenebatur, & ex Edicto Prætoris actione Civili arborum furtim cæſarum reus fiebat, in hunc etiam furti actio competebat. Vide & Hahnium *ad Weſenbec. paratitla, ad tit. arborum furt. cæſar.* Julium Clarum & Giachar. *Praxi Crim. quæſt. 68.* Proſper. Farinacium *Praxi Crimin. lib. 1. tit. 3. quæſt. 20.* Oldendorp. *claſſ. 7. act. 7.*

Num. 17.

(21) *Carbones foſſiles &c.]* Cardanus *lib. 5. de Subtil. pag. 160.* inter genera bituminis recenſet ampelitim, & foſſiles carbones; *& pag. 163. ejusdem libri,* Carbones, *inquit,* conſtant terrâ pingui, levi, atra; per totam Miſniam effodiuntur in monte juxta Zuiccam Urbem ad Muldam ſitam. Fabris in uſu ſunt. Virtus minor, quàm aſphalto, ſed tamen generis ejusdem. Agricola *lib. 4. de Natura Foſſil. pag. 222.* teſtatur, foſſiles carbones, & ampelitim conſtare ex bitumine; & *pag. 226.* Bitumen, *inquit,* foſſile terrenum à rei ruſticæ Scriptoribus vocatur terra ampelitis, quòd vermes oculos vitium rodentes enecet. Vocatur à Medicis eodem nomine, ſed & pharmaticis, quòd præ cæteris terris efficacem habeat vim medendi. Idem Theophraſtus appellat carbones, quòd ei color ſit, qui carbonibus; quòd æquè ac illi igneſcat, atque ardeat; quòd uſum præbeat eundem. Et *pag. 227.* Hoc, *inquit,* terrenum bitumen eſt nigrum & exiguis piceæ carbonibus ſimile; ſplendet ut pix, eſt modò molle, modò durum, aſſulatim tamen ſubſciſſile, leve, accenſum ardet, molli trito in pulverem, ſi quid olei affunditur, citò liqueſcit. Terra ampelitis eſt foſſile bitumen, ſed optima, quam eligere ſolent Medici; quæ verò terra nimis infecta, eſt alterius coloris, ut eſſe ſolet, huc non pertinet. Carbones autem foſſiles à terra ampeliti non differre, palàm ante oculos eſt. Quare Theophraſtus, qui carbonum fecit mentionem, nihil ſcripſit de Ampeliti; & contrà, qui de hac ſcribunt, illorum mentionem non fecerunt; atque idem Theophraſtus eos terrenos quidem eſſe dicit. Noſtri propiùs ad naturam lapidis, quàm terræ accedere putarunt, atque ideò appellarunt nomine ex lapide & carbone compoſito; certè alii aliis multò ſunt duriores; quare utrique Scriptores conſuetudinis appellandi, & ſententiæ rationem reddere poſſunt, & Cæſius *de Mineral. lib. 3. c. 7. ſect. 19. n. 8. ſeqq. ubi horum uſum enarrat.*

(22) *Comitibus Schaumburgenſibus &c.]* In quorum Comitatu quotannis multa millia fudrarum,

tum, ut vulgo loquuntur, effodiuntur, quarum quælibet venditur coronato uno, quemadmodum Spangenberg in der Schaumburgiſchen Chronick *l.1.c.3.p.6.* teſtatur.

(23) *Quo ferra rigentia mollit &c.]* Utuntur quidem fabri ærarii & ferrarii carbonum vice, quòd eos multò diutiùs duret, duro hoc bitumine; ſed quia ſuâ pinguedine inficit ferrum, & fragile facit, qui ſubtilia opera efficiunt, hoc non utuntur, niſi eorũ, quæ ex ligno fiunt, magna fuerit penuria, Cæſius *d.loc.n.12.*

Num. 19.

(24) Torff ꝛc.] Vide *ſuprà ad cap. 14.n.69. Not.46.*

Num. 20.

(25) *Alii egerunt &c.]* Noe Meurer vom Jagt und Forſt-Recht. Sebaſtian Khraiſerus *in Tr. Jus Foreſti Romano-Bavaricum*, Wehnerus *Obſ.Pract.verbo* Forſt. Beſold. *in Theſauro Practico*, & Speidelius *in Speculo d.voce*, Reinkingk *de Regim. Secul. & Eccl. lib.5.cl.5.cap.4.num.239.* Schœnborn. *5.Polit.29.* Alii.

Num. 21.

(26) *Prata &c.]* Pratum eſt, inquit Imperator noſter *in l.31.ff.de V.S.* in quo ad fructum percipiendum falce duntaxat opus eſt, ex eo dictum, quòd paratum ſit ad fructum capiendum, ad quam legem omninò Gœddeum vide.

Num. 23.

(27) *Magnos reditus quotannis &c.]* Sicut Anno MDLXXXII. reditus ille deductis antea deducendis ad Duc. 241264. aſcenderit, eodem Tapiâ *d.loc.n 100.* (qui in antecedentibus & ſubſequentibus plures Regni Neapolitani reditus ibidem recenſet,) Authore.

Num. 26.

(28) *Nec Domino &c. Jus retentionis animalium datur &c.]* Probat hoc aſſertum Dn. Johannes Thomæ *in Tr. de Noxia Animalium c.23.* tum *l.39.§.1.ff.ad L. Aquil.* tum plurimorum Doctorum præcellentiſſimorum Authoritatibus, & D. Johannes Grake *in Tr.de Author.priv.claſſ. 3.cap.3.* qui ambo tamen aliquas limitationes addunt, & concludunt, quod & Author noſter facit, *n.28.* De Conſuetudine aliud obtinere; tutius quoque eſſe & melius cenſet Grake *d.loc.n.4.* etſi retentio animalis damnificantis permiſſa ſit, ducere illud ad Juſtitiam: cùm per hoc multa incommoda (*quæ à Chaſſan. ad Conſuet. Burg. rubr.1. Meſſiers & Sergeans. pr. recenſentur*) effugere damnum paſſus poſſit. Indeque fortaſſis eſt, quòd Belgarum & aliorum moribus, (teſte poſt alios Simeone à Grœnewegen *de LL. abrog. per Holl. ad l.39.ff. ad L. Aquil.*) pecus alienum in agro illorum deprehenſum publico ſtabulo (*Schuthok*, includere atque mancipare Jure liceat.

Num. 27.

(29) *Quinimò ſi quis duriùs &c.]* Confer laudatos JCtos, Thomam *d.loc.c.26.* & Grake *dicti capitis n.5.ſeqq.*

Num. 30.

(30) *Vincentius de Franchis &c.]* Alibi tamen *videlicet deciſ.325.* dicit: In notoriis ordinem eſſe, ordinem non ſervare, ſed non ex hoc ſunt tollendæ defenſiones, quemadmodum etiam *in alleg. deciſ. 262.* non obſtante notorio ad probandum fuiſſe admiſſum Actorem, decidit.

Num. 32.

(31) *Pulchrè Gregorius &c.]* Scilicet tempora illa & inter paſcua vacua & florida diſtinguit, cùm de aliis ab Authore noſtro allatis ibidem ſileat.

Num. 33.

(32) *Knichen &c.]* Ubi *n.505.* ſubjungit: Verùm hæc & ſimilia, ut uſu & exercitatione acquiruntur, ita etiã amittuntur. Alibi diverſis exiſtentibus dominis prælibatum jus quandoque Centenicus (ſicut communitur is qui *Vogtheiam* habet) ſibi vendicat. Author Actorum Lindavienſium hujus mentionem injiciens *pag 806 mmmmmm. 1.* hæc adfert. Es annotirt gleichwol Beſoldus an beſagtem Ort (*Theſaur. Pract. verbo* Hirtenſtab) anfänglich / quòd Hirtenſtab ſimpliciter ſumatur pro Jurisdictione, quia Princeps vel Dominus loci ſit quaſi Paſtor: welches zwar nicht ein geringſcheinlich Anſehen hat / weil regulariter der Gerichts-Stab / und etiam abſolutè Stab ein tribunal oder Judiciariam poteſtatem bedeutet; um das der Richter einen Stab führet und man deroiwegen zu ſagen pflegt / der gehört unter dieſen oder jenen Stab: wie dann auch ex hac Originatione Matth. Klock. *in AnteCategoriis Solemitan. pag. 143.* nicht inſcitè ſchlieſſet / daß die (in denen von Jhm exhibirten Heiligenbergiſchen reverſalen befindliche) Wort mit dem Stab fuetern / pro placiti habitatione (eò quòd placitum ſequi ſolebat exactio fodri, Futter und Mahls) aufzunehmen und zu verſtehen ſeye. Demnach aber dißfalls die denominatio, nichts von deß Richters oder metaphoriſchen Hirtens / ſondern von eines rechten natürlichen Hirtens (der deß Viehes hütet) Stab und von deſſen ſubjectis & adjunctis, wie die in Text vor und nach erzehlt werden / hergenommen; und derowegen der Hirtenſtab gemeiniglich für ruralem Jurisdictionem und ein Theil der nidern Gerichtbarkeit gehalten wird; Wie dann auch der krumme und Bettſtab poteſtatem coarctatam bedeutet / Wehner. *in Obſerv. pract. verbo* krumme Stab *pag. 459. col.1.* Als kan dieſe deß Beſoldi ex ingenio tantùm depromirte ſignificatio dißfalls nicht genugſam beſtehen; Dahero er auch in ſeqq. ſolche generalität / wie obgemeldt / alſobald ſelbſt reſtringirt. Welcher Interpretation auch ſo viel mehr beyhilfft / dieweil im Land zu Bayren auch die Dorff- und Ehehaffte Gericht / fürnemlich allein mit übermayen / überehren / mit Befriedigung der Felder / Trieb / Beſuch / ꝛc. zu thun haben / wie D. Hund / in dem kurtzen Auszug etlicher Hiſtoriſcher Obſervationen fol. 401. bezeuget.

Num. 34.

(33) *Secularibus Imperii Statibus &c.]* Huic ſententiæ quoque Merckelbachius *inter Conſilia ipſo ab Authore noſtro edita vol. 1. Conſil.40.* Dn. Myller *de Princ. & Stat. Imperii cap.70. &* certo modo jamjam laudatus Author Actorum Lindaviẽſiũ diſtinguendo: inter novalia privatorum, & publica, ſubſcribere videtur *pag. 134.* ſtatuens Novalium publicorum Decimas Status Imperii ſeculares ſibi non injuriâ vindicare; quà quia ipſa bona deſerta & nunquam culta Principis eſſe dicantur; quà, quia ab Eccleſia Parochiali nunquam ſunt poſſeſſæ, & ſic nec præſcriptæ. &c. Quod ibidem multis Authoritatibus & præjudiciis Cameralibus firmat. ubi vide.

Num. 36.

(34) *Privilegio &c.]* Controverſiam hanc planè expeditam non eſſe, conſtat ex dictis P. Ludovici Engel *in Manuali Parochorũ lib. 2. part. 4. cap.1.n.10.ſeqq.* quem conſule.

(35) *In Decimis Novalium &c.]* Scilicet Novalium propriè dictorum, i. e. locorum priùs omninò ſterilium ad culturam redactorum, quales Decimæ regulariter ad Porochum pertinent. De Novalibus enim impropriè dictis, quando ſcilicet vinea ager fit, &c. præſcribentem Decimas

petere

petere poſſe, aſſerit citatus Ludov. Engel *d.l.n.11.*

Num. 38.

(36) *Jure Divino &c.*] Equidem Jure naturali & divino Decimas hodie deberi, tenent communiter Canoniſtæ ferè omnes, at verò rectiùs JurisConſultus Hiſpanus planè inſignis Johannes Gutierrez *Canon. quæſt. lib. 2. cap. 21. n. 7. ubi priùs Canoniſtarum fundamenta adduxerat*, docet; Theologos communiter tenere, Decimas etiam prædiales, licèt in genere jure divino ac naturali debeantur, juxta tamen veram & præciſam decimæ partis aſſignationem jure tantùm humano & Pontificio ſtatutas eſſe, non verò Divino Evangelico, nec naturali. Primò, (*pergit Gutierrez ibidem*) quia ratio naturalis non magis dictat, miniſtrantibus ſpiritualia dandam eſſe decimam partem, quàm nonan, octavam vel aliam minorem. Secundò, quia ſub lege Evangelica ea ſolùm lege tenemur ſervare, quæ à Chriſto Jeſu etiam per ejus Apoſtolos nobis præcepta ſunt, juxta illud Matth. ult. *Dicentes eos ſervare omnia, quæcunque mandavi vobis &c.* & Paulus Act. 12. *Non ſubterfugi, quò minùs annunciarē vobis omne conſilium DEI.* Sed de ſolvendis Decimis, nec in Evangeliis, nec apud Apoſtolos ullum eſt præceptum: Igitur lege divinâ Gratiæ non tenemur Decimas quoad quotam ſolvere. Tertiò, quia ſecundùm S. Thomam à cæteris receptum 1. 2. q. 10. 8. art. 1. & 2. quodlib. 4. art. 3. nullum præceptū continetur in lege Evangelica, quod non ſit naturalis Juris, exceptis de Sacramentis atque fidei præceptis, juxta illud, *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Præceptum verò de ſolutione Decimarum, nec ad Sacramenta, nec ad fidei articulos attinet: Ergo colligitur, id in Evangelica lege non contineri. Quartò, quia ſi decimæ eſſent Jure Naturali aut Divino Evangelico inductæ, minimè poſſent conſuetudine diminui, ut patet: & nihilominus conſuetudine eos poſſe minui, probat text. planè intellectus *in cap. in aliquibus, 32. §. ult. de decim.* Ergo, &c. Quintò, quia eodē Jure, quo decima fuit inducta atq; præcepta plebi Iſraëliticæ ad alimenta Levitarum, fuit idem eidem præceptum, ut decimam decimarum ſummo Sacerdoti ſolverent, ut cavetur Num. cap. 18. Hæc tamen decima decimarum ſub lege Evangelica non debetur jure divino ſummo Pontifici, nec ei ſolvitur: Igitur nec decima à Laicis Clericis ſolvenda, hodiè præcepto Legis Gratiæ Evangelicæ debetur. Hactenus Gutierrez, *ubi multorum conſenſu hanc opinionem firmat*, tandem *n. 9.* concludens, Jure Naturali & divino legis Evangelicæ Clericis ſpiritualia miniſtrantibus debitam eſſe à Laicis eam partem fructuum, quæ ad eorum alimenta, congruamque ſuſtentationem neceſſaria ſit, ad laboris impenſi juſtam mercedem: *atque p. p.* & ex hac parte præceptum hoc naturale & divinum in lege veteri moralium numero comprehenſum fuit, non verò quota ipſa decimæ, ſed ſpecificatio & determinatio ipſius quotæ; & ſic quota Decimæ hodie non eſt in Obligatione Juris Divini Evangelici, ſed potiùs humani Pontificii; Quia etſi in lege veteri prædicta taxatio Decimæ eſſet facta, ut vidimus, id per mortem Chriſti abrogatum fuit, tanquam ceremoniale, ſicut & cæteræ leges veteris ceremoniæ. *&c.* Confer Beatum Gerhardum *in. Loc. Theol. de Miniſterio Eccleſiaſtico n. 329. θ. 6 pag. m. 190.* Paulum Tarnovium *apud Dedekenium Conſil. Theolog. vol. 1. parte 2. pag. 843. n. 9.* Mareſium *in Scholiis ad Cucchi Inſt. Juris Canon. lib. 2. cap. 16. pag. 158. ſeqq. ubi ex Gentilleto ſcribit: Clerum Pontificium in exigendis Decimis ſe Levitarum Succeſſorem profiteri; ſed nolle Levitis accenſeri, ubi de rerum ſoli & prædiorum poſſeſſione agitur.* Wurmſerum *Exer. Juris. Publ. 6. θ. 19.*

Num. 40.

(37) *Hæc duo conjunctim &c.*] Vid. Andr. Knichen *de Veſtit. Pact. parte 2. cap. 2. n. 61.* Bocer. *de Regal. cap. 1. n. 69.* Thom. Michael. *de Juriſdict. Concl. 51. lit. B.* Matth. Stephan. *de Juriſdict. lib. 2. cap. 2. part. 1. cap. 7. n. 437.* Ut ſic Foreſtalis Jurisdictio, ut totum integrale conſiderata, conſtituatur I. Banno Ferino, Wildbann/ quod Jus venandi dicimus: ac II. Jure Foreſti, Forſt-Recht / quæ non unum & idem, ſed inter ſe ſpecificè differunt ac ſeparantur: cùm ſeparata quoque faciant munia, & diſtinctos actus, *arg. l. 130. ff. de V. S.* Beſold. *in Theſ. Pract. verbo* Forſt. Knipſchild *de Jur. & Privil. Civit. Imp. lib. 2. cap. 7. n. 40.* Chriſt. Feſch. *de re venat. part. 2. θ. 2. per. tot.* Dn. Mylerus *ab* Ehrenbach *de Prin. & Stat. Imp. part. 2. cap. 73. n. 4.* atque Author Actorum Lindavienſium *pag. 115. ſeqq.*

Num. 41.

(38) *Diſtincta Officia ſunt &c.*] Add. Meichſner. *Tom. 2. lib. 2. dec. 2. n. 28.* Ludovic. Gilhauſen *in Arbor. Judic. cap. 1. par. 1. de Juriſd. §. 1. n. 8.* Dn. Myler. *dict. loco. n. 5.*

Num. 44.

(39) *Sed ea ſeparata jura eſſe &c*] Hinc eſt, quòd nec bannum ferinum, nec jus prohibendi arbores excidi habens, continuò totum fori jus habere dicatur. Gilhauſen *d. loc. n. 86.* Joh. Rudinger *cent. 3. Obſerv. 4 in fine.*

Num. 37.

(40) **Reinhards Wald ꝛc.**] Confer Wilhelm Dillich Heſſiſch Chronica *p. m. 142.* De alia Haſſiæ Sylva, ferarum copioſiſſimarum receptaculo, vulgò Sullingswaldt / vide Zeillerum *in Topograph. Haſſiæ in appendice pag. 3.*

Num. 48.

(41) *Domino Sylvæ patrocinamur &c.*] Cujus Advocatiam & Noe Meurer **im Forſt- und Jagt-Recht** *pag. 25. ſeq.* ſuſcepit.

Num. 51.

(42) *Ordinationes Principum &c.*] Quales ſunt, ut alias nunc ſileam, Illuſtriſſimorum Ducum Wurttenbergicorum erneuerte Forſt Ordnung ꝛc. Item die Neue Conſtitution von Straffen der Wildenern/ editæ iterum inter deß Hertzogthums Würtenberg erneuertem Gemeinen Land-Recht Anno 1658. Stutgardiæ, Item Edictum Auguſti Ducis Brunswicenſis de dato 28. Febr. Anno 1645. &c.

(43) *Appendix &c.*] Quæ hoc in Appendice continentur, illuſtrare poterunt monita ſaluberrima Noe Meureri **im Jag- und Forſt-Recht** *parte 1. fol. 5. ſeqq.* quem harum rerum curioſus evolvere quiverit.

Num 70.

(44) **Wegen deß mercklichen Schadens ꝛc.**] De quo etiam teſtatur Coler. *in ſua Oecon. lib. 12. c. 91. & 98.* Capræ namque apices & ſummitates, hoc eſt, partes ſuperiores, Spitzen/ Plantarum, & arbuſcularum, ut ampliùs (vel difficulter ſaltem creſcere nequeant) devorant: Quare in hortis etiam non tolerantur. Nam ſi in illos prorumpunt, ut experientia docet, cortices quoque ibidem ab arboribus junioribus, ut perire debeant, nec fructus ſuos ampliùs procreare queant, arrodere ſolent.

Plura vide apud Kraiſerum *in Jure Foreſti Romano-Bavarico ad art. 33. pag. 58. ſeq.*

CAPUT III.

De Reditu ex hortis Pomariis, Olitoriis, Aromatoriis, Coronariis: Lupulo, Carduo, Iſatide, Rubiâ, aliisq; exoticis herbis conficiendo.

SUMMARIA.

1. Arborum *varia genera, inter quas hortenſes, ſativæ, domeſticæ magnam utilitatem voluptatemq; afferunt, & n. 2.*

3. *Adnitendum eſt, nulla ut* Regionis *pars ſit, quæ pro genio loci non ſit fructiferè conſita; ubi multa de phito magnetiſmi in inſitionis negotio applicatione; & variis inſerendi modis & rationibus.*

4. *Idem de* Lupulo *ad Cerviſiam de Carduis pro fullonia.*

5. *De* herba Iſatide Rubia, *ſimilibusq; ad colores utilibus*, & n. 6.

7. *De* hortis Olitoriis, Aromatoriis, Coronariis; *quæq; florum miræ ſpecies aliunde afferantur, ubi & de horto Imp. Turcici:* n. 8. *& hortulanorum ac ſeplaſiariorum legibus*, num. 9. *Ruſtanus Sulymani Turcici Imp. Conſiliarius ex hortis, herbis, & violis ærarium amplum confecit*, ibid.

10. Florum *cura & honor ſtupendus in exteris nationibus.*

11. *Hoc* florum *inani munere beari putant defunctos.*

12. Hortuli herbarii vel Medici: *neque peregrinæ herbæ noſtrum ſolum horrent; &* n. 13.

14. Species herbarum & florum *peregrinæ, nunc nobis familiariores.*

15. *Ex hiscc poteſt mens noſtra perjucundè in* Deum *aſſurgere.*

16. *Florum,* Exoticarumque herbarum *deſcriptio è Barlæi Poëmatibus fol. 215. 216. & 217. excerpta.* Tabaci *deſcriptio*, ibid.

17. Hortus *Regius in America ex ſolido auro.*

18. Horti *Salluſtiani.*

19. Vectigal *ſolutum pro* umbra Platani,

20. Imperatores *ac* Principes *nonnulli in* hortis *conſenuêre.*

21. Florum *nimium ſtudium.*

22. Salomonis *horti in* Hettan.

23. *Horti* Alcinoi *in Corcyra regis* Midæ, num. 24. Heſperidum, n. 25. Adonidis & Tantali, n. 26. Horti Ægyptiorum penſiles. *Cui tribuantur*, n. 28. *horum forma & figura*, n. 29.

30. *Horti* Romanorum, Mæcenatiani, Enniani, Serviliani, Luculliani, *idem Julii Cæſaris, Auguſti &c.*

31. M. Corvinus 100. *ætatis anno hortum primum colere cœpit.*

32. *Multi Reges hortulani fuêre.*

33. Magnus Sfortia, *Dux Mediolan. hortulanus fuit.*

34. Labyrinthus *&* hortus *amœniſſimus in* Hungaria.

35. *In* Italia *excellit Romæ Pontificis* Belvedere.

36. *In* Gallia Pariſiis St. Germain, & Fontainebleau, Gallorum, item hortus medicus Montiſpelii. *In* Anglia Noneſuch, Thibault, Frantzgartin. n. 37.

38. Luſtgärten in Teutſchland zu Dreſden/ München Caſſel/ Stuttgart/ Weimar/ Heſſen/ Heidelberg/ Eychſtädt.

39. Hortorum *cultura prodeſt (1) ad conſervationem, ut & ad exercitium ac ſanitatem corporis, (2) animi, (3) ad acrimoniam ingenii, (4) ad informationem animæ de infinita Dei omnipotentia, Sapientia, ac bonitate, de vita humana fragilitate, de lapſu protoplaſtorum, de horto ſpirituali Eccleſiæ, de horto politiæ & ſtatus Oeconomici, de morte ac vita æterna, hoc &* n. 40. 41. 42. 43. 44.

45. Granadilla *flos in India Occidentali cruciatus Chriſti repræſentat, ipſisq; oculis ſpectandos ingerit.*

46. Plantæ & herbæ *enumerantur, quarum fit mentio in S. Scriptura.*

Delectant flores, & amœni gramina campi,
Quæ tamen & molles reddere ſæpè ſolent.

Aliud.

Suavem ſæpè lucri res quævis ſpirat odorem;
Suaviùs è Floræ lucra leguntur agro.

Ab arvis, ſylvis, pratis venio ad arborum Chrematiſticam die Baumfrüchte. 1 Nam & agrorum & paſcuorum cultura curat arbores à robore ita dictas; quarum quædam fructiferæ, quædam infructiferæ: Item aliæ ſunt hortenſes, ſativæ vel domeſticæ, aliæ Sylveſtres. Hortenſes ſativæ ſunt pomum, pyrus, prunus, ceraſus, cornus, ſorbus, meſpilus, olea, ficus, *palma*, (1) morus, nux, thus, myrrha, arbor piperis, Balſamum, cedrus, &c. Inde horti pomarii, ſive Pomaria Obſtgarten/ & viridaria, Luſtgarten/ Kreṭzgarten/ in quibus ejusmodi fructus naſcuntur induſtriâ hominis: Item frutices omnis generis, qui etiam fructus ſuos pariunt, & maximo ad cibos & obſonia emolumento ſunt. Et propterea in bene conſtitutis Civitatibus, ſummâ cum induſtriâ horti fructiferi excoli ſolent, in pomeriis & ſuburbiis. Imò videbis multis in locis poma, & pyra, & alia extra mœnia quoque magnâ in copia, in campis apertis plantari. In montibus 2 Genevenſium ſylvas caſtanearum offendes; in Palatinatu & alibi nucum, vinearum, &c. in pomariis ſuburbanis Cracovienſibus, Sendomirienſibus, Varſavienſibus, Turonienſibus, Gedanenſibus, Elbingenſibus, item Vieliſcenſibus & Bochnenſibus, totoque tractu ſubmontano ac Scricienſi pyrorum, pomorum, prunorum perſicorum, ceraſorum ac nucum ea eſt nobilitas, ut cum Hungaricis & Italicis certent, ferèque palmam obtineant.

Non eſt pomariorum prolixa cura, absque ulla ferè cultura fœtus proferentium, niſi Hortulano in oculatione vel emplaſtratione & maritatione, in deliciarum obſequium & uſum arboreta exornare libeat, aut

aut juvare plantas, ſylveſtrem indolem aut crudam manſuetiore ſtipite domando. At area herbis, floribus, radicibusque diſpoſita aliquantum ſtudii poſcit, ſed immenſi fœnoris, ut omnis abundè villa proventu exhilaretur.

Inprimis curandum, ut arboratores ſeminario vel taleis vel viviradicibus conſito (concinnitas & elegantia, ſi per quincuncem dirigantur) ſurculos inſpicatos inſerant & rigent, ſcalproque germina putent, ſtolones nocuos amputent, arbores infœcundas eradicent. Expendendum quoque cum Ariſtotele *2. Oeconom.* quinam fructus aut non proveniant, cùm poſſint provenire; aut cùm exigui ſunt, an augmentum admittant; Sic meo judicio percommodum & utile eſſet, ſi Subditi cogerentur, ut in fundis ſuis pomos, pyros, prunos, ceraſos, aliasque ſererent arbores fructiferas; idque in publicis etiam locis non negligeretur. Ita ut nulla pars foret regionis, quæ arboribus pro ſoli genio non opacaretur. Et certè laudabilis totique Univerſitati proficuus mos in nonnullis Ducatûs Wurtenbergici locis introductus eſt, quòd quilibet poſt receptionem in Subditum, arborem frugiferam in loco quodam communi plantare teneatur. **Muß auf die Allmand einen fruchtbaren Baumen ſetzen laſſen.**

Etenim poſteritatis cura habenda, & arbores ſerendæ, quæ alteri ſæculo prodeſſe poſſint. Cato in libro de Senectute apud Ciceronem *pag. 81. b. ſeq.* agricolam, quamvis ſenem, quærenti cui ſerat, reſponſurum judicat: DIs immortalibus, qui me non accipere tantummodò à majoribus voluerunt, *ſed etiam poſteris tradere.* (2) Cyrus minor Perſarum Rex, Xenophonte Authore, & *teſte Cicerone*, (3) cùm Lyſandro comem ſe exhibere vellet, purpurâ indutus, ornatuque Perſico multo auro gemmisque ſplendens arborum proceritates, directos in quincuncem ordines, humum ſubactam atque puram, flores ſuaviſſimum odorem afflantes ei oſtendit: & mirandi non ſolùm diligentiam, ſed etiam ſolertiam ejus, à quo illa eſſent dimenſa, atque deſcripta, reſpondit; Atqui ego ſum omnia iſta dimenſus: mei ſunt ordines, mea deſcriptio, multæ etiam iſtarum arborum meâ manu ſunt ſatæ. Et Diocletianus, cæteroquin non malus Imperator, *ſi non Eccleſiæ perſecutor* (4) tam gravis fuiſſet; Is cùm Imperio ſe abdicaſſet, Salonam in patriam conceſſit, & agriculturam coluit. *Cùm verò ad Imperium revocaretur*, (5) Legatos ad hortos ſuos vocatos rogavit, ut lactucas adſpicerent, quas manu ſuâ & ſeviſſet & coluiſſet: atque ita dimiſit. Pluris nimirum æſtimabat vitam tranquillam & quietam, ac voluptatem eam, quam ex herbis & floribus concipiebat, quàm omnem imperii gloriam & ſplendorem. Ita Mauritius Haſſiæ Landgravius, depoſito regimine in hortos conceſſit, inter floſculos & herbas oblectamenta & ſolatia quæſivit; ipſe hortorum deſcriptionem in charta exhibuit, ipſe florum & herbarum numerum è Tabernæmontani & Loniceri Herbariis collegit, ipſe bulboſas à tuberoſis, has à ramoſis & ſimplici radice creſcentibus diſtinxit: ipſe medicinalium, culinariarum, ſylveſtrium & coronariarum ſeu floriferarum indicem & Catalogum conſignavit, ipſe horti delineationem ſecundùm areas diſpoſuit, ſuumque locum ſingulis generibus aſſignavit: Ut jam Cyri diligentiam & ſolertiam mirari deſinat Lyſander, nec animi magnitudinem in ipſo minùs atque in Diocletiano ſuſpiciant Legati: tantò verò majorem hujus Principis atque illorum in Botanicis ſcientiam eſſe animadvertant, quantò hodiè plantæ rariores è navigationibus ex ipſis Indiis ad nos advehuntur, quæ in illorum oculos & aſpectum venère nunquam, Joh. Compach. *in Sepulchral. Mauritii f. 79.*

Porrò nemo neſcit, multa in natura rerum miraculi loco habita, *quæ vel fortuitus caſus edidit*, (6) vel ingenioſa hominum effinxit induſtria, juxta illud Poëtæ:

Ipſa novas artes, varia experientia rerum
Et labor oſtendit miſeris, uſusq; magiſter.

Quæ cùm in aliis, tum in arborum inſitione locum habent, quarum ope & ingenioſo artificio fieri plerunque videmus, ut una arbor ſpectaculo ſanè prodigioſo, adeò diverſi generis, variique guſtûs, odoris, coloris, & facultatis poma, nuces, uvas, flores, & alia ab uno & eodem trunco emergentia proferat, ut nihil admiratione dignius videri poſſit; *Plinius*, (7) *Vidimus*, inquit, *inſitam arborem juxta Tiburtes Tulias, omni genere pomorum onuſtam, alio ramo nucibus, alio baccis, aliunde vite, ficis, pyris, punicis malorum q; generibus.* De ſimili arbore à ſe viſa refert Porta, quæ non diverſi tantùm generis fructus ferebat, ſed & ſine vivaceis diſcolores, eosdemque majores, odoratioresque, diverſisque qualitatibus præditos, hominum, animaliumque facies præferentes, cortice verò ipſius arboris, flores roſasque germinante. Quâ autem ratione ſimile quiddam arte phitomagneticâ moliri poſſimus, docet Athanaſius Kircherus *de arte magnetica lib. 3. f. 629.* præſupponens, variam eſſe inſitionis rationem: Prima ratio eſt, quâ inſitiores ſurculos ejusdem arboris omnes ultra medium medullæ ex transverſo incidere ſolent, inciſosque alligare eo ferè modo, quo vulnera ligari conſueverunt, circumpoſitaque cerâ, cretâ, vel luto, ad pluviarum extrinſecorumque nocumentorum defenſionem, convenientibusque perticis, ne rumpi aut earum plagæ aperiri poſſint, muniunt. Ita

conſolidato vulnere ſuperior pars, emundatum in ſapore proferet fructum, pro digeſtione ſucci in nodo facta, plantamque non de uno genere in aliud transmutat, ſed de ſylveſtri domeſticam facit.

Altera ratio eſt, quando eandem arborem in trunco reſecant, & ſurculum in eadem arbore acceptum, trunco ſuo inſerunt: inſita enim cum tempore proferet alterius generis fructum diverſum in ſapore, quantitate & figura, ac priùs protulerat, atque iſta inſerendi ratio omnem in malis, pyris, cæterisque fructibus diverſitatem cauſatur. Tanta enim eſt vis nodi, & converſio pororum, fibrarumque, quæ ſurſum feruntur, ut ſuccum in nodis collectum, ad aliam formam plantalem diverſam, quæ in quantitate & ſapore fructûs in nodo deſcit, diſponant, quæ res ſanè admiratione non caret. Tertia ratio eſt, quam in vite experiuntur, & in quibusdam aliis, quæ ex medulla creſcunt, videlicet, quòd in gemma unius vitis usque ad medullam profundè exciſa, tandem de gemma alterius vitis erutum, loco alteriùs ponitur, & fit colligatio, ut in aliis. Quarta ratio eſt, quâ ſurculus arboris unius in aliam inſeritur arborem, convaleſcitque & fructificat in ea per modum jam indicatum: atque iſte modus tantò erit perfectior; quantò fuerit magis ſimilium: fitque propriè in illis arboribus, quæ rectos habent poros, & per tunicas ligatas ſive fibras cylindri formes attrahunt nutrimentum, qui modus item in alias ſpecies dividitur: prima eſt, quando ſurculus inſeritur inter corticem & lignum & infoliatio dicitur: altera, cùm ſurculus ſciſſo ligno infigitur, inſitio propriè dicta; tertia fit more emplaſtri, & inoculatio nuncupatur per buccellum; quarta dicitur ſalicis pertica perforata, de quibus *vide Plinium*, (8) *Columellam*, (9) Petrum Creſcentium, aliosque.

Oſervandum quoque, quòd non omnis arbor facilè cũ alia quavis coaleſcit, ſed illæ tantùm quæ ſimilitudine quadam naturæ gaudent. Diſſimilitudine verò naturæ disſidentes, ut coëant, fieri non poteſt. Taxi enim conjugium nulla arbor patitur. E contra Ficus Moro & Platano, Morus Caſtaneæ, Fago, Malo, Pyro ſylveſtri, Terebintho, Ulmo, Populoque albæ, unde & alba Mora, facilè conjunguntur: Pyrus Amygdalo & Terebintho, Pyrus quoque Moro inſerta, rubra Pyra proferet, Malus omni Pyraſtri generi inſeritur: Iterum Nux Arbuto ſola, Salice punica, Laurus Malo, Damaſceno Perſica, Caſtanea variis arborum adulteriis gaudet, Ceraſus nec Perſici, nec Terebinthi reſpicit hoſpitium, Cydonea & Caprificus cujusvis arboris ambiunt conſortium, omnique ſe proſtituunt ſurculo: Elæoſtaphylum deniq; ex inſito oleæ vite producitur: Perſico morum ex Perſici & Mori cõjunctione, unde & Mala Perſica ſanguinei coloris originem ſumunt, producetur. Athanaſ. Kircher. *d. fol.619.620.&621.* ubi etiam indicat, quomodo vis medicinalis, itemque ſomni & odores arboribus implantari poſſint.

Lupulus (10) quoque ſive *Lupus ſalictarius* (Hopfen forſan ab hüpfen quòd ſaliat: ſi- 4 ve aſcendat arbores) magnâ curâ plantatur in iis potiſſimùm Germaniæ partibus, quibus vinum natura negavit, quæ ut feliciùs & majori copiâ lupulum in hortis & agris huic plantationi deſtinatis conſequantur, ſolent admodùm proceros palos terræ infigere, per hos hiſpidi lupuli ac prælongi caules, non aliter atque ſmilax hortenſis, reptando aſcendunt. Quàm inexplicata veteribus eſt ea vox, tam eſt nobis nota in iis regionibus, quæ cerviſiæ potu utuntur: Hadrian. Junius *animadverſ.2.cap.5.*

Nec negligenda eſt *cura Cardui*, (11) Karden-Diſtel/ quo fullones utuntur in carenda lana; & carduus fullonius dicitur. Carere vetus verbum à Græco κείρειν, unde & carduus & carminare, hoc eſt, pectere & lanas ab immunditiis purgare. Scalig. *in Varron.* De cardui uſu plura Matthiol. *lib.3.c.11.* Plinii ætate, Cardui duntaxat apud Carthaginem magnam, Cordubamque præcipuè ſeſtertia ferè millia, ſive 150000. coronat. reddiderant, Plin. *Hiſtor. lib.19.c.10. Idem Plin. lib. 20. cap. 21. & l.21.c.6.* De Iſatidis herbæ pretioſâ ad 5 tincturas pannorum linteorum, &c. neceſſariæ (vulgò Weid (12) oder Weid-Kraut) culturâ agit idem Matthiol. & Plin. *d. lib.20.cap. 7. & lib. 2.cap. 17.* Coler. im Hausbuch / vom Feld/und Ackerbau/ *lib.6.c.83.* Herba hæc (vulgò *glaſtum*) inſignibus eſt virore cauliculis, ſucco tamen inficit cæruleo, truſatilibus molis premunt, ut herbaceam ſaniem excludant, deinde exactam digerunt & poſt tinctos pannos, cæruleam illam innatantem ferventibus cortinis exemptam ſiccant, pictorum uſibus Indum ſive Indicum vocantes, vulgò Indig. Sed non eſt promiſcui ſoli. Hodiè in Thuringia Erfurtum juxta, Iſenachium, Gotham, Arnſtadium, in ſumma copia colitur, & aliò magno cum lucro trans- 6 fertur. Idem *de Rubia* (13) Färberröthe und Feid judicandum, quæ etiam pingue ſolum deſiderat, nomenque habet à radice rubra, cujus uſus eſt ad tingendum rubro colore; quem tanto in pretio eſſe, ſcribit Scalig. *exercit. 172.* ut & nunc regium colorem multi nominent, & celebratus ſit à principe Poëtarum, ſub Hibariæ ferruginis commendatione, inter colores militares. *Ibidem: Non multò minora fieri commercia propter rubiam in Belgio inferiore, quàm in Provincia Narbonenſi ob Iſatidem, quod paſtellum vocant ipſi.* Multum ſanè lucri percipiunt Hollandi, & *Seelandi* (14) ex Rubia hac tinctoria, quam *Mede aut Krappe* vocant, & variis Europæ gentibus ſubmittunt. In Sileſia prope Wratisla-

tiſlaviam largo cum emolumento provenit, & ad alia loca transmittitur. Quid ſi periculum feceris, an etiam tuo ſolo & Ærario fructum & pecuniam ſit paritura?

Nec poſthabendi ſunt horti Olitorii, in
7 quibus *olera*, (15) legumina, multifariaque lactueæ genera habentur ad reditum & neceſſitatem potiùs, quàm ad voluptatem pertinentia, *l. ſi cujus rei 13. §. 4. v. & ſi fortè ff. de uſu fruct. l. 198. ff. de V. S.* Idem Aromatorii, Specerey und Kräutergarten; Item Coronarii hortuli florum, Blumengarten; quorum uſus cuivis patet. Cuilibet menſi ſua à Deo aſſignata ſunt, quæ edat & è terra producat, ſimplicia, herbæ, & frutices. Horum ſiquidem aliquibus naturâ inditum & inſitum eſt, ut, glaciali adhuc ſæviente aurâ, per medias nives, nec quicquam rigente cœlo & ſolo, erumpant, & ſub finem Februarii è terræ gremio glebaque natali prodeant.

Plures antiqui reparator Martius anni
oſtendit. Ver ut plurimùm floribus & geniali genitalique Favonio, Auctumnus fructibus dicatus eſt.

Verque novum ſtabat cinctum florente corona.
Stabat nuda Æſtas & ſpicea ſerta gerebat,
Stabat & Auctumnus calcatis ſordibus uvis,
Et glacialis Hyems canos hirſuta capillos.

Dices forſan; hæc ad oculos magis, quàm ad Veſicam, hoc eſt, ad voluptatem magis
8 & oblectationem quàm lucrum pertinere. At nónne Turcarum Sultanus Amurathes *flores horti ſui divendi* (16) pecuniamque inde juſſit corradi? Quinimo conſuetudine receptum eſt, ut Imperatores Turcici ex horto vivant. Ita narrat Lonicer. *Turc. hiſt. Tom. 1. parte 3. c. 20.* Eſt quoque in Imperatoris palatio hortus maximus & amœniſſimus, cujus qui curam gerunt, *Boſtangis* (17) hoc eſt, hortulani vocantur; ſuntque eorum CC. juvenes à decimo quinto anno usque ad vigeſimum. Horum eſt officium paſtinando & irrigando hortum colere & mundare. Stipendio indies donantur trium vel quatuor aſprorum, & veſtitu annuo. Qui primus fructum, ubi maturaverit, Præfecto obtulerit Imperatori exhibendum, is mille aſpris donatur. Hortulanorum Præfectus *Boſtangis Bacha* vocatur, cujus ſtipendium eſt CC. aſprorum in ſingulos dies. Hic reliquis Eunuchis dignitate minimè æquipollet, ſed ſolummodo ſervus eſt Imperatoris. Fructus qui ex horto iſto colliguntur, ab hortulanorum Præfecto venduntur, pecunia ea Imperatori offertur, nec in alium uſum adhibetur, quàm ut cibaria pro ipſius Imperatoris mēſa inde coëmantur. Lucrum enim è fructibus terræ acceptum, honeſtum & divinum judicat Imperator, quippe quod non ex Subditorum gravaminibus, ſed ex divina benedictione colligatur, ideoque vetat ex ea pecunia, quæ ex vectigalibus, decimis & exactionibus conquiritur, cibaria pro ſua menſa comparari.

Ruſtanus quoque Conſiliarius Suleimanni Imp. Turcici, & Viziriorum primus, referente Augerio Busbequio *epiſt. 1. fol. 54.* juſſus procurare fiſcum, & rem pecuniariam tractare: à qua plerumque laborabat Suleimannus, in ea procuratione nullo lucro, quamvis minimo, neglecto, dum etiam ex herbis, roſis, & violis, quæ in hortis principalibus erant, pecuniam corradit; dum cujusque captivi galeam, loricam, equum divendit, cæteraque pari ratione adminiſtrat, id conſecutus eſt, ut magnos numorum acervos conderet, ærarium Suleimanno amplum conficeret; planeque rem ejus à parte conſtabiliret.

Dynaſtis etiam quibusdam & Principibus terrarum, quæ ad Solem Orientem mari Indico Erythræoque ſtringuntur, fama eſt, majorum noſtrorum memoriâ, non aliunde tributa annua, quàm ex *floribus* penſitari ſolita. In iis ROSAM, ex jure & more, primas tenuiſſe: eâ non oculos tantùm, naresque, *ſed pavimenta quoque* (18) cubiliaque regia, oppleri conſueſſe. Addunt, qui tradidere; uni ſoli ex Regulis iſtis, Bisnagerenſi Toparchæ, cujus non usque adeò ampla Ditio eſt, tantum quotannis Roſarum florumque provincialium, ex cenſu obtigiſſe, ut ad aureorum numûm quinque millium fiſcus anniverſarius perveniret.

Hortulanorum & ſeplaſiariorum tam 9
cultas quàm incultas herbas & radices colligentium, easque præparantium, leges vide *in Novell. 64. l. 3. §. alio Senatus conſulto ff. ad L. Cornel. de ſicar. l. quod ſæpe 35. §. Veneni ff. de contrah. empt. l. qui venenum 236. ff. de V. S.* Gregor. Tholoſ. *in ſyntagm. jur. univerſ. lib. 18. c. 23. n. 20. & 21.*

Novi Orbis inventores miras ibi hominum ſpecies, miros eorundem mores narrant. Sed non minùs ibidem Plantarum, 10
Florum, Frugnmque mirandam eſſe varietatem, & diverſitatem, oſtendunt eorundem ſpecies, quas nobis viſendas adportarunt. Recenſent ii, qui Occidentalis Indiæ Hiſtorias ſtylo ſuo ſunt perſecuti, in Mexicano Novæ Hiſpaniæ Regno, itemque apud Peruanos, qui populi Antichtonûm facilè primi ſunt & potentiſſimi, non tantùm à plebe & mulierum puerorumque vili grege, ſed ab ipſis Regibus Principibusque adeò magnos Floribus haberi honores, ut ſerta ex illis plicata, faſciculosque colligatos aut capite ſuſtineant, aut aſſiduis tractent verſentque manibus. Corteſius, Polus, Oviedus, Martyr, Benzo, aliique memoriæ prodiderunt, Regum priſcorum apud illos populos ſtatuas conſpectas fuiſſe, quæ utrâque volâ florum faſcem præferrent, quibus vel poſt mortem eos delectari non dubitabant. Neſcio, an pri- 11
ſco & apud multas gentes uſitato more:

— --*manibus date lilia plenis,*
Purpureos ſpargam flores, animamque nepotis,
His ſaltem accumulem donis, & fungar inani
Munere &c.

Non igitur abſurdi judicandi ſunt, qui & apud nos, & inter nos, florum enixiùs delectantur ſpecie, fragrantiâ, ſuavitate, inprimis autem varietate, quæ tanta eſt, ut in hoc tàm læto germinis genere Natura parens ſecum ipſa certaſſe videatur. Nec exoticos tantùm flores, ſed & nobiliſſimos fructus progenerare Italiæ Hiſpaniæque æmula didicit obſequentiſſima mortalium curæ Germania. Hæc Punica nunc, citria & aurea profert mala; Hæc ficus, & laurum. Et quæ olim in diſſitis ſe regionibus vidiſſe populares memorabant, nunc admiranda cum voluptate in Patria carpunt. Etenim

Multa dies, variusque labor mutabilis ævi
In melius retulêre. ——— ———

12 Hortulis Florum accenſendi ſunt horti *herbarii ſive Medici*, (19) qui in primariis urbibus vel Academiis adornantur, & Botanici Studii gratiâ excoluntur. Cumque agriculturæ Studium extendendum ſit, ut etiam exotica ad ſe trahat, & ſua faciat; non tam domeſticæ, quàm peregrinæ & aliunde in patrium ſolum transferendæ ſunt, ut earum copia in promptu habeatur.

13 Ac licet conditioni ſoli vel poli hîc multum ſit tribuendum; attamen experimenta præbent exempla, multas plantas in India oriundas, hodie etiam in Germania extare. Nardus Celtica in Germaniâ noſtrâ feliciùs & copioſiùs provenit, quàm alibi. Olim Glycirizam ſibi Italia vendicabat; hodie Bamberga in magna affluentiâ. Frumentum Indicum, vulgò Türckiſch Korn/ Nicotianam ſive Tabacam & illam herbam balſamicam añon hodiè paſſim in totâ Germaniâ ad unguenta coli & produci videmus.

14 Ut taceam de Croco, de Calamo aromatico, de floribus Indiæ, variis Tulipis, Coronâ Imperiali, Martago Pannonico, Lilio Perſico, Halicacabo Indico, Fritillaria Hiſpanica, Colchico Hermodactylo, Melanthio, Bætico, Gladiolo Byſantino, Hyacintho Indico, & innumeris aliis, quarum transplantationem hodiè poſſibilem in multis locis animadvertimus. Vide Bornit. *l. 1. de rer. ſuffi. c. 12. 13. 14. & 15.* Largitur hæc alma mater juſſu ac imperio magni illius Coſmetæ & Architecti; ut elevato ex creaturarum tàm elegantium contemplatione animo meritò cum *Pſalmographo* (10) exclamare liceat: *Do-*
15 *mine DEus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum, in univerſa terra!*

16 Hortum quendam in agro Leydenſi graphicè & eleganter deſcribit decus Belgii, Caſpar Barlæus, *Heroic. lib. 3. pag. 409. ſeqq.*

Aſſurgunt patulis argentea lilia labris,
Quæ violent candore nivem, vel odoribus Hylam.
Hæc inter croceo pubeſcunt altera vultu,
Quæ vincant fulgore diem, Soliſq; laceſſant
Lumen, & Aſſyrio rutilantem murice palam.
Sunt violæ molles; ſunt, quæ clementior aura
Educat, at nullo nocituri vulnere dentes;
Et crocus auricomans, & gloria veris adulti
Crinitæ per colla roſæ, quas Cypris Adoni
Inſpergat ſtudioſa ſuo, rapiendaq; jam jam
Legerat in Siculis gradiens Proſerpina campis.
Hic quoque, Threiciis longum transmiſſus ab oris,
Flos viret, imperiique decus regale Coronæ
Sceptrorumq; notant facies. hîc lumina paſcit
Tulparum venerandus honor, pretiumq; coloris
Mirantur tàm grande ſui. ſtat margine quædam
Diſcolor, hoc varia folium vibice flagellat,
Sanguineis hæc tincta notis, hæc cærula fundo eſt,
Hæc umbone rubet, fulvumq; intermicat illi,
Illi purpureum. totos facundia fontes
Laxat, & hac ipſa Batavus jam cernit in herba,
Stultitiæ documenta ſuæ digniſſima cenſens,
Hæc Luxus fomenta novi curaq; virili
Indignas telluris opes. appenditur auro
Immitis ſpolium Boreæ, brumæq; rigentis
Opprobriũ, & centum pignus violabile cauſis.
Non Veneri ſacræ myrti, ſeroq; comantes
Narciſſi nardiq; deeſt fragrantis ariſta,
Et cum luteolo rutilantia fraga hyacintho,
Cecropiumq; thymum. criſpas de ſentibus uvas
Pendentes latè videas, totoq; rubentes
Cortice, & è teneris tot pendula corpora ramis.
Hîc etiam ventres minus lactuca tumentes,
Et molles malvæ, cichoriaq; frigida laxis
Succreſcunt ſpatiis: fabrorum prandia betæ
Hîc ſapiunt, & quæ betis ſe jungere gaudent
Ventoſæ ſtant lege fabæ. quas expedat ipſe
Pythagoras, ſolasq; ſuis commendet alumnis.
Parte alia intortis erecto ſtipite piſis
Floret ager: juxtà gravida qui naſcitur alvo,
In ventrem cucumis, prægnans; cucurbita ſerpit.
Delia fatidicas ceſſent attolere lauros
Littora, Cæſareos quæ cingant ſerta capillos,
Hinc, Romane, petas. Hic verſam amplectere Daphnen
Phœbe pater, cauſamq; tui mirare furoris.
Et, tu Bacche, meis Acheloia pocula miſce
Vitibus, & plenis latices extunde racemis.
En ſucco vineta tument, ſuppoſtaq; botros
Tecta levant, petiturq; meâ vindemia curâ.
Hæc circum lentæ ſalices, tiliæq; ſequaces,
Et nux juncta viæ ſpatioſis frondibus umbram
Explicat, & pando protrudunt frigora dorſo,
Oceaniq; gravem nocituram frugibus auram,
Et latus immitis Boreæ, multumque rigentem
Hibernio ſub patre Jovem, diſpendia cœli
Corrigimus Batavi ſtudio, ſylvasque procellis
Objicimus, doctiq; truces eludimus Euros.

Hic

Hic recubans magni miror fundamina mundi,
Autoremq́ Deum quot ſe ſapientia formis
Pandat,& unde ſuas arceſſant ſingula cauſas.
Quævis cuncta agitet,quæ tot diſtincta figuris
Corpora,& æſtivos pingat ſolertia flores.
Cur huic cæruleus, cur ſit color aureus illi:
Hic bulbo,teneris alius radicibus agris
Hæreat; in mediâ cur creſcāt colchica brumâ,
Anticipet ver helleborus; funeſta furentem,
Expectent aconita Canem: cur flexus ab ortu
Tendat in occaſum, medio declivis ab axe
Phœbææ comes ille facis:cur præpete fato
Una dies natos hos cernat, & una peremptos.
Ante oculos ſtat cura Deûm,& venerabile cunctis
Numen ineſt foliis: ſtant circumfuſa Deorum
Munera: jam digitis prenſas, jam lumina ſpectas
Ingenii cœleſtis opus:jam proxima guſtat
Artificem natura ſuum; latet ipſa ſub herbis
Majeſtas Superûm,& mediis ſpectatur in arvis:

Idem Barlæus de Tabaco, *miſcell.lib.2.*

Non bibor,(21)*& bibor,& populo ſum potus, & haud ſum*
Mandor ab Occiduis,nec tamen eſca fui.
Cùm bibor,ipſa ſitis creſcit,ſum victima vulgi.
Torqueor,incidor,torreor,uror idem.
Conſedere viri, & conſpecto munere Divum,
Qualibet exitio eſt dextra reperta meo.
Pars in fruſta ſecant,pars igni humentia ſiccant
Corpora,pars flāmas admovet,atq; faces,
Otia qui fugiunt,in nobis otia perdunt,
Et magnâ peragunt ſedulitate nihil.
Quo capior,perdor; quo claudor,pellor ab ore,
Noſtraq́ mox difflat fercula,quisquis amat,
Quæ mihi,quæ nitidos aperis,matrona,penates,
Præmia tam clari ſputa laboris habe.

Regius in America ante occupationem
17 Hiſpanorum hortus fuiſſe fertur; *in quo herbæ arboresq́*(22)cum ſuis truncis, ramis, fructibus ex ſolido auro, eâ mole ſtabant, quâ in pomariis vivæ. Salluſtius Julii Cæſaris favore hoc conſecutus eſt, ut Africæ eſſet
18 Prætor: Unde eas eſt opes conſecutus,ut, qui priùs paternam domum vendere fuerit coactus, is poſtea emerit amœniſſimos hortos ſub Quirinali extra pomœrium ad portam Collinam, qui hodieque dicuntur *horti Salluſtiani.*(23)Pro umbra Platani ſolutum eti-
19 am Vectigal, tradit Jacob. Cujac. 10.*obſ.7.* ex Plinio *libr.12.Natur.Hiſtor.c.*ubi(*quis non jure miretur*, inquit, *arborem umbræ gratiâ tantùm ex alieno orbe petitam? Platanus hæc eſt,per mare Joniū in Diomedis Inſulam ejusdē tumuli gratiâ primùm invecta,inde in Siciliam transgreſſa, atque inter primas donata Italiæ, & jam ad Morinos usque pervecta, ad tributarium etiam pertinens ſolum, ut gentes vectigal & pro umbra pendant.*) Quod etiam notant Petr.Heigius *p.2.qu.jur.qu.40.n.355.* Arnold. Clapmar. *lib.5.Arcan.Rerumpp.cap.24.* Rationem reddit Waremund.ab Ehrenberg *de regn.ſubſid. cap. 4.n.49.pag.46.*quòd Romani voluptatem & amœnitatem rerum emerint,& in iis uſumfructum conſtituerint, *arg.l.28.l.41.ff.de uſufruct.*

Commemoratione quoque dignum,
quòd non pauci Imperatores,Reges,ac Prin- 20
cipes, poſt occupata regna, ſubactas provincias,ac præclaros admodùm partos triumphos, curis publicis ſe abdicare,atque in hortis ſuis intra privatos parietes quietam vitam agere maluerint,& ſuâ ipſorum confeſſione, tunc demum ſibi rectè vivere viſi ſunt; Sicut
verò uſus laudem, ita crimen abuſus habet. 21
Ideoque notanda ſtultitia eorum, qui hortos ſuos non tàm oleribus & *inemptis dapibus,ut Horatius vocat,*(24) excolere, quàm, neſcio quibus,partim nullius, partim ingrati odoris, ſola peregrinitate aut caritate, commendatis floribus exornare ſtudent. *O ſtultos! qui unum ſæpe exoticum floſculum centenis*(25)aut pluribus aureis emunt, quem paulò pòſt vel vehementior ventus deturbat, vel frigus lædit, vel patrisfamilias aut Hortulani negligentia perdit; Sed verum hîc eſt, quod Poëta ait:

Stultitiam patiuntur opes.

Si ſcirent Floræ ejusmodi cultores(quos Blumen-Gecken non inconcinnè appellaveris (quantò gratior magisque neceſſarius eſſet homini non valdè diviti in Anglicana vel etiam Belgica moneta ſplendentis roſæ uſus, quàm cujusvis in horto creſcentis Imperialis coronæ,aut cujuscunque alius floris vel odor vel aſpectus. Stultitiam profectò ſuam ultrò ſint damnaturi. Adde, quòd hoc vaniſſimum humanarum rerum atque in flores ſupra vires impendendi ſive erogandi ſtudium nihil proficere, imò potiùs officere quotidiana teſtetur experientia.

Cæterùm hortenſis voluptatis affectus eò proceſſit, ut gentes *quoque Heroas in hujus ſtudii pertraxerit partem.* (26) *Syriæ Regem,* (27) quem primum quidam Imperiorum conditorem Ninum autumant, conjugis immenſo Nemorum deſiderio flagrantis, amore victum, penſilium hortorum amœnitate admirando opere naturæ genium
imitatum ſcimus. *Attalus,Aſiæ Rex*, (28) 22
horti cultu curas mitigabat. Joſephus, Judaicarum rerum Scriptor exquiſitiſſimus,*lib.8. Antiq.c.2.* ubi de ædificatione templi, aliisq; Salomonis ſtructuris & operibus agit, inter cætera recenſet. Abfuiſſe ab Hieroſolymis duorum *ſchœnorum*, (29) ſive CXX. ſtadiorum (juxta computationem Adrichomii *in Theatro terræ ſanctæ, pag.27.num.52.*) ſpatio prædium, nomine *Hettan*,hortis & inductis fontibus amœnum ſimul ac opulentum, quem in locum Salomon vectari delectaverit. Notum quoque eſt *ex Homero*, (30) 23
Alci-

Alcinoi Phæacum regis affluentiſſimos culturæque diligentiſſimæ fuiſſe hortos, adeò, ut parœmiæ ſpecie hactenus decantati ſint: de quibus *Juvenal.*(31)

—— —— *Illa jubebit*
Poma dari, quorum ſolo paſcaris odore,
Qualia perpetuus Phæacum Autumnus habebat.

De quibus Statius ait:
Quid biſeri Alcinoi laudent Pomaria?

24 Ex Midæ horto *centenarias* (32) quoque roſas, quas hodiè centifolia appellamus, lectas, ſcribit Herod. *lib.8.Uran.cap.138.* Noti etiam ſunt ex Plinio *lib.19.Nat. Hiſt.c. 4.& lib.37.cap.2.*& Virgilio *Ecl. 5. Æneid. 4. He-*
25 *ſperidum Horti* (33) ſiti in oppido Lixi in Mauritania, in quod Claud. Cæſar Coloniam deduxerat, illoſque Atlantem montibus cinxiſſe, & ad Draconis cuſtodiam reliquiſſe ferunt, ſive fuerint illi apud Urbem Maſſyliam in Lybia, de quibus Ovid. *Metamorph.4.*

Tempus Atla veniet, tua quo ſpoliabitur auro
Arbor, & hunc Prædæ titulum Jovem natus habebit.
Id metuens, ſolidis pomaria clauſerat Atlas
Montibus, & vaſto dederat ſervanda Draconi,
Arcebatq; ſuis externos finibus omnes.

Sic & Martialis ait:
Non mea Maſſylius ſervat pomaria Serpens.

Et Virgilius *lib.4.Æneid.*
Hinc mihi Maſſylæ Gentis monſtrata Sacerdos,
Heſperidum templi cuſtos, epulaſq; Draconi
Qui dabat, & ſacros ſervabat in arbore ramos.

Sic etiam Lucretius *libr.5.*
Aureaq; Heſperidum ſervans fulgentia mala
Aſper acerba tuens, immani corpore Serpens
Arboris amplexus ſtirpem.

De iis quoque Heſperidum hortis, veram hiſtoriam omiſsâ fabulâ refert Julius Solinus *in Polyhiſtore c. 16.* pluribus etiam tradidit Natalis Comes *Mythologiæ cap.7.n.7.*

26 Sic & Adonidis ac Tantali horti in proverbium abierunt, Eraſm. *Chiliad. cent. 1. adag.4.& Chil.2.cent. 1. adag.46.* De quibus Hieronymus in Iſaiam *cap. 56.*& Plin. *lib.19. cap. 4.* & longè plura Lylius Gregorius Gyraldus *de Diis Gentium ſyntagm.13.* Et idcirco Athenis Adonidi fiebant ſacra, & illi fructus offerebantur; ut refert Theocritus in Adonia:

Nec ſibi deſit (ait) *quod Rami tempore mittunt Autumni* ----- ——

27 *Semiramidis penſiles hortos* (34) tantopere admirata eſt antiquitas, ut *inter ſeptem mundi miracula* (35) numeraverit. Habuerunt ſua ſibi ornamenta illi, cum vanitate maxima, & ſubditorum onere graviſſimo conjuncta. Noti quoque ſunt horti penſiles Thebarum in Ægypto, ex quibus exercitus armatos educere ſolent Reges, nemine è civibus id perſentiente; Plinius *libr.36.Nat. hiſt.cap.14.*

Hujuſmodi penſiles hortos alii Semira-
midi tribuunt, alii Cyro Aſſyriæ Regi; ut 28
interim de hortis penſilibus in urbe Babylon nihil dicam, *qui in figura quadrata*, (36) quarum latus quodlibet quaternum eſt jugerum fornicibus continentur, ſeſe in forcipis modum intercidentibus, ſitis ſuper pilis, in aleatoriarum tabellarum formam, aliis ſuper ali-
as poſitarum pilæ concavæ ſunt & terrâ ple- 29
næ, ut arbores maximas conſitas recipere poſſint, ex lapide coctili & bitumine ſtructæ, tam ipſæ quàm fornices & fornicum interſectiones. Supremum tabulatum aſcenſus ſcalares habet, & cochleas ipſis adjacentes per quos continuè aqua ex Euphrate in hortos afferebatur ab hominibus ad hoc ipſum conſtitutis. Nam flumen mediam urbem interluit, ejus latitudo ſtadium occupat, Horti ſuper flumine ſunt.

De quibus omnibus & ſingulis Xenophon *Oecon.part.237.num.30.* Idem *Nud. p.238.n. 1.* Et ex eodem Cicero *libr.de Senect.* Ælian. *libr.1.de animalib.cap.59.p.24.& ſeq.* Plin. *libr.19.Nat.hiſt.cap.4.pag.355.num.20.* Diodor. Sicul. *libr. 2. Rom. antiq.cap.4.p.49.* Strab. *Geograph.libr.16.in princ.* Joſeph. *lib. 1. contr.Apion.p.860.* Oroſ. *lib.2.cap. 6.p.88.* Euſeb. *de Præparatione Evangelica lib.9.cap.4. in fin.* Carol. Borell. *conſ.26.n.83.& ſeqq.*

Noti denique ſunt horti Romanorum 30
Mæcenatiani, quorum meminit Suetonius *in Tib.c.15.* Tacitus *15.Annal.cap.39.n.1.* Enniani, Serviliani, Luculiani, &c. Cornel. Tacit. *Annal. lib.11.pag. 196.* quò loci hos demum inſigni magnificentiâ extuliſſe Valerium Aſiaticum, refert Alexandr. ab Alexandr. *lib. 1.gen.dier.c.9.fol.12.& ſeq.* Julius Cæſar, Auguſtus, Cicero aliique hortos ad Tyberim conſtruxerunt, Sueton. *in Jul. Cæſ.c.83.* Dio
Caſſius *in Cæſ.Octav.p.351.* Hortenſii ab hor- 31
tis dicti, Martin. Valer. Corvinus in agro conſenuit, exactâ etiam ætate rura percurrens. Aglaus Pſophidius in Arcadiæ Angulo, Hortum colebat per LXII. annos fundo non egreſſus. Atque adeò Oraculo Gygi Lydorum Regi prælatus eſt, uti dixi *hoc libro cap. 1.num.2.* Annon Belitaras & Alynomus hor-
tulani fuêre? quorum ille Regno Perſico, hic 32
Regno Cypri ſuffectus. Agath. *lib.2.Rerum*
Perſic. Annon hortulanus Magnus Dux Me- 33
diolani creatus eſt? Jov. Pontan. *libr. 2. de Sfortia domeſtic. cap. 6. lit. D.* Exempla plura vide *in Theatro vitæ humanæ Zuingeri vol.10. lib.2.pag.2410.*

Eſt & in Hungaria labyrinthus, horti 34
amœniſſimi imaginem referens, Regis Matthiæ magnificentiâ excultus, ex arboribus etenim conſitis inſtitutus eſt, & inſuper aviaria è peregrinis noſtratibuſque avibus; quæ ferrea retia coërcebant. In aviariis quoque arbuſta, fructiferæque arbores, & nemus,

nemus, item Xyſti per ordinem digeſti, variisque arborum generibus circumvallati. Inſuper crypto-porticus, prata lithoſtrata, piſcinæ, Turres quoque cœnaculis, ac pergulis obductæ, in quibus cœnationes cum vitreis ſpecularibus usque adeò jucundæ, ut nihil putes amœnius. Bonfin. *Rer. Ungar. dec. 4. lib. 7. p. 632.* qui adjicit *pag. 633.* Præterea Reges ipſos ad has delicias addidiſſe alias, ſcil. ad Vicegradum, hortos, fontesque penſiles, qui porphyreo marmore, æneoque ſolio culti ſunt.

35 In *Italia* (37) hats viel fürnehme herꝛliche Luſtgärten/ unter denen excellirt des Pabſts Belvedere zu Rom/ neben welchem ein groſſer Garten/ deſſen Circumferentz einem kleinen Städtlein zu vergleichen/ mit vielen Austheilungen von Wälden / Bäumen / grünen überzogenen Cupulen/ mancherley Brunnen/ Waſſerwerck / kunſtreichen Marmolſteinern Figuren / langen Gängen und Gallereyen/ groſſen Mappen / andern unzahlbaren Luſt / ſo darinn zu ſehen. Lorbeerwald zu Florentz/ Furtemb. *in Itinerar. Ital. pag. 113. & p. 98* Item zu Pratalin/ Pflaumer. *Mer. Ital. p. 97.*

36 In Franckreich ſeynd berühmet der Königl. Luſtgart zu Pariß/ S. Germain und Fontainebleau V. Theatr. *Urb. lib. 9. n. 6.* Sonderlich wird der gerühmet bey dem ſchönen Schloß Gaillou, deßgleichen man ſchier in Franckreich nicht haben ſoll/ Vid. Mart. Zeiler. Reisbüchlein Franckr. *p. 357. & p. 464.* Hort. Medicus zu Monſpellier, darin in die zwölff tauſend ſimplicia ſeyn ſollen / welche von Gölnitzio *Ulyſſ. Belgic. Gallic. p. 573.* beſchrieben.

37 In Engeland iſt berühmt der Kunſtgart bey der Königin Pallaſt / oder bey dem ſchönſten Schloß und Luſthaus Noneſuch oder Nonſchütz/ darinn es ſchöne Spatziergänge/ Brunnen und Grotten gibt: deßgleichen der beym Schloß Franzgardin, dergleichen Gärten man kaum in Engeland finden ſoll.

38 Unſerm Teutſchland mangelts auch an dergleichen ſtattlichen Luſtgärten nit / unter welchen die vornehmſte / die zu Dreßden/ zu München/ zu Caſſel / zu Stutgardt / zu Weymar/ zu Heſſen. Den Preiß aber denen allen nimbt an Zier/ der vom Churfürſten Friederichen dem Fünfften zu Heidelberg am Schloß/ nach dem Caſtaneenwald zu / mit groſſem Unkoſten von neuem erbauete Gart/ der an zierlichen erwachſenen Gängen/ mit herꝛlichen koſtbahren Citronen/ Pomerantzen / und andern Gewächſen/ ſonderlich mit der ſchönen Grotten, darinn ein lebendig Waſſer aus einer ſteinern Grufft deß Berges herfür quellet / allen in Teutſchland vorzuziehen. Der zu Eychſtädt aber wegen der groſſen Menge ausländiſcher Simplicien, ſo alle in ein beſonders Buch nach ihrer eigenen natürlichen Geſtalt in Kupffer abgeſtochen / dergleichen in gantz Europa nicht zu finden/ V. Hort. Eichſtatenſ. Baſil. Besleri *form. Regal. 1613.*

Proſunt autem & conducunt ultra lucrum ex iisdem Ærario accedens hortis, 39
illorumque proventus. Primò non ſolùm ad conſervationem, *Num. 11. verſ. 5. Luc. 23. v. 18. Rom. 14. num. 2.* Hortus enim pauperis eſt macellum, vel, ut Cato inquit, hortus agricolæ altera ſuccidia. Nempe porra, cæpæ, rapa, olera & id genus muner: frugalitatis ſunt apparatus; Sed & ad exercitium ac ſanitatem corporis; quemadmodum Cynus Junior nunquam pranſum ibat, niſi in horto priùs laboraret, & laborando ſudorem eliceret.

Secundò ad recreationem animi. Nam ut Virgil. *in laudem Hortul. inter Epigram-* 40
mata ipſi adſcripta primo, ſcribit.

Oblectat hortus, advocat, paſcit, tenet,
Animoq; mœſto demit angores graveis,
Membris vigorem reddit, & viſum capit,
Refert labori pleniorem gratiam.
Tribuit colenti multiforme gaudium.

Et Acidalius:

Dominus horti otii ſedem hîc, ſed non requietis hîc
Atque hilaritatis ſedem habet latiſſimam.
Hîc ſuetus animum ſolus, hîc cum æqualibus,
Hîc cum amicis, cumq; longimodo hoſpite
Laxare doctus muſicis ſermonibus,
Locus hîc joci, convivii, quin hîc locus
Modici & modeſti, ſed tamen convivii, &c.

Sicuti enim Ruſticorum horti, atque inde provenientia olera, rapa, &c. ſunt frugalitatis apparatus, uti paullò antè diximus; Ita varietas herbarum fructuumque, odorum ſuavitas, amœnitas colorum, ſpirituum deliciæ. Hinc juncta fertilitati ſalubritas toto rure viget; Aër purus, & florum fragrantia halans, quibus nihil rarius, aut formoſius coloris & odoris ſuavitate, vel ipſius etiam figuræ concinnitate occurrit. Adeò horum in artificio ad ſtuporem natura luſit; Quæ radicem herbæ in tot capillamenta ſecuit, hinc calamum producens, geniculis aut nodis, tanquam articulis ſubvectum, mox malleolos, ſarmenta, & folia delicatâ ſerie ſtruit, fibris totum plantæ corpus pererrantibus; Huic vagina nata florem tegit, qui matutino rore refectus ad Solis radios prodit, bactreolarũ ordine ſtructus, nunc in galerum, calicem, tiarámve explicatur, nunc cidarim repræſentat ſpirarum glomere pexus, aut coronæ cultu ſuperbit. Hic purpurâ aut murice, alter argento, aut auro fulget, cœleſti alius ſerenitate, aut flammæ lumine radiat, alius omnis coloris aſpergine variat. Hic ſimplici amictu velatur. Ille denticulis & crenis artificioſi marginis lacinias incidit. Sed & Roſaria, ſuaviſſimum hortorum decus, pari pulchritudine laſciviunt; Nam & cancellis ſubjecta ambula ora ſepiunt, pergulisque mixto rubore candoreque formoſiſſimum virorem inducunt. Nunc roſa ad auroræ jubar folliculo ſoluta apicem ſimili

purpu-

purpura nudat, nunc è primi obeliſci cacumine argentum exſerit; Alia intortos omninò explicat ſinus, diductis circum foliis criſpata, è medio tenuis crocus promicat, mox omne decus diffluit, humo labentibus bracteolis ſparsâ.

Tertiò faciunt horti ad acrimoniam ju-
41 dicii, & ſunt amœniſſimi Amicorum receſſus & doctorum Muſæa; ſicut *Lipſius* (38) in ingreſſu & frontiſpicio ſui horti bifrontem Janum cum hac Epigraphe poſuit, *cent. 2. miſcell. Epiſtol. 15. T. 1. oper. p. 49. D.*

(Lipſius) heîc cogitat, heîc peragit,
Stilus heic eſt. Abi muſca.
Gratiarum heîc locus eſt,
Et Muſarum heîc locus eſt;

42 Quartò Horti inſerviunt informationi animæ ad perpendendam infinitam Dei Omnipotentiam, Sapientiam ac Bonitatem. Et enim, ut Johan. Stigelius Poëta Chriſtianus de Calend. Pauli Eberi *lib. 3. Poëmat. eleg. 6.* cecinit:

Obvia dum picti luſtro miracula campi,
Naturæ intueor dum parientis opus,
Aut mihi planta ſuis Numen demonſtrat ab hortis,
Præſentemq́ refert quælibet herba Deum:
Aut operis ſeries authorem tota recenſet,
Et levis eſt ceſpes, qui probat eſſe Deum,
Emicat ex ipſis divina potentia rebus, &c.

43 Nec non ad conſiderandam vitæ humanæ fragilitatem. Sic enim roſas, aliosque flores mortales, dum pubent herbulæ, colligere debent, ut ævi memores mortalitatem floribus impreſſam omnibus ſenſibus conſi erent.

Fragrandi ſimiles violæ, quam tempore verno
Una dies naſci vidit & una mori.

Juxta illud Ovidii *lib. 5. Triſt. eleg. 8.*

Nos quoque floruimus, ſed flos fuit ille caducus.

Ac ad ponderandum lapſum Protoplaſtorum; Unde Cyrillus in *Joh. 11. cap. 31. T. 2. col. 371.* Sic in horto Chriſti paſſio incipiat, per quam à malis liberati; in priſtinum habitum reſtituti ſumus: Nec non ad medita-
44 tionem de horto Politiæ & ſtatus Oeconomici, de morte, reſurrectione mortuorum, vita æterna & Paradiſo piè ſuſcipiendam, in quo, Authore Auguſtino *lib. meditat. c. 26. Tom. 9. col. 714. A.* nunquam erit hyems horrens, æſtas torrens: Flos perpetuus roſarum, ver agit perpetuum: Candent lilia, rubeſcit crocus, ſudat balſamum: Virent prata, vernant ſata, rivi mellis influunt: Pigmentorum ſpirat ardor, liquor & aromatum: Pendent poma floritorum non lapſura nemorum: Non alternat luna vices, ſol vel curſus ſiderum: Omnia ibi clara, omnia ibi chara, omnia ibi rara, &c. prout hæc & alia noviſſimè & laxiori ſtylo elegantiſſimè perſequitur Cunradus Dietericus *in ſuo Eccleſiaſte, Ulmæ Anno 1642. impreſſo in 3. conc. ſuper 2. cap. fol. 203. 204. 205. & ſeqq.*

Granadilla (39) flos eſt Indicus Novi 45
Orbis, paullò major roſâ, odoris grati, & quo roſam cæteroſque flores vincit. Unicum habet folium rotundum & continuum, ſed ita diſtinctum, ac ſi plura ſint, quod in noſtrate convaliola eſt videre. Illius folii medio, ſeu ſinu, purpureæ ſtant quinque ſphærulæ, velut è corallio factæ, ſanguineis quinque guttis non abſimiles. Hæ columellam partim cerei, partim rubri coloris cingunt; columellam tegit corolla velut ſpinulis contexta, è corollæ medio tres fibræ coloris ferruginei, veluti tres clavi ſeſe erigunt. Sub rotundo folio emergunt viridantia ſeptem oblonga & acuta foliola, velut mucrones aut gladioli. Flos ipſe quotidie cum Sole veniente ſeſe aperit, cum abeunte claudit. Hanc ſeu plantatu, ſeu dignitate arborum reginam, Indiæ Occidenti melior Sol & natura novo miraculo donarunt, Chriſti cruciatibus repræſentandis: adque tantam prodigioſi floris nobilitatem celebrandam Hieremias Drexelius juvenis ſequens metrum meditatus eſt.

Floſcule, flos florum, cunctorum floſcule florum
Regule, & hortorum ſtella decusq́ novum;
Floſcule, quo Phœbi jactat ſe terra cadentis;
Floſcule digne ſeri nobiliore ſolo.
Ullos ſi liceat cœlo transſcribere flores,
Hic certè flos eſt dignus ad aſtra rapi.
Quò non proficies natura? effundere ſtellas,
En etiam didicit terra vel ipſa novas.

Aliud.

Narciſſus omnis & hyacinthus mihi vale:
Violæ, roſæq́ liliaque mihi omnia
Valete, & omnes gemmulæ hortorum: vale
Zephyri familia omnis: oculorum pellices
Omnes valete floſculi; ſordet mihi
Crocus, Sabæa fœtet omnis mihi ſeges,
Sua ſibi pometa Alcinous, ſua
Midas roſeta. Elyſia rura rideo.
Nativa pratorum Smaragdus diſplicet.
Jam & hortulorum purpuræ non recreant,
Nives odoras liliorum nauſeo,
Nec lychnidum moveo venuſto ſanguine.
Non ampliùs flagrant roſarum flammulæ:
Regina florum omneſque proceres jam mihi
Eviluerunt, præ novo iſthoc germine,
Et flore florum, qui coronam fert, quam Amor
Meus cruore purpuravit proprio.
Flos ille clavos fert, Amorem qui meum
Transfixerant. Flos ille fert pyramidulam
Ad quam flagellis cæſus eſt Amor meus.
Flos hic ita vincit odore flores cæteros,
Ut totus eſſe naſus optet quiſpiam,
Meliore tractus quàm Catullus ſalitu,
Fos hic ita formâ vincit omnes floſculos,
Ut totus optet eſſe ſpectator oculus.

Ita & horti loquuntur, & flores Chriſtique cruciatus vel ipſis oculis ſpectandos ingerunt.

gerunt. De quo plura eleganter Drexel. *tom. 2. operum ſuorum, part. 2. c. 12. fol. 540. & ſeqq.*

46 De herbis & plantis, quarum mentio fit in S. Scriptura, vide Levin. Lemnium de mandragora, *cap.* 2. Manna, *cap.* 3. Lactuca ſylveſtri, *cap.* 4. olea, oleaſtro, olivæ oleo, *cap.* 5. rhamno, *cap.* 6. cucurbita, *cap.* 7. ſalice, *cap.* 8. ſaliunca, *cap.* 9. Borith, *cap.* 10. corco vermiculo, conchylio, murice, oſtro, *cap.* 11. paliuro, *cap.* 12. nigella, cumico, *cap.* 13. lamiſco, *cap.* 14. Hyacintho, *cap.* 15. carice, ſcirpo, junco, papyro, *cap.* 16. abſynthio, *cap.* 17. carduis, ſpinis, vepribus, tribulis, rubis, lappis ſentibus, *cap.* 18. ficu, carica, groſſo, *cap.* 19. palma, *cap.* 20. Hebeno, myrrha, ſtacte, thure, gutta, aloë, *cap.* 21. Terebinto, *cap.* 22. myrica, zamarice & erica, *cap.* 23. reſina, *cap.* 24. vite & vinea, *cap.* 25. hyſopo, *cap.* 26. arundine, *cap.* 27. cucumere, *cap.* 28. junipero, *cap.* 29. labruſca, *cap.* 30. mentho, rutha, anetho, cumino, *cap.* 31. ſynapi, *cap.* 32. hedere, *cap.* 33. moro, *cap.* 34. ſycomoro & caprificu, *cap.* 35. malo punico, *cap.* 36. citreo ac malo medico, limonibus, aurangiis, *cap.* 37. croco, *cap.* 38. myrto, *cap.* 39. puno, *cap.* 40. buxo, *cap.* 41. nuce, *cap.* 42. pomis, *cap.* 43. quercu, *cap.* 44. roſa, *cap.* 45. lolio & zizaniis, *c.* 46. libanotide coronaria ſive roſmarino, *cap.* 47. amygdalo, *cap.* 48. plantano, *cap.* 49. frutice virgulto, circulo, palmite, germine, *cap.* 50.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT III.

Num. 1.

(1) P*Alma &c.*] Palmam Amoris Conjugalis ſymbolū eſſe, tradit Pierius Val. *Hieroglyph. lib. 50. p. 536.* inquiens: Philoſtratus paludibus & fluviis hoc ſuperaddit ornamentum, Palmarum quippe veluti fornicibus ductum, pontem fluvio ſuperinjectum. Nam cùm Palmarum alia mas, alia fœmina ſit, invicemque maritali quadam copulâ conjungentur, mareſque attrahant ad ſeſe fœminas, neque illæ congreſſum, quantumcunq; adniti poſſunt, aufugiant, ſed ultrò ramis ab utraque viciſſim contrà ad oſculum quodammodò exporrectis, manifeſta dent mutui deſiderii ſigna, is duas, & hujus ſcilicet & illius ſexûs Palmas in ripis fluvii oppoſitas è regione ſtatuit. Hic verò mas amore correptus plurimùm incurvatur, altèque ſupra fluvium ſeſe protendit. Fœmina verò quantumlibet procul ſita ſit, neque apprehendi poſſit, inclinat ſe tamen, & obſequii quoddam & ipſa ſtudium præ ſe fert. Aquam itaque quoddam veluti ponte conjungunt, difficili tamen & inacceſſo transitu, propter foliorum aſperitatē. Hanc utiq; ſpeciem ex Philoſtrato qui pinxerit, nuptiarum & conjugalis amoris Hieroglyphicum, ex ipſius naturæ gremio deſumptum, ſumma etiam cum venuſtate deſcripſerit. Hæc Valerius, qui in ſequentibus mira de mutuo arborum harum amore cumulat. Adde Jonſth. *Taumatograph. Natur. cl. 5. c. 32. p. 215.*

Num. 3.

(2) *Etiam poſteris tradere &c.*] Simile quid refert Julius Wilhelmus Zincgref *in Apophthegmatibus p. m. 250.* de ruſtico quopiam dactylos ſerente & arbores dactylorum (cujus proprium eſſe ajunt, ut demum centeſimum poſt annum fructus ferat) plantante, & Maximiliano II. Imperatori laborem hunc admiranti interrogantique; cujus uſui has plantaret? reſpondente: Gratioſiſſime Domine, DEO ET POSTERITATI; addit Zincgref, Cæſarem in tantum hoc reſponſo delectatum, ut ruſticum hunc dono centum florenorum cumularit.

(3) *Teſte Cicerone &c.*] Hujus verba ipſa jam antè à nobis *ad num. 28. capitis 1. hujus libri (37)* adduximus.

(4) *Si non Eccleſiæ Perſecutor &c.*] Eutropius *lib. 9.* enim ſcribit, Diocletianum, qui Anno Chr. CCXXXIV. Imperium adeptus eſt, moratum callidè fuiſſe, ſagacem præterea & admodùm ſubtilē ingenio, & qui ſeveritatem ſuam alienâ invidiâ vellet explere; diligentiſſimum tamen & ſolertiſſimū Principem, & qui in Imperio Romano primus Regiæ conſuetudinis formam magis, quàm Romanæ libertatis invexit. Hic ipſe verò laudem Imperii benè geſti maculavit Chriſtianorum perſecutione plus quàm ſæviſſimâ, in qua tantùm in Ægypto cceiſa fuiſſe 144000. hominum, & 700000. in exilium ejecta. Ex quo ratio iniri poteſt de reliquis Provinciis, quantum ibi ſanguinis fuſum ſit. Erat hæc perſecutio Chriſtianorum ſub Diocletiano & collegis graviſſima omnium, poſtremaque & decima Eccleſiarum vaſtatio; cùm Prima incubuerit Chriſtianis ſub Nerone, Secunda ſub Domitiano, Tertia ſub Trajano, Quarta ſub Marco Antonino & Aurelio Vero, Quinta ſub Severo, Sexta ſub Maximino, Septima ſub Decio, Octava ſub Valeriano, Nona ſub Aureliano, Decima, ut dictum, ſub Diocletiano, de quibus omnibus, præſertim poſtrema Diocletiana, præter Hiſtoricos antiquiores, Lætus *Compend. Hiſt. Univerſ. c. 23.* Petr. Pappus *Epitom. Hiſtor. Eccl. p. m. 135.* & Henr. Kipping. *in Notis ad eundem p. 122. ſeq.* Compendium Hiſt. Eccleſ. Sereniſſimi Principis Erneſti Saxoniæ &c. Ducis auſpiciis concinnatum *cap. 3. ſect. 2. n. 189.* Chriſtianus Kortholt *de Perſecutionibus Eccleſiæ primitivæ ſect. 10. pag. 397.* conſulantur.

(5) *Cùm verò ad Imperium evocaretur &c.*] Vide notata ad libri hujus ſecundi *cap. 1. n. 10. (20)*

(6) *Quæ vel fortuitus caſus edidit &c.*] Quod explicat Plinius *lib. 17. Not. Hiſt. c. 14.* ubi de ſatione arborum, & inſitione, & quomodo inventa ſit tenera inſerendi emplaſtratio, agit.

(7) *Plinius &c.*] *d. lib. 17. cap. 16. circa finem.*

(8) *Vide Plinium &c.*] *d. lib. cap. 14. ſeqq.*

(9) *Columellam &c.*] *lib. 5. de Re Ruſt. cap. 11.*

Num. 4.

(10) *Lupulus quoq; &c.*] De lupuli cultura, utilitate, differentiis &c. agit Coler. *in Oeconom. lib. 6. cap. 74. 75. ſeqq. usq; ad cap. 82.* Bornitius *de rer. ſuffic. Tr. 1. cap. 13.*

(11) *Cura Cardui &c.*] Confer Colerum *d. loc. c. 52.* Bornitium *d. loco, & ab eo allegatos Authores.*

Num. 5.

(12) Weid ꝛc.] Herba hæc tanti olim habita Norimbergæ fuit, ut ejus venditoribus den Weid-gäſten in Concurſu alicujus tinctoris Creditorum proximus poſt mercenarios locus, ſic ad utilitatẽ publicam ſive communem, & promovenda mercimonia ac opificia, præ omnibus perſonalibus Creditoribus etiam Civitatis reditibus, Ungeld/ Zoll/ Loſung ꝛc. prioritas in bonis obærati, ſingulari lege, quæ eſt in Reformatione Norica Tituli XXII. decima, indulta legatur. Verùm poſtquam copioſiùs Herba illa Indica, Annil, (*de qua suprà ad lib.1.cap.6.n.55.(41)* quædam retuli,) quæ ferè ſimilis noſtro glaſto, non tamen idem, vulgò Jndig/ ad nos allata fuit, rariùs ea nunc utuntur Tinctores noſtri. Quamvis de reducenda in uſum frequentiorem Iſatide, & inhibendo colore herbo Indigo, tanquam colore corrodente, ſæpius, ab iis, quorum intereſt, & quorum in terris naſcitur, actum fuerit. Confer Bornitium *de rer.ſuffic.tr.1.cap.13. & ab eo allegatos Authores.*

Num. 6.

(13) *De Rubia &c.*] Vide alleg. Bornitium *dicto loco.*

(14) *Zelandi &c.*] Hîc vel maximè copioſè tum plantatur, tum in uſus tinctorũ præparatur, eosque, Rubia qui eam tractant, aut magno emolumento, aut etiam damno mulctat. Namq; pretium illius tam citò ſurgit, quàm minuitur. Quemadmodum præ cæteris obſervare licuit Anno MDCXXII. quo cùm quæque librarum centuria venderetur LX. Carolinis florenis & pluris, ſubſequenti Anno MDCXXIII. comparari potuit XXI. ejusdem notæ florenis. Teſte Schoockio *in Belgio Fœder. lib.8.c.6.*

Num. 7.

(15) *Olera &c.*] Olus ab alendo dictum, eò quòd primi homines oleribus veſcerentur, antequam fruges & carnes ederent, ſi credimus Iſidoro *lib.17.Orig.cap.10.* Generali appellatione omnem herbam ſativam complectitur, quæ in uſu cibario conſiſtit.

Num. 8.

(16) *Flores Horti ſui divendi &c.*] Vide ſuprà *lib.1.c.5.n.16.(73)*

(17) *Dignitate minimè æquipollet &c.*] Poteſtate (*inquit M. Briot en l' Hiſtoire de l' Empire Ottoman. lib.1.c.10.p.106.*) *Boſtangis Bacha*, perquam magnâ gaudet. Nam quamvis *Agiam Oglans*, i.e. miniſtris Serralii inferioribus annumeretur & capitis tegmen gerat ex panno coactili, nihilominus curam & poteſtatem in omnia vivaria, hortos omnes, puteos, aquasque ſalientes Sultani omnes exercet abſolutam, extenditque ſe ſecundùm Boſphorum ad oſtia maris nigri usque, & longè ulteriùs ad campos & pagos prope Conſtantinopolim; ubi poteſtatem habet animadvertendi in vitia & puniendi exceſſus ibi commiſſos. Sique Gratia Sultani accedat, aſcendere poteſt ad dignitatem Bachæ Magni Cairi, Babyloniæ, Budæ &c. & Viſir Azem, quod primum officium Imperii illius eſt.

(18) *Sed pavimenta quoq; &c.*] Obiter ex Busbequio *Epiſt.1.pag.51.* notandum Turcas Roſarum folia humi jacere haud pati: quòd, ut veteres Roſam è ſanguine Veneris, ſic iſti ex ſudore Muhammedis natam ſibi perſuaſerint.

Num. 12.

(19) *Horti Herbarii ſive Medici &c.*] Celebrantur inter Hortos Medicos vel maximè Monſpeſulienſis in quo teſte Gölnitzio *in Itinerar. Belgico-Gallic.p.517. ubi illum hortum exactè ſatis deſcribit*, olim ſimplicia, quæ vocant XII cIↄ fuerunt; Patavinus; Lugdunenſis in quo plurima invenire eſt, quæ conceſſa cœlo Belgico rei herbariæ periti admirantur, ut Meurſius *Athen. Batav. lib.1.cap.11.* de hoc horto Academico loquitur, hanc ſub finem capitis ejus Inſcriptionem ſubjungens:

VSVI. ORNAMENTO
ACADEMIÆ
CVRATT. ET. COSS. JVSSV
STRVCTVM OPVS
ANNO. A. NATO. CHRISTO. cIↄ.Iↄc.
HORTVM. INGRESSVS. AD. SVBSCRIPTA.
RESPICITO.

I. STATVTA. A. PRÆFECTO. HORA. HORTVM. INGREDI. FAS. ESTO; EXAMINE. FINITO. EGREDITOR.

II. INGRESSIS. STIRPES. VIDERE. LICET. ODORARI. LICET. TENELLAS. SVCCRESCENTESVE. TRACTARE. LÆDEREVE. NON. LICET.

III. RAMOS. FLORES. SEMINA. DECERPERE. SCAPOS. CONFRINGERE. BVLBOS. RADICESVE. EVELLERE. HORTVM. INJVRIA. AFFICERE. NEFAS. ESTO.

IV. PVLVILOS. AREOLASVE. NE. CONCVLCATO. TRANSILITOVE.

V. NIHIL. INVITO. PRÆFECTO. ATTENTATO.

Quibus verò Plantis Anno MDCLVII. (*quo tempore ipſe ego illum videram*) hic Hortus Præfecto ejusdem D. ADOLFO VORSTIO Medicinæ & Botanices Profeſſore inſtructus erat, docet catalogus, publicè typis excuſus. Quid noſtris in terris Patriaque Academia Altdorffina, D. Ludovicus Jungermannus Botanicus inſignis, ejúsve Succeſſor Dn. Mauricius Hoffmannus Med. Doctor & Profeſſor Publicus, nec non Botanicus celebratiſſimus, in adornando tali hujusmodi Horto & re herbaria, præſtiterint, ultimúsve adhuc præſtet, & ocularis inſpectio & Catalogus Plantarum ejus atque circumvicini agri An. MDCLXII. emiſſus teſtantur.

Num. 15.

(20) *Pſalmographo &c.*] Pſalmo *8.v.1.& ult.*

Num. 16.

(21) *Non bibor &c.*] Hoc ipſum ænigma jam antè attulit Author noſter *l.1.c.14.n.29.*

Num. 17.

(22) *In quo herba arboresq; &c.*] Teſte Jodoco Hond. *in Atlante Mercatoris, in generali Deſcript. Americæ pag.m.21.* Scribit inter alia de divitiis Hiſpaniolæ Regionis cujusdam dictæ Cotóy Petr. Martyr. *Oceaneæ dec.3. lib.8.* ſequentia: Eſt ibi auri origo: non grumatim, non minutim legitur. Inter tophos & rupium venas ſolidum purumq; aurum invenitur: ſcindendo ſaxa ſequuntur auri veſtigia. Eſſe arborem vivam auri venam comperiunt. Quacunq; pateat iter è radice per apertas molleſq; ſcatebras, ramos ad ſuperna ſupercilia montis emittit: neq; unquã datur quieſcere, donec cœli aurã aſſequatur. Formare ibi, viſo aëris fulgore, bactras & grumos pro fructu, animadvertere rũt. Hæ ſunt, quæ per univerſam diſſeminantur Inſulam per alluvies raptatæ ad ima, de natura ponderoſorum. Non autem illic procreari putant, ubi leguntur, in ſicco præſertim, in fluminibus aliter.

Radicem

Radicem arboris aureę tendere ad terræ centrum inquiunt, & ibi coaleſcere. Quò namque profundiùs effodiatur, eò truncos reperiunt craſſiores, ſi per montis ſcatebras liceat. Eo ramis autem filo ſubtiliores aliquos captant: digitos æquantes alios, pro ſciſſurarum hiatu. Accidit & incidiſſe in cavernulas auro fultas: per ramorum tamen aſcendentium vias: quibus repletis ex ſubſtantia trunci ſerpente ab imo carpit iter ramus quà pateat. Intercipitur ſæpe ſaxi ſoliditate. In cæteris rimis tamen nutritur ex halitu & virtute radicum. *Hæc ille.* Quæ tamen ab aliis, ut affaniæ, damnantur.

(23) *Horti Salluſtiani &c.]* Quorum tam frequens apud Hiſtoricos mentio injicitur, præter quos, confer Alberti Reimari Abgebildetes Neues Rom *pag. 417.* & nota, Præfecturam Salluſtii malè Neroni ibidem acceptam ferri, cùm vel ex ſolo Dione *lib. 42.* conſtet, à Julio Cæſare Salluſtium, ut Senatoriam Dignitatem recuperaret, Prætorem Africæ factum fuiſſe.

Num. 21.

(24) *Ut Horatius vocat, &c.] Lib. 5. Carm.* ſive, ut vulgò dicitur, *Epodon. 2. v. 29.*

(25) *O ſtultos! qui unum ſæpe exoticum floſculum centenis &c.]* Ante annos non ita multos, (*ſic ſcribit de Belgis Belga Schoockius Belg. Fœd. lib. 8. cap. 9.*) maximè Anno MDCXXXV. Tulipomania, haud ſecus atq; Epidemicus quis morbus, omnis Ordinis homines, ipſos cerdones & textores quoque per has Provincias occupaverat, atque in variis Urbibus, maximè Alcmariæ, Harlemi, Goudæ, Medioburgi, & Ultrajecti, conſtitutę erant quædam cauponæ, veluti mercatoriæ burſæ, in quas conveniebant lepidæ hujus inſaniæ myſtæ, floremque anno demum ſubſequenti naſciturum, aut tuberculum bulbo adnaſciturū, ratione etiam ponderis habitâ, ingenti pretio vendebant, uno bulbo elegantiorum florum duobus aut tribus florenorum millibus æſtimari ſolito: Cùmque multi ingentes jam ſpe poſſiderent divitias, uno fortè aut altero ex hoc veterno expergiſcente, derepentè admodùm hæc fumi mercatura frigere cœpit, quique jam ſpoponderant ſibi à diurno labore ferias, urgente ventre ad penſum redire coacti ſunt. Adde Meterani Continuatorem *lib. 55.*

(26) *Heroas in hujus ſtudiis pertraxerit partem &c.]* Inter priſcos Græcos Romanoſque quot illuſtria capita, *inquit Lipſius de Conſtant. lib. 2. cap. 2.* tibi proferam, qui poſitis aliis curis, ſoli in hac cura? In illis quidem; uno verbo, pleroſque Philoſophos & Sapientes. Qui remoti ab inſano foro & urbe, hortorum ſe ſpatiis ſepibuſque clauſerunt. At in iſtis; Tarquinium Regem video, jam tum priſcâ illâ Româ, in hortis molliter ambulantem, & papaverum capita reſecantem: Catonem Cenſorium agnoſco in re hortenſi deditum, & de ea ſeriò ſcribentem: Lucullum poſt Aſiaticas victorias, in iisdem otiantem: Sullam, abjectâ Dictaturâ, ſuaviter hîc ſeneſcentem: & Diocletianum Principem, olera ſua & lactucas, ad Salonam purpuræ & omnibus ſceptris præferentem. Nec abivit ab hoc meliorum judicio vulgus; in quo ipſo, ſimplices omnes & ſine ambitione mala animas, ſcio fuiſſe in hoc cultu. Eſt enim profectò arcana quædam & congenita nobis vis, cujus intimas cauſas non facilè reddo, quæ ad hanc innoxiam & ingenuam delectationem trahit non nos tantùm, qui propendemus; ſed illos ipſos ſerios & ſeveros, qui renituntur & irrident. Atque ut cœlum & æternos illos ignes nemini aſpicere fas, ſine occulto horrore quodam & religione: non item Terræ ſacras opes, & hunc inferioris Mundi mundum, ſine tacita quadam gaudii titillatione & ſenſu. Animum tuum mentemque percontare: capi ſe hoc adſpectu dicet, imò paſci oculos ſenſumque: fatebuntur non alibi lubentiùs ſe acquieſcere, quam in his hortorum areis & pulvillis.

(27) *Syriæ Regem Ninum &c.]* Syriæ ſive Aſſyriæ (*confundi enim hæc nomina invicem à Scriptoribus jamdudum Doctiores annotarunt*) Regem Ninum, Regem in his terris primum, qui, ut Juſtinus *Hiſtor. lib. 1. cap. 1. n. 8.* loquitur; magnitudinem quæſitæ Dominationis continuâ poſſeſſione firmavit, & à quo omnes Hiſtoriæ antiquæ incipiunt, *Oroſius 2, 2.* creditum a plerisque fuit, hortorum penſilium conditorem nominant aliqui; ſed cùm iiii Juſtinus *d. loc. n. 10.* cum aliis, filium Ninyam attribuat, uxorem verò Semiramidem, & Diodorus Siculus *Biblioth. Hiſtor. lib. 2. cap. 10.* expreſſè ſcribat, penſilem (*ut vocatur*) hortum non à Semiramide, & ſic nec à Nino, ſed Syro quodam Rege, poſteris temporibus in gratiam *Pallacæ* ædificatum, quæ cùm ex Perſia (ut perhibent) orienda eſſet, in montibus prata requirens, à Rege, ut artificioſo quodam plantario Perſiæ naturam terræ imitaretur, contendiſſe, malo rem in dubio relinquere, quàm Klockio hac in re adſtipulari. Interim de ſtructura ipſa laudatus Diodorus Siculus *ibidem* conſuli poterit.

(28) *Attalus Aſiæ Rex &c.]* Vide Juſtinum *lib. 26. cap. 4. n. 3.*

Num. 22.

(29) *Schœnorum &c.] Schœnos*, σχοῖνος Græcis, i.e. funiculus, (*à quo & Ebræi funiculum vocabant eam portionem, quæ in agrorum diviſione huic vel illi obvenerat,*) maxima menſura intervallorum, continet duas paraſangas: *paraſanga* commune milliare Germanicum: *milliare Germanicum* duas leucas: *leuca* duo milliaria Italica: *milliare Italicum* duo ſtadia: *ſtadium* octo plethra: *plethrum* C. pedes: *pes* duos ſemipedes: *ſemipes* duos palmos: *palmus* IV. digitos: *digitus* IV. grana. Ut vult Georgius Heniſchius *de Aſſe pag. 71. ſeqq.*

Num. 23.

(30) *Ex Homero &c.] Odyſſeæ lib. 7.*

(31) *Juvenal. &c.] Satyra 5. circa finem.*

Num. 24.

(32) *Centenarias &c.]* Herodotus *cit. loco* dicit: Roſas ſexagenum foliorum, fragrantiori odore quàm cæteras &c.

Num. 26.

(33) *Heſperidum Horti &c.]* Vide Stengelii Hortenſium & Pomanam *parte 2. cap. 2. pag. 236. ſeqq.*

Num. 27.

(34) *Semiramidis penſiles hortos &c.]* De fide hujus aſſerti vide, quæ jam *ad numerum hujus capitis 21.* (27) ex Diodoro Siculo dixi.

(35) *Septem mundi miracula &c.]* Septem (*Strabo Geogr. lib. 16. ſex tantùm habet*) fuerunt Fabricæ apud antiquos toto Orbe celeberrimæ, quæ propter operis magnitudinem & ſumptum incredibilem extitêre loco Miraculi: ut nihil divinius ars humana poſſit confingere aut excogitare. Fuerunt autem illa miracula a ſcriptoribus communiter percenſita, I. Muri Babyloniæ ſexaginta millia paſſuum amplexantes, ducenos pedes alti, quinquagenos lati, in ſingulos pedes ternis digitis ampliore menſurâ, quàm noſtrâ, interfluo

Euphrate, mirabili opere utroque, inquit Plinius *Natur. Hiſtor. lib. 6. cap. 26.* adde Herodot. *lib. 1. cap. 178. ſeq.* Juſtinum *lib. 1. cap. 2. n. 7.* Diodorus Siculus verò Obeliſcum Semyramidis Babyloniæ erectum tantùm inter ſeptem miracula *lib. 2. cap. 11.* numerat. II. Templum Dianæ Epheſiæ, cujus longitudo fuit CCCCXXV. pedum, latitudo ducentorum viginti, columnæ centum viginti ſeptem à ſingulis Regibus factâ LX. pedum altitudine. Opus ducentis viginti annis factum à tota Aſia. Plinius *lib. 36. cap. 14. ubi vide.* III. Jovis Olympici à Phidia factum ſimulachrum. Id. *lib. 34. cap. 8.* IV. Pyramides Ægyptii, Regum pecuniæ otioſa ac ſtulta oſtentatio. Quippe cùm faciendi eas causâ à plerisque tradatur, ne pecuniam ſucceſſoribus aut æmulis inſidiantibus præberent, aut ne plebs eſſet otioſa, ut Plinius loquitur *lib. 36. cap. 12.* V. Solis Coloſſus Rhodi, de quo Plinius *lib. 34. cap. 7.* videatur. VI. Sepulchrum ab Uxore Artemiſia factum Mauſolo Cariæ Regulo. Plinius *d. loc. lib. 36. cap. 5.* Quibus nonnulli VII. loco Labyrinthum Ægyptiacum, *de quo d. Author lib. d. cap. 13.* alii Cyri Medorum Regis domum à Memnone illigatis auro lapidibus fabricatam; alii Pharon Ægyptiacum adnumerant. De hisce miraculis eleganter canit J. Balde *de Vanit. Mundi n. 10.*

Septena quæ MIRACULA
Jactabat antè MUNDUS:
Septena ſunt ludibria
Et nobiles Chimaræ.

Num. 28.

(36) *Qui in figura quadrata &c.]* Sic hortos illos penſiles Strabo *lib. 16. pag. m 499.* deſcribit: at notandum, omnes, quos ego quidem vidi, qui penſilium hortorum in Aſſyria ſive Syria meminerunt, omnes Babyloniæ ſitos ſcribere, nec alibi ſitorum mentionem facere. Si licet parva componere magnis, notamus hîc, adhuc An. MDLXXI, Carolo Clivenſium Principi Norimbergæ propè Caſtrum Cæſareum Friderici Cæſaris hortos penſiles, pilis lapideis impoſitos monſtratos fuiſſe. Quod Stephanus Vinandus Pighius *in Hercule ſuo Prodicio pag. 92.* teſtatur. De his Conradus Celtes, *in quatuor libris amorum in deſcript. Norimb. cap. 5.* ſcribit: Cæſar Fridericus ut hortis plurimùm ſe oblectare ſolebat, in ea arca penſiles ſibi hortos fieri fecit. Pilis onus ſuſtinetur, altitudinem muri æquans; ſolumque ſupra ſtratum herbarum & arbuſculorum patiens eſt. Quorum nunc cultura ceſſat, memoriam pili adhuc extantes conſervant. Aliis tamen in locis adhuc tales virere notum eſt.

Num. 35. 36. 37. 38.

(37) *In Italia &c. &c.]* Augentur & diminuuntur plerumque hortorum pulchritudines & utilitates ex Dominorum erga culturam amore, tum Hortulanorum ſtudio, induſtriâ, labore. Ut nunc nil dicam de clementia aut inclementia aëris, cœlique tempeſtatibus, quibus ſæpè ſæpiùsve nec exactiſſima cura, nec adversùs frigora, nimios imbres, ſiccitatesque, nec non inſecta præparata ſubſidia, reſiſtere poterunt. Indeque videmus, quem avus atavusque imò & parens in peregrinis oris laudaverat hortum, à poſteris incultum reperiri. Maximè in Gallia, ubi plerumque plus novis operibus exſtruendis, quàm veteribus conſervandis, ut notum, operarum impenditur. Interim conſuli poterit Carolus Stengelius in Hortenſio & Pomona de celebrioribus Italiæ Hortis *parte 2. cap. 3. pag. 240. ſeqq.* De Urbis Romæ aliquot hortis *cap. 4. pag. 257. ſeqq.* De Neapolitanis Hortorum deliciis *cap. 5.* De Hortis per Germaniam celebrioribus *cap. 6.* ubi etiam de Salisburgenſi Horto *n. 2.* tractat. De amœniſſimis Hiſpaniæ Hortis *cap. 7.* &c. Hodiè præter enumeratos in textu hortos celebrantur in Germania Horti Archiepiſcoporum Salisburgenſium, qui vulgò Hellbrunn/ de quo Zeiller. *in Typograph. Bavariæ pag. 95.* & Franciſc. Dückher in Saltzburgiſchen Chronick *pag. 9. & 283.* & à Principe Illuſtriſſimo Dn. Julio Henrico Saxo-Lauenburgico Ducis Slaccowerdæ exædificata arx, cum adjacentibus hortis.

Num. 41.

(38) *Lipſius &c.] Qui in libello de Conſtantia 2. cap. 3. cùm in ſecundo capite eodem modo, quo Author noſter in præcedenti numero hortos laudaſſet,* Langium ipſi ſic loquentem introducit: Amas floridam hanc purpureamque Nympham: ſed vereor, ut ames immodeſtè. Hortos enim laudas; ſed ita, ut vana pleraque in iis mirere, aut externa: vera & legitima eorum gaudia omittas. Colores enim duntaxat undè inſpicis, & in pulvillis quieſcis, & flores petis ab noto ignotoque Orbe. Obſecro ut quid? ut ne te quoque eſſe ſciam in hac ſecta, quæ exorta hodie, malè curioſorum hominum, malè feriatorum? qui rem optimam ſimpliciſſimamque, inſtrumentum duorum vitiorum fecerunt, Vanitatis, & Temporis. Hac enim fine habent hortos. Herbulas aliquot & flores exoticos ambitiosè conquirunt: & quæſitos ita anxiè fovent & tuentur, ut nulla mater ſuum gnatum. Hi ſunt, quorum literæ in Thraciam, Græciam, Indiam discurrunt: Idque ſeminis exigui aut balbuli causâ. Hi, quibus ægriùs ſit florem aliquem novum mori, quàm veterem amicum. Romanum illum riſerit aliquis, qui piſcem ſuum atratus luxit? iſti plantam. Jam ſi quis ex his Floræ candidatis novius aliquid aut rarius nactus eſt, ut oſtentat! ut alii competitores æmulantur, invident! è quibus nonnemo triſtior domum diſcedit, quàm olim in Præturæ petitione victus Sulla aut Marcellus. Quid dicam? niſi hilarem hanc quandam inſaniam eſſe: nec abſimilem illi puerorum pallentium & rixantium circa pupas ſuas & ſigilla: At eorundem induſtriam in hortis etiam cognoſce. Sedent, circumambulant, oſcitant, dormiunt, nec aliud; prorſus ut non otii ſui ſeceſſum hunc habeant, ſed diſidiæ ſepulchrum. Profanum genus! & quos jure arceam ab orgiis veri arcanique horti; quem modeſtæ voluptati natum ſuo, non vanitati: quieti, non torpori. An ego tam levis, quem efferat aut deprimat herbula aliqua rarior, ſive adepta, ſive amiſſa? Imò æſtimo res ſuis pretiis: & ſepoſito lenocinio illo novitatis, ſcio herbas eſſe, ſcio flores: i. e. brevia quædam & fugacia, de quibus aptiſſimè Poëta Princeps:

Ζεφυρίη πνείουσα τὰ μὲν φύη ἄλλα γὰρ πέσσει.

Itaque non ſperno eas ſive delicias, ſive elegantias: ſed hæc à mollibus Hortenſiis iſtis muto, quòd ſine cura hæc talia conquiram: ſine cura habeam, ſine cura amittam. Nec idem ille ego tam marcidus, imò tam mortuus, ut recondam & velut ſepeliam me in his hortorum umbris. Negotium etiam in illo otio reperio; & invenit ibi animus, quod ſine actione ulla agat; ſine labore ullo elaboret. *Nunquam minùs ſolus ſum,* ajebat ille, *quàm cùm ſolus: nunquam minùs otioſus, quàm cùm otioſus.* Vox egregia, & quam auſim dicere natam in his ipſis hortis. Scilicet menti parati illi, non corpori; ad eam recreandam, non ad hoc laxandum, & ad ſalubrem quendam ſeceſſum à curis atque turbis. Homines tibi moleſti? hîc apud te eris. Occupatio exhauſit? hîc replebere; ubi animo quietis illud pabu-

pabulum, & ab aura puriore velut inſpiratio novæ vitæ. Itaq; vides veteres illos ſapientes? in hortis habitarunt: Eruditas hodiè doctasq; animas? hortis delectantur: & in iis divina illa pleraque ſcripta procuſa, quæ miramur, & quæ nulla temporum ſeries aut ſenectus abolebit. Viridi illi Lycæo tot diſſertationes de natura debemus; umbriferæ Academiæ, de moribus & ex hortorum ſpatiis diffuſi uberes illi Sapientiæ rivi, quos bibimus, & qui fœcundâ diluvie orbem terræ inundarunt. Scilicet attollit ſe magis erigitque ad alta iſte animus, cùm liber & ſolutus videt ſuum cœlum; quàm cùm ædium aut urbium carceribus tenetur incluſus. Hîc mihi vos Poëtæ duraturum aliquod carmen pangite: hîc vos literati meditamini & ſcribite: hîc vos Philoſophi de tranquillitate, de conſtantia, de vita, de morte diſputate. En Lipſi, quæ vera hortorum uſio & finis. Otium inquam, ſeceſſio, meditatio, lectio, ſcriptio: & ea tamen omnia velut per remiſſionem & per luſum. Ut pictores longâ intentione hebetatos oculos, ad ſpecula quædam & virores colligunt: ſic nos hîc animum defeſſum aut aberrantem.

Num. 45.

(39) *Granadilla &c.*] Granadillæ (quæ vulgò *Flos Paſſionis* dicitur nec apud nos incognita, ſed aliquorum hortorum Norimbergæ olim decus) Floris Folii, Fruticis, & Fructus, vide apud Stengelium *in Hortenſii & Pomonæ Tomi c. mantiſſâ pag. 345. ſeqq.* ubi inter alia Johannem Boterum *in Veris Deſcriptione, quam Anno MDCVII. evulgavit,* ſic Florem Paſſionis alloquentem producit:

Unde accidit, ô ſancte, & incomparabilis flos,
Quòd in terra naſcaris & climate tam remoto,
Cum indignis tormentis, quæ tulit Redemptor
Ab infido Populo, impio, inhumano?
Quàm eſſes melius in meo corde
Operâ Summi Opificis!
Non timeres hibernum gelu,
Et viveret in me perpetuus zelus.

De variis ejusdem Floris (Indis *Murucuja* dicti) ſpeciebus Eraſmus Franciſci in dem Oſt und Weſt-Indiſchen Luſtgarten *pag. 169. usq. ad pag. 176.* latè agit.

CAPUT IV.

Ad Reipublicæ locupletandæ artem pertinet Theriotrophia & Bucolica Viehezucht.

SUMMARIA.

1. Bucolica *ſive cura pecuaria tàm ferarum, quàm cicurum: Harum varia genera deſcribuntur & utilitas,* n. 2. & 3. *(ubi notandum, Norimbergæ confici annuè ex macello 15000. Imperialium pro Ærario) & alibi,* n. 4. & 5.
6. *De* equorum *pretioſitate ſit vel unicus Alexandri M. Bucephalus in exemplum, imò* Aſini, num. 7.
8. Equorum *indoles accuratiùs deſcripta.*
9. *Quibus DIs ſacer fuerit* Equus.
10. *Gentilium ſuperſtitioſi honores* Equis *delati.*
11. *Flens* Equus *præſagit triduo antè Cæſaris mortem.*
12. *De* Equâ *Regis Scytharum memorabili.*
13. Mularum *inventor ANA: & cur Mula ſterilis?* & n. 14. *Quis primus equos currui invexerit?* n. 15.
16. Apologus *de Equo, quâ ratione primum ſeſſorem admiſerit.*
17. Conſilium *attende magis fidele, quàm prudens.*
18. Colores equorum *Doctrinâ qui? fortitudo equi,* n. 19.
20. Equorũ *cura, educatio, aſſuefactio, pictioq; tàm nunc apud Germanos, quàm ullos exteros.*
21. Oſtrogothi & Longobardi *ſuum Imperium in Italia Hypotrophia firmârunt.*
22. *De* ovium *utiliſſima variaq; cura, uſu, & emolumentis.*
23. *De* ſtercoratione agrorum *ab opilionibus uſurpata.*
24. Ovium *diſtinctiones & genera.*
25. *De porcis pinguibus, macris, nefrendibus, & eorum fœtura.*
26. Pernæ Weſtphalicæ.
27. *De* volatilibus, *manſuetis & domeſticis.*

Formoſi pecoris ſi cultor amore traharis,
Te pauper potiùs, quàm pecus, ipſe trahet.

Aliud.

Utile Equus animal ſæpè eſt, ſed inutilis uſus,
Cum ſtulto domino eſt forma labore prior.

PRima poſt Adæ lapſum hominum in terris vita fuit *paſtoritia.* (1) Hæc nobis præter pecudum carnes varias etiam lac, caſeum, butyrum, in cibum; ac pro veſtitu lanam, pelles & coria, omnia profectò humanæ vitæ cùm neceſſaria, tum utiliſſima largitur: Quæ omnia, ſed poſt caſum, homini conceſſa ſunt, cùm antea iis, *quæ à terrâ* (2) ſpontè prodibant, Deus illum in Paradiſo veſci juſſerat. Altera ergo culturæ terrenæ pars animalia curat, in genere Theriotrophia ſive *pecuaria* (3) dicta; & vel *mãſuetas,* (4) vel feras beſtias (Viehzucht und Weidewerck) complectitur. Manſueta terreſtris aut pe- 1
coris armentarii, aut gregalis: Armentarii vel ad victum pertinentis, vel ad uſum vectorium. Illius ut vitulæ, bovelli, ſive taurelli, vaccæ, Rindvieh / quæ Bucolica vocatur. Deinde oves, capræ, hædi & hæduli, hirci, porci, ſcrophæ, porcelli, verres admiſſarii, & caſtrati, quæ Brobatica indigitatur, Schäferey / Ziegenzucht / Schweinmaſt und Zucht: Hujus, ut equi & equæ Roß / (unde Hippotrophia Pferdezucht / Stutterey) Aſini, Muli, Elephanti, Dromedarii, Canes, Feles, &c. *Cuniculi verò manſueti & feri ſunt,* (5) uti *in Hollandiâ,* (6) in montibus 2
& collibus arenoſis, & paſſim locorum, ali & educari videmus. Cibus ſanè palato ſuavis & bonæ concoctionis, & qui in deliciis loco leporum habetur. Manſueti autem quid carne & pelle proſint, patresfamilias ſciunt.

Quis pro dignitate hujus Chremaſticæ fructum pleno ore ediſſeret? In Friſiâ Orientali vitulum nuper LXIV. Joachimicis divenditum vidimus. Friſia & Batavia quod lucrum annuum ex bobus & tauris, quem reditum æruſcant? Ex foro boario quantus patrifamilias & Ærario accreſcit quæſtus? quanta reſultat utilitas? quæ *Norimbergæ*(7) aus den Schlachthäusern ultra XVM. & circiter, thaleros Imperiales ſe protendit. Quod numeroſa boum agmina è Dania in Germaniam & præcipuè Geldriã usque ad paſcuorũ ſaginam quotannis emitti; quantum vectigal eo nomine Gottorpii pendi videmus? *Hollandiæ*(8) ex hac una re quanti proventus? ab una vacca nonnullis in locis *undecim lactis menſuræ*, (9) id eſt, ferè congii tres emulgentur æſtivis diebus. Unde tanta butyri caſeique optimi, *Placentino nihilo inferioris* (10) copia eſt; ut ex eo, quod ad exteras regiones effertur, *decies centena aureorum millia annua cogi.* Lud. Guicciardinus teſtetur: quæ ſanè ſumma pretiis, noſtro tempore, immane quantum ob pecuniarum auri argentiq; incrementum auctis, quod jam multò major ſit, ratio dictat. Helvetia noſtra

Quàm dives pecoris nivei, quàm lactis abundans!

4 In Hungaria ea eſt pratorum luxuria, ut ob graminis altitudinem præcedentem currum ſæpe poſterior non videat, ac proindè nullibi gregum armentorumque ſit fructus uberior; mercatoribus inde ſingulis annis tot & tot præpinguium boum millia ad vicinarum & diſſitarum nationum culinam agentibus. Et ajunt, Viennam quotannis circiter octoginta millia agi. Thom. Lanſius *conſultat de Principat. inter Provinc. Europ. in Oratione pro Hungaria fol. m. 568.* Par in Podolia pratorum ubertas in ferendo fœno, in tantam gramine excreſcente altitudinem, ut paſcentes boves vix cornibus emineant, Albert. Guagnin. *Rer. Polon. tom. 2.* Nonnullis in locis in recognitionem Voitheiæ penduntur annuatim Walper Kühe / (11) quæ die Walpurgis vel circiter exhibentur, ſic dictæ quaſi inferendales. Saxones olim quingentas vaccas inferendales à Clothario Seniore, Clodovæi filio, Chilperici Patre, Regiæ menſæ inferre juſſi ſunt; ideò ſic nominitatæ, quòd ſingulis annis inferrentur. Andr. Knichen *Tr. de territ. jur. d. cap. 4. num. 482. & ſeqq.*

5 Ex ponia equorum, Deum immortalem! quantum eſt lucrum, quando ex fœtura tot egregii equi quotannis progenerantur? Equorum quantus valor & æſtimatio? præſertim talium, quales Magnus Dux Etruriæ *ante aliquot annos* (12) Florentiæ in feſtivitate nuptiarum cum Maria Auſtriaca exhibuit, hisque docilitatis eorum ſpecimen præbuit. Quod ſpectatores non ſine ſtupore contemplati, equos ad ſonum buccinarum adpoſitè *pedes & motus conformaſſe* (13) inſtar eorum, qui choreas ducunt. Quod etiam ad rei memoriam, poſteritati literis deſcriptum Italicis & typis æneis illuſtratum publicè proſtat. Equis Germanicis, quibus non tantùm in domeſticis laboribus, ſed & inprimis in bello gloria ſumma eſt, ut inhiant Galli? & quis animoſiùs cataphractum militem feret Friſio? quid non expectari poſſit à Carſtiis, Pomeranis, Haſſis, Bohemis? & quot celebres paſſim equorum mercatus ſunt in Germania? Francofurti ſolùm nundinarum tempore. quanta multitudo vel uno die videtur in ſpatioſiſſimo hippodromo? quanti eſt, vel unum ex Holſatiæ Principibus Joannem Sondersburgi mille & ampliùs inſignes equas propaginum causâ aluiſſe? Ex omni verò equorum genere pulchritudine præſtare Hiſpanos, cenſet Petr. Quinqueranus *de Laud. Provinc.* P. Camerar. *meditat. hiſtor. cent. 2. cap. 91.* Etenim in Andaluſia & Granata natura equos (quos incolæ *Genettes* vocant) eâ effingit induſtriâ, ut ad velocitatem, generoſitatem, & ad omnem elegantiam nihil illis deſit; unico ſæpe equo multis aureorum millibus conſtante.

Equus Alexandri *Bucephalus* (14) XII. 6 talentis emptus. *Equus Cn. Seji* (15) *centum millibus ſeſtertiis* (16) eſt emptus. Unæ quadrigæ Romæ aliquando conſtiterunt 400. millibus. Varronis memoriâ Aſinus vèniit ſeſtertiis millibus LX. Varr. *lib. 2. de re ruſtic. cap. 1.* A Strabone jactatum, in Hiſpania 7 aſinos admiſſarios & aſinos ad fœturam emi quadragenis ſeſtertiis. *Aſinus CCCC. numûm* (17) emptus Q. Axio Senatori. Sub Tiberio *tres muli* (18) millibus numûm venierunt. Nimis efflictim deperiit equum praſinum Verus Imperator, de quo Capitolinus *in Vero cap. 6.* Nam & volucri equo praſino aureum ſimulacrum fecerat, quod ſecum portabat. Cui quidem paſſas uvas, & nucleos in vicem hordei in præſepe ponebat, quem ſagis fuco tinctis coopertum, in Tiberianam ad ſe adduci jubebat, cui mortuo ſepulcrũ in Vaticano fecit. Sic & Adrianus *canibus & equis* (19) ſepulcra poſuit. Spartian. *in Adriano c. 21.* Ipſi Principes viri equilia ſedulò paſcebant, unde equos antiquæ ac generoſæ notæ ac nominis & ad circum, & ad bella haberent. Caſſiodorus *lib. 1. Epiſt. de* tantâ patrimonii ubertate gloriatus eſt, ut inter reliqua bona equinis gregibus Principes vinceret; & ii cùm in Græcia, tum Italia nobiliſſimi habebantur, quorum majores alendis equis famam quæſiſſent. Baſilius *in Julitta.*

Ferociſſimum & inquietiſſimum animal inſomnique & inexpleta voragine eſt Equus, juxta illud Virgilii, *4. Æneidos:*

Stat ſonipes, ac fræna ferox ſpumantia mandit.

Animal,

Animal, *inquam*, generoſum, otii im-
patiens, labore tumidum, impetuoſum, au-
dax, intrepidum, volatile, dominum ſper-
nens, diverſisque illum viis in diſcrimen tra-
8 hens. Quis enim contumaciam, quis mor-
ſus, quis calces explicet? quis hinnitus, quis
aſcenſoris impatientiam. Quot enim e-
quorum mores, totidem conſtat eſſe pericu-
la. Ob id Equus fallax dictus eſt, ex eoque ada-
gium ortum.

Equorum domitoribus bis equum malè fecerit.

Licet verò multa de Equo ſcribantur
utrinque contraria; obſequioſum tamen fi-
dumque Animal quis negabit? de quo tam
multæ jactantur fabulæ, ſcribuntur hiſto-
9 riæ. Nam Marti apud Romanos Equus
ſacer erat, ut author eſt *Feſtus*. (20) Itemque a-
pud Myſios, ut è *Floro* (21) cognoſcimus. At
apud Perſas & Maſſagetas dicatus erat Soli:
quibus idcirco ab iis mactabatur, ut è *Xeno-
phonte*, (42) Strabone, Pauſania & aliis con-
ſtat. *Animal profectò nobile*, (23) regium
optabile, dignumque quod enormi pretio
comparetur, anxiâ nutriatur curâ. Ingen-
tes ſanè viri usque ad ludibrium equorum
ſtudio capti. *Alexander Macedo* (24) amato
equo tumulum erexit, & Urbs de Equi no-
mine appellata. *Auguſtum* (25) Equo ſepul-
chrum inſtituiſſe conſtat; *Divum item Juli-
um* (26) ante Ædem Veneris marmoream
Equi effigiem conſecraſſe accepimus. Anto-
10 ninum quoque vi venti equo, quem immo-
dicè amabat, ſimulachrum aureum, & ipſo
mortuo ſepulturam in Vaticano exſtrui cu-
raſſe, narrant Hiſtorici. Cajus Caligula, re-
ferente *Dione*, (27) unum equorum ſuorum
quem Incitatum vocavit, etiam ad cœnam
adhibebat, aureumque hordeum illi ob-
jecit, tum vinum in aureis poculis eidem
propinavit, perque ſalutem ipſius & geni-
um juravit, poſtremò *Conſulem* (28) quoque
eum facturum ſe eſſe promiſit. Nec defuê-
re adhuc, qui Equos ut filios lugerent, æ-
grotosque ter quotidie, licèt podagræ
morbo laborarent, unà cum Medicis viſita-
rent. Vide facetum carmen & locum ad ſe-
pulchrum equi Oribatis, à Nicomacho e-
quite, apud Jacobum Eyndium Poëtam Ba-
tavum *lib. Nugarum*: ubi inter cætera equum
hunc graphicè deſcribit.

Aſt equus; ad cunctos rerũ qui commodus uſus,
Ille oneri, ſellæque bonus, natusq; ſub armis,
Inſultare ſolo, modò preſſos ſiſtere curſus.
Effuſos modò laxato protendere fræno.
Ille jugo dociliis leni ſuccedere ſuetus
Imperio, & curvo proſcindere vomere terram.
Nonne vides, quantis animis generoſa triumphos
Concipiat mens ante tubas, quantoq; coronam
In ſeptem circi ſpatiis conamine poſcat?
Nonne vides, quanto victo ſublimia faſtu.
Colle gerat, vulgiq; madens ſe venditet auræ
Quod ſi bella vocent, motus clangore tubarum
Spumantes vexat frænos, micat auribus, ardent
Lumina, ſaxa ſonant alterno diſſona pulſu.
Hinc ego crediderim, ſortem officioſus in omnem.
Nempe quod eſt homini veteres dictâſſe Camœnas.
Humanis membris corpus coaleſcere equinum.
Inque Pelethroniis Centauros ſaltibus edi.
Nec pecoris durum eſt funus lugere, quod olim
(Si qua fidem dictis eſt allatura vetuſtas)
Difficiles obitus, & Juli funus acerbum,
Ad Rubiconis aquas lacrumis deflevit obortis
Affectus animi (nec mirum) pectore in iſto
Humant, æthereoq; ſatæ de ſemine mentes;
Eſt etiam pietas; pietas non diſſona equorum
Senſibus, usque adeò per ſæcula cuncta animantûm
Virtutis natura parens ſua ſemina fudit.

Et paulò pôſt:

Hinc quoties mentemque meam morientis imago
Nota ſubit, vultusq; tui reminiſcor adempti.
Vivere poſſe tibi metuo doleoque ſuperſtes.
Tu domini, Oribates, doctus ſervire lupatis,
Et molles ſinuare fugas, & carpere gyros,
Mox tantùm admonitus, nullis calcaribus actus,
Suetus eras trepidos curſu prævertere cervos
Impete diviſas auras, præterque fluentes,
Vix aures patuêre patis, vix ſenſit arenam
Ungula, vix ſub ſe volitantia tergora ſeſſor;
Cœpiſti at quoties paſſus glomerare remiſſos,
Altiùs ingrediens, pedibusq; ſonare ſuperbum
Compoſitis, viſi motare cacumina colles,
Et montes tremuiſſe ſono, dum è vallibus Echo
Alternos ſequitur factis clamoribus ictus,
Attonitæq; metu pecudes, pecudumq; magiſtri,
Perculſi proprius greſſus conferre recuſant,
Intremuiſſe etiam terram ſenſêre polumq;
Antipodes, veriti nimborum in nocte tonantes
Alipedes egiſſe Jovem, currumq; volucrem.
Antiquum ut reparet Chaos, immeritosque recurſe.
Nox manes mixtura Deis, terræque ruinâ
Oppreſſura, polo, texturaq; ſidera ponto.
Sic mihi tu juſtis comes ibas ſemper in armis,
Nobilis, & ſocias afflabas naribus iras,
Gaudebam adſpiciens oculos, duo ſidera dici.
Qui poterant clarâ nec ſtellis luce minores,
Mirabar curtas aures, & tergus obeſum,
Argutumq; caput, collum tum molle jubamq;
Denſam, cumque altis humeris, longa ilia, ventrem
Compreſſum, caudam longam, clunesq; rotundos,
Excelſosq; pedes, femur & ſub pondere firmũ.

De Cæſare *refert gl.* (29) *in l. ſi ſervus 54. verb.
Cloacam aut. lit. y. ff. de act. empt.* quòd tertio
die ante mortem ſuam intraverit Equorum 11
ſtabulum, inveneritque Aſturconem ſuum
Equum flentem, quod fuerit indicium mor-
tis futuræ Domini. Cælius Rhodiginus
lect. antiq. lib. 11. c. 57. ex urina Neptuni
Oo 4 ortum

ortum refert, qui olim ſuper ſaxo conſopitus
eum profuderit. Quid ita? quia *naturâ* E-
quus nihil, quod turpe eſt, ſine ultione ad-
12 mittit. Itaque Equam ajunt, fuiſſe Regi Scy-
tharum egregiam, ex qua mares generoſi o-
mnes gignerentur, quorum unum, qui præ-
ſtantior haberetur, cùm, ut ex matre procre-
aret, equiſo admitteret, admiſſumque ſæpi-
ùs recuſaſſet; opertus demum equiſonis o-
perâ matrem fefellit: Verùm ubi à congreſ-
ſu illa prolem recognovit, citato curſu in lo-
cum eminentem ſe recepit, indeque impru-
dentiam morte expians, ſe præcipitem de-
dit; *poſt Plinium* (30) Tiraquellus *de Legib.
Connub. l.7.* Idem recitat & Q. Curtius *lib.5.*
Ex quo ſatis adparet, naturam tacito quo-
dam ſenſu deteſtari libidinem. Licèt aliter
cenſuit Ovid. *in Met.* 10.

---- Coëunt animalia nullo
Cætera delicto, nec ducunt turpe juvencæ
Ferre patrem tergo; fit Equo ſua filia conjunx.

Muli verò inter reliquas quadrupedes nec
à Deo initio creati, nec in arca Noæ fuêre, ut
ſenſiſſe videtur Auguſtinus *lib. 15. de Civit.
Dei cap.27.* ſed ANA primus invenit mulas,
13 *Geneſ. cap.36. v.24.* non fortuitò (ut ibidem
notat Andreas Oſiander *n.2.*) ſed per indu-
ſtriam. Paſcenti enim aſinos cogitatio ſubiit
de applicanda equa aſino, ex qua copula no-
va illa ſpecies in mundum prodiit. Cùm
autem omnis commixtio diverſarum ſpeci-
erum DEO ſit abominabilis, ut quæ contra-
ria latæ ſententiæ, ut unaquæque in ſuo ge-
14 nere ſpeciem ſuam producant: ideò DEUS
ſpeciem hanc ſterilitate punivit, ut mulus
fœtum procreare nequeat. Quamobrem
etiam DEUS Iſraëlitis prohibuit, ne diverſi
generis animantia inter ſe commiſcerent;
Levit. *c.19. &c.* Nonnulli ſcribunt, naturâ
nec Equam recipere Aſinum, nec Aſinam
Equum, niſi aut hæc illius, aut ille hujus *lac
ſuxerit.* (31) Sunt tamen alicubi mulæ pari-
entes: Nam Ariſtoteles ſcribit in Cappado-
ci fœcundas eſſe, ſicut in Creta compertum
eſt, Theophraſto teſte. Et in Syria ſuper Phæ-
nicem mulas coire, *& parere* (32) omnes re-
petit, *hiſt. animal. l.6. c.24. & 36.* Sed id ge-
nus diverſum eſſe & diſſimile, atq; ad mulas
ex equis & aſinis natas haud pertinere, putat
Plin. *l.8. c.44.*

Primus autem, qui equos junxit currui
fuit Erichthonius, de quo *Virgilius:* (33)

15 *Primus Erichthonius, currus & quatuor auſus*
Jungere equos &c.

Rhodigin. *lib.7. c.27.*

Equi pulcherrimum Apologum heîc
commemorare lubet: quem benevolo Le-
ctori non ingratum fore confido. Equus a-
liquando bellum gerebat crudele cum Cer-
vo: tandem ille pulſus è paſcuis & ſylvis ad
hominem ſupplex accedit, opem ejus & Cõ-
ſilium contra cervi nefarium ſcelus implo-
rans. At homo acceptâ ejus oratione im-
perat, forti bonoque ſit animo: eique ſpem
oſtendit victoriæ, ſi fræni patiens ſit modò,
& ſeſſoris. Hic ubi cepit Conſilium, vel po-
tiùs animum recepit, fræno indutus hominẽ 16
admiſit; qui ſtatim equo inſidens, eum cepit
loco cædere, atque huc illuc calcaribus urge-
re. Equus verò ingemiſcens, libertatis jus
cùm repeteret, tum ille, næ tu, ſi id cogitas,
impudenter facis: par enim eſſe, ait, ſi tecum
cum Cervo inimicitias gero, ut tu mecum
viciſſim, contra armatos hoſtes, fortunæ te-
lis objicias, & periculis. Itaque ſeſſori, ex pra-
vo ſemel accepto conſilio, continenter dein-
ceps coactus eſt parere.

Hic apologus (34) ut ſententiâ, ſic argu-
menti ſubtilitate, mortales non ceſſat mone-
re, ab eorum conſilio maximè eſſe cavendũ,
qui cùm maximè fallunt, id agunt, ut boni
viri videantur. In omni quippe conſilii de- 17
liberatione ab iis maximè cavendum, quorũ
prudens magis eſt conſilium, quàm fidele.
Sed hæc extra ſemitam. Equorum colores
cùm laudemus Badium, Aureum, Mureum,
Gilvum, Scutulatum, Guttatum & preſsè ni-
grum; tum inprimis *Homerus* (35) probat
maximè *candidum.* (36) Candor hic eſt vin- 18
dictæ, vel potiùs omnis virtutis, quæ nulla
poteſt eſſe ſine vindicta. Quid enim eſt Pru-
dentia, niſi fraudulentiæ ultio? quid Fortitu-
do, niſi ignaviæ expulſio & vindicta? Harum
autem virtutum ſunt in equo monumenta.

Quæ enim in eo non ſunt teſtimonia pru-
dentiæ? *Dio* (37) ſcribit in Trajano, Equum 19
ita doctum exſtitiſſe, ut non ſolùm legeret, &
ſcriberet, ſed etiam Regem adoraret. Quæ
non fortitudinis? Equi exultant in armis Vi-
ctores, dolentque victi. Atque, ut ſcribit *Pau-
ſanias,* (38) Stygis Aquam, quam æneum vas
non poteſt continere, ſola continet ungula
equina.

De neceſſitate, uſu, cultu & natura equo-
rum, vide Lohneiſen / (39) de Cavalleria *l.1.*
von Erkenntniß und Unterſcheid der Pferde/
lib.2. vom Geſtutt/ wie man das beſtellen und
artzneyen ſoll/ *l.3.* von Beſtellen eines Fürſten 20
Stall / qui etiam teſtatur, daß nunmehr an
vielen Oertern in Teutſchland ſo gute (40) und
ſchöne Pferde gezogen werden können/ als im-
mermehr bey fremden Nationen/ und zu allem
Thun alſo gerichtet/ daß ſich einer darüber ver-
wundern müſſe / ſchmücken und zieren ſie auch
zum Ritterſpiel und andern Thun/ mit Federn
Decken und Zeugen.

Sanè fulcrum & firmamentum quoddam
Regni, Oſtrogothorum & Longobardorũ,
in qua cura eorum viguit, fuit in alendo e-
quitatu. Greges enim præſtantiſſimarum e-
quarum eos habuiſſe, atque ab Hungaria in
Italiam traduxiſſe, præter boum armenta,
conſtat, ut ſcribit Blondus *l.7. decad.1.* & Pau-
lus Diaconus *lib.2. c.7. in fin.* Cujus quidem
equitatûs copiâ, atque præſtantiâ, celerita-
teque plura confeciſſe eos unius anni ſpa-
tio

tio bellica negotia in Italia, quàm credibile ſit, notat Sabellic. *lib.5. Ennead.8.* Loca autem præcipua, in quibus equarum armenta collocata, primùm à Longobardis perhibentur, Aquilienſes, ſive Forojulienſes ſaltus fuiſſe accepimus; equique illius tractûs, ac etiam Ipporedienſes inter Transpadanos, hodie etiam valdè probantur, tanquam agiliores, durabilioresque. Hæc Camerar. *cent. 2. oper. ſubceſivar. 49.*

21 *Ovium Chrematiſtica* (41) conſiſtit in tonſura. Detondetur hodiè & deciditur lana, quæ olim velli ſolebat. Ex lanâ detonſâ conficiuntur nitidiſſimi panni, etiam lanei, circati, pilei, texilia, opera, quæque acu pinguntur aulea peripetesmata. Fimo ovium, aliorumque jumentorum ſtercorantur agri, vineæ, &c. *Saturnus Sterculius* (42) dictus eſt, quòd ſtercoris lætamine omnium primus fœcundarit terram: *Friſii ſiccato fimo* (43) loco lignorum utuntur. *Apud Prophetam* (44) Deus minatur Judæis, quòd fimo boum accenſo pinſuri ſint panes ſuos.

Inprimis crates ſtercorariæ ſtudioſiſſimam producunt Chrematiſticam, in quarum tamen diſpoſitione vel collatione opiliones & paſtores ſæpius Dominis ſuis imponunt. Multùm enim refert, an in longum vel latum, vimineas illas crates collocent, an intendant vel extendant, an quadra-
22 tus modus ſive longus, cuneatus & rotundus, ſemicirculi, vel arcus vel etiam plurium angulorum exhibeat, an plures Crates ſuperinducant, quod manifeſtiſſimum dolum detegit. In ovili (cujus mentio fit *in l. fundi ff. de inſtr. & inſtrum.* &c.) oves, agni, hædi, arietes collocantur, Germani diſtinguunt die Schafezucht in alte Hämel/Erſtlinge/Jährling/Kälber/Lämmer/alte Schafe.

23 Ex ovibus Martinianis, ex lacticiniis, adipe, pellibus, &c. ingens lucrum tàm privatim, quàm publicè redundare, quis non videt?

Seu Caro, ſeu Corium, Fœtus, Fimus, Alea, Chorda,
Lánave, Lácve deeſt: omnia præſtat Ovis.

Ovven. *lib.2. Epigram. 193. p.58.*

In Zelandiæ & Hollandiæ agris oves ter quaterque ſingulos annos (non ſine admiratione) fœtant, & interdum tergeminos, & quatergeminos pariunt.

24 Ex pinguibus & glandariis porcis quæſtuoſiſſimum eſt Compendium, ex macris exſignatis Mahlſchwein; ex ſucculis.

Glande ſues lætæ redeunt, dant arbuta ſylvæ.

Virgil. *Georg. lib. 2. pag. 67.* Sus quid habet præter eſcam? inquit Cicero *lib. 2. de Nat. Deor.* Neque alio ex animali numeroſior materia ganeæ: quinquaginta propè ſapores, cum cæteris ſinguli; Plin. *lib. 8. Natur. Hiſtor. c. 51. fol. 458. edit. Elzeviriana Lugd.* pleriſque animalium eſt pinguitudo ſine ſenſu; quam ob cauſam ſues ſpirantes à muribus tradunt arroſas; Plin. *lib. 11. Hiſt. Nat. c. 37. fol. 613. d. edit. Elzevir.* porcus, *olim Cereri* (45) ſacer, Fœturæ toto ſinu, ut ita loquar, Chrematiſticam ſuam in patrisfamilias ſinum effundit, & ſingulari amore in Ærarium conſpirat. Bavaria, quæ numeroſiſſimos Suûm greges ſuppeditat aliis re- 25
gionibus, quantum lucri facit? quantum numorum ex eodem mercimonio corradit Weſtphalia? quas Principum extraneorum menſas *pernæ Weſtphalicæ* (quæ à Gallis *Moguntinenſes, les jambons de Mayence,* vocantur perperam) non intrant? cibus tam divinus, ut famem apud ſaturos inveniat vel in epuli calce.

Sequuntur pecora manſueta, volatilia, veluti gallinæ & galli gallinacei, Indici 26
& domeſtici, pulli, capones, anſeres (qui, ut Quintilii, qui de agricultura quàm diligentiſſimè ſcripſerunt, tradidêre, aliena ova, in ſuo etiam genere, fovere nequaquam ſolent, quare curatores anſerum, dum ova pariunt, dum certis characteribus uniuscujusque fœtum ſignare conſueverunt, atque ita unicuique ſua ad novem ſupponere) anates, columbæ, turtures, cygni, pavones, præſertim candidi, qui paſſim in aulis Magnatum conſpiciuntur & aluntur. Ex utrisque caro, ova, *lana* (*anſerina*) (46) pennæ, plumæ, &c. Eſt & lucrum ex fœtura, ex roſtris, fimo, melle, cera Metii &c. De ovis *in Urbe Orientali Alcairo* (47) hoc ſingulare & notatu dignum eſt, quod nullibi fortè terrarum reperitur, ut pulli ex ovis, non naturali gallinarum calore; ſed ignis naturalis beneficio, hominumque artificio recludantur. Incolæ enim conſtruunt ſibi furnos, duorum ferè altitudinis cubitorum, atque unâ tantùm portâ anguſtâ apertos: In ſuperficie verò plana ſuperiori, ubi nulla ſunt ova, carbones accenſi, canalibus quibusdam circumductis apponuntur; in inferiori autem ova quàm plurima (ſinguli enim furni plus minùsve quatuor aut quinque millia ovorum capiunt) ordine diſponuntur, ac, ut diximus, carbonibus in illis canalibus poſitis ignis admovetur, qui, diu noctuque ardens, temperatum præbet calorem ad XXI. diem, quâ pulli incipiunt excludi ovis, usque ad XXIII. quâ transactâ, ſi quæ remanent, ex quibus non oboriantur pulli, inutilia atque corrupta eſſe deprehenduntur. Pulli igitur tantâ copiâ excluſi, intra paleas educantur ſpatio octo aut decem dierum, quo tempore elapſo accedunt ruſtici homines, qui ſecuram pullorum curam promittunt, quorum nominibus in album relatis, ſingulis menſura quædam lignea ſine fundo, quaſi modio, dantur tot menſuræ, quot volunt, eo pacto, ut una pullorum pars ſit pro terræ Domino,

ſeu

ſeu pro Turcarum Imperatore, altera pro furnorum magiſtro, tertia denique pro iis, qui pullos educarunt; eâque induſtriâ exiguo tempore tota Ægyptus maximâ pullorum repletur copiâ.

Et tantum de pecuaria manſueta terreſtri.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT IV.

(1) V*ita paſtoritia &c.]* Adami enim filius primogenitus Cain Agricola, ſecundogenitus Abel paſtor ovium fuit. *Gen. 4. v. 2.*

(2) *Quæ à terrâ &c.]* Præcepitque (DEUS) ei *(ſcil. Adamo:)* Ex omni ligno Paradiſi comede; Sacra Scriptura *Geneſ. 2. v. 16.* inquit.

(3) *Pecuaria &c.]* Pecuaria ſecundùm Servium Honoratum interpretem Virgilii *in libel. de Serm. Lat. in Corpore auctorum latinæ linguæ pag. 1369.* ab eo, quod eſt pecuare, venit: nam pecua, ut ait in Pompejana Cicero, ab eo, quod eſt pecu, venit. Ut genu genua. Deſcribiturque, quòd ſcientia paſcendi pecora ſit.

Num. 1.

(4) *Manſuetas &c.]* Quia verò illa ipſa quoque efferantur, ſi extra diſciplinam hominum in ſolitudine vel nemore vagentur, ſicut in Hiſpania feri equi, in Lycaonia feri aſini, in Dardania feri boves, in Italia feri porci, in Samothracia feræ capræ, &c. teſte Petro de Creſcentiis *lib. 9. in pr.* ubi etiam Friſiæ feras boves aſſignat, quas tamen hodie ignorat: ideò invaluit diſtinctio jumentorum *domitorum* & *indomitorum*, veluti de Equis eſt *lib. 2. LL. Longob. 21.* ex quibus indomiti dicuntur Feld-Pferde/ das iſt/ Strintzen die noch unbeſenlet und nicht eingeſpannet ſeyn/ explicat Gl. *ad art. 24. lib. 1.* Sächſ. Land Recht.

(5) *Cuniculi verò manſueti & feri ſunt &c.]* Joh. Sperlingius *in Zoologia Phyſica cap. 23. pag. 273.* nec manſuetum, nec ferum, ſed mediæ quodammodo naturæ animal eſſe, perhibet Cuniculos. Hi ab aliquibus *parvi lepores*, ab Italis *Coniglii*, à Germanis Königlein vocati, fœcundiſſimi ſunt, præſertim in regionibus calidis, ubi ſuperfœtantes ſingulis menſibus plures effundunt fœtus. Nam ſemeſtres, ſaltem nondum anniculi, (Schotto *in Phyſ. Curioſ. lib. 8. cap. 24.* teſte) congrediuntur. Hinc cùm in Baleares Inſulas ex propinqua Inſula quidam marem ac fœminam attuliſſet, tanta ab initio facta eſt eorum procreatio, ut ex ſubterraneis cuniculis domicilia ſubverterentur & arbores, & homines ad implorandam populi Romani opem, *(à Divo Auguſto, Plinius lib. 8. Natur. Hiſt. cap. 55.)* confugere coacti ſunt. Strabo *lib. 3. Geograph. pag. m. 304.* qui ipſe *pag. 260.* ſcribit, Gymneſiarum *(ſive Balearium)* Inſularum incolas miſſis aliquando Romam Legatis terras petiiſſe dici. Imò à cuniculis ſuffoſum in Hiſpania oppidum, à talpis in Theſſalia &c. M. Varro author eſt, inquit Plinius *lib. 8. cap. 29.* Terram enim aſſiduè fodiunt & ſpecus multiformes ſibi parant, foveasque, in quib9 ſtabulantur, avenâ cooperiunt, ne à tranſeuntibus deprehendantur.

(6) *Uti in Hollandia &c.]* Cuniculorum immenſa vis per Hollandiam, atque Zelandiam latitat in illis collibus arenaceis, quos vulgò *Duynen* vocant; in quibus, aliàs ſterilibus, ſonchus ſive lactuca leporina abundè provenit. Capiuntur autem aut Gallicis canibus, qui minores eſſe ſolent, aut immiſſis in ſpecus multiformes viverris (*Fretten* aut *Foretten* vulgò vocant,) objectisque ſpecuum oſtiolis ſagenis. Schoockius *in Belg. Fæder. lib. 7. cap. 16.* ex Junio *Batav. Hiſtor. cap. 15.* cujus venatus cum viverris (Iltiß) Plinius quoque *d. lib. 8. cap. 55.* meminit. Denique Junius *d. loc. pag. 338.* tradit, è fœtura cuniculorum ſolâ collectum in caput fœnus annuum centies & quadragies ſeſtertiûm excedere credi.

Num. 3.

(7) *Norimbergæ* aus denen Schlächthäuſern *&c.]* Fortè Author aliquid audivit von dem Inſchlit-amt/ ut vocatur, quod cum Schlachthäuſern confundit. Sed an nihilominus firmo hîc calculus ſtet talo, judicari poterunt illi, qui vel ratiociniis publicis præſunt, vel ea quotannis examinant, ego nec addo, nec demo Klockii aſſerto fidem, ſed eam Ipſi vindicandam relinquo.

(8) *Hollandiæ &c.]* Refert Guicciardinus *in Deſcript. Belgii pag. 15.* Donatum fuiſſe Mechliniæ Comiti Hargſtratano Friſium bovem, ea magnitudine obeſitateque, ut bis mille quingentas viginti & octo Brabanticas libras penderet; cujus propterea, tanquam inuſitatæ cujusdam rei, imago, in ipſa Comitis ejus Palatii porta, ad vivum depicta fuerit, addito donationis anno ac die.

(9) *Undecim lactis menſuræ &c.]* Guicciardinus *d. loc. pag. 16.* dicit: unicam aliquam vaccam æſtate in ſingulos dies reddere octenos, vel & denos interdum lactis cantharos, ſive ut Belgæ loquuntur Menghelen. Hadrianus Junius *in Batav. Hiſtor. cap. 15. pag. 335.* verò vaccas in aliquibus Hollandiæ partibus æſtivis diebus quatuor & quadraginta lactis heminas in mulctralia ſingulas refundere perhibet.

(10) *Placentino nihilo inferioris &c.]* De caſeorum bonitate, ex ſententia Hadriani Junii *d. loc. pag. 336. ſeq.* cum quibusvis etiam nationibus in certamen venire non erubeſcat Hollandia, non dubitandæ palmæ gloriâ, niſi exoticas delicias fractâ luxurie, & profundâ ingluvie palato præferrent, niſi rerum venalium pretiis majoribus accenderetur gulæ ingenium, & (ut dictitabat Heliogabalus) orexis. *& p. p.* Nunc luxuria, quæ per improbam laſciviam parata & facilia faſtidit, gratiam præcipuam Parmenſi caſeo & Placentino tribuit: at noſtra Teſſalia metas lactis dat, anchoræ formâ ſignatas, celeberrimi inter primas nominis, illique vicina Grinnia; principatus tamen illi defertur, qui apud pagum, Comitis-Arenæ vocabulo inſignem, *Graveſandium* inde dictum, conficitur, qui acri ſucco ſitim alere, & poculi gratiam accendere creditur. Proxima palma Edammenſi cedit, quem Parmenſi nihilo inferiorem, ſi vetuſtatis accedat commendatio, cenſores iſti, qui præſtantiora, omnibus aliis eduliorum domicilia veſtigant ad modum Cibyraticorum illorum ſodalium, de quibus apud Ciceronem eſt, prædicant.

Num. 4.

(11) Walperkühe *&c.]* Addit Knichen den Voigthaber/ cenſetque *n. 484.* hoc onus videri inde derivari, quòd ſi Dominus adventat eo loci ad adminiſtrandam juſtitiam, & percipiendas querimonias ſubditorum, ipſi teneantur hoſpitari Dominum & ſuos, nec non ſumptus ferre.

Num. 5.

Num. 5.

(12) *Ante aliquot annos &c.]* Nempe cùm Bornitius Anno 1622. Tractatum ſuum de Rerum ſufficientia, (*ex quo Klockius hæc ſumpſit*) ſcriberet. Conſtat enim, has Magni Etruriæ Ducis Coſmi II. cum Maria Magdalena, Caroli Archiducis Auſtriæ filia, celebratas A. MDCVIII. Nuptias fuiſſe.

(13) *Pedes & motus conformaſſe &c.]* Tales choreæ Equorum quoq; in Nuptialibus feſtivitatibus Glorioſiſſimi noſtri Imperatoris Domini LEOPOLDI cum Margaretha Hiſpana Vindobonæ A. MDCLXVII. $\frac{24}{14}$. Januarii, Opus dirigente ſupremo Stabuli Magiſtro Cæſareo D. Gundackero Comite à Dieterichſtein, ejus inventore D. Alexandro Carducci Equite Aurato &c. magnificentiſſimè exhibitæ fuerunt. Quæ ipſæ choreæ & ſaltationes, figuris æneis inſertis, primùm Italicè deſcriptę prodierunt, pòſt & Germanicè; ſicque in Diarii Europæi parte XV. in appendice conſpiciuntur.

Num. 6.

(14) *Bucephalus &c.]* Alexandro magna raritas equi contigit: (*inquit Plinius l.8.Nat.H.c.42.*) Bucephalon eum vocarunt, ſive ab aſpectu torvo, ſive ab inſigni taurini capitis armo impreſſi. Sedecim Talentis ferunt ex Philonici Pharſalii grege emptum etiam tum puero capto ejus decore. Neminem hic alium, quàm Alexandrum, regio inſtratus ornatu, recepit in ſedē, alios paſſim rejiciens. Idem in prœliis memoratæ cujusdam perhibetur operæ. Thebarum in oppugnatione vulneratus in alium transire Alexandrū non paſſus: multa præterea ejusdem modi, propter quæ Rex defuncto eo duxit exequias, urbemq; tumulo circumdedit nomine ejus.

(15) *Equus Cn. Seji &c.]* De hoc Equo notanda ſunt, quæ AGellius *l.3.Noct.Attic.c.9.* literis conſignavit, ſcribens: Gabius Baſſus in Cōmentariis ſuis, item Julius Modeſtus in ſecundo quæſtionum cōfuſarum, hiſtoriam de equo Sejano tradunt, dignā memoriâ atq; admiratione. Cn. Sejū quempiā ſcribunt fuiſſe; eumq; habuiſſe equum natū Argis in terra Græcia: de quo fama conſtans eſſet, tanquam de genere equorū progenitus foret, qui Diomedis Thracis fuiſſent; quos Hercules Diomede occiſo è Thracia Argos perduxiſſet. Eum equum fuiſſe dicunt magnitudine inuſitatâ, cervice arduâ, colore phœniceo, flavâ & comanti jubâ; omnibusq; aliis equorū laudibus quoq; longè præſtitiſſe: ſed eundem equum tali fuiſſe fato ſive fortunâ ferunt, ut quisquis haberet eum poſſideretq;, ut is cum omni domo, familia, fortunisq; omnibus ſuis ad internecionem deperiret. Itaq; primum illum Cn. Sejum Dominum ejus à M. Antonio, qui poſtea III. Vir R. P.C. fuit, capitis damnatum miſerando ſupplicio affectum eſſe: eodem tempore Cornelium Dolabellam Conſulem, in Syriam proficiſcentem famâ iſtius equi adductum Argos divertiſſe; cupidineq; habendi ejus exarſiſſe; emiſſeq; HS. centum millibus: ſed ipſum quoq; Dolabellam in Syria bello civili obſeſſum atq; interfectum eſſe: mox eundem equum, qui Dolabellæ fuerat, C. Caſſium, qui Dolabellam obſederat, abduxiſſe; eum Caſſium poſtea ſatis notum eſt victis partibus fuſoque exercitu ſuo miſeram mortem appetiiſſe: deinde Antoniū poſt interitum Caſſii, partâ victoriâ, equum illum nobilem Caſſii requiſiſſe; & quum eo potitus eſſet, ipſum quoq; poſtea victum atque deſertum deteſtabili exitio interiiſſe. Hinc proverbium de hominibus calamitoſis ortum, dicique ſolitum; *Ille homo habet equum Sejanum.*

(16) *Centum millibus ſeſtertiis &c.]* Quæ conficiunt CCCM. ſcutatorum, *inquit*, Ph. Caroli *in animadverſionibus ad AGellii citatum locum.*

Num. 7.

(17) *Aſinus CCCC. numûm &c.]* Teſte Plinio *lib.8.Nat.Hiſt.c.43.*

(18) *Tres Muli &c.]* Mulus vocatur is, qui aſinum habet patrem, equum matrem: qui partim patri, partim matri ſimilis eſt: magis autem patri, quàm matri, cujus etiam refert vocem: Habet magnitudinem equi, aures aſini, & corpus macilentū. An generet ac pariat, litigant Authores. Ariſtoteles ſtatuit, concipere quidem poſſe aliquando mulam, ſed enutrire & in finem perducere non poſſe. Marem verò putat generare poſſe, cùm calidioris ſit naturæ, quàm fœmina, quæ nihil corporis per congreſſum ad generationem conferat. Scribit autem Columella, Africæ regionibus mularum fœtus adeò non prodigioſos haberi, ut tàm familiares ſint incolis quàm equarum. Sic diſtinguenda ſunt loca, ut conſtet veritas. Multi multa negant, vel quia non obſervarunt, vel quia ad principia referre nequeunt. Sperling. Zoologiæ *c.10.p.213.* Adde Schottum *Phyſ.Cur.l.8.c.59.* & noſtrum Authorem *infrà n.14.* Fallitur autem oppidò Author noſter &c. quando hîc de mulis (Maul-Eſeln) loquitur. Suetonius enim, qui hoc refert *in vita Tiber.c.34.* nō de mulis, ſed de tribus MULLIS XXX millibus numûm venditis loquitur. Eſt autē mullus piſcium genus inter gulę irritamenta apud Romanos ex cariſſimis, (Meer-Barb.) Sic ut P. Octavius Mullum quatuor pondo ſelibrem quinq; millibus HS. (*hoc eſt, centum viginti quinq; Philippicis*) Aſinius Celer poſtea, Cajo Caligulâ Principe mullum unum octo millibus numûm emerit (*Philippicis ducentis*) Seneca *Ep.95.* teſte, & ibid. Lipſio *n.40* & Plinio *l.9.c.17.* ubi, Mullum, *inquit*, exſpirantem verſicolori quadam & numeroſa varietate ſpectari proceres gulæ narrant, rubentium ſquamarum multiplici mutatione palleſcentem utiq; ſi vitro ſpectetur incluſus. Huic lucem fœnerantur, quæ laudatus Seneca *3.Nat. Quæſt. c.17 & 18.* ad reprimendum Romanorum luxum perorat.

(19) *Canibus & equis &c.]* Fecit & Divus Auguſtus Equo tumulum, de quo Germanici Cæſaris Carmen eſt; & Agrigenti complurium equorum tumuli pyramides habent. Plinius *l.8.c.42.* Epitaphiorum ferè Canibus poſitorum exemplum Limnæus *de J.P.l.6.c.6.n.88.* illud ponit, in horto palatii Doriæ, quod Genuæ eſt, repertum. Ubi infra Jovis Statuam Canis conditū fuit cadaver, hac inſcriptione parietaria: *Qui giace il gran Roldano, cane del Principe Giovan Andrea Doria, quale per ſua molta fede, & benevolentia fu merite vole di queſta memoria & perche ſerve in vita ſi grandemente d' ambidue le leggi, fu anco giudicato in morte doverſi calcari il ſuo cinere oppreſſo del ſommo Gioue, come veramente, digno del Real cuſtodia. 1605. 8. noctis.* Id eſt. Hîc jacet magnus Roldanus canis Principis Johannis Andreæ Doriæ, qui magnâ ſuâ fidelitate & benevolētiâ meritus eſt hoc monumentum; & quoniam utrâque lege vivus optimè ſervivit, poſt mortem dignus fuit judicatus, cujus cineres collocaretur ad Summi Jovis Statuam, cujus cuſtodiâ verè dignus. Adjicit autem ibidem Limnæus, ex relatione Genuenſium, fuiſſe hunc canem Doriæ dono datum ab Hiſpaniarum Rege, cum ſtipendio ad vitam D. Coronatorum. Sic magnus ille Lipſius, Swertio *in Epitaphiis Joco-Seriis* (*ubi plurimorum aliorum animalium monumenta exhibet*) *pag. 210.* teſte, catello ſuo hoc monumento parentavit:

HECA-

HECATÆ SACR.
SAPHYRUS DOMO BATAVUS
DELICIUM LIBSI, DECUS CANUM,
INGENIO, LEPORE, FORMA.
H. S. E.
TRISTI FATO EREPTUS
ET FERVENTIBUS AQUIS MERSUS,
CUM VIXISSET LUSTRA PLUS TRIA.
O HERI DOLOR!
TUUM, LECTOR, ADDE,
QUISQUIS LIPSIUM AMAS, IMO
QUISQUIS ELEGANTIAM AUT LEPOREM AMAS,
QUORUM ISTE THESAURUS ERAT.
ABI, FLORES SPARGE,
SI NON LACRUMAS.
PLANGEBAT ET PANGEBAT
J. LIPSIUS OLIM, HEU! DOMINUS,
V. KAL. SEPTEMB. cIↃ.IↃcI.

Verùm, utut viros tantos vituperare nolim, attamen rectè ſentire Guevaram, ſcribentem inter alia in Epiſtola quadam ad cognatam ſuam (*Epiſt. ad famil. parte 6 pag. 424.*) caniculæ ſuæ obitum immoderatiùs lugentem, putem; *quando* dici non poteſt, *inquit*, quantum hic tuus tam ineptus caniculæ amor ruborem ac pudorem mihi incutiat: quem plerique alii non rident tantùm, ſed etiam vituperant. Et profectò non injuriâ. Neque enim vel oculi vel cogitationes noſtræ in res tam nihili defigendæ ſunt, ſed in eas, quæ & amari dignæ ſunt, & quæ amatæ amanti cùm decus afferant, tum utilitatẽ. Optima & preſtantiſſima corporis pars Cor eſt; Cordis amor; qui ſi malè collocetur, nę ego infelicem illum hominẽ exiſtimandum puto. Neq; enim unquã bene vivet, qui malè amet.

Num. 9.

(20) *Feſtus &c.]* De V. S. *pag. 283.* ibi equus Marti immolabatur, quòd per ejus effigiem Trojani capti ſint: vel quòd eo genere animalis Mars delectari putaretur.

(21) *Floro &c.] Lib. 6. cap. 12. n. 15.*

(22) *Xenophonte &c.]* Vide Lipſium *ad Tacit. 7. Annal. 37. n. 1.*

(23) *Animal profectò nobile &c.]* Confer Camerarium *Hor. ſubciſiv. cent. 2. cap. 91.* Schottum *Phyſ. Curioſ. lib. 8. cap. 34.* Sperling. *Zoolog. cap. 8. pag. 185. ſeqq.* alios.

(24) *Alexander Macedo &c.]* Audiamus ea de re, præter ſuperiùs *ad. n. 6.* allegatum Plinii locum, Plutarchum *in Vita Alexandri Tom. 1. Oper. pag. 699.* ex prælio, *dicentem*, cum Poro commiſſo Bucephalus mortuus eſt non extemplò, ſed pòſt, ut plerique produnt, ſub vulnerum curatione: ut Oneſicratus eſt author, ob ſenium labore confectus. Nam triginta annorum ætate, ait, eum deceſſiſſe. Mortem ejus tulit Alexander graviter, non aliter exiſtimans, quàm ſi familiarem & amicum amiſiſſet. In memoriam ejus ſuper Hydaſpem condidit Urbem, quam appellavit Bucephaliam. Ferunt, canem quoque eum, (*pergit ille*) Peritam nomine, alitum ab ipſo, atque in deliciis habitum amiſiſſe, urbemq; erexiſſe ei cognominẽ.

(25) *Auguſtum &c.]* Confer Authorem noſtrum *n. 7.* & Plinii ad eundem (19) allegatum ibi locum.

(26) *Divum item Julium &c.]* Utebatur autem equo inſigni, pedibus propè humanis, in modum digitorum ungulis fiſſis: quem natum apud ſe, cùm haruſpices imperium Orbis terræ ſignificare Domino pronuntiaſſent, magnâ curâ aluit: nec patientem ſeſſoris alterius, primus adſcendit: cujus etiam inſtar pro æde Veneris genitricis poſtea dedicavit. Suetonius *in Julio cap. 61.* Dio *Hiſt. lib. 37. pag. 55.*

(27) *Dione &c.] Lib. 59. pag. m. 650.* ubi tamen pro *aureo hordeo* Interpres poſuit; ei *in auro hordeum* apponebat. Leunclavius verò in notis vertit, *inauratum ei hordeum* apponebat &c. quod Dio dixerat χρυσᾶς κριθάς.

(28) *Conſulem &c.]* Addit Dio *d. loco* facturus, *ſi diutiùs vixiſſet*, quemadmodum, *eodem Authore pag. 662.* Ipſe ſibi ſacerdos fuit, equumque ſuum Collegam Sacerdotii adſcivit. Imò ſecundùm Suetonium *in Caligula c. 55.* incitato equo, cujus cauſa pridie Circenſes, ne inquietaretur, viciniæ ſilentium per milites indicere ſolebat; præter equile marmoreum, & præſepe eburneum, præterq; purpurea tegumenta, ac monile è gemmis, domum etiam, & familiam, & ſupellectilem dedit, quò lautiùs nomine ejus invitati acciperentur: Conſulatum quoque traditur deſtinaſſe.

Num. 11.

(29) *Refert Gl. &c.]* Si jam olim etiam cordatiores Juriſcõſulti de Gloſſa illa ordinaria dixerunt, *Veritas in textu eſt, opinio in Gloſſa;* quando magis id quoad Hiſtorica locum habebit; ut ſi hiſtoriarum antiquiorũ veritas probanda ſit, ea potiùs ex Hiſtoriarum monumentis, quàm Accurſii cujuſpiam, ſalvâ per alia ejuſdem authoritate, Gloſſa eruenda veniat. Quapropter cùm expreſsè Suetonius *in J. Cæſare c. 81.* ſcribat; Proximis diebus equorum greges, quos in trajiciendo Rubicone flumine conſecrarat, ac vagos & ſine cuſtode dimiſerat, comperiſſe *Julium* pertinaciſſimè pabulo abſtinere, ubertimq; FLERE; Quid opus erat recurrere ad Gloſſam. Sed hæc in tranſcurſu quaſi notata ſufficiant. Plura exempla fletûs equorum Schottus *l. 8. c. 34.* collegit. Confer Bernegg. *in Q. ad Tac. G. & A. quæſt. 50.*

Num. 12.

(30) *Poſt Plinium &c.] Lib. 8. c. 42.* ibi dicit: alium (*equum*) detracto oculorum operimento, & cognito cum matre coitu, petiiſſe prærupta, atque exanimatum. *Num. 14.*

(31) *Lac ſuxerit &c.]* Quapropter, narrante Plinio *l. 8. c. 44.* ſurreptos pullos in tenebris equarum uberi, aſinarumque equuleos admovent.

(32) *Et parere &c.]* Peperit quidem & aliis in oris Galbæ tempore mula, (*Sueton. in Galba c. 4.*) ſed hoc pro oſtento habitum. Junge ſuprà *ad n. 7.* (*18*) notata.

(33) *Virgilius &c.] 3. Georgic.*

Num. 16.

(34) *Hic Apologus &c.]* In Fabellis Æſopicis à Camerario editus Apologus hic ſic explicatur: Fabula monet, ne cum ullo tam graves inimicitias exerceamus, ut lædendi illius cupiditate, malum etiam nobis non dubitemus accerſere.

(35) *Homerus &c.] Lib. 10. Iliad. v. 438.* & eũ imitatus Virgilius *l. 12. Æn. non multùm à principio:*

Poſcit equos, gaudetq; ruens ante ora frementes
Qui *candore nives anteirent*, curſibus auras.

(36) *Candidum &c.]* Sic Triumphantium turritos currus trahebant quatuor Equi albi; *Roſinus & Demſterus Antiq. Rom. l. 10. c. 29.* Sic eſt (vel certè fuit) hic color inter cæteros apud magnates & purpuratos in magna æſtimatione. Sic ex receptâ antiquitùs cõſuetudine Galliæ Rex Civitatẽ primariã Lutetiam Pariſiorum ſolenniter ingrediens Equo candido inſedere debebat. Proindeq; cùm Carolus IV. Imperator, Anno MCCCLXXVIII. Lutetiam ingrederetur, Carolus V. Franciæ Rex, qui Sapiens dictus, aſtutè præcavit, ne Imperator Equo albo uteretur. Dono enim appropinquanti

dedit

dedit equum nigri coloris, quo, niſi donum aſpernari vellet, utendum erat omninò. Vide Limnæi *Not. Regni Franc. lib.2. cap.4. lit. ccc.* Quod tamen hodiè haud ita ſtrictè obſervatur, ut patet ex Gallica Deſcriptione Triumphalis Introitûs Ludovici XIV. Franciæ Regis & Mariæ Thereſiæ Auſtriacæ Conjugis ſuæ in Lutetias poſt Pacem cum Hiſpano concluſam Anno MDCLXII. *pag.36.* ubi narratur, tum Galliarum Monarcham badii aut potiùs bætici coloris Hiſpanico caballo vectum, ſeſe conſpiciendum præbuiſſe, veſtitum veſte candidâ acu pictâ &c.

Num. 19.

(37) *Dio &c.*] Scribit equidem Dio *lib.68. pag. 779.* Trajano Armeniam pervenienti, à ſatrapis qui regionem tenebant, regibusque, inter alia magna munera adductum equum doctum hominem ita venerari, ut flecteret anteriora genua, & cervicem pedibus ejus, qui propè adeſſet, ſubmitteret; ſed de lectione ſcriptioneq; apud eundem ne γρῦ quidem extat; quòd etiam ſi diceret & ille, à vero tamen eſſet alienius, utut aliàs (demonſtrante id per exempla Schotto *Phyſ. Cur. l.8. c.34. §.2. & §.3.*) & docilitate & memoriâ inſigni prædici reperiantur Equi.

(38) *Pauſanias &c.*] *in Arcadicis ſive lib.8.*

Num. 20.

(39) Lohneiſen ꝛc.] Cæterosque à Bornitio *de rer. ſuffic. Tract.1. c.19.* allegatos.

(40) In Teutſchland ſo gute ꝛc.] Quod inter alia tot Equi pulcherrimi validiſſimique noſtrâ ætate in Oldenburgico Comitatu nati, enutriti, & diverſas in terræ partes translati abundè ſatis teſtantur.

Num. 21.

(41) *Ovium Chrematiſtica &c.*] De ea pluribus præter alios agit Colerus *Oeconom. l.12. per capita nonaginta.*

(42) *Saturnus Sterculius &c.*] Macrobius *lib. 1. Saturn. c.7.*

(43) *Friſii ſiccato fimo &c.*] Ita Æneas Sylvius *in Europa cap.27.* Friſii bituminoſo ceſpite & ſicco ſtercore boum ignes vovent. Adde Latherum *de Cenſu l.3. c.6. n.46.* Schoockium *in Deſcript. Belgii Fœder. l.8. c.13. circa finem.*

(44) *Apud Prophetam &c.*] Reſpicit fortè ad locum Ezechielis *c.4. v.15.* quem vide.

Num. 24.

(45) *Olim Cereri ſacer &c.*] Indeque fortè eſt, quòd Præcidanea Porca, teſte Feſto *lib.14.* Cereri mactabatur ab eo, qui mortuo juſta non feciſſet. De quo Kirchmannus *de Funerib. Rom. lib.4. c.1. pag.548. ſeq.* ut & Demſterus *in Parlipom.* ad Roſini *Antiq. Rom. l.5. c. ult. pag.1002.* videatur. Imò & Telluri, (*Horatius l.2. Epiſt.1.*

Tellurem Porco, Sylvanum lacte piabant.)

& Sylvano (*Juvenal. Satyr.6.*

Cædere Sylvano Porcum &c.)

hocce animali ſacrificabatur. Item, Feſto *lib.14. pag.m.371.* docente, Porci effigies inter militaria ſigna quintum locum obtinuit, quia confecto bello, inter quos Pax fieret, cæsâ porcâ fœdus firmari ſolebat. Tangit hunc morem Suetonins *in Claudio cap.25.* Cum regibus, *inquiens*, fœdus in foro icit, porcâ cæsâ, ac veterum Fecialium præfatione adhibitâ. Ea præfatio qualis fuerit, ex Livii *lib. 1. c.24.* illuceſcit, ubi vide; & formulam illam Fecialis in feriendo adverte: SI PRIOR DEFEXIT, PVBLICO CONSILIO, DOLO MALO, VT ILLO DIE JVPITER POPVLVM ROM. SIC FERITO, VT EGO HVNC PORCVM HODIE FERIAM: TANTOQVE MAGIS FERITO QVANTO MAGIS POTES POLLESQVE. Ubi id dixit, porcum ſaxo ſilice percuſſit. Junge eundem Livium *lib. 9. cap. 5.*

Num. 26.

(46) *Lana (Anſerina) &c.*] Ut dicitur *in l. 70. §.9. ff. de Leg.3.*

(47) *In Urbe Orientali Alcairo &c.*] Gabr. Sionita *de Urbibus Orientalium cap. 9. pag. 44. & 45.* vide præterea Dn. Furerum *in Itinerar. lat. edit. pag.30 Germ. pag.92. ſeqq.* ubi exactè hujusmodi furnum delineat, Cardanum *lib.12. de rer. ſubt.* Fernel. *lib.9. cap.9. de abd. rer. cauſ.*

CAPUT V.

Venationis, aucupii & piſcinarum publicarum emolumenta Ærario explendo conducunt.

SUMMARIA.

1. Ars venandi *ad Agriculturam refertur, quæ & triplex, Aucupium, Piſcatio, campeſtris Venatio.*

2. Venatio ferarum *jure gentium & civili in alieno fundo permiſſa. Ampliatur*, n.7.

3. Jus venandi *ad ſervitutes prædiales, & res ſolo cohærentes quidam referunt.*

4. Dominus proprietatis *an venantem in fundo ſuo prohibere poſſit? hoc &* n.5. & 6.

8. Poſſeſſio *juri naturali & communi repugnans inefficax & invalida judicatur: Idem in conſuetudine*, n.9.

10. *In* vitioſa poſſeſſione *nemo manuteneri debet.*

11. Venationis prohibitio *in manu Principis non eſt: &* n.12.14.15.16.

13. Piſcationis prohibitio *non acquiritur conſuetudine. Contrarium aſſeritur*, n.21.

17. Antecedente *ſublato, tollitur & conſequens.*

18. Venationem *à Principibus & Superioribus prohiberi poſſe, multi inſignis authoritatis JCti profitentur.*

19. Princeps *poteſt diſponere contra jus naturale & gentium, rationabili causâ ſubſiſtente, dum tamen non omninò ei dereget, &* num. 20. 22. 23.

24. Princeps *prohibere poteſt, ne quis cum bombardis & ſimilibus inſtrumentis feras minetur.*

25. Venationes *non ampliùs communes ſunt, ſed privatæ effectæ pro Principum & Magnatum oblectamento.*

26. Venationis poſſeſſio *non aliter acquiritur, quàm ſi prohibitionibus à populo obtemperatum ſit.*

27. Surdi *opinio hoc caſu præcisè appellationem requirentis refellitur, &* n.28.

29. Venatio *ad Regalia ſpectat, & per inveſtituras Cæſareas Principibus confertur; &* num.31. *Quod declaratur* n.32.33.

30. Saltuarii *quinam?*
34. Princeps *non cenſetur in dubio velle præjudicare Tertio.*
35. *In* Inveſtitura *ſemper ſubintelligitur clauſula;* Salvo jure Tertii: *nec præſumitur Dominus ei derogare voluiſſe.*
36. Res inter alios actæ *Tertio neque prodeſſe, neque obeſſe poſſunt.*
37. Princeps *concedendo Caſtrum cum pertinentiis & juribus omnibus, &c. non videtur concedere alteri datum vel conceſſum.*
38. Regalia & Jurisdictiones *non ſunt ad lucrum inventa.*
39. *Quæ* Utilitas *Principibus poſſit eſſe ex Venatione.*
40. Quæſtum ex venatione *ſumptus longè ſuperant.*
41. Venatici ſtudii amantes *canum latratus, & venatorum confuſos clamores muſico concentui præferunt, nec canum fœtor illorum nares offendit.*
42. Venatorum *exceſſus & impietas deteſtanda.*
43. Saresberienſis Epiſcopi *invectiva in venatores.*
44. Perſarum Reges *à pueris venationis ſtudio dediti.*
45. Bellicoſa ingenia *præexercent ſe in venationibus, &* n.53.
46. Actæonis *à canibus ſuis diſcerpti fabula, quâ notantur ii, qui nimium venationi incumbentes bona ſua ita effuderunt, ut in extremam paupertatem & miſeriam inciderint.*
47. Æneas & Romulus *non voluptatis, ſed victûs & neceſſitatis causâ venati, &* n.52.
48. Iſmaëlitæ, Idumæi *& gentes in V.T. venaticam exercuerunt.*
49. Nimrodus *fortis venator ſive hominum oppreſſor coram Domino.*
50. *Nullibi plures Nimrodi, quàm in Anglia.*
51. *In* Hungaria *mira nemorum & ſaltuum felicitas: hinc venationes ferarum omnibus licitæ ſunt.*
54. Cervorum *venatus deſcribitur hoc, &* n. 55. 56. 57. 58. *ubi & de* Leporum & Caprearum *venatu*, n.59. & 60.
61. Apri *hyberno tempore indagandi: ubi & de Vulpibus, Lupis*, n.62.
63. Vivaria *Cervis, Capreolis, Lepuſculis, ſimilibusq; feris repleta, ut rectè conſtituantur, quænam neceſſaria ſint*, & n.64.
65. Venatio *Heroum, Principum ac Nobilium exercitium proprium eſt apud Germanos.*
66. Galli Principes, Gallicanaque Nobilitas *ſummo ſtudio Venationem agitant.*
67. Venationi *incumbunt Gothi, Sueci, Helſingii, Medelpadii, Angermanni, Bothnii, Dani, aliiq; Septentrionales, præſertim Principes & Nobiles.*
68. *Apud easdem nationes ſunt animalia, quæ alibi non reperiuntur,* Rangiferi, Alces, Onagri, Caſtores, Gulones, Lepores candidi, Lynces, Lutres, Sciuri, Marduri, Zebelli, Hermelini, Taxi, Uri, Vulpes *diverſorum colorum, &c. ubi & de* Turcarum *venationibus, & canum falconumq; cuſtodibus.*
69. Piſcatio, *quæ in multis cum venatione convenit, ad Regalia refertur*, n.70.
71. Piſcationum reditus *accenſentur Regalibus, non tamen jus piſcandi*, n.72.
73. Piſcatores *in S. Scriptura invenimus ſanctos, non aliquem Venatorem.*
74. Piſcium cura *apud Romanos magni habita; &* n.75.76.79.
77. Auguſtus Imp. *hamo, & Nero reti aurato, è purpura & coccino nexis funibus piſcari ſolitus*, num.78.
80. Craſſus *murænam in vivario ſuo mortuam, ut filiam, atratus luxit, tumuloq; condidit.*
81. Muſtela *ſive* Lampetra *veteribus in maximis deliciis fuit.*
82. M. Cato Uticenſis *vendidit piſcinas XLM. millibus.*
83. Piſcinarum *ſtudium non negligendum.*
84. Piſcatio maritima & fluviatilis *differt ab iis, quæ ſunt ex piſcinis, lacubus, &c.*
85. Piſcatio halecum, *aſellorum, & marinorum piſcium.*
86. Captura Salmonum *peculiaris eſt Principi.*
87. *Varia genera* piſcium fluviatilium.
88. *Quidam Procerum Bohemiæ ex* reditibus *tantùm* piſcinarum *uno anno confecit ampliùs duodecies ſeſtertiûm.*
89. Carpiones *inſolentis magnitudinis & ſaporis.*
90. Tibiſcus *fluvius Hungariæ piſcoſiſſimus; ubi & de* Trauna *feraciſſimo fluvio.*
91. *In* Ægypto *piſcium meſſis.*
92. Cancri *fluviatiles: ubi & de cancris & piſcibus terreſtribus, alatis & volatilibus.*
93. *Non eſt ſordidum, quod* Princeps *mercatu ferarum, piſcium, aviumq; lucrum faciat.*
94. *Etiam* elocare flumina & rivos *ſordidum non eſt.*
95. Lucrum honeſtum *eſt ex re jucunda, fœtura, pellibus, oculis, lapidibus, teſtis, &c. piſcium.*
96. *De piſcibus induratis.*
97. *Piſcium multitudine navigia ſiſtuntur, &* num.98.
99. *De* piſcatione Venenaria, *deque mulctis furum piſcariorum.*
100. Piſcationum *varii modi, item pericula, quibus ſe exponunt.*
101. *In* Batavia *plurimæ piſcatorum viduæ, ſingulis ferè annis novorum maritorum, illis in piſcatu abſorptis, fiunt uxores.*
102. Jus Aucupii *habet Dominus territorii: attingit Regalia*, n.103. *Antiquitùs cuilibet, uti & aër, liberum fuit*, n.104.
105. Accipitraria *ab Ulyſſe; ſed veriùs ab Germanorum Imperatoribus inventa*, n.107.
106. Henrico I. *inter aucupandum Imperiale diadema oblatum.*
107. Aucupium *per Falcones inventum Germanorum Principum: etiam Perſarum Principibus valdè uſitatum fuit*, n.108.
109. *De odio ingenits* Falconum & Ardearum *indito, quo ſe invicem perſequuntur.*
110. Aucupia *variis fiunt modis.*
111. Perdices *ſemper in magno pretio habitæ fuerunt.*
112. *Ex* coturnicum captura 4000. *numûm annuè habet Hoſtienſis Epiſcopus.*
113. *Cur Deus per ventum* coturnicum *multitudinem miſerit in caſtra Iſraëlitarum.*
114. *De* Alaudarum, caſſitarumque *majorum captura.*

115. Sturnorum *aucupium : Et de Ficedulis, Merulis, Phaſianis, Paris, aliarumq́ avicularum captura.*
116. Anatum ſylveſtrium *captura deſcribitur.*
117. *Sunt* Anates *fraudatores, qui capiunt degeneres.*
118. Anſeres *decidentes.*
119. Pantheram *ab Aucupe emiſſe , quid ſit?*

Quid juvat optandum venatu perdere tempus,
Quærere cùm poſſis commodiora tibi?

1 CUm Agricultura in duas partes, ut ſu-
prà diximus, ſit diviſa; in cultum agro-
rum, & in curam pecorum, *non poteſt ars
venandi ab agricultura eſſe diſtincta :* (1)
Nam pecorum alia ſunt domeſtica , quæ
alunt paſtores; alia fera & agreſtia , quæ
perſequuntur & capiunt Venatores. Venati-
onis autem *à Platone tria genera* (2) conſti-
tuuntur: Aucupium, Piſcatio, & Campeſtris
Venatio.

Venationem ferarum in ſpecie, ut Cer-
2 vorum, Urſorum, Capreolorum, Apro-
rum, Leporum, Vulpium, Taxarum, Capra-
rum ſylveſtrium Gemſen/ꝛc. quod attinet,
ejus titulus ex jure communi, & quidem
Gentium ſeu Naturali, quo etiam in fundo
alieno (*non habito ullo reſpectu , cujus loci*
(3) iſtius Jurisdictio vel proprietas ſit) vena-
ri permittitur , legitimè juſtificari poteſt,
§. *feræ* 12. *verſ. nec intereſt. ubi Gloſſ. & Do-
ctores communiter I. de R. D. l. quod enim
3. §. nec intereſt.* 1. *ff. de acquir. rer. domin. l.
Divus Pius ff. de ſervit. præd. ruſtic.* Boſſius
tract. de Principe tit. de Regalib. n.43. Pyr-
rhus *in conſuetud. Aurelian. rubr. de ſtagnis &
cuniculis c.1.* Sayſon. *in Conſuet. Turonenſ. tit.
5. art. 1. gloſſ. 2. in pr.* Cujac. *4. obſ. c.2.* Bruck-
man. *in §. Venatio c.6. num. 1.* Bertrand. *con-
ſil. 374. volum.* 4. ubi dicit, quòd cuilibet li-
citum, & de jure permiſſum ſit, venari leo-
nes, apros, cervos, & alia animalia, tàm in
ſuo, quàm in publico loco *& alieno;* (4) Ro-
land. à Valle *conſ. 9. num. 22. vol.2.* Cravett.
*conſ. 518. num. 18. & conſil. 463. num. 2. verſ.
argumentum & conſ. 945. num. 6.* Ludovic.
Molina *de juſtit. & jure tract. 2. diſputat. 41.
in princ.* Auguſtin. Berous *conſ. 81. num. 30.
volum. 1.* Claudius Bertazzol *ad Conſilium*
Patris Bartholomæi Bertazz. *conſ. criminal.
285. lit. D.* Roderic. Suarez. *allegat. 16. in pr.
& n. 1.* Petr. Ant. de Petra *de poteſt Princ. c.7.
n.6. fol. m. 147.*

3 Nonnulli Dd. & Interpp. Jus venandi
ad res ſolo cohærentes & ſervitutes prædia-
les referunt, ita ut à ſylvis vel fundis, tan-
quam prædiis ſervientibus, ſervitus illa ve-
nandi Caſtro vel villæ, tanquam fundo do-
minanti, debeatur, ut docet Renat. Chop-
pin. *de Legib. Andium lib. 1. c. 36. num. 3. princ.
& de civil. Pariſ. morib. lib. 1. tit. n. 19. in pr.
& num. 22. circa fin.* Zaſ. *in §. æquè num* [illegible]
de & act. & in ſingul. intellect. li[illegible] *cap. 11.
& reſponſ. 6. n. 30. vol. 2.* Frideric. Preuniger.
in Addit. ad Uranii conſ. 15. n. 39. lit. N. Gail.
2. obſ. 66. Inter Germanorum JCtorum Con-
ſilia *conſ. 18. n. 29. tom. 5.* Modeſtin. Piſtor.
conſ. 14. n. 22. vol. 2. Author conſilii per No-
an Meurer. tractatui ſuo de jure foreſti inſerti
part. 4. fol. m. 107. Georg. Mohr *de jure ve-
nand. part. 2. c. 3. n. 4. & ſeqq.* Sebaſt. Medices
de Venat. quæſt. 2. part. 2. per tot. Andr. Kohl
in Exercit. l. 2. c. 20. n. 4. quem refert Ruland.
de Commiſſ. l. 2. c. 8. n. 74.

Eousque tamen in alieno fundo venari 4
licet; ut dominus proprietatis ingredientem
prohibere poſſit; in tantum, ut qui contra
Domini prohibitionem ingreſſus fuerit, ad
damni dati emendationem teneatur. Sic
enim Calliſtratus Divum Pium aucupibus
reſcripſiſſe perhibet; Rationi conſentaneum
non eſſe, ut ipſi per aliena prædia invitis do-
minis aucupium faciant, *d. l. Divus Pius ff.
de ſervit. præd. ruſtic.* Quod Reſcriptum non
ſolùm de aucupio, ſed in genere de qualibet
Venatione ferarum accipiendum, Author
eſt Gloſſa ibidem: quippe quòd aliàs quoque
traditum ſit , fundi dominum prohibere
quem poſſe, ne in ſuo venetur, *d. §. feræ. verſ.
planè I. de R.D. & ibi* Mynſing. *num. 7. & 8.*
Vultej. *n.3.* Schneidevvin. *n. 27. & ſeq.* Surd.
conſ. 390. n. 20. & ſeq. Hondedæ *conſ. 100. n.
63. vol. 2.* Joh. Biermoſt inter Conſilia Hen-
ning. Göden. *conſ. 76. n. 1. & ſeqq.* Et injuri-
arum conveniri poſſe, ſi prohibitionem ni- 5
hili fecerit, *l. injuriarum §. ſi quem ff. de injur.
Gl. in d. l. Divus Pius.* Roder. Suarez. *d. alleg.
16. n. 1.* Alvarot. *in c. 1. §. nemo retia n. 1. ibi-
dem.* Iſernia *num. 131. de pace tenend.* Jacob.
de S. Georg. *tract. feudal. verb. & cum Vena-
tionibus n. 4.* Cæpolla *tract. de ſervit. ruſtic.
præd. c. 21. n. 1.* Clar. *in pract. crimin. §. injuria
n. 2.* Emanuel. Soarez. *in theſaur. commun.
opin. lit. V. n. 12.* Roland. à Valle *conſ. 9. n. 23.
vol. 2.* Quamvis fortè contra prohibitionem 6
ingrediens, ſi quid capiat, ipſius fiat, ut com-
muniter teneri & ſcribi probat Bruckman.
in d. §. Venatio c. 6. n. 2. & ſeqq.

Prædictam concluſionem in tantum 7
procedere, arbitrantur nonnulli Dd. ut pro-
hibitio venandi jure naturali ſeu gentium
contraria , ipſo jure nulla, & ad acquiſitio-
nem poſſeſſionis vel producendum legiti-
mum juris effectum planè inefficax & invali-
da ſit ; Cùm vitioſa ea poſſeſſio judicetur, 8
quæ naturali, imò juri communi adverſatur,
ſecundùm Innocent. & alios *in c. auditis de
præſcript.* Curt. Senior *conſ. 22. n. 3.* Haud a- 9
liter, ut ea conſuetudo vitioſa cenſetur , quæ
juri naturali repugnat, *capite 2. §. fin. & cap.
mala autem conſuetudo, diſtinct. 8.* Gail. *2. obſ.
31. n. 14.* In vitioſa autem poſſeſſione nemo 10
defendi vel manuteneri debet, *leg. 1. in fin.
cum duabus ſeqq. ff. uti poſſidet.*

Et ita authoritate Oldradi, Federici de
Senis, Signoroli, & Baldi in terminis pro-

hibitæ Venationis reſpondit Cravetta *conſil. 643. numer. 3. & ſeqq.* ubi in ſpecie improbari conſuetudinem & Statutum, quo venandi facultate cuiquam in ſuo interdicitur, ita ut nec Principi Jus ſit hanc poteſtatem ſubditis inhibendi, adſtruit. Quod rurſus firmat idem Cravetta *num. 8. ibidem, & conſil. 518. num. 18. & conſil. 945. num. 6.* poſt
11 Jaſonem *conſil. 119. lib. 4.* Et ante hos id tradidêre Hoſtienſ. Johan. Andreas, Butr. Zabarell. & alii *in capite, non eſt. de decim.* Pro qua etiam ſententia conſuluit Decianus *conſil. 197. numer. 1. circa fin. & num. ſequent. & conſil. 271. in princ. ibi* Molin. *in addit. in verb. venari.* Bertrandus *conſil. 64. numer. 1.*
12 *volum. 3.* ubi dicit, quòd eſt violentia, & dominus ſic prohibens eſt puniendus; *& in conſil. 416. numer. 7. volum. 5. & conſil. 61. numer. 1. volum 6.* Suarezius *dict. allegat. 16. numer. 4. per Gloſſ. in leg. injuriarum §. fin. ff. de*
13 *injur.* ubi concludit, piſcationis prohibitionem non poſſe acquiri conſuetudine; cùm talis conſuetudo ſit uſurpatio & ſic irrationabilis & iniqua, ideoque non obſervanda. Et alios inſuper allegans Rolandus à Valle *conſil. 9. numer. 12. volum. 2.* Natta *conſil. 395. per tot. & conſil. 522. numer. 6. & 27. & conſil. 604.* Bertazzol. *conſil. crimin. 418. numer. 6.*
14 ubi ait, quòd Comites non poſſint Subditis ſuis prohibere Venationem eo, quòd Venatio ſit de jure gentium; & hoc procedere *numer. 7.* ibidem probat, etiamſi Comites de Venationibus inveſtiti eſſent, quod pluribus confirmat ibidem Claudius Bertazzol. *in addit.* Idem in addit. ad Conſilium Patris ſui 285. *in lit. D. in criminalibus.* Menochius *Conſil. 943. numer. 44. & ſequentib.* Idem & ſentire videtur Guid. Pancirollus *conſil. 2.* quod repetitur inter Conſilia ſua in ordine *conſil. 116. numer. 23. & ſequentib.*
15 Quò loci contendit, Duces non poſſe Venationis cauſa prohibere, ne quis in ſuo faciat, quod ſibi libet, & jure gentium permiſſum eſt. Hondedæ. *conſil. 100. numer. 13. volum. 2.* Nec diffidet ab hac ſententia Guil. Benedict. *in capite, Raynutius. in verb. & uxorem, nomine Adelaſiam, numer. 336. & ſe-*
16 *quentib. & num. 359.* ubi formaliter ait, communi errore & de facto à Dominis terrarum prohiberi Venationem, quòd de jure facere non poſſint. Eandemque probat Renat. Choppin. *de Legib. And. libr. 1. capite 33. numer. 8.* Cæſar. Urſil. *in addit.* ad Afflict. *deciſ. 388. numer. 5.* Petrus Antonius de Petra *de Poteſtat. Princip. capite 7. fol. 147. numer. 6.* ubi hanc opinionem de jure veriorem ait. Grammatic. *deciſ. 67. numer. 9.* Communem appellat Laurentius Kirchov. *commun. opin. lit. V. §. Venationem.* Hartmannus Hartmanni *pract. obſerv. libr. 2. titul. 24. obſerv. 6. numer. 5.* Emanuel Soarez *in commun. opin. lit. V. numer. 10.* quod nec diſplicere videtur Boſſio *titul. de Regalib. numer. 42.* & hanc communem ex Riminaldo Juniore profeſſus eſt Joſeph. Ludovici *commun. concluſ. 71. num. 39. in fin.* Camill. Borell. *de Magiſtrat. Edict. libr. 4. cap. 3. numer. 1. ubi infinitos conglomerat.*

Si autem nulla & vitioſa eſt Venandi
inhibitio, non poteſt & poſſeſſio ſubſecuta 17
irrita & vitioſa non fieri. Antecedente enim perempto, id eſt, inhibitione ipsâ, poſſeſſio conſequenter non poteſt non irritari; *cap. acceſſorium de R. J. in 6. Gloſſ.* & Dd. *in l. 2. ff. ſi cert. pet.* Guid. Papa *conſil. 144. num. 1.*

Verùm enimverò multi inſignis notæ 18
atq; authoritatis JCti præmemoratam opinionem improbant, è diametro contrarium aſſerentes, valere ſcilicet ejusmodi Venationis prohibitionem, Principemque ex privilegio vel præſcriptione tale jus prohibendi acquirere poſſe. Licèt enim ſecundùm primævum hominum ſtatum venandi libertas omnibus competat, tamen nihil impedit, quò minùs ea ita poſteà reſtringatur, ut certo tantùm hominum generi, Principibus nempe ſolis eâ uti frui liceat: Jus enim civile licèt in totum non tollat jus naturale, ſæpè tamen ei aliquid detrahit, & ab eo recedit, *leg. 6. ff. de juſt. & jur.* ubi idipſum explicat eleganter poſt alios Rebuff. ad
verb. *neq; in totũ recedit.* Et hoc modo Prin- 19
cipis poteſtatem etiam ſe extendere ad jus naturale & gentium, ita, ut adverſus illud, rationabili cauſa ſubſiſtente, vel utilitate quadam publicâ & neceſſitate ſuadente, diſponere poſſit, modò ei non in totum derogetur, plurimis authoritatibus comprobavit Carolus Tapia *in Rubric. ff. de Conſtitut. Princip. capite 1. numer. 41. & ſeqq.* Adeoque vitioſam eſſe collectionem: Hoc eſt jure natu-
ræ permiſſum; Ergo humanâ lege prohi- 20
beri non poteſt, multis docet in hiſce terminis Venationis Covarruvias *in capite peccatum part. 2. relect. §. 8. num. 1. de R. J. in 6.* Heig. *libr. 1. quæſt. jur. quæſt. 15. numer. 33. & ſeqq.* dicens, Libertatem venandi primævam, ad certum hominum genus, non malè poſtea fuiſſe reſtrictam & Magiſtratui ſemper licuiſſe modum præſcribere privatis, quomodo rebus communibus uti debeant. Knichen. *in Comment. ad Jus Saxon. cap. 5. ſub rubr.* Wälde / Wildbahne; Georg. Mohr. *dict. tract. de jure venand. part. 1. cap. 1. numer. 43. & ſeqq.* ubi unanimiter docent, valere Inhibitionem Venationis à Principe ad Subditos ſeu inferiorem emanatam.

Quibus accedunt Decius *conſ. 271. num.* 21
6. verſic. non obſtat. ubi dicit, quòd etſi piſcandi facultas ſit juris gentium, tamen privilegio vel conſuetudine acquiri poſſe, ut aliquis ſolus piſcetur in parte maris, & præter eum nemo. Natta *conſil. 522. num. 22. & ſeqq.* Bertrandus *conſil. 3. numer. 6. vol. 2. & con-*

& conſil. 1. num. 12. vol.3. Quos refert & ſequitur Surdus *conſil. 313. numer. 104. & conſil. 390. numer. 24. & ſequentib.* Idem ſentit Guido Papa *conſil. 171. numer. 1. verſ. ad tertium quæſitum.* Vaſq. *illuſtr. controverſ. libr. 2. cap. 89. num. 37. & ſequent. & in tract. de ſucceſſ. part. 1. de ſucceſſ. creat. libr. 3. §. 26. limit. 31. numer. 79.* Franciſcus Marcus *deciſ. Delphin. 303. num. 1. & deciſ. 529. numer. 16. part. 1.* Sebaſtianus Medices *tract. de Venatione part. 1. quæſt. 5. & 10.* Quintil. Mandoſ. *tract. de inhibit. quæſt. 62. num. 6.* Bruckman. *de regalib. §. Venatio. cap. 4. num. 7.* Zoanet. *in leg. 2. Codic. de pact. int. empt. & vendit. numer. 145. & ſeqq.* Nicol. Bellon. *conſil. 49. numer. 9.* Hondedæ. *dict. conſil. 100. numer. 12. & 63. volum. 2.* Menochius *libr. 2. de A. J. Q. caſ. 160. numer. 11.* latè Nicol. Everhardus Junior *conſ. 10. num. 5. & ſeqq. vol. 1.* Fachin. *conſ. 99. n. 12. lib. 1. & per tot.* Camill. Borell. *d. tract. de Magiſtrat. Edict. c. 4. n. 8. lib. 4.* (5)

Sic plurima Naturæ aut Gentium jure
22 communia *certis limitibus arctata ſunt*, (6) & quod ſpretum conſuetudine jacuit, dignitatem raritate acquiſivit: In quo ſummi Magiſtratûs auctoritatem plurimùm valuiſſe reor, hanc ſibi moleſtiarum relaxationem poſcentis, uſurpationeque jus quæ-
23 rentis. Sic & Imp. Fridericus Juri naturali & civili Juſtinianæo derogavit promulgando Conſtitutionem 2. *F. 27. §. nemo retia.* quâ privatis hominibus & præſertim ruſticis jus in publico & alieno loco venandi interdixit; exceptis urſis, apris, & lupis, quos in alieno fundo capere & occidere cuilibet licitum eſt, licèt in apris aliud hodiè obſervari tradat Mohr *dict. part. 1. capit. 2. numer. 6.* Idque etiam Experientia edocet. Vid. Borell. *d. cap. 3. num. 26. & ſeqq.* d. textum *in §. nemo retia*, pereleganter declarantem.

24 Pari ratione Principes *legitimè prohibere poſſunt*, (7) ne quis cum bombardis & ſimilibus inſtrumentis feras venetur, eò, quòd feræ non ſolùm ſint ornamento univerſim, ſed & pro utilitate hominum, hæ autem hoc modo venando depopulentur, per tonitrua fugentur & terreantur, atque inde ſubſequatur animalium ſylveſtrium & ferarum innumerarum exſtinctio, quæ Reipub. incommoda eſt, ſubſitque non minùs in venando hominum periculum; ut hiſce & ſimilibus rationibus ejuſmodi prohibitiones defendit ex Chaſſanæo *in Conſuetud. Burgund. rubr. 13. §. 7. numer. 3.* Rebuffo, Bertrando & aliis Sebaſtian. Medices *dict. tract. de Venatione part. 1. quæſt. 10. numer. 3.* Covarruvias *dict. part. 2. relect. in cap. peccatum §. 8. numer. 3. verſ. ſecundò arg. dict. §. nemo retia l. qui foveas ff. ad L. Aquil.* Georg. Mohr *d. c. 2. n. 59. & ſeqq.*

25 Venaticæ itaque rei dignitas, profectâ hominum aviditate, in ordinem redactâ paucorum opportunè oblectatione cohibetur; *ut Magnates tantùm* (8) plerisque in locis deceat, plebeis excluſis. Nimirum nè multitudinis promiſcuæ (ut dixi) inſectatione oppreſſæ feræ deficerent; néve agricultio operæque magis in commune utiles, exercitii dulcedine negligerentur: Acceſſit latrociniorum metus, quibus nemora armorum uſu facilè infeſtantur.

Non tamen in hoc venandi & meræ fa- 26
cultatis jure per ſimplicem & nudam prohibitionem, ſed tum demum legitima poſſeſſio acquiritur, quando prohibitionem inſecuta fuerit obedientia & patientia eorum, qui jure ſuo uti prohibiti fuêre: Niſi enim prohibitionem inſecutus aſſenſus, & ab inde ceſſatum fuerit venando à Subditis, prohibitio nihil prohibentem relevat, ut dextrè explicavit in hac Venationis materia Johannes Biermoſt inter Conſilia Henningii Göden. *dicto conſilio 76. numero 7.* Rodericius Suarez *dicta allegatione 16. numero 3. in fine, & num. 5. vers. unde licet.* Aymon. Cravetta *conſil. 643. num. 5. verſic. imò enim. & conſ. 658. numer. 6. verſ. itaque.* Menoch. *dicto caſu 160. num. 10. centuria 1.* Roland. à Valle *dict. conſil. 9. numer. 15. volumine 2.* Bertazzol. *conſil. 418. num. 8. & 9. in criminal. ibidem.* Claudius Bertazzolius *in additionibus lit. b. in fine*, ubi Ripam *in l. quò minùs, n. 133. ff. de fluminib.* Bertran. *conſ. 125. n. 2. vol. 2. p. 2.* & Menoch. *conſ. 298. n. 18. & ſeq.* pro hac opinione adduxit, unanimiter dicentes, ſi non paruiſſent prohibitioni vel proclamatibus, ſed illis non obſtantibus iverint venatum, tum ex prohibitione non eſſe quæſitam poſſeſſionem, Camill. Borell. *dict. cap. 3. n. 36. & 37. lib. 4.* Neque ſanè recipienda eſt ſententia 27
Surdi, qui hoc caſu præciſè appellationem requirit (9) ad conteſtandam impatientiam, neque factum, ſeu reipſa continuatum exercitium Venationis ſufficere exiſtimat. Præterquam enim, quòd illud non obtineat in potentioribus, à quibus nemo ſine diſcrimine ad Superiorẽ reclamare poteſt; cùm jus præſumat inferiores tacentes, propter metum vel reverentiam tacere; poſt Iſerniam, Fulv. Pacian. *libr. 1. de probat. cap. 30. num. 80.* Contradicunt inſuper huic opinioni omnes jam 28
citati Dd. qui communi voto concludunt, Subditorum ipſo facto per continuationem Venationis declaratam contradictionem tam in petitorio, quàm poſſeſſorio Dominorum prohibentium impedire intentionem. Et latè hanc ſententiam confirmat Cravetta *conſil. 658. num. 7.* omninò videndus, ubi complures ſolidas, nervoſas & in jure ſatis fundatas rationes adducit, ex quibus ſententiam Surdi funditùs ſubverti & labefactari, in propatulo eſt, *n. 20. & ſeqq. & n. 24. ibidem.*

Nunc Regalibus vulgò Venationes ac- 29
cenſentur, & Foreſti ſeu Banni ſylveſtris

jura clientelari nexu conceduntur, inveſtiturisque Cæſaris Principibus & Nobilioribus Vaſallis ſpecialiter conferuntur, prout in individuo atteſtantur Knichen, *in Com-*
30 *ment.ad Jus Saxon.part.4.quæſt.8.num.2.* Sixtin. *de Regalib. libr.1.cap.18.num.44.* Cujac. *libr.5.feudor. ad Conſtitut. Friderici de pace tenend.fol.303.* Quin & Saltuarii, ne quis turbet feras, cuſtodiæ nemorum præponuntur. Quo reſpectu mores ubique jus gentium ſubegiſſe, ut in propriis agris venari non liceat, ſcripſit idem Cujac. *libr.4.obſ.2.* Idem probat, *& inter Regalia Venationes refert* (10) Petrus Antonius de Petra *de Poteſt. Principum, cap.7.num.5.verſ. verus ſenſus.* Quintil.
31 Mandoſ. *tract.de inhibitionib.quæſt.2.* Sebaſtianus Medices *tract. de Venatione quæſt. 27. part.princip. num.1.* Menochius *conſil.302. num.31.* Tiberius Decianus *conſil.22.num.22. volum.4.& conſil.123.num.92.verſic. Præterea conſtat.volum.3.* Modeſtin. Piſtor. *conſil. 14.num.23.vol.2.* Nicolaus Everhardus Junior *conſil.10.num.9.libr.1.* Schrader. *tractat. de feud.part.3.cap.4.num.47. quem rectè citat* Henricus à Roſenthal. *tract. de feud. cap. 5. concl.94. n.6.* Matthæus Stephani *lib. 2. de Juriſdict.cap.7. num.4.* Bruckman. *de Regalib.§.Venatio cap.1.* Cujus meminit Rutgerus Rulandus *de Commiſſ.part.4.libr.2.cap.2. numer.3.* Petr. Heigius *libr.1.quæſt.15.num. 44.& 46.*

32 Quod tamen ſalvo jure Tertii exaudiendum eſt. Nam ſi Imperator *jus venandi & bannum ſylveſtre,* (11) tanquam acceſſorium Principatûs, Ducatûs, Marchionatûs, Comitatûs &c. alicui Principi, Duci, Marchioni, vel Comiti in feudum concedat, per hujusmodi conceſſionem iis, qui in uſu, exercitio, & quaſi poſſeſſione juris venandi longo tempore fuêre, nullum creatur præjudicium; Cùm non præſumatur, quòd ii juri venandi de naturali & gentium jure ſibi licito ceſſerint, illudque à ſe abdicarint, adeòque nec illis ab Imperatore & reliquis Principibus jus auferri poſſe, in individuo punctualiter determinat Georg. Mohr *d. tr. c.2.p.1.n.66.& ſeqq.* Quo intuitu conceſſio-
33 nem Regis Franciæ ſuper Venatione ferarum factam non eſſe cum alterius damno & injuria probandam, rectè docuit Renat. Choppin. *lib.1.de Legib. And.c.34.verſ. at ſi Princeps.* Cùm Princeps gratiam alicui faci-
34 ens, cenſeatur eam impartiri ſine injuria aut præjudicio tertii, Carolus Tapia *in dict.rubr. de Conſtitut.Princip.cap.2.numer.23.& ſeqq.* adeoque Clauſula illa, Salvo jure Tertii, in conceſſionibus Imperialibus etiam non expreſſa, *tacitè ſubintelligitur;* (12) Schrader.
35 *tract.de feud.part.5.cap.2.num.47.* Cùm ſint res inter alios actæ, quæ rerum bonorumque
36 alienorum naturam nihil imminuunt. Menoch. *lib.3.præſumpt.101.n.13. & 15.* Quò
37 adprimè facit, quòd *Princeps generatim concedendo Caſtrum,* (13) Principatum vel Baronatum, non cenſetur ea concedere, quæ ab illo ipſo conceſſæ Univerſitatis corpore ſeparata, ut per ſe vel à tertio poſſeſſa, & proprio nomine nuncupata ſunt, licèt eſſent intra fines iſtius Caſtri, Principatûs, vel Baronatûs; ex quo ſeparatorum ſeparata eſt natura; Quemadmodum eleganter aſſeruit Matth.de Afflict. *in c.1.ad verb.quidam Capitaneus num.4.de Capitan.qui cur.vend.* Idem *deciſ.334.per tot.ibidem in addit.* Cæſ.Urſillus *n.3. & 4.* Et plures in eandem ſententiam congeſſit Johann. Ang. Piſanell. *in noviſſimis additionibus ibid.* Quam & probavit idem Afflict. *deciſ.361.n.19.* Cephal. *conſ.154.n.13 & ſeqq.*

Tametſi verò Regalia & Juriſdictiones 38
non ſint quæſtuariæ, neque ad lucrum inventæ, *Novell.8.§.cogitatio.* Bald. *conſil.410. num.1.volum.5.* proinde non deſint, qui Principibus conſulant, beſtias & aves promiſcuè deliciis & cupediis aulicis inſumendas; Atta- 39
men Bornitius *lib.1.de Ærar.c.4.* & prudentiores Politici Principibus conſuadent, uſum ferarum & avium quodammodò revocandum eſſe ad jus gentium, jure tamen regali illibato; ut quidem tantum ſuis menſis & aulis inſumant, quantum ſatis; Reliquum, quod ſuperſit, æquabili pretio cæteris civibus venale exponant. Quo pacto etiam majorem affectionem & amorem populi erga ſe excitabunt. Neque deſunt exempla Principum, qui hoc modo populo gratificari, & carnes ferinas, ceu pernas Weſtphalicas, fumo indurari & vendi, atque Ærarium ſuum aliquantillum abſq; ullo opprobrio ditare ſtudent. Equidem quæſtum 40
hunc non aſpernandum puto, ſi ſumptum non ſuperet, ſed æquet. At quotusquisque Magnatum eſt, qui non duplo, imò triplo aut quadruplo plus in Venatores, canes, retia, plagas, aliaque impendat, quàm inde ſentiat lucri? Et tamen plerique ita Ve- 41
natici ſtudii amantes ſunt, ut canum latratus, raucum cornuum ſonitum, Venatorum confuſos clamores lubentiùs ferè, quàm Muſicum concentum audiant; & quorum nares quivis facilè odor offendit, canes malè olere non putent. Ineptè ſanè, ne quid dicam 42
graviùs: at illud impiè, quòd nonnullis locis Subditi Dominorum canes alere coguntur, qui vix, quo familiam alant, habent: arcentur à novalibus ſuis agricolæ, ſubtrahuntur ruſticis prædia, præcluduntur ſylvæ, & prata paſtoribus, ut ſit, ubi feræ paſcantur & ſaginentur in Principum ac Nobilium delicias. Quòd ſi fortè Subditus feram, etiamſi pauperiem fecerit aut noxam dederit, interfeciſſe deprehendatur, ſtatim reus læſæ Majeſtatis factus, unà cum ipſa bellua, præda fit Venatori: nonnullibi etiam non aliter, ac ſi hominem occidiſſet, carnifici traditur, & morte mulctatur. (14)

Quæ

Quæ ſanè ſumma impietas. Egregiè
Saresberienſis (15) Epiſcopus paucis multa
43 comprehendit; *Quod magis mirêre*, ait, *pedi-
cas parare avibus, laqueos texere, allicere mo-
dis, vel fiſtulâ, aut quibuscunque inſidiis ſup-
plantare, ex edicto ſæpè ſit criminis, & vel pro-
ſcriptione bonorum mulctatur, vel membro-
rum punitur ſalutisq; diſpendio. Volucres cœli
& piſces maris communis eſſe audieras: ſed hæc
fiſci ſunt, quas venatica exigit, ubicunque vo-
lant. Manum contine, iſtarum abſtine; ne
& tu in pœnâ læſæ Majeſtatis, venantibus ca-
das in prædam. A novalibus ſuis arcentur a-
gricolæ, dum feræ habeant vagandi libertatem.
Illis ut paſcua augeantur, prædia ſubtrahun-
tur agricolis ſationalia, inſitiva colonis, cùm pa-
ſcua armentariis & gregariis, alvearia à flora-
libus excluduntur, ipſis quoque apibus vix na-
turali libertate uti permiſſum eſt.* Hæc ille.
Perſarum quidem Reges à pueris Vena-
44 tionis ſtudio deditos atque innutritos fuiſſe
legimus, (16) quòd bellicarum expeditionum
veriſſimam meditationem, & quaſi ima-
ginem eſſe exiſtimarent, ubi ſcil. juventus, &
inprimis ipſe Rex feras, tanquam hoſtem,
inveſtigare, excitare, perſequi, ferire, cæde-
re, aut inſidiis irretire condoceſieret; maximè
verò omnium laboribus, qui militaribus
non multum abſimiles ſunt, aſſueſceret, fri-
gus, æſtum, famem, ſitim tolerare, ac peri-
cula contemnere diſceret. Nec enim ho-
neſta eſſe hæc ſtudia atque exercitia dubitan-
dum eſt, digna heroibus, ad victum utilia, ſa-
45 lubria corporibus, jucunda animis ad mem-
brorum agilitatem, laborum tolerantiam,
audaciam, periculorum contemptum con-
ducentia, ipſius denique *militiæ tyrocinia* (17)
ſeu rudimenta: modò ad truculentiam &
crudelitatem non degenerent; prædisque
illis non culina duntaxat pinguior & menſa
inſtructior, ſed & quæſtus Ærarii uberior fi-
at, neque hi, qui Venandi ſtudio oblectantur,
omnes patrimonii facultates impendant, &
velut Actæon ille *apud Ovidium* (18) (nam
46 *hoc potiſſimùm fabulam innuere* (19) exiſtimo)
à propriis canibus lacerentur. Quâ notâ & di-
gni ſunt ii, qui non ad utilitatē, ſed ad oſtenta-
tionē venātur, ut *Gargilius ille Horatiānus*: (20)
------ --- qui mane plagas, *venabula*, ſervos
*Differtum tranſire forum, populumq; jubebat,
Unus ut è multis, populo ſpectante, referret
Emptum mulus aprum.*
Æneas ille apud *Virgilium* (21) venatum
47 egreſſus, ſeptem cervos configit, cogente ne-
ceſſitate alendi ſe & ſocios. Et Romulus ve-
natus dicitur nō voluptatis, ſed victûs causâ.
48 Cain, Lamech, *Eſau*, (22) Iſmaël Ve-
natores fuerunt; *quorum mores nemo dixerit
imitandos*, (23) nec ferè ullos in veteri lege
Venaticam exercuiſſe deprehendimus, niſi
Iſmaëlitas, Idumæos, & gentes, quæ verum
Deum nec agnoverunt, nec coluerunt.
NIMRODUS vocatus eſt fortis Venator
49 coram DOMINO, *Gen. 10. v. 10.* hoc eſt, præ-
potens tyrannus, ſive prædo publicus; For-
tis Venatione, ſcil. hominum; coram Do-
mino, id eſt, apertè & palàm, ſine metu Nu-
minis. Venator, quia homines infeſtabat,
ut feras; atque ita, ut ejus truculentia in pro-
verbium abierit, primùm attractâ in rete
Meſopotamiâ, deinde etiam Aſſyriâ. *Venan-
di* enim vocabulum ſignificat eum, quà do-
lo, quà vi apertâ homines, quaſi feras, ad
necem vel ſervitutem captaſſe, ut optumè
docet *D. Auguſtin.* (24) *lib. 16. de Civit. Dei c. 4.*
Et Ariſtoteles latrocinium inter venationis
ſpecies refert, *lib. 1. Polit. c. 8.* Divini verò li-
bri tyrannidem atque crudelitatem vena-
tionis nomine deſignant; *Pſal. 90. v. 3. Quo-
niam ipſe me liberavit de laqueo venantium.*
Thren. *3. v. 52. Venatione cœperunt me quaſi a-
vem inimici mei gratis.* Principes videlicet, de
quibus etiam Ezech. *32. v. 30. Principes Aqui-
lonis omnes, & univerſi venatores.*
Solent namque Venationes (25) immodi-
cæ Principum & Magnatum animos mores- 50
que non rarò in Reipub. & Subditorum per-
niciem efferare. Sed ubi terrarum plures
unquam fuêre Nimrodi, quàm in Anglia?
Ubi major vivariorum multitudo? quæ
jam ante ſæcula aliquot in eum numerū ex-
creverant, ut plura fuerint in una Anglia,
quàm in reliquo Orbe Chriſtiano univerſo.
Ex quo inſano venandi & cum feris conver-
ſandi ſtudio quanta profluxerunt mala?
Quales populi querimoniæ auditæ ſunt? *In* 51
Hungaria (26) ea nemorum & ſaltuum eſt
felicitas, ut Venationes ferarum communi-
um cuivis licitæ ſint; ſic ut lepores, phaſiani,
perdices, quæque apud nos in deliciis haben-
tur, ruſticorum etiam ac plebeiorum homi-
num familiaris ſit cibus.
Nobilis autem hæc venandi voluptas
Auctumno maximè (27) frequentata, honeſta 52
ſemper & liberalis exercitatio habita eſt; quæ
& initio ſtatim rerum egeſtati & rei familia-
ri (uti ſuprà dictum) ſubveniſſe traditur.
Equidem alacris ingenii æſtimo, ſub auro-
ram per ſaltus exire, feras luſtris, & moro-
ſa ſylveſtri amœnitate interpellare; Sæpè
ſub dio tranſigere noctes, nunc frigora, mox
Solem pulveremque pati, cubare humi, &
corpus ſerio hoc virium ludo ad aſpera du-
rare. Sic Eſavus, ſic Marſus olim, & fortes
Sabelli, *ſic Germanus impiger* (28) robur quæ- 53
ſivêre, & bello animum paravêre, quibus la-
bor hic Xenophontis experimento pluri-
mum conferre aſſeveratur, cujus ille origi-
nem DIs *in libro de venatione* aſſcribit. Ac
proinde honori Numinum dari creditum,
cornua ſacrare Cervorum, & aprinos dentes
liminibus affigere. A quo nec hodierna ci-
vilitas abhorret, quâ Milvios, aliarumque a-
vium & ferarum exuvias ſuburbanorum
atriis affixas videre licet.
Meleager aprum (29) Calidoniæ Vaſta-

torem

torem confeciſſe dicitur, non voluptati ſuæ, ſed patriæ utilitati inſerviens, quam hoc modo à noxia & vaſtatrice bellua liberavit. Verùm enim verò noſtri Venatores ferarum hoc genus plerunque fugiunt, Aſcanii illius diſſimiles, qui apud Virgilium alacriter ſe infert, 6. Æneidos.

Spumantemq; dari pecora inter inertia votis
Optat aprum, aut fulvum deſcendere monte
Leonem.

Memores potiùs illius præcepti, quod apud Ovidium Adonidi ſuo dat Venus:

Hos tu, chare mihi, cumq; his genus omne ferarum,
Quod nō terga fugæ, ſed pugnæ pectora præbet,
Effuge, ne virtus tua ſit damnoſa duobus.

54 Venatus Cervorum à Junio & Julio Menſe habetur nobiliſſimus. In uberrimi tum pabuli lætitia pingueſcunt, fontium, quibus impēſè delectantur, refrigeriis adjuti. Quamobrem Venantium inſidiis objiciuntur in Septembrem usque huic generi infeſtis. Tum celebrata Magnatibus voluptas eſt, quâ ſylvæ frequens regio tota agmina tueri luſtrorum ſolitudine poteſt: Juvat cervi explorare latibula, loca paſtûs, & effugia. Orto namque Heſpero è luſtris ſereniore cœlo alacriùs prodeunt, matutinum circiter crepuſculum ad umbroſa ſe loca recipientes:
55 Tum Venatores, odorâ canum vi veſtigia ſecuti, ſtationem facilè deprehendunt: & è ſignis jam feræ præſtantiam agnoſcunt. Corpus exquiſitum eſt, caput ſublime, & pilis denſum, oculi acres, numeroſa cornua benè ſuffixa, nares fumoſæ, pectus toroſum, teres alvus, fuſcum tergus, crura agilia. Cer-
56 vi habitus è veſtigiis ungularum, ex affrictu, quem oriente die macidæ traxêre frondes accuratè definitus. Ad cujus præconia Indagatores ſtatim & vertagi numellis junguntur, ingens canum agmen ducitur; nemusque longo ordine aditur. Hinc notata ſub auroram indicia ſequuntur, indagine locum ſagacitate luſtra ſcrutantur. Comitatu ad occupandi Cervi lapſus cum canibus depoſito, cornua inflantur, ſubſequitur canum latratus, hinnitus equorum, hominum clamor; quibus excuſſa latebris fera, immenſis paſſibus erumpit, vel tota tumultu territa armenta diffugiunt. Tunc laxatis loris canes ſolvuntur.

At inſigni ſolertiâ opus, quâ prematur tantâ agilitate in pericula jactus, quam excita venantis Juventæ alacritas generoſo nutu oſtendit. Namque nec paratâ Victoriâ prædas agere licet, feris nunc Itinerum diverſitate, nunc flexu, nunc ſaltu indaginem fallentibus, vel vago errore faſtigia caneſque confundentibus. Sæpe receſſuum ambagibus, paluſtribusque locis ambito clivo vim vitant jucundiſſimo aſpectu evadentes. Sed & ſtagnis fluviiſque noviſſimè
57 ſalutem quærunt: Tum nobili venatu ceu navali pugnâ inceſſuntur circumnatantibus canibus cymbiſque fatigati. Sic tandem conficitur Cervus, telis aut laqueis ſtratus. Invadunt pronum venatici robuſti morſibuſque anhelum cruentant. At ictus vitandi, quibus indignatus mortem proximi cujusque latus petit, & præcordia confeſtim venabulis aperienda, confoſſusque in dorſum ſupinandus. Hinc Comitatus vena- 58
ticâ voce convocatur, dextroque Cervi pede Domino oblato, venator tergore feram exuit & exenterat: Mox reſciſſum caput ſagaci objiciens moloſſo. Deinde reliquos curat canes offis è pane fruſtillatim ſecto, lacte, jecinore, caſeo, aliaque carne calido feræ ſanguine tincta, ſuper detracta cute objectis. Poſt in gramine pranſi, receptui canunt, prædaque onuſti ad aulam redeunt, aut proximum ſuburbanum, nemore viâque feſtivâ voce reſonantibus.

Leporum Venatum & Caprearum O- 59
ctober inducit, ſub auroram inprimis, cùm veſtigia ferarum odorem tenent, canum miniſterio gratum; ubi plus exercitii, luſus, voluptatis habet, cùm cubilibus expulſa fera corporum libertatem nanciſcitur, cùm nunc vertagis, nunc equis exagitatur, quàm tanto conatu petitæ prædæ dulcedo. Sed fraudum inprimis varietas placet, quibus pavidi circumveniuntur. Nam & feſtivo compendio vicina nemori jugera funiculo ambire licet, amitibus per intervalla erecto, de quo continuâ ſerie plumæ ſuſpenduntur lotio humano tinctæ; Quæ interiore gyro tenent leporem odore agitatarum territum, nec exitum habentem, niſi qua ſueti itineris ſemitam retia inſedere, quibus ſe recipiens implicatur. Ita vano metu aperta vitat Lepus, in impedita obnoxiè deflectens. Solet quoque capreis ſylveſtri-
bus (præterquam quòd canibus retibusque 60
capiuntur) longo tractu ex impexis temerè frondibus ſarmentiſque non adeò altè proſiliens ſepes per ſaltus exſtrui, certis interſtitiis aperta; Ubi de defixis perticis tendiculæ, ſeu è pilis caudæ equinæ torti funiculi ſuſpenduntur, nodo currenti fallaces; quâ cum canibus clamoreque agitata tranſitum quærit caprea, deprehenſa hæret.

Quâ ſolertiâ & Apros capi, gnari do- 61
cuêre. Nullo autem aptiùs, quàm tempore hyberno Apri inveſtigantur, Canibus in obſtantes plagas truſi, vel è luſtris magis ſerio luſu provocantur in objectum Venabulum temerario impetu ruituri. Neque enim audacius animal, vitæque magis prodigum hiſce plagis ſylvæ ſectantibus objiciunt, quàm aprum. Urſus circumſpectiùs invaſores vitat, lupus fugit; Cervus non niſi moriturus oppreſſorem quærit. At Aper aperientem vel provocantem immani fulmine, niſi cavet, ſternit; Mox incurvis dentibus membra convellit, conculcatumque ungu-

ungulis adverſarium ad internecionem fatigat. Non rarò canum latera uno ictu aperit, inteſtinaque trahit. Plagas etiam perrumpere (tanta vis huic generi) facilè eſt: ut qui experiri robur agilitatemque tàm vaſti corporis velit, audaciâ viribusque
62 promptiſſimus ſit oportet. Vulpes aſtutiſſimas Quadrupedum, pellium inprimis pretio venari licet, ſed Lupos ſectari damna ſæpius impulêre, quibus ovilia mulctant. Infeſtiſſimus quippe gregibus Januario, famis ingeniique rabie, quò magis hyems ſævit, audaciſſimè prædatur; Viatores etiam, indomitâ fame ſtimulante, aggreſſus. Quò crudeliùs tractant captum Agreſtes, exuviis in frigora uſuri.

Utili etiam invento Veteres Cervis, Ca-
63 preis, lepuſculis, ſimilibusque feris ſubjecta dominicis habitationibus, Vivaria implevêre; ut aſpectu clauſa Venatio, poſſidentis oculos oblectaret, utque uſu exigente ſine impendio caro ferina culinæ ſuppeteret. De-
64 inde & reditus plurimorum hæc ſtudia juvêre, quorum Prædiis ampliores ſylvas Fundi benignitas admovit. Vivariam autem qui conſtituere volet, locus pabuli ferax deligendus, ſylveſtri, montosâque facie jucundus, ingentibusque arboribus opacus. Præterea & gramine, virgultis, uti etiam glandibus, quernis, tum arbuteis fœtibus, ac reliquis ſylveſtribus pomis abundet, quantumque fieri poteſt, ad ſaltûs vaſtitatem accedat; lympidosque inprimis fontes vivaria requirunt.

Torperent Principum, Heroum, & No-
65 bilium vitæ, nî exercitatione venationis otia transigerent. Propterea proprium eſt Nobilium apud Germanos, eam exercere,
66 Joan. Boëmus *lib.3. cap. 12.* Et apud Gallos per Principes & Nobilitatem ſummo ſtudio venationem agitari, ſcribit Aimoin *de geſtis Francorum lib.1. cap. 21. & lib.2. cap. 27.* Sic apud Septentrionales populos,
67 Gothos, Suecos, Helſingios, Medelpadios, Angermannos, Iempthios, Bothnios, Danos, aliosque peculiare & proprium eſt venationis exercitium, præſertim Nobilium & Principum, ob diverſitatem animalium, quæ alibi non reperiuntur, ac pellium nobilitatem, & illarum valorem, quibus non ſolùm ipſi utuntur, ſed etiam exteris magno pretio divendunt. Habent enim non modò cervos, damulas, capreolos, lepores, & animalia ſimilia, quæ apud nos in Germania reperiuntur, ſed etiam rangiferos, alces, onagros, caſtores, gulones, lepores can-
68 didos, lynces, lupos, lutres, ſciuros, mardurros, zebellos, hermelinos, taxos, uros, vulpes diverſorum colorum, aliaque animalia, de quibus agit Olaus Magnus Archiep. Upſalenſis *de Rebus Septentrionalib. lib.28. per tot.* Haud verò aliam gentem facilè reperies, quæ majore venandi ſtudio *quàm Turcæ* (30) teneantur. Et ſanè per venandi exercitia omnibus facilè laboribus, tum etiam ferendo frigori, calori, inediæ, ſiti aſſueſcunt. Per ſalebroſa & invia loca feras equis ipſi inſidentes inſectantur. Feram à canibus proſtratam & laniatam nunquam attingunt, nec vel ſibi ipſis, vel Chriſtianis eſcam eſſe patiuntur. Porcos apròsve ſylveſtres, inter venandum captos, Chriſtianis divendunt, eorum ſiquidem eſu omnes circumciſi penitus abſtinent. Ducenti eorum ſunt, qui falconum canumque curam agunt, eosque vocant *Dongaglier.* Sunt præterea ducenti alii, Imperatoris omnes ſervi, qui *Scimi* vocantur. Hi pro diverſitate canum diverſa ſortiuntur officia, Imperatorem tam in expeditionibus, quàm venationibus comitantur, canesque prægrandes catenis alligatos ducunt.

Venationi non eſt abſimilis Piſcatio, 69
& cum ea in multis pari paſſu ambulat, *l.6. §.5. ff. de uſufruct.* Joan. Gryphiander *tract. de Inſul. c. 9. num.44.* Hincque non minùs 70
ac Venatio, de conſuetudine *inter Regalia refertur,* (31) & indubiè de jure Venandi intelligitur, donec aliud probetur, uti deductum in Conſilio quodam pro Dn. Chriſtophoro Fuggero ratione Imperialis feudi Baroniæ Mundelheim / betreffend den Otter- und Biberfang de conſuetudine inveteratâ Sueviæ; Adam. Keller *lib.2. de offic. juridico-polit. c.14. fol.445.*

Per piſcationum reditus (quorum men- 71
tio fit *in c.un. quæ ſint Regal.*) indigitatur Vectigal, quod ex piſcationibus (non foro, quo piſces venduntur) in mari & fluminibus publicis, Fiſco præſtatur.

Hinc piſcationum reditus ex piſcoſo etiam lacu & piſculento ſtagno, ad Fiſcum Jure pertinere, *Bocerus ait.* (32) Jacob. Cujacius lectionem *piſcationum ſeu piſcariarum* nubeculâ denſiori involvit, ac *picariarum* ſubſtituit: Evolvit politè & ſcitè Sixtin. *lib. 2. de Regal. c. 18.* Jus verò piſcationum Regali- 72
bus non annumeratur; Jure gentium enim omnibus eſt commune, tum in mari, tum in fluminibus, *l.2. l.3. ff. de acq. rer. domin. l. 2. §.6. ff. ne quid in loc. public. l. 13. ff. de injur. c. 18. num.7.*

Piſcatorum profeſſionem non parùm illud commendat, quòd Salvator noſter ex 73
hoc hominum genere potiſſimum elegerit eos, quos ad prædicandum Evangelium per Orbem terrarum miſſurus erat. Quò ſpectat *dictum Hieronymi* (33) *Non invenimus in Scripturis ſanctis Sanctum aliquem venatorem: Piſcatores invenimus ſanctos.*

Certè, ut homines faciliùs in animum inducerent, legem Domini ſanctam eſſe, & omninò divinam, ipſemet Legiſlator Chriſtus, dum adhuc in Mundo verſabatur, cùm poſſet in ſuam ſcholam adſciſcere ad promulgationem novæ legis homines,

nes, literis, opibus, & potentiâ cæteris inſigniores, eos huic muneri obeundo noluit deſtinare: imò ex omni hominum numero diſcipulos ſive Apoſtolos duodecim elegit, quorum ſive genus, ſive munia conſideres, *ignobiles erant*, (34) & imperiti. Hamo enim & *rete piſcibus inſidiari* (35) ſoliti, ex piſcatu quæſtum faciebant: nemo autem neſcit, piſcatores genus hominum eſſe rude, imperitum, & ad vitæ ſortes abjectum. His hominibus eam provinciam injunxit, ut per omnes Orientis, Obeuntisque Solis plagas diſperſi concionandi munere ſtrenuè fungerentur. Atque hoc officii munus, ut rectè obirent, decimo, poſtquam in cœlum aſcendit, die, diſcipulis omnibus in unum locum, ubi Spiritûs Sancti donum promiſſum expectabant, coactis, & orationi diluculo vacantibus, adfuit repentè Spiritus Divinus, tantam adventu ſuo ſapientiam, tantam fortitudinem, tàm inſignia beneficia illis conferens, ut cùm ſubitò omnium gentium varia idiomata pernoſcerent, & diſertè loquerentur, diviſi à mutuo convictu ſint, legem hanc ſanctiſſimam in diverſis Mundi Regionibus magnificè promulgaturi, quam illi deinceps miraculis innumerabilibus ad confirmationem veritatis paſſim editis confirmarunt, debilibus in nomine JESU Chriſti pedum agilitate reſtitutâ, cæcis oculorum luce redditâ, energumenis à Dæmonum incurſione liberatis, demortuis ad vitæ uſuram revocatis, aliisque operibus ſtupendis, partim dum viverent in terris, partim poſt mortem à cœleſti Patre ad humanam utilitatem impetratis.

Sed ut è ſemita in viam revertar, magni ſemper piſcium cura facta; adeò, ut jam vetus illa Romuli Numæque ruſtica progenies ingentibus impenſis obſoniis ſtuduerit.
74 Nam & in petra excidebantur vel ſignino opere piſcinæ conſtruebantur, congrua crepidine munitæ, cujus objectu tempeſtas frangeretur. At dulcibus tantùm aquis alebantur piſces, & factæ piſcinæ, quosque natura lacus dederat, convectis ſeminibus marinis, ſcaris, mugileque replebantur. Licet verò piſces Medicis ad ſalubre nutrimentum, utpotè, ſi illis credimus, difficilis & *duræ concoctionis*, (36) minùs idonei videantur, eoque *à Deorum ſacrificiis olim excluſi* (37) fue-
75 rint: incredibile tamē eſt, quanto olim in pretio apud Romanos ſint habiti, adeò ut peregrinos & Italis litoribus ignotos piſces, navibus è remotiſſimis advectos provinciis in mare Italicum immiſerint, & tanquam fruges in terra ſeminarint, arbitrantes non mo-
76 dicam in his Reipublicæ utilitatem verſari. Piſcinas quoque & vivaria pretioſiſſimis piſcibus referta, magnis ſumptibus inſtruebant, & ſicut triumphatarum gentium olim, ſic tum piſcium vocabulis clarere plurimi geſtiebant, ut Lucii, Murænæ, Sergii, Oratæ. Hinc Cicero Lucium atque Philippum Hortenſium *piſcinarios* (38) appellat; videlicet à Piſcinis: Et ridet eos, qui barbatulos mullos è piſcina exceptare ſolebant, ita ſcilicet cicuratos, ut vocati *ad manum venirent*. (39) Cæſarem Auguſtum ha- 77
mo piſcari ſolitum legimus: quo piſcationis genere vix ullum eſt, ad exercendam patientiam accommodatius, dum totas ſæpè horas fruſtrà piſcis ad morſus exſpectatur, aut piſcis arreptâ eſcâ & amiſſo hamo aufugit. Ne- 78
ronem quoque ejuſdem dignitatis, ſed non virtutis, reti aurato, purpurâ & coccino funibus nexis piſcatum, ſcribit *Suetonius*, (40) O non ſtultum, ſed inſanum! Ecquis tam magno Imperatori, non Urbis tantùm, ſed & Orbis Domino hamum in manus dedit?

Res hactenus honeſta & laudata, abſque luxuria manſiſſet, niſi abolitâ priſcâ frugalitate, maria ipſa, Neptunumque poſteà clau-
ſiſſet, docuiſſetque erudita palata, fluviati- 79
lem faſtidire lupum, quem non Tybris adverſo torrente defatigaſſet. Tum obſoniorum pretia lautitiæque locupletûm *ingenti ſumptu piſcinas ædificare* (41) impulêre, majori etiam incluſa & patrimoniis ſæpè conſumptis alere. In quo ſanè tanquam in laterna Punica, hominum cæteroquin ſapientiſſimorum pellucet ſtultitia; quòd ſcilicet homines privati in piſcinas ac vivaria *majores quàm in ipſa palatia* (42) exſtruenda ſumptus 80
fecerunt. *Craſſus murænam* (43) in vivario ſuo mortuam fertur, ut filiam, atratus luxiſſe, & tumulo condidiſſe; & Antonia Druſi murænæ, à ſe impensè amatæ, inaures addidiſſe. Paulus Jovius in libello, quem de Romanis piſcibus edidit, exiſtimat *eandem eſſe, quæ à Plinio* (44) Muſtella, & à nobis à lambendis petris Lampetra dicitur. Fuit hoc piſcis genus apud Veteres in maximis deliciis partim ob præſtantiam ſaporis, partim ob inſignem vivacitatem. Nam quum reliqui 81
piſces aut tædio carceris, aut vitio piſcinarum facilè intereant, ſolæ murænæ ad quotidianos uſus vivariis incluſæ *diutiſſimè poſ-
ſunt aſſervari*. (45) M. Cato Uticenſis cùm hæ- 82
res teſtamento Luculi ſeu Lucilii eſſet relictus, piſces de piſcina ejus *XL. millibus* (46) vendidit.

Conqueritur idem Cato alibi, Romæ *pluris vænire piſcem, quàm bovem*. (47) Unicus mullus piſcis, venditus aliquando memoratur pluris, quàm hodiè centum inſignes equi, mulive; Macrobius *lib. 3. Saturn. c. 16.* Aſinius (*inquit*) Celer mullum unum ſeptem millibus numûm mercatus eſt: In qua re luxuriam illius ſæculi eò magis licet æſtimare, quòd Plinius Secundus temporibus ſuis negat facilè mullum repertum, qui duas pondo libras excederet: at nunc & majoris ponderis paſſim videmus & pretia hæc inſana neſcimus. *Varro*, (48) C. Hirtium

tium uno tempore Cæſari ſex millia murænarum mutua dediſſe in pondus; &, ob piſcium copiam, quadragies ſextertium villam veniiſſe, memorat L. Lucullus, Macrobio, Varroneque teſtantibus, exciſſo juxta Neapolim monte *majore impendio* (49) piſcinam, quàm Villam ædificavit, Euripum & maria admittendo. In hoc itaque tum ſummo ſtudio laborabatur creſcentibus deliciis popinalibus, ut quàm maxima vicinis gloria eſſet, quas ad maris faciem ingenti ſpatio effundebant, ut minimè ab incluſis piſcibus cuſtodia ſentiretur. Longos item receſſus & flexuoſos ſpecus per latera cavabant, ut opaciores eſſent æſtuantibus latebræ. Sæpius in frigidiora loca ob æſtus educebant piſces. Tanta lacuum vaſtitas injectis petris & algâ adjuta illius ſæculi luxuriæ inſerviebat.

Quandoquidem igitur non ſolùm menſas delicatis obſoniis opulentat piſcinæ,
83 ſed & quæſtus Ærarii egregiè juvant, illarum ſtudium haud negligendum erit, præſertim, quòd & piſcinæ ipſæ neq; operâ multâ, neq; impenſâ coluntur, ut cæteri fundi; ac etiam minimè omnium tempeſtatibus obnoxiæ ſunt. Nec novum aliquibus locis, piſcinarum reditus, penè agrorum, quamvis ampliſ-
84 ſimorum, pecuariæque cenſus ſuperare, ubi favet Neptunus piſcatui, & viciniæ luxus pretium accendit, quà Lucei, Carpionesque ingenti copiâ vehuntur. Eſt autem piſcatio maritima & fluviatilis, Wilde Fiſcherey/ diſtincta ab illa, quę in piſcinis, lacubus ſeu vivariis, in Teichern/Weyhern/Hältern und andern beſchloſſenen Waſſern und Gärdten fit. Unde cura piſcinarum der Teiche und Teichſtädte. Captura Halecum, ut & aliorum piſcium marinorum, mullorum, aſellorum,
85 Stockfiſch / pſerrarum, Plateiſſe / ſepiarum, Meerſpinnen / muſtellorum, Welche/Stör/ Cabliaw/Lapperdan/Salmonum, Concharum, Oſtrearum, Cancrorum marinorum, &c. in locis maritimis valdè fructuoſa eſt, indeque ingens pecunia Ærario infertur, ut dixi ſuprà *lib. 1. cap. 9. & tract. de Contrib. c. 1. num. 342. &* dicam infrà *hoc libr. 2. capite 26. numer. 9. & 10.* Obiter heic notandum, capturâ Salmonum, Salmenfang / ſive ſeptum pro Salmonibus, Lachswehr/ plerunque reſer-
86 vari. Ita in Receſſu Epiſcopi Hermanni Mindenſis Anno 1567. 18. Febr. cum Nobilibus de Zerſſen inito, Lachswehr excipitur.

87 Piſces communes fluviatiles ſunt percæ anguillæ, barbi, funduli, bdelæ, lucei, carpiones ſaxatiles, auratæ, gobii, murænæ, thymali tincæ, truttæ, mulli, &c. Autumno verò, ut aliarum rerũ maximi piſcinarum proventus: Tum enim vulgò deducuntur carpiones, lucei, aliique piſces conſumptis æſtivariorum eſcis, pabuli causâ in hyberna tranſponuntur, lacusque ſubductâ aquâ inſtaurantur. Quâ occaſione tragulis, ſagenis & verriculis congeſta piſcium multitudo, partim hyemi ſervatur muriâ condita, vel ad Solem & fumum ſiccatur. At pulchriùs longè in ſubjectis ſtylobatæ alveis, in culina vel atrio piſces habentur, recenti ſemper aquâ lætantes. Sic muſtelæ, trutæ, funduli, & nobiliſſima quæque obſonia aluntur, cœnis parata, quibus vel manu pro- 88
mantur. Dubravius *lib. 1. de piſcinis cap. 2. & 3.* refert exemplum Jani à Berenſtein Bohemiæ atque Moraviæ Procerum ditiſſimi, qui ex reditibus tantummodò piſcinarum, quas in Bohemiâ, Moraviâ, atque Sileſia poſſedit, Anno MDLVIII. ampliùs duodecies Seſtertiûm accepit, hoc eſt, pecuniæ ſummam majorem, quàm erat, quâ Senatores & Patricii Romani, vel ab ipſo Auguſto Cæſare, qui cenſum auxerat, cenſi fuerunt. Sic & piſcatione Carpionum in Ducatu Lotharingiæ tertio quoque anno Ducem ſedecim Francorum millia percipere, author eſt Petr. Bertius *in deſcriptione ejuſdem pag. 150.* Ambitum enim lacus illius eſſe XLI.
milliarium teſtatur, in quo Carpiones inſoli- 89
tæ magnitudinis, trium videlicet pedum, ſaporis verò adeò grati, ut aliarum regionum Carpiones ſuavitate multò ſuperent. Et quantus proventus ex piſcibus proficiſcatur, illi, me tacente, norunt, qui piſcationibus operam navant. Res ipſa loquitur, & Luſatia ſuperior teſtis eſt, quæ piſcinis & optimis eſu ac ſapore piſcibus abundat. Albis, Viadrus, Viſurgis, Rhenus & alii fluvii, magnas etiam copias, & divitias piſcium largiuntur. Aquæ & Flumina in Gallia innumeras piſcium ſpecies & ſaporis exquiſitiſſimi naturâ novas ſemper pariente emittunt, & tantâ vi, ut multoties capturam ea impediat, & piſcatoribus ſperatum retibus molem ponderis non tolerantibus eripiat fructum.
Paul. Merula *Coſmogr. p. 2. lib. 3. c. 45.* In Hun- 90
garia quoque ea eſt fluminum præſtantia, ut nulla in totâ Europâ piſcoſa magis; ac de Tibiſco fama ſit apud accolas, *duas illius fluvii partes eſſe aquas, tertiam verò piſces.* Galeot. Martius *de dictis & factis Reg. Matthiæ cap. 6.* Et Wernherus *de admirand. Hungar. aquis* ſcriptum reliquit; *mille carpiones, Tibiſco extractos, unico aureo Hungarico veniſſe.* De Trauua ita ſcribit Æneas Sylvius epiſt. 170. *Habet Trauna miri ſaporis piſces; neſcio an aliis feracior ſit fluvius: nusquam terram aut arenam juxta hoc flumen effodies, quinque inter-*
creſcente mox piſces invenias. In Ægypto pi- 91
ſcium meſſis eſt. Nam (ut refert Ælian. *lib. 10. c. 44.*) ubi Nilus redundat in agros, tum ibi piſcationes fiunt, ubi arationes factæ ſunt. Cùm autem Nilus redit ad ſe, piſces à parentis fluvii deceſſu deſerti ad brevia limoſa adhæreſcunt, atque agricolis ad prædam relinquuntur, atque ita piſcium meſſem metunt.

tunt: Fertilior enim ſeges ea eſt, quâ piſces metuntur, quàm ſint è frugibus. *Hæc ille.*

Quid de cancris fluviatilibus dicam? 92 Æſopo olim nepotum omnium gurgiti maximo, tam ſuaves ac jucundi fuêre, ut ab urbe Roma in Iſtriam navigaverit, ubi eorum copiam naſci audierat; ſed cùm in Iſtriam veniſſet, & multò grandiores ac meliores in Africa gigni intellexiſſet, repentè portu ſolvit, & Africam petiit, ut grandioribus cancris ſe exſaturaret. At ſi Æſopus reſciſcere potuiſſet, Auſtriæ aliquot amnes prægrandibus cancris ſcatere; totam verò Marchiam Brandeburgenſem prodigioſè ac abundantiſſimè plenam eſſe: momento temporis procul dubio valedixiſſet Africæ, & in Germaniam noſtram advolaſſet. Habet quoque Americana regio cancros terreſtres, teſte Joh. Lerio *cap. 11. in fin.* qui turmatim ad maris litus & paluſtria loca conveniunt: ſi quis ad ea loca accedat, hac illac fugientes videat. In truncos arborũ, radicesq; ſeſe recipiunt, è quibus extrahi tutò non poſſunt: digitos quippe & manus comprimentium forcipibus comprimunt. Marinis longè ſunt macriores, & quia juniperas redolent radices, palato minimè grati. De piſcibus verò alatis & volatilibus, nec non terreſtribus videatur Salmuth *in Not. ad Guid. Panciroli nova reperta lib 2. tit. 1. fol. 31.*

Ex prædictis liquidò adparet, quantos 93 piſcinæ & flumina publica reditus Ærario & arcis regiis conferre poſſint: quorum fructus ſi Princeps conſectetur, curetque, ut in tota Ditione Piſcinæ opportunis in locis inſtituantur, atque perſonis diligentibus ac induſtriis inſpectio & adminiſtratio earundem committatur, certiſſimum erit, inde ſine aliqua impenſa ſumptuum, maximam utilitatem proventuum anniverſariorum capi poſſe, nihilque opus eſſe, ut quotidiè nova vectigalia, nova tributa imponantur.

Nec eſt, quòd quis ſuggerat, ſordidum eſſe, Principem mercatu ferarum, piſcium, avium, &c. quæſtum facere: Nam nihil ſordidi (inquit Bornit. *d. lib. 1. de ærar. cap. 4.*) vel alienum à principali dignitate video. Etenim ſi Princeps ex metallis, ex ſylvis ſuis &c. concedit ſubditis ſuis aurum, argentum, ligna, & id genus alia: Quidni etiam æquabili & tolerabili pretio feras, piſces, & aves? Cùm & iſtæ beſtiæ in communem hominum uſum creatæ. Et quid æquius, talia bona communicari cum civibus, quos Princeps, ut pater, amare intelligitur, quàm iſta à paraſitis & lurconibus tantùm prodigè conſumi? Quocirca nonnulli terrarum Domi-
94 ni flumina, amnes & rivos pro certa annua mercede elocare ſolent retento ſibi jure grandiorum ſpecierum, der Haupt-Fiſch / & aliquot piſcium miniſteriis, Dienſt-Fiſch / in dies piſcatorios reſervatis. Quid dicam de
95 quæſtu ex fœtura piſcium? ex oculis, pellibus, lapidibus, teſtis, & ſquamis? Carpant, qui velint: Lucrum honeſtum ex re jucunda & utili plebi non eſt improbandum. Intereſt enim publicè, ſufficientiam omnium rerum ad victum habere, quam tam ſtudio publico, quàm privato curare, & ærarium lucro exinde percepto ſtabilire oportet.

Quantum quoque emolumenti è piſci- 96
bus frigore induratis ventoque expoſitis Rex Daniæ quotannis colligat, dixi ſuprà, *lib. 1. cap. 9.* Et eſt in Dania in ſinu Limico tanta piſcium copia, ut fertilium agrorum vicem accolis præbeant. In Scaniæ ſinu tanta eſt etiam piſcium multitudo & frequentia, ut interdum impacta navigia vix remigiorum 97
conamina eripiant: quoniam etiam manûs officio capiuntur. Sicut & in Aquilonari mari Novi Orbis tanta piſcium perhibetur 98
copia, ut navigia retineantur, neque ob piſcium multitudinem circumquaque naves ambientem ulteriùs progredi liceat.

Addendum & illud, ut mulctis ſeverè coërceatur eorum nequitia, qui *certas pillulas formare*, (50) iiſque piſces in unum locum 99
ſubdolè congregare norunt; quibus machinationibus non ſolùm piſcium copia exhauritur, ſed & aquâ infectâ, & corruptis hac ratione ſeminibus, eorundem prolificatio impetitur: Quod & olim Plato *de Legib. dialog. 7. in fine* prohibuit. Piſcator, *inquit*, nec in portubus, nec ſacris fluviis paludibus, ſtagníſve venetur: in aliis liceat; dummodò ſuccis venenatis aquas minimè turbet. Camill. Borell. *d. l. 4. de Magiſtr. edict.* ubi ait, prohiberi poſſe indirectè *aliquas piſcationum ſpecies*, (51) puta ne fiant, aut projiciantur in flumina Taxi arboris frondes, aliæque ſimiles herbæ, quibus, cùm moriuntur, & ipſi comeſti nocivi ſunt, & aquæ iis infectæ & hominibus & aliis nocumentum adferunt.

Piſcationum verò modi varii (52) ſunt, 100
quos enumerare hîc nihil attinet. Præcipui tamen ſunt, qui fiunt retibus, naſſâ, fiſcellis, jaculo, hamo; laboris omnes, & tædii pleni, non tamen æquè periculoſi. Quòd ſi navigantes *vix duobus digitis* (53) à morte abſunt, adeò *ut quidam dubitaverit*, (54) viventibúsne an mortuis eſſent annumerandi; quid de piſcantibus in magno aliquo flumine, ac præcipuè in mari dicemus? Vi- 101
de mihi ſis eminus oriam piſcatoriam, parvam naviculam, fluctibus modò in ſummum elevatam, mox in imum depreſſam, ad littus ægrè contendentem: nunquid dices, ô ſtultos homines, qui ob tantillum lucrum vitam ſuam præſentiſſimo periculo exponunt? Quot homines una halecum captura quotannis abſummit? Compertum ſanè eſt, in quibusdam Bataviæ pagis plurimas eſſe piſcatorum viduas, quæ ſingulis ferè annis novorum maritorum, illis in piſcatu abſorptis aut mortuis, fiant uxores. Succreſcunt tamen ſemper, qui æquè

ala-

alacriter mare ingrediuntur; licèt ſæpe, (quod & ipſi non ignorant) ubi vitam quærunt, ibi mortem inveniant.

Sed ad Neptunia regna mittamus Piſcatores, & in terram redeamus, per aërem Aucupes inſectemur.

102 Jus Aucupandi non minùs, atque cæteræ quælibet Venationes, Territorio cohærere cenſetur, ut qui Teritorii vel Caſtri Dominus eſt, idem jus aucupii habeat, Carol. Tapia *in l. fin. cap. 2. part. 1. num. 11.*
103 *ff. de Conſtit. Princip.* Et inter Regalia refertur, juxta Sebaſtianum Medices *tractat. de Venat. Piſcat. & Aucup. quæſt. 27. pract. 1. n.* 1. Petrus Anton. de Petra *de Poteſt. Principum*
104 *cap. 7. num. 5. verſ. Verus igitur ſenſus.* At jure primævo Gentium Aucupium in ſuo, non minùs, ac ipſe aër, quo aves vehuntur, cuilibet liberum eſt, *l. 1. §. l. 3. ff. de acquir. rer. domin. §. feræ, Inſt. de rer. diviſion.*
105 Menoch. *conſ. 943. num. 42. Ulyſſes,* (55) qui primus poſt captum Ilium armatas eductasque ad Venationem aves in Græciam intuliſſe fertur, ut videlicet his, qui in bello Trojano parentes, liberos, cognatos amiſerant, novæ eſſent voluptatis ſolatia, Telemachum tamen filium à ſtudio hoc, ob inanem voluptatem cum moleſtiis & laboribus conjunctam, abſtinere juſſit. Antiquitus hoc Venandi Studium heroi-
106 cum: & *Henrico I.* (56) inter aucupandum haud ſecus, ac Cincinnato olim agrum aranti, unanimi Procerum Electorum conſenſu Imperiale diadema oblatum, cognomentumque Aucupis ab amore Illuſtris hujus oblectationis obveniſſe conſtat.

107 Aucupium autem, quod induſtriâ ac ope, Niſi & Falconis peragitur, *vetuſtioribus quidem incognitum;* (57) *Guid. Pancirol. de nov. repert. cap. 23.* à Germanorum verò Imperatoribus & Principibus plurimùm fuit exercitatum: à quibus etiam inventum atque excogitatum illud eſſe volunt, & quidem à Friderico Barbaroſſa in obſidione Romana. Pancirol. *d. c. 23.* Sed Falconum idq; genus avium nutritores remotiora ſæcula cognoviſſe conſcii memorant; & ex Firmico perſpicuum eſt, qui falconum, accipitrum, ac aliarum avium, quæ aucupio adhibentur, mentionem facit, *lib. 5. c. 8.* Salmuth. *in Notis ad Pancirol. d. loc.* Gloriam artis Venandi cum Avibus Fridericus II. ſummæ virtutis Imp. elogio illuſtravit, quod duobus libris, ceu ſingularis eruditionis & ingenii imperatorii monumento, continetur. Ita verum Heroum genus egregias inter artes integra provehens ingenia feliciùs agebat, quàm qui luxui per deſidiam objiciuntur. Aureus quoque de variis tàm Venationis, quàm Aucupii ſpeciebus, iisque jucundiſſimis exſtat Oppiani liber, quem optumus & liberaliſſimus Imperator tot aureorum millibus eſt remuneratus.

Persæ ſanè aucupio & venationi deditiſſimi ſunt, atq; *rapacibus avibus non tantùm* 108
(58) alias aves capiunt, verùm etiam feras, uti cervos, rupicapras, lepores, & ſimiles. Norunt enim Falcones & ſimiles aves ita inſtituere, ut ſe demittant in capita ferarum inter cornua, atque inde oculos animalium roſtro fodiant; & tantiſper detineant, donec venatores accurrant & irretiant. Ad venationes alioquin non modò venaticos canes, quos longè optimos habent, adhibent; ſed & linces, leones, & pardos cicuratos, quos vehiculis in exercitu ſecum trahunt Magnates; tenuiores autem in equis ſuis ſuper laminas ferreas, ne unguibus ſuis jumenta lædere poſſint. 109

Miraculo res vicina eſt, odia ingeniis avium indita, quibus ſe invicem perſequantur, mortalibusque operam præſtent. Hæc pertinaciſſimè Falcones Ardeasq; exercent. Sed Magnatum demum ſumptus huic ſtudio pares ſunt, quorum Regio abiete pinuq; conſita, nemora lacu fluviisq; inſuper rigua alit, grata Ardeis ſtativa. Quibus talis fundus, adulto Auctumno paludibus inſiſtentes Falconibus venantur: Ardea tum hoſtis certa immenſis voluminibus aëris gyros emetitur, cœlumque petit; Invaſores ab oppoſito cœli cardine ſupernè imminent, prudentes doli, quo inferiorem Ardea infeſtat. At irruentium illa impetus ultura, ſupina prælium init, multæque artis ambagibus commiſſi ſe fatigant, donec ad ultima converſus Falco ſocioq; adjutus robore (duobus enim Falconibus hoc aptiùs aucupium peragitur) urget deficientem, terræque allidit. Sic & robuſtius avium genus *Accipitres,* (59) lepores aggredi audent, deſuperque involantes cervici ungues injiciunt, alterum pedem loris coërcitum terræ infigentes, ne grandior fera rumpat invaſorem. Tam memorabili voluptate Prædonũ Volucrum audacia Dominum recreat, præterquam quæ ferinas dapes miniſtrat, quibus tam nobili ex luſu pretium eſt. Quod ſi ineunda ſit ratio ejus, quod in falcones, canes retia, aliaq; inſtrumenta impenditur, vix credi poſſit, quàm omnibus ad rem paullò attentioribus hæc venationis ſpecies diſplicitura ſit, quamvis pleriſq; vix ulla amœnior videatur. Quocirca Magnatibus hanc relinquendam cenſeam, eam maximè, quæ per Falcones fit ſumptuosè nutriendos.

Cæterùm & Aucupia aliis variisque fiunt 110
modis, ineſcatione, vel potatione, calamo viſcoſo, retibus, rubro panno, igne umbratili, imagine, avibus, avenâ, laqueis, retibus, tendiculis, amitibus ſive lignis bifurcatis, aliisque decipulis ad ficedulas, perdices, coturnices, alaudas (de aliis aviculis nihil dicam) capiendis accomodatis. Volupe eſt Patrifam. orto die, vel decedente, obire dumeta nemo-

rumque aviaria, & poſitis illigatas pedicis, aut equinis hærentes ſetis opimas colligere prædas, retibúsve aut viſcatâ arundine, dum æſtas favet, capta agmina ad villam reportare, & Amicis partem domo mittere. Magno
111 quoque ſemper in pretio habitæ Perdices; adeò ut in cortibus Romani aluerint, quo paratas cœnis haberent. Ipſa inde forma pennarumque concinnitas & laſcivientium habitus eximiè Altorem oblectat. In Chio adeò cicures inveniri traduntur, ut cum hominibus in eodem contubernio hoſpitentur, primoque diluculo à publico convocati Paſtore in agros procedant, & veſpere domum quæque ſuam repetant. Ut fœcunda avis eſt, ſic numeroſam progeniem, pariendi ordine excludit; quæ univerſa uno grege ſe continet, donec verno tempore, fœturæ cauſâ, per paria ſocietur. Hyberno autem cœlo, paſſim per arva cibum quærit, vel egeſtæ nivis glomeribus tota familia abditur. Tum auceps deprehenſis naſſas ponit, longis alis apertas, & poſt fictum bovem occultus, perſequitur ſenſim ſparſa grana legentes, intraque alas retis urget, antequam advertant, imprudentes inſidiis claudens. Sic omnes expeditiùs illaqueantur, quàm cum ſclopis una atque altera feritur, reliquis immunibus.

112 Hoſtienſi Epiſcopo ex coturnicum aucupio millia numûm aureorum ampliùs quatuor quotannis obvenire, teſtatur Zoaneta. *de gen. venat. fer. num. 23.* De multitudine Coturnicum, quas ventus à Domino egrediens abripuit de mari, & dimiſit in caſtra Iſraëlitarum, vid. *Exod. 16. v. 13. Num. 11. v. 31. Pſal. 77. v. 26.* PotuiſſetDe-
113 us ſolo nutu coturnices creare; ſicut *Manna* (60) è Cœlo pluit: Verùm vento Deus uſus eſt, ut oſtenderet, Imperio ſuo omnes creatu-
114 ras ſubeſſe. Sed & nocturna ſilentia alaudarum, caſſitarumque majorum (maximè circa Lipſiam & Halam Saxonum) aucupium Septembri ſolemnè quo ſegetibus exuto campo tota agmina retibus ſuperinjectis capiuntur. Circa ingreſſum autem
115 confeſtim Menſis ſturnorum aucupium voluptati eſt. Ingentibus tum turmis ſociantur, èque paſtu ſub Veſperam redeuntes per globos catervatim commurmurant. Mox propiore nocte ceu furvâ nube, ubi quieſcunt tutiùs, ſuperfunduntur arundinetis. Proinde quà frequentiam notavêre aucupes, præter ſtationem locus fluviósve demeſſa arundine aperiunt, iterum, quâ naſſæ ad hoc præparatæ explicantur, denſiſſima ſepti ſylvula relicta, ne hominis retísve conſpectus iter migrantium turbet. Hinc cùm ſilent nocte per cubilia accenſis tædis excitantur, viriſque lembo vectis agitari, quà apertum iter, proxima juncorum ſequuntur jungi inſectatione in retia acti. Clauſurus rete ſummo ſe tenet ſilentio juncis latens, ne vox terreat aliis haud facilè obſtaculis offenſos. Capiuntur & alterius generis volucres retibus, pedicis & ſimilibus inſtrumentis; uti Ficedulæ, merulæ, Phaſiani, palumbes. Sic Paros decipulis, luteolos paſſeresque retibus vel pueri obruunt. Parciùs namque cibo jam ſuppetente minùs inſidias metuit avis, ſicubi baccas, grana, aliaque alimenta offendit. Aucupii itaq; Chrematiſtica ſe ipſam prodit, & culinam in teſtem vocat plumarum etiam inſignis quæſtus ad ornatum, unde ars plumaria vel plumatilis, ad pulvinaria, aliaque. Cujac. *in l. 1. C. de excuſ. art.*

Quantum quoque anatum ſylveſtrium captura, ſi quà paluſtre frutetum fundi tepore, aut fons torrénsve ſtrepitu glaciem recuſet, multorum Principum Ærario proſit, Experientia teſtatum reddit: Cujus rei cauſâ ſylvulæ & lacus certi exſtrui, & adaptari ſolent, ut ductu anatum manſuefactorum ſæpenumero unâ vice mille anates feros, veluti hoſpites invitatos, reti includi videas. Ita nunquam ferina deſit aucupii ſtudioſo, ſed & ampliùs canibus venaticâque ſupellectile inſtructo. 116

Hoc ſingulare & ingenioſum aucupii genus, ſive artificioſam anatum capturam, vulgò ein Entenfang / Poëta quidam ſequenti carmine eleganter expreſſit.

Structa caſa eſt humilis cannâ contecta paluſtri,
Area, quam penes eſt ſcirpo juncoq; rigeſcens,
Hanc in aquis Anates ſylveſtres degere ſuêrunt.

Et alius de illis hoc luſit Epigrammate.

Altilis allectator anas, & cærula pennas
Aſſueta ad dominos ire redire ſuos,
Congeneres cernens volitare per aëra turmas,
Garrit, in illatum ſe recipitq; gregem,
Incautas donec pratenſa in retia ducat,
Obſtrepitant aliæ, conſcia at ipſa ſilet.
Perfida fraudatrix cognati ſanguinis ales.
Officioſa aliis, inſidioſa ſuis.

Hæ allectatrices aves (tradente Alciato *lib. 9 parerg. c. 11.*) Ariſtoteli dicuntur turtures vel columbæ, quæ aluntur, ut alias alliciant, & Aucupes ad congeneres capiendas adjuvent; quod & in Coturnicibus fieri conſuevit. An. MDLXXXVII. locuſtis in Thracia, anatibus & anſeribus pluere viſum in Croatia, Leonclavius oculatus teſtis in Annalib. memorat, tantâ multitudine, ut locuſtæ univerſos abſumerent ejus anni fructus, anatibus contra plurimi mortales alerentur, Jo. Cluver. *in Hiſt. totius mundi Epitome fol. 742.* Eſt & in Angliæ Eboracenſi Provincia agrorum tractus, quem dum anſeres illi im- 117
manſueti, hyberno tempore lacus & fluvi- 118
os in Auſtralibus partibus non congelatos gregatim petentes, transvolant, in terram non ſine omnium admiratione decidunt; 119
Cambden *in Brit. Brigantib. fol. 587.*

Quid verò ſit, quod apud Ulpianum legitur, Pantheram ab Aucupe, emere *l. empto-*

ptorem aliàs ex empto 11. §. fi. ff. de act. empt. non usque quaq; expeditum eſt, Venator (inquit J.C.) ſeu auceps omnes mihi feras, aut volucres, quos hoc menſe capiet, ducenis numis vendidit: quæritur, an locatio hæc ſit, tanquam operas locaverit, an emptio potiùs? Et conſtat, emptionem eſſe. Idque Ulp. reſpondit: quia idem ſit, ſive futurum jactum retis à piſcatore emamus, aut indaginem plagis impoſitis à Venatore, vel Pantheram ab Aucupe. Placet explicatio Alciati *lib. 1. parerg. c. 42.* docentis, πανθῆρα fœmineo genere univerſam ſignificare Venationem, qualis in præmemoratis exemplis venundata proponitur. Sed feſſi *à Venatu*, (61) piſcatione, & aucupio, ad quietam Serici conſiderationem nos convertamus.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT V.

Num. 1.

(1) N*On poteſt ars venandi ab Agricultura eſſe diſtincta &c.*] Philoſophi doctrinam Ariſtotelis *l. 1. Polit. cap. 5. ſeqq.* ſequentes artem χρηματιστικὴν, (ſive modos inter homines acquirendi alimenta & ea, quæ ad vitã ſunt neceſſaria,) dividunt communiter in *Naturalem* & *Artificialem*; utramq; iterum in alias ſpecies ſubdiſpeſcunt. Naturalis ſpecies ſive gradus ſimplices conſtituunt primò Vitam *Pecuariam*; ſecundò *Capturam*, quæ quadruplex; 1. Latrocinium, 2. Piſcatus, 3. Venatio ſeu Aucupium, 4. Bellum; tertiò *Agriculturam*. Sed cùm unus modus ad ſuſtentandam vitam non ſufficiat, adjicere ſolent Mixta vitæ genera, ut ſi unus fortè modus ad vitam commodè vivendam, ſatis non ſit, unus altérve conjungatur, v. g. vita paſtoritia & prædatoria; Agricultura & venatio, &c. Ad Artificialem porrò χρηματιστικὴν pertinet Permutatio, & Mercatura, hec non Monopolium. Quod inter alios D. Felwingerus, Amicus meus æſtimatiſſimus, in Diſputationibus ſuis de arte χρηματιστικῆ doctè explicat. Ex quo apparet, licet Venatio cum Agricultura aliquando conjungatur, utramq; tamen per ſe ſpeciem & per ſe modum acquæſtûs eſſe, ſic ut unus absq; altero benè ſubſiſtere queat, confirmante id rerum magiſtrâ Experientiâ.

(2) *A Platone tria genera &c.*] Sic enim Dial. *7. de LL. pag. m. 967.* Interprete Marſilio Ficino inquit: Venatus res latior eſt, nomine uno comprehenſa; alius aquaticorum, alius volatilium, alius pedeſtrium; nec ferarum ſolùm, verùm etiam hominum, horumq; non bellicus tantummodò, verùm etiam qui per amicitiam; & alius quidem laudem, alius vituperationem habet. Rapinæ quoq; latronum, caſtrorumq; venatus ſunt. Quibus junge Gryphiandrum *in Oeconom. Legal. l. 1. c. 18. n. 2. ſeqq.* ubi *n. 7.* huc illam Venationem propriè pertinere, quæ vulgò ſaltuoſa (*ſive, ut Author noſter eam vocat, Campeſtris*) dicitur; & cui tres ſunt ſpecies; nempe Venatio preſſiùs ita dicta, quę eſt beſtiarum, aucupium, quod eſt avium, & piſcatio, quæ eſt piſcium. Planè ut tria genera animaliũ, quæ in cœlo i. e. aëre, in terra, & in aqua vivunt, ita triplex quoque eorum captura ſit

Num. 2.

(3) *Non habito ullo reſpectu, cujus loci &c.*] Et hoc Jure Gentium & Civili Romano ita obtinebat. At hodiè, excluſis privatis, ſolis Principibus, & quibus ab his conceſſum eſt, jura venationum in privatorum fundis exercere licet. An jure? Omninò per ea, quæ plurimi Dd. à D. Ludvvello *Diſput. ad Inſtit. Imper. Diſput. 4. θ. 5. lit. c.* citati, & præter illos Cöppen *1. Obſ. 72.* Theſaur. *2. quæſt. 22.* Heig. *1. quæſt. 15.* Bocer *de Regal. c. 1. n. 52. ſeqq.* Speckhan. *cent. 1. quæſt. 97.* Wehner *in Obſ. Pract. verbo* Forſt-Recht Vol. 1. Conſil. Argent. *13.* Molina *de J. & J. tr. 1. tr. 2. Diſp. 23.* Carpz. *Prax. Crim. p. 2. quæſt. 84. ſubq. 1.* Fachin. *Conſil. 99. &c.* habent. Opponunt quidem nonnulli, inquit Henelius *Tract. Pol. de Ærario c. 11. p. 302. ex §. 12. I. de R. D.* libertatem venandi Jure Naturali omnibus competentem: verùm, ut Grotius rectè monet, omne Jus Naturale permiſſivum accipiendum eſt ita, ut ſalvo Jure Naturali præceptivo accipi poteſt, i. e. permiſit Natura Venationem liberam, ſed ſalvâ ratione ſocietatis, ſalvo ſociali ordine, quem inprimis natura præcepit. Venationem autem non exerceri promiſcuè, & ex privato cujusq; arbitrio, ſocietatis omnis intereſt, præſertim civilis, in quâ Ordo ſocialis à naturâ pręceptus perficitur. Et quidem propterea civilis ſocietatis hîc intereſt, quòd venandi Jure Principi vindicato proſpiciatur &c. *Vide infrà Authorem noſtrum n. 19. ſeqq.*

(4) *Et alieno &c.*] Ingredientem tamen Dominus, ſi præviderat, prohibere potuit, *l. 3. §. 5. l. 5. §. 3. ff. de A. R. D.* contraq; præceptum ingrediens injuriarum tenebatur, *13. in fin. ff. de injur. arg. l. 25. ff. de act. empt. &c.* ut Author quoque noſter, *infrà n. 4. & 5.* docet.

Num. 21.

(5) *Camillus Borellus &c.*] Adde Meurerum vom Jag- und Forſt-Recht *parte 7. p. 130.*

Num. 22.

(6) *Certis limitibus arctata ſunt &c.*] Pertinet huc doctrina Immortalis Grotii *lib. 2. de J. B. & P. c. 2. n. 5.* dicentis: De feris, piſcibus, avibus illud notandum eſt, qui imperiũ habet in terras & aquas, ejus lege impedire poſſe aliquos, ne feras, piſces, aves capere, & capiendo acquirere eas liceat: atq; hâc lege teneri etiam exteros. Ratio eſt, quia ad gubernationem populi moraliter neceſſarium eſt, ut qui ei vel ad tempus ſe admiſcent, quod fit intrando territoriũ, ii conformes ſe reddant ejus populi inſtitutis. Nec obſtat, quòd ſæpe in Jure Romano legimus, jure Naturæ, aut Gentium liberum eſſe talia animalia venari: hoc enim verum eſt, quamdiu lex Civilis nulla intercedit, ſicut Lex Romana res multas relinquebat in illo primævo ſtatu, de quibus aliæ Gentes aliud conſtituerunt. Cùm autẽ lex Civilis aliud conſtituit, eam obſervari debere, jus ipſum naturæ dictat. Lex enim Civilis quanquam nihil poteſt pręcipere, quod jus naturę prohibet, aut prohibere, quod præcipit; poteſt tamen libertatem naturalem circumſcribere, & vetare, quod naturaliter licebat, atq; ipſum etiam dominium naturaliter acquirendum vi ſuâ antevertere. Junge Zoanettũ *de duplici venatione, apud Noam Meurer* vom Jag- und Forſt-Recht *part. 7. p. 231.*

Num. 24.

(7) *Legitimè prohibere poſſunt &c.*] Item mandare, ut Ruſtici canes ſuperfluos haud alant, &, quos aluerint baculo, ad collum appenſo domi continere debeant. Daß die Bauren auf dem Land ihren Hunden Prügel anlegen ſollen/

de quo vid. Kraiſer *de Jure venandi &c. Romano-Bavar. cap. 18. pag. 69.*

Num. 25.

(8) *Ut Magnates tantùm &c.*] Quò ſcilicet, dicente Henelio *loco ſuprà allegato pag. 303.* Princeps eò commodiùs abſque ſubditorum graviori onere, quæ menſæ ſuæ parandæ & aulæ ſuſtentandæ ſunt neceſſaria, præter domanium, & inde capere poſſit, nec opus habeat, tributorum & aliorum redituum aliis finibus deſtinatorum erogatione minuere ærarium, ad publicam univerſæ ſocietatis Civilis ſalutem conſtitutum, &c. Adde Nicolai Henrici Grammani Wildſchützen Latein *pag. 109. ſeqq.* ubi easdem rationes prohibitæ venationis, quas Klockius noſter, adfert & illuſtrat, & loco metûs latrociniorum, metum ponit, ne ſub prætextu venationis armati ſubditi illicitas coitiones frequentent, conſpiréntve. Pro ratione Noe Meurer vom Forſt- und Jag-Recht *parte 2. p. 37.* ponit, nimios ſumptus in canes & inſtrumenta venatica impendendos, quibus nimium quantum pauperiores & aliis laboribus nati ſubditi gravarentur. Gratitudinem, quâ moti parentes imperantibus ceſſerunt venationes; nec non metum offenſæ, ſi pertinaciùs iis inſtarent. Plura vide apud Carpzovium *in Prax. rer. Crim. parte 2. quæſt. 84. num. 12. ſeqq.* Quamvis verò concedendum eſſe videatur, plerasque has à Klockio adductas ſimilesque cauſas haud neceſſariò concludere, attamen nec negandum putarim, quin his & ſimilibus cauſis tam Principes ad prohibendum, quàm ſubditi ad acquieſcendum huic prohibitioni moti fuerint.

Num. 26.

(9) *Surdi, qui hoc caſu præcisè appellationem requirit &c.*] Ita quidem conſuluit Surdus Dominis Maceti *lib. 3. Conſil. 390. n. 30.* Verùm *in Conſilio 445. n. 12.* planè alia ſentit, illorumque partibus accedit qui ſtatuunt, etſi ſubditi non contradicant prohibitioni verbo, ſufficere, ſi facto ſe opponant, aut quia ſtatim eant venatum, ad hoc, ut nullum Jus Domino acquiratur.

Num. 30.

(10) *Inter Regalia Venationes refert &c.*] Alii referunt Jus venandi ad Servitutes prædiales (*ut Klockius loquitur*,) ſive reales, quod innuit Author noſter ſuperiùs *numero 3.* & probant Gailius *2. Obſerv. 66. n. 66.* Valent. Arithmæus *in peric. Acad. Diſp. 5. θ. 3.* Modeſt. Piſtor. *vol. 2. Conſil. 14. n. 29.* plurimique à Thoma Michaële *apud Klockium vol. 1. Conſil. 29. n. 249.* & à Referente apud eundem *Vot. Cameral. Relat. 123. n. 16.* citati referant. Alii, & inter illos Weſenbecius *de Feud. cap. 1. num. 2.* Servitutibus Perſonalibus accenſent. Alii, *quos Author h. loc. nominat*, ut & Sigismundus Finckelthaus *Obſ. 41. n. 14.* Carpzov. *in J. P. F. part. 3. Conſtit. 32. defin. 17. n. 6. ſeqq. & part. 2. Conſt. 3. defin. 25. n. 3.* Thomas Merckelbach *apud Klockium vol. 2. Conſil. 98. n. 11.* Mindanus *2. de Proceſſ. c. 36. n. 23.* Sixtinus *de Regal. l. 2. cap. 18. n. 46.* exiſtimant, Jus illud inter Regalia eſſe referendum. Alii has opiniones conciliare conantur, & Jus venandi ratione Juris antiqui, ſervitutem realem, ratione conſuetudinis hodiernæ, Regale eſſe opinantur, cui ſententiæ Scipio Gentilis *in Diſp. de Venatione θ. 24.* & Petr. Ant. de Petra *de poteſt. Princ. c. 7. n. 5. verſ. contrariam tamen opinionem &c.* Et ferè eodem modo Gryphiander *in Oecon. Legal. l. 1. c. 18. n. 18. ſeqq.* Venationem nunc ad Regalia, nunc ad fructus Jurisdictionis, nũc ad Servitutes referri poſſe putat. Alii Venationem jus ſeparatum à Regalibus, & ſervitutibus, conſtituunt, eò quòd neq; ad majora, neq; minora Regalia commodè ſatis referri poſſit, ut docet Vultejus *1 de Feud. c. 5. n. 1.* Harprecht *ad §. 12. Inſt. de R. D. n. 133. & ſeqq. ubi ad contraria Argũenta reſpondent.* Ad ſervitutẽ verò nec Jure antiquo, nec hodierno aliter referri poſſit, quàm ſi privatus Jus venandi in ſuo & privato loco conceſſerit, quo ſenſu modò realis, modò perſonalis dici poterit Servitus, prout, vel in uſum prædii, vel perſonæ hoc Jus conſtitutum fuerit. Quod docet Mindanus *de Proceſſ. l. 2. c. 41. n. 4.* Confirmant hæc poſt Ludvvellum noſtrum ſcripta à Hahnio *ad Weſenb. ff. lib 41. t. 1. n. 7. pag. prioris edit. 492.* ubi vide, & Ludvvelli *Synopſ. Jur. Feud. c. 13. pag. 348.* dictis junge. Quam ultimam ſententiam & nos, ſalvo prudentiorũ judicio, veriorem eſſe putamus.

Num. 32.

(11) *Jus venandi & bannum Sylveſtre &c.*] Vocabulum Germanicum Widbahn oder Bann advertente Authore Actorum Lindavienſium *p. 114.* non à Wald / ſed à Wild derivatur; atq; ideò juxta proprietatem ſermonis Germanici, bannum non *Sylveſtre*, ſed *ferinum* potiùs indigitari debet. Hinc eſt, quòd Wildbahn comprehendat Jus venandi, non tantùm in nemoribus, & ſylvis, ſed etiam in agris & pratis exerceri ſolitum, ut ſic jus banni ferini duplici reſpectu conſiderari poſſit, in ſylvis & extra ſylvas, uti tradit Meichsner, *tom. 2. lib. 2. Deciſ. Cameral. 2. n. 33. cum duobus ſeqq.* Ja es trägt die Graffſchafft Heiligenberg ſo gar einen Forſt auf dem Bodenſee / (von der Schuſſen an / bis an die Rheinbruck bey Coſtantz) von dem H. Röm. Reich zu Lehen / uti allegatum & probatum Cameræ Imp. in Cauſ. Heiligenberg contra Uberlingen / einen auf dem Bodenſee abgefangenen Hirſchen betreffend.

Num. 35.

(12) *Tacitè ſubintelligitur &c.*] Adde Gail. *Obſ. 28. n. 6.* Georg. Mundium *vol. 1. Conſil. 2. n. 75.* Adeò ut verba potiùs impropriãda ſint, quàm ut præjudicium tertio inferatur. Grammatic. *Deciſ. Neapol. 103. n. 137.* Curtius Junior *Conſil. 122. n. 3. Conſil. 135. n. 11. 12. vol. 3.* licèt adjecta ſit clauſula, *EX CERTA SCIENTIA.* Vult. *vol. 3. Conſil. Marpurg. 18. n. 57. & Conſil. 19. n. 54.* & literas Inveſtiturarum in quibus clauſula, *SALVO JURE TERTII* omiſſa eſt, totas evertendas eſſe, Weſenbecius *Conſil. 41. n. 66.* & Pruckmann *Conſil. 39. n. 73. vol. 2.* conſuluerunt.

Num. 37.

(13) *Princeps generatim concedendo caſtrũ &c.*] Sub conceſſione ac inveſtitura territorii, ac Jurisdictionis altæ haud venire das hohe Jagen, niſi ex inveſtitura apertè id conſtet, etiamſi Territorium cũ pertinentiis conceſſum fuerit, probat Dn. Mylerus ab Ehrenbach *de Princ. & Stat. Imp. parte 2. cap. 73. n. 661.*

Num. 42.

(14) *Et morte multatur &c.*] Sic quoq; cum multis Interpretibus Juris allegatis ſubjunctisve rationibus primùm demonſtrat Carpzovius *in praxi rer. Crim. parte 2. quæſt. 84 n. 26. ſeqq. multis,* propter feram necatã capite mulctari hominẽ indignũ, & inhumanum, pœnam verò pecuniariam & quandoq; pro ratione circumſtantiarũ corporalẽ æquiſſimam eſſe. Poſſe tamen contra temeratores Legũ etiam ad ſuſpendii usq; pœnam venire; deinde aliis rationibus *in ſequentibus à n. 33.* evincere conatur, quòd & Gramannus in libello, cui titulus Wildſchützen Latein intendit. Interim à crudelitate plusquam inhumana vix excuſari poterit Galeatius Sfortia, qui, ut eſt apud Corium *vol. 6. Hiſt. Mediol.* coëgit colonũ, leporẽ, quem ceperat, crudũ cum pelle devorare, ex quo mortuus eſt. Aliud exemplũ in Archi EpiſcopoSalisburgẽſi Michaële refert ex Kirchovio

Wolffius *tom. 2. Lect. memor. pag. 920.* quod tamen Franciſcus Dückher in der Saltzburgiſchen Chronica falſitatis arguere laborat *p. 260.* quorum utrumque evolviſſe Lectorem haud pigebit.

Num. 43.

(15) *Sarisberienſis &c.*] In Policratico ſive de nugis Curialium *l. 1. c. 4.* cujus & antecedentia locum à Klockio adductum verba legi hîc merentur: In tantam verò inquit, quidam hujus vanitatis inſtinctu erupêre veſaniâ, ut hoſtes naturæ fierent, conditionis ſuæ immemores, divini judicii contemptores, dum in vindictam ferarum, imaginem Dei exquiſitis ſuppliciis ſubjugarent. Nec veriti ſunt hominem pro beſtiola perdere, quem unigenitus Dei redemit ſanguine ſuo. Quæ feræ naturæ ſunt, & de Jure occupantium fiunt, ſibi audet humana temeritas inſpiciente Domino vindicare, & idem juris in omnibus ubicunque ſint ſtatuit, ac ſi clauſtri ſui indagine univerſa cinxiſſet. Quodque magis mirêre, &c.

Num. 44.

(16) *Legimus &c.*] Apud Xenophontem *lib. 1. Cyropedias;* qui & *ejusdem lib. 1.* Venatio, *inquit*, bellicarum rerum veriſſima meditatio videtur eſſe. Conſuefacit enim ad ſurgendum diluculo, & ad frigora caloresque perferendum: atq; etiam itinera & curſus exercet. Præterea ſagittis jaculisque beſtiam petere neceſſe eſt, ubicunque inciderit. Sæpe etiam acui animum in venatione oportet, objiciente ſe feroci aliquâ beſtiâ. Adeoque non facilè quis reperiat, quidnam eorum, quæ bellum habet, à venatione abſit. Similiter acris Parthorum ſtudii venandi meminit Juſtinus *lib. 41. cap. 3. n. 2.* & Herodianus *lib. 6.* Unde Venonem apud Auguſtum, (*cui à Patre Phrahate obſes datus fuerat*,) educatum, petitum Româ acceptumq; Regem quamvis gentis Arſacidarum, ut externum aſpernatos Parthos, Tacitus *2. Annal. 1.* narrans *n. 5.* addit: Accendebat dedignantes & ipſe, diverſus à majorum inſtitutis, raro venatu, ſegni equorum cura. Suetonius *in Caligula c. 5.* ait: Regum Regem (*h. e. Parthicum*) ad indicium maximi luctûs, exercitatione venandi abſtinuiſſe. Bernegger *ad d. Juſtini locum tit. b.*

Num. 45.

(17) *Militiæ tyrocinia &c.*] Ducem enim ſibi præficit venatio, cujus dicto omnes auſcultant, hoſtem excurſoribus provocat, exploratores in ſpeculis diſponit, inſidias abdit, apertum Martem ſimulat, divortia, quæ ad fugam patent, obſervat, per ſaltus & arva pedites promittit, loca plana & aperta Equitum alis præcingit, cornuum ſtrepitu progreſſui receptuiq; canit, dat ſigna prædæ ac victoriæ, prædam adventantem aut evadentem ſiſtit, ut ſic, venatio bello ac pugnæ ſimillima ſit. Patricius *de Regn. & Reg. inſtit. lib. 3. tit. 6.*

Num. 46.

(18) *Apud Ovidium &c.*] *lib. 3. Metamorph.*

(19) *Hoc potiſſimum fabulam innuere &c.*] Eadem apud Carolum Stephanum *in Dictionar. Hiſt. lit. A.* leguntur: ſic enim ille Anaximenes, qui de picturis antiquis diſſeruit, ait, *lib. 2.* Actæonem venationem dilexiſſe, qui cùm ad maturam perveniſſet ætatem conſideratis venationū periculis, i. e. quaſi nudam artis ſuæ rationem videns, timidus factus eſt. *& p. p.* Sed cùm venandi periculum fugeret, affectum tamen canum non depoſuit: quos inaniter paſcendo penè omnem ſubſtantiam perdidit, ob hanc rem à canibus ſuis devoratus eſt.

(20) *Gargilius ille Horatianus &c.*] *Epiſt. lib. 1. Epiſt. 6.*

(21) *Virgilium &c.*] *4. Æneidos.*

Num. 48.

(22) *Eſau &c.*] *Geneſ. 25. v. 27.*

(23) *Quorum mores nemo dixerit imitandos &c.*] Collimant fortaſſis hæc ad ea, quæ Hieronymus *in Pſ. 90.* habet, & in diſtinctionem *86. c. Eſau. 41.* tranſlata ſunt: Eſau venator erat, quoniam peccator erat. Et penitus non invenimus in ſcripturis ſanctis ſanctum aliquem venatorem, piſcatores invenimus ſanctos. Quam tamen textum de immodico venationis uſu, ſeu potiùs abuſu loqui, plerique autumant.

Num. 49.

(24) *Auguſtin. &c.*] Verba ejus ſic ſonant: Quid autem ſignificatur hoc nomine, quod eſt VENATOR, niſi animalium terrigenarum deceptor, oppreſſor, extinctor? ad quæ Ludovicus Vives *lit. 6.* notat: Vox (*Venator*) ſi propriè ſumatur, ſignificat eum fuiſſe Venatorem ferarum, & maximè deditum venationi, quæ eſt Principum & Magnatum exercitatio: ſi verò id verbum per metaphorā poſitum intelligatur, ſignificat inſidioſum & violentum oppreſſorem hominum, qualem fuiſſe Nimrod narratio Moſis oſtendit. Gloſſa interlinearis interpretatur, Robuſtus venator, animalium deceptor, quia cogebat homines ignem adorare. *Hæc ille, qui & in Not. ſub y. videatur*, ubi vocem *coram* ex Abenizra in bonam partem Interpretatur. Confer Oſiandrum *in Not. ad Gen. c. 10. d. loc.*

Num. 49. 50.

(25) *Solent namque venationes &c.*] Vide Lanſium *in Orat. contra Britanniam*, ubi Authores citat, ex quibus hæc excerpta ſunt.

Num. 51.

(26) *In Hungaria &c.*] Adde iterum laudatum Lanſium *in Orat. pro Hung.*

Num. 52.

(27) *Auctumno maximè &c.*] Auctumni enim tempore feras pinguiores eſſe certum eſt, quapropter & tunc venatio fructuoſiùs peragitur. Contrà verno tempore venatione fœtificatio impeditur; & tunc odoratus canum per florum copiam, ut & in plenilunio & intenſo frigore interrumpitur, docente Cœlio Rhodigino *l. 26. c. 20.* Quod verò idem *ibid. c. 26.* tradit, quòd nonnulli Venatorum ferâ flumen aliquod intrante venationem ſolvant, ut minùs auſpicatam, meram ſuperſtitionem ſapere videtur. Contra pium æquumque eſt. Ut diebus Dominicis feſtisque venationis exercitium ceſſet. Ita ipſæ quoque Venationes in Illuſtri Ducatu Würtenbergico & Tecciaco penitùs in diebus feſtis interdictæ ſunt, ne occaſione venationis, cultus divinus negligatur. Dn. Myllerus ab Ehrenbach *de Princ. & ſtat. Imp. parte 2. c. 73. n. 15.* Plura & ſpecialiora de tempore venationibus commodo vide apud Kraiſerum *de Venat. Rom. Bavar. cap. 3. pag. 13*

Num. 55.

(28) *Sic Germanus impiger &c.*] Cæſar *Bell. Belg. Comment. 6.* de Germanis, Magna, *inquit*, vis eſt urorum, & magna velocitas: neque homini, neque feræ, quam conſpexerint, parcunt, hos ſtudioſè foveis captis interficiunt. Hoc ſe labore durant adoleſcentes; atque hoc genere venationis exercent: & qui plurimos ex his interfecerunt, relatis in publicum cornibus, quæ ſint teſtimonio, magnam ferunt laudem. Et iterum de Suevis *d. loc.* Vita Germanorum omnis in venationibus, atq; in ſtudiis rei militaris conſumitur. & Seneca *de Provid. c. 4.* inquit: in alimentum feras capiunt. Quamvis igitur Tacitus *de Morib. Germ. cap. 15.* contrarium adſtruere videatur, quando tradit, quoties bella non ineunt, *non multum* venatibus, plus per o-

 tium

tium tranſigunt, Lipſius tamen Pacem contrarietatis hujus emendatione ſic conciliari poſſe autumat, ſi negatione ejectâ, quæ haud dubiè geminata & petita è prioribus verbis ſic legatur: Quotiens bella *non* incunt, *multum* venatibus &c.

(29) *Meleager aprum &c.*] De quo agit Ovidius *lib. 8. Metam.*

Num. 68.

(30) *Quàm Turca &c.*] Teſte Lonicero *Turcic. Hiſtor. Tom. I. cap. 6. & cap. 24.*

Num. 70.

(31) *Inter Regalia refertur &c.*] Hoc ipſum tamen aſſertum mox Klockius noſter, ipſemet ſibi contrarius, *n. 72.* negat expreſsè dicendo, *Jus verò piſcationum Regalibus non annumeratur.* Verùm contrarietas facilè conciliari poterit, ſi ſic illa explicetur, quod in *n. 70.* Author noſter per Piſcationem intellexerit Piſcationum reditus, qui *per c. unicum, quæ ſint Regalia 2. Feud. 56.* ad exemplum aliorum redituum Regalibus minoribus, ſeu Juribus Fiſcalibus annumerantur; in *n. 72.* verò de ipſo Jure Piſcandi, quod aliud planè à priori eſt, & rectè inter Regalia haud refertur, ſermonem inſtituerit: quæ correctio & ſummariis horum numerorum planè conformis eſt. Confer Sixtinum *de Regal. lib. 2. cap. 18. n. 8. & n. 34.*

Num. 71.

(32) *Bocerus ait &c.*] De Regalibus *cap. 3. num. 142.*

Num. 73.

(33) *Dictum Hieronymi &c.*] Cujus jam ſuprà quoque *ad n. 48. (23)* mentio adjecta.

(34) *Ignobiles erant &c.*] Quamvis enim Petrus de Natilibus ex Damaſceno prodat, Bartholomæum Apoſtolum Regis Syriæ Ptolomæi nepotem fuiſſe; Contrarium tamen inde aſſeritur, quòd non Syriæ, ſed Ægypti Reges Ptolomæi vocati fuerint; 2. quòd credibile non ſit, Chriſtum natum Gentilē inter Apoſtolos ſuos habuiſſe, quòdq; ſæpè Apoſtoli ipſum in templum Hieroſolymitanum comitati fuerint, gentiles verò illic comparere nefas erat. *Vide Act. Apoſt. 21. 28. 29.* & denique quòd Apoſtoli Chriſti in Feſto Pentecoſtes omnes Galilæi vocati fuerint. Junge Beati Dilherri Hoher Schul die achte Betrachtung. *pag. 556.*

(35) *Rete piſcibus inſidiari &c.*] Hilarius *ſuper Matth,* 3. ſic inquit: In piſcatorum allectione, ex hominum arte, futuri eorum officii opus prodidit. Ut piſcibus è mari: ita hominibus deinceps à ſeculo, in locum ſuperiorem, i. e. lumen cœleſtis habitaculi, protrahendis occupati ſunto.

Num. 74.

(36) *Duræ concoctionis &c.*] In piſcibus id communiter memoriâ tenere oportet, (monente Arnoldo Villanovano *ad Johannis de Mediolano Scholam Salernitanam cap. 30. pag. 199.*) quòd recentes valdè nutriant & humectent, mammas lacte repleant, ſemen prolificum ſuppeditent, adeòque Venerem excitent, & biloſis corporibus ſint accommodatiſſimi. Cæterùm abſtinendum ab ipſorum eſu poſt quamlibet actionem fortem & vehementem. Qui namque id temporis ingeruntur, eos & malè concoqui, & dum in jecur ac venas diſtribuuntur, ſuccum generare crudum, qui non facilè in probum ſanguinem mutatur, à ratione alienum non eſt. Præterea verò, cùm hæc ipſorum etiam natura ſit, ut tardiùs pertranſeant, cura non minima adhibenda eſt, ne in ventriculum incidant debilem, aut pravis ſuccis vitiatum: quippe qui tum non bellè concoquantur & faciliùs ferè unà cum aliis in ventriculo exiſtentibus corrumpantur. Neque item unà cum carnibus aut lacticiniis, neque ſummo poſt alios cibos loco, ſi quid Avicennæ credimus, edendi ſunt. *Hactenus Villanovanus.*

(37) *ADEORUM ſacrificiis olim excluſi &c.*] Expreſsè Plutarchus *Sympoſiacon lib. 8. in quæſt. 8. Operum Tom. 2. pag. 729.* teſtatur, Piſcium nullum immolari, nullo rem ſacram fieri, ubi pro ratione manſuetudinem illorum, humanitatem, & innocentiam allegat.

Num. 70.

(38) *Piſcinarios &c.*] Horum meminit in Epiſtola ad Atticum *lib. 1. Epiſt. 18. & 19.*

(39) *Ad manum venirent &c.*] Noſtri autem Principes, inquit Cicero *in Epiſt. ad Attic. lib. 2. Epiſt. 1.* digito ſe cœlum putent attingere, ſi mulli barbati in piſcinis ſint, qui ad manum accedant. Quæ eleganter declarat locus Plinii *lib. 10. Natur. Hiſtor. cap. 70.* Piſces quidem auditûs nec membra habent, nec foramina, audire tamen eos palàm eſt: utpote cum plauſu congregari feros ad cibum conſuetudine in quibuſdam vivariis ſpectatur: & in piſcinis Cæſaris genera piſcium ad nomen venire, quoſdam ſingulos. Martialis *lib. 4. Epigram. 30.* de Domitiani piſcinis piſcibúsve eadem ferè canit:

Sacris piſcibus hæ natantur undæ,
Qui norunt Dominum, manumq; lambunt
Illam, quâ nihil eſt in Orbe majus.
Quid quod nomen habent? *& ad magiſtri*
Vocem quisque ſui venit citatus.

Item lib. 10. Epigram. 30.

--- --- *de ſua menſa*
Piſcina, rhombum paſcit, & lupos vernas.
Natat ad Magiſtrum delicata muræna.
Nomenclator mugilem citat notum,
Et adeſſe juſſi prodeunt *Senes mulli.*

Num. 78.

(40) *Suetonius &c.*] De Auguſto *in vita ejus cap. 83.* de Nerone *cap. 30.* Uti verò animi laxandi tantùm causâ dixit hamo piſcatum Auguſtum, cujusmodi innocuam animi recreationem Principi, cui aliàs negotia pro ſolatiis accipienda,

Qui tot ſuſtineat, & tanta negotia ſolus:
Res Italas armis tutetur, moribus ornet,

certè nemo æquus invideat. Ita prodigalitatem in inſtrumentis piſcatoriis nimiúmve luxû à Nerone adhibitû nemo ſanæ mentis laudabit, ſed potiùs ea, quæ exclamans generaliter de hamo Klockius in fine hujus numeri ſubjungit, ad ſolius Neronis, exercitium reſtringet. Quare autem Principes plerique magis venatione & aucupio, quàm piſcatione delectentur, rationem hanc reddit Cœpolla *lib. 1. de ſervit. c. 21. n. 1.* quòd venatio fiat in equis cum clamore & majori delectatione, quum Piſcatio humore & ſordibus etiam veſtes conſpurcet. Quod Gryphiander *Oecon. Legal. lib. 1. cap. 18.* advertit.

Num. 79.

(41) *Ingenti ſumptu piſcinas ædificare &c.*] Confer Plinium *lib. 9. Natur. Hiſtor. cap. 54. 55. & 56.*

(42) *Majores quàm in ipſa palatia &c.*] Exemplum vide in Lucullo, *hoc cap. n. 82.*

Num. 80.

(43) *Craſſus Murænam &c.*] Si fides habenda vulgi ſermonibus, quos refert Ælianus *lib. 8. Annal. c. 4.* Hanc (*Murænam*) Craſſus flevit, atq; ut audio honore ſepulturæ affecit. Et cùm aliquando Domitius in hunc dixiſſet: Stulte Craſſe, Murænam fle-

fleviſti mortuam: ad hæc reſpondens Craſſus; Equidem (*inquit*) ob beſtiæ mortem flevi; tu verò ne quidem ob tres uxores, quas terræ mandaſti. Eadem habet Plutarch9 *in libel.de capiendâ ex inim. utilit. Oper. Tom.2.p.89. & de Solertia animal. ibid.pag.976.* ubi addit, murænam hanc nominatim vocatam exaudiviſſe; de quo argumento ſuprà notavimus quædam *ad num.76.(39.)* Aliud exemplum de Hortenſio Oratore, qui & ipſe Murænam in piſcina apud Baulos in parte Bajana habitam adeò dilexit, ut exanimatam fleſſe credatur, Plinius *lib.9. Natur. Hiſt. cap.55.* (ubi & illud Antoniæ Druſi ab Authore noſtro citatum exſtat) obſervavit.

(44) *Eandem eſſe qua, à Plinio &c.*] Hoc minimè Jovius dicit, qui integrum *caput 31.ejus libri* de Muræna conſcripſit. Sed *cap.34.* illud: Lampetras parvis Murænis aſſimulari &c. parvam Murænam pro Lampetra intelligi &c. & Lampetram antiquitùs Plinio fuiſſe Muſtelā &c. Notátve Lampetrarum præcipuam nobilitatem Romanis à magnitudine atque ſapore, adeò, ut denis ſæpe aureis ſingulæ veniant, ipſo præſertim vere, quo maximè probantur: *ſubjungens*; Neque enim dum jejunamus & frugi eſſe debemus, luxuria caſtigatur. Retulit Platina in Culinariis ſuis duorum Cardinalium luxu ſuperbiâque certantium obſonatores centum aliquando argenteorum numûm uni Lampetræ pretium fuiſſe, quum in foro piſcario ambitioſiùs contendendo eum piſcem pertinaci atque inſanâ profuſione veluti ad haſtam licitarentur.

Num. 81.

(45) *Diutiſſimè poſſunt aſſervari &c.*] Fortaſſis digitum intendit Klockius ad locum Plinii *lib.9.cap.53.* ex quo videre eſt, piſcem à Pollione Vedio, Murænarum illum nutritio decantatiſſimo, in Cæſaris Piſcinis conjectum, ſexageſimum poſt annum exſpiraſſe, duobus aliis æqualibus ejus ex eodem genere etiam tunc viventibus. De memorabili illo & ferè plus quàm Lucio, in ſtagno Lutræ Cæſareæ (Käiſers Lauteren) vicino (Käiſers Wag) capto, hiſtoriam, ut rem raritate non minùs quàm antiquitate commendabilem Marquardus Freherus erudititiſſimo ſuo libro *de Orig.Palat. parte 2.c.12.* ſequentibus inſeruit: Neque verò minùs Friderico etiam II. Imp. gratum hujus loci (Käiſers Lauteren *à Friderico I. Barbaroſſa dicti*) aſpectum & uſum fuiſſe, argumento certo eſt inſignis & miraculoſus ille piſcis, ante CXV. annos (*ſcripſit verò Freherus Origines Palat. circa annum 1612.*) ibi captus in ſtagno vicino (Käiſers-Wag) quod etiamnum à Cæſare nomen tenet: per quod ipſe fluvius Lutra transcurrens, molamque (Käiſers-Mühl) maximos & ſapidiſſimos piſces nutrit, & in his Lucium, quem cultorem ſtagnorum Auſonius vocat. De hujus autem longitudine & captura teſtimonium perhibet vetus pictura in arce ibi viſenda, piſcem ipſum ingentem torquatum exhibens, & lineæ nigræ XIX. pedes longæ adſcriptum habens: Diß iſt die Gröſſe deß Hechts/ ſo Käiſer Friderich dieſes Namens der Andre/ mit ſeiner Hand zum erſten in den Wag zu Lautern geſetzt/ und mit ſolchem Ring bezeichnet hat Anno 1230. wird gen Heidelberg gebracht den 6. Novembris Anno 1497. als er darinn geweſen war 267. Jahr. Torques quoque, ſive mavis annulus collaris, æneus & deauratus, cum minuſculis annulis circumquaque inſertis, (qui etiam hodiè in cimeliarchis Palatinis, & meritò aſſervatur) adpictus eſt, & adſcriptum: HÆC EST FORMA ANNULI, QUEM LUCIUS GESSIT IN COLLO AD CCLXVII. ANNOS; QUI CAPTUS ANNO MCCCCXCVII. LUTRÆ EX STAGNO ET HEIDELBERGAM PERLATUS IX. NOVEMBR. HORA POST MERIDIEM SECUNDA. Præterea & hæc: In foraminibus iſtius nigris fortaſſe fuerunt ſigna imperialia vel ſimilia. Nihil tamen reperimus: ſed ſolùm foramina ſic poſita, ut patet. Torques autem ille, verè viſu dignus, & auro contra non carus inciſam habet memoriam Cæſaris φιλέλληνος, qui felici manu tam vivacem piſcem, poſteris paſcendum ſimul & ſtupendum, ſtagno immiſit; quæ ita habet: ΕΙΜΙ ΕΚΕΙΝΟΣ ΙΧΘΥΣ Ο ΤΗΝ ΛΙΜΝΗΝ ΠΑΝΤΟΠΡΩΤΟΣ ΕΙΔΥΘΑ ΔΙΑ ΤΟΥ ΚΟΣΜΗΤΟΡΟΣ ΦΕΔΗΚΙΚΟΥ Β̄ ΤΑΣ ΧΕΙΡΑΣ ΕΝ ΤΗ Ε̄ ΗΜΕΡΑ ΤΟΥ ΟΚΤΟΒΡΙΟΥ Ᾱ Σ̄ Λ̄. Hoc eſt. *Sum ille piſcis ſtagnum omnium primùm ingreſſus per Imperatoris Friderici II. manus, quintâ die Octobris Anno MCCXXX.* Quem licet Auguſtâ manu ſtagno impoſitum, velutique præfectum,

— *depaſtumq; diu vivaria Cæſaris,*

tandem ætate feſſum & jam declinantem, crudelis coqui machæra confecit, & ſub Philippo optimo Principe epulis Palatinis intulit. Dicas è Martiali didiciſſe

Ad Palatinas acipenſem mittito menſas.
Ambroſias ornent munera rara dapes.

Num. 82.

(46) *XL. millibus &c.*] Varro *de re ruſt. lib. 3. cap. 2.* M. Cato nuper, cùm Luculli accepit tutelam, è piſcinis ejus quadraginta millibus HS. vendidit piſces. Columella etiam ampliùs tradidit, *lib.8.cap.16.* Attamen iisdem temporibus, *inquit*, quibus hanc memorabat Varro luxuriem, maximè laudabatur ſeveritas Catonis, qui nihilominus & ipſe, tutor Luculli, grandi ære HS. quadringentorum millium piſcinas pupilli ſui venditabat. Sed benè notat Meurſius *de luxu Rom. cap.64.* (qui hîc omninò cum Lipſio *de Magnit. Rom. lib.2. cap.7.* evolvatur) exorbitaſſe librarium: reſcribendumq; ſeſtertiûm quadraginta millium.

(47) *Pluris vænire piſcem, quàm bovem &c.*] Non poſſe ſalvam dicebat eſſe Urbem, in qua piſcis pluris, quàm bos, væniret. Immane eſt, quod narrat Varro, *de re ruſt. lib.3.cap.17.* Celeriùs voluntate Hortenſii ex equili educeres rhedarias, ut tibi haberes, mulas, quàm è piſcina barbatum mullum. De quo videſis Meurſium *de Luxu Rom. cap. 11. 12. & 14.*

(48) *Varro &c.*] Et cum illo Macrobius *Saturn. lib.11.cap.11.* & Plinius *lib.9. cap.85.* rationem addens: Nam permutare pretio noluit, aliâve merce. Imò penſitatos in ipſo convivio piſces adſtantibus excipientibus Notariis, Meurſius *d. loc. lib. 14.* probat.

(49) *Majori impendio &c.]* Plinius lib. 9. Natur. Quæſt. cap. 54. Qua de cauſa Magnus Pompejus Xerxem togatum (eodem authore) eum appellabat. Ita Hirrius (Varrone lib. 1. cap. 11. teſte) circùm piſcinas ſuas ex ædificiis duodena millia HS. capiebat. Eam omnem mercedem eſcis, quas dabat piſcibus, conſumebat.

Num. 99.

(50) *Certas pillulas formare &c.*] Coler. *deciſ. 101.* Concordant etiam Dd. qui de Piſcatione ac Venatione ſcripſerunt: videatur præ cæteris Georg.

Georg. Mohr *de Venat. parte 1. cap. 1. num. 63.* Sebaſt. Medices *de Venat. parte 1. quaſt. 10. num. 5.* ubi dicunt, quòd eſca piſcari licitum non ſit: cùm ſit hæc Piſcatio fraudulenta, & eâ, ut idem Sebaſt. Medices, *jam dicto loco,* ait, piſces (quòd tendat ad deſtitutionem piſcium) in magna quantitate capiuntur. Confer Sebaſt. Kraiſerum *de J. venandi, aucupandi, & piſcandi Rom. Bav. de J. piſc. art. 9. pag. 122.*

(51) *Aliquas piſcationum ſpecies &c.*] V. G. Piſcatio nocturna Kraiſer. *d. loc. ad art. 8. pag. 121.* Item ne cum retibus nimis adſtrictis piſcetur, uti in devaſtationem piſcium mollium & primitùs germinantium vergens. Kraiſer. *d. loco ad art. 2.* Gryphiander *Oecon. Legat. lib. 1. cap. 18. num. 110.*

Num. 100.

(52) *Modi varii ſunt &c.*] Imò & certo piſce ad piſces capiendos, ex Indos uti Petro Martyre *Rer. Oecan. dec. 8. lib. 3.* obſervat Schottus *Phyſ. Cur. l. 10. c. 42.* Modus piſcandi per eum hic eſt. Vinctum eum tenent in navis ſponda funiculo incolæ, ſed tantum intra mare demiſſo, quantum ſufficit, ut piſcis intra aquam hæreat; neque enim patitur ullo modo aëris aſpectum. Viſo aliquo piſce, aut teſtudine (quæ ibi ſunt magno ſcuto grandiores) piſcem ſolvunt. Ille ſolutus, ſagittâ velociùs piſces aut teſtudines adoritur; pelleque illâ crumenariâ prædæ injectâ, raptum ita tenaciter apprehendit, ut exſolvere ipſum nulla vis ſufficiat, niſi extra aquæ marginem paulò glomorato funiculo extrahatur: viſo enim aëris fulgore, ſtatim prædam deſerit. Prædâ igitur jam circa aquæ marginem evectâ, in mare ſaltat tanta piſcatorum copia, quanta ad prædam ſufficiat ſuſtinendam, donec è navi comites eam apprehendant. Prædâ in navim tractâ, funiculi tantum ſolvunt, quantum venator poſſit ad locum ſuæ ſedis intra aquam redire: ibique de præda ipſa per alium funiculū eſcas illi demittunt. Piſcem incolæ *Guaicanum* appellant. Rondeletus ait, eum cicurari, & loquentes homines intelligere. Vocatur hic piſcis ab Europæis *Reverſus,* quia ad piſcandum dimiſſus revertitur, vel potiùs retrahitur. Hactenus Schottus. Quomodo verò Sinæ prægrandibus & domeſticis corvis piſcentur, vide apud Maffejum *Hiſtor. Ind. lib. 6.* Pancirollum & ad illum Salmuth. *de reb. nov. repert. tit. 1.*

Num. 100.

(53) *Vix duobus digitis &c.*] Juvenalis *Satyr. 12.*

I nunc & ventis animam committe, dolato
Confiſus ligno, digitis à morte remotus
Quatuor aut ſeptem, ſi ſit latiſſima tæda.

(45) *Ut quidam dubitaverit &c.*] Anacharſis cuidam roganti, utrū arbitraretur plures eſſe mortuos, quàm vivos? Navigantes, inquit, in utro numero ponis? Dubitans, an hi eſſent intra vivos habendi, qui vitam undarum ac ventorum arbitrio commiſiſſent. Laërtius *lib. 1. cap. 6.*

Num. 105.

(55) *Ulyſſes &c.*] Quòd quidam Ulyſſem authorem aucupii faciant, nugas meras reputat Salmuth *ad Panciroll rer. nov. reper. cap. 23.*

Num. 106.

(56) *Henrico I. &c.*] Mortuo enim Conrado Rege. *inquit Cuſpinianus de Cæſar. pag. 225.* Eberhardus defuncti Regis frater, ut juſſus erat à fratre, acceptis aureis armillis, cum chlamyde, lancea, & veterum Regum gladio & diademate, ad Henricum Saxoniæ Ducem feſtinat: quem in venatione & aucupio fortè reperit, unde & cognomentum ei datū.

Num. 107.

(57) *Vetuſtioribus quidem incognitum &c.*] Ingenuè fatetur Polydorus Vergilius *de rer. invent. lib. 3. cap. 18.* non prodi eum, qui primùm aves ad venandum domuerit; cùm recens illud inventum ſit. Vide Lylium Gyraldum *Dial. 8.*

Num. 108.

(58) *Rapacibus avibus non tantùm alias &c.*] Ita ſcribit Joh. de Laet *in Deſcript. Perſiæ pag. 132. ſeq.*

Num. 109.

(59) *Accipitres &c.*] Venantur, *inquit de illis Schottus Phyſ. Curioſ. lib. 9. cap. 16.* præter aves, & lepores, etiam proprium genus. Leporem poſtquàm ceperunt, ſiniſtrum pedem terræ infigunt, dextro prædam retinent, & oculos eruunt. Venaturi volitant ſoli. Prædâ conſpectâ irruunt cum impetu; ſi primo niſu fruſtrantur, perſequi deſinunt, & ſibi indignantur.

Num. 113.

(60) *Manna &c.*] Sic appellabatur panis iſte partim propter admirationem Iſraëlitarum, cùm primò illum aſpicerent & dicerent ad ſe invicem: *Manhu,* quid eſt hoc? partim quòd verè eſt Man: hoc eſt, donum DEI. Non enim panis eſt naturâ productus, vel induſtriâ humanâ comparatus: ſed à DEO ſingulariter datus. Figura ejus minuta erat & rotunda, ſimilis Coriandro, à quo tamen colore differebat, qui non niger erat, ut in Coriandro: ſed albus, ut bdellio, ſive Margarita. *Num. 11.* Sapor ejus ſuaviſſimus erat, mixtus ſcilicet ex ſapore panis olei & mellis. Sic enim *Num. 11.* ſcribitur, ſaporis erat quaſi panis oleati, & hic ſapor ejus, quaſi ſimilæ cum melle. Qui illius ſapor palato gratiſſimus DEI bonitatem commendat, quæ non contenta qualemcunque cibum dare, ſed optimum & ſapidiſſimum; & populi ingratitudinem arguit, qui nauſeam habuit ab hoc cibo ſuaviſſimo & optimo, ex D. Eraſmo Marbachio Oſiander *in Not. Marginal. ad Exodi cap. 16.* Eſſe quosdam, qui Manna quaſi thecæ incluſum cubaſſe ſuperiùs rore tectum, & inferiùs rori impoſitum ſeu pruinæ: Rore deinde ad Solis radios ſupernè evaneſcente, apparuiſſe, putant, indeque, Buxtorfio *Synag. Jud. cap. 10.* authore, manaſſe morem & modernorum Judæorum ritum, quòd pranſuri Panem inter duo mantilia occultum menſæ imponere ſoleant, in Manna recordationem inter duos rores olim incluſi. M. Micael Liebentanz *in Diſp. de Manna Iſraelitarū §. 21.* docet, quod §. 22. redarguit, ubi §. 28. *ſeqq.* de ſapore tractat, inſimul rejiciens illorum opinionem, qui autumant, in Manna fuiſſe omnes ſpecies ſaporum. *&c.*

Num. 118.

(61) *A venatu &c.*] Plura qui de his ſcire cupit, Noëm Meurer, vom Forſt- und Jag-Recht/ Kraiſerum ſuprà laudautm, Gryphiandrum *Oeconom. Legal. lib. 1. cap. 18.* ex recentioribus evolvat.

CAPUT

CAPUT VI.

De Vermiculorum Serici, ad Serica comparanda cura.

SUMMARIA.

1. Bombyces *ſeu Vermiculi ſerici, unde eorum inventus uſus, & quanta utilitas?*
2. Granatenſis *planicies è mori arboris foliis quotannis 30. millia Coronat. Fiſco Regio infert.*
3. *Quantum quæſtum exteræ nationes fecerint ex* mixturis ſerici & lani.
4. Lanificium, ſerificium, linificium *in quo conveniant.*
5. Discretoria, concretoria *& ſimilia, quæ ad contexturam ſtaminum faciunt.*
6. *Nemo* lucrum *invideat noſtratibus, quod inde poſſint facere. Exemplis illuſtratur.*
7. *De* moris *plantandis, inde vermiculi iſti alendi.*
8. Animalibus *iſtis repræſentatur reſurrectio corporum.*
9. Bombycum *& Vermiculorum differentia eſt.*
10. *CHINENSIBUS tanta eſt ſericæ texturæ copia, quanta noſtratibus lineæ.*
11. Vectigal Serici *in Regno Neapolitano quanti?*
12. Bombyces *quemodo in Orientalibus Aſiæ Urbibus alantur & propagentur.*
13. Vermiculi ſerici *poëtica deſcriptio.*

Quidnam aliud mortalis homo eſt, quàm terreus atra
Vermiculus terræ? verùm hic cùm tollere criſtas
Efferus inceptat, ſe ſtercore vermiculorum
(Serica namque aliud quid ſunt?) ſe velat & ornat;
Et capiti imponit plumas: quid fœdius autem
Stercore? quid lævius plumâ? tamen iſta ſuperbi
Materia eſt faſtus longè digniſſima, vermis
Veſtiat ut vermem, & plumâ ſe plumeus ornet.
Et tamen hinc magnos captant Æraria cenſus.

QUantum lucri (1) ex bombycibus ſive bombycini panni copia (quo nunc mundus ad luxum abutitur) Seydenwürmen/ redundet, norunt Itali, Hiſpani, & alii Peregrini, qui hactenus copiam vermiculorum faventiâ Solis aluerunt, educârunt, & varias merces ſericas magni pretii, Sammet/ Seyden/ Taffet/ Damaſt/ꝛc. ad nos pertulerunt, & Germaniam optumis numis emun-
1 xerunt, (2) geben uns die Seydenlumpen/ und nehmen und haben das gute Geld.

Tela ſerica ætate Juſtiniani Imp. à Romanis texi cœpta, quæ priùs à Perſicis mercatoribus tantùm afferebantur, cùm ignorarent, quomodo fierent, nec ſcirent fila eſſe vermium. Cæterùm originem illius duo Monachi ex Indiâ Byzantium profecti, declararunt, fœtumque illorum vermium, ova nimirum perexigua, attulerunt, & in fimo collocata, in vermes transformarunt, & mori foliis aluerunt, indeque naturâ magiſtrâ ipſis filum reddentibus, ſericum confecerunt. *Zonar.* (3) *Annal. tom. 3. pag. 95. b.* Accedit Ovidianum illud *Metamorphoſ. 15.*

Quæq; ſolent canis frondes intexere filis
Agreſtes tineæ, res obſervata colonis,
Fatali mutant cum papilione figurâ. (4)

Et Bombycum in nendo artificium cum aranea conjunxit Martialis *lib. 8. Epigr. 39.*

Nec vaga tàm tenui diſcurrit aranea telâ:
Nec leve tàm bombyx pendulus urget opus.

In hac bombycum tela præcipuè mirandum, quòd folliculum, cui involvitur, intra biduum pertexit, ac filum ejus tenue adeò fit, ut propè fugiat viſum; tàm fragile, ut in tractando & cautione magnâ ſit opus, & interim eò usque producatur, ut (Virgilianâ imitatione ſic dixerim)

Urbem bombycis poſſis circumdare filo.

Nutritur hoc inſectum mori foliis (uti paulò antè dictum) vel etiam ficûs. Quod in Syria vulgare eſſe, narrat Bellon. *libro 11. obſerv. cap. 105.* Si necdum ſunt mori folia, ali poſſunt lactucâ, urticâ, rubo. Sed hujusmodi non net ſericum. Quocirca curandum, ne, ubi ficus non eſt, ova excludantur, antequam ficus germinet. Ter de die cibandus: ſed ubi ad juſtam pervenit magnitudinem, quinquies. Planicies Granatenſis ex 2
ſolis mororum arborum foliis, quibus bombyces aluntur, præter multas ſerici libras, triginta millia Coronatorum quotannis in Vectigal regium infert. Ludovic. Nonius *in Hiſpan. cap. 22.* Boterus *in relat. part. 1. lib. 2. in Hiſpan.*

Quantum quæſtus Galli & *Belgæ* (5) ex 3
mixturis ſerici, lanei & linei fecerint, experientia teſtatum reddit. Commendatur in Italia hoc artificio quæſtuoſo *Neapolis*, (6) Genua, Florentia, præ aliis. *Convenit hoc genus ſerificii* (7) cum lini & lanificii operandi modo. Nam ad lanariam artem referuntur generatim omnia ſtudia & opera, quæ circa lanam & ex lanâ fiunt. Ad lanificii, linificii & ſerificii duas partes refert Plato *in Sophiſta pag. 226. & lib. 4. de Repub. fol. 428.*
diſcretoriam, quæ carminationem continet & diductionem, ſeu in longum & la- 4
tum protractionem; Et concretoriam, quæ texturâ opus habet, implicatione ſtaminis & ſubtegiminis: ad quam diſpectio filorum, aliorumque inſtrumentorum, & *machinæ* 5
aquariæ (8) pertinent, quibus fila conglomerantur compendioſè, damit die Seide auſgeweſet wird / in vicem multorum miniſtrorum excogitatæ.

Imitari licet, ſi non pari, ſaltem ſimili modo, ut lucrifacias. Nec enim Italis, Hiſpanis, aliisve *populis peregrinis tantùm* (9) ſub climate calidiore habitantibus, propagationem & educationem horum vermiculorum ſerici conceſſerit, verùm etiam ſuæ Reipublicæ (modò & loci & regionis conditio aliquantillum conniveat, ac lucrum indu-

induſtriam ſumptusque ſuperet), familiarem & frequentem fecerit Politicus; exemplo Henrici IV. Galliæ Regis, qui teſte Joanne à Chockier. *lib. 2. polit. aphoriſm. cap. 10.*
6 *num. 4.* artem ſericam in nonnullas ſuæ Ditionis Provincias introduxit, cùm antea vermiculi in exteris ditionibus alerentur. Nec regionum diverſitas quem deterreat, quippe quod æquè moreta ad alimoniam vermiculorũ paſſim in tuo territorio plantare, & calorem in cubiculis igni elementari ſubſtituere, tantamque induſtriam manûs operâ ad-
7 hibere poſſis, quantam exteri. Nec inſtituti exempla in Germaniâ deſunt in aulis Würtembergici, aliorumque Principum, qui Moreta ſive mori ſylvas plantari curant, ut id genus inſectorum inde alimoniam capiat. Tu imitare, & tenta modò: eventus & ſucceſſus proculdubio ex voto reſpondebit.

Lanæ ſericoque velleri omnia propè ſua debent Veneti, Mediolanenſes, Neapolitani & Genuates, quorum oppidorum præcipui cives huic negotiationi pleraſque ſuas opes imputent, neceſſum eſt. Nec difficile foret plantare *moros* in hiſce regionibus, ad æmulationem Veronenſium, Vicentinorũ, & Mediolanenſium: Eadem eſt enim ſoli ubertas, & capacitas agrorum, quæ in illis partibus.

8 *Mira hujus inſecti generatio*, (10) natura, vita, operatio, & mors, quæ analogiam quandam corporum reſurrectionis repræſentat: Sepulchrum enim ſibi concinnant ex ſuis viſceribus, lanigera uteri fertilitate materiam ſuppeditante, quo incluſi, veluti morte functi, tandem aliâ formâ emerſi & in lucem prodeuntes, palingeneſiam æmulantur, metamorphoſi ſtupendâ. Leonard. Leſſius *de providentia divina lib. 1. fol. 651. numer. 91.*

Unde B. Baſilius jubet mulieres, quando ſericum geſtant, hoc intueri, & reſurrectionis futuræ inde capere argumentum. Nam quâ potentiâ ex erucis papiliones facit; eâdem & corpora noſtra immutabit in ſpiritualia. Verba S. Patris hæc ſunt: Quid dicitis, qui non creditis Paulo de reſurgentium illâ immutatione, cùm videatis, ex aëreis animantibus multas ſuas immutare formas? Qualia de verme etiam Indico cornibus prædito referuntur. Hic primò immutatus in erucam, ulteriùs progreſſus fit bombylius: neque in hac forma perſiſtit; ſed bracteolis *alarum* mollibus, ac latis, volucris fit. Quando igitur vos mulieres confidetis, eorum opus retexentes, videlicet telas, quas ad nos usque Seres transmittunt, ad molles iſtas veſtes faciendas: memores ſitis illius animalculi immutationis in varias formas, atque inde dilucidum capite reſurrectionis argumentum; neque fidem derogate futuræ immutationi, quam omnium fore communem, annunciat. Hæc ille. Sic videmus, ut etiam grande reſurrectionis myſterium lucem capiat ex inſectis. Videatur quoque Andræ. Libavius *in tract.* contra Guibertum, Salmuth *in notis ad Pancirol.* Item tract. von Seidenwürmen / ex Gallico translatus *Tubingæ apud Cellium Anno 1604. in 4.* Sed Marſil. Cognatus *lib. 4. var. obſervat. cap. 12.* Vermiculos ſerici à bombycibus diſtinguit, hosce deſiiſſe, illos exiſtere hodie. Uti & JCt. Ulp. *in l. veſtis 23. §. 1. ff. de aur. arg. legat.* & Paul. *lib. 3. ſentent. tit. 6.* ſericas veſtes à bombycinis diſcriminat. Bornit. *lib. 1. de rer.* 9
ſufficient. cap. 22. Scalig. *verò exercit. 158. cap. 9.* Virgilii verſus *lib. 2. Georgic.*

Quis nemora Ætiopum molli canentia lanâ,
Velleraq; ut foliis deſpectant tenuia Seres.

Ex opere ſcilicet Bombycum ſupplendos eſſe monet; *Seres*, (11) inibi, Tartarorum nunc Hordam eſſe affirmans, in extremis Perſiæ Civitatibus: in eâque tantùm illius operis fieri, ut dena millia pondo ſerici in quotidianas operas diſpenſentur. In *Taprobane* quoque Sericum ſine cultu ex arboribus detrahi à Bombycibus confectum, legere eſt *in Commentariis Navigationum*, cu- 10
jus & in *Chinâ* tanta fertur copia, ut ſerica veſtis incolis tam vulgaris ſit, quàm nobis ex vili linteamine. Joan. Linſchot. *cap. 23.* cujusmodi multas hodiè à plurimis etiam mediocris ſtatûs hominibus atteri & lacerari videmus. Sericarum veſtium tenuitatem Arbiter Petronius appellat ventum textilem:

Æquum eſt inducere nuptam ventum texilem.

Veſtem enim ventoſam & tenuiſſimam, æquantemq; ſubtilitate propemodum ventos ſignificavit. Quo ſenſu idem Petronius nebulam linteam poſuit pro tenui amiculo linteo, quod nec panni crebritatem, nec telæ denſitatem, ſed nebulæ tenuitatem æmulantur pellucidam:

Palam præſtare nudam in nebula linteâ.

Sic enim Turnebum id interpretatum video *lib. 1. adverſ. cap. 15.* Omnium optumè & elegantiſſimè Gerhard. Joan. Voſſius *lib. 4. de origine & progreſſu Idololatriæ c. 90. fol. 1610. & 1611.* ubi Solinum *lib. 23.* viros etiam ſericâ uſos dicentem, intelligit ſubſerica, cujus ſtamen lineum, trama ſericum. Nam & hanc *ſericam*, dixêre. Sed veſte, cujus & ſtamen ſericum foret, primus ex Romanis uſus eſt Heliogabalus. Sic enim de eo Spartianus; *Primus Romanorum holoſericâ veſte uſus fertur, cùm jam ſubſerica in uſu eſſent.* Et addit, plurimisque oſtendit ibidem Voſſius, differre bombycinam, ſubſericam, & holoſericam; Bombycinam quidem Coam eſſe; Sericam quidem è bombyce fuiſſe, ſed ante Juſtiniani tempora originem ejus non ſatis fuiſſe notam; poſtquam verò Coa

eſſe in uſu deſiit. (quod contigit, ubi Serica in Romanum imperium magnâ advehi copiâ cœpit) nomina bombycinæ & ſericæ veſtis promiſcuè uſurpata fuiſſe.

VectigalSerici annuos aureos centum mil-
11 le in Regno Neapolitano referre,ſcribit Au-
thor Theſauri politici *de Regn. Neapol. circa*
fin. In urbe Orientali Tripoli etiam ſerici ma-
xima vis eſt, ob ingentem bombycum copi-
12 am; qui hoc pacto aluntur: Minutiſſima
bombycum ſemina (vere incipiente, dum tempus incaleſcere, arbores germinare, moríque folia producere cœperint) variis linteis candidis involuta, aſſiduâ diligentique curâ diebus XII. plus minúsve, interdiu mulierum ſinu, noctu temperato goſſipii calore confoventur. Ubi verò vermiculi generati, tenellis mororum foliis ſubſtratis imponuntur, ac in orbiculis quibusdam ex boum fimo confectis duarum aut trium hebdomadarum ſpatio repoſiti, mororum foliis aluntur; donec adultiores evadentes,& albeſcentes ad hortos moris albis conſitos adſportentur, ubi amplis caſis ex ſtoreis confectis, palis, ac cervis fultis recondu ntur. Porrò ii,qui horum curam gerunt, mororum arbores foliis denudant, eaque virentia ad has caſas conferunt, reptantibusque per ſtoreas fulcris ſuſtentatas bombycibus ea in alimentum bis in die præbent, donec tandem albeſcentes adultioresque effecti ſpumam emittere filaque ducere incipiant; hoc enim ii, quibus hi ſunt curæ, animadvertentes, ſurculos ſimul colligatos & connexos ipſis apponunt,quos bombyces aſcendentes, albos aut flavos globulos mirâ arte intus incluſi texunt, ac in orbem glomerant. Expleto tandem hoc texendi genere, ſericei illi globuli colliguntur, & in ahenum ſupra focum pendens aquâ ferventi plenum injiciuntur: artifices fila extrahentes; ingenti alabro rotæ inſtar contorquent. Ex his orbiculis meliores dvrioresq; eliguntur ad ſobolem propagandam: nam bombyces illis irretiti involucris in candidos papiliones mutantur, ac naturæ inſtinctu ſpolia illa dura perforantes exeunt, qui demum ex mutuo maris ac fœminæ congreſſu ſemina producunt, quæ diligenti curâ conſervantur, ut ſequenti anno nova proles modo præſcripto propagetur.

Ænigmaticè & graphicè Bombyx mi- 13
râ edolatur venuſtate,& deſcribitur à Caſpare Barlæo Poëta lepidiſſimo, *Miſcell. lib. 2.*

Penè nihil fueram: jam longum tendor in orbem:
Nunc eo: nunc pennâ liberiore volo.
Jam lateo tectis: mox rurſus liberor iisdem:
Nunc dapibus potior; nunc dapibus careo.
Jam piger incedo lentè: jam fila laboro:
Jam Veneris poſco gaudia; jam fugio.
Vixi, &, quem dederat curſum natura, peregi,
Fataque dum ſubeo plurima, ſponte necor.
Quodque priùs fueram, rurſus diſſolvor in ovum,
Principio fini conveniente ſuo.

Et à Nicol. Reuſn. in Ænigmatographia:

Involvor ſtudioſa opere, infelixq; morando,
Cùm morior, ſobolem ſemine linquo mihi.

Nec non ab Hieronymo Vida *lib. 1. & 2. Bombycum*, & à Michaële Bayero in Oratione è Caſparo Dornavio in amphitheatro Sapientiæ Socraticæ Jocoſeriæ relata, *tom. 1. fol. 161. & ſeq.*

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT VI.

(1) Q*uantum lucri &c.*] Artificium Serici Pancirollus *de reb. nov. repert. tit. 24.* vocat unicum jam Mercatorum *Italicorum* nervum lucri, & certiſſimum laborantium fulcimentum.

Num. 1.

(2) *Numis emunxerunt &c.*] Notabilis eſt querela illa Jacobi Wimpfelingii *in Achatarchia, cap. 22.* Neſcio,quo fato cæteræ nationes noſtram Germaniam abſorbere conſueverint, cùm econtrà nihil quæſtûs ab eis ad nos derivetur.

(3) *Zonaras &c.*] Ex Procopio, ut ipſe ait, *lib. 1. de Bello Perſico.* Confer Pancirollum & Salmuth *de reb. nov. repert. tit. 24.*

(4) *Cum papilione figuram &c.*] Bombyces Coas natas, tradit Plinius *Nat. Hiſt. lib. 10. cap. 23.* fieri primò papiliones parvos nudosque,mox frigorum impatientiâ villis inhorreſcere, & adverſum hyemem tunicas ſibi inſtaurare denſas, pedum aſperitate radentes foliorum lanuginem in vellera. Hanc ab his cogi, ſubigiq; unguium carminatione, mox trahi inter ramos, tenuari ceu pectine. Poſtea apprehenſam corpori involvi nido volubili. Tum ab homine tolli, fictilibusque vaſis tepore & furfurum eſcâ nutriri: atque ita ſubnaſci ſui generis plumas, quibus veſtitos ad alia penſa dimitti. Quo verò cœpta ſint lanificia, humore lenteſcere, mox in fila tenuari junceo fuſo. Nec puduit has veſtes, *pergit Plinius*, uſurpare etiam viros, levitatem propter æſtivam. In tantum à lorica gerenda diſceſſêre mores, ut oneri etiam ſint veſtes. Aſſyriâ tamen bombyce adhuc fœminas cedimus.

Num. 3.

(5) *Belga &c.*] In Belgio Sericum crudum, quod magnâ copiâ ex Italia, & regionibus Orientalibus, præ cæteris verò ex Perſia Societatis Orientalis Indiæ navibus defertur, (ut ſecundùm rei veritatem

ritatem à multis obſervatum eſt) ampliùs quàm duodecim millia hominum occupat, qui tantummodò in eo ſeparando, & glomerando occupantur. Schoockius *in Belg. Fœder. lib. 7. cap. 19.*

(6) *Neapolis, &c.]* Rogerius autem Siculus Corintho, Thebis, Athenis expugnatis, opifices ſericos pannos texentes, inde deductos in Palermo Siciliæ collocavit, artemque illam texendi ſuos edocere præcepit. Inde ars illa priùs à Græcis ſolis inter Chriſtianos habita, Romanis parere cœpit ingeniis. Ita ſcribit Otto Friſingenſis *lib. 1. de geſtis Friderici III. Imp.* Alii tamen vetuſtiora incunabula ſerici in Italia narrant, ut videre licet apud Garzonum, ſive ejus interpretem Latinum, *in Emporio Emporiorum lib. 4. cap. 1.*

(7) *Convenit hoc genus &c.]* Vide Gryphiandri *Oecon. Legal. lib. 1. cap. 23.*

Num. 5.

(8) *Machinæ aquariæ &c.]* Similiter in Belgio quidam molas majores invenerunt, quarum ſubſidio, levique impenſâ expeditiſſimè omne genus tæniarum poſſet confici; ſed quòd hac ratione peſſimè ageretur cum iis, qui victitant ex tæniarum harum textura, Anno MDCXXXIX. d. XIV. Martii decreto Ordinum Generalium ſtatutum eſt, ut certi ſolùm generis tænias molendinorum ſubſidio conficere liceat, reliqui qu e artifices occaſionem perpetuò nanciſcantur vi ctum ex ſua parte quærendi. Schoockius *d. lib. 7. cap. 19.*

(9) *Populis peregrinis tantùm &c.]* Bombyces, docente Garzono *loco ſuprà citato*, nuſquam niſi quò perferuntur, reperiri ſolent, quibus in locis, etiamſi ſient frigidi, augentur, ſi ipſis idoneè caveatur; quod ſi nòn fiat, tunc omninò intereunt, nec caliditas, vel qualitas alicujus dominii juvat, quemadmodum in aliis animalibus deprehenditur.

Num. 8.

(10) *Mira hujus inſecti generatio &c.]* Adde Garzonum *in Emporio Emporiorum lib. 4. cap. 1.*

Num. 9.

(11) *Seres &c.]* Non dicam hîc (*inquit Kircherus in China illuſtrata parte 4. cap. 11. p. 206.*) de laboribus, quos in Bombycum & ſerici cultura adhibent Sinæ; unde tanta byſſi ſericique copia provenit, ut toti Orbi ſufficere Jure poſſit; unde non ſine ratione eam, quam Ptolomæus *Sericam* vocat regionem, aliam non fuiſſe, quàm *Chinam* conjicio. Eminet inter cæteras haſce Provincia *Chekiam*, utpote quæ bis quotannis bombyces educit, eorumque culturam bis mille & octingentis annis ante noſtræ Salutis adventum priſcos exercuiſſe, annales eorum referunt.

CAPUT VII.

De Apum Studio & cura non poſthabenda.

SUMMARIA.

1. Apes *unde dicta, earum utilitas ex melle conjicienda eſt, & cerâ.*
2. Apum *curam ſuſcipiendam, fureſq; avertendos hortatur Author.*
3. Vectigal ex apibus *Rex Poloniæ ingens habet.*
4. *Tenella* apum *membra, induſtria, generatioq; deſcripta: faciem habent Reipublicæ Oeconomiam quandam, providentiam tempeſtatum, diverſitatemq; aëris,* num. 5.
6. Regem *habent, parent, defendunt; ille autem deponit aculeum*, num. 12.
7. Apum *ſapientia, virginalis integritas, ſtudium, fides, in regem reverentia,* & num. 8. 9. 10.
11. Rex apum *claris naturæ notis inſignitur.*
13. *Nulla fidelior cuſtodia amore populi.*
14. Mellificium apum *in cranio Leonis.*
15. Ænigmata *de alveo apiario, & melle, & apibus*, num. 16. 17.
18. Apum *doctrinæ.*
19. Apicularum *examen D. Ambroſii infantilibus labellis inquievit.*
20. Apes *ad rem veſtiariam proſunt.*

Mellis apes fluvios ipſæ ſibi in æthere fingunt,
 Ipſæ, quos habitant, ædificant thalamos.
Grata apis humanæ, frugiſque facillima vitæ eſt.
 Non bovis, aut curvæ falcis egebit ope.
Tantùm opus hic ſitula eſt, ubi dulcia pocula mellis
 Ubertim parvo fundat ab alveolo.
Congaudere ſacræ, varios & paſcite flores,
 Ætherei volucres nectaris artifices.

1 Apis ex ſententia Didymi omnium reliquorum animantium *eſt ſapientiſſima* (1) & artificioſiſſima, & propè ad homines intelligentiâ accedit; dicta *ab antiquo, apo*, (2) id eſt, necto. Ejuſdemque originis *apex*, & *aptus*, hoc eſt, *nexus, junctus.* Unde Maro:

——— *cœlum ſtellis ardentibus aptum.*

Et Catullus;

Aptis ſarcinulis & expeditis.

Apes nempe, quia pedibus aptæ, hoc eſt, nexæ, ſociatæque; juxta illud 4. *Georgic.*

Aut illæ pedibus connexæ ad limina pendent.

Et Eccleſ. 11. v. 3. *Brevis in volatilibus eſt apis, & initium dulcoris habet fructus illius.* In minimis maximè elucet ſumma Dei Majeſtas, vis, & magnitudo. Unde & parvi, teſte Ariſtotele in Phyſiogn. *ſolent eſſe magnanimi*, (3) quia virtus animi in parvo corpore contracta ſtringitur & acuitur: Unde illud:

Major in exiguo regnabat corpore virtus.

Quantum autem emolumenti & utilitatis apiculæ afferant, ex fructu mellis & ceræ æſtimari poteſt. Melli apud omnes ſemper gentis pretium fuit; Quod, Varrone teſte, dulciſſimum eſt, & Diis hominibuſque acceptum. Favus quippe altaribus infertur, *& melle ordiri* (4) finireque cœnam Romanis in more fuit. Uſus quoque mellis facit ad cibos, ad medicamina, ad con-

conſecturas, & alia id genus. Utile ſanè inventum cœleſtis ſucci, quo vires roborari hoſtium inſecutione *feſſus Jonathas* (3) didicit. Non quidem animi deliquium paſſus Jonathas, ſed quoad viſum ferè quid ſimile, ex inedia, labore, fatigatione: has nebulas inde ſubortas, mellis dulcedo & alimonia diſcuſſit. Hinc & potum mulſi Nectari conſimilem parſimonia invenit. Namque ſylveſtria examina ingentem proventum per Quercetorum ſolitudines Borealibus plagis poſſeſſoribus ſufficiunt.

Nec ſolùm mel uſui noſtro inſervit, ſed etiam deliciis, cupediis, eduliis. Ceræ uſus quoque multus, ad unguenta, unde olea, ceræ ad ſigilla, ad lychnos, ad ſtatuas quoque & imagines formandas, in Wachs poſſiren, & alia innumera. Et mellis ceræque, ex quo divino cultui conſecratæ ſunt, nobiliſſima commercia toto orbe increbuêre.

2 Dabit igitur operam Politicus, ut cives, inprimis villici & ruſtici, domi & in ſylvis apum curam inſtituant, Reipublic. maximè profuturam. *In fures & violatores apum* (6) ſeverè animadvertat; quippe qui vim & injuriam inferant tàm tenello & induſtrio animalculo, de re communi benè merenti. Vide Quinctilianum *declamat.* 13. quâ pauper diviti intendit litem damni injuriâ dati, ob apes ſuas veneno interfectas.

In Poloniâ & Lituaniâ cura earum frequens eſt in ſylvis ad mulſi confectionem, & ut ad vicinos & exteros transferatur mel & cera. Et tanta hîc eſt mellis abundantia, ut paſſim & temerè in rupibus, concavisque arboribus id inveniatur, etiam quandoque ab apum examinibus deſtitutum: Joan. Ludovic. Gotofred. *in Archontologia Coſmica lib. 7. num. 14. fol. 401. col. 1.* ex quo Rex Poloniæ magnum vectigal percipit.

3 Nec Pruſſis & Maſſoviis mel deeſt; Qui & ipſi id cum lupulo aquâ decoquunt, *Medonem* vulgò vocant. Solet autem is condiri Varſaviæ peculiariter ſucco è ceraſis rubiſve malis expreſſo, aut aromatibus; & pro ratione condimentorum, *Kerſtrangi, malinici,* ac *troinici* nomen accipit.

Magnus quoque Ducatus Ruſſiæ & Moſcoviæ melle adeò abundat, ut in vaſtis ſylvis, in ſpecubus, & excavatis arboribus aliquando ingentes mellis maſſæ reperiantur, & homines feræque in illos mellis lacus improvidè delapſi ibique immerſi tanquam muſcæ in melle hæreant & periclitentur; quod ex narratione *Pauli Jovii*, (7) quam adponemus, patebit. Is refert, Demetrium quenppiam Romam Legatum narrare ſolitum cum multo omnium riſu: Agricolam quendam quærendi mellis causâ in prægrandem cavam arborem deſiliiſſe, atque profundo mellis gurgite pectore tenus fuiſſe hauſtum, ac biduo vitam ſolo melle ſuſtentaſſe, cùm vox opem implorantis in ea ſylvarum ſolitudine ad viatorum aures penetrare nequiviſſet. Ad extremum, deſperatâ ſalute, admirabili caſu ingentis Urſæ beneficio inde extractum evaſiſſe, cùm fortè ejus belluæ, ad edenda mella more humano ſe demittentis, pedes manibus firmiter apprehendiſſet, & eam ſubitò timore exterritam ad reſiliendum cùm tractu ipſo, tum multo clamore coëgiſſet.

Si ortum apum ſpectemus, non illos Libido progenerat; ſed ex melle viviſcunt. Solæ enim Venerem neſciunt; ſed animal laborioſum ex opere ſuo naſcitur. Ac licèt plura animantia naſcantur *absque maris fœminæve commixtione*, (8) ut mures, ac muſcæ, attamen ubi in rerum natura ſunt, copulantur gignuntque: ſed in apibus neque mas, neque fœmina eſt: Sunt enim, teſte Cypriano, perpetuæ Virgines. Sic enim ille in expoſitione ſymboli ad illa verba: *Ex Maria Virgine.* Quid mirum videtur, ſi virgo conceperit? Apes certè neſcire conjugia, nec fœtus nixibus edere omnibus palàm eſt. Cui concinnis eſt Sententia D. Ambroſii dicentis: Apes nullo concubitu miſceri, nec libidine reſolvi, nec partûs doloribus quati, ſed integritatem corporis virginalem ſervantes ſubitò maximum filiorum examen emittere. De quo & Plinius *libr.* 11. *rer. natur. c.* 16. Apes, *ait*, quomodo fœtus progenerent, magnam inter eruditos, & ſubtilem quæſtionem fuiſſe. Apis enim coitus viſus eſt nunquam. Et Virgil. *5. Georgic.*

Illum adeò placuiſſe apibus mirabere morem,
Quod nec concubitu indulgent, nec corpora ſegnes
In Venerem ſolvunt, aut fœtus nixibus edunt:
Verùm ipſæ è foliis natos, & ſuavibus herbis
Ore legunt.

Ambroſius autem: *Communis omnibus generatio, integritas corporis virginalis omnibus communis, & partus; quoniam neque ullo concubitu miſcentur, nec libidine reſolvuntur, nec partûs quatiuntur doloribus, & ſubitò maximam filiorum examen emittunt; è floribus & herbis ore ſuo prolem legentes.* Addit Ambroſius: *Cernes omnes certare de munere, alias invigilare quærendo victui, alias ſolicitam caſtris adhibere cuſtodiam, alias futuros ſpeculari imbres, & ſpeculari curſus nubium, alias de floribus ceras fingere, alias infuſum floribus rorem colligere.* At Virgilius:

Venturæq; hyemis memores, æſtate laborem
Experiuntur, & in medium quæſita reponunt:
Namq; aliæ victu invigilant, & fœdere pacto
Exercentur agris.
Sunt, quibus ad portas cecidit cuſtodia ſorti,
Inq; vicem ſpeculantur aquas, & nubila cœli,
Aut onera accipiunt venientum.

4 Sin conſideremus dædaleam ſive artificioſam naturæ fabricam, quâ in parvo adeò corpuſculo membra omnia ita affabrè diſtinguuntur, ſimul & pulchritudo, robur & agilitas eluceſcit. Hinc juvat expendere ſimulacra prudentiæ, juſtitiæ, temperantiæ, fortitudinis, & aliarum vir-
5 tutum. Nam *Rempublicam* (9) habent & domos. Tempeſtates prævident, nec dubio ſe cœlo committunt; neque in diem vivunt, ſed victum in hyemem reponunt:
6 nec fas ducunt delibare aliquid de congeſto melle, priuſquam plenis horreis fuerint ſecuræ, pro rege ſuo totis caſtris pugnant, & honeſtam mortem oppetunt. Sic Hieronymus *Epiſt. 4. ad Ruſticum Monachum*: *In apibus princeps unus eſt: grues unum ſequuntur ordine literarum*: & quæ ibi plura exſtant, relata à Gretiano *can. 21. in apibus. 7.*
7 *quæſt. 1.* Indeque elucet urbana apum ſapientia, quòd legibus Rempublicam peroptimè conſtituunt: Quum enim primum Reipublicæ ſit inſtitutum, ut quiſque labore ſuo Rempublicam juvet; in apibus
8 mira obſervatio operis eſt. In alveario enim labor omnibus unus: ceſſantium inertiam notant, caſtigant, mox & puniunt morte; Plin. *d. lib. 11. cap. 10. & cap. 11.* Imperant, *inquit*, apes fucis, primoſque in opera expellunt, tardantes ſine clementia puniunt. Quo loci ſubnectit; Domos plebeis primùm exædificant, deinde Regias
9 Imperatoribus futuris in una parte alvei extruunt amplas, magnificas, ſeparatas, tuberculo eminentes: ut vel ſic Rempublicam norint pendere à magnificentia regia benè præſidente; & à populari multitudine probè obſequente: Quis hinc non eliciat in apibus politicæ virtutis adeſſe veſtigia?

Deniquè de fide in Regem Ambroſius: *Regem ſuum ſummâ protectione defendunt, & perire pro eo pulchrum putant. Incolumi rege neſciunt mutare judicium, mentem inflectere: amiſſo, fidem ſervandi muneris derelinquunt, atq; ipſa ſua mella diripiunt, quod is, qui principatum habuit muneris, interemptus eſt.* Et de hac obſervantia præceſſerat: *Non Indi, non populi Sarmatarum tantam, quantam apes reverentiam devotionis obſervant, ut nullæ è domibus exire audeant, in nullos prodire paſtus, niſi rex fuerit egreſſus, & volatus ſibi vindicaverit principatum.* Virgilius diſertè:

Præterea Regem non ſic Ægyptus, & ingens
Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaſpes
Obſervant: rege incolumi mens omnibus una eſt:
Amiſſo, rupêre fidem, conſtructaque mella
Dirupêre ipſæ, & crates ſolvêre favorum.
Ille operum cuſtos: illum admirantur, & omnes:
Circumſtant fremitu denſo, ſtipantque frequentes:
Et ſæpè attollunt humeris, & corpora bello
Objectant, pulcramq; petunt per vulnera mortem.

Adjicit iis Albertus Magnus *animal. l. 12.* 10
in apibus. Apes excubias cuſtodire, ſi quando examen egreditur: Regem autem, veluti quodam cornu obſtrepente, evocare bis vel ter, deinde egreſſum ipſum regem, adhuc eodem obſtrepente cornu, evolare, &, cum eo reliquas apes. Rex verò a- 11
pum naturæ claris formatur inſignibus, ut & magnitudine corporis præſtet, & ſpecie, & quod in rege præcipuum eſt, morum manſuetudine. Eſt quidem aculeus regi 12
apum, ſed non utitur eo ad ultionem & vindictam: à quo Princeps exemplar ſumens ita ſe comparet, ut diligatur, non ut metuatur, Aldovin. *conſ. 20. num. 22.* Sigiſmund. Scaccia *lib. 1. de judic. cap. 53. n. 33.* 13
nulla enim certior & fidelior cuſtodia eſt innocentiâ & *populi amore.* (10) Quia non armis aut terrore extorquetur amor, ſed fide, diligentiâ, curâ communium commodorum elicitur. Cætera extorquentur vi, amori non poteſt vis inferri.

Nemo poteſt eſſe fidus ei, quem timet.

Cùm Marco Barbarino, Venetorum Duci objiceretur, quòd in puniendo, & ſe *de injuriis vindicando* (11) tardior eſſet, reſpondit: *Boni Principis eſt, non ſe ulciſci de inimicis, ſed ſufficit, ut ſe ulciſci poſſe declaret.* Laudatur meritò illud Senecæ:

Qui vult amari, languidâ regnet manu.

Bellè Nathan Chytræus *libr. Coſmoſcopiæ tit. 4. de Zooſcopia.*

Rector apum illuſtris, cui tota examina parent,
Unus præ reliquis ſtimulo caret, at tamen illum
Et venerantur apes, & demirantur; & ipſis
Attollunt humeris, proque hoc ſua corpora bello
Objiciunt, ultròque ineunt per vulnera mortem.
Diſce hinc rex, princeps diſce hinc, populique magiſter
Quilibet, ut gladios & ſpicula ferrea plebi;
Facta in perniciem ponas, & mite ſequaris
Imperium, cujus certum ut clementia fulcrum
Et baſis eſt, ſic ejuſdem vis certa ruina eſt.

Summatim dicam.

Doctus Apum & ſtudia & mores & jura revolvat,
Qui benè vult populis dicere jura ſuis.

Ænigma in ſacris Hebræorum Judicum 14
hiſtoriis editum eſt à viro fortiſſimo Samſone: quem apud Hebræos Herculem fuiſſe, Scriptores quidam voluêre. Hic ipſe Samſon leonem compreſſit, in cujus arefacto capitis oſſe, id eſt, cranio, non multò pòſt, ceu in alveari apes mellificarunt: quòd

quod mox Samſon, cùm illuc iter faciens inveniſſet, favum ſumpſit, & comedit, partemque parentibus detulit: Tum hoc inexplicabile ſodalibus problema propoſuit. Hiſtoria copioſè narratur, *lib. Judicum cap.* 14. *verſ.* 8. *ſeqq.* cujus ſignificatio cùm Alphonſo Ferrarienſium Principi arriſiſſet; quòd ſuæ cuidam ſententiæ conveniret, monetam denarii hoc ſigno cudi curavit. Nonnulli cenſent, illud Samſoni eveniſſe providentiâ Dei ſingulari; ac continere hiſtoriam iſtam ſymbolum Chriſti, & fidelium. Nam ſimiliter occiſo Leone de tribu Juda, enatas apes, Chriſtianos homines; item favos ac mella cœleſtis Evangelii; quod ſaluberrimo & ſuaviſſimo ſucco hodieque mentes omnium paſcit fidelium. Sed profectò non ſi myſterium hîc lateat, (quod fuſiùs B. Ambroſius aperit, initio *lib.* 11. *de Spiritu S.*) & hiſtoria non fuerit: nec ſi eluxerit hîc providentia Dei, eo prorſus fuit prodigioſum. Equidem cauſam non ſatis video, *cur idem naturale non fuerit*; (12) præſertim quando & Herodotus *lib.* 5. *cap.* 114. refert, de examine apum ingreſſo in caput Oneſili ſuſpenſum: & in vita magni Hippocratis legere ſit, apes longo tempore mellificaſſe *in ejus ſepulchro*: (13) ut non tantopere omnes omnia averſari cadavera videantur, quàm multi tradiderunt.

Samſonis maxillam (14) Leoninam melleam, ænigmaticè & pulchrè proponit Johannes Lorichius:

De forti, mirum eſt, dulcedo provenit ingens;
Suavis & egreditur de comedente cibus.

ALITER.

Quod vorat, atq; dapes ingenti ingurgitat ore,
Ex quo prodierit copia multa cibi:
Omnia quod longè præſtanti robore vincit,
Fluxerit è cujus dulcior ore favus:
Hæc mihi qui rectâ problemata ſolverit arte,
Huic ex regali Syndone veſtis erit!

Atque iterum aliter Joan. Lauterbachius:

Mellis opes & apes fortis naſcuntur in ore;
Doctrinâ Chriſto melle piiq; fluunt.
Fortis apum profert examen mellis & eſcam:
Sanctorum & vitæ Chriſtus origo cibi.

15 Alveum verò Apiarium per ænigma ita prodit Julius Cæſar Scaliger.

Nobilis urbs, populus juſto ſub rege laborat:
Vix ædes, largæ vix numerantur opes.
Nec me coctilibus ſurgentia mœnia plinthis,
Unica perpetuo ſub pede teſta capit.
Sæpè etiam ſolo cingit me ſtipite murus,
Sæpè etiam texto cratibus orbe tegor.
Intus nulla via eſt; ſecto quæ limite quadret,
In medio tota eſt, ſed ſine lite forum;
Aſt ubi ſeditio variis ſub regibus orta eſt,
Solvitur antiqua relligione fides.

16 Aliud Ænigma de melle incertus Author proponit:

Vox quædam ruris tribus (a) *eſt diſtincta figuris:*
Fronte Deum demta (b) *ſignans, alvoque remota*
Millia (c) *præcedunt, ſed quinquaginta ſuperſunt;*
Quæ tu ſi demas, certum (d) *pronomen habebis.*

a. *Mel.* b. *El Hebræis Deus.* c. *ML.* d. *Me.*

Et de apibus, Joannes Lorichius Hadamarius: 17

Optima quæ ſit aves inter, mihi, quæſo, recenſe,
Ex qua ſed fiant fercula nulla tibi.
Non torrere veru poteris, ut cætera ad ignem,
Non erit elixa hinc, nec caro frixa tibi.

Nec ſunt contemnendi verſiculi, elocutione rudes, ſed ſenſu pleni veteris Verſificatoris.

Sedula, parca, brevis, vox major corpore, mel dat,
In grege ſub rege eſt, perit uncta, revivit aceto,
Crure ſecat, ſtimulat, vitam cum vulnere ponit:
Caſta facit prolem, pede caſſa eſt, florida paſcit,
Naſcitur ex tauro, ſexangula mœnia condit,
Fumos, fœtores, ſtrepitum fugit, & lapides fert
In vento, &c.

Viden', quæ ab apibus diſcenda? I. Concordia, & in communi vita ſocialis. II. diligentia & induſtria in ſua functione. III. noxiorum conſtans depulſio & vitatio. IV. amor caſtitatis. V. fides & obſervantia in Magiſtratus. VI. fortitudo & vitæ contemptus pro Republica aut Principe ſuo. Qui volet iſta fuſiùs tradita, legat Ariſtot. *lib.* 9. *Hiſt. animal. cap.* 40. Varronem *libro* 3. *de re ruſtic. cap.* 16. Mixium *lib.* 11. *cap.* 10. Simon. Majolum *Dier. Canicular. lib.* 1. *fol.* 70. *& ſeqq.* Henricum. Farneſ. Eburonem *de ſimulacro Reipubl. libr.* 1. *cap.* 18. *& cap.* 19. *& libr.* 2. *cap.* 49. *& libr.* 3. *cap.* 1. & noviſſimè Caſparum Dornavium *in Amphytheatro Sapientiæ Socraticæ Jocoſeriæ, in Encomio apium fol.* 129. *& quamplurimis ſequentibus.* Theodorum Höpingium *in nupero inſigni tractat. de jure inſignium cap.* 9. *num.* 348. *& ſeqq.* Gerhard. Joan. Voſſium *de Idololatr. orig. & progreſſ. libr.* 4. *cap.* 66. *& cap.* 62. 68. 69. 70. 71. *&* 72. Joann. Biſſelium Jeſuitam *lib.* 1. *Vernorum eleg.* 24. ubi fingit D. Ambroſium in Albano paternæ Villæ violario, à Nutrice collocatum; 19 interim pro vero, exploratoque tradit, infantilibus illius Labellis ſomno compoſitis, APICULARUM examen non ſine mellificio inquieviſſe; quam rem divinam viri eloquentiam præmonſtrâſſe, ſubſequenti carmine canit:

Villa, ſed Agricolis prætoria villa columnis
Ardua ad Albanum ſtabat opaca Nemus.

Circum hortus, circum irriguo Viridaria prato,
Auſoniisq; thymis Gallica mixta thyma.
Fortè (ſuburbano dum urbana negotia Rure
Fallit, & ad ſylvæ frangit amœna Patet)
Infantem Ambroſium Veris *ſub ſidere Nutrix*
Sepoſitum Zephyris arboribusq; locat:
Dumq; abit, atque redit, pro parvo magna Puello
Vota edit. Votis Numina ſorsq; favent.
Stabant, ecce, cavis numeroſa alvearia cellis:
Et quot apes Hybla fert, & quot Hymettus apes.
Intus concilium Reges de melle ciebant.
Dum populus violas, dum foris arva legit.
Hîc puerum ut vidêre, procul cuſtode, labellis
Suavè renidentem, Deliciisq; patem.
Continuò Regesq; alveis & turba Miniſtra
Abſcedunt Violis, Ambroſiumq; petunt.
Quò, rogo, quò, gens caſta, ruis? Puerínę ſub
Ora, corallineis floridiora Roſis?
Ora, crocum Pæſtique omnes redolentia calthas?
Ora, & labra, omni ſuccidiora labro?
Hoc fugere eſt tedas? hæcne illa innupta, Maronis
Cantata ingenio, Vita, toriq; fuga?
Aut fraus eſt, aut fallor, Apes, nam infantis in ore
Tam ſuavi, pro una, mille habitant Veneres.
Hæc ego, ſed fruſtrà, non abſterrentur ab auſo,
Quod cœlo capiunt auſpice, mellis Aves.
Quidquid Ariſtæus, quidquid numerabat Idumês
Ductor apum Samſon, quâ data porta volant:
Ambroſiana ſuper pars incuba bambilat ora,
Cætera labrorum pars penetrale tenet.
Prodigio nutrix media intervenit: & amens
A puero & ſomnos effugat, & volucres.
Non ita cryſtallis aurum, carbunculus auro,
Aurora certat Solis in axe jubar.
Quàm nitor Infanti roſeus certavit in ore;
Jam tum Magnum aliquid, Parvule noſter, eras.
Jam tum aliquis Paradiſus erat: nam te undique circum
Caltha, thymus, violæ, roſq; favusq; fuit.
Tum quoq; cùm lætæ duplicares oſcula Matri;
Oſcula deprêndit Melle madere tua.

Denique notandum, apes quoque rei prodeſſe veſtiariæ. Nam & purpura mel- 20
le conſervatur. Narrat enim Plutarchus in Alexandri vita, (quo loco de captis loquitur Suſis) in urbe ea, inter alia pretioſa, inventa eſſe quinque millia talentûm purpuræ Hermionicæ, centum & nonaginta annis ſervatæ, ac nihilominus florem recentem & novitium retinentis, quia puniceorum infectura eſſet melle perfecta, candidiorum, oleo candido. Nempe mel lentore ſuo ſufficit, ne calor nativus foràs exeat, vel externus ingrediatur: ac par olei ratio eſt; unde eſt, quòd gladii oleo inuncti, non obducantur rubigine. Gerard. Joan. Voſſius *libr. 4. de origine & progeſſu Idololatriæ cap. 9. fol. 1612. & ſequentibus.*

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT VII.

Num. 1.

(1) *Sapientiſſima &c.*] Unde Quintilianus *Decl. XIII.* Cùm ingenia noſtra, quæ nos ſcilicet ambitioſi noſtri æſtimatores, proxima divinis credimus, ad percipiendas diſciplinas multo labore deſudent, nulla apis niſi artifex naſcitur. Quid credas aliud quàm divinæ partem mentis his animis ineſſe? *Et mox*: Quid non divinum habent, niſi quòd moriuntur?

(2) *Ab antiquo apo &c.*] Paulò aliam derivationem Iſidorus *Orig. lib. 12. cap. 8.* adfert: Apes dictæ, *inquiens*, vel quòd ſe pedibus invicem alligent, vel pro eo quòd ſine pedibus naſcantur. Nam poſteà & pedes & pennas accipiunt. Hæ ſolertes in generandi mellis officio, aſſignatas incolunt ſedes, domicilia inenarrabili arte componunt, ex variis floribus favum condunt, textisq; ceris innumerâ prole caſtra replent, exercitum & reges habent, prælia movent, fumũ fugiunt, tumultu exaſperantur. Has plerique experti ſunt naſci de boum cadaveribus. Nam pro his creandis, vitulorum occiſorum carnes verberant, ut ex putrefacto cruore vermes naſcantur, qui poſtea efficiuntur apes. Propriè autem apes vocantur ortæ de bobus, ſicut crabrones de equis, fuci de mulis, veſpæ de aſinis &c.

(3) *Solent eſſe magnanimi &c.*] Rationem & hanc ex Ariſtotele aſſignat Nicquetius *Ph y ſg hum. lib. 2. cap. 2.* quod cùm parva ſit intercapedo inter cerebrum & cor, ſpirituum officinam, brevi ſpatio ferantur ſpiritus à corpore ad cerebrum, ubi gignitur cogitatio, unde conſequitur ingenii celeritas, & ex eadem parva intercapedine fiat, ut capite ſint calidiori, quæ capitis natura audaciæ, fortitudini amica eſt.

(4) *Et melle ordiri, &c.*] Varro *de re ruſticâ l. 3. cap 16.* Mel, *inquit*, ad principia convivii, & ad ſecundam menſam miniſtratur. Quâ Fulvius Urſinus *in Appendice ad Ciacconium de Triclinio pag. m. 310.* fortaſſe mulſum deſignare putat Varronem, ad hoc citans Horatii verſum *ex lib. 2. Sermonum ſatyr. 4. v. 24.*

Aufidius forti miſcebat mella Falerno.

Quod tamen perpetuũ non fuiſſe apud omnes Romanos, ex laudato Urſino textum evolventi clarum fiet. Adde Roſinum *Antiq. Rom. lib. 5. cap. 29.*

(5) *Feſſus Jonathas &c.*] *1. Regum. 24. v. 27. & 43.*

Num. 2.

(6) *In Fures & violatores apum &c.*] Quamvis enim apium natura fera ſit, *ut dicitur in §. apium*

tum I. de R. D. & l. 5. §. 2. ff. de A. R. D. unde ſequitur, in iis regulariter furtum fieri non poſſe, *l. 26. ff. de Furtis.* Aliter tamen ſe res habet, ſi apes cicures & manſuetæ factæ ſint, atque ex diuturna conſuetudine aſſuefactionéve unius loci avolare & revolare ſoleant, tunc enim in patrimonio noſtro computantur, ac in iliis furtum committitur, earumque nomine actio competit. *l. 8. §. 1. ff. Fam. Herciſ.* Jod. Damhouder *in praxi rer. Crim. cap. 113. num. 4.* Sed ejusmodi furtum in apibus ob incertam æſtimationem apium & ſavi etiam magnum pœnâ laquei non, ſed arbitrariâ, carceris, relegationis, vel fuſtigationis puniendum, Carpzovius *in pract. rer. Crim. parte 2. quæſt. 81. num. 52. ſeqq. cum aliis citatis ibidem* contendit. Adde Farinacium *de Furtis quæſt. 174. n. 86. ſeqq.*

(7) *Absque maris & fœminæ commixtione &c.*] Evolve omninò Majolum *Dier. Canicul. colloq. 5. p. 70. ſeqq.* ubi eadem & multa alia elegantiora de apibus in medium producit.

(8) *Pauli Jovii &c.*] Ex quo jam ſuprà *in Notis ad lib. 1. cap. 12. n. 5.* (8) eandem hanc Hiſtoriam retuli, ubi tamen pro *novam* arborem, *cavam* arborem legendum. Similem, ſi non eandem Hiſtoriã elegantiſſimo hoc Carmine deſcribit Bidermannus *Epigram. lib. 3. Epigram. 115.*

Lucus Hyperboream quà proximus aſpicit Arcton,
Tardaq; pinifero ſuſtinet aſtra jugo,
Aërio plaudunt fœcunda cubilia partu,
Indigenasq; fovet plurima quercus apes,
Et loca mellitos exſudant pinguia ſuccos,
Stillanteſq; tegit multa caverna favos:
Nec deſunt oribus ſua, nec ſua mulſa juvencis,
Sed capit Hyblæas urſus & urſa dapes.
Fortè per illa viam carpebat teſqua colonus,
Ex aliquo cupiens tollere mella ſpecu:
Sed nemora ambiguus poſtquam exiit omnia, vidit
Denique odorifero conſita prata thymo.
Vidit, & Hæc, inquit, redolentis copia floris
Omnia quæſiti proxima mellis habet.
Indagare juvat. Vetus haud procul arbor hiabat,
Et vetulæ deerat tota medulla trabi;
Sed cava ne nullam retinerent robora vitam,
Vivus in exanimi ſtipite cœtus erat:
Cœtus apum, magnis qui par legionibus ibat,
Purpureos Floræ cum pepularet agros.
Dixiſſes Hyblæ nemus omne volare, trabiſq;
Unius in vavos omne migrare ſinus.
His patrium faciebat opus gens innuba cellis,
Condere ſecuro ſe rata mella penu.
At nimio quercus demum ſaturata Falerno,
Ebria ſervatas ferre nequibat opes:
Melleus ergo latex ſuper exundavit, & altum
Inſcrobe fecerunt deflua mulſa lacum.
Æqua ſolo jam vallis erat, jam plurima cano
Deſuper in mellis creverat alga vado:
Sarmata cùm trunci vidit cava robora & amens
Non exploratâ cœpit adire viâ.
Jamque propinquus erat, foveæ cùm captus hiatu
Induit incautos rore tenace pedes.
Utq; pedes magis, atque genu ſubſidere ſenſit,
Utq; deinde femur cedere, deinde latus,
Territus. O ſuperi defendite, dixit; & inter
Dicta, repentinus fluxit in ora liquor:
Tunc trepidare miſer, lentiq; coagula mellis
Nil profecturâ diſſociare manu,
Tunc pedibus, totoq; diu condentere trunco,
Ægrumq; ex alto tollere melle caput.
Sarmata conatus tamen omnia, & omnia, ſemper
Hæſit in Hyblæis Sarmata merſus aquis.
Quare ubi Sracta ſibi ſuccumbere robora vidit,
Inſtitit externam poſcere merſus opem.
Arva rogat; nusquam ullus erat. Rogat aſtra; roganti
Tendere qui vellet brachia, nullus erat.
Intereà bis Phœbus aquâ ſe luit Iberâ,
Cynthia nocturnos bis ſoror egit equos.
Nullus adhuc ſpondebat opem. Tunc membra lababant,
Raucaq; defectus fugerat ora ſonus;
Nil niſi de vivo reſtabat lacryma vultu,
Certa ſemianimum membra cadaver erant.
Ipſe tamen cecinit prius hunc ſibi præfica leſſum,
Mortua quàm tumulo conderet oſſa ſuo.
Certè, ait, ut multi tumulo meliore quieſcant,
Dulcior eſt nulli quàm mea tumba mihi.
Dixit, & extremo univerſus ad æthera voto,
Nunc, ait, ô oculis aſtra valete meis.
Vos ſola ignaris mea pandite funera gnatis,
Nam vos ſola meum conſcia funus habet.
Jamque oculos clauſurus erat, cùm viſa repentè
Intremuiſſe gravi ſtridula ſylva metu.
Nam fera, neſcio qua, vicino erupit ab antro,
Et timuit viſam territa ſylva feram.
Tunc licèt in mortem propararet Saremata, rurſum
Sarmata fatali movit ab amne caput,
Monſtrum informe videt; catulis comitata duobus
E mediis ſylvæ proſilit urſa rubis.
Et celeri per trita viæ compendia curſu
Ambroſii viſit cognita luſtra meri,
Gratuitiſq; gulam dapibus non parca ſaginat,
(Nobilis ô qualem paſcis Hymette gulam!)
Hîc quid agat? annon clamaret Sarmata? potæ
Opportunâ miſer cederet eſca feræ.
Caſſaret? lenti moreretur glutine viſci:
Mors habet exequias utraque penè pares.
Lenta tamen mors eſt in melle timonda: citatam
Ergo minetur, ait, mitior urſa necem.
Sic paret appoſito diſponere brachia flexu,
Paſta ſuum in ſylvas dum fera carpat iter,
Mox ubi daps brutum ſaturavit Hymettia ventrem,

Averſumq́ lacu coepit abire pecus:
Ruſticus extendens è lento brachia viſco
Inſidiante capit terga ferina manu.
Hic laqueo captam ſe credidit urſa, ſuoq́
Impoſitis tergo vincta coire feris:
Advocat ergo omni vires è corpore, donec
Tergi appendices exuat inſidias,
Usque laboranti tamen imminet hamus, & hæret,
Et premit ille magis, quò trahit illa magis.
Viſa videre fuit ceromate delibutos
Ridiculo pugiles una palæſtra duos.
Utq́ diu paribus certatum eſt viribus, hoſtem
Traxit ab infauſto fortior urſa lacu.
Sic demum capis urſa fugam, ſic Sarmata vitam,
Sarmata mellito penè perempte vado.
Sic querere, & ſolis mortem puta ineſſe venenis,
Quò gula plus mellis, plus gula mortis habet.

Num. 5.

(9) *Rempublicam &c.*] Vide elegantiſſimam deſcriptionem Reipublicæ Apum, ſive Comparationem ſuccinctam regiminis apum & imperii civilis, à Joh. Loccenio concinnatam & Syntagmati Diſſert. Polit. ipſius inſertam.

Num. 13.

(10) *Populi amore &c.*] Pertinet huc Ambroſii locus *lib. 2. de Offic. cap. 7.* ad Sceleratum Politicum *cap. 49. pag. 543.* de hoc argumento à me adductus. Confer Forſtnerum *in Not. Polit. ad Tac. 6. Annal. 30. n. 3.* Marſelaer *de Legato lib. 2. diſſ. 29. pag. 530.* Barclajum *in Argen. pag. 181.* Bernegger. *in Quæſt. Polit. ad Taciti C. & A. quæſt. 207.*

(11) *Se de Injuriis vindicando &c.*] Aurea ſunt verba Imppp. Theodoſii, Arcadii, & Honorii AAA. *in l. un. C. ſi quis Imperat. maledix.* Si quis modeſtiæ neſcius, (*reſcribentium*) & pudoris ignarus improbo petulantique maledicto nomina noſtra crediderit laceſſenda, ac temulentiâ turbulentus obtrectator temporum (*noſtrorum*) fuerit, eum pœnæ nolumus ſubjugari, neque durum aliquid (*volumus*) ſuſtinere: quoniam ſi id ex levitate proceſſerit, contemnendum eſt: ſi ex inſannia, miſeratione digniſſimum: ſi ab injuria, remittendum. Unde integris omnibus hoc ad noſtram ſcientiam referatur, ut ex perſonis hominum dicta penſemus, & utrum prætermitti, an exquiri debeant cenſemus.

Num. 14.

(12) *Cur idem naturale non fuerit &c.*] Nam & boum putrefactorum cadaveribus apes progenerari, ſuprà ex Iſidoro *ad num. 1.* diximus, idque communi omnium ferè Scriptorum calculo comprobatur. Ovidius *lib. 15. Metamorph.*

I quoque delector, mactatos obrue Tauros,
(Cognita res viſu) de putri viſcere paſſim
Florilegæ naſcuntur apes, quæ more parentum
Rura colunt, operique favent, in ſpemque laborant.

Plura hanc in rem teſtimonia ex Virgilio, Plinio, Galeno, Varrone, Kirchero congeſſit Chifletius *in Anaſtaſi Childerici Regis cap. 11.* quæ hoc loco non cumulo: adde Jonſtonum *Tavmatographia naturalis cl. 8. cap. 2. pag. 347.*

(13) *In ejus ſepulchro &c.*] Sic jamjam laudatus Jonſtonus *d. loco* ex Auguſtino, cognomento Gallo refert, Veronæ in ſepulchrum duarum ſororum virginum, clariſſimi JCTi Bartholomæi Vitalis filiarum, non tantùm per rimas parietis horti contigui irrepſiſſe; ſed etiam copioſè favos inter utrumque confeciſſe cadaver. Res biennio, ab inchoato opere, fulminis, absque ulla cadaverum vel favorum læſione, lapſu, detecta omnibus admirationem incuſſit.

(14) *Samſonis maxillam &c.*] Quòd ſuprà *cranium* explicaverat Author noſter, nunc *maxillam* dixit, vulgaris verſio habet, *in ore* leonis examen apum fuiſſe & favos mellis: *Jud. 14. v. 8.* Pro quo Junius & Tremellius ponit: ecce autem examen apum *in corpore* leonis illius cum melle.

Num. 19.

(15) *Illius labellis &c.*] Paulino *in vita Ambroſii* authore. Sediſſe quoque in ore infantis tum etiam Platonis, ſuavitatem illam prædulcis eloquii portendentes apes, Plinius *lib. 11. cap. 17.* Valè. Maxim. *lib. 1. cap. 6. in fin.* Cicero. *lib. 1. de Divinatione* memorant. Confer Majol. *d. pag. 71.* Simile planè augurium, Pindaro celeberrimo & ſuaviſſimo Poëtæ contigiſſe, narrat, Berneggerus *Obſervat. Hiſtorico-Politicâ 5.* cùm antea demonſtraſſet, apum examina, inſolitis locis inſidentia, rebus publicis gerendis, mali (ut privatis boni) ominis eſſe.

CAPUT VIII.

De Molarum Cura non negligenda.

SUMMARIA.

1. Molarum *neceſſarius uſus, varietasq́; Veteribus ſaltem Manuariæ, Truſatiles & Verſatiles ſive Jumentariæ cognitæ fuêre; de quibus latè hoc, &* num. 2.
2. Marchionis *Spinolæ inventum ſunt* Molæ portatiles, *equis vehi ſolitæ.*
3. *Venditur* molis *vento verſandis Ventus à Magiſtratu; ubi plura de* anemaletis ſive molis alatis & volaticis.
4. Molæ NAVALES, *& de iis jucunda exempla.*
5. Molendina AQUATICA, Waſſermühlen, *quænam ſint?*
6. *Molendini Darmſtadiani admiranda ſtructura.*
7. Molendina, *quæ ſolo adhærent, cenſentur pars fundi, tenenturque conditione feudariâ.*
8. Molarum alatarum *diverſitas,*

9. Mo-

9. Molarum *cura ob belli, tempeſtatumq́; diverſarum occaſiones.*

10. Canon frumentarius *& alia emolumenta Fiſci aut Domini ex Molendinis.*

11. Molæ lignariæ *vel ſerrariæ quænam?*

12. *Valde ingenioſæ* molæ, *tales ad Danubium viſuntur.*

13. Molæ Oleariæ Oelmühlen/ *quænam?*

14. Molæ *ad pulverem tormentarium conficiendum deſcriptæ cenſentur jure Fiſci.*

15. Molendina *chartarum conficiendarum.*

16. Molæ Fulloniæ, *& cenſus Principum ob molas fullonicas.*

17. *Aliæ diverſiſſimæ* molæ *pernumeratæ.*

18. Molæ *politoriæ & acuminantes,* Polier und Schleiffmühlen *deſcribuntur;* Friburgum Briſgoviæ *celebre ob molas, officinasq́; quibus pretioſi lapides punguntur, ibidem.*

19. Privilegia *artificibus hujus officinæ conceſſa.*

20. Molæ *aliæ ad exhauriendos, ſiccandosq́; lacus integros & ſtagna.*

21. *Exemplum hujus rei in lacu Bembſteriano.*

22. Molendinorum *artificia habent ſua fundamenta ab Aſtronomia, Matheſi, & Mechanica.*

23. Nimia cupido & curioſitas *molarum machinis perficiendis exhaurit, præter crumenas, etiam cerebrum & ſenſum.*

24. Exemplum *quaſi domeſticum & familiare narratur de quopiam Doctore N. quam is ingenioſè operoſeq́; molam machinatus ſit*; & num. 25. 26. 27. 28.

29. *An ad* molas & *furnos publicosq́; cogi poſſint Subditi?*

30. *An, qui longiori tempore hunc illúmve Nobilem hoſpitio exceperit, teneatur idem præſtare hæredibus?*

31 Molendina Ventoſa *in fundo feudali conſtructa, utrum feudi naturam ſortiantur?* & num. 32.

33. Molitores *cogantur jurare de præſtando dolo.*

34. Mola *cum furtis molitorum poëticè deſcripta.*

35. Leges rei molitoriæ *quæ, quales?*

36. Inſpectio molarum *Superiori an baſſæ Juriſdictioni adſcribenda? Ad Præfectũ annonæ pertinuit inſpectio, gubernatio & ſimilia,* num. 37.

38. Elocatio Molendinorum *adprobatur.*

39. *Ænigmata de* molis; & num. 40.

41. Molitores *ad quid teneantur ratione metatorum?*

Ventus & unda molas agitarit, ſed fabrica magno
Conſtat, & hinc æquum eſt, ut mola proſit hero.

QUàm ſit ad humani Convictûs rationem neceſſaria molendi ratio, nemo eſt, qui ignoret. Nam molarum uſus nullo non tempore utilis, & tam neceſſarius eſt, ut illis neque pacis, neque belli tempore, in caſtris vel obſidione carere poſſimus: Unde
1 varia molarum genera inventa, præſertim in Germaniâ, quæ & reliquos populos hodie æmulari, compertum eſt.

Molæ à molendo, (1) ſive, ut Scaliger exiſtimat, à molliendo dictæ. Harum enim motu eò conjecta molliuntur, teruntur & fricantur. *Antiquiſſimæ omnium* (2) fuerunt molæ Manuariæ, ſic dictæ, quòd manu intorquerentur, ſeu circumagerentur in gyrum, *l. dolia 26. §. molas 1. ff. de inſtruct. & inſtrum. leg.* nobis hodiè Handmühlen oder Quernen/ ad quas circumagendas Romani ſervorum operas locare ſolebant; Lipſ. *lib. 2. elect. cap. 15.* Alio tamen nomine
vocantur Trusatiles, & Versatiles, à 2
trudendo nimirum & vertendo, quòd circumactæ manuum agilitate & robore fruges detererent.

Licèt verò nonnulli verſatiles, truſatiles, & manuarias molas unas & easdem eſſe arbitrentur; Tamen illas rectè diſtinguit Bertrand. Argentræus *ad Conſuetud. Britan. tit. 17. in princ.* Revera enim mola truſatilis eſt ea, quæ habet axem ſtatutum, Germanicè ein Spille/ quæ ei pro ſtratò eſt: Axis ille ad inferius caput habet orbem, quem operarii duo, tabellas ejus pedibus retrotrudentes, circumagunt, quanquam non raro unus eum laborem ſuſtineat: Axis autem circumacti tympanum dentatum; quod eſt ad ſuperius ejus caput, verſat id, quod ex fuſis conſtat, & unà cum eo molam; Verſatilis verò mola eſt, quæ non truſa manibus, ſed circumacta verſatur: vel ex qua temo exſtat, quem equus aut aſinus circumagit. Hujus inferior lapis molaris ſuperiùs formam habet, ut molam, quæ verſatur circa ferreum axiculum, contineré poſſit; Is in media molaris forma incluſus per molam penetrat: Operarius autem ferreum vectem ſtatutum, qui eſt ad ſuperiorem lapidem molarem, qui propriè mola dicitur, manu præhendens circumagit, mola media eſt perforata, in quod foramen frumentum conjectum delabitur in inferiorem lapidem molarem, ibique molitur in farinam, quæ ſenſim ex ejus foramine decidit. In hisce molis circumagendis, quas truſatiles vocant, Plautum ob quærendum victum, *operam piſtori locaſſe,* (3) ſcribit Gell. *lib. 3 Noct Atticar. cap. 3.* Joan. Hering. *tract. de molendin. q. 5 num. 12. in fin.* Fuerunt & veteribus in uſu *molæ Jumentariæ,* (4) quæ circumagebantur jumentis, puta aſinis, equis, bobus; *Matth. 18. v. 6. Marc. 9. v. 42.* (5) *d l. dolia 26. §. 1. & l. ſi ita 15. in princ. ff. de inſtruct. & inſtr. leg.* Frideric. Scotus *conſil. 9. lib. 2. tom. 1.* Aſini ad molas movendas adhibebantur: ſicut hodièque equi quaſdam verſant, quas Roßmühlen (6) vocamus. Maldonatus in *Matth. d. c. 18. v. 6.* Plerique, *ait,* molam aſinariam vocari putant inferiorem molam, quæ Græcè ovæ, id eſt, aſinus dicitur, & ſuperiore major eſſe ſolet. Perſpicuum enim eſt, Chriſtum prægrandem molam ſignificare voluiſſe. Id mihi propterea non placet, quia Chriſtus non Græcè, ſed Syriacè lo-

quebatur, ubi ea nominis ambiguitas locum non habet. Itaque Hilarii *Canone* 18. & Ambroſii *Sermone* 10. interpretationem ſequor, aſinariam molam vocatam eſſe, quam aſinus ad multas res commolendas circumagere ſolet. Quæ ideò aſinaria dicta eſt, ut à truſatili, id eſt, ab ea, quam homines vi brachiorum circumferunt, diſtingueretur. Eam autem Chriſtus propoſuit, quia multò major, quàm truſatilis, eſſe ſole. Adnotat Hieronymus, hoc inter veteres Judæos uſitatum fuiſſe ſupplicium, ſicut nunc homines nefarios ac deteſtabiles ſepulturâ indignos judicantes in flumen mergimus. Fortè Chriſtus ad ſuperbiam, contra quam loquebatur, alluſit, ſicut *Matth. cap.* 11. *verſ.* 23. dixit; Et tu Capernaum, numquid usque in cœlum exaltaberis? usque in infernum deſcendes. Quod autem D. Auguſtinus *lib.* 1. *Quæſt. Evangelicarum cap.* 24. molam aſinarum peccatorum pondus, quo homines deprimuntur, eſſe dicit, allegoricum eſt.

Cæterùm ejusmodi molas jumentarias in caſtris ac obſidionibus ſecum trahere ſueti tam Hiſpanorum, quàm Fœderatarum Provinciarum exercitus; ut vel inde quoque Hiſtoriis ſua conſtet fides, narrantibus, Henricum VIII. Regem Angliæ centum molas Aſinarias ſive Equinas, in curriculis, nec non magnum numerum furnorum ad obſidionem Bononienſem ſecum duxiſſe, apud Froſſard. *lib.* 1. *Hiſt. cap.* 207. & Renat. Choppin. *lib.* 1. *de Legib. Andium cap.* 23. *n.* 1. Hisce adde inventum ingenioſum *molæ portatilis*, (7) quæ ab equis vehitur & agitur Marchionis Ambroſii Spinolæ.

Veteribus itaque alatæ & *aquariæ* (8) incognitæ fuêre. At noſtrâ ætate exſtant non ſolùm molæ, quæ aquis agitantur, Waſſermühlen / ſed & quæ ventis, Windmühlen / darüber die Obrigkeit den Wind
3 verkauffet. Quid mirum? cùm & aquam publicam absque Magiſtratus conſenſu in privatum uſum *ducere non liceat.* (9) Gallis hæ molæ ventis agitatæ ſive volaticæ appellantur, *Moulin à vent*, moletrinæ flabiles, Bertr. Argentræ *d. tit.* 17. *art.* 365. quarũ *centum oſtendit Gandavum*, (10) *primaria Flandriæ urbs.* (11) Pes ſive fundamentum ut plurimùm ex duriſſimis & craſſiſſimis trabibus inter ſe decuſſatim connexis conficitur, ſuper quibus ad quemlibet accommodatum ventum ſuperius molendini ædificium per longiusculè extenſum trabem circumrotatur & obliquatur.

4 Molendina Navalia, inſtar navium, anchoris aut rudente ad palum alligata, fluminibus innatant, ac veluti de loco in locum ambulant, nullo manuum auxilio, ſed aquarum lapſu & verſatilium rotarum labore continuo, nocte dieque ad nutum unius hominis operantia: Schiffmühlen appellantur, & *mobilium numero habenda eſſe cenſent*, (12) Horat. Carpan. *ad Conſuetud. Mediolan. p.* 1. *cap.* 417. *n.* 42. Renat. Choppin. *de Legibus Andium lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 2. Lancellot. Galliam *conſ.* 27. *num.* 116. Knichen *de veſtitur. pact. parte* 2. *num.* 51. 52. & 56. Vultej. *de feud. c.* 5. *n.* 5. Wehner. *pract. obſ. lit. F. verb.* Fahrende Hab / Joan. Rudinger. *cent.* 3. *obſerv.* 68. *num.* 3. Sixtin. *lib.* 2. *de Regalib. cap.* 3. *num.* 68. Poſſunt enim hinc inde duci, præſertim hyberno tempore, ob frigoris & impetum glacialem ad ripas alligari ſolent. Cujusmodi multa paſſim fluitant in Liguri, Pado, Ticino, Tyberi, Danubio, Albi, (Rheno) & Viſurgi, Foller. *in prax. crim.* 1. *part.* 2. *verb. annotantur bona num.* 9. Tiraquell. *de Retract. conſanguin.* §. 1. *in gl.* 7. *num.* 92. Nicol. Intrigliol. *de feud. c.* 9. *num.* 68. Octavian. Simoncell. *tr. de decret. in Contract. minor. lib.* 3. *tit.* 8. *inſpect.* 12. *n.* 82. Andr. Scheffer. *p.* 3. *quæſt.* 39. *num.* 3. & 4.

Molendina verò Aquatica ſive A- 5
quaria tanquam ædificia jactis pilis vel in ipſo flumine, aut in terra ad præterlabentem aliquam aquam exſtruuntur; vel in ripis aut margine fluminum exædificantur, illisque adhærent, vulgò Waſſermühlen: (12) ſuntque duplicis generis, Unter- und Uberſchlichtig: quorum rotæ vel ſubtus per ſepta ſive cataractas præterfluentis, vel ſupernè, ex tubis ſive deductis rivis & canaliculis incidentis aquæ vi incitantur & circumaguntur: quorum mentionem fecerunt Federic. Scotus *conſ.* 5. *num.* 9. *lib.* 1. Henric. à Roſenthal *tract. de feud. cap.* 4. *concl.* 4. Nicol. Intrigliol. *d. tr. de feud. quæſt.* 9. *num.* 68. Joan. Rudinger. *cent.* 3. *ſingul. obſervat.* 68. Von Mühlen *num.* 1. Scheffer. *d. quæſt.* 39. *n.* 2. Klammer. *in promptuar. juris tit.* 3. *n.* 38.

Molendini Aquatici *admirandam ſtru-* 6
cturam Darmſtadii (13) in horto Principis conſpicere licet. Poſtquam enim grandis rota hauſtoria ſitulis ſive urceis magnam illuc per canales derivatæ aquæ copiam priùs hauſit, & in altum, ad tertiam ferè contignationem evectam rurſus in grandem ciſtam effudit, tum illa aqua demum per foramina in rotas molitorias, lacunatas alas & intercapedines ex aſſeribus factas ad excipiendum eam habentes ex alto affatim decidit, molæque efficit circinationem, cum magna jucundaque ſpectatorum admiratione & voluptate.

Ejusmodi verò molendina, quæ ſolo adhærere diximus, quin immobilibus accenſeantur, ac proinde feudariâ conditione imbui 7
facillimè poſſint, nulla ſubeſt dubitatio; Rud. *d. l. n.* 2. ſubjungens rationem, quòd hæc molendina cenſeantur pars fundi, *l. cum fundus* 21. *ff. de inſtruct. vel inſtru. legato.* nec veniant appellatione inſtrumentorum, *l. quæſitum eſt* 12. §. *ea verò* 11. *ff. eod.* Sic & pneu-

pneumaticæ,ſive alatæ molæ *in duplici ſunt*
differentiâ, (14) quarum moles etiam vel
mobilis ad ventorum varietatem variè ſiſti
poteſt, vel fundo inhærens & immobilis
potiſſimùm ex lapidibus inſtar turris inſtru-
8 cta, operculo ſaltem ſeu tecto rotundo, cui
alæ adfixæ mobili impoſito, quod ad mo-
tum ventorum hinc inde accommodari
poſſit, ſteinerne Windmühlen mit einem be-
weglichen Dache: quales in agro Brunſvi-
cenſi, altero ferè lapide ab arce Wulferbyta-
na; ac in Diœceſi Colonienſi non procul à
Bonna videre licet. Aliam molendini ven-
to agitati ſtructuram ex Cardano refert We-
cker *de Secret. lib.* 16. *cap.* 1. Alæ, quod eti-
am obſervatu dignum eſt, vel velis ex linteo
& canabi; uti in Belgio, ut dilatari vel re-
ſtringi poſſint, pro impetu venti; vel ſcan-
dulis obduci & veſtiri ſolent. Quòd ſi lo-
cus aquas deneget, alatæ ſunt aquariis ſuffi-
ciendæ, vel quæ manibus aut jumentis cir-
cumrotantur.
9 Ærario igitur ſtabiliendo & adjuvando
Princeps curabit, ut aquarum oportuni-
tate ſuppetente, paſſim in ſuo territorio
molæ *ædificentur aquariæ, vel iſtâ deficien-*
te alatæ, (15) vel etiam quas tempore Belli,
Obſidionis & Neceſſitatis, puta vel ob ni-
mium frigus vel æſtum, manus vel jumenta
agere valeant. Ad quod artifices honeſtis
ſtipendiis invitandi, qui ſtructuras artificio-
ſas molarum callent.
10 *Jam perpende compendia ex molis* (16)
ad Fiſcum ſive Ærarium accedentia. Ex mo-
lis Molterkorn ſive Canon frumentarius, qui
pro moliturâ à molentibus contributus, ple-
rumque ciſtæ infertur, vel, ſi mola elocetur,
certa merces penditur.
Ex molis furfures: pulvis etiam molæ
colligitur, unde Staubmeel / brott und kerin
brott: Ex molis præſtantur quotannis mo-
lendinarii porci, Mühlen-Schwein/ gallinæ,
ova. Ex molis quandoque recognoſcuntur,
Weinkauff: Pro aquæductu ſolvitur cenſus,
wegen deß Waſſergangs oder Mühlengrabens/
Waſſerfalls: Ex molis præſtantur operæ,
angariæ & perangariæ, Mühlendienſt / Land-
fuhren/Weinfuhren/ &c.
Ad Exemplum molendini farinarii *plu-*
ra & ſimilia (17) automata adinventa, quæ
11 aqua vel manus, vel jumenta agitant. Et
poſſunt juxta molas farinarias, Primò mo-
læ Lignariæ & Serratoriæ, Steinſchnei-
de / Säge / Schneide / und Brettmühlen ex-
ſtrui, & compendio unius ejusdemque a-
quæductûs exerceri, Reipublicæ & rei fa-
miliari valdè utiles, ac ad ſecandum lapides,
marmora, ligna, arbores, truncos, &c. per-
neceſſariæ. Harum enim operâ & vertigine
duriſſimi lapides, trabes & abietes ſtridentibus
tollutim ſubſilientium ſerrarum dentibus
ſuâ ſponte, ſed tamen ad circumacti per
dentatam rotam cylindri impulſum ſeſe
ingerentibus, in tenues tabulas ſive aſſeres
brevi temporis ſpatio diſſecantur; quas
antea manus humanæ ferris tractis tardiſ-
ſimè partiebantur. Eadem facilitate va-
ſti etiam ponderis trabes arboresque im-
menſæ ſuâ ſponte in tabulata & pontes ex
undis exſurgentes diſſecantur. Cujusmo- 12
di lignariæ moletrinæ *in Danubii ripâ* (18)
paſſim viſuntur, in quibus vaſti ponderis
trabes, arbores etiam immenſæ, ſuâ ſponte
ex undis exſurgentes in tabulata ac pontes,
ſeſe ſtridentibus ſubſilientium ac multipli-
cium ſerrarum dentibus ingerunt, atque
in plures uno tractu brevi temporis ſpatio
partiuntur.
Secundò occurrunt molæ Oleariæ ſive
olivariæ, Oelmühlen/ quæ vetuſtate ſuâ reli- 13
quas antecellunt, *Exod.* 27. *verſ.* 20. *& Le-*
vitic. 24. *verſ.* 2. *l. cùm fundus* 21. *ff. de in-*
ſtruct. & inſtrum. leg. A. Trapetis & torcula-
ribus differunt. Licet enim in torculari per
prælum uvæ olivæque rectiſſimè exprimi
poterant; Renat. Choppin. *lib.* 1. *de Legib.*
And. cap. 27. *num.* 4. ad exprimendum ta-
men ex nucibus, aut ex ſemine aliquo ole-
um, torcular & prælum inutilia erant, niſi
priùs ſemina per molares contuſa & molita
eſſent, tum demum exprimenda; unde hæ
molæ nomen ſunt ſortitæ; Hering. *d. tr. de*
molend. quæſt. 6. *num.* 2.
Tertiò paſſim uſurpantur molæ à con- 14
ficiendo Pulvere Pyrio ſive tormentario
Pulvermühlen appellatæ, in quibus vi præ-
ferratorum piſtillorum vento ſive aquis
agitatorum, ex ſale nitro, ſive ſale petræ,
ſulphure, & carbonibus tiliaceis, maſſa
quædam nigra conficitur; quæ poſteà ex-
ſiccata, & juxta artem præparata pulverem
illum præbet, quo hodiè tormenta bellica
& ſclopeta onerantur. *Nec ſpectant hæ mo-*
læ ad privatos, (19) ſed in jure fiſci cenſentur;
Beſold. *Diſſertat. Philologic. de arte jureq;*
belli cap. 2. *fol. mihi* 25.
Quartò ad hanc claſſem referri poſſunt
molæ chartariæ, papyraceæ, Papiermühle/
quibus veterum & attritorum linteorum
fragmina tunduntur, & in ſanguinem pul-
temque conteruntur; ex quo candidiſſimæ 15
& tenuiſſimæ Chartarum paginæ, in quibus
omnis ævi memoria permanat, facili, feſti-
no, ac feſtivo labore formantur; quas ob
id papyrum vocamus, quòd eundem no-
bis præſtent uſum, quem olim Ægyptiis
præſtabat papyrus, (20) arbuſcula in paluſtri-
bus Ægypti naſcens; de quâ Plin. *lib.* 13. *c.* 11.
Paucis abhinc annis quendam privilegium,
ut ſibi ſoli ejusmodi veteres & detritos lineos
cannabinosq; colligere liceret in Aulâ Cæſ.
impetraſſe, eoque agnomen eines Lumpen-
Jubilierers meruiſſe memini.
Quintum inter has molas locum occu- 16
pant

pant MOLÆ FULLONIÆ, Walckmühlen/ in quibus panni recentes adfusâ aquâ calidâ contunduntur, expoliuntur, & præparantur. Unde etiam nonnullis PANNARIÆ Molæ dicuntur, de quibus Renat. Choppin. *dict. lib. 1. de LL. And. cap. 21.* Et FULLONICAM PILAM explicat Turnebus, quâ tunduntur veſtes & panni, ut poliantur, quod hodiéque operâ rotarum aquariarum ſublatis pilis fieri videmus, *lib. 7. adverſar. cap. 22.* Circa has molas notandum, quòd *Principes terrarum* (21) pro aquæductu, quem fullonibus ad motum machinæ fullonicę vel molæ concedunt, levant quotannis cenſum ceræ, Wachsgülde/ Wachszinſe.

17 Sextò offerunt ſe Molæ terebratoriæ, Bohrmühlen/ per quas abietes ac alni perterebrari ad uſum canalium poſſunt: imò harum interiores rotas, item piſtilla & cylindros per unam ſaltem rotam exteriorem aquariam impelli, attolli, & circumvolvi, ipſa experientia teſtatum reddit. Sic

— — nova ſemper
Ingenia extundunt varias mortalibus artes.

Et Lucret. *lib. 3. de natur. rer.*

Cedit enim rerum novitate extruſa vetuſtas
Semper, & ex aliis aliud reperire neceſſum.

Septimò ſunt quoque CONTUSORIÆ in auri & argenti, aliorumque metallorum fodinis uſitatæ, quas Germani Ertzmühlen/ Stampmühlen oder Bochwerck vocant; quibus materia illa rudis è terræ viſceribus eruta ſive effoſa priùs contunditur & molitur, quàm in fornacibus coquatur; quas accuratè deſcribit Georg. Agricola *de re metallica lib. 8. fol. 229. & ſeqq.* Huc pertinent molæ æs calidum in laminas deducentes, Kupffermühlen/ Molæ & Officinæ ferrariæ, Eiſenhammer/ Meſſinghammer/ Dratmühlen/ ſive molæ, in quibus ferrum arte quadam in bacillos & fila ferrea diducitur & prolongatur. Nec oblivioni tradendæ ſunt eæ molæ, in quibus lapis ex ſale in fundo concretus, vulgò Saltzſtein dictus, contunditur ac molitur, ex quo in farinam redacto ac aquâ eloto rurſus ſal conficitur: quales exſtant Halæ Tyriolanæ, Budiſſinæ Luſatiorum, & alibi paſſim in Germania.

Reperiuntur & Octavò molæ Iſatidis ſive glaſti, Weitmühlen/ molæ Fabiæ, & quibus fabæ confringuntur & decorticantur; Molæ rotariæ, molæ mallearia, molæ ſubventaneæ, Thuan. *lib. 64. Hiſtor. pag. 536.* Molæ polentariæ, Grützmühlen/ Hirſe⸗und Senffmühlen/ ſinapi conterendo aptæ. Accedunt molæ cerdonum, coriariorum, Lohemühlen/ Kalckmühlen/ in Saxoniæ locis Kohlmühlen/ ubi carbones conteruntur per ſe ad pyrium pulverem, Gallmey/ Goldmühlen/ darauf das arme Gold⸗Erz gemahlen wird/ Pfeffermühlen/ ꝛc.

Nonò viſuntur & alicubi Molæ POLITORIÆ & ACUMINANTES, Polier⸗und Schleiff⸗ 18
mühlen/ in quibus non tantùm fabri ferrarii gladiis, falcibus, cultris, ſecuribus ac aliis hujusmodi ferramentis aciem inducunt, verùm etiam *Polliones* (22) arma, lapidesque pretioſos expoliunt & explanant; quas Pragæ, Ratisbonæ, Friburgi, & alibi videre licet. Et ſanè Friburgum, Briſgoviæ oppidum, ſub Ditione Archiducum Auſtriæ, celebre eſt, propter officinas pollionum, in quibus Cryſtallinus lapis, Jaſpis, & id genus alii pretioſiores punguntur & expoliuntur. Artifices, die Pallierer und Cryſtallbörer/ hoc habent privilegium ab Imperatoribus, ut 19
unus teneatur artem diſcere ad ſeptennii ſpatium, & jurare, ſe nullibi, quàm iſtâ in urbe victurum: & ne quisquam eorum in illâ arte alios inſtruat præter filios. Quorum & ſimilium privilegiorum fortè alia ſubeſt ratio; quemadmodum typographis conceduntur privilegia, ne alii, præter ipſos, libros imprimant.

Decimò ſunt molæ ventoſæ, quibus loca paluſtria & aquoſa paſcua, imò & in 20
latifundiis integra ſtagna lacusque aliquot milliarium abſorbentur, exſiccantur, in Batavia frequentes. Quin etiam molæ aquariæ in Belgio occurrunt; quibus tàm artificioſè aqua pluvia & nivalis in planis campis ſuperabundans emolitur & exhauritur, ut nec cochleâ, nec tympano, nec rotâ hauſtoriâ ullâ id accuratiùs fieri poſſet. Quin & Zelandi, Hollandi, Friſii ultra innumeros aquæductus & Canales, per quos ad ſingulos receſſus Maris aquam interiorem in Oceanum exonerant & emittunt, etiam modò dictas molas excogitarunt, quas alibi terrarum non facilè videre licebit. Unde noſtro tem- 21
pore Hollandi lacum Bemſterianum, duorum milliarium inter urbes Enchuſam Hornamque ita exſiccarunt, & aquam molendinis hisce extra aggeres in marem rotarunt, ut ubi antea navibus, nunc curribus eatur, ceu inter alia teſtatur Gryphiander *tr. de Inſulis cap. 20. n. 96. juncto cap. 2. n. 17. 20. 24. 29. 31. 33. 38. 41. 43. 44. 46. & 56. juncto n. 70.* Et Boxhornius *in Theatro Hollandiæ cap. 4. f. 38.* ſcribit; Circa feſtum Nativitatis Chriſti, Molas Aquarias, minores majoresque, quatuor omnes alis inſtructas, paſſim ad agros adhiberi, atque, ventis faventibus, circumrotari ſolere: quæ, niſi gelu impedimento ſit, omnes aquas iſtas vel in fluenta publica, vel in foſſas alias ejiciunt atque emittunt; tanta cum celeritate, ut adulto jam Vere, paſcua nitidiora, & pecoribus denuò excipiendis paſcendisque ſint idonea.

Deniq; Undecimò ſunt automata, quæ motu aquarum ſonum muſicum edunt, uti

in Etruria in hortis amœniſſimis Magni Du-
cis, vulgò *il pratolino*, (23) cujus ob opera
mira & rara deſcriptio literis impreſſa eſt, &
artificium delineatur à Roberto de Fluctibus
in tract. de motu.

Tu, qui curam Reipublicæ geris, molis
adornandis inſiſte, & attende, ne pacis vel
belli tempore hæ machinæ deſint. Naturâ
loci & ventis refragantibus, erit jumentariis
22 utendum. Vili fortè is pendat, qui Rempubl.
per tranſennam aſpicit, hoc genus artificii;
ſed ſi edoctus fuerit, *illud principiis Mathe-
maticis* (24) & Mechanicis de motu inniti, ſi-
niſtrè de eo ſentire deſinet. Ignoti nulla cu-
pido. Cupido autem hæc certis ſeptis & can-
cellis conſtringenda eſt. Nam multi benefi-
cio Mathematices conati ſunt exſtruere, no-
vo quodam invento, molas proprio & per-
petuo motu ſe moventes, quorum operâ, u-
nico tantùm moderatore adhibito, integra
23 ſtagna exſiccare voluerunt; ſed fruſtrà. Imò
nonnulli perpetuum iſtud mobile tam anxiè
quærentes, mobile aliquod in cerebro ſen-
ſerunt, ita, ut nimiam ſubtilitatem ſibi ima-
ginantes delirare poſtea ceperint, & vix vin-
culis contineri potuerint.

Memini non ita pridem quendam Me-
24 dicinæ Doctorem N. N. à Reverendiſſimo
& Illuſtriſſimo Principe Chriſtiano, electo
Epiſcopo Mindenſi, Duce Brunſvicenſi &
Lünæburgenſi, Domino meo Clementiſſi-
mo, felicis recordationis, ſuppliciter petiiſſe,
quò Illuſtriſſimæ ipſius Celſitudinis gratio-
ſo permiſſu ſibi liceret Molæ ſuæ, quam in
Epiſcopatu habebat, à præterfluente rivulo
hactenus actæ, aliam ſuperſtruere machinã,
quâ ventis in auxilium vocatis, deficiente a-
quâ, opus continuare poſſet. Multis riſum
movit, rem ſe impoſſibilem moliri arbitran-
tibus; Ille verò novam quidem rem illam
& priùs non viſam facilè concedens, ipſo o-
pere poſſibilitatem illius oſtendere volens,
rem aggreſſus, fundamenta quidem jecit, at
temporum & bellorum injuriis prohibitus
ad culmen opus perducere hactenus non po-
tuit. Interim, dum hoc aliquando licebit,
ideam aliquam iſtius operis deſcribere lubet.
Inprimis ſitus loci conſiderandus: is enim
niſi faverit, & ventorum allapſum undique
admiſerit, fruſtra quis de cætero ipſorum o-
25 perâ uti allaboraverit. At mola D. N. N.
præterquam quòd maximâ ex parte apricis
campis eſt circumdata, tum etiam Viſurgi, in
admodùm ſinuoſos fluxus ibi ſe curvanti, ita
eſt vicina, ut auris, libenter aquis illius in-
cumbentibus, liberè frui & plurimùm adju-
vari poſſit. Huc Ædificium exactè quadra-
tum, cujus ſingula latera quadraginta pedes,
octodecim verò pedes in altum exſurgunt, e-
rexit, hujus latera ſupernè quatuor præcipuè
trabibus, quaſi primariis, quarum ſingulas
quadraginta octo pedes (quanta ſcil. eſt dia-
gonalis prædicti Quadrati) longa ſunt, de-
cuſſatim inter ſe commiſſis, connectens, di-
verſiſque tignis in omnes partes quaſi radiis
dimiſſis & hiſce trabibus inſertis ſuperæ con-
tignationi circularem prorſus figuram con-
ciliare ſtudet. Hanc contignationem contra
vim pluviæ tecto ſcandulari à circumferentiâ
ad centrum illius paullatim & æqualiter un-
dique aſſurgente, quantum omninò per
tempeſtates licebit, obliquò munire decre-
vit. Quà verò hujus tecti tigna committun-
tur, in centro foramen, axi, lapidem mola-
rem verſaturo, tranſitum præbente, relin-
quetur. Hic Axis enim ad perpendiculum
erectus ſtabit, fundamento ipſi in imo ſolo
Chalybe munito, in quo Clavus illius verti 26
poſſit, ſubſtrato: Ipſum fulcimentum lapi-
des molares ſuſtinens (das Mühlenrad) ad
communem prorſus modum huic axi ap-
plicabitur, niſi quòd rotæ dentatæ (das Kam-
rad) fuſum (die Spiel) agentis dentes, non
tranſverſim, ſed recta ſuæ rotæ inſeri debere,
quivis facilè intelligat. At parti axis ſupra
tectum prominenti aptabuntur alarum duo
ſive tria paria vela, prout tum commodum
videbitur: quæ alæ & ipſæ ad communem
modum factæ erunt, qui axi inſeruntur,
quantum eſſe diagonium diximus XXIV.
pedes protenſæ; ſic tamen, ut non per obli-
quum in ipſarum vela incidentem, ſed ad
angulos cum horizonte rectos, expanſis ſi-
nubus excipiat ventum. Quæ vela quà à
Centro remotiſſima, & ſic fortiùs trahentia,
duplam longitudinem, latitudinem novem
pedum habebunt: at quà viciniſſima, ſex
tantùm pedes lata erunt, ſcil. tecto, quod di-
ximus, paulatim aſſurgente, majorem non
admittente latitudinem. Ultimum reſtat,
ut quando ſic in aperto, ſub dio, alæ ſunt à
Ventis agitandæ, dicatur, quâ ratione pro-
biberi poſſit, ut ab unâ tantùm parte ventum
excipientes, revoluto axe inque Orbem re-
deunte, ab alterâ parte, ab eodem vento non 27
impediantur. Conſtituit autem D. N. N.
huic incommodo occurrere pariete ligneo,
ad perpendiculum erecto, ſegmentum Co-
nicæ ſuperficiei referentes ſuper oram ſuperæ
Contignationis mobili, quem ventis obver-
tens eos admiſſurus & excluſurus eſt, quâ o-
portet. Duplicem igitur hic paries poſtulat
curam; primùm, ut ad circumagendum fa-
cilis, deinde, ut contra vim tempeſtatis opti-
mè firmatus & munitus ſit. Primùm quidem
ſe facilè ſubjectis paſſim ipſius baſi Volvulis,
quot opus fuerint, effecturum ſperet. Volvu-
lorum oblonga erit figura, non prorſus Cy-
lindracea, ſed quaſi rejecti coni pars, ſic ut
termini illorum, quo Centro viciniores ſunt,
pro ratâ habeant arctiorem orbem, & qui fo-
ras ſpectat: ſic enim paries in orbem tendet
motus. At firmare illum parietem, hoc o-
pus, hic labor erit; baſis tamen, cui inſiſtit, be-
neficio hoc efficietur. Conſtabit illa duobus
tignis incurvis, circuli ſegmentum referenti- 28
bus,

bus, uno arctiore, qui centro vicinior, tecto ſcandulari (quod & ipſum in tignos orbiculariter compactos, in quibus Canalis ſit factus, in quem colligatur à tecto defluens pluvia educatur, ne parietibus faciat injuriam, longiùs) contiguo; altero, cui ad perpendiculum imminet paries, ampliore: Hæc duo ſegmenta committentur inter ſe multis transverſis tignis, tanquam radiis, quatuor pedes longis, quibus parietes tignis arctiſſimis continentur vinculis, ſic ut nec antrorſum nec retrorſum inclinare poſſint: àt interius ſegmentum orbi, cui tectum incumbit, congruum, multis uncis ferreis circa cardinem ſuum, ut aperiri, quando Machinam promovere, vel claudi, cùm eandem firmare volumus, poſſint mobilibus, copulabitur. Tandem ſufficere poteſt, Ventis avertendis, ſi hoc quaſi ſcutum & Cylindraceus, (ut vocant) ſuperficiei ſegmentum quartam circuli partem compleat. Sic, Lector benevole, habes deſcriptionem iſtius Molæ, quam conſtruere parat noſter D.N.N. **Wie man eine Windmühle auf eine Waſſermühle erbauen kan.**

29 De molendinis & furnis publicis, **Zwangmühlen**/(25) **gemeinen Backofen**/ notandum eſt, quamvis per C. & multò plurium annorum ſpatium Subditi iisdem ſint uſi, tamen præſcriptionem & conſuetudinem exinde edoceri non poſſe, ut nolentes volentes eò cogantur accedere, cùm hæc & alia in mera conſiſtant facultate, & non introduci queant, niſi prohibitio judicialis vel extrajudicialis, ſpecialis vel generalis, cui acquieverint Subditi, præceſſerit; Covarruv. *in c. poſſeſſor. de Reg. jur. in 6. ſecunda relect.* §. 5. Balbus *de præſcript. parte 4. quæſt. 5.* Theſſaur. *dec. 6. num. 1. & 2.* ita in Senatu Pedemontano ſemper judicatum referens Sixtin. *lib. 2. de Regalib. cap. 3. num. 59. & 60. 61. 62. 63. 64.* Jacob. Thoming. *conſil. 17. num. 66. & ſeq. volum.* 1. Knichen. *de jure territ. cap. 3. n.* 121. *& ſeq. & num.* 130. Fridericus Mindanus *lib. 2. de mandat. jud. cap. 38. num.* 3. Schneidevvin. *in epit. feud. part. 2. num. 83. & ſeqq.* Papon. *de arreſt. lib. 13. tit. 8. de mulins preſſurs & fornis banniers.* Borcholt. *in cap. un. quæ ſint regal.* Ratio eſt; Quia poſſeſſio ex actibus merè voluntariis non acquiritur, *l. Proculus 26. ff. de damn. infect. l. 2. ff. de viâ publicâ.* ſine quâ præſcriptio non procedit, *l. ſine poſſeſſione ff. de uſucap.* Quò pertinet, quòd
30 is, qui longiſſimo tempore hoſpitio recepit alicujus familiæ nobiles, non ſit obligatus, nec ejus hæredes in futurum prædictos nobiles recipere teneantur, fuſè Beſoldus *conſil.* 118. *vol.* 3. Martinus Mager. à **Schönberg** *in eleganti ſuo tractatu de Advocatia Armata, cap. 10. num. 305. & ſeqq.*

De Molendinis quoque Ventoſis ſeu
31 Pneumaticis, *num immobilibus ipſa annumeranda* (26) ſint, & conſequenter in fundo feudali exſtructa ſolo cedant, adeoq; & feudi naturam & ipſa ſortita intelligantur? An
verò pro re allodiali habenda ſint, & vili mo- 32
bilium aggreganda commercio? non ſemel dubitatum memini. Et quamvis Andreas Knichen. *tract. de inveſtit. pact. part. 2. cap. 4. num. 58.* illa molendina rebus immobilibus indiſtinctè accenſere videatur, per jura, quæ circa primum Molendinorum genus ſuprà adduximus; Scabini tamen Lipſienſes inter Molendina, quæ commodè de loco in locum transferri poſſint, & illa, quæ ita ſolo cohærent, ut circa rei ipſius interitum dimoveri inde nequeant, maturiùs hoc caſu diſtinguentes, illa rebus mobilibus, hæc verò immobilibus annumeranda, reſponderunt, *per text. in l. Titius horreum 60. ff. de acquirendo rerum domin.* ubi quòd domus exemptilis, & quæ ſolo affixa non eſt, aut, ſi affixa ſit, continuò eximi poteſt (qualem *Tiraquellus* (27) fuiſſe eam dicit, quam Rex Angliæ quondam fecit apud Guineas & Ardream, cùm ipſe, Rexque Galliæ, in eum locum ſe mutuò viſendi gratiâ conveniſſent) nequaquam immobilibus accenſenda ſit, ſed pro re mobili habenda. Vultej. *lib. 1. de feud. cap. 5. num. 5.* Roſenthal *de feud. cap. 4. concluſ. 4. num.* 2. Sixtin. *lib. 2. de Regalib. cap. 3. num. 71.*

Sicut verò Reipublicæ & Ærario maximè conducit, habere non ſolùm inſtructas complures molas, & probos molitores. Ita
quoque leges & ſanctiones valdè probantur, 33
quibus Principes & Magiſtratus molitores ſuos cum ſervis & familiâ ex animi ſui ſententia & conſcientiâ & ſyncerâ fide conceptis verbis jurare cogunt de præſtando dolum & culpam omnem, & ut teneantur, ſi ſcienter fallant, *ſubjectâ pœnâ.* (28) *Ingenium enim molitorum verſatile eſt*, (29) ut in proverbium abierit, **der Müller iſt fromm / der Haar auf der Zungen und in der Hand hat.** De quorum rapacitate & fraudibus Guarinonius, **von der Müller Mägde / Meelkaſten / und Becker gefälſchtem und verderbtem Brode**/ Garzon. *nella piazza univerſali.* Lepidè &
jocosè Reinhardus Lorichius Hadamarius 34
lib. 2. Ænigmat. quærit.

I.

Quæro, quos hominum furari impunè ſinamus?
Nec metuant horum libera furta Crucem?

RESPONSIO.

Horreſcunt omnes ſuſpendia triſtia fures,
Immunis molitor ſolus at eſſe poteſt.
Illos è medio ſi tentes tollere, fruges
Qui poſſet ſaxo frangere, nemo foret.
Inq; mola miror cur nulla Ciconia nidos
Extruat, an metuit, molitor ne ſubtrahat ova?
Surripiatq; ſuos, ut fur eſt, undique fœtus?

II. *Eſt*

II.

Eſt aliud prudens, benè quod natura paravit,
Nil molitori æquè ſuſpicor eſſe bonum:
Ipſius totum namque hoc defendit honorem,
Et ſervat famam, quæ peritura foret.

RESPONSIO.

Quod ſaccis hominum non eſt conceſſa loquela.
Hinc nequeant dominum prodere voce ſua!
Judicio illorum fieret manifeſta rapina;
Quam furtim nunc & diſſimulanter agit.

III.

Dic caſum, quando molitor ſit intra,
Sede concluſus lateat molari,
Fur tamen tectum videatur extra?
Dic mihi, ſi ſcis.

RESPONSIO.

Cùm molitor in ædibus ſtans manus per feneſtram extendit; Solis autem manibus furtum committit.

Et Poëta quidam Germanicis in rhythmis.

Ein Schalck und Müller
Eins Meiſters Schüler
Seynd / und Geſellen
Geſchickt zum ſtehlen /
Doch haben ſie beyd
Ein Unterſcheid /
Der Schalck zur Buß /
Dem Müller beut man noch den Gruß.

Quin cùm nulli fermè in re concredita negligentiùs & malitioſiùs verſentur, ac molitores; Federic. Scotus *conſi. 6 in fin. libr. 4. tom. 1.* Knichen *de jure territ. cap. 4. num. 313.* publica utilitas ſuadet, quo huic caveatur accuratâ & crebrâ inſpectione; & jurgia à peritis ad hoc addictis artificibus dijudicentur, eoque nomine infligantur mulctæ numariæ, quod paſſim obtinet, teſtibus Renato Choppino *dict. l. 1. cap. 24. per tot.* & Andrea Knichen *dict. cap. 4. num. 313. & ſeqq.* Conſtituantur molarum inſpectores, & viri graves, fideles & periti, qui conſideratis conſiderandis ex æquo & bono lites ſeu querelas indies pullulantes determinant ac finiant: vera in molendinorum locatione, conductione, emptione, venditione pretia decernant; legitimæ mercedis, macinæ, fructuumque rationem habeant; molitorum adminiſtrationem velut rigoroſi cenſores examinent; & diligenter procurent, ut molendis frumentis cuique ſatisfiat, & farina juſto modo ac tempore reddatur, néve molitores furfure ſues alant, aut aliàs quovis modo ſortem ordinariam egrediantur.

35 De legibus rei molendariæ vide etiam Jo. Coler. *lib. 2. tract.* von Mühlnutzungen. Proſtat quoq; Joannis I. Caſtellæ Regis lex molitoria: Si præfectus molæ alicui fœminæ ex iis, quæ ad molendinum venerint, injuriam fecerit, morte plectatur. Jo. Mariana *tr. de ponderib. & menſur. c. 24. fol. mihi 130.* Et refert Anton. de Guevarra Chronographus Imp. Car. V. *lib. 3. epiſt.* veterem invaluiſſe Badagiæ Hiſpanorum conſuetudinem, ut ſi molitor civem decepiſſet, nec ſuas cuique farinas protinus reddidiſſet ex frumento molâ contuſo, certo ære mulctaretur.

Inſpectionem molarum Centenæ vel Superiori Juriſdictioni adſcribit Knichen. *de jure territ. c. 4. n. 252.* Alii verò non ſuperiori, ſed *baſſæ jurisdictioni* (30) competere exiſtimant; niſi incidat crimen atrocius: quo caſu, niſi ſpecies jurisdictionis non ſint penes unum, inferior Magiſtratus Superiori Judici malefactores ejusmodi ſiſtere tenetur; ut operosè nuper deduxit Dn. Beſold. *Conſ. 211. vol. 5.* Planè ut olim molendinorum certos exſtitiſſe curatores, gubernatores, adminiſtratores & procuratores molarum; eamq; curam ad Præfectum annonæ ſpectaſſe, tradit Hering. *tract. de molendinis q. 45. n. 35.* Ita & hodiè Magiſtri aquarum & moletrinarum deſtinantur, Mühlenvögte / Schreiber / Waſſermeiſter / und Mühlen-Artzte qui proventibus annuis molendinariis annotandis, cauſisq; molitorum, piſtorum, & molentium diſceptandis, inſpiciendis, & molis reſtaurandis operam dant. An verò præſtet, 38
molam pro certâ mercede elocare, quàm proprium molitorem alere, qui pro molitura canonem frumentarium à molentibus contributum ciſtæ inferat? *Elocationem probo.* (31)

39 De molis varia exſtant Ænigmata; quale eſt illud Caſparis Barlæi, *miſcell. lib. 2. p. 552.*

Brachia ſpirantes laſſant immania Cauri,
Primaq; ſum menſæ, prima miniſtra gulæ.
Ala alam feſtina premit, paribusq; rotatæ
Viribus, antevenit nulla, priorq; gradu eſt.
Quid procul intentos arces induſtria fures?
Hæc domus, hæc domino regia fure patet.

Et Conradi Bachmanni:

Crebra lavor fluviis, & fluctus verbere crebro
Supprimor, & mergor fluctibus absq; modo.
Nunquam candidior, nunquam formoſior inde
Emergo, inde magis forma venuſta perit.
Me manus artificis pulcram ponebat in undas,
Sum Carbone tamen turpior ipſa nigro.

Et Johannis Lauterbachii:

Sanguine nata caro nullos informis ad uſus
Sum, mihi vitalis quòd calor omnis abeſt.
Humanis jugi noctesq; diesq; labore,
Ut victus habeant, commodo rebus opem.
Nec mihi dant homines, non dant jumenta quietem,
Non aqua, mille frequens verſor agorq; modis.
Ingrato mundo nil eſt dum pejus in orbe,
Agnoſcit nullâ qui data parte bona,
Ante aras veneror, quando cadit hoſtia, divos,
Munifico donent ut meliora ſinu.
Gratia digna Deo meliora parente meretur,
Accepti memor eſt quæ ſtudioſa boni.

Denique de Molitoribus neceſſaria & quotidiana hoc Martio, non Artium ſæculo incidit quæſtio: Cùm extra dubium ſit, illos ſubjacere tanquam ſubditos Hoſpitationi Militum, ſed vexantur hodiè ſemper à Metatoribus Caſtrenſibus, quibus in ſpecie etiam contribuere coguntur, ánne hoc pacto duplex onus ſufferre debebunt? Jura negant, ſecundùm quæ naturali æquitate duplici onere gravari quis non poteſt, *leg. Titia. 34. §. qui. 5. Digeſt. de legat. 2.* Aut igitur munus ſuum ferendi Hoſpitii portabunt, aut ab hoc tædioſo onere impoſito liberandi ſunt, præſertim, quòd ad tuenda & conſervanda molendina magnos ſumptus facere cogantur, & pro ſolo molarum quotannis aliquid Reipublicæ pendant. Noviſſimè Georgius Mundius *tract. de Muneribus, Honoribus, & Oneribus cap. 6. n. 240.* & poſt eum Georg. Chriſtoph. Walther. *in Eunomia Metatorum c. 6. §. 38. qu. 21. fol. 59.*

Solet quoque in caſu extremæ Neceſſitatis quandoque Meelpfenning ſive acciſa farinæ indici; de qua vid. infrà *cap. 78. n. 4. & ſeqq.*

ANNOTATIONES

Ad

CAPUT VIII.

Num. 1.

(1) *Molæ à molendo &c.*] Variam à variis huic vocabulo aſſignari Etymologiam, docet Hering. in exactiſſimo ſuo Tractatu de molendinis *quæſt. 3. n. 4. ſeqq.* ubi vide.

(2) *Antiquiſſimæ omnium &c.*] Quod monſtrat jam laudatus Hering. *quæſt. 5. num. 6.* & dicti Authoris hoc numero ex eo deſumpta, authoritatibus firmat, quam quæſtionem integram evolve.

Num. 2.

(3) *Operam piſtori locaſſe &c.*] Inde etiam *Aſinus* vocatus fuit Plautus. Nam olim qui in piſtrino laborabant, quòd idem illis incumberet labor ad truſatiles molas, qui Aſinis ad verſatiles; per convitium *Aſini* audiebant, & molæ quoque *præſepia*, Taubmannus *ad Plautum in pr. pag. 1.* Quoniam verò hæc opera non ſine ingenti ſudore & fatigatione virium fiebat, cœpit piſtrinum pro loco fatigationis pleno & laborioſo valdè negotio uſurpari: Sic B. Hieronymus ſcribit, ſe in linguæ Chaldaicæ veluti piſtrinum recluſum, multo ſudore, multoque tempore, vix tandem didiciſſe anhelantia ſtridentiaque verba reſonare, quod *in Animadverſionibus ad A Gellii citatum lib. 3. cap. 3.* Philip. Caroli notat. Adde Demſterum *ad Roſinum lib. 1. cap. 14. pag. 84. B.* & ipſum Heringium *d. loco num. 11.* Salmuth *ad Pancirol. de nov. repert. tit. 22. pag. 296.*

(4) *Jumentariæ &c.*] Quas non minùs doctè quàm evidenter depingit Apulejus *lib. 7. & lib. 9. Metamorph.* ubi vide, conquerentemque ſub perſona aſini teſtem haud reprobabis. Et notandum quæ de die Veſtali Roſinus *Antiq. Roman. lib. 4. c. 10.* memorat hoc nempe die (qui incidit in V. Idus Junii) cùm convivia paſſim ante focos agitarentur, cibi etiam Virginibus Veſtalibus mitterentur DEÆ VESTÆ libandi; & aſinos floribus coronatos, atque è pane veluti monilia quædam gerentes circumductos per Urbem: molas item ſertis & floribus ornatas quieviſſe. Harum ceremoniarum & rituum cauſas Ovidius diligenter inquirit, & *lib. 6. Faſtorum* explicat. Quem evolvere Lector quiverit.

(5) *Matth. 18. v. 6. Marci 9. v. 42. &c.*] Ibi: qui autem ſcandalizaverit unum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.

(6) Roßmühlen *&c.*] Qualis & hîc Norimbergæ inter publica ædificia in caſum neceſſitatis providè à Patriæ Patribus olim exſtructa cernitur, & ſarta tecta ſervatur.

(7) *Molæ portatilis &c.*] Addendæ & Jaimelli Turriani, ſui temporis Archimedis, ferreæ molæ, per ſe verſatiles, quas Carolo V. in ſeceſſu Hieronymiano poſt depoſitas Imperii faſces fecerat, tantæ ſubtilitatis parvitatisque, ut manicâ occultatas Monachus facilè ferret; cùm tamen quotidie molerent tantum tritici, quantum hominibus octo in ſingulos dies alendis abundè eſſet. Strada *de Bello Belg. dec. 1. lib. 1. pag. 13.*

(8) *Et aquariæ &c.*] Heringius (quem hoc loco Author preſsè ſequitur) *quæſt. 5. n. 17.* de Aquariis molis ſilet, ſed tantùm de alatis ſive vento agitatis verba facit, cùm jam antè dixerat & demonſtraverat (*quæſt. 2. n. 70. & 79.*) Aquarias non utique novellam rem aut adeò recens inventum eſſe, quamvis negandum non ſit, uſum illarũ aliquandiu intermiſſum; & à Zenone *in l. 10. C. de Aquæduct.* primam etiam mentionem in LL. noſtris factam reperiri; & illarum *n. 23.* ſtructuram explicans, quòd veteribus incognitæ fuerint, haud aſſerit.

Num. 3.

(9) *Ducere non liceat &c.*] Confer citatum titulum Codicis de Aquæductu.

(10) *Centum oſtendit Gandavum &c.*] Molæ quæ vi aquarum rotantur, potiſſimùm ſex; quæ vento circumaguntur, ſupra centũ viginti, (*hîc numerantur*) omitto innumeras illas machinarias, quas vel homines, vel jumenta verſant, ſcribit Guicciardinus *in Belg. Deſcript. parte 1. p. mihi 339.*

(11) *Primaria Flandriæ Urbs &c.*] Ferebatur, (*ſunt verba Stradæ de Bello Belgico decad. 1. l. 7. pag. 349.*) cùm Carolus V. Imperator rebellionem Gandavenſium ulturus petiiſſet ab Albano, quâ illos animadverſione dignos exiſtimaret; reſpondiſſe, Meritam eſſe contumacem patriam, ut funditus everteretur: offenſumque immiti reſponſo Cæſarem, juſſiſſe illum in turrim aſcendere, Urbemq; inde totam æſtimari: tum interrogaſſe, quot pellibus Hiſpanicis ad conficiendam æquè grandem chirothecam (hoc enim ſonat Gallicum Gandavi nomen) opus eſſet? neq; Albanum, quippe Imperatoris offenſionem ex vultu cognoverat, quicquam addidiſſe.

Num. 4.

** *Mobilium numero habenda eſſe cenſet &c.*] Preter eos vide, quos recenſet Heringius *d. tr. quæſt. 8. n. 7.*

n.7. ubi tamen *n. 9.* alios citat, qui eadem molendina fluitantia non purè & ſimpliciter pro rebus mobilibus, ſed certò reſpectu pro immobilibus agnoſcunt; & demum *n. 16. ſeqq.* adſtruere laborat, hæc ipſa molendina Navalia & πνευματικὰ juxta theoricam veritatem ac æquitatem uſu exprimendam, inque foro ſequendam, pro immobilibus rebus meritò habenda eſſe, cujus elegantiſſimæ prægnantesque rationes, pro ſententia ſua legi omninò merentur. In praxi tamen priorem opinionem ut communiorem hactenus prævaluiſſe apud Saxones, ex Berlichio *part. 3. concl. 30. n. 12.* Carpzovio *J.P.F. parte 3. Conſt. 24. Def. 8. &c.* apparet; quibus Paulus Voet JCtus Ultrajectinus, Doctor quondam meus honoratiſſimus, *in Tr. de mobilium & immobilium natura cap. 15. n. 7.* accedit; adde Reinkingkium *de Retractu quæſt. 3. n. 117. & 118.*

Num. 5.

(12) Waſſermühlen &c.] Ex JCtis, qui harum molarum aquaticarum mentionem fecerunt, præcipuos nominat Heringius *d. quæſt. 5. num. 24.*

Num. 6.

(13) *Admirandam ſtructuram Darmſtadii &c.*] Sic inter miranda Tholoſanûm Gölnützius *in Itiner. Belgico-Gallico pag. 539.* Molendinum aquaticum, *le Baſacle* dictum, numerat, & ſic deſcribit: Molendinum iſtud aquaticum non procul à navigiorum ſtatione Garumnæ inædificatum eſt novo planè artificio: XV. ſunt hydromylæ, ordine ſeſe invicem ſequentes, uno ligneo ædificio concluſæ; lapides molares ſive catilli è multis ſaxeis fragmentis affabrè junctis conſtant, circumvincti ligamentis ferreis; ſinguli pretio aliquot mille aureorum addicuntur. Tympana & rotæ magnæ ab aqua non circumaguntur, verùm rotunda caſtella, doliorum inſtar, fundo ſunt inædificata, in quæ ſubſcus ferrea, molam ſuſtinens, erecto poſitu deſcendit; cujus infimæ parti primæ ſunt infixæ, quæ impetu aquæ per canalem deſuper eò ductæ impelluntur, & hac circumgyratione ſubſcus ferrea, cui lapis molaris incumbit, circumgyratur. Celebriores per Germaniam & alias terrarum partes molas, interque illas Marpurgenſem, ab Heringio & Authore noſtro deprædicatam Darmſtadianam, & Gedanenſem, auf den Raden mit 18. Gängen quæ (quaque horâ aureum Hungaricum Fiſcò Publico meretur,) nominat Frölichius *in Viatorio parte 1. cap. 26. pag. 406.* Quibus meritò addemus molendina illa ab Electore Moguntinenſi Imperii Archi-Cancellario, pariterque Epiſcopo Herbipolenſi, Domino Johanne Philippo nato à Schönborn, magnificè Herbipoli ad Mœnum Anno MDCXLIV. exſtrui cœpta, & quotannis in formam meliorem redacta, usque dum, ut nunc, eminerent.

Num. 7.

(14) *In duplici ſunt differentia &c.*] Iterum Heringius intrepidè & ſolidè, tum rationibus, tum authoritatibus propugnat, pneumaticas molas immobilium loco omninò habendas, *d. quæſt. 8. n. 40. usq; ad num. 53.* Cujus ſententia diſtinguentium opinioni prævalere videtur.

Num. 9.

(15) *Ædificentur aquariæ, vel iſta deficiente &c.*] Hac & ſimili ratione in Belgio Fœderato uſus potiſſimùm eſt molarum pneumaticarum, quæ vento circumaguntur. Raræ occurrunt hydromylæ, ſive molæ, quæ vi aquarum rotantur, & ſi contingat aliquando ſummam malaciam eſſe, aquariæ molæ vicarias operas præſtant. Porrò definitus per quasq; Provincias & civitates molarum numerus eſt: Cùm enim ex frumento, quod molâ frangitur, amplum tributum cogatur, publicæq; rei facilè fraus fieri queat, per nimiam molendinorum frequentiam, cuiq; molæ ferè aliqui adjuncti ſunt, qui obſervent, quid & quantumquoque die ad eam deferatur. In pagis non ſolùm, ſed variarum quoq; Urbium pomœris, jus molendinum conſtituendi aut ex ſingulari privilegio, aut per præſcriptionem, aut alio quopiam titulo multis privatis perſonis competit, quibus proinde jus quoq; eſt molendinum locandi. Aliàs à Magiſtratu aut municipali, aut ſuperiori, hoc uſurpatur, ac in omnibus propè locis, illi qui molam exercent, annuum quod tributum, *pro vento* (*vide ſuprà num. 3. hoc cap.*) uti prætexitur, publico pendunt.

Num. 10.

(16) *Jam perpende compendia ex molis &c.*] Vide Joh. Colerum *in lib. 2. Tr.* von Mühl-Nutzungen. Item de Servitutibus molendinorum & molitorum laudatû Heringium *de Molend. quæſt. 43. & 44. per totum.*

Num. 11.

(17) *Plura & ſimilia automata &c.*] De quibus omnibus, Authori noſtro viam pandens præeundo, diſſerit Heringius *quæſt. 6.*

Num. 12.

(18) *In Danubii ripa &c.*] Stephanus Vinandus Pighius *in Hercule Prodicio pag. m. 95.*

Num. 14.

(19) *Nec ſpectant hæ molæ ad privatos &c.*] Contrarium permultis exemplis demonſtrari poſſet, ſi opus eſſet, quapropter inutiliter hîc tempus terere, religio mihi fiet.

Num. 15.

(20) *Præſtabat Papyrus &c.*] Junge Salmuth *ad Pancirol. de reb. nov. repert. tit. 13. pag. 257.* & Authores à Bornitio *de rer. ſuffic. tract. 2. cap. 71. pag 173.* notatos.

Num. 16.

(21) *Principes terrarum &c.*] Subintellige *quidam*, cùm cenſus ille univerſaliter receptus haud ſit, ſed cenſum illum, & in numerata pecunia, vel aliâ quapiam re conſiſtere poſſe, nemo facilè, credo, negabit.

Num. 18.

(22) *Polliones &c.*] Qui Polliones dicti fuerint, diſquirit Gothofredus *ad l. 6. ff. de J. immunitatis.*

Num. 21.

(23) *il Pratolino &c.*] Vide Zeilleri Reiſebeſchreibung durch Welſchland *cap. 5. 1. n. 14. pag. 116. & 117.*

Num. 22.

(24) *Illud principiis Mathematicis &c.*] Quod docet Robertus de Fluctibus, *in textu n. 21. à Klockio citatus d. lo. vol. 1. lib. 11.*

Num. 29.

(25) Zwangmühlen &c.] Dixi jam olim ex Beſoldo *ad Politicum Sceleratum cap. 35. pag. 406.* hujusmodi bannum crudelem ſapere negotiationem; in qua ſententia, (reſtricta tamen ad regulam, & caſibus quibusdam exceptis) ut perſiſtam, movent me argumenta pro Negativa, ad quæſtionem, *an Principes &c. ſuos ſubditos cogere de jure queant, ut ſuas tantùm moletrinas adeant?* adducta, & ad contraria doctæ reſponſiones, cum notatione caſuum exceptorum, Heringii *de Molendinis quæſt. 11. per totum.*

Num. 31.

(26) *Num immobilibus ipſa annumeranda &c.*] Contrarium, ut jam innui ad n. 4. (11) maſculè defendit Heringius *quæſt. 8. n. 16.* & arma adverſariorum, iterum ab Authore noſtro, in earum caſtra transeunte, ſumpta, dextrè declinat, quem videſis quæſo.

Num. 32.

(27) *Tiraquellus &c.*] *de Retractu Conſanguin. §. 1. Gl. 7. n. 118.* De domo verò illa, quam Henricus VIII. Angliæ Rex, ad honorandum Franciſcum I Regem Galliarum exſtruxerat, ſic Author Anonymus *annal. rer. Angl. Henrico VIII. Eduardo. VI. & Maria regnantibus pag. 58. 59.* ſcribit: Poſtea Rex Gallum epulo excipit ad Guineas in ædibus ligneis; quæ quatuor manſionibus conſtabant. Has in Anglia, partim in Hollandia ædificari, indeq; apportari curaverat. Exterior domus circumtecta erat telâ picta, quæ ſpeciem quadrati lapidis præferebat, interior aulæis pretioſiſſimis circumſtrata, ut nemo eſſet, cui non videretur ædificium ſummâ arte conſtructum. Fuit autem ad formam Comitii mercatorum, quod viſitur Caleti compoſita. Eam poſtea disjunctam & in Angliam reportatam, dicit Bellajus (*Comment. lib. 1. pag. 18.*) adeoq; nihil Regi conſtitiſſe; cùm certum ſit, & à noſtris memoriæ proditum, ex Anglia miſſos in Galliam cementarios CCC. fabros DC. pictores, vitriarios, aliosq; opifices CC, ut univerſi MC. virorum numerum complerent, eosq; poſtquam in Galliam pervenerunt, in ea ſtructura duorum menſium ſpatio perpetim laboraſſe. Cui illa quoq; domus annumeranda, quæ colloquio de pace Gallo-Hiſpanica A. MDCLIX. inter Cardinalem Mazarinium & Ludovicum de Haro inſtituendo, in Inſulà à Phaſianis dicta, exædificata fuit.

Num. 33.

(28) *Subjecta pœna &c.*] Quam ad ſuſpendium usq; extendi poſſe, Carpzovius docet *in pract. Rer. Crim. part. 2. quæſt. 85. n. 45.* ubi nota ex præjudicio illic ſubjecto; tum confeſſione Rei, tum damna paſſorum juramento furtum tale & ejus quantitatem probari poſſe.

(29) *Ingenium enim molitorum verſatile eſt &c.*] Rectè hos Hadamari jocos proferens Heringius *quæſt. 567.* proteſtatur, eos ſe citra molitorum honeſtorum injuriam ſubjicere. & *p. ſ. n. 68.* Licèt ergo, (*inquit*) notum naufragiis mare non ſalute aliquot navium amittat crudelitatis nomen; nec proba ſit Sirenum vicinia, quoniam transeuntem Ithacum non evertit, dicente Euphormione *parte 1. Satyr.* num. tamen unius atq; alterius nebulonis improbitas bonis viris notam fraudis & furti inurere poteſt?

Num. 36.

(30) *Sed baſſæ Jurisdictioni &c.*] Conſil. Argentorat. *vol. 1. conſ. 2. quæſt. 5. n. 157. ſeqq.* Author Actorum Lindavienſium *pag. 355.* Cui omninò Dn. Mylerum ab Ehrenbach *in Metrologia cap. 16. §. 1. ſeqq. & cap. 26. §. 12. & inprimis num. 15.* adde, ubi quæſtionem illam per ampliationes aliquot, & quòd inſpectio illa potiùs Territorii competat Domino, declarat.

Num. 38.

(31) *Elocatione probo &c.*] Fortaſſis ideò, quòd Molendina perpetuis deteriorationibus obnoxia, indeq; quotidianis ferè ſumptibus, ad reparationem etiam minorum rerum, haud minimis indigeant,; contrà incerti admodùm reditus exiſtant, atq; de plurimis, abſit omnibus, argumentum validum cenſeatur, quod vulgus format in molitore: Eſt molitor. Ergo eſt Fur. Hi enim ſervant Gloſſam *in §. ſi. tres. 2. de pace tenenda & ejus viol.* dicentem: Beatus, qui tenebit: ideò ipſi accipiunt & tenent vehementer. Accedit, quòd plerumq; & inſtrumenta molitoria æſtimata tradantur conductori, hâc lege, ut in eodem æſtimio locatione conductione finitâ locatori reſtituantur, (werden ein- und ausgeſchätzt) neq; tempore illius Contractûs ad ædificandum aut reparandum quid, præter die Haubt-Gebäu / Locator adſtringatur, atque ſic haud facilè ex negligentia Conductoris damno affici queat. Ut alias nunc rationes intactas relinquam.

CAPUT IX.

De Sale coquendo & Salinis vel Aquamarina, & de Picariis, Alumine, Bitumine, &c.

SUMMARIA.

1. Salis *encomium, ejusq; ad omnem vitam utilitas; puritas, color, ſapor, vigor, duratio, ſalis beneficio in ſanguine remanet,* num. 2.

3. Sal *ſapientiæ Apoſtolicorum Doctorum & Symbolum.*

4. Sales *ſunt lepidiores, ſales nigri mordaciores.*

5. *Curandum* ſal & ſalinaria *omnia à Magiſtratu diligenter.*

6. *Celebriores quædam* Salinæ *enumeratæ.*

7. Vectigal ſalarium *provenit à ſale: ubi & de ſale evaneſcente Tragoſæo poſt impoſitum tributum ei à Lyſimacho.*

8. *Præter coctum ſalem foditur etiam* ſal *alicubi in Hungaria, Polonia, & Italia (ubi de* maſſa *Italiæ) nec ſolùm; ſed & ſal nitri & petræ foditur,* n. 9.

10. *Huc ſpectat* Alumen, Bitumen, Terra ſigillata, &c.

11. Aſphaltum, & Biſaſphaltum, *ubi & pulchra de lacu Aſphaltiti.*

12. Jus vendendi ſalis *an quis ſolus ſibi arrogare poſſit præter Regem.?*

13. Rex Galliæ *monopolium exercet cum ſale.*

14. Salis *proventus eſt Tartarorum Principis Domanium.*

15. Monopolia de ſale vendendo *in Italia ſunt licita.*

16. Venditio ſalis *urbium eſt, non pagorum.*

17. Salinæ *privatorum in fundis repertæ, ſunt Dominorum: at poſteà in Fiſcum translatæ, non tamen Salinæ ipſæ, ſed ſalinarum reditus, & vectigal eſt jus regale*; num. 18.

19. *Ex Aurea Bulla Car. IV. Electoribus ex gratia ſpeciali ſunt addictæ.*

20. Uxor Loth *cur in ſalis ſtatuam verſa: Ænigmata de eadem. ibid.*

21. Judæi *urbes funditus delentes* Salem *ruderibus aſpergebant: Rationis conjectura adponitur,* num. 22.

23. *Ænigmata & Griphi de* Sale.

Quod Sol eſt mundo, Sal creditur eſſe culinis,
Nil ſapit inſulſum: fatuas ſal condit & eſcas,
Et lardo ætatem, & maſtatis carnibus addit.

Salis

SAlis uſus tàm neceſſarius & utilis eſt, ut in proverbium abierit, Hominem *ſine Sole & Sale* (1) vivere non poſſe. *Plato* (2) certè in Sympoſio voluminibus quosdam integris ſalem celebraſſe teſtatur. Sic enim Eriximachus ait: Nuper incidi in quendam viri ſapientis libellum, qui miras ſalis laudes ob ejusdem utilitatem complectebatur. *Plinius* (3) non ſemel ſalem commendat. Hinc & Comicus in Eunucho *Act. 3. ſcen. 1.*

— — *Qui habet ſalem,*
Qui in te eſt. — —

Exſtat & in Hiſpania elegans de Sale commentarius, ad Hiſpaniæ tunc Regem, Bernadini Meidis Epiſcopi Alcaniſenſis. Nam cibi ſale condiuntur ac ſapiunt, & à putredine carnem ſervant. Job. *cap. 6. verſ. 6. Poterítne comedi inſulſum, quod non eſt ſale conditum?* Copioſè Plutarchus *lib. Sympoſiac. 5. c. ſeu, q. 10.* Sal reliquorum obſoniorum condimentum optimum habetur, naturæ ac conſervationi rerum adeò utile, ut ad animantium tum fœcunditatem, tum ſalutem, atque vitæ jucunditatem divinitùs omninò procreatum eſſe videatur. Etenim præter medicinæ, & alios in vita humana uſus excitat aviditatem, invitatque in omnibus cibis, ita ut ſit peculiaris ex eo intellectus inter innumera condimenta; quòd adeò neceſſarium eſt elementum, ut pecudes, armentaque & jumenta maximè ſolicitet ad paſtum, multo largiore lacte, multoque gratiore etiam in caſeo dote. Præterea in generatione, nutritione & conſervatione hominis in hac vita naturaliter Sal plurimùm ſibi vendicat, concoctionem in ventriculo, digeſtionemque operatur humorum, unde ſanguis purus, coloratus, dulcis & durabilis efficitur. Ac licet ſuperfluitas ſalſorum humorum in corpore quaſi ſubſidat, & ſudore, pituitâ, prurigine, aurium purulentiâ, lacrumisq; oculorum, ſputo, lotio ac ſtercore (quæ omnia ſalſa ſunt) excernatur, tamen puritas, color, ſapor, vigor & duratio, Salis beneficio, in ſanguine humano remanent. Quin imò homo nullo omninò ſale utens, ad ſeſqui menſem vix ſanus eſſe poſſet. Bruta verò, quibus anima pro Sale eſſe dicitur, *cum ſale perennare videntur.* (4) Ideo à Poëtis Venus quoque fingitur è mari orta, vel è ſale nata, ut ſub hoc involucro ſalis vis genitalis proponeretur: Et Deos marinos omninò fœcundos, & multorum liberorum parentes facimus; Et de terreſtribus, & volucribus nullum planè invenies animalibus, quod fœcunditatis gratiâ, vel cum quovis marinorum comparare liceat, unde illud Empedoclis:

Fœcundos piſces inſcitam ducere gentem.

Quod etiam eſt ob ſaluberrima, & elaborata elementa, quæ mare gignit & aëris tenuitatem & puritatem, quæ ab illo oritur, cùm etiam marina obſonia præterquam ſuaviſſima, maximè ſint innoxia; non enim ut carnes gravant, ſed facilè digeruntur, & concoquuntur. Unde Zeno, & Crato ægrotantes ante omnes alios cibos ad piſcem, ut leviſſimum invitabant; Plutarch. *lib. 4. Sympoſiac. quæſt. 4. & lib. 5. q. 10.*

De more adponendi Sal ante alios cibos hoſpitibus *vide Cælium Rhodigin.* (5) *lection. antiquar. lib. 12. cap.* 1. ubi dicit, quòd non ſolùm propter repetitum in alimoniis gratiam hoc fiebat, ſed præterea, quia ſit amicitiæ Symbolum, quaſi per ſalem innuatur firmitas amicitiæ: aut quia velut ex aquis Sal multis, & fuſilibus coit ſolidum quiddam, & unum, ſic ex diverſo convenientes coaleſcant animo. Quamvis etiam ab initio adponeretur Sal ob aliam rationem, ut videlicet, qui hoſpitali jungerentur jure, ſic expurgarentur; ideò dicebant luſtralem ſalem: mos enim erat veteribus, in mare ſordes abjicere, & illic expiare pollutos, quaſi cuncta mortalium mala ablueret mare, ut ex Homero, Platone & aliis docet Rhodigin. *dict. lib.* 12. *cap.* 22. & de Menſa, quam prophanam eſſe ſine ſale, veterum opinio fuit, de quibus Juſt. Lipſius *in Saturnal. Sermon. lib.* 1. *cap.* 2. Noviſſimè Ludovicus Septalius Patritius Mediolanen- 1
ſis *Comment. in Problem. Ariſtot. ſect. 11. problem. 26. in fin. fol. 195. ubi dicit*, quòd Figuli olim Romæ Salinum cum ſale in menſa adponere pro religione habuerint; Idque ortum putat *Sex. Pomp. Feſtus* (6) à fatali quadam figulinæ fornacis ruina, quæ contigit in Eſquilina regione; cùm fornax plena vaſorum coqueretur, atque figulus proximè eam convivatus, ſuper modum potûs, ſomno eſſet oppreſſus cum ſuis convivis: præteriens quidam petulans, oſtio patente, ex menſa ſalinum conjecit in fornacem; atque ita excitato incendio fornax cum univerſis crepitantibus vaſis disrupta eſt, ipſeque ſingulis cum convivis concrematus. Apud nos adhuc incivile putatur, ſi ſalinum primo loco non adponatur in menſa: apud veteres (ut dixi) irreligioſum, & multæ ex veterum ſuperſtitionibus etiam gentilibus apud nos Chriſtianos, licèt ignaros, reliquiæ ſuperſunt. Plura de Sale lectu haud indigna refert Stephanus Gratianus *tom.* 1. *diſceptat. forenſ. cap.* 179.

Ob hanc Salis utilitatem ac bonitatem 3
multa metaphoricè & allegoricè à Sale dicuntur. Sic Apoſtoli & miniſtri verbi divini *Sal dicuntur*, (7) quia animum nutriunt & conſervant. Unde & monet Chriſtus *Luc.* 14. *v.* 34. (8) *Habete in vobis Sal, id eſt*, prudentiam ac circumſpectionem. Et addit:

Et pacem habete inter vos; ſignificans, prudentiam ac circumſpectionem in locutione atque actione pacis eſſe conciliatricem: Quò & reſpicit Paulus, hortaturque *Coloſs. cap. 4. v. 6.* Sermo veſter ſemper in gratia ſale ſit conditus, ut ſciatis, quomodo oporteat vos unicuique reſpondere. Et ſuper dicto Chriſti *Matth. cap. 5.* Vos eſtis Sal terræ, & lux mundi. Sermonem Synodalem habuit Claudius Eſpencæus in Operibus ſuis *fol. 918. & ſeqq.* Quo monentur Paſtores gregem Domini paſcere vitâ, verbo, & precibus. Sic ſapientia cum ſale comparatur, quæ mentis ſapor eſt. Sic *à ſale Salarium*, (9) quaſi *ſal neceſſarium*; (10) & ſapientia, *veluti ſapida ſcientia* (11) eſt dicta, ut cùm à conſulendo conſilium ſit dictum, nihil putemus utilitate ſimul & doctrinâ eſſe in conſilio conglutinatius. Sic honeſtæ facetiæ, *Sales* (12) dicuntur, quia quaſi ſermonis ſapor ſunt. Lucanus;

At ſoliti luſêre Sales.

4 Sic calumniæ, obtrectationes, ſarcaſmi, contumeliæ, ſcurrilitates, & ſalebroſa mordacia ſcommata, nigri Sales dicuntur, quia & Orationem & hominis famam, quaſi nigro quodam ſapore afficiunt. Unde nonnemo: *Sale multo Urbem defricuit.* Sic denique quicquid infacetum, inſipidum, ineptum, & invenuſtum eſt, inſulſum dicitur; Græci quoque frequenter à ſale parœmias derivant, *Salem & menſuram* (13) *ne prætereas.*

5 Ex quibus omnibus facili negotio colligi & intelligi poteſt, quæ ſit Salis virtus ac præſtantia. Quocirca Rectori Reipubl. maximè cùm ſalſæ aquæ magnorum Vectigalium & redituum cauſæ eſſe ſoleant, curæ ſit, ut ſi natura loci ſcaturigines ſalinarum indicet, eas diligenter inveſtigare, inveſtigatas poſtea excoquendo perficere; vel, ſi deſit, ſaltem ſal marinum, vulgò *Boick*, navigiis advectum, vices ſalinarum ſuppleat, ut à rudiori ſubſtantia in ſubtiliorem ignis vi coquendo perducatur; Quale Sal Dresdæ in Aula Electorali, Stetini in Pomeraniâ, in Sileſiâ zum Neuen Saltz conficitur, & fiſco haud parùm prodeſſe ſolet. Videatur omninò Georgius Agricola *de re metall. lib.* 12. Bodin. *lib.* 1. *de Repul. cap.* 10. ubi rationem conficiendi Salis in locis Auſtralibus ex aqua marina exponit.

Non omnia, quæ in mari ſunt, vel ex aqua marina fiunt, ut ſal, juris imperatorii cenſentur: alioquin illud adulationi Palphurii ſimile eſſet dixiſſe; is enim omnia dicebat in mari capta & exiſtentia Domitiani Cæſaris eſſe, ut Juvenalis *Satyr.* 4.

Si quid Palphurio, ſi credimus Armillato,
Quicquid conſpicuum pulchrumq; ex æquore toto eſt,
Res fiſci eſt, ubicunque natat.

Quod falſiſſimum eſt. Nam quæ in mari, vel quæ in cœlo capiuntur, *occupantium fiunt*, (14) *l. 2. & 3. ff. de R. D. cum ſimilib.* Ideò & ſalinæ, quæ ex aqua marina, multis laboribus coaleſcunt, in dominorum & occupantium jure ſunt; Licèt poſtea Principes ſibi ſalinarum jus & reditus conſtituerint.

Interdum natura aquas ſalſas regioni indulget, ſed aquis aliis, mit wildem Waſſer/ admiſtas & ſuperatas. Sunt, qui operâ & arte aquas alienas ſeparare ſatagant; at multoties fruſtra tentatum fuiſſe ſcio, licèt de certitudine ſponſionibus certarint multi.

Naſcitur & conficitur Sal in multis terrarum tractibus, nec copiâ contemnendâ; cùm Africa circa Uticam conficiat acervos ſalis ad Collium ſpeciem & Carræ (eſt Arabiæ oppidum clade Craſſi nobile, Plin. *Hiſtor. Natur. lib. 5. cap. 24.*) muros domosque è maſſis ſalis faciant, aquâ ferruminantes, Plin. *Hiſtor. Natur. lib. 31. c. 7.* & Hammanientes reſtagnantibus ibi Mauritaniæ aquis domos ſale montibus ſuis exciſo, ceu lapide conſtruant, Plin. *lib. 5. cap. 5. &* apud Indos ex monte Oromeno lapicidinarum modo ſal cædatur renaſcens majori Regum ex eo Vectigali, quàm ex auro eſt, atq; margaritis. Plinius *d. lib. 31. cap. 7.*

In comitatûs Burgundiæ oppido *Salins*, (15) excellentiſſimum Sal coquitur, ex quo ingens & vix credibilis provenit reditus, quotannis 300000. libras excedens. *Noverunt & Hollandi* (16) Zelandique ſingulare excoquendi ſalis nigri artificium, quem conjectum in prægrandes lebetes tantiſper excoquunt, ut nivis candorem profiteatur. Super ſalem enim craſſum atque rudem, qui ex Hiſpania vel Britannia minore ad eos adfertur, infundunt aquam marinam, atque ita ex centum libris Salis Hiſpanienſis conficiunt libras CLXV. ſalis albiſſimi puriſſimique, quem vendunt in Angliam, Daniam, aliasque Orbis Chriſtiani provincias. Sal Gallicus, cujus cumulos veluti argenteos quosdam colles non modò terra ſuppeditat, ſed & Oceanus ipſe litoribus acervatim alluit, ipſo Phœbo ſtatim & feliciter coquente, quantum & à copia & à bonitate longè præſtat aliis omnibus? Quantum numorum quotannis in arcas infert regias? Nam regiones ad Arctum excurrentes quot millies millenos modios ex Gallia ſingulis annis domum vectant? *Exploratum enim* (17) & experientiâ diuturnâ compertum eſt; nec Belgas, nec Britannos, nec Danos ſale Gallico vacare poſſe.

Et cùm anteà Imp. Carolus V. Belgas non tantùm ab Hiſpanis ſal accipere cogeret, verùm etiam Gallico ſale uti prohiberet, Civitates ac populi, qui ab Hiſpanis ſal emerant, animadverterunt, piſcarias merces, quarum uberrimus & copioſiſſimus eſt in Belgio quæſtus, Hiſpanico ſale propè extabuiſſe, propter acrem nimis & arroden-

dentem ſalis Hiſpanici vim ac naturam: importuniſque rogationibus obtinuerunt, ut Gallicis ſalibus, qui vegetiores & ſuaviores ſunt, uti liceret. Undè ſæpiſſimè navium peregrinarum claſſes ad littus Celticum appellunt ſalium emendorum causâ: & quia frumento, vino, oleo, cæteriſque rebus ad vitam beatiùs commodiùsque tranſigendam neceſſariis abundat Gallia; illi negotiatores vacuas naves arenâ ſæpè aut lapidibus onerant, ut emere liceat, cùm rariùs permutare poſſint.

Quanquam verò in Germania & Anglia aquarum ſalſarum ſint ſcaturigines, è quibus multum ſalis excoquitur, ſunt tamen, qui illum ſalem ad Gallicam bonitatem accedere negent. Potiores verò & præſtantiores Germaniæ Salinæ ſunt in Lotharingia (ubi ex aqua fontana ſal excoquitur) & *in elegantiſſima Lunæburgenſium urbe*, (18) & Halæ Saxonum, unde præcipui civium vitam adeò honeſtè tolerant, ut mercatura illa nobilitatis ſpecies eſſe cenſeatur. Hippolit. à Collib. *de incrementis urbium cap. 10.* Et Lunæburgi, ac Halæ Saxonum, Patricii illi, qui è Salinis magnos fructus capiunt, Saltz-Junckern/ (19) vocantur; Draco *de orig. & jure Patricior. lib. 3. cap. 8. pag. 316.* Johannes Alberti Ducis Brunſvicenſis frater, primus operam impendens Salinæ Lunæburgenſi, novam venam aperuit, longè eâ, quàm quæ pridem fluxerat, uberiorem Anno Chriſti MCCLXIX. & proſperè opus in ejus ceſſit manibus. Ex his Salinis multi Monaſteriorum Abbates & Prælati vitam ducere conſueverunt. Eas poſt Lunæburgenſes violenter uſurparunt, propterea Anno MCCCCLX. Nicolao Pontifice Max. & Friderico II. Imperatore Auguſto damnati fuerunt. Quam Hiſtoriam luculentiùs deſcribens Joan. Meurſius *lib. 1. Hiſtor. Danic. pag. 33.* Lunæburgenſis Senatus, *ait*, cùm ſubductis rationibus animadverteret, civitatem ære alieno premi; neque ad ſalinas ſuas, quibus ſalus publica ferè conſtaret, conſervandas ſat Ærarium facere poſſe: ut neceſſitati ſuæ ſubveniret, multa templis, ac cœnobiis, per injuriam ademit. Id Epiſcopi Suerinenſis pariter atque Lubecenſis, poſtquam ægrè adeò ferrent, & tutelam Cleri ſui ſuſpicientes quererentur, hunc in modum rebus ſuis multum detrimenti dari; nec proficerent tamen quicquam, deferunt rem ad Pontificem: qui ſacrorum ipſis uſu, dum ablata reſtituerent, interdicit. Id cùm fieret, magnus illicò tumultus totâ urbe eſt exortus. In Patricios, & Senatum, plebs inſurgere, ac mutare Magiſtratum, additis viris ſexaginta, qui invigilarent pariter, ne res publica aliquid detrimenti caperet. Sed in illos itidem mox concitata, rurſum dejicit, & prioribus dignitatem ſuam reddit. *Hæc ille.*

Cæterùm præmemoratas aliaſque Germaniæ Salinas, nec non exercitium *Cupævectionis* (20) (ut vocant) Patriciis Lunæburgenſibus ex more patrio, antequam ad partem Salinæ hæreditario jure ſibi legitimè oblatam admittuntur, in orgiis uſitati, Elegiaco carmine graphicè deſcribit Albertus Lonicerus. Exſtat quoque hiſtorica Salinarum Halenſium deſcriptio pulchrè contexta ab Erneſto Brutorffio *in Chronic. Magdeburg.* Albino *in Chron. Miſn. part. 1.* M. Johanne Matthæſio *in homiliis Sareptanis homil. 11. fol. 125. & ſeq.* *Hæ Salinæ Saxonicæ Halenſes* (21) ab Ottone Imp. Archiepiſcopatui Magdeburgenſi conceſſæ, atque ſic Juris Epiſcopalis effectæ ſunt. Dein rurſus ab Archiepiſcopis, Capitulo Magdeburgenſi id ratificante, eædem civibus Hallenſibus partim in feudum conceſſæ, partim verò Menſæ Archiepiſcopali deſtinatæ, hac lege, ut certam quotam ſeu cotas Salinarum ex illis reditibus Archiepiſcopis pendant, reſiduum autem & ſibi ſervent; Daß ſie nun die gewöhnliche Außläuffte etliche Pfannen zu verſieden haben/ Petr. Heig. *lib. 1. quæſt. 14.* Benedict. Carpzovius *p. 2. Juris-Prudent. Romano-Saxon. Conſtit. 52. definit. 11. n. 4. & ſeq.* quæ tamen Quota vel Rata minuitur & Epiſcopo decedit, ſi lignorum inciderit caritas; Hoc Archiepiſcopus Erneſtus Anno MCCCCLXXIX. Conſtitutione ita ſtabilivit, ut ſinguli ejus ſucceſſores in Capitulatione Archiepiſcopali jurare teneantur, ſe Salinas haſce menſales alii, quàm Civibus Hallenſibus, non conceſſuros. Ita Salinarum dominium manet Archiepiſcopo, ut quæ tanquam bona Menſalia omnem reſpuunt alienationem, nec Dominio alterius poſſunt ſubjici, uſus earum ſaltem ſubditis liberaliter conceditur. Quanta verò diſſidia præcedenti Anno MCCCCLXXVIII. Halæ Saxonum hac de re inter plebem ac Patricios, den Saltz-Junckern/ orta fuerint, latè memorat Chytræus *lib. 7. Orig. Saxon. fol. 785.*

Sunt & præter Halas Saxonum, *Halæ Tyrolenſium*, (22) *Halæ Suevorum*, (23) *Halæ Bojorum*, (24) *Halæ Auſtriorum*, (25) *& alibi* (26) inexhauſtæ. *Salinis quoque Cracovienſibus* (27) vix in univerſo orbe exſtant pares. Earũ concameratio, cui & oppidum impoſitũ eſt, columnis è ſale exciſis fulcitur; quæ porticus efficiunt tam amplas, ut non opus ſit inter ambulandũ caput demittere. Nuſquam tamen ea ſalis copia, quæ *in Italia*, (28) ubi Tarentinus lacus æſtivis Solibus ſiccatur, & totus in ſalem abit. Nonnullis in locis Sal cogitur etiam in lapides, velut in littore maris juxta Tumbez provinciam torridæ auſtralis, cujus meminit Cardan. *lib. 1. de rer. variet. cap. 6. pag. 33.* In Sicilia quoque non ſolùm effoditur ſal è viſceribus terræ; ſed & coquitur magna copia ex

aqua marina. Et in Regno Portugalliæ ſalis tantum habent, ut non incolarum ſolùm ſerviat uſibus, ſed & ad exteros evehatur.

7 *Ex Sale Salinarium Vectigal:* (29) quod parum vel nihil minuit jura privatorum, *l. forma 4. §. Salinæ* 11. *ff. de cenſib.* Quomodo Lyſimachus in Troade vectigal Salinarum indixiſſe refertur *ab Athenæo*; (30) ſed, naturâ id quaſi refugiente, *exaruiſſe Salinas*, (31) remiſſo Vectigali rurſus prodiiſſe. Ita *ab Anco Martio*, (32) C. Claudio Vectigal ſali impoſitum: Et M. Livius, Claudii Neronis *in conſulatu Collega*, (33) Salinator dictus eſt, propter vectigal, quod ex Salaria annona commentus eſt in cenſura, Livius *lib. 29. cap. 36.* Plin. *lib.* 33. *Hiſtor. cap. 7.* Quod vectigal ægrè tulit populus. In Gallia *Philippus Valeſius* (34) ſeu VI. Anno MCCCXXVIII. Salinariæ annonæ vectigal impoſuiſſe ſcribitur. Ob hoc tributum Marenenſes rebellaſſe in magiſtratus regios in Aquitania *Burdigallæ*, (35) memorat Gregor. Tholoſan. *lib. 3. Syntagm. Jur. Univerſ. cap. 10. num. 3. in fin.* In Germania olim Judices peculiares Salinis Præfecti erant, quas nominabant **Salzgrafen.** (36) Poſtmodùm cùm omnia habendi cupido excreviſſet, privatis in totum ademptæ, Fiſco regio addictæ, *& inter Regalia numeratæ* (37) ſunt Salinæ. Hinc eſt, quòd ſpeciali quadam gratiâ *à Carolo IV. Electoribus collatæ*; (38) & hodie non niſi permiſſu Superiorum, ab Imperatore cauſam habentium, poſſidentur. Salis mineram & uſum faciendi Alberti I. Imp. Uxor Eliſabetha, filia Meinhardi Comitis Tyrolis & Goritiæ, ac Ducis Carinthiæ Conradi ſoror ex matre illuſtriſſima, magni & acuti ingenii fœmina, Hallis prope **Gemünden** in ſuperiori Auſtria invenit; omnibusque *Monaſteriis de Sale in Auſtria providit*, (39) Dei dono non ingrata.

8 Præter ſalem factitium etiam Sal foſſitius exciditur ex petris Maromaruſiæ, ubi etiam aquam ſcaturit fons, quę ſimul ac terram contigerit, induratur & lapideſcit. In Dorinana, quæ hodie Rana dicitur in Comitatu Moramurienſi in Dacia mediterranea, Salinæ exſtant ad fontes Tibiſci, locum incolæ *Sigeth* appellant, ubi ex montibus proximis tanta copia foſſilis ſalis eruitur, ut magnum inde Vectigal Hungariæ Reges recipiant, atq; Cameras in Provincia habeant, ubi ingentes montes ſalis congregant, Tordæ videlicet, Viſaſtinæ, quam & Salezeburgam Wolfg. Laz. *lib. 12. comment. Reip. Rom. ſect. tit. 2. c. 1.* In Polonia quoq; & Suecia Sal è partibus ſubterraneis in graves micas concretus eruitur, ut Cromerus *in Polon. lib. 3.* de tractu Cracovienſi refert, & Mattheſ. *d. loc.* Simili naturæ beneficio picem foſſilem reperire licet, Plin. *lib. 16. c. 12.* Cujac. *in c. un. quæ ſint regal.* Viſuntur etiam in multis Italiæ locis officinæ ſalariæ; atq; apud Brutios mille paſſibus ab Altomontio (ubi etiam colligitur *Manna*, noctu rorans, præſertim cùm imbres diurnos liquidum purumq; cœlum noctis excipit, legitur ex frondibus & arborum quorundam truncis. Paul. Merula *Coſmog. p. 2. lib. 4. cap. 4.*) fodinæ ſunt, in intima montis viſcera excavatæ, longitudine quædam quingentorum, quædam mille paſſuum, aut ampliùs; unde Salem effodiunt.

Sunt & alia Salia foſſilia factitia, puta *ſal- 9
nitri* (40) & petræ, quod in Ovilibus, Cellariis, muris, &c. reperitur, **Salpeter und Salniter** vulgò. Quid ratione ejus, quoad effodiendum, præparandum & coquendum, tum etiam diſtrahendum ſancitum ſit ab Electore Brandenburgico, videre eſt apud Joachim. Schepliz. *in Conſuet. Brandeburg. p. 4. tit. 5.* §. *12.* Quid etiam ac pulverē pyrium expediat, in propatulo eſt: *Sal ammoniacus*, (41) qui & Hammoniacus ſcribitur Plinio *lib.* 31. *c. 7.* & Dioſcoridi *l. 5.* terræ ſalſugo eſt, in Lybię arenis creſcente Lunâ efferveſcens, alumini ſciſſili non diſſimilis, de quo Guid. Pancirol. *lib. 1. rer. memorabil. fol. 57.* & ibi latè Salmuth. *in notis*, Matth. Martinius *in Lex. Philolog. verb. Sal Ammoniacus.* Uti & Sal gemmæ, ex quo oleum ſpiritus.

Ad Salis genera referuntur quoque Pica- 10
riæ **Pechofen**/ *Alumen* (42) (quo tam dives eſt Italia, ut ex una tantùm Gallia ſingulis annis illius mercis nomine ſupra decies centena aureorum millia redundet, authore Bodino *in reſp. ad Maleſt.*) Bitumen, cujus uti & terræ ſigillatæ in vitâ humanâ multiplex eſt uſus.
Eſt autem bitumen vel fluidum, quod inſtar 11
oleoſi liquoris magis diffluit. Ejus generis ſunt Naphta, Ambra, Arabum: Conſiſtens, quod conſiſtit, pleniùs concreſcit, & fortiùs condenſatur, eſtque Aſpaltum vel Biſaſphaltum. Sodoma & Gomorra, omnisq; vicina regio, *uti antè flagitiis*, (43) ita pòſt lacu fœdo obruta eſt, æſtuante quaſi ab imo fumum, & nebulas graves exhalante. Hic eſt ille *Lacus*, dirus naturâ, quem ab exundante bitumine, quod ἄσφαλτος Græcis, ut *Plinius ait*, (45) *Aſphaltiten* (45) vocant. Cujus mirā naturam probè expreſſit Joſeph. *l. 5. de Bello Judaic. c. 5. Commemoratione dignū puto*, inquit, *Aſphaltitis quoq; naturā exponere lacûs.* Et paulò pòſt: *Eſt ſalſus hic lacus & ſterilis: Multis tamen locis vomit nigres bituminis glebas, quæ ſuper undam, & habitu, & magnitudine tauris ſine capitibus aſſimiles natant.* Mira verò colligendi ejus ratio ab eodem refertur. *Ad eas*, inquit, *glebas ſive maſſas cum lacus exercitores acceſſerint, nacti quod aggeſtum eſt, ad naves trahunt, & quia lentum eſt, repletas eas abrumpere nequeunt; ſed quaſi religata ſcapha pendet à cumulo, donec menſtruo mulieris atque urina ſolvatur.* De uſu ejus idem: *Eſt utile non modò ad compagines navium, ſed ad corporum etiam curationem multis remediis admiſcetur. Huic Sodomitica terra vicina eſt, olim quidem tam fructibus,*

ctibus, quàm divitiis civitatũ fortunata, nunc autem omnis exuſta, ut quæ habitatorum, impietate fulminibus conflagraſſe memoratur. Denique adhuc in ea divini reliquias ignis & oppidorum quinque videre licet imagines, & renaſcentes in fructibus cineres, qui colore quidem ſunt edulibus ſimiles, carpentium verò manibus in fumum diſſolvuntur & cinerem. Hactenus Joſephus. Cui accedit Xiphil. è Dionis *lib. 68. de Babylonico bitumine.* Et de Sodoma ſic Solinus Polyhiſtor *cap. 44.* Longo ab Jeroſolymis receſſu, triſtis ſinus panditur, quem de cœlo tactum teſtatur humus nigra, & in cinerem ſoluta, duo ibi oppida, Sodomum nominatum alterum, alterum Gomorrhum: Apud quæ pomum, quod gignitur, habet licèt ſpeciem maturitatis, mandi tamen non poteſt. Nam fuliginem intrinſecus favillaceam, ambitio tantùm eximiæ cutis cohibet, quæ vel levi tactu preſſa, fumum exhalat, & fatiſcit in vagum pulverem.

Nec minùs luculenta eſt Taciti Romani Scriptoris, *5. Hiſtor. 6. n. 5. ſeqq.* de eo narratio. *Lacus immenſo ambitu, ſpecie maris, ſapore corruptior, gravitate odoris accolis peſtifer, neque vento impellitur, neque piſces aut ſuetas in aquis volucres patitur. Incertum unde, ſuperjecta, ut ſolida feruntur: periti imperitiq; nandi, perinde attolluntur. Certo anni Bitumen egerit; cujus legendi uſum, (ut cæteras artes) experientia docuit. Ater ſuapte naturâ liquor, & ſparſo aceto concretus, innatat. Hunc manu captum, quibus ea cura, in ſumma navis trahunt. Inde nullo juvante influit, oneratq; donec abſcindas. Nec abſcindere ære ferróve poſſis: fugit cruorem veſtemq; infectam ſanguine, quo fœminæ per menſes exſolvuntur. Sic veteres auctores. Sed gnari locorum tradunt undantes bitumine moles pelli, manuq; trahi ad litus: mox ubi vapore terræ, vi Solis inaruerint, ſecuribus cuneisq; ut trabes aut ſaxa diſcindi.* Hactenus de lacu ſive mari hoc Judaico Tacitus. Omnium autem pulcherrimè Cyprianus in Sodomis v. 126.

Nusquam ſunt Sodomi, nusquam illorum impia lucent
Mœnia, cum dominis domus omnis inops, ita nusquam
Tota rogus regio eſt, hîc atro horrore favilla,
Hincq; ſitu cano cineres incendia ſignant, &c.
Nullus arat fruſtrà piceas fuligine glebas.
Semi perempta etiam ſi qua illîc jugera, lætas
Autumni conantur opes, facilè optima ſeſe
Promittunt oculis, Pyra, Perſica, & omnia mala,
Donec carpuntur: nam protinus indice tactum
Solvitur in cinerem, fit vana favillaq; pomum.

Quamvis verò jure communi interdictũ
ſit, ac illicitum, ut aliquis ſolus emat vel ven- 12
dat, *l. unic. C. de monopol.* Rex tamen vel Princeps per proclamata pœnalia mandare in ſuo territorio poteſt, ne alius Sal vendat, & ut de ſuo Sale emant Subditi, & non alieno, ut docet Abb. *in c. ſuper quibusdam de V. S.* & Alciat. *in d. tit. quæ ſint Regal. in verb. Salinarum.* & in *l. inter publica circa fin. ff. de V. S. ubi ait, iſtud eſſe Principis monopolium,* (46) ab antiquis quoq; inſtitutum: Et in *conſ. 117. n. 20.* ita ſcribit: Sunt alii caſus, in quibus reditus Principum conſiſtunt in monopoliis, & tamen tales caſus non ſunt reprobati à legibus, ſicut eſt reditus ſalinarum, quod eſt monopolium Principis, *l. ſi quis C. de Vectigal.* Fachin. *conſ. 6. n. 7. vol. 1.* Bertazz. *conſ. crimin. 281. n. 7. & 8.* Ita quoque Imperatores olim mancipibus ſolis jus eſſe vendendi ſalis voluerunt, & mancipium hujusmodi & publicanorum ſocietates & privilegia in jure approbata fuerunt, *l. 11. C. de Vectigal. l. 1. ff. quod cujusque univ. nom. l. 59. §. 1. ff. de hær. inſt. l. 17. §. 1. in fin. ff. de V. S.* Salis (inquit Liv. *lib. 2.*) vendendi arbitrium, quia impenſo pretio venibat, in publicum omni ſumptu, adem-
ptum privatis. Ita Rex Galliæ monopolium 13
exercet cum Sale, teſte Marquardo Frehero *de monetis fol. 48.* quod in regia horrea, certis locis depoſita reconditur, pœnâ capitis in eos ſancitâ, qui aliunde quàm ex illis horreis emerint. Thuan. *lib. 5. Hiſtor. fol. 158.* Franc. Belcar. *lib. 25. rer. Gallic. n. 16. & ſeqq.* Confer ea, quæ dixi *tract. de Contribut. c. 1. n. 117.*
& ſub n. 33. verb. Gabella Salis. & n. 349. Ita 14
Salis proventum eſſe Tartarorum Principis Domanium, poſt Paulum Venetum ſcribit Renat. Choppin. *de Domanio lib. 1. tit. ult. in fin.* Ita in Italia de Sale vendendo Monopolia licitè exerceri ex Superiorum permiſſione, teſtis eſt locuples Benevent. Straccha *de Mer-*
catura part. 4. n. 30. & ſeq. Sic & Sal ex clau- 15
ſura mercantiæ deſtinata, ut Subditi emant, Magiſtratus ordinare poteſt; ſi præſertim ex ejusmodi ordinatione privatis vel nihil vel parum præjudicetur, Benedict. Carpzovius *lib. 1. Reſponſ. Electoral. tit. 5. reſp. 42. n. 11.* Eſtq́ue in Germaniâ uſitatum, daß den Saltz-kauff die Städte haben/ ubi potior ærarii locupletandi ratio militat, und nicht die Dörffer:
Hæcq́ue Monopolia Urbium ad parandum 16
Salem, aliaq́ue, quibus privatorum opes ſufficere non poſſunt, adprimè *utilia ſunt atque neceſſaria,* (47) inprimis ob peregrinorum merces; quæ hoc modo faciliùs in aliquo territorio exonerantur, cum ipſius Magiſtratus authoritate & ſumptibus diſtrahuntur, ſicq; omne lucri aucupium in venditione rei tam neceſſariæ à Magiſtratu (in quo uſuræ crimen quàm minimè præſumendum) facta tollitur.

De jure veteri Salinæ privati juris quàm 17
diu-

diutiſſimè fuerunt, & horum arbitrio permiſſæ, in quorum fundis & finibus reperiebantur; *l. forma 4. §. 7. ff. de cenſib. l. magis puto. 5. verſic. ſed etſi Salinas. ff. de reb. eor. qui ſub tutel. l. 32. §. uxori 2. ff. de uſu & uſufr. legat.* Cujac. 3. *obſ.* 31. Renat. Choppin. *lib.* 1. *de Domanio c. ult. n.* 15. ubi etiam auri, argenti, ſtanni, cretifodinas, præter decimam fiſco debitam, privati juris fuiſſe, ex Tacito *lib.* 4. *Annal. tradit*, & poſt eum Knichen. *de Duc. Saxon. Privileg. c. 5. tit.* Bergwerck / Saltzwerck *in princ.* Bodin. *de Repub. lib.* 1. *c.* 10. *circa fin.* Bocer. *tract. de Regalib. n.* 341. *fol.* 148. & *num.* 370. *fol.* 175. At tractu temporis Salinæ prorſus adimi & Fiſco Principis addici cœperunt: Unde inter Rega-
18 lia etiam Salinarum Vectigal numeratur, *cap. unic. quæ ſint regal. ubi FF.* Knichen *d. loc.* Non tamen ſalinæ ipſæ, in quibus Sal efformatur, ſed reditus tantùm Salinarum ſunt jus regale, Afflict. *in d. c. un. & deciſ.* 321. *n.* 4. Georg. de Cabedo 2. *part. deciſ.* 53. *num.* 1. & *deciſ.* 82. *n.* 2. Petr. Barboſa *in l. divortio* §. *ſi vir. num.* 29. Probatur *in l. inter publica* 17. §. 1. *ff. de V. S.* Gamma *deciſ.* 31. Facit text. *in c. ſuper quibusdam.* §. *præterea de V. S.* Ejusdem Sententiæ eſt Dec. *conſil.* 291. Socin. Junior *conſil.* 80. *n.* 42. *lib.* 3. Menoch. *conſil.* 302. *verſ.* 19. Alciat. *in reſp.* 493. *n.* 4. & 5. *ubi ait*: jus ſalis inter Regalia habere locum, Ruin. *conſil.* 90. *num.* 14. *lib.* 1. Hugo *de officio quatuor prælatorum. tit. de muner. excuſa. num.* 14. *ubi ait*, ſalinarum, ex quibus debet ſolvi publicum vectigal, pertinere jus ad Regem; Cabed. *d. deciſ.* 53. *num.* 3. *addens*, in ſalinis privatis Principem nullum jus habere, ita, ut poſſint fieri absque licentia Principis, & in totum, & omni jure ſint ejus, qui eas in loco privato efficit, per *dict. l. magis puto. verſic. ſed & ſi ſalinas, ff. de reb. eor.* Sequitur Franc. Marcus *deciſ.* 39. *part.* 2. *dicens*, Salinas repertas in aliquo fundo privato, quoad proprietatem pertinere ad dominum fundi, per *d. l. forma* §. *Salinæ ff. de cenſib.* quòd ſi reperiantur in fundo, ſeu loco publico, tunc ait eſſe Principis, & dici de Regalibus. Petr. Barboſa *d. l. divortio.* §. *ſi vir, num.* 27. Ex quibus conſtat, ſalinas non eſſe jus regale, niſi quando reperiuntur in locis fiſcalibus, non verò ſalinas privatorum: in quibus privati habent dominium directum, & utile ſimul. Ideò reditus omnium ſalinarum dicuntur eſſe jus regale, ut placet Suarez *allegat.* 17. *num.* 11.

Quòd ſi objicias, Salinas indiſtinctè eſſe jus regale, ex eo quòd Reges ſoleant locare eas publicanis, ſeu conductoribus, eâ lege, ac privilegio, ut nemo poſſit ſalem vendere, præter ipſos, juxta *l. ſed & hi. in princ. ff. de public.* & ſi aliquis ſalem vendat ſine facultate horum conductorum, graviter puniatur. Reſpondeo, poſſe jus dici regale ex alio capite, quia Rex poteſt ſibi reſervare venditionem, puta ſaponis, quæ venditio ex ſe venit in liberum hominum commercium, ut refert fuiſſe judicatum Cabed. 2. *part. Arreſto.* 8. & *contra Gammam deciſ.* 3. quem probat Florez *ibi, in annotationibus ſuis ad finem*, Quod monopolium, teſte Barboſa, in Principibus eſt antiquiſſimum, adeoque invaluit (ut ipſe refert) ut nec privati facientes ſalem, poſſint vendere, niſi Principi pro certo pretio.

Et quamvis de jure communi unicuique conceſſum ſit rem ſuam vendere, cui velit, *l. dudum C. de contrah. empt.* non tamen eſt contra juſtitiam cogere Principem, ut ſibi potiùs, quam aliis res vendantur, dummodò pretium ſit juſtum, & non ſit infra juſtum infimum, quia venditores habent jus vendendi pro pretio juſto, quo bonâ fide, & arbitrio prudentis res vendita æſtimatur. Unde quando Rex concedit privilegium alicui, ut ſibi ſoli liceat Salem, vel Saponem vendere, id debet fieri ex juſta cauſa, & pretio ab eodem Principe taxato, vel prudentum judicio taxando, nec pretium arbitrio vendentis eſt relinquendum, cùm detur illi occaſio vendendi pretio injuſto, cum notabili detrimento boni communis, cui ex officio Princeps tenetur conſulere. Ita de Rege Hiſpaniæ loquens noviſſimè Baptiſta Fragoſus *de regimine Reipub. Chriſtianæ part.* 1. *lib.* 3. *diſput.* 5. §. 2. *num.* 15. *fol. mihi* 264. *In Aurea Bulla* (48) (ut ſuprà atti- 19
gi) Caroli IV. §. in præſenti Conſtitutione, fodinæ ſalis, auri, argenti, ſtanni, cupri, plumbi, &c. Electoribus ex ſpeciali ſaltem gratia conferuntur. Ex quo videmus, iſta hodiè permiſſu ſaltem Imperatoris & Superiorum, ab Imperatore cauſam habentium, poſſideri poſſe; Heig. *l.* 1. *quæſt.* 14.

Lothi uxor (49) è communi Sodomæ vi- 20
cinarumque urbium incendio ſalva egreſſa fuit. Verùm, quòd ſpreto mandato divino ad urbem, & ea, quæ poſt tergum erant, reſpexiſſet, obriguit, & mutata in *ſtatuam Salis* orbi terrarum relicta eſt documentum, quàm non ſpernanda ſint vel in minimis Dei edicta, atque ut hujus facti perenni recordatione poſteri ſapiant, & à priſtinis vitiis ad melioris vitæ cultum transgreſſi non repetant ampliùs ſemel reprobata; *Gen.* 13. & 14. *Luc.* 17. *v.* 32. D. Auguſtin. *lib.* 13. *de Civitate Dei cap.* 30. Benedict. Perer. *in Genes. diſputat.* 3. *num.* 27. & 28. *ſuper illis verbis: Salva animam tuam, verſic.* 17 & 26. Claudius Victor *lib.* 3. *in Genes.*

Talia quin etiam Loth (heu!) miſerabilis uxor
(Seu tanto ſtupefacta metu: ſeu ſtulta cupido
Illa fuit vetitum contra conſurgere pactum
Fœmineis innata animis: quæ denique cunque
Cauſa fuit;) Sodomam inſpectans ſe ponè ruentem

Confe-

Confeſtim pœnas violatâ lege ſubivit:
Inſtatuam converſa ſalis, ſpoliataq; luce
Sic animam infelix cum corpore perdidit (50) *omni,*
Ut nullum exſtaret formâ remanente cadaver.

Formam muliebrem pereunte cadavere, hoc eſt, carnibus & oſſibus conſumptis, vult remanſiſſe. Sed verius eſt, mulierem mutatam in veri ſalis ſtatuam, juxta ſententiam Hebræorum, Philonis lib. de profugis, Joſephi lib. 1. antiquitat. c. 9. Et Benjamini Tudelenſis in Itinerario. Et Sedulius, Victore Claudio adhuc antiquior, canit:

— – *dum reſpicit uxor,*
In ſtatuam mutata ſalis, ſtupefacta remanſit.
Ad pœnam converſa ſuam: quia nemo retrorſum,
Noxia contenti vitans contagia mundi,
Reſpiciens, ſalvandus erit, nec debet arator
Dignum opus exercens vultum in ſua terga referre.

Reſpicit ad dictum Chriſti *Luc. 9. verſ. ult.* Eleganter Auguſtin. Torniellus *in Annalib. ſacris & prophan. Anno Mundi 2138.* ubi cauſam, cur uxor Loth in ſalis ſtatuam verſa, indagans ait; illam lento gradu virum ſequutam, quòd fortè non libenter, ſed ægrè admodùm, præ modica fide Angelis adhibita, domum ſuam reliquiſſet, audiens horrendum illum ignis fragorem de cœlo cadentem, & retrò reſpiciens, propter ejus inobedientiam, vel potiùs ob incredulitatem, ex qua proceſſit inobedientia, ut colligitur illis Sapient. verbis *cap. 10. verſ. 7.* Et incredibilis animæ memoria inſtans figmentum ſalis; illicò verſa eſt in ſtatuam ſalis ad exemplum illorum, qui de hoc ſeculo nequam, à Domino vocati, & magno ipſorum beneficio quodammodo exire compulſi, ad ſæcularia redire præſumunt, de quibus dicebat Dominus Lucæ *c. 9. in fin.* Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens aptus eſt ad regnum Dei. Et *c. 17. verſ. 31.* cùm de iiſdem dixiſſet: Quâ die filius hominis revelabitur, in illa hora, qui fuerit in tecto (*hoc eſt, in ſublimium, ac divinarum rerum contemplatione*) & vaſa ejus in domo, non deſcendat tollere illa, (*id eſt, non ſe dimittat ad ſenſualia proſequenda*:) Et qui in Agro (*nimirum per vitam activam in ſeminando verbo Dei occupatus*) ſimiliter non redeat retrò: *ſtatim ſubjungit:* MEMORES ESTOTE UXORIS LOTH: quaſi inſinuare hoc exemplo voluerit, à viâ Dei non modò opere & re ipſa, ſed nec aſpectu & deſiderio eſſe retrocedendū. Appoſitè autem hęc mulier verſa eſt in ſtatuam, non marmoream, aut æream, ſed petræ ſalis, ut ejus memoria proficeret ad Sapientiam. Cùm enim certum ſit, eos, qui ad ſtultitiam ſuam, ſicut canis ad vomitū, redeunt, ſibi ipſis quidem, veluti ſimulacra muta, inutiles, atque inſenſatos effici, ſed aliis prodeſſe plurimùm, qui eorum exemplo & damno commoti corriguntur: Quis non videt, quodammodò aſſimilari petræ ſalis, quæ in ſe inſenſibilis cùm ſit, & ſibi ipſi inutilis, animalibus tamen eam lingentibus palatum ſapidum reddit, & edendi aviditatem reparat. Hæc Torniellus *d. loc.*

Ad hanc ſalis ſtatuam alludit Johannes Lorichius Hadamarius.

Dic, quis peccavit contra præcepta Tonantis
Alma Dei, & tandem ſuperis conceſſit ab oris;
Nec tamen exoſum eſt aliqua putredine corpus.

Et Joannes Lauterbachius:

Quod ſpectas oculis, viator, hoc eſt
Sepulchrum, nec habet ſuum cadaver:
Quod ſpectas oculis, viator, hoc eſt
Cadaver, nec habet ſuum ſepulchrum;
Sepulchrum tamen eſt, & eſt cadaver.
Quî poſſit fieri, rogas? habeto:
Conjux facta Lothi Salis columna.

Idem Ænigma Sebaſt. Artomedes ſic complexus eſt.

Dic, quod ſit hoc cadaver,
Quod non habet ſepulchrum?
Dic, quod ſit hoc ſepulchrum,
Quod non habet cadaver?
Neutrum quod eſſe conſtat;
Utrumq; conſtat eſſe:
Cadaver & Sepulchrum.

Sed nec hunc à Judæis deductum oportet negligere aut omittere morem, qui olim 21
urbes radicitus delentes nec reædificari volentes, ſolebant in urbis ruinas, ſive *ſuper everſæ urbis ſolo Salem ſpargere,* (51) ut præter antiquiores obſervavit Oſiander *ad Judic. c. 9. v. 45.* ubi ita ſcriptum: Abimelech omni *toto illo* die oppugnabat urbem; quam cepit, interfectis habitatoribus ejus, ipſaq; deſtructâ, ita ut Sal in ea diſpergeret: Nimirum ut in fundatione juncti proinde taurus & vacca ſymbolum futuræ ſobolis & fœcunditatis; ſic ſal ſterilitatis & inopiæ rerum omnium. Sale quoque, teſte Hieronymo *in Matth. c. 5.* captis urbibus aream adſpergi, ac veluti ſolitudinem ſterilitatis induci, notat, ut & *Deut. 29. v. 23. & Lucæ 14. verſ. 35.* Salſugo etiam opponitur terræ fructiferæ, ut *Job. c. 39. v. 6.* Cui dedi in ſolitudine domum, & tabernacula ejus in terra ſalſuginis. *Pſalm 106. v. 34.* Terram fructiferam in ſalſuginem, à malitia habitantium *in c. Jerem. 17. v. 6.* Habitabit in ſiccitate in deſerto, in terra ſalſuginis, & inhabitabili.

Sed & *ſal omnibus fœderibus & pactis* (52) adhibitus ad ſignificandum fœdus inviolabile & perpetuum fore, ſcribit Martinus del Rio *in Adagia lib. 2. ſuper Vet. Teſtament. folio mihi 102.*

Hûc pertinent Ænigmata de Sale B. Aldhelmi: 22

Dudum lympha fui ſquamoſo piſce redundans
Sed natura novo fati diſcrimine ceſſit,

Torrida

Torrida dum calidos patior tormenta per ignes:
Nam cineri facies nivibusq; ſimillima fulget.

Et Julii Cæſ. Scaligeri:

Quod molle (a) *ac liquidum timuit temeraria puppis,*
Nunc durum,(b) *rigidâ mole carina vehit.*
Rodo mihi lapides, atq; horrida tergora ferri.
At carnes ſervo,& piſcibus abſtineo.

(a) mare (b) ſal.

Et vetus ænigma apud Diomedem Grammaticum: Quid eſt mare concretum in creta&campo ligneo,in quo carne humanâ ludere poſſumus? Sal eſt, in vaſe fictili menſæ appoſitum,in quam manus ſuas convivæ injiciunt.

Sic enim explicat idem Diomedes: ut per *mare concretum* ſalem intelligas,qui, teſte Plinio, potiſſimùm ex maris aqua conficitur: *In creta*, id eſt, in fictili ſalino, ex argilla &creta facto: *In campo ligneo*,id eſt,in lignea menſa exponitur: ubi *caro humana*, id eſt, hominis manus oſſibus ludebat,id eſt, teſſeris & aſtragalis.

Et Conradi Bachmanni:

Nympha mihi Genetrix, Pater eſt Vulcanus, & hinc ſum
Flammarum,undarum paſſus acerba ſimul.
Quæ dant Sauromatæ, tam dulcia aromata non ſunt,
Quàm mea,condiero ſuaviùs ipſe cibos.

Atque hæc de Salis coctione, monopolio, exindeq; reſultante Ærarii emolumento diſſeruiſſe ſuffecerit.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT IX.

(1) *Sine ſole & ſale &c.*] Ut loquitur Plinius *lib.31. Natur. Hiſtor. cap.9.* Quod repetit Iſidorus *lib.16.Orig. c.2.p.m. 1208.* His alii Amicum adjungunt dicentes: Sine Sole,Sale, & Amico commodè non vivit homo.

(2) *Plato &c.*] Sic Plutarchus quoque de laudibus Salis *Sympoſiacon lib.4. quæſt 4. Tom.2. Oper. pag.668. & lib. 6. quæſt.10.pag. 684. 685.* tractat, ut Klockius inferiùs indicat.

(3) *Plinius &c*] Maximè *lib.31.c.7.& 9.*

(4) *Cum Sale perennare videntur &c.*] Confer Cæſium *de Mineral. lib.3. cap.2.&c. dict.n.13. 14.15.16.17.*

(5) *Vide Cælium Rhodigin. &c.*] Et Tomaſinum *de Teſſeris Hoſpitalitatis cap. 13. & 15.* Ex eoque principio,quòd Sal amicitiæ firmitudinem & perſeverantiam ſignificaret, Gentilium plerique ominoſum habebant, ſi ſal in menſam profundi contigiſſet; contrà verò fauſtum, ſi vinum atque id merum effuſum eſſet. Vel, quia velut ex aquis ſal multis & fuſibilibus in unum quoddam & ſolidum coit, ita ex diverſo convenientes in unum animi coaleſcant, fiatque Platonicum illud, μία ψυχὴ, Pierius Valer. *Hierog. lib. 31.pag.314.*

Num. 1.

(6) *Sex. Rom. Feſtus &c.*] *De V. S. lit. S. pag. m.211.*

Num. 3.

(7) *Sal dicuntur &c.*] Quandò Salvator noſter *Matth.5. v.12.* ſic Diſcipulos ſuos alloquitur: Vos eſtis *Sal terræ.* Quod ſi ſal evanuerit,in quo ſalietur? ad nihilum valet ultrà, niſi ut mittatur foràs & conculcetur ab hominibus. Ad quæ verba, *Eſtis Sal Terræ*, Oſiander notat: i. e. Divinitùs vocati,ut per miniſterium verbi mundum conſervetis à putrefactione, ſeu interitu.

(8) *Luc. 14. &c.*] Vel potiùs *Marci 9. v. ultimo*; ubi hæc expreſſa verba leguntur. Quæ: *habete in vobis Sal*, jam laudatus Oſiander ſic explicat, *in notis marginalibus*: Vigeat inter vos vera doctrina: Locum habeant correptiones & liberæ admonitiones.

(9) *A Sale ſalarium &c.*] Accedit huic Plinii auctoritas *lib.3. Natur. Hiſtor. cap.7.* dicentis: Honoribus etiam militiæque interponitur (*Sal*) ſalariis inde dictis, magnâ apud antiquos authoritate. Per Synecdochen partis pro toto; cùm enim inter militum ſtipendia ſal quoq; erat, cœpit ab illo toto denominari militum ſtipendium. Vel etiam propter quod non ſecus ac ſal ad conſervationem corporis humani vitæque ſtipendia merentibus neceſſaria ſint. De quorum præpoſtera ſæpe ſolutione jam antè *ad Polit. Scelerati cap. 29.pag. 298.* quædam notavimus.

(10) *Sal neceſſarium &c.*] Nam nullum ferè officium ſive munus, *dicente Gerhardo Maynardo lib.6. Deciſ. Tholoſ.55. num.1.* probè adminiſtratur & expeditur, niſi aliquid Salis admiſceatur, h. e. niſi ſpes Salariorum eos, quibus muneris labor incumbit,quodammodo foveat. Adeò nihil à quopiam expetitur, niſi cujus fructus antè præviderit, ut Suilius & Coſſutianus apud Tacitum *11. Annal.7. num.2.* ſentiunt.

(11) *Veluti ſapida ſcientia &c.*] Iſidorus *Orig. lib.10. tit. 5.pag. 1085.* Sapiens, *inquit*, dictus à ſapore; quia ſicut guſtus aptus eſt ad diſcretionem ſaporis ciborum, ſic ſapiens ad dignoſcentiam rerum atque cauſarum, quod unum,quod dignoſcat, atque ſenſu veritatem diſcernat. Cui contrarius eſt inſapiens, quòd ſit ſine ſapore, nec alicujus diſcretionis vel ſenſûs.

(12) *Sales &c.*] Teſte iterum Plinio *lib. 31. cap. 7.* Ergò herculè vita humanior ſine ſale nequit degere: adeoque neceſſarium elementum eſt, ut tranſierit intellectus ad voluptates animi quoque. Nam ita Sales appellantur: omniſque vitæ lepor & ſumma hilaritas, laborumque requies non alio magis vocabulo conſtat. Et Plutarchus *Sympoſiacon lib. 5. cap.10. Oper. Tom.2. pag.685.* Quid impedit, *ait*, quin Salem reliquorum condimentorum condimentum eſſe, iiſque ſuavitatem conciliare dicamus? quo factum eſt, ut Gratiarum nomen Salibus imponeretur à quibuſdam: videlicet ſale neceſſitatem cibi in ſuavitatem convertente.

Num. 4.

(13) *Salem & menſuram &c.*] Eraſmus *Chiliad. 1. cent. 6. adag. 10.* id ſic effert: Salem & menſam ne prætereas; ubi ſenſum parœmiæ hujus explicat.

Num. 5.

(14) *Occupantium ſiunt &c.*] De jure ſcilicet antiquo; ſecus de moribus hodiernis, ut infrà dicetur.

(15) *Salins &c.*] Latinè *Salina* dictum; de quo vide Merulam *Coſmogr. parte 2. lib. 3. c. ult. p. 457.* Zeiller. *in Topogr. Circuli Burgund. p. 279.*

(16) *Noverunt & Hollandi &c.*] Loquatur pro nobis de Salaria Belgarum Schoockius *Belg. Fœderat. lib. 7. cap. 8.* ſic autem ille: Salaria non tam quidem in colligendo ex aqua marina ſale occupatur (quanquam hoc alicubi quoque more Scotico fit) quàm in crudiori & impuriori ſale excoquendo, ſordibusque ſuis defæcando. Sal illud impurius & atrum magnam partem ex Gallia, & Inſulis quibusdam deſertis navibus magnâ quantitate quotidiè defertur: Excoquitur autem in ſalinis, quæ per Hollandiam atque Zelandiam plurimæ ſunt. Olim in Zelandia & maximè in Inſula *Schouvven* Sal quoque colligebatur, ex cineribus ceſpitum, ſive è glebis ſalſedine imbutis, illudque propriâ voce vocabatur *Zel, aut Zilſout*; intermiſſum autem hoc fuit, ex quo aliunde magnâ copiâ ſal nigrum afferri cœpit. Aliàs Fœderati Belgæ ſali quoque foſſili utuntur, maximè Friſii, qui potiſſimùm ex agro Luneburgenſi, item Haſſiaco defertur. Admirandum verò, quantam ſalis copiam Fœderatæ Provinciæ abſumant: præterquam enim quòd butyrum ſalitur, ampliùs haleces ſeu harengi, aſelli, ſoleæ, aliique piſces ingenti quantitate ſale condiri, & per totum terrarum Orbem diſtribui ſolent: ne quid jam dicam de maximâ copiâ carnis bubulæ atque ſuillæ, quæ pariter ſalitur, & ab utriusque Indiæ Societate in uſum præſidiarii militis, per latiſſimas illas regiones quotannis diſtribuitur. Confer Limnæum *in Not. Regni Franc. lib. 1. c. 6. lit. cc. pag. 148. & ad A. Bull. cap. 9. §. 1. Obſerv. 19. pag. 352. ex quo dicta deſumpſit.* Hadr. Junior *in Deſcript. Belgii c. 17.*

(17) *Exploratum enim &c.*] Sunt verba Bodini *de Republ. l. 6. c. 2. p. 652.*

Num. 6.

(18) *In elegantiſſima Lunaburgenſium Urbe &c.*] Luneburga, dicente Hardewigo à Daſſel *in Comment. ad Conſuetudines Reipubl. Lunæb. in proœm. pag. 8.* inferioris Saxoniæ Circuli Urbs inſignis, cùm rerum omnium affluentiâ & copiâ, tum ædificiorum magnificentiâ, ſitûs oportunitate, frequentiâ hominum & celebritate inprimis Saxoniæ nobiliſſima habetur; cœlo fruitur ſalubri, & agro fertili, Albovio fluvio dividitur, ut is ſimul ſit ornamento & cuſtodiæ, ad humanæ vitæ uſum nulli reliquarum Anſeaticarum Urbium ſecunda: dicta propriè à LUNE, loco ad jactum unius lapidis illuc diſſito: quo loco poſtea cœnobium Veſtalium ejus nominis fundatum eſt; non autem ab Idolo Lunæ in honorem Planetæ iſtius ibi olim culto (ut nonnulli ineptè & pueriliter fingunt) nomen ſortita eſt. Quemadmodum & Hamburga non à fortiſſimo illo bellatore Hama, ut aliqui exiſtimant, ſed à priſco Saxonico vocabulo Ham, quod ſylvam ſive ſaltum, eine Holtzung oder Forſt/ denotat, nuncupata eſt. Inter Alſtriam enim & Bilam fluvios prope Hamburgum ſylva fuit ſituata, cui antiquitùs nomen Ham inditum fuit. *Et p. p.* Et hæc vera eſt & probabilis etymologia Civitatum Luneburg & Hamburg. In quo quoad derivationem vocabuli Luneburg præeuntem ſequitur Albert. Krantzium *Saxon. lib. 4. cap. 16.* Allud Luneburgici nominis ἔτυμον Elias Schedius *de Dis Germanis ſyngr. 4. cap. 8. p. 498.* circa Hamburgi appellationem Authori noſtro aſſentiens, *ibid. cap. 3. p. 495.* producit. Pro Luna tamen Werdenhagen *parte 3. Rer. Hanſ. cap. 2.* pugnat: quod obiter notamus. Præcipuos hujus Urbis proventus conſtare ex calce in *monte Calcario* (*vulgo* Kalchberg) Luneburgæ exiſtente reperto, mercimoniis, quibus promovendis domus quædam mercatoria, Albovio *ponti* ſuperſtrato vicina, ibi viſitur, præprimis *Sale*, tradunt, & exinde veteres dotes ejus tribus vocabulis, MONS, PONS, FONS, expreſſiſſe, Zeillerus *in Topographia Ducatuum Brunſvic. & Lunæburg. p. 147.* ubi vide, atteſtatur. Sic adhuc Luneburgæ hi verſiculi leguntur Salinarum ingreſſui adſcripti:

Ecce Salinarum largiſſima dona coquuntur
Gratuitâ hic ſummi de bonitate DEI.
Mons: Fons: Pons: *tua Dona DEUS! da pectore creſcat*
In noſtro Pietas, nec minuantur opes.

Perhibent quidem fontes ſalinarum harum ab apro retectos, indeque adhuc in Curia pellem aprinum hujus rei indicem monſtrari, (*Zeiller. in Itiner. Germ. parte 1. cap. 17. pag. 368.*) Sed quo tempore primitus inventi fuerint, adhuc in incerto manet. Præter alios enim dubitanter Meibomius *in Hiſtoria Bardevici p. m. 148.* indicat, tempore Ottonis Saxonis, Ducis Ludovici filii, factum fuiſſe. (*Vid. Zeiller. in Topogr. pag. 147.*) Certius verò illud eſt ex Krantzii *Saxon. lib. 8.* Bünting im andern Theil der Braunſchw. Chronick ꝛc. Johannem Ducem primùm Anno MCCLXIX. (*Meibomius in Hiſt. Bardevic. p. 150. annum MCCLXXIX. habet*) operam impendiſſe ſalinæ Luneburgenſi (quæ usque ad ejus tempora tenuis fluxit) novam illi venam aperuiſſe, longè eâ, quæ pridem fluxit, uberiorem, quod & Klockius aſſerit. Adde *Zeill. in Topogr. d. loco.* De modo verò hauriendi & excoquendi Salem Luneburgenſem conſulantur juxta citatum ab Authore noſtro Lonicerum, atque alios, Zeillerus *in Itiner. d. lib. & cap. p. 368.* ut & Caſp. Ens *in deliciis Apodemicis per Germ. p. 250. & 251.* Sixtinus *de Regal. l. 2. c. 19. n. 17.*

(19) Saltz-Junckern ꝛc.] Ita vocantur illi, quibus Jura ſalinarum feudi titulo conceſſa; & ob id eminentiori inter ſuos concives habentur loco. Knipſchild. *de J. & Privil. Civ. Imp. lib. 2. cap. 29. num. 58.*

(20) *Exercitium Cupævectionis &c.*] Es kan aber keiner ein Saltz-Juncker werden/ wenn ſchon die Eltern Saltzkott gehabt haben/ er ſchleiffe denn zuvor die Kuſe / oder das Faß / mit Steinen gefüllt; ſcribit Zeiller. *in Itiner. d. cap. 17. pag. 368.* & Matthias Stephanus *de Juriſd. lib. 3. part. 2. cap. 5.* ex D. Chriſtiani Caleni Oratione, *de ritu depoſit.* narrat Luneburgi etiam veros hæredes non potiùs in poſſeſſionem ſalinarum conſtitui & admitti, quàm illi pro conſuetudine Civitatis cupam; ut vocant, per omnes vicos, tanquam in triumpho, non ſine vitæ diſcrimine ductitaverint. Quod (*addit Stephanus, cùm antè alia exempla ludorum mercatoriorum adduxiſſet, dicto loco, ubi omninò vide*) quid aliud eſt, quàm ut hoc exemplo cæteros coætaneos & corrivales à ſtudio mercatorio retrahant, & ne conſimilem quæſtum poſteriùs conſectentur, ejusmodi præſtigiis deterrere omni contentione elaborent. Adde Dn. Marquardum *de Jure Mercat. l. 3. c. 2. n. 33. ſeqq. multis.*

(21) *Hæ Salinæ Saxonicæ Halenſes &c.*] Confer Diſcurſum Juridicum, *de Conceſſione Salina-*

rum Hallenſium, Chriſtiani Henrici Ellenbergers Jenæ Anno 1665. ad diſputandũ propoſitum, inprimis §. 5. qui idem in proœmio quatuor fontes Salis his nominibus dictos adducit; I. den Teutſchen Born. II. A bono anno dictum, Guttjahr. III. Metricium, den Meretriß oder Matriß. IV. Biuncum ſeu biuncinatum, den Hacken-Born ꝛc. quorum omnium profunditatem, qualitatem, originem ibi deſcribit. Junge omninò Zeillerum *in Itinerar. Germ. parte 1. cap. 6. num. 25. p. 144.* Limnæum *ad A. B. cap. 9. §. 1. Obſervat. 18. pag. 350. 351. ſeq. &c.*

(22) *Halæ Tyrolenſium &c.*] Halarum appellationem à Græco τῦ ἁλὸς fluere, exiſtimat Limnæus *de Jur. Publ. lib. 7. cap. 24. num. 1.* unde Latinum Sal, & Germanicum Saltz / quod mihi admodùm credibile videtur, tum ob linguæ noſtræ cum Græca conformitatem & cognationẽ, quam Bernegger. *in Quæſt. Polit. in Taciti G. & A. quæſt. 11.* probat; adde Cluverii *lib. 1. German. Antiquit. cap. 3.* tum etiam, quòd ferè omnes in Germania noſtra Urbes inſigniores ſalinis dotatæ, etiamſi diverſis in locis ſitæ, Halæ vocentur. Halæ verò hæ Tyrolenſes, ſive, ut communiter appellantur, Hall im Inthal/ tanta gaviſa eſt & gaudet copiâ Salis, ut deductis deducendis ærario Archiducum Auſtriæ centum & quinquaginta millia florenorum intulerit. Quod Zeillerus (*Salinas & modum conficiendi Salis in Itiner. Germ. part. 1. cap. 27. num. 6. pag. 564. deſcribens*) aſſerit. Item *in Topograph. Auſtriæ p. 139.* ubi Herculem Prodicium Pighii ad hoc allegat. Halæ hæ nuper terræmotu menſe Julii Anno MDCLXX. (qualem & nos Norimbergæ, & quidem annis abhinc CCCXXII. quintum, ſenſimus) haud parùm quaſſatæ fuêre, quod ex fide digno ſcripto M. P. Spieſius, Aſtronomiæ diligentiſſimus ſine ſuperſtitione Cultor, in Terra Tremente, oder Hiſtoriſchen Erzehlung von Erdbeben / annotavit.

(23) *Halæ Suevorum &c.*] De quibus conſulatur N. Reuſnerus *de Urbib. Imp. p. 123.* qui eleganti hoc elogio illas mactat:

Sol & ſal duo ſunt humanæ commoda vitæ
Maxima: Sol vegetat, Sal bene corpus alit.
Sol cœlum radiis illuſtrat, cætera vincens
Sidera: Lux vitæ viſq; vigorq; brevis.
Sal poſitas menſas exornat, cætera vincens
Condimenta: cibus nec ſapit absq; ſale.
Quò majus laudis decus urbs nunc HALA mereris:
Unde venit duplicis copia tanta ſalis.
At ſuperat decus hoc, eadem ſapientiæ & artis
Prædita, quòd frueris juſtitiaq; ſale.
Hic animi cibus eſt, at corporis ille: beata
Urbs animis pariter corporibusq; vigens.
Quòd ſi nec pietas deſit, ſal utile terræ,
Juſtitiæ Chriſto Sole micante, ſat eſt.

Zeiller. *in Itiner. Germ. parte 1. cap. 25. n. 11. pag. 539. & 540.* & ab eo allegati Heroldus & Cruſius, *& parte 2. pag. 332.* Idem Zeiller. *in Topographia Sueviæ pag. 90. ſeqq.* Limnæus *de J. P. lib. 7. c. 24. & Addit. Tom. I. p. 133.* Knipſchild. *de J. & Privil. Civit. Imp. lib. 3. cap. 22. num. 1. 2. 3. 4. 5. ſeqq.* Caſp. Ens *in delic. Apodem. per Germ. pag. 111. ſeq. &c.*

(24) *Halæ Bojorum &c.*] Vulgò Reichenhall/ Zeiller. *in Topograph. Bavariæ p. 93.*

(25) *Halæ Auſtriorum &c.*] Vulgò Halſtadt/ Zeiller. *in Topogr. Auſtriæ pag. 19.* ubi vide, & Authorem noſtrum *in fin. n. 7.* adhibe.

(26) *Et alibi &c.*] V. G. prope *Salisburgum Franckenhuſæ, Colbergæ* in Pomerania, *Stasfurti* in Archiepiſcopatu Magdeburgenſi, *Hartzburgi* & *Schœningæ* in Brunſvicenſi Ducatu, *Allendorffi* in Haſſia &c.

(27) *Salinis quoq; Cracovienſibus &c.*] De his jam ſuprà diximus *ad lib. 1. cap. 14. n. 10. (18) (19.)*

(28) *In Italia &c.*] Plinius *lib. 33. Natur. Hiſt. c. 7.* de fodinis Salinariis circa Portum Cæſenaticũ: legere poterit curioſus quæ ex aliis adſert, laudatus vel maximè ideò, quòd diverſa aliorum dicta unâ quaſi faſce in citatis locis complectatur, Zeillerus *in Itin. Ital. pag. 206.*

(29) *Ex Sale Salinarum vectigal &c.*] Quò pertinet *l. 59. §. 1. ff. de hæred. inſtit. l. 17. §. 1. ff. de V. S. l. 11. C. de vectigal.*

(30) *Athenæo &c.*] *Libro 3. Διπνοσοφιςῶν c. 1. Num. 7.*

(31) *Exaruiſſe ſalinas &c.*] Similiter Rutcovius *in Cteticis lib. 1. pag. 104.* ex Jacob. Mayer *Annal. Flandr.* refert, Sluyſſæ evaniſſe; receſſiſſe nempe conchas, cùm harum collectioni vectigalis genus quoddam impoſitum eſſet; &, quod mirum, rediiſſe ablato.

(32) *Ab Anco Martio &c.*] Salinas ab eo inventas factâsve, non gravatas, recenſent & Livius *lib. 1. c. 23. in fin.* & Plinius *d. lib. 33. c. 7.*

(33) *In Conſulatu Collega &c.*] Anno ſcil. ab U. C. DXLVI. Cuſpinianus *in Aurel. Caſſiod. Coſſ. comment. p. 183.* Bucholcerus *in Catalog. Coſſ. Rom. ſub hoc anno*, meminit, & M. Livii Salinatoris Suetonius in vita Tiberii *cap. 3.*

(34) *Philippus Valeſius ſeu VI. &c.*] Evolve Gregor. Tholozanum ipſum *loco à Klockio citato.*

(35) *Burdigallæ &c.*] Anno videl. MDXLVIII. ſub Henrico II. ut ſcribit Belcarius *Comment. Rer. Gallic. lib. 25. n. 16. p. 803.* Junge Dn. Marquardum *de J. Mercatorum l. 2. c. 3. n. 59. ſeqq.*

(36) Saltzgraven ꝛc.] Saltzgraven (inquit Spangenberg im Adel-Spiegel *lib. 10. cap. 30.*) hieſſen die/ ſo an denen Orten/ da Saltzwerck oder Saltzbrunnen vorhanden/ die Verwaltung und das Gerichte haben/ über die/ ſo in der Sultze mit Brunnen ziehen oder tretten/ Saltz ſieden/ und ſonſt zu arbeiten haben. Wie zu Hall in Sachſen ein Saltzgrave ſeine ſonderliche dignität und Gerichte hat/ damit er von einem Churfürſten zu Sachſen / als Burggraven zu Magdeburg / belehnet wird. Anno 1426. verſetzte Ertz-Biſchoff Günther von Magdeburg dieſe Graveſchafft für 18000. güld. darüber ward groß Krieg zwiſchen ihm und der Stadt Halla. Hæc ille. Adde Knichen. *de ſublim. territ. Jure cap. 4. pag. m. 52. n. 96. ſeqq.*

(37) *Inter Regalia numeratæ &c.*] Videatur Sixtinus *Inter Conſilia Marpurgenſ. volum. 1. conſ. 9. n. 12. ſeqq. & de Regalib. l. 2. c. 19.* Bocer. *de Regal. c. 3. n. 175. ſeqq. fol. 370. ſeqq.* Add. Bulenger. *de Vectigal. Populi Rom. cap. 16.* & Authorem noſtrum *infrà hoc capite n. 17. ſeq.*

(38) *A Carolo IV. Electoribus collata &c.*] Per capitulum nempe Aureæ Bullæ *9. ibi*: Præſenti conſtitutione, in perpetuum valitura, ſtatuimus, ac de certa ſcientia declaramus, quòd ſucceſſores noſtri Bohemiæ Reges, nec non univerſi & ſinguli Principes Electores, Eccleſiaſtici & ſeculares, qui perpetuò fuerint, univerſi auri & argenti fodinas, atque mineras ſtanni, cupri, plumbi, ferri, & alterius cujuſcunque generis metalli, ac SALIS, tam inventas, quàm etiam inveniendas inpoſterum quibuſcunque temporibus, in Regno prædicto, ac terris & pertinentiis

tinentiis eidem Regno ſubjectis; nec non ſupradicti Principes in Principatibus, terris, dominiis, & pertinentiis ſuis tenere juſtè poſſint, & legitimè poſſidere, cum omnibus juribus, nullo prorſus excepto, prout poſſunt, ſeu conſueverunt talia poſſideri &c. Junge Limnæum *ad d. cap. 9. §. 1. Obſervat. 17.*

(39) *Monaſteriis de Sale in Auſtria providit &c.*] Indeque hodiè adhuc ſalarium illud Gotts-heil-Saltz vocari; Author nobis eſt Sigismundus von Bircken im Spiegel der Ehren deß Ertzhauſes Oeſterreich *lib. 2. c. 8. p. 228.*

Num. 9.

(40) *Sal nitri &c.*] Confer Cæſium *de Mineralibus lib. 3. c. 4. per totum*; de Sale petræ verò eundem *d. l. c. 2. ſect. 8. n. 12.*

(41) *Sal Ammoniacus &c.*] Adde laudatum Cæſium *d. lib. c. 2. ſect. 5. n. 4. ſeqq.* de Sale Gemmæ *d. loc. ſect. 7. n. 2. ſeq.*

Num. 10.

(42) *Alumen &c.*] De quo latè per totum *cap. 5.* citati libri Cæſius tractat, qui & de ſequentibus Naphtha, Ambra, Aſphalto &c. ſuo ubique loco agit.

Num. 11.

(43) *Uti antè flagitiis &c.*] En quò miſeriarum devenit deliciarum locus; en, quam gehennæ ſpeciem induit ille tractus Sodomorum, qui *Geneſ. 13.* dicitur fuiſſe, ſicut Paradiſus Domini. I nunc inſana libido, & turpi indulge amori, quando cæcas Veneris flammas tanta manent præmia, inquit Cæſius *de Mineralib. lib. 3. cap. 2. ſect. 8. ubi quoque in cauſam, cur lacus Aſphaltis ſuſtineat fluitantia animalia, ne ſubmergantur inquirit.* Nec immeritò (judice Biſſelio *ruin. Illuſtr. dec. 1. ruin. 9. num. 15.*) ſi dignam, ut par eſt, ad trutinam, hinc quidem enormitatem flagitiorum, illinc autem DIVINÆ JUSTITIÆ leges revocamus. Quo namque ſupplicio non erant mactandi vivi, mortuique; qui Veneris, inauditâ priùs nequitiâ perverſitateque, (quantum in ipſis fuit) humanæ vitæ curſum, atque continuationem, ſuſtulerunt è medio: mortalitatemque, morte ſemel unâ, propagatione proſcripta damnaverunt? Nec eò contenti; ſcelerum ſuorum oſtentant ſe magiſterio, ſitas ad Orientem maximè terras, imitatione turpitudinis infecerunt: quæ procedentibus annis ac ſeculis, contagionis cujusdam more, Græciam quoque, finitimasque regiones & inſulas percurrens; & mares inter ſe fœdiſſimè commiſit, & fœminas quoque fœminis contaminatiſſimè jugavit (*S. Paul. ad Roman. cap. 1. verſ. 26.*) tam latè longèque diffuſis earum libidinibus, ut jam non Lesbiæ tantùm, ac Gaditanæ mulieres, ſed Romanæ quoque veteres eſſent in infamia. Quin nec Germanis quidem (pudiciſſimæ cæteroquin nationi) ſuæ defuêre Sapphones: quarum uti turpes congreſſus, ſic funeſtiſſimos exitus, non obſcuris in urbibus, noſtra etiam vidit, ac diris devovit, ætas. Hactenus Biſelius. Cui illud tantùm jungimus, tradere multos ex JCtis & inter illos Caballum *reſolut. Criminal. cent. 1. reſol. 16. n. 32.* quòd illâ nocte, quâ Redemptor noſter natus fuit, omnes Sodomitæ mortui fuerint, & inter illos Virgilius, quem fertur illo infando & muto peccato laboraſſe. Verùm, utut crimen illud deteſtandum à viſione DEI æterna excludat, ſeveriſſimasque pœnas, temporalis omnium ore mereatur, cùm tamen aſſertum illud JCtorum jam allatum, cùm nullo idoneo nitatur Sacræ Scripturæ teſtimonio, meritò Ipſis vindicandum relinquo.

(44) *Plinius ait &c.*] *Lib. 5. Nat. Hiſt. c. 16.*

(45) *Aſphaltiten vocant &c.*] Et communiter *Mare mortuum*, propter magnitudinem & aquæ immobilitatem, teſte Juſtino *lib. 36. Hiſtor. cap. 3. num. 6.* Nam neque ventis movetur, *docente eodem*, reſiſtente turbinibus bitumine, quo aqua omnis ſtagnatur: neque navigationis patiens eſt, quoniam omnia vitâ carentia in profundum merguntur: nec materiam ullam ſuſtinet, niſi quæ alumine illinatur. Plura lege apud D. Joh. Quiſtorpium *in Deſcript. Terræ Sanctæ p. 14.* Gerhardum Joh. Voſſium *Theol. Gentil. 11. 68.*

Num. 12.

(46) *Iſtud eſſe Principis monopolium &c.*] Benè interim monet Dn. Marquardus *de J. Mercat. lib. 4. cap. 7. num. 31.* Hoc autem Salis monopolium, cum grano ſalis, ut dicitur, à Principibus & Magiſtratibus eſſe exercendum; ne videlicet Principes, aut ab iis conceſſionem habentes, qui lucri causâ Sal mercantur, & ſubditos ad id emendum compellunt, pro numero capitum, injuſtè agere, & mortale peccatum committere videantur. Hæc ille; ad quod plures conſentientes allegat.

Num. 16.

(47) *Utilia ſunt & neceſſaria &c.*] Monopolio enim annonario tempore peſtis, belli & famis, cives & incolas Princeps & Magiſtratus ſublevare poteſt. Marquard. *d. l. n. 32.*

Num. 19.

(48) *In Aurea Bulla &c.*] Verba ipſa vide ſuprà *ad n. 8. (38)* allegata.

Num. 20.

(49) *Loti Uxor &c.*] Igitur Dominus, inquit Spiritus Sanctus, *Geneſ. 19. verſ. 24.* pluit ſuper Sodomam & Gomorrham ſulphur & ignem à Domino de cœlo: & ſubvertit civitates has, & omnem circà regionem, univerſos habitatores urbium, & cuncta terræ viventia. Reſpiciensque uxor ejus poſt ſe, verſa eſt *in Statuam Salis.* Lotus enim, inter hæc (*ſcilicet Pantapoleos ruinas, quas graphicè P. Joh. Biſſelius ruinarum Illuſtr. dec. 1. ruina octava deſcribit, ex quibus num. 14. hæc deſumpta*) percommodùm, ſub ipſum, & Solis exortum, & ignis nimbum cœptum, *Balam* oppidulum, quod fugæ ſuæ metam & diverticulum ab Angelo pactus fuerat, intrare cum comitibus incipiebat. Jamque ſuburbium tenebant: jam audiri poſt tergum horrida tempeſtas, ac Sodomorum Incendium tragicum, inſanæque brutorum & incolarum voces, & lugubris in cœlū clamor, ac flammarū tectorumq; ruentium funeſtus fragor acceperant. Quæ res Lotum ac ſuos, quantumvis fortaſſis explorandi cupidos (ut homines ſumus) tantò magis, ut properarent, incendit: partim quia, niſi *Segoris* in umbilico, ſecuritas illis promiſſa non fuerat; partim (& multò maximè) quòd reſpectandi, conſiſtendique curioſa mora præcepto fuerat Angelico diſcedētibus interdicta. Nec immemores illius imperii Lotus ac filiæ, curſim petebant, quam ſibi deſtinaverant, *Segorem.* Quanquam eâ recepti, nec illic quidem fixêre ſtationē; ſed in montana latibula pernici ſeſe curſu, ſubduxerunt: veriti, ne *Segorem* quoque, ſicuti ſcelerum, ſic & paris exitii, ſocietas cum urbibus cæteris inflammatis tandem involveret. At non æquè, vel memor mandati, vel obſequens, Uxor

Loti; tantos ad fragores, terræ pariter ac cœli ruentis, ſollicitata fœmineo cognoſcendi (quod in vetita ſemper acriùs exæſtuat) retroſpexit: & ut erat reflexâ cervice, momento temporis, Salis in columnam verſa; *fatuæ Curioſitatis* perpetuum ſtetit ac *ſapiens monimentum.* Dictu mirum, ſed veriſſimum; ac plurimorum inſuper oculis uſurpatum! eodem ſemper veſtigio, quo ſe circumegit aſpectu, defixum mulieris ſimulacrum, cum brachiis, humeris, capite totoque reliquo corporis trunco, defluentisque, talorum tenus, veſtis habitu, perſtitiſſe. Quin & ſuetos illius ſexûs menſes, ſunt qui tradiderint, tanquam è vivente quondam, ſic ab extincta, legitimis Lunæ recurſibus, prorupiſſe: Sale decolorato; ſuoque curſum candori, poſt exactos dies, reſtituto. Nec exigui temporis illa fuit ſtatuæ mirandæ duratio: ſed poſt viginti ſeculorum revolutionem, etiam à Flavio Joſepho conſpecta quondam; denique noſtram etiam ad ætatem pervenit. Quanquam enim ſit, qui ſub Annum MCCCCLXXXIII. affirmet; (*Felix Fabri in Itinerar.*) Aſphaltite tunc Lacu reſtagnante, ſic coopertam undis fuiſſe littoralibus, ut videri deſierit: Comes tamen Solmenſis, qui ſub idem ipſum tempus, Bredenbachio collegâ, Palæſtinam, ac Mare mortuum inſpexit; plus non tradit, quàm ad eam ægrè perveniri. Leonhardus autem Rauchwolfius, Medicus Auguſtanus in Vindelicis, qui terras illas, earumque memorabilia, ſeculo propemodum integro, poſt Solmenſem, luſtravit (ſcil. Anno MDLXXV.) non ſolùm emerſiſſe Columnam Lotidem, ſatis indicat: ſed & addit; integram etiamnum remanere: quodque plus mireris; etiam imminutionis omnis impotem & ignaram. Quanquam enim & Vaccæ (*quod Felix Fabri memorat*) aſſiduo ſalis linctu ſtatuam illam impetant, ac velut attenuent; tantundem tamen, *ait*, reponi noctibus ſolere, quantum diurnâ delibatione craſſitudini ſit detractum. Id autem adeò verum eſſe, Medicus, quem dixi, Vindelicus aſſeverat, ut is inſerere narrationi ſuæ non dubitârit; Peregrinorum nonneminem, cùm fortè viam Statuæ proximam ad Mare mortuum carperet, (explorandi causâ, veráne de Columnæ diminutæ reparatione memorarentur) brachium ſimulacri totum amputâſſe, ſecumque comitibus id ſpectantibus abſtuliſſe. Redeuntem verò, poſteaquam univerſam littoris Aſphaltici regionem perluſtrâſſet, deprehendiſſe; Lotidis ſtatuam non minùs utroque, quàm nuper fuiſſet, brachio præditam: nec ullam, vel minimam, inter manum ablatam, ac manum repoſitam, interceſſiſſe diſſimilitudinem. Quæ ſi vera ſunt, ut eſſe non dubito: DEO curæ crediderim eſſe dehortamenta non magnarum tantùm, ſed & minimarum, & in ſpeciem vilium, culparum: qualis oculorum eſſe curioſitas cenſetur, aut mandati mediocris ruptum obſequium; quando præſertim demonitiones hujusmodi prodigio quoque notatæ ſunt, ad rei memoriam ſempiternam. Et idcirco Chriſtus quoque memores eſſe juſſit Uxoris Loti (*Lucæ 17. verſ. 27.*) nec illud fatuè reſpectare, quod ſapienter aliquando reliquerimus: ne pœnas, quas dedit illa, nos quoque demus; vel præſentes temporis, vel futuras æternitatis. Hactenus Biſelius, cui jungi poterit Cæſius *de Mineral. lib. 3. c. 2. ſect. 17.* ubi expreſſè de hac ſtatua agit, & inter alia Tertulliani verſus *in Carmine de Sodoma* recitat:

Ipſaq; imago ſibi formam ſine corpore ſervans
Durat adhuc, nunquam pluviis, nec diruta ventis:
Quin etiam ſi quis mutilaverit advena formam,
Protinus ex ſeſe ſuggeſtu vulnera complet
Dicitur & vivens alio jam corpore ſexus,
Munificos ſolito diſpungere ſanguine menſes.

At monet hîc Rivetus, à Christiano Brockmäyer *in Diſputatione de hac Statua Witteberga Anno 1667. habita*, citatus: à Viris antiquitate Reverendis parùm verecundè id prolatum eſſe. Viri boni, *ſubjicit*, faciles præbebant fabulis aures, ubi probabiles allegoriæ ſuppeteret occaſio. Adde & ſuccincta doctaque brevitate de ea diſſerentem M. Michaëlem Chriſtianum Tieroff *in Diſp. de Sacris Judæorum Vinculis Jenæ Anno 1657. edita.* Inprimis verò Beatum noſtrum Dilherrum im Tugendſchatz und Laſterplatz *cap. 4. §. 72. 73. ſeqq. pag. 94. & 95.*

(50) *Sic animam infelix cum corpore perdidit &c.*] Lubentiùs in hac tam ardua controverſia, ſi quid mihi fari liceret, accederem ego illorum opinioni, qui animam ſalvatam eſſe cenſent, ob imbecillitatis (cui hoc accenſent) peccatum; aut potiùs DEI judicio eandem relinquunt. Inter quos B. Geſnerus *teſte* Brockmäyer *in Diſſert. de Stat. Salis* §. 4. exiſtit.

Num. 21.

(51) *Super everſæ Urbis ſolo Salem ſpargere &c.*] Confer ſæpè laudatum Cæſium *de Mineral. lib. 3. c. 2. ſect. 15.*

Num. 22.

(52) *Sal omnibus fœderibus &c.*] Dixi jam antè de fœdere Salis *ad lib. 1. cap. 15. num. 17. (40)* Adhibitum verò cenſent ſalem, propter naturalem ejus virtutem impertiendi rebus longiſſimam durationem, & velut quandam ſpeciem incorruptionis. Cæſius *dict. loco ſect. 18. n. 3.*

CAPUT X.

Compendium fiſcale è ſolo, foro, ſtructuris, & ædificiis publicis.

SUMMARIA.

1. Rebus *iſtis, quæ* publici juris *ſunt, tutiùs à Principe imponuntur onera, quàm quæ ſunt privati.*
2. *Pecunia colligitur ex* ſtationibus in Foro, *pergulis, aliisq; locis mercatui opportunioribus.*
3. Fora *Boaria, Equaria, Suaria, Piſcaria, Piſtoria, Frumentaria, &c. afferunt Reip. emolumentum.*
4. Coquinaria & Culinaria publica *in populoſis Civitatibus opportunè uſitata & cum Ærarii emolumento.*

5. Nym-

5. Nymphæa *ſive ædes publicæ nuptiales, chorearum & ſaltationum. Iſtæ proficuæ; hæ minimè tolerandæ; ſicut & choreæ ipſæmet deteſtabiles,* & n. 6. 7. 8.

9. Chorearum ſaltationumque *conſuetudo utpote adiaphora, ubi abuſus nullus intervenit, non hic penitus rejicitur.*

Compendium Fiſcale de Solo, Foro,
Et ædibus de publicis;
Non improbabit architectos conſulens
Sumptusque rectè computans.

PRinceps in his, quæ publici juris ſunt, & Reipubl. multò tutiùs onera imponere
1 poteſt, quàm privatorum rebus. Nam tunc jure ſuo uti videtur, maximè quando his utitur pro communi Reipublicæ cauſa. Sic enim uti debet publicis, & ad utilitatem publicam ea diſpenſare, quemadmodum privatis ſuis, & ad utilitatem privatam. Ita ex *ſolo publico*, ſi quid in eo ædificatum à privato eſſet, id, quod pro eâ permiſſione & ædificatione dabatur, *Solarium* (1) dictum, nempe tributum pro *ſolo*; text. *in l.* 2. §. *ſi quis nemine, 17. ff. ne quid in loc. publ.* Cravett. *conſ.* 204. *num.* 18. & *conſ.* 518. *num.* 6. Joan. Vincent. Hondedæ. *conſil.* 18. *num.* 57. & 58. *volum.* 2. Petr. Gilken. *tract. de Impenſis part.* 1. *c.* 1. *num.* 32. Jul. Cæſ. Bulenger. *de Vectig. Pop. Roman. caput* 36. Ita reditus eſt ex porticibus, videlicet domorum in porticu ædificatarum ad luminaria & tecta reparanda, deputatus, *in leg.* 19. *Codic. de operib. public.* (2) Ita Romæ erant *Tabernæ mercimoniorum* (3) ad nullum alium deſtinatæ uſum, quàm ut negotiantes & mercatores ſub iis deambulare & commodè poſſent inter ſe contrahere. Una harum dicebatur *Argentaria*, (4) eò, quòd non niſi aurea & argentea vaſa; itē collaria, armillæ, annuli, globuli ſive clavi, & id genus alia ex auro conflata ibi vendebantur.
2 Ita in mercatoribus & nundinis pro loco & ſede publica merces datur, ſive pecunia forenſis pro ſolo, ſtationibus & pergulis, vulgò Marck- Stand- oder Stadtgeld. (5) Vide Me *tract. de Contribut. cap.* 1. *num.* Adam Keller. *lib.* 2. *de offic. juridico-polit. c.* 9. *fol.* 342. Ita quoque ædificia interdum ſolent exſtrui à Magiſtratibus, uſibus & oportunitatibus negotiorum & negotiatorum privatorum inſervientia, puta Kauffgewand: Leinewand: Schuchhäuſer/ Fleiſch- Brodbäncke/ itē tabernæ, buticæ vel banchi, vulgò Butiquen und Kramer-Laden/ pro quibus vel certo tempore vel annuatim certa penſio ſolvi; uti & fora, pro varia rerum differentia diſtingui & inde compendia quæri ſolent; puta ex foro boario Viehemarckt/ Equario Roßmarckt/ Sua-
3 rio Schweinmarckt/ Piſcario Fiſchmarckt/ Piſtorio Brodmarckt/ Macellario Fleiſchmarckt/ Cupedinario Naſchmarckt/ Pomario Obßmarckt/ Olitorio Krautmarckt: In quibus ſingulis vel certis diebus datur copia mercandi, & neceſſaria vitæ emendi. Forum Frumentarium in civitate Conſtantinopoli, ubi & legumina & farina venditur, infert quotannis in Turcicum Ærarium XIV. onera monetæ. Hiſce adde forum ſcrutarium, in quo omnis generis mer- 4
ces abſoletæ & uſu tritæ venales habentur, vulgò Tröddel- oder Tendelmarckt/ uti in Batavia, Pragæ, Uratiſaviæ, &c. moris eſt.

Sunt & in Weſtphalia ac inferiori Saxonia reditus von Städten und Hausweiſungen/ auch Brinckſägern und Häuslingen/ de quibus vide Ordinat. Politic. Ducat. Lunæburgenſ. *cap.* 50.

Huc ſpectant Garküchen/ ſive ars magi- 5
rica; coquinaria & culinaria, ex qua Ærarium ditari poteſt. Intereſt enim Reipub. coquos publicos haberi, præſertim in magnis & populoſis Civitatibus, qui Ciborum copiam in promptu habeant, ad neceſſitatem incolarum, inquilinorum, & advenarum; quales vides Pariſiis & Romæ per integrum annum, in Nundinis Francofurtenſibus, &c. Et quod populi alii aliis præſtent in cibis coquendis ad palatum, comprobant, Belgæ Lippienſes, & alii poſt veteres *Liv. lib.* 39. (6) Plin. *lib.* 18. *c.* 11. Martialis *in fine ſui operis;*

Non ſatis eſt ars ſola coco ſervire palato;
Namque Cocus Domini debet habere gulam.

Et Horat. *lib.* 2. *Epiſt.* 2.

Tres mihi convivæ propè diſſentire videntur,
Poſcentes vario multùm diverſa palato. (7)

Huc quoque refer *Nymphæa* (8) ſive ædes publicas, in quibus Nuptiæ celebrantur, cùm ædes deficiunt ad Choreas idoneæ.

Multæ ubique Chorearum & ſaltationum audiuntur deteſtationes. *Ut vidit Moy-* 6
ſes choros, iratus valdè, projicit de manu tabulas, & confregit eas, Exod. c. 32. *v.* 19. Iſaias de Hieroſolymitanis fœminis ſic vaticinatur *c.* 3. *v.* 16. *Pro eo, quòd elevatæ ſunt filiæ Sion, & ambulaverant extento collo, & nutibus oculorum fucatis faciebus & plaudebant: & ambulabant, & pedibus ſuis cōpoſito gradu incedebant, & pedes ſuos ornabant: Decalvabit Dominus verticem filiarū Sion, &c.* Et Ezechiel. *c.* 25. *v.* 6. *Pro eo, quòd plauſiſti manu, & percuſſiſti pede, & gaviſa es ex toto affectu, &c. idcirco ecce, ego extendam manum meam ſuper te, & tradam te in direptionem gentium, & interficiam te.* Vide etiam *Tob. c.* 3. *v.* 17. *Jerem. cap.* 15. *v.* 17. *Job. cap.* 21. *verſ.* 11.

Quare monet *Eccleſiaſticus*; (9) *Cum ſaltatrice, inquiens, ne aſſiduus ſis: nec audias illam, ne fortè pereas in efficacia illius. Herodiadis,* (10) ſaltatricis peſſimæ, choreæ quid effecerint, ignotum nemini eſt: Ac quàm durè SS. Patres in eas invecti ſint, & inter pompas Sathanæ numerarint Choreas, omneſque id genus leves & inanes recreationes, ex 7
Scriptorum ſcriptis liqueſcit. *Cantus* (ait Baſilius agens contra ebrioſos *homil.* 14) *profanos exerces, oblitus pſalmorum & hymnorum, quos dediciſti; Moves pedes &*

inſanus ſaltas, choreas ducis imprudens, cùm *genua ad DEI & Domini noſtri Jeſu Chriſti cultum flectere oportebat.* B. Ephræm in ſermone, quòd ludicris abſtinendum ſit Chriſtiano, *in rebus ludicris*, inquit, *non eſſe tempus à Chriſtianis conſumendum, omnes novimus, & ex divinis quidem ſcripturis hauſimus.* Et rurſus: *Quis demonſtrare poterit, convenire Chriſtianis cytharíſare, aut tripudiare, aut cymbala pulſare?* Et multo pòſt: *Ubi Cytharæ ac Chori & plauſus manuum, ibi virorum tenebræ, & mulierum perditio, angelorum triſtitia & Diaboli feſtum. O improbum Diaboli conſilium!* Adhæc in libro interrogationum & reſponſionum; *Nunquid*, ait, *Choreis, nunquid cythararum luſu delectatus eſt Paulus? nunquid diabolica cantica cecinit? Abſit! Quis talia Chriſtianos edocuit? non ſanè eos edocuit Petrus, non Johannes, nec quis alius divino numine aſſiatus.* Verùm iſta Draco antiquus docuit, magiſter omnis impuritatis; qui docuit fornicari, qui docuit idola colere, docuit etiam ludere. Idcirco Apoſtolus idololatras, 1. *Cor.10.v.7.* ludentes nominavit, dicens: *Neque idololatræ efficiamini, ſicut quidam ex ipſis, quemadmodum ſcriptum eſt: Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere, Exod. d.c.32.*

8 Et Ambroſius *de Virginibus lib.3.* Debet benè conſciæ mentis eſſe lætitia, non inconditis comeſſationibus, non nuptialibus excitata ſymphoniis, ibi enim intuta verecundia, illecebra ſuſpecta eſt, ubi comes delitiarum eſt extrema ſaltatio. Ab hac virgines Dei procul eſſe deſidero. Nemo enim, ut dixit *quidam ſecularium doctor*, (11) ſaltat ſobrius, niſi qui inſanit. Quòd ſi juxta ſapientiam ſecularem ſaltationis aut temulentia Author eſt, aut dementia, quid divinarum ſcripturarum cautum putamus exemplis, cùm Johannes prænuncius Chriſti ſaltatricis optione jugulatus, exemplo ſit, plus nocuiſſe ſaltationis illecebram, quàm ſacrilegi furoris amentiam? Quid ibi verecundiæ poteſt eſſe, ubi ſaltatur, ſtrepitur, concrepatur? &c. Quid dicitis vos ſanctæ fœminæ? videtis, quid docere, quid etiam dedocere filias debeatis. Saltet, ſed adulteræ filia. Quæ verò pudica, quæ caſta eſt, filias ſuas religionem doceat, non ſaltationem.

Convincunt mollem ſpectata tripudia mentem,
Ille locus caſto ſæpè pudore vacat.

Sic Guilielmus Lugdunenſis ſcribit, quòd Chorea ſit circulus, cujus centrum eſt Diabolus, à quo omnes virgines ducuntur in ſiniſtra manu, in ſignum malitiæ.

Etſi verò multa incommoda, ſcandala, & pericula ex choreis oriantur, & ſecuriùs ſit, in totum ab illis abſtinere; ipſæ tamen moderatè inſtitutæ per ſe non ſunt impiæ, nec in Nuptiis honeſtis, aliiſve privatis amicorum conventibus prorſus improbandæ, vide Joh. à Chockier *Tr. de Legato cap.31.* Sunt enim *Choreæ res adiaphoræ*, (12) quæ non per ſe, ſed per aliud fiunt, tum bonæ, tum malæ. Cùm itaque recreationis, lætitiæ, & ſanitatis etiam ratione choreæ inſtitutæ dicantur, propter abuſum, illarum uſus (prout in cæteris rebus & actionibus noſtris omnibus) non tollendus, *ſed tolerandus videtur.* (13) At quotusquisque in tantis Nuptiarum & Conviviorum lautitiis in mulierum puellarumque, quæ Choreis ferè interſunt, conſeſſu tam cautus & circumſpectus eſſe poterit, qui vel conſpectu, vel auditu, vel oculis, vel loquacitate, vel vanæ gloriæ aucupio, faſtu quoque, invidiâ, detractione non crebrò labatur & peccet.

ANNOTATIONES

Ad

CAPUT X.

Num. 1.

(1) S*olarium &c]* Quod & *Agrarium* olim dicebatur: vide Bignon. *in Notis ad Formulare Marculphi Monachi fol.580.*

(2) *In l.19.C. de oper.publ.&c]* Videtur hic ipſe reditus nihil aliud quàm ſolarium, aut certè merces ex locis publicis hominibus privatis locatis, eſſe; ſic enim Lex ipſa ſonat: *Quia plurimæ domus cum officinis ſuis in porticibus Zeuxippi eſſe memorantur, reditus memoratorum locorum pro quantitate, quæ placuerit, ad præbenda luminaria, & ædificia ac tecta reparanda regiæ hujus Urbis lavacro ſine aliqua jubemus excuſatione inferri.* Ita piiſſimi Imperatores reditus ſuos, non ſudorem & lacrymas ſubditorum, ad exſtruenda publica, non omninò neceſſaria, ædificia impenderunt. Cùm ad alia portuum, nempe æquæductuum, murorum, communi omnium utilitati inſervientium ædificiorum inſtaurationem ſive exſtructionem omnes certatim, factâ operarum collatione, inſtare debere, reſcripſerant, *l.7.C. de oper.publ.*

(3) *Tabernæ mercimoniorum &c.]* Tabernæ dicuntur ſecundùm Roſinum *Antiq. Rom. lib.1. cap.14.* ædificia qualiacunq; popularis uſûs: præſertim è tabulis conſtructa: Krämer- oder Kauffladen. Imperator verò noſter *in l.183.ff. de V.S.* inquit: Tabernæ Appellatio declarat omne utile ad habitandum ædificium: non ex eo, quòd tabulis clauditur. Quam legem Gœddeus *in Comment. ad tit. de V. & R.S. pag.1075. ſeqq.* eleganter declarat, tandem concludens *n.4.* retentâ hâc genera-

generaliori vocis Tabernæ ſignificatione, rectè earum alias dici *meritorias*, alias ſolummodò *inhabitari*, & ſic quale quale ad inhabitandum aptum ſit ædificium, cui quis præpoſitus eſt, Taberna dicetur, & is, qui præpoſitus eſt, Tabernæ præpoſitus erit, *per alleg. tex.* Meritoriæ autem Tabernæ variæ ſunt, v. g. Taberna caſearea *in l. 8. §. 5. ff. ſi ſervitus vindic.* ferrarea *l. 87. §. 3. ff. de Leg. 2.* purpuraria *l. 91. §. 2. ff. de Leg. 3.* cauponia *l. 13. de inſtr. & inſtr. leg. &c.* Cùm verò Tabernas ad ambulandum hoc loco Klockius noſter inſtitutas quoque narrat, videtur hoc loco ſubeſſe hiatus, & conjungendas cum Tabernis porticus; quæ duo & Livius conjungit, quando *lib. 1. Hiſt 86.* à Tarquinio Priſco Porticus Tabernasque ſactas narrat. Interim negandum non eſt, hodiè utplurimum Tabernarum vocem in ſtrictori, imò alicubi ſtrictiſſima voce pro tabernariis ſolùm Vinariis uſurpari, vulgò Tafern dictas. Vide quoque Alex. Donatum *lib. 2. de Urbe Roma c. 27.*

(4) *Argentaria &c.*] Argentariæ Tabernæ mentio fit *in l. 32. ff. de contrah. Empt.* Et quòd Annibal Romam obſidens ex nimia victoriæ ſpe vendiderit Tabernas argentarias, quæ circa Romanum forum tunc eſſent, Author eſt Livius *l. 26. cap. 11.*

Num. 2.

(5) Marck-Stand- und Stadt-Geld ꝛc.] Cujus meminit quoque Weſenb. *Conſil. 12. num. 55. 56. 67.* Cothman. *conſil. 47. n. 288. vol. 3.* Magnam cum hoc vectigali affinitatem habere, cenſet D. Marquardus *de J. Mercatorum lib. 2. cap. 3. n. 85. & lib. 2. cap 4.* pecuniam illam, quæ, ſecundùm quarundam Gentium inſtitutum, pro tuta navium ſtatione præſtari ſolet, quam vulgò vocant PECUNIAM ANCHORARIAM, de qua vide laudatum Authorem, & ab eo allegatos.

(6) *Livius lib. 39. &c.*] *Cap. 6.* ibi de luxu ab exercitu Aſiatico in urbem Romam invecto verba faciens, inter alia ſcribit: Tum coquus, viliſſimum antiquis mancipium, & æſtimatione & uſu, in pretio eſſe; & quod miniſterium fuerat, ars haberi cœpta. Add. Schœnbornerum *Polit. lib. 3. cap. 46.*

(7) *Diverſa palato &c.*] Manet enim immotum vulgare illud:

Debet adhuc naſci coquus hic, qui noverit omnes
Sic condire cibos, ſapidi ut ſint omnibus æquè.

(8) *Nymphæa &c.*] Quid ſint Nymphæa, duplex eſt opinio, inquit Roſinus *lib. 1. Antiq. Rom. cap. 14. pag. 134.* Zonoras Monachus, qui de Græcorum Imperatoribus ſcripſit, in Leone primo, Nymphæa eſſe vult palatia publica, in quibus nuptias celebrarent illi, qui habitarent anguſtiùs: eaque ædificiis maximis, in quibus Senatus cogeretur, plerumque adjuncta fuiſſe, qualia ædificia Romæ erant Curiæ, Senacula, Baſilicæ. Alii Nymphæa putant eſſe loca publica, delectationis gratiâ facta, in quæ, non ut in balnea, aut thermas, propter uſum aqua deduceretur, ſed gratiæ potiſſimùm atque amœnitatis causâ, & Nympharum ſtatuis, quibus ornata fuerunt, nomen traxiſſe. Verùm & de forma, aut uſu illorum operum non ſatis conſtat: ita maximè inſignia fuiſſe, vel illud declarat, quòd aut ab ipſis Imperatoribus conſtruerentur, ut de Nymphæo Marci ambitioſi operis, ſcribit Ammianus *lib. 15.* de Alexandri, Victor: de Gordiani, Capitolinus: aut ab Urbis Præfectis, quale Clearchus Valentiniano & Valente Impp. exſtruxit, Conſtant. & Flavius Philippus reparavit Romæ. Ex Nymphæis veteribus nullum ad noſtra, aut Patrum usque tempora duravit. Hoc loco Authorem noſtrum Nymphæa in priori ſignificatione accipere non eſt, quòd moneamus, cùm per ſe pateat. Atque has tales ædes Ariſtoteles *7. Polit. 12.* templo contiguas eſſe debere monet, ut ſobrietatis rationem habere admoneantur convivæ.

Num. 6.

(9) *Eccleſiaſticus &c.*] *Cap. 9. v. 4.*

(10) *Herodiadis, ſaltatricis peſſimæ &c.*] Herodiadem non; ſed filiam ejus ſaltaſſe in die natalis Herodis, clarè in S. Scriptura *Matth. 14. v. 6.* exprimitur. Filiam hanc Joſephus, *Ant. XIIX. cap. 11* Salomen nominat prognatam ex Herode Mariamnes Simonis atque Herodiade. De exitu ejus ex hac vita, refert Nicephorus *Hiſt. Eccleſ. 1. cap. 20.* hæc: Eundum ipſi (*Salome*) quodam brumali tempore erat, & fluvius trajiciendus. Qui cùm glacie conſtrictus coagmentatusque eſſet, pedes eum tranſibat. Glacie autem ruptâ, idque non ſine DEI Numine, mergitur illa ſtatim capite tenus: & inferioribus corporis partibus laſciviens, molliùsque ſe movens, ſaltat non in terris, ſed in undis. Caput verò ſceleſtum, frigore & glacie concretum, deinde etiam convulneratum, & à reliquo corpore non ferro, ſed glaciei cruſtis reſectum, in glacie exitialem ſaltationem inſtituit: ſpectaculoque illo omnibus præbito, memoriam, quæ fecerat, exhibet ſpectantibus. Hactenus Nicephorus, ſive ejus Interpres. Sed mirum unde? inquit Nolden. *in Hiſtor. Idumæa, ſeu de vitâ & geſtis Herodum pag. 362. ſeq.* Nam ante illum certè per XII. ſecula, nemo ea (quantum ſcio) retulit. Ad hæc: cùm paulò ante hunc textum narrat, Herodiadem κατιδοῦσαν τὴν θυγατέρα καὶ ὀρχηστρίδα τὸν βίον καταλύσασαν, &c. eſt hoc certè inexcuſabile. Nam cùm Salome, filia, non antè deceſſit, quàm Philippo conjugata eſſet: imò, poſt ejus mortem ex alio tres filios ſuſtuliſſet, Anno XIIX. c. 7. oportet Herodiadem illic tum fuiſſe, (nempe ultra Alpes exulem, aut mortuam) ubi, quæ in Judæa fiebant, filiæ ſcilicet extrema neutiquam videre potuit. Hæc Nolden, qui in ſuperioribus ex Eſthio *in Marc. 6. v. 20.* autumat, in interfectione Johannis Herodem graviſſimè, Herodiadem minùs, Saltatricem minimè inter hos peccaſſe, quòd id, quod fecit, tantùm fecit inſtructa & juſſa à matre.

(11) *Quidam ſecularium Doctor &c.*] Cicero *in Orat. pro L. Murena p. 127.* Nemo ferè ſaltat ſobrius, niſi fortè inſanit, neq; in ſolitudine, neque in convivio moderato atque honeſto, intempeſtivi convivii, amœni loci, multarum deliciarum comes eſt extrema ſaltatio.

(12) *Choreæ res adiaphoræ &c.*] Indeque à Theologis non omninò reprobantur, ſi vel maximè choreæ illæ honeſtæ ducant perſonæ; juvenes potiùs, quàm ſenes, aut in talibus officiis e. g. ſacris, gravitatem inprimis ſuadentibus, conſtitutæ. 2. Interdiu aut loco luminibus illuſtriori, atque in publico. 3. Diebus præcipuè profanis. 4. Non proritandæ libidinis, ſed honeſtæ delectationis & converſationis causâ. Si denique inhoneſtæ circumgyrationes, & omnes geſtus impudici & laſcivi, adeoque omnia ſpeciem mali ac ſcandali habentia exulent. Quæ latiùs edecumatus Theologus, Beatus Gerhardus *in loco de Conjugio §. 473. & 474.* deducit, ubi quæſtionem illam, *an*

choreæ in Nuptialibus conviviis ferendæ? egregia Mediolanenſis Epiſcopi diſſertatione *lib. 6. in Lucam c.7. circa medium,* concludit.

(13) *Sed tolerandus videtur &c.]* Audiamus Megalandrum noſtrum Lutherum, prout ejus verba *ex Poſtil. Eccl. Domin. 2. poſt Epiphan.* jamjam laudatus Gerhardus *d. loco*, & poſt illum Carpzovius *Juriſpr. Conſiſt. tit. 8. Defin. 157. n. 6.* refert; Quod peccata & vitia in choreis committantur, non ipſis choreis aſſcribendum, perinde ut cibo & potui Epicureiſmus inde proveniens acceptus referri nequit, ſi cuncta honeſtè peragantur, unà cum reliquis convivis nuptialibus ſaltare poteris. Fides & charitas ſaltando non excutiuntur, ac infantes ſine ullo probro vel caſtitatis periculo ſaltant. Conſonat Brentius *in cap. 14. Matth. pag. 528.* Quamvis multum mali ex choreis oriatur & habeant non admodùm obſcura pericula, tamen per ſe non ſunt impiæ, & ab honeſtis honeſtè fieri poſſunt.

CAPUT XI.

De Domibus braxatoriis, ac Cerviſia, & inde reſultante Lucro; ubi Quæſtio quotidiana pertractatur: An & quatenus Nobilibus jus coquendi & vendendi Cerviſiam competat? ibidem de domibus mactatoriis.

SUMMARIA.

1. *Fruges in* Braxatoriis *ad coquendam Cerviſiam adaptantur.*
2. *Vulgariſſimus totâ Germaniâ* Cerviſiæ *potus.*
3. *Quinam* Nobilium, *Ignobiliorumq́; jus Braxatorii: quæq́; acciſa inde Ærario veniat.*
4. *Non tantùm Hordeacia, ſed & Triticea, ac aromatica* Cerviſia *bibitur Germanis.*
5. *An* Braxatoria Nobilium *ſplendorem obfuſcet? & an Nobilibus Cerviſiam coquere & divendere, ac piſturam ad vendendos panes exercere liceat? &* n. 7. 8. 9. 10.
6. *Coquant pro ſe licet ſuaq́; familia* Nobiliores, *vendant etiam ſibi nata frumenta; nihil hoc eorum nomen dedecorat.*
11. Nobilium *Cauponaria & Tabernaria Subditorum vicinorumq́; preſſura, ſordida, tyrannica.*
12. Cerviſiæ *Chrematiſticæ quæſtuoſus uſus.*
13. *Ex* ſartaginibus, *Ahenis, Siccatoriis, Braxatoriis emolumenta Ærario.*
14. *Reliquiis frumentorum poſt decoctam* Cerviſiam *ſaginandi porci.*
15. *Notabile hic recenſetur conſilium Ordinum Belgii ex* Cerviſia *augendi Ærarii.*
16. Domus mactatoriæ *quo loco urbis opportuniores? Piſcibus inde & Ærario ingens lucrum,* n. 17. *Sed fraus poteſt fieri à lanionibus inflandis carnibus; qui lege puniendi ſunt,* n. 18.
19. Magnum Macellum *extra Conſtantinopolim quantum pendat Turcico Ærario.*
20. Oweni *venuſtum Epigramma.*

Cocta Ceres lupulo venalis, & emptio carnis
Cottidiana foro, ſunt tibi, Fiſce, lucro.

Cerviſia (1) atque alia potionum genera, pro ratione Provinciarum mutant nomina. Quæ hodiè *Biera* in omni Teutonum natione dicitur, ea olim Cerviſia in Gallia, nomine ibi nato, re cum aliis nationibus communi erat. Joſeph. Scaliger *lib. 3. Epiſt. 208. fol. 460.* Cerviſiæ autem coquendæ in Germania, & præſertim Belgio domus braxatoriæ ſunt deputatæ, in quibus hic potus ex frugibus & aqua, lupuli additamento coquitur, percolatur & defæcatur. **Gemeine Schlot- Maltz- und Bräuhäuſer/**
1 Fruges huc conducunt Triticum & Hordeum regulariter, interdum etiam avena, quæ potum ſpumoſum facit: Si primùm macerantur, deinde regerminant: igni vel Sole etiam torrentur, unde ſpelta, vulgò **Maltz/** Græcè βύνη, quæ prætereà molis craſſiusculè conteritur, & denique coquitur, cocta per ſtramen percolatur, & cum lupulo denique decoquitur. Inſigne ſanè artis Chymicæ opificium (cujus eſt reſolvere & ſeparare & extrahere) imaginem referens, cùm ex frugibus, beneficio aquæ & caloris, vis ſeu eſſentia extrahatur, aquæ imbibatur & percolata transeat. Increbuit hoc, ut fermè tota Ger- 2
mania ſuperior & inferior ubivis locorum utatur illo potu; Inprimis Saxonia, Weſtphalia, Belgium, Anglia, Dania, Suecia, Polonia, Bohemia, &c. Adeò ut pro diverſa bonitate (cum genius loci non ſemper pari ſapore cerviſiam largiatur) diverſa nomina laudis & vituperii Cerviſia adſciſcat. Unde ſingulare genus commercii, & Monopolium in multis Civitatibus ſucceſſit, & tantùm civibus in Urbibus per excellentiam ſolet indulgeri. Anno MDLVII. die Martis poſt feſtum Nicolai, inter Senatum Eimbecenſem, qui ſibi jus coquendi Cerviſiam in Civitate ſolus arrogavit, & Monaſterium *Amelunxborn*, ſpeciali pacto convenit, **daß dem Cloſter an[illegible]m Hof binnen Eimbeck/ gegen Abrichtung eines Fuder Rocken/ und eines Fuder Habern eingewilliget/ jährlich viermal zu brauen.**

Eodem jure in pagis & hodiè Nobiles utuntur, cùm de eo inveſtiti fuerint, intra milliare ab urbe poſiti. Et in Bohemia ejus conceſſio, pro Regali ſive jure reſervato habetur: ut nemo jure braxandi impunè uti poſſit; niſi vel privilegio (ut pleræque Civitates) vel inveſtiturâ, vel longiſſimâ temporis præſcriptione munitus ſit. Hinc **Tranck-** 3
oder Bier-Steuer/ ſive acciſa de Cerviſia (ex qua Elector Saxoniæ ultra 15000. millia Thalerorum annuatim percipit,) ſolvitur in ſignum Superioritatis, & inter fructus & teſſeram Jurisdictionis refertur, Authore Andrea

drea Knichen. *de jur. territ. cap. 3. numer. 344.* Je mehr die Bauren/ Bürger und Handwercker trincken/ je lieber und zuträglicher es iſt; adeò ut vitium inebriandi hoc ſeculo, loco virtutis irrepſerit, vulgareque ſit & fœminis vilioribus hoc vitium, ut

Sæpè ſenem potum fœmina pota trahat.

Nec contenti ſunt Germani ſimplici hoc potu, ſed eundem quoque aromatis condire ſolent. Unde variarum genus adæquè Cerviſiæ, ac vini, aromaticum & con-
4 ditum. Bornit. *lib. 2. de rer. ſuffic. c. 26.* ubi quarundam Cerviſiarum Encomia & vituperia recenſet. Triticea cerviſia in Sileſia & Bohemia, ſed hordeacea in Miſnia, Saxonia, Pomerania & Weſtphalia mixtum cum tritico commendatur. Ita Deus & natura ſingulis locis ſua munera, ut mutuis auxiliis ſibi ſubveniant, ſolet dispartiri,

Cæterùm cùm Nobilitas amittatur per
5 turpitudinem vitæ, quæ conſiſtit in muneribus & officiis ſordidis, omnibusque artificiis, & artibus civilibus & mechanicis, quæ magis corporis miniſterio, quàm animi induſtriâ perficiuntur, ut panis, cerviſiæ, &c. excoctio; non inconcinnè quæritur: An jus coquendi & vendendi Cerviſiam, deß Maltzens/ Brauens/ und Schenckens/ etiam Nobilibus competat?

Ad pleniorem hujus Quæſtionis eluci-
6 dationem præmitto, & ſentio, omnes bonæ & ſanæ mentis hoc mecum ſentire, Quòd Nobilibus pro neceſſitate domûs ſuæ & familiæ propriæ cerviſiam coquere, vel frumentum in propriis agris natum aliis vendere liceat; uti quoque mercimonia civium Nobilibus conceſſa intelliguntur pro neceſſitate ſuæ domûs & familiæ. Atque ita regulam, *l. nobiliores 3. C. de commerc. & mercat. l. unic. C. de perfectiſſ. dignit. l. milites. & l. licet C. de loc. & cond. l. 2. C. de re milit. l. agentes 1. C. de proboſ. agent. in reb. l. ſi cohortales. & denique tot. tit. C. negotiatores ne militent, &c.* limitari teſtatur Moller. *lib. 4. ſemeſtr. 17. n. 1.* De quo caſu etiam loquuntur Dd. à Ludolpho Schradero allegati *conſ. 44. num. 8.*

Hinc in Ordinationibus Provincialibus Erneſti Electoris & Ducis Saxoniæ *An. 1512. rubr.* deß Maltzens und Brauens *pag. 19.* quas deinde Auguſtus Elector. Saxoniæ *ult. Mart. An. 1571. rubr.* Brauen/ Schencken und andere Bürgerliche *pag. 84.* renovavit & confirmavit, verbis diſertis eſt diſpoſitum, quòd Prælati & Nobiles jus cerviſiã coquendi, niſi pro neceſſitate & ſuſtentatione ſuæ familiæ, habere non debeant. Moller. *d. c. 17. n. 1. verſ. etſi enim. & ſeqq.* Quod non tàm ideo conſtitutum eſt, quòd Nobilibus mercaturam exercere abſque Nobilitatis diminutione non permittatur; Mynſing. *cent. 6. obſ. 54. n. 2. 3. & 5. & ſeqq.* Wurmſer. *libr. 1. obſ. tit. 27. obſ. 2. n. 7.* quàm quòd urbibus exinde detrimentum & pernicies inferatur, & civibus alimenta ſubtrahantur & comercia minuantur, *dict. l. nobiliores 4. verb. pernicioſum urbibus C. de comm. & mercat.* Andr.
Rauchbar. *q. jur. 12. n. 6. p. 2.* At Cerviſiam co- 7
ctam, vel panes factos aliis vendere, minimè Nobiles decere exiſtimo: cùm hoc ſit negotiari ſive mercari, quod Nobilitati adverſatur; *Nobilitas* quippe & *Mercatura* ſibi invicem repugnant, nec in una ſede morantur. Ne dicam, quòd coquendi exercitium inter vilia & illiberalia artificia referat Ariſtoteles (quo viro nemo philoſophatus eſt ſaniùs) *lib. 1. Politic. c. 4.* prout quoque ex legibus Civilibus colligitur, coquorum artem ſervilem fuiſſe, *l. legatis ſervis §. ſi unus. & l. ſervus Urbanus ff. de legat. 3.* Jul. Firmic. *lib. 3. de Aſtron. c. 9.* Licet ſecus hodiè putet Schönborner. *lib. 3. Polit. c. 46.*

Placet itaque ſententia Franciſci Pfeil *conſil. 202. num. 76.* ubi eleganter reſpondit;
frumentum ſeu grana pinſere & coquere, de- 8
inde panem & potum ſecundùm artis piſtoriæ & braxatoriæ regulas conficereve, numque publicè dare atque proſtituere, non eſſe fructus ex prædiis ſuis collectos vel aliàs obvenientes diſtrahere. Siquidem frumentum ipſum in ſua non permanet ſpecie, ſed toties mutatum quodammodo exſtinguitur, & aliquod inde reductum tertium & auctario quodam ſuo confectum diſtrahitur, *leg. Julian. 9. §. ſed quis rem 3. ff. ad exhibend. l. Seja 6. §. 1. ff. de aur. & arg. legat.* Itaque cùm aliud ſit materiatum, aliud materia, & compoſitum conſtet ex mixtura, ſive duabus ſimplicibus; de altero ad alterum non arguitur, *dd. textibus juris l. lignis ff. de legat. 3. l. ſi convenerit 2. §. ſi quis caverit ff. de pignorat. act.* Imò lucrum hîc non ſolâ venditione, ſed ex ipſa etiam coctionis & braxationis operâ, cùm quæratur, quid eſt, ſi non hic etiam quæſtus negotiationis eſt? *l. certè. cum l. ſeq. ff. pro ſoc.* Quid eſt, ſi nõ hoc etiam artis ipſius piſtoriæ & braxatoriæ adeò tabernæ & *cauponæ exercitium* (2) eſt, quod utique mechanicum dicitur, & inter viles artes ac negotiationes, adeoq; inter plebeia commercia reputatur, quo Nobiles vel non uti debent, vel utentes, nobilitatis decorem & privilegia ipſo facto abjicere, Baldus cæterique Dd. à Schradero *d. loc.* allegati non temerè ſentiunt. Nec inter eſt, *an quis ipſe, vel alii* (3) ex mandaio factum braxationis & venditionis præſtent. Nam exercere mechanicas artes, quæſtumque negotiatorium facere, cenſetur ac dicitur etiam ille, qui aliorum operâ utitur, modò ipſe obventiones omnesque reditus percipiat. Et quod quisque per alium facit, ipſe feciſſe cenſetur, jurib. vulg. Pfeil. *dict. conſil. 202. n. 67. & ſeq.*

Conſuetudine tamen introduci poſſe, 9
ut Nobilibus Cerviſiam coquere, aliisque vendere liceat, etiam poſito, Nobilibus ſecundùm

cundùm juris diſpoſitionem hoc prohibitum eſſe, aſſerit Schrader. *d.conſ.44.n.24.& ſeq.* itemque Mynſinger *decad.15.reſp.1.n.78.* Sed Franciſcus Pfeil de eadem facti ſpecie conſultus, primò prætendit conſuetudinis in actis ad ſe miſſis non fuiſſe factam mentionem. Et licet conſuetudo aliqua allegaretur, illam uti irrationabilem cenſendam eſſe, tanquam ex initio maximè vitioſo deductam. Porrò (*inquit.* Pfeil *d.loc.n.102.& n.103.*) quòd in ſacro Romano Imperio contra ſacratiſſimas Conſtitutiones nobilibus à natalibus pernicioſum urbibus mercimonium & plebeium quæſtum prohibentes cerviſiarum tabernam atq; cauponam exercere, quod contra jura divina humanaq; & bonos mores vicinis ac ſubditis ſuis, quos amore paterno fovere tuerique debebant, Ju-
10 re Naturali, Gentium, & Civili conceſſam commerciorum libertatem eripere, & aliorum cum incommodo, detrimento, jacturâ injuriâ, commoda ſua comparare ſtudent, conniventibus ad hoc etiam Superioribus ſuis, quos leges Imperatorias obſervare, tuerique, non negligere, pro ſuâ cuique petulantiâ violantes permittere aut proſtituere oportebat, id ex ipſa malorũ humanorum omnium cauſâ & radice Avaritiâ procedere, & indecorum, violentum, injurium & iniquum exiſtit. Unde conſequitur, inde utpote ex initio maximè vitioſo, conſuetudinem ad tollendas è medio vel abolendas aut negligendas honeſtas, æquas, & utiles publicas Imperii Romani leges, idoneam produci non poſſe. Radix enim morboſa, non facit virentem ſtipitem, & originis vitium etiam ea, quæ inde enaſcuntur atque ſequuntur, inficit, *l.quod ſi nolit.§.qui mancipia ff. de ædilit. edict.& ibi gl.l.non dubium C.de legib. l.qui rem C. de locat. & conduct. cum ſimilibus.*

Confirmatur hæc ſententia. Quia ta-
11 lis nobilium Tabernaria & Cauponaria, ſubditorumque ac viciniorum preſſura, utpote ſordida, monopolica, tyrannica, naturæ, honeſto, juſto, & æquo, adeoque univerſæ illorum profeſſioni repugnans, etiam ſtatuendi mandandi, præcipiendi, aut perſuadendi, modo introduci atque ſuſtineri non poteſt. Quare idem ex eadem radice, parique cauſæ potentia cum Statuto procedens, conſuetudo ipſa quoque non efficiet, *l.ſi libertam C. de nupt.* ubi diſertè Imperator, cum ex una, *inquit,* radice vitium naſcitur, conſequens eſt, ut una lege tollatur. *Hucusque Fr.Pfeil, cujus verba tanquam emphatica huc apponere libuit.* Quin & Cerviſiam coquere, aliisque vendere, nobilibus interdictum eſſe, expreſſè quoque atque in ſpecie reſpondit Hieron. Schurff. *conſ.32.n.3.vol.1.* Treutler. *conſ.117.* qui etiam concludunt, Nobilitati ejusmodi negotia; ſi exinde lucrũ civile captetur, haud laudi, ſed opprobrio cedere; & vicinis urbibus inde detrimentum inferri, civibus alimenta detrahi, ac Commercia minui. M. Berlich. *in aureis deciſ. deciſ.31.* ubi diſquirit, an Nobiles jus cerviſiam coquendi à civibus vel ruſticis titulo emptionis, ceſſionis, vel alio modo acquirere poſſint?

Cerviſiariæ Chrematiſticæ inſignis eſt quæſtus, præſertim quando minutatim à de- 12
cubis & propolis, item amphoris & cadis venditur. Ex Cerviſia ſolvitur acciſa, vulgò Tranckſteuer (de qua egi *Tract. de Contribut. cap. 1. n. & dixi ſuprà num.3.*) Quæſtus eſt 13
ſartaginis vel aheni, Pfannengeld/Braugeld/ Siccatoriæ domûs ex confectione ptiſanæ, von Maltzmachen. Et hac compoſitione & confectione panici vel ptiſanæ ſunt, qui uno anno quadringentos vel quingentos ſolidos æruſcarunt. Quidni & Princeps, vel quivis Magiſtratus Politicus ejusce farinæ homines in partem onerum trahat? & publicum Canonem, Dargeld; uti & propter uſum aquæ certum cenſum ſolvi jubeat? Canon quoque eſt ex fune ductario cerviſiæ publicus, Seilgeld. Reliquiis frumentorum 14
ex decocta cerviſia porci & ſues ſaginantur. Ita amurca eſt fex olei; flaces ſunt purgamenta Olivarum; flores purgamenta vini & uvarum; furfur farinæ purgamentum.

Accipe heîc Lector benivole nuperum 15
calidum & callidum Ordinum Belgii inventum, qui, cùm auctionem veteris Vectigalis in ſingula cerviſiæ vaſa impoſiti cum conſenſu populi obtinere non poſſent, univerſim omnia vaſa & dolia ſive tonnas è domibus braxatoriis aliò transferri & antiquari, inque illarum locum alias novas menſuras, ſive tonnas, quarum ſingulæ juſto & ſolito minores erant, & quoad quantitatem menſuræ octo amphoris ſive cadis à prioribus diſtabant, clam & inſcio populo ſubrogari juſſerunt, atq; ita per indirectum & obliquum, quò directò intendebant, ſed pervenire non poterãt, laboranti Ærario ſubvenerunt. Domus quoque mactatoriæ mactandis pecoribus deputatæ, Schlachthäuſer / plerumque 16
ſurgunt ad aquam. Piſces enim (4) paſcuntur ſanguine, cruore & incrementis animalium. *Ex una domo mactatoria Norimber-* 17
genſes (5) quotannis ultra 15000. thalerorum percipere & Ærario inferre ajunt; Vide legem mactatoriam JOHANNIS Caſtellæ Regis à Mariana *lib.de ponderib. & menſur. cap.*
24 relatam; quæ vult, quòd ſi aliquis lanius 18
flatu carnes intenſiores & graviores fecerit, iis publicatis ſpoliari debeat.

Vectigal, quòd è Macello, extra urbem 19
Conſtantinopolim, ubi mactantur oves & majores pecudes, quæ deinde mactatæ & mundatæ in Civitatem munditiei gratiâ importantur, ſolvit XXII. Onera monetæ Serviunt hîc CC. Lanii, quos Turcæ *Capſapleros* vocant, quorum Præfectus & Magiſter, *Capſabaſſa* dictus, operam dant, ut *recentes* car-

carnes præſtò ſint ſemper : (6) neminique permiſſum eſt ſine ejus conſenſu bovem vel arietem mactare, niſi ſacrificii gratiâ. Quin & Judæi coguntur ab hoc ipſo emere licentiam, mactandi pecudes ſuo ritu. Quòd ſi Capſabaſſa iſte convictus fuerit, avaritiâ ſuâ majus carnibus conſtituiſſe pretium, quàm per leges licet, ſi furtum iſtud ad cognitionem Magni Turcæ pervenerit, nemo eum crudeliſſimæ morti ſuâ interceſſione ſubtrahere poteſt. Vivus enim in quatuor ſecatur partes, quæ in macelli aditu locis publicis ſuffiguntur, ut exemplo ſint cæteris. Hic tantæ ſeveritatis metus hoc genus in officio continet, facitque, ut publicum bonum privato emolumento præponant. Joan. Ludovic. Gotofredi *in Archontologia Coſmica fol. 636.* Bellè Ovvenus Anglus Poëta.

Ni mors mactaret juvenes, lanijque juvencos,
Omnia ſtultorum plena boumq́ forent.

ANNOTATIONES

Ad

CAPUT XI.

(1) *CErviſia &c.*] Cùm jam antea de hujus potionis nomine, materia, uſu, coquendi Jure & quatenus Nobilibus competat, aliáve huc pertinentia, cũ remiſſionibus, ad Politici Scelerati *caput 35.pag.401.ſeqq.* notaverimus, Lectorem Benevolum de eo manuiſſe contenti erimus, nec nos hoc capite ullo modo diffundemus multa addendo.

Num. 8.

(2) *Cauponæ exercitium &c.*] Vide ad Politici Scelerati *caput 32. pag. 352. & ad cap. 33. pag. 357.*

(3) *An quis ipſe vel alii &c.*] Adde *d. loc. pag. 353.*

Num. 16.

(4) *Surgunt ad aquam. Piſces enim &c.*] Crediderim & aliam ſubeſſe cauſam, eam nempe quò citiùs & eò commodiùs ſordes & quicquid eſt impuritatis in inteſtinis aliisq́; partibus mactatorum pecorum, minori cum fœtore elui queant. Prout etiam eodem ex principio hac in Urbe Norimbergenſi circa rivum *Fiſchbach* & non alibi lanionibus habitare conceſſum fuit. Quod nunc in deſuetudinem abiit. Cæterum & noſtrum macellum proximè Pegneſum exſurgere, vel primùm prætereunti pontem illum arcuatum artificioſè, fortaſſis ad pontis Rivialti formam, exſtructum, (die Fleiſchbrucken/quem æri *inciſum exhibet Zeillerus in Topograph. Franconiæ ad p. 43.*) & aſpicienti lapideum ſupra portam bovem, cum hac inſcriptione:

Omnia habent ortus, ſuaque incrementa; ſed ecce!
Quem cernis nunquam Bos fuit hic vitulus;

non poteſt non in oculos incurrere.

Num. 17.

(5) *Ex una domo mactatoria Norimbergenſes &c.*] Vide ſuprà *hoc libro 2. cap. 4. n. 3.* (7.)

Num. 19.

(6) *Recentes carnes præſtò ſint ſemper &c.*] Exornet hunc locum elegans narratiuncula quam nobis ſuppeditat M. Briot *en l' Hiſtoire de l' Empire Ottoman. Liv. 1. chap. 12.* Fuerat aliquando, ſive revera ob raritatem ſive negligentiam macellariorum, & eorum, qui Politiæ præerant, tanta carnium inopia Conſtantinopoli oborta, ut ſeriùs manè in macellum venientes nullas ampliùs iuvenirent, & die illo eſu carnium carere debebant. Accidit autem, ut quidam *Dervis*, ſive coquus cujusdam domicilii Genizerorum adeò infelix eſſet, ut in numero pigrorum exiſteret, & nihil inveniret, de quo prandium Dominis ſuis pararet. Cùm verò ipſi ſatis ſuperque cognitum eſſet, quàm ſeverè Præfectus eorum negligentiam ſuam excepturus foret, deplorare occepit infortunium ſuum, altaque voce per plateas accuſare præcipuos miniſtros, quòd hujusmodi talibus defectibus remedio adeſſe, mentem haud illi inducant. Dum verò vehementer in gubernationem ſic declamaret, ecce ſuperveniebat bono omine illuc Sultanus perſonam ſuam occultans; & videns hominem in tantum extra ſe poſitum, ipſi appropinquans humaniter ipſum interrogabat, quæ hujus ſui angoris cauſa eſſet. Cui ſuſpirio ducto miſer ille *Dervis* reſpondebat: *Tam inutiliter hoc ipſum ex hoc quæris, quàm ego inutiliter tibi exponerem rem, quam nemo niſi Sultanus corrigere, neminiq́ tanta poteſtas præter eum eſt, ut abuſum illum qui me tantopere inquietat, tollere queat.* Inſtitit verò Sultanus ex ipſo humaniter ſciſcitari; ad quod narrabat; *quomodo nullas invenerit in macellario carnes, quodq́ manè hoc neglexerit coëmere cibos ordinarios in victum Genizerorum domicilii, & quòd plagis contundendus foret, quòd momento tardiùs mercatum iverit. Quibus porrò adjunxit negligere Magnum Vizirium & præcipuos adminiſtros bonum publicum, in eo verò totos eſſe, ut ſe divites reddant, ſuas inprimis res curãdo; ſubjungens: Si ipſe in eorũ loco eſſet, quòd non ſolùm carnium abundantiâ villa gaviſura foret, ſed & futurum, ut ſingulis diei horis in macellariis carnes cæteraq́ venalia præſto eſſent. Demum quærebat ex ipſo, quænam in ipſum ex eo redundaret utilitas, quòd hiſtoriam hanc audiverit, & an crederet ſe minùs plagis obnoxium, quod eam narraverit?* Sultanus in Serralium rediens in animum dimiſit, quæ Genizerorum coquus ipſi dixerat; & eſto, quod vel explorare hominis vires voluerit, vel pro more Principum, homines nihili ad ſumma faſtigia dignitatis evehendo, volupe ipſi fuerit oſtentare potentiam ſuam, miſit, qui accerſerent ad ipſum hominem. Statim atq; illuc veniſſet miſer ille Dervis nunc demum deprehendens, illum, cum quo tam familiariter locutus fuerat Magnum Sultanum fuiſſe, vix ſe tremebundus metu commiſit, nihilque magis animo concipiebat quàm quòd ea, quæ de Vizirio & regimine dixerat, extrema ipſi minarentur mortemque. Sed res planè aliter evenit; Sultanus enim ipſum exhortatus, *ut bono animo eſſet*, dixit, *quod animum induxerit conferendi in eum officium Magni Vizirii, quò probaret, an par eſſet abuſus tollere illos in quos invectus*

vectus

vectus fuerat. Tandem ut pro more per gradus illuc aſcenderet, è veſtigio ipſum creavit primarium Cameræ ſuæ Nobilem, poſtridie Capitaneum, die ſequenti Agam, ſive Genizerorum Generalem; poſtera die Magnum Vizirium. Huic magno dignationis officio admotus, & ea, quæ promiſerat circa curam macelli & alios urbis mercatus, adimplevit: ſed & tandem excellentem Status Miniſtrum ſe præſtitit. Ita excitantur quidam magnitudine rerum ad meliora hebeſcunt alii, inquit Tacitus *3. Ann. 69. n. 1.* Adde, ſi placet, Notas noſtras ad Sceleratum Politicum *p. 171.*

CAPUT XII.

De Balneis Publicis & Aquæductibus.

SUMMARIA.

1. Balnea *publica commodo Reipubl. elocanda, ſunt abſtergendis laboribus idonea: emolliunt & effæminant eos, qui crebriùs utuntur,* num. 2.

3. Germani *ad munditiem balnea frequentiùs viſitant; Belgæ rariùs.*

4. *Uti* Venus *moderata,* Bacchus Ceresque *non profuſa proſunt; ita hæ lymphæ calidæ: ubi & de Turcarum balneis ac lotionibus.*

5. *Si viris cum fœminis fiant* balneationes *promiſcuæ, incipient inhoneſtiora fieri Chriſtianisq; indigna: uxoribus ſub pœna repudii periculoſa,* num. 6.

7. Priſca Romanorum verecundia *laudata, quæ paſſa non fuit, ut puberes filii cum parentibus lavarent.*

8. Senecæ *invectiva in luxum balneorum.*

9. Miniſter balnei *aſinus dicitur balneatoris: neuter inter cives alicubi.*

10. Aquæductuum *cura Ærario proficua.*

Publica terrigenis cùm balnea pluribus uſui
Sint, Fiſco cedat portio certa lucri.

Balnea quoque publica, (quæ extollit Lucianus *in Hippia*, & *quorum D. CCC. LVI. Romæ exſtitiſſe,* (1) Publ. Victor ſcribit, referente Guidone Pancirolo *lib. 1. rerum memorabilium, titul. de Thermis aut Balneis*) offene gemeine Badſtuben / Magiſtratus cer-
1 tâ penſione locare, indeque haud leve commodum percipere, & Ærario addicere poteſt. Balnea enim quædam laborum eſſe remedia, Suidas ait; quamvis non neget eadē eſſe certiſſimam ad delicias viam, & fre-
2 quenter his utentes effœminare. Tertullianus caloris & ſanguinis ſervandi causâ, lavacra inſtituta aſſerit. *Sic enim in Apologetico;* Non lavor, *inquit,* diluculo Saturnalibus, ne & noctem & diem perdam. Attamen lavor honeſtâ horâ & ſalubri, quæ mihi & calorem & ſanguinem ſervet. Plures verò il-
3 lorum cauſas Clemens Alexandrinus recenſet: Corporis munditiem, tepefactionem, ſanitatem, & voluptatem, & ad munditiem corporis, ad valetudinem conſervandam, Balnea apud Germanos maximè frequentari videmus. *Licet Belgæ iisdem vix utantur,* (2) quaſi ſanitati noxiis. Sed hîc recipiendus mos regionis, & populi ratio.

Balnea, Vina, Venus conſervant corpora noſtra:
Corrumpunt eadem, Balnea, Vina, Venus.

4 *Lege Muhammedanâ cautum eſt*, (3) ne quis, ſive in ſomno ſive alia ratione pollutus fuerit, vel librum attingat, vel templum ſubeat, niſi toto corpore priùs ablutus. Quâ de causâ nihil Muhammedææ legis cultoribus magis curæ eſt, quàm ut luſtrali aquâ bis terve in die ſeſe abluant. *&c. & p. p.* Hinc tot ubique per urbes atque oppida videre eſt balnea publica, quæ dies noctesque cùm viris *tum fœminis patent.* (4) Sunt autem balnea hæc pleraque lapidea, nonnulla etiam marmorea, vel intus forisque marmore obducta; ampla quidem, atque in plurima diſtincta concamerata cubicula, eleganti ſanè opere, ac magnificentiâ inter ampliſſima Turcarum ædificia publica privataque plurimum eminentia; Johan. Cotovic. Ultrajectinus *in Itinerario Hieroſolymitano & Syriaco cap. 4.*

Non tamen promiſcuè viri cum Mulieribus balnea frequentare debent. Videatur Guarinon. *lib. 5. cap. 13. & 26.* Vom Greuel der Stadt offenen Badſtuben / ubi in- 5
commoda balneorum publicorum & offendicula refert. Sed & Lex infamiâ notari jubet eos, qui Mulieres in Balneis ad veſtimenta cuſtodienda habuerint conductas, *l. athletas 4.* (5) §. *ait prætor. 2. de his, qui not. infam.* Quantò graviùs igitur mulctabuntur, qui communia cum Mulieribus lavacra habuerint? quod in Chriſtiano populo nequaquam ferendum, cùm, ut Canon ait, etiam apud Gentiles prima hæc ſit reprehenſio, *cap. non oportet 38. diſt. 81.* (6) & Turcæ promiſcui ſexûs lavacra ita averſentur, ut *capitale ſit* (7) viro intereſſe, vel conſpici in loco, ubi fœminæ lavant. Quinimò non placuerunt Hieronymo lavacra in adulta virgine, quòd etiam ſola ſeipſam inſpiciendo debeat erubeſcere: Unde ſi uxores ita luxurioſæ ſint, ut etiam *cum viris voluptatis occaſione laventur,* (8) licentia eſt viris, mittere eis repudia & lucrari dotes, atque antenuptiales donationes, *Nov. 22. cap. ſi verò etiam 16. de Nupt. & Novella 117. Ut liceat mat. & aviæ. cap. quia verò plurimas 8. §. 4.*

Sicuti & Maritus cum alienis lavans uxoribus donatione propter nuptias privatur, *l. jubemus 11. §. inter culpas 2. C. de repud.* Nam ut graviſſima eſt Gygis apud *Herodotum* (9) ſententia; *Mulier exutâ tunicâ ipſum ſimul pudorem exuit.* Nullâ igitur non turpitudinis labe laborare videtur Tiberius Cæſar, qui Seſtio Gallo, libidinoſo ac prodigo ſeni, olim ab Auguſto ignominiâ

notata

notato, & à ſe ante paucos dies apud Senatum increpito, cœnam eâ lege condixit, ne quid ex conſuetudine immutaret aut demeret: utque nudis puellis miniſtrantibus cœnaretur. Sueton. *in Tiberio cap.42.* Quod in Gallia frequens. Et teſtatur Q. Curtius *lib. 5. de reb. geſt. Alex. Magni, cap.1.* hunc præminiſtrandi morem etiam Babylonicis mulierculis in uſu fuiſſe; Harum, *inquit*, licèt in conviviis principio modeſtus ſit habitus, tamen deinde ſumma quæque amicula exuunt, paulatimque pudorem profanant. Ad ultimum, (honos auribus ſit) *ait*, ima corporum velamenta projiciunt. Nec meretricum hoc dedecus eſt; ſed matronarum virorumque, apud quos Comitas habetur vulgati corporis vilitas. *Hæc ille.* Itali autem illam promiſcuè lavandi conſuetudinem in thermis Badenſibus apud Helvetios ſervatam ita deteſtantur, ut Poggius Florentinus, qui licentiam eâ deſcribebat Leonardo Aretino, epiſtolæ titulum hiſce verbis conceperat: *Poggius de Schola Epicureæ factionis, quæ regnat in Teutonia Dominorum de Baden.* Et inter alias Floralium iſtorum ludorum feſtivitates recitat ille: *nulla in Orbe terrarum balnea ad fœcunditatem mulierum magis accommodata eſſe: innumerabilem multitudinem Nobilium & ignobilium, ducenta millia paſſuum eò venire; non tàm valetudinis, quàm voluptatis causâ: omnes amatores, omnes procos, quibus in deliciis vita eſt poſita, eò concurrere, ut fruantur rebus concupitis: multas fœminas corporum ſimulare ægritudines, cùm animo laborent: omnibus unam mentem eſſe, triſtitiam fugare, quærere hilaritatem; non de communi dividundo agere, ſed de communicando diviſa.* Tolerabile tamen eſſet, ſi in thermas Badenſes tantùm illa libidinum ſeſe exoneraret tempeſtas; ſed longè latèque (proh dolor!) inundat Germaniam omnem: Quid mirum? cùm & olim in Italia, Baias (10) *vidiſſe*, à ſeverioribus diceretur ſpecie adagii, pro ſigno libidinum; cùm ille locus eſſet *vitiorum diverſorium*; in cujus aquis

—— — *quicunque natavit, amavit.*

Et propterea Martialis *lib.1. Epigram.63.* falsè luſit in Lævinam caſtam mulierem, quæ dum Baias veniſſet, incidit in flammas amatorias, & relicto conjuge abiit Helene, quæ venerat Penelope. *Balneatores Imperat. Wenceslaus* (11) Anno MCCCCVI. ſingulari gratiâ proſequutus eſt, concedendo ipſis privilegium, de quo Goldaſt. *tom.2.* der Reichsſatzung / *pag. 82.* Chriſtophorus Leheman. *in Chronico Spirenſi lib.7. cap. 61.* ſcribit, Wenceslaum tale privilegium conceſſiſſe in gratiam ancillæ, quæ, famulitii operam in balneo elocans, eum *captivum è cuſtodum poteſtate ſcaphâ abduxerat*, (12) laribusq; patriis redditũ cupido concubitu exhilaraverat.

De balneis Centum, multo artificio atque ſtructurâ elegantiſſimis (quorum nonnulla centum, alia centum & quinquaginta aureos, atque ita maximam quotannis pecuniæ vim exſolvunt) refert Joan. Leo African. *in deſcrip. Africæ lib. 2. fol. 290. & 291.* quòd fœminæ ſuum habeant vaporarium à viris ſecretum: Quædam tamen & viris ſimul & mulieribus ſervire, diverſis tamen temporibus, viris nempè à tertia usque in decimam quartam diei horam, reliquum temporis mulieribus patere; Interea dum ſe fœminæ abluunt, funem in primum ingreſſum extendi, qui virum tum temporis non ulteriùs introeundum eſſe indicat; neque viris his cum vel colloquium miſcere non dari. *Et paſſim in Turcia* (13) ad balneorum oſtia, ubi fœminæ adſunt, linteum ſuſpenditur, ſignum viris, adeſſe mulieres, ne ſe temerè aut ignoranter ad eas ingerant, ſeparatasque à viris fœminæ lotiones habent. Quinimò in urbe Orientali *Tripolo* nefas, atque omninò illicitum & pœnâ mortis cautum eſt, ne ulla fœmina viro ſociata ad balnea admittatur, ſed aut viri matutinis horis, fœminæ verò pomeridianis accedant, aut diverſa balnea adeant; atque ita nihil ibi indecorum, nihil turpe aut libidinoſum ullo pacto committitur: Tanta illis eſt honeſtatis ratio; quam quî Chriſtiani abnuant!

Sanè priſca Romanorum verecundia
paſſa non fuit, *ut puberes filii cum parentibus* 7
lavarent. (14) Quibus adde, quæ de Verecundiæ in balneis etiam ab Ethnicis ratione habitâ eleganter ſcripſit Philip. Camerarius *lib.1. oper. ſubceſivar. cap.31.* Veteres Romani *frequenter uſi ſunt balneis*, (15) eò quòd absque tibialibus incederent; Ac quia *viæ admodùm pulverulentæ erant*, (16) crebrâ lotione indigebant Pancirol. *d. loc.* Statim *à balneo cœnitarunt*, (17) & *calidæ aquæ potione* (18) uſi ſunt; ita ut in Cõviviis aquæ calidæ atq; frigidæ miniſter haberetur, teſte Juvenali *Satyr.7.*

Quãdo vocatus adeſt calidæ gelidæq; miniſter.

Et Martiali;

Jam defeciſſet portantes Calda miniſtros,
Si non potares, Cæciliane, merum.

In balneorum verò, etiam privatorum 8
luxum graviter invehitur *Seneca Epiſt. 86.* (19) Quis eſt, *inquit*, qui ſic (ut Scipio, ille Carthaginis horror) lavari ſuſtineat? pauper ſibi videtur ac ſordidus, niſi parietes magnis & pretioſis orbibus refulſerunt; niſi Alexandrina marmora Numidicis cruſtis diſtincta ſunt; niſi illis undique operoſa, & in picturæ modum variata circumlitio prætexitur; niſi vitro abſconditur Camera; niſi Thaſius lapis, quondam rarum in aliquo ſpectaculum templo, piſcinas noſtras circumdedit; in quas multâ ſudatione corpora exinanita demittimus; niſi aquam argentea epiſtomia fuderunt. Et adhuc plebeias fiſtulas loquor: quid cùm ad balnea libertinorum pervenero? quantum ſtatuarum, quantum columnarum eſt nihil ſuſtinentium, ſed in ornamentũ poſitarum, impenſæ causâ? quantum aquarum per gradus

cum fragore labentium? Eò deliciarum pervenimus, ut, niſi gemmas calcare nolimus &c. *& p.p. At olim* (20) & pauca erant balnea, nec ullo cultu exornata. Cur enim ornaretur res quadrantaria, & in uſum, non in oblectamentum reperta?

9 Belgæ balneatoris filium in ordinem civium admittere dedignantur, quia quemlibet balneatorum ſervilis conditionis & vilem eſſe præſupponunt, & *miniſtrator balneatoris, aſinus* (21) balneatoris appellatur ab Eraſmo *in adag.* Eſt *fornicator*, (22) *l. continetur 14. ff. de inſtr. & inſtrum. legat.* vel fornacator, ut legit Turneb. *8. adverſ.* fornacarius, *l. 27. §. 9. ff. ad L. Aquil.* furnarius, *l. 24. §. 7. ff. de damn. infect.*

10 *Cura quoque aquæductuum*, (23) *Caſtellorum* (24) craterum ſeu labrorum (Röhr-Kaſten) inter Magiſtratuum officia poſtremo loco non eſt habenda, ſed ex iis compendium Ærario inferendum. Agrippa non ſine maximis ſumptibus perfecit, ut præ aquarum ubertate omnem per urbem, & ipſas per cloacas amnes inundare viderentur, & nulla propemodum eſſet domus, quæ ſubterraneos meatus, ſiphones & fiſtulas venoſas non haberet; Strabo *lib. 5.* Plin. *l. 36. cap. 15.* Dio *in Auguſto.* Hinc Auguſtus, qui, cùm vinum populus flagitaret, ſatis, reſpondit à genero meo Agrippa proviſum; ne homines ſitirēt. Suet. Jul. Cæſar opus inchoavit, quod peractum à Claudio ferè omnis terrarum orbis miracula ſuperabat; quippe aquæductus, à quadrageſimo urbis lapide, tantæ altitudinis extruxerunt, ut in omnes urbis montes levarentur, & ut aquæ abundarent in publico, in piſcinis, in balneis, domibus, Euripis, hortis ſuburbanis & villis, quod ſine arcubus & montibus perfoſſis, & vallibus æquatis fieri non potuit. Plin. *lib. 36. c. 15.* Dionyſ. *in Auguſto. Roſin. lib. 1. Antiq. Rom. c. 14.*

In Toleto Hiſpaniæ aquæductum, nobile *Janelli Turiani* Cremonenſis opus, videas, qui hydraulica machina magna verſatili rotâ aquas ex Tago, ingenti impetu per tubos ductiles in editiſſimam urbis partem pertraxit, unde in multos rivulos inſigni civium commodo diſtribuuntur, ubi lanificio ſericoque vitam quærunt hominum millia ferè decem. Paul. Merula *in Coſmograph. part. 2. lib. 2. cap. 20.* Talem quoque aquæductum magnum architecturæ ornamentum Segoviæ reperiri, refert Idem Merula *d. lib. 2. cap. 19.*

Extra Feſſæ urbis mœnia exſtructa ſunt rotæ aliquot admirandæ magnitudinis, quæ aquam è flumine ſupra mœnia Civitatis in quoſdam canales mittunt, unde per certos canaliculos in tēpla, hortos, palatia, aqua effunditur. Hujus aquæductus artificioſiſſimi authorem fuiſſe dicunt quendam Genueſem Regi maximè familiarem: rotarum verò inventorem dicunt Hiſpanum: eſtque in rotis illis tantum artificii, ut incredibile ferè videatur: Nam in tanto aquarum impetu quater tantùm & vigeſies die ac nocte quælibet volvitur rota. Joan. Leo African. *in deſcriptione Africæ fol. 364. & 365.*

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT XII.

(1) *QUorum DCCCLVI. Romæ extitiſſe &c.]* Quid mirū? Cùm ſolus Agrippa in Ædilitatis ſuæ commemoratione perhibeat gratuita præbita balnea centum ſeptuaginta, quæ nunc Romani ad infinitum auxêre numerum, Plinius *lib. 36. Natur. Hiſt. cap. 14.* Fuerunt verò Balnea in duplici differentia: *Publica*, alia quæ *Balineas* vocabant: Alia *Privatorum, balineum* vel *lavatrinam* dicebant. Uti patet ex Varrone *de ling. lat. l. 8. §. 42. pag. m. 85.* adde Fulvium Urſinum *in append. ad Ciacconii Tractatum de Triclinio pag. 128. ſeq.* Georgium Fabricium *in deſcript. Romæ pag. 29.* P. Merulam *Coſmogr. partic. part. 2. l. 4. c. 22. p 433.*

Num. 3.

(2) *Licèt Belgæ iis vix utantur &c.]* Inde Grœnewegen *de LL abrogat. per Holl. ad tit. ff. de Fur. balnear.* ſcribit: Hic titulus nobis inutilis eſt, quia apud nos nulla ſunt balnea. Lipſius tamen *de Magnitudine Rom. lib. 3. cap. 8.* Neſcio, an rectè (*deſiimus morem lavandi in balneis*) totum, *inquit*, credam valetudini & vitæ profuturum, ſi in parte ſervaſſemus & cum modo. Nec hoc prætereundum, cucurbitarum ſubſidio è cute ſcarificata ſanguinem elicere ſolere fœminas, quæ vulgò *Kopſters* audiunt.

Num. 4.

(3) *Lege Muhammedanâ cautum eſt &c.]* Vide Al-Coranum *lib. 11. c. 8. & c. 11.* Wallich von der Türckiſchen Religion *p. 25.* Briot *en l'Hiſtoire de l'Empire Ottoman. liv. 2. chap. 23.* jam ſuprà à nobis nominatos, *ad lib. 1. cap. 5.*

(4) *Dum fœminis patent &c.]* Ne verò hîc indecora, (*addit Cotovic. d. loc. pag. m. 127.*) libidinoſa, aut turpia fiant, viri cum fœminis promiſcuas lotiones haudquaquam peragunt, ſed quâ horâ fœminas intromiſſas norunt, ad eas accedere viros nefas eſſe ducunt. Hæc Cotovicus, qui *citato à Klockio capite 4.* tria lotionum genera pulchrè explicat: quod & Dn. Briot facit *d. loco.*

Num. 5.

(5) *Lex athletas 4. &c.]* Non equidem eo nomine Balneator infamiam incurrit, quòd ad veſtimenta cuſtodienda habuerit conductas mulieres; ſive, ut textus loquitur, mancipia; ſed dum demum, ſi occaſione miniſterii è corpore illorū quæſtum faciat, quo caſu lenocinium talis committit, & conſequenter meritò infamiâ notatur. Quod ex ipſo textu clareſcit.

(6) *Cap. non oportet 28. diſt. 81. &c.]* Non oportet miniſtros Altaris, *inquit ex Concilio Laodicenſi cap. 39. Pontifex*, vel etiam clericos quoslibet, aut continentes ſe, aut omnem omninò Chriſtianum, cum mulieribus lavacra habere communia. Hæc eſt enim apud Gentiles prima reprehenſio.

ſio. Confer *Balduini Caſus Conſcientiæ, lib. 4. cap. 1. caſu. 3.*

(7) *Capitale ſit &c.]* Nefas dicit Cotovicus *d. loco ſuprà ad n. 3. (4)*

(8) *Cum viris voluptatis occaſione laventur &c.* Mixta tamen olim apud Romanos balnea fuiſſe, in quibus lavebantur viri & mulieres, præter ea, quibus viri tantùm utebantur, autumat Fulvius Urſinus *in append. ad Ciacconium de tricl. pag. 154. ſeq.* Adrianus autem Imperator, ut eſt apud Spartianum *in vita ejus cap 18.* Lavacra pro Sexibus ſeparavit. Et quum iterum Heliogabalus ea permiſiſſet, Alexander tamen Severus, teſte Lampridio *in ejus vita cap. 24.* balnea mixta Romæ exhiberi iterum prohibuit. Quarum veſtigiis inſiſtens Juſtinianus *in textu hoc loco à Klockio laudatas* leges, ad refrænandam laſciviam utriusque ſexûs promulgavit.

(9) *Apud Herodotum &c.]* *Lib. 1. cap 8.* ex Interpretatione Vallæ verba ſic ſonant: *Mulier, exutâ tunicâ, & verecundiam pariter exuit.*

(10) *Bajas &c.]* Has ſic alloquitur Martialis, *lib. 11. Epigram. 81.*

Litus beatæ Veneris aureum, Bajas,
Bajas, *ſuperbæ blanda dona naturæ,*
Ut mille laudem, Flacce, verſibus, Bajas:
Laudabo dignè non ſatis tamen Bajas.

Et Horatius *lib. 1. Epiſtol. 1.*

Nullus in Orbe Sinus Bajis *prælucet amœnis.*

Qualis hodiè hujus loci facies ſit, vide apud Zeilerum *in Jtiner. Ital. cap. 7. pag. 171.*

(11) *Balneatores Imp. Wenceslaus &c.]* Vi enim privilegii illius *de quo in textu* Imperator Wenceslaus opificium Balneatorum omnibus aliis opificiis exæquabat; honorificum & mundum pronuntiabat; judæis, gentilibus, aliisque infamibus balneis interdicebat; injurias ab illis eorumque officio arcebat, indictâ temeratoribus capitali pœnâ ut & amiſſione bonorum balneatorum ſenioribus applicandorum; concedendo balneatoribus pro inſignibus, quæ omnes gerant, in campo aureo, cæruleum per nodos contractum redimiculum, cujus locum medium viridis teneat Pſittacus. (Vid. Höpping. *de J. Inſign. cap. 6. parte 8. n. 1329.*)

(12) *Captivum è cuſtodum poteſtate abduxerat &c.]* Cùm enim Wenceslaus recenti adhuc duorum procerum civiumque cæde madens à Pragenſibus caperetur, publicoque in carcere quatuor menſibus maceraretur, exorabat ille Senatum, ut illuviem & ſordes balnei lavacro liceret eluere. Inde dum ſecedit, refrigerandi ſui causâ, conſpicatur lembum piſcatorium ad Moldaviam: in quem nudus cum nuda balneatrice deſilit, novamque in arcem à ſe nuper ſtructam evadit. Exinde Balneatricis illius Suſannæ (*id balneatrici nomen*) concupito concubitu perfruens eam tanquam chariſſimam concubinam gratiâ atque authoritate plurimùm valentem habuit, adeò ut etiam in Bibliis Vindobonæ in auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea aſſervatis, auſpiciis Imperatoris Wenceslai elegantiſſimè magnificèque adornatis in figuris marginalibus ſæpè ſæpiúsve Balneatricis (*dubio procul Suſannæ*) conſpiciatur figura, cujus rei exempla Eruditorum Anteſignanus Dn. Lambecius *in lib. 2. de Bibliotheca Cæſarea ad pag. 752.* nobis monſtrat. Hiſtoriam verò ipſam captivitatis & liberationis Suſannæ recenſent ex Scriptoribus Bohemicarum rerum Dubravius *Hiſt. Bohem. lib. 23. pag. m. 190. ſeqq.* ubi etiam narrat Regem exſtructo ſub arce Vicegradenſi in ripa Moldaviæ balneô (nam ſæpiſſimè balneis utebatur) machinoſo, in quo tabulæ pavimenti certâ ſui parte ita leviter coagmentatæ fuerunt, ut vel uno pede proculcatæ facilè laxarentur, perq; eam rimâ ruinamque, præcipites in flumē dediſſe, quos ex invitatis ad lavacra inviſos perdere cuperet. &c. Et Hagecius im andern Theil der Böhmiſchen Chronica *ad Annum 1393. pag. 53. b. ſeqq.* addens *ibid pag. 41.* Anno MCCCCVI. Eundem Imperatorem balneum, occaſione cujus evaſerat captivitate Pragenſi, deſtruxiſſe, aliúdve magnificum balneum in ejus locum ædificatum Suſannæ ſuæ donaſſe, cum reditu annuo viginti *Schock* Groſſulorum (*faciunt noſtræ monetæ annuos florenos juxta Heniſchium de aſſe pag. 2. 3. triginta quinque*) ex pagno Borownicze, tuncque ſic eam in præſentia omnium allocutum fuiſſe: Liebe Suſanna / dieſes wollen wir dir / von wegen deiner Treue / ſo du uns in unſerer Widerwärtigkeit erzeigt / und aus dem Gefängniß erlediget / verehret haben: alſo wollen wir uns auch gegen männiglichen / ſo uns treulich dienen / verhalten

(13) *Et paſſim in Turcia &c.]* Cotovicus *in Jtiner. Hieroſolymitano & Syriaco, cap. 4 in deſcript. Arabiæ Amſtelodami Anno. 1635. impreſſo pag 129.* Dn. Fürer *in Jtinerar. Ægypti &c. pag. 13. & in Edit. Germ pag 16. ſeq.*

Num. 7.

(14) *Puberes filii cum parentibus lavarent &c.]* Imò nec ſocer cum genero. Manifeſtum igitur eſt, *ſic cenſente Valerio Maximo lib. 2. cap 1. n. 7.* tantum Religionis ſanguini & affinitati, quantum ipſis Dis immortalibus tributum: quia inter iſta tam Sancta vincula non magis, quàm in aliquo ſacrato loco, nudare ſe nefas eſſe credebatur.

(15) *Frequenter uſi ſunt balneis &c.]* Collecta exempla habet Fulv. Urſinus *ad Ciacconium de Triclinio in Append. pag. 125.* ubi videri poterunt.

(16) *Viæ admodùm pulverulentæ erant &c.]* Ajunt, qui priſcos mores Urbis tradiderunt, brachia & crura quotidiè abluebant, quæ ſcilicet ſordes opere collegerant: cæterùm toti nundinis lavabantur. Seneca Epiſt. 86.

(17) *A balneo cœnitarunt &c.]* Probat id Fulv. Urſinus *d. loco pag. 131.*

(18) *Calidæ aquæ potionis &c.]* Idem Urſinus *à pag. 332. ſeqq. inprimis pag. 335.* & Lipſius *de Magnit. Rom. lib. 3. cap. 8.* ubi refert, Artemidori tempore Balneum nihil aliud fuiſſe, quàm tranſitum ad cœnam.

(19) *Seneca Epiſt. 86. &c.]* Ad hunc locum commentantem Lipſium omninò evolve.

(20) *At olim &c.]* Scilicet antiquiſſimis temporibus; in quantum enim numerus balneorum in ſequentibus temporibus creverit, ex pr. hujus Capitis (*1.*) apparet.

Num. 9.

(21) *Miniſter balneatoris aſinus &c.]* Aſinum balneatoris dictum fuiſſe in eos, qui ex ſuis laboribus nihil fructus caperent ipſi, ex Plutarchi *libello de cupiditate divitiarum* probat citatus Eraſmus *Chil. 4. cent. 4. adag 50.* Cùm ut aſinus balneatoris, qui ligna & ſarmenta defert, ſemper fumo ac favillis oppletus, nunquam autem particeps balnei neque temporis, neque mundiciei; ſic dives ſordidè parcus, onuſtus quidem divitiis ſit, iis tamen haud utatur,

 (22) *For-*

(22) *Fornicator &c.*] Gothofredus *ad d loc.* explicat hanc vocem, ut ſignificet eum, qui fornacem balnei caminumque ſuccendit, ſic ut non tantùm balneatoris ſervum Fornicator ſive Fornicarius denotet. Quod ipſa quoque *l.27.§.9.ff. ad L.Aquil.& l.24.§.7.ff.de damno infect.* indicat. *Num. 10.*

(23) *Cura quoque aquaductuum &c.*] De aquæductibus Romanorum cùm plerique antiquarii & inter illos Roſinus *Antiq Rom.lib.1. cap. 14.* Fabricius *in Roma cap.18.pag.197.ſeqq.* & Eruditorum fulgentiſſimum ſidus, Juſtus Lipſius *de Magnit. Romana lib.3.cap.11.* multa ſcripſerint exacteque commentati fuerint, Lectorem eò ablegamus.

(24) *Caſtellorum &c.*] Caſtellum erat locus, qui aquam publicam recipiebat, & in varia alia loca transmittebat, *Roſinus d. loco.* Quo nomine non ineptè admiranda illa Auguſtanorum, & Ulmenſium aquatica opera, illorum locum vulgò den Waſſerthurn / horum Waſſer Stuben/ indigitari latinè poſſe non ambigo. De ambobus verò vide Zeillerum *in Topographia Sueviæ.*

(25) *Vinum populus flagitaret &c.*] Conquerenti Populo de inopia & caritate vini hæc in textu verba oppoſuit Auguſtus, apud Suetoniũ *cap.42.*

CAPUT XIII.

De Thermis, Acidulis Fontibus, Aquis ac Liquoribus mineralibus.

SUMMARIA.

1. Acidulæ & Thermæ *non tàm voluptati & deliciis, quàm ſanitati faciunt: imò magnificentiæ & commodis Principum.*

2. Harum energia & vis *poteſt ſæpè compenſare, quod nulla herbarum genera valuerunt.*

3. *Hunc* aquarum pretioſum theſaurum *divinitus natum charum habeant Domini locorum, & non ſine ſolerti cura conditum.*

4. Aquarum calidarum *repertor, uti mularum, habetur ANA veteris Teſtamenti.*

5. *Varia* Thermarum *loca, & earum hypocauſta varia, afferunt locis, ubi natæ, nobilem celebritatem,* n.6.

7. *Habet Ungaria plurimas, ſalutaresq; aquas, quarum nonnullas ne Turcæ quidem, cùm poſſent, devaſtarunt.*

8. *Ineptiunt tamen* Turcæ, *qui ſua ſcelera balneis putant eluenda: Etiam veteriores gentiles aquâ abluenda putabant,* num.9.& 10.

11. *Probandæ* aquæ minerales; *quibus corporeis morbis proſint,* num.12.

13. *Occaſione* acidularum Thermarumque *multa oppida coivêre.*

14. Thermæ Antonini *in latere Aventini celebres & ſplendidæ: Eædem fortè ſunt* Thermæ SS.Nerei & Achillei, num.15.

16. Aquæ *quædam potæ efficiunt gutturoſos; aliæ ſtolidos.*

17. Aquas *naturales & ſupernaturales dare ſolius DEI eſt.*

18. Miracula aquarum *in Veteri & Novo Teſtamento conſignantur, hoc &* numero.19.

20. Hornhuſianæ aquæ *miraculoſis adnumerandæ.*

21. Fontes *miraculoſi in Creta, & prope Carthaginem,* num.22.

23. Aquæ *nonnullæ profluentes lapideſcunt.*

24. Fontes *quidam homines vini more temulentos; alii hebetes,* num. 25. *alii ſubtiliores reddunt,* num.26.

27. Fontes duo *in Bæotia, quorum alter oblivionem inducit, alter memoriam illuſtrat.*

28. *Tempore nuptiarum Canæ in Galilæa celebratarum* vinum *è diverſis fontium ſcatebris profluxit.*

Thermæ calentes & ſalutares, aquæ
Liquor mineralis ſcatens è montibus
Altis, lucrari quid Dynaſtis apta ſunt.

INſuper Magiſtratus licitè & honeſtè aucupari compendium poteſt ex liquoribus & aquis mineralibus, puta Acidulis, Thermis, vulgò Sauerbrunnen und warme Båder; quæ non ſolùm ſanitati conducunt, ſed etiam ſtatum Principis magnificum, & locupletem reddunt; ad quas ex longinquis locis theſauri illius pretioſiſſimi, valetudinis, quæ vitæ mortiſque ſequeſtra eſt, recu- 1
perandæ causâ, aliis medelis nihil proficuis, maximo cum ſumptu exteri convolant.

Hæ creſcente Principum luxuriâ, magno ſumptu ac ſplendore apud Romanos ædificabantur, ita ut *lavacra ſæpe inſtar Urbium* (1) viderentur: nec mirum fuerit, ipſos etiam Principes ad frequentem thermarum uſum, deliciis ipſarum fuiſſe allectos: Quemadmodum Sypontinus ad Martialem recenſet, & cùm apud Suetonium, tum alios paſſim, præſertim verò Alexandrum ab Alexandro videre eſt *lib.4.genial.dier.c.20.* Ad ædificationem *Diocletianarum Thermarum,* (2) quæ ſtupendæ altitudinis fuerunt, Diocletianum centum & quadraginta millia hominum multis annis conducta habuiſſe, ſcribit Andr. Palladius *de Antiquitatib. Urbis Romæ.*

Harum virtus plantis medicinalibus ad multos graviſſimos & inveteratos morbos profligandos correſpondet, imò ſæpe prævalet, ut quod per herbas curatu impoſſibile, tandem vi penetrativâ mineralium a- 2
quarum ſanitati proficiat. Si natura loci ejusmodi aquas ſuggerat, ut donum Dei diligenter inveſtigandæ, probandæ, ſtructuris idoneis adornandæ & concludendæ ſunt,
ad uſum lavandi & potandi. Vide *Genes.c.* 3
36.v.24. ubi ANA invenit aquas calidas, itemque mulas; non (uti nonnullorum opinatio eſt) fortuitò, ſed per induſtriam, ut dixi 4
cap.4.n.13.

Sed ad Thermas & Acidula è diverticulo revertamur; Haſce ſingulari Dei gra- 5
tiâ

tiâ *huic vel illi tantùm regioni concedi*, (3) nec promiſcuè cujusvis loci eſſe, experientia teſtatum reddit. Thermarum, quæ ab aquarum caliditate nomen ſortitæ ſunt, quàm plurimæ fuerunt Romæ, earumque diligens deſcriptio habetur apud Vitruvium *lib.5.cap. 10.* Inter Puteolos, Miſenum, & Cumas varii generis ac medicaminis efficaciſſimi adverſus morbos quoscunque ultra quadraginta thermarum & hypocauſtorum nomina reperiri, refert Steph. Vinandus Pighius *in Hercule Prodicio fol. mihi 362.*

Solent ferè thermæ locis, in quibus ſunt, aliquod nomen, & quaſi lumen afferre. Ita
6 nobilitatus eſt quondam ſinus Bajanus in Campania: Ita nunc quoque in Italia, Germania, & in quavis penè terrarum Orbis parte clara ſunt hoc nomine loca. Nonnulla etiam appellationem à Calidis ſunt ſortita, ut in Theſſalia Thermophylæ & in Germania oppida, quæ vocantur Badæ, hoc eſt, balnea.

Nulla autem omninò regio eſt, quæ aut
7 plures aut ſalubriores aquas habet, quàm *Hungaria.* (4) Quarum accuratam deſcriptionem exhibet Author Anonymus *in diſſertat. de admirandis Hungariæ aquis.* Præcipua verò ad *Budam* (5) (quam Hungariæ Reges ob loci ſitum, oportunitatem & amœnitatem meritò pro Regia habuerunt) *thermas* (6) reperiri, ait, quas Turcæ, quibus tamen omnia vaſtare libido eſt, non modò non corruperunt, ſed etiam cultiores ac per ſpeciem religionis quaſi auguſtiores reddiderunt. Delectantur enim in univerſum plurimùm lotionibus, & balneis Turcæ, eoque præcipuum apud illos pietatis opus eſt, inſtituere & condere balnea, nec id tantùm viventibus glorioſum eſſe, ſed etiam vitâ functis ſalutare putant. Nec modò frequentibus lavati-
8 onibus ad ſordes corporis abluendas, ſed *ad ſcelerum quoque expiationes* (7) uti conſueverunt; quod procul dubio ab aliarum gentium ritibus habent, quibus etiam ſola aquæ aſperſio inter *Februa* (8) fuit. Sic Romæ olim ad portam Capenam, *poſtea Appiam* (9) vocatam, *aqua Mercurii* (10) dicta, alii alios aſpergebant invocantes Mercurium, ut aſperſi flagitia & præſertim perjuria diluerentur. Sic traditur Pileus abſolviſſe Patroclum, & Acaſtus expiaſſe Peleum à cæde fratis ſui Phoci, cùm antea Ægeus Medæam aquæ aſperſione luſtraſſet. Sic Oreſtem à ſanguine matris expiatum eſſe, memorat Pauſanias *in Corinthiacis*, cùm illum nemo
9 lare ſuo & hoſpitio dignaretur; Cujus loci hîc libentiùs memini, quòd continet exemplum ritûs vetuſtiſſimi accepti à patribus, quo rei atrocium criminum à conſuetudine omnium & colloquio arcebantur. Sic Æneas quoque apud Virgilium. *6. Æneid.*

—— —— *Ter ſocios purâ circumluit undâ,*
Spargens rore levi.

Et idem, *2. Æneid.* ceu multa cæde pollutus, inquit:

Tu genitor cape ſacra manu, patriosq́ penates,
Me bello ex tanto digreſſum, & cæde madentem
Attrectare nefas, donec me flumine vivo (11)
Abluero. ————

Quin *in atriis templorum* (12) ſuorum 10
poſitam habent aquam Turcæ eundem in uſum, neque cuiquam, niſi loto, in ea ingredi fas eſſe arbitrantur.

Thermæ in Hungariæ Comitatu Liptovienſi ſcabiei & mentagræ medentur. In præfectura Scepuſiana aqua eſt, in quam ſi lignum immittatur, *in lapidem indureſcit*, (13) & circa S. Martini Fanum aqua quædam eâ proſilit violentiâ, ut bullire ad ignem videatur: *hæc ſe convertit in lapidem*, (14) tàm ſupra, quàm infra terram: lapis autem ille ſpongioſus eſt inſtar pumicis. Haud procul inde viſuntur aquæ nitroſæ, quarum ea eſt natura, ut hyeme fluant, æſtate coagelentur, ut incolæ eò accedant, petituri glaciem æſtivam.

In Bohemia celebres ſunt Carolinæ & Toplicianæ; in Sileſia Hirſchbergenſes &c. Inprimis verò Toplicii aquæ ferventes & fumantes erumpunt, quæ ſalubres eſſe, & ſanare morbos nonnullos creduntur. Sermo eſt latè diſſipatus, cùm olim quæſtui haberi cœpiſſent thermæ, evanuiſſe eas, donec ille abrogaretur. Quod & confimat Philip. Camerar. *lib. 2. horar. ſubceſiv. c. 69. dicens*, nonnullas thermas ſalutares, dum non omnibus volentibus uti gratis, ſed exacto pretio permitterentur, planè exaruiſſe: ſublato autem illo iniquo vectigali, conceſſoque libero uſu omnibus, valetudinis curandæ gratiâ advenientibus, rurſus ex fontibus, uti antea, copioſè manare cœpiſſe.

In Germania quot fontes ſalubres repe- 11
riuntur, ad quos ex remotis terræ plagis primæ quoque dignitatis viri fœminæque confluunt. Vereque ſunt iſtæ officinæ, in quibus natura ipſa medicinam facit, & artis ſuæ majeſtatem infinitis miraculis contra Hippocratis & Æſculapii placita cottidiè confirmat, *vixq́ eſt ulla Germaniæ provincia*, (15) cui provida & benefica illa parens ejusmodi fontium & balneorum canalibus non proſpexerit; ſingularem verò illam aquarum in pellendis morbis efficaciam à metallicis ſaporibus eas imbuentibus conciliari, rerũ naturaliũ myſtæ docent; De quibus qui pleniorem notitiam adfectat, perlegat Thunrheuſ. *l. 1. de aquis mineralib. in Piſone c. 18. & cal. 8. & 9.* ubi de earũ vi minerali, ut plurimũ ſulphurea, nitroſa, alũinoſa, ſpirituali & corporali; *l. 2.* autẽ agit, quomodo probandæ & exa-

 minan-

minandæ, quid mineræ trahunt, Was ſie halten und führen.Georg.Agricol.*lib.1.de metall.cap.12.& ſeqq.* extende Guarinon. *lib.5. cap.14.*Von Kalten/Lauen/und Wilden Baden/Langium *in Epiſt.lib.2. epiſt.52.* Andr. Libavium *tract.de aquis mineralib.*Horſtium *in Diſſertat.de natura thermarum.*Joh.Bauhinum *de aquis medicatis.* Wecker. *in Antidotar.*Ad quos avidum hujus cognitionis Lectorem remittere ſatiùs videtur.

Acidulas Egeranas, ex quibus olim vitriolum coctum fuit, ſale,vitriolo & momento ſulphuris conſtare, Paulus Macaſius & alii aſſerunt, idque ex terra ſcaturiginis,
12 & ſapore odoreque potiùs, quàm per diſtillationem(cùm earum virtus magis in ſpiritu, quàm ſubſtantia conſiſtat) adparere, & valere ad alvi obſtructiones,contra Melancholiam,Hyppochondriam,Hydropem, Hæmorrhoides aperiendas & reſtringendas,calculi attenuationem,& intemperiē renum calidam corrigendam: Spiritus tam fortis eſt, ut ſæpè fictilia, arctiùs concluſa, rumpat. In Lotharingia ſalubres cumprimis ſunt Thermæ Plumberianæ, in quibus curantur morbi, qui aliam medicinam reſpuunt, unde ab omnibus partibus magnus hûc ægrorum
13 concurſus. Thermas Wildungenſes explorarunt,& deſcripſerunt H. Ellenbergerus,D. Arcularius. Occaſione Thermarum & acidularum multa oppida coivêre & ad incrementum pervenêre, & ex thermis incredibiles quæſtus, hinc *thermularii*,(16) qui ex thermis quæſtum faciunt; habent vim calefaciendi & exſiccandi. Quare ſi Deus & natura minerales liquores tibi indicant in patria, haud neglige, ſed prævio examine curam earum adhibe; ex quo ingens compendium annuatim colligi poteſt.

Thermas Achilleas, quarum meminit *l.omnis ſervitus 6.C.de aquæduct.*(ut & hoc o-
14 biter infarciam) non Romanas aliquas, ſed Conſtantinopolitanas ex Caſſiodoro interpretatur *Alciatus*,(17)ſine ulla neceſſitate ab Occidente in Orientem tranſiliens: Cùm Roma ipſa commodiorem ſuggerere potuiſſet interpretationem. Quid igitur? Per Achilleas indigitantur Thermæ Antonini
15 in Latere Aventini, Viâ Ardeatinâ, Regione XII.ſitæ, tantâ mole & artificio ſtructæ; ut etiam docti Architecti tales fieri poſſe negarent, *ſi Spartiano credimus*,(18)& à cadavere & minis(ingentibus ſcilicet parietibus,fornicibus altiſſimis,pulcherrimis columnis,peregrinis marmoribus, pavimento teſſelato,& ſimilibus) ad majeſtatem rei & præteritum ædificiorum ſtatum ullo modo inferre licet, juxta illud Poëtæ:

--- --- Viden' velut ipſa cadavera tantæ
Urbis adhuc ſpirent imperioſa minis?

Has enim Thermas, cùm ab Oriente templum DD. Nerei & Achillei illis adjaceat(Georg.Fabric. *de Antiquit. Roman.fol.* *212.*) Achillearum nomen inde ſortitas cur non dicamus, nihil impedit. Cùm novum non ſit, ut à locis vicinis aut adjacentibus ædificiis res denominētur.

Sunt & aquæ nonnullæ, quæ gutturoſos efficiunt, ut in Norico ſupra Juvaviam, 16
ſive Salzburgum, atque in duabus vallibus inalpinis, Cillera & Sundera, non longè à Curia Rhetiæ; ubi præterea fons eſt, cujus aquæ potæ adeò lædunt cerebrum, ut ſtolidos faciant.Georg.Agricola *lib. 2.de nat. eorum, quæ effluunt ex terra.*

Cæterùm ſolius DEI eſt dare aquas na- 17
turales, miraculoſas, & ſupernaturales: Nec Diabolus unquam potuit aquam in ſanguinem convertere, nec mare ſejungere, ut nudis tranſiretur pedibus, nec aquam amaram reddere ſimpliciter dulcem, neque eam ictu è petra elicere, quæ cuncta præſtitit Moſes, *Exod.cap.17.à v.1.uſque ad 8.& Num. 20.v.1. uſque ad 14.*Egregiè Auguſtin. Torniellus *in annalib.ſacr.& prophan.fol.mihi 294.num.33.& fol. 355.num. 2.* Non item Dæmon ſuâ virtute poteſt aquam in vinum transmutare, cæcis viſum, ſurdis auditum, claudis greſſûs firmitatem reſtituere, aut ullum morbum verè ſanare. Wier. *lib.1. de præſtig. dæmon. cap. 19.* Hinc D. Ambroſius *comment. in 1. Corinth.10. Tom.4.fol.76. col. 2. inquit:* Manna & aqua de Petra non naturæ lege parata, ſed virtute Dei, non ſine elementorum commixtione, ad tempus creata. Similiter ſupernaturales aquæ fue- 18
runt, quæ ex molari dente in maxilla aſini egreſſæ ſunt, quibus hauſtis Simſon refocillavit ſpiritum, & vires recepit *Judic. c. 15. v. 19.* Ei enim DEO, qui in deſerto ex petra potuit aquam educere, non difficile quoque fuit efficere, ut fons ex dente maxillæ ſcaturiret. Similiter, cùm Reges Iſrael, Juda & Edom circumirent per viam ſeptem dierum, nec eſſet aqua exercitui & jumentis, Eliſæus Propheta paſſim in valle foſſas fecit, quæ aquis deinde repletæ ſunt, 4.Reg. c.3.v. 9.16.20. Tales præterea aquæ in veteri Teſtamento fuerunt, *Gen.2.v.10. Aqua diluvii,* (19)quâ primus mundus periit ſervato ſolo in Arca Noâ cum poſteris. *Fluvius Hageræ* (20)in deſerto monſtratus ab Angelo, ubi in illo cum Iſmaele filio erravit, & ſitim paſſa eſt; Mare rubrum Iſraelitis, *ſuffocato cum Pharaone*(21)illius exercitu, præbens tranſitum; *Jordanus, Joſuæ*(22) & *Eliæ apertus;* (23)*Aquæ amaræ*,(24) in deſerto dulces redditæ; *Aqua maledicta*, (25) cujus potu probandæ fuêre adulteræ; *Vellus Gedeonis*,(26) unâ nocte madidū, alterâ aridum; *Jordanus leprā Naamanis*(27)curans; Aquæ *inſalubres ſalubres redditæ ab Eliſæo*,(28)&c. In novo autem Teſtamento miraculoſa fuit *Aqua in* 19
vinum mutata;(29)in nuptiis Cananæis; *Mare à Chriſto unico verbo ſedatum*,(30)ubi ventis & procellis anteà commotum fuit; *Ambu-*

latio

latio Petri & Chriſti in mare ; (31) quædam conſimilis poſt Chriſti reſurrectionem conceſſa ; *Lacus Betſaidæ* , (32) in quo multi ægroti ſunt; omnia ad indicandum , quòd & Chriſtus aquarum & marium ſit Dominus , cujus manus in mare poſita , & illius pedibus omnia ſubjecta ſunt.

20 In hanc miraculoſarum aquarum claſſem meritò referuntur *Hornhuſianorum* (33) Anno MDCXLVI. eruptæ fontium ſcatebræ, ſeu ebullitiones aquæ ſurgentis perquàm ſalubres oculis, quæ & nervis corroborandis proſunt, inaniunt alvos , ſanant ulcera, ſcorbutum & ferè omnes artridicos morbos, purgant corpora, febres, calculorumque vitia diſcutiunt, vitiligines tollunt, capiti, auribus, podagricis, gibboſis, & incurvatis medentur , aptiſſimi ſtomacho, membris, univerſo corpori. Quemadmodum hoc ipſo Anno MDCXLVII. experientia multis exemplis id conteſtata eſt. Non ſunt hæ aquæ naturales, quæ ratione fundi auriferi, vel à Minerarum & herbarum, quas in ipſis occultis terræ meatibus lavant, ſuccis nativam iſtam vim & indolem habeant inſitam , ut ægrotos curare poſſint, quemadmodum pro ratione ſuæ profeſſionis à quibusdam Medicis ſtatuitur, ut mineralibus multa tribuant , quæ per diſtillationem, Naturæ Simiam, inſtitutâ extractione in illis inveniri perhibentur. Illud ipſum enim quidem medicè & phyſicè quodammodo verum eſſe poteſt ; ſed ſi res hæc ad judicium & ſcholam Spiritus Sancti revocetur , & ſi de illa Scripturam Sacram conſulimus, invenitur, quòd virtus & efficacia, quæ in hisce aquis latet, ſolius Dei Omnipotentiæ adſcribenda, & quòd in ea merum τὸ θεῖόντι reperiatur. Hinc Regius Pſaltes: Dominus emittit fontes in convallibus, in medio montium pertranſibunt aquæ , *Pſ. 103.v.10.*

21 Porrò Plinius *lib.36. Natur. Hiſt.cap.4.* ſcribit, expugnato in Creta oppido, quod vocabatur Arcadia, ceſſaſſe fontes, amnesque, qui in eo ſitu multi erant ; rurſus condito poſt ſex annos emerſiſſe , uti quæque cœpiſſent partes coli. Procopius quoque *de Bello Vandalorum lib. 1. pag. 199.* refert; 22 obſidente Carthaginem Belliſario, & caſtra in arido ſteriliſque loco ponente, multum aquæ in terram proſiliiſſe , ut militi & equitatui ad reſtinguendam ſitim ſuffecerit, eaque de re Ducem Belliſarium vehementer lætatum dixiſſe; ſe non tàm de aqua terram irrigante , quam bono indicio gratiæ DEI gaviſum fuiſſe. In Perperinis fons eſt, Authore Plinio *lib.31. Nat. Hiſt. cap.2. pag.265. Edit. Elzevirianæ* , qui quacunque rigat, la- 23 pideam facit terram ; Et *eodem cap.* ait; ad Nonacrin Arcadiæ eſſe aquam, nimio frigore noxiam, utpote cùm profluens ipſa lapideſcat.

24 Sunt etiam fontes, qui homines non modò vini more temulentos reddant, verùm etiam cogant ad inſaniam. Ii fontes ſunt in Paphlagonia & in agro Caleno, & quæ Lynceſtis dicitur, ſive Acidula. Plin. *d.l.2.c.103. fol.152. Edit. Elzevir.* Idque recolit etiam verſibus Seneca *Natur. lib.3.c.20. de Lynceſtio amne:*

Quem quicunque parum moderato gutture traxit,
Haud aliter titubat , quàm ſi mera vina bibiſſet.

Videatur quoque Valerius Maximus *lib. 1. c.8. extern. n. 18.*

25 Sed & in Cea ſive Chio Inſula eſſe fontem, ſcribit Varro, ex quo qui biberint, hebetes fiant ingenio, Plin. *l.31. cap. 2.* Iſidor. *lib. 13.c.13.* Bocatius *in Inſula Chio.* 26 Contrà verò fons eſt in Cilicia apud oppidum Ceſcum, ex quo bibentes ſubtiliores ſenſus adipiſcuntur; Plin. *d.lib.31.c.2.* 27 Sed illud memorabilius eſt, quòd in Bœotia duo ſunt fontes, quorum alter oblivionem quidem inducit , alter verò illuſtrat memoriam. Plin. & Iſidor. *dd. loco.*

28 Denique Epiphan. quoque *hær. 51. lib. 2. T. 1. pag. 212.* narrat, ſuâ ætate ex diverſis fontium ſcatebris vinum eadem horâ, quâ Canæ in Galilæa vinum ex aqua factum eſt, profluxiſſe, idque aliquot annis duraſſe , ſeque hoc vinum bibiſſe.

ANNOTATIONES

Ad

CAPUT XIII.

(1) L*Avacra ſapè inſtar Urbium &c.*] Imò in modum Provinciarum , & quaſi quæ non urbes, ſed regiones totas æmularentur. Lipſius *de Magnit. Rom. lib.3. c.8.*

(2) *Diocletianarum Thermarum &c.*] Laudat Roſinus *Antiq. Rom. lib.1. cap.14. pag. m.131.* Andream Baccium Elixidanum Medicum , quòd omnium diligentiſſimè ſuâ ætate de Thermis Romanorum ſcripſerit, ex quo etiam deſcriptionem harum Thermarum Roſinus operi ſuo inſeruiſſe profitetur , & in fine ad Bernhardum Gamucci, *in ſua Antiqua Roma* , Lectorem deſcriptionem & picturam videndi avidum remittit. Confer Fabricium *in Deſcript. Romæ, ubi cap. 20.* de Thermis agit, & præcipuas illarum veluti Agrippæ, Neronis, Titi, Domitiani, Trajani, Commodi, Severi, Antonini, Varii, Alexandri, Gordiani, Philippi, Decii, Aureliani, & illius,

---- ---- ---- *cujus*
Buſtum Dalmaticæ vident Salonæ,

cum Conſtantini Thermis enumerat. Reimari Abgebildetes Altes Rom. *pag. 294.*

Num. 5.

(3) *Huic vel illi tantum regioni concedi &c.]* Imò nonnullas thermas ſalutares, dum non omnibus volentibus uti gratis, ſed exacto pretio permitterentur, planè exaruiſſe; ſublato illo, conceſſoque iterum omnibus libero uſu, aquas illas ex fontibus, uti antea, copiosè iterum manare cœpiſſe, exemplis confirmat *infrà n. 10.* ab Authore noſtro citatus Camerarius *lib. 2. Hor. ſubciſiv. cap. 6.* Iterum aliæ thermæ & acidulæ vi medendi præditæ ſenſim illam deperdiderunt, iterúmve poſt aliquot annos recuperarunt, cujus rei documento quoque fons ille ſalutaris in Ducatu Luneburgenſi ad pagum Loſe circa annum hujus ſeculi XX. apparens, qui poſt aliquot annos effectu iterum carere, circa Annum verò MDCLII. vim medendi recuperari iterum incepit. Zeillerus *in Topograph. Duc. Brunſvicenſ. & Luneburg. pag. 143.* ubi etiam *pag. 150.* de alio fonte, den Hungelsbrunn / prope Lunem, ſimilia refert.

Num. 7.

(4) *Hungaria &c.]* Sic thermis gaudet Galgocium, (Freyſtädt) cui conterminæ Thermæ Peſteniæ. Zeiller *in Deſcript. Hung. pag. 128. & pag. 150.* Pribitzium *Id. pag. 40.* regio prope Selmizbaniam (Schemnitz.) *Id pag. 255.* aliæve, de quibus mentionem poſt alios injicit ibidem, ut & Author noſter *hoc & n. 10. infrà.*

(5) *Ad Budam &c.]* Hodiè *Oſen*, cujus deſcriptionem & viciſſitudinem vide apud Sigismund von Bircken im Donau-Strand *pag. 64. ſeqq.* Zeillerum *d. loco. pag. 199.*

(6) *Thermas &c.]* Illud ſingulare de his Thermis annotat Iſthuanffius *Hiſtor. lib. 14. pag. 230.* Quod quanquam harum fontes vehementi fervore ſcaturiant, adeò ut eorum aquis anſeres & ſues ejuſque modi animalia facilè depilentur, piſces tamẽ albos palmaris magnitudinis nutriant, qui illæſi illis innatabant, & ſi fortè capti in proximum Danubium proiiciantur, frigidiorem aquam minimè ſuſtineant, & protinus exſpirent.

Num. 8.

(7) *Ad ſcelerum quoque expiationes &c.]* Hanc externam lotionem cæteris ſuæ legis præceptis longè anteferunt, neque quovis oblato impedimento prætermittunt: efficaciſſimum ſiquidem remedium ad animæ inquinamenta emundanda eſſe cùm putent, DEO maximè placere, eaque inprimis ſe DEO reconciliatum iri ſperant confiduntque. Cotovicus *d. loco pag. 126.*

(8) *Februa &c.]*

Februa Romani dixêre piamina Patres,

inquit Ovidius *2. Faſtor.* Varro *de Ling. Lat. lib. 5.* Februum dicit, Sabini purgamentum, & id in ſacreis noſtreis verbum. Junge Roſinum *Antiq. Rom. lib. 4. cap. 6.*

(9) *Poſtea Appiam &c.]* Hodiè porta S. Sebaſtiani dicitur.

(10) *Aqua Mercurii &c.]* Ovidii Poëtico *lib. 5. Faſtorum* ſolùm teſtimonio probant viri docti, extra Portam Capenam viâ Appiâ aquam fuiſſe à Mercurio nuncupatam; quâ populus Romanus, qui negotio & quæſtui operam dabat, Idibus Maij luſtrari ſolitus. Locus autem Ovidii, rem ipſam optimè illuſtrans, ſic ſe habet:

Eſt aqua Mercurii portæ vicina Capenæ:
Si juvat expertis credere, Numen habet.
Huc venit incinctus tunicâ mercator, & urnâ
Purus ſuffuſâ, quam ferat, haurit aquam.
Uda fit hinc laurus: laureo ſparguntur ab udâ
Omnia, quæ Dominos ſunt habitura novos.
Spargit & ipſe ſuos lauro rorante capillos,
Et peragit ſolitâ fallere voce preces.
Ablue præteriti perjuria temporis, inquit:
Ablue præteritâ perfida verba die.
Sive ego te feci teſtem, falſóve citavi
Non audituri nomina vana Jovis;
Sive DEUM prudens alium, Divamq́; feſelli,
Abſtulerint celeres improba verba Noti.
Et pereant veniente die perjuria nobis;
Nec curent Superi, ſi qua locutus ero.
Da modò lucra mihi: da facta gaudia lucro,
Et fac, ut emptori verba dediſſe juvet.

Confer Alexandrum ab Alexandro *lib. 4. Genial. Dier. c. 16.*

Num. 9.

(11) *Donec me flumine vivo &c.]* Conſtat, luſtrationes Veterum fuiſſe varias: Aut enim lotione manuum ſcelus averti, aut aſperſione delicta deleri, aut deniq; totali im̃erſione puros & mũdos reddi ſe, credebãt. Prima ſpecies *Lavatio* χέρνιψ græcè dicebatur. Secunda *Aſperſio* περιῤῥανσις Tertiam denique ſpeciem nec Græcis incognitam Romani *Luſtrationem* dixêre. De quibus tribus ſpeciebus Jeremiæ Hoffmanni Reſpondente Joachimo Erneſto Gieslero ad. 19. Decembr. Anno 1660. Wittebergæ habita elegans Diſputatio *de luſtrandi purgandiq́; Veterum ritu &c.* ut & altera à Thoma Stegero Lipſiæ Anno 1649. conſcripta, doctè erudita, *de Lotionibus Veterum Diſſertatio* Hiſtorico-Philologica: & præ illis Voſſius *de Idol. Gentilium* videantur.

(12) *In atriis templorum &c.]* Quod præter alios Cotovicus *d. c. 4.* teſtatur.

(13) *In lapidem indureſcit. &c.]* Alia exempla admirandarum aquarum ſuppetidat Jonſton. *Taumatographia Natur. claſ. 2. cap. 3. art. 6. & cap. 5.* ubi in ſpecie de Thermis tractationem inſtituit.

(14) *Hæc ſe convertit in lapidem &c.]* Sic in Specubus quibusdam (*les caves gauttieres*) propè Turonum in Gallia aquam in lapides concreſcentem ſaccharum minutũ & rotundum figurare: tales quoque fontes alibi ad oppidum *Vigand* prope Monſpelium ſcaturire, Gölnitzius *in Ulyſſe Belg. Gallic. pag. 242. & 518.* narrat; quinimò Clairmontonium urbem, in altera Limaniæ parte, quæ Arvernia dicitur & reliquarum metropolis eſt, deſcripturus inter alia *d. loco pag. 587.* obſervat, Fluvii *Tiretaine* olim *Scateon* dicti fluxum excipere mirabilem pontem naturali è lapide, natum ex aqua fontana concreta, non ſine urbis ſecreto; eam, ubi fluxu eſt, limpidam cerni, mox verò craſſeſcentem, ſiſti ſabulo rubro; Verſus demum de ea hos circumferri:

Hunc modicus lambit veniens de montibus amnis;
Juxta & fons ſalſus pontem lapideſcit in altum.

Pontemque iſtum longitudine XX. ulnarum eſſe, VI. craſſitudine, & VIII. latitudine; eum Carolum IX. Regem Bayonnâ reducem videre geſtiiſſe, & miraculum eſſe naturæ in ſuo regno notaſſe.

Num. 11.

(15) *Vixq́; eſt ulla Germaniæ Provincia &c.]* Horum fontium & præcipuè acidularum plerarumque hiſtoriam & virtutes complexus eſt

Jacobus Tabernæmontanus in Tractatu, cui titulum fecit Neuer Waſſerſchatz. Sic in vicinia noſtra in Civitate Imperiali Weiſſenburgo in Nortgovia celebrantur Thermæ à multis expetitæ; ſic & Norimbergam, Patriam noſtram chariſſimam aliquibus, his ferè ſimilibus (das Wildbad/) Natura benigniſſima mater ditavit, ut de aliis taceam. Plura de Balneis, & Thermis, & aquis mineralibus, aliisve ejusdem materiæ, collegit notabilia Cæſius *de Mineral. lib.* 1. *cap.* 6. *per totum*, quæ perlegere Curioſo Lectori haud diffidiæ ſiet.

Num. 13.

(16) *Thermularii &c.*] Vix credo, quòd ullus probatæ Latinitatis author hac voce utatur, ſed recentiorum figmentum putarim, non ſecus ac illam *Therminalis*, quâ quicquid ad thermas pertinet ſignificari volunt nonnulli.

Num. 14.

(17) *Alciatus &c.*] Ut & ex Cedrino & Socrate Cujacius *ad hanc l.* 6. *C. de Aquæduct.* Quorum opinioni ut lubentiùs accedam facit, quòd ſcriptum illud Theodoſii & Valentis ad Cyrum Præfectũ Prætorio Orientis emanarit; 2. Thermas Antoninas, Achilleas dictas apud nullum probatum Authorem, quos ego quidem vidi, reperiatur; & 3. quòd ædes hæ DD. Nerei & Achillei, in ſequentibus demum temporibus hocce nomine inſigniti, prioribus & fortaſſis etiam Theodoſii & Valentis ætate Iſidi adhuc ſacræ fuerint; & denique, quòd Fabricius ad ſitũ Urbis poſteriorem, non prioris Romæ reſpiciat.

(18) *Si Spartiano credimus &c.*] Qui *in vita Antonini Caracallæ c.* 9. inquit de eo: Opera Romæ reliquit, thermas nominis ſui eximias: quarum cellam ſolearem architecti negant poſſe ullâ imitatione, quâ facta eſt, fieri. Nam & ex ære vel cupro cancelli ſuperpoſiti eſſe dicuntur, quibus cameratio tota concredita eſt: & tantũ eſt ſpatium, ut idipſum fieri negent potuiſſe docti mechanici.

(19) *Aqua Diluvii &c.*] Geneſ. *cap.* 7. & 8.

(20) *Fluvius Hageræ in deſerto &c.*] De Puteo Hageræ monſtrato habentur hæc *Geneſ.* 21. *v.* 19.

(21) *Suffocato cum Pharaone &c.*] Exod. *c.* 4.

(22) *Jordanus Joſuæ &c.*] Joſuæ *cap.* 3.

(23) *Et Eliæ apertus &c.*] 4. Regum 2. *v.* 8.

(24) *Aquæ amaræ &c.*] Exodi *cap.* 15. *v.* 23. & 25.

(25) *Aqua maledicta &c.*] Numeri *cap.* 5.

(26) *Vellus Gedeonis &c.*] Judicum 6. *v.* 37. *ſeqq.*

(27) *Jordanus lepram Naamanis &c.*] 4. Regum 5. *v.* 10. *ſeqq.*

(28) *Inſalubres ſalubres redditæ &c.*] 4. Regum 2. *v.* 19. 20. 21, 22.

(29) *Aqua in vinum mutata &c.*] Joh. 2.

(30) *Mare à Chriſto unico verbo ſedatum &c.*] Matth. 8. *v.* 26. Marc. 4. *v.* 36. Luc. 8. *v.* 21.

(31) *Ambulatio Petri & Chriſti in mari &c.*] Matth. 14. *v.* 25. & 29. Marci 6. *v.* 48. Joh. 6. *v.* 16.

(32) *Lacus Bethſaidæ &c.*] Fortè dicere volebat Author, piſcina Beth-Esda; *de qua Joh.* 5. *v.* 2. *ſeqq. agitur.*

(33) *Hornhuſianorum &c.*] Lege de his fontibus Theatri Europæi *partem V. pag.* 1079. *ſeqq.* Quorum vis mox tamen deſiit.

CAPUT XIV.

De Torcularibus, Clibannis, Furnis, & Molendinis Publicis ſive bannalibus.

SUMMARIA.

1. *An ad* Molendina & furnos *cogi poſſint Subditi, ut ea viſitent? hoc &* num. 2. & 3.

4. Furni portatiles *primò ex fictilibus, deinceps ex ferro & ære facti.*

5. Molendina *& alia ad æmulationem exſtructa quo poſſint remedio impediri? &* numero 6.

Torcular ex uvis Thaſiis muſtum exprimit, ardens
Indurat furnus laterem, atque molendina præſtant
Uſum communem: Ærarî ſint ergo juvamen.

IN hanc claſſem referenda ſunt Torcularia, Clibanni, & Furni publici ſive bannales, gemeine Backöfen/ (1) quo tota vicinia panes ad coquendum cogitur deferre ex banno ſive edicto Superioris. Molendina publica Zwangmühlen. Non procul ab urbe Feſſa rupes viſuntur altiſſimæ, quæ foſſa quadam cinguntur, cujus longitudo duorum eſt milliarium, ex rupibus ſaxa exciduntur, unde calx conficitur. Ad foſſæ ripam multi ſunt clibanni, quorum nonnulli tantæ ſunt magnitudinis, ut calcis ampliùs quàm ſex mille mē-
1 ſuras expleant, calcem verò ditiſſimi Feſſæ cives conficere jubent. Cæterùm de molendinis, prælis & furnis bannalibus agit Papon *de arreſt. lib.* 13. *tit.* 8. *de mulins preſſurs & founro banniers*, pulchrè Camill. Borell. *lib.* 4. *de Magiſtrat. Edict. cap.* 7. *per tot.* Stephan. Bertrand. *conſ.* 279. *num.* 5. Cravetta *de antiq. temp. fol.* 500. Ludovic. de Caſanate *conſ.* 44. *num.* 54. *vol.* 2. Jo. Bapt. Latercius *conſil.* 71. *n.* 5. *vol.* 1. Carol. Bardellon. 91. *per tot. vol.* 1. Franc. Marc. *deciſ.* 106. *nu.* 4. *volum.* 2. & *deciſ.* 386. & 416. Ant. Capyc. *in Inveſtitura feudali in verb. Feudorum Clauſulæ* §. & *cum Molendinis.* Rhenat. Choppin. *in Conſuet. Andegavenſ. lib.* 1. *cap.* 27. *num.* 3. & *cap.* 28. *num.* 1. Andreæ Rauchbar. *libr.* 1. *quæſt. jur. q.* 28. Joan. Cöppen. *deciſ.* 20. *per tot.* ubi tractant; An Subditi jure teneantur viſitare molendina Dominorum, & communiter ſentiunt, etſi per mille annos quis iverit ad molendina vel furnos alicujus, non ideò cogi poſſe ire in futurum, niſi privilegio, 2
aut legitimâ præſcriptione, his jus quæſitum ſit. Ideoque iſta Edicta prohibitoria, ne aliò ad molendum vel coquendum accedant Subditi, ambitioſa, & ad Dominorum utilitatem privatam procurata & ejusmodi actus meræ voluntatis & facultatis nullo temporum curriculo præſcriptibiles eſſe, Borell. *d. cap.* 7. ubi *num.* 32. Imp.

Imp. Caroli V. pragmaticam legem Anno MDLV. in Regno Neapolitano publicatam refert, quâ mandatum eſt omnibus Baronibus, & aliis utilibus Dominis, ut liberè permittant Subditos in ſuis vel aliorum furnis panem coquere, & ſimiliter, ut poſſint granum ad molendinum & olivas terendas, ad quorumlibet molendina vel tappetos conducere, & poſſint in domibus propriis vel aliorum tabernas facere; & hoſpites excipere, nec poſſint aliqualiter impediri, ſeu prohiberi, exceptis illis; qui furnos, molendina, tappetos, tabernas, & hoſpitia, cum hujusmodi jure prohibendo Subditos particulari privilegio, aut legitimâ præſcriptione vel conſuetudine acquiſiverint.

3 Ego verò nullus dubito, quin Magiſtratus publicâ authoritate efflagitante id Neceſſitate & Utilitate Reip. (etiam ſeclusâ præſcriptione aut conſuetudine) talia Edicta facere & Subditos ad coquendum, molendum, in publicis furnis, molendinis, &c. cogere, indeque Compendium ſectari & Ærario inſarcire poſſit.

4 Furnariam artem exercuiſſe *aviam Vitellii* (2) Imperat. poſt Suetonium Tranquillum *in illius vita c. 2.* ſcribit Rhen. Choppin. *d. c. 23. n. 1.* Sic etiam habere Clibanos, qui ſunt furni portatiles, ex fictilibus primùm, poſtmodùm ex ferro & ære fieri ſolitos, non eſt ambiguum, ut dicit *ibid.* Chopp. *n. 32.* Videatur quoque Guarinon. im allgemeinen Schauplatz / *discurſ. 132.* ubi etiam von Becken und Kuchenbecken. Et de Opificio piſtorio; adde Bornit. *de rer. ſuffic. tr. 2. c. 9.* Ac in hoc opificio ut omnia etiam ex æquitatis lege fiant, Politiâ quâdam informandum & regendum eſt, Beckerordnung / uti apud Vratislavienſes, Lipſienſes, & alios practicari videmus.

In materia Molendinorum *ad æmulationem ædificare non permittitur,* (3) Gail. *2. obſ. 69. n. 27.* Ant. Teſſaur. *deciſ. 16. n. 10.* Franc. Marc. *deciſ. Delphin. 109. in fin. vol. 2.* quos refert & ſequitur Camill. Borell. *conſ. 3. n. 40.* Petr. Ant. de Petra *de Poteſt. Princip. cap. 32. part. 2. q. 2.* Sixtin. *lib. 2. de Regalibus cap. 3. num. 72. 79. 83. & numer. 85. & 86.* ubi tradit, Molendina & alia, quæ ad æmulationem exſtruuntur, novi operis nunciationis remedio impediri, & mandata inhibitoria ſine Clauſula poſt denunciationem obtineri poſſe. Confer Ferdinand. Vaſquium *libr. 1. controverſ. uſu frequent. cap. 4. numer. 12. & ſeqq.* ubi ſcitè enucleat Statutum, quod cogebat Subditos ad molendinum Domini vel Civitatis in præjudicium molendinorum privatarum perſonarum, quæ per hoc reddebantur brevioris, vel fortè nullius reditûs; an valeat, præſertim *in præjudicium Eccleſiæ?* (4) Illud circa materiam molendinorum, etiam incidenter & probè notandum; quòd ſi quis cum Abbate & Capitulo conveniat, quòd molendinum Eccleſiæ teneatur molere ſibi & familiæ pro certa annua penſione, quamvis creſcat familia in tantum, ut unusquisq; filius per ſe tantam habeat familiam, quantam nunc habebat pater, tenebitur monaſterium ſervare conventionem, nec augenda erit penſio; Petr. Surd. *Conſ. 27.* Cujus tamen traditioni *aliquatenus contravenire videntur* (5) Steph. Grat. *deciſ. 87. n. 10.* Jo. Bapt. Coſta *tr. de fact. ign. inſpect. 26. n. 7.* qui citat Teſſaurum *deciſ. 226. n. 2.* Sed hæc extra ſemitam. Et dixi ſuprà planiùs & pleniùs *tit. de Molarum cura non negligenda.*

Margin numbers: 5 (beside "nem ædificare non permittitur"), 6 (beside "Molendina & alia").

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT XIV.

(1) Gemeine Backofen &c.] Cùm de eo argumento jam antè *ad libri hujus ſecundi caput 8. n. 29.* mentem meam ſalvo melius ſentientium judicio & ſine ullo præjudicio plenitudinis Imperantium, expoſuerim; atque de furnis bannalibus Octavii Cacherani *Deciſ. 18.* ut & Joh. Gutierrez *lib. 4. Civil. quæſt. 22. n. 10.* rem, optimè explicantes atque quæſtionem in negativam reſolventes exſtent: eò breviorem me eſſe in hoc capite, ratio temporis & inſtituti monet.

Num. 2.

(2) *Aviam Vitellii &c.]* Suetonii verba loco allegato hæc ſunt: Caſſius Severus, nec minus alii eundem (*auctorum generis Vitelliorum*) & ſutorem veteramentarium: cujus filius ſectionibus & cognituris uberius compendium nactus, ex muliere vulgari, Antiochi cujusdam FURNARIAM EXERCENTIS FILIA, Equitem Romanum genuerit. Uti tamen Cauſabonus notat (*quem vide*) in Viterbienſi Codice legi FUNARIAM exerc. h. e. reſtionis

Num. 5.

(3) *Ad æmulationem ædificare non permittitur &c.]* Æmulatio autem iſta proterva colligitur ex eo, quando ſtructura nova non eſt neceſſaria; quando nullam aut ſatis exiguam adfert utilitatem; ſed magis ſuſpiciònem, injuriam, inſidiasque fovet; magisque honeſtati aut communi facultati ſeu libertati adverſatur; nec ornamento aut commodo publico inſervit; & quando ſuper ædificatione multæ præceſſerunt rixæ & contentiones: vel impenſæ in hanc ſtructuram excederent commodum, quod ex illa percipitur, aliisque ex conjecturis probabilibus, arbitrio æſtimandis, tradente Schradero *ad §. 5. n. 18. & 19. I. de Rer. diviſ.* Cui poſt alios laudatos Dd. Hering. *de Molend. quæſt. 15. n. 34.* accedit. Confer Klockium noſtrum *infrà hoc lib. 2 cap. 18. n. 8.* Maſcard. *de Prob. Concl. 620.* Riccium *in Coll. deciſ 1041.* & ex Capycio Latrone *Obſ. 8. n. 48. in Deciſ.* nota, Advocatum. qui

qui conſulit ædificare volenti, ut vicino noceant lethaliter, ſecundùm quosdam, peccare.

(4) *In præjudicium Eccleſiæ &c.]* Conſule Joh. Gutierrez *Quæſt. Civil. lib. 4. quæſt. 32. n. 15. ſeqq.*

Num. 6.

(5) *Aliquatenus contravenire videntur Surdus &c.]* Et præter illos ex profeſſo contrarium multis rationibus adſtruendo, Negativam probat Cæpolla *de Servitut. cap. 50. n. 4. 5. 6. ſeqq.*

CAPUT XV.

De Jure adornandi Pharmacopolii, Vini, & exoticæ Cerviſiæ vendendi, item ex puteis, fontibus, Holtzflöſſen/ Bleichſtätten/ Kalckôfen/ Ziegelöfen/ Schenckrecht/ Erbſchmiede/ꝛc.

SUMMARIA

1. *Laudabiliter odornantur* Pharmacopolia, Jus Vini vendendi, *promendæq́; exoticæ Cerviſiæ; pluraq́; id genus: hoc* num. & 2. *de puteis, fontibus, & aquæductibus, &c.*

3. Vini aduſti *olim uſus ſanitati fuit: nunc dementiæ abuſus.*

4. *Non modò ebrietate ſic peccatur; ſed* vino aduſto *multa millia modia frumentorum prodiguntur, aliis uſibus quàm neceſſaria.*

5. *De* coctura laterum, *lapidū contuſorum, calcis; nec non de officinis cupri, ferri, vitrorum, &c. &* n. 6. 7. 8,

9. *De* Pharmacopœi *perſona & officio, hoc &* num. 10. 11. 12. *& ſeqq. usque ad* num. 29. *incluſivè.*

30. Holtzflöſſen / & num. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40.

Pharmacopolia, cerviſiæ viniquе tabernæ
Ærarii mactare quæſtum nata ſunt.

1 PRædictum ad modum Princeps vel Magiſtratus concedere poteſt certâ penſione Jus adornandi Pharmacopolii, Anordnung der Apothecken/ *Jus vini vendendi* (1) 2 den Weinſchenck / & exoticæ Cerviſiæ, frey frembde Bier einzulegen. Ex quibus Monopoliis Cerviſiæ exoticæ Magiſtratus nonnullis in Civitatibus non parum lucri colligit: Quin & lucrum Senatus aucupari poteſt licitè & honeſtè ex puteis, ziehenden Brunnen/ Fontibus, flieſſenden Brunnen/ ex faucibus fluminum, ex ratis vectione, vectura, jure ſepti ædificandi pro detinendis ſalmonibus, anguillis, aliisque piſcibus; Item ex jure gruis, Holtzflöſſen/ (A.) (de quo vide ſingulare Conſilium Dn. Beſoldi *part. 5. quod eſt in ordine 239.*) Puteorum & fontium nec non ex jure naves ad ripas appellendi, funes arboribus ibi natis religandi, onúsve aliquod in his reponēdi; ex areis dealbandis linteis ad Solem deputatis, Bleichſtätten.

3 Vini aduſti (quod olim vice medicamenti ſumptum) hodiè ingurgitatio apud Germanos frequens eſt; cujus abuſum prolixè perſtringit Guarinon. *lib. 4. c. 13.* Vom Greuel deß Brandtweinſauffens. Et optandū eſſet, (ſed vix ſperandum) ut abuſus iſte in Republica noſtra cohiberetur. Quippe quòd 4 multa millia modiorum ſiliginis & tritici, quæ ad uſum panis & cerviſiæ prodeſſent, inſumuntur & prodiguntur hoc potu, quo multi inebriati repentinâ morte & ſomno ſepulti interierunt. Sed malitia tanta eſt, ut nec periculum mortis, vel inferni, quem deterreat, & Compendium publicum, quod Magiſtratus inde capit, pro licentia conceſſa, nec non privatus quæſtus, omnem Politiam confundit. Bornit. *lib. 2. de rer. ſufficient. c. 17.*

Huc referri poteſt coctura laterum in 5 fornacibus, vulgò Ziegelbrennen. Requirit hoc genus opificii lateritii terram aliquantillum pinguem, quæ aquâ miſtâ maceranda, volutanda, & tandem in lapides ſeu lateres, ad formam ligneam, efformanda, exſiccanda ad aëris ſiccitatem, & igni in fornace concluſo coquenda, donec duri & perfecti exiſtant. De quibus Agricola *lib. 17. cap. 21. de nat. foſſil.* Lateres autem formantur & coquuntur ad parietes Mauerziegel / ad 6 pinnas Zinnen / ad ſolum ſternendum Pflaſter / ad tegulas, cavas & planas Tachziegel. Sunt etiam, qui ex lapidibus contuſis, calce mixtâ, lapidea pavimenta faciunt, vulgò Eſtrich/ incendii cauſa avertēdi: Et qui parietes & tecta ex gypſo variis figuris exornant. Imò & qui gypſum & marmora faciunt; omnes & ſinguli ad Ærarii cenſuram revocandi.

Calcis quoque Cocturam ſuadet Ne- 7 ceſſitas & Utilitas, iisdem in fornacibus, vulgò Kalckôfen. Unde Calcis coctores, Kalckbrenner.

Huc etiam pertinent Braccatoria, & fa- 8 bricinæ hæreditariæ, Schenckrecht und Erbſchmieden: Item officinæ cupri, ferri, *vitrorum* (2) (B.) & id genus alia, quæ ut in omni benè conſtituta Repub. neceſſaria ſunt, ita & Civitatum Ærario coadjuvando paſſim reſervari ſolent.

Cæterùm ut ad Pharmacopolium redeas, duo mihi delineanda eſſe duxi; perſo- 9 nam Pharmacopœi, ejusque officium, quod in recta Pharmacopolii fabrica & exſtructione conſiſtit: Certis verò legibus à ſapientiſſimis Rerumpb. gubernatoribus & medicinæ architectis definitum eſt, *qualem deceat eſſe pharmacopœum*, (3) & quænam ejus officii fideliter obeundi ſint partes. Nihil hîc dicam verbis meis, ſed inſtar Lipſianæ politices, dicta, leges & ſententiæ ſummorum

morum ſunto Orbis Magiſtratuum & Medicinæ ſapientium.

10 Primæ & genuinæ Legis medicæ verba hæc ſunt. Oportet Pharmacopœum fide & profeſſione eſſe verè Chriſtianum, non atheum infidelemque, cujus conſcientia & animus ſeriâ pietate ex fontibus Iſraëlis ſit informatus, ut Deum medicinæ authorem timeat, eumque operum ſuorum indicem, omnia cernentem, & actionum omnium & ſingularum rationum habentem agnoſcat, qui civium ſalutem, ſibi hac in parte creditam, ſit repetiturus, ut cogitet, ſe nihil facere clàm, coram eo, qui videt in abſcondito, nihilque peragat temerè, negligenter, multò minùs fraudulenter, peccata non pœnæ metu, ſed virtutis amore odio habeat: Unde celeberrimus Galliarum Medicus Renodæus *lib. 1. inſtitutionum pharmaceuticarum c. 2.* inquit; Vitæ probitas ferè non tàm in ullo mortalium, quàm in pharmacopœo, qui vel tuendæ, vel ſarciendæ ſanitatis gratiâ, medicamenta parat & porrigit, expetitur: in ejus enim manibus morbus & ſanitas, vita & mors, atque illi cùm mala mens eſt, vel neſcia recti, libera patet nocendi & necandi poteſtas. Hactenus ille.

11 Secunda Lex artis, quam tractat, ſolitam in Pharmacopœo, non umbraticam aut trivialem requirit cognitionem. Eſt enim pharmaceutica medicinæ pars quædam integralis, cujus theoria certis comprehenditur præceptis, & praxis fideli encheria longaque annorū exercitatione addiſcitur. Cumprimis opus eſt, ut omnium ſimplicium, videlicet herbarum, & ſtirpium, & arborum, rerumq; ſalo & ſolo, & quovis ſub ſole cœloque ortarum, tam vernacularum, quàm exoticarum è vegetabilibus & ab animalibus, aut ſimpliciter miſtis gemmis, lapidibúsve ad uſum medicum à natura naturante ſeu providentia divina deſtinatarum, & cognitionem guſtumque habeat haud ſuperficialem; quæ abſque philoſophiæ ejusdemque partis, quæ de naturali ſcientia pertractat, adminiculo comparari nequit: Et neque hanc, neque cætera fas eſt, ſine utriusque linguæ Græcanicæ & Latinæ, cumprimis verò hujus exacta cognitione, indipiſci.

12 Tertia Lex jubet, pharmacopœum eſſe humanum, affabilem, benignum, miſericordem, pauperibus mitem, & liberalem, ægrorum neceſſitatem & periculum fideliter expendentem, & in præſtandis officiis charitatis impigrum & fidelem.

13 Quarta Lex à pharmacopœo jubet abeſſe ſordes & avaratiam, ut in mercibus comparandis propriam conſcientiam & ægri ſalutem lucro præferat, & nequaquam corrupta, putria, exoleta, adulterata, vel mangonio depravata in fraudem & periculum ægri coëmat, aut divendat, nec compendia meditetur, quibus cives circumveniat, nec in iis quærat ſuum lucrum, ex quibus ægro paratur vitæ periculum. Quocirca requiritur, ut facultates habeat mediocres, & animum liberalem, quo debito tempore medicinas coëmere poſſit optimas, nec deteriores viliori pretio, quàm præſtantiſſimas paulò largiore comparet.

14 Quinta Lex agit de conſtitutione officinæ ſeplaſiariæ, eamque jubet haberi in ſalubri & perflabili loco, à ventorum diſturbio, pulveribus, fumis & fœtoribus diſſitam ac remotam, & terſam & mundam omnibus modis ſervari.

15 Sexta Lex requirit, ad officinam pharmaceuticam rectè inſtruendam, debitum remediorum ſimplicium & compoſitorum apparatum, & pro ratione partium anni & menſium continuam conquiſitionem, idoneam repoſitionem, luſtrationem frequentem, & conſervationem. Simplicia ſunt vernacula, vel exotica: Vernacula ſunt herbæ, flores, folia, fructus, ſemina ac reliqua in univerſum ſimplicia, quæ pharmacopolam vernali, æſtivali, auctumnali aut quovis debito tempore colligere, collecta rectè reponere, ſacculis, vaſis, thecis, & pixidibus condere, & in futurum uſum à teredine, putredine, carie, & corruptione conſervare oportet.

16 Septima Lex agit de exoticis, quæ cœlum ſolumque noſtrum pro patria non agnoſcunt, in quibus comparandis haud levior, quinimò major ſolertia adhibenda. Atque hîc non tantùm cavere debet pharmacopœus, ne corrupta, putria, mucoſa, carioſa, & exſoleta ſibi pro bonis & integris obtrudi patiatur, ſed & ſpeciem faciemque ſingulorum noſſe, an vera & genuina vel adulterata; ſophiſticata, mangonio fucata, in nave ſuffocata, lacunis merſa, vetuſtate exſoleta, an immatura, aut indebito tempore collecta fuerint, cognoſcere poſſe. Sua cuilibet ſimplici ætas vigorem largitur & adimit. Et cùm ſcire nequeamus, quando ſint collecta exotica, quàm diu in patria, ubi crevêre, aſſervata, priusquam venundata, quanto temporis ſpatio in itinere fuerint, aut in navigiis & vehiculis jacuerint; demumque ubi ad nos perlata ſunt, quando ab inſtitoribus & aromatariis diſtracta, vel in uſus extruſa, imò quam apud noſtrates ætatem & quot annos viderint; hæc, inquam, cùm liquidò cognoſcere difficile ſit, ante omnia Pharmacopœus ita debet eſſe inſtructus ut non tantùm virtutem ſuperſtitem, quæ qualísve inſit & ſuperſit odoratu, guſtu, tactu, ponderatione aliiſque experimentis explorare & indagare queat, ſed & cujuslibet ſpeciem faciemque accuratè dignoſcere, ne vera pro falſis veniant, ne ſimilitudine rerum decipiatur, erroremque erret ægris funeſtum, & medicis ignominioſum.

Octavâ Magiſtratus pariter & Medicorū Lege

Lege cautum eſt, ne, qui induſtrii pharmacopœi officium facere velit, ea, quæ ad compoſitionem adeò præſtantis & magni momenti remedii ſpectant, ſecundùm propriam phantaſiam, aut ex diſpenſatoriis non authenticis, aut medicorum auctoritate minimè probatis diſpenſet, ſed juxta literam & tenorem approbatorum: qualia ſunt Auguſtanum, Noricum, cæterorumque Cordi emendati ſequacium.

Diſpenſata ſimplicia ad medicamenti compoſitionem, priusquam miſceantur, ordine collocet, & ad eorum examen & inſpectionem Senatorem unum vel alterum huic negotio deputatum, cum Phyſico Medico ordinario, bonæ fidei & induſtriæ teſtes, convocet & adhibeat, iisque, ſi fieri poteſt, intuentibus miſceat. Medicus primarius medicinæ præparatæ annum, menſem, diem ſuperſcribat, deinde reponatur, &, ſi opus fuerit, juſto tempore, priusquam in uſum publicum traducatur, fermentari finito. Hac ratione in præſentia Senatorum & Medici præparandæ ſunt omnes confectiones magnæ, omniaque cumprimis opiata, & electuaria & pilularum majorum maſſæ.

18 Nona Lex præcipit, ne coquantur acria, acida, vel acetoſa in vaſis ferreis, æreis, aut cupreis, quod horribile inde virus contrahant, guſtuq; fiant abominabilia, & cuivis ventriculo etiam valenti intolerabilia. Et hæc ratio eſt, cur pharmacopœis incumbat, aquas ſuas diſtillatas in vitreis organis, easque & ſyrupos omnes pariter, lento igne & debito tempore conficere: Et cum divino beneficio chymicè præparatorum ex vegetabilibus, animalibus & mineralibus medicamentorum, motus patrum memoriâ reductus ſit, ante omnia hujus artis gnarum, in eaque exercitatiſſimum oportet eſſe pharmacopœum.

19 Lex Decima jubet pharmacopœum ſingulis menſibus, aut ſæpius omnia perluſtrare, & diligenter conſiderare, inveterata Phyſico & Medico loci oſtendere, nihilque horum celare, corrupta verò, muſcoſa, exſoleta, & quovis modo inutilia & virtute caſſa, atque inefficacia bona, ſive rejicere, nec lucrum rei ue familiaris incrementum ex eo quærere, unde ægri ſalus & medici æſtimium pellundatur.

20 Undecima Lex ſeverè præcipit, ut poſt has privatas, menſtruis ſpatiis factas luſtrationes, ſolemnis *totius officinæ pharmaceuticæ viſitatio*,(4) auſpicio & auctoritate Magiſtratus, Medicis ad unum omnia remedia inſpicientibus & examinantibus quotannis, ſi non bis, ad minimum tamen ſemel celebretur & peragatur.

21 Duodecima Lex flagitat à pharmacopœo, ut miniſtros artis pharmaceuticæ gnaros probeque in eâ verſatos & doctos conducat, non hiſtriones, plumatos, criſtatos, aut errones, & ſycophantas & quales plerique hujus gentis paſſim advolare ſolent, bibulos, ventoſosque Thraſones, ſodalitiis deditos, aut alia illicita & inhoneſta ſequentes. Neque ullum recipiat vel admittat miniſtrum in officinam, quin à Medicis examinatum, ſufficiensque vitæ, morum & profectûs teſtimonium edentem, & fidelitatis juramento ſeſe obſtringentem.

Decimâ tertiâ Lege præcipitur Pharmacopœo docto & fideli, ut in omnibus medicinam concernentibus rebus, Medico debitum præſtet obſequium, & nequaquam hoc ſibi ſumat, ut in ulla quapiam recepta à Medico ſcripta, pro ſuo arbitratu quippiam mutet, diſpungat, inſerat aut alia ratione vel modo, inconſulto & inſcio Medico evariet, & quid pro quo ponat. 22

Decima quarta Lex jubet, nullas excipere receptas absque Medici præſcripto & manu: 23
in receptis ſi quid occurrit, quod non intelligit, vel minùs aſſequatur, vel ſit, de quo dubitet, Medicum adeat, explicationem & enodationem rei poſtulet, &, quid faciendũ ſit, percunctetur.

Lege decimâ quintâ ſolemniter cautum eſt, ne pharmacopœus falcem in Medicorum meſſem immittat, nec morborum curationes aggrediatur, aut purgantia pharmaca, vel cujuscunque generis alia cuipiam propinet, aut inconſulto inſcioque Medico adhibeat. Proinde in practica ſe nullo modo intromittat, ſed opem petentes ad ordinarios Medicos deducat. Sed nec alium modum uſurpandi medicamenta, quàm qui à Doctore medico ſit datus, ægro perſuadeat, uti vulgò glorioſi & plus naſi habentes myropolæ faciunt, dicentes, ſumat duplum iſtius remedii, quia nimis debile, aut dimidium, quia ſit fortiſſimum. 24

Lex decima ſexta ſeriò injungit pharmacopœo, *ut nulli mortalium venena*,(5) qualia arſenicum, mercurius, & id genus, deleteriâ vi prædita ſine Doctoris medici, aut eorũ, qui ex ſenatorio ordine inſpectioni pharmacopolii præfecti ſunt, conſenſu, divendat; quod & in electivè purgantium venditione obſervare tenetur. 25

Decimâ ſeptimâ Lege edicitur, nulli indocto, empirico, tonſori, hiſtrioni, medicamenta hypnotica ſeu ſomnifera, & narcotica vel ſtupefacientia eſſe venumdanda. Pari religione iisdẽ, horumq; ſimilibus, pharmaca mercurialia, antimonia, & turpetha mineralia, vendere cavebit. 26

Decimæ octavæ Legis gravi ſententiâ prohibetur pharmacopœus ulli hominum vendere, *abortum provocantia:* (6) Aut menſes pellentia vetulis & obſtetricibus venundare, niſi propter neceſſitatem à Medico ordinario fuerint præſcripta. Arcana verò & 27

magiſtralia remedia, ab hoc vel illo Medico ſuæ fidei concredita, nulli alii revelet, multò minùs vulgo & Empiricis prodat.

28 Denique cùm frequentiores non adferantur & audiantur querelæ, quàm de quorundam pharmacopolarum iniquitate, & ægrorum loculos emungendi impunitate, rabioſâ avaritiâ, ſapienter à Magiſtratibus Summis lata & data lex decima nona eſt, quâ remediorum omnium, quæ in pharmacopolio proſtant, taxationem, cenſurâ Magiſtratûs approbatam, & typis deſcriptam in publicum emittere, eamque juxta medicamentorū aſcendentia & deſcendentia pretia, quotannis mutatam & renovatam evulgare jubetur.

29 Cæterùm cùm hæc omnia ſtrictè & examuſſim ſervari, legesque pharmacopœis latas haud violari, maximoperè interſit Reipublicæ, & civium omnium ac promiſcuæ multitudinis, nec exigua ſalutis mortalium ratio in hoc cardine verſetur, prudenter à ſummis Magiſtratibus ſancitum eſt, ut ad ea, quæ commemoratis legibus ſunt comprehenſa, ſervanda & præſtanda jurejurando, quotannis renovando, adſtringantur.

APPENDIX.

30 (A) Vom Holtzflöſſen ſingulare Conſilium extat apud Chriſtoph. Beſoldum *conſil. 139. part. 5.* ex quo ingens ad Ærarium fit acceſſio, ſi ſequentia monita Politica & Oeconomica probè obſerventur.

31\. Wegen einer jeden Flöſſe Uber-ſchlager Anführ und Flöſſerlohn mit dem Floß-Meiſter zu dingen/ und das Holtz zum Flöſſen zu rechter Zeit ſchlagen zulaſſen.

Wann die Flöſſe/ als eine Waltnützung/ recht dirigirt und beſtellet werden ſol/ ſo müſſen anfänglich mit dem Floß-Meiſter wegen einer jeglichen Flöſſe/ über das Schlager-Anführ- und Flöſſerlohn/ ſo viel möglich/ zugleich gedinget/ und darüber allzeit richtige Ding-Zettuln aufgerichtet/ und wo zumal von den Bergen/ ohne Anfuhr kan eingeworffen werden/ daß ſolchere Löhn allerdings darnach proportionirt, oder nachdem ſonſt der Ort nahe oder weit iſt/ gehandelt und Lohn gegeben/ zuforderſt aber wol zugeſehen werden/ daß alles Holtz/ welches zu Flöſſen deputirt iſt/ zu rechter Zeit geſchlagen werde/ damit es wol dörren könne/ und mit ſo viel geringerm Abgang geflöſſet/ wie auch der Schlag/ und anderer Höltzer/ ſo zur Flöſſe am Waſſer gelegen/ verſchonet werden möge.

32\. Alle acht oder vierzehen Tage Verzeichnuß zu ordern/ was geſchlagen/ und ans Waſſer gebracht worden.

II. Damit man aber jederzeit ſich recht informiren und wiſſen möge/ wie hoch man mit der vorhabenden Flöſſe aufkommen/ und was man zum Vorlag benöthigt ſey/ auch daß es mit dem Schläger- und Anfürlohn deſto richtiger zugehen/ und die Flöſſen jederzeit deſtomehr beſchleunigt werden. So ſollen ſie ſich alle acht oder vierzehen Tage die Verzeichnuſſen/ was jedes Orts geſchlagen und ans Waſſer gebracht ſey/ übergeben laſſen.

33\. III. Geſtalt ſie dann zu deſtomehrer Beſchleunigung ſolches Vorhabens wegen der Holtzhauer eine ſolche Austheilung bey denen Unterthanen in den Wald-Aemptern/ wie auch andern/ die ſich der Waldgerechtigkeit gebrauchē/ machen und anbefehlen ſollen; damit die fürgenommene Anzahl von eines jedern Orts Unterthanen um den Lohn gehauen/ und dieſelbe um deſto geſchwinder Fortbringung jederzeit darzu angehalten/ und dem Floß-Meiſter abgefolget/ auch/ wo es vonnöthen/ und ſich ſchicken wil/ ſonderbare neue Flöß-Teiche angebauet/ doch darüber zu vorhero die Anſchläge übergeben/ auch dieſelbe ſampt- und ſonders alſo angerichtet werden/ daß ſie durch einen forderlichen Abzug der Flöſſe zu Nutze kommen.

In denen Wald-ämptern/ und an andern Oertern/ die ſich der Waldgerechtigkeit gebrauchen/ die Anzahl der Holtzhauer nach Nothdurfft anzulegen. Neue Floßteiche/ wo nöthig/ anzurichten/ doch zuvorhero den Anſchläg ge zu übergeben.

IV. So bald zur Flöſſe eingeworffen/ muß befohlen werden/ daß ſolches allezeit an die Oerter/ dahin geflöſſet wird/ zeitlich aviſirt/ und mit Vorſetzung gemacht/ auch vierzehen Tage für dem die Flöſſe fortgehet/ Floß Mandata affigirt/ von den Beampten uñ Gerichtsherren darüber halten was darwider peccirt wird/ dem Ausſchreiben gemäß beſtrafft/ gleichwol aber den Flöſſern nicht nachgeſehen werde/ daß ſie die Verbrechere ſelbſten ſtraffen/ oder daß ſich ſonſt jemand anders/ dann die Obrigkeit/ ſo das Flöſſen angerichtet/ der Straff anzumaſſen/ unterfangen möge.

34\. Die Flöſſe an gehörige Oerter bey zeiten zu aviſiren/ und die Teichen vorſetzen/ Floß Mandata affigiren zulaſſen.

V. Damit es aber über das angeordnete Flöſſen deſto ehe und füglicher zur Rechnung kommen/ und man ſehen möge/ ob auch ein billicher Nutz darbey. So ſol der darauf gewendeter Koſten allemal/ ſo offt geſchlagen/ angeführet und geflöſſet worden/ als der ausgezehlte Vorlag/ und die Waldmüt vor das Holtz berechnet/ und gegen die ausgeſetzte Summa deß Holtzes und deſſen gewöhnlichen Werths gehalten/ und hierdurch/ ob ein Uberfluß der Nutzung darbey/ erkündiget werden.

35\. Item daß die Floßrechnung/ um den Nutz oder Verluſt der Flöſſe zu erkündigen eigentlich geführet.

VI. Alsdann auch nicht allein Holtz zu dero Herrſchafft benöthigtem Bauweſen/ ſondern auch bisweiln andern Städten zu Behäuf/ allerhand Lang- und Bauholtz/ Bretter/ Weinpfähle/ Blöcher und dergleichen geflöſſet/ und deßwegen andere ſonderbare Flöſſer beſtellet werden. So iſt ein gutes Aufmercken zu faſſen/ damit nicht allein das zū Bauweſen benöthigte Holtz/ item/ die Blöcher zu den Schneidmühlen durch diß Mittel in die Nähe gebracht/ und nicht auf der Achſen zugeführet/ ſondern daß auch alles zu rechter Zeit ans Waſſer gebracht/ und daran nichts verſäumet/ noch/ wo groſſe Waſſerfluten kommen/ verwarloſet werde.

36\. Item das Bauholtz/ Bretter/ Weinpfäel/ Blöcher mit allein zu der Herrſchafft Nothdurfft/ ſondern auch zu Behueff der ſonderbaren Flöſſen/ ſo in künfftig anzuſtellen/ zu rechter Zeit geſchaffet.

VII. Wann auch vor dero Herrſchafft Hofſtatt Küchen Brenn-Bauholtz zu Flöſſen angeordnet/ ſo muß mit Fleiß dahin geſehen werden/ daß ſolches auf denen hierzu deputirten Oertern zu rechter Zeit geſchlagen/ anbracht/ und/ wo fern immer möglich/ gantz im Frühling/ oder doch halb Frühlings- und die andere Helffte Herbſtzeit auf dem Waſſer geflöſt/ und

37\. Item das Holtz vor die Hoffſtatt/ wofern immer möglich/ gantz im Frühling oder doch

und da es eins Theils Weges auf der Achſen heraus an das Waſſer geführet werden muß/ daß die darzu behůfige Fuhren an gehörigen Oerthern in den Aemptern beſtellet/und nichts verſaumet werde.

halb Herbſtzeit un halb Frühlings-zeit abgeflöſſet.

Item die dißfahls zum theil auf der Achſen nothdürfftige Anfuhr zu rechter Zeit beſtellet.

38. VIII. So dann die Flöſſen alſo verrichtet / muß einer von dero Herrſchafft abgeordnet werden/der das geflöſte Holtz von den Flöſſern nach gelegten richtigen Klafftern abnehme/und hiernechſt verordne/daß das Bötticher- Schindel-und Hartzholtz zuvorgeſondert/und abſonderlich verkaufft(welches imgleichen bey allen andern Flöſſen in acht genommen werden muß.)Item/ daß von dem jenigen/welchem das Holtz übergeben wird/und Rechnung darüber führet ein Bekäntnuß deß Empfangs abgefordert/ und ſolche Rechnung allerdings nach dem Modell geführet/ auch um mehrer Nachricht willen/ alle Monat ein Verzeichnuß eingeſchickt und abgefordert werde/ was und wieviel den Monat über an Holtz abgangen und gelöſet ſey/ damit man nicht allein der gelöſeten Gelder Nachricht haben/ ſondern auch wiſſen möge / was noch endlich verblieben / oder mutmaſſentlich zum Vorrath weiter dahin zu flöſſen vonnöthen ſey.

Das geflöſte Holtz/ nachdem es von den Flöſſern zu Klafftern gelegt/ von jemanden angenommen/ und deme/ ſo die Rechnung darüber zu führen hat/ zugezehlet/ und über die Zuzehlung ein Bekantnuß abgefordert: Item alle Monat ein Verzeichnuß der außm flößholtz beſchehenen Löſung/ und deß darvon annoch vorhandenen Vorraths um Nachrichtung willen/ wann wiederum von neuen anzuflöſſen/ genommen.

39. IX. Ehe dann aber geflöſſet wird / muß die Reche durch die Baumeiſter jederzeit beſichtiget/ un was daran mangelhafft befunden wird/ reparirt/ wie auch die Flößmeiſtere ihre Pflicht und Beſtallung / und daß ſie denſelben emſig nachleben/erinnert und vermahnet werden.

Die Rechen durch den Baumeiſter vor den Flöſſen beſichtiget.

Die Flößmeiſter zu Beobachtung ihrer Beſtallung angemahnet und angehalten.

40. X. Und nachdem die Flöſſen allerſeits jährlich einen ſtarcken Verlag erfordern / welcher deme darzu beſtellten anvertrauet werden muß/ ſo iſt in guter Auffſicht zuhaben/ damit nicht allein dergleichen Perſonen nicht ohne Caution und Vorſtand angenommen/ſondern auch daß allwege nach verrichteter Flöſſe richtige Rechnung gethan und abgelegt werde.

Ben denen/ welchen der Floßverlag anvertrauet/ gnugſame Caution geleiſtet/ und nach verrichteter Flöſſe richtige Rechnung abgefordert werde.

(B) De vitriariis, Glasbrennern und den Aſchenbrennern probè notandum, daß (1) weil zu den Glashütten ein zimliche Anzahl Holtzes jährlich erfordert wird/ ſolch Holtz jedesmals zu rechter Zeit angewieſen/aber keineswegs den Glasmachern / ihres Gefallens ohn Anweiſung zu hauen/ nachgegeben/(2) ordentliche Hiebe gemacht / und (3) alles Holtz nicht nur auf die glatten Stammende geſpalten/ ſondern bis auf die Gipffel aufgearbeitet / (3) das gewöhnliche Klafftermaß gehalten / (4) keine ſonderliche Unterlager gehauen /(5) das Nutzholtz aus den Siebenverhör ausgeſondert / (6) zu dem Wochentlichen Dörreholtz / welches / Vermög ihrer Belohnung / den Glaſſern vergünſtiget/ ihnen nichts als dürre Holtz/und das ſonſt nichts nutzen/gefolget/(7) die Waldröder/ welche ſie zu ihrer Nohtdurfft bisweiln zumachē pflgen /ihnen zugemeſſen und richtig verſteinet/ (8) mit der Hut und Weyde/ſo ihnen Vermög der Belohnung gegönnet/in den jungen Schlägen und Gehägen kein Schaden zugefügt / (9) ihre Hunde auf den Höfen und an den Ketten behalten /(10) das Feur in gute Auffſicht genommen/(11) Holtz / ſo ſonſt zu nutzen / nicht veraſchert/ (12) von den Aſchenbrennern wegen beſorgender Feurs-Brunſt und dero entſtehenden Schaden gnugſame und annehmliche Caution geleiſtet / und (13) dahin geſehen werden möge / daß bey dürren Jahren und Sommerszeiten nicht geäſchert / ſondern daſſelbe jedesmals zu Frühlings- und Herbſtszeit verrichtet werde.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT XV.

Num. 1.

(1) *JUs vini vendendi &c.*] De Jure Oenopolii, vom Weinſchanck-Recht / ut & de *Jure Grutiæ*, vom Flöß-Recht quod alii, *jus traducendi rates & ligna*, alii *jus ligna vehendi in flumine*, & Klockius noſter Jus Gruis appellat, Anno MDCLXVII & LXIX. prodiêre accurati Domini Ahaſveri Fritſchii JCTi & Cōſiliarii Aulici Rudelſt. Schvvartzburgici &c. Tractatus, ex quibus qui plura de hisce materiis, ſtrictim in textu tactis, ſcire avet, facilè petere poterit, quò etiam Lectorem ablegamus.

Num. 8.

(2) *Vitrorum &c.*] Quoniam Plinius *lib. 36. Natur. Hiſt. c. 26.* de vitri origine eleganter ſcribit, ejus ideo verba hîc apponam, quæ hæc ſunt: Pars eſt Syriæ, quæ Phœnice vocatur finitima Judææ, intra montis Carmeli radices paludem habens, quæ vocatur *Cendeura*. Ex ea creditur naſci Belus amnis quinque M. paſſuum ſpatio in mare profluens juxta Ptolomaidem coloniam. Lentus hic currit, inſalubri potu, ſed ceremoniis ſacer, limoſus, vado profundus. Non niſi refuſo mari arenas fatetur. Fluctibus enim volutatæ niteſcunt, detritis ſordibus. Nunc & à marino creduntur aſtringi morſu, non priùs utiles. Quingentorum eſt paſſuum non ampliùs litoris ſpatium; Idque tantùm multa per ſecula gignendo fuit vitro. Fama eſt, appulſâ nave mercatorum nitri è nave ſubdidiſſe. Quibus accenſis permiſta hareno litoris, translucentes nobilis liquoris fluxiſſe rivos, & hanc fuiſſe originem vitri. Mox, ut eſt aſtuta & ingenioſa ſolertia, non fuit contenta vitrum miſcuiſſe: cœptus addi & magnes lapis: quoniam in ſe liquorem vitri quoque, ut ferrum, trahere creditur. &c. Hactenus Plinius, qui *p. p.* vitri flexibilis temperamenti excogitati ſub Tiberio, & ejus inventi artificis necati meminit: de qua re pleniùs ſcribunt Petronius *in Satyr. cap. 38.* Dio *Hiſt. lib. 57. aliiq́.*

Num. 9.

(3) *Qualem deceat eſſe Pharmacopœum &c.]* Confer Jacobi Fabri Tr. de alimentis *pag. 92. 93. ſeqq.*

Num. 20.

(4) *Totius officinæ pharmaceuticæ viſitatio &c.]* Qualis Norimbergæ duobus ex Senatorio Ordine præſentibus, à Decano cæteriſque ex Collegio Medico huic negotio deputatis Doctoribus Medicis magnâ curâ annuè frequentari ſolet. Cùm verò Pharmacopœi tantis ſumptibus tantiſque laboribus officinas ſuas inſtruant, interdiu noctéve ægrotis præſto ſint, opeque medicinalium per DEI benedictionem cum morbo morteque conflictantibus ſæpe vita ſarta tecta conſervetur; Inde in Concurſu creditorum Pharmacopolæ apud nos idem jus habent, quod illi qui ſumptus funerales ſuppeditarunt; ſic ut omnibus aliis creditoribus etiam anteriorem Hypothecam habentibus præferantur. Sive in ultimum, ſive præcedentes morbos pharmaca adhibita fuerint; dummodò tempus, à quo debitum contractum, triennium non excedat. Quod in foro noſtro, propter Senatus Decreta deſuper promulgata, dubio caret, & quotidiana præjudicia confirmant. Atque hanc ipſam opinionẽ in Jure civili fundatam eſſe colligunt Dd. *ex l. 4. C. de petit. hæred. & l. 3. C. de relig. & ſumpt. Funer.* uti cum allegatis Zorer *quæſt. 20. n. 6034. parte 2.* docet.

Num. 25.

(5) *Ut nulli mortalium venena &c.]* Hocque ipsũ juxta Glorioſiſſimi Imperatoris Caroli V. Conſtit. Crim. *articulum 37. §. 2. ibi:* Curandum autem eſt municipiorum Magiſtratibus, Conſulibus, Præfectis & Rectoribus Urbium, ut pharmacopœos, aromatarios, ſeplaſiarios, alióſve, qui venena important, tractant, vænum exponunt, ad fidem dandam adigant, *ne cui ullum venenum citra permiſſum indultúmve ſuum divendant.* Quomodo verò puniendus ſit Pharmacopœus, alicui ſciens & volens ad necandum aliquem, venena vendens vide apud Menochium *de A. J. Q. lib. 2. cap. 369.* Damhoud. *in Praxi Crim. cap. 87.* Gilhauſen *in Arb. Jud. Crim. c. 2. t. 14.* Farinac. *in Praxi Crim. part. 4. tit. 14. quæſt. 102. ſect. 5. n. 142. &c.*

Num. 27.

(6) *Abortum provocantia &c.]* Si enim quiſpiã deliberatò & dolo malo contrà fecerit, & partus animatus fuerit, homicidæ comparabitur & gladio (*ſecundùm Conſtitutionem Criminalem Carolinam art. 133.*) ferietur.

CAPUT XVI.

De Reditu ex Jure Stapulæ, Geranii, & Anchoragii.

SUMMARIA.

2. Reip. *intereſt, res ex navibus advectas tutò deponi & aſſervari, &* num. 2.

3. Jus Stapulæ *à ſtabulo derivat* Bertius *malè; & meliùs à Germanico* Stapeln, num. 4. & 5.

6. *Recenſentur civitates nonnullæ, quæ* jus Stapulæ *habent; &* n. 7.

8. Jus Geranii *differt à jure Stapulæ; & in quo?* n. 9. & 10.

11. Jus Anchoragii *quid? eſt de Regalibus,* num. 12. *uti deductum in cauſa* Máyntz *contra* Hanaw, num. 14.

13. De jure portulaniæ *vel exituræ remiſſivè.*

Ex jure Stapulæ & Geranii lucrum
Atque Anchoragii redit.

1 INtereſt quoque, ut res ex navibus advectæ in horrea commodè & ſecurè deponantur & aſſerventur. Unde Jus Stapulæ, & Geranii Niederlag oder Staffel- und Kran-
2 Gerechtigkeiten: In cujus rei compendium libræ prægrandes machinariæ juxta portum, vel in vicinia exſtrui ſolent, quarum adminiculo onera ex navibus facili labore leventur & extrahantur: quæ pariter & ad naves onerandas conducunt. Horrea quoque publica & capacia, in quibus merces nauticæ tutæ ſiſtantur & ab injuria pluviarum, &c. aſſerventur ac cuſtodiantur, ex quibus omnibus & ſingulis ingens lucrum Ærario accedit. Privilegium Stapulæ, quo inſigniores Civitates ob commerciorum frequentiam, *ex liberalitate imperiali fruuntur,* (1) *à Stabu-*
3 *lo derivat* (2) Petr. Bertius *in tab. Geograph. in deſcriptione Hollandiæ Auſtralis fol. 213. &* *definit eſſe jus* (3) ſiſtendi & retrahendi ad ſe merces exoticas, ut nimirum eo loco ſtabulentur & conquieſcant, donec venditæ ſint.
Meliùs à Germanico Stapeln vocis hujus Etymon deducitur, ut latè dixi *tract. de Contributionib. c. 1. n. 272. verſ. Huc ſpectat.* Tale jus dicitur Dordrechtum Hollandiæ habere *in mercibus exoticis,* (4) quæcunque ſecundo amni importantur. Item Atrebatum Civitas in Francia vina, quæ plauſtris importantur. *Middelburgum* (5) quoq; hujusmodi privilegium ſibi vendicat, in Hiſpanica, Luſitanica, Gallicana. Bertius *dict. loc.* Et de Stapula in Brück/ vide Cranz. *lib. 9. Vandal. lib. 10. cap. 27.* Idem privilegium habet Civitas Paſſavienſis der Niederlag, mercium apud ſe prætervehendarum, de qua olim inter Paſſavienſes & Ratisponenſes in Camera magna fuit contentio, quòd illi ſe privilegiatos dicerent; Daß alle Wahren / ſo zu Paſſau vorüber geführet/ allda ſollen niedergelegt werden/ in qua cauſa ſententia fuit lata XV. Junii MDLIV. Vid. Mynſ. *conſ.* 19.

Civitas Spirenſis (6) obtendit, daß ſie als die dritte und oberiſte Staffel am Rhein von Röm. Keiſern und Königen privilegirt/ alle die jenigen/ ſo Saltz und ſaltzene Wahr/ auch andere Staffel-Güter den Rhein auf zu Schiff führen/ und damit an der Stadt Speyer Geſtadten ankommen/ mit ſolchen Gütern daſelbſt auffkehrẽ/ ausladen und damit Staffel-Recht halten/ auch dem Kauffhaus ſein Gebührniß und den Uberſchlag davon entrichten müſſen. Et cùm in hoc jure ab Electore Palatino turbaretur, Man-

Mandatum ſine clauſula VI. Aug. Anno
MDLXXV. impetravit, quod extat in Sym-
phor. *tom. 2. part. 3. tit. 18.* Super hoc jure
der Niederlag reſpondit Nic. Everhar. Jun.
conſ. 9. lib. 1. Elpert. Leonin. *conſ 67. num. 2.*
quo loci ſcripſit, etſi jure gentium negotiati-
ones & commercia ſint liberrima, tamen
Dominos terrarum & civitates, per ſe ipſas
regentes, facere edicta, datia, & gabellas a-
liaque ſimilia imponere ac ſtationes inve-
hendarum mercium conſtituere, poſt Bald.
& Salic. *in l. cum proponas C. de naut.* Angel.
conſ. 290. Subjicitque Leonin. uſum atque ex-
ercitium Stapulæ iis juribus annumerari,
quæ bannalia vocant Interpretes, quorum
vis ex obſervatione dependet; *non* tamen
ſub jure Stapulæ *comprehendi neceſſitatem
vendendi in loco*, (7) ubi exerceri conſuevit
jus Stapulæ, quod propriâ ſuâ vi & ſigni-
ficatione ſolum appulſum & exoneratio-
nem ſemel faciendam comprehendit, nul-
lumque aliud vinculum aut neceſſitatem
mercibus injicit, Leonin *d. conſil. 67. in fin.*
quantumvis videlicet de ſpeciali obſerva-
tione in contrarium non conſtat. Leonin.
ibid.

8 Diverſum eſt *jus Geranii* (8) vel menſura-
tionis à jure Stapulæ Elbert. Leonin. *conſ. 7.
n. 10. & conſ. 8.* cum hæc reſpiciat principa-
liter commercia & utilitatem emporii ſeu
oppidi, cui hoc jus Stapulæ conceditur. Per
9 hujusmodi autem Geranii & menſurationis
onera, aliasq; proviſiones utilitati vectigali-
um adverſus fraudes mercatorũ providetur,
non impeditur tranſitus aut nogotiatio vel
navigatio, ſed utilitati Reip. & Principis pro-
ſpicitur, & ad magis conſervandam juſtitiam
in commerciis & ad removendas fraudes hæ
proviſiones pertinent. Nec obſtat, quòd im-
pedimenta navigatione ſeu tranſeuntib. præ-
10 ſtari non debeant, quia intelligitur, quando
indebitè quid in flumine ripáve ejus fit, quò
pejùs navigetur, aut quando absq; authorita-
te Principis naves ſiſtuntur, morantur, aut
nova vectigalia imponuntur: Secus in his,
quæ fiunt authoritate ſummi Principis, idq;
ex cauſa juſta & probabili, & Reipubl. ad oc-
currendum fraudibus neceſſaria; adeò quod
ſi quando contingat occaſione Geranii vel
menſurationis moram aliquam exteris mer-
catoribus injici, hoc tamen puſillum ſit, eique
utilitas publica Principis & univerſæ Reip.
præponderare debeat, cui expedit multis de
cauſis in initio provinciæ hanc Geranii ac
menſurationis ſtationem conſtitui, ita ele-
ganter Leonin. *d. conſ. 7. num. 10. vid. eund.
conſ. 8.*

Sic & hodiè anchoras alienis litoribus ſine 11
Principis conceſſu non licere injicere, ex ali-
is probat Bodin. *lib. 1. de Rep. cap. 10. mihi
fol. 68.* Utcunque eadem olim juris gentium
fuerint. Et pro Albergo (quod accipio de
ſtatione navium) ſolvi jus anchoragii, innuit
Afflict. *in cap. 1. verb. Portus n. 2. in fin. quæ
ſint regal.* Cujus *juris anchoragii*, (9) & quòd 12
ſit de regalibus, meminit Roman. *conſ. 271.*
Marin. Freccia *de feud. lib. 1. de officio Admi-
rati maris n. 22 fol. 38.* qui & de jure portu-
laniæ vel exituræ ſubjiciunt: de quo etiam 13
vid. Sigiſm. Loffred. *conſ. 24. in princ.* Joan.
Vinc. de Anna *ſingul.* 587. Carol. Tapia *in l.
fin. part. 1. cap. 2. n. 57. ff. de Conſtit. Princip.*
Camill. Borell. *ad Pet. Bellugæ Speculum Prin-* 14
*cip. rub. 1. de curia tit. in verbo Imperium, ubi
dixit*, quòd Dominus terræ, in qua eſt por-
tus, non poteſt exigere jus exituræ vel An-
choragii, cùm ſit de regalibus, niſi ſpeciali-
ter à Principe expreſſum fuerit, quia cenſe-
tur reſervatum, poſt Roman. *d. loc.* uti hoc
latè deductum in cauſa Mäynz contra Ha-
naw-Müntzenberg ein von Hanaw prædentir-
tes Marckſchiff auf dem freyen Mäynſtrom be-
langend.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT XVI.

Num. 3.

(1) EX *liberalitate Imperiali fruuntur &c.*] Quomodo hoc Jus ſummi Imperii eſſe & ad Regalia pertinere tradunt Regner. Sixtin. *de Regal. cap. 5. n. 229.* Chriſt. Beſoldus *de J. Majeſt. ſect. 3. c. 8. n. 10.* & in Theſ. Pract. voce Staffel-Gerechtigkeit. Limnæus *de J. P. l. 1. cap. 9. n. 129. ſeqq.* Indeque Principes, quando flumina publica elocant, vel aliis modis aliquibus concedunt, in ſignum ſuperioritatis ſolere reſervare *Jus ponendæ Stapulæ*, Franc. Stypmann *de Jure Maritimo & naut. part. 2. c. 5. n. 120. ſeqq.* & Joh. Loccenius *de Jure marit. l. 1. c. ult. §. 7.* tradunt. Indeque nemo Jus ſiſtendi merces propriâ ſibi authoritate attribuere poteſt; ſed illud certis modis, veluti ſpeciali Superioris, in Imperio noſtro Cæſaris, conceſſione (Knipſchild *de Jure & Priv. Civit. Imp. lib. 2. c. 4. n. 24.*) aut immemoriali non interruptâ præſcriptione, aut ex pactis liberarum Civitatum acquirere debet. Zepper *Diſcurſ. Jurid. tit. 10. de Jure Stapulæ n. 17. 18. ſeqq multis.* ubi *n. 35.* obſervandum monet: quòd privilegia Stapulæ gradus ſuos habeant, & aliquando plenius, aliquando minùs plenum Jus contineant. In nonnullis ſiquidem Civitatibus requiri, ut certo tempore merces venum exponantur, quo elapſo merces, poſtquam vectigalia exſoluta ſunt, ad alium quemcunque locum evehi poſſe. In quibusdam locis nullam neceſſitatem eſſe vendendi, ſed ſolummodò merces exonerari oportere, & vectigal ſolvi. Aliquando ad certas tantùm merces hoc jus ſeſe exporrigere. Indeque difficillimè definitio aliqua Juris Stapulæ omnibus numeris abſoluta dari poterit.

(2) *A Stabulo &c.*] Cùm verò hæc notatio quibusdam viſa fuerit nimis longè petita eſſe, nec huic argumento ſatis conveniens; Alii, ut Hadrianus Junius & Guicciardinus *in deſcriptione Belgii* vocem Latinis haud cognitam, purè

puteque Gallicæ originis eſſe putarunt, à verbo *Eſtable* eam deducentes. Recentiores verò plerique illud à *Stapeln* (quod ſecundùm D. Marquardum *de J. Mercatorum lib. 2. cap. 6. n. 12.* merces exponere & iterum compingere ſignificat) voce Saxonis uſitatâ cum Authore noſtro deducunt Werdenbergen *de Rebuspubl. Hanſeatic. part. 3. cap. 20.* Schoockius *Fœder. Belg. lib. 4. cap. 9.* Aliàs STAPLUM tribunal ſive forum ſignificat, ſicque *Staplum Regis* in LL. Ripuariorum *tit. 33. §. 1. Tit. 67. & Tit. 75.* Lindenbrogius *in Gloſſario ad Codicem LL. antiquarum* explicat per illa: **Im Stapel ſitzen und öffentlich Gericht halten.**

(3) *Definit eſſe Jus &c.]* Zepperus *d. diſc. n. 8.* definit Jus Stapularum: privilegium ſeu poteſtatem merces aliunde invectas ab inſtituto curſu retrahendi, & in ſuo foro ſiſtendi ſingulari beneficio certis Civitatibus competens. Hadrianus Junius itidem *in Batavia cap. 17. pag. m. 417.* deſcribit, quòd ſit privilegium beneficiariæ Urbi collatum, ſiſtendi & ab inſtituto curſu retrahendi merces exoticas, quas negotiator improbat, ut nimirum eo loco ſtabulentur (ſi ad vocis originem alludere licet) ac conquieſcant, quo venum proſtituantur quavis tandem conditione, niſi damnoſam venditionem cauſatus, vel meliorem aliunde lucri auram olfaciens inſtitor vectorque malit recurrere, unde venerat, & ubi domicilium habet: quod illi integrum eſt & liberè facere licet, etiam non perſoluto ſtato portorio. Verùm, ut dixi, cùm ſtapulæ jus nunc pleniùs, nunc reſtrictiùs huic vel illi civitati competat, ideò talis definitio hujus Juris haud conſtitui poterit, quæ ſe omnibus quadret.

Num. 5.

(4) *In mercibus exoticis &c.]* Non tantùm in unum genus, vina nimirum Germanica, quæ ſecundo Rheno Moſaque deportantur, ſed in cerealia etiam quæcunque ſemina & lignorum carbonumq; ſtrues, & ſi quæ ſunt aliæ illius generis merces, vectoriis navigiis è Gelris Cliviisque convehi ſolitæ, jus ſuum extendit Durdrechtum. Hadr. Junius *d. loco pag.* 418. Impetravit verò Dordracum ſive Durdrechtum, primaria Hollandiæ Civitas, jam olim hoc Stapulæ Jus ab Hollandiæ Comite (ut Schoockius *in Belgio Fœder. lib. 4. cap. 9.* docet) Johanne I. Anno MCCXCIX. confirmantibus illud poſteà Johanne II Anno MCCC. Wilhelmo IV. Anno MCCCXLIV. multisque ex ſubſequentibus Præfectis. Quamvis verò inſpectores hujus Juris eo in præjudicium vicinorum poſtea abuſi eſſe videantur, ita ut debuerint de Dordracenis conqueri apud Carolum V. Imp. hic ipſe tamen Anno MDXL. ſpeciali Diplomate illud confirmavit, conceſſo illius exercitio Dordracenis ſub certis conditionibus &c. Interim hoc ipſum Jus tam ſolenniter Civitati huic confirmatum hodie parum emolumenti eidem conferre, mercaturâ olim ampliſſimâ paulatim collabente, autumat Schoockius *ibidem.* Adde Leuberi *Diſquiſ. plenariam de J. Stapulæ Saxonicæ adverſus Magdeburg. n. 297.* ubi & LL. Stapulæ Dordracenſis recenſet.

Num. 6.

(5) *Middelburgum &c.]* Notat *d. loc.* Schoockius, Medioburgo huic, metropoli Walachriæ in Zelandia, hodie hoc jus integrum haud manere, Amſtelodamenſibus & Roterodamenſibus vina illa pariter ingenti copiâ quotannis ex iis locis, ubi naſcuntur, deportantibus. Hæc ille, ubi ſimilia Stapulæ jura & Groningam & Hardervicum habere obſervat.

Num. 7.

(6) *Civitas Spirenſis &c.]* In Imperio Romano-Germanico ad Rhenum tres reperiuntur Civitates, quibus hoc Jus **der Staffel oder Niederlag** conceſſum, quas appellitare conſueverunt, **die drey Staffel am Rhein**, Colonia Agrippina, Moguntia, Spira. Ad Moſellam hâc Immunitate reperitur dotata Treviris. Ad Danubium ibidem tres reperiuntur Civitates, Ratiſpona, Ingolſtadium, & Paſſavium. In Viſurgi unica Brema Jus hoc prætendit. In Albi duæ ſunt Civitates, quæ acriter pro hoc jure Stapulæ ſingulari præ cæteris pugnant, Hamburgum, & Magdeburgum. Præterea hoc jure gaudere omnes ferè Metropoles Imperii ad flumina ſitas, putat D. Marquardus *de J. Mercat. lib. 2. cap. 6. n. 28.* qui de omnibus jam enumeratis Stapulis *à numero inde 16.* agens videatur. Milteburgicam quoque Stapulam ad Mœnum ab Archi-Epiſcopo Moguntino ſuperiori ſeculo intenſam in Auguſtanis Comitiis Anno MDC. haud parum negotii faceſſiſſe, ex actis Comitialibus patet.

(7) *Non comprehendi neceſſitatem vendendi in loco &c.]* Triplex autem Stapulæ communiter formatur Jus. I. Quod jubet tantùm exonerare merces & ſolvere vectigal, quod minùs plenum. II. Quod habet annexam vendendi neceſſitatem, quod & Emporii Jus (Hœnon *diſp. pol. 5. theſ. 98.*) & plenum dicitur. Et III. Quando Princeps Mercatoribus certis vel etiam Univerſitatibus copiam facit merces ſuas in certum locum deferendi. Si quando igitur quæſtio de præciſa neceſſitate vendendi Juri Stapulæ connexo ſuboriatur, meritò cum Marpurgenſibus *Conſil. 18. num. 73. vol. 4.* ad verba Privilegii aut longiſſimam conſuetudinem recurrendum eſſe putarim, ex iisque deciſionem petendam, adeò ſi in privilegio venditionis neceſſitas omiſſa ſit, nec jure ad eam adſtringi mercium dominos, inſtitores, &c. poſſe. Plura qui de Stapulæ Jure ſcire cupit, præter à Klockio citatos, Bertium, Cranzium, Mynſing. Nic. Everhardum Jun. Elpert. Leoninum &c. & à nobis laudatos Dn. Marquardum, Junium, Schoockium, Limnæum, Stypmannum, Loccenium, Zepperum, Werdenhagen, Leuberum, Magdeburgenſes, &c. evolvere poterit Knipſchildium *de Jur. & Privil. Civit. Imper. lib. 5. cap. 22. n. 37. ſeqq.* Wehnerum *in Obſerv. Pract.* Beſoldum *in Theſ.* & Speidelium *in Speculo, voce* **Staffel-Stapel-Gerechtigkeit.** Rolacorbium *Tr. Forenſ. cap. 85.* Franciſcum **Pfeil** *Conſil. 190.* Chriſt. Beſoldi *Conſil. 3. vol. 1.* Conſil. Argentor. *vol. 2. Conſil. 62. q. 4. & 5.* Henning. Gœden *Conſil. 3.* Limnæum *in Annot. ad Capitul. Cæſar. pag. 706.* Gryphiandrum *Oeconom. legal. lib. 1. cap. 24. num. 65. ſeqq.*

Num. 8.

(8) *Jus Geranii &c.]* Procul dubio ab inſtrumento illo tractorio ad flumina & portus collocati, quo facili negotio vaſa mercibus repleta navibus extrahuntur iterumque imponuntur, (Germanis **ein Kran**) de cujus notatione & ori-

& origine vide Loccen. *de J. maritimo lib.* 1. *c.* 10. § 2.

Num. 11.

(9) *Juris Anchoragii &c.*] De quo Jure agit Fr. Stypman. *Cont. pag.* 5. *Jur. Naut. cap.* 2. *num.* 14. *ſeqq.* Loccenius *de Jure marit. lib.* 1. *cap.* 8. §. 8. & 9.

CAPUT XVII.

De Compendio Fiſcali ex ponderatione mercium, Waggeld.

SUMMARIA.

1. Publica libra *in Republ. uſus eſt: opus ponderum & menſurarum Archetypis, quibus merces taxandæ,* num. 1. & 2. *Horum jus ad merum imperium referendum,* n. 3.

4. Belgæ *noluerunt admittere* gemeine Maß und Gewicht.

5. Authores, *qui de ponderibus & menſuris ſcripſerunt.*

Ut lance merces ponderentur, intereſt:
Pro quo labore quis neget Fiſco lucrum?

1 EXpedit etiam Reipublicæ vel Civitati, *publicam libram habere*, (1) & pondera & menſurarum archetypos, quibus Magiſtratus penſionem pro ponderatione mercium percipere ſolet, Waggeld. Ad taxationem enim mercium juxta pondera, menſuræ & numeri ſpectant; de quibus dicam latiùs infrà cap. 36. Ponderum verò & menſurarum determinatio conſiſtit in prudentia Principis & Magiſtratus Politici, quod & lex divina exigit, & contrà falſas menſuras prohibet: Et nemo conſti-
2 tuere poteſt normam & gnomonem, niſi Jurisdictionem habeat; qui ſi eſt inferior, formam & pondus ex archetypo Principis deſumere obſtringitur, *arg. l. modios C. de ſuſcept. & arch. lib.* 10. Inde pondera,
3 menſuras, hisque ſimilia ad jus Superioritatis, & merum Imperium referri, tradunt Guid. Papa, Carolus Tapia, & alii *dicto cap.* 36.

Inde quoque videmus in optimis Politiis prototypos ponderum & menſurarum publicè exponi & affigi, nec non ſignaculis Civitatis inſigniri, mit dem Stadtzeichen.

Multum itaque contulerit, à Principe curari, ut ſub æquali pondere & menſura commercia in univerſo ſuo territorio exerceantur, & menſuræ & *pondera ſint unius generis.* (2)

Belgæ tamen noluerunt admittere 4
eine gemeine Maß und Gewicht / ne ſeptendecim Provinciæ, quarum quælibet ſingularia privilegia habet, uniantur, & in unius Regni formam ſuppreſſis ſingularum Provinciarum immunitatibus redigantur; Eman. Meteran. *lib.* 2. *Hiſtor. Belg. pag.* 56. *col.* 1. *in princ.*

Qui plura quoad pondera & menſuras 5
deſiderabit, *adeat Voluſium Metianum,* (3) & Georg. Agricolam *in lib. de Ponderib.* Guil. Budæum *de Aſſe.* Petr. Gregor. Tholoſan. *in Syntagm. art. mirabil. lib.* 16. *cap.* 12. & 13. Joan. Marianam *lib. ſingulari de ponderibus & menſuris, typis Wechelianis An.* 1611. *Francofurti edit.*

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT XVII.

Num. 1.

(1) PUblicam libram habere &c.] Quales Norimbergæ duæ exſtant, die ober und untere Wag/ in quibus merces omnes paulò majoris ponderis appenduntur. Quò verò eò meliùs procedatur Duo, Senatorum Officialibus in ſpecie propoſiti ſunt, quibus cura ſumma demandata eſt, minor denen Wagbeamten / Wag- und Zeichmeiſtern relicta manet, qui das Waggeld/ ratiociniis obnoxii recipere ſolent, aliisque rebus inde dependentibus præſunt. Quibus accenſenda quoque libra ad librandum fœnum, vulgò die Heu-Wag / ubi primùm vi rotæ cujuspiam machinis currus cum fœno in altum ſublatus, ab altera parte libripendentis ponderibus appenſis ponderatur.

Num. 3.

(2) *Pondera ſint unius generis &c.*] Sic pondera & menſuras nonnulli inter Regalia referunt; & eſſe conſequens cenſent ſummæ territorialis Jurisdictionis, Beſold. *de Jur. Majeſt. cap.* 8. *num.* 9. Andr. Knichen *de ſublim. & reg. territ. jur. c.* 4. *num.* 230. *& ſeqq.* Indeque qui in alterius territorio pagum, oppidum &c. poſſidet, promptamque cupit habere probationem ſe de territorio non eſſe, ſingularibus ſtatutis circa ſucceſſiones non ſolùm aliasque conſimiles cauſas, ſed & ponderibus, menſuris &c. & à vicini Principis diverſis uti debet. Dn. Marquard *de J. Mercat. lib.* 4. *c.* 5. *n.* 25.

Num. 5.

(3) *Adeat Voluſium Metianum &c*] Et præter hos Danielem Angelocraterem, Jacobum Capellum, Heniſchium *de Aſſe. &c.* Dn. Myleri Metrologiam, Goldaſtum *in Catholico rei monet.* Eduardum Bredewod. Ariſminum Tepatum *Deciſ. tit.* 175. *&c.*

CAPUT XVIII.

Compendium Fiſcale ex Area.

SUMMARIA.

1. *Intereſt* Reipublicæ, *ne ædium ruinis Civitas deformetur.*
2. *Ideoque ex* areis *deſolatis augetur rectè ærarium.*
3. Ædificia *imperfecta relinqui non debent.*
4. Areas *in hortos convertere, vetitum.*
5. Ædificiorum *collapſorum* area *Fiſco addicitur.*
6. Arearum *reditus.*
7. *Conſiderationes circa privata* ædificia.
8. *Nemo* ædificare *poteſt in deſpectum, vel ad æmulationem vicini,* & n. 9. 10.
11. *Ad* æmulationem *dicitur quis fabricare, quando nulla aut modica ſubeſt utilitas, magnum vero damnum vicini.*
12. *Nemo præſumitur* ædificare *animo nocendi, vel ad* æmulationem, *ſed ad ſuum commodum tantùm: Quod ampliatur,* n. 13.
14. Præſumptio *juris onus probandi contrarium in adverſarium rejicit.*
15. Ædificiorum *ex lege Romana altitudo impoſita.*
16. Statuto & conſuetudine de non ædificando, *niſi ad certum modum & formam, valent,* & num. 17.
18. Conſuetudo ædificandi *juri communi prævalet.*
19. Statutum *prohibens elevationem ædificii ligat forenſem.*
20. Forma ædium *vetus retinenda.*
21. Dominus *ruinoſæ domûs quibus modis & mediis ad refectionem ædificii compellendus?*
22. Solarium *quid?*

Area monſtroſum populoſæ dedecus urbi eſt;
Ergo vel hæredem mutet, vel jura Senatus,
Queis lucro Fiſci ſolidanda lacuna, capeſſat.

CUm Civitatis decor in ædificiorum
1 ſplendore conſiſtat, & Reipublicæ intererſit, ne ædificia incendio exſtincta, vel refectione indigentia, contumaci parcimoniæ ſtudio intercidant. Alphonſ. de Azeved. *in Conſtit. Hiſpan. lib. 6. tit. 6. l.* 18. *num.* 4. & in refectione ædificiorum ruinam minitantium decus urbis conſideretur, cujus favore multa permittuntur adversùs ordinarias juris regulas, Petr. Barboſa *in l. Divortio* 8. §. *fin. mihi* 122. *fol.* 658. *ff. ſolut. matrim.* ædificatoriis legibus ſubditi, anni ſpatio ruinas ſiſtere, domosque, horrea & ſtabula reſtaurare, atque ab interitu vindicare jubentur, atque in hortos convertere prohibentur: Im-
2 morigeri plectuntur; mulcta Fiſco infertur: Domus dirutæ vel areæ vicinis proximis venduntur. Sic jure Civili Romano curator publicorum operum circa ædificia invigilabat, & teſte Paulo JCto *in l. 46. ff de damn. infect.* curabat, ut dirutæ domus à Dominis exſtruerentur, *l. 8. C. de ædific. privat.* & ne ruinis deformaretur aſpectus Civitatis, & in publico ædificata, ſi obeſſent publico uſui, deponerentur, *l. 2. §. ſi quis nemine ff. ne quid in loc. publ.* & cœpta ædificia perficerentur, quod & hoc ad decus urbium pertineat, *l. prætor ait §. hoc interdictum ff. de nov. oper. nunciat.* Multò magis prohibitum, *inconſulto Magiſtratu,* (1) etiam ruinâ dejectam 3
domum in hortum convertere, *l. 3. C. de ædific. privat. lib. 8. tit.* 10.

Ita quoque jure Canonico magiſter viarum poteſtate ſibi conceſsâ dominum do- 4
mûs dirutæ & inhabitatæ compellere poteſt, ut reædificet, vel vicino proximo vendat æſtimatione factâ per peritos: vel ſi duo convicini illâ egeant, utrisque, prout ipſi videbitur alterutrum egere, vel ſi ipſi nolint emere, Syndico Civitatis ex Conſtitutione Xiſti relata à Gregorio Tholoſano *lib. 2. de Repub. cap. 10. n. 4.* Sic in *l. 4. & ult. C. de jure Reip. lib. 11. tit. 29.* Novell. 17. *cap. 1. §. 1.* diſertè cautum, ut lapſorum ædificiorum area Fiſco addicatur. Et rectè. Cur enim non 5
tempeſtivè reſtituit, aut refecit? inquit Cujac. *in d. l. ult.* Sic quoque Imp. *Veſpaſianum quibuscunque permiſiſſe legimus,* (2) ut, ceſſantibus poſſeſſoribus, vacuas areas occupare & ædificare poſſent. In hoc enim publica vertitur utilitas. Arearum eſt reditus *in l. fundi 2. ff. de V. S. l. 20. §. ſi ſublatum 2. ff. de* 6
ſervit. urban. l. 98. §. aream. 8. ff. de ſolut. l. 21. ff. de pign. act.

Circa arearum reædificationem, & in 7
genere circa ſingula privatorum ædificia, hæc in Rebuspubl. benè conſtitutis ſunt ſervanda.

I. Provideant Magiſtratus, ne ſubditi ſuperbè nimis ædificent, ſed intra conditionis ſuæ limites ſeſe contineant. Habeant tamen ornatûs rationem, & à ſordibus abhorreant; De quo planiùs & pleniùs agam infrà *cap. 97.* Præſtat enim Dominum pluris, quàm domum æſtimari.

II. Nemini permiſſum ſit, vel ad æmulationem, vel ad injuriam alterius exſtruere. Secus ſi faxint, mulctantur, mulctæque Æra- 8
rio inferantur. Siquidem ad æmulationem ædificare permiſſum non eſt; *quæ præſumitur,* (3) ſi faciens, vel ædificans nullam ſenti- 9
ret utilitatem, & vicino detrimentum adferret; vel quando is faceret, ut videret mulieres egregiâ formâ ſui vicini, vel ſi ad perſcrutanda vicini ſecreta ædificaſſet, vel ſi vicini eſſent rixoſi & æmuli, prout hæc omnia eleganter propoſuit Menoch. *de arb. judic. quæſt caſ. 156. n. 9. & conſil. 798. n. 8. & lib. 6. præſumpt. 29. num. 22.* Maſcard. *de prob. concl. 620. num. 5. & ſeqq.* Ant. de Padilla 10
in l. altius num. 22. C. de ſervit. & aqua; ubi determinat, illam æmulationis & malignitatis præſumptionem non eſſe levem, ſi ædificans ſoleat injurius eſſe ſuis vicinis, atque

facilis

11 facilis in eorum deſpectum, per Cæpoll. c. 62. verſ. Secundò fallit. de ſervit. urb. prædior. Camill. Borell. conſil. 3. num. 40. Aldovin. conſil. 10. num. 1. & 2. ubi ait, ad æmulationem quem ædificare, quando nulla, aut modica ſubeſt utilitas ipſius ædificantis, & magnum damnum vicini.

Regulariter verò quilibet præſumitur
12 ædificare ad ſuam utilitatem principaliter, & non ad æmulationẽ alterius, Jaſ. in l. ut vim. num. 11. ff. de juſt. & jur. Cæpoll. de ſervit. urb. præd. cap. 39. n. 3. Menoch. d. caſ. 156. num. 9. & lib. 6. præſumpt. 29. num. 1. & conſil. 798. num. 12. Veggius conſil. 53. num. 11. Maſcard. d. concl. 620. num. 1. & 2. Surd. conſil. 127. num. 19. & conſil. 154. num. 14. Aldovin. d. conſil. 10. num. 33. Gail. 2. obſ. 69. num. 30. Boër. deciſ. 320. num. 8. Padilla in d. l. altius num. 22. Rauchbar. lib. 1. quæſt. jur. c. 27. num. 6. Cacheran. deciſ. 17. num. 4. Petr. Anton. de Petra de fideicommiſſ. quæſt. 13. num. 400. Joan. Vincent. Hondedæ. conſil. 80. num. 34. volum. 1. adeò ut alleganti
13 æmulationem probatio ejuſdem incumbat; cùm ædificans in ſuo regulariter pro ſe & ſic juris præſumptione intentionem ſuam fundatam habeat, Gail. d. obſervat. 69. num. 3. quæ onus probandi contrarium in adverſarium transfert, l. generaliter 24. §. ſi petitum 7. ff. de fideicommiſſ. libertat. Cephal. conſil. 130. num. 9. lib. 1. Schrader. conſil. 14. num. 341. lib. 1.

14 III. Ordinata ſit privatarum ædium diſpoſitio, legibusque ædificatoriis ſanciatur, in quantum earum conſtructio, reparatio & firmitas reſpicere debeat vel utilitatem publicam, vel ſplendorem, aut magnificentiam urbis, aut contra, incommodum vel damnum. Qualis lex lata à Trajano Imp. ſtatu-
15 ens, ne domorum altitudo ſexaginta ſuperaret pedes; ob ruinas faciles, incendia & ſumptus (ſi talia contingerent) exitioſos. Vide ad hoc l. 1. C. de ædific. privat. (4) lib. 8. tit. 10. Vitruv. lib. 2. de Architect. cap. 8. Plin. lib. 35. cap. 14. Gregor. Tholoſan. lib. 2. de Republ. cap. 10. num. 2. Nero formam ædificiorum urbis novam excogitavit, & ut ante inſulas ac domos porticus eſſent, de quarum ſolariis incendia arcerentur; easque ſumptu ſuo exſtruxit; Sueton. in Nerone cap. 16. Aliæ leges ædificiorum libertatem dant, prout privatorum commoditas, publicâ non violatâ utilitate, permittit.

Atque hoc reſpectu valere ſtatuta vel
16 conſuetudines de non ædificando, niſi ad certum modum vel formam, firmat Gail. d. obſerv. 69. num. 16. vel omnino non ædi-
17 ficando, niſi cum conſenſu vel licentia Principis, vel ejus, qui altam habet juſtitiam, teſtatur Chaſſanæus loquens de generali conſuetudine Franciæ in Conſuet. Burgund. rubr. de Foreſt. §. 9. & fin. in princ. Et de jure Regum Hiſpanorum Duennas in reg. 32. fallent. 7.
Et dixit Matth. de Afflict. deciſ. 388. num. 1. 18
quòd in meo ſolo poſſim licitè ædificare non obſtante prohibitione: niſi ex privilegio vel conſuetudine quis habeat jus prohibendi, ne altiùs ædificet in ſuo ſolo, & ædificandi conſuetudinem in loco omni juris diſpoſitioni prævalere, poſt Cæpoll. de feneſtr. num. 4. Franc. Marc. deciſ. 498. Caſtrenſ. conſil. 331. volum. 2. apertè ſcripſit Burſat. conſil. 111. num. 17. Quò & inclinat
Maſcard. d. conſil. 620. num. 21. Et Statutum 19
prohibens elevationem ædificii, ſi illud luminibus vicini officiat, ligare forenſem, poſt Bartol. & Cæpoll. voluit Vincent. Hondedæ. conſil. 10. num. 14. volum. 2. Padilla in d. l. altius num. 9. & ſeqq. (ubi ait, conſuetudinem ædificandi ſecundùm præſcriptam formam ligare etiam clericum) cùm hujusmodi ſtatutum cenſeatur reale, vel in rem ſcriptum, Coler. de proceſſ. execut. parte 2. cap. 3. num. 22. Surd. deciſ. 168. num. 7.

IV. Forma ædium vetus retineatur, ne ni- 20
mirum diſcordiis Civium occaſio detur.

V. Dominus ruinoſæ domus vel ædificii
(quod nomen ædificii omnia comprehendit 21
l. 1. §. deinde ff. de cloac. Bart. in l. quò minùs q. 33. in fin. ff. de fluminib.) compellatur indictâ mulctâ vel captis pignoribus reficere, l. Præſes Provinciæ 7. ff. de offic. Præſid. l. ſingulorum C. de ædific. privat. Et ſi adeò pauper ſit, cogatur eam vendere, vel (quod æquius eſt) ſumptu publico primùm exſtruatur, tuncque niſi ſtatuto tempore pecunia cum uſuris reſtituatur, diſtrahatur domus, ut inde Reipublicæ ſatisfiat, l. 46. ff. de damn. infect. Speculat. de ſatisdat. §. fin. num. 2. Joan. Coraſ. in l. finita. §. Julianus. n. 14. ff. de damn. infect. Zaſ. in rubr. n. 16. ff. eod.

Hùc referri poteſt Solarium, quod loco
vectigalis pro ſolo publico pendebatur, l. ſi 22
legatum. §. 1. ff. de operib. public. text. elegans in d. l. 2. §. ſi quis nomine. ff. ne quid in loc. publ. ubi apertè JCtus innuit, tantùm abeſſe ut ædificans in ſolo publico materiæ proprietate, ut ne poſſeſſionis quidem jure mulctetur, impoſito ſaltem ædificandi ſolario, id eſt, penſione pro ſolo publico, Cravetta conſil. 204. num. 18. & conſil. 518. num. 6. Hondedæ. conſil. 18. num. 17. & 58. vol. 2. Petr. Gilken tract. de Impenſis part. 1. cap. 1. num. 32. Jul. Cæſ. Bulenger. de Vectigalib. Popul. Roman. cap. 36.

ANNO-

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT XVIII.

Num. 3.

(1) *IN conſulto Magiſtratu &c.*] Requirit allegata Lex *& vicinorum conſenſum.* Nam eorum quoque intereſt, ædes vicinas reſtitui, quoniam eis fortè debetur ſervitus oneris ferendi; is enim, cujus ſunt ædes, quæ ſerviunt, debet columnam & parietem reſtituere, qui onus vicinarum ædium ferat, *l. 33. ff. de ſervit. urb.*

Num. 5.

(2) *Veſpaſianum quibuscunq; permiſiſſe legimus &c.*] Apud Suetonium *in vita Veſpaſiani cap. 8.*

Num. 9.

(3) *Quæ præſumitur &c.*] Jungè ſuprà à nobis notata ex Heringio, *ad cap. 14. num. 5.* (3.) & ibidem notatos Authores.

Num. 15.

(4) *Vide ad hoc l. 1. de ædific. privat' &c.*] Ad quam legem Gothofredus notat, modum ædificandi ſub Auguſto ad altitudinem LX. pedum fuiſſe definitum, (*Strabo lib. 5.*) hanc altitudinem pòſt cohibuiſſe Neronem (*Tac. 15. Annal. cap. 43.*) quoad modum tamen non conſtare. Certè Auguſti conſtitutionem Trajanum poſtea revocaſſe, teſte Sexto Aurelio Victore &c. Confer Lipſium *de Magnitudine Romana lib. 3. cap. 4.* Hodie in Republica Norimbergenſi vi Reformationis tit. XXVI. leg. 1. ſeq. cautum eſt, ut quilibet domum quampiam exſtruens, niſi pœnam ibidem definitam incurrere velit, inferiores ædium partes ex lapidibus exædificet, lateribus tegat, caminosque non niſi ex lapidibus fictilibus faciat. Altitudo verò ædificiorum ex lapidibus ab area inde tectum usque ad pedes LII. ex lignis ad pedes XLII. urbanos exſurgat, niſi pacta, transactiones, aliáve obſtaculo ſint, quicunque ultra hunc præſcriptum modum ædificaverit, mulctâ XX. florenorum mulctatus in quantum modum exceſſerit, ædes diruere iterum cogatur. Inſuper intra & extra Urbem nemo de novo quicquam exædificare vel areæ deſtructæ ædes vel prædia imponere poterit, niſi antea extra Urbem Præfectus Sylvæ (der Wald-Amtmann) & intra Ædilis fundum aſſignet, quod communiter, den Grund geben/ appellant. Sic ut operarius hoc omiſſo ædificans, L. florenorum pœnam cum infamia incurrat, vi Decreti Senatus de die XVII. Aprilis Anno MDXCII. Similiter Mœniana conſtruere planè interdictum. Quibus aliæ accedunt Leges, quæ in Reformatione Norica Tit. XXVI. von Gebäuen in der Stadt und deroſelben Ordnungen/ expreſſæ continentur. Ubi videre poterit cupidus Lector. Confer quoque Knipſchild *de Jur. & Priv. Civit. Imp. lib. 5. cap. 27.*

CAPUT XIX.

Fœnebre Malum è Republica exterminandum, & mulctæ eo nomine indictæ in Fiſcum transſcribendæ.

MONOSTICHA TROCHAICA.

Fœnerandus condemnandus quadrupli, fur ſed dupli.
Fœnerator eſt benignior nomine, àt re ipſa latro.

SUMMARIA.

1. Fœnebre malum *cenſoriâ virgulâ notandum.*
2. *Experientia teſtatur*, uſurarios *in Contractibus non uti vocabulo mutui, ut uſurariam pravitatem occultent.*
3. Inventâ lege, *inventa fraus legi.*
4. Corſica *Inſula fœnore Genuenſibus redempta.*
5. Alphonſi *Regis Arragon. & Neapol. de fœneratoribus judicium.*
6. Uſura *ab hoſte, non à proximo exigenda.*
7. Pecuniæ *conquirendæ ratio multiplex; Naturalis, Collybiſtica, Fœnebris, & Uſuraria,* num. 8.
9. Fœnus *at uſura quid differat? unde dictum* num. 10. Uſura *unde dicta? n. 11.*
12. Fœnebre, *funebre, & vetus urbi malum; priſcis ſtudioſius cohiberi ſolitum,* n. 13.
14. Fœnerari *ex ſententia Catonis quid?*
15. Fœnus *aſpidis morſus.*
16. Uſurarius *ſimilis vermiculo ligni.*
17. Fœnus *latrocinium & parricidium; &* n. 18. 19. 20. 21.
22. Uſura *hoſtile eſt commercium.*
23. Uſurariorum *& uſurarios juvantium pœna.*
24. Contractus uſurarius *quomodo probetur?*
25. Pignus *datur pro minori quantitate, ac valet.*
26. Sola Modicitas pretii *cum pacto de retrovendendo arguit Contractum ſimulatum & uſurarium.*
27. *Ad probandum* uſurariam pravitatem *in retrovenditione, utrum etiam requiratur conſuetudo fœnerandi in Creditore?* & n. 28.
29. Juſtum pretium *quodnam dicatur, ad quod exiguitas pretii exigenda?* & n. 31.
30. Pretium *& Valor juſtus eſt, quando fructus XX. annis ſortem ipſam exæquant.*
32. Fructus annui, *etiam in modico permiſſum interuſurium in emptione annuorum redituum ſuperantes, reddunt iſtum contractum illicitum, & uſurarium*
33. Reſtrictio temporis *ad retrovendendum appoſita arguit contractum ſuſpectum de fraude uſuraria.*
34. *Quicquid per* denumerationem menſium vel annorum *ſorti accedit, ſupra taxatum à lege uſurarum modum, quomodocunq; etiam vocatur, uſura eſt.*
35. *Num valeat* pactum *retrovenditionis contractui adjectum, quo facultas retrovendendi in arbitrium emptoris confertur? an verò contractum ſimulatum & fœneratitium reddat?*
36. *In* pignore *permiſſum repetere pecuniam, non etiam in retrovenditione,* n. 37.

38. *Quando ſecundùm Receſſus Imperii* pacta de retrovendendo *valeant?*

39. Pactum, *ut periculum rei venditæ pertineat ad venditorem, contra naturam Emptionis & venditionis appoſitum, inducit præſumptionem fraudis & ſimulationis.*

40. *Aliæ conjecturæ, ex quibus* Contractus uſurarius *& ſimulatus præſumitur.*

41. *An* pactum Antichriſeos, *ſi cum Contractu mutui concurrat, licitum ſit, vel uſurarium? Pro Affirmativa,* num 42. 43. 44. *Pro Negativa,* num. 49. *Refutatio argumentorum pro Affirmativa adductorum,* n. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 64. & 65.

45. Antichriſis *licita & conſuetudine approbata,* num. 46. *idq́ ob incertum fructuum proventum,* num. 47.

48. Pactum de lucrandis fructibus *& non imputandis in ſortem principalem an valeat?*

50. Uſura *quid?*

51. Fructus *pignoris ſortem extenuant.*

52. *An pactum Antichriſeos emptioni cenſus adjectum uſurarium ſit, nec ne?* & n. 53.

63. Antichriſis *temporalis & perpetua.*

66. Uſurariorum *& uſurarios adjuvantium pœnæ; eaq́ arbitrio Magiſtratuum relicta,* n. 67. & 75.

68. *Nemini* Principum *licet tolerare* fœneratores.

69. Agis *Dux Athenienſis uſurariorum tabulas combuſſit.*

70. *Prudentium ſeveritas in* fœneratores *ſancta,* & n. 72.

73. Fœneratores *improbi criminaliter extra ordinem judicis arbitrio puniri & torqueri poſſunt.*

74. Uſurarius, *quàm fur vel latro, graviùs puniri debet.*

76. Uſurariorum *fraudes deteguntur.*

77. Frumentum, *vinum vel oleum graviores uſuras admittit, quàm pecunia.*

78. Frumento *vel hordeo mutuò dato, uſuræ ex pacto debentur.*

79. Socidæ *Contractus licitus, dummodò Capitale ſit periculo dantis.*

80. Societatis *ex natura eſt, ut non transferatur dominium, ſed communicetur.*

81. Res *perit ſuo domino.*

82. *An quorundam animalium ſub certa annuali penſione ſine eorundem deterioratione facta elocatio ſit uſuraria?* & n. 84. 85.

83. *De* vaccis & ovibus *ferreis quinam agant?* & n. 86. 87.

88. Uſurarium pactum *non vitiat contractum, ſed pactum vitiatur? Quod quomodò verum?* n. 89. & 90.

91. Ærarium *exhauſtâ civitate evacuatur.*

92. Tiberianæ *artes relatæ.*

Ingens eſt Uſura malum, mala peſtis in urbe,
Impia non aliud tartara majus habent.

FOenebre malum cohibendum, prohibendumque, ne ſpecie penſionis, aut verſuræ, & ſimilium honeſtorum nominum, pecuniæ immodico fœnore augeantur: fœnebribus legibus & pœnis conſtringenda avaritia: néve ex libidine locupletium æris alieni ſolutio agitetur, certus aliquis ſtatuendus modus uſuræ eſt, extra quem nemini fœnus exercere liceat. Nam præcisè fœneratio vetita vias & artes novas fraudis mirè ſubigit, nempe ut in Contractibus Venditiones redituum, Locationes fructuum, Venditiones cum pacto de retrovendendo, fictæ Numerationes, & ſimiles colores prætendantur. Et experientiâ teſte conſtat, quòd uſurarii, omiſſo nomine 2
Mutui, cùm detegat uſuram, utantur nomine Emtionis & Venditionis, ut uſurarios ſuos honeſtent pallientque contractus, poſt Joan. Andr. Caſtrenſ. Alex. Dec. & Ancharanum, Matth. Colerus *conſil.* 28. *n.* 130. Herman. Vultejus *Conſil. Marpurg.* 18. *n.* 20. *volum.* 3. Quod jam olim uſu veniſſe Livius *lib.* 35. *de Bell. Maced.* teſtis; Inſtabat, *inquiens,* quòd Civitas fœnore laborabat, &, 3
cùm multis fœnebribus legibus conſtricta avaritia eſſet, via fraudis inita erat, ut in ſocios, qui non tenerentur, nomina transcriberent. Augustus quoque Cæſar, teſte Tranquillo *in eod. c.* 39. notavit illos, qui pecunias levioribus uſuris mutuati, graviori fœnore collocaſſent.

Bodinus tamen *d. lib.* 6. *c.* 2. *fol.* 1041. 4
refert, Collegium Georgianum apud Genuenſes, quas trientibus, aut ad ſummum ſemiſſibus accipit, eaſdem Principibus ac Mercatoribus graviſſimis uſuris fœnerari; Unde tanta vis pecuniarum coacta eſt, ut Inſulam Corſicam ac prædia publica omninò redemerint. De quo in Capite *de Menſa Argentaria ſubſeq.* plura.

Alphonſus Arragonum & Neapolis Rex 5
ſapientiſſimus, inaudiens, illicito lucro hominibus inſidias à fœneratoribus ſtrui; Fœnus nil aliud, quàm animæ funus videri, dixit. *Damnavit enim univerſam fœnerandi rationem,* (1) quæ planè eſt contra naturæ regulam, cùm ex nihilo nihil gignatur, Anton. Panorm. *lib.* 3. *de reb. geſt.* Idem percontanti, quo apud eum honore eſſent Fœneratores? *Eodem,* inquit, quo *Harpyæ.* Illæ enim ex rapto vivunt, ſicuti & iſti; Panorm. *lib.* 4. Ita & ante eum Auſonius:

--- — *Sic turpia lucra*
Fœnoris, & velox inopes uſura trucidat.

Et Lucan. *lib.* 10.

Hinc uſura vorax, avidumq́ in tempore fœnus,
Et concuſſa fides, & multis utile bellum.

Hinc D. Ambroſius nihil intereſſe dicit inter funus & fœnus, inter mortem & ſortem, & vult

Exigi ab hoc uſuram, crimen quem non eſt occidere.

Ab illo, *ait,* exige uſuram, cui meritò 6
nocere deſideras: cui jure inferuntur arma, huic legitimè auferuntur uſuræ: quem bello vincere non potes, ab hoc uſuram exige. Ergo ubi jus belli, ibi jus uſuræ. Quemadmodum is, qui precibus victus febricitanti

tanti poculum porrigit; exhilarat quidem ægrum brevi tempore, dum id exhaurit; at non longè pòſt acerbiſſimam & decuplo graviorem febrim miſero parit: Sic & qui egeno pecuniam ſub fœnore commendat, neceſſitatem ejus non ſublevat, ſed calamitatem potiùs auget. Non igitur mirum, ſi fœneratores *duplo furibus pejores* (2) priſcis habiti, in quadruplum damnari ſoliti, ubi fures in duplum tantùm; *l.* 2. *C. Theodoſ. de uſur.* certè quòd damnum duplo gravius iſti, quàm illi in Rempublicam inferrent. *Hinc quadruplatores dicti*, (3) delatores, qui fœneratores deferebant, authore Aſconio Pædiano *in divinat.* Borcholt. *tract. de uſur. c.1.n.6.*

Cùm verò ratio conquirendæ pecuniæ
7 multiplex ſit; Naturalis ſcilicet Collybiſtica ſive Campſoria, Fœnebris, Uſuraria; ex his qui juſtior ſit, disquirendum, ut juſtum & utile pari ſemper paſſu ambulent. Naturalis eſt, quæ naturalibus ipſis rebus vendendis comparatur, frumento ſcilicet,
8 vino, oleo, & ejusmodi. Collybiſtica, cum pecunia pro pecunia permutata, ſolâ locorum, ad quæ permutatur, ratione, plus capi, quàm dari contingit. Fœnebris, quæ ex rebus vili emptis, cariùs vendendo corraditur. Uſuraria, quæ ex pecunia in tempus aliquod mutuata, quaſi partus è matre provenit. Prima omnium probiſſima, quòd omnium juſtiſſima: ultima improbiſſima, quòd injuſtiſſima: mediæ plus minus probæ aut improbæ; prout ad hanc vel illam plus minus accedunt. Proinde prima jubenda, mediæ pro oportunitate permittendæ, ultima prohibenda & caſtiganda.

9 Ne verò quæ ambiguitas inſit, quod fœnus ab uſura ſejunxerim, paſſim pro eodem vel ipſis antiquis uſurpari ſolita, elucidationis gratiâ, quid utrumque ſit, aperire juvat. Eſt igitur fœnus, ſi Feſto *de verbis*
10 *veteribus pag. 1273.* credimus, naturalis terræ fœtus, ob quam cauſam & numorum fœtus fœnus vocantur ait; & fœnum pratorum hinc appellatum, quòd id ipſum manens, quotannis novum pariat. Ex quo intelligere licet, fœnus eatenus permitti poſſe, quatenus naturalem quendam modum
11 non excedat. *Uſura autem dicta*, (4) quaſi uſum urens, ſicuti cura cor urens; vel ſolo auditûs nomine exoſa & deteſtanda. Fœ-
12 nebre, ſeu potiùs funebre (tanquam *ſeditionum diſcordiarumq́; creberrimam cauſam*) (5) vetus Urbi malum vocat Tacit. *lib.* 6. *Annal.* 16, *num.*2. Eoque antiquis & minùs corruptis moribus ſtudioſiùs cohiberi ſoli-
13 tum. Nam primò XII. Tabulis ſanctum, ne quis unciario fœnore ampliùs exerceret, cùm antea ex libidine locupletium agitaretur: Quæ ſanctio poſteà *Lege Tribunitiâ ad ſemuncias redacta*; (6) quæ ſenos aureos in annum pro centenis conficit. Quam ipſam ſemiſſis ſummam veluti adhuc mordaciorem, *Antoninus Pius*, *mox & Alexander Severus* (7) ampliùs moderantes, ad trientariam reduxêre, id eſt, quaternos pro centenis in annum. Honeſtus hic modus eſſet, ſi mores impudentiores jam effecti eo contenti eſſent, quod ſperare haud licet, quia vulnera paſſim vel hodiè impunè infligi videmus, quibus miſeri egentes, violentiâ ſcilicet atque crudelitate fœneratorum adacti plerique patriâ, ſed omnes famâ atque fortunis exuuntur. Vetus querela, ſed plaga nova. Quod quid 14
re ipſa ſit, clariùs noſſe ſi cupis, audito ex Catone; qui rogatus, *quid fœnerari?* reſpondit; *quid hominem occidere?* idem ſcilicet fœneratorem, ac homicidam eſſe innuens. Et mirum, quàm aptè ſacrum eloquium à gentilis verbo expreſſum videtur. Ubi enim in ſacris legimus; *Non fœneraberis fratri tuo*, *Deut.* 23. *verſ.* 19. alii ex Hebræo transferunt, *Non morſum inferes fratri tuo: ſeu, non fœnore mordebis fratrem tuum.* Felician. de Solis *tract. de cenſib. l.*1. *c.*5. *n.*1. Unde &

Morſui aſpidis par (8) *omnis numus uſurarii eſt.*

Nam ſicut ab aſpide percuſſus, dulce- 15
dine & ſuavitate quieſcit, donec animam exhalat, quoniam venenum latens per omnia membra diffunditur; ſic, qui uſuras accipit, pecuniâ oblectatur, ſed uſuræ venenum per omnes facultates decurrit, & debitoris ſubſtantiam ſenſim ac quaſi ſine ſenſu exhaurit. Et Baldus *conſil.* 449. *lib.* 3. 16
ait, Uſurarium ſimilem eſſe Vermiculo ligni; quia Vermiculus ad tactum lenis adparet, ſed dentes habet duriſſimos, omne lignum rodentes & devorantes. Pulchrè D. Gregorius Nyſſenus *in Orat. contra fœneratores*: 17
Fœnus, *inquit*, qui latrocinium & parricidium nominaverit, non procul à ſcopo aberraverit, quid enim refert, an clanculum perfoſſis muris, prædonis more aliena habeas, & prætereuntis cæde te eorum, quæ habet, dominum conſtituas, ac fœnoris neceſſitate acquiras ea, quæ ad te non pertinent? O malum vocabulum, fœnus ſit 18
nomen parricidii! ô acerbas nuptias! ô improbam conjunctionem, quam natura quidem non cognovit, avarorum autem morbus in anima innovavit! ô graves & moleſtos conceptus, ex quibus ejusmodi fœtus enaſcitur? Hic eſt ille partus, quem parturiit quidem Avaritia, parit autem Iniquitas, & obſtetricatur Inhumanitas. Hæc ille. Bellè Theodorus Beza *epigrammat.*

Qui mutuando de ſuo, nunquam tuum;
Sed usque & usque, de tuo ſuum facit.
Qui dando ſpoliat, erogando colligit.

Nun-

Nunquam ſerens, qui metere nunquam deſinit.

Quo nulla mundo peſtis eſt nocentior,
Quo nulla mundo peſtis eſt frequentior.

Adde, quòd ſegnis & exitiabilis eſt vita uſurarii, neſcit laborem agrorum colendorum, mercaturam non exercet, ſed uno in
19 loco confidens, immanes domi ſuæ feras nutrit, vult omnia ſibi ſine ſatu & inarata progigni, cui quidem aratrum eſt calamus, ager charta, ſemen atramentum, pluvia tempus, quod illi pecuniæ fructus occultis incrementis adauget & educat, falx illi eſt repetitio, area domus, in qua miſerorum fortunas ventilat. Cùm videt omnia eſſe alicujus propria, imprecatur hominibus ca-
20 lamitates, ut coacti ad ſe confugiant: odit, qui rebus ſuis contenti vivunt, & quos ſibi conſpicatur non eſſe obæratos, in hoſtium numero habet. Aſſidet curiæ & foro, ut inveniat, quem ſors adverſa adfligit. Exactores & procuratores ſemper ſequitur, ut vultures caſtra & acies; circumfert autem loculos, ut miſeris eſcam oſtendat, ut ei ob neceſſitatem inhiantes devorent ſimul uſuræ
21 hamum. Quotidiè numerat lucrum, ſuamque cupiditatem minimè explet. Dolet ob argentum domi repoſitum, quod otioſum eſt & infructuoſum. Imitatur colonos, qui ex acervo frumenti ſemper ſemen petunt, non relinquit miſerandum aurum intactum, ſed ex manu in manum transfert. Aſpicis igitur opibus abundantes ſæpe domi ſuæ ne unum quidem numum habere, ſed omnes ſpes ejus in charta ſitas, omnes fortunas in pactis & conventis: qui nihil habet, & nihil poſſidet, contrario modo Apoſtolicis monitis vitam inſtituens, qui omnia largitur petentibus, non humanitatis, ſed cupiditatis gratiâ, eligit enim pauperiem ad nonnullum tempus, ut pecunia inſtar laborioſi ſervi operans, cum mercede ad ipſum revertatur. Hæc D. Gregor. *in d. Orat. contra uſurarios.*

Quid multis? Hoſtile commercium eſt
22 uſura, & non niſi in hoſtem exercenda, ut dixi ſuprà. Ideoque ô Princeps hoc fœnebre & funebre malum caſtigato, Contracti-
23 bus uſurariis, & Anatociſmo frænum injicito; exceſſivam lucri & legitimorum interuſuriorum quantitatem cohibeto; Emptiones redituum annuorum ad finem rationis quincuncis referto; hunc ad modum quicquid excedit, ſicut & alia illicita & improba pacta, juxta præſcriptum Ordinationis Politicæ Imp. de Anno MCXLVIII. & MDLXXVII. punito; *uſuras quincuncibus majores* (9) exercentes quartâ ſortis parte mulctato; bona eorum, quæ ex uſuris conſtant, veris dominis reſtituto, cætera Fiſco inferto: Furtum enim redhibitione, & confiſcatione punitur.

24 *Contractum autem uſurarium & illicitum eſſe, deprehenditur* (10) *& probatur,* (11) Primò; ſi in Contractu retrovenditionis fides fiat de exiguitate pretii; quæ ſola conjuncta cum pacto de retrovendendo facit præſumi contractum uſurarium & pignoratitium, nec de eo aliter judicandum eſt, ac de pigno-
re. Nam pignus regulariter datur pro mino- 25
ri quantitate, quàm valet, ut Baldus inquit *in l. 1. C. de pact. pign.* & reſtituto pretio licet illud redimere, *l. ſi rem alienam 9. §. omnis 3. ff. de pign. act.* Ideoque, licet ſub ſpecie & figura emptionis & venditionis contractus celebratus eſſet, non tamen figuram contractus, ſed id, quod verè partes agere voluerunt, conſiderandum eſſe, receptum eſt, *l. emptione 3. C. plus valere quod agitur. l. ſi uno 15 §. 4. ff. locat.* cùm cenſeatur dolus quæſitus, & facta fraus de Contractu ad Contractum. Ita Natta *conſil. 198. num. 8.* ubi plures conglomerat. Quibus addo plurimos alios, relatos à Camillo Borello *conſil. 63. num. 9* Menoch. *lib. 3. præſumpt. 122. n. 30.* Anton. Solam *in Conſtit. Sabaud. rubr. de pact. inter empt.*
& vendit. Decreto ex frequentibus primæ 26
partis gl. una num. 5. adſtruentes, duo illa ſola, modicum nempe pretium, & pactum de retrovendendo, arguere Contractum ſimulatum eſſe, & uſurarium. Quam & communiorem dixit Guid. Panzirol. *con. 20. n. 1.* Joſeph. Ludov. *comm. concl. 51. n. 13.* Carol. de Graſſis *de except. tit. 28. n. 12. & ſeqq.* latè Vultei. *Conſ. Marpurg. 18. n 83. & ſeqq. vol. 3.* Marius Antonin. Macerat. *lib. 1. reſol. 34. numer. 4.*

Quantumvis verò ultra pactum de revendendo, & modicitatem pretii, nonnulli Dd. 27
ad demonſtrandam uſurariam pravitatem, requirant conſuetudinem fœnerandi in Creditore, Joan. Vinc. Hondedæ. *conſ. 31. n. 68. vol. 1. & conſ. 33. n. 60. vol. 2.* Laderch. *conſ. 129. n. 8.* Cæſ. Barzius *Deciſ. Bonon. 123. n. 3.* Attamen hoc tertium requiſitum non eſſe neceſſarium, communiori calculo & in Camera Imp. receptum eſt, teſte Mynſ. *3. obſ. 62.* 28
Natta *conſ. 198. n. 19.* ubi addit, plures eſſe, qui tenent, duas præſumptiones ſufficere, quàm eorum, qui requirunt concurſum trium; licèt addat, ſi adſit etiam tertia illa conjectura, rem faceret illuſtriorem; Matth. Coler. *conſ. 29. n. 20.*

Quis autem ſit juſtus valor, ad quem modicitas pretii exigenda, non usquequaque 29
expeditum eſt. Sunt, qui definiunt, juſtum pretium illud eſſe fundi, cujus fructus per viginti annos deductis expenſis 30
conficiunt & adæquant ſortem ipſam, quod eſt, ad rationem quinque pro centenario; Covarr. *3. reſolut. cap. 9. num. 5.* Pinel. *in l. 2. p. 2 c. 4. n. 29. C. de reſcind. vend.* Matth. Col. *de Proceſs. Execut p. 3. c. 9. num. 129.* Pedroch. *conſ. 36. num. 48.* Cravett. *conſ. 940. num. 7.* Menoch. *conſil 358. num. 20.* Burſat. *conſil. 84. num. 19. & conſil. 184. num. 16.* Petr Ca-

ball. *conſ.* 145. *num.* 211. Joſeph. Ludovici *Deciſ. Peruſin.* 65. *num.* 14. Franciſc. Merlin. *deciſ.* 33. *num.* 21. Sed Molinæus *tract. commerc. de pretio redituum q.* 5. *n.* 118. taxat hanc doctrinam, tanquam falſam, cùm ſecundùm eum nullibi in jure reperiatur determinatum certum, commune, juſtum & adæquatum pretium fundorum; quod etiam impoſſibile eſt, cùm ſit facti, & volubilis cujusdam viciſſitudinis ab incertis infinitarum cauſarum & circumſtantiarum caſualibus dominiis dependentis. Hæc ille *d. loc.* ubi determinat juſtum pretium reditûs re-
31 dimibilis eſſe uſuram trientem de jure communi, hoc eſt, quatuor annua de centum. Quod latè proſequitur idem Molin. *n.* 121. 122. 123. *&* 124. Fatetur tamen, juſtiſſimè pariter, & prudentiſſimè, ac ſumma cum æqualitate in Conventibus publicis Statuum Imperii Germaniæ ſolenni decreto nobiliſſimæ illius Politiæ, permiſſum eſſe, ut centum florenis emantur quinque floreni annui reditus, declaratumque ibidem eſſe, ſi minori pretio emerentur, illum quæſtum uſurarium & illicitum fore. Cui conſequens eſt, ſufficere ad probandum Contractum
32 uſurarium, ſi fructus annui in quocunque etiam modico ſuperent permiſſum interuſurium, puta quinque in centum, idq;, haberi pro illicito & uſurario ac ſubjacere reſtitutioni, ac pœnis in fraudem uſurarium adjectis.

Secundò reſtrictio temporis ad revenden-
33 dum appoſiti, quo finito demum, & non priùs jus reluendi competere debeat venditori, arguit contractum ſuſpectum: de fraude uſuraria tex. *in c. ad noſtram* 5. *extr. de empt. & vend.* ubi rationem præſumpti Contractus uſurarii Pontifex fundat ex eo, quòd creditor debitori promiſit, quandocunque à ſeptennio usque ad novennium recepto pretio reſtituere ſuos fundos & olivas: Et ſic jus redimendi non erat in poteſtate venditoris ante ſeptennium, quòd eſt contra *l. ſi fundum* 2. *C. de pact. int. empt. & vend.* adeoque præſumunt leges circa hoc pactū revendendi limitatum ad certos annos, ita quòd antè redimere venditori non licet, contra emptores, quaſi videlicet medio tempore pro parva ſumma pecuniæ voluerint ultra ſortem percipere magnam quantitatem lucri, & quidem exceſſivam legitimorum interuſuriorum. Abbas *in d. c. illo vos n.* 6. *ext. de uſur.* Cùm quicquid per dinumeratio-
34 nem annorum vel menſium accedit ſorti ſaltem ſupra taxatum à lege modum uſurarum, illud indubitatè uſura meritò dicatur, quomodocunque blando vel pio vocabulo intereſſe, emptionis, vel aliter coloretur.

35 Tertiò ſi facultas repetendi ſortem emptori reſervetur, quid aliud, quàm pignus & contractum uſurarium celebratum dicas? Cùm Clauſula hæc pignori tantùm conveniat, ubi permittitur repetere pecuniam, cujus nomine res pignori eſt data, tex. *in l.* 36
unus verb. quod ab eo perſonali actione peti potuit C. de diſtr. pig. Weſ. *conſ.* 8. *n.* 23. non etiam congruat retrovenditioni, in qua emptor abalienat pretium, & numos facere de-
bet venditoris, *l.* 1. *ff. de rer. permitt. l. ſi ſervos C. de act. empt.* nec repetendi poteſtatem habet; Molin. *de uſur. q.* 11. *n.* 57. 37

Neque enim aliter permittitur pactum 38
de retrovendendo, niſi poteſtas reluendi ſit perpetua, & in voluntatem ac arbitrium ipſius venditoris collata, uti probant Conſtitutiones Imperii de An. 1500. 1521. 1530. 1548. & 1572. ſub titulo; Reformation-Güter/ Policey/ in quibus diſertè tit. 17. cautum eſt, daß die Loskündigung der Gültverſchreibung auf Widerkauff/ wie Widerkauffs Recht/ bey dem Verkäuffer/ und nicht beym Käuffer ſtehen/ unangeſehen/ wie dieſelbig Gültverſchreibung geſtellt iſt: Und was darüber gegeben/ genommen oder gehandelt/ wollen wir/ daß daſſelbige und alle andere unziemliche pacta, oder Gedinge vor wücherlich und unkräfftig geachtet/ gehalten/ und von dem Richter darüber nicht erkant oder geurtheilt/ ſondern geſtrafft werden ſolle/ Göden. *conſ.* 79. *n.* 32. Gail. 2. *obſ.* 7. *n.* 7. Rauchbar. *q.* 19. *n.* 6. qui tamen pactum hoc in revenditione fundi latè defendit.

Quartò, ſi in Contractu retrovenditionis 39
venditor periculum rei venditæ & traditæ in ſe ſuſcepit, ita, quòd medio tempore, donec luatur res empta, periculum interitûs ſpectet ad venditorem, iterum pactum hoc ſapit uſurariam pravitatem & naturam contractus pignoratitii, in quo pignus perit pignoranti, hoc eſt, debitori, *l. pignus in bonis* 9. *l. ſi nulla culpa* 8. *C. de pignor. act. l. reſcriptū.* 12. *in prin. ff. de diſtr. pign. cum ſimilib. vulg.* Coler. *d. conſ.* 29. *n.* 48. *& ſeqq.*

Quintò non levis ſuſpicio & conjectura 40
uſurariæ pravitatis & ſimulationis inde relucet, quando in uno eodemque inſtrumento Contractus modò Mutuum & oppignoratio, modò venditio ſub pacto revendendi appellatur (Germanicè Widerkauff und ein Pfandſchilling;) Et ubi reluitionis, uſurarum præſtationis, Creditoris, ac mutuationis aliquoties fit mentio. Nam diverſiſſima ſunt mutuare, & credere, & emere vel vendere; ſicut diverſa ſunt pretium rei venditæ, item pignus; ideoque diverſis nominibus appellantur. Coler. *dict. conſil.* 29. *per tot.* Licet in Germania, & alibi locorum, venditio cum pacto de retrovendendo vulgari modo etiam appelletur, Pfandſchilling, quaſi in effectu ſit pignoratio quædam propter facultatem, quam venditor habet ad redimendum, adeò ut vulgus, tale pactum & pignorationem penè pro eodem reputet. Marin. Socin. Senior *conſ.* 15. *num.* 35. *&*

*35.&39.vol.*1.Zaſ.*conſ.*12.*num.*11.Weſembec. *conſil.* 2. *num.* 91. Facultas Ingolſtad. *tom.*1 *interConſiliaIlluſtriumJCtorũ conſ.*12. Quod conſilium quoque reperitur inter Conſilia Matthiæ Coleri *conſil.* 28. Herman. Vultei. *conſ.* 18. *inter Conſil. Marpurg.num.*141. *vol.*3. Dominicus Arumæus *deciſ.* 5. *numer.* 74. *in fin. libr.* 2. Eodem pertinet, quod ſcribit Albertus Crantzius idem JCtus & Hiſtoricus *in ſua Dania libr.* 8. *cap.* 35. Pignus, *inquiens*, vocant & pignoratitium contractum: ego ex intentione contrahentium veram arbitror emptionem, cum pacto tamen redemptionis, quod fas & jura ſinunt, alioqui in ſortem computaretur, ſi pignus eſſet, quicquid eo nomine proveniret; mens autem contrahentium ea fuit, ut fructibus acceptis utatur pro ſuis, ſorte manente integrâ, quod eſt pactum emptionis, vulgatus error multos decepit.

41 Sed an pactum Antichriſeos, ſi cum Contractu mutui concurrat, licitum ſit, vel illicitum, hoc eſt, uſurarium? pulchræ indaginis quæſtio eſt. Primâ fronte dicen-
42 dum videtur, hoc pactum juſtum eſſe, *ſi pecuniam* 53.*ff. de pignor. act. l. ſi quis* 11.§. 1. *ff. de pignor.* Licet fructuum perceptorum æſtimatio legitimum modum uſurarum præſcriptum exceſſerit, *l. eos* §. 1. *C. de uſur.* Cùm in *contractu antichriſeos* (12) non requiratur tàm exacta fructuum & pretii analogia, ſed legitima reputetur conventio, etiamſi fructus legitimum uſurarum modum excedant, *l. oleo* 23. *l. ſi ea lege* 17. *C. de uſur.* Mynſing. 6. *obſ.* 7. *numer.* 2. *& reſponſ.* 6. *decad.* 13. *n.* 42. Idque propter incertum fructuum eventum, per text. *in l. ſi ea lege* 17. *C. de uſur.* & argumento eorum, quæ de nautico fœnore dicuntur. Quod idem comprobare videtur Jus Canonicum *in c.* 1. *extr. de feud. & in cap. ſalubriter. extr. de uſur.* quibus locis Creditor pro pecunia debita fructus poſſeſſionum pignori datarum licitè percipit & lucratur.

43 Facit Secundò text. *in l.* 2. *C. de pact. int. empt. & vend.* Quo loco valet pactum Venditioni fundi adjectum, ut, quandocunque velit, Venditor refuſo pretio poſſit eundem fundum ad ſe revocare; & tamen fructus interea ab emptore percepti in reſtitutione fundi venditi non veniunt, ſed manent lucro emptori; Caſtrenſ. *in l.* 1. *num.* 3. *Cod. eod. tit.* quem contractum nemo juſtè reprehenderit. Nihil autem intereſſe videtur, fructus rei cedant lucro alteri per modum emptionis & venditionis, an per viam contractus mutui, cùm ad eundem finem tendant, *c. cùm quid* 39. *de Reg. Jur. in* 6.

44 Hiſce accedit Tertiò, quòd de jure non improbetur hæc Conventio, ut quis fundum ad certum tempus, vel quoad vixerit, poſſideat, fructusq; inde perceptos lucretur, per text. *in c. nuper. extr. de donat. int. vir. & uxor.* Cur igitur hoc pactum antichriſeos in pignore non admitti debeat, nil proponi poſſe videtur.

Quartò hanc ſententiam, quòd videlicet 45
pactum antichriſeos licitum ſit, magni nominis & maximæ authoritatis JCti ſtabiliunt: Guid. Pap. *deciſ.* 434. *n.* 14. Bocer. *deciſ.* 44. *num.* 34. *& ſeqq.* ſubdubius tamen Alciat. *lib.* 2. *diſput.* 3. Cujac. 3. *obſ.* 35. Gail. 2. *obſ.* 3. & ad eundem Bernhard. Græværus *libr.* 2. *concluſ.* 3. *num.* 3. Mynſing. *obſ.* 71. *cent.* 6. (qui *num.* 3. teſtatur, hunc contractum hodie frequentiſſimum eſſe) Weſ. *conſ.* 8.
num. 44. *verſic. Cæterùm ex uſurario contra-* 46
ctu, &c. ubi ait, hunc contractum jam conſuetudine eſſe receptum, ut pro uſurario haberi non debeat. Molinæ. *de commerc. & uſur. quæſt.* 35. *num.* 258. *& ſeqq. & conſil.* 41. *num.* 12. Joan. Grivell. *Deciſ. Dolan.* 83. *num.* 2. Dauth. *de teſtament. numer.* 90. *in fin.* Franciſcus Caldas *in leg. ſi. Creditorem verb. ſua facilitate, numer.* 130. ubi hujusmodi Contractus exempla *fol.* 308. ex legibus remiſſivè profert, & defendit pactum Antichriſeos. Facultas Altorfina *conſil.* 4. ubi hunc contractum antichriſeos comprobat, quamvis legitimum uſurarum modum excedat, & minimè fructus computandos in ſortem eſſe in hoc contractu decidit. Andr. Rauchbar. *lib.* 1. *quæſt.* 20. *num.* 13. *& ſeqq.* Anton. Faber. *de error. pragmatic. deciſ.*
9. *art.* 7. Valereque hanc Conventionem 47
ob incertitudinem fructuum, etiamſi fructus interdum legitimum uſurarum modum excedat, firmat Mynſing. *d. obſ.* 71. *num.* 2. *& conſ.* 2. *num.* 10. *&* 17. *& numer.* 100. *decad.* 13. Rauchbar. *dict. quæſt.* 20. *num.* 15. Hinc quoque decidit Rhenat. Choppin. *lib.* 3. *de Leg. Andium c.* 5. *n.* 8. non prohiberi mutuò ſumere pecuniam, ad gentilem fundum recuperandum, cujus proprietas tali pignoris conſtitutione nequaquam mutatur. Caſtr. *in l. qui poſt C. de leg.* neque abſonum eſſe, pignoratitiam fructuum redempti feudi aſſignationem, quos vel Creditori, cujus ære ſalvi fiant, relinquere expedit, vel uſuras pecuniæ creditæ, *arg. l. uſur.* 10. *C. de*
uſur. Hæc ferè Chopp. *d. loc.* Et pactum de 48
lucrandis fructibus, & non imputandis in ſortem eſſe licitum, quando uſuræ ſunt licitæ de jure Canonico, concedit etiam Joan. Petrus Surdus *conſil.* 243. *num.* 22. poſt Cacheranum *deciſ.* 143. *n.* 2.

His tamen & ſimilibus non obſtantibus, puto pactum antichriſeos, ſi cum contractu mutui concurrat, omni jure etiam Civili,
attentis ſcilicet Conſtitutionibus Imperii, 49
prohibitum eſſe: quod ſic probo: Uſuræ in ſtipulationem vel pactionem deductæ, ſunt illicitæ, nullæ, & prohibitæ, uti eſt omnium Theologorum & Canoniſtarum conſtans ſententia. Ita non video, cur aliud ſtatui de-

beat in fructibus rei oppignoratæ, qui etſi de jure civili propriè uſuræ non ſunt, tamen eodem jure in vicem uſurarum percipi dicuntur, ut *in dict. leg. ſi is qui* §. 1. *in verb. cum in uſuras fructus percipiat ff. de pignor. leg. ſi ea lege Codic. quod cum eo, qui in alienat poteſt. geſt.* Quibus accedit *leg. in pactione* 14. *ibi: ut vice uſurarum, Cod. de uſur.* Imò de jure Divino & Canonico propriè & verè uſuræ dicuntur, *c. conſuluit* 10. *extr. de uſur. & c.* 14. *quæſt.* 3. *per tot.* ipſaque ratio hoc dictat. Si enim mutuum datur, & inter partes tale pactum fit, ut pro mutuo dato mutuans pignoris fructus percipiat, eosque in ſortem non computet, profectò hujusmodi pactum, quod vocatur Antichriſeos, eſt uſurarium.

50 Nam in mutuo ſupra capitale aliquid accipere eſſe uſuram, ex definitione uſuræ (quam Panormitan. ſuccinctè dicit eſſe, quicquid ſorti accedit ex pacto vel intentione præcedenti, *in rubric. de uſur. num.* 2. *per*

51 *d. c. conſuluit ext. de uſur.*) & ex illa Chriſti ſententia; mutuum dantes, nihil inde ſperantes, patet. Igitur cùm certò conſtat, fructus pignoris à Creditore perceptos, & qui percipi potuerunt, in exonerationem ſortis venire, per text. *in l.* 1. 2. *&* 6. *Cod. de pignor. act.* & quidem ipſo jure, Surd. *conſ.* 166. *num.* 21. Borell. *conſ.* 63. *n.* 23. Cavalcan. *deciſ.* 13. *num.* 24. *p.* 1. Felician. de Solis *tract. de cenſib. lib.* 2. *c.* 5. *n.* 20. *&* 21. *fol.* 241. *in fin.* Coler. *de proceſſ. executiv. p.* 3. *c.* 9. *num.* 83. *&* 84. fruſtrà quæritur, an ſaltem pacto effici poſſit, ut fructus cedant lucro creditoris: ſi quidem hoc pactum uti oſtendimus, uſurarium eſt, *c.* 1. *& c.* 2. ibi Panor. *extr. de uſur.*

52 Dixi; ſi cum contractu mutui concurrat, pactum antichriſeos adjectum uſurarium eſſe. Nam invenio Dd. qui hoc pactum etiam ad emptionem cenſus ſive annui reditus referant, & concludant, quòd tale pactum deinde uſurarium non ſit, ſed licitum & permiſſum: Exempli gratiâ; quando Illuſtris, Nobilis, aut alius Principi, Comiti, Baroni, aut alii pecuniam dat eâ lege, ut revocare nequeat, ſed reluitio ſit in ſolius accipientis poteſtate, & interim pignus fructiferum, puta Urbs, caſtrum, prædium Creditori tradat, & pacto, ut is fructus pignoris juſtæ penſioni, legibus aut conſuetudine patriâ reſpondentes percipiat, eosque in ſortem non conferat. Ita ſentit Conrad. Summenhart. *de Contract. q.* 33. *concluſ.* 7. Petr. Binsfeld. *de uſur. c.* 1. *qu.* 2. *concluſ.* 1 poſt Molinæum *de uſur. quæſt.* 35. *n.* 265. Quibus adde Gail. 2. *obſ.* 3. & Anton Fabr. *de error pragmat. decad.* 9. *error.* 5. qui poſtremus indiſtinctè antichriſin licitam eſſe dicit, etiamſi fructus legitimum uſurarum modum aliquandò excedant, propter incertitudinem eventûs & æſtimationis, Joan. Grivell. *Deciſ. Dolan.* 83. *num.* 5. *&* 6. (ubi tamen antichriſin periculoſam eſſe in conſtitutione reditûs annui, ideòque non facilè approbandam, ait.) Hisce accedit Zaſ. *in l. rogaſti* §. *fin. ff. ſi cert. petat.* qui quidem in Contractus ſpecie ab hac opinione diſſentit, in eo tamen convenit, quòd ejusmodi contractus licitus ſit.

Et hæc opinio non caret ſuis fundamentis: nam in effectu cum emptione cenſus, qui contractus licitus eſt, convenit. Datur namque pecunia, ut pretium, fructus verò pignoris, vel potiùs jus percipiendi fructus, ut merx venditur: ipſe autem fundus ſeu caſtrum, cujus fructus venduntur, pro ſecuritate in pignus traditur. Atque ita duo quaſi Contractus & unum pactum ſimul fiunt. Sed quia heîc de Contractu mutui quæſtio eſt, diutiùs non inſiſto, ſed concludo, quando non ſolùm ex nomine & forma obligationis, ſed & ex pactis liquidò adparet, Contractum mutui celebratum eſſe, eum, propter adjectum pactum Antichriſeos, uſurariam ſapere pravitatem. 53

Supereſt, ut ad argumenta ſuprà adducta reſpondeamus. Parum itaque ſtringit primum ex *l ſi pecuniam ff. de pignor.* & ſimilibus ſumptum.

Nam mirum non eſt, his juribus permitti Antichriſin, cùm ex jure civili depromptæ ſint, quo & uſuræ impunè permittuntur, *dict. leg. ſi is qui* §. 1. *ff. de pignorat, actio. cum ſimilibus.* Sed aliter de jure Civili, etiam in foro civili, tanquam in materia peccati præferendum eſt, *c. fin. extr. de præſcript.* 54

Ad textus ex jure Canonico deſumptos reſpondetur, quòd ſint caſus ſpeciales. Nam *capitul* 1. *extr. de feud.* loquitur de fructibus rei feudalis in pignus feudi Domino conceſſis; & concludit, quòd Dominus feudi licitè retineat, neque teneatur eos in onerationem ſortis imputare. Similis textus eſt, *in cap. conqueſtus in fin. extr. de uſur.* 55

Quod quia tàm juri Divino, quàm Canonico, ut oſtenſum, quodammodo repugnare videtur, multum in reddendâ hujus limitationis ratione laborant Interpretes, in quibus recenſendis nimis longus forem. Mihi præ cæteris placet ſententia Hoſtienſis, quòd ſcilicet id proveniat ob naturam feudi, cujus directum dominium manſit penes ipſam Eccleſiam: Unde ſi poſtea mutatâ voluntate Vaſalli per cauſam pignoris utile dominium recurrat ad directum, conſolidatur quodammodò utile cum directo dominio, ut hinc Eccleſia non tàm dicatur ex aliena re fructus percipere, quàm ex re propria. Interim liberatur Vaſallus ab obligatione Eccleſiæ, quâ antè obſtrictus erat, *d. c.* 1. Atque hanc rationem etiam probare videntur Panormit. & Joan. ab

ab Imol. *in dict. cap.* 1. Domin. de Soto *de juſt. & jur. lib. 6. qu. 1. art. 2.* Deinde reſpondetur, quòd deciſio ejusdem *d. c.* 1. item *cap. conqueſtus locum.* ſibi vindicent tam in laico, quàm Clerico.
56 Textus verò *in cap. ſalubriter 16. extr. de uſur.* loquitur de genero, qui fructus poſſeſſionum, id eſt, agrorum ſibi pro dote obligatorum rectè percipit, neque in dotem nondum ſibi traditam imputat. In hujus rei conſtituendæ ratione varii varia ſenſêre, ſicut videre eſt apud Didac. Covarruviam *lib. 3. var. reſolut. cap. 1. num. 3. & 4.* ad quem me remitto, & dico, ſufficere, quòd adpareat tantùm Exceptiones à regula eſſe, idcirco dubium eſt, quin regula magis confirmetur per tutam & communem regulam, quòd incluſio unius ſit excluſio alterius, & quòd exceptio regulam in caſibus non exceptis magis firmet, *l. cùm Prætor. 12. ff. de jud. cum ſimil.*

57 Nec præſtat impedimentum *l. 2. Cod. de pact. int. empt. & vend.* ubi dictum fuit, pactum hoc venditioni fundi adjectum valere, ut, quandocunque velit, venditor refuſo pretio poſſit eundem fundum ad ſe revocare, cùm tamen interea emptor fructus ſuos faciat. Cur non idem in antichriſi?
58 Diverſitatis ratio hæc eſt, quòd emptor rei à ſe emptæ factus dominus ſit, proindeque ejusdem fructus rectè lucretur, tanquam ex re ſua provenientes, *l. qui ſui ff. de uſur.* At ſecus eſt in pignore, cujus dominium cùm in creditorem non tranſeat, fructus ejus tanquam rei alienæ non cedunt lucro creditoris, ſed ad reſtituendum vel imputandum eos in ſortem tenetur. Nec movet, quòd Antichriſis & emptio in unum finem tendant, videlicet ad lucrandos fructus
59 rei; quia in modo diverſitas eſt, cùm emptio licitus modus ſit, Antichriſis autem, maximè in contractu mutui, illicitus, utpore uſurarius: ſimili modo videmus hæreditatem rectè teſtamento relinqui, nõ verò pactionibus, *l. hæreditas 5. C. de pact. conv. & l. licet. C. de pact.* nam & in his modis diverſitas eſt.

60 Tertiò parum vel nihil ad rem facit *cap. nuper. extr. de don. int. vir. & uxor* uſumfructum fundi ſcilicet licitè concedi alteri per viam donationis ſive liberalitatis, *l. permiſiſti 16. § fin. l. gratuitam in pr. ff. de præſc. vend.* quemadmodum & per viam commodati, *l. 1. §. commodati ff. commodat.* At per viam mutui illicitè fructus fundi conceduntur: cùm in mutuo ea tantùmodo res in obligationem veniat, quæ data fuit: Et ideo, ſi quid ampliùs ejus ratione à creditore petitur vel retinetur, uſura eſt, *l. rogaſti § ſi tibi decem.* & ibi Accurſ. *ff. ſi cert pet.* cum iis, quæ hactenus diximus.

61 Ad ultimum argumentum ductum ex authoritatibus Dd. facilis eſt reſponſio. Nam allegati Interpp. ſuam opinionem tantùm textibus juris civilis probant, quo jure probare etiam potuiſſent, uſuras permiſſas eſſe, *tot. tit. ff & C. de uſur.* Utrumque enim quoad leges civiles expediti juris eſt. At de jure Canonico, quod hac in parte ſequimur, licitam eſſe Antichriſin, nemo rectè dixerit, eò quòd juri divino adverſatur, *c conſuluit extr. de uſur.* & ſuprà latiùs explicatum eſt. Secundò loquuntur etiam a- 62
liqui ex citatis Dd. cum ſuis diſtinctionibus, quas hîc operosè conglomerare ſupervacuum. E cæteris unam adferam. Diſtinxerunt timore hujus dubii Antichriſin in temporariam & perpetuam, hanc impro- 63
bantes, illam verò adprobantes, ut videre licet, poſt Molinæ. *tr. de uſur. q. 35. n. 259. & ſeq. apud* Gail. 2. *obſ. 3. num. 3.* Mynſing. 2. *obſ. 71. num. 1.* Tertiò nec noſtra ſententia authoritatibus caret: Ita enim ſentit Panormit. *in c. 1. num. 2. de uſur.* Joan. ab Imola & Canoniſtæ omnes; Matth. Afflict. *deciſ. 20. num. 4.* Schurff. *conſil. 83. cent. 3.* Modeſt. Piſtor. *conſ. 13. num. 10. vol. 1.* Joan. Köppen *quæſt. 22. num. 4.* Andr. Rauch- 64
bar *dict. quæſt. 20. part. 1.* ubi in ſpecie hanc proponit quæſtionem, de qua jam potiſſimùm nobis ſermo eſt: Utrum nimirum iſtis in locis, ubi uſuræ quincunces vel ſemiſſes in uſu ſunt, pactio hæc ſuſtineatur? Et quamvis teſtetur, controverſiam hanc admodùm frequentem & illuſtrem eſſe, tamen concludit, illam absque Imperali vel Principali deciſione dijudicationem, vel determinationem privati alicujus, quantumvis juribus vel rationibus ſuffultam, vix admittere, propterea quòd magnæ graveſque lites, necdum ſopitæ & deciſæ, ab hujus quæſtionis reſolutione potiſſimùm dependeant; jurique Pontificio, cui alioquin in rebus ſpiritualibus & peccati materia, in utroque foro etiamnum hodiè ſtari ſoleat, quicquam privatâ authoritate derogare integrum non ſit.

His ita in utramque partem diſcuſſis, ni- 65
hil aliud reſtat, niſi ut concludamus, Contractum mutui pacto antichriſeos vallatum eſſe fœneratitium atque illicitum. Nec eſt; quod quis regerat, talem conventionem habere vim emptionis & venditionis redituum; cùm longè ab eo Contractu diſtet. Nam in conſtitutione redituum per emptionem & venditionem principaliter & verè contrahitur emptio & venditio, cùm in ea hæc tria concurrant; conſenſus contrahentium, pretium certum, & res, quæ in contractum deducitur, ut eſt ipſe reditus ſive obligatio annua ad præſtandam certam penſionem. At in noſtro caſu pactum Antichriſeos adjicitur propter mutuationem præcedentem, ſive propter pecuniam mutuò datam; & ſic fructus pignoris veniunt per modum acceſſionis & pacti,

cujus vi cùm lucretur Creditor fructus pi-
gnoris, meritò in uſuram incidit.
Præmemoratis igitur & ſimilibus caſi-
66 bus, quibus uſurarii ſuos contractus vel
emptionis, vel antichriſeos, vel damni e-
mergentis & lucri ceſſantis, donationis, ſa-
lariorúmve titulis, appoſitione juramenti
collybiſtices pallio, vel conſimilibus tech-
nis (quarum aliquas recenſent Cardinalis
Thuſc. *lit. V. concl.* 345. Ludovic. Peguera
deciſ. 32. & 33. haud rarò valere ſolent) Prin-
ceps in eoſdem graviter inquirat, animad-
vertatque; annuas penſiones legitimum u-
ſurarum modum excedentes ad quincunces,
juxta doctrinam Gail. 2. *obſ.* 5. *num.* 10. *&*
11. reducat; *Anatociſmum* (13) ſive renova-
tionem fœnoris juxta præſcriptum Juſtinia-
ni *in l. fin. C. de uſur. tollat;* inprimis autem
uſuras immenſas & immoderatas Judæo-
Chriſtianas *menſtruas, hebdomarias,* (14) &c.
Monat- Wochentliche und Tag-Zinſe ſeve-
67 riſſimè caſtiget. Nec enim dubitationem
ullam recipit, quin Principes, & qui ad cla-
vum ſive gubernacula Reipublicæ ſedent,
in ſuis Provinciis certum uſuræ modum
conſtituere, transgreſſores acriùs punire,
pœnaſque contra uſurarios arbitrariè infli-
gere poſſit. Lud à Peguera *deciſ.* 31. *n.*
21. Menoch. *de arb. jud. quæſt. caſ.* 360. *n.*
68 83. Quinimò omnibus Magiſtratibus An-
no MD. in Comitiis Auguſtanis §. de u-
ſurariis contractibus, &c. expreſsè manda-
tum eſt, ut ejuſmodi fœnebres, & pericu-
loſos contractus in eorum Ducatibus, Pro-
vinciis, Dominiis, Territoriis, & ubique
ſub convenienti pœna prohibeant, etiam
violatores ſeriò puniant.

Hæc tum conſtituta, Anno MCXXX.
MDXXXII. MDXLVIII. repetita & renova-
ta, non ſatis virium habuêre tantæ injuriæ re-
movendæ. Nam Anno MDLXXVI. ma-
net eadem querela: Non eſſe leges obſerva-
tas, plebem longo tempore iniquis uſura-
rum contractibus, & negotiationibus, con-
tra divinas, Cæſareasq; leges & ſpecialiter ad
contemptum Ordinationis Politicæ, multis
modis ad extremam egeſtatem redactam,
anguſtiatam, coactam. Eadem quoque An-
no MDLXXVII. iterum inculcantur, ut ne-
mo ſe Magiſtratus exercere poſſit. Et exſtat
pulchra conſtitutio Joachimi Electoris Bran-
denburgici de Anno 1565. quâ cavetur, quo-
modo contra clancularios uſurarios ſit pro-
cedendum; & diſponitur hoc modo: Nach
dem auch die Wucherer ihre wucherliche Hän-
del in groſſer Geheim zu halten/ auch die jenige/
ſo ihnen ablehnen/ mit ſonderlichen Verpflich-
tungen einzunehmen pflegen/ daß ſie/ was ihnen
von 100. fl. zu Wucher geben/ niemands dörf-
fen offenbaren. So wollen wir dieſelben/ wann
ſie aus endlichen Anzeigungen deß Wuchers in
Verdacht ſtehen/ durch unſern Fiſcal ad pur-
gandum procediren laſſen. Und ſollen ſich dar-
auf vermittelſt ihres leiblichen Aydes deß Ver-
dachts zu entledigen und zu purgiren ſchuldig
ſeyn/ welcher ſich aber ſolcher Aydlichen Pur-
gation und Entſchuldigung würde weigern/
der ſoll deß Wuchers/ damit er verdacht/ ſchul-
dig geachtet/ und darauf wider ihn/ als
einen überzeugten Wucherer/ verfahren wer-
den/ ꝛc.

Durum remedium fuit, quod fœne-
ratorum tabulas in foro Cloario combuſſit 69
Agis Dux Athenienſium, (15) inſtigante A-
geſilao, qui illorum calamitates irridens;
Nunquam ſe ignem puriorem vidiſſe jacta- 70
bat, Plutarch. *in Lacon. apopht.* Durum quo-
que, quòd Cato major fœneratores Sardiniâ 71
expulit, Liv. *lib.* 32. *c.* 27. O utinam omnes,
qui fœnerando judaizant & judaicando fœ-
nerant, Republicâ expellerentur, minus ma-
lorum, minus querelarum, minus litigio-
rum eſſet. Durior & ſeverior Gallia, quæ 72
olim non ſolùm fœneratores regni finibus
exterminavit, ſed & fœneratorum imma-
nium furaces dextras detruncavit. Quod 73
ſi quis propter uſuram, ſeu delictum crimi-
naliter puniri, atque adeò torqueri poteſt,
Molinæ. *de uſur. num.* 156. Laurent. Kirch-
ov. *cent.* 5. *quæſt.* 14. Farinac. *de indic. &*
tortur. lib. 2. *quæſt.* 42. *num.* 36. *& ſeqq.* Bor-
cholt *de uſur. c.* 5. *num.* 9. *& ſeqq* quidni pœ-
nis mulctiſque pecuniariis coërceatur? Ec-
cur hujus conditio melior, quàm furis ma-
nifeſti? Eadem injuria eſt, niſi quòd hæc 74
ſpeciem juris induit. Venarius latrone
graviùs punitur, & cur artificioſi fures fo-
ventur? Ex hac cauſa juſtè pecuniam colli-
get Princeps. Si enim fœneratores in qua-
druplum condemnet, non poterit illi de-
eſſe pecunia. Vitia temporum eum divitem
facient.

Pœna itaque uſurarios contractus cele-
brantium ſit duplex, nempe, ſi dolus abſit, 75
re ipsâ verò uſura fuerit commiſſa, quarta
ſortis parte mulctantor; Sin autem dolus
adpareat, integrum Capitale revocatâ in
uſum Lege Gabiniâ (quâ improbi fœne-
ratores ſortis petitionem amittebant, au-
thore Cicerone *in* 5. *ad Attic.*) Fiſco appli-
cator, inſuperque delinquentes arbitrariè
plectuntor, ac infamiâ notantor, *l. improbum*
C. ex quib. cauſ. infam irrog. Quam tamen
pœnam fœneratores flocci pendunt, nam
infamiam benè divitiis compenſari putant;
Jam

— — *plurimis auro*
Venit honos. — —

Nil dicam hîc de captionibus & calli-
ditatibus uſuram per ſimulationem indu-
centibus; puta, quando uſurarius perſonis 76
indigentibus frumento dat pecuniam, ita
ut convertatur in frumentum; aut cùm
frumentum ipſum eſt datum cum pacto,
quòd ſolvatur pretium frumenti, menſe
Majo aut circa feſtum Pentecoſtes, quo
tempore frumentum veriſimiliter plus va-
lere

lere ſolet, juxta illud; Wenn man ſingt/kommt Heiliger Geiſt / ſo gilt die Frucht am allermeiſt / ꝛc. Non tamen inficias eo, ob in-
77 certitudinem pretii, frumentum, hordeum, triticum, vinum, oleum, & reliquas res menſurâ conſtantes, quandoque graviores uſuras recipere, quàm pecuniam creditam, uti ab Imp. Philippo reſcriptum, *in l. oleo. 23. C. de uſur.* ubi Imperator inquit, incerti pretii rationem ſuadere, ut additamenta uſurarum admittantur; per additamenta uſurarum graviores uſuras intelligens, & graviores uſuras deberi, propter incertum pretium, Henr. Salmuth. *in Notis ad Guid. Pancirol. lib. rer. memorabil. deperditar. cap. de iis, qui oleum, vinum, & alia &c. p. m. 559.*
78 *& ſeq.* Borcholt *tract. de uſur. c. 3. n. 41.* addens omnem in his acceſſionem ex nudo etiam pacto præſtandam, *l. frumenti C. d. tit.* Sic Hippol. Riminald. *conſ. 218. in princ. vol. 2.* refert, Ferrariæ pœnam pecuniariam in uſurarios ſtatutam, partim denunciatori, partim Fiſco, & partim Chriſti pauperibus applicandam. In Cathalonia uſurariorum pœna eſt amiſſio ſortis principalis, unà cum ejus duplo, referente Peguera *d. deciſ. 31. num. 21.* Et legitur apud Covarruviam *lib. 3. var. reſolut. cap. 3.* pecunias ſub uſuris mutuò datas debitori cedere & acquiri, totidemque ſolvi Fiſco; &, ſi uſurarius ita punitus iterum in idem crimen inciderit, dimidiam bonorum partem, & demum, ſi ita ſemel ac iterum punitus, in eandem tertiò inciderit labem, omnia bona totumque patrimonium auferri & Fiſco applicari.

79 Non abſimilis negotiatio eſt *Socida*, ſive commenda, in qua dantur animalia æſtimata pro certo tempore, ad mediam lucri & damni partem (wenn man einem Viehe verſtellt;) quæ ita demum licita eſt, dummodò Capitale in caſu fortuito ſit pericu-
80 lo dantis. Societatis enim natura ea eſt, ut dominium nulla ex parte transferatur, ſed communicetur, *l. ſi cum duobus. §. damna. ff. pro ſoc. juncta l. ſi tibi arcæ. ff. de præſcript. verb.* ubi in ſimili materia ſocietatis animalium Julianus ait, neminem ſocietatem contrahendo rei ſuæ dominum eſſe deſinere. Cui conſequens eſt, capitale ſolius dantis, non autem communi periculò perire. Regu-
81 lariter enim res quæque ſuo Domino perit, per *l. quæ fortuitis. 6. C. de pignor. act.* Petr. Binsfeld. *de uſur. c. 19. q. 6. concl. 5.* Cardinal. Toletus *in ſua ſumma cap. 4. in fin.* Jacob. de Graſſis *in deciſ. Caſ. conſcient. tit. de Societ. c. 119. n. 13. ubi ait*, quòd *damnum ex hujus Contractûs natura, ex fortuna,* (16) pertinet ad Dominum pecuniæ vel animalium; ſed damnum ex culpa pertinet ad Cuſtodem: ſicque nunquam videtur eſſe commune, plenè Joan. Grivel. *deciſ. 38. n. 9. & per tot.*

82 Frequentatur & paſſim apud nos tale genus Conventionis, (*Socidam* ad caput vel capitale ſalvum Itali, les bouffz deſertz *Galli, vulgò appellant*) (17) ut periculum & caſus animalium pertineant ad Conductorem, iſque nihilominus quotannis certam penſionem locatori præſtare teneatur: cu- 83
jusmodi pecora aut animalia Germani appellant ferrea, ita dicta, quòd locatoribus nunquam moriantur, propter ſubſtitutionem in demortuorum locum; Eiſerne Kühe und Schafe. (18) Quem Contractum à vitio 84
uſurariæ pravitatis haud excuſari, reſpondit Tib. Dec *conſ. 9. volum. 3.* Et Chaſſanæus *in Conſuet. Burg. §. 23. num. 4.* hoc pactum pro- 85
nunciat uſurarium, quod multos in patria ſua ad inferos abduxerit. Andreas Rauchbar. tamen *part. 2. quæſt. 29. num 43. & ſeqq.* hanc Conventionem tolerari aliquatenus poſſe, velut locationem, aut tanquam contractum innominatum, per leges & rationes ibidem adductas, aſſerit, teſtaturque; pactionem hanc in animalibus vel pecorum elocatione expreſſim quoque probari 86
à Simone Piſtoris *conſil. 11. num. 3. poſt Conſ. Modeſt. Piſt. lib. 1.* Weſ. *in l. ſi paſcenda 8. n. 5. C. de pact.* Dan. Moller. *ad Conſtit. Elect. Aug. Conſtit. 33. num. 6. 10. & 19 part. 3.* fuſè & eleganter Proſper. Farinac. *Conſil. 54. per tot. lib. 1. Et deciſ. Rotæ Roman. 118. per tot.* ubi hoc decidit dubium: Si locatio ar- 87
menti, cum pacto, quod in fine locationis reddatur æſtimatum, facta eſſet, an, & quando dicatur uſuraria? Sed quis omnes machinationes, verſuras, impoſturas, techna & fraudes fœneratorum enarrabit?

Hoc ſaltem teneatur, & hæc norma, forma, regula æquitatis, rationis & juris eſto; utile per inutile non vitiari, ideoque uſuris 88
in ſtipulationem deductis, contractum principalem aliàs per ſe licitum neutiquam annullari, ſed pactum ſupra licitum uſurarum modum adjectum vitiari, *per l. pecuniæ. l. uſuras. l. placuit. ff. de uſur.* Gail. 2. *obſ. 4. ſub num. 9. ubi tradit, pactum uſurarium non vitiare contractum,* (19) ſed vitiari; & Cre- 89
ditori ſortis petitionem ſalvam, aliiſque Creditoribus tempore poſterioribus præferendam eſſe. Quod tamen verum exiſtimo quoad ſortem principalem, non etiam quoad aliquem cenſum, ſive uſuram: Sicut in litigioſo plurium Creditorum concurſu, ubi bona Rei pro ſatisfactione ſortis non ſortiuntur effectum, uſurarum *etiam quincuncium nullam haberi debere rationem,* (20) Elector Saxoniæ Auguſtus conſtituit; Coler. *de proceſſ. execut. part. 1. c. 10. n. 90.*

Deindè illud, quod dixi, in contractu 90
mutui uſurarum exceſſus ad modum legitimum reduci, & utile per inutile non vitiari, &c. procedere arbitror de jure Civili, quo uſuræ usque ad tempora Juſtiniani permiſſæ ſunt, non verò de jure Canonico, vel quando peculiaribus legibus, Edictis, Decretis vel Conſtitutionibus Principum u-

ſuræ penitùs & in totum reprobantur, & annulantur. Quo caſu cùm Contractus contra legis prohibitionem celebrati ob Clauſulam irritantem & annullantem deficiant in forma, utile ab inutili corrumpitur: quia in factis contra legem, ſi non valet etiam, quod fit intrà, *cap. tutum de reb. Eccleſ. non alienand. in 6.* Ludov. à Peguera *deciſ. 33. num. 12. & 13.*

Nequaquam verò Ærario conſulunt illi, *qui minore ſub cenſu pecunias accipiunt, deinde majore* (21) apud Judæos ponunt. Dicuntur enim eſſe Chriſtiani, quorum Judæi ſint inſtitores, & propolæ uſurarum legitimo cenſu & cautione accipiunt à Chriſtianis pecunias, in ſingulos annos quinque pro centum, Judæis deinde eandem elocant, & accipiunt octo vel decem, illi verò etiam lucellum ſuum ſibi vendicant, ut ſæpè XV. aut XX. in centum dentur. Nec tamen ſic infamiam fugiunt, nam Judæi palàm, claréque fatentur, Chriſtianorum eſſe pecunias, & ſe uſurarum tantùm eſſe adminiſtros. Non conſulunt illi ærario ſuo, quia Civita- 91
tes opprimunt, odia colligunt, cùm tamen honeſtâ negotiatione plus lucri facere poſſent. Nec diſſimilis ratio eſt eorum ab ea, quæ fuit Tiberii Imperatoris; Præſides ille 92
egentes, callidos, avaros, rapaces conſtituebat, quos deinde ſpoliis provincialium opimos trucidabat, & ſpolia Fiſco inferebat, qua quidem in re initiò tanquam juſtus & ſeverus Imperator diu latuit, cùm animadversâ fraude, omnia ad Tiberium redire cernerent, dixerunt. *Eum præſidibus, velut ſpongiis, uti,* (22) quos aridos provinciarum opibus immitteret, plenos exprimeret. Sic noſtræ Germaniæ nonnulli Judæos Laverniones harpacticosque percurſores liberè graſſari ſinunt, *ac deinde illos ipſos exprimunt*, (23) ut ærarium injuſtis opibus ſtipent.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT XIX.

Num. 5.

(1) D*Amnavit enim univerſam fænerandi rationem &c.*] De malitia, & improbitate uſuræ, & ejus prohibitione, qui elegantiora ſimul complexa legere diſcupit, Honorat. Leotardi abſolutiſſimum Tractatum *de uſuris quæſtionem 2.* perlegat, ubi inter alia de uſura ſic canit:

Virginis eos illi, ſermo mitiſſimus oris
Et mites oculi: ſed hians immane vorago
Ventris, & unca manus. Talis Phineïa quondam,
Obſcæno, ut prohibent, fœdarunt atria tactu
Harpyiæ, & Strophadum coluère ingentia Saxa.

Num. 6.

(2) *Fœneratores duplo furibus pejores &c.*] Cato *de re ruſt. in pr.* refert; à majoribus damnatum furem dupli, fœneratorem quadrupli: unde colligit, fœneratores deteriores eſſe Furibus: & D. Baſilius *in Pſalm. 14.* ait, illos debitores perſequi, ſicut canes & leones feras.

(3) *Hinc quadruplatores dicti &c.*] Quadruplatores unde dicti ſint, jam antè diximus *ad Libri I. cap. 1. num. 12. (13.)* quò nos referimus hoc loco.

Num. 10.

(4) *Uſura autem dicta &c.*] Uſura, inquit Iſidorus *Orig. lib. 5. cap. 25. pag. 931.* eſt incrementum fœnoris, ab uſu æris crediti nuncupata.

Num. 12.

(5) *Diſcordiarum Seditionumq; creberrimam cauſam &c.*] C. Mallius *in Epiſtola ad Q. Marcium Regem* apud Salluſtium *in Catal. cap. 33. §. 2.* Miſeri, egentes, violentiâ atque crudelitate Fœneratorum, plerique patriâ, ſed omnes famâ atque fortunis expertes ſumus. Hinc primâ diſcordia ob impotentiam fœneratorum; quia in terga quoque ſerviliter ſævientibus, in ſacrum montem plebs armata *Romana* ſeceſſit; ægreque, nec niſi Tribunos impetraſſet, Menenii Agrippæ facundi & ſapientis viri auctoritate revocata eſt. Florus *lib. 1. cap. 23.* Hinc tumultuatum Francofurti ad Mœnum anno hujus ſeculi XIV. & proximo Wormatiæ fuit. Hinc à rebellibus Coſachis adversùs Poloniæ Coronam Anno MDCXLVII. inter cauſas rupti obſequii Judæorum improbum fœnus numeratum. Schoockius *de Sedit. lib. 1. c. 32. p. 307. & 308.* Dum enim Fœneratores primùm improbo fœnore credentes prodigis pecunias, ipſis majora luxuriæ ac libidinis inſtrumenta ſuppeditant; deinde ære alieno obrutos, exactionum graviſſimarum tædio, & fidei liberandæ defectu ad quodvis facinus impellunt; præterquam quòd avaritiâ & nimio lucro Rempublicam contaminant, eam quoque turbant; unde meritò legibus & authoritate publicâ reprimendi ſunt. Loccenius *in Sall. Epiſt. de Republ. ordinanda 1. pag. 269.* Apud Forſtnerum *in Not. Polit. ad Tac. 6. Annal. 16. n. 3.* ubi conqueritur, Principes nonnullos Hebræos, tanquam neceſſarium regni inſtrumentum, interdum paulò meliori, quàm Chriſtianos conditione, tenere, &c.

Num. 13.

(6) *Lege Tribunitiâ ad ſemuncias redacta &c.*] Poſtremò, *pergit d. loco Tacitus*, vetita verſura, multisque plebiſcitis obviam itum fraudibus, quæ totiens repreſſæ, miras per artes rurſum oriebantur, &c. Centeſimæ verò appellationis rationem, ſicut & cæterarum, v. g. ſextantis, quadrantis, trientis, quincuncis, ſemiſſis, ſeptuncis, beſſis, dodrantis, dextantis, deuncis, diligenter explicat Hotomannus *lib. 3. Antiq. Rom. pag. 459. & ſeqq.* Item Dd. *ad l. 26. C. de Uſur.* Gryphiander *Oeconom. Legal. lib. 1. c 27. n. 41. 42. ſeqq.*

(7) *Antoninus Pius, mox & Alexander Severus &c.*] Ut de priori Capitolinus *in vita Ant. Pii capite 2.* de poſteriori Ælius Lampridius *in vita Alex. Sev. cap. 26.* teſtatum reliquit.

Num. 14.

(8) *Morſui aſpidis par &c.*] Vide, ſi lubet, quæ diximus ad Politicum Sceleratum *cap. 32. pag. 351.*

Num.

Num. 23.

(9) *Uſuras quincuncibus majores &c.]* Et has iterum ſolas probat noviſſimus Receſſus Imperii de Anno MDCLIV. §. Anreichend die künfftige Zins. &c. Quatenus verò uſuræ permitti & tolerari queant, ad ea ipſa de hoc ipſo argumento notata noſtra *ad jam allegatum locum cap. 43. pag. 385. ſeqq.* præſertim laudatos ibi Authores, Lectorem remitto.

Num. 24.

(10) *Contractum autem uſurarium & illicitum eſſe deprehenditur &c.]* Talis enim ſæpe ſub nomine emptionis, depoſiti, & alterius licitæ conventionis uſura latet velut anguis in herba, & inopes ſuo veneno trucidat, ut tradit ex Argentreo Honoratus Leotardus *de Uſur. quæſt. 8. n. 10.* Nam Avaritia, quæ ut D. Valerianus Epiſcopus Nicenſis ait, *homil. 20.* Fraternas acies inſtruit, & amicitiarum fœdera diſſipat, & ut ait D. Aſtorius Amaſeæ Epiſcopus *homil. 5.* Sylvas latronibus, mare piratis, forum, & tribunalia falſis teſtibus implet, eadem docuit fœnerare, i. e. ex ſanguine pauperum facultates augere, & miris artibus, & verborum involucris fœnoris occultare gravitatem. Accedit extrema inopia vel inſania ejus, qui pecuniam rogat, & inſatiabilis avaritia ejus, qui mutuam dat, ſemper leges circumvenit, & circumveniet ſemper. Atque hujusmodi contractus, qui ſub involucro alterius contractus, ſimulant, quod non ſunt, & disſimulant, quod ſunt, ſimiles putat Leotardus *d. loc.* Æſopi aſino, Leonis pelle induto, Leonem ſimulanti, aſinum disſimulanti; eósve contractus, ſi fortè ex indiciis, & conjecturis fœneratitii eſſe deprehenſi fuerint, ut aſinus ille Æſopi ex auriculis deprehenſus à vulpe, maximè Jure Canonico improbari & corrigi. De machinis porrò Fœneratorum. D. Marquardum *de Mercat. lib. 4. cap. 4.* adde.

Num. 23 24. ſeqq. usq; ad Num. 39.

(11) *Et probatur &c.]* De probatione Contractus Uſurarii, atque conjecturis, quæ Judicem movere queant, ut ex argumentis illis & præſumptionibus contractum pro uſurario agnoſcat, annihilet, in fœnus exercentes animadvertat, doctè diſputat laudatus aliquoties Honoratus Leotardus *quæſt. 9.* ex quo dicta Authoris noſtri *hoc n. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. ſeqq.* lucem accipere poterunt, quapropter hiſce pauca annotabimus, ſufficere rati Lectori pleniorum horum numerorum tractationem indicaſſe hoc loco.

Num. 42.

(12) *In Contractu Antichriſeos &c.]* Antichriſin ſive mutuum pignoris uſum, vel ut Faber *in Codice ſuo lib. 4. tit. 33. defin. 7. n. 2 in notis* eam vocat Confruitionem, minùs rectè Contractum, eò quòd potiùs pactum pignori adjectum, quàm ſeparatus aliquis contractus ſit, appellari, in Addit. ad Polit. *c. 48. p. 539.* & quòd in Imperio Romano-Germanico legitimum pactum & receptum ſit probatum dedimus, *ubi vide.* In qua ſententia adhuc, non attento, quæ Klockius noſter *n. 42. ſeqq.* pro negativa (mutuum & pignoris Contractum confundens) adfert, perſiſto. Interim & Diſcurſum D. Zepperi Juridicum *tit. 7. de Antichreſi*, cum citatis ab eo *n. 74.* Authoribus junge.

Num. 66.

(13) *Anatociſmum &c.]* Cùm ſcilicet Creditor uſuras in ſortem reponit, & ut quaſi coaleſcant, & uſuræ uſuris præbent: de quo plenè commentatur Chriſtophorus ab Hagen *in Tr. de Uſu Uſur.* Honoratus Leotardus *de Uſuris quæſt. 5.* Gryphiander *Oeconom. Legal. lib. 1. cap. 27. num. 6. ſeqq.*

(14) *Menſtruas Hebdomarias &c.]* Ex talibus uſuris Fœneratores dicebantur antiquis *menſtrui exactores*, & ſimiles Dæmonibus, qui recurrente Lunâ morbo veluti Comitiali homines quosdam affligent, cùm debitores ſuos recurrentibus Calendis exſpectata ſolutionê torqueant, & miris modis crucient & affligent, dicente Garſia *de expenſis & meliorat. c. 19. n. 17.* Paradigma talium in tabula quapiam exhibet Limnæus *de J. P. lib. 3 c. 2. n. 41.* Ita in facto aliquando contigiſſe memini, viduam quampiam pauperibus quibusdam decem Imperiales, ſive florenos quindecim, hac ſub conditione mutuò dediſſe, ut de illis ſingulis per ſeptimanam unam ſolverent bacionem unum, & ſic florenum unum; præterlapſis verò diebus quatuordecim ſummam Capitalem redderent, quâ receptâ Imperialem unum vice deß Aufleg Gelds/ (ita vocabat) ſibi retinebat, reliquas novem Thaleros reddebat, ut nihilominus quaſi decem revera iterum accepiſſet hebdomarium florenum uſurarum nomine penderent. Verùm cùm mortuâ illâ hæredes reliqua, quæ immenſum quantum excreverant, peterent: Paupertini illi contrà de Uſuraria pravitate exciperent; Resque ad loci Magiſtratum delata fuiſſet: Debitum (præſtito à reis juramento, quo confirmabant, univerſa reliqua quæ exigerentur, nil niſi uſuras eſſe) actoribus abjudicatum, & fœmina alia proxeneta illius carcere multata fuit.

Num. 68.

(15) *Agis Dux Spartanorum &c.]* Imò Athenienſium Rex, quod vel ex Plutarcho, *in ejus vita Operum Tom. I. p. 795. ſeqq* patet, ubi allegata ſic effert *p. 801.* Ita congeſtas in forum debitorum ſyngraphis, quas κλάρια appellant, omnes coacervatas concremaverunt. Sublatâ flammâ pecunioſi & fœneratores, qui ibi deambulabant, digreſſi ſunt At Ageſilaus, quaſi illudens illis negavit clarius ſe lumen vel ignem lucidiorem vidiſſe. Cæterùm de novis tabulis exſtat elegans Diſſertatio Joh. Schefferi *ſub titulo Agrippæ Liberatoris* Argent. Anno 1645. impreſſa, ubi d. origine, nomine, uſu & exemplis talium apud Veteres uſitatarum disquiritur.

Num. 81.

(16) *Damnum ex fortuna pertinet ad dominum &c.]* Probat in Tractatu ſuo *de Jure Societ. cap. 5. n. 18.* Excellentiſſimus Juris-Conſultus Johann. Otto Tabor, Pactum de periculo & caſibus fortuitis præſtandis, per ſe non eſſe uſurarium, niſi ex accidenti & ob inæqualitatem hoſtimenti, mercedis & remunerationis tale efficiatur. In capite verò ſequenti *6.* de pacto peculiari, quo omne periculum paſtor ſuſcepit, extra interitum ſeu mortem naturalem; Diſputationem contra Grivellum *Deciſ. alleg. 38.* ſeorſim inſtituit; quò brevitatis ſtudio lectorem remittimus.

Num. 82.

(17) *Galli vulgò appellant &c.]* Galli tamen aliis etiam vocabulis utuntur, veluti *Commendæ*; aut populari idiomate *à moitie croy & decroy*, alii *chaptel de beſtes:* alii *la Societè de beſtail baille à nourrir.* Tabor *d. loc. cap. 9. n. 4.* ubi vide.

Num. 83.

(18) Eiſerne Kühe und Schafe *&c.]* De quibus agit Beſoldus *in Theſauro Practico*, & Wehnerus *in Obſerv. Pract.* hoc verbo; adde Taborem *cum allegatis ab eo cap. 5. n. 2.*

Num.

Num. 88.

(19) *Pactum uſurarium non vitiare Contractum &c.*] Adde Gailium 2. *Obſ.* 9. & textum in R.A. de Anno 1577. §. Und nachdeme ꝛc. tit. Von Wucherl. Contracten. Carpzov. *in J. P. F. part.* 3. *Conſtit.* 24. *Defin.* 14.

Num. 89.

(20) *Etiam Quincuncium nullam haberi deberе rationem &c.*] Illud tamen ſolùm de Foro Saxonico obtineri putat Carpzovius *in J. P. F. part.* 1. *Conſt.* 28. *Def.* 161. ut ſcilicet ibidem non adjudicentur uſuræ in concurſu Creditorum antequam omnibus etiam Chirographariis de ſorte ſatisfactum fuerit; per rationes ibidem appoſitas. Aliud autem conſtitutum reperiri Jure communi; de eo nempe priorem Creditorem hypothecarium quemlibet non ſolùm ſortis, ſed etiam uſurarum ratione prælatione gaudere; adeoque non tantùm modò in ſorte principali, ſed etiam in uſuris licitis locum habere vulgatam regulam: qui prior tempore, potior eſt Jure: & unà cum ſorte Creditoribus juſto ordine poſitis uſuras adjudicari debere. Quod dicto loco *Def.* 160. itidem pluribus rationibus firmat, & *Def.* 164. Ordinationem Juris Saxonici, quam Klockius pro fundamento aſſerti ſui in medium producit, ſolùm ad uſuras lucratorias condſtringendam, nec ad Compenſatorias extendendam evincit. De Reformatione Norica Tit. XXII. leg. 1. §. 1. hîc loci Jus Commune obtinere certum eſt, cùm expreſſè ſtatuatur. Daß der / deme die erſte Verpfändung geſchehen iſt / der Vorgang habe / nicht allein im Hauptgut / ſondern auch in dem verfallenẽ Zinß. Scilicet ut uſuræ illæ usque ad Conſtitutionem Curatoris bonorum obærati plenariè, pòſt pro rata fructuum ex bonis à Creditoribus aut Curatore poſſeſſis perceptorum adjudicentur.

(21) *Qui minore ſub cenſu pecunias accipiunt, deinde majore &c.*] Notavit Imperator Auguſtus, ut eſt apud Suetonium *in vita illius cap.* 89. aliquos Equitum Romanorum, quòd pecunias levioribus uſuris mutuati, graviori fœnore collocaſſent.

Num. 92.

(22) *Eum Præſidibus, velut ſpongiis uti &c.*] Fortaſſis Klockius noſter dicere volebat hæc de Veſpaſiano, non Tiberio. De illo enim, non de hoc, Suetonius *in vita Veſp. cap.* 16. nec facilè alius Romanæ rei ſcriptor aliter, refert, quòd credebatur procuratorum rapaciſſimum quemque ad ampliora officia ex induſtria ſolitum promovere, quò locupletiores mox condemnaret: indeque iis vulgò pro ſpongiis dictum uti, quòd quaſi & ſiccos madefaceret, & exprimeret humentes.

(23) *Ac deinde illos ipſos exprimunt &c.*] Eadem conqueritur prudentiſſimus Forſtnerus *ad Tacitum loco ſuprà ad Cap. hujus numerum* 12. (5.) *à nobis indicato.*

CAPUT XX.

De Uſuris & Montibus Pietatis.

SUMMARIA.

1. *Quæ* Uſuræ *tolerandæ, & ad mediocritatem revocatæ ærarium juvent?*
2. Uſuræ *pecuniæ creditæ damnantur à Spiritu.*
3. Lex *contra* Uſuras *lata, facit ditiores ad dandum mutuum inexorabiles.*
4. Uſuræ quincunces *in mutuo in ſingula centena permiſſæ.*
5. Mons Pietatis *ſeu* Collybus *quid ſit? & quibus rationibus excuſetur ab uſura, ibidem.*
6. Montes Pontificum *damnantur impietatis.*
7. *Sunt ii* montes *duplices, ad eosq; invitantur homines privilegiis.*
8. *Oſtenditur* iniquitas *horum montium*, n. 9. & 10.
11. *Rurſum* Mons Pietatis *explicatur.* Penſio *datur ad dies vitæ. Hæc* redituum emptio *ad dies vitæ non improbanda. Nil obſtante, quòd Scipio Amiratus contrarium ſentiat*, num. 12. 13. & 14.
15. Mons Pietatis *aliter explicatus.*
16. Fœneratorum ingluvies *videtur per montem Pietatis præcaveri, & quâdam pietate egentioribus conſuli.*
17. *Commendatur à præcipuis Politicorum.*
18. *Conceditur* Principi *hæc eadem ratio ærarii locupletandi.*
19. Antoninus Pius *in conſimili negotio laudandus.*
20. *Sicut &* Alexander Severus *atq;* Tiberius, n. 21.
22. Octaviani Auguſti *exemplum.*
23. *Fierent hæc ab aliis quoque* Principibus *&* Rebuspublicis *magno Subditorum bono.*
24. Auctores *ad hoc propoſitum citati*
25. *Ubi* Montes Pietatis *ſint uſitatiores?*
26. *Valde induſtrius* modus *augendi dotem filiarum.*

Fiſcus ut augeſcat, Mons eſt Pietatis ad uſum
Nonnullibi traductus haud incongruum.

Ex uſuris itaque (exceptis uſurariorum pœnis) Ærarium collocupletari, Reipublicæ amplitudine indignum. Aliquando tamen Uſurarum medio & remedio provideri poteſt Ærario. Neque enim ſimpliciter omnes Uſuræ, ſed exceſſivæ tantùm & immoderatæ, (ut dixi) è Republicâ exterminandæ, annuæ verò ad tolerabilem modum revocandæ ſunt, ita ut loci, temporis, perſonarum, charitatis pro- 1
ximo debitæ, & denique utilitatis publicæ accurata habeatur ratio. Æmil. Ferret. *conſ.* 72. *num.* 20. Anton. Quetta *conſil.* 54. *num.* 9. Erneſt. Cothman. *conſil.* 52. *num.* 34. *& ſeqq.* Heig. *part.* 2. *quæſt. jur.* 1. *n.* 131. Ventura de Valent. *lib.* 2. *Parthen. Litigioſ. c.* 11. *num.* 23. Joan. Gerhard. *decad.* 8. *quæſt. polit.* 1.

Eleganter Leo *Novell.* 83. *Rubr. ut ad trientes uſuras pecunia licitè mutuetur*, ſcribit: Si à Spiritûs legibus ita ſe mortale genus regi ſineret, ut humanis præceptis nihil indigeret, id verò & decorum & ſalutare eſſet: at quoniam ſe ad Spiritûs ſublimitatem elevare, divinæque legis vocem amplecti non cujusque eſt; ac verò, quos Virtus huc ducat,

ducat, numero valde pauci ſunt: benè ſeſe
adhuc res haberet, ſi ſaltem ſecundùm leges
2 humanas viveretur. Quæ vocantur pecu-
niæ creditæ uſuræ, ubique à Spiritûs decre-
to condemnantur. Id ſciens pater noſter
(*Baſilius Macedo*) æternæ memoriæ Prin-
ceps uſurarum ſolutionem ſanctione ſuâ
3 prohibendam putavit. Atqui propter pau-
pertatem, res illa non in melius, (quem ta-
men finem legiſlator propoſuerat) ſed con-
trà in pejus vergit. Qui enim antea uſu-
rarum ſpe ad mutuandam pecuniam prom-
pti fuerant, poſt latam legē, quòd nihil lucri
ex mutuo percipere poſſint, in eos, qui pecu-
niis indigent, difficiles atque immites ſunt.
Quin etiam ad facilè jurandum, quodque id
ferè conſequitur, ad jusjurandum abnegan-
dum id occaſionem præbuit. Breviter: pro-
pter redundantem in humanâ vitâ perverſi-
tatem, non modò non profuit legis Virtus,
verùm etiam obfuit. Quanquam igitur ex
ſe legem culpare (quod quidē etiam abſit) ne-
queamus: propterea tamen, quòd humana
natura (quomodo diximus) ad illius ſublimi-
tatem non perveniat, egregium illud præ-
ſcriptum abrogamus, ac in contrarium ſta-
4 tuimus, ut æris alieni uſus ad uſuras procedat
&c. Sic uſuræ quincunces ex mutuo in ſingu-
la centena permiſſæ ſunt, *l. eos 26. ff. de uſur.*
Deputations-Abſcheid *de Anno 1600.* §. So
viel nun 144. Matth. Coler. *tract. de proceſ-
ſib. execut. part. 1. cap. 10. num. 75.* Flamin.
de Rubeis *conſil. 98. n. 54. vol. 2.* Ferdinand.
Vaſqu. *lib. 3. quæſt. illuſtr. c. 10. n. 22.* Ruland.
de Commiſſ. p. 4. lib. 6. c. 6. n. 13. ubi aliquot
præjudicia refert.

Uſurarum verò cauſa, atque ut Reſpublica
5 inde lucrum ſentiat, ad utilitatem civium
pauperum, aut inopiâ temporariâ laboran-
tium, Mons Pietatis ſeu Collybus, ein gemei-
ner Wechſel oder Banck / *inſtituendus eſt.* (1)
Nam ut Molinæus benè dixit in tractatu de
uſuris, *omnium intereſt, uſum aliquem æris
alieni cuivis patere promiſcuum, & commerci-
um ejus eſſe parabile tam ad negotiandum,
quàm inopinatis caſibus occurrendum:* Si ſolis
enim privatis liceret pecuniam, quam ha-
bent ſuperfluam, fœnori dare, non omnibus
inde copia promiſcuè pateret. Nec enim
privati hominis opes omnibus poſſunt ſuffi-
cere. Sed nec voluntas cuilibet commodan-
di privato ſemper ineſt. Plurimum igitur re-
fert, eſſe aliquos in urbibus, qui id agant ex
profeſſo, ut ex inexhauſto quaſi puteo peren-
nis ſcaturiginis redivivos cuivis numos ſup-
peditent. Atq; ut mercatores eſſe oportet, qui
merces ſemper habeant paratas, & expoſitas
empturientibus, ita ut fœneratores, quibus
pecuniæ ſemper præſtò ſint, ex eorum men-
ſa, mutuum ſumere volentibus in promptu
poſitæ. Quo ſcopo in multis Chriſtiani Orbis
locis, jam à MLX. & ampliùs annis, fuiſſe à
piis viris ingentes pecuniæ ſummas ad mu-
tuandum pauperibus deputatas, atque has
ſummas *Montes Pietatis vocari*, (2) & cum
hisce conditionibus conſtitui ſcribit Leonar-
dus Leſſius *de juſtit. & jur. lib. 2. c. 20. dubi-
tat. 23. n. 189. & 130.* Primò, ut ex illis detur
mutuum ad certam ſummam pauperibus
loci, non exteris, aut divitibus. Secundò, ut ad
certum tempus, verbi gratiâ, ad annum, vel
paulò ampliùs id eis permittatur. Tertiò, ut
mutuatarii dent pignus idoneum: quia alio-
quin talis mons facilè exhauriretur, multis
poſtea non ſolventibus. Quartò ſingulis
menſibus aliquid minutū ſolvant, pro ſum-
ptibus neceſſariis, ad montis conſervatio-
nem, ut pro ſtipendio miniſtrorum, qui
montem cuſtodiunt & adminiſtrant, ſemper-
que parati eſſe debent ad mutuandum, ad
pignora recipienda & cuſtodienda, pro con-
ductione domûs, pro libris rationum, cæte-
risque neceſſariis inſtrumentis. Quintò, ſi
tempore præſcripto non ſolverint, vendatur
pignus, & quod ex pretio, detractâ ſorte &
menſtruis, ſuperfuerit, illis reſtituatur. Atque
hisce rationibus Montes, qui dicuntur Pieta-
tis, ab uſura excuſari cenſet Leſſius *d. l.* Vi-
deatur quoque noviſſimè Cardinal. Joan. de
Lugo *tom. 2. de juſtit. & jur. diſputat. 25.
ſect. 10. fol. 287. & ſeqq.* Baptiſta Fragoſus
*in Regimine Reip. Chriſtianæ par. 1. lib. 7. §. 1.
fol. 912. & ſeqq.*

Ejusmodi *Mons Pietatis* auſpiciis Sereniſ-
ſimi Principis Alberti Auſtriaci in Belgio
Anno MDCXIX. erectus, & in uſum dedu-
ctus eſt; in quo licere à mutuatariis exigere
non ſolùm ad expenſas miniſtrorum neceſ-
ſaria, ſeu etiam ad ſolutionem penſionum
annuarum, quibus gravatur mons, pro pecu-
nia ad cenſum accepta, &c. aſſerit idem
Leſſius *d. tract. in appendice ad dubitat. 813.
814. & ſeqq.*

Non probo heic impios montes (3) Pontifi- 6
cum, quorum *duo genera* (4) refert Author
Theſauri Politici *in Relat. Urbis Romæ fol. 36.*
Unum, quod morte extinguitur, in quibus
pro centenis duodenum aureorum fit ſtipu-
latio. Alterum, quod ad hæredes tranſit, & 7
pro centenis ſeptem penduntur. In hosce
Montes pecuniam ut multi collocent, non
lucri ſolùm ſpe infallibili, ſed & quàm pluri-
mis præterea invitantur privilegiis. Siquidē
aſſerente Gregorio Tholoſano *lib. 13. de Rep.
c. 16. n. 26.* in illis montibus otioſi & epicureè
viventes Romæ quidam victum habent ex
reditibus ſine labore, vacantes voluptatibus,
quod certè deteſtabile eſt. Ubi enim quis 8
infimæ ſortis corradere poteſt, ſive juſtè, ſi-
ve injuſtè pecunias alicundè, ad montes il-
los confugit & reditus ſibi comparat, ut re-
liquum vitæ tempus ſine labore, inſtar bru-
torum animantium, tranſigat; non dicam 9
etiam ſcorta plurima ex Pietate Montium
ſplendere & ornari, &c. *Et num. 11. ait:*
Imò

10 Imò non tantùm Meretricibus, lenonibus & otioſis, cæteríſve infimæ gentis hominibus privilegia à Pontificibus ſub generali omnium Sedis & Cameræ Apoſtolicæ bonorum obligatione, verùm etiam quorumcunque manifeſtorum & publicorum criminum reis indulta ſunt, & non obſtantibus quibuscunque condemnationibus noluerunt eorundem bona poſſe obligari. Idem Gregor. Tholoſan. *d. cap. 16. num. 27. in fin.* metuit, ut forſan impediri poſſint, ne liberè Chriſtiani viam ad DEUM pietate accedere poſſint, &c.

11 Vulgò Montem Pietatis ita interpretantur, ut certam pecuniæ ſummam à privato accipiat Fiſcus, eique vel alimenta, vel penſionem uſuris vulgaribus graviorem (puta pro 100. florenis 8. vel 10.) ad dies vitæ concedat, vulgò **Pfründe Kauff / Leibrenth:**
12 Quem Contractum, ob incertitudinem vitæ ementis & eventum dubium, juſtum & licitum eſſe, Theologi & JCti concludunt, modò reductio fiat *ad legitimam ſummam,* (5) & conſuetudo loci obſervetur: Etiamſi ex poſtfacto (ſubſecuto eventu) reddi videatur exceſſivus, **wenn der Pfründner zu lang lebt / oder gar zu bald ſtirbt** / *l. ſi fundus ff. de evict.* Gail. *lib. 2. obſ. 7. n. 15. & obſ. 8.* Bernhard. Græveus *lib. 2. pract. concl. 7. conſiderat.* ubi requiſita recenſet, Benedict. Bonius *lib. 1. de cenſib. artic. 14. fol. 47. & 52. & art. 28.* Heig. *lib. 1. quæſt. jur. 43. per tot.* Danæ. *lib. 2. Ethic Chriſt. cap. 15. fol. 238. & ſeqq.* Dn. Beſold. *de Ærar. c. 6. fol. 152.* Bornit. *de Ærar. cap. 7.* Frider. Mindan. *lib. 2. de mandat. judic. c. 72. n. 6. & ſeqq.* Jacob. Aleman. *de jure monetæ quæſt. princip. 13. Utrum jure argentariam exercere liceat? fol. 870. & ſeqq.* Idque (ut dixi) ratione incertitudinis horæ mortis, Vaſq. *lib. illuſtr. quæſt. 3. cap. 68. num. 10. & ſeqq.* Surd. *conſ. 306. n. 5. & in tract. de alimentis tit. 9. quæſt. 11. n. 7* *Quis enim* (ut inquit Cicero in Catone) *tàm ſtultus, quamvis ſit adoleſcens, cui ſit exploratum ſe ad veſperam eſſe victurum?* Ac proinde commu-
13 ni Dd. calculo recepta eſt illa concluſio: Emptionem redituum annuorum ad vitam percipiendorum non improbari, Martin. ab Azpilcueta Navarrus *conſil. 10. & cap. 20. tit. inter empt. & vendit.* Capyc. *deciſ. 159. num. 16.* maximè ſi reſpondeat hic contractus ſorti habitâ ratione ætatis, juxta *l. hæreditatum. ff. ad L. Falcid.* Joan. Bapt. Lupus *in cap. naviganti. comment. 3. §. 5. num. 98.* ubi dicit, emptionis Contractum ad vitam illicitum eſſe, quando non eſt factus ſecundùm probabilem & veriſimilem conjecturam vitæ: cenſuit & Caſpar. Roderic. *tract. de annuis reditib. lib. 3. quæſt. 6. n. 8.* Jacob. Cancer. *var. reſolut. c. 7. num. 40.* Et ita etiam aliquoties in Senatu Pariſienſi judicatum refert Annæus Robert. *rer. judicat. lib. 4. cap. 2.*
14 Licet Scipio Amiratus *lib. 3. Diſſertat. Polit. in Tacit. Diſcurſ. 8. fol. 83. contractum hunc expreſſè improbet* (6) ac rejiciat; Noſtris, *dicens,* temporibus conſuetudo viget, ut Principes pecuniam conquirere cupientes per miniſtros numularios pecuniam à privatis accipiant, reditum verò dantibus conſtituant (ut ajunt) octo, aut ſesquiocto pro centenis numis, quoad accipiens vixerit, plurimique probant, id maximo Principibus emolumento cedere. A quâ tamen opinione ego ſemper longiſſimè abfui; propterea quòd certi reditus indubiè diminuuntur, accepta verò pecunia facillimè dilabitur, & rarò ad tales Contractus Principes, niſi in extremis neceſſitatibus, deveniunt.

Nos montem Pietatis indigitamus Æ- 15
rarium publicè conſtitutum, quando pecunia publica, quæ civibus *vel peregrinis* (7) ſupellectile aureâ vel argenteâ pignori ſuppoſitâ, mutuò data eſt, & legitimas, vel paulò majores uſuras annuatim parit, ex quibus Ærarium indies ſtabilitur & incrementum capit. Ideò autem Mons Pietatis (haud Impietatis arguendus) indigitatur hic modus, quòd Princeps & Reſpublica pietatis affectu, inprimis perſonis miſerabilibus & præſenti pecuniâ deſtitutis (licet aliàs in mobilibus habeant, unde ſolvant) adversùs impoſturam & malitiam fœneratorum & Judæo- 16
rum hoc pietatis Monte & præſidio, id eſt, mutuam dando pecuniam ad mediocres uſuras, ſuccurrat: Cùm aliàs, ne quidem pignore etiam dato, pecuniam mutuam petentes, non niſi ad inſolentes & maximas uſuras, & pignore, niſi id ad deſtinatum tempus luatur, commiſſo impetrare poſſint. Quæ avaritia & inexplebilis fœnerandi ingluvies hoc medio præcaveri, refrænari & tolli, atque hac ratione multi, qui ad diſtractionem bonorum ſuorum mobilium adigerentur, ſe ſuaque in tuto collocare, & interea temporis pignora commodè luere poſſint.

Ejusmodi inſtitutum montium Pietatis 17
& Cambiorum valdè commendant præcipui Politici. Lugduni Batavorum dictus fuit *Lummart,* (8) qui primus ſimile inſtitutum exercuit, unde hoc nomen poſtea ad alios translatum ajunt. Hunc in finem alia ſodalitia mercatoria *Auguſtæ, Venetiis,* (9) & paſſim conſtitui videmus. Quidni ergò Prin- 18
cipi noſtro hancce honeſtam locupletandi ærarii rationem concedamus? ne pecunia publica ſit otioſa; nec Principis largitionibus effundatur, nec rapinis exhauriatur, ſed ad ſingulos & univerſos ſummâ utilitate emolumentũ inde redundet. *Antoninus Pius,* (10) Im- 19
perator, ut naturâ clementiſſimus, ita privatorũ inopiæ & Civitatis cavit; cùm pecuniæ publicæ erogatione fœnus trientariũ, id eſt, minimis uſuris exerceret, ut *patrimonio ſuo plurimos adjuvaret.* Cujus exemplo Alexan- 20
der

der Severus, pauperibus conſulens, ærari-
um dirutum reſtituit, atque uſuras fœne-
ratorum ad trientes penſiones contraxit,
pauperibus verò pleriſquè ſine uſuris pecu-
nias dedit, ad agros emendos, reddendas de
fructibus; Lamprid. *in eod. cap. 26. tom. Hiſtor.*
21 *Aug. Edition. Gruter. fol. 345.* Tiberius verò
cùm olim multi fortunis ſpoliarentur, multi
famâ ac dignitate deciderent, *opem promptam
tulit*; (11) diſpoſito per menſas millies ſeſter-
tiûm, factâq; mutuandi copiâ ſine uſuris per
22 triennium, ſi debitor populo in duplum præ-
diis caviſſet: nec non *Octavianus Auguſtus*,
(12) referto pecuniis ærario, partem ſine uſu-
ris dabat iis, qui prædiis ac prædibus cave-
rent, ſe duplum reddituros, niſi ſtato die pe-
cuniam in ærarium inferrent: quæ pecula-
tûs, non uſurarum pœna fuit, rectè cenſente
Bodino *d. lib. 6. cap. 2. fol. 1040.* Conficit au-
tem *millies ſeſtertiûm* (13) ad noſtram ſup-
putandi rationem redactum, vicies quinqui-
es centena millia, hoc eſt, duas milliones, &
quinquaginta millia aureorum: Ut egregi-
am Tiberii, alioquin parùm laudati, liberali-
tatem, in populum & obæratos levandos
gratiam laudare quis poſſit, an imitari? ne-
23 ſcio. Quòd ſi Principes & Reſp. hoc modo
ex ærario deficientiæ civium obviarent; ne-
que tenues, neque ditiores obærati debitores,
gravioribus uſuris urgerentur, aut ſupellecti-
lis, aliorúmve bonorum immobilium diſtra-
ctionem alieniſſimo tempore ac loco pati
cogerentur, & ſic ex conſequenti Principes
24 toti Reipublicæ prodeſſent. Videantur
ultra præmemoratos, de hoc ſalutari, & fœ-
neratores in bona innocentium pauperum
graſſantes egregiè cohibendi remedio, Bern.
Scardon. *lib. 2. hiſt. plat. claſſ. 5. verſ. 8. n. 160.
& ſeqq.* Joan. Bapt. Lupus *in cap. navigan-
ti. de uſur. §. 3. num. 80. & ſeqq. pag. mihi 117.
Editione Veneta*, Arnold, Ferron. *ad Conſue-
tud. Burdiga. l. lib. 2. tit. 8. §. 20. in fin.* Virgin. de
Boçat *in tract. de manuten poſſ. c. 8. n. 168.*
Martin. Bonacina *in Compendio Moralis
Theologiæ verb. uſura num. 18. pag. 842.* De
Monte Pietatis Patavino, vide apud Paul.
Merulam *part. 2. Coſmograph. lib. 4. fol. 1320.*
remiſſivè Camil. Borell. *conſ. 81. n. 2. vol. 1.*
Ludovic. Molinam Jeſuitam *de Juſt. & Jur.
diſput. 325. tract. 2. lit. B. col. 3.* Franciſc.
Munoz de Eſcobar. *tr. de ratiocin. adminiſt.
cap. 7. num. 54.* Sigiſmund. Scacciam *tract.
de commerc. & Cambio. §. 1. quæſt. 1. num. 440.
& multis ſeqq.* Venturam de Valent. *d. cap.
11. num. 24.* Herman. Lather. *lib. 3. de cenſu c.
19. per tot.* Bornit. *in Viro Politic. fol. 292. &
tract. de rer. ſuffic. lib. 4. cap. 17.* Beſold. *tract. de
ærario publico cap. 6. num. 2.* Paul. Layman.
*in Theolog. Moral. lib. 3. tract. 4. cap. 16. num.
11.* Ruræmund. im Schlüſſel deß Reich-
thums *cap. 22.* ubi ita ſcribit: Dieſe Montes
Pietatis ſeind in ſehr viel Stádten Italiæ, be-
ſonders aber zu Luca, Senis und Florentia, zu 25
Hülff und Erleichterung der Armen dürffti-
gen angeſtellt und geordnet / der geſtalt / daß
wenn einem Vatter ein junges Tóchterlein ge-
bohren wird / ſo mag er alsbald / ob er wil / ein ge-
wiſſe Summ Geldes / als hundert Cronen / ꝛc.
bey demſelben ærario anlegen / welches zwar
keinen Zins trágt: Wann aber die Tochter 18. 26
Jahr alt worden / ſo gibt man ihr zehenmahl ſo
viel / das iſt 1000. Cronen / damit ſie ſich ehrlich
beſtatten móge / und hindert auch nicht ob gleich
ihr Vatter in der Zeit bonis cedirt, und ver-
dürbe / denn dieſes Geld gehóret der Tochter /
und ſonſten niemand zu / ſtirbt aber die Tochter
in der geſetzten Zeit / und hat der Vatter ein an-
ders Tóchterlein / das ſtehet alsdenn nach der
Zahl der Jahren an der vorigen Stell: wo nicht /
ſo bleibt das Geld dem gemeinen Seckel oder
ærario für eigen / und darff ſich keine vor 18.
Jahren verheyrathen.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT XX.

Num. 5.

(1) *Ein gemeiner Wechſel oder Banck inſtitu-
endus &c.*] Qualis Mons Pietatis Norim-
bergę vulgò das Leihhaus / quæ Añ̃o MDCXVIII. ad
ſimilitudinẽ Auguſtani Montis Pietatis inſtituta, &
Legibus ipſius conformis reddita, de qua ad Politi
cum Sceleratum *cap. 43. pag. 488.* dixi, & requiſita
Montium Pietatis ex Fragoſo *de Rep. Chriſt. part.
1. lib. 7. Diſp. 20 §. 1. num. 26. & 27.* ibid. adduxi.

(2) *Montes Pietatis vocari &c.*] Rationem
denominationis Montium Pietatis ſic explicat
Laurentius Beyerlinck *Theatr. Vit. Hum. Tit. Mons
Pietatis.* Quæ quidem, *inquit*, pecuniæ, aut gra-
norum, aliarumque æſtimabilium rerum portio,
ſolet appellari Mons Pietatis. Fortaſſis quòd ſic
ut Montes ceu tubera quædam terræ eminent
reliquis creatis ſublunaribus: ita in hac mutuandi
ratione, cum debitis circumſtantiis facta, elu-
ceat vel maximè virtus Miſericordiæ, & quæ cæ-
teris ſupereminet, ut Chriſtus *apud Matthæum
cap. 9.* eam ſacrificio præferat, dicens: Miſericor-
diam volo (*malo, legit Ambroſius lib. de Pœnit.*)
& non ſacrificium. Deinde quemadmodum è
montibus in valles deſcendunt pluviæ: Sic ab his
montibus Pietas & Beneficentia in pauperum
ſinum, qui velut valles ſunt in hoc mundo com-
paratione divitum & potentum, derivatur:
quo ſenſu Salomon *Prov. 5.* Divitias nomine fon-
tium & aquarum appellavit. Et veluti Montes ſoli-
dior ſunt pars terræ, ut conſtat: Ita ſolidiſſima
terrenæ ſubſtantiæ portio eſt, quæ in paupere di-
ſpenſatur, quæ, quantulacunque tandem præſta-
tur, mercede apud DEUM non caret, & apud Judi-
cem velut cauſâ dicit. Ita Beyerlinck & ex eo Doro-
theus Aſcianus SS. Theologiæ D. qui ex profeſſo

Montes Pietatis Romanenſes noviſſimè deſcripſit, *cap.1.§.4.pag.713. ubi cap.2.§.21.* varias variorum Deſcriptiones eorum adfert, qui tamen omnes eò recidunt, quòd Mons Pietatis ſit certa pecunia, ſeu frumentum vel quodcunque mutuabile congregatumque à Republ. vel aliis, ex quo datur mutuò gratis, niſi quòd aliquid pro ſtipendiis miniſtrorum Montis &c. mutuatarii ſolvant: atque has conditiones porrò dictus Aſcianus *cap. 6.* per totum explicat, & eorum exempla Montium ſingulariter enumerat. Quod & in textu allegatus *n.7. 8.* Tholozanus *dicto ibid. loco n.11.12. ſeqq.* facit.

Num. 6.

(3) *Non probo hic impios Montes &c.]* De Pietate & Impietate Montium lege Nicolai Bariani Auguſtiniani, atq; Michaëlis Papafavæ diſſertationes D. Aſciani Tractatui jam citato ſubjunctas.

(4) *Duo genera &c.]* Quæ pleniùs explicat jamjam laudatus D. Aſcianus *cap.5.§.28.pag.762.*

Num. 12.

(5) *Ad legitimam ſummam &c.]* Ad quinque nempe in centum vel minus: cùm Receſſibus Imperii conſtitutam hanc Summam ad ſex vel ultra extendere Statibus in Imperio Rom. Germanico haud liberum eſſe videatur, de quo vide D. Eberhardi Fabricii *Repetit. Gailii ad 2. Obſ.7. & 8. pag.120. ſeqq.*

(6) *Contractum hunc expreſsè improbet &c.]* Amirati verba allegata perpendenti non poteſt non apperere planè eum in alio ſenſu reprobare, quàm in quo JCti cum Theologis ſentientes eum cõtractum probant. Apud illos enim id in quæſtione eſt, annon contractus is uſurarius, & ideò improbus ſit? hic verò disquirit; an Principi eum inire ſit conſultum & utile, ut ſcilicet pro fragili & plerunque mox conſumptâ pecuniâ tam incerto & ſæpe longè duraturo onere Principatum ſuum gravet, an potiùs aliis mediis ſibi proſpiciat? Sed hæc obiter.

Num. 15.

(7) *Vel peregrinis &c.]* Ab Italorum tamen Montibus Peregrini omninò excluduntur, uti ex omnium deſcriptionibus patet, & ab D. Aſciano *d. loc. cap.6.§.51.&c.* demonſtratur.

Num. 17.

(8) *Lummart &c.]* De quo *ad Caput 22.* aliquid dicetur.

Num. 18.

(9) *Auguſtæ, Venetiis &c.]* Vide Aſcianum *cap.6.* de Mont. Pietatis variis.

Num. 19.

(10) *Antoninus Pius &c.]* Teſte Capitolino *in vita ejus cap. 2.*

Num. 22.

(11) *Opem promptam tulit &c.]* Tacitus *6. Annal. 17. n.5.*

(12) *Octavianus Aug. &c.]* Quoties ex damnatorum bonis pecuniâ ſuperflueret, uſum ejus gratuitum iis, qui cavere in duplum poſſent, ad certũ tempus indulſit, inquit Sueton. *in vita Auguſti cap.41.* ad quem locum confer Cujac. *5. Obſerv.38.*

(13) *Millies Seſtertiûm &c.]* Secundùm D. Gronovium *de ſeſtertiis Tab. III. pag.892.* millies HS. ſunt 2500. Milliones 2½ tonnæ 25.

CAPUT XXI.

De Menſis Argentariis.

SUMMARIA.

1. *Exemplum* de menſis argentariis Franciſci *Galliæ Regis.*
2. Uſuræ centeſimæ, *ſeſquicenteſimæ, & ducenteſimæ ab Henrico II. Rege Galliæ promiſſæ.*
3. Uſurarum *Uſuræ.*
4. *Exemplum item* Venetorum & Regis Hiſpaniarum *affertur.*
5. Uſuræ *ſortem ſuperantes ſunt execrandæ.*
6. Romani *bello Punico ſecundo mutuum accepere potius, quàm extorquere tributum vellent,* n.7. & 8.
9. *Premente foris hoſte, pernicioſum eſt* ſubditos *interiùs tributis premere.*
10. Argentarii *qui ſunt in Jure Civili: Eorum ars Romæ parùm honeſta fuit*, numero 11.
12. Doctrina *Bologneti de argentariis affertur,* & num. 13.
14. Argentarii *unde dicti?*
15. *Collybus quid ſit, explicat ibidem Author.*
16. Argentarius *à Scævola fuit uſurpatus pro coactore.*
17. *Quid ſit proprie* coactor, *ex ſententia Alciati, explicat Author.*
18. Cambium *quare inventum? Reipublicæ quàm utile & neceſſarium: &* numer. 19. 20.
21. Reſponſum juris *in materia Cambii, ejusque* Facti ſpecies, n.22.
23. Acceptans *literas Cambii tenetur ſolvere.*
24. *Poſt* acceptationem *revocatio vel prohibitio ſolutionis à mandante fieri non poteſt.*
25. Exceptio non numeratæ pecuniæ *an locum habeat inter campſores & mercatores? in mutuo & dote ſaltem attenditur,* num.26. *quando ceſſet?* numero 27.
28. *Ad ſubſtantiam* Cambii *non requiritur realis numeratio, ſed ſufficit, quòd cambium concluſum, & literæ datæ, transmiſſæ, præſentatæ & acceptatæ ſint: contrarium,* num.29.
30. *Allegantur* præjudicia *& res judicatæ, & Dd. authoritates,* num.31.

Utilis eſſe poteſt ſimul argentaria menſa,
Salvâque conſcientiâ quæſtum facit.

SOlent quoque, ſed raro, Principes argentariis menſis conſulere ærario; cùm à Subditis vel peregrinis accipiunt mutuum ad uſuras extraordinarias. Ita enim ſpe lucri cives & exteros allicere ſolent, ut ingentem ſummam pecuniæ ad uſura elocent.

Exemplum refertur de Franciſco I. (1)
Rege Gallorum, qui ſuaſu Turnonii Anno MDXLIII. menſam argentariam inſtituit & pecunias moderato fœnore accepit, ac Lugduni ſtatis nundinarum temporibus uſuras ſolvit: hacque ratione Italorum ac Germanorum opes brevi ſe cogere, hoſtibusque eripere poſſe putavit. Accurrunt 1

runt

ſunt Itali & Germani mercatores, Gallorum etiam quàm plurimi; ita paucos poſt annos, quàm mortuus eſt Franciſcus, ſors D. aureorum millia ſuperabat: quæ ex ærario pecuniis refertiſſimo perſolvere potuiſſet; noluit tamen, etſi nec pecuniis Reſpublica
2 egeret, & cum omnibus Principibus aut fœdus, aut pacem iniviſſet. Secuta eſt calamitoſiſſima Dominatio Henrici filii, qui brevi exhauſto Patris ærario, uſuras centeſimas, pòſt etiam ſeſquicenteſimas (Anno MDLIV) tandem ducenteſimas pactus eſt. Cùm verò pecunia fœnori ſolvendo non ſufficeret,
3 Uſurarum uſuras creditoribus promiſit; Bodin. *dict. libr. 6. cap. 2.* ubi & Venetos, qui cæte-
4 ris frugaliores videntur, ut ærarium augeret, pecuniam à privatis ſub trientibus uſuris accepiſſe, ſcribit, ſine ulla ſpe recuperandæ ſortis, quòd jure communi licebat, aut ſub uſuris centeſimâ gravioribus, ſcilicet ſextante (id eſt, quatuordecim pro centum,) quàm diu vixerit, qui dedit: eo tamen moriente, ſors ærario cedit. PHILIPPUS II. Rex Hiſpaniarum Belgico bello, ad quod imenſis ſumptibus opus erat, implicatus, ex ea occaſione *ingentes ſummas à Genuenſibus*, (2) & præcipuè à Nobilium ordine emunxit; pro quibus ingenteis pariter uſuras penſitabat, deſtinatis ad eas exſolvendas primariis Indiarum & Hiſpaniæ vectigalibus.

Cùm verò in computandis uſurarum rationibus erratum eſſe, & calculi errorem corrigi debere contenderet; majores, quàm deberentur, uſuræ perſolutæ eſſent, eæ in ſortem imputarentur, interim penſiones eis aſſignatas Decreto ſub id tempus in Hiſpania publicato ubique revocavit. Quare non ſolùm Genuæ, ſed & Romæ, Venetiis, Mediolani, Lugduni, Rotomagi, Antverpiæ, & plerisque in Germaniæ locis argentariam exercentium rationes labefactatæ ſunt, parumque abfuit, quin menſarii paſſim creditoribus ſuis decoxerint. Poſt quadriennium tandem conventum, ut rationes novæ quidem denuò non inirentur, ſed ita ſortis principalis uſuræ deinceps contraherentur, ut quæ priùs *quaſi ſeptunces* erant, hoc eſt, pro C. unciis, VII. cum tertia paullò minùs pariebant, in poſterum, *quaſi trientes* eſſent, hoc eſt, VII. unciæ tantùm cum tertia parte quotannis exſolverentur.

Sed & hoc Genuenſibus à Philippo tunc conceſſum, ut Creditoribus ſuis, qui cum Philippo minimè contraxiſſent, in diſſolvendo ære alieno, quod ab ipſis, ut Philippo crederent, ſumpſiſſe ſe ajebant, eadem ratione ſatisfacerent. Quod iniquiſſimum per ſe Decretum non ſolùm Genuenſium, ſed aliorum Italorum, atque adeò ſparſim toto Orbe inſtitorum rationes conturbavit, ac multis ex ſuis omninò bonis evertit, Jacobus Auguſtus Thuanus *hiſtor. lib. 17.*

Verùm enim verò Ærarii ac Civitatis everſionem moliuntur, qui pecuniam ſub uſuris, quæ nemini non detrimento inſigni fuerunt, Reipublicæ nomine accipiunt. Nec ad hunc modum niſi extremâ Neceſſitate efflagitante, & ſubito periculo imminente, (puta, quando defectiones à ſe & potentium conjurationes Princeps proſpicit,) deveniendum eſſe ſuadent Politici; eò, quòd valdè iniquus ſit & perniciosus.

Quid enim iniquius, quàm ut filia de- 5
voret matrem, & uſuræ ſortem ſuperent, totumque ærarium exhauriant? Quid perniciosius, quàm ſi Principes à Fœnore vel mutuo Bellum auſpicentur? Quocirca etiam à Scipione Amirato præteritur hic modus, *quòd plus damni, quàm lucri* (3) Fiſco afferat, *libr. 3. Diſſert. Polit. in Tacit. diſcurſ. 8.* Bornitius *lib. 7. de Ærario c. 2.*

Romani tamen bello Punico ſecundo 6
(ut Carthaginenſibus acciderat primo bello; Polyb. *lib.* I.) pecuniam mutuam à Civibus ſumere maluerunt, quàm tributum extorquere, aut collectam conſtituere, Liv. *lib. 26.* Quod imitandum ſuadet etiam Bodinus *d. loc. dum inquit:* Commodius erit 7
mutuas à Subditis pecunias accipere, quàm illos onerare tributis, aut aliquo genere exactionis.

Et M. ANTONINUS Imperator, cùm, æra- 8
rio exhauſto, largitiones, quas militibus impenderent, non haberet; tributum Provincialibus indicere noluit. Simile fuit illud Senatus Romani Conſilium à Bodino vehementer collaudatum.

Nam cùm Hannibal, *inquit*, Italiam 9
quæreret, urbemque ipſam obſideret, Senatus diruto ærario nova tributa Subditis aut ſociis imperare noluit. Nihil enim prementibus hoſtibus tàm periculoſum & noxium; Keckerman. *Diſput. Politic. 6. problem. 8.* Sic Scotiæ Proceres, fugato Bothuellio, cùm exinaniti eſſent Regii Theſauri; impendium ad reliquias belli conficiendas potiùs mutuo ſumpſerunt, quàm indicerent Tributum Buchanan. *Rer. Scotic. lib. 29.*

In jure Civili *argentarii* (4) ſunt illi, qui- 10
bus ad longum tempus locabantur Tabernæ, de quibus *in l. 32. qui tabernas argentarias. ff. de contrahend. empt.* quare dicebantur *tabernæ argentariæ*, non eò, *quia in iis argentum venderetur*, (5) ut exiſtimat *Gloſſ. in dict. leg. 32.* ſed ex eo, quia illas conducebant argentarii, ut bene advertit Covarruvias, relatus à Johan. Baptiſt. Lupo, *in capit. naviganti. §. 2. ſub numer. 7. verſic. ubi veteres. de uſur.*

Et hæ tabernæ, in quibus argentarii

& numularii habebant menſas, conſtructæ fuerant Romæ *à Lucio Tarquinio Priſco* (6) in *foro* (7) prope Caſtoris ædem, unde cùm argentarii cedebant tabernis, foro cedere dicebantur. Inibi & auctiones licitationum fiebant, Cic. *pro Cecinna, dum de Æbutio loquitur.* & Quintilianus 6. *Inſtitut.* & ob id officium argentariorum, atque miniſterium publicam cauſam habet, eſtque principalis eorum opera, ut actu ſui diligenter rationes conficiant, *l. argentarius* 10. *verſic. ideò. ff. de edend.* quia frequentiſſimè ad fidem eorum Codicum recurritur, *l. quædam ſunt* 9. § *nummularios ff. eod. titul.*

11 Ars tamen hæc parùm honeſta Romæ fuit; Sueton. *in Octaviani Cæſaris vita capit.* 23. *&* 70. ubi refert, Cæſari à Marco Antonio objectum fuiſſe, quòd Avum argentarium

12 habuiſſet. Munoz de Eſcobar *de ratiocin. cap.* 11. *numer.* 1. *&* 2. Erant autem argentarii antiquitus duobus modis; Joannes Bolognetus, *in dict. leg.* 1. *numer.* 6. *C. de edend.* Nam aliquando *Univerſitas Civitatis faciebat unam menſam,* (8) & conſtituebat locum, in quo deberent omnes cives, vel alii deponere pecuniam ſuam, recepturi eandem ad ſuam voluntatem, & commoditatem; & huic menſæ præponebant perſonas approbatæ fidei, quibus committebatur, ut tenerent computa & rationes omnium deponentium & recipientium pecunias ſuas, & rationes eorum appellabantur publicæ, propter eorum fidem à publico approbatam;

13 Secundo modo erant argentarii, qui de ſuo profitebantur, ſe velle retinere menſam & bancum, in quo omnes cives poſſent deponere pecunias ſuas, recepturi easdem ad eorum voluntatem & commoditatem, in totum vel pro parte; & iſti pro faciliori executione impetrabant à publico, ut eorum fides approbaretur, & daretur ſibi poteſtas ſcribendi rationes ſuas & omnium negotiantium cum eis; & fideliter promittebant conficere, & obtinebant; dicebantur autem conficere rationes publicas propter fidem publicam impetratam: Et de iſtis particularibus argentariis loquitur textus *in l. ſi hominem* 7. §. *quoties.* 2. *ff. de depoſit. cum l. ſeq. & l. ſi ventri.* 24. §. *in bonis.* 2. *ff. de privileg. credit. cum ſimilib.* Hæc Bolognet. *d. loc.*

14 Jure optimo autem argentarii ab argento appellabantur, quòd argentum, id eſt, numos venderent: numos verò vendit (inquit Cujac. *lib.* 10. *obſ. c.* 14.) qui pro numis, quos dat, permutat alios, indeque lucelli

15 aliquid accipit, id eſt, collybum. Nam collybus eſt; quod pro permutatione pecuniæ datur, vel munus, quod pro Cambio datur, vel ſi mavis detrimentum pecuniæ, quod ex ſumma apud numularium manet, quum pecunia ad exteras nationes exportanda eſt, & apud numularios numis commutanda, ut ex Divo Hieronymo docet Cujac. *d. cap.* 14. ubi pulchrè & latè *de hac voce agit.* (9) Adeundus etiam Eberhardus Speckhan. *centuria prima quæſtionum, capite ſexageſimo octavo, numero ſecundo & ſequentibus.*

Nec omittendum, Argentarium à Scævola in *l. Sticho.* 4. §. *argentarius.* 8. *ff. de ſtat. liber.* uſurpatum quoque fuiſſe pro coactore, id eſt, illo, qui cogebat & congregabat pecuniam menſæ argentariæ debitam. Sed rectiùs meo judicio ſubtilis Alciatus, *lib.* 1. *Parerg. c.* 24. ſcribit, coactores argentarios eos dici, qui dum reliquatores aliquot haberent, vel propter paupertatem, vel alia de cauſa difficiles exactu, hujusmodi nomina per licitationem vendebant: hi enim emptores propriè appellari ſolent coactores, quod & cogere pecuniam, ſit corradere, & exigere, ut ibi latiùs per eum. 16 17

Differunt à menſis argentariis *Cambia* (10) ab initio pro faciliori mercaturæ & peregrinationis uſu inventa; Joh. Bapt. Lupus *in d. cap. naviganti.* §. *num.* 12. *de uſur. fol. mihi* 138. poſtea autem in mercaturam & negotiationem lucratoriam & faciendum quæſtum ordinata & converſa; adeò Reipublicæ neceſſaria & utilia, ut ſi Cambia ceſſarent, omnia penè mercaturæ officia diſſiparentur ac deſtruerentur, ut ait Calderinus, *conſil.* 11. relatus à Martino ab Azpilcueta, *lib.* 5. *conſil. tit. de uſuris conſil.* 31. *fol. mihi* 533. 18 19

Et ſublatâ negotiatione Cambiorum è medio tolli omnes mercaturas & nundinas, ſcribit Joan. Azor. *d. inſtit. mor. p.* 3. *libro* 10. *titul. de Camb. cap.* 3. *quæſt.* 1. extentè & pulchrè Sigismundus Scaccias, *tract. de commerciis & Cambio*, §. *quæſtion.* 6. *per totum.* 20

Nunc in apricum & Campos juridicos excurram; Reſponſum juris in hac difficili & periculoſa Cambiorum materia redditum ſubjungam, quod Lectori non ingratum fore confido. 21

Burattini debitores Faſce, cupiunt eidem per Cambium Remiſſam facere 1000. Ducatorum:

Pusterla recipit in ſe Remiſſam promittens per Volpi Faſce facere numerari Coloniæ dictos 1000. ducatos. Itaque Pusterla ſcribit literas Cambii, easdem Burattinis tradens, prout moris, & per literas de Aviſo ſcribit Volpi, ut per Faſce præſententur, acceptet easdem, & ſolvat, quamvis Pusterla nondum revera recepit à dictis Burattinis 1000. ducatos, ſed fidem iis habens & ſpe futuræ numerationis, iſt der Wechſel beſchloſſen / und der Brieff von Handen geben worden.

Burattini recipientes literas Cambii transmittunt Faſce, ut Volpio præſentet ante terminum, & in termino recipiat ſolutio- 22

lutionem. Faſce receptis dictis literis Cambii, quàm primùm præſentat Volpi, qui promittens in termino ſolutionem pro more mercatorum ſubſcribit literas Cambii. Receptata interim Venetiis inſtat Puſterla apud Burattinos, ut ſummam Cambii ſolvant. Burattini poſt octo dies conturbant rationes & negotiationes ſuas, atque foro cedunt. Quare Puſterla citatis equis, Coloniam Volpi ſcribit, ne dictas literas acceptet, cùm valuta earum necdum ſoluta ſit. Faſce convenit Volpi, dieweil er einen getroffenen und beſchloſſenen Wechſel zu bezahlen verheiſſen / auch allbereit ſein acceptata dem Wechſelbrieff aufgeſchrieben. Volpi excipit, es ſey ihm die Bezahlung verbotten / weilen die valuta der Wechſel noch nicht bezahlt / und alſo wendet er für Exceptionem non numeratæ pecuniæ, ex perſona Puſterlæ mandantis ſolutionem.



Quæritur, quid juris?

23 Actor dicit, juris eſſe, quòd acceptans literas Cambii teneatur ſolvere, Salic. *in l. ſi filius num. 1. ff. ad SC. Maced.* Aretin. *conſil. 370. num. 2.* Franc. Aretin. *conſil. 5. num. 4.* Pariſ. *conſil. 47. n. 1.* Strach. *de Mercat. p. ult. tit. quando in cauſis mercat. proced. de probat. num. 14.* Seraina *in Addit. ad Mattheſ. ſing. 22. n. 1.* Berous *conſil. 198. n. 16 & 18. vol. 1.* Fab. de Anna *conſ. 82. num. 6. & ſeq.* Decian. *reſp. 108. num. 17. vol. 2. latè* Burſat. *conſil. 39. num. 3. 8. & 14.* Rota Genua *deciſ. 168. n. 2. deciſ. 10. num. 2. & deciſ. 70. num. 3.* Vincent. de Franchis *deciſ. 303.* Rot. Roman. *part. 1. deciſ. 811. per tot. in noviſſ.* Hieron. Marian. *deciſ. 54. per tot.*

24 Atque hoc caſu poſt acceptationem, revocationem aut prohibitionem ſolutionis à Puſterla fieri non potuiſſe, *l. utrum præſente, 27. in fin. ff. de conſtit. pac.* Bart. & Caſtrenſ. *in l. cùm Cornelius de ſolut.* Rot. Genuenſ. *d.*
deciſ. 168. num. 3. Reus excipit, dicta jura lo- 25
qui in caſu, quando faciens Remiſſam per Cambium realiter recepit ſummam Cambii: hîc itaque cùm numerata non ſit, competere ex perſona Puſterlæ exceptionem non numeratæ pecuniæ. Neque enim ea inter mercatores ceſſat, poſt Salic. & Strach. Fachinæ. *lib. 2. controverſ. cap. 80.* licèt Weſembec. *conſ. 31. num. 23.* & alii id velint.

Actor replicat, ad ſubſtantiam Cambii 26
non requiri realem numerationem, ſed ſufficere, quòd Venetiis Cambium concluſum (ut loquuntur) daß der Wechſel einmal geſchloſſen worden literæ Cambii datæ tranſmiſſæ, præſentatæ, & acceptatæ ſint. Hîc habitam fidem de ſolutione, aliàs literæ datæ non fuiſſent, & Cambium ad inſtar empti & venditi eſſe, Baldus *conſil. 148. volum. 1.* Benitend. *deciſion. 59.* Rota Genuenſ. *deciſ. 1. numer. 14. in fin.* Franch. *deciſ. 303.*

ciſ.303. Berous *conſ.194.num.10.vol.1.* Exceptionem non numeratæ pecuniæ non in 27 quovis contractu, ſed in mutuo & dote locum habere: Gomezius *lib.2.variar.reſolut. cap.6.num.4. in fin.* Weſembec. *d. conſ.31. num.20.*

28 Imò poſito, hanc exceptionem locum habere; tamen quia mandavit ſolutionem Volpi, nec literas Cambiales à Burattinis repetiit, ſecundùm notata Caſtrenſ. *in l. fin. Codic. de non numer. pecun.* aut obligationem ſuam condixit, *juxta l. ſi quod C. eod.* ſed ab ipſis Burattinis ſolutionem exegit, quo contractum confirmavit, & fidem debiti agnovit, *ceſſabit omninò hæc non numeratæ pecuniæ exceptio*, (11) *l. cùm fidem C. eod.*

29 In terminis terminantibus contra acceptantem, ut ſolvat, pronunciatum per Senatum Colonienſem Anno 1601. 10. Januarii in cauſa **Borel** / contra **Repin**: per Senatum Norimbergenſem Anno 1613. in cauſa **Friderich Golden** / contra Caſpar Berla: & per Senatum Atrebat. Anno 1601. in cauſa Raphaëlis Letrebaro, contra Cornelium Camp. In quibus præjudiciis nec ſcribens literas Cambii realiter receperat numerationem.

30 Etſi pro Volpi non incolorata fundamenta depromi poſſent ex Alex. *conſ. 96. volum.3. & conſ.173. volum.7.* Hieronym. Gabrielio *conſ.155. num.23. & ſeq. volum.1.* Simon. de Præt. *conſ. 151. num.40. cent. 1.* qui ſentire videntur, literas Cambii non aliter obligare, quàm ſi realis ſolutio ſit facta; Quia tamen in præmiſſa hypotheſi Cambium purè concluſum & acceptatum fuit, pro Faſce de jure pronunciandum crediderim. Præſertim quòd ultra allegatos, ejusdem intentionem non modò in terminis firment, Jaſon. *in leg. ſingularia, num.34. ff. ſi cert. petat.* Alexand. Raudenſ. *Deciſ. Piſan.4. numer. 108.* Cæſar. Manent. *conſ.18. num.10. & ſeq.* Nicol. de Paſſerib. *de privat. ſcript. lib.3. quæſt. 3. n.58. & ſeq.* qui poſt Petr. Bimium *conſ.50. num.10.* Cardinalem Thuſcum *concluſ.362. num.3. in lit. L.* & alios, literas Cambii diſpoſitivas ſui naturâ irrevocabiles eſſe contendit, ſed etiam exceptionem non numeratæ pecuniæ in campſoribus & mercatoribus vel ob publicam fidem regulariter non obtinere; Jaſon. *in leg. qui pecuniam, numer.6. ff. ſi cert. petat.* Horat. Carpan. *ad Statuta Mediolan. cap.50. n.3. p.1.* Joan. Bolognet. *in l. ſingularia, n.87. & ſeq. ff. ſi cert. pet.*

In alio caſu; An videlicet ego debitor, 31 quando mandavi Campſori, ut tibi creditori meo ſolvat C. quæ acceptaſti, liberer? vid. pulcherrimum *Conſilium Menochii 664. n. 1. & ſeqq.*

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT XXI.

(1) E*Xemplum refertur de Franciſco I. &c.*] Audiamus quin potiùs allegatum hoc loco Bodinum ipſum *lib. 6. Politic. cap. 2. pag. 666.* ſic loquentem: Reges noſtros rariſſimè accepiſſe, rariùs etiam dediſſe fœnori pecunias legimus. Primus, opinor, Cardinalis Turnonius Italorum ope conſiliòve Franciſco I. Regi perſuaſit (Anno MDXLIII) ut pecunias moderato fœnore acciperet, ac Lugduni ſtatis nundinarum temporibus uſuras ſolveret; ita futurum, ut Italorum ac Germanorum opes brevi cogeret, hoſtibùs eriperet; hoc etiam agebatur, ut Cardinalis aureorum centum millia tutiſſimè fœnori daret, ac ſortem, quoties vellet, repeteret: cæteri non item: accurrunt Itali ac Germani mercatores, Gallorum etiam quamplurimi &c. *quæ in textu Klockii habentur.*

Num. 4.

(2) *Ingentes Summas à Genuenſibus &c.*] Carolus V. Imperator (*inquit Bodinus dicto jamjam loco*) ejusque Filius Philippus debita multò graviora (*ſcilicet quàm alii Reges Galliæ de quibus antea locutus fuerat*) uſurarum vitio contraxerunt: nam ex rationibus publicis Hiſpanorum, Anno MDLXVI. ferè undecies millies privatis debitum fuiſſe accepimus; eoque nomine prædia publica vectigaliaque Neapoleos ac Mediolanenſis agri, jam pridem à Genuenſium mercatoribus oppignorata teneri. Sed riſu digna res eſt, quòd non modò Genuenſibus, verùm etiam ipſi Philippo Hiſpaniarum Regi ob id Sacris interdictum fuerit: quòd hic quidem acciperet, illi verò darent fœnori pecuniam: & quæſtio Romæ habita de Genuenſium fœneratoribus, quâ quidem compertum eſt, pleroſque ducenteſimum ac trecenteſimum fœnus à Philippo accepiſſe. Nec inanis fuit illa quæſtio & interdictio, cùm inde Philippus occaſione acceptâ ne fidem fallere videretur, Creditores decem annorum uſurâ fraudarit. Hactenus Bodinus.

Num. 5.

(3) *Quòd plus damni, quàm lucri &c.*] Quoniam fœnore acceptis pecuniis in pace & extra ſummæ neceſſitatis caſum, alterutrum neceſſe eſt; aut ærarium diruere ac publicas opes evertere, ſi uſuræ diſſolvantur; aut turpiter fidem fallere ac privatorum bona diripere. Plura vide infrà *cap. 23. num. 14.*

Num. 10.

(4) *Argentarii &c.*] Argentarii apud Romanos dicebantur illi, qui tum Romæ, tum in Provinciis rei numariæ negotiationem exercebant. Indeque in Jure noſtro nunc dicuntur argenti diſtractores, *l. ult. C. de pignorib. l. penult. in fin. C. de conſtituta pecunia*, nunc argenti venditores, *l. 12. C. de cohortal. lib.12.* nunc argentariæ menſæ exercitores, *l. 4. in princ. ff. de edendo.* Sunt &, qui eosdem cum Menſariis, Menſulariis, & Numulariis eſſe putant: ſed hoc inter eos interfuiſſe notat Sigonius *lib. 2. cap. 11. de Ant. J. Civ. Rom.* quòd Menſarii &c. publicam rationem conficiebant,

Argentarii privatam; illi rei numariæ publicæ curatores, hi negotiationis privatæ erant. Quam tamen differentiam adeò ſtrictè jus noſtrum non obſervat, ut Klockius noſter *capite ſequenti n. 1. 2. ſeqq.* docet. Sed illam, quòd Argentariis Numularii inferiores per *l. 9. §. 2. ff. de Edendo.* probant. Atque ſic ab argenti (quo nomine cujusque materiæ numus ſignificatur) potiùs tractatione, quàm à conductione Tabernarum (ut velle videtur Klockius) in longum tempus dictos fuiſſe, vel ipſa nominis ratio indicat, nec Author noſter infrà *num. 14.* diffitetur. Cùm etiam non omnes Tabernas unius generis & argentarias fuiſſe, jam ex ſuprà dictis *ad hujus lib. 2. cap. 10. num. 1.* pateat. Adde Salmuth ad Pancìroll. *rer. deperd. tit. 19. n. 3. p. 57.* Goldaſti *Catholicon rei monet. tit. 62.* Lazium *Comment. Reip. Rom. l. 2. c. 13. p. 250.*

(5) *Quia in iis argentum venderetur &c.]* Ecce, quomodo Author noſter Klockius ſibi contradicat, cùm Pancirollum *dict. jam tit. 19.* ſecutus, *libro hoc 2. cap. 10.* expreſsè ſtatuerat, *Argentariam Tabernam ideò appellari, quòd non niſi aurea & argentea vaſa in illa venderentur.* Quam opinionem nunc rectè corrigit hoc loco ex adducta Gloſſa, juncto infrà *numero 14.* Quid verò de contraria huic opinione ex Lupo adductâ ſentiendum ſit, colligi poſſe puto ex Nota proximè præcedenti.

(6) *A Lucio Tarquinio Priſco &c.]* Livius *l. 1. c. 36.* Dionyſ. Halicarnaſ. *lib. 3.*

(7) *In foro &c.]* Fora Romanorum varia fuiſſe, præter alios Lipſius *de Magnit. Rom. lib. 3. cap. 7.* & Demſterus ad Roſinum *Antiquitat. Rom. lib. 9. cap. 7. pag. 1438.* docent, hoc verò loco Romanum in ſpecie ſic dictum intelligi, monſtrat Fabricius *in Deſcr. Romæ c. 7.* qui ſingula ibidem fora deſcribit.

(8) *Univerſitas Civitatis faciebat unam menſam &c.]* Ad hunc modum conſtituti quoque fuerunt, quos vocant BANCOS, quòd Italis idem eſt ac Tavola, ſeu tabula, abacus, menſa, ſuper quibus pecuniæ numerantur. Iidem & privati fuerunt, quorum uſus tamen ferè in deſuetudinem abiit, & publici adhuc ſunt. Denotatur autem per bancum certum negotiationis genus in pecuniis conſiſtens, publicâ authoritate approbatum, quò pecuniæ apud Bancherios in ſecuritatem Creditorum & utilitatem debitorum deponantur. Hac tamen tacitâ conditione, ut quilibet deponens ad libitum numos depoſitos recipere vel alteri aſſignari poſſit; Ex quibus magna Negotiatoribus reſultat utilitas. Hi enim dum copioſam exercent mercaturam, per ſchedulam bancheriam, quam vocant, vel paucis verbis, & accipere & ſolvere poſſunt in ſuis computis, quæ in bancho habent, tanto compendio, tantas pecuniarum ſummas, & quidem in probatiſſima moneta, ut iis numerandis vix unus homo ſufficeret. Tales vigent, (ut cæteros taceam,) Venetiis, Amſtelodami, Hamburgi, Norimbergæ (videatur D. Marquard. *de Jur. Mercat. lib. 2. cap. 12. num. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20.*) Horum ultimus medendo Confuſionis monetariæ malo, prudentiſſimo Patrum Patriæ conſilio, ad modum jam dictorum celebriorum trium locorum, Anno MDCXXI. inſtitutus, legibus certis munitus, adhuc magno ſtudio & curâ conſervatur. Cui fini duo ex Ordine Senatorio, quatuor ex Mercatoribus primariis, quos vocant die Marcks-Vorgeher/ duo Banchieri, Caſſieri, cum aliis præſunt & inſerviunt.

(9) *De hac voce agit &c.]* Germanis dicitur Aufwechſel/ Wechſelgeld. Aliis lagio, quæ vox, corruptâ nunc in Germania noſtra monetâ, & lippis & tonſoribus nota eſt.

(10) *Cambia &c.]* Cambium, (Germanicè Wechſel/ Gallicè *lettres de change*) verbum JCtis veteribus incognitum; ſed Interpretum & vulgi uſu receptiſſimum, ἀπὸ τῦ κάμπτω, ἔκαμψα Græco eſſe videtur; quod idem, quod permuto. Unde Campſores apud Ennium *lib. 10.* ibi: *Leucaten campſant*, id eſt, permutant, ut vult Marquardus *de J. Mercatorum lib. 2. cap. 12. n. 10.* qui per totum caput illud de Permutatione & Cambiis tractat. Et hoc ipſo in ſignificatu accipi videtur vox *Cambiare* ab Imperatore Friderico II. in Conſtitutione de Privilegiis Reipubl. Norimbergenſis de Anno MCCXIX. apud Goldaſtum *Conſtitut. Imp. tom. 1. pag. 291.* ibi: In Nundinis Werde/ Civis Norimbergenſis cum denariis Norimbergenſibus de jure *cambiet* & emat aurum, & argentum, & nemo prohibebit. Similiter in nundinis Nordlingenſibus, cum denariis Norimbergenſibus emet & *Cambiet* aurum & argentum; & Magiſter monetæ Norimbergenſis illuc ibit, ſi voluerit, & denarios ſuæ monetæ ibi formabit. Aliàs Cambiorum Materiam tum ex profeſſo tractant Benevenutus Stracha, tum notabiliora circa eam attingunt Sigiſmundus Scaccia, Raphaël de Turri, Julian. Merenda, Joh. Martin. Vogt/ Joh. Dominicus Gaitus *de Credito*, Rota Genuenſis *in Deciſ. Neapolit. 3. Digeſt. tit. Epiſtola.* Beſoldus *in Theſ. Practico*, & Speidel. *in Speculo*, in voce Wechſeln. Reiner. Budelius *de Monet. lib. 1. cap. 25.* Riccius *Collat. Deciſ. 4.* Molina *de Juſt. & J. tr. 2. diſput. 396. ſeq.* Engel *in Manuali Paroch. part. 5. cap. 4. n. 12. &c.*

Num. 28.

(11) *Ceſſabit omninò hæc non numeratæ pecuniæ exceptio &c.]* Quod per acceptationem Literarum Cambii acceptans ſtatim efficiatur debitor ejus, à quo acceptavit, & non, niſi ſecutâ actuali ſolutione, liberari poſſit, poſt Alexand. *conſil. 94. vol. 3. n. 5.* & Rotam Genuenſem *in Deciſ. 168. n. 2.* affirmant & norunt omnes, quibus vel ex minima parte conſuetudo generalis, per omnes totius Europæ Plateas uſitata, nota eſt: Utrum autem hoc procedat ita ſimpliciter, & in tantum, ut etiamſi pecunia nulla intervenerit, Exceptio tamen illa, Æquitate ſummâ nitens, *Non numeratæ pecuniæ* competere Acceptanti omninò non poſſit, quanquam ſine ullâ hæſitatione ſtatuant hi, quibus Cambia nomen dederunt, ita, ut Brocardicon hoc (*Chi accetta pagha; ſolvat, qui acceptavit*) literis aureis Bancis quarundam Plateaŭ inſcriptum, Sanctionis Pragmaticæ inſtar habeant & devenerentur, non tamen deſunt ex JCtorum Ordine, qui valdè in dubium vocant & contradicunt. Sed hanc contradictionem ex futili & inutili Juris applicatione, ignoratis plerunque facti circumſtantiis, natam atque fotam ampliter demonſtrat, & aliquot Juris Reſponſis, Mercatorŭ placidis Klockii Reſponſo hoc loco ſimilibus, Negativam evincit D. Joh. Martin. Vogt *Tr. de Cambiis p. 109. 110. 111. ſeqq. multis.* Confer D. Marquardum *de J. Merc. lib. 3. c. 11. n. 49. ſeqq.*

Num 31.

(12) *Conſilium Menochii &c.]* In quo liberari debitorem dicto caſu probat.

CAPUT XXII.

De Menſis Numulariis, & quid in Belgio Lombard.

SUMMARIA.

1. Argentarii *&* Menſarii *erant unum & idem ex multorum ſententia.*
2. *Contrarium ſenſêre* Sigonius, Tholoſan. *&* Maſſinius.
3. Author *de quibus numulariis hic agat.*
4. *Licentiam* numorum exoticorum *dat neceſſitas.*
5. Libelli Cambii, Granalliæ, *concoctiones, conflationes & ſeparationes metallorum*, Silber⸗kauff/Bruch⸗ſilber/ꝛc.
6. Principes *Germaniæ in ditionibus ſuis emptiones metallorum ſibi reſervant.*
7. Numulario perverſo *juſſu Galbæ manus amputata menſæq́; ipſius affixa.*
8. Trapezitæ numularii *& menſularii idem ſignificant; & in quo differant à Campſoribus.*
9. Menſa *vel* Trapezitæ Taberna *cui bono? privata nulla*, num. 10 *tantùm publica & authoritatis magiſtratuum*, num. 11. *eſt Urbium, non Lombardorum propria*, n. 12. *&* num. 15. *&* num. 17. 18. *ejusdem privilegia*, num. 16.
13. Tafel van Leeninge.
14. Table de preſt.
19. Trapezitæ *& Numularii per programmata publicis locis affixa ad menſæ conditionem invitantur.*

Integritas ut mercimoniis ſua
Conſtet, neceſſe eſt ſæpe, numularios
Adhibere, & hoc prodeſſe debet publicè.

1 ARgentarios ac menſarios in ſpecie non differre, ſed unum & idem eſſe, docent poſt Budæum, Egvinar. Baronem, Hotoman. Coraſ. ac alios Menoch. *de arb. judic. quæſt. caſ.* 91. *num.* 6. Franciſcus Munoz de Eſcobar. *tract. de ratiocin. cap.* 11. *num.* 2. In qua ſententia etiam fuiſſe Cujacium, liquet *ex comment. de pact.* Fuit (*inquit ille*) olim in Civitatibus certum corpus argentariorum, quorum erat publicum officium. Tabernas & menſas cum ære in foro poſitas habebant. Apud menſas pecuniæ deponebantur, permutabantur, emebantur, vendebantur, per eos plerique pecuniam credebant & fœnori occupabant, emebant, vendebant, actionem & omnia negotia exercebant: deque his omnibus rationes conficiebant. Ex eorum ſcriptura, naſcebatur obligatio nominum ſine ſtipulatione. Uſuræ eis debentur ex ſola præſcriptione, & quidem beſſes. Eorum nomina, quæ varia ſunt, variis quoque appellationibus deſignantur, nam & menſarii dicuntur, ſive menſularii & numularii, & argentarii, & argentariæ menſæ exercitores, ſive argenti diſtractores; collybiſtæ, crematiſtæ, coactores ſive collectarii.

2 In hoc tamen contrarium videmus placuiſſe Sigonio *libr.* 2. *de antiq. jure civ. Roman. capit.* 11. Gregorio Tholoſano *lib.* 22. *Syntagmat. jur. univerſ. capit.* 9. *numer.* 11. & noviſſimè Maſſinio *in l.* 1. *n.* 34. *C. de edend.* qui obſervarunt, menſarios ſive *numularios* publicam rationem confeciſſe, *argentarios* privatam; Et latiùs de ipſorum materia diſſerit Camill. Borell. *de Regis Catholici præſtantia cap.* 22. *per tot.* Guid. Pancirol. *in theſauro variarum lectionum lib.* 1 *cap* 31. Maſſin. *in d. l.* 1. *à num.* 29. *usq́; ad num.* 46. Quibus calculum adiicimus; & Numularios dicimus permutatores numulorum, qui numariam exercentes mercaturam, & ex argento auróve non ſignato vel conflato, improbíſve numis lucrum raptantes Ærario augmentando inſerviunt, à magiſtratu ad hoc publicè deputati. 3

Ædepol *neceſſitas commerciorum deſiderat, ut numorum ſit licentia*, (1) etiam exoticorum; modò ſint debiti ponderis, & ſpeciei probæ. Ita veterum Principum numos & vicinorum in Repub. oportet adſciſcere & permittere, uti exemplum docet Imp. *in l.* 1. *C. de veter. numiſm. poteſt.* Quod ſi verò tales ſint, qui requiſitis numorum, hoc eſt, bonitate intrinſecâ ſive materiâ tam quoad puritatem, quàm quoad magnitudinem & pondus deſtituantur, menſis numulariis (de quibus *l* 9. § 2. *ff. de edend.* Alciat 4 *diſp. cap.* 20. Carol. Sigon. *d. lib.* 2. *de jur. antiq. c* 11. & paſſim leges Civiles, & Hiſtorici atque Critici) definienda eſt eorum æſtimatio, vulgò *Valvation*, (2) ita ut emolumentum Reſpublica inde percipere poſſit. Quò ſpectant libelli Cambii, Wechſelbüchlein / *Granalliæ*, (3) Concoctiones, Conflationes & Separationes metallorum, Aufwechſel / Verbrech⸗und Vernutzung der Spaniſchen Regaln, Silberkauff; (4) Kauff⸗ und Wechſelung alter zerbrochener Arbeit an Silber und Golde / auch zuſammen geſchmoltzenen Silberwerck / item verbottene geringe Läſte und böſe Müntzſorten. Sat ſapienti. 4 5

Ita Principes Germaniæ in ditionibus ſuis, metalla proferentibus, emptionis metallorum, vulgò den Silberkauff / ſibi reſervare, atteſtatur Joan. Köppen. *deciſ.* 59. *num.* 13. 6

Et in omni alia venditione argenti & auri jus illud Electorem Brandenburgenſem ob defectum metallicarum fodinarum in ſuis ditionibus, aliasque ob cauſas & rationes, ſibi aſſerere, conſtat ex Edicto 9. Maji Anno 1598. publicato, & à Joachimo

Schepliz

Schepliz *in Conſuetud. Brand. p. 4. tit. 5. n. 6.* relato. Sicut & Duces Pomeraniæ illud jus ſibi ante multos annos vendicaſſe, manifeſtum fit ex Receſſu publicato zu Wallin den 9. Martij Anno 1581. his verbis: Ferꝛner iſt vom Müntzwerck zu dem Ende gedacht worden / daß ein jeder ſein alt Silber oder Gold / ſo er zu verkauffen geſonnen / nicht auſſerhalb Landes bey Verluſt deſſelbigen verführen / ſondern jedes Orts auf das Rathhaus bringen ſoll / und haben unſer gehorſame Städte / auf unſer gnädiges Begehren / dem gantzen Vaterland zu Nutz und Beſten abgenommen ſolch Silber und Gold nach billichem Wehrte / wie ſich unſere Wardein deßhalben mit ihnen zu bereden / und zuvergleichen an ſich zu nehmen und zu verlegen und mit Gelegenheit gegen bahre Bezahlung / mit guter Reichsmüntze an unſern Wardein und andere verordnete gegen Stättin zu fertigen / da aber einer vom Lande oder aus Städten ſein Silber ſelbſt nach Stättin bringen wolte / ſoll es ihme hiermit ohnbenommen ſeyn / es ſollen auch Bürgermeiſter und Richter in allen unſern Städten ſolches den Ihren ermelden / und / ſo viel an ihnen iſt / darüber halten.

7 De GALBA teſtantur annales, dum Hiſpaniam regeret, quòd Numulario non ex fide verſanti pecunias manus amputaverit, affixeritque menſæ; Ærod. *lib. 6. rer. judicat. c. 3.* Quam pœnam abſcindendæ manus etiam Exactori non ex legis præſcripto apocham conficienti, Juſtinianus indicit *Novell. 17.* (5) quemadmodum Conſtantinus Lenoni & perſuaſori jubet liquido plumbo meatus oris claudi, *l. 1. C. Theod. de rapt. virg.* quamvis, id pœnæ genus etiam antea in uſu fuiſſe, fidem faciat Horatius, quum *ita canit*: (6)

----- --- Nec ſeverus
Uncus abeſt, liquidumq; plumbum.

8 *Trapezitæ, numularii, & menſarii,* idem ſignificant; differunt à Campſoribus in eo, quòd non ſolùm majorem operam pecuniarum permutationi dabant, ſed exercebant etiam ſimul negotiationem, accipiendo cuſtodiendas pecunias, dandoque & proprias & alienas ſub juſto fœnore; Johan. Bapt. Lupus *in d. c. naviganti §. 2. ſub num. 7. verſ. erant præterea.* Pratei *in Lexico juris civilis verb. Argentariorum nomina.* Sequitur Schard. *in eodem verb. in Lexico.* Spiegel. *in Lexic. verb. Argentarius.* Briſſon. *de V. S. in verb. Argentarii.* Eberhard. Speckhan. *qu. cent. 1. c. 68. n. 1. & 2.* Vocantur & à Græcis ἀργυρογνώμονες, pecuniæ permutatores, quaſi pecuniæ ſpectatores. Budæ.

Hodiè Magiſtratus in Belgio, (7) qui in Urbibus populo præſunt, eumque repræſentant, menſas ſive tabernas numularias & argentarias authoritate publica locare ſolet, exercendas hoc potiſſimùm fine, ut pauperibus proſpiciatur, & eorum utilitati conſulatur.

Hanc tamen facultatem habendæ vel 9 elocandæ menſæ numulariæ civitates accipiunt ab illo, cujus ſumma eſt authoritas & 10 imperium, nempe, ex decreto Ordinum 11 Generalium, facto in Comitiis Gorcomii habitis XVII. Novembris Anno MDLXVII. cujus decreti verba hæc ſunt. *Ad relationem ab Ordinibus receptam exercitio menſarum fœnebrium in Hollandia ac Zelandia, ab iisdem Ordinibus declaratum eſt, ac conſtitutum, ut in omnibus dictarum Provinciarum, ejusmodi Chriſtianus Politicus ac reformatus ordo ac modus, in cauſa ejusdem fœnerationis in poſterum quæri, ſtatui atq; obſervari poſſit, prout ad maximam commoditatem, & minimam æſtionem civium cum decore & emolumento earundem Civitatum pertinebit. Ad quam rem Urbium Magiſtratibus per hæc poteſtas tribuitur.* Ergo Magiſtratus Urbium fœderata- 12 rum, acceptâ hac ab Ordinibus Generalibus poteſtate, poteſt, prout & ipſis conſultius, melius, æquiusque viſum fuerit, menſam illam fœnebrem *per ſe exercere,* (8) præfecto ei muneri aliqua de ſuo corpore, qui eam exerceat, aut aliis locare exercendum; nec illæ menſæ ad trapezitas, ceu privatos, qui proprii quæſtûs gratiâ impetrant à Magiſtratu prece vel pretio, ut in civitatibus menſas ſibi ſuas liceat inſtituere, ſed ad urbes pertinent, & à magiſtratu elocantur, ut reliqua vectigalia plus licitantibus ſive contralicentes ſuperantibus. Vulgò vocant *Tafel van leeninge,* 13 *Lombard,* id eſt, menſam mutuationis. In Caroli reſcripto Gallicè conſcripto, pro elocanda menſa Dordracenæ Civitatis voca- 14 tur *Table de preſt,* id eſt, menſa præſtiti. Ita enim commodatum appellant vel mutuum Leges Barbaricæ ſub antiquæ Latinitatis ævo conditæ à populis Septetrionalibus, qui Romanum invaſerunt Imperium.

Dixi menſas omnes, quas in ſingulis urbibus iſti Trapezitæ, ſive Lombardi exercent, ad urbes ipſas pertinere, non Lombardorum proprias eſſe: Earum ſunt conductores, Ma- 15 giſtratus locator eſt. Mutuus autem & reciprocus fit contractus inter Magiſtratum Urbis, qui menſam illam elocat, & fœneratorem ſive Lombardum, qui conducit, conditionibus ex utraque parte appoſitis ſcriptisque; quas utrique reciprocatim implere debeant. Pro illis exequendis à ſua parte omnia ſua bona obligat Lombardus, & Lombardo viciſſim Magiſtratus à ſua omnes urbis reditus. Nam civium nomine contrahit cum illo Magiſtratus. Multis etiam privilegiis munitur, quæ nec cæteris civibus indulgentur: Ut domus ipſius ſub publica prote- 16 ctione ac tutela ſit; ut à metatis militum liber ſit, ac Magnatum, eorumque famulitii: ut ab excubiis immunis ſit, & ab aliis muneribus excuſetur, quæ reliquis civibus imponi ſolent. Adeò autem Civitatis ipſius hæc 17 menſa eſt Trapezitica, non Lombardi, ut liberum

berum ſit Magiſtratui, vel eam locare alicui exercendam, vel per ſe adminiſtrare. Idque facit Amſtelodamenſis Magiſtratus. Quod & aliquando ab urbis Leydenſis Magiſtratu, deliberatum: an ſequeretur exemplum Amſtelodamenſium, non elocatâ menſâ, ſeu per ſe exercitâ, homine ad hoc præpoſito menſæ, qui ſuo nomine eam adminiſtraret.

Et præſtaret forſitan ita fieri in omnibus Civitatibus. Sic enim cum majore pauperum & reliquorum civium emolumento & commodo id fieret, quatenus Magiſtratus leviores uſuras ex ea caperet, quàm privati, quibus elocanda eſt. Nam hi coguntur, propter impenſas, quas majores facere tenentur, ampliores etiam uſuras, eaſque permiſſu Magiſtratûs præſcriptas, accipere. Magiſtratus porrò trapezitas per literas & programmata publicis locis affixa ad menſæ conductionem provocat & invitat: uti factum Hagæ Comitis, Del- 18 phis, Leovardiæ, alibi, teſtatur, eorumque programmatum exempla aliquot proponit & adſcribit Claud. Salmaſius *in ſuo tractatu de Trapezitico fœnore, fol. mihi 503. & ſeqq.* In quo Tractatu per totum plura ad hanc rem conducentia de Menſariis, Trapezitis, Argentariis, Numulariis, eorumque nomine, creatione, officio, privilegiis, & 91 Trapezitiæ modo, ac num illæ menſæ pro ſolis divitibus, vel pauperibus potiùs, vel etiam pro Mendicis inſtitutæ ſint, laxiſſimo ſtylo & filo ſparſim pertractat & reſolvit; Quò benivolum Lectorem remitto.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT XXII.

Num. 4.

(1) C*Ommerciorum neceſſitas deſiderat, ut numorum ſit licentia &c.*] Hæc ſi legeret Medicus ille Principalium Commerciorum Plaſtes Utopicus D.D. J. Becher calamum fortaſſis tam acriter ſtringeret in Klockium; quàm ſcurriliter nuper in Morali ſuo diſcurſu, quem vocat die Wagſchal Menſchliches Glücks und Unglücks *pag. 151. ſeqq* ſtrinxit in Virum Prænobilem mortuum Reipublicæ Norimbergenſis diverſorumque Statuum & Principum Conſiliarium fide, prudentiâ dexteritate omnibus notum Dn. Tobiam Ölhafſen à Schöllnbach, JCTum &c. cui non, ut Becherus de ſe *ibid. pag. 175.* gloriatur, jentuſculum aulicũ os ſæpius aduſſit, ſed Imperator Glorioſiſſimæ memoriæ Ferdinandus III. Principes, Conventusque Imperii cum gratiâ admiſerunt, audiverunt, dimiſerunt, foverunt, cujus rei luculenta teſtimonia adhuc exſtant: Virum inquam maximis negotiis parem, Politicum verum, pium, cordatum. Sed benè eſt, quòd hujusmodi latratus & morſus immortalem tanti Viri virtutem lædere haud queant, boniſque eo ipſo, & quòd immerenter per ejus latus univerſam Rempublicam Norimbergenſem lædere præſumpſerit in illo tractatu, maledicus ille oſtendat, quis qualiſque vir ſiet. Interim firmum manet illud, quòd pro hodierno rerum ſtatu commerciorum & comoditas & neceſſitas numum, aut quod ejus vice fungatur, (ut apud Indos quosdam ſal, & conchilia quædam ſunt) omninò requirat.

(2) *Valvation &c.*] Adde Goldaſti *Catholicon. rei monet. tit. 39.*

(3) *Granalia &c.*] Conferatur R.A. zu Augſpurg de Anno 1548. §. damit aber nicht deſtoweniger ꝛc. R.A. zu Augſpurg de Anno 1556. §. wir ordnen/ ſetzen und wollen ꝛc. R.A. zu Augſpurg de Anno 1566. §. was dann der Müntz halber ꝛc. R.A. zu Speyer de Año 1570. ibi: Und ſonderlich ſoll das betrieglich aller Reichsmüntzen pregen/ granaliren, ſeigern/ringern/beſchneiden/ ſchwächen/ waſchen / abgieſſen / auswiegen aufwechſeln und das verfälſchen/ bey Verluſt Leibs und Guts/nach geſtalten Dingen unabläßlich ohn allen Reſpect der Perſonen fürzunehmen (wie auch zuvor in unſern Edict und Abſchieden) verboten ſeyn und bleiben. Adde Dn. Lentzii Fürſtellung der eingeriſſenen Mängel im Müntzweſen im 3. Mangel. *pag. 15.* im 6. Mangel. *pag. 25 ſeq. & pag. 24.*

(4) Silberkauff ꝛc.] Junge R.A. zu Nürnberg Anno 1524. R.A. zu Speier de Anno 1529. §. und damit ꝛc.

(5) *Novell. 17. &c.*] *Cap. 8.* ubi Gothofredus *in lit. l.* alia crimina manûs amputatione puniri ſolita adfert.

(6) *Ita canit. &c.*] *Lib. 1. ode. 35.* àd quæ Lambinum & Lævin. Torrentium *in Comment. ad Horatium* vide.

Num. 8 ſeqq.

(7) *Hodiè Magiſtratus in Belgio &c.*] Quo pauperibus non modò (*inquit in Belgio Fæder. lib. 11. c. 10. Schoockius,*) ſed iis quoq; quibus præſenti pecuniâ opus eſt, ſuccurri poſſit, jam olim in Fœderato Belgio menſæ Trapeziticæ ſeu fœnebres publicâ authoritate conſtitutæ fuerunt, à vulgò vocari ſolitæ *Lombarden*, quod exercitores earum magnam partem originem traherent ſeu ex agro Pedemontano, ſeu Mediolanẽſi, ubi antiquos Lombardos olim ſedes ſuas habuiſſe conſtat. Quanquam Thelogis Orthodoxis nonnullis hominum horum vocatio diſplicuit, qui nec erubuerunt eos proinde Cœnâ quoque Domini arcere; omnibus tamen quàm diligenter expenſis, quà à Reipubl. Rectoribus, quà moderatioribus Theologis, patuit nihil injuſti ab hisce committi, quamdiu ſe componunt ad leges præſcriptas à Magiſtratu, qui ut præſumitur præ cæteris gnarus eſſe conditionis ſuorum ſubditorum, fœnoris quoque rationem definire debet. Atque quanquam uſuræ videntur grandiores eſſe, quæ, datis pignoribus, Trapezitis hisce ſolvuntur; ingentia tamen commoda, eaque varia redundare poſſunt in illos, qui, ut præſenti ſuæ neceſſitati conſulant, ab iis pecuniam accipiunt: quorum pignora ſi fortè diſtrahi contigerit, illud, quod præter uſuras & ſortem ſupereſt, prioribus Dominis reſtituitur, qui ſi fortè non poſſint inveniri, hoc ipſum pauperibus cedit. Atque ne hîc fraus aliqua committatur, definitum tempus unoquoq; trimeſtri eſt ſtatutum, quo, præſente aliquo ex Magiſtratu, publicè diſtrahuntur pignora, pro quibus uſura cùm ſoluta non ſit, & tem-

tẽpus præfinitũ elapſum, haſtæ ſubjici merentur: quum aliàs, currente illo tempore, ſemper integrum Domino ſit, pignus ſuum, ſolutis uſuris, pro tempore redimere. Eoque Ordines Hollandiæ anno MDCLVIII. horum vocationem probarunt, quos paulò pôſt ſecuti ſunt Ordines Geldriæ. Atque Trapezitæ hi, cum ſuis miniſtris, hodie membra Eccleſiæ agnoſcuntur Neomagi, & Arnhemii in Geldria: Leidæ, Hagæ-Comitum, Brielæ, & Woerdæ in Hollandia: item Ultrajecti: & Zwollis in Tranſiſulania: & hîc apud nos Groningæ. Hæc Schoockius.

Num. 12.

(8) *Per ſe exercere &c.]* Prout, teſte jamjam laudato Schoockio *d. l.* ipſi Magiſtratus per delegatos ex ſuo Ordine, qui vulgò *Commiſſariſſen van de Banck van Leeninge*, menſam exercent Harlemi, Amſtelodami, Goudæ, Roterodami, Hornæ, Oudewateræ, Medioburgi, & Vliſſingæ.

CAPUT XXIII.

De Mutua Pecunia.

SUMMARIA.

1. Mutuum dare *& accipere liberi contractus ſunt.*

2. Neceſſitatis *caſu poſſunt à Principe Subditi ad dandum mutuum compelli*, num. 3. & 4.

5. *Exemplum* Regis Hiſpaniarum *ad hanc rem.*

6. *Reſtituat* Princeps *iſtud, ad quos coëgit, mutuum cum moderato intereſſe.*

7. *Commodiùs accipere* mutuum *à ſubditis, quàm onerare illos Contributionibus: Exemplum Procerum Scotiæ*, num. 8.

9. *Habeat* Princeps *compertum, quantus ſit cenſus ſubditorum, & mutuum accipiat à ditioribus;* Exemplo *Thaos, Regis Ægypti*, n. 10.

11. Collegia Sodalitiaque Opificum *obtinent laudabiliter aliquam communem burſam. Ab his magiſtratus in neceſſitate mutuare poterit*, num. 12.

13. *Reſtituenda tamen fideliter* ſors principalis.

14. *Ditatur hinc* ærarium, *ſi detur mutuum abſque uſuris. An expediat, ut æs alienum ad uſuram Principes contrahant*, ibid.

15. *Caveat* Princeps *illaqueari nimiis* uſuris.

16. *Ut* Princeps mutuum *accipiat ſine diminutione ſuæ authoritatis.*

17. *Mandari poteſt* ſubditis *ditioribus, ut habeant in promptu, unde Reip. dent mutuum.*

18. *Exempla* Athenienſium, & Venetorum, num. 19.

20. Vitellius *ſalutem pro accepto mutuo reddidiſſe dicebat Creditoribus*, num. 21.

Per tertium, quod dicitur, Dux mutuò
Sumat ſibi pecuniam.
Authoritas ut ſalva ſit; tanti loci
Nec ditiores ſint pigri
Cives, Ducem, ingruente clade publicâ,
E copia rerum ſua
Levare; quin Tetrarcha, ſi nolint, poteſt
Cives tenaces cogere.

QUamvis mutuum dare & accipere contractus ſit liberrimus, juris gentium &
1 actus meræ facultatis, quamvis etiam nihil Reipublicæ exitioſius ſit, quàm à mutuo (ut Lacones fecerunt) aut à fœnore (quod Franciſcum Galliæ Regem, ut ſuprà dixi, preſſit) bella auſpicari; Summâ tamen & inevitabili ingruente Neceſſitate & Salute Reip.
2 urgente, Magiſtratus authoritate ſuâ à Subditis opulentioribus pro ratione bonorum abſque uſuris mutuum poſtulare & exigere poteſt: Adeò ut per manûs injectionem Subditi ad mutuandas Principi pecunias compelli poſſint, per ea, quæ in individuo tradiderunt Franc. Cardinal. Mantica *lib. 1. de* 3
tac. & ambig. convent. lib. 8. tit. 5. num. 18. *l.* Alphonſ. de Azevedo *in Hiſpan. Conſt. lib. 7. t. 5. l. 9. in procem. n. 9. pag.* (*mihi*) *169.* Anton. Hering. *tr. de fideic. c. 8. n. 101.* qui ibidem rectè in hanc ſententiam laudat Cacheran. *deciſ. 95.* 4
num. 51. Caſſan. *in Conſuet. Burgund. rub. 4. l. 23. num.* 17. Adde Borell. de *Magiſtr. Edict. cap. 7. n. 31. Petil. lib. 4. Exarch.* 19. Haud ſecus ſi Reſpub. pecuniâ caret, pro uſu annonæ & frumentorum emptione, omnes cogi poſſunt ad mutuandum pro modo fortunarum Jacob. Ant. Marta *tract. de Jurisdict. part. 4. cent. 1. cap. 2. num. 2. per. text. in l. 1. ubi gl.* Bart. & cæteri Dd. *C. ut nem. lic. in empt. ſpecier. ſe* 5
excuſ. lib. 10. Atque ita in Hiſpaniarum Regnis, cùm bellis ſævientibus ab Hiſpalenſibus civibus & aliis ab Indorum Regnis venientibus argentum & aurum mutuò acciperetur, ſæpiſſimè obſervatum fuiſſe teſtatur, arbitriumque hoc juſtiſſimè introductum cenſet Bobadilla *lib. 5. Polit. cap. 5. per tot.* Et Ludovic. Molina *d. tom. 3. pag. 1. diſput. 315. prin.* Ferdinand. Vaſq. *lib. 1. de ſucceſſ. creat. lib. 6. num. 22. & illuſtr. controv. cap. 6. num. 7. & 8.* ubi expreſſè dicit, quòd ſimili urgente Neceſſitate, Civitates, Oppida, & Villæ, divitesque & opulenti Vaſalli Regi mutuare compelluntur, ita tamen, ut ſi poſteà Princeps idoneos reditus ex Regno habeat, red- 6
dat integram pecuniam mutuam cum moderato intereſſe. Hoc quippe ni fiat, neſcio quid iniquius excogitari queat. Exempla refert Elias Reuſner *lib. 1. Stratagemat. cap. 20. fol. 105.* Et certè commodius eſt à Subditis pecunias mutuò ſumere, quàm illos Contributionibus onerare. Sic & Scotiæ Proceres 7
fugato Bothuellio cùm exinaniti eſſent Regii Theſauri, impendium ad reliquias belli 8
conficiendas potiùs mutuò ſumpſerunt, quàm indicerent Tributum. Buchanan. *Rer. Scotic. lib. 29.*

Quod & Romanos bello Punico feciſſe, Livius narrat, ne Tributis onerati Socii deficerent; ut Carthaginenſibus acciderat primo

moBello. Polyb. *lib. 1.* Nec ſolùm ratio
hæc difficultates extricat in Tributis & Col-
lectis exigendis, ſed & faciliùs reddit eorum
mutuum, qui & fœnus, & ſortem, & grati-
am à Repub. ſibi reddi ſperat.
9 Juvat ergo Principem etiam cenſum
Subditorum compertum habere aut explo-
rare, ut à ditioribus mutuum depoſcatur.
10 Huc ſpectat exemplum, quo uſus Thaos Rex
Ægypti ſuaſu Calabriæ Athenienſis, ut quod
quisque auri aut argenti non ſignati haberet,
id ad ſe deferret. Cùmque eſſet allatum,
ſuaſit idem, ut Rex eo uteretur, & eos, qui mu-
tuò dediſſent, commendaret Navarchis, qui
debita perſolverent ex Tributis, Camerar. 2.
Oeconom. Ariſt. pag. 34.
11 Notatu quoque dignum eſt, quod in
magnis Civitatibus Collegia opificum, ar-
tificũ ac ſodalitates ſæpiculè *ærarium privatũ*
(1) ſive burſam cõmunem multis pecuniis re-
fertam, de iisque Seniores Collegii, qui in
12 jure noſtro *primicerii* (2) dicuntur, *tot. tit. C. de*
primicer. poteſtatem *pro libitu disponendi* (3)
habeant: Ab iis itaque Magiſtratus loci
efflagitante Neceſſitate publicâ, ſine uſuris
13 mutuum commodè accipere poteſt, ita ta-
men, ut ſors ipſa principalis bonâ fide reſti-
tuatur.
14 Prædictus Modus ditat Ærarium ſine
diſpendio, ſi Magiſtratus vel Princeps abs-
que uſuris pecuniam mutuam ſumat; Sed
ſi ſolvat annuatim uſuras, parum emolu-
menti inde bono publico accedet. Quip-
pe ut uſuræ ſolutio fiat, vectigalia Regni &
reditus oppignorantur: unde novis extra-
ordinariis tributis opus eſt, atque inde turbæ
& tumultus. Nam ubi ſemel invaluêre,
nunquam abrogantur, in legem ac conſue-
15 tudinem abeunt. Sic fit, ut nec mala malis
tollantur, & certiſſima Rebuspublicis ruina
impẽdeat. Viderint itaque Principes, qui faci-
les ſunt ad æs alienum poſcendum & capien-
dum mutuò, ne ita illaqueentur uſuris, ut
nullam tandem viam elabendi reperire poſ-
ſint. Bornit. *lib. 7. de ærar. cap. 1.* ubi etiam pro-
dit, Principem, ne ſuas vires ſingulis pate-
faciat, & authoritatem proſtituat, uti poſſe
arcano quodam, ut videlicet per tertium, pu-
ta Civitatem opulentam, aut authoritate 16
eminentem, apud exteros vel incolas pecu-
niam procuret, quæ ſuo, non Principis no-
mine, mutuam accipiat, pignore vel fidejuſ-
ſoribus datis. Exempla Lipſiæ, Halæ Saxo-
num, & paſſim ſunt obvia.
Poteſt etiam Subditis ditioribus injun- 17
gi, ut ſemper in promptu pecuniam habe-
ant aliquam, quâ Subditorum periculis oc-
curratur: Tutiſſimi id Ærarii loco eſſe po-
teſt, nec uſuris Rempublicam gravat. Et ſic
ſinguli Athenienſes decimam rerum ſuarum
ſeu Patrimonii ſui partem, ad ſumptus bel-
licos ſepoſuerunt. Beſold. *de ærar. c. 6. fol. 153.*
& fol. 154. ubi ex Bembo *libr. 7 & 10. Hi-*
ſtor. Venet. refert, *quòd Veneti* (4) in bello pecu- 18
niâ indigui, ſtatuerint per Senatum, ut intra
XXV. dies, qui argentum aurúmve cæla-
tum haberent, ad Duumviros adferrent
Numis cudendis; id eis aurum argentúmve
cum lucro decimæ partis accepto ferendum;
qui non tuliſſent, eorum bona venderentur.
Non tamen numi mutuò accipiendi ſunt ita, 19
ut Calendis (quod ajunt) *Græcis reſtituantur.*
(5) Id quod Dionyſius fecit, teſte Ariſt. 2. *Oe-*
conom. Sicut & Galli olim neminem in Civi-
tatem ſuam admiſerunt, niſi qui pecuniam
dediſſet mutuò, quæ apud inferos redderetur
Valer Maxim. (6) *lib. 2. c. 6. n. 10.* Sic & Maro-
canus Rex Feſſæ à Sacerdote ſummi templi
(*Garauven* (7) appellatur, quod ſingulis die-
bus ducentorum aureorum proventum re-
cipit (ſæpiuſculè maximas ſibi pecunias mu-
tuò dari jubet, quas nunquam poſteà reddit.
Sileſcat quoque & maneat ſepultum *ar-*
canum Vitellii, (8) qui poſtquam ære alieno
admodùm obſtrictus, Principatum ade- 20
ptus fuerat, requiſitis creditoribus dicebat, ſe-
ſe reddidiſſe ſalutẽ pro pecunia, repoſcebat-
que tabulas contractuum.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT XXIII.

Num. 11.

(1) Æ*Rarium privatum &c.]* Atqui ſuprà ſtatuit Klockius *lib. 1. cap. 2. n. 17.* Collegia talia *Ærarium* non habere, verùm *arcam* aut *burſam communem.* Et in hanc mulctas, collectiones voluntarias opificum, ſimilia conferri ſciunt omnes.

(2) *Primicerii &c.]* Primicerius eſt veluti *primus,* ſive *in prima cera ſcriptus.* Quia veteres, ut notũ, in ceratis tabulis ſcribebãt, unde illæ loquẽdi formulæ, in prima, in ſecunda, in ima cera. Suetonius *in Cæſare cap. 82. Noviſſimo teſtamento tres inſtituit hæredes ſororum nepotes &c. & reliquos in ima cera.* Itaque Primicerius in aliquo officio primum locum obtinebat. Norimbergæ in quibusdam collegiis artificum & opificum primicerii tales vocantur, die Vorgeher/ in quibusdam die Geſchworne; eò quòd poſt Tribus hac in Civitate abrogatas, in certa quædam capitula noviter electi & confirmati tales primicerii annuè nunc Senatui jurent.

(3) *Pro libitu disponendi &c.]* Rectiùs Author noſter alibi *in Tr. de Contributionibus cap. 5. n. 186.* docet, Etſi quoque Collegiis opificum ærarium privatum, dictum die Amts Lade/ (*item* die Handwercks-Lade/ *item ſimpliciter* die Lade/) ſit permiſſum, *l. 2. §. quibus ff. quod cujuscunque univ. nom.* Neutiquam tamen ſenioribus Collegii, (qui

Jure

Jure noſtro primicerii dicuntur *tot. tit. C. de primiceriis,*) poteſtas conceſſa eſt, pro libitu de eo diſponendi, numos collegii diſtrahendi, aut uti ſæpius uſuvenit, eosdem abliguriendi: Verùm quotannis eorum rationem exactam Secundiceriis, i.e. Collegis junioribus, den andern und jüngſten Amtsbrüdern/reddere debent, per ea, quæ pulcrè firmat Munnoz de Eſcobar. *de ratiocin. adminiſt. cap. 3.*

Num. 18.

(4) *Quod Veneti &c.]* Ipſa verba Bembi vide ſuprà *ad lib. 1. cap. 13. n. 11. (10)*

Num. 19.

(5) *Ut Calendis Græcis reddantur &c.*] Dixi de hoc argumento ad Politicum Sceler. *cap. 43. pag 494. ſeqq.*

(6) *Valer. Maxim. &c.*] Hoc ſolùm Valerius ſcribit. *Vetus ille mos Gallorum occurrit, quos memoriâ proditum eſt, pecunias mutuas, quæ his apud inferos redderentur, dare ſolitos: quia perſuaſum habuerunt, animas hominum immortales eſſe.* Cui ſuffragatur Mela *lib. III. c. 2.* & fortaſſis præter illum ex antiquioribus nemo.

(7) *Corauven &c.*] De quo ſuprà *lib. 1. cap. 28. n. 25.* mentio injecta.

Num. 20.

(8) *Arcanum Vitellii &c.*] Dio Hiſtor. *lib. 65. pag. m. 736.* ubi vide.

CAPUT XXIV.

De Auro & Argento non exportando.

SUMMARIA.

1. *Olim mercatoribus conceſſum, barbaris* Aurum *ſubtili ingenio ſubtrahere.*
2. *Caveatur ſummopere, ne prætextu mercium exoticarum* pecuniæ *ex Republ. efferantur.*
3. Exportatores auri *corpore, bonisque mulctantur.*
4. Exportatio *hæc illuſtratur exemplis: in Anglia, Moſcovia, Ruſſia, & Gallia omninò prohibita,* num. 5. 6. 7.
8. *Habeat* Princeps *vel* Respub. *eas merces, quibus exterorum monetā attrahat potiùs, quàm efferri patiatur.*
9. Pecuniam *quatenus permutare, & extra fines Imperii exportare liceat remiſſivè.*

Ne regio nervis ſpolietur nobilis auri
Argentique, Duces advigilare decet

Mercatoribus olim conceſſum erat, aurum barbaris (ut verba textus ſunt *in l. 2. C. de commerc.*) ſubtili ingenio ſubtrahe-
1 re vel auferre. Quo ſanè magis, quàm gravi nullo Marte, Hiſpani ab Indicis populis optimo jure ſibi vindicarunt, Anton. Perez *in Cod. lib. 4. tit. 64. num. 1. in fin.* Nunc non modò aurum, ſed potiùs argentum omne commiſſum permiſſumque à Principibus quibusdam eſt ſublegere. Graviſſimum verò crimen, quod à Chriſtianis illud perpetretur, & inter Chriſticolas vigeat, non barbaros, multò minùs obſervata religionis aut jurisjurandi Imperio dati ſanctitate, nec ordinum dignitate.

Cæterùm prudentes Reipublicæ mo-
2 deratores extra fines territorii pecuniam prætextu exoticarum mercium ad exteros exportari non patiuntur, omniumque ferè Principum legibus ſeveriſſimè ſancitum eſt, ne aurum & argentum extra cujusque Imperii fines evehatur; Bodin *de Repub. lib. 6. cap. 3.* qui tamen hoc nec præcaveri poſſe, nec Reipublicæ utile videri exiſtimat. De hoc Tiberium olim in Senatu conqueſtum fuiſſe, ſcribit Tacit. *lib. 3. Annal. 53. in fin.* quis lapidum causâ pecuniæ ad externas aut hoſtiles gentes transferantur? Ubi Lipſius *in notis ibid. num. 119.* lapidum nomine, gemmas & uniones intelligit; Germani dicunt, 3
Steinigen und Peinigen. Ventura de Valent. *lib. 2. Parthen. litigios. cap. 11. num. 15.* Unde Receſſibus Imperii ſaluberrimè cautum; Argentum & aurum infectum, vaſa quoque argentea, præterquam deaurata, ſed & Ducati probi, aurumque Rhenanum ſignatum, ne exportator ullo pacto, ſecus facientes corpore, bonisque mulctantur. *Denais* (1) *in jur. Cameral. tit. 192. de monetario edicto num. 20. & 47.* ubi Receſſus enumerat. Imperatorem quoque, vigore Capitulationis Cæſareæ, ſingula quæque rei numariæ imcommoda abolentis, in verſic. und was ferner zuträgliches zu Abwendung ſolcher Unrichtigkeit im Müntzweſen bedacht werden möchte/nicht unterlaſſen/ad id obſtrictum, non incoocinnè exiſtimaveris. Tale Decretum de moneta non exportanda promulgatum Elector Palatinus Anno MDLXIX valdè urgebat, cùm Italis merces & pecuniam abſtulerat, & Heidelbergam transferri curaverat; Thuan. *lib. 43 hiſtor.* De quo infrà *capit. 85. num. 69.* planiùs & pleniùs.

Sic & in Anglia viget Statutum, ne quis plus pecuniæ, quàm quod viatico ſufficiat, è Regno egerat, ſuperfluum inquiſitores & viſitatores Fiſco regio adjudicant. In 4
hosce Inquiſitores Eraſmus incidit, qui ab Henrico VIII. ob religionis cauſam in Angliam accerſitus, cùm finito colloquio quinquaginta aureis ſive Angelottis Anglicis à Rege donatus viciſſim abiret, ab iis dono regio pauxillo & ad revertendum ſufficiente ſibi relicto privatus: ceſſit tamen poſtea Eraſmo hoc infortunium in pinguius lucrum, jacturam ſiquidem ablatæ pecuniæ ægrè ferens, cùm apud Regem de damno conqueſtus eſſet, duplum accepit, Scriver. *in vita Eraſmi.* Sic & in Moſcovia & Ruſſia 5
prohibitum eſt, quicquam argenti ex Principatu

cipatu iſto exportare , niſi id fiat ad redimenda mancipia aut perſolvendum lytron pro iis , qui in bello ab hoſte capti fuêre. Sic & Hungari, Poloni , atque Dani Germanos in regnis ſuis negotiantes ac multum auri inde exportantes potiſſimùm deteſtantur. Imò nulla eſt gens, teſte Æneâ Sylvio *in Epiſt. 383.* quæ animo æquo ex regione ſua aſportari aurum ferat.

Quare non inanem, ſed valdè utilem & Reipublicæ neceſſariam operam navant ii, qui curam habent de pecuniâ, auro, argentoque infecto è Ditione non avehendo, ſicut & Reipublicæ prodeſt, Subditos potiùs , quàm exteros ad conficiendum aliquid mercede conducere ; cùm hâc ratione pecunia illa ſucceſſu temporis per cenſus, tributa, ac vectigalia ad Fiſcum redeat.
6 Id verò fieri nequaquam poteſt, ubi numo emunctam tenes regionem. Numi enim cum ſperato lucro pariter amiſſi ſunt, ac tum demum, ut dicitur, ſera admodùm eſt in fundo parſimonia. Quo reſpectu Supremæ Curiæ Pariſienſis Senatores Año MDCV obnixè rogarunt, ut Rex regio diplomate caveret, ne ex ulla Regni parte aurum argentúmve, ſignatum vel infectum, vel vaſa aurea argenteáve in fraudem regiorum Statutorum eveherentur. Lege quoque inſignis ille luxus & pompa Veſtimentorum, auro argento, unionibus, adamantibus & margaritis intertextorum ; item ſupellex atque merces ex China atque extremis mundi plagis adductæ, quarum nullus uſus eſſe poteſt, cohiberentur, & interdicerentur : quandoquidem coëmtione & acquiſitione earundem immenſa auri argentique vis ex univerſo regno emitteretur. Exempla , ni 7
odioſa eſſent , adduci poſſent multorum externorum Mercatorum ; qui in aliena Patria magnas divitias acquiſiverunt : ſed ineluctabili , & latenti totius territorii damno. Numerentur in aliqua Ditione nuperi hominumque memoriâ enati mercatores; explorentur illorum adverſaria, & in unam ſummam redigatur pecunia in ejusmodi merces non neceſſarias inſumpta; confeſtim adparebit , non ſolùm omnes pauperes & egenos tali pecuniâ ſuſtentari potuiſſe , ſed & tributorum ordinariorum ſummam eâdem ſuperari; contra ex omni- 8
bus pecuniæ cogendæ artibus, vel illa potiſſima eſt, quòd Princeps eas domi merces habeat , quibus ad ſe exterorum monetam attrahat ; Scip. Amirat. *lib. 3. diſſertat. politic. in Tacit. diſcurſ. 8. in princ.* Quatenus verò liceat pecuniam permutare, 9
& extra Imperium exportare ? vide Nicol. Reuſner. *lib.* 4. *deciſ.* 14.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT XXIV.

Num. 3.

(1) D*Enais &c.*] Confer Lenzium in Fürſtellung der Mängel im Müntzweſen ꝛc. 6. Mangel *pag. 29. ſeqq.* D. Joh. Georg. Krullium *De Regali Monet. Jure cap. 7. & ult. §. 3. n. 13. 14. ſeq.* D. Marquardum *de J. Mercat. lib. 2. cap. 1. n. 44. ſeqq. & lib. 3. cap. 5. n. 12.* Cùm verò cætera ferè omnia hoc in capite propoſita plena & indubitata ſint, & de luxu in veſtibus coërcendo (*de quo ſub finem capitis Klockius noſter tractat*, in ſequentibus agendum reſtet. Manum nunc capiti proximo XXV. admovebimus.

CAPUT XXV.

De Mercatura Principum Maritima & Terreſtri.

SUMMARIA.

1. Mercaturæ *laudes, ut quæ compenſat defectus , quos terræ diverſa à natura patiuntur: illa importat, quod negârat Natura.*
2. *Ignotiſſimas regiones & Reſpubl. ſociat fœderibus, amicitiâ, ſæpè etiam* Religione *: invehit igniculos fidei cum mercibus , Doctores quandoq; ipſos.*
3. Homerum *Divam* Palladam *mercatorio habitu induiſſe ſermo eſt.*
4. Mercaturæ *cum Sapientiæ literarumque ſtudio commercium.*
5. Mercurius *mercimoniis emendis vendendisq; præeſt.*
6. *Antiquitas* Mercaturæ: *Etiam Patriarchæ negotiati opibus naturæ.*
7. Negotiatores *vetuſti fuêre honorati.*
8. Tyrus *negotiatorum nobiliſſima.*
9. Ninivitæ *nogotiatores.*
10. Abrahamus *negotiator fuit.*
11. Salomonis *navigia & mercimonia.*
12. Nobilibus mercatura *cur interdicta , &* num. 13. 14.
15. Nobiles *mercaturam exercentes nobilitatem perdunt, &* num. 25. *contra* num. 24. 30. 31. 32.
16. *Sua cuique ſtatui dignitas & functio eſt.*
18. Mercatura *nihil derogat Nobilitati, ubi uſus obtinuit, licet eam exercere Nobilibus: Et præſtat Nobilitatem negotiari , quàm prædari,* num. 22.
19. *In exemplum trahuntur nobiliſſimi* Romanorum, Italorum , Luſitanorumque, Solon,

Hypo

Hypocrates: *in Italia Piſani, Genuenſes, Veneti; imò Reges Hiſpaniæ, Angliæ*, num. 20. *Ooſtende VVeſt-Indianiſche Compagnien, ibid.*
21. Hollandiæ *Ordinibus mercatura ſanguis & vita.*
23. Potentes *negotiari permittuntur.*
26. Nobiles *ex mercatura quæſtum facientes, ſolvendis Collectis & Contributionibus ſunt obnoxii.*
27. Mercatura *magna & copioſa Nobilitati non derogat.*
28. Nobiles Germaniæ *olim latrociniis & rapinis addicti: Ejus mali ratio*, num. 29.
33. Ærario *exhauſto, & contracto ære alieno, Principi Mercatura uti licitum, &* num. 34.
35. *Authoris Conſilium.*
36. Pertinax Imp. *mercaturam exercuit.*
37. Negotiator *pericula contemnit.*
38. *Opes augere* negotiatione *honeſtius, quàm bello.*
39. Mercatura *adfert aliunde, quod deeſt; effert aliò, quod hic abundat.*
40. *Certi limites ſtatuantur* exportandis & importandis mercibus, & num. 41. 42.
43. Cave, *inferas, quæ ad luxuriam, & quæ noceant magis quàm proficiant.*
44. *Ne infer aliunde, quod tui* Cives *elaborabant ipſi.*
45. Peregrina *plerumq; magis arrident, quàm domeſtica: idcirco his inferendis cave, ne domi noceas, profiſq; foris.*
46. *Sed nec* extra territorium *effer, quæ in patria uſibus ſunt quotidianis neceſſaria.*
47. *Neque affer aliis, quò tibi nocivus fias, neque quò hoſtem inſtruas, aut in te provoces.*
48. Merces *inanes inutilesq; ad prodigendam pecuniam facilè allectant: cave ſummoperè, ne quovis prætextu pecuniæ efferantur aliò.*
49. *Cave à* peregrinis, *qui cum Mercibus arcana tua ſæpe ſcrutatum veniunt: ut neque mores corrumpant tuorum, neque ad conſpirationes præbeant Occaſiones: Quod Carthaginenſium, Græcorum, Epidauriorum, aliorumq; exemplis & monitis illuſtratur*, num. 50. 51. 52. & 53.
54. Fraus & avaritia *negotiantium reprehenditur.*
55. *Subtilis* commerciorum *ratio ineunda & ſubducenda.*
56. Mercatores & Venalitiarii *minutiores differunt: hi obſcuri, illi celebriores ſunt.*

Mercatura Ducûm, privatus quâ nequit uti
Mercator, terrâ proficua atque mari eſt.

VIx quicquam inveniri aut excogitari poteſt, quod Rebuspublicis vel in civilibus vel bellicis rebus majorem utilitatem afferat, quàm navalis diſciplina. Nam (ut inquit Xenophon) qui claſſe valent, omnes omnium regionum commoditates percipere poſſunt, & commutandi, vendendique poteſtatem habent maximam, ſiquidem gentes vel multo terrarum intervallo diſſitæ exportatione rerum, quibus abundant, & earum, quibus indigent, importatione, indigentiæ ſuæ mutuâ operâ ſuccurrere facilè & expedire poſſunt, & ſuas opes commodè augere. *Et ſanè non ſolùm res utilis, ſed etiam ingenii & induſtriæ plena eſt Mercatura*, (1) aſtutiſſima latentium lucrorum indagatrix. Nec enim terris omnibus Deus & Natura largiuntur omnia, ſed quod uni dederunt, id alteri ſubtrahunt, qui defectus importatione rerum, quarum ſumus indigi, ſupplendus. Qui verò ſingularum regionum ſint proventus, commoda, meſſes, ex phyſicorum monumentis & rerum naturalium ſcriptoribus habemus. Docent hi Indiam ebur, Sabæos thura, Perſas ſericum, Moluccanos aromata, aurum argentumque Americanos, chalybes, ferrum, æs Suecos, ſtanum Britannos ſufficere. Unde Virgil. 1. *Georgic.* 1

Hîc ſegetes, illic veniunt feliciùs uvæ,
Arborei fœtus alibi, atque injuſſa vireſcunt
Gramina: nonne vides, croceos ut Tmolus odores?
India mittat ebur? molles ſua thura Sabæi;
At Chalybes nudi ferrum, viroſaq; Pontus
Caſtorea, Eliadum palmas Epeiros equarum.

Quocirca ſicuti *herba Adianton* (2) perfundi aquâ poteſt; humida reddi non poteſt; ſemperque irrigata exareſcit: ita in Mercatura morſus fortè exacui poſſunt contumeliæ; contumelia certè lædi non poteſt. Nam cùm dicatur *Mercatura à merendo*, (3) quod eſt virtutis, qui illam accuſat, virtutem videtur accuſare, quæ omni vacat turpitudine, & vinculum eſt arctiſſimæ conjunctionis inter homines, quemadmodum laxa erat futura, ſi ſingulis omnia, quæ neceſſaria, ſuppeterent domi, & ſi nullus eſſet uſus exportationis & importationis.

Per commercia potentiſſimis cum Regibus & florentiſſimis cum Rebuspublicis amicitiæ contrahuntur, & per occaſionem negotiationis coloniæ quaquaverſus deducuntur in totum orbem terrarum. Mercatura Indiam Orientalem aperuit, novum Orbem detexit, religionem Chriſtianam longè lateque propagavit: Negotiationibus & urbes ſingulæ & totæ regiones celeberrimæ redduntur ſimul & potentiſſimæ. Nec minor in bello, quàm in pace utilitas percipitur: nam qui libero utuntur mari, ſi viribus ſuperiores fuerint, rei frumentariæ providere, hoſtes variâ clade afficere poſſunt: ſi inferiores, adverſarios ad certamen provocantes ludificantur. Ideò apud antiquos maximum ad res gerendas momentũ ſemper in claſſe poſitum, & qui validiores ea in parte fuêre, ſæpius in bello ſuperiores evasêre. Exempla omnium & locorum & temporum paſſim ſunt obvia. 2

Homerus, (4) quo homine Græcorum nemo plura novit, nemo, quæ ad uſum faciunt, copioſiùs docuit, tantum Mercaturæ pretium eſſe credidit, ut ipſam Pallada, Sapientiæ Deam, quaſi alio habitu non poſſet, mercatoris induerit. Ubi enim Telemachum alloquitur & ſe Mentem fingit, ſuaviter ait Pallas, ſe maria ſulcare, ut ferrum, quod navibus vehebat, ære Temeſi- 3

no permutaret. En mercantem Pallada. Quin & ipſe Panomphæus Jupiter, è cujus cerebro ortam fingunt Pallada, in celebri illa apud Lucianum vitarum auctione univerſa Philoſophorum turbam, vili ſatis pretio diſtraxit. En mercatorem Jovem. Illud ampliùs conſtat, primam mercaturam, humanitatem & ſapientiam, unà cum mercibus per univerſum Orbem circum-
4 duxiſſe; Atque optimum eſſe Mercaturæ cum Sapientiæ ac literarum ſtudio commercium, nec augendæ rei curam, mentis contemplationibus nec has illi obeſſe, verùm optimis rationibus, inter ſe conſpirare, mercandi & philoſophandi facultatem, eleganter oſtendit Caſpar Barlæus in ſuo Mercatore Sapiente, ſive Oratione inaugurali de conjungendis Mercaturæ & Philoſophiæ ſtudiis Amſtelodami habita V. Jan. Anno MDCXXXII.

Hinc Vetuſtas fingebat mercimoniis emendis vendendiſque ingenioſiſſimum
5 Deorum Mercurium, illum Sapientiæ, ac Eloquentiæ, ut ab Ethnicis fingitur, authorem præfuiſſe; ac præſediſſe fraudibus cum Laverna furtivis ut ſcilicet ad preces mercantium lucra tribueret, & pericula quæque à mercatura averteret; de quibus *Ovid. ſcripſit lib. 5. faſtor.*(5)

Ablue præteriti perjuria temporis, inquit:
Ablue præteritâ perfida verba die:
Sive ego te feci teſtem, falsóve citavi
Non audituro numina vana Jovi;
Sive Deum prudens alium, Divámve feſelli,
Abſtulerint celeres improba verba Noti:
Et pereant veniente die perjuria nobis;
Nec curent Superi, ſi qua locutus ero.
Da modo lucra mihi: da facto gaudia lucro,
Et face, ut emptori verba dediſſe juvet.

Dudum eſt, quod in Sticho exclamaverit *Plautus.*(6)

Cum benè geſtâ ſalvus convortor domum,
Neptuno grates habeo & tempeſtatibus:
Simul Mercurio, qui me in mercimoniis
juvit, lucriſq; quadruplicavit rem meam.

6 Antiquitatem verò & primos Mercaturæ natales non aliunde rectiùs, quàm ex Sacrarum literarum monumentis ac Sapientum libris inveſtiges. Docent illi, primis ſæculis, cùm naturæ opibus cenſus omnes conſtarent, intra pecora, agroſque illam conſtituiſſe, primoſque mercatores agricolas & paſtores fuiſſe. Docent illi, Deum ipſum commercia probaſſe, & certis firmare legibus voluiſſe, *Levit. 19. v. 35. Proverb. 11. v. 1. & cap. 16. v. 5. & cap. 20. v. 10. & 23. 1. Theſſal. 4. v. 6.* Docent, Iſmaëlitis fe-
7 rentes reſinam, ſtacten, aliaque aromata in Ægyptum, *Geneſ. 37. verſ. 28.* & Iſraëlitas, *Geneſ. 34. verſ. 21.* ſine reprehenſione mercaturam exercuiſſe. Quin & Salomoni, *3. Reg. 10. v. 16.* negotiatores & ſcruta vendentes aurum adferunt. Et *2. Paralip. 1. v. 16.* negotiatores Regis dicuntur. Et *2. Eſtr. 3. v. 32. In porta gregis ædificant artifices & negotiatores.* Tyri autem negotiatores Principes erant, & inſtitores incluti terræ, *Iſ. 23. verſ. 8.*
Sed & Babylon negotioſa fuit. *Iſ. 47. verſ. 15.* 8
Ezech. 17. v. 15. Chanaan urbs negotiatorum. Verùm omnes Tyrus illa dives ſuperavit. *Ezech. 37. v. 4.* Et vel maximè Tyrios in arte navali excelluiſſe, inde conjicere licet, quòd libero utentes mari ſæpè terras cæteris nationibus incognitas adierint, in ultimo Hiſpaniæ tractu Inſulam Oceano circumfuſam perexiguo à continente diviſam freto condiderunt; & in Africa Uticam, in Bœotia Thebas, ſic ut eorum Coloniæ toto orbe diffuſæ fuerint.

Quin & vaſtiſſima Ninive plures fecit 9
negotiationes, quàm ſint Stellæ cœli. Et Abrahamum mercatorem fuiſſe, nihil ambigit Conzen. *lib. 8. politic. cap. 10. §. 3. fol. 366.* Habuit enim boves, oves, & camelos, aurum, & argentum, quod fodiſſe eum non
credit, cùm peregrinaretur perpetuò, ſed 10
ex commutatione pecorum & venditione acquiſiviſſe. Ad hoc ergo pecora aluit, ut venderet, familiam emeret, pecuniam cumularet. *Salomonis ſanè naves* (7) ibant
in Tharſis, nec ſine negotiatione regia mer- 11
ces referebant; Quia ibat claſſis ejus per mare cum claſſe *Hiram* per tres annos in Tharſis, deferens inde aurum & argentum & dentes elephantorum & ſimias & pavos: magnificatus eſt ergo Salomon ſuper omnes Reges terræ divitiis & ſapientiâ, *3. Reg. 10. v. 22.* haud alio procul dubio fine, quàm ut ejuſmodi merces per inſtitores Regios aliis venderentur, & per opulentiſſima Aſiæ Emporia diſtraherentur, Joan. de Pineda Jeſuita *de dict. & fact. Salomon. capit. 12.* Apoſtoli etiam converſis ad Chriſtianiſmum non fuerunt authores, ut à mercatura & negotiationibus deſiſterent; ſed ne proximum in eis defraudarent, *1. Theſſal. 4. verſ. 16.* Roma quoque ſtare ſine negotiatione non poterat, primarii cives in urbe negotiabantur, &, quod omnium graviſſimum erat, uſuras exercebant Principes Romani: Nec alio modo ingentes Romanorum divitiæ conſiſtere potuerunt. Quinimò omnis negotiatio, etiamſi lucrum afferat, non eſt inhoneſta & iniqua, ſed laudabilis, licita, neceſſaria & fructuoſa, ac ſine Dei offenſa & jactura ſalutis benè exerceri poteſt, præſertim ab iis, qui lucrum charitati proximi & bono Reipublicæ ſubordinant, mercaturam ad honeſtum finem, Reipubl. ſcilicet commodum, & honeſtam ſuorum ſuſtentationem dirigunt, lucro moderato contenti ſunt, & ſine mendaciis, perjuriis, ac fraudibus hanc artem exercent, improbantque artes lucratorias, uſurarias, & quæſtuoſas, quibus cum damno proximi homines diteſcunt; Thom. *2. 2. q. 77. art. 4.*

12 Sed cur *Nobilibus Mercatura interdicta* (8) ab Impp. Diocletiano & Maximiano *in leg. ne quis 6. Cod. de dignitat. lib. 12.* deinde ab Imp. Conſtantino *in leg. unic. C. de perfectiſſ. dig.* poſtmodum ab Impp. Honorio & Theodoſio *in l. nobiliores 3. C. de Commer. & merc.* ab Imp. Leone *in l. milites C. loc. & conduct.* itemque *in l. milit. 2. C. de re milit.* ab Imp. Zenone, *in l. agentes 1. C. de præpoſ. agent. in reb. & in l. ſi cohortales 12. C. de Cohortalib.* & denique poſt hoſce omnes ab Imp. Juſtiniano *tot. tit. Cod. negotiatores ne militent, & in l. licet fin. C. de locat. conduct.*

13 Ratio hujus prohibitionis evidens eſt; ut ſcilicet (1) faciliùs ſit emendi vendendique commercium inter plebeios mercatores, quippe cùm emptores ab his quid ementes, liberiùs & audaciùs liceri merces poſſint; & (2) quòd periculum ſit, ne opibus & potentiâ ſuâ commerciorum totam utilitatem ad ſe trahant, & ita plebei & infirmiores negotiatores in Civitatibus opprimantur: quã
14 rationem innuit text. *in d. l. nobiliores.* Quæ ratio non ſolùm ſtringit eo caſu, ſi Nobiles ipſi, ſed & ſi per alios ſuos miniſteriales exerceant negotiationem, uti hanc ſententiam, tanquam veriorem, contra Tiraquellum *tr. de nobilitate c. 27. n. 7. & ſeqq.* ac Mynſingerum *6. obſ. 54. nu. 15. & 16.* latè propugnant Franciſ. Pfeil. *conſ. 202. n. 97.* H. Bocer. *tr. de re-*
15 *galib. c. 2. n. 56.* M. Stephani *tr. de Nobilitate civili c. 7. n. 5. 6. & ſeqq.* Adeò, ut Nobiles mercaturam exercentes nobilitatem perdant & deinceps ignobiles habeantur & dicantur. Quam communem profitetur Ludolph. Schrad. *conſ. 44. n. 4.* & Pfeil. *d. loc. n. 34.* Diſtincti namque ſunt Ordines & Status in Civili ſocietate; Eccleſiaſticus nimirũ, Sæcularis & Subditorum, der Geiſtlichen/ der Herꝛſchafften / und der gemeinen Leute und Unterthanen Stand/ velut habet gloſſa Landrecht/ *lib. 3. art. 79.* der Prieſter/Ritter und Bauren. Qui-
16 bus ſingulis etiam ſua diſtincta munia & exercitia adſignata ſunt, juxta vulgatum verſiculum:

Tu ſupplex ora: tu protege: tuq; labora.

Ec cùm negotiatio propriè conveniat illis, qui in Civitatibus verſantur & cives vocantur, ab eâ meritò arceantur Nobiles, qui aliàs ex prædiis & bonis ſuis feudalibus ſuſtentationem habent.

17 In viro quoque nobili damnari mercaturam, LL. Impp. faciunt manifeſtum. Milites, *inquit Imp. Leo in l. 15. C. de re mil. tit. 36. lib. 12* qui a Rep. armantur & aluntur, ſolis debent utilitatibus publicis occupari, nec agrorum cultui, & cuſtodiæ animalium, vel *mercimoniorum quæſtui*, ſed propriæ muniis inſudare militiæ, nullum prætereà ex militibus poſthac prædictis obſequiis vacare magnitudo tua patiatur, ſed frequentes in numero ſuo eſſe jubeat: ut armorum quotidiano exercitio ad bella ſe præparent.

Si tamen conſuetudo Regionis aliud 18
induceret, & mercaturam Nobilibus indulgeret, omninò ſtatuendum eſt, negotiationem nihil Natalium ſplendori, nihil nobilitati derogare. Mynſ. *d. O. 54. n. 11. cent. 6* Bocer. *d. c. 2. num. 54.* Sic mercaturam exercuiſſe Equites Rom. ſcribit Cic. *in Verr. L. Pacius* 19
ſplendidiſſimus Eques Rom. qui Panormi negotiatur, & Q. Mutius Eques Romanus, qui Syracuſis.

In Italia tres fuêre præpotentes maritimis in rebus urbes: Piſa, Genua, Venetiæ. 20
Eò magnitudinis *rem Piſanam* (9) hac in parte evectam memorant, ut C. eorum familiæ totidem roſtratas naves privato ſumptu ædificaſſe & exornaſſe ad bellum Liguſticum dicantur. *Genuenſes* (10) inveteratæ navalis diſciplinæ laude cunctas nationes antecelluerunt, & ſulcando maria verſùs Orientem usque Euxinum conditâ in Turcica Cherſoneſo, *Theodoſiâ* (11) nobiliſſima Coloniâ famam extenderunt, & in Bello Sacro egregiam operam navarunt. *Veneti mercimoniis dediti* (12) multum claſſe hucusque valuêre, mercaturam per omnes Orbis partes exercẽtes: Unde in pretium illis ceſſit *Creta, quæ Cãdia dicitur,* (13) & diu Saracenorum & Turcarum arma cum inſigni laude ſuſtinuerunt, & quod ad gloriæ culmen eos evexit, Genuenſes de maris imperio cum illis decertantes poſt varia prælia manus dare coëgerunt.

Inter Anglos autem maximam navigationis gloriam invenit *Franciſcus Dracus,* (14) qui ſingulari induſtriâ totum in inveſtigandis Inſulis circumivit Orbem. Ac cùm MDLXXXVIII in ſumma tempeſtate belli, quod in obruitionem Angliæ intentabat R. Hiſpan. vix domum reverſus eſſet, Reg. Eliſabetha navali expeditioni univerſæ hunc unà cum Havardo præfecit. In æternam rei memoriam navis ejus, quæ totum Orbem circumnavigavit, apud regiũ Caſtellũ *Grounnitz* (15) IV. miliaribus Londino diſtans, fulcris elevata & impoſita adſervatur, uti adhuc ibi viſitur. Sed etiam valde ſcitum argutæ inventionis Epitaphium Ovvenus eidem conſtituit *lib. 2 Epigram. 148.*

Religio quamvis Romana reſurgeret olim,
Effoderet tumulum, non puto, Dracke, tuum.
Non eſt, quod metuas, ne te combuſſerit ulla
Poſteritas: in aqua tutus ab igne jaces.

Sic & Ordines Hollandiæ *mercaturam, tanquam vitam ac ſanguinem* (16) provinciarum 21
ſuarum, tuentur. Verè nauticus populus atque hâc arte olim atque noſtrâ ætate excellens, cujus commercium unus Orbis jam nõ capit. Collegia plerumque inſtituunt, & ſuis ſumptibus naves bellicas præſtantiſſimas adornant, quarum aliæ *Norvvegiam* (17) & Groenlandiam, aliæ *Galliam,* (18) *Angliam,* (19) *Italiam,* (20) *Hiſpaniam,* (21) & omnes ferè Europæ, Aſiæ, Africæ & Americæ Regiones frequentant. Sunt etiam, quæ in com-

munes Patriæ hoſtes à privatis armantur; ſo-
lius prædæ causâ. Sed ante alias celeberri-
mæ ſunt illæ in Orientalem & Occidentalē
Indiam navigationes, quibus iſtarum Regi-
onum vaſtæ & diu ignoratæ opes, gemmæ,
margaritæque, aurum, argentum atque ebur
in Hollandiæ ſinum ubertim derivantur. *Vi-*
de, quæ dixi ſup.(22) *libr.1.c.14.n.106. usque*
ad n.144. Indiæ Orientalis Societas longè eſt
florentiſſima. Occidentalis optimam ſpem
de ſe dedit. Capto enim Pernambuco, ſive,
ut Galli & Belgæ efferunt, Fernambuco, quæ
VII. Braſiliæ Præfectura ſive Capitania di-
citur. Laet *in deſcr. Ind. Occid. lib. 15. c. 24.* ad
hanc Regionem certiſſimus aditus patefa-
ctus eſt. An. MDCXXVIII. Pet. Heinius per-
quam dives & onuſtus ſpoliis ex India Occi-
dentali reverſus eſt in patriam, cujus theſau-
rus D. tonnas auri & argenti æſtimatus, unde
ipſi tanta adornata eſt pompa, ut tota Hol-
landia nimiis diffluere exultationibus videre-
tur. Quoquò ſe vertit tunc redux, nil niſi
plenis vocibus ſibi objici gratulationes vulgi
audiit, quaſi ſummus ex hac fortuna dicen-
dus eſſet patriæ patronus, ut tædium ipſe in-
de caperet.

Hodiè emporia illuſtriora & meliora in
mundo, quàm in Hollandia, non inveni-
untur, vel ſi ſaltem unicum reſpiciatur &
conſideretur *Amſtelodamum*, (23) quod ad-
eò paucis annis in hanc ſublimitatem vigore
commerciorum excrevit, ut nuſpiam negoti-
antium authoritas gratior ſplendeſcat; ac
Germani, Britanni, Scoti, Cimbri obſtupe-
ſcant, & ſuſpiciant ædificiorum ſplendorem,
navium in longum exporrectas ſtationes,
ſpatioſam, potentem urbem; omnibus re-
bus, quas vel natura ſuppeditat vel elabora-
vit ars, affluentem.

Ex quo Antvverpia *decreſcere cœpit*, (24)
vires ſuas inde aſſumpſit Amſtelæ urbs, quæ
inde quaſi Dictatrix omnium emporio-
rum ſe extulit. Etenim tempore Ducis
Albani, quum ex ejus ſævitie tantus eſſet me-
tus præ aliis præcipuè Antvverpienſibus fa-
ctum eſt, ut una vice XIXM. homines inde in
Hollandiam conceſſerint, & maximè Amſte-
lodamum: Unde nitidiſſima illa non tantùm
Brabantiæ, ſed etiam fermè totius Europæ
urbs Antvverpia omni fortunæ proſperita-
te exuta & privata eſt miſerè, dum opes huc
omnes cum induſtria omni ingeniorum
commigrare viderentur.

Ex prædictis omnibus clareſcit, Merca-
turam Nobilitati nihil officere, neque etiam
22 Regiæ dignitati dedecori eſſe, ut proinde
adpoſitè ſcripſerit Bodin. *lib.3. de Rep. c.8.* Ego
(*inquit*) ſi ſtatuendum mihi ſit, Principem
Mercatorem nolo; ſin optio detur, Mercato-
rem malo, quàm Tyrannum; & Patricios vi-
ros negotiari, quàm prædari: & ſic Luſitaniæ
Reges, cùm anguſtiſſimis Regni finibus co-
ërcerentur, nec jura ſuæ Majeſtatis com-
modè tueri poſſent, nec ſubditos rodere
vellent, Mercaturam abundantiſſimam at-
que quæſtuoſiſſimā ſine contumelia & ma-
ximo Reipub. commodo exercuerunt.

Et certè commercium olim uſitatum
fuiſſe potentibus, patet ex reſcripto Impp. 23
in l.1. Cod. de commer. & mercator. libr.4. ti-
tul.63. Negotiatores ſi qui ad domum noſtram
pertinent, potentiorum quoq; homines neceſſita-
tem debitam penſionum (ut honeſtas poſtulat,)
agnoſcere moneantur: ut per cunctos, qui emo-
lumenta negotiationibus captant, tolerabilis fi-
at agnoſcendæ devotionis effectus.

Et ex conſuetudine noſtri temporis No-
biles mercaturam exercentes non amittere 24
nobilitatem, punctualiter reſponderunt M.
Ant. Peregr. *conſ.111.n.6. vol.3.* ubi loquitur
de Sereniſſimo Domino Veneto, Etruſcis,
Genuenſibus, & Bononienſibus, Aldovin.
conſ.21.n.9.

Licet in locis, ubi Nobiles ex ſtatuto vel 25
conſuetudine mercaturam exercere poſſunt,
ob humilem & abjectam iſtam profeſſionem
aliquid nobilitati ipſorum detrahi, non ob-
ſcurè innuat Cœpolla *tr. de Imper. mil. delig.*
in matr. nobilit. q.18. Quem ſequitur Franciſc.
Pfeil *d. conſ.202. n.34.* Et proinde ejusmodi
nobiles mercatores, cùm haud nobiliter vi- 26
vant, etiamſi de nobili proſapia deſcende-
rint, non ſecus ac alios, Collectis ſolvendis
obnoxios, adeoque ad Contributionem co-
gendos eſſe, per fundamenta quàm plurima
in utramque partem collecta, tandem con-
cluſivè firmat Tiraquellus *dict. tract. de nobi-*
lit. cap.33. Pfeil *dict. loc. numer. 33. §. Et ſanè*
prædicta. prout quoque in Gratianopolita-
no Parlamento in hanc ſententiam determi-
natum fuiſſe teſtatur Guid. Pap. *deciſ.169. &*
deciſ.391.

Multum quoque refert in illis locis, in 27
quibus eſt talis conſuetudo, ut Nobilitati
non deroget Mercatura, utrum quis ma-
gnam vel uberem, an verò tenuem & quæ-
ſtuoſam exerceat mercaturam. Cic. enim
de Offic. lib.1. Mercaturam vituperandam eſ-
ſe negat, ſi magna ſit & copioſa, multa undi-
que apportans, multisque ſine vanitate im-
pertiens: *mercatores autem & quæſtores*(25)
tunc poſſe optimo jure laudari, ſi aliquando
ſatiati quæſtu tandē ad colendos agros poſ-
ſeſſionesque ſe contulerint.

Temporibus Henricorum Impp.(26) & ſe-
quentibus magna pars Nobilitatis Germa- 28
nicæ ad latrocinia & rapinas verſa erat, ut
hiſtoriæ & adhuc *diruta Caſtella docent.*(27)
Cauſa tanti mali erat, Nobilibus vel inter-
dicta, vel probro data negotiatio; ſicut &
nunc multi ex nobilitate egere malunt, cre-
ditoresque fraudare, quàm negotiari; Cùm
tamen Hiſpaniæ, Italiæque Magnates,
quemadmodum & Belgici, commercia
magno ſtudio continuoque exerceant, idque 29
æmulatione Emporiorum, in quibus habi-
tant.

tant. Nam ſe contemptos eſſe vident, ſi penes ſe tantùm genus, penes alios res ſit.

Et genus & virtus, niſi cum re, vilior algâ eſt. (28)

Opinione hominum, malâ illâ quidem ſed quæ in gubernanda Republica plurimũ momenti habeat.

At Scipio Amiratus *libr.3. diſcurſ. polit.*
30 *8 fol. 83.* cenſet, Mercaturam indignam eſſe Principe viro, eique non licere hoc medio ad Ærarium coadjuvandum uti. Quod etiam probat Bornit. *lib. 2. de ærar. c. 2.* ne ſcil. privatorum lucra impediantur vel intercipiantur, & vitæ tolerandæ occaſio illis præripiatur. Propterea Matthias Corvinus Rex
31 Hungariæ, Venetos non ignobiles modò plebeiosque, ſed etiam ruſticos vocare ſolebat; dictitans, fortunam genus haudquaquam mutare; cùm præſertim Veneti nulla ex parte Nobilibus adæquandi, & nomine potiùs, quàm reipſa nobiles ſint, quia mercaturam faciant, & militiæ nullam operam navent. Et Guevarra *in horolog. lib.3. c. 28.*
32 M. Aurelium inducit, graviter exprobrantem viro nobili, quòd relictis honoribus publicis, ad négotiationes ſeſe plebeias abjecerit. Mirari ſatis nequeo, Cincinnate, (*inquientem*) cur hoſtes equitis Romani more deſieris oppugnare, & mercator, tanquam ex plebe factus ſis. *Sigismundus Rex Poloniæ* (29) nonnullis Nobilibus petentibus jus negotiationum reſpondit: Oportet me in regno habere triplex genus hominum, nempe Ruſticos, qui agros colant; Mercatores, qui neceſſaria importent & exportent; Nobiles, qui me & patriam defendant.

Efflagitante tamen extremâ Ærarii te-
33 nuitate & neceſſitate, *Principem Mercaturâ uti poſſe*, (30) confidenter aſſerit Lælius Zec-
34 chius *lib.2. de Principe c. 2.* Et exhauſto ærario, inſuperque contracto ære alieno, nonne honeſtiùs ex negotiatione quàm Urina, aliisque rebus pecunia colligetur? Nec apud ſapientem quæſtio difficilis eſt; An honeſtius ſit ſubditos tributis premere; an mercandi induſtriâ ſubvenire Reipublicæ? parcere pauperibus? Et cur, quæſo, Principi non concedendum, quod hodiè Ordines Belgici, quod Veneti, quod Genuenſes, quod Rex Hiſpaniarum multis viis tentant? Paul. Buſius *lib 3. de Rep. c. 1.*

Mihi ſanè Princeps ille prudentiſſimè
35 facturus videtur, ſi non ſolùm per fidos inſtitores mercaturam exerceat, ſed & honeſtiſſimum quemque ad negotiationes excitet potiùs, quàm otiari ſinat; ſi eos, qui opes per negotia augent, ad munia publica vocet; ſi mercatoribus non modò immunitates & privilegia præſtet, ſed conſtanter etiam eorum ſecuritati conſulat; ſi quos, cùm ad varia regna proficiſcuntur, omnia cognoſcere jubeat, ſi peregrinis mercatoribus jus accuratè citoque dicat, illis ſuos conſules, & magiſtratus, ſi multi ſunt, cõcedat; Si fraudes, Monopolia, aliaque, quæ bono publico obſtant, diligenter impediat. Quòd verò nonnulli exiſtimant, ſordidum eſſe, negotiationibus facultates augere, falluntur. Nam ubicunq; non eſt ſordidum accipere à mercatoribus, ruſticis, olitoribus, pauperibus vectigalia & gabellas, non eſt etiam ſordidum, commutatione rerum lucrum facere, modò publicum bonum quæratur.

Sic Pertinax, qui ſuo tempore diſcipli- 36
næ militaris peritiſſimus & Imperator habitus eſt optumus, cùm commodus omnia dilapidaſſet, & vix L. millia in ærario reliquiſſet, donativa nihilominus erogare, Rempub. regere, aulam conſtituere oporteret, inter hæc tamen vectigalia tyrannica abrogavit, legitimos opum quærendarum modos exquiſivit inter eos, *teſte Julio Capitolino*, (31) mercaturam habuit, quam privatus exercuit, nec illi vitio datum eſt, quòd poſt tot bella confecta feliciter provinciasque adminiſtratas Senator ſummæ dignitatis, jam Sexagenarius negotiaretur, populo venerabilis & Senatui, Imperatoribus, & exercitui charus erat, dignus, qui ex negotiatore fieret Imperator. Hoc modo etiam Laurentius Medices Florentinorum Princeps ſapiẽter ſenſit & dixit, Mercaturam eſſe caput, unde & robur & nervi manent in Rempublicam, teſte Bruto *lib. 8. Hiſtor. Florent.* Et certè omnes artificiales, omnes legitimos & ludabiles acquirendi modos pendere à Mercatura, ut, ſi hæc floret, reliquæ floreant, hac jacente, etiam alia jaceant, teſtis eſt experientia, omnium rerum Magiſtra. Mercatura enim adminiſtra eſt publicæ & privatæ virtutis, imò facit ad vitæ humanæ neceſſitatem, commoditatem & dignitatem, propter locorum diſtantiam, propter temporum differentiam, propter rerum quantitatem, & denique indigentiam humanam, Keckerman. *diſput. 28. Civ. Philoſoph problem. 44.*

Commerciorum finis eſt comparare
neceſſaria, diſtrahere ſuperflua ſine fraude 37
doloque. Hoc per homines ſuos Princeps ſi faciat, non video, cur dignitatem non ſervet: Omnia deſpicit negotiator. Sub ſole torrido monſtra natantia, &

Luctantem Icareis fluctibus Africum
Mercator metuens otium, & oppidi
Laudat jura ſui, mox reficit reteis
Quaſſas, indocilis pauperiem pati. (32)

Regum quoque & Principum eſt, peri-
cula capeſſere, pro patria mori. Stare in 38
prima acie, inter tela verſari, obire excubias, fodere vallum, ambulare per pruinas, vitam fragili rati committere, &c. in tanta majeſtate ſummum decus videtur: Hoc in ſpeciem majus; at revera ſapientius rectiusquè, ſi induſtria acquirat opes, regnum tueatur; ſi India, ſi Aſia ærarium augeat.

39 Ut verò Mercatura (cujus officium eſt aliena afferre & ſupplere, contrà abundantia & ſuperflua efferre & evacuare, atque ita rerum deficientiæ vel affluentiæ moderamine quodam ſuccurrere) quæſtuoſiſſimum Ærario lucrum conferat, Cic. *pro lege Manilia*, (ubi mercaturam etiam ex emolumento Vectigalium commendat) & ſæpe Rempub. ad faſtigium ſummæ potentiæ perducat; ac culturam terræ emolumento publico & privato ſuperet; Attamen cautionibus atque limitationibus ſequentibus hîc opus eſſe videtur.

40 I. Ne omnia promiſcuè invehantur & evehantur, ac inprimis, ne efferatur rudis materia, quippe quòd ex unica ſæpè materia, puta metallo, vel lanâ & lino, mille rerum ſpecies effigurari poſſint opificiorum ope, quarum ſingula pretia conferant, pretium materiæ longè excedentia: quod Norimberga & Belgium ſuis exemplis evidentiſſimè demonſtrant. Quæ enim opera in
41 hisce locis elaborantur, alienâ materiâ & maſſâ conſtant, quæ acquirunt levi pretio & in varias multò pretioſiores merces efformant; ut ſola induſtria lucrum pariat. Vides ſanè Belgas linum & lanam, paſſim ex Imperio efferre, & lanea & linea opera longè
42 cariora referre. Quin quod ſæpè lintea & pannos, in tuâ Civitate confecta, ad ſe trahant, & elaboratiùs exornata, tibi tanquam extera vendiderint, quæ tua fuêre; non formis, ſed qualitatibus tantùm manûs operâ & politurâ mutatis. Unde Pierre Matth. *d. 2. hiſtoire de France narrat. 2. num. 15.* monet, ex modis ditandi Galliam, remittendique in priorem felicitatem, & hunc habitum: ne mercibus manufactis in regnum advectio permitteretur, néve lanæ, cannabis, plumarum, & chartarum purarum evectio concederetur: quod Bodin. quoque *in Methodo & de Repub. paſſim* (33) monet. Vigilandum ergo, ne hac de cauſa efferatur rudis illa materies, & emolumenta populis vicinis & diſſitis peregrinis, manus operâ & artificum induſtriâ, accreſcant.

II. Cavendum quoque, ne merces da-
43 mnoſæ invehantur, quę cives magis ad luxuriam, quàm virtutem irritent: quæque magis populum numis emungant, quàm locupletem reddant; quales ſunt merces aureæ & argenteæ, quinimo & ſericæ: cùm tibi lineæ & laneæ ſatis eſſe poſſint. Merces fucatæ & comptæ, ad pompam & ſplendorem, ad ludum, ad mollitiem, ad voluptatem factæ, ſed nullius, aut exigui, uſûs & durationis, quales etiam ſunt Seplaſiariorum, Pigmentariorum, Cupediariorum, Apicianorum, omnium denique, qui & corpora, & animos hominum effœminare, & Rem cùm publicam, tum privatam exhaurire ſolent, nullo fructu, ſed potiùs ſummâ omnium pernicie. Lambert. Danæ. *lib. 4. Polit. Chriſtian. c. 2. fol. 287.*

III. Nec minùs nocent opera ab exteris illata, quæ tua Civitas ipſa exercet & elabo- 44
rat: Propterea, quòd rerum domeſticarum lucra & pretia deminuant, vel nulla reddant. Wann fremde Werck und Wahren in das Land gebracht werden / bleiben die Einheimiſchen mit ihrer Anwendung ſitzen. Cùm neſcio, quo fato vel errore, homines ad exotica, quàm familiaria & ſua amanda, multò procliviores eſſe ſoleant, Wann es nur fremd iſt / ſo muß es gut ſeyn; & carum, quod rarum.

IV. Summâ etiam curâ adnitendum 46
eſt, ne, *quæ ad Victum quotidianum ſunt neceſſaria*, (34) extra territorium efferantur. Licet enim negotiandi commercia prohiberi, ac arctari de jure non debeant, *l. multum intereſt 34. ff. de V.O. l. nemo exterus 9. Cod. de Judæis*; & ejusmodi Edicta impediant, quò minùs quis vendat bona ſua, in quibus unusquisque eſt ad ſui libitum moderator & arbiter, *l. in re mandata 21. Cod. mandat.* attamen veriſſimum eſt, tales ſanctiones juri conſentaneas eſſe, *l. 1. Cod. quæ res export. deb. l. præſes 6. Cod. de ſervit. & aqu. cum ſimilibus*, Camillus Borellus *libr. 3. de Magiſtrat. Edict. cap. 14. numer. 7. & ſeqq.* Nec obſtat, quòd commercia Jure Gentium ſint inventa; Quia quin in contrarium aliquid ſtatui poſſit, nihil impedit; Cùm hoc jus ſit ſolùm permiſſivum, liberam facultatem cuilibet emendi vendendique concedens: cujus generis jura per leges Civiles ac jura poſitiva pro ſtatu ac commodo Reipublicæ limitari & abrogari poſſunt, Martinus Colerus *libr. 1. de aliment. cap. 17. num. 7.*

V. Curandum ſimiliter eſt, *ne, quæ in noſtram perniciem redundare poſſent*, (35) ex 47
noſtris terris ad Barbaros transvehantur: qualis prohibitio eſt in Regno Siciliæ & Hiſpaniæ; ubi nec militarem equum ex Provincia ducere permiſſum eſt, Gregor. Tholoſan. *libr. 4 de Repub. cap. 7.* Sic & exportare arma & ſuppetias ad hoſtes, legibus civilibus prohibitum, *tot. tit C. quæ res export. non deb.* Ne vinum, oleum & liquamen, ne guſtûs quidem causâ, aut uſûs commerciorum ad Barbaros, *& in l. 1. & l. 2.* Ne loricæ, ſcuta, arcus, ſagittæ, ſpathæ, & gladii, vel alterius cujuscunque generis arma, nec tela ferri, facti vel infecti, iſtis venundentur. Cauſam addunt Imperatores: Pernicioſum namque Romano Imperio & proditioni proximum eſt, Barbaros, quos indigere convenit, telis, ut validiores reddantur, inſtruere: ſub pœna confiſcationis & capitis.

VI. Arcendi omninò peregrini Mer- 48
catores, qui inutiles, falſas, moribusque nocivas merces important, & pecuniam, quæ quaſi lac, ſuccus, & ſanguis Reip. eſt, ci-

vibus callidè ſubducunt. Et ſanè maximum Politicum arcanum eſt; Cavere, ne pecunia è territorio mercium exoticarum prætextu exportetur, de quo dicam infrà Capite 34.

49 VII. *Peregrini Mercatores non promiſcuè in Regnum admittendi*, (36) ne arcana Reipub. ſcrutentur & perveſtigent, *l. mercatores C. de comm. & mercat.* Hincque Machiavellus *lib. 1. diſcurſ. cap. 6. & lib. 2. diſc. cap. 3.* Stabilitatis Reipub. Romanæ etiam hanc reddit rationem, quòd non receperint peregrinos; Quod & in Turcica, aliisque Regionibus fieri adhuc ſolet. Et in China exteri, quòd eorum converſatio conſuetudoque aliquam mutationem, aut aliquid novi in regimine introducere poſſit, non admittuntur in regnum, ſed in oris maritimis aliquid Commercii eis conceditur, ut merces diſtrahere & divendere poſſint. Qua quoque ratione Ariſtoteles *libr. 7. Politic.* jubet ſuadetque, ut forum extraneorum Mercatorum cum civibus ſit extra Civitatem, ubi ſua illi hoſpitia comodè diſpoſita habeant, ne boni civium mores ab extraneis deteriores fiant, aut ne qua conjuratio ab iisdem extraneis ineatur. Id quod etiam probat Xenophon.
50 *in lib. de Reditibus.* Hinc & Carthaginenſes mercatoribus diſtincta ſtatuerunt diverſoria; nec ea illis cum civibus volebant eſſe communia: cæterùm patebat illis in forum via; ad navalia autem & ſecretiora urbis loca
51 ne aſpectus quidem concedebatur. Græci autem nequaquam intra urbem recipiebant, ſed, quò cives à periculi ſuſpicione eſſent immunes, à pomœriis non longè forum venali-
52 um ſtatuebant. Epidaurii, teſte Plutarcho, cùm cives ſuos Illyricorum commerciis improbos fieri animadverterent, veriti à peregrinorum contagione, corruptis civium ſuorum moribus res novas civitati ſuæ excitari, unum inprimis gravem & circumſpectum ex omnium civium multitudine virum in ſingulos annos eligebant, qui ad Illyricos accederet, & quæ quisque ſuorum mandaſſet, mercaretur atque contraheret.

53 Et pleræque aliæ gentes mercatores ad ſe accedere prohibuerunt, quòd mores depravarent. Vituperat quoque mercatores Plato, quòd optimos inquinent mores; & apud bene conſtitutam Rempub. cavendum cenſet, ne externarum gentium deliciæ in urbem comportentur, ac ne quis è civibus minor quinquaginta annis, peregrè proficiſcatur, exteri autem ad ſuos remittantur, eò, quòd iſtiusmodi peregrinorum contagiis cives veterem patrum parſimoniam, priſcosque mores dediſcant, & odiſſe incipiant, ex quo uno urbes plerunque redduntur deterrimæ, omnique fornicationum, adulteriorum, luxûs, & libidinum genere inquinatiſſimæ.

54 VIII. Providendum, ne fraudes committant Mercatores in lino, in ſerico in paño, in purpura, in gem̃is, in aromatibus, in cera, in oleo, in vino, in frumento, in equis, in animalibus, & in omnium mercium genere; néve initis ſodalitiis contra jus, fas & leges monopolia exerceant, omnia tentantes, cogitantes, explorantes, quibus multitudinis opes ad ſe contrahant, dum collectis pecuniis alios vincant, alios præveniant, alios exaucto rerum pretio deterreant, ac ſoli emant omnia, quæ deinceps pro ſuo libitu ſoli vendant quàm maximi; néve ingenti ære alieno conſarcinato, conſtituto alibi domicilio, inde verò proſtitutâ fide, verſo ſolo profugi, & ſerò, aut nunquam redeuntes, creditores fraudent, & ad deſperationem, ac laqueum adigant; néve ex debitis debita germinantes, Civitates ſuffocent & evertant, ac fœnori & uſuris inceſſanter dediti, totius plebis ſubſtantiam devorent; neve monetæ valorem, utcunque ſuo lucro conducere viſũ eſt, cum maximo Reipublicæ damno nunc intendant, nunc demittant, aut explorata Principum conſilia, & patrios rumores hoſtibus renuncient, &c.

IX. Subtilis quoque & juſta commer- 55
ciorum ratio ſubducenda eſt. Ne accidat, quod Regi Daniæ ante annos aliquot contigit, qui tres naves in Indiam Orientalem mittebat, exploraturus, quid in commerciis his lucro cedere poſſit. Sed reverſi cùm eſſent ex tàm longi itineris ſpatio, poſt paucos annos, Piperis copiam non potuit ad juſtum venditionis pretium detorquere, niſi Mercatores Amſtelodamenſes cum Reg. M. mercaturam ſuam permutaſſent.

X. Denique notandum, *titulum Mer-* 56
catoris denegandum eſſe iis, *qui minutatim* (37) duntaxat ad ulnam, menſuram, numerum, vel pondus diſtrahunt: Cùm ii propriè Mercatores dicantur, qui, cùm averſione, id eſt, magna cum copia negotiantur; ii verò, qui minutatim ſolummodò diſtrahunt merces, (die ausmeſſen) appellantur Venalitiarii, Germanicè Krämer. Hi plerunque, quod emunt, cariùs & ſuprà ſortem vendunt, & egregiè mentiri, pejerare, fraudare & imponere norunt; & pleniùs æquo laudant venales, quas volunt extrudere merces.

Ac hæc de Principum & Nobilium Mercatura hactenus; de Monopolio conſequenter.

ANNO-

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT XXV.

Princ.

(1) E*T ſanè non ſolùm res utilis &c. eſt Mercatura &c.*] De Mercaturæ præſtantia, dignitate, & cum literarum ſtudiis commercio ampliter agit D. Marquardus in exquiſitiſſimo ſuo Tractatu *de Jure Mercatorum per totum caput Primum; inprimis à numero inde 6to.* adduxi & ego quædam ad Politicum Sceleratum *cap. 32. pag. 327. & ad caput 35. pag. 393. ſeq.* Elegantiſſima præterea de ea congeſta vide apud Gryphiandrum *Oecon. Legal. cap. 24.* Joh. Sommerum *in Pragmatologia ſua*, Adamum Raſſium *Tr. de Nobilitate & Mercatura*, Schoockium *in Belgio Fœderato cap. 2. 3. ſeqq. præſertim cap. 12. 13. 14.* Bornitium *de rer. ſuffic. Tract. 3. c. 2.* alióſve Politicos, & de Mercatura ſcribentes.

Num. 1.

(2) *Herba Adianton &c.*] Aquas reſpuit; (*Adianton*) inquit Plinius *Natur. Hiſtoriar. lib. 22. cap. 21.* perfuſum merſumque ſicco ſimile eſt.

(3) *Mercatura à merendo &c.*] Alii dictam putant vel *à merce*, juxta Ulpianum *in l. 66. ff. de V. S.* vel *à mercari*, quod eſt emere, juxta Alciatum *in d. l. 66.*

Num. 3.

(4) *Homerus &c.*] Odyſſ. *1.*

Num. 5.

(5) *Ovidius ſcripſit lib. 5. Faſt. &c.*] Adduximus ſuprà hunc locum *ad cap. 12. num. 8. (10)* ubi vide. Neſcio verò, quomodo ſemet hîc adducta quadrent, cùm inter tot præconia, quibus Mercaturam cumulat Author noſter, de fraudibus & perjuriis Mercatorum hæc interſpergat. Niſi fortè Klockius noſter ſecutus fuerit militum morem, à Scriptoribus Græcis rerum Romanarum ſæpè notatum, qui in Triumphantem Ducem quandoque opprobria etiam inter acclamationes jaciebant duriora, vid. Sueton. *in Julio Cæſ. cap. 49.*

(6) *Plautus &c.*] *Act. 3. ſcenâ 1.*

Num. 11.

(7) *Salomonis ſanè naves &c.*] De Navigatione illa Salomonæa aliquoties diximus ſuprà *ad lib. 1. c. 1. n. 52. (69) (70) lib. 1. cap. 6. n. 60.* & alibi.

Num. 12. ſeqq.

(8) *Nobilibus Mercatura interdicta &c.*] Confer D. Marquardum *de J. Mercat. lib. 1. cap. 10. n. 42. ſeqq. multis*, Gryphiandrum *Oeconom. Legal. lib. 1. cap. 24. num. 17. ſeqq.* Knipſchild. *de Jur. & Privil. Civit. Imp. lib. 5. cap. 22. num. 9.* &, ſi me his adjungere licet, notam ad Polit. Sceler. *cap. 35. pag. 389. ſeqq.* cum pluribus ibidem citatis.

Num. 20.

(9) *Rem Piſanam &c.*] Piſarum urbs veterrima eſt, & multò ante Romam à Græcis condita, de quibus non in unam ſententiam Scriptores loquuntur. Ex duodecim Etruriæ Urbibus extitit: in mari multùm valebat: contra Ligures magnas victorias ſibi comparavit. Carthaginem ſub jugum miſit. Romam Regem ſuum deduxit, & Sardiniam in ſuam ditionem vindicavit. Panormum Urbem Siculam Saracenis præripuit. Majoricæ Regem interfecit, & quò Terrâ Sanctâ potirentur, Gallis auxilio fuit; ad Regem Hieroſolymæ contra Saracenos quadraginta triremes auxilio miſit, ſæpiusque Pontificibus in labore opem tulit. Diu imperio, opibus, & prudentiâ ita felix fuit, ut D. Thomas *in Tract. de Quatuor Rebus*, eam inter potiſſimas quatuor Urbes connumeret. Verùm à quo tempore Piſani in gratiam Barbaroſſæ Imperatoris Antiſtites multos Lugdunum ad Synodum proficiſcentes interceperunt, ſemper deteriores rerum eventus experti ſunt, itaque libertatem & vires amiſerunt, mediocremque eam Urbem dixeris, ſi quæ fuit olim perpenderis. Schottus *in Itiner. Italiæ pag. 192.* adde Zeillerum *in Itiner. Italiæ cap. 5. pag. 108.* Lanſium *in Orat. pro Italia*, & ab eo citatos, Leandrum Albert. *in Deſcript. Etr.* & Jovium *Hiſtor. lib. 1.*

(10) *Genuenſes &c.*] Teſtes potentiæ Navalis Genuenſium iterum citat Lanſius *d. loc.* ut & Zeillerus *in Itiner. Ital. c. 1. §. IX. n. 23.*

(11) *Theodoſiâ &c.*] Vulgò *Caffa.*

(12) *Veneti mercimoniis dediti &c.*] Cum Civibus ter centies mille negotiatur propè univerſus Orbis, inquit Lanſius de Venetis, *d. loc.*

(13) *Creta quæ Candia dicitur &c.*] Cujus Dominio nunc ferè exciderunt, ut diximus *ad lib. 1. c. 12. n. 33. (20)* & paſſim.

(14) *Franciſcus Dracus &c.*] De quo unà cum allegatis ab ipſis Thuano, Cambdeno, Hülſio &c. Zeillerus *in Itiner. Britanniæ c. 2. p. 102. & 103.* Robertus Jonſthonus *rer. Britan. Hiſt. lib. 2. 3. & 7.* conſulatur. Qui idem *lib. 4.* egregiam operam, quam Dracus in expugnanda claſſe Hiſpanica adhibuit, deprædicat; & *libro 7.* notatum tali Elogio ornat:

> Drace, *pererrati quem novit terminus Orbis,*
> *Quemq́; ſimul Mundi vidit* uterque Polus.
> *Si taceant homines, facient te* Sydera *notum.*
> *Sol neſcit Comitis non memor eſſe ſui.*

(15) *Grouunitz &c.*] Scribendum hîc *Gremvicum* vulgò *Greenvvich.* Ibi enim & quidē in eo loco ubi Regiæ naves fabricantur, vulgò *Depfford*, reliquias navis ejus adhuc Anno MDCXIII. ſuperfuiſſe, teſtatur Zeillerus *in Itin. Britan. c. 6. pag. 218. & 219.*

(16) *Ordines Hollandiæ Mercaturam tanquam vitam &c.*] Pertinent huc, quæ V. D. H. *in t' Intereſſe van Holland*, diverſis capitibus asſerere conatur; & quidē *cap. 6.* nullam Europæ regionem Mercaturæ exercendæ eſſe aptiorem. *cap. 11.* Non poſſe aliter fieri, quin piſcatio & mercatura omninò, opificia maximam partem illic ſedem capiant, cum ſimilibus; & Schoockius ſæpius nunc citandus *de Fœder. Belgio lib. 6. inprimis cap. 11. & 12.* obſervat.

Num. 25.

(17) *Norvvegiam &c.*] Subſidio hujus mercaturæ ſequentes maximè merces in Fœderato Belgio luxuriant: Tigna abiegna, aſſeres, mali, atque ſpari ex Norwegia; (vulgò dicuntur *Noortſche Balcken, Plancken, Maſten en Sparren*) item pix, axungia, butyrum, cineres foſſiles, ex quibus lixivium coquitur, (vulgò *Pot-asſche*, aut *Wee-*

uſche) piſces exſiccati varii, ſpeciatim illi, quos vulgus *Stockviſch* vocat. Schoockius *Belg. Fœd. lib. 6. cap. 7.* ubi & de Grœnlandica captura agit Balænarum & aliorum animalium, quæ vocantur *Walruſchen*, quæ expetuntur maximè propter ſevum ſive adipem, ex quo colligitur oleoſus ille liquor, ſaponi excoquendo præ cæteris inſerviens, qui vulgò vocatur *Traen*.

(18) *Galliam &c.*] Ex Gallica mercatura in Belgium (docente eodem Schoockio *d. loc. lib. 6. cap. 3.*) potiſſimùm deferuntur Sal crudum, lintea Britannica alba & rubra variæ notæ & valoris, Oleum, Limones, Crocus, Caſtaneæ, vitrum Normannicum & Burgundicum, Glaſtum Cadomenſe & Tholoſanum, Panni varii generis, fila Britannica retibus texendis ſervientia, Papyrus, Sapo Maſſilienſis: ad hoc ornamenta & indumenta quà virilia, quà muliebria varia, tum ſerica, tum aurea & argentea, nec non crepundia ad mundum muliebrem maximè pertinentia, Pariſiis potiſſimùm (inde vulgò Pariſche Waaren) per Rhotomagum, & Caletum tantâ deferuntur copiâ, ut vix ulla inveniatur Civitas, in qua non variæ occurrunt officinæ iis inſtructiſſimæ; quæ dein quoque per Orientales maximè & Septentrionales regiones à mercatoribus diſtribui ſolent. Maximè verò ingenti copiâ Vinum è Gallia in Belgium defertur, quà album, quà rubrum, ſecundùm varia loca, in quibus naſcitur, variis diſtinctisque nominibus diſtingui non ſolùm, verùm etiam ſecundùm diverſas notas cenſeri ſolitum: deportatur potiſſimùm hoc Amſtelodamum, Roterodamum, & Medioburgum, atque inde per Oenopolas magnarios, qui in dictis tribus urbibus quàm plurimi notantur, per totum orbem diſtribuitur. Adeuntur verò propter vinum vel maximè Burdegala & Nannetum. Unde, ut & ex Inſula S. Martini Rupellæ proxima, vinum ſublimatum, ſive Brandwyn/ (uti vulgò vocant) affatim affertur &c.

(19) *Angliam &c.*] Ex Anglia deportantur panni lanei, ſtannum, plumbum, ſtragula, caligæ laneæ, cerviſia &c. Ex Scotia copiâ magnâ carbones foſſiles, pelles, maximè ovium, boum, canum, & cuniculorum, item panni denſi & villoſi, (vulgò vocant Kirſayen en Pletſen) nec non plumbum illud, quod vocant Potloodt/ adeps, & alia; ex Hybernia pelles ovium & boum, adeps, butyrum, panni villoſi (vulgò Yrſche Fryſen) mel, & quæ ampliùs Inſula illa ſuppeditare ſolet. Schoockius *d. l. c. 5.* qui omninò videatur.

(20) *Italiam &c.*] De hac vide laudatum Schoockium *cap. 2.*

(21) *Hiſpaniam &c.*] Confer Schoockii *c. 4.* & de cæteris Mercaturis in textu notatis, *cap. 8. 9. & 10.*

(22) *Vide, quæ dixi ſuprà &c.*] Et nos ad illa loca.

(23) *Amſtelodamum &c.*] Cùm citatus Schoockius *lib. 6. cap. 1.* de ſucceſſione Emporiorum per Belgium, prioribus occumbentibus, aliis ſuccedentibus, verba feciſſet, & docuiſſet, quomodo Mercurius Sluſam in Flandria appulerit, relictâ Sluſâ Brugas plenis velis migrarit, faſtiditis Brugis ſedem Antvverpiæ aliquandiu fixerit, demum Amſtelodamum (& illâ relictâ) ornarit, ditarit, bearit; in hæc erumpit: Præ aliis autem Civitatibus altè ſurrexit Amſtelodamum, Emporium non tantùm toto orbe celeberrimum, ſed etiam ſine exemplo maximum; neque enim in Annalibus ſive antiquis ſive recentioribus alterum invenire eſt, quod cum eo in certamen deſcendere poſſit, ſive aut Urbis ſplendorem, aut Magiſtratûs pecuniarias vires, aut maximorum mercatorum frequentiam, aut mercium varietatem, aut omnes terræ angulos, ex quibus eæ petuntur, conſideres attentiùs. Urbes pomœriis majores, & incolis frequentiores notare eſt; mercatores verò pecuniâ inſtructiores haud putarim in toto terrarum orbe notari poſſe. Modum autem, & quibus incrementis adolevit, demonſtrat V. D. H. *in t' Intereſſe van Holland cap. 12. ſeqq.*

(24) *Decreſcere cœpit &c.*] Quod factum circa Annũ MDLXXXV. cùm urbs potentiſſima poſt difficilem luctam Parmenſi Principi ſe permiſit; ab eo enim tempore mercatura veluti agmine facto in Hollandiam atque Zelandiam, Brabantiæ Flandriæque valedicens, ſe effudit, tradente ſic Schoockio *d. c. 1.*

Num. 27.

(25) *Mercatores autem & quæſtores &c.*] Id ſic efferendum, ſi citati Ciceronis verba ipſiſſima, ut decet, ſervanda ſunt: *Atq; etiam ſi ſatiata quæſtu, vel contenta potiùs, ut ſæpè ex alto in portum, ſic ex ipſo portu ſe in agros poſſeſſionesq; contulerit, videri jure optimo poſſe laudari.*

Num. 28.

(26) *Temporibus Henricorum Imper. &c.*] Multi enim illis temporibus etiam nobiles latrociniis inſudabât, inquit de Imperio Henrici Aucupis Reginonis appendix, & ex illa Lehmannus *in Chronicis Spirenſ. lib. 5. c. 1.* Adde Speidelium *in Speculo, voce* Ganerben.

(27) *Diruta caſtella docent &c.*] Quorum magna pars à Rudolpho Imperatore diruta fuit, adeò ut in ſola Thuringa LXVI. caſtella, ex quibus prædæ exercebantur, ab eo deſolata, & XXIX. prædones unâ vice capite truncatos publicè Erfſurti, ſcribat Spangenberg in der Mansfeldiſchen Chronick *cap. 269.*

Num. 29.

(28) *Et genus & virtus &c.*] Ut Horatius canit *l. 2. Serm. Satyr. 5.*

Num. 32.

(29) *Sigiſmundus Rex Poloniæ &c.*] Quod narrat Keckermann. *l. 6. de Republ. c. 2.*

Num. 33.

(30) *Principem mercaturâ uti poſſe &c.*] Vide, ſi lubet, quæ de Principum Mercatura ad Politicum Sceleratum *cap. 35. p. 385. ſeqq.* notavi.

Num. 36.

(31) *Teſte Julio Capitolino &c.*] Imò & ante Imperium adeptum & poſt, mercaturam, ut geſſerat, ei exprobratam; aliaque textui noſtro planè contraria ipſe pro partibus ſuis à Klockio productus afferit Capitolinus *in vitâ Pertinacis, paſſim.*

Num. 37.

(32) *Luctantem Icariis &c.*] Verſus ſunt Horatii *lib. 1. Carm. 1.* qui & ipſe alibi *lib. 1. Epiſt. 1.* inquit:

Impiger extremos curris mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per ſaxa, per igneis.

Num. 42.

(33) *De Republica paſſim &c.*] Præſertim *lib. 6. de Republ. c. 2. pag. 653.* ubi rem exemplo illuſtrat;

illuſtrat; cui ſuffragantur Lindenſpür ſive Beſoldus *in Comment.* über die Fürſtl. Würtembergiſche Lands-Ordnung *fol. 126. n. 6.* Le Conſeiller d'Eſtat *en chap. 41.* qui & de cæteris cautionibus ab Authore noſtro allatis conſuli poterunt.

Num. 46.

(34) *Quæ ad victum quotidianum ſunt neceſſaria &c.*] Ita exportari non poteſt ex Fœderato Belgio frumentum vernaculum, ſive quod in his ipſis Provinciis natum eſt, juxta Decretum Ordinum Generalium die IV. Septembris Anno MDXLII. & alterum die XIII. Septembris Anno MDXCVII. Schoockius *de Fœderat. Belg. lib. 6. cap. 11.*

Num. 47.

(35) *Ne quæ in noſtram perniciem redundare poſſent &c.*] Similiter (*notante Schoockio d. loco*) ſurculi Rubiæ (vulgò *Kiemen of te Pe van de Meede*) quæ in Zelandia, maximè in Inſula Schouwen ubertim provenit, (*vide ſuprà ad hujus libri 2. cap. 3. n. 6. (14)*) exportari Belgio non debent, ut & neque aratra & raſtra, ne aliò eorum ſubſidio negotiatio transferatur. Idem cautum eſt de non exportandis armis, iisq; quæ ad militiam ſpectant; item de navibus hîc contextis alibi non vendendis, ex decreto die XXI. Martii Anno MDCXXVIII. nec non etiam de retibus omnis generis, funibus, reſtibus, & aliquando etiam de equis & aliis.

Num. 49.

(36) *Peregrini non promiſcuè in Regnum admittendi &c.*] Sunt non pauci, qui peregrinos exemplo multarum nationum à finibus regnorum & ditionum planè arcent, ſunt contrà, qui omninò admittendos, ſi Rempublicam divitem, ſi florentem, ſi populoſam velimus habere, ſuadent. Verùm enimverò cùm negari non poſſit, ſapientiſſimam rerum matrem Naturam firmiſſimo quodam vinculo homines ad communem ſocietatem & convictum conſtrinxiſſe, ac inter omnes cognationem quandam introduxiſſe, *l. 3. ff. de J. & J.* univerſumque terrarum Orbem hominum domicilio & hoſpitio deſtinaſſe, non ut in lucis, abditisque terræ cavernis deliteſcerent, aut in partes diviſi inteſtinis odiis, ferociâ & invidiâ ſeſe conſumerent; ſed ut amicabili ſocietate & harmoniâ, mutuis beneficiorum commerciis ſe colerent; jura penatium, & ſi quæ ſunt domeſtica ſacra per Hoſpitalitatis canales quaquaverſum in omnes & ſingulos derivarent. Si quoque verum eſt, providam rerum matrem, Naturam, nullam regionem ſibi ſufficientem ſuisque abundantem copiis, ſed alterius indigam formâſſe, ut, qui nollent ſuâ ſponte, eos indigentia & neceſſitas ad ſocietatem cum extraneis mercatoribus ad mutua benevolentiæ & commerciorum ſtudia impellerent. Si, dico, hæc vera ſunt, ut certè ſunt, quàm prudentiſſimè ſummus ille Philoſophiæ Antiſtes, Ariſtoteles *lib. 7. Polit. cap. 5.* contra hanc Platonis opinionem, eum ſitum Urbis, qui ad mare eſt, ad faciliorem majoremque cum extraneis commerciorum commoditatem maximè probat. Non enim ita ſimpliciter peregrinorum contemnendum commercium; ſed ut arbores transplantatæ deponunt noxiam ſubſtantiam, mutatâ culturâ & terrâ, ut fertur de Perſicis; ſic quidem aliò commigrantes, meliores effici poſſunt, ut ex malis optimi; ut contrà boni, transeuntes ad infectos mores, infici poſſunt. Proinde hîc delectus habendus peregrinorum mercatorum, ut ſuſpecti haberi poſſint multi, antequam cognoſcantur: at ubi cogniti fuerint tales, qui nihil officere Societati Reipubl. poſſint, non eo nomine ſolo, quòd alienigenæ ſint, contemni & rejici debent; non ſecus ac merces à Barbaris translatæ, nobis commodæ non ideò reprobantur, quòd à barbaris proceſſerint; mores & virtutes non naſcuntur cum hominibus, ſed fiunt, mutantur, emendantur, & poliuntur, neque tàm ortus, vel à quibus natus, inſpiciendum, quàm qualis ſit, qui è peregrinis dicitur mercator. Quapropter ab omni tempore, ad noſtra usque ſecula, in multis benè conſtitutis Rebuspublicis peregrini mercatoris privilegiis & immunitatibus ad Civitates attrahuntur. Ut D. Marquardus optimè ſentit *de Jure Mercat. lib. 1. cap. 11.* ubi videatur, cùm ibidem quæſtionem hanc perpulchrè tractet, & ſalubriter præter alias cautelas, in receptione peregrinorum obſervandas, omninò *addat, numer. 43.* intereſt quidem Civitatis, multos mercandi causâ eam frequentare, & juxtà, ut ad mercatum veniant, allicere; ſed cùm præcipua civium cura eſſe debeat, quò diteſcant, & illorum patrimoniis locupletetur bonum publicum, ETSI MERCATURÆ CAUSA EXTERIS FAVENDUM EST, NUNQUAM TAMEN JUSTA CIVIUM COMMODA ISTIS POSTPONANTUR. Per ſe id æquum eſt, ut Cives in Civitatibus non minùs atque oneribus, ſic etiam privilegiis atque favore peregrinis potiores ſint.

Num. 56.

(37) *Titulum Mercatoris denegandum eſſe iisdem, qui minutatim &c.*] Adde D. Marquardum *de J. Mercat. lib. 1. c. 7. n. 41. ſeqq.*

CAPUT XXVI.

De Monopoliis Principum & Civitatum.

SUMMARIA.

1. Monopolium *quaſi unica venditio,* Monopola *unicus venditor.*
2. Monopolia *communiter inhibita.*
3. Monopolii *fraudes & technæ multiplices; ubi & de pactis artificum illicitis.*
4. Monopolium *committunt Piſtores, Laneones, & Macellarii, etiam Oenopolæ variis aſtutiis,* n. 5.
6. *Compellere homines ad molendum in ſuo molendino: eſt* monopolium *committere. Alia ſpecies monopolii,* n. 7.
8. Bona monopolantium *Fiſco addici poſſe.*
9. *Quando & quomodo* Principibus & Rebuspublicis *liceat exercere monopolium? Eſtq. relevatio Subditorum,* n. 10.
11. Monopolium *rectè exercet Princeps neceſſitate.*

12. Mono-

12. Monopolia *Vinorum, Cervifiarum, calcis, ſimiliumque arrogant ſibi certæ Urbes & Magiſtratus*.

13. *Aliis etiam caſibus Magiſtratui licitum* monopolium.

14. *Non eſt integrum Magiſtratui lege firmare* monopolia, *neque ſtatutum facere, quod ſapiat Monopolium.*

15. Monopolia *quandoque inter calamitates communes referuntur.*

16. Cauponaria *& inſtitoria prohibita Nobilibus.*

Principibus ſua ſunt monopolia & Urbibus, ingens
Cottidie hinc quæſtus ſurgit & auget opes.

MONOPOLIUM eſt commercium emendi, vendendi, permutandíve, à paucis vel uno etiam uſurpatum, reliquis Civibus præreptum; qua ratione pretia augentur cum lucro negotiantis, & reliquorum damno, *tot. tit. Cod. de monopol.* Sichard. *in dict. tit. rubr. & leg unic.* Ad quam Johan. Calvinus ita: Utinam haberemus nomophylaces, hoc eſt, legum cuſtodes, qui exequerentur ſancita illius tituli. Et dicitur Monopolium quaſi ſingularis negotiatio in Civitate, *à voce Græca* (1) μόνος, (2) quæ ſignificat unum, & (πωλητὴς) quod eſt venditor, vel (πωλὴ) quod eſt venditio; ſeu à verbo græco (πωλέω) id eſt, vendo; quaſi monopolium ſit unica venditio, & monopola, unicus venditor.

1 Regulariter verò Monopolia prohibita, & conventa placita, ſeu pacta, monopolii odorem ſpirantia, ſunt irrita, *d. l. unic.* ubi Dd. *C. de monop.* Greg. Tholoſ. *lib. 13. de Rep. c. 3.* & in Cōſtitutionibus S. Rom Imperii de An. 1500. 1512. 1524. 1526. 1529. 1530. 1532. 1548. 1577. tit. 18. & aliis Re-
2 ceſſib. à C. Petro Denaiſio Cameræ Imperial. quondam Adſeſſore & juris publici conſultiſſimo Scriptore *in Jur. Cam tit. 194. fol. 254.* affatim relatis. Sic & CAROLUS V. æternæ Princeps & Imperator memoriæ, exiſtens Bruxellis apud Belgas, ordinavit, ne Civitates, Communitates, Collegia Mercatorum, aut conſulum, aut artificum, aut confratriæ conſtituerent aut conderent edicta & ſtatuta ad monopolia pertinentia, aut præjudicantia utilitati Reip. Revocavitque jam facta & conceſſa, ſimilia nulla atque irrita declarans. Camil. Borell. *lib 3. de magiſt. edict. cap. 8. num. 30* Gregor. Tholoſan. *d. lib 13. de Repub cap 3. n. 4.* Imò in tantum Monopolia prohibita ſunt, ut Magiſtratus ea non tollentes inſtante Fiſcali centum auri marcis mulctentur, d. Receſſ. de Anno 1548. §. Zudem ſoll.

Monopolii multiplicis ſunt technæ & fraudes, *cùm mercatores initis ſodalitiis* (3) omnia tentant, excogitant, explorant, quibus multitudinis opes ad ſe contrahant; dum collectis pecuniis alios vincunt, alios præveniunt, alios, exau... rerum pretio, deterrent, ac ſoli emunt omnia, quæ deinceps pro ſuo libitu ſoli vendunt quàm maxumo. Item, cùm Mercatores inter ſe conſtituunt certum pretium, infra quod mercem vendere nolint; cùm pactionem faciunt, ut reliqui mercem ſupprimant, donec alter ſuam vendiderit. Tiber. Decian. *in prax. criminal. lib. 7. cap. 21.* ubi invehitur in eos, qui totam aliquam victûs ſpeciem emunt, puta vinum, oleum, frumentum, ut illi ſoli poſſint cariùs vendere certo anni tempore. Ejusmodi enim pacta illicita ſunt, per quæ inducitur rerum caritas, & Reipublicæ detrimentum affertur: Nam coguntur cives è manibus iſtorum hominum cariùs res comparare, itemque impediuntur juſtè & commodè negotiari, benignioresque eſſe in pretio aliis civibus, Ludovic. Molina Jeſuita *de juſtit. & jur. diſputat. 345. num. 1.* ut iccirco ne quidem impetrato Principis reſcripto liceat monopolia exercere, talia conventicula, pactaque inire, *d. l. un. C. de Monopol.* Hûc etiam referenda eſt Noviſſima Juſtiniani Conſtitutio, quæ frænum imponit negotiatoribus, mercatoribus, artificibus variis, agricolis, & nautis; ne illorum quis plus exigat nomine pretii vel mercedis, quàm vetus conſuetudo & mos ferat.

Monopolicam quoque pravitatem ſa- 3
pit pactum, ſive placidum; ne operas ſuas viliùs locent, & ut ad opificium ſuum nemo, niſi artificis filius, vel nepos, vel filiam artificis ducturus admittatur; ut tubicines, chirurgi, aliique id genus homines à ſuis Collegiis excluſi cenſeantur. Vide Reformat. Politic. 50. *tit ult.* Receſſ. Imp. de Anno 1548. *tit.* Von Handwercks Perſonen Geſellen &c. Sic non ita pridem X. Decembr. Anno MDCVII. Statutum quoddam Collegii cujusdam opificum in Civitate Roſtochienſi, quo extraneus, qui civilitatem Urbis ſibi comparârat, arcebatur, Camera Imp. ſuſtulit.

Hac ratione Societatis Anglicorum, quos vocant *Adventurariorum*, (4) tanquam Monopolicum Collegium *publicis Imperii Decretis reprobatum* (5) eſt. Licet enim coëmtione Anglicorum pannorum non indiſtinctè omnibus interdicatur, eoque Adventurarii minùs juſtè monopolii accuſari videantur, non permittunt tamen, ut alii, nedum Germani in foro pannorum conſueto (Black Witthall vocant) Pannos emant. Inprimis verò tanta externis, imò ipſis Anglis, qui de Collegio non ſunt, imponuntur Vectigalia, ut pari cum Adventurariis pretio pannos ſuos diſtrahere nequeant, imò ut graviſſima vectigalia quis ferre vellet, evectionem tamen pannorum (*licentiam* dicunt) pari cum Adventurariis numero ipſi non conceditur.

Sic & irritum eſt mechanicorum Statutum, ne opus alteri injunctum, alter intercipiat, aut ab alio inchoatum, alter abſolvat, *dict. leg. unic. Codic. de Monopol.* Anton. Perez. in Prælect. ad Cod. *lib. 4. tit. 59. num. 2.* Dan. Moller *lib. 2. Semeſtr. cap. 16.* Et hoc ipſum artificum placitum in Regno Galliæ eſſe reprobatum, teſtatur Petr. Rebuff. *ad Conſtitut. Galliæ, lib. 2. tract. de Magiſt. artificiorum arg. 4. gloſſ. 2. num. 18. & ſeq.*

4 Monopolium quoque committunt piſtores, qui in Reipub. detrimentum manus & brachia cum aceto & oleo lavant, ut panis exhaletur & major adpareat. Et carnivenduli ac macellarii, ſeu laniones, qui conjunctis burſis & crumenis omnia circumemunt, apud ſe ſervant, & certam tantùm quantitatem ad macellum deferunt, ut cariùs vendant; Facit hûc Chaſſanæus *in Conſuet. Burgund. rubr. 13. des foreſts.* §. *num. 17. verſ. item adde, ubi dicit,* ſi ſex vel ſeptem macellarii impetrent privilegium, ut ſoli carnes vendant, hujusmodi privilegium non valere, cùm ſit in præjudicium Reip. & contra utilitatem publicam, quia annona fieret carior; *Hæc Chaſſanæus ibidem.* Conſimiliter lanii monopolium committunt, qui carnes inflant, ut fruſta grandiora, majora, & elegantiora adpareant, ut paſſim in Civitatibus faciunt, nemi-
5 ne id vindicante. Et venditores vini, qui aquaticum pro vino, Francicum pro Rhenano, & pro optumo vino conſpurcatum vendunt. Sic Socin. 2. *conſil. 2. 72. n. 5. & 6.* ſtatuit, quòd *compellere homines ad molen-*
6 *dum* (6) in ſuo molendino, ſit monopolium. Sequitur Boſſius *in tit. de union. & colligat. num 7.* Videatur quoque Boërius *deciſ. 125. num. 4.* & Covarruv. *in cap. poſſeſſor p. 2. relect. §. 4. num. 7. & 8.* ubi multis authoritatibus comprobant, quòd ejus generis ſtatuta & prohibitiones, videlicet, ſi Magiſtratus ſubditis ſuis mandat, ne alibi molant, quàm in ſuo molendino, ne ab aliis, quàm à ſe Cerviſiam emant, aut ſimile quid jubeat, quod antè voluntati & libero arbitrio Subditorum relictum fuit, de jure non ſubſiſtant. In quam ſententiam etiam noviſſimè conceſſit Joan. Köppen. *deciſ. 20.* & Andreas Rauchbar *lib. 1 quæſt. jur. 9. 27. num. 11. & ſeq.* qui & *n. 14.* ſubjicit, quod & Tertius adverſus prohibentem poſſit utiliter judicio experiri, ut ſublato mandato, & abrogatâ prohibitione Subditos priſtinæ libertati & rem in integrum reſtituat, ac de non ampliùs prohibendo Cautionem præſtet, *arg. l. harum. l. egi ff. ſi ſerv. vindic. l. un. C. uti poſſidet.* latè Menoch. *3. retinend. remed. num. 811. & ſeqq.* Confer huc ea, quæ dixi *tract. de Contribut. cap. 1. num. 350. & ſeqq.* ubi Præjudicia Cameræ adduxi.

7 Sic collegium Notariorum non poteſt facere ſtatutum, ut nemo recipiat inſtrumenta, niſi qui ſit de eorum numero; Sapit enim monopolium. Natta *conſil. 672. num 50.* Joan. Petr. Surdus *conſil. 257. num. 12.* Decian. *d. tract. crimin. lib. 7. cap. 21. num. 15.* Sic nec Pannificum Collegii ſtatutum ſive pactum de jure validum eſt, quo Negotiatores reſpectivè ejus Collegii municipes à certo negotiationis genere (lanarum ſcilicet emtione) quod tamen ultra hominum memoriam continuè ſine omni contradictione & jactura cæterorum Collegarum, imò cum eorum & totius Civitatis emolumento exercuerunt, monopolio introducto Pannificum nonnullorum majoris quæſtûs gratiâ arcentur. Abſurdum quoque & ab omni jnre alienum eſt, ut quis non debeat negotiari cum lana, niſi priùs didicerit artificium lanificii. Ejusmodi plures abſurditates in Statutis nonnullorum collegiorum mechanicorum videre licet apud Henric. Breunig. *in diſquiſitione de variis univerſitatum ſpeciebus theſ. 54.* Dominic. Arumæ. *vol. 2. Diſcurs. Academic. diſc. 9.*

Denique hûc pertinet, & Monopolium dicitur, ſi homines alicujus municipii conveniant, ne alterius municipii homines deferant in mercatum frumentum vel vinum donec vel dominus loci, vel ipſi vendiderint ſuum. Hoc namque eſt pernicioſum Reipublicæ, fieret enim, ut, ſi liceret liberè inferre undecunque, viliori pretio diſtraherentur; Gregor. Tholoſan. *d. lib. 13. de Repub. cap. 3. num. 4.* Et ſcribit Jodoc. Damhouder. *in pract. criminal. cap. 134. num. 4.* quòd illi monopolium perpetrant & committunt, qui impediunt, quòd victualia & merces in urbes & civitates non inferantur & importentur, atque ita nullus ſit uſus exportationis, aut qui actu quodam efficiunt, ut agricolæ victualia neceſſaria, quibus nemo carere poteſt, ad forum non deferant, ſed ipſi eò turmatim convolent, & ab ipſis agricolis ibidem in villis omnia coëmant, quæ ipſi tum ad ædes ſuas deferunt, & paulatim tanti ferè communibus civibus vendunt, quanti velint, quod vocatur mercatura καπηλευτικὴ, ubi res emuntur, ut ſtatim majori pretio vendantur, quæſtu ſatis ſordido & ab honeſtate alieno, & multùm diſtans à mercatura οἰκονομικὴ, qualis eſt ruſticorum, qui fruges fructusque Dei benedictione & ſuo labore conquiſitos in hominum uſum divenditant; Unde etiam iſtiusmodi homines dicuntur Monopolæ, Eucliones, & verſutiſſimi Fœneratores, & Uſurarii: Aut qui dolo & malitiâ efficiunt, ne ullæ merces uſui noſtro neceſſariæ
ad forum prorſus deferantur. Sordidi putan- 8
di ſunt (inquit Cic. 1. *Offic.*) qui emunt à mercatoribus, quod ſtatim vendunt cariùs, nihil enim proficiunt, niſi admodùm mentiantur. Et dicam infrà *hoc cap. in fin.*

Hiſce itaque & aliis ſimilibus caſibus quos

quos operoſè recenſent Menoch. *lib.2. de A.J.Q. caſ.569*. Decian.*d.cap.21*.Damhouder.*d.c.134.num.2*. Trentacinqu. *lib. 1. var. reſolut. 2. de V. S. num. 7*. Schepliz. *ad Conſuetud. Brandeburg. part. 4.tit.4.§7*. Althuſ.*d.cap.13.fol.484.& ſeqq.* Et poſt eum Adam Keller.*lib. 2. de offi.juridic.polit.c.18. fol.497.& ſeqq.*) bona monopolantium Fiſco addici poſſunt, *d.l.un.C. de monopol.*Gregor.Tholoſan.*lib. 3. Syntagm.cap.17.num.1.* Decian.*in prax.criminal.dict.cap.21.n.13.*

Nec verò tantùm *bonorum confiſcatione* (7)vel *mulctis pecuniariis* (8) inde redactis Ærario conſuli poteſt; *ſed & Principibus vel Rebuspublicis quandoque Monopolia* (9) rerum venalium exercere, & divitiis atque pecuniis inde collectis Ærarium augmen-
9 tare licet. Nam ſi tanta ſit Ærarii inopia, ut aliunde ſublevari & ſine Monopolio Reſpublica conſervari nequeat; tum Neceſſitas hoc genus pecuniæ ex mediis hiſce communibus, quæ regulariter civibus competunt, conquirendæ excuſat & aliquando Principem gratioſiorem reddit; qui ita parcit tributis & oppreſſionibus Vectigalium, ut Subditos, tanquam filios, propriis laboribus relevet.

10 Primò itaque Monopolium licitum eſſe poteſt, quando Superior illud tempore neceſſitatis, ob publicam utilitatem, & pecuniam & nervum Reipub. comparandum exercet. Qua ratione totius Ægypti inopiæ & fami, quæ poſt lapſos ſeptem ubertatis annos ſupervenit, laudabiliter utiliterque occurrit Joſeph, aperiendo tunc horrea, quæ fertilitatis annis repleverat, ut habetur *Geneſ. cap. 41. verſ. 34. 37. & ſeqq.* Sigmund. Scaccia *tract. de Commer. & Camb.§.1.q.7.par.3.limit.10.num.15.*Althuſ. *cap.32.polit.fol.482.* noviſſimè Paul. Chriſtinæus *in additam. ad ſua in leg. Mechlin. comment.art.27.fol.30.* Petr. Martyr. *1. Reg. 10.* ubi etiam monopolium Salomonis *in d.cap.10.* non illicitum fuiſſe defendit, quod equos in Ægypto extraneis ſine Salomonis, ipſiúsve Inſtitorum poteſtate & conceſſione emere, vel educere non licuerit. Sic Thales ille ſapiens, cùm prævidiſſet olearum inopiam, omnes coëmit & anno inſequenti vendidit. Ariſtot. *lib. 1. Polit.c.7.* Sic Rudolpus Bohemiæ Rex Alberti Cæſaris filius, negotiationem in argenti fodinis Cuthnenſibus exercuit: vinum, ſal, hordeum, triticum, ad panes & cerviſiam coquendam ex Auſtria, ex horreis ſuis convehendo, pretiaque rebus promercalibus ex arbitrio ſuo conſtituendo, atque in eo genere mercaturæ monopolium ſibi vēdicando; Et neceſſitate compulſum huc ſe deſcendiſſe dixit, ut hoc modo ſummam ærarii inopiam ſubleverat, & debita per utrumque
11 Wenceslaum Reges contracta diſſolveret. Atque ideò duo millia aureorum illis ipſis montibus hebdomadatim æri alieno diſſolvendo tribuit, ut teſtatur Gregor. Tholoſan. ex Dubravii *lib. 19. Conſtit. Bohem. lib. 3. de Repub.cap.9.n.47.* Contrà Alphonſus Rex Neapolitanus ſuis æquè ac exteris inviſus fuit, quod Olei ac frumenti, quicquid in Apulia concreviſſet, viliſſimo pretio emebat, ut ſummâ annonæ egeſtate ac inopiâ, arbitrio ſuo addiceret: non permittens Dominis ſuum vendere triticum & oleum, donec ipſe diſtraxiſſet, Cominæ.*lib.7. Comment. cap.11.* Et negotiatio Antonii Levæ, à Carolo V. Imp. Mediolano præfecti, rectè viſa pluribus non tantùm ſordida, ſed etiam crudeliſſima, quâ uſus fuit, dum Edicto prohibuit, ne quis Civium triticum moleret, aut panem penes ſe faceret, ſed cogeretur emere à tabernis, eâ de re Aquilæ ſigno & Imperatorio inſignitis: quo loci pro arbitrio panem pluris vendebat. Tholoſan.*lib.3.de Repub.cap.6.n.50.* ex Sabini *ſupplem.lib.11.*

Sic Salis monopolium (10) licitè exerceri ſuprà *de Sale coquendo c.9.n.12.ſeqq.* demonſtravimus. Sic jus emendi, vendendique lupuli, den Hopffen-Kauff und Verkauff / Senatus Vratislaviæ in Sileſia ſibi ſolus vendicat, quod Civibus omnibus ſub pœna gravi interdictum. Sic Norimberga calcis, Urbes 12
aliæ Cerviſiarum & vinorum exoticorum monopolia ſibi arrogant. Sic nonnullis in locis Domini jus Cerviſiæ coquendæ uſurpant; à quibus ſubditi tenentur Cerviſiam emere.

Eundem ad modum Bornit. *lib. 2. de Ærario cap. 2.* cenſet, Principes ſibi pannorum & ſericorum texturam iis in locis, ubi ejusmodi artificia, ob defectum materiæ vel artificum, in uſu ſingulorum non frequentantur, uti & Cupri, ferri aliasque officinas Kupffer- und Eiſenhammer / &c. reſervare poſſe, quæ maximos ſumptus requirunt, præſertim iis in locis, ubi abundantia horum metallorum, & penuria lignorum: adeò ut ſumptus hujus rei vix tolerare queant vires ſingulorum. Si tamen præmemoratis aliisque caſibus exinde privatis multum præjudicii oriretur, ejusmodi monopolicæ conſtitutiones & acquiſitiones ab iniquitate non alienæ eſſent, *capit. quanto 26.x. de privileg.*

De hiſce, qui plura volet, adeat Bodin. *d. lib. 6. de Repub. cap. 2. n. 659.* Gregor. Tholoſan. *d.lib.3.de Repub. cap. 6. à num.45. uſque 51.* Scacc.*d.loc.*Borell.*d.lib.3.de Magiſtrat.edict.capit.8.numer.23.& ſeqq. uſque ad fin.*Paul. Chriſtinæ. *comment. in leg. municip.Mechlin. artic.27. numer. 4.& ſeqq. fol. 252.* Boter. *de polit. illuſtr. libr 8. cap. 14.* Hippol. à Colibus *in Principe cap.34.*Keckerman.*diſput.pract. 34. q. 12.*Beſold. *diſcurſ. de Ærario tit.6.*Lather.*lib.3.de cenſib.c.14.*Bornit *lib.2.de Ærar.c.3.*

Secundò licitum eſt Monopolium, quan-

do negotiatio eſt nimis ampla,& ut negotiatores ex ea ingentem divitiarum vim adquirerent; Quo caſu eam Magiſtratus exercendam ſibi ſumere poteſt: ut hodiè Veneti faciunt in uſu commerciorum in Flandria, Anglia, & aliis locis.

Denique quando negotiationes ejusmodi inſerviunt uſui publico, & fructus ferunt toti Reipub.uti quando ad annonæ caritatem ſublevandam,frumentum emitur & venditur Subditis, in quibus omnibus caſibus monopolium & negotiatio Magiſtratui rectè cōceditur. Althus *d.l.* Hinc Monopolia publica legis authoritate ex juſta cauſa cōtracta,& Reipublicæ utilia, ſubſiſtere poſt Medin.ſcripſit Scaccia *dict.*§.*1. q.7.part.3. limit. 10.num.15.* Quo etiam reſpectu Monopolia non poſſe inſtitui, niſi à non recognoſcentibus ſuperiorem, reſpondit Roland. à Valle
13 *conſil. 22.num.9.vol.2.* poſt Bald. Nec abſonum eſt, quod tradit Marcellus Donatus *in Tiberio cap. 71.* inventoribus alicujus rei novæ,ſeu publicè proficuæ,loco præmii concedi poſſe illius exercitium,ad tempus,&ut ſoli vendant.

14 Etſi verò Principi prædictis caſibus monopolium exercere liceat, non tamen eidem integrum eſt, conficere legem, quâ monopolia valeant, uti poſt Baldum ſtatuit Socin. Senior *in conſil.272. num.7.& 8. in fin.* & Decian.*in tr.criminal.cap.21. num.5.* Sicut nec populus poteſt facere Statutum, quod ſapiat monopolium,hoc eſt,quod ſapiat factiones, diviſiones,particularitates,ſectas,&æmulationes in populo.Quia talia ſtatuta fiunt malâ mente & malo fine,cùm cives debeant eſſe Societas, & ideò non valent Statuta injuſta particularia, Bald. *in c. cùm acceſſiſſent num. 11.de conſtitut.* In cæteris caſibus Monopolium omninò eſt prohibitū, ideò, quòd commercia ſint Juris Gentium, Dd.*in l.ex hoc jure ff.de juſt.& jur.* Rolandus à Valle *conſil. 23. numer.61.volum.4.* Tiberius Decianus *conſ. 44.n.118.vol.4.* Petra *de Poteſt. Princip. cap. 10.num.29.fol.185.* & cuivis concedatur licitis modis & titulis alienare vel adquirere pro utilitate & neceſſitate vitæ ſuæ, *d.l.ex hoc jure l.1.ff.de contrah. empt. l.24. §.1.ff. de minor.* Rationes itaque & ordines ſingulorum cum publicis non debent confundi, neque jus commerciorum convelli, & vitæ neceſſaria hominibus ſubtrahi, quod nihil aliud eſſet,quàm vitam ipſam adimere. Quemad-
15 modum Propheta Ezech. *cap.27. Commerciorum privationem inter calamitates* (11) & pœnas ponit. Ergo malè prohiberi videtur Subditis quibusdam in locis, ne cum aliis contrahant, & ut nuptiarum convivia tantùm in ſui Domini taberna celebrent, aut aliàs compotent,in Domini furno panes coquant,utq; cerviſiam vel vinum pro ſe & familia non ab aliis,ſed à Domino emant, &c. eleganter Andreas Rauchbar. *d. quæſt. 27.* Köppen *d.deciſ.20.* Camill. Borell. *lib.4 de Magiſtrat.Edict.cap.7.per tot.* Matth. Steph. *tract.de Nobilit cap.7.num.17.& 18.* Lather. *lib.3.de cenſu cap.13.num.11.& ſeqq.* Beſold. *de ærar.cap.3.fol.37.* Weſ.*conſil.75.in princip.* Pfeil *conſil.202.num.61.&.68.* ubi rectè tradit; Jurisdictionem eſſe poteſtatem juris dicendi & æquitatis ſtatuendæ; non autem ad compendium ſuum ſubditorum ac vicinorum trahere diſpendia, ut loquitur Imperator *in l.fin.C.de crimin.ſtellionat.* Et ad Magiſtratus officium pertinere, Subditos libertatesque eorum,ac jura bonâ fide fovere,atque tueri,non opprimere: præſertim privati ſui commodi gratiâ. Nam id cùm illiberale, injuſtum & iniquum, tum etiam diſtrictè prohibitum eſt. Non enim ad quæſtum privatum Domini comparatæ ſunt jurisdictiones, ſed qui tenent illas, præ omnibus aliis puras Deō, Principi,ac Legi ab omni lucro manus præſtare,à negotiationibus abſtinere, jus autem Subditis ex omni parte conſervare tenentur,§.*oportet Novell.18.de mandat.princip.* Franciſc. Pfeil *d. loc. uſque ad num.72.* Huncce ad modum Erneſtus Dux & Elector Saxoniæ(referente Lathero *d. loc.num. 16.*) Anno MCCCCLXXXII. ſaluberrimè ſancivit, ne quis Nobilium cauponariam & inſtitoriam exerceret negotiationem. Nam cùm Nobiles quæſtu illiberali Civitatibus, Civitates verò quæſtu indigno nocere tàm Nobilibus quàm aliis hoſpitibus notum eſſet, idcirco ordinis Equeſtris hominibus Cauponariam &Inſtitoriam ab ipſorum nomine & ſplendore alienam interdixit Sed quid, ſi mercatores coëmant maximam copiam mercium,quando vili pretio venduntur, ut poſteà pro ſuo arbitratu revendant tempore, quo pluris æſtimantur præ inopia earum? Sunt,qui putent, peccare contra juſtitiam cum onere reſtituendi ex injuria facta bono communi,ex coëmptione, & retentione mercium,ratione cujus inducta fuit caritas.Baptiſta Fragoſus tamen *in regimine Reipub.Chriſtianæ part.1.lib.3.diſput. 5.§.2.num. 18.verſic.Quid ſi mercatores &c.* dicendum cenſet, non peccare contra juſtitiam ementes animo cariùs vendendi, ſi juſto pretio emant,& poſteà juſto pretio vendant, dummodo non ſint impedimento privatis neceſſaria ſibi emere tempore abundantiæ, nec etiam ſint cauſa emendo tantam copiam, ut pretia rerum accreſcant. Quod ſi privatis fuerunt impedimento augendo rerum pretia,ne ſibi emerent neceſſaria, & induxerunt caritatem, exiſtimat Fragoſus *d. loc.* peccaſſe contra charitatem, poſſeque cogi tempore, quo merces deficiunt, ut vendant viliùs, quæ emerunt in detrimentum boni communis, non tamen teneri reſtituere. Ita quoque Molina *de juſtit. & jur. tom. 2. diſputat. 345. ad fin.* Leſſius *lib. 2. cap. 21. dub.21. num.150.151.*

ANNO-

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT XXVI.

Princ.

(1) A *voce Græca &c.*] Inde eſt, quòd refert Sueton. *de Tiberio cap. 71.* Eum ſermone Græco, quanquam aliàs promptum & facilem, non tamen usquequaque eo uſum fuiſſe; abſtinuiſſeque maximè in Senatu: adeò quidem ut *Monopolium* nominaturus, priùs veniam poſtularit, quòd ſibi verbo peregrino utendum eſſet.

(2) (μόν☉) *quæ ſignificat unum &c.*] Græcæ linguæ peritiores hanc vocem μόν☉ *ſolum* ſignificare perhibent, non *unum*, quod εἷς exprimit.

Num. 3.

(3) *Cùm mercatores initis ſodalitiis &c.*] Quamplurima ſanè hodiè apud Interpretes Juris reperiuntur monopoliorum genera vel ſpecies, ad quas Sichardus *in l. unic. C. de Monopoliis & Convent. &c.* ad tria revocat capita, quòd fiant aut *in rebus* vel mercibus, aut *in perſonis*, aut *in certo loco*; addens monopolium, quod in mercibus fit, propriè eſſe tale. Unde ſub triplici titulo Dn. Fritſchius *de Monopoliis* ſcilicet, de *quaſi Monopoliis*, & *variis artificum atq; opificum ſocietatibus & ſtatutis Monopolicis*, in elaborato ſuo de hac Materia conſcripto Tractatu ſingulari agit. Ex quo facilè apparebit, & haſce ab Authore *hoc num. 3. ſeqq.* ſubjectas Monopoliorum ſpecies omnes non unius generis (ſtrictim Monopolii voce, pro eo, quod *propriè in negotiatione varia* conſiſtit, acceptâ,) eſſe, quamvis omnes ad Monopolicos notiſſimos terminos accedant. Diſtinctionis autem rationem ex ipſo rubro, *l. unic. C. de Monopol.* (quod ſic ſe habet: *de Monopoliis, & conventu Negotiatorum illicito, vel artificio ergolaborum, nec non balneatorum, prohibitis & pactionibus illicitis*;) & ejus nigro laudatus Dn. Fritſchius *cap. 3.* deducit, ubi vide. Cæterùm varias quoque ſpecies Idem *cap. 9. 11. & 12.* & ante illum Althuſius *lib. 1. cap. 123. numer. 310.* nec non D. Marquard. *de J. Mercat. lib. 4. cap. 6.* Gryphiander *Oeconom. Legal. lib. 2. cap. 24. nu. 201.* Fragoſus *de Regimine Reip. Chriſt. part. 1. lib. 7 Diſput. 19. num. 98. pag 903. ſeq.* Dn. Felwinger *de Arte* χρηματιστικῆ *Diſputat. ult.* recenſent. Addit Limnæus *ad Capit. Caroli V. art. 17. num. 11. pag. 237.* loco ſpeciei arreſtum Curiæ Parlamenti Lutetiani, quo revocatum eſt privilegium typographo Titio datum, ut ſolus poſſet imprimere tabulas Alphabeticas.

(4) *Adventurariorum &c.*] Qui ſic dicti, quòd negotiationes ſuas maris periculo ſeu fortunæ eventui (Ebentheuer appellamus) committerent, & non terrâ tantùm inſtar aliorum terræ Regni incolarum, qui intercurſores ſeu Unterläuffer nominantur, negotientur, ut D. Marquardus exiſtimat *loco ſæpè dicto lib. 4. cap. 4. num. 19.* ubi *à numero inde 15.* de hac Societate Anglicana in Romano Imperio, *ut & in lib. 2. cap. 7. num. 44. de eodem*, non contemnenda adducit.

(5) *Publicis Imperii Decretis reprobatum &c.*] Vide Thuanum Hiſtor. *lib. 119. ad Annum 1597.*

Num. 6.

(6) *Quod compellere homines ad molendum &c.*] De hoc argumento ſuprà *ad lib. 2. c. 8. n. 29. & c. 14. in pr.* (1) dictum.

Num. 8.

(7) *Bonorum Confiſcatione &c.*] Hoc loco notandum, Legibus Imperii aliam pœnam in ſingulos monopolas eſſe ſtatutam, aliam in ſocietates & collegia monopolica. Illorum Pœnam eſſe Relegationem, confiſcationem bonorum annexam habentem: horum verò bonorum publicationem & denegationem ſalvi conductûs, vel conceſſi irritationem. Policey-Ordnung zu Franckfurt de Anno 1577. gebeſſert tit. 18. Atque hinc, ut ex Caroli V. P. H. O. *art. 138.* rectè concludit Sixtinus *de Regal. lib. 2. cap. 12. n. 95.* non ſolùm in Crimine Læſæ Majeſtatis & Hæreſeos, quod multi Doctorum volunt, ſed etiam in aliis Criminibus confiſcationem bonorum adhuc hodiè obtinere. Proindeque Sixtinus *d. loc. num. 92.* graviter monet, non eſſe fidendum Doctoribus, privationem bonorum hodiè in univerſum eſſe ſublatam, excepto ſolo Crimine Læſæ Majeſtatis, adſerentibus Italis & Hiſpanis.

(8) *Mulctis pecuniariis &c.*] Cùm enim fieri poſſit, ut de re tenui & vili factum ſit monopolium, gravior profectò foret Confiſcatio bonorum. Atque quoniam & aliàs, ſi genus delicti vagum ſit & varium, ſive, ut Doctores loquuntur, difforme, (quale monopolii crimen videtur,) poterit ſanè Judex pro modo delicti & circumſtantiarum ex arbitrio, rationabilem tamen Juriſque conformem, dicere ſententiam, *l. 13. ff. de pœnis fac. l. 5. §. 2. in fin. ibi: temperamentum admittere, l. 11. in fine pr. ibi: ſeveritatem Legum cum aliquo temperamento benignitatis ſubſequi, d. t. ff. de pœn.* atque pœnam illam ordinariam in extraordinariam atque pecuniariam mutare. Arbitrium autem illud non eſt licentia pronuntiandi Juris; ſed eſt arbitrium boni & Jura intelligentis viri: non eſt indiſcretum, de quo aliàs verum eſt, quod ſcribit Ir. Sarmienda *lib. 1. ſel. Interpr. cap. 1. n. 3.* NIHIL ADEO PERNICIOSUM REIPUBLICÆ CONSTITUI POSSE, QUAM UT JUDICES OMNIA, ET QUÆ CONSTITUTA ET CERTA SUNT, ARBITRARIA EFFICIANT. Sed religioſum ſit arbitrium neceſſe eſt, *l. 79. ff. de judic.* Arbitrium enim omne à Jure regi debet, *can. judicet 4. quæſt. 7.* Dn. Fritſchius *in Tr. de Monopoliis c. 15.*

(9) *Sed & Principibus & Rebuspubl. Monopolia &c.*] De quorum Monopoliis eadem ferè, quæ de Principum Mercatura ſententia eſto. Confer D. Marquardum *de J. Merc. l. 4. c. 7.* Knipſchild. *de J. & Priv. Civit. Imp. l. 5. cap. 22. n. 23. 24. ſeq.* infrà ab Authore noſtro *n. 12.* citatos, & notas noſtras *ad Polit. Sceler. cap. 31. p. 318.*

Num. 11.

(10) *Salis Monopolium &c.*] Adde D. Marquard. *d. l. lib. 4. c. 7. n. 19. 20. 21. 22. 23. 24.*

Num. 15.

(11) *Commerciorum privationem inter calamitates &c.*] Scripſi de hoc quædam *ad Polit. Sceler. cap. 35. p. 393. & 394.* quæ hîc non repeto, ſed indico.

CAPUT XXVII.

De Metalli Cura & Cultura.

SUMMARIA.

1. *Princeps ſedulam curam ſuſcipiat* metalli fodinarum, *ut in quas ipſi ſoli jus ſit, & ex quibus illi propria eſt quæſtuoſiſſimaq́; mercatura.*

2. *At hujusmodi* fodinis *abſtineant privati, qui præſertim faciendis impenſis ſunt impares, quam largiter ſæpe fodinæ ditant, tàm ſæpe depauperant*, ibid.

3. Venæ metallicæ *ad Regalia Fiſci ſpectant.*

4. *Quâ ratione potiores* auri & argenti fodinæ *ſoli Imperatoris diſpoſitioni reſerventur: ubi & exempla varia diſponentium de hujusmodi fodinis*, n. 5.

6. Conſuetudo *quædam notabilis Electorum, Ducumq́; Saxoniæ in iſtiusmodi fodinis.*

7. *Principibus* Electoribus *competit hodiè omne jus in publicis & privatis ſubditorum fodinis, quod Imperatori; ſed jure Aureæ Bullæ.*

8. *Idem jus hodiè etiam aliis* Principibus, Comitibus, *Baronibus Civitatibusq́; competit.*

9. *Si ex fodinis* Canonem *ſolvant Cives vel ruſtici, partem poſſunt obtinere.*

10. *Quàm ingentes ſint* metallici proventus, *quantumq́; ærarium ditent, exemplo docetur Ducum Saxoniæ.*

11. Schreckenbergum *aliæq́; Civitates conduntur, habitandæ colendæq́; foſſoribus metallorum.*

12. *Quid ex hisce* Domino Territorii *debeatur?*

13. *Egregia laus* fodinarum *hujusmodi ex utilitate in omnes hominum ſtatus: Metallum auri vel argenti fertile uno anno plus utilitatis præbet, quàm ager fructuoſiſſimus annis centum*; ib.

14. *Quid* privatis *in fundo proprio juris fodiendi competat: qua in re plurimùm valet conſuetudo*, n. 15.

16. *Ad* auri fodinas *pleraq́; omnia referenda, quæ foſſionibus e terra eruuntur, qualiacunq́; illa ſint.*

17. Collecta, *quæ in* fodinis metallicis *exigi, & ſymbolum ſive* Zubuß *nominitari conſuevit, quater annuè indicitur, quoties accepti expenſiq́; ratio redditur.*

QUàm beata, & omni pretio major eſſet vita, ſi nihil aliud, quàm ſuprà terras, & quod ſecum eſt, concupiſceret? ſi in benigniſſimæ matris Ventrem non ſæviret? ejusque viſcera cruentaret?

Scilicet:

--- --- --- *itum eſt in viſcera terræ.*
Quasq́; abſcondiderat, Stygiisq́; admoverat umbris,
Effodiuntur opes, irritamenta malorum.

Verum cùm eò deventum ſit, ut metallorum Venæ ſe prodiderint, & ad indaginem diligentiorem avaritiæ operas ſollicitârint & provocârint; publicè intereſt, ut
1 Princeps in ſua Ditione ſtudium metallicum indeſinenter promoveat; in eoque imitandum ſibi proponat Philippum Macedoniæ Regem, Perſei patrem, qui, authore Livio *lib. 39. cap. 24.* Vectigalia Regni, non fructibus tantùm agrorum, portoriisque maritimis auxit: ſed metalla etiam & vetera intermiſſa recoluit, & nova multis locis inſtituit. Lucrum enim, quod ex Metalli Fodinis colligitur, vera eſt Principum Mercatura, quibus nemo, præter Principem, manum admovere poteſt; Scip. Amirat. *lib. 3. Diſſert. Polit. in Tacit. diſcurſ. 8.* Andreas Rauchbar *lib. 1. quæſt. jur. q. 22.* Tacco, quod ad inquirendas metallicas auri & argenti venas impenſæ requirantur tam amplæ, tamque magni ſumptus, ut iis ferendis alii tenuioris fortunæ impares ſint; unde plures videmus ex ditiſſimis fieri pauperrimos, quod vanâ ſpe & naturali 2
quadam cupiditate illecti, totam ſuam ſubſtantiam in fodinas profundant; Ideoque deficientibus impenſis operisque ſæpè conciderent fodinæ, aut ſaltem negligentiùs colerentur, quàm publica neceſſitas exigeret; cui rei ut proſpiceretur, quod â privatis non potuit præſtari, publicis operis recompenſandum fuit; Henning. Arniſæus *de Jur. Majeſt. minor. cap. 5 num. 4. in fin.*

Unde & Argentariæ, hoc eſt, Venæ me- 3
tallicæ cujusvis generis fermè ad Regalia Fiſci referuntur, *cap. un ubi.* Luc. de Penna *in l. quicunq́; deſertum in princ. C. de omn. agr. deſert. lib. 11.* ubi aſſerit, auri fodinas pertinere ad Principem pro ſuſtinendis oneribus Reipublicæ. Idem Menoch. *conſil. 302. num. 26. in fin. verſ. 16.* Quod etiam tradit Cravetta *conſil. 209.* Ruin. *conſil. 90. num. 4. lib. 1.* Alciat. *reſponſ. 105.* Azor. *2. part. lib. 11. cap. 4. verſic. piſcationum reditus*, dicens, ad Regem pertinere venas auri, argenti, æris, ferri, & cujuslibet alterius metalli; proinde non poſſe à Rege alienari, tanquam regalia; Georg. de Cabedo *2. p. deciſ. 55. num. 1.* ubi refert arreſtum, *num. 2.* quo probat, venas metallorum eſſe jus regale. Borcholt. *num. 87. quæ ſint regal.* Ro- 4
ſenthal *de feud. cap. 5. concl. 88.* & potiora, auri nempe & argenti, ſoli Imperatori reſervantur. Zaſ. *conſil. 6. num. 6. & conſil. 16. num. 2. lib. 1.* Weſemb. *conſil. 60. num. 4. lib. 1.* Simon Piſtor. *conſil. 4 n. 12. lib. 2. poſt Conſilia Mod. Piſtor.* Idque evidenter probatur ex Conſtitutione Henrici VI. Imper. quæ exſtat apud Goldaſtum *tom. 3. Conſt. Imperial. fol. 362. & ſeqq. de Anno 1189.* Cùm omnis argenti fodina (*ait*) ad jura pertineat Imperii, & inter Regalia noſtra ſit computata, nulli venit in dubium, quin ea, quæ nuper

in

in Epiſcopatu Mindenſi dicitur inventa, ad
5 noſtram totaliter ſpectet diſtributionem &c. *ubi in cap. 2.* poſteà duas ejus partes Epiſcopo donat, reſervato ſibi reliquo. Hinc Carolus Magnus Ludovico Comiti Glichenſi & ejusdem hæredibus facultatem aurum, argentumque fodiendi, atque omnia alia metalla in ſuo diſtrictu conceſſit; Goldaſt. *tom. un. Conſtit. Imper. fol. 17.* Et Fridericus II. Ludovico Bavariæ Duci, & Palatino Rheni, omne genus Metalli in terris patrimonii & feudi ſui fodere ſpecialiter indulſit; Goldaſt. *d. tom. 1. fol. 298.* Eoque jure Ungaros uti, teſtatur Conſtitutio Matthiæ Regis *in decret. 5. artic. 56. Anno 1486.* Cujus verba hæc Arniſæ *d. cap. 5.* adducit; Quod ſi aliquæ mineræ, auri & argẽti, ſalis vel aliæ fodinæ in poſſeſſionibus nobilium vel aliorum poſſeſſionatorum temporum proceſſu reperientur, absque debita competenti recompenſa per Regiam Majeſtatem non auferantur. Sed ſi illas Majeſtas ſua habere voluerit, pro poſſeſſionibus illis, in quibus hujusmodi mineræ habebuntur, alias æquè utiles ac fructuoſas dare debebit, alioquin tantummodò Jus Regale ſeu Urburas (id eſt, decimas à mineris exactas) ad fiſcum pertinentes percipi faciat, & poſſeſſiones ipſas ſimul cum omnibus ſuis utilitatibus, proventibus & Juribus iisdem Nobilibus pacificè poſſidendas relinquat.

Carolus IV. verò *in Aurea Bulla cap. 9.* Electoribus tàm Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus, omnes auri & argenti fodinas, plumbi & alterius cujuscunque metalli generis, ac etiam ſalis, tam inventas, quàm inveniendas in ſuis ditionibus juſtè tenere & poſſidere concedit, Rauchbar. *dict. quæſt. 22. num. 9. lib. 1. cap. 5. num. 8. & lib. 2. cap. 16. n. 80.* Knichen de Saxon. *non prov. jur. verb. Ducum cap. 5. n. 108. & ſeq.* Bocer *de Regalib. cap. 3. num. 66. & de Inveſtit. capit. 3. num. 104. in fin.* Matth. Stephani *lib. 2. de jurisdict. part. 1. cap. 5. num. 12.* Coler. *deciſ. 98. num. 5. & 19.* (ubi Addi-
6 tionator notabiliter tradit: in territoriis atq; provinciis Electoris Ducumque Saxoniæ inveteratâ conſuetudine receptum eſſe, ac ita inviolabiliter obſervatum, ut, ſi quis ab Electore vel Duce Saxoniæ de feudo aliquo, unà cum mero mixtoque Imperio, ſit inveſtitus, eoque in feudo fodinæ metallicæ inveniantur, atque ex ipſo metallo, æs, ſtannum, aut plumbum vincat aurum, argentúmve, quod æri, ſtanno, plumbóve admixtum eſt, omnes metallicæ commoditates Vaſallo cedant; retinet enim non tantùm ipſos proventus, ſed etiam decimas cæteraq;, quæ alioquin etiam de Jure communi debebantur Principi. Quod ſi autem aurum argentúmve ſeu copiâ ſeu valore ſuperet commemorata viliora metalla, decimæ cæteraque Magiſtratui Superiori debita, Principi cedant) Renat. Choppin. *lib. 1. de Doman. Reg. cap. 2. num. 6.* Weſemb. *conſil. 44. num. 24. vol. 1. & conſil. 198.* *num. 20. lib. 4.* Gœden. *conſil. 2. & tit. de argenti fod.* Simon Piſtor. *dict. conſil. 4. num. 7. & ſeq. lib. 2.* Atque hasce Metalli fodinas Electores liberè poſſidere, nec decimas vel quicquam de iis præſtare teneri; ſentit Obrecht. *diſput. de Regalib. theſ. 219.* nec abſonum eſſe, ſi dicamus, hodie Electores *omne jus illud habere, quod Imperatori* (1) tàm in
publicis, quam in privatis Subditorum metalli fodinis cõpetit: quia *in dict. Aurea Bulla* hoc Imperatoris jus in Electores eſt translatũ. 7

Etſi verò in aureâ Bulla *dict. cap. 9.* tantùm Electorum, non etiam aliorum Principum, vel Comitum, vel Baronum, vel Civitatum fiat mentio; tamen quotidiana ex-
perientia teſtatur, *hos omnes eadem ferè prærogativâ uti* (2) iisque vel ex peculiari conceſſione, vel ex immemoriali præſcriptione, vel ex Inveſtitura Regali Fodinarum acquiri; Sixtin. *dict. lib. 6. cap. 16. num 81.* Heig. *libr. 1. qu. 13. num. 30.* Knichen *d. verb. Ducum cap. 5. num. 109.* Arniſæ. *dict. lib. 3. de jur. Majeſt. cap. 5. num. 4.* Simon Piſtor. *d. conſil. 4. num. 7. & ſeqq.* Quod & præſupponitur in Receſſu Imperii de Anno 1551. §. Weiter ſo ſetzen wir. Quinimò jus indagandi fodinas etiam generali conceſſione tribui Comitibus, cum onere tamen decimarum, voluit Gœden. *d. conſil. 3. n. 9. lib. 1.* Cui vix aſſenſum præbere auſim, cùm enim ex Aureâ Bullâ ſingulari beneficio Electoribus Argenti fodinæ competant, certè non promiſcuè aliis inferioribus ex generali conceſſione competere poſſunt. Matth. Stephani *lib 1. cap. 2. n. 18. & ſeq.* poſt Obrecht. *de jurisdict. cap. 1. num. 61.* 8

Quamvis etiam *Argentariæ* (3) ſive auri 9
ac argenti fodinæ ad Regalia referantur, *d. c. un. quæ ſint regal.* attamen cives vel ruſtici partem quandam cuniculi ſive Bergtheil/ ſive einen Stollen oder Kukes indigitamus, in auri vel argenti fodinis jure feudi, aut quovis alio pacto habere poſſunt; ſi cenſum & canonem metallicum Superiori Domino ſolvant; Rebuff. *in l. inter publica verb. Metallorum ff. de V. S.* Mynſing. *reſp. 39. decad. 4.* Schneidevvin. *de feud. part. 2. num. 105.*

Quantum verò proventus metallici 10
proficiant Ærario, exemplo Electorum & Ducum Saxoniæ edocemur, *qui intra annos LXXX.* (4) ex venis Schnebergenſibus, ex decimis & ſignatione argenti 41118. tonnas auri collegerunt. Unde facilè licet colligere, quantam vim pecuniarum ex omnibus venis ſpatio centum annorum habuerint, poſt Albinum *p. 4.* der Meiſniſchen Chronick. Waremundus ab Ehrenberg *de ſubſid.* 11
regn. cap. 4. num. 25. & Sethus Calviſius *in Chronologia fol. 291.* Georg. Fabric. *lib. 7. Orig. Saxon. fol. 781.* Ab Anno Chriſti MCCCCXCVI. quo proventus metallici in monte *Schreckenbergo prope Annæbergam* (5) bonis initiis orti progreſſus proſperos habuerũt, diſtributa eſt ſors de partibus, & quatuor anno-

annorum ſpatio ad annum ſcilicet MD. numerata ſunt aureorum Rhenenſium, centum viginti quatuor millia, octingenti & triginta octo: Hæc ubertas cauſam dedit Georgio Saxoniæ Duci, ut de condenda urbe, in qua conſiderent metallici, conſilium caperet. Delectus eſt igitur locus, qui Schreckenbergum initio dictus eſt: à quo etiam moneta nomen habet, quæ illic cuſa eſt; quēadmodum Schnebergii à monte Schnebergo, ubi cuſi ſunt.

Quanta quoque ſit bonitas & copia metallorum in Hungaria; Joan. Cuſpinian. *in Oratione de bello contra Turcam ſuſcipiendo fol.78.* declarat; & dicam *cap. ſeq.* Olim *metallicus Canon* (6) etiam ex privatis fodinis Fiſco ſolvebatur variè *l.2. & 3. C. de metall. lib.*
12 *11.* Hodiè cùm metallorum jura ſint Regalia, Decima Domino Territorii pendenda & portio certa redituum (der freye Erbkuſ kuß oder vier Erbkukuß) eſt concedenda, Heig. *dict. lib.1. quæſt.3.* ubi & de præſtatione deß Erbſtollen-Rechtens agit. Hinc auri ſacra fames, *l.29. C. de Epiſc. & Cleric.*

13 Cùm itaque compertiſſimum ſit, metallorum & mineralium foſſionem uberem & magni quæſtûs eſſe, adeò, ut veriſſimè JC. graviſſimus Erneſtus Cothmannus reſponderit, Fodinas metallicas cor & vitam Provinciæ eſſe, Civitates peperiſſe, partas amplificaſſe & illuſtraſſe, opibus auxiſſe, nobilitatem nobiliorem feciſſe, Principes celſiſſimos & illuſtriſſimos evexiſſe, iisque incrementa, gloriam, dignitatem, & amplitudinem ſuam contuliſſe, *conſil.1. num.110. vol.4.* & metallum auri vel argenti fertile uno anno plus utilitatis præbere, quàm agrum fructuoſiſſimum annis centum, ſcripſerit Georg. Agricola *lib.1. de metall. veter. & nov.* Iccirco ratione non caret, ut Vectigal Ærario pendatur, ex eo, quòd ex emolumentis vel terræ viſceribus depromitur, puta metalli fodinis, auri, argenti, æris, plumbi, ferri, ſtanni, quas privati poſſident. Jure enim Civili & feu-
14 dali certum eſt, privatis etiam (niſi conſuetudo in Contrarium ſtet) permiſſum fodere metalla in proprio fundo, & inde fructum percipere, ſi modò decimæ inde pendantur, *l.9. §.2. & ſeq. l.13. §.2. & ſeq. ff. de uſufr. junctâ l.4. & 5. ff. de reb. eor. qui ſub. tut. vel cura ſunt. l.7. §.3. ff. ſolut. matr. l.13. §. 1. ff. commun. prædior.* F F. *in d. c. un. verb. argentariæ. quæ ſint regal.* Vultei. *de feud. lib.1. cap.5. n.9.* Roſenthal *de feud. cap.5. concl. 15.* Schurff. *conſ. 26. num.8. cent.1.* (in quo reſponſo agit de metalli fodinis ad Goslar. civitatem pertinentibus: an Dux Brunſuic. ſibi in iis quid arrogare poſſit,) Weſ. *d. conſ.45. n.24. lib.1.* Rhen. Chopp. *de Legib. And. c.61. n.1. & ſeqq.* fusè & pulchrè Heig. *d. q. 13.* Sixtin. *d. lib. 2. c. 16. n.34.* Georg. de Cabedo *deciſ.53. n. 3. p. 1.* Bornit. *de ærar. lib.5. c.4. fol.50.* Sicque etiam textum Aureæ Bullæ *d. c. 9.* exaudiunt Gœden, *d. conſ.2. num.6.* Weſemb. *conſ.60. numer. 4. libr. 2.* & Modeſtin. Piſtor. *dict. conſ.4. num.13.* Quam ſententiam quoque propugnat Agnatus noſter, Henric. Klock. *in diſſertat. de Vectigalib. concl.3. lit.* b. & Adfinis noſter Gerlac. Buxtorffius *in diſſertat. hiſtorico-juridica ad Aur. Bull. Carol. IV. concl.89. lit. f.*

Verùm omnes in eo conſentiunt, ut loci conſuetudinem attendendam eſſe ſuadeant: Maximè, cùm metalla quærere & metallaria habere ſit Jus Imperiale & regale, *d. c. un. verb. argentariæ.* Coler. *dict. deciſ.98. num.3.* & plerique Dd. atteſtentur de generali conſuetudine Germaniæ, quâ inductum ferunt, ut absque Imperatoris, vel ejus, qui de fodinis inveſtitus eſt, conſenſu nemini, ne in ſuo quidem proprio fundo agróve metalla, præſertim nobilia fodere liceat. Schneidevv. *de feud. p.2. n.105.* Heig. *d. quæſt. 13. n. 29. & ſeqq. & num.42. p 1.* Knichen. *d. verb. Ducum. c.5. n.109.* Choppin. *d. lib. 2. de Doman. tit.1. n.6.* Coler. *d. deciſ. 89. num. 2. & 9.* qui ferè omnes hanc notoriam dicunt. 15

Metallorum verò (7) cura & cultura non tantùm aurum, & argentum, æs, ferrum, 16
ſtannum &, plumbum; ſed etiam medii & infimi generis metallica, Argentum vivum ſive Mercurium, ſandaracham, minium, cadmiam terram, Samiam, Eretriam, Eliam, Selinuſiam, Pignitidem, Ampelitidem, Cimoliam, Sardam, Umbricam, Antimonium, Biſmutum, Sulphur, auripigmentum, calchantum ſive Victriolum, alumen, bitumen, nitrum, Sal foſſile, adeoque liquores & aquas minerales, tum denique lapides, gemmas, ſaxa, marmora, terrasque minerales, gypſum, cretam, ochram, argillam, Armeniam, Lemniam, calcem, &c. perveſtigat & eruit: quorum omnium Cultura, neceſſitatis & utiliatis publicæ causâ, in Rep. diligenter inſtituenda, inque eo unicè laborandum eſt, ut metallicæ officinæ ſint ſartæ. Priſcis temporibus nihil horum erat in hac Septentrionali Europa; nunc pluribus locis plurima ſunt, quia olim aliæ erant curæ mortalium, nunc illa quæruntur. *Tacitus*, (8) Argentum negat eſſe in Germania; at nunc invenitur & hoc & aurum. Nulla pars Germaniæ eſt, in qua non aliqua effodiantur; In Saxonia, Bohemia, Pannonia, Haſſia, Comitatu Tyrolenſi, &c. immenſæ divitiæ latent abditæ ſub montium molibus. In Suecia quoque montes auri, argenti, æris, plumbi numerantur ſub gradu LXII. Nullum tamen Principem plures metallorum fodinas habere arbitratur Adam. Conzen. *lib. 8. Polit. c. 12. §.4. fol.576.* quàm Turcarum Imperatorem, qui cùm tamen ſit auri ſitientiſſimus, eo bono non utitur, & penuriâ peritorū, & Dei providentiâ, ne tantis opibus contrà reliquias Chriſtianorum inſtruatur. Collecta, quam fodinarum metallicarum Domini contribuunt, vulgò ſymbolum ſeu Zubuß vocitatur; forſan ideò, quòd velut ſympo-

ſium

ſium ineuntes, Symbola dant; ita qui ſemel foſſionis quæſtus proponunt, magnos atque uberes ad eam pecuniam ſumptus conferre
17 ſolent. Eamque Collectam Præfecti rationum Schichtmeiſter / annuo tempore plerumque quater dominis indicunt, quoties accepti expenſique rationem reddunt. Magna autem vel parva ſymbola indicuntur pro ratione mercimoniorum, quorum indigent fodinæ, cuniculíve; qui Zeben und Stolln nominari conſueverunt, tum etiam, qui multas poſſident partes metallicas (vulgò Kukus indigitant) multa debent Symbola: quique hanc Collectam, & quod pro operis metallicis debetur, non ſolvunt, ſed eas incultas jacere permittunt, commodo fodinarum poſtmodum privantur Sicut verò plerumque quater, ut dictum eſt, ſingulis annis Domini pecuniam contribuunt, ſic quater in eos diſtribuuntur fructus fodinarum Ausbeut / modò magni, modò parvi, prout plus, minúsve auri, aut argenti, aut reliquorum metallorum fuerit effoſſum.

Aurum per bella quærere, nefas eſt; per maria periculum; per falſitates opprobrium; in ſuâ verò naturâ juſtitia, ait Caſſiodorus. Metallorum itaque opes ſapiens Princeps inquiret, & eâ Rempublicam Ærariumque juvabit; non attento, quòd nonnulli laborem improbum metalla exquirentium reprehendunt; aurum irrepertum, ajunt, *melius ſitum*, dolent cùm

Effodiuntur opes irritamenta malorum:

Sed hæc avaritiæ ſint convicia, non facultatum. Opum abuſus eſt; nihilominus ſine opibus defendi Respub. nequit. Deus metalla donavit in uſum humani generis, quod abundare & ſplendere voluit; nec alio modo ſubterraneæ divitiæ vituperantur, quàm ea, quæ foràs ipſa producit vinum & fruges, animalium deliciæ, formarum venuſtas. His enim omnibus ſtultitia abutitur. Interim cùm ex rebus metallicis ingentes utilitates ad genus humanum redundent, non ſunt negligendæ, ſed tanquam Reip data beneficia cum gratiarum actione uſurpanda. Quod ſi jam olim venæ comparuerint, iuveſtigandæ porrò; de novis quoque ſedulò cogitandum: Neque exiſtimandum, ita Deum diſpenſaſſe, ut veteres omnia eruerint.

Olim Romani, Ægyptii, aliique populi ad perfectionem *metallicorum operum damnatis*, (9) & captivis uſi ſunt, improboſque ad aurum effodiendum deſtinarunt; ſimul & facinorum pœnam ſumentes, ſimul & quæſtum uberem ex eorum labore capientes, Diodor. Sicul. *lib. 1.* O ſi hoc veterum inſtitutum revocaretur in uſum! Quàm multi in carcere multos annos continentur publico ſumptu, truncantur auribus, ad palum ignominiæ publicè flagellantur, exilio mulctantur? Interim cùm vitæ civiliter degendæ copia denegetur, ad furta latrociniaque iterum prolabuntur. Nusquam enim ob infamiam poſſunt conſiſtere. Annon præſtet, ejusmodi reos & verè nocentes, vel ad totam vitam velut pœnæ ſervos, vel pro delictorum menſura ad certum tempus in tenebras metallicarum ſpeluncarum ablegare? Multas miſerorum centurias hodiè carceres continent, qui tam atrocia delicta non perpetrârunt, ut morte puniendi ſint; Cur non ad metallum damnantur, auroque effodiendo deputantur, ut proſint Reip. pœnæ eorum, quorum ſcelera obfuerunt?

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT XXVII.

Num. 7.

(1) O*Mne illud Jus habere, quod Imperatori, &c.]* Confirmat hæc Arumæus *ad A. B. Caroli IV. discurſ 5. p. 226. 227.* Limnæus ad eandem *ad cap. 9. Obſ. 25. pag. 356.* alii.

Num. 8.

(2) *Hos omnes eadem ferè prærogativa uti, &c.]* Fodinas metallicas etiam ad alios Imperii Status, (*ut indicat Author hic,*) perveniſſe Limnæus *d. loco Obſ. 24.* Dn. Mylerus ab Ehrenbach / *de Princ. & Statibus Imperii part. 2. c. 69.* & in ſpecie de Civitatibus Imp. *lib. 2. c. 16. n. 55.* intrepidè aſſerunt. Sic Norimbergenſi Reipublicæ à Carolo V. Imp. Anno MDXL. privilegium datum, à Ferdinando I. Anno MDLIX. Maximiliano II. Anno MDLXVII. Rudolpho II. Anno MDLXXVII. Matthia Anno MDCXIII. Ferdinando II. Anno MDCXX. & ſequentibus Imperatoribus, Jus metalli fodinas habendi, eásve colendi, confirmatum fuit.

Num. 9.

(3) *Argentariæ, &c.]* Dubiam vocis Argentariæ *in cap. unic. quæ ſint Regalia*, per auri & argenti fodinas explicationem reddere, omninò cōtendit Limnæus *in Obſ. ad A. B. c. 9. Obſ. 24. p. 355.* Cum authore tamen noſtro facit Ludwellus *in Synopſ. Juris Feud. c. 13. n. 11. p. 345.* & Dd. cōmuniter

Num. 10.

(4) *Qui intra annos LXXIX. &c.]* Adde Limnæum *de J. P. lib. 3. cap. 2. n. 11. 12. Addit. Tom. 1. p. 294. & 295.* ubi inter alia de fodina D. Georgii Schnebergenſi ſic fatur: Hæc eſt fodina illa, quam fama de Alberti Ducis Saxoniæ argenteâ menſa nobilitavit. Hic enim Princeps, illectus magnitudine argenti, in eam fodinam deſcendit cum Conſiliariis & ſuper argenti maſſa cibum ſumpſit. Cumque nihil unquam præclarius & ſplendidius vidiſſet, in hæc verba erumpit: *Imperator noſter Fridericus potens quidem eſt & opulentus, non tamen, credo, eum tanti pretii menſam habere.* Hæc ille; quem *dicto loco* vide, & Ejusdem *Obſerv. ad A. B. Obſerv. 8.* ut & Petri Albini Meiſniſche Berg-Chronick *tit. 4. p. m. 34.* atque infrà Klockium noſtrum *cap. 29. n. 1.* hæc narrantem, junge.

Num. 11.

(5) *Schreckenbergo propè Annabergam &c.]* Confer Albinum *d. loc. p. 44. 45. 46.*

(6) *Metallicus Canon &c.]* Cujus meminit Dn. Mylerus ab Ehrenbach *de Princ. & Stat. Imp. part. 2. c. 69. n. 3.*

Num. 16.

Num. 16.

(7) *Metallorum verò &c.*] Conſule de his omnibus metallorum enumeratis ſpeciebus, antè ſæpe à nobis laudatum Cæſium in ſua Minerologia, qui ſpecialiora de iis omnibus decenti ordine explicavit.

(8) *Tacitus &c.*] In German. *cap. 4. n. 4.* ibi *Argentum & Aurum propitii an irati DI negaverint, dubito; mox verò ſubjicit:* Nec tamen affirmaverim, nullam Germaniæ venam argentum aurúmve gignere. Quis enim ſcrutatus eſt? poſſeſſione & uſu haud perinde afficiuntur.

(9) *Metallicorum operum damnatis &c.*] De damnatis in metallum tractat præter alios Pancirollus, & ad illum Salmuth *Rer. deperd. lib. 1. tit. 61. pag. 331. ſeqq.*

CAPUT XXVIII.

De Auro, Auri venis & Arenis.

SUMMARIA.

1. Aurum *ex metallis nobiliſſimum, ab aurora dictum, Apollini proprium, ſicut Ferrum Marti, plumbum Saturno, &c.*

2. Auro *itaq; meritò Sapientia comparanda.*

3. Aurum *in venis montium lateſcit, etiam ante diluvium hiſce viſceribus reconditum, & cognitus ejus uſus, ubi disquiritur, an* Montes *ab exordio mundi & ante diluvium exſtiterint?*

4. Aurum *etiam ex amnibus & arenis fluviorum legitur, quæ ſunt auri ramenta.*

5. Hungaria *habet amnes & fluviolos auri feraciores, nonnunquam in fruſtulis in glandium magnitudine.*

6. *Hinc nomen non inconveniens, admirandæ* Hungariæ *aquæ.*

7. Tagus, Pactolus, *Helvetiorum Urſa, Emana minor, Thermæ Fabrianæ, fluvii auro ſplenduerunt.*

8. Rhenus, Albis, Edera *in Germania aurum mittunt.*

9. Arabia *auro abundans.*

10. Aurum, Vinum, Triticum, *in ſuo quodlibet genere præſtat, omnibus ſolus Homo.*

11. Aurum, argentum, ferrum, æs *metalla ſunt pretioſiſſima; juncta ab Ovidio,* n. 12.

13. Auri *maſſæ apud Romanos in lateres redigi ſolitæ.*

O aurum res auſpicata, & poſſeſſio pulcherrima,
Aurum eſt, quod opibus imperat mortalium.

1 EX metallis præſtantiſſimum & pretioſiſſimum eſt aurum, ita *dictum ab Aurora*, (1) Solis ſplendore, & in tenebris lucis procreatrice; quòd ſicuti aliud metallum ab alio Planeta, ita hoc *à Sole gignatur*, (2) Solisque retineat utilitatem. *Eſtq; aurum Apollinis, quem veterum ſuperſtitio Deum fecit Sapientiæ, Metallum*, (3) ut ferrum Martis, plumbum Saturni. Ac licèt aurum naturâ non ſemper trimodio & toto horreo admetiatur, tamen metalla reliqua eò largitur uberiùs. Ægyptii aurum Prudentiæ fecerunt Symbolum, quia liquefactum non ſolùm tollit, ſed etiam prohibet renaſci. Hinc Salomonis *in Proverbiis* (4) exhortationem legimus: *Poſſide Sapientiam, quia auro melior eſt: & acquire prudentiam, quia pretio-*
2 *ſior eſt argento.* D. Johannes *in Revelatione ſua*, (5) hoc aurum ignitum appellat; ardore Sancti Spiritus inflammatam & pectora penetrantem Sophiam, ſive Sapientiam intelligens. Et Plato Sapientiam, animique pulchritudinem cum auro defæcatiſſimo ſæpiùs comparat. Quinimò *formicas Indicas* (6) Æthiopicasque aurum in montem coacervare, nec non cuſtodire diligenter, fabulati ſunt antiqui, inſinuantes, laborè ac diligentiâ, & item animi magnitudine Sapientiam adipiſcendam eſſe. Nam formica laboris indefeſſi nobis exemplum præbet.

Inprimis verò aurum in locis montoſis 3
& venis montium reperitur. In ſummâ tellure, Principatu Neronis in Dalmatia inventum eſt aurum, ſingulis diebus etiam quinquagenas libras fundens, cùm jam inventum in ſummo cæſpite, ait *Plinius.* (7)

Nec tamen eſt, quòd quis arbitretur, montes in illa confuſione rerum, quæ Noëmi temporibus in Cataclyſmo fuit, accumulatos & convolutos. Nam *Geneſ. c. 7. v. 20.* legimus, diluvii aquas exceſſiſſe montium altitudinem cubitis quindecim. Ex quo liquidò colligitur, erroneam omninò eſſe illorum opinionem, qui exiſtimarunt, ante diluvium nec montes exſtitiſſe, nec valles, ſed totam terram in rotunda ſuperficie ſua fuiſſe æqualem: ex vi autem aquarum diluvii huc atque illuc validiſſimè confluentium, montes fuiſſe aggeratos, vallesque excavatas, & omnem terræ inæqualitatem, quam modò videmus, erectam. Qua ratione oporteret etiam nunc in Oceano plures hujuscemodi mōtes cauſari, & novas ſæpiùs inſulas fieri. Quod an verum ſit, ſubdubito.

Verùm contra memoratam opinionem, præter locum Scripturæ allegatum, facit quoque illud, quod de Sapientiæ divinæ antiquitate legimus, Proverb. *cap. 8. v. 25. Nec dum montes gravi mole conſtiterant: ante colles ego parturiebar.* Quæ enim, obſecrò, eſſet Sapientiæ hujus antiquitas, ſi diluvii Noëtici tempora paululùm duntaxat præceſſiſſet. Sed valeat diſpereatque hæc tàm inepta opinio, tamque Sacræ Scripturæ contraria, ac divino Numini injurioſa, quæ opus DEI, terræ ſcilicet creationem mancam utique atque imperfectam facit; quippe cui ante diluvium tàm longo temporum tractu defuerit pulcherrima hæc montium valliumque varietas, quæ Provincias diſtinguit, ventorum impetus frangit, cryſtallum, multaque marmorum, gemmarum, metallorum, aliorumque foſſilium genera, ad varios hominum uſus atque ornatus producit, fontes, fluminumque origines derivat, ad camporum irrigationes, navigationesque commodè exercendas, varia item plantarum animaliumque ſpecies, ad proprias ipſarum naturas, accom-

accommodatè convenienterque vegetat, & conſervat, juxta illud, quod in Pſalm. 103. verſ. 8. usque ad num. 19. inſinuatur illis verbis. Aſcendunt montes, & deſcendunt campi in locum, quem fundaſti eis. Qui emittis fontes in convallibus: inteter medium montium pertranſibunt aquæ, &c.

Sed & multa inſuper alia, quæ hominibus cæterisque animalibus bona præſtat prædicta montium, valliumque & camporum varietas, quæ fuſiùs hîc perſequi ſupervacuum putamus. Videatur Bornitius *de rerũ ſuffic. Tract.* 1. *cap.* 25. *fol* 38. ubi allegat Jobum poſt alia de foſſilibus eleganter agentem, *cap.* 28. *verſ.* 1. *&* 2. Habet argentum venarum ſuarum principia: & auro locus eſt, in quo conflatur. Ferrum de terra tollitur: & lapis (ſolutus calore) in æs vertitur. Et *v.* 6. locus ſaphiri lapides ejus, & glebæ illius aurũ.

4 Non verò tantùm in montibus & ſub terra aurum effoditur; Georg. Agricol. *lib.* 1. *de metall. cap.* 14. 15. 16. 17. ſed etiam in amnibus & arenis fluviorum reperitur, quod præſtantiſſimũ dicitur, & abſolutiſſimũ curſu ipſo trituq; perpolitum; Intellige *ramenta auri* (8) impetu aquarum à venis abraſa; Item auri grana, **Goldkörner / Sand / Goldzehen.** De auri ejusmodi arenis, **vom Goldſchliche** / refert Leonar. **Thurnhäuser** / *in Piſone lib.* 2. *c.* 8 *fol.* 42. **Etliche Waſſerfuhren Goldſchlich** corporaliter, **welches nichts anders iſt / denn ein Auswurff von den Bergwercken / die durch den Trieb der Waſſer / darinn ſie gefunden werden / dahin geflöſſet ſeyn.** In Delphinatu de conſuetudine licitum eſt, aurum perquirere in littoribus fluminum, nec de eo decima debetur; dummodò extra eam regionem non portetur, & in locum vicinum, cudendæ monetæ deſtinatum, deferatur, Franciſ. Marcus *deciſ.* 121. *p.* 1.

5 In Hungaria plerique amnes & fluvii feraces auri habentur, in ea præſertim veteris Daciæ parte, quæ Hungariæ attribuitur, & Tranſylvania vocatur, rapiunt non ramenta tantùm auri, perenni curſu, ſed etiam plerumque maſculas, alias piſi, alias nucis avellanæ, caſtaneæve, aut juglandis magnitudine, quoties videlicet inundant, maribusque aut alia quapiam eluvie, aut arte inducta corrivatione aucti ripas, & ea, per quæ currunt, loca ſubruunt. Nec commentitium eſt, iis in locis effodi quandoque maſſas, alias puri auri, alias concreti ſaxi aliquid habentes; quæ aliquot uncias usque ad ſemi libram, & libram, & hoc ampliùs appendunt. Quin & effoſſas, quæ quingentorum, imò quæ mille florenorum non modò pondus, ſed etiam pretium elevarint, refert Anonymus Author *in diſſertat. de admirandis Hungariæ aquis fol. mihi* 84. Thom. Lanſ. *Provinc. Europ. in Orat. pro Hungaria*
6 *fol.* 569. ubi ex Antonio Bonfinio, Tranſylvaniæ amnes auri ramenta plerumque ſeſqui libralia trahere ſcribit; ut propterea difficilè creditu non ſit, avorum ætate Sigismundum Chanzarem Quinque-Eccleſiarum Epiſcopum adeò pecuniis fuiſſe locupletẽ, ut juſtũ exercitũ ſuo ſumptu alere potuerit.

Sic Ganges gemmifer & auri fœcundus 7
ex Scythicis exoriens montibus; cujus latitudo minima duo milliaria Germanica, maxima quinque, ubi vadoſiſſimus menſuram centum pedum devorat, Philipp. Cluver. *in Introduct. Geograph. libr.* 5. *cap.* 7. Sic Tagus Hiſpaniæ, Pactolus Aſiæ, Hebrus Thraciæ, Padus Italiæ, aliisque Fluvii dicuntur aureas habere arenas authore Plinio *lib.* 33. *Natur. Hiſt. cap.* 4. & aliis, quæ indicant vicinas ripas abundare auro.

Et in fidem vetuſtæ gloriæ Luſitanorum Regum ſceptrum *ex Tagano auro*, (9) quo nullum purius inveniri poſſit, conflatum eſſe, *annales produnt.* (10) *Sic in Helvetia Urſa flumen* (11) aurum arenis trahit: idem Emana minor, qui Urſam influit, præſtat, magno argumento in montibus, in quibus oriuntur, aurum naſci. Sunt, qui exiſtiment, eſſe auri venas eo loci, quo thermæ Fabarianæ ſcaturiunt, cujus ſatis manifeſta ſigna in petris adpareant.

Germania quoque hâc præcellentiâ eminet, ac dives eſt mineris auri, argenti, 8
omnisque generis metalli, ſuperatque alias Europæ Provincias; ſiquidem auri ramenta deferunt Rhenus, Albis, Edera, & multi rivi, Georg. Agricola *de vet. & nov. metall. l.* 1. licèt contrà nugetur Ren. Herpinus *in Apologia pro tract. Bodini de Republica.*

Nemini autem in Rheno, abſque Principis conceſſione, aurum legere permiſſum, tum quòd jus illud, quod principale & regale eſt, Sereniſſ. Electoris Palatini, ut ex Noë Meurer probat Heig. *part.* 1. *quæſt. jur.* 13. *numer.* 47. tum quòd auri illius tanta non ſit copia, ut ſumptus quæſtum valdè ſuperet. Itaque rariùs quoque illa indagatur; præterquam, quòd ob incertum fluminis æſtum ſtationes durabiles in littoribus haberi non poſſint, Heigius *d. loc. numer.* 49.

Modum verò, aurum ex Rheno colligendi, (12) prolixè docet Michaël Heberer *lib.* 1. *Ægyptiac. ſervitut. par.* 6. qui quatuor horarum ſpatio, ſe & itineris ſocio Nob. Burgundiaco ſpectante, ex arena in profunditate Rheni collecta globulum aureum à ruſticis & piſcatoribus pretium duorum aureorum adæquantem confectum tradit, referente Lathero *lib.* 3. *de cenſu. cap.* 9. *num.* 18. Aurum quoque purum, **Gediegen Gold** / reperiri, experientia teſtatum reddit. Agricol. *libr.* 8. *cap.* 8. *de foſſilib.* ut plurimùm miſtum aliis, Agricol. *de re metall. cap.* 24. Arabia auri & argenti venis ac 9
glebis usque adeò ſcatet, ut omnis penè gentis hujus ſupellex, alia auro, alia argento ſplendeat. Vendunt & aurum finitimis

triplo

triplo æris pretio, argentum duplo; Gallecia quoque auri feraciſſima; adeò ut etiam aratro frequenter glebas aureas exſcindant agricolæ; Juſtin. *libr.* 44. Et olim Romanis Aſturia, Luſitania, & Gallecia ſingulis annis vicena millia pondo auri præſtiterunt, Plinius *Hiſtor. Nat. libr. 33. cap. 4.*

10 Quòd autem aurum omnium mineralium (ut ſuprà dixi) præſtantiſſimum ſit, uti Vegetabilium vinum, Cerealium triticum, & animalium Homo *dignitate præſtat; id vel inde relucet*, (13) quòd proportio pretii auri ad argentum ſit toto ferè terrarum orbe *duodecupla*, (14) Bodin. *lib. 6. de Repub. cap. 3.* reliquorum Metallorum pretia fermè ſunt incerta & variantia. Politicus ergò curam adhibebit, ut, ſi regio ferat, aurum in venis & aquis quàm diligentiſſimè inquiratur & eruatur, cùm ex auri fodi-
11 nis compendium infinitum & lucrum Ærario accedat; & aurum, argentum, ferrum, & æs, metalla ſint pretioſiſſima, partim, quia rarâ venâ proveniunt, partim, quia labore magno proferuntur, & præparantur, partim, quia ſummam præſtant humanæ vitæ utilitatem, vel in commutatione ſubſidiorum vitæ, vel in ornatu ad dignitatem, 12
vel in opere, vel in uſu vaſorum ab illis factorum. Ideoque jungit hæc metalla Ovid. *lib. 3. eleg. 7.*

At cùm regna ſenex cœli Saturnus habebat,
Omne lucrum tenebris alta premebat humus:
Æraq; & argentum, cumq; auro pondera ferri
Manibus admôrat; nullaq; maſſa fuit.

Maſſas autem auri apud antiquos in lateres redigi ſolitas, notum eſt. Varro apud No- 13
nium:

Ludon fluens ſub Sardibus flumen tulit
Aurum, later quod conquadravit regius.

Idem de vita Pop. Romani lib. 3. *nam* lateres aurei & argentei (15) *primùm conflati & in Ærarium conditi.*

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT XXVIII.

Num. 1.

(1) D*Ictum ab Aurora &c.*] Aurum dictum, inquit Feſtus *lib. 20. de V.S. pag. 257.* quia præcipuè cuſtoditur. Græcè enim ἀρεῖν, cuſtodire dicitur. Unde & Theſaurum Hippocrates medicus de nomine inventoris id dictum putat, quem vocitatum ait Aurum. Quidam à ſimilitudine auroræ coloris nomen traxiſſe exiſtimant. Nonnulli, quia mente homines avertat. Alii à Sabinis translatum putant: quod illi curſum dicebant. Iſidorus *Orig. lib. 16. p. 1224. & 1225* perhibet, Aurum ab *aura* dictum, i. e. *à ſplendore*, quòd repercuſſo ære plus fulgeat. Unde & Virgilius:

Discolor inde auri per ramos aura refulſit,

id eſt, ſplendor auri. Naturale enim eſt, ut metallorum ſplendor plus fulgeat aliâ luce repercuſſus. Hinc & aurarii dicti, quorum fulgor ſplendidos reddit.

(2) *A Sole gignatur &c.*] Vide Cæſii Minerologiam *l. 5. c. 1. n. 5.*

(3) *Eſtq; aurum Apollinis &c. Metallum &c.*] Metallum, inquit Beſold. *in Theſ. Pract. voce* Metall. genus eſt miſtorum non viventium, quod è terra effoditur, & ſeptem ſub ſe continet formas, ſive ſpecies, i. e. Aurum, Argentum, Æs, Electrum, Stannum, Plumbum, & Ferrum. Iſidorus *lib 16. Origin. cap. 16. pag. 1224.* Quas Galeottus Martius *14. cap. lib. de Doctrina promiſcua*, refert cum Aſtrologis ad ſeptem Planetarum vires, hoc ordine: *Aurum* attribuit *Soli* propter colorem & pretium: *Argentum Lunæ* propter colorem: *Jovi ſtannum* propter colorem & naturæ ſimilitudinem: *Æs Veneri* propter colorem, & naturam inflexibilem: *Plumbum Saturno*, propter frigiditatem & pondus: *Ferrum ſive Chalybem* propter ſiccitatem *Marti*: Addit *Argentum Vivum loco Electri* propter mobilitatem *Mercurio*; Sed vide Biſciolum *horar. ſubciſiv lib. 5. cap. 11. & pluribus tom. 2. lib. 17. cap 14.* ubi opinionem eorum, qui metalla ad Planetas referenda cenſent, refutat.

(4) *In Proverbiis &c.*] Cap. *16. v. 6.*

(5) *In Revelatione ſua &c.*] Cap. 3. v. 18. ibi: *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum probatum, ut locuples fias.* Quod Oſiander *in Not. Marginal.* paulò aliter, quàm Klockius hîc, & ſic explicat: aurum illud probatum eſt ſincera fides, cujus incrementum emitur & comparatur ardentibus precibus.

Num. 2.

(6) *Formicas Indicas &c.*] Vide Plinium *l. 11. Nat. Hiſt. c. 31.* Strabonem *de Situ Orbis lib. 2. pag. m. 124.* &c.

Num. 3.

(7) *Plinius &c.*] *Lib. 33. Nat. Hiſt. c. 4.*

Num. 4.

(8) *Ramenta auri &c.*] Cæſius *in Minerologia l. 5. c. 2. ſect. 1. n. 1.*

Num. 7.

(9) *Tagano auro &c.*] Mirari ſubit, quî factum, quòd plerique Hiſpanicarum rerum ſcriptores tam dubitanter tradant ea de Tagano auro, quæ exteri quaſi pro comperto habent. Ita enim Joh. Vaſæus *in Chron. Hiſp. pag. 452.* Tagus in Celtibria oritur Tarraconenſis Provinciæ regione, ac primùm Celtiberiam, mox Carpetaniam, deinde Luſitaniam ſecans, propè Oliſiponem in Oceanum quoque exoneratur Atlanticum. Fluvius hic antiquis celebratus eſt arenis aureis, quas hodiè quoque reperiri affirmant, & eſſe, qui ex ea re quæſtum non mediocrem faciant. Franciſcus Tarapha porrò *de Regg. Hiſpan. pag. 679.* A Tago Rege, *inquit*, Tagus fluvius celeberrimus, vulgò nuncupatus *Tajo*, nomen accepit. Arenas habet, ob quas (*teſte Solino*) cæteris omnibus præfertur Hiſpaniæ, auriferas &c. Similia Lucius Marineus Siculus, ad Plinii Authoritatem provocans, *de Reb. Hiſpan. lib. 1. pag. 750.* habet. Ælius Ant. Nebriſſenſis demum *de Reb. Hiſpan. in Proleg. pag. 1084.* ſcribit: Hic (*ſcil. Fluvius Tagus*) à Poëtis aureas

aureas arenas in mare traditur voluere, quod non omnino fabuloſum eſt, cùm cernamus nunc in eo bracteolas aureas per medias arenas interlucere. Sed hæc obiter: vide interim de Tago & oppidis & locis, quæ præterfluit aut lambit, Fournier. *Geograph. Orb. not. parte 1, lib 7. cap. 12.*

(10) *Annales produnt &c.*] Et ex Nonio *de flum. Hiſp.* Lanſius *in Orat. pro Hiſp. pag. m. 157.*

(11) *Sic in Helvetia Urſa Flumen &c.*] Teſte Suizero, *ut jam ad lib. 1. cap. 15. n. 7. (10) notatum.* De aliis auriferis fluminibus & variis per Orbem aurifodinis Limnæum *ad A. B. obſ. 3. & 4. conſule.*

Num. 8.

(12) *Modum verò, aurum ex Rheno colligendi &c.*] Deſcribit quoque modum talem in textu allegatus ſuprà Noe Meurer *in Tr.* vom Waſſer-Recht *parte 1. n. 7. p. 11.*

Num. 10.

(13) *Dignitate præſtat; vel inde relucet &c.*] De Virtutibus, quæ auro præ cæteris metallis, primas tribuunt, latè tractat Chaſſanæus *in Catalogo Gloriæ Mundi part. 1. Conſid. 38. Concl. 61. n. 2. p. 46. & 47. & parte 5. Conſider. 37. Concl. 31. pag. 245. ſeqq. multis.* Cæſius *in Minerol. lib. 5. c. 2. ſect. 1. n. 11. &c.* Budelius *de Monetis lib. 1. c. 9.* & ante hos Plinius *lib. 33. cap. 3.*

(14) *Duodecupla &c.*] Et hæc fuit communior proportio argenti ad aurum, duodecupla nempè. Quod & Lindenſpür *in Comment.* über die Fürſtl. Würtenb. Land Ord. *fol. 193.* notat, quē plura de auro notabiliora ibi adducentem evolvas quæſo. Verùm ubi jam olim proportio hæc atque Analogia ſæpius mutata fuit, uti vel ex Budelio *de Monetis cap. 23.* apparet; Ita & neglectus certæ Analogiæ non minimam peperit rei numariæ in Imperio noſtro & confuſionem & corruptelam, ut proinde Lenzius in der Fürſtellung der im Müntzweſen ſich ereignenden Mängel eum pro Defectu 8, *pag. 31. ſeqq.* alleget, & remedendum huic malo juxta alia ſuadeat, quod & Joh. Georg. Krullius *de Regal. Monet. Jure c. 7. n. 81.* hortatur.

Num. 13.

(15) *Lateres aurei & argentei &c.*] Vide ſuperiùs *lib. 1. cap. 1. n. 64. (21.)*

CAPUT XXIX.

De Argento & Argentariis.

SUMMARIA.

1. *Uti aurum Soli, ſic Lunæ pallidiori* argentum *tribuitur: Hoc ut plurimum effoditur, rariùs cum aquis alluitur.*
2. Argenti *differentiæ, variæq; ſpecies adſignatæ.*
3. *Celebriores* argenti fodinæ *Potoſianæ ab Anno MDXLVI.*
4. Potoſi fodinæ *incredibilis quantitatis argenti.*
5. Argenti *liquefaciendi ratio.*
6. *Comitatus Tyrolenſis ob* Argenti fodinas *Regno fuit comparabilis.*

Et puri argenti, atque æris ſociabilis amplus
Eſt uſus paſſim. Res ſit & iſta lucro.

Metallum auro proximum, & viliùs auro eſt argentum, quaſi ἀργύριον album, 1 qui color eſt fidei. Nemo enim ferè eſt tam balbus, qui argento loquente, fidem non faciat. Et ſicut aurum Soli, ita argentum Lunæ, quæ lucet in tenebris, tribuunt Alchymici.

Secundùm uſum communem loquendi, argenti appellatione omne genus monetæ cujuscunque materiæ intelligimus, Tiraquel. *de retract. §. 1. gl. 20. num. 5. & 6.* Cujac. *lib. 10. obſ. cap. 14.* & forte potiùs ab argento, quàm ab ære, vel auro, quia pecunia argentea ſuperat dignitate & pretio æs, quantitate & uſu aurum, cujus *minor etiam erat copia apud antiquos.* (1) Effoditur argentum rariſſimè, in fluminibus reperitur, vel arenis lavatur. Naſcitur interdum purum *putum,* (2) merum, gediegen und fein Silber / aliàs plerumque miſtum. *In Scotia* (3) nova argenti fodina reperta eſt Anno MDCIX. valde dives. Ad petitionem Regis Angliæ, Elector Saxoniæ metallicos foſſores XII. eò miſit, qui eam excolerent. Caroli Regis tempore in Suecia operæ metallicæ florere cœperunt.

Ante Novi Orbis inventionem (4) argentum omne Gallia, Hiſpania, & Italia habuit ex Germania; tamque illud eſt copioſum, ut totæ maſſæ prægrandes ex nonnullis fodinis eruantur. Et quidem una in Snebergi *Georgio* effoſſa eſt, tantæ magnitudinis, ut illius videndæ gratiâ *Albertus bellicoſus* Dux Saxonicæ in ipſam *Georgium* deſcenderit, cumque is & ejus corporis ſtipatores maſſam illam in menſæ uſum adhibuiſſent, dixerit; *Imperator Fridericus potens & dives eſt, hodie tamen ejusmodi menſam non habet.* Georg. Agricola *de nat. foſſil. lib. 8.* Ita alia inſignis maſſa patrum memoriâ reperta eſt in valle Joachimica in capite fodinarum venæ, quæ & *Stella* & *Suicera* dicitur, pondo decem talentorum Atticorum.

Galliam argento carere, ſcripſit *Diodorus.* (5) E Pyrenæis tamen montibus, cùm ſylva caſu accenſa conflagraſſet, liquatum argentum hîc ut & in Hiſpaniis profluxiſſe narrat Athenæus, *lib. 6.* Et Dominicus Bertinus exiſtimat, *en Apologie de René Herpin. pour la Repub. de I. Bodin.* ex Pyrenæis montibus, ſi quis ſcrutetur, plus auri argentique effodi poſſe, quàm colligetur ex venis Peruviæ.

Uſus argenti præcipuus in numis, & 2 aliis operibus civilibus & militaribus, de quibus Agricola *lib. 8. de foſſil. cap. 6.* Differentias & ſpecies varias notat idem Agricola *cap. 2. obſ. metall.* Prima eſt, quod ſit nativum & purum, ſuum & rude gediegen / gewaſchen Silber / Fabric. *cap. 2. obſ. metallicar.* & Agricola *lib. 5. cap. 33. de ortu & cauſ. metall. & lib. 8. foſſil. cap. 5.* quod reperiri *Plinius* (6) negavit, ſed experimento confunditur. Quod etiam non excoctum mal-

leo tractatur & ſignatur. Imò argentum
rude, mollitie plumbea extat, & adeò len-
tum, ut ad candelam adhibitum liqueſcat,
Fabric. *d. c.* 2. *obſ. metall.* Plerunque aliis me-
tallis mixtum, quod ſi coctum & purgatum
fuerit, *Puſtulatum* (7) dicitur Martiali, à qui-
bus ſolet ſeparari, puta ære, plumbo, bis-
muto, &c. Quin quòd & variis foſſilibus
& ſaxis connaſcatur; Fabric. *d. c.* 2. & vario
colore & formâ differat, *d. c.* 2. Cognoſci-
tur per mineras, qualia cohæreant metalla;
Turnheuſer *l.* 2. *c.* 19. *per tot.* Undè argentum
aliud alio pretioſius, *l.* 1. §. 1. *ff. de aur. & arg.
legat. ibi ſi non certum genus argenti legatū ſit.*
Potoſi, (8) in Regno Peruano uberrimæ
3 argenti venæ detectæ ſunt An. C. MDXLVI.
unde tantum argenti extractum eſt; ut
ſolæ quintæ, quæ debentur Regi Hiſpani-
arum, ſpatio quadraginta proximorum an-
norum aſcenderint ad centum & undecim
milliones pondo. Valet autem pondo re-
galibus numis tredecim cum quarta numi
parte, ſi ad monetam Hiſpanicam redu-
cantur omnia. Obſervatum tamen eſt;
ultra tertiam partem hujus argenti deci-
matam vel potiùs quintatam non fuiſſe.
Purgatur hoc argentum à ſcoriis in officinis
quinquaginta duabus, exſtructis ſuper flu-
vium quendam vicinum; itemque in aliis
viginti duabus in valle Tarapia ſitis, ut jam
omittamus cæteras, quæ non aquarum
impetu, ſed equorum impulſu agitantur.
Sed cur in Potoſi regione tanta argenti
4 copia, ut referant DC. millia aureorum
in ſingulos menſes pretii argenti erui è fo-
dina? Sunt autem LX. millia librarum ar-
genti, præter id, quod ab Indis aufertur. Res
ſanè incredibilis primâ facie, ſed ſi quis dili-
genter conſideret, non adeò. Primùm enim
jam conſtat, longo ævo latuiſſe; unde in
unum defæcatum argentum coactum eſt;
quamobrem falluntur, qui ſperant in
poſterum perſeveraturam. Omnia enim
mortalia, ubi congeſta tempore incre-
mentum acceperint, finiuntur exhau-
ſta. Deinde regio illa inæqualis eſt: &
licet pro uno loco ſit copia incredibilis, ſi
quis tamen ad magnitudinem illius Cher-
ſoneſi comparet, quæ latitudinis habet
partes LXV. longitudinem etiam non me-
diocrem, non erit major copia ibi argenti,
quàm in Germania. Cùm etiam regio
illa tota ſit ſub Zona torrida, nihil mirum,
excocto humore aqueo, tantum argenti
generari. Deinde, ſi non miramur Italiam
tantum ferri habere, ut argentum illud
nec milleſima pars dici poſſit, cùm tamen
Italia ſit vix quadrageſima pars illius Cher-
ſoneſi, cur miramur de argento? At di-
ces, argentum perfectum eſt: fateor; ſed
magnum etiam diſcrimen eſt inter unum
& XL. millia: ibi etiam cœlum, ut dixi,
proportione reſpondet, Italia ferro, quia
nec extremè calida, nec frigida eſt. Eſt
autem Potoſi mons arduus ultra, ſed non
procul à circulo Capricorni inter urbem
Platam & Chile provincia, ſed Platæ pro- 5
pior in parte Occidentaliore ſeu maxi-
mè ab Hiſpania remota. Illud autem mi-
rum eſt, quod referunt, argentum illud
minimè liqueſcere follibus, cùmque o-
mnem circa hoc curam expoſuiſſent, edo-
cti priorum Principum exemplo, vaſa ipſa,
in quibus argentum liqueſcere conſueve-
rat, cum argento ſuprà & carbonibus in imo
perforata, à lateribus montium cacumini-
bus imponebant vento flante, atque ita li-
quefactum, denuò poſtmodum cum folli-
bus in parvis vaſis repurgabant. Cauſa hu-
jus etſi inventu perdifficilis ſit, attamen non
eſt omittenda. Videtur autem hoc contin-
gere, quoniam à frigido aëre illo externo
copioſoque calor intus colligitur, atque ita
majore vi liquefacit argentum, quod ſordi-
bus vehementer immixtum, haud poteſt a-
liter diſſolvi. Indicio eſt, quod in frigida re-
gione, & montium verticibus, atque ubi fri-
gidiſſimus eſt aër, hoc tantùm contingit.
Itaque cùm non flaret ventus, argentum
liqueſcere non poterat; ut ventis ad navi-
gandum & ad habendum argentum Hi-
ſpani uterentur; Hieron. Cardan. *de rerum
variet. lib.* 4. *cap.* 16. Maximam quoque ar-
genti fodinam quondam apud novam
Carthaginem, & in illa quadraginta ho-
minum millia in labore verſatos fuiſſe, ſin-
gulisque diebus populo Romano XXV.
drachmarum millia; quæ Budæi calculo
ſunt *bis mille & quingenti coronati*, inde accre-
viſſe, *ex Strabone diſcimus.* (9) Et Bebelo ar-
genti puteus, ab Hannibale inchoatus, autho-
ri ſuo CCC. pondo, quæ Budæo ſunt *tria au-
reorum millia*, in dies ſubminiſtravit, Plin.
Hiſtor. Nat. lib. 33. *c.* 6. Unica tantùm argen-
ti fodina Potoſienſis in Peruvia dat ſingu-
lis diebus ſupra XXX. millia Philippicûm,
Joſeph. Acoſta *Hiſtor Natur. Indic. l.* 5. *c.* 7.
Anno hujus ævi XXIII. in *Norvvegiæ
præfectura Sandvverta* (10) repertæ argenti
venæ puriſſimi. In Stiria quoq; & Carinthia
argenti, ferri & plumbi fodinæ non deſunt.
Comitatus Tyrolenſis argenti fodinis *apud
oppidum* Schwatz (11) adeò dives eſt, ut non
modò Ducatui valdè opulento, ſed etiam
regno comparari poſſe videatur. Nam, uti
Cuſpinianus in Auſtria ſcribit, pendet ſuo 6
Principi quotannis ordinariè ter centum
millium aureorum numûm. Nec tan-
tùm argenti, ſed & auri, metallorumque
omnis generis optimorum theſauri per-
magni è montium illius Comitatûs viſceri-
bus hauriuntur; *ſed & cacumina* (12) ſylvis
ferarumq; multitudine plena ſunt; colles &
clivi frugibus ac vineis; valles fluminum
ac fontium aquis irriguæ, armentis, & pe-
coribus refertæ ſunt, quæ pabulo non mi-
nùs;

nùs, quàm lacus & ſtagna inter montes ſpatioſiſſima variis & nobiliſſimis piſcibus abundant: ut ita Tyrolis non ſolùm Ducatui, verùm etiam Regno divitiis *poſſit æquiparari.*

Cùm ergò tanti ſit emolumenti & proventûs hoc metallum, Princeps, ſummâ induſtriâ in tuâ regione & montibus diligenter inquiri cures, num, & quicquid metalli generent, & venas argenti novas indefeſſo ſtudio excolas, ad exemplum Archiducum Auſtriæ, Ducum Saxoniæ, &c. quorum ærarium & ditio exinde valdè locupletata; & veteres interdum deſertas reſtaures.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT XXIX.

Num. 1.

(1) M*inor erat copia apud antiquos &c.]* De Romanis Plinius *lib. 33. Natur. Hiſt. c. 1.* perhibet, Romæ quidem non fuiſſe aurum, niſi admodùm exiguum, longo tempore; certè cùm à Gallis captâ urbe pax emeretur, non plus quàm mille pondo effici potuiſſe, &c. adde Livium *l. 5. c. 48.*

(2) *Putum &c.]* Confer de hujus vocis ſignificatione AGellium *Noct. Attic. l. 6. cap. 5.* & in illum Phil. Caroli Animadverſiones.

(3) *In Scotia &c.*] Quæ fortè eadem eſt, quam non longè ab Urbe *Linlithquo* ſive *Lithquo*, olim *Lindum* dictâ, patefactam, circa Annum MDCIX. refert in Itiner. Anglic. Zeillerus *c. 7. n. 12. pag. 260.* & cujus meminit Jonſthonus *Rer. Britan. Hiſt. l. 13. pag. 433. ad Annum 1607.* his verbis: Per hos dies, in Lotharià ulterioris Britanniæ Regione, prope Limnuchum, Argentifodina non ignobilis inventa eſt, octoginta Annis à Germanis antè patefacta, & detecta. In cujus rei teſtimonium, amnis præterfluens *Argenteus fluvius* appellatus. Thomas Hamiltonius, Procurator Regius, huic Argentariæ fodinæ continentia quædam Prædia, atque adjuncta habuit. Is cupiditate inflammatus, extemplò, partim gratiâ Baroduni Comitis, partim pretio, Argentaria metalla in Scotia conduxit; & magnum quæſtum ex ea re fecit; reconditam venam, infinitamque vim argenti rudis conſecutus. Quâ re cognitâ, Rex in ſpem maximam immenſorum opum adductus, juſſit Hamiltonium, jam refertum pecuniâ, æſtimare Argentariam; quinque mille libris Anglicis ab illo coëmit. Inde Baroduni Comiti negotium dedit; qui, adhibitis Foſſoribus, venam ſagaciter perveſtigavit; & magnum infectæ materiæ pondus Arci Londinenſi intulit. Quâ perpurgatâ, uberior ſpes divitis venæ affulſit; quæ brevi evanuit, & Vena fœcunda tam præclari, ac tam nobilis Argenti periit.

(4) *Ante Novi Orbis inventionem &c.* Sic ſtatuit Lanſius, (*ex quo hic §. integer deſumptus,*) *in Orat. pro Germania p. m. 51.*

(5) *Diodorus &c.]* Biblioth. Hiſtor. *l. 5, c. 27.*

Num. 2.

(6) *Plinius &c.] Lib. 33. Natur Hiſt. c. 6.*

(7) *Puſtulatum &c.]* Secundùm Cujacium *Obſerv. lib. 7. cap. 39.* Argentum puſulatum eſt, quod Suetonio *in Neron. c. 44. & Martiali* puſtulatum vel poſtulatum, non Alciati ſenſu, ſed quòd ſoleat argentum merum in coquendo in puſulas adſurgere. Gallicè dicitur, *argent de copelle.* Et Molinæus *Tr. de mut. mon. pag 554.* inquit; Argentum *puſtulatum* dicitur, quod eſt *purum & excoctiſſimum*, quaſi parum putumque.

Num. 3. 4. 5.

(8) *Potoſi &c.]* De hiſce fodinis Acoſta *Nat. Hiſtor. Ind. lib. 4. c. 7.* agit, exque eo luculentam narrationem, præſertim de inventione illarum. contexit Eraſmus Franciſci im Oſt- und Weſt-Indiſchen Luſt-Garten *p. 1119. ſeqq.* quò me refero.

Num. 5.

(9) *Ex Strabone diſcimus &c.]* Geograph. *l. 3. pag. 266.*

(10) *In Norvvegia Præfectura Sandvverta &c.]* Helduardus *in Sylva Chronolog. Circuli Balthici pag. 323.*

(11 *Apud oppidum Schvvaaz &c.*] Exactiſſimè & elegantiſſimè Fodinas metallicas Suatianas deſcriptas exhibet Stephanus Vinandus Pighius *in Hercule Prodicio, pag. 149. ſeqq.*

Num. 6.

(12) *Sed & cacumina &c.*] Sunt verba hæc usque ad illa; *poſſit æquiparari*, jamjam laudati Pighii *d. loc. pag. 148.* qui in antecedentibus ſcribit, Provinciam eam, *Tyrolenſem nempe Comitatum,* Alpibus licet incluſam & extentam per ipſa juga Rhætica: fructuum tamen, rerumque ad vitam humanam neceſſariarũ, nec non auri, argenti, metallorumque omnis generis optimorum copiâ tam locupletem ac divitem eſſe: ut eam aptiſſimè & admodum facetè Maximilianus Auguſtus, Ferdinandi Proavus, hanc, *rudem & agreſtem ruſtici tunicam,* appellare conſueverit, *multis quidem plicis & rugis horridam, ac deformem: valde nihilominus bonam, calidam, ac commodam eſſe dicens.*

CAPUT XXX.
De Ære & Cupro.

SUMMARIA.

1. *Poſt Argentum Æs, veterius ferro, uſitatiusq́; domi, militiaq́; etiam in Medicâ.*
2. *In Comitatu Tyrolenſi omnium eſt* æs *præſtantiſſimum. In Cumbria quoq́; Angliæ Provincia æris venæ opulentæ ſunt, ibid.*
3. *Ad quàm varia opera* æs *ſit idoneum.*
4. Ære *rubro nobilius eſt* æs *fulvum, ſive aurichalcum.*
5. *Modus* æris *deaurandi, variaq́; æris ſpecies.*
6. *Æs Coronarium, Corinthium, Pyropus &c.*
7. *Æris Corinthii origo.*
8. *Æs olim ab auro vix erat ſeparabile: Nunc Neotericorum induſtriâ artificioſè diſcernitur.*

Nulla carere domus cupreo ceu novit aheno;
Sic Fiſci utilitas inde ſalusque fluat.

1 ARgento ſuccedit Æs. Æs autem ferro antiquius eſſe vel exinde conſtat, quòd arma primùm ærea fuêre, quæ etiam, poſtquàm ferrum inventum, ærea fuêre vocata per Synecdochen ſpeciei pro ſpecie, Gerard. Joan. Voſſius *lib. 4. Inſtit. Orat. cap. 11.* ubi recitat illud Heſiodeum: *Ære operabantur, non enim nigrum erat ferrum.* Eſt autem æris ſeu Cupri uſus in re familiari, & militari, in horologiis, campanis, tubis (quarum rerum non par antiquitas) præcipuus & ampliſſimus; nec non in re medicâ ſuas vires vitriolatas exhibet. Purum rarò habetur. Plerumq; aliis metallis & ſaxis ærosis cohæret, & id ſolum hodiè, quod colore ad rubiginem vergit, Roth Kupffer. In Comitatu Tyrolenſi æris metallum omnium 2 præſtantiſſimum eſt, cùm vix alibi adeò ductile reperiatur. Habet & Cambria Britanniæ Provincia æris venas opulentas non ſine auro & argento jam olim inventas: ſed à Daniele Hochſtettero Germano Auguſtano noſtro tempore denuò repertas: tantum abeſt, ut Ciceronis illud ad Atticum *lib. 4. Epiſt. 84.* verum ſit; *neque argenti ſcrupulum eſſe ullum in inſula Britanniæ.* Nec Cæſar, ſi has noviſſet fodinas, Britannos importato ære uti ſcripſiſſet; cum hæ & aliæ ærariæ nôſolùm univerſæ Angliæ ſufficiant, verùm etiam magna vis quotannis exportetur, Cambden. in *Britannia 631.*

De Æthiopibus Macrobiis *narrat Herodotus,* (1) eos pluris feciſſe æs quàm aurum, quod inter ipſos vile fuerit. In Ungariæ Comitatu Zapolienſi *apud oppidum Smolnicenſe,* (2) intra montes aqua quædam ſcaturiens in ſubjectas foſſas delabitur, in qua ferrum exiguo tempore inſtar luti aut argillæ molleſcit; quod ſi igne colliquatur, optimum ex ſe gignit cuprum. Similiter Kuttenbergi Bohemorum Marchaſitam fundunt, & ferrum in cuprum mutant, quod non ſolùm bonitate præſtat, ſed etiam malleo magis eſt tractabile. Quod etiam fit Goslariæ, & alibi.

Et ſic Natura ob diverſum præparationis modum ex una eademque materia metalla producit varia. Quo conceſſo à veritate philoſophica nequaquam erit alienum, idem quoque tribuere Arti, quippe quæ non tantùm imitatur naturam, verùm & eam ejusdem adjumento non rarò corrigat, ſuppleat, atq; in quibusdam quodammodò ſuperare videatur. Neque hîc illud nos ferit telum: *Ars tanquam accidens non efficit ſubſtantias;* cùm noſtra hæc non ſit aſſertio. Natura producit, ars verò ſequens naturæ ductum, producta, veluti naturæ inſtrumentum, mutat & perficit, impura purificando, cruda verò coquendo & digerendo. Et ſi natura poteſt mutare ſpecie diſtincta, quî non ars adhibitis naturalibus? quia ars eſt æmula, & perfectrix naturæ. Adde; ſi metalla miſceri poſſunt, utique etiam mutantur. Aſt ſi mutantur, certò certius eſt, quòd fiat generatio miſti. Generatio verò miſti quid aliud? quàm mutatio, ſiquidem miſtio & generatio ſaltem ratione differunt. Ideoque arbitramur non malè dixiſſe *Sennertum,* (3) eos ἀῤῥωςία τῆς διανοίας laborare, qui metallorum transmutationem negare velint. Sed hæc extra ſemitam.

Opera, quæ ex cupro fiunt, ſunt multifaria, videlicet ad arma, & catapulta bel- 3 lica; item ad templa, ad campanas, ad tecta & turres, ad vaſa ænea omnis generis, patinas, phialas, cantharos, alembicos diſtillatorios, Kupfferne Brenn euge, veſicas, &c. quæ ſæpè ſtanno incoquuntur. ver i net/ ne infuſa tam facilè ſaporem acidum, id eſt, vitriolatum, imbibant. Quin & ad opera majoris momenti ſe æs extendit; ad numos, ad ahena braxatoria, Braupfannen/ tormenta & mortaria bellica, & ad variam ſupellectilem culinariam, & id genus alia inſtrumenta innumera, quæ ex parte recenſet Agricola *lib. 8. foſſil. c. 10.*

Fulvum æs ſive aurichalcum, Meſſing/ præcipuam bonitatem & admirationem obtinuit, ære rubro multò nobilius, Plin. 4 *libr. 34. cap. 2.* Agricol. *lib. 8. foſſil. capite 4.* das dem Golde zunächſt geſchätzet/ wird jetziger Zeit nicht gefunden: uti nec candidum. Quod verò Orichalcum hodiernum, vulgò Meſſing, longè alia ratione conficitur; qualia opificia Vulcania in Comitatu Stolberg, ſive Werningrod, & Ducatu Brunsvicenſi propè Bructerum celſiſſimum in Germania montem exſtant, vulgò Meſſings-Händel. Quæ eleganter deſcribit Taubmannus. Æris differentias loca differentia ſuppeditant. De ærariis, Kupffer-Bergwerck antiquis & novis Agricola *d. lib. 2. de metall. cap. 10. & 11.* Hodiè Mansfeldicæ celebrantur. Purum æs quidem reperitur, Agricol. *in Bermano cap. 24. fol. 909.* ſed rarò, Georg. Fabric. *obſ. metallicar. cap. 4.*

Modum verò inaurandi æris, ut formam auri induat, Zaſius tradit ex Plinio *lib. 33. c. 3. & 6.* Incendunt, *ait,* æs igni, ut ardeat: deinde reſtringuunt ſale, aceto & alumine, poſteà inducunt bracteolas auri, & iſtas 5 bracteolas æs ſic præparatum recipit in ſe, ut ſtrictiſſimè hæreant, & ſi æs palleat ſub bracteolis, tunc illinitur liquore ovi, qui demit colorem æris. Zaſius *in d. l. ſi id quod 22. de verbor. oblig.* De ære Coronario & 6 Corinthio pulchrè differit Guid. Pancirol. *lib. rer. memorabil. tit. de Pyropo & tit. de Corinthio ære. ubi* Salmuth. *in Notis* ex Plinio *l. 34. cap. 8.* & Iſidoro *lib. 16. cap. 19.* probat, æs quoddam Cyprium ſive Coronarium & 7 ducti-

ductile tenuari in laminas, taurorumque felle tinctum, ſpeciem auri in coronis hiſtrionum præbere: Idemque in Uncias additis auri ſcrupulis ſenis, prætenui Pyropi bractea igneſcere: Unde & Pyropum dicitur. De quo illud Ovidii:

— — *flammas imitante Pyropo.*

Cui convenit Propertius *lib.* 4.

Picta nec inducto fulgebat parma Pyropo.

7 *Æris verò Corinthii* (4) originem inde diducit; Corintho Anno DCVIII. ab urbe condita, captâ, & incendio flagrante, caſu factum eſt, ut aurum, argentum, & æs liquefacta miſcerentur. At cùm pulchra videretur mixtura iſta poſt incendium inventa; fuſa inde fuerunt vaſa affabrè ſculpta, propter quæ quoſdam inter proſcriptos Auguſtum curaſſe referendos, meminit Sueton. *in vita Auguſti cap.* 70.

Æs etenim cum auro ſemel mixtum, de-
duci, hoc eſt, ſeparari olim non poterat: i-
deoque communicabatur, *l. idem Pomponi-* 8
us §. *ſed ſi plumbum ff. de rei vindicat* Ho-
die autem, cùm Aurifices Chriſulcæ aquæ vi, æs ab auro, & quodvis metallum ab altero ſeparare poſſint, ut Alciatus tradit *lib. 6. parerg. cap.* 11. non communicaretur illud, nec ære Corinthio aurum contineretur: ſed deduceretur, & ſuum cuique redderetur: non ſecus ac plumbum cum argento mixtum, *dict.* §. *ſed ſi plumbum. Vide l.* 4. *ff d. legat.* 1. *& l. hæres* 200. *ff. de legat.* 3. *l. lacus* 12. §. *ſi ære meo ff. de acquir. rer. domine* Stephan. Forcatul. *in Necyomant. dial.* 48.

Tibi, Princeps, potiſſimùm ſit curæ, ut in tua Ditione hoc metallum diligenter inveſtiges, cùm medio hoc Reipublicæ & ærario prodeſſe queas.

ANNOTATIONES

Ad

CAPUT XXX.

Num. 2.

(1) NArrat *Herodotus &c.] Lib.* 3. *cap.* 23. ubi de miſſis ad Æthiopum Macrobiorum i. e. *longævorum* Regem à Cambyſæ Exploratoribus, & quid cum Æthyopo egerint exponit, ſubjungens: *Rex iſtos ad carcerem deduxit, ubi viri omnes aureis vinculis erant alligati. Eſt enim apud hos Æthiopes omnium rariſſimum & pretioſiſſimū Æs.*

(2) *Apud oppidum Smolnicenſe &c.*] Penſiculatiùs hæc enarrat Author noſter *capite ſeq. n.* 7. Frölichius *viatorii parte* 2. *cap.* 9. *n.* 389. *pag.* 299. Smölinzii, *inquiens*, è montibus extrahitur aqua, quam canales & alvei excipiunt. In hos ferrum, ſive novum imponitur, quod cùm per aliquot dies aquæ immerſum jacuerit, obducitur limo, qui minutis ſcopis abſterſus, igniq; impoſitus, in cuprum transmutatur. Hanc veram metamorphoſin, qui, ceu fabulam, rident, fabulæ illi ipſi. Ex qua Metamorphoſi (*ut ille ipſe d. loco n.* 370. *pag.* 286. *dixerat ante hæc,*) quæſtus ingens fit, illumque cuprum factitium, plenis plauſtris annuatim, ad varios uſus in Poloniam, & ratibus in Boruſſiam vehitur, & inde per alias remotiores regiones diſtrahitur. Adde Mattheſium in der Sarepta *Conc.* 8. *pag.* 111. *in pr.* Cæſium *Minorolog. lib.* 5. *cap* 2. *ſect.* 6. *n.* 8. *p.* 623.

(3) *Sennertum &c.*] *Libro* 1. *de Conſenſu Galen. & Chymic. c.* 2. cum infrà ab Authore *cap. ſeq. n.* 7. citato, Andr. Libavio *in Tr. contra Guibertū transmutationes inficiantem lib.* 2. *pag.* 217. *& ſeqq.*

Num. 7.

(4) *Æris verò Corinthii &c.*] De hoc Ære dictum fuit jam antè *ad lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 7. (22) ubi & alia in numeris præcedentibus & ſequentibus de hocce metallo notabiliora (ſperamus) attigimus.

CAPUT XXXI.

De Ferri & Chalybis Fodinis, Eiſen-Stahl/Eiſen-Ertz und Stein.

SUMMARIA.

1. Ferri *antiquitas & utilitas.*
2. Ferrum *optimum peſſimumq; vitæ inſtrumentum.*
3. Ferrum *reperitur in montibus, in agrorum planitie, etiam in aquis:* Ferrum *purum & dives juxta magnetis venas viſitur, num.* 4.
5. Chalybs *vel naſcitur, vel indurato ferro conficitur, ubi multa de venis & varia qualitate ferri & chalybis faciendi ratione. &c.*
6. *Styriæ & Luſatiæ agri fertiliores* ferri.
7. *Arte poteſt* ferrum *in æs transmutari.*
8. *Aquæ ſunt in* Hungaria, *quæ ferrum erodunt atque conſumunt: quo ferro pereſo manet aliquid luto ſimile, eſtq; Cuprum,* n. 9.
10. *Non eſt fruſtranea vel inanis opera* ferrum *in Cuprum transmutandi.*
11. Helvetia *habet ferri & Chalybis fodinas, ſed parùm uſurpatas.*

Emolumenta gravis ferri, chalybisque rigentis
Quis neſcit? ſciat id Rex quoque ſceptra tenens.

FErrum omnium metallorum antiquiſ-
ſimum, & à primis mundi incunabulis 1
notum fuiſſe, ſacræ Paginæ docent, *cap.* 4. *Geneſ. v.* 22. ubi vivente adhuc Adamo Protoplaſto Tubalcain malleator & faber in cuncta opera æris & ferri fuiſſe dicitur. Poſt Diluvium verò ferrariæ artis ſcientia, à Noemo filiis poſteriſque ſuis tradita, propagata, magnos ubique gentium progreſſus fecit. Quin & inter omnia foſſilia nulla tàm copioſa, atque ita ubivis locorum

obvia, ut non ſit regio, quæ non ferri aliquam venam, aut terreſtrem materiam ferrugine aliquâ imbutam, aut leviùs tinctam proferax, ſpectatur; quaſi natura ipſa metallum hujusmodi maximè omnium neceſſarium, & infinitis hominum uſibus deſtinatum ubique uti præſtò eſſe, ita nullibi locorum deeſſe voluerit. Ferri ope ſcindimus, filamus, conſuimus, fabricamus, compingimus, ferimus ambuſta, ponimus pomaria, vites ſqualore deciſo annis omnibus cogimus rejuveneſcere; hoc figuramus tecta, cædimus ſaxa, innumerosque ad alios uſus ferro utimur. Sed &
2 eo utimur ad bella, cædes, latrocinia, non cominùs ſolùm, ſed & miſſili, volucrique nunc tormentis excuſſo, nunc lacertis, nunc verò pennato, *quam ſceleratiſſimam humani ingenii fraudem arbitror*; (1) quoniam, ut ocyùs mors perveniret ad hominem, alitem illam fecimus, pennasque ferro dedimus: hoc ſecurè vivimus, ſuſtentamur, veſtimur, ornamur, defendimur, recreamur: inſtrumentum omnium aliorum inſtrumentorum, ſine quo opificium nullum, nulla ars, nulla denique humanæ vitæ conſuetudo & uſus ſubſiſtere poteſt.

3 Reperitur autem ferrum non tantùm in montibus, ſed etiam in agrorum planitie excavatur, uti in Sileſiâ, & Luſatia fieri videmus, & alibi ex aquis colligi & lavari, notat Georg. Fabric. *cap. 8. obſervat. metall.* Et quod mirum, effoſſum in Sileſiâ & Luſatiâ nova incrementa capit, referente Bornitio *lib. 1. de rer. ſufficient. cap. 30. fol. 46.* & purum etiam produci, aſſerit Georg. Agricola rerum metallicarum peritiſſimus *lib. 8. foſſil. cap. 13.* præſertim quòd juxta magnetis venam oritur, & ferrum dives appellatur.

4 *Apud Cantabros* (2) præter plumbum & magnetem lapidem, quem nonnulli *ferrum vivum* vocant, ferri Chalybisque venæ adeò ſunt divites, ut Vulcanus illic officinam, & Mars armamentarium poſſuiſſe, dici poſſit. Et Plinius *hiſtor. natural. lib. 34. cap. 14.* author eſt, in Cantabriæ maritima parte montem eſſe prærupte altum, *totum ex ferro.* Sic & auri ferrique gloria Bilbilin nobilitavit, teſte Martiali Epigramm. *l. 12.*

auro Bilbilis, & ſuperba ferro.

5 Ex prædictis liqueſcit, venas, ex quibus ferrum excoquitur, omninò varias eſſe; inque venis Magneticis perfectis, perfectum ferrum & purum reperiri. Sæpè ex Rubrica, pyrite, ochra, ſandaraca, nonnunquam ex argilla, arena, limoque ferrei coloris molli & pingui excoquitur. *Multi quoque lapides terræ*, (3) aliæque miſturæ, atque innumeræ rerum formæ, ferreas quasdam ſubſtantias ſive rudimenta, aut ſemina quædam ferri continent, quæ ſpuriæ concretionis indumento ignium vi exutæ in ſobolem ferream transmutantur. Ex varietate autem materiæ, ex qua educitur, varia quoque ferri qualitas & temperies reſultat. Hinc aliud ferrum forte, ductile, leve, tenax, aliud debile, intractabile, aſperum, fragile reperitur; hoc rubigini obnoxium fœdâ tabe conficitur, illud fulgidum & politum, rubiginis venenum non facilè admittit.

Multum quoque *ad optimam ferri temperiem confert carbonum, ex quibus excoquitur, ratio*: (4) cur enim enſes rumpantur, fiſtulæ martiales diffindantur, cultri exterantur, loricæ trajiciantur, facilè nulla alia ratio eſt, quàm quòd ferrum rimas quasdam vix perceptibiles, quæ diverſis in partibus hiſcant, habeat; Unde partibus non benè coagmentatis, ſolidatisque, ad quamvis violentiam, facilem continui diſſolutionem patitur. Oriuntur autem hujusmodi rimæ, quando ſupra ferrum excoquendum carbonum accumulantur quisquiliæ: hæ enim cùm plerumque lapillos, arenam, cretam, varias ſordes, laterum fragmenta, aliaque aſſulatim congeſta in ſe commiſta contineant, fit, ut, dum liquefiunt, in ſuperficie bulloſas quasdam congeries, vel intus inanitas, & fiſſuras quasdam, non ſecus ac in vitrea materia fieri videmus, cauſentur; ut proinde ex hoc capite partes cum partibus minùs coagmentari poſſint, vel etiam ideò, quòd, cùm in materia, ferri dum excoquitur, partes ab igne reſolubiles evaporantes evaneſcant, aliis terreſtrioribus, & magis conſiſtentibus induratis, ruinæ & vacuitates compareant, neceſſarium eſt. Ut igitur hujusmodi incommoda evitentur, carbones ex quercu, ilice, aliisque materiis duris & ſolidis, lithanthraces quoque ad ferri excoctionem, ſecluſis omnibus quisquiliis, adhibendi ſunt.

Chalybs, Stahlſtein und natürlicher Stahl ſub ferri genere continetur; & vel naſcitur, vel tincturâ ex ferro fit, quâ tincturâ (vulgò Härten) durities & robur ferro conciliatur, Fabric. *dict. cap. 8.* & ferrum Chalybi ſimile redditur, Lonicer. *lib. 1. cap. 97.* Ferrum itaque optimum, ſive Chalybs, duplici ratione producitur, vel naturâ, vel arte. Naturâ producitur ex venis perfectè Magneticis; quantò enim vena fuerit perfectior, tantò perfectius inde ferrum excoquitur, cùm chalybs nihil aliud ſit, quàm ferrum maximè depuratum & perfectum: Arte quoque ex quavis ferri venâ chalybs variis modis conficitur; primò ferro multâ coctione depurato, varias alias ſpecies operi congruas, ut marmoris, aliorumque lapidum pulveres adjungunt, quibus ariditas ferruginea veluti ſaturatur, impinguatur, ferrumque commune nitidum & tracta-

tractabile redditur. Quidam ferrum duriſſimum reddunt, & in perfectum chalybem redigunt hac ratione; ungulis bovinis aut hircinis cornibus in pulverem, ſeu cinerem redactis addunt ſalem communem, & vitri confracti fuliginisque mixturam, hujus compoſitionis pulvere ferrum indurandum igni fortiſſimo per horam plus minus imponunt, conſumptoque pulvere exemptum forfice in frigidiſſimam aquam mergunt, habentque ferrum chalybeum deſideratum: hac ratione limas, cultros, loricas, ſimiliaque quàm optumè indurant periti artifices. Alii, ut ſerras, hamos piſcatorios, cultros, ſcalpra, tum ad metalla, tum lapides inſcindendos ſingula convenienti ſibi temperamento indurant, eâ, quæ ſequitur, induſtria: Ferra quævis candefacta in liquore ex aqua, alumine, & urina admiſto pulvere ex borace nigra, corticibus cochlearum, & oſſe ſæpiæ facto, extinguunt, attendendo diligenter colores ferri, qui ſi violaceus fuerit, ferrum ſerræ temperamentum: ſi cinericius, hami: ſi fulvus, ſcalpri temperiem habebis. Nonnulli ferrum in aceto diſtillato, aut urina, aut in aqua ex ſalinitro, ex ſale armoniaco educta, vel in liquore calcis vivæ, vel denique in frigidiſſimarum herbarum ſuccis extinguentes ferra duriſſima reddunt.

Succus quoque aconiti fixans & indurans eſt. Sicut autem omne ferrum in frigida aqua extinctum, nunc majorem, nunc minorem pro varia aquæ natura & proprietate duritiem acquirit; ita in oleo extinctum in mollitiem vertitur, atque adeò morbidum redditur, ut manibus contorqueri, & frangi poſſit, molle quoque, præterquam quod oleo, cerâ quoque, & aſâ fœtidâ, item ex malva, corticumque fabarum expreſſis calidis ſuccis redditur; ita ut ferrum ad contrarias ſibi ſpecies durum & contumax, ad amicas verò molle & tractabile evadere videatur: dixi, pro varia aquarum natura & proprietate ferrum duritiem acquirere. Si enim aqua per ferri feraces meatus defluxerit, plurimum ad ferrum in chalybem transmutandum conducet. Si verò per meatus Arſenico, ochra, ſandaraca, ſimilibusque ſcatentes foſſilibus decurrit, rubiginem facilè contrahet roſionibus obnoxium. Tantum poſſunt in hoc negotio paucæ quædam circumſtantiæ.

Cùm itaque tanta ſit ferri chalybisque utilitas, hocque metallum infinitis maximisque humanis neceſſitatibus inſerviat, omniaque alia metalla utilitate, frequentiâ, abundantiâque ſuperet, lapides ferri (vulgò Eiſenſtein) ô Princeps, in tua Ditione perveſtiga, & in varios uſus belli & pacis excavare ſtude. Quod ſi ferro vel chalybe in montibus, vel agris tuis abundas, venas ferreas 6
haud ceſſa excoquere, cocta fundere, & fuſa ad omne genus opificii ferrarii accommodare, quæ toti Reip. ac Ærario accommodabunt. Styria & Luſatia ſuperior, cujus agri ferro fertiles, tibi exemplo & invitamento ſunto. De argilla ferri, Eiſenthon / vide Fabric. *d. c. 8.*

Ferrum quoque naturâ vel arte obſtetricante in purum æs transmutari poſſe, latiſ- 7
ſimè probat Andreas Libavius in tract. contra Guibertum transmutationes inficiantem, *lib. 2. pag. 217. & ſeqq.* Cui applaudit Daniel Sennert. *lib. 1. de conſenſu Galen. & Chymic. cap. 2. part. 21.* Et Goslariæ aquam mineralem è monte Rammelsberg effluere, cui ferrum injectum in cuprum mutetur, in explorato eſt. Nec alteratur tantùm ferrum, (ut in Orichalco fieri ſolet tincturâ cadmiæ, Gallmey) ſed verè transmutatur in æs, interventu inprimis aquæ vitriolatæ. *In Hungaria quoque* (5) prope Zepuſium aquæ ſunt, 8
quæ ferrum erodunt & conſumunt. Quæ minora ſunt ferramenta, citiùs adeduntur. Solea ferrea equi conſumitur intra horas viginti quatuor. Quæ verò ſunt craſſiora, cujusmodi ſunt, quæ in vicini montis ferrariis hunc in uſum fiunt, poſtquam per aliquot dies aquæ immerſa jacuerint, ceu limo quodam obducuntur adeſa, eoque ſtatis temporibus abluuntur, & purgantur, ut in id, quod ſupereſt, ferrum aquæ vis efficaciùs penetret. Quod pereſo ferro manet luto ſimile, cuprũ 9
eſt. Id in fornace conflatur in maſſam, & deinde per aliam fornacem aliquantùm fit puriùs, & purgatiùs, & ad omnes uſus non minùs utile, quàm quod fit ex metallo, cujus multæ ſunt fodinæ eodem in loco, vide Bornit. *lib. 2. de rer. ſuffic. cap. 40.* ubi multos modos transferendi ferrum in Cuprum ſuggerit, 10
& in fine ſubjungit; Principes ſeu Magiſtratus, qui ferri & plumbi fodinas poſſident, fruſtraneam operam in hac ſpecie transmutationis non locaturos, ut defectum æris ſuppleant. Quòd ſi natura loci aquas vitriolatas largiatur, res erit in facili & minori impenſa.

In Helvetia nulla ferè præter ferri & chalybis optimi ſecturas fodinæ ſunt. *Gens enim,* 11
militiæ dedita, (6) rem metallicam, cujus ignara eſt, negligit, neque patitur peregrinos fodinas facere, ne ſylvæ cæduæ in carbonum uſum cædantur, & paſcua in montibus optima pereant, aut vaſtentur, & regione peregrinis repletâ, indigenis inde multa & magna incommoda naſcantur.

ANNOTATIONES *Ad* CAPUT XXXI.

Num. 2.

(1) *QUam ſceleratiſſimam humani ingenii fraudem arbitror &c.*] Et quidem ex ſententia Plinii *lib. 34 Natur. Hiſt. cap. 14.* At verò quid nunc cenſeret ille de inventis Germanorum pyrio pulvere atque bombardis, ſi ea ad notitiam ipſius perveniſſent: Si videret tot bombardarum & ſcloporum etiam minorum illorum, qui parvo ſub veſtis ſpatio occultari poterunt, genera, tot Tormentorum bellicorum majorum, minorum mediorum ſpecies, mortaria, lapidibus, globis ferreis candentibus onuſta, Urbibus ſtrages minantia, pyrobolos, malleolos, ignita miſſilia &c. pylociauſtra, ſuffoſiones & cuniculos, per quæ omnia parva pulveris dicti quantitate adhibitâ, homines interimuntur, exercituum ſtrages eduntur, muri urbium domúsve cum viris pariterque innocenti ſexu diſturbantur & obruuntur, incendia excitantur, portæ violenter diſrumpuntur, caſtella & oppida ſubvertuntur, quo eò commodiùs homo homini nocere queat. Credo exclamaret quàm ſævis & triſtibus modis miſeri mortales in mutuum exitium exardeſcunt! quot vias è vita migrandi damnandâ vafritie excogitarunt, cùm unam intrandi Natura communem ſingulis fecerit! Quando in mutua ſævire viſcera deſinetis?

(2) *Apud Cantabros &c.*] Lanſius *in Orat. pro Hiſp. pag. 155.*

Num. 3.

(3) *Multi quoque lapides terræ &c.*] Sic in China, & quidem *in Suchuen*, circa *Kionchang* montem ex *Tiexe*, ex quibus lapidibus igne liquadis deſtillare ferrum ad acinaces & gladios aptiſſimum, perhibet Author *Artif homin natur. mirandor in China & Europ. cap. 30. pag. 779.*

Num. 5.

(4) *Ad optimam ferri temperiem confert carbonum &c. ratio &c.*] Ferrum, quod *Quangtung* Provincia Chinæ dat, adeò nobile eſt, ut fiſtulæ ex eo fuſæ pro bombardis, nunquam diſſiliant, ſed ſi nimiùm infarciantur pulvere, aut vim ignis nimiam ferre non poſſint, ut ſummum, finduntur aperiunturque aliquantum absque adſtantium noxa, ex eo fortaſſe, quòd ligneo carbone illic liquefit ferrum, qui lentitudinem illi aliquam conciliet, aut viſcoſitatem relinquat; non foſſili, qui nimiùm indurat ferrum & conſtipat, ut ſentit d. Author *admir. in China & Europ. d. loco pag. 776.*

Num. 7.

(5) *In Hungaria quoque &c.*] Gemina ſunt, quæ tradidit ſuprà Klockius *cap. 30. n. 2.*

Num. 11.

(6) *Gens olim militiæ dedita &c.*] Sunt verba Suitzeri, ut *jam lib. 1. cap. 15. n. 7. (10.) & lib. 2. c. 28. n. 7. (11.)* indicavimus.

CAPUT XXXII.

De Stanno & Plumbo.

SUMMARIA.

1. Stanni *natura deſcribitur: Diſcrimen ſtanni & plumbi, eorumq; uſus.*
2. *Diverſitas* ſtanni & *argenti; & in quo eorum ſimilitudo.*
3. *In mixturis metallorum,* ſtannum *quaſi venenum eſt.*
4. Stannum *Miſniæ, & Angliæ nobiliſſimum.*
5. *Habita olim quibusdam* Pecunia ſtannea.
6. Plumbi *uſus, neceſſitas, & origo.*
7. Plumbi *certæ venæ; fiſtulæ plumbeæ hoc* n. & 8.
9. *De* Tubulis plumbeis *Anionis veteris & aquæ Trajanæ, Martiæ, ſimilibusq; notatu digniora.*
10. Numi plumbei *olim uſitati.*
11. Plumbo *Pontifices Romani Bullas; alii etiam Diplomata ſignant.*

Liventis plumbi ſtanniqùe Frequentior uſus,
Ærarium ditare, valdè eſt congruus.

1 STanni maximus quoque uſus eſt, præſertim ad utenſilia, & crepundia infantilia, quorum interdum ſingulare opificium in Civitatibus, quæ quæſtu omnis generis deditæ, miſceri ſolet cum plumbo, cùm per ſe ſit minùs tractabile, longè tamen differt à plumbo, nec candidum plumbum, ut vulgò indigitari ſolet, cum plumbo cinericio ſive nigro idem eſt. Stanni natura eſt calida & humida, plumbum verò humidum & frigidum in ſecundo gradu: illud hepati, hoc ſpleni appropriatum; *Illud Jovis dominium agnoſcit*, (1) hoc Saturni, ut Sam. Gentersberger *in ſuo ſpeculo utriusque lumin. cap. 1. & 2.* docet. Ac quòd ſtannum admixtum cætera metalla, quaſi lethiferum venenum perdat, ac planè corrumpat, tradit quoque Johannes Bodinus *de Rep. lib. 6. cap. 3.* ubi ſubjungit: tametſi ſtannum argento quàm ſimillimum colore 2
videatur, corporis tamen amplitudine ac pondere diſſimillimum eſſe. Nam utriusque eandem ferè eſſe rationem, quæ X. ad XIII. aut ſubtiliùs DC. ad DCCCCXXVI. Aurum item ad ſtannum, metallorum omnium leviſſimum, & corpore capaciſſimum, ferè triplam habere rationem, id eſt, quam XVIII. ad VII. vel ſubtiliùs MDLI. ad DC. Conſentit Budelius *de monet. lib. 1. cap. 1. n. 24. & ſeqq. qui ait*, omnium metallorum eſſe ſtannum, ac in mixturis cum reliquis 3
metallis, quaſi lethiferum venenum exiſtere, quod reliqua omnia reddit amara & acria, atque inficit, ac obſervantiam præſtruit adversùs opinionem Covarruviæ *cap. 2. de vet. numis coll. num. 6.* commixtionem ejus cum aliis metallis ſtatuentis.

Com-

Commendatur noſtro tempore ſtannum, quod in Miſnia in monte Graupen offenditur. Inprimis verò Britannia ſtan-
4 num argenti propè æmulum gignit; quod tamen ſingulari arte paratur, ac per commixtionem aliorum metallorum, uti Wißmut/ (plumbum cinereum) Ertz/ &c. (quæ & ſimilia levitas ac ſonus in ipſo produnt) tales qualitates ei affinguntur, ut aliis quibusdam exemplis docet Bornit. *Tr. 2. de rer. ſuffic. cap. 38.*

Fuiſſe autem *ex merâ ſtanneâ materiâ*, (2) aliquando pecuniam factam, idq; Syra-
5 cuſæ per Dionyſium Tyrannum, atteſtatur Tib. Decian. *in tract. criminal. lib. 7. cap. 23. num. 16.*

Quantus etiam uſus Plumbi in Rep. & humana ſocietate, cuivis de plebe obvi-am eſt, & omnes ferè norunt, qui ad belli vel
6 pacis ſtudia nati ſunt. Excoquitur ex lapide plumbario Bley/ Ertz: quales in Etruria naſcuntur, qui ſi incidantur, brevi temporis ſpatio novis incrementis reſtaurantur. Bornit. *lib. 1. de rer. ſuffic. cap. 32.* Ac eſt metallum imperfectum & molle conſtans ſpiritibus Mercurialibus & ſulphureis leviter coagulatis, ſimul impurioribus, fæculentioribus & craſſioribus: quale eſt lutum, Matthias Martinius *in Lexico Philolog. verb. plumbum.* Natum effoditur etiam ex propriâ venâ;
7 Agric. *cap. 25 de re metall.* Darbienſis Britanniæ Provincia & potiſſimùm pars terræ Occidentalis ultrà Derventionem plumbi feraciſſima eſt, *ut Chymiſtæ, qui Planetas* (3) tanquàm criminis reos ad metalla damnant Saturnum, quem plumbo præficiunt, Anglis animo eſſe benigno, quòd plumbum conceſſerit, Gallis infenſo, quibus denegârit, ridiculo errore tradiderint. Olim *Codices ex tabulis plumbeis* (4) confecti; fontes, lavacra, tubi, & fiſtulæ aquæductum ſub terra, (quod plumbum nulla aqua conſumat; at ſecus ſtannum, quod facilè corrumpitur in aquis:) tum turres, templa & arces Magnatum ob hanc cauſam plumbo teguntur, denique globi ſclopetarii, qui ex tormentis emittuntur, ex plumbo, imò etiam ipſa tormenta majora, ad tempus & vices aliquot jaculandi ſaltem durantia funduntur.

Fiſtularum plumbearum mentio fit *in l. omnis ſervitus 6. §. 1. C. de aquæduct.* quæ apertiſſimi erroris convincit doctiſſimum Mercurialem, qui *lib. 2. variar. lection. 9.* de aquarum per plumbum ductarum rivis diſſerens, ſcribere non dubitavit, ex iis, quæ
8 Romæ ſuperſint, vetuſtiorum Aquæductuum veſtigiis adparere, Majores quantum fieri potuit, Fiſtulas plumbeas effugiſſe, in illis præſertim ducendis aquis, quæ non tantùm lotionibus, ſed potibus, cibisque inſervire debuerint.

De aquis enim Thermalibus & lotioni inſervientibus Contrarium ex textu iſto apertè colligitur; & Caſtella plumbea & Epiſtonia fiſtulis applumbata reperio *in l. fundi 17. §. Caſtella 8. l. ſi vendit. 38. §. fin. ff. de act. emt.*

Quinimò Aquæ Anienis Veteris, & aquæ Trajanæ & Martiæ, tubulos plumbeos inſerviiſſe conſtat ex Onuph. Panvinio *p. 211.* ubi 9
de Aniene Veteri (5) hanc antiquam inſcriptionem Romæ in plumbeo tubulo inventam aſſerit.

ANIO VET. L. VALERIO
SER. OF. PLUMB. PED. CCIX.

Et de Martiâ, ac Trajanâ ſimilem inſcriptionem in tubulo plumbeo repertam idem Panvinius auctor eſt. Martiam tamen hauſtu inprimis ſalubrem fuiſſe, teſtatur Plinius *lib. 31.* De plumbeis autem hujus aquæ fiſtulis amnem Fucinum transeuntis, ſic canit Statius:

Teq; per obliquum penitùs qui laberis amnem
Martia, & audaci transcurris flumina plumbo.

Plumbeos quoque numos (6) olim cudi ſolitos fuiſſe, probat Budel. *lib. 1. de monet. c. 1. n. 21.* ex Martiali ac Plauto *in Caſin. & Moſtel. act. 4. ſc. 2.* ubi habetur. *Tace tu Faber, qui cudere ſoles plumbeos numos.* Ex quo elicitur, illicitam atque impermiſſam fuiſſe monetam plumbeam: licet apud Anglos adhuc hodiè plumbei numi dicantur eſſe recepti; ac tales etiam fabricati ſint 1525. tempore atrociſſimæ Obſidionis Viennenſis, ut Budelius refert *d. l.* formamque ibi ac inſcriptionem numiſmatis ob oculos ponit.

Cæterùm plumbi nigri utilitas etiam variis opificiis metallicis & aliis inſervit, & quæ 10
ex auro & argento fabricantur, pleraque etiam ex ſtanno & plumbo ad epulandum eſcaria & potoria ad triclinium, Tiſch-Gefäß/ ad cellam Trinck-Geſäß. Nec oppidulum aut pagum domeſticâ hujus opificii ſupellectile carere poſſe conſtat: ut proinde cura in eo quæritando & effodiendo, modò natura non refragetur, haud poſtponenda ſit.

Plumbearum bullarum uſum (7) Romani 11
Pontifices ſui juris fecerunt, *lib. 1. Cerem. Eccleſ. Rom. cap. 2. in fin.* in tantum, *ut Alexander III.* (8) inter alia privilegia Reip. Venetæ vel hujus Duci conceſſerit jus obſignandorum plumbo diplomatū. Renat. Choppin. *lib. 2. de Domanio tit. 2. pag. 224. num. 8.* Videatur Joan. Limnæus *lib. 1. de jur. public. cap. 11. num. 37. & ſeqq.* ubi in margine ex Megiſero addit, daß der Groß-Meiſter deß Johanniter/ oder Malteſer-Ritter-Ordens mit Bley zu ſigeln Macht habe.

ANNO-

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT XXXII.

Num. 1.

(1) *Illud Jovis Dominium agnoſcit &c.*] Referenda huc, quæ jam ſuprà diximus *ad lib. 2. cap. 28. n. 1. (3.)* Adde Cæſium *Minerolog. lib. 1. cap. 5. ſect. 6.* ubi disquirit, an, & quomodo cœli & aſtra ſint cauſa efficiens foſſilium; & in ſpecie, cur metalla à Planetis, gemmæ à ſtellis fixis effici dicantur?

Num. 5.

(2) *Ex merâ ſtanneâ materiâ &c.*] Aliud exemplum refert Budelius *de Monetis lib. 1. cap. 1. n. 26.* inquiens: Hinc etiam hoc noſtro exulceratiſſimo ſeculo admodùm recentes, & priusquàm egregia illa & antiquiſſima Civitas Noveſiana per Hiſpanicum Regium, nec non Reverendiſſimi atque Illuſtriſſimi Archiepiſcopi Colonienſis militem obſideretur, Capitaneus Henricus Klaut, qui tunc temporis civitatem occupabat, ubi robur militare ei deeſſet, ſtannum quadratæ figuræ monetam ſtampari curavit, quibus numeri certi inditi erant & impreſſi, ad deſignandam uniuscujusque maſſulæ ſtanneæ valorem. &c.

Num. 7.

(3) *Ut Chymiſtæ, qui Planetas &c.*] Sic ſentit Lanſius *in Orat. pro Britan. pag. 375.*

(4) *Codices ex tabulis plumbeis &c.*] Quod teſtimoniis confirmat Hugo *de prima Orig. ſcrib. cap. 10. n. 94. & 95.*

Num. 9.

(5) *De Anieno Veteri &c.*] Anienis veteris Aquæductus Urbi illatus à M. Curio Dentato Cenſore cum L. Papirio Curſore, Anno ab U. C. CCCCLXXXI. L. Papirio Curſore II. & Sp. Carvilio Max. Coſſ. ex Manubiis de Pyrrho captis, ſic vocatus fuit; ad differentiam Novi, qui poſtea à Claudio ductus. Merula ex Frontino *Coſmogr. parte 2. lib. 4. pag. 428.* ubi & alios tubulos plumbeos repertos cum inſcriptionibus ex æquæductibus ſuperſtites ibidem enumerat. Adde Plinium *lib. 34. cap. 17.*

(6) *Plumbeos quoque numos &c.*] Hisque Romanos uſos, & eos vim ac poteſtatem pecuniæ ad Cæſarû ævum habuiſſe vult Joh. à Chockier *tr. de re num. priſc. ævi c. 3* Poſtea tamen *plumbeus numus* in proverbium ad ſignificandam *rem viliſſimam* abiit, teſte Eraſmo *Adag Chil 5. cent. 1. 9.* Ac inde eſt, quod allegatum Plauti locum in textu: *Tace ſic &c* ita interpretetur Taubmannus: *Tace tu, qui ſimulatis officiis & ſpecioſis dictis ac factis hero perſuaſiſti, te eſſe frugi ſervum; cùm nequam ſis.*

Num. 10.

(7) *Plumbearum bullarum uſum &c.*] Diximus quædam de hoc argumento ſuprà *ad lib. 1. cap. 3 n. 37. (55.)*

Num. 11.

(8) *Alexander III. &c.*] Falſum hoc eſſe, & Sanſovinus *lib. 8. Deſcript. Venet.* & Hopping *de J. Sigill. cap. 3. §. 3. num. 22. ex Megiſero*, aſſerunt, & antiquiorem longè morem Venetorum plumbo ſignandi eſſe inde evincitur, quòd Limnæus *in Addit. Tom. I. pag. 130.* obſervat, Alexandrum II. Pontificem Anno MLXIV. tribuiſſe Civitati Lucenſi bullam plumbeam, pro ſigillo Communitatis, ut habet DUX VENETORUM.

CAPUT XXXIII.
De aliis Metallis medii & infimi Generis in Republica excolendis.

SUMMARIA.

1. *Alia* metalla *annumerantur ſuperioribus, quæ partim medii, partim infimi generis ſunt.*
2. *Putatur extare* metallum *medium inter argentum & ſtannum: ubi plura de* Electro.
3. Biſmutum *medium inter plumbum candidum & nigrum, in hoc nimium ne crede colori.*
4. Antimonii *proprietas deſcripta.*
5. *De* Mercurio *ſeu Vivo Argento, aliisq; adfinibus metallis.*
6. Sal nativum *exciditur ex quibusdam fodinis: referuntur diverſæ ſententiæ. In hujusmodi ſalifodinis invenias ſubinde alia velut immiſta, uti Carbones, trabes ligneas, inſtrumenta domeſtica, ſimiliaq; quæ ignores, unde ad ſalem ſint congeſta,* n. 7.
8. Flos ſalis, *qui gemma dicitur, quid indicet.*
9. Tranſylvania *& Polonia hoc ſaxeo ſale celebres ſunt.*

Nobilis eſt uſus certè cujusque metalli,
Namque Orichalci etiam lamina adauget opes.

Præter metalla ſuprà recenſita, alia quoque medii & infimi generis ſunt; Medii, 1
Electrum naturale, Biſmutum, Antimonium. Infimi, Argentum vivum, Auripigmentum, Sulphur, Calcanthum, Alumen, Sal foſſile, Nitri & Petræ, &c. Quorum uſus etiam in Rep. perneceſſarius & fructuoſus ad Medica & alia. *Electrum* (1) in venis metallicis repertum, teſtantur metallographi, quibus ut expertis in ſua arte credendum. De- 2
ſcribitur à Lonicero *P. ult. Herbar. fol. 369.* quòd ſit metallum melius ſtanno, & vilius argento: idque duplex: Naturale, quod ex miſtione auri & argenti proficiſci dicitur; verùm hodiè in venis non ampliùs exſtare; ſed aliud Artificiale ex argento & ſale nitri ſubſtitui, ſcribit Lonicer. *dict. loc.* Non procul à Meſſa tribus ad mille paſſus ab invicem diſtantibus oppidulis Africæ, reperitur in maris littore magna electri copia, quod inde à quibusdam Luſitanis atque Feſſæ mercatoribus avehi ſolet, idque vel viliſſimo pretio:

vix

vix enim illi aureum unum pro electri ſele-
ctiſſimi uncia exſolvunt.

Nonnulli *electrum* (1) è balænæ ſtercore, alii verò è ſpermate derivari volunt, quod tandem à mari induratum in proximum projicitur ſolum, Joannes Leo Africanus in Deſcript. Africæ *lib.2.p.m.* 132. De re valdè pellucida, aut de forma ſupra modum nitida, adagii loco, uſurpat Propheta Ezechiel *c.1.v.4.* quaſi ſpecies electri; Et Plinius *l.33. c.4.* Eſt enim Electrum omnibus metallis defæcatius, ut Servius annotavit: inde Maronis;

— --- non qui ſed ſaxa volutus
Clarior electro campum petit amnis.

Puto Prophetam loqui de artificiali, quod fit auri fuſione admixtâ argenti quintâ parte: quanquam poteſt etiam convenire electro naturali, quod *ſuccinum* vocant. Hodiè electrum ſive *ſuccinum* videmus provenire in inſula maris Germanici non procul à litore Prutenico, quam Sudaw appellant; Ex cujus inſula ſcopulus in mare delapſum, partim Oceani æſtu ad littus ejicitur, partim ruſticorum operâ (quibus Principes pro ſervis utuntur) in ipſo mari colligitur, atque univerſum ad Principem refertur, ad quem non exiguum ex eo quotannis redit vectigal.

Biſmutum, Biſmuht vulgò; quod à
3 plumbo candido & nigro diſcernitur, Georgius Fabricius *c.6. metall. obſ.* Veteribus incognitum fuiſſe traditur, & hactenus in Angliâ & Miſniâ tantùm effoſſum. Nitet interdum argenti colore ac ſimile interdum eſt Antimonio, ſed colore præſtantius, ſpitziger Biſmuht / dicitur etiam plumbum Cinereum: Fiunt vaſa exinde, quæ argentea eſſe putes propter colorem.

Antimonium ſive ſtabi & ſtibium (2) Spieß-
4 glas / metallum colore nonnihil ſimile lapidi plumbario, ſed magis nitet & candidius eſt: Exſiccat & adſtringit; quocirca ad oculorum collyria adhibetur, nigro etiam tingit colore; atque idcirco id mulieres ciliis illinunt. Differt à plumbo, & invenitur in venis propriis vel argentariis, Fabr. *c 9. obſ. metall.* Lonicer. *fol.364.* Nativum eſt ſimile plumbo nativo; excoctum verò plumbo cinereo,
5 Agr. in Bermanno *c.37.*

Argentum vivum (3) ſive Mercurius Queckſilber / à motu & volubilitate metaphoricè ita dictum, ut Deum Mercurium fingunt velocem, copioſum eruitur apud Guahcabelaquam in Regno Peruano. Fuerunt autem hujus metalli venæ primùm detectæ A. C. MDLXVII. Ex quo proventu ſubterraneo ingens ad Regem Hiſpanorum lucrum redit, cùm inde percipere dicatur ad CCCC. mille pondo.

De Chryſocolla, Cadmia terra, quæ in æs conjicitur, ut fiat orichalcum, Sandaraca, Cinnabari, Talco, Sulphure, Calchanto ſeu victriolo, Alumine, Bitumine, Ambra, Ebore & aliis metallariis, vide Bornit. *d. lib.1. de rer. ſuffic. c.33.*

De ortu ſalis nativi, (4) qui lapidicinarum 6
modo cæditur in Hungaria, diverſæ ſunt ſententiæ; aliis nimirum eum cum ipsâ conditione rerum ab initio exſtitiſſe, aliis poſtea natum eſſe affirmantibus: tamen ut vero propius ſit, ex humore aut ſucco ſalſo concretum eſſe, & adhuc concreſcere, eâ potiſſimùm ratione oſtendi poteſt, quòd in ipſis lapicidinis ſalis, ubi ſal fiſſus fuit, inventa ſunt varia inſtrumenta ad humanos uſus facta. Quoddam etiam in loco gallina incubans cum ipſis oris corrupta. Quin nunc quoque 7
plerumque magna carbonum vis eruitur cum ſale. In Deſienſi fodinâ, quâ nullâ eſt in Tranſylvania altior, paucis ante annis exciſum eſt de medio ſale ingens robur trahi ſimilis, tantâ duritie, ut ne ferro quidem facilè cederet. Sed cùm idem extra fodinam extractum ſit, computruit intra quatuor dies, ut primis digitis concerpi & conteri poſſet. Idem ſolet carbonibus, dum exciduntur, duriſſimis ſimul atque ſub dium prolati fuerint evenire. Hæc verò vulgus in illa confuſione rerum, quæ Noë temporibus in Cataclyſmo fuit, ibi oppreſſa, aut alio quopiam caſu eò abrepta eſſe interpretatur.

Flos ſalis (5) alibi copioſior, alibi rarò in 8
reliquo ſale reperitur, gemmam vocant, quòd gemmarum quarundam in morem pelluceat. Faciunt autem hoc reperto judicium ſalicidæ docti experientiâ, ſalem, qui ſequetur, aut impurum futurum, aut citò defuturum, neque temerè ipſos in eo falli compertum eſt. Abundat & vicina Polonia hujus generis nativo ſale ſaxeo, ſed hic minùs 9
ſyncerus & ſolidus eſt Hungarico. Non enim fibris tantùm, aut venis, ſed etiam ingenti mole terræ plurimis in locis diſtinguitur, ac præterea longiùs abeſt à ſuperficie terræ. At in Hungaria putei, in quibus cæditur, minùs alti ſunt usque ad ſalem. Quin in Tranſylvania etiam, ſcopuli inſtar, extat ſupra terram ad ripam Mariſi fluvii, cujus item alveus ſalſus eſt, non longè ab oppido Thorda ſalinis celebri. Fitque ſæpenumero, ut arantes etiam vomerem in ſalem impingant. Sed eum nemini cædere licet, ne quid vectigalibus Regiis decedat. Liberum eſt tamen Ciculis, qui nonnullam Tranſylvaniæ partem tenent, ſuo in ſolo, quantum domeſticis eorum uſibus ſatis eſt, ſumere. Sed hæc de Salſis obiter dixiſſe ſufficiat.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT XXXIII.

Num. 1.

(1) E*Lectrum &c.*] Vide Plinium *lib.* 33. *Nat. Hiſt. cap.* 4. Iſidorum *lib.* 16. *cap* 23. Albertum M *lib.* 5. *mineral. cap. ult.* & nota tria eſſe Electri genera, unum (quod & ſuccinum dicitur) de quo intelligendi ſunt, quæ Author noſter Klockius de Electro Meſſeno habet: alterum metallum; tertium artificiale, quod & ipſe in præcedentibus aſſeruerat. De priori jam egimus *ad lib.* 1. *c.* 11. *n.* 5. (7. 8. 9.) ex quo clariora fortaſſis fieri poterunt ea, quæ *n.* 2. hîc ſubjiciuntur.

Num. 4.

(2) *Antimonium ſive ſtabi & ſtibium &c.*] De Stibio latiſſimè agit Cæſius *de Mineralib. lib.* 2. *cap* 4. *ſect.* 10 *per totum.*

Num. 5.

(3) *Argentum vivum &c.*] De eo itidem tractat Cæſius *dicto loco lib.* 5 *cap.* 2. *ſect* 3. quem etiam de cæteris mineris *ſub finem hujus num.* 5. nominatis conſule.

Num. 6.

(4) *De ortu ſalis nativi &c.*] Pertinent hæc ad cap. 9. lib. 2 hujus Tractatus, in quo materiæ hujus ſedem Klockius conſtituiſſe videtur.

Num. 8.

(5) *Flos ſalis &c.*] Confer Cæſium *lib.* 2. *c.* 2. *ſect.* 6. *n.* 3. ubi ſpeciatim de Sale gemmæ, ſeu cryſtallino *in ſect. ſeq.* tractat.

CAPUT XXXIV.
De Gemmis, Lapicidinis & Terræ fodinis.

SUMMARIA.

1. Continet terra *ſinu ſuo* fœtum *quendam* gemmarum, *humanæ Superbiæ & avaritiæ explendæ.*
2. Gemmarum, Lapillorum, Margaritarum, *diſcrimen an magnum.*
3. *Diverſarum* gemmarum *admiranda pretioſitas, &* n. 4.
5. Arabia *pretioſiſſimarum gemmarum ferax.*
6. Cleopatræ uniones, *eorumq; pretia.*
7. Unionum *copia ex America navigatione Hiſpaniæ illata.*
8. Gemmarum Vectigal *ingens commemoratur, ubi & de Adamantum fodina noviter in Regno Golcondæ reperta.*
9. Operationes *quædam* gemmarum *inſigniores.*
10. Lapides foſſiles, fiſſileſque *varii murrhina, cryſtallina, foſſilia: Molares etiam, eorumque Utilitas*, n. 11.
12. Lapidicinæ *an Domini Territori ſint, an Domini ſoli? ubi & de decimis lapidicinarum*, num. 13.
14. Lapides *ad architecturam neceſſarii; ſed calx etiam & arena his conjungendis.*
15. *Ex* metalli fodinis *ingens lucrum Ærario accreſcit.*
16. Decimæ aluminis, *ejusque in Campania, & Italia copia*, n. 17. & 18.
19. Opificium excoquendi aluminis *& Salinitri multis in locis ſumptu publico expeditur.*
20. Bitumen *in Anglia.*
21. Arca Noëmi *cur bitumine oblita fuerit?*

Gemma valet tanti, quanti dilectior, una eſt,
Quæ cœli ſedes unio certa parat.

1 INter ea, quæ terræ viſceribus perinde ac nativi fœtus continentur, ac hominem delectant, non poſtremum merentur locum nitentes & pellucidæ, raræ ac parvæ, diverſi generis Gemmæ; quæ ex puriore quodammodò terrâ ſecretâ, ac puriter in ſe concretâ fiunt, & varios habent effectûs, atque vires incredibiles: quarum varietas & decus ex colorum diſſimilitudine atque pondere mortalibus eſt in deliciis; uti Myleus ſcriptum reliquit, *lib.* 1. *Hiſt. univerſ.* Objectum verò oculorum potiſſimùm eſt lux & color, & figura ſive quantitatis terminatio. Quæ in hiſce habent venerem, & pulchritudinem, atque elegantiam, ea ut ſuaviter atque amœnè oculo accidunt; ita ab homine amantur, ac libenter habentur. Hinc prout quiſque eis delectatur, ita pretii modus eſt; Plinius: *ſingulorum libido ſingulis pretium facit, maximè Regum.* Quam- 2
vis autem Ulpianus ex Sabini ſententia *gemmas* (quæ ſunt primò occupantis, §. *item lapilli. Inſt de R. D.*) & *lapillos à margaritis* diſtinguat, *l. cum aurum* 19. §. *margaritas* 18. *ff. de aur. & arg. leg.* Cujac. *lib.* 10. *obſ. c.* 18. Plin *lib.* 9. *c.* 35. & *margarita* & *lapillus pretioſus* diſtinctè nominentur. *Apoc.* 17. *v.* 4. *& c.* 18. *v.* 12. *&* 16. & ſubinde etiam ita *gemmæ* ac *margaritæ* apud prophanos ſcriptores; Uſu tamen rectè & latinè loquentium receptû eſt, ut & Margaritarum & Gemmarum atq; Lapillorum nomen promiſcuè uſurpetur; Henr. Salmuth. *in Notis ad Pancir. tit.* 16. *de lapidibus pretioſis.* Joan. Brodæus *lib.* 10. *miſcel. c.* 17. Et Auſon. Popma *lib.* 2. *de verb. differ.* cùm Ulpiani locum recitaſſet, *margaritas nec gemmis nec lapillis contineri*, ait: Quam differentiam ſoli JCti agnoſcunt, cæteri auctores non obſervant, qui gemmæ & margaritæ vocabulis ita ferè utuntur, ut Gemma ſit omnis lapillus pretioſus,

tioſus, cujuscunque coloris vel naturæ ſit, margaritum autem concharum partus: & lapilli nomen communiter tribuunt gemmis & margaritis. Hæc ille. *Sic* margarita ejuſque formæ lapillus, ob rotundam ſpeciem, inſtar oculi, dicitur gemma: & deinceps omnis lapis pretioſus.

Naſcuntur autem *perlæ ſive margaritæ* (1) non ut aliæ gemmæ in terra, *ſed in conchis*, (2) atq; ita innaſcuntur carnibus oſtrearum, ut grandines in ſuillis carnibus; raròq; admodùm fit, ut geminæ in eadem concha reperiantur, ſed ſingulæ; unde apud Latinos nomen invenerunt, ut dicantur *Uniones*. (3)

Meminit *Zonaras lib. 3. Annal.* (4) Mar-
3 garitæ ſive Unionis cujusdam, quem Perozes Perſarum Rex in expeditione adverſùs albos Hunnos ſuſceptâ, extremo in periculo conſtitutus, à dextra aure detractum abjecit, ne quis eum poſt ſe geſtaret, aut ipſum Regem agnoſceret: Eum unionem poſtea repertum Juſtinianus Magnus C. auri libris
4 redimere à Barbaris voluit. Sed recusârunt Barbari vendere, aſſervantes eum in ſignum Perſicæ ſtoliditatis. Sed & Egnatius *in Itinerario Chinæ cap. 19.* prodidit, in Regno *Bisnaga* repertum fuiſſe lapidem tanti pretii, ut eum Rex cuidam vicino Regi ſuo, cui *Odialcam* nomen, decies centenis millibus aureûm vendiderit. Apud Chinas autem Margaritas magno ſanè numero, quamvis rotunditate minùs conſpicuas, reperiri, ut annua ex his penſio, vicies ſexies centena millia numûm; Vectigal verò gemmarum, quæ pluribus locis toto Regno effodiuntur, quater decies centena ſeptuaginta millia efficit, ſi verum eſt, quod Johannes Gonzalez Hiſpanus *in Deſcriptione Chinæ libro 3. cap. 4.* commemorat.

5 Arabia pretioſiſſimarum & ſelectiſſimarum gemmarum, ſardonichum videlicet, adamantum, margaritarum, baccarum, aliorumque diverſi coloris ac clarè ſplendentium lapidum admodùm ferax eſt. Nec terra tantùm, ſed &, quod adjacet ei, mare hujusmodi lapidibus affluit. Nam hîc Oſtreæ ſeu Conchylia capiuntur, in quibus margaritæ naſcuntur & matureſcunt, quarum tam nobilis natura eſt, ut nullo æqua-
6 ri pretio poſſit. Unde de Cleopatra Ægypti Regina legitur, quòd hîc inventam margaritam ducentis quinquaginta aureorum millibus redemerit. Prodidit pretium ipſius unionis Macrob. *lib. 3. Saturnal. c. 17.* *centies ſeſtertiûm*, (5) quem aceto liquefactum hauſtu uno abſorbuit, cum ſponſione Antonium provocaſſet, tantum ſe in unam cœnam poſſe inſumere. Nam utriusque rebus ſecundis ἐυνόδιον ἀμιμητοβίων, ut poſtea perditis συναποθανουμένων inſtituerant, teſte Plutarcho in Antonio.

7 Omnem fidem ſuperat, quantum margaritarum Anno C. MDLXXXVII. una America claſſe in Hiſpaniam devectum ſit ex Inſulâ Cubaguâ: quam Chriſtophorus Columbus Perlarum ex re vocavit. Ubi tanta erat eorùm vilitas (quippe quotidiè eos piſcabantur) ut Indicæ mulieres in vulgaribus ornamentis, ac quidem ſimpliciter uniones haberent, ſiquidem pro catino fictili, & eo quidem fracto, quem Indicæ mulieri nauta Hiſpanus dabat, ea illum contrà quatuor unionum ſeu margaritarum lineis munerata eſt: ut refert Hieronymus Benzo Mediolanenſis, *Hiſtoriæ Occidentalis Indiæ lib. 1. cap. 11.* Poſt Indicas proximum dignitatis locum obtinent margaritæ, quas rotunda ſpecie mari Britannico natare ducem ſectantes, more apum, Jubas memorabat, referente Cambdeno *de Oceano Britannico fol. 721.* ex Origene. Earum ſpe Julius Cæſar Britanniam petierat, quas tantâ magnitudine inveniebat, *ut in nonnullis manu exegerit pondus.* Sueton. *in Jul. Cæſ. cap. 47.* Noſtro autem ævo Uniones nequaquam in eo ſunt, quo olim pretio, ob multitudinem eorum, utique poſtquam ingens copia in Novo Orbe reperta in Europam miſſitata eſt. Et luculenta olim margaritarum piſcatio apud Inſulam Cubaguam evanuit noſtro ævo, ſive exhauſtis crebrâ piſcatione conchis perlarum matribus: ſive terræ motu abſorptis, qui magnam vicini partẽ oppidi peſſumdedit: ſive denique paucæ videantur jam extrahi, tam multis hominibus iis inſidiantibus. Idem Smaragdis accidit; Cùm enim plurimi eorum eruerentur in Peruvia circa Portum Vetorem & Mantam oppidum, factum eſt, ut vehementer minueretur eorum pretium & dignitas.

Hiſpali,

Submittit cui tota ſuos Hiſpania faſces,

binæ quotannis claſſes, auro, argento 8
gemmisque onuſtæ, Americæ divitias exponunt, & Civitatem tantis opibus beant, ut illa Regi ſingulis annis *ſeſquimillionem aureorum* obſequii ac Vectigalium ergo pendat.

In Regno Golcondæ (6) (quod Magni Mogolis quidem imperio haud ſubeſt, Majeſtatem tamen illius anniverſariis donis comiter veneratur) ſuperioribus hiscc annis, caſu inventæ fuerunt opulentiſſimæ fodinæ adamantum, ad radices vaſti montis, haud procul à fluvio *Chriſtena in agro inprimis ſterili & aſpero.* (7) Rex fodinas has ſolebat elocare, pretio annuo tercentum mill. Pagodum, eâ inſuper conditione, ut Adamantes omnes pondus decem Ceratiorum excedentes in ærarium ſuum inferrentur. Anno autem cIↄ Iↄ CXXII. foſſoribus à Rege interdictum fuit, ne ultrà ſcrutarentur: Cujus interdicti cauſam reddunt alii, ne gemmæ hæ nimiâ quantitate vileſcerent; alii Imp. Mogolis poſtulatum, qui per Legatum tres

libras (vipſen ipſi dicunt) præſtantiorum Adamantium ſibi tributi nomine mitti, Regi Golcondæ imperaverat: Sed magis veriſimile videtur, nimiâ foſſorum àvaritiâ fodinas jam penè eſſe exhauſtas: Cujus rei cauſam ex narratione Wilhelmi Metholdii Angli reddit Joan. de Laet *in Comment. de Imperio Mogolis ſive India vera fol. mihi 83* ubi vide.

De lapidibus Urim & Thumim (8) vide Petr. Cunæum *lib. 2. de Rep. Hebræor. cap. 2. fol. m. 176.* Andr. Rivet. *Comment. in Pſalmos Propheticos in Pſ. 110. ubi inquit*, Sacerdotem geſtaſſe in pectore λογεῖον rationale judicii, in quo poſiti erant Urim & Thumim, id eſt, illuminationes & perfectiones, ſeu, manifeſtationes & veritatem, *Exod. 28.* unde oracula petebantur & reddebantur. Auguſt. Torniell. Jeſuita *in Annal. ſac. & prophan. Anno 2544. n. 86. fol. m. 321.* ubi putat, ipſasmet gemmas, nomine Urim & Thumim, ſeu doctrinæ & veritatis eſſe ſignificatas, & Scripturam Sacram figuratè ac metaphoricè loqui, translatione nimirum dèductâ, à re ſignificante ad rem ſignificatam. Gemmarum verò lapidumque vires, non niſi u-
9 ſu, & experientiâ apparent. *Amethyſtus ebrietati ſic renititur*, (9) ut, ſicuti placet Ariſtoteli ſuper umbilicum poſitus, non ſolùm potantem tueatur ab ebrietate; ſed etiam jam benè potum ſolvat ebrietate: aciemq; mœrentibus exacuat ingenii, atque ab iis mœrorem pellat, & veſanas cogitationes.

Terras minerales & Lapides vulgares quod attinet, neutiquam cura eorum prætereunda eſt, quippe quorum uſus maximus ad ædificia, plateas complanandas, & vias regias ſternendas. In Hiſpania lapidum ad ædificia mirabilis ubique eſt copia: & quod miraculo adſcribendum, non procul à Barcinone mons ſe extollit præcelſus, vulgò *Mons Jovis*, aut, ut alii meliùs, *Mons Judæorum*, dictus, in quo inexhauſta & perennis lapidicina: ac licet ad urbis muros, & ad complures Nobilium domus, aſſiduò hinc materia petatur; adimplet tamen liberalis natura montis illa ulcera, & cicatricem obducit, ut tot annorum decurſu nihil penè exciſum videatur; Ludov. Non. *in Hiſpan cap. 88.*

Varia lapidum & ſaxorum foſſilium & fiſſilium genera recitat Agricola *de re me-*
10 *tall. c 41.* De venis ſaxorum, pretioſorum lapidum, gemmarum, marmorum, & quæ ſunt medii generis foſſilium, videatur Caſtrenſ. *in l. fructus § ſi vir. ff. ſolut. matrim.* M. Ant. Peregr. *de jure fiſci lib. 4. tit. 2. n. 3.* Heig. *lib. 1. quæſt. 13. n. 37.* *Murrhina* (10) quoque & cryſtallina ex terra effodimus, quibus pretium fecerat ipſa fragilitas. Hoc argumentum opum, hæc vera luxuriæ gloria & exiſtimatio eſt, habere, quod poſſit ſtatim totum perire.

Molarium lapidum quanta ſit neceſſitas, nec cujusvis loci, nemo ignorat, qui molas novit; ut ultra multa milliaria grandi cum impendio, ex lapidicinis aliorsùm & in loca diſſita, ubi nulli, aut penuria lapidum extat, transferendi & trans mare & flumina ſæpè trajicendi ſint. 11

Obſervandum verò eſt, Lapidicinas non ad ordinarium Dominum Territorii & Superiorem, ſed ad Dominum ſoli, in quo eruuntur, pertinere, *l. Venditor. §. ſi conſtat. ff. commun. præd. ruſtic.* Coler. *deciſ. 242.* Rauchbar. *lib. 1. quæſt. 22.* Heig. *lib. 1. qu. 13.* Gœden. *conſ. 3.* Weſemb. *conſ. 60. num. 30.* Mynſing. *conſ 39. n. 5.* Licet Decima ex lapidicinis Fiſco debeatur, *dict. leg. Venditor. fundi. 13. §. ſi Venditor. ff. Commun. prædior. tàm urban. quàm ruſtic. l. cuncti. 3. C. de metall.* Quod etiam confirmat *lex. 11. C. Theodoſ. eod. tit.* Leander. Galganett. *lib. 4. de jure publ. tit. 6. num. 37.* Gregor. Tholoſan. *lib. 3. de Repub. 4. num. 4.* ubi Decimas ex proventu lapidicinarum communium ſeu publicarum, Principibus & Reipublicæ aliquando quæſitas fuiſſe commemorat. Niſi conſuetudine vel præſcriptione aliud obtineat, Rauchbar. *d. lib. 1. quæſt. jur. civil. & Saxon. quæſt. 22. n. 9. & 10.* ubi in ſpecie de jure lapidicinarum vel alterius vilioris metalli, *conſuetudinem inſpiciendam eſſe monet*, (11) per *l. 1. & 2. C. de metallar.* 12 13

Præter lapides autem ad architecturam neceſſarios deſideratur arena, calx, &c. Unde lapidicinæ, creti, areni, calcifodinæ colendæ. Quarum rerum, licèt vilium, maximum tamen & quotidianum emolumentum inde Ærario accedit, Vide Me ſuprà. 14

Et hæc de Metallorum, eorumque cura & cultura, diſſeruiſſe ſuffecerit. Quibus ut rem in pauca conferam & colophonem huic disquiſitioni imponam, addo; Principem vel Rempublicam ex omnibus viſceribus, fructibus, & emolumentis terræ, putà Metalli fodinis, auri, argenti, æris, ferri, plumbi, ſtanni, ſalinis, lapidicinis, &c. quas privati poſſident, certum ſibi reditum & quoddam Vectigal conſtituere, Ærarioque addicere poſſe, qui reditus propterea inter Regalia refertur, *cap. 1. quæ ſint Regal.* & inter Vectigalia publica, quæ Fiſco debentur, *l. inter publica. §. fin. ff. de V. S. l. ſi quis C. de Vectigal.* 15

Quinimò conſuetudinem introducere, vel Principem legem imponere poſſe fodinis calcis terræ, ex qua lateres fiunt, Ziegel Erde/ minariis, nitrariis, ſulphurariis, dubitandum non eſt: videatur Rauchbar. *dict. quæſt. 22. n. 11. & 12.* Heig. *d. quæſt 13. num. 42.* Eleganter Weſembec. *conſil. 60. n. 30. & 31. conſil. 292. n. 15. 16. 18. 32. 39.* ubi mineras cupri, ferri, &c. itemque lapidicinas,

dicinas, calcifodinas, &c. non Regalibus, ſed
reliquis fundi utilitatibus annumerat; eò,
quòd eximantur è foſſione terræ, cùm fodi-
næ in medullas & interiora terræ transeant.
16 Huc pertinent Decimæ confecti alumi-
nis, quarum mentionem feci *tract. de Con-*
17 *tribut. lib.* 1. *cap.* 1. Magna aluminis copia
ante aliquot annos reperta eſt apud Etru-
ſcos in territorio Maſſæ, uti & in Campa-
nia felice cuniculi ſunt, ex quibus effodi-
tur ſulphur; atque ibidem convallis eſt, ubi
alumen coquitur. Adeoque alumine dives
eſt Italia; ut ex una tantùm Gallia, ſingulis
annis, illius mercis nomine, ſupra decies
centena aureorum millia redundet. Et
quod commodè, nec præter rem hîc enar-
rari poteſt, Barthol. Perdix, Genuenſis ne-
gotiator, Neapolim petens, cùm avorum
ætate Ænariam prætervehéretur, & anim-
adverteret ex incendio, quod annis circiter
centum ac ſexaginta tribus antè, ruptis re-
pentè terræ viſceribus Inſulam graviter ad-
flixerat, quædam aluminoſa ſaxa ſcopulorũ
18 inſtar in litus provoluta eſſe; ea Perdix for-
nacibus poſtea excoxit, & in alumen diſſol-
vit, fuditque revocatâ arte eâ è Roccho Sy-
riæ, ubi ipſe plures annos mercaturam fece-
rat, ab ſe allata, quæ multis antea ſeculis in
Italia jacuerat.
19 Quid? quòd in Polonia & Marchia, a-
liisq; Germaniæ locis opificium excoquen-
di aluminis, & præſertim Halinitri, Salz-
peter zu ſieden / ſumptu publico paſſim exer-
cetur, da in die 20. und mehr Salpeterſieder
hin und wieder gehalten werden / quibus licen-
tia à Principe vel Magiſtratu datur fodiendi,
ubicunque terra nitroſa reperitur, boni pu-
blici causâ. Conficitur ut plurimùm *ex ho-*
minum urina aliorumque animalium & ovi-
um in ſtabulis, (12) & monaſteriis vetuſtis.
Aqua terræ nitroſæ effoſſæ cùm effunditur,
dat lixivium, quod in ſalem petræ igni de-
coquitur, quomodo verò purificetur &
fundatur, Chymici norint. In Anglia fon-
ti Pichtfordenſi liquidum bitumen indi-
es, quamvis diligentiſſimè diſpumetur, in- 20
natat; perinde ac in Aſphaltite Judææ la-
cu, in Samoſatæ ſtagno, & Agrigentino
Siciliæ fonte, Cambdenus *in Britan. fol.*
367.
Sed cur à DEO Noëmi curis in compa- 21
gine arcæ demandatum & dictatum ſpe-
ciatim illud? *Bitumine* (non pice) *linies in-*
trinſecus & extrinſecus, (13) *Geneſ. cap.* 6.
verſ. 14. Bitumen Syriacum cenſebatur
optimum, tenaciſſimum. Omnes ergo pa-
rietes totumque opus intus oblitum, ut ſi
quid exteriùs aquæ vis abraderet, interior
firmitas reſiſteret. Dein fœtorem anima-
lium in loco concluſo cæteroquin intolera-
bilem, bituminis & cedrorum odor diſpel-
lebat. Sed & iſtam habuit utilitatem hic
bituminis illitus, ne fabrica priusquam ſui
finem attingeret, vitium faceret, ruinam
minaretur, aut vermes cariemq; reciperet.
Hierem. Drexel. *tom.* 2. *part.* 3. *oper.* 6. *de*
Noëmo c. 7. §. 3. *fol.* 656. *in* 4.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT XXXIV.

Num. 2.

(1) P*Erlæ ſive Margaritæ &c.*] Notandum eſt, gemmam vocari aliquando *Margaritam*, aliquando *Margaritum*, aliquando *Unionem*, vulgò autem Italis dici *Perla*, Gallis, Germanis, Anglis, Belgis *Perle*. De quo vide Cæſium *Minerolog. lib.* 4. *parte* 2. *cap.* 7.

(2) *Sed in conchis &c.*] De unionum generatione opiniones varias recenſens Petrus Martyr. *Oceano decad.* 3. *l.* 10. *p. m.* 313. Centum viginti uniones fuiſſe uno conchyli repertos in Inſularis Indiæ Reguli prædiis, quos Caſpar ipſe Maroles Dux, & comilitones ejus diligenter annumeraverunt. Regulo namque placuit, noſtris præſentibus, piſcationem fieri per Urinatores ſuos. Gallinæ loculis, quibus ova generantur innumera conchylis materiam comparant: & ſic eniti conchyle. E labiis prodeuntes Margaritas, ut maturas & jam genetricis oſcitantis alvo egredientes, reperiebant has: alias ſubſequentes, ut parvo ſucceſſuro intervallo ſolverentur & ipſe. In ventre medio, clauſas eſſe margaritas animadvertebant, quò priùs nutritæ coaleſcerent, veluti ſugens ubera matris in alvo infans, priusquam è latebris uteri Unio moveatur. Et ſi quæ interdum conchylia, uti ego ipſe vidi, oſtrea in diverſis maris Oceani littoribus, arenâ involuta in littore quis viderit, ea raptata eſſe tempeſtatibus è fundo dicunt, non ipſa ultrò veniſſe. Quòd rore nitido matutino candeſcant, quòd turbido flaveſcant, quòd ſereno cœlo gaudeant, quòd tonante torpeſcant, & cætera hujuscemodi, non ſunt ab his literarum ignaris ad unguem quæritanda. Pingui res tractanda Minervâ. Majores tamen margaritas jacere profundiùs, mediocres altiùs, minimas in ſupercilio fatentur. Sed à ratione reliquorum deviant. Non eſſe in inſecta bellua torpenti rationem hanc arguunt. In animo ſic & induſtria halituque urinatorum. Grandiores propterea non vagari, ſed creari, nutririque in profundiori loco, quòd pauci, quodq; e rarò audeant urinatores ad eas legendas ad ima ſeſe immergere: tum polyporum metu, inter conchas venatus causâ vagantium, quia ſunt carnium concharum avidi: & monſtrorum formidine aliorum: tum etiam, ne deficiat in longo tractu halitus. Unde datur conchis, profundi maris hoſpitibus, creſcendi copia. Quoque grandior concha eſt annoſiorque, eò ferunt in ejus capaciori vulva majores generari margaritas: propterea è grandioribus paucos adipiſcuntur, contrà verò Garcias ab Horto *Aromat. Hiſtor. libro* 1. *cap.* 57. atque Lindſchot *parte* 4. *capit.* 40. ſtatuit, in

conchis ſuperioribus marium partibus majores; in profundioribus viventibus minores generari uniones: quod ex illis Eraſmus Franciſci im andern Theil deß Oſt- und Weſt-Indiſchen Luſtgartens *pag. 1248.* obſervavit, qui exempla ingentis magnitudinis unionum illic ſubjungit.

(3) *Uniones &c.*] Notandum, non convenire Doctiores in aſſignanda etymologia Unionis. Nam Solinus *in Polyhiſt. cap. 66.* vult, margaritam vocari Unionem, quòd nunquam duo ſimul reperiantur in eadem concha, vel plures, ſed unus ſolùm; idemque docet Iſidorus *lib. 16. Orig. cap. 10.* Verùm hanc etymologiam refutat Aldrovandus *l. 3. de teſtaceis c. 42.* Braſavolus *in examine lapidum, pag 435.* & Mylius *lib. 4. Baſilicæ Chymicæ cap. 32.* ex eo, quòd experientia docet; ſæpè in una concha ſimul inveniri plures Uniones Et quidem Braſavolus teſtatur, ſe vidiſſe ſeptem unâ conchâ incluſos; Luſitani etiam, qui Indicam navigationem fecêre, teſtantur, ut refert idem Braſavolus, centum triginta uniones unâ conchâ capi. Et ut ſuprà ex Martyre retulimus centum viginti. Idemque Aldrovandus notat *d. loc.* ubi de generatione margaritarum Rejectâ igitur hâc Unionis etymologiâ, aliam afferunt tres iidem auctores ex Plinio *lib. 9. Nat. Hiſt. cap. 35.* ubi dicit. Dos omnis (*unionum*) in candore, magnitudine, orbe, levore, pondere, haud promptis rebus, in tantum ut nulli duo reperiantur indiſcreti: unde nomẽ UnionumRomanæ ſcil. impoſuêre deliciæ. Quæ verba exponens Aldrovandus notat vocem, *indiſcretum* Plinio ſonare *indifferens, indiſtinctum*, aut *prorſus ſimile*, ut ſit ſenſus, Uniones ita appellari; quòd nulli duo planè ſimiles inveniantur, quia nimirum vel magnitudine, vel colore, vel figurâ, vel alio quopiam diſcrimine inter ſe differant. Cæſius *Mineral. lib. 4. part. 2. cap. 7. n. 5.* ubi in ſequentibus plura ſcitu digna de Margaritis annotavit, quod & Jonſtonus *Thaumatograph. Natur. cl. 8. cap. 15. pag. 362. 363.* facit.

Num. 3.

(4) *Zonaras lib. 3. Annal. &c.*] *Pag. mihi 92.* ubi de inventione hujus Unionis hanc notabilem Hiſtoriam ſubjicit: In Sinu Perſico, *inquit*, qui à rubro mari versùs Aquilonem eſt ſitus, uniones aluntur à pectinibus, quas *Zambaces* vocant Horum pectinum quidam inventus eſt, intra ſe alens unionem ingentem, ac ſplendidiſſimum: qui cùm auctus menſuram uſitatam exceſſiſſet radiosque ſplendoris ſui fulgoris in morem ejacularetur, canis quidam marinus eum ſplendorem adamavit & pulchritudinem perpetuò affectari cœpit: & quocunque undæ pectinis concham ferebant, eò canis quoque pernicioſi cujusdam dæmonis impulſu bacchabatur. Id prodigium piſcator quidam animadvertens, ſtatuit pectinem machinâ quâdam deprædari: verùm canis non conceſſit, ſed raptum pectinem in profundum aquæ abduxit. Proinde Regi Perſarum de pulchritudine margaritæ Piſcator refert, isque ei viros adjungit, qui in eo capiendo ipſi adſint. Cùm ad mare profecti, per aliquot dies præſtolati eſſent, contigit, ut canis aliquantisper ſecederet Tum piſcator ſtatim ſeſe in aquam injecit: & ad fundum delatus, pectinem cum unione arripuit, ſurſumque enatavit, exertâ manu, quâ unionem tenebat, quem & ſtatim ii, qui aderant, ei eripuerunt: priusquam verò in lembum piſcator evadere poſſet, ſupervenit canis, miſerumque devoravit. Unio ad Regem allatus eſt: qui ejus ſpectaculo delectatus, piſcatoris filios magnis donis affecit.

(5) *Centies ſeſtertiûm &c*] I. e. ex mente Budæi *lib. 3. de aſſe* ducenta millia quinquaginta aureorum. Adde luculentam cœnæ illius deſcriptionem apud Athenæum *lib 4. Dipnoſoph.* Plinium *lib. 9. cap. 35.*

Num. 8.

(6) *In Regno Golcondæ &c.*] Vide ſuprà *lib. 1. cap. 24. num. 55. 56. 57.*

(7) *In agro inprimis ſterili & aſpero &c.*] Addit Joh. de Laet *cit. in tx. loco:* circiter centum & octo milliarium Anglic. à portu Muſulipatnam.

(8) *De lapidibus Urim & Thumim &c*] Confer Beatum noſtrum Dilherrum *lib. 1. Elect. cap. 5. pag. 37. & 38.* Ed. nem Neuhuſiũ *in Fatid. ſacr. l. 1. c. 1. p. 18. ſeqq* Cæſium *in Minerolog. lib. 4 parte 2. c. 4. ſect. 1. ſeqq.* & de eo Diſputationem habitam ſub Præſidio M. Friderici Viccii à Michaële Liebentantz Wittebergæ, Anno MDCLXVI. quartùm editam.

Num. 9.

(9) *Amethyſtus ſic Ebrietati renititur &c.*] Amethyſtus umbilico admotus vini vaporem primùm ad ſe trahit, deinde eum diſcutit, proindeque à crapula, & ebrietate ferentem defendit. Rueius *lib. 2. de gemmis cap. 11.* & Mylius *lib. 4. Baſil. Chymicæ c. 10.* Plinius etiam *lib. 37. Nat. Hiſt. c. 9.* Albertus Magnus *lib. 2. Mineralium tr. 2. c. 1.* Cornelius à Lapide *in c. 28. Exodi. v. 19.* Ribera *lib. 3. de Templo cap. 11. n. 17* & Pierius *lib. 41 Hierogl.* nullâ factâ umbilici mentione, dicunt hanc gemmam adverſari ebrietati; ſed Plinius hanc aſſerit eſſe Magicam vanitatem; reliqui id referunt ex aliorum dictis. An verò Gemmis aliqua inſit virtus & lapidibus pretioſis? ſunt, qui dubitant; quos refellit Albertus Magnus *l. 2. Miner. tr. 1. c. 1.* à Cæſio *d. l. l. 4. part. 2 c. 1. n. 9* laudatus.

Num. 10.

(10) *Murrhina &c.*] Murrhinum materia quædã candida erat purpureis maculis rubeſcens, quæ ſub terra inveniebatur, ſub qua humorem calore denſari putabant. Non tralucebat Murrhinum, ſed erat nitidum & odoriferum, ex quo vaſa conficiebantur potui & eſculentis accommoda. Erat in pretio ob colorum varietatem: gilvi ſcilicet, hiacynthini, candidi, & aliorum, Pancirollus & ad illum Salmuth. *de reb. deperd tit. 7. p. 23. ſeq.*

Num. 13.

(11) *Conſuetudinem inſpiciendam eſſe monet &c.*] Quod & Carpzovius *in J. P. F. part. 2. conſt. 53. defin.* cenſet.

Num. 19.

(12) *Ex hominum urina aliorumq; animalium & aviũ in ſtabulis &c.*] Quomodo hortus ſive fornix conſtrui queat, in quo ubertim Halnitrum propullulet & excreſcat demi facilè, docet Martinus Schmuck Lipſienſis *in Magia Natur. Lipſiæ in 12. impreſſa.*

Num. 21.

(13) *Bitumine linies intrinſecus & extrinſecus &c.*] Nonnulli Doctores Eccleſiaſtici, advertente Cæſio *in Minerol. l. 3. c. 7. ſect. 2. n. 2.* illud Divinum præceptũ *Geneſ. 6.* datũ ſanctiſſimo illi arcæ fabro, *& bitumine linies intrinſecus, & extrinſecus*, tropologicè illuſtrant hunc in modum Gloſſa quidem Ordinaria, ex bitumine, inquit, conglutinantur ligna intrinſecus & extrinſecus, ut ex compage unitatis ſignificetur tolerantia Charitatis, ne concuſſa Eccleſia ab his, quæ ſunt, vel ab his, quæ foris, cedat à fraterna junctura. Eſt enim bitumen ferventiſſimum, & violentiſſimum gluten, & ſignificat dilectionis fervorem, vi magnitudinis

ad tenendam ſocietatem omnia tolerantem. Lyranus, Bitumine, inquit, i. e. charitate, linies eam intrinſecùs, i. e. Charitate ad DEUM: & extrinſecùs, i. e. Charitate ad proximum. Et benè dicitur linies, quia Charitas eſt forma virtutum. Gloſſa interlinearis ait, bitumen eſſe gluten ferventiſſimum, quo lini a ligna nullâ violentiâ diſſolvuntur, atque adeò congruè illo ſignificari dilectionis ardorem: juberi autem Noë arcam intus & exteriùs oblinire, ne diſſolvatur vel ab his, qui intus, vel ab his, quæ foris ſunt.

CAPUT XXXV.

De Mechanicis Artibus ex Opificiis Ærarium divitantibus.

SUMMARIA.

1. Opificiorum *emolumentum publicum & privatum perpendi oportet. Ærarium augent artes mechanicæ, ibid.*
2. Natura *non eſt alicujus imperfectionis vel defectus inſimulanda.* Belgium *à mechanicis artibus laudatum, ibid.*
3. Opificia *multifariè diſtinguuntur, hoc & n.* 4.5.6 7.8.11.12.13.14.& 15. *ubi & de laude artis pictoriæ.*
9. Haleces *olim ad Norvvegiam tantùm ſua ſtativa habuerunt: hodiè vero univerſam Britanniam immenſis exercitibus ſtatis temporibus ingenti piſcatorum quæſtu circumnatant, hoc* n. *piſcatus eorum ad Norvvicum urbem eſt totius Orbis copioſiſſimus,* n. 10.
16. *Sine* opificiis *nulla ſtare poteſt Reſpublica.*
17. Opifices *an à jure Civitatis arcendi? &* n. 18. & 19.
20. Artifices *in Iſraelitica Republica honorati.*
21. Salomon *architectos magnifecit.*
22. Artes mechanicæ *ſimul cum genere humano cœperunt.*
23. Joſephus *faber, Paulus σκηνοποιὸς fuit.*
24. Mitylenius Pittacus Rex *manibus ſuis piſtrinum elaboravit.*
25. Romæ artifices *magni æſtimati.*
26. Artificum ſocietates *Romæ.*
27. Artifices *maxima ſubſidia Reipublicæ contulerunt.*
28. Magiſtratus & Principes *opificiis & artificiis civitates replere debent.*
29. Artifices *ab* Impp. *privilegiis & immunitatibus donati: inſignes urbes populoſiores reddunt,* n. 30.
31. Mechanicæ artes *in China optumè florent, ubi & ratio; quæ diſcrepat ab Athenienſium antiqua lege, ibid.*
32. Mediolanum *diverſis artificum generibus abundat.*
33. Norimberga *ingenioſiſſimis opificibus & artificibus repleta eſt.*
34. *Apud Germanos opificiorum copia.*
35. Urbs *uno opificii genere antecellere debet cæteras.*
36. Friburgi Briſgoviæ *expoliuntur Cryſtalla, & inde miræ ſubtilitatis opera elaborantur.*
37. Technicothecæ *Principum,* Kunſt-Kammer.
38. Belgium *opificibus ſupra omnes Orbis Provincias abundat,* & n. 39. 40. & 41.
42. Magiſtratus *curabit, ut opera & artificia ſint ſine dolo, ſine fuco, ſine fraude perfecta: & ne prætextu ſocietatum artificii fiant monopolia, factiones, & conjurationes,* n. 43.
44. Opificia *non ſunt confundenda, & qui ea confundunt, juſtitiam diſtributivam evertunt,* n. 45.
46. *Pulcer caſus de* Ephippiariis *&* Frænariis *à Matthia Berlichio deciſus: ubi & caſus de Perariis Brunſuicenſibus à Dauthio J C* n. 47.
48. Linificii *in Helvetia cura.*
49. Artificia & opificia, *utpote ex quibus lucrum quæritur, tributis & oneribus ſunt obnoxia: neque hoc novum,* n. 50.
51. Opifices *hodie triumphant, & præ literatis abundant divitiis & alimentis.*

In variis rebus miramur acumina mentis,
Noſcere nec rerum diſcimus artificem.

Opificia & artificia mechanica (vulgò Hand-Künſte und Handwercke) in univerſum commoditati vitæ civilis & militaris deſerviunt. Felicibus itaque mechanicarum artium progreſſibus Princeps ſtudeat, peritos in eo genere foveat, præmiis etiam invitet; nec evocare è vicinis remotisq; regnis immunitatibus quibusdam conceſſis, pigeat. 1

Singula verò artificia præſupponunt materiam à natura productam, quam in varias figuras, ſive formas, variosq; uſus, manûs operâ elaborant, ingenio præeunte & adminiculante. Natura quidem ſuis partibus abſoluta & perfecta eſt. Quis enim naturam, id eſt, poteſtatem DEI, alicujus imperfectionis vel defectus inſimulet? Cùm omnia opera valdè bona à DEO OPT. MAX. facta, 2
quæ ejusdem omnipotentiam & ſapientiam ocularitèr repræſentant. Sed vis eorum ſæpe latitat, & tenebris quaſi involuta, proindeque re & induſtriâ humanâ evolvenda & in lucem eruenda.

Eſt natura exemplar artis; ars naturæ ſimia eſt:
Ipſa ne quidem Natura cuiquam absq; arte ſufficit.

Ac veluti urbes cùm conduntur, ad neceſſaria tantùm quæ ſunt reſpiciunt; quomodo conſervari & durare queant, augeſcentes autem non ampliùs neceſſariis illis contentæ ſunt, ſed maxima pars impendiorum jam in porticus ſpecioſas, & gymnaſiorum

 rum;

rum amplitudinem transfertur,&fori ſplendorem; Ita ſcientiæ & artificiorum aditus conſiſtit in rebus neceſſariis, incrementum autem in excellentioribus.

Quid? quod decus ab his artibus magnum accedat regnis, & latiùs Orbi noſtro gloriam, quam ab eruditione, aut bellica virtute, ſpargunt; admirationem ſanè artium elegantia & varietas parit, illam laus ſequitur, & valitura in omnem poſteritatem, & novos orbes commendatio. Hinc ingens illud in aulæis & periſtromatis, ſuprà quicquid unquam Mileſii, Seres-Tyrii, Phryges, Babylon dedit, Belgii nomen magnum; nec minùs è linea textura, floribus, nemoribus, vallibus, montibus, fluminibus, fontibus, rupibus, animalibus omnis generis, menſis bellisque, ad invidiam rerum ipſarum ludentibus, Carol. Scriban. *lib. 1. Inſtitut. Politico-Chriſtian c. 24. fol.* 173. *Turcæ autem nulla ferè opificia, & mechanica exercent* (1) quàm pauciſſima,& quæ ad vitã barbarorum vix ſufficere poſſunt. Apud illos certè natura pauca deſiderat, apud nos opinio multum; parum ad victum, parum ad amictum ſufficit, & ſciunt plurimis non indigere, quæ delicatuli mores noſtri neceſſaria fecère. SELIM SOLIMANNUS Turcarum Imperator artium mechanicarum amantiſſimus, artem faciendi acus didiciſſe fertur, & hoc nomine malè apud ſuos audire cœpit, quippe qui pulcherrimum putant Viro, armis fortiter uti, Mulieri fila à colo in fuſum deducere, inde in alabrum trahere, hinc in girgillum, dein in pannum, denique in telam adoperari.

3 Opificia verò ita commodè diſtingui poſſunt, ut inſerviant, I. Vitæ, nec non victui & ſanitati, II. amictui, & reliquo corporis cultui, III. Habitationi & ædificiis, IV. Supellectili & inſtrumentis variis domeſticis generatim, V. Militiæ togatæ, id eſt, rei litterariæ, VI. Tum ſagatæ, id eſt, bello ſpeciatim, VII. Ornatui & voluptati. Ad ornatum enim attendit omnis ars, quando & ipſæ ornatûs gratiâ ſunt inventæ, teſte Philoſtrato *lib. 6. Apollonyc.6.*

Hisce ſummis capitibus univerſa turba opificiorum concludi videtur.

Victui & cibo inſerviunt ars molitoria **das Mühlwerck** / piſtoria **Brodbacken** / ma-
4 girica coquinaria & culinaria, opificium carnis parandæ, opificia, quæ faciunt ad condimenta, puta ſalis, ſacchari, olei, butyri, aceti, &c. Item ad potum factitium, puta cerviſiam, mulſum, vinum aduſtum, &c.

Artificia ſanitati conſervandæ deſerviunt Pharmacopoeia, Chymiatrica, Chirurgia, &c. Chirurgi morbos & vulnera curant, cùm arte ſuâ, tum ex Medicorum expertiſſimorum præſcripto, idque agunt, ut bona ſit ac firma Civium valetudo: Pharmacopœi verò ad valetudinem procurandam medicamenta præparant ac vendunt. Utrique vel idcircò neceſſarii ſunt, quòd parum profectò victus ac veſtitus proſint, ſi infirma corpora ſint, ac cum ſanitate vita periclitetur. Nec raro fœda morborum lues Rempublicam exhauriret, ſi harum Artium remediis non ſuccurreretur. Nic. Vernulæ. *lib. 2. Inſtitut. Polit. tit. 2. fol. 273.*

Ad amictum verò, domum, utenſilia, & ſupllecctilem faciunt opificia præparatoria & confectoria ex vegetabili genere, puta textura & tinctura linteorum, cannabis, **Kanneſaß** / goſſipii **Baumwolle** / unde **Bomſin- und Barchetweber** / pannificium **Tuchmacher** / opificia ex ſetis & pilis animalium, puta camelorum (unde Camallotum, vulgò **Schamlett**) cuniculorum, fibrorum, **Canin- und Biberhaaren** / ex quibus pretioſi pilei conficiuntur: item caprearum **Rehehaar** / ad pulvinaria conſtipanda & alia **Polſter** / **Seſſel** / **Sättel** / **Commet** / **Materatzen aus Flocken und Scheerwolle Tuch.** Quibus adde opificia ex pellibus animantium &, corio equino, bovino, vitulino, cervino, ovino, hircino ad veſtes & calceamenta, ad ſupellectilem domeſticam & villicam: unde cerdones & coriarii **Roth- oder Lohe- und Weißgerber** / **Cordewanmacher.** Item qui Corium Ruſſicum **Reuſſiſch wolriechende Leder** / criſpatum **Sämiſch** / deauratum & inargentatum **Gülden- und Silbern-Leder** / **Gold-Leder** / &c. præparant: Coriarii verò communiter corticum quercinorum pulvere pelles præparant; quod eſt Germanis **Theren** / tanquam caſtaneæ colore inficere, & aſtringere. Quæ in quercini trunci cortice membrana ſubeſt, & ſub glandis calyculo, fortiter adſtringit.

Hos omnes veſtitûs neceſſitas eſſe in Republica vult.

Ut autem levitatem, ſuperbiam, novitatem, & luxuriam non inducant, diligenter eſt animadvertendum.

Huc quoque referri poteſt opificium ex inſectis bombycum vel vermiculorum ſe- 5
rici, de quibus dixi ſuprà cap. 6. Item opificia ſeu artificia metallica, puta, metalla excoquendi & ſeparandi, fundendi atque ducendi, **die Metall zu ſchmeltzen und zu ſcheiden** / **zu gieſſen** / **ſchlagen und zu hämmern** / Docimaſtica, **Probieren der Metallen und Mineraliſchen Ertz und Waſſer.** Opificia Electri & Orichalci: artificium incoquendi metalla, **zu überwürcken** / **vergülden** / **verzinen** / & contrà auramentum ſeparandi: Item metallificium, quo metallum imperfectius mutatur in perfectius: Opificia excoquendi ſuccos & terras minerales, puta vitrioli, **Kupfferwaſſer** / aluminis, ſalnitri, (**Salpeter zu ſieden**) ſalis communis: Item artificium parandi aquas minerales, &c.

gemni-

gemnificia, vitrificia ſeu vitriſicatoria, opi-
ficia lapidaria præparatoria, marmora ſe-
candi & poliendi, & id genus alios lapides:
opificia lateraria, vulgò Ziegelbrennen/ &
calcis coquendæ, Eyer-Kalck zu calciniren
und daraus Bilder zu machen/ colorificia,
6 Farben zu machen. Huc etiam ſpectant fi-
lamenta ſive fila aurea, argentea, & inde
telæ factæ, Gülden und Silbern gezogē Drath/
und Silber/ Gülden und Silbern Poſament;
Item bracteæ ex auro & argento malleato,
vulgò Gold und Silberblatt/ Goldſchläger:
Inde Gülden und Silbern Leder/ nec non o-
pificia, quæ ænea, orichalcea, ferrea, &
chalybea filamenta & bracteas faciunt,
vulgò Kupffer-Drath/ Meſſing-Eiſen-Stahl-
Drath/ Lohn/ Flitter Gold: officinæ tinctò-
riæ, Färber-Häuſer. Item Tinctores & Infe-
ctores, Schwartzfärber/ Schönfärber/ Tuch-
Leinwad- und Seidenfärber.

Et hæc de officiis præparatoriis, ſo die Zeug-
wahren gemacht.

7 Sunt præterea confectoria opificia, quæ
ex materiis præparatis, & aliis ab agrorum
& metallorum curâ ſuffectis, conficiunt ve-
ſtimenta, domos, ſupellectilem & inſtru-
menta; ad rem urbanam, villicam, nauti-
cam, literariam, & militarem, nec non ad
ornatum & voluptatem Muſicam & luſum
ſpectantia. In hanc claſſem referuntur Sar-
tores, Sutores, Pileones, Pelliones, Tex-
tores, Chirotehcarii & Tibialium Texto-
res, Strümpffſtricker/ Zonarii ſive Cingu-
8 larii Gürteler/ Ligularii Neſtler/ Senckler/
Saccularii Beutler/ Culcitrarii Maderatzen-
macher/ Federſteuber/ Item Architecti, Fa-
bri Lignarii, Cæmentarii, Lapidarii, In-
cruſtatores Tünger, Scriniarii, Clinopegi,
Tiſchler/ Torneatores, Drechsler: Et qui
Cochlearia, Orbes, Patinas, Cantharos,
Scatulas, Cribra Sieber: Vietores, groß und
kleine Binder/ Carpentarii & Rhedarii, Ro-
tarii, Item Fabricatores Navigiorum, Sedili-
um, Lecticarum: Ex Lino & Cannabi, Re-
ſtiones, Stricker/ Seiler/ qui reſtes & laque-
os, & Camelos, groſſe dicke Stricke confici-
unt. Retiarii Netzſtricker: deren in Nieder-
land Stätte und Dörffer voll/ zur Fiſcherey
deß Herings/ Salims und dergleichen/ dann
allein in die 700. oder 800. Schiff oder Bot-
ten jährlich auf den Heringfang ausfahren/
deren ein jedes drey Reiſſen thut/ dannenhero
der Reichthum/ ſo aus'm Meer kommt leicht
muthzumaſſen. De halecum captura hoc
obiter inſpergere lubet, *quòd Haleces* (2) ſi-
ve *Leucomenidæ*, aut chalcides, ſi ita mavis,
9 cùm proavorum ſeculo tantùm ad Norvve-
giam ſua quaſi ſtativa habuerint, noſtro
tempore non ſine divino conſilio quotan-
nis Inſulam totam immenſis exercitibus
circumnatant. Circa ſolſtitium æſtivum
ex alto litore Scotiam petunt; quo tem-
pore, quia pinguiores ſunt, ſtatim diven-
duntur, inde Anglica litora adeunt, & ab
Auguſto medio ad Novembrem optima &
uberrima eorum eſt captura â Scarbor-
rough, caſtro in Brigantibus, usque ad Ta-
miſis oſtium, poſtea aliquâ vehementiori
procellâ in Britannicum mare deferuntur,
& in eo ad Chriſti usque Natalitia ſe piſcan-
tibus offerunt. Hinc Hiberniam utrin-
que pernatantes in Septentrionalem Oce-
anum, circumnavigatâ Britanniâ, ſe trans-
ferunt, & ad Junium quaſi ſubſiſtunt; & poſt-
quam ibi fœtificavêre, numeroſiſſimo agmi-
ne regrediuntur. Et halecum piſcatus, 10
haud procul Norvvico, urbe clariſſimâ to-
tius orbis, eſt copioſiſſimus. Et in mari Ca-
ſtro Scarborrough ſubjecto piſcaturam Hol-
landi & Zelandi exercent quæſtuoſiſſimam,
veniâ priùs ex caſtro, veteri inſtituto, impe-
tratâ.

Præmemoratis opificiis ſuccedunt ea, 11
quæ ex rebus animatis, puta ex corio & pel-
le, ex ſetis, oſſibus, ebore, cornu, inteſtinis
omnis generis utenſilia conficiunt. Sic ex
conchis & teſtudinibus; opificium Lorari-
um Riemer; ſellarium Sattler/ qui ſellas
& Ephippia ad uſum pacis & militiæ con-
ficiunt: qui capſulas ad ſclopeta Büchſen-
hulffter: qui corio currus, ſedilia, &c. ve-
ſtiunt, qui vaginas formant ad cultros
Scheidenmacher: ex ſetis ſuillis, Bürſten-
binder/ Ex oſſibus & cornibus, pectines,
Kammacher: Ex ebore varia ſupellex: Ex
ovis Struthionis, ex oſſibus & tegumentis
piſcium Fiſchbein: Ex inteſtinis ovium con-
ficiuntur chordæ Lautenſeiten/ &c. ut vide-
as, nec animalia terreſtria, nec aquatilia,
nec aëria materiam ad ſupellectilem dene-
gare.

Sunt quoque metallaria opificia & arti- 12
ficia, quæ ex metallis, tum gemmis & lapi-
dibus, nec non terris quibusdam ſupelle-
ctilem, utenſilia & inſtrumenta efformant.
Unde Fabri Metallarii, Gemmarii Edelge-
ſteinſchneider/ Lapidarii Steinſchneider/ Fi-
guli ex argilla &c. Aurifices Goldſchmie-
de/ tum Monetarii Müntzmeiſter und Mün-
tzergeſellen/ qui percutiunt numos ex auro
& argento puro (rariſſimè) ut plurimùm
ære miſto; Cujus miſturæ lex, vulgò liga
Schrod und Korn/ pragmaticis Imperii ſan-
ctionibus definita, ſed quotusquisque eam
ſervet, cuivis notum eſt. Utuntur hodiè
plerique malleo, rariùs prælo, olim fuſione.
Hinc aurifabri Goldarbeiter/ Silberarbeiter/
fabri ærarii Kupfferſchmiede/ Orichalcarii 13
Meſſing- oder Rothgieſſer/ electarii, ferra-
rii, Eiſenſchmiede/ ſtannarii, vitrarii, fene-
ſtrarii, perſpicillarii, &c. Militiæ togatæ
ſive rei literariæ Typographi, Grammato-
glyptæ, papyri confectores, librarii, bibli- 14
opegi, &c. Militiæ verò ſagatæ ſerviunt

Artigleria, artificia & opificia ſclopetaria, pulveris pyrii ſive nitrati, &c. de quibus latè Bornit. *de rer. ſuffic tract. 2. capit. 77. 78. & ſeqq.*

15 Et hactenus de variis opificiis neceſſariis & fructuoſis ad victum & amictum, ad domum, ſupellectilem & inſtrumenta, ad rem literariam, militarem, &c. diſſeruiſſe ſuffecerit.

Sequuntur nunc voluptaria artificia, quæ non tàm neceſſitatem & utilitatem, quàm honeſtam voluptatem & delectationem ſuis operibus & inſtrumentis progenerant. Quales ſunt artes Apiciariæ & Cupedinariæ, Balneatoria, Tonſoria, Comptoria & Fucatoria, Myrepſica & Unguentaria, Saponaria, Incoctoria & Tinctoria; Coronaria & Plumaria; Bractearia, Scriptoria & Pictoria, Cælatoria & Sculptoria, Plaſtica, Inſtrumenta Muſicalia, &c. De quibus idem Bornit. *d. tract. 2. cap. 81. & multis ſeqq.*

Sane Pictoria (3) coloribus utens ex ipſis rebus, aut quales eſſe deberent, capeſſit notiones, quibus lineamenta, lucem, umbram, receſſus imitatur: quicquid ubique præſtantiſſimum reperit, id è multis in unum, quod ſibi propoſuerit, transfert: ut non tàm à perſonis, aut à natura didiciſſe, quàm potiùs hic dare leges poſſe videatur. Neque enim circa hoc univerſum duntaxat, circa delitias ejusdem, circa naturam, naturæ officia, & mortalium actus occupatur; ſed & Creatoris Majeſtatem & Miracula ſtupendo artificio effingit, mirumq́; in modum effigie delectat, ut divinis inprimis honoribus & immortalitati rerum Pictoriam inventam exiſtimem: Omne enim, quod Orbis ſpecioſum habet, doctæ manûs ſolertia imitatur: Nam & amœniſſimi Regionum tractus aptâ adeò facie in linteis deſignantur, ut rem, non effigiem videre reris. Quod operum vetuſtate delapſorum memoriâ interiiſſet, niſi picturæ vindicaſſent? Nihil de antiquitatis Majeſtate conſtaret, ac penè facta mortalium inumbrata oboleviſſent, niſi ars hæc Thermas, Theatra, Statuas, Coloſſos, Urbes & ipſas Gentes in Chartas conjeciſſet; ut non immeritò Raphaelis Sanctii Urbinatis pictoris, vel, ut alii volunt, Michaelis Angeli tumulo inſcriptum ſit: *Illo ſoſpite naturam* (4) *nec vinci, nec mori potuiſſe.* Hinc infinitum arti decus, ingentique pretio Picturæ commendatæ, & una Apellis ſeu Protogenis tabula artificioſiſſimè picta, *Rhodum obſidente Demetrio*, (5) ab interitu ſervaſſe, & trecentis ampliùs talentis æſtimata dicitur.

Sic & maturè apud Romanos Pictoriæ honos obtigit, ipſique Proceres Orbis & Auguſti olim operam eidem impendêre. Fabio nobiliſſimo homini laudi datum, quod pingeret, Cicero tradit. Et, *dicente Plinio*, (6) clariſſimæ Fabiorum Genti à Pictoria cognomina obvenêre; Princepsq́; ejus cognominis ipſe Ædem Salutis pinxit. Hadrianus Imp. picturæ peritiſſimus erat, Marcus Antoninus Philoſophus eidem ſtuduit. Alexandro Severo egregia pingendi dexteritas tribuitur. Nec noſtra Patrumque memoria defuêre Auguſti, aut impensè hoc ſtudio delectati, aut ipſi Artifices exquiſiti.

Mutus Orator Pictura eſt, ſed gravis & flexanimus, fida ac ſincera ejus eloquentia non captat benevolentiam, ſed momento poſſidet, non per aurium ambages deſcendit, ſed per præſtantiſſimum ſenſuum viſum, intimâ quâdam ſympathiâ, ſe demittit ad mentem, lumen, & ſplendorem humanæ compagis. Hinc animus humanus, non ſecus ac flamma imaginibus alitur, & ſibi relictus, etiam ex falſis ideis fomenta arripit.

Qui primus malleo ſtiloque, ſubſtratâ pice, cælare docuit, Belga fuit; cùm antè fuſili omnes ductu laminas informes cogerent. Oleo primus Belga pinxit, intexere primus lino agros, nemora, arces, urbes, montes, rupes, valles, maria, acies, convivia, & quicquid ubique eſt, Belga docuit. In æris ſculptura tenuiori, molliori, venuſtiori quicquid novè, usquam quicquid antiquè, vicere Belgæ. Acu quidvis, propè ſupra fidem, pingendi ars à mulieribus Belgis in alia regna vicina remotaque migravit. Portento ſimile credas, ſi quinquennes virgines in docto hoc opere ludentes inter amicas ætatis illius confabulationes, videas, ætatem prudentia non poſſit, huic uni ineſſe credas. Ita fœcundum, jucundum ac inventione dives Belgium fuit. 16

Nulla ſine harum artium operâ ſtare poteſt Reſpublica. In qualibet enim Civitate opus alimentis, armis, veſtimentis, omnique genere ſupellectilis & inſtrumentorum, quæ non niſi ab opificibus. Hinc natum Germanorum proverbium, daß ein jedes Handwerck ein gülden Boden habe; allein müſſe man denſelben bis an die Elenbogen ſuchen. Et Boterus, plures arte, quàm aliis proventibus victitare, qualescunque illi tandem ſint, ſcripſit.

Fuerunt quidem Reſpublicæ & Civitates, quæ artificia ſeu artes manuales contempſerunt; verùm cùm maxima ſui jactura: cùm, quia uti peregrinis in his coacti ſunt, qui pecunias exhauſerunt civium; tum etiam quòd ipſi ea occaſione opes ſuas non auxerint. Ariſtoteles quoque & Xenophon *lib. 5. de Oeconomia cap. 4.* repellunt opifices à Republica, eò, quòd corpora illorum, qui vel artificia exercent, vel curant, corrumpant; dum ſedere illos cogunt, & in umbra vivere, totosque dies in non-

nonnullorum operis ad ignem eſſe; Quò
fit, quòd corpora effœminentur, & animi
19 longè debiliores reddantur, &c. Sed in-
juriam illis faciunt. Hodiè enim hæc eſt
artificum ratio, ut non laboribus corpora
debilitent, ſed firment; quæcunque ſunt in
Urbibus honeſtiſſimæ artificum tribus; at-
que hoc ad veterum normam & Rempu-
blicam Sacram inſtitutum eſt. In Iſraeli-
20 tica enim Repub. artifices Deus ipſe hono-
ravit, & ſingulari privilegio inſtruxit ad or-
nandam ſuam arcam & tabernaculum ar-
tifices Beſeleel & Oeliab, locutusque eſt
ad Moyſen dicens, *Exod* 31. *v.* 2. 3. 4. 5. 6.
Ecce, vocavi ex nomine Beſeleel filium Uri filii
Hur de tribu Juda, & implevi eũ Spiritu Dei,
ſapientiâ, intelligentia, & ſcientiâ in omni o-
pere, ad excogitandum quicquid fabrefieri po-
teſt ex auro, & argento, & ære, marmore, &
gemmis, & diverſitate lignorum. Dediq; ei ſo-
cium Oeliab filium Achiſamech de tribu Dan.
Et in corde omnis eruditi poſui ſapientiam: Et
faciant cuncta, quæ præcepti tibi; Tabernacu-
lum fœderis, & arcam teſtimonii, & propitia-
torium, quod ſuper eam eſt, & cuncta vaſa ta-
bernaculi, &c.
21 David quoque artifices ſapientes & Con-
ſiliarios vocat. Et Salomon architectos
magni fecit, *miſit & tulit Hiram de Tyro, fi-*
lium mulieris viduæ de tribu Nephtali, patre
Tyrio, artificem ærarium, & plenum ſapientiâ,
& intelligentiâ, & doctrinâ ad faciendum o-
mne opus ex ære, 3. *Reg.* 7. *v.* 14. Othonie-
lis nobiliſſimi & fortiſſimi viri nepotes fi-
lius Saraia, ex nepote Joab artifices fuère;
1. *Paralip.* 4. *v.* 14. Eccleſiaſticus ſive Sy-
racides *cap.* 38. *v.* 36. agricolas, fabros, figu-
22 los, & architectos laudibus effert, tanquam
Reip. neceſſarios, quòd ſine his non æ-
dificetur Civitas, & quòd homines in Ur-
bibus ægrè illis carere poſſit. Quinimò
ſimul atque humanum genus cœpit, cum
23 genere humano inventæ ſunt artes me-
chanicæ, *Gen.* 4. Chriſtus patrem ſeu nu-
24 tritorem habuit Joſephum, qui faber erat
materiarius, *Matth.* 13. D. Paulus erat con-
textor tabernaculorum *Act.* 18. *v.* 3. Et ali-
os manibus ſuis opus facere jubet 1. *Theſſal.* 4.
v. 11. Et Mitylenæus Pittacus, quamvis Rex
eſſet, piſtrinum tamen manibus ſuis exſtrue-
bat, ſimulque & artificiosè ſe exercebat &
cibum operabatur. Non opera igitur, quæ
manibus elaborantur, turpia, & probroſa
ſunt, atq; ad tuendam vitam conducunt;
Sanctus Iſidorus Peluſiota *l.* 2. *Epiſt.* 470.
25 Nec minùs Romæ artifices æſtimati
ſunt; Nam & ad Magiſtratum admiſſi
ſunt, & jus civium, quod ſummum erat,
victâ factione Patriciorum, occuparunt.
Romulus] in curias ſeu fratrias diſtribuit
cives; Numa Pompilius, ut odioſum di-
26 ſcrimen nationum tolleret, artium divi-
ſionem, artificumque & architectorum ſo-
dalitates, & Collegia inſtituit.

Maxima verò ſubſidia Reipublicæ con-
ferunt artifices; nam negotiatores allici-
unt, otium fugiunt, opes important, *in bel-* 27
lo utiles ſunt. (7) Quòd ſi eorum induſtria
honoretur, multò magis florebunt. Cùm
enim ſint compendioſæ rerum agenda-
rum rationes, quæ in artibus valent, mino-
re curâ & labore Rempublicam juvabunt:
Adde, quòd non ſolùm Vectigal quoddam
ex quæſtu opificum manuario exigi, (qua-
le à Severo inſtitutum fuit, teſte Herodia-
no *lib.* 3. Alexand. ab Alexand. *lib.* 4. *genial.*
dier. cap. 10. Gregor. Tholoſan. *lib.* 3. *de Re-*
pub. cap. 6. *num.* 4. & extra ordinem pro re-
ſtituendo palatio igni conſumpto ab Au-
guſto indictum privatis denarium, ut Col-
legiis aureum, ex Dione Caſſio refert Mar-
quard. Freher. *lib.* 3. *parerg. cap.* 10.) ſed &
inprimis tempore ingruentis neceſſitatis ab
artificum collegiis, quæ arcam communem
habent, ad exemplum Reipublicæ, mutuò
peti poſſunt pecuniæ. *Vide me ſuprà c.* 24. *n.*
11. 12. & 13. Quæ ſanè via conficiendæ pe-
cuniæ commoda & facilis videtur, nec mo-
dò æquitatis regula hîc obſervetur, nec mo-
dus excedatur; propterea quòd pecunia
ſemper parata, & brevi tempore exigi &
colligi poſſit, Bornit. *de ærar. lib.* 5. *cap.* 8.
Quid ſi quotannis ex Univerſitatum vel
Collegiorum Mechanicorum reditibus,
Principibus & Magiſtratibus ordinariis *di-*
midia pars penderetur? (8) Certè hoc pacto
alii Subditi minùs gravarentur; quia ex pu-
blicis Univerſitatum ærariis id ſumitur, nec
ab ullo in ſpecie aliquo exigitur. Accurata
tamen hoc caſu ratio habenda eſt ærario-
rum ſive arcarum communium. Nam mul-
tis in locis expenſæ ærarii accepta ſuperant
vel exæquant.

Ex prædictis itaque Luce meridianâ cla- 28
riùs eluceſcit, quòd Principes & Magiſtra-
tus, qui Ærarium dives & Urbes populo-
ſas habere ſatagunt, in id ſedulò incumbe-
re debeant, ut opificiis & artificiis eas re-
pleant. Facient autem hoc, ſi è peregri-
nis nationibus inſignes & præclaros arti-
fices accerſant, accerſitos commodâ ſede
aliiſque neceſſariis promoveant, indultis
animent, muneribus etiam alliciant, cer-
tiſque prærogativis dotent, ſi ingenia ſo-
lertia inſpiciant, præclarè inventa & exco-
gita magni æſtiment, ſi imitatione vete-
rum Impp. *in l.* 1. & 2. *C. de excuſet. artific.* 29
privilegia & immunitates illis conferant,
& quandoque optumos ad excitandam
ingenii dexteritatem laudibus præmiiſque
proſequantur. *Non deſint artifici ſua præ-*
mia, (9) & quædam etiam non noxiæ regno
immunitates, & non deerunt ultrò operam
ſuam ſpondentes.

Alexander Severus, *teſte Lampridio,* (10)
mechanica opera plurima Romæ inſtitu-
it; negotiatoribusq;, ut Romam volentes
con-

concurrerent, maximam immunitatem dedit. Sic Selimus I. Turcicus Imp. Con-
30 ſtantinopolin & incolis & opibus amplificaturus, aliquot mille peritiſſimos omnium mechanicarum artium Conſtantinopolin accerſivit, primùm ex urbe regia Belgrado, deinde ex potentiſſima urbe Cairo. Boter. *lib. 8. de illuſtr. polit. cap. 3.* In China maximo totiusque Orbis florentiſſimo Regno commercia mechanica, artesque ferè omnes omnium optimè florent, quas (cùm ex legis Regiæ præſcripto filii easdem artes, quas parens, addiſcere & profiteri teneantur) liberi quaſi cum lacte materno imbibunt.

Alia ratio & vetus lex Athenis fuit, eaq;,
31 meo judicio, præclariſſimè conſtituta, ut adoleſcentes, cùm pubertatis annos attigiſſent, ad artes ducerentur, ad hunc modum cujuslibet artis inſtrumenta publicè proponebantur, atque adoleſcentes ad ea adducebantur. Quocunque autem delectari quemq; contigiſſet, ad idque accurreret, hujus quoque artem edocebatur. Quod videlicet ea ut plurimùm rectè ſuccedant, quæ naturâ duce aggredimur contra ea, quæ invitâ naturâ ſuſcipiuntur, ſpem fruſtrari ſoleant.

32 Quid dicam de MEDIOLANO, potentiſſimæ Italiæ Civitate, Galliæque Ciſalpinæ Metropoli, in qua tàm multa tàmque diverſa artificum genera, tantaque frequentia, ut inde vulgò ſit natum proverbium. *Qui Italiam reficere velint*, (11) *eum deſtruere Mediolanum debere*; nimirum, quòd ex his ſedibus, artificum & opificum examina per omnes Italiæ partes ſpargantur; Venetiis, Florentiæ, Genuæ ex duobus tantùm illis opificiis, lanæ & ſerici, plurima hominum millia victum quæritant; Hyppolit. à Collib. *tract. de Principe c. 20.*

Nomen quoque ab artium elegantia & inventoribus magnum *Belgiò creviſſe*, (12) negare nemo poteſt. Acceſsêre exinde illi mercimonia, ut arbitreris Orbis potiorem partem in illud migraſſe, ita quicquid uterque Indus, Arabs, Tagus, Nilus, Tiberis, Danubius, Rhenus, Tameſis, Moſcus, Iber, Sequana divite produxit ſinu, quicquid Oceano toto, Inſulisque omnibus natum firmaſſe in Belgio videas. Evocarunt ferè mechanicarum artium miracula hos omnes, ut Sabæ olim Reginam Salomonis prudentia.

Sed ne exteris diu immoremur, Norim-
33 berga opificibus ingenioſiſſimis, repertoribus & magiſtris ſubtilium operum abundat, & quæ non parùm Civitatis incremento conducunt. Norimbergenſium certè induſtria, (recenſente *Thomâ Lanſio* (13) *in Orat. pro Germania fol. 57.*) non eſt horna: jam dudum exteris creditum fuit, illorũ operâ non de grege opificum, ſed planè egregia eſſe. Sicuti Auguſtanorum quoque aurifabri, brachearii, cælatores, annularii; textores, quorum omnium in nulla Europæ urbe eſt compar numerus, in Orientem & Occidentem usque ſolidam nec 34
intermorituram ſuarum artium laudem protulerunt. Et ferè ubilibet in Germania fervent opificia. Atque ut *Damaſceni armis* (14) fabricandis excellunt; Florentini pannis ſubtilioribus; Arelatenſes tapetibus; Genuenſes holoſericis; Mediolanenſes telis aureis; Veneti purpurâ; Neapolitani tibialibus holoſericis; Mantuani laneis; Cameracenſes telis lineis; alii aliis artificiis eminent: Ita & in Germania noſtra alia oppida in uno, alia in alio magis occupantur, &, ſi non pluribus, uno ſaltem opificii genere cæteros antecellunt populos. Videre eſt Friburgi Briſgoviæ expoliri cryſtalla, & inde pocula, capulos, & 35
alia miræ ſubtilitatis opera elaborari: videre eſt Eſſendii ſclopetorum; Ulmæ autem pannorum, quos Barchet & Golſch vocant, incredibilem copiam quotannis parari. In aliam Civitatem Orichalcarii, aliam Chartarii, aliam Stannarii, aut Quadrigarii, aut Ahenarii, aut tormentorum 36
Fuſores, aut Plumbarii, aut Serarii, aut Cultrarii, aut Falcifices, aliam Fullones, Tinctores, Textores; aliam Coriarii, Reſtiones, Ephippiarii, aliam Plauſtrarii, Scriniarii, Fabri lignarii, Cæmentarii, Statuarii, Vitriarii, Figuli; aliam alii nobilitant. Et qui geſtit compendio manuarias acuminis Germa- 37
nici artes intueri, is Saxonicum Dreſdæ, Würtembergicum Stutgardiæ, Bavaricum Monachii, ceimiliarchium ſive Technicothecam videndi veniam impetret; comprehendet uno intuitu, cui planè perſpiciendo non ſatis erit annus; & oculus admirabili rerum mirandarum ac nullibi viſarum delectu laſſabit, non ſatiabit.

Cæterùm & Galliam Colonias opificum 38
in Hiſpaniam mittere; ita ut decem millia Gallorum opificum in Urbe Valentina aliquando capta ſint, refert Bodin. *lib. 5. de Repub. cap. 1.* *Et Belgium opificibus* (15) ſupra cunctas Orbis provincias abundare, ſcribit Thuan. *Hiſt. lib. 46.* Tractant namque lanificia, pannos lineos, laneos, aulæaque contexunt, quibus Germaniam, Galliam, Hiſpaniam, Africam, Aſiam, Indiam utramque veſtiunt; Cur non hæc, & alia imitantur Germaniæ Principes? Hinc lanam coëmunt, avehunt, revehunt, & portoriorum, vecturæque ſumptus conduplicant. Hoc demum in Republica magnum eſt incommodum, quòd, cùm arte facta ab externis emuntur, omnia majore pretio veneunt, Civitasque exhauritur.

Annales produnt (16) A. M. CCCXXX.
Lovanii tantùm tantam textorum multitu- 39
dinem fuiſſe; ut ad tria, imò quatuor millia textrinorum in urbe eſſent: quolibet textrino

non

non minùs triginta aut quadraginta homines exigente, qui lanam præparent, qui carminarent, qui nerent, fullonicam aliasque tales operas exercerent. Sicque ex ſolo illo genere ad centum ſexaginta millia in una urbe degere aliquando oportuit. Et quæ gloria panno Britannico Londinenſi hodiè tribuitur; eam poſſidet beneficio Lovanienſium & aliorum Belgarum lanificum; qui pannificii colonias in Britanniam intulerunt, Angloſque artificium, anteà agriculturæ & pecuariæ ſolùm deditos docuerunt; nuper etiam cùm in Belgio nil niſi excidium gentis ſpiraret truculentus Albanus, profugis & extorribus Belgis aliquot inſulæ urbes infrequentes anteà & penè deſolatas, Norvvicum præcipuè, Clocestriam, Maidſtonam, Sandvvicum, Hamptonum, & alias inſtaurantibus, qui tunc quoque artem conficiendi levidenſas, quas *Bayes & Sayes* vocant, & id genus linea & lanea variâ texturâ primi Anglis monſtrabant.

40 Textoria autem Belgarum novis inventionibus ſemper ſe ipsâ ſurgit ornatior & pretioſior: dubiis tamen rerum æſtimatoribus, plúsne in lanificio, an verò in linificio illi præſtent. Nam in hocce Batavorum ſolertia eſt ſingularis; qui linearum telarum toto Orbe celeberrimarum *ſubtilitate Arachnæos labores* (17) & Palladias manus provocant; earum candere nivem, tenuitate ſindonem, & byſſum pretio peræquante. Nec minùs tamen telarum opificium Cameraci illuſtre, & ferè ſupra fidem eſt opulentum. Nam ratione diligenter initâ, compertum eſt à rerum harum peritis; quotannis ad LX. elɔ telas in eâ civitate confici, quæ æquato pretio, ſingulis XL.
41 florenis æſtimatis, ad viceſies quater centena millia florenorum excurrunt. Textiles item picturas Flandrorum, maximè Aloſtenſium & Oudenardorum, Regum & Principum pompa jam tutum auri ponderibus antepoſuit.

Cùm ferè nullum palatium ſit, quod ex illa Belgica acu pictoria officina non inſtruatur.

Ex quibus omnibus clareſcit, quantum emolumenti mechanicæ artes, opificiaque tàm privatim, quàm publicè Civitatibus earumque Ærariis conferant; & quàm honeſtè opes Reipub. neceſſariæ, absque detrimento civium & cum utilitate eorum inde congregari queant. Fortunæ in his regnorum conſiſtunt, neque alia res certius Principis ærarium locupletat, neque majorem negotiationum merciumque Orbe toto invehendarum evehendarumque materiam præbet, neque quidquam ab extremis etiam terrarum, pecunias merciumque genus omne, potentiùs evocat: ita, ut quod genitum eſt usquam, id omne in uno regno natum videatur. Creſcit deinde Provincia creſcentibus artibus non ærario tantùm & opibus, ſed hominum multitudine: è quibus & robur additur regno, & regia vectigalia inſigni paſſim incremento creſcunt. E populi enim multitudine, publici ærarii magnitudo pendet Carol. Scriban. Jeſuita *Inſtitut. Politico-Chriſtian. lib.* 1. *cap.* 24. *pag.* 173.

I. Magiſtratûs hîc erit ſolicitudo, ut o- 42
pera & artificia ſint ſine dolo, ſine fuco, ſine fraude perfecta, ſolida juxta artis cujusque leges. Ideoque curabit & eſſe præfectos ſingulis artificiis, quibus injungatur onus viſitandi & inquirendi, ut ſecundùm bonam fidem fiant opera; ut ſunt Tuch- Goldſchawer/ Weinſchäzer / Fleiſch- und Brodſchauer/&c.

II. Cavendum, ne prætextu ſocietatum 43
artificii fiant eadem monopolia, factiones aut conjurationes noxiæ Reipublicæ, néve noctu fiant concurſationes, aut conſpirationes, proditiones ac nefariæ in Reipub. exitium molitiones ſuſcipiantur. Gregor. Tholoſan. *lib.* 4. *de Repub. cap.* 9. *in fin.* Nicol. Vernulæi *dict. lib.* 2 *Inſtit. Politic. tit.* 7. *fol.* 28. Adam. Keller *deOffic. juridico-polit. lib.* 2. *cap.* 23. *fol.* 651.

Quinimò videndum, ut ſeverâ legum pœnâ corripiantur, *qui Monopolia* (18) fecerint, quorum innumeræ ſunt fraudes, cùm ad conſtituendum mercibus pretium, infra quod vendere non liceat; ad operas ſummo pretio locandas, ad diſcentes tyrocinio intra triennium non imbuendos, ad opus ab alio inchoatum non perficiendum, &c.

III. Inſuper à loci Domino conſtituendum, *ne ulla rudis materia exportetur*, (19) & ut nihil, quod fieri mediocri civium diligentiâ poteſt, importare liceat. Nam hoc modo & plura opificiorum genera, adductis etiam ſi opus eſſet, externis opificibus in Provincia eſſent. Homines item egeni, unde vitam alerent, facilè haberent, & nulli eſſe in otio liceret; ac, ſi vellet eſſe, jure idem puniri poſſet, ait Sebaſt. Fox. *de Reg. inſtitut. lib.* 2. Huc quadrant, quæ ſcripſi infrà *cap.* 79. *n* 5. *& per tot.*

IV. Si tanta rerum quarundam copia 44
ſit, ut omnem operarum manum vincant; pars aliò mandari poterit; ſed ita, ut ſua Regi & regno emolumenta conſtent, ne, tum alii beantur, fruſtrentur ipſi. Miſerum quippe, & fatuitatis quoddam genus, te nudare, ut alterum veſtias.

V. Diſtribui per regiones & collocari ſimul poſſunt, quæ ejusdem rationis ſunt tabernæ. Unde opifices illi, quibus aquâ præterfluente eſt opus, regionatim ad fluvium aut rivum conjungi debent. Illi verò, quorum artificia & opera exerceri ſine

ſtrepi-

ſtrepitu non poſſunt, remotiores eſſe debent à Curiis & Scholis, ne aut conſilia Reip. aut literatorum hominum ſtudia interturbent. *Illos enim ſtudiorum favor pellere è vicinia poteſt.* (20)

45 VI. Denique averruncanda eſt opificiorum confuſio; & officiorum perſonarumque diſtinctio in vita communi ordinanda & conſervanda, Weſ. *in parat. ff. de juſt. & jur. num.* 11. & 12. Quoniam abſurdum eſt promiſcuis actibus turbari officia, & aliis creditum & conceſſum alios ſubtrahere, text. *in l. conſulta* 23. *C. de teſtam. Et confuſio illa,* (21) quæ opificiorũ & collegiorum licitorum, quibus Reſpublica carere nequit, ſubſtantialem differentiam tollit, & verè juſtitiam diſtributivam & unam generis humani partem evertit, Dauth. *tract. de teſtament. num* 300. *in fin.* Weſemb. *dict. num.* 12. *in fin.* Matth. Berlich. *deciſ.* 26. *n.* 1. 2. *& per tot.* ubi elegantem caſum de Ephippiariis & Frænariis (Sattlern und Riemern) tractat. Frænariis certas quasdam ſpecies, als Weißgarle er zu machen / und
46 zu verarbeiten / Gatſchen in Riemen zu hangen und zu beſchlagen / Büchſen Hulfftern / mit langen und kurtzen Riemen / Hinterzeuge / Waſchſäcke / Köcher / Pulverflaſchen / Wadſäcke / Trußkiſten / Vorbeuge / Gürt zu machen / Sporen zu faſſen / &c. ſibi ſolis conficiendi jus eſſe aſſerentibus; Ephippiarii contrà hoc negantibus, & ſibi idem licere dicentibus.

Sic & referente Dauth *dict. loc p.* 343. Pe-
47 rarii Brunſuicenſes à crumenarum artificibus rei facti, quòd videlicet non deberent facere crumenas ſeris concluſas. cauſas obtinuerunt allegando, ſe ultra hominis memoriam continuè ſine omni contradictione ejusmodi peras ſive crumenas cum ſeris confeciſſe: Cujus temporis poſſeſſio vim privilegii ſpecialis conceſſionis & tituli habet *l. hoc jure §. ductus aquæ* 4. *ff. de aqu. cottit. & æſtiv.* Weſ *conſil. n* 45. 34. 35. 36. Mynſing. *cent.* 4. *obſ* 30. Et de vi & efficacia præſcriptionis immemorialis optima legi poterunt apud Henricum Gebhardi *tract. de uſu cap. cap.* 5.

Notatu quoque dignum eſt, Helvetios præcipuum quæſtum ex linificio facere, & non tantùm plebem urbanam, ſed maximam partem vicini agri hinc ſibi victum parare. Ideoque diligenter & accuratè omnia conſtituta ſunt, & cautum, ne qua hîc fraus admitti poſſit. Primò igitur omnium rudis tela, mox ut à textore opus abſolutum fuerit, à tribus hujus rei peritis & juratis hominibus inſpicitur, & prout fuerit bona vel mediocris, tali ſigno notatur. Quòd ſi mala & vitioſa videatur, ad textorum tribûs Magiſtrum & XI. viros remittitur. Hi vel pecuniâ textorem mulctant, vel talem juxta octonas ulnas in partes dividunt, aut per mediam latitudinem telam integram diſſecant, aut, ſi prorſus nullius pretii fuerit, publicè eam comburunt. Quotidie autem inſpectio & examen hujusmodi fit, & forum lineæ telæ exercetur certis legibus; ad quas ſervandas proxenetæ lini ſe juramento obſtringunt. Poſtquam tela examinata fuerit & probata, jurati menſores eam metiuntur & ſignant: menſoribus additi ſunt alii ex XI. viris textorum; & mercatoribus, menſurarum inſpectores. Menſuram lineæ telæ vocant den Reiff / ac varia eſt longitudo telarum, ſed integra habet ulnas CXXXIV. neque longiorem eſſe licet. Aliud deinde examen eſt telæ opera fullonum jam candidæ, qui hanc inſpiciunt, vocantur die Weiſſeng Schauer / hi inſpiciunt candorem, an ſatis alba ſit, item an in officina fullonis non ſit læſa, ac prout fuerit, ſigno notant, aut mulctam irrogant. Certi quoque homines ex mercatoribus & textorum tribu fullonum officinas inſpiciunt, an omnia ordine & ritè fiant, an lignorum & cineris copiam habeant, ne cuiquam in mora ſint: officinarum quoque magiſtri quotannis gravi juramento obſtringuntur. Ea verò tela, quæ tinctorum officinis deſtinatur ab inſpectoribus, qui à colore nomen habent, Blau- und Schwartz-Schauer / in partes æquales ſecatur ab lini ſectoribus, Leinwadſchneider; & ab aliis denuò examinatur, an juſtam menſuram habeat. Ubi Veneto aut nigro colore linum tinctum fuerit, ſi inſpectoribus color probetur, ſigno notant: & rurſus, ubi cylindro complanatum fuerit, denuò ab aliis probatur & ſigillum additur: quod ſi vitium aliquod habeat, vel ſecatur, vel id, ſi fieri poteſt, emendatur. Hæc autem omnia diligenter ab illis obſervantur, & qui aliquid peccarit, graviter mulctatur: urbs enim S. Galli hoc privilegii habet, ut eos, qui in lino ſignando, ſigillo addendo, tingendo, complanando, texendo, & ſimilibus, fraude & dolo uſi fuerint, capitali judicio ſiſtere, &, ſi in aſylum aliquod Cæſareum confugerint, abinde eximere, atque jure in ipſos animadvertere poſſit. Quemad- 49
modum autem ex Artificiis & Opificiis non minùs, ac agricultura, aliisque modis honeſtis lucrum quæritur, ita iisdem quoque non injuſtè munera & tributa imponuntur; Parpal. *in l. placet n.* 26 *verſ. fallit.* 2. *C. de SS. Eccl.* Menoch. *conſ.* 1201. *n.* 53. *vol.* 13. Carol. Tapia *in Rubric. de Conſtit. Princ. c.* 4. *n.* 45. Car-
din. Thuſc. *pract. concl. in lit. C. concl.* 449. *n.* 50
1. & 2. Neque verò iſtiusmodi muneris tributíve genus, quod artificibus & opificibus irrogatur, eſt novum aut iniquum; cùm & olim à Severo tale vectigal inſtitutum fuerit, ex quo thermas, quas fundaverat, pluribus uſibus ornavit, Lælius Zechius *lib.* 1. *Politic. c.* 3. Alexand. ab Alexandr. *lib.* 4. *genial. doer. c.* 10. Petr. Gregor. Tholoſan. *lib.* 3.

de

de Repub. c. 6. n. 4. Marquard. Freher. *lib 3. par-rerg. c. 10.* Döring. *in Bibliotheca JCtorum tom. 1. verb. Ærarium, n. 147.*

51 Et videmus, hoc præſertim tempore, opifices, & inter eosdem piſtores, ſutores, ephippiarios, ſcytotomos, ſartores, alutarios & coriarios, ac conſimiles, qui cæteroquin omnes ſuas, quas in milites & hoſpites faciunt, expenſas, ſpeciosè in merces ſuas & labores computare norunt artibus ſuis mechanicis, plus lucri, quàm alios omnes facere, quinimo præter ſplendidum amictum & lautum victum, aliorum etiam facultates & fundos vili pretio ad ſe trahere, ut proinde iniquum eſſet, ſi hos, quos occaſione lucri & negotiationis etiam pro tempore rigidiùs tractandos putamus, eximere vellemus. Noviſſimè Georg. Mundius *tr. de mune. & onerib. c 6. n. 157. & ſeqq.* (ubi argumenta Thomati contrarium ſentientis nervosè refellit) Georg. Chriſtoph. Walther *in Eunomia Metatorum, c. 6. §. 36. q. 19. p. 58.*

ANNOTATIONES
Ad CAPUT XXXV.

(1) *Turcæ nulla ferè opificia & mechanica exercent &c.*] Lonicerus contra *Turc. Hiſt. Tom 1. part. 3. c. 11.* Omnis generis opificia, *ſcribit*, inter Turcas exercentur. Nec ullus datur locus otio & ignaviæ, adeò ut nec diebus feſtis labore prorſus abſtineant, *junge infrà h. c. n. 30.*

Num. 9.

(2) *Quod Haleces &c.*] Eadem jam antea ſcripſerunt Klockius noſter *lib. 1. c. 14. n. 22.* ad quæ vide, quæ notavi (*27.*) (*28.*) (*29.*) (*30.*) & dicta *ad l. 1. c. 8. n. 19.* (*27.*) junge.

Num. 15.

(3) *Sane Pictoria &c.* Quàm tenuia fuerint olim imitationis hujus initia, ex Æliano facilè intelligas. Is enim, *var. Hiſt. l. 10. c. 10.* tradit, primos illos artifices, quum ars jam primùm excoli cœpiſſet, & quodammodo in lacte adhuc faſciisq; verſaretur, rudi atque impolito penicillo animalia expreſſiſſe, ut neceſſe habuerint informibus figuris adſcribere. Hoc eſt bos, illud equus, hoc arbor. Verùm quantopere de tempore in tempus creverit, quibusq; adjumentis progreſſus illius firmatus fuerit usq; dum ad plenam ætatem pervenit, quâ nunc viget, præter alios Franciſcus Junius *in Tr. de Pictura Veterum*, Chaſſanæus *in Catal. Glor. Mundi. p. 10. Conſid. 44.* Chriſt. Schreiner *in Pantograph.* Garzon ſive ejus Interpres Nicolaus Bellus *in Empor. Empor. p. 4. Diſc. 18.* Polydorus Virgil. *de Rer. Invent. l. 2. c. 24.* & Joan. Scheffer. *in Graphice ſive de arte pictoria, edito Tractatu*, docent.

(4) *Ilio ſoſpite &c.*] Errare qui citato hoc loco in tx. verba Michaëli Angelo Bonarottio adſcribunt ex utriusq; tumuli inſcriptione hic ſubjecta apparet. Hujus enim inſcriptionem in templo S. Crucis Florentiæ hanc nobis exhibet legendam, Hentznerus *in Itinerario pag. m. 521.*

MICHAELI ANGELO BONAROTTIO, è vetuſta Simoniorũ familia, ſculptori, pictori, Architecto, famâ omnibus notiſſimo, Leonhardus, patruo amantiſſimo, & de ſe optimè merito, translatis Româ ejus oſſibus, atq; in hoc templo majorum ſuorum ſepulchro conditis, cohortante Sereniſſimo Coſmo Med. Magno Etruriæ Duce, P. C. Anno Sal. M. D. LXX. vix. Ann. LXXXVIII. M. XI. dies XV.

Raphaëlis Urbinatis verò in Pantheo Romæ illam legi tradit Chytræus *in delic. var. per Europ. Itin. pag. 25.*

D. O. M RAPHAELI SANCTO Joan. F. Urbinati, pictori eminentiſſimo veterumq; æmulo. Cujus ſpirantes propè imagines ſi contemplere, naturæ atque artis fœdus facilè inſpexeris: Julii II. & Leon. X. P. P. M. M. picturæ & architecturæ operibus gloriam auxit. Vixit An. XXXVII. integrè integros. Quo die natus eſt, eo eſſe deſiit VIII. Id. April A. MDXX.

Ille hic eſt Raphaël, timuit quo ſoſpite vinci
Rerum magna parens, & morienti mori.

(5) *Rhodum obſidente Demetrio &c.*] Rhodum, *inquit Plinius lib. 1. cap. 38.* non incendit RexDemetrius, Expugnator cognominatus, ne tabulam Protogenis cremaret, à parte ea muri locatam.

(6) *Dicente Plinio &c.*] L. 35. *Nat. Hiſt. c 4.*

Num. 27.

(7) *In bello utiles ſunt &c.*] Olim quidem creditum fuit ſellularias artes animi robori officere, atque fortitudinem exarmare, unde quotquot gentes à bellica fortitudine gloriam atque exiſtimationem captare ſolent, ferè negligentiores fuerunt in opificiis, eorundemque artibus, atq; collegiis promovendis. At peritiam ſellulariæ artis cum militari fortitudine ſubſiſtere poſſe, ſi aliunde non conſtaret, vel ſoli Fœderati Belgæ fidem facere poſſent, inter quos veterani milites, neſcii que hoſti ſuo terga vertere, in locis præſidii artem ferè manuariam exercere ſolent. Schoockius *in Fœder. Belg. lib. 7. c. 1.*

(8) *Dimidia pars penderetur &c.*] Confer Henelium *de Ærario c. 4. §. 17. VI. p. 154.*

Num. 29.

(9) *Non deſint artificii ſua præmia &c*] Ita Veſpaſianus Imp. præſtantes Poëtas, nec non & artifices, coëmit: item coloſſi refectorem inſigni congiario magnâq; mercede donavit: mechanico quoque grandes columnas exiguâ impenſâ perducturum in Capitolium pollicenti, præmium pro commento non mediocre obtulit, operam remiſit, præfatus ſineret ſe plebeculam paſcere. Suetonius *in vita Veſp. c. 18.*

(10) *Teſte Lampridio &c.*] *Cap. 22.*

Num. 32.

(11) *Qui Italiam reficere totam &c.*] Italos ſic efferre tradit Lanſius *in Orat. pro Ital. p. 491. Si dice; che chi voleſſe raſſetare Italia, ſi roinâ Milano.* Mediolanum deſtruendo, Italiam quorumvis artificum copiâ inſtrui poſſe.

(12) *Belgio creviſſe &c.*] Illuſtrant hæc, quæ de Opificibus in Belgio tam in genere quàm in ſpecie toties laudatus Schoock. *per tot. l. 7. Fœd Belg.* copiosè annotavit, & quæ Author noſter *infrà n. 38.* de his recenſet, quò Lectorem hac vice ablegamus.

Num. 33.

(13) *Thomæ Lanſio &c.*] Qui ibidem verba hæc eſſe Uldr. Hutteni *in Epiſtol ad Pirckheimerum*, (*æternum illud Reipublicæ Norimbergenſis Reiq; literariæ monumentum, ornamentum,*) profitetur.

Num. 34.

(14) *Damaſceni armis &c.*] Latherus *de Cenſu lib. 3. cap. 19. n. 118.*

Num. 38.

(15) *Et Belgium Opificibus &c.*] Belgium, terræ angelus ſpeciali ratione à DEO benedicente irradiatus, poſt mercaturam, incrementa, quæ admiſit maxima, accepta referre debet opificibus, rebusque artificialibus ab iisdem confectis, atq; per univerſum terrarum Orbem plurimùm deſideratis.

Num. 39. 40. 42.

(16) *Annales produnt &c.*]. Dicente Lanſio *in Orat. pro Germ. p. m. 33. 34.*

Num. 40.

(17) *Subtilitate Arachnæos labores &c.*] Notatum fuiſſe, *d. l. c. 10.* Schoockius tradit, unam libram filorum lineorum venditam fuiſſe Harlemi florenis LXXX: (*qui, ſecundùm noſtros uſuales florenos, efficiunt florenos XLVIII.*) Singulares verò textores & ad hoc artifices habuiſſe Harlemum. Nam Anno MDXCVIII. Roſcius in hac arte, ex tribus ſubtiliſſimorum filamentorum libris contexuit telam ſeptuaginta quinque ulnarum, ex quibus unaquæque ulna vendita fuit denis quaternis florenis; quem Anno MDCX. alter artifex ſuperavit; ſiquidem pro tela, quinquaginta ulnas longa; accepit quadraginta quinque vaſa vini Burdegalenſis, &c.

Num. 43.

(18) *Qui Monopolia &c.*] Vide libri hujus cap. 26.

(19) *Ne nulla rudis materia exportetur &c.*] Vide ſuprà *c. 25. n. 40. ſeqq.*

Num. 44.

(20) *Illos enim ſtudiorum ſavor pellere è vicinia poteſt &c.*] Conſule tamen Carpzovium *J. P. F part. 2. Conſtit. 37. defin. 23.* Finckelthauſium *Obſ. 64.* Menochium *de A. J. Q. Caſ. 237.* Georgium Chriſtoph. Walther JCTum, Reipubl. Rotenburgenſis Tubarinæ Conſiliarium, *in Tr. de Statu Jur. & Priv. Dd. c. 16. §. 114. quæſt. 72. pag. 311.* cum multis ibi allegatis.

Num. 45.

(21) *Et confuſio illa &c.*] Averruncabitur autem optimè, ſi negotiationes, & manuum artisque opera certa ſint ac diſtincta, ſi cuilibet vitæ generi modus ac ordo præſcriptus incorruptè ſervetur, ſi quisque in ſuo permanens negotio & numero, alienis ſe non implicet, ſecundùm Coccen. *tr. de Ordin Rep. l. 2. c. 11.* Adde Carpzov. *l. 1. tit. 5. Reſpon. Elect. 47. n. 8.* ubi pluribus hanc doctrinam ibidé notanter exornat, & poſteaquam Norimbergæ laudes, ob hanc ipſam differentiam diligenter ſervatam, in ſpecie depra dicavit, præprimis cavendum monet, ne Magiſtratus permittat, ut opifici confundantur, *n 7 ſeqq.* Knipſchild. *de Jur. & Priv. Civit. Imp. lib. 5. cap. 2. num. 81.*

CAPUT XXXVI.

Ærarii augmentum ex ponderum & menſurarum falſificationibus.

SUMMARIA.

1. *Certus modus præfigatur ponderibus, menſuris, modiis, ulnisq́, ut felicius, æquiusq́, commercia exerceantur; ubi Jacobus. Rex Scotiæ in exemplum adducitur.*
2. Jus ponderum & menſurarum *Regium eſt, ejusq́, proventus ad Regem pertinet in Gallia: ad jus Majeſtatis ſpectat in Germania: Vulgò tamen adſignatur mero vel mixto imperio*, n. 3.
4. Pondera ulnæ *&* menſuræ *cujus ſint jurisdictionis, & ad quem eorundem conſtitutio pertineat.*
5. Metallorum *pondera ad Comitem ſacrarum largitionum pertinent.*
6. *Accommodari has* menſuras *oportet ad vicinorum rationem, quantum fieri poteſt, cum quibus negotiandum erit.*
7. *Non erit in domo tua* modius *major & minor; neque in ſacculo diverſa pondera, ait* Lex Divina.
8. Subditi *formam ponderis ex Archetypo deſumere tenentur.*
9. *De* pœnis civilibus *contra utentes falſis ponderibus, ſtateris, menſuris, &c.*
10. Falſi crimen *hoc execrabile, ſed fortè quotidianum.*
11. *Quot Athenis* Metronomi *fuerint, & quodnam illorum officium?*
12. Romæ *quinam curam habuerint menſurdrum frumenti.*
13. Statutum Mechlinienſe, *indicens mulctam pecuniariam habenti falſam menſuram aut pondus, etiam locum habet contra ignorantem: Secus eſt quoad pœnam corporalem.*
14. [*Induſtria*] *cujusdam Principis Eccleſiaſtici, qui ex* falſis menſuris *comparavit Ærario ſuo non mediocre augmentum.*
15. Angliæ Rex *falſas ulnas caſtigavit.*
16. Unzelwagen/ Keſſelführer.

Pondere, menſurâ, numero DEUS omnia ponit.

IMminuere libræ pondus, uſitatam legitimamque conquirendæ pecuniæ rationem nonnulli Politici cenſent. Pars enim aliqua in lucrum venit. Verùm nos eam, ut verbo Dei & legibus contrariam averſamur. Nam in pondere, numero, & menſura Reipublicæ fundamentum conſiſtere, nemo non videt; quibus, ceu præcipuis columnis ſubductis, ipſum tectum & Reipublicæ corpus conquaſſari & corruere neceſſe eſt. Etenim pondus & ſtatera judicia Domini ſunt, *Proverb. 16 verſ. 11.* Sic JACOBUS CII. Rex Scotiæ regimen auſpicatus ſuſcepit ponderum & menſurarum correctionem, uti rem maximè neceſſariam; cùm non ſolùm in ſingulis urbibus, ſed etiam propè domibus, diverſæ menſuræ eſſent, & in Conventu leges ea de re ſaluberrimas fecit, & menſuras ferreas certis in locis cuſtodiri juſſit, & qui ad eam publicam formam cæteras conformaret, per omnia fora & conciliabula miſit, gravi pœnâ indictâ, ſi quis aliâ menſurâ, quàm publicè ſignatâ uteretur. Buchanan. *Rer. Scoticar. libro 10. folio 102.* Et Caſſiodorus *lib. var. Epiſt. 10.* Conſtet, *ait,* 1

ait, populis pondus ac menſura probabilis, quia cuncta turbantur, ſi integritas cum fraudibus miſceatur.

Quamobrem ut hæc juſta & æqua ſint, magnæ ſemper curæ legislatoribus fuit in quavis Republicâ: Et *cum regali rei numariæ connecti ſolet ratio ponderum*, (1) menſurarum, modiorum, ulnarum, ut iis ſcilicet certus modus præfigatur ad felicem uſum commerciorum, & annonæ quoque publicæ curam rectè adminiſtrandam, Carol. Tapia *in l. fin. ff. de Conſtit. Princip. parte 1. cap. 2. num. 50.* Andr. Knichen. *de jure territ. cap. 4. num 287. & ſeqq.* Bidembach. *quæſt. nob. 7.* Keckerman. *lib. 1. ſyſtem. polit. cap. 8 fol. 184.* Beſold. *de Jure Majeſt. cap. 8. numer. 9.* Joan. Ruding. *cent. 2. obſerv. pract. 76.* Althuſ. *polit. cap. 32 verſ. menſura*
2 *fol. 381.* Et Regium eſſe jus ponderis & menſurarum, & proventum ejus ad Regem pertinere, ſcribit Rhenat. Choppin. *lib. 3. de Doman. Reg. tit. 22.* Ac quantitatis determinationem in ponderibus & menſuris ad jura Majeſtatis referri, conſtat ex notatis Cammani *in Diſput. de Regalib. Diſput. 6. theſ. 47.*

3 Vulgò tamen poteſtas cognoſcendi de ponderibus & menſuris adſignatur non mero, ſed mixto imperio, Guido Pap. *Deciſ. 390. num. 2.* poſt Petr. Jacob. ubi dicit, quòd menſuras concedere vel ſignari facere, & minus legales frangere, ſit mixti imperii. Idem facit Chaſſanæus *in Conſuetud. Burgund. rubr. 1. in princip. numero 94.* qui & ulteriùs addit, quòd ſit de alta jurisdictione, Carol. Tapia *in l. fin. parte 1. cap. 2. ff. de Conſtitut. Princip num. 50.* voluit, conceſſo mero imperio venire & poteſtatem cognoſcendi de ponderibus & menſuris; item deſuper delicta commiſſa puniendi. Citat Guidonem Pap. *dict. Deciſ. 390.* qui tamen hæc mixto imperio attribuit. Et libræ ponderumque jus, poteſtatemque menſuras inſpiciendi, & quæ corrupta in-
4 veniantur, conſcindendi, &c. Jurisdictionis eſſe ſtatuit Erneſt. Cothman. *conſil. 47. num. 69. volum. 3.* etiam in Ordinatione Politica lata à Carolo V. Imp. An. MDXLVIII. in Comitiis Auguſtanis, ut unusquisque Elector, Princeps vel Status Imperii de ponderibus, ulnis & menſuris aliquid certi in ſuo territorio vel ditione ſua conſtituat, prout uſus regionis & commodum ſubditorum expetit. Diſſerit quoque hac de re Petr. Gregor. Tholoſan. *in ſyntagm. jur. univerſ. lib. 36. cap. 1. num. 16 17. & 18.* dicens, quòd ſi menſuræ & pondera illegitima ſint, cura & notio pertinet ad moderatorem ſeu ad Præfectum Provinciarum, ſi de
5 ſpecierum aliarum, quàm metalli ponderibus agatur: Nam auri & argenti, & aliorum metallorum pondera, ad Comitem Sacrarum Largitionum pertinent ex Conſtitutione Juſtiniani *in cap. 35. eos autem, qui publica Nov. 128. l. fin. Cod. de ſuſceptor. lib. 10.*

Princeps ergo fidelem de menſuris annonæ publicæ curam ſuſcipere debet, ut modii, ſtateræ, ulnæ, ponderaque ad commercium & annonam pertinentia, quantum fieri poteſt, *ſint unius generis*, (2) ſint certa & juſta, atque ad vicinorum, quibus cum agitamus commercia, rationem & uſum accommodata, ut eorum expediendorum fa- 6
cilior ſit ratio, ein Gewicht / Maaß / Eich / Elen / &c. utque ſub æquali pondere & menſurâ, commercia in univerſo territorio exerceantur. Neque enim quis debet habere duas menſuras, & duo pondera, parva & 7
magna, quia jure divino prohibitum eſt, *Deuteronom. cap. 15. v. 14. 15. Non habebis in ſacculo diverſa pondera, majus, & minus: nec erit in domo tua modius major, & minor. Pondus habebis juſtum & verum, & modus æqualis & verus erit tibi: ut multo vivas tempore ſuper terram, quam Dominus DEUS tuus dederit tibi.* Et Levit. *c. 39. v. 15. Nolite facere iniquum aliquid in judicio, in regulâ, in pondere, in menſura. Statera juſta, & æqua ſint pondera, juſtus modius, æquusq́; ſextarius.* Et Ezech. *45. v. 10. Statera juſta & Ephi juſtum & Batus juſtus erit vobis*, Mich. 6. v. 10. Et pœnam tremendam comminatur DEUS hisce utentibus, Marc 4. v. 24. *In qua menſura menſi fueritis, remetietur vobis.* Ideoq́; tenere duo pondera, ac duas menſuras, ad evitandas fraudes, cavendum eſt, Fr. Marc. *deciſ. 279. in pr.* Anton. Sola *in Conſt. Sabaud. tit. de cenſuum ſolutione in decr. omnibus gl.*
1. n. 1. Hinc Subditi abſolutè formam & pon- 8
dus ex Archetypo deſumere obſtringuntur: Quamvis Belgæ liberiores aliis multis, Carolo V. commercia omnium rerum venalium per omnes inferiores Germaniæ Provincias, unius ponderis & menſuræ conſtituere ſatagenti reſtiterint; ut dixi *tract. de Contribut. cap. 1. n. 272.* & ſuprà *c. 17. n. 4. Sic Chriſtophorus Würtembergiæ Dux* (3) magnâ prudentiâ uſus eſt, daß er das Maaß und Gewicht in ſeinem gantzen Lande gleich gemacht: Sed vicinæ Civitates Imperiales in eam Ordinationem conſentire noluerunt; non ſolùm, ut ne ſubditi videantur, ſed ut eorum fora victualibus eò magis abundent, referente Domino Beſoldo *de J. Majeſt. c. 8. n. 9. fol. 203.*

Quæ autem pœna ſtatuta ſit utenti fal-
ſis ſtateris, ponderibus, & menſuris, variant 9
jura, & Interpretes. Edicto Trajani tenetur pœnâ L. Corneliæ de falſis, qui utitur falſis ponderibus aut menſuris, emendo, vendendo, vel permutando, *l. annonam. 2 §. onerant. 6. ff. de extraord. crim. l. pen. §. 1. ſi vend.*
ff. ad L. Corn. de falſ. Quod falſi crimen gra- 10
viſſimum eſt, famam & honorē ac hominē ad nihilum redigens, Marſil. *in rubr ff. ad L.*

Cornel. de falſ. Afl. *Deciſ.* 404. Et olim Decemvirales ita illud crimen exhorruerunt, quod, teſte Tiraquello *de Nobil. c.* 20. *n.* 122. poſt Gellium *lib.* 24. *c.* 1. *eos, qui illud commiſiſſent*, (4) & ſaxo Tarpeio dejici juſſiſſent: Quam pœnam *JCti abrogarunt*, (5) *l. ſi diutino.* 25. §. 1. *ibi*: *Non poteſt quis ſic damnari, ut de ſaxo præcipitetur. ff. de pœn.*

Condemnatur etiam *ad duplum rei*, (6) de qua falſis ponderibus & menſuris dolus commiſſus eſt, *d. l. hodiè, penult. ff. ad L. Corn. de Falſ. ibi*: Si venditor (*inquit JCtus*) menſuras publicè probatas vini, frumenti, vel cujuslibet rei, aut emptor corruperit, dolóve malo fraudem fecerit: quanti ea res eſt, ejus dupli condemnatur: decretoque Divi Hadriani præceptum eſt, in inſulam eos relegari, qui pondera, aut menſuras falsâſſent. Et eſt text. cum gl. *in l. arbitrio.* §. *de eo ff. de dol. mal.* Inſuper in Dardanarios, propter falſum menſurarum modum, ob utilitatem popularis annonæ, pro modo admiſſi, extra ordinem vindicari placuit, *l. in Dardanarios* 37. *ff. de pœn.* Franc. Marc. *d. deciſ.* 279. *n.* 1. Ren. Chopp. *de Legib. Andium lib.* 1. *cap.* 40. *num.* 4. *& lib.* 13. *de Domanio tit.* 22. ubi tractat de ponderibus menſuriſque, & ad quem ea ſpectent. Menoch. *de A. L. Q. lib.* 2. *cent.* 2. §. *caſ.* 317. Leander. Galganett. *l.* 1. *de jure publico tit.* 41. *per tot.* Ab ædilibus curulibus etiam pondera & menſuræ falſæ frangi debent ante januam illius, qui illis fuerit uſus, *l. item quæritur* 13. §. *ſi quis menſuras* 8. *ff. locat.* Ludovic. Molina Jeſuita *de juſt. & jur. tom.* 2. *Diſput.* 701. *n.* 10. Camill. Borell. *de Magiſtr. Edict. lib.* 3. *c.* 15. *n.* 23. De quo Juvenalis *Satyr.* 10.

Et de menſurâ jus dicere, vaſa minora
Frangere pannoſus vacuis ædilis Ulubris?

Et Perſius *Satyr.* 3.

Fregerit Heminas Areti Ædilis iniquas.

11 *Erant & Athenis* Μετρονόμοι (7) Magiſtratus quidam quindecim virorum, quorum Deni in Pyræo, Quini in urbe, quibus curæ erat, ut venditores juſtis menſuris ute-
12 rentur. Et Romæ antiquitus corpora ſive collegia quædam habebant curam menſuræ frumenti cum vacatione munerum, etſi in Provinciis hoc privilegio non uterentur, *l. his honoribus.* 10. §. 1. *ff. de vacat. muner.*
13 Statuto Mechlinienſi is, apud quem iniquæ menſuræ aut pondera reperiuntur, menſuris ipſis & ponderibus ſpoliatur, & quotquot ſunt pondera aut menſuræ, in tot Brabanticas libras condemnatur. Qui porrò iis in diſtrahendis mercibus uſus fuerit, pœnam truncandi pollicis aut binas libras Brabanticas luit, neque vel ita liber eſt ab arbitraria animadverſione Duodecim Viralium Judicum. Quæ tamen pœna locum habet contra ſcientes & doloſos tantùm, non autem ignorantes, Paulus Chriſtinæ. *in Leges Municipal. Mechlin. artic.* 15. *num.* 6. *pag.* 233. *& ſeq.* Falſi namque crimen verum dolum requirit, adeò, quòd in illa materia falſi non ſufficiat dolus præſumptus, *l. nec exemplum* 20. *ad L. Corn. de falſ.* Riminaldus *conſil.* 145. *numero* 2. Gabriel. *conſil.* 119. *numero* 16. *& ſeq.* quos rectè allegat Chriſtinæus *dict. loc.*

Licet verò plerique pœnam hanc arbitrio judicis committant. Menochius *dict. caſ.* 317. Quibus conſentit Conſtitutio Criminalis *Caroli V. art.* 113. (8) Attamen 14
ego Principi ſuaſerim, ut, niſi aliæ circumſtantiæ & enormitates delictum aggravent, falſis menſuris, ulnis, & ponderibus utentes mulctis pecuniariis ſubjiciat, easdemque Ærario infarciat. Quo pacto ingentem pecuniarum vim quendam Eccleſiaſticum Principem initio ſui regiminis ante paucos annos collegiſſe percepi. Uno enim eodemque die omnes, in omnibus oppidis, municipiis, pagis, & villis, menſuras, ſtateras, ulnas, & pondera ab incautis & nil tale metuentibus, decupis, & propolis, piſtoribus, laniis, mercatoribus, aliiſque negotiatoribus & ſubditis auferri, ac in unum locum comportari juſſit, eosque, qui menſuras publicè probatas corrupiſſent, pro qualitate delicti, perſonarum, & facultatum ita mulctavit, ut illicò ſex thalerorum Imperialium millibus Ærarium ſuum ſtabilierit & adauxerit.

Eundem ad modum quidam in Anglia Rex mercatorum falſam ulnam ca- 15
ſtigavit; brachii ſui menſurâ adhibitâ, omnibusque per Angliam propoſitâ; Selden. 2. *Jani Anglor. fol.* 85. *num.* 33. Vide Ordinat. Politic. Ducum Luneburgenſium *cap.* 16
15. ubi inter cætera prohibentur, **Unnelwagen** quibus ut plurimùm ahenarii **Keſſelführer** utuntur, & miſellis Ruſticis imponunt, quos hisce technis & fraudibus, ingentes ſæpè divitias corraſiſſe, experientia teſtatum reddit.

ANNOTATIONES
AD
CAPUT XXXVI.

Num. 1.

(1) *Et cum Regali rei numariæ connecti ſolet ratio ponderum &c.*] Nec minùs autem expedit (inquit D. Mevius *ad J. Lubec. lib.* 4. *tit.* 12. *art.* 1. *num.* 20.) pondera, menſuras &c. juſta ſervari, quàm monetam à falſificatione vindicare. Nec enim ſubſiſtent commercia, ſi eorum inſtrumenta cum fide mercaturæ nervo ſint corrupta. Quare ad curam Magiſtratus ſpectat providere, ne quid in iis

iis falſitatis atque fraudis committatur. Sic Bullæus *in Diſc. Academ. de Majeſt. Imp. 5.* Juri monetæ rationem menſurarum ſtatim ſubjungit. Hincq; à plerisque & noviſſimè Dn. Mylero &c *in Metrolog. cap. 3. cum multis ab eo d.l. §. 1. n. 2. allegatis*, atque *Reſponſionibus ad contrariorum argumenta*, ut & *in Tr. d. Princip. & Stat. Imp. part. 2. c. 46.* Jus ſtatuendi de menſuris & ponderibus in Imperio Romano-Germanico, ad Superioritatem Territorialem pertinere affirmatur. Quod & Beſoldus *parte 8. Conſil. 211. n.* 8. certâ limitatione verum putat, inquiens: De Jure ponderum, ulnarum, menſurarum &c. expeditum eſſe videtur, quòd ſpectent ad Superioritatem &c. Jedoch iſt ſolches allein dergeſtalt zu verſtehen / daß Mühlinnen von neuen zu bauen / Maaß / Gewicht / und Meß von neuen anzuſtellen / denen Ober- oder Lands-Herren / und regulariter nicht deme / ſo allein die Nidere Gericht hat / gebühret: hingegen aber / wenn Mühlinen bereit gebauet / Gewicht / Maaß / und Meß geordnet / iſt die Cuſtodia, Inſpectio oder Obacht / den Nider-Gerichts-Herren nicht zu entziehen / weil es eine Burgerliche / und gar keine Peinliche Sach iſt: es werde denn circa ejusmodi res die Ordnung enormiter und dergeſtalt überſchritten / daß ſolch Verbrechen an Leib und Leben abzuſtraffen.

Num. 5.

(2) *Sint unius generis &c.*] Optandum equidem eſſet, cum Dn. Zieglero *in Diſſ. de Jure conſtituendi menſuras &c.* §. 7. haberi uniformes menſuras per univerſum terrarum Orbem; id enim non commerciis tantùm, ſed mathematicis etiam negotiis apprimè utile eſſet atque proficuum; ſed verò tanta ubique occurrit diverſitas, ut inane prorſus ſit votum, & ſpes omnis decollet. Notatu digna ſunt verba Athanaſii Kircheri, qui *lib. 2. de Mund. Subterran. c. 7.* ita philoſophatur: Tanta eſt diverſitas menſurarũ, ut ſit vix oppidum, quod ab altero menſuræ quantitate non differat, adeoq; nihil difficilius eſt, quàm omnem harum menſurarum differentiam ad unam ſtabilem & incommutabilem menſuram dirigere, cùm fundamentum deſit menſuræ. Si enim ſtatuas pro minimo menſuræ termino v. g. granum tritici aut ſinapis, memorata grana adeò ſunt differentis quantitatis, ut ea pro diverſorum climatum, horizontium, terrenorumque conditione notabilem quantitatem acquirere comperias, &c. Poterit tamen nihilominus Princeps in ſuo quisque territorio uniforme menſuræ genus præſcribere, ut vel inter cives tantùm ſuos æqua ubiq; ſervetur admenſuratio. Una fides, pondus, menſura, moneta ſit una; & ſtatus illæſus totius Orbis erit. Quod ſi neque hoc obtineri poterit, uti ſunt, qui id minùs conſultum eſſe putant, quod ex antiquis ſcripturis & inſtrumentis, quibus ad menſuram quotannis eſculenta & poculenta promiſſa ſunt, infinitæ aliquando circa menſuras metuendæ ſint lites, tùm nihilominus id curare debet Princeps, ut juſta quovis loco menſura ſervetur, juſta ſtatera, juſtum pondus. Confer Dn. Mylerum *de Princip. & Stat. Imperii parte 2. cap. 46. n. 3. 4. ſeqq.*

Num. 8.

(3) *Sic Chriſtophorus Würtemb. Dux &c.*] Confer Dn. Mylerum *in Metrol. cap. 4. §. 1.* ubi plura exempla refert, & *de Pr. & Stat. Imp. p. 2. c. 46. n. 4.*

Num. 10.

(4) *Eos, qui illud commiſiſſent &c.*] Non ſimpliciter omnes, qui crimen falſi commiſiſſent, ex miræ altitudinis illo Saxo Trapeio dejiciebantur: ſed illos demum qui falſum teſtimonium dixerant, lex XII. Tabb. præcipites dari juſſit. Ut vel ſic Acerbitas ulciſcendi maleficii, benè atque cautè vivendi diſciplina eſſet, ut AGellius de hac lege ſermonem faciens, ſentit. Cui Roſinus *Antiq. Rom. lib. 8. pag. 1258.* & Rittershuſius *Comment. in XII. Tabb. LL. claſſ. 2. cap. 6. pag. 51.* addantur.

(5) *JCti abrogarunt &c.*] Quin potiùs abſoleta hæc lex fuit, cùm eorum demum ſit abrogare Leges, quorum erat rogare, cujusmodi poteſtate haud polluiſſe JCtos in propatulo eſt. Interim exempla plurimorum ſaxo ex aliis quoque cauſis dejectorum apud Gothofredum *in Notis ad hanc l. 25. §. 1. lit. S.* legi poterunt.

(6) *Ad duplum &c.*] Et falſi & furti teneri ſcientem falſis ponderibus utentem ſtatuit *l. 52. §. 22. ff. de furtis.*

Num. 11.

(7) *Erant & Athenis* Μετρονόμοι *&c.*] Vide citatos à Petro Gregor. Tholozano *in Syntagm. Jur. Univerſ. lib. 36. cap. 1. n. 16.*

Num. 12.

(8) *Art. 113. &c.*] Ad quem Remum, Zieritz, Stephanum, Bullæum, Blumblacherum, & cæteros Commentatores evolve.

CAPUT XXXVII.

Indiviſibilitas Feudorum Regalium & Majorum Dignitatum, Imperiorum Ærariorumq; nutrix, altrix, & conſervatrix.

SUMMARIA.

1. Feuda Dignitatum *naturâ ſuâ ſunt indiviſibilia*; & n. 3.
2. Origo *& nativitas cujusque rei inſpicienda.*
4. Individua *etiam dicuntur, quæ difficulter dividi poſſunt.*
5. Dignitas Imperii *poſtulat, ne feuda majora dividantur.*
6. Ducatuum Diviſiones *tollunt Ducum dignitates.*
7. Diviſio *eſt Dignitatum interitus & everſio.*
8. *In* Principum ſucceſſione *ſalus Reip. potiſſimùm ſpectatur.*
9. *Refellitur* Beſius, *in feudis Dignitatum ex jure privato diviſionem admittendam cõtendens.*
10. Diviſionis *incommoda plura*, & n. 11.
12. Gail. *2. obſ. 53. num. 3. explicatur.*
13. Receſſus Imp. *de Anno 1576.*
14. Ducatus *non dividendi, ne omnibus Ducis mortui filiis parte exigua aſſignata omnes illi filii ſordeſcant, & tandem Subditis pares fiant.*
15. Ducatuum diviſio *Ducatus corrumpit & interficit.*

16. Du-

16. Ducatus non dividendi, quia per unum rectiùs adminiſtrantur: & n.17.

18. Ducatus inter filios ideò non dividendi, cùm illâ ratione pars ſemel diviſa inter nepotes iterum ſit dividenda, & ſic in infinitum.

19. Ducatus non dividendos eſſe, ab inutili & abſurdo demonſtratur.

20. Ducatus diviſio non eſt facienda, ne familia evaneſcat.

21. Ducatus non dividendi, ut potior habeatur ratio familiæ, quàm membrorum familiæ; & n.22.

23. Ducatum feuda ne quidem Legitimam ſecundo-genitis largiuntur, quoad rem ſive Ducatum ipſum; & n.25.

24. Legitima jure naturâ debita.

26. Salus populi exigit, ut feuda majora diviſionis ſiut expertia; & n.27.

28. Populus diviſioni huic poteſt contradicere.

29. Subditos invitos diſmembrare non licet.

30. Ducatus in Germania vel prorsùs ſunt individui, vel quodammodo individui.

31. Jus primogenituræ Germanorum, hoc num. Hiſpanorum, Gallorum, Anglorum, aliorumq; populorum, n.32. & omnium penè Gentium conſenſu & uſu receptum eſt, n.33.

34. Nepos patruo præfertur in his, quæ dignitatem & honorem concernunt: ubi aliquot §§. ſeqq. de Primogenituræ prærogativa & transmiſſione in linea rectâ latiſſimè diſſeritur.

35. Duo primogenituræ fundamenta: Natura, & Lex.

36. Prærogativa Naturæ & Juris reciproca ſunt.

37. Verbum Primogeniti ſecundùm naturam intelligendum eſt.

38. Ducatus non dividi, Hiſtoriæ teſtantur.

39. Ducatus Germaniæ diviſionem non recipere, authoritatibus Interpretum probatur, hoc & n.40.41.42.43.& 44.

45. Ducatus Bavariæ indiviſibilis.

46. Comitatus Diez diviſionis expers.

48. An ex indiviſione Regni vel Ducatus inferatur jus primogenituræ? Neg. hoc num. Sed contrarium verius, n.49.& 50.

51. Jus primogenituræ nititur Jure Divino & Gentium.

52. Carolinâ Aureâ Bullâ diviſiones Ducatuum inhibentur: & num.53. 59. 60. Contrarium, n.63.& 64.

54. Aurea Bulla diviſionem Principatuum vetans, non de ſolis Electoribus, ſed & de aliis Imperii Principibus loquitur.

55. Ab Electoribus ad Duces, Marchiones, & Comites argumentum legitimè ducitur: & n. 56.

57. Ducatus non benè dividi exemplo Imperii Romani probatur.

58. Membra à capite regi debent.

61. Inter pares dignitate & gradu præfertur natu major: & n.62.

65. Ducatûs diviſionem petens ex allegata conſuetudine, debet conſuetudinem in ipſis terminis probare, nimirum ut in termino à quo ad terminum ad quem conformis oſtendatur: & n.66.

67. Tantum præſcriptum, quantum poſſeſſum.

68. Conſuetudo contra jus commune introducta eſt ſtricti juris; neque de uno modo ad alium, neque de caſu ad caſum, neque de provincia ad provinciam, &c. extendi poteſt, n.69.&72.

70. Conſuetudo à conſentientibus inducta non poteſt allegari contra diſſentientes.

71. Ducatus ut dividantur, quænam requiſita intervenire debeant?

73. Ducatus in Gallia, Italia, Hiſpania non dividuntur.

74. Ducatus Florentiæ, Ferrariæ, Mediolani, Montisferrati, Urbini, Salutiarum, Mantuæ, Sabaudiæ, Camblaſii, Burgundiæ, Comitatuum Mirandulæ & Concordiæ, Delphinatus, Pedemontium, &c. non dividuntur.

75. Ducatuum diviſio prohibita duntaxat pertinet ad ipſum corpus Ducatûs: interim Juriſdictio & proventus rectè dividuntur juxta nonnullorum Doctorum ſententiam. Contrarium verius, n.76.77.78.79.

80. Conſtitutiones Imperiales non verbis, ſed rebus imponuntur.

81. Viâ unâ non eſt denegandum, quod alterâ eſt permiſſum.

82. Sanctiones Imperiales & pragmaticæ cum effectu accipiendæ ſunt.

83. Cauſa impulſiva & finalis inprimis inſpicienda.

84. Proœmium deſignat cauſam finalem.

85. Ducatuum non ſolùm, ſed & Jurisdictionum, & cæterarum acceſſionum diviſio prohibita, & n.86.88.

87. Ducatus non dividendos, ſed Ducatuum Jurisdictionem & adminiſtrationem dividendam ſcribentes, cauſæ inſerviunt.

89. Indiviſibilitatem feudorum Regalium Hiſpani, & Galli; imò & Angli, & Scoti in minoribus feudis tenaciter obſervant.

90. Succeſſio feudalis non dependet ex pacto, ſed ex conſuetudine; cui Imperator ob publicam utilitatem derogare poteſt, n.91.

92. Diviſio Principatus comminuit, & comminutos recidere facit in alienam poteſtatem.

93. Diviſio Regnorum tendit ad eorum interitum, & n.94.

95. Imperium Romanorum tempore Gallieni triginta habuit corrivales.

96. Diviſio in Orientalem & Occidentalem partem, extremum Imperio exitium & excidium attulit.

97. Diviſio Imperii Græcanici inter plures fratres multùm nocuit Imperio Orientali.

98. Muhammedes II. duorum Imperiorum, duodecim Regnorum & ducentarum Urbium expugnator.

99. Sententia Bernhardi Monachi; & Levoldi de Northoff Canonici Leodienſis de Ducatuum vel Comitatuum diviſione, numero 100.

101. In Germania nonnulli Principatus inter liberos æqualiter dividuntur.

102. Unio Juliacenſis.

103. Statutum Brandenburgenſe; Brunſvicenſe, numero 104. Landgravii Wilhelmi Haſſiæ, numero 105.

106. Diviſionis prohibitio & pacta Unionum ſpectant non tam familiarum, quàm totius Reipub. conſervationem.

107. Pa-

107. Pacta familiarum *de ſucceſſione quando valeant? hoc & num. 109. 110. 111. & 112.*

108. Conventionalium *hæredum ſucceſſio veteribus JCtis incognitum.*

Immenſum præſtant robur ſeptemque columnis,
Imperioque Ducum, ac Fiſco indiviſa perenne
Conciliant decus, & Regalia feuda minerval.

1 Feuda titulata & dignitatem annexam habentia *diviſionem reſpuunt*; (1) quæ indiviſibilitas (1) non ex ſola legis impoſitione, uti exiſtimat Vultei. *de feud. lib.* 11. *c.* 8. *n* 36. *verſic. omne igitur.* ad conſtitutionem Friderici *in cap.* 1. §. *Præterea Ducatus de prohib. alienat. per Frideric.* 2. *Feud.* 55. duntaxat reſpiciens, ſed potiſſimùm ex rei natura provenit, cùm in aperto ſit, feuda majorum dignitatum, uti Ducatus, Marchionatus, Comitatus, origine ac nativitate non tantùm indiviſibilia, ſed & *inſucceſſibilia fuiſſe*,
2 (2) *c.* 1. *in fin. de alienat. feud. cap.* 1. *in princ. de feudo Marchiæ.* Origo autem, & nativitas cujusque rei pars potiſſima eſt, atque adeò natura ipſa, *l.* 1. *ff. de O. J.*

Deinde (2) feuda illa titulata & majora ideo diviſionem non recipiunt, ut unita conſiſtant, & Politiam Ducalem vel præſidialem conſtituant, ideoque etſi ea feuda vel maximè quoad res ipſas per earum
3 naturam dividi poſſunt, tamen ratione adjuncti, quatenus dignitas vel dignitatis feuda hæc Ducatus, Marchionatus, Comitatus ſunt, utrique naturâ ſuâ ſunt indiviſibilia & inſucceſſibilia, uti eruditè ſcribit Bartholomæus Camerarius *in dict.* §. *Præterea Ducatus.* Quem rectè laudat & ſequitur Erneſt. Cothman. *conſil.* 3. *num.* 33. *vol.* 4. Claud. Cantiuncula *conſil.* 1. *num.* 34. *verſic. contra naturam ſuam.* Weſ. *conſil.* 32. *num.* 6. & 9. *verb. ſua natura.*

Eatenus quoque feuda dignitatum per naturam individua dici poſſunt, quòd im-
4 poſſibile ſit, ut maneant & conſiſtant Ducatus, ſi res & corpora ipſa per ſe individua dividantur. Nam individua quoque illa dicuntur, quæ difficulter & non niſi cum aliquo rei interitu dividi poſſunt, *l. cùm Servus* 39. *in fin. ff. de leg.* 1. *l. nepos Proculo* 125. *ff de V. S.* Et hanc impoſſibilitatem, ſi vel maximè civilem & legalem dicamus, tamen unam eandemque vim & effectum cum impoſſibilitate naturali habet, Zaſ. *in l.* 1. §. *municipes num.* 9. *ff. de acquir. poſſeſſ.*

Nec officit, quòd Fridericus feuda de cætero vel inpoſterum dividi prohibet. Nam inde perperam adſtruitur, feuda ante conſtitutionem vel prohibitionem eam de jure dividi potuiſſe.

Quin potiùs Imperator abuſum taxat, & quia contra rationalem uſum feudalē uſurpatum erat, ut in feudis iſtis ſuccederetur, *d. cap.* 1. *in fin. de alienat. feud.* atque adeò feuda illa contra jus irrationabiliter, adeòque de facto dividerentur, Fridericus de cætero dividi vetat; & feudum ad naturam primævam reducit.

Accedit, (3) quòd Imperii Germanici 5 Majeſtas, honor & dignitas in regiis Principum & Comitum familiis, & feudis majoribus conſiſtit. Ex Principibus enim conflatur numerus Optimatum, quibus unà cum Imperatore & Electoribus incumbit cura Reipublicæ: Nec boni publici ratio petitur ex eo, quòd expediat Subditis, ab uno regi, quia non habetur Subditorum, ſed totius Imperii ratio, quod deſtructis membris ſuis integrum ſalvumque eſſe nequit. Ideòque rationi, naturæ & juri conſentaneum eſt, ut feuda illa ſint maneantque unita, neque per diviſiones, aut per ſucceſſiones in varias partes diſtrahantur, exhauri- 6
antur, atterantur vel attenuentur, atque adeò in nihilum redigantur, Göden. *conſil.* 20. *num.* 8. Roland. à Valle *conſil.* 80. *num.* 6. *vol.* 1. Tiraquel. *de jure primogen. quæſt.* 4. *num.* 22. Hotoman. *de feud. cap.* 28. *in fin.* Diviſio enim & diverſarum perſonarum ſucceſſio eſt dignitatum interitus & everſio, *cap. majoribus cap. dilecto extr. de præbend.* Gail. 2. *obſ.* 153. *num.* 2. & 3. Sa- 7
nè in privatorum hæreditatum diviſione nihil ampliùs ſpectatur, quàm ut ſuum cuique tribuatur: In Principum verò ſucceſſione caput deliberationis eſt, Salus Reipublicæ, cui omnia privatorum commoda comiter ſe ſubmittere & cedere coguntur; Ideòq; Regna & Principatus transferri & dividi non 8
debent, ut privatæ hæreditates; quod quia non attendit Nicol. Betius *tract. de pact. familiar. cap.* 8. *num.* 9. non aliundè litem de- 9
cidere nititur, quàm ex jure privato, cujus contemplatione eò delabitur, ut in feudis etiam Regalibus diviſionem admittendam diſputet, quam nec ſummæ infringere liceat Majeſtati.

Quarto diviſionibus iſtis toties reiteratis, & Ducatibus iterum atque iterum divi- 10
ſis ac ſubdiviſis, ſenſus, mentes, & capita dividuntur & ſubdividuntur, vota in Comitiis Imperii & Circulorum diſcrepantia dicuntur, Conſilia publica tardantur & impediuntur, potentia Ducatuum debilitatur, pax publica turbatur, unitas Provinciarum diſſolvitur, aliaque infinita mala publica ſubſequuntur.

Hoc ampliùs monendum, quod viri pru- 11
dentes & rerum experientes rectè conſiderarunt, diviſionibus iſtis toties iteratis ac repetitis poſſeſſores mutari, matriculam Imperii confundi, penſitationes & exactiones Collectarum incertas reddi, Fiſcum Imperii variis exactionum vicibus onerari Gail. *dict. obſ.* 153. *num.* 3. Ac licet Gailius cum hâc querimonia non videatur audiendus, cùm nihil decedat matriculæ 12
vel Fiſco Imperiali, Andreas Knichen *tract. de Jure Saxon. cap.* 3. *fol.* 104. tamen verum

 eſt,

eſt, matriculam & Fiſcum gravari diverſis exactionibus, quas diviſione non factâ ab uno petere & recipere poterat: Alia & diſpar ratio eſt Territorii inter plures communis, cujus onera poſſeſſor domûs gentilitiæ Fiſco præſtat, & à conſortibus partes
13 viriles per actionem in Camera repoſcit, uti diſertè cautum in Receſſu Imp. de Anno 1576. Bey Berathſchlagung 102.

Quinto conſideranda quoque dignitas & utilitas ipſorum filiorum ex Ducibus na-
14 torum, quos diviſione factâ ex Ducatibus in plures partes ſciſſis apud proprios Subditos ſordeſcere & vileſcere neceſſe eſt. Sed neque rem, neque nomen Ducatuum vel Ducum retinere poſſunt; tum, quia diviſio rem corrumpit, tandemque in nihilum redigit,
15 & prorſus deſtruit; tum quia Regna vel Ducatus rectiùs & meliùs per unum, quàm per plures adminiſtrantur:

Multos imperitare malum eſt, Rex unicus eſto.

16 Quam regiminis legem ipſa natura quoque in beſtias promulgavit: nam habent cervi ſuum Ducem, agnoſcunt apes ſuum Regem, obſervant grues ſuum Ductorem ordine literario, *cap. in apibus. 7. quæſt.* 1. tum quia
17 pax & tranquillitas magis conſervatur, ſi frater unus majore & ſuperiore, alter minore & inferiore loco habeatur, & uterque ſuâ ſorte contentus quieſcat, & talentum vel majus vel minus ſibi à Deo commiſſum & commendatum ad pias, publicas & honeſtas uſuras exponat, & Domino ſuo rem faciat, multumque lucretur *Matth. 23. v. 15. Luc.*
18 *19. v. 13. dict. cap. in apibus 7. qu. 1.* tum, quia fratres plures partem æqualem & virilem Ducatus petentes, dum fratri primogenito ordinem genituræ invident, ſibi ipſis nocent, nihilque magis efficiunt, quàm ut portio Ducatûs, quam percipiunt, inter ſuos filios & nepotes iterum atque iterum diſcerpatur, atque adeò corrumpatur, totusque Ducatus exinaniatur.

Ponamus enim, Ducatum inter tres fratres ante aliquot annorum curriculum, in
19 partes æquales diviſam fuiſſe, atque ita tres lineas factas fuiſſe conſtituamus, deinde ex prima linea tres vel quatuor, ex altera linea duos, ex tertia linea fortè quinque pluresve genitos. Sed & procedendo ulteriùs dicamus, ſingulos eorum plures iterum liberos edidiſſe, & hos omnes virilibus portionibus ſuorum parentum portiones inter ſe diviſiſſe. Et tandem quæramus de ſtatu & conditione ipſius provinciæ? Certè communis ſenſus dictitat, eâ ratione Ducatum peſſundatum iri, tandemque eventurum, ut ſinguli vix Marchioniculi & Comiticuli eſſe poſſint, imò tot penè evadent Comiticilli & Domicelli, quot manebunt ſubditi.

Inprimis verò ac principaliter pro Sexto
20 conſideranda & conſervanda eſt familia, ſed ſecundariò familiæ membris ſingulis proſpiciendum eſt, & ea ſemper ratio ineunda, ut familia ſtet & floreat, quicquid etiam membris quibusdam contingat. Proinde ſi caſus incidant, qui amoveri nequeant, niſi vel ipſi familiæ, vel certè familiæ membris clades & damnum inferatur, utique familiæ potior ubique cauſa habenda 21
eſt, quàm membrorum familiæ, atque expedit unum atque alterum familiæ membrum onerari & damno affici, quàm integram familiam perire; quemadmodum in homine membrum unum aut alterum reſcindi & perire, quàm totum hominẽ interire, utilius & rectius eſt. Jam verò ſi Ducatus quibusvis mortalitatis caſibus in familia Ducali accidentibus inter hæredes plures dividamus & ſubdividamus, totam familiam deſtruemus & abolebimus, & quotquot ſunt Ducum filios tandem Duces ſine Ducatu efficiemus, atque adeò dum Charybdin vitare, & primogenitum reliquis fratribus adæquare volumus, incidemus in Scyllam & omnes fratres Ducatu exuemus, Duces inani & vacuo nomine relinquentes.

At ſi primogenito, *vel etiam duobus Regentibus* (3) Ducibus Ducatum adjudice- 22
mus, & reliquis Ducalis lineæ membris portionem honeſtam aſſignemus, Familia ipſa conſiſtet ac permanebit, & familiæ tantùm membra in aliquo onerabuntur. Quocirca Ducatus in ſubſtantia ſua conſervandi, & vel uni ſoli, vel ad ſummum duobus ad regendum tradendi ſunt, cæteris parte aliquâ attributâ, quæ ad Ducis abdicati decentem ſtatum tuendum ſufficiat.

Quæ ſententia in tantum procedit, ut ne 23
quidem legitima ex feudis Ducatuum vel Comitatuum ſecundo vel poſtgenitis debeatur, Schrader. *de feud. part. 8. cap. 2. num. 45.*

Atqui dicat aliquis; ſi hæc ita ſe habeant; 24
tum ne quidem dotes & alimenta reliquis filiis & filiabus ex Ducatu conſtitui poſſe, imò legitimâ jure naturæ debitâ iniquiſſimè privari *l. omnimodo l. ſi quando l. pen. C. de inoffic. teſtam.* Verùm non eſt ea Interpretum noſtrorum mens & ſententia, ſed hoc ſolùm intendunt, quòd ex Ducatu vel Comitatu non poſſit pars quædam auferri vel peti ratione legitimæ, quatenus bonorum ſive Ducatûs aut Comitatûs pars eſt, *l. Papinianus §. quoniam ff. de inoffic. teſtam. l. ſi totas C. de inoffic. donat. l. parenti-* 25
bus l. quæ nuper C. de inoffic. teſtam. Cujac. *in Novell.* 18. & alii paſſim. Nam alioqui quin filiis Ducum de vitæ neceſſariis ſecundùm eorum dignitatem & conditionem ex Ducatu omninò providendum ſit, tantum abeſt, ut quis neget, quin id omnes uno ore conteſtentur.

Septimò, ſalus populi ſuprema lex eſt.
26 At non exigua populi ſalus in eo vertitur, ſi feuda Ducatuum unita & indiviſa conſerventur. Nam diviſio multiplicat Dominos, multiplicat Tribunalia, multiplicat familias, officiales, & miniſtros, multiplicat lacrumas & dolores Subditorum, multiplicat collectas, tributa & dotalitia hoc præ-
27 ſertim extremo ſeculo, in quo exactiones & ſuperexactiones creſcunt, & invaleſcunt, multiplicat denique mala penè infinita in Subditorum perniciem vergentia. Cothman. *dict. conſil. 1. num.* 201. *vol. 5.* Quibus rationibus Interpretum nonnulli ita moventur, ut diſertè ſcribant, diviſiones
28 Regnorum vel Ducatuum, utpotè publicè & privatim pernicioſas atque exitioſas à Subditis ratione ejus, quod ipſorum intereſt, jure impediri, *dict. cap. in apibus 12. quæſt.* 1. Cravett. *conſil. 624. num. 9.* Purpurat. *conſil. 532. num. 7.* nec Dominos poſſe ſuos Subditos, niſi magnâ urgente cauſâ dis-
29 membrare, gl. *in l. invitus verb. non eſt ff. de fideicom. libert* Bald. *in l. in teſtamento num. 1. C. ad L. Falcid.* Cravett. *conſil. 318. num. 4. & 5.* Capyc. *deciſ.* 162 *num. 1. & 4.* Erneſt.
30 Cothman. *dict. conſil. 1. n. 32. 33. & 34. vol. 3.*

Octavò, ſi conſuetudinē intueamur, negare non poſſumus, quin in univerſa Germania Ducatus vel prorſus ſint individui, vel certè quodam tantùm modo dividui.

Nam liquet ex Tacito, rerum Germanicarum Scriptore peritiſſimo, *quòd jus primogenituræ inter Germanos* (4) ſemper obtinu-
31 erit: *Quemadmodum alios populos*, (5) puta Hiſpanos, Arragones, Luſitanos, Siculos, Gallos, Anglos, Scotos, Hungaros, cæteroſque eodem jure uti cōnſtat; Roſenthal. *de feud. cap. 7. concl. 25. num. 7. & ibidem re-*
32 *lati.* Goldaſt. *in ſuo Seniore ſive de Majoratu lib. 3. cap. 10. 19. 21. 22.*

Et quicquid uſpiam cultiorum fuit gentium, ex naturæ ductu, inter filios prærogativam ſucceſſionis illi dederunt, cui natura prærogativam ætatis dedit, hoc eſt, primo-
33 genito: Sicuti & pater antiquitatis, Herodotus *lib. 7. Hiſtor.* hoc omnium populorum & gentium æquè jus commune appellat. Cujac. *de feud. lib. 1. tit. 9.* ubi ejus ſententiæ aſſeclas recitat, Liv. Juſtin. & Ottonem Friſingenſem Bald. *in cap. cum omnes n. 6. extr. de conſuet.* Joan. Grivell. *Deciſ. Dolan. 146. num. 13.* dicens, Omnium ferè gentilium conſenſu & uſu receptum eſſe, præſertim inter Illuſtres & Nobiles, ut quemadmodum primogenitus caput familiæ & agnationis dicitur (*Gallicè, le chef du nom & des armes*) ſic nepos primogenitus ex eo, omneſque deinceps primogeniti, eâdem ſemper gaudeant prærogativâ, quamdiu durat linea, ſicque in his, quæ dignitatem & honorem familiæ reſpiciunt, *præfertur nepos patruo*, (6) & locum patris ingreditur; ſive pater ſit mortuus ante avum, ſive poſt, per ea, quæ in antiqua & famoſa illa quæſtione, de ſucceſſione Regni vel Majoratus inter nepotem & patruum ſcripſerunt poſt alios à ſe conſarcinatos Tiraquell. *de primogenit. quæſt. 40.* Riminald. *conſil* 283. *lib. 3. & conſil. 690. lib. 6. & conſil. 781. lib. 7.* Peregrin. *conſil. ſingulari de ſucceſſ. regn.* Molina *de Hiſpan. Primogen. lib. 3. c. 5. & ſeqq.* Joan. del Caſtillo *quotid. controverſ. jur. cap 20. num.* 2. Caſp. Teſſaur. *quæſt. foren ſ. cap. 35.* 34

Nam nec poſt mortem patris poteſt patruus prærogativam illam primogenituræ ſibi vindicare: Transmittitur enim illa in nepotem, & quod ſemel factum eſt transmiſſibile, durat perpetuò transmiſſibile de uno in alium ejuſdem generis, *l. videamus ff. de eo, quod met. cauſ. l. qui duos ff. de reb. dub. ubi 2art.* unoque ſemel admiſſo, ejus poſteritas prævalet cæteris, text. *in cap. licet extr. de voto, & in cap. grande de ſuppl. negl. præl. in 6.* Grivell. *Deciſ. Dolan. 146. num. 14.* Semper enim primogeniti Linea præfertur, & quamdiu illa durat, ſecundogeniti linea nihil quicquam ſibi juris in bonis juri primogenituræ ſubjectis vendicat. Covarruv. *pract. quæſt. c. 38. num. 6.* Molina *de Primogen. lib. 3 cap. 6. num. 29. cap. 10. num. 10.* Menoch. *conſil. 106. num. 309. & conſil. 211. num. 11. & conſil. 442. num. 10.* Gregor. Tholoſan. *lib. 7. de Republ. cap. 10. num. 25. ubi ait*, ſtatim atque naſcitur primogenitus filius, ipſi jus Primogenituræ ejuſque prærogativam ſuccedendi pleniſſimè acquiri, & primùm in illius perſona radicari, dehinc fieri transmiſſibile ex ea perſona in deſcendentes. Molina *dict. lib. 3. cap. 7. num. 16. & 17.* Molfeſ. *ad Conſuetud. Neapol. part. 4. de ſucceſſ. ab inteſt. quæſt. 45. in addit. num. 6. ver. & conſequenter fol. 157. tom. 2. in addit.* Gammæ *deciſ. Luſitan. deciſ. 43. verſ. quarta concluſio. & verſ. quinta concluſio fol. 49.* ubi dicit, in ſucceſſione Majoratus ſeu Primogenituræ ex natura rei, ſicuti in feudis, ſemper fieri per rectam lineam Primogenitorum, & nunquam fieri digreſſionem unius lineæ ad aliam, durante primâ. Gutierrez. *lib. 5. pract. quæſt. civil. 27 per tot. & inprimis n. 45. verſic. Quod etiam probatur, ibi:* Quod in ſucceſſione Majoratus, finitâ unâ lineâ, dum quærimus aliam lineam, non conſideramus perſonam proximiorum, ſed lineam proximiorem, & in hujuſmodi linea proximiori quærimus eum, qui deſcendit per ipſam lineam rectam ex filio majori ejus, ut primogenitus lineę præferatur reliquis & ſic patruo ſuo: *num. 47. ibid. fol. 82.* ſubjungit, quòd finitâ unâ lineâ, priùs admittatur & ſuccedat deſcendens ex linea ſequenti, quàm hi, qui ſunt in cæteris lineis, etiamſi proximiores eſſent, Feder. Boſius *in diſquiſ. Mantuan. Succeſſ. pro Carolo artic. 3. n. 52.* Schrader. *conſil. 13. n. 90.* poſt Bald *in c. 1. part. 2. num.*

2. *num. 6. de feud. March.* ubi concludit, quòd in Regnis, Ducatibus, Comitatibus & Baroniis, in quibus locum habet jus primogenituræ, omnes illi, qui ſunt de ſanguine primi acquirentis, ſuccedant, etiamſi ipſi ultimo defuncto in centeſimo, milleſimo, vel ulteriori gradu conjuncti ſint. Idem Schrad. *d. conſil. 13. num 181.*

Ac quamvis cauſa juris primogenituræ, quod primogenito debetur, ex ætate etiam petatur, Goldaſt. *de Majoratu & Præced. lib. 2. cap. 3. num. 8. & cap. 12. per tot. & paſſim dict. tract.* Arniſæ. *lib. 2. Polit. cap. 2. fol 303.* hæc tamen qualitas, quæ contemplatione Nativitatis, perſonæ competit, juxta tenorem Aureæ Bullæ ex primogeniali linea petenda, quæ communi ſuccedentium ſtipiti vicinior, atque ea propriè linea recta dicitur, quæ per primogenitos derivatur; à qua omnes fratrum ſurculi tanquam amputati intelliguntur, uti pulchrè deducit Dn. Hegenmullerus *in voto conſiſtorii Cæſarii ſuper Controverſ. Saxon. de jure præcedent. in dignit. & ſucceſſ part. 72. §.* Iſt alſo aus dieſer ꝛc. Poteſt enim quis eſſe Senior, quoad nudum ætatis factum, ſed quoad jus primogenituræ juris effectu junior. Nam in cauſa primogenituræ primogenitus in viciniori linea, reſpectu communis Stipitis intelligendus eſt, Rolland. à Valle *conſil. 38. num. 22. 23. & 24. vol. 4.* Hegenmull. im Keiſerlichen Reichs-Hoffraths *voto ſuper Controverſia Saxonica de dignit. & ſucceſſ. Elector. fol. 72.*

Ideoque inter collaterales non pro primogenito habendus, qui Senior aut ultimo defuncto poſſeſſori proximior: Sonſt (inquit Hegenmuller. *d. loc.*) würde daraus eine confuſio Linearum erfolgen / und daß der tertiogenitus ſive patruus, deſſen ſecundogeniti filium contra clariſſimum Aureæ Bullæ textum & communem obſervantiam würde ausſchlieſſen / alſo auch wann der Tertiogenitus abgienge / und der älter zur ſelben Zeit / in Secundogeniti linea gefunden würde / müſte der Principatus wiederum in dieſelbe lini zuruck ſpringen. Cùm tamen Aurea Bulla & communis obſervantia lineam Primogeniti lineæ Secundogeniti, & rurſus hanc Secundogeniti lineam Tertiogeniti lineæ expreſsè præferat, Hegenmuller. *dict. loc.* ubi ad argumenta contraria nomine illuſtris Aulici Cæſarii Conſiſtorii reſpondet.

Duo itaque omninò primogenituræ fun-
35 damenta ſunt. NATURA & LEX: Goldaſt. *dict. tract. de Majoratu lib. 3. cap. 2. per tot.* Natura inquam: Eo ipſo enim, quo quis primo loco, primus ætate, primus ſtirpe inter fratres conſtituitur, naturæ prærogativam habet; cujus tanta etiam vis eſt, ut impenſiùs longè amentur primò nati, ac proinde non immeritò jure etiam potiores ſint, Chryſoſtom. *in Genes. homil. 51.* Tiraquell. *tract. de primogen. in præfat. num. 39.* Zaſ. *conſil. 20. num. 10. l. 2. & tract. de feud. l. 1. tit. 9.* Lex ſive conſuetudo hunc naturæ ductum adeò venerata eſt, ut eidem illi loco, eidem ætati, eidem ſtirpi, omnes quoque prærogativas juris tribuere æquum cenſuerint.

Prærogativa itaque Naturæ unicum & 36
unum eſt fulcrum prærogativæ Juris; neq; fieri poteſt, ut alius primogenitus Juri, alius primogenitus Naturæ cognitus ſit. Uterque enim eſt idem, quem natura, eundem etiam jura agnoſcunt, & contrà. Aut certè illud dicendum eſt, primogenituram non eſſe id, quod eſt. Atque hoc rectiſſimè
æſtimarunt ii, qui verbum primogeni- 37
ti ſecundùm naturam intelligendum ſcripſerunt; Bald. *in l. cum antiquioribus n. 11. C. de jure deliberand. & conſil. 275. eod. 4. verſ. cùm primogenitus n. 2.* Menoch. *conſil. 97. n. 51. & ſeqq.* Zaſ. *conſil. 8. n. 3. l. 3.*

Si ergo jus primogenituræ æquè ac in ali- 38
is Regnis locum ſibi vendicat, facillimum intellectu eſt, diviſionibus locum non relinqui: Maximè, cùm & Hiſtoriarum monumenta probent, olim unum Ducem vel alterum in Regentem Principem plerumque aſſumptum, reliquis fratribus Cœ-
nobitis vel Canonicis factis. Quibus con- 39
ſentit Jacobin. de S. Georgio, ſcribens quotidiè obſervari, ut in feudis dignitatum primogenitus ſuccedat, *tract. de feud. §. quid ſi Rex num. 3. in fin.* Henning. Göden *conſil. 20. n. 16. & ſeqq.* ubi præcisè negat, & diviſionem Ducatûs fieri non poſſe re-
ſpondet, Zaſ *conſil. 20. num. 12. lib. 2.* diſer- 40
tè aſſerens, communiter in Germania in feudis dignitatum uſu venire, quòd major natu ſuccedat. Joan. Oldendorpius, Germaniæ Sulpitius, qui nominatim ſcribit, Ducatus & Comitatus in Germania non dividi, ſed primogenito obvenire, & reliquis filiis de legitima portione proſpiciendum
eſſe, *claſſ. 5. actionum tit de action. benefic. §. 8. verſic. feudum alias dividi, & verſ. Cæterùm* 41
Et aſſert. 3. ubi hanc quæſtionem ex profeſſo tractat, clariùs & manifeſtiùs ſcribit; Hoc, inquiens, nullo unquam ſeculo fuit uſurpatum, & ne quidem uſurpari potuit, ut Proceres etiam maſculi ſuccederent jure vulgari hæreditario ſeu allodiali in Ditionibus. Quia non ritè conſequerentur illuſtrem vel generoſam dignitatem, mul-
toque minùs titulos & Regalia, ſed redi- 42
gerentur in ordinem privatum & civilem, & per conſequens totiùs Monarchiæ inſtitutio politica tolleretur. Hæc ille. Quibus porrò adſtipulantur Guil. Hanneton. *de feud. lib. 9. c. 9. pag. 321.* Sonſbeck *de feud. part. 1. num. 46.* Schenck Baro à Tautenberg *lib. 1. de feud. tit. 1. num 6.* Idem *in cap.*
omnes filii num. 7. ſi de feud. defunct. contro- 43
verſ.

verſ. fuer. Sichard. *conſil feudal.* 1. *num.* 41. Fichard. *conſil.* 12. *num.* 5. *& ſeqq. lib.* 1 *& conſil.* 135. *num.* 7. *lib.* 2. Quo loci obſervantiam contrariam de facto introductam dete-
44 ſtatur, eamq; velut Ducatibus & Comitatibus pernicioſam & exitioſam Duces & Comites prudentes extremè odiſſe & fugere debere, graviter admonet Gail. 2. *obſ.* 153. *num.* 3. ubi veriſſimè ſcribit in hæc verba: Avorum noſtrorum memoriâ feuda dignitatum apud unum è familia, præ-
45 ſertim ſeniorem, ſemper ſarta tectaque conſervata ſunt, quia prudenter conſiderarunt, nihil eſſe tàm magnum, quod diviſione parvum non fiat, &c. Ludolph. Schra-
46 der. *conſil.* 13. *num.* 166. *& num.* 344. ac quamvis *ibidem num.* 353. ſupponat generalem aliquam Germaniæ conſuetudinem de Ducatibus dividendis, tamen deciſivè non approbat, ſed magis improbat. Et unde illius prætenſæ conſuetudinis error natus ſis, oſtendit Erneſt. Cothman. *conſil.* 1. *num.* 479. *& ſeqq. vol.* 5.

Sic Ducatus Bavariæ primogenito obvenit, *Knichen* (7) *dict. tract. de Jure Saxon pag.* 84. Sic Comitatum Diez feudum Imperii
47 individuum, & conſenſu Imperatoris ſemel diviſum ad naturam primævam poſtea rediiſſe, ſcribit Claudius Cantiuncula *conſil. num.* 47. *&* 56. Quin & exemplo Comitatus Friſiæ, qui ſemper individuus fuerit, & primogenito obvenerit, quodque reliquis fratribus de neceſſariis proſpectum ſit, conſuetudinem Germaniæ de dividendis ex æquo Ducatibus univerſalem pervelli, evincit Borcholt *conſil.* 13. *pag.* 208. Expreſsè negans, diſpoſitionem juris feudalis *in c.* 1. §. *Præterea* Ducatus, *&c.* contrariâ univerſali conſuetudine, abolitam eſſe.

48 Nonnulli Dd. licet à Friderico Imp. *d.* §. *præterea Ducatus* indiviſionem in feuda regalia inductam confiteantur, negant tamen inde conſtitui Jus Primogenituræ, cùm vel ab omnibus queant poſſideri indiviſa, vel alteri alicui ex filiis attribui. Florez Diaz de Mena *lib.* 1. *quæſt.* 17. Ludovic. Molina *de Hiſpan. Primogen. cap.* 11. Roſenthal *de feud. cap.* 9. *concl.* 56.

Et hoc effugio eludunt Bipontini Ducis & Marchionis Burgavienſis Conſiliarii, Marchionis Brandeburgenſis & Palatini Neoburgenſis argumentum ex Unione petitum, quòd ſcilicet neque Marchionis Brandenburgenſis conjux, neque maſculi Palatinæ conjugis hæredes propter defectû maſculorum in ſtirpe primogenitæ jus primogenituræ petere, aut totam *hæreditatem Juliacenſem* (8) ad ſe ſolos rapere poſſint, prætextu Unionis; cùm ex Unione primogenitura non inferatur.

Sed vero verius eſt, quamprimùm *circa*
49 *tempora Ottonum Impp.* (9) ea, quæ anteà officii erant, & temporanea, dignitatis & regalia eſſe, ac feudi regalis nomine concedi ceperunt, eo ipſo quoque jus primogenii neceſſaria conſequentia invectum eſſe, ut ejus veſtigium manifeſtum eſt *in d.* §. *præterea Ducatus*; illoque argumento pro primogenituræ inductione Itali reſponderunt, Crot. *conſil.* 217. *num.* 96. *lib.* 1. Alex. Raudenſ. *reſponſ.* 1. *num.* 87. *& ſeqq.* Quam prærogativam primogenito præ omnibus fratribus *aperuit jus divinum & gentium,* (10) Tiraq. *in præfat. de jure primogen. n.* 36. Ludovic. Molina *dict. lib.* 1. *c.* 2. *n.* 3. *&* 4.

Et contra hæc jura fas non eſt Principi, 50
quantumvis abſoluto, diſpenſare: Quemadmodum teſtatur Juſtin. *lib.* 16. quando de Ptolomæi facto ſic judicat: Finito bello, Ptolomæus cum magna rerum geſtarum gloria moriturus. Is contra Jus Gentium, minimo natu ex filiis, ante infirmitatem regnum tradiderat. Quod pluribus exſe-
quitur & operoſe propugnat Henning. Ar- 51
niſæus *lib* 2. *de Repub. cap.* 2. *ſect.* 8. *per tot.* atque exemplo Macedonum, Regni Syriæ & Aſiæ, Perſarum, nec non gentium Sarmaticarum, Thracum, & Hunnorum, Polonorum, Ruſſorum, Tartarorum, Turcarum, Congranorum, Athenienſium, Trojanorum, aliorumque Græcorum, Lacedæmoniorum, &c. confirmat. Et de Gothorum, Luſitanorum, Francorum, Vandalorum, Siciliæ, Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ Regum ſucceſſione latè tractat Goldaſt. *d. tract. de Majoratu lib.* 3. *cap* 9. *p.* 1119. 20 21 22 *&* 23.

Quæ cùm ita ſint, & jus primogenituræ 52
ſuccedendi prærogativam in feudis regalibus & indiviſibilibus primogenito attribuat, & electionis jus per naturæ legem & ordinem introducat, inſuperque præſens ſtatus omnium penè Ducum, Marchionum, & Comitum Germaniæ liquidò commonſtret, feuda dignitatum non eſſe diviſioni obnoxia, ſed per natu majorem ſarta tectaque conſervari; mirari ſatis non poſſum, quòd plerique auſi fuerint ſcribere, in Germania vigore Aureæ Bullæ Caroli IV. diviſionem Principatuum permiſſam, extra Electoratus.

Cùm tamen nihil minùs, imò contrarium in ipſo contextu reperiatur, *tit.* 24. (11) §. *ſi cæteros Principatus, &c.* dum ibi Imperator concludit à minore ad majus, nempe ſi cæteros Principatus integros conſervare decet, multò magis Electoratus; Goldaſt. *de Majoratu lib.* 2. *cap* 15 *num* 1. quod argumentum nequaquam procederet, ſi præſup-
poſuiſſet, cæteros dividi poſſe; ſicuti rectiſſi- 53
mè ſuper iſto textu animadvertit ſolertiſſimus & ſagaciſſimus Cujac. *lib.* 4 *feud tit.* 9. ubi diſertiſſimis verbis ſcribit: Marchiam, Ducatum, & Comitatum non dividi, ſed primogenito cedere, idque etiam expreſ-
ſum

ſum eſſe Aureâ Bullâ Caroli IV. Imp. quia
nimirum, quod in ea Electoratu dicitur,
pari ratione ad Marchiam, Ducatum, Co-
54 mitatum porrigendum ſit. Quemadmo-
dum & in plerisque aliis ab Electoribus ad
Duces rectè arguimus; Dan. Moller. *lib.* 1.
ſemeſtr. 40. in fin. maximè, ſi rationis iden-
titas & cauſa diviſionis impediendæ vel tol-
lendæ in præfatione Bullæ propoſita, quòd
ſcilicet omne regnum in ſe diviſum deſole-
tur, id confirmet; nihilque cauſæ ſubſit,
cur non idem jus, quod in Electoratibus
conſtitutum eſt, in Marchionatibus, Du-
catibus, & Comitatibus ſtatuendum ſit:
& cùm Cæſar inviƈtiſſimus, velut caput,
poſſideat Imperium individuum, à capite
membra regulari. Et quod juris eſt in ca-
55 pite, puta Imperatore, itemque in præci-
puis Imperii membris, puta Electoribus, id
utique in cæteris Imperii membris & parti-
bus jus eſſe debet, *l. cùm in diverſis ff. de re-*
lig. & ſumptib. funer. l. cum qui ædes ff. de
56 *uſurpat. C. cum non liceat extr. de præſcript. C.*
acceſſorium extr. de R. J. in 6. Menoch. *conſil.*
163. Molina *de jur. primogen. cap.* 11. *circa*
princip. Jacobi à Saa *de primogenit. n. 39. &*
57 *ſeq.* Hyppolit. Riminald. *conſil. 6. n. 133. vol.*
1. Loffred. *conſil. 39. num. 32.* Purpurat. *con-*
ſil. 326. n. 9.

58 Et quod exiſtentia, natura, ſucceſſio, &
conſtitutio Principatuum Imperii, regule-
tur in omnibus & per omnia ſecundùm ex-
iſtentiam, naturam, & ſucceſſionem Archi-
principatuum Electoralium, qui ſunt co-
59 lumnæ, quibus Imperium fulcitur, punctu-
aliter determinat Goldaſt. *dict. tract. de Ma-*
joratu lib. 2. cap. 18. num. 1. Sic & author ſi-
ve collector indicis ſuper Receſſibus Im-
60 perii, Auream Caroli IV. Bullam non de
ſolis Electoribus, ſed & de aliis Imperii Prin-
cipibus accipit, & Ducatus æquè, ac Ele-
ctoratus dividi negat. Exſtatque Sigiſmun-
di Imp. Bulla de Elect. Palatin. ſub Anno
1414. Ludovico data à Goldaſto *p.* 2. der
Reichs-Satzung *pag. 90.* atque à Marquar-
do Frehero publicata, quæ nominatim Pa-
latinatum dividi vetat.

Hinc Güntherus Poëta in Ligurino *lib. 8. v.*
637. ſeqq.

Marchia, ſeu Comitis poſſeſſio, ſive Duca-
tus.

Integra permaneant. — —

61 Hinc quoque inter exiſtentes in dignita-
te & gradu pari, præferri natu majorem mi-
nori, docent Dd. *in dict. §. Præterea Ducatus*
de prohib. alienat. per Frideric. per iſtum text.
ſimulque tradunt, inter duos vel plures filios
Regis, aut Ducis, imò etiam alios agnatos
in Regnis, Ducatibus, aliisque Regalibus
Dignitatibus de jure aut conſuetudine in-
diviſibilibus, natu majorem ſolùm ſuccede-
re & præferri, text & gl. *in c. licet ubi Dd.*
communiter de vot. & vot. adempt. Bartol.
conſil. 72. num. 2. vol. 1. Olrad. *conſil. 237.*
n. 2. Pinel. *in l. 1. part. 3. num. 17. c. de bon.*
matern. Ferdinand. Vaſqu. *de ſucceſſ. creat.* §.
62. limit. 31. n. 91. & ſeq.

Quibus adſtipulantur, qui *dict.* §. *Præte-* 62
rea non modò de individuo, ſed etiam de
jure primogenituræ interpretantur, Gallic.
conſil. 2. num. 153. Petr. de Gregorio Meſ-
ſanenſis *de conceſſ. feud. part. 4. quæſt. 2.*
num. 5. & ſeqq. & num. 12. ibique Garſias
Maſtrillus *in Addit.* Et idem Meſſanen-
ſis *part 4. quæſt. 13. num. 11.* Schenck *lib. 2.*
feud. tit. 31. fol. 535. Vultei. *de feud. lib. 1.*
cap. 8. num. 36. Molina *de primogen. lib. 1. c.*
3. n. 6. Marta *de Jurisdict. part. 4. cent. 1. ca-*
pit. 23. n. 3.

Et quamvis de hoc ſubtiliter diſputari poſ- 63
ſit, prout inſinuat Roſenthal *de feud. c. 9. con-*
cl. 55. n. 9. tamen hanc eſſe communem, quæ
etiam uſu obſervetur, plurimi literis conſe-
crarunt, relati ab eodem Roſenthalio *ibi-*
dem in gl. fin. Quibus addo Alberic. de Ro-
ſate *in proœmio ff. in §. diſcipuli col. 2. vet. 3.*
verſ. in quantū igitur, Schrader *de feud. part.*
8. c. 2. n. 39.

Licet quoque multi ſint, qui teſtantur 64
de generali Germaniæ, Italiæ, & Galliæ
conſuetudine regales Dignitates, præter
ipſa forſitan Regna, diviſibiles eſſe factas,
Roſenthal *dict. cap. 9. concl. 56. num. 5.* Gail.
dict. obſ. 153. num. 2. Clar. §. *feudum quæſt.*
44. Knichen *de Jur. Saxon. verb. Ducum Sa-*
xoniæ cap. 3. per tot. & cap. 4. num. 191. &
ſeqq. Modeſtin. Piſtoris *conſ. 50. n. 39. vol 2.*
Franciſc. Pfeil *conſil. 78. n. 79. & 85. vol. 1.*
Fichard. *conſil. 135. num. 7. vol. 2.* Hotoman.
in diſput. feudal. cap. 28. ubi multa exempla 65
adfert: Attamen certiſſimi & expeditiſſimi
juris eſt, ſi quis diviſionem ex conſuetudi-
nis diſpoſitione, & obſervatione petat,
hunc nullà ratione audiri, niſi priùs probet
diviſionem, quam petit eo ipſo modo, quo
petit, antè factam & conſuetudine intro-
ductam eſſe; Cephal. *conſil. 18. n. 31.* Ro-
ſenthal *dict. cap. 9. concl. 57. num. 5.* Quin 66
& ut ex actibus & præjudiciis argumentum
aliquod certum ducatur; neceſſe omninò
eſt, actus & præjudicia in termino utroque,
nimirum in termino à quo, & in termino
ad quem, omni ex parte eſſe uniformia &
conſentanea, quemadmodum egregiè re-
ſpondit Ulpianus *in l. ſemper in ſtipulationi-* 67
bus verſic. quia varius fuit ff. de R. J. Atque
inprimis in conſuetudinis quæſtione ac di-
ſceptatione veriſſimum eſt, quod vulgò di-
citur, tantum præſcriptum, quantum poſſeſ-
ſum, & tantum poſſeſſum, quantum uſurpa-
tum, tantum uſurpatum, quantum diviſum;
Cravett. *conſil. 170. n. 4.*

Nam conſuetudo contra jus commune 68
feudale introducta (qualis hæc) ſtricti juris
eſt, Bald. *conſil. 275. n. 9. verſic. porrò in con-*
ſuetudine vol. 2. Purpurat. *conſil. 27. num. 10.*

cui

cui aliquid addere vel illam interpretatione producere, legibus diſtrictè prohibitum eſt, Cravetta *conſil. 30. num. 5.* Hippol. Ri-
69 minald. *conſil. 72. num. 70.* Ideoque conſuetudo talis neque de uno modo ad alium, neque de caſu ad caſum, neque de uno feudo ad feudum aliud, neque de jure uno ad jus aliud, neque de perſona una ad perſonam aliam, neque de loco ad locum, neque de provincia ad provinciam, neque de uno territorio ad aliud, neque de uno Ducatu vel Principatu ad alium, neque de uno tribunali ad aliud, neque etiam de diviſione conſenſu factâ ad diviſionem ab invitis extorquendam ullâ juris æquitatisque ratione produci poteſt, Roſenthal. *dict. cap. 26.* ubi *num. 7. & 8* declarat, quòd hujusmodi conſuetudo foret in ſpecie probanda, quòd ſociis invitis diviſiones tales, tempore ad hancce præſcriptionem requiſito, factæ fuerint.

Nec enim à conſentientibus inductam
70 talem conſuetudinem argumentari licet contra diſſentientes. Ita in ſpecie Göden. *d. conſ. 20. num. 16. & 17.* Alexand. *conſil. 6. n. 2. vol. 5.* Gozadin. *conſ. 84. num. 7.* eleganter & copioſè Baptiſta de S. Blaſio *inter Conſilia Bruni Conſil. 6. num. 2. lib. 5.* Brunus *conſil. 66. in feuda lib.* Loffred. *conſil. 7. n. 21.* Menoch. *conſ. 401. n. 27. 30. & ſeqq. vol. 5.* Roland. a Valle *conſ. 80. num. 10. vol. 1.* Zaſ. *conſ. 20. n. 45. & 7. volum. 2.* Schrader. *de feud. part. 8. c. 2. num. 39.* Goldaſt. *dict. lib. 2. cap. 15. num. 5.* Quin & falſa eſt eorum opinio, qui tradunt, regalem dignitatem conſenſu ſemel diviſam, fieri inpoſterum etiam diviſibilem. Siquidem diviſionis prohibitio *in dict.* § *Præterea.* in res, non in perſonas eſt concepta, ejusque cauſa perpetua eſt, Roſenthal. *de feud. cap. 9. concluſ. 59. num. 5. & præced. concluſ. 57.* Licet feuda minora ſemel legitimè diviſa, ſemper diviſioni ſint obnoxia; Pancirol. *conſ. 1. num. 22. & conſil. 111. num. 17.* multis hoc confirmans. Schrader. *parte 8. cap. 2. numero 42.*

Notandum quoque eſt, quòd hanc
71 æqualem ſucceſſionem & diviſionem de jure non liceat facere, niſi (1) primogenitus & ſenior natu, ad quem ſucceſſio de jure devoluta erat, conſentiat; Imperatoris (2) voluntas concurrat; & (3) ſubditorum aſſenſus accedat, & conditio ac vires terrarum ferant, poſt Alex. Barbat. Felin. Marſil. Zaſ. Fichard. Erneſtus Cothmannus *conſil. 3. num. 142. vol. 4.*

Quare etſi maximè propter Impera-
72 torum indulgentiam & taciturnitatem in Germania conſuetudine immemoriali introductum eſſet, ut etiam non conſentiente Imperatore diviſio à fratribus conſentientibus fieri poſſet; tamen ex eo non videretur præſcriptum, neque introductum eſſet, ut in poſterum etiam invitis natu majoribus, ſi nempè illi ſeſe opponant, & jus ſuum urgeant, diviſiones etiam fieri oporteat. Conſuetudines enim ſunt ſtricti juris, & ultra actus, ex quibus inductæ, non extenduntur, neque de caſu ad caſum trahuntur, ſed ut in præſcriptione, ſic & hìc tantum præſcriptum, quantum poſſeſſum, uti ſuprà dictum.

Ne dicam, quòd non pauciores, & non inferioris authoritatis JCti in illa ſint ſententia, quòd conſuetudo, non obſtantibus Dd. atteſtationibus, contraria in ſpecie de illa dignitate, de qua ſit quæſtio, ſemper foret probanda: Quia Dd. atteſtationes paucæ ſunt, quòd diviſio fiat in ſpecie de omnibus Germaniæ regalibus dignitatibus.

In contrarium verò loquitur ipſa experientia, quòd tam in Germania, quam Gallia, Italia & Hiſpania multæ dignitates Ducatus, Principatus & Comitatus nunquam adhuc ſunt diviſi. 73

Sic feuda majora IN GALLIIS non dividi ſolere, ſed primogenito cedere, author eſt Hanneton. *dict. lib. 9. cap. 9.* Sic Ducatum FLORENTIÆ, Menoch. *conſil 163. numero 8.* Ducatum FERRARIÆ, Hippolit. Riminald. *conſil. 18. numero 51. volum. 1.* Berret. *conſil. 109. numero 9.* Alexand. Raudenſ. *Deciſ. Piſan. 42. numer. 50. & 51.* MEDIOLANI, Riminald. *conſil 18. numero 51. volum. 1.* Ducatum MONTISFERRATI, Purpurat. *conſil. 317. numero 1.* URBINI, SALUTIARUM, Hippolit. Riminald. *dict. conſil 18. num 51.* MANTUÆ, Riminald. *dict. conſil. 18. numero 5.* Rubeus Alexandrin. *conſil. 133. numero 12.* SABAUDIÆ, Alexandrin. *dict. conſil. 133. numero 10.* Purpuratus *dict. conſil. 317. num. 4. & conſil. 326 num 6.* CAMBLASII, Purpurat *dict. loc. numero 1.* Comitatum MIRANDULÆ & CONCORDIÆ, Menoch. *conſil. 491. num. 8.* DELPHINATUM, Alexandrin. *dict. numer. 10.* PEDEMONTIUM, Alexandrin. *dict. loc. numero 10.* Sic denique in univerſa HISPANIA Ducatus & Comitatus eſſe individuos & primogenito deferri, teſtantur Pinel. *in dict. l. 1. parte 3. numero 17 C. de bon. matern.* Decian. *reſponſ. 31 numero 146. vol. 1.* Ludovic. Molina *dict. lib. 1. de Hiſpan. primogen. cap 11 num 16.* 74

Quinimò in fortioribus terminis, quòd conſuetudo in uno Ducatu, aut Principatu inducta non extendatur ad alium, niſi & eam ibi invectam eſſe probetur, Zaſ. Fichard. Brun. *dd loc.* & nonnulli alii ſcribunt, & dictum eſt ſuprà. Etſi diviſiones ex cauſis aliis, quàm conſuetudine, factæ, putà ob teſtamentum, pactum &c. nihil ad conſuetudinis inductionem facerent.

75 Cæterùm ſunt, qui juris feudalis diſpoſitionem, Ducatus, Comitatus, reliquasq; Dignitates dividi vetantem, de ſola Dignitate, Ducatu & Corpore ipſo accipiunt; ſed ab Ordinatione eadem Feudi Regalis fructus, commoditates, adminiſtrationem, & jurisdictionis exercitium excipiunt, & hæc omnia in diviſionem non minùs, quàm ſervitutes, jurisdictiones, & jura patronatûs (quæ etſi per ſe ſint individua, tamen exercitium & uſus illorum dividi poteſt) rectè venire, & alternis annis vel menſibus adminiſtrationem jure commutari, vel locis jurisdictionem diſtingui poſſe, docent Baldus, Alvarot. Præpoſit. Ravenn. Afflict. Camerar. & FF. communiter *dict.* §. *Præterea Ducatus &c.* Gail. *d. obſerv.* 153. *num.* 2. Vultejus *lib.* 1. *de feud. cap.* 8. *num.* 36. *verſic. unde & Dd.* Schrad. *dict. part.* 1. *cap.* 2. *num.* 39. *verſ.* 4. Roſenthal *dict. cap.* 9. *concluſ.* 56. *num.* 12. *&* 13. Anton. Quetta *conſ.* 92. *num.* 6. Menochius *conſ.* 2. *num.* 286. *lib.* 1. Weſemb. *conſ.* 37. *num.* 2. *&* 4 Bertazzol. *conſ. civil.* 281. *n.* 30. *lib.* 2.

76 Sed, ut ingenuè dicam, quod ſentio, non ſatis aſſequor, quomodo Dignitates & Ducatus ipſi manere poſſint indiviſi, fructibus, reditibus, jurisdictionibus & adminiſtrationibus Ducatuum vel Comitatuum diviſis.

77 Sunt enim pecuniæ, fructus, obventiones, & jurisdictiones anima & ſanguis Ducatus. Quemadmodum verò (1) animâ diviſâ & in partes ſciſsâ corpus quoque ipſum iinterit; ita Ducatus & dignitates pereant neceſſe eſt, reditibus, fructibus &
78 jurisdictionibus diviſis vel diſcerptis. Deinde (2) quamvis Ducatum velut dignitatem intellectu quodam ab ipſis corporibus & rebus Ducatûs diſtingui, & juris nomen dici, & eâ ratione Præfecturas dividi, ſed Provinciæ regimen alternis vicibus adminiſtrari poſſe non negem, tamen nomen id inane fore, ſi bona & corpora prorſus tollamus; vel ſæpius dividamus, viciſſim inficiari non poſſumus. Nam Ducatus non civili & nudâ nominis phantaſiâ imaginandus, ſed in naturali & plena bonorum appellatione, perceptione, poſſeſſione intelligendus & accipien-
79 dus eſt, *l. bonorum. ff. de V. S.* Præterea (3) jurisdictiones, itemque reditus, ſi maximè eos dicamus eſſe acceſſoria, tamen ſunt acceſſiones inſeparabiles, ideoque æquo jure, iisdem rationibus, conditionibus & legibus cum ipſis Ducatibus cenſeantur, neceſſe eſt, *dict. cap. Acceſſorium extr.*
80 *de R. J. in 6. cum ſimilib. vulg.* Inſuper (4) ſi Fridericum Imp. Ducatus ſive dignitatis Ducalis diviſionem prohibuiſſet, ſed corporum & rerum Ducalium, itemque jurisdictionum diviſionem permiſiſſe, vel etiàm Ducatus diviſionem inhibuiſſe, ſed fructuum, redituum, jurisdictionum, & adminiſtrationum diviſionem conceſſiſſe dicamus, ſanè Fridericus non rebus, ſed verbis legem impoſuiſſet; quod non eſt admittendum, *l. ſcire leges ff. de leg.* multoque minùs unâ viâ permittendum, quod a- 81
liâ viâ eſt denegatum, *l. cum quid. extr. de R. J. in 6.* At ſi fructus, reditus, jurisdictiones, adminiſtrationes quoquo modo dividi permittamus, hac viâ efficimus, ut ipſa & regalia feuda, eorumque dignitates evaneſcant, id eſt, ut fiat, quod fieri eſt prohibitum, *in d.* §. *Præterea Ducat.* Juvat (5) hanc ſententiam, quòd omnes diſpoſitiones, prohi- 82
bitiones & ſanctiones Imperiales cum effectu ſint accipiendæ. In puncto Alexand. *conſ.* 7. *num.* 9. *vol.* 5. Atqui effectus in eo potiſſimùm conſiſtit, ut Ducatus, vel Comitatus præemineant, effloreſcant & conſerventur; Quod fieri nequit, vel bonis ipſis omninò diſtractis, vel iterum atque iterum diviſis, etiam fructibus, reditibus, jurisdictionibus & adminiſtrationibus in varias partes ſciſſis & fiſſis, vel plurium adminiſtratorum arbitrio & regimini commiſſis.

Sic & (6) tralatitium eſt, in omnibus negotiis, cauſis, pragmaticis legum ſan- 83
ctionibus & conſtitutionibus procemium (quod denotat cauſam impulſivam & finalem, ex qua diſpoſitio ipſa extenditur 84
& ampliatur, *l. final. ff. de hæred. inſtit. ubi* Bart. *& alii in l. final. ff. de teſtam. tutel.* Ludovic. Molina *de primogen. lib.* 1. *capite* 5. *numer.* 2. *& ſeqq.*) præcipuè & tenaciter inſpiciendum atque attendendum eſſe. At cauſa, quæ Fridericum Imper. impulit, quamque is ſibi propoſitam habuit, hæc una & ſola fuit, ut Ducatus & Comitatus uniti conſiſterent, & flore ſuo flos Imperii eſſent. Sed hæc omnia evaneſcunt, non ſolùm ſi dignitates ipſas, ſed & ſi reditus, commoditates & jurisdictiones earum pluries dividimus.

Accedit (7) quòd Fridericus Imper. 85
inter feuda Dignitatum, velut majora, & inter minora feuda diſtinctionem facit, & illa dividi prohibet, hæc dividi permittit. At in his diviſio non alia poteſt intelligi, quàm rerum, corporum, fructuum, & commoditatum, cùm nulla earum dignitas ſit.

Ergo in illis quoque diviſionem non quoad dignitatem, ſed quoad corpora, res, fructus, & commoditates inhiberi, comparationis inſtituta ratio, quam parem eſſe neceſſe eſt, omninò cogit & imperat Bartholom. Camerar. *in dict.* §. *Præterea Ducatus, fol.* 820.

Atque hæc opinio, quæ vult, digni- 86
tates Ducales dividi non poſſe, ſed tantùm

tùm fructus, commoditates, juriſdictionem & ſimilia in diviſionem venire permittit, eò tantùm reſpicit, ut ſinguli Principes, qui non ſunt actu regentes, præfecturas ſuas peculiares habeant & poſſideant, & reditus inde perceptos in cauſam ſuam reponant, ſed interim Ducatus ipſe, omneſque Ducatus totius Ordinis & Status ſint maneantque indiviſi, atque etiam ſuperioritas & juriſdictio ſuprema extra diviſionem conſiſtat. Et
87 ſecus opinio illa accepta valdè eſt peregrina, & contra communem ſenſum, quam in eum caſum primos authores ex ingenio ſuo peperiſſe, *ut cauſæ inſervirent* (12) patrocinarentur, non ſine ratione quidam affirmant. Zaſius *dict. conſ.* 20. *num.* 5. *lib.* 2. Camerar. *in dict.* §. *Præterea Ducatus fol.* 822. Purpur. *conſ.* 326. *num.* 12. *verſ. non obſtat tertium.*

Ex quibus ſatis conſtare opinor, Fride-
88 ricum Imper. *in dict.* §. *Præterea.* non ſolùm dignitatem indiviſibilem feciſſe, aut juriſdictionem Ducalem; ſed & Provin-
89 cias & bona ipſa: Quam indiviſionem feudorum regalium Hiſpani, Galli & Itali, uti ſuprà dictum, imò & *Angli ac Scoti*, (13) etiamnum generali conſuetudine non tantùm in majoribus, ſed & minoribus feudis tenaciter obſervant.

Utrum autem Imperatori ea poteſtas competierit, ſacrilegii inſtar eſſet dubitare velle, cùm ſucceſſio feudalis non de-
90 pendeat ex pacto, ut diſputat Schrader. *de feud. parte* 2. *tit. de ſucceſſ. deſcendent. maſcul. ab inteſtat. limitat.* 2. ſed conſuetudine, Valentin. Forſter. *de ſucceſſ. lib.* 6. *c.* 36. *& ſeq.*

Cui Imperator derogare poteſt ex
91 cauſa publicæ utilitatis, cui omnes leges & conſuetudines cedunt. Publicam autem utilitatem in eo conſiſtere, prolixè de-
92 duximus, quia diviſio comminuit Principatus, & comminutos facit recidere in alienam poteſtatem, deterit familias & fulcra Imperii.

Nihil enim, ſi veteres annales evol-
93 vamus, ad interitum Reipublicæ & perniciem totius populi plus momenti adfert, quàm æqualis Provinciarum in ſingulos hæredes diſtributio; quia compertum eſt, per diviſionem omnia magna Imperia in prædam veniſſe, quæ ſolâ Unione reconvaluerunt.

Imperium Alexandri, quod D. Hieronym. *in Dan. cap* 1. ab Illyrico & Adriatico mari usque ad Oceanum Telicum & Gangen fluvium extendit, litigioſa Ducum partitione *in decem pluráve capita primùm ſciſſum*: (14) mox oppugnantibus ſeſe mutuò ambitioſis Principibus, in quatuor quidem ſatis ampla Regna, Macedoniæ, Aſiæ, Syriæ, & Ægypti redactum fuit, prout Daniel *cap.* 8. prædixerat; ſed ne ſic quidem ſibi ſingula ſuffecerunt, quin intra breve ſpa- 94
tium ceſſerint in prædam Romanæ potentiæ præ nimia imbecillitate, ut Daniel iterum præſagit *dict. cap.* 8. *verſic.* 22. *Quod autem fracto cornu grandi ſurrexerunt quatuor pro eo, quatuor reges de gente ejus conſurgent, ſed non in fortitudine ejus.*

Imperium Romanum licet à variis Tyrannis ſæpè dilaceratum fuerit, adeò, ut 95
capto à Perſis Valeriano, triginta corrivales eodem ferè tempore contra ſe excitaverit *ignavia Gallieni;* (15) Chriſtophorus Heidman. *in Valeriano & Gallieno fol.* 247. tamen ad ruinam & declinationem non priùs ſpectavit, quàm diviſione in Orientalem & Occidentalem partem, vires to- 96
tius diminuerentur, & deſertæ ſingulæ; altera Hunnorum, Arabum, & Turcarum; altera Gothorum, Longobardorum, & Francorum incurſionibus exponerentur. Nec enim duabus primis partibus ſubſtitit diviſio, ſed utræque in minutiora ſubinde Dominia diſſilierunt, donec, ut de fluviorum Principe Rheno apud Batavos fieri videmus, cum nomine dignitas & poteſtas omnis exſtingueretur & difflueret. Quod pluribus exſequitur, ac Græcorum, Germanorum, Italorum, Francorum, Anglorum, Septentrionalium, Polonorum, Sileſiorum, Moſchorum, Perſarum, Hiſpanorum, aliorumque exemplis egregiè probat & illuſtrat Arniſæ. *lib.* 2. *de Repub. cap.* 2. *ſect.* 7. *num.* 16. *& ſeq.*

Ecquid juvit plus Turcicos conatus, 97
quàm *diſtributio Imperii Conſtantinopolitani*, (16) in ſeptenos Emanuelis liberos? Quâ re ita divulſa eſt potentia illa, ut Amurati ſtatim præclaræ occaſiones oſtenderentur, Græciâ, & vicinis locis potiundi. Diviſio hæc peperit inter fratres & cognatos civilia bella; quæ, ſi unus ſolus imperaſſet, facilè evitare potuiſſent.

Amurates, cujus Imperium cepit Anno CHRISTI MCCCCXXI. diffidentibus in Peleponneſo fratribus duobus, Thoma & Demetrio; quorum tertius frater eſſet Conſtantinus Palæologus, ultimus Imperator Conſtantinopolitanus, vel quòd bello hi premerentur ab Albanenſibus, auxiliumque iis implorantibus Amuratis; tributum ipſi dependere coacti deinceps fuêre. Hoc cùm ſolvere aliquando recuſarent, neque ſtarent promiſſis, cauſam nactus Amurates, Peloponneſum illis ejectis occupavit. Demetrius ad Amuratem, Thomas Romam ad Pontificem conceſſit, ubi mortuus reliquit filios ſuperſtites duos, & totidem

dem filias; Joachim. Camerar. *in Narrat. Turcicis.*

Dein Muhammedes II. primus Turca-
98 rum Imperator ſucceſſit: Duorum Imperiorum Conſtantinopolitani nempe & Trapezunti II. Regnorum, & CC. Urbium magnarum expugnator, Beſoldus *in Hiſtor. Conſtantinopolit. in Mahummede 2. fol. 779.*

Quò reſpiciens Bernhardus, (17) Mona-
99 chorum religioſiſſimus, à Comite quodam de Comitatûs diviſione ſententiam dicere rogatus: ſi ſunt, inquit, Nobiles, melior eſt quandoque filiorum aliorum diſperſio, quàm hæreditatis diviſio; ſi ſunt laboratores, faciant, ut velint; ſi mercatores, major eſt diviſio, quàm communio, ac infortunium unius alteri imputetur: Natta *conſil. 505. numero 34.* Cothmann. *conſil. 1. numero 61. volum. 3.* Arniſæ. *dict. c. 2. ſect. 7. numero 80.* Benedict. Carpzov. *de Leg. Reg. German. ſive Capitulat. Cæſ. cap. 7. ſect. 1. num. 8.*

100 Et Leopoldus de Northoff, Canonicus Leodienſis & Abbas Viſetenſis, *in Chronic. Comitum de Marca* ad Engelbertum Comitem ità ſcribit: Ad pacificam terræ gubernationem & defenſionem inter cætera expediens eſſe puto, ut ipſius Comitatûs de Marcka Unitas indiviſibiliter conſervetur; videlicet, ut Caſtra, jurisdictiones, & diſtrictus per unum tantummodò, & non per plures Comites gubernentur. Sic enim Pax in terra poterit conſervari; ſic contra vicinos Dominos, & alios extraneos invaſores, tantò fortiùs defenſari; quod fieri non poſſet, ſi in ſeipſa eſſet diviſa. Nam ſi dividatur, tum una pars Subditorum uni Domino, altera pars alteri Domino adhærebit, & tantò terra ad ſe defendendum erit debilior contra adverſarios extraneos, quando ſic eſſet diviſa, quæ huc usque unita fortiter & viriliter ſe defendit. &c. Sic ſcriptum eſt enim in Evangelio: Omne Regnum in ſe diviſum deſolabitur. Quod ſatis patet in nonnullis Dominiis Ducatuum, Comitatuum, & aliorum Dominiorum, quæ olim magni fuerunt nominis & potentiæ, at nunc per partitiones diverſos in hæredes factas, ad ſtatum modicum ſunt redacta: maximè cùm Imperiali authoritate ſit ſancitum, Ducatus, Marchionatus, & Comitatus dividi non debere, & cætera, quæ ſequuntur, digniſſima ſunt, quæ perpetuæ Principum memoriæ infigantur.

101 Sed ut è ſemita in viam revertamur, non imus inficias, in Germania adhuc magnos Principatus in liberos æqualiter diſtribui. A prudentioribus Politicis verò ejusmodi diviſiones Ducatuum ac Principatuum ſummoperè improbantur; eò, quòd diminuant dignitatem familiæ, Gail. *dict. obſerv. 153. numero 3.* Et ſanè ex re Imperii ejusque dignitate magis foret, & *ad conſervationem familiarum plurimùm faceret*; (18) ſi jus commune feudale in uſum revocaretur, ſecundùm Dn Chriſtophorum Beſoldum *de Succeſſione & Electione Reg. libro primo, Diſſertatione quarta.* Bodin. *libro 6. de Republica, capite quinto.* Petrum Gregorium Tholoſanum *libro 7. de Republica capite quinto.* Lather. *de Cenſu. l. 1. cap. 16 num. 16.* Eapropter plerique boni publici favore, & familiarum ſuarum ſtudio admoniti, ultrò locum diſpoſitioni Friderici fecerunt. *Sic inter privilegia Domûs Auſtriacæ* (19) & hoc confirmatum fuit ab Imperatore, daß der älteſte unter den Herzogen die Herrſchafft deß Landes haben ſoll/ und nach ihm ſein älteſter Sohn erblich/ und daß die Hertzogthumen nimmermehr ſollen getheilet werden/ Conſtitut. Friderici I. & II. & Caroli Quinti *apud Cuſpinian. in Auſtria* Sebaſtian. Münſter. *libro 3. Coſmograph. capite 417.*

De Unione Wilhelmi Ducis Juliacenſis (20) & Bergenſis, Comitis Ravensber- 102
genſis, & Joannis Ducis Clivenſis & Comitis Marchiæ, pleni ſunt libri eorum, qui de ſucceſſione Juliacenſi diſputant. Quæ Unio à Ferdinando, vigeſimo primo Junii, Anno milleſimo quinquageſimo nono, Maximiliano, cæterisque Imperatoribus confirmata eſt. Nec id negare poſſunt, qui in favorem Bipontini Ducis & Marchionis Burgovienſis Unionis vinculo connexas Provincias ſeparari poſſe, autumant.

Sic & Joachimus Fridericus Elector 103
Brandenburgenſis patris teſtamento, qui Novam Marchiam cum Ducatu Croſnenſi, Dominiis Cotbuſiano, Sternbergenſi, &c. Erneſto ex Anhaldina Secundogenito adſcripſerat, derogavit, & cum reliquis Marchiæ Provinciis prædictas *in unum corpus redegit,* (21) fratribus verò duobus natu majoribus Ducatus Franconicos in recompenſationem tradidit.

Sic *Henricus Junior*, (22) qui cum 104
Unione Provinciarum etiam jus primogenituræ primus in eam Ducatus Brunſuicenſis partem introduxit, quæ ipſi tum obediebat, à Lunæburgenſibus & Grubenhagenſibus diſtincta; idque de conſenſu & confirmatione Caroli V. Imp. cum conſenſu fratris Wilhelmi, quod teſtamento Julii pacifici poſteà confirmatum, in conſuetudinem per trium Principum, Julii, Henrici Julii, & Friderici Ulrici continuam ſucceſſionem vertere cepit.

Quid verò nuper circa diviſionem Ducatus Brunſuicenſis *per exſtinctionem lineæ Wulferbytanæ* (23) ad agnatos devoluti obtigerit, cuivis obviam eſt.

Sic

105 Sic cùm *Wilhelmus Landgravius Haſſiæ*(24) ad Lanum, qui primus adjecerat Comitatum Cattimelibocenſem, Wilhelmum minorem natu ſcripſiſſet hæredem, & hujus frater Wilhelmus primogenitus Caſſelis ſine liberis decederet, tres disjunctæ Provinciæ reciderunt in unius Philippi, Wilhelmi filii, poteſtatem, cujus potentiam vel ipſe Carolus V. timere coactus fuit.

Nam Henricum Juniorem Ducem Brunſuicenſem regione avitâ depulit, Monaſterienſem ſeditionem compeſcuit, & Ducem Würtebergenſem Ulricum ab Auſtriacis excluſum reſtituit.

106 *Megapolitani*(25) & Pomerani, etiamſi Ditiones ſuas in duas partes divelli conſenſerint, plures tamen duobus Principibus non admittunt.

Hoc reſpectu Ulpianus Juris-Conſultus publicè intereſſe dixit, *ut ordinum dignitas, familiarumq; ſalva ſit*, (26) *l.* 1. §. *ſed & ſi ſervus* 13. *ff. de inſpiciend. ventr.* Præterea, cùm familiæ per varias viciſſitudines mutentur, Principatus verò ſint immortales, hisce Unionum legibus & ſtatutis non tam conſervatur familiæ unius propagatio, quàm Principatûs, cui familia præeſt, integritas.

Poteſt enim ſine Witekindi, aut Pipini familia ſalva eſſe Reſpublica, ſed non ſine Provinciis, in quibus diverſæ familiæ ſibi invicem ſuccedunt, & lampada tradunt.

Cùm verò Provinciæ & membra Imperii illibatam ſuam non ſervent integritatem, niſi præſcriptâ ab Imperii arbitrio Unitate contineantur, facilè conſcenderunt Imperatores in pacta earum familiarum, quæ provinciarum ſuarum Unionem inter ſe concluſerunt, & jus primogenituræ inde exſtruxerunt.

107 Ex eodem fonte profluunt *pacta familiarum de ſucceſſione*, (27) quæ paſſim invaluerunt, &, ut ait Diocletianus *in l. licet C. de pact.* principalium Conſtitutionum, prompto favore firmata ſunt, puta quoad ea, quæ videbantur à juris communis diſpoſitione aliena.

108 Novis quippe omnium gentium moribus introductum eſt tertium genus hæredum, veteribus Juris-Conſultis incognitum, quod *Conventionalium* appellatur, uti ex Maſverio, Guil. Benedicto Rebuff. & aliis probavit Hotoman. *Conſilio* 72. *numero* 35. *& ſequentibus.* Franciſcus Marcus *Deciſione Delphin.* 128. *numero* 6. *parte* 2. Heig. *parte* 1. *quæſtione* 23. *numero* 13. *& ſequentibus.* Menochius *Conſilio* 1. *numero* 162. *& ſeqq.* Dauth. *de teſtament. num.* 86. *v. nam etiamſi plerig;* qui pacta ſucceſſionis acquiſitiva moribus & conſuetudine approbari, & hanc ſaniorem verioremq; in praxi ſententiam eſſe, pluribus adductis authoritatibus atteſtatur. Quibus addi 109
poteſt Peregr. *de fideicom. artic.* 51. *num.* 35. *& ſeq.* Nicol. Betſius *tract. de pact. familiar. per tot.* De quo tantò minùs dubitandum, ſi talia pacta ſucceſſoria Conſuetudine aut Statuto introducta *à Superiore Ordinario ſunt confirmata.* (28) Quo caſu eò robuſtiora ſunt tam ad Actionem, quàm Exceptionem, ſecundùm jura, quæ ad propoſitum allegant Theſaur. *Deciſ.* 225. *num.* 12. *& ſeq.* Albert. Brun. *Conſil.* 135 §. *& moveor. vol.* 2. Gail. 2. *obſ.* 126. Cacheran. *Deciſ. Pedemont.* 100. Hieron. de Laurentiis *Deciſ. Avenion.* 18. Vincent. de Franchis *Deciſ.* 57. *ubi notat*, pacta de hæreditate viventis ipſo jure illicita, corroborari mutuò paciſcentium conſenſu; Item per confirmationem Superioris Ordinarii: ſiquidem ex præmiſſis Dd. & Interpp. liquet, illa demum pacta ſucceſſoria odioſa eſſe, quæ, inſcio bonorum poſſeſſore, de ſucceſſione provident aut diſponunt. 110

Ejusmodi pacta & ſponſiones *Uladislaus Bohemiæ Rex, & Maximilianus I.* (29) Imperator fecerant de ſucceſſione mutuâ, ſi qua alterius ſtirps maſcula deficeret, quæ ſtatim in actum deducta fuit, cùm Ludovicus, Uladislai filius, in *prælio Moſarienſi* (30) occideretur. Item Marchiones Brandeburgenſes *cum Ducibus Pomeranis* (31) & Megapolitanis de ſucceſſione contraxerunt; Et Hermannus Landgravius Haſſiæ A. *MCCCCLXXIII.* (32) pactus eſt cum Friderico, Balthaſare, & Wilhelmo Landgraviis Thuringiæ, ut altera familia alteri deficientibus maſculis ſuccederet, quod fœdus Anno MCCCCXXXIII. inter Ludovicum & Landgravios Thuringiæ, jam ad Electoratum evectos, cùm is Annam Friderici I. filiam duxiſſet uxorem, renovatum eſt, & in fraternitatem A. *MCCCCLVII* (33) adoptati Marchiones Brandeburgenſes, cùm acceſſiſſet confirmatio Imperatoria Friderici III. Anno MCCCCLXXI. Quæ pacta de unione Ducatuum nihil continent, vel à conſuetudine, vel à lege diverſum; proindeque de jure ſubſiſtunt, & valida ſunt, maximè ſi authoritas & confirmatio Superioris acceſſerit. 111 112 113

ANNOTATIONES Ad CAPUT XXXVII.

Num. 1.

(1) D*Iviſionem reſpuunt &c.*] Quod ipſum axioma multis Authoritatibus probat Guilielmus Antonius de Grünberg / *de reſcript. morat. Corollar. ex J. Feudal ſect. 3. 4. p. 25.*

(2) *Inſucceſſibilia fuiſſe &c.*] Duces initio, inquit ex Paulo Æmilio Lehman in der Speyriſchen Chronic *l. 2. c. 17. in fin.* Comitesq; à Regibus præficiebantur Gentibus, Civitatibusq; ; ac cùm videretur, dimittebantur. Deinde inveteravit conſuetudo, ut niſi ſceleris convicti abire imperio non cogerentur, idq; poſtremò, ut quisq; eò numere donabatur, jurejurando Regum cavebatur. Sanè ſub Carolo M. & proximè ipſum ſequentibus Impp. Ducatus, Marchionatus, & Comitatus unà cum dignitate judicandi & terrendi poteſtate in diſtrictibus, Ducibus & Comitibus conceſſis, temporarios regulariter meritò tantùm fuiſſe, aſſerunt rerum Germanicarum periti ſcriptores, à Dn. Mylero von Ehrenbach *in Archolog. Ordin. Imp. c.* 8. *n* 2. nominati. Id quod ſanè Hiſtoricæ antiquitati penitus conſonum eſt. Hinc Author Actor. Lindav *p* 340. das iſt bey den Hiſtoricis richtig / daß tempore Ludovici II. (ſive Imperatoris ſive Germaniæ Regis) die Grafen nicht hæreditarii, ſondern miniſteriales & beneficiarii, die offt mit allodialibus nicht zum ſtattlichſten (doch einer mehr als der ander) ſondern meinſtens mit ihren Ambts: und Lehengütern verſehē. Utut igitur hæ dignitates hæreditariæ ſub ſtirpe Carolina haud fuerant, non negligebantur tamen Ducum Comitumque filii, quin patribus ſufficerentur, ut teſtatur Cuſanus *de Concord. Cathol. lib. 3. cap. 28.* Beſold. *in Theſaur. Pr. verbo* Lehen. Miræus *in Annal. Belg. Anno 877. fol. 903.* Sic ut demum Imperio Romano à Caroli poſteritate ex lineæ defectu avulſo, ac à Francis ad Saxones ac familiam Ottonicam translato, Ducatus, Comitatus, cæteræq; Imperii dignitates, pedetentim creſcerent, ac ex communi Hiſtoricorum relatione poſt mortem Ludovici III. filii, Arnulphi, ſub Cunrado I. & Ottonibus Imperatoribus Ducatus, Marchionatus & Comitatus iſti hæreditario Jure paſſim ad poſteros transire cœperint. Quod pluribus demonſtrat prælaudatus Dn. Mylerus *d. tr. cap. 9.* Adde rerum Germanicarum ſcientiſſimum Dn. Conringium *in Diſ. de Ducibus & Comitibus Imperii.* Spangenberg im Adel-Spiegel / *lib. 10. cap. 8. &c.*

Num. 22.

(3) *Vel etiam duobus regentibus &c.*] Atnec hoc maximis periculis & incommodis carere apud minùs concordes docemur exemplo Antonini & Getæ, de quibus Herodianus *Hiſt. ſui temp l. 4. c. 7. pag. m. 133.* ſcriptum reliquit: Sed gliſcebat indies odium, atque diſcordiæ. Nam ſive Duces ac Magiſtratus aliqui eligerentur, uterque amico ſuò potiſſimùm ſuffragabatur: ſive jus dicerent, ſemper diverſa ſentiebant, magno illorum periculò cuja res agebatur. Pluris enim ſtudium ſuum, quàm jus aut æquum faciebant: etiam in ludis ipſis diverſarum ſemper factionum. Nihil præterea inſidiarum omittebant. Cocos identidem & in pincernas, conati ad veneficia impellere. Quò ubi tardiùs procedebant, quod ſcilicet uterque magnâ diligentiâ curâque cibum capeſſerent, poſtremò impatiens Antoninus, atque imperii totiùs cupidine inſtigatus, deliberat magnum aliquid facere vel pati, ferrumque & cædem molitur, &c. Eleganter ſanè Poëta:

> *Nulla fides Regni ſociis, omnisq; poteſtas*
> *Impatiens conſortis erit.*

Num. 30.

(4) *Quòd Jus Primogenituræ inter Germanos &c.*] In hæreditate capiendâ (apud Germanos antiquos, ut Cluverius *de Germ. antiq. libro 1. capit. 21. circa finem* probat,) Primogenituræ obſervabatur illa ſive æterni DEI lex, ſive communis omnium mortalium conſuetudo, ex ſacris libris etiam notiſſima; quâ etiamnum quædam Chriſtiani nominis gentes, maximè verò Britanni utuntur. De priſcis illis Germanis teſtis eſt Tacitus *in Germ. lib. 32. num. 2.* Tencteri ſuper ſolitum bellorum decus, equeſtris diſciplinæ arte præcellunt. Nec major apud Cattos peditum laus, quàm Tenctris equitum. Hi luſus infantium, hæc juvenum æmulatio. perſeverant ſenes: Inter familiam, & penates & Jura ſucceſſionum, equi traduntur; excipit filius, non ut cætera maximus natu, ſed prout ferox bello & melior.

Num. 31.

(5) *Quemadmodum alios populos &c.*] Confer Arniſæum *in Relect. Polit. lib. 2. cap. 2. ſect. 8. pagina mihi 263. ſeqq.* Molinam *de Primogen. Hiſpan. lib. 2. cap.* 1. ubi *num.* 25 docet, aliquando tamen & ſimul plures Regnum Hiſpaniæ tenuiſſe & adminiſtraſſe. Knipſchildium *de Fideicom. Familiarum Nobil. cap. 6. num. 275. ſeqq. multis, pagina* 189. *ſeq.*

Num. 33.

(6) *Præfertur Nepos patruo &c.*] Quæſtionem hanc, an Nepos ex primogenito filio patruo in ſucceſſionibus Regnorum, Principatuū &c. præferendus, tam dubiam veteres eſſe cenſebant, ut etiā Baldus *in Conſ. 255.* certum in ea quicquam aſſerere, eſſe potiùs ſuperſtitioſum, quàm diſcretū ſcripſerit; & alibi *in l. cum antiq. C. de J. delib.* poſt multa in utramq; partem adductá, rem minimè deciſam hoc epiphonemate finit, SOLVAT APOLLO. Sic refert Tiraquellus *in Tr. de J. Primog. qu. 40. n.* 8. Ottonem Imperatorem judicio gladiatorio eam rem commiſiſſe, Nepotemq; victorem bis evaſiſſe. Sed ſepoſitis hisce, eapropter in arenâ non deſcendam, multò minùs neceſſe eſt, ut ſolvat Aqollo, ſi modò altiùs aliquantò naturam & fundamenta totius Juris Primogenituræ in genere; pòſt autem quid de ea Lex Imperii Romano-Germanici in ſpecie promulgarit, (*quæ omnia per compendium Klockius hic in textu declarat,*) inſpiciamus; Tunc enim nemo erit, qui non lubens palmam Nepoti tribuat. Confer Deductionem deß Gräflichē Stollbergiſchen Erb-Rechtens die Grafſchaft Königſtein betreffend / *pag. 21.* ubi eleganter de

Jure

Jure primogenituræ, ejus prærogativâ, familias conſervandi ſtudio &c. diſſeritur.

Num. 46.

(7) *Knichen &c.*] Adde Cothmann. *Reſp. 1. n. 281. vol. 5.* Arniſæum *Relect. Polit. c. 2. Sect. 7. n. 35. ſeqq.* Limnæū *de J. P. l. 4. c. 8.* Dn. Myleruū *de Princ. & Stat. Imp. parte 1. cap. 21. n. 3.* ubi plura exempla adducit.

Num. 47.

(8) *Hæreditatem Juliacenſem &c.*] Quantas, mortuo A. MDCIX. ſine prole Wilhelmo Juliacenſium, Clivenſium, Montenſiumque Duce, hæc Succeſſio, vix adhuc integrè A. MDCLXVI. (*vide Diarii Europæi partem XIV. in appendice pag 1.*) ſopitas controverſias excitarit, teſtantur plurima, quæ hac in cauſa emanarunt ſcripta, quorum mentionem injicit Limnæus *de J. Publ. l. 5. c. 10. n. 12.* atque ante decennium & quod excedit, Lucii Veronenſis Diſſertatio, Refutatio, Apologia, de hac Succeſſione publici Juris factæ; dum etiam Hiſtorici & Politici, ut Arniſæus *Relect. Polit. cap. 2. ſect. 8. n. 1.* (*ex quo numerus hic 46. deſumptus*) paſſim, rem totam breviter complectitur Dn. Burgoldenſis *in Not. Rer. Imp. Romano-Germ. part. 1. diſcurſ. 32.* adde Franciſc. Irenicum *ad eundem pag. 209.*

Num. 49.

(9) *Circa tempora Ottonum Impp. &c.*] Ad hæc tempora enim hæreditaria Officia cum territoriis Ducatuum, Comitatuum &c. facta, referunt plerique, ut ſuperius *ad l. 1. cap. 4. n. 115.* (188.) & jam *ad num. 1. hujus capitis*, indicavimus. Aſt de Comitibus Waldecciæ Hiſtorici, & inter illos David Chytræus *Hiſt. lib. 12. in fin.* tradunt, tempore Caroli M. imperio & Imperatori militantes Comites Waldecciæ, ad hanc dignitatem Comitialem ſub Witikindo Comite in Sualenberg, primo familiæ Propagatore, perveniſſe, eandemque dignitatem ceu Authocratores ad hæredes devolviſſe. Adeò ut Carolus devictis Saxonibus, evectisque Epiſcopatibus, illis in Epiſcopatu Paderbornenſi Jus Advocatiæ conceſſerit. Sic de Comitibus à Gleichen legimus, ex iis Ludovico Seniori ejusve hæredibus à Carolo M. tractum regionis in ſaltu Thuringiaco ad XX. milliaria in longitudine, ac X. in latitudine jure hæreditario poſſidendum &c. traditum. Goldaſtus *Conſtit. Imper. Tom. unic. pag. 27.* ex quibus apparet, ut mutatio plerumque Ducatuum &c. ad Ottonum tempora rectè referatur, attamen & aliquos antiquiores multò eſſe. Burgoldenſis *in Not. Rer Illuſtr. Imp. parte 1. memb. 2. diſc. 20. pag. 351. ſeqq.*

(10) *Aperuit Jus divinum & Gentium, &c.*] Arniſæus *Relect. Polit. l. 2. ſect. 8. n. 6. & 7 pag. 267.* P. Gregorius Tholozanus *de Republ. l. 7. c. 9.* H. Grotius *de J. B. & P. lib. 2. cap. 8. n. 28.* Unde Perſeus apud Livium *lib. 40. cap. 9.* fratrem inceſſens, Regnare utique vis, *inquit*, huic ſpei tuæ obſtat ætas mea, obſtat GENTIUM JUS, obſtat vetuſtus Macedoniæ mos, &c. Confer Dn. Myler. *in Addit ad Rümelin in A. B. parte 1, diſſert. 5. 6. 4. pag. 757.*

Num. 25.

(11) *Tit. 24. &c.*] Scilicet ſecundùm Editionem Moguntinam; in Palatino etenim Codice ſeparato titulo, XXV. hæc proferuntur. Quod Limnæus *in Obſ. 1. ad d. capitulum XXV. A. B.* annotat; de re ipſa verò in hoc capitulo contentâ confer Fabritium *in Repetit. Gailii 2. Obſerv. 53. ſect. 1. pag. 241. ſeq.* Georg. Everhardum *vol. 1. Conſil. 27. ubi plures quæſtiones huc pertinentes reſolvit*, & Arnoldum Engelbrecht *de Succeſſ. in Electoratibus.*

Num. 87.

(12) *Ut cauſæ inſervirent &c.*] Sic ſæpe Conſulentes in rimiori animi ſenſu perſonam Conſilium petentis, quàm curioſâ indagatione cauſæ merita ſcrutantur; atque non tam jura rationesque facto, ſed beneplacito interrogantis aliquando & ſuæ utilitati applicant. Cùm tamen indigniſſimum ſit prætextu dandi conſilii ſibi tendere, & pernitioſiſſimum in Republica privatas ſpes agitare ſine publicâ curâ. Pertinet huc locus Matthæi de Afflict. *Deciſ. 320. in fin.* inquientis. Et in hoc voto fuerunt quinque Doctores Regiæ Cameræ ſummariæ & ſacri Conſilii, licet Fiſcales fuiſſent in contraria opinione, non tamen ſuffulta Legibus aut rationibus, niſi authoritate Pſalmi: PLACEBO DOMINO IN REGIONE VIVORUM.

Num. 89.

(13) *Angli & Scoti &c.*] Junge Arniſæum *d. loco ſect. 8. n. 44. 45. 46.*

Num. 93.

(14) *In decem pluráve capita ſciſſum &c.*] Juſtin. *lib. 13.* Curtius *lib. 10.* Diod. Sic. *lib. 18.*

Num. 95.

(15) *Ignavia Gallieni &c.*] Trebell. Pollio in XXX. Tyrannis.

Num. 97.

(16) *Diſtributio Imperii Conſtantinopolitani &c.*] Audiamus de Diviſione illa Beſoldum *in Hiſtoria Conſtantinopolitano-Turcica p. 530. ſeq. n. 4.* In eo (*Emmanuel Palæologus Imperator Orientalis XLVII. A. C. MCCCLXXXVII.*) minùs pro commodo Reipubl. egit; quòd inter filios Provincias diſtribuit: & ita Imperii culmen detrivit, dum plures Regulos ex uno Imperio effecit; quod ſi non ſit magnum, & unitum, ac uno quaſi ſpiritu corpus Politicum univerſum regatur, potenti hoſti reſiſtere nequit. Et quidem filium, primogenitum Johannem ad Imperii ſpem educavit. Secundus erat Andronicus; qui Theſalonicam, potentem quondam Macedoniæ Urbem, & Pauli Epiſtolis & Magni Theodoſii facinore inſignem, in partem hæreditatis accepit, poſſeditque. Demum Johannis fratris odio, qui Patri in Imperio ſucceſſit, Venetis tradidit, Amurathes verò Turcarum Princeps eripuit, ac reliquam Macedoniam, usque ad montes Pæoniæ, & quā Albaniā vocant, imperio ſuo ſubjecit. Tertius Manuelis filius appellabatur Michaël. Theodorus quartus eſt dictus. Quintus Demetrius, qui Peloponneſi regnum diu obtinuit, excelſo animo ac ſummâ virtute Princeps. Sed quia Chriſtianiſſimus vir fuit, ob id maximis affectus eſt à Turcis injuriis. Eſt autem Peloponneſus regio adeò munita Jonio & Ægæo pelago, & excellentiſſimis undique cincta promontoriis, ut nihil queat eſſe munitius. Sextus Manuelis filius Thomas Peloponneſi Deſpota: qui etſi jure hæreditario Imperatorem ſe dicere poſſet, cujus majores longâ ſerie Græcorum nomini imperaverant, metu tamen Muhammedis abſtinuit. Et cùm Calixtus Pontifex huic multa adversùs Turcas pollicitus eſſet, tributum negavit: coactus tandem & tributum & dona adjicere, ac deinde cedere. Poſt Patriæ itaque direptionem Romam cum quatuor liberis venit (S. Andreæ Apoſtoli caput, ex Peloponneſo ſecum deferens) Manuele ſcilicet, qui poſt Patris interitum, ad Muhammedem hoſtem, inconſideratiſſimè ſe intulit, in carceremque dejectus eſt; Andreaque filio, qui Romæ deceſſit, cum vulgare ſcortum duxiſſet in uxorem; ac duabus Filia-

bus Helena & Zoe. Helena Lazaro Servico Regi nupſit, qui filius fuit Georgii, & poſt Patris obitum gubernationem ſuſcepit regni, fratre Georgio excluſo. Septimus Manuelis filius, fuit Conſtantinus; qui poſtremus omnium imperavit. Hactenus Beſoldus, qui *in ſeqq. ſub Johanne Palæologo* ex Leunclavio *pag. 553.* deducit, quomodo ille filius Emanuelis ruinam Regni Conſtantinopolitani promoverit; *quod & pag. 740. ſeq. facit, inter alia hæc ipſa ex Camerario verba allegans.*

Num. 99.

(17) *Quò reſpiciens Bernhardus &c.*] Reſponſum S. Bernhardi, (inquit Joh. Tilius, ex quo plerique hoc reſponſum deſumunt, *de Reb. Gallic. de filiis Regg. &c. pag. m. 178.*) à Panormitano adducitur, qui petenti cuidam ſucceſſionum Leges dixit: Inter Ruſticos arbitrariam eſſe; Mercatoribus commune utilius, quàm diviſum eſſe; Nobilibus, maximè cùm potens eſt Dominatus, Regnum, Ducatus, & ſi quid eſt ejusmodi, oportere ut ſuccedat unus & proximus hæres.

Num. 101.

(18) *Ad conſervationem familiarum plurimùm faceret &c.*] Confer omninò Knipſchildium *de fideicommiſſ. fam. illuſtr. cap. 6. n. 325.*

(19) *Sic inter Privil. Domus Auſtriacæ &c.*] Goldaſtus *de Majoratu lib. 2. c. 17. n. 1. 2.* & *cap. 8. n. 4.* & *Conſtit. Imp. parte 1. fol. 89.* Cothmannus *vol. 5. Conſil. 1. n. 281.* Carpzov. *de L. Reg. Germ. cap. 9. ſect. 1. n. 6.* Martin Rümelin *ad A. B. part. 3. diſſert. 5. concl. 5.* & ibi Dn. Mylerus &c. *in additionibus.* Hoc loco tamen non negligenda Obſervatio Limnæi *de J. P. lib. 4. c. 8. n. 113.* ſcilicet ab Archiducali hâc familia à communi placito & primogenituræ Jure tunc receſſum, cùm, ob rationes fortè à Betſio *de pactisfamil. illuſtr. cap. 10.* allatas, Carolus Hiſpaniarum Rex, poſtea Imperator hujus nominis Quintus, cum Ferdinando fratre divideret Principatus, & Archi-Ducatus Auſtriæ non Carolo primogenito, ſed Ferdinando unà cum finitimis regionibus ceſſiſſet.

Num. 102.

(19) *De Unione Wilhelmi Ducis Juliacenſis &c.*] Beſoldus *de ſucceſſ. Reg. lib. 1. diſſert. 6 n. 10.*

Num. 103.

(21) *In unum corpus redegit &c.*] De Primogenitura in familia Electorali Brandeburgica recepta ſic Limnæus *ad A B. cap. 25. §. 2. Obſ. 4.* loquitur. In Familia Electorali Brandeburgenſi ex pacto familiæ primogenito cedit Electoratus, ejusdem verò fratribus, usquè dum Annum XVIII. compleverint, debentur alimenta, & poſtea annuatim VIM Imperiales pro deputato. Probant hoc pacta familiæ, in quibus tunc Elector Joachimus Fridericus promiſit, daß er alle ſeine Freundlich-geliebte Brüder/ ſo lang ſie nicht verſorget jährlich nach Geſtalt und Gelegenheit jedes Alters/ zur Nothdurfft Fürſtlich unterhalten wolle. Da aber einer/ oder mehr/ ſein vollkömlich Alter als XVIII. Jahr erfüllet/ alsdann jedwederen derſelben/ ſo lang er mit gewiſſen Landen und Leuten/ oder Stifftern nicht verſehen/ jährlich 6000. Thaler zum Deputat reichen und folgen laſſen. Eſt tamen in arbitrio Electoris relictum, das Deputat, ſo von ſeinem ältern Sohn welcher in der Chur ſuccedirt, den andern Brüdern zu geben ſeyn wird/ nach Gelegenheit und Anzahl der Perſonen zu mindern/ und einzuziehen. Junge omninò Springsfeldium *de Apanagio cap. 3. tr. 112. ſeqq.*

Num. 104.

(22) *Henricus Junior &c.*] Hunc paragraphum optimè elucidant ea, quæ Springsfeld *de Apanagio cap. 3. n. 63. ſeqq.* (ubi tenorem pactorum refert,) & *cap. 5. n. 42.* (extractum, ut vocant, Teſtamenti Ducis Julii exhibet,) docet. Adde Nicol. Betſium *de pact. famil. illuſtr.* & Knipſchildium *cum citatis ab ipſo.*

(23) *Per exſtinctionem Lineæ Wulfferbytanæ &c.*] Mortuo videlicet Anno MDCXXXIV. Illuſtriſſimo Duce Friderico Ulrico. Ut præter alios indicat citatus modò Springsfeld *d. cap. 3. n. 70. ſeqq.* quæ verò controverſiæ improle exſtincto An MDCLXV. Principe Chriſtiano Ludovico in Zell inter ſuperſtites fratres ſecundo & tertio genitum Principes Brunſvico-Luneburgenſes ob ſucceſſionem in Ducatu Zellenſi & Grubenhagenſi, cui hic per Optionem à patre in teſtamento poſitam competeret, agitatæ, & quomodo ſopitæ hæ fuerint, ſcripta publica teſtantur, & adhuc ipſorum memoria loquitur. Confer Dn. Burgoldenſem *in Notitia Rer. Illuſtr. Imp. parte 3. diſc. 16. pag. 128. ſeq. & Colleg. in eundem pag. 213. ſeqq.*

Num. 105.

(24) *Wilhelmus Landgravius Haſſiæ &c.*] Refert Wilhelmus Dilich in Heſſiſchen Chronicis *parte 2. pag. m. 262. ſeqq.* regnaſſe uno tempore Wilhelmum Seniorem, Wilhelmum medium, & Wilhelmum Juniorem omnes Haſſiæ Landgravios, Comites Cattimeliboci, &c. atque Wilhelmum Seniorem Anno MCCCCXCIII. ceſſiſſe certis ex cauſis terras & Provincias cum hominibus ſuis, ſub pacto, ne diviſionibus impoſterum diminuerentur Wilhelmo Medio; Anno autem MD. Wilhelmo Juniore caſu equi ſine probe emortuo, totum Landgraviatum Wilhelmum Juniorem excluſis ob inita pacta cæteris cognatis adeptum fuiſſe. Huic verò filium unicum tunc quatrimulum ſucceſſiſſe Anno MDIV. De factis denique ab ipſo Philippo patratis, & hîc in textu enumeratis, conſuli poterit Dilich *d. loco pag. 303. ſeqq. 306. ſeq. & pag. 312. ſeqq.* Sleidanus *lib. 9. lib. 16.* Dn. Johannes Strauchius *Exercit. Exoter. 10. & 12.* De primogenitura denique hâc recepta in Principatu refert Oldendorp. *Conſil. Marpurg. vol. 2. Conſil. 5. n. 97.* eam jam antè non obtinuiſſe, ſed æqualiter inter omnes Haſſiæ Landgravios adminiſtrationem & emolumenta fuiſſe diviſa, ipſo tamen Dominio ex civili poſſeſſione apud eosdem pro indiviſo remanente. Hodie verò Primogenituræ Jus Haſſiacam Domum, tam Caſſellanæ, quàm Darmſtadianæ lineæ, recepiſſe Reinkingkius *de Reg. ſec. & Eccl. 1. Claſ. 4. c. 17. n. 35.* & poſt illum ex noviſſimis documentis Dn. Mylerus *de Princ. & Stat. Imp. part. 1. cap. 21. n. 6. pag. 227.* & Burgoldenſis *in Notitia Rer. Illuſtr. Imp. part. 3. diſc. 18. teſtantur.*

Num. 106.

(25) *Megapolitani &c.*] Reinkingk *d. loco n. 34.*

(26) *Ut Ordinum dignitas familiarumq́; ſalva ſit &c.*] Vide Knipſchild *de fideicommiſſ. famil. cap. 7. n. 4.* qui axiomati huic firmando plures ibidem adducit, & inter alios Vulteium *Conſil. Marpurg. vol. 4. Conſil. 30. n. 119.* ſcribentem, Reipublicæ intereſſe, ut familiæ nobiles, quibus tanquam columnis Reſpublica magna ex parte nititur, & earum honor, ordo, dignitas & opulentia conſervetur, & ne columnis Reipublicæ ad tenuitatem redactis totum ædificium lædatur aut collabatur.

Num.

Num. 107.

(27) *Pacta familiarum de ſucceſſione &c.*] Ita ſcilicet in Illuſtribus quibusdam Principum Germaniæ familiis conventum, ut alterius ſtirpe extinctâ, ad alterius familiam ditiones & bona omnia pertineant. Anton. Faber. *in Conſult. de Ducatu Montisferrati parte 1. pag. 144.* Andr. Gail. 2. *Obſ.127.* quò nempe de certo Principatuum hærede, mutuâ & ſtabili ſucceſſione, defenſione, fide & concordia fraterna conſtet, ac inde familiarum ſeneſcentium ſplendor & dignitas conſervetur. Andræ. Knichen *de Sax. non prov. Jure, verbo Electorum cap. 2. n 60.* Hoc enim medio & certis in Principatibus conſtitutis ſucceſſoribus improbas aliorum ſpes facilè cohiberi, diſcordiam eliminari, & tam Ordinum quàm ſubditorum ſalutem ſartam tectamque ſervari poſſe, nemo, credo, dubitet. Inde etiam hujusmodi talia pacta notiſſimo vocabulo Confraternitates, Erbverbrüderungen / minùs propriè Erbvereinigungen ab aliis indigitantur. cùm poſterius vocabulum non ſolùm denotet die Vereinigung / ſo wegen deß Erbs geſchiehet / ſed etiam quaslibet pactiones, quæ hæredem ſequuntur, & inter familias perpetuo nexu contractæ ſunt. Unde à priori poſteriorem, quæ quandoque Brüderliche Erbeinigung vocatur, nec tamen Erbverbrüderung eſt, ſeparatum & diſtinctum vult Limnæus *de J. P. lib. 4 cap. 8. n. 126.* qui ipſe pro & contra arguens tandem pacta hujusmodi ſucceſſoria, valida eſſe, cùm vel maximè inter Imperii Principes confirmata conſuetudine ſint, *n. 138 ſeqq, & n. 150.* concludit. Sic Carpzovius *de pacto Confratr. Saxonico-Haſſ. c. 1. θ. 11.* huic ſententiæ Limnæi ſubſcribens docet, utriusque exempla exſtare in Domo Saxonico-Haſſiaca, in teſtes Waremund. ab Ehrenberg *in medit pro fœder. l. 1. cap. 2. n. 38. in fin.* Ritterum, & Güttich *in diſſ. de Confrater.* producens, & *in ſeqq.* affinitatem utriusque declarans, ubi vide. Prout etiam, ſecundùm Speidelium *in ſpeculo voce* Erbverbrüderung / Erbeinigung &c. in eo differentia conſtitui poteſt, quòd illuſtres familiæ, Fürſt / Graff / und Freyherrliche Häuſer pro ſtatûs ſui conſervatione ſtatuta & pacta die Erb-Einigungẽ fœderis rationem habentia, facere, aliaq; diſponere poſſint, quæ perpetuò in iſta familia, tanquam Leges Fundamentales obſervandæ veniunt, nec neceſſariò Imparatoris conſenſum & confirmationem adhibere tenentur; modò Juri publico non derogent, nec in Imperii detrimentum vergant. Quod tamen ſecus eſt in Erbverbrüderungen; in iis namque Imperatoris, tanquam Feudi Domini, conſenſus & confirmatio ut accedat, neceſſe omnino cenſent omnes, hac de materia tractationem qui ſuſcipiunt.

Num. 110.

(28) *A ſuperiori Ordinario ſunt confirmata &c.*] Ad validitatem dictorum pactorum autem Dn. Myler *de Princ. & Stat. Imp. parte 1. cap. 25. n. 15. ſeqq.* cum aliis multis Dd. allegatis, requirit; I. Conſenſum ac Confirmationem Imperatoris, II. Conſenſum ſubditorum, der geſamten Land-Stände; & III. ut ultimò ex familiâ certa portio libera relinquatur; ne libera teſtandi facultas ipſi auferat. Ita Dn. Mylerus, qui *ibidem in dicto capite* totam materiam & quæſtiones ad eam ſpectantes pro more eleganter & enucleatè complexus eſt.

Num. 111.

(29) *Ladislaus Bohemiæ Rex, & Maximilianus I. &c.*] Negandum equidem non eſt, à Maximiliano I. Imperatore & Archi-Duce Auſtriæ talia pacta quoque de mutuâ ſucceſſione inita. Tantùm verò abeſt, ut hic primi fuerint confraternitatis Authores, ut potiùs ex Goldaſto *de Regno Bohem. lib. 6. c. 18. pag. 719. ſeqq.* clarum evadat, pactum illud primùm à Rudolpho Habſpurgenſi Imperatore initum, à multis ex ordine ſuccedentibus Regibus Bohemiæ & Ducibus Auſtriacis, & ſic etiam ab Uladislao Rege, & Maximiliano I. Imp. tanquam Archiduce confirmatum fuiſſe. Ubi vide. Et Carpzovium *de Confrat. Saxon. Haſſ. θ. 38.* adde.

(30) *In Prælio Moſarienſi &c.*] Vult dicere Mohacenſi, de quo vide ſuprà *lib. 1. cap. 4. n. 1. num. 102. (178.)* De hoc Rege Ludovico M. Paulus Stranskius *in deſcript. Reipubl. Bohem. cap. 8. pag. 361.* notat, Ei omnia fuiſſe præmatura. Etenim (dicente ipſo) ante DIeM natVs, ante diem coronabatur, ante diem burbeſcebat caneſcebatque, ante diem regni curam ſuſcipiebat, ante diem uxorem ducebat, ante diem occumbebat.

(31) *Cum Ducibus Pomeraniæ, &c.*] Utut hoc pactum de ſucceſſione fuerat, erat tamen ex uno ſaltem latere, ſcilicet ut Brandeburgenſis ſuccederet familiæ Pomeranæ, non viceverſa, uti Limnæus *de J. P. lib. 4. cap. 8. n. 175.* docet.

Num. 112.

(32) *Anno MCCCLXXIII. &c.*] Waremundus ab Ehrenberg, *in meditam. pro fœd. lib. 1. cap. 2. num 35.* Anno MCCCLXXIII. fœdus hoc ſolùm renovatum, & à Carolo IV. confirmatum aſſerit. Ortum verò & principium *(ait ille)* duxiſſe Anno MCCLXII. vel MCCLXVIII. confirmante id Rudolphò I. Imp. additque anſam ei præbuiſſe bellum novennale, quod Henricus Illuſtris Miſniæ Marchio geſſerit, cum Sophia, Ludovici Landgravii Haſſiæ & S. Elizabethæ filiâ deſponſata Duci Brabantino, ex Davide Chytræo *lib. 8. Saxon.* & Fabricio *lib. 6. Orig. Sax.* cui adſtipulatur Limnæus *ad A. B. diſc. 6. concl. 6.* Reinking *de Regim. Sec. & Eccl. lib. 1. cl. 4. c. 18. n 3.* Proinde Carpzovius *de hac Confraternitate cap. 1. θ. 19.* putat, non eſſe anxiè in natalem hujus pacti inquirendum ſed ſufficere tale pactum inter paciſcentes toties quoties fuiſſe renovatum. Confer Limnæum *de J. P. lib. 4. cap. 8. num. 161.* ubi & tenorem Confraternitatis exhibet in ſequentibus.

Num. 113.

(33) *Anno MCCCCLVII. &c.*] Limnæus concludit pro Anno MDLXXXVII. quem omninò evolvas *d. loc. n, 172. ſeqq.*

CA-

CAPUT XXXVIII.

Bona Feudalia vel Emphyteutica, ad Inſtantiam Principis & Domini non revelata ſive deſignata, vel etiam ob omiſſionem petitionis Inveſtituræ neglecta, Ærario vendicantor.

SUMMARIA.

1. Vaſalli & Emphyteutæ *fines & pertinentias feudi, bonorumq; Emphyteuticorum requiſiti tenentur deſignare.*

2. *Intereſt* Domini, *noſſe bona, in quibus habet directum dominium, ut ſciat, quæ bona ad ſe devolvantur finito feudo, vel privato Vaſallo.*

3. *Obſtringuntur* Vaſalli *in Catalogo feudali ſingillatim bona declarare, etiamſi hoc à prædeceſſoribus non fuerit exactum.*

4. Feloniam *incurrunt, qui in dinumeratione rerum feudalium refractarii ſunt.*

5. *Nec deſtinguendum eſt hoc caſu inter feuda univerſalia & particularia.*

6. Vaſallus *feudum vel partem ejus, præſertim ex juſta cauſa ignorans, jurejurando ſe purgare poteſt.*

7. *Non tamen ob ſolam* antiquitatem *facti ab editione excuſatur; & num. 8. ubi Hartm. Piſtoris declaratur.*

9. Vaſallo *ſcienter tergiverſante, non quidem omnia ejus bona præſumuntur feudalia, ut quidam volunt, ſed aliis mediis ad confitendum adigitur*, n. 10. *vel, ſi in dolo eſt, privari poteſt*, num. 11. & num. 14.

12. Emphyteutæ *ſub pœna expulſionis tenentur oſtendere inſtrumenta emphyteutica, & poſſeſſiones, earumque confines:* & num. 13.

15. Commiſſo *an locus ſit propter aſſertionem Vaſalli dicentis, ſe ignorare, an, quod poſſideret, feudale eſſet nec ne, cùm tamen ſciret eſſe feudale.*

16. Feudi privatio *pœna eſt graviſſima, quæ non infligitur, niſi in caſibus expreſſis.*

17. Feudi aperta denegatio *gravior eſſe videtur, quàm dubitativa reſponſio.*

18. Extenſio *de caſu ad caſum non eſt facienda in odioſis.*

19. Negare feudum, *& dubitanter reſpondere, ſcienter & doloſè, paria ſunt.*

20. Dubitativè *reſpondere in materia feudi, an & quando ſit licitum.*

21. Vaſallus *ob neglectam petitionem renovationis Inveſtituræ feudo cadit: Eam intra annum & diem petere tenetur*, num. 22.

23. *Ob intermiſſam inveſtituræ petitionem*, feudum *non ipſo jure, ſed per ſententiam privantem aufertur.*

24. Feudum *ipſo jure apertum Dominus propriâ authoritate avocare vel occupare nequit;* & num. 25.

26. *Hoc tamen* in crimine notorio actu *permanente non procedit.*

27. Caducitas *feudi ob non petitam inveſtituram eſt iniqua & odioſa, ideoq; reſtringenda.*

28. *A* Dolo *qualibet injuſta, fatua, & beſtialis cauſa excuſat.*

29. Neglectio renovationis inveſtituræ, *ſimilesq; cauſæ pecuniariis mulctis plectendæ, ut Ærarium opuleſcat; & quid in hac re uſu obſervetur.*

30. *Idq; maximè verum eſt, ſi* Vaſalli *impedimenta ſatis probabilia allegent, & ad firmandum illa jurejurando ſe offerant;* & num. 31.

32. Minor *intra annum ab eo tempore, quo pubes factus eſt, inveſtituram petere tenetur.*

33. Minor *eo ipſo læſus eſt, quòd quatuordecim annorum exiſtens, renovationem inveſtituræ non petiit.*

34. Minorennium *petitionem pro reſtitutione in integrum adverſus non petitam inveſtituræ renovationem debito tempore, Dominus feudi cogitur admittere, aliàs ab eo gravamine appellari poteſt;* & num. 35.

36. Cautela *notabilis, quâ minor verè contumax conſtitui poteſt in non petendo inveſtituræ renovationem intra annum*, & num. 37.

38. Compendium fiſcale *ex ſimultanea inveſtitura Saxonica: Ejus origo*, num. 39.

40. Collateralium *in feudo paterno & antiquo nulla ſucceſſio de jure Saxonico.*

41. Simultanea inveſtitura *fons & ſcaturigo eſt collateralis ſucceſſionis;* & num. 42. & 47.

43. Simultanea inveſtitura *non eſt unius generis, & ea, quæ jure communi cognita eſt, à Saxonica longè differt;* & num. 45.

48. Conſuetudine *aliquorum locorum ſpeciali & ex feudis laudemia ſolvi cœperunt.*

49. *Inde conſuetudo hæc rationabilis à Dd. habetur, & potiſſimùm attendenda eſt.*

50. *Ut tamen ſtrictè intelligatur, nec extendatur.*

51. *Unde infertur I. ſi alicujus Curiæ feuda cætera laudemiis obnoxia ſint, non hoc tale eſſe, inde colligi debere.*

52. *Infertur II. ſi ſtatutum ſit, ut pro omni manus mutatione ſolvatur, illud ſaltem intelligendum eſſe de manu ſerviente, non dominante.*

53. Contributio *pecuniaria, quam in Provincialibus Comitiis Nobiles promittunt, (vulgò* das Præſentgeld*) an à feudi ſucceſſoribus, vel hæredibus allodialibus exſolvenda ſit? Hujus quæſtionis rationes dubitandi*, num. 54. 55. 56. *& rationes decidendi expenduntur*, num. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66.

Inveſtituræ feudorum tempore juſto
Neglectæ mulctam ſolvere jure ſolent.

PRincipes Vaſallis & Emphyteutis præcipere poſſunt, ut ſub pœna profeſſiones 1 rerum facere debeant, quibus Edictis & Mandatis Vaſalli & Emphyteutæ, quatenus ſe tales eſſe fatentur, parere, ac fines & pertinentias feudi & *Emphyteuticorum bonorum deſignare tenentur;* (1) Carol. Molinæus *in Conſuetud. Pariſ. tit. 1. §. 8. in princ. & num. 4.*

num. 4. relatus quoque, ſed perperam *in* §. *5.* à Roſenthalio *de feud. cap. 8. concl. 32. in lit. A. & num. 3.* cum infinitis aliis ibidem congeſtis. Quibus ego addo Alvar. Valaſcum *tract. de jure Emphyteut. quæſt. 8. n. 3. & quæſt. 38. n.* 31. Fulv. Pacian. *lib.* 1. *de probat. cap. 61. num.* 27. Johan. Bapt. Coſta. *tract. de fact. ſcient. & ignorant. diſtinct. 26. num.* 1. *& ſeqq.* Anton. Solam *in Conſtitut. Sabaud. tit. de jure Emphyteutico in princ. gl.* 2. *num.* 4. Afflict. *deciſ. 274. num. 96.* Camill. Borell. *de Magiſtrat. Edict. lib. 4. cap. 1.* remiſſivè Gail. *d. obſ. 69. num. 7.* Petr. Anton. de Petra *de Poteſtat. Princip. cap.* 19. *num.* 2. Renat. Choppin. *de Legib. Andium. lib. 2. tit. 5. num. 1. part.* 1. Corbul. *tract. de jure Emphyt. cap. 3.* Fichard. *conſil.* 148 *num.* 1. *lib.* 2. Tiber. Decian. *lib 5. conſil. 87. num. 1. & 7.* qui & *num. 7. verſ. item dico.* ideò Vaſallum ad hoc cogi ſcripſit, quòd Domi-
2 ni interſit, ſcire bona, in quibus habeat directum dominium, ut ſcilicet, ſi privetur Vaſallus, vel finiatur feudum, ſciat, quæ bona ad illum ſpectent. Pariſ. de Puteo *de reintegr. feud. cap. 24. num. 3* Et alias ratio-
3 nes adduxit Anton. Sola *dict. tit in princ. gl. 4. num. 1.* Et in ſpecie Molinæ. *dict. tit.* 1. §. 10. *gl.* 1. *n.* 20. tradit, Vaſallos cuncta ſingillatim teneri declarare in Catalogo feudali, quamvis hoc à prædeceſſoribus non fuerit exactum; cùm per hoc natura feudi
4 non alteretur vel immutetur, ſed Dominus de ſuo dominio directo certior reddatur: adeò, ut ſi Vaſalli in hujuſmodi dinumeratione rerum feudalium facienda ſe moroſos, & refractarios præbeant, Feloniam incurrant, pulchrè Chaſſanæus *in Conſuetudine Burgundienſi rubric. 3.* §. 3. *verſ. denombrement.* Renat. Choppin. *dict. lib. 2. de LL. Andium. part. 3. tit. 2. numero.* 1.

Nec diſtinguendum eſt inter feuda Univerſitatis, Regni, Ducatûs, &c. & particularia, ſive rerum ſingularum.
5 Æquè enim in illis, ac in his, ſingulorum locorum & pertinentiarum demonſtrationem Dominus poteſt exigere; Roſenthal *dict. cap. 8. concl. 32. num. 8.* Verùm ſi Vaſallus ignoret res feudales, vel partem earum,
6 puta in facto antiquo, vel quod in locum alterius ſucceſſit, juramento ſe purgare poteſt, gl. *in l. 2.* §. *in exigendis verb. jurata fide C. quand. quib. quart. pars. deb.* Surd. *conſil. 151. num.* 63. Roſenthal *dict. cap. 32. n. 14.*
7 Non tamen Vaſallus ob ſolam facti antiquitatem excuſatur, modò res feudales ſciat, ſed ſaltem ignorantiæ cauſa illa eſſe poteſt.
8 Atque ita intelligendum, *quod Hartman. Piſtoris* (2) *lib. 2. quæſt. feudal. 46. num.* 20. dicit, ſicut adparet hoc ex iis, quos allegat.
9 Quòd ſi Vaſalli bona ſua feudalia eorumque fines & pertinentias denominare recuſent, plerique juris Interpretes docent, omnia Vaſallorum bona pro feudalibus in pœnam cenſeri, & Fiſco addici poſſe. Quam in rem Feudiſtas, & alios citat Roſenthal *dict. cap. 8. concl. 32. num. 16. lit. M.* Quod & tenuerunt ab eodem Roſenthalio non relati Franciſc. Marcus *deciſ. 393. n. 1. part. 1.* Valaſc. *dict. quæſt. 8. num. 3. in fin. & quæſt. 38. n. 31. & quæſt. 51. n. 5.* Ant. Sola *dict. tit. de jure Emphyt. in princ. gl n. 3* 10
verſ. quintò. Anton Gabriel *lib. 2. commun. opin. concl. num. 9.* Menoch. *lib. 3. præſumpt. 91.* ubi hanc receptam teſtatur ſententiam. Maſcard. *de probat. concl. 73. num. 13* Decian. *conſil. 119. num. 3. lib 3.* M. Anton. Peregrin. *conſ. 14 num. 14. lib. 2.* Molinæ. *in d.* §. *8. gl. 1. num. 4.* qui tamen poſt Baldum putat, Vaſallum hoc caſu captis pignoribus, 11
vel aliis remediis ad confitendum cogi poſſe, arg. *l. certum. 6.* §. 1. *de confeſſ.* Quod & placuit Roſenthalio *dict. cap. 32 num.* 16. Sed ſi in dolo eſt, Vaſallum omninò privandum ſtatuit idem Roſenthal *dicto numero 16.*

Pari ratione in terminis Emphyteuſis bona deſignare detrectantes ſub pœna 12
ejectionis à prædio Emphyteutico, vel amiſſionis ejuſdem cogi poſſe, docet Anton. Sola *dict. loc. num. 3.* Quod & in feudis ſcriptum reliquit Chaſſanæ. *dict. rubr. 3.* §. *4. verb. apres le dict. 3. in fin. & num.* 20. (qui tamen in §. *præced. 2. in verb. denombrement* 13
hanc pœnam ita ex communi opinione reſtringit, ut non totum feudum, ſed res duntaxat celata amittatur; *poſt Boër.*) cogique poſſe Vaſallum ſub pœna amiſſionis feudi profeſſionem rerum facere, non obſcurè innuit Gregor. Tholoſan *in Syntagm. lib. 6. cap. 15. num. 16.* Et in Emphyteutis Valaſc. *dict. quæſt. 8. num.* 2. ubi ait recepti- 14
ùs ſi Vaſalli nolint oſtendere poſſeſſiones & confines rerum Emphyteuticarum, quòd poſſit Judex decernere finitam eſſe emphyteuſin, & conſolidatam cum directo dominio.

At non inconcinnæ hoc loco quæſtio- 15
nis & pulchræ indaginis eſt; Commiſſo, an locus ſit propter aſſertionem Vaſalli dicentis, ſe ignorare, an, quod poſſidet, feudale ſit, nec ne, cùm tamen ſciat eſſe feudale? maximè, ſi patronus rei clientelaris doceat, ſe patronum, & rem eſſe feudalem, proteſteturque de pœnis juris adversùs feudum ſcienter denegantes, petatque ob eam denegationem commiſſum illius feudi declarari & ſibi adjudicari, exhibitis in eam rem probatoriis inſtrumentis, quibus reverà conſtet, & eum eſſe patronum, & Vaſallum illud non ignoraſſe.

Dubitationem facit, quòd privatio 16
feudi pœna eſt graviſſima, & quæ non venit infligenda, niſi in caſibus expreſſis, Burſat. *conſil.*

conſil. ult. lib. 2. & gravior eſſe videtur aper-
17 ta feudi denegatio & inficiatio, quàm dubitativa reſponſio. Unde cum in odioſis & pœnalibus (quale eſt commiſſum) non ſit facienda extenſio de uno caſu ad alium ne quidem ex identitate rationis, *l. ſi cum dotem, cum ibi notat. ff. ſolut. matrimon.* non videtur hîc locum eſſe commiſſo; præſertim cùm ad evitandam pœnam commiſſi, di-
18 cat Molinæ. *in Conſuetud. Pariſ.* §. 30. *num.* 7. licitum eſſe, Vaſallo reſpondere dubitativè, & dicere, neſcio an ſit feudùm, vel an actor ſit patronus.

Sed contrariam ſententiam ſuffulcit &
19 probat text. expr. *in c. 1. §. Vaſallus ſi feudum* & magis apertus text. *in § fin. de leg. Corrad.* His enim locis, & præcipuè poſtremo illo de lege Corradi, manifeſtè probatur, quòd is, qui dubitanter reſpondet (*neſcio*) ſi fraudulenter & ſciens hoc reſpondeat, idem eſt, ac ſi negaverit. Par namque utrobique militat ratio ingratitudinis & non ſervatæ fidei, ex parte Vaſalli fraudulenter mentientis. Sicque caſus iſte commiſſi diſertis verbis expreſſus eſt in *dict. §. fin.*

20 Non officit authoritas Molinæi dicentis, licitum eſſe Vaſallo reſpondere dubitativè ad evitandam pœnam commiſſi, & dicere, *neſcio.* Nam hoc verum eſt in eo, qui revera dubitat, & neſcit, non autem in eo, qui ſciens, ſe Vaſallum eſſe, mentitur & dicit, ſe neſcire. Joan. Grivell. *deciſ. 63. per tot.* ita in ſenatu Dolano 13. Octobr. Anno milleſimo ſexcenteſimo primo, judicatum referens.

21 Porrò ob omiſſam & neglectam inveſtituræ renovationem feudum avocari atque Ærario infarciri poteſt. Vaſallus enim, qui inveſtituram debito tempore, hoc eſt,
22 *intra annum & diem* (3) non petit, in ipſum Dominum delinquit, eumque contemnit, & propter hunc contemptum feudum ad Dominum redit, *c. unic. quæ fuit prima cauſ. benefic. amitt* 2. *F.* 24 *cap. 1. quo temp. mil. inveſt. pet. deb. 1. F. 22. cap. 1. in princ. de Capitul. Corrad. 2. F. 40. cap. 1. §. ult. de prohib. alienat. per Lothar. 2. F. 52. c. 1. in fine princ. de prohib. alienat. per Frideric. 2. F. 55.* latè Weſembec. *conſil.* 148. *n* 57. *& ſeqq. l.* 3. Roſenthal *de feud. cap* 6. *concl* 30. *n.* 1. *in fine cum ibi allegatis ſub. lit. A.* Schrader. *part. 6. c. 2. n 76. & ſeq.* Vultei *de feud. cap. 7. n. 61. lib.* 1. Hinc Guntherus *in Ligurino lib. 8.*

Succeſſor feudi totum ſi fortè per annum
Atque diem tacto prima jam tempore pubis,
Sive dolo, ſeu deſidiâ, ſeu mente ſuperbâ
Spreverit à Domino feudalia poſcere jura,
Perdat, & hæc Dominus proprios aſſumat in uſus.

23 Non tamen ob intermiſſam Inveſtituræ petitionem feudum ipſo jure amittitur, *ſed opus eſt ſententiâ privante,* (4) per quam Vaſallus à Judice jure ſuo judicaliter privetur & exuatur; etiamſi Dominus Voluntatem ſuam declaraverit, quòd Vaſalliū propterea privatum eſſe velit. Extende Roſenthal. *dict. tract. cap.* 10. *concl.* 41. *n. 5. & ſeqq. remotis contrariis num. 16. & ſeqq.* 24
Sed & cùm ipſo jure feudum, ejúſve utile dominium amittitur, ad avocandam poſſeſſionem ſententia judicis neceſſaria eſt, non quidem privativa, ſed declaratoria; & illa cum cauſæ cognitione (an ſcilicet actio ſuper commiſſo intentata, & ſic felonia ipſa ſufficienter ſit probata, an Exceptionibus & Excuſationibus eliſa, &c.) ferenda eſt: aliàs pœna non ſortitur Executionem ſive effectum, Roſenthal *dict. concl. 41. n. 39. & num. 16. cum ſeq. 73. & ſeqq. 144. 151. & paſſim.* Weſembec. *dict. conſil.* 147. 25
num 267. *& conſil.* 186. *num.* 37 *in fin. lib.* 3. Borcholt. *de feud. cap. 8 num.* 157. Schrader *de feud. part. 2. nonæ partis principalis ſect. 6. num. 1. & ſeqq.* Peregrin. *conſ.* 14. *n.* 24. *lib. 1.* maximè ad hunc effectum, ut poſſit Dominus propriâ authoritate Vaſallo feudum auferre. Schrader *dict. ſect. 9. num.* 16.
Quæ tamen ſententiæ in delicto notorio, 26
actu permanente, locum non habent, ut ſi Vaſallus commiſit notoriam rebellionem, & in illa actualiter perſiſtat: hoc caſu Dominus de facto, nullâ præcedente ſententiâ declaratoria, poſſeſſionem feudi occupare poteſt; Gail. *lib. 2. obſ. 51. num. 8. & ſeqq.* Borcholt. *dict. cap. 8. in fin.*

Sed cùm caducitas ex lapſu anni & diei 27
cauſata ſit iniqua & odioſa, &, quantum fieri poteſt, reſtringi debeat, Socin. Junior *conſil.* 115. *num.* 16 & in dubio contra caducitatem & feudum Domino non eſſe apertum, pronunciandum ſit, Bertazzol. *conſil. criminal.* 435. *num.* 12. Burſat. *conſil.* 143. *n.* 53. Caſp. Anton. Teſſaur. *quæſt. forens. 61. n. 8. in fin.* nec Principes & Domini debeant niti ex circumventione temporis, & ex ea feudum auferre, eo præſertim caſu, quando non probatur, quòd per contemptum Domini Vaſallus inveſtituram petere neglexerit; Schrader *dict. tract. de feud. part. 6. c. 2. num 56.* Menoch. *conſil.* 467. *num.* 12. *& conſil.* 1132. *num.* 16. Nicol. Everhard. Junior. *conſil.* 69. *num.* 13. *lib.* 1. Peregrin. *conſil.* 94. *num* 3. *vol.* 2. Hotoman 2. *conſ.* 32. *n.* 23. Quod maximè verum in feudo ab Eccleſia dependente obtinere videtur; ex quo Eccleſia in pœnis ſe mitiùs habere debet, (ut notat Dec *in C. ſum de pœn & conſil.* 167 *num.* 1) nec ad eas conſequendas prona eſſe debeat; Hyppolit. Riminald. *conſil.* 124. *num.* 64. ut interim ſilentio involvamus, Exceptionem feloniæ eſſe petitorii judicii; Zaſ *conſil.* 107. *in princ. lib.* 2. Weſembec. *conſil.* 6. *num.* 76. *in fin.* Cæſ. Contard. *in l. unic. C. ſi à moment. poſſ. appellat. quæſt.* 15. *n.* 1. Pacian. *lib.* 1. *de probat. cap.* 26. *n.* 98. *in fine*, & altioris indaginis, quæ non poteſt impedire

dire Inveſtituræ conceſſionem ; Menoch. *conſil. 534. num. 4. & 5.* Molinæ. *in Conſuetud. Pariſ. §. 43. gl. 1. verb. qui dimie. num. 148.* Joan. Papon. *in Conſuet. Burbon. de feud. §. 375. in fin.* Roſenthal *de feud. cap. 6. concl. 8. num. 5. in lit. F.* qui in tali caſu aliquando in Camera Imperiali contra Dominum judicatum meminit.

29 Inſuperque quælibet injuſta, fatua, & beſtialis cauſa à Dolo excuſet, text. *in l. igitur §. 1. ff. de liber. cauſ.* Tiraquell. *de pœn. cauſ. 24. num. 1. & ſeq.* Cravett. *conſil. 46. num. 41.* Franciſc. Herculan. *de probanda Negativa num. 2. & 3.* Guid Panciroll. *conſil. 5. num. 8.* Cacheran. *conſil. 64. n. 17.* Schrader. *part. 2. nonæ. p. p. ſect. 7. num. 33.*

30 Ideò videmus paſſim Principes ex hac cauſa non petitæ renovationis Inveſtituræ intra annum & diem, nunquam pertinaciter urgere feudi aperturam, ſed plerumque etiam veris Vaſallis iſtam negligentiam remittere, *aut pro modica mulcta* (5) feudum relinquere, niſi ubi verus contemptus, veraque contumacia concurrit, quemadmodum colligitur ex traditis per Matth. de Afflict. *in cap. imperialem §. præterea. de prohib. feud. alienat. per Frideric.* quem rectè refert Nicol. Everhardi Junior. *dict. conſil. 69. num. 13. lib. 1.* Idem Afflict. *deciſ. 385. num. 4.* dicit, de conſuetudine non committi feudum, niſi ex crimine Læſæ Majeſtatis. Et in terminis, ob non petitam inveſtituram non committi feuda, nec hoc jus ſervari in Ducatu Mediolanenſi, teſtatur Clar. *de feud. quæſt. 49. in princ.* Weſembec. *conſil. 186. num. 42. vol. 3. ubi ait*, ſe nunquam vidiſſe ex hoc capite legem commiſſionis exerceri.

31 Quod maximè verum eſt, ſi Vaſalli impedimenta ſatis probabilia allegent, & ad firmandum illa jurejurando ſe offerant, per ea, quæ ſcribit Jacob. de Artiz. *in ſua ſumma feud. part. 2. 1. part. princip. tit. quib. mod. feud. amittt. ſub Rubricella, Utrum Vaſallus feudum amittat, ſi ab hærede Domini, vel hæres Vaſalli non petierit inveſtituram intra annum & diem. Col. 1. ubi ait*, quòd quando *Vaſallus non doloſè ſtetit* (6) per annum & diem, nec culpâ vel negligentiâ ejus factum ſit, ut Inveſtituram non peteret, tunc ipſum Vaſallum non amittere feudum: Et ſubjicit *dict. loc. col. 2.* quòd juſtæ cauſæ putabuntur, ſi Vaſallus ſub fide ſua affirmaverit, rem ſic ſe habere, ſi modò ſit vir honeſtus & bonæ famæ.

Licet quoque puberi, à tempore com-
32 pleti quarti decimi anni, ipſo jure currat tempus anni & diei, intra quod ſi renovationem inveſtituræ non petat, à feudo cadat, juxta text. *in dict. cap. imperialem §. præterea de prohib. alienat. per Frideric.* Schrader. *dict. part. 9. cap. 2. num. 60.* tamen ex quo per hoc læſus eſt, ipſum petentem in inte-
33 grum reſtituendum eſſe, omnes Feudiſtæ aſſerunt, per text. *in l. auxilium ff. de minorib. & in §. pupillis. in Auth. de hæred. & falcid. cum ſimilib.* Et Dominus feudi illam petionem admittere cogitur, quod ni fiat, ipſe minorennis tanquam gravatus, ad Superiorem appellare poterit, qui quidem Superior in tali cauſa, tanquam liquida, & communi Dd. calculo deciſa, ſine mora ipſos in inte- 34
grum reſtituet, per ea, quæ habentur *tot. tit. ff. de minor. 25. ann.* Tuncque Dominus feudi, ſi fortè occuparit jam ipſum feudum, illud reſtituere compelletur cum omnibus fructi- 35
bus, quoniam in integrũ reſtitutio omnia reponit in integrum ſtatum, *l. quòd ſi minor §. reſtitutio autem l. patri §. ſi pecuniam § item ex diverſo. ff. de minorib.* ſicque perinde erit, ac ſi minor iſte tempus anni & diei præterlabi non fuiſſet paſſus.

Aſt inſigni & probè nòtandâ Cautelâ Dominus feudi poterit talem minorem 36
XXV. annis conſtituere verè contumacem, ſcilicet, curando eum per Pares Curiæ moneri ad petendam inveſtituræ renovationem, vel ſi Pares Curiæ non habeat, ipſum aliter admonendo per judiciale decretum, *arg. §. illud quoque proſpeximus, verſic. initium autem in Auth. de hæred. & Falcid.* tum enim ſi intra annum & diem renovationem inveſtituræ non petierit, non ſolùm præ- 37
ſumptivè, ſed etiam verè contumax erit, ideoque ipſi tanquam doloſo contemptori, & ex propoſito delinquenti & contumaci reſtitutio jure denegari poterit, & feudum ejus, tanquam apertum, ad feudi dominum revertetur, per text. *in l. ſi ex cauſa §. nunc videndum. & §. ſi in commiſſum ff. de minorib.* Et ita in terminis voluerunt Bald. Alvarot & Præpoſit. *in dict. cap. imperialem §. Præterea de prohibit. alienat. per Frideric.*

Hoc ſcopo non pauci Domini, etiam 38
extra Saxoniam in Curiis ſuis *ſimultaneam inveſtituram* (7) hodiè introducere adlaborant, quæ ad incautos Vaſallos, eorumque hæredes feudis emungendos comparata eſt, in eo ſcilicet, ut non tantùm re, ſed & ſpe ſucceſſuri ſingulis caſibus, quibus vel Domini, vel Vaſalli perſona mutatur, Inveſtituram repetant, &, niſi id faciant, ſtatim feudum, id eſt, vel rem vel ſpem feudi amittant.

Quam ſimultaneam Inveſtituram Sa- 39
xonicam, ut rigidam & duram, taxat Erneſt. Cothman. *conſ. 26. num. 226. vol. 1.* eamque rigoris inſimulat Rauchbar. *part. 2. quæſt. 21. num. 23.* atque inde originem traxiſſe autumat. Nicol. Everhardi Junior *conſil. 44. num. 12. lib. 1.* quòd olim tempore Caroli IV. Imp. qui regnavit circa annum Domini *MCCCLXVI.* (8) conſuetudo fuit in Germa- 40
nia, quòd in feudis non ſuccederent collaterales, ſed filio non extante feuda Imperii revertebantur ad Imperatorem, juxta Hoſtienſe *in ſumm. t. de feud. §. qual. feud. conſti-*

tuat poſt medium in fin. ubi dicit, quòd de conſuetudine Imperii in feudo non ſuccedit, niſi filius deſcendens, quo non extante feudum revertitur ad Imperatorem, qui illud confert, cui vult; Additque Hoſtienſ.
41 ulteriùs, quòd ita vidit inter Proceres judicari, quando fuit in Alemania. Hoſtienſem refert & ſequitur Joan. Calderin. conſil. 9. de feud. Alberic. de Roſate in ſuo dictionario verb. feud. Mynſing. decad. 12. reſponſ. 6. num. 9. & 10. quem & refert Hartman. Piſtor. lib. 3. quæſt. 19. num. 85. Itaque ut fratres vel collaterales, quandoque ſine filio decedente poſſeſſore feudi, non privarentur feudi ſucceſſione, illud agere & impetrare cœperunt, ut aliqui eorum ſimul cum Vaſallo poſſeſſore inveſtirentur. Eoque res frequentiſſima fuit antedictis temporibus Caroli IV. Licet Nicolaus Everhardi dict. loc. innuat, Conſuetudinem
42 hanc hodiè in certis ſaltem Provinciis, & non in univerſa Germania, vigere; præſertim in Saxonia, ubi non ſolùm de conſuetudine, ſed etiam de jure Saxonico collaterales in feudis paternis & antiquis non ſuccedunt, ſed ſoli admittuntur deſcendentes; Göden conſil. 22. num. 3 part. 1. Ni-
43 col. Everhard. dict. conſil. 44. num. 11. & 13. Renat. Choppin. de Legib. Andium lib. 2. tit. 4. num. 17. ubi ait, hoc Saxonico jure agnati collaterales, etſi ab eadem cum defuncto ſtirpe proceſſerint, non admittuntur ad paterni feudi ſucceſſionem, niſi cùm illo veſtiti ſint feudo, ac ſimultaneæ Inveſtituræ ſubſidio juventur.

Imò nec avitum feudum ſibi ſumunt nepotes Saxonici jure parentum repræſentandorum, ſed feudum non extante filio revertitur ad Dominum. Hæc Choppin dict. loc.

Simultanea autem inveſtitura, quam
44 Dd. vulgò conjunctam manum nominant, à ſimultanea inveſtitura Saxonica longè differt, quemadmodum reſpondit Cothman. dict. conſ. 26. num. 16. & 17. vol. 1. Illa enim, quæ feudali jure non adeò inco-
45 gnita eſt juxta Cothman d loc. ſecundùm juris feudalis regulas definitur; hæc ex conſuetudine interpretationem accipit: illam non antè peti neceſſe eſt, quàm ſi ſuc-
46 ceſſio re deferatur. Elbert. Leonin. conſ. 99. num 18. hanc verò ab agnatis collateralibus etiam non poſſidentibus ſub pœna commiſſi peti, vel potiùs repeti oportet, quotieſcunque vel Vaſallus feudi poſſeſſor diem obit, vel feudi Dominus aliquis moritur, aut alioqui feudi Domini vel Vaſalli perſona mutatur, Schurff. conſ 16. circa med. cent 1. Nicol. Everhardi. dict. conſil. 44. num 16 lib. 1. Hartman Piſtor. quæſt feud. 20 num 32. & 33. Et Lipſienſis Facultas in conſ poſt dict qu. 20. n 20. & 32. Cothm. dict. conſ num. 20. & ſeqq. vol. 1.

Atque hæc ſimultanea Inveſtitura, jure 47
Saxonico introducta, ſola fons, cauſa & ſcaturigo collateralis ſucceſſionis eſſe putatur, Modeſtin. Piſtor. conſ. 8. num. 4. & 5. vol 1. & conſil. 11. num. 33. & 34. vol. 2. Gail. 2. obſ. 151. num. 5. Nicol. Everhardi d. conſ. 44 num. 11. & 13. lib. 1. Thoming. deciſ. 57. num. 10. Schrader. d. p. 6. cap. 1. num 7. Nicol Reuſner conſ. 11. num. 205. lib. 3. Mynſing. decad. 12. reſp. 6. num. 31. & ſeqq. Et de conſuetudinibus feudalibus incognita dicitur, Vultei. de feud. cap. 7. num. 47. in fin. Hartm. Piſtor. d. quæſt. 24. in princip. cum. n. ſeqq. Schöner. diſputat. feudal. 5. theſ. 60 lit. A. lib. 1.

Plurimorum quoque locorum conſue- 48
tudine invaluit, ut & in feudis Domino pro facienda Inveſtitura, ſeu quotieſcunque feudum mutat manum, hoc eſt, mutatio contingit Vaſalli, laudemium debeatur; Molinæ. ad conſuetud. Pariſ. tit. 1. §. 33. aliàs 22 num. 2. Guid. Pap deciſ. 413. num. 3. Maynard. deciſ. 33. Renat. Choppin. lib. 1. de LL. Andium cap. 4. num. 2. Schneidevvin. de feud. part. 5. num. 61. ubi diſertè ſcribit: **Daß man auch von Ritter-Lehengütern Lehenwahre gibt zur Wiedergabe/und Wiedererkenntniß der Gaben und Wolthaten/ ſo der Herr dem Lehenman mit der Belehnung beweiſet.** Adde Knichen. de pact. veſtit. lib. 2. cap. 4. num. 12. Zigler. ad aur. prax. Calvol. 49
§. nobiles. concl. 1. ſub verb. de laudem. nu. 207. Et confer ea, quæ cap. 42. (9) num. 11. & ſeqq. dicturus ſum. Hinc conſuetudinem talem valere, & generaliter in laudemiis perſolvendis potiſſimùm attendendam eſſe, Feu- 50
diſtarum unanimis eſt ſententia, Roſenthal. de feud. cap. 6. concl. 66. Modeſtin. Piſtor. quæſt. 36 num. 10. & ſeqq. Stephan. Gratian. diſceptat. forenſ. lib. 1. cap. 377. num. 18. modò ſub moderata quantitate inducta ſit. Surd. decis. 305 num 4.

Et extant hac de re aliquot ſententiæ Li- 51
pſienſium apud Georg. Beatum de contract. part. 1. cap. 1. & ſeqq. ut tamen tanquam à nomothesia feudali exorbitans ſtrictè obſervetur, nec ad caſus in eadem non expreſſos extendatur, ſed in dubio ſecundùm juris communis diſpoſitionem interpretatio fiat; Schrader. de feud. part. 6. cap. 3 n. 24. Cravett. reſponſ. pro Genero I. num. 69. & ſeq. Roland. à Valle conſ. 53. num. 39. Menoch. conſ. 1 num. 133. Unde infertur I. Si reliqua feuda alicujus Domini, aut Curiæ talia ſint, ut ex iis hujuſmodi laudemium præſtandum ſit, quòd non rectè inferatur, quòd & ex hoc fundo, qui ejuſdem Curiæ feudum eſt, idem protinus debeatur. Graviter & pulchrè Molinæ. in Conſuet. Pa- 52
riſ. tit. 1. §. 3. gl 6. num. 6. & §. 76 gl. 1. num. 13. & ſeqq. Roſenthal dict. concl. 66. num. 6. Infertur II. Quòd ſi ſtatuto vel conſuetudine hujuſmodi cautum ſit, ut, quotieſcunque manus feudi mutata ſit, pro renovati-

one

one inveſtituræ, laudemium ſolvatur, hoc ſaltem intelligendum ſit, de mutatâ manu ſerviente, non dominante; Roſenthal *dict. concl. 66. n 77.* ubi ſic conſuetudine obſervari paſſim teſtatur.

53 Inſuper uſus Electoralium & Saxonicarum Provinciarum hactenus docuit, ut in Conventibus Provincialibus Nobiles ac Vaſalli Electori certam pecuniæ ſummam offerant ac promittant, (vulgò das Præſentgeld;) de quo dubitatum fuit, *an inter onera feudi referri, & defuncto Vaſallo à feudi ſucceſſoribus exſolvi debeat?* Quod vel exinde
54 dicendum videbatur, quia occaſione feudi hoc debitum contrahitur, ejusdemq; contributio pro ratione emolumenti, quod quisq; ex feudo percipere poteſt, Vaſallis imponitur. Quin & dum Nobiles ac Vaſalli ad ex-
55 ſolutionem hujus pecuniæ ex feudis ſuis ſeſe obſtringunt, ſubſecutâ Sereniſſimi Electoris acceptatione & confirmatione, debitum hoc tanquam onus feudi agnoviſſe cenſentur,
56 quod absque dubio ſucceſſores feudi gravat, *part. 2. Conſtitut. 46.*

Sed fallacem eſſe hanc rationem, aſſerit Benedict. Carpzov. *Jurisprud. Romano-Saxon. part. 2. Conſtitut. 46. definit. 35. num. 9. 10. & ſeqq.* poſtquam jure feudali ſancitum, ut, licèt Domini voluntate ac con-
57 ſenſu æs alienum à Vaſallo contractum, onusque feudo injunctum fuerit, ad ejus tamen ſolutionem ſingulares feudi ſucceſſores, qui non expreſsè conſenſerunt, haud cōveniri, nec onere prægravari queant, *cap. 1. de alienat. feud. patern. cap. 1. §. hoc quoque, de ſucceſſ. feud.* Hartman. Piſtor. *part. 1. qu.*
58 *15. n. 21.* Annullato igitur hoc fundamento, placuit Conſultoribus Lipſienſib. exſolutione hujus debiti ſucceſſores feudi haudqua-
59 quam gravari, eò, quòd magis Vaſalli, quàm feudi onus habeatur, ex liberalitate nempe & promiſſione feudatarii profectum, ut ipſum
60 vocabulum (Præſentgeld) indigitat; idque vel exinde manifeſtum eſt, quòd jure feudorum Communi & Saxonico, de ejusmodi feudi onere nil diſpoſitum reperiatur: Ergo nec inter feudi vera onera idipſum referri poterit, argumento à lege ceſſante ducto; Thoming. *deciſ. 27. numer. 15.* Quin neque 61
ex hoc debito ullum feudo commodum accedit: at juris expediti eſt, ea ſolummodò onera dici feudalia, quæ vel juris authoritate feudo imponuntur, vel commodum ac utilitatem ei afferunt; Thoming. *d. deciſ. 27. num. 14.*

Illud ſanè negotium non facit, quòd 62
occaſione feudi hoc debitum fuerit contractum; Quis enim inficias ibit, æs alienum, pro præſtando ſervitio feudali, feudi occaſione contrahi, quod tamen feudale onus non eſt, nec feudi ſucceſſores obligat. Nimirum 63
onera feudatarii, quæ ſucceſſores feudi neutiquam gravant; Erneſt. Cothman. *conſ. 92. num. 3. vol. 2.* Heig. *p. 1. quæſt. 20. num. 30.* Jacob. Schultes *in Addit. ad Mod. Piſtor. part. 3. quæſt. 122. num. 31.* occaſione feudi contrahuntur; Ex quo ſolo tamen onera feudalia 64
non ſunt judicanda, niſi acceſſerit legis authoritas, vel inſignis feudi utilitas; Thoming. *d. deciſ. 27. n 10.* Carpzov. *d. Conſtit. 46. definit. 34. in fin.*

Nec impedimentum præſtat, quòd 65
hac ratione hæredes ad præſtationem quoque Collectarum de agris allodialibus obſtricti, duplici damno onerarentur contra *l. navis. 4. §. cùm autem. 2. ff. ad L. Rhod. de jact.* Quia hoc damnum ſive præſtatio ex 66
diverſo fundamento profluit: Collecta nimirum de agris allodialibus tanquam præſtatio realis: At Præſentgeld ex conventione & pacto Vaſalli, atque adeò ex obligatione perſonali, quâ hæredes ſoli, non feudi ſucceſſores diſtringuntur, prout in aperto eſt. Ex duplici verò & diverſimoda cauſa quem dupliciter gravari poſſe ecquis dubitaverit?

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT XXXVIII.

(1) E*mphyteuticorum bonorum deſignare tenentur &c.*] Non tantùm verò ad deſignationem bonorum Emphyteuticorum Emphyteutæ obſtricti ſunt, ſed etiam tenentur confitentes ſe Emphyteutas eſſe, Domino directo juranti de calumnia, oſtendere & edere inſtrumentum Emphyteuſis, & poſſeſſionem, pro qua ſolvunt, & ſuos confines: quod ſi non fecerint, poterit Judex poſt indictam comminationem declarare finitam eſſe Emphyteuſin, ut probat Franciſc. Fulgineus *de Jure Emphyteutico in Tit de Contract. Emphyt. quæſt. 27. pag. 68.* ubi etiam *pag 69. n. 14* infert ex Natta *conſil. 3. n. 5* quòd Emphyteuta non poſſit interpellare Dominum directum, ut oſtendat, pro qua re Canonem ſolvat, ſe benè Dominus cogere poſſit Emphyteutam, ſi eſt in quaſi poſſeſſione exigendi Canonem.

Num. 7.

(2) *Quod Hartmannus Piſtoris &c. dicit &c.*] Ibi: Accedit his, quòd, licèt Vaſallus Domino oſtendere debeat res feudales, pro quibus præſtat ſervitia, *Gl. in c. 1. §. illud. de proh. feud. alien. per Frider.* tamen ſi longiſſimo tempore poſſederit, non eſt ad hoc adſtrictus, ut poſt Jacob. de Beloviſo *in c. Vaſallus. ſi de feud. defuncti contr. fuer. inter dom.* tradit de Afflictis *in c. 1. n. 38. de controv. inter maſcul. & fœm.* quia, *inquit*, habet juſtam ignorantiæ cauſam.

Num. 22.

(3) *Intra annum & diem &c.*] Hoc tamen

tempus utile eſſe, proindeque non afficere niſi à die ſcientiæ, docet *Gl. in c. 2. ubi Afflict. quo temp. miles.* Alexander *conſil. 14. n. 5. vol. 2.* aut geſtionis pro Vaſallo. *Præpoſitus cap. 1. in pr. n. 4. quæ ſit prima cauſ. amitt. feud.* Benè igitur Alexander *conſil. 79. n. 11. lib. 1.* cenſet: Vaſallum propter inveſtituram non petitam non aliter feudo privari poſſe, niſi probetur, atque fides fiat à Domino, Vaſallum ſciviſſe caſum petendæ inveſtituræ eveniſſe, & à tempore ſcientiæ annum & diem elapſum. Imò ſecundùm Roſenthal *de Feud. c. 6. concl. 59.* mora hoc caſu purgatur, ſi, antequam Vaſallus in judicium ob neglectam inveſtituram vocetur, veniat & inveſtituram petat, & offerat relevium, ſi quod debetur.

Num. 23.

(4) *Sed opus eſt ſententiâ privante &c.*] Aut potiùs declaratoriâ, (*ut Klockius numero proximè ſequenti rectè docet*) per Pares Curiæ Feudalis latâ. Ne aliàs Dominus, Judex in propria cauſa fiet. Schraderus *de Feud. 2. part. 9. princ. ſect. 8. n. 28. ſeqq.*

Num. 30.

(5) *Aut pro modicâ mulctâ &c.*] Sic in Regno Neapolitano, quamvis ſit elapſum tempus petendæ Inveſtituræ; Vaſallus, teſte Freccia *Comment. in Jus Feud. lib. 2. pag. 237. num. 7.* non amittit feudum: ut dicit Andr. *in c. ſancimus,* cùm non ex contemptu hoc fiat. Rex magnificus non debet anguſtare Vaſallos Juris ignaros, & illos laqueo, ac pœnâ afficere. Fit tamen compoſitio cum Curia, quia ſolvitur duplicatum relevium.

Num. 31.

(6) *Vaſallus non dolosè ſtetit &c.*] Clarus eſt textus ad hanc rem *2. Feud. 52. §. ult.* Si Vaſallus non dolosè per annum & diem ſteterit, quòd à Domino beneficii Inveſtituram non petierit; feudum non ob hoc amittat: Dolus enim abeſſe videtur, ſi juſtâ causâ impediente ſteterit. Quem textum Vivius *deciſion. 28.* pro fundamento ponit & pluribus illuſtrat. Atque hinc Freccia *Comment. Feud. lib. 2. pag. 237. num. 8.* poſt Baldum, Curtium, &c. hanc regulam exſtruit, *Ubi abeſt dolus, non privatur feudo feudatarius.* Confer Joh. Gœddeum *inter Conſil. Marpurg. vol. 4. conſil. 56. n. 13.*

Num. 38.

(7) *Simultaneam Inveſtituram &c.*] Quâ omnes & ſinguli agnati, qui ad aliquod feudum, jus ſuccedendi aliquando habent, in renovatione Inveſtituræ ſpecificè nominari debent, aliàs non nominati ſecundùm quorundam locorum rigorem, pro non capacibus habentur, vel ulteriùs non admittuntur, Speidel. *in Speculo,* Wehner. *in Obſerv.* Rudinger *cent. 2. Obſerv. 71.* Beſoldus *in Theſaur. Practico voce* Geſamte Hand-Mitbelehnung. Confer Jacobi Alemanni diſcurſum *de Jure Simult. Inveſtituræ: ſeu vigore Conjunctæ manus Saxonicæ.* Quomodo verò Simultanea Inveſtitura, quam Dd. vulgò *communem manum* nominant, *à Simultanea Inveſtitura* Saxonica differat, infrà ex Cothmanno, *n. 44.* Klockius noſter docet.

Num. 39.

(8) *A. Domini MCCCLXVI. &c.*] Imperare enim cœpit Carolus IV. circa Annũ MCCCXLVI. & deſiit Anno MCCCLXXVII.

Num. 49.

(9) *Quæ Capite 42. &c.*] Quò & nos annotanda differimus.

CAPUT XXXIX.

Feuda à Vaſallis alienata vel hypothecata repetuntor, & Ærario adjudicantor.

SUMMARIA.

1. *Mandato* Principis Dominique *feudi tenetur* Vaſallus *bona feudalia liberare omni onere nexuq; hypothecæ.*
2. *Intellige hoc, ſi adhuc* ſuperſtites Vaſalli *alienarint: ſin per prædeceſſores factum, non item.*
3. *Diſputatur in utramq; partem; An* Vaſallus *novus, qui non poſſidet, neq; deſiit dolo poſſidere, teneatur ſpecificare, quæ in veteribus catalogis inveſtiturisq; continentur: Et* n. 4.
5. *Deciditur caſus ſic, ut utriq; parti, ſervato medio conſulatur.*

Quando alienatum eſt hypothecæ nomine quidquam
De feudis, Comes eſt mulcta, Vaſalle, tibi.

1 EAdem ratione Princeps & Dominus feudi Edicto mandare poteſt, ut Vaſalli bona *abſq; ſuo ſuorúmve anteceſſorum conſenſu alienata*, (1) diſtracta vel hypothecata recuperent, vel onere nexuque hypothecæ liberent, atque ita totum feudi corpus redintegrent: Quod ni faciat, mulctis pecuniariis inde exactis Ærarium collocupletare poterit. Qua in re tamen diſtinguendum eſt. Nam ſi ſuperſtites & 2 *adhuc viventes Vaſalli feuda alienarint,* (2) ea in commiſſum cadunt, vel pecuniâ redimi debent. At ſi alienatio per Vaſallorum prædeceſſores ante plures annos facta, vel feuda ob æs alienum contractum, aliáve de cauſa, ſine conſenſu Domini directi & ſuperioris temerè diſtracta & profuſa ſint, ad redintegrationem ſive recuperationem horum bonorum vix compelli, nedum pœnis & mulctis fiſcalibus ſubjici poſſunt. In quam rem elegans exſtat deciſio apud Carol. Molinæum *in Conſuetud. Pariſ. tit. 1. §. 10. numer. 21. & ſeq.* ubi in illa quæſtione, an Vaſallus novus, qui 3 non poſſidet, nec poſſidere dolo deſierit, ea, quæ in veteribus catalogis & inveſtituris continentur, ſpecificare & agnoſcere teneatur? pro & contra diſputat, & pro Domino movet, ideò Vaſallum cogi, ex quo conſtat,

ſtat, ejus prædeceſſores ſemel tenuiſſe & recognoviſſe hujusmodi res, ideoque & Vaſallus hodiè præſumatur poſſidere, niſi de contrario probet, & adpareat de juſta dismembratione, maximè cùm recipiens in feudum obligetur ipſe & hæredes ſui ad conſervationem rerum ſibi infeudatarum, ut concedenti de juribus à ſe retentis ſatisfiat; alioquin magnum ſecuturum inconveniens, videlicet, quòd Vaſalli poſſent dismembrare & alienare partes feudi, & in alios transferre, tanquam allodia, & poſt ſucceſſum temporis allegare, ſe non poſſidere, & conſequenter fraudare patronos, quo ipſo & Vaſalli perfidi cum aliena jactura locupletarentur.

4 Porrò in favorem Vaſallorum arguit, iniquum & abſurdum eſſe, ut hi, qui res, quas non habent, nec poſſident, nec dolo fecerunt, quò minùs poſſideant, in catalogum ponant; quia & hoc inde ſequi neceſſe eſſet, Vaſallos nedum ad jura honorifica agnitionis, ſed & jura utilia releviorum, & alia onera realia ſolvere teneri pro rebus, quas non poſſident, quod abſurdum & falſum ſit; Item Dominum debere priùs ex ſua parte implere, ita ut faciat, quò Vaſallus hujusmodi rebus frui poſſit. In effectu tamen eò Molinæus inclinat, quòd ſi inſtrumenta à patrono producta ſint valdè antiqua, & recentius ſit ultra quadraginta vel quinquaginta annos, à quo tempore medio multa jura feudi potuerunt deperire, vel etiam ab extraneis uſurpari & præſcribi contra ipſum patronum, & ita ſi prædeceſſores Vaſalli fuerint negligentes, pariter negligentes fuerint patroni & prædeceſſores ſui, compenſatio fieri partemque illam, quam non poſſidet Vaſallus, quidem catalogo, non tamen ſimpliciter & purè, ſed cum illa additione inſcribere debeat, quòd dictam partem non poſſideat: Cùm hac viâ utrique parti conſulatur: pa- 5 trono ad conſervationem juris ſui, ne alias catalogum, in quo pars poſſeſſa duntaxat deſcripta fuit, approbaſſe videatur; Ex quo & reſultaret contra Dominum præſumptio, partem aliam fuiſſe ejus conſenſu dismembratam, vel alienatam, quòd ei aliqualiter nocere poſſet, ſi poſtea invenirentur poſſeſſores dictæ partis, qui fortè non haberent alias contra Dominum, à quo mediatè moventur, ſufficiens tempus præſcriptionis: Conſulitur & Vaſallo contra Dominum, ne ad onera rerum poſſeſſarum nomine teneatur. Hæc Molinæus *d. loc.* cui laudamentum damus ſecuri in tanta viri fama.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT XXXIX.

(1) A*Bsq; ſuo ſuorumq; conſenſu alienata &c.*] Ex Jure Feudali notum eſt, quòd Vaſallus hodiè feudum absque conſenſu Domini alienare prohibeatur, *c. 1. de prob. feud. alienat. per Loth.* & *c. uni. de prohib. feud. alien. per Frider*, adeò, quòd nec vendere illud, nec ad longum tempus locare; aut in Emphyteuſin vel dotem dare, vel alteri oppignorare, legare, aut donare, nec etiam pro ſalute animæ ſuæ Eccleſiæ, Xenodochio, aliisque piis cauſis concedere poſſit, juxta Feudiſtas communiter *in præd. tit.* Quia in materia feudali Alienationis verbum latiſſimè accipitur, ut prædicta omnia comprehendat, & omnem actum ſignificet, per quem dominium transfertur. Mynſinger. *cent. 6. Obſerv. 30.* Contrà faciens feudum amittit. Confer Andream Reiter *in Tr. de Alienat. part. 2. cap. 2. c. 5. ſect. 10. p. 253. & cap. 7.*

Num. 2.

(2) *Adhuc viventes Vaſalli feuda alienarint &c.*] An verò ipſe alienator facto ſuo contravenire & feudum alienatum vindicare poſſit, adhuc in quæſtione eſt. Et hoc ipſum Johan. à Sande *in Tract. de proh. rer. alien. part. 1. cap. 5. §. 2. num. 6.* negat. Heigius verò *parte 3. poſt. quæſt. 18. cum aliis ibidem allegatis*, rectiùs omninò ſtatuit, alienatorem ipſum ad revocationem admittendum eſſe, antequam Dominus declaret, ſe velle ipſum ob alienationem illicitam privare, vel agnati ſuo Jure utantur. Dummodò alienatio illa ſine contemptu, vel dolo malo, vel de induſtria facta fuerit.

CAPUT XL.

Ærarii Augmentatio ex Feudis Caducis procedit.

SUMMARIA.

1. Expectanz/ Anwartung/ Geding/ *quid?*
2. Feuda *vel ob generationem finitam, vel ob culpam aperta Fiſco applicanda, nec ad quorumvis inverecundam petitionem elargienda.*
3. Dominus *de feudo ad ſe devoluto pro arbitrio liberè diſponere poteſt, nec cogitur illud proximioribus defuncti Vaſalli cognatis reinfeudare.*
4. Feudorum caducorum *in Fiſcum relatio ſalutare remedium ad reſtabiliendas Imperii vires eſſe perhibetur: Idq; experta Gallia*, numer. 5.
6. Rudolphus I. *Imp. Auſtriam legitimo hærede orbatam Imperio vindicans filio ſuo Alberto conceſſit; &* n. 9.
7. Ludovicus Bavarus *Imp. ex interitu familiarum Ditiones aliquot Imperio vindicavit,*

 & Mar-

& Marchiam Brandeb. mortuo Weldemaro filio ſuo Ludovico, n.8. *Carinthiam verò Auſtriacis contulit*, ibid.

10. *Noviſſimis* Impp. Capitulationibus *cautum, ut feuda Imperio aperta incorporentur.*

11. Incorporatio *hæc quidnam ſit?*

12. Capitulationum *formalia.*

13. Regis Galliæ *Legati hac de re ſententia & relatio.*

14. Wenceslaus *Imp. quare imperio privatus?*

15. Epiſtola Stutzelii *Cancellarii Imp. Maximiliani I. non obſcurè innuens, etiam tum temporis Imperatori reinfeudationem feudorum Imperio apertorum abſq; Electorum conſenſu minimè permiſſam fuiſſe.*

16. Electoratus *vacantes Imperator ſolus inconſulto Septemvirorum collegio conferre poteſt.*

17. Exempla Henrici V. & Sigismundi *Imper. qui Electoratum Saxoniæ Imperio apertum, Friderico Marchioni Miſniæ & Electoratum Brandeb. Friderico Norimbergenſi Burggravio in feudum contulit*, n.18. & 19.

20. Electores ſeculares *an Electoratus ſuos ab Imperio vel Epiſcopo Bambergenſi recognoſcant?* & n.21.22.

23. Singulare arcanum, *quo in Regno Neapolitano ex bonis caducis & Ærario & tranquillitati publicæ conſulitur: Aliæ cautela probè notanda*, n.24.

25. *Quot* Comitatus *& Ditiones per Comitum aliarumq; Illuſtrium perſonarum generationem finitam ad Ducatum Brunſvicenſem pervenerint? &* n.26.27.28.29. *Aliæ Illuſtres familiæ emortuæ recenſentur juxta ordinem Alphabeticum*, n.30.

31. *Ob* culpam *feudum amittitur.*

32. *An* Imperator *ob delictum Electorum innocentes filios, fratres, agnatos privare, & Electoralem dignitatem in alium transferre poſſit?*

33. Pro Negativa *inducuntur exempla Ferdinandi Imperatoris; & Caroli V.* n.34.

35. *Pro* Affirmativa *allegatur exemplum Sigismundi Imperatoris Electoratum Saxoniæ præterito Erico Duce Saxon. Lauenburgico, in Fridericum Marchionem Miſniæ transferentis.*

36. *An* Imperator *poſſit privare Ducem vel Comitem abſq; convicta culpa, & non præcedente legitima cauſæ cognitione? remiſſivè.*

37. Culpa, *ob quam feudum amittitur, conſiſtit in committendo vel omittendo.*

38. Culpa Commiſſionis *quæ?* & num. 39. 40. 41. 42.

43. Culpa omiſſionis *quænam?*

44. Caſus *& cauſas, ob quas feuda amittuntur & ad Fiſcum deferuntur, multifarias prolixè recenſent Roſenthal, Schraderus, & alii, quæ tamen certâ regulâ, numeróve comprehendi non poſſunt*, n.45.

46. *Si* Imperator, *vel* Princeps, *qui aliquem de alieno feudo in caſum mortis poſſeſſoris inveſtierat, ante poſſeſſorem mortuus ſit, an ſucceſſor ejus nihilominus hanc inveſtituram ratam habere, & feudum deinde apertum, veluti eveniente conditione, inveſtito conferre teneatur? Affirmatur hoc*, & num. 47. 48. & num. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. *Pro Negativa*, num. 49. 50. 51. 52. *proq; ea ſtabilienda ſubjungitur Conſilium à quodam Conſiliario Guelphico in propria cauſa elaboratum*, à num. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100. 101. 102. 103. 104. 105. 106. 107. 108. 109. 110. 111. 112. 113. 114. 115. 116. 117. 118. 119. 120. 121. 122. 123. 124. 125. 126. 127. 128. 129. 130. 131. 132. 133. 134.

Ex feudis etiam veniunt augmenta caducis
Ærari, quoniam nil manet orbe diu.

IN aulis Principum frequentiſſimum, penè dixerim pernicioſiſſimum, genus Inveſti- 1 turæ eſt, quâ feudum, vivente poſſeſſore, alteri eâ lege & conditione conceditur vel promittitur, ut, ſi poſſeſſor ſine liberis deceſſerit, feudum ad ipſum devolvatur; quæ Inveſtitura de caducitate feudi vocatur, vulgò **Gnaden-Lehen/** Expectanz/ **Anwartung oder Geding/** à conditione illa, ſub qua conceditur.

Et hujusmodi Inveſtituram licitè moribus & conſuetudine eſſe inductam, juribus & authoritatibus *probat Berlich.* (1) *Tomo ſecundo concluſ. 54. numero ſeptimo & ſequent.* Feudum namque, quod Vaſallus poſſidet, nihil aliud eſt, quàm uſusfructus. Extra controverſiam autem poſitum eſt, ſi alicui uſumfructum ad vitam conceſſerim, quòd de eodem uſufructu paciſci & diſponere poſſim, ut poſt mortem ejus perveniat ad alium Hartmann. Piſtor. *quæſt. 25. num. 8. libr. 2.* Gail. 2. *obſerv. 155. num. 5.*

At ſi Princeps ab hujusmodi ambitio- ſis & morti alienæ inſidiantibus Inveſtituris 2 abſtineat, & bona ob generationem finitam ſive extinctionem familiæ alicujus, vel ob culpam Vaſalli jure conſolidationis & caducitatis ad ſe devoluta Fiſco adſignet, & potiùs ſibi retineat, quàm, ad inverecundam petentium inhiationem, eadem elargiatur, atque aulicis miniſtris **auf ausgegebene** Expectanz concedat, certè illum ipſum ad utilitatem publicam, Ærariumque coadjuvandum multum adferet momenti & emolumenti.

Nec enim tenetur Dominus feudum 3 ita propter lineam finitam ad ſe reverſum proximioribus defuncti Vaſalli cognatis, nedum aliis aulicis Hariis concedere, ſed pro arbitrio ſuo liberè de eo diſponere poteſt. Gail. 2. *obſervat. 155. numer. 3. verſic. ſed verior opinio eſt.* Fachinæ. 7. *controverſ. jur. 72.* optimumque hoc remedium eſſe ad 4 labaſcentis Imperii vires non nihil reſtaurandas, vigore cujus etiam *Regnum Galliæ ad præſentem potentiam* (2) evectum profitetur 5 Renatus Choppinus *libr. 1. de Domanio tit. ult. per tot.*

Olim hoc Imperatori licuiſſe, pro- 6 bat exemplum RUDOLPHI Primi Imperatoris, Comitis Habspurgenſis, *qui Auſtriam* (3) ſuo tempore legitimo hærede deſtitu-

deſtitutam , eam Imperio vindicans , filio Alberto , primo Archiducum Auſtriæ plantatori, conceſſit, & deinceps longè majoribus acceſſionibus & ornamentis familiæ decus extulit , in quam primus ſummam Orbis Chriſtiani axioma adduxit, ampliſſimo Imperio Ducatuum, Sueviæ, & Stiriæ, locupletatam , ut ſuſtinere onus,ac
7 molem tantæ dignitatis poſſet. Sic LUDOVICUS Bavarus Imperator auctam acceſſionibus novarum ditionum hæreditatem , ex interitu familiarum aliquot , inter filios ſuos diſtribuit , & Marchiam , Wolde-
8 maro Marchione Brandenburg. *è ſtirpe Alberti Urſi ultimo , defuncto* , (4)Imperio vindicavit, & in filium natu maximum Ludovicum transtulit , eodem tempore, proſapiâ Ducum Carinthiæ extinctâ Carinthiam Auſtriacis adjecit , Peucer. *libro quinto Chronic. fol. 894.* Hocque
9 jus tum temporis competiiſſe, ut ſcilicet absque conſenſu Electorum , feuda Imperio aperta reinfeudare potuerit, vel ex eo manifeſtum eſt, quòd MAXIMILIANUS Primus Imperator in inveſtitura Ducatus Wurtembergici Everhardo Duci facta, juri huic renunciaverit, ſpecialiter cavens, ſi Ducatum illum ad Imperium reverti contingeret , ſe aut ſucceſſores ſuos de eo neminem denuò inveſtituros eſſe, uti probat tenor Conſtitutionis hac de re factæ in §. und als wir / *ibi:* und was wir auch ꝛc. apud Frider. Hortleder. *de cauſis belli germanici tom. 1. libro tertio, capite primo.* Cujus faciunt quoque mentionem Goldaſt. in notis zu dem Cadauiſchen Vertrag in Reichsſatzungen *fol. 319.* Anton. Quetta *conſ. ſexto. numer. 1.* Beſold. *in diſput. Nomicopolit. libro primo, numero primo.* Anton. Coler. *de jure Imper. German. ſect. 61.*

At poſteriorum Imperatorum Ca-
10 pitulationibus cautum , ne Imperator regales dignitates Imperio apertas, Ducatus, Principatus, Comitatus, ſine conſilio & voluntate Septemvirûm Electorum Imperii reinfeudet, ſed feuda Imperio aperta in uſum Imperii vertat , reſervet & incorporet, Sleidan. *libro primo de Statu Religion.* Roſenthal. *de feud. capite decimo concluſ. 11. numero deci-*
11 *mo.* Quæ *incorporatio* (5) nihil aliud eſt, quàm bonorum in Fiſcum relatio, Sixtin. *libro ſecundo de Regalib. capite undecimo numer. 32.*
12 Borchold. *in cap. unic. quæ ſint regalia numer. 68. Formalia Capitulationum* (6) hæc ſunt: Was auch Lehen dem Reich vnd Vns / by Zyten vnſer Regierung eröffnet / und ledigligen heimfallen werden/ſo etwas merckliches ertragen/als Fürſtenthumer/Graffſchafften / Stádt und dergleichen/ die ſollen und wollen wir ferner niemands verlyhen / ſunder zu Vnterhaltung deß Reichs / Vn er und ander Nachkommender König und Kayſer behalten/ einziehen incorporiren/bis ſo lang daſſelb Reich wider zu Weſen vnd Vffnemen kómbt/ Goldaſt. *part. 2.* Reichsſatzung. *fol. 184.* Limnæ. *libro primo de jure public. capite undecimo, numero duodeci-*
mo. Hinc etiam Regis Galliarum Legatus a- 13
pud Imperatorem admonuit Henricum Regem , non eſſe ferendum , quòd Carolus Quintus Imperator Philippum filium extra Conventus, ac ſine conſenſu & authoritate Principum Germanorum Anno MDLI. Bruxellis Mediolani Ducem deſignaſſet Bodin. *libro ſecundo de Republ. capite ſexto. Eamque ob cauſam inter alia , Wenceſlaum regno*
privatum (7) ſcribit Dominic. Arumæus *ad* 14
Auream Bullam diſcurſ. quarto theſ. 16. Quod ſcilicet Dominos Mediolani ac Papiæ ad altiorem dignitatis gradum evexerit, hunc Comitem , illum verò Ducem in feudis Imperii creando, hoc eſt, daß er den Herrn zu Meyland zum Fürſten/ und zu Paphei zum Graffen gemacht auff daß Reichsſtädte / Schlöſer und Güter / uti apparet ex formula privationis.

De quo tamen meritò quis dubitaverit, cùm Imperator Wenceslaus bona Imperi antea infeudari non ſolita in feudum conceſſerat : Feuda verò Imperio aperta ipſum reinfeudare potuiſſe, exinde probabile redditur, quòd jus hoc tempore Maximiliani Primi qui longè poſt Weceslaum vixit Imperator adhuc cempetierit. Tametſi Ubo Em-
mius *libr. 34. rerum Friſicar. hiſtor. fol. 184.* re- 15
ferat Epiſtolam Conradi Stutzelii de Buchē Doctoris & militis, Cancellarii Imperatoris Maximiliani Primi, ex qua colligitur , etiam ante Carolum Quintum Imperatores non potuiſſe de feudis apertis ſine conſenſu Capituli Principum Electorum inveſtire, ſed debere penes ſe & Imperium retinere.

Etſi verò Henricus Bocerus *tractat. de Regalib. capite 2. numer. 6. & capite 4. num 15. & tractat. de pactis inveſtitur. capite 3. numer. 7.* hunc Capitulationis articulum non de feudis Imperio apertis , ſed ſaltem de Bonis vacantibus accipiat ; Attamen explicationem hancce ipſa Capitulationis verba reſpuunt; & fortaſſis Bocerum compendioſa verſio Sleidani *libro primo comment. fol. 29.* fefellit , qui de bonis vacantibus loquitur, interim feuda Imperio aperta (quippe quæ & ipſa haud abſurdè bona vacantia vocari poſſunt) intelligit.

Ex prædictis liquidò adparet , Imperatorem omnia aperta Dignitatum Feuda ad publicum Imperii patrimonium & non aliò teneri referre , Conſobrinus noſter Thom. Michaëlis *de jurisdiction. concluſ. 12. litera b.* Adfinis noſter Gerlach. Buxtorff. *ad Auream Bullam Caroli IV. capite 7. theſ 87.* Tobias Paurmeiſter. *libro ſecundo de jurisdict. capite quarto numer. ſeptimo.* Carpzov. *tract. de Lege Regia German. capite 7. ſect. 3. numer. 23. & ſequent.*

Ac quamvis hoc optimum ut ſuprà delibatum remedium ſit ad refocillandas Imperii vires & poteſtatem labefactatam, erigendam tamen, tantum abeſt, ut vel ſemel uſu receptum, ut etiam ſæpius contrariâ obſervantiâ abolitum videatur. Nam præter exempla in Baronatu de *Mexelrein*, (8) qui Fuggeris in feudum collocatus, & noviſſimè in Ducatibus Mutinæ, Rhegii, & Plombini obvia; Ita Carolus Quintus Ducatum Mediolanenſem Imperio apertum filio ſuo (ut modò attigi) denuò in feudum conceſſit, Horat. Carpan. *ad Statut. Mediolanenſ. in diplom. numero primo & ſecundo*, & extinctâ Comitum Königſteiniorum familiâ Comitatum hunc Ludovico Comiti Stolbergenſi in feudum dedit, *qui, neſcio quo jure, poſtea ad Electorem Moguntinum pervenit.* (9) Alia exempla referre otioſum & odioſum eſt.

16 Diverſa ratio eſt Electoratuum, qui ſi aperiantur, feuda iſta Imperator non ſolùm ad alium transferre poteſt, ſed & hoc facere debet Aurea Bulla *capite ſeptimo* §. *finali.* Quam Conſtitutionem Capitulatio Cæſaria expreſsè non tollit, nec conſenſum Electorum ad hoc requirit, ſed de Ducatibus ſaltem & Principatibus & aliis feudis agit: Et ratio fortaſſis hæc ſpecialis aſſignari poteſt, quòd Electoratus feudum Imperio apertum neceſſariò reinfeudari debeat, ne numerus Electorum ſeptenarius minuatur, cætera verò feuda regalia tum demum, ſi eorundem reinfeudatio commodum afferat Imperio, quod an futurum, penes Electores eſt conſiderare.

17 Sic Elector Saxoniæ creatus eſt Lotharius Comes Supplinburgenſis ab Henrico Quinto Imperatore, Crantz. *libro quinto Saxon. capite 25.* Georg. Spalatin. *in Chronic. Saxon. titulo ſecundo.* Quo rurſus ſine hærede defuncto, ad Henricum Bavarum dignitas illa pervenit, Crantz. *libro 6. Saxon. cap. ſeptimo.* Spalatin. *d. loc.* Hujusq; filio propter inobedientiam proſcripto ANNO MCLXXX. dignitas iſta ablata, Bernhardo Ballenſtadenſi & Aſcanienſi Comiti à Friderico Primo conceſſa fuit, Crantz. *dicto libro ſexto capite 38.* Munſter. *in Coſmograph. lib. tertio cap. 442.* Albin. *in Chronic. Miſnienſi titulo 16.* Apud hujus poſteros permanſit CCXLII. annos, usque ad Albertum Tertium Electorem Saxoniæ. Extinctâ verò in Alberto Urſorum familiâ Sigismundus Imperator Electoratum Saxonicum ad Imperium devolutum Friderico Primo Bellicoſo Marchioni Miſniæ Anno Christi MCCCCXXV. in feudum dedit, ejusque inſignia ſolenniter contulit, Budæ. *in Pannonia Anno 1425.* Chytræ *in Saxon. libro ſecundo*, Georg. Fabric. *libro ſeptimo Orig. Saxon.* Reuſner. *in ſtirp. ſecundo Stemmat. Witekind.* Albin. *d. titulo 16.* Ex quo hodierni Electores Saxoniæ deſcenderunt. Cuſpinian. *in Sigismundo*, Spangenberg. *in Chron. Mansfeld. capite 211.* Dreſſer. *in Chronic. Saxon. Anno 1424.* Reiner. Reineccius *in Origine ſtirpis Brandenburgicæ fol. 31.* Hortleder. *libro quarto* von den Urſachen deß Teutſchen Krieges *capite 23. numer. 38. & ſeq. fol. 614.* Balthaſar Mencius von Stam̃ und Ankunfft der Churfürſten zu Sachſen und Marggraven zu Meiſſen in Alberto III. Anhaltino Electore Saxoniæ.

Sic idem Imperator Sigismundus 18
cùm ad Imperium aſpiraret, Electoratum Brandenburgenſem, per mortem Jodoci Marchionis Brandenburgici apertum Friderico Quinto Norimbergenſi Burggravio ANNO MCCCCXV. in feudum contulit, cujus poſteri hodiè quoque eandem retinent dignitatem. Münſter *in Coſmograph. libro tertio capite 473.* Chytræ. *in Saxon libro primo.* Naucler. *generat. 48. fol. 1064* Peucer. *dicto libro quinto fol. 832.* Anton. Albin. *in Stemmat. Elector. Brandenburg. fol. 32.* ubi ait, Fridericum Burggravium Norimbergicum Marchiam Brandenburgenſem, quam Thuringiæ Landgravio à Jodoco patruele Moraviæ Marchione, oppignoratum Sigismundus Imperator redemerat, unà cum Electoratûs dignitate quadringentis millibus aureorum adeptum fuiſſe, quapropter *arcem Norimbergenſem* (10) ſimul cum Burggraviatu pro centum octoginta millibus aureorum Norimbergenſibus vendidiſſe. Sic & Carolus V. Imperator propriâ authoritate ex poteſtate Cæſarea Electoratum Saxoniæ in caſtris ad Wittebergam, Mauritio 19
Duci Saxoniæ conceſſit Anno MDXLVII. Chytræ. *in Saxon. libr. 19.* Sleidan. *libr. 19. hiſtor.* Ludovic. de Avila *de Bello German.* Reuſner. *in Stirp. 2. Witechnin.* Quamvis inveſtitura dignitatis Electoralis poſteà demum Anno MDXLVIII. Februar. XXIV. Auguſtæ in conſeſſu Electorum & Principum Imperii ſolenniſſimè fuerit facta, Nicolaus Mameran. *in deſcrip. inveſtit. Mauritii Electoris, apud Goldaſtum in Politic. Imper. part. 6. fol. 365.*

Hinc clareſcit, non injuriâ notari illos, 20
qui cenſuerunt, quatuor Electores ſeculares ex Conſtitutione Henrici II. ab Epiſcopo Bambergenſi Electoratus in feudum accipere, ut ſunt Peucer. *libr. 4. Chronic. in Henrico II.* Dreſſer. *millen. 6. part. 2.* Bruſchius *de Epiſcop. German. in Catalogo Epiſcop. Bamberg.* Spangenberg. *in Chronic. Mansfeld. capite 161.*

Qui error inde natus eſt, quòd non diſtinxerint inter ipſum Electoratum (quem Principes Electores immediatè ab 21
Imperatore recognoſcere, & ab Aula Cæſa-

Cæſarea ſolenni ritu accipere, notius eſt,
22 quàm ut verbis egeat) *& officia Archipincernæ, Dapiferi, Mariſcalli*, (11) & Camerarii, quæ cum annexis cōmodis ſuis in feudum ab Epiſcopo Bambergēſi recognoſcunt; Marq. Freher. *de Origin. Palatin. cap. 15. fol. 104. libr. 1.* & apertiùs *in Notis ad Petr. de Andlo libr. 2. cap. 15. fol. 201.* Caſpar Gevvold *in antich. adverſus Freher.*

In Regno Neapolitano (12) immenſus
23 Nobilitatis eſt numerus: Novendecim Principes; Duces viginti quinque; Marchiones triginta ſeptem; Comites quinquaginta quatuor, & ſupra mille Barones: quibus defunctis, niſi conſanguinei ſuperſint, adeò propinqui, ut jure pragmaticæ ſanctionis ſuccedere poſſint, eorum dominia ad Regem revertuntur. Qui illa plerumque locupletibus mercatoribus vendere ſolet, ſingulari Imperii arcano. Nam cùm hoc hominum genus plerumque vilis & abjecti animi ſit, nihil ab ipſis timendum; & cùm antiquæ nobilitati juxtà inviſi ſint, diſcordiæ inter titulatos, ut vocant, nobiles, ſeruntur atque aluntur, ne quid conjuncti audeant. Cætera oppida nullis Baronibus ſubjecta, à Rege, ſi ita neceſſitas poſtulet, divendi poſſunt; Suntque ita obærata, ut vix liberari poſſe credantur.

24 Hoc loco & illud annotatu dignum non eſt omittendum, quòd Principes cautiores ſibi proſpicere ſolent certis & ſpecialibus pactis, ut tantùm feuda ad certum gradum, puta ſeptimum vel inferiorem in eadem familia durent, quo deficiente recurſus feudorum facilior reddatur.

Dixi ſuprà, ex feudis caducis Imperii vires aliorumque Principum Æraria mirum in modum augeri. Perpende jam quæſo, Genealogias & numerum familiarum emortuarum, præſertim Comitum & Dynaſtarum; quorum Dominia & Ditiones vel ob generationem finitam, vel aliis ex cauſis ac titulis illuſtriſſimæ Ducali Domui Brunſvicenſi obvenêre. Harum numerus in tantum excrevit, ut totus fe-
25 rè Ducatus ex occupatis atque incorporatis Comitatibus unitus & colligatus eſſe videatur. Nonne Comitatum Daſſilienſem, Hallermundenſem, Northeimenſem, Ringolheimenſem, Scladeimium, Wintzeburgicum, Woldenbergicum, Wolpenſem, Wunſtorpiam & Dynaſtiam Plenſenſem emortui hiſce illuſtribus familiis, Duces Brunſvicenſes & Lunæburgenſes ſui juris fecerunt? Nonne Hermanno Comite ab Eberſtein Anno MCCCCXLV. defuncto, poſtquam
26 ejus filius Otto Henricum ultimum Dynaſtam Homburgenſem interfeciſſet, & profugus in Ducatûs Pomeraniæ Epiſcopatu Caminenſi Dominium Nevvgarten emiſſet, ibique novam familiam condidiſſet, Comitatus hic ad Ottonem Ducem Brunſvicenſ. & Luneburgenſ. pervenit? 27
Nonne Homburgenſis Dynaſtia venit in poteſtatem Wilhelmi Victorioſi Ducis Brunſvicenſis & Lünæburgenſis? Nonne Otto Comes Hoienſis & Brochuſius ex familia & ſeptem fratribus ultimus Anno MDLXXXII. è vivis ſublatus Comitatum ampliſſimum reliquit Dominis feudi Dnn. Julio, Erico, & Wilhelmo Ducibus Brunſvicenſ. & Lünæburgenſ. qui eum inter ſeſe deviſerunt? Nonne Erneſto Comite ab Honſtein ultimo defuncto Dn. Henricus Julius Poſtulatus Epiſcopus Halberſtad. Dux Brunſvicenſ. & Lunæburgenſ. Dynaſtiam Loranam & Clettenbergenſem propriâ authoritate occupavit, eamque ſuis provinciis adjecit. Nonne idem DUX ſtatim ab obitu Joannis Georgii Martini F. ultimi Comitum Reinſteinenſium & Blanckenburgenſium Anno MDXCIX. Comitatus omniumque eò pertinentium poſſeſſionem apprehendit, inque ſuam poteſtatem redegit, fruſtrà renitentibus Dominis Comitibus Stolbergenſibus, quibus Comitatus Blanckenburgicus ex ſpeciali pacto inveſtituræ toties renovata debetur? Ne dicam de nupero luctuoſo Domini Ottonis Comitis Holſato Schamburgici fato, ob cujus generationem finitam Præfectura Lawenau & alia bona ad Dominos Duces Brunſvicenſes, Præfectura Rodenburgenſis cum Caſtro Arnsburg & Hagenburg ad Landgravios Haſſiæ, uti Dominos feudi directos ipſo jure redeunt, reliquæ verò arces, civitates & præfecturæ Stadthaga, Sachſenhaga, Buckeburga &c. cum aliis acceſſionibus & pertinentiis Epiſcopo Mindenſi cedunt, Dominio utili cum directo conſolidato. Qui plura volet, adeat Hamelmannum *tr. de familiis emortuis.*

Quot præter memoratas in Romano-Germanico Imperio illuſtres Heroum, 30
Principum, Comitum, Baronumque familiæ intra CCC. vel CCCC. annos maſculâ progenie deſtitutæ planè exſtinctæ ſint, ſequens Syllabus ordine Alphabetico collocatus oſtendit.

A. Denen von Alenberg / Item Alensberg / Anechs / und im Niederland die von Artois.
B. Die von Bipurg / Bitſch / und Burckhauſen.
C. Die von Caſſel / Cham, und Cili.
D. Die von Dachau im Land zu Bayern.
E. Die von Eringen / Erckel und Eſchenlor / Item Eſſen.
F. Falckenſtein / Farenbach / Flandern / Frankberg / Frannſtein / Fronsberg.

G. Die

G. Die von Gmünd / Görtz / Graisbach / Groitzſch / Grumbach.
H. Die von Hagen / Hälſt / Helffenſtein / Henneuberg / Hennegau / Hersberg / Hirsberg / Holland / Hoy / Harſtein.
I. Die von Julbach in Bayern.
K. Die von Kirchberg / und Königſtein.
L. Die von Lechsmund / und Leisnick.
M. Die von Meron / und Mosburg.
N. Die von Nellenburg in Elſaß / die von Namur in Niederland.
O. Die von Orlamund in Thüringen.
P. Die von Plauen in Voitland / die von Phaley / und Pogen in Bayern / die von Pirmont / und Pleſſe in Sachſenlande / die Hertzogen in Pommern.
Q. Die von Querfurt im Land zu Sachſen.
R. Zu deroſelben Landesart / die von Rupin / und Rittberg / die von Reineck im Land zu Francken / die von Reinſtein / Blanckenburg am Hartz.
S. Die von Sardins / Scheuern / Schönberg / Seeland / Spiegelberg / Stapheln / Sultzbach / Supplinburg / Schauburg.
T. Die von Teckelnburg und Tyrol.
V. Die von Vohburg im Land zu Bayern.
W. Die von Wartenberg / Werthenfels / Wittelsbach / Wolffrahthauſen.
Y. Yſterrich.
Z. Die von Zaidlorn / und Zutphen.

31 Dixi quoque, non ſolùm ob generationem finitam, ſed etiam ob culpam feuda amitti, ac Ærario applicari poſſe, ubi pri-
32 mo loco ſe offert quæſtio, *An Imperator, ob delictum Electorum*, (13) innocentes filios, fratres, agnatos privare, & Electoratum in alium transferre poſſit? Diſputatum hoc fuit in cauſa Bavarica Ratisbonæ. Pro
33 Negativa FERDINANDUS I. Imperator ANNO MDLVIII. litem inter Alberti Brandeburgici agnatos & Franconiæ Epiſcopos ac Norimbergenſes diremit. Nam cùm ex ſuperiorum bellorum occaſione, quibus Albertus immani licentiâ bacchatus Franconiam & finitimas Provincias magnis cladibus afflixerat, controverſia eſſet inter Alberti jam mortui agnatos, quibus, propter antiquum fœdus, Saxoniæ, & Haſſiæ Principes ſe adjunxerant & Franconiæ Epiſcopos ac Senatum Norimbergenſem, quòd illi occupata agnati bona ſibi reſtitui, deſtructarum arcium damna ſarciri debere contenderent, hi quando nihil à pacis conſtitutionibus & Imperii decretis alienum feciſſent, contrà, ut ſumptus in exequenda Imperii ſententia adverſùs Albertum proſcriptum lata facti refunderentur, petebant: hîc Cæſar, qui controverſiam eam non privati juris eſſe, ſed ad tranquillitatem publicam ſpectare videret, quamvis contra Albertum facta à fœderatis, rectè facta eſſent, tamen cum morte ejus crimen exſtinctum, & odium quadantenus expiatum videret, ut concordiam inter primarios Imperii Proceres & Epiſcopos ac Civitates ſervaret, damnorum à Brandeburgica familia acceptorum rationem haberi voluit; & cùm jam Anno ſuperiore menſe Martio fœderati univerſam à ſe occupatam regionem Georgico Friderico Alberti agnato & hæredi reſtituiſſent, inſuper Cæſar cenſuit, ut pro arcibus deſtructis CXXXV ciↄ aureorum Brandeburgico dependerent, cui ſententiæ poſtremò, ut belli moleſtiam effugerent, privatis rationibus publicæ quieti poſthabitis illi aſſenſêre, ut hæc totidem verbis refert Auguſt. Thuan. *lib. 21. Hiſtor. fol. 405.*

Sic quoque, Joanne Friderico Saxoniæ Electore prope Mulbergam capto, Electoratûs dignitas & ditio publico & ſolenni ritu Mauritio Duci Saxoniæ & agnato, licet remotiori, collata eſt à Cæſare Carolo V. XXIV. Febr An. MDXLVIII. uti dictū ſuprà. 35

In contrarium allegant exemplum Sigiſmundi Imperatoris, qui, defuncto Alberto Electore Saxoniæ, negarit ſucceſſionem Alberti patruelis Erico Duci Saxoniæ in Levvenburg & Wittemberg, eumque ob aliquos exceſſus rebellionis ac inobedientiæ privavit Electoratu. Idque jus Cæſarem eligendi ac Ducatum Saxoniæ tranſtulit in Fridericum, cognomento Strenuum, Marchionem Miſniæ, excellentem inter cæteros prudentiâ, virtute & potentiâ Principem, pro navatâ hactenus ac deinceps etiam præſtandâ operâ, in bellis Bohemicis, proque ſumptibus, quos impenderat, ſed eâ conditione, ut de iis, quæ in occupandam Imperatoris nomine regionem inſumſiſſet, Fridericus Marchio huic ſatisfaceret. Æſtimatum id tradunt viginti octo millibus marcarum argenti, Cuſpin. *in Sigiſmundo fol. 396.* Peucer *libr. 5. Chronic. fol.* 832. Elias Reuſner *Oper.* 36
Genealog. in ſtirpe Aſcania fol. 439. Quicquid in Electoratibus obtineat, ſanè Imperatorem non poſſe privare Ducem vel Comitem, niſi priùs judicati ſint indigni per Pares, nec poſſe eos disveſtiri, niſi convictâ culpâ, formaliter reſpondit Celſus Hugo *conſ. 26. n. 31. poſt Baldum & Gl.*

Cæterùm culpa, ob quam amittitur & 37
redit ad Dominum, conſiſtit in *committendo* vel *omittendo*, quæ Felonia in Nomotheſia feudali appellatur. Culpa commiſſionis perpetratur vel in Dominum, quod fit aut directò, putà ſi ipſe oſtendatur; 38
vel in conſequentiam, veluti ſi perſonæ poteſtati affectuíve ejus ſubjectæ, aut res lædantur; vel in extraneum, *2. F. 24.* §. *denique. & 37.* Vultei. *libr. 1 de feud. cap. 11. n.*
18. Directò offendit Dominum Vaſallus, ſi 39
eum occidat, pulſet, vulneret, verbis injurioſè proſcindat, cum inimicis ejus amicitiam contrahat, delator ejus exiſtat, ſecre-

tò ſibi creditum dolo & propoſito malo effutiat, feudúmve, aut ejus partem, inficietur. Per conſequentiam Dominus læ-
40 ditur, ubi perſonæ poteſtati affectuíve ejus ſubjectis injuria infertur, ut ſi Vaſallus Dominum cucurbitet, id eſt, ſtuprum Domini uxori, filiæ aut nepti ex filio, item nurui, matri, ſorori, pediſſequæ Dominæ, quamvis volentibus & conſentientibus, inferat, & inferre ſe exerceat. In rebus læditur, veluti ſi
41 feudum dolo malo & inconſulto Domino Vaſallus alienat, aut inſigne detrimentum ei inferat, item ſi dolo malo Domino damnum det in aliis ejus rebus, putà munitionibus & poſſeſſionibus. Culpa adverſus extraneum
42 committitur, veluti ſi Vaſallus parricidium fratri ſuo aut filio ejus inferat, Majeſtatis Crimen incurrat: quibus addi poteſt nimia ſævitia & inceſtus, non etiam quodvis aliud ſtuprum.

43 Omittendo in culpa eſt Vaſallus, veluti ſi ſervitia debita nolit præſtare, Dominum in acie deſerat nondum mortuum, neque etiam lethaliter vulneratum, in prælio campeſtri relinquat, grandem illi jacturam imminere ſciens non indicet aut avertat, alióve modo in anguſtiis conſtitutum non juvet, aut intra legitimum tempus inveſtituræ renovationem non petat, de quo dictum eſt ſuprà, *cap.37*.

4 Hoſce & alios caſus, ex quibus feudum legitimo modo acquiſitum amittitur, & ad Dominum revertitur, laxiſſimo ſtylo & filo retexunt Roſenthal *de feud. cap. 10. concl.1.& quamplurimis ſeqq.& cap. 9. concluſ.1.& ſeq.* Schrader. *de feud. part. 9. cap.1. & ſeqq. per tot.* Camill. Borell. *de Magiſtrat. Edict. libr.4. cap.2.*

Et quia ejuſmodi culpæ ſeu delicta fa-
45 cti ſunt, certâ regulâ numeróve comprehendi nequeunt, *2.F.24.§. 2. l. non poſſunt omnes ff. de legib.* Vultej. *d. cap.11. num.14.* Et quàm infeliciter multi Dd. & FF. laboraverint in certa cauſarum determinatione conſtituenda, videre eſt apud Rittershuſ. *tract. de feud. cap.5. num.2. & 4.*

Hæc ſolito forſitan in remiſſionibus conſarcinandis parciùs. Occurrit nunc, ac quaſi in ſinum labitur ad alia divertendi commodior facultas. Nam in principio hujus capitis ſive Canonis & per totum probavimus, Dominum feudi conſultiùs & meliùs agere, ſi bona feudalia caducitati obnoxia Ærario infarciat, quàm ſi ea conditionali gratiâ in caſum mortis ultimi poſſeſſoris Vaſalli aliis promittat. Quid
46 ergò juris, ſi Dominus, qui talem Inveſtituram conceſſerat, & aliquem de alieno feudo in caſum mortis poſſeſſoris inveſtierat, ante poſſeſſorem mortuus ſit, an hæres vel ſucceſſor ejus nihilominus hanc in-
47 veſtituram ratam habere, & feudum dein apertum, veluti eveniente conditione, inveſtito conferre teneatur? Et dicendum eſt, ſicuti ex parte Vaſalli in caſum mortis inveſtiti, inveſtitura hæc morte ejus non expirat, ſed ad hæredes defuncti transmittitur, Hartman. Piſtor. *part. 4. quæſt.25. num.38.* Dan. Moller. *ad Conſtit. Aug. Elect. Saxon. conſtit.45. num. 2.* Vultei. *de feud. libr.1. cap.7. num.51.* Coler. *deciſ. 88. num.1. par.1.* Ita Domini inveſtientis hæ- 48
redes ſive ſucceſſores ad inveſtituram de feudi caducitate factam obligari: De jure enim communi dubitationem nullam recipit, quin Domino, qui feudum alienum in caſum mortis poſſeſſoris alteri conceſſerat, ſucceſſor ejus inveſtituram ratam habere cogatur, & de feudo dein aperto Inveſtito teneatur, *cap.1. qui ſucceſſ. teneant. cap. 1. §. moribus. 2. ſi. de feud. defunct. content.* Benedict. Carpzov. *in Juriſprud. Romano-Saxon. part.2. conſtit.45. definit. 5. num. 1. per tot.* ubi & ita in foro Saxonico reſponſum ac judicatum refert, *n.5.* Hartm. Piſtor. *d. part.2. qu. 26. num.17.* Cui ſententiæ noviſſimè adſtipulantur Berlich. *libr. 2. concluſ. jur.54. num. 10. & ſeqq.* Græv. *libr. 2. concl.155. num.13. & ſeqq.* Borchold. *de feud. cap.7. ſub num.22. & 23.* Sequitur Bocer. *de inveſtit. cap.5. ſub. num.19. verſ. eſt & illud.*

Ac quamvis nonnulli Dd. expreſsè de- 49
cidant, ſi Imperator, qui expectativam certi feudi conceſſit alicui, priùs moriatur, quàm Vaſallus, qui feudum illud tenebat, quòd ſucceſſor in imperio feudum, caſu, quo fuerit ad ſe reverſum, non teneatur illi tradere vi Expectativæ ab anteceſſore conceſſæ; Quod latè reſpondendo ſuſtinet Nicol. Everhardi Junior *conſil. 1. num. 17. & ſeqq. usque ad num.30. libr.1.* (&, niſi fallor, in cauſa Fugger contra Metzelrein reddito) Hieron. Gabriel. *conſil. 83. num.88. lib. 1.* ubi dicit, quòd ſucceſſor Imperatoris non tenetur ratam habere Expectativam anteceſſoris, Herman. Vultei. *de feud. cap.10. num. 16. verſic. ex ead. libr.1.* Borchold. *de feud. cap.7. num. 19. fac. cap. 1. qui ſucc. tenea. cap. 1. §. morib. ſi de feud. defunct. cont.* In quam ſententiam 50
Iſern. Laudens. Alciat. (quem tamen aliquid hac de re in ſpecie decidentem hactenus non potui invenire,) Præpoſ. referuntur ab Henric. Roſenthal *c.6. concl.17. num.7. lit.b.* Idque ſentit Anton. Capic. *deciſ.162. num. 6.* Jacob. Thoming. *deciſ.21. num.11.* Nicol. Intrigliol. *de feud. quæſt.64.* ubi tradit, conceſſionem 51
feudi, ſi, antequam aperiatur, regiæ Curiæ Rex concedens præmoriatur, exſpirare, nec ſucceſſorem teneri conceſſionem illam obſervare, cùm non habeat jus & cauſam à ſuo prædeceſſore, ſed jure proprio in regno ſuccedat, poſt Petr. Gregor. *de feud. conceſſ. part.1. qu.3. v. limitò nunc.* Cujus rei ea præſcribitur ratio, quòd ſi valeret con- 52
ceſſio feudi ſub conditione in præjudicium ſucceſ-

ſucceſſoris, hoc eſſet ſupplantare ſucceſſorem, & ei nocere præveniendo, & de rebus futuris diſponendo, quod permiſſum non eſt Burſat. *conſil. 30. num. 24.* poſt Bald. quod & innuit Anton. Gabr. *lib. 5. concl de jure quæſit non toll. concl. 5. num 4.* Jacob. Thoming. *conſil. 9. num. 46. lib. 1.* Bertazzol. *conſil. civil. 45. num. 1. & ſeqq.* Hartmann. Piſtor. *d. quæſt. feud. 27. numer. 2. & num 44.* Unde & olim Tiberius Auguſti ſucceſſor indulta beneficia à defunctis Principibus non aliter vim habere voluit, quàm ſi ſucceſſores rata habuerint, Bodin. *lib. 1. de Repub. cap. 1. fol 133. & ſeq.* Camill. Borell. *con-*
53 *ſil 1. numer. 31.* Attamen certius eſt, promiſſionem hanc inducere reciprocam obligationem: Quemadmodum & promiſſionem vel conceſſionem feudalem non privilegii, ſed contractûs naturam ſapere, poſt Jacobin. de S. Georg. docet Jacob. Tho-
54 mingius *conſil. 2. num. 264.* quæ etiam omninò gratuita non exiſtimanda, cùm reſpiciat ſervitium domino præſtandum, Nicol. Intrigliol *de feud. qu. 9. num. 156.* Et hujusmodi promiſſionem feudi conditionalem activè & paſſivè in hæredes tranſire, ex aliis
55 demonſtrat Henric. Roſenth. *de feud. cap. 6. concl. 15. num. 5. & 6.* Contractus autem à ſucceſſore maximè in dignitate revocari nequeunt; quâ ratione ſucceſſorem in Dignitate teneri obſervare contractum initum cum prædeceſſore voluerunt Cacheran. *deciſ. 139. num. 11.* Roderic. Suarez. *ad. leg. 8. num. 3. & 8.* Jaſon. *conſil. 10. num. 7. & ſeq vol. 2.* Franc. Viv. *deciſ. 141. num. 8. & ſeq.* Petr. Anton. de Petra *de jure quæſ. per Princ. non toll. d. cap. 32. qu. 2. n. 179. fol. 551. & num. 190. fol. 553.* Hipp. Riminal. *conſil. 715. num. 20. & conſil. 395. num. 15* Menoch. *conſil. 986. num. 25. 26. & conſil. 1103. num. 100 & ſeq. & conſil. 1107. numer. 66.* ubi plures adduxit. Didac. Roder. Alvarot. *de conjectur. men. def. lib. 2. cap. 1. § 1. nu. 7.* Georg. de Cabedo *deciſ. 19. numer. 4. & 5. part. 2.* Cacheran. *deciſ. 130. num. 11.* Surd. *in tr. de aliment. tit. 8. priv. 54. num. 15.* eleganter Tiraquell. *de primog. qu.*
56 *35. numer. 21. & ſeq.* Hinc Bald. *conſil. 326. Rex Roman. numer. 5. lib. 1.* cenſuit, quòd ſi ſucceſſor Principis contravenit facto ſui anteceſſoris, dicitur contravenire ſibi ipſi, cùm ſemper ſit unus Principatus; unum Imperium; Sequitur Menoch. *dict. conſil.*
57 *534. numer. 3.* Et in eum ſenſum ſcripſit Hippolyt. Riminald. quòd obligatio Principis liget etiam ſucceſſorem in dignitate, cùm dignitas ſemper duret & non moriatur, *conſ. 601. num. 30. & ſeqq.* Petr. Anton. de Petra *d. c. 32. num. 22.* Idque non minùs obtinet in ſucceſſore electivæ dignitatis Menoch. *d. conſil. 1. num. 228. & conſil. 264. nu. 24.* Surd. *conſil. 419. num. 27. in fin.* Roland. à Valle *conſil. 100. num. 139. vol. 4.* Franc. Becc. *conſil. 140. num. 18.* vide latè Petr. Gregor. *de Repub. lib. 7. cap. 20. num. 29. & ſeqq.* Johan. Botta *conſil. 87. num. 10.* cujus rei jura eam ſubminiſtrant rationem. Si enim Princeps cupit acta ſua à ſucceſſoribus obſer- 58
vari, æquum eſt, ut ſuorum prædeceſſorum mandatis venerationem præſtet, & cuſtodiam, inquit text. *in c. juſtitiæ 25. q. 1.* Et ſi ſucceſſor non obſervat geſta per præ- 59
deceſſorem, dat materiam ſimiliter ſucceſſoribus ſuis diſſolvendi geſta per ſe, *c. inſtitutiones 25. qu. 2.* Hos & alios textus accommodat Tiber. Decian. *conſil. 35. numer. 16. libr. 2.* Roland. à Valle *dict. conſil. 110. numer. 141. volum. 4.*

Placet hîc Conſilium ſive Reſponſum juris, pro ſtabilienda negativa opinione, à Conſiliario quodam Gvelphico in propria cauſa redditum, ſubnectere. Facti ſpecies conſultò omiſſa eſt.

RATIONES DUBITANDI.

Breviter tangendo ea tantùm, quæ 60
medullam præſentis casûs attingunt, & negotium faciunt, videbatur primâ fronte dicendum, quòd in hac facti ſpecie Princeps ſucceſſor Dux A. Br. eſſet obſtrictus ratam habere Inveſtituram G. in mortem poſſeſſoris H. factam.

Prima dubitandi Ratio.

Succeſſor in Imperio tenetur obſerva- 61
re geſta per anteceſſorem ſuum, in pertinentibus ad dignitatem & officium ſuum, hoc eſt, quæ ſunt de natura & conſuetudine dignitatis in regendo Principatu, ut eſt inveſtire & feuda dare, juxta tradita Socin. Jun. *conſil. 60. num. 29 vol. 3.* Curt. Jun. *tract feud. part. 2. num. 8.* Cuno. *de pactis quæſt 24. num. 48.* Anton. Capyc. *deciſ. 121.* Cravett. *conſil. 241. num. 7* Albert. Brun. *conſil. 1. col. 4. vol. 1.* Roſenthal *Synops. feud. cap. 10. concl. 38. num. 27.* ubi dicit, non eſſe dubium, quin Succeſſor in dignitate regali ſtare teneatur facto Anteceſſoris, ſi id ad naturam & adminiſtrationem Dignitatis pertineat. Cùm enim eadem dignitas in ſucceſſore maneat, nec moriatur, §. *illud in fin. Authent. conſtit. quæ de dignit. c. ſi gratioſè. de reſcript. in. 6.* Ideò & pactum vel contractus ejusmodi in Succeſſore durare debet. Bald. *conſil. 159. n. 4. libr. 3.* Tiraqu. *tract. de jur. primog. quæſt. 35.* 62
num. 20. Natt. *conſil. 122. num. 3.* Et in ſpecie de Imperatore, quòd anteceſſorum conceſſiones ritè factas inviolatas cuſtodire teneatur, teſtantur. Bald. poſt Cyn. *in l. digna vox. num. 3. C. de legib.* Jaſon. latè *conſil. 1. num. 2. vol. 1.* Roland. à Valle *conſil. 13. num. 37. & ſeq. vol. 3.* Ant. Gabr. Rom. *com. opin. tit. de jur. quæſit. non tollend. concluſ. 5. num. 2. & ſeq.* Graſs. *comm. opin. cent. 2. obſerv. 73.* eleganter Decian. *conſil. 25. per tot.*

*tot.vol.1.*Franciſc.Burſat.*conſil. 16. num.55.* Claud. Seyſell. qui hac de re omnium uberrimè ſcribit, *de feud. tit. de his, qui feud. dare poſſ.* Mandell. *conſil. 67. num.1.* Alciat.
63 *lib.2.præſumpt.ult.& conſil.18.vol.6.* Henning. Göden. *conſil.3. de jure civitat.* Ac militat ſententia Gregorii à Montano relata *in cap.juſtitiæ 25.quæſt.1.ubi ait*, juſtitiæ ac rationis ordo ſuadet; ut qui ſua à ſucceſſoribus deſiderat mandata ſervari, deceſſoris ſui mandata & voluntatem cuſtodiat: Quodque ſit unum Imperium prædeceſſorum, & ſucceſſorum, tradidêre Bald. *conſil.226.vol.1.*Alciat *conſil 4.vol.4.*& pluribus noviſſimè Albert.Gentil.*lib.3.de jur.belli cap.22.per tot.*

Secunda dubitandi Ratio.

64 Ex pacto vel contractu Principis cum ſubdito vel aliis inito etiam Principis ſucceſſor obligatur. Anton. de Butr. Imol. Panorm.Felin.& Dec.*in cap.1.per illum text. de probat.*Paul.de Caſtro *in l.fin.C.de transact verſic.& nota* Bart.*l.prohibere §.plane ff.quod vi aut clam.*Bald.*cap.fin.verſ.octava extr. de ſent.& re judic* Ruin. *conſ.17. num.2.lib.5.* Boër.*deciſ.204.num.41.* Pariſ.*conſ.2.num.13. lib.4.* Boſs. *tract.crimin.tit.de Principe num. 29.*Eman.Suarez.*commun.opin.verſ.Princeps num.267.*per text. *C. Abbate ſane verſ.ſed ac hæc. de re jud. in 6.*Schurff. *conſ. 72.numer.8. cent.2* Lofred.*conſil.38. col. 6.& ſeq.* Igneus *in l.donationes,quas Divus col. 2.& 3. C. de donat.*

Tertia dubitandi Ratio.

65 Gratia conceſſa ſub nomine Dignitatis pro ſe & ſucceſſoribus in Ducatu omnino ſervanda eſt,per ea,quæ ſcribunt Socin. Jun. *conſil. 34. num. 4. vol. 3.* & Abbas & Dec. *in c.1.in 1.notab. ext. de probat. & in c.quoniam Abbas ext.de offic. delegat.*

Quarta dubitandi Ratio.

66 Quando quis cum feudi poſſeſſore ſimultaneè inveſtitus eſt, eo modo, ut Vaſallo poſſeſſore ſine hærede feudali defuncto, is alter unà inveſtitus ac ejus liberi in iſto ſuccedere debeant, illa inveſtitura hoc modo facta jure communi ſimultanea nuncupari poteſt, & eſt,ob expreſsè inſertum hoc ſuccedendi pactum,æquè ac inveſtitura Saxonica ſimultanea, in qua non requiritur, ut ei viciſſitudinarium hoc ſuccedendi pactum vel jus inſeratur exequenda, Roſenthal.*de feud.cap.6.concl.49.n.3. & 4.* Non enim jus ſimultaneæ inveſtituræ, ut ait Hartm.Piſtor *lib.2.quæſt. 20.n.5.* quatenus ſuccedendi facultatem ex pacto tribuit, à ſcripto jure feudali omninò alienum eſt; Sed convenit huic illa inveſtitura, quæ de feudo novo duobus fratribus,eo pacto,conceditur, ut alter alteri ſine hæredibus maſculis defuncto ſuccedat, de qua *in cap. 1. ibi: niſi facta fuerit eo pacto, de fratr. de nov. benef. inveſt. cap.1.§.fin. autem ibi: niſi nominatim hoc dictum.de his,qui feud.dar.poſſ.cap. 1.§.fin. in f. de ſucceſſ.feud.cap.1.§.fin.de feud.march.*

Faciunt huc,quæ de filiabus ex pacto ad ſucceſſionem admittendis traduntur in jam *d.§.fin. cap. 1. de ſucceſſ. feud.* At in præſenti caſu fuit G.cum conſenſu poſſeſſoris de bonis illius in caducitatis caſum ſimultaneè inveſtitus.

Quinta dubitandi Ratio.

Per ſimultaneam inveſtituram acquiritur Jus reale, quod per ſucceſſorem ſimultaneè 67
inveſtitum ſine facto ſuo auferri nequit, in tantum,ut poſſeſſore defuncto,feudum non Domino aperiatur,ſed ſtatim ad ſimultaneè inveſtitum, Hartman.Piſtor.*lib.2.quæſt.29. num.36.*absque ulla alia corporali poſſeſſionis apprehenſione devolvatur. Licet enim allodialium rerum poſſeſſio à defuncto in hæredem non continuetur, hoc tamen fallit in ſimultaneâ inveſtitura, quæ eſt inſtar poſſeſſionis, per quam cum defuncto quodammodo bona feudalia poſſidet ſucceſſor, non ſolùm filius,verùm& alius quilibet,poſt Matth. Weſemb. *part.1.conſil.1.numer.49.* Simon Ulric. Piſtor. *in addit.ad quæſtionem* Hartm.Piſtor.*28.lib.2.ſub lit.H.* & propterea poſſeſſio ab eventualiter inveſtito apprehenſa non nocet priùs ſimultaneè inveſtito, eleganter Hartm.Piſtor.*d.quæ.29.num.36.* Siquidem non ſolùm inveſtitura ſimultanea 68
conſentiente poſſeſſore feudi plerumque conceditur, ſed etiam proprium factum inveſtiti recipientis inveſtituram à domino intervenit, quocirca tam naturalis æquitatis quàm juris ratio dictat, Jus hoc proprio facto partum ſibi invito extorqueri minimè poſſe. Tum, quia nihil tam congruit hu- 69
manæ fidei, quàm ea,quæ inter contrahentes placuerunt,ſervare,*l.1.ff.de pactis l. 1. de conſt.pecun.* & ſemel conſtitutæ obligationi altero non conſentiente renunciare nemo poteſt,*l.ſicut initio C. de actio.& obligat. l. de contractu C.de reſc.vend. c. nemo poteſt.de reg. jur.*Tum etiam, quia jus alicui quæſitum ſine 70
proprio ipſius facto,ab altero auferri non debet,neq; poteſt,*l.2.in princ.de his,qui ſunt ſui vel alieni jur. l.fin. de pactis l.cum dos. de pact. dotal l.qui Romæ §.Flav. & ibi Dd. de verb. oblig.& l.id quod noſtrum.de regul.jur.* Acce- 71
dit alia trita juris regula, quæ docet, non debere alteri per alterum iniquam conditionem inferri, neque quem facto alterius prægravari,*l.non debet.de reg. jur. l. de pupillo § ſi plurimum.de oper. novi nunciat. l. quidam §.ſi quis filium, ad SC.Trebell.* & civilis ratio ſuadet, conditionem alterius meliorem qui- 72

dem fieri poſſe per alterum, non autem deteriorem, *l. ſolvendo ff. de negot. geſt. l. fin. §. ſin autem C. de acquir. poſſ. l. ſervus & l. filius de*
73 *pact.* Quin potiùs, quod omnis tangit, ab omnibus approbari debet, *c. quod omnes. de reg. jur. in 6. l. 1. §. ſi aquæductus, & l. per quem locum. ff. de reſerv. ruſt. præd. l. in concedendo. ff. de aqua pluv. arcend.*

74 Et quod mutuo plurium conſenſu ſemel eſt contractum, par eſt, ut non niſi mutuo etiam ipſorum diſſenſu denuò diſſolvatur, *l. 1. C. quando lic. ab empt. diſc. §. fin. Inſt.*
75 *quibus mod. toll. oblig. l. nihil tam naturale ff. de reg. jur.* Comprobantur hæc optimè iis, quæ de alienatione feudi jure communi feudali habentur, eam agnatis non conſentientibus minimè præjudicare, *cap. 1. de alien. feud. pater. c. 1. §. præterea quib. mod. feudum amittat. c. 1. §. Titius, ſi de feud. defunct. content. fuit. cap. 1. §. & ſi clientulus. de alienat. feud.*

Sexta dubitandi Ratio.

76 Sicuti ſimultaneè inveſtitis, jus ipſorum à poſſeſſore feudi, veluti proximè probatum eſt; V. Hartm. Piſtor. *lib. 2. qu. 20. nu. 11.* Ita nec Dominus aliquid tentare poteſt, quod in diminutionem juris ex ſimultanea inveſtitura quæſiti redundet. Nam omnes rationes, quæ in poſſeſſore feudi militant, etiam in Domino feudi locum obtinent, atque inſuper diſertè ſtatuitur *in c. 1. de alienat. feud. pat.* Ex quo textu notat Matth. de Afflictis *ibi nu. 23. & 29.* quòd Dominus non poſſit quippiam facere in præjudicium ejus, ad quem pertinet ſucceſſio feudi, facit textus *in c. 1. §. filiam de ſucceſſ. feud. & in*
77 *c. 1. An mutus vel aliàs imperf.* Suffragatur etiam alia certiſſima juris regula, quæ docet, neminem feudo ſive ſucceſſionis jure ſibi competente in re feudali ſine culpa privari poſſe, *c. 1. §. ſi quis fuerit. Quo tempore miles inveſt. petere debeat.* Romanus *conſil. 70. num. 3.*

Septima dubitandi Ratio.

78 Pro pleniori confirmatione hujus ſententiæ obſervandum, ex ſimultanea inveſtitura non ſolùm tale jus quæri inveſtitis, quod neque à Domino, neque à poſſeſſore ipſis invitis extorqueri queat, ſed & ſi poſſeſſor feudum alienaverit, inveſtitis contra tertium poſſeſſorem actionem revocatoriam competere, ad ſimilitudinem ejus actionis, quæ agnationis jure ſuccedentibus jure communi feudorum conceſſa eſt, *c. 1. §. Titius. ſi de feud. defunct. cap. 1. de alien. feud pater. c. 1. §. porrò, qualiter olim feud. pater.* Nam licet aliàs inveſtitura abuſiva jus in re
79 neque adeò actionem realem tribuere ſoleat, ut not. *in c. ubi* Matth. de Afflict. *nu. 4. quid ſit inveſtit.* Johan. Faber *in §. interdum Inſt. de rer. div.* Bald. *in c. 1. §. inveſtitura. de nova forma fidelit.* Jaſ. *in l. quoties n. 31. C. de rei vindicat.* Sed duntaxat actionem perſonalem 80
contra Dominum producat, *c. 1. §. ſi facta ſi de feud. defunct. fuerit. contr.* cum aliis adductis per Matth. de Afflict. *in d. c. 1. §. inveſtitura num. 2. de nov. form. fidel. & in c. 1. num. 5. 6. 7. qui Succeſſor. teneant. & in deciſ. 299.* & Pariſ. *in conſil. 22. n. 58. vol. 1.*

Tamen cùm per inveſtituram ſimultaneam inveſtitus jus ſuccedendi nanciſcatur, 81
non minùs validum, quàm quod agnatis jure communi ex agnatione competit, & quidem tale, quod facto poſſeſſoris ipſis invitis non magis auferri poſſit, quàm agnatis; ut abundè jam probavimus: rationi conſentaneum omninò eſt, ut quemadmodum agnatis pro tuendo jure ſuo actio revocatoria competit, ita eadem etiam ſimultaneè inveſtitis, pro conſervando ipſorum jure ab agnatorum jure non abſimili detur; ad Exemplum etiam Favianæ, quâ revocantur alienata in fraudem patroni, *l. 1. ff. ſi quid in fraudem Patroni. & l. 1. & 2. C. ſi in fraud. patron. alienat. fact. fuerit.* tum quia ubi eadem eſt ratio, ibi etiam convenit, ut idẽ jus conſtituatur, *l. illud. ad L. Aquil. l. A. Tit. de verb. oblig.* & tacitè cautum videtur, ubi eadem ratio reperitur, *l. his ſolis C. de revocat. donat. not. in c. 1. de tempor. ord. lib. 6.* tum etiam, quia jus ſimultaneæ inveſtituræ ſucceſſit in locum illius juris, quod agnatis jure communi alioqui competit, atque adeò par eſt, ut ſecundùm jus illud agnatorum cenſeatur, & iisdem gaudeat beneficiis, cùm regulariter ſubrogatum recipiat naturam ejus, in cujus locum ſubrogatur, *l. 1. §. actio & ibi notat.* Hinc rectè exſtruitur, cùm per ſimultaneam inveſtituram Saxonicam nova quædam ſuccedendi ratio conſuetudine ſit introducta, quod etiam huic rationi omnia ea, quæ jure communi feudorum de agnatorum ſucceſſione ſancita reperiuntur, accommodanda ſint, atque propterea vigore ſimultaneæ inveſtituræ ſuccedentibus non minùs competat jus revocandi, quàm agnatis, Hartm. Piſtor. *dict. quæſt. 20. libr. 2. num. 29.*

82 (margin beside "tum quia ubi eadem eſt ratio")

Octava dubitandi Ratio.

Quemadmodum poſſeſſoris hæres, ita etiam hæres Domini inveſtientis tenetur inveſtituram ab anteceſſore ſuo factam ratam habere, *cap. 1. qui ſucceſſ. teneant.* Cur enim recuſaret hæres, quod recuſare non potuit is, cujus hæreditatem ſuſcepit? ut ait JCtus *in l. poſtulante ad SC. Trebell.* 85

Nona dubitandi Ratio.

In *cap. qui ſucceſſores teneantur. de feud. tit. 9.* diſtinguitur inter Eccleſiaſticos & ſeculares Dominorum feudi ſucceſſores, traditurque ibidem, non illos, ſed hos debere 86

bere ejusmodi inveſtituram ſuper caducitate feudi in mortem alterius factam, ratam habere. Ergò.

Decima dubitandi Ratio.

87 In antiquis transactionibus & pactis Gentilitiis Domûs Brunſvic. & Luneburg. inprimis Annno MCCCCXLII. erectis & initis expreſsè habetur, quòd ſucceſſor uſitatas & conſuetas gratias ac conceſſiones ab anteceſſore factas teneatur ratificare, ibi: **Doch ſo mag vnſer ein Iglick in Gades ehre geven/eigen/freyen/ edder ſinen Männen und unterſatten wohnliche Gnade dohn/mit Gnaden to genende / und to Lehnende/als dat van vnſern Eltern wente an ans gekamen iß/ wo id uns andern vorſatlicken nicht to vorfang geſchehe ohne Geſehrde.**

RATIONES DECIDENDI.

Attamen hisce, & ſi quæ ejus generis alia ſint, minimè reſiſtentibus contrarium de jure rectius, verius, juſtius & æquius eſt, prout id ipſum ex ſubſequentibus decidendi rationibus clariſſimè comprobabitur.

Prima decidendi Ratio.

88 Prima decidendi Ratio conſtat ex textu Juris feudalis *in cap. qui ſucceſſores teneantur lib. 1. de uſib. feud.* ubi expreſsè ſtatuitur, ſi Dominus de feudis adhuc penes alium exiſtentibus & nondum vacantibus alicui expectativam contulit, & vivo Domino non aperiantur, quòd ſucceſſor non ſit obſtrictus ea aperta illi, cui anteceſſor promiſit, conferre, ibi: *ſi præmoriatur, antequam conditio vel tempus exiſtat &c.* per quem textum ita ibidem docent Bald. *nu. 2.* Alvarot. *num 3.* & Matth. de Afflict. *num. 22.*

Secunda decidendi Ratio.

89 Siquidem Actus ad certum tempus vel conditiouem deſtinatus, ſi præcipitetur, non valet in præjudicium tertii, ſcilicet ſucceſſoris; Picus *in cap. 1. num. 13. tit. 9. lib. 1. de feud. ubi ſcribit*, quòd rogatus agere actum poſt tempus aut conditionem aliquam evenientem, ſi is agat ante eventum aut tempus, actus ille non ſuſtineatur, ſi vergat in præjudicium tertii, ut in *l. uxori §. Seium ff. de legat. 3. l. filius fam § Divus. ff. de legat. 1.* Schönberg. *de advocat. armat. cap. 16. num. 830.*

Tertia decidendi Ratio.

90 Jus, quod quis habet in bonis ex electione vel ſanguinis ſucceſſione, conſiſtit tantùm in adminiſtratione: ſed adminiſtrator & Fideicommiſſarius non poteſt in bonis reſtitutioni obnoxiis in ſucceſſoris præjudicium de re futura diſponere, gloſſ. *in cap. 1. verb. compelluntur*, ubi Azonem adducit, *Qui ſucceſſ. teneant.* Roſenthal *de feud. cap. 6. concl. 16. num. 13.* Schönberg. *de Advoc. cap. 16. num. 829. fol. 736.*

Quarta decidendi Ratio.

Omnes, qui non jure hæreditario, ſed 91
per viam electionis vel ſanguinis ex pacto & providentia primi acquirentis ſuccedunt aliis, non coguntur habere ratas expectativarum conceſſiones, per eorum anteceſſores aliis factas: Tum, quia par in parem non habet imperium, *l. nam & magiſtratus ff. de arbitr. l. ille à quo §. tempeſtivum ff. ad SCtum Trebell. & involvit ext. de elect.* Tum, quia ſucceſſor in dignitate ex his, quæ non veniunt ex natura dignitatis, non obligatur, *arg. l. vectigali ff. de pignorib. & l. ſi quis domum ff. locat.* Tum, quia anteceſſor non poteſt diſponere in tempus, quo ipſe nullam in poteſta- 92
tem habiturus eſt, *l. cùm hic ſtatus §. ſi ſponſus ff de donat. int vir. & uxor. l. fin. in pr. ff. de pœn. l. in tempus ff de hæred. inſtit. cap. præſenti de offic. legat. 6.* Tiber. Decian. *conſ. 14. num. 104. & ſeq. vol. 3.* Martin. Magerus à Schön- 93
berg. *in tract. de Advocatia armata cap. 16. n. 226. & ſeqq.*

Quinta decidendi Ratio.

Receptiſſima Interpretum ſententia comprobat, inveſtientis ſucceſſorem in feu- 94
do ex pacto & providentia ad factum defuncti præſtandum non teneri, ratione hac urgente additâ, quòd ſcilicet in iſto feudi genere ſucceſſor non facto pacto patris, ſed Domini beneficio, *cap. un. circ. fin. ex quib. cauſ. feud. amitt.* non ex deceſſoris, ſed primi acquiſitoris perſona; Carol. Molin. *in Conſuetud. Pariſiens. 3. nu. 133.* non Succeſſione ſed ex contractu. Bald. *in dict. cap. 1. n. 3. ſi vaſall. feudo privet.* non dono patris, ſed munere generis. Bald. *in cap. unic. §. inſuper numer. 5. de prohibit. feud. alien. per Frider.* non jure univerſali, ſed ſingulari, Joan. Calder. *conſ. 13. in pr. tit. de feud.* denique non ex cauſa à primo acquiſitore habita ſuccedat.

Qua ratione moti concludunt, ſucceſſorem inveſtientis ad deceſſoris defuncti factum præſtandum non teneri. Atque ita in terminis docent Matth. de Afflict. *in c. unic. num. 52. Qui ſucceſſ. teneant.* Henric. Roſenthal. *de feudis cap. 6. concluſ. 15. num. 8. & 9.* & multi alii DD. ab eo ibidem in gloſſa ſub lit. H. allegati.

Verba Roſenthalii in textu & gloſſa ſunt hæc: Ne tamen lector incautus decipiatur, monendus eſt, hæc tum indubitatò procedere, ſi Succeſſor domini hæreditatem ejus adivit, ſeu res promiſſa non ſit feudum, aut pars feudi iſtius promiſſoris: ſucceſſor enim feudalis, ſi non exiſtat promiſſoris hæres in allodialibus, ejus facto & promiſſioni ſatisfacere non cogitur, eti-

 amſi

amſi illi in feudis ſuccedat, modò illa ejus naturæ ſint ut ea, repudiatâ defuncti hæreditate poſſidere liceat.

Siquidem hæc illi non jure hæreditario ſed ex contractu domini & primi acquirentis deferuntur: & ſtatim in gloſſa ſub lit. H. Et huc puto pertinere, quod Iſern. *in*
95 *dict. cap. 1. num. 18. qui ſucceſſores dare teneantur. lit. 3. lib. 1.* ait, quòd iſte textus quatenus dicit, laici hæredem teneri adimpleri factum defuncti, procedat in feudo hæreditario, & quòd filii in feudo ex pacto, ſi patri non ſint hæredes, non tenentur adimplere, quod obſcurè ibid. ſequitur Præpoſit. *dict. num. 5.* Afflict. *num. 3. verſ. ſecundus caſus eſt*, niſi Succeſſor laici habeat feudum ex pacto & providentia. &c. *dict. tit. 3.* Weſemb. *conſil. 64. num. 13.* Modeſtin. Piſtor & Academia Lipſenſis in conſilio quodam poſt 20. quæſt. Hartm. Piſt. *lib. 2. part. 2. ex tanta num. 44.* ubi dicunt, quòd Rex Bohemiæ talem promiſſionem à Rege Matthia factā, ratam habere non tenebatur, quia illi hæres non erat. Id quod Hartm. Piſtor. quoad agnatos in feudo ex pacto admittit *quæſt. 26. num. 21.* ſed quòd in filiis diverſum adſtruit, id facit ex illo fundamento, quòd cùm Neapolitanis filios ad feudi Succeſſionem non admittit, repudiatâ patris hæreditate, &c. Quæ opinio ſuprà *cap. 2. quæſt. 33. & inf. cap. 7. quæſt. 21.* à me reprobata, & demonſtratum fuit, quòd altera veritate nitatur & in Imperio ſervetur. Ex quibus locis ſolutiones ad ea, quæ Piſtor. *dict. quæſt. 29. lib. 2. num. 20.* in his terminis objicit, facilè petuntur. Et quod de Dominio feudi, hoc eſt, rebus infeudari non ſolitis, veluti ſunt bona menſæ vel Cameræ, vulgò Tafel- und Cammergüter / etiam Domini conſenſu, in præjudicium agnatorum à Barone aut Comite nihil concedi, ſed revocari poſſit, eleganter tradit Paris de Puteo *de feud. redintegrat. cap. 19. num. 14.* niſi, *inquit*, ſciverint alienationem in agnatum aut extraneum factam, & tacuerunt, priore caſu, uno, altero XXX. annis. Sed hoc intelligendum, ſi iis Succeſſio jam delata, *in fin cap. 9. quæſt. 77. num. 12.* Et ſic, quod filius Ducis inſignem arcem & præfecturam Ducatûs Feudalis, ſemel à Domino patre ejus alicui in feudum conceſſam, cùm antè infeudari non fuiſſet ſolita, & vaſallo ſpem prolis non habente Mævio in feudum, vaſallo iſto ſine maſculis liberis vitâ decedente promiſſam, patre verò defuncto demum ex iſta cauſa apertam non fuerit obligatus, Mævio in feudum tradere, conſultus reſpondi. *Hactenus Roſenthalii verba.*

Sexta decidendi Ratio.

Si, inquit Imperator Juſtin. *in l. fin. C. de*
96 *legib.* Imperialis Majeſtas cauſam cognitionaliter examinaverit & partibus cominus conſtitutis ſententiam dixerit, omnes omninò judices, qui ſub noſtro Imperio ſunt, ſciant, hanc eſſe legem non ſolùm illi cauſæ, pro qua producta eſt, ſed omnibus ſimilibus.

Quid enim majus, quid ſanctius eſt Imperiali Majeſtate? vel quis tantæ ſuperbiæ faſtidio tumidus eſt, ut regalem ſenſum contemnat? cùm & veteris juris conditores conſtitutiones, quæ ex Imperiali Decreto proceſſerunt, legis vim obtinere apertè dilucideque definiant. Cùm igitur & hoc in veteribus legibus invenimus dubitatum, ſi Imperialis ſenſus legem interpretatus eſt, an oporteat hujusmodi regiam interpretationem obtinere? eorum quidem vanam ſubtilitatem tàm riſimus, quàm corrigendam eſſe cenſuimus. Definimus autem, omnem Imperatorum legum interpretationem, ſive in precibus, ſive in judiciis, ſive alio quocunque modo factam, ratam & indubitatam haberi. Jam verò laudatiſſimum Imperiale Judicium Spirenſe in cauſa König contra Johan von Haus menſe Martio Anni 1565. teſtante Henrico Roſenthal. *cap. 6. concl. 15. num. 8.* hanc cauſam definivit, quòd Succeſſor in feudo ex pacto & providentia, ſi non eſt hæres, non obſtrictus ſit ejusmodi promiſſiones de feudi caducitate ratas habere. Conſimiliter etiam in Ducatu Calenbergico obſervatur & practicatur.

Septima decidendi Ratio.

Si Succeſſor hanc feudi promiſſionem 97
ab anteceſſore factam ratificaret, ex hoc inferretur magnum gravamen moderno Principi, ejusque miniſtris, cùm ea ratione Princeps nulla habiturus eſſet feuda, de quibus ſuos Conſiliarios & benè merentes ſervitores inveſtire poſſet, quod eſſet cōtra publicam utilitatem, præſertim his temporibus, quibus multi, quinimò ſucceſſor Princeps ipſe, premuntur difficultatibus, addendo, quòd, ubi ſcandalum, gravamen & periculum publicum imminet, ibi non teneatur anteceſſoris factum præſtare, uti in terminis videtur ſentire Abbas *in cap. cum ad hæc de Cleric. non reſident. per gloſſ. in cap. reſcripta 25 quæſt. 2. & probat. in cap. ſuggeſtum de decim.* Bald. *conſil. 240. num. 4.*

Sed ſcandaloſum eſſet, ſi G. ultra bona 98
& feuda illa, quæ ipſius pater D. G. & ille ab illuſtriſſima Domo B partim titulo hæreditario, & partim feudali gratis impetraverunt, & jam poſſident, etiam hæc bona obtineret, ſiquidem inde eveniret, quòd Princeps, ſi ejusmodi ab anteceſſoribus lineæ Guelphicæ in caſum caducitatis datas inveſtituras teneretur ratas habere, nulla ferè bona reliqua haberet, quibus fideles

deles miniſtros & conſiliarios ſuos, qui cum periculo vitæ & fortunæ ipſi inſervivérunt, poſſet remunerare.

Quot & quanta beneficia D.G.& illius filii impetrarint & jam poſſideant, ſubſequens Catalogus exhibet.

NB. Catalogus hic conſultò omiſſus eſt.

Octava decidendi Ratio.

99 Si conceſſio longè bene merita antevertit, conceſſio non dicitur facta ex cauſa onerosa, neque ideò fit irrevocabilis, ſed revocari poteſt, tanquam aliæ gratiæ & alia beneficia, ut tradit Bald. *in præludiis feudor. n. 62.* Et ſequitur Socin. *conſ.4.n.5. in f. vol.3. & conſ.87.n.12.vol.3.*

Nam ſi præponderat gratia, dicitur merum beneficium, quia in eo magis incaleſcit, *arg. l. cùm quæritur. ff. de ſtat. hom.* Sicuti in ſimili dicimus, quòd ſi tradantur in aliquo contractu res & pretium, ſi majus eſt pretium, erit venditio, ſi verò majoris valoris ſit res data, erit permutatio, ut notant omnes *in cap. ad quæſtiones. de rer. permutat.* Quod ſi jam examinentur & conferantur G. benè merita cum deſuper impetratis

100 beneficiis, deprehendimus, quòd illis longè minora ſint: & tantum abeſt, quòd ultra hæc & alia, & quidem in ſpecie H. meruiſſent. Nam quod G. attinet, inſervivit ille florentiſſimæ Pacis tempore absque ullo periculo, incommodo & inquietudine, ac ſuaviter uſus fuit Salario ampliſſimo & fructibus terræ: ex quibus magnificè vixit, & inſuper tamen ingentibus beneficiis feudalibus donatus fuit, quæ ipſius filii jam, ut nobiles & hæreditarii, tenent atque poſſident. Quoad filios, hactenus de nullo egregio vel memorando facto potuit conſtare, quod in augmentum vel utilitatem Illuſtriſſimæ Domus & B. quidem in ſpecie Sereniſſimi Ducis A. feciſſent ac præſtitiſſent.

Nona decidendi Ratio.

101 Ex jam memoratis & deductis patet, G. expectativam in terminis puræ & meræ gratioſæ conceſſionis conſiſtere, ſed gratia gratis data per Principem pro libitu revocari poteſt, ut tenet Gloſſa *in cap. decet. de regul. jur. in 6.* Cardin. Butr. & alii *in cap. novit. de jud.* Bald. *in l. qui ſe patris num. 13. verſic. & adde C. unde. lib. ubi dicit*, hoc eſſe ſpeciale in Principe, & tradit Angel. *in l. Antiochienſium. de privil cred.* ſequitur Soc. *conſ.87. num.12. vol.3.* Jaſ. *conſ 56. col. 2. in fin. libr.1.* Curt. Jun. *conſ.1. num. 34.* Gozadin. *conſ.62. num.9* & tradit Andr. de Iſern. *in cap. 1. de vaſall. decret.* & notatur *in l. qui fundus Cod. de omni agro deſer. lib.11.* & pulchrè Cardin. Flor. *in Repet. cap. perpendimus. de ſentẽtia excommunicat. in illa magna diſtinctione*, an & quando Princeps poſſit tollere Privilegium; & tradidit etiam Bald. *in l. reſcripta C. de precib. Imper. offer.* & Ang. *in l. Lucius ff. & Deciſ. Neapol. 128. num. 10. & ſeq* & Ruin. *conſ.123. num.4 lib.3. & conſ. 130. numer.13. libr.5.* Quæ eò magis procedunt, quando talis conceſſio veluti in præſenti caſu facta fuit

ſubdito, quia quandocunque revocari poteſt, etiam per concedentem, ut probatur 102
in c. noſtra. de injur. & tradunt omnes *in cap. novit. de jud.* ubi Felin. *num 32.* ubi plures Concordantes adducit, ibidem Dec. *numer. 15.* & idem Felin. *in cap. quæ in Eccleſiarum, de conſtit. num. 45.* Decius *conſ. 24.* & Gozadin. *conſ.5. num.27. & conſ.62. num.91.* Prout etiam Dux Fridericus B. piæ memoriæ talem gratioſam expectantiam ſuper bonis H. aliquando revocavit, & locum tenenti ſuo de S. contulit. Ergo ſi ipſemet concedens aut illius filius hæres potuit revocare, multò magis poterit Succeſſor ejus feudalis, non hæres, Socin. *conſ.4. lib.3.*

Decima decidendi Ratio.

Inveſtitura in feudis, præſertim novis 103
non ſubſiſtit, niſi coram Paribus Curiæ facta, *cap.1. quid ſit inveſtit. cap. unic. quib. mod. feud. conſtit. &c. cap. 1. de conſuet rect. feud. cap unic. qui teſt. ſint neceſſar.* Et eſt ejus ju- 104
ris ratio manifeſta & evidens, cùm ad falſitatem, fraudem & ſubornationem evitandam & depellendam Pares Curiæ, velut teſtes maximè idoneos, adhibere neceſſarium & utile ſit, *cap.1. de not. feudor.* Quem 105
& pares Curiæ in teſtes vocari ad feudi conſtituendi & conferendi formam pertinet, Matth. Weſemb. *de feud. cap. 8. num. 13.* For- 106
ma autem præciſè debet impleri, & omiſſa totum actum vitiat, Bald. *in l. 1. de liber. & poſthum. & in 1. fin. c. de ſuis & legit. hæred.* Idque in ſpecie ad terminos noſtros transfe- 107
runt interpretes, diſertè docentes & ſcribentes, feudum non conſtitui, ſi inveſtitura coram Paribus Curiæ habeat, *c. 1. quib. mod. feud. conſtit. poteſt. & ibid. Feudiſtæ*, latè Henric. Roſenth. *de feud. cap. 6. concluſ. 4. num. 4. & cap. 12. concluſ. 16. num. 1. & ſequent.*

At inſpectio inveſtituræ G. dilucidè oſtendit, G. de feudis H. coram Curiæ Paribus inveſtitum non fuiſſe.

Undecima decidendi Ratio.

Inveſtitura ſiquidem alia eſt propria, 108
alia impropria, ſeu abuſiva. Sed neutram G accepit. Non propriam: quia verè & actualiter non fuit ab inveſtiente miſſus in poſſeſſionem feudi: Non impropriam vel abuſivam; quia nec ullo interveniente ſigno corporeo inveſtitus fuit. Cùm itaque G. nec propriè nec impropriè, ſeu abuſivè inveſtitus ſit, & jus feudale ſcriptum

non tertium inveſtituræ genus agnoſcat; hinc ſequitur, quòd præſens G. negotium in nudis, promiſſionis de inveſtiendo in caſum caducitatis, terminis conſiſtat. Nam quoties inveſtitura de feudo viventis in caſum mortis ejus fit, ſicuti G. inveſtitura in caſum mortis poſſeſſoris Johannis Gerlachii de H. facta eſt; Toties illa inveſtitura (ſi modò ita appellanda,) nihil aliud eſt, quàm promiſſio de inveſtiendo, Hartm. Piſt. *lib. 2. qu. 3. n. 4.*

Duodecima decidendi Ratio.

109 Nullam fidelitatem reſpectu bonorum H. juravit, vel ad minimum per reverſales promiſit G. auf die Braunſchweigiſche Lehens-Regiſtratur und Protocoll gezogen: Ergo nō fuit propriè nec impropriè inveſtitus, & per conſequens nudam promiſſionem de inveſtiendo & meram Expectativam accepit. Inter requiſita enim ſimultaneæ inveſtituræ hoc potiſſimùm eſt, ut fidelitatem vel juret, vel repromittat.

Decimatertia decidendi Ratio.

Quando ſumus in dubio, ſemper pro
110 Principe judicandum, quòd ſcil. moveatur juſtâ causâ ad denegandum talem inveſtituram: Ideò pro eo judicandum, quia præſumitur ſemper juſtitiâ plenus, & velle, quod leges volunt, §. *omnes in Authen. de jud.* & tradit Bald. *conſil. 395. col. 1. in fin.* & Cal-
111 can. *conſil. 2. in fin.* & talis præſumitur mens Principis, qualis eſſe debet, etiam de jure, ut dicit Bald. *in l. ex facto in princ. in 4. not. & ibi* Alexand. *ff. de vulg. & pupill.* & Jaſon *in l. fin. num. 35. ff. de Conſtit. Princip.* & Pariſ. *conſil. 1. num. 114. vol. 1.* & idem Bald. *in cap. 1. col. 2. in tit. apud quos controv. inveſt. term. & cap. licet. de offic. ordin.* & Pariſ. *conſil. 175. num. 10. vol. 4.* & Felin. *conſil. 31. n. 7.* & juſta
112 cauſa ſemper præſumitur in Principe, ut per Curt. Sen. *conſil. 49. num. 3.* Grammatic. *conſil. 34. num. 3. & conſil. 45. numer. 33.* Jaſon. *conſil. 8. num. 16.* Bertrand. *conſil. 15. num. 13. vol. 1.*

Decimaquarta decidendi Ratio.

113 Tandem, ne ſimus de Sereniſſimi Principis Succeſſoris Ducis A. & ſententia ſolliciti: per Pragmaticam Sanctionem præſentem quæſtionem Celſitudo Sua decidit, maturè deſuper in Conſilio habitâ deliberatione. Quo caſu ſemper pro Principe præſumitur, quòd ſit juſtum decretum omni ſuſpicione carens, ut per Iſerniam *in cap. 1. qui ſucceſſ. teneant.* Laud. *in tractat. de Conſil.*
114 *Princ. quæſt. 21.* Quia pro opinione Collegii Conſiliariorum ſemper præſumitur, ut per Abbat. *in cap. providentiam 1. col. in 3.*
115 *notab. de officio delegat.* Siquidem quòd plurium fit conſenſu, majorem habet authoritatem, *l. dubium. C. de repud. cap. prudentiæ* *ubi concord. per gloſſ. de offic. delegat.* Roman. *conſil. 436. n. 12.* Sanctio & Conſtitutio illa in ſubſequentibus formalibus ita ſe exhibet.

VOn GOttes Gnaden/ Wir Auguſtus
Hertzog zu Braunſchweig und Lüneburg/ 116
thun/ nächſt Entbietung unſers Gruſſes und Gnaden/ allen und jeden unſern Unterthanen/ voraus aber unſern und unſers Fürſtenthums Braunſchweig Wolffenbüttelſchen Theils an- und untergehörigen Vaſallen und Lehenleuten/ was Standes oder Würden die ſeyn/ vom Höchſten bis zum Niedrigſten/ hiemit zu wiſſen/ daß uns glaubwürdig vorkommen / was geſtalt hiebevor etliche zuthätige Perſonen bey Anmerckung / wann die Anzahl eines oder andern Geſchlechtes/ ſo gewiſſe Lehengüter von unſerm Fürſtenthum Braunſchweig recognoſciren und zu Lehen tragen/ gar gering worden / und der natürlichen Anzeig nach ſich zur caducität geneiget/ bis dahin ſolche Fälle nicht erwarten können/ ſondern ſich zu dergleichen Lehenleuten/ unangeſehen deren eines Theils annoch minderjährig geweſen/ eines Theils auch nichts darum gewuſt/ bisweilen auch durch andere Wege darzu inducirt, gefunden/ und ſich in eine vermeinte Samtbelehnung eingedrungen/ andere aber eine Geldſummen ihren Allodial-Erben zum Vortheil auf die Lehen zu bringen und dadurch ſolche Lehenſtück in perpetuirliche Beſchwerde zu ſtecken/ und gleichſam erblich zu machen / ſich unterſtanden haben ſollen. Wann uns dann als dem Succeſſoren und regierenden Landes- und Lehen-Fürſten nicht wenig bedenck- und præjudicirlich / in ſolche und dergleichen Samtbelehnunge zu gehelen und zu verwilligen / und dardurch gleichſam einen neuen in den gemeinen beſchriebenen Lehen-Rechten unbekandten modum conſtituendi feudi einführen / und/ wie es wehnt/ die erſchlichene und eingedrungene vermeinte geſamte Hand und anmaßliche Folge in unſern angeſtammeten uñ zugehörigen Lehenſchafften/ noch auch die darinnen verſchriebene Geldpoſten und Schulden hinfürters alſo hinſtehen und continuiren zu laſſen/ darzu wir ohn das auch aus erheblichen und rechtmäſſigen Urſachen keines Wegs gehalten ſeyn/ ſondern unſere freye Hand in dergleichen Fällen billich behalten.

Als conſtituiren/ ordnen und ſetzen wir/ als regierender einiger Landes- und Lehens-Fürſt dieſes unſers Fürſtenthums Braunſchweig Wolffenbüttelſchen Theils hiermit/ und wollen/ daß auſſerhalb denen ſimultaneè inveſtitis, welche à primis acquirentibus deſcendiren/ keine andere nebeneingedrungene / ſo bey dero vor wenig Jahren nach GOttes Willen extinguirten Fürſtlichen Braunſchweig. Wolffenbüttelſchen Linie Zeiten der Occaſion wargenommen / und zu vermeintlicher geſamter Hand und Folge ſich in die Lehenbrieffe mit

hinein-

hineinrucken laſſen/ und den Fall oder Caducität derer darauf ſie beantwartet/ bey obgemeldter Fürſtlichen Wolffenbüttelſchen Linie Zeit nicht erlebet / noch hinfüro weiter nicht/ in unſere ertheilende neuen Lehenbrieffe mit hinein geſetzet/ ſondern deren Nämen gäntzlich hinweg gethan und ausgelaſſen. Ingleichen auch die Schuldpoſten/ ſo vorhin auf unſere Lehen gebürdet und ausgebracht worden/ ins künfftige nicht mehr in die neuen Lehenbrieff ohn unſern Special-Conſens und Befelch geſetzet/ ſondern vorbey gegangen/ und unſere Lehen von ſolchen oneribus enthoben und befreyet werden/ und bleiben ſollen. Inmaſſen wir dann unſern zu unſer Fürſtlichen Regierung verordneten Stathaltern / Cantzlern/ Vice-Cantzlern und Rähten / ſamt und ſonders hierüber / wie ob geſetzet/ allerdings zu halten in Gnaden befohlen und aufgetragen haben wollen / wie dann auch unſer itziger und künfftiger Lehen-Secretarius hiemit gnädig / ernſtlich befehlicht ſeyn ſoll / im Durchſehen und Verleſung dero etwa eingebrachter und hiernächſt fortan einkommenden Lehenbrieffe / auf angeregte Fälle fleiſſige Aufmerckung und Acht zu haben/und wann darinnen vorberührten ſamt Lehenſchafften und Geldpoſten befindlich / als dann davon uns / oder obgedachten unſerm Stathalter/ Cantzler/ Vice-Cantzler/ und Rähten allhier gründlich und umſtändlich zu referiren und dieſer unſerer gnädigen Verordnung und Befehliche nachzukommen. Solches meinen wir ernſtlich / wollen hierüber gehalten haben / und ſeynd den Gehorſamen in Gnaden zu erkennen geneigt. Urkundlich haben wir dieſes mit eigner Hand unterſchrieben/und mit Beydruckung unſers Fürſtlichen Secrets befeſtiget/geſchehen und gegeben in unſer Stadt Braunſchweig den 16. Monatstag Martii Anno 1637.

CONFUTATIO RATIONUM DUBITANDI.

117 CÆterùm ſuperiores hæ decidendi rationes fient manifeſtiores & illuſtriores, ſi confutentur, quæ in diverſam ſententiam ſuprà adducta ſunt. Proinde ad primam dubitandi rationem reſpondetur, quòd conceſſio hujusmodi Expectativarum ſuper bonis vel feudis nondum vacantibus, ſaltem quatenus ea poſt mortem concedentis vacatura ſunt, non ſpectet ad dignitatem aut officium Imperatoris, ſiquidem hac ratione ille officium ſuum extenderet in id tempus, quo ipſe adminiſtrationem ampliùs habiturus non eſt, quod minimè ipſi convenit, arg. *l. cujus bonis. ff. de curat. furioſ. & l. in tempus. ff. de hæred. inſtit. l. quod ſponſo. ff. de donat. ante nupt.* & facit text. *in c. 1. cum ibi not. per Bald. Alvar. Afflict. & alios tit. qui ſucceſſ. teneant.*
118 *cum ſimilib.* Ex quo ſecunda dubitandi ratio diluitur, quòd nempe ex pacto vel contractu Principis cum ſubdito vel aliis inito, ejusdem ſucceſſor obligetur, quia id ipſum locum tantùm habet, ſi Princeps contrahat ſuper pertinentibus ad officium juxta morem Principatûs, ſicut declarant Dd. *ad l. 1. ff. de Conſtit.*

Non obſtat tertia dubitandi ratio. Si- 119
quidem adducta in contrarium procedunt tantùm, quando hujusmodi conceſſio per anteceſſorem facta jam eſt conſummata; Tunc enim, ſi ſub nomine dignitatis facta & conſummata ſit, ſucceſſor etiam per electionem veniens ad dignitatem, non poteſt illam conceſſionem revocare, ſecus verò eſt, ſi conceſſio vel gratia facta per Anteceſſorem, nondum fuerit conſumma-
ta. Nam tunc Succeſſor per electionem 120
vocatus ad Imperium vel dignitatem, factum Anteceſſoris ſui adimplere, aut ſervare non cogitur, juxta tradita per Joh. Andr. *in c. ex tua. extr. de filiis presbyt. c. ſuper gratia. de offic. deleg. in 6.* Cyn. *in l. fin. c. in quib. cauſ. in integr. reſt. non eſt neceſſ.* Bald. *in c. 1. ubi & reliqui Feudiſtæ præſertim.* Afflict. *n. 29. ſæpè. d. tit. qui ſucceſſ. teneant cum ſimilib.*
Accommodando hoc ad hypotheſin no- 121
ſtram, deprehendimus in illa, quòd G. expectantia vivo Principe F. V. quinimò ne quidem in hunc usque diem conſummata, & G. vera & realis poſſeſſio bonorum H. qui adhuc ſuperſtes eſt, & non ceſſit vel refutavit bona illa, tradita ſit.

In quarta dubitandi ratione allegati 122
textus loquuntur de pluribus, unum & idem feudum ſimul pro indiviſo ab initio poſſidentibus: At in præſenti noſtro G. & Juris Saxonici caſu eſt quæſtio de eo, qui altero duntaxat poſſidente ſimultaneam inveſtituram in poſſidentis mortem accepit. Quem effectum civilis ſimultanea inveſtitura habet per communem poſſeſſionem, & pactum de ſucceſſione mutuum; eundem ſortitur effectum de conſuetudine Saxonica ſimultanea inveſtitura, extra communem poſſeſſionem & pactum in foro Saxonico, Hartmann. Piſtor. *2. quæſt. 10. numer. 5. in fin.* Sed in præſenti negotio nunquam fuerunt G. & H. ab initio ſimul inveſtiti, & in poſſeſſionem feudi ab inve-
ſtiente primo pro indiviſo miſſi. Deinde 123
non verſamur etiam hîc in foro Saxonico: extra quod, jus ſimultaneæ inveſtituræ Saxonicæ planè ceſſat, Berlich. *p. 2. concluſ. 53. numer. 35.* Nam in Ducatu B. expreſsè per Ordinationes dicaſterii & provinciales diſpoſitum & cautum eſt, quod in cauſarum emergentium deciſionibus non jus Saxonicum, ſed Cæſareum ſive commune attendi debeat. Quemadmodum Salzdalenſis Illuſtriſſimi Ducis B. cum Provincialibus initus Receſſus de Anno 1597. artic. 25. apertè probat hisce formalibus: Zum zwey und dreiſſigſten / weil man von

denen/ſo die Fürſtl. Braunſchweigiſche von Kayſerlicher Majeſtät confirmirte Hoffgerichts-Ordnung gemacht/auch denen/ſo dem Fürſtlichen Hoffgericht lange Jahr beygewohnet / anders nicht erfahren / inmaſſen es denn auch gemeldte Hoffgerichts-Ordnung nicht an einen / ſondern viel Oertern deutlich bezeuget/denn daß viel Hochgedachtes Fürſten/ Hertzog Henrichen deß Jüngern / und der fürnembſten Landſtände/ſo darzu gezogen worden/ auch zuforderſt Kayſerl. Majeſt. eigentliche Meinung geweſen/ daß man ſich nicht allein in prcoeſſ, ſondern auch in Entſcheidung der Sachen der gemeinen beſchriebenen Kayſerlichen / aber nicht der Sachſen Rechten / denn allein wofern in dieſem Fürſtenthumb eine ſonderliche Ordnung / Statutum oder Gewohnheit dem Sachſen Recht gemeß verhanden und zubeweiſen/am Fürſtlich. Braunſchweigiſchen Hoffgericht gebrauchen ſolle.

124 Jam verò jure communi Feudorum ſcripto , hæc ſimultanea inveſtitura Saxonica prorſus eſt incognita, nulloque Statuto vel conſuetudine legitima in hoc Ducatu Brunſvicenſi, ſed duntaxat in iis locis, ubi jus Saxonicum viget , recepta eſt , ſicuti teſtantur Hartm. Piſtor. *quæſt.20. in princip. & num.4.* Obrecht. *diſput. feud. 8. cap.9. numer. 262.* Vulteius *de feudis cap. 7. num.54.*

125 *Ubi ita ait*: obtinuit longâ uſurpantium conſuetudine, ex mutuo paciſcentium conſenſu initium capiens hoc genus inveſtituræ, Jure enim aliquo ſcripto de inveſtitura illa nihil reperitur cautum. Nam quod *in cap. 1. §. ſin autem unus. de his, qui feud. dar. poſſ. & in cap.1. in fin. de feud. march. & in fin. cap. 1. de ſucceſſ. feud. & in cap.1. de fratrib. de novo benef. inveſt.* de fratribus ſimul inveſtitis eorûque ſucceſſione mutuâ ex pacto dicitur , id ad eum caſum pertinet , quo uterque fratrum quàm primùm conceſſionem rei feudalis pro indiviſo adeptus, atque adeò propriè inveſtitus eſt.

Cùm itaque conſtet, quòd jus ſimulta-
126 neæ Inveſtituræ Saxonicæ in Ducatu B. legitimâ conſuetudine , quæ omnibus ſuis numeris & requiſitis abſoluta & perfecta eſſe debet , non ſit receptum, exinde ſequitur , (1) quòd illius ſimultaneæ Inveſtituræ Saxonicæ, ut non entis in terra B. effectus , quem aliàs in foro Saxonico ſortitur, nullus ſit : & (2) hæc Inveſtitura ſimultanea in Ditione B. nihil aliud , quàm promiſſio de inveſtiendo & mera expectativa ſit, Hartm. *Piſtor. quæſt. 30. numer. 4. libr. 2.* quæ nullum jus reale in foro civili conſtituit,
127 Hartm. Piſtor. *d. quæſt. 30. num. 5.* Weſemb. *conſil. 212. num. 24. & ſeqq* Quod ſi jam G. inveſtitura, uti ex ſuprà deductis apparet, in effectu nihil aliud eſt, quàm pura puta expectativa, ſuper caducitate feudi in mortem alterius facta , conſequens eſt , illam per mortem Ducis F. V. B. & L. fuiſſe exſtinctam.

Ad quintam & ſextam dubitandi ratio-
nes reſpondetur , illas obtinere , quando 128
duo vel plures ab initio ſimul ita inveſtiuntur, ut feudum ſimul pro indiviſo poſſideant. Hæc enim ſimultanea inveſtitura juri communi feudali cognita eſt. Sed in præſenti ſimultanea inveſtitura nemo G ab nitio, quinimò ne quidem ex poſtfacto hoc modo cum H. in poſſeſſionem bonorum quæſtionis ſimul , cum expreſſo hoc ſuccedendi pacto mutuo, fuit immiſſus. Quippe quum acceperint tantùm inveſtituram in caducitatis caſum, quæ, veluti aliquoties dictum , nihil aliud eſt, quàm mera promiſſio de inveſtiendo & expectativa. Procedit ergo G. inveſtitura & per conſequens quinta & ſexta dubitandi ratio in foro Saxonico , non verò in Ducatu B. ubi jus commune viget, cui ſimultaneæ inveſtituræ effectus planè eſt incognitus. Vult. *de feud. cap.3. num.54. & multi alii.*

Et ex hiſce apparet ſimul ſeptimæ dubi- 129
tandi rationis infirmitas. Deſtructâ enim inveſtiturâ G. tanquam principali, deſtruitur & corruit acceſſorium. Sed ſuprà probatum eſt, G. inveſtituram, ſeu rectiùs loquendo, expectantiam , non fuiſſe, vivo concedente , ad effectum deductum , ſed per concedentis Ducis F. V. mortem extinctum : proinde nullum jus reale in feudo ſuccedendi, G. ex prætenſa illa inveſtitura quæſitum fuiſſe, atque per conſequens non competere ipſi actionem revocatoriam. Cùm ſublatâ causâ , tollatur quoque effectus.

Ad octavam dubitandi rationem re- 130
ſpondetur ex quarta & quinta decidendi rationibus, quòd illa bene in hærede hæreditatis, non verò in ſucceſſore ſanguinis, ſicuti Sereniſſimus A. eſt , obtineat & pro-
cedat. Pari ratione non refragatur nona 131
dubitandi ratio. Siquidem illa tantùm obtinet primò , ubi quis eſt ſimul & ſucceſſor & hæres , ſecus verò , ſi tantùm ſit ſucceſſor dignitatis. Daniel Moller. ubi ita à Collegio Lipſienſi pronunciatum teſtatur, *in Comment. ad Conſt. 45. n. 6. ibi: notandum autem hoc loco & illud.* Mod. Piſt. *conſ.4. incip.* Aus eben erzehltem Bericht. *q.3. n.63. vol.2.* Berlich. *p.2. concl.54. n.29.30.* Nicol. Everh. Jun. *conſ.1. q.2. n.17. verſ. altera. n.18. & ſeqq. vol.1.* Roſenth. *de feud. c.6. concl.17. incip. de
Imper. & Pontif.* Secundò reſtringitur in 132
agnatis in feudo ex pacto & providentia primi acquirentis ſuccedentibus. Nam ſi dominus feudi liberos non reliquerit , ſed tantùm agnatos , qui ei ſuccedunt, tunc agnati illi factum defuncti præſtare, & ejusmodi inveſtituram impropriam de caducitate feudi factam ratã habere non tenentur.

Matth.

Matth. de Afflictis *in cap. qui ſucceſſores teneant. numer. 22. verſic. quartò fallit.* Nicol. Everhard. Jun. *conſil. 1. numer. 21. in fin.* Berlich. *part. 2. concluſ. 54. num. 36.* Hartm. Piſtor. *libr. 2. quæſt. 26. numer. 21. ubi dicit.*

133 Sed ut hanc diſtinctionem Matthæi de Afflictis in filiis, de quibus textus loquuntur: contra manifeſta verba minimè probamus, ita eandem in agnatis facilè admittimus. Hi enim ex pacto Anteceſſorum proprio jure feudum conſequi, neque alius ab alio cauſam habere cenſentur: atque propterea etiam factum defuncti præſtare non tenentur, quemadmodum ſuprà *quæſt. 6.* ubi de agnatorum jure revocandi egimus, abunde firmavimus. Quamobrem neque etiam ob inveſtituram ab Anteceſſore factam ratam habere cogentur: id quod probatur ulteriùs etiam ex iis, quæ mox de Fiſco, & in quæſtione ſequente de Succeſſore Eccleſiaſtico dicemus. Neque agnatis obſtant capitula juris feudalis, & quæ de eorum interpretatione circa filios paulò antè commemoravimus. Nam cùm jura illa de hæredibus loquantur, certum eſt, hoc nomine tantùm filios, agnatos verò neutiquam comprehendi: quippe cùm textus feudales filios tanquam hæredes ſemper ab agnatis diſtinguere, & eorum ſeparatam habere ſoleant rationem, ita ut hæredum nomine nunquam agnati veniant, & è contrario, quemadmodum *in d. quæſt. 13.* pluribus docuimus. *Hactenus Piſtoris verba.*

Ad decimam dubitandi rationem reſpondetur ex verbis: **als dat van unſen Eldern wente an uns herkommen iſt/ wohndliche Gnade dohn:** Jam verò, ut ſint quoad vinculum obligationis & actionis uſitatæ & moribus in hac Illuſtriſſima Domo B. receptæ gratiæ, requiritur (1) ut in concedentis poteſtate liberrima ſint poſitæ, quas concedens ipſe ejusque deſcendentes nequeunt revocare; (2) Ut, quantum ad feuda, in iis rebus & bonis conſiſtant, quæ antiquitùs aliis ſunt in feudum dari ſolita; Et demum (3) quoad Succeſſores obligandos in vita concedentis ſint aperta & caduca facta, vel aliàs à poſſeſſoribus volentibus refutata. Extra hos caſus qui aſſerit uſitatas gratias ad vinculandos agnatos ſucceſſores, qui non ſunt hæredes neceſſum eſt, ut legitimè probet. Et cùm juris Feudalis diſpoſitio in contrarium ſit, ipſi utique incumbet probatio, qui vult inter conſuetas gratias referre expectantias, quæ vivo concedente non ſunt conſummatæ, vel ad caducitatis caſum redactæ. 134

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT XL.

Num. 1.

(1) P*Robat Berlich. &c.]* Et præter illum Roſenthal *de Feudis cap. 4. concl. 9. num. 1.* Hartmann. Piſtor. *lib. 2. quæſt. Jur. 25. num. 25. ſeqq.* rationem habet Vultejus *de Feud. cap 7. num. 48.* Berlich. *cit. loco n. 7. ubi plures*, & Hamel. *in Tr. Jur. Feud. cap. 1. concl. 5. n. 5.* infinitorum allegatione pro more certat, Guil. Anton. *de Reſcript. morat. ſect. 3. Corollar. ex J. Feud Coroll. 3.* & copioſiſſimus eſt Ant. Bullæus *Diſcurſ. 6. de pact. affirm. n. 42.* Rittershuſius *in Paratit. Feudal. lib. 1. cap. 5. quæſt. 13. & cap. 7. quæſt. 23.* Adamus Cortrejus *in Diſp. Inaugurali* de Conceſſione Exſpectativæ in bonis allodialibus & feudalibus, iisque ſecularibus atque Eccleſiaſticis *θ. 1. n. 34. ſeqq.*

Num. 5.

(2) *Regnum Galliæ ad præſentem potentiam &c.]* Confer Limnæum *ad Capitulation. Cæſar. pag. 283.* ubi inter alia ex Sleidano refert, Moguntinum Electorem, cùm Franciſcum I. in Imperatorem non eligendum ſuaderet, & hoc Collegis ſuis ponderandum reliquiſſe. *Multos fuiſſe olim in Gallia viros Principes: nunc autem in anguſtum redactum eſſe eorum numerum: cùm Rex propè ſolus omnia teneat.*

Num. 6.

(3) *Qui Auſtriam &c.]* Vide, quæ diximus ſuprà *lib. 1. c. 4. n. 98. (174)*

(4) *E ſtirpe Alberti Urſi ultimo, defuncto &c.]* Illud quod attinet, ſciendum eſt, ultimos ſtirpis Anhaldinæ Electores Brandeburgicos deceſſiſſe, Anno Chriſti MCCCXXII. ſine prole & hæredibus maſculis, nimirum WOLDEMARUM ejus nominis ſecundum, & JOHANNEM IV. (quorum ille XIV. ſaltem diebus, ante hunc, diem ſuum obiit) poſtquam annis CLXX. continuâ ſucceſſione ALBERTI URSI poſteris, ea dignitas fuerat. Hâc ratione, & Electoratus, & Marchia Brandeburgica, ut Imperii feudum, ad LUDOVICUM BAVARUM Imperatorem devolvitur: qui illud filio LUDOVICO cognomini contulit, cum omnibus adhærentibus, nimirum dignitate Archicamerarii, Ducatu Stetinenſi, Stargurdienſi, Comitatu Weringerodæ, & Marca Landsbergenſi. Et ab hoc inde Marchiam & Electoratum adminiſtratum fuiſſe annis XCL. à quinque Marchionibus, quorum tres erant Filii Ludovici Bavari Imperatoris, LUDOVICUS nimirum jam dictus, LUDOVICUS ROMANUS; & OTTO: Duo autem CAROLI IV. Imperatoris filii, WENCESLAUS, & SIGISMUNDUS; Reliquis CC. & qui excurrunt, annis ad noſtra usque tempora, Poſteros FRIDERICI V. Burggravii Norimbergenſis &c. ſerie non interruptâ Marchiam obtinuiſſe, pleniùs docet Dn. Johannes Cernitius, *in decem è Familia Burggraviorum Norimbergenſium Electoribus Brandeburgicis &c. pag. 2. 3. 4.* Adeltzreitter *in Boica Gent. Annal. part. 2. l. 1. n. 46. 47.*

Num. 11.

(5) *Incorporatio &c.]* Incorporatio, inquit Dn. Ahasverus Fritſchius *de Unione & Incorporatione bonorum &c. §. 2.* eſt à verbo *corporare*, quod, ut ex Solino *cap. 20.* notat Martinius *in Lexico*

Lexico Etymol. hoc eſt, *in corpus redigere.* Quamvis veteribus etiam fuerit interficere. Nonius. Germ. entleiben. Particula autem *in* hîc auget conjunctionis vel unionis ſignificationem. Nobis incorporare hîc dicitur, einverleiben. Et Provinciæ terræ unitæ unirte Provincien und Landſchafften. Speidel. *in Speculo lit. U. n. 172.* In hoc ſignificatu legitur in Inſtrumento Pacis Oſnabrug. *art. 5. in fin.* In Jure Romano incorporatio *in rubr. C. de bonis vacant. & incorpor.* uſurpatur pro *confiſcatione*, ſeu bonorum in fiſcum relatione. Pratej. *in Lexic.* D. Brunnem. *in d. t. C. de bon vac.* Hoc ſenſu accipitur in Capitulatione Imp. Caroli V. *art. XXIV.* verbo einziehen und incorporiren.

Num. 12.

(6) *Formalia Capitulationum &c.]* Imperatoris noſtri moderni Glorioſiſſimi Leopoldi Capitulationis *articulus XXX.* ſic ſonat: Wann auch Lehen dem Reich und Uns bey Zeit unſerer Regierung durch Todfall oder Verwürckung eröffnet / und lediglich heimfallen werden / ſo etwas merckliches ertragen / als Fürſtenthumen / Graffſchafften / Städt und dergleichen ; So ſollen und wollen wir ohne Vorwiſſen der Sieben Churfürſten ferner niemand leihen / auch niemanden einigen Expectantz oder Anwartung darauf geben / ſondern zu Unterhaltung deß Reichs / Unſer und unſerer nachkommender König und Käyſer behalten / einziehen und incorporiren / doch uns von wegen Unſerer Erblanden / und ſonſt männiglich an ſeinen Rechten und Freyheiten unſchädlich / ſollen auch die Lehenbrieff und Expectantien über deß Reichs angehörige Lehen / welche bey einer andern / als unſerer Reichs-Cantzley / und ohne Vorwiſſen der Herren Churfürſten ins künfftig ertheilt und ausgefertigt werden möchten / gantz ungültig ſeyn. Ad quem articulum Limnæum *de J. P. lib. 1. cap. 12. Addit. Tom. II. pag. 346. ſeqq.* vide.

Num. 13.

(7) *Eamq; ob cauſam inter alia VVenceslaum regno privatum &c.]* Confer ſuperiùs dicta *ad lib. 1. c. 4. n. 82.* (*160*)

Num. 15.

(8) *Mexelrein, qui Fuggeris in feudum collatus &c.]* Vix eſt, ut quis tutò his fidere queat, qui ſecum reputet adhuc Anno MDCLIV. in Comitiis tunc Ratiſponæ celebratis comparuiſſe, ratione hujus Baronatûs, Dominum Guilielmum Comitem Hohenwaldeggenſem, Dominum in Mexelrein, Domini Electoris Bavarici Conſiliarium, Camerarium, &c. De familia ipſa Dominorum in Mächſelrain (*ut illa ſcribunt alii*) Wigel. Hund im Beyriſchen Stammenbuch *part. 2. pag. 154. ſeqq.* tractat.

(9) *Qui, neſcio quo Jure, poſtea ad Electorem Moguntinum pervenit &c.]* Prætenſum Jus à parte Domini Electoris Moguntini fuiſſe, quòd mortuo Comite Stollbergenſi Chriſtophoro ſine liberis feudum hujus Comitatûs Königſteinii apertum & Moguntino exſpectativa deſuper conceſſa erat, patet ex Georgii Everhardi *conſil. 4. volum. 1.* quod tamen Author Deductionis deß Gräfflichen Stollbergiſchen Erb-Rechtens ꝛc. die Graffſchafft Königſtein belangend / quæ Anno MDCLXIII. prodiit, refutandum ſibi ſumpſit, Dominorum Comitium à Stollberg cauſam egregiè defendendo.

Num. 18.

(10) *Arcem Norimbergenſem &c.]* Illam ſcilicet, quam Chriſtophorus Leiningerus Præfectus Principum Palatinorum in Lauff / Burggravii hoſtis Anno MCCCCXIX. (vel ſecundùm alios Anno MCCCCXX.) exuſſit, quæ nunc granarium Civitatis Norimbergenſis publicum eſt, propè turrim quinquangularem ; non longè à Caſtro Imperiali, diſſitam & ſeparatam.

Num. 22.

(11) *Officia Archipincernæ, Dapiferi, Mareſcalli &c.]* Tres omninò eſſe opiniones, de Feudis Officialibus, quæ ab Epiſcopo Bambergenſi Electores ſeculares tenere dicuntur, obſervat Limnæus *ad J. P. lib. 3. cap. 7. num. 77. Addit. Tom. I. pag. 357.* Una eorum eſt, qui totos Electoratus iis comprehendunt, quam *in tx. num. 76.* Limnæus & Klockius *hic numer. 21. & 22.* rejecerunt. Secunda illorum, qui feuda hæc reſtringunt ad Officia Pincernatûs, Dapiferatûs, Mareſchallatûs, & Camerariatûs, quæ Imperatori exhibere debent Electores noſtri, quam ſequi videtur Author noſter *hoc loco.* Tertia illorum qui Electores ſeculares officia prædicta, quæ Imperatori debent, ab eodem Imperatore feudali titulo recipere affirmant: conſimilia autem, quæ Epiſcopo Bambergenſi per ſubofficiales certos exhibent, ab eodem Epiſcopo feudali Jure tenere. Quæ ultima opinio Limnæo admodùm ſpecioſa & plauſibilis videtur. Tum quia Electores Officia Electoratibus annexa immediatè ab Imperio recognoſcunt, *Ut ibid. monſtrat.* Tum quia Electores per alios ſubofficiales, quàm illos, quos ratione officiorum Imperialium habent, hæc feudalia Officia Epiſcopo Bambergenſi exhibere dicuntur. Nam ratione officiorum Imperialium ſubofficiales ſunt, Regi Bohemiæ *Pincerna de Limpurg* ; Bavaro *Dapifer de VValpurg*, Saxoni *Comes de Pappenheim*; Brandeburgico *Princeps de Hohenzollern*; Palatino *Comes à Sintzendorff.* Officia verò cum annexis commodis ſuis ab Epiſcopo Bambergenſi recognoſcunt, per vicarios ſuos ex Equeſtri Ordine, quibus deinceps in ſubfeudum eadem concedunt gerere & deſervire ſolent ; Bohemus per illum von Auffaß ; Bavarus per illum von Pommersfelden ; Saxo *per Mareſchallum* von Ebnet; Brandeburgicus per illum von Rothenhan. Limnæus *de J. Publ. lib 3. cap. 7. num. 77.* Cui opinioni ultimæ ut præ aliis accedam, confirmor per modò laudatum Limnæum, quando *Addit. Tom. II. pag. 202. ad num. 77.* notat, Albertum Marchionem Brandeburgenſem Electorem Anno MCCCCLXXV. ab Epiſcopo Bambergenſi inveſtitum fuiſſe, mit dem Oberſt-Cammer-Amt deß Stiffts Bamberg und allen zugehörigen Stücken. Atque auguſtiſſimum illud & æternâ memoriâ digniſſimum ejus Epiſcopatûs ornamentum, ut nempe quatuor Electores ſeculares Imperii officiales eisdem officiis & miniſteriis Epiſcopatus ab Imp. Henrico Sancto Sanctæ Cunigundis Marito illi adſcripti reperiantur, à Catholicis vulgò SERICEUM DIVÆ CUNIGUNDIS FILUM appellatur : Bruſchius *in Catalog. Epiſc. Germ.* aliquando S. Kunigunden rother ſeidener Faden. Et quia Urbs ipſa Bamberga muro & vallis munita non eſt, in ore vulgi hoc eſt : Papebergam muro non eſſe cingendam, quòd S. Cunigundis eam ſerico filo, pro muro circumdederit.

dederit, Cluten *in ſyllog. rer. quotidianarum* 6.24. *lit. o.*

Num.23.

(12) *In Regno Neapolitano &c.*] Sic perhibet Joh. de Laet *de Princip. Italiæ pag. 108. 109.*

Num.32.

(13) *An Imperator ob delictum Electorum &c.*] Facere ad deciſionem hujus acriter hoc ſeculo diſputatæ quæſtionis videtur Invictiſſimi Imperatoris Leopoldi Capitulationis articulus 28. *ibi* : Wir ſollen und wollen auch fürkommen / und keines Wegs geſtatten / daß hinfüro jemanden hohen und niedern Stands / Churfürſt / Fürſt / Stand oder anderer / ohne rechtmäſſige und gnugſame Urſach / auch ungehört und ohne Vorwiſſen / Raht und Bewilligung deß Heiligen Reichs Churfürſten / welche ſich deß Wercks nicht theilhafftig gemacht / in die Acht und Aber-Acht gethan / gebracht oder erklärt / ſondern in ſolchen ordentlicher Proceß gehalten / und vollzogen werde / wie es ſich nach Ausweiſung deß Heiligen Reichs vor aufgeſetzter Satzungen / und der im Jahr 1555. reformirter Cammer-Gerichts-Ordnung / und darauf erfolgter Reichs-Abſchieden / gebühret / und was deßhalben bey dem künfftigen Reichstag / wie reſervirt worden / von Churfürſten / Fürſten und Ständen de modo & ordine weiter verglichen werden möchte: Wäre es aber Sach / daß die That an ſich ſelbſten gantz notori und offenbahr / der Friedbrecher auch in ſeinem Verbrechen beharrlich und thätlich fortführe / obwohlen es dann nicht eben eines ſonderbahren Proceß vonnöhten / ſo wollen wir jedoch auch in dieſem Fall mit Zuziehung deß Heil. Reichs erſtgemeldter Maſſen verintereſſirter Churfürſten / ehe und bevor wir zu der würcklichen Achts-Erklärung ſchreiten / communiciren und ohne deren erfolgten Raht / und ausdrückliche Einwilligung / damit nicht verfahren.

CAPUT XLI.

Vaſallus ipſe ad ſuſcipiendam Inveſtituram à Domino citetur, & perſonalem Comparitionem deneganti, Feudum avocetur, Ærarioq; addicatur.

SUMMARIA.

1. Vaſalli *quidam inſolentes Dominos ſuos alto ſupercilio deſpiciunt, & perſonalem comparitionem detrectant: ob id feudo privandi vel mulctis pecuniariis in gyrum redigendi,* n.2.

3. *An* Vaſallus *ad perſonalem comparitionem cogi poſſit?*

4. *Authoris Conſilium deſuper redditum ; & præmiſſa facti ſpecies,* n.5.

6. Inveſtitura feudi *an per Procuratorem accipi queat ? Affirm. Authores in eam ſententiam laudati,* n.7. *Ampliatur,* n.9. *Contrarium deciditur,* n.35.36.37.38.39.40.41. *& bellè declaratur,* n.56.57. *Limitatur quoq; affirmantium opinio,* n.58.59.60.61.

8. *In* Juramento adſecurationis *Procurator non admittitur.*

10. *In* cauſis judicialibus *quilibet per Procuratorem agere poteſt, & nemo ad perſonalem comparitionem, exceptis cauſis criminalibus, urgendus. Idem obtinet in extrajudicialibus,* n.11. *Vide tamen* n.64.65.66.67.

12. Actus civiles *per Procuratorem expediri poſſunt, uti & juramenta,* n.13.

14. Feudi qualitas *ſicut fuit apud venditores, ita apud emptores permanet.*

15. Mutatione perſonæ *conditio rei feudalis non alteratur.*

16. Inveſtituræ *renovantur juxta formam priorum & antiquarum Inveſtiturarum.*

17. Origo & natura *rei inſpicienda.*

18. Succeſſor *non eſt melioris conditionis, quàm author ſuus.*

19. Feudum *tranſit ad fœminas, ubi ſervitia perſonalia per ſubſtitutum expediri poſſunt.*

20. Obſervantia *ſubſequens, fida interpres in feudalibus, declarat, ad quid teneantur ſubditi,* n.21.

22. Novitates *in homagio haudquaquam inducendæ.*

23. Obligatio feudalis *magis rem, quàm perſonam reſpicit.*

24. Servitia *Domino debita ſunt realia.*

25. Vaſallus *per ſubſtitutum ſervitia præſtare poteſt.*

26. *Quod mihi non nocet, alteri prodeſt, facilè concedendum.*

27. *Si* Creditori *per alium, quàm debitorem, debitum offeratur & deponatur, debitor liberatur. Quod quomodo verum,* vid. n.83.

28. *Ex* actibus difformibus *non inducitur conſuetudo.*

29. Inſtantiâ & exemplo *dato neceſſitas generalis illationis ſubmovetur.*

30. *Ob dignitatem ſupervenientem* Vaſallus *per ſubſtitutum ſervitia expedire poteſt.*

31. Mutatione perſonæ *mutatur cauſa negotiorum & obligatio.*

32. Actibus meræ voluntatis *quòd non præſcribatur, quomodo intelligendum.*

33. Præſcriptione immemoriali *tolluntur, quæ ſunt liberæ facultatis.*

34. Poſſeſſio immemorialis *jus familiaritatis & amicitiæ enervat.*

42. Vaſallus *eſt debitor obſequii perſonæ cohærentis: &* n.97.

43. Juramentum fidelitatis *habet annexam reverentiæ exhibitionem.*

44. *Ea quæ ſunt* dignitatis, honoris & reverentiæ, *per alium expediri nequeunt.*

45. Fidelitas Vaſalli *perſonæ, non rei cohæret, &* n.46.47.

48. *In* feudis *diſquiſitio qualitatis perſonæ neceſſaria.*

49. *Ubi requiritur* cognitio *circa qualitatem perſonæ, actus per ſubſtitutum minimè explicantur.*

50. Leges feudorum, *quibus licebat per Procuratorem fidem præſtare, antiquatæ & ubiq; gentium receptum, ut Procurator fiduciarius ab Inveſtitura arceatur, &* n.51.52.

53. *Exempla* Ludovici Sfortiæ, *& Marchionis Salutiarum,* n.54. *Caroli Ducis Burgundiæ, filiæ Mariæ, Imp. Maximiliano nuptæ,* n.55.

62. Lege *non diſtinguente, nec nos diſtinguere debemus.*

63. Opi-

63. Opinio *illa ſequenda, quæ alias pugnantes diſtinguendo conciliat.*

68. *Refellitur ſecunda* Ratio Dubitandi.

69. Inveſtitura *prima non alteratur per ſecundam factam in eadem familia; ſecus quando feudum tranſit in aliam familiam per emptionem vel alium titulum.*

70. Feudum novum *dicitur, quando habitum fuit ex nova cauſa.*

71. Fœminæ *quando ad juramentum fidelitatis præſtandum arctari poſſint:* & n.72.

73. Prælatus *non poteſt Eccleſiæ præjudicare.*

74. *Sexta* Ratio Dubitandi *eliditur.*

75. Vaſallus *non poteſt ſervire per ſubſtitutum, ubi electa eſt perſona & ejusdem induſtria, ut in feudo proprio fit: Declaratur & confirmatur*, n. 76. & 77.

78. *Refutatio* 7. Rationis Dubitandi.

79. *Rationes adducuntur, quare* Vaſallus *citatus perſonaliter jurare cogatur, hoc* & n.80.

81. Creditor *debet perſonaliter jurare, quò magis commoveatur, quando ipſemet jurat & ſacra tangit.*

82. Suſpecti ob fractam pacem, *exceptis Principibus, ſe ſiſtere & jurejurando perſonaliter purgare tenentur.*

84. Solutionem *recipere non cogitur Dominus pro re emphyteutica ab alio, quàm ab* Emphyteuta.

85. Emphyteuticum cenſum *non poteſt ſolvere aliquis ſine mandato pro ipſo Emphyteuta, Domino recuſante.*

86. Damnum *patitur, cujus voluntas offenditur,* & n 87.

88. Poſſeſſio *non quæritur ex actibus merè voluntariis.*

89. Privilegia *per non uſum non amittuntur.*

90. Conſuetudo *non inducitur ex non actu.*

91. Actus *non ſunt interpretandi contra intentionem agentium.*

92. Perſona *una, quando habet jura plurium perſonarum, retinet in ſingulis naturam ſuam: Ejusce rei exempla in Imperio Romano paſſim obvia,* n.93.

94. Duces, Comites, Barones *appellatione Nobilium veniunt.*

95. Vaſalli *dignitas non nocet Domino.*

96. Juramentum adſecurationis *per longiſſimum tempus non poteſt præſcribi, niſi Subditi ad præſtandum requiſiti expreſsè negaverint, tanquam liberi & exempti.*

98. Jus reverentiale *nec præſcribi, nec pacto remitti poteſt.*

99. Exemptus à Jurisdictione *non cenſetur exemptus à jure reverentiali.*

100. Ottocarus Rex Bohemiæ *feudum ab Imperatore Rudolpho I. poplite flexo recognovit.*

101. *Quo modo, quâ reverentiâ & ſubmiſſione* juramenta fidelitatis & adſecurationis *præſtanda ſint.*

102. *In eo* Curiarum *feudalium conſuetudo ubilibet ſpectanda.*

Si contumax Vaſallus haud compareat,
Coràm, citatus à Dynaſta, patrio
Privatur ille feudo, & eſt Ærarii.

1 HOc Ærarii collocupletandi medio & remedio meritò utuntur Domini, quibus Vaſalli inſolentes arrogantiâ faſtuque elati, debitum honorem & reverentiam exhibere detrectant, ac coram Dominis ſuis perſonaliter comparere renuunt; ut ſcilicet illos binâ vel trinâ monitione prævia, ob contemptum bonis feudalibus privent 2
& exuant, aut ſaltem inſigni mulctâ pecuniariâ Fiſco applicandâ notent. Sed an Vaſallus 3
hoc fine & effectu ad perſonalem comparitionem arctari queat? in facto quæſitum memini.

Operæ pretium eſſe puto, *ut Conſilium ſive Reſponſum Juris*, (1) quod ante aliquot 4
annos conſcriptum, materiæ propter convenientiam, & quia uberiorem aliquantum hujus Capitis continet enodationem ſubjungam.

CASUS SIVE FACTI SPECIES EST TALIS. 5

VOn dem Fürſtlichen Stifft Kempten/ thut der Wolgeborne Herr/ Herr Heinrich/ deß H. Reichs Erbtruchſes/ Freyherr zu Walpurg/ das Schloß und Burgſtall zur Linden genannt/ mit allen ſeinen Zu- und Eingehörungen/ Recht und Gerechtigkeiten/ wie auch die Alpen zum theil genannt Romnoß oder breite Kertall/ zu Lehen tragen.

Demnach nun der Hochwürdige Fürſt und Herr/ Herr Heinrich/ hochermeldtes Fürſtlich Stiffts Abbt/ zu Empfahung obberührten von Ihrer Gn. Stifft herrührenden Lehens obwolermeldtem Herrn Erbtruchſeſſen einen Lehentag angeſetzt und beſtimmt. Als hat derſelbe einen Adelichen Lehentrager an ſeine Statt mit dem Begehren abgefertiget/ demſelben die inveſtitur zu ertheilen/ und hingegen von Ihme gebührende Lehenspflicht anzunehmen.

Es iſt aber von Hochg. Fürſten die perſönliche Erſcheinung deß Vaſalli, oder aber/ da er deren enthebt ſeyn wolle/ ſich zu reverſiren/ daß ſolches vor keine Gerechtigkeit künfftig angezogen werden ſoll/ geſonnen/ welches durch wolgemeldten Freyherrn aus dieſen Urſachen (wie die hinc inde gewechſelte Schreiben ausweiſen) difficultirt werden will/ daß erſtlich diß Lehen 1
ehe und zuvor es an die Herren Erbtruchſeſſen/ (ſo es Anno 1509. von Conraden von Riedheim erkaufft) eingehabt/ feudum fœmineum geweſen/ und alſo nohtwendig per ſubſtitutum empfangen.

Daß von berührter Zeit an die Herren Erbtruchſeſſen 2
continuâ ſerie, durch Adeliche Lehentrager/ und niemals dieſer Lehen halber in der Perſon die gewöhnliche Lehenpflicht geleiſtet.

Wie dann ohnverneinlich/ daß/ unangeſehen 3
Ihrer Gn. Herr Vatter / Herr Jacob Erbtruchſeß wolſelig Anno 1585. wegen Vorſtädten/ ſo ebener Geſtalt vom Fürſtl. Stifft Kempten Lehenrührig die Lehen-Empfängniß ſelbſt gethan und perſönlich geleiſtet/ jedoch damals um das Lehenbahre Gut zur Linden/ dergleichen perſönliche Empfängniß/ ſo gleich eadem operâ geſchehen können/ nicht begehrt/ ſondern

zu

ſondern zu Anzeig eines mercklichē Unterſcheids durch einen beſondern Adelichen Lehentrager empfangen worden.

4 Alſo daß ſolche über 90. Jahr/ ja unverdenckliche Zeit hero/ unverrückt herbrachte Obſervantz/ auch hinfüro ungeſchwächt zu laſſen.

5 Fürnemlich auch der Urſachen/ daß dem Fürſtl. Stifft Kempten nichts dadurch abgehet noch præjudicirt wird/ obgleich von einem Adelichen Lehentrager oder aber dem Lehenmañ ſelbſt das Lehen empfangen werde.

An ſolchen vorgeſchützten motiven Hochermeldter Fürſt keines Wegs begnügig iſt/ beſondern ſo wol als Ihr F. G. Hochgeehrter Vorfahr Anno 1602. die perſönliche Einſtellung/ oder aber an Statt deren ſich zu reverſiren aus
1 dieſem Grund begehret/ daß Erſtlich es bey deß Fürſtl. Stiffts Kempten Lehenhafft/ inſonderheit aber mit dieſem Lehen alſo herkommen/ daß die Lehens-Empfängniß perſönlich geſchehen müſſe/ geſtalt man ſich hierüber ad Stylum Curiæ Campidonenſis beruffen thut/ und obwol den Vaſallis auf eingewendete Entſchuldigung zu Zeiten durch Lehentrag die Lehen zu empfahen / und die Pflicht zu leiſten unvergreifflich
2 verhengt worden. So ſey doch ſecundò daſſelb ex gratia und keines Wegs aus Schuldigkeit beſchehen/ dannenhero und weil wolermeldter Herꝛ Erbtruchſeß diß für ein Gerechtigkeit nunmehr anzuziehen unterſtehet/ Hochermeld J. F. Gn. gnugſam Urſach habe/ dem Lehenmann die perſonal Comparition zuzumuten.
3 Wie dann auch tertiò Ludolphus Schraderus *in Tract. de feud. part. 6. cap. 4. num. 35.* der Meinung/ daß der Lehenmann auf Begehren deß Lehenherꝛn in perſona ſich einzuſtellen verbunden ſey/ derowegen würd darüber ein unpartheilich Rechtlich Bedencken erfordert/ ob wolermeldter Erbtruchſeß/ aus obangehörten und andern motiven befugt ſeye/ mehrhochgedachten Fürſten/ auch wider J. F. Gn. Willen/ einen Adelichen Lehenträger aufzudringen/ ꝛc.

A DOMINO CONSILIUM.

PRimâ quidem fronte in favorem Illuſtris Domini Baronis Imperii hæreditarii Dapiferi pro affirmativa ex ſequentibus rationibus concludendum videbatur.

6 Nam (1) in jure feudali expreſsè cautum eſt, quòd per Procuratorem ad hoc particulariter conſtitutum peti acceptarique feudum poſſit. Utrum ipſe (*inquit textus*) vel alius pro te Inveſtituram faciat vel ſuſcipiat, nihil intereſſe putamus. Poteſt enim hoc negotium per Procuratorem ab utraque parte expediri, *cap. 1. §. Sed utrum per quos fiat Inveſt. & per quas recip. & c. 1. §. Item Inveſtitura. de notis feud. inquit text.* Inveſtitura per ſe vel ſuum Nuncium
7 dari & accipi poteſt. Et hanc magis communem dixit Jul. Clarus §. *feudum quæſt. 49. num. 13.* (ubi addit, ubique ita ſervari) Jaſon. *in l. Gallus. §. forſitan. num. 11. ff. de lib. & poſth.* Jacob. de S. Georg. *de feud. §. Qui quidem inveſtiti. num. 10.* Chaſſan. *in Conſuetud. Burg. rub. 3. §. 2. verb. faire homag. n. 4.* Hartm. Hartm. *lib. 2. pract. obſ. tit. de feud. obſ. 13.* Wormbſer. *lib. 1. pr. obſ. tit. de feud. obſ. 5.* Communem etiam tradidit Weſemb. *de feud. c. 5. n. 7.* Schrad. *de feud. p. 56. d. c. 4. num. 30.* Fulv. Pacian. *lib. 2. de prob. cap. 40. num. 9.* Cacheran. *deciſ. 113. num. 6.* Andreas Rauchbar. *lib. 1. quæſt. jur. 8. num. 11.* Gail. *1. obſ. pr. 85. num. 5.* & noviſſimè Jeremias Setſerus *de Juramentis lib. 1. c. 14. n. 17.* ubi hoc pluribus probat, Alexand. *conſil. 10. num. 8. vol. 5.* Jacob. Leonard. *conſ. 116. n. 13.* inter Alberti Bruni Conſilia, Surd. *conſil. 172.*
n. 6. (ubi docuit, aliud eſſe in Juramento ad- 8
ſecurationis à ſubditis præſtari ſolito, quod non admittit procuratorem, poſt Zaſ. & Hippol. Riminald. *conſil. 6. n. 14.* Quod diſcrimen etiam inſinuat Andr. Knichen. *de ſublimi & regio territ. Jure cap. 3. num. 162. & ſeq.*) Caſpar. Anton. Teſſaur. *lib. 2. forenſ. quæſt. 38. num. 3.* Burſat. *conſ. 285. n. 23.* Flam. de Rubeis *conſil. 20. num. 37. lib. 1.* ubi plures in hanc rem cumulat, Henric. Roſenthal *de feud. cap. 6. concl. 37.* Id quod Chaſſanæus
quoque ſupradicto loco Baldum in ſpecie 9
reprehendens, item Sonsbecius in iſto caſu defendunt, etiamſi Dominus feudi refragaretur, perſonalemque comparitionem exigeret, Sonsbec. *de feud. p. 7. n. 25.* Quod ſequitur Henric. à Roſenthal *dict. concluſ. 37. num. 5.*

SECUNDO, quia etiam juxta diſpoſi- 10
tionem juris communis cuilibet integrum, ut in cauſis forenſibus & judicialibus per Procuratorem agat, ita quidem, ut nemo ad perſonalem comparitionem, exceptis cauſis criminalibus, à Judice aſtringendus ſit. Eſt enim unicuique lege indultum, ut poſſit in Judicio per Procuratorem comparere, *l. fin. C. de Procurat.* Quod benefi- 11
cium à judice ſine cauſa auferri nequit, Marian. Socin. *art. 20. num. 25.* Fulv. Pacian. *lib. 2. de probat. cap. 48. num. 10. & ſeqq.* Itaque & hoc valere neceſſe eſt in extrajudicialibus: cùm argumentum à Judiciis ad contractus procedat, Nicol. Everhardi *in Topic. in loco à Contractibus ad Judicia.* Daniel. Moller. *ad Conſtit. Saxon. part. 1. tit. 14. n. 6.* Maximè cùm habeamus regulam generalem & 12
vulgatiſſimam; Actus omnes Civiles per Procuratorem poſſe expediri, *l. fin. C. de Procurat.* Et eum, qui facit per Procuratorem, per ſe ipſum facere videri, *l. 1. §. dejeciſſe. ff. de vi & vi armata.* Joan. Bapt. Aſin. *in prax.* §. 22. *num. 2. & 3. cap. 11.* In quo poſteriori Axiomate ſe fundat etiam Henric. à Roſenthal *de feud. dict. cap. 6. concluſ. 37. lit. c.*
Hinc regulariter quodlibet juramentum 13
præſtari poſſe per Procuratorem habentem ad hoc ſpeciale mandatum, niſi legibus

expreſsè Contrarium reperiatur cautum poſt alios ſtatuit Ludolph. Schrader *de feud. part. 10. ſect. 20. n. 24.* ubi loquitur de juramento Tutorum, Curatorum, &c.

Idque Tertio potiſſimùm procedit in præſenti hypotheſi, eò, quòd prædictum Feudum Campidonenſe à prima origine fœmineum fuerit, ſicut Domini Hæreditarii Dapiferi mediante aliquâ emptione in eadem qualitate ſucceſſerint, in eosque devolutum ſit, juxta Anton. Solam *in Con-*
14 *ſtit. Sabaud. decreto Volant. de feud. gl. 4. num. 14.* Feudum enim apud emptores ſubrogatos venditoribus ejus qualitatis & naturæ manet, qualis fuit apud venditores, Berous *conſil. 77. num. 27. & num. 45. volum. 1.* Cra-
15 vett. *conſil. 973.* Et mutatione perſonæ conditionem rei feudalis non mutari, ſed retinere primam naturam & conditionem, niſi probetur alterata, tradit Paris de Puteo *de redintegr. feud. cap. 237.* Unde & moris eſſe, ut Inveſtituræ renoventur emptoribus juxta formam priorem & antiquarum Inveſtiturarum, ſcripſit Marc. Anton. Peregr. *conſ. 31. num. 10. lib. 1.*

Nec mirum: quia natura & origo rei
16 ſemper ſpectanda eſt, *l. nam origo ff. quod vi aut clam*, & à primordio tituli, poſterior formatur eventus, *l. 1. C. de impon. lucr. deſcript. lib. 10.* Item quia naturaliter non poteſt plus eſſe in ſecunda cauſa, quàm in prima, & abſurdum reputatur, quòd ſucceſſor melioris ſit conditionis, quàm author ſuus *l. fin. §. 1. ff. ad Velleian. l. in his §. non debeo ff. de R. J.*

17 Atqui in jure feudali fundatum eſt, quòd ubi fœmina ex verbis aut natura feudi includitur; videatur actum, ut per ſubſtitutum ſervire, ſeu ſervitia realia præſtare poſſit, quæ à Domino ſunt ſolita exigi.

18 Quam in rem ſubminiſtrat authoritates Henric. Roſenth. *de feud. cap. 6. concl. 31. numer. 6. & ſeq. & cap. 8. concluſ. 4. num. 15. & ſeq. & concluſ. 8. numer. 8.* Peregrin. *conſ. 5. n. 7. vol. 1.*

19 Neque minùs Quartò id confirmatur longiore uſu & jugi obſervantiâ. Nam à quo feudum hoc primò ad DD. Hæreditarios Dapiferos translatum eſt, nunquam ipſi perſonaliter, ſed per Procuratorem inveſtituram petierunt, & juramentum fidelitatis præſtiterunt.

20 Quæ utique Obſervantia ſubſecuta dicitur fida interpres, maximè in feudalibus, Joſeph. Ludovic. *concluſ. com. 38. numer. 21.* Et quemadmodum Obſervantia ſubſequens declarat, ad quid teneantur ſubditi erga Superiorem, Menoch. *conſil. 748. n. 21.* Ita etiam oſtendit, quid Vaſallus domino
21 præſtare debeat: Sic ut ex hacce cauſa nulla Innovatio in juramento fidelitatis permiſſa ſit.

22 Sicut in ſpecie nullas in homagio inducendas eſſe novitates, inculcant Marc. Anton. de Amat. *deciſ. 112. num. 5.* Schrader. *de feud. part. 10. ſect. 5. num. 98.* Bertrand. *conſ. 225. num. 7. vol. 3. part. 2.* Aug. Berous *conſ. 81. num. 41. vol 1.* Anton. Sola *in Conſtit. Sabaud. de jure Emphyt. part. 1. gl. 33. n. 13.* Caſpar Anton. *Theſſaur. lit. forenſ. quæſt. 38. num. 11.*

Quintò facit, quòd feudalis hujus neceſſitudinis contrahendæ ratio magis in rem clientelarem, quàm in perſonam clientis ſcripta & concepta videatur, Petr. Gregor. *Syntagm jur. univ. lib. 6. cap. 15. n. 8.* 23
Et utcunque ſervitia feudalia perſonæ incumbant, tamen propter rem potiſſimùm præſtantur, ita ut & Vaſallus refutatione 24
feudi ab iis poſſit liberari, Roſenthal, *de feud. cap. 10. concluſ. 44. num. 52. & ſeq.* Corne. *conſil. 17. num. 19. vol. 1.* Unde eſt tantò minùs ad perſonalem comparitionem aſtringendus Vaſallus.

Quod & inde Sextò confirmatur, quòd Vaſallus in perſona Feudi ſervitia præſta- 25
re non teneatur, ſed id per ſubſtitutum expedire poſſit.

Ita Vaſallum non cogi Domino præcisè ſervire perſonaliter, ſed ipſi ſerviendo per ſubſtitutum, vel partem fructuum feudalium dando liberari, ſcripſit Schrader. *de feud. part. 6. cap. 6. n. 44. & num. 45. verſ. ſi verò Vaſallus, & num. 56.* ubi ait, Vaſallum non cogi Domino feudi ſervitia exhibere, ſi 26
illi dimidiam partem redituum feudi præſtare paratus ſit, per text. ibidē allegatos, noviſſimè Marta *de jurisdict. part. 4. caſu 22. num. 16. & ſeq.* Et addit Schrader. *ibid. num. 51. & ſeqq.* Quòd perſonaliter, vel per ſubſtitutum ſervire, ſit actus meræ facultatis. Neque poteſt inter actum præſtandi juramentum fidelitatis, & ſerviendi notabile diſcrimen adverti.

Quæ omnia tantò fortiùs ligant, quòd 27
Septimò Campidonenſi feudo nihil inde decedit, ſive id per Procuratorem ſive perſonaliter acceptetur. Quod autem tibi non nocet, & mihi prodeſt, facilè concedendum, *l. 2. §. Item variis in fin ff. de aqua pluv. arcend.* Menoch. *conſil. 51. num. 45.* Idque eò magis admittendum, quòd & invito Creditori, modò non ſit particularis ſolutio, invito quoque debitore per alium ſolvi poſſit, ita ut liberatio contingat, Joan. Sichard. *in l. obſignatione 9. n. 12. C. de ſolut.* Facit *l. invito 12. & l. manifeſti 17. C. eod.* & *l. ſolvendo ff. de negot. geſt.* ubi poteſt aliquis pro abſente, ignorante & etiam invito ſolvere, & liberatur per hoc debitor. Et eſt text. ſingularis *in l. 10. §. 1. in fin. ff. de ſolut.* Nam ipſo geſtu, *hoc eſt*, quo pro me ſolvit, dicitur negotium geſſiſſe, ita ut me liberet ab obligatione, & paret ſibi actionem negotiorum geſtorum contra me.

Quòd autem ex parte Reverendiſſimi

Principis allegatur diverſitas, ex eo, quòd hæc Abbatia Campidonenſis in veteri recentique exercitio habeat, ut Vaſalli perſonaliter comparere, & inveſtituram petere teneantur; non erit facilis & proclivis operæ, hanc conſuetudinem Curiæ jure ſtabilire: attento maximè, quòd pro OCTAVO contrarium planè in hac inveſtitura à multis retrò annis obſervatum eſſe conſtet, ac proinde nequeat ex tàm difformibus actibus ulla conſuetudo evinci.

28 Juris enim eſt manifeſtiſſimi, ex actibus variis & difformibus nullo tempore induci conſuetudinem, Coler. *de Proceſſ. Execut. part.1.cap.3.num.39.circa med.* Menoch. *lib. 4 præſumpt.31. num.8.& conſil.47.num.67.* Schrad. *de feud. part.10. ſect. 40. num.157.* Schurff. *conſil.47.n.10.cent.3.* Cravett. *conſil.714.num.17.* Simon de Prætis *conſil. 43. n. 21. Cent.3.* Surd. *conſil.393.num.22.* Flam. de
29 Rubeis *conſil 49. num. 79. lib. 2.* Ratio eſt, quia ob actus difformes dubium ſuboritur, quid populus voluerit obſervare, & ſicuti lex, ita etiam conſuetudo ſeu obſervantia debet eſſe clara & certa, non autem obſcura & dubia, Roland. à Valle *conſil.13.num.20.* Natta *conſil.332.num.7.* Becius *conſ. 7. num. 28.* Quinimò, ubi unicus actus probatur contra conſuetudinem, tunc conſtat conſuetudinem non exſtare, Cravet. *conſil.462. num.24.* Bero. *conſil.5.num.23.vol. 1.* Vulgatum enim eſt, quòd datâ Inſtantiâ & exemplo diverſo ſublata ſit neceſſitas generalis illationis, Hieron. Laurent. *deciſ.128. num. 18.* Cacheran. *deciſ.169.num. 13.* Vaſqu. *Illuſtr.*
30 *Controv.libr.1.cap.38.n.7.* Hieron. Schurff. *conſil.1.num.23.cent.2.*

Et hoc quidem tantò minùs in feudo præſenti, quod licet Hæreditarius Dapifer Imperii Anno MDLXXXV. alia feuda ab Abbatia Campidonenſi in perſona petierit:
31 ratione tamen hujus feudi alterũ deputarit, atque nec inde forte ſic factum eſt, quòd Barones noluerint feudum Nobile aliter, quàm per Nobilem acceptare.

Quâ ratione & receptum, quòd ob ſupervenientem dignitatem Vaſallus per ſubſtitutum vices ſuas explere poſſit, Henric. Roſenthal *de feud. cap. 8. concluſ. 22. n. 6.*
32 Et mutatione perſonæ mutetur cauſa, negotiũ & obligatio, Menoch. *conſ.119.n.8.& 11.*

Neque poteſt hactenus facta inveſtitura & acceptatio ex eo colorari, quòd in DD. Abbatum arbitrio ſemper fuerit, Nobilem Vaſallum admittere, vel ipſummet in perſonâ Vaſallum citare, ita ut actibus meræ facultatis non præſcribatur.

Nam hoc intelligendum, quando quis facultate uti ac frui ex ſe ipſo poſſit, absque miniſterio adverſarii, non autem, ſi competat jus dependens à miniſterio alterius, ſine quo illo jure uti quis non poteſt, ut in fidelitate, quâ Dominus ex ſe ipſo frui non poteſt, ſed opus eſt facto Subditorum, ut eleganter explicat Cephal. *conſil. 176. n. 47. & ſeqq. & conſil.618.num.89.& ſeqq.* Crav. *de antiq.temp. part. 4. §. circa præmiſſa num 37 fol.515.* Uti nec iſtud locum habet in præ- 33
ſcriptione immemoriali, quâ etiam ea tolluntur, quæ ſunt liberæ facultatis, Weſem. *conſil. 2. num 99. verſ. præterea ad omnia:* 34
Quemadmodum & temporis longævi vel immemorialis poſſeſſio jus familiaritatis amicitiæ, ſub quo actus permiſſus credebatur, elidere ſolet; juxta notata Rebuffi *in conſtit. Regni de mater.poſſeſſ.in præfat.num. 193.& ſeqq.* Alex. Raudenſ. *Deciſ. Piſan. 5. num.29.* Rota Rom. *deciſ. 136. num.2.p.1.in noviſſ.* In quibus terminis, temporis nimirum immemorialis, hoc loco ſtabiliti ſumus, quoniam ab Anno MDXII. vicibus pluribus accidit, ut feudum per Procuratorem peteretur.

RATIONES DECIDENDI.

Quantumvis verò jam dictæ Rationes Dubitandi non levis ſint momenti: nihilominus tamen omnibus circumſtantiis maturè conſideratis, juri videbitur & æquitati magis conſentaneum, ut Vaſallus, petente id Domino Feudi ex cauſis rationabilibus, in perſona, niſi juſtis & legitimis impedimentis diſtrictus fuerit, feudum 35
petere & juramentum fidelitatis præſtare teneatur.

Atque huic ſententiæ ſuffragantur non 36
modò (1) Paul. Caſtrenſ. *conſil.335. Laudatio & inveſtitura in pr part. 1.* quatenus ibidem inſinuat, per Procuratorem non poſſe accipi feudum, niſi dominus conſentiat, Roman. *ſing. 807.* Franc. Marc. *deciſ. 1213.num. 4. part. 1.* Covarr. *in c. Quamvis part.1.§.5. numer. 19. de reg.jur.in 6.* Hartm. Piſtor. *lib.2.qu.feud.qu. 47. num. 58.& ſeqq.* (ubi voluit Domino præſentiam Vaſalli deſiderante, non admitti procuratorem eodem invito, niſi forſan juſta ex causâ impediretur Vaſallus) Mozz. *de ſubſtant feud. libr. 1. cap. 7. num. 32.* Thom. de Marin. *de feud.lit.15.num.20.in fin. & num.26.* ubi firmat Dominum non cogi invitum recipere Juramentum fidelitatis per Procuratorem, Joan. Petr. Surd. *deciſ.159.num.17.& 18.& conſil. 172 .libr. 2.* qui multis citatis diſtinguit & magiſtraliter loquitur: Et ſecundùm dictam Surdi deciſionem Senatum Supremum in Principatu Cataloniæ in mẽſe Majo Anno MDCIV. pronunciaſſe teſtatur Jacob. Cancerius *var. reſolut. cap. 10. numer. 44.* In quam ſententiam inclinat quoque diſtinguendo Cæſar. Urſill. *in addit.* ad Matth. de Afflict. *deciſ. 265. num.4.5. & ſeq.* quatenus ſcribit: *ex quo text. in d.* 37
cap.1. Sed utrum loquitur per verbum poteſt, quod verbum denotat poſſibilitatem & honeſtatem, juxta l. Nepos Proculo ff.de verb.ſig.

concludendum : *Aut juſtam cauſam allegat Dominus, cur præſentiam velit, & audiendus; aut Vaſallus adducit juſtam cauſam ſe non præſentandi perſonaliter, & ſimiliter audiendus.*
38 Schrad. *de feud.d.part.6.cap.4.numer.35.& conſil 17.num. 17.vol.1.* ubi formaliter tenet, nunquam Vaſallo permitti Juramentum fidelitatis per alium præſtare eo caſu, quando dominus vult, ut ipſe illud Juramentum in perſona præſtet, Rol. à Valle *conſil. 52. num. 6.vol. 3.* ibi: Quia non jurat ipſe perſonaliter, ſicut feudatarius in manibus regis & primi domini. Eò etiam inclinat Daniel Moller. *libr. 4. Semeſtr. c. 20.*
39 *num.4.* Solent (ait Mollerus) Procuratores ad recognitionem feudi & fidelitatem jurandam tum ferè admitti, ubi ex principali mandato exhibito, aut aliunde de juſta cauſa conſtat, quæ Vaſallum à perſonali præſentia excuſet. Idque ſecundùm veram & magis communem opinionem, quam multis textibus & authoritatibus probat Laurent. Sylvan. *de feud. recog. qu. 94.num.3.* Aliàs enim, ſi ipſemet (ut nonnunquam factum meminit Mollerus) vo-
40 catus non compareat perſonaliter coram Domino, aut ejus Conſiliariis, ac cum debita reverentia feudum recognoſcat, & fidelitatem præſtet, periculo privationis ſubjacet, Sylvan. *ibid.* ubi id dicit notandum contra inſolentes Vaſallos, qui dedignantur perſonaliter coram Dominis ſuis comparere, & eis debitam reverentiam exhibere. In effectu hanc ſententiam ſequitur Joan. Bapt. Aſin. *de exec.§.9.c.2.n.5.* Et in Supremo Domino admittit Caſp. Ant. Teſſaur. *lib.Forenſ.qu.38.num.3.* Joh.Schön. *de feud.p.1.diſp.5.th.168.*

41 Sed & confirmatur Secundò hæc deciſio, per text. *in c.1. §. verum, de ſtatu regular. lib. 6.* quem text. in hunc ſenſum allegant Franc. Marcus, Covarr. & Surd. *dd.locis,* ubi in terminis magis dubitabilibus formaliter diſponitur, quod Abbatiſſa pro feudo, quo Monaſterium ab aliquo Principe ſeu Domino temporali tenet, Juramentum fidelitatis (niſi, quod per Procuratorem illud præſtet, poſſit efficere apud eum) monaſterium exeundo præſtare debeat, à veſtigio tamen ad Monaſterium reverſura. Unde neceſſariò infertur, in voluntate Domini Feudi ſitum eſſe, an Procuratorem velit admittere, nec ne, ut mirum ſit, hunc textum indiſtinctè in contrariam ſententiam allegari à Renato Choppino *de legib. Andium libr. 2 de feud. Andegav. tit.1.num.2.* ubi contendit, per hunc textum religioſis, ne monaſticis clauſtris exire cogantur, jurante fidelitatis ergò alienâ Vicarii operâ licitè hujusmodi officio perſungi.

42 Similiter ac Tertiò corroboratur idipſum ulteriùs; Quòd Vaſallus ſit debitor obſequii perſonæ cohærentis, & ab ea inſeparabilis, & non poſſit invito creditore aliud præſtari, neque per alium ceſſante juſtâ causâ, Ita Carol. Molin. *in Conſuet. Pariſ.§. 55.gl. 2. verb. Les proprietaires.num.6.*
Item, quod juramentum fidelitatis habet 43
annexam reverentiæ exhibitionem, quæ in præſentia perſonarum fieri debet, poſt Bald. & quòd ea, quæ ſunt dignitatis vel 44
honoris & reverentiæ, aut aliàs ſui naturâ perſonalia, non poſſunt per alium expediri, etiam caſibus neceſſitatis. Facit *l. Nullus C.de Decurionibus lib. 10.* Molin. *in Conſuet. Pariſ. §.67.(olim 49.) gl. 1.n.1.* Petr. Gregor. *Synt. Jur.univ.libr.6.cap.15.n.8.*

Juvat hanc ſententiam Bodinus *de Re-* 45
publ.libr.1.cap.10.mihi fol.177. ubi docuit, fiduciam Vaſalli non eſſe ſervitutem realem, ſed perſonæ ita cohærere, ut ab ea divelli non poſſit, adeò, ut ne quidem Procurator ad fidem Vaſalli nomine præſtan- 46
dam idoneus ſit. Et Maſcard. *de probat. concl.1397.num.34.* ſcribit, & obligationem homagii ſive Vaſallagii eſſe perſonalem, & perſonam afficere. Hinc feudi cauſam eſſe radicatam in perſona & ſervitio per- 47
ſonali, voluit Alvar. Valaſc. *de Jure Emphyt. quæſt.39.num.15.*

Quartò neceſſaria prorſus judicatur in 48
feudis diſcuſſio qualitatis perſonæ; an ſit habilis ad præſtandum ſervitia perſonalia domino ad ſervandam fidelitatem, juxta *cap.1.de milite Vaſallo, qui arma depoſuit cap. Imperatorem §. præterea de proh. Feud. alien. per Frider.* Ubi autem requiritur cognitio 49
circa qualitatem perſonæ, non poteſt actus ille explicari per Procuratorem, Bart. *in l.Gallus §.forſitan. ff. de lib. & poſth.l.fin. ibi: Sed ipſos Dominos per ſe.C.de Jur.Emphyt.* Quo argumento utitur Daniel Moller. *libr.4.Semeſtr.d.c. 20. num. 4.* poſt Signorol. de Homodeis *conſil. 120. Incip. Quidam dictus Gabrinus.*

Præter hoc, caſu citra veri noxiam po- 50
ſito, quòd de jure feudorum Vaſallo non negaretur juramentum fidelitatis præſtari per Procuratorem, uti quidem ſentit Cujac. *libr. 2. de feud. tit. 4.* & Bodin. *d.c.10. fol. 177.ſcribens,* aliquorum feudorum legibus licere per Procuratorem fidem præſtare. Foret tamen Quintò per invetera- 51
tam conſuetudinem, in hoc puncto à Jure feudali receſſum controventumque, teſte Cujac. *lib.2.de feud. tit.4.in fin.* Plerumque (*inquit*) conſuetudines regionum exigunt, ut ipſemet Vaſallus veniat Domino poſtulante, & ut per alium non juret, quàm ſi per alium Dominus faciat Inveſtituram. Quod & ſenſit Bodin. *lib. 1. de Republ. c. 10. fol. mihi 177.* Illud (quod videlicet anti- 52
quis feudorum legibus licebat per Procuratorem accipere) *ait*, antiquatum eſt ubique gentium, ut ne in Italia quidem, unde feudo-

feudorum jura in totam Europam fluxerunt, Procurator fiduciarius admittatur.

53 Nam (ſubjuxit Bodin.) Sfortia, qui ſe Mediolanenſem Ducem ferebat, legatum in Galliam miſit ad Carolum VIII. Regem, ut pro fratris filio Genuenſi Duce Jusjurandum præſtaret; ſed repulſam tulit: Et cùm ageretur de fide præſtanda à Marchione Salutiarum, Curia Pariſiorum decrevit, Procuratorem quidem ejus nomine, quod morbum excuſaret, admittendum, ſi Regi videretur, ſed eâ lege, ut cùm primùm poſſet, præſens fidem præſtaret: Item ſæpiùs judicatum eſt in conſimilibus cauſis. *Hæc Bodin.* qui hoc pluribus illuſtrat & explicat. Renat. Choppin. *de legib. libr. 2. de feud. Andeg. tit. 1. numer. 2 & ſeqq.* Ita & Caroli Ducis Burgundiæ filia Maria (quæ nupſit Maximiliano primo Imperatori) citata fuit à Rege Franciæ, ut in propria perſona veniens homagium præſtaret ſub comminatione confiſcationis, Crantz. *in Saxon. lib. 12. c. 17.*

54 (line: lit)

55 (line: ciæ)

56 Quæ omnia Sextò tantò magis locum habent, ſi Dominus feudi hujus ſuæ perſonalis poſtulationis cauſas obtenterit prægnantiores, prout Doctores in prima Decidendi Ratione citati ſentiunt, uti in

57 præſenti caſu obtenduntur. Reipſa enim advertitur, quòd Vaſallus, propter intermiſſionem ſuæ perſonalis evocationis, & quòd per alium licuerit Inveſtituram feudi petere, jus ſibi arrogare, & præſcriptionem allegare conetur; Atque ita Dominus feudi ſatis juris habeat, evocandi Vaſallum, cogendique ad perſonalem præſentiam: niſi rationabilem excuſationem Vaſallus prætenderit.

CONFUTATIO RATIONUM DUBITANDI.

A quo nequaquam Illuſtris Baro Hæreditarius Dapifer, per allegatas in facti ſpecie & in conſultationem adductas, aliásve rationes dubitandi, ſeſe expediet & evolvet.

Quod enim primitùs prætenſum eſt,

58 quaſi Feudum liceat per Procuratorem ad id ſpecialiter conſtituum petere; eſt id quidem cæteris paribus per ſe verum, tum quandocunque Dominus Feudi ad hoc conſenſum præbet, neque ex cauſis urget perſonalem præſentiam: Sicut plerique ex Feudiſtis hanc concluſionem limitarunt determinaruntque, prout in prima ratione decidendi latiùs eſt oſtenſum, pro reliquis autem Jacob. de S. Georg. (quem omnes ferè referunt & ſequuntur) ſuprà di-

59 cto loco *num. 12.* ubi exiſtimat, prædictam concluſionem, quòd Juramentum fidelitatis poſſit præſtari per Procuratorem, debere limitari hoc modo: Quia dominus non cogitùr acceptare Procuratorem, quòd vult videre Vaſallum per vultum, quia forte habet eum ſuſpectum, & vult eum admonere & terrere. Nam hoc caſu poteſt requirere, quòd Vaſallus veniat perſonaliter, & addit, iſtud eſſe ſtupendum dictum Baldi, quod nunquam exeat memoriam. *Hactenus Jacobin.* Ita etiam noviſſimè Roſenthal. *d. concluſ. 37. num. 5.* Dominum audiendum, ſi ex aliqua probabili cauſa Vaſalli perſonam requireret, haud auſus fuit inficiari. 60

Et quamvis indicent Molinæ. Cujac. Bodin. tantillum, quòd juxta leges feudales Juramentum fidelitatis per Procuratorem poſſit præſtari, tamen id ipſum non tam indiſtinctè crudeque, ſed juxta *d. c. 1. §. verum. de Statu regular. in 6.* in tali caſu intelligendum, ſi Vaſallus apud Dominum poſſit efficere, ut Juramentum fidelitatis per Procuratorem præſtet. Nec infrequens eſt, ut lex generaliter loquens ab alia lege reſtringatur, *l. eum vis ff. de in Jus voc.* ubi Alber. *dicit*: Quod ſi lex non diſtinguit, nos tamen diſtinguere debemus authoritate alterius legis, quod Bald. & Jaſ. *num. 1. & 2.* ibique ſequuntur Cacheran. *deciſ. 31. num. 18. & deciſ. 167. num. 17.* Surd. *deciſ. 122. num. 20.* Quemadmodum & illa opinio tenenda eſt, quæ diſtinguendo alias pugnantes in concordiam reducit, Aurel Corbul. *de Emphyt. cap. 15. num. 4.* Octavian. Simoncellus *de decret. libr. 3. tit. 8. num. 228.* Surd. *conſil. 360. n. 30.* Id autem hac ratione fieri, planum eſt. 61 62 63

Æque parùm juvat D. Baronem Hæreditarium Dapiferum ſecunda Ratio Dubitandi, quæ in eo fundatur; Quòd quilibet actus per Procuratorem expediri queat: Quia hæc generalis regula, præſenti caſu, quo Dominus Feudi ſui Vaſalli corporalem præſentiam exigit, nihil evincit, juxta Dd. in prima Ratione decidendi allegatos. Nam tali caſu tenetur Vaſallus cum ſubmiſſione debitâ feudum petere. 64

Non eſt itaque hoc argumentum à Judicialibus actibus per Procuratorem expediendis ad extrajudiciales actus perpetuò concludens; Cùm in illis ſit major ratio, quàm in his. Nec enim omnes rerum forenſium periti & ad agendum cauſas apti ſunt, ut ita neceſſitas uſum Procuratorum in judicialibus introduxerit, text. *in l. 1. §. uſus a. ff. de procur.* Quæ conſideratio in juramento fidelitatis vix obtinet, uti patet ad ſenſum. Non urgebimus etiam, quòd ſint, qui in extrajudicialibus actibus Citatos ad perſonaliter veniendum cogi poſſe autument, Marc. Soc. *de citat. art. 20. n. 36.* quod nunc in medio relinquimus. 65 66 67

Neque Reverendiſſimum Dominum Feudi graviùs angit, aut illius juri derogat, quòd, antequam dictum feudum ad Illuſtres Barones translatum, fuerit fœmineum 68

ſemperque hanc qualitatem retinuerit, quòd per ſubſtitutum acceptari poſſit, uti in ſecunda Ratione dubitandi eſt demonſtratum.

Conſiderandum enim, quod in literis feudalibus XXIII. Septembr. Anni MDCII. expreſsè indicet, eſſe hoc nunc verum feudum, per quod naturam feudi primævi nonnihil immutatam eſſe, credi-
69 bile fit: Cùm hactenus non alteretur prima Inveſtitura per alteram & ſecundam, ſi feudum in una eademque familia permanſerit; ſecus, ſi in aliam familiam vel extraneum emptionis vel alio titulo tranſierit, Joan. Petr. Surd. *conſil.440.num.27.* Quan-
70 do enim feudum per venditionem exit familiam, tunc efficitur novum, Alexand. *conſil.28.num.1.vol.5.* Fichard. *conſil.1.num. 3.& ſeq.vol.1.* Mynſing. *cent. 5.obſerv.72.* Surd. *d. conſil. 440.num.39.* qui etiam *num. 47.verſ.* Et parum me movet, *dixit*, eo caſu, ſi penitus extraneus veniret ex novo & diverſo Jure, ut quia emit vel alio titulo acquiſivit, tum non attendi antiquam Inveſtituram, ſed novam, cùm Princeps eo caſu poſſit dare novam formam in conceſſione, quam facit extraneo acquiſitori, poſt Afflict. & alios.

71 Quòd ſi hiſce Reſponſionibus ad Rationes Dubitandi non putetur omnimodè acquieſcendum. Erit pro ſecundo ad objectionem refellendam conſiderandum, quòd fœminæ etiam ad neceſſitatem præſtandi juramentum fidelitatis in perſonâ à Domino feudi citari poſſint, ſi non poſſint efficere apud Dominum feudi, ut illud per Procuratorem præſtent, juxta *dict. cap. 1. §. verum. de Statu regul. in 6.* ubi etiam loquitur de Abbatiſſa, & ita in terminis magis dubitabilibus; Etſi ratione Epiſcopi Abbatiſſam vocantis aliud ibidem ſtatutum ſit. Et quamvis fœminæ per Subſtitutos poſſint feuda petere, non tamen exinde concludendum, quòd à juramento fidelitatis perſonaliter præſtando, neceſſariò
72 ſint exemptæ; cùm poſſit dici, electas perſonas quoad fidelitatem, ſed in ſervitiis militaribus peræquè idoneum explicabilibus non ita arctè & ſeverè agendum: Cùm multa poſſint eſſe, quæ Vaſallum inde abſterreant vel impediant, ut potiùs medietatem fructuum conferret, quàm militaret vel mitteret, ut formaliter loquitur Henr. à Roſenthal *de feud. c.8. concl.23. in lit.c.* per text. *in cap. 1. §. firmiter. de prohib. feud. alien. per Frider.* Joan. Bolognet. *conſil. 4. num.31. & 77.* Et conferunt huc notata ſuprà in 6. Ratione dubitandi.

Quarta Ratio dubitandi, & quòd in ea de obſervantiâ ſubſecuta obtenditur, nihil juri Imperialis Abbatiæ Campidonenſis derogat; quia uniformis non eſt; aliique Vaſalli perſonaliter infeudati. Neque potuerunt ſuâ indulgentiâ Dd. Prælati Campidonenſes ſibi ipſis quicquam de jure præcidere; Cùm Præ- 73
latus non poſſit Eccleſiæ præjudicare, per notata Maſcardi *de prob. concluſ. 367.n.1.* Petra *de fideicomm. q.13.n.286.*

Similis eſt, nec minime validior Objectio quinta, quòd deſtinatum ſit Vaſallagium magis in rem clientelarem, quàm perſonam Vaſalli, atque exinde Vaſallus non tàm perſonaliter ſit obligatus.

Nam primò id tantùm de ſervitiis, nequaquam verò de juramenti præſtatione intelligendum eſt: inter quæ manifeſtum diſcrimen oſtenditur juxta ea, quæ in Confutatione tertiæ Rationis dubitandi adduximus.

Secundò, quòd Vaſallus potiùs obſequii cohærentis perſonæ, & ab ea inſeparabilis debitor, atque ita magis obligatus ſit ad requiſitionem Domini Feudi cum reverentia majore feudum petere, in tertia Ratione decidendi ex Molinæo, Bodino, aliiſque evictum eſt.

Ad refutandum id, quod in ſexta Rati- 74
one Dubitandi allegatum, quòd ſervitia per ſubſtitutum præſtari poſſint, ideoque etiam Juramentũ fidelitatis &c. repetitur id, quod in ſecundæ Rationis dubitandi Cõfutatione ad finem dictum eſt; Ex quo apparet, quòd à juramento fidelitatis, in quo perſonæ potiſſimùm induſtria electa cenſetur ad ſervitia, nulla connexio conſtanſque conſequentia fieri poſſit.

Præterquam quòd diverſi Dd. aliam ſententiam ſequuntur, quòd in feudo vero 75
& proprio contra Domini voluntatem ſervitia virilia per ſubſtitutum non ſint præſtanda. Quam in rem præter Cravettam, & Menochium, alios congeſſit Roſenthal *de feud. c 8. concl. 23. n.3.* Quibus accedit Hippol. Riminald. *conſ.527.n.16.& ſeqq. conſ. 557.num.10.& conſ.340.n 72.* (ubi voluit in juramento fidelitatis perſonaliter contineri ſervitia) Flamin. de Rubeis *conſ.82.n.91.& ſeq.vol.2.* Schrad. *de feud. d.p.6.cap.6.n.49.* Idque ea ratione oſtendit Guerrinus Piſo Soacius *in præłud. feud. c.32.n.9.* Quòd ea, quæ 76
perſonæ induſtriam aut fidem requirunt, nõ poſſint per ſubſtitutum expediri: At feudum requirit fidem non ſimplicem, ſed juramento firmatam. Addo etiam Nattam *conſ. 600. n. 14. in fin.* Intereſt (*inquit ibidem* 77
Natta) magis domini habere in ſuis ſervitiis Vaſallum, quia in eo major præſumitur affectio propter beneficium, quod immediatè ſuſcepit, quàm ſi ſibi ſerviatur per ſubſtitutũ, quia ab eo nihil conſecutus eſt, ſumptuque Vaſalli operam præſtat.

Porrò vim nullam habet ſeptima Ratio 78
dubitandi. Quod facillimè concedendum ſit, quod tibi non nocet, & alteri proſit; Item quòd Creditor invitus poſſit compelli ad recipiendam ſolutionem à tertio &c. conſiderando,

rando, quòd in hiſce terminis non verſemur, ſed quòd Imperialis Abbatiæ Campidonenſis multùm interſit, ut Vaſallus ad
79 perſonalem præſentiam arctetur: Cùm ex hac perſonali comparitione major Fidelitas Synceritasque inter Dominum & Vaſallum ſtabiliatur; ipſumque juramentum fidelitatis perſonaliter præſtitum animo altiùs infi-
80 gatur, Vaſallumque obſtringat, quàm ſi per ſubſtitutum præſtaretur. Quò etiam facit *l. 2. §. his ita. C. de reb. cred.* Hieron. Laurent. *Deciſ. Avenion. 7. numer. 3. ubi ſtatuit:*
81 Creditorem debere perſonaliter jurare, quò magis commoveatur, quando ipſemet jurat & ſacra tangit, quaſi electa fuerit perſona jurantis non alterius: Et Ordinatio
82 Cam. Imp. *p. 2. tit. 10.* quò loci cautum eſt, quòd ſuſpecti ob fractam pacem ſe coràm (ſi non ſint Principes, qui per Procuratorem eumq; minimû nobilem ſe purgare poſſint) ſiſtere & jurejurando purgare teneantur.

83 Æquè parùm Dominus Feudi, ex regula, quòd Creditori invito à tertio ſolvi queat, cogi poteſt, loco ſui Vaſalli ſubſtitutum admittere ad inveſtituram juratò ſuſcipiendam. Etſi enim regulariter Creditor compelli poſſit recipere ſolutionem à quocunque tertio ſolvente nomine debitoris; ſecus tamen obtinet, ſi Creditoris intereſſet, uti hoc in caſu intereſt Domini, ne ipſi loco Vaſalli, cujus perſona electa eſt, alius fortè minùs acceptabilis obtrudatur; Maximè cùm &j :s reverentiale & recognitionis eo ipſo haud parum imminuatur.

Qua ratione & receptum eſt, *ut domino*
84 *non poſſit ab alio, quàm ab Emphyteuta* (2) Canon ſolvi; Cùm ſuâ interſit, quòd recognoſcatur ab Emphyteuta. Idemque (ut in terminis loquamur) obtinet in feudo; Cùm
85 in utroque ſolutio vel præſtatio fiat non ſolùm ad finem liberationis, verùm etiam ad recognitionem directi dominii, quam quidem recognitionem non poteſt facere, niſi comprehenſus in feudo vel Emphyteuſi, Jaſ. *conſil. 49. num. 2. vol. 1.* Tiraquell. *de retract. Conſang. §. 1. gloſſ. 9. num. 262.* Cagnol. *in l. invito. n. 10. de reg. jur.* Natta *conſ. 194. n. 8.* Joſeph. Ludov. *Deciſ. Peruſ. 35. n. 5.* Surd. *deciſ. 174. n. 32.*

Inſuper quoque intereſſe voluntatis reſpectu Domini feudi, qui non modicè obtrudendo ſubſtitutum læditur, venit in con-
86 ſiderationem; Cùm & is damnum pati dicatur, cujus voluntas offenditur, *l. fin. & ibi. gloſſ. ff. de uſu & hab.* Cacheran. *deciſ. 130. n. 7.* Vincent. de Franch. *deciſ. 183. n. 16.* Gail. *de arreſt. cap. 13. n. 16.* Crav. *conſil. 771. n. 7.*
87 Berous *conſil. 144. num. 96. vol. 3.* Et non leve intereſſe Voluntatis cenſeri, docuit Arius Pinel. *in rub. p. 1. c. 12. n. 24. in fin. C. de reſcind. vend.*

Octavam Rationem dubitandi quod attinet, in qua prætenſa conſuetudo petendi perſonaliter feudi, propter actuum difformitatem, impugnari videtur: non poterit ſe per eam Illuſtris Baro ab requiſita perſonali comparitione excuſare: eò, quòd in Prælati Campidonenſis libertate fuit & arbitrio, admittere ſine ſuo præjudicio ſubſtitutos, vel eos repudiare: ab inde nullum Domino Baroni poſſeſſionis jus accreſcere potuit: Cùm recepti & decantati juris ſit, ex actibus 88
merè voluntariis nullam acquiri poſſeſſionem. Communem tradidit Covarruv. *in cap. poſſeſſor. part. 2. §. 4. numer. 6. de reg. jur. in 6.* Vaſqu. *de ſucceſſ. creat. lib. 3. §. 22. num. 25. & lib. 4. Controverſ. Illuſtr. cap. 4. per tot.* Thom. Treviſan. *lib. 2. deciſ. Venet. 54. n. 26. & ſeqq.* Rebuff. *in Conſtit. regn. rubr. de mat. poſſeſſ. in præfat. numer. 177. & ſeq.* Borgn. Cavalcan. *deciſ. 7. num. 2. num. 15. lib. 5.* Teſſaur. *deciſ. 16. num. 2. & deciſ. 246. numer. 3. & ſeq.* Guid. Pancirol. *conſil. 85. numer. 8.* Cephal. *conſ. 451. num. 355.* Natta *conſ. 127.* Molin. *in Conſuetud. Pariſ. tit. 1. §. 1. gloſſ. 4. numer. 14.* ubi exploratiſſimum eſſe dixit, ea quæ ex civilitate & urbanitate fiunt, non præjudicare juri nec publico, nec privato, nec in petitorio, nec in poſſeſſorio. Et ex Caſtrenſi ſubjungit, non præſumi derogatum juri ſemel quæſito, ſed ex gratia & civilitate factum, niſi probetur, tanquam ex debitò factum eſſe, per *l. fin. ff. quemadmodum ſervit. amitt.*

Idque tantò magis hîc locum ſibi vindicat, quòd hactenus Illuſtris Baro cum Principe Abbate quàm amiciſſimè ſinceriſſimeque ſit converſatus, ut inde rationabiliter præſumatur, Reverendiſſimum Prælatum juri familiaritatis peramanter indulſiſſe, ut per ſubſtitutum poſſet D. Hæreditarius Imperii Dapifer feudum petere & acceptare, abſque tamen juris ſui derogatione ulla ac diminutione: quod ipſum Prælatus jure facere non poſſet; Cùm Prælatus non poſſit præjudicare Eccleſiæ. Quando enim ex prætenſis actibus alterius juris renunciatio neceſſariâ conſequentiâ inferretur, tunc magis Jure familiaritatis id toleratum, quàm ut ſuo juri quis renunciare voluerit, exiſtimatur, Cravett. *conſ. 147. n. 18.*

Præterea hoc quoque in jure cautum eſt; Quandocunque jus conſiſtit in libera voluntate faciendi, tunc illud non utendo non amitti: Quemadmodum in privilegiis, 89
quæ in libera voluntate conſiſtunt; Et *quod ea non utendo neutiquam perdantur,* (3) docuit gloſſ. *in c. ut privilegia. in verb. ſimul. de privil.* Felin. *in cap. cùm acceſſiſſent. num. 26. de præſcript.* Gail. 2. *obſerv. 60. num. 9.* Bald. *de præſcript. num. 4. part. 5. princ. quæſt. 4. num. 4. fol. 462.* Ferdinand. Vaſqu. *libr. 4. Illuſtr. Controv. cap. 2. num. 11. qui hanc communem & veram adſtruit.* Andr. Rauchbar. *part. 2. quæſt. jur. quæſt. 12. num. 2.* Hieron. Schurff. *conſil. 29. num. 3. cent. 3.* Tiber. Decian. *conſil. 43.*

ſil.43.num.30.vol.3. Chaſſan. conſil.4.num.3. Guid Pancirol. conſil. 116. num. 39 quò loci refert, nonnullos velle, privilegium conſiſtens in mera facultate facientis non tolli
90 ultra C. annorum ſpatium, Surd. conſ. 127. num. 82. ubi ex Calderino docuit; Ex non actu vel abſtinentia ab actu, quem quis facere poteſt, vel non, non induci conſuetudinem vel jus prohibendi etiam tempore immemoriali.

Sed neque hoc movere quemquam debet, quòd An. MDLXXXVI. aliter obſervatum fuerit. Tum temporis enim nequaquam fuit D. Prælati intentio quicquam in hoc feudo innovare, aut ejuſdē naturam & qualitates genuinas mutare, atque ſic ex proprio improprium feudum efficere, ſed abſque ullâ maturiori diſcuſſione benevolè tantùm indulgere, ut inveſtitura per ſubſtitutum
91 rogaretur. Actus autem non ſunt interpretandi contra intentionem agentium. Neque poterit hinc ſuæ cauſæ quicquam addere D. Baro, quòd ab Equeſtris Ordinis Nobilibus ad familiam Baronicam, ſit feudum translatum, cùm generoſi ipſius majores acceptando feudum hoc, non legibus ſolùm conditionibusque hujus feudi ſeſe ſubdiderint, verùm hoc quoque nomine ob-
92 ire duarum perſonarum vicem teneantur. Surd. conſil. 183. num. 42. quemadmodum,
93 hoc ſæpè fieri poſſe, exempla in Imperio Romano ſunt obvia, quorum nonnulla retulit Gail. *in tract. de arreſt. c. 6. num. 14. & ſeq.* Et conſideratum fuit in cauſa Ottenberg contra Bayern. Ut interim ſilentio involvamus, quòd ipſius Generoſi Baronis nomini & dignitati nihil deroget, ſi feudum à Nobili ad ſe devolutum perſona-
94 liter acceptarit ipſuſmet; *Cùm & Duces, Comites, & Barones, Nobilium appellatione veniant,* (4) Schrad. *de feud. part. 10. ſect. 7. num. 50.* Chaſſan. *de glor. mundi part. 5. Conſiderat. 56.* Et olim teſte Alberto Crantz. *in metrop. lib. 3. cap. 11. & lib. 8. cap. 10. in princ & lib. 10. cap. 4.* Barones in infimo gradu Nobilium collocati fuerunt. Et dignitas Vaſalli non debet damnificare dominum,
95 prout formaliter loquitur Petr. Jacob. *in princ. ſub rubr. de cauſis, ex quibus dominus debet amittere proprietatem, ſeptima diſtinctio verſic. ab aliis autem ſervitiis fol. 105. per text. in l. fin. Cod. de Statuis & imagin. l. ſi libertum 28. Cod. de nuptiis.*

Cæterùm quod de præſcribendis juribus facultatis intra tempus immemoriale movetur, opponitur illi ſuperiùs ad hanc octavam objectionem facta dilutio. Adde, quod etiam Albert. Brunus *conſil. 35. num. 3. & ſeqq. & conſil. 99 num. 3.* Natta *conſil. 118. numer. 1. 8. & 10.* Roland. à Valle *conſil. 62. num. 25. & ſeqq. vol. 2.* Cravett. *de antiqu. temp. part. 4. §. Circa præmiſſa num. 38. fol. 516.* in terminis Juramenti fidelitatis, item ad- 96
ſecurationis diſertè determinarint, ne quidem præſcriptione immemoriali facultatem hujuſmodi Juramentum exigendi tolli aut ſubmoveri. Quanquam non eam inficias, paſſum hunc ancipitis dubitationis eſſe, & à nonnullis magnæ notæ JCtis in juramento tam fidelitatis quàm adſecurationis in contrariam ſententiam adprobari: in cujus opinionis veritatem nunc altiùs ex profeſſo inquirere non vacat. Poſſet tamen negativa vel inde defendi, quòd juramentum fidelitatis per- 97
ſonalem quandam domino debitæ reverentiæ exhibitionem in ſe complectatur, uti hoc ipſum in Secunda Ratione decidendi oſtenſum eſt. Jus autem reverentiale non præſcribi, nec pacto remitti poſ- 98
ſe, conſulendo tenuit Carol. Ruin. *conſ. 155. num. 14. & ſeqq. vol. 4.* Bart. Chaſſanæ. *conſil. 65. num. 35.* Hinc quoque manat, quòd 99
exemptus à jurisdictione non cenſeatur exemptus à Jure reverentiali, Felin. *in cap. cùm non liceat num. 2. & 6. de præſcript.* Roman. *ſing. 486.* Weſemb. *conſ. 78. num. 8. in fin.* Carol. Tapia *in repet. l. fin. p. 1. cap. 5. num. 20. ff. de Conſtit. Princ.*

Denique quo modo, quâ reverentiâ & 100
ſubmiſſione, & utrum genibus flexis, (ſicut poplite flexo Ottocarus Rex Bohemiæ feudum recognovit à Rudolpho I. Cuſpin. *in Rudolpho I. fol. 352. num. 50.* Alb. Crantz. *in Vandal. lib. 7. cap. 30.*) tàm juramentum 101
fidelitatis, quàm adſecurationis præſtandum ſit, cùm hoc loci id non vocetur in quæſtionem, in eoque Curiarum Feudalium 102
conſuetudo & obſervantia paſſim attendenda ſit; haud operæ pretium duco in id preſſiùs inquirere; ſed brevitatis ſtudio remitto me ad notata Jacob. de S. Georg. *de feud. tit. de homag. num. 15.* Choppin. *tit. 2. de legib. And. d. l. 1. num. 5. in fin. & 6.* Marc. Anthon. de Amatis *deciſ. 112. per tot.* Crav. *conſil. 518.* quem impugnat Surd. *conſil. 172. numer. 12.* Anton. Solæ *in Conſtitut. Sabaud. in proœm. decret. gloſſ. 2. num. 21. item de jure Emphyt. part. 1. gloſſ. 3. numer. 13. fol. 53. poſt Speculatorem & alios.*

Idque omne, quod ita hactenus deductum concluſumque eſt, juribus feudalibus & æquitati prorſus conſentaneum judico, ſalvâ ſemper meliore cenſurâ & ſaniori judicio.

ANNO-

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT XLI.

(1) **U***T Conſilium ſive Reſponſum Juris &c.*] Cùm ad ſimilitudinem Capitis præcedentis *à numero inde 59. usq; ad finem*, totum hoc XLI. Caput elaboratum aliquod & doctum Conſilium contineat, ubi iis, quæ pro & contra argui poterant, adductis, & refutatis Negantium rationibus, ſolidè decidat, *num. 35.* Juri & æquitati magis conſentaneum, ut Vaſallus, petente id Domino Feudi ex cauſis rationabilibus, in perſona, niſi juſtis & legitimis impedimentis diſtrictus fuerit, feudum petere & juramentum fidelitatis præſtare teneatur. Quod & ſic in praxi hodiè obtinere in plerisque Curiis Feudalibus, notum ſit, fruſtra eſſemus, ſi multa annotaſſemus aut annotaremus, ſed brevitati hoc loco ſtudioſiores & eò fortè gratiores erimus.

Num. 83.

(2) *Ut Domino non poſſit ab alio quàm ab Emphyteuta &c.*] Utut non refert, an à tertio nomine ſuo proprio, etiamſi nullum jus in emphyteuſi habeat, canon ſit ſolutus, & dummodò ſit ſolutus, pœna non committitur, ut ex Jaſon *in l. 2. C. de Jure Emphyt. n. 68.* ubi, *ſolutio facta per penitus extraneum Domino volente prodeſt Emphyteutæ*, Anchor. *conſil. 44.* Surdus *deciſ. 174.* &c. Semper tamen ut jam ex Jaſone innui requiritur, quòd receptio canonis fiat Domino directo *volente*, aliàs invitum regulariter haud cogi poſſe recipere ab eo, qui ſine mandato Emphyteutæ ſolvit, docet Fulgineus *de J. Emphyt. de ſolut. Canon. quæſt. 1. n. 322.* ubi vide.

Num. 89.

(3) *Quod ea non utendo neutiquam perdantur &c.*] Confer Enenckelium *de Priv. Jur. Civ. lib. 3. 15. n. 27. ſeqq. inprimis n. 33.*

Num. 94.

(4) *Cùm & Duces, & Comites, & Barones Nobilium appellatione veniant &c.*] Imò illis ſolis Nobilium titulus tribuebatur. Conrad. Rittersh. *in Prolegom. ad Comm. Feud.* Lehmann in der Speyriſchen Chronick *lib. 2. cap. 14. & 19.* Reliqui verò Nobiles, Miniſteriales, aut Feudatarii, vulgò Edle Knechte / Albert. Crantz. *in Metropol. lib. 3. cap 11.* Cruſius *Annal. Suev. parte 1. lib. 10.* vel Knechte deß H. Reichs vocabantur, *Ordin. Regim. de Anno 1500. tit.* Von der Knecht- und Ritterſteuer / *Receſſ. Imp. de Anno 1500.* §. Wir oder der ꝛc. & inde Adelſchalck / ſervi Principis vulgatiſſimè Nobiles omnes dicebantur, Lindenbrogius *in Gloſſario, verbo* Adelſchalck. Junge Nolden *de Statu Nobilium Civili cap. 1. num. 56.* Spangenberg im Adel. Spiegel *lib. 10. per totum.* Limnæum *de Jure P. lib. 4. c 6. n. 55.* Beſoldum *in Theſauro Practico*, & Speidelium *in Speculo, voce* Adel.

CAPUT XLII.
De Laudimiis Bonorum Feudalium, Emphyteuticorum, & ſimilium.

SUMMARIA.

1. Laudimiorum *Etymon.*
2. Εἰσδεκτικὰ *&* ἀνανέωσις *quid?*
3. Laudimium *quid?*
4. *A conſuetudine tota* laudimiorum materia *dependet.*
5. Laudimia *ſtricti juris eſſe.*
6. Laudimia *in pecunia conſiſtunt & ultra pretium.*
7. Laudimii *taxatio fit ex pretii quantitate.*
8. Ex bonis feudalibus *regulariter* laudimia *non debentur.*
9. Inveſtitura *gratis facienda eſt*; *Niſi aliud conſuetudine receptum*, n. 10.
11. Dominorum & Vaſallorum *obligatio reciproca.*
12. Laudimia *Ærario explendo conducunt.*
13. Laudimium *pro introitu & conceſſione feudi in Regno Neapolitano ſolvitur.*
14. Relevium *an ſit de jure, vel more in Regno Neapolitano?*
15. *Ex* feudis *quorum ſucceſſio ad fœminas extenditur, meritò Laudimia poſtulantur.*
16. Civitates *poſſunt feuda acquirere, modò Caducitatem pecuniâ à Domino redimant.*
17. Univerſitas *non moritur.*
18. Caſus, *quibus laudimia exigi poſſint.*
19. Relevium ſive pactum laxandæ coxæ, aut connagii *apud Canonicos Lugdunenſes turpe & inhoneſtum.*
20. Laudimium *præſtatur pro nova inveſtitura.*
21. Laudimium *pro rebus feudalibus alienatis datur in Delphinatu.*
22. Laudimium *pro feudo debetur ex conſuetudine, licet ex renovatione feudi antiqui non debeatur*, n. 23.
24. *Ceſſat exactio* Laudimii, *ſi feudum per ſucceſſionem ad filios devolvatur.*
25. Ruſtici & Emphyteutæ *mutatâ Vaſalli perſonâ tenentur ad Relevium, ſeu Laudimium.*
26. L. fin. C. de jur. Emphyt. *ob avaritiam Dominorum ſancita.*
27. Laudimium *præſtatur pro receptione novi Emphyteutæ.*
28. Laudimia *toties debentur, quoties alienationes fiunt.*
29. Quantitas Laudimii *de jure Civili: Conſuetudine tamen vel Statuto vel Decreto Principis interdum major ſolvitur*, n. 30.
31. Moribus Saxoniæ, *quinq; de Centenis pro Laudimio ſolvi debent.*
32. Laudimii *ſolutio ex neceſſitatis vinculo præſtanda eſt.*
33. Laudimii *ſolutio eſt quoddam honoris genus, præſtatur ex natura Contractus*, num. 34. *ex legis diſpoſitione*, n. 35. *& ratione æquitatis*, num. 36.
37. Venditio *ut dicatur perfecta & completa, quæ requirantur.*
38. *An* Laudimia *ante traditionem peti poſſint? &* n. 41. & 44.
39. *Ante* traditionem *licet partibus à Conventione diſcedere.*
40. Traditione *ſubſecutâ jus quæſitum Tertio ex facto duorum contrahentium aufertur.*

42. Moli-

42. Molinæus *taxatur.*

43. Clauſula conſtituti *in contractu appoſita realem traditionem non inducit.*

45. Laudimium *an debeatur ex venditione facta cum pacto de retrovendendo? Et* num. 46. 47. 48.

49. Onus laudimii *incumbit emptori, non venditori. Interdum pro parte pretii reputatur,* num. 50.

51. *Is, qui* Laudimium *præſtitit, contractu ob pactum reemptionis revocato, id, quod laudimii loco ſolvit, repetit.*

52. *Nonnunquam inter contrahentes exprimitur, ad quem* onus Laudimii *ſpectare debeat.*

53. Laudimium *an debeatur ex contractu libellario.*

54. Contractus libellarius *quid? & unde dictus?* n. 55. *quid differat à Contractu feudali, & emphyteutico?* n. 56.

57. *Quid dicendum de* cenſu, *cui nulla jura dominicalia & directi dominii inhærent? &* numer. 58.

59. Bona *in dubio præſumuntur, potiùs Cenſitica, quàm Emphyteutica.*

60. Laudimium *an debeatur ex datione in ſolutum, &* n. 62. 63.

61. Datio in ſolutum *dicitur venditio.*

64. *Id quod fit à* judice ſubhaſtante &c. *cenſetur fieri ab ipſo debitore.*

65. Paria *ſunt alienare, & aliquid facere, propter quod ſequatur alienatio.*

66. Neceſſitas *non eſt , in quam quis ſe ſponte conjecit.*

67. Laudimium *an debeatur ex diviſione rerum feudalium & emphyteuticarum, &* n. 74.

68. Diviſio *eſt alienatio neceſſaria.*

69. *Per* diviſionem *dividentibus novum dominium non acquiritur.*

70. *De jure Saxonico liberi dividentes* laudimium *ſolvere non tenentur.*

71. *Quando onus liberorum partem reliquorum emit,* Laudimium *eſt præſtandum, &* num. 72. 73.

75. *Ex* contractu permutationis *ſolvitur quoque laudimium.*

76. L. fin. C. de jur. Emphyt. *de quavis alienatione accipienda eſt.*

77. Permutatio *vicina eſt emptioni venditioni.*

78. *Ex cauſa* Transactionis *præſtatur Laudimium: niſi res ſaltem in vim transactionis ab anteriore poſſeſſore retineatur,* n. 79. *Quod tamen declaratur,* n. 80. 81. 82.

83. Laudimii *ſolutio exigitur, etiam in donatione; Etiam tunc, quando pater filio ſuo in vivis donat Emphyteuſin,* n. 84.

85. Filius, *cui pater donat Emphyteuſin, ingreditur eam ex nova cauſa, novaq; acquiſitione.*

86. *In venditionibus cum pacto de retrovendendo nullum præſtatur* Laudimium: *Sed contrarium verius,* n. 89.

87. Retrovenditio *non tam eſt novus Contractus, quàm reſtitutio ex priore orta.*

88. Retrovenditio *eſt alienatio neceſſaria ex priore obligatione nata.*

90. *Ex ſecunda emptione nova etiam acquiſitio generatur.*

91. *In* emptione cum pacto revendendi *duo diſtincti & ſeparati ſunt contractus, diſtinctas actiones producentes.*

92. Venditor *intercedente pacto retrovenditionis vendens oblato à ſe pretio contra emptorem actionem habet ex empto.*

93. Sententia *ſtatuentium, ex pacto retrovenditionis naſci actionem realem, falſa eſt.*

94. *Per* retrovenditionem *prior Contractus non reſcinditur.*

95. Alienationes neceſſariæ, *quæ ex cauſa voluntaria retrò proficiſcuntur neceſſariæ alienationis naturam non induunt.*

96. *Quoties* alienatio *neceſſitatur ex contractu voluntario, ibi Laudimii præſtatio neceſſaria eſt.*

97. *An pro ſuperficie, ex cauſa Locationis ad longum tempus, Dotis, legati &c. debeatur* Laudimium? *remiſſivè.*

98. Laudimium *eſt onus reale, ſequitur ſingularem ſucceſſorem.*

99. Domino directo *in fundo emphyteutico ratione Laudimii tacita* hypotheca *non competit.*

100. Tacita hypotheca *non cenſetur inducta, niſi expreſsè id lege cautum reperiatur.*

101. *Pro* Laudimii obligatione *nulla lex tacitam hypothecam introduxit.*

102. *Per moram non ſoluto* Laudimio *non privatur quis jure Emphyteutico.*

103. *Concurrentibus pluribus Caſibus petendæ Inveſtituræ* Laudimium *non eſt multiplicandum.*

104. *Caſus, quibus non debeantur* Laudimia, *remiſſivè.*

105. Laudimia *munera privata ſunt, ſed & publicam utilitatem reſpiciunt, Ærarioq; augendo & ſtabiliendo affatim conducunt.*

106. Lods & Ventes *Galliæ tributum Laudimio haud abſimile ; quod & Genevæ uſitatur,* num. 107.

Laudimiis feudalium præſens caput
Ac Emphyteuticis dicatum eſt integrum.

Laudimia *à laudando*, (1) hoc eſt, approbando, & confirmando dicta, cenſet Camill. Borell. *de Magiſtr. Edict. lib. 4. cap. 2. num. 28.* Meliùs, meo quidem judicio, qui inter externas gentes originem quærunt externæ etiam vocis, à quibus iſta accepimus. Franci veteres Barbarâ voce *Leudes* vocant, ſubjectos feudi, & Laudimia, quæ à *Leude* præſtantur, *id eſt*, ſubjecto pro feudo : à quo genuina & vera Laudimiorum & Alaudiorum analogia eſt. Inepta ergo eſt ariolatio hominum, quamlibet doctorum, Budæi, Alciati, aliorumque, qui in barbara voce & ignota Latio uſu, Latinas origines ſectantur Laudimiorum, ſicut & *Alaudiorum*, (2) cùm nihil cum latina lingua commune habeant, præter elementorum Symbola ; à quibus multæ ſæpè inconſequentes derivationes colliguntur, etiam à doctiſſimis ; ita ut ne Varro quidem, Romanorum doctiſſimus, ineptis ſæpè analogiis vacet, dum elementorum comparationem ſequitur, valdè, quod negari nequeat, abſurdè, ut nec Platonis Cratylus. Antiquiora Imperatorum tempora & Novellæ Conſtitutiones (3) εἰσδιατικά generaliter appellârunt, quæ pro ſuſceptione in feudum

feudum cujusque Vaſalli Domino præſtarentur, ut & ἀνάληψις & ἀνανέωσις quæ veluti pro redemptione feudi, quod ad Dominum rediiſſet, novus Vaſallus Domino exhiberet; quod Galli etiam hodie *rachatum* ex eo appellant, cùm vaſallus à Dominò penſione anni aut diuturnioris temporis veluti in Baillivo, feudum redimit: Quorũ non rarò Leonis Conſtitutiones meminerunt.

3 *Sunt verò Laudimia*, (4) (vulgò Lehenwahren/Lehengeld) honoraria ſive pecuniariæ quædam penſiones, quæ pro inveſtitura & ſuſceptione Domini in beneficium, & Vaſallagii auſpiciis præſtari ſolent, quoties Vaſallus mutatur; cujus juris exempla à *Juſtiniani quinquageſima*, (5) quam in ſuam Emphyteuſin induxit, deduci volunt. Sic viſum gentibus, ex quo feuda patrimonialia facta ſunt, nec dominorum conſenſus exigi cœpit, ut hæc eſſet contrectati dum primùm beneficii alieni auſpicatio, & honorarium munus ſuſceptionis. Etſi autem prima & præcipua cauſa Laudimiorum in mutatione manûs vaſallitiæ verſatur, tamen non hæc ſola nec ubiquè cauſa obtinet, & crebræ mutationes contingunt, ex quibus laudimia debentur; Cujus facti ratio non alia plerumque dici poteſt, quàm ſtatuentium voluntas,
4 & uſus receptus. *Tota enim ferè materia à conſuetudine dependet*, (6) & ab ea extenditur, qualificatur, limitatur &c. Stephan. Gratian. *lib. 1. diſcept. forenſ. cap. 377. num. 18. & ſeqq.* Renat. Choppin. *de legib. Andium lib. 2 cap. 2.*
5 *tit. 3. de Laudimiis num. 3.* Modeſtin. Piſtor. *quæſt. 36. num. 10. & ſeqq.* Hartman. Piſtor. *libr. 1. quæſt. 50. numer. 62.* Ita tamen ſemper in Laudimiis interpretatio facienda eſt, ne de caſu ad caſum, neque de perſona ad perſonam, neque de loco ad locum &c. fiat extenſio, utpote cùm ſit odioſa & ſtrictiſſimi juris, Carol. Molinæus, *ad. Conſuet. Pariſ. tit. 1. §. 23. num. 3. & §. 22. num. 81.* Surd. *deciſ. 305. num. 44.*

6 Dixi, penſiones pecuniarias eſſe, id eſt, ſummas certæ pecuniæ, namque Laudimia in pecunia conſiſtunt. Eſt verò ſumma, quæ penditur, *non quota vel pars pretii*; (7) ſed ſumma extra pretium; nec de pretio deducitur, ſed ultra pretium, quod venditori
7 debetur, Domino Feudi vel fundi dependitur, taxatâ quantitate ad pretii portionem certam pro uſu locorum, ut quanta pretii *pars Octava*, (8) aut ſexta, aut alia ſit, tanta ſit item Laudimiorum taxatio. Quamvis verò ex bonis verè feudalibus Laudimia non
8 debeantur, eò quòd feuda ſuapte naturâ utilitatem aut commodum pecuniarium non ſpectent, ſed reverentiam potiùs perſonalem & obſequium, quo reſpectu & inveſtituras
9 feudorum gratis conferendas eſſe, tradunt Molinæ. *ad Conſuet. Pariſ. §. 2. gl. 1. num. 4. & §. 3. gl. 2. num. 18.* Camill. Borell. *dict. libr. 4. cap. 2. num. 33.* Cardinal. Thuſcus *pract. concluſ. in lit. L. concluſ. 15. num. 14.* Schrader. *de feud. part. 6. cap. 3. num. 24.* Andr. Knichen. *de pact. veſtit. libr. 2. cap. 4.* 10
num. 125. niſi aliud peculiari conſuetudine receptum probetur, (9) Roſenth. *de feud. cap. 6. concluſ. 66. num. 5.* Hartm. Piſtor. *d. quæſt. 50. num. 61.* prout conſuetudinem Veronæ in feudis Epiſcopatûs, quòd ſolvatur laudimium ad rationem decem pro Centenario, & 11
Decretum Reipub. Venetæ extare, refert Alexand. *conſil. 5. num. 21. vol. 5.* Nihilominus, cùm Vaſallus ad mutuam quandam obligationem remunerationis erga Dominum teneatur, Prudentioribus & Politicis conſultum & benè viſum fuit, ut Vaſalli pretium velut ἀντίδωρον quoddam Dominis rependerent pro feudo conceſſo. Unde feuda emptitia invaluerunt.

Optimam ergo habent occaſionem 12
augendi ærarii Principes illi, qui novas & liberas ditiones nacti, quas aliis concedunt, pretio quodam dato. Quem modum ut Principe dignum & Reipub. utilem conſuadet Ammiratus præ aliis, *lib. 3. diſcurſ. in Tacit. cap. 8.* Ita laudimium ſive Relevium 13
deberi ex feudi introitu, & non conceſſione in Regno Neapolitano, teſtantur Andr. de Iſern. *in c. 1. §. ſed & cum res num. 9. per quos fiat inveſtit. & in c. 1. §. ſimiliter numer. 3. de Capit. Conradi.* Pariſ. de Puteo *de redintegrat. feud. cap. 141. num. 8. & in tit. de verb. feudal.* ſive de verbor. ſignif. in verb. Laudimium. Vincent. de Franchis, *dec. 121. num. 4.* Vincent. de Anna *in allegat. conſil. num. 2. & ſeq.* Lanar *conſil. 40. num. 10. vol. 1.* qui dixe- 14
runt, Relevium non eſſe de jure, ſed eſſe de more in Regno Neapolitano.

Huc pertinent illa feuda, quorum ſuc- 15
ceſſio ad fœminas extenſa, vel quorum natura & qualitas penſione vel honorario interveniente, omninò mutata eſt in allodium, das Lehen zu Erbe gemacht.

Huc quoque ſpectat illa cautela, quâ 16
Civitatibus licitum eſt, feuda comparare, modò caducitatem ſummâ pecuniæ à Domino redimant, daß ſie für die Lehenfälligkeit 17
eine ſtattliche Summa Geldes geben. Hoc enim caſu ſemel ſaltem & ab initio præſtatur Laudimium, poſteà verò, cùm poſſeſſor mutari non poſſit (utpote quia Civitas & Univerſitas nunquam moritur, *l. proponebatur 76. ff. de judic.* Coler. *de proceſſ. Execut. part. 2. cap. 1. num. 160.* Donell. *8. comment. 24*) utique nec renovatio inveſtituræ, nec novi poſſeſſoris inveſtitio, conſequenter nec laudimii ſolutio locum inveniet, Conſt. Saxon. *p. 1. quæſt. 41. n. 17.*

Caſus, quibus laudimia exigi poſſint, e- 18
numerat Borell. *d. cap. 2. n. 35. & quàm plurimis ſeqq.* in quorum claſſem non eſt referendum turpe iſtud & illicitum pactum ſive

19 ſive Relevium, *quod Canonicis Comitibus Lugdunenſibus* (10) quondam licentiam dabat, pro recognitione feudorum *primâ nocte concumbere cum Vaſallorum ſponſis.* (11) Quod pactum laxandæ coxæ, aut Connagii jus nominarunt, Renat. Choppin. *de legib. And. lib. 1. c. 31. ſub num. 8.* Camill. Borell. *conſil. 1. num. 158.*

20 Potiſſimùm verò debentur Laudimia ex Venditione rerum feudalium vel Emphyteuticarum. Nam novi homines ac Vaſalli in prima Inveſtitura non comprehenſi tenentur ſolvere laudimium. Et
21 quod pro feudalibus rebus alienatis exigantur Laudimia, in ſpecie tradit Guid. Papa *deciſ. 415. num. 3.* dicens, ita ſervari in Delphinatu, Boër. *in Conſuet. Biturig. tit. Des couſtumes des fiefz. & cenſ. §. 5.* ubi ultra dicta per Guidonem Papæ dicit in multis partibus Galliæ ſolvi diverſimodè, ut Pariſiis ſolvi quintum denarium, & ſic per mores Lorrienſes ſolvi quintum denarium & requintum; Et licet de jure communi non deberetur ex feudi alienatione, ſecus tamen
22 eſt de conſuetudine, ut dicit Barth. Chaſſanæus *in Conſuet. Burgun. rubr. 10. §. 10. gl. 2. num. 7.* & Joan. Papon. *Arreſt. Curiæ libr. 13. tit. 3. arreſto 3.* Ex mutatione enim Vaſalli debetur Domino laudimium, Pyrrhus *in Conſuet. Aurelianenſ. tit. de laudimiis cap. 2.* Licet ex
23 renovatione feudi antiqui, puta ob mortem Domini vel Vaſalli ſeclusâ conſuetudine, minimè debeatur, Bald. *in c. quæ in Eccleſiarum. de Conſtit.* Hieronym. Gabriel. *conſil. 78.*
24 *numer. 7. vol. 2.* Sicque in filiorum perſona non debet ſolvi laudimium: quia non eſt nova acquiſitio, ſed dominii continuatio, poſt Bald. Pyrrhus *in Conſuetud. Aurelian. tit. 1. §. 28. verſic. ad finem.*

25 Porrò Ruſtici Emphyteuticos fundos poſſidentes, eosque alienantes, ob mutatam perſonam Vaſalli, tenentur dominis ſuis præſtare *Relevium* (12) ſeu Laudimium, *l. fin. C.*
26 *de jur. Emphyt.* (Quam legem nonnulli Dd. ob avaritiam Dominorum factam, & prohibitivam eſſe, ne plus exigatur, neque conſuetudine tolli poſſe, ſentiunt) Molinæ. *d. tit. 1. §. 22. num. 1.* Renat. Choppin. *de morib. Pariſ. libr. 1. tit. 3. num. 3.* Roſenth *d. cap. 6. concl.*
27 *66. num. 1.* Idque præſtatur pro nova inveſtitura & receptione novi Emphyteutæ, Coler. *deciſ. 33. n. 1.* ſeu ut Dominus novum Emphyteutam vel Vaſallum laudet, agnoſcat & recipiat, Burſat *conſil. 137. num. 23. libr. 2.* Cardinal. Mantica *de tacit. & ambig. convent. libr. 22. tit. 21. num. 34.* Knichen. *de pact. veſtit. p. 2. cap. 4. num. 156.* Et toties debentur
28 Laudimia, quoties alienationes fiunt, *l. fin. ubi Dd. Cod. de jur. Emphyt.* Proſper Paſeth *conſil. 2. num. 7.*

Quantitas Laudimii ex jure communi
29 quidem eſt quinquageſima pretii vel æſtimationis rei emphyteuticæ alienatæ, Jaſ. *in d. l. fin. num. 39.* Coſta *de ratione Ratæ cap. 112. num. 2.* *De conſuetudine verò interdum plus, interdum minus penditur,* (13) Stephan. Gratian. *lib. 1. diſcept. forenſ. c. 180. num. 2.* Et 30
quòd conſuetudine, vel Statuto vel Decreto Principis induci poſſit, quòd ſolvatur major ſumma, reſpondit Alex. *conſil. 5. num. 21. vol. 5.* quem rectè refert Cardinal. Thuſcus *pract.* 31
concluſ. in lit. L. concl. 15. num. 6. Moribus Saxoniæ, Thuringiæ, & Franconiæ plerunque vigeſima pars, ſeu quinque de centum, ſolvi ſolet, Coler. *deciſ. 33. num. 3.* Wehner. *obſ. pract. verb.* Handlohn/Lehnwahr.

Eſtque Laudimii ſolutio non gratuita 32
reſpectu Ruſticorum & Emphyteutarum, ſed *ex neceſſitatis vinculo præſtanda.* (14) Tùm quia eſt quædam exhibitio obſequii reverentialis, quam facit Emphyteuta, dum receptione inveſtituræ Dominum recognoſcit, Menoch. *conſil. 297. num. 24. & ſeqq. lib. 3.* Stephan. Gratian. *diſcept. forenſ. lib. 2. cap. 477. numer. 21.* Tùm quia eſt quoddam honoris genus, quod gratitudinis ergò ab ho- 33
mine pro inveſtitura præſtatur, Andr. Knich. *de pact. veſtit. lib. 2. cap. 4. num. 121.* Tùm 34
quia ſolvitur ex ipſa natura contractûs, Menoch. *d. conſil. 279. num. 15.* Cephal. *conſil. 505. n. 17.* Johan. Petr. Surd. *deciſ. 31. num. 6. lib. 1.* Tùm quia ſolvitur ex legis diſpoſitione, 35
l. fin. Cod. de jur. Emphyt. Surd. *d. deciſ. 31. num. 7.* Tùm quia æquitatis ratio idem flagitat, ut 36
Dominus, qui gravatur ex aliorum contractu novum recipere poſſeſſorem, *contra l. 25. C. de pactis,* iterum percipiat aliquod relevium ſeu compenſam, Johan. Bapt. Coſta *de quota & rata cap. 112. num. 4.*

Ad hoc autem, ut venditio dicatur 37
perfecta & completa, non ſaltem nudus & ſimplex contractûs ſive conventio, *ſed & traditio,* (15) *id eſt,* executio & conſummatio contractûs requiritur. Hartm. Piſt. *d. q. 50. num. 13.* Matth. Wehner. *obſerv. pract. verb.* Handlohn. *§. quod ſi Ruſtici.* Nam cùm reſpectu laudimiorum præcipua cauſa ſit contrectationis alieni fundi, & manus mutatio contingere nequeat, niſi per poſſeſſionis adeptionem; cujus effectus eſt ab traditione, *l. traditionibus C. de. pact.* certè ante 38
traditionem peti laudimia nequeunt, nec Domini intereſt, cùm antiquus Vaſallus non mutatur, nec jura ulla pereunt, nec idem efficere poteſt ſimplex actio perſonalis naſcens ex contractu; Cùm ante traditionem 39
liceat partibus à Conventione diſcedere, quandocunque, ſive continuò, ſive ex intervallo, *§. fin. Inſt. quib. mod. toll. oblig. l. 58. ff. de pact. l. 1. Cod. quand. lic. ab empt. reced.* nec intereſſe putant, an protinus, an ex intervallo diſcedatur à conventione; Utrumque enim ex æquo licere rebus integris, id eſt, nondum traditâ poſſeſſione, indubium

40 dubium eſt. Sed ſecutâ traditione, nullâ conventione fieri poteſt, ut jus quæſitum tertio ex facto duorum contrahentium non valeat. Itaque dominis locorum, ſubſecutâ traditione, præjudicium non fieri diſceſſione à contractu, firmat Tiraqu. §. 1. *gl. 2. num. 41.* Ante traditionem verò eodem conſenſu, quo convenit, partes contractum reſolubilem faciunt, ſive reſpectu obligationis civilis, ſive naturalis, atque adeò tertii cujuslibet, cui jus quæſitum ſit, ſpe, non effectu ſuſpenſo, ſcilicet ab executione. Atque hæc eſt ſententia Tiraquell. *in retract. convent.* §. *6. gloſſ. 2. n. 7.* Jacob. de S. Georg. *in tract. de Roydis. verſ. habent etiam.* Joh. Fabr. *dict. l. 1.* Ferron. *d.* §. *15 tit. de feud.*
41 Molinæ. §. *55. gloſſ. 2. numer. 32.* Etſi repugnet Manſuerius §. *item pone. de retract.* & Stephan. Bart. *conſil. 199. lib. 1.* Molinæus *ſibi contrarius.* §. *13. gloſſ. 3. num. 10. & gloſſ. 5. num. 9. &* §. *22. quæſt. 2. &* §. *55. gloſſ. num. 40.* Ubi laudimia ſtatim deberi putat à contractu concluſo in contractu venditionis, etſi revocabiliter: ſed Molinæi rationes refelli poſſunt, *in dict.* §. *13.* quas ſcholaſticè exaggerat, & ab actu revocabili irrevocabiles effectus non benè colligit. Quod ſi objicitur, dominum poſſe contrahentes compellere, ut aut impleant contractum, aut reſolvant: ne ſemper in incerto ſit: eſt quod reſpondeatur, quòd ſcilicet hominem, id eſt, Vaſallum priorem habet omnibus juribus obnoxium, quamdiu non proceditur ad actualem traditionem & mutationem manûs, & nulla fit dimiſſio fidei, nec domini intereſt Vaſallum mutari. Nec
42 aſſentior Molinæo, cùm putat dominum impedire poſſe diſceſſionem à contractu quamlibet conſentientibus partibus, præveniendo per petitionem jurium & actionem diſtractam, quod ille ait, *dict.* §. *22. quæſt. 2. &* §. *13. gloſſ. 3. numer. 10. &* §. *55. gloſſ. 1. num. 34.* Neque enim legalem diſpoſitionem, per quam alteri nondum jus quæſitum eſt, & reſolutionis facultatem rebus integris per feſtinationem Domini auferri partibus poſſe exiſtimo, cùm juris ſit beneficium & in latitudine voluntatis contrahentium poſitum, ita ut nec dari fidejuſſores de implendo, nec pignora obeſſe poſſunt contractum revocantibus, adeò nec pretii ſolutio.

43 Nec verò poſſeſſiones civiles & clauſulæ conſtituti poſſeſſorii, aut aliæ artificiales appoſitæ in contractu faciunt, ut res non integra videatur, nec operantur realem traditionem, quoad impediendam reſolutionem contractuum ex conſenſu, ſive in continenti, ſive ex intervallo, modò emptor actualiter in poſſeſſione non ſit, quia re actualiter remanente apud venditorem, clauſulæ conſtituti, & tales non majore negotio reſolvuntur & revocantur, quàm contractus ipſe, quod olim Guido Papa dixit *deciſ. 105.* & Molin. *dict.* §. *55. gloſſ. 1. numer. 33. &* §. *13. gloſſ. 5. numer. 15.* Tiraquell. *in retract. de Conſtitut. part. 1. & 3. limitatione 7. nos in Approprimentis.* Hæc eadem ratio du- 44
bitationem, quæ de diſtractu eſſe poterat, reſolvit, qui ſi ante traditionem fit, nulla laudimia debentur, ſive in continenti, ſive ex intervallo fiat; Ex contractu enim tali, qui non ſortitur effectum, nec gabella, nec laudimium exigitur. Surd. *deciſ. 305. num. 25. 27.* Knichen. *de pact. veſt. lib. 2. cap. 4. num. 157. & num. 208.* Paria ſiquidem ſunt ab initio non exiſtere, vel extitiſſe quidem, ſed non habuiſſe effectum, Weſemb. *conſil. 16. num. 7. & 8.* Sin verò poſt traditionem fiat contractûs reſolutio, bina Laudimia debentur, utpote de duabus venditionibus, *d. l. 1. C. quand. lic. ab empt. diſc.* Boër. *conſ. 160. in fin.* & quos ille.

Tertiò debentur Laudimia ex venditione *cum pacto de retrovendendo* (16) re 45
traditâ, Camill. Borell. *dict lib. 4. cap. 2. numer. 52.* ubi plures conglomerat, Molinæ. *ad Conſuet. Pariſ. tit. 1.* §. *22. numer. 12.* Renat. Choppin. *de Legib. And. lib. 1. tit. 4. num. 10.* Dan. Moller. *lib. 4. ſemeſtr. cap. 3. num. 1.* Hartmann. Piſtor. *dict. lib. 1. quæſt. 50. num. 8.* Nam nullum dubium eſt, quin ex tali 46
venditione Dominium, licèt revocabiliter, in Emptorem transferatur; Neque realis ex illo revenditionis pacto, ſed ſaltem perſonalis contra venditorem actio naſcitur: Stante ergo Dominio in perſona Emptoris, Laudimii neceſſitas ob poſſeſſionis confirmationem jam fundata eſt. Idque tantò fortiùs procedit, quando pactum 47
hoc redemptivum eſt perpetuum, Borell. *dict. cap. 2. numer. 53.* Et quando facta fuit 48
venditio cum pacto de retrovendendo, & poſtmodum fit retrovenditio, & res, interveniente novo contractu, retrahitur, duplex debetur Laudimium, Proſper. Paſethus *conſ. 2. n. 7. & 8.* Borell. *dict. cap. 2. numer. 54. & ſeqq.*

Pertinet verò hoc laudimiorum onus 49
non ad venditorem, ſed ad emptorem, ſeu novum poſſeſſorem, *arg. l. debet. 27. in fin. ff. de ædilit. edict. l. fin.* §. *ult. C. de jur. Emph.* Carol. Molin. *ad Conſuetud. Pariſ. tit. 1.* §. *23. num. 7.* Matth. Weſemb. *conſil. 16. numer. 2.* Camill. Borell. *d. lib. 4. cap. 2. num. 139.* Quia non venditor, ſed emptor eſt recognoſcendus in Emphyteutam, & ob id ad hanc præſtationem tenetur, Renat. Choppin. *de Morib. Pariſ. lib. 1. tit. 2. n. 32.* Coler. *deciſ. 33. numer. 4.* Amad. de Ponte *quæſt. laudim. 9.* Dan. Moller. *4. ſemeſtr. 4. num. 1.* Joh. Petr. Surdus *deciſ. 200. num. 4.* Quare interdum 50
inter contrahentes talia onera habentur pro parte pretii, *arg. l. ſi ſterilis. 21.* §. *5. ff. de action. empt. l. fundi partem. 79. ff. de contrah. empt.* Franc. Zoannett. *de empt. numer. 80.*

51 Carol. Molin. *de Uſuris n. 117.* Steph. Grat. *diſcept. forenſ. cap. 258.* Unde is, qui præſtitit Laudimium, contractu ob pactum reemptionis revocato, & fundo reempto, etiam id, quod Laudimii nomine ſolvit, repetit, Arius Pinell. *ad l. 2. part. 2. c. 3. n. 37.*
52 *38. C. de reſcind. vendit.* Moribus verò receptis plerumque *ſolet certâ pactione exprimi,* (17) ad utrum contrahentium onus Laudimii ſolvendi ſpectare debeat. Matth. Wehner. *obſerv. pract. verb.* Handlohn/Lehenwahr/§. ſolviturque laudimium, &c.

Quartò debetur Laudimium *de Con-*
53 *tractu libellario,* (18) quando ſcilicet res ali-
54 cui *in perpetuum utenda* (19) datur, eâ lege, ut præſtetur eo nomine annua penſio tot ſolidorum vel modiorum frumenti, utque poſt certum annorum numerum, verbi gratiâ, de luſtro in luſtrum, vel etiam triceſimo quoque anno, renovetur pretio numerato, ſive laudimio, annuoque cenſu ſoluto, & dicitur à libello, id eſt, parva libra æris, quod placet Weſem. *tr. feud. c. 14.*
55 vel à libello, ſeu brevi charta, quaſi ſit ſcriptura brevis, ſive breve teſtatum; quod magis placet Hotoman. & Cujacio *ad tit. C. de jur. Emphyt.* Et ſanè majus & melius
56 videtur eſſe Jus libellarium, quàm feudale vel emphyteuticum; Cùm in iſto ſervitia & operæ, in hoc penſio ſive merces annua, in iſto fidelitas præſtetur, in libellaria non item: iſtud ob feloniam, uti & emphyteuſis ob ceſſationem in ſolutione penſionis amittantur, hæc non amittatur. Alias differentias vide apud Intrigliol. *de feud. cent. 1. quæſt. 9. numer. 42. cum pluribus ſequent.* Conrad. Rittershuſ. *feudal. cap. 2. numer. 7. fol. 85.*

57 Sed quid dicendum Quintò de ſimplici illo cenſu fundiario, in quo nullum dominium directum, nullaque jura laudimiorum à concedente reſervata ſunt? Equidem exiſtimo, jura laudimiorum prælationis, retentionis, aliaque id genus, eſſe tantùm qualitates cenſûs, quæ licet ſine cenſu eſſe non poſſint, ſicut accidens ſine ſubjecto, tamen cenſus eſſe poteſt, ſine his qualitatibus, ſicut accidentia & eſſe & abeſſe poſſunt ſine ſubjecti interitu. Et revera de jure ſcripto cenſus omninò talis eſt: nam eſt Contractus, per quem omne dominium tàm utile, quàm directum, omniſque poſſeſſio tàm naturalis, quàm civilis, ita ſanè transfertur, ut nihil omninò juris in re conceſſa remaneat apud concedentem, præter penſionem quandam, ſive cenſum annuum, qui quidem non in recognitionem directi, ſed in memoriam priſtini dominii ſolvitur, quod videlicet illa res aliquando fuerit in pleno dominio concedentis, ut colligitur ex *gl. in c. conſtitutus. extr. de relig. dom.* junctâ ibi doctrinâ Panorm. *num. 20.* Menoch. *lib. 3. præſumpt. 106. num. 1. 2. & 6.* Alvar. Valaſc. *de jure Emphyt. qu. 32. num. 7. in fin. & numer. 27.* & alii, quos referunt. 58
Quò fit, cùm cenſus talis ſit de jure ſcripto, ſuprà dicta jura laudimiorum, prælationis, & directi dominii, eatenus de conſuetudine cenſui ineſſe creduntur, quatenus de his conſtat vel ex primaria conceſſione, vel ex antiquo uſu ſubſecuto. In contro- 59
verſiis verò Laudimialibus quoties de bonorum qualitate, Cenſitica, an Emphyteutica ſint, dubitatur, in dubio potiùs Cenſitica quàm Emphyteutica præſumuntur, Menoch. *3. præſumpt. 106. num. 4. 5. 6.* Cardinal. Mantica *Lucubr. Vatican.* (20) *lib. 22. tit. 3. num. 11. & 12.* Conſtit. Saxon *p. 2. c. 39.* ubi Dan. Moller. Videatur omninò Fachinæ. *conſil. 4. vol. 1.*

Sextò *ex datione in ſolutum* (21) (quæ 60
contractus non eſt, ſed actus prioris obligationis liberationem inducens) Laudimium debetur; Quia nihil differt ab emptione, 61
l. fin. ibi: Emptori ſimilis eſt is, qui rem in ſolutum accipit, ff. ex quib. cauſ. in poſſ. eat. l. eleganter ff. de pign. act. l. prædium 4. C. de Evict. Joan. Vincent. Hondedæ. *conſil. 41. num. 5. vol. 1. & conſil. 34. num. 43. vol. 2.* Dan. Moll. *libr. 4. ſemeſtr. cap. 5. num. 1. bellè* Renat. Choppin. *de legib. Andium part. 2. cap. 2. tit. 1. num. 7.* Et niſi in datione in ſolutum eſſet quoque Laudimium præſtandum, facilè 62
aperiretur via fraudibus, & in præjudicium directi Domini res emphyteutica transferetur quovis ſub fuco, Amad. de Ponte *qu. laudem. 27.* Nam Emphyteuta novus, ut 63
evitaret ſolutionem Laudimii, fingeret Creditorem anteceſſoris ſui, & ab eo fundum ſibi ſolvendum procuraret, quod non eſt permittendum, Ant. Teſſaur. *deciſ. 139. num. 1.* Hartm. Piſt. *d. qu. 50. num. 25. & ſeqq.* Joſeph. Ludovici *Deciſ. Peruſ. 60. n. 7.* Borel. *d. cap. 2. num. 66. & 67.* ubi ampliat, etſi datio in ſolutum fieret à judice vel per auctiones. Ratio; quia id, quod à judice ſubhaſtante & poſteà adjudicante, vel in ſo- 64
lutum Creditori addicente, cenſetur fieri ab ipſo Debitore, qui propriâ ſponte debitum contraxerat, Moller, *dict. cap. 5. num. 3.* Ergo voluntate debitoris factum, ut Domino directo novus Emphyteuta inveſtiendus obveniat: Paria enim ſunt, alienare, & aliquid facere, propter quod ſequatur alienatio, Amad. de Ponte *d. quæſt. 27.* 65
§. ſequitur Anton. Faber *in Cod. deciſ. for. lib. 3. tit. 42. definit. 30. num. 24. & definit. 23. num. 1.* Knichen. *de veſtit. pact. part. 2. cap. 4. num. 190.* Opponere ſolent, quòd Laudimiorum neceſſitati venditiones non ſubjiciantur, quæ non ſponte fiunt. Sed hîc nulla neceſſitas dici poteſt: Neque enim ea neceſſitas eſt, quæ (ut dixi) ab obligati- 66
one voluntaria, in quam ſe quiſquam ſponte induit, proficiſcitur, Tiraqu. *in retract. §. 1. gl. 14. num. 13.*

Septi-

67 Septimò, *ex diviſione* (22) rerum feudalium vel emphyteuticarum inter ſocios vel cohæredes deberi Laudimia Dd. negant, hiſce rationibus: quod (1) Diviſio ſit alienatio neceſſaria, ex qua Laudimii præſtan-
68 di neceſſitas non oritur, Molinæ. *dict. tit. 1. §. 22. num. 69* Surd. *deciſ. 305. num. 30.* Knich. *d. lib. 2. cap. 4. num. 160.* Coler. *deciſ. 33. n. 33. part. 1.* Hartm. Piſt. *dict. quæſt. 50. num. 55.* Matth. Wehner. *pract. obſ. verb.* Handlohn. *§. quare in ſucceſſionibus &c.* Fab. de Anna *conſil. 83. num. 1.* quem noviſſimè ſequitur Coſta *tr. de fact. ſcient. & ignorant. centu. 1. diſtinct. 11. num. 23.* & quòd (2) per diviſio-
69 nem non acquiratur novum dominium dividentibus, ſed id, quod antè cohæredum pro indiviſo erat, pro virilibus portionibus inter eos diſtribuatur. Id enim, quod mihi cum alio commune eſt, ſtante adhuc communione, dicitur eſſe meum, *l. 46. ff. de ritu nupt. l. 25. ff. de V. S.* Quam
70 in rem Saxonicam Conſtitutionem eſſe, quòd Liberi dividentes Laudimium ſolvere non teneantur, teſtatur Jac. Schultes *in Addit. ad Mod. Piſtor. part. 1. qu. 37. lit. A.* Si tamen plures filii in diviſione totum fun-
71 dum Emphyteuticum uni ſuorum fratrum aſſignaverint, & ipſi pro rata portionum pretium vel condignam æſtimationem acceperunt; hoc caſu, cùm à diviſionis natura receſſerint, & ad aliud negotium ſponte ſuâ tranſierint, utique Laudimii onus portare tenebuntur, Molinæ. *d. §. 22. num. 72.* Paſeth. *d. conſil. 2. num. 9. & conſil. 3. num. 8.* Quâ in parte animus dividentium cautè explo-
72 randus, an in terminis diviſionis permanſerint, an verò ſponte ſuâ aliud negotium immiſcere ſtuduerint. B. Argentræus, Redonenſis Provinciæ Præſes, *tr. de Laudimiis d. §.* ubi latè & eleganter de hoc negotio diſſerit, Hartm. Piſt. *d. qu. 50. num. 57.* Id quod qui-
73 dam præſumunt, quando inæqualis fit diviſio, Surd. *deciſ. 343. n. 7.*

Contrarium, & quod ex diviſione feudi vel emphyteuſis Domino directo debea-
74 tur laudimium, voluêre Petr. Jacobi, Capella Tholoſana, & alii relati à Camillo Borello *d cap. 2. num. 62. & 63.* & ubi fit diviſio in extraneum, laudimiū deberi, reſpondit Laderch. *conſil. 16. in fin. vol. 1.*

75 Octavò, *ex permutationis antiquiſſimo omnium contractu* (23) quoque laudimia perſolvenda ſunt: Tum quia perſona poſſeſſoris fundi Emphyteutici immutatur, quæ ſola ratio ſufficit ad oneris illius præſtatio-
76 nem, *l. fin. verb. tranſponere, & verb. transfertur. C. de jur. Emphyt.* Tum quia *d. l. fin.* generaliter de quavis alienatione loquitur, Hartm. Piſtor. *d. qu. 50. num. 28. & 30.* Modeſt. Piſtor. *quæſt. 62.* Tum quia permuta-
77 tio maximè vicina eſt emptioni, imò ejus ſpecies eſſe putatur, *l. 2. ff. de rer. permutat. l. 2. C. eod. cum ſimilib.* vulg. Borell. *d. lib. 4. cap. 2.* ubi plures convehit. Fab. de Anna *conſil. 55. num. 1.* Coler. *deciſ. 33. num. 13.* Jacob. Schultes *in Addit. ad Modeſtin. Piſtor. qu. 67.* ubi teſtatur, adeſſe Conſtitutionem Saxonicam ſcriptam, quæ in permutatione Emphyteuſeos eatenus ſcilicet Laudimium exigi permittat; quatenus aliquid additamenti loco acceſſit: Sin verò nuda fundi cum fundo fiat permutatio, nullam laudimii petitionem eſſe. Et hoc moribus ſui loci convenire perhibet Renat. Choppin. *de Legib. And. libr. 2. cap. 2. tit. 1. num. 8.* Videatur quoque Argentræus *d. tract. de Laudimiis §. 49. per tot.* Negat ex permutatione laudimium de jure civili deberi Guid. Pap. *deciſ. 92.* eò, quòd pretium non interveniat. Verùm non ſolùm de pretio, ſed etiam æſtimatione Laudimium debetur, *d. l. 3. Cod. de jur. Emphyt.* Neque pretium in cauſa eſt ejus ſolvendi, ſed quòd res in aliam perſonam transferatur, *d. l. 3. verb. transfertur. & verb. novum Emphyteutam.* ubi Jaſ. *num. 101.* Burſ. *conſil. 56.* Surd. *deciſ. 33.* Hartm. Piſtor. *dict. quæſt. 50. num. 28.*

Nonò, ex cauſa transactionis etiam eſt 78
præſtandum, ſi contingat, ut ex illo manus ſit mutanda, ſeu ut novus poſſeſſor à Domino veniat inveſtiendus, Hartm. Piſtor. *quæſt. 50. num. 58.* Coſta *de rat. ratæ. qu. 112. numer. 12.* Cæterùm *ſi ſaltem res in vim* 79
transactionis ab anteriore poſſeſſore retineatur, (24) & ſola controverſiæ liberatio per transactionem fiat, prout variis modis tranſigi ſolet, *l. 28. l. 83. C. de transact.* hîc, ob ceſſans Domini intereſſe, Laudimii ſolutio non exigitur, Molinæ. *d. §. 22. num. 66.* Renat. Choppin. *de legib. Andium lib. 2. c. 2. tit. 3. num. 18.* Quam tamen concluſionem Camill. Borell. *d. lib. 4. cap. 2. num. 122.* de- 80
clarat, duobus modis non procedere. I. Quando transactio mediante pecuniâ fieret, in caſu, in quo Vaſalli jura liquida eſſent, & tamen ob pecuniam res feudalis vel emphyteutica dimitteretur apud poſ- 81
ſeſſorem. II. Ubi quis tranſigendo diceret, *concedo tibi, quicquid juris habeo in tali re vel fundo:* quia tunc ſub nomine transactionis contineretur venditio & emptio, & deberetur laudimium; ſi verò diceret, 82
ego finio, vel quitto omne jus. ſuper tali re: quia tunc eſſet transactio, & laudimium ceſſaret. Hæc Borell. *dict. loc.*

Decimò, *Laudimium debetur ex Do-* 83
natione, (25) ne cogatur Dominus alienum hominem habere invitus, *cap. 1. §. donare. qual. feud. olim alien. potuer.* Hartm. Piſtor. *d. quæſt. 50. num. 31. libr. 1.* Hieron. de Laurentiis *Deciſ. Avenion. 143. ſub. num. 3. & 4.* Renat. Choppin *de legib. Andium d. lib. 2. cap. 2. tit. 3. Rubr. de Laudimiis num. 17.* Anton. Faber. *in Cod. deciſ. forenſ. lib. 4. tit. 42. definit. 29. numer. 1. & 3.* Ludovic. Sacca *conſil. 65. num. 45. vol. 1.* Quinimò neceſſi- 84

tas præſtandi laudimii & tunc ſibi locum vendicat, quando pater filio ſuo in vivis donat Emphyteuſin: Hîc enim filius non jure inveſtituræ paternæ, (in qua aliàs comprehenſus erat, & cujus virtute etiam abſque ſolutione Laudimii inveſtiri debuiſ-
85 ſet, ſi acquiſitionem jure ſucceſſionis expectaſſet) ſed ex nova cauſa, novaque acquiſitione Emphyteuſin ingreditur, & ob id à Laudimii præſtatione vixerit immunis, Surd. *deciſ.343.num.6.* Steph. Gratian. *lib.1.diſcept.forenſ.cap.186.num.22.* De quo tamen rationabiliter dubitari poteſt; eò, quòd illa acquiſitio non videatur eſſe nova, ſed potiùs debitæ ſucceſſionis præoccupata perceptio, Anton Fab. *d. tit. 42. d. definit. 71. n. 1.* Roſenthal. *de feud. cap. 6. concluſ.66.numer. 8.& not. lit. F.* Videatur quoque Borell. *d. cap.2.n.84.85.86.* Coſta *d. quæſt.112.num.11.* ubi tractant de donatione facta, reſervato uſufructu, & de donatione remuneratoria, ac mortis causâ.

Undecimò, licet nonnulli Dd. cenſeant,
86 ob retrovenditionem, quæ fit in executione venditionis, ſub pacto de retrovendendo, nullum præſtandum eſſe Laudimium,
87 tum, quòd iſta revenditio non tàm ſit novus contractus, quàm reſtitutio ex priori orta, ita ut fundus priori venditori magis reddatur, quàm ut ei de novo acquiratur: Tum, quòd talis retrovenditio non proce-
88 dit à libero conſenſu, ſed vi præexiſtentis contractûs, cujus pars eſt, & executio ejusdem. Nec ratio patitur, ut de contractu & executione ejusdem bina laudimia debeantur, Amad. de Ponte, ita aliquoties in Senatu Pedemontano judicatum referens, *d. quæſt.37.* Argentræ. *dict. tract. de Laudimiis* §.8. Surd. *deciſ.305.n.23.* Steph Gratian. *lib.1.deciſ.180.n.17.* Hartm. Piſtor. *dict. quæſt.50.num.2.* Moller. *libr.4.ſemeſtr.cap.3.num.2.3.*

89 Attamen contraria opinio, quòd ſcilicet *ex retrovenditione novus Emptor Laudimium præſtare teneatur,* (26) verior eſt: I. Quia prima venditio pura erat, ex qua dominium & poſſeſſio revera in emptorem erat tranſlata, Rauchbar. *part.1.quæſt.37.nu-*
90 *mer.22.* Anton. Faber *decad.22.error.7.* adeòque ex ſecunda emptione de novo, nova acquiſitio generabitur, utpote cùm per pactum de retrovendendo non tàm hoc actum, ut à priore venditione diſcedatur, quàm ut nova potiùs obligatio producatur, arg. *l.50. in fin. ff. de pact.* II. Quamvis conſtet, poſt pactum de retrovendendo non requiri novam Conventionem ad cauſandam novam revenditionem, ſed priorem pactionem venditioni in continenti adjectam ſufficere, ut venditor emptori ad revendendum ſit obſtrictus; attamen & hoc verum
91 eſt, quòd in una illa Conventione duo diſtincti & ſeparati ſunt contractus, diſtinctas & ſeparatas actiones producentes, ita ut ex priore Emptor ad poſſeſſionem actione empti agere poſſit, ex poſteriore iterum venditor pretium idem offerendo ad retraditionem poſſeſſionis, adeòque ad novam Domini retrò dimiſſi acquiſitionem 92
novâ actione empti experiatur. Franciſc. Zoanett. *ad l. 2.num.85.86.Cod de pact.int. empt.& vend.* Si ergo nova manûs mutatio, ſi nova dominii tranſlatio, ſi nova poſſeſſionis traditio, & nova poſſeſſoris inveſtitura requiritur, ambigendum non eſt, quin novum debeatur Laudimium, Knich. *d.tract.de veſtit.pact.part.2.cap.4.num.172. & num.185.* Quò facit, quòd opinio Dd. aſſerentium, dominium vi pacti de retrovendendo reverti ipſo jure ad priorem dominum, jam dudum ſit exploſa, & ex foro relegata, Schurff. *conſil. 13.num.5.6.centur.1.* Weſemb. *conſil. 39. numer. 6.* Zaſ *conſil.12. num.37.* Mynſing. *6.obſerv.70.*

Et illa altera *ſententia, quòd ex pacto* 93
retrovenditionis competat actio realis tàm contra venditorem, quàm contra tertium poſſeſſorem, rejecta eſt, (27) Schrader. *de feud.part.2.9 part.princ ſect.10.num.4.* Celſ. Hugo. *conſil.58.num.12. & ſeq.* Guid. Panc. *conſil 96.num.7.* Licèt ipſe *ibidem num.54.* priorem contrariam magis probare videatur: Quam tamen apertè idem Panciroll. repudiat *conſil.10.num.4.& conſil. 144.n. 3.* Zaſ. *conſil. 12. num.34. & ſeqq. vol. 1.* Weſ. *conſil.39.num.6.* Tib. Decian. *conſil.106.n. 10. & ſeqq. vol. 3.* Parlador. *rer. quotid c.1.§ 14. num.12.* Cavalcan. *deciſ.16.num.2.part.2.& tract. de tutore num. 158.* Franc. Marc. *deciſ. 600.num.5.& ſeqq. vol 1.* Magon. *Deciſ. Florent.105.num.2.* Ludov. Molina *de juſtit.& jur.part. de contract. tract. 2. diſputat.374.* §. *dubium eſt.* Roſenth. *de feud. cap. 18.concl.7. num.7.* Hartm. Piſtor. *lib. 1. quæſt. 21.num.7.* Hartm. Hartm. *pract. forenſ. lib. 1. obſerv. 5. tit.22.per tot.* Mynſing. *6.obſerv. 69.& obſ. ſeq.num.5.& ſeq.* Gail.2. *obſerv. 16. per tot.* qui ambo poſteriores pro hac ſententia Cameram judicaſſe atteſtantur. Et duo quidem in diverſis cauſis, nempe Bernhards von Ohr contra Eberhard von der Reck/ & Arnoldt Kleinſchmidt contra Annen Bülgin. Dnn. Aſſeſſorum vota de hac re videri poſſunt in Symphoremate Supplic. & Votor Cameral. *part. 3. voto 9. & 10.* Et in cauſa Anthonii Heyman. contra Joachim Kueffer Appellationis Anno 73. die 9. Junii Votum prolixum Dn. Referentis extat in Deciſionib. Meichſneri *lib. 2.deciſ.3.* In quibus omnibus latè hæc ſententia ſtabilitur.

Prædictis accedit, quòd per retroven- 94
ditionem prior Contractus non reſcindatur retrò, ſed ſaltem ex nunc finiatur & transferatur, aliàs priore Contractu nuda ſaltem fructuum perceptio vendita fuiſſet, quod eſt abſurdum. Et ob id meritò jam aliud

aliud Laudimium præſtandum, Molinæ. *d.* §. *22. numer. 117.*

Hac verò opinione (quam & approbant Conſult. Saxon. *part. 2. quæſt. 25.*) retentâ, quòd videlicet Laudimium etiam à redimente ſit præſtandum, non difficile erit contrarias rationes evertere, attento potiſſimùm, quòd redimens rem venditam revera de novo acquirat, uti jam dictum, eò quòd revera duo Contractus unâ pactione cumulentur, qui ut diverſis translationibus & inveſtituris, ita etiam diverſis Laudimiis anſam & occaſionem præſtabunt, Hartm. Piſtor. *d. quæſt. 50. num. 15. 20. & 22.* Coſta *de rat. ratæ qu. 112. n. 7.* Præterea alienationes neceſſariæ, quæ ex libera voluntate & gratuita pactione contrahentium proficiſcuntur, neceſſariæ alienationis naturam & privilegia hoc in paſſu non merentur, ſed ſicut ex voluntario Contractu promanant, ita etiam voluntariæ alienationis qualitatem retinent, *l. interdum 63. §. 1. in fin. ff. de judic. l. ſi fidejuſſor. §. 1. ff. qui ſatisd. cog.* Cacheran. *deciſ. 167. num. 28.* Vinc. Caroc. *deciſ. 24. num. 10.* Amad. de Ponte *d. quæſt. 27.* ubicunque ergo nulla alienatio neceſſitatur ex contractu voluntario, ibi Laudimii præſtatio neceſſaria eſt, Piſtor. *d. qu. 50. num. 25. & ſeq.* Amad. de Ponte *dict. quæſt. 27.* Coſta *d. qu. 112. num. 29. & tract. de fact. ſcient. & ign. inſpect. 24. num. 3.* Nec conſenſus Domini venditionem cum annexo pacto de retrovendendo approbantis ipſi in lucro Laudimii percipiendo obeſſe poterit, cùm illud non pro conſenſu, ſed pro inveſtitura novi Vaſalli præſtetur, Surd. *deciſ. 200. num. 3. & deciſ. 31. num. 8.* non verò pro ſimplici Contractu, ejusque approbatione, Molinæ *d. §. 22. num. 2.* Steph. Gratian. *lib. 2. diſcept. forenſ. cap. 377. num. 11*, adeò, ut etiam ex alienatione, quæ invito Domino fieri poteſt, adhuc tamen Laudimium debeatur, Cardinal. Mantica *Lucubrat. Vatican. de Tacit. & amb. Convent. libr. 22. tit. 21. num. 34.*

97 Duodecimò & ultimò, *An pro ſuperficie vel area feudali vel emphyteutica, itemque pro valore ædificiorum in ea factorum;* nec non *ex locatione ad longum tempus, ex cauſa Dotis præſertim æſtimatæ, ex teſtamentariis acquiſitionibus,* (28) &c. Laudimium debeatur, videatur Alvar. Valaſc. *de jure emphyt. qu. 29. num. 16.* Renat. Choppin. *de morib. Pariſ. lib. 1. tit. 3. num. 14.* Ludov. Molina Jeſuita *de juſt. & jur. diſput. 461. num. 9. & 10.* Anton. Fab. *lib. 4. tit. 42. definit. 55. num. 1. & 8.* Borell. *d. cap. 2. num. 74. & ſeqq. & num. 87.* Coſta *de ratione Ratæ dict. quæſt. 11. num. 19. 20.* Argentræ. *d. tr. de laudimiis* §. *39. 45. 46. 48.*

98 Porrò ſciendum eſt, laudimium eſſe onus reale, & ſequi ſingularem ſucceſſorem, Statil. Pacific. *de Salvian. interdict. inſpect. 3. cap. 4 num. 576.* non tamen eo nomine 99
tacitam competere hypothecam, ita ut novus poſſeſſor etiam ad Laudimia ab anteceſſoribus debita exſolvenda actione hypothecaria compelli poſſit, Surd. *deciſ. 31. per tot.* (29) Cùm juris ſit decantati, quòd tacita hypotheca nunquam cenſeatur inducta, 100
niſi expreſsâ lege cautum inveniatur, *l. 1. C. commun. de legat. l. fin. C. de pact. convent. cum ſimilib.* Cardin. Mantica *Lucubr. Vatican. lib. 11. tit. 11. num. 1. & 5.* Donell. *de pign. cap. 4.* 101
princ. Hoc verò caſu pro Laudimii obligatione nulla lex unquam tacitam hypothecam diſertè introduxit; quare etiam novâ inventione non debet introduci, Ant. Faber *in Cod. l. 4. tit. 31. def. fin. 1. n. 13 & tit 42. defin. 1. n. 25.* 102

Denique notatu dignum, quòd ob non ſolutionem laudimii res emphyteutica & feudalis *non cadat in commiſſum*, (30) Surd. *deciſ. 32. num. 14. & deciſ. 200. num 8.* Amad. de Ponte *quæſt. 19.* Borell. *d. cap. 2. num 149.* 103
Et quòd pluribus caſibus petendæ inveſtituræ Laudimium non ſit multiplicandum, ſed ſaltem unum & ſimplex præſtandum, Choppin. *d. lib. 2. de LL. And. c. 1. tit. 3. num. 13.* Exempli gratiâ: proximus ſucceſſor moritur, antequam inveſtiatur, ſequens ſi veniat, & ſe inveſtiri petat, non duplex, ſed unum ſolvit laudimium, fusè Weſ. *conſil. 16. num. 3. & ſeqq.* Schrad. *de feud. part. 6. cap. 6. num. 26.* Sed in hoc reſpiciendum ad conſuetudinem loci, ut & utrúmne ſtatuto vel pacto aliter, & ut pro omni manus mutatione & apertura rei, laudimium ſolvatur, cautum conſtitutúmve ſit, monet Roſenth. *de feud. cap. 6. concl. 66. num. 10.* Quemadmodum & eo caſu, ſi novus Vaſallus nondum petierat inveſtituram, interim autem Dominus moriatur ante lapſum anni & diei, hîc non duo, ſed unum laudimium ſucceſſoribus Domini directi præſtandum eſt; Schrad. *d. cap. 3. num. 26. & ſeqq.* Knich. *de veſtitur. pact. part. 2. cap. 4. num. 210.* Contrarium de rigore verius eſt, *pr. tit. quæ fuit prim. cauſ. benefic. amitt.* quod etiam in Emphyteuſi paſſim obſervatur.

Caſus, quibus Laudimia non debeantur, *latè recenſet Borell.* (31) *d. lib. 4. de Edict. Magiſtr. cap. 2. num. 101. & ſeqq. usque ad fin.* 104
Et ex contractu ipſo jure nullo non deberi Laudimium, latè oſtendit Surd. *deciſ. 122. num. 10. & per tot.* Weſemb. *conſil. 16. num. 6.* Ant. Faber *in Cod. deciſ. forenſ. lib. 4. tit. 42. definit. 28. num. 10.* Et ſi verò laudimia ſint munera privata, & privatam continentia 105
utilitatem, ut per Menoch. *conſil. 297. n. 14. vol. 3.* quia debentur ſoli Domino pro ejus conſenſu; Nihilominus cùm & Dominis Territorialibus Laudimiorum materia perquam familiaris & uſitata ſit, adeò ut jure Imperatorio, Emphyteutici contractus exemplo, Laudimiorum uſus ad omnes ferè contractus, imitatione quinquageſi-

mæ emphyteuticæ, dimanâſſe credatur; utique dubitandum non eſt, quin Principes & Magiſtratus hoc Laudimiorum compendio publicas afflictiones profligare, eóque medio Ærariis ſuis optumè conſulere poſſint.

106 In Gallia etiamnum uſitatiſſimum tributum eſt, *Lods & Ventes*, (32) quod in alienatione & translatione inter vivos, præcipuè verò in venditione (unde etiam nomen, *Ventes*, accepit) rerum immobilium, præſtatur, & videtur in omnibus ferè convenire cum tributo Regni Caſtiliæ *Alcavala*, & Luſitanico *Siſa*; de quibus dixi *tractat. de Contribut. cap. 1. num. 338.* & infrà *hoc tra-*
107 *ctat. cap. 78. num. 22.* In Statutis quoque Genevenſibus habetur, ut, ſi inhabitans, uti loquuntur, rem ſoli emeret, ſextam pretii conventi partem, ratione *Lods & Ventes*, ſolveret; reliqui autem, nimirum *les Citoyens, & les Bourgeois*, octavam partem præſtarent. Dividuntur enim incolæ Genevenſes in tres claſſes, quarum primam *les Citoyens* conſtituunt, qui parente cive ſunt nati, & hi ad Magiſtratus admittuntur, excluſis reliquis. Sequuntur deinde *les Bourgeois*, qui jus Civitatis acquiſiverunt, & denique *les inhabitans*, qui ſub tutelam Civitatis tantùm ſunt recepti. Cæterùm hoc tributum maximè à laudimiis differt, quod Galli ſpeciali nomine, *relief*, quaſi relevium, vel *accordement*, appellant.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT XLII.

Num. 1.

(1) L*audemia à laudando &c.*] Ita ſentiunt communiter Doctores, quos vidi, omnes, nec alienior ab hac derivatione Author noſter infrà *hoc capite n. 27.* eſt. Inde haud moveor, quòd Klockius noſter *hîc* de meliori Etymologiæ hujus vocabuli Laudimii adferre quædam conatur; cùm ejus derivatio æquè, ſi non magis, dubia mihi exinde redditur, quòd Laudemii vocem à *Francis* petat & à vocabulo *Leudes* deducat. Cui ipſi antea probandum incubuiſſet, Francis incunabula ſua Jus hæc debere; deinde, quamvis negandum non ſit, apud Francicæ Hiſtoricæ Scriptores, v. g. Gregorium Turonenſem, Aiomonum, &c. hoc vocabulum legi, & eo ſignificatos homines, ſive Servientes; attamen vox hæc (ut rectè Lindenbrogius *in Gloſſario p. 1423. advertit*) pura puta Germanica eſt, & hodieque Leute homines ſignificat. Denique hoc modo non *Laudimium* ſive *Laudemium*, ſed *Leudemium* ſcribendum foret. Accedit, quòd vocis *laudare* ſignificationem, prout in materia feudali atque Emphyteutica ſumitur, docente Boërio *deciſ. 234. in rubr.* Choppino *lib. 1. de Legibus Andium c. 4. art. 2.* Galli eleganter exprimant per verbum *accorder*, & laudemia *accordement* ſeu accordamenta dicant. Interim liberum eſto cuique vel majori JCtorum parti (pro cujus opinione alias veritas præſumitur) accedere, vel ab iis divertere & pedibus, quod ajunt, in Klockii noſtri ſententiam hîc expreſſam ire. Præſertim in tali controverſia, quæ vel in affirmativam vel negativam deciſa per ſe nulli præjudicium adferre poterit.

(2) *Alaudiorium &c.*] *Allodium* ſive *Alaudium* ex eo dictum cenſet Molinæus *ad Conſuetud. Pariſ. tit. 1. §. 68. aliàs 46. n. 1.* quòd qui ea prædia tenet, *nullum habeat auctorem* vel ſuperiorem Dominum, *quem laudet*, hoc eſt, recognoſcat.

Num. 2.

(3) *Novellæ Conſtitutiones &c.*] Scilicet Novella Leonis *13.* Confer Cujacium *ad lib. 1. Feud. ad rubr. p. m. 656. in medio.*

Num. 3.

(4) *Sunt verò Laudemia &c.*] Moribus noſtris accommodatè, quibus Laudemii jus ab Emphyteuticis bonis, ad feudalia, cenſualia & alia plura extenſum eſt, definit Subtiliſſimus Frantzkius Laudemium, partem pretii vel æſtimationis rei ex alienatione certorum bonorum Domino directo, pro ſubſcriptione, inveſtiturâ, ſeu receptione in poſſeſſionem à novo acquirente perſolvendam, ad hoc, ut is Domino obligetur & Dominium in illius perſona recognoſcat.

(5) *Juſtiniani quinquageſima &c.*] In *l. ult. C. de J. Emphyt.*

Num. 4.

(6) *Tota enim ferè materia à conſuetudine dependet &c.*] Confirmat id poſt alios laudatus Frantzkius *de Laudem. c. 4. n. 17. per multos caſus*, & Fulgineus *de J. Emphyt. de Laudem. quæſt. 14. n. 7. qu. 25. n. 2. p. 386. ſeqq. & paſſim.* An verò conſuetudo talis per libros Diſtrictuum & Nobilium Amtsbücher / Saalbücher / vel Erbregiſter / ſufficienter probari queat? quærunt. Et Frantzk. *c. 14. n. 31.* tunc demum in poſſeſſorio probari putat, ſi libri illi ſint antiqui & ordinatâ ſerie conſcripti, & ab aliis ſoliti reputari pro authenticis & in judiciis vel extra illis fides adhiberi, vel ſi uno teſte confirmentur, aut ſi ſcriptor nobilis, aut integræ famæ fuerit, aut mors ſcriptoris fidem augeat. Adde Mollerum *4. Semeſtr. 37.*

Num. 6.

(7) *Non quota vel pars pretii &c.*] Nec contrariatur revera huic opinioni, quod ſuprà ex Frantzkio, Juſtinianum Imp. *in l. ult. C. de J. Emphyt.* ſequente, dictum fuerat Laudemium partem pretii eſſe. Quoniam pars vocatur, non quòd pretio detrahatur & Domino perſolvatur, illud enim venditori integrè præſtandum eſt, ſed quòd ad rationem pretii æſtimandum ſit, ut videlicet, v. g. pro quinquaginta florenis, in quibus fortè pretiū conſiſtit, unus Domino perſolvatur. Unde ita ferè eſt, ac ſi pars ex pretio Domino numeretur. Confer infrà Klockium noſtrum *n. 50.* ubi fatetur ipſe, Laudimia interdum partem pretii eſſe.

Num. 7.

(8) *Pars octava &c.*] Hîc Norimbergæ Emphyteutæ decimam quintam pretii partem, nempe de florenis quindecim unum, & nonnunquam ex conſuetudine decimam de decem florenis unū in Laudemium Domino ſolvere tenentur, niſi libertate ab hoc onere, vel minùs ſe debere docere

queant Emphyteutæ. Textus eſt expreſſus *in Tit. XXIII. Leg. 13.* Reformationis Noricæ: Und ſo der Aigenherr/ nachdem Er erſucht würde/ ſolchen Kauff in beſtimter Zeit (*de quo in §. antecedenti*) nicht annimmt/ ſoll Er dem Kauffer / ſofern derſelbig zu ſolchem Erbgut tüglich iſt/zu leihen ſchuldig ſeyn/ doch daß der Kauffer den funffzehenden Pfenning/ Pfund oder Gulden/ nach Anzahl der Kauffſumma/ zu Handlohn entricht und bezahl. Es wäre dann / daß mit Briefflichen Urkunden / oder ſonſt glaublich fürgebracht würde/daß Er deſſelben gefreyet/ oder anders damit von Alters her gehalten worden/ alsdann ſoll es dabey bleiben / und auf gebührliche Erbpflicht/ das Erbgut geliehen werden.

Num. 10.

(9) *Niſi aliud peculiari conſuetudine receptum probetur &c.*] De quo vide Rittershuſium *in partit. feudal. c.4. n.6. p.384.* Frantzkium *de Laudem. c.4. n.9. ſeqq. &c.*

Num. 19.

(10) *Canonicis Comitibus Lugdunenſibus &c.*] Inter omnia, quæ Lugduni ſpectantur, templa primas tenet illud Sti. Johannis, olim S. Stephano dicatum. In cujus Collegio Canonicorum hoc memorandum, quòd *Decanus* illius *Ducis* cæteri *Comitum* titulo cluant. Olim ſiquidem Lugdunum formâ Comitatûs regebatur; primusque Comes ei fuit Armentas. De quo Gregorius Florentinus: Armentarius, *dicit*, Comes Urbem Lugdunenſem judiciariâ poteſtate gubernabat. Dein à Lothario Rege Galliæ, Mathildi ſorori, cùm eam duceret Cunradus filius Bozonis II. Regis Burgundiæ, donatus eſt Comitatus Lugdunenſis. Qui poſtea ſucceſſione temporis pervenit ad hos Canonicos dono Burgundico. Quamquam ſunt, qui dicant, eos titulum Comitum geſtare ab Emptione Comitatus Foreſtii. Limnæus *in Not. Regni Franc. l.6. c.19. lit. aa.* Gölnitzius *in Ulyſſe Gallo-Belg. p.303.*

(11) *Primâ nocte concumbere cum Vaſallorum ſponſis &c.*] Similia exempla vide infrà *hoc libro cap.146. n.27. ſeq.*

Num. 25.

(12) *Relevium &c.*] De hoc Frantzkius notat *cap.1.2e.* Laudimium dicitur non rarò etiam Relevium, ſed vox hæc ferè in feudalibus ita uſurpatur. Roſenthal *de Feud. cap.6. concl.1. n.1.* tametſi paſſim videam hoc inibi accipi, non tàm ubi feudum alienatur, quàm ubi mortuo vaſallo ſuccedi-tur, & Domino vel equus vel aliud donum (*Lindemann. Exercit. Feud. 5. c.6. θ.16.*) vel portio certa ex conſuetudine attribuitur, quæ nonnunquam ad medietatem fructuum unius anni exſurgit. Unde *quod tum relevet*, maximè dictum eſſe potuit. Hæc ille, quibus Amædeum de Ponte *quæſt. laudem. 12. n.13. pag. 42.* & à nobis ſuperiùs collata *ad lib.1. c.8. n.14.* (23) junge.

Num. 31.

(31) *De conſuetudine verò interdum plus, interdum minus penditur &c.*] Hoc ipſum multis exemplis exquiſitè demonſtrat aliquoties huc à nobis adductus Frantzkius *d. loc. c.23. n.10. 11.12. ſeqq.* ubi vide.

(14) *Ex neceſſitatis vinculo præſtanda &c.*] Indeque forta ſſis eſt, quod Fulgineus *de Jur. Emph. tit. de Laudemiis qu.1. p.367. n.11.* cum ibidem adductis, concludat, laudemium deberi, etiamſi per Dominum non petatur; ſicut reliqua debita ſolvenda ſunt, niſi aliter conſtet de voluntate ipſius.

Num. 37.

(15) *Sed & traditio &c.*] Eadem ex cauſa infert Frantzkius *d. loc. c. 14. n. 83. ſeqq. ubi omninò vide.* Laudimium nullum deberi, ſi res nondũ ſit tradita; cùm alienatum propriè non dicatur, quod adhuc in Dominio venditoris manet; qualis eſt res vendita, ſed nondum tradita, *l. alienatum 67. de V. S. §. per traditionem 41. J. de R. D. l. traditionibus 20. C. de pactis.*

Num. 45.

(16) *Cum pacto de retrovendendo re traditâ &c.*] Confer Amadeum de Ponte *quæſt. laudem. 37. p.141. ſeqq.* Fulgineum *de Jur. Emphyt. tit. de Laudem. qu.4. p.370. ſeqq.* Frantzkium *de Laudem. c.16. p.327. n.26. ſeqq.* qui omnes pro Affirmativa concludunt.

Num. 52.

(17) *Solet certâ pactione exprimi &c.*] Fulgineus *d.l. quæſt.3. p.369.* Frantzkius *d. loc.*

Num. 53.

(18) *De contractu libellario &c.*] De cujus cum Emphyteuſi convenientia, & diſconvenientia cõpendiosè diſſerunt laudati toties Authores, Fulgineus *d.l. in prælud. quæſt.7.* Frantzkius *cap.11. per totum.* Molina *de J. & J. tom.1. Tract. 2. diſp.10.* Mantica *de tac. & amb. convent. l.22. tit.3.* Gryphiander *Oeconom. Legal. cap.30. n.20. 21. 22. 23. ſeq. &c.*

Num. 54.

(19) *In perpetuum utenda &c.*] Poſſe tamen & Contractum libellarium ad certum tempus reſtringi, aſſerit Cæpolla *lib.2. conſil.9.* (quamvis ibi de Emphyteuſi, quam Itali plerumque cum Contractu libellario confundere ſolent, intelligendus videatur) Camillus Borellus *de Magiſtr. Edict. l.4. c.2. n.68.*

Num. 59.

(20) *Lucubr. Vatican. &c.*] Scilicet de tacitis & ambig. Conventionibus. Adde Authoribus *hôc numero 57. in fin.* de bonis cenſiticis allegatis Matth. de Afflict. *deciſ.129. n.8.* Molinam *Diſput. 381. n.7.* Frantzk. *de Laudim. c.10. n.8. ſeqq. multis.* Fulgineum *d.l. quæſt.10. p.383.*

Num. 60. 61. ſeqq.

(21) *Ex datione in ſolutum &c.*] Conſentit his per omnia Frantzkius *cap. 16. ampliat. 19. n. 425. ſeqq. multis. p. 397. 398. ſeqq.*

Num. 67.

(22) *Ex Diviſione &c. Dd. negant &c.*] Quò & Amadeus de Ponte *Quæſt. Laudemial. 25. p.107. ſeqq.* & Frantzkius *de Laud. cap.19.* & Fontanella *de Pact. Nupt. Clauſ.4. gl.9. part.2. n.70. & 71.* inclinant. Et generaliter dicendo eorum verior, quàm Affirmantium opinio eſſe videtur, niſi conſuetudo obſtet, aut aliæ rationes à Fulgineo *de J. Emphyt. tit. de Laudem. quæſt.5. n.10. 11. 12. allatæ*, cum ſimilibus diverſum ſuadeant.

Num. 75.

(23) *Ex Permutationis antiquiſſimo contractu &c.*] Confer conſentientem Authori noſtro Frantzkium *d.l. Capite 18. per totum, ubi vide,* quam Affirmativam, deberi nempe ex permutatione laudemium, Amadeus à Ponte quoq; probat *quæſt.28. n.2. ſeqq.*

Num. 79.

(24) *Si ſaltem res in vim transactionis ab anteriore poſſeſſore retineatur &c.*] Et tunc ex illa Transactione laudemium haud deberi, Amadeus à Ponte *Quæſt. Laudem 32. n.2.* (ubi *in ſeqq.* ſpecialem quempiam caſum & præjudicia ſuper quæſtionem adfert.) & Fulgineus *de J. Emphyt. tit. de Laudemiis quæſt.12. p.385* aſſerunt. Frantzkius verò *cap.21.* utroque caſu, ſive poſſeſſor, vi

tranſactionis ſuper re Emphyteutica, poſſeſſionem in alium transferat, ſive eam retineat, ad ſolvendum laudimium haud teneri aſſerit, *n.16.* Eò quòd cùm tranſactio omnis ſit ſuper re dubia & incerto litis eventu, ſciri non poſſit, num ille, qui tradit rem, Emphyteuta ſit & utile dominium habeat. Verùm omninò ſolvendum, I. ſi patronus probet eum, qui rem reſtituit, tunc fuiſſe verum Dominum; II. ſi probet aliquam fraudem ſubeſſe; puta litem fuiſſe factam ad occultandam veram permutationem vel venditionem; & III. ſi tranſactio non fiat ſuper Dominio rei Emphyteuticæ vel feudalis, ſed ſuper alio jure, vel alia re, quæ retinetur, & hujus gratiâ feudum vel fundus Emphyteuticus detur, ut ſi is, à quo petuntur mille, dato feudo vel Emphyteuſi tranſigat. Quod nos in medio relinquimus, cùm I. primus caſus ideò haud facilè eveniat, quòd Domini feuda & inprimis bona Emphyteutica ſine laudato poſſeſſore ſicque agnito ob receptionem laudemii pro domino vero relinquant. Mutatâ igitur perſonâ prioris novus homo novum onus pro nova inveſtitura (*vid. ſeq. n.85. & 89.*) ſolvere omninò neceſſe habebit. Quoad ſecundum, non Tranſactio, ſed vel venditio vel permutatio &c. reverà eo caſu interceſſit, juxtà vulgatam Regulam; plus valet, quod agitur, quàm quod ſimulatè concipitur. Tertius denique caſus notiſſimos tranſactionis, de qua quæſtio hîc principaliter eſt, terminos excedit, & dationem in ſolutum contractum hunc tunc futurum, (ex qua omninò laudimium deberi, *n. 60. ſeqq. & (21)* ſuprà probatum fuerat) negari haud poterit.

Num. 83. 84. 85.

(25) *Laudimium debetur ex Donatione &c.]* Lucem indicatis his numeris tribus fœnerare poterunt dicta Fulginei *d. l. quæſt. 0. per totum pag. 373. ſeq.* Amædeus à Ponte *qu. 30. p. 127. ſeq.* Frantzkius *d. l. c. 452. 453. ſeqq.*

Num. 89.

(26) *Ex retrovenditione novus Emptor laudemium præſtare teneatur &c.]* Conſentit cum allegatis Fulgineus *quæſt. 4. n. 2. ſeqq.* Frantzkius *c. 16. n 29.* &c. Maulius *de Empt. Vendit. tit. 7. n. 38.* ubi tamen diſtinguit.

Num. 93.

(27) *Sententia, quòd ex pacto retrovenditionis competat actio realis, &c. rejecta eſt &c.]* Nominatis pro hac ſententia Authoribus accenſendi veniunt, præter *l. 2. C. de pactis inter Emptor. & Vendit.* Wurmſerus *in Nucl. Juris Controv. lib. 3. tit. 24. controv. 18.* Vultejus *in Conſil. Marpurg. 21. n. 121. vol. 3.* Gœdd. *conſil. 29. n. 14. volum. 4.* Carpzovius *in Juriſpr. F. parte 2. Conſtit. 1. definir. 16. n. 4.* Limitationes tamen quaſdam vide apud Authorem Præjud. Camer. *ſub rubr. pactum verſ. 2. p. 243.* Cravettam, ut & Cephal. monente Gotofr. Anton. *in Notis ad Gail. 2. Obſerv. 16. n. 4. pag. 32.*

Num. 97.

(28) *An pro ſuperficie vel area feudali &c. ex locat. ad longum tempus, ex cauſa dotis, teſtamento, acquiſitionibus &c.]* Junge Fulgineum *tr. ſæpè citato quæſt. 7. 16. 19.* Amædeum de Ponte *qu. 29. 31. 34.* Frantzkium *d. l. cap. 15. n. 33. ſeqq. c. 22. n. 1. ſeqq. multis c. 8. & 20. n. 70. ſeqq.*

Num. 98.

(29) *Surdus deciſ. 31. per totum &c.]* Verùm ipſa argumenta Surdi elidit *n. præcedenti* allegatus Statil. Pacificus *d. loco,* quas reſponſiones reaſſumit Fulgineus *d. loc. quæſt. 2. n. 8. 9. 10. ſeqq.* ipſi ſibi tamen aliquo modo contrarius, *d. loc. Tit. de variis caduc. quæſt. 16. p. 265.* qui tandem concludit, quòd ſi priores emptores, qui non ſolverunt laudemium, non fuerunt inveſtiti de Emphyteuſi; tunc Dominum directum non teneri ſecundum Emptorem inveſtire, niſi ſoluto laudimio ſuorum prædeceſſorum, actione hypothecariâ. Cum Authore tamen noſtro facit Frantzkius *de Laudim. cap. 24.* Quem omninò evolvere L. Benevolus, ad veritatem unius alteriusque opinionis meliùs indagandam, poterit.

Num. 102.

(30) *Non cadat in Commiſſum &c.]* Cautelam tamen eſſe putat Burg. *de Laudim. Inſp. 9. num. 14. part. 1.* quòd in inſtrumento Inveſtituræ apponatur pactum, ut in cauſa alienationis ſit ſolvendum Domino laudemium, ſub pœna caducitatis. Cùm tunc pacta ſervanda ſint.

Num. 104.

(31) *Latè recenſet Borellus &c.]* Ut & multoties à nobis laudati Amædeus à Ponte, Frantzkius, Fulgineus, *citatis locis* paſſim.

Num. 106.

(32) *Lods & vents &c.]* Quin potiùs addidit Klockius cum Laudimiis, (de quibus hoc capite expreſsè egit) majorem convenientiam habentia Compendia ex feudis Gallicis obvenientia Regi alia, *amortiſationem, relevamenta &c.* quibus etiam Limnæus *in Not. Franc. lib. 2. c. 9. lit. u. x. y.* & infrà Author noſter *in fine hujus Capitis,* ſub obſcuram licèt, mentionem injecit.

CAPUT XLIII.

De Dotium Immenſitate Moderanda.

SUMMARIA.

1. Dotis Conſtitutio *debet eſſe moderata ſecundum qualitatem perſonarum & patrimonii.*
2. *Quilibet ſecundùm vires patrimonii* filias *ſuas dotet.*
3. Dote *moderatâ familiæ conſervantur.*
4. Dotium *immenſitas Reip. corruptela: & ratio, hoc* & n.8.
5. *In* Hungaria *ampliſſimæ dotes.*
6. Romanorum *conſuetudo approbatur in dote moderanda.*
7. *Apud* Romanos *non omne patrimonium in dotem dabatur.*
9. Reip. *intereſt, ut certæ de dotibus leges ſanciantur.*
10. Dotium *in illuſtrium perſonarum Familiis definita quantitas eſſe ſolet, quam excedere non licet.*
11. Dos *apud Maſſilienſes quænam.*
12. Æqualem *omnibus* dotem *conſtituit Plato.*
13. Carolus V. Imp. *quantitatem certam dotis Hiſpanis definivit.*
14. *Apud Polonos* Caſimirus M. *Palatini ditiſſimi filiæ dotem noluit excedere C. march.*
15. Ruſſi *Polonis vicini veſtes, cibos, equos, boves &c. in dotem tradunt.*
16. *Apud Venetos dos non excedit* MDC. *aureos.*

17. Lege

17. Lege Moſaica *dos magna fuit.*
18. Dos *de generali Saxoniæ & Germaniæ conſuetudine ex feudo filiabus debetur ; ſed exigua arbitrio Domini feudi moderanda*, n. 19.
20. Filiabus *nomine* dotis *jus retentionis in feudo competit.*
21. Dos *quanta conſtituatur ex feudo in Saxonia, & Ducatu Megapolitano*, n. 22.
23. *Ex ampla* dote *lites oriuntur.*
24. *Nimia* dos *privatum & publicum litigium parit.*
25. *De* privato, *& quænam ex eo incommoditates.*
26. Dotatæ *malè mactant viros.*
27. Dotefretæ *ſubſervire ſibi poſtulant viros.*
28. *Publicum* dotium *litigium quale.*
29. Muhammed *ſponſas ſine dote nubere voluit.*
30. *Non* dotis *ſed amoris cauſa* matrimonium *quærendum.*
31. Etruſcorum, Ægyptiorum, & Solonis *hac de re inſtituta & mores*, & n. 32. 33.
34. Juſtin. *etiam ſtatuit ſine dote nubere.*
35. *In* conjugiis *contrahendis prima de moribus, altera de facultatibus ſit quæſtio.*
36. *Virgo morata ſatis dotata.*
37. *De* Camillo, *qui unicum habebat filium.*
38. Dos immenſa *quæ dicatur?*
39. Dos congrua *ad quantitatem legitimæ exigenda eſt.*
40. Congruitas dotis *æſtimanda eſt inſpectis facultatibus, numero liberorum & cæteris qualitatibus, quæ adſunt tempore datæ dotis.*
41. Dos incongrua *non dicitur dos.*
42. Dos indiſcreta *quæ?*

Grandia ceu tenuant complures flumina rivi,
Doliaque exhaurit plurima teſta mero:
Sic opulens genitor, mactans ſua dotibus amplis
Pignora, ad anguſtum ſæpè redegit opes.

1 DOtium Conſtitutio debet eſſe moderata, ſecundùm qualitatẽ perſonarũ & quantitatem patrimonii ſeu facultatem parentũ, *l. quæro. & l. eum poſt.* §. *gener. ff. de jur. dot.* Et
2 quilibet ſecundùm patrimonii ſui vires filias dotare præſumitur, *l. ſi ex cauſa.* §. *1. ff. de minor. 25. annis. l. dotis fructum.* §. *fin. l. ſive generalis. in pr. ff. de jurej. cum ſimilib.* Menoch. *de arb. jud. qu. lib. 2. cent. 2. caſ. 149. n. 25.* Honde-
3 dæ. *conſ. 10. n. 34. vol. 1.* Nam dote moderatâ familiæ conſervantur, quas conſervari Reip.
4 intereſt, Mynſing. *reſp. 32. n. 2.* Et certè nulla Reip. pernicioſior eſt corruptela, quàm dotium immenſitas ; quæ in Italia tantum crevit, ut non minùs dantium, quàm accipientium extremam calamitatem pariat. Nam ſicut dantes in ſolvenda dote prorſus excoriantur, ita etiam accipientes in ornanda condecenter ſponſa funditùs domos evertunt, Nicol. Betſ. *tractat. de pact. famil. fol. 190.* Scip. Amirat. *lib. 3. diſſertat. polit. cap. 8.* ubi queritur, *à trecentis retrò annis* (1) adeò auctas fuiſſe dotes, ut ſi *Dantes Aligerius*, (2) qui de nimiis temporum ſuorum dotibus conquerebatur, reviviſceret, tempora ſua modeſtiſſima fuiſſe, fateretur. Sic Patres
5 in Hungaria, qui filias habent gibbo, varice, ſtrumâ, lentigine, balbutie, lippitudine, aut aliis corporis animique vitiis fœdè deformes, eas ita dotant magnificè, ut procos alliciant:

Scilicet uxorem cum dote, fidemq; & amicos,
Et genus, & formam regina pecunia donat,
Ac benè numatum decorat Suadela Venusq;

Horat. *1. Epiſt. 6.* Itaque Scipio Amiratus *dict. loc.* Principibus Author eſt, ut dotes, ne mediocrem ſummam excedant, moderentur : quoniam exploratum certumque 6
eſt, nobilium *Romanorum dotes antiquitùs parciſſimas* (3) fuiſſe : Neque apud Roma- 7
nos licuit omne patrimonium in dotem dare, Cujac. *lib. 7. qq. Paul. in l. 43. ff. de admin. tut.* Bartol. Muſcul. *de ſucceſſ. convent. membr. 2. claſſ. 1. concluſ. 4. num. 130.* Nam apud eos olim *Lex Voconia* (4) (cujus mentionem facit Cic. *in 3. Verrin. Auguſtin. de Civit. Dei l. 3. c. 21.* Juſtin. *Imper.* §. *1. Inſt. de leg. Falcid.*) modum impoſuit dotibus. Neque eandem fuiſſe maſculorum & fœminarum ſucceſſionem Juſtinianus exprimit, *l. 14. C. de leg. hæred.* Verùm Juſtinianus, *vel potiùs Theodora*, (5) quæ ferè ubique fœminas maribus æquavit, priſtinam legem revocavit, *d. l. 14. & Novell. 118 c. 4.*

Quidcunque autem gulæ, quidcunque 8
pompis & immoderatarum dotium erogationibus ſubtrahitur, totum id, inſtar alluvionis, accreſcit Reip. & Principis utilitati; qui *quantò ditioribus præeſt*, (6) tantò locupletior & illuſtrior habetur. Sicuti enim pingue pecus paſtori prodeſt, ſic opulentia Subditorũ Principis beneficium eſt ; qui amore parſimoniæ pauperum patrimonia conſervans, & adaugens, poteſt deinde ingruentibus Reip. neceſſitatibus ad particularia cujuslibet æraria facilè confugere.

Optumè igitur conſulitur Reipublicæ, 9
ut certæ ſint de dotibus leges, (7) vel ut certæ dotium leges fiant, tum ne dotium magnitudine domus exhauriantur, tum etiam ut moderatâ dote fœminæ ad pudicitiam & obſequium maritorum faciliùs cogantur. Et uſu compertum eſt, quòd amplam conſtituens dotem ſæpè facultatibus labatur, resque ipſi ad reſtim redeat, viciſſimque egeat; Quâ occaſione bona paterna liberis facilè auferri, & de familia transferri poſſunt. Nam cùm dotes amplæ reſtituuntur propter mutuum ſemper, quod dos exigit, dotalitium, defunctis patribus tanto liberi ſæpè prægravantur onere, ut ad id exſolvendum vix bona paterna ſufficiant, quandoque etiam, quæ tenent feuda, ſalva ea vix conſervare queant, Bodin. *de Repub. lib. 5. cap. 2. pag. 534. ſeq.* Covarruv. *in epit. de ſponſalib. cap. 3.* §. *9. num. 3. & ſeqq.* reprehendens Hippol. de Marſiliis *ſing. 589.* rejicientem Laicorum legem de certa & taxata dotis quantitate, Muſcul. *dict. membr. 2. claſſ. 1. concluſion. 4. num. 127. & 129.* ubi teſtatur, familias illu- 10
ſtriores Principum, Comitum aliorumque Ordinum

Ordinum Imperii, plerumque in Germania Statutis, vel longâ conſuetudine habere definitam dotium quantitatem, quam excedere in præjudicium ſucceſſorum & ditionum ſuarum nefas exiſtimant. Sic in
11 Maſſilienſium Republica, (quam omnium florentiſſimam *Cicero judicavit*, (8)) centum aureos dotem maximam, ad veſtem quinque ad mundum quoque aureum quinque fuiſſe, ampliùs verò nullo pacto licuiſſe,
12 ſcribit Strabo *lib. 4.* Æqualem omnibus dotem conſtituit L. drachmarum *Plato lib. 3. de Repub.* (9) vide Schönborn. *1. Pol. c. 6.*
13 Carolus V. quoque quantitatem certam Hiſpanis lege latâ definivit Madritii Anni MDXXXIV. c. 101. Apud Polonos Caſi-
14 mirus M. Palatini ditiſſimi filiæ dotem noluit excedere C. Marchas, ſi fratres Sponſarũ fuerint ſuperſtites; in minùs divitibus ſtatuit minorem dotem, *in Comit. Viſlic. A 368.*
15 *libr. 3. ſtat. c. 6. a. 3. l. 2.* Ruſſi Polonis vicini non latifundia, aut magnam argenti ſummam, ſed veſtes, cibos, equos, boves, & id genus quædam alia in dotem tradunt; videatur Henning. Arniſæ. *lib. 1. Polit. c. 3. fol. 98. & de jure Connub. c. 3.* Quorum frugalitati convenit antiquus Germanorum mos, de quo Tacit. *de morib. German. cap. 18. num. 23.* Dotem, *ait*, non uxor marito, ſed uxori maritus offert. Interſunt parentes & propinqui, ac munera probant: munera non ad delicias muliebres quæſita, nec quibus nova nupta comatur; ſed *boves & frænatum equum, & ſcutum cum framea*, (10) gladioque. In hæc munera uxor accipitur; atque invicem ipſa
16 armorum aliquid viro affert. Hoc maximum vinculum, hæc arcana ſacra, hos conjugales Deos arbitrantur. Venetis lege de dotibus latâ, mille ſexcentis aureis patritiæ dotem definierunt, ne familiarum illuſtrium opes dotibus exhauriantur: ſi verò patritius plebeiam uxorem duceret, duorum quidem aureorum millibus dotem terminaverunt; quam tamen legem facilè antiquari patiuntur, ut patritiorum quorundam egeſtati, locupletiorum plebeiarum nuptiis, & utrique ordini conſuli poſſit, Bod. *d. lib. 5. cap. 2.* Arniſæ. *dict. lib. 1. Polit. 61. cap. 3. fol. 97. & d. tract. de jure Connub. cap. 3.*

17 Lege Moſaicâ (ut & hoc ex ſacris Pandectis obiter repetamus) maxima dos videtur fuiſſe ad L. ſiclas, quæ tredecim aureis reſpondent, ut id computat Bod. *d. lib. 5. c. 2.* Nam cùm *Exod. 22. v. 17.* qui compreſſerit virginem, jubeatur eam dotare & uxorem ducere, aut tantum argenti patri numerare, quantum vitiatæ debeatur pro dote; ſumma mulctæ patri numerandæ exprimitur, *Deut. 22. v. 29.* videlicet L. Siclarum: Cùm tamen leges ſint diverſæ, & L. Siclas poſſimus interpretari, tanquam mulctam patri vitiatæ, propter illatam ignominiam, refundendam; inde vix quicquam certi concludi ſtatuerunt Bod. *d. lib. 5. c. 2.* & Camer. *2. horar. ſubceſiv. c. 43.* *Servus quippe Abraham*, (11) potiùs munera dedit Rebeccæ, quàm dotem acceperit. *Jacobus* (12) etiam ſervivit pro uxoribus; nedum ut dotem ſperârit. *Sichemi verba ſunt* (13) ad filios Jacobi: *Augete dotem, ut vultis, nullam repudiabo conditionem, modò ſororem veſtram liceat habere uxorem.*

Porrò licèt de univerſali Saxoniæ, & ferè totius Germaniæ, conſuetudine filiabus ex 18
feudis paternis, bonis allodialibus deficientibus, ſecundùm arbitrium & moderationem Domini feudi, dotandæ ſint, usq; adeò, ut & dotatio filiarum inter ordinaria feudi onera connumeretur, *in Conſt. Provinc. 46. part. 2.* Rauchb. *lib. 1. q. 38. n. 1.* Hartm. Piſtor. (à quo de generali Germaniæ conſuetudine hoc caſu atteſtante diſſentit Roſenthal *de feud. c. 9. concl. 46. n. 6.*) *lib. 2. q. 37. in princ. & n. 4. & n. 10. & ſeqq.* (ubi in quantitate dotis filiabus 19
aſſignanda; 1. facultatem dotantis, 2. dignitatem parentis, 3. qualitatem mulieris dotandæ, 4. qualitatem mariti, 5. numerum liberorum, 6. conſuetudinem patriæ & regionis conſiderandum eſſe monet) Coler. *deciſ. 28. n. 4. & deciſ. 213. part. 1.* Franc. Pfeil *conſ. 77. n. 14. & conſil. 86. n. 6. cent. 1.* Thoming. *conſil. 15. n. 38. & 46. vol. 1. & conſil. 9. n. 43. & 47. vol. 2.* & filiabus nomine dotium ex feudis paternis debitarum jus retentionis competat, Rauchbar. *d. quæſt. 38. n. 51.* Dan. Moller. *ad d. Conſtit. 46. n. 11. verſ. deinde & illud.* Attamen exiguæ dotes filiabus ex feu- 20
do cõſtitui ſolent, in tantum, ut etiamſi quis fertiliſſimum feudum poſſideat, raro tamen ultra mille florenos, ſæpè etiam minùs, filiæ in dotem erogetur, Piſtor. *d. quæſt. 37. n. 18. & ſeqq.* Et teſtatur Coler. *d. deciſ. 213. n. 3.* ju- 21
dices ſupremæ Curiæ, (puta Dresdæ,) pronunciaſſe, quòd de feudo tria millia florenorum valente ſororibus conſtitui debeat dos quadringentorum florenorum, allegans quoque Lipſienſes *deciſ. 764. vol. 2.* Differitque hac de re idem Coler. *conſ. 3. n. 81. ubi ait*, obſervare Scabinos Lipſienſes hucusque, ut ex ſingulis millibus florenorum feudalium ſororibus centum triginta tres florenos & ſeptem groſſos dotis nomine adjudicent, inq; tantam ſummam ſucceſſores feudales condemnent. Quæ ſumma præciſè de feudo, tria millia florenorum valente, quadringentos conficit florenos. In Ducatu Megapo- 22
litano ex feudo filiæ tantum ſolummodò & non plus dotis nomine aſſignari & conſtitui ſolet, quantum fructus feudi unius anni ſe extendat & conficiat, Schepliz. *part. 2. Conſuetud. Brandenb. tit. 3. §. 8. n. 7.* Etenim con- 23
ſtat, quòd immoderatæ dotium promiſſiones non parum litis accumulent, bona feudalia aggravent, & diſſidia inter propinquiores excitent.

Dos quidem conſtituenda, ne indotatæ odio habeantur, aut contemnantur, *l. fin. Cod.*

Cod. ad SC. Vellejan. ſed congrua & modica:
24 Nam immodica & immoderata dotis conſtitutio duplex *parit litigium;* (14) privatum domi, publicum foris, Parthen. Litigioſ. *l. 1. c. 13. n. 37.*

25 Privatum quidem eſt, quòd quibus dotes ampliſſimas dari videmus, *neceſſe eſt turpiter viris imperare*, (15) & contra decus & dignitatem viros uxoribus inſervire, hinc Plaut. *Aulularia 3. ſcen. 5.*

— — Sunt multæ in magnis dotibus
Incommoditates, ſumptusq; intolerabiles.
Nam quæ indotata eſt, ea in poteſtate eſt viri.
Dotatæ mactant & malo & damno viros.

26 Malo; quia viris imperare volunt, juxta illud Horatii *3. Od. 24.*

— Dotata regit virum
Conjux.

Damno; quia ſunt ſumptuoſæ, & per conſequens litigioſæ, Frider. Taubman. ad Plautum *dict. act. 3. ſcen. 5.* Idem Plaut. *in Aul. 2. ſcen. 1. verſ. 44.*

Ego virtute Deûm & majorum noſtrorum dives ſum ſatis:
Iſtas magnas factiones, animos, dotes dapſiles,
Clamores, imperia, eburata vehicula, pallas, purpuram,
Nihil moror, quæ in ſervitutem ſumptibus redigunt viros.

Et Lambin. *ad Actum 2. ſcen. 2. in Am-*
27 *phitruone in fin.* ait, viros dotibus delinitos, ultrò uxoribus ancillari. *Argentum accepi*, ait Demenætus Senex apud eundem Comicum, *dote imperium vendidi.* Quò feſtivè alluſit *Satyricus:* (16)

— — Veniunt à Dote Sagittæ.
Libertas emitur.

De hiſce *qui plura ſcire deſiderant, conſulant* (17) Tiraquell. *in l. 5. Connubial. in princ.* Petrarch. *de remed. utriusq; fortun. lib. 1. Dial. 68.* Nevizan. *lib. 5. Sylv. nupt. numer. 55. & lib. 4. numer. 115.* Roder. *in Specul. vit. human. lib. 1. cap. 12.* Adam Keller. *libr. 2. de Offic. Juridico-Politic. cap. 10.* Olershauſ. *in certam. maſculo fœmin. cap. 34. num. 13.*

Publicum verò immoderatarum doti-
28 um litigium paſſim fora indicant, tribunalia reſonant. Parthen. Litig. *d. lib. 1. cap. 13. n. 37.* Et in fraudem creditorum dotes conſtitutas ſæpe fuiſſe, meminerunt illi, qui ad clavum Reip. ſedent. Remedium itaque huic malo ſi Principes & Magiſtratus adhiberent exemplo Romanorum, apud quos non licuit omne patrimonium in dotem dare, *l. 43. ff. de adminiſtr. tutor.* non ſolùm multæ lites præcaverentur, ſed & familiæ diutiùs conſervarentur.

29 *Sanè Muhammed ſponſas ſine dote nubere voluit*, (18) non dotis ſed amoris causâ matrimonium quærendum, ſubinnuens.
Etruſci in conjunctione nuptiali dona & 30
munuſcula virum ab uxore vel contrà accipere, legibus & ſcripto jure interdicebant, 31
nefas exiſtimantes, quos legitimus amor conjunxiſſet, donis videri potiùs allici, quàm conjugali amore conciliari, Alexand. ab Alexand. *libro ſecundo capite quinto.* Æ-
gyptii adeò dotes averſati ſunt, ut qui dotes 32
reciperent, velut mancipia uxoribus addicerentur. Idem *libro quarto capite octavo.* Solon quoque Athenienſium conjugiis dotes detraxit, ſponſamque, præter tres ſtolas & ſupellectilem parvi pretii, afferre quicquam vetuit. Neque enim meritorium 33
aut venale volebat fœdus eſſe nuptiarum, ſed liberorum causâ, & gratiæ atque amicitiæ virum & mulierem conſociari. Plutarch. *in Solon. pag. 89.* Quod ſi fiat, ſecundùm illud Plauti *in Aulul. act. 3. ſcen. 5.*

Opulentiores pauperiorum filias
Ut indotatas ducant uxores domum;
Et multò fiat civitas concordior,
Et invidiâ nos minore utamur, quàm utimur.

Quod apud Romanos antiquos, Saxones, Burgundiones, Anglos, Thuringos in uſu fuiſſe, ex Herold. Briſſon. & aliis probat Heig. *part. 1. quæſtion. 8. num. 66.* Sic & Virgines ſine dote nubere, ſtatuit Lycurgus, apud Juſtinum *libro tertio cap. 3. numer. 8.*
Et inter alias de fœminis legem hanc cele- 34
berrimam tulit: Nullus pater dotem filiæ neque moriens relinquito, neque, dum vivit, dato: nimirum non divitiis, ſed probitate, non pulchritudine, ſed virtute, connubia conciliari volebat. Itaque ut multas jam innuptas propter paupertatem videmus; ſic tum innuptæ propter infamiam & vitia manebant. O ſeculum exoptabile, quo fœminæ non divitiis parentum labore partis, ſed virtutibus propriâ comparatis induſtriâ confidebant! Fuit illud ſeculum, ut idem denuò repetam, verè aureum, quando nec filiæ, ne à patre exhæredarentur, metuendum, nec patri morienti, quòd indotatam relinqueret, dolendum erat. Anton. de Guevarra *in Horolog. Princip. libro ſecundo, capite undecimo, numero 258.* O ſeculum exſecrandum, in quo viri boni filia nihil exploratius habet, quàm niſi probè numata ſit, nunquam ſe maritum inventuram.
At olim non ita vivebatur. Priſcis enim 35
temporibus in conjugiis cõtrahendis prima de perſonis (eſt namque virginitas dos puellæ prima & potior. Joann. Fichard. *conſil. 33. num. 3. volum. 1.*) ultima de facultatibus erat quæſtio. At hoc aſtuto & depravato ſeculo,

Protinus ad cenſum, (19) *de moribus ultima fiet*
Quæſtio — — —

Illâ

Illâ itidem ætate aureâ primus de virtute ſermo erat, poſtea verò, peractis jam nuptiis, quaſi joco de opibus, quærebatur. Benè Alcumena apud Plautum *in Amphyt. act. 2. ſcen. 2. verſ. 209.* ait,

Non ego illam (20) *mihi dotem eſſe duco, quæ dos dicitur:*
Sed pudicitiam & pudorem, & ſedatum cupidinem,
Deûm metum, parentum amorem, & cognatûm concordiam:
Tibi morigera, atq; ut munifica ſim, bonis proſim probis.

36 Et Megadorus ad Euclionem *in Aulul. act. 2. ſcen. 2. verſ. 62.*

Dummodò morata Virgo rectè veniat, dotata eſt ſatis.

Itemque Horat. *lib. 3. carm. od. 24.*

Dos eſt magna parentium
Virtus, & metuens alterius viri
Certo fœdere caſtitas.

Camillus cùm de Gallis triumphaſ-
37 ſet, unicum habebat filium, at talem, ut tum ob ingenuam totius corporis pulchritudinem, tum ob patris gloriam, multi illum Reges in filium adoptare, multi illum Senatores generum eligere cuperent. Is ergo cùm triginta jam annorum, & pater ſexagenario major eſſet, tum in patria à parentibus, tum à Regibus exteris, ut uxorem duceret, plurimum ſolicitabatur. Ipſe verò & amicorum monita & exterorum ſolicitationes conſtanter rejiciebat. Interrogatus ergo Camillus, cur filio conjugem non eligeret, unde & illi in juventute vita tranquilla, & ipſi in ſenio quies ſperanda eſſet? Ego, *inquit*, uxorem filio meo neque do, neque daturus ſum, quia filias alii niſi divites, alii nobiles, alii juvenculas, alii pulchras obtulerunt: At qui filiam virtute præſtantem ſe daturum diceret, nullus fuit. Sanè Camillus ſicut triumphum rebus fortiſſimè geſtis meritus eſt; ita memoriam verbis, quæ protulit, ſempiternùm meretur. Anton. de Guevarra *dict. loc.* Sic Cliſtenes Sicyonius Tyrannus cùm filiæ conditionem quæreret, Juventutem totius Græciæ undecunque convocavit, annumque ampliùs apud ſe detinuit, quò eò accuratiùs ſingulorum mores perdiſceret, atque ita, cui tutò in matrimonium collocanda eſſet, prævideret, Herodot. *lib. 6. cap. 126. 127. 128. 129. 130.* Non enim tàm corporis, quàm mentis habitus in uxore eligenda reſpiciendus eſt. Hinc Alexandri M. mater Olympias objurgabat quendam adoleſcentem aulicum, quòd formoſam quidem & divitem duxerat, ſed famoſam, hoc eſt, ſolius formæ ac pecuniæ ratione ductus, non habito reſpectu morum & virtutis. Hic, *inquit*, conſilio deſtitutus eſt, alioquin oculis uxorem non duxiſſet, Athenæ. *lib. 13. cap. 3.* Plutarchus *in præceptis connubialib.* Quocirca Lycurgus roganti; Quare puellas elocari indotatas ſanxiſſet? Ne, *inquit*, vel per inopiam illæ illocales ſint, vel opum causâ ambiantur; ſed ſpectans quisque virginis mores ex virtute delectum faciat. Verùm iſthæc & alia ſuo loco & congruo tempore diſcutienda relinquimus.
Cæterùm apicibus juris & æquitate inſpe- 38
ctâ, quæ dicatur immenſa Dos, declarat
Gaſpar Baëtia *tractat. de dotib. cap. 31. numer. 7.* dicens, dotem immodicam eſſe, 39
quæ excedit legitimam inſpectis facultatibus, quas tempore dotis datæ pater habuit: ut autem dos congrua dicatur, *non debet eſſe minor legitimâ*, (21) Jaſon. *in rubr. numer. 26. ff. ſoluto matrimonio, & in Authent. noviſſima in fin. Cod. de inoffic. teſtam.* Fuſcan. *in ſing. lit. F. ſing. 98.* Cravetta *conſil. 236. num. 3.* Cephal. *conſil. 34. num. 36. lib. 1.* Bertazzol. *conſil. civil. 25. num. 100. & 120.* Pancirol. *conſil. 105. numer. 24.* Herman. Vultej. *Conſil. Marpurg. 29. num. 51. libr. 2.* Gail. 2. *obſerv. 147. num. 6.* Surd. *tract. de aliment. tit. 3. quæſt. 1. num. 6.* Ludovic. Molina Jeſuita *diſput. 424. in princ.* qui recen-
tiores alios complures citant, & quòd con- 40
gruitas dotis æſtimanda ſit inſpectis facultatibus, & numero liberorum, & cæteris qualitatibus, quę fuerunt tempore datæ dotis, poſt Bald. Alex. Dec. & alios docet idem Baëtia *dict. cap. 31. num. 3.* pulchrè & extentè Herman. Vultej. *d. Conſil. Marpurg. 29. num. 52.*
adeò, ut dotem incongruam aut indiſcretam 41
non dici dotem, tradiderint Gail. *2. obſerv. 88. n. 10. & dict. obſerv. 147. num. 5.* Sebaſtian. Medices *tractat. de regul. jur. part. 1. reg. 5. num. 63.* Qua de re reſpondit Corneus *conſil. 49. colum. 3. lib. 1.* dotatam non dici mulierum, quæ non eſt legitimè dotata. Me-
noch. *conſil. 168. ad fin. dicens*, indiſcretam 42
dotem eſſe, quando pater unicam habens filiam, & *in bonis decem mille*, (22) dotis nomine dederit filiæ ſolùm ducenta, & reſiduum alteri reliquerit; omnium verò exactiſſimè Joh. Bapt. Laderchius *conſil. 126. n. 4.*

ANNO-

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT XLIII.

Num. 4.

(1) T*Recentis retro annis &c.*] Cùm nempe Scip. Amiratus doctiſſimas pariter prudentiâ Politicâ refertiſſimas ſcriberet ſuas in Tacitũ diſſertationes. Quæ Italicè primùm A. MDCVII. Venetiis, & dein ex Italico in Latinum verſæ Anno MDCIX. Francofurti prodierunt. Quod indicat verbum ab ipſo adpoſitum, *retro abhinc.*

(2) *Danthes Aldigerius &c.*] Florentinus ille Poëta diviniſſimus, (cujus Jovius elogium *in Elog. vir. doct. p. 8.* poſuit) Octovirali ſupremæ poteſtatis Magiſtratu inſignis, tandem in exilium pulſus. De cauſa hujus exilii Leonardus Aretinus *lib. 4. Hiſtor. Florentin. pag.* 74. *& 76.* & Machiavellus *Hiſtor. Florent. lib. 2. cap.* 88. videantur. Dum temporis, quum Patriâ pulſus eſſet, ob excellentes ſuas virtutes totius Italiæ Civis habitus fuit, indeque his verſibus celebratur:

Major ab exilio parta eſt tibi Gloria, quàm ſi
Non eſſes patriam vertere juſſus humum.
Ingenio ſiquidem ſtimulos dolor addidit, & te
Fecit ad ignotos condere verba modos,
Ut modò non certent de te tantùm oppida ſeptem.
Italia affirmet tota ſed, eſſe ſuum.

Sic multi perirerent, niſi periiſſent.

Num. 6.

(3) *Romanorum dotes antiquitùs parciſſimas &c.*] Exempla ejus rei hæc adfert Valerius Maximus *lib. 4. cap. 4. n. 10.* Cùm ſecundo Punico bello Cn. Scipio ex Hiſpania Senatui ſcripſiſſet, petens, ut ſibi Succeſſor mitteretur, quia filiam virginem adultæ jam ætatis haberet, neque ei ſine ſe dos expediri poſſet: Senatus, ne Reſpublica bono duce careret, patris ſibi partes deſumpſit: Conſilioque Uxoris & propinquorum conſtitutâ dote, ſummam ejus ex ærario erogavit, ac puellam nuptum dedit. Dotis modus XI. MILLIA ÆRIS fuit: in quo non ſolùm humanitas Patrum Conſcriptorum, ſed etiam habitus veterum Patrimoniorum cognoſci poteſt. Namque adeò fuerunt arcta, ut Tatia Cæſonis filia *maximam dotem ad virum* X. MILLIA ÆRIS attuliſſe viſa ſit: & Megullia, quia cum QUINQUAGINTA MILLIBUS ÆRIS mariti domum intravit, DOTATÆ cognomen invenerit. Hactenus Valer. Max. Sed de dotis ſumma non eſt inter magnos viros levis quæſtio. Nam J. Lipſius *ad Taciti Annal. 2. cap. 86. not. 226.* Jacobus Cujacius *ad Nov. 22.* Claudius Muſambertius, i. e. Theodorus Marcilius *in Commonitoriis*, contendunt ſummam dotis præſtitutæ conſueviſſe eſſe DECIES; Alii Critici, Laurentius Ramireſius *ad Martialem in Hyponnematis*, Joſias Mercrus *ad Ariſtænetum*, contra nituntur, dotis ductæ nullam certam ſummam fuiſſe, ſed ætatem, familiam, conditionem, natalia inſpici debere. Ego tamen (inquit Demſterus *ad Roſini Antiquit. Rom. lib. 5. cap. 37. pag. 970.* hæc recitans) Senatoriam, ut plerumque dotem, puto potuiſſe præfiniri, cur enim potiùs cenſus, quàm dos, certus foret? & tamen quin cenſus certiſſimus eſſet, nullus eſt, qui inficias ibit, hæc quæ fuerit? omninò non eſt exploratum, frequentiùs decies. Vetus Scholiaſt. Juvenal. *ad v. 335. ſat. 10.*

--- --- *centena dabuntur,*

dos ſcilicet, ſecundùm morem. L. Seneca *Conſolat. ad Helviam, cap. 12.* Beatioréſne iſtos putas, quorum pantomimæ DECIES SESTERTIO nubunt, quàm Scipionem, cujus liberi à Senatu tutore ſuo in dotem æs grave acceperunt? Hottomannus eruditiſſimè multa *in Diſ. de aureo Juſtinianeo*, & Turnebus *lib. 18. Adverſ. cap. 30.* nec non ex Alexandro ab Alex. Gryphiander *Oeconom. Legal. lib. 1. cap. 33. n. 41. ſeqq.*

Num. 7.

(4) *Lex Voconia &c.*] Lata hæc Lex, ſive etiam Plebiſcitum hoc, fuerat ſuaſu M. Catonis Senioris (A Gellius *Noct. Attic. lib. 17. cap. 6.*) à Q. Voconio Saxa Trib. Pleb. Cepione & Philippo II. Coſs. Anno U. C. 584. Varia ejus capita de ſucceſſionibus fœminarum, nullam tamen de dote (quod velle Author noſter Klockius perperam videtur) fuiſſe ex recenſione eorundem ab Antiquitatum ſectatoribus & rei Romanæ peritis ſcriptoribus factâ palàm eſt. Cùm ferè omnes legem hanc hæc ad capita reſtringant: Ne, qui cenſus eſſet, virginem, néve mulierem ſupra quadrantem ſuorum bonorum inſtitueret; Ne plus cuiquam legaret, quàm ad hæredem hæredéſve perveniret; Et ne fœminæ ultra conſanguineos ab inteſtato ſuccederent. Exſtat etiam Declamatio Quintiliani 264. in qua hæc Lex proponitur: Ne liceat mulieri niſi dimidiam partem bonorum relinquere. Verùm ea lex ad Scholaſticas exercitationes ficta ac accommodata fuiſſe videtur, ut ex Dione *l. 56.* conſtat. Roſinus *Antiq. Rom. lib. 8. cap. 18.* Calvinus *in Complem. Lexici Jurid. pag. 974.* ad Auguſtinum *de Civit. Dei lib. 3. cap. 21.* Leonhard. Coqueus *lit. ζ p. m. 342.* Petr. Peckius *de Teſtam. Conjug. cap. 1. n. 2.*

(5) *Vel potiùs Theodorus &c.*] Reprehenditur à Giphanio *in Comment. de Juſt. Imp.* Juſtinianus Imperator, quòd Theodoræ Uxori nimium indulſiſſe videretur, ejúſve in verba non minùs, atque in ſua, Magiſtratus jurare voluerit, *Nov. 8.* in qua & Theodoram ſuam in Conſilium de Republica adhibuiſſe ſe ſcribit: Indeque exæquationem marium cum ſequiori ſexu, Bodinus *de Repub. lib. 5. cap. 2. pag. 535.* & ex eo Author noſter hîc, ejusdem impulſui Theodoræ adſcribit.

Num. 8.

(6) *Quantò ditioribus præeſt &c.*] Vide ſuprà *lib. 1. c. 1. n. 35. 46. 51. 73. (96.)* Gentiletum ſive Authorem Anti-Machiavelli *lib. 3. pag. 511. ſeqq.*

(7) *Ut certæ ſint de dotibus leges &c.*] Suadet id ipſum, præter allegatos à Klockio hinc inde Johan. Ruremundus *in Mammona* oder Schlüſſel deß Reichthums *cap. 14.*

Num. 11.

(8) *Cicero judicavit &c.*] Sic enim ille de Maſſilia *pro L. Flacco pag. m. 159. b.* perorat: Hujus ego Civitatis diſciplinam atque gravitatem, non ſolùm Græciæ, ſed haud ſcio an cunctis gentibus anteponendam jure dicam; quæ tam procul à Græcorum omniũ regionibus, diſciplinis, linguâque diviſa, cùm in ultimis terris Gallorum cincta gentibus barbariæ fluctibus alluatur: ſic optimatũ tum conſilio gubernatur, ut omnes ejus inſtituta laudare faciliùs poſſint, quàm æmulari. Maſſiliæ

 porrò

porrò (vulgò *Marſeille* dicta) elegantiora vide apud Virdungum cum ibi laudatis *in comment. in Jul. Agricolæ vitam cap. 4. pag. m. 19. ſeqq.* & à Petro Hendreich *de origine & geſtis hujus urbis atque Reipublicæ* congeſta, Anno MDCLVIII, Argentorati edito Tractatu ſingulari.

Num. 12. 13. 14.

(9) *Plato lib. 3. de Repub. &c.*] Confer Arniſæum *de Jure Connub. cap. 3. n. 20.* ubi rationem Platonis pro hac determinatione dotium æqualium examinat & refutat.

Num. 15.

(10) *Sed boves & frænatum equum, & ſcutum cũ framea &c.*] Ceremoniâ hac dotis nihil aliud ſignificabatur (eſt enim in hac aut miſterium aut τὸ ἀλληγορούμενον) atque uxorem eſſe & pacis & belli ſociam, & calamitatum & fortunarum participem, ita ut verè inter hos συζυγίαν obſervaret, ſicut boum nomine res pecuaria & domeſtica paxq; ipſa, ita telorum bellicum ſtudium, defenſio tutelaque mutua in quacunque fortuna adumbratur. Siquidem ut boves ne ſe virtutum œconomicarũ cogitationibus, ſtudiis, & conatibus. Ita tela, ne à bellorum periculis excluſam putaret uxor, erant quædam commonefactiones & Symbola Societatis, igitur ad utramque fortunam mutuæ atque inter ſeſe devinctæ iſtis ſponſalibus argumentum eſt. Sic enim aut vivendum, aut pereundum erat, cùm dotis ejus ad poſteritatem usque ſucceſſio propagaretur. Neque Deus adjutorium Uxorem appellaſſe aliter videtur, atque cujuslibet fortunæ ſociam. Jodoc. Willichus *Comment in Taciti Germ. cap. 25. pag. m. 510. ſeqq.* Atque hoc ipſum, quòd vir ſæpe mulieri, non hæc illi, dotem attulerit, apud Orientales, uſitatiſſimum fuiſſe, aliquot exemplis probat Arniſæus *de J. Connub. cap. 3. n. 18.*

Num. 17.

(11) *Servus quippe Abrahami &c.*] Geneſ. 24. *v. 22.*

(12) *Jacob &c.*] Genes. 29. *v. 18. & 27.*

(13) *Sichemi verba ſunt &c.*] Genes. 34. *v. 12.*

Num. 24.

(14) *Parit Litigium &c.*] Sic Eccleſiaſticus *c. 25. v. 30.* inquit, Rixa & irreverentia, & contemptus ibi eſt, ubi eſt mulier magna, quæ opes ſubminiſtrat viro ſuo. Quod Beatus Lutherus ſic vertit: Wann das Weib den Mann reich macht/ ſo iſt da eitel Hader/ Verachtung und groſſe Schmach.

Num. 25.

(15) *Neceſſe eſt viris turpiter imperare &c.*] Verùm, ut benè monet Arniſæus *de J Connub. c. 3. n. 26.* Quemadmodùm forma non ſemper arguit lubricam pudicitiam: ita nec divitiæ ubique ingenerant ſuperbum & impotentem animum. Non minùs ſuperbiebat Diogenes in paupertate, cum conculcaret pulvinar Platonis, & ſe ſuperbiam Platonis conculcare diceret, cui ſubjiciebat Plato: Calcas ſanè, ſed aliâ ſuperbiâ. Quàm multas videmus ex humili caſa prodire mulieres, tantò ſuperbiores iis, quæ inter purpuras jacuerunt, quantò regiis ædificiis caſa contemptior eſt, & abjectior? Non in opibus, nec veſtitu, ſed in animo quærenda ſuperbia.

Num. 27.

(16) *Satyricus &c.*] Juvenalis *Satyr. 6.*

(17) *Qui plura ſcire deſiderant, conſulant &c.*] Gryphiandrum *Oeconom. Legal. lib. 1. cap. 33. pag. 905. n. 11. ſeqq. multis.*

Num. 29.

(18) *Muhammedſponſas ſine dote nubere voluit &c.*] Ita quidem ex Laurentio Riſeberg *Relat. Rer. Turc. c. 2.* tradit, Hilliger *in Donello enucl. lib. 13. cap. 20. lit. C. pag. 1123.* at contra Joh Baptiſta Montalbanus *Rer. Turc. comment. pag. 59.* expreſſè ſcribit, Dotem mulieres noſtrum in morem maritis ferre; quam orto diſſidio abeuntes auferant. & in Alcorano Muhammedano *lib. 1. cap. 2.* narratur Falimam Abdalmutaliſo ſuo marito attuliſſe in matrimonium centũ Camelos, totidemque talenta auri; *in l. 2. cap. 9. in fin.* verò ſancitur, quòd vir uxorem dimittens, dimidium dotis reddat, niſi hæc à Patre ipſi data fuerat. Similiter quoad ſucceſſiones *lib. 2. cap. 16.* ſtatuitur, quod ſi mulier ſine liberis moritur, ut tunc vir dimidium, ſi cum libris quartam doris lucretur.

(19) *Protinus ad cenſum &c.*] Juvenal. *Satyr. 3.*

Num. 35.

(20) *Non ego illam &c.*] Sic quoque optima, quamque procus ante omnia ſpectare debet, dos eſt, quam paupercula Lacæna, rogata quam dotem viro eſſet allatura, ſeſe à majoribus traditam accepiſſe dicebat, Scil. PUDICITIA. Apulejus etiam *in pr. Apol.* addit: Concordiam conjugalem & mutuum amorem, quando ait: Ego præter Uxorem nihil computo, omnem ſupellectilem, cunctasq; divitias in Concordia conjugali, & mutuo amore pono &c. nec non Juvenis apud Senecam *lib. 1. Contr. 6.* Ubi uxorem quæro, video an nuptias meas amet, an nihil pluris faciat marito, an miſericors ſit, an fortis, an poſſit, ſi quid viro inciderit mali, unà tolerare. Si his bonis fuerit inſtructa, ſatis dotata eſt. Ea ſi ſola inveneris, quis adeò abſurdus ſuorum commodorum cenſor, qui omnibus divitiis contra mutare velit? Qui in arena ædificat, cuivis torrenti debet ludibrium, qui conjugii firmamentum ponit in divitiis, cuivis fortunæ. Arniſæus *dicto ſæpe loco cap. 3. n. 5.*

Num. 29.

(21) *Non debet eſſe minor legitima &c.*] Joh. Angelus Boſſius *Tr. de dote cap. 13. §. 1. conſider. 5. n. 24. pag. 518.* cum multis aliis ab eo allegatis cenſet, ut dos congrua dicatur magis debere ſpectari conſuetudinem regionis & terræ, quàm quantitatem patrimonii, ſeu legitimæ; cum dos, etiam ſi ſit minor legitimâ, congrua dici poſſit, ſi moribus ſeu conſuetudine regionis recepta ſit. Et talem conſuetudinem in conſtituendâ dote ſine dubio deberi obſervare. Adde eundem *ibid. n. 35. 36. 37.*

Num. 42.

(22) *In bonis decem mille &c.*] Illud adhuc advertendum hoc loco, quod ex Borello jam laudatus Boſſius *d. loco conſid. 1. n. 7. pag. 515.* notat; In æſtimatione facultatum, ut pro earum modo dos congrua conſtituatur, non eſſe habendam rationem proprietatum ſeu pretii, aut valoris proprietatum Patris vel avi, ſed fructuum, & reditutum bonorum, ita ut dos non debeat taxari juxta æſtimationem valoris proprietatum; ſed juxta æſtimationem & valorem fructuum & redituum, qui ex proprietatibus percipiuntur. ubi vide.

CAPUT XLIV.

Princeps Liberalitati Modum ponat, ne Ærarium nimis largitionibus exhauriatur.

SUMMARIA.

1. *Nimiæ* largitiones profuſioneſque *Principum in exitium Reip. vergunt.*
2. Princeps *ita largiatur, ut proſit, non ut cuiquam noceat.*
3. C. Caligulæ, & Neronis *prodiga & prodigioſa donatio profuſioque; &* n. 4.
5. Galba *omni parte vitæ omnes prodigos ſuperavit:* Vitellius *Galbam prodigalitate in epulando*, num. 6.
7. *Qua in re* Princeps *Magnificentiam quàm liberaliſſimè debeat oſtentare.*
8. *Norit* Princeps *nec nimiùm largus, nec nimis eſſe tenax.*
9. Liberalitas *non cumulo patrimonii, ſed largitatis effectu definitur.*
10. Liberalitas *binis profluit fontibus: vero judicio, & honeſtâ erogatione.*
11. *Malè educati* Principis *ſignum, ſi in bene meritos parcus & tenax; profuſus verò ſolo placito ſuo in immerentes.*
12. Liberalitas *viribus Ærarii metienda Principi.*
13. Caligula, Nero, & Vitellius *cum prodigiſſent profuſione Ærarium, ad iniqua rapinarum media compulſi ſunt.*
14. *Habeat accuratus* Princeps *Catalogum velut ſuarum largitionum, inde conſtabit, cui dederit pro merito, & cui porrò donandum ſit.*
15. *Illaudata* Principis liberalitas *in moriones, adulatores, mimoſq́; facta, neglectis ſtudioſis virtuoſisq́;*
16. Ars *jam pane caret, panis mox Arte carebit.*
17. *Curet* liberalitate ſuâ Princeps, *ne Subditi opibus elati inſoleſcant, vel depauperati vileſcant.*
18. Exemplum *unius liberaliter remunerati, plus in animis hominum operatur, quàm centum neglectorum.*
19. *Hoc nunc in* Aulis *obtinet, ut quod per virtutem unius meruit, alter per fortunam obtineat.*

Laude caret reſtricta Ducis manus, atque profuſa eſt
Quæ nimis: obſervat quæ medium, illa juvat.

ÆRarii à rapinis vindicandi cura habenda, & effuſæ atque immodicæ largitiones, quarum commodum ad paucos, damnum ad univerſos pertinet, & quibus fons beneficentiæ exſiccatur, Principibus vitandæ, *neque Liberalitatis fores ita reſerandæ ſunt, ut pateant omnibus.* (1) Etſi enim liberalitate nihil ſit naturæ accommodatius, authore Cicerone *libr.* 1. *Offic.* quaſiq́ue flumen de curſu nunquam deſiſtere, bene merendi: attamen multi ſunt, qui perdere ſciunt, donare autem neſciunt: quibus luxuria ſpecie liberalitatis imponit, & dum hiantes amicorum, quid ſi & adulatorum? cupiditates explere nimiopere feſtinant, indignis ſæpè nimia largiuntur, poſthabitis dignioribus, parùm attendentes, ejuſmodi profuſiones, ſi modus abſit, verti in exitium Reipublicæ, & plures inconſultâ donatione lædi, quàm beneficio devinciri, atque hoc etiam plerunque ſequi, ut ſubitæ largitionis comes ſit pœnitentia. Multa ſunt, *inquit Nazian. ad Anyſium*, in quibus ii, qui injuriam accipere videntur, beneficio ornantur, & contrà iis, qui beneficium accipere putantur, injuria infertur. Et Ambroſ. *de Offic.* Pulchrum eſt, *ait*, eo largiri conſilio, ut proſis, non noceas. Nam ſi luxurioſo ad luxuriæ effuſionem, adulteræ ad mercedem adulterii, largiendũ putes, non eſt beneficentia, ubi nulla eſt benevolentia, officere enim iſtud eſt, non prodeſſe alteri. 1 2

C. CALIGULA, Tiberio ſuccedens immenſam pecuniæ ſummam in ærario, nempe *ad ſexagies ſepties millies mille aureos*, (2) & quingenta præterea millia reperit. Tantam tamen auri vim immanibus ac prodigioſis effuſionibus (de quibus Sueton. *in Calig. cap.* 37.) infra finem anni vertentis abſumpſit. 3

NERO *quoque* (3) avunculi veſtigiis inſiſtens, ac divitiarum & pecuniæ fructum non alium putans, quàm profuſionem, nec largiendi, nec abſumendi modum tenuit: bis & vicies millies ſeſtertiûm donationibus effudiſſe legitur, in quatuordecim annis, quibus Imperio præfuit: Quæ ſumma efficit quingenties & quadragies centena millia aureorum, quæ (ſecundùm Lipſii computationem) ſunt quinquaginta quinque milliones: à GALBA tamen occupato Imperio & publicâ neceſſitate id efflagitante, *hæ largitiones revocatæ ſunt*, (4) decumâ parte liberalitatis apud quemque relictâ. *Auream quoque domum* (5) exſtruxit, immenſi pretii & æſtimationis, & in omni parte vitæ prodigos omnes ſuperavit. Nec multò ſecus VITELLIUS Imp. qui adeò profundæ & inexplebilis gulæ fuit, ut prodigis epulis nonagies centena milla HS. pauciſſimis menſibus interverterit. *Dion ſcribit*, (6) eum patinam unam adparaſſe, in qua decem millium aureorum impenſa facta, ſcarorum jecinora, phaſianorum & pavonum cerebella, linguas phœnicopterum, & murænarum lactes, commiſcuit. *Suetonius* (7) cœnam ei à fratre datam adventitiam, in qua duo millia lectiſſimorum piſcium, ſeptem avium adpoſita fercula, tradit. 4 5 6

Titus (8) Vespasianus propter morum facilitatem & εὐεργεσίαν delitiæ generis humani fuit dictus, ut nulli quidquam negaret. Sed cûm amici reprehenderent, reſpondiſſe dicitur: *Neminem à Vultu Principis triſtem diſcedere oportere.* Idem diem ſe perdidiſſe exiſtimavit, quo nihil cuiquam præſtitiſſet. Anton. Guevara *lib. 3. Horolog. Princip. cap. 31.*

Quid dicam de *Salomonis magnificentia atque liberalitate*, (9) tum circa ſumptus magnificentiſſimos, tum circa quamcunque aliam pecuniarum prolixam & liberalem erogationem? Dedit enim, fecitque, *ut tanta eſſet copia auri in Jeruſalem, quanta & lapidum*: atque cedrorum, pretioſarumque aliarúmve materiarum, quanta vulgarium lignorum; ut quidem opportunè quadret in Salomonem, quod Iſocrates *Orat. ſuâ ad Nicoclem Aphoriſmo 8. de optimo Rege* ſcripſit: *Magnificentiam in nullâ re ſupervacaneâ, magniq́ ſumptus oſtenta; ſed tâm in urbis adminiſtratione, reliquoque ad-*
7 *paratu & copiis, tum pulchritudine poſſeſſionũ & beneficentiâ in amicos.* Et item Aphoriſ. 22. *Magnanimos puta non eos, qui majora ſuſcipiunt, quàm ſuſtinere poſſint; ſed illos, qui & mediocria deſiderant, & quæ aggrediuntur, perficere poſſunt.* Quantus autem Salomonis animus, quanta virtus maxima ſemper aggredientis, nec non perficere potentis! ut omninò utrumque illud habuiſſe viſus ſit, quod dicebat *in Paneg.* Plinius. *Ut felicitatis eſt, quantum velis, poſſe, ſic magnitudinis, velle, quantum poſſis.* Tempus citiùs me quàm res deficeret, ſi vellem hûc conjicere, quæcunque exempla in hanc materiam veterum annales ſuppeditant. Ita illuſtriſſima quæque attigiſſe ſufficiet: neque in re per ſe ſatis perſpicuâ diutiùs hærere neceſſe eſt.

Alciat. *lib. 2. Parergon. cap. 14.*

8 *Re fruere, exitio tanquam ſi proximus eſſes;*
Utere, vita velut ſit diuturna tibi.
Ille ſapit verè, qui callens hæc duo novit,
Nec nimiùm largus, nec nimis eſſe tenax.

Vel, ut carmine Sotadico quidam expreſſit:

Tanquam moriturus licitis fruare gazis,
Victurus uti parcè diu tuis habenti, is
Vir eſt ſapidus, novit utrũque qui, modumq́
Parſimoniæq́ ſumptûumq́ callet aptum.

Actio liberalis autem non in multitudine rerum, ſed in habitu ejus, qui dat, conſiſtit, hic verò pro facultatibus erogat. Nihil igitur prohibet eum magis eſſe liberalem, qui pauciora largitur, ſi modò minores ei ſint facultates, Ariſtotel. 4. *Ethic. cap.* 2. Liberalitas enim non cumulo patrimo-
9 nii, ſed largitatis definitur affectu; & affectu dantis potiùs, quàm effectu ejus meritum eſt æſtimandum. Hinc Seneca *libr. 1. de Beneficiis c. 6.* Beneficium non in eo, quod fit aut datur, conſiſtit, ſed in ipſo dantis aut facientis animo: *& p. p.* Animus eſt, qui parva extollit, ſordida illuſtrat, magna & in pretio habita dehoneſtat. Et *cap. 8.* pergit: Socrati cùm multa multi pro ſuis quisque facultatibus offerrent; Æſchines, pauper auditor, Nihil, *inquit*, dignum te, quod dare tibi poſſim, invenio: & hoc modo pauperem me eſſe ſentio. Itaque dono tibi, quod unum habeo, Me ipſum: Hoc munus, rogo, qualecunque eſt, boni conſulas, cogitesque alios cùm multum tibi darent, plus ſibi reliquiſſe. Cui Socrates; Quidni tu, *inquit*, mihi magnum munus dederis, niſi forte parvo te æſtimas? Habebo itaque curæ, ut te meliorem tibi reddam quàm accepi. Vicit Æſchines hoc munere Alcibiadis parem divitiis animum, & omni juvenum opulentiorum munificentiam. Hinc quoque prudenter Melchior ab Oſſa *in Conſilio politico-juridico cap. 4. fol. 51.* Neutiquam, *ait*, Liberalitas eſt, erga quosvis, nullo discrimine habito, aut erga immeritos 10
munificum eſſe, ſed ex duobus profluit fontibus, *Vero judicio, & honeſta erogatione;* & ſic ex honeſtis & juſtis cauſis ſemper oritur.

Eapropter ſi Principes Liberalitate Benivolentiam ſibi conciliare velint, habeant perſonæ, meriti, induſtriæ, laborum, temporis, neceſſitatis, ætatis, dignitatis, atque ordinis rationem, ita ut *benè meritis*, (10) & qui mereri poſſunt conferant: Virtutum enim præmia tribui merentibus convenit, *l. fin. C. de ſtat. & imagin.* Egregiè Illuſtris Præſes Jac. Aug. Thuanus *libr. 29. Hiſtor. fol. mi-*
hi 568. ſcribit, malè educati Principis ſignum 11
eſſe, ſi homines nullâ virtutis aut meritorum ratione charos, ſed *ſolâ gratiâ acceptos, penes ſe habeat*, (11) & in bonos optumeque meritos parcus & tenax, eorum labores defraudet, & ſatiet ingluviem paucorum. Et quia tum munifica & gratioſa elargitio fit bonâ conſcientiâ, ideò ut gratiæ acceptio, vi relatorum, pejori fieri nequit, præſertim quoniam dies noctesque fideles miniſtri Magiſtratibus ſuis ſua deferunt præſtantque officia & ſervitia ſubjectiſſima, multis devoratis moleſtiis, pluribus exhibitis laboribus & ſudoribus, nec paucioribus deguſtatis periculis. Ita tamen præmia diſtribuantur, ne
Ærarium, cujus viribus Liberalitas metienda eſt, evertatur. 12
Ærarium namque nimiis largitionibus exhauſtum, expilationibus Subditorum poſtea impleri conſuevit, atque ubi prodigalitas pauperiem invexit, ibi Liberalitas modos acquirendi illegitimos ſuggerit, atque hoc plerunque efficit, ut quis ſuis facultatibus exutus ad aliena bona animum inclinet: prout *CALIGULA* (12)
(cujus ſuprà mentionem feci) pecuniis pro- 13
fuſis, ad rapinas converſus, varia calumniarum, auctionum & vectigalium genera exquiſi-

quiſivit: NERO & VITELLIUS prædis & manubiis animum intendentes, provincias tributis exhauſêre, rapacitati ſævitiam (quarum altera ſine altera ferè nunquam eſt) adjunxere, omniumque odiis in ſe accenſis, turpiter periêre.

Verùm quoniam hæc effuſio ſæpè non tàm vitio Principum, quàm improbis & callidis inhiantium deſideriis accidere ſolet; ſuadent Politici, ut Principes ſuarum lar-
14 gitionum breve compendium habeant, ex quo cognoſcere poſſint, quibus quantumque jam donatum ſit, quibus etiam adhuc quid dari oporteat. Sic Alexander Severus (*teſte Lampridio*) (13) cogitabat ſecum & deſcriptum habebat, cui quid præſtitiſſet: &, ſi quos ſciret, vel nihil petiiſſe, vel non multum, unde ſumptus ſuos augerent, vocabat eos, & dicebat: *Quid eſt, cur nihil petis?* an me tibi vis fieri debitorem? pete, ne privatus de me queraris. FRANCISCUS I. Rex Galliæ perſonarum illuſtrium, quibus donaret, delectum habuit, & largitionibus modum Imponere didicit. Neſcivit Henricus filius, Bodin. *lib. 6. de Repub. cap. 2.* A. MDCXXII. intra XVI. menſes tres Sultanos vidit Turcia, quorum largitionibus (nam Spachi & Genizari ſuos Imp. donativo æſtimant) exhauſtum ærarium, Joan. Cluver. *in Hiſt. Epitom. fol. 793.*

15 Contrà virtuti & bene meritis injuria infertur, quando in moriones, adulatores, malarumque artium homines quis magis munificus eſt, quàm in bonos, egentes, eruditos, virtutibusque inſignes, Heresb. *de Erudiend. Princip. cap. 16.* Chockier. *lib. 2. Theſaur. Polit. Aphoriſm. c. 3. per tot.* ubi hoc exemplis pluribus illuſtrat. Boter. *lib. 7. de illuſt. ſtat. cap. 8. per tot.* Sed quotus jam quisque eſt, *qui doctos viros amplectatur* (14) & admiretur, ac non potiùs negligat, ne dicam contemnat, aut odio habeat? cujus domus non potiùs ſerræ, mimo, aut adulatori, quàm Poëtæ, Oratori, & Philoſopho pateat? Franciſc. Petrarcha *lib. 1. de Regno tit. 5.*

16 ARS *jam* PANE *caret*, PANIS *mox* ARTE *carebit.*

Die Kunſt gehet jetzo nach Brod/aber Brod wird ihr widerum nachlauffen/und ſie nicht finden. Es wird miteinander aufgehen/Ertz/Holtz und Leut/ juxta vaticinium Melanchthonis *in Explicat. Evangel. Domin. 3. poſt Trinit. pag. 110.* Quando enim præmia doctrinæ & virtuti non conſtituuntur, ſed potiùs viri docti duriſſimè accipiuntur, paulatim Studiorum ardor frigeſcit, ægreque reperiuntur, qui tot laboribus & peregrinationibus multos per annos exantlatis, toto ferè patrimonio inſumpto, non Marti potiùs quàm Palladi litare malint.

Summatim dicam: Ita tractet Princeps 17
ſuos miniſtros, ut nec nimiis opibus elati inſoleſcant, nec paupertate abjecti vileſcant. In hac tamen re ita verſetur, ut nec ſordidus ſeu avarus, nec ingratus videatur. Quem ſcopulum facilè vitabit, ſi contra poſitam modò regulam, in non neminē aliquando inſolitâ utatur beneficentiâ. Sic
enim omnibus ad idem ſperandum, animos 18
addet: Eſt quippe ea ſpei vis, unius liberaliter remunerati exemplum pulus in animis hominum poſſit, quàm centum neglectorum. Illud namque dantis liberalitati, hoc fruſtrà exſpectantium infelicitati adſcribi ſolet. Quod ſi qui tamen vel in aulâ, vel alibi non ſatis pro virtute & meritis à Principibus honorati ſibi videantur, fortunæ potiùs imputent, oculosque reflectant ad famoſas illas pyxides, unam plumbo, alteram auro æquali gravidam; quarum cùm Imperator, ni fallor, Sigismundus optionem liberam dediſſet miniſtro infortunium ſuū conquerenti, ille aureâ, quam tamen meritis ſuis deberi putabat, relictâ, alienam cum plumbo, nullâ Imperatoris vel invidiâ vel culpâ eligebat. Ita nimirum morbus olim hodieque & præcipuè in Aulis vigit (liceat iſta loqui) epidemicus, ut quod alter per virtutem pretium meretur, alter per Fortunam accipiat: Eaque eſt calamitas hujus mundi ſenectæ, ut literarum Studia paupertas & penuria comitetur. Quo fit, ut ſublatis præmiis Scholarum (quæ ſunt ſeminaria Eccleſiæ & Reipublicæ) eæ frigeſcant, & demum barbaries & interitus Reipublicæ inſequatur.

— — — *Hei mihi paſſim*
Gratia quam ſubitò meriti tabeſcit, & inter
Mille nec eſt unus, benè qui benefacta rependat,
Sunt geminæ Charitum diverſis uſibus arcæ:
Ex hac depromunt aliis quæ commoda largè;
Deponunt contra, quæ retribuuntur in illam:
Hæc ut ſemper hiat, ſic eſt & ſemper inanis.
Altera, ut expendat ſemper, tamen usque repleta eſt;
Quam nunquam ſua deſtituit, ceu copia, fontem.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT XLIV.

Num. 1.

(1) N*Eq; liberalitatis fores ita reſerandæ ſunt, ut pateant omnibus &c.*] Vide, ſi lubet, de hoc argumento annotata noſtra *ad Politici Scelerati cap. 30. pag. 309. ſeqq. & ad cap. 44. p. 501. ſeqq.*

Num. 3.

(2) *Ad ſexagies ſepties milie aureorum &c.*] Vicies & ſepties millies HS. Suetonius *in Calig. cap. 37.* A quo numero tamen alii Hiſtorici, ut Cauſabonus ibid. annotavit, diſſentiunt.

Num. 4.

(3) *Nero quoque &c.*] Suetonius *in ejus vita cap. 30.*

Num. 5.

(4) *Hæ largitiones revocatæ ſunt &c.*] Liberalitates Neronis non plus decimis conceſſis, per quinquaginta Equites Rom. eâ conditione revocandas curavit exigendasque, ut & ſi quid ſcenici aut Xyſtici donatum olim vendidiſſent, auferretur emptoribus, quando illi abſumpto pretio ſolvere nequirent. Suetonius *in vita Galbæ cap. 15.* adde *infrà ad cap. 45.* (4)

(5) *Auream quoque domum &c.*] Sueton. *in cap. 31 vitæ Neron.* præter Hiſtoricos & Latinos Scriptores; hujus quoque meminiſſe D. Chryſoſtomum, *Orat. 47.* obſervat Cauſabonus *ibid.*

Num. 6.

(6) *Dio ſcribit &c.*] Lib. *65. pag. m. 735.* junge Sueton. *in vita Vitellii cap. 13.*

(7) *Suetonius &c.*] Dicto jam loco.

(8) *Titus &c.*] Suetonius *in ejus vita cap. 1. & 8.*

(9) *De Salomonis Magnificentia & liberalitate &c.*] Vide Drexelium *in Salomone cap. 85. 130 & 147.*

Num. 10.

(10) *Bene meritis &c.*] Quàm ſæpe tamen merentibus digna præmia deſint, indignis conferantur, diximus *ad Politic. Sceler. cap. 13. pag. 121. ſeqq.*

Num. 11.

(11) *Solâ gratiâ acceptos penes ſe habeat &c.*] Principum miniſtri quales ſint, & qui eligendi, annotavimus *itidem ad Politici Scelerati cap. 11. p. 101. & ad cap. 25. pag. 238. ſeq.* ubi haud contemnenda nos adduxiſſe ſperamus.

Num. 13.

(12) *Caligula &c.*] Confer de Caligula Suetonium *in vita ejusdem cap. 38. ſeqq.* de Nerone *cap. 32.*

Num. 14.

(13) *Teſte Lampridio &c.*] *Cap. 46.*

Num. 15.

(14) *Qui doctos viros amplectatur &c.*] Junge Notas *ad Politic. Sceler. cap. 17. n. 165.*

CAPUT XLV.

DONATIONES IMMENSÆ PRINCIPUM INDIGIS FACTÆ A SUCCESSORIBUS REVOCANDÆ, atque Ærario addicendæ.

SUMMARIA.

1. Princeps *ineat rectam rationem donorum & largitionum.*
2. *Quæ uni dantur prodigè, eripiuntur pluribus; utque ſatisfiat ſuperfluis, ſubtrahitur ſæpè neceſſariis.*
3. Virtus liberalitatis *habet ſua extrema, quæ utraque in vitio ſunt: itaque media tutiſſima via.*
4. *Nunquam* Princeps *reditus ſuos, qualescunq; ſint, rebus inutilibus licitè impendit.*
5. Ærarium *inſtauratur, plebs ſublevatur, ſi largitiones immodicæ reſtringantur. Docetur hoc præclaro exemplo Henrici III. Caſtellæ Regis, ad frænandam Procerum audacem aviditatem,* n. 6. *Et exemplo Caroli IV. Imp.* n. *13.*
7. Miſeria *eſt miſerrima, cùm non ſolùm pecunia, ſed & fides omnis conſumpta eſt.*
8. *Revocant ſubinde* Principes *laudabiliter ſuasmet donationes.*
9. *Nulla* Principis donatio *vim habet, quæ vel duo ſeſtertia excedat, niſi apud acta Rationalis Curiæ inſinuetur.*
10. Guiſianorum *præfractum* conſilium *contra eos, qui importunè flagitabant largitiones, remunerationesq;. Magni Magiſtri Ord. Equitum Melitenſium donationes reſcinduntur,* ib.
11. Severitate *augetur ærarium: fiunt enim cautiores importuni competitores.*
12. Exemplum *Electoris Saxoniæ de repetitis bonis prodigè alienatis.*
13. Exemplum *Caroli IV. Imp.*
14. Baſilius Imp. *repetit* donationes *inconſultâ largitione à Michaële receptas.*
15. Galba Neronis donationes *& beneficia, decimâ ſaltem parte relictâ, revocari juſſit.*
16. *Innocentius IV. Pontifex ab Iſernia damnatus, quòd revocaverat donationes poſt obitū Friderici Imp. factas.*
17. Creditor *ex cauſa oneroſa debet præferri donatariis perſonalem tantùm actionem habentibus.*

Quælibet immodica eſt donatio retractanda,
Quæ ſine judicio facta eſt, Fiſc oque dicanda.

QUando ordinarii reditus nequaquam pares ſunt ſuſtinendis oneribus Regni, 1
Principi integrum eſt, rectam rationem inire donorum & largitionum. Quæ enim uni donantur, pluribus eripiuntur; & 2
ut ſuperfluis ſatisfiat, neceſſariis ſubducitur: quæ res eſt magni ſcrupuli, & jure deploranda: Certiſſimum eſt, nihil tantopere

pere Principem ſubditis ſuis charum red-
3 dere, quàm liberalitatem. Sed & hîc modus tenendus eſt, & hæc virtus ſua habet extrema, ut dixi ſuprà *cap. præced.* à quibus Principem ſibi cavere neceſſe eſt, & quàm longiſſimè in illis recedere. Nunquam Princeps rebus inutilibus licitè impendit reditus ſuos, qui domi ſuæ impenſis & aliis neceſſariis uſibus ſunt deſti-
4 nati: multò minùs reditus ſuos extraordinarios; ſiquidem ſanguis eſt è populi venis eductus, ut ad utilitatem & Reipublicæ incolumitatem expendatur: ita ut ærarii ſui prodigus eſſe non poſſit, ſine gravi læſione conſcientiæ, & non niſi incurrendo non modò vitium prodigalitatis, ſed & peccatum injuſtitiæ. Nam ſi largitiones ſuas ex ordinariis reditibus derivet, populum ſuum deſtruere & exactionibus vexare aggreditur, ſin ab extraordinariis, id rectæ rationi adhuc magis repugnat; nam ii non debent in alium uſum vel finem erogari, quàm deſtinati ſunt: vide me *tractat. de Contribut. cap. 7. numer. 84. & quàmplurimis ſeqq.*

5 Ærarium itaque reſtaurari, & onera plebis ſublevari poſſunt, ſi Principes eorúmve ſucceſſores largitionum rationem ineant, & immenſas donationes aut re-
6 vocent aut reſtringant. Id ſecutus Henricus II. Caſtellæ Rex cognomento Liberalis, cùm patrimonium Regni pro quatuor millionibus maravedis oppignoraſſet, ſeſe in ſummam neceſſitatem cernens incidiſſe, non (quod quidem ſuaſerunt) à populo ſubſidium petiit, ſed ditiſſimos & potentiſſimos miniſtrorum capi, & in opes illorum inquiri juſſit, & ratione initâ eorum, quæ antea, quàm ipſius ſervitio ſe applicaſſent, poſſederant, cùm liquidò conſtaret, quibus modis rem familiarem in immenſum auxiſſent, & largitionibus, quas fecerat, recognitis, & damni accepti modo inito, quæ contra rationem fecerat, optimo jure revocavit. *Joan. Mariana lib. 3. de Reg. Inſtit.* (1) *pag. 263.* ubi hiſtoriam hanc eleganter & prolixè contexit: Burgis, (*ait*) quæ urbs in Veteri Caſtella eſt, Rex minorennis morabatur, ſeque aucupio coturnicum oblectare ſolitus erat. Accidit, ut ad multam diem aliquando in aulam rediret feſſus morâ, feſſus labore: nihil obſonii paratum erat, appellatus de eâ re regius obſonator renunciavit, non tantùm pecuniam regiam, ſed fidem etiam conſum-
7 ptam. Rex in præſenti dolore diſſimulato, oppignorato pallio, arietinas carnes emi jubet: ex iis & captis coturnicibus prandium omninò parari. Audit inter prandendum meliori conditione Proceres agere, quotidie inter ſe lautiſſima convivia frequentare, omni aliâ curâ ſolutos, certare luxu & ſplendore menſarum. Fortè eâ nocte apud Toletanum Archiepiſcopum Petrus Tenorius cœnabat, adeſt involuto capite Rex, omnia videt lætitiâ & deliciis redundare, peractâ cœnâ pro ſe quemque narrare, quantum redituum ex paternis oppidis, quantum ex regiis vectigalibus quotannis perciperet. Poſterâ die Rex vindictæ avidus & certus fingit gravi ſe morbo implicitum teneri, ſuprema mandata velle dare, eâ denunciatione Proceres feſtini & pavidi, diverſi in arcem conveniunt. Ibi excluſis famulis, ut erat juſſum, admittuntur, conſiſtuntque ad multam incœnati diem, moræ cauſam mirantes. Rex tandem ad Proceres ferro tectus, diſtricto enſe ingreditur. Cùm pavefactis eo aſpectu omnibus aſſediſſet, irato ſimilis torvo aſpectu rogat ex Proceribus, quot ſinguli Reges in Provinciâ vidiſſent? quibuſdam duos, aliis tres aut quatuor, ut cujusque erat ætas, reſpondentibus. Ecqui, *inquit*, verum eſt, quod dicitis, cùm ego hac ætate viginti nihilominus in Caſtella Reges noverim? mirantibus dicti cauſam, atque ſuſpenſis animis, quorſum res evaſura eſſet, expectantibus, Vos, *inquit*, omnes, Vos, *inquam*, Reges eſtis, regni arcibus & copiis occupatis, mihi inane nomen, ſordes & egeſtatem reliquiſtis, an idonea cauſa videatur, cur nos ludibrio habeatis? Sed ne ampliùs faciatis, veſtris omnium capitibus ſanciam. Simulque ad ſupplicium poſtulabat, parari afferrique jubet extentâ voce lictores, evocat militesque ſexcentos, quos arcanò paratos habebat. Aliis attonitis metu, Toletanus Archiepiſcopus, ut erat magnò animo, in genua procumbens lacrymis toto ore manantibus veniam precatur: idem ejus exemplo cæteri faciunt. Mortis metu perfuſis & ſupplicibus veniam dat, neque ex arce tamen ante unum & alterum menſem dimitti placuit. Quo ſpatio arces & vectigalia Regi tradere compulſi ſunt. Magnum Regem! præclarum facinus! quo actionum tenore regni theſauros quidem ingentes, ſed innoxios & ſine provincialium moleſtâ reprehenſioneque filio reliquit; Exemplum, quod imitentur poſteri, ad procerum aviditatem audaciamque frænandam.

Conſimiliter Ferdinandus & Iſabella 8
dona omnia, quæ Henricus IV. ab Anno MCCCCLXIX. ad Annum MCCCCLXXIV. elargitus fuerat, Edicto revocarunt. Eadem Iſabella teſtamento ſuo declaravit, ſe quædam contra voluntatem donâſſe, quæ revocata velit. Refert quoque Jacob Cancerius *lib. 1. var. reſolut. cap. 13. numer. 184.* in Senatu Barcinon. Anno MDCVI. declaratam fuiſſe Pragmaticam Regis Alphonſi, datam die VIII.

Maji Anno MCCCCXLVII. in alienationibus ſcilicet Regiarum jurisdictionum, aut aliarum rerum Regio patrimonio addictarum & alienatarum, pretio interveniente, etiam absque pacto de retrovendendo, poſſe ad Regiam Coronam reduci reſtituto pretio, ac fuiſſent venditæ cum pacto de retrovendendo, eò, quod in dictis venditionibus Regiis ſemper cenſeatur ineſſe inſtrumentum gratiæ, prout & ſenſit Marquil. *in Uſatic. Si contradixerit qu. 16. fol. 97.* & Mier. *part.* 1. *collat.* 3. *cap.74. num.5. fol.41.*

Sic in Regno Galliæ Philippus Valeſius Anno MCCCXIII. Edicto cavit, ut dona Principis irrita eſſent, niſi is, cui quid dono datum à Principe, donationum tabulis antecedentes majoribusque ſuis factas largitiones complecteretur. Bod. *2. lib. 5. de repub. cap. 4. fol. 553.*

9 Exſtat item Caroli IV. Caroli VIII. Regis ſanctio, ne largitio ulla vim haberet à Principe facta, quæ vel duo ſeſtertia ſuperaret, niſi apud acta rationalis Curiæ inſinuaretur. Bodin. *lib. 6. de Republ. cap. 2. fol. 1045.* Et paſſim reperiuntur exempla donationum regiarum, quæ à Pariſienſi Curiâ revocatæ ſunt, ut ex Connano refert Clapmar. *lib. 5. de arcan. Rerumpub. cap.* 13. & Thuanus *lib. 23. Hiſtor.* Revocatæ, *inquit*, omnes patrimonii alienationes perperam & in fraudem factæ, licet penſionis aut alterius cujusvis donationis etiam remuneratoriæ titulo firmatæ: à qua lege poſſeſſiones eæ exceptæ, quæ Regum filiabus penſionis loco aut in dotem datæ ſunt. Sed juxta gravis & æquitatis pleni edicti gratiam minuit, quod cum eo regii ſanguinis Principes ac Proceres benè de ſuperioribus Regibus meriti beneficio olim accepto privarentur, poſtea tamen eodem plerique minoris dignitatis nullâ aliâ de causâ excepti ſunt, quàm quòd Guiſianorum favore ſublevarentur. *Idem ibidem.* Ex cun-
10 ctis Regni Provinciis ad novum Regem confluebant, qui debita, qui remunerationes, beneficia importunis flagitationibus exigebant; quibus cùm ſatisfieri non poſſet, ut eorum petitiones unicâ reſponſione expungerentur, præfracti juxtà ac inhumani conſilii authores fuerunt Guiſiani, aut patibulo erecto, Edictum proponeretur, quo omnes, cujuscunque conditionis eſſent, qui quacunque de causâ vel debiti, vel remunerationis, aut beneficii à Rege impetrandi in comitatu eſſent, intra XXIV. horas Aulâ excederent; ni parerent, ignominiosè patibulo ſuffigerentur.

Magnus Magiſter Ordinis Equitum Melitenſium non poteſt quidquam donare ex juribus, prærogativis & reditibus ſui Magiſterii, quod ſucceſſori ſit detrimentoſum: &, ſi id faciat, donatio nullam vim habet, & reſcinditur.

Itaque ſi Princeps noſter ſimilia conceſſerit, jure divino, naturali & poſitivo, obque rationes publicas, propter juſtitiam denique, & conſcientiæ tranquillitatem, tenetur eadem reformare: è quo duo inſignia emolumenta ſequentur; Primùm 11
ærarii inopiæ ſuccurretur, & onus contributionum levabitur: alterum, unusquisque attendet diligenter, quid, quantúmve petat, & abſtinebit à tam ingentibus donis emendicandis, quæ Princeps fortaſſis contra mentem ſuam indulget.

Quàm pauci futuri ſunt, qui à Principibus petere, aut ultrò ſibi oblata capere velint, ſi aut revocari putent, aut rationes reddere cogantur? ait Bodinus *dict. cap.* 2. ſubinnuens, hoc modo præcaveri, ne Proceres avidas manus in publicas opes injiciant, de publico rapaces, unde privatim effundant.

Sic *modernum Saxoniæ Electorem* (2) 12
ferunt celebri in loco Cancellarium interrogâſſe, anne in Corpore Juris de ejusmodi bonis prodigè alienatis, iisque recuperandis reſcriptum exſtaret: qui cùm Codici *tit. de revocandis donationibus* inſertum reſpondiſſet; Benè eſt, *inquit Dux*, operæ itaque pretium erit, fratre defuncto, meque ad gubernacula admoto, ei ut conſulam, & indebitè alienata repetam. Quod & eventus & experientia rerum magiſtra comprobavit.

Carolus IV. Imperator, referente Wenceslao Hagerio *in Chronicis Bohemicis*, 13
parte 2. fol. 42. b. ſeq. Anno poſt Chriſtum natum M. CCC. LXXV. convocatis ad Comitia generalia Statibus Regni Bohemici in arcem Pragenſem, ipſe ſe in medium illorum inferens, quæ cuperet indicavit: Uti nimirum ordines ſinguli in commune bonum quàm promptiſſimè conferrent, pro ſuorum quisque bonorum valore: ex quâlibet marcâ drachmarum drachmam unicam Pragenſis monetæ: idque ab iſto S. Sigismundi, ad usque ſecuturi S. Viti natalem, qui in morâ fuiſſet, confiſcationis reus foret. Deponerent etiam ſinceriſſimè ſinguli bonorum ſuorum omnium æſtimationem, qui fefelliſſet & bona ſua minoris æſtimaſſet, pateretur, ſoluto ab Cæſare pretio, ea occupari. Et hoc tum nemo quidem auſus detrectare: poſtmodum tamen pleríque ſua quàm minimi æſtimaverunt. Sed ſeveriſſimè ab Imperatore animadverſum eſt, datoq; pluribus, quo ſua ipſimet bona taxarant, pretio, univerſa bona Cameræ addici curavit. Quod diverſimodè acceptum, tolerari tamen ab omnibus oportuit.

Hæc poſtquam ita collata fuiſſent, acceſſit deinceps Imperator Dominos Nobiles-

bileſque omnes, quique arces, aliaque Regni Dominia hypothecæ loco obtinuerant, iisque in originali Regiſtra bonorum omnia, & quàm carè oppignorata fuiſſent, prodi ſeverè demandavit. Quibus accuratiùs examinatis, mox cuilibet, quod rectè deberi probaſſet, exſolvi jubebat; detrahi verò tantum ab ſummâ, quantum hypothecarum emolumentum exceſſerat; Ne per nos, *inquiens*, ad Orcum devolvamini, qui è Nobis tam grande lucrum Regni Legibus intolerabile extorſeritis. Ac illi quidem, recepto quisque Capitali, beneficium accepiſſe præ ſe ferebant. Tum Imperator mox occupatis Regni arcibus Dominiiſque, Præfectis omnia, præſidiis & annonâ firmavit, &, niſi quàm fideliſſimè quisque ſuo fungeretur, extrema comminatus eſt.

14 Mortuo Michaële Imperatore Orientis, placuit Baſilio inſpici theſauros. Vix quicquam inventum eſt. Re in conſilium propoſitâ, decretum eſt omnium ſententiis (inquit *Zonaras*) (3) ab iis ſemiſſem condici, qui donationes inconſultâ largitione à Michaële recepiſſent.

Quid dicemus de Nerone? qui bis &
15 vicies mille ſeſtertiûm donationibus effuderat. Cùm igitur ſub Galba, urgentibus negotiis, magna eſſet pecuniæ cura: cuncta ſcrutantibus juſtiſſimum viſum eſt, *inde pecuniam repeti*, *ubi inopiæ cauſa* (4) erat. Vix enim carere peculatu, quod non meritis erga Rempublicam, nec pro mercede eximii laboris, ſed iniquâ & immodicâ largitione de publico aufertur; Ærarium uſui Reipub. non paucorum libidini deſtinari; Id verò aliquis furto, an donatione exhauriat, quid intereſt? Imperiales donationes legis quidem nodo non coarctari (iram enim, aut ambitionem coërcendam, non benignitatem) ſed ita etiam excedere, ut deducatur Reſpublica in anguſtias, & rapinæ inde eveniant; minui eâ re Majeſtatem; Eſſe Regia dona, quod ſemina, ſparſa in ſegetem coaleſcere, coacta in unum deperire.

Quid igitur? Nunquam dici poteſt ex delicto accepiſſe, qui ex donatione accipit. Eſt fidei merces: quam non debilitari poſt mortem retractandis beneficiis, ipſorum Principum potiſſimùm intereſt. Ita enim alii ad fidelitatem invitantur, ſi qui fidi & amici fuêre retrò Principibus, beneficentiâ non careant ſuâ. Atqui præcipua cauſa neceſſitatis eſt. Itaque Galba ſingulos non accuſari, ſed appellari: nec ſolidum, ſed decimâ parte relictâ, quod ſupereſſet, peti juſſit, præpoſuit exactioni XXX. Equites Romanos, in qua hoc delectationem attulit, quòd tam pauperes eſſent, quibus Nero donaviſſet, quàm quibus abſtuliſſet. Nam illi iisdem ſumptibus aliena, quibus ſua prodegerant. Non agri, non fœnus: ſola inſtrumenta vitiorum permanſerant. Sed neque à ſacris Nero abſtinuerat. Itaque etiam Galba Julium Agricolam præfecit ad dona templorum recognoſcenda. Is diligentiſſimâ conquiſitione fecit (*inquit Tacitus*) (5) ne cujus alterius ſacrilegium Reſpublica, quàm Neronis ſenſiſſet. Quid dicemus de Pallante? Is regni arbiter ſub Claudio pepigerat cum Nerone, ne cujus facti in præteritum interrogaretur, pareſque rationes cum Republica haberet, oppoſuítne pacti exceptionem? Sed multum refert, miniſterio libidinis (qualis eidem fuêre Ophonius Tigillinus, & Salvia Criſpina, itaque ſub Ottone flagitati ſunt ad pœnam) an officii, ditatum eſſe à Principe?

Innocentius IV. Pontifex, cùm poſt obitum Friderici Imperatoris multis mul- 16
ta conceſſiſſet, poſtea ejusmodi donationes revocavit; quo tamen nomine eum damnat atque improbat Andr. de Iſern. *in cap.1. num.13. qui ſucceſſ. teneant.* ſubjiciens, multum mali eſſe in exemplo, cùm non ſit proprium Imperialis vel Pontificialis Majeſtatis, ſemel conceſſa rursùm auferre. Quod etiam in ſpecie noſtri confirmant, dum volunt, quòd jus & beneficium auferri nobis per illum etiam eundem non poſſit, cujus facto nobis quæſitum eſt, poſtquam radices egit, pleneque coaluit, *l. ſi poſt mortem.* 10. §. *fin. ff. de bon. poſſ. contr. tabb. l.* 1. *&* 2. *ff. de ſtipul. l. qui Romæ.* 122. §. *Flavius.* 2. *ibid.* Jaſon. *numer.* 17. *ff. de V. O.* Thoming. *conſilio* 9. *numero* 41. *ſeqq. & numero* 67. *ſeqq.* Creditores ta- 17
men ex cauſa oneroſa in concurſu præferendi ſunt creditoribus ex titulo lucrativo, qui perſonalem tantùm actionem habent: Et hoc privilegium eſſe ſingulare ad revocandas donationes, ut creditores eis præferantur, ait Cardinal. Mantica *de tacit. & ambig. convent. lib.* 11. *tit.* 22. *n.*24. Statil. Pacific. *tractat. de Salviano interdicto inſpect.* 2. *cap.* 2. *num.* 471.

ANNO-

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT XLV.

Num. 6.

(1) M*Arian. lib.3. de Reg. Inſtit. &c.*] Et *de Reb. Hiſp. lib.19.cap.14.pag.198.Tom.* 2. Similiter revocationem immenſarum Donationum Principi ſuadent, Latherus *de Cenſu. lib. 3. cap.1.num. 31.32.ſeqq.* Beſoldus *de Ærar. lib.* 1. *cap. 2. §. 2. circa fin.* & Ruremund. *in Mammona* oder Schlüſſel deß Reichthums / ꝛc. quod conſultum putarim, ſi res Domanio ſubjectæ, vel bona ad Menſam Regiam, ut vocant, pertinentia, indignis & præter meritum omne à Prædeceſſore Principe donatæ fuerint, aliàs periculoſas hujusmodi revocationes, intutas, imò & indecoras, vix eſt ut non aſſeramus.

Num. 21.

(2) *Modernum Saxoniæ Electorem &c.*] Latherus, qui Anno MDCXVII. Tractatum ſuum de Cenſu emiſit, ſolùm vocat Principem quempiam, &c. ſine ullâ ditionis adjectione.

Num. 14.

(3) *Zonaras &c.*] Annal. *Tom. 3. pag. mihi 111.*

Num. 15.

(4) *Inde pecuniam repeti, ubi inopiæ cauſa &c.*] Uti Tacitus *1. Hiſtor.* 20. *num. 1.* loquitur. Sueton. *in vita Galbæ cap. 15.* Superioris ſeculi Anno LX. in Gallia quoque, regnante Carolo IX. deliberatum legitur apud Thuanum *lib.27.* ſi qua disſolvendi æris alieni, à ſuperioribus Regibus contracti, ratio iniri poſſet. Additum eſt, minimè recuſare Regem, & circa eum proceres, quin ſi comperiatur nimiis donationibus & immenſis largitionibus exhauſtum ærarium, ad earum reſtitutionem, qui acceperunt, compellantur. Subjunxit Navarrus, in conſeſſu Ordinum, ſe, ſi quæ dona accepiſſet, quamvis extra comparationem poſitus eſſet, ut tamen exemplo ſuo tam ſalutari decreto præiret, ea reſtituere. Petebantur hoc ſermone nonnulli, ad quos immenſo auctu fortuna opes Imperio debitas contulerat. Hinc creſcit difficultas negotii, cùm præpotentes ſunt, à quibus repetenda ſunt veluti ſpolia imperii. Nam id præſertim notare volumus, dum exempli ejus mentio facta eſt.

(5) *Inquit Tacitus &c.*] In vita Agricolæ *c. 6. n.7.* confer eundem *15. Annal. 45. n. 2.* Dionem *lib.63.*

CAPUT XLVI.

Dignæ Dignis Mercedes concedendæ, at concidendæ penſiones & ſtipendia Militibus, Nobilibus, aliisq; Aulicis Miniſtris liberaliùs perſoluta; neque ærarium ſtipendiorum militarium magnitudine abliguriendum.

SUMMARIA.

1. *Bene meritis concedantur* mercedes; Penſiones Nobilibus *conceſſæ accidantur; Aulicis miniſtris ſtipendia aliquâ parte minuantur*, n.2. *Centuriones reformati, ut vocant, juvenesq; bello gerendo inepti removeantur*, n.3. *Hinc ærario benè conſultum erit*, n.4.
5. *Nunquam augenda militi* ſtipendia.
6. *Ad* militaria munia *promovendi, qui fortibus factis promeriti,*
7. *Vana absque virtute* nobilitatis *jactantia.*
8. *Alius error* in militari diſciplina *taxatur.*

Vult labor accendi pretio; hinc ſua præmia dignis
Sunt ſolvenda viris; ſunt minuenda pigris.

1 MErcedes non per importunitatem aut indebita media, ſed ultrò benemeritis & dignis concedantur; at concidantur ſtipendia annua & penſiones Militibus, Nobilibus, aliisque Aulicis Miniſtris liberaliùs perſolutæ, detractâ dimidiâ vel tertiâ parte. Quo populus in Gallia tributis levaretur, de
2 ſumptibus minuendis in Regis Conſiſtorio actum eſt, & decretum, ut nobiles cubicularii, & alii familiæ regiæ domeſtici ſtipendiorum dimidiâ parte contenti eſſent, penſionum etiam tertiâ parte detractâ, exceptis iis, quæ externis hominibus tam in regno, quàm extra regnum quaſi pro alimentis liberalitate Regum perſolvebantur, Thuan. *lib. 27. ad Annum 1516.* Et ſanè ſi Princeps ſtatueret, ut mediam vel aliquam ſtipendiorum aut honorariorum partem Magiſtratus, Judices, Conſiliarii, aliique Officiales remitterent, ingens Ærario accederet incrementum.

Nullus porrò à ſtipendiato menſtruo milite metus, at mendicitas militaris ad omnem deſperationem vocat armatum, ſi audiamus in Alexandro Severo *Lampridium.* (1) Planè ita eſt, & non omnis ferè militaris ſeceſſionis metus à negato aut dilato ſtipendio: Sed magna pars pecuniæ Regum, Principum, Ducumque exercitus hodiè exulat à milite, & inarmatas divitat manus, locupletatque ignavas, quæ ferrum nullum norunt, nomina veriùs, quàm auxilia, qui nunquam in acie ſteterunt, nunquam turbarum ſonum, niſi in ſpectaculis audierunt, nunquam armatum hoſtem, niſi pictum viderunt; ad ſolum ærarium expilandum ingenioſi. Quò tot novè inventa munia, ne deſit ſtipendio nomen? Tot quaſi exactæ militiæ juvenes, ſtipendio ſolo

ſolo graves, qui nullum decus ſudore & ſanguine pararunt? Tot donaria quocunq; nomine ſignata? Tot exautorati Tribuni; Centuriones, reliquorumque muniorum, etiam integris etiamnum viribus & annis, quibus recentes ſuccedant, nimirum ut duplicatis ſtipendiis modus exenterando ærario reperiatur? Plures ſanè ex omni hoc hominum genere invenias, quàm Lucullum habuiſſe leges in magnum Mithridatem, quàm Martium in utrumquePœnum duorum Scipionum victorem. Et quis poſt hæc non miretur ſufficere Principum Regumque æraria militi, qui purpuratorum hunc exercitum accuratè cenſere voluerit? O ubi vetus Roma? ubi magni olim Cenſores? Annon hodierno tempore cum præſentiſſimo ipſius militiæ, totiusque Imperii damno practicari videmus, quod cōtributiones ſive ſtipendia etiam eorum militum, qui in rerum natura non ſunt, vel aliter in Legionibus vel Regiminibus non completis jam dudum ante, morte vel aliter fuerunt deleta, vel etiam in acie nunquam viſa, ac propterea per hoſtem deriſa, petantur ſalaria, quaſi in iſta apocha promiſſa foret ſolutio jam diu defunctis, vel ſub vexillo non militantibus equitibus? Unde illa incommoda ſequi ſolent, quòd *milites in acie ſint nominales* (2) tantùm, apud ruſticos reales, & conſequenter, quando pugnandum, deſunt milites, quando à ruſticis contribuendum, abundant, ut dicit Chryſoſt. *in c. multi diſt.* 40. multi nomine, pauci opere: & perbellè ad propoſitum ſcribit Syneſ. *Epiſt.76.* quòd bellum manibus, non nominibus & numeris opus habeat: quibus inconvenientiis malisque, meo judicio, per exacta & continuanda armiluſtria non in paucis mederi poſſet & meritò deberet, *l. Duces militum. C. de Offic. militar. judic.* ne officiati in paucitate militum (ſiquidem plurimis ex iis deſideratis ſive defectis, pro omnibus tamen, ac ſi regimen completum foret, contributiones exiguntur & ſolvuntur) nimium ditèſcant, & miſelli ruſtici ad ſiccum panem depauperentur, ſatis hodiè depauperati, ut vix aut ne vix panem habeant, qua una ex re, quanti publicorum in re militari incommodorum cumuli exurgant, enumerari, nedum deſcribi ſatis poteſt. Premo conantem plura calamum, tacitæ lectoris conſcientiæ reliqua relinquens, ne quidquid totâ militiâ otioſorum petulantium & luxurioſorum, in me unum.

Cæterùm & Principes paſſim videmus dona profundere, & tanquam divitiarum hoſtes, divitias effundere, & in immerentes projicere; militariumq; ſtipendiorum magnitudine ærarium perdere. Verùm merita præmia depoſcunt. Fateor, promeritus miles eſt? auge dignitate, cui majus ſtipendium annexum, non auge ſtipendio, quem in eodem cum reliquo militari gradu deſtituis. Diſcatq; Romano more miles in digniore gradu auctius ſtipendium ſperare: ſed non creſcant ſtipendia amicorum precibus, gratiâ, alienâ commendatione: ne ille, qui ſanguinem ſæpè fudit, unico ſtipendio contentus cogatur vivere; ille, qui nunquam dedit, nullum hauſit ſanguinem, ignaviæ ſuæ præmia ferat. Dura omninò res, & in regnorum perniciem nata, cùm ſolâ amicorum gratiâ ad militaria promoventur munia, qui nullum ante ferrum in hoſtem ſtrinxerunt. Quis animus veteranis eſſe poteſt ſub his è ſchola & matris ſinu ductoribus? Quousque tam fatuis inhæremus? & quis non rideat leonibus lepores imperare, tauris damas?

Sed nobilitas his magna. O quoties incurrimus in hos ſcopulos! ergo quia nobiles, peritiſſimi ductores, fortiſſimi milites? & quia nobiles, prudentiſſimi Senatores, prudentiſſimi Conſiliarii, eloquentiſſimi Oratores; aut ingenita nobilitati prudentia, robur, conſtantia, vigilantia, fides, eruditio, eloquentia, rerum experientia? ab utero nimirum, & ubere?

Invaluit deniq; error non inferior, & conſuetudo augendi ſtipendia militi; etiam non militi. Et crevit adeò prodiga hæc munificentia, ut plus propè Regum Principumque æerariis in ſtipendiorum hæc incrementa, in liberales donationes, in alimenta, & extra militiã menſtrua aut annua ignaviæ fomenta, inque miniſtrorum ſupervacuum exercitum, quàm in pugnantem militem profundatur, ita fit, ut, quod quinquaginta militum millibus ærariũ ſufficeret, non ſufficiat millibus viginti quinque: cùm major pecuniæ pars ad jam memorata devolvatur. Remedium huic malo conveniens in manu eſt. Eget Rex vel Princeps bello ſeu inferendo ſeu propulſando, quinquaginta militum millibus; videat, quantum hîc pecuniæ opus ad conſueta militum ſtipendia, numerarique hanc viritim militi curet, menſibus ſingulis augere numerum: vult otioſorum ferè miniſtrorum menſtruos, annuóſve proventus favori, nobilitati, magnorum precibus vult concedere? nihil è deſtinatis militi ſtipendiis decerpat; ſed novo fiſco, aut ſanè è novè advenientibus hæc expleat, quæ nunquam deeſſe magnoRegi autPrincipi poſſunt, quæ licet magnam, non tamen in ærarium condenda; ſed muneribus aliiſque ſervanda. Prima ſemper militis cura ſit. Si quid etiam fors pecuniæ è deſignato ante militum numero ſupererit, in voluntariam regiam munificentiam, è quacunque cauſa natam impendatur, nec ante in hanc quàm expleta ſtata militaria ſtipendia. Hæc ferè Scribanius *lib. 1. Inſtit. Polit. Chriſt. cap. 42.*

ANNO-

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT XLVI.

Num. 2.

(1) L*Ampridium &c.*] *Cap. 52.* Ubi dicterium Alexandri Severi hoc profert, ſic: *Miles non timet niſi veſtitus, armatus, calceatus, & ſatur, & habens aliquid in Zonula: idcirco quòd mendicitas militaris ad omnem deſperationem vocaret armatum.*

Num. 4.

(2) *Milites in acie ſint nominales &c.*] Notandum hîc Capitaneos ſive alios Officiales, qui falſum numerum militum referunt, die blinde Namen haben/ & *qui efferment les ſoldats dens la bourſe*, & ſi ſtipendia intercipiunt, de Jure Civili condemnandos fuiſſe in quadruplum & dignitate privandos, *l. ult. §. & unum quemq; ducem C. de Off. præfect. Præt. Afric.* Conſtitutionibus verò Galliæ capite puniri, ſecundùm Ayalam *de J. & Offic. bellic. libro 3. capite 2*, & Petrum Pappum im Holländiſchen Kriegs-Recht *in Annot. ad art. 70. pag. 129.*

CAPUT XLVII.

Princeps numerum eorum, qui à tributis immunes ſunt, minuat, contra Ruſticorum privilegia augeat.

SUMMARIA.

1. Fraudes *immunitatum.*
2. Immunitates *compluribus indultæ adaugent onera pauciorum: proinde Exemptiones augendo ærario reformandæ.*
3. Immunem *cives oderunt; datum quibusdam beneficium, plebis injuria eſt.*
4. Privilegia *turbant Rempublicam, Principis vires enervant, ſeditionesq; commovent.*
5. Privilegia & exemptiones *infinitæ Nobilium & Eccleſiaſticorum ſubditis humilioribus relevandis & ærario exaugendo revocentur, Regum Caſtellæ Hiſpaniæq; exemplo.*
7. Conſuetudo *Imperii & Clericis uniformiter onera imponit.*
8. Clerici *omnia in ſaccum ſuum pertracta cupiunt: Et cœlum & orbem ſi poſſent, vectigalia facerent*, n. 9.
10. Avaritia Clericorum propria.
11. Venetiis *& in* Gallia *vetitum, ne clerici laicorum bona occupent: eoque non tam Clericorum immunitas, quàm laicorum limitatur poteſtas*, n. 12.
13. *In extrema Reipublicæ neceſſitate & difficultate ceſſant* privilegia & immunitates.
14. *Sentiant communiter ii* onera *in Republ. qui commodis communiter fruuntur.*
15. Plebis ruſticanæ *in Republica encomium, quæ levanda potiùs, quàm pluribus oneribus degravanda.*
16. Agricolæ *mitiùs collectandi, iisq; parcendum, ne agrorum cultura impediatur*, num. 17. & 19. *Quid hodiè fiat?* num. 18. & 20. 21. 22. & 25.
23. Agriculturæ *cura magni habita*, & num. 24. Cyri *lex de pace agricolarum revocanda*, & num. 27.
28. Immunitatibus *munerum maſculè contradicit Ægidius Thomatus.*
29. In neceſſitatibus *violari omnia privilegia, etiam Sacerdotum Fide potiſſimum vinci.*
30. Onera *æqualiter partienda, quod juſtitiæ diſtributivæ munus eſt*, n. 31.

Qui ſint immunes à cenſu, paucior eſto
Cœtus, Rex tribuat ruricolisque decus.

SUnt, qui Principes ad colligenda tributa ſemper excitant, &, cùm ad rem ventum eſt, immunitatem ſuis prædiis impudentiſſimè poſtulant. Quanquam & alio ſcelere hujus criminis infamiam redimunt. Nam in tributis colligendis id agunt, ut ſemper aliquid pro honorario Principis ſuperſit, quod deinde ipſis donatur, qui ex poſſeſſionibus vectigalia pependiſſe gloriantur. Multum itaque refert ejusmodi exemptiones non concedi. Neque enim unius onus in alios inclinare, & quod unus ſolvere tenetur, à cæteris exigere licet. Quocirca ſi Princeps quorundam importunitate urgetur, ipſe vel obligationem ſuam oſtendat, vel de privato patrimonio ſatisfaciat. Quando enim Immunitates pluribus dantur, *onera omnia in paucos transferuntur.* (1) Et tributorum immunitas ſuâ multitudine rem ipſam admodùm anguſtis terminis concludit; ut pauciſſimi exiſtant, qui publica agnoſcant & ſuſtineant munia: & priores contributiones aliquoties in duplo, triplo, aut quadruplo, imò etiam decuplo majores fiant: proindeque exemptiones reformandæ ſunt, *Nov. 43. de Officin. ſeu tabern. Conſtantinopolitanæ Urbis cap. 1. & 2.* Immunem cives odiſſe, & beneficium quibusdam datum, plebis injuriam eſſe, clarè oſtendit *tot. tit. C. de immun. nem. conced.* Guil. Forner. *1. ſelect. cap. 20.*

Immane, quantum nocumenti ejusmodi privilegia Reipublicæ afferant, vimque & nervos Principatûs incidant. Quid? quòd occaſionem & materiam ſeditionibus haud rarò præbeant? & ſubditos contra juſtitiam & Rempublicam arment? Volupe eſt privilegiariis, ſuper cæteros eminere; ſed ubique datur progenies vitioſior. Iſti de iniqua ſua ſorte queruntur; illi de ſua retinenda plus æquo ſunt ſolliciti. Illi cæteros, ut Clientes habere volunt; hi illos, ut

ut fratres cupiunt. Tanta affectuum diſparitas & pugnantium animorum concurſitatio, quid in Republica aliud, quàm indigeſta maleque cocta in ſtomacho colluvies? Vomitum videbis, ni oportunâ manu occurreris.

Ariadnæ ergo filo hunc Labyrinthum ingreſſi Principes, eodem duce egrediantur, & numerum eorum, qui à contributionibus exempti ſunt, quoad ejus commodè fieri poterit, minuant: Ac cùm Nobilium & Ec-
5 cleſiaſticorum, qui à Tributis immunes ſunt, immenſus plerumque ſit numerus, omnisq; ſarcina in tenuiorum humeros transferatur, privilegia immunitatum & exemptionum, quæ Monaſteriis, Eccleſiis, Nobilibus & aliis opulentioribus & ditioribus civibus conceſſa ſunt, ad ſublevandam Ærarii inopiam edicto revocent, uti à Johanne II. Rege Caſtellæ factum: quod edictum à Philippo II. Hiſpaniarum Rege Anno MDLXVII. renovatum fuit & confirmatum.

6 Sic & Ferdinandus & Iſabella, qui ſapientiſſimè Rempublic. adminiſtrarunt, Anno MCCCXCII. omnia privilegia exemptionum tàm per ſe, quàm per prædeceſſores ſuos variis Regni oppidis, & iis, qui illa ab hoſtibus receperant, conceſſa moderarunt & reſtrinxerunt, licet jure meritoque ob præclarè facta in illos collata: ſed ita facto opus videbatur, ne agrorum cultura negligeretur.

7 Sic quoque cùm generalis conſuetudo in Receſſibus Imperii fundata hactenus tàm Clericos, quàm Laicos contributionibus adſtringat, non ſunt ferendi Clerici, qui commodis & lucris locorum inhiantes, omnia
8 in ſaccum ſuum pertracta cupiunt. *Gail. 1. obſ. 25. n. 3.* (2) Farinac. *in praxi crim. lib. 2. q. 60. n. 13.* (3) adeòque totum orbem, ipſumque cœlum cum Sole tributarium faciunt, juxta illud Conradi Celtis, primi Ger-
9 maniæ Poëtæ, *lib. 2. Amor. eleg. 9.*

Inde ſuis miſeris nova vectigalia ſcribunt,
Penſantes cenſu cuncta elementa ſuo.
Hi cœlum, & nitidum poſſent ſi prendere Solem,
A cenſu liber non foret ille ſuo.

10 At onera detrectant, hacque ratione ſuam ſibi quaſi propriam avaritiam produnt. Unde & *SCto Veneto vetitum*, (4) Eccleſiaſticos immobilia accipere aut acquirere, ne
11 prodigæ & cœcæ pietatis prodigalitate, laicæ poſſeſſiones annorum ſucceſſu ad monachos aliosque à Clero diverterent: quos data immunitas, aliaque privilegia inutiles Reipublicæ dudum fecêre; ſi cuncta ſola poſſideant, exitioſos; vacua ſolitis tributis Respublicæ & ærario horreisq; publicis nullo vectigali ad bellum & annonam ceſſantibus Moriſot. *in Henrico M. cap. 13. Quod & in Gallia* (5) Lege regiâ pariter conſtitutum Illuſtriſs. Præſes Thuan. teſtatur *lib. 3. hiſtor. ſui ſeculi fol. 59. verſ. inter ea pontificia mandata* nec non in Camera Imperiali, aliquoties ita obſervatum, eoque non tam Eccleſia- 12
ſtica imminuta libertas, quàm ſubditorum limitata poteſtas, Gail. *2. obſ. 32. n. 5. 6 & 7.* Bocer. *de collect. c. 11. n. 22.* Vide Me *tract. de Contrib. c. 12. n. 136. & quàm plurimis ſeq.* 13

Ea propter in ſumma ac extrema Reipublicæ difficultate, omnes Immunitates & privilegia ceſſare, ait Fridenreich *pol. c. 28. f. 170* Nec ferendum eſt, *ut ob exemptionem aliquorum alii prægraventur.* (6) Nam ſi minutatim & pariter in omnes diſtribuantur onera, non ſolùm paululum erit, quod præſtitum fuerit, ſed etiam tantò moderatiùs, leviùs, tolerabiliùs, faciliúsve, quod confertur, exiſtet, quando à plurib. colligigetur. Parciora itaq; ſint privilegia, ne illorum frequentia aliis ſubditorum ſit relaxatio, aliis afflictio
2. Cor. 8. v. 13. ne Princeps hos premat, illos 14
ſublevet: hos pauperet, illos ditet. Eſt enim ſecundùm naturam, ut qui commoda ſentit in Republica, etiam pro ratione ratæ onera 15
ſuſtineat. Contrà, quia plebs ruſtica præſtantiſſima pars eſt Reipublicæ, utpote quæ illam nutriat & conſervet, & ex cujus labore & induſtriâ univerſa Provincia ſuſtentetur; illam quibusdam utilibus & neceſſariis privilegiis donare convenit: abſurdumque foret, propriis manibus laborantes homines, uxores & liberos alentes & reliqua vitæ neceſſaria labore acquirere ſatagentes, etiam majorib. onerare tributis & vectigalibus. Quo reſpe- 16
ctu & Aratores, qui alienos agros colere, nō ſuos conſueverunt, mitiùs, collectandos eſſe cenſet Lath. *lib. 1. c. 6. n. 19.* Et *in mediis etiam bellis agricolis parcendum*, (7) &, ne agrorum 17
arationi noceatur, providendum, monet Xenoph. *lib. 5. pædia Cyri.* At nunc agros nō modò tempeſtas & bellum, ſed maximè one- 18
ra civilia faciunt ſteriles; nonnullis in locis depaſcuntur eos greges Cervorum, in aliis miles amicus, ſed cōcuſſor, in plurimis & tributa; ita ut colere non libeat. Quo reſpectu 19
Symmachus agros cultore vacuatos & feſſos, onere munerum publicorum judiciariâ authoritate refovendos eſſe, ſcribit *lib. 1. Epiſt. 37.* Imò ipſi ruſtici tributorum magni- 20
tudine compulſi ſterilitatem mentiuntur, quò declinent fidem cenſuum & exactores evitent, uti factum colligimus *ex l. quisquis 2. C. de Cenſibus l. 11. tit. 57.* Quæ verò cura fuerit agrorum, ſi melior putatur ſterilitas, quā crudelitas lavernionum & gryphorum, malo, ſed ſpecioſo jure graſſantium? Hinc *leg.* 21
qui gravatos 5. & leg. Peræquatores 6. C. de cenſib. & cenſit. & peræquat. lib. 11. tit. 57. benignè ſuccurritur miſeris. Bellis civilibus magna etiam cura agricolarum habita, ſed poſteriora tempora omnia in pejus 22
vertêre. Quin & ante Cyrum eâ humanitate uſi ſunt Reges, Nebuzardan Præfectus Babylonii Regis vinitores & agricolas 23
reliquit. Indorum quoque eam fuiſſe conſuetudinem auctor eſt Arianus *lib. 5 de reb. Alexandri.* Diodor. Sicul. *lib. 2. cap. 10.*

Sunt enim tàm victori, quàm victo neceſſa-
24 ria opera agricolarum. Hoc verò genus hominum nunc omnium primò prædis objicitur. Quocirca ad belli rumorem annonæ caritas creſcit: Agricolæ neceſſita-
25 te compulſi ipſi quoque mutatam (ut loquitur Simocatta *Epiſt. 80.*) fortunam circumſcribunt, & ad bella, vel latrocinia ſeſe convertunt.

26 Revocanda lex antiqua de pace agricolarum, quam Cyro tribuit Xenoph. *lib. 5. cap. 34. Cyropædiæ.* Quum ad animum Cyro accidiſſet futurum, qui ad ſe defecerant, quòd à Babylone non procul remoti eſſent, miſerè affligerentur, niſi præſens ipſe ſemper adeſſet; non ſolùm eos, quotquot ex hoſtibus dimittebat, Aſſyrio dicere juſſit, ſed miſſo etiam caduceatore denunciavit: ſe paratum, ut agricolis parceret, nullàque hos afficeret injuriâ, ſiquidem & ipſe illorum, qui ad ſe defeciſſent, agricolis permiſſurus eſſet, ſuas ut operas facerent. Actu quidem, *ait*, etiam ſi prohibere poſſis, non niſi paucos prohibebis: quòd eorum, qui ad me defecerunt, exiguus ſit ager: ego verò permitterem amplam tibi ditionem cultam eſſe, jam eo tempore ſi bellum fuerit, is, qui potentior eſt, hos meâ ſententiâ colliget: ſin pacem iniverimus, tu ſcilicet id facies. Quòd ſi quis vel meorum adverſus te arma ſumpſerit, vel tuorum adverſus me: in hos, *inquit*, pro virili uterque vindicabimus. Cum his mandatis caduceatorem ablegavit. Aſſyri verò, quum hæc audiſſent, omnia movebant ad perſuadendum Regem, ut hæc admitteret, ac quàm minimum belli reliquum faceret. Aſſyrius verò, ſive genti ſuæ obſequutus, ſive quod idem & ipſe vellet, hæc comprobavit.
27 Itaque pactis initis convenit, ut cum agricolis pax eſſet, cum armatis bellum. Hæc igitur de agricolis Cyrus perfecit, jumentorum paſcua, ſuos, ſi vellent, in ditione ſua collocare juſſit, hoſtium verò ditionem populari undecunque poſſent, ut militia ſociis jucundior eſſet. Nam tametſi commeatus nullus pararetur, tamen eadem pericula propoſita erant, at ipſam militiam leviorem efficere videbatur, quòd ex hoſtium regione annonas haberent. Vide omninò Greg. Tholoſan. *lib. 3. de Repub. cap. 9. in fin.* ubi ait, ſi quidam releventur à tributis, partem illam, quæ ab illis ſolvi & exigi deberet, transferendam in partem fiſci, perinde ac ſi exacta eſſet, potiùs quàm imponatur aliis, qui partes ſuas ſolvunt, ne aliorum tributo ſuperonerentur.

Itaque odioſis iſtis munerum immunitatibus, quæ in paucorum levamen, in mul-
28 torum verò civium gravamen redundant, vitam & ſpiritum parmis ferocioribus, ſed veracioribus ſtipatus, Ægidius Thomat. *tractat. de Collect. pag. 647. & ſequentib.* ſubtrahere conatur. Conatus herclè maſculus!

Ultimam penſionem pecuniæ collatæ 29
in bellum Macedonicum perſolvi placuerat privatis. Etenim quodammodò ſatius eſſe, quanquam in ſumma ærarii penuria, fidem publicam unicuique Reipub. mutuanti & opitulanti conſervari, quàm hoſtem vincere. Igitur Quinto Fabio Labeoni & L. Aurelio, Quæſtoribus Urbanis viſum eſt, ab omnibus Pontificibus hanc pecuniam exigi, melius commodiusque eſſe, quòd ſtipendium hoc toto bello non contuliſſent, quàm à reliquis civibus, quorum jam magna pars par oneri ferendo eſſe deſiiſſet. Itaque ſumma cum Flaminibus, Auguribus, Saliis, Fæcialibus, aliiſque Pontificibus contentio atque altercatio fuit, dum hi antiqua ſua ſacroſancta privilegia & immunitates vel à Numa primiſque Conſulibus itentidem repeterent: Quæſtores ex adverſo juberent eos Neceſſitatem accuſare; Cæterùm aut conferre, aut mulctam pati. Ergo Tribunos Plebis appellarunt. Tribuni pronunciarunt, SACERDOTES NEQUICQUAM APPELLASSE; omniumque annorum, per quos non dederant, ab iis ſtipendium exactum eſt. *Ærod. (8) lib. 8. rer. judic. tit. 14. cap. 2.*

Cæterùm ea, quæ hactenus dicta ſunt, ita accipi velim, ne diſtributivæ juſtitiæ munus, quod potiſſimùm in oneribus æqualiter partiendis conſiſtit, ejuſque vis planè ener-
vetur. Nam & ad juſtitiæ adminiſtratio- 30
nem privilegia pertinent, vacationes & immunitates ſubditis à Principe, ut perpetua eſſent meritorum in ſe teſtimonia, conceſſa. Licet ergo in caſu extremæ Neceſſitatis his non integrè uti frui liceat, ſi tamen omnes eodem jure cenſeantur, & ad onera vocentur, certum eſt, injuriam fieri ei, cui ſuis meritis acquiſita immunitas abſque cauſæ cognitione, legitimaque dijudicatione eripitur, elevari authoritatem judiciumque ejus qui conceſſit, violari religionem & fidem ejus, qui juramento firmavit, omnibus denique ad calida, callida & abrupta conſilia ſtimulum addi, iis præſertim in regionibus, quarum incolæ non minùs publicam rem, quàm privatam, curæ habent. Ideoque ma-
gnæ prudentiæ eſt, in Principatu ſive Repu- 31
blica rectè adminiſtranda accuratam utilitatem, honorum atq; etiam onerum æqualiter partiendorum rationem habere, quod juſtitiæ diſtributivæ munus eſſe diximus.

ANNO-

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT XLVII.

Num. 2.

(1) O*Nera omnia in paucos transferuntur, &c*] Locus Bodini *lib. 6. de Republ. cap. 2. pag.* 660. hujus eſt loci, quando ſcribit de ſuis Gallis: Sed hoc cæteri quidem populi à nobis differunt; quòd illi tributa Nobilitati ac locupletibus imperant, tenues proletarios excuſant, noſtris verò moribus aratores ac tenues tributorum pondere premuntur; nobiles ac locupletiſſimi quique à tributis aut immunes ſunt, aut immunitatem honorum ſpecie adipiſcuntur. Neque id tantùm, ſed locupletiores quasque Urbes munerum vacatione excuſant, ut aratores, pecuarios & opifices tributis onerent: ſic enim Athenienſes adverſùs ſocios ſe geſſerunt; & cùm ex fœdere ſexaginta talenta ſociis omnibus ex æquo indicta fuiſſent, Athenienſes auctis vectigalibus ac tributis mille ac ducenta auri talenta (720000 *Coronati*) ſociis quaſi ſummo Jure Majeſtatis imperaverunt. Et quidem Themiſtocles Dux Athenienſium cum ab Andriis ſociis tributum exigeret, Deos potentiſſimos *Vim* & *Amorem* ſe afferre teſtatus, ab Andriis reſponſum tulit, duobus his potentiores ſe habere Deos, INOPIAM, inquit & NECESSITATEM. Verùm quod rectè monet Fragoſius *de Regim. Reipubl. Chriſtianæ, part. 1. lib. 3. Diſp. 8. n. 10.* quò juſtum ſit Tributum & in foro Conſcientiæ debeatur, inter alia requiritur, ut commenſuretur cum cauſa, ob quam imponitur, ita ut non excedat neceſſitatem præſentem, & *ſervetur in eo æqualitas inter perſonas tributo gravandas*, ne pauperes tantum tribuant, quantum potentes, niſi tributum ſit modicum, & in minima quantitate exigendum pro bono publico, æquè ad omnes pertinente. Quod ſi bonum, propter quod imponitur, ad aliquos præcipue, puta mercatores ac divites, utile ſit, ipſis præcipuè competit concurrere, hoc gravari. *Hæc ille.* Verùm ut Equus ille Æſopicus, cùm partem oneris ferre recuſaret aſino ſuccumbente ac pereunte onus integrum perferre coactus eſt: ita haud raró, cùm miſera plebis aſſiduis oneribus gravata ſuccumbit, onus integrum in eorum humeros, qui antea immunes erant, rejici oportebit. Confer Berneggerum *in Quæſt. Polit. in Taciti Germaniam & Agricolam quæſt. 174.*

Num. 8.

(2) *Gail. 1. Obſ. 25. n. 3. &c.*] Ibi: Quò, *inquit*, pertinet doctrina Baldi *in l. 1. C. de oper. libert. n. 3.* ubi dicit: Canoniſtas omnia ad ſuum imperium, & ſua molendina trahere velle, &c.

(3) *Farinac. lib. 2 quæſt. 60. n. 13. &c.*] Ibi Clericorum oculi ſolent obcœcari, quando ſuis (ergo multò magis quando ſibi ipſis) favere volunt, ſecundùm Gl. *in c. pervenit. 1. quæſt. 3.* &c.

Num. 10.

(4) *SCTo Veneto vetitum &c.*] Ut ſemper Jeſuiticum Sodalitium aliquid parturiret novi, Anno MDCVI. Venetis non parvas excivêre turbas. Illi leges quasdam Majorum renovarant, quibus cavebatur, ne liceret absque Senatûs ſuffragio, templa nova aut cœnobia ſtruere, neu clericis fundos donare, aut ſtabilia bona. Miſerant & in carcerem nonnullos ſacerdotes flagitiis infames. Jeſuitæ hoc accuratè, ut omnia, qui ſedulò rimabantur Reipubl. arcana, ad Claudium Aquavivam, Ordinis ſui Rectorem perſcripſerant. Clemens quidem VIII. ea pro ſua moderatione diſſimulaverat; at Paulus V. animi vehementioris Pontifex abrogare Venetos leges juſſit, renuentes cum univerſa ditione ſacris interdixit. Plerique tamen Eccleſiaſtici fulmen id Pontifices, ut indictâ causâ adverſus innocentes vibratum, contemnentes, ſacrum minimè intermiſerunt. Jeſuitæ contrà, non tantùm dicto audientes Pontifici, ſed & propugnatores crudelis ſententiæ facti, in alia commigrarunt loca. Variis utrinq; & aculeatis certatum eſt ſcriptis Baronio & Bellarmino inter alios pro hero ſuo Pontifice, Franciſco Paulo Servita & Johanne Marſilio pro ſtatu Veneto dimicantibus. Conſcriptis utrinque copiis, Rex Hiſpanus auxilia Pontifici, Hollandi Venetis obtulêre. Nam & factio Hiſpanica Romæ potens, diſſidii hujus fax eſſe putabatur. Tandem verò interventu Galliarum Regis (*Henrici IV.*) reperta reconciliationis via, ſi captivos traderent Veneti, legumque executionem nihil ultra patrum inſtituta extenderent. Ita revocatæ à Paulo diræ, Jeſuitis Veneto territorio interdictum, haud exiguo Ordinis præjudicio. Cluverus *Epiſt. Hiſtor. pag. m. 761. ſeq.* ex Thuano *lib. 137.* Anton. Mauro *Hiſtor. Venet.* & Julio Cæſare Bulengero *lib. 12. Hiſtor.* ſcribit. Adde Joh. Læti *Compend. Hiſtor. Univerſ. pag 446.* Epiſtolas quatuor clariſſimorum Italiæ JCTorum, quibus Juſtitia cauſæ Venetæ, Pontificiæ cenſuræ nullitas ac belli incommoda proponuntur. Abraham Bzovium *in Vita Pauli V. Pontif.* Petrum Matthæum *Hiſtor. Franciæ Tomo III. lib. 2. pag. 57. ſeqq.* &c.

Num. 11.

(5) *Quod & in Gallia &c.*] Confer Wurmſerum *Exercit. Juris Publ. 5. quæſt. 23. p. 229. m. ſeq.* Dn. Lindenſpür *ad Ordinat. Wurtenberg. pag. 81. ſeq.* & Henricum Bruning *de var. Univerſ. ſpec. 6. 55.* qui omnes talia ſtatuta, ne bona in Eccleſiaſticos alienentur, utpote optimis rationibus ſubnixa, valere probant.

Num. 13.

(6) *Ut ob exemptionem aliquorum alii prægraventur &c.*] Quod præceptum, ſimulque præcepti rationem unam Mæcenas etiam adducit *in Oratione ad Auguſtum apud Dionem lib. 52.* Juſtum æquumque eſt, *inquit*, neminem ſubditorum, neque privatum hominem, neque populum à vectigalibus immunem eſſe, cùm ad omnes ex æquo utilitas eorum, in quæ inſumuntur, redeat,

Num. 18. ſeqq.

(7) *In mediis etiam bellis agricolis parcendum &c.*] Vide ſuprà hujus libri caput 1. *n. 54. ſeqq.* (*63. ſeqq.*)

Num. 29.

(8) *Ærod &c.*] Ex Livio *lib. 33. cap. 28.*

CAPUT XLVIII.

Subditi Bello vel alia Fatali Calamitate attriti, profugi, exules, & extorres, bello confecto in Provinciam revocandi; prædiaq; & agri deſerti in cenſum redigendi.

SUMMARIA.

1. Subditi *attriti, exules, profugiq; revocentur; mutatis in melius temporibus, ſua reviſant, colantq;.*

2. *Initium hac revocatione fiat non ab* infirmioribus, *ſed grandioribus, opulentioribusque.*

3. *Quod* Magnates *à patria abſunt, patitur inde damnum commune; Patria deſerta relinquitur, & ipſi ſua peregrè conſumunt: florent contrà, reparanturq; cum illorum reditu omnia,* num. 4.

5. Curialis, *rure in fiſcum delato, in quod relicta civitate ſua ſe contuliſſet, privabatur.*

6. Cives *reparare domos, quas in Civitate habent, coguntur, aut ædificare de novo.*

7. Militum *hac ætate rapacitas & crudelitas deteſtanda.*

8. Deſertores agrorum, *exules, abſentes, vagabundi, & de quorum vita & morte dubitatur, unà cum creditoribus, & illis, quorum intereſt, per edictum citandi. ut compareant, fundos reſtaurent, & de ſuo Intereſſe doceant* num. 9.

10. Domino ſuperiori *integrum eſt, agrorum deſertores poſſeſſione privare: operas metallicas promovere, & ne fraus committatur, inſpectores ordinare, hoc* & num. 11. & 12.

13. *Effectus* Citationis Edictalis.

14. *Quando ignoratur, utrùm quis vivat vel mortuus ſit,* Curator *à Magiſtratu bonis dandus: & quidem judicis arbitrio,* num. 16.

15. Cura *hac ſolet dari agnato proximiori, qui, ſi abſens eſſet mortuus, ei ſuccedere ab inteſtato poſſet; aut alicui ex Creditoribus, quorum intereſt.*

17. Abſens *per XX. annos præſumitur mortuus,* & num. 18.

19. *Eo ipſo, quòd quis non ampliùs videtur, neque quicquam nuntii de eo auditur, pro* mortuo *habetur: maximè, ſi periculoſam peregrinationem ſuſceperit,* num. 20.

21. Belli *conflictum ingreſſus, nec poſtea viſus, præſumitur mortuus.*

23. Centum *annos quis vivere præſumitur: Contrarium,* n. 25. 26.

24. Allegans mortem *alicujus, eam probare tenetur.*

27. Terrentia CXVII. *annos,* Clodia CLV. Zoſimus CXX. Argentonius CXXX. *vixiſſe creduntur.*

28. Epimenides Gnoſius CLVII. & Johannes de Temporibus *Caroli Magni miles & armiger CCCLX annos ſuperavit.*

29. Curator *bonis abſentis datus tenetur ſatisdare, ſicut alius quilibet, habens bonorum adminiſtrationem.*

30. Captivus *cenſetur deceſſiſſe, ex quo captus eſt.*

31. *Diverſa eſt ratio* abſentis, *uti judicatum in Curia Pariſienſi,* n. 32.

33. Mortis probatio *ſolis indiciis contenta eſt, niſi cùm mors eſt fundamentum intentionis.*

34. *An elapſo* termino Citationis *dilatio ulteriùs indulgenda, ita ut illi, quorum intereſt, adhuc comparere, & de ſuo intereſſe docere poſſint; Et quid* Magiſtratui *hoc caſu agendum, ubi multæ ſingulares, ſalutares ac notatu dignæ Cautelæ ab authore ſubminiſtrantur,* n. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. & 45.

Cladibus attritos bellorum Edicta per Aulæ
Extorres revocet Rex, jubeatque domi
Sedibus in patriis proſcindere vomere terram;
Ni faciant, cedunt prædia licta Duci.

Ut populus incrementum capiat, & ærarium locupletetur, neceſſarium eſt, ut Regni finibus non excedat, & commercia cum exteris prohibeantur, quæ iſtud deſtruunt. Præterea neceſſe eſt, illum è locis, ubi ſuperat, in loca vacua derivare: atque in hunc finem, ſi Patriâ bello exhauſtâ, vel per invaſionem novi Tyrannelli priſtinis moribus exutâ, Subditi, Religionis cultum aliámve juſtam cauſam, beneficio emigrationis uſi ſint, mutatis in melius temporibus, revocare, iiſque præcipere, ut lares proprios reviſant. Licet enim habitationum mutatio libera & ſpontanea ſit, tamen ingruente neceſſitate, & cùm publicum regimen reſtaurandum eſt, victori & vero Domino liceat præcipere, ut unusquisque ad ſuos penates revertatur, & provinciam incolat, in qua natus eſt, vel ante hac larem fortunarum ſuarum fovit. 1

Ut hoc efficiatur, non utique exordiendum eſt ab infimæ ſortis hominibus, ſed à Magnatibus, Nobilibus Vaſallis, & Civibus opulentioribus, qui tenuioribus ſuccurrere poſſunt, proindeque Edictis ſub pœna præſcriptionis vel publicationis bonorum ad proprios penates revocandi ſunt, ne oppida & alia loca, quæ incolere ſolebant, quæque ab iis emolumenta ſua hauriebant, deſerantur. Nam illi, quibus nulla eſt rem familiarem ſuſtentandi copia, niſi ex ſubſidio aliorum, ſi quando illo fruſtrati fuerunt, coguntur patriæ ſuæ valedicere. Atque ita, quod opulentiores alibi hærent, bonum pulchrum dupli- 2 3

cem

cem patitur jacturam; nam & potentio-
3 res, nobiles, & ſimiles in exteris & diſſitis locis opes ſuas inutiliter profundunt, & provinciæ habitatoribus ſuis exinanitæ ſenſim deſertæ redduntur.

Hoc pacto & Domini penitus noſcent Vaſallos ſuos, eosque amabunt, iis auxilio futuri in ſuis miſeriis, & ſubditi à Dominis ſuis adjuti, diligentiùs culturæ agrorum
4 incumbent, & omnium rerum abundantiam promovebunt, Provincia incolarum incrementum accipiet, tàm ab iis, qui Magnates miniſterii causâ ſequuntur, quàm illis, qui, ut ſe ſuſtentent, vitam licentiæ & diſcriminum plenam amplectuntur.

5 Antiquitùs ſi civitatis cujusdam curialis, id eſt, in numerum magiſtratuum relatus, Civitatis immemor, rus habitandi causâ ſe conferebat, eò, quòd ob ruſticanum fundum civitatem contempſiſſet, fundo privabatur, qui Fiſco ſive Ærario quærebatur, *l. 1. C. de decurionib. l. unic. C. ſi curialis relict. civ: rus habit. mal. lib. 10.* Et exiſtimati impii, qui patriam contempſerint, potiſſimùm qui perſonam in ea gerunt publicam. Nec civis probè dicitur,
6 ſi unitatem illam civitatis, à qua civis eſt, curare recuſet, etſi inde ſeorſum ſecedat. Ea propter & Cæſares in Curiales & cives præclaram hanc legem ſtatuerunt his verbis, *in l. ſingularum 8. C. de ædific. privat. lib. 2. tit. 10. ſingularum Urbium Curiales, etiam inviti, vel reparare intra Civitates, quas olim habuerunt, domos, vel de novo ædificare cogantur, illic ſemper muniis inſervituri, & aucturi propriarum frequentiam civitatum. Poſſeſſores verò, qui non erunt curiales in urbibus, in quibus domos poſſident, easdem domos dirutas neglectasque reparent, judiciariâ ad conſervandum hoc*
7 *præceptum authoritate retinendi.* Hacce Bellone ſævientis ingraveſcentisque mundi ſenectâ, quâ militaris diſciplina laxatur, militesque tàm amicos & neceſſarios, vel conjunctiſsimos, quàm hoſtes crudeliter tractant, opesque illorum promiſcuè diripiunt, vaſtant & deprædantur, adeò, ut de exulum & abſentium Subditorum vita & interitu ſæpenumero dubitare contingat, haud abs re fuerit, profugos & extorres poſſeſſores, ſeu potiùs deſertores agrorum unà cum Creditoribus radicatum & attentibile intereſſe prætendentibus,
8 per generale Edictum vel Proclama peremptoriè citare, ut intra ſemeſtre coram Principe vel Magiſtratu loci compareant, ſeſeque legitimè habilitando excuſent, mediaque, quibus ager coli, & reuſtaurari, tributa aliaque onera realia & perſonalia fundo inhærentia in poſterum dependi poſſint, proponant.

Citatione hâc edictali & aliquali cauſæ cognitione præviâ, Magiſtratus tutò & ingenioſè, ſi Subditi non compareant, bona derelicta Fiſco addicere, aliisve, remiſſo præterito Canone, tolerabilibusq; conditionibus elocare, alióve modo in cenſum redigere poterit, ne Provincia ſterilis incultaque relinquatur. Ita namque in cauſa neceſſitatis per edictum & publica proclamata citari poſſunt vagabundi, non habentes certum domicilium, & de quorum vita vel morte dubitatur, nec non creditores in diverſis locis habitantes, & omnes, qui ſuâ intereſſe & ibi loci aliquid juris habere putaverint, ut ſcil. ad certum tempus, terminumque præfixum compareant, fundos reſtaurent & incolant, creditumque ſuum liquidando deducant, ſub comminatione perpetui ſilentii, Gail. 1. *obſ. 56. & 57* Blarer. *in l. diffam. C. de ingen. manumiſſ. c. 6. n. 53. & ſeq.* Author *præjudiciorum Cameralium lit C. verb. Citatio per Edictum.* 9

Sic & olim agricultores puniebantur, & agris à ſe deſertis privabantur, *l. quicunque 8. C. de omni agro deſert. ib 11.* Menoch. *recup. remed. 13. n. 76. & ſeq.* Heig. *1. q. 13. n. 51.* Eademque de cauſa conſtitutum eſt, ut qui non gnaviter operas promovet metallicas, ſed eas incultas jacere permittit: Item qui non ſolvit, quod pro operis debet, commodo fodinarum privetur, Heig. *d. loc.* Et ſi Dominus neglexerit in fundo ſuo metalla, lapidesq; majores diligenter quærere, Princeps permittere poteſt alteri, ut ea inveſtiget, & in publicum uſum extrahat, quod ita communiter obſervatur, & à Paulo Caſtrenſi *in l. divortio §. ſi vir ff. ſolut. matrimon.* docetur, quem reliqui ſequuntur, per *l. cuncti & ibi* gl. *in verb. fiſco l. quosdam. & ibi* gl. *C. de metall. lib. 11.* Peregrin. *tract. de jure Fiſci tit. 2. de theſaur. & metall. n. 14. l. 4.* Farinac. *in prax. crimin. qu. 104. inſpect. 2. num. 50.* Roſenth. *de feud. cap. 5. concluſ. 90. num. 1. & 2.* Quod enim hac in parte iniquum eſſe videtur, publicâ utilitate compenſatur, & mulctanda etiam erit negligentia ejus, qui, cùm potuiſſet ſine damno, vel certè ſine magna jactura, in commune prodeſſe, id facere recuſavit. 10 11 12

Effectus hujus admonitionis ſive citationis Edictalis eſt, quòd perinde citatum ad comparendum arctet, atque perſonalis citatio, & quòd non comparentem reddat contumacem, inque contumaciam moniti jus in ipſa re conſtitui poſſit. Gail. *d. obſerv. 56. num. 6. & obſerv. 57. num. 12.* Cöppen. *2. pract. obſ. 99. num. 7.* Weſemb. *in parat. ff. de in jus vocand. num. fin.* 13

Quo ſcopo, quando ignoratur, ubi aliquis ſit, *neque ſcitur, utrum vivat, an mortuus ſit,* (1) quamvis non poſſit adiri ejus hæreditas, tamen cognatorum ab inteſtato venientium partes eſſe, ut poſtulent à Ma- 14

giſtratu, *Curatorem ipſius bonis dari*, (2) docent Gl. & Bald. *in l. 3. C. de captiv. gl. ordinaria in l. hoſtibus in princ. ff. ex quib. cauſ. major.* Gl. & Bart. *in l. 2. ff. de cur. bon. dand.* Speculat. *in tit. de jur. §. reſtat. verſic. id er-*
15 *go.* Alexand. *conſil. 4. numer. 4. vol. 2. & conſil. 221. conſideratis vol. 6. ubi ait*, illos eoſdem eſſe Curatores dandos, qui darentur furioſis, id eſt, proximos agnatos, *§. furioſi Inſtit de Curat.* Angel. *conſil. 103. datus fuit. & conſil. 193. mortuo num. 2. & 3. ubi allegat l. debitor. ff. de negot. geſt. l. 1. §. fin. ff. de muner. & honorib.* Anton. Faber. *in Cod. deciſ. for. lib. 3. tit. 25. famil. erciſcund. defin. 5. num. 4. per l. 2. ff. de curat. bon. dan. l. 7. §.*
16 *planè ff. ex quib. cauſ. in poſſeſſ. eat.* Quanquam etiam *Curator dari poteſt à judice ipſius arbitrio* (3) ut ait Bart. *in d. l. 2. poſt* gl. *ff.*
17 *de cur. bon. dan.* Dec. *conſil. 575. in caſu, n. 1.* Quamvis verò is, qui per viginti annos abſens fuit, præſumatur mortuus, Bald. *conſil. 90. maritus. num. 2. vol. 2.* quem rectè refert & probat Cravett. *conſil. 127. in Conſil. 74. num. 15.* Et Bartolus in fortioribus terminis contendat; quòd ſi per mundum vagari cœperit juvenis, & per quinquennium nil de ipſo auditum, aut cognitum fuerit, mortuus præſumi debeat, *tract. de te-*
18 *ſtib. §. mortuum hominem num. 39.* quem refert Campeg. *in ſuo tract. de teſtib. reg. 330. Octavo & num. 352.* & ſequitur Alex. *conſil. 4. col. 5. verſ. fortiùs dicit*, Barth. *vol. 4. Cui accedit* Cephal. *conſil. 65. num. 44. vol. 1.* Maſcard. *de probat. concl. 1077. n. 5. fol. 511.* Cæpolla *conſil. 32. num. 4. vol. 2.* Joan. Bapt. Aſinius *in praxi part. 2. §. 1. cap. 20.* E-
19 leganter M. Anton. Peregrin. *tract. de fidecommiſſ. art. 43. num. 44. fol. 673.* Imò eo ipſo, quòd quis ampliùs non videtur, neque
20 quidquam nuncii de ipſo auditur, pro mortuo numeretur, Bart. *in l. & ſi certus §. ſi vivus. ff. ad Syllan.* Et præſertim, ſi periculoſam profectionem ſeu peregrinationem ſuſceperit; veluti (inquit Bartolus) per mare, vel peſtilentem civitatem, vel exercitum. Idem Bart. *in l. 2. §. ſi dubitetur. ff. quemad. teſtam. aper.* Hotoman. *conſil. 82. n. 8.* Vivius *deciſ. 243. num. 7.* Magon. *deciſ. Lucenſ. 44. num. 4.* Sicut & belli conflictum ingreſ-
21 ſus, nec poſtea viſus mortuus exiſtimatur, adeò ut ejus hæreditas poſſit adiri, Bertrand. *conſil. 48. num. 1. vol. 3. part. 1.* Aſin. *in prax.*
22 *part. 2. §. 1. cap. 3. & cap. 19.*

Attamen huic præſumptioni & aſſertioni præciſè ſtandum non eſt, cùm exſtent exempla in contrarium, ut etiam ii, qui mortui putabantur, poſt viginti vel quadraginta annos vivere viſi ſint redeuntes, prout teſtatur Menoch *lib. 6. præſumpt. 49. n. 28.* Simon de Prætis *lib. 5. de interpret. ul-*
23 *tim. volun. dub. 4. & ult. num. 160. fol. 115.* Cùm etiam quis ad centum annos vivere præſumatur, Menoch. *lib. 6. præſumpt. 49. num. 2.* adeò ut mortem alterius allegans probationis onus ſuſcipere cogatur Weſem. 24
conſil. 11. num 40. Erneſt. Cothm. *conſil. 48. n. 8.* Magon. *d. Deciſ. Luc. 44. n. 12.* Hercul. *de probat. negat. n. 290. verſ. hic tamen.*

Recepta tamen magis eſt ſententia, *ne quidem præſumi hominem metam centenalem attingere* (4) Anton. Gabriel *in comm.* 25
concl. tit. de præſumpt. concl. 16. n. 3. Coraſ. *5. miſcellan. 8. num. 2.* Covarruv. *2. variar. reſolut. 7. n. 6.* latè Menoch. *d. præſumpt. 49. num. 2. & præſumpt. 51. num. 66. 83. & ſeq.* Petr. Gilken. *ad l. fin. C. de SS. Eccleſ. num. 19.* Camerar. *in Meditat. Hiſtor. lib. 2. cap. 12. & lib. 2. cap. 68.* Quæ SS. Literarum teſtimoniis magis amica. Dies enim noſtri 26
inſtar palmæ poſiti, & tanquam nihilum, inquit David *Pſalm. 39. verſ. 6.* Anni noſtri ſunt, ſicut Fabula: Dies annorum noſtrorum in ipſis, LXX. anni, *Pſ. 89. v. 10.* Eccleſiaſtes *10. v. 8.*

Nec enim eſt, ut quis hodiè ſperet ætatem Terentiæ, quæ fertur annis CXVII. vixiſſe; aut Clodiæ, quæ CLV. ſuperavit: aut Zoſi- 27
mi, quem Juſtinianus CXX. annum agentem animi virtutibus & corporis operationibus ait polluiſſe *Novell. 5. cap. 2. §. 1.* vel Argentonii, qui A. LXXX. regnaſſe CXXX. (qui ferè dies Peregrinationis Patriarchæ Jacobi fuerunt) vixiſſe creditur. Multò verò minùs ſomniabit quis Epimenidis Cnoſii 28
CLVII. annos; aut Johannis de Temporibus ætatem, qui Caroli M. quondam miles & armiger, annos CCCLX. *ſi credere fas*, (5) exceſſit Coraſ. *d. c. 18.* Camer. *d. loc.*

Ideoque pro Cautela & majoris ſecuritatis gratiâ Magiſtratus cautionem exigere ſolet, ut ſcilicet Curator datus bonis abſentis officio judicis cogatur ſatisdare in abſentis commodum: alioqui facit Judex litem ſuam, ut in ſubſidium teneatur, ſi Curator datus non ſit ſolvendo, Ant. Fab. *in Cod. De-* 29
ciſ. Forenſ. l. 2. tit. 66. de ſatisdat. definit. 18. Confer Menoch. *lib. 2. de arb. jud. quæſt. caſ. 150. n. 26.*

Ac licet jure cautum reperiatur, capti- 30
vum intelligi deceſſiſſe, ex quo captus eſt, text. *in l. juſto 44. §. fin. 7. ibi: tempora captivitatis ff. de uſucap. l. pater 10. l. in bello 12. §. ſi quis capiatur 1. ff. de captiv. & poſtlim. reverſ.* Quibus Juriſconſultorum reſponſis maximè congruit Græca lex Harmenopuli *de ſolutione poteſtatis lib. 1. tit. 17.* ita, ut captivi mors reflectatur ad diem captivitatis, quando mors pateat ipſa; diverſa 31
tamen ratio eſt abſentis, cujus obitus præſumptus ad diem abſentiæ retroduci nequit, neque retrotractio locum habet; prout judicavit ſuprema Curia Pariſienſis, edixitque de abſentis vita vel interitu ampliùs inquirendum, ac omnes interea litigatores bonis frui ſatisdatò debere, tanquam fiduciarios ipſorum poſſeſſores ac ſequeſtros Decreto

to Pariſienſi X. Calend. Septembr. Anno
32 MDLXXXV. ut teſtatur Renat. Choppin.
de Morib. Pariſ. lib.2. tit.5. num.25. fol.340.
33 Sicut etiam probationem exactiſſimam re-
quiri, ſi fundandæ intentionis neceſſitas
mortis probationem exigat, utpote ſi quis
teſtamentariam aut legitimam ſucceſſio-
nem ſibi adſerat, tradidit Anton. Faber *in
C. lib.4. tit.14. defin.2. per l. ſi ejus 34. ff. ad
Trebellian. l. 18. ff. de reb. dub.* Facit Cache-
ran. *Deciſ. Pedemont. 180.*
Tametſi verò de vaſtatis & culturâ ca-
rentibus prædiis, fundis, fundique portio-
nibus & prædiorum adjacentibus, utpote
ædibus, agris, pratis, hortis, nemoribus,
ejusque generis aliis ante terminum in cita-
tione Edictali præfixum nomine Magiſtra-
tus, nihil certi definiendum, ſed illius expe-
ctandus ſit exitus, eò quòd abſens vel citatus
ante lapſum termini pro contumace haberi
nequeat, adeò, ut nec terminus in citatione
præfixus præciſè obſervari queat, ſed eo eti-
34 am præterlapſo quædam dilatio ſit indul-
genda, & videndum, num quis prædia reli-
cta adeat, ſibique nomen ſuum profitendo
aſſignet, per notata Blarer. *ad L. diffam. c.6.
num. 124. & ſeq.* Frider. Mindan. *lib.2. de
35 mandat. cap.18.* Nihilominus adlaboran-
dum erit, num ejusmodi prædia & fundi ad
certũ tempus à cujuslibet loci Præfecto, ad-
hibitis neceſſariis, ut & iis, quorum propter
reditus inde emergentes vel maximè inter-
eſt, tolerabili penſione elocari, præteritaque
ex hac onera dependi, reſiduâ penſionis
parte in depoſito retentâ, inter creditores
pro ratione ratæ jurisque potioris poſtmo-
36 dum diſtribuenda. Experientia enim com-
probat, quemlibet hisce prædiis & fundis
ſuo pro arbitrio hucusque fuiſſe uſum, eosq;
coluiſſe: quod nec improbandum; quum
cedat ad ipſius regionis commodum & in-
crementum: prædictus tamen modus ad
emolumentum ſuperiorum & aliorum, in
quos redundat, primo quovis tempore ſu-
ſcipi poſſet.
37 Contrà, quoniam fructus arborum in
hortis hinc & inde, priusquam ad maturi-
tatem pervenerint, dejiciuntur, diripiuntur,
& hoc ipſo arbores, ſepes, & horti vaſtantur
& penitus depravantur, hoc nequaquam
eſt concedendum, ſed pariter cum præce-
dentibus requiſitis pœnâ ſeveriſſimâ eo pa-
cto prohibendum, ut cuilibet quidem ſit
permiſſum, ejusmodi fundum incultum, &
colono carentem adire & excolere, usque
dum certus & legibus conformis adſit poſ-
ſeſſor, hac tamen lege & conditione, ut judi-
cio & conſenſu fiat legitimi Magiſtratus, qui
adhibitis uno vel altero eorum, quos hoc
concernit negotium, modo prædicto, cum
hoc ipſo certâ ſummâ emolumenti hinc
ſubſecuturi conſtitutâ, quantum ſingulari-
ter hortos & prata reſpicit, contractum ſu-
ſcipere, & cum fixa certaque pecunia ſimi-
lem Superioribus inire poterit rationem.
Ædium, agrorum, & pratorum non- 38
dum demeſſorum causâ ſufficiet, (aliâ ſi non
ſuccederet viâ) ſi colonus ſuum ad uſum &
commodum ea præparet, ſarta tecta conſer-
vet, ſuoque Domino loco debiti & noviter
impoſiti tributi, de aliis ut communiter fit,
aliquid æris perſolvat. Quod ſi quidam 39
ſanguine junctus, vel creditor, unà cum alio,
quem hoc pacto negotium non concerne-
ret, ſeſe tamen adhiberet, huic omninò ſuæ
prætenſionis causâ eſſet gratificandum, hac
tamen conditione, ut tributum fœnusque
pari ratione perſolvat.
Quod ſi poſt citationem promulga- 40
tam hic vel ille prædium ambiret, &, ſi opus,
tanquam ejusdem poſſeſſorem vel tributa-
rium legitimum ſe exhiberet, admittendus
eſſet hic ipſe, factâ priùs pollicitatione, ſe ex-
ſoluturum debita Superiorum non relaxata,
certamque initurum compoſitionem cum
creditoribus adhuc ſuperſtitibus, cum con-
ſignatione debitorum & modo ſolutionis
ſperandæ: his conſideratis & expenſis ipſi
imponatur, creditores ut debita & eorum
liquidationes intra menſem vel ſex ſeptima-
nas exhibeant, & ulteriorem conventionem
expectent. Hoc facto & debitoribus debita 41
fatentibus transactioni pacatæ relinquatur
locus, & opera navetur ſedula, certus ut re-
maneat prædii fundique poſſeſſor, agrorum
cultura iterum urgeatur, & tam Magiſtratus
ſuperior, quàm creditor certi ſint, quæ inde
ſperanda & poſtulanda, & quomodo qui-
vis perpetuâ ſerie ſuos obtinere poſſit redi-
tus.
Præcipua autem eò dirigenda eſſet 42
Præfectorum cura, ut ne tempore hoc diffi-
cillimo ſine cauſa prægnanti & inevitabili
capitalia, ut loquuntur, inprimis in ſummis
pecuniarum grandioribus, renunciarentur,
neque his in caſibus executivè procederetur;
ſed potiùs paucos adhuc annos ſufficienti
interveniente cautione, exhibitisque uſuris
immota relinquerentur, vel, ſi omninò de-
nunciationi locus relinquendus, pro ratio-
ne præſentium circumſtantiarum, tempo-
ris, & ſortis, item, pro creditoris & debito-
ris conditione, ſtatu & facultate (ſubditi ut
tandem ſuis poſſint gaudere bonis) poſſibi-
lia ſolutionis media erunt excogitanda &
arripienda. Quòd ſi præterea, poſt legiti- 43
mam renunciationem aut pacificam con-
ventionem, ſolutio debiti certis temporum
periodis à debitore promiſſa, vel eidem hæc
ipſa à Præfecto, vigore muneris commiſſi,
graviſſima de cauſa eſt impoſita, convenien-
tia executionis media, ſolutione non ſubſe-
quutâ, ſuſcipienda eſſe cenſerem. Hoc ta- 44
men apud illos ſuum tantùm obtinebit lo-
cum, qui nondum planè ad incitas ſunt re-
dacti, ſed quos adhuc ſpes fovet eluctandi, &

ex hisce anguſtiis emergendi, ſi modò exigua & poſſibilia ſolutionis præſtandæ media illis ſuppetant vel ſuppeditentur, quin & ferventiori charitate impoſterum homines ſeſe mutuò complectantur.

Hisce deficientibus meliùs atque conſultiùs erit, eò dirigere cogitationes, quomodo quis difficili & indies adaucto debitorum onere, vel bonorum ſuorum venditione, vel prædiorum ceſſione tempeſtivè ſeſe liberet, & hoc pacto certitudinem Magiſtratui ſuperiori, ſibi ipſi, uxori, liberis, & creditoribus infallibilem relinquat.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT XLVIII.

Num. 14.

(1) N*Eque ſcitur, utrum vivat, an mortuus ſit &c.*] Hi communiter dicuntur Verſchollen / de quorum hæreditatibus non minimæ controverſiæ Curias & judicia fatigare ſæpe ſolent, cùm de tempore adeundæ hæreditatis tanta incertitudo plerumque intercedere ſoleat, ut videre eſt tum hic in textu Klockii, & ab eo allegatis Doctoribus, tum etiam apud Menochium *Conſil. 60. n. 20. &c. & Conſ. 1119. n. 4.* Surdum *Conſ. 109. n. 22. Item Conſ. 530. n. 34.* Matth. Weſembecium *Conſ. 11. n. 40.* Gozzadin. *Conſ. 86.* Cæpollam *3. Conſ. 32.* Martam Neapolitanum *ff Tom. 2. verbo Mors cap. 15. & 16.* Carpzovium *parte 3. Conſtit. 17. defin. 14.* Zorerum in ſeinem Bedencken / *parte 2. quæſt. 2. n. 140.* Klockium noſtrum *vol. 3. Conſ. 116. n. 10. & 18. Item Conſ. 117.* Beſoldum *part. 3. Conſ. 91. n. 121. ſeqq. & p. 4. Conſil. 167. n. 120.* ubi *n. 98.* ſcribit, juxta Provinciarum Germaniæ conſuetudinem plerumque triginta annos ad inducendam & præſumendam mortem diu abſentis requiri. Trentacinq. *var. reſolut. lib. 2. tit. de probat. reſol. 10. n. 6.* Ideoque factu bonum foret, ut lege publicâ promulgatâ, Judicis arbitrium (cui deciſio hujus controverſiæ à pleriſque relinquitur) tali in caſu ad certum aliquod & determinatum temporis ſpatium redigeretur. Prout Edicto Imperatorio ſive Regio in Regno Bohemiæ de dato XXIX. Martii Anni MDCXVI. cautum fuiſſe à Richtero *Deciſ. 66. num. 6.* notatatur, quòd abſens per XXX. annos, annum & diem, pro mortuo haberi, ejuſque bona ſine cautione proximis cognatis deferri debeant. Atque ſimile planè ſtatutum Torgoviæ exſtare, Finckelthauſ. *obſervat. 100. n. 10.* teſtatur.

(2) *Curatorem ipſius bonis dari &c.*] Ne ſcilicet interim abſentium bona pereant, quemadmodum hoc diſertis verbis oſtendit Ulpianus JCtus *in l. 6. §. ult. in fin.* ibi: *Curator ſubſtantiæ dari debet, ne in medio pereat. ff. de tutel.* nec non Impp. Diocletianus & Maximinus *in l. 3. C. de poſtlim. reverſis:* ibi & *bona eorum fraudibus diverſæ partis diſſipari.*

(3) *Curator dari poteſt à Judice ipſius arbitrio &c.*] Non verò proprio motu Magiſtratus, regulariter, Curatorem bonorum abſentis, (qui an vivat, an mortuus ſit ignoratur,) conſtituit, ſed ad petitionem illorum, quorum intereſt, proximiorū nempe ab inteſtato, Alexander *vol. 2. Conſ. 4. n. 4. & Conſ. 221. n. 6.* Licet autem his tantùm cura hæc deferatur, non verò aliis extraneis perſonis; non tamen fiunt ipſo Jure Curatores, ſed hanc curam petere tenentur à Magiſtratu. Sola enim ſpes ſucceſſionis non facit Curatorem, ut nec ſola conjunctio perſonarum facit conjunctum Procuratorem, per *l. 3. §. ſed & ſi fortè ff. judic. ſolvi.* Carpzov. *J. F. F. part. 3. Conſt. 15. defin. 48. inf. & in Reſponſ. l. 6. tit. 7. Reſp. 63. n. 7.* At ne quandoque illorum, qui petere Curatorem ex Juris neceſſitate tenentur, negligentia abſenti damnoſa ſit, & bona abſentis dilapidentur, ex officio & nemine poſtulante, Magiſtratus Curatorem conſtituere quoq; poteſt, docente Menoch. *de A. J. Q. l. 2. art. 2. caſu. 120.* Porrò Curatelam hanc in tantum ad proximiores agnatos idoneè caventes pertinere exiſtimant Dd. ut etiamſi Curator extraneus à Magiſtratu fuerit conſtitutus, isque per aliquod temporis ſpatium bona adminiſtraverit, nihilominus ea proximiori Cognato id petenti ſint reſtituenda, dummodò idoneè caveat, ſic tradit Virgilius Pingizer. *Quæſt. Illuſtr. 5.* & poſt eum Joh. à Sande *Deciſ. Friſ. l. 4. tit. 9. defin. 8.*

Num. 25.

(4) *Ne quidem præſumi hominem metam centenalem attingere &c.*] Conſideranti verò mihi, inquit Henricus Meibomius *in Epiſtola de Longævis*, omnes illos, qui ſingulari aliquo vitæ ſpatio notabiles ſunt, occurrit ſtatim, variare admodùm terminum illum, cùm ratione temporum, tum ratione locorum. Primo enim ſeculo, quàm vaſtum ætatis ſpatium primi noſtri parentes tantum non omnes emenſi fuerint, vel pueri norunt, & qui nondum ære lavantur. Id quod non ſuprà tantùm Scriptura teſtatur, ſed Heſiodus quoque & alii, ut eſt apud Joſephum *lib. 1. Antiq. Judaic. c. 4.* Lactant. *lib. 2. Divin. Inſt. c. 13.* Poſt diluvium verò multùm deceſſit illi longævitati, ſive id naturalibus de cauſis factum, fracto humanorum Corporum robore, tùm per diluvium ipſum, tum per diſperſionem, mutatamque victûs rationem; ſive ſecreto, nec facilè penetrando DEI judicio. Neque enim audiendi ſunt illi, qui per annos non Solares, ſed Lunares intelligunt, cùm ex inſpectione contextûs ipſius contrarium appareat, ceu jam tùm à viris doctis abundè oſtenſum eſt. Nullum verò dubium eſt, quin pro diverſitate regionum, aëriſque, & aquæ varietate, magna quoque in corporibus hominum oriatur disſimilitudo, ut quidem populi citiùs ſeneſcant, quidam tardiùs: alii celeriùs moriantur, alii diutiùs vitā protrahant. *& p. p. pergit*, de Anglis ſuis Baco de Verulamio *Hiſt. vit. & mor. p. 158.* Apud nos, *inquit*, in Anglia arbitror nō exiſtere villā paulò populoſiorē, in quā non reperiatur aliquis vir aut mulier ex octogenariis. Etiam ante paucos annos in agro Herefordienſi inter ludos florales inſtituta erat chorea & ſaltatio ex viris octo, quorum ætas ſimul computata octingentos annos complebat, cùm quod alteri eorum in centenarium deeſſet, alteris aliquibus ſupereſſet. Sic Thomas Parr Johannis filius Winingtonenſis ex Comitatu Salopiæ A. MCCCCLXXXIII. natus usque ad Annum MDCXXXV. & ſic CL. annos vixit, tam validus, ut etiam anno

ætatis

ætatis ſuæ C. & IV. ſpurium genuiſſet & ætatis anno CXX. ad ſecunda vota convolaret, uti habetur in Theatro Europæo *parte 3. pag. 587.* Plura longævorum exempla quoque Hardlederus von Urſachen deß Türckiſchen Kriegs *lib. 4. cap. 29. pag. m. 1618.* poſt Plinium *lib. 7. Natur. Hiſtor. cap. 48.* Valerium Maximum *lib. 8. cap. 13.* Cœlium Rhodiginum *11. Antiquar. Lect. 37.* alios, annotavit. Verùm cùm non ſit veriſimile, ſed tantùm poſſibile & contingens, aliquem tam diu vivere, proinde haud ſit modus probandi concludens, ut pluribus exſequitur Moller *lib. 2. Semeſtr. cap. 45.*

Num. 28.

(5) *Si credere fas &c.]* Per illud ferè tempus, inquit Robert. Guaquirer. *Gallic. Annal. lib. 6. cap. 3.* Johannes de Temporibus morte abſumptus eſt. Quem pertinaci conſenſu Franci atque Germani Scriptores à Caroli M. Imperio ad hunc usque Ludovicum vixiſſe tradunt. Quod ſi à fide non abhorret: CCCLXI. annos ſuperſtes in terris fuiſſe credendus eſt.

CAPUT XLIX.

Certæ Præfecturæ, Adminiſtrationis Regiæ & dominiorum tituli, vendi vel hypothecæ ſupponi aliquando ad tempus poſſunt, ut pecunia ſit prompta.

SUMMARIA.

1. Reges Principesque, *Tutores ac Depoſitarii ſunt quidam publicæ ſalutis, ut Rempopuli ſalvam velint, & depoſitum cuſtodiant.*

2. Regni *proprietas eſt Reipublicæ uſus adminiſtratioq; Magiſtratus & Regum: Itaque ipſe non poterit ſolus quicquam de Regno alienare,* num. 3.

4. Auguſti *poſſunt appellari, quòd augeant amplientq; Imperia.*

5. *Interdicta* Principi *eſt, aut interdicta præſumitur omnis alienatio partium Regni velati mutilatio membrorum corporis.*

6. *Hoc* Reges *quibusdam in locis ſolenni juramento pollicentur, ſe nihil à Regno alienaturos, eſtq; hæc quædam ex Galliæ columnis firmiſſimis,* num. 7.

8. Ducatus Burgundiæ *non potuit licitè alienari, in aliumq; Regem transferri ab Rege Francorum.*

9. *Imperator Romanus, antequam Regni gubernacula capeſſat, juramento ſeſe Electoribus obligat, nihil ab Imperio alienaturum &c. Quod rationi conſonum,* n. 10. 11.

12. Imperium *Romano-Germanicum an ſit Ariſtocraticum;*

13. Conſilii *Pariſienſis gravitas, hoc &* numero 14.

15. *Caſu* Neceſſitatis *licet quandoq; Rege de patrimonio Regno partium alienare; ſi cum Ordinum conſenſu hoc fiat, ibid.*

16. *Summa etiam* Regalia *cum conſenſu Statuum valide alienantur.*

17. *An* venditio *Reipublicæ utilior ſit, an verò oppignoratio?* & n. 19.

18. Fructus *extenuant ſortem debiti principalis.*

20. *Eadem ratione* judici *inquirendum, utrum pupillo magis expediat oppignorare, vel vendere.*

21. Bizantii *in neceſſitate loca quædam publica, etiam ſacra vendiderunt.*

22. *In hac* venditione *ſtudendum, ut annectatur pactum de retrovendendo, vel alia ratio rei venditæ ſarta tectaq; conſervandæ.*

23. *Hæc* alienatio *non neceſſitate tantùm, ſed & ob utilitatem fieri ſubinde poterit.*

24. Diviſiones permutationesque Territoriorum *immobiliumq; bonorum utiliter ſæpè fiunt.*

25. Venditio ad certum tempus, *quo lapſo reſtituatur emptori pretium, non eſt inconveniens.*

26 *Etſi* Principi *concedatur alinare, quò Respublica non magnoperè diminuatur; quæ tamen Reipublicæ tuendæ deſtinata ſunt, minimè licet alienare.*

27. Communia civitatum prædia *vel paſcua, malè* Principes *ſibi vendicant.*

28. *Satius eſt,* Prædia *pro pretio in feudum concedere, quàm prorſus alienare. Et ſi vendenda, utilius ſubditis, quàm extraneis divendi,* n. 29.

Vendere nonnunquam atque hypothecæ nomine partem
Oppignorare de bonis Regni licet;
Æs ut ſit in promptu fatali tempore belli,
Seu poſcat illud cauſa quædam ſontica.

Reges & Principes pupillis æquiparantur in adminiſtratione eorum, quæ ad Statum Imperii pertinent, & in integrum reſtituuntur, ſi quid perperam alienarint. 1 Tutores enim & depoſitarii ſunt publicæ ſalutis, ut rem populi ſalvam fore, & non everſum iri procurent ac ſpondeant, ut depoſitum cuſtodiant, ut non intervertant. Hinc jura Regni ratione proprietatis & dominii pertinere ad Rempubl. ſive membra Regni; at ratione uſus ſive adminiſtrationis ad Magiſtratum ſpectare, ſcribit Althuſ. *in Polit. cap. 15.* nihilque præter Reipublicæ curam & defenſionem cum univerſali jurisdictione Auguſto Imper. fuiſſe 2 conceſſam, ſcribit Zoannet. *tractat. de Imp. Rom. num 153. & 156.* Lex ea, (inquit Heig. *lib. 1. quæſt. 19. n 1.*) generalis eſt & communis omnium Regnorum & Principatuum cum ipſis nata, & quaſi jus Gentium: Nihil rerum Imperii cujusvis à Principe ſolo alienari poſſe. 3 De quo videatur prolixè Gregor Tholoſan. *lib. 3 de Republ. cap. 9.* Alberic. Gentil. *de jure belli cap. 22.* Jun Brut. *in Vindic. contra Tyrann. quæſt. 3.* Althuſ. *in Polit. c. 30.*

Et cur, obſecro, Principes & Magiſtratus boni, Patres alii Patriæ, alii Deorum protectores, Reipublicæ alii cuſtodes appellari

pellari metuerunt? ut in memoriam ſcilicet ſibi revocent, nihil ſe eſſe aliud, quàm, ut ab Homero nominantur, paſtores; vel, ut Plato eos appellat, cuſtodes populorum.

4 Quin & amabilis ille error plerisque Cæſaribus utiliter inſedit, ideò ſe Auguſtos appellari, quòd Imperium augeri debeant, non imminuere nec debilitare, aut membra ſua ſupprimere. Ratio eſt, quia Regnum ſeſe habet, ut corpus humanum, cui, ſi vel auriculam amputaveris, monſtroſum efficitur. Roland. à Valle *conſil. 1. num. 126. vol. 2.* Sichard. *conſ. feud. 6. n. 26.* Et diſtractio vel alienatio alicujus portionis de territorio *ad Majeſtatem ſpectat Realem*, (1) impeditque alienationem, Nicol. Bet-
5 ſius *tract. pact famil. pag. 72.* Et nulla ferè provincia extat, quæ, ſi non expreſsè alienationem Principi interdicat, ſaltem prohibuiſſe tacitè eam videatur, Heig. *dict. quæſt 19. num. 4.* Sic FRIDERICUS III. Imperator promiſit, nullatenus ſe bona Imperii alienaturũ, &c, cùm modò hoc, modò illud ab eo peteretur, maluit avarus negando, quàm concedendo perjurus videri: Quam ob cauſam, petenti Borſio Marchioni Eſtenſi Ducatum Mutinæ & Rhegii, tamdiu reſtitit, donec monſtratum eſt, conceſſionem iſtius Ducatûs, lucri magis, quàm alienationis ſpeciem habere, præſertim cùm Mutina & Rhegium in ſua poteſtate non eſſent, Æneas Sylvius *ad Panormit. de dictis Alphonſi lib. 4. cap. 41.* Sic jura Regni ſui & honorem Coronæ illibata ſervare Hungariæ Rex *c. intellecto 33. extr. de jurejur.* promittit. Et in Gallia quoque Rex ſine publico Gentis Concilio, quod vulgò Trium Ordinum conventus appellatur, nihil *de Domanio Regni* (2) cuiquam vel indigenæ vel extraneo homini alienaturum ſolemni jurejurando pollicetur. Quam le-
6 gem unam ex Galliæ columnis, quam labefactare nefas ſit, ſcribit Hotoman. *lib. 1. de antiq. jur. Regn. Gall. c. 23.* Innoc. Gentil. *de regn. adminiſt. lib. 1. theorem. 1. fol. 41. & 49.* Egregiè Claud. Siſell. *lib. 1. de Repub. Gall.*
7 *pag. 27. & 279.* Quod attinet, *inquit*, ad Regni Galliæ patrimonium, illud Regibus alienare non licet, niſi magnâ cogente neceſſitate, quæ multâ Senatus deliberatione adeò curioſè examinatur & diſquiritur, ut propter incertitudinem venditionis, pauci earum rerum ſibi aliquid emendum & ſubeundum periculum putent; & hoc quidem Rex ſe ipſum ſervaturum, & ab aliis, ut obſervetur, præcepturum; cùm ad ipſum Imperii ſumma defertur, ſolenni jurejurando pollicetur. Quanquam enim Regibus conceſſum eſt, uti frui poſſeſſionibus ac facultatibus Regni ſuo arbitrio, tamen omnium expenſarum rationes referuntur ad Quæſtores ac Ærarii Præfectos, qui illas minuendi poteſtatem habent, ſi vel immoderatas eſſe, vel inutiles deprehenderint: quod ſummâ profectò æquitate nititur & communem utilitatem attingit. Niſi enim conſerventur & rectè diſtribuantur Regni vectigalia & annui proventus publici, jam olim Regibus attributi, neceſſe eſt, cum bellum, aut aliqua vis major incidit, ut populus magno detrimento pecuniam conferat. Hoc igitur, veluti fræno nimia Regum liberalitas coërcetur. Hactenus ille. Ideoque dominium illud cum tunicâ vacante futuris & indiviſa comparari, aſſerit Joan. Tilius *in comment. de reb. Gallic. lib. 2. pag. 117.* Et cùm patrum noſtrorum memoriâ accidiſſet, ut Franciſc. Rex Gallorum ab Imper. Carolo V. captus, & in Hiſpaniam traductus illi, ad ſe è dura illa ſervitute redimendum, Ducatum Burgundiæ dediſſet, interceſſerunt ipſius Burgundiæ Ordines & Status, qui nec Ducibus, nec Regibus ullis conceſſum unquam eſſe oſtenderunt, ut civitates, quæ non ſunt ipſorum, ſed populi, diſtrahere, vendere, donare aut permutare, nolente repugnanteque populo poſſent. Quæ cauſa cùm acerrimè à Cæſaris & Regis Galliæ Le- 8
gatis in pulcerrimo omnium Chriſtianarum nationum conſeſſu acta eſſet, pro Burgundionibus contra Cæſarem tandem pronunciatum eſt, & Regum poteſtas quàm arcta ſit demonſtratum.

Haldanus Unguino Gothorum Rege poſt ſe Regni moderatore in Daniâ deſignato, Norvvegiæ Hasmundum filium impuberem reliquit, de quo Crantzius *lib. 2. Daniæ cap. 4.* Novum (*inquit*) & ante hac incompertum munus teſtamento datum. Equidem ædes, agros, prædia, vineas & his ſimilia Teſtamento dari audivimus; Regnum autem præſtare chartæ beneficio, prodigii loco habitum eſt.

Hodiè Imperator, antequam ad ſum- 9
mum illud dignitatis faſtigium evahatur, leges in Capitulatione comprehenſas juramento interpoſito recipit, ac fidem dat Electoribus ſcriptâ cautione, *quòd facultates Imperii nec diſtrahere*, (3) nec oppignorare, nec alio quovis modo deteriores facere velit. Quadruplici enim modo Archiprincipes Electores, ne forſan *Caroli IV. & Wenceslai Impp.* (4) veſtigiis inſiſtentes bona Imperii vel alienent, vel diſſipent, certo quaſi fræno liberam rerum Imperii adminiſtrationem coarctârunt ac limitârunt.

Primò namque jurat Rex Romanorum, quòd de Imperio, ejusque pertinentiis absq; ſcientia, voluntate, & permiſſu Electorum nihil diſtrahere, obligare, vel oppignorare, aliòve quovis modo alienare velit. *Secundò* promittit Imperator, quòd de vacantibus & feudis Imperio apertis ſine conſenſu & voluntate Electorum neminem inve-

inveſtire velit. *Tertiò* obligat Cæſarem Capitulatio, ut ſingula quæque ope & conſilio Electorum acquiſita Imperio aſſignet, nec quicquam juris de bonis per hæreditatem, alióve modo ſibi obventis Imperio detrahat. *Quartò* denique juratò promittit, quòd bona Imperii nullo vel injuſto titulo alienata atque diſtracta, vel vacantia recuperare, Imperioque reincorporare, &, ſi quæ ipſemet poſſideat, reſtituere velit. Hæc ſunt, quæ circa adminiſtrationem Bonorum Imperii à Rege Romanorum Capitulatio Cæſarea exigit, optimis ſuffulta rationibus. Ex

10 quo (1) Imperator tutor Imperii conſtituitur, mirum non eſt, eidem alienationibus vel conceſſionibus enormiter illud, jurisdictionemque Imperialem lædendi viam eſſe præcluſam, arg. *l. quoties ibi: ſine gravi partis alterius C. de precib. Imp. offer. l. cum plures* 12. §. 2. *&* 3. *& l. ſeq. §. fin. ff. de adminiſtr. & peric. tut. Novel. 7. in princ. verſ. ſi verò minùs. c. intellecto. de jurejur. cum ſimilib.* Covarruv. *in cap. quamvis parte* 2. §. *2. num. 4. de pact. in 6.* Vaſqu. *illuſtr. controv. cap. 4. & de ſucceſſ. creat. §. 26. num. 85. & ſeqq.* M. Ant. Peregr. *de jur. fiſc. ſub rubr. habentes jura fiſci an poſſ. num. 74. mihi fol.* 104. *infinitos allegat.* Car. Tapia *in l. fin. parte* 2. *cap. 9. num. 33. ff. de Conſtit. Princ.* Petr. Ant. de Petra *de jur. quæſit. non toll. cap. 32. folio 553. num. 191. & 196. & ſeqq.* Seraphin. de Seraph. *de privil. jurament. privil. 75. n. 45.* Renat. Choppin. de Doman. *lib. 2. tit.* 1. Mandell. *conſil. 62. num.* 13. Natta *d. Conſil.* 640. *num. 10.* Cravett. *conſil. 993. numer. 30.* Cacheran. *Deciſ. 139. num. 7.* Capyc. *Deciſ. 121. num.* 1. Alv. Valaſc. *Deciſ. 152. num.* 2. Sixtin. *de regal. lib. 1. cap. 5. num. 5.* Hinc & Bald. *in l. un. ff. de offic. præfect. præt.* Impe-

11 ratorem non eſſe ad deſtruendum, ſed augendum electum, *ait*, cùm diminuendo Imperium homicida ſuæ dignitatis fieret, ex Bald. *in l. licet cauſam extr. de probat.* Molinæ. *in Conſuet. Pariſ. tit. 1. §. 1. gl. 5. n. 49. in fin.* Alvar. Valaſc *de jur. emphyt. qu.* 8. *n.* 31. Sola enim adminiſtratio in Imperatorem fuit translata, non dominium, Vaſqu. *de ſucceſſ. creat. lib. 5. c. 26. num. 45.* Heig. *p. 1. quæſt. 10. num. 6.* Clapmar. *de arcan. Rerumpubl. lib. 5. cap. 12.* Caſp. Ens *in Theſaur. Polit. tom. 1. cap.* 1. Si enim dominium & proprietatem Regni haberet, procul dubio illud jam dudum ad hæredes, prolemque ſuam jure hæreditario transmiſiſſet, vel adhuc transmiſſurus eſſet, *l. hæreditas. ff. de R. J. cum ſimilib. vulg.* Hinc Seneca *lib. 7. de Benefic. cap. 5. Omnia, ait, Rex Imperio poſſidet,* (5) ſinguli Dominio: & apertiùs *cap. 4.* Jure civili omnia Regis ſunt: Et tamen illa, quorum ad Regem pertinet univerſa poſſeſſio, in ſingulos Dominos deſcripta ſunt, & unaquæque res poſſeſſorem habet ſuum; Ad Regem enim poteſtas omnium pertinet, ad ſingulos proprietas. De bonis verò, quæ noſtra in ſolidum non ſunt, nec in marſupio noſtro continentur, ut ait Roland. à Valle *conſil. 1. num. 115. vol. 2.* non licet nobis, ut de bonis privatis diſponere. Hocque ipſum eſt, quod Imperator *in l. benè à Zenone. § 1. C. de quadrien. præſcr. dicit.* Omnia Imperatoris eſſe intelligi ſive videri, nempè quòd reverà non ſint, ſed eſſe ſolummodò intelligantur: verbum enim (*videri*) improprietatis ſignificativum eſt, *l. unic. circa princ. C. de rei uxor. act. cum ſimil.* Non ergò verè & propriè, ſed fictè & impropriè, ratione adminiſtrationis, protectionis & jurisdictionis ſaltem omnia dicuntur eſſe Imperatoris: quare eodem in textu idem aſſerit Imp. pro bonis ab Imperatore cuipiam donatis competere intra quadriennium domino illorum bonorum, adversùs Fiſcum Imperialem, Rei vindicationem aut Hypothecariam, quæ certè actiones minimè alicui darentur, ſi Imperator ipſemet Dominus directus ſive proprietarius illorum bonorum fuiſſet.

Deinde (2) validitatem hujus Capitulationis Cæſareæ ſtrictè tuetur, quòd alienatio ejusmodi bonorum in magnum Imperii præjudicium atque incommodum vergat. Nam Princeps unum atque alterum oppidum vel partem ſui Principatûs abalienando id agit, quod ad corruptionem totius Principatûs, incommodumque Subditorum ſpectat, ſiquidem reliquorum onera per id aggravantur, neque hi ulteriùs adverſariis reſiſtere poſſunt, ut mox dicam num. 14. Hancque ipſam ob cauſam Clapmar. *lib. 2. de arcan. Rerumpubl. cap. 22.* inter arcana dominationis refert, ne Principatus facilè diſtrahantur, ob detrimentum ſcilicet exinde ſubditis contingens, præſertim, quòd novum & externum Imperium ſemper ſubditis ſit graviùs, quia procliviùs per conſuetum & indigenam Dominum, quàm novum & externum plebs in officio contineatur. Utut enim Princeps aliquis externus, inquit Philipp. Cominæus *lib. 8. in fin.* benè rem gerat & commodè gubernet, tamen nec eam erga populum repræſentare poteſt benevolentiã, ac ſi eſſet indigena, facilesque oriuntur diſſenſionum occaſiones. Joan. à Chockier *lib. 1. Theſaur. Polit.*

Accedit porrò, (3) quòd alienatio bonorum Imperii eſt contra reputationem & exiſtimationem Imperatoris & Principum Imperii. Sicut enim in multitudine gentis gloria Principis, & in integritate regalium dignitatum & bonorum Reipublicæ conſiſtit ſtabilimentum, *ita ex diviſione ſectioneque ſubſtantiæ paupertas enatat*, (6) emergitque contemptus, ut poſtea Duces, Principes & Comites ſine territorio non absque ignominia dicantur, atque ex crebrâ alienatione Principum familiæ, ſi non planè intercidunt,

dunt, ſaltem ita attenuantur, ut pro dignitate ſtatum & conditionem ſuam tueri ampliùs non poſſint, Gail. *2. obſervat. 153.* fides ſine operibus, exiguam & tenuem admodùm nuncupationem Principatus ſine realitate habentes. Neque alia de cauſa diviſiones Ducatuum & Principatuum à Politicis improbantur, quàm quod deminuant dignitatem familiæ, veluti in Nomotheſia feudali ejuſmodi diviſiones, conſentientibus licèt conſortibus, ſunt prohibitæ, *c. imperialem. c. præterea Ducatus. de prohib. alien. per Frideric.* Et quamvis feuda Regalia ex notoria Germaniæ conſuetudine diviſionem hodiè recipiant, ex re tamen Imperii, ejuſque dignitate magis foret, & ad conſervationem familiarum plurimùm faceret, ſi jus commune feudale in uſum revocaretur, Afflict. *in dict.* §. *Præterea Ducatus ſect. 2. num. 5.* Greg. Tholoſan. *l. 6. de Rep. c. 5.* Beſold. *de ſucceſſ. & elect. Reg. l. 1. Diſſertat. 4.* Erneſt. Cothman. *conſil. 1. num. 61. & per tot. vol. 3.* Hinc ne ſplendor familiæ imminueretur, quondam apud Romanos non licuit hortum vel agrum alienare, niſi priùs pareretur alius non minoris proventus, Johan. Caſus *lib. 2. Sphær. Civit. cap. diſt. 2.* Nec ſolùm lugubre deplorandumque videbatur, antiqua majorum prædia in externas devenire manus, *l. 28. ff. de R. V.* verùm etiam domus familiæ alienare & diſtrahere, turpe habitum fuit, Tiraqu. *tom. 3. de retract. in præfat. num. 46. & ſeqq.* Gail. *2. obſerv. 19 in princ.* Hoc ſi verum in bonis & familiis privatorum, quid non dicendum & habendum de bonis & ſplendore totius Imperii, quod non minùs per alienationem indiſcretam maximoperè minuitur. Nec tamen hinc *ad Statum Ari-*
12 *ſtocraticum Imperium Romanum,* (7) in quo tantoperè deſudat, rediget Bodinus, cùm nec magis Galliæ Rex de bonis Regni ſine conſilio Parium quicquam alienare queat; ex Baldo, & Hoſtienſi, Jaſ. *in l. debitorem. numero 7. C. de pact.* notat. Sed nec unam de civitatibus regni ſui, Anton. Corſet. *de poteſtat. regia part. 1. quæſt. 4. num. 19.* Petr. Anton. de Petra *d. cap. 32. q. 2. n. 232. fol. 560.* Vaſqu. *de ſucceſſ. lib. 3. cap. 26. num. 48.* Choppin. *d. l. 2. tit. 1.* Franc. Hotoman. *de*
13 *ſucceſſ. reg.* Imò ſi Rex Franciæ Parlamento contrarium quid mandat, hujus potiùs, quàm illius habetur ratio; Quod rationi conſonum eſſe, dicit Nevizan. inter Conſilia Bruni *12. num. 158.* Hippolit. Riminald. *conſil. 45. num. 81.* Et res graviores regni à Senatu priùs deliberatas approbandas eſſe,
14 ſcribit Thuan. *lib. 1. Hiſtor.* Exemplo eſt Edictum Anno MDLXII. initio Januarii ſub Carolo IX. factum, *indeq; Januarium appellatum,* (8) quo permittebatur iis, qui Religionem orthodoxam, ut vocant, amplectebantur, *des aſſemblees hors de la ville* & ſufficienter providebatur, quò invicem concorditer vivere poſſent. Hoc edictum licèt fuerit à Paribus Franciæ tantâ ſolennitate, tanquam celebri Parium conventu decretum, & à Rege ſignatum, effectu tamen & viribus carebat, donec tandem, ad crebram inſtantiam orthodoxorum & Reginæ matris interceſſionem, illud à Parlamento XVI. Martii verificaretur & publicaretur. *V. Hiſtor. de Franc. fol. 145. & ſeq.* Cujus etiam publicationem quædam Parlamenta denegarunt.

Quemadmodum verò Imperatori alienationibus vel conceſſionibus Imperium, juriſdictionemque Imperialem exinanire non licet; Ita nec Electoribus ſuos Principatus diminuere aut alienare fas eſt, cùm ſanctione Aureæ Bullæ *cap. 25.* ejuſmodi ditiones Electoribus dignitatis tuendæ causâ ſint attributæ, quas ipſorum arbitratu diminui non ſit integrum, Marquard. Freher. ad Petr. de Andlo *lib. 2. cap. 8. fol. 188.* Quâ de causâ quoque in Principum Comitumque familiis ejuſmodi alienationes per pacta gentilitia plerumque prohibentur. Maximè verò propterea Principibus licitum permiſſumque non cenſetur, Civitates aut Subditos ſuos alienare, quod tali ſejunctione reliquorum, qui ſub Principe alienante manent, onera aggravantur, & in totius Reip. detrimentum, tum ob collectas, tum ob incommoda alia hoc vergat. Frider. Pruckm. §. *ſoluta poteſtas effect. 6. folio 457. numero 23. & 76.* Petr. Greg. Tholoſan. *l. 7. de Rep. c. 5. n. 2. & ſeqq.* Gail. *2. obſerv. 153.* graviter Nic. Cuſan. Cardinal. *l. 3. de Concord. Cathol. c. 30.* cujus verba retuli hoc tract. *l. 1. c. 4. n. 90.*

Quemadmodum verò Medici, quando contrariæ indicationes ſeſe oppugnant, ſæpe coguntur cum noxa prodeſſe, & jacturâ, quicquid ſanari poteſt, redimere; Et ſicut

— — immedicabile vulnus
Enſe recidendum eſt, ne pars ſincera trahatur.

Domusque una atque altera quandoque diruenda, ut à vicinis incendium arceatur. 15
Ita interdum Principi in extrema neceſſitate conſtituto de patrimonio aliquid alienare licet; dummodo tamen ejuſmodi alienatio non tendat in notabile præjudicium & diminutionem Regiæ Coronæ, ſeu Principatûs; pulchrè Georg. de Cabedo *part. 2. deciſ. 17. n. 15. & deciſ. 18. num. 19. & deciſ. 40. num. 17. & 18.* Atque hoc caſu, etſi neceſſitas legis neſcia & Ephororum ſive Ordinum (der Landſtände) conſenſus alienationi robur concilient, aſſentiente ipsâ Capitulatione Cæſareâ in §. Zudeme und inſonderheit ſollen und wollen wir ꝛc. Enenckel Baro *lib. 2. de privileg. cap. 5. n. 67.* Alber. Gentil. *lib. 3. de jure belli, capite 22.*

Heig.

Heig. *d. quæſt.* 19. *n.* 7. *& ſeq.* Bornit. *lib.* 2.
16 *de Ærario cap.* 9. Et Regalia etiam ſummo Statuum conſenſu accedente validè alienari, tradat Gregor. Tholoſan. *lib.* 3. *de Re-*
17 *pub. c.* 8. Attamen curioſè examinandum & diſquirendum eſt; Primò, an magis expediat Reipubl. pignorare vel vendere. Nam ſi pecunia mutuò ſumi poteſt, *oppignoratio* (9) venditioni eſt præferenda: Cùm
18 poſſint interim reditus pignoratarum rerum extenuare ſortem debiti, *l.* 1. *&* 2. *C. de pign. act.* & quidem ipſo jure Molinæ. *in Conſuet. Pariſ.* §. 85. *num.* 27. *gl* 1. Ludov. Molina *lib.* 4. *de Hiſpan. primogen. cap.* 5 *num.* 7. Auguſt. Berous *conſil.* 71. *n.* 17. *& conſ.* 210. *num.* 2. *&* 29. *vol.* 3. Joan. Petr. Surdus *conſil.* 166. *n.* 21. Camill. Borell. *conſil.* 73. *n.* 23. Mynſing. *decad.* 13. *reſponſ.* 2. *n.* 3. Borgnin. Cavalcan. *deciſ.* 13. *n.* 24. *part.* 2. Franciſ. Merlin *Deciſ. Mediolan.* 33. *num.* 14. *in fin.* Anton. Monach. *deciſ.* 40. *punct.* 3. *n.* 52. Felician. de Solis *tract. de cenſib. lib.* 2. *c.* 5. *num.* 20. *&* 21. Matth. Coler. *de proceſſ. executiv. part.* 3. *cap* 9. *n* 83. *&* 84. Tholoſ. *d. lib.* 3. *de Republ. cap.* 8. *num* 9. Certè in Gallia Anno CIↃ. IↃLI. de Principum aliorumque Procerum ſententia decretum eſt, ut è patrimonio regio agri usque ad vicies centies CIↃ. Francicarum librarum annui reditus fiduciariâ alienatione venderentur, authore Thuano *lib.* 8. *Hiſtor.*

19 Secundò ſi commodè hypothecæ nexu obligari nequeant, & venditio omninò facienda ſit, maturè deliberandum; Quænam res minùs damnoſæ ſint Reipublicæ, ut illæ potiùs diſtrahantur, & ne ad majorem quantitatem, quàm egeat Respublica, diſtractio fiat, pretiaque ad ſolvendum æs alienum, vel in utilitatem Reipublicæ vertantur, argumento eorum, quæ de alienatione bonorum pupillarium punctualiter determinat Natta *conſil.* 162. *n.* 1. *&* 1. Roland, à Valle *conſil.* 7. *num.* 26. *volum.* 3. Bertazzol. *conſil. civil.* 12. *num.* 1. *& ſequent.* Octavian. Simoncell. *tract. de Decret. lib.* 1. *tit.* 1. *à num.* 17. *usque* 65. Menoch. *de arbitr. judic. quæſt. caſ.* 171. *num.* 60. ubi alienationem bonorum pupillarium permittunt quidem ex cauſa æris alieni, ſed requirunt, ut judex ſe informet apud neceſſarios pupilli, qui notitiam rerum pupillarium habeant, & inquirat, an minor pecuniam numeratã vel alia mobilia habeat; res minùs damnoſa pupillo vendatur.

20 Item judex conſideret, an magis expediat pupillo pignorare, quàm vendere, & ne plus accipiatur ſub obligatione prædiorum fœnoris, quàm opus ſit ad ſolvendum æs alienum, pretiaque vel aliàs accepta creditoribus ſolvantur, vel in utilitatem publicam vertantur, per text. *in l.* 1. *in fin. ff. de ſcr. l. Senatus ff. de offic. Præſid. l. ſed Julianus* §. *funeris in fin. ff. de relig. & ſumptib. funer.* ubi funeris cauſâ impenſum non dicitur, quod impenditur ultra funerandi rationem. Quò facit, quòd Respublica (uti ſuprà dictum) æquiparatur pupillo & minori. Lancellot Gallia *conſil.* 115. *num.* 59. Imò plus Reipublicæ, quàm pupillo favendum eſt.

Ad eundem modum Byzantios in pecuniæ penuria ex Camerario refert Bornit. *d. libr.* 2. *de ærario cap.* 10. publicos locos & loca ſacra vendidiſſe, fructuoſa quidem ad certũ tempus, ſed infructuoſa ad proprietatem perpetuam; Itemque ea, quæ Sodalitates poſſidebant, cùm alia, tùm in agris privatis ſita. Nam hoc magno tenebant ii, quarum reliqua erat poſſeſſio. 21

Tertiò, hac ſi nõ ſuccedat, aliâ aggrediendũ eſt viâ, ac ſtudendũ, ut pactum de retrovendendo alienationi adnectatur, vel alia uſurpentur media vindicationẽ rei venditæ ſartam tectamque conſervanda. Neque tantùm ejusmodi alienationes Neceſſitatis, verùm etiam publicæ utilitatis obtentu multifariam fieri videmus: puto, quando ad antiquanda litigia vicini Principes bonorum alienis Territoriis interjacentium inſtituunt permutationem. Diſcontinuatio namque Dominiorum magnas parit confuſiones & difficultates. Talis permutatio inter Electorem Saxoniæ, Archiepiſcopum Magdeburgenſem, & Capitulum Halbersſtadenſe ſede vacante, inita eſt Anno MDLXXVII. Sic quandoque ad evitanda diſcordiarum incommoda, reclamantibus etiam Vaſallis, inſtituuntur diviſiones & ſeparationes Territoriorum, quæ anteà unita fuerant, Heig. *d. quæſt.* 19. *num.* 32. Sic aliquando inter vicinos immobilium permutationes fiunt, videlicet cùm Præfectura vel pars ejusdem commutatur, numeratâ inſuper pecuniæ quantitate inſigni, propter bonorum iſtorum diſparitatem; Quia ſitus eorundem uni magis, quàm alteri proſit commodetque. Lather. *lib.* 1. *de cenſu cap.* 17. *num.* 13. Nimirum, cuncta ferè licita facit Neceſſitas: ex quo etiam domum privati peſte infectam cum omnibus in illa contentis rebus comburere permiſſum videtur, ne tota civitas peſte inficiatur, Magiſtratûs præſertim authoritate accedente, *l. ſi alius* 7. §. 4. *ff. quod vi aut clam. l.* 3. §. 7. *ff. de incend. ruin. naufrag.* 22 23 24

Quartò nonnunquam venditio in certum tempus confertur, nimirum, ut Emptor viginti annorum ſpatio vendita poſſideat, uſucapiat, eoque elapſo, ſi venditor vel ipſius hæredes pretium offerant, ille reſtituat. Qua lege bona immobilia 25

vendi poſſe, profitetur Imper. *in leg.* 2. *C. de pact. int. empt. & vendit.*

Prædictarum alienationum firmitatem ſuffulcit, quòd non infimæ notæ JCti Principibus *licentiam alienandi indulgent*, (*10*) ſi non tendat in magnam diminutionem, Card. Thuſc. *pract. concl. in lit. A. concl. 694. n. 1. 6.* ut & dictum eſt ſuprà.

26 Minimè tamen vendenda ſunt, quæ tuendæ, conſervandæque Reip. ſunt deſtinata; uti nec paſcua, nemora, ſylvæ, piſcinæ, molæ Univerſitatum, quibus tenues ſuſtentantur; Hæc enim vendita & Rempubl. & Subditos perdunt. Heresba. *de Republ. Chriſtian. cap. 19.* Beſold. *tract. de ærar. cap.*
27 *6. pag. 156.* Hinc malè agere Principes illos, dicit Menoch. *lib. 3. præſumpt. 100. n. 7.* qui prædia oppidorum & civitatum, quæ communia appellant, ſibi vendicant, & ſuæ Cameræ appropriare contendunt; cùm ea ſunt Univerſitatis, *l. 6. §. 1. ff. de R. J.* Licet habeant particularem ſuperiorem, *l. ſed Celſus circa princip. ff. de contrah. empt.* Cardin. Thuſc. *in lit. P. concl. 115. num.* 1. Eaque ratione Barones non poſſe ligna incidere in nemoribus Univerſitatum ſubditarum, reſpondit Aldovin. *conſil. 46. n. 69.* poſt Menochium in eadem facti ſpecie conſultum *conſ. 437. per tot.*

Quintò etiam Cautio hæc adhiberi poſ- 28
ſet, ut prædia, vel jura ad Rempublicam ſpectantia potiùs pretio dato in feudum, ſuperioritate retentâ, concedantur, quàm prorſus alienentur, Bornit. *d. lib. 2. cap. 7.*
Item, ut non aliis, quàm ſubditis vendan- 29
tur, ne ſimul Jurisdictioni & Imperio Principis ſubtrahantur.

A N N O T A T I O N E S
Ad
CAPUT XLIX.

Num. 5.

(1) A*D Majeſtatem ſpectat Realem &c.*] Majeſtatem Politicorum Scriptorum nonnulli dividunt in *Perſonalem* & *Realem*, quam diſtinctionem inter alios tradunt & Beſoldus *lib. 2. Polit. cap. 2.* & Althuſius *Polit. c. 9. n. 24.* Majeſtatē autem *Perſonalem* eam dicunt, quæ Perſonam Monarchæ reſpicit, in quam collata eſt, cum quâ etiam concidit, & ex qua in aliam poteſt transferri; Majeſtas *Realis* verò (ſecundùm illos) eſt, quæ ipſi Reipublicæ perpetuò inhæret, neque per deceſſum Imperantium exſpirat, ſed, quamdiu corpus regni durat, permanet. Si quid hac in re dicere mihi liceat, ſic reor, quamvis omni ex parte Diſtinctio hæc album calculum haud mereatur, tolerari tamen illam poſſe, niſi quædam annecterentur conſectaria, æquo animo minimè gentium perferenda: E. G. Quod etiam in regno pleno & abſoluto, etiamſi populus cum omni Jure, & cùm toto, ut ita dixerim, pulviſculo transtulerit in Imperantem poteſtatem, Majeſtas tamen Realis maneat Populi, adeoque Majeſtas Imperantis ſemper obſtringatur Majeſtati Imperii, &c. Sicque ab uno hoc errore multos catenatim alios cum eo ſequi poſſe, res ipſa monſtrat, & eò dilaberemur, ut non alieni planè à ſententiis haud admittendis videremur. Itaque Graſvvinckelius *de J. Majeſt. cap. 10. & 11.* aliam hujus diſtinctionis explicationem promere tentat, ſcilicet; ut deſinat Majeſtas Realis, ut primùm in perſonam collata eſt Majeſtas; manente autem Reali Majeſtate, Perſonalis vera Majeſtas nulla ſit, ſed imago ejus reſpectu Adminiſtrationis & Curationis. Inſuper Majeſtatem Realem non eſſe diſtinctam à Perſonali, ex eo colligere licet, quòd Imperio ſeu Regno cohæreat. Jam verò ſi hæc, etiam hominibus inhæreat neceſſe eſt, quia Imperium vel pro ipſis hominibus ſumitur, vel certè hominibus ineſt. Nec obſtat, quòd dicitur, Principe mortuo, remanere nihilominus Poteſtatem ſummam apud Rempublicam, & ſic illi coævam eſſe. Reſponderi enim poterit, illam potiùs abfuiſſe à Republ. quamdiu eam habuit Princeps, & extincto Principe rurſus ad Rempubl. rediiſſe. Unde diſtinguendum inter poteſtatem, quæ cumulativè, & quæ abdicativè in Principem confertur. Ut olim dixi in Diſput. de Majeſtate, quam Dn. Felvvingerus, tum temporis Præſes meus, ſuis Diſſertationibus Politicis *de Omnibus Rerumpubl. ſpeciebus* A. MDCLXVI. conjunctim editis ſubjunxit; quod ſuperiùs quoque notavi.

(2) *De Domanio Regni &c.*] Confer Limnæum *in Notitia Regni Franciæ lib. 2. c. 8. pag 589.* & ſuperiùs annotata *ad libri primi cap. 7. n. 30. (21.)*

Num. 9.

(3) *Quod Facultates Imperii non diſtrahere &c.*] Vide Capitulationis Caroli V. *art. 9.* & ad eum Limnæum *pag. 162. ſeqq.* Ferdinand. I. *art.* 8. Maximiliani II. *art. 11.* Rudolphi II. *art. 8.* Matthiæ *art. 8.* Ferdinandi II. *art. 8.* Ferdinandi III. *art. 9.* Ferdinandi IV. *art. 9.* & ad illum iterum Limnæum *in Addit. ad J. P. Tomo II. pag. 245. ſeqq.* Leopoldi *art. 12.* Ibi: Zu dem und ſinſonderheit ſollen und wollen wir dem H. Röm. Reich / und deſſelben Zugehörungen / nicht allein ohne Wiſſen / Willen / und Zulaſſen gemeldter Churfürſten ſamtlich nichts hingeben / verſchencken / verpfänden / verſetzen / noch in ander weg veräuſſern oder beſchwähern / ſondern uns auch aufs höchſte bearbeiten / und allen möglichen Fleiß und Ernſt fürwenden / das jenige / ſo darvon kommen / als verfallene Fürſtenthumen / Herrſchafften und andere / auch confiſcirte und unconfiſcirte merckliche Güter / die zum theil in anderer fremden Nationen Händen öhngebürlicher Weis gewachſen / zum fürderlichſten wiederum darzu zubringen / zuzueignen und darbey bleiben zulaſſen; ꝛc.

(4) *Caroli IV. & Wenceslai Impp. &c.*] Confer dicta ſuperiùs *lib. 1. c. 4 n. 66. (140) (141) (142) (143) (144) (146) (147) & n. 78.*

Num. 11.

(5) *Omnia, ait, Rex imperio poſſidet &c.*] Vide *lib. 1. c. 1. n. 17. & 26.*

(6) *Ita ex diviſione ſectioneq; ſubſtantiæ paupertas enata &c.*] Gemina ſunt his, quæ Klockius noſter jam antè *hoc libro c. 37. paſſim* docuit.

Num. 12.

(7) *Ad Statum Ariſtocraticum Imperium Roma-*

manum &c.] Formam Imperii Romani mixtam ex Monarchia atque Ariſtocratia hactenus ſcripſere ferè omnes, ſic tamen, ut in ea Monarchia ſecundùm Reinkingium, Wizendorffium & ſequaces, aut certè Ariſtocratia ex doctrina Magnifici Limnæi & rationibus ejus audientium conſenſu præponderaret. At paucos ante annos exſtitit nonnemo ſub nomine Severini de Manzambano, qui *in Diſſ. de Statu Imperii German. cap. 6. & in literis ſecret. de Germ. Imperii forma ad Lælium Fratrem*, illius formam ad irregularem planè redigere conaretur, cui ſe tamen alii & inter illos Chriſtianus à Teuteburg ſpeciali ſcripto oppoſuerunt: Imò alius *in Præfatione ad partem 5.* deß neuen Wappenbuchs Imperium noſtrum Rempublicam merè feudalem, deſinentem in Monarchiam Legibus circumſcriptam, evincere ſatagit. Nos, qui ab hujusmodi doctrina de formis Rerumpubl. Philoſophis, quà Philoſophis, fortè minùs, partim planè incognitis, abſtinere ſatiùs ducimus, priorum opinioni tutius accedi poſſe autumamus.

Num. 14.

(8) *Indeq; Januarium appellatum &c.]* Confer omninò illuſtrem Thuanum *lib. 28. circa finem*, ubi Hoſpitalii Orationem ad conciliandam concordiam inter Religiones diſſidentes in Gallia, planè notabilem exhibet; & Serranum *in Invent. Franc. Hiſtor. pag. 582.*

Num. 17.

(9) *Oppignoratio &c.]* Quàm verò & hæc intuta ſit, Politiciſſimus annotavit Forſtnerus *in Cont. Not. Polit. ad Tacitum lib. 12. c. 29. p. m. 172.*

Num. 25.

(10) *Licentiam alienandi indulgent &c.]* De hoc argumento differens evolvi poterit ſubtilis Grotius *de J. P. & P. lib. 1. cap. 3. §. 12. ſeqq.*

CAPUT L.

Oportuna Tributorum Remiſſio Ærario expediens.

SUMMARIA.

1. Ordinaria tributa ſubditis remittere, *non expedit Reipubl. idque duabus rationibus demonſtratur; & exemplo Imperatoris comprobatur.*

2. *Contrarium ſtatuitur, & recenſentur* diverſi Caſus, *quibus ſubinde expediat remittere tributa ordinaria, ex diverſis Principum exemplis,* num. 3. *etiam ipſiusmet Neronis documento* num. 4.

5. *Tolluntur æquiſſimè* onera *à Succeſſore, quæ Prædeceſſor iniquiter aggraravit: Doceturq; exemplis Principum,* n. 6. 7. 8.

9. *Benè de Republ. meritis poteſt ſubinde remitti* tributum, *& alia id genus onera.*

10. Memorabile exemplum *recenſetur de Republ. Rottvvilenſi, quæ ſuis benè meritis ſenſit egregiam Imperatoris gratitudinem.*

11. Novi Subditi *leniùs tractandi, minùsque gravandi, quàm ſub prioribus Dominis ſoliti ſunt.*

12. *Præclaræ* Fumenii, Auſonii, & Juliani *de Remiſſione Tributorum declamationes: Et* num. 13. 14. 15. 16.

Oportuna tributorum quandoque ſaluti eſt Ærarii remiſſio.

REgulariter non eſt ex uſu Reipublicæ, populo tributa ordinaria remittere,
1 *quod primis annis Imperii ſui Nero Senatu improbante faciebat.* (1) Ratio duplex: (1) Cives aſſueſcunt huic libertati & ægrè ſeſſorem denuò recipiunt: (2) Attenuatur ærarium, & res publica præſidiis ſuæ ſtabilitatis orbatur. Unde nec Imperator ſolus, collectis Turcicis communi Ordinum conſenſu imperatis, immunitatem uni, alterive concedere poteſt, in reliquorum præjudicium, Gail. *lib. 2. obſervat. 59. n. 1.* Matth. Stephan. *lib. 2. de Jurisdict. part. 1. cap. un. membro 1. n. 107.* Schönborn. *lib. 5. politic. cap. 12.* Sed, ſi Ordines quidam in Imperio exiſtant, quibus certis de cauſis immunitas concedenda videtur, communi Ordinum placito id fieri debet, prout Anno MDXLII. *Civitatibus* Goßlar/ (2) Mülhauſen/ Wangen/ & Zell im Hammersbach tributum fuit remiſſum. Receſſ. Imper. de Anno MDXLII. §. Und wiewol die Städte. Nam ut vectigalia ac tributa imponere, ita & immunitatem eorum nemo, niſi is, qui ſummam in Republ. poteſtatem habet, largiri poteſt, Bodin. *libro primo de Republ. cap. 10.*

Interdum tamen Princeps auget Ærarium tributa indulgendo, ita ut verum experiri poſſit, ſeminare ſe indulgendo collecturum ex uno centuplum. Sicut enim agricola, terram ut feraciorem reddat, vacare aliquando ſinit; ſicuti natura corpus ut robuſtius ſomno ſoperat; ſicuti ſagittator arcum, ut intenſiorem remittit: Sic & Princeps in præſens indulgendo, in futurum cumulatiùs indicet tributum. Verùm enim, quòd velut ſi ovis bis mulgeatur in die,

Et ſuccus pecori, & lac ſubducitur agnis:

remiſſa verò in dies,

Bis venit ad mulctra, binos alit ubere fœtus.

Virgil. Eclog. 3.

Sic & populus ſi irrequieto circulo prematur, in ipſo circuli medio eſt caſurus, alioquin per intervalla laxatus, ad circulum animoſior reverſurus. Omnia tempus habet, ait Eccleſiaſtes *cap. 3. verſ. 1.* Parum fuerat hoc dixiſſe, niſi poſt generalitatem hanc, multa ſingulariter ſubſtituiſſet exempla. Addidit ergò *v. 2. tempus naſcendi, & tempus moriendi:* ut quod initium habuit, id finem habiturum ſuâ neceſſitate, intelligamus. Naſcitur tributum, cùm indicitur; moritur, cùm remittitur. *Tempus plantandi, & tempus evellendi plantatum:* Quaſi agricola in regno poſitus Princeps, tributum in eo ſuo tempore plantaverit indicendo, ut & ſuo tempore evellat remittendo. *v. 3. Tempus occidendi, & tempus ſanandi.* Anima ſcili-

ſcilicet & ſanguis eſt civibus pecunia: ſicuti indicendo occidere Subditos videtur Princeps, ſanguinem eruendo, ſic & indulgendo ſanare, ut utrumque ſe unus monſtret, & percuſſorem & medicum; imò & percuſſionem non ad interitum, ſed vegetiorum ad ſalutem, quaſi phlebotomiam quandam intuliſſe: *Tempus deſtruendi, & tempus ædificandi*, reciprocæ omnium vices indicendo ædificat ſibi Princeps, civibus deſtruit; indulgendo ſibi deſtruit, civibus ædificat. *v. 4. Tempus flendi, & tempus ridendi.* Vidit flentes indicendo, videt & ridentes indulgendo; *Tempus lamentandi, & tempus ſaltandi.* Lamentabantur in indictione, ſaltant in remiſſione. Ejus quippe conditionis humanæ res ſunt, ut uno ſemper tenore perdurare omninò non poſſint, quin contrario ſemper ſtatui ſuppoſitæ ſint.

Sic *Marcus Aurelius Antonius*, (3) Imperator & Philoſophus, Subditis, ſi quandò neceſſitas id flagitaret, tributa remittebat: magnis etiam ſalariis eos alebat, qui viarum publicarum curam gerebant. Quibus præterea id mandati dedit, ut aut punirent, aut quò punirentur, præfectis civitatum omnia eorum magiſtratuum nomina deferrent, qui ultra legitimos reditus, quicquam à ſuis exigerent. Et *Divus Hadrianus*, (4) quâ præditus erat humanitate & clementiâ, nolens ſubditos ſuos exactionibus affligere, non extraordinariis modò nullis contributionibus eos prægravabat; ſed cùm Romam, veniſſet, omne populo debitum, quo aut ſibi, aut Ærario publico obſtrictus eſſet, mitigabat. Tiberius item Cæſar, *is, qui improbis Principibus annumeratur*, (5) Præfectis Provinciarum, qui ad tributa imponenda ſubditis authores erant, reſcripſit: Boni paſtoris eſſe tondere pecus, non deglubere; exiſtimans nimirum miſeros & egenos ſubditos nimiis exactionibus & extorſionibus plus æquo onerandos non eſſe. Vivendi enim iis modo ſublato, homicidium in eosdem committitur. Diris contrà devovetur *Themiſtoclis illa vox*: (6) qui exigens pecuniam apud Andrios, verba ad populum faciens, geminum ſe numen afferre, Vim & Exhortationē; innuens nimirū, niſi benignè, quod peteret, impetraret, ad vim ſe deſcenſurum. Nec minùs notabile fuit populi reſponſum, tributum illud recuſantis & detrectantis, dum ait, eſſe ſibi viciſſim duas Divas: Paupertatem & Impotentiam.

2 Cæterùm caſus, in quibus remiſſio tributorum locum habere ſolet, & poteſt, recenſentur hi; (I.) Si Principibus aliquid magni boni & inſperati gaudii obvenit. Ut ſi Hæredes Maſculi naſcantur, ſi Uxores ducant, ſi Victoriis potiantur. Sic Complutum priori ſeculo dedit Imp. Ferdinandum I. & perilluſtri cum fœnore; cùm ex hac cauſa quòd tantus Princeps ibi natus eſſet, perpetuâ vectigalium immunitate fuerit donatum; Republicâ Complutenſi in hunc uſque diem ad beneficii impetrati monumentum Ferdinandi cunas & crepundia ſervante, Alvar. Gomes. de Ximenio *lib. 3. Sig. à Sar. in Orat. funebr. Ferd.* Mithridates cùm primò Romanos viciſſet, debita Civitatibus & publica & privata remiſit, & vacationem quinquennii conceſſit, Juſtin. *lib. 38. c. 3. n. 9.* Simile quid fecit Darius Xerxis filius, cùm Eſtheram, repudiatâ priori uxore, matrimonio ſibi junxiſſet, *in lib. Eſther. cap. 2. v. 18.* Cùmque tributum indixiſſet Subditis, quæſivit ex Provinciarum præfectis, gravene eſſet tributum populo? qui 3
cùm mediocre & tolerabile eſſe reſpondiſſent: præcepit, ne ultra mediam ejus partem aliquid exigerent. Belam quoque, Pannoniæ Regem, omnib. promiſcuè vectigalib. Populo levato, tributoq; generatim Provinciis remiſſo, effeciſſe & Nobilitatem & plebem ditiſſimam; ut nec minimus quidem Ruſticus inventus fuerit egenus, laudat Bonfin. *rer. Ung. decad. 2 lib. 3.*

(II.) Si publicæ Calamitates accidant, vel militum tranſitu aut præſidiis vexata ſit patria; vel ſi Subditi magnis ſterilitatis, incendiorum, inundationum, terræ motuum, & ejusmodi cladibus affecti ſint; Gregor. Tholoſan. *d. lib. 3. cap. 9. num. 12.* 4
Exempla paſſim obvia ſunt: (7) NERO, ſævus licet & crudelis Cæſar, tributum Apaninenſibus terræ motu convulſis in quinquennium remiſit, *Tacit. 12. Ann. 58. n. 3.* TIBERIUS ante eum Sardinis propter aſperrimam in eos luem, quantum Ærario & Fiſco pendebant, in quinquennium quoque remiſit *Tacit. 2. annal. 47. n. 3.* MAGNUS AURELIUS ANTONINUS cùm vetuſta oppida diruta cenſeret, raros incolas remiſſis vectigalibus omnia reſtituit. THEODORICUS Rex Gothorum Gallis tributa remiſit, propter damna ab hoſtibus accepta, Caſſiodor. *lib. 3. Epiſt. 12.*

(III.) Si ab anteceſſoribus onera nova Sub- 5
ditis præter fas & æquū impoſita, jure meritoq; bōis à Principib9 tolluntur, quod factū à Pertinace Imp. qui vectigalia omnia, quæ 6
ad contrahendas pecunias Tyrañi excogitaverant, in fluviorum ripis, atq; in urbiū portibus perque vias & itinera penitùs remiſit & in antiquam libertatem vindicavit, Herodian. *lib. 2. c. 15.* Ita ANTONINUS PIUS Imp. tributa aliquot jam olim impoſita remiſit, monumenta fiſcalium titulorū in foro comportata cremavit, legibusque aſperioribus mitigatis, omnibus modis ſubditorum animos ſibi devinxit, quem tanto amore proſecuti ſunt, ut ſi quis imaginem ejus domi repoſitam non haberet, læſæ Majeſtatis crimen incurriſſe, vulgò judicaretur. Ita alii ingentia

gentiæ indulgentes, ne inguldentiæ magnitudinis memoria ſupereſſet, & ſchedas ipſas hominum debitorum concremandas curarunt, Arcad. & Honor. *in l. 3. C. Theod. de in-*
8 *dulg. deb.* Ita quoque Julianus civitates tributis exhauſtas, ac penè deſertas, mœnibusque orbatas ſua liberalitate erexit in priſtinumque ſplendorem ex Ærario collatâ pecuniâ reſtituit. O laudatam Principis mentem! & eò hercle laudabiliorem, quò quidquid puplicè pendebatur, publicè ab eo exprometur? Quis nunc Principum Quæſtor, qui non plus Fiſco, quàm juſtitiæ faveat? De Henrico VIII. Angliæ Rege regium diadema ſuſcipiente pulhcrè Thom. Morus cecinit *in Epigr. fol. 183.*

Ad mercaturas aperit mare: ſi quod ab illis
Durius exactum eſt antè, remiſit onus.

(IV.) Si quæ vel Regiones & Civitates, vel perſonæ ſingulæ, aut plures, benè de Patriâ & Principe mereantur, Privilegiis hujus immunitatis, aliísve ſæpè donari ſolent. Ita
9 Theodoricus Rex Gothorum Arelatenſibus, quòd obſidionem fortiter toleraſſent, & hoſti reſtitiſſent viriliter, tributa condonavit, Caſſiodor. *lib. 3. Epiſt. 33.* Cùm Rottvvilenſes Anno MCXLVII. Conradum Sueviæ Ducem, qui in Diſſidio Electorum cum Lothario Saxone ſimul Imperator electus, & hoc quidem votis ſuperior, viribus autem inferior erat, ſummo favore in oppidum recepiſſent, ac ſtrenuè contra Lotharium defendiſſent; Conradus paulò pòſt, cùm ad Imperii culmen evectus eſſet, acceptorum beneficiorũ memor in gratitudinis ſignum, & recompenſationis alicujus loco, Civibus Rottvvilenſibus privilegium dedit, & Aulicum Judicium ibi fundavit, ita ut in perpetuum ab hac Urbe ſeparari ne-
10 queat. Quod Judicium vulgò das Rothweiliſch Hoffgericht appellatur à loco, Urbe Imperiali *Rottvvila,* (8) ultra Danubium ad ad ſiniſtram Nicri partem, non longè utriusque fluvii fontibus ſita: quamvis etiam alioquin *Illmæ* hoc Judicium fuiſſe, referat Felix Faber. *l. 22. de Suevia c. 4. p. 258.*

(V) Inſuper pacis tempore extraordinaria tributa remittenda, Cæteroquin, ne ſubditi fidem exuant & obſequium, periculum eſſe, oſtendi, *tract. de Contribut. cap. 7. num. & ſeqq. Sic Elizabetha Angliæ Regina* (9) non tantùm indictionibus, non urſit ſubditos, ſed etiam tributa, tertio quoque anno exigi ſueta, ſuſtulit: imò cùm Regni Ordines aliquando magnam pecuniæ ſummam pro ſumptibus Reipub. neceſſariis offerrent, illa magnam partem recuſavit, ac populo gratias egit; dictitans, pecuniam in ſubditorum arculis eſſe perinde, ac in ſuis.

11 (VI.) Ab acquiſitis de novo ſubditis debent clementer tributa & leniùs exigi, quàm ſub prioribus Principibus; Cominæus *cap. 84.* Martius Conſul, ut animos cæterorum Macedonum ſibi conciliaret, mitiùs egit cum populis Agaſſæ, Obſidibus enim contentus, ſine præſidio reliquit urbem, immunesque ac legibus ſuis victuros eſt pollicitus, Liv. *lib. 44.*

(VII.) Denique eorum ratio commendatior, qui in ipſo imperii ſui primordio, Rempublicam ære gravatam, ac ultimam ad penuriam redactam invenientes, ab omni onere eâ relevatâ, in ſe ipſis debitum ſuſcepêre, remiſſo adhuc, quicquid imperiali ærario debuiſſet, Novell. *148. de indulg. reliq. publ.* Unde & ſubvenire egenti, *humanitatis* ſemper eſt putatum, plus extorquere, quàm quis dederit, *immanitatis.* Ambroſ. *lib. 4. offic. cap. 3.*

De remiſſione tributorum gloriosè declamat Eumenius Panegyriſtes *cap. 5. grat.* 12
act. Conſtantino: Jacebat, *inquit*, civitas non tam innixa Romanis, quàm virium defectione proſtrata, ex quo eam novi cenſus examinaverat acerbitas, nec tamen juſtè queri poterat, cùm & agros, qui deſcripti fuerant, haberemus, & Gallicani cenſus communi formulâ teneremur, qui fortuna nemini poſſumus æquari. Quò magis Imperator, clementiæ tuæ gratias agimus, qui remediis ſponte conceſſis feciſti, ut quod non poteramus jure petere, juſtè obtinuiſſe videamus.

Idem *Eumenius*: Septem millia capi- 13
tum remiſiſti, quartam ampliùs partem noſtrorum cenſuum, & tamen utrum ſufficeret hoc nobis, ſæpius requiſiſti. O nos utrúmne verecundos dicam nimiùm, an ſatis gratos! qui reticuimus, hæſimus, indulgentiæ tuæ amplè fluenti modum fecimus, plus adhuc præſtare cupiebas, ſi auſi fuiſſemus expoſcere. Quantum ſit hoc, Imperator, beneficium, quàm neceſſarium nobis, quàm utile etiam devotionis officiis, non queo ſatis dicere. Remiſſione iſta ſeptem millium capitum, viginti quinque millibus dediſti vires, dediſti opem, dediſti ſalutem, plusque in eo conſecutus es, quod roboraſti, quàm recidiſti in eo quòd remiſiſti, quater tantùm tibi firmum certumque redditum eſt, id quòd irritò petebatur, ſiquidem deſperatio perferendi debiti, etiam id, quod dari poterat, inhibebat, nec erat ratio conandi, cùm non eſſet ſpes ulla complendi.

O divinam, Imperator, tuam in ſananda civitate medicinam, ſic ut ægra corpora & onerata ſtupentium torpore, membrorum reſecatâ aliquâ ſui parte, ſanantur, ut imminuta vigeant, quæ exaggerata torpebant; ita nos nimiâ mole depreſſi, levato onere conſurgimus. Neſcit taxa-

 re

re indulgentiam tuam, qui te putat ſeptem millia capitum ſola donaſſe. Donaſti omnia, quæ ſtare feciſti, quanquam enim adhuc ſub priſtina ſarcina vacillemus, tamen levior videtur, quia vicino nemo præfertur, exonerandi præſumptio dat patientiam ſuſtinendi. Certè & nunc liberi parentes ſuos chariores habent, & mariti conjuges non gravatè tuentur, & parentes adultorum non pœnitet filiorum, quorum onera ſibi remiſſa lætantur. Ita omnium pietas olim feſſa reſpirat, & ſuos quemque juvat numerare ſecurum, cùm plures adjuvant obſequia paucorum, quò magis ſpe futuri temporis elevamur. Recreatur animus ſecuritate præteriti, remiſſisque reliquis nihil eſt, quod expectandum timendumque aliquod virium venturis penſitationibus neget, ita duorum temporum quæ ſunt, maximâ moleſtiâ liberati ſumus, unum, atque id minimum, brevi labore tranſigimus. Nam cùm præteritum tempus pro modo ſuo longum, futurum autem infinitum ſit, præſens breve, & ſemper in partem utramque mutabile, cùm à præterito relinquatur & tranſeat in futurum, unus hic annus propè ſenſum non habet difficultatis duorum temporum indulgentiis coarctatus, & quaſi terminus quidam poſitus felicitati utriusque confinii, qui nos & præteritò liberos facit, & in futuro ſecuros, *cap. 12. gratiarum actionis Conſtantino Auguſto dictæ.*

Idem *Eumenius*: Quidquid terra cœlumque parciùs dederunt, nobis tamen ex beneficio tuo natum eſt, qui quinque annorum reliqua remiſiſti. Quænam toto terrarum Orbe auri argentique Metalla tam larga ſunt, quis Tagus, quisve Pactolus tanto fluxit auro, quantum liberalitate tuâ conſecuti ſumus? nos enim majoris eſt muneris abs te accepiſſe. Quinimò quantò eſt duriùs extorqueri, quod proprium eſt, quàm non acquirere quod fuerit alienum, tantò dulcior eſt remiſſa ſolvendi neceſſitas, quàm lucrandi optata commoditas. Quàm multi, Imper. Auguſte, quos inopia latitare per ſaltus, aut etiam in exilium ire compulerat, iſta remiſſione reliquorum in lucem exeunt, in patriam revertuntur, deſinunt odiſſe agrorum ſuorum ſterilitatem, reſumut nimos operi, præparant culturam, melioribus annituntur auſpiciis, reviſunt domos, referunt vota templis, &c. *capite decimo quarto gratiarum actionis Conſtantino Auguſt.*

Eundem ad modum Auſonius *Panegyrico, ad Gratianum Imper.* Neque verò, *ait*, unum aliquod bonum uno die præſtas; ſed indulgentias ſeculares per ſingula horarum momenta multiplicas. Vel illud unum cujusmodi eſt, de condonatis reſiduis tributorum? quod tu quàm cumulata bonitate feciſti? Quis unquam Imperatorum hoc provinciis ſuis aut uberiore te indulgentiâ dedit, aut certiore ſecuritate proſpexit, aut prudentiâ conſultiore munivit? Fecerat & Trajanus olim, ſed partibus retentis non habebat tantam oblectationem conceſſi debiti portio, quanta ſuberat amaritudo ſervari. Et Antonius indulſerat, ſed imperii non beneficii ſucceſſor invidit; qui ex documentis tabulisque populi condonata repetivit. Tu argumenta omnia flagitandi publicitùs ardere juſſiſti, videri in ſuis quæque foris omnes civitates conflagrationem ſalubris incendii, ardebant ſtirpes fraudum veterum, ardebant ſeminaria futurarum. Jam ſe cum pulvere favilla miſcuerat, jam nubibus fumus involverat, & adhuc obnoxii in paginis concrematis ductus apicum & ſeſtertiorum notas cum lubentia de ratione cernebant, quod meminerant legi, legi poſſe verentes. Quid indulgentius te, quid poteſt eſſe conſultius; quæ bona præſtas, efficis, ne caduca ſint; quæ mala adimis, proſpicis, ne poſſint eſſe recidiva. 15

Præclarè Julianus Imper. *Epiſtol. 48.* Quia, *ait*, conſilium eſt noſtrum, non quàm plurima è ſubditis colligere, ſed quàm plurimum eis prodeſſe, iccircò debita condonamus. Neque tamen omnia, ſed pars una vobis, altera militibus cedat: quæ quidem & ipſo, maxima ex parte veſtra erit, cùm præſertim pacis & ſecuritatis veſtræ causâ impendatur. Quare usque ad tertium tributum vobis remittimus, quidquid è præterito tempore deſideratur, deinceps autem ſolvetis, ſicut conſuetudo poſtulat. Nam & quæ vobis dedimus, ſatis multa ſunt: neque nobis Reipubl. rationes ſunt negligendæ. Hac de re præfectos ſcripſi, ut beneficium vobis verbo datum re perſolvatur. 16

ANNO-

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT L.

Num. 1.

(1) N*Ero Senatu improbante faciebat &c.*] Tacitus *13. Annal. 50. n. 1. ſeq.*

(2) *Civitatibus* Goßlar *&c.*] Vide ſuprà *lib. 1. cap. 1. n. 15. (21.)*

(3) *M. Aurelius Antoninus &c.*] Teſtis eſt Julius Capitolinus *in vita ejus cap. 11. & 17.* & Paulus Diaconus *Hiſt. Miſcell. lib. 10. cap. 17.*

(4) *D. Hadrianus &c.*] De eo Spartianus *c. 7.* Ad colligendam autem gratiam (*inquit*) nihil prætermittens; infinitam pecuniam, quæ Fiſco debebatur, privatis debitoribus in Urbe atque Italia, in provincias verò etiam ex reliquis ingentes ſummas remiſit, ſyngraphis in foro Divi Trajani, quò magis ſecuritas omnibus roboraretur, incenſis.

(5) *Is, qui improbis Principibus annumeratur &c.*] Tiberium & bonum & malum Principem egiſſe, jam ſuprà notavimus, quæ hîc non repetimus. Dictum verò ipſum Tiberii hîc in textu laudatum Suetonius *in vita ejus cap. 32.* refert.

(6) *Themiſtoclis illa vox &c.*] Primi ex Inſulanis Andrii, ut ſcribit Herodotus, aut potiùs ejus Interpres Latinus, Valla, *l. 8. c. 111.* & ex eo Plutarchus *in vita Themiſtoclis* paucis, *Tomo I Oper. p. 122.* pecunias poſcenti Themiſtocli denegaverant, eique alleganti Athenienſes illuc ire duobus magnis numinibus freos, SUADELA & NECESSITATE, & ita ſibi dandas utique eſſe pecunias, reſponderant Athenas proportione magnas eſſe atq; felices, & DIs propitiis benè proceſſiſſe. Nam ſe ad maximam ſoli tenuitatem redactos, Andriorumq; Inſulam totidem propitia Numina nunquam derelinquere, ſed ſemper incolere, INOPIAM & IMPOSSIBILITATEM: Quibus DIs obnoxios Andrios pecuniam non daturos. Nunquam enim Andriorum impoſſibilitate validiorem fore Athenienſium potentiam. Hæc illi quum reſpondiſſent, nec pecuniam dediſſent, obſidebantur.

Num. 4.

(7) *Exempla paſſim obvia ſunt &c.*] Quorum multa congeſſit Tympius *in ſpeculo boni Magiſtratus parte 2 ſign. 91.* Joh à Chockier *in Theſ. Aphoriſm. Polit. lib. 2. cap. 10.* alii.

Num. 10.

(8) *Rottwila &c.*] De hac Civitate Imperiali, ejusque judicio ſic ſcribit Joh. Stumpfius in der Schweitzer-Chronic *lib. 5. cap. 39.* Rotwila vetu oppidum eſt ad flumen Nicrum in colle ſitum: Regia quondam ſedes: benè ædificatum & munitum: Aulicum ibi judicium eſt Sacri Imperii: ubi negotia difficiliora & proſcriptiones perduellium discutiuntur ac decernuntur. Inſtitutum à Conrado III. Imp. anno MCXLVI. Oppidum ipſum ſatis munitum, magnum & agro victui ſufficienti præditum, & civibus, viris fortibus, inſtructum. Confer Reuſner. *de Urb. Imp. XI. pag. 137. ſeq.* Zeillerum *in Topographia Sueviæ pag. 164. ſeqq.* & *in ejusd. append. pag. 96.* De Urbe Knipſchildium *de J. & Privil. Civit. Imp. lib. 3. cap. 32.* De Judicio verò *lib. 2. cap. 33. num. 223. ſeqq.* Wehnerum *in Dedicatoria & Commentariis* in die Rotweiliſche Hof-Gerichts-Ordnung / quam tanti factam fuiſſe in Aula Cæſarea, tradit Beſoldus *in Theſ. Pract. & voce* Rotweiliſch Gericht / ut etiam S. S. Cæſarea Majeſtas, tunc cum certis quibusdam perſonis Reformationem hujus Dicaſterii commiſiſſet, ea Commentaria, quaſi loco Manuductionis, ſequenda eſſe injunxerit: Limnæum *de J. P. lib. 9. cap. 3. per totum*, & omnino Speidelium *in voce* Rotweiliſch Gericht / ubi tenorem hujus inſtitutionis adfert; ex quo clarum evadit, rectiùs ejus natales cum Stumpfio & aliis ad Annum MCXLVI. quàm cum Authore noſtro ad Annum MCXLVII. referri.

Num. 11.

(9) *Sic Elizabetha, Angliæ Regina &c.*] Eadem retulit Author noſter jam ex Cambdeno *l. 1. c. 1. n. 98.*

CAPUT LI.

Tributorum, aliorúmve onerum Enormitas Ærario nociva.

SUMMARIA.

1. Tributa *gravia & oppreſſiones ſubditorum Deo diſplicent*, & num. 3.
2. Princeps *debet Populi ærumnas noſſe, videre, & audire.*
3. Tributa *ubique minuenda; exemplo Principum, qui moderatiſſimè cum ſubditis egiſſe laudantur*, n. 5.
4. Tyrannis *eſt, Rempublicam adminiſtrare adſuum quæſtum.*
6. *Ne tantum imponatur* Prædiis, *ut poſſeſſoribus victus parandi ſpes abſcindatur.*
7. Tributa *ne ſint gravia, hoc num. nec ſordida*, num. 8. & 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20.
9. Difficultas veritatis *apud Principes.*
21. Tributorum *onus nimium quomodo tractandum? ubi plura de obligatione ſolvendi tributa*, num. 22.

Fiſco aucto, arguitur civica pauperies.

Aliud.

Enormes nimiùm ſunt cenſus atque tributa
Injuſta, Ærari peſtis acerba boni.

LEx divina juxtà & naturalis eſt, ut Rex[1] & Regnum ſe invicem adjuvent. Regnum quidem patienter ferendo onera juſtè impoſita: Rex verò clementer commiſerando afflictionibus Regni, quando onera vires ejusdem ſuperant. Quid, quòd Rex divinæ Majeſtatis imago eſt! at non talis imago, quæ aures habeat, & audire non poſſit, oculos habeat & videre nequeat: Sed quemadmodum circa incuna-

cunabula mundi, Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas, *Gen. 1. v. 2.* ac vegetaret inanimatum mundi chaos, & generationis atque corruptionis humidum confoveret: Sic Spiritus Regis, qui Omnipotentiæ divinæ munus gerit, incumbat miſerorum lacrumis, & ſui muneris ducat, animare & vivificare, tot tantisque ærumnis defunctos.

3 Prohibuit DEUS Deuter. 2. v. 9. mixto ſemine ſerere, & plus exigere à terræ fœcunditate, quàm par eſt; dum enim avaritiæ ſeritur, damno metitur, & ager effœtus ſterileſcit, fructusque ad maturitatem haud promovet. Princeps Oeconomus DEI eſt, & hoc inprimis præceptum habet, *juſtitiâ cuſtodire viam innocentis, Proverb. 13. v. 6.* non depaſcere benedictionem pauperum. Unde Theodoricus Rex in hæc verba exclamaſſe fertur: *Deteſtamur miſeros premi, commovemur etiam non querentium malis.* Caſſiodor. *lib. 2. variar. Hiſtor.* Et Rex David ſitiens aquam de ciſterna Bethlehemi, noluit *bibere ſanguinem hominum iſtorum (qui attulerunt) & periculum animarum fortium, 2. Reg. 23 v. 16. & 17.* Omnia pro libidine adminiſtrare gementibus & lamentantibus Subditis, non eſt regni, ſed carceris eſſe cuſtodem, & qui aufert *panem proximi ſui ſudore partum, eſt quaſi, qui occidit animam ſuam, Eccleſiaſtic. 34. v. 26.* *Ariſto-*

4 *teles* (1) & Tullius eam ajunt eſſe tyrannidem, quæ Rempublicam adminiſtret in rem ſuam, ad ſuum quæſtum, bono ſuo. Quisquis igitur bonum publicum & civile regimen in ſuam ſolius utilitatem derivat, Tyrannus eſt Philoſopho & Oratori. At quid hodiè? DEUS bone, à quantis & quàm graviter hac in re peccatur! *Subditi variis exactionum generibus expilantur*, (2) adeò quòd nihil edant, bibant, habeant, & poſſideant, quin ſingulis momentis propria & priùs ſua emant & redimant, Joan. Wolffius *lib. 2. lection. memorab. & recond. centen. 16. pag. 929.* Herman. Lather. *de Cenſu lib 1. cap. 5. num. 2.* Dura ſatis & dira nulla adinveniri lingua poteſt, quæ exactiones, concuſſiones, extorſiones, & immenſa tributa, quæ à nonnullis Principibus, eorúmve miniſtris, quotidiè coguntur, exprimere valeat: adeò ut veluti ſanguiſugæ ipſam etiam medullam & cruorem exugere non deſiſtant.

Non miſſura cutem, niſi plena cruoris hirudo,

Ut ait *Poëta*: (3)

5 Quando ergo populi miſeriæ proveniunt ab exceſſu contributionum, remedium qualitati hujus mali convenientiſſimum eſt, ut Princeps pro paternâ clementiâ onus inſupportabile, quo miſera plebs opprimitur, Juſtiniani & Valentiniani Imperatorum, Ludovici XII. Galliarum Regis, Henrici III. Regis Caſtellæ, aliorumque exemplo moderari dignetur, quò ſubditi vires ſuas reſumere, & priſtinam ſanitatem recuperare poſſint, nec cogantur uxores ſuas & liberos familiamque deſerere, & aliò ſe conferre, atque ita agrorum ſuorum culturam penitus omittere, & curam poſſeſſionum ſuarum abdicare.

Graviſſimum enim habitum tributum 6 ſemper, quod ita excedit laboris fructus, ut rebus malint ipſis poſſeſſores cedere, quàm pro illis impoſitum tributum ſolvere: quale fuit illud, *quod ſub Juſtiniano Cæſare impoſitum dicebatur, ut ait Suidas*, (4) ἐπιβολή, quaſi adjectionem dicas, peſtis improviſa prædiis, quod prorſus omnem victûs parandi ſpem poſſeſſoribus ademerit. Fuerunt hujusmodi Chilperici Regis Franciæ aliquando deſcriptiones graves & novæ, in omni ſuo Regno fieri juſſæ, ſcilicet, ut poſſeſſor de propriâ terrâ, *per aripenne* (5) unam amphoram vini redderet, & alia multa, ob quæ plures reliquerunt civitates illas & poſſeſſiones proprias, ſatiùs ducentes, in aliis regnis peregrinari, quàm tali periculo ſubjacere. Gregor. Turon *lib. 5. Hiſtor. Franc. cap 29.* Certè *Muhammedes Turcarum Imperator*, (6) ille, qui Conſtantinopolin occupavit, referente Nicolao Betſio *de pact. familiar. c. ult. pag. 742.* teſtamento condito, plurimùm ſibi dolere teſtatum reliquit, quòd extra ordinem ſuis provinciis pecuniam imperaſſet: quæ pietas ſi in Principe infideli eſt admiranda, quantò magis tale facinus inter Chriſtianos execrandum veniet: Sordidum omne aurum, quod miſerorum lacrumis & ſanguine diſtillatur! Præſtat ergò monere Principes, ne gravia nimis tri- 7 buta exigant, ſed modica pro anguſtia rerum, & cum Tiberio tondere pecus malint, quàm deglubere: Secus ſi fiat, odio ſe gravant, mercimonia minuunt, agriculturam tollunt, pretia rerum, præſertim prædiorum, valdè reddunt vilia: adeoque bona immobilia hodiè non ampliùs beant, ſed potiùs ob ingentes contributiones, quæ inde ſolvi jubentur, ſuis poſſeſſoribus damnum adferunt. Unde & hodierno tempore, ob continuarum contributionum ſolutionem, non poſſe taxari pretia rerum ſtabilium ad rationem quinque pro centenario, prout aliàs communiter fieri ſolet, ſcripſit Sigism. Scaccia *de commerc. & camb. § 1. quæſt. 7. parte 2. ampliat. 8. num. 36.* ubi & *§ 1. quæſt. 1. num. 931.* docet, quòd ratione periculi res minoris æſtimetur.

Principes quidem ſibi perſuaſum habent, ſe Suadâ & Violentiâ armari. At verò inexpugnabilis eſt Inopia. Inſurgent ſubditi, ſi obruantur, & clamabunt, ſibi quoque duos Deos adeſſe; Paupertatem & Impotentiam: *Et pacem fortaſſe exuent* (7) Principis magis avaritiâ, quàm obſequii im-

impatientiâ. Vim & injurias ægrè tolerant. Hinc ira & quæſtus, & poſtquam non ſubvenitur (interdum ſanè evenit) remedium ex bello, Lipſ. 4. *Polit. 11.* Huc ſpectat illud Michaëlis Hoſpitalii *Epiſt. lib. 6. folio mihi 339.*

Dicam, quod Lycios graviùs poſcente tributum,
Bruto reſpondiſſe ferunt: fac, Brute, quotannis
Bis ſegetes fructum referant, bis floreat æſtas;
Dum verò duplices decimas nos pendere coge,
Et duplex numerare tuis quæſtoribus aurum.

Nullum tanti eſt vectigal, inquit Plinius c. *trigeſimo octavo, Panegyr. ad Trajan.* quod liberos & parentes faciat extraneos: Bona filii pater ſine diminutione poſſideat, nec ſocium hæreditatis accipiat, qui non habet ſocium luctûs. Quòd ſi adjiciantur inſolita, forſitan conſueta ceſſabunt, Symmach. *l. 10. Epiſt. 27.* Habent hoc publicæ neceſſitates, ut impoſſibilia plerumq; perſuadent. Sed
8 cautione opus eſt, ne aſperitas negotii effectu irrito ſolas arceſſat offenſas, quæ nulli magis evitandæ ſunt, quàm Principi. Sæpè, proh dolor! videmus, Gnathones aulicos, ubicunque poſſunt, omnia ita dirigere, ut quotidiè aliquid de juribus & libertatibus populi decreſcat, & Principibus accedat: ut quotidie populus tondeatur, excorietur, & tandem deglubatur: quaſi nihili ſit tot millia ſubditorum ad Paupertatem detrudi, modò paraſitus unus & alter deauretur.

Porrò videat quoque Princeps, ne ſordida ſint tributa. Indignum Rege lucrum ex omni occaſione odorari, vel à mortuo auferre. Multò magis periculoſum, locupletiſſimum quemque in prædam corripi. Deniq; cavendum, ne crebra ſint tributa; & ne identidem Provinciæ novis oneribus turbentur, exquirendo ſubinde novos ſinus, & varia prædandi vocabula, centeſimas, quadrageſimas, quinquageſimas, columnaria, hoſtiaria &c. Lipſ. *lib. 4. Polit. cap. 11.* Abſint, *ait Lipſius d. loc.* quantum poteſt, illa extrema; ne boves ipſos, mox agros, poſtremò corpora ſervitio aut pœnæ tradant: Apage iſtos, qui rem auferunt cum pulviſculo: Quibus ærarium eſt ſpoliarium civiû, cruentarumque prædarum receptaculum.

9 Sed quotusquiſque eſt, qui momenta potentioribus ſignificare audeat? Utcunque rorantia ambitioſis auribus verba inſtillentur, efferunt tamen ſuperbum pectoris ignem, non ſecus, ac faber candenti ferro paucas aſpergit guttulas, ut acriùs irritetur efferveſcentis flammæ ardor. Hinc Moyſes aulæ innutritus non ignorabat, *quàm gravis Principibus ſit veritas,* (8) & Legationem ſibi à DEO imperatam *his verbis* (9) deprecatur: *Quomodo audiet me Pharao, cùm incircumciſis ſim Labiis,* (mutus ſim, vel, ecce ego gracili voce ſum, ut Septuaginta Interpretes) nimirum ſurdi ſunt Reges ad claras & acutas veritatis voces: *Furor illis ſecundùm ſimilitudinem ſerpentis: ſicut aſpidis ſurdæ & obturantis aures ſuas. Quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis ſerpentes. Pſ. 57. num. 5. & 6.* Murenas & ſerpentes, compertum eſt, ad muſices harmoniam ſtupefieri; & ita capi aſpidem verò aures caudâ obvolvere & operire, ne ſimphoniæ dulcedine pellecta, amiſſo veneno marceſcat, & in medicina facienda egregiè prodeſſe poſſit Hæc eſt illa voluntaria ſurditas *apud immiſſos à Deo ſerpentes regulos, quibus non eſt incantatio, Jer 8. v. 17.* ut faſcinum ſapientum monitorum non admittant. Fruſtra itaque gemitus modum miſeriarum rogantes apud ſurdas Principũ aures jactantur: fruſtra graviſſimis populi querimoniis ad miſerationem & condolentiam flectuntur; fruſtra mitiora conſilia meditantur. At miſerorum lacrumæ aquæ naturam haud tenent, in cœlum aſcendunt, priusquam in terram decidant, niſi à Principum bonitate interceptæ, in ubertatem regni refundantur. Huc ſpectat, quod Molina *tract. de juſtit. & jur. diſput. 674 n. 6.* notat, raros eſſe, qui veritatem in materia tributorum Principibus dicant, vel dubium movere illis ullum audeant, cupientes eis placere, ut eorum odium extimeſcentes & populi, quorum id intereſt, non audent ſe Principibus opponere in re, neque ſufficienter audiuntur. Et pulchrè Cardinal. de Lugo *tract. de juſtit. & jur. tom. 2. diſput. 36. ſect. 3. n. 37. in fin* ait, eos, qui in hac materia conſilium dant, magno DEI lumine indigere, ut Zelum veritatis, & publici boni præ oculis habentes, nec Principum æſtimationem & dignitatem apud plebem immeritò lædant, quod graviſſima inconvenientia affert, neque etiam Principi adulentur, omnia ei licita affirmantes. *Hæc ille.* Quid? quod nedum veritas ſit libertatis filia, quam reſciſcitur tum demum Princeps, ſi dicendi judicandique amet libertatem: ſed etiam miſer, ut ille ait, ſit Imperator, apud quem vera reticentur: Tametſi interea non negem, eam licentiam placido & molli ſtylo ſeu verborum byſſo, quoad ejus fieri poteſt, eſſe frenandam & temperandam, ne Longimanorum iras, quas meritò expaveſcimus, in nos derivemus, & noſtro quid ſuamus capiti.

Fuêre quondam Tyranni in innocen- 10
tum corpora tormentis ingenioſi, ſed omnes ſuperant iſti Reguli, qui populum infinitis, innumeriſque oppilant tributis, & ægrâ proſternunt fame. Moſes & Aaron petram percutientes aquas produxerunt, *Exod. 17. verſic. 6.* Conſequente eos petrâ,

1. Cor.

1. *Cor.* 10. *v.* 4. Nonnulli Principes & Reguli iterum iterumque virgâ percutientes lacrumas provocant, quæ illos comitantur & ſubſequuntur. Utinam, utinam, reſipiſcerent cogitarentque, ſe inventuros Deum Judicem & Vindicem, ſepulchrum autem putridi corporis depoſitarium. Hæc enim eſt illa generalis clauſula vitæ humanæ: Mori & judicari, *Hebr.* 9. *verſ.* 27. Nec dubitandum eſt, quin Principum & Tyrannorum major ſit reatus, quàm aliorum; ideò in extremo judicio majores pœnas luent, eò, quòd pluribus nocuerint injuriâ & exemplo, vel graviùs & Deo arrogantiùs ſe oppoſuerint; Job. 21. v. 22. ubi Joan. Cocceus *fol. mihi* 304.

11 Certè quemadmodum urſi, leones, aliaque morſu & ungulis nocentia animantia deponunt inſitam feritatem erga illum, qui paſcit, parent imperanti, blandiuntur: ita nullâ re manſueſcunt homines meliore fide, quàm ſi opibus induſtriâ ſuâ partis, Principis beneficio, frui poſſint. Inde Veſpaſiano & Aureliano Imperatoribus voluptati fuiſſe dicitur, paſcere populum. Et hic quidem, quò vilior eſſet Annona, libræ unciam addidit: ille architecto rationem oſtendenti, quâ prægrandes columnæ exiguis impenſis & paucorum hominum miniſterio in Capitolium duci poſſent, reſpondit: placere ſibi quidem inventum, ſed *ſineret ſe populum paſcere.* (10)

12 Qui autem egeſtatem civium, dominantis ſecuritatem eſſe exiſtimant, vehementer profectò falluntur. Paupertas enim & egeſtas tædium non abjectos homines facit, & puſillanimes; ſed quia afflicta ipſorum fides eſt in pace, & unica ſpes in turbatis rebus, novarum rerum furiosè cupidos: ut nihil ſit tàm difficile, tamque anceps, quod illi non audeant. Et ſemper compertum eſt, egentiſſimum quemque eſſe audaciſſimum; & non rarò in deſperationem abire paupertatem; illam maximè, quæ neque terræ hiatu, neque aquarum inundatione, neque naufragii damno, neque hominum inſidiis, aut denique negotiationum caſibus, ſed crudeli illorum Principum avaritiâ contingit, qui non tondendo gregem ſuum, ſed excoriando & deglubendo, opulentos ſe evaſuros paſtores ſtultiſſimâ opinione ſibi perſuadent.

13 *Et quidem ſi quis annales veteres* (11) evolverit, reperiet, minimas nonnunquam exactiones illicitas, plurimorum graviſſimorumque motuum & ſeditionum cauſam extitiſſe. Cùm enim Reſpublica unum ſit corpus, cujus caput eſt Princeps, talis adhibenda eſt ratio, ut, quemadmodum non niſi legitimum & conveniens alimentum petere debet caput, ne reliqua videlicet membra macreſcant, & exſanguia relinquantur; neque etiam tantum alimenti aliquibus membris concedendum eſt, ut nutrimentum ſubtrahatur reliquis, ut fit in hydropicis: ita Princeps neque tantum vel ad ſe ipſum rapiat, vel amicis & miniſtris ſuis largiatur, quò alii egeant. Quemadmodum enim illegitimo illo modo corpus conſervari & vivere diu nequit; ita pedibus ſubſiſtere diu non poterit Reſpublica, hacque collebante ſimul etiam Princeps, tanquam caput, concidet & corruet. Hinc Veſpaſianus apud Philoſtra- 14
tum Apollonium Tyanæum, (quem ut Numen antiqui venerabantur,) orat, ut, quid facere bono Principi conveniat, ſe doceat: cui præcipit Apollonius, ut eas inprimis divitias fugiat, quæ ex contributionibus & exactionibus miſerorum pauperumque conflatæ eſſent, memor apud animum ſuum continuò dicti Imperatoris Trajani, qui aptâ ſimilitudine Fiſcum lieni comparabat, quo creſcente & intumeſcente re- 15
liqua membra languere neceſſe eſt. Unde etiam Marcus Antonius Aurelius Imperator & Philoſophus ſubditis, ſi quando neceſſitas id flagitaret, tributa remittebat: magnis etiam ſalariis eos alebat, qui viarum publicarum curam gerebant. Quibus præterea id mandati dedit, ut aut punirent, aut quò punirentur, Præfectis civitatum omnia eorum Magiſtratuum nomina deferrent, qui, ultra legitimos reditus, quicquam à ſuis exigerent. 16

Et divus Hadrianus, quâ præditus erat humanitate & clementiâ, nolens ſubditos ſuos exactionibus affligere, non extraordinariis modò ullis contributionibus eos prægravabat, ſed, cùm Romam veniſſet, omne populo debitum, quo aut ſibi, aut Ærario publico obſtrictus eſſet, mitigabat. Tiberius etiam Cæſar (ut ſuprà attigi) 17
is, qui improbis Principibus annumeratur, Præfectis Provinciarum, qui ad tributa imponenda ſubditis authores erant, reſcripſit: *Boni paſtoris eſſe, tondere pecus, non deglubere*: exiſtimans nimirum, miſeros & egenos ſubditos nimiis exactionibus & extorſionibus plus æquo onerandos non eſſe. Vivendi enim iis modo ſublato, homicidium in eosdem committitur. Sic & Da- 18
rius, filius Xerxis, cùm tributum indixiſſet Subditis, quæſivit ex Provinciarum præfectis, gravéne eſſe tributum populo? qui cùm mediocre & tolerabile eſſe reſpondiſſent, præcepit, ne ultra mediam ejus partem aliquid exigerent. Princeps ergo, qui ſatagit, ut omnibus planè facultatibus emungat 19
ſubditos, duobus incommodis cauſam præbet. Primò, quòd maximâ ſibi apud omnes conflat invidiam. Deinde, quòd ex pecunia malè collecta & iniquè extorta, non locupletior, ſed, Deo permittente, infelicior indies & pauperior redditur.

Ut

20 Ut revera Antigonus Rex calumniam, quæ in ſe contorquebatur, quòd nimiùs ſcilicet graviter premeret ſubditos ſuos, excuſaturus, majori ſe culpâ oneret, aliquâ tamen ex parte in Alexandrum benefactorem ſuum ſimul derivatâ. Cùm enim incuſaretur, quòd duriùs Alexandro novis exactionibus urgeret & affligeret ſubditos; non injuriâ, *inquit*, hoc à me fit. *Cùm enim Alexander meſſem*(12) in Aſia fecerit, me ſpicas vel ariſtas ex meſſe illius reſiduas colligere, par atq; æquum eſt.

21 Sed quid ſi magnitudine tributorum premat Princeps ſubditos ſuos, nec Antiſtites rerum ſacrarum aut miniſtri Eccleſiæ (qui Cenſorum Romanorum partem hodiè ſupplent objurgationibus & coërcitionibus religioſis, Herman. Kirchner. *de Republ. Diſputat. 11. fol. 170.*) hoc poſſint approbare, quod hîc eorum erit officium? Quid ad ſe pertinere in tali caſu putabunt, ut populo conſulant, & onus illud, quod à Principe legitimo ipſi impoſitum eſt, nimium ab ejus cervicibus, ſi poſſint, removeant, aut relevent? An tributorum illorum, quæ nimis gravia cenſent, exactores excommunicabunt, aut infamiæ notâ percellent? Principem ipſum, vel Magiſtratum, qui impoſuerit, ne verbo quidem arguere audebunt? Hunc potiùs moneant, orent, obſecrent, ut velit onus illud relevare miſeris. Si nolit, & rationes afferat, cur non poſſit remiſſiora imperare, quid illis ampliùs relinquetur, præter obſequii gloriam? ubi à Magiſtratu ita diſceſſerint, non tamen eos corripient, quibus ille curam tributorum & vectigalium colligendorum commiſerit, ut fulminent in iſtos anathemate, dum Magiſtratus, qui præpoſuit, qui cauſa eſt oneris & origo, ſine increpatione manet, nedum pœnam ab his incurrat. Quid aliud agunt, qui fullonem feriunt, ut faber cadat, ut eſt in veteri proverbio? Claud. Salmaſius *in Diſſertat. de fœnore Trapezitico folio mihi 520. & 521.*

Quò adprimè faciunt ea, quæ Cardinalis 22
Joan. de Lugo *de juſtit. & jur. tom. 2. Diſputat. 36. ſect. 4.* de obligatione ſolvendi tributa, & de peccato illa defraudantium pulchrè ediſſerit, *ubi num. 39. ait*, tributa injuſta, in quibus deeſt cauſa, vel neceſſitas juſta, ut imponantur, non deberi in conſcientia, etiā quando petitur, niſi fortè ſolùm ſint injuſta quoad exceſſum, in quo ſolo ſunt injuſta: Porrò, inquit, tributa juſta deberi in conſcientia eo modo, quo lex obligat, ut ſolvantur: quare ſi lex hæc juſta ſit, obligatio erit in conſcientia ea ſolvendi, antequam petantur; quia lex obligat, & determinat illam ſummam pro ſtipendio debito Regi ad ſuum ſtatum tuendum: quod ſtipendium populus dare tenetur, Rege petente: ſi ergo Rex petit per leges, ut ſolvatur abſque alia nova petitione, unusquisque debet ex ſe illam ſummam ſolvere, ut contingit in decimis, quæ in conſcientia, & ex juſtitia debentur, etiam non petitæ. Hæc ille d. l. ubi pluribus hunc articulum de obligatione ſolvendi tributa examinat & proſequitur.

ANNOTATIONES

Ad

CAPUT LI.

Num. 4.

(1) A*Riſtoteles &c.*] Qui *5. Polit. 10.* & *3. Polit. 7.* definit Tyrannidem Monarchiam ſeu Rempublicam, ubi unus ſummam habet poteſtatem, & ad ſuam reſpicit unicè utilitatem. Sed ob Tyrannidis Definitionem Ariſtotelem obſeſſum in ſuo ſeceſſu à multis Principibus fingit ſatyricus acutus, Trajanus Boccalinus *cent. 1. Relat. 76.* ea ex ratione, quòd ſi Principes illi omnes Tyrannidis Titulo cluant, qui primariò ſuo commodo invigilant, haud facilè fore Potentatum ſive Principum aliquem, utut cæteris præſtet, cui non idem nomen cōpetat. Cùm tamen meritò videatur Paſtor delirare, qui oves alat, amet, paſcat, & pingues reddat, nec tamen aut mulgeat aut tondeat, quamvis fame ipſi pereundum foret; Verùm mox pacem concluſam, poſtquam Ariſtoteles ſic mentem ſuam explicaverat: Tyrannos fuiſſe olim hominum genus valdè ſingulare, qui planè hodie non reperirentur. Ubi tamen notandum, Ariſtotelem *Regnum* appellare ſive Monarchiam, quando imperans *primariò ad communem* reſpicit utilitatem, *3. Pol. 7.* impropriam Monarchiam ſive Tyrannidem, quatenus pro Regno ponitur Barbarorum, & aliàs *Dominatus* dicitur, *4. Polit. 10.* quando Idem *primariò ad ſuam*, ſecundariò demum ad ſalutem ſubditorum reſpicit; Propriè dictam verò *Tyrannidem* ſive Monarchiam peſſimam, quando *tantùm* omnes circuli in Imperio ad unicum illud punctum, *Propriam Utilitatem*, neglectis ſubjectorum emolumentis concurrunt. Adde Forſtnerum *in Not. Polit. ad 12. Annal. 11. n. 2. p. 132.*

(2) *Subditi exactionum variis generibus expilantur &c.*] Graviter de hac ipſa re conqueritur immortalis Forſtnerus *in Not. Polit. ad 6. Annal. 2. num. 1. p. 470.* Volunt quidem Principes credi, ſe rationem à Reipublicæ ærario tenere: ſed opera diverſa ſunt. Cives cùm externo pavidi bello penſione, quam Princeps imperat, credunt, ſe ſalutem redimere; Principis luxum inſtruunt, aut præpotentium in aula avaritiam paſcunt. Quota illorum pars, quæ ad militem alendum, ad urbes & oppida munienda, & cæteras publicas neceſſitates penduntur, in eos uſus, in quos deſtinata ſunt, erogantur? Tum illud intolerandum eſt, quòd quæ ſub diſcriminis articulo extraordinariâ ratione ſolvuntur à civibus, pòſt perpetua fiunt; & quæ gravia atque intoleranda, ſed neceſſitate armorum excuſata, etiam in pace manent plerumque. Tacitus *2. Hiſtor. 84. num. 3.*

(3) *Poëta*

(3) *Poëta &c.*] Horatius *de arte Poëtica verſu finali.*

Num. 6.

(4) *Quod ſub Juſtiniano Cæſare impoſitum dicebatur &c.*] Labem Avaritiæ Juſtiniano Imperatori inurere contendunt nonnulli ſcriptores; verùm ab ea ipſum rectè vindicat Guinetus *pag. 72.* & Giphanius *pag. 166. in vita Juſtiniani*, D. Eichelius *in animadverſion. ad Procopii ἀνέκδοτα p. 126. ſeqq.* Neque credibile eſt ἐπιβολὴν ſive ſuperindictionem (ut Gothofredus *ad Novell. 128. c. 7. lit. u.* interpretatur hanc vocem) ſub Juſtiniano, ut vult Suidas (qui ſæpe & aliàs Juſtinianum cum Juſtino confundere videtur) originem ſumpſiſſe, cùm & duo, & quod excedit, ſecula ante illum reſcriptum de ſuperindicto ab Impp. Gratiano Valentiniano, & Theodoſio promulgatum & in Codicem Juſtinianeum *lib 10.* relatum tale exſtet: Nihil *ſuperindictorum* nomine ad ſolas Præfecturæ literas quisquã Provincialis exſolvat, neque nullius omninò indictionis titulus etiam ſolennis immineat, niſi cum noſtro confirmata judicio & imperialibus nixi præceptis, ſedis ampliſſimæ depoſcat indictio, & cogat exactio. Datum XVIII. Kalend. Julii Mediolani, Antonio & Syagrio Coſſ. Et alibi legitur *Nov. 43 c. 2.* Juſtinianum ſuffragia quo Imperialibus inferebantur rationibus & magnum reddebant pecuniarum cumulũ, ideo contraxiſſe; quò magis hæc cauſa & Reſp. meliore ſucceſſu potiatur, & locupletior redeat, aliquot retrò temporibus à nonnullis excogitati præſtationibus liberata. Plura de ſuperindictionibus vide apud Tholoſanum *Syntagm. Juris Univerſ. l. 3. c. 7.* & Perezium *in Codic. tit. de ſuperindicto.*

(5) *Per aripenne &c.*] Gallis *arpent de terre*, i. e. pro quolibet jugero.

(6) *Muhammedes Turcarum Imperatores &c.*] Eadem habentur jam ſuprà *l. 1. c. 1. n. 92.* ad quæ (*126.*) annotatum nonnihil reperire eſt.

Num. 7.

(7) *Et Pacem fortaſſe exuent &c.*] Ad hæc ipſa verba, quæ deſumpta ſunt ex Tacito *4. Annal. 72. n. 1.* inter alia hæc notat Forſtnerus *p. 442.* Qui hodiè nocere non poterunt, fortaſſe cras poterunt. Tempus & mille nunquam cogitati caſus occaſiones afferunt, quibus non potens modò inimicus, ſed debilis & contemptus, & qui nunquam fortaſſe juvare potuit, poſſit in perniciem ultimam nocere. Non tam omnibus fortunis nudari quis poteſt, ut non ad vindictam ei cultellus remaneat. Priùs necis paternæ, quàm ablati patrimonii obliviſcuntur homines &c. Adde Authorem noſtrum *hoc capite n. 12.*

(8) *Quàm gravis Principibus ſit veritas &c.*] Non repeto hîc, quæ latè ad Politicum Sceleratum *c. 13. p. 118. 119. 120 121.* annotavi de hoc argumento, ſed indicaſſe ſufficere putarim.

(9) *His verbis &c.*] Exodi *6. v. 12.*

Num. 11.

(10) *Sineret ſe populum paſcere &c.*] Confer hoc libro 2. cap 51. n. 11. (15.)

Num. 13. 14. 15. 16. 17. 18.

(11) *Et quidem ſi annales &c.*] Eſt hic numerus *13.* idem, qui in libro I. capite I. iisdem verbis *n. 10.* continetur, ubi (5) (*6.*) vide Sicuti & numero ſequente *14.* Klockius noſter repetit, quæ ibidē *n. 87.* dixerat; ad quæ jam (*118.*) (*119.*) (*120.*) quædam notavimus Præterea eadem, quæ *n. 15. 16. 17.* inculcantur, jam antè præcedenti *c. 5. n. 1.* docuit.

Num. 20.

(12) *Cùm enim Alexander Meſſem &c.*] Memini hujus dicti Plutarchus *in Apophtheg. Tomo 2. Oper. p. 128.*

CAPUT LII.

Æqualis, Juſta & Uniformis ſit Contributio.

SUMMARIA.

1. Exæquare onera *Subditorum, debitamq; ad perſonas proportionem ſervare, id juſtitiæ munus eſt proprium, & ſubditos Principi conciliat.*
2. Incommoda *quæ, ſi ſequius fiat.*
3. Superior *non uni tantùm Reipublicæ parti, ſed æqualiter toti corpori, quàm optimè velit.*
4. Æqualitate *cenſus indicatur.*
5. Forma cenſualis *apud Dionyſium Halicarnaſſeum.*
6. Allelengyon *Græcis quid?*
7. *Proportio &* æqualitas onerum *in Regno Sueciæ.*
8. *In* ordinariis *&* extraordinariis *tributis exigendis multipliciter peccatur.*
9. Peruviana *& barbara tributorum exæquandorum ratio.*
10. Germania *in hac belli calamitate ſe continuis maximisq; tributis ferendis parem eſſe videt.*

Æqualitate gaudet alma & præpotens
Juſtitia; quare cenſuum collatio
Æqualitatis appetens ſit, ſic enim
Futura juſta eſt utilisque Ærario.

1 DIſtributivæ juſtitiæ munus eſt onera exæquare. Conſtat ſanè, nulla re magis ſubditorum animos exaſperari & ad ſeditionem inflammari, quàm ſi debita hæc proportio non ſervetur; à quibus deſertus Princeps dignitatem ſuam minimè tueri poſſit, nec illi officium ſuum exequi: quod eſt, Principem ejusque Ærarium modis omnibus adjuvare, ut in priſtino ſtatu regnum conſervetur, æqualiter juſtitia omnibus adminiſtretur, & vis repellatur. Siquidem Principis eſt, non deſerere populum ſuum, ſi injuria ei fiat: nec enim ſine cauſa gladium portat, *Roman. c. 13. v. 4.* cùm Dei ſit miniſter; ſed eo fine hunc accepit, ut domi foriſque propulſet ac vindicet injurias civibus illatas. Eoque omnia quidem tentare convenit, priusquam ad arma deveniatur: Verùm ſi hâc viâ non proceſſerit, *armatâ etiam vi occurrere neceſſum erit*, (1) dummodò injuriæ illæ tanti ſint, ut has propter ad arma venire cogamur. Et tamen tum quoque ſuſcipi arma debent, non cupiditate nocendi, non dominandi libidine, non ſimiles ob fines: ſed propter commune bonum: hoc eſt, ut ſubditi pacatè

pacatè & tranquillè ex juſtitia ac pietate poſſint vivere.

Cæterùm *peræquatio onerum ſi negligatur*, (2) eaque in paucos & debiliores rejiciantur, & multiplicentur, fieri non poteſt, quin iis oppreſſis & exhauſtis, onera in humeros eorum, qui hactenus partem ſarcinæ levare detrectârunt, concidant & re-
2 dundent: cùm tamen, ſi æqualitas in diſtributione Tributorum ſervata fuiſſet, pro viribus patrimonii laboranti Ærario & toti Reipublicæ ſubvenire ac conſulere potuiſſent. Fruſtra Principes plebe neglectâ, ut
3 defectum corpore caput nutaturumque inſtabili pondere tuentur. Et Ciceronis poſt Platonem & Ariſtotelem præceptum eſt; Reipublicæ moderatores non uni tantùm parti Reipub. ſed toti corpori æqualiter ſtudere debere: alioqui ſemper Fiſcus, Trajani judicio, lieni comparabitur. Imò, niſi animadverterimus, periculum eſt, ne in modum equi Æſopici, qui nunc immunes eſſe volunt, onus integrum aliquando, ut diram ſervitutem, ſuſtinere cogantur. Quemadmodum labor cum pluribus communicatus, fit levior; ita æqualis onerum diſtributio ſine odii aut gratiæ reſpectu, juſtam & uniformem reddit contributionem, neque enim per bonam malámve gratiam hic ſublevandus, ille premendus. Utque ſol & dies omnibus in commune naſcitur; Sic Princeps omnes eadem æquitate continere, & commoda civium divellere non debet. Tolerabile fit omne, quod æquabili ordinatione diſponitur: quia diviſum onus ſub communione ſubjectos certum eſt non gravare, pars enim extrema ad unumquemque redit, cùm ſumma univerſos incluſerit, Caſſiodor. *lib. 3. variar. epiſtol.* 41. Idem: Juſtitiæ ratio perſuadet, excedentes reprimere, ut ad cunctos poſſit quietis ſuavitas pervenire. Nam quomodo æquabiliter agitur, ſi vires mediocrium conſurgere non ſinantur, &c. *libr.* 4. *Epiſtol.* 14. qui etiam videatur *lib. 9. Epiſt.* 2. Contrà Inæqualitas civibus inviſa & odioſa; Vix credas, ubi inæqualitas, quantum angatur inſita humano ingenio invidia, ut pari dolore aliena commoda, ac ſuas injurias metiantur.

Libera abſq; æqualitate non videtur Civitas:
Non arietant inter ſeſe, niſi in eodem, qui ambulant:

4 Huic æquitati ratio unica, Cenſus: res ſaluberrima magno futuro imperio. Hodie tamen negligitur, cùm ſine nulla olim mediocriter bona Reſpublica ſteterit. Et quemque opes ſuas in cenſum deferre, ad multa utile eſt, ait Plato *c. 12. de legib.* Nam hac unâ re fit, ut omnia patrimonii, dignitatis, ætatis, artium, officiorumque diſcrimina in tabulas referantur: atque ita, quantum numero militum, quantum pecuniâ Reſpubl. valeat, monumenta extent. Itaque ex cenſu quotannis tributa conferantur, & lecti Cenſores populi ævitates, ſoboles, familias cenſeant, quibus poteſtas omnis æſtimationis ſummæque conficiendæ permittatur. Sed cùm munus per ſe ſit aſperum, ut odium & ſuſpiciones detrahantur, Cenſores deſignet ipſe populus, maximæ fidei viros numero binos aut ternos in ſingulis civitatibus, & quotannis æſtimia ſive libri cenſuales reviſeantur, ob imminutiones.

Formam Cenſualem, tam bello, quàm pace neceſſariam, quâ non viritim, ſed pro 5
habitu pecuniarum, munia obirent Cives, & quâ ordines ex cenſu æqualiter diſtribuerentur; Vide apud Dionyſium *lib.* 4. & Liv. *lib.* 1.

Ad hoc æqualitatis ſimulacrum *Græci* 6
Cæſares (3) reſpexiſſe videntur: (ut ipſi procurandæ ſtudium diverſimodè impenſum videntes, rem non ita exoticam reputemus) ubi mutuum quoddam inter potentiores & tenuiores debitum conſtituerunt *Allelengyon* nomine, quaſi mutuam fidejuſſionem dicerent: ut ſcilicet egeni pro ditioribus militarent, ditiores provinciales arma iis, & ſtipendia XVIII. numiſmata in ſingulos darent: Item ut pauperum decedentium functiones, ditiores ſolverent.

In Regno Sueciæ, cùm in quavis Pro- 7
vincia non ſit æquè numeroſus miles, ſicut neque indigenarum frequentia æqualis ubique, quæ ſubſidia latura eſt; Ideò ſuper hac re certa ordinatio conſtituta eſt, ut auxilia, quæ hac ratione exercitus ſuſtentationi impenduntur, ſint ubique æqualia, tam in una, quàm in alia Regni Ditione, ut non major unius provinciæ inhabitatori, quàm alterius incumbat ſubſidiorum militarium contributio. Deinde ſi militum in una provincia major eſſet numerus, quàm contributione ex provincia factâ ſuſtentari in expeditione militari poſſit, ille defectus ſuſtentationis ex annuis Coronæ in eadem provincia reditibus ſupplendus, ut militi neceſſaria ex quavis ditione, pro tot menſibus, quot in expeditione eſt commoraturus, ſubminiſtrentur: Quæ ordinatio ſemper obſervanda, ſive copiæ militares domi morentur, ſive ſub ſignis contra hoſtem militent.

At tam in tributis ordinariis, quàm ex- 8
traordinariis injuſtitia variis committitur, multipliciterque peccatur, quando ſcilicet hoc calamitoſiſſimo rerum ſtatu, ex æquo non cenſentur omnes; quando priùs, quàm debentur; quando à miniſtris violentis & avaris acerbè exiguntur: quibus rebus fit, ut etiam, quæ juſta ſunt, inju-

ſta videantur. In extraordinariis, quum ſcilicet ordinaria illa in immenſum augentur, quum fuſis largitionibus privatorum opes exhauriuntur, quum nova quotidie ab harpiis iis avibus & hirudinibus excogitantur, & vel vi, vel fraude extorquentur, quum monopolia inſtituuntur; quum ab potentioribus in tenuiores inclinantur onera: Quod quidem in ſocietate plurimùm ſæpe fieri ſolet. Quemadmodum in *fœdere Smalcaldico* (4) Civitates potiſſimùm emunctas ferunt. Similique infamiæ rumore *Unitos* Principes laboraſſe, nimis quàm notum eſt.

Quibus caſibus correctivæ Juſtitiæ locus datur, ut errores omnes, quibus in vita civili hominum violatur ſocietas, tollantur, atque emendentur.

Peruvianos narrat Joſephus de Acoſta
9 *lib.6.c.3.* gravis Mayzii rationes Tributorum etiam difficillimas nullo negotio ſubducere & expedire. Exempli gratiâ; ut inveniant, quantum ſingulis pro certa portione pendendum ſit, de integra tributi ſumma pluribus impetrata; arripient grana ſua, & ponent hîc unum, illic tria, & alibi octo; transponent unum granum hinc, tria permutabunt inde; & in ſumma tam accuratè explicabunt rationes, ut ne hilum quidem aberrent; & non minùs dextrè invenient quid, quantũq; unumquemq; dare aut accipere oporteat, quam noſtrates, plumâ aut atramento: Et refert noviſſimè Joan. de Laet *in deſcriptione Americæ utriusq; libr. 11. Indiæ Occidentalis c. 20. fol. 479.*

Certè jamdudum in hac bellorum intemporie Germani noſtri contribuere 10
didicerunt. Imò, qui per crudeles tribulationes, inter media arma, nullâ ipſis ſecuritate præſtitâ, immenſam auri vim conferre coacti ſunt, moderata tributa ſine difficultate, in perpetuum continuabunt; Modò pace ſimul potiri & frui poſſint; Modò diſciplina militaris arceatur. Ante hoc tempus ſi vel modica collecta erat inſtituenda, quibus publicè, privatimque ad mendicitatem ſe redigi querulabatur, & impoſſibilitatem prætendebat. At bello hoc penè vicennali effectum eſt, ut vires opesque ſuas, quas florente Imperio non noverat, *jam nôrit Germania.* (5) Et continuis, maximisque tributis parem eſſe videat, quæ ad interruptas olim, & minimas humeros contrahere ſolebat.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT LII.

Num. 1.

(1) *Armatæ etiam vi occurrere neceſſum erit &c.]* Cùm publicæ Legis tutela in medio conſtituta, ne ſibi ipſimet aliquis privatam valeat permittere ultionem, & quamdiu ordinaria remedia ſuperſint, nunquam probari poſſe credam, liberum eſſe merè ſubdito ad arma contra dominum, extra ſeditionis & rebellionis reatum, concurrere; præterquam enim, quòd violenta hæc remedia intuta ſint, & juxta tritum illud ſermone proverbiũ adversùs Principem, qui gladium ſtringit, ei vagina abjicienda eſt; obſtant, quò minùs cum Klockio faciam, & Regula generalis eademq;, ut certiſſima, ita tutiſſima illa Apoſtolica *ad Rom. 13. v. 2.* Qui reſiſtit poteſtati, Ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt. &c. & ea, quæ pulchrè docet B. Gerhardus *Tom. V. in loco de Magiſt. Polit. n. 480. ſeqq. usq; ad fin. p. 480. ſeqq.*

(2) *Peræquatio onerum ſi negligatur &c.]* Cl. Bœclerus, (*inquit* Author *Ariſtidis peræquatoris* ſive diſcurſus de Tributis A. 1663. Francof. editi) ad diligentiam & moderationem (*circa modum exigendi tributa*) omnia refert (*in Theodor. p. 26.*) illuſtri exemplo Theodorici Oſtrogothi. De Conſtantini M. inſtituto Balduinus JC. *in Comment. de LL. ejus lib. II.* qui & ratione perſonarum, diſſuadet ſaltum & ἀχωροπολυψίαν (quæ tamen interdum æquitati convenit) cum Conſil. ſtatus (*le Conſeiller d' Eſtat*) *part. I. cap. XLV.* Ratione facultatum, tenenda proportio, & quidem comparata ſeu reſpectiva, quam Geometricam uſurpant, conſtituto inter nimium & ſat habentes, qui rurſus inter ſe diſcrepant, reſpectu ſummæ juſto intervallo. Nam in hac inæqualitate eſt æqualitas. De Agricola Socero ſignanter Tacitus, (*in vita ejus c. 19. ubi Virdung.*) Frumenti & tributorum auctionem æqualitate munerum mollivit. Ea re Capitationem plurimi damnant, & definitione tributi exterminant: quod tantum pauperrimus, quantum dives conferat. Diſtinxerim collationem magnam à medica: illa pro bonis, hęc pro numero ſubditorum, ut perſonalia munera, juſtè & commodè inſtituitur: quâ non tam gravatur pauper, quàm levatur dives. Pręterea ſingulares circumſtantias, & quod nunquam in his proportionis medium accuratè invenitur, & quòd non hîc quæritur, quid melius, ſed quid non malum.

Num. 6.

(3) *Græci Cæſares &c.]* Nicephori Logothetæ (*qui A Chriſti DCCCII. Imperator Orientis poſt avulſum Occidentem primus fuit,*) ſordes, rapinas & exactiones, Zonoras *Annal. Tom. 3. p. m. 104. b. 1.* deſcripturus, inter præcipua ejus inventa *allelengyon,* (cujus in textu mentio hoc loco fit) numerat his verbis: Inopes Provinciarum militare juſſit, eisq; à finitimis arma & ſtipendia præberi, & inopum vectigalia exigi à locupletibus; quæ conſtitutio *Allelengyon,* quòd alii pro aliis ſponderent, appellata eſt. Hæc Zonoras; *ubi in ſeqq.* alias duriſſimas hujus Nicephori exactiones recenſet. Sic Cuſpinianus *de Cæſar. f. 879.* Non, *inquit,* deſtitit (*Nicephorus*) alia ſuper alia excogitando, in jacturam ſubditorum, quo ſuæ avaritiæ inſerviret. Pauperes militare coëgit, quibus ditiores arma ſubminiſtrabant & tributa: quæ ipſe vocabat εἰς ἀλλήλους τροφὴν, i. e. mutuam nutricationem.

Num. 8.

(4) *Fœdere Smalcaldico &c.]* De quo fœdere à loco ubi A. MDXXXI. percuſſũ Smalcaldia Civitate ut & de Unione Hallæ Suevorum A. MDCX. firmata, vide Limnæum *de J P. l 4. c. 8. n. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. usque 48.* Addit. *Tom. 1. pag. 612.* & Tom. *II. 302.* cum allegatis, ab eo & de

Fœdere

Fœdere Smalcaldico itidem, Dn. Burgoldenſem *in Not. Rer. Imp. Rom. Germ. p. 3. diſc. 2. pag. 21. ſeqq.* De Unione & liga Reinkingk in der Bibliſchen Policey *lib. 2. axiom. 196. in Not. Hiſtor. pag. 637.* cum Hiſtoricis modernis.

Num. 10.

(5) *Jam novit Germaniam &c.*] Novit æquidem jam Germania etiam poſt concluſam pacem opes vireſq; ſuas; ſed has conſumptas has attritas, ſic ut ad priſtinum vigorem paucæ ejus partes adſpirare valeant, multa, quò debile corpus ſuſtentent, ad ſcipionem Moratoriorũ confugere neceſſe habeant. Optandũq; foret, ut quod belli calamitas introduxit, hoc Pacis lenitas plenè planeq; ſopiat!

Et Tu maxime Victor averni
Orbisq; ſimul pacator ades!
Nunc quoque noſtras reſpice terras!
Et ſi qua novo bellua vultu
Quatiet populos terrore gravi,
Tu fulminibus frange biſulcis.

CAPUT LIII.

De modo Collectandi Ærario ſubſerviente.

SUMMARIA.

1. Crebra tributorum impoſitio *quid efficiat? hoc* num. Nobiles *quam velint immunitatem?* num 2 Civitates *quibus onera imponant?* num. 3. *Inſeritur* Urbium & agrorum *in Friſia Occidentali diſſidium*, num. 4. Litigium *hoc Anno MDXCVI.* num. 5. Hollandi *quomodo pecuniam collegerint Anno MDX.* num. 6.

7. Tributorum impoſitio *ex æquo fiat.*

8. *Aliquando libera* capita *cenſentur: in expeditione Turcica id factum,* num. 12.

9. Imperatores *olim ſolis annuis donariis contenti; ſubſequentes Impp. in Comitiis per modum blandæ compellationis ſibi ſubveniri petierunt,* num. 10. & num. 21. *Quid hodie obtineat?* num. 11.

13. Æſtimatio *bonorum æquior, quàm perſonarum.*

14. *Duo* modi collectandi *initio uſitati, deq; primo: de altero ſecundùm expeditionem Romanam introducto,* n. 15. 16. 17. 18. 19. 20.

22. Subditi *contributiones Turcicas ſub pœna dupli præſtare coguntur; nec ulli Statuum modum contribuendi in pecunia, vel milite præſtandum, mutare licet,* n. 23. 24.

25. Contributio *hodie* Römerzug *in pecunia numerata exſolvetur.*

26. Statibus Imperii *ſubditos ſuos in ſubſidium ſubcollectare conceſſum.*

27. Modus contribuendi juxta denarium communem, *quibusdam iniquus fuit viſus; ab aliis autem æquiſſimus judicatus*, n. 29.

28. Secreta patrimonii *non ſunt ſcrutanda.*

30. Gemeiner Pfenning

31. Modus contribuendi juxta Matriculam Imperii, *auf dem Römerzug, pluribus placuit: & quomodo Principes & milites hoc abutantur?* num. 32.

33. Provinciales collectæ *conſenſu populi indicuntur*, num. 34.

35. Diſtributio *collectarum Provincialium.*

36. *In* Belgio *imponitur victualibus & rebus venalibus collecta: quem morem quidam ſequuntur Principes Germaniæ, ſed malè,* numer. 37.

38. Vieh-Schatzung.

39. Diſtributio *Collectarum in Electoratu Sax.* nach den Schöcken.

40. Extraordinariæ collectæ *diſtribuendæ ſecundùm æs & libram: Probatur hoc rationibus & fundamentis,* num. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. & 49.

50. Collecta *de fundis, non niſi deductis oneribus, exſolvenda.*

51. Æqualitas diſtributionis *ſecundùm æs & libram, &* num. 52.

53. Tributum *per jugera ab Henrico I. Rege Angliæ impoſitum.*

59. *Modi aliquot collectandi faceti & feſtivi ex Germanico Philandri idiomate in latinum ſermonem verſi, hoc &* num. 60. 61. 62. *ſeqq. uſq; ad* num. 77. *incluſivè.*

Sit collectandi ratio diſcreta modusque
Congruus, & Fiſci nulla querela manet.

FRequentes ſuper modo imperando-
rum tributorum contentiones oriri, & 1
in Conventibus publicis agitari ſolent.
Etenim ſtudium cuique, æs colligere ex
bonis, ſeu mobilia ea, ſeu immobilia ſint,
minimo ſuo, majori vicinorum onere. Ex-
empli gratiâ; Nobiles & agros incolentes, 2
vectigalia mercibus, navigiis, venditioni-
bus ædium, opificiis, fori cauſis, capitibus,
vino, cerviſiæ, ſaponi, ſali, aceto, carni-
bus, piſcibus, ligno, & humo ad ignium u-
ſum ſiccatæ ſive glebæ uſtili, &c. imponi
facilè patiuntur, armenta & conſita arvo-
rum immunia poſtulantes. Urbes contra 3
& cives cuncta in agrarios rejiciunt, fun-
dosque & pecora, equos, oves, boves, vac-
cas, cenſibus adſcribi cupiunt: mercatu-
râ & navigandi uſu retroeunte ingentem ja-
cturam ſe paſſas quiritantur.

Tale diſſidium Anno MDXCVI. fuit 4
Urbium agrorumque in Friſia Occidentali
de ratione conquirendi æris acerrimè alter-
cantium. Tendebant Urbes, inprimis
adſcribenda cenſui bonorum immobilia;
agris placebat, manere vectigalia tribu-
taque cerviſiæ, vino, ſali, aliisque id ge-
nus impoſita. Id non tam abnuebant ur-
bes, quàm ſubeſſe fraudem querebantur.
Quidque nocturnis tenebris per aggeres
aut ſecreta itinerum, annonam & quæ-
cunque ad victum pertinerent, in agros
convehi, fraudandis exactoribus. Igitur
remedium ſtatutum, ut ne quæ deinceps
naves in pagis vecta exponerent, ſed in ur-

bes cuncta deportaret. Hinc neceſſariò
cuncta peterent pagani proximo trien-
nio, interea in integro agris manſurum jus
ſuum, & immunitates, quas antè ha-
buiſſent. Reidan. *lib. 13. Annal. Belgic. pag.
mihi 334.*
5 Hisce & ſimilibus diſcordiis compo-
nendis laborandum, & remedium quæ-
rendum, ut æqualitate omnium animi
contineantur, inprimis egentiſſimi, qui
victum alibi quærere neſcii, vix apud ſe
diurno quæſtu alimenta expediunt, tri-
buto leventur, digna miſericordiâ turba;
illi verò, qui militum tranſitu parùm gra-
vati, & illibatos agrorum, pecudumque
fructus habent, æquè ac opulenti mercato-
res, aliique, qui nihil agri poſſident, & ta-
men divitiis abundant, in partem one-
rum trahantur, & nulla utrisque relinqua-
tur excuſatio in conferendis pecuniis.
Anno MDC. referente eodem Reidano,
6 ſeu potiùs ejus Interprete Dionyſio Voſſio
lib. 7. pag. 495. Hollandi ingentem æris
vim Senatui poſtulatam, non modò pro-
miſêre, ſed & retinendæ exiſtimationi, ne
præterito anno in parandâ claſſe majora vi-
ribus tentaſſe viderentur, conſilia agitabant
de inſtaurandis mari viribus. Quibus con-
ficiendis aucta tributa in capita ſingulorum,
& qui antè florenos centum pepende-
rant, nunc duplum ejusdem ſummæ ad-
jicere coacti; Eandem ad formam cæteri
proportione ſuarum quisq; facultatum. Et
ne in acerbitatem id vergeret, additum leni-
mentũ, ut pecuniæ reditus quisq; hæredita-
rios, vel, ſi majores mallet, ad vitam caperet.
Regulariter autem modus collectandi ex
7 facultatibus ſubditorum & neceſſitate Rei-
publicæ potiſſimùm metiendus atq; ita in-
ſtituendus eſt, ut poſſibilitas locorum & per-
ſonarum attendatur; omnis. ; circa impoſi-
tionem tributorum iniquitas evitabitur, ſi
omnes ex æquo cenſeantur pro ratione, por-
tione & quantitate bonorum, quæ quisque
poſſidet. Vide Me *tractat. de Contribut. c.
17. n. 58.*
Nonnunquam tamen libera hominum,
8 civium, ſervorum, imò & fœminarum at-
que beſtiarum ſingularum capita cenſentur,
ita ut mas thalerum, dimidium pendat fœ-
mina; ſervusque minùs, beſtia adhuc minùs,
Bod. *in l. 6. de Rep. c 7.* Greg. Thol. *l 3. de Rep.
c. 5.* Bornit. *de Ærar. l 6. c. 2.* Warem. ab Eh-
renb. *de oner. ſubd. c. 5. n. 46.* De æquitate hu-
jus tributi diſſerit Lipſ *l. 2. de admir. c. 3.*
9 Sanè priſci Germanorum Imperatores ſo-
lis annuis denariis, quæ ſubditi in Comitiis
pro cujusq; facultatibus offerebant, conten-
ti fuêre. Hincma. *c. 35. Epiſt 3.* Lehman. *in
Ch. Spirenſ. l. 1. c. 39.* Quin & ſubſequentes
10 Impp. in Comitiis non per modum imperii
ſed blandè compellationis mitleidentlich ſibi
ſubveniri petierunt: Ex quo collectæ, die
Steuren dicebantur Landbete/ weiln man ſie
nicht befelchs/ſondern bittweiſe erhalten/Heig.
l. 1. quæſt. 18 n. 13. Dominic. Arumæ. *de Co-
mit. Imper. c. 5. n. 8.* At hodiè collectæ non 11
minûs ac vectigalia imperantur & ſubditis
etiam invitis irrogantur: In quo ipſo tamen
Statuum conſenſus pariter & neceſſitas ſive
utilitas publica attenditur. Et compertum
eſt, olim ad expeditionem Turcarum colla- 12
tionem capitibus ſive perſonis ipſis; non Do-
minorum tantùm, eorumq; conjugum, &
liberorum, verùm etiam miniſtrorũ Knecht
und Mägde indici conſueviſſe, Receſſ. Imp.
de A. MDXLIV. §. Und wiewol. Henric. Bo-
cer. *de Regal. c. 3.* 13
Verumenimverò is modus collectandi,
quo non perſonæ, ſed bona ſubditorum æ-
ſtimantur, capitatione aliisq; impoſitioni-
bus æquior videtur; quippe quòd perſona-
les ſive cenſus, æquales in capita maximam
civibus injuriâ inferant, quum qui nihil, aut
parum in bonis habet, nihilominus æquale
rerum gravamen cum aliis perferre cogatur, 14
at reales ex compendio rerum privatarum
proficiſcantur. Ideoque ab illo tempore, quo
collectarũ uſus, in Imperio primùm cœpit,
duo generaliter collectandi modi uſurpati &
recepti ſunt. Unus, quo omnibus tam Magi-
ſtratibus quàm privatis & ſubditis, nemine
excepto, collecta indicitur, ſicuti factum eſt,
mit dem gemeinen Pfenning (1) de quo in Co-
mitiis Ratisbonenſib A. MCCC. acriter in-
ter Imperii Status diſceptatum, ac demũ ex-
ſolutio ſecundùm denarium communem,
nach dem gemeinen Pfenning/ omnium con-
ſenſu fuit approbata, Lehman. *in Chron Spi-
renſ l. 7. c. 112.* Anton. Campan. *l. 6. Epiſt. 22.*
qui modus paulatim imutatus ſubſequen-
tibus etiã Comitiis Auguſtanis A. MCCCC-
LXXIV. Francofurtenſib. A MCCCCLX-
XXVI. Norimbergenſibus A. MCCCCLX-
XXVI. Francofurtenſibus A. MCCCCL-
XXXIX. Wormatienſib. A. MCCCCXCV.
obſervatus fuit. Itemq; modus tribuendi A.
MD. in Comitiis Auguſtanis, & A. MDLX-
XI. in Comitiis Colonienſibus, repetitus fuit,
ac poſteà, ut omniũ convenientiſſimus, pla-
cuit Ordinibus Imperii in Receſſu de A. M-
DXLII. §. Und wiewol derſelbẽ auch Alter mo- 15
dus introductus eſt ſecundùm Romanam
Expeditionem, nach dem Römerzug/ ꝛc. Re-
ceſſu de A. MDXLIV. § und damit nun ſolche
Hülffe/ ꝛc. quâ quondam Status Imperii pro
obtinenda & ornanda Coronatione Ponti-
ficia Imperatori in Italiam eunti, ſecundùm
taxam cuiq; adſignatam ſubminiſtrabant *d.
Receſſ. Imper. de A. MDXXI.* §. Auch habẽ uns
Churfürſten/ ꝛc. Cujus Expeditionis meminit
quoq; Lehen-Recht *artic. 8.* Schneidevvin. *de
feud. p. 5. n 114* Rudinger. *cent 4 obſervat. 38.*
Limnæ. *l. 2. de jure publico c. 4 n 109.* Caſp.
Ens *theſaur. politic. 1. lib. 1. apothel. 6 p. 160.*
Solemnis namq; & præpotens cõitatus de- 16
cebat eum, qui in Monarchã & univerſi or-
bis Imperatorẽ inaugurandus & conſecran-

dus

dus ibat, ut quam poteſtatem in ſpiritualib.
obtinet Pontifex Romanus eandem, Imp.
in ſecularib. conſequeretur, *c. ſolicitæ 6. extra
de major & obed.* qui *Aquiſgrani tantùm in
Regem Germaniarum* (2) & Galliarum, Me-
diolani verò in Regem Italiæ inungebatur
Non modò ergo ad decus Imp. ſed & Prin-
cipum Germaniæ ſpectabat, ut maximâ
ſplendoris pompâ ingreſſus fieret in urbem
Romam, feſtumq; inaugurationis celebra-
retur. Goldaſt. *in Bohem. lib. 2. c. 15. in princ.*
Hinc Imperatorem Henricum IV. Romam
pro Inauguratione proficiſcentem Uladisla-
17 us Rex Bohemiæ cum CCC. equitibus ca-
taphractis comitatus perhibetur, Bonfin. *de
reb. Ungar. decad. 2. l. 9. de Anno 1114. Fre-
her. in notis ad P. de Andlo l. 2. c 2.* Et ſcribit
18 Dubravius, quòd A. MCXXXII. Lotharius
II. inſtruxerit in Italiam profectionem roga-
gatu Pontificis, ut Imperialem ab eo accipe-
ret coronam, cui Sobieslaus miſit CCC. e-
quites armatos, *l.* 11. *Chron.* Bohem. *fol. 87.*
Hagec. *in Chronic. de Anno 1132.*
19 Utut verò modus contributionis ſecun-
dùm denarium communem, nach dem ge-
meinen Pfenning in Comitiis An. MDCIII.
à Cæſare Rudolpho II. habitis pleriſque Im-
perii Statibus placuerit, obtinuit nihilomi-
nus per pluritatem votorum alter contribu-
tionis modus, nempe ſecundùm Roma-
nam Expeditionem nach dem Römerzuge in
Receſſu Imp. de A. 1603. verſic. Nichts deſto-
weniger aber: ib. dem einfachẽ Römerzug nach.
20 Etſi verò Expeditio Romana poſt Caro-
lũ V. à ſubſequentidus Impp. omiſſa fuerit,
quod ſc. nihil realitatis per Pontificis coro-
nationem dignitati Imperatoriæ accedere,
eòq; ſumptus adversùm Imperii hoſtes uti-
liùs erogari poſſe putarint, adeoq; hodie Ex-
peditionis iſtius uſus verè nullus exiſtat;
manſit nihilominus ſumma militũ taxata à
Statibus Imperii in caſu neceſſitatis præſtan-
da. Non tamen ſemper dictus peditũ equi-
tumque numerus confertur; ſed ſi Impera-
tori aut Statibus utiliùs pecuniâ, quàm mi-
lite juvare, viſum fuerit, ut factum in Comi-
tiis Spirenſibus A. MDCXLIV. quisque e-
am, quæ ad alendum numerum taxatũ ſuffi-
cit, præſtare obſtrictus eſt, Receſſ. Imp. de
A. 1544. §. Und damit nun ſolche Hülffe/ 2c.
21 At licet Contributiones in quemcunque
etiam finem & contra quemcunq; hoſtem
promittantur, non ex debito, ſed & ſponta-
neo, & condolenti animo proficiſcantur, uti
ex Receſſu Imp. de A. 1592. §. Wiewol man
Churfürſten ibi: zu Abwendung deß Türcki-
ſchen feindlichen Einfals einer freywilligen mit-
leidenlichen Hülffleiſtung ſich vereinigt/ 2c.
Receſſ. de A. 1598. §. Darbey denn auch/ 2c.
& Receſſ. de A. 1603. §. Nichts deſtoweniger
22 aber/ 2c. Attamẽ ſi ſemel in Comitiis & Con-
tributione ſive in pecunia, ſive in milite prę-
ſtanda conventum fuerit, absque omni ini-
qua dilatione ea eſt exſolvenda ſub pœna
dupli in contumaces conſtituta, Receſſ. Im-
perii de A 1594. §. Demnach ſollen die Un- 23
terthanen & Receſſ. A. 1598. nec ulli Statuũ
modum contributionis in pecunia ſeu mili-
te præſtandæ mutare licet, Receſſ. Imper. de
A. 1521. verſic. Item haben wir uns weiter/ 2c.
Qua de re A. 1602. in Comitiis Confluen- 24
tiæ habitis, Status Imperii graviter ſunt con-
queſti: Nach dem vor Alters im Reich her-
kommen/ daß die Stände alle Hülff an Volck
geleiſtet/ daß bey Regierung deß Käiſers dieſe
Erneuerung eingeſchlichen/ daß man die An-
ſchläge uf Gelt geſetzet/ und wenn man Volck
bewilliget/ daß Käiſ. Mayt. von Chur- und
Fürſten/ deßgleichen Graffen und Ständen an
ſtatt deß Volcks eine Summa Gelds empfan-
gen/ und dero Geſtalt die Hülffe verkaufft/ und
mit dem Geld kein Volck beſtellet/ dahero die
Bewilligung unmüglich und unerſprießlich
geweſen/ Lehman *in Chronic. Spirenſ. lib. 7. c.* 25
121. Quin & hodiè communiter ferè Con-
tributio ſecundùm Expeditionem Roma-
nam, nach dem Römerzug in pecunia nume-
rata præſtari ſolet, juxta computationem cu-
jusque Statûs & Circuli omnium Imperii
Procerum conſenſu factam, quam pleniſſi-
mè exhibet Johan. Limnæus *de jure publ. lib.
4. c 7.* Hoc modo non omnibus Imperii Sub-
ditis indiſtinctè, ſed immediatis duntaxat,
puta Electoribus, Principibus, & Statibus 26
primariò collecta imponitur, & quia illi hu-
jusmodi collectam de reditibus propriis ſu-
ſtinere non poterunt, ideò iisdem poteſtas
de publico conceſſa & præfinita eſt, ut ſubdi-
tos eatenus ſaltem, quatenus quemlibet Sta-
tum ſua ſibi ab Imperio aſſignata collectæ
portio reperit, in ſubſidium collectare poſ-
ſint, ut eſt videre in Receſſu de A. MDXXX.
MDXLIV. MCXLVIII. & paſſim in ſubſeq.
Meichſner. *Deciſ. Camer. to. 2. l. 1. deciſ. 60.
n. 71. & ſeqq.* Et dixi pleniſſimè *tractat. de
Contribut. c. 7. n. 66. & 97.* ad quæ pro hac vi-
ce ſit remiſſio. Quamvis verò prior Modus
contribuendi juxta denarium communem, 27
nach dem gemeinen Pfenning/ quibusdam
iniquus ac ſubditis injurioſus fuit viſus, quip-
pe per quem res eorum patrimoniales ma-
nifeſtentur: Durum verò eſt & inhumanũ
publicatione pompamq; rerum familiariũ
& paupertatis detegi vilitatem & invidiæ
exponere divitias, ſecundùm Theodoſium
Imp. *in l. 2. C. quando & quib quart. par.* nec 28
interventu judicis ſecreta ſunt ſcrutanda, *l. 2.
C. de aliment. pupill. præſt.* Attamen ab aliis
Imperii Statibus æquiſſimus eſt judicatus in
Comitiis de An. MDXCVIII. & MDCIII.
Rudolpho II. Impertaori Contributionem
ſecundùm communem denarium petenti 29
annuentibus, & ab Ordinatione Friderici
III. Maximiliani I. & Caroli V. Impp. rece-
dere nolentibus; quorum rationes cùm pro
declaratione ac informatione hujusmodi
contributionis haud parum faciant, Statuũ
Imperii deliberationem deſuper habitam

verbotenus huc ponere lubet: Denn dieſer modus, inquiebant, iſt der erträglichſte/ gleichmäſſigſte/ und billigſte/ in Erwegung/ daß dadurch niemand über ſein Vermögeu / auch keiner vor dem andern beſchweret / ſondern bey Männiglich eine durchgehende Gleichheit deß Vermögens gehalten würde / 2. durch diß Mittel würde die Hülffe nicht nur williger/ ſondern auch gewiſſer und richtiger/ nach jedes Angebühr eingebracht / würde auch dadurch allerhand Streit/ ſo ſich bey dem Römerzug/ ſonderlich in Belegung der Unterthanẽ zutragt verhüttet/ wie dann auch zwiſchen den ausgezogenen und ausziehendẽ Ständen/ 3 Item der Obrigkeit und Unterthanen vorgegebener Ubermaſſe halber/ ſo von ihnen eingebracht würd und daß auch etzliche die Anlagen von den Perſonen / etliche aber nach den Gütern haben wollen/ und zwiſchen den Weltlichen und Geiſtlichen Obrigkeiten in Belegung der Güter oder Perſonen ſich Mißverſtände zutrügen/ welche alle durch diß Mittel nachbleiben könten / 4. Sey gewiß / was für groſſe Beſchwerung bey den Ständen vorhanden/ dann viel/ die ſich deß Anſchlags deß Römerzugs beſchweren und um moderation anhalten/ welcher Streit ſich denn auch hiedurch erledigte. 5. Wäre offt angedeutet worden / daß wo man die Unterthanen mit mehrer Hülffe werde belegen/ daß ſich wol an manchem Ort ein Uſſtand und Schwürigkeit bey den Unterthanen / daher fürnemlichen erfolget / daß bis anhero die Unterthanen die Laſt der Bürde der Türcken-Steuer einig und allein tragen müſten / und deßhalben deſto höher und über ihr Vermögen angelegt und zu Bezahlung der Anlag hoch gedrungen werden / dadurch ſie letzlichen gar in Armut kommen möchten/ wie ſichs deun bey etlichen allbereit zugetragen / welches wo der gemeine Pfenning angeſtellet/ und alſo zwiſchen Unterthanen und Herrſchafften Gleichheit gehalten/ verhütet bleibe/ und die Unterthanen über ihr Vermögen nicht würden belegt &c. ſed alii alterum modum nach dem Römerzug, urſerunt, hisce fundamentis ſubnixi: Sie hätten ſich zu erinnern/ daß Anno 1596. auch auf die vielfältigen vorigen Reichstägen viel Bedencken beyderſeits vorkommen/ weil ſie denn aus denſelben befunden / daß dazumal und von Anno 44. und alſo ſechzig Jahr auf den Römerzug geſchloſſen / ſolche Bedencken / Urſachen / und motiven auch noch bey ihnen gülten / wolten ſie hiemit auf deu Römerzug gewilliget haben / den gemeinen Pfenning anzuſtellen / ſey auf dißmal nicht rathſam (1) denn männiglichen im Römiſchen Reich bekandt/ daß der Türcken Hülffe halber periculum in mora, die Zeit ſpat im Jahre / der Abzug geſchehen müſte und Geld dabey ſeyn/ ſolte man auf den gemeinen Pfennig ſchlieſſen / würde das Werck langſam fortgehen. (2) Der gemeine Pfenning wäre ſuapte naturâ alſo beſchaffen / daß er langſam ins Werck zu bringen/ gienge darinnen ſchwer und mit groſſem Unkoſten zu / (3) die Hülffe ſey gutwillig / treuhertzig / mitleidig und freywillig / zu welcher ſich faſt alle Stände willig erbotten/ ſolte es nun nicht nach dem Römerzuge / ſondern nach dem gemeinen Pfenning regulirt werden/ möchte es etzlichen Ständen præjudicirlich ſeyn / (4) Wäre nicht thunlich auf den gemeinen Pfenning zu gehen / weil er ein bishero ungewohnlich und ungewiß Mittel / darauf man ſich nicht zu verlaſſen / würde auch ſo viel nicht ertragen / als man etwa verhoffte. (5) würde man darauf gehen / ſo würden bey Ständen allerley widerwertige Meinungen und Confuſiones ſich begeben. (6) Und als der gemeine Pfenning etliche mal vorkommen und gewilliget worden / hette man befunden / daß er nie hette recht effectuirt werden wollen/ auf dem nechſten Reichstage were er auch auf die Bahn kommeu / aber aus damals angezogenen Urſachen nicht für bequem geachtet worden/ were noch nicht möglich ſolchen zu effectuiren; geſetzt/ daß er austräglicher / als der Römerzug/ ſo müſte doch ein Mittel gefunden werden/ wie er einzubringen. Anno 42. were ausführlich darvon diſcurrirt worden / dennoch aber hetten die Stände/ ſo Anno 76. auf den gemeinen Pfenning gangen / dafür gehalten / es müſte ein neuer Weg geſucht werden/ wie er zu practiciren. (7) Die Chur-Fürſten und Stände würden nicht gerne zu laſſen / daß ihr/ oder ihrer Unterthanen Vermögen oder Unvermögen ſolte an Tag kommen. (8) Die freye Ritterſchafft würde ſich nicht leichtlich darzu bereden laſſen / und würde den Fürſten ungelegen ſeyn / zu willigen / was die geringen Stände nicht eingeben wolten. (9) Zwiſchen Fürſten und Unterthanen weren compactata gemacht / welche alſo beſchaffen / daß der gemeine Pfenning ohne Widerwillen ſich nicht würde practiciren laſſen. (10) Den Unterthanen würde beſchwerlich ſeyn / wann ſie ſolten ihren Herren Steuer geben / und über das auch dem Reich den gemeinen Pfenning entrichten. (11) Durch den Römerzug könte Ihre Mayt. ſo wol mit einer erſprießlichen Hülffe/ als mit dem gemeinen Pfenning entgegen gangen werden. (12) So were den Herrſchafften nachgelaſſen/ wie die Reichs-Abſchiede mit ſich brächten/ die Unterthaneu zu belegen/ auch notori und kundbar/ daß die Ausgaben je länger / je mehr ſteigen / und die Camer-Gefäll abnehmen/ obwol möchte geſaget werden / diß beſchwerte die Unterthanen allein/ ſo betreffe es doch die Herrẽ auch/ denn ſie müſten ſich angreiffen und deu Leuten mit vorlehen beybringen. (13) Weil auch Ihre Mayt. der Türcken Gefahr halber eine eilende Hülffe bedörfftig / und zum gemeinen Pfenning viel Zeit gehörte / ſich auch bey den Bauersleuten faſt jährlich Veränderung zutrügen/ auch caſus fortuiti / daß einer jetzo arm / denn wieder reich würde/ ſo müſten alle Jahr ſonderliche Beſchreibungen geſchehen / mit groſſem

Un-

Unkoſten und Verlierung der Zeit; Sed hiſce rationibus inſequenti modo reſpondebatur. Dann obwol vermuthet werden will/als ſolte diß Mittel/ſo von vielen Jahren hero nicht gebraucht / nicht füglich ins Werck gerichtet werden können/ ſo achteten ſie hergegen dafür/ weil in den Reichs-Abſchieden der gemeine Pfenning auch gedacht/und richtige Maß und Ordnung vorhanden / ſo würde daraus leichtlichen gute Anleitung und Wege zuſuchen ſeyn/ dadurch der gemeine Pfenning ins Werck gebracht/weilen ohne das bey Beylegung der Unterthanen nach eines jeden Vermögen dem gemeinen Pfenning nachgangen würde/daß derhalben bey dieſem Werck der Unterthanen wegen nicht mehr/ als was im Brauch/vorzunehmen ſey. Die Stände und Herrſchafft betreffende/könnte wol ein Mittel getroffen werden/ (weilen ihnen ſchwer ihr Vermögen offenbar zu machen) dadurch ſolches verhütet / wie dann deßhalbē in gemeldtem Abſchiede allbereit eine gewiſſe Maß und Ordnung bedacht worden / und würde alſo der Möglichkeit / ſolches ins Werck zu richten/kein Mangel ſeyn/daß es aber etwan mehr Zeit ſolte wegnehmen/als bey dem Römerzug/auch deſtoweniger thunlich / weiln man die Hülffen täglich vonnöhten / ſo bedächten ſie / daß aus vorigen Urſachen weniger Zeit würde vonnöhtē ſeyn/ als bey dem Römerzug/ weiln die Unterthanen ohne das dero Vermögen nach beleget werden/ und alſo eben ſowol das / was beym gemeinen Pfenning zu beſorgen/auch bey dem Römerzuge zu befahren/weil alles Zeit bedarff. Anno 44. wäre ſchon bedacht/wie es an die Hand zu nehmen/damit auf dem gemeinen Pfenning keine mehre nicht/ als auf den Römerzug gehen möchte. Als auch angedeutet/ als ſolte der gemeine Pfenning ungewiß/ und Ihre Majeſtät ſich nicht darauf zu verlaſſen haben/ würde dargegen erachtet / daß man eben ſowol bey den Römerzug eine Ungewißheit/weil die Matricul nicht ergäntzet/ viel Abgang befunden / die jenigen Stände / ſo zu hoch angelegt zu ſeyn vermeinen/ den Anſchlag nicht pflegen zu erlegen/ daß alſo beym Römerzug eben ſowol keine Gewißheit vorhanden/als bey dem gemeinen Pfenning / deme doch wol würde zu rahten ſeyn / als auch angemeldet/ daß aus dem Abſchiede / darinn der gemeine Pfeñing verwilliget/befunden/daß es nicht effectuirt/ſo wäre doch männiglich bewuſt / daß Ihre Majeſtät ſich in der Propoſition beſchweren / daß die Anlagen nach dem Römerzug auch nicht erleget/ſondern hohe Reſtanten vorhanden wären / daß alſo bey dem Römerzuge nicht weniger Unrichtigkeit / und der gemeine Pfenning ihres Erachtens viel richtiger könte angerichtet werden / die Pacta und Transactiones zwiſchen den Ständen und Unterthanen; Item daß ſchwerlich zu ſeyn erachtet / daß man der Herrſchafft und Unterthanen Vermögen wiſſen ſolte; ſo wäre wegen der Herrſchafft angezeigt / daß wol Mittel zu finden / gleichfalls würde auch der Unterthanen halber zwiſchen Herrſchafften und Unterthanen nichts weniger ein Mittel können getroffen werden / daß dadurch den Verträgen nichts benommen / ſo wäre bey dem Römerzug eben ſowol die angedeute Beſchwernuß zu finden / daß die Unterthanen neben andern auch mit den Reichsſteuren zu belegen / der Ritterſchafft halben es kein Bedencken / weilen ſie ohne das ihre Anlage dem gemeinen Pfenning nach anſchlügen / und wäre alſo ihres Ermeſſens der gemeine Pfenning weder vor eine Erneuerung oder Beſchwerung zu achten/weil diß Orts die Beſchwerung durch angezeigte Mittel könnte abgewendet / auch nicht dafür gehalten / daß es langſamer möchte zugehen. Weil denn der gemeine Pfenning nutzlicher und zuträglicher / ſo hielten ſie darfür / daß viel rahtſamer wäre die Anlage nach dem gemeinen Pfenning zu richten / daß auch der Unterthanen Vermögen nicht erfahren/wäre dadurch vorzukōmen/ daß die Belegung deß gemeinen Pfennings von der Obrigkeit ſelbſt / nach Laut der Abſchiede/ geſchehen/ und müſte alſo der Unterthanen Vermögen niemand/als ihre Obrigkeit erfahren/ſchlieſſen alſo ihres Theils auf den gemeinen Pfenning.

Quemadmodum haud facilè Principes & Ordines Imperii adducuntur, ut hunc collectandi modum communibus ſuffragiis probent; fortè ne manifeſtetur, in quantum uniuscujusque Status facultates ſeſe extendant, & ob alias rationes iis notas, qui Comitiis Imperii interfuêre: Tametſi hic modus reliquis æquior ſit, & ſubditorum utilitati maximè conveniat d. Receſſ. de Anno 1542. §. Und wiewol derhalben ibi: der füglichſte und billigſte Weg. Unde & Statibus in Comitiis Anno MDCIII. in Cæſarea propoſitione tantoperè fuit commendatus. 30

31 Alter itaque modus, qui fit juxta Matriculam Imperii auf den Römerzug hodiè crebrior & uſitatior eſt, in quo collectæ principaliter ipſis Statibus in certis civitatibus (quæ Leg-Städte appellantur) ſolvendæ indicuntur, facultate ſubditos in ſubſidium (ut dixi) ex more priſco collectandi permiſsâ, hactenus tamen, ut præter taxam ſive portionem ab Imperio ſibi aſſignatam, à ſubditis nihil exigere liceat.

32 Hunc collectandi modum noſtri ſæculi milites, imò & Principes Statusque inferiores (quibus tamen nulla in vicinos competit Jurisdictio) irrecuperabili ſubditorum vicinorumque damno & totali excidio accuratè ſervant; nec ſolùm ſimplum, ſed & decuplum, duodecuplum, imò centuplum & ultra exigunt; proportione gradus, quem quisque in pendendis adverſum Turcas tributis obtineret. *Aſſignationes* vocant. Olim *Reſigno* Diabolica vox, jam vox *Aſſigno* ultimum Sathanæ excrementum.

33 Sed prædicta in univerſalibus Imperii collectis obtinent: Alium verò & diverſum collectandi modum receperunt Principes

& Status Imperii in ſuis Provinciis, indicendo collectas Provinciales ſæpiſſimè ex populi conſenſu potiùs, quàm ex abſoluto Im-
34 perio, Petr. Heig. *p. 1. qu. 18. n. 6.* Unde in Conventibus Provincialibus auf den Landtågen blandè benigneque tractatur cum Statibus & Subditis, ut collectas certo interſtitio pendant, Gail. *de arreſt. c. 10. n. 17.* atque ita Collecta Provincialis, gemeine Landſteuer/ non nudè in ſignum ſubjectionis & vi abſolutæ Superioritatis, ſed pro fructibus & emolumentis jurisdictionis, item pro curis & laboribus, nec non pro recompenſatione expenſarum, quas Domini facere & pati debent, pro pace & quiete tenenda inter Subditos, pro ſua dignitate conſervanda, pro Salariis ad juſtitiam adminiſtrandam exigitur, Simon de Prætis *conſil. 10. n. 1. vol. 3*, Nic. Everhard. Junior *conſil. 10. n. 28. vol. 1.* Chriſtoph. Beſold. *de jurisdict. Imp. Rom. q. 19.*
35 *circ. fin.* Collectam verò ita conventam, vel per æs & libram, æſtimando ſcilicet facultates & obventiones Subditorum, vel per jugationem, vel etiam, rariſſimè tamen, per Capitationem exigunt.

36 In Belgio ac nonnullis aliis locis uſitata eſt Contributio quibusdam rebus, quæ indies venduntur & emuntur, ut vino omnis generis, cerviſiæ cujuscunque generis, frumento ad molendum & comminuendum molendinis oblato, carnibus, beſtiis, aceto, ſali, lignis, panno, veſtibus pretioſis & ſimilibus rebus, quarum uſus & commercium eſt, frequens & quotidiana impoſita, quod Belgarum factum nonnulli Germaniæ Princi-
37 pes & Domini Territoriales imitari ſtudent: ſed nimis infeliciter, non advertentes, ipſorum rationes à ratione Statûs Belgici multis paraſangis diſtare. In Belgio namque ejusmodi collectas vel ſaltem infinita populi & commerciorum multitudo, juſtaq; belli diſciplina & moderatio admittit: Quin & tenuiores in Belgio à ditioribus ſuccum & ſanguinem recipiunt, nec quisquam ex infima fæce plebs, ſi non DC. florenos in ære habeat, extraordinariis contributionibus, quas ditiores Mercatores, & penſionarii agnoſcunt, gravatur, ut dixi *tract. de Contribut. c. 5. n. 176.*

38 In Ducatu Brunſuicenſi, Zellenſis Ditionis, ut plurimùm pro pecoribus & jumentis ſolvi conſuevit. In Provinciis Electoratus Saxoniæ placuit Statibus, collectam imponi bonis immobilibus, ſecundùm Sexagenas
39 nach den Schocken: quem diſtributionis modum in collectis ordinariis ſuo relinquimus vigori. At ſi ſumma & extrema neceſſitas, putà incurſus hoſtium, ſubditos extraordinariè pro avertenda ruina totali collectari jubeat, quod ſanè temporibus noſtris ſæpi-
40 culè accidit, diſtributionem ſecundùm æs & libram, hoc eſt, juxta vires & quantitatem cujusque hominis patrimonii & obventionum, æquiſſimam judicamus, huncque modum Magiſtratus, cui in caſu neceſſitatis vigore jurisdictionis diſtributio incumbit, ſequendo æquiſſimè pariter & tutiſſimè aget: Idque non ſolùm per textûs Juris civilis, *in l.* 41
1. ibi: Civilia munera per ordinem pro modo fortunarum ſuſtinenda ſunt. C. de muner. patrimon. l. 4. C. quemadmod. civil. mun. indic. l. 1. & l. 4. C. de cenſib. l. 1. C. de Apoch. publ. l. 7. 8. & 12. C. de oper. publ. d. l. 4. & 5 ff. de cenſib. l. 6. §. 15. ff. de muner. & honor. quibus in textibus diſtributio pro modo facultatum, ſive ſecundùm æs & libram expreſsè fundata, & ab Imperatoribus, Antonino, Diocletiano, Maximiniano, Theodoſio, Arcadio, Honorio, Gratiano, Valentiniano, nec non à JCtis Ulpiano & Papiniano maximè probata reperitur.

Quibus acceſſerunt Imperatores ſubſequentes & Status Imperii, modum contri- 42
butionis pro facultatibus & patrimonio Subditorum metientes, prout relucet ex Receſſ. Imp. de Anno 1512. §. Und damit die Måſſigung/ de Anno 1524. §. Item wiewol & ſeqq. Anno 1526. 1541. 1542. 1544. Deputations-Abſchied / de Anno 1571. §. Und wiewol vermöge.

Sed etiam ex natura collectarum: Eſt namque collecta onus fructuum, ac ratione 43
poſſeſſionis & perceptionis fructuum potiſſimùm expeditur, *l. fructus 13. verb. functionum. C. de act. empt. l. 2. C. de annon. & tribut. l. omnes. 33. ubi Bald. ex Salicet. C. ſine cenſu.* Surd. *tract. de aliment. tit 7. privil 91. n. 8.* Garz. *de expenſ. & meliorat. c. 11. n. 145.* Valaſc. *de Jure Emphyt. qu. 17. n. 2.* Camill. Borell. *conſ. 63. n. 23.* Johan. Bapt. Valenzuela Velaſques *conſ. 94. n. 54. & ſeq.* Florez Diaz de Mena *qu. 21. n. 82.*

Ergo metienda redit potiùs ex penſo, quàm valore rei, *l. 2. ubi Bart. & alii. C. de* 44
præd. & aliis reb. navicul. Anton. Faber *in C. l. 9. tit. 29. definit. 21.* Guid. Pancirol. *conſil. 153. n. 13.*

Quò adprimè facit Reſponſum Ulpiani *in d. l. forma. 4. ff. de cenſib.* ubi hæc verba 45
habentur: *Forma cenſuali cavetur, ut agri ſic in cenſum referantur; Nomen fundi cujusq;, & in qua civitate, & quo pago ſit, & quos duos vicinos proximos habeat, & id arvum, quod in decem annos proximos ſatum erit, quot jugerum ſit; vinea quot vites habeat; Olivæ quot jugerum, & quot arbores habeant; pratum, quod intra decem annos proximos ſectum erit, quod jugerum; paſcua quot jugerum eſſe videantur; item Sylvæ cæduæ; Omnia ipſe, qui defert, æſtimet.* Elegantiſſimum ſanè hoc eſt Reſponſum, quo collectatio ſecundùm reditus & facultates luculenter probatur.

Cùmque collecta ſit onus reale, vel propterea ſaltem *non per fumantes,* (3) nach 46
den Feuerſtåtten / aut per capitationem, nach den Håuptern/ ſed *per æs & libram,* (4) nach

eines

eines jeden Tax und Vermögen / hoc eſt, ſecundùm vires & quantitatem patrimonii ac obventionum cujusque imponi debet, habito nimirum reſpectu potiùs ad fructus, quàm ad valorem rei. Errant itaque pernicioſè, imò peccant graviſſimè, qui bonorum eorum æſtimationem, & non fructus ſequuntur. Unde enim collecta exigenda, ſi fructus emanſerint?

Non certè ex ligno & lapidibus ædifi-
47 cii ac domûs: ſiquidem fundi ac prædia, non quoad nomen, ſed potiſſimùm quoad qualitatem, ſive quoad fertilitatem collectationi ſupponuntur, ex quo nihil iniquiûs, quàm ſi collecta ſecundùm valorem prædii aut domûs, & non pro fructuum quantitate exigatur, *d. l. forma.* §. *1. ff. de cenſib. d. l fructus. C. de act. empt.* Weſemb. *conſil. 103. n. 15. vol. 3.*

48 Quæ itidem iniquitas, ſi à poſſeſſore domus vel prædii, multo ære alieno gravato, exigantur collectæ, ſecundùm æſtimationem ipſius prædii vel domûs, quæ tamen vel oppignorata, vel exſolutioni æris alieni ſuppoſita, nullo prorſus commodo cedit poſſeſſori, fructibus etiam pro uſuris obligatis. Nonne hoc caſu collecta imponitur ei, qui nihil in bonis habet, nec tantillum, de quo tributum etiam minutiſſimum ſolvere poſſet, contra naturam planè collectarum, ipſiusque juſtitiæ diſtributivæ, quæ vult, ut qui
49 plus habet, plus ſolvat, qui minus, etiam minus, ac qui nihil, itidem nihil, *d. l. form. ff. de cenſib.* Julius Ferret. *de Gabellis n. 474.* Phil. Montiſpelienſis *conſ. 1. n. 2.* Fab. de Anna *conſ. 80. n. 1. & 2.*

50 Unde nec ulla de fundo exſolvi debet collecta, priusquam onera ſint deducta, Garz. Maſtril. *l. 2. Dec. Regni Sicil. 112. n. 28.* Nimirum, quia bona & reditus, de quibus tantummodò tributa ſunt exigenda, dicuntur deductis demùm oneribus, & ære alieno, *l. ſubſignatum.* §. *bona. ff. de V. S.* Andreas Rauchbar. *p. 1. qu. 18. n. 24.* Joh. Grivellus *Deciſ. Dolan. 95. n. 10.*

51 Summa denique æqualitas in diſtributione collectarum ſecundùm æs & libram, ſive ſecundũ qualitates, inde adparet, quòd hoc medio nihil ſubtrahi poſſit juri collectationis obnoxium, nòn ſanè res mobiles, quæ fructus gignunt, *d. l. forma.* §. *in ſervis. ff. de cenſib.* nec pecuniæ fœneratitiæ, nec penſio-
52 nes annuæ, nec debita exigibilia, nec etiam merces mercatorum, nec ſalaria, nec mercedes opificum, nec alii reditus & proventus. Vide Me *d. tract. de Contribut. c. 11. n. 68. & ſeqq. c. 17. & per tot.*

Jugatio ab Henrico I. Anglorum Rege
53 inventa; cùm enim vellet pecuniam parare dotis causâ Mathildæ filiæ, pactæ Henrico V. Imperatori, tributum per jugera terræ impoſuit; unde ingentem collegit pecuniam. Polydor. Vergil. *lib. 1. Hiſt. Angl.*

Placet hîc referre & Latinæ conſuetu- 59
dini tradere quorundam recens natorum Politicorum ridiculas, & ineptas conſultationes de augendo & locupletando Principis Ærario habitas, quas celebris Satyricus Philander de Sittevvald in tractatu, cui titulum fecit, *Rationem Status*, Germanico idiomate congeſſit, inque ſcenam produxit.

Exhauſto, *inquit*, ærario Principis & 60
ſpreto conſilio ſenum, qui veſtigiis patris inſiſtendum, ſanum imperium formandum, inutilia & gravia aulæ pondera ablegandа Principi ſuaſerant, novi illi Politici conveniunt, deliberaturi, quomodo pecunia quàm citiſſimè comparari poſſit; Cui conſultationi facetus quidam Aulæ Conſiliarius & Poëta inprimis adhibebatur, qui & honoris causâ primum votum dicere rogabatur. Huic in mentem venit, quòd defunctus Princeps magnâ vi auri pretioſas picturas ſibi comparaſſet, quæ hodiè abjectæ, neque in in pretio ullo habeantur, ne quicquam proſint, propterea templa potiùs iis exornanda ſuadet, & è contra, quanti æſtimentur, ex Eccleſiarum reditibus & proventibus deducendum; hoc modo quàm citiſſimè pecuniam colligi poſſe: Nec impedimento fore picturas aliquot profanas, quippe quibus alius ſenſus facili negotio affingi poſſit. Sic, ſi fortè Venus & Cupido in tabula quadam inveniantur una, ſubſcribendum erit, eſſe hanc figuram ſacram. Similiter ſi occurrat illa, quomodo Jupiter ad Danaen in clauſam & novam turrim ſemetipſum immittat, ſeque cum pluvia aurea in ejus ſinum effundat, ſubſcribendum, denotare hoc populum Iſraëliticum, ad quem ad montem Sinai diſtillet *Manna.* Ita ſi cernas Pyramum & Thysbem mortem ſibimet ipſis conſciſcentes, poteſt hoc optimè accipi de Equite S. Georgio, videlicet, ut Pyramus ſit S. Georgius, Thysbe, Regis filia, Draco, Leo ille, qui invenit velamen Thysbes, S. Georgii lancea ſit enſis Pyrami, fons ad quem contigit, Sancti Georgii equus. Ita & cum reliquis procedendum, & hoc pacto hominibus laicis facilè imponi poterit. Actæon cornutus, & à canibus ſuis laceratus, repræſentet patientiſſimum Hiobum, Diana ſit ipſius uxor, quæ venenoſis dictis grandia cornua miſeriæ ipſi imponit; Eliphat, Baldat, & Sophar canes, qui convitiis ipſius cor & carnem rodunt. Quod ſi cruentæ clades, vel in Monte Albo, vel in agro Lipſienſi, & Nordlingenſi commiſſæ reperiantur, adſcribe, eſſe grandem illum conflictum S. Michaëlis cum inferis. Si Jupiter cæteros Deos ad convivium invitans, eos pretioſiſſimo fortè nectare inebriet, dicas, adumbrari ibi nuptias in Cana Galilææ olim celebratas. Quòd ſi tamen ejusmodi picturæ occurrant, quibus hoc modo alius ſenſus commodè quæri non poſſit, tunc quærendus erit alius emptor,

opu-

opulentus videlicet quidam Prælatus, cujus ſingulari devotioni vel ut inſerviant, vel ut iude egregias contemplationes & recreationes is ſibi hauriat. Ita, homo ille multæ lectionis votum ſuum concludebat.

61 Cùm hic finem dicendi feciſſet, ſecundus corrugans frontem reſpondet, hoc Conſilium ſibi neutiquam videri utile aut conſultum; quid ſi enim picturæ profanæ in Eccleſiis & locis ſacris reponantur, feneſtram & bipatentem januam ex ſententia aperiri hæreticis, qui ex conſuetudine omnia reprehendere, & cum vento litigare ſoleant, ſi ante ædes Clerici cujusdam fortè nimis lenè ſpiret. Et quamvis nonnulli eorum multò pernitioſiores figuras cordi ſuo impreſſerint, ut ſimultatem, ambitionem, philautiam, &c. tamen hunc dolum minimè eos approbaturos, ſed potiùs clamaturos, ſe jam ſatis prægnantem cauſam accepiſſe, quare nunquam poſthac redeant ad Eccleſiam Catholicam, cùm videant Venerem & Cupidinem, Pyramum & Thysbem, Bacchum & Jovem invocari à nobis pro Diis: Placere ergo ſibi, ut gemmæ potiùs vendantur, unde ſatis magna ſumma auri colligi poſſit, ad nihil aliud enim conducere, niſi ad inanem faſtum, quare multò utiliùs, ſi alienentur, & militibus exinde ſtipendia ſolvantur, ut tot loca munita in manibus Principis conſerventur.

62 Tertiò loco verba faciens dicebat, neque hoc conſilii ſatis eſſe ponderatum; nam licet omnes gemmæ congerantur in unum, ubi tàm citò emptorem inventuræ ſint? Num Venetias, aut in alias peregrinas oras priùs ablegandæ? Nemo tertiam juſti pretii partem licebitur. Nam ita comparatum eſſe cum iis rebus, ut qui ejusmodi lapillum poſſideat, non poſſit ſatis extollere ejus virtutem, usque dum ſtultum quendam pecuniâ emungat; ſi is rurſus alii vendere velit, ne dimidium quidem prioris pretii æſtimabitur. Nam ex veteri proverbio, generoſum Equum, & pretioſam Gemmã tanti venire, quanti à numoſo quodam ſtulto emantur. Cogitandum præterea, quàm malè hodie vulgò audiant, quòd Ærarium Principis tàm temerè profuſum, quòd ſi picturæ & gemmæ inſuper alienentur, fore periculoſæ plenum opus aleæ, cujus ſuffragator ipſe eſſe nolit. Sumatur potiùs quantitas quædam pecuniæ ab opulentis mercatoribus mutuò, iisque viciſſim pretioſi lapides oppignorentur, poterunt tandem tractu temporis relui. Quòd ſi hâc non procedet, aliâ aggrediendum erit viâ. Certum eſt, Epiſcopos, Prælatos, Abbates, Monaſteria & alios Clericos paratam habere pecuniam; horum unusquisque dimidiam ejus partem ex cauſa publicæ Neceſſitatis mutuari, & ex altero dimidio æquè lautè vivere poterit; Ii qui, paratam pecuniam non habent, dimidium ſuorum annuorum redituum contribuant, ex reliquo vivant, hoc ipſum citra præjudicium dignitatis & authoritatis Eccleſiaſticæ ipſis erit. Aucto & locupletato ærario, illis aliquando refundi, & lapides interim oppignorari poterunt.

Hunc excipiebat Quartus, dicens; Epiſcopos, Abbates, aliosque Prælatos vix ad id adductum iri, cùm pecunia ſit idipſum, quod in hisce terris unicè ament Clerici; Nec æquum etiam eſſe, ut militibus ſæcularibus detur pecunia Clericalis, qui hoc moliantur, eos manere pœnam aquilæ iſtius, qui carnem aſſatam olim furto auferebat ab Altari, & pullis eam adferebat ſuis, inſcia, ardentem prunam ei adhærere, quâ ipſâ nidus, & pulli unà cum parente in incendium miſſi. Eapropter ſe authorem fore, ut, quibus temporalia dari non poſſint, offerantur ſpiritualia, videlicet, ut qui deſiderent, fieri curetur Româ afferri bullas, indulgentias, agnos DEI: Alii ſenio jam confecti & bello inutiles monaſteriis excipiantur, iisque alimenta ad dies vitæ conſtituantur, ſi qui ſint, quibus illud non arrideat, ii pœnâ exemplari afficiantur, vel in bannum Eccleſiaſticum canonicè, & in forma percutiente conjiciantur, certè eorum faſtus facilè ſupprimetur. Hoc eſt Conſilium, quod ipſe habeat, quo nullum ſciat meliùs. 63

64 Poſt tunc Quintus aperiebat ſuam mentem, putabatque, hisce mediis nec milites contentos fore, nec bannum ipſum eos moturum, quòd media ſolutionis ipſi in manibus habeant, ſcilicet loca munita, unà cum rebus in iis contentis, & à vicinis magnatibus ad ſeditionem ſolicitentur, ad quam media præſentent, & paratam pecuniam offerant. Militum creditum eſſe juſtum, quibus rebus ſic ſtantibus ad defenſionem Ducatûs carere non poſſint; pecuniâ itaque in officio retinendi. Hujus qui participes fiant, inveniſſe ſe ſtratagema juridum tale: Notum, multos reperiri in Ducatu maleferiatos rebelles, qui & de ſtatu ipſo, & de Religione Catholica multa periculosè & ſcandalosè dicant, Contra illos proceſſus criminales inſtituendi, illi criminis rebellionis accuſandi, & chartæ in proceſſu & determinatione cauſæ ita miſcendæ erunt, ut ipſi ſuccumbant Quòd ſi aſperitatem illam ſentient, confiſcationemque bonorum extimeſcent, pecuniam maximâ majorem offerent, modò in ſuis quietè relinquantur. Hoc modo plus pecuniæ intra annum colligi poterit, quàm ſi omnes pecuniæ & gemmæ vendantur.

65 Sextus regerit, Quinti Conſiliarii ſententiam minimè è re fore Catholicorum. Cogitandum quippe, quòd uti inter Catholicos multi hæretici, ita hæreticis multi Catholici mixti ſint, quòd ſi contra hæreticos ejus-

ejuſmodi proceſſus adornentur à Catholicis, ſimiles formabunt hæreticorum Principes: Nam quod exemplo ſit, id jure fieri putant. Hæc regula hæreticis notiſſima & uſitatiſſima eſt. Ut taceam, quòd hi proceſſus multos intra annos vix finiri poſſint. Cùm tamen ad ſatisfactionem militiæ opus ſit pecuniâ quàm paratiſſimâ. Ideoque arbitrabatur, ſatius eſſe, ſi vectigalia Principis ditiſſimi Ducatûs ad certum tempus hypothecæ obligentur, ita tamen, ut illi tot centum millia ſtatim ſolvant, & interim poteſtatem habeant, vectigalibus pro poſſe & velle utendi fruendi, eaque aliis rurſus locandi.

66 Septimus brevitatis ſtudio ſe refert ad majora.

Octavus pejora affert. Dominus Prælatus fricare aures, neſcius, quodnam ex tot in medium allatis Conſiliis eligendum ſit optimum: rogat itaque, ut & reliqui ſuam dicant ſententiam.

67 Hiſce Nonus crine ruber & ramoſis pedibus ita incipit; Quamvis Conſilium ſibi non ſit, aliorum conſilia ſyndicare, tamen quantum intellexerit, illa eò tendere omnia, quomodo ex ipſius Principis mediis pecunia poſſit colligi: quo fine ipſius vectigalia gemmas, picturas alienari ſuaſum; hoc non eſſe debito liberari, ſed novo implicari, nec ærarium locupletare, ſed magis magiſque exhaurire, propterea alia, & quidem ejuſmodi media excogitanda erunt, quæ ipſi Principi, ipſiuſque ærario non oneri, ſed lucro ſint. In conſideratione hujus conſultiſſimum, ſi omnibus rebus ad victũ & amictum neceſſariis certa quantitas pro vectigali imponatur, ut quoties vendantur, permutentur, aut alienentur, vigeſimus, trigeſimus, vel quadrageſimus teruncius exigatur, hoc pacto intra annũ tantum auri colligi poterit, quod non modò ſatisfactioni militiæ ſufficiat, verùm etiam quod ſuperſit. Subditi hoc juſtè recuſare non poterunt, cùm militibus ad defenſionem Ducatûs, & conſequenter ad propriam ſalutem opus habeant, & inevitabilis neceſſitas hoc ſuadeat. Juſtiſſimum tributum, quod eſt neceſſarium, & piæ illæ, quæ civibus imperantur, collectæ, ſine quibus civitas ipſa funditus ſit interitura.

68 Hujus ſententia toti conventui videbatur ſpecioſa, tamen ſequens Conſultor non poterat relinquere irreprehenſam, prætendens, hoc è diametro adverſari privilegiis Subditorum, qui non aſſueti ſingulos bolos, quos in os immittant, priùs redimere, hoc oneris quàm maximè miſeros opifices & mercenarios preſſurum, qui omnia ad victum neceſſaria antè in foro emere neceſſe habeant; cùm tamen æquitas ſuadeat, ut talia onera bonis immobilibus, ut ædibus, prædiis, vineis, agris, molis, &c. imponantur, ne grandes fuci contributionis rete perrumpant, miſeræ muſcæ capiantur. Hinc ut æqualitas inter omnes tam divites, quàm inopes, obſervetur, univerſalis Capitatio indicenda, & omnibus & ſingulis, divitibus & pauperibus, dominis & ſervis una & certa ſumma conſtituenda erit, quam paterfamilias tàm pro ſervis, quàm pro ſe ſuiſque liberis tributi exactoribus ſolvere neceſſe habeant. Famuli poſteà tempore ſolutionis mercedis hac ſummâ careant. Quod ſi etiam pecoribus, videlicet equis, bobus, ſuibus, ovibus, & damis talis capitatio imponatur, tantò plus colligi poterit.

Hoc Conſilium æquè ac ſuperius judicabatur iniquum, quòd æqualem collectam pauperrimo bubulco & ditiſſimo Mercatori imponeret. 69 Æquius putabunt, ut non ſolùm cives, ſed & peregrini, qui commodum ex uſu commerciorum ſentiunt, aliquid oneris ferant. Hinc diverſa loca diverſis foris deſtinanda, ut qui iis uti velint, pro uſu eorum aliquid certi pendant: Incolæ verò novis privilegiis, quæ vel commodum, ſeu ſtatum & dignitatem ipſorum ſpectent, ad numerationem pecuniæ incitentur. Quando hiſce modis magna pecuniæ ſumma collecta fuerit, tum moneta vel mutetur, vel aliter ponderetur; hoc militibus perinde erit, cùm ab incolis viciſſim recipiatur.

Undecimus Conſiliarius ſentiebat, 70 contributionis onus hoc pacto ad ſolos urbanos, non verò ad agricolas devolutum iri, quorum hi tamen multò plura media ſciant comparandi pecuniam in agris, quàm illi in urbibus. Ideo conſultius, ut moroſos & agreſtes ruſticos contributio gravet, qui ſi eam ferre recuſent, executivis mediis compelli poterunt.

Hujus ſententia valdè arridebat Duodecimo, qui addebat & hoc, quòd ſciat adhuc elegans ſtratagema, ut quoties ruſtico naſcatur infans, toties florenum aureum ſolvere cogatur; hoc ſub prætextu caſûs neceſſitatis excuſari poſſe, poſtquam ſemel introductum fuerit, Dominus jus ſibi quæſitum manutenebit. Vivant in Ducatu ad minimum centum millia ruſticorum, horum ſingulis ſi vel quotannis unicus naſcatur infans, Fiſcus 100000. florenis auctus erit. Sanè Princeps non peccaſſet, ſi in compenſationem hujus Conſilii Conſiliario aureum torquem, vel annuos reditus ad quantitatem ſexaginta coronatorum donaſſet.

Dominus Prælatus ſuam ſapientiam diutiùs continere nequiens, hunc interpellabat, inquiens: Quòd ſi tantum tributum ruſticis imponatur pro liberis, vel liberis omninò

omninò operam non dabunt, vel tam artificioſos in concubitu ſe gerent, ut rarò uxores concipiant. Quod de clauſtris Hiſpanorum & Italorum replicando opponitur, ſicco pede præterimus, ad fontem ipſum cupidum Lectorem remittentes.

Quod ſi iis mediis pecunia corradenda,
72 reſpondebat Ultimus, ſuaſerim, ut imponatur Datium ſtercori & urinæ, ſic benè providebimus ſacculo & culinæ. Exigatur etiam vectigal pro domo, pro camino, pro farina, pro latrinis, pro tegulis, pro umbra, pro fumo, & fimo, pro aëre & ſpiritu captando, nihil edant, nihil bibant, nihil habeant, nihil poſſideant incolæ, quin ſingulis momentis redimere cogantur. Hoc demum modo ditabitur Ærarium elegantiſſimè.

Tot tamque varia Conſilia Prælatum
73 adeò ancipitem & dubium reddebant, ut nullum ex iis eligere poſſet. Poſt multas altercationes, dum quilibet ſuam ſententiam quàm maximè defenderet, Poëta aulæ, tanquam primarius Adſeſſor, monebat, ut, antequam diſcederetur, novus Conſiliarius D. Sinnenmuth / olim Vice-Cancellarii gener, ad præſentem Conſultationem invitaretur; hunc enim quoad præſens negotium utiliſſima ſuaſurum. Quamvis hoc conſilium Prælato diſplicebat, cui dicti Doctoris libertas loquendi ſatis jam nota, tamen reliquis unanimiter inſtantibus, non potuit non ipſum ad conclave vocare, & poſt ſummariam votorum explicationem rogare, ut & is ſuam dicat ſententiam.

Hic è veſtigio ore ridenti de præſenti
74 negotio hunc in modum incipit loqui: Chariſſimi Domini, fuit olim vetus quidam Philoſophus, nomine Diogenes, qui cùm cerneret aliquando hominem, qui in primo ſuæ juventutis flore omnia ſua decoxerat, in multa ſenectute duriſſimas olivarum nuces ad ſedandam famem frangentem, dixiſſe fertur: Si tu ita ſobrius pranſiſſes, multò lautiùs nunc cœnares. Quid ſi ego per ſimilitudinem dicam; Si ærarium Principis ab initio parciùs fuiſſet invaſum, nec de deſperatis & ignominioſis mediis clauſtrorum Hiſpanorum, nec de vectigali ſtercoris & urinæ nunc eſſet ſermo, neminem me hoc modo vituperaturum ſpero. Notum, quantum theſaurum nuper defunctus Princeps reliquerit: quò ille tam brevi temporis ſpatio verſus eſt? Examinentur, quæſo, illi, qui ærario hactenus præfuerunt, & rationes ab iis exigantur, affirmarim, furem manu tactum iri in ſacculo.

Dum hic loqui pergit, Prælatus trans-
75 verſo vultu illum interpellat, prætendens, hujus loci non eſſe, altercari, quò nix olim liquefacta pervenerit, nec ſe teneri ejus rei rationem reddere, ſufficere, ſi ſe Principi purgare poſſit, ſe non ignorare, unde defuncto Vice-Cancellario, ipſius ſocero tantæ divitiæ obvenerint, videat, ut iſtas actiones ſuo tempore juſtificet. Conſiliarius ſalsè ridens, quòd Dominus Prælatus ſemetipſum criminis repetundarum tacitè notet, eò tantum concludit, quia de ſatisfactione militiæ conſulitur, eam ex militari ærario fieri debere, ad quod non pertineant ordinarii Principis reditus, qui alios ſuos ſciant creditores. Ideò conſultiſſimum, ut hoc militare debitum per contri- 76
butionis modum ſecundùm facultates patrimoniorum à ſubditis exigatur. Hoc Statibus tamen & Subditis priùs indicandum, ut ſciant, ſalutem totius Ducatûs hiſce collectis promoveri. Hoc verò commodiùs fieri non poterit, quàm ſi Comitia indicantur, certi Commiſſarii ex militia togata delegentur, qui promiſſam pecuniam exigant, militibus ſtipendia ſolvant, & juſtas rationes reddant, milites ipſi ad miſeros agricolas non erunt mittendi, nec militari executione id exigendum, quod juſtiori & commodiori fieri poteſt, hoc enim plerumque tragico ſolet claudi exitu.
Quod ſi nec hac quidem viâ procedet, u- 77
num ſupereſt medium, quo ſubditi ſine ulla querela, imò maximo cum gaudio ad contribuendum moveri poterunt, ſi nimirum Prælato pellis detrahatur, & in toto Ducatu circumferatur, uti in luporum pellibus fieri conſuevit, non credo, inquit, inveniri facilè adeò miſerum, qui ſuam quotam non libenter ſoluturus ſit, dummodò pellis contemplandæ copia detur.

Ita tandem hæc Conſultatio finita, & medium contributionis omnium optimum habitum fuit, Abbas verò adjunctam parrheſiam concoquere nequiens, addebat, ſe ejus fore memorem, & mortem precabatur Doctori pro DEO gratias. Satyricum (ſecundùm Horatii verſum *lib. 1. Serm. Satyr.* 1.)

— — ridentem dicere verum
Quid vetat?

Confer infrà *cap. 140. per tot.*

ANNO-

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT LIII.

Num. 14.

(1) **Bit dem gemeinen Pfenning ꝛc.**] Conſideranti Receſſus Imperii à centum inde annis in Imperio concluſos, facillimè patet, tempore Maximiliani I. circa annum MCCCCXCV. Invictiſſimo illo Imperatore regnante, ab Electoribus Principibus, Statibusq; Imperii in Collectam *denarii communis* **deß gemeinen Pfennings** primùm conſenſum fuiſſe, ſic tamen ut eorum ſubditi, cujuscunque generis illi fuerint, pro modo facultatum, in loco domicilii illam Parochis cujusq; loci, **dem Reichspfenning-Meiſter** exhibendam, ſolverent, & quidem in quadriennium usque, **R. A.** *d. l. & anno*. Confer Dn. Anton. Güntherr Fritzium *in Synopſi omniũ Receſſ. Imp. Exerc. 4. ſect. 2. §. 1. 2. 4. ſeq. & ſect. 2. § 1. & 2. p. 192. ſeqq.* quo elapſo cùm nec tunc Turcicæ impreſſiones validè reprimi ſine ſubſidiis pecuniariis poſſent, in hanc Collectam quamvis aliquando difformem, uti ex Receſſibus Imperii ſubſequentibus Thomas Merckelbachius *inter Conſilia Klockii noſtri Tom. 1. conſ. 31 n. 32. ſeqq.* & laudatus Dn. Fritzius *Exercit. 5. ſect. 3. §. 1. ſeq.* demonſtrant, ſæpius Imperii Status conſenſere. Demum cùm deprehenſum eſſet, modum hunc haud paucis difficultatibus implicatū, quod Wincelerus *de Collectis Obſ. 8.* latiùs explicat, & hinc ad Annum ſolùm MDXLIV. continuatus fuiſſet, ut Fritzius *Exerc. 5. parte 1. §. 15.* monſtrat; A. MDXLVIII. alius *ad expeditionem Romanam* **auf den Römerzug** juxta Matriculam Imperii, (**R. A. zu Augſpurg** *d. anno p. m. 371. in fin.*) decretus fuit, ad numerum quater mille equitum & viginti mille peditum in Receſſu Imperii **zu Worms** A. MDXVI. *p. 153.* in expeditionem ad adipiſcendam Coronam Imperialem Romanam, & reducendi ad obedientiam ab Imperio alienata & exempta, promiſſum. Juxta quem numerum, in Matricula expreſſum adhuc non ſine multorum querelis & proteſtationibus adhuc usque, Collectæ hujusmodi exactæ fuerunt. De Utroque modo diximus jam a tè ad Klockium *l. 1. c. 4.* (126.) & (130.) ubi plura cupidus Lector reperire poterit.

Num. 16.

(2) *Aquisgrani tantùm in Regem Germaniarum &c.*] Imò Triplicem noſtro Imperio Coronationem, Germanicam, Lombardicam, & Romanam olim in uſu fuiſſe conſtat. De quibus Coronationibus, & quid quælibet tribuerit Limnæus *de J. P. l. 2. c. 4. & in Additionum Tom. I. & II ad dictum caput.* fusè ſatis & perſpicuè cum allegatis ibid. diſcurrit, ex quo hîc dicta clariùs lumen accipere queunt.

Num. 46.

(3) *Non per fumantes &c.*] I. e. quod una familia vel in una domo habitantes, reputentur pro uno fumante, **nach den Feuerſtätten**; ſicut in Italia & præcipuè regno Neapolitano, & in Belgio aliisque in locis uſitatum eſt. Gail. *de Arreſt. c. 9. n. 19.*

(4) *Per æs & libram &c.*] Quomodo olim æs & libra in mancipatione & emancipationibus adhibita fuerit, & de formula ad hoc uſitata, vide Roſinum *Antiquit. Rom. l. 9. c. 10. p. 1441.* hoc loci æquam lancem ſignificare videtur; hac qui Magiſtratus Subditorum bona non diſpertiuntur, atque æqualitatem inter eos circa tributa dictanda negligunt, crudelitatis & injuſtitiæ meritò arguuntur, & ut nonnemo loquitur, Aquilæ ſimiles ſunt, qui unum ex pullis abjicit, &, quantum in ſe eſt, enecat. Reliqua cùm per ſe pateant, pluribus annotationibus Lectorem gravare hoc capite & nobis grave fiet.

CAPUT LIV.

Adprimè Ærario conſultum erit, ſi reditus ordinarii, & præſertim extraordinarii, non impendantur in aliud, quàm deſtinati ſunt.

SUMMARIA.

1. Pecuniæ collatæ *ad publicam neceſſitatem non ſunt aliò, quàm ad publicam neceſſitatem diſpenſandæ.*
2. *Quod in commune tributum eſt, in jure* Fiſci *non eſt.*
3. Exactiones *erunt ſubditis eò gratiores, quò certiùs conſtiterit, ad quem finem deſtinentur.*
4. *Exemplo* Turcici Imperatoris *hoc docetur.*
5. Religioſum *quibusdam erat, alio quàm manuum labore vivere.*
6. *Indecens eſt,* Chriſtianum Principem *ſudore & operâ pauperum abuti ad inutilia.*
7. *Quin peccat in* DEUM *graviter, quisquis id audet.*
8. *Qui quod debet, non præſtat, ne id exigat, quod illi debetur.*
9. Receſſus Imperii, *ne ſubſidia Circulorum, in finem alienum convertantur.*
10. Imperator *pecuniâ collectâ pro lubitu uti nequit: ſi illâ opus non ſit Ordinibus ea reſtituenda, aut ad ſimiles neceſſitates aſſervanda eſt.*
11. *Si ſecus faciat* Princeps, *tenetur ad reſtitutionem: & fortè poſſent ipſimet Subditi id damnum compenſare.*
12. *An* Princeps *teneatur ad reſtitutionem tributi, ſi non benè expendatur?*

Impendantur in id reditus, quò deſtinat illos
Præſens neceſſitas, & id Fiſci intereſt.

Cum pecuniæ & publicæ Collationes, 1 hoc tantùm fine, ut publicæ neceſſitati ſuccurratur, à ſubditis exigantur; conſequens eſt, easdem in alium uſum, quàm in quem principaliter deſtinatæ ſunt, non eſſe expendendas, *l. 1. C. de his, qui ex publ. collat.* Florez Diaz de Mena *q. 21. n. 162.* Eman. Meteran. *Belg. Hiſt. l. 21. fol. 76.* Abſit 2 enim à Principe iſta ſententia, ut quod de communi tributum eſt, in Jure Fiſci eſſe videatur, Symmach. *1. Epiſt. 40.* Per ſcelera

ſupplendum erit, ſi male exhaurias, inquit
3 Tacit. 2. *Annal. 38. n. 3.* Et optima cautela eſt,
quæ exactiones quàm maximè reddit gratas;
ſi conſtiterit priùs collatam pecuniam
ad deſtinatos uſus inſumptam fuiſſe: Quo
ſcopo nonnunquam Principes Ordinibus
vel *de pecuniâ exactâ rationem reddunt*, (1)
vel eam ab Ordinum Deputatis adminiſtrari permittunt.
4 Atq; ita collationes ad publicos
tantùm uſus converti debere, exemplo
Turcarum Imperatoris inſtruimur; qui ex
hortis, aliis reditibus Aulam ſuſtentat: Indictiones
verò extraordinarias *Haran agamenicani*
id eſt, prohibitum Subditorum ſudorē
vocat; qui non inſumitur, niſi ad belli neceſſarios
uſus; Breuning in der erſten Meerfahrt/
Calipha AlGhabaſſi Hhaphtſi, hanc
5 ſibi olim religionem indicebat: ut nihil caperet,
vel cibi, vel potûs, aut veſtitûs, niſi ex
manuum ſuarum labore. Erat verò artifex
ſtorearum, & tegetùm elegantiſſimarum;
quas Sigillo proprio notatas in forum vendendas
præcipuis ſuis miniſtris tradebat: eas
verò Magnates terræ emebant, illiusq; quæſtûs
pecuniâ, ipſe ſibi victum parabat. *Itiner.
Benjamini Tudelenſis.* Hæc ſi fecit maximus
6 Rex Muhammedanus, qui ni dedeceat Principes
Chriſtianos, Subditorū pauperū labore
ſudoreq; ad pompas inutiles abuti? Quidni
omnes imprecationes & maledictiones perveniant
ad eos, quæ *in SS. Pandectis prænunciatæ
ſunt iis*, (2) qui carnem populi edunt?

Hac de causâ Principes & Dominos Col-
7 lectis ad alium finem, quàm ad quem deputatæ
fuerunt, abutentes, graviter adversùs
DEUM peccare reſpondit Matthias Coler.
conſ. 1. n. 241. Sicq; Ludov. Fachſius reſpondit,
Collectas, quæ ſolvendi æris alieni causâ
promiſſæ ſunt, non eſſe in alios uſus convertendas,
aliàs repeti poſſe, *conſ. 11. n. 3. & 4.*
quod reperitur inter Conſilia Modeſt. Piſt.
vol. 2. circ. fin. Et Greg. Breitenbach. *conſ. 15.
n. 29. & 30. vol. 5. var. German. JCtor. Kirchovii*
formaliter dixit; ſi Principes multas
exactiones extraordinarias à Subditis perciperent,
quibus poſſent ſatisfacere creditoribus,
certè cùm non ſolvunt æs alienum, videntur
eſſe conſtituti in culpa, & ſic ſuccedit
Regula; Qui non facit, quod debet, non po-
8 teſt poſtulare, quod ei debetur, *l. ſi non fuerit.
ff. de jurejur.*

Idque Receſſus Imperii de A. MDXXVI.
9 §. Wir ſeyn auch ꝛc. *fol. 227.* & A. MDXCIV.
§. Und wiewol zu erſehen iſt/ diſertè innuunt,
daß die bewilligte Hülffe allein zu Beſchützung
der Chriſtlichen Wolfahrt/ und zu keinem andern
Ende und Nutzen gebraucht/ ſondern daß
allerdings treulich und aufrichtig damit umgangen
werden ſoll. Sicuti etiam Ordines in
Receſſu de A. LV. §. Und da ein ꝛc. admonentur,
ne ſubſidia Circuli in aliam rem, ſed quò
10 deſtinata ſunt, convertant. Quinimò ipſemet
Imperator pecuniam, in certos uſus collectam,
in alios, ac quorſum deſtinata eſt, uſus
convertere nequit: Niſi id fiat accedente
Ordinum conſenſu. Receſſ. Imper. de Anno
MDXXII. in princ. de A. MDXXIV. §.
Item als auf gegenwärtigen & de A. MDLXX.
§. Erſtlich dieweil noch/ ꝛc. Quâ pecuniâ,
ſi, deficiente causâ quæ contributionem ſuadebat,
haud opus ſit, illa lucro Imperatoris
minimè cedit: ſed aut Ordinibus, qui eam
contulerunt, reſtituenda, aut ad ſimiles neceſſitates
reſervanda eſt, d. Receſſ. Imper. de
A. MDXXIV. §. Item/ ſo der Türck/ & de A.
MDXXVI. §. Es haben ſich auch/ & de A.
MDLXVI. §. Und ſoll ſolche Geldhülffe. Sic
& Venetorum Ducem circa pecuniam publicam
diſpenſare non poſſe, ne quidem de
obolo, absq; aſſenſu civium ſuorum, ſcripſit
Tiber. Dec. *Reſponſ. 19. n. 127. vol. 3.*

Eodemque ſpectat, quòd Principem, qui
imponit tributum gravius, quàm cauſa efflagitat,
aut qui non inſumit in eo, ad quod collata
à ſubditis ſunt, ſed in alia, ad quæ ſubditi
non tenentur præſtare tributa, teneri id ſubditis
reſtituere, ſubditosq; id poſſe compenſare
denegando & occultando alia tributa,
docuit Ludov. Molina *d. Diſput. 667. n. 2.*
Keckerm. *Diſput. tract. 34. problem. 13. à
princ.* ubi diſputat; an Principi, ob prodiga- 11
litatem, vel ob denegatam juſtitiam tributa
denegari, & de facto reſiſti poſſit? pulchrè
Cardin. de Lugo *de juſtit. & jur. tom. 2. Diſput.
36. ſect. 2. n. 10. folio mihi 533.* ubi dicit,
dubium eſſe, quando eſt juſta cauſa imponendi
tributum, ſed poſtea non expenditur
id in illam neceſſitatem, ſed in alios uſus inutiles,
an debeat reſtitui? Affirmant Cajetanus
& alii, quos ſequitur Leſſius *dub. 6. n. 44.* Alii 12
tamen dicunt teneri Principem ad reſarcienda
ſolùm ea damna, quę ſequuta ſunt ob non
benè inſumptam pecuniam ad debitum finem.
Ita Molina *d. Diſp. 667. n. 3.* & Vaſqu.
cum Gabriele *de reſtitut. c. 6. §. 1. dubit. 2. n. 25.*
Licet poſteà *§. 3. dub. 4. n. 54.* idem Vaſquez
contrarium doceat, nempe debere reſtituere
tributum acceptum. Ratio eſt, quia juſtè impoſitum
& acceptum fuit tributum, & Princeps
obligationem contraxit faciendi id, ob
cujus neceſſitatem tributum juſtè exigebatur
debet ergo reſtituere damnum ex eo,
quod contractum ex parte ſua non
obſervaverit.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT LIV

Num. 3.

(1) DE *Pecunia exactâ rationem reddant &c.*] Benè addit Beſoldus *Tr. de Ærar. c. 4. §. 6.* (ex quo Klockius ſua hoc capite mutuò ſumpſiſſe videtur.) Id quod Principi minimè turpe videri debet, cùm candorem & ingenuitatem ſuam eo atteſtetur, ſibiq; eo arctiùs devinciat animos ſubditorum. Sed vereor, ne potiùs aulicis Politicis ſententia (quamvis eam putet iniquiorem Beſoldus) arrideat ab eo ſubjuncta, Authoris libri Gallici, cui titulus: *Secret des Finances en France* 1. *en fin. C' eſt choſe malſeante aux Provinces d' une Monarchie, de s' enquerir des affaires particulieres de ſon Monarque, & vouloir trouver raiſon de l' adminiſtration d' iceux: auſſi les bons Subjects doyvent ſe repoſer en la bon affection de leur Prince, & croire que s' ils ſont grevez de ſubſides extraordinaires, ce n' a eſtè ſons grande cauſe, & urgente neceſſitè, & par ainſi l' impoſition ne giſt au contrerolle de ſes ſubjects &c.* i.e. Indecentiſſimum eſt Provinciis alicujus Monarchiæ, perſcrutari negotia particularia Monarchiæ ſuæ, & inquirere velle in rationē adminiſtrationis ipſius: Quin potiùs acquiſcant boni ejus ſubditi in Amore Principis ſui, & credant, ſi quando extraordinaria remedia ipſis imprimantur, quod id non niſi ex causâ majori & neceſſitate urgenti fiat, proinde Ipſius Subditorum examini rationes Impoſitionis haud obnoxiæ ſint.

Num. 6.

(2) *In SS. Pandectis pronuntiatæ ſunt iis &c.*] Fortaſſis reſpicit Beſoldus & Author noſter *in d. locis* ad Michææ *c. 3.* ubi *v. 1. 2. 3. 4.* legitur: Audite Principes Jacob, & Duces Domûs Iſraël: Num quid non veſtrum eſt ſcire judicium, qui odio habetis bonum, & diligitis malum: qui violenter tollitis pelles eorum deſuper eis, & carnem eorum deſuper oſſibus eorum? Qui *comederunt Carnem populi mei*, & pellem eorum deſuper excoriaverunt: & oſſa eorum confregerunt, & conciderunt ſicut in lebete, & quaſi carnem in medio ollæ. Tunc clamabunt ad Dominum, & non exaudiet eos: & non abſcondet faciem ſuam ab eis in tempore illo, ſicut nequiter egerunt in adinventionibus ſuis. Pertinet huc quoque D. Heinichii *in Tr. de Offic. boni Principis piiq; ſubditi*, locus à me ad Politicum Sceleratum, *c. 45. p. 517.* cum ſimilibus allegatus, ubi, ſi ita libitum, vide.

CAPUT LV.

Ærarium ditatur, ſi Divites gravantur, ac egentium & tenuiorum cura habeatur.

SUMMARIA.

1. Tenuiorum egentiorumque cura *Principem ditat, redditq; fortunatum: oppreſſio verò depauperat.*
2. Piſces *nunc (prô dolor?) majores devorant minutulos.*
3. *Infirmiores à* Potentioribus *exhauriuntur.*
4. Potentes *in nullo ſentiunt, quod in pauperes decernunt.*
5. Nobiliores Venetorum *ſe ſubinde tributis onerant, quò eximant leventq; plebeculam.*
6. *Plus exprimendum ab iis, qui Imperii ſtatum modernum oderunt.*
7. *De* Equo Æſopico *notabilis fabella.*
8. *Mitiùs cum iis, qui elocatos* agros *colunt, agendum.*
9. Maroccani & Feſſani Regis Aulici *& Nobiles malè audiunt, quòd omnem onerum ſarcinam in plebeios & colonos transferunt.*
10. Salviani *hac de re Declamationes, hoc &* n. 11. 12. 13. 14. 15.

Ditatur Fiſcus, cum non emungitur ære
Pauper, ſed locuples cùm grave ſentit onus.

1 NUllæ familiæ, nulli Principes, nulla imperia opibus ac victoriis ita floruiſſe videntur, quàm quæ *maximam egentium ac tenuium curam habuerunt.* (1) Contra Illuſtres familias, Imperia, Civitates cum Principibus in exitium ruere, aut graviſſimis calamitatibus & egeſtate conflictari videmus, quæ tenuium bona diripuerunt. Bodin. *lib. 6. de Republ. cap. 2.* Quò magis enim pauperum oppreſſio creſcit, eò propiùs adeſt mutatio Imperiorum; ac *Capnionis* (2) apophthegma fuit: *Quando duplicantur lateres, venit Moyſes.* Quî ſic? Secundus ſanguis & loco ſanguinis pecunia habetur; ut cum pecunia libertas ac fiducia intereat. Omnia homines amittere malunt, unam quàm pecuniam &

Diſſipat natura fœdus omne amor pecuniæ:
Sanguis eſt: eſt anima homullis largior pecunia.

Summa itaque injuſtitia eſt, ſi à divitibus *pauperes opprimantur*; (3) hocque Piſarum, Florentiæ & Senatum Rempubl. evertiſſe, monet Alphonſ. Modit. §. *plebiſcitum q. 24. ad fin.* Dominus ad judicium veniet cum ſenibus populi ſui, & Principibus ejus: Vos enim depaſti eſtis vineam, & rapina pauperis in domo veſtra. Quare atteritis populum meum, & facies pauperum commolitis? dicit Dominus DEUS exercitiuum, Jeſai. *c. 3. v. 14. & ſeq.* Audi Conſtantinum Imp. qui potentes Urbanos onera in miſellos Ruſticos derivantes acriter increpuit, *in l. 1. C. de cenſib. & cenſit.* Quoniam, *inquiens*, tabularii Ci-

Civitatum per colluſionem potentiorum ſarcinam ad inferiores transferunt, jubemus ut quisquis gravatum ſe probaverit, ſuam tantùm priſtinam profeſſionem agnoſcat.

At noſtris moribus aratores ac tenues tributorum pondere premuntur, nobiles ac locupletiſſimi quique à tributis immunes ſunt; tenuiores plurimùm; ditiores minimùm gravantur. Piſces majores minorum devoratores atque direptores ſunt, quos eleganter & peroportunè in rem præſentem deſcribit Baſilius *Homil. 7. Examin.* Major
2 pars piſcium liguriunt alter alterum, atque devorant: & minor apud illos eſca majoris eſt, & ſi unquam evenerit, ut is, qui minorem ſuperaverat, alterius præda fiat, ambo tum ſimul deglutiuntur, & unà ultimi piſcis immerſi ventrem ingrediuntur. Sæpè
3 (inquit Heig. *lib. 1. quæſt. jur. 18. n. 32.*) conqueſti ſunt tenuiores, à Proceribus ſe nimiùm onerari, & condere quidem divites decreta, aſt inopes ſolvere tributa; *Et paulò poſt*, ex Salviano *de Providentia lib. 5. p. 157.*
4 *& ſeqq.* Decernunt, *ait*, potentes, quod ſolvunt pauperes: decernit gloria divitum, quod perdat turbam miſerorum: Ipſi enim in nullo ſentiunt, quod decernunt. Quid iniquius eſſe aut indignius poteſt, quàm ut ſoli ſitis immunes à debito, qui cunctos facitis debitores? *Et num. 33. & ſeq.* idem Heigius addit, Principum jus eſſe, pauperum querelas admittere, nec ſurdis auribus prætcrire, ſed juxta Ciceronis & Ariſtot. præceptum, Reipublicæ moderatores non uni tantùm, ſed toti corpori æqualiter ſtudere debere. Et Jacob. Zevecotius *in Obſerv Polit. ad Suetonii Jul. Cæſarem cap. 43.* miratur, multis in locis ditiſſimos quosque ab oneribus excuſari, pauperibus verò omnia incumbere. Certè ſi geometricum æquali ſpectandum ſit, quod beatuli illi ſemper urgent, manifeſta eſt iniquitas; honore enim præcede-
5 re debent, non immunitate. Quod apud Venetos tam curioſè obſervatur, ut ſubinde Primores Reipublicæ tributis ſe onerent, quibus eximunt plebem. Sed ſi pauci in Orbe Status ſint, qui tàm generoſè & ſanctè dignitatem ſuam tuentur; multi autem Venetos imitari vel timeant, vel non curent: Ut minùs exigi oporteret tributa vini, monilium, mercium peregrinarum, ſumptuoſarum veſtium & aliorum maximè nomine, quorum uſum plurimis non præſcribit neceſſitas, ſed luxuria perſuadet.

6 Nec inconſultum eſſet, plus exprimi ab iis, quos notum eſt præſenti Imperii Statui non eſſe addictos, aut etiam firmare inimicum: ut & illi pauperiores effecti minùs poſſint, & alii patriam conſtantiùs ament. Si deinde pauperum quoque opibus res gerenda ſit, fiat id parcè

Fœderati Belgii Patres in hoc argumenti genere clari & gnari, Anno MDXCIX. de transferendo in Hiſpaniam bello, Regeque in propria Ditione oppugnando decreto facto, eximium & ſingulare ſpecimen exhibuerunt, quando bello conficiendo, cenſum navibus imperârunt, pro ſingulis, quas caperent, vehibus, florenos ternos: Minora navigia, nec longinquis per maria itineribus ſueta, & quæ halecum piſcatui adornata, dimidium ejus, ſesqui florenum pro quaque vehe, penderent: Vectoriæ, aut his exiguiores, ſolidos duos Sæpius antea de hoc cenſu in conſiliis diſputatum, ſed qui eum perrogari poſſe judicaret, nunquam quisquam repertus erat. Cæterùm quia neq; hinc pecuniæ, quantum pro neceſſitate rerum, ſatis proventurum, nec properè adeò perfici decretum poterat, ducenteſima excogitabatur. Quod ne in acerbitatem verteretur, aut egentium provocaret querimonias, placuit immunes eſſe, qui tribus florenorum millibus minùs poſſidebant: quibus ducenta millia erant, mille florenis ſatisfacere conceſſum: nec quamvis decies centena millia habentibus, quidquam oneris ultra impoſitum: Nec anxiè in cujusque facultates inquiſitum, ſed permiſſum cuique æſtimare poſſeſſiones ſuas, ac Magiſtratibus indicium facere, ſine jurejurandi vinculo. Quos bona ſua multò infrà magnitudinem æſtimaſſe cuique conſtabat, his paululum à Magiſtratibus tributum gravabatur; Cæterùm eâ moderatione, ut nemini queſtus auditi, nec ullum unquam tributum promptius collatum ſit. Multi, qui datis centenis ſatisfacere quiviſſent, ultro florenos mille contulerunt. Exemplum Haga Comitis eſto, ubi quamvis nulli mercatores, ſed Advocati plerique, aut qui privatis reditibus vivunt, cenſu hoc florenûm quinquaginta millia provenêre. Amſtelodami decuplo ampliùs. Etiam Geldris, Ultrajectinis, Friſiis, Transiſalanis, Gronninganis, atque Olmandis omninò conſilium placebat, ſed ſpatium deerat Conventibus agendis, & ſingulis perducendis, ut eodem conſentirent. Quare Hollandis Zelandisque permisêre ex communi pecunia, quam invecta evectaque pepererat, capere, quantum neceſſitatibus ſupereſſet. Deinde & parati æris inopiâ, Collegia præfectorum rei maritimæ multum commeatus, armamentorum, navium, & quæ huc neceſſaria coëmerunt, pretio certis poſtea penſionibus ſolvendo. His decretis pecuniæ exſequendis deſtinatis coactæ ſunt. Reidan. *lib. 16. Annal. pag. 460.* Cui convenit Meteranus dicens, Belgii Rempublicam hoc temperamento nonnunquam uſam eſſe, ut ſcilicet in collectis extraordinariis, ab iis, quorum patrimonium ad mediocrem pecuniæ ſummam non perveniret, nihil exigeretur. Alia complura id genus memoratu digna ſupervacua. Summa omnium his contenta: Quomodo valentiſſima quæ-

quæque corporis humani membra putres ac defluentes humores ad imbecilliora rejiciunt, & cùm eò pervenerint, apoſthema aut exanthema ingenti cum totius corporis dolore erumpere neceſſe eſt: idem fermè Urbibus, Nobilibus, Eccleſiaſticis, aliisque privilegiariis accidere videmus, ut cùm miſeros aratores, pecuarios, & opifices omni tributorum genere urgeri & opprimi patiantur, quousque plebs oneribus aſſiduis gravata ſuccumbat, plerumque in modum equi
7 Æſopici, qui partem oneris ferre cùm recuſaret, aſinum ſuccumbente ac pereunte, onus integrum perferre cogantur: Nec eſt, quod aliud beneficiũ expectent, quàm quod Ulyſſi Polyphemus promiſerat; ſc. ut cæteris devoratis poſtremus deglutiretur.

Ærario itaque explendo maximè conducit, & omnis iniquitas evitabitur, ſi omnes ex æquo cenſeantur, unus, vel una pars, puta plebs, Civitas vel *Provincia aliqua præ cæteris non gravetur*; (4) ſed Nobiles & Ignobiles, Divites & Inopes, pro modo facultatum mercaturæ, opificiorum omniumque rerum ex quibus utilitas capi poſt, onerentur; dum adverſus tenues id fiat modicè vel intra modum, ne bonis artibus & induſtriæ
8 bellum indici videatur, Bod. *d. cap. 2. n. 663.* Potiſſimũ verò cum aratoribus, qui alienos agros colere, non ſuos, conſueverunt (vel quorum bona ſunt ære alieno gravata) mitiùs agi debet. Nec ad miſeros aratores & opifices omne tributorum genus eſt protrudendum. Nocet ſæpè (ut dixi) ſi ad imbecilliora, ſed tamen neceſſaria corporis membra, vitioſi omnes defluant humores Althuſ. *c. 11. Pol. n. 35.* Juri enim & æquitati rationabili conſentaneum eſt, ut ſarcina onerum pariformiter levetur, ne aliàs potior, nobilior & præſtantior pars Provinciæ, ſeu caput myſtici ejusdem corporis deteriùs ſe habeat, quàm reliqua mẽbra, juxta illud Ovidianũ: *Quàm malè inæquales veniunt ad aratra juvenci:*

9 Certè in regno Feſſano ignobiles & mechanici, qui probitatis & bonitatis exiſtimationẽ ſuſtinent, adeò Aulicos ac Regios Nobiles ſpernunt, ut illis filias deſpondere nullo modo dignentur. Qui ſic? iſtorum conſilio atq; ſuggeſtionibus Reges omnes ferè Africæ colonos, ita tributis quotidianisq; exactionibus gravant, ut vix illis ſuperſit, quò veſtes aliaque vitæ neceſſaria comparent: Cujus rei causâ nullus ferè eſt inter doctos ac probos homines, qui cùm aulicis aliquam quærat conſuetudinem, nec eadem menſâ dignetur, neq; munera quantumvis pretioſa ab illis recipere velit: quicquid illis divitiarũ eſt, ex furto atq; rapinis collectũ exiſtimantes, Joan. Leo Afric. *in deſcr. Africæ fol. 372.* Sed & audi S. Salvianum hac de re graviſſi-
10 mè diſſertantem; Is *l. 5. de Guber. Dei.* illud latrocinium, *inquit*, ac ſcelus quis dignè eloqui poſſit, quod cùm Romana Reſpubl. vel jam mortua, vel certè extremum ſpiritum agens, in ea parte, quâ adhuc vivere videretur, tributorum vinculis, quaſi prædonum manibus ſtrangulata moriatur? inveniuntur enim plurimi divitum, quorum tributa pauperes ferunt, h. e. inveniuntur plurimi divitum, quorũ tributa pauperes necant, & quod inveniri dicimus plurimos, timeo ne verius diceremus, omnes, tam pauci enim mali hujus expertes ſunt (ſi tamen ulli ſunt) ut in ea parte, quâ multos diximus, omnes penè divites reperire poſſimus. Ecce enim remedia pridem nonnullis urbibus data, quid aliud egêre, quàm ut divites cunctos immunes redderent, miſerorũ tributa cumularent: ut illis demerentur vetera; iſtis ut adderentur nova: illos, ut deceſſio etiam minimarũ functionũ locupletaret; iſtos, ut acceſſio maximarũ affligeret: illi, ut eorum, quæ leviter ferebant imminutione diteſcerent; iſti, ut eorũ, quæ etiam ferre non poterant, multiplicatione morerentur: ac ſi remedium illud illos injuſtiſſimè erigeret, alios injuſtiſſimè necaret: aliis eſſet ſceleratiſſimum præmium, aliis ſceleratiſſimũ venenũ. Unde advertimus, quòd nihil eſſe & divitibus ſceleratius poteſt, qui remediis ſuis pauperes perimunt; & nil pauperibus infelicius, quos etiam illa, quæ pro remedio cunctis dantur, occidunt. Idem 11
Salvianus: Nam illud quale? quàm non ferendum? & quod non dicam pati humanæ mentes, ſed audire vix poſſunt; quod pleriq; pauperculorum atq; miſerorum ſpoliati reculis ſuis, & exterminati agellis, cùm rem amiſerint, amiſſarum tamen rerum tributa petuntur: cùm poſſeſſio ab his receſſerit, capitatio non recedit, proprietatibus carent, & vectigalibus obruuntur. Quis æſtimare hoc malum poſſit? rebus eorum incumbunt invaſores, & tributa miſeri pro invaſoribus ſolvunt, poſt mortem patris nati, obſequiis juris poſthumi, juris ſui agellos non habent, & agrorum munus, enecantur, ac per hoc quid aliud ſceleribus tantis agitur, niſi ut qui privatâ perſuaſione nudati ſunt, publicâ afflictione moriantur; & quibus rem deprædatio tulit, vitam tollit exactio? &c.

Idem *Salvianus*: Sed quid poſſunt aliud 12
velle miſeri, qui aſſiduum, imò continuum exactionis publicæ patiuntur excidium, quibus imminet ſemper gravis & indefeſſa proſcriptio, qui domos ſuas deſerunt, ne in ipſis torqueantur, exilia petunt, ne ſupplicia ſuſtineant, leviores hoſtes quàm exactores ſunt. Et res ipſa hoc indicat: ad hoſtes fugiunt, ut vim exactionis evadant. Et quidem hoc ipſum minùs tamẽ grave atq; acerbum erat, ſi omnes æqualiter atq; in commune tolerarent. Illud indignius ac pœnalius, quòd omniũ onus non omnes ſuſtinent, imò quòd pauperculos homines tributa divitum premunt & infirmiores ferunt ſarcinas fortio-

 rum,

rum, nec alia cauſa eſt, quòd ſuſtinere non
poſſunt, niſi quia major eſt miſerorum ſarci-
na quàm facultas. Res diverſiſſimas diſſimil-
limasque patiuntur, invidiam & egeſtatem,
invidia eſt enim in ſolutione, egeſtas in fa-
cultate. Si reſpicias, quod defendunt, abun-
13 dare arbitreris: ſi quod habent egere reperi-
ès, ſolutionem ſuſtinent divitum, & indigen-
tiam mendicorum, plus multò eſt; adjectio-
nes tributarias ipſi interdum divites faciunt,
pro quibus pauperes ſolvunt. Dices, cùm i-
pſorum maximus cenſus ſit, & ipſorum ma-
ximæ penſiones, quomodo fieri poteſt, ut ſi-
bi ipſi augere debitum velint. Neq; ego id di-
co, quòd ſibi augeant: nam ideo augent, quia
non ſibi augent, dicam quomodo. Veniunt
plerique novi nuncii, novi epiſtularii à ſumis
ſublimitatibus miſſi, qui commendantur il-
luſtribus paucis, ad exitia plurimorum, de-
cernuntur his novæ novæ novæ indictiones
decernunt potentes, quod ſolvant pauperes;
decernit gratia divitum, quod perdat turba
miſerorum. Ipſi enim in nullo ſentiunt quod
decernunt: ſed non poſſunt, inquit, non ho-
norari & liberaliùs accipi, qui fuerint à majo-
ribus miſſi. Eſtote ergo vos divites primi cō-
ferendo, qui eſtis primi in decernendo. Eſto-
te primi in largitate rerum, qui primi eſtis in
liberalitate verborum: qui das de meo, da de
tuo, tametſi rectiſſimè quisquis ille es, qui ſo-
lus vis capere gratiam, ſolus patereris expen-
ſam, ſed acquieſcimus pauperes veſtræ, divi-
tes, voluntati; quod pauci jubetis, ſolvamus
omnes, quid tam juſtū, quid tam humanū?
Gravant nos novis tributis decreta veſtra,
facite ſaltem debitum, ipſum vobis nobiſcū
14 eſſe commune. Quid iniquius aut indignius,
quàm ut ſoli ſitis immunes à debito, qui cun-
ctos facitis debitores? & quidem miſerrimi
pauperes ſic totum hoc, quod diximus, ſol-
vunt, quod grave vel quā ratione ſolvant, pe-
nitùs ignorant, cui enim licet diſcutere cur
ſolvatur, aut cui permittitur explorare quid
debeat? ſed tunc evidentiſſimè proditur,
cùm invicem ſibi divites iraſcuntur, cùm in-
dignantur aliqui eorum, quòd ſine conſilio
aut tractatu ſuo aliqua decreta ſint, tunc à
quibusdam eorum audis dici: O facinus in-
dignum! duo aut tres ſtatuunt, quod multos
necet: à paucis decernitur, quod à multis mi-
ſeris dependatur, honori enim ſuo unusquis-
que divitum præſtat, ut nolit aliquid ſe ab-
ſente decerni; non juſtitiæ, ut iniqua nolit ſe
præſente conſtitui. Deniq; quod in aliis de-
prehenderunt, ipſi poſtea aut pro contem-
ptûs præteriti ultione, aut pro poteſtatis præ-
ſumptione conſtituunt, ac per hoc infeliciſ-
ſimi pauperes ſic ſunt, quaſi inter concertan-
tes procellas in medio mari poſiti, nunc iſto-
rum ſcilicet, nunc illorum obruuntur. Sed
videlicet, qui in hac parte iniqui ſunt, in alia
moderati inveniuntur & juſti, ac pravitatem
unius rei alterius probitate cōpenſant. Nam
ſicut in onere novarū indictionum paupe-
res gravant; ita in novorum remediorum
opitulatione ſuſtentant, ſicut tributis novis
minores maximè deprimuntur, ſic remediis
novis maximè ſublevantur. Imò par eſt ini- 15
quitas in utroque, ſicut ſunt in aggravatione
primi pauperes, ita in relevatione poſtremi,
ſi quando enim defectis urbibus minuendas
in aliquo tributarias functiones poteſtates
ſummæ exiſtimarunt, illicò remedium cun-
ctis datum, ſoli inter ſe divites partiuntur,
quis tunc pauperū meminit? quis ad com-
munionem beneficii humiles & egeſtuoſos
vocat? quis eum, qui primus eſt ſemper in
ſarcina, ut ultimo eſſe loco patitur in reme-
dio? & quid plura? tributarii omninò pau-
peres non putantur, niſi cùm his tributi cu-
mulus imponitur, extra numerum autem
tributorum ſunt, cum remedia dividuntur.
Et putamus, quòd pœna divinæ ſeveritatis
indigni ſumus, cùm ſic non ſemper paupe-
res puniamus? aut credimus, cùm iniqui
jugiter ſimus, quòd DEUS juſtus in nos o-
mninò eſſe non debet, *lib. 5. de Gubernatione DEI.*

ANNOTATIONES *Ad* CAPUT LV.

Num. 1.

(1) M*Aximam egentium & tenuiorum curam habuerunt &c*] Hinc *juxta l. 1. §. 2. ff. de Offic. Præſidis*: Ne potentiores viri humiliores injuriis adficint, néve defenſores eorum calumnioſis criminibus inſectentur innocentes, ad religionem Præſidis Provinciæ pertinuit, *& per §. 5 eod.* Ne tenuis vitæ homines ſub prætextu adventûs officiorum, vel militum, lumine unico vel brevi ſupellectili ad aliorum uſus translatis, injuriis vexantur, eidem providendum erat.

(2) *Capnionis &c.*] Hac voce deſumpta à Græco καπνὸς, quod fumum ſignificat, ein Rauch / nomen ſuum expreſſit Johannes Reuchlinus, Phorcenſis, qui & Jure-Conſultus erat & Hebraicæ linguæ peritiſſimus, poſt mortē, quæ ipſi A. MDXXII. contigit, ab Eraſmo Roterodamo pulcherrimo dialogo celebratus, dum & immortalitatem & trium linguarum cognitionis principatum ei tribuit. Notus vel maximè ob controverſiam circa quæſtionē; an ex uſu noſtræ Religionis ſit, ut Bibliis exceptis libri Judæorum abolerentur omnes A. MDXX. exortam, inter Johannem Pfefercornum, Academiam Colonienſem, Pariſienſem &c. ab una, & ipſum Reuchlinum Negativam defendentem ab altera parte acriter agitatam. De qua Sleidanus Comment *l. 2. p. 37. & 38.* Hujus aliquot ad Bilibaldum Pirckheimerum Epiſtolæ ſcriptæ exſtant inter opera ejusdem edita *à n. 9. inde &c. p 259. ſeqq.* Videtur autem Apophthegmate ſuo reſpicere ad oppreſſionem Judæorum in Ægypto à Rege Pharaone perpeſſam; *de qua in c. 5. Exodi* agitur.

(3) *Pau-*

(3) *Pauperes opprimantur &c.*] Panis egentium, vita pauperum eſt; inquit Eccleſiaſticus *cap. 34. v. 25.* qui defraudat illum, homo ſanguinis eſt. Graviſſima ſunt verba eloquentiſſimi Cauſſini *de Regno Dei diſſert. 46.* Principes de nimia Tributorum exactione dehortantis, hoc modo: Quid habent Reges emolumenti, poſtquam hiantem Palatinorum avaritiam adipe populorum explevêre? Ipſi pauperes inter quotidianas rapinas vivunt, minimam partem eorum, quę exiguntur, fiſcus cœpit, odia ſubeunt omnium, dum paucorum cupiditates alunt. Inde triſtiſſima multis vita, & ſterilis thorus, & exoſa populis faſtigia. *& p.p.* Denique in ipſo vitæ & mortis confinio, jam ad formidandum tribunal profecturi uruntur ſuis ipſi cogitationibus, & æſtuant tot pauperum, tot vulneratorum ſimulachris quietem obſidentibus. Senſit hæc Childericus, ſenſit Ludovicus VI. ſenſêre omnes, qui ullum conſcientiæ ſenſum habuêre: Nec ſtatim finis, manent enim aſperos dominos graves extra hunc mundum pœnæ, ardent inde tam multi apud inferos manes, & quos Nemeſis hîc præterit, cruciantur in filiis, quos ſæpe dura omnia atque horrenda in terris exercent.

Num. 7.

(4) *Provincia aliqua præ cæteris non gravatur &c.*] Pro hac ſententia facit doctrina Petr. Cyni, & Alberici *in L. neminem, C. de SS. Eccleſ.* ubi dicunt; Quod licet Princeps, qui expendit aurum ſuum, poſſit accipere pecuniam à ſubditis, non tamen debeat unam ſolam Provinciam vel unam Civitatem gravare, ſed debeat communicare inter omnes, & ſic omnes æqualiter onerare. Et ſi utique neceſſitas & promptum periculum exigat, ut res unius Provinciæ vel civitatis accipere oporteat, debeat poſtea inter omnes ſubditos fieri contributio, & ex ea contributione reſarciri damnum, quod tempore neceſſitatis datum eſt uni Civitati, vel id quodnam ab ea acceptum. Confer ad majorem intellectum Reſponſum Juris Facultatis Juridicæ Marpurgenſis, ſubjunctum Joh. Wilhemi Rövenſtrunck Rechtlichem Bedencken von Anlagen Contributionen &c. *quæſt. 6. num. 424. ſeqq. pag. 293. ſeqq.*

CAPUT LVI.

Nobilibus, Clericis, Forenſibus, & Peregrinis Bona Ruſticorum ementibus, Princeps proſpiciat, ne bona hæc Ærario vel Æſtimio, civilibusq; oneribus eximantur.

SUMMARIA.

1. *Quæ bona coëmunt ab Agreſtibus* Equeſtris Ordinis homines; *ea cupiunt ſui feudi & allodii jus induere.*

2. *Quod ſi obtinent, illorum facultates augebuntur, minuentur verò reliquorum* ſubditorum.

3. *Videntur* Nobiles aut cives *hujuſmodi bona ementes adſtringendi ad præſtanda onera coëmptorum bonorum.*

4. *Quod ſic teneantur, deciditur*, n. 5. & 8.

6. *Et hoc caſu* Nobiles *habentur, uti & ſunt, poſſeſſores bonorum ruſticanorum.*

7. *Voluerunt antecedens commodum* Nobiles: *velint etiam conſequens onus & incommodum.*

9. Gallico decreto *privilegiis veterioribus eſt ſtatutus modus, ad priſcæ ætatis indictiones.*

10. *Quædam* maximæ, *ſeu propoſitiones univerſales pro ſuperiùs dictis Nobilibus ementibus bona paganorum.*

11. *At ex* regulis generaliſſimis *non ſumitur jus.*

12. *Nec impedit, quòd* Nobilibus *jure hæc emptio competat: nam competit quidem: ſed ut cum onere res coëmant.*

13. Prædium, *quod ſervitutem annexam habet, ſi à quopiam ematur, à ſervitute non eximitur.*

14. *Ex quo fundamento prohibetur* venditio bonorum immobilium *ad Eccleſiaſticos extraneóſve; quâ pœnâ prohibitum ſit, &* num. 15.

16. Bona communis æſtimii, *ſi alienentur in Eccleſiaſticas perſonas, non eſſe libera ab onere collectarum.* Veneti *in ejuſmodi perſonas alienationem bonorum vetuêre.*

17. *Obtinuit hoc ipſum in* Ducatu Juliacenſi, Brabantia: *& in Camerâ eſt pronunciatum.*

18. *Hujus rei* fundamentum *in quo ſiſtat: &* n. 19. & 20.

Civilibus non eximantur hæc bona
Oneribus, empta Clericis, Forenſibus,
Et ſtirpe natis Nobili, quæ forte ſint
A ruſticis egentibus pecuniâ.

NObiles bona paganica, (Baurengüter) oneribus obnoxia & æſtimio allibrata emptionis alióve habili titulo ſibi comparantes, eadem nobilis allodii vel feudi jus & naturam induere contendunt. Atq; ita in favorem Nobilium ſicut & alia multa, noviſſimè determinat Caſpar. Lerch. *in diſcurſu de Equeſtri Ordine Germanico Cæſareo bello-politico fol. 170. & ſeq.* Quò fit, quòd onus commune multis ad paucos redundet contra *L. actores C. de exact. tribut.* & Nobilium facultates creſcant & augeantur; Subditorum verò ac Ærarii vires decreſcant & imminuantur. 1 2

Quandoquidem verò exemptio odioſa, ſtrictique juris, ac proinde extra ſuam cauſam non extendenda ſit: utique hisce & ſimilibus caſibus Principes ac Magiſtratus, Ærario conſultum cupientes, Nobiles, plebeios agros ementes, ad priſtina onera adſtringant, per *l. ſi quando C. de bon. vacant. l. pen. & ult. C. ſine cenſu*, & per ea, quæ in hisce terminis decidunt Feſtaſ. *de æſtimo part. 1. c. 3. n 17. & ſeqq.* Cravett. *conſ. 632. n. 4. verſ. argumentis his.* Natta *conſ. 460. n. 16.* Roland. à Valle *conſ. 80. n 17. & ſeqq. vol. 3. & conſil. 78. num. 2. & ſeqq. vol. 4.* Weſ. *conſil. 215. n 5. & ſeqq. vol. 5.* Modeſt. Piſtor. *conſil. 9. n. 47.* ubi in hanc ſententiam conſuluit hisce verbis: Wann ſolche neue erkauffte Huefen Landes nicht zu Rittergüter gemacht/auch keine ſonderliche Ritterdienſte dar- 3 4

aufgeſchlagen / daß die vom Adel von denſelben / ſo wol als von den andern ihren Gütern / die ſie nicht verdienen dürffen / gemeine Steur und Anlagen / und ſonderlichen dieſe / ſo zu Erhaltung deß gemeinen Landfriedens angelegt / daran denen vom Adel nicht weniger denn den
5 Städten gelegen / zuerlegen ſchuldig. Quibus accedunt Papon. *l.* 5. *tit.* 11.39. Köppen. *q.* 61.*n.*10.Meichſner.*tom.*1.*Deciſ.Cameral.l.*1. *deciſ.* 8.*n.* 46. Johan. Bapt. Coſta *conſil.* 18. *n.* 17. Ant. Faber *in Cod. deciſ. forenſ. l.* 9. *tit.* 49. *defini.* 4. *& definit* 14.*n.*4.Chriſt.Beſold. *in Reſponſo juris tractatui de Ærariis inſerto p.* 123. Bidembach. *quæſt. Illuſtr.* 61 *n.*9. 10. 11. 17. *&* 18. Matth.Stephan. *tract. de nobilit c.*6.*n.*39. Antonii Gothofred. *diſput. feud.* 1.*th.*2.*lit. a. & diſput.*7.*th.*6.Thom. Maullius *tract. de homagio tit.* 9.*n.* 68. Joſias Nold.
6 *de Nobilit. c.*11.*n.*98. Neque reſpiciuntur hoc caſu, ut Domini locorum, vel Nobiles, ſed ut poſſeſſores & emptores bonorum paganicorum: Ut ergo volunt antecedens,
7 ſic non fugiant conſequens, neceſſum eſt, Cravett. *d. conſil.* 642. *n.* 21. Knichen. *lib.* 1. *de veſtit. pact. cap* 3.*n.*9. ubi in individuo determinat, quòd Nobiles comparantes quan-
8 tivis bona Burgenſatica ſeu ruſticorum, non ſint liberanda contributionibus, quibus obſtricti fuerant Ruſtici, in quorum jura ſucceſſerint. *Quin ipſam divinam domum functiones agnoviſſe cernimus,* (1) quas prior Dominus dependerat, *l.*8. *C. de exact. trib. l.*1. *C. de præd. & omn. reb. navic.* Ægid. Boſſ. *tit. de Principen* 110. Quo ſcopo Gallici Senatûs
9 decreto vetuſtis privilegiis modus ſtatutus immunitasque ad priſcæ ſolùm ætatis, non ævi conſequentis indictiones reſtricta eſt: Exſtat in Renato Choppino *l.*1. *de legib Andium c.* 8.*n.*7. Zachar. Viet. *de cauſ. exempt. Imp. concl.* 18.

10 Negativa videbatur adſtruenda ex vulgatiſſimis juris regulis; putà, Acceſſorium ſequi naturam rei principalis, *c. acceſſoriū de R. J. in* 6. Adhærentia eſſe ejusdem conditionis, & de connexis judicari æqualiter, Surd. *conſ.*338.*n.*2. Franc. Munnoz de Eſcobar. *tr. de ratioc. c.* 31.*n.* 12. De unitis diſponi uniformiter, Cabell. *conſ.*21.*n.*10.*vol.*2. Trentacinq. *l.*1. *var. reſol.*1. *de conſuet. n.*9. *in fin.* Augmentum ejusdem naturæ, cujus eſt principale, cenſeri, Cephal. *conſ.*773.*n.*45. *& ſeqq.* Et contentum continentis ſui legibus æſtimari, Erneſt. Cothman. *conſil.* 84.*n.*20.*vol.*2.

11 At cùm, teſte Paulo ex regulis generalibus jus non ſumatur, *l.*1. ubi Philipp Matth. *n.*19. *ff. de R. J.* in contrarium meritò itum eſt à præallegatis authoribus. Quod etiam Ordinatione Principum Haſſiæ confirmatum, Ant. Gothofredi *in diſput. feud.* 1. *theſ.* 2. *& diſputat.* 7. *theſ.* 6. Et Ordinatione Politicâ Ducatûs Würtembergenſis *fol.* 35.

12 Nobiliſſimo Caſparo à Lerch qui ſe potiſſimùm in deß Adels Freykauffrecht fundat, facili negotio reponi poteſt; Licet Nobilibus das Freykauffrecht competat, non tamen exinde ſequi; quòd onus reale prædio ruſtico vel paganico inhærens, per emptionem à Nobilibus factam, rejiciatur, ac ita onus cæteris concivibus accerſcat; ſed potiùs illud dicendum eſt, quòd per privilegium deß Freykauffs licitum ſit emere prædia vendibilia, ne per retractum Nobiles vigore illius Privilegii, repelli queant; Unde ſi prædium aliquod ſervitutem vel aliam qualitatem ad- 13
junctam habeat, *cum tali onere & qualitate ad quemcunque emptorem, nulla habitâ ratione perſonarum, tranſit,* (2) ac ſicut canis leporem, ita illud onus emptorem ſequitur; vel ſicut nebula ſuper paludem, ita qualitas vel ſervitus prædio vendito inſeparabiliter adhæret.

Hac ratione quoque alienationem bono- 14
rum immobilium in perſonas Eccleſiaſticas, forenſes & extraneos Statutis paſſim prohiberi videmus. *Talisq; Lex promulgata eſt juſ-*
ſu Caroli Quinti (3) Imperat, apud Belgas, 15
quâ ſancitum fuit, ne Eccleſiaſtica Collegia deinceps prædia compararent, idque ſub pœnâ publicationis, Iſac. Pontan. *in deſcriptione Urbis Amſtelodami f.* 28. Egregie Bodin. *l.* 5. *de Republic. c.* 2. *f.* 520. ubi plura ejusmodi Statuta enumerat, & ait; illud factum eſſe propter incrementum quotidiè creſcentium bonorum Eccleſiaſticorum, quæ ſemel quæſita nec diſtrahere, nec diuturnâ locatione concedere licet, Authen. *de rebus Eccleſiaſt. non alienand.* pulchrè & extentè Marcabr. ab Anguillis *conſil.* 40. *per totum.* Quò loci in utramque hanc Quæſtionem; An bona, quantumcunque allibata ſint in æſtimio communi poſita, alienata tamen in Eccleſiaſticas vel alias perſonas exemptas, immunia ſint ab omni onere Collectarum imponendarum, pro tempore futuro poſt dictam translationem? latè exagitat, & tandem concludit, bona ejusmodi non eſſe exempta & immunia.

Veneti quoque (4) haud ita pridem, Statu- 16
to ſingulari alienationem bonorum immobilium in perſonas Eccleſiaſticas prohibuerunt; De quâ prolixè egi *tractat de contribut.*
c. 12. *n.* 89. *& multis ſeqq.* taliaque Statuta 17
in Ducatu Juliacenſi & in Brabantiâ recepta, & ſecundùm ea in Camerâ An. MDLX. d. III. Octobr. pronunciatum, eſſe refert Ruland. *de Brach. ſæcul. c.* 62. Beſold. *de jure Majeſt. Eccl. c.* 2. *n.* 4. *&* 5.

Fundamentum verò potiſſimùm horum 18
Statutorum collocatur in eo, quòd Clerici tàm perſonalibus, quàm etiam non rarò patrimonialibus functionibus ſeſe ſubtrahere ſolent. Nec abſimilis ratio eſt prohibitæ alienationis in *forenſes* & extraneos; Ne
ſcilicet numerus eorum, qui perſonalia (vel 19
mixta) munera ſubire coguntur, decreſcat; & ut prædia & bona immobilia (quæ non niſi Civitatis beneficio acquiri poſſunt, fu-

ſè Johan. Vincent. Hondedæus *conſil. 5. num. 15. & ſeqq. volum.* 1.) conſerventur inter Subditos: idque favore publico, & ob publicam utilitatem, ne Cives exuti prædiis, impares ſint oneribus ferendis, Menoch. *conſil. 1143. num. 32.* & Ordin. Würtemberg *fol. 35.* in qua magis ſpecialis additur ratio, daß nemlich den Amtleuten von den Außwendigen / ſo Güter bey ihnen haben / in Einbringung der Steuren / Schatzungen / Reiſen / Frohnen und dergleichen / viel Irrungen und Beſchwerung / dardurch ihre Fürſtliche Gnaden / und derſelben Hochlöbliche Räthe vielfältig bemühet werden / ins künfftig nicht begegnen: Et quia maxima controverſia eſt, an Forenſis in loco Domicilii, vel bonorum ſitorum, debeat collectari? Vide meum *Tract. de Contrib. cap. 11. n. 17. & quàm plurimis ſeqq.* Beſold. *decad. 3. conſ. 2.*

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT LVII.

Num. 8.

(1) *Quin ipſam divinam domum functiones agnoviſſe cernimus &c.]* Sic ne hodie Dominos Territorii de prædiis allodialibus à privatis comparatis, (*de Jure,*) à collectis immunes eſſe, regulariter Dd. aſſerunt; eò quod bona maneant in ſua qualitate, & emptor bonorum ruſticorum ſuo contractu non poſſit variare naturam bonorum, per *l. 2. C. de Privil. Dom. Auguſt. lib. 11. l. vacuatis 19. l 28. ibi. Nullus quâlibet prærogativâ fultus, à debitis muneribus habeatur immunis. C. de Decur. lib. 10.* Dn. Mylerus ab Ehrenbach *de Princ. & Stat. Imp. parte 2. cap. 62. n. 17. pag. 572* ubi aſſertum hoc multorum Dd. Authoritatibus firmat. Adde Wincelærum *de Collect. Obſerv. 15. pag. 30. ſeq.* Guil. Anton. Freundenberg *de Reſcript. Morat. in Corol. ex J. Feudali. I. cum triginta Dd. in teſtimonium ibidem adhibitis pag. 23.*

Num. 13.

(2) *Cum tali onere & qualitate ad quemcunque emptorem &c. tranſit &c.]* Facit, quòd res quælibet præſumatur retinere qualitatem, quâ ſemel imbutam eſſe conſtat, *l. videamus 17. ubi Bartolus ff. quod metus cauſâ. l. pater 38. §. quindecim. 5. ibi. Bartolus ff. de Legat. 3. cap. ſemel. 8. ubi Dynus de R. J. n. 6.* & manere in eo ſtatu, quo fuit antea *l. ex perſona 3. C. de probat.* Regner. Sixtin. *2. Conſil. Marpurg. 18. n. 38* Si vel maximè onus reale ſit, *l ult. ff. de contrah. Empt.* Cardinal. Thuſcus *Pract. Concl. Juris. Tom. V. lit. O. 145.* & Dd. communiter: atque hanc Regulam Thuſcus *d. loc. n. 23.* cum ibi allegatis procedere quoque putat, ut bona effecta tributaria etiam reſpectu collectarum & aliorum onerum extraordinariorum per ſtatutum tranſeant cum onere ſuo, etiam ad Eccleſias, ita ut Eccleſia teneatur ſolvere onera tributaria, quibus res obnoxia erat, antequam eſſet Eccleſiæ.

Num. 14. 15. ſeqq.

(3) *Talisq; lex promulgata eſt juſſu Caroli V. &c.]* Leguntur hæc ipſa verba formalia numeri *14. & 15.* maximam partem, *num. 16. 17. 18. 19. 20.* apud Lindenſpür ſive Beſoldum *in Comment.* uber die Fürſtl. Würtenb. Lands-Ordnung *pag. 82. ſeqq. n. 3. 4. 5. 6.* ex quo & hoc loco repetere liceat numerum ejusdem Commentarii primum, ibi: Sicut Peregrini in Civitate non ſunt ferendi; niſi evidens emolumentum hoc ſuadeat, (Beſold. *de Jure Ordinibusq; civium cap. 6. per diſcurſ.*) Ita quoque non facilè iis permittendum eſt, ut prædia & bona immobilia poſſideant, eò quòd prædiorum poſſeſſio inter maxima Reipublicæ commoda & jura numeretur, Keckerman. *in Syſtem Polit. lib. 1. cap. 24.* quæ niſi Civitatis beneficio adipiſcantur, dominio eos prædiorum omninò prohibere oportet Bodin. *lib. 5. de Republ. c. 2. prope finem.* Et inde valet ſtatutum, prohibens vendere extraneo aut forenſi; per infinitos Dd. allegatos à Tiraquello *de Retract. in præfat. n. 14.* At de hoc argumento mox plura dicentur.

Num. 16.

(4) *Veneti quoque &c.]* Vide ſuprà *hoc lib. 2. cap. 47. n. 10. ſeqq.*

Num. 19.

(5) *Forenſes &c.]* Forenſem definit ex Althuſio Matthias *de Contribut.* (quem evolvas, quæſo) *cap. 6. n. 2.* Advenam, qui aliundè venit, mox diſceſſurus, & foro, nundinis, commerciorum Jure uti poteſt, ſecundùm leges & mores civitatis, in qua agit. Additque mox *n. 3. ex Nov. 30.* dici Forenſem, qui non eſt de Corpore Civium, ſeu incolarum, ſed foris habitat. Talis autem Forenſis licet ex diſpoſitione Statuti, incapax ſit immobilium civitatis: attamen ei deberi æſtimationem rei immobilis legatæ ad hoc Br. Bl. & alios Curt. Seniorem *Conſil. 27.* Menoch. *de Præſumpt. lib. 4. præſ. 120. n. 6. ſeqq. ac Conſil. 1210. n. 25.* citant.

CAPUT LVII.

Potiùs Operæ, & Comeatus, quàm Numi, in bello exigendi.

Ipſa ut Martis opus ſubeat, vlctumque procuret
Subdita plebs; potiùs Regibus eſſe puto;
Quàm tantos cumulos heu extorquerier æris:
Sentit ubi pauper, non ubi dives onus.

HOc præſens Caput abſolvam verbis P. Adami Contzen *lib. 8. Polit. c. 7. n. 8.* Cùm belli (*inquit ille*) immanes & incerti ſumptus ſuſtinendi ſunt, viros, equos, naves, injungi præſtat; omnia enim hæc faciliùs tolerant, *quàm pecuniæ collationem*, *Angariam vocant* (2) hoc genus tributi, cùm labor perſonarum, equorum, boum poſtulatur. Qua tamen in re cavendum, ne operæ publicæ tempore arationis, meſſis, vindemiæ, nundinarum exigantur, quod crebrò faciunt miniſtri, ut pecuniam eliciant.

ciant. Deinde ne procul vehere cogantur vina, frumenta, aliaque; qua praxi Verres utebatur, & nunc non neſciunt Principum mercuriales. V. G. debentur Principi centum vini plauſtra, æſtimantur cariſſimè, vinum non pecuniam tradere ſubditi volunt, at in longinqua vehere jubentur tempore occupatiſſimo aut pluvio. Cavendum, ne furta miniſtrorum interveniant; nusquam graviùs delinquitur. *Ducenta millia talentûm* (3) Aſiæ Antonius & Dalabella imperârunt, alterum tantum accrevit avaritiâ, fraudibusque publicanorum. Hodie quoq; cùm in contributionem conſentiunt, additamenta pro collectoribus nimis grandia adjiciuntur. Quantus error in his rebus committatur, docent oculi; miniſtri enim plerique, qui rei pecuniariæ admoventur, quamvis *inſtar ſicciſſimarum ſpongiarum* (4) tenues ſint, & exſucci inſtar boum, *quas vidit Pharao*, (5) deformes, & macie confectas, ut nunquam ſimiles viderit in Ægypto, brevi tamen impinguantur, quamvis ad incitas Princeps redigatur. Arbitratur Lipſius Principum ævo publicanos in Cæſarum provinciis non fuiſſe, nimiùm enim ſæviebant; Julius eorum & injurias, & injurios ipſos ſuſtulit, & permiſit Aſiaticis fructus colligere ab agricolis, ac tributa induxit. Exempla Verrina multa ſunt, quæ hodie majore exitio repetuntur.

ANNOTATIONES

Ad

CAPUT LVII.

(1) *Quam pecuniæ collationem &c.*] Ad belli apparatum pertinere, & res neceſſarias ad uſum omnem belli eſſe, Pecuniam, Commeatum, Arma; Præprimis verò bellum non in armis maximè, ſed in expenſis & ſumptibus, per quos efficacia arma & utilia fiunt, notum eſſe exploratúmve putarim; & jam ſuprà ejus rei mentionem fecimus: Proinde ſubventiones, quas ſubditi Principi & Patriæ debent, vereor an rectè ad unam aliquam talis apparatus ſpeciem redigantur. Ut enim Superior nunc milite, nunc commeatu, nunc pecuniâ, nunc omnibus indiget; Sic pro viribus eidem ſuccurrendum ubique fore ipſa æquitas, & patriæ amor, & conſcientia cuique ſuadeat, imperet. Ita ex Receſſibus Imperii conſtat, nunc numos, nunc milites, adversùs Turcæ inſultus ab Imperio Imperatori, pro ratione temporis aliarumque circumſtantiarum, decretos. Ut ſic cujus præſtatio ſimpliciter melior ſit, definire haud ita proclive foret. Præterea hoc loco notandum, Quamvis Angariarum & Parangariarum Jure non ſolùm equorum, mulorum, aliorúmve Jumentorum, ſed etiam plauſtrorum naviumque præſtationes contineantur; ut tempore ſævientis belli, vel ob aliam occurrentem neceſſitatem, quæ Principi aut Reipublicæ imminet, milites, currilia tormenta, militaria tabernacula, papilliones, panem ac annonam militarem, vulgò *Proviant*; cæteraque inſtrumenta bellica, itineri, commeatui ac expeditioni neceſſaria per ſubditos ad loca deſtinata transvehantur; Illud tamen ſolùm locum habere, ſi bellum intra Principatus vel Reipublicæ fines geratur. Cùm extra territorium, ubi Dominus non moratur, operas præſtare ſubditi (niſi ab antiquo aliter obſervatum fuerit) haud teneantur, ut cum tex. & aliis allegatis Dd. Dn. Mylerus ab Ehrenbach *Tr. de Princ. & ſtat. Imp. parte 2. cap. 72. num. 3. & 8.* ſtatuit.

(2) *Angariam vocant &c.*] *Angari*, (docente ex Suida Matthâ *de Contrib. cap. 3. num. 197.*) nuncii erant Regii apud Perſas, qui ἀστάνδαι vocabantur. Hinc Angaria (ἀγγαρεία) miniſterium, ſervitus & coactio propriè tabellariorum, dein omnium operarum & ſervitiorum, quæ à ſubditis exiguntur; ſic *Angario* idem eſt, quod cogo & compello. Hæ voces uſu latinæ linguæ miſceri cœperunt, ut & aliæ Perſarum, quales Gazæ, Azinaces, Satrapes, Cidaris, Paraſanga, &c. De Angariis elegans Anaſtaſii Imp. Reſcriptum ad Eufemium Magiſtrum Officiorum *in l. ult. C. de fabricens. lib. 11.* exſtat tale: Quotiens ſanè in translatione armorum angariæ neceſſariæ fuerint, ſublimitas tua literas ad eminentiſſimam jubeat dirigi præfecturam: & numerum ei armorum, & ex quo loco transferenda ſunt, indicare: ut continuò ſuper præbendis angariis pro numero eorum qua transferuntur armorum perceptione ſua viros clariſſimos moderatores Provinciæ conveniant: ut ſecundùm miſſam à ſublimitate tua notitiam, naves vel angariæ confeſtim de publico præbeantur.

(3) *Ducenta millia Talentûm &c.*] Vide Appianum *lib. 5. de Bello Civ.* & poſt eum Lipſium infrà ab Authore citatum *de Magnitudine Rom. lib. 2. cap. 2.* de Verrinis artibus verò Ciceronem *in Orationibus in Verrem* paſſim.

(4) *Sicciſſimarum ſpongiarum &c.*] Verùm ſi unquam expreſſæ ſunt, certè hoc noſtro ſeculo expreſſas fuiſſe madefactas hujusmodi turgentes ſpongias, exemplo Fouquetii, (*cujus defenſio XIII. Tomis comprehenſa prodiit*) aliorumque doceri poſſet, ni adhuc plerique eorum meminiſſent.

(5) *Quas vidit Pharao &c.*] De bobus hisce ſeptem confer Geneſ. *cap. 21.* Cætera in capite 57. plana, à rubro, extra priores lineas aliquot, alieniora, nec notis opus habere, videntur.

(o)

CAPUT

CAPUT LVIII.

Prodigalitas Ærario prodeſt.

SUMMARIA.

1. Prodigus *quis? ubi & hiſtoria de helluone quodam perverſiſſimo, & Tertulliani locus refertur.*
2. Prodigo *Curator dandus, donec ad meliorem frugem ſe recipiat; idque bono Reipubl.* num. 3.
4. *Ab exemplis deducto argumento hoc docetur.*
5. Prodigi *cenſoriâ virgâ notandi.*
6. *Unicuiq; libera & integra ſit ſua poſſeſſio, niſi abutatur.*
7. *Caſtigantur, qui ſoli conſumunt, quod toti familiæ ſatis foret.*
8. Platonicæ *leges de cauponariis.*
9. Injuria *putatur Parentis ac Domini, ſi quis filium aut ſervum in popinam duxerit.*
10. Pœna *contra frequententes popinas: tàm ſi Clerici, quàm Laici fuerint,* num. 11.
12. Lex divina *contra crapulam & ebrietatē.*
13. Prodigalitas *quomodo probetur.*

Profuſa prodigalitas detur licet,
Vitioſa tamen prodeſt Potentum Ærario.

1 PRodigus dicitur, qui expendit ultra ſubſtantiam ſuam, neque tempus & finem expenſarum habet, ſed bona ſua dilapidando profundit, *l. 1. ff. de curat. furioſ. l. furioſi. ubi Dec. ff. de R. J.* Eumque, qui plus expendit, quàm ex annuis reditibus percipit, accepti & expenſi nullam rationem habet, hunc gurgitem & voraginem patrimonii *Cicero* (1) vocat.

Cottidiè grandes fumant cui pultibus ollæ;
Ut pulchrè refert Gail *2. obſervat. 83. verſic. 2. col. 9. ff. ſolut. matrimon.*

Talis fuit helluo ille perverſiſſimus, qui pupillis à Magiſtratu tutor datus, cùm Patrimonium illorum abſumpſiſſet univerſum, juſſus tutelæ geſtæ rationem reddere; nihil, inquit, ſupereſt, hanc rationem accipite, aliam neſcio.

Verùm Magiſtratu urgente, ut libellos afferret, qui acceptum continerent & expenſum; ille os primò oſtendit, deinde podicem, illîc recepta eſſe ſubindicans omnia, hîc expoſita. Dignus hic, qui ad furcam ſuſpenderetur, nebulo fuit. Ejusmodi lurcones, prodigos & luxurioſos ſcitè deſcribit Tertullianus *libro contra Pſichycos*, quòd iſtorum Deus venter ſit, pulmo templum, aqualiculus altare, coquus Sacerdos: Eorū tota charitas in cacabis fervet, tota fides in culinis calet, tota ſpes in ferculis jacet. Vin ampliùs? Prodigalitas & luxuria tale vitium eſt, ut ei ſeſe dare homines ſine conſcientiæ ſcrupulo, ſine famæ damno, ſine fortunarum jactura, ſine memoriæ corruptione, ſine valetudinis diſcrimine, ſine vitæ detrimento, imò etiam ſine Civitatis ſcandalo nunquam poſſint, & tandem hominum odia & Dei iram ſibi accelerent; ſeu, ut ille inquit, feroces & petulantes & Dei oſores plerumque evadant, ſicut ille apud Homerum Odyſſ 9. Cyclops.

Ne jubeas, ſuperos ut ego vereárve colâmve;
Nil Cyclopes enim Divorum numina curant.

Prodigales, ait Ventura de Valentiis *in Parthenio Litigioſo libr. 1. capite 13. n. 10.* neque ſe, neque ſuos hæredes conſiderant, omnia abligurientes litigaturiunt, atque putant *cum M. Aur. Anton. Heliogabalo ſuum ſibi quemq; optimum hæredem.* (2)

C Cæſar Caligula (3) nepotinis ſumptibus omnium prodigorum ingenia ſuperavit: commentus novum balnearum uſum, portentiſſima genera ciborum, atque cœnarum: ut calidis frigidiſque unguentis lavaretur: pretioſiſſimas margaritas aceto liquefactas ſorberet: convivis ex auro panes & obſonia apponeret: Aut frugi hominem eſſe oportere dictitans, aut Cæſarem. Quin & numos non mediocris ſummæ è faſtigio Baſilicæ Juliæ per aliquot dies ſparſit in plebem: Viciesque & ſepties HS. non toto anno vertente abſumpſit, id eſt, centum amplius, ut loquimur hodiè, milliones. At quoties ſumptus quæſtum, nec morbus decedit jam in naturam converſus, quid ſupereſt, niſi ut ad malas artes vertant ſeſe, quo luxui ſemper gliſcenti ſuppetat pecunia?

Atque hæc eſt una non minima peſtis Germaniæ noſtræ; præcipuè apud eos, qui nobilitatis titulo gloriantur; quanquam ſunt in his, qui nobilitatem fingunt, ut hæc faciant impunitiùs, qui ſubornant, à quibus vocentur *Junckeri*, jactant arces paternas, addunt plumam galero, pingunt Clypeum, in qua dextra librans machæram diſſecet Elephantem; atque tum ſibi jus eſſe putant indicere bellum, cui viſum eſt. Si legum ſeveritas coërceret talium juvenum intemperantiam, non eſſent tam multi, quibus ſupplicia vel infligere cogerentur, vel condonare. Per aleam enim, chartas, ſcorta, compotationes, & otium venitur ad æs alienum, mox ad rapinas & ſycophantias; Curritur in militiam, redeunt cum prædâ, non ab hoſtibus parta. His rudimentis exercitati, nullum horrent facinus. Apud Veteres erant leges ſumptuariæ, atque adeò Corinthi, quæ civitas erat cæteris corruptior, tamen lex erat oppoſita ſumptuoſiùs quàm pro rei familiaris modo viventibus. Eum apud Athenæum *l. 6, Diphilus Mercator refert* hiſce verſibus:

Hac

Hac lege cautum eſt hîc apud Corinthios:
Si quempiam obſonare ſemper ſplendidè
Videmus, hunc rogamus, unde vivat, &
Quid faciat operis, ſi facultates habet,
Ut reditus harum ſolvere expenſas queat,
Perpetimur illum perfrui bonis ſuis.
Sin fortè ſumptus ſuperat ea, quæ poßidet,
Prohibemus huic, ne faciat in poſterum:
Ni pareat, jam plectitur pœna gravi;
Sin ſumptuoſè vivit is, qui nil habet,
Tradunt eum tortoribus.

Et paulò pòſt:

--- --- *Nos genus hoc mortalium*
Ejicimus hac ex urbe, velut purgamina.

At hodiè Germania in non obſcuris civitatibus fert hoc genus nepotes & ganeones; qui non ſolùm nihil habent, veſùm etiam multis multa debent, neque cuiquam illorum dicitur, Heus tu, unde ſuppetit res luxui tuo? quod ſi fieret, fortaſſe comperirent eſſe verum, quod ſcripſit Diphilus. Apicius cùm opes ſuas ad calculum revocaſſet, neque reperiſſet tantum, quantum eſſet in paulò longiorem tempeſtatem ad luxum ſine imminutione continuandum, maluit mori, quàm frugi vitam in ſenectam ducere, *Seneca* (4) *conſil. ad Helv. cap. 10.* Ejuſmodi ergo Apiciis & prodigis non conſiderantibus modum ventris ſui, nec recognoſcentibus illius naturalia deſideria, ſed gulæ inſervientibus & intemperantibus circa omnia, *bonorum ſuorū adminiſtratione interdicendum, & Curator dandus,* (5) qui inventario confecto in odium malæ adminiſtrationis, anniverſarias rationes reddat, prodigis de alimentis honeſtè proſpiciat, & deductis omnibus impenſis & oneribus, *reliquorum ſolutionem Fiſco* (6) ſive Ærario inferat, donec ad meliorem frugem ſeſe receperint. Neque enim ita in diem vivendum, ut prodigali profuſione omnia ea, quæ Dei benedictione parta & comparata ſunt, ſemel abliguriamus, ne quid ſuperſit in craſtinum. Si uno die plus abſumas, quàm ſeptem integris poſſis lucrari, **wann der Montag ſoll deß Sonntags Bruder ſeyn /** ut dicunt opifices, tunc rarò cophinos replebis. Et rectè dixit Philippus Melanchthon: In noſtris regionibus non eſt parcimonia; aut enim ſordidè vivitur, aut in luxu. Scribunt in ultima Sarmatia eſſe quoddam animal, quod nominant *Gulonem*: (7) Id tantum vorat, ut penè crepet; poſteà in duas arbores ſe intrudit & collidit, ut in anguſtiis illis rurſus eliciat ſeu extrudat cibum: paulò pòſt iterum eſuriens redit, & rurſus illos crudos cibos extruſos commedit. Hæc eſt imago helluonum & intemperantium, ſicut in Aulis fieri videmus, ut aliqui uno die bis tèrve inebrientur, ſubinde evomentes & mox iterum ingurgitantes. Et certè tres hodiè Judæi ſunt, qui omnem Dei benedictionem quaſi exhauriunt. 1. Guloſus, qui ſuadet hominibus, ut ſua comeſſando diſſipent, & per gulam trajiciant. 2. Superciliosus & elatus, quo authore homines noſtri ſplendidis ædificiis, veſtibus, ſumptibus, &c. præ aliis ſe extollunt. 3. Avarus, qui jubet quaſi & ſuadet, ut unus avidè arripiat ea, quibus multi ſe ſuſtentare poſſent. Omnia bona mundi triplex interitus tollit, inquit Chryſoſtomus, aut ex ſeipſis inveteraſcunt, aut luxu dominorum ſuorum conſumuntur, aut ab extraneis dolo vel violentiâ vel calumniâ diripiuntur. Vide Luther. *tom. 1. Jenens. pag. 282.*

Sed ex iſtiusmodi profuſionibus ſeu profuſis ſumptibus poſtmodum egeſtas aut paupertas, ex egeſtate deſperatio, ex deſperatione facinora capitalia, quibus Reſpubl. in extremum diſcrimen adducitur, ſæpè exoriri ſolent. Qui diligit epulas, in egeſtate erit: qui amat vinum, & pinguia, non ditabitur, *Proverb. 21. v. 17.* Diogenes earum ædium, in quibus copia eſt alimentorum, dicebat multos eſſe muros & feles. Sic etiam corpora intemperantium hominum morbos quoque adſciſcere. Hinc Ovid. de prodigis:

Quærere ut abſumant, abſumpta requirere tentant:
Atque ipſæ vitiis ſunt alimenta vices.

Sanè ſi Reges Angliæ (8) omnium bono- 3
rum pupilliarum proventus honeſtè Ærario ſuo vindicant; *& Rex Hiſpaniæ decimam* (9) Tutori licitè concedit; Quidni
& Principes vel Magiſtratus eum, qui 4
res ſuas petulanter & temerè profundit, non cohibere tantùm, ſed & coërcere, atque ſuper facultatibus prodigi, in notam pudefactionis & pœnam ſtultitiæ librum in forma rationum conſcribi jubere, bonorum adminiſtrationē aliis committere, & id, quod deductis oneribus & impenſis ſupereſt, *ad publicos & communes uſus transferre poſſit?* (10) Expedit enim Reipublicæ, ne quis re ſua malè utatur, §. *Sed hoc tempore 2. Inſtitut. de his qui ſunt ſui vel alien. jur.* ejuſdemque rei animadverſio ad Magiſtratus officium pertinet, *d. §. Sed hoc tempore*, & varia juris remedia contra prodigalitatem ſunt inventa, Boſold. *de jur. univerſit. c. 5. n. 3. fol. 247.* Hinc eſt, quòd prodigis bonorum ſuorum adminiſtratio interdicatur, *l. 1. ff. de curat. furioſ. prodig. l. Curatores C. eod.* Hinc itidem eſt, quòd rerum ſuarum pupillus, pupillarium tutor atque curator, dotalium maritus, feudalium Dominus ac Vaſallus, Eccleſiaſticarum denique, politicarumque adminiſtrator, diſtractionem non habeant, niſi ex legibus, formula, magiſtratusque præſcripto.

ſcripto. Quocirca prodigentia & luxuria, ex qua Reſpublica majus, quàm credi poteſt, detrimentum patitur, Macrob. *3. Saturnal. 17.* è medio tollenda & removenda, prodigique Cenſoriâ virgulâ notandi ſunt, ne in epulas, ludos illicitos, aliásve res turpes & nullius momenti, pecunias profundant. Quid, ſodes, accederet Ærario, ſi id conferretur, quod in luxum, præter neceſſitatem & honeſtatem, ab hisce helluonibus prodigitur? Quò reſpectat etiam
6 lex Platonis: Unicuique bonorum ſuorum poſſeſſio libera & integra eſto, tum civi, tum peregrino: niſi quis civis prodigus iis furiosè abutatur. Lurcones ſive helluones iſti, qui domeſticæ familiæ immemores ſoli abliguriunt & conſumunt, quod omnibus domeſticis fame laborantibus in hebdomadam ſuffeciſſet, ut plurimùm in ganeis & popinis, aliisque locis vinolentiæ & libidini aptis, tempus terunt, indeque ebrii exeuntes audaciores ad ſcelera prodeunt.

7 Quare cùm intellexiſſet *Plato*, (11) quod Caupones re, quam neceſſitatis, & non voluptatis causâ exercere debent, abutebantur receptando lucri causâ helluones, & otioſos, eisdem edulia, luſoria inſtrumenta, luxuriæ præparamenta, & alia, quæ voluptatis ſunt, miniſtrando, aliquot de hac materia leges, *lib. 11. de legib.* con-
8 ſcripſit. Quæ his verbis loquuntur: 1. Nemo optimatum civitatum Caupo fiat. 2. Qui illiberali cauponationi cuipiam operam dedit, à quolibet poſſit apud Optimates accuſari, isque cauſam in vinculis dicat: quòd ſi demum indigno ſtudio maculaſſe deprehendatur, vinculis annuis ab hoc opere arceatur. Si iterum lapſus biennium vinciatur, ac deinceps, quoties peccaſſe deprehendetur, duplo tempore ſemper detineatur. 3. Peregrini duntaxat & advenæ cauponarias artes ſequantur, iique ſint optimi aut quàm minimè mali. 4. Impendio & emolumento examinato, quod mediocre cauponi lucrum ſit, videant legum cuſtodes, & tam impendium, quàm emolumentum conſcribant: obſerventur autem alia, ab ædilibus, alia ab agri magiſtratibus, alia à rerum venalium magiſtratibus. Quibus legibus clarè patet, tàm Cauponas voluptuoſioris vitæ gratiâ ſuſtentantes, quàm ad eam frequentantes ab ipſo Platone deteſtari. Cui convenit Iſocrates *in Areopag. Orat.* qui ſic ſcribit; in Caupona vel bibere vel edere ex antiquis nullus audebat, vel domeſticus familiaris: Nam dabant operam, ut graves eſſe viderentur, non autem ſcurræ. Proinde Cajus JC. *in l. ſi quis ſervum meum. 26. ff. de injur.* ait, injuriam fieri patri aut domino, ſi quis *filium aut ſervum* (12) in popinam duxerit, nempe, quòd ibi colluvies hominum & aleatorum, & erronum confluat turba. 9

Pœna autem contra iſtos helluones, atque ganeas & popinas frequentantes hæc eſt, ut ſi Clerici ſint, & à Superiore moniti non abſtineant, ab officio vel beneficio ſuſpendantur, per text. *in c. à Crapula. de vit. & honeſt. Cleric.* Si verò laici, tunc non ſolùm dictas ganeas & popinas præbentes & ſuſtentantes, verùm etiam frequentantes interdictione bonorum, mulctis pecuniariis, aliisque pœnis arbitrariè puniantur à Magiſtratibus & Præſidibus Provinciarum, qui tam ratione naturali invitati propter Reipublicæ politiam, quàm etiam ob Dei præceptum, qui monuit, ne graventur corpora crapulâ & ebrietate, *Luc. 21. verſ. 34.* & in ſuis Provinciis ac Ditionibus hujusmodi vitia vetare poſſunt; prout in Gallia aliisque Regnis ſervari legimus, ubi Caupones in ganeis & diverſoriis viatorum causâ inſtitutis, cives & oppidanos voluptatis gratiâ accedentes ſuſcipere ſingulis annis repetitis conſtitutionibus prohibentur. Huc etiam pertinent antiquæ leges ſumptuariæ, quæ prodigalitatem & luxuriam victûs adimebant, & modum præſcribebant, de quibus *cap. 93.* Confer quoque ea, quæ dixi, *cap. 98.* 10 11 12

Ad probandum autem, quem eſſe prodigum, debent teſtes adſignare rationem, utpote quia vident, quotidiè illum dilapidare bona ſua, & exponere ultra facultates, Paul. Chriſtinæus *deciſ. 182. num. 27. & ſeq. vol. 1.* **Wann einer friſſt/ ſäufft/ ſpielt/ und hingegen alle andere Arbeit / damit ein jeder nach ſeinem Stande ſich ernehren muß / unterläſſt.** 13

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT LVIII.

Num. 1.

(1) *Cicero &c.] In Orat. pro P. Seſtio pag. 25. a. ibi:* Utrum ego tibi Patrimonium eripui Gelli? an tu comediſti? quid tu meo periculo gurges & vorago patrimonii helluebare? &c.

(2) *Cum M. Aur. Anton. Heliogabalo, ſuum ſibi quemq; optimum hæredem &c.]* Heliogabalo, privato, inquit Ælius Lampridius *in vita ejus c. 31.* cùm quidam diceret, non times pauper fieri? dixiſſe dicitur: Quid meliùs, quàm ut ipſe mihi hæres ſim & uxori meæ?

(3) *C. Cæſar Caligula &c.]* Teſte Suetonio *in ejus vita cap. 37.*

(4) *Seneca &c.]* Lubet verba adſcribere ipſa, quæ ſic ſonant: Apicius noſtrâ memoriâ vixit, qui in ea urbe, ex qua aliquando Philoſophi, velut

corruptores Juventutis, abire juſſi ſunt; ſcientiam popinæ profeſſus, diſciplinâ ſuâ ſeculum infecit: cujus exitum noſſe, operæ pretium eſt. Cùm Seſtertiûm millies in culinam congeſſiſſet, cùm tot congiaria Principum, & ingens Capitolii vectigal ſingulis commiſſationibus exſorbiſſet; ære alieno oppreſſus, rationes ſuas tunc primùm coactus inſpexit. Superfuturum ſibi ſeſtertiûm centies computavit: & velut in ultima fama victurus, ſi ſeſtertio centies vixiſſet, veneno vitam finivit. Quanta luxuria erat, cui ſeſtertiûm centies (*CCL. millia Philippeorum*) egeſtas fuit? I nunc, & puta pecuniæ modum ad rem pertinere non animi. Adde Dionem *lib. 57.*

Num. 2.

(5) *Bonorum ſuorum Adminiſtratione interdicendum & Curator dandus &c.]* Cùm enim expediat Reipublicæ, ne re ſua quis malè utatur; & furioſo prodigus, quoad adminiſtrationem bonorum, in quibus diminuendis & ipſe, ut loquitur JCtus *in l. 12. ff. de Tutel. & Curat. dato ab his &c.* furioſum facit exitum, in Jure æquiparetur, *l. 40. ff. de R. J.* Hinc homini, qui neque tempus neque finem expenſarum habebat, ſed bona ſua dilacerando & diſſipando profuderat, primùm moribus, dein Lege XII. Tabb. interdicebatur bonorum ſuorum adminiſtratio, *l. 1. ff. & l. 1. Cod. de Curat. Furioſo &c.* Prætore, ut eſt apud Paulum *lib. 3. ſent. tit. 4.* ſic edicente: QUANDO TU BONA PATERNA AVITAQUE NEQUITIA TUA DISPERDIS, LIBEROSQUE TUOS AD EGESTATEM PERDUCIS, OB EAM REM TIBI EA RE COMMERCIOQUE INTERDICO. Quod ipſum à Poſterioribus Imperatoribus approbatum reperitur; ſic ut poſt hujusmodi interdictionem adminiſtrationis Bonorum à Magiſtratu factam declaratus Prodigus nec contrahere nec teſtamentum facere queat, *l. 10. l. 16. §. 1. ff de Curat. fur. l. 9. §. ff. de reb. credit. §. 2. I. quib. non eſt permiſſ. fac. teſt.* Et ſub Curatoris ipſi tributi Curatione tam diu erit, usque dum ſanos mores receperit, *l. 1. in fine princ. ff. de Curat. Furioſ.* Montanus *de J. Tutel. cap. 28. n. 26. ſeqq.* Schroer. *in Inſtit. Tutel. & Curat. parte 1. quæſt. 28. n. 19. ſeqq. multis*, & infrà Author noſter *num. 4.*

(6) *Reliquorum ſolutionem fiſco &c.]* De hoc argumento mox *ad n. 4.* dicetur.

(7) *Gulonem &c.]* Gentibus Livoniæ & Moſcoviæ, ubi voraciſſimum hoc animal reperitur, *Roſomacham* Germanis verò Vielfraß nominatum, veram helluonum Ideam, ſcribit Schottus *in Phyſ. Curioſa lib. 8. c. 39.*

Num. 3.

(8) *Sanè ſi Angliæ Reges &c.]* Vide ſuprà *lib. 1. cap. 8. n. 5. (12) (13) & n. 8. (18)*

(9) *Et Rex Hiſpaniæ Decimam &c.]* Scilicet redituum, uti indicavi *citato loco ad num. 10. (21)*

Num. 4.

(10) *Ad publicos & communes uſus transferre poſſit &c.]* Utut hoc in Emancipato, ſine uxore & liberis vivente practicari (*ut dicunt*) aliquando poſſe haud inficias imus; ita ſi generaliter Klockius hæc intellecta velit, iniquiſſimum in Uxorato & Patre fore, nemo credo negabit, cùm eo modo uxor liberive alterius odio prægraventur, & illis per maritum iniqua inferretur conditio, quod Jura non patiuntur. Diverſamque rationem ex tutela pupillorum, quibus nempe onera matrimonii haud ſuſtinenda, petitam, non eſt quod multis indicem, cùm per ſe pateat.

Num. 7. & 8.

(11) *Plato &c.]* Platonis verba *ex lib. 11. citato*, interprete Latino Marſilio Ficino *Tom. 3. Operum pag. 1105.* hæc ſunt: Danda eſt opera primùm, ut quàm minimo pro viribus cauponum genere in Civitate utamur. Deinde his omnibus hominibus cauponandi artes commendandæ ſunt, quibus corruptis non magnum Civitas detrimentum incurrat. Tertiò invenienda via & ratio eſt, ne facilè impudentiâ atque illiberalitate illorum hominum animi repleantur. *& p. p.* Nullus Agricolarum & eorum, qui de quadraginta & quinque millibus domorum ſunt, caupo mercatorque nec ſponte, nec invitus fiat, nec privati cujusquam fiat miniſter, qui non ſit ejusdem cum ipſo conditionis, niſi patris ac matris, aliorumque genere majorum cæterorumque ſeniorum, qui liberi ſunt, libereque vivunt &c. Eum verò, qui illiberali cauponationi in aliqua arte operam dederit, volens quilibet ad optimates, virtuteque primos, quaſi generi ſuo dedecori ſit, accuſet. Et ſi paternam domum indigno ſtudio maculaſſe deprehendatur, ab hoc opere vinculis annuis arceatur. Qui ſi iterum lapſus fuerit, biennium vinciatur. Ac deinceps quoties peccaſſe deprehenditur, duplo ſemper tempore detineatur. Altera Lex jubet, ut peregrini duntaxat, & advenæ cauponarias artes ſequantur. Tertia lex cavendum monet, ut peregrinus ille vel incola, aut quàm optimus, aut quam minimè malus ſit. *Nec ignorare Legum cuſtodes debent, non ſolùm obſervatores ſe illorum eſſe, quos ab iniquitate pravitateq; amovere difficile non eſt, qui benè nati educatiq; ſunt, verùm etiam illorum multo magis, qui tales non ſunt, & in artibus his verſantur, quibus ad improbitatem faciliùs impelluntur.* Quum verò cauponatio multiplex atque varia ſit, cùm peritis ſingulorum ejus generum cuſtodes Legum conveniant & quæ neceſſaria Civitati videbuntur, ea fieri primò conſtituant. Deinde impendio & emolumento diligenter examinato, quid mediocre cauponi lucrum ſit, videant, & tam impendium quàm emolumentum conſcribant. Obſerventur verò alia ab Ædilibus, alia à rerum venalium curatoribus, alia ab agri Magiſtratibus. Sic fermè cauponandi artes ſingulis proderunt, & minimè oberunt.

Num. 9.

(12) *Filium vel ſervum &c.]* Imò etiam *conſentientem*, ut allegata lex vult.

CAPUT

CAPUT LIX.

Quæſtus ex Diverſoriis Tabernis, & Cauponis villicis Ærario inſervit.

SUMMARIA.

1. Hoſpitia & diverſoria *inſtituantur, præſcribatur victûs potûsq; ratio & pretium, obſerventurq; hoſpites viatoresq; ſuſpecti,* num. 2. & 3.
4. *Multarum urbium corruptelæ ex* cauponarum *incuria oriuntur,* & num. 5.
6. Tabernæ *conceſſio habetur actus probans jurisdictionem.*
7. Caupones, Nautæ, & Stabularii *habentur ſuſpecti.*
8. Caupo *actione in factum tenetur, ſi res in caupona recepta non reſtituatur, vel furto ſit ablata.*
9. *In Daniæ, & Sueciæ Regnis Eccleſiæ miniſtris jus hoſpitalitatis conceſſum eſt.*
10. *Antiqua* Teutonum & Suevorum *liberalitas in hoſpites collaudata.*
11. Viatores *non poſſunt à Caupona repelli, coguntur q; hoſpites eos ex itinere recipere.*
12. Caupona *quandoq; pro proſtibulo habita.*
13. *Ganea propriè Meretricum taberna.*
14. Ganeæ & popinæ *cur vetandæ vitandæq; earumq; incommoda.*
15. Gabella Cauponaria, **Ungeld** / *ſeparata eſt à Collectis: Neque Regalibus annumeratur,* num. 16. *extraordinariis contra VVehnerum accenſetur,* 17. 18. 19. *& competit ei, cui Imperiales & Provinciales collectæ competunt* 20. *fructus Jurisdictionis reputatur,* n. 21.
22. Precarii *conſtitutione jus non acquiritur.*
23. Wehnerus *excuſatur, qui ad factum Principum reſpectum habuit.*
24. *Blandè petitur* datio potulentorum, *ſed rigoroſè continuatur.*
25. Extraordinaria onera *conſuetudine & violentiâ fiunt ordinaria: Statibus Provincialibus ob id vigilandum,* num. 26.
27. Principiis *obſtandum.*
28. Turpiùs *ejicitur, quàm non admittitur hoſpes.*

Parte ſui quadam Caupona, atque hoſpita tecta
In vicis præbent commoda, Fiſce, tibi.

1 SImiliter ratione publica & privata poſtulat utilitas, ut pretia mercedum, ſervitiorum, &c. itemque hoſpitia publica conſtituantur, **offene Gaſthäuſer und Wirthshäuſer** in ſingulis urbibus, & extra muros etiam, & in vilis & pagis, in iisque pretium pro prandiis & cœna determinetur, ne Caupones, pro libidine & avaritiâ ſuâ, numis emungant hoſpites. Quot miſſus, & quanti. Quod in tabellâ appensâ apertè in hoſpitiis deſignari ſolet.

2 Inprimis verò, ut hoſpites diverſoria frequentantes obſerventur, clandeſtina cenſura exercenda, inque fallaces & mendaces inquirendum & vigilandum eſt, ut diverſoria & cauponæ villicæ à ſycophantis, latronibus, furibus, & id genus ſtellionibus, & 3 impoſtoribus, vulgò **Spitzbuben und Beutelſchneider** / purgentur, quò viatores tutò peregrè ire, redire, & pernoctare poſſint. Cùm compertum ſit ſæpè atrociſſima facinora, homicidia, & furta in cauponis ab urbe diſſitis, noctu & interdiu, ab hoſpite activo & paſſivo perpetrata; ac ſæpiſſimè viatores in ejusmodi tabernis vitæ fortunarumque periculum ſubiiſſe: Quamobrem non in- 4 concinnè Adam. Conzen Jeſuita *lib. 7. Politic. cap. 20. §. 8.* ſcribit, multarum urbium corruptelas cauponarum incuriâ oriri, cùm in ea loca fex civitatum confluat; & vitia ſeſe primùm extendant illis in locis, ubi lucro ſunt eorum fautoribus.

Quantum etiam emolumenti & commodi, è tutis & mundificatis diverſoriis, & ubi æquo pretio vivitur, Ærario accedat, advolatu & comeſſatione peregrinorum frequenti, nemo non videt. Et 5 certè magis conducere videtur, ut certa loca authoritate publicâ conſtituantur, ubi hoſpites recipiantur, quòd haud leve lucrum Magiſtratus inde percipiat, **als Ungeld / Ohmengeld / Bierſteuer / Zapffengeld** / & quod vectigal ſolvitur de vino ac cerviſia, quæ in tabernis publicis abſumuntur; & quidem alicubi tertia pars, **Man muß den Wein ſehr hoch verungelden / daher auch gemeiniglich die Maſſe in den Wirtshäuſern ſehr klein und gering ſeyn.**

Hinc conceſſio tabernæ, pro actu jurisdictionem probante, habetur, Beſold. 6 *in Theſaur. Pract. verb.* **Gäſt / 2c.** ut & quandoque Furni Inveſtituris exprimuntur. Cravett. *conſil. 861.* Hincquoque jus cauponum refertur inter **Ehehafften** / ſeu inter illa res, quæ non ſunt meræ facultatis, ſed dependent à nutu & conſenſu Magiſtratus ejus loci, D. Prenning. *in Addit. Martini Uranii conſilia conſil. 21. num 6. lit. a. vol. 2.* quod & mixto Imperio non malè aſſignatur. Mager. *de Advoc. armat. cap. 10. n. 163.* Nec ratione caret, quòd hujusmodi diver- 7 ſoria ac tabernæ publicâ Magiſtratûs authoritate conſtitui debeant. Nam & aliàs caupones, nautæ, & ſtabularii omninò de jure ſuſpecti ſunt, & facilè præſumuntur *cum furibus colludere;* (1) ideoque de furto teneri, ſive ab illis, ſive ab aliis commiſſo, apertè innuit Ulpian. *in l. 1. naut. caup. ſtabul.* Niſi enim ita ſtatueretur (inquit

 Ulpian.

Ulpian. *in d. l. 1.*) materia daretur cum furibus adverſus eos, quos recipiunt, coëundi, cùm ne nunc quidem abſtineant hujuſmodi fraudibus. Joan. Grivell. *Deciſ. Dolan. 49. numer. 10.* Vincent. Caroc. *tractat. de depoſit. p. 1. tit. de in lit. jurand. numer. 8. & 9.* Et quòd caupones ſub colore officii multas fraudes committere, & uſuras extorquere poſſint, memorat Coler. *de proceſſ. execut. p. 1. cap. 2. numer. 220.*
8 Hinc etiam, ſi res in caupona recepta non reſtituatur, vel furto ſit ablata, aut damnum in ea datum, adverſùs exercitatorem cauponæ actio datur, *l. 5. ff. d. tit.* Quæ actio generali nomine in factum dicitur, ut probatur *l. 3. §. ex hoc edicto ff. eod.* latè & eleganter Ludov. à Peguera *deciſ. 45. num. 1. & per tot.*

Hodiè in Sueciæ & Daniæ Regnis, ra-
9 riora publica hoſpitia ſunt, ſed Eccleſiæ miniſtri jus hoſpitalitatis exercent: in quâ exercendâ olim Suevos & Teutones tam
10 liberales & promptos fuiſſe ſcribit *Tacitus*, (2) ut convictibus & hoſpitiis, non alia gens effuſiùs indulſerit; quemcunque mortalium, notum vel ignotum arcere tecto, nefas habuerit; pro fortuna quemque apparatis epulis exceperit; abeunti ſignum vel arrham felicis recordationis, & memoriæ (ein Glückpfenning) dederit.

Notandum verò, diverſoriorum, cau-
11 ponarum, ganearum, & popinarum inſtitutionem Neceſſitatis cauſam eſſe, non voluptatis. In quibus duo genera ſunt hoſpitum Viatorum; quos repellere caupones ex itinere venientes non poſſint, ſed coguntur ſuſcipere, *l. 1. §. namque viatorum ff. furt. adverſ. naut. caup. ſtabular.* & incolarum loci illius, ſive helluonum, qui apud cauponem cibi voluptuoſioris gratiâ conveniunt, quibusque vina is ſubminiſtrat &
12 luxuriæ fomenta, *l. quæ adulterium C. ad L. Jul. de adult.* Et hoc modo non immeritò Caupona pro proſtibulo habita eſt, *l. fin. C. ſi mancip. ita venen. proſtit.* quæ caupona
13 tunc ganea propriè appellatur: &, ut Nonius inquit, ganea ſunt loca vinolentiæ ac libidini apta: de quarum nidore Cicer. in *Piſonem* loquutus eſt, his verbis: *Pauliſper ſtetimus in ganearum nidore atque fumo, unde tu nos cùm improbiſſimè reſpondendo, tum turpiſſimè eructando ejeciſti.*

Sed hæ ganeæ & popinæ à Reipubl. gubernatoribus vetari ac prohiberi debent, perinde ac ægrotantium purgamenta, in quibus ut Valer. Maximus atteſtatur *lib. 1.*
14 *cap. 7.* gulæ irritamenta ſubminiſtrantur, quibus & pecuniæ exhauriuntur, & ad libidinem ſternitur via.

Inter enim vitia, quibus Reſpublica venit purganda, eſt ganearum, popinarumque frequentatio. Sectari enim ganeas pernitioſum vitium eſt, quo inficitur plebis ferè omnis multitudo, quo & facultatibus, dulci quodam veneno infecti & ſopiti, ſpoliantur, & infinitæ lites, & furandi maléve agendi oriuntur ſemina. Confer ea, quæ præcedenti *cap. 58.* notavimus.

Cæterùm ut è via in ſemitam revertamur, inter malitioſas hujus vitioſi ſæculi praxes vel principem ſibi locum vendicat prætacta Gabella cauponaria, quæ potulentorum nomine penditur, & modò datia vini, modò acciſa de cerviſia nominitatur, Pruckman. *conſil. 27. numer. 43. volum. 1.* Wehner. *in pract. obſerv. verb.* Schatzung; & diverſum, ſeparatumque jus eſt 15
à collectis, prout in cauſa Teutſchmeiſter contra Pfaltzgraffen deciſum, Meichſner. *tom. 1. part. 1. deciſ. ultim. fol. 856. in princ.* Neque verò, utut rationibus juris inſpectis aliud ſtatuendum videatur, Gyland. *deciſ. 37. num. 33. libr. 1.* propter notoriam Germaniæ conſuetudinem, *inter Regalia numerare poſſumus*, (3) cùm videamus, 16
Nobiles quoque quoſdam, vel conſuetudine, vel inveſtiturâ, vel alio quodam jure, eodem in pagis ſuis uti, quod notatum in 17
cauſa Erfurt contra Maintz Compilator Symphorematis *tom. 1. part. 1. tit. 2. vol. 1. numer. 123.* Rutger Ruland. *deciſ. jur. controv. qu. 12.* quoſdam etiam *deſuper Cæſariæ Majeſtati ſupplicaſſe*, (4) nec, niſi edocto Subditorum conſenſu impetraſſe, uti Anno 1559. in cauſa Nobilium de Graneck factum fuiſſe meminit Beſold. *de Liber. Equeſtr. Ordin. numer. 9. & in Theſauro Pract. verb.* Ungeld. *§. datia vini.* Unde &, cùm præprimis hodie etiam in Provincialibus Conventibus non niſi precariò, & quidem datis reverſalibus, ad certum 18
tempus & modum, Superioribus jus collectandi habentibus concedatur, Landtags Abſchied de dato Dreßden XIV. Octobr. Anno MDCXL. *§.* und dieweil nun in unterthänigſtem Erkantniß; ibi, die auf jüngſtem Anno MDXXXV. allhie gehaltenem Landtag bewilligte Tranckſteur und Fleiſchpfenning ꝛc. infallibiliter ſequitur, id rectiùs extraordinariis, quàm ordinariis annumerari muneribus, adeòque fallere & falli Weh- 19
nerum, qui in Practicis Obſervationibus *verb.* Ungeld ꝛc. id ordinariis, ſed ſine fundamento adſcribit. Licet enim is, cui Provinciales Imperialesque Collectæ, aliaque 20
Regalia competunt, etiam Ungeld & Tafernengeld jure percipiat, & facultatem erigendi abrogandique Tabernas habeat, Wehner & Beſol. *dd. locc.* & hoc munus in recognitionem Superioritatis ſolvatur, interque fructus Jurisdictionis referatur, *cap. 2. de cen-* 21
ſib. c. illud. 10 qu. 3. l. nulli. C. de Epiſc. & Cler. l. vectigalia. 10. C. de vectigal. Knichen *de jure territ. c. 3. n. 344.* Wehner. *d. loc. v.* Acciſe *in fin.*

Exin-

Exinde tamen non ſequitur, quòd propterea ordinarium munus efficiatur, cùm & reverſales deſuper datæ, & conceſſiones conditionales contrarium evincant, & extraordinarium munus eſſe doceant. Si enim ordinarium eſſet, nec Ordinum conſenſu, neque reverſalibus opus eſſet, ſed vel vigore Regalium, vel ut fructus jurisdictionis exigeretur, neque precibus
22 quæreretur. Juris autem eſt decantati, quòd precarii conſtitutione neque jus acquiratur, neque precaria poſſeſſio diutiùs duret, quàm concedentis voluntas permittat, *l. communi. 7. ff. neque 11. ff. commun. divid.* Petr. Barboſa *in l. ſi de vi. 37.*
23 *num 333. ff. de judic.* Sed excuſandus forſan eſt Wehnerus, ſi non tàm ad jus, quàm ad factum potiùs Magnatum reſpectum habuit: Hi enim in Comitiis Provinciali-
24 bus mellitis quidem verbis, & muſteis aureæ libertatis & remiſſionis promiſſionibus, cauponariam hanc gabellam, **Tranckſteuer von Wein und Bier ſchencken und brauen** non ſolùm, verùm etiam incrementum ejusdem & augmentum, ad duplum prorſus petunt, &, ut charitativum, impetrant, poſtmodum verò ſub prætex-
25 tu ſuperioritatis, plenitudinis (ô horrendam vocem!) poteſtatis, & per Cæſaream inveſtituram quæſiti juris, rigorosè continuatam volunt; ſicque revera verum faciunt; extraordinaria munera paulatim & violentiâ degenerare in ordinaria, & migrare in legis neceſſitatem, *l. ſi certis annis. 28. C. de pact.* Martin. ab Azpilcueta *lib. 3. tit. de cenſibus conſil. 4. num. 4. tom. 1.* Gœddæus *Conſil. Marpurgenſ. 16. numer. 152. volum. 4.* Unde & cautè proſpi- 26
cere, diligenterque vigilare debent Provinciales Proceres, eorumque deputati, ne blanditiis & illecebris, verborumque iſtiusmodi lenociniis inducti ſemel promittant, quòd ſemper doleant, néve jugum ſuſcipiant, quod nec poſteri excutere valeant.

Principiis obſta; ſerò medicina paratur,
Cùm mala per longas invaluêre moras.

Ovid. *lib. 1. de remed. Amor. à princip.* &, ut 27
iterum Ovid. *lib. 5. Triſtium eleg. 7.*

Turpiùs ejicitur, quàm non admittitur hoſpes.

Nevizan. *lib. 1. ſylv. nuptial. numer. 4.* Ja- 28
cob. Thoming. *conſil. 38. num. 41. volum. 1.* Erneſt. Cothman. *conſil. 53. num. 20. vol. 5.* Georg. Mundius *tract. de muner. cap. 3. n. 137. 138. 139. & quamplurimis praecedd.*

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT LIX.

Num. 7.

(1) *CUm furibus colludere &c.*] Inde Chaſſanæus *in Catalog. Glor. Mundi parte 11. Conſider. 46.* Titulum ff. *Nautæ, Caupones, Stabularii, ut recepta reſtituant &c.* de Tribus furibus appellat; Cùm ſint de genere prædonum, cùm ne nunc quidem vix abſtineant ab hujusmodi fraudibus. Tamen hodiè apud nos alio & honorabiliori nomine vocantur Hoſpites.

Num. 10.

(2) *Tacitus &c.*] *In German. cap. 21. numer. 3. 4.* ubi tamen ratione arrhæ, id tantùm *num. 5.* dicit: Abeunti ſi quid popoſceris, concedere moris: & poſcendi invicem eadem facilitas. Gaudent muneribus. Sed nec data imputant; nec acceptis obligantur. Hanc Germanorum Hoſpitalitatem quoque commendant Cæſar *de Bello Gall. 6, 23.* Hoſpites violare, fas non putant; quicùnque de cauſa ad eos venerunt, ab injuria prohibent, ſanctosque habent; iis omnium domus patent, victusque communicatur. Confer Cluverium *German. Antiquitat. libr. 1. cap. 19. pag. 139.* Jod. Willichium *Comm. in Corn. Tac. Germ. cap. 29. pag. m. 526. ſeqq.* Bernegger. *in Quæſt. ad Tac. G. & A. quæſt. 125.* J. P. Thomaſinum *cap. 24. de Teſſeris Hoſpitalitatis.*

Num. 16.

(3) *Inter Regalia numerare poſſumus &c.*] Confer Dn. Myllerum ab **Ehrenbach** *de Princip. & Stat. Imp. part. 2. c. 65. p. 590. ſeqq.* cum laudatis ab eo Authoribus.

Num. 17.

(4) *Deſuper Cæſareæ Majeſtati ſupplicaſſe &c.*] Quod conſultius eſſe putat, Dn. Myllerus &c. *dict. loc. num. 4.* ut nempe ad imponenda *Datia* & *Acciſa* vini & carnis etiam Imperatoris conſenſus requiratur; quod & à Norimberga factum fuiſſe poſt Klockium perhibet. Ubi fortè preces intelligit Norimbergenſium, ad quas ab Henrico VII. de Anno MCCCXIII. (inde per multos ſubſequentes Imperatores confirmatum) Privilegium ipſis indultum fuerat, vi cujus liberum eis erat & eſt,

Ungeld aufzuſetzen/ und ſowol von den Fremden als hieſigen Burgern zu nehmen ꝛc.

CAPUT LX.

Viſitatio Provinciæ & Luſtratio Bonorum Fiſcalium ad Ærarium pertinentium neceſſaria & utilis.

SUMMARIA.

1. Principum & Conſiliariorum *officium quale?*
2. Viſitatio Provinciarum *bonorumque Regalium ſive fiſcalium neceſſaria & utilis Reipubl.*
3. Perſarum Reges *antiquitus regna obire & viſitare ſolebant: idem de* Minoë *narrat Plato*, num. 4.
5. *Ad* viſitandum *quanam perſona deligenda.*
6. Viſitandi *methodus.*
7. *Repentè* viſitandum, *ut ſubditi priùs ſe inviſos ſciant, quàm fore viſendos.*
8. Viſitandas *leges, mores, univerſitates, terram, perſonas,* & num. 9. 10. 11. 12. 13.
14. *Laudibilis* luſtratio *in Regno Sueciæ.*
15. *Firmamentum Imperii Hiſpanici.*
16. Principes *perſonas plebeiorum ementientes multa expiſcantur.*

Provinciarum viſitatio, atque opum
Fiſcalium luſtratio frequentiùs
A Principe inſtituta, prodeſt plurimum.

1 MAximum in eo ſitum eſt momentum, teſte Botero *lib. 2. de orig. urb. c. 8. fol. 867.* ut Princeps regionis ſuæ ingenium, ſitum & naturam teneat; & ſummorum Principum primò; dein & Procerum & Conſiliariorum officium eſt, non modò Regnorum & Principatuum, quibus ſummus rerum Arbiter ipſos propoſuit, *conditionem probè noſſe*, (1) quidque in illis validum, quid debile ſit, ad unguem ſcire, ſubditorum ſuorum ingenia & mores, vires denique & facultates accuratè penſitare.

2 Quod ut commodiùs fiat, conditio cujusvis ferè Reipub. efflagitat, ut in ea, pro ſtabiliendo & conſervando Ærario, Viſitatio Provinciarum bonorumque fiſcalium luſtratio primo quoque tempore & ſæpius inſtituatur & peragatur, quò partim Respublica cognoſcat, quæ ad illam jure pertinent bona, ſine impedimento retinenda, partim etiam alii, quod ad illos legitimâ poſſeſſione ſpectat, illo liberè fruantur & utantur.

Perſarum Rex ille, Cyrus, ob id præcipuè
3 celebratur, quòd ſuo Regno viſendo quotannis intenderet, cùm ut res bellica, tum ut & civica, atque adeò ruſtica bene haberentur. Ejusque conſilii id ſtudium, ut in re bellica, quos tribunos, centurionésve imperatum ſibi militum numerum explêſſe inveniret, quisque & armis florentibus præparaſſe, eos magiſtratibus muneribusque eveheret; quos verò aut imperata neglexiſſe, aut indiligentiùs egiſſe, aut turpi quæſtui intendiſſe, acriter caſtigatos imperio dignitateque deponeret, aliis in eorum vicem ſubrogatis. In re verò ruſtica, quas regiones adire poſſet, ipſe probaſſe, ad cæteras exploratum alios miſiſſe. In quibus ubi fortè quampiam hominibus frequentem inveniſſet, agrosque in ea cultos arboribus conſitos, ac fructibus uberes, eorum locorum Præfectos promoviſſe, iisque alias inſuper terras colendas tradidiſſe, tum & donis aliisque monumentis honeſtâſſe: Quorum verò provinciam, colonis infrequentem, & agros incultos, eos graviter mulctatos, magiſtratu abrogaſſe.

Plato in Minoë ferè idem de eo narrat, 4
ſed ejus imperium anguſtis finibus includebatur. In magnis Imperiis hoc difficilius eſt; in quibus ſubditi Principis ſui præſentiâ frui nunquam ubique poſſunt. In his igitur viſitandis, regendisque Princeps opus habet viris prudentibus, juſtis, optimis, conſtantiſſimisque; atque ſuos ad viſitandum potiſſimùm deligendi & delegan- 5
di indigenæ, ſenes ſolâ virtute clari. *Indigenæ*; quòd quales ſint gentes, & in quo peccare ſolitæ conſcii, faciliùs rem & citiùs expedient. *Senes*; tum quòd multa experti multas ſcelerum vias detegendas norint, multas & cautelas ad ea occultanda interponi ſolitas, tum quòd frigefacto jam ſanguine affectibus, quibus capti homines plurimùm corrumpuntur, ſoluti ſint. *Solâ virtute clari*; quòd natalibus ſplendidi, bona ſibi, non honores, deeſſe putantes, iis ſibi potiùs comparandis, quàm his retinendis ſtudent; at virtute ſolâ honori præcipuè, tanquam virtutis præmio. Unde nil indignius admittentes incorrupti ſemper erunt; quod primum in unoquoque miniſtro quærendum, ut bene miniſterium cedat.

Methodus viſitandi brevis eſto; ut quâ 6
paterfamilias vineam, quâ paſtor gregem, quâ gubernator navim recenſet; ſic & Princeps, ejúsve delegati Regnum, & Provinciam. Certè primùm horum unus ſepes, alter cortis macerias, tertius circumforaneas condignationes inſpicit, nunquid laceræ ſint; quâ vel animalia, vel aqua ingredi poſſit. Dein unus operarios, alter cuſtodes, tertius nautas, nunquid in operibus, in cuſtodia, in vigilantia peccent; pedicas, palos, rudentes, omnia meliorem ad uſum, ad amplius commodum ſtatim emendaturi, ut vites, ut oves, ut merces copioſiùs producant, tutiusque ſerventur.

Comitatus Principis decorus, nec populo

pulo gravis ſit. Sic Populus Romanus, Gentium Victor, ad ſociorum regna inſpicienda, ne quid injuſte ageretur, tres ſparſim delegaſſe ſcribitur; Scipionem Africanum, Sp. Mummium, Lucium Metellum. Scipio ſolum Panætium ſibi in ſocium aſciviſſe legitur, cum ſervis non ampliùs quinque, Patric. *de Reg. lib. 9. Apophth. lib. 6.*

Porrò cavendum, ne quid incommodi cives & Principis ejúsve Delegatorum adventu ſentiant. Huc in antiqua gentilium philoſophia fictis Poëtarum fabulis proditum legimus cœleſtes Deos ad homines nunquam, niſi magno cum viſitatorum commodo, acceſſiſſe ſolitos; in Principum hoc monitionem, quos terrenos dicebant Deos, factum aſſerentium. An ſic hodiè? non temerè dixerim; cùm, adventante Principe, cives, ſi quid eſt elegantius in ſupellectili, abdant, filias inſignioris formæ recondant, adoleſcentes ſpecioſiores ablegēt, opes diſſimulent, ac modis ſeſe omnibus contrahant, quò quam de illo opinionem habeant, ſatis oſtendunt: quid enim amplius, ſi hoſte, ſi prædonem adventare præſciunt? nam nil niſi furta, extorſiones, ſtupra, ſcelera, inde expectare ſe innuunt.

Repentè quoque improviſò, furtim, i-
7 gnotè, & quando minus quid tale cogitari poterit, viſitandum, ut viſitatos ſe priùs, ſe molliùs quieſcere crediderint, excitatos ſe viſitatione ſentiant. Ciconiæ hîc obſervandæ, quas nemo advenire, omnes adventaſſe, nemo diſcedere, omnes diſceſſiſſe ſentiunt noctu clanculum omnia facientes, Plin. *lib. 10. c. 23.* Ditionem ſuam Princeps quaſi ludum literarium eſſe putabit; ubi ſi magiſter adeſt, ſilent omnia, ſi abeſt, omnia fremunt. ſi præſentitur adventus, in ſuam ſe quiſque ſtationem colligit, ſi repentè advenit, tumultuantes vapulant. Par Principi ſequendus aſtus. Alioquin ſi quando viſitaturus ſit, prædixerit, colluſio erit, & illuſio, viſitatio: Colluſio cum magiſtratibus, illuſio cum civibus.

Viſitandæ autem ſunt leges, mores, univerſitates, terra, perſonæ. LEGES, quò
8 depravatæ corrigantur, malæ tollantur, malè obſoletæ redintegrentur, abuſu inductæ auferantur, deſideratæ ferantur, benè latæ obſervandæ curentur. MORES; quò mali reprimantur, boni inſtituantur, lu-
9 xus inprimis compeſcatur. UNIVERSITATES; ut ne tenuiores à potentioribus opprimantur, ut omnium civium æqua ſint ſuffragia, ut ne pecuniam temerè inſumant, ut ne æs alienum contrahant, ut contractum, quà breviùs poſſint, exonerent, ut ne in otio torpeſcant. TERRA; ut omnia in melius reſtitu-
10 antur, parùm tuta communiantur, ruinoſa inſtaurentur, collabentia reficiantur, amnes incommodè fluentes, commodiùs deriventur, neglecti agri colatur, culti ab incultis notentur, & proinde domini vel laudentur, vel caſtigentur; malè culti benè coli jubeantur, mali agrorum uſus innoventur, ut ne ibi vineta ſint; ubi vinum culturâ indignum producitur, neu ibi agri, ubi vineæ meliores; loca inutilia, prærupta, infructuoſa ad culturæ uſum redigantur; & id genus ſexcenta, quæ curare vel Tyranno neceſſaria, Principi cuique pulchra, Bono tamen etiam jucunda ſunt. Ut nihil unquam ſit opus vel otii tædio bellum ſtolidè quærere, vel aleâ diem ac noctem fallere, ut paſſim (proh dolor!) videmus.
PERSONÆ; (intellige miniſteriales vel 11
obſequiales) uti rationes omnes, quibus tenuior plebs quàm minimùm gravetur, exquirantur, ditio latrociniis & maleficiis, quâ minore ſanguinis fuſione poterit, liberetur, civium concordia alatur, lites inprimis averruncentur, cenſus inquiratur, *quantum quis, cùm promoveretur, vilis & pauper habuerit,* (2) quantum nunc habet, quanta familiâ utatur, quantum in expenſas eroget, quantum ſibi aliunde juſtè obvenerit, quantum ſibi peculii parcendo ſeponere potuerit. Hoc 12
perpenſo, quicquid ſupererit, id ex expilationibus, extorſionibus, concuſſionibus, juſtitiæ nundinatione, ex Reipub. viſceribus, provinciarumque fortunis exſuctum Princeps ſciat. Totum igitur captum, ſi certas perſonas ſciverit, id ſuis dominis reſtituat, ſin neſciverit, eum nec inquirere teneatur, Fiſco infarciat, in Reipublicæ commodum verſurus; Miniſtris ipſis ampliùs ad exemplum punitis.

O Princeps, ô Princeps, quàm levis 13
hæc, quàm tuta, quàm juſta viſitandi ratio! quàm frequenter hæc via tibi calcanda, ſi omnia tuta velis, pacata omnia. Pecuniis eges? ærarium exhauſtum audis vel adis? ſperne, ſperne tyrannicas alias, quas tibi furaces proponere ſolent, vias; tutam hanc, hanc ſanctam tene; magnas quantitates abſque populorum oppreſſione, abſque novorum vectigalium excogitatione, imò & magna cum tui nominis ſanctificatione habiturus, & Fiſcum brevi manu expleturus. Invenies pleroſque, ne omnes dicam, cenſu omni, omni patrimonio nudos allectos, proletariorum patrum proletarios filios, & ſi quid habuiſſent, in eligendi ambitione inſumpſiſſe, non plus quàm quingenta in annum mereri, decem annos in officio fuiſſe, in habitationem annuam quinquaginta pependiſſe, totidem in familiam, in propriam menſam totidem (eſto exemplum in omnibus unum) & adhuc quinquagies mille accumulaſſe, oppida, caſtella ſibi comparaſſe, titulorum fulgores, militarium tantùm laborum ſudoribus debitos, uſurpaſſe. Unde tanta? Si neſcis, pone Principatum Principatu indignus. Si ſcis, quid ni, veluti in manifeſto

furto deprehenſos, punis? quidni bona auferes & ærario addicis?

14 Quot in Regno Sueciæ ſunt Provinciæ, tot ſunt itidem legiferi, nempe undecim, quibus plus quàm trecenti Vice-Comitatus ſeu Territoria ſubjiciuntur. Legiferi partem ſuæ Provinciæ quotannis circumeunt & perluſtrant, donec omnes & ſingulæ Provinciæ viſitentur. Circulo quodam abſoluto, ad priorem partem denuò viſitandam revertuntur. Quæ res quemadmodum ad Statum Reipublicæ ſigillatim dignoſcendum & ad remedia oportuna, morbis publicis adhibenda, mirificè prodeſt, ita populos ſublevat, recreatque quandoquidem ex territoriis, & parochiis, quas viſitaverunt, tributum alternatim exigunt, ne univerſæ ſimul aggraventur.

15 Hunc in modum nunc in Novo Orbe adminiſtratio rectiùs ſuccedit; & eſt hoc firmamentum Regni Hiſpanici non modò potentiſſimi, ſed etiam maximè ad Orientem & Occidentem in diverſa ſparſi, quòd omnia viſitatoribus, ſcribentibusque ad Regem & Regia Conſilia, ita plena ſunt, ut initia machinationum & injuriarum facilè in herba (quod ajunt) ſuccidi, & auctores cognoſci poſſint.

16 Non etiam culpandus eſt quorundam Principum mos, qui quandoque perſonas plebeiorum induentes, atque ita incogniti apud ſubditos expiſcantur, quid de ſe privatim ſentiant. *Sic Matthiam Hunniadem,* (3) tradunt Hiſtorici, ſolitum ſæpè datâ operâ à comitatu ſuo venationibus ſeſe abducere, atque in ſolitariis caſulis ruſticorum vel aliquo pago pernoctare, colligentem famam & rumores de Rege & adminiſtratione Reipublicæ. Ita illum nihil fermè vitiorum, vel quibus ipſe, vel quibus ſui laborarent, neque peccata adminiſtrationis fuiſſe. Antiochum Regem, eum, qui Parthos oppugnavit, ferunt in venatione aliquando aberraſſe à comitatu ſuo, & diu per ſylvas ignarum loci vagatum, tandem in caſam ruſticã delatum, quum illum nemo eorum, qui incolebant, Regem eſſe ſciret: quumq; in cœna fortè ſermo de Rege injectus eſſet, adjuviſſe hunc & produxiſſe longiùs, cupidum reſciſcendi, quid de ſe plebs ſentiret, atque loqueretur. Nullo autem crimine illius, at contrà plurimis virtutibus commemoratis, niſi quòd in exequendis regni negotiis uteretur miniſterio improborum hominum, quibus nimium fidei haberet, neq; ipſam Rempubl. reſpiceret atque capeſſeret, quòd venandi ſtudio totus eſſet deditus, atque uni occupationi iſti vacaret; Regem quidem tunc tacuiſſe; ſed cùm manè veſtigia illius ſecuti ſatellites cum inſignibus Regni adeſſent, contemplatum diadema & purpuram dixiſſe: Heri primùm, ex quo vobis utor, audivi de me veritatem.

Franciſcum Jovius ſcribit ità amari ſimul & metui cupiiſſe, ut nonnunquam ſordidi mercatoris ſimulato habitu diſcurrens per ditionis regiones, oblatos in diverſoriis hoſpitalibus ſimpliciſſimos homines ad ſerenda de Principe colloquia pertraheret, eruendo certiſſimos de ſe rumores, ut utraque ſui nominis famâ frueretur, paratus utique ad præmium exſolvendum, aut infligendam pœnam. Extat quoque hujus rei epigramma Georgii Sabini Poëtæ inſignis de quodam Duce Norico, cujus nomen non exprimitur:

Sæpè rudes inter mutatâ veſte colonos
Noricus agricolæ Dux faciebat opus.
Nunc paſcebat oves: nunc gramina falce ſecabat:
Vomere proſcindens nunc ſubigebat humum.
Et ſimul illato de ſe ſermone, rogabat
Plurima: nempe quibus moribus ipſe foret?
Juſtus an exigeret pœnas à ſontibus ultor?
Debita conferret præmia númne bonis?
Quærenti verò cauſam, cur Regibus ortus
Princeps agricolam ſe ſimularet? ait:
Me juvat è rudibus cognoſcere vera colonis,
Servit adulatrix auribus aula meis.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT LX.

Num. 1.

(1) *Conditionem probè noſſe &c.*] Ad notitiam verò hanc quæ conducant, ad Politicum Sceleratum *cap. 15. pag. 146. ſeqq:* atque quòd Ingenia ſubjectorum nemini minùs quàm Superioribus pateant, *ad cap. 28. p. 292. & 293.* annotavimus, quò nos referimus hoc loco.

Num. 11.

(2) *Quantum quis, cùm promoveretur, vilis & pauper habuerit &c.*] Si enim ille, qui pecunias publicas adminiſtrabat, & nec patrimonium amplum habuerit, nec acquæſtûs idoneam cauſam reddere poſſit, nihilominus repentè ditatus fuerat præſumptionibus certè ſeſe obnoxium reddit, ipſum multa de publico ſubtraxiſſe, vel ex Domini rebus acquiſita profecta ſibi applicaſſe, vel aliàs juramenti præſtiti oblitum fuiſſe, cum pluribus Dd. ad Politicum Sceleratum *c. 42. p. 483.* concluſimus.

Num. 16.

(3) *Sic Matthiam Hunniadem &c.*] E Camerario *Horar. ſubciſiv. cent. 1. cap. 90.* ubi plura ſequentia hîc exempla adducit: quod Richterus quoque fecit *in Axiom. Polit. cap. 64.* Adde dicta ad Polit. Sceler. *cap. 36. pag. 417. & 418.* ubi lubentiſſimè in Illuſtris Forſtneri *in Not. Polit. ad Tac. 2. Annal. 12. & 13. n. 1.* ſententiam pedibus ut

ivi, & adhuc eo, cenſentis: Mutare hâc fine habitû, ut audiat Princeps, quid de ſe ſuisque ſubditi ſentiant, periculo haud carere, eoque modum hunc expiſcandi, minùs probandum fore; ut contra à Klockio adductam Viſitationem, ingens benè & feliciter Rempublicam ſuſtinendi fulcrum, probi cordatique mecum, ut reor, reputabunt omnes, maligni deteſtabuntur.

CAPUT LXI.

Fructus ex Tutela Pupillorum provenientes Ærarium ditant.

SUMMARIA.

1. *In Scotia & Anglia* pupillorum Tutores *ſunt Reges ad annum vigeſimum primum.*

2. *Hæ* tutelæ *& cuſtodia venduntur vel donantur aliis, aliquando convertuntur in bonum Fiſci:* & n. 3.

4. *An idem liceat* Principibus *jura Territorialia habentibus?*

5. *Sic benè cautum videtur pupillis, ut quibus* Pater communis Patriæ *obligatus* Tutor *ſit.*

6. *Nova* tutelæ ſpecies *in Gallia uſurpata, ut Tutor pupillorum fructus ſuos faciat, alat tamen pupillos, æs alienum ſolvat, & præſtet neceſſaria:* & n. 7.

8. Pupilli pupillæve *in Anglia injuſſu Regis non contrahunt nuptias.*

Ut ſit pupillis quoque tutor idoneus, illud
Cura magiſtratus ordinat, hincque lucro eſt.

1 IN *Scotiâ & Angliâ*, (1) & nonnullis Galliæ Regionibus, mos eſt, ut mortuis parentibus, pueri nobiles ad XXI. usque annum, in Regum tutela maneant, quorum ſunt beneficiarii: fructusque omnes agrorum (præter ſumptus ad pupillum alendum neceſſarios) & præterea dotes ab uxoribus pupillis datæ, ad hujusmodi tutores rede-
2 ant. Hæ autem tutelæ, vel (ut vulgò appellantur) cuſtodiæ, aut modicâ pecuniâ propinquis vendi, aut benè meritis plerumque donari ſolent, qui inde, ex emptione lucrum, vel ex donatione præmium percipiunt. Si tamen publica Regum patrimonia extenuentur, ut nec familia Principe digna, nec comitatus honeſtus haberi, nec magnificentia erga Legatos exteros exerceri poſſit; ſæpiusculè hæc compendia & emolumenta juribus Fiſci adplicari vi-
3 demus, ne Reges extraordinaria ſubſidia per vim à Ditionibus extorquere, aut plebem exigendis tributis vexare cogantur. Et dixi *tractat. de Contributionib. cap. 1. n. 335. & ſeq.*

Quòd ſi hoc Regi Angliæ & Scotiæ licet, quid ni & Principes ac Magiſtratus Jura Territorialia habentes, vel ut Reale 4
quoddam, ſibi pecunias pupillorum vendicare poſſint, donec ad annos pubertatis pervenerint? Id ipſum Joachim. Camerar. 2. *Oecon. Ariſt. fol. 30.* refert, Dionyſium Siracuſanum Tyrannum voluiſſe, donec pupilli ad adultam perveniſſent ætatem: atque in hunc finem deſcribi juſſiſſe pecunias familiarum, quæcunque eſſent orbæ parentibus.

Et videtur hac ratione pupillis optimè 5
cautum eſſe, dum ſibi Principem & patrem patriæ obligatum habent, qui ipſis quàm optimè & prudentiſſimè proſpicere præſumitur, ratione paternæ affectionis, quam præ ſe fert. Viderint verò Principes, quid è re ſuâ & dignitate futurum.

In Gallia quoque moribus alicubi rece- 6
ptum eſſe quandam novam, & priſcis Romanis incognitam tutelæ ſpeciem, quam appellant *la noble Garde*, vel *Bail*, teſtatur Gregor. Toloſan. *lib. 3. de Republ. cap. 2. in fin.* Coteræus *de jur. milit. fol. 199.* Cujus 7
ea vis ſit, ut rerum pupillarium fructus tutor faciat, modò pupillos alat, eorumque æs alienum diſſolvat, & poſſeſſiones ſartas tectas tueatur. Datur autem parentibus vel agnatis, qui hac ratione fiunt quodammodo rerum pupillarium domini, etiamſi eas poſtea reſtituant adulto.

Ejusmodi Regalia & jura pro diverſita- 8
te locorum & Imperiorum variantur. Sic quoque in Anglia Vaſalli & pupilli, pupillæve injuſſu Regis nuptias contrahere prohibentur. Thom. Smith. *2. de Repub. Anglor. 4. fol. 68. & lib. 3. c. 5.* quod iniquum alibi videretur.

Confer hûc, quæ pro dilucidiori hujus thematis explanatione conſiderantur infrà cap.

ANNOTATIO
Ad
CAPUT LXI.

Num. 1.

(1) IN *Scotia & Anglia &c.*] Cùm, quicquid ferè ad hoc Caput dici poterat, ſuperiùs *ad lib. 1. cap. 8. n. 5. & n. 8.* (12) (13) (18) expoſitum ſit, crambem toties coctam apponere hîc nolumus, ſed rectà nos ad Caput ſequens conferimus.

CAPUT

CAPUT LXII.

Compendium Fiſci ex Judæorum Receptione.

SUMMARIA.

1. Jus recipiendi Judæos *eſt de Reſervatis Imperii.*

2. *Olim* Judæis *peculiaris Judex, Comes Würtenbergicus conſtitutus.*

3. *Poſtea* Electoribus *& ſucceſſivè* Archiducibus Auſtriæ *ſingulari privilegio hoc jus conceſſum,* num.4.

5. *Hodiè recipiuntur* Judæi *à Statibus vigore* Regalium, *vel privilegiorum ſpecialium,* n.6.

7. Poſſeſſio, Privilegium, *&* immemorialis conſuetudo *faciunt, ut Judæi licitè recipiantur.*

8. *Contra eos, qui* Judæos *ſine privilegio fovent aut recipiunt, Mandata ſine clauſula decernuntur: Ejuſdem rei præjudicium Camerale,* n.9.

10. Judæos *nonnullis in locis etiam inferiorem juriſdictionem habentibus recipere licet.*

11. Nobiles *in Franconia recipiendi Judæos, iisq́ ſynagogas conſtituendi poteſtatem habent.*

12. Receptio & tolerantia Judæorum *in S. Scriptura nullibi vetita; Jure verò Civili, & Canonico permiſſa,* n.13.

14. Judæos *offendere vel perſonaliter, vel in bonis prohibitum, &* n.20.

15. *Nemini in* re propria *ſibi ipſi jus dicere licet.*

16. *Quod per* Magiſtratum *publicè fieri debet, ſingulis concedendum non eſt.*

17. *Non* Judæi *modò ſed &* pagani, *ſimilesq́ perſonæ inviolabiles ſunt.*

18. Textus *in l.6.C. de pagan. ſacrific. & temp. & in c. ſicut Judæi 9. hanc ad rem allegati; &* num. 19.

21. Judæum *dolo occidens pœnâ ordinariâ tenetur, & graviùs delinquit occiſor Judæi, quàm Chriſtiani,* n.22.

23. Rationes, *quare Judæi in terris Chriſtianorum tolerandi, affatim proponuntur hoc, &* n. 24.25.26.27.28.29. & 30.

31. Judæis *longè gravior jurandi forma præſcripta, ac Chriſtianis.*

32. Judæi *flavo ſuper veſtem annulo inſigniti.*

33. Judæi *ſunt tolerandi, non tamen, ut otioſi rem ſuam cum Chriſtianorum incommodo, meliorem faciant.*

34. Conditiones *recenſentur, quibus debeant Judæi tolerari, pacificè degentes expelli non poſſunt,* n.35.

36. Judæi *ſemel admiſſi, ſi inculpatè vivant, non erunt ejiciendi ex Territoriis.*

37. Dominus *prohibere poteſt ingreſſum ſui Territorii.*

38. Mandata *cum, & ſine Clauſula decernuntur contra eos, qui Judæos à ſe receptos expellere volunt: Et ejus exempla Camerialia,* n.39.

40. Judæorum *fides eſt primordium veritatis: & per eorum conſortium eos Deo lucrari poſſumus,* num.41.

42. Judæum *obſtinatè permanere peccatum eſt in Deum, non tamen crimen puniendum in externo foro.*

43. *Quare collegia & Synagogæ* Judæorum *permittantur?*

44. Judæis *nihil turbulentum, legiq́ contrarium tentantibus injuria facienda non eſt.*

45. Judæi *paſſim nequitiæ & perfidiæ ſuæ pœnas dederunt: Anno MCCCVI. ex Galliis ejecti,* n.46. *Carolo IV. imperante Anno MCCCXLVIII. per totam Europam propter fontes ab ipſis veneno infectos, ex quo ingens peſtis orta, flammis aliisq́ ſuppliciis abſumpti,* n.47. *ob æs alienum deleti,* n. 48. *ex Anglia expulſi,* n.49.

50. Judæorum *perſecutio & ejectio ex Civitatibus Imperialibus, ejusq́ rationes & cauſæ,* num.51.

52. *An cogendi ad Chriſtianam fidem* Judæi?

53. Filii Judæorum *ad baptiſmum non rapiendi: ſequiùs fortè, ſi ſervus eſſet Judæus,* n.54.55.

56. Judæi *tenentur legibus & ſtatutis locorum, in quibus degunt: utuntur jure Romanorum,* n. 57. *in filios jus patriæ poteſtatis habent,* n.58.

59. Immunitas *incolis conceſſa comprehendit Judæos, non tamen ſolvunt jura migrationis,* n. 60. *ſunt etiam participes commodorum, ſecuritatis, & privilegiorum loci,* n.61.

62. Fides publica *& ſecuritas data Judæis, eorumq́ ſociis, nihil eſt violanda,* & n.63.

64. Opinio *illorum refertur, qui ob blaſphemias, execrationes & uſuras* Judæos *in Chriſtianorum ditionibus non tolerandos autumant: &* num.65.

66. Rationes Apologeticæ *pro Affirmativa: &* n.67.68.

69. Judæi *à Chriſtianis expulſi ad Turcas confugiunt.*

70. Judæi *primò omnium ad Turcas uſum machinarum bellicarum, aliaq́ artificia, quibus ante gens barbara deſtituta fuerat, cum ſummo Chriſtianorum damno detulerunt.*

71. Ærarium *exhauſtâ civitate evacuatur.*

72. *An* Judæis *receptis poſſit privilegium fœnerandi indulgeri? diſputatur in utramq́ partem, hoc* & n. 73.74.75.76.77.

78. Principes *Judæis uſuras illicitas permittentes infideles vocantur, & furum ſocii.*

79. Mandatum de non exigendis uſuris, *Chriſtianos ac Judæos æquè obligat.*

80. Theologorum *de non permittendis uſuris ſententia.*

81. Conſuetudo *faciendi contractum uſurarium, non eſt relevans, ſed mera corruptela. Qua in re nihil valet privilegium, vel Pontificis diſpenſatio,* n.82.

83. Authores *allegati, qui Pontifici concedunt hanc diſpenſationem.*

84. *Semper tamen talis* diſpenſatio *plurimorum malorum origo eſt.*

85. Imp. Cameræ *moderatio uſurarum Judaicarum.*

86. Privilegium Judæorum *de uſuris exercendis ſub & obreptitiè obtentum, nec ab Electoribus & Statibus Imperii adprobatum;* & n.87.

88. *Negotiantur hodiè, mercanturq́* Judæi *dexteriùs ſæpè, quàm Chriſtiani, ut hinc opus non habeant iniquiſſimis uſurationibus.*

89. *Licet* Judæis *manuum opere victum quærere.*

Rex

Rex Superûm tolerat Judæos, fert quoque Princeps,
Dum non blaſphement, Fiſcus & inde tumet.

1 JUs recipiendi & tolerandi Judæos, &
uſurarios publicos, *eſt de reſervatis Im-
peratoris*, (1) quod olim non niſi ſummo
Principi, ſeu Imperatoribus Romanis com-
petiit, qui ipſis etiam *peculiarem Judicem*,
2 (2) Comitem aliquando Würtembergicum
conſtituerunt, eaque de re conſtitutio habe-
tur apud Melchior. Goldaſtum in Reichs-
Satzung deß H. Römiſchen Reichs/ &c. *parte 1.
ſub. rubr.* Käyſer Friderichs deß Dritten Man-
dat an den Graffen zu Wirtemberg von der
Jüdiſchait im H. Reich *fol. 186.*
3 Poſteà verò Electoribus ſecundùm *Au-
ream Bullam Caroli IV. cap. 9.* ſucceſſu tem-
poris ex ſingulari privilegio, etiam Archi-
ducibus Auſtriæ conceſſum, Sebaſt. Münſter
4 *Coſmograph. lib. 3. cap. 399.* & tandem
quibuslibet Imperii membris, Regalia
obtinentibus, indultum eſt, *Reformat.
Politic. de Anno MDXLVIII. titul.* Von Ju-
5 den und ihrem Wucher. *& de Anno
MDLXXVII. titul. 20.* Es ſoll keinem geſtat-
tet werden/ Juden anzunehmen oder zu halten/
dann denjenigen/ die von Uns und dem heiligen
6 Reich Regalia haben/ oder inſonderheit derhal-
ben privilegirt ſeyn/ Sixtin. *de Regalib. lib. 1.
cap. 5. num. 16. & ſeq. & num. 19.* Heig.
part. 1. quæſt. 4. num. 20. Reinckingk. *de regim.
ſæcul. & Eccleſiaſt. lib. 2. claſſ. 1. cap. 3. num. 14.*
Mager. *de advocatia armata cap. 8. num. 300.*
Cæteris interim Statibus, quantumvis im-
mediatis, hæc facultas adempta eſt, niſi in
poſſeſſione vel quaſi recipiendi Judæos à
tempore immemoriali fuerint, quæ uti-
7 que poſſeſſio ultra memoriam inſtar pri-
vilegii cenſetur. Itaque prudenter Impe-
ratores alternativè addiderunt, oder inſonder-
heit derhalben privilegiirt ſeyn.
8 Hinc contra eos, qui recipiunt Judæos
ac fovent, & non ſunt Status Imperii, ne-
que privilegiati, in Cameræ judicio Man-
data ſine Clauſula decernuntur, per nota-
9 ta Chriſtophori Schvvanmanni *Obſ. Came-
ral. 125. numer. 2.* ubi allegato præjudicio
ita in cauſa Caſſel contra Crailshaimb Man-
dati ſine Clauſula, die Abſchaffung der Judẽ zu
N. betreffend 10. Junii Anno MDLXXX. de-
cretum teſtatur. Refert & ſequitur Joan.
Rudinger. *obſerv. ſingul. cent. 3. obſ. 13. num. 4.*
& Author Præjudiciorum Cameralium,
Verb. Mandata ſine Clauſula.
10 Quibusdam tamen in locis etiam infe-
riorem Jurisdictionem habentibus, den
Vogtenherrn/ licitum eſſe, Judæos recipe-
re, nonnulli volunt, uti de Nobilibus in
Franconia teſtatum facit Wehner. *pract. obſ.
lit. I. verb.* Juden. §. *An Judæi. & lit. V. verb.*
Vogtey: ubi inter varia Jura ad Vogtheiam
pertinentia *num. 22.* refert, daß die vom Adel
11 im Land zu Francken auch Macht haben in ih-
re Flecken/ und auff ihre Güter Juden zu ſetzen/
ihnẽ Begräbnuß und Schulen einzugeben/ &c.
Et ego de civitate *Minda ad Viſurgium*, (3)
Epiſcopo Mindenſi ſubjecta, hoc comper-
tum habeo. Id tamen contra Impp. Con-
ſtitutiones moribus, & de facto magis,
quàm jure fieri, arbitratur Höpingk. *in di-
ſput. de jure protect. concl. 54. in not. lit. C.*
Quando itaque receptio & tolerantia 12
Judæorum, inter Chriſtianos, in Sacris Pan-
dectis nullibi inhibita; jure verò Civili &
Canonico approbata, adeoque jus habenti
Judæos, publicosque uſurarios, de reſervatis 13
ſummi Principis eſt, & Statibus Imperii
jure Regalium competit; ſimul & hoc
manifeſtum fit, quòd Judæi in Romano
Imperio inviolabiles, nec non etiam ab
injuriis, vexationibus, expilationibus, &
exploſionibus privatorum immunes ſint,
& quòd nemo Judæos, vel delinquentes 14
etiam, propriâ authoritate, in perſonis, aut
bonis eorum, invadere, vel violare poſſit,
ſed jus ſuum adverſùs ipſos, à Magiſtratu
publicè conſtituto conſequi debeat, cùm
in re propria iniquum admodùm ſit, licen-
tiam ferendæ ſententiæ, & dicendi juris, 15
alicui attribuere, *l. unic. C. ne quis in ſua cauſ.
jud. vel jus ſibi dic.* Et quòd per Magiſtra- 16
tum publicè fieri debet, ſingulis conceden-
dum non eſt, ne occaſio ſit majoris faciendi
tumultus; Et ideò judiciorum vigor, jurisque
publici tutela in medio eſt conſtituta, ne
quisquam ſibimetipſi permittere valeat ul-
tionem, uti Imperator in *l. Nullus. 14. C. de
Judæ. & Cœlicol.* in hac ipſamet materia de 17
Judæis non violandis loquitur, adeòque non
Judæos modò, ſed paganos etiam, & ſimi-
les perſonas, ſub prætextu improbatæ ipſo-
rum fidei, à Chriſtianis violari non debere,
expreſſè ſancitum eſt ab Honorio & Theo- 18
doſio *in l. Chriſtianis 6. C. de pagan. ſacrific. &
templ.* Chriſtianis, *inquiunt Impp.* qui verè
ſunt, vel eſſe dicuntur, ſpecialiter demanda-
mus, ut Judæis, ac paganis, quietè degenti-
bus, nihilque tentantibus turbulentum, legi-
busque contrarium, non audeant manus in-
ferre, religionis authoritate abuſi. Nam
ſi contra ſecutos fuerint violenti, vel eorum
bona diripuerint, non ea ſola, quæ abſtule-
runt, ſed convicti in duplum, quæ rapuerint
reſtituere compellentur. Rectores etiam
Provinciarum, & officia, & principales co-
gnoſcant ſe, ſi non ipſi talia vindicent, ſed
fieri à popularibus hæc permiſerint, ut eos,
qui fecerint, puniendos. Similes textus
ſunt *in Novell 45. Nov. 146. Novell. Leonis
55.* Et in jure Canonico *c. ſicut Judæi 9. x. de
Judæ.* ubi diſertè cautum reperitur.
Nullus Chriſtianus Judæorum quem- 19
libet ſine judicio terrenæ poteſtatis, vel
occidere, vel vulnerare, vel ſuas pecunias au-
ferre præſumat, aut bonas, quas hactenus
habuerunt, conſuetudines immutare: præ-
ſertim in feſtivitatum ſuarum celebratione
quis-

quiſquam fuſtibus vel lapidibus eos nullatenus perturbet, neque aliquis ab eis coacta ſervitia exigat, niſi quæ ipſi tempore præterito facere conſueverunt. Ad hoc malorum hominum pravitati & avaritiæ obviantes decernimus; ut nemo cœmiterium Judæorum mutilare aut invadere audeat, ſive obtentu pecuniæ corpora humana effodere. Si quis autem hujusmodi decreti tenore cognito (quod abſit) contraire præſumpſerit, honoris & officii periculum patiatur, aut excommunicationis ſententiâ plectatur, niſi præſumptionem ſuam dignâ ſatisfactione correxerit.

20 Ex quibus juris textibus liquidò adparet; *Judæos in Imperio ſemel receptos tolerari*, (4) & non promiſcuè à quovis, in corpore, vel bonis, offendi poſſe, ſed cum Chriſtianis jure naturali, & ſocietate humana debere: adeò, ut pœnâ ordinariâ teneatur, qui Judæum dolo occidit, Caſpar. Teſſaur. *d. quæſt. for-*

21 *renſ. liber. 2. cap. 36.* Imò non deſunt, qui graviùs delinquere dicunt occiſorem Judæi,

22 quàm interfectorem Chriſtiani; eò, quòd hic corpus ſolùm, ille verò & corpus & animam perimat.

23 Quinimò licet ſacrarum literarum paginis traditum ſit, quòd Judæi verum Servatorem noſtrum, ex ſua ipſius progenie oriundum, non ſolùm reſpuerint, ſed etiam crucifixerint; ideoque populus hicce è Deo olim peculiariter electus, nunc verò ob peccata & deteſtandam ingrati-

24 tudinem abjectus & reprobatus, exemplum nobis quotidie ob oculos verſans, ſpeculum iræ divinæ pellucidiſſimum, perpetuam pœnitentiæ concionem exhibeat; attamen nullibi in univerſo Codice ſacro ſancitum reperitur, quòd propterea, extra religionem ſuam legibus ſeſe politicis ſubjicientes, prorſus non tolerari, & ex Orbe Chriſtiano in univerſum expelli debeant.

25 Quin potiùs ex gregium ac perſpicuum de Scriptorum V. Teſtamenti antiquitate, veritate, & authoritate perhibent teſtimonium, & ſunt memoria maximi fundamenti fidei noſtræ, eique adprimè utiles, quo planè & perſpicuè Ethnici convincuntur, ea, quæ in illis libris leguntur, à nobis Chriſtianis conficta non eſſe, ſed certiſſimo vetuſtatis teſtimonio niti. Unde D. Auguſtin. *ſuper Pſalm. 40.* Judæi, *inquit*, tanquam capſarii noſtri nobis ſerviunt, quia per eorum codices alios infideles convincimus, &c.

26 Ne dicam, quòd non ſolùm Prophetæ in veteri *Pſ. 59. v. 12. Eſa. 59. v. 10. Sophon. 3. v. 8. Hoſe. 3. v. 4.* ſed & in novo Teſtamento Chriſtus ipſe *Luc. 21. v. 24.* ac Apoſtolus Gentium Paulus, Judæorum, ſi non omnium, plurimorum tamen, & plerorumque *converſionem, ante noviſſimum diem*, (5) cùm inter gentes electorum numerus completus fuerit, ad Chriſtum convertendos eſſe, prædixerint, *Roman. c. 11. v. 19. 20. 25 & ſeq.* Quò loci & D. Paulus ſeverè admonet, ne animo 27
elato gloriemur adverſùs defractos ejusmodi ramos, ſed id perpendamus, cùm Deus naturalibus ramis non pepercerit, evenire poſſe ut nec nobis parcat, illique rurſùs inſerantur, nos verò excidamur, cùm ex parte tantùm cœcitas contigerit in Iſrael, donec plenitudo gentium intraret. Teſtificantur denique 28
Judæi de implemento Vaticiniorum V. Teſtamenti, de Meſſiæ adventu, crucifixione, paſſione & morte; de excidio Urbis Hieroſolymitanæ, deque ipſorummet diſperſione per totum Orbem terrarum; adeoque contra ſeipſos teſtes exiſtunt locupletiſſimi, omnique exceptione majores, nos iræ divinæ adverſus peccata admonentes, ſuoque exemplo nos à contemptu verbi divini, omnique ſecuritate deterrentes, ac cun- 29
ctis populis teſtatum reddentes, hunc ab initio mundi dilectum & ſelectum Dei populum, propter electum & crucifixum verum Meſſiam, qui pretioſiſſimo ſuo ſanguine genus humanum redemit, nunc in pœnam tanti commiſſi ſui facinoris, & horrendæ ingratitudinis ſupereſſe, & per univerſum mundum, ſine certo capite diſſipatum eſſe, Gregor. Tholoſan. *lib. 33. Syntagm. jur. univerſ. c. 4. num. 11.* Mager. *d. c. 8. num. 236.*

Atque hæc Judaicæ religionis toleran- 30
tia (quæ diſpenſationem inducit) *non antiquitùs* ſolùm, (6) ſed vel hodiè etiam adhuc obtinet, dum Judæi in præcipuis Orbis Chriſtiani locis *ſuas Synagogas habent*, (7) in iisque feralem ſuam ſectam (uti Imp. Conſtantinus *in l. 3. C. de Jud. & Cœlic.* voce Imperatoria eam indigitat) liberè exercent, ac pro expedienda juſtitia ipſis hominibus alioqui falſis & perjuris, peculiaris, ſed longè gravior, quàm Chriſtianis, jurandi formula, multis antegreſſis monitionibus & ſolennitatibus, præſcripta eſt *in Ordinat. Camer. p. 1. tit. 86.* & juxta text. *in c. in nonnullis. 15. de Judæ.* habitu à Chriſtianis diverſo, ſive characte- 31
re quodam, & ſecundùm d. Ordinationem Politicam de Anno MDXXX. §. **von der Jüden Kleidung** / *flavo ſupra veſtem annulo*, (8) uti debent Denais *in jure Camer. titul. 150. §. 1.* Hieron. Brückner. *ad deciſ. Gerhard.* 32
Maynharti lib. 4. deciſ. 3. num. 4. Leander Galgenett. *lib. 4. de jure public. tit. 114. n. 23.* Thuſc. *pract. concl. lit. I. concluſ. 370. num. 8.* Quò loci ex Fulgoſio conſil. 155. refert, quòd in civitate Ferrariæ Judæi habeant antiquiſſimam conſuetudinem, ne ferant ſignum, & quòd illa conſuetudo à Martino V. ſit confirmata.

Iis tamen legibus & conditionibus re- 33
cipi debent, ut Magiſtratus, qui Judæos in tutelam ſuſceperunt, ante omnia caveant, ne enormibus uſuris, ſyngraphis vetitis, fidejuſſionibus, pignoribus, anatociſmis menſtruis, aliisve ſimilibus fraudibus, ſive proprios

prios ipſorum ſubditos, ſive alienos oppri-
mant; ut ab emptionibus furtivarum abſti-
neant; minores aut mulieres, alióſve ſimpli-
ciores falſis ſyngraphis non circumveniant,
ſed eaſdem coràm Magiſtratu loci contra-
ctas publicè, non ſuâ, ſed Germanicâ linguâ
ſub pœnâ invaliditatis, confici curent; adeò-
34 que Magiſtratus Judæos iſtis conditionibus
tolerent, ut à fœnore, omnibusque commer-
ciis illicitis ſibi temperent, honeſtisque ra-
tionibus victum & amictum quærant, & ſe-
cundùm leges tranquillè vivant, *d. Ordinat.*
Politic. de Anno MDLXXVII. tit. 20. Petr.
Denaiſ. *in jure Cam. tit. de Judæis n. 9 & 14.*

35 Si itaque conditiones præſcriptas ob-
ſervent, Magiſtratûsque præcepto obedi-
entes ſint, à blaſphemiis aliisque prohibi-
tis abſtineant, pacificè & ſine ſcandalo vi-
vant; durum videtur denegare iis id, quod
jus humanæ ſocietatis omnibus concedit,
ut eſt verior & communior opinio: Quam
& reſpondendo probarunt Olrad. *conſilio*
264. per tot. Bertrand. *conſ. 192. num. 17. vol.*
2. p. 2. Paris *conſil. 2. num. 15. vol. 4.* Barthol.
Socin. *conſ. 86. num. 9. vol. 4.* Ferret. *conſ. 381.*
num. 4. & ſeqq. Cephal. *conſ. 549. à num. 57.*
uſque 105. Franciſc. Beccius *conſ. 84. num. 8.*
Surd. *conſ. 498. num. 1. & 2.* Fichard. *conſ. 67.*
num. 6. lib. 1. Roland. à Valle *conſ. 25. per tot.*
vol. 3. Petrus Caballus *conſ. 110. num. 3. lib. 2.*
Lancellot. Conrad. *in templo omnium judi-*
cum. libr. 1. cap. 1. de Imperatore. §. 3. num. 13.
fol. 275. Tiber. Decian. *in pract. criminal. l. 5.*
cap. 11. num. 4. Fulv. Pacian. *lib. 1. de probat.*
cap. 7. num. 36. Quò etiam facit Renat. Chop-
pin. *de ſacra politia libr. 3. tit. 1. num. 20.* Et
noviſſimè hanc ſequitur Ludovic. Rudolphi-
nus *in tract. de ſuprema Principis poteſtate,*
cap. 6. num. 106. & ſequenti. Alphonſ. Modi-
tius *in §. Lex eſt, Inſt. de jure natur. civ. & gent.*
latè Mager. *d. cap. 8. numero 247. & quamplu-*
rimis ſeqq. Everhard. Speckhan. *cent. 2. quæſt.*
16. num. 9.

An autem Domini territoriales pro lu-
bitu, & abſque Imperatoris conſenſu Ju-
dæos ſemel admiſſos expellere poterunt?
36 Negant Marquard. de Suſannis *tract. de Ju-*
dæis p. 1. cap. 7. per tot. qui communem dicit.
Olrad. *conſ. 83. & d. conſ. 164.* Alexandr. *conſ.*
13. num 23. vol. 7. Natta *conſ. 60. num. 22.* Bec-
cius *d. conſ. 84. num. 8.* Cardinalis Thuſc. *in lit.*
I. Concl. 171. numer. 7. & concl. 173. numer.
12. Pro quo facit quod voluit Baldus *in c. 1.*
num. 2. de forma fidelitatis, ubi inquit, quòd
37 venturis ad patriam alienam poſſit interdici
ingreſſus; ſed poſtquam venerunt & ingreſſi
ſunt, eos ut reliquum populum cenſendos:
& ſi expellantur, fieri contra bonum publi-
cum, & naturalem æquitatem. Sequitur
Franciſcus Marcus *deciſ. Delphin. 316. num. 2.*
part. 2. Petr. Gerhard. *ſingular. 59.* Surd. *conſ.*
174. num. 5. & 10. Idque in tantum verum
eſt, ut contra illos, qui Judæos ſemel in prote-
ctionem receptos ejicere voluerunt, manda-
ta cum clauſula in Camera Imperiali ſint de-
creta, Rutger Ruland. *de Commiſſ. part. 3. lib.*
7, cap. 3. num. 5. ubi de hoc præjudicia re-
fert: & eſt text. *in privilegio Judæorum tomo*
6. ſymphorem. fol. 264. Sixtin. *d. lib. 1. de Rega-*
lib. cap. 5. num. 24. Imò quandoque manda-
tum ſine clauſula decretum, uti exſtat præ- 38
judicium apud Chriſtian. Barth. *tom. 5. fol.*
835. & Sigismundus Imperator Auguſtanis
poteſtatem dedit, ut Judæos è civitate pel-
lere poſſint. Cruſ. *lib. 7. Annal. Suevicor. part.*
3. cap. 1. in fin. *Sic perhibetur, Wormatien-* 39
ſibus (9) olim Judæos ibi habitantes à Cæſa-
re quodam pro propriis donatos, mancipio-
que datos fuiſſe, unde civibus ibidem
non licuit eoſdem contra Senatûs vo-
luntatem expellere. Mager. *d. capite 8.*
num. 295.

Tolerandos quoque Judæos, eorum- 40
que ritus ex pietate, ſcribit Burſat. *conſ. 152.*
num. 69. quòd & fides Judæorum habeat pri-
mordium veritatis, Decian. *d. loco, cap. 11.*
num. 6. & cap. 12. num. 35. Beccius *d. conſ.*
84. num. 5. Roland. *d. conſ. 25. num. 3. vol. 3.*
Jacob. Philip. Portius *conſ. 4. num. 48.* Ludo-
vic. Rudolphin. *d. cap. 6. num. 211. & ſeq.*
Joan. Franciſc. de Ponte *conſ. 93. numer. 10.*
Modit. *in §. plebiſcitum. dubit. 165. num. 10. in*
fin. ut per eorum conſortium eos Deo lucrari 41
poſſimus, Corſet. *d. p. 5. numero 11.* Port. *d.*
conſ. 4. num. 83. in fin. Roland. *dict. conſ. 25.*
num. 9. Judæum quidem permanere, apud
Deum peccatum eſt, ſed in foro fori vel con-
tentioſo non eſt crimen punibile. Decian. 42
d. cap. 11. num. 1. Inde Judæorum collegia li-
citis ac legitimis accenſet Cujacius, motus ra-
tione, quam Auguſtus apud Philonem in
ſuis exprimit edictis, Collegia & coitiones
Judæorum, ea ſe ideò permittere, quòd non
ſint crapulæ primùm & vinolentiæ, deinde
quòd non ſeditionum nutriculæ, ſed ſcho-
læ temperantiæ & juſtitiæ, ſummo ardore
animi hominum omne virtutis genus am-
plectentium: Itaq; (infert Cujacius) hoc non
modò diſſoluta eorum collegia, ſed ejectos
etiam eos & capite deminutos ſanè non
probo, quos vetus Chriſtianorum Eccleſia
non rejecit, quos Deus Opt. Max. præ cæte-
ris, diebus extremis ad gloriam elaturus eſt;
nec enim donationes ſuas revocat. Hæc Cu-
jac. *7. obſervat. 30.* Vide quoque Diſputat.
Gieſſenſ. D. Mentzeri, *theſi 62. & ſeq.* Ro-
land. *d. loc.* Port. *d. conſil. 4. n. 31. & ſeqq.*

Verùmenimverò, ſi leges & capitula,
ob quorum obſervationem recepti fuère,
ſpernant, eisque contraveniant, non dubi- 43
um eſt, quin habitâ ratione delicti, & ſe-
cundùm qualitatem admiſſi, puniri, coër-
cerique valeant: Et ſi ſcandala ſuſcitent,
vel pericula & machinationes, & enormia
contra fidem & Chriſtianos præparent,
vel turbulenti quid moliantur, eos prorsùs

44 eliminandos & finibus pellendos, aſſerunt
Martin. Laudenſ. *de Principe quæſt.9.* Ant.
Corſet. *tract.de poteſt.regia part.5.quæſt.* 81.
num.11.& ſeqq. Decian. *d. lib.5.cap.13.n.*
2. Alphonſ. ab Azevedo *in conſtitut.regni*
Hiſpan.lib.8.tit.2.l.3. num.42.& ſeqq. Becc.
d.conſil.84.per totum. Exempla Judæorum
quorundam nequitiæ & perfidiæ multa
nobis exhibent & ſubminiſtrant Sim. Ma-
jolus, *tomo 3. dier. canicular colloq.1.* Joach.
Camerarius *cent.1. horar.ſubceſivar. cap 42.*
45 Beſold. *in comment. ad Ordinationes Politic.*
Würtenberg. fol.110. & ſeq. Camil.Borel,
de Catholici Regis præſt.c.69. Albert.Crantz.
libr.11.Saxon.cap.7.& libr.10.Vandal.cap.18.
Sic Anno Chriſti MCCCVI. Judæi ex Gal-
liis ejecti ſunt, atque omnibus bonis exuti, ut
præter veſtes nihil eis relinqueretur. Duplo
plures tunc Judæorum interiiſſe, perhibe-
tur, quàm ex Ægypto fuerant egreſſi.
46 Compererat enim Rex Galliæ Philippus
Pulcher, Judæos quotannis in die Paſſio-
nis Dominicæ, puerum aliquem Chriſtia-
num in ſpecu ſubterraneo occidere. Sic
ſub Imperio Caroli IV. Año MCCCXLVIII.
eo, quòd ex fontibus per ipſos veneno infe-
ctis, peſtis univerſalis orta diceretur, per
totam ferè Europam flammis aliiſque ſup-
pliciis abſumptos, ex Nauclero recenſet
47 Sebaſtian. Franc. *Chron. German. fol. 198.*
& 199. b. & præcipuè 205. a.b. Sic Judæis,
vel proprio, vel Nobilium inſtinctu (qui-
bus æs alienum cum illis contractum ſol-
vere grave erat) non favit Imp. Wences-
laus, de quo idem Franck. *d. Chron. fol.* 197.
ita ſcribit; Anno MCCCXC. gieng deß Key-
48 ſers Wenceslai Gebott auß in alle Reichs-
Städte / daß alle Juden / die darinnen weren /
allen Edelleuthen ihre Brieff / Pfand- und
Haupt-Gut wiedergeben ſolten / und Schadens
ledig ſeyn / ohne alle Entgeltnuß oder Löſung.
Was die Bürger ſchuldig weren / das ſolte
man halb fahren laſſen / und keinem Wucher
von ihnen nehmen / ſondern allein die halbe
Summ. Et memorat Matth. Pariſius *in*
Hiſtor. Angl. fol. 220. quòd Joannes I.
Rex Angliæ Judæos utriusque ſexus per
totũ Regnum capi, incarcerari, & pœnâ gra-
viſſimâ affici fecit, ut pecuniã ab iis emũgeret.
De perſecutione & ejectione Judæorum
49 è Civitatibus Imperialibus multa quoque
habet Lehman in Chronico Spirenſi paſſim,
ut ex indice poſteriori videre licet, & *lib. 5.*
cap.52. ubi de perſecutione Spirenſium Ju-
50 dæorum, ac quâ de causâ ea ſuſcepta fuerit,
agit. Et quotusquisque exiſtit, ad cujus aures
turbæ & factiones, ſuper offẽſione & expulſi-
one Judæorum, in præcipuis Imperii Civita-
tibus non percrebuerunt? ubi nonnulli de
miſera plebe, odio libertatis Judæorum, pra-
væ ipſorum Religionis, uſurariæque pravi-
tatis, tandem via facti ipſos adorti ſunt, per-
ſonas & bona ipſorum invaſerunt, atque iſti- 51
usmodi facinore ſeſe & ſuos in extrema mala
præcipites dederunt, partim etiam mor-
tem ignominioſiſſimam, in pœnam perpe-
trati flagitii conciliarunt, tranquillitatem &
pacem publicam violarunt, concordiam ci-
vitatis, amoremque inter cives & Senatum
imminuerunt, floriqùe, authoritati, & incre-
mento totius Reipubl. non minima ex parte
nocuerunt, Judæos verò, populum Chriſtia-
nis maximè infenſum, hoſtesque ipſorum
acerrimos, juſtis ſuis pœnis exhilararunt,
multâque lætitiâ affecerunt, & ad ſeſe vindi-
candos, longè animoſiores & inſolentiores
magno cum Reipublicæ malo reddiderunt.

Alia & plura expulſionis Judæorum ex-
empla ex Hiſtoricis refert Marquard. de
Suſan. *dict. tractatu de Judæis part. 1. capite*
7. num.2.

Ut verò ad fidem Chriſtianam ample-
ctendam *non ſunt cogendi* (10) Judæi, text. *in*
in cap.ſicut, de Judæis diſtinct.45. Joan. Bo-
lognet. *in l.ſi.inſulam. num. 67. ff. de V. Oblig.*
Decian. *d.lib.5.cap.11.num.8.& cap.12.num.*
1. Port. *d. conſ. 4. num 51.* Gregor. Tholoſan. 52
d.lib.33.cap.4.num.6. Alphonſ. de Azevedo
in conſtit.regni Hiſpan.lib.8.tit.2.leg.1.num.3.
Galganett. *d.lib.3.tit.114.num.10. Ita nec eo-*
rum liberi invitis parentibus ad Baptiſmum
rapi debent, (11) *d.c.ſicut de Judæis* Matth. de
Afflict. *deciſ.151.* Vaſqu. *libr.1. illuſtrium con-*
trovers. cap. 8. num. 12. Heig. *2. quæſt. jur. 12.* 53
num. 48. Pariſ. *dicto conſ. 2. num. 38. & ſeqq.*
vol.4. Bertazzol. *conſil. criminal. 250. num.4.*
Aſcanius Clemens *de patria poteſt. effect. 7.*
num.5.& 6. Menoch. *libr.4.præſ.38.num.9.*
Azevedo *d.libr.8.tit.2.leg.1.num.5.* Franc. Vi-
vius *opin.commun.393.qui n.6.* hoc notabili- 54
ter limitat in Superiore & Domino, cujus Ju-
dæus eſſet ſervus; quia tunc eum poſſet au-
ferre ad vendendum, & aliò transferendum;
& ſic multò fortiùs ad baptizandum, poſt
Jacobum de Belviſo, Vide tamen Pariſ. *d.con-*
ſil.2.num. 39.vol.4. & Hieron. de Cævallos
in ſpeculo opin. comm. contra commun.quæſt.
735. Contrarium Nicol. Everhardi Junior
conſ.36.numero 36.vol.1. Quam ſententiam
admittit Guid. Pancirol *conſ. 11. num. 24.*
in parentibus, qui liberos non habent in po-
teſtate & remotâ vi, &c. In Camera Imp. ſanè 55
Comiti cuidam mandatum, ut Judæi filium
exhibeat: de quo exſtat ſententia apud D.
Barth. XIII. Novembr. Anno MDXXXIII.
lata. Theologi hîc excipiunt, Judæos nihil-
ominus adigendos ad audientam Evangelii
& verbi divini prædicationem, quod medi-
um noſtræ converſionis eſt.

Subjiciuntur quoque Judæi legibus &
ſtatutis locorum, in quibus vivunt. Di-
cuntur enim de corpore civitatis. Burſat. 56
conſil.152. num. 68 Alciat. *conſil.22.libr.8.*
Maſcard. *de probat.concl.544.num.23.* Thuſc.
ind.

*in d.lit. I. concl.377.num.2.*Aſin.*in prax.§.4. cap.7.num. 2.* Becc. *d. conſil.84.num.6.& per tot.* Surd. *conſil. 498.numer.10.& deciſ.133. num. 2.* Horat. Carpan. *in prælud. ad Statuta Mediolanenſ.part.1.num.56.*Pariſ. *d. conſil 2. num. 9. vol.4.* Hippol. Riminald. *conſil.275. num.23.* Azeved. *d. lib. 8. tit.6.num.85.*Alex. Trentacinq. *lib. 1. reſolut. tit. de legib. cap.9. reſol. 3. num. 2. in fin.& num. 3.* Et vivunt
57 jure Romanorum, *l. Judæi 8.C.de Judæis.& c. gaudemus ubi Dd. de divort.* ac in Germania ex ſtylo ac conſuetudine pro civibus Romanis habentur, atteſtante Mynſing. *cent. 5.obſerv. 6.* inque filios ſuos jus patriæ
58 poteſtatis habent, Burſat. *conſil. 127. num. 6. vol. 1.* Pacian. *libr. 1. de probat.cap.7.num.26. & ſeqq.* Quemadmodum etiam Immuni-
59 tas conceſſa incolis alicujus loci, etiam Judæos complectitur, ut in facti quadam contingentia ſe ita reſolviſſe, tradit Bald. *in l. ſpadonem. §. jam autem. ff. de excuſat. tutor.* Nulla tamen ſolvunt jura migrationis, ex-
60 perientiâ & Magero teſte, *d.cap. 8. num. 209.* niſi fortè immobilia, quæ in loco habuerunt, vendant, & earundem pretia exportent.
61 Et generaliter, quòd privilegiorum, ſecuritatis, aliorumque commodorum in loco domicilii & habitationis reddantur participes, ex mente omnium ſcripſit Burſat. *conſil. 200. num. 10.* Menoch. *recup. remed.num.291.* Tiraquell. *de jure primog. quæſt. 66. num. 4.* Hieron. Gigas *de crimin. læſ.Majeſt.lib.1.quæſt. 33. numer. 16.* Aſin. *d. §. 4.cap.7.num.5.* Thuſc. *d. concl.337.num.1.* Pacian. *d. cap. 7. num. 38.* Horat. Carpan. *ad Stat.Mediol.cap.375.num.127.p.2.* Hortenſ. Cavalcan. *de brachio regio part. 1.n.43.* Unde & ſecuritas pro ſe & ſociis ſuis ſerva-
62 ri etiam debet quoad ſocios Judæos, Farin. *in prax. crimin. quæſt. 20. num. 47.* Tiraqu. *d.quæſt. 66.num.14.*Gigas *d. quæſt. 33.n. 14.* Becc. *d. conſil. 84. num. 7.* Hippol.Riminal. *d.conſil. 275.num. 26. & conſil.653.num.59.* Decian. *d. lib. 5. cap.11.num.5.* Trentacinq.
63 *d.reſolut. 3. numer. 6. & 7.* Thuſc. *in d. lit. I. concl.371.num.31.& 35.* Quare nec violanda fides publica & ſecuritas Judæis data, uti factum meminit Crantz.*lib.9.Vandal.cap. 17.* & commonſtrant exempla ſuprà ſub *n. 46.& ſeqq.*relata.

Ex præmemoratis omnibus & ſingulis
64 clareſcit, quòd, quamvis ſint, qui tum propter *text. Exod.23.v.32.* tum propter blaſphemias, execrationes & uſuras, & quod eorum voracitas ſemper quærit noſtra patrimonia deglutire (ut notabiliter poſt Baldum *conſil. 449.* loquitur Pacian. *conſil. 113. num. 29.*) *Judæos in Chriſtianorum terris non tolerandos exiſtiment* (12) D. Auguſtin. *de Civit.Dei, & ſuper Pſalm. 59. ubiq;* Selnecer. Sohn. & Petr. Martyr, *in loc.commun. tom 1. col. 388. & tributis ſeqq.& col. 748.*Luther. *in libr. de Judæis tom. 8.* aliique Theologi *in d.c.11. ad Roman.* allegati à Keckermanno *in ſyſtem. polit. lib.1.cap. 24. & ejuſdem diſcurſ.pract.diſſertat.33.qu.3.* Tholoſan.*d.lib.33.ſyntagm. cap. 4. num. 6.& ſeq.* Weſem. *in parat. C. de Judæ. num. 4.* Adam Contzen Jeſuita *lib. 8.Polit. cap. 17.fol.595. numero 1.*(ubi multis operosè contendit, Ju- 65
dæos, tanquam venenum & peſtem è viſceribus Reipubl. ejici depellique debere, utpote quorum unum atque unicum ſtudium ſit, ex furtis, rapinis, fraudibus, impoſturis vivere, quique nullam honeſtè vivendi rationem habeant, agros, vineas non colant, artes non exerceant, non negotientur: quid igitur ſupereſt, inquit Contzen, quàm fraudes?) Contrarium tamen non ſolùm per jus Civile, & Canonicum, ſed etiam per Conſtitutiones Imperii approbatum eſſe, modò pacificè (uti ſuprà dictum) ſecundùm leges vivant. Argumentis in contrarium moveri ſolitis abundè ſatisfecit Mager.*d.cap. 8.num.278.& ſeqq.* quibus aliquid ſuperaddere, nihil aliud foret, quàm Solem facibus illuſtrare velle, quod vacui laboris & impendii eſſe, reſcripſit Pontifex.

Atque hanc affirmativam ſententiam amplectendam eſſe conſuadet (1) Princi- 66
pum & Ærarii utilitas, & quia Judæi præter cenſum annuum, vectigalibus aliiſque oneribus præ cæteris Chriſtianis plerumque onerantur, (2) commodum Subditorum 67
mutuâ pecuniâ egentium, ut hac ratione vitentur ſcandala, incommoda, furta, latrocinia, quæ alioquin, ſi ſubditis egenis ſub uſuris mutuò non ſuccurratur, metuenda, (3) 68
commodum ipſorum Judæorum, ut ad veram religionem convertantur.

(4) Publica Reipubl. utilitas. Nam ſi 69
Judæi nullum hoſpitium inveniant apud Chriſtianos, catervatim confluunt ad Turcas. Et fama eſt, *inquit* Camerar. *cent.1. horar.ſubceſiv.cap.89.* olim ad centum millia Judæorum ad Turcam migraſſe: *Et addit*; Memoriæ proditum eſt, Turcicum Imperatorem dicere ſolitum, ſe mirari Chriſtianorum Regum ſtoliditatem, quòd tantam multitudinem potiùs in propriam perniciem expellere, quàm ad ſuum emolumentum retinere maluerint, utpote quã ſi interficere non voluiſſent, tamen mancipiorum loco ad varia ſervitia præſtanda ſervare potuiſſent, juxta præceptum Horatianum; *Epiſtol.lib.1.Epiſt.16.*

Vendere cùm poſſis captivum, occidere noli:
Serviet utiliter.

Et ſanè memorabile eſt, quod idem Camerarius annotat; Judæos illos, qui à 70
Chriſtianis expulſi fuerunt, primò omnium ad Turcas attuliſſe varia artificia & perfectiorem uſum machinarum bellicarum, aliarumque multarum rerum, quibus antea barbara Turcarum gens deſtituta fuit:

fuit: Id quod incredibili Chriſtianæ Reipubl. damno accidit. Mager. *d. c. 8. numer.249.*

Illi verò Ærario haudquaquam conſu-
71 lunt, qui minore ſub cenſu pecunias accipiunt, deinde majore apud Judæos ponunt. Dicuntur enim eſſe Chriſtiani, quorum Judæi ſint Inſtitores,& propolæ uſurarum. Legitimo cenſu & ſub cautione accipiunt à Chriſtianis pecunias,in ſingulos annos quinque pro centum,Judæi deinde eam elocant, & accipiunt octo, vel decem, illi verò etiam lucellum ſuum vindicant, ut ſæpè XV. aut XX.in centum dentur. Nec tamen ſic infamiam fugiunt: Nam Judæi palàm clareque fatentur,Chriſtianorum eſſe pecunias,& ſe uſurarum tantùm eſſe adminiſtros. Neque conſulunt illi ærario ſuo, quia civitates opprimunt, odia colligunt, cùm tamen honeſtâ negotiatione plus lucri facere poſſent. Digni ſanè hi callidi, avari, & rapaces Laverniones, harpacticique fures, ut tanquam ſpongiæ, poſtquam affatim biberunt, exprimantur, & ſpolia Fiſco inferantur. Venenarius latrone graviùs punitur, & cur artificioſi fures retinentur?

72 Sed hîc quæſtio moveri ſolet de Judæis, qui quum pro receptatione & conceſſione Domicilii tot, tantasque pecunias Ærariis Dominorum Territorialiũ quotannis pendant, inſuperque collectas graviores, quàm Chriſtiani ſolvant: Num Judæis receptis poſſit privilegium fœnerandi indulgeri? Ita, ut etiam ultra præfinitum modum uſuras exercere poſſint, utpote, qui nec negotiationem exercent, & ab omni artificio remoti ſunt,ac ſecluſi?

73 Ajentium ſententiam uſu comprobari,teſtantur Clar. *in praxi crimin. §. uſura. numer.7.* Caſtrenſ. *conſil.397.libr.2.* Johann. Campeg. *de dote §.1. qu. 49.* Anton. Ciofius *conſil.88.num.11.* (ubi loquitur in privilegio rerum furtivarum) Franc. Zoannet. *in l. 1. num. 21. C. edend.* quatenus inculcat, hodiè de uſuris cum Judæis, propter conceſſa eis privilegia, nusquam agi. Auguſtin. Berous *conſil. 28. num.42. & conſil.209.n.3. vol. 3.* Menoch. *lib. 5. præſumpt.29.num.35.* Decian. *d.lib.5.cap.12.num.32.* (ubi tum putat, Judæos exercentes uſuras criminaliter poſſe puniri, ſi hoc faciant absque licentia Principis) Anton. Hering. *tract. de fidejuſſor.cap.30.num.35. & ſeqq.* qui hanc ſententiam poſt alios, uti majoris mali vitandi causâ, eò magis retinendam putat, quòd etiam ab Imperatore Carolo V. Pragæ XXIX. Jan. Anno MDLXXII. ſpeciali privilegio confirmata ſit hisce verbis: Und nachdem auch die Juden und Jüdinnen deß mehrern Theils in allen deß Reichs Anlagen und Hülffen / mit Leib / Haab / und Gut / um ein viel höhers / als die Chriſten / belegt und angeſchlagen werden / und aber darneben weder liegende Güter / noch andere ſtattliche Handthierungen / Aempter oder Handwerck bey den Chriſten haben und treiben / darvon ſie ſolche Anlagen erſtatten / und ihre Nahrungen bekommen / auſſerhalb deſſen / ſo ſie von ihren Barſchafften zuwegen bringen / ſo laſſen wir zu / und gönnen denſelben / daß ſie hinwiderumb in Gleichnuß und nach Maſſe und Geſtalt ihrer Anlagen / damit ſie alſo / wie obſtehet / angehalten und belegt werden / ihre Barſchafften und Zinſen / und ſonſten zu ihrem Nutzen und Nothdurfften / umb ſo viel deſto höher und etwas weiter und mehrers / dann den Chriſten zugelaſſen iſt / anlegen und verwenden / und ihnen ſolches geduldet werden möge. Quod ipſum in Politica Ordinatione Francofurti Anno MDLXXVII. promulgata *tit.* 20. von Jüden und ihrem Wucher. §. Damit. ad quincunces uſuras videtur reſtrictum: Cùm Chriſtiani tum temporis in contractu mutui non potuerint quincunces ſtipulari, ſed id demum in Deputation-Abſchied de Anno MDC. permiſſum ſit: ut vel inde adpareat, Judæis in uſuris melioris conditionis, quàm Chriſtianos fuiſſe:
Cùm & Judæi non comprehendantur ſub 74
legibus uſuram prohibentibus, niſi faciant contra Edicta Principum, Decian. *d. lib. 5. capite 14.numer.18.*

Sed nos hanc opinionem, uti à juris 75
veritate abhorrentem, cum Jaſone *in l.cunctos populos.in 1. lect.num.56. & in l.1.n.70. C. de ſumm. Trinit.* improbamus, per text. *in Clem. un. de uſur.* ubi omnia ſtatuta & conſuetudines, quibus favor uſurarum exactioni præſtatur, condemnantur. Covarruv. *lib.2.reſolut.cap.1.num.8.in fin.* Afflict. *in Conſtit. Reg.lib.1.rubr.6.n.25.* Damhouder. *in prax.crim.cap.86. num.76.* Anton.Sola *in Conſtit.Sabaud.de uſur. gl. 2.n. 8.* Addit ad Marantam *diſp. 4. n. 16.* Bonifac. *de furt.§.fraudulоſa num.39.* Carol.de Graſſis *de Except. ad mater. Statut. except.32. num. 71.* Cacheran. *deciſ.137.* Gail. *2.obſerv.5. in fin.* ubi hanc pietati & utilitati Subditorum magis conſentaneam dicit, Cacheran. *deciſ.137.num.18.* Petr.Royz. *Deciſ.Lithuan.5. num. 259. & 308.* ubi meminit de infortunio cujusdam Epiſcopi permittentis Judæis fœnerari in Civitate Bononiæ, Ancharan. *conſil.247.* Barbatia *conſil. 26.num.6. lib.4.* Ludov. Molina Jeſuita *de juſt. & jur. diſput.304.* ubi in fine addit, poteſtates pu- 76
blicas peccare, Judæis ſuæ Reipubl. pro tributis, quæ ſolvunt, uſuras permittendo. Roland. *conſil.55.num.16.vol.1.* Hypolyt. Riminald. *conſil.275.num.32. & conſil.399. num.15.* Burſat. *conſil.90. num. 27.* Schurff. *conſil.50.num.13.cent.1.* Nicol. Everhardi Junior *conſil. 8.num. 8.* Et Statuta vel ca- 77
pitula uſuras permittentia & confirmata nulla eſſe, concludit Cornæus *conſil.19.numer.14. & 15.* Menoch. *conſil.300.num.86.* ſub-

ſubjungens *num.7.* Principes teneri etiam ad reſtitutionem. Et hanc, ut piam, ſequitur Marquard. de Suſannis *d. tract. de Judæis cap. 11. num. 11.* Martin. Laudenſ. *d. tract. de Principe quæſt. 437.* Petr. Anton. de Petra *de poteſtat. Princip. cap. 13. num. 39.* Petr. Belluga *in Speculo Princip rubr. 11. §. uſura num. 24.* Cardinal. Thuſc. *d. lit. l. concl. 374. num. 2.*
78 Molinæ. *in conſuet. Pariſ. §. 1 gl. 9. numer. 19. & in tract. de uſur. numer. 581.* ubi Principes tale quid permittentes & cum Judæis colludentes vocat infideles & ſocios furum. Brun. à Sole *in Compend. reſolut. propoſit. jur. in verſic. Principes non poſſe &c. ubi alios allegat, & dicit, hanc eſſe magis communem & veriorem;* Tamen allegat nonnullos in contrarium, à quorum opinione eſt fugiendum, velut à peſte. Carol. de Graff. *d. except. 32. num. 71.* Ex quo talis opinio eſſet cauſa nutriendi peccatum, Anton. Theſſaur. *deciſ. 57.* Jacob. Anton. Marta *tract. de juriſdict. part. 2. cap. 13. numer. 23.* Joan. Bapt. Lupus *de uſur. comm. 1. §. 4. numer. 68.* Petr.
79 Gaballus *conſil. 110. num. 7. & 8. lib. 2.* Prohibitio enim de non exercendis uſuris, non tantùm Chriſtianos, ſed etiam Judæos ligat. Alban. *in apoſtill. ad Bartol. in rubr. ff. lit. a. in fin.* Joan. Bonifac *d. §. fraudulosa num. 39. & ſeqq.* Ludov. à Peguera *deciſ. 30. num. 10.* Hippolyt. Riminald. *d. conſil. 399. num. 13. per c. poſt miſerabilem. de uſur.* Clar. *§. uſura. numer. 7.* Alphonſ. de Azevedo *in Conſtit. Hiſpan. Reg. lib. 8. tit. 6. l. 1 num 66.* Unde illi, qui Judæis ſecurè uſuras ex Conſtitutionibus Imperii, magis ita cauſam Judæorum, quàm Chriſtianorum agere, & hos quidem illis impunè deglubendos & devorandos tradere, & in proprium caput maledictionem congerere, monuit Petr. Heig. *lib. 2. quæſt. jur. qu. 1. numer. 170.* Quod tantò minùs ferendum, quòd Judæorum uſurariorum perfidia & voracitas nihil aliud concupiſcat, niſi ut brevi tempore noſtras facultates exhauriant atque deglutiant. Fulv. Pacian. *conſil. 113. n. 27. & ſeqq.* Unde Theologi & JCti plurimi pietati &
80 utilitati Subditorum convenire arbitrantur, ne Judæis uſurarum exercitium permittatur, Gail. *dict. obſerv. 5. num. 19. lib. 2.* maximè, quia etiam aliàs in Camera ſtatuta ultra quincunces permittentia non attenduntur. Vide elegantem Diſputat *lib. 1. Diſput. Theolog. Gieſſenſ. in fin. in analyſi cap. 11. ad Roman. theſ. 62. & ſeqq.* Dominic de Soto *de juſtit. & jur. libr. 6. quæſt. 2 art. 1. fol. 152. & ſequent.*

Nec obſtat, quòd conſuetudo faciendi contractum uſurarium excuſet à crimine uſurarum, Cæſ. Urſill. ad Afflict. *deciſ. 22. num. 5.* & ideò, quòd de facto hoc obſervetur, perinde ſit, ac ſi de jure invaluiſſet, Caſtrenſ. *conſil. 395. num. 4. verſ. & poſito.* Decian. *conſil. 41. num. 83. & ſeq. volum. 2. in terminis uſurarum.* Barthol. Bertazzol. *conſil. crimin. 2. numer. 25.* Siquidem hujusmodi 81
peſſima conſuetudo vel potiùs corruptela nihil relevat, Ludov. à Peguera *deciſ. 33. & deciſ. 34.* Proſper. Farinac. *deciſ. 138. num 10. in fin.* Cacheran. *conſil. 51. numer. 6.* Hector Felicius *de Societate cap. 18. num. 35 & ſeqq.* Franciſc. Beccius *conſil. 213. num. 85. & ſeqq.* Hippol. Riminald. *conſil. 218. num 57.* Camill. Borell. *conſil. 79. num. 31. & ſeqq.* Alphonſ. de Azevedo *in Conſtit. Reg. Hiſpan lib. 8. tit. 6 l. 1. num 80. & ſeqq.* Joan. Bapt. Bajard. ad Clar. *§. uſura. num. 31.*

Atque hæc ſententia in tantum vera 82
eſt, ut ne quidem privilegium illud ex diſpenſatione Pontificis vires nanciſcatur, nuncupatim id docente Afflict. *d. rubr. 6. num. 26. & ſeqq.* Hier. Schurff. *conſil. 50. n 13. cent. 1.* Ludov. Molina. *d. diſput. 304. in fin.* Ludov. à Peguera *deciſ. 30. numer. 13.* Et hanc, uti veriorem, retinendam putat Menoch. *lib. 2. præſumpt. 10. num. 46.* In quam & inclinat Gregor. Tholoſan. *lib. 22 ſyntagm. jur. cap. 3. n. 33. & lib. 42. cap. 1. num. 16.* cui contraria ſententia ſuſpecta eſſe videtur. Confert hûc Caſpar. Roderic. *lib. 3. de annuis reditib. qu. 4. n. 66 & 105.* Nicol. Everhard. Junior. *conſil. 8. num. 8. volum. 1.* Ludov à Peguera *d. deciſ. 30. numer. 12.* Hector Felic. *d. cap 18. num. 35.* Alphonſ. de Azevedo *d. lib. 18. tit. 6. leg. 1. num. 75.* Lancellot. Gallia *conſil. 24 num. 47.*

Interim haud diſſimulamus, quàm plurimos eſſe, qui Pontifici deſuper diſpen- 83
ſandi facultatem tribuant, Alexand. *conſil. 1. & conſil. 107. lib. 2.* Cephal. *conſil. 549. n. 89. & ſeqq. & num. 102.* Felin. *in c. quia 4. de Judæis & Saracen.* Cæſar. Urſill. ad Afflict. *deciſ. 22. num. 4.* Theſſaur. *deciſ. 57.* (ubi & inſinuat, talem diſpenſationem Ducem Sabaudiæ habere à Pontifice) Alex. Raudenſ. *deciſ. Piſan. 7. num. 56.* Lancellot. Conrad. *in templo omn. judic. lib. 1. de Imperatore §. 3. num. 11. verſ. uſuras debet tollere, fol. 274.* Petra *d. cap. 13. num. 39.* Carol. de Graff *d. except. 23. num. 76.* Hippol. Riminald. *conſ. 275. num. 32.* Joan. Bapt. Bajard. ad Clar. *in d. §. uſura num. 20.* Heig. *d. lib. 2. qu. 1. num. 143.* Aug. Berous *conſil. 109. vol. 3.* (ubi etiam *num. 3.* aſſerit, quòd vigore privilegiorum Apoſtolicorum ipſis licitum ſit, uſuras exigere ad rationem XXV. ac etiam ultra pro quolibet centenario, abſque metu alicujus pœnæ) Marta Neapolit. *de juriſdict. part. 2. cap. 13. num. 29.* (Quò tamen loci monuit, hujusmodi diſpenſationes eſſe cauſam multorum malorum, & ſaltem per indire- 84
ctum turbari univerſalem ſtatum Eccleſiæ, poſtquam vorago avaritiæ incitat multos malos Chriſtianos ad judaizandum.) Et præſupponit Cæſar Manentus *conſilio 89. numer. 28.*

In Camerâ tamen Imperiali uſuræ Judæo- 85
rum ad quincunces rediguntur. Ita no-

viſſimè in cauſâ Wolff Weichards contra Samuel Juden von Steinheim appellatione pronunciatâ primùm non devolutâ, & cauſâ ad judices priores remiſsâ, cùm ex actis conſtitiſſet, Judæum XXX. pro C. exegiſſe, iſt der in Actis angezogene übermäſſige Wucher als den gemeinen beſchriebenen Rechten und deß Heil. Reichs Ordnungen zuwider auf 5. von 100. moderirt und taxiret XIII. April. Anno MDCXVI. Cujus decidendi ratio non eſt in obſcuro, cùm judex ex officio poſſit compeſcere creditores, ne uſuras exigant, Joan. Bapt. Aſinius *de Execut.* §.*3. cap. 96. num. 4. per c. tuas de uſur.* Lancell. Gallia *conſil. 24. num. 49.*

Neque alicujus momenti eſt, quod ſuprà in Rationibus pro Affirmativa adductis allegatum eſt, Judæos collectas graviores, ac Chriſtianos, ſolvere. Nam Jul. Benedict. Creſcent. *in conſil. ſuper Judæorum privilegiis fol. 17. 34. 35. & quamplurimis ſeqq.* hoc præcisè negat, ferreisque & adamantinis argumentis contrarium evincit, illudque operosè & graviter defendit: Chriſtianos ſcilicet onera graviora ſufferre, & in publicis Imperii contributionibus plus,
86 quàm Judæos perſolvere. Id quod ex publicis Imperii decretis probat, adeoque per ſub- & obreptionem verba illa Imperiali Privilegio inſerta, quaſi Fiſcus Cæſareus plus ex Judæis, quàm Chriſtianis emolumenti percipiat: Ideoque tandem concludit, per contrariam pragmaticam S. Rom. Imperii ſanctionem publicam, cumprimis Ordinat. Politic. Francof. Anni MDLXXVII. Judæorum Privilegium revocatum fuiſſe, & neutiquam S. R. Imperii Electores, Principes & Proceres illud ipſum 87
confirmaſſe. Reſcripta verò ſub- & obreptionibus & mendaciis impetrata, ſunt nulla, *juri. vulg.* Ceſſante itaque cauſâ gratiæ & privilegii, ipſum privilegium ceſſare & deficere videtur, Menoch. *conſil. 312. numer. 15.* multò magis, ſi cauſa ejus expreſſa fuit falſa, etiam per ignorantiam.

Nec refragatur, quòd Judæis ad hone- 88
ſta artificia & opificia ſit aditus præcluſus. Siquidem hodiè paſſim commercia, Cambia & rem numulariam promiſcuè exercent, ac negotiando & mercando tantum lucrantur, quantum ne Chriſtiani quidem ex mercimoniis commodi percipere poſſunt. Margaritæ, uniones, aurum, argentum, panni auro argentóve intertexti, holoberum ſericum, veſtes pretioſæ, quinimò equi, boves, oves, cæteraque omnia, quæ humanâ induſtriâ parantur, atque ingenio excogitari poſſunt, magnâ copiâ apud ipſos venalia proſtant. Et licèt ab honeſtis collegiis arceantur 89
Judæi, neque ipſorum liberi inter Societates Chriſtianorum tolerentur, tamen minimè illis interdictum eſt, quò minùs manibus operentur ſcindendo videlicet ligna, reliquaque peragendo, quemadmodum Chriſtiani pauperes victum & amictum ſibi comparant, Herman. Lather. *libr. 3. de Cenſu capite 23. numer. 121. & 122.*

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT LXII.

Num. 1.

(1) E*St de Reſervatis Imperatoris &c.]* Fuerunt enim Judæi dem Römiſchen Käiſer ohne Mittel zugehörig (ut docemur ex Mandato Friderici Imp. *in tx. Klockii allegato*) & Cameræ Imperialis Servi, Wenceslao Imp. teſte apud Goldaſtum *parte 2.* der Reichs-Satzungen *pag. 69.* ibi: Unſer Kammer-Knecht. (Vid. Limnæum *de J. P. lib. 3. cap. 2. num. 48. & Addit. Tom. II pag. 147. h. n. ut & Addit. Tom. I. ad lib. 7. cap. 56. pag. 371.*) vel ut Conradus IV. apud eundem Goldaſtum *Conſtit. Imp. tom. 2. pag. 85.* in Conſtitutione ſua de privilegiis Judæorum loquitur, omnes & ſinguli Judæi, degentes ubique, per terras Imperatoris Juriſdictioni ſubjectas, ſervi ſunt Imperialis Cameræ ſpeciales, h. e. fiſcaliſche Knechte / ut apud Lehmannum legimus *lib. 7. Chron. Spirenſ. cap. 42.* Cujus Servitutis intuitu non licuit olim ulli Imperii membro (extra Imperatoris conceſſionem vel præſcriptionem) aut Judæos recipere, nec ab ipſis quicquam exigere; vita enim cum bonis eorum unicè ad Caput Imperii ſpectabat; ſicuti verba Privilegii cujuſpiam à Carolo IV. Anno MCCCXLVII. Johanni & Alberto fratribus Burggraviis Norimbergenſibus dati, docente Limnæo *ad Capitulationem Caroli V. art. 23. numer. 10.* ſonant, daß alle Juden/mit Leib und Gut/ in die Königliche Reichs-Cammer gehören / und in ſeiner Gewalt und Händen ſeyn/ daß er mit ſeiner Mächtigkeit darmit thun und laſſen möge/was er wolle ꝛc. Tandem tamen ad Electores, Principes, Status & alios, Regalia ad hoc privilegia aut ſpecialia habentes, imò & quandoque ad Vogtheiæ dominos Jus recipiendi Judæos derivatum fuit, quod Author hoc capite *à n. 2. usq. 11. incluſivè* probat.

(2) *Peculiarem Judicem &c.]* A Friderico Imperatore Protectorem & Judicem Comitem Wurtenbergicum Judæorum, non omnium in Imperio viventium, ſed tantùm illorum, qui Moguntiæ, Treveris, Salisburgi, & Biſantii degebant, vi commiſſionis datæ in controverſiis uſurariis judicandi conſtitutū, ipſe tenor Mandati, (utut rubrum illud generaliter conceptum) evincit, ibi: all und jede in den obgeſchriebenen Provintzen wohnend.

(3) *Minda ad Viſurgim &c.]* Conditiones autem & Leges, ſub quibus Judæi Mindæ ſint tolerandi, exhibentur in Conſil. Theolog. Witteberg. *parte 1. tit. 9. p. 1048. b.*

Num. 26.

(4) *Judæos ſemel in Imperio receptos tolerari &c.]* Notiſſima eſt quæſtio illa inter Theologos, pariter JCtos, atque Politicos agitata: *An Judæi in*

in Republica recipi, & an tolerari queant; uti videre eſt apud Dedekennum *Conſil. Theolog. vol. 2. ſect. 6. n. 1. 2. ſeqq. pag. 128. ſeqq.* Conſiliorum Theol. Wittebergenſ. *parte 1. tit. 9. pag. 1047. ſeqq.* Balduinum *in Caſib. Conſc. lib. 2. c. 6. caſu 5.* Joachimum Pollionem in den zweyen Theologiſchen Fragen/ die Juden betr. Speckhan. *Centur. 2. cl. 1. quæſt. 16.* Schneidew. *de hæred. quæ ab inteſt. defer. à princ. num. 13.* Gilhauſen *A. J. Civ. cap. 1. parte de Jurisdict. §. 1. n. 70.* Wehnerum *in Obſerv. Pract.* Beſoldum *in Theſauro Pract.* Rudinger. *in Obſerv.* Speidel. *in Speculo aureo in voce* Juden. Limnæum *de J. P. lib. 3. cap. 2. n. 16. ſeqq. & ad A. B. art. 9. §. 2. pag. m. 357.* Rummelin. *ad A. B. Diſſ. 8. 8. 27.* & ad illum D. Mylerum &c. *pag. 185. ſeqq.* Laudatum Dn. Myler. *de Princ. & Stat. Imp. cap. 60. &c.* Placent nobis placidi Theologi, Beati Gerhardi ad decidendam hanc quæſtionem allatæ diſtinctiones, ut diverſitas nempe conſtituatur I. Inter temerariam Judæorum in Rempublicam receptionem, & eorum jam olim receptorum tolerantiam. Quæ Re publica, inquit, *loco de Magiſtr. Polit. Tom. VI. n. 225. pag. 332.* ab hoc hominum genere fuit hactenus libera, in eam haud facilè, nec niſi urgentibus graviſſimisq; cauſis ſunt recipiendi, id quod Illuſtriſſimi Saxoniæ Duces ſuo ſatis comprobant exemplo, dum in Provincias ſuæ ditioni ſubjectas Judæos recipere meritò recuſant. Quando verò in Rempublicam aliquam jam olim recepti ſunt; non debent temerè expelli, præſertim furore & impetu promiſcuæ plebis, ipſorum bonis velut prædæ alicui inhiantis. II. Inter liberam Judæorum αὐτονομίαν & limitatam certisque conditionibus reſtrictam tolerantiam. Liberrimam Judæis αὐτονομίαν & eandem cum reliquis Civibus libertatem & locum concedere, vel etiam majora privilegia ipſis, quàm reliquis Civibus dare, conſultum eſſe negamus, interim certis quibusdam legibus & conditionibus tolerari ipſos poſſe dicimus. Hactenus Gerhardus, qui in ſequentibus conditiones Judæis præſcribendas explanat, de quibus etiam Author noſter Klockius *ſeqq. n. 33. ſeq.* Matthias Dibben *in Diſſertat. de Judæis ſub præſidio D. Eberhardi Speckhanen Anno 1596. habitâ, quam Anno 1661. D. Henricus Hahnius Helmeſtadii denuò edi curavit.* Henricus Kornmann im Bedencken ob und wie die Juden unter den Chriſten zu dulden.

(5) *Converſionem ante noviſſimum diem &c.]* An Univerſalis quædam vel certè inſignis Judæorum converſio ante diem noviſſimū ſit exſpectanda? ex veteribus neotericisve ſunt, qui Affirmant, ſunt itidem, qui Negant, quemadmodum fusè B. Gerhardus *Tom. IX. n. 111. p. 94. ſeqq.* explanat, atq; Balduinus *de Caſib. Conſc. lib. 2. c. 6. caſu 5.* indicat, qui putant, etſi converſio Judæorum valdè difficilis ſit, dubium tamen non eſſe, quin ſubinde aliqui convertantur & adhuc convertendi ſint. Qualis verò & quanta præciſè futura ſit ante oraculi Divini complementum, apodicticè ſciri haud poſſe. Vide & Beſoldum *de Jure Ordin. Civium Diſſ. 2. c. 5.*

Num. 30.

(6) *Non antiquitus ſolùm &c.]* Imò ante Chriſti nativitatem Judæos in Germania circa Rhenum habitaſſe, & de paſſione Chriſti per literas à Fratribus in Judæa hos certiores factos fuiſſe, aſſerit & confirmat Lehmann. in der Speyriſ. Chronick *l. 5. c. 38.* at catervatim demum poſt Titi Veſpaſiani excidium Hieroſolymitanum in Germaniam migraſſe ibidem ſcribit; Norimbergæ verò jam Anno MCXXX. habitaſſe & antè, indicio fuit vetus lapis ſepulchralis Anno MCCCCLXVIII. inventus, in quo Hebraicè ſcriptum erat: Eliam Salomonis Judæi filium mortuum XXVII. Septembris Anno à Mundo condito MMMMMXCII. ex quo apparet poſitum hunc lapidem Anno MCXXX. Incoluêre autem Judæi vel meliorem partem hujus Civitatis, usque dum ædes illorum, in loco, ubi nunc forum maximum, diruerentur, & omnes Anno MCCCCX..VIII. ex mandato Cæſareo emigrare juſſi ſunt; prout etiam eidem Anno ſequenti paruerunt, adeò ut ab eo tempore nulli Judæorum hîc ſedem figere, aut ſoli ſine Comite, den Aufbieter vocant aut qui ejus loco adſit, pertranſire ejus urbis plateas permiſſum ſit.

(7) *Suas Synagogas habent &c.]* Ex Synagoga, quam Judæi in Urbe Norimbergenſi habuerunt, ex voto Caroli IV. Imperatoris, Sacellum in honorem beati Matris Jeſu Mariæ, (*quod adhuc appellatur* bey unſrer Frauen/ oder die Frauen Kirch) Anno MCCCLV. exædificari & exornare cœptum, & ſexennio pòſt abſolutum fuit. Cæterùm Synagogas quidem ruinoſas reparare, & funditùs etiam collapſas reficere permittet, novas verò erigere vetabit Magiſtratus, *per c. Judæi 3. c. conſuluit x. de Jud. l. fin. C. eod.* D. Myler. *de Princ. & Stat. Imp. parte 2. c. 60. n. 6. p. 548.* Plura de Judæorum Synagogis vide apud Buxtorffium *Tr. ſingulari de Synagogis.*

Num. 31.

(8) *Flavo ſupra veſtem annulo &c.]* Morem flavum geſtandi annulum ab ipſis Judæis derivatum exiſtimat Hœpping. *de Jure Inſign. cap. 2. n. 137.* Hi enim cùm Alexandriæ machinas ad nocendum Chriſtianis excogitare cœpiſſent, teſſeram ſibi ipſis dediſſe, nimirum, ut quisque ANNULUM ex cortice palmæ confectum geſtaret, & ita nocturnam contra Chriſtianos pugnam inſtituiſſe, referente Socrate *lib. 7. Hiſt. Eccleſ. c. 13. & 16.*

Num. 39.

(9) *Sic perhibetur olim Wormatienſibus &c.]* Confer Limnæum *de J. P. Tom. I. Addit. ad lib. 7. c. 56. n. 7. p. 370. ſeqq.*

Num. 51.

(10) *Non ſunt cogendi &c.]* Ad verbi Divini auditum tamen cogendos eſſe monet Judæos, B. Gerhardus *in loco de S. Baptiſmo Tom. 4. pag. 307.* Sic plurimis Italiæ locis præcipuè Romæ (prout D. Myler ibidem obſervavit, & ſcribit *de Princ. & Stat. Imp. part. 2. c. 60. n. 7. p. 548. ſeq.*) ſingulis diebus Sabbathi conciones Chriſtianorum ſub certâ pœnâ viſitare coguntur; adde Cranium *de Pace Relig. parte 2. probl. 3. connex. 1.* Knipſchild. *de Civit. Imp. lib. 2. c. 30. n. 49.*

Num. 52.

(11) *Ita nec eorum liberi invitis parentibus ad Baptiſmum rapi debent &c.]* Contrarium quidē aliqui ex Canoniſtis & inter illos Cævallos *pract. q. 735. n. 10. ſeqq.* ſtatuunt. Sed illis obſtat 1. Regula Apoſtolica *1. Cor. 5. v. 12.* Quid me attinet, de iis quæ foris ſunt, judicare &c. 2. Conditio Baptiſmi, quæ eſt κειμήλιον ſolius Eccleſiæ proprium, cujus Jus & uſus extra illam ſe non extendit. 3. Defectus mandati ac promiſſionis divinæ, nullum enim mandatum, nullum exemplum hac de re in Sacris literis habetur. 4. Periculum præſentiſſimum, ne baptizati, in parentum infidelium poteſtate poſt Baptiſmum relicti, per eosdem ad nefariam apoſtaſiam impellantur, unde Concilium Toletanum Quartum *cap. 59.* ſtatuit: Judæorum liberos baptizatos, aut in monaſteria, aut cuidam Chriſtiano tradendos, à quo

tam in moribus quàm in vita rectè inſtituantur. 5. Jus Naturæ. Infantes enim Jure Naturæ ſunt proprii ſuorum parentum, niſi ſcil. ex mancipiis & vernis naſcantur. Jam verò Evangelium non abolet Politias. 6. Æquitas Politica. Æquum enim eſt, ut illis, quibus vel extra, vel intra Rempublicam Chriſtianorum ſua qualiscunque *αὐτονομία* in rebus Eccleſiaſticis & Politicis conceditur, nulla vis Baptiſmi nomine inferatur. Sic ſentit Beatus Gerhardus *d. loc. 99. p. 316.*

Num. 64.

(12) *Judæos non tolerandos exiſtimet &c.*] Inter illos exiſtit quoque Limnæus *de J. P. lib. 3. c. 2. num. 42. ſeqq.*

CAPUT LXIII.

Emolumentum Fiſci ex Alluvionum Jure, vulgò Anwurff.

SUMMARIA.

1. Alluvio *refertur ad omne genus incrementi, ſive latens ſit, ſive evidens, ſive diſcretum, ut Inſula.*
2. Alluvio, *Alveus, Inſula, jure alluvionis acquiruntur, & ejus juris appellatione continentur.*
3. Fiſcus *ex aliena calamitate non debet compendium ſectari.*
4. Flumen *quantum agro alicujus adjicit, tantundem alterius agro ſemper detrahit.*
5. Augmentum *& diminutio pari paſſu ambulant.*
6. *Qui ſentit* incommodum, *debet etiam ſentire commodum.*
7. Alluvio *Dominis vicinorum agrorum concedi debet.*
8. Conſuetudo, *vicinis jus alluvionis adimens, in foro conſcientiæ non tuta.*
9. Latini & Græci *multa, quæ publica erant, & privatis poſteà uſibus mancipata reperiebantur, in publicum vindicarunt.*
10. *Ut* mortales *à DIs immortalibus nihil uſucapiunt; ita privati, quæ publici juris ſunt, ſibi nihil attribuere debent.*
11. Fluminum *publicus uſus eſt.*
12. *In* flumine publico *ex Romanorum ſententia nihil mutandum.*
13. Inſulæ *in Rheno natæ ex antiquiſſima Palatinatûs conſuetudine, Palatino, non vicinorum prædiorum Dominis cedunt.*
14. Inſulæ *in Rhodano exiſtentes Regi Galliæ olim adjudicatæ.*
15. Flumina *quare Regalibus aggregata?*
16. Maris uſus *non ampliùs jam communis, ſed privatus factus, quod exemplis probatur.*
17. *Jure Romano poterat quis ſolus in flumine publico* jus piſcandi *ſibi acquirere.*
18. *In* communione *rerum præoccupatio: in acquiſitione longævus uſus obtinet.*
19. *In* actibus meræ facultatis *negativis ex prohibitione, cui non contradicitur, jus acquiritur.*
20. *Per* negligentiam longiſſimi temporis *jus ſemel quæſitum amitti poteſt.*
21. Officiales & Præfecti Principum *multa ad compendium Fiſci derivare conantur.*
22. Omnia Principis vel Fiſci eſſe, *quomodo intelligendum?*
23. Arcana *circa procurationem incrementorum fluvialium.*

A quodam ſolitus cùm linquitur alveus amni,
Sæpè incrementum Principis ora capit.
Fas & jura ſinunt hinc emolumenta Potentum
Creſcere, privatus nil ibi juris habet.

JUs alluvionis (1) dici, & referri ſolet ad omne genus incrementi, ſive latens ſit, ſive patens & evidens, ſive diſcretum, ut Inſulæ. Imò ipſæmet Inſulæ fieri dicuntur per alluvionem, *l. ergo. 30. §. tribus modis. 2. ibi: cùm paulatim coalluendo locum eminentem ſuprà alveum fecit, & eum alluendo auxit ff. de acquir. rer. domin.* ut inde Johan. Baptiſta Aymus *lib. 1. de jure alluvion. cap. 4. num. 9.* audacter affirmet, & alluvionem, & alveum, & Inſulas, acquiri jure alluvionis, & ſub ejus juris appellatione contineri, ad quod confirmandum adducit *l. fin. C. de alluvion.* & quæ ſcripta à ſe ſunt, *cap. 3. ſ. 1. n. 10.* 1 2

Commodum verò alluvionis *in recompenſationem multorum damnorum*, (2) quæ proximis agris inferuntur, conceſſum eſt, nec debet Fiſcus ex aliena calamitate compendium quærere. Etenim, cùm qui prope ripas fluminum publicorum prædia & latifundia poſſident, eaſdem ripas munire cogantur, & non tantùm ſumptus hujus munitionis magnos, ſed & privatim damna non levia ſuſtinere, dum vi fluminis detrahi & diminui ſibi agros ſuos magno ſuo malo experiuntur; *l. 1. C. de alluvion.* Antonin. Maceraten. *libr. 2. var. reſolut. 45. numer. 6. 7. & 8.* æquiſſimum certè eſt, ut alio jure ea damna compenſentur, cùm nunquam contingat, ut aliquid flumen agro alicujus adjiciat, quin ſimul alterius agro tantundem detrahat, *l. unic. ſ. 3. ff. ne quid in flum. publ. l. 1. 2. 3. C. de alluvion.* Cephal. *conſil. 130. num. 30. & ſeqq.* Hinc non ſolùm flumina cenſitorum vice funguntur, ut ex privato in publicum & vice verſâ addicant, *l. 30. ſ. alluvio. ff. de A. R. D.* Aym. *d. lib. 1. c. 16.* ſed etiam & multò magis mare, quippe quod hujus agros minuit, iſtius auget, atque eo modo non tàm Principis & judicis vim exercet, quàm Tyranni, Joan. *Gryphiander tract. de Inſulis cap. 18.* (3) *numer. 90. pag. 254.* Quò facit, quòd augmentum & diminutio paribus paſſibus ambulent, ac iisdem regulis ac legibus judicentur; idemque operari dicatur augmentum quoad additionem, quod diminutio quoad detractionem, Regner. Sixtin. *lib. 2. Conſil. Marpurg. 14. numer. 88. & 90.* Et in ſpecie in terminis alluvionis id tradunt Menoch. *conſil. 26. n. 26.* 3 4 5

Natta

Natta *conſil.*286.*num* 4.*ubi ait*,nihil tam eſſe connexum,quàm quod per alluvionem adjicitur,& maximam connexitatem ex eo oſtendi,quòd per alluvionem acquiratur poſſeſſio ejus,quod adjectum eſt ſine nova apprehenſione, idq; etiam Bartolum & Baldum docere, ſubdit Sixtin. *d.conſil.*14. *num.*28. Gryphiander. *d. cap.*18.*num.* 104.ubi dicit, id incrementum prædio vicino, tanquam partem, ipſo jure accedere, ut non poſſit non poſſideri poſt Aymium,Parmens. *lib.* 2. *de aluvion. c.*8. *numer.*8. neque alius quovis momento id,quod natum eſt,occupare poſſit,arg.*l.* 14.*ff. de ſervit.* idque propter vim & efficaciam conſolidationis cum fundo principali, *l.* 9.§. *Alphenus ff. de damn. infect.*
6 Gryphiand.*d.cap.*18.*num.*88.Itaque non jure Civili hoc primùm conſtitutum,ſed ex jure gentium deductum, quod vult commoda cuiusque rei ſequi eum, quem ſequuntur incommoda, *l. ſecundùm naturam ff. de R. J. cum ſimilib.* Aymus *d.lib.* 1. *cap.* 5.*num.*10.*&* *cap.* 11. *num.* 5. Quæ cauſa fuit, cur & Im-
7 peratores *in l.fin. C. de alluvion.* ſtatuerint; Fiſcum non debere incrementa fluviatica ſibi vindicare, neque pro his cenſum augere, ne,ut ajunt Imperatores, vel alluvionum ignorare vitia, vel rem noxiam inducere poſſeſſoribus videantur, qui ſibi hæc incrementa vindicant; Ut non malè ſcripſerit Albert.Brun.*conſil.*159. *circa fin. lib.* 2.
8 conſuetudinem, quæ vicinis adimit jus alluvionis,in foro conſcientiæ non procedere, nec ſatis tutam eſſe.Joh.Bapt. Aym. *lib.* 2. *de alluvion.cap.*12.*num.*6.*&* 7. ubi ſententiam Peregrini *lib.*2.*de jure fiſc.tit.*3.*numer.* 29. & Menochii *libr.*3.*præſumpt.* 100. *num.* 9. *& ſeqq.* ſtatuentium loca inculta & deſerta ad occupantem, non autem ad fiſcum Principis pertinere debere, in fluviaticis quoque incrementis probat.Et exſtat grave præjudiciū in cauſſa Forſchheim und Dachslan: bey der Gemeinden contra Morſch und Neuenburg auch beyde Gemeinde / Citationis XIX Martii Anno M D X C I X. introducta, in qua jus alluvionis acriter diſputatum, & à Dn. Aſſeſſoribus Cameræ Imperialis pronunciatum contra Actores, quia non ſuo merito,ſed fluminis Rheni injuriâ prædia aliquot Reorum prædiis adjecta ſunt. Nam non tantùm poſſeſſio, ſed etiam proprietas inundatione& alluvione amittitur, *l.*10.*l.*23 *l.*24 *ff. quib. mod. uſusfruct. amitt. l* 3.§. *Labeo l.*30.§.*poſſeſſione ff. de acquir.poſſeſſ.* Sebaſt. Medices *de amitt. poſſeſſ. num.* 140. 145. 152. 281. Hiſce tamen parum vel nihil attentis, cùm alia hodie facies Imperii adparere, & flumina publica in patrimonio Principum eſſe, eorumque præcipua commoda in fiſcum referri & poſſideri ceperint, Dominos Territoriales, excluſis vicinorum prædiorum & agrorum Dominis, jus alluvionum, inſularum,aliorumque fluviaticorum incre-
mentorum,ſibi præcipuo quodam jure vendicare, 9
paſſim videmus: exemplo eorum, qui olim Reipubl.gubernacula moderantes, ea,quæ publici juris fuerant, & privatis uſib. mancipata reperiebantur, in publicum vindicarunt;& in priſtinam libertatem aſſeruerunt, prout ejus rei memorabile exemplum exſtat apud Plutarchum *in Themiſtocle, & Porcio Catone.* Nam apud Græcos Themiſtocles,& apud Romanos *M. Porcius Cato* (4) & L. Valerius Cenſores omnem aquam publicam ſeu fontium & aquæductuum (de quorum magnificentia Caſſiodor.*lib.*7.*variar.*) ſeu fluminum publicorum, in privatum ædificium, aut agrum fluentem ademerunt; & quæ in loca publica inædificata, immolitáve eſſent, intra triginta dies demolita ſunt, additâ inſigni ſententiâ: Ut nihil mortales à 10
DIs immortalibus uſucapere, ſic nihil privatos earum rerum, quæ publici juris ſunt, ſibi ullo tempore aſſumere, aut vindicare poſſe. Fluminum enim, maximè navigabilium, 11
aqua publica uſusque publicus eſt, non ſingulorum: Unde haurire unicuique licet,non etiam aquam ducere & derivare; ne aut flumina exareſcant, aut deteriùs, aquâ depreſſione factâ, navigenter. Cumque de moderandis olim Tyberis exundationibus, ſub Tiberio conſultatum eſſet, placuit ſimiliter, *alveos fluminum publicorum mutari non debe-* 12
re (5)cum damno aliorum, Petr. Ærod. *libr.* 5. *rer. judicat. tit.* 26. *capit.* 1.*&* 2. Renat. Choppin. *lib.* 1. *de Domanio cap.*16.*num.*7. Heig.*part.*2.*quæſt.jur.q.*40.*num.*78.*& ſeq.* Et ut ad rem accedamus propiùs, & quid in Germania noſtra & vicinis locis receptum ſit, ſimul liqueat obſervandum, quod ſcribit Gryphiander *d.tract.de Inſulis c.*18.*num.* 92. quo loci hodie de conſuetudine alluvionis maritima incrementa ad Regalia tranſire, & proximo Territorio accreſcere teſtatur; addens, *Comitem Friſiæ* (6) Orientalis, contra quem conſuluit Gœddæ. conſil. de alluvione maris, habuiſſe intentionem fundatam; niſi Advocatus ipſius alluvionem marinam, quæ facti eſſet, negaſſet, atque ſic aliis diſputationibus ſe involviſſet. Acce- 13
dit Noë Meurer. *in tract. de jure aquarum,* vom Waſſer-Recht *parte* 1.*fol.*8.*num.*9 Inſulas in Rheno flumine natas, ex antiquiſſima conſuetudine Palatinatûs, Electoribus Palatinis vindicatas eſſe,neque conceſſas vicinorum prædiorum Dominis,& hoc ſibi ex antiquiſſimis documentis compertiſſimum eſſe Idque probat arreſtum à Nicolao Boërio *deciſ.*24.*num.*16.relatum, ſc.omnes Inſulas in Rhodano exiſtentes, fuiſſe Regi Galliæ Dn.Carolo in totum adjudicatas, & per ſacrum conſilium poſteà ſimiliter judicatum: 14
Licet hæc arreſta vix probant, inſulas pleno jure Regis factas, ſed quoad jurisdictionem ſaltē: veluti arreſta illa etiam accepta ab aliis, conſtat ex Hieron. Montano *tr. de fin. reg.*

*c.*24.

cap. 24. num. 4. Bapt. Aymo *lib. 2. de alluv.*
15 *cap 7. num. 2.* Atque hinc appellari flumi-
na Regalia cœperunt, quòd eorum curam
ſibi Reges & Principes peculiariter aſſum-
pſerunt, & à Privatorum uſibus quaſi ſeque-
ſtrarunt: idemque jus etiam à Civitatibus
Italiæ longo uſu acquiſitum eſſe, clareſcit ex
tit. de Pace Conſtant. ex cujus Principio In-
terpp. annotârunt, in aquis & fluminibus
hiſce temporibus cumprimis, id quod con-
ſuetudine invaluit, ſequendum eſſe.
16 Quid? quòd maris propinqui uſum u-
ſurpationemque non jam ampliùs commu-
nem ſed privatum factum eſſe, commonſtrant exempla de mari Hiſpanorum, Luſitanorum, Gallorum, Anglorum, aliorumque populorum; item Venetorum, Genuenſium, & Belgarum, qui jus navigandi in vicino mari ad ſe transtulerunt: Et Interpp. noſtri fatentur, tempore immemoriali uſum propinqui maris, atque etiam jurisdictionem & proprietatem quæri poſſe, poſt Bart. Jaſ. Felin. & alios Roderic. Suarez. *in Conſilio ſolivago de uſu maris, num. 13.* Hieron. Montan. *d. tract. c. 11. num. 52.* Stracha *tract. de Navigat. in princ. n. 6.* Cacheran. *deciſ. 155. num. 2. 3. & 4. ubi ait:* Principem imponere poſſe Gabellas in mari, & eas exigere à venientibus merces per mare, ſuæ terræ adjacens, intra centeſimum milliare, Bodin. *lib. 1. de Republ. c. 10. fol. 223.* Ego infrà *cap. 114. num. 4.* De quo tamen vide Suarez. *d. conſil. n. 7. 8. 9. & mult. ſeqq.* Peregrin. *de jure fiſci. lib. 1. c. 1. n. 17. Hug. Grotium* (7) *in tract. Mare liberum;* in quo ſcripto Maris libertatem omnimodo defendit. Quò pertinet illud *Poëtæ:* (8)

Quid prohibetis aquas? uſus communis aquarum eſt,
— — *Littusq; rogamus*
Innocuum,
— — *Hoſpitio prohibemur arenæ.*

Accedit, quòd quemadmodum jure
17 Romano poterat quis jus piſcandi in flumine publico ſolus ſibi acquirere, ſi pluribus annis uno loco piſcatus eſſet, *l. præſcript. 45. ff. de uſurpat. & uſucap.* Ita in aliis rebus, quarum Jure Gentium communio eſt, applicatio ad dominos particulares locorum facta eſt, ut hi ſoli commodis fluminum & ſylva-
rum gaudeant præcipuè; & veluti in priore 18
caſu pro ratione eſt præoccupatio loci; ita & in hoc poſteriori, & præſertim Subditorum patientia, longævo uſu roborata. Nam in actibus meræ facultatis & negativis, con-
ſtat, jus acquiri parti prohibenti, ſi altera pars
prohibitioni acquieverit, & non contradi- 19
xerit; *ex hac ratione defenduntur ab Interpp. jura Venationum,* (9) piſcationum, pro dominorum utilitate. Unde Albert. Brunus *conſil. 159. libr. 2.* punctualiter determinat, per negligentiam longiſſimi temporis, ha-
bentes prædia propè ripam fluminis Padi, a- 20
mittere jus acquirendi alluvionem, & glaream, & pertinere ad eum, qui eſt dominus Caſtri vicini, cui propter negligentiam vicinorum commoda fluviatica fuerint acquiſita: Et firmat idem pluribus Bapt. Aymus *dict. lib. 2. de alluvion. c. 31. in pr.*
Non tamen inficias imus, in ejusmodi 21
caſibus nonnunquam multa per impreſſionem Præfectorum & Officialium Fiſci deſignata eſſe, adeoque principium fortè fuiſſe violentum, ortum ex avaritia eorum, qui omnia ad compendium Fiſci derivare conantur, ut dixi ſuprà *lib. 2. cap. 1. n. 17.* Quibus tamen Harpyarum aulicarum, omnia eſſe Fiſci, clamitantium ſuſurris non facilè moveri debent Principes; nam *in l. 3. C. de quadr.*
præſcr. non dicitur ſimpliciter; Omnia eſſe 22
Principis, ſed eſſe intelligi, & quidem non cujusvis generis bona, ſed quæ ex ſubſtantia principali vel fiſcali ſunt alienata, id eſt, tam res privatæ ejus ſubſtantiæ, quàm res ipſius fiſci publici, & ærarii, Cujac. *ad tit. C. de offic. Com. rer. privat.* Connan. *lib. 3. Comment. cap. ult. num. 8.* Et benè Imp. Pertinax, *Authore Herodiano,* (10) *fol. 195.* Imperatoriis poſſeſſionibus nomen ſuum inſeri prohibuit, non eſſe illas, dictitans, imperantium proprias, ſed communes Romanas &
publicas. Pertinet huc arcana Phyſica, ut 23
qui Inſulam velit, flumen latiſſimè diffundi ac evagari ſinat: Qui non velit, fluminis alveum conſtringat & in arctum cogat. Item qui alluvionem velit, fluvium incurvet: Qui non velit, contrariam rationem ineat, de quibus arcanis Gryphiander *d. tract. de Inſulis.*

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT LXIII.

Num. 1.

(1) J*Us Alluvionis &c.*] Nomen ipſum Alluvionis tripliciter quidem in Jure noſtro accipitur, vel pro ipſo actu alluvionis, vel pro ejus incremento, vel pro Juris effectu, quatenus eſt modus acquirendi. Gryphiander *Tractat. de Inſul. cap. 8. num. 14.* ſed definitio Imperatoris *in §. præterea 20. I. de R. D.* ad mediam ſignificationem pertinet, quâ alluvio eſt incrementum ab aquâ terræ ita latenter adjectum, ut intelligi non poſſit, quantum quoque temporis momento adjiciatur. Hoc autem fit vel propè terram & fit incrementum alluvium, ſive ager alluvius, quem fluvius paulatim in agrum reddit, ut deſcribit Iſidorus *Orig. lib. 15. cap. 13. pag. m. 1203.* vel in aqua & fit Inſula. Illud propriè incrementum latens ſive unitum, hoc patens

patens vel ſeparatum dicitur, *l. 4. §. 4. & ibi Dd. ff. de Uſufr.* Gryphiander *d. cap. 18. n. 136. & cap. 26. num. 90.* Itaque quamvis hoc modo alluvio ab Inſula diſtinguatur, *l. 16. de Leg. 3.* ſicuti etiam JCti veteres utramque materiam ſeparatim tractant, *in §. 20. & 22. I. de R. D. l. 7. §. 1. & ſeq. l. 30. de A. R. D.* & Inſula etiam triplicis ſit generis, nempe Naturalis, Caſualis, & Manu-Facta, Gryphiander *d. tract. cap. 4. circa fin.* tamen alluvio in primâ acceptione quoad cauſam & operationem Phyſicam communis, non ſolùm incrementum alluvium, ſed etiam nomen generale eſt, & utrumque effectum comprehendit, Gryphiander *d. cap. 18. n. 132.* Procedit autem naturalis hæc alluvio dupliciter, aquæ ſcilicet vel invectu, vel receſſu, Plinius *Natur. Hiſtor. lib. 2. cap. 85.* quorum hæc eſt etiam exſiccatio Alvei, de qua Heringus *de Molend. cap. 56.* & Gryphiander *d. loc. cap. 6. n. 34.* illa propriè Alluvio, ita dicta, quaſi Adluvio, ſæpè laudatus Gryphiander *d. tr. cap. 18. n. 24. l. 16. §. 3. ff. famil. herciſc.* quia aqua alluendo limum paulatim adjicit, quoad accedente calore Solis tandem in terram coaleſcat.

Num. 3.

(2) *In recompenſationem multorum damnorum &c.]* Vel etiam, ut Perezius *in Codicem tit. de Alluv. n. 1. & 2.* arbitratur, quemadmodum Præſcriptiones introductæ ſunt contra deſides homines ſui Juris contemptores, ita etiam jura alluvionum recepta ſunt adversùs negligentes, qui ripam, quâ ſui agri terminantur, munire aut reficere contemnunt. Nam etſi (*dicente eodem*) mutare alveum fluminis, ejusque curſum aliò avertere nemo poſſit, tamen ripam ſuam munire adversùs rapidi amnis impetum nō ſolùm poteſt, ſed etiam debet, ne quid ei abſtrahatur jure alluvionis, *l. 1. C. de alluv.* dummodò tamen ripam muniat ſine incommodo navigationis & accolarum, *l. 1. §. 6. & 7. ff. ne quid in flum. publ. l. 1. ff. de ripa munienda.* Confer dicta ex Aymo *infrà n. 20. in fine.*

Num. 4.

(3) *Gryphiander Tract. de Inſulis cap. 18. &c.]* *Ubi n. 77.* probat, Mare quoque alluvionem producere, dummodo illud ſit vadoſum & quietum terræ contiguum. Cùm omninò neceſſe ſit, ut prædia, vel agri in aquam deſinant, quæ alluvionem recipere debent.

Num. 9.

(4) *M. Porcius Cato &c.]* Plutarchus *in vita ejus Tom. 1. Operum p. 347.*

Num. 11.

(5) *Alveos publicorum fluminum mutari non debere &c.]* Locus Taciti, qui eſt *1. Annal. 79. n. 1.* ex quo Heigius hoc dictum probare intendit, tantummodò dicit: *Actum deinde in Senatu ab Aruntio & Atejo, an ob moderandas Tiberis exundationes verterentur flumina & lacus, per quos augeſcit,* de cætero ſilet. At Dio *lib. 57. p. m. 611.* refert mandatum tunc, ut quovis tempore quinq; Senatores, quos ſors ei officio deſtinaſſet, curarent, ne vel æſtate deficeret, vel hyeme abundaret Tiberis, ſed quàm maximè æqualis ſemper flueret.

Num. 12.

(6) *Comitem Friſiæ &c.]* In Friſia incrementa alluvia ad Regalia pertinere, docet Gryphiander *Tr. de Inſul. cap. 11. n. 68.* De aliis locorum conſuetudinibus & rationibus vide Carpzov. *J. P. F. parte 3. Conſt. 31. def. 12.*

Num. 16.

(7) *Hugonem Grotium &c.]* Cæterosque, qui de Imperio Maris ſcripſerunt, in unum à Dn. Hagemejero ante annos aliquot collectos.

(8) *Poëta &c.]* Ovidii *lib. 6. Metam.* & Virgilii, quando poſterior ſic canit *1. Æneid.*

Quod genus hoc hominum? quæve hunc tam barbara morem
Permittit Patria? hoſpitio prohibemur arenæ.

Et alibi *lib. 7. Æneid.*

--- --- --- *Littusq; rogamus*
Innocuum, & cunctis undamque auramque patentem.

Num. 19.

(9) *Ex hac ratione defenduntur ab Interpp. jura Venditionum &c.]* Junge dicta ſuperiùs *lib. 2. c. 5. n. 18. ſeqq.*

Num. 22.

(10) *Authore Herodiano &c.] Lib. 2. cap. 15.*

CAPUT LXIV.

Auctione Ordinariorum Vectigalium augere Ærarium.

SUMMARIA.

1. *Uſitata* vectigalia augenda *ſæpè pro rerum ſtatu.*
2. *Hæc* auctio *tributorum & vectigalium præbet offenſionum multarum materiam: Ideò Cautiones adhibendæ,* n. 3.
4. *Cave, ut cum lacrumis Subditorum aurum emungas.*
5. *Huc pertinet* paſtura ovium cum tonſurâ moderatâ.
6. *Principes ſunt* Paſtores *populorum.*
7. Exemplum Drusi *imperantis modicum tributum cum pronâ Subditorum obedientiâ.*

Regis in arbitrio poſitum eſt, poſcente ſalute,
Terræ vectigal conduplicare ſuum.
Si tamen, ut prodeſt venarum ſectio proſit
Hoc etiam, fiat; ſin ſecus, eſto procul.

VEctigalia, neceſſitate ſic poſtulante, quandoque augentur. Quemadmodum apud Romanos, octava tandem pars exigebatur, *l. 7. C. de vectig.* cùm olim quinquageſima, aut etiam centeſima tantùm præſtari ſolebat, Cujac. *6. obſervat. 28. In confœderatis Belgii Provinciis* (1) aucta in immenſum vectigalia, adeoque, ut nihil omninò intactum remanſerit, nihil inauſum & inauctum, jam milleſima, inde quingenteſima bonorum pars omnium exacta: acceſſit exinde ducenteſima. Nec hîc finis, acceſſura centeſima. Neque hîc ratio habetur eorum, quæ annuè pendunt bona: ſed rerum in ſe pretia penſantur, domus, quam inhabitant, ſupellectilis, agrorumque tanquam venditioni ſubjectorum. Unde fit, ut non raro, qui annuos è bonis florenos recipit mille quingentos, numerare florenos cogatur quingentos. Addunt, in non

non una Provincia, ſuper mediam partem proventuum annuè numerari. Quis hîc non miretur promptiſſimos civium animos? Carol. Scriban *lib. 2. Inſtit. Polit. Chriſt. c. 41. pag. mihi 281.* Anno MDXCIX. Hollandi vectigalia, portoriaque omnia octavâ ſui parte adauxere. Everh. Reidan. *annal. l. 13. pag. 334.* Et Anno MDXCVII. molitis cibariis, ſali, ac cerviſiæ, à propolis, cauponibusque emendæ, cenſum duplicavere. Reida. *lib. 14. fol. 366.*

2 *Auctione enim veterum Vectigalium & Tributorum*, (2) aliorumque ordinariorum redituum creſcunt Ærarii vires. Satius namque eſt, in id ſummo ſtudio eniti, ut ærarium bonis artibus partum cõſervetur, potiùs, quàm novis tributis augeatur, Hippol. à Coll. lib. *de increm. urbium cap. 20. fol. 36.* Et variis potiùs rebus vectigalia indici debere, quàm ad tributa procedatur, cenſet Arniſæus *libr. 2. polit. cap. 5. fol. 560. & ſeq.*

Verùm quoniam circa auctionem veterum tributorum multa eſt offenſionum materia, *cautiones aliquot* (3) Reip. Moderatori ſunt adhibendæ. Atque inprimis, ut ne grandia nimis ſint vectigalia, ſed modica, pro copia ſcil. & anguſtia rerum; quæ ſubdi-
3 torum opes deguſtent, non abſorbeant; ut in quo debilitare eos videntur, in eo confortent: Venæ in corpore ſectæ inſtar, quæ ſi paucum emittat ſanguinem, corpus ad vegetiorem valetudinem reducit; ſi multum
4 autem, ita debilitat, ut & enecet. Aurum cum lacrumis & querelis ſubditorum collectum, adulterinum & venenoſum eſt, auth. Philoſtrato *in Tyran. lib. 5. c. 13.* Hinc Theodoric. Rex admonuit Marcellum, ne plus tribueret fiſco, quàm juſtitiæ, Caſſiodor. *lib. 1. Epiſt. 22.* Et Tiberio quoque Cæſari laudi datur, quod Æmilio Recto, nimium ab Ægyptiis exigenti, iratus reſcripſit, *ſe tonderi velle ſuas oves*, (4) & non deglubi, hoc eſt, lanam, non pellem detrahi. O vox verè Principe digna, & id omninò exprimens, quod Deus ipſe Principem à populo capere juſſit, excedentem, principatu abjiciendo. Væ paſtoribus Iſrael, *ait*, qui paſcebant ſemetipſos: nonne greges à paſtoribus paſcuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod craſſum erat occidebatis: gregem autem meum non paſcebatis ſed cum auſteritate imperabatis eis, & cum ſævitia. Ecce ego ipſe potentia ſuper paſtores requiram gregem meum de manu eorum, & ceſſare faciam eos, ut ultra non paſcant gregem, nec paſcant ampliùs paſtores ſemetipſos, *Ezech. cap. 34. verſ. 2. & ſeqq.* 5

Hinc Principes paſtores populorum appellantur à Principe Poëtarum Homero; Et ſapienter, Xenophonte teſte, Cyrus 6
Rex dicebat, opera Regum & Paſtorum maximam habere adfinitatem. Sicut enim ad Paſtorem pertinet curare, ut pecora habeat læta & ſucculenta: Ita par eſt, Regem Cives & Subditos facere felices & opulentos, non quotidianis Exactionibus infortunatos & inopes reddere; præſertim ſi loci ingenio tenues ſint. *Ita quondam Druſus Friſiis* (5) (quorum ſolum tunc ſterile erat) modicum tributum imperavit, pro anguſtia ſcilicet rerum, videlicet in uſus militares coria boum: Verùm Romanis poſtea grandiora tributa jubentibus, rebellarunt; Adeò, ut eorum 7
jugum excuſſerint, non ſine grandi Romanorum clade. Hinc Cypſelus Corinthius, cùm votum feciſſet Jovi, ſi Civitate illâ potitus fuiſſet, Corinthiorum ſe dedicaturum facultates univerſas: juſſit cenſum deſcribi, illis autem profeſſis, decimam bonorum partem abſtulit à ſingulis, de reliquis juſſit eos negotiari & rem facere; Anno vertente fecit idem. Evenit itaque, ut annis decem, & ipſe haberet omnia bona Corinthiorum, eaque conſecraret, & Corinthii inter ea quærerent, pararentque omnia, Ariſtotel. 2. *Oeconom.*

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT LXIV.

Pr.

(1) IN *Confœderatis Belgii Provinciis &c.* [De Tributis & vectigalibus Belgii Fœderati actum jam ſpeciatim fuit *lib. 1. cap. 14.* ubi videas.

Num. 1.

(2) *Auctione autem veterum vectigalium & Tributorum &c.* Si in omne re certè in Tributis animadvertendum illud Comici NE QUID NIMIS; utque auctionem vectigalium & tributorum non ſuadeat cupiditas ærarium ditandi, aut hiantes corvos explendi, aut luxuriâ data abſumendi, ſed ad eam Principem & Magiſtratus nullis legibus circum ſcripta Neceſſitas adigat importuna: meritò enim Hortulanus odio proſequendus cenſetur, qui ſic olera exſcindit, ut renaſci nequeant: quod innui ad Politicum Sceleratum *cap. 45. pag. 516. ſeqq.* Confer annotata *ibid. ad cap. alleg. pag. 506. ſeqq.*

Num. 2.

(3) *Cautiones aliquot &c.*] Quales Politicus planè ad exemplum factus Forſtnerus *ad 4. Annalium Taciti cap. 72. n. 1. pag. 451.* quoque ſuppeditat, quas hîc inſerere longum nimis foret.

Num. 4.

(4) *Se tondere velle ſuas oves &c.*] Dictum, cujus toties quoties author noſter mentionem injicit, ſic expreſſit Fridericus Hoffmannus *Epigramm. cent. 4. Epigr. 58.*

Ton-

Tondendo *lanam, ſed non* tundendo *cruentas Pelliculas, debet demere paſtor ovi.*

Num. 6.

(5) *Ita quondam Druſus Friſiis &c.]* Eodem anno Friſii transrhenanus populus, inquit Tacitus *jam indicato loco 4. Annal. 72. num. 1. & 2.* pacem exuêre, noſtrâ magis avaritiâ, quàm obſequii impatientes. Tributum iis Druſus juſſerat modicum, pro anguſtia rerum, ut in uſus militares, *coria boum* penderent: non intenta cujusquam cura, quæ firmitudo, quæ menſura; donec Otenius è primipilaribus, regendis Friſiis impoſitus, *terga urorum* delegit, quoniam ad formam acciperentur.

CAPUT LXV.

Auctio Ordinariorum redituum magis publica quàm privatorum bona afficere debet.

SUMMARIA.

1. Auctio ordinariorum redituum *magis bona publica, quàm privata afficiat.*
2. Bonis publicis *utitur Magiſtratus, ut propriis, majusq; in iis jus uſurpare poteſt.*
3. Laudimia *ex agris publicis pro renovatione rei feudalis aut Emphyteuticæ interdum augentur, minuunturq;: &* n.4.

Auctio redituum ſolitorum publica ſemper
Afficiat bona plus, quàm bona priva, decet.

1 SEcunda Cautio eſt, ut auctio Ordinariorum redituum magis publica, quàm privatorum bona afficiat. Cùm enim bonorum publicorum adminiſtratio ad quemlibet Magiſtratum, tanquam ad Reipublicæ moderatorem ac diſpenſatorem ſpectet, multò tutiùs publicis bonis imponere onera poteſt, quàm rebus privatorum; Quia in his, quæ publici juris vel
2 quæ Reipublicæ ſunt, ſuo quodammodo jure Magiſtratus uti videtur, non ſecus ac privatus ſuis bonis: maximè quando publicis bonis, pro communi Reipublicæ cauſa utitur, ait Gregor. Tholoſan. *libro 3. de Republ. cap. 4. & 9.* Ex quo Cicero in Oratione contra Rullum *Agrum publicum fundum pulcherrimum* (1) populi Romani & fundamentum Vectigalium appellat. Et ideò non videtur iniquum, ſi Magiſtratus publica bona, etiam cum tali onere, ſubdito utenda fruenda concedat, ut ſi absque liberis moriatur, ejus hæredes pro anno, quo ex hac vita diſcedit, duplicem cenſum & reditum ſolvant. Sicut in Gallia in quibusdam locis receptum, & in Germania paſſim, tàm in publicis quàm privatis bonis, eſt in uſu. Buchananus etiam *in Hiſtor. rer. Scoticar.* refert modum congregandæ pecuniæ, ut ſi poſſeſſor ſine conſenſu ſuperioris Domini ſupra dimidium agri vendat, totus ager ad Dominum ſupremum redeat, *libr. 13. fol 9* Qui modus licet improbetur à Buchanano, probatur tamen à Dn. Waremundo ab Ehrenberg *tract. de Onerib. ſubdit. cap. 5. numer. 57. pagin. 87.*

Huc referri poſſunt *Relevia ſeu Laudimia* (2) ex agris publicis, & quæ dominis 3
præſtantur pro renovatione rei feudalis aut emphyteuticæ, utilisque dominii confirmatione; quorum quantitas ex jure communi quidem eſt quinquageſima pretii vel æſtimationis rei Emphyteuticæ alienatæ, Johan. Bapt. Coſta *de Rat. Ratæ capit. 112. num. 21.* latiſſimè Camill. Borell. *libr. 4. de Magiſtrat. Edict. cap. 2. num. 23. & quamplurimis ſeqq.* ubi enumerat caſus, quando laudimia debeantur.

De conſuetudine verò interdum plus, 4
interdum minus penditur, Steph. Gratian. *diſcept. foren. cap. 180. num. 2. vol. 1.* Moribus Saxoniæ, Thuringiæ & Franconiæ plerunque vigeſima pars ſeu quinque de Centum ſolvi ſolent, Matth. Wehner. *obſervat. pract. verb.* Handlohn/Lehenwahr *in princ.* Matth. Coler. *deciſ. 33. num. 3.*

ANNOTATIONES

Ad

CAPUT LXV.

Num. 2.

(1) A*Grum publicum fundum pulcherrimum &c.]* Multum quoque tributorum invidiam minuet, ſi Princeps fundos Patrimoniales ſuos, & quicquid in domeſtica ejus hæreditate eſt, coli jubeat, & inde redactas opes publicis vectigalibus jungat. Quam curam hodiè hæc facilior popularis pecuniæ ratio atque fiducia penè evertit. Negligi enim patrimonia illa Regum tanquam anguſta, aut laborioſa, aut denique ad privatorum ſortem accedentia incipiunt; mox in gratioſos homines dividi, pignori dari, veraque aut ſimulatâ emptione excidere. Ita innocentiſſimum vivendi genus omittunt de ſuo vectigali, illudque tributorum inſtituunt prædæ proximum, inquit Forſtnerus *ad 4. Annal. Tacit. 12. pag. 453. VI.*

Num. 3.

(2) *Relevia ſeu Laudemia &c.]* Repetenda hîc ſolùm veniunt, quæ latiùs aliquantò jam *hoc libro cap. 42.* explicata fuêre. Cætera per ſe patent.

CAPUT LXVI.

Quarum rerum Vectigal augeri debeat.

SUMMARIA.

1. Ne facile augeantur vectigalia earum rerum, quæ vitæ commodiùs honeſtiusq; degendæ adportantur: neq; earum rerum, quibus carere pauperes nequeunt, n.2. & 3.

4. Conſuetudo contraria cenſetur irrationabilis.

5. Augeantur vectigalia rerum, quæ non neceſſitati, ſed voluptati ſerviunt & ſuperfluunt.

6. Incommoda auctorum vectigalium ſentiant præ reliquis ii, quorum fortunæ id ferre poſſunt.

7. Pœna eſt hæc quædam tacita, quâ ditiores ad frugalitatem inducuntur, & n.9.

8. Rebus inanioribus vectigal imponendum, hoc & n.11.

10. Quod genus vectigalium DEO gratiſſimum, Principibus honeſtiſſimum, Plebi utiliſſimum.

12. Neceſſaria modico vectigali impoſito vendantur, curioſa grandiore: ſic vitiorum Occaſiones abſcinduntur, n.13.

14. Quod nolis inductum, aut evectum, illi tributum vectigalque grandius imponas.

15. Sericis auroq; & argento prætextis veſtibus, amylo, vinoque adusto, imponendum vectigal, isq; abuſus mulctis ſeverioribus coërcendus.

16. Vectigal ſtatuendum in ebrios & ebrioſos; Vendentesq; iis potabilia, n.17.

18. Decem pocula ebrioſorum deſcripta.

19. Ornatus ſolis meretricibus conceſſus à gentilibus.

20. Lex de non prabibendo immoderatè; videtur enervis & non recepta.

21. Invectiva in modum nunc uſitatiorem, quo gravantur maximè ea, quæ miſeris ſunt maximè neceſſaria: non attentis iis, quæ ſunt miſerrimæ ſuperfluitates.

Augeri quarum fas vectigalia rerum,
Eſt operæ pretium diſcere, diſce libens.

1 TErtiò nequaquam augeri debent vectigalia earum rerum, quæ ad vitam commodiùs honeſtiusque degendam aſportantur, veluti frumenti, panis, cerviſiæ, lignorum, carbonum, agrorum, hortorum, equorum, vaccarum, ovium, ac cæterorum; item rerum, quibus pauperes neceſſariò vitam ſuſtinent, & quibus carere nequeunt. Alioquin ditiores & in authoritate aliqua
2 conſtituti ferendis oneribus & ſuſtinendæ contributioni ſeſe artificioſè ſubducent; Ita ut in ſubditos, Urbes, & Pagos gravamina deriventur, Boter. lib.7. de illuſt. Statu & Politia c.4. fol.423. Heresbach. de adminiſt. Reg. Chriſt. c.5. pag. mihi 105. Lorich. de Inſt.
3 Princip. fol. 216. Idque juri & æquitati omninò convenit, cùm iniquum ſemper judicatum ſit; ut pro iis rebus, quibus quis ad proprium & familiæ ſuæ uſum carere non poteſt, vectigalis onus ſuſtineatur, l. unive. l. ſi publicanus §. pro rebus ff. de public. & l. in lege Cenſoria ff. de V. S. Roland. à Valle conſil.34. num.15. volum.3. & conſil.71. num.15. & ſeqq. vol.4. Surd. conſil.41. num.3. & conſ. 307. num.1. Idem tract. de aliment. tit.8. privil 91. num. 3. Burſat. conſil.42. num. 4. Nicol. Everhar. Jun. conſil. 1. num. 24. vol.2. Bellon. conſil.28. num.9. Hotoman. conſil. 11. num.7. & 8. Claud. Bertazzol. ad Patris Barthol. Bertazzol. conſil. crim. 36. lit. A. Et ipſe Barthol. Bertazzol. conſil. crim. 207. num.4. Paul. Fuſeus ſingul. in utroque jur. lit. G. num.2. adeò 4
ut ne quidem valeat conſuetudo in contrarium, tanquam irrationabilis, Surd. d. conſil. 307. n.2. Franc. Becc. conſil.96. num.9. Gallia conſil.94. num.6. Anton. Sola in Conſtit. Sabaud. in proœm. decret. gl.5. & ult. num.13. Saiſon. in Conſuet. Turon. tit.7. art.2. in princ. Borell. de Magiſtr. Edict. lib.3. cap.14. num.22. Marchiſell. recollect. qu.7. num.2. Trentacinq. lib.7. 1. reſolut. tit. de jure fiſci reſolut. 5. num. 25. Sixtin. de regalib. lib. 2. c.6. num.128. poſt alios ibidem congeſtos. Paul. Chriſtinæus Comment. in Leg. municip. Mechlin. in præludio num.2.

In cæteris verò rebus, quæ minùs nocere poſſunt pauperibus, id eſt, non ex iis, quæ 5
ad victum quotidianum & facilem pertinent, ſed quæ ſerviunt voluptati, deliciis, ſplendori, & magnificentiæ, ut ſunt horti, porticus, xyſti, pocula aurea & argentea, byſſus, ſerica, holoſerica, purpura, aromata, unguenta, pigmenta, odores & delibutiones, tabaca, vel Nicotianus fumus (penè dixeram fimus) gemmæ, veſtes ſplendidæ, pretioſiſſimi panni, acquiſitio Nobilitatis & ejusmodi, quæ titulo lucrativo acquiruntur, auctio vectigalis licentiùs permiſſa eſt. Nam hîc incommodum ſenti- 6
ent ii tantùm, quorũ fortunæ ferre poſſunt, nec ob hanc jacturam ad inopiam redigentur: ſed fortaſſe reddentur frugaliores, ut pecuniæ jactura morum bono ſarciatur. Natura hoc docuit, quæ ut rerum omnium uſum temperanter agnitum, communem o- 7
mnibus indiſcretè fecit, ita & iis, qui intemperantiùs abutuntur, tributa impendenda pœnæ nomine tacitè ſtatuit. Sic in vini exceſſu podagram, lippitudinem, inſaniam; in rerum aliarum exuberantia, infirmitates alias poſuit; nec id aliam ob cauſam, quàm ut temperanter iis uti aſſueſcerent ſubditi, qui tum ſua profundunt aliena appetentes, tum malos ſui exemplo provocant ad

ad ſimile, tum bonos corrumpunt. Sic jure civili aromatibus, pellibus, capillis Indicis, fucis, ſeris, Eunuchus, & id genus aliis inanibus vectigal impoſitum fuiſſe legimus, *in leg. interdum fin. 16. §. ſpecies 7. ff. de publican. & vectigal.* propterea, quòd ſæpe hac calliditate fumi venditores optimos numos aucupentur, & fraudulenter efferant, civesque pecuniâ emungant & defraudent, ſquamis quisquiliisque mercium relictis.

9 Quid mirum? cùm & in Sacris mercaturas taxari notatum ſit piis, quæ voluptuariorum libidini tantùm ſatisfaciant. Et in ejusmodi rebus vectigalia quaſi in pœnam prægravantur. Quod enim deliciarum proprium eſt, corrumpere Rempub. quòd corruptoribus graves ſunt indictæ pœnæ, quòd mulctas pœnarum pecuniâ redimi æquum viſum fuit, ſatis pœnæ luiſſe eos viſum eſt, qui ut luxui ſuo inſervirent, luxûs partem contribuere juſſi ſunt, M. Anton. Petil. *lib. 4. Exarchiæ cap. 24 pag. 209.*

10 Quocirca Bodinus *lib. 6. de Republ. cap. 2* præclariſſimum & omnibus maximè apud Chriſtianos obſervatu digniſſimum vectigalis genus tantopere commendat his verbis: Quod ſi quis eſt, *ait*, qui de me ſcire velit, quodnam genus vectigalium immortali Deo gratiſſimum, Civitatibus pulcherrimum, Principibus honeſtiſſimum, & plebi utiliſſimum videatur, illud eſt, quod iis rebus imponitur, quæ ad corrumpendos civium mores, quæ ad delicias, quæ ad luxum, quæ ad libidinem, quæ ad pompam ſpectant: Aurea, inquam, & argentea ſupel-
11 lex, odores, pigmenta, innumerabilia veſtium ornamenta, colores pretioſiſſimi, gemmæ, margaritæ, cupediæ, cæteraque ejusdem generis, quæ prohibenda non ſunt, nec ſi velis, poſſis: Ut Platoni viſum eſt *cap. 505. legum ſuarum*: Cùm ea inſita ſit hominibus vis ac natura, ut nihil avidius expetant, quàm quæ ſanctiſſimè vetantur. Quamobrem Principes, qui Aquiloniis regionibus imperant, nullum vectigal majus habent, quàm ex vino, quo Subditi, ut carere poſſint, nolint tamen, ſed aſſiduis locis omnibus ſe ingurgitabunt ſemper. *Hactenus Bodinus.* Quod & pulchrè expendit Joan. Mariana *libr. 3. de*
12 *Inſtit. Reg. cap. 7. pag. 262.* Ad ſublevandam, *inquit*, inopiam Provincialium alia excogitari ratio poteſt. Merces, quibus ad vitam ſuſtentandam populus opus habet, modico vectigali impoſito vendantur: quod ex iis rebus detractum fuerit, ex curioſis mercibus ſuppleatur; ſine quibus humana vita traducitur, & quæ potiùs ad emolienda corpora, debilitandosque animos magnam vim habent. Sic enim & opibus conſuletur, quorum numerus eſt magnus, & luxuj hominum potentium modus erit; quod ſi noluerint ſanari, ex eorum amentia fructum aliquem ad Rempubl. redire erit æquum &c. Althuſ. *Polit. cap. 11. num. 30.* Et generaliter ea 13
Tributorum & vectigalium genera juſtiſſima, utiliſſima, & ſanctiſſima videri debent, ex quibus ſcelera, & vitiorum occaſiones inhibentur: puta ſi ſericis veſtibus, ſuperfluo cibo, potui, aliisque non neceſſariis rebus, Reſpublica quærat compendium. Generale namque eſt præceptum; quas 14
res in Rempubl. inductas, aut evectas nolimus, in iis vectigal eſſe augendum, in cæteris minuendum, Arniſæ. *dict. lib. 2. Polit. capit. 5. fol. 561.*

Ita Hollandi Anno MDXCVI. novum excogitavêre tributum, cujus emolumenta quotannis ducenta florenorum millia æquarent, in omnes, qui ſericâ veſte, vel argento auroque prætextâ uterentur, præter 15
ea, quæ in talibus pendebant venditores. Everhard. Reidan *annal. lib. 13. fol. 334.* Et in Belgio receptum eſſe, Bornit. aſſerit *lib. 4. de Ærar. c. 2.* daß niemand Güldin Stück/Poſament / Perlen und dergleichen trage / wo er nicht Acciß darvon gegeben. *Wormeræ*, (1) qui Hollandiæ pagus eſt, mulieres amylo parando quæſtum facientes, quothebdomadis tricenas tritici vehes conſumebant. Amſtelodami unus eandem exercens artem pari ſpatio, ternas vehas. Etiam ante paucos annos non niſi furfures, panem pinſentibus inutiles, eam ad rem uſurpabantur. Poſtquam verò multam in longitudinem promittere collaria, & ſinuare, poſtquam plagulis revincire caput, & reticula aciculis nectere luxus docuit, amylo parando filos ipſe tritici tam profuſè impendebatur, ut ſuſtentandis magnis urbibus ſufficeret. Hollandiæ Proceres, cùm nullum malo remedium viderent, novum tributum (quo ſaltem Reip. ex hac luxuria fructus aliquis eſſet) amylo impoſuêre: videlicet ſeſtertium in ſingulas libras, quod quamvis partem ferè quintam totius pretii æquaret, leve tamen erat, quando ſolis opulentioribus id oneris incumberet. Sub Carolo quoque VII. Francorum Rege inſtitutum, ut vino minutatim vendendo gravior pretii pars fiſco inferretur, quæ antè fuerant leviſſima. Æmilius *de Reb. Francor. lib. 10.* Optandum quoque eſſet, ut vini aduſti abuſus in Republic. noſtra mulctis fiſcalibus ſeveriùs coërceretur, eique tributa intenderentur. Quippe quod multa millia modiorum ſiliginis & tritici, quæ ad uſum panis & cerviſiæ prodeſſent, inſumuntur ac prodiguntur in hunc abuſum, quo & multi inebriati repentinâ morte & ſomno ſepulti interierunt. Sed malitia tanta eſt, ut nec periculum mortis vel inferni quem terreat, & compendium publicum, quod Magiſtra-

tus inde capit, pro licentia conceſſa, nec non privatus quæſtus, omnem politiam confundit. Sic & Warem. ab Erenberg.
16 *d. tract. c.4. num.43.* cenſet, Principem optimo jure vectigal ſtatuere poſſe in ebrios, ac ebrioſos, iiſque vinum vel cerviſiam
17 vendentes. Nec injuriâ, cùm lubricus gradus ſit à vite ad litem, à verbis ad verbera. Id quod teſtatur experientia, & pro-
18 bant pocula: Quorum quatuor ebrio porriguntur,(1) ad ſitim,(2) ad lætitiam,(3) ad voluptatem, (4) ad ebrietatem. Ebrioſo ulteriùs (5) ad iram,(6) ad litigium,(7) ad furorem,(8) ad ſomnum, (9) ad morbum, (10)ad perpetuam inſaniam; Warem. *libr. 1. de fœderib. c.2. num.111.* Ventura de Valentiis *lib. 1. Parthen. Litig. c.11. n. 33. & ſeqq.* Cæſar *lib.2. & 4.* de Germanis obſervatu dignum recitat, quòd nihil paterentur vini, reliquarumque rerum ad luxuriem pertinẽtium inferri, quòd his rebus langueſcere animos & eorum remitti virtutem exiſtimarent: Quod hodie quoque in China & Catugio uſitatum fertur. O ſi hoc in uſum revocaretur, & poſtliminio reduceretur ad Germanos! Ita idem Julius Cæſar conchiliatæ veſtis, ac margaritarum uſum, niſi certis perſonis, ætatibusque, idque per certos dies ademit; *Scriptore Suetonio.*(2) Carolus V. idem fecit, Schönborn. *lib.3. Polit. c.7.* Uti
19 & *modernus Elector Saxoniæ.*(3) Lacedæmonii ſolis meretricibus conceſſerunt ornatum, Ælian. *lib. 10. c. 2.* Clem. Alexandrin. *lib. 2. pæd. c.10.* Camerar. *cent.2. Medit. Hiſt. c. 39.* Muhammedes *in Alcorano* (4) uſum vini
prohibuit. Conſtitutionibus Imperii etiam 20
immoderata adhibendi conſuetudo reprobatur (5) *in Comit. Aug. An. MD. MDXXX. MDXLVIII. ſub lit. de compot.* võ Zutrincken. Sed veluti lex nova uſu nõ recepta viribus caret, & deſuetudine tollitur, *l. de quibus ff. de ll.* Ita quoque leges Imperii contrario uſu quaſi abrogatæ ſunt, idque peſſimo exemplo & quadam turpitudinis infamiâ, ut inquit Gail. *2. obſerv. 110. num. 25.*

Atqui hæc, quæ ſuprà diximus, nunc 21
parum attenduntur; cùm barbaras ac peregrinas merces, quæ non tàm ad vitæ faciunt neceſſitatem, quàm ad luxum & delicias, & quarum uſus divitum eſt peculiaris, quàm minimùm gravari; Contrà verò rerum uſum infimæ quoque plebi communium, veluti frumenti, panis, cerviſiæ & cæterarum, ſine quibus humana vita tranſigi non poteſt, potiſſimùm onerari videamus; Idque non uno modo: Primùm graviſſimis Exactionibus, quas redemptores extorquent, Vulg. *aſſiſias* vocat: Deinde portoriis, quæ & ipſa ſuos habent redemptores: Poſtremò Monopoliis, ex quibus ut paululum compendii redeat ad Principem, quando diſpendio mulctantur tenues? Eraſm. *de Inſtit. Princ. Chriſt. pag. 109.* quos ad famem & laqueum adigere, inhumaniúsne, an periculoſiùs, neſcio. Optandum foret, ut bona eorum, qui Monopolia hisque ſimilia pacta inierint, ab Meri Imperii Dominis juxta Reformationem Polit. de Anno MDXLVIII. cap. XVIII. addicerentur!

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT LXVI.

Num. 16.

(1) W*Ormera &c.]* Circa frumentum, inquit Schoockius *Belgii Confœder. lib.7. cap.9.* aut veriùs furfures tritici, occupantur illi, qui amylon conficiunt, quo mulierum pepla inalbata firmari ſolent. Hujus opificii exercitores plurimi in Wormer, celebri Noort-Hollandiæ pago notari ſolent, qui etiam, quò majorem quæſtum faciant, farinam tritici in hunc uſum convertere ſolent. Cùm igitur farina ad amylum conficiendum adhiberetur, ex quo aliàs panis conficiendus & pauperes quoque alimenta petere poterant, inter alios Conſcientiæ, ut vocant, Caſus relatus fuit & hic, *an quis ex numero Chriſtianorum ſalvâ conſcientiâ & colaria & ejusmodi linteamẽta amylo firmata habere, & iis indutus eſſe queat?* de quo D. Andreas Keslerus *in Theologia Caſuum Conſcientiæ cap.6.* videatur.

Num. 18.

(2) *Scriptore Suetonio &c.]* In vita Julii *c.43.*

Num. 19.

(3) *Modernus Elector Saxoniæ &c.]* Videlicet Johannes Georgius Dux & Elector Saxoniæ, qui Anno MDCLVI. die VIII. Octobris anno ætatis LXXI. obiit, ſuccedente filio natu maximo, moderno Duce & Electore Johanne Georgio II. qui uti Parens illius beatæ memoriæ Anno MDCXII. Ordinationes Politicas, in quibus Margaritarum, pannorum auro argentóve intertextorum uſus etiam Viris Nobilibus planè, fœminis verò nimius interdictus, (*vide Corpus Novum Saxonicum fol. 286.*) publicavit; ita & ille ipſe legibus ſumptuariis luxui ſuorum ſeſe oppoſuit, (*Confer ejusdem* Erledigung der übergebenen Gebrechen *fol. 129.*) Tit. XXII. ubi, quod tamen mirandum, §.21. pag. 144. mit den Handelsleuten / Krämern / und vermögenden Burgern / quoad veſtitum, miniſtri aulici minorum gentium, imò & Trabanten & Laqueyen pari paſſu ambulant omnes, & eodẽ Jure ac illi cum liberis & uxoribus ſuis fruuntur.

(4) *In AlCorano &c.]* *Lib. 1. c.5.* Item *l.1. c.13.*

Num. 20.

(5) *Immoderata adhibendi Conſuetudo improbatur &c.]* Confer infrà *cap. 101. num.26. ſeq.*

CAPUT

CAPUT LXVII.

Continuatio Præcedentis Capitis.

SUMMARIA.

1. *Auctio redituum derivetur potiùs in forenſes & extraneos: parcatur domeſticis ſubditis, exemplo Anglorum & Turcarum.*

2. *Invectiones earum rerum, quibus Subditi carere nequeunt, levari, & exactiones earum, quibus exteri carere non poſſunt, onerari debent.*

Plus in forenſium gravamen auctio
Hæc cenſuum redundet, atque ſubditæ
Plebis; querela ne inſonetur publica.

1 QUARTA CAUTIO in eo conſiſtit, ut auctio conſuetorum redituum potiùs in extraneorum & forenſium quàm Subditorum gravamen redundet: Ne ſubditi putent ſe à Magiſtratu ſuo negligi, & inde injuriarum occaſio oriatur; unde jura naſci debent. Hinc Turcarum Imperator à peregrinis portu ſolventibus rerum exportandarum decimas, & à Subditis vigeſimas capit. Hinc etiam de mercibus Alexandrinis peregrini decem, Subditi verò quinque pendunt: Et *in Anglia quadruplo* (1) ampliùs quàm ſubditi ſolvere dicuntur.

QUINTA CAUTELA eſt, *ut augeantur portoria rerum earum, quæ evehuntur,* 2 (2) & quibus exteri carere non poſſunt. Leventur verò & minuantur vectigalia rerum invectarum, quibus cives & ſubditi commodè carere nequeunt, ut peregrini mercatores ad eas res majore copiâ advehendas alliciantur. Sicuti Bodinus *d. c. 2.* conſulit: ubi tamen arbitratur, augendum quoque eſſe vectigal fabrilium, lanificiorum, ſericeorum ac omnium opificiorum, quæ aliunde advehuntur; ut cives ipſi eadem facere cōdiſcant. Mercium quoq; evectiones civibus haud adimere ſed præ exteris permittere debemus, ut ipſi, non alii, ex tali negotiatione ditentur, Bodin. *d. cap. 2.*

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT LXVII.

Num. 1.

(1) I*N Anglia quadruplo &c.*] Ut ampliter demonſtratum ſuprà *lib. 1. cap. 8. n. 15. 16.*

Num. 2.

(2) *Augeantur portoria rerum earum, quæ evehuntur &c.*] Si ſcilicet res tales ſunt, ut ipſe indicat Klockius noſter, quibus exteri (*addo omninò*) carere non poſſunt. Nam aliàs quin potiùs ad commodum civitatis & ad alliciendos mercatores exteros, ad eò copioſiùs emendas res, quæ ab opificibus Urbis alicujus confici ſolent, ſi non immunitas totalis à vectigalibus, certè moderatio ejuſdem utramque paginam faciat, nemo facilè, credo, cui commercia curæ cordique ſint, inficias ibit.

CAPUT LXVIII.

Ab Informi & Rudi Materia, quæ à peregrinis ad nos advehitur, portorium removendum.

SUMMARIA.

1. *Ab* informi & rudi materia *levetur portorium, ab hac enim invecta poſſunt, incolæ lucrum facere ſuâ arte & induſtriâ.*

2. *Sic* lanæ *variè laboratæ, poſſunt cum lucro multifariè tractari.*

3. Eduardus III. *Angliæ Rex pannificium in Regno inſtituit.*

4. Sericum *informis naturæ proles multis modis elaboratur.*

5. Hiſpania *ſerico & lanâ nobilis.*

6. Ferri *varius uſus.*

7. Ferrum *optimum peſſimumq; vitæ inſtrumentum.*

Materias rudis informiſque advecta per æquor
Perque alias terras, portoria ſolvito nulla.

1 SEXTO, ab informi ac rudi materia, quæ à peregrinis ad nos evehitur, amovendum, aut, quoad ejus fieri poteſt, minuendum eſt portorium: Quoniam civium utilitatibus & commodis priùs, quàm alienis eſt proſpiciendum. Cives autem ex rudi materia, in opificia conformata ſæpè majorem utilitatem capiunt, quam qui vendiderunt, Bodino teſte *d. c. 2.*

Vigilandum itaque Magiſtratui, ut aliunde materia copioſè adportetur, quæ ſuæ Reipublicæ deſit, & diſtinctis opificiis idonea, diverſas formas aſſumere poſſit; & *ne rudis materia ex ſolo patrio producta, vel ex viſceribus terræ eruta, alior ſum è ſua Repub. efferatur,* (1) & exinde lucra & compendia exteris adcreſcant: quippe quòd illa informis & rudis materia, variis formis & figuris indui poſſit; quæ varium & multiplex pretium demereantur.

2 Sic lana rudis & informis eſt materia: at quàm uberrimum quæſtum lanifices pectendo, texendo, tingendo, nendo, aliiſque ſexcentis modis faciunt? *Eduardus III. Rex Angliæ pannificium* (2) in Anglia
3 inſtituit primus, ex quo privatorum opes & regni patrimonium tanta ſumpſerunt incrementa, ut etiam hodie inter Reipub. columina meritò numeretur; nec ineptè per ſaccos laneos, rubro panno tectos, quibus in regni Comitiis diverſorum tribunalium Judices, Rotulorum Magiſtri, & Secretarii Statûs inſident, commodum lanarum, & ovium, non negligendum eſſe, Parlamentum moneatur. Pannos enim Anglicos Suecia, Dania, Polonia, Gallia, Germania ſemper æſtimavit magni, emit magno; & nuper una Antverpia ex uno Londino ducenta pannorum millia quotannis accepit. Quid? quod opes planè incomparabiles ex hoc Anglorum commercio redundârint, ex quo Ludovicus Malanus Flandriæ Comes, circa annum Chriſti MCCCXXXVIII. Anglos immunitatibus ampliſſimis conceſſis ad emporium lanæ Anglicæ Brugis Flandriæ conſtituendum, illexiſſet. Jam inde enim ex concurſu omniũ ferè gentium in Flandriam ad pannos ex Anglica lana, aliasq; Anglicas merces emendas & ſuas diſtrahendas, incredibile eſt, quantum res mercatoria, navalis, & piſcatoria apud Belgas floruerit, adeò ut lana Anglica verum fuerit Belgis, *Vellus aureum*, cui inclytus *ille Militaris Ordo Velleris Aurei ſuam originem* (3) & Burgundiæ Duces ingentes divitias debuerunt. Certè hoc noſtro tempore, (ait Bodin. *de Republ. d. lib. 6. cap. 2.*) ut rationum tabulæ oſtendunt, commercium inter Anglos & Belgas *duodecim milliones aureorum* in ſingulos annos ſuperavit, & panni Anglici Antverpiam quotannis exportari *V. millionibus aureorum* ſunt æſtimati. Idem Bodin. *d. c. 2. dicit*, ex empta lana Italum quendam pannos confeciſſe, ut confecti panni quindecim partibus lanam ſuperârint. Et refert Bornit. *tract. 2. de rer. ſuffic. c. 4.* ſe meminiſſe quendam olim lintea ſuo charactere inſignita Belgis vendidiſſe, quæ cultiora & nitidiora reddita, triplo cariùs, eidem revendita fuerint. Quam polituram etiam induſtria domeſtica præſtare, & lucrum ultra dimidium ſuum facere potuiſſet. Sanè in Sileſiâ lege publicâ cautum eſt, & in aliis bene conſtitutis Provinciis, ne lana, linum, & lintea ad exteros evehantur, quippe quòd patrii textores materias iſtas in varias ſpecies & uſus ipſi convertere poſſint. Sed cautio illa vix ſatis eſt, quin inſidiis hominum avarorum, ingens copia illarum mercium, neſcio ſub quo prætextu & colore, extra fines abalienetur. Sic maſſa figulina innumeras formas induere & inde multiplex pretium parari poteſt.

Sericum quoque naturæ informis proles eſt: At quot modis artificum manibus 4
elaboratur, quantumque utilitatis elaboratum affert? Franci cùm ſerici multum habeant, domeſticum facilè divendi patiuntur, externum portoriis gravant. Adhibeat verò Princeps hac in re vigilantiam & induſtriam fieri, quod in eo poteſt, nec efferri induſtriæ materiam, nec inferri mutuatitia à ſe materia parata. Exemplo id illuſtrat Carolus Scribanus *lib. 1. Inſtitut. Politico-Chriſtian. cap. 24. fol. 175.* Serico, *ait*, & lanâ Hiſpania dives eſt, & à remotis regnis laneas ſibi ſericasque mutuatur veſtes, regnorum aliorum emolumento magno, damno ſuo non minimo, permittit domi ſuæ nata efferri, ut majore exinde pretio revehat. Poterat Hiſpaniam ſuam ſerici, 5
& panni textoribus divitare: è quibus regia creſcerent vectigalia, nec tanta populorum ſolitudo regnum teneret, poterat deinde domi ſuæ parata ad alia regna ſubmittere, & vario regnum ſuum lucro beare, nunc fœcunditatem felicitatemque ſuam ultrò abjicit, crudamque byſſum, nobilemque lanam aliorum divitandam textrinis emittit, commodisque ſe, opibusque, quas benigna fundit tellus, nudat, ut alios, etiam hoſtes, locupletet. *Hæc ille.*

Sic quoque ferrum materia informis eſt. 6
An nonne uſus hujus metalli ſe extendit ad opera pacis & belli? Nonne optima peſſimaque vitæ inſtrumenta ex ferro prodeunt? Si- 7
quidem hoc tellurem ſcindimus, ferimus arbuſta, ponimus pomaria, vites ſqualore deciſo annis omnibus cogimus reviviſcere; hoc cædimus ſaxa, figuramus arma, lanceas, frameas, ſcuta, caſſides ſive galeas, ſpathes, id eſt, gladios majores, ſemiſpathes ſeu gladios femorales, Zabas, id eſt, Loricas, Zibinos, id eſt, miſſilia quædam venabula (de quibus in *Novell. 85. & ibi* Cujac. *fol. 229.* Conrad. Rittershuſ. *in Expoſit. Novell. p. 14. c. 4. n. 2.*) aliaque inſtrumenta agriculturæ, architecturæ, omnisque generis opificiis, & quotidianis uſibus tam commoda & neceſſaria, ut non plus igni & aëre, quod ajunt, utamur. Vom Härten/ quâ tincturâ ferrum chalybi ſimile redditur, vide Lonicer. *lib. 1. cap. 97.* In re etiam Medica uſum ferri veteres Medici haud ignorarunt. Plin. *lib. 34. cap. 15.* Et dixi ſuprà *cap. 31. num. 2.*

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT LXVIII.

Num. 1.

(1) N*E rudis materia &c. efferatur &c.]* Eadem jam inculcavit Klockius noſter ſuprà *hoc libro cap.25.n.40.41.42.*

Num. 3.

(2) *Eduardus III.Rex Angliæ Panificium&c.]* Relegenda hîc erunt ſcripta ab Authore ſuprà *lib. 1. cap.8.n.18.(24)*

(3) *Ille Militaris Ordo Aurei Velleris &c.]* Ut notum, Ordo hîc Militaris ſplendidiſſimus Auguſtiſſimus AUREI VELLERIS dictus, fuit inſtitutus Brugis à Philippo Bono Burgundiæ Duce in die ſolemniſationis matrimonii inter ipſum Conjugemque ejus Elizabetham, Johannis Luſitaniæ Regis filiam, qui erat X. dies menſis Januarii (ſcilicet juxta veterem Flandriæ calculum, quo annus à Paſchate inchoatur. Pontus Heider. *in vita Philippi rer. Burg. l.4 p.107.*) Anni MCCCCXXIX. ſive ſecundùm Calendarium Romanum III. Idus Januarii A. MCCCCXXX. Qua luce Ipſe Philippus Caput & Præſes Ordinis, Equites XXIV. delegit, & ſingulos torque aureo, ſic fabrefacto, ut ex ſilicibus, & ferro, quo è ſilicibus ignis excutitur conſtare videretur, imâ verò parte Vellus aureum penderet, donavit; Rudes adhæc atque impoliti è lauro ſtipites decuſſatim propoſiti: circum ſtipites verò emicantes flammæ. Torquem Equeſtrem quidam ſic interpretatus eſt, ut ſilicibus ferroque adſcriberet, *Antè ferit, quàm flamma micat:* Velleri autem *Pretium non vile laborum.* Nonnemo per vellus aureum *Lapidem* ut vocant *Philoſophicum* deſignari ſuſpicatur: cujus uſum Philippo Bono, Principum ſui ævi potentiſſimo longeque ditiſſimo, ab ingenioſo quopiam commonſtratum fuiſſe idem conjicit; Alii per Vellus Aureum, *Belgicarum Provinciarum fœcunditatem* verè Auream ab iſto Principe notatam fuiſſe exiſtimant: alii aliter ſunt interpretati, ut advertit Miræus *in Origin. Ordin. Equeſtr. lib 2.cap.1.* & Franc. Mennenius *in Deliciis Equeſtr.pag.134.ſeqq.* ubi ambo notabiliora de hoc Ordine exponunt. Adde Guicciardinum *in Belgii Deſcriptione parte 1. pagina Editionis Amſtelodamenſis de Anno MDCLII. 146.ſeqq.* Speidelium *in Speculo, voce* Gülden-Fluß ꝛc. Limnæum *de J.P. lib. 6.cap.2.n.15.ſeqq.& Addit. Tom.II.pag.8.* ubi planè diverſam ab aliis inſtituti Ordinis occaſionem ex Faoyn *au theatre d' honneur & de Chevalerie lib 4. chap. 5.* adducit. Illud præterea notandum, quod poſt Munſterum atque Nolden, Knipſchild. *de fideicomm.famil. Illuſtr. cap.1. n. 180.* refert. Si quando Eques ex ſodalitio Ordinis hujus moriatur, quòd tunc hæredes ipſius obſtricti ſint Principi Ordinis intra menſes tres aureum torquem Ordinis inſigne remittere, quem ille alteri, qui in demortui locum deligitur, tradit.

CAPUT LXIX.

De Variis Vectigalium Generibus: Et Primò de Vectigali Migrationis; vulgò Abzug / Nachſchuß / ꝛc.

SUMMARIA.

1. *Sublatis in Imperio* vectigalibus, *ipſum Imperium diſſolvatur, neceſſe eſt.*
2. Vectigalis *ſignificatio vel analogia.*
3. *Quædam alia nomina, huic nomini affinia.*
4. *Recipitur decima, vel ſexta, quarta, vel quinta pars communiter ab iis, qui* juri civitatis *renunciant.*
5. Conſuetudo *genus hoc vectigalis induxit & roborat.*
6. *Solvitur ab venientibus in Rempublicam, vel ab Repub. emigrantibus.*
7. *In quo* æquitas *hujus* vectigalis *fundata*, num. 8.
9. *Sit hoc* vectigal *paternè, à Principe Patre patriæ moderatum.*
10. *Quibus caſibus hæc* emigratio *contingat.*
11. *Notandum, quòd etiam revocari à* Principe *poſſint, qui emigrant; & prohiberi, ne emigrent.*
12. *Transportatio bonorum, & imminutio perſonarum oritur ex* emigratione, *& eſt damnoſa Principi.*
13. *Non abſimile eſt huic juri detractionis jus quoddam* Juſſuarum *exitúsve.*

Hoc caput explanat, quot vectigalia ſueta Migrationis, eſtque primum in ordine.

NEſcio, an ſolidiùs Ærario nutrimentum quæri poſſit, quàm ſi vectigalia certa perpetuaque eidem deſtinentur. Eſt enim VECTIGAL (quod à vecturâ nomen trahit, Lipſ. *lib.2. de magnitud Rom.c.2. in princ.*) 1
antiquiſſimum & uſitatiſſimum ærarii augendi genus, quod Nero è Republicâ tolli cùm vellet, à patribus prohibitus fuit, ne ſublatis vectigalibus diſſolutio imperii ſequeretur, Tacit. *lib 3. Annal.50. num. 1.2.* Erant autem populi Romani vectigalia è portubus, quæ *portoria*, è paſcuis, quæ *ſcripturæ*, ex arationibus, quæ *decimæ*. Cicer. *pro Lege Manil. Neque ex portu*, neque ex decumis, neque ex ſcriptura vectigal conſervari poteſt.

Vectigal analoga vox eſt, in genere omnem cenſum & proventum ſignificans, 2
Andr. Knichen. *de Saxon. non provoc. jur. Ducum Saxon. cap. 5. numer.79.* Tiraquell. *de retract. lignag. §.1 gloſſ. 6.num.2.* Parlador. *lib. 1.rer. quotidian.cap.3.num. 1.* frequentiùs tamen reditus ex locatione, vel aliâ quâcunque re Fiſco illatos denotans, *l. 1.§. hic titulus. ff. de publican. & vectig. l. unic.*

unic. C. de loc. publ. fruen. qui ob id vectigalia appellabantur, *l. 17. §. inter publica ff. de V. S.*
3 Vocabulo huic ſinonyma ſunt Telonium, Portorium, Portarium, Guidagium, Pedagium, Paſſagia, Datium, Gabella, Weggeld/ Bruckengeld/ Acciſs, Licenten, Impoſt, quorum notationem, cùm ferè omnia barbara ſint ac uſu confundantur, ſedulò inveſtigant, Accurſ. Afflict. Alvarott. ubi & Hotoman. *num. 5 in c. un. quæ ſint regal.* Gregor. Tholoſ. *lib. 3. ſyntagm. cap. 9. numer. 7.* Frider. Mindan. *de Mandat. lib. 2. cap. 42. n. 2. & 3.* Et dicam ego mox ſubſeqq. cap. 71. 72. 73. & 74.

4 Nos hic potiſſimùm *de jure Detractionis ſive Migrationis* (1) in Germania frequenti uſitato acturi deprehendimus, *multis in locis decimam*, (2) in aliis verò ſextam, quartam, vel tertiam partem exigi ab iis, qui jus
5 civitatis recipiunt vel mutant. Vectigal hoc juri civili incognitum, & ſolâ conſuetudine (quæ vim legis obtinet) innixum, duplex eſt, vel, *quòd ſubditi venientes civitatis*
6 *adipiſcendæ gratiâ*, (3) das Burger-Recht zu erlangen; vel abeuntes, Civitatis deſerendæ causâ, ſolvunt, vulgò Auffahrt und Abfahrt. Æquitas ejus in eo ſita eſt: Quod
7 qui ſubditi fiunt, & in numerum civium cooptantur, tutelæ Reipubl. ſubjiciantur, & communicatione jurium civitatis, omniumque privilegiorum fruantur: proinde non iniquum videtur, à peregrinis aliquid
8 ſolvi remunerationis ergò. Sed cur qui abeunt? *Jus antidori hoc requirit*, (4) ut etiam abeuntes gratitudinem pro patrocinio præſtito exhibeant Magiſtratui; Modò
9 hoc Vectigal ſit modicum. Eſt enim Princeps & Magiſtratus pater patriæ, ideoque paternam pietatem imitetur, *c. Apoſtolus. §. ſuſtinemus. de cenſib.* Gail. *lib. 1. obſ. 17.* Rauchbar. *lib. 2. quæſt. 15.* Coler. *de Proceſſ. execut. cap. 9. num. 58.* Waremund. ab Ehrenberg. *de ſubſid. regn. c. 6. n. 58.* Bornit. *lib. 4. de ærar. cap. 7.*

Detractio hæc fit non eo ſolùm caſu,
10 quo aliquis pietatis & conſcientiæ causâ, ac veræ Religionis amore emigrandi beneficio flebili & lamentabili utitur, & relictis poſſeſſionibus & cognatis velut in exilium diſcedit. Reichs-Abſchied *de Anno MDLV.* (5) *§.* wo aber unſer/ ſed etiam aliis caſibus, quibus *aliquis ſponte domicilium mutat.* (6) Quò facit, quòd dominus originis merum & mixtum Imperium habens alibi habitantes revocare, & cæteris paribus inhibere poſſit, ne ſubditi diſcedant, ſolumque natale vertant, *arg. l. 4. C. de commerc. & l. fin.* ubi 11
Bart. *ff. de decret. ab ord. fac.* Joh. Petr. Surd. *conſ. 210. n. 14. vol. 2.* Bertazzol. *conſ. civil. 56. n. 18.* Petr. Caball. *conſ. 209. per tot. vol. 2.* ubi inſuper in fin. pœnam confiſcationis bonorum & aliam maximam pœnam imponi poſſe, ſtatuit.

Ut proinde migrantes hoc onus meritò 12
luere cogantur, maximè cùm transportatio bonorum, & imminutio perſonarum Dominis etiam ratione ſui juris damnoſa exiſtat. Quamvis non exſtante Statuto de jure communi ſubdito liberè quò velit abire licitum, *l. poſtliminiis. §. fin. de captiv. & poſtlim. reverſ. d. §.* Wo aber/ quos textus cum allegatis ſuprà juribus ita conciliat poſt Hondedæum *conſ. 5. n. 43. vol. 1.* Græveus *ad Gail. concl. 36. n. 5. & 6. lib. 2.* ut quidem qualitas originaria mutatione domicilii minimè, ſed effectus ex naturali & ingenitâ illâ civilitate procreatus benè tolli poſſit.

Prædicto juri detractionis vicinum eſt Jus *Juſſuarum*, exitúsve, quo in Flandria 13
hæreditate civis, non civi delatâ, etiam filio fratrique Urbium Curatores ex ea Decimam bonorum non Feudalium, in publicum vertunt: & quo nemo in alterius cujuscunque urbis, aut Caſtellaniæ jus corpusque cooptari permittitur, præterquam Decimis perſolutis Magiſtratui loci à cujus jure & quaſi *complexu diſceditur.* (7) Quod ex iis exemplis eſt, quæ aliquid ex iniquo habent, quod publicâ utilitate compenſatur: quod tributum Plinius Secundus extraneis dicit eſſe tolerabile, domeſticis grave: itaque hisce remiſſum, ne lacrumæ parentum aut filiorum ſint vectigales. Videtur enim primitùs invaluiſſe ad alendam frequentiam populorum in ſuis ſedibus, & ad familias ibi conſervandas, veluti Iſraëlitis bona filiasque extra tribum transferre non licebat.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT LXIX.

Num. 4.

(1) DE *Jure Detractionis ſive Migrationis &c.*] Propriè loquendo *Jus Migrationis* cum Schwanmanno *in Compend. Juris Emigrationis cap. 1. n. 1. & cap. 2.* tributum nuncupamus, quod è bonis à Civitate aliò migrantis. Magiſtratui præſtatur. Idque Nachſteuer/ quaſi ultima tributi præſtatio, Abfahrt/ Abſchoß/ Gabella emigrationis, appellatur. *Jus Detractionis* verò Collecta eſt, quæ ab hæreditate defuncti, exteros hæredes relinquentis, detrahitur. De qua Joh. Köppen. *quæſt. 5. num. 4.* Indeque fortè de unaquaque ſpecie horum vectigalium loquendo ſpeciali Capite, hoc & ſequenti Klockius noſter agit. Interim promiſcuo uſu hæc inter ſe confundi, nec diſcrimen illud anxiè obſervari ſolet. Confer Beſoldum *in Theſauro Practico*, & Speidelium *in Speculo, voce* Nachſteuer und Abzug.

(2) *Multis in locis Decimam &c.*] Indeque Jus

Jus hoc Decimationis quoque appellatur; Cùm pleriſque in locis pars Decima ſit, veluti in Palatinatu & Electoratu Rheni, in Principatu Anhaltino & Naſſovico, item Francofurti ad Mœnum, Lubecæ, Hamburgi, Eslingæ, Zepper. *in Diſcurſ. Jurid. tit. 8. de Jure Detract.* Knipſchild. *de Jur. & Priv. Civit. Imp. l. 2. c. 20.* Sic Inclutus Norimbergenſis Senatus, quamvis à Friderico III. Imperatore vigore Privilegii de Anno MCCCLXIV. Ipſi conceſſum ſit, von allen denen / ſo aus Nürnberg ziehen / ſo Geiſt- als Weltlichen / von allen dero Haab und Gütern: Deßgleichen ſo durch Ubergebung / Erbfäll / Geſchäfft / Stifftung / oder in andere Weg etwas aus der Stadt / auf fremde Perſonen kömmt / die unbezahlte Loſung / ſamt der Nachſteuer / die der Raht darauf geſetzt / oder noch künfftig ſetzen würde / einzufordern und einzunehmen / non niſi Decimam partem, ab iis, qui ab hac Gabella per pacta, cum Dominis ſuis & Republica Norimbergenſi inita, liberi non ſunt, regulariter exigere & recipere ſolet. Alibi tamen, ut Author noſter hoc loco indicat, & minor ſumma ſolvitur, Rauchbar. *quæſt. 15. n. 1. parte 1.* Schult. *ad Piſtor. parte 2. q. 54. num. 6.* aliquando & quindena, de qua Joh. Cöppen. *quæſt. 5. n. 4.*

Num. 5.

(3) *Quod Subditi venientes Civitatis adipiſcendæ gratiâ &c.]* Minùs propriè huc pertinere videtur id quod Juris Civium adipiſcendi gratiâ à noviter in horum numerum receptis datur. Cùm vel maximè non pro rata bonorum in Rempublicam inferendorum in pleriſque locis Germaniæ arrha illa, ut ita dicam, ſed potiùs vel ex legibus ad certam ſummam vel ad beneplacitum conſtituatur, ut notum.

Num. 8.

(4) *Jus antidori hoc requirit &c.]* Addit poſt Rauchbarum, Knipſchildium, Carpzovium, Zepper *dict. loc. n. 6.* (qui in fine plures de hac materia Detractionis ſcribentes denominat) & hanc rationem: Ne in totum deſtituatur Reſpublica iis bonis, quæ hactenus in ipſius quaſi ſinu fuerunt, & ex qua fomentum & incrementum traxerunt, nec gaudeant iis extranei, priventur verò domeſtici, qui variis de cauſis Jus quodammodò quæſitum in iis habent: unde meritò Magiſtratui ea portio, tanquam legitima debetur.

Num. 10.

(5) *R. A. de Anno MDLV. &c.]* Huc pertinet *articulus 5. n. 12. §. Conventum autem eſt,* Inſtrumenti Pacis de Anno MDCXLVIII. ubi conventum, ut neq; ſive voluntariè ſive coactè emigrantibus nativitatis, ingenuitatis, manumiſſionis, noti opificii, honeſtæ vitæ teſtimonia denegentur, aut iidem Reverſalibus inuſitatis vel DECIMATIONIBUS SUBSTANTIÆ SECUM EXPORTATÆ PLUS ÆQUO EXTENSIS prægraventur &c. multò minùs ſpontaneam ſuſcipientes emigrationem ſervitutis aut ullo alio prætextu impedimentum inferatur. Confer Dn. Mylerum, cum allegatis ab eo Authoribus, *de Princ. & Stat. Imp. parte 2. c. 63. n. 7. p. 577.*

(6) *Aliquis ſponte domicilium mutat &c.]* Solutio autem hujus de qua agimus gabellæ, fieri debet ſtatim, antequam hæreditas legata, vel alia bona exportentur, & donec hoc fiat, bona detineri & arreſtari poſſunt, R. A. de Anno MDXCIV. §. und ſo viel die ungleiche / in quo arreſta, quibus res vel hæreditates à Magiſtratu loci ob recuſatum Emigrationis Detractionisve debitum retinentur, pro juſtis licitiſque expreſsè declarantur, quantumvis ejusmodi arreſta ſpecies ſint executionis, à quâ inchoari non debet, Gail. *de arreſt. cap. 1. n. 10.* Idem aſſerunt dilucidè Petr. Danais *in Jure Camerali Tit. 184. §. 5. & 6.* Frider. Mindanus *de Proceſſ. lib. 1. cap. 30. §. 1. & 2. item c. 40. §. 5.* Chriſt. Schvvanmann. *in Pract. Obſerv. Camer. Obſerv. 152. n. 14.* Klockius noſter *ſeq. cap. 70. n. 8.*

Num. 13.

(7) *Complexu diſceditur &c.]* Interponit Marchantius *in Deſcript. Flandriæ lib. 1. pag. 23.* (*cui Author debet hoc numero allata*) hanc notabilem Limitationem, *niſi ea ſocietas locorum contracta* (*quam* Hanſam *vocant*) *interveniat.*

CAPUT LXX.

De Vectigali Hæreditatum & Dotium, quæ aliorſum deferuntur.

SUMMARIA.

1. *Ex* hæreditatibus, *legatis, donationibusq; meritò aliquid decerpit Magiſtratus: idq; maximè, cùm extraneis donatum eſt,* n. 2.

3. *De* æquitate *hujus vectigalis dubitatum; & exempla in hanc rem,* n. 4. *determinatur pro hacce vectigalis æquitate,* n. 5.

6. *Eſt hoc* vectigal *in Germania paſſim uſitatum.*

7. *Ex* conſenſu mutuo *magiſtratuum loci, poſſet hoc vectigal abrogari.*

8. *Primus* gradus immunitatis *ab hac decima quis?*

9. *Oſtenditur, ubi porrò hoc jus magiſtratui competat.*

10. Diverſa ratio *eſt in peregrino, & cive.*

11. *Quænam* bona *non ſubjiciantur huic detractioni?*

12. Conſuetudo *& ipſiusmet loci magiſtratus hoc jus plerumq; variat.*

13. Clerici *ac perſonæ privilegiatæ ſunt ab hoc immunes, contra Clericos ſentiunt alii,* numer. 14.

15. Profeſſores & Academici *ſint hinc exempti.*

16. *Parcitur quoq; hac parte* liberis viduisque *eorum.*

17. *Intellige hoc de iis, qui Dominis tantùm ſunt ratione horum officiorum obligati.*

18. *Includuntur* Doctores *promoti & alii Graduati.*

19. Cau-

19. Cautio *quædam, ne ab hæredibus Magiſtratus circumveniatur.*

20. *Peccatur multis locis in exactionem hujus vectigalis.*

21. *Porrige hoc jus ad* dotem *& feſtivas veſtes mulierum, quæ nubunt extra territorium.*

22. *Improbatur hoc ab nonnullis.*

23. *Huic juri detractionis non abſimile eſt Gallicum jus Albinagii dictum,* n. 24.

25. *Quantitas & detractionis hujus modus relinquitur diſcreto arbitrio Principis.*

Hæreditatum dotiumque limites
Extra ſoli quæ deferuntur patrii,
Vectigal, hoc membro diſertè traditur.

1 ALiud quoque vectigal paſſim in viridi
obſervantiâ eſt, quod ex Succeſſione
ex Teſtamento & ab Inteſtato, puta ex hæ-
reditatibus, legatis, & donationibus decer-
pitur, publicoque ærario addicitur, præſer-
tim quando extraneis hæredibus, legatariis,
& donatariis ditioribus, non egentibus
2 deferuntur. Vulgò Abzug / Nachſteuer/
Abfahrt / Abſchoß / Aufflöſung dicimus, Zaſ.
*in l. 1. §. neceſſarium. in verſ. Curias in fin. ff.
de orig. jur.* Gail. *2. obſ. 36. num. 10. & obſ.
53. n. 9.*
3 De æquitate hujus vectigalis & detra-
ctionis multi adhuc dubitant: quippe
quod contra jus commune introductum
videatur. Auguſtus quidem Imp. legem
tulit, ut vigeſima pars hæreditatum, & le-
gatorum ad alienos vel locupletes perve-
nientium, exceptis iis, qui proximè ge-
nere junctis ac pauperibus morte aliorum
relinquebantur, in Fiſcum ſive Ærarium
militare (quod tum temporis bellorum
continuatione admodùm exhauſtum erat)
referretur, Dion. *lib. 55.* Bodin. *de Republ.
lib. 6. cap. 2.* Cujus meminit Pomponius
in l. 2. §. ex his aliter. ff. de O. J. Alciat. *3. di-
4 ſpunct. cap. 6.* Sed poſterioribus Impp. Con-
ſtitutionibus Falcidia hæc abrogata, tem-
pore Juſtiniani omninò in uſu eſſe deſiit,
l. fin. C. de Edict. D. Hadr. tollend. Sed eſ-
ſe hoc jus detractionis revocandum in
Rempublicam, eleganter diſputat Sturmi-
us *ſerm. 3. de Bello Turcico fol. 247. & ſeqq.*
5 Et videmus ejusmodi vectigal plerorum-
que locorum Statutis & moribus in uſum
reductum obſervari: idque in redhoſti-
mentum præteritæ defenſionis, & in pen-
ſationem tributi imminuti, Tiraquell. *de re-
tract. lign. in præfat. n. 14. & 16.* Petr. We-
ſembec. *conſil. 1. n. 27.* Pruckman. *conſil. 48.
num. 13.* Agnatus noſter Dn. Henric. Klock.
de jure vectigal. concluſ. 65. Frid. Mindan.
lib. 2. de proceſſ. Mandat. cap. 51. n. 2. Nam
alienatione iſtâ Reſpubl. etiam damnum
ſentire videtur; cùm Reip. interſit & homi-
nibus & rebus eam locupletatam eſſe, Bor-
nit. *de Ærar. lib. 5. cap. 13. fol. 58.* proinde-
6 que hoc jus in pleriſque Germaniæ locis u-
ſurpari videmus. Niſi ex jure talionis omit-
tatur, Wo die Obrigkeiten ſich miteinander
verglichen haben/ daß ihre Unterthanen gegen- 7
einander in Erbſchafften / deß Abzugs halben
frey ſeyn ſollen. Vide Receſſ. Imperii de An-
no 1530.
Sicuti verò antiquitùs viceſima hæredi- 8
tatum remittebatur; ita & hic primus eſſe
debet immunitatis à Decimâ gradus, *ut Li-
beri in Parentum bonis*, (1) & Parentes viciſ-
ſim in Liberorum bonis, hujus neceſſitate
ſolvantur. Tum quòd in liberis & ſuis hæ-
redibus continuatio dominii evidentiùs ad-
pareat, *l. in ſuis. 11. ff. de liber. & poſthum.
l. qui in aliena. 6. §. interdum. ff. de acquir.
vel omitt. hæredit.* Piſtor. *lib. 1. quæſt. 50.
numer. 59.* Rauchbar. *lib. 1. quæſt. numer. 15.
& ſeqq.* Tum quòd pater & filius una ea-
demque perſona cenſeantur, *l. fin. C. de im-
pub. & aliis ſubſtit. l. tum ſcimus. 12. C. de a-
gric. & cenſit. lib. 11.* Quod de jure admo-
dùm eſt controverſum, ut videre licet ex iis,
quæ in utramque partem arguunt Andreas
Rauchbar. *d. quæſt. 15.* Andr. Schæffer. *lib. 2.
quæſt. 10.*
Competit autem Magiſtratui hoc jus 9
etiam in mobilibus, nominibusque, non au-
tem in iis, quæ extra territorium defunctus
poſſedit. Rauchbar. *d. lib. 1. quæſt. 17.* Eſt & 10
hoc receptum, ut peregrinus ſeu alienigena,
cui quid legatum eſt, hanc detractionem in
re legata admittere; *non verò Hæres*, (2) qui
civis manet, eam redimere, integrumque
legatum præſtare teneatur, Rauchbar. *dict.
lib. 1. quæſt. 16.* Köppen. *deciſ. 6. numer. 16.*
Non tamen detractio facienda de his, quæ
hæredi alibi debentur, Rauchbar. *d. quæſt.
17. num. 10. & ſeqq.* ubi quoque oſtenditur, 11
quòd bona immobilia alibi ſita, & etiam
cenſus perpetui à forenſibus præſtandi, re-
tractionibus non ſubjiciantur. Quæ omnia
tamen ex conſuetudine, ex qua jus hocce va- 12
lorem habet, variant: nec ab omnibus Ma-
giſtratibus (qui plerumque certare ſolent)
ejusmodi traditiones Doctorum attendun-
tur.
Denique adprimè obſervandum eſt, 13
ſi incolæ verè ſubditi non ſint, ſed perſonæ
privilegiatæ, quamvis in aliquo loco com-
morentur. Sicque Clerici apud Catholicos,
eorumq; hæredes ab hoc onere ſunt immu-
nes, Beſold. *conſ. 172. vol. 4.* Licet hoc contra-
rio uſu (maximè quoad Clericorũ hæredes)
quibusdam tollere viſum fuerit: quia ſalus 14
publica favorem illorum hominum vincit,
eorumque defenſio à Republ. omninò de-
pendet: & quia in imponendis collectis, mu-
tatâ perſonâ, mutatur conditio rei, ut dixi
tract. de contrib. cap. 10. n.
Et *Profeſſores* (3) ac reliqua membra A- 15
cademiarum, exactione decimarum, quas
alii cives extra locum domicilii emigran-
tes dependunt, gravari non debent: adeò
ut

ut etiam viduis & liberis eorum hac in par-
16 te parcatur, Erneſt. Cothmann. *Reſponſ. Academ. 15. & 27. paſſim.* Quod jure extenditur ad eos, qui non originarii alicujus loci, nec domino aliter, quàm ratione offi-
17 cii ſunt obligati. Hocque Berlichius *parte 3. concluſ. 72. numer. 31.* ad omnes Doctores legitimè promotos, etiam alibi quàm
18 in Academiis habitantes porrigit: & ex eadem conſuetudinis hujus ratione, in quibusdam locis, graduatis perſonis, non indicitur ad cuſtodias portarum, viarum refectionem, & ad alia communia civium ſervitia præſtanda.

Ne verò hæredes doloſè Magiſtratus
19 circumveniant, diviſio bonorum publicè, & authoritate tabellionis publici, aliisque teſtibus intervenientibus commodè & tutò fieri; quinimò & ante factam diviſionem, quandoq; portionis forenſi obventuræ ratio haberi poteſt.

Alicubi tamen Vectigal hoc hæredi-
20 tatum, peregrinis delatarum, nimis auctum, & ab iis etiam, qui ſub uno Principe, diverſis tamen Curiis degunt, **die in ſondern Gerichten wohnen/** iniquè exactum, meritò conqueritur Joan. Dauth. *de teſtam. num. 69.*

Porrigitur quoque hoc jus defalca-
21 tionis ad dotem & veſtes feſtivas mulierum, quæ extra territorium nubunt; quia conferri poſſunt, & ita res hæreditariæ, de quibus aliàs detractio fieri aſſolet, exiſtunt, Joann. Köppen. *deciſion. 6. numer. 6. & ſeqq.* Roſenthal *de feud. cap. 5. concluſ. 34.* Quod tamen improbat Waremund. ab Ehrenberg. *de ſubſid. regn. fol. 92.* Sic & in 22
Hiſpania ex rebus in dotem datis, ſive æſtimatæ ſint, ſive non, Gabella vel Alcavalla non ſolvitur, Gutierrez. *de gabell. quæſt. 72.* Quod tamen placet Antonio Theſſauro *deciſ. 139. num. 3.* & æquius videtur Dn. Beſoldo *de ærar. cap. 4. num. 4. verſ. 3.* aliisque allegatis à Berlichio *p. 3. concluſ. 72. num. 63.*

Prætactæ Falcidiæ ſive juri detractio- 23
nis vicinum eſt Jus Albinagii in Gallia, quo peregrinorum & advenarum ſeu alienigenarum illic decedentium bona Fiſco Regio cedunt. De quo tamen Me vide de *Contribution. cap. 1. num. 244. & ſeqq.* Cæ- 24
terùm non tantùm de viceſimâ, verùm etiam de quinquageſimâ ſtatutum fieri poſſe, quæ ſolvatur Eccleſiæ fortè ad fabricas & ad alios pios uſus, aſſerit Ripa *tractat. de peſte cap. 6. n. 24. arg. d. l. fin. C. de Edict. D. Hadr. tollend.*

Denique notandum eſt *relinqui pru-* 25
dentiæ & arbitrio Principis (4) aut Reipubl. quotam partem hæreditatis legati, dotis, & à quibus perſonis exigendam ſtatuere velit: Cùm ſalus publica privatorum commodo ubique præferenda ſit, modò æquitatis limites & metas non tranſilierit.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT LXX.

Num. 8.

(1) *Ut liberi in parentum bonis &c.]* Confer Schvvanmann. *in Compend. Juris emigr. cap. 5. num. 9. 10. 11. 12.* Beſoldum *de Ærar. cap. 4. §. XIV. num. 3.* Dn. Myler. *de Princip. & Stat. Imper. parte 2. cap. 63. num. 15. pag. 581. ſeq.* qui dicit, liberos tunc à ſolvenda decima paternæ hæreditatis demum immunes eſſe, ſi modò in patria permaneant, nec alibi domicilium, ante hæreditatis perceptionem conſtitutum habeant.

Num. 10.

(2) *Non verò hæres &c.]* Plures pro hac opinione allegatos vide apud Beſold. *d. loc.*

Num. 15.

(3) *Profeſſores &c.]* Schwanmann. *dict. loc. num. 24. 25.* Zepperus *itidem dicto ſæpius loco n. 27. pag. 93.*

Num. 25.

(4) *Relinqui prudentiæ & arbitrio Principis &c.]* Planè in his Decimarum cauſis, & punctis, etiam minimè dubiis, ſæpius conſului, (inquit Schwanmann. *dict. cap. 5. num. 26. 27.*) & practicatum vidi, ut Magiſtratus è Senatu aliquos deputaret, qui cum hæredibus Concordiæ tractatum tentarent: idque feliciter ceſſiſſe, remque omnem æquâ utriusque pace & conditione amicè compoſitam fuiſſe memini &c. Coronidis loco illud notandum de Jure Lubecenſi *parte 2. tit. 2. art. 4.* Statutum fuiſſe, quòd viduæ, vel virgini peregrinæ, quæ Civi Lubecenſi nupſerat, hocque rurſus mortuo, nihil amplius quàm quod ad maritum intulerat, efferre licuerit; reliquam bonorum apud mariti defuncti hæredes, atque in Civitate relinquere debuerit. Verùm, notante Dn. Mevio *ad dictum locum num. 9. pag. 113.* hoc hodiè non ubique obſervatur, ſed licet fœminis poſt mortem cum omnibus bonis tàm illatis, quàm à marito donatis, nec non quæ loco ſtatutariæ portionis debentur, liberè emigrare, dummodò gabellam, quam **den Abzug/** ſeu **den Abſchoß** vocamus, ſolvant.

CAPUT LXXI.

De Vectigali Mercatorum & Inſtitorum ſingularum rerum, quas vendunt, vulgò Aſſiæ, acciſ der Kramwahren oder Kauffwahren.

SUMMARIA.

1. Mercatores *ex iis, quas diſtrahunt, mercibus pendunt meritò.* Ratio *hujus rei,* num.2.

3. *Si eſt hoc* Vectigal *ex lucro mercatorum, quæres, qui poſſit hoc lucrum inveſtigari.*

4. *Fortè* jurati *dicent & profitebuntur.*

Inſtitor è variis opuleſcens mercibus, unà
Jure aliquid Regem participare ſinat.

1 ÆRario collocupletando vectigal peti poteſt à mercatoribus & inſtitoribus ex mercium ſingularum, *quas vendunt, lucro,* (1)vulgò *acciſ*, à Gallico *aſſiſe.* Differt hoc vectigal ab eo, quod ob merces invectas, & evectas ſolvitur; *de quo præced. c.70.* Quamvis uſu confundatur utrumque.

Æquitas hujus vectigalis conſiſtit in 2
hoc, quod qui ſentit lucrum, utique etiam onus ferat, & pro ratione Ratæ ſuſtinendis Reipub. oneribus aliquid conferat.

Sed ſi hoc vectigal ſit ex lucro ſingulo- 3
rum mercatorum: de ratione & viâ, quâ lucrum illud & portio ejus Ærario adplicanda inveſtigari poſſit; quæritur. Sunt, qui juratoriam profeſſionem à mercatoribus exigunt, ut quantum lucri ex mercibus venditis annuatim ceperint, tantum etiam vectigalium in proportione Reip. ſolvant. Alii ſtatuunt, merces denunciandas eſſe, 4
priusquam vendantur. Quæ res difficultatis & fraudis plena. Etenim *ſi conſcientiâ nihil cohibeātur,* (2)quid non tentēt Inſtitores?

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT LXXI.

Num. 1.

(1) QUas vendunt lucro &c.] Qui naſum duriter nimis emungit, ſanguinem plerumque elicit, ſic qui duriter nimis tractat ſuos, illos ad incitas redigit. Neque de gente oneribus aſſuetâ, ut Gallica eſt, ad liberiores Germanos ritè argumentando proceditur. Quid! cùm in Germania communibus civium collectis præ cæteris mercatores afficiantur, & portoria & collectas ſolvant, ſi ultrà gravarentur, quid quæſo quàm interitus commerciorum ſperandus foret. Cùm Mercatura oculus in Civitate ſit, qui acerbioris tactus impatiens eſt & citiùs interimitur, quàm necata reſuſcitatur, ut jam olim ad Politic. Sceler. *ad cap.35.n.393.p.99.* innuimus.

Num. 4.

(2) *Si conſcientiâ nihil cohibeantur &c.*] In Republica Norimbergenſi, præſcriptâ normâ, de quibus rebus & quomodo die Loſung/ ut vocant, ſolvenda, cujusque Civium Conſcientiæ & Juramento quantitas ſecundùm normam illam perſolvenda relinquitur. Ut interim tamen urgentiſſimis & dolum ferè apertum arguentibus de cauſis in Conſcientiæ teneritatem Magiſtratui inquirendi vis & poteſtas adempta planè non ſit.

CAPUT LXXII.

De Vectigali rerum immobilium venditarum.

SUMMARIA.

1. *Qui* bona immobilia *vendit, tenetur pro parte Reip. in quâ ſit venditio: Quo in fundamento nitatur?* n.2.

3. Suprema lex *eſt ſalus Reipublicæ.*

4. *Hæc penſio, quâ privatis aliquid detrahitur, nihil habet iniquitatis.*

5. *Intelligenda hæc videntur de iis, qui bona mobilia vendunt, & aliò emigrant.*

6. *Determinatur,* quantum *hoc caſu Reip. pendendum ex æquo nimirum & bono.*

7. *Hæc ſolutio aut penſio facienda, cùm* venditio *ab Magiſtratu rata habetur.*

8. Gabella *priùs detrahenda de bonis venditis, quàm ulla alia debita, etiam privilegiata, ſolvantur.*

9. Alienationes *in Forenſes & non ſubditos prohiberi poſſunt.*

Rerum immobilium ſi portio vendita magna eſt,
Vectigal, cedat Regibus inde, decet.

EX immobilibus, ſive fundis & ædificiis, 1
wegen ligender Gründe/ Haus und Hof/ ſolet ſolvi Reipubl. vectigal, in alienatione, id eſt, venditione, vel permutatione illorum bonorum pro ſortis ſive ſummæ totius proportione, vulgò dicitur Abzug. Juſtitia hujus vectigalis in aperto eſt, licet enim jure communi tales detractiones non reperiantur, in quo leges inprimis contrahentium æquitatem & utilitatem reſpiciunt; rarò autem ſimul emolumenti publici rationem habeant; Ideoque non du- 2
bium, hanc ob cauſam ejusmodi detractiones publicas præteritas ſilentio fuiſſe; Hunc tamen defectum juris publici mores & ſtatuta Rerumpubl. ſingularia ſuppleverunt, dum modos, quibus ærarium publicum ſtabiliatur, ex æquo & bono publico

blico adinvenerunt: Quod cuique Reip. &
3 Principi non tantùm liberum, ſed & ſummè neceſſarium eſt, cùm ſalus Reipubl. ſuprema lex ſit, & omni privato commodo præferenda; omnesque populi legibus & moribus communibus & propriis utantur, *l. omnes populi. ff. de jur.* ubi Joan. Bolognet. *l. 6. ff. eod.* Et conſuetudo pro lege obſervetur, *l. de quibus. 32. ff. de legib.* præſertim in oneribus & collectis, *l. un.* ubi Bart. *C. de auro coron. lib. 10.*

Et quanquam ejusmodi detractio ali-
4 quid iniqui ſapere videatur; quippe quæ cum damno privatorum conjuncta: ſciendum tamen eſt, privatum detrimentum facilè publico emolumento compenſari poſſe. Æquum enim vel æquiſſimum cenſetur, quando cives vel aliorſum migrant, vel domicilium mutant, ut de bonis ven-
5 ditis, quæ in Republ. in qua illa vixerunt, acquiſiverunt, pecuniæ partem Reipubl. vel civitati pendat. Gail. *2. obſ. 36. numer. 9.* Dauth. *tract. de teſtam. de mater. teſt. limit. 24. num. 99.*

6 Cæterùm quantitas hujus detractionis in arbitrio ſolet eſſe Principis vel Reipubl. quam moderari ex æquo convenit: adeò, ut interdum pro centenis duo vel tres ſaltem floreni exſolvendi ſint, vulgò appellant, **den Abzug von der Kauff-Summa.** Item, **Nachſteuer**/ quod ſpecialius eſt. Nam vox **Abzug** detractionibus hæreditatum etiam compe-
7 tere videtur. Et probè notandum eſt, vectigal hoc ſolvi Magiſtratui, quando contractus publicè confirmatur & annotatur, **wann der Kauff von der Obrigkeit ratificirt wird.** *Quemadmodum Norimbergæ,* (1) Auguſtæ, *Spiræ,* (2) & aliis in locis quamplurimis conſtitutum eſt, & uſu obſervatur, non tantùm in oppidis, ſed etiam pagis. Obſervandum quoque eſt, quòd Gabella 8
de pretio rei venditæ priùs deducenda veniat, quàm alia debita, etiam privilegiata, ſint ſolvenda, Joann. Gutierrez. *tractat. de Gabell. quæſt. 53. numer. 3. & ſeq.* usque adeò, ut etiam bona, de quibus ejusmodi detractio ſolvenda eſt, arreſtari, & tam diu detineri poſſint, donec illa portio ſolvatur. Cardinal. Thuſc. *pract. concluſ. lit. G. concluſ. 22. numer. 2. & 3.* Otto Melander *de Proceſſ. Noë Meureri, p. 2.* Unde quibus- 9
dam in locis *alienationes in Forenſes* (3) prohiberi, omnibusque, cujusvis ſtatûs & conditionis ſint, interdici ſolet directè, nec per indirectum vendere, nec alienare, nec etiam per quamcunque ultimam voluntatem expreſſam aliquam rem immobilem alicujus Territorii in perſonam huic Territorio ſive dominio non ſubditam, ſub pœna amiſſionis rei ſic venditæ, vel alienatæ, vel pretii ejusdem, bonaque, res & pretium ipſo jure & facto in Fiſcum perveniunt; contractus & alienationes non valent, ſuntque nullius momenti: prout hac de re nova conſtitutio in Ducatu Mediolanenſi lata eſt, quam commentariis doctiſſimis declaravit & illuſtravit Horat. Carpan. *in c. collegiis. tit. de pœn. per totum.*

ANNOTATIONES

Ad

CAPUT LXXII.

Num. 7.

(1) **Wann der Kauff von der Obrigkeit ratificirt wird.** *Quemadmodum Norimbergæ, &c.]* Libera bona liberè Norimbergæ poſſe vendi, & vendi quotidiè, nullâ nec exactâ nec intercedente Magiſtratûs ratificatione notius eſt, quàm quod eſt notiſſimum, & licet quandoque Judicii (ut vocant) conſervatoriis, e. gr. Emptiones Venditiones inſcribantur teſtibusque præſentibus firmentur; Ex hujusmodi tamen contractibus nullum vectigal ſolvitur, potiusque Inſcriptio ille ad majorem probationem comparata eſt, quàm ut ex neceſſitate ullâ proficiſcatur. Verùm in Oppidis Provincialibus ad Rempublicam hancce ſpectantibus, & Dominis bonorum Emphyteuticorum (**den Aigenherren**) fortaſſis tale quid reperitur, cùm plerumque certi numi pro quolibet floreno pretii, **das Zähl-Geld** / Præfectis & Ipſis in Contractibus coram illis celebratis expendendi veniunt. Ex quo Klockium noſtrum hallucinatum deprehenditur.

(2) *Spiræ &c.]* Spiræ Nemetum, inquit Henricus Klock *in Diſcept. de J. Vectigal. c. 64. lit. a.* ubi ſummum Imperii Germanici Tribunal, factâ venditione rerum immobilium, tum quoque conſtitutione cenſuum, Magiſtratus Civitatis ex ſingulis pretii florenis tres numos, quorum unum venditor, reliquos duos Emptor dependit, à tempore cujus memoria non exiſtit in contrarium, gabellæ nomine exigere conſuevit. Cujus cùm Contractus coram Senatu actis inſinuatur, ſolvendi neceſſitas imminet.

Num. 9.

(3) *Alienationes in Forenſes &c.]* Referenda huc quæ ſuprà *hoc libro 2. numer. 18.* dicta ſunt.

CAPUT LXXIII.

De Vectigali Mercium invectarum & evectarum.

SUMMARIA.

1. Portorium *eſt vectigal pro importandis & exportandis mercibus.*
2. *Debetur hoc* corpori publico, *probatur hoc ſimili*, & n.3.
4. Cura vectigalium *ſit, ut æquâ Lance pendantur.*
5. Quo fundamento *poſſint nova vectigalia inſtitui, & augeri vetera.*
6. Quantitas vectigalium *ex æquo & bono ſumenda ſubjacet prudentiæ politicæ*, & n.7.
8. *Cavenda enormitas exigentium.*

Invecta merces atque rurſus in plagas
Evecta diſtitas remotè, pendere
Vectigal obligata Principi eſt ſoli.

1 VEctigal mercium eſt, quod mercibus imponitur invectis vel evectis: Quod etiam in plerisque locis *Portorium* (1) vocatur, quaſi pro deportandis mercibus ſolutum, *l. à Legatis. 8. C. de Vectigal.* Videntur quidem Vectigalia odioſa eſſe, quòd mercimonia ſunt jure gentium libera. *Köppen.*
2 (2) *deciſ. 50. numer. 1. & ſeqq.* Sed æquitas vectigalium dependet *à ſalute publicâ*, (3) & lucro mercatorum, ſi enim à Republ. & Principe commerciorum licentia tribuitur, quibus maximum quæſtum faciunt, annon æquum eſt, ut & corpori publico
3 quid compendii exinde decerpatur? Si enim Paſtor eſt Princeps in Republica, quidni conveniat, eum ſuſtentari ex fructibus ovium, id eſt, ex lucro & emolumento civium vel aliorum peregrinorum, qui licentiâ civium utuntur? Annon autem vectigal æquiſſimum, quod ſpeciebus evectis imponitur, quibus Respubl. tua ſpoliatur, alia locupletatur: Gœddæ. *in l. 17. num. 3. ff. de V. S.* Quo reſpectu Impp. *in l. omnium 6. C. de Vectigal.* reſcribunt, Vectigalium non 4
parvam eſſe functionem, quæ debet ab omnibus, qui negotiationis ſeu transferendarum mercium habent curam, æquâ ratione dependi.

Quocirca ſi Neceſſitas & Utilitas alicujus civitatis vectigalia deſideret, eo in 5
caſu poſſunt vel *nova inſtitui, vel vetera augeri.* (4) Quod enim fit authoritate Principis, & conſenſu vel tacito, id eſt, præſcriptione, vel expreſſo, perinde eſt, ac ab ipſo Principe fiat, *c. ſuper quibusdam. §. præterea de V. S.*

Quantitas verò vectigalium ex æquo & 6
bono deſumpta eſt. Quæ quia variari admodùm poteſt, Prudentiæ Politicæ ſubjacet, ſoletque hac in parte ſæpe conſuetudo attendi: De qua Theodoricus Gothorum 7
Rex apud Caſſiodorum *lib. 5. epiſt. 39.* ait; Canonem telonii nullâ patiaris ratione con- 8
fundi, ſed modum Regi utiliſſimum, quantum præſtare debeant imponentes commercandi licentia, æquabili ratione revoces; ne ſe tandem in vagum extendat ambitioſa enormitas exigentium. *Ex jure civili* (5) quod vectigalis nomine pendebatur, erat octava pars rei, pro qua fit ſolutio vectigalis, *l. ex præſtatione. C. de Vectig.* Ex Tacito *lib. 13. Annal. 31. n. 3.* verò liquet, olim quintam & viceſimam pro venalibus mancipiis, (*Lipſius legit quinquageſimam* (6)) aliarum rerum venalium centeſimam fuiſſe; Dio *lib. 51.* Tacit. *lib. 1. c. 78. n. 2.* quæ ad ducenteſimam reducta à Tiberio. Tac. *2. Ann 42. n. 7.*

ANNOTATIONES

Ad

CAPUT LXXIII.

Num. 1.

(1) P*Ortorium &c.*] Ut Vectigal dictum à Vectura vel Invectione & Evectione mercium, Dn. Myler ab Ehrenbach *de Princ. & Stat. Imper. parte 2. c. 64. n. 11.* ita Portorium propriè à portu ſeu pecunia, quæ Reipublicæ ſeu Fiſco ex mercibus penditur. Cujac. *ad l. 3. tit. C. de Vectigal. & Commiſſ.* de quo ultimo Klockius in Capite ſequenti LXXIV. agit.

(2) *Köppen. &c.*] Cum Legibus à Dn. Marquardo *de Jure Mercat. l. 2. c. 3. n. 4. allegatis.*

Num. 2.

(3) *A ſalute publicâ &c.*] Quanquam olim, ut cenſet Heigius *part. 1. quæſt. 17. n 7. ſeq.* & hanc originem Vectigalia Romanorum habuiſſe videntur, ut tutæ eſſent merces pretioſæ, ex longinquis regionibus advehi ſolitæ. Utut ſit, finis omnium penſitationum eſt Utilitas Reipublicæ, ut tam Pacis, quàm belli tempore res & perſonæ Civium in tuto eſſe poſſint; eaque cauſa ea tàm munera, quæ indicta ſunt jam dudum, quàm quæ deinceps Neceſſitate poſtulante exiguntur, ſuſtinet maximè. Adde Klockium *de Vectigal. 8. 76.* Dn. Mylerum &c. *de Princ & Stat. Imp parte 2. cap. 64. n. 1.*

(4) *Vel nova inſtitui, vel vetera augeri &c.*] De multitudine vectigalium, quæ nos Germani Zoll/ Saxones & inferiores Germani Toll vocant, ita legitur in der Weltlichen Reformation Käiſers Sigismundi *cap. 1. apud Goldaſtum inter Conſtit. Imp. pag. 188. & parte 2.* der Reichs-Satzungen: Man ſoll auch wiſſen / das alle Land gar ſchwerlich überſetzt ſind mit Zöllen. In jeglicher Stauden iſt ſchier ein Zoll. Es mag ſchier ein Land deß andern nicht tröſten/

tröſten/ noch zu Statten kommen / noch niemand den andern kein recht Pfenwerck geben. Das alles von Zoll wegen geſchicht. Cùm Principes vectigalia, quæ ſemel intenderunt, vix unquam relaxent, qui hujusmodi Regalia, (ut vocant) ad cujusque regni (*& Principatûs*) Jus & libertatem ſpectare, nec externæ moderationi ſubjacere judicent; ut Cambdenus *in Hiſtor. Elizabethæ circa Annum 1582. pag. 350.* loquitur. Fuiſſe verò inordinatam hanc licentiam, olim in Imperio noſtro haud infrequentem, docemur præter ea Receſſu Imperii, ab Imperatore Rudolpho I. A. MCCLXXXVII. Herbipoli facto, & poſtea Spiræ Anno MCCXCI. renovato: in quo, referente Lehmanno (*in Chronico Spirenſi lib. 5. cap. 108. pag. 629.*) ita ſtatutum. So gebieten wir/ daß niemande keinen nuwen Zoll noch Geleite mache/ noch nemen ſoll/ weder uff Land noch uff Waſſer / und daß alle die Zoll/ die mit Unrecht gehöhet ſind/ anders dann ſie von Alters geſetzet ſind / daß derſelbe Hohunge ab ſie/ und der Zoll belibe/ als er zu recht ſoll. Swer dawider tut / der hat den Landfrieden gebrochen/ und von den Bruch ſo iſt er in der Achte / und in deß Babſtes Banne / den man jehrlich kundet an das anclaſſes Tage/ und in deß Legaten Ban / der Er über unrechte Zölle zu Wurceburg in dem Concilio gekundet hat. Nieman ſol daheimen Zoll nemen wan zu rechte / und da man in zu rechte nemen ſol ſiene das brecht / dan ſoll man haben für ein Straßröber / ꝛc. Et inter articulos Ludorum Equeſtrium in Germania uſitatorum à Rixnero im Thurnierbuch am *XIV.* Blat *n. b.* & Modio *Pandectarum Triumphalium Tom. 2. lib. 1. cap. 9.* in numero Nonus, ſic ſe habet: Quisquis in Imperio, & ſub Imperio, in Principatibus, Ducatibus, Comitatibus, Dominis ſuis, inconſulto, & ſine permiſſu Imperatoris, patrimonii ſui amplificandi, & divitias corradendi ſtudio, novas & inſolitas ſubditis, aut rebus eorum, extraneorúmve, terrâ, marive, in Urbe, in agro, in flumine, exactiones imponeret, ita ut hoc nomine commercia damnum acciperent; ſubditique eorum, aut inquilini, extraneive negotiatores, vicinique jacturam paterentur, hunc equo cum infamiæ notâ adempto ſeptis imponendum. Cùm verò omnia hæc remedia tanti ponderis haud eſſent, ut non erectio novorum, ad minimum auctio teloniorum urgeretur, à Carolo inde V. *art. 8.* ab omnibus inſequentibus Imperatoribus vi Capitulationum, in quas Cæſares jurarunt, & hoc Capitulum ſe ſervaturos promiſſum fuit. Wir ſollen und wollen auch inſonderheit / dieweil Teutſche Nation / und das Heilige Röm. Reich zu Waſſer und Land zum höchſten noch damit beſchweret / nun hinfür keinen Zoll von neuen geben / noch einigen alten erhöhen ohne beſonder Raht / Wiſſen/ Willen/ und Zulaſſen der ermeldten Sechs Churfürſten/ wie vor und offt gemeldt. Leopoldi verò Glorioſiſſimi noſtri Imperatoris articulus XXI. magis extenſus ſic ſonat: Wir ſollen und wollen auch inſonderheit / dieweil die Teutſche Nation und das Heilige Römiſche Reich zu Waſſer und zu Land zum höchſten darmit beſchwert / nun hinfüro (jedoch unbeſchädigt deren / vor dieſem von dem mehrern Theil deß Churfürſtlichen Collegii bewilligter Zoll Conceſſionen/ Prorogationen/ und Perpetuationen/ ſamt deroſelben aus der Käiſerl. Reichs-Hoff-Cantzley / oder auch von dem Churfürſtl. Collegio zwar alſo geſchloſſener / aber daſelbſten wegen entzwiſchen kommenen Käiſerl. Todfall / oder anderer Verhinderniſſen noch nicht ausgefertigter reſpectivè Gutachten/ Conſens-Brieff und Diplomaten) keinen Zoll von neuen geben/ noch einige alte erhöhen oder prorogiren laſſen / es ſeyen dann die benachbarte und intereſſirte Ständ und dero erfordertes/ auch in gebührende Conſideration ziehendes Gutachten / vorhero darüber vernommen/ und hernacher aller und jeder Sieben Churfürſten Wiſſen / Willen / Zulaſſen / und Collegial-Raht mit einhälligem Schluß alſo und dergeſtalt in dieſem Stuck vorgangen / daß keines Churfürſten Widerred oder Diſſens dargegen / ſondern alle und jede dero Collegial-Stimmen einmütig ſeyen / maſſen wir dißfalls die Majora nicht attendirn / auch ohne vorgehende Unanimia zu keinen Stand bringen/ und den Supplicirenden mit ſeinem Begehren gäntzlich hinweg und abweiſen; Wie auch alle diejenige / ſo um neue Zöll / es ſeye gleich zu Waſſer oder Land / oder der alten Erhöhung/ oder auch ſolcher Erhöhung prorogation anhalten werden/ einer Collegial-Verſammlung zu erwarten erinnern / und neben dem Churfürſtl. Collegio jedesmals dahin ſtehen ſollen und wollen / damit durch die ertheilende neue Zöll und Conceſſiones/ andere Churfürſten und Stände in ihren vorhin habenden Zoll-Einkunfften keine Verringerung / Nachtheil oder Schaden zu leiden haben ꝛc. ꝛc. Videtur verò, ut redeamus in viam, hîc aliquid ab Authore noſtro omiſſum, cùm dicit: *Poſſunt vel nova inſtitui, vel vetera augeri. Quod enim fit Authoritate Principis &c.* quæ ſic reſtitui queunt, *Poſſunt cum Conſenſu Principis vel nova &c.* Confer Dn. Myler. *de Pr. & Stat. Imp. part. 2. c. 64. n. 3.* Limnæum *ad Capit. Caroli V. art. 18. p. 239.*

Num. 8.

(5) *Ex Jure Civili &c.*] Evolve Klockium *de Jure Vectigalium* θ. *68.* ubi benè monet, hodiè quantum ſolvi oporteat ex cujuscunque regionis conſuetudine addiſcendum eſſe. Ac quamvis jus exigendi novi & auctioris vectigalis non niſi immemoriali tempore præſcribatur, declarationem tamen quantitatis ſolvendæ benè decennali conſuetudine induci Dn. Mylerus *loco jam dicto n. 12.*

(6) *Lipſius legit Quinquageſimam &c*] Vide Lipſii Excurſus ad locum Taciti *C. pag. 533. ſeqq.* & *de Magnit. Rom lib. 2. cap. 4. pag. m. 57.*

CAPUT LXXIV.

De Vectigali ex Portu & Ripatico.

SUMMARIA.

1. Vectigal ex portu *deſcribitur.*
2. Ripaticum *item quid ſit? ubi de portu naturali & artificiali,* n. 3.
4. *De* Naulo, *quod ſolvitur pro mercibus, hominibus, jumentisq́; de ripa fluviorum in adverſam ripam transvehendis.*
5. Jus riparum *cujusnam ſit?*
6. Uſus riparum *publicus, proprietas eſt accolarum, qui illic prædia contermina habent.*
7. *Negatur, ad declinandam ſolutionem* ripaticorum *quæri poſſe flumen devium.*
8. *Ex venditione* navium & ſcapharum *ingens vectigal penditur Imp. Turcico.*

Tranquillus portus, ſtatio fidiſſima nautis,
Jure Duci debet conciliare lucrum.

1 MErcium, quæ in *portum* (1) vehuntur & evehuntur, locus & ſtatio ſepta, munita & concluſa, ſive ea ſit naturalis (quarum tres Athenis viſas, Thucydides author) vel artificialis, non eſt Regale, de quo *in c. unic. quæ ſint regal.* ſed reditus ſive ille proventus, qui ex portu percipitur, Sixtin. *lib. 2. de Regalib. cap. 4. numer. 10. & 11.* Cardinal. Thuſc. *pract. concluſ. lit. P. concluſ. 385* Cujac. & Hotoman. *in d cap. un.* Georg. de Cabedo *deciſ. 46. num. 6. p. 2.* Gœddæ. *in l. 17. num. 8. ff. de V. S.* Ex quo receptum eſt, ut ſimpliciter portu conceſſo, reditus, niſi in ſpecie exprimantur, haud exiſtimentur translati. Camill. Borell. *de Cathol. Reg. præſtant. cap. 9. num. 26.* Quamvis & reſpectu poteſtatis ſubditos cogendos, ut ſcilicet reparentur & conſerventur portus, publici uſus causâ; item ut quid conferatur
2 in reparationem portus, Regalium Majeſtatis conſortio hoc jus jungi poſſe, exiſtimet Bocer. *de Regalibus cap. 3. num. 132. & 133.* addens, æquum videri, ut in refectionem & reparationem portuum artificialium, de vectigali Imperator aliquid collocet & conferat; cùm naturalis æquitas poſtulet, ut, qui commodum percipit, etiam onera ſuſtineat.

Ripaticum verò eſt vectigal, quod ra-
3 tione ripæ, ſeu aggeris in eâ conſtructi; item trajectûs ſolvitur, cùm ſcilicet homines, ju-
4 menta, vehicula, merces trajectoriis naviculis, quas & vectorias pontones, & Hippagones vocant, de ripâ in ripam dato naulo transvehuntur, *c. un.* ubi Borcholt. *num. 42. quæ ſint Regal.* M. Ant. Peregrin. *lib. 1. de jure fiſci tit. 1. numer. 23.* Petr. Ravennas *in compend. feud. tit. quæ ſint regal.* Joan. Ferrar. Montan. *de feud. lib. 5. cap. 7. verſ. ſunt & riparum.* Roſenthal *de feud. cap. 5. concluſ. 34.* Sixtin. *libro 2. de Regalibus capite quinto.* Petrus Gilken. *in §. riparum numer. decimo quinto. Inſtit. de R. D.* Burſat. *conſil. 142. numer. 1.* Flamin. de Rubeis *conſilio quadrageſimo nono, numer. 36. volum. 1.* Quâ de causâ Fridericus Imperator *in dicto capite unico*, portus & Ripatica conjungit, ut ſicut per portus iſtud vectigal intelligitur, quod navigantes præſtant ex eo, quod in portum divertunt, ibique tutò commorantur, *dict. l. 17. §. publ. ff. de V. S.* Ita & per Ripatica iſtud intelligitur ob jam dictam cauſam, Bocer. *dicto capite 3. numer. 136.* Vim autem hujus vocabuli non percipien- 5
tes Domini terrarum, ipſas ripas ſui juris fecerunt, Afflict. *in dict. cap. unic. verb. ripatica numer. 1.* quæ tamen uti & arbores in ea natæ, privatorum ſunt, *dict. §. riparum Inſtitut. de R. D.* in fluminis illatæ arbores & trabes non juxta ripas fundos habentibus cedunt, ſed veris Dominis reſtituendæ veniunt, *l. 1. & 3. ff. de incend. ruin. naufrag.* niſi poſt publicam denunciationem ea tollere neglexerit Fridericus de Senis *conſil. 107.* Uſus quidem ripæ pu- 6
blicus eſt, quoad quædam, Bald. *in rubr. ff. de R. D.* at proprietas ipſius ripæ eſt accolarum, qui habent prædia proxima, *l. parum. ff. dict. titul. §. ſi parum Inſtitut. eod.* Marius Antonin. Macerat. *lib. 2. var. reſolut. 45. n. 4. & 5.*

An verò ad ripaticorum ſolutionem 7
declinandam, *flumen devium licenter quæratur?* (2) jucunda & fœcunda eſt diſſertatio. Negativæ ſubſcribimus.

Immane, quantum Ærario Turcico ac- 8
cedat ex venditione navium, ſcapharum majorum minorumque, ſive vela habeant ſive non, ubi centeni numi binos perſolvunt Quæſtoribus, quod idē faciunt omnes merces mari advectę; unde dici non poteſt quantum quotannis redeat argenti. Joannes Ludovicus Gotofredus *in Archontol. Coſmic. folio 636.*

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT LXXIV.

(1) P*Ortus &c.*] Definitur Portus *in l. 59. ff. de V. S.* quòd ſit concluſus locus, quo importantur merces, & inde exportantur; eaque nihilominùs ſtatio eſt concluſa atque munita: inde angiportum dictum eſt, ad quæ commentantem vide Gœddeum *hoc loco.* Cæpollam *de Servit. ruſtic. præd. cap. 28. pag. m. 655.* Ubi quærit *n. 4.* An portus maris ingenio hominum fabricati, ſint publici omnium populorum, an verò ædificantium? Reſpondetq; poſt Baldum, eſſe ædificia ædificantium, portus verò publicos.

Num. 7.

(2) *Flumen devium licenter quæratur? &c.*] Addatur Sixtinus *de Regal. lib. 2. c. 5. n. 16. ſeqq.*

CAPUT LXXV.

De Vectigali pro Rheda, Curru & Jumentis.

SUMMARIA.

1. *Pro* curru Rhedâve, *præſtat auriga; pro mercibus Dominus vectigal.*
2. *In* Italia *& alibi nemo curru vehitur, quin Magiſtratui inde ſolverit.*
3. *In* Anglia *minùs decorū eſt, viros curru vehi.*

4. *Magnopere indigent* aurigæ & nautæ *legibus & diſciplinâ, ut qui moribus ſunt diſſolutiſſimi.*

5. *In* Regno Sueciæ *quæ vecturarum & hoſpitalitatum hodie ratio ſit inſtituta?*

6. *Apud Romanos ad quem* curruum vehicularium ſolicitudo *pertinuerit?*

Solvere vectigal ne detrectato, Viator,
Pro pecude & rhedis. Negligis? ultor adeſt.

1 PRo curru & equis, aliiſque jumentis Vectigal etiam pendi ſolet Text. *in l. cum in plures 60. §. 8. vehiculum ff. locat.* ubi Juris-Conſultus pro curru vel rheda vectigal aurigam, pro mercibus Dominum præſtare dicit. Et equos publicos fuiſſe, quibus *aurigæ* (1) uterentur, animadvertere licet *ex lege ſecunda & tertia. titul. Codicis 40. libr. 11.* ubi unius libræ auri mulctam ferre debet, qui equos Circenſes, in ſuos uſus converterit. Bulenger, *de Circo Romano Circenſibusque ludis capit. 50. in principio.* addens, quaſdam quoque Provincias fuiſſe, quæ vectigales equos ac quadrigas populo Romano penderent, quod vectigal non redimebant modò Equites, ſed & Senatores. Aſconius in Oratione contra Antonium; Antonius, *inquit*, redemptas habebat ab Ærario vectigales quadrigas, quam redemptionem Senatori habere licuit per legem.

2 In Gallia currus ordinarios Lugdunum & Aurelias, & in alia loca conſtitutos commodo peregrinantium videmus: Adeò ut ſingulis diebus currus præſtò ſit & ſodalitium proficiſcendi. Reiß-Geſellſchafft. Tale etiam in Belgio, commodo Mercatorum inventum, *curribus, & navigiis ſtato tempore* (2) matutino, meridiano, & veſpertino, ubi loci natura, planicies & aquarum mariſque oportunitas, Bornit. *libr. de Ærario cap. 12.* In Angliâ equos potiſſimùm frequentari videmus, cùm curru vehi ibi viris ſit minùs decorum. Huc refer penſionem, quam privati conductores, pro publicis curribus & equis für die Poſtwagen / und Poſtpferde / (3) pendere ſolent, Vide *Me tract. de Contribut. cap. 2. n. 26. & ſeqq.*

3 Aurigæ olim infames fuêre; nec infames modò, ſed & quadruplatores, Jul. Cæſ. Bulenger. *dict. tract. de Circo Romano Circenſibusq; ludis cap. 49.*

Et aurigas dixit Ludovicus Vives, feces 4 terræ, ſed nautas maris; genus hominum plerumque petulans & bibulum, quod tamen diſciplinâ coërceri, & in Bataviâ, Galliâ, & nonnullis Germaniæ Civitatibus, peculiaribus Statutis devinciri videmus.

5 De Vecturis & hoſpitalitatibus, quibus Regni Sueciæ habitatores gravabantur, Anno MDCIV. in Comitiis Norcopienſibus, in hunc modum conſtitutum invenio: Cùm ejusmodi Vecturæ & hoſpitalitates per anni curriculum inæqualiter tranſeant, ſubditique præter modum illis graventur, & exhauriantur, ut annua tributa perſolvere nequeant, ideò commodiori adminiculo viſum eſt nobis, non poſſe hæc gravamina removeri, quàm ut ſubditi certam pecuniæ ſummam contribuant (ad quam ſeſe promptos obtulerunt) ac deinceps tabernatores ſecus quodlibet iter conſtituantur, & ubi nec dum ſufficientes ſunt, duo aut tres, vel etiam plures, prout neceſſitas poſtulaverit, ordinentur, qui omnes hoſpitalitate excipient, ad quos unusquisque, tam regni Senatores, quàm alii per regnū proficiſcentes, divertent, pro cibo & vectura legitime perſolventes, ſecundùm tenorem ſpecialis Mandati, ſuper hac re publicati, illudque quantum ad proprios regni ſervitores aut nobilium famulos ſpectat: Verùm alii, qui per regnum proficiſcuntur, mercatores, aut quicunque tandem, cum tabernatore quàm poſſunt optimè de ſolutione convenient. Atque ſi plures ad tabernatorem diverterint hoſpites, quàm poſſit domo ſuſcipere & neceſſaria ſuppeditare, ad vicinum ſuum eorum quosdam expediet, qui eadem jurisdictione, quâ tabernator ipſemet, fruetur: Quare cùm exercitus equeſtris aut pedeſtris ad luſtrationem vel militarem expeditionem evocatur, menſtruum, aut hebdomadarium, pro temporis conditione, illa numerabilitas ſalariam, ideòque ubi per regnum tranſierit, in diverſorio ſolvere tenebitur, apud nullum Sacerdotem aut ruſticum diverſans, ſine perſolutione. In quibus Commiſſarii, unà cum aliis Ductoribus militaribus, diligentem inſpectionem circa equites & pedites habebunt, niſi pro meritis, ſi ſecus factum fuerit, pœnam ſuſtinere velint.

Similiter viri nobiles, intra Senatorium ordinem aut extra conſtituti, cùm illi aut eorum famuli per regnum iter inſtituunt, pro ſe, ubi ad coronæ ſubditos pro aliqua promotione obtinenda diverterint, velut regii ſervitores ſolvent. Atq; idcirco cum ſuis propriis ruſticis de aliquo ſubſidio hac in re impetrando, prout cum illis conſpirare poterunt, tractabunt. Neque regni etiam Domini, aut illorum famuli, nobilium ſubditos vectionibus aut hoſpitalitatibus moleſtabunt, niſi pro ſolutione legitima. Verùm ſi contigerit, regni Senatores in reipublicæ negotiis longinquum aliquod iter inſtituere, regni Gubernator illis de Viatico providebit. Hæc unanimiter de Vecturis & hoſpitalitatibus ſtatuere omninò decrevimus: & ſi quispiam his in contrarium fecerit, ſine perſolutione apud Sacerdotem vel ruſticum diverſans, offi-

ciarii per regnum & præfecti, unà cum militibus & plebecula viciniori, illum comprehendent, ſive unus aut plures ſint, & deinceps ſententiam in eos ferent, pœnâ legitimâ ſubſequente, ſine omni gratia reis factâ, & appellatione ad ſuperiorem Judicem quemcunq; tandem.

6 Olim hæc currûs vehicularis ſolicitudo onusque, erat Municipum cujusq; Civitatis, ut patet ex Plutarcho in Galba. Sed cùm Magiſtratus multum eo nomine gravarentur, & plerumque longum, difficileque eſſet, equos vehiculaque habere & obtinere à privatis; Adrianus & Severus hoc munus ad Fiſcum tranſtulerunt. Itaque etiam apud Gallos hic curſus fiſcalis eſt, teſte Petro Ærodo *libr. decimo rerum judicatarum, titul. 13. cap. 8.*

ANNOTATIONES

Ad

CAPUT LXXV.

(1) AUrigæ &c.] Scilicet Circenſes, de quibus Bulenger. *cit. loco in tx.* videndus, qui planè, ut notum, à noſtris diverſi.

Num. 2.

(2) *Curribus & Navigiis ſtato tempore &c.*] Audiamus Schoockium *in Belgio Fæderat. lib. 8. cap. 5.* In Hollandia ejusmodi naves equorum ſubſidio potiſſimùm trahuntur tam convenienti ordine, ut quis definitè prænoſſe poſſit horam, quâ in hunc illúmve locum pervenire poſſit, domumque ſuam redire. *&c. p. p.* Quo verò viatoribus conſuli poſſit, definita hora ſtatuta eſt, quâ naves minores, quæ hominibus ſolùm devehendis ſerviunt, ſolvere debent; pretium quoque definitum eſt, pro diverſa anni tempeſtate varium plerumque, quod à ſingulis viatoribus ſolvitur; itemque conſtat, quo pretio extra ordinem conduci poſſit ejusmodi navis. Et, quo omnia ordine fiant, conſtituti ſunt quidam inſpectores, qui compellant navitas, ut definitâ horâ ſolvant, alii tramitis curam gerunt, equorumque, quorum uſus eſſe ſolet. Utque nihil hîc negligatur, communi conſenſu Magiſtratuum viciniorum locorum, inter quæ naves hæ commeant, leges quædam ferri ſolent, quibus omnia, ad convenientem ordinem pertinentia, comprehenduntur. De aurigis verò ſequentia annotat laudatus Schoockius *dict. loc. lib. 9. cap. 11.* Aurigarum nomine, *inquit*, eos comprehendimus, qui curru, aut hyeme trahâ, de loco in locum devehentes homines, (rarò verò merces aut alia onera,) commeant. Quò verò nihil inordinatè ab iis committatur, Magiſtratus Urbis cujusque procurare ſolet: Qui I. eos conſtituit, ratione habitâ commoditatis curruum, & equorum, quorum miniſterio utentur. II. Ordinem definit, ſecundùm quem quique vecturam facere debeant; aut aleæ jactui ejus definitionem permittit. III. Quantum, ratione habitâ tum anni tempeſtatis, tum etiam loci aut commodioris, aut incommodioris in curru, à quoque exigi debeat, determinat. IV. Ne circa ſarcinas, quas apud ſe viatores habere ſolét, quid litigii oboriatur, aliquid definit. V. Quoties equorum refocillandorum gratiâ in via ſubſiſtere (*pleiſtern vocant*) aurigæ debeant, conſtituit. VI. Et poſtremò, ſi quid ab hoc hominum genere aliàs inhumaniori committatur, ab eo extra ordinem cognoſcit. Quò verò omnia convenientiùs peragantur, nec ordo turbetur: multis in locis curruum Magiſter (*vulgò vocatur* een Waegen-Meeſter) conſtitutus eſt, cui ordinem urgenti, omnes aurigæ obſequium præſtare tenentur: Si quis extraordinarius verò caſus emergat, qui legibus non eſt comprehenſus, aut ſi refractarii aurigæ obſequium ei præſtare detrectent, ad Magiſtratum, à quo ipſe conſtitutus eſt, hæc defert &c.

(3) Poſt-Pferde &c.] Inſtitutum diſpoſitorum Equorum (*vulgò* der Poſten) Cyro adſcribit ex Xenophonte (*lib. 8. Cyrop.*) Forſtnerus *in Not. Polit. ad Taciti 1. Annal. 74. num. 2.* Locum Xenophontis notabilem ſubjungens: Etiam illud quiddam excogitaſſe Cyrum cognovimus, quod ad Imperii magnitudinem pertinet, unde celeriter intelligeret, qui rerum etiam remotarum ſtatus eſſet. Cùm enim conſideraſſet, quantum itineris equus agitatione diurnâ conficere viribus integris poſſet; equorum ſtabula parari curavit, & in eis equos conſtituit, cum illis, qui eorum curam gererent. Ordinavit & quovis loco hominem, qui tùm ad recipiendum literas allatas, tùm ad tradendum eas aliis idoneus eſſet, quique defatigatos equos & homines exciperet, & recentes ſubmitteret. Atque hoc in itinere ne noctu quidem ceſſari dicitur, ſed nuntio diurno ſuccedere nocturnum. Hæc Xenophon. De Regali verò Poſtarum Jure vide plura apud Joachimum Cluten. *Syllog. rer. quotid. θ. 22. lit. B.* Beſoldum *in Theſauro Pract.* & Speidelium *in Speculo, voce* Poſt. Conrad. ab Einſiedel *de Regal. cap. 3. num. 216.* Sixtin. *de Regal. lib. 2. cap. 8. n. 17.* Limnæum *de Jur. P. lib. 2. cap. 9. num. 133. ſeqq.* & *in Notitia Regni Franciæ cap. 7. lit. ppppp. qqqqq. rrrrr. sssss. pag. 570. ſeqq.* Dn. Fritſchium *de Regali viar. publ. Jure cap. 11.* Knipſchildium *de Jur. & Privil. Civit. Imper. lib. 2. cap. 4. pag. 62.* & Ludovicum ab Hornigk, qui integrum de hoc Jure tractatum ſcripſit; nec non de differentia veterum & recentiorum Poſtarum Frider. à Marſelaer. *de Legato Diſſert. 13. pag. 379.* Curſus publici mentio quoque fit *in Novell. 30. cap. 7. §. 3. & final.* ibi: ſed & curſum publicorum equorum illæſum conſervabit, (*Præſes.*)

CAPUT

CAPUT LXXVI.

De Guidagio & Literis Publicis ſive Schedulis conficiendo; vulgò Pollet/ Gleit-Zettuln.

SUMMARIA.

1. Fide publicâ *eatur de loco in locum; ideoq́ ſit literis inſtructus, quas pretio redimat pro ærario.*

2. *Tenetur autem is, qui* literas Salvi Conductus *diſtribuit, viatorem indemnem præſtare.*

3. *Nemo ſectetur viarum ambages, eat viâ regiâ; ſi fide publicâ ſic ierit, damnumq́ intereà paſſus,* Magiſtratus *indemnem præſtet.*

4. *Ne* Princeps *quidem, aut ejus Legatus ad Comitia Imperatoria vadens, per devia eat: Damnum inde ſi patitur, à loci Magiſtratu non compenſatur.*

5. *Tres boni* Principis *notæ*: (1) *Dictorum Fides*, (2) *Monetæ Bonitas*, (3) *Viarum Securitas.*

Guidagii communicati qualitas
Et vis dotatur hocce plane commate,
Rebusque publicis lucrum ne deneget.

1 NEmini in tua Republica de loco ad locum proficiſci liceat, *niſi fide publica ſit munitus*: (1) *Quo nomine ſchedulæ* (2) ſive literæ teſtimoniales concedi; (vulgò Paßbrieff/ Gleit- oder Frey-Zettuln) & Guidagium à peregrinante pro ſalvo conductu exigi ſolet. Quod jus per vias publicas euntes, redeunteſque conducenti introductum eſt, ut certior ſit viarum ſecuritas, vulgò, die Gleitliche Obrigkeit / auf Keyſerlicher Heer- und Reichs-Straſſen zu gleiten: Hocque jure qui utuntur, dum per alienas provincias transmeant, nomina ſua edere, & certum (ut dixi) cenſum perſolvere ſolent.

2 Verùm & heic obſervandum eſt, quòd qui ejusmodi vectigal exigit, etiam ſecuritatem à latronum & banditorum graſſationibus & inſidiis transeuntibus præſtare, ac equos emiſſarios, Land-Reuter / ſtipendio ſuo alere, nec non damna emendare teneatur. Nam Magiſtratus, qui Vectigal, aut ſimile quid accipiunt, & vias publicas in territoriis ſuis ſartas tectas conſervare, & ea, quæ ad ſecuritatem viarum publicarum ſpectant, curare debent, quò videlicet à malis hominibus purgentur, & ne plagiariis, prædonibus, &c. infeſtentur: Quod ni faciant *deprædatis damna reſarcire tenentur*, (3) Æmil. Ferret. *conſil. ſecundo, numer. 5.* Zaſ. *conſil. 14. numer. 8.* Camill. Borell. *de Reg. Cathol. præſt. capit. 11. numer 55.* Cacheran. *deciſ. 138. num. 24.* Mynſing. *5. obſerv. 70.* Gail. *2. obſerv. 64. numer. 4.* (ubi ita in Camera judicatum refert) Roſenthal *de feud. cap. 5. concluſ. 22.* qui ait, ſe meminiſſe ſecundùm hanc ſententiam in Camerâ Imp. ſæpius judicatum, Matth. Stephan *de Jurisdict. Imp. Roman. lib. 2. part. 1. cap. 7. numer. 405.* Alphonſ. de Azevedo *in Conſtitut. Reg. Hiſpan. libr. 8. tit. 6. l fin. numer. 5. & 6.* Renat. Choppin. *de LL. Andium. libr. 1. cap. 59. numer. 1.* ubi arreſtum antiquiſſimum Parlamenti Pariſ. refert, Sixtin. *libr. 2. de Regalib. cap. 2. num. 35. 36. & ſeq.* Bocer. *de Regalibus cap. 2. num. 157.* Arniſæ. *de Jur. Majeſtat. minor. cap. 5.* Et Imp. Fridericus III. in Reformatione Moguntin. Ann. MCCCCXLI. Statibus exhibita in declarat. 4. *art. 9.* non prævia ſolutione vectigalis dominos ad damni reſtitutionem condemnandos cenſuit.

Hoc tamen tunc demum obtinet, ſi *viâ* 3 *Regiâ deprædatus uſus fuerit*, (4) nec ab ea deflexerit, Roſenthal *dict. concluſ. 22.* Si enim per inſolitas vias vagatus fuerit, ac ibi damnum paſſus, ſibi quod imputet habet. Gail. *dict. obſerv. 64. numer. 11.* Colerus *de proceſſ. execut. part. 1. cap. 2. numer. 197.* Sixtin. *dict. cap. 2. num. 4.* Quod adeò verum, & etiamſi Elector aut ejus nuntii ad Comitia Imperatoria proficiſcentes inſolitam viam, cujus conductum petere neglexerint, ingrediantur & ſpolientur, Dominus territorii non teneatur ad damni emendationem, Aur. Bulla *tit. 1. verſ.* Wir * wollen ibi: auch den Weg/ den er reiſen will/ verkündige und anzeige.

Nonnulli & inter hos Bocer. *dict. tract. de Regalib. cap. 2. num. 156. & ſeqq.* & Knich. *ad Jus Saxon. verb. Ducum. c. 5. num. 185. & ſeq.* ſpecioſè propugnant, Dominum non aliter, quàm ſi ſalvum conductum conceſſerit, transeuntibus & Vectigal ſolventibus ad damni reſtitutionem teneri; pedemque figunt in Receſſu Imp. de Anno MDLIX. §. Damit dann die Obrigkeit. Quorum opinionem maſculè refellit Agnatus noſter, Dominus Henricus Klock. *in Diſcept. Politico-Juridic. de Vectigalium jure theſ. 77. in fin.*

Atque hoc ipſum, ut & probam monetam, ac obſervationem fidei datæ tanti fecit bellicoſiſſimus olim heros, Philippus Landgravius Haſſiæ, ut *dicere ſolitus ſit*, (5) 5 tres eſſe notas Principis: 1. Dictorum fidem, Treu und Glauben. 2. Monetæ Bonitatem, Aufrichtige Müntz. 3. Viarum Securitatem, Reine Straſſen.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT LXXVI.

Num. 1.

(1) *Niſi fide publica ſit munitus &c.]* Quærit Thomas Maulius *in Tract. de Jure conducendi tit. 3. num. 17. pag. 52.* num Mercatores aliive peregrinantes ad ſolvendum Guidagium das Geleit-Geld / adeoque redimendum Salvum Conductum cogi poſſint? Reſpondetque, Niſi Dominus Jus conducendi ex Privilegio Cæſareo, vel ex præſcriptione habeat Jus exigendi guidagium & cogendi Mercatores & peregrinantes, ad redimendum ſalvum conductum Mercatores & peregrinantes ad id cogi non poſſe, Reichs-Abſchied de Anno MDXLVIII. §. Ferner zu noch mehrer beſtändiger / ibi: daß einem jeden / an Orten es herkommen ohn Weigerung auf ſein Anſuchen gnugſam Geleit gegeben / ꝛc. Ad officium enim Principis pertinet etiam absque teſſera publicæ ſecuritatis, ſive ſalvo conductu Provinciam ſuam purgare malis hominibus, & diſpoſitos milites ſtationarios habere ad tuendam popularium quietem. (*per Jura ibid. allegata*) Ideò enim ab Imperatore Regalia habent, ut iis regaliter utantur, hoc eſt, regiâ manu vias publicas ſecuras & purgatas latronibus ſuis ſumptibus teneant, *l. 3. & l. congruit ff. de Officio Præſid.* & publicè utile eſt, ſine metu & periculo per itinera commeari, R. A. zu Augſpurg de Anno MDXLVIII. d. §. Ferner & R. A. de Anno MDLV. §. Nachdem aber ein jeder ꝛc. Joh. Georg. Becht *de Securit. & Salvo Conduct. cap. 3. 8. 55.* Aliud tamen obtinere putarim in Mercatoribus ad Nundinas publicas proficiſcentibus, quibus omninò ſalvum conductum petere & ni pœnam incurrere velint, guidagium ſolvere ex generali & notiſſima ferè totius Germaniæ conſuetudine incumbit.

(2) *Quo nomine ſchedulæ &c.]* Salvus conductus (*de quo hic ſermo*) præſtatur vel literis tractatoriis, quas Geleits-Zettul oder Geleits-Brieff / & in Jure Saxonico *Gl.* Weichbild *art. 8. in verb.* Maut und Zoll / vocantur Bolleten / ibi: Daß man Bolleten nehmen ſolle, das ſeyen Geleits-Brieff / und von dem man die Bolleten nahme / ſolten den Nehmer Schadlos halten binnen ſeinem Geleit. Et harum Bolletarum ſive teſſerarum publicæ ſecuritatis paſſim meminerunt Juris interpretes, ut Jacob. de S. Georg. *in Tractat. de Feud. in verbo Marchio §. quæritur numer. 4.* Gail. *2. Obſervat. 64. num. 5.* Panſeman. *in Reg. Juris de expugnatis Anno MDXCIII. Adolphi Weinhauſen ædibus, dato Senatui Lipſ. quæſt. 1. num. 166* ubi concludunt, quòd Dominus territorii datâ Bolletâ intelligatur tranſeuntibus dediſſe ſecuritatem & fiduciam per totum ſuum territorium. Et iſte Conductus vocatur das Schrifftliche Geleit. Vel præſtatur iſte conductus adjunctis Miniſterialibus quandoque Principum ipſis, vel militibus, aliisve Equitibus, qui cuſtodiant & conducant tranſeuntes, & vocatur das perſönliche oder lebendige Gleit / & iſti conductores vocantur die Gleits-Führer / Gleits-Leut / der Gleitsmann ꝛc. und werden die Kauffleute in die Meſſen und von den Meſſen gemeiniglich durch ſelbe mit lebendigem Geleit begleitet. Maulius *d. loco tit. 5. pag. 75. 76.* & poſt illum Knipſchild. *de Jur. & Privil. Civit. Imp. lib. 2. cap. 26. num. 17.* Quo nomine guidagium das Geleit-Geld ex uſu & conſuetudine cujusque loci præſtari ſolet. Et optandum foret, ut guidagium non degeneraret in Gabellam, id eſt, in genus fœmininum, ſemperque imprægnari & parere cuperet, cùm tot appendices illud & tam numeroſa ſoboles incommodorum & largitionum ſequatur, ut timendum ne impenſis in ſalvum conductum à Mercatoribus præſtandis, hisce fatalibus præſertim commerciorum interitum minitantibus temporibus, illi tandem impares nundinas frequentare deterreantur.

Num. 2.

(3) *Deprædatis damnum reſarcire tenentur &c.]* Atque in eo conſentiunt cum Klockio noſtro G. Chriſt. Walther *de Metatis cap. 10. quæſt. 39. pag. 110. & 111.* Henr. Klockius *de J. Vectigal. numer. 77.* Becht. *de Salvo Conductu 8. 62.* Ludov. Schrader. *Miſcell. cap. 22.* Knipſch. *de J. & Priv. Civit. Imp. lib. 2. cap. 5. numer. 156.* Maul. *de J. Conducendi tit. 7.* Panſeman. *d. loc. Reſp. ad quæſt. 1. num. 164. ſeqq. pag. 99.* Dn. Myler ab Ehrenbach *de Princ. & Stat. Imp. parte 2. cap. 59. num. 5.* Dn. Marquard. *cum allegatis Dd. de Jur. Mercat. lib. 1. cap. 13. num. 38.* ubi ampliat *n. 41.* hoc etiam procedere, ut, etſi ſalvus conductus petenti mercatori denegetur, & is poſtea in via publica ſpolietur, mandata ſine clauſula decerni poſſint contra eum, qui ſalvum conductum denegavit, *per Ordinat. Camer. parte 2. tit. 23.* & P. Friderum Mindanum *lib. 2. cap. 57. num. 2.* Additque D. Marquard. *ibid.* Ita ejusmodi mandatum decretum eſſe ad Inſtantiam Civitatis Francofurtenſis, contra Ducem Wurtembergenſem, quo Duci mandatum fuit, ut ſecundùm petitionem reſtitueret Mercatoribus ſpoliatis merces ablatas, & inpoſterum tempore nundinarum Francofurtenſium ſalvum conductû petentibus Mercatoribus, ut in Imperio uſitatum eſt, concederet. Confer Roſacorbium *Pract. Obſ. c. 18. n. 3.* Dn. Fritſchium *d. loc. c. 12. n. 10. 11. ſeqq.*

Num. 3.

(4) *Si viâ Regiâ deprædatus uſus fuerit &c.]* Ita tenent communiter Dd. omnes jam laudati. Quæ verò via illa Regia ſit, ſi quæratur, ea nulla alia eſt, niſi via publica, quam nos Germani vocamus die Land- und Heer Straſſe / Geleit-Straſſe / die Käiſerliche / item deß H. Röm. Reichs Straſſen und Bahnen; Quæ viæ publicæ in Jure Romano quoque *l. 2. §. 22. verſ. publicas vias. ff. ne quid in loc. publ. &c.* βασιλικαὶ, i. e. Regiæ, item Prætoriæ, & Conſulares dicuntur. Confer Dn. Fritſchium *de Regali viarum publ. Jure cap. 1.* & Authorem noſtrum *cap. ſeq. 77. n. 16.*

Num. 5.

(5) *Dicere ſolitus &c.]* Einen Fürſten ſoll man erkennen bey Haltung beſchehener Zuſage / reiner Straß / und guter Müntz / Zinckgraf in Teutſcher Nation *Apophthegmatibus.*

CAPUT LXXVII.

De Pedagio ſive Vectigali ex Pontibus; Ubi & plura de Portorio & Portario: vulgò Bruckenzoll / Item Weggeld.

SUMMARIA.

1. Pontes *lignei, lapideive ut conſerventur, opus eſt, ad quod modico vectigali opus erit; quod vocatur* Pedagium, num. 2.

3. *De* Ponte *quodam celeberrimo, quo Trajanus rapidiſſimum Danubium ſtravit*, num. 4.

5. *De* Francorum Regum *Imperatorumq́; oneroſis* Vectigalibus *abrogatis: ſed tamen retentis iis, quæ ex pontibus, viisque publicis, ubi pluribus de modo rationeq́; exigendi pedagii*, num. 6.

7. *Cùm viæ tutæ planaq́; præſtandæ Magiſtratuum impenſis; æquum eſt, à viatoribus has compenſari.*

8. *Tenentur è contra* Magiſtratus vias *terrâ, & fluminibus ſecuras præſtare: Idque legibus firmatur* n. 9.

10. *Qui ſcit* damnum *dari, nec prohibet, cùm poſſit & debeat, damnum dediſſe videbitur; &* n. 11. *aliàs non cariturus ſuſpicione ſocietatis*, n. 12.

13. Magiſtratus *non prohibens delictum, conſcius ſceleris reputatur.*

14. *In utramque partem ventilatur; an* pedagium *pro ſolo tranſitu per vias publicas ſolvendum? Pro Negativa vide* num. 15. 16. & 17. *Pro affirmativa afferuntur rationes*, n. 18. 19. & 20.

21. *Auctor decidit certis poſitis conditionibus pro Affirmativa*; & n. 22.

23. Æquitas pedagiorum *pendet ab impenſis magnis, quæ fiunt in viarum pontiumq́; refectionem.*

24. Impenſæ *ſunt aliæ neceſſariæ adversùs imbres, tempeſtates, inundationesq́; &c. pro quibus faciunt pedagia.*

25. *Differentia inter* Portorium, Portarium, Pedagium, & Guidagium.

26. *Nota de* Teſtimonialibus, *quibus peregrinantes fidem faciunt, ex locis infectis non advenire.*

27. Pertinax Imperator *omnia vectigalia in fluviorum ripis & urbium pontibus, &c. à tyrannis excogitata remiſſit.*

28. Jus exigendi pedagium *perditur deſtructo ponte; neque illud ſolvere tenebuntur tranſeuntes per aquam.*

E pontibus vectigal eſt Pedagii
Nomen ſuum ſortitum; & hic Portorii
Portariique jus docetur integrum.

1 NOn iniquum eſt, ut *pontium ex ligno vel lapide*, (1) ut terra cum terra jungatur, ad eundi commoditatem, inſtruct-rum nomine, modicum vectigal der Brückenzoll pendatur; cùm publicè & privatim interſit; pontes tam lapideos, quàm ſublicios, & penſiles, imò & quosvis ponticulos in ſuo ſtatu conſervari. *Pontaticum* hoc vectigal quod in tranſitu pontis datur, appellat Aimon *lib. 5. cap. 1.* Et ob tranſitum pontis portorium præſtari, indicat text. *in l. cum in plures 60. §. vehiculum ff. locat.* ubi hæc extant verba: *Vehiculum conduxiſti, ut onus tuum portaret, & tecum iter faceret; id dum pontem tranſiret, redemptor ejus pontis portorium ab eo exigebat: Quærebatur, an etiam pro ipſâ ſolâ rhedâ portorium daturus fuerit? &c. l. 203. ubi Gœddæ de V. S l. 3. C. de vectigal.* Hoc portorium Galli *Pontage* vocant, Renat. Choppin. *l. 1. de Doman. Franc. tit. 9. num. 2.* Neque probanda eſt ſententia Vultei *de feud. lib. 1. cap. 5. n. 7. & d. com. juxta* Roſenthal. *de feud. cap. 5. concluſ. 31. num. 4.* qui portum (cujus fit mentio *in c. unic. quæ ſint. Regal.*) interpretantur de vectigali, quod pro tranſitu per pontem ſolvitur. Portus ſiquidem appellatione pons non continetur. Et Vectigal, quod tranſeuntes per pontem aut publicam viam pendunt, propriè Pedagium appella- 2
tur *c. innovamus extr. de cenſib. c. quanquam de cenſib. in 6.* Bocer. *de Regalib. c. 3. num. 131.* Et quando magni, propter magnam in ſuſtinendis pontibus vel ageribus contra impetum fluminis difficultatem, ſumptus eroganțur, etiam immunes aliàs & exempti à Vectigalibus pedagia & gabellas conferre tenentur: quemadmodum Argentinæ pontem Rhenanum longiſſimum nemo tranſit ſine vectigali, etiamſi ſit Clericus, perſona Eccleſiaſtica, non attendentes *Clement. præſent. de cenſib.* quæ animarum periculum & excommunicationis ſententiam interminat iis, qui à Clericis pedagia vel guidagia, ſuo vel alieno nomine, exigunt & extorquent. Interdum quoque, ubi vadum deſit, pontone trajiciunt, diciturque Trajectus: ſed portitor naulum poſcit, vulgò Fahrgeld.

Pontem viginti pilis ex quadrato lapi- 3
de conſtantem, quo bellicoſus ille Trajanus, ubi Daciam alluit Danubius, utramque junxerat ripam, præter alios adprimè laudat Dio Caſſius *libr. 68.* ubi & pontem hunc cunctis Trajani operibus præſtitiſſe, judicat; ut ex Xiphilini *Epitome* cognoſcimus. Et admirandum planè fuiſſe nemo diffitebitur, qui cogitarit, quãtæ fuerit induſtriæ exſtruere aliquid hujusmodi in rapidiſſimo Danubii āne.

Sanè, Xiphilino eodem teſte, pilæ ſingulæ altæ fuerunt pedes CL latæ pedes LX. 4
Nec ſolùm difficultas ac præſtantia, ſed utilitas quoque, nobile opus cōmendabat. Nam eò ſpectavit Trajanus, ut ſi Danubius frigore conſiſteret; nec vel navigio iter pateret, vel pedibus; per glaciem infirmam, ponte hoc tranſire poſſent Romani. Ac licet Hadrianus, qui Trajano ſucceſſit, hunc pontem reſciderit, tamen id non invidiâ erga Trajanum, ut vulgò perſuaſum eſt, verùm potiùs, quòd prudentiſſimus Imperator vide-

videret, barbaros, hujus pontis cuſtodi-
bus interfectis, facilè poſſe in Myſiam
tranſire. Xerxes quoque ille Regum po-
tentiſſimus ligneum pontem ſeptem ſta-
diorum conjunctis inter ſe navibus, con-
ſtruxit, Herodot. *lib 7. cap.25. Sed Cajus
Caligula pontem* (2) multò iſto longiorem.

5 Imperantibus Francorum Regibus ac
Imperatoribus innumera & admodùm one-
roſa vectigalia, quibus omnes regiones ac
provinciæ à Romanis aggravatæ atque ex-
hauſtæ fuêre, demum abrogata ſunt, ex-
ceptis tributis, ex pontibus, & portubus,
collectis. Præterea Pedagium (Weggeld/)
hoc modo exactum fuit; ut, ſi quis unà cum
mercibus ſuis per viam publicam, ubi nec
pontes, trajectus, nec ejusmodi aliquid in
uſum negotiatorum exſtructum, tranſiret,
tunc pedagium (quod tranſituram aliàs vo-
citarunt) tantummodo ad viarum repara-
tionem perſolveret. Nec quisquam in hu-
jusmodi publicis viis telonium inſtituere, aut
vectigal exigere potuit. Si quis autem per
pontes, fluvios, aut vias magnis ſumti-
bus exſtructas terrâ profectus eſſet, aut navi-
6 bus ad locum Stapulæ (Staffelſtett) perve-
niſſet, ibique merces ſuas expoſuiſſet, ac ve-
num dediſſet, aut alias emiſſet, & navibus
impoſuiſſet, in teloniis ibidem inſtitutis
quilibet negotiator ſive Mercator certum
vectigal pendere coactus fuit: Qui verò non
negotiandi, ſed domicilii transferendi cau-
ſâ, cum ſupellectili ſuâ aliò migraſſet, ubi-
que ſive pontes tranſiens, ſive ad portus ap-
pellens, ab omni tributo & pedagio liber
fuit, ſicut & ii quoque, qui ad aulas Prin-
cipum vel ad exercitum profecti ſunt, Leh-
man. *in Chronico Spirenſi libr. 2. cap. 44.
pag.190*

SanGallenſis quidam Monachus *de Ge-
ſtis Caroli Magni;* Fuit, *inquit*, conſuetudo
illis temporibus, ut ubicunque aliquod o-
pus ex Imperiali præcepto faciendum eſ-
ſet, ſi quidem pontes, vel naves, aut traje-
cti, ſive purgatio, ſeu ſtramentum, vel im-
pletio cœnoſorum itinerum, ea Comites
per vicarios & officiales ſuos exequeren-
tur, in minoribus duntaxat laboribus. A
majoribus autem & maximè noviter in-
ſtruendis nullus Ducum vel Comitum, nul-
lus Epiſcoporum vel Abbatum excuſaretur
aliquo modo. Cujus rei teſtes adhuc ſunt
arcus pontis Magontiacenſis. Si verò eſ-
ſent Eccleſiæ ad jus regium propriè perti-
nentes, laquearibus vel muralibus ador-
nandæ picturis, id à vicinis Epiſcopis aut
Abbatibus curabatur. Quod ſi novæ
fuiſſent inſtituendæ, omnes Epiſcopi, Du-
ces, & Comites, Abbates etiam quicun-
que regalibus Eccleſiis præſidentes, cùm
univerſis, qui publica conſecuti ſunt bene-
ficia, à fundamentis usque ad culmen in-
ſtantiſſimo labore perduxerunt, Linden-
brog. *ad Gloſſ. ad LL. antiq.* verbo Pontium
reſtauratio *pag.1458.*

Viam quoque publicam cùm Magiſtra- 7
tus magnâ curâ & ſumptu planam & tu-
tam commeantibus debeat præſtare; æ-
quum eſt, aliquid in auctoramentum &
compenſationem eorum ſumptuum à
viatoribus retribui. Germani Weggeld/Galli
Barragium vocant.

At ſi Dominus alicujus territorii, pro- 8
vinciæ vel univerſitatis à tranſeuntibus
exigat pedagium, tenetur reſarcire, ſi quid
damni iis in via publica illatum fuerit, ut
dixi Capite præcedenti: Quod etiam ad
navigationes referendum, quas Princi-
pes pro vectigalibus tutas præſtare coguntur
Daß ſie die See mit Kriegs- Jagt- und Con-
voyſchiffen ſicher halten.

——— *Patrium vectigal ſolvere gaudet,
Immunis qui clade fuit.* ——— *Claud. Poëta.*

Alle/die Zölle nehmen auf Waſſer oder
Land / die ſollen den Wegen und Brücken
ihr Recht halten / mit Machen und Beſſe-
rung / und von denen ſie die Zölle nehmen/
ſollen ſie beleiten nach ihrer Macht / als fern
ihr Gewalt gehet / daß ſie nichts verlieren/
Reichs-Abſchied Friderici II. *de Anno 1236.* 9
cap. 10. numer. 3. Goldaſt. *Conſtit. Imper.
tom. 1. p. 82.* & pœna adjicitur: Wer diß
dreymahl bricht / der Zoll ſoll dem Reich ledig
ſeyn / Goldaſt. Reichs-Satzung 2. *part. 19.
& p. 27.* ubi à ſucceſſoribus hæc conſtitu-
tio repetita invenitur.

Nam paria ſunt delinquere, vel delin-
quenti non reſiſtere, *l. 3. §. tantum. ff. de ad-
miniſtratione tut.*

*In ſe derivat certo diſcrimine culpam,
Qui mala non prohibet, cùm prohibere po-
teſt.*

Vocaturque delictum hoc omiſſionis &
negligentiæ, quando quis bonum potuit
facere, non tamen fecit, & qui frænum
& capiſtrum delinquenti potuit injicere,
ſed neglexit, & licentiam delinquendi
conceſſit, Althuſ. *lib. 1. Dicæolog. cap. 118.
num. 2.* fusè Thuſc. *in litera P. concluſione 894.*

Et qui ſcit damnum dari, nec prohibet, 10
cùm poſſit, ipſe feciſſe cenſetur, ejusque
ſcientia pro facto habetur, ac ratificatio-
ne, *l. 1. §. 1. l. 5. ff. ſi famil. furt. feciſſe dic. l. 4.
§. hoc autem Edicto & §. ſeq. ff. vi bon. rapt.
cum ſimilib.* Bart. *in l. ne quid. num. 2. ff. de
incend. ruin. naufrag.* Joan. Goddæ. *conſil.
Marpurg. 24. num 195. vol. 1.* Imò omnis, 11
qui ſcivit, nec prohibuit malum, cùm fa-
cultatem prohibendi haberet, tenetur
ad damnum; Et, quod amplius, non ca-
ret ſuſpicione occultæ Societatis. *c. faci-
entis. 82. diſtinct.* Thuſc. *in dicta litera D. con-
cluſione 15. num 6. poſt Anchoranum conſilio* 12
158. numer. 4. Köppen. *deciſ. 37. numer. 4.*
Et qui prædones fovet, culpæ eorum par-
ticeps eſſe videtur, *c. delicto filio, de ſent. ex-
com.*

com.in 6.l. 1. verſ.domus verò C. de falſ.mon. Nov.13.cap.5. Bocer. *d. t. de regal.cap.2.numer.159. verſ. Eſt & alius* Boſſ.*d. damn.dat. num.6.* Azeved. *ad Conſtit. Regn. Hiſp. libr. 8. tit. 9. l. fin. num. 8.* Coler. *deciſ.189. num.4.*

13 Ac Magiſtratum, qui non prohibet delictum, conſcium ſceleris reputari, reſponderunt Menoch. *conſil. 550. num. 2.* Aldov. *conſil.20.num.6.* Sigiſm. Scaccia *de Jud.civil. & criminal cap.58 col.1.*

Sed *an pro ſolo tranſitu per vias* (3) publicas Territorium Domini pedagium rectè exigant, non inconcinnè disquiritur. Negativam qui tuentur, hisce fermè nituntur fundamentis.

14 Quòd ſolutio pedagiorum pro ſolo tranſitu pugnet cum liberrimo jure gentium, omnibus conceſſo viarum publicarum uſu, *l ſi locus 14. §. fin.ff. quemadm.ſervit amittat. l. fluminum 94. in princ. ff. de damn. infect.cum ſimilib.*

15 Et in jure Canonico pedagia pro ſolo tranſitu omninò prohibita ſunt, *c. quanquam 4.de cenſib. in 6. & paſſim. tot. tit.ff.& C.de. publican. & vectigal.* Et in jure Saxonico eſt textus *lib. 2. art. 27.ibi:* Ein jeglich Mann ſoll auch zoll frey ſeyn / er fahre / reite oder gehe ꝛc. Quò etiam facit, quòd in dubio pro libertate & pro liberatione potiùs pronunciandum. Hinc viæ publicæ appellantur regiæ Keyſerliche freye Heer- und Reichsſtraſ-

16 ſen und Bahn. Andr. Gail. *de pace publ.lib. 2.cap.1. num. 12.* Regner. Sixtin. *de regalib. lib.2 cap.2.num 9.* quæ propria ſunt Principis, ut non detur in iis quaſi poſſeſſio alicujus certæ perſonæ, ſed communes ſint omnibus. Menoch. *conſ.448. numer. 10.* olim viæ publicæ ſeu Regiæ, Prætoriæ vel Conſulares nuncupatæ. Coraſ. *in l.1.num.96.ff de ſervit.* Bartholom. Bertazzol. *in tractatu clauſularum clauſ.20.gl.26.num.2.* Pet. Greg Tholoſ. *ſyntagm.jur. univerſi lib. 2. c.2.num.5.& de rep.lib.9.cap. 1. num. 21.* Lud. Molina Jeſuita *de delict. diſput.707.numer. 4.* Joan. Bonifac. *de furt.§ alienæ rei num. 49. fol. 246.* Roſenthal. *de feud.cap. 5. concluſ.20. num.1.* Quæ Regalibus diſertè adnumerantur, *c. unic. quæ ſint regal.* Matth. de Afflictis *in conſtit. regni lib. 1. rubr. 8. num. 62.in fin.& in dicto capit.1.univerſæ viæ publicæ.* Chaſſan. *in Conſuet Burgund. rubr. 1. in pr.verb. Et droits d'i colles, num 35.& in catal glor. mundi, parte 5. conſiderat.24.n. 2.* Mynſinger. *cent 5. obſ.70.* Gail. *2.obſervat. 64.n.2.* Surdus *conſ.321.num. 3.* Choppin. *de LL. And.lib.1.cap 43 fol.334. & ſeq.& de Domanio lib.2.tit.7.num.22.* Joſeph. Ludov. *concluſ. com. 76. num. 12.* Petr. Greg. Tholoſ. *ſyntagm juris.univ. lib. 3. cap. 13.num. 1.& lib. 32.cap. 9. num. 2.* Alexan. Raudenſis *deciſ.piſan.11.n.26.* Franc. Marcus *deciſ.592.num.2 p.1.& deciſ.672.p.2.* Ægid. Boſſ *in pract.tit.de via publ.num.1. item in titul.de aquâ & flumine numer. 1.* Alb. Brunus *conſil. 177. verſ. Quinto.* Aug. Berous *conſ. 136.num.11.vol.3.* Rol. à Valle *conſ. 97. num. 4.vol.3.* Alciat. *conſ.1.num.13. lib 7.* Camill. Borell. *conſil.26.num. 25.* Franc. Becc. *conſil. 15.numer.5.* Carol. Bardellonus *conſ.91.num. 6.* Vivius *opin 510. num. 2. & ſeq.* Andr. Rauchbar. *1.q.juris 23.num. 6.* Joan Forſter. *de Juriſdict.Rom.p.2.annot.ad l.4.ſect.1.num. 22.* Alvar. Valaſc *de Emph. qu. 16.numer.6.* Henning. Arniſæ. *de jur. majeſt. minor.cap.5.* Hinc quoque contra eos qui viæ publicæ uſū ſine juſtâ causâ impediunt, Camera Imperialis præcepta ſine clauſulâ, ut in facto, omni jure prohibito, decernere ſolet, ut in cauſa civitatis Aquisgranenſis contra Ducem Juliacenſem XXVII. Octobr. Anno MDLXXXVI decretum.

Plura adducit præjudicia Roſenthal *d. concl.20.*

II. Quòd actus commeandi per vias 17 publicas ſit facultatis publicæ, & præſcriptionem excludat, *d.l. 2.ff.ne quid in loco publico, l. viam publicam. 2.ff. de via publ.* Cui convenit text. *in l.11. C. de ſervit.& aq.* ubi per alienum agrum, qui ſervitutem non debet, ire vel agere non licet, uti autem viâ publicâ nemo rectè prohibetur.

III. Quòd Domini Territorii, quibus jus exigendorum vectigalium de mercibus ab Imperatoria Majeſtate communicatum eſt, conceſſionis hujus legem excedere, & ultra exigere non debeant, per text. *in l. 5.C.de vectigal.* Cùm vectigalium novorum exactio, veterúmve auctio ſine Cæſaris & Electorum conſenſu flagellandæ annonæ, perturbandæve quieti publicæ inſtituta pertineat ad Cæſareæ Eminentiæ dignitatisque Electorcæ injuriam, Reichs-Abſchied de Anno 1576. §. Weiter ſeynd wir 119. Lehman. *in Chron. Spir libr. 5 cap. 108 fol.639.* ubi refert, Receſſum Imp. Rudolphi I. Præjudicia, quòd ſic quidam Domini Territoriales in pœnam condemnati ſunt, vide apud Gylmannum *Symphorem.tom. 1.part.2 tit.6.ſupplic.2.pag.36.& 37.& tom.5.in verb.vectigal pag.350.*

Rationes pro Affirmativâ hæ ſunt. I. 18 Quòd Principes aliique Status Imperii de Regalibus omnimodaque juriſdictione inveſtiti in ſuis territoriis ſint Domini viarū publicarum, & poſſint extraneis ſubditis interdicere, ne aliter, quàm ipſi velint, ſua loca ingrediantur.

II. Quia hoc jus Dominis Territoriorum per longiſſimum tempus eſt quæſitum. 19

III. Quia à neceſſitate ſolvendorum pedagiorum, vulgò das Weggeld / eximuntur Clerici, *c. quanquam 4.de cenſib. in 6. & Clement. ult. eod.* ubi ex verbo, *non negotiandi causâ*, patet, pedagia non dici pro ve- 20 ctigalibus, quæ penduntur de mercibus, ſed dicuntur ea, quæ dantur à tranſeuntibus in locis conſtitutis à Principe. Cæteri ergo

ergo non exempti remanent ſub illa poteſtate, *arg. eorum*, quæ tradit Everhard. *in loc. ab Exceptione ad regulam.*

Verumenimverò hæ opiniones diſcrepantes, certo temperamento adhibito, facilè conciliari poſſunt; quippe ſi (1) neceſſitas vel utilitas publica hoc efflagitet, ut
21 pontes exſtruantur, vel novæ viæ ſternantur, &(2) Magiſtratus, qui vias & pontes exſtruere vel reficere cogitur, ex ordinariis proventibus illos ſumptus ferre nequeant, nec non (3) juſta & rationabilis cauſa ſubſit; hoc caſu ejusmodi portoria & pedagia **Brückenzoll und Weggeld** / inſtitui poſſe dubitandum non eſt. Nicol. Everhard. Præſes *conſil. 3. num. 10.* Roland. à Valle *conſil. 34. num. 36.* (ubi hanc juſtam publicam applicat pro ſtipendiis, pontibus, defenſionibus ſtratæ publicæ, item fidei vel patriæ) Cacheran. *conſil. 31. num. 21. & ſeqq.* Et privi-
22 legium levandi pedagia ſolere concedi, ſi patria ſit tenuis, in individuo reſpondit Bald. *conſil. 240. num. 3. vol. 5.*

Æquitas igitur horum vectigalium de-
23 pendet ab immenſis impenſis, quas in viarum & pontium refectiones & exſtructiones collocari oportet. Hinc videmus ſæpe numero, etiam antequam pontes exſtruantur, viæque reparentur, in ſingulos collectam ſive tributum indici, quo expenſæ compenſari poſſint, quod poſtmodum in utilitatem communem tendit commerciorum & negotiationum causâ. Ad-
24 de impenſas, quæ ad conſervationem neceſſariæ, **damit die Brucken / Wege / und Stege in baulichem Weſen erhalten werden** / adverſus impetus & inundationes aquarum, ad verſus tempeſtates, glaciem, imbres & ventos. Cujus rei gratiâ in bene conſtitutis Rebuspublicis Magiſtratus & Curatores viarum creantur.

25 Majoris verò perſpicuitatis gratiâ portorium, portarium, pedagium, & guidagium ita diſcerni poſſunt; ut Portorium ſit vectigal, quod in portu vel etiam ob tranſitum pontis, *d. c. un. quæ ſint regal. & d. l. 62. §. vehiculum ff. locat. & conduct.* Portarium, quod in porta ſolvitur, Lipſ. *lib. 2. de magnitud. Roman. cap. 1.* Quò pertinet vectigal perſonæ, quod extraneus in primo ingreſſu terræ ſive provinciæ alicujus ſolvit, ut in Angliâ & Italia ſolvi ſolet, **vor die** Extranität **der Reiſenden zu Fuß und zu Roß** / putâ **ein Kreutzer** vel minus.

Pedagium eſt penſitatio, quæ ob exſtructionem vel refectionem viarum; Guidagium denique, quod pro ſalvo conductu à peregrinante præſtatur. Quò etiam referri poſſunt Schedulæ publicæ, pro fide pu- 26
blicâ datæ; quæ fidem faciunt peregrinanti, eum ex locis peſte non infectis profectum, ut in Italiâ & Galliâ moris eſt; & olim in Germaniâ quoque in uſu fuit, ut probat Reformatio Politica Imp. Sigismundi Anno 1436, promulgata *cap. 16.* Quomodo loca à contagione, & à latrociniis & banditis aliisque facinoroſis hominibus, quibus nulla fides datur, tuta ſervantur: Ad ſimilitudinem diplomatum, quæ olim dabantur curſoribus, ut iis liceret uti equis & vehiculis publicis, poſt Budæum Bornit. *lib. 5. de ærario cap. 5. in fin.*

Imperator Pertinax, authore *Herodia-*
nò, (4) vectigalia omnia, quæ ad contrahen- 27
das pecunias tyranni excogitaverant, in fluviorum ripis, in urbium pontibus, perque vias & itinera, penitus remiſit, & in antiquam libertatem revocavit.

Denique notandum eſt, deſtructo ponte perdi jus exigendi pedagium, ad quod non 28
tenebuntur tranſeuntes per aquam, cùm ſit jurisdictio limitata reſpectu illius loci, qui deſiit eſſe in rerū natura, poſt Bald. & alios Stephan. Gratian. *lib. 2. diſcept. forenſ. 396. n. 11.*

ANNOTATIONES

Ad

CAPUT LXXVII.

Num. 1.

(1) P*Ontium ex ligno &c.]* Pontem propriè dici illum, qui eſt de lignis, non de lapidibus, ex *l. 11. ff. de aqua & aquæ pluv. arc.* colligunt Bartolus & Angelus *ibid.* dicentes tamen, quòd licet illud ſit de Jure: tamen de conſuetudine pontem & arcum lapideum ſynonyma eſſe; quòd continentur appellatione Pontis, & huic conſuetudini ſtandum quoque eſſe, Cæpolla *de S. V. Pr. cap. 60. n. 1.* notat.

Num. 4.

(2) *Sed Cajus Caligula Pontem &c.]* Novum præterea, (inquit Suetonius *de Caligula in vita ejus cap. 19.*) atque inauditum genus ſpectaculi excogitavit. Nam Bajarum medium intervallum Puteolanas ad moles trium millium & ſexcentorum ferè paſſuum ponte conjunxit, contractis undique onerariis navibus, & ordine duplici ad anchoras collocatis, ſuperjectoque aggere terreno, ac directo in Appiæ viæ formam. Per hunc pontem ultro citroque commeavit, biduo continenti &c. De hoc Ponte & aliis pluribus vide, quæ ex recentioribus annotavit Author *artific hominum mirand. natura cap. 26. p. 635.* inprimis *p. 649. ſeq.*

Num. 13.

(3) *An pro ſolo transitu &c.]* Quærit hoc ipſum Joh. Georg. Bechtius *de Secur. & Salv. Conduct. 8. 69. & 70.* an ſcilicet pro ſolo tranſitu pedagium exigi debeat. verùm argumentis pro & contra adductis rem indeciſam relinquit ibidem. Maulius verò *tit. 3. num. 14. 15. 16.* negativam ſuſtinet.

Num. 27.

(4) *Herodiano &c.]* Dicto jam ſæpius loco, nempe *lib. 2. cap. 15.*

CAPUT

CAPUT LXXVIII.

De Gabella vini, Carnium, Piſcium, Frumenti, Farinæ, &c.

SUMMARIA.

1. *Ærarii egeſtas levatur gabellis vini, frumenti, piſcium, &c.*
2. *De* vinario vectigali, *quod Cauponibus imperatur.*
3. Bodenſchatz *quid?*
4. Fleiſch- und Meelpfenning *victualibus, carni putà, farinæ, pani, aliiſque rebus minutiſſimis imponitur, &* n. 6. & 7. *Quod tamen non, niſi extremâ neceſſitate urgente, admittitur,* num. 5.
8. Odioſiſſimum *hoc genus fugiendum.*
9. Exigens *homicida pauperum, & harpya dicitur, & rebelliones procurat.*
10. *An* Civitas Superiorem recognoſcens *ejusmodi gabellas & vectigalia inſtituere poſſit.*
11. Clerici, Cancellarii, Conſiliarii, *Forenſes, Peregrini & Pauperes ab hisce gabellis & Hoſpitationibus immunitatem jure prætendunt,* & num. 12. 13. 14.
15. *Nec* Conſiliarii, *Decuriones, Conſules, licet nunc non ſint, in memoriam priſtinæ dignitatis haud gravandi.*
16. Officiali *non minor debetur honos poſt depoſitum officium, quàm ipſo durante.*
17. Immunis, *ſi gravetur, & non appellet, privilegium perdit.*
18. Juſtiniani Imp. *elegans conſtitutio hanc in rem.*
19. Tributum *an ſit juſtum, quod rebus ad victum neceſſariis imponitur? Affirmans ſententia probatur,* num. 20.
21. Gabellæ *huic vel illi civitati utiles an ab exteris exigi poſſint?*
22. *De* origine Gabellæ *multa ſcitu digna.*

Gabella carniumque nec non piſcium,
Adoris, & vini falerni vendicat
Sibi hoc Caput, diſertè & illa traditur.

1 INter alia media, quibus Ærarii inopiæ ſuccurritur, ſunt etiam gabellæ, vino, frumento, carni &c. impoſitæ; Cujusmodi in Belgio aliiſque in locis & noviſſimè in Comitatu Friſiæ Orientalis inſtitutæ; nonnullis quoque in Civitatibus Imperii Rom. Germanici admodùm ſunt frequentes. Cujus generis eſt octava vini Pariſiis heminatim venditi viceſima ejus, quod cuppatim culeatimque vænit: & eorum, quæ à ſolidariis mercatoribus venduntur, quos vocant groſſarios, quæve à minutariis ſeu propolis, qui ſua non vendunt, ſed à negotiatoribus empta pluris quàm emerint, diſtrahunt, Greg. Tholoſan. *lib. 3. ſyntagm. jur. univ. cap. 6. num. 1.* Bodin.
2 *lib. 6. de Republ. cap. 2. fol. 655.* ubi vinarium vectigal vocat, quod cauponibus imperatur. Conſil. Argentoratenſ. *tom. 1. conſ. 10. num. 27*, ubi ita legitur: Ebenmäſſig verhält es ſich mit dem Ungeld / ſo auff den Wein / ſo in Herbergen durch die Wirth oder ſonſten auf die Gaſſen verſchencket / geſchlagen wird / davon Bodinus ſchreibet / daß König Chilpericus in Franckreich der erſte geweſen / ſo den dritten Theil der Geiſtlichkeit Einkommens für ein Jahr und dann den achten Theil deß Weins / ſo ein jeder durchaus in ſeinen Gütern erzeugt / eingefordert / dannenhero der Wein Zoll oder Ungeld noch auf dieſe Stunde ſeinen Urſprung hat / das iſt nun an einem Ort geringer und leidenlicher als am andern / ja nachdem es die Nohtdurfft erheiſcht / ꝛc. Ecce, variè & diverſimodè vectigal hoc, das Ungeld / oder Acciſs præſtatur, quibusdam enim in locis, wird allein die dreyzehende Maß / deren / ſo ausgeſchencket / oder von den Wirthen verſpeiſet / gereicht. Alibi verò, ut Ulmæ, Auguſtæ, Norimbergæ, &c. acciſa etiam ſolvitur de cerviſia ac vino, quæ in domibus civium abſumuntur, & quidem alicubi tertia pars. Viennæ ex vino, quod minutim venditur, decimum denarium Principi cedere, refert Æneas Sylvius *in*
deſcriptione Viennæ. Huic juri haud abſi- 3
mile eſt id, quod Bodenſchatz vulgò vocari ſolet, wann ein Wein von einem fremden Ort hergeführet / abgeladen und eingelegt wird daß derſelbe durch die geſchworne Viſirer und Schätzer angeſchlagen / viſirt, und geſchätzet wird / wie viel es Eymer seyn / und muß alsdann pro conſuetudine loci von jeglichẽ Fuder Weins ein Gulden / ut Halæ Suevorum, vel aliud quippiam gegeben werden / quæ pecunia Bodenſchatz vocatur, ohn deren Abrichtung kein Wein impunè eingelegt werden mag. Wehner. *in pract. obſerv. verb.* Bodenſchatz.
Proximum huic tenet locum & altera 4
acciſa ſive pretium, quod victualibus, carni putà, farinæ, pani, aliiſque rebus imponitur, & Fleiſch- und Meelpfenning nominatur, inque Bohemia, Miſnia, & nonnullis civitatibus hodiè valdè frequens eſt, & ex Belgio, Italia, Hiſpania ad Germanos pervenit. At non eſt reſpectandum, quid in Belgio aliiſque Regnis obſervetur, ſed quid ſit conveniens cuilibet Regioni & Provinciæ: non enim omnia conveniunt omnibus locis, *arg. l. 1. ff. de cenſib.* nec omnis fert omnia tellus. Imò non ſolùm difficile, ſed & ferè impoſſibile eſt, ut exactio ejusmodi & impoſitio in Germania practicari poſſit. In Belgio enim, aliiſque Regnis & Provinciis ob infinitam populi & commerciorum multitudinem ac bellum alia collectarum ratio & ſtatus, quæ heic in exemplum trahi nequit. Accedit, quòd tenui-

ores in Belgio ditioribus ſuccum & ſan-
guinem recipiant, nec quisquam ex infima
fece plebis, ſi non DC. florenos in ære habe-
at, extraordinariis contributionibus, quas
ditiores Mercatores & penſionarii agnoſcunt
gravetur.
5 Quamvis etiam non niſi extremâ ne-
ceſſitate flagitante, talis acciſia inſtituenda
ſit; videmus tamen hodie, Principum &
Magnatum avaritiâ, aulicorumque Pro-
teorum pervicaciâ & perſuaſione rem eò
deductam, ut neque temporis, neque Statûs
ulla ratione habitâ, etiam de minutiſſimis,
6 quas Ruſtici in urbes deferunt, rebus, unus
& alter exigatur numulus, & quotidiè
plures excogitentur exactiones, Döring.
*in Bibliotheca JCtorum verb. Ærarium n. 159.
& verb. Acciſe.* Aſſiſe 2c. *num. 2.* Viderint
tamen iſtiusmodi Exactores *& perſuaſo-
res*, (1) ne viſitet Dominus ſuper implentes
domum Dominorum ſuorum rapinâ &
dolo, *Sophon. 1. v. 9.* hoc eſt, ut Jonathan Pa-
raphraſtes Chaldæus interpretatur, opi-
bus fraude & dolo quæſitis, Beſold. *de
Ærario Public. cap. 7. num. 3.* Eſt autem ta-
7 lis acciſia certum pretium, utputà flore-
nus in unum jumentum, &c. vel in ſingu-
lam libram carnis numus unus vel duo;
vel quandoque in ſingulos farinæ ſaccos
8 quarta Joachimici pars ſolvitur & præſta-
tur: hæcque, quia odioſiſſima, quàm ma-
9 ximè fieri poteſt, fugienda eſt; Niſi Exa-
ctor populi hirudo, lupus rapax, homicida
pauperum, & harpya indigitari, provin-
cias (quod prohdolor! nimium quantum
experimur) deſertas reddere, ſe odioſum
atque inviſum facere, hoſtesque in propria
conſcribere velit regione, unde poſtmo-
dum graviſſimæ ſeditiones, tumultus ac
conjurationes oriri ſolent. Nil dicam hîc
de aliis oneribus & contributionibus, qui-
bus præter ordinaria annua tributa popu-
lus in Miſnia & Thuringia paſſim prægra-
vatur, qualia ſunt (1) Landſteuer / von jedem
Silber oder Steuerſchocke deß Jahrs auf
zween Termin 1. gr. 4. pf. (2.) Tranckſteuer
von jedem Eymer eingebrauetem Bier 8. gr.
von fremdem Bier und Wein auch ein gewiſ-
ſes. (3) Accißſteuer von Früchten/ Wahren/
Viehe / und allem / was verkaufft wird / es ſey/
was es wolle. (4) Haubtſteuer / von jedem
Menſchen / ſo über 15. unter 70. Jahren/ Mo-
natlich 1. gr. 9. pf. (5) Gewerbſteuer von al-
len Handlungen / Handwercken und Taglöh-
nern (6) Monatliche Verpflegungs-Gelder
auf die einquartirten Regimenter. (7) Sol-
daten-Steur auf die Beſatzung in Dreßden.
(8) Monatliche Schwediſche Armiſtitien-
Gelder. (9) Churprintziſche Gelder/ 2c. Sed
manum de tabula.
An verò Civitas Municipalis & ſupe-
10 riorem recognoſcens ob æs alienum, aliám-
ve neceſſitatem pro victualibus & potabili-
bus, aliisque rebus, quæ indies venduntur
& emuntur, Gabellas, Datias & Acciſias,
vulgò, Licenten, Impoſten, Ungeld 2c.
imponere poſſit? pulchræ indaginis quæ-
ſtio eſt; Quam Rationibus Dubitandi &
Decidendi hinc inde deductis fuſiuſculè
enucleavi, *tract. meo de Contrib. cap. 3. n. 121.
& quamplurimis ſeqq.* ubi & in ſpecie mul- 11
tis rationibus evictum & ad viſum oculi
demonſtratum eſt, ejusmodi Gabellas,
Datias, & Acciſias, à Clericis, Cancellariis,
Conſiliariis, Forenſibus, Extraneis, Adve-
nis, Peregrinis, Pauperibus, aliisque Privi-
legiatis, qui iſtius Univerſitatis Subditi non
ſunt, haudquaquam exigi poſſe: Quò be-
nivolum Lectorem remitto, ne actum a-
gere videar.
Illud hîc addendum, Clerios, Cancel- 12
larios, Conſiliarios, Doctores, aliosque pri-
vilegiatos officio ſuo abeuntes, rude dona-
tos, vel aliàs illud deponentes, privatim ve-
rò viventes adeò privilegio communi tu-
tos eſſe, ut non tantùm à præmemoratis
Gabellis vini, cerviſiæ, aliisque acciſiis, ſed
etiam ab onere hoſpitandi & excipiendi
milites liberi, exempti & immunes ſint,
per text. *in l. ex aula. C. de privileg. eor. qui in* 13
ſacr. palat. milit. lib. 12. ubi ex Aula Princi-
pis diſcedentes ab omnibus muneribus
immunes haberi debent, quæ lex genera-
liter loquitur, ideò & generaliter accipi-
enda eſt, præſertim ſi tales longo tempo-
re Principi & Reipul. commodam navarint 14
operam, perque multos annos & invaletu-
dine ex occupationibus publicis quotidie
ſuſtinendis ſubrepentè correpti ſint, qui
meritò vacationem è muneribus obtine-
bunt, *l. 3. §. 1. & 10. & in l. cura. 4. §. 5. ff. de* 15
muner. & honorib. Nec Conſiliarius, Ad-
vocatus, Decurio, Conſul, licet nunc non
ſit, in memoriam priſtinæ dignitatis gra-
vandus aut moleſtandus, *l. ult. ff. de decurio-
nib. l. nihil. 17. in fin. C. de quæſt. l. archiatri
C. de metat. & epidemet.* Tiraqu. *tractat. ceſ-
ſante cauſa part. 1. limit. 6. num. 3. 4. cum ſeqq.*
Officiali ſiquidem non minor debetur ho-
nos poſt depoſitum officium, quàm ipſo 16
durante, *l. pen. ad fin. ff. de quæſt. d. l. fin. ff. de
decurion* cui in ſignum honoris & commen-
dationis officii dabatur vexillum cum inſi-
gniis & armis, vel alia munera in ſignum,
quòd ſe bene & laudabiliter geſſerit, *arg.
l. 1. C. de ſtatu & imagin.* & etiam arma eo-
rum depingebantur in prætoriis & palatiis
civitatum, quas rexerunt, Paris de Puteo
tract. de Syndicatu in pr. fol. 3.
Itaque omnes publicâ lege ſic privile-
giati vigilare debent, ne ipſis hoc benefi-
cium intervertatur, &, quando turbantur,
ſemper ad illud provocare debent, ne ſi-
lentio aut omiſſâ proteſtatione ſibi ſuisque,
imò

imò toti Ordini turpiter & cum ſummo damno præjudicent. Immunis quippe a-
17 liàs, ſi gravatur, & non appellat, immunitatem perdit, *arg. l. hi, qui. 7. ibi: ſi appellationis auxilio non utantur, cenſu ſuo confirmant nominationem. cum l. 4. C. de appellat.* Bertrand. *conſil. 227. num. 20. verſic. Nono. vol. 3. part. 2.* Burſat. *conſil. 16. num. 79.* Proſper. Paſeth. *conſil. 102. num. 3.* Fulv. Pacian. *conſil. 5. num. 14.* Erneſt. Cothmann. *conſil. 11. num. 178. vol. 1.* Cacheran. *deciſ. 91. num. 5. & 9.* Marc. Anton. de Amatis *deciſ. 159 n. 9.* Capyc. *deciſ. 4. num. 7. 8. 9.* Florez. *practic. quæſt. 9. 21. num. 268.* Alex. Raudenſis *lib. 1. de analog. cap. 40. num. 17.*

18 Eleganter in hiſce terminis loquitur Juſtinianus Imp. ſacratiſſimus *in Novell. 130. in Epilog.* Quia, *infit*, ſi contra hæc aliquid agatur, & qui læduntur, taciturnitati cauſam tradiderint, ipſi hujusmodi læſionis ſibi authores fient. Unde autem provocare poſſit, eum jurisdictio, ſub qua degit, facilè docebit: Miſerabile eſt ſolatium, provocare propter beneficium benè merita, & præſtita officia ad alium ab eo, qui nobis devinctus & quaſi obligatus eſſe debebat: Sic autem ſæculi noſtri perverſitas omni injuſtitiæ genere abundans graſſatur, & meliores fructus pro nunc non fert, quod Deo juſtitiæ patrono unicè inſinuandum.

19 Cæterùm nonnulli dubitant, an ſit juſtum tributum, quod imponitur ſolvendum ex rebus, quæ communiter ad uſum vitæ humanæ emuntur, ut ex pane, vino, oleo, carnibus? Quidam enim tributa hæc injuſta eſſe dicunt, quia in iis æquè, imò & plus gravantur pauperiores, qui plures filios habent, ad quos alendos plura emunt. Adde, divites ac Nobiles plura habere ex ſuis poſſeſſionibus, absque eo, quod emere cogantur, atque ideò nihil ſolvunt; pauperes verò, qui debent pretio emere, portant totum pondus eorum tributorum, Sanchez. *lib. 2. conſil. cap. 1. dubit. 44. & dub. 45. num. 4.* Bonacina *diſput. 2. de contract. quæſt. 9. punct. 1. num. 5.* Diana *tom. 1. part. 2. tractat. 3. miſcell. reſolut. 28 dicens*, id eſſe probabile.

Alii ejusmodi tributa ab injuſtitia excuſant, Ludov. Molina Jeſuita *de juſtit. & jur. diſput. 669.* Suarez *lib. 5. de legib. cap. 15. n. 3.* Leonard. Leſſius *de juſtit. & jur. cap. 33. dubitat. 7. num. 50. & 51.* Probant aliqui, quia conſuetudo poteſt abrogare prohibitionem talis tributi. Ita Sanchez *dubit. 44. n. 6.* Sed certè, ſi tributum ſit injuſtum propter inæqualitatem, injuſtitia illa erit contra jus naturæ, atque ideò non poterit conſuetudine contrariâ purgari, ſicut nec uſura poterit conſuetudine ullâ licitâ reddi.

Meliùs alii probant; (1) quia ſervatur æqualitas, quantum ſervari poteſt, quia licet pauperes cogantur emere, plura tamen emunt divites, & nobiles unâ die propter majorem familiam, quam habent, & propter lautiorem victum, quo utuntur, quam pauperes emant uno menſe, qui paucioribus contenti parcè vivunt. (2) Quia ſi tributum imponendum eſſet, taxando cujusque vires & facultates, & à ſingulis exigendo, quod ſolvere poſſunt, difficilius id fieret, & magis graverentur Subditi propter dependentiam ab exactoribus & miniſtris, quorum judicio taxandæ eſſent facultates & vires ſingulorum: quare libentiùs hoc alio modo pauperes etiam contribuunt, quàm ſi illo alio modo contribuere deberent. (3) Quia ſi tributa exigerentur ſolùm à mercatoribus ex iis, quæ negotiationis causâ afferunt vendenda, idem inconveniens re ipsâ ſequeretur, cùm mercatores ſolutâ Gabellâ, cariùs poſtea merces venderent, quæ ad Gabellam cariores ipſis exiſtunt, quare jam pauperes ab illis ementes ſentirent idem onus, quod vitare intenditur. (4) Quòd aliqui pauperes plures emant, per accidens eſt: nam plures etiam divites multò plura emunt, cùm pauperes agricolæ ex ſuis fructibus plerumque ea neceſſaria habeant; divites verò econtra ut plurimùm ea emere cogantur; pauci enim ſunt divites, qui carnes, vinum, oleumque non emant, quæ plures pauperes vendunt potiùs, quàm emant: & lex non debet attendere ad ea, quæ per accidens contingunt. (5) Licèt divites non ſolvant aliquando immediatè tributum in illis rebus, ſentiunt tamen mediatè idem onus: quia cùm artifices, operarii, & alii majori pretio comparent ſibi victum propter tributa, quæ in illis rebus ſolvunt: cariùs ſuas operas divitibus locant, ut lucrum, & victum ſolitum ſibi comparent. Denique (6) ratio à priori eſt, quia cùm æqualitas illa geometrica adeò difficilè obtineri poſſit, nec conſiſtat in indiviſibili, illa via tenenda eſt, quæ pauciora & minora incommoda habet, licet aliqua habeat, cùm omnia prorſus vitari non poſſint, & uſus docuit, minùs turbari populum, quando hæc tributa imponuntur, quàm ſi à ſingulis pro menſura, & ratione propriæ facultatis exigeretur.

Hæc ſententia vera eſt, & meritò ex- 20
plicatur, & limitatur ab ejus Authoribus, ut fateantur, conandum inprimis eſſe, ſi fieri poſſit, ne tributa in iis rebus ad vitam neceſſariis, & communibus imponantur. Quare Leſſius *d. num. 51.* monet, *æquiora eſſe, quando in iis rebus non neceſſariis*, (2) ſed ad delitias, elegantiam, & luxum ſpectantibus imponerentur, ut in panno pretioſo, ſerico, holoſerico, undalato, tapetibus, vaſis argenteis, pretioſis vinis & eduliis, aut ſimilibus, quæ communia non ſunt pauperi-

peribus. Sed certè, ſi in iis ſolùm rebus imponerentur omnia tributa, non eſſent æqua, cùm ad communem neceſſitatem pauci aliqua contribuerent, qui rebus illis egent, ut ſi in re aliqua medicinali, ex India Orientali adportata, quâ pauci indigent, totum tributum imponeretur. De facto tamen in iis etiam rebus rarioribus imponi poſſunt, quia aliunde ſupponuntur tributa alia impoſita rebus aliis communibus, & in rarioribus etiam aliorum generum, ex quorum tributorum collectione aliqualis æqualitas geometrica haberi poteſt. Noviſſimè Cardin. Joan. de Lugo *de juſtit. & jur. tom. 2. diſput. 36. ſect. 2. num. 26. fol. mihi 554.*

21 Porrò circa impoſitionem harum Gabellarum dubitari ſolet, an Aſſiſium impoſitum propter utilitatem ſolius Civitatis, vel loci, in quo imponitur, juſtè exigatur ab exteris illûc confluentibus? Affirmant enim, eſſe injuſtum, Sylveſter Cajetanus, Medina, & Angles apud Sanchez *de reſtit. cap. 4. dubit. 45. num. 6.* quia cùm cauſa tangat ſolos cives, non debent gravari, qui exteri ſunt. Alii tamen communiter, & veriùs dicunt, non eſſe damnandum uſum illum exigendi ab exteris. Ita Sanchez *d. loc. num. 9* Molina *diſput. 669. num. 3. & alii.* Probant primò, quia ſi exteri non ſolverent, multi ex incolis, fingendo ſe exteros, vel per exteros emendo non ſolverent. Secundò, quia exteri etiam plerumque fruuntur bono illo communi fontis, pontis, viæ, &c. propter quod tributum illi loco imponitur. Tertiò, quia licet de jure gentium ſit libera negotiandi facultas exteris, qui hoſtes non ſunt; hæc tamen communi uſu non videtur conceſſa, niſi cum onere ſubeundi gravamina, quæ ad neceſſitatem vel utilitatem loci illius communiter impoſita ſunt. Quartò, quia incolæ etiam hujus loci, quando ad alias Provincias & loca confluunt, ſolvunt tributa illorum locorum: quare non fit inæqualitas, ſi incolæ aliorum locorum cogantur & ipſi ſolvere tributa hujus loci ex pacto tacito, inter homines diverſorum locorum jure gentium inito.

22 Denique de origine Gabellæ apud Luſitanos, vulgò *Siza*, pulchra tradit noviſſimè Baptiſta Fragoſus in Regimine Reipub. Chriſtianæ *part. 2. lib. 3. diſput. 8. §. 2. num. 19. & numer. 30.* de Origine *Alcavalæ* (3) egregiè diſſerens ait: hanc Regi Alphonſo XII. in Civitate Burgenſi fuiſſe conceſſam pro certo tempore durante bello contra Mauros, nominatim pro expugnatione oppidi Algeſiræ Anno Domini MCCCXLII. Ita Parlador. *libr. 1. de rer. quotidian. cap. 3.* ante id tempus autem hoc genus vectigalis non fuiſſe in uſu, ſed penſitatam duntaxat partem octavam rerum, quæ negotiationis causâ vel aliunde ad Hiſpaniam ferebantur, vel ex Hiſpania foràs efferebantur, *l. ex præſtatione. C. de vectigal.* Poſtea verò expugnatâ Algeſirâ durante adhuc bello, excreſcentibusque neceſſitatibus regni, *Alcavalæ* tributum eidem Regi Alphonſo ſimpliciter & abſque limitatione temporis fuit conceſſum in Comitiis Complutenſibus, teſte Montalvo *l. 5a. tit. 6. part. 2. verb. quæ Pharaon,* & Petro Lopez Ayala *in Chronica Regis Petri Crudelis Anno Regni illius 17. cap. 19.* ubi refert, ſolere ſolvi per aliquod tempus vigeſimam partem pretii rerum omnium, quæ venderentur, tàm mobilium, quàm immobilium, ſive venditio, aut emptio fieret propter negotiationem, ſive non; deincepsque ſtatutum fuiſſe, ut decima tantùm pars ſolveretur. Ita Molina *diſp. 663.* ubi addit his multa, inter quæ illud unum, nunquam exactè Gabellam Regem accepiſſe, reclamante populo ſemper, ac renuente, integrè tributum ſolvere; ſubditque nuncupari *Alcavalam* ex reſponſo Nobilium, dato Regi Alphonſo XII. qui cùm vellet ad depellendos Mauros tributum imponere etiam Nobilibus exemtis, ut ſe illæſos conſervarent, & ſuam tuerentur dignitatem, his verbis: *Tributo no daremos, mas daremos alque vala tãto, como lo que pide*: hoc eſt, Tributum non ſolvemus, à quo ſolvendo ſumus exempti: ſuppeditemus tamen aliquid, quod æquè valeat tantum, quantum tributum: Ex quo verbo Hiſpano, *alque vala tãto, como lo que pide,* vocata fuit ſumma pecuniarum Regi à Nobilitate conceſſa ad expellendos Mauros. Quare immeritò Parladorus rejicit hanc vulgarem opinionem, quam tradit Molina *d. loc.* quia vox populi ac vulgi in eruendâ veritate ex tempore, non eſt parvi facienda: ideò potiùs Parladori etymon *Alcavalæ* admitti non debet, dum Alcavalam originem trahere ab Hebraico verbo, Cabala, quod tantundem ſignificat, quantum receptio; ſed magis arridet popularis derivatio, ex Caſtellano idiomate nata.

Hæc Baptiſta Fragoſus *d. loc. n. 19. fol. 389.*

(o)

ANNO-

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT LXXVIII.

Num. 6.

(1) P*Erſuaſores &c.]* Conſulentes Principi, uti nova imponat tributa & vectigalia ſine magna cauſa, eſſe inferni pœnis tartareis cruciandos perpetuò, dixit Rebuffus alicubi, allegans illud *in lib.2. Machab. 7. v.31.* Tu, qui inventor omnis malitiæ factus es in Hebræos, non effugies manum DEI. Cogita itaque, quòd morieris, & citò, & generatio tua citò exſtinguetur. Plura annotata de his talibus Officialibus videre poteris ad Politici Scelerati *Caput 45. pag. 518. ſeqq.*

Num. 20.

(2) *Æquiora eſſe, quando in rebus non neceſſariis &c.]* Junge ſuprà *hoc libro 2. cap. 66.*

Num. 22.

(3) *Alcavalæ &c.]* De Alcavala dictum ſuperiùs *lib. 1. c. 6. n. 90. (69)*

CAPUT LXXIX.
De Cenſu ſive Capitatione.

SUMMARIA.

1. Auguſtus *Imp. in ſumma Pacis tranquillitate Orbem cenſuit, & deſcribi juſſit: Quo fine hæc deſcriptio facta?* n. 2. *& quas oportunitates Reip. Rom. attulerit?* n. 3. *Quot millia hominum numerata & deſcripta?* n. 4.

5. DEI *Filius Auguſto Imp. fuit ſtipendiarius.*

6. Auguſtus *Chriſto famulatur.*

7. Cenſum *Iſraëlitæ Deo pendebant.*

8. *Iſraëlitæ Deo tributarii,* & n. 9.

10. DEUS *populum in deſerto numerari juſſit.*

11. David *ex vanitate & ſuperbia populum numeravit, eoq́; nomine punitus eſt,* n. 12.

13. *Qui* cenſus *eſſet, & quorum? par omnium tributum, dimidium ſicli,* n. 14.

15. Cenſus *ſive populi numerationes crebræ, quinq́; recenſentur,* n. 16. 17. 18. 19.

20. Cenſus, *apud Romanos ante Servium Regem in capita collatus.*

21. Tarquinius *in caput cujusq́; decem denarios exegit.*

22. Capitatio *ad avaritiam excogitata; Judæis à Veſpaſiano Imp. indicta,* n. 23.

24. Ægyptus *in ſingulos menſes Urbi Romæ plus penſitavit, quàm tota Judæa.*

25. Gallia *ſtipendiaria facta, quantum pependerit?*

26. Saxones *à Fothone IV. Danorum rege victi pro quolibet cubitalium tributum pendere coacti ſunt.*

27. *Cenſus & capitatio quid? & quinam ab eâ exempti fuerint?* num. 28. *fuit ſpecies tributi,* num. 29.

30. Capitationis *verbum dupliciter accipitur.*

31. Capitatio *alia eſt humana, alia animalium: illam ſola ruſticana plebs extra muros poſita pendebat,* num. 32. *plebs verò urbana nequaquam,* n. 33.

34. *In* Syria *à XIV. annis maſculi, à XII. fœminæ usq́; ad LX. annum tributo capitis obligabantur.*

35. Capitatio *à Conſtantino Imp. ſublata: hodiè tamen quandoq́; uſitata,* n. 36. *olim pro capite maſculi aureus, pro capite fœminæ dimidius ſingulis annis depenſus fuit,* n. 37.

38. Collecta *aliquando Statibus Imperii, aliquando verò viritim & capitatim Subditis impoſita fuit.*

39. Capitatio *Judæis indicta Receſſu Imper. de Anno MDXCIV. an ſit tributum extraordinarium?* n. 40. *modus hic (ut & cæteri collectandi modi) æquitate definiendus,* n. 41.

42. Capitatio *Turcis perquàm familiaris: eam, tanquam acerbiſſimam, damnat Cicero,* num. 43. *iniquam cenſet Lipſius,* n. 44. *& Bornitius,* num. 45.

Pax quamvis pretio ſit conciliànda, triumphis
Innumeris præſtat. Da pretium ergo libens.

PAx ſumma & opulenta Monarchiam Imperatoris Auguſti jam annum XLII. 1
impetrantis decoravit; Cùm igitur Auguſtus tranquillitate maximâ & ſopitis undique bellis, & *Jani templo tertium clauſo*, (1) poſſideret Orbem, juſſit illum deſcribi, & in cenſum ſuum redigi: Quod teſtatur Lucas *c. 2. verſ. 1. Exiit Edictum à Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus Orbis.* (2) Fiebat hæc deſcriptio partim ditando Ærario, partim ut ſciretur, quàm latè pateret Romanum imperium: Et cenſum 2
hunc deinde tres Reipub. Romanæ oportunitates attuliſſe; nam & numerum eorum, qui arma ferre poſſent, oſtendiſſe, & 3
pecuniarum magnitudinem, quibus bellorum ſumptus ſuſtinerentur, indicaſſe, & tributa, quæ quotannis pendebantur, ad æqualitatem reduxiſſe, dixi *tract. de Contribut. cap. 1. num. 29 & numer. 294.* Suas quisque poſſeſſiones & facultates indicabat, ſeque unà expreſſo nomine ſuo, ſubjectum Romano Imperio profitebatur, ſolvebatque, quod credibile, *didrachma* (3) IV. bacios ſeu VIII. ſeſtertios. *Hæc prima fuit* (4) generalis & totius Orbis Romani deſcriptio, vel certè prima, quâ deſcripti & cenſi Judæi. Ad eam conficiendam viginti Optimates ab Auguſto electi. Quâ quidem deſcriptione & cenſu, numerati 4
ſunt viginti ſeptem milliones, & ſeptuaginta millia virorum bello habilium (ſunt myriades 27007.) pueris, ſenibus, fœminis exceptis. DEus autem ita conſtituit, ut 5
hic

hic hominum cenſus eo tempore iniretur, quo & ipſe Dei filius Auguſto fieret ſtipendiarius. Nam hâc occaſione impetrati censûs à Cæſare, Joſeph & Maria è Nazareth in Bethlehem venerunt, quaſi non alia de cauſa Orbis totus deſcriberetur, quàm ut totius Orbis Dominus non extra
6 patriam ſuam naſceretur. Nimirum voluit Deus, ut Imperatoris Edictum Vaticinio Michææ inſerviret: *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus in millibus Juda: ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael, & egreſſus ejus ab initio, à diebus æternitatis; Mich. cap. 5. verſ. 2.*

Oportebat enim Auguſtum illum Imperatorem & Monarcham tantum metatorem eſſe Chriſto Filio Dei in terras venturo; Iſaac. Caſaubon. *ad Adparat. Annal. Baronii exercit. 1. n. 28. fol. 114.*

7 In Veteri quoque Teſtamento cenſus perſonarum populi Iſraëlitici, juſſu Dei fuit & ante Romanorum cenſum habitus; & Reſpublica, quam adminiſtravit Moyſes XL. annis in deſerto, formam habuit, quam poſteà imitati videntur Romani, & eorum Reges & Magiſtratus.

8 Voluit enim Dominus, totum populum, cùm ad certam ætatem perveniſſet, fieri ſibi tributarium ac vectigalem. *Exod. 30. verſ. 12.* ut, ſicut cæteri populi, certi penſitatione tributi ſe Principibus ſuis obnoxios profitentur, eosque pro legitimis Dominis agnoſcunt, ita certâ pecuniâ perſolutâ, Dominum quaſi legitimum Regem ac Principem ſuum agnoſcerent, ac profiterentur, & vitam quaſi Deo debitam redimerent; quod niſi fecerint, plagam in eos deſevituram minatur.

9 Deinde cùm immanes quidam ſumptus ad tabernaculum conſtruendum faciendi eſſent, nec ſuffectura viderentur, quæ ſponte populus eſſet oblaturus, oſtendit Dominus, unde tanti ſumptus accipiendi
10 eſſent, *Exod. 24. verſ. 4. 5.* Voluit quoque Dominus congregari pecunias in theſauros domûs ſuæ, in ordinaria ſacrificia, victum, veſtitumque Levitarum, & alios publicos legitimosque ſumptus. Et juſſit quidem Dominus in deſerto ſemel atque iterum *Num cap. 1. verſ. 2. & ſeqq. & cap. 26.*
11 numerari populum, Moyſes autem id ſponte ſuâ nunquam fecit. Fecit autem David, nec impunè, ut qui rectâ id intentione non faceret, ſed ex vanitate & ſuperbia; proindeque acerrimè irritavit Deum, & provocavit ad vindictam etiam de populo ſumendam, *2. Reg. cap. 24. & 1. Paralip. cap. 11. ibi: Conſurrexit autem Satan contra Iſrael; & incitavit David, ut numeraret Iſra-*
12 *el;* Et ideò qui in numeratione populi & multitudine ejus ſuperbivit, in ejus diminutione punitus, ut dicitur in *c. Eccleſia 11. §. his ita reſpondetur, verſ. item David. 1. q. 4.*

At quamvis graviter offenderit Deum Rex David, quando numerari juſſit omnem Iſraëlis & Judeæ populum; Tamen non dedignatus eſt Dei filius eſſe unus è numero illorum, quos numerari juſſit Auguſtus, qui vanè putabat ſuâ manu portari Orbem, eumque ad ſuum libitum moveri poſſe ac verti.

Duo porrò fuerunt hujus censûs in lege 13
divina præſcripti capita; in priore continebatur ſumma pecuniæ, quæ danda erat ab omnibus, qui cenſerentur. Alterum fuit de ætate eorum, qui nomen dabant, & cenſebantur in eorum numerum, qui ad bellum apti judicarentur, qui videlicet vigeſimum annum attigiſſent, & deinceps, ut ait Vatablus in *d. cap. 30. Exod. v. 25.* Auguſtin. Torniellus *in Annalib. Anno 2544. num. 47.* Et ad tollendas contentiones o- 14
mnemque æmulationem, voluit Dominus par pretium (dimidium Sicli) ab omnibus ſolvi, Jacob. Salianus Jeſuita *in Annalib. Eccleſiaſtic. tom. 2. Anno M. 2544. num. 577. in fiu. fol. 142.*

Fuerunt autem crebræ populi numera- 15
tiones. Prima fuit in ipſo exitu de Ægypto, & reperta ſunt ſexcenta ferè millia peditum virorum, absque parvulis, *Exod. 12. v. 37.* & mulieribus, & innumerabili vulgo promiſcuo, quod aſcendit cum eis; Altera facta eſt poſt deſcenſum Moyſis de 16
monte Sinai, antequam Tabernaculum conſtrueretur juſſa reperitur, *Exod. 30. v. 12. & 14.* inita legitur: In qua reperta ſunt ſexcenta tria millia quingenti millia quinquaginta, qui annum vigeſimum ſuperarent. *Num. 2. v. 32.* Tertia poſt ſextum circiter 17
menſem à præcedente, in eaque eadem omninò virorum ſumma collecta reperitur, *Num. 26. verſ. 51. 4.* Quarta ſub finem peregrinationis XL. annorum inſtituta eſt, poſt mortem illorum omnium, qui in tertia 18
cenſi fuerant, & *Num. 26.* deſcripta eſt, aſcenditque ſumma ad ſexcenta millia & inſuper mille ſeptingentos & triginta. Quinta addi poſſet, quæ ratione temporis eſſet ordine 19
tertia quæ facta eſt, quando juxta conſilium *Jethro* (5) conſtituti ſunt Decani & Centuriones & cæteri; ſed ea non perſonarum ſingularum fuit. Gaudebat, inquit Rex Salomon, Dominus populum ſuum crebrò numerare, quem inſtar habebat dilecti peculii, quod à Domino ſuo crebrò numeratur.

Similiter apud Romanos ante Servium Regem cenſum in capita conferri, moris 20
erat; adeò, ut, cùm Regi pecuniâ opus eſſet, æquè pauperes ac divites hoc onere premerentur. Tarquinius item antiquum retulit inſtitutum, & in caput cujusque denarios decem exegit, Dionyſ. 21
Halicarnaſſ. *libr. 5.* ubi de Capitatione Romanorum, & quando hoc tributum inſtitutum, pluribus agit. Multa (*ait Cæſar*

22 *ſar libr. 3. de bell. civill.*) generatim ad ava-
ritiam excogitabantur, in capita ſingula
ſervorum ac liberorum imponebatur tribu-
tum.

Et Imperator Veſpaſianus, Judaico
23 bello confecto, ſingulis Judæis, ubicunque
locorum degerent, duas drachmas quot-
annis exigere juſſit, quas anteà Hieroſo-
lymorum templo prodebant, ut inquit Jo-
ſeph. *lib. 7. cap 26. Videatur etiam Gellius* (6)
Noct. Atticar. libr. 16. cap. 10.

Ægyptii præter Tributum in capita &
24 ex cenſu annorum & frumentum quatuor
menſium Urbi Romæ pendebant; Ideò-
que *Joſephus ſcribit*, (7) Ægyptũ multò am-
pliùs in ſingulos menſes penſitaſſe, quàm
Judæam toto Anno. In Gallia tantundem
penè, quàm ex Ægypto, reficiebatur; Vel-
25 lei. Paterculus *libr 2. cap. 39. num. 2.* Nam in
Gallia ſtipendiaria facta pro ſingulis capiti-
bus Tributi nomine vicenos quinos aureos
pendebant, quos Julianus Auguſtus ad
ſeptem redegit, authore Ammiano Marcell.
lib. 16.

26 Saxones quoque Regi Danorum ali-
quando pro capite tributum penſitarunt,
poſteà rebellantes à Fothone IV. Dano-
rum Rege victi, pro quolibet cubitalium
membrorum pendere coacti ſunt, ut ſcri-
bit Saxo Grammat. *libr. 6.* & Crantzius *libr.*
Daniæ cap. 30.

Fuit igitur cenſus nihil aliud, quàm *Ca-*
27 *pitatio* (8) perſonalis, & *capiti ſive perſonæ*, (9)
non rebus aut patrimonio impoſitus; &
etiam ab iis, qui nullum cenſum habe-
rent, nulla prædia poſſiderent, exactus, tàm
in Urbe Romana, quàm extra: donec exem-
28 pti ab illa fuerunt *cives Romani*, (10) & cives
Orientalium Provinciarum, ut habetur
in leg. unic. Conſtantini C. de capit. civ. cenſib.
eximend. libr. 11. tit. 48. Et fuit ſpecies tributi,
29 cujus meminêre *l. fin. §. pen. ff. de munerib. &*
honorib. l. 8. C. de SS. Eccleſ. l. 11. & l. 16. C. de
Epiſc. & Cleric. l. fin. de annon. & tribut. libr.
30 *10.* ac dupliciter verbum hoc accipitur. In-
terdum enim capitis tributum ſignificat, ut
in d. l. unic. C. de Capitat. civ. cens. exim. l. unic.
C de Colon. Thracenſib. l. 1. C. ne ruſticani ad ul-
lum obſeq. libr. 11. Quo etiam cenſu *capita*
pro *tributo capitum* dicta invenio in Panegy-
rico Flavienſium Conſtantini Imper. dicto,
in quo ita eſt: *Septem millia capitum remiſiſti*
quartam ampliùs partem noſtrorum cenſuum.
Sequitur paulò pòſt: *Certè & tàm liberi pa-*
rentes ſuos cariores habent, & mariti conju-
ges non gravatè tuentur, & parentes adulto-
rum non pœnitet filiorum; quorum onera ſibi
remiſſa lætantur. Quæ verba perſpicuè
probant, collatum pro ſingulis perſonarum
capitibus id tributum fuiſſe, de cujus remiſ-
ſione Conſtantino gratias agunt. Quan-
quam ſi quis jugerum vel capitum relevati-
onem illic intelligi magis probet, non ma-
gnoperè refragabor, Sidon. *carm. 3. ad Majo-*
rianum.

Liſtrigonas nos eſſe puta monſtrumq; Tri-
butum,
Hîc capita, ut vivam: tu mihi tolle tua.

Aliquando Capitationis verbo colla- 31
tio pro jugerum & capitum, quibus colun-
tur & aluntur agri, numero facta deſignatur,
de qua cap. ſeq. agemus.

Capitatio quoque alia eſt humana, alia
animalium, *l. fin. C. Theodos. tit. 20. libr. 11.* 32
Illam capitationem ſola ruſticana plebs
extra muros poſita penſitabat, *d. l. 1. ut ru-* 33
ſtic. ad null. obſeq. plebs verò urbana mi-
nimè in cenſibus pro capitatione ſua con-
veniebatur, ſed ab ea immunis habebatur,
d. l. unic. C. de Capit. civ. cenſ. exim. ſicut
& coloni Thracenſes ab hac capitatione
excipiebantur, *l. 1. Cod. de colon. Thracenſib.*
Et in hac ruſticanorum capitatione, cùm
antè per ſingulos viros, per binas verò mu-
lieres capitis norma cenſeretur, Impera-
tores voluerunt, ut binis ac ternis viris,
mulieribus autem quaternis, unius pen-
dendi capitis munus injungeretur ex lege
Valentiniani & Valentis, *in l. cum autem. 10.*
C. de agric. & cenſit.

In Syria à quatuordecim etiam annis 34
maſculi, à duodecim fœminæ usque ad ſe-
xageſimum quintum annum tributo ca-
pitis obligabantur, ætas autem ſpectaba-
tur cenſendi tempore immunes erant, *leg.*
ætatem. 3. ff. de cenſib. Leander. Galganettus *de*
jure publico libr. 4 tit. 8. n. 2. fol. 195.

Quamvis autem ejusmodi capitatio à 35
Conſtantino Imper. *in d. l. unic. C. de capit.*
civium cenſib. eximend. ſublata ſit, Schön-
borner. *libr. 4. polit. cap. 18 in fin.* conſue-
tudine tamen quibusdam in locis ea rur-
ſus invaluiſſe videtur, & Haubtgeld / Haubt- 36
Kopff-Steuer / Tribut, vulgò nominatur,
quæ non tantùm libera hominum ſeu civi-
um capita, ſed etiam ſervorum, imò &
fœminarum atque etiam beſtiarum ſingula-
rum cenſentur; V. G. ut mas duos albos,
fœmina unum pendat, ſimiliter ſervus, fa-
mulus: & pro equo, mulo, aſino, bove,
vacca, ovibus, hircis, & aliis brutis certa
pecunia pendatur ab ipſorum Domino,
Petr. Gregor. *de Republ. libro 3. cap. 5.* Althuſ.
in Politic. cap. 13. fol. 158. Et gloſſ. *ad rubric. C.*
de annon. & tribut. dicit, olim pro capite 37
maſculi aureum, pro fœminæ capite dimi-
dium ſingulis annis depenſum fuiſſe, Bodin.
libr. 6. de Republ. cap. 2. fol. 1037.

In Germania Collecta aliquando Stati-
bus Imperii, aliquando verò viritim & capi- 38
tatim ſubditis impoſita fuit, uti videre eſt in
Receſſib. de Anno MCCCCXCIV. MD.
MDXLII. MDXLV. MDXLVIII. Et in Re-
ceſſu Imperii de Año MCCCCXCV. Wor-
matiæ habito legitur, quòd tempore expedi-
tionis Turcicæ, pro capitibus omnium Ju-

39 dæorum maſculorum & fœminarum, ſenum & juvenum, ſingulis florenus Rhenanus, quotannis continuo quadriennii ſpatio ſolvendus indictus fuerit.

40 Hoc tributi genus Bodinus minùs hodiè uſitatum eſſe aſſerit, *d. loc.* proptereaque rectè inter extraordinaria tributa (diſſentiente Alciato *in l. 8. num. 1. C. de SS. Eccleſ.* Cujac. *in parat. C. eod.*) referendum, Everhard. à Weyhe *de ſubſid. regn. cap. 5. numer. 45.*

41 Non tamen hic modus à ratione naturali & civili alienus videtur, modò adhibito juſtitiæ & prudentiæ moderamine, tempore neceſſitatis definiatur, adeò, ut non tantùm filii filiæque familias pro capite redimendi ſint, verùm etiam ſervi, miniſtri, ancillæ, item bajuli, Taglöhner / Opifices, Handwercksgeſellen / qui ferè nihil in bonis poſſident, ſed quotidiè victum manu quæritant: Item interdum Sacerdotes, die Geiſtlichen / causâ urgente, qui aliàs immunitate gaudent.

42 Hodiè Capitatio Turcis perquàm familiaris & uſitata eſt. Chriſtiani enim Turcico Imperatori pro ſingulis capitibus coguntur numerare aureum Hungaricum. Ideoque ſi paterfamilias decem capita in ſua familia habuerit, tot aureos Hungaricos penſitare cogitur, Philipp. Cominæus *lib. 3. de Bello Neapolitano fol. 845.* Et dixi *hoc tractat. libr. 1. cap. 4. num. 15.* Quæ ſanè ſervitus eſt duriſſima & iniquiſſima, ut tantum pauperrimus quiſque, quantum dives con-
ferat. Ideoque Cicero *libr. 2. Epiſtol. 8.* 43
hoc & oſtiorum tributum, tanquam acerbiſſimam exactionem damnat: Et Lipſius
libr. 2. admirand. cap. 3. iniquum putat, ſi 44
uniforme tributum in omnia capita inducatur.

Et Bornitius *libr. 5. de Ærario cap. 1. &* 45
2. cenſet, quòd regulariter perſonales ſive cenſus æquales in capita maximam injuriam civibus inferant, quum qui nihil aut parum in bonis habet, nihilominus æquale rerum gravamen cum aliis perferre cogatur.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT LXXIX.

Num. 1.

(1) *Jani templo tertiùm clauſo &c.]* De Jano Quirini (inquit Caſaubonus *ad Sueton. in vita Auguſti cap. 22.*) & portis templi ejus, deque more eas aperiendi, claudendive, res omnibus hodiè nota: ſed quotiens id acciderit, aut ante aut poſt Octavium, paucis habe, quæ quidem in iis, quæ nunc exſtant, legere meminimus. *Prima* mentio eſt apud Livium & Plutarchum in Hiſtoria Numæ: ab eo mos inſtitutus. Hujus temporibus per annos XLIII. Jani portæ clauſæ fuerunt. Anno deinde ab Urbe condita DXIX. Coſſ. Tit. Manlio Torquato, C. Attilio Balbo *ſecundùm* clauſum eſſe iterum Janum, eodemque anno rursùm apertum multi referunt. *Tertiùm* clauſit Auguſtus A. V. C. DCCXXV. Coſſ. ſe V. & Sexto Apuleio, poſt victum Antonium. *Quartùm* idem Princeps Coſſ. ipſo IX. & M. Junio Silano, quum ex bello Cantabrico Romam rediiſſet A. U. C. DCCXXIX. auctor Dio *in ejus anni actis lib. LIII.* & Oroſius clarè *lib. VI. c. XXI.* *Quintùm* quoque clauſit idem Imperator circa tempora Nativitatis Regis & Pontificis ſummi JESU CHRISTI, Domini noſtri. Dio hujus hiſtoriæ non meminit in illius anni rebus exponendis: ſed meminerant veteres alii, ex quibus ſumpſiſſe Oroſium, qui diſertè notat *lib. VI. c. XXII.* non dubium. Scio viros doctos hanc tertiam κλεῖσιν ad XI. ejus Conſulatum referre ex Inſcriptione quæ Emeritæ in Hiſpania; cujus initium: IMP. CÆS. DIVI. F. AUGUSTUS. PON. MAX. COS. XI. TRIBUNIC. POT. X. IMP. VIIII. (*Merula, qui in Coſmogr. partic. part. 2. lib. 2. c. 25. p. m. 194. totum exhibet, habet VIII.*) ORBE. MARI. ET. TERRA. PACATO. JANI. TEMPLO. CLUSO. nobis aliter videtur. Putamus enim eo lapide non indicari, quo anno clauſus Janus ab Auguſto fuerit: ſed inter argumenta proſperi Statûs florentis tum Imperii Janum clauſum eſſe poſitum. Quid autem mirum, ſi priori anno clauſus nondum fuerat apertus? non enim aperiebatur, niſi cauſa eſſet. Sed tertiùm ab eodem clauſus per multos annos (*ferè duodecim, ait Oroſius*) ad Varianam usque cladem manſit obſcratus. Tum aperti ejus templi fores ad Neronis usque tempora patuerunt. *Sextùm* clauſit Nero, ſe III. & Valerio Meſſalla Coſſ. A. U. DCCCXI. *Septimùm* (*Tacitus & Oroſius ajunt ſextùm, quia Nero ſine vera cauſa clauſerat*) Veſpaſianus A. U. C. DCCCXXIV. Coſſ. ſe III. & Nerva. Magnum deinceps altumque ſilentium apud Hiſtoricos ſuper Jani portis. Manſiſſe tamen conſuetudinem antiquam, teſtatur Capitolinus *in Gordiano Juniore.* Ait enim, Coſſ. Prætextato & Attico, qui eſt annus Conditæ Urbis DCCCXCV. Gordiano Jano aperto, quod ſignum erat indicti belli, profectum eſſe contra Perſas. Sed & ſub Chriſtianis Impp. ſervatum aliquandiu vetus hoc inſtitutum, teſtis locuples Ammianus *lib. 16.* qui in Hiſtoria rerum geſtarum à Conſtantino clauſi ab eo Jani mentionem facit. Id accidit poſt victum Magnentium, cùm ſublatis omnibus Tyrannis unus ille Romani Orbis Dominus exſtitit A. U. C. cIↄcv. *Hactenus Caſaubonus.* Confer Roſinum *Antiquit. Rom. l. 2. c. 3.*

(2) *Ut deſcriberetur Univerſus Orbis &c.]* Hujus deſcriptionis in Romanis Hiſtoricis diſertam memoriam ideò non fieri, autumat Excellentiſſimus Calixtus *in Concordia IV. Evangelicorum ſcriptorum lib. I. c. VIII.* quod Livii & Dionis ejus temporis interciderit Hiſtoria, Tacitus Annales inchoet à Tiberio, Suetonius rerum geſtarum ſeriem negligat, & hinc inde carpens multa tranſiliat.

Num. 3.

(3) *Didrachma &c.]* Drachmas duas dandas à Judæis fuiſſe Author noſter *in Tract. de Contribut.*

but. cap.1. n.30. & infrà *hoc cap. n.23.* ex Joſepho colligere videtur, qui meminit, Veſpaſianum hoc etiam inſtituiſſe, ut omnes ubique Judæi duas drachmas deinceps Jovi Capitolino Romæ pro tributo penderent, quas antea templo Hieroſolymitano ex lege divina ſolvebant. Quod nos in medio relinquimus, gnari cenſum alium Judaicum ante Romanos uſurpatum, alium Romanum in Judæa fuiſſe: ut Author *infrà verſ.7.* rectè notat.

(4) *Hæc prima fuit &c.]* Demonſtrat Calixtus *loco ſuprà dicto pag.47.* Cyrenium, (quem Tacitus *3. Annal.48.* Quirinium vocat) bis in Syriam miſſum fuiſſe, priùs quidem extraordinario imperio deſcriptionem faciendam, poſteriùs ordinario ſucceſſor Varo deſtinatus ad regendam provinciam, cui ultra conſuetum munus Præſidum & hoc acceſſit, ut Archelai bona in fiſcum redigeret & cenſum ageret. Quare cùm duæ deſcriptiones, priusquam Lucas Evangelium ſcriberet, in Judæa factæ eſſent, propterea addidiſſe: *& hæc deſcriptio prima facta eſt &c.* nempe ad ſecundam, cujus & ipſe poſtea *Act.5.v.37.* meminit, reſpicientem. Utrique verò Quirinum præfuiſſe, ſed priorem non tam ſolius Judææ fuiſſe, quàm totius Orbis Romani, ut quæ Imperii facultates, qui Proventus, ac quot ac quanti delectus ad bellum, tam ex provinciis, quàm ex ſociis Regnis & Civitatibus fieri poſſent, conſtaret, additq; Calixtus: Nata eſt (*Deſcriptio hæc*) ex Curioſitate Auguſti, ſeu prudentiam aut diligentiam nominare mavis, aut ſi omnium rectiſſimè loquamur, ex arcano divinæ Providentiæ conſilio, ut potentiſſimus Orbis terrarum Monarcha Chriſto naſcituro deſtinatum à Michea Propheta Hoſpitium pararet, & Mediatoris officium præſtaret. Hinc Chryſoſtomus *Homil.8. in Matth.* Ipſe Auguſtus, *inquit*, edicto de cenſu promulgato partui inſervit edendo in Bethlehem. Plura de cenſu hoc Romano vide apud Ægidium Bucherium *in Belgio Romano lib.2.c.3. & 4.*

Num. 19.

(5) *Jethro &c.]* Exodi *cap.18.n.21. ſeqq.*

Num. 23.

(6) *Videatur etiam Gellius &c.]* Et omninò Joh. Bapt. ViceComes *in Diſſert. de Capitatione fol. 3.4.5.8.9.*

Num. 24.

(7) *Joſephus ſcribit &c.]* A Lipſio *de Magnit. Rom. lib.2. cap.3.* citatus, aut potiùs Ægiſippus *de Excid. Urb. Hieroſol. lib.2.c.9.* Vice Comes *pag.6.* ubi vide.

Num. 27.

(8) *Capitatio &c.]* Joh. Baptiſta ViceComes diſcurſum ſuum de hac materia exorſurus; de Capitatione ſecundùm conſuetudinem aut legem Romanorum ſi agamus, *inquit*, diſtinguendum eſt: Aut enim quærimus, ut ajunt Logici, quid Nominis, aut quid Rei; Et in utroque res ita eſt varia, confuſa, & obſcura, ut vix quid recti haberi poſſit. Hoc agnovit J. Lipſius, vir in Romana Antiquitate curioſus, qui plurima obſcuriſſima in lucem protulit: Is tamen *in tract. de Magnit. Rom. lib.2. cap.13.* dum de Capitatione ſcripſit, profeſſus eſt; rem obſcuram eſſe, & multis involutam difficultatibus, quam ſatis commodè ſe explicare poſſe diffidit, nonnullos tantùm authorum locos indicavit, qui tamen vix intelligi, aut conciliari poſſunt.

(9) *Capiti ſive Perſonæ &c.]* Allegatus modò ViceComes docet, duas eſſe Capitationis ſpecies: Alteram quæ procedit per viam cenſendi, ſeu æſtimandi capitis, & hanc illi placet Capitationem juſtam appellare; alteram, quæ numerandi vel pecuniâ in uſum publicum colligendâ, & hanc appellat Capitationem voluntariam, vel pro tributo Principi perſolvendo, & fore Capitationem imperatam. Prior (*pergit*) illa conſiderat Caput, uti quid æſtimabile, cujusmodi ſunt ager, vinea, ſervi, equi, & alia hujusmodi bona. Poſteriores verò tantummodò numerant Capita, i. e. homines, (neque enim de illâ Capitatione, quæ ad juga, vel bruta pertinet, nunc agimus) & à ſingulis certum quid exigunt. In prima illa non omnia capita cenſentur; in his omnia indiſtinctè (fortè tamen ex ætate) numerantur, in locis, in quibus à Principe, vel Republicâ imponitur. Hæc ille, qui in ſeqq. rem per Exempla elucidat.

Num. 28.

(10) *Cives Romani &c.]* Allegatus jam aliquoties ViceComes *pag.7.* citatam legem *unic. C. de capit. civ. exim.* pulchrè explicans contendit, hallucinari illos, qui *Cives* in dicta lege interpretantur *Romanos*, cùm lex illa non de Civibus Romanis vel Romæ, vel alibi degentibus loquatur, ſed de plebe Urbana in Civitatibus Lyciæ & Pamphiliæ agat, & dicatur, exemplo aliorum Provinciarum Orientalium, eam quoque eximendam, ſcilicet capita illa non eſſe cum cæteris numeranda.

CAPUT LXXX.

De Tributo.

SUMMARIA.

1. Capitatio *annonaria quæ?* Jugatio *hæc, & quare ſic dicta?* n.2.

3. Capitatio *& Jugatio parem vim habent; dicitur & junctim jugorum capitatio,* n. 4. *& facta eſt pro numero agrorū vel capitum, quæ quisq; poſſidebat,* n.5. *& hoc reſpectu ſingularis quædam tributi ſpecies eſt,* n.6.

7. Tributi *nomen æquivocum; & quid in generali ac ſpeciali ſignificatione propriè denotet?* n. 8.9.10.11.12.13. & 14.

15. Tributa *ſunt urbana vel ruſtica,* & n.16.17. *tributum vini in Gallia,* n.18.

19. *Tributa Reipublicæ nervi ſunt;* & n.20.21. *in pœnam indici olim juſſa,* n.22.

23. Tributum *quid? ejusq; Etymon,* n.24. *Variarum regionum tributa, remiſſivè,* n.25.

26. Tributorum *hodiè frequens indictio: Germani iisdem maximè gravantur,* n.27.

28. *Quæ in* tributorum impoſitione *potiſſimùm ſint obſervanda?*

29. Indictionis *neceſſitas populo exponenda, & æqualitas in* tributorum impoſitione *ſervanda, quæ Geometricâ, non Arithmeticâ proportione dimetienda eſt,* n.30. & 39.

31. Geometrica *proportio quid? Arithmetica quid?* n.32.33.34.

35. Tributa *ſint potiùs crebra, quàm gravia.*

36. Tributum *reale, perſonali capitatione æquius.*

37. Locus

37. *Locus* Nazianzeni ; *&* Iſidori Peluſiotæ, num.*38*.

40. Cenſores *apud Romanos qui? & quodnam eorum officium*, num.*41*.

42. Tributa *ſeu functiones rebus indictæ, indictiones in ſpecie appellantur.*

43. Indictionis *vox quid præterea ſignificet? &* num.44.45. *& quomodo poſſit inveniri indictio* num.46.

Hexametra.

Ingentes ſumptus Reſpublica quæque requirit,
Nemo proinde Magiſtratum fraudato tributis,
Da quæcunque Deo debentur, quæque Tetrarchæ,
Et facies, Dominus quæcunque requirit ad unguem.

MONOSTICHA TROCHAICA.

In tributis eſſe nervos publicæ rei liquit,
Civium conſtat tributis civium ſecuritas,
Civium tributa danda pro facultatum modo,
Mollias æqualitate munerum gravia.

PRæcedenti capite de cenſu, qui in capi-
1 ta ſive corpora fit perſonarum, diximus.
Alia & diverſa ratio eſt Capitationis anno-
nariæ, quæ pro jugerum & capitum, qui-
bus coluntur & arantur, numero, collatio-
nem deſignat, *l.9.C.de act.empt.l.1.de impon.
lucrat. deſcript. in C.Theod.l.fin. C.ſine cenſ.
vel reliq.* De qua Salvian. Maſſil. *libr.5. de
præſent. Dei judic.* Cùm poſſeſſio ab his re-
ceſſerit, capitatio non recedit. Hæc Ca-
2 pitatio prædiorum jugatio appellabatur,
eò, quòd jumenta capita vocarentur, quo-
rum jugo uno quantum arari terræ pote-
rat, id ſubjugationis appellatione in de-
ſcriptionem veniebat, tributariæque fun-
ctioni ſubjiciebantur. Inde capita & juga,
3 capitationem & jugationem in eadem ra-
tione, tanquam parem vim habeant, poni
videas, *l.9.C.de agricol. & cenſit. libr.10.l.6.
de extraord. munerib. in C. Theod. & ſimilib.*
4 dicitur & junctim jugorum capitatio *l. de im-
munit. conceſſ. in C.Theod.* & ζυγοκέφαλον à Juſti-
5 niano *in Novell. 17.* Eamque collationem
pro numero agrorum vel capitum, quæ poſ-
ſidebat, nach eines jeden Tax factam dilucidè
oſtendit *l.fin.C.de immun.nem.conced.libr.10.*
6 Atque hoc reſpectu jugatio ſingularis quæ-
dam ſpecies tributi eſt. Tributum enim
7 tanquam æquivocum nomen interdum
8 ſtrictiùs accipitur. In generali ſignificatio-
ne tributum eſt, quod univerſo patrimonio
& tàm mobilibus, quàm immobilibus rebus
imponitur : In ſpeciali ſignificatione eſt,
quòd rebus tantùm immobilibus in æſti-
9 mio deſcriptis imperatur. Illud perſonis
10 juxta patrimonii vires injungitur : Hoc re-
bus ipſis inhæret. Illud ſolis ſubditis im-
ponitur : Hoc à rerum poſſeſſoribus, ſive
ſubditi ſint, ſive non ſint ſubditi, præſtari
ſolet. Illud principaliter propter perſonas
11 & ſecundariò rebus indicitur ; Hoc rem
ipſam directò afficit, nullâ habitâ perſonæ
conſideratione.
12 Illud verum eſt & incertum, & cum u-
niverſo patrimonio creſcente vel decre-
ſcente, creſcit vel decreſcit ; Hoc certum
eſt & fixum, & neque creſcit neque decre-
ſcit, niſi res ipſa pereat, atque eo modo o-
nus illi inhærens ſimul concidat & evane-
ſcat. Illud Cenſus vel Collecta, hoc pro- 13
priè Tributum. Nos eo modo hâc voce pro-
miſcuè utimur pro pecunia vel annua
penſitatione, quæ à Civibus & Subditis re-
ſpectu bonorum mobilium & immobili-
um, quæ habẽt & poſſident, exigitur & ſolvi- 14
tur, Tribut, Landſteuer / Schoß / Schatzung/
vulgò dicimus.
Bona immobilia ſunt fundi & prædia,
Urbana ſcilicet vel Ruſtica. Urbana præ- 15
dia, putà domus, horrea aliaque ædificia, 16
areæ &c. nonnunquam tributum pen-
dunt, Haus- und Hoffſchoß / Balckengeld/
Sporgeld / Camin- und Schorſteingeld / In-
quilin-Geld/ꝛc. poſt Simonem Piſtoris *con-
ſil.19.libro primo.* Schurff. *conſil.23.numer.3.
centur.3.* & Waremundum ab Erenberg ſive
Everhardum à Weihe, Bornit. *de ærar. libro
quinto, capite ſeptimo.*
Tributum, quo ex prædiis ruſticis ſive 17
poſſeſſionibus & proventibus agrorum,
paſcuorum, hortorum, vinearum & quic-
quid nomine fundi venit, penditur, pro
ratione & proportione jugerum exigitur,
& vulgò dicitur Huffengeld vel Fruchtgeld/
ſolviturque ex fundis ſecundùm menſu-
ram fundi cujusque ex tritico, horreo, a-
vena, ſiligine. Quò pertinet etiam Wein-
geld oder etliche Vas Wein : Quod genus
vectigalis de vino tempore Caroli V. Re- 18
gis Galliæ in uſu fuiſſe, ſcribit Boër. *deciſ.
246.* Item Forſtgeld / Trifftgeld : Quò
etiam referri poteſt Maſtgeld / das beſte
Haubt aus dem Viehe / Pfluggeld/ Bottgeld/
Erbzins/Zehenden von Fleiſch/ Korn/Erbſen/
Flachs/Kraut ꝛc.
Hujusmodi tributa Reipubl. nervos eſ- 19
ſe, publicè privatimque confeſſum eſt, *le-
ge prima §. in cauſa ff. de quæſt.* Certè quòd
ſicuti nervi corporis connexionem regunt,
ſic & tributum Rempublicam. Et ſicuti
militibus ſtipendia à Principe dantur, ita
& Principi à Republica, quæ ipſa tributa
ſunt. Unde enim perſolventur à Magi-
ſtratu Eccleſiarum & Scholarum Mini- 20
ſtris, Conſiliariis, & Miniſtris aulicis, benè
meritis honoraria, pauperculis ſubſidia,
quomodo ædificia nova poterunt excita-
ri, ac vetera reparari, viæ publicæ ſterni,
pontibus ripæ fluminum conjungi, Xeno-
docia, Prochotrophia conſtrui, quomodo
in futuram Reipubl. neceſſitatem theſauri
colligi ac recondi, niſi tributa Fiſco Magi-
ſtratus inferantur? Ideò de tributis penſitan- 21
dis extat Mandatum Divinum *Matth. 22.
verſic.21. Rom.13.verſ.7.* Et in eorum exacti-
one ita ſemper vigilanter eſt itum, ut eorum
onus inexcuſabile dictum ſit.
Tributorum verò indicendorum origi-
nem ſi penſemus, indicendi menſuram
ex-

exactiùs deprehendemus. Sanè ea non
22 naturalibus ſubditis, *id eſt*, hæreditaria poſſeſſione fidelibus, ſed exteris & adventitiis, id eſt, vel *bello ſubactis*, (1) vel oblatam pacem accipientibus in pœnam imperari ſunt juſſa, *Deut. 20. verſ. 11.*

Quod lugubris illius querelæ initium ſignat, in qua Princeps Provinciarum ſub tributo facto ploratur, *Jerem. thren. cap. 1. verſ. 1.* Et hoc ex juſto. Ex æquo tamen, & ad ſcandalum periculumque avertendum naturalibus ſubditis, ſed leviora, ſummus Principum perſolvenda docens, imperari etiam poſſe docuit, *Matth. 17.*

Eſt autem Tributum penſio quædam
23 in uſum Reipublic. præſtanda, conſiſtens in corporibus, veluti auro, argento, ære, equis, armis vel veſtibus, exempla vide *Joſ. cap. 16. verſ. 10. cap. 17. verſ. 13. 2. Reg. cap. 17. cap. 20. cap. 23. 35.*

Apud Romanos tributum ideò vocabatur, quòd hæc pecunia tributim, id eſt,
24 per ſingulas tribus, ſicuti nunc per ſingula Territoria à ſingulis pro æſtimatione patrimonii imperaretur, & Ad tributum, quod cuique certa pecunia aſſignaretur præſtanda, ut ait *Varro*; (2) Vel *à tribuendo*, (3) quod ex privato in publicum, vel quod militibus tribueretur. Althuſ. *Polit. cap. 12. numer. 13. & ſequent.*

Variarum Regionum annua tributa,
25 eorumque quantitatem refert Gregorius Tholoſan. *libro 3. de Republic. capite quarto numer. 13. & ſeqq.*

Hodiè, prohdolor! ita frequens eſt hæc
26 indictio, ut non per vices repetitæ plures, ſed una, eaque perpetua dici poſſit, adeò ut nil ferè ſit ſubditis reliquum, quàm, quem ſpirant, flatus. Inprimis autem in Germania tributa creſcunt, quia in magna diffidentia ſe
27 muniunt ſinguli.

Quod ſi eam pecuniam junctis animis contra Turcam impenderent, quâ ſe mutuò terrent, omnes duplo ſibi ampliores ditiones comparare poſſent. Itaque & Subditi gravantur, nec tamen æraria implentur, cùm ille unius ſit finis tributorum, ne tempore belli pauperes graventur. Contzen. *libr. 8. Polit. cap. 7. num. 16.*

In imperandis verò tributis ultra poteſtatem imponentis quinque *conditiones exigi ſolent ad tributi juſtificatio-*
28 *nem.* (4) Prima eſt, proportio tributi cum neceſſitate, vel cauſa, propter quam exigitur: ut ſcilicet imponendi neceſſitas populo exponatur, nec plura, quàm quibus opus, exigantur; Quam proportionem ego ſic intelligo, ut non ſit majus, cui populus exponitur, & quod patitur ex ſolutione talis tributi, quam illud, quod timere poſſet, ſi ad eam neceſſitatem ita non contribueret: neque enim boni Medici eſt extenuare corpus ſanguinis emiſſione uſque ad deliquium, niſi in extremo vitæ periculo, cui aliter occurri non poteſt, & experientiâ conſtat, potentiſſimas & opulentiſſimas Reſpublicas ſenſim nimiis exactionibus & oneribus ita debilitatas fuiſſe, ut in ultimam tandem ruinam pervenerint. Quod potiſſimè conſiderandum videtur, quando tota cauſa graviſſimorum tributorum eſt ſuſtinere bella, quæ geruntur inter duos Principes, qui de jure legitimæ ſucceſſionis in eo Regno contendunt, & ille, qui poſſidet, extrahit ſubſtantiam & ſanguinem à Subditis, ut ſe in eo Regno conſervet. Et quidem ſi ille, qui ingreſſu prohibetur, eſſe talis, ſub cujus regimine graviſſima mala ſubditi timere poſſent, non eſt dubium, quòd ſubditi debeant ſe bonis ſpoliare, ut eum totis prohibeant. Aliquando tamen nullum malum aliud bono publico timetur ex alterius adventu, niſi variatio Principis, & fortaſſe ille alius melior erit ad publicum bonum: quare non eſt certum, quòd Subditi cum tanto diſpendio ſuorum bonorum debeant Principem priorem adjuvare: *non enim eſt Regnum propter Regem*, (5) ſed Rex propter Regnum, & bonum commune, ac publicum præferendum eſt bono privato, quando illud privatum bonum non redundat in bonum commune. Quare deberet tunc Princeps ita cauſam ſuam privatam procurare, ut tamen bonum ſuorum ſubditorum, quod ſuo privato præferre debet, primo loco ante oculos haberet: Sicut enim tenentur omnes ſubditi exponere ſuam vitam pro tuenda vita Principis, quando illa non eſſet neceſſaria ad bonum commune; ita non tenentur ſpoliare ſe ſuis bonis & dignitatibus omnes ſubditi, ut Principis fortunas & dignitates tueantur, quando hoc ipſum non eſſet neceſſarium ad bonum commune.

Secundò obſervandum eſt, ut æqualitas obſervetur, ne aut ex odio, aut ex gratia hi ſubleventur, ii deprimantur.

Tertiò, ut moderatè temperentur: Videndum enim, quid civium facultates ferant. Ad mendicitatem ſi redigantur, Magiſtratum & contemnunt, & oderunt, & omnes rebellandi occaſiones arripiunt.

Quartò, odio digniſſimi, qui Reipubl. cauſâ pecunias imperant ſubditis, nec tamen in uſus publicos erogant.

Quintò, ſi collatio ſingulis à civibus facienda, ex iis fieri non debet, quæ victûs & amictûs ſunt quotidiani, ſed è rebus minùs neceſſariis, quæ luxui, deliciis, & intemperantiæ præbent occaſionem. Egregiè Leonardus Leſſius Jeſuita *de juſtit. & jure libr. 2. cap. 33. dubit. 1. num. 5. & ſeqq. fol. 408.* ubi quinq; conditiones juſti tributi ſeu vectigalis examinat; & *num. 8. circ. fin.* ait, proportionem eſſe veluti formam vectigalium, cùm

cùm debeant imponi ſecundùm rationem Juſtitiæ Diſtributivæ.

Videatur quoque Cardinalis Johan. de Lugo *tom. 2. de juſtit. & jur. diſput. 36. ſect. 2. num. 18. ubi inquit*, ad tributi juſtificationem requiri cauſæ juſtitiam; hanc autem attendi ex neceſſitate boni communis, ad quod tributa debere ordinari, non ad Principis utilitatem vel abundantiam; ceſſante autem omninò neceſſitate, ceſſare juſtitiam tributi. Bapt. Fragoſus *in Regimine Reipubl. Chriſtianæ part. 1. libr. 3. diſputat. 8. §. 1. num. 8. 9. 10. 11. & num. 15.* ubi inquit: Tributa immoderata ultra id, quod cauſa petit, ſapere tyrannidem, nec deberi quoad exceſſum, nec cauſâ ceſſante.

29 De Indictionis neceſſitate populo exponenda, dixi *tractat. de Contribut. cap. 7. numer. 16. & ſeqq.* De æqualitate autem & moderatione in tributorum impoſitione ſervanda, quædam tradidi ſuprà *hoc tract. cap. 51. & 52. & d. tract. de Contribut. cap. 17.*
30 *per tot.* Quibus addo, quòd æqualitas iſthæc, proportione Geometricâ, non Arithmeticâ, dimetienda, ut verè Diſtributivæ
31 juſtitiæ locus ſit. Eſt autem Geometrica proportio, cùm tum in rebus, tum in perſonis circumſtantiarum gradus dimetimur, adeò ut numerorum collatione vel calculo neglecto, ſimilitudinem tantùm & proportionum æqualitatem retineamus: Arithmetica verò contra, ubi, cir-
32 cumſtantiis neglectis, ſolius numeri ratio habeatur. Putà ex ſingulis terræ jugeribus ſingulos numos exigere Arithmeticæ proportionis eſt; quia tantùm jugera disquiruntur nullo terrarum diſcrimine habito, quod inprimis habendum eſt, ut Geome-
33 tricæ proportioni locus ſit: Ut ſcilicet cenſeantur, quæ terræ fertilioris, quæ aridiores ſint; quæ propinquiores, quæ remotiores; quæ citiùs, quæ ſeriùs opem ferre ad opus poſſint, aut ſoleant; ut uno ad aliud compenſato, huic remitti, intendi illi tri-
34 buta æquabiliter poſſint. Alioquin Arithmeticâ proportione dimetiens, ubi æqualitati ſtudere ſe putaverit, ibi inæqualitatem maximam, & ſic injuſtitiam admitteret; perinde ac mater, quæ tantundem quadrimo, quantum decennali puero in prandio aut ad ferendum daret, cùm plus huic, quàm illi alimenti debeatur, plus & oneris ferre poſſit.

Præterea tributa crebra potiùs, quàm
35 gravia exigenda ſunt. Et tributum ſi imponatur rei immobili, non debet excedere quantitatem moderatam, conſideratis fructibus ejus & laboribus, ac expenſis, quæ circa illam fiunt. Nam ſi in hoc tributum ſit nimis oneroſum, planè erit injuſtum. Si autem imponatur rebus mobilibus, quæ vẽduntur & emuntur, vel arte fiunt, obſervari debet, ne tales ſint hujusmodi res, vel tantum & non magnum tributum, ut redundet in majus onus pauperum, & artificum, aut mercatorum, quàm poſſint ſuſtinere commodè ad vitam & familiam ſuſtendandam.

Tributum hoc Capitatione, aliisque 36
impoſitionibus merè perſonalibus æquius videtur: propterea, quòd perſonale perſonas afficiat, ſive quid poſſideant in bonis, ſive non poſſideant; At reale ex compendio rerum privatarum proficiſcatur. Quòd enim homines arant, quòd metunt, quòd mercantur, & lucrifaciunt, quòd labore & manu quæſtum faciunt, Reipublicæ curâ, regimine & tutelâ id faciunt. Cæterùm cùm imperium ſine vectigalibus nullo modo retineri poſſit, æquo animo cives parte aliquâ ſuorum fructuum, pacem ſibi ſempiternam atque otium redimere debent. Hinc D. Nazi- 37
anzenus *Carmin. 1. de rebus ſuis.*

——— *perferre neceſſe eſt*
Cæſarium pondus vocemq́ tributa legentis
Audire horriſonam: Collatio namque tributi
Libera permagno conturbat corda dolore.
Divitias comitans, ac linguæ vincula nectit.

Et pulchrè Iſidorus Peluſiota *libr. 1. Epiſt.* 38
48. Deſcriptus eſt, *ait*, Dominus, cùm utero geſtaretur, & cenſum Cæſari pependit: hinc videlicet velut latâ lege nobis indicens, ut ei, qui imperium tenet, obediamus, modò nihil ad pietatem detrimenti adferat. Quæ igitur ipſe Deus noſter, ſubita per diſpenſationem & concilium paupertate, docuit, candido animo imitemur, nec pauperum obtentu tributum pendere detrectemus. *Hæc ille.*

Utendum autem hîc eſt (ut dixi) pro- 39
portione Geometricâ, ut quisque tantum ſolvat, quantum poſſideat *l. 3. C. de annon. &*
tribut. Cujus rei causâ Magiſtratus in Roma- 40
na Republ. conſtituti, qui Cenſores dicti; de quorum inſtitutione & officio latè egi *Tract. de Contrib. cap. 17. num. 17. & ſeqq.* Videatur
Bodin. *lib. 6. de Repub. c. 1.* ubi ſigillatim de 41
cenſura agit, quæ primitùs non ad morum caſtigationem inventa fuit, ſed ad civium deſcriptionem, ætatem, numerum, ordinẽ conditionem ſive ad fortunarum omnium ac facultatum æſtimationem: quo ſenſu poſteriori hoc loco nos vocem *Cenſus* ſpeciatim uſurpamus, Schatzung der Güter.

Coronidis loco ſubnectere libet, quòd 42
tributa ſive functiones, quæ non perſonis, ſed prædiis indicuntur, id eſt, imponuntur, Indictiones in ſpecie appellentur: quâ de causâ eorum nomine, quæ non poſſidentur, non agnoſcuntur, *Novell. 128.* Cujac. *in rubric. C. de indict. libr. 10.*

Cæteroquin vox hæc, Indictio, in li- 43
teris antiquioribus frequens occurrit, complectens tria luſtra. Eâ verò tempeſtate demum uſurpari cœpta eſt, cùm Romani

toto terrarum orbe ſubacto omnibus populis tributum imperabant. Cæterùm quia provinciæ illæ ferè innumeræ & longe lateque diſſitæ erant, vectigal illud ſolvere non licebat. Ergò lege fuit cautum, ut ſub finem quinti cujusque anni penderetur: Et quidem ad declarandam imperii majeſtatem aurum ſub exitum primi luſtri, ſub ſecundi argentum in ſtipendium militum, ſub tertii ferrum, ad reſtituendam armaturam attritam. Tria hæc luſtra XV. o-
44 mninò annos complectentia conjunctim Indictio vocantur. Quò verò hanc deſcriptionem minùs obliviſcerentur ſubditi, Imperatoribus placuit, ut in omni contractu & negotio, æræ loco, Indictio ſubjiceretur, adeò, ut à quibus hæc vox literis & immunitatibus, &c. abeſſet, irritæ eæ neminem tenerent.

Alii CONSTANTINO imperante Anno
45 Chriſti CCCXIII. ante diem VIII. Octobr. quo die victus Maxentius, religioque Chriſtiana in libertatem vindicata eſt, quaſi in primordiis Chriſtianæ libertatis Niceni Conventûs authoritate inſtitutum, atque hinc Indictiones appellatas eſſe ſcribunt, ut ſublatis Olympiadibus annorum ratio ab eo tempore iniretur; ſicut decimo quinto quoque anno nova eſſet Indictio, anni autem ſinguli cujusque indictionis computarentur, vulgò dicitur der Römer Zinszahl. (6) Et paria ſunt hæc tria, Anno quinto, in-
dictione quinta, fuſione quinta, *l. 6. C. Theo-* 46
doſ. de indul. debi. Et qualiter poſſit inveniri Indictio, habetur in gl. *c. inter dilectos verb. indictionis. de fid. inſtrum.* Sic enim faciendum eſt, Annis æræ Chriſtianæ addas tres, & divide totam per quindecim, & id, quod remanet, completâ diviſione in numero dividendo, hoc oſtendit Indictionem in iſto anno: Sin verò factâ diviſione nil ſuperſit, tunc numerus quindenus pro indictione eſt, juxta verſus:

Sin per quindenos Domini diviſeris annos,
His tribus adjunctis Indictio certa patebit.
Si nihil excedit, quindena indictio erit.

Latè Covarruv. *lib. 1. variar. reſolut. c. 12. n. 4. & ſeqq.*

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT LXXX.

Num. 22.

(1) B*Ello ſubactis &c.*] Ita, quo tempore ſub Henrico III. Imperatore, Poloniæ Ducatus ſubjectus erat Imperio, pendere cogebatur quotannis boves CXX. argenti verò puſtulati L. pondo, Bonfinius *lib. 2. dec. 2.* Bohemi quoque, ex indictione Caroli M. totidem boves & ſummam pendebant Dubravius *l. 5.* Æneas Sylvius *in Bohem. c. 19.* Scilicet in victoriæ recognitionem & fructû. Interim propterea Bellum haud eſſe movendum, ut tales ſubditi, qui onera ferant, habeantur, ex quo principio olim Magnus Poloniæ Cancellarius bellum Livonicum ſuaſerat, piè Beſoldus *de Ærario c. 4. n. 12. v. 3.* monet.

Num. 24.

(2) *Varro &c.*] De Ling. Latina *l. 4. fol. m. 29.* Iſidorus *Orig. l. 16. c. 17. p. 1225.*

(3) *Vel à Tribuendo &c.*] Paulus *inter Author. Ling. Latin. p. 468.*

Num. 28.

(4) *Conditiones &c. ad Tributi juſtificationem &c.*] Junge notata ad Politicum Sceleratum *c. 45. p. 510. ſeq.* & quæ hinc inde de Tributorum æqualitate, rebus, quibus vectigal imponendum, de imminuendis oneribus &c. hoc in libro jam tractata ſunt.

(5) *Non enim eſt regnum propter Regem &c.*] Antiquæ & moribus ſeculi obſoletæ ſapientiæ monitum eſt, (*cenſente Illuſtri Forſtnero in Not. Pol. ad Tac. 12. Annal. 21 num. 2.*) Reges Populi, non hunc Regis causâ factum conſtitutumque eſſe: ideoque omnes Principis curas, cogitationes, ſtudia, ad populi ſalutem & utilitatem dirigi debere. Quò pertinet iſtud Claudii præceptum (*apud Tacitum d. loco*) Meherdati, quem ad Parthorum Regnum capeſſendum dimittebat, datum; ut non dominationem & ſervos, ſed Rectorem & Cives cogitaret.

Num. 45.

(6) Der Römer Zinszahl &c.] Confer Beſoldum *in Theſauro Practico*, & Speidelium *in Speculo, vocibus Indictio, &* Römer Zinszahl.

CAPUT LXXXI.

De Augmentatione Ærarii ex Cura Alimoniæ, ac Propoliis, & Granariis publicæ annonæ.

SUMMARIA.

1. *Providetur à Principe* annonæ, *& conciliabitur illi obligabiturq; plebs arctiſſimè.*
2. *Exempla* Principum *ad hoc propoſitum; qui cum gloria damno publico obviam ire certarunt, & n. 3. Ægyptus fame preſſa, & Picenorũ ager,* ib.
4. *Quod ſi negligatur, incommoda non levia enaſci.*
5. Frumentatio, *ſi quid aliud, indicat Romanam magnitudinem.*
6. *Coëmat frumenta* Princeps, *cùm affluunt proinde, ut, cùm defecerint, inde ſubditis conſultum ſit.*
7. *Ex hoc fundamento coguntur interdum Principes* propolia *exercere.*
8. Juſtitia *&* æquitas *talium propoliorum.*
9. Inducitur *Thales Philoſophus, & cælo laudatus* Joſeph. n. 10.
11. *Sed quæruntur tum ſerò* remedia, *cùm pro foribus propius eſt periculum.*

12. Reſpublica *benè conſtituta, dum benè ſibi eſſe ſentit, occurrit temporum malitiæ.*

13. *Nihil arma mileſq; externus protegit, cùm excedit intus* inedia.

14. Veneti *hoc nomine celebrati*, n.15.

16. *In* Noricorum granario *inventa eſt de trecentis annis proviſio.*

17. *Cùm* Princeps *id ſolus nequiverit præſtare, demandet divitioribus ſubditis*, n.18.

19. *Cogat etiam in neceſſitatis tyrannide* Princeps.

20. *Sed quid ſi comparatæ in bonum commune* fruges *corrumpantur? præveniatur & imperetur ſubditis emptio frugum, quæ in ſubditorum bonum comparatæ.*

21. *Modi providendi* annonæ, *& remedia contra* annonæ *caritatem.*

Non à ſole, verùm à Rege uber annus provenit;
Sive pax ſit, ſive bellum, proſpice ô Rex horreis:
Congiarium perenne eſt, annonæ affluentia
Cura cui victus diurni eſt, altius quid cogitet?

Aliud.

E victualium decente & providâ
Curâ, propoliis bonis, granariis
Et congruis, Ærarl creſcit ſeges.

1 INſtar perpetui congiarii eſt affluentia annonæ, nec minoris eſt dignitatis annonam ſervare, quàm ærarium & optuma favoris *benevolentiæq; conciliandæ apud plebem* (1) eamque in officio & quiete conſervandi ratio eſt annonæ cura; Nihilque laudabilius eſt, ac bonis Principibus dignius, quàm in annonæ caritate fameque (quâ mori miſerrimum eſt) plebi ad vitam ſuſtentandam pane & rebus aliis ſuccurrere; granariaque ſua & promptuaria aperire, levique pretio cibaria populo exponere.

2 Hoc Regni arcano Auguſtus Cæſar populum ſibi arctiſſimè devinxit. Annibal. Scotus *in lib. 1. Annal. Tacit. in princ. pag. 6.* Et Sixtum V. Pontificem laudat Cicarella *de Vitis Pontificum in Sixto V. fol. 494* dicens; eum quinquaginta millia Ducatorum in populum diſtribui præcepiſſe, atque ita propriâ gloriâ obviam publico damno iviſſe, annonam propriâ pecuniâ abunde advehendam curaſſe, eoque tamen acerbo tempore populi ſummam levaſſe inopiam, *Scot. comment. in 6. Annal. Tacit. fol. 396. n.*
3 *26.* Julianus quoque Imperator, cùm videret populi vocem veram eſſe, neque forum inopiâ ſed locupletum avaritiâ premi, moderatiùs rei cuique pretium conſtituit, atque id omnibus notum fecit. Nihil profectò eſt famente plebe vehementius concitatiuſque. Hæc ævo Joſephi omnem terram vehementer premebat.

Sub Honorio Imperatore (quod narrat Zoſimus *lib. 6. Annal. Anno 414*) Romæ tanta caritas & raritas omnis annonæ fuit, ut homines hominibus imminerent, & in circo palàm audita ſit illa vox; *Pone pretium humanæ carni.* Caſtaneæ pro frumento commolitæ, & in panem qualemcunque coactæ, Procopius, & ex eo Baronius *lib. 2. tom. 7. Anno 539.* ſcribunt, Juſtiniani Cæſaris ævo, Gothis Italiam vaſtantibus, eam famis tyrannidem ſæviſſe in ſolo Picenorum agro, ut quinquaginta millia hominum famæ ſint mortui: Duæ mulieres ſeptendecim viros in ſomno occiderunt, & eorum carnes pararunt in epulas quotidiani victûs: Decimus octavus pariter jugulandus lethales inſidias prævertit, occiditque ambas.

Certè fames deficiente frumento, in- 4
ſano more prorumpit, civitatum primores peſſumdat, interficit, raptat, domoſque evertit, Camill. Borell. *lib. 3. de Magiſtrat. Edict. cap. 14. num. 2.* Unde & Lipſius *Elector. lib. 1. cap. 8.* Si qua, *inquit*, res alia, ex qua intelligi magnitudo & opes Populi Romani poſſint; ea, me judice, FRUMENTATIO eſt. Vicerunt Orbem terrarum Romani, *quia* 5
tariùs cum inedia conflictati. (2) Prompta ubique ferè Annona fuit; quia à viris maximis clariſſimiſque adminiſtrata: Cæſar ipſe qui unus intellexit, quomodo gerendum eſſet bellum, non putavit ſe, adversùs Gallos pugnans, Imp. militum eſſe, niſi Annonam quoque militarem curaret, curavit, frumento dividundo adfuit, m gnumque munus ſuo magis exemplo commendavit. Rectè Theodoricus Gothorum Rex apud Caſſiodorum *lib 4. variar. cap. 13. Diſciplinam non poteſt ſervare jejunus exercitus.* Et quoties armis animiſque inſtructæ copiæ penuriâ elanguerunt! quoties infelix belli eventus non virorum, ſed alimentorum defectu! Vegetii verum dogma eſt, *lib 3. cap. 3. Sæpius penuria quàm pugna conſumit exercitum, & ferro ſævior fames eſt. Verùm reliquis caſibus poteſt in tempore ſubveniri pabulatio & annona in neceſſitate remedium non habent.*

Immota itaque eſt Politicorum ſtatuentium opinio annonam & ſimiles res uſui 6
mortalium neceſſarios coëmere Principem belloque & famis neceſſitate ingruente militibus & ſubditis tolerabili pretio vendere poſſe; adeò interdum pro ratione temporis Principi liceat vini & frumentorum propolia exercere; Fürkauff der Früchten und 7
anderer dergleichen Nohtdurfften. Quæ propolia ad juſtam rationem commodiſſimè rediguntur, ſi Principes ac Reſpublicæ 8
annonarias Contributiones ad caritatis inopiæque reſervent caſus; aut etiam, quæ ab exteris exportantur, coëmant; annonaque ingraveſcente æquabili pretio minutatim vendant, ſicque non ſolùm famem impediant, ſed & Ærarium publicum pretii commodi æſtimatione ſuffulciant. Ita Thales ille ſapiens cùm prævi- 9
diſſet olearum inopiam, omnes coëmit, & anno inſequenti vendidit, Ariſtot. *lib. 1. Polit. cap. 7.* Inprimis verò Pharaonis, Ægyptii

gytii Regis, ex Joſephi conſilio, induſtria memorabilis perpetuo exemplo, Principibus, Rebuspublicis & Magiſtratibus eſſe debet, ut prudentes, antequam neceſſitas ſuperveniat, annonæ caritati ſuccurrant, de quo *Geneſ. cap. 41.* Primùm,
10 cum alienis meſſibus Roma ſuam multitudinem & inertiam ſuſtentavit, *horreum Siciliæ erat*, (3) acceſſit Sardinia, Africa, poſtremò Ægyptus, Græcia, Macedoniaque aliquando in partem venêre, cùm merces Libycæ fallerent.

11 Sed fatale quoddam & univerſale hominum erratum videtur, ut remedia tum maximè quærantur, cùm pericula imminent. Ubi Respublicæ benè conſtitutæ ſunt, magnæ annonæ omnisque generis victûs, præſertim frumenti copia ad belli famisque reconditur caſus inopinatos & annis fertilibus providetur, ut ſterilitas ſuperveniens nocere haud queat; Eamque
12 annonæ curam ipſa neceſſitas efflagitat, Scip. Amirat. *Diſſertat. Polit. in Tac. Diſcurſ.* 3. Ex inopia quippe & fame (quæ homines in belluas commutat) proditio & fluxa ſervitiorum fides, ac fortuita bella ſperanda,
13 *Tacit. lib. 4. Hiſtor. 60.* ac parùm leges & ſanctiones, parùm propugnacula, parùm milites juverint, ſi populus inedia laboret, Hyppolit. à Collyb. *de increment. urb. c. 21.* Hinc in omnibus benè conſtitutis Rebuspublicis magna cura ſemper adhibita, ut populus non modò omni genere victûs, ſed frumento præcipuè abundaret; ad quam rem præfecti annonæ creati. Hi tempore oportuno advehendum frumentum curant vili pretio, ut eodem valore civibus, ubi opus, vendatur: dant operam, ut frumenta locis idoneis poſita conſerventur; ne ex urbe aſportentur, niſi in magna abundantia: hi pretia rebus imponunt, ne ad voluntatem venditorum carè nimis diſtrahantur: hi denique in Dardanarios animadvertunt, qui annonam in ſua horrea avertunt, menſuras, & pondera falſant, legibus conſtituta pretia excedunt, undique coëmpta frumenta ſupprimunt ad annonæ incendium, ait Quintilianus, id eſt, ut annonæ augeatur pretium, ingraveſcatque caritas. Venetus Senatus curandâ annonâ plebis amorem redimit; neque enim majorem curæ annonam fa-
14 cilè invenies. Tres ibi ſunt numero, qui providere ſolent, ne civitas unquam frumenti inopiâ laboraret, quæ ſi quando timeatur, Principem, Sapientumque Collegium adeunt, reque inter eos diſcuſsâ decernunt, quæ ad frumenti copiam comparandam uſui eſſe videntur, Caſpar. Contaren.
15 Cardinal. *lib. 2. de Repub. Venetor. fol. 25.* Et quandoque ſolet certa merces ex ærario his conſtitui, qui ex longinquioribus provinciis frumentum Venetias advexerint. Sleidanus *lib. 26. comment.* meminit, Franciſcum Venerium Ducem loco remotum, quòd in re frumentaria malè verſatus eſſet, & privato commodo publicum poſthabuiſſet. Romæ ſingularis magnæque dignitatis erat Magiſtratus, Præfectus annonæ dictus, *tot. tit. C. de præfect. annon.* ubi Cujac. qui Kal. cujusque Menſis frumentum per teſſeras dividerent, *Teſſeris acceptis*, (4) vadebant ad horrea, ubi frumentarii Populo frumentum admetiebantur. Jul. Cæſ. Bullenger. *tractat. de Vectigal. populi Roman. cap. 9. circa princip.* Officium illius deſcribit Caſſiodor. *lib. 6. var. 18.* Sic Turcarum Imperator creat *Shar Emin*, urbis præfectos; qui ut copia oryzæ & frumenti, néve ullum rerum illatarum monopolium ſit, perpetuò curant. Sic & in exercitu habent *Hapac Emin*, qui equis de pabulo proſpicere poſſit. Eoque fine granaria & horrea publica Kornhäuſer / vinaria, penuria, &c. exſtrui oportet, varioque frumenti & vini genere repleri, ac tempore peſtis, ubi commercia nulla, vel belli & famis aperiri, & teſſeræ frumentariæ æquabili pretio, ita tamen, ut lucrum inde ſentiat Respublica, civibus diſtribui ſolent: ut ita ſuperveniens calamitas, reſervatâ præcedentium annorum abundantiâ relevetur. In *Noricorum granario* (5) 16
trecentorum annorum acervos ſe vidiſſe, teſtatur Herman. Kirchner. *Diſputat. de Republ. 21. theſ. 1. lit. b.* Laurentius Surius *in comment. rer. in orbe geſtarum pag. 22.* narrat; Cùm Anno MDI. dira fames ob frumenti inopiam Sueviam invaſiſſet, eam Argentoratenſes, frumento, quod in magna copia reconditum habebant, non avaro quidem, ſed commodo pretio diſtracto, levaſſe. Et refert Latherus *lib. 3. de cenſu. cap. 7. num. 105.* Cùm Anno MDCII. propter grandines imbresque crebros magna eſſet timenda annonæ difficultas, Ludovicum Seniorem Haſſiæ Landgravium, in Procerum conſeſſu adfirmaſſe, ſi contigeret fato, ut in tota Cattorum Ditione triennii ſpatio ſterilitas eſſet expectanda; ſe non tantùm ſuæ regioni, verùm & Haſſiæ univerſæ, de re frumentaria abundè proſpecturum. Sanè Romani magnam ſemper curam habuerunt annonæ ejusque caritatem incendio aſſimularunt & igni, cui nemo reſiſtere poteſt, Adrian. Turneb. *l. 22. adverſar. c. ult.* At verò quomodo Horrea olim fuerint condita, ut ne frumenta computreſcerent, itemque de cura & copia Annonæ tam apud Romanos, quàm alias nationes, conſule, Bulenger. *tr. de vectigalib. c. 8. & 9. atq.* Latherum *d. c. 7.*

17 Quod ſi Principi facultates ad annonam levandam non ſuppetant, civibus imponi poterit ſuperindictum ad emendum fru- 18

 men-

mentum & alia neceſſaria; tam in uſum ſuum quàm militum aut aliorum Reip. operã navantium, *l. quoties* ubi Bart. *n.1. C. ut nem. lic. in empt.* Franciſc. Marc. *deciſ. 542. part. 1. & deciſ. 40. n. 2. p. 2.* Georg. de Cabedo *dec.*
19 *92. in fin. l. 2.* ac jubere poterit Magiſtratus, ut quilibet civis certum numerum modiorum frumenti pro ſuo ſuorumq; uſu, quotannis ſibi comparet, *d. l. quoties.* Quò pertinet ſanctiſſimum & pientiſſimum Apollinaris Calderini conſilium *Diſcurſ. Politic.* 8. fame populos urgente Principem ditioribus tributum debere indicere ad pauperum ſuſtentationem, eamque pecuniam, vel eâ coëmptum frumentum poſtmodùm pauperibus hoc nomine diſtribuere.

Quin & tempore Neceſſitatis (quæ ho-
20 minum tyrannis dicitur, Scot. *lib. 2. comment. in Tacit. fol. 990.*) habentes frumenta & Victualia ad vendendum juſto, vel etiam viliori pretio cogi, Borell. *d. c. 14. n. 98. 99. & 100.* Georg. de Cabedo *d. deciſ. 92. n. 5. l. 2.* Et id jus maſculè contra quoſdam Magnates uſurpavit olim Flandriæ quidam Comes Bernhard. de Girard. *l. 1. de Hiſtoir. de France in princip.* Vide Me *tract. de Contribut. c. 1. n. 338. ſeqq.*

21 Addere lubet; Si Magiſtratus vel Reſp. magnam frugum quantitatem comparaverit in populi gratiam, quæ tamen tota diſtrahi non potuit, cives & ſubditi, ne publicum frumentum vetuſtate corrumpatur, compelli poſſunt, ut illud inter ſe dividant, pretiumque pro rata & quota exſolvant. Ne diligentia Reip. diſpendio ſit, atq; ut frumenta vetera primùm, deinde nova veneant, & ſi fortè corrupta ſint, ut novorum admiſtione veterum vitium corrigatur, *l. 1. C. de condend. in publ. horreis l. 10. tit. 26.* Borell. *d. c. 14. n. 134.* Hippolit. à Collyb. *d. c. 21. de incremento urbium.*

Porrò ut Annonæ provideatur, hæc erunt obſervanda.

I. Commercia cum Nationibus aliis moderatis vectigalibus juventur, non tributorum pravitate impediantur.

II. Sint rerum ad victum neceſſariarum terrâ marique faciles cùm invectiones tum evectiones; nimirum eæ res, quibus Provincia abundat, cum aliis permutentur; & eas, quibus caret, ab aliis recipiat. Id ſanè conſultiùs, quàm ut rerum earundem venditiones eodem in loco repetantur, per quas rerum pretia augentur.

III. Annonæ Curatores habitâ temporum & ubertatis ratione & Magiſtratus conſilio granis & rebus venalibus pretium imponent; non vendentibus liberum relinquant. Eorum tamen, qui agros habent, certâ aliquâ pecuniâ aut parte fructuum debitâ; magno enim ſudore, quicquid habent, comparaverunt, & multa inopsque familia plerumque ſuſtentanda eſt.

IV. Urgente etiam annonæ caritate dimittendi è Republica ſunt peregrini, & ſi quæ alia inutilia terræ pondera removenda; opipara convivia interdicenda, & Popinæ ſeu diverſoria illa, in quibus Epulones, Ganeones, Lurcones delitiantur, omninò claudenda; ac quæ multis in locis prohibita ſunt Piſcatio, Aucupium, Venatio concedenda; proponendaq; præmia his, qui aliunde frumentum advehunt; Si quod damnum tempeſtate aliquâ patiantur, reſarciendum.

V. Conſtituantur nonnulli, qui ſingulis civitatum vicis & parœciis præſint, proq; numero civium, opportunitateq; & neceſſitate frumentum diſtribuant juxta taxatam à Principe ac Præfectis Annonæ menſuram. Ita ſingulari apud Romanos diſpenſatione diſtribuebatur frumentum à Curatoribus frumenti dividendi, ditioribus pro juſto pretio æquis portionibus, egenis verò modico ære. Tandem etiam frumentariâ lege latâ gratis è populo erogabatur egenis civibus.

VI. Hi, qui plus frumenti, quàm in neceſſarios uſus, recondidiſſe deprehenduntur, id publico bono pro æquo pretio promere jubeantur. Ita *factum Sp. Servilio & A. Virginio Coſſ.* (6) Inprimis ſi turbulenta pars plebeculæ turbas dare parabat, Patres donando frumentum eam placabant. Ut canis, ſi bolum in os injicias, latrare deſinit; ita turbulenta multitudo largitione frumenti ſatiata conquieſcebat. Ita & *Cato* (7) plebi congiario frumenti aliquando dato compreſſit ejus ſeceſſionem.

VII. Denique ſublevatâ annonâ publicâ Magiſtratus jubeat reliquas quoq; merces & alimenta juſto pretio vendere; Aliàs inſtitores, ſi ſub prætextu publicæ neceſſitatis majora rerum pretia ſemel introduxerint, non facilè, ſi res ſit ipſorum arbitrii, eam mutant vel minuunt; ſed cum complicibus de compacto rem agentes, ut in velabro olearii, potius ea augent. Poſtea cùm eorum artes ſunt reprimendæ, homines callidi vitium temporis eſſe ajunt, quod eſt avaritiæ ipſorum.

Hæc & ſimilia hodiè poſſunt eſſe pro rerum ſtatu ſublevandæ annonæ, ditandoque Ærario remedia.

(o)

ANNO-

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT LXXXI.

Num. 1.

(1) B*Enevolentiæ conciliandæ apud plebē &c.*] Nulla magis re pellici poſſe populum, quàm annonâ, ſuo ſatis exemplo docuit Auguſtus *apud Tacitum 1. Annal. 2. n. 2.* (ubi *militem donis, populum annonâ, cunctos dulcedine otii pellexit*) & præterquam plures Imperatores. Adeò ut etiam peſſimos ideò faciliùs tulerint Romani; & hinc eſt, quod Itali dicunt, Panem in foro, Juſtitiam in tribunali, Securitatem ubique, boni Imperii ſigna eſſe Coſmus ſuperior Medices, cùm Johannem Annibalis F. Bentivolum ad Bononienſem Principatum capeſſendum dimitteret, inter cætera gerendæ Reipublicæ præcepta tria hæc præcepta dediſſe dicitur: *Annonæ curam ſedulò ageret:* omnibus nullo diſcrimine jus diceret: ab alienis uxoribus abſtineret. Joh. Baptiſta Pigna *VII. Hiſtor. Ateſtin.* Quippe annonam vilem eſſe, ſatis eſt ad amandos Principes etiam ſequiores. Hebræus Populus etſi in Ægypto graviſſimam ſerviret ſervitutem, à Pharaonis miniſtris continuo labore ita preſſus, ut vix reſpirandi haberet facultatem, in victûs tamen & rerum neceſſariarum abundantia facilè oblitus eſt libertatis. Poſtquam verò ſtupendis Omnipotentis DEI miraculis & potentiâ ineffabili velut manumiſſi Palæſtinam versùs per loca omni ſolitudine vaſta iter facerent, & initio panis, mox aqua, denique carnes deficerent, non ſemel duriſſimum ſervitutis jugum & *ollas Ægyptias* optare ſuſtinerunt. Forſtnerus *in Not. Polit. ad Tac. 4. Annal. 71. n. 1.* Et benè advertit Zevecotius *in Obſerv. ad Flori lib. 3. cap. 13. pag. 378.* inter arcana Romani Imperii Legem frumentariam fuiſſe, quâ id vel nullo, vel exiguo pretio pauperibus diſtribuebatur. Unde Saluſtius (*in Epiſt. de Republ. Ordin.*) inter cætera ordinandæ Reipub. præcepta vult, ut Cæſar plebem largitionibus & publico frumento corrumpat. Atque hodiè quoque multis in locis mos obtinet, ut pauperiorum fortunæ ſic ſubveniant Magiſtratus, maximè cùm meſſis fefellit. Sic cùm A. MDCXXX. usque ad æſtatem ſequentis anni caritate annonæ Belgium laboraret, Conſules Amſtelodamenſes pio ac laudabili exemplo honeſtos aliquot Cives deſignarunt, qui factos ex publico frumento panes vili pretio vendiderunt, non promiſcuè omnibus, ſed iis, qui paupertatem ſe ſuam probaſſe prolatâ teſſerâ demonſtrabant. Nolebant nempe prudentiſſimi viri pietate ſuâ avaritiam impudentium aut otium ignavorum nutriri.

Num. 5.

(2) *Rariùs cum inedia conflictati &c.*] Atqui crebram Annonæ difficultatem ac rei frumentariæ inopiam Romam preſſiſſe, ex Hiſtoricis patet. Imò ut ali poſſet populus Romanus, peregrè & longinquis è locis advehenda erat annona. Adeò quidem, ut horreum Romanorum Ægyptus, vel armis occupata, vel ſterilitate repleta, fame potuerit Italiam urgere, *Tac. 3. Hiſt. 58. n. 5.* Igitur inter intimas & ſecretiſſimas Principū ſolicitudines non poſtrema fuit annonæ: Sicut Tiberius fateri opus habuit apud Tacitum *3. Annal. 54. n. 6. in graviſſima illa ad Senatum Epiſtola*: At Hercule nemo refert, quòd Italia externæ opis indiget, quòd vita populi Romani per incerta maris & tempeſtatum quotidie volvitur, ac niſi Provinciarum copiæ & dominis & ſervitiis, & agris ſubvenerint, noſtra nos ſcilicet nemora, noſtræque villæ tuebuntur. Hanc P. C. curam ſuſtinet Princeps; Hæc omiſſa funditus Rempublicam trahet. Neque tamen potuit ille ipſe, qui de hac cura gloriatur hoc loco, providere, quin ſubinde gravitate annonæ juxta ſeditionem veneretur, *Tacitus 6. Annal. 13. n 1.* Cauſa hujus mali, ut cenſet Excellentiſſimus Dn. Bœclerus *in Not. ad Vell. Paterculum lib. 2. cap. 94. n. 3. p. 266.* *primò* ex divitiis & affluentia, quam tot victoriæ pepererant. Hinc à labore & ſtudio agriculturæ in otium & voluptates verſa plebs annonam accipere potiùs quàm parare aſſuevit. *Altera cauſa* latet in viſceribus degeneris Reipublicæ, dum Magiſtratus quidam affectatione popularitatis largitioni frumentariæ ſtudebant; & mox perturbatâ aſſiduis novis molitionibus Republicâ, quicunque dominationem cupiebant, annonâ populum ineſcabant ſive, quod Tacitus (*ut ſuprà dictum*) etiam inter arcanas Auguſti artes refert 1. Annal. 2. n. 2. *pellicebant.* Quid hoc erat aliud, quàm ad otium & ceſſationem ab agricultura, veluti ſignum omnibus ſuſtollere? Scilicet ita obnoxiam ſibi fidamq; plebem reddebant, ſi ejus vitam & neceſſitates, copiam inopiamque veluti in manu haberent. Teſtatus quidem eſt ipſe Auguſtus, prodente Suetonio *in vita ejus cap. 42.* ſe aliquando impetum cepiſſe, frumentationes publicas in perpetuum abolendi, quod earum fiduciâ, cultura agrorum ceſſaret: neque tamen perſeveraſſe, qui certum haberet, poſſe per ambitionem quandoque reſtitui. Vide, quæ ad hoc argumentum pertinentia P. Cunæus commentatus eſt *lib. 1. de Republ. Hebr. c. 3.* Præter hunc de Frumenti Largitionis (quam *frumentationem* Romani quoque dixêre,) origine, progreſſu, cæterisque J. Lipſium cum in Electis *lib. 1. cap.* 8. tum in Admirandis *ſive de Magnit. Rom. lib. 2. cap. 19.* & ejus Antagoniſtam, Vincentium Contarenum *Tr. hac de re ſingulari*, adire poteris.

Num. 10.

(3) *Horreum Siciliæ erat &c.*] De Frumentariis Provinciis conſule laudatum modò Contarenum *d. l. c. 10. per tot.*

Num. 15.

(4) *Teſſeris acceptis &c.*] Teſſerarum frumentariarum Suetonius *in vita Auguſti cap 40. & 41.* mentionem facit, quas ſigna fuiſſe, Roſinus *Antiq. Rom. l. 7. c. 34. p. 1168.* refert, quæ qui exhiberent, frumentum proportione Romæ à principe accipiebant. Adrian. Turneb. *Adverſar. l. 19. c. 26.* exiſtimat, fuiſſe fruſtilla lignea quadrata, certâ inſignita & notata formâ, quæ data ſint iis, quibus Jus fuerit petendi frumenti publici, ideoque à Græco τέσσαρα dictas putat, quanquam & rotunda etiam fuerint, cùm à Dione *lib. 54.* σφαῖρια dicuntur, i. e. globuli & pilulæ.

Num. 16.

(5) *In Noricorum granario &c.*] Norimbergenſiū granaria publica ſibi quoque, aut Principi Domino ipſius potiùs, Pighius monſtrata narrat, *in Hercule*

 Prodicio.

Prodicio pag. 91. tectis ſublimia, & ſpatio, murisq́; perampla, granis varii generis plena & onuſta: in quibus etiam frumenta quædam centum quinquaginta annorum aſſervabantur. Oſtenſus (*pergit*) acervus nudâ adipe granorum fatiſcente ſine folliculis, ex quo quondam Maximiliano I. Cæſari petenti panis eſt piſtus.

Num. 21.

(6) *Factum Sp. Servilio & A. Virginio Coſſ. &c.*] Livius *lib. 2. cap. 52.* ſic inquit; Urbi (*poſt Vejens! bellum oppreſſum*) cum Pace laxior annona rediit, & advecto ex Campania frumento, & poſtquam timor ſibi cujusque futuræ inopiæ abiit, eo quod abditum fuerat, prolato.

(7) *Cato &c.*] Confer hoc loco, quæ de Catone ex Plutarcho & aliis notat Vincentius Contarenus *de frumentaria Rom. largitione pagina 67.*

CAPUT LXXXII.

Annonæ Flagellatores ſi mulctis coërceantur, Fiſcus opuleſcit.

SUMMARIA.

1. Flagellatores annonæ *ſummam penuriam poſſunt cauſare, puniantur iſti, ut Ærario & communitati conſulatur; &* n. 2.
3. Societates *iſtæ execrandæ, quibus annona fit carior.*
4. *Corripiantur ſeverè, qui* corruptam annonam *vendunt.*
5. Annonæ *vilitas ante trecentos annos.*

Quò major fames, majorq́ue meſſis Dardanario eſt.

1 GUilhelmus Paradianus *lib. 3. des Annal. des Bourgogne fol. 783. & ſeqq.* refert, famem tam miſerè Galliam aliquando afflixiſſe, ut in decuplum excreverint pretia rerum: hancque non inopiam ſolùm, ſed & pravitatem uſurariorum (qui ſcilicet vel lucri causâ, vel ut ſibi proſpicerent, omnia coëmebant) memorabat, effeciſſe. *Et ſubdit.* ſatis apertè conſtitiſſe, non ſterilitatem magis, quàm malitiam hominum, præferentium commodum privatum, utilitati publicæ, Chriſtianæque charitati, eſuriem aliis conciliâſſe.

2 Cùm verò nihil gravius, acerbiusque ſit iis, qui, ut meſſem faciant, opes ſibi comparent, & in alienis calamitatibus delicias capiant, temporum difficultates obſervant; meritò *Dardanarii*, (1) propolæ, & ſimiles lurcones annonam onerantes, eorumque fraudes, calliditates, *ſtellionatus*, mulctis pecuniariis coërcerentur, & Statutis plerarumque, civitatum ac locorum interdicitur, ne emant, niſi per certam horam diei, ut cives ab ipſis venditoribus, non à Dardanariis emere poſſint, gl. *in l. 2. verb. tradere. ff. de nundin.* Hering. *tract. de molendin. c. 3. n. 56.* Ita L. Julia de annonâ, pœna XX. aureorum ſtatuitur adversùs eos, qui contra annonam fecerint, ſocietatemque coierint, quo anno- 3
na carior fiat, *l. 2. §. 2. ff. de L. Jul. de annon.* Sed exiſtimo, hodiè, ob criminis hujus frequentiam, ejusmodi annonæ fraudatores & flagellatores ſeveriùs mulctis pecuniariis caſtigari poſſe; Cùm horum non minùs, ac Monopolium quâvis ratione committentium, technis, damnum publicum, ob privatum unius vel paucorum quorundam quæſtum, inferatur. Aliquando etiam extraordinariè pro delicti qualitate puniuntur, & ſi in ære non habeant, quod luant, vel relegantur, vel deportantur: quod præſertim in iis obtinet, qui ſocietatibus initis annonam vexant & flagellant, *l. 6. ff. de extraordin. Crimin.* Menoch. *de J. Q. caſ 384.*

Eâdem pœnâ digni cenſentur, *qui cor-* 4
ruptam annonam vendunt, (3) Menoch. *ibid.* quos & homicidii pœnâ plectendos eſſe aſſerit Damhouder. *in pract. crimin. c. 74. n. 18.* ſi ſcilicet exinde aliquid humanitùs alicui contigerit, *arg. l. 15. ff. ad L. Cornel. de ſicar. l. 51. ff. ad L. Aquil.*

Anno MCCLXVIII. galte in Thürin- 5
gen ein Scheffel Weitzen 18. Pfenning / ein Scheffel Korn 16. Pfenning / eine alte Hänn 2. Pfenning. Anno MCCLXXX. galt eben daſelbſt ein Scheffel Korn 22. Pfenning Joan. Binard. in der Thüringiſchen Chronick. Sic & Joan. Mariana *tract. de ponderib. & menſur. cap. 22.* minora ſuperioribus temporibus pretia rerum Hiſpanicis adparere ait, ſimulque luculentcâ onſtitutione Johannis I. Caſtellæ Regis Anno MCCCLXVIII. probat. Quod idem de Anglia teſtatur Henric. Sevilius *tract. de milit. Rom. p. 84.*

ANNOTATIO
Ad
CAPUT LXXXII.

Num. 2.

(1) DArdanarii *&c.*] Ita vocantur illi, qui annonam onerant & premunt; emunt quod poſtea cariùs & iniquiùs vendant, ſic dicti à *Dardano* ſceleratæ famæ Mago: cujus meminerunt Apulejus & Tertullianus, à quo & Magicæ artes *Dardaniæ*, Columella *lib. 10.* Sed cur Dardanarii (pergit Martinius *in Lexico Philolog. hac voce*) annonæ flagellatores? Quòd eorum tanquam maleficiis & venenis magicis crederent Annonam averti in ipſorum horrea, & in metiendo menſuram imminui, ejusq́; medio ſubtrahi: aut quòd ad contumeliam aut probrum, magos eos increparent, *Dardanarios* appellantes, cùm eſſet odioſiſſimum Magiæ & infame vocabulum.

(2) *Stel-*

(2) *Stellionatus &c.]* Stellio eſt verſutiſſimum lacertæ genus; ſtellulis diſtinctum, quo nullum animal fraudulentiùs homini invidere tradunt. Inde ſtellionum nomen ajunt in maledictum translatum. Ut Plinius *lib. 30. Nat. Hiſt. c. 10.* ſcribit, & Alciatus *Parerg. 46.* Accuſantur ſtellionatus, qui improbiùs fraudavêre, ſi crimẽ aliud nõ ſit quod objiciatur. Quod enim in privatis judiciis præſtat nobis actio de dolo, id in criminibus accuſatio Stellionis, *l. 3. §. 1. ff. Stellionatus.* Anverò adeò propriè hoc loco vox Stellionatus uſurpetur, apparebit ex examine ſpecierum hujus criminis ab Ant. Matthæo *in Tr. de Crimin ad lib. 48. ff. 13. pag. 255. ſeqq.* allatarum, quò lectorem remittimus.

Num. 4.

(3) *Qui annonam corruptam vendunt &c.]* De horum pœna vide in der P. H. O. Caroli V. articulum 113. & ad hunc Commentatores.

CAPUT LXXXIII.

De Uſu, & Abuſu, Eccleſiaſticorum Bonorum, & Uſurpandis ſive in Fiſcum transcribendis eorum redibus.

SUMMARIA.

1. *Bona* Eccleſiaſtica *quæ dicantur? ea abuſu ſublato ad pias cauſas conferenda; ubi & de fundatione primævâ collegiorum, monaſteriorum, & templorum, nec non de abuſu bonorum Eccleſiaſticorum in Papatu.*

2. *Conſtitutione* Pacis Religioſæ *ſancitum, ut bona Eccleſiaſtica ſuperſtitione expiatâ ad meliores uſus convertantur.*

3. Ribaldi *noſtri temporis* Eccleſiaſticis *bonis turpiter inhiant.*

4. *Prædones bonorum* Eccleſiaſticorum *grandi ſacrilegio ſeſe obſtringunt.*

5. Schurff. & Weſembec. *pro rebus ſacris contra Dominos terrarum de jure reſponderunt.*

6. Bona Eccleſiaſtica, *ſuperſtitione reſectâ, in Scholaſticorum, pauperum, ægrotorum, orphanorum, &c. ſuſtentationem & alimentationem ſunt transferenda.*

7. Mauritius Saxoniæ Elector, *& Philippus Landgravius Haſſiæ bona Clericorum ordini deſtinata ad Scholarum & Orphanorum inſtitutionem accommodârunt.*

8. Chriſto *veſtimenta ſua non ſunt detrahenda.*

9. Bona *ſuperſtitioſo dicata cultui, non ſunt prophanis applicanda commoditatibus.*

10. Aquilinæ *pennæ aliarum avium plumas, ſi miſceantur, adurunt.*

11. Lupinæ *fides cum ovillis in una cheli intenſæ easdem arrodunt.*

12. Vultur *carnes & carbones ex altari ſurreptos nido inferens, & nidum & pullos exuſſit.*

13. Eccleſiarum *bona à manu fiſci intacta ſint.*

14. Marcus Craſſus *dignas perpetrati ſacrilegii & expilati templi Hieroſolymitani pœnas luit.*

15. Religio *contempta quo pacto ſeipſam ulta ſit apud Gentiles,* & num. 16. 17.

18. *Exempla iræ divinæ in ſpoliatores* Eccleſiarum.

19. Balthazar *Rex Chaldæus è ſacris vaſis potans, eâdem nocte interfectus eſt.*

20. Vaſa *è templo Hieroſolymitano ablata Hieroſolymam ſunt relata.*

21. *Supplicia* ſacrilegorum *quàm variè fuerint à Deo inflicta.*

22. Principes *multos contactus ſacri theſauri egêre præcipites,* & num. 23. *ubi incidenter de Davidis Sepulchro, ex quo tria millia talenta pecuniarum protuſa.*

24. Exempla *Regum ac Principum, qui à ſpoliatione templorum obſtinuerunt, aut ex his ablata reſtituerunt.* Et num. 25. 26. 27. 28.

29. *Heliodori ſacrilegi pœna.*

30. *Intellectus* l. omnia 5. C. de Pagan. & ſacrificiis.

31. *Apud Ethnicos ſemper vitium fuit* Eccleſiæ *bona dilapidare.*

32. Sacrilegi *inter Ethnicorum falſorum Deorum miracula numerantur, eorumq; injuriam DI vindicaſſe creduntur.*

33. *Mens* Sacrilegorum Ethnicorum, *quod bona iſta ſacra eſſe putârint, bona non fuit.*

34. Pſeudo-Evangelici *bona Eccleſiaſtca prophanantes mordaciſſimo ſale aſperguntur.*

35. Prophanatio *locorum ſacrorum piaculum eſt.*

36. *In Anglia in* Eccleſiaſticas *opes ſævitum eſt.*

37. *Chriſtophori Ducis Würtenbergici nusquam ſatis laudandum* Apophthegma.

38. Neceſſitate *extremâ poſtulante, etiam rebus ſacris ſubveniendũ eſt Reipublicæ laboranti.*

39. Magiſtratui *legitimo in ſacris & temporalibus prædiis bonisq; non omnis omninò poteſtas præciſa eſt.*

40. *Veritas hujus exemplis* Joæ, & Ezechiæ *demonſtratur.*

41. Sacrilegium *ſpoliatoribus ipſis, eorumq; hæredibus ſemper funeſtum, damnatur, non verò legitimum pietatis arbirtium.*

42. *Chriſtiani Principes* Eccleſiaſticos *reditus uſurpare poſſunt, dummodò in de Eccleſiis & Scholis liberaliter provideant.*

43. *Res* Eccleſiis & Pauperibus *directò conſecratæ à laicis malè poſſidentur.*

44. Epiphanes *à ſacrilegio, furiis conſcientiæ extinguitur.*

45. Edictum *de bonis Eccleſiaſticis Reipubl. commodandis.*

46. Fundationes piæ *diris & exſecrationibus quibusdam munitæ;* & num. 47. 48.

49. Sacrilegii *& ſacrilegiorum deteſtatio &* num. 50. 51. 52. 53.

54. Annatæ *ad belli ſumptus pro uſu & defenſione Reipub. deputandæ.*

Eccleſiaſticis abuſus ſæpius
Bonis adhæret; ergo cùm tranſcribere
Vult redditus Princeps eorum Ærario,
Quis improbet? nam laude dignus ſolus eſt
Uſus decens, abuſus autem crimine.

BONA ECCLESIASTICA (1) creberrimè *Spiritualia* appellantur; ſed prorſus
1 καταχρηστικῶς & abuſivè. Spirituale enim eſt, quicquid fidem ſalvificam in corde, notitiam veram in intellectu, & qualiacunque Spiritûs Sancti dona in continuo pietatis exercitio efficit, & conſervat. Cùmque Spirituale contrà diſtinguatur ab Eccleſiaſtico, unum, idemque cum ipſo eſſe non poteſt. Quâ ratione abuſum hujus vocis reprehendit Lutherus *in Gen. c. 23. p. 323.* Tom. 1. Jenenſ. German. *p. 268.* Tom. 2. *pag. 301.* Nos appellatione bonorum Eccleſiaſticorum intelligimus facultates, cenſus, & poſſeſſiones ex ſingulari pietate & devotione à membris Eccleſiæ collatas, *ad ſuſtentationem eorum*, (2) qui docent in Eccleſiis, & Scholis, ad ſublevationem ſtudioſorum & pauperum, atque ad ſacrorum ædificiorum conſervationem deputatas, quarum uſus ſi impius & ſuperſtitioſus deprehendatur, eaſdem ad alium conferre poſſunt Provinciarum præſides & ſæculares poteſtates, *arg. l. legatum. 16. ubi pulchrè* Gothofredus *ff. de uſu & uſufructu leg. l. legatum. 4. ff. de adminiſtratione rerum ad civit. pertinent. ubi* Bartol. exemplum ponit in teſtatore, qui pro Miſſis canendis centum legaverat, quæ ſi, propter interdictum Eccleſiæ, Miſſa non poſſit cantari, in alium pium uſum meritò converterentur. *Auth. Caſſa. cum l. jubemus. 14. & Auth. ſeq. C. de SS. Eccleſ.*

Fundata quippe fuerunt quondam collegia, monaſteria, & templa, ut eſſent Scholæ pietatis ac religionis Chriſtianæ. Cui fini tanta bona legata ſunt, ut inde ſtipendia & quaſi præmia laborum darentur Paſtoribus, Doctoribuſque Eccleſiarum, quos *Canonicos* (3) à *Scripturæ Canonicæ interpretatione* (4) appellabant, ut item ſuſtentarentur tenues ſcholaſtici, aliique pauperes.

Fundatio hæc permanſit ferè ad Bernhardi ætatem, notante Luthero *Tomo ſecundo Jen. Lat. pag. 502.* Vide eundum Tomo *ſeptimo, de concil.* & Chytræi *Chronic. capite ſecundo.* Poſteà Canonici cum abjectis, ceu majeſtate ſuâ indignis concionandi, & Scripturæ Canonem in Collegio interpretandi officiis, ad otia ſe converterent, Epiſcopi verò ſæculare imperium affectarent, periculum erat, ne exciderent beneficiis, quæ antiquo illi Canonicorum ab Epiſcoporum debebantur miniſterio. Itaque *retinuerunt inanes ordines*, (5) & religioſo eorum ſchemate bonorum Eccleſiaſticorum jus ſibi arrogaverunt, idemque adhuc eorundem larvis tuentur. Et ut aliquo labore mereri videantur beneficia Eccleſiæ, ſacrificuli ſunt, ceroferarii, cantatores, theſaurarii, ſunt mundani Principes, ut Epiſcopi & Archiepiſcopi, quos propterea Lutherus *Tom. 2. Jen. Lat. de miſſa priv.* vocat Heroicum equeſtre Sacerdotum genus.

Hodie in Germania fundatorum hæredi- 2
bus bona illa non retribuit, ſed ſuperſtitione ſaltem reſectâ parilem ut rurſus in uſum à Dominis Territorialibus convertantur, exigit Sanctio Pacis Religioſæ de Anno 1555. §. Dieweil aber etliche Stände deß Reichs/ꝛc. & §. Als auch den Ständen/ꝛc. Schurff. *conſil. 48. & 90. cen. 1.* Weſ. *conſil. 37. n. 6. & ſeq. vol.* 1. Modeſtin. Piſtor. *conſil. 54. n. fin. vol. 1.* Cothman. *conſil.* 100. *vol.* 2. Borchold. *conſ. 20. fol. 179. p. 2.* Coler. *p. 2 deciſ. 244.* Nicol. Reuſner. *deciſ. 7. lib. 4.* Matth. Stephani *lib. 3. de jurisdict. p. 2. c. 13. n. 10. & ſeq.* Schneidevvin. *ad §. ſacræ. n. 10. Inſt. de R. D.* Zepper. *lib. 2. de Politia Eccleſiaſt. c. 26. de leg. Moſaicis, lib. 4. c. 10.* Benedict. Carpzov. *in Jurisprudent. Forenſ. Roman-Saxon. p. 3. conſtit. 13. definit. 27. per. tot.*

Sæculum decimum quintum à Chriſto nato triſtia & turbulenta initia habuit: Inprimis ſeditiones ſubditorum contra legitimos ſuos Magiſtratus. Putaverunt enim, tum temporis & etiam poſt immutationem Religionis multi, & præſertim ſeditioſi Ruſtici, aurea ſæcula reditura, ſi Eccleſiaſticis bona ſua adimerent; Cùm tamen experientia poſtea teſtatum fecerit, pauperibus plus nocuiſſe, quàm profuiſſe, quòd bona Eccleſiaſtica fuerint prophanata, & in manus magis rapaces, vel tenaces devoluta. Nonnulli quoque Principes & Domini Territoriales Romano-Catholicæ Religioni infeſti paullatim & ſucceſſu temporis ſemper per unum gradum ad alium aſcenderunt, ac *tandem pervenerunt ad totalem prophanationem Monaſteriorum.* (6) Quo ſcopo inventationem plerumq; ſuſcepêre ſub prætextu Oeconomiæ, und daß man recht haußhalte/ vel occaſione alicujus prætenſæ inobedientiæ, vel propter deformitatem vitæ, & ſubſtantiæ profuſionem, aliorúmve criminum & delictorum ipſis imputatorum enormitatẽ, Monachos & Cœnobitas planè ejecêre. Negare equidem non poſſumus, (verba ſunt Henrici Petri *in tract. de Monaſter. pag. 74.*) exempla eorum non deeſſe, qui res Deo dicatas attrectare atque diripere, Cœnobia invadere, eorumque cenſus in uſus prophanos convertere, & muneris atque officii ſui immemores, epulis & crumenis tantùm intenti, literarum & pauperum penitùs obliti, Chriſti panem confidenter devorare auſi fuerint, ſed malè concoxerint, ac verè, ſed 3
ſerò nimis experti fuerint, Fundatorum devotas exſecrationes gravi effectu non caruiſſe; de quo infrà hoc Capite num. plura. Lambertus, Danæus *libr. 3. Politic. Chriſtian. capite tertio circa finem.* ubi noſtræ ætatis Ribaldos, ſive mures Aulicos ap-

appellitat, qui res prædiaque Eccleſiæ Dei devotioribus cultoribus, juventutis inſtitutioni, & pauperum ſubſidio dicata arrodunt, corradunt, intervertunt, & impetrato à Principe pragmatico reſcripto, ſeu Diplomate ſibi adpropriant, inque privatos uſus transferunt. Eosque in Deum,
4 Eccleſiam, inque omne jus peccare, graviter, cenſet Schurff. *conſil. quadrageſimo ſeptimo, numer. undecimo, usque ad numerum decimum tertium. cent. 1. & dicto conſil. 90.*
5 Quod enim ſemel Deo dicatum eſt, ampliùs ad uſus prophanos transferri non debet, ſed talia oblata & relicta debent ad alium pium uſum converti, *dict. l. legatum. 16. cap. quæ ſemel 4. cauſ. 19. q. 3. Levit. 27. verſic. 28.* Cothman. *dicto conſilio centeſimo, num. 18. 19. vol. 2.* Ne forſan per ablationem Deo, Eccleſiæ, vel pauperibus dedicatorum, ſacrilegium committatur, quod banni ſive excomunicationis pœnam meretur, N*ov. 8. cap.* 10. *c. nulli liceat. 3. cauſ. 12. quæſt. 2.* Quibus convenit Weſemb. *dicto conſilio 37. numero ſeptimo, & ſeqq. vol. 1.* dicens, quòd res Deo Eccleſiæque ſemel dicatæ in prophanos uſus redigi non poſſit, ne
6 quidem propter abuſum: Cùm potiùs in meliorem tum uſum pium ſint convertendæ; puta, ad propagationem puri & ſinceri verbi Dei; ad ſuſtentationẽ eorum, qui Eccleſiæ, Academiis & Scholis operas ſuas jam præſtant; ad ſubſidium pauperum ad cauſam ſtudioſorum; ad conditionem; & meliorationem Noſocomiorum; ad exulum, ſenum, ægrotorum, orphanorum, & egenorum alimentationem, & captivorum redemptionem, & ad ædium ſacrarum refectionem; & ad ſalutem Reipublicæ.

7 Ita MAURITIUS Saxoniæ Elector Anno MDXL. fruſtra obſtrepentibus Pontificiis, bona Clericorum Ordini deſtinata, ad Scholarum inſtitutionem accommodavit, & tres litterarum ludos inſtituit, Miſenæ, Grimmæ, Portæ; ſingulisque locis certum numerum attribuit adoleſcentum; his omnibus victum præbendo atque veſtitum, magiſtris etiam annua ſtipendia ſolvendo, & in hunc uſum applicando eorum collegiorum proventus, in quibus aliquando Monachi vixerant, & id genus alii, Sleidanus *l. 15. p. 427.* Hac noſtra ætate, ante tumultus iſtos bellicos, Miſena centum, Grima octoginta, Porta denique centum & octoginta alumnos aluit. Quælibet interdum plures ultra. Vide hujus Electoris publicirte Lands-Ordnung tit: von dem Uberlauff der Geiſtlichen Güter / *& titulo ſequenti* Ita fortiſſimus Germaniæ Heros, PHILIPPUS Haſſiæ Landgravius otioſis ac libidini deditis Monachis, eorum ditiſſima Monaſteria convertit in viduarum, orphanorum, variis modis afflictorum, mente captorum & furioſorum utriusque ſexûs receptacula, in quibus non ſolùm aluntur, & curantur, ſed ad omnem etiam pietatem inſtituuntur: Reliqua verò in Scholas & Eccleſiæ purioris miniſtros contulit. Ita Darius non ſolùm abſtulit cibum Baalitis, cùm animadverteret abuſum & dolum eorum; ſed etiam altaria & delubra exſtruxit, & perfidos neci dedit, *Daniel. cap. 14.* Vide prolixè hac de re diſſerentem Hortlederum in Reichshandlungen / *libro quarto, capite ſeptimo, numero decimo, pagina 126.* Ita quoque nuper Rex Daniæ Anno MDCXXIII. in Seelandia Soræ novam Nobilium Academiam inſtauravit, attributis ei præter Monaſterii Sorani reditus (quos pridem Rex Fridericus addixerat) etiam Mariæboanis in Lalandia, & Burglamenſibus in Jutia proventibus. Ex paſſim per Germaniæ Principes & Comites pro monaſteriis Scholas, Noſocomia & Xenodochia conſtituiſſe novimus, quos propterea laudat Everhardus à Weyhe *in Aulicopolit. reg. 216.*

Nolim ergo author eſſe purioris Reli- 8
gionis Magnatibus, ut Chriſto veſtimenta, quæ pia aliorum beneficentia ipſi dedit, detrahant, eumque in membris ſuis nudum relinquant; aut ſuperſtitioſo dicata cultui, ad formam patrimonialium vel feudalium, ſibi applicent Ærario, eoque apud adverſarios pietatem, Religionemque ſuam fœdent, aut quæſtus alicujus vel cupiditatis ſuſpectam reddant; multoque minùs cujusmodi bona transferant ad malè feriatos milites, qui luſu, luxuriâ, libidine, & omnis generis voluptatibus, illa conſumant.

Majores noſtri bona hæc ad bonum u- 9
ſum, gloriam ſcilicet Dei & dilectionem proximi, deſtinarunt, non verò ad luxuriam & abuſum. Qua etiam ratione Johanni Huſſo indignum viſum fuit, Eccleſiarum patrimonia, quæ deberentur (1) pauperibus (2) hoſpitibus (3) Eccleſiarum fabricis, diſpendi meretricibus, conviviis, equorum ac canum ſaginæ, cultui veſtimentorum, & aliis rebus indignis religione Chriſti. Poggius Florentin. *in Epiſt. de Hieronymi Pragenſis obitu & ſupplicio ad Leonardum Aretinum.* CHRISTIANUS Dux Brunſuic. Anno MDCXXII. Lippâ, Suſato, Paderbornâ, aliisque Weſtphaliæ oppidis ſubactis, infeſtans Pontificios, magnas undique pecunias fecit, etiam *ſtatuis Sanctorum in numos conflatis,* (7) cujus brachium mox in acri cum Conſalvo Cordubenſi conſerto prælio laceratum, & à Chirurgis reſectum. Summo quoque ſtudio perquiſita eſt imago crucifixi Chriſti ab OTTONE II. Imperatore Volckmaro Epiſcopo Paderbornenſi donata, ſed non inventa; de qua ſcribunt Hedio *in Chronic. Germanorum* & Zuinger. *in Theatro vitæ humanæ vol. 8. lib. 3. f. 1355.* quod pretio conſtiterit ſexaginta millibus aureorum Hungaricorum; conflata ex tributo

Lon-

Longobardico per triennium. Præpoſitus Capituli Paderbornenſis Horſtius hanc in ſecretiori ſuarum ædium loco abſconderet, qui & poſtea eam mihi viſendam exhibuit.

Experientia & res ipſa nos docet, contactu rerum ſacrarum conſumi alias opes viresque Reipublicæ imminui; ut haud
10 abs re, quod *de pennis Aquilæ Plinius refert*, (8) ab iis mixtas aliarum alitum pennas aduri ac devorari; & de lupinis fidibus memorant alii, ſi cum ovillis in una cheli intendantur, eas intervertere occultâ qua-
11 dam naturæ vi: idem credamus in præſenti.

Fabula priſca refert, Aquilæ ſi penna propinquet
Pennæ (quod eſt mirum) junctas abſumere pennas:
Sic & chorda lupi chordas prædatur ovillas.
Non aliter bona ſacra, bonis ſi quando prophanis
Miſcentur, contra fas & jus omnia perdunt,
Extremumq; malum raptoribus inſuper addunt.

Vultur ex altari carnes & carbones ſur-
12 reptos nido inferens, & nidum & pullos exuſſit. Sic Harpyæ ac Vultures iſti, qui bona Eccleſiaſtica per vim rapiunt, eadem non commodo, ſed exitio ſibi fore, experientur; Hinc etiamnum hodie vulgi circumfertur vox; Pfaffengut Raffengut / hat Adlers Federn. Item, Es kommt nicht auf den dritten Erben. Et D. Lutherus ingeminare ſolitus eſt: Unrecht Gut iſt / wie ein Funck in einem Kleiderkaſten / darvon das ander alles angezündet / und zu nicht gemacht wird.

Idem Lutherus *tom. 3. Jeneſ. fol. 247.* de bonis Eccleſiaſticis refert Proverbium: Es iſt mit den Heilligẽ nicht zu ſchertzẽ / ſie zeichen gern. Quod deſumptum videtur è Salomonis *proverb. cap. 10. verſ. 23.* Ruina eſt homini devorare Sanctos. Item; die Heilligen holen das Wachs wieder: Item Kirchengut hat eiſerne Zähne / es friſſet eins mit dem andern hinweg. Item: Kirchen-Rauber verderben und ſterben ohne Erben.

EMANUEL COMNENUS Cæſar Orientis
13 tribus conſtitutionibus ſancivit, ut Eccleſiarum & monaſteriorum bona immobilia intacta ſint à manu fiſci, ſive cum titulo, ſive ſine titulo poſſideantur. Id ipſum ſtatuit Alexius Comnenus Secundus, alius Orientis Cæſar. Jubet Theodoricus Gotthorum Rex, ſcribens Ibæ viro ſpectabili, poſſeſſiones Narbonenſis Eccleſiæ, ſecundùm Alarici præceptum à quibuslibet perſuaſoribus occupatas, etiam manu militari reſtitui: Idemque Attilæ ſcribens, ſpecialiter inquit, Eccleſias ab omni injuriâ reddi cupimus alienas, quibus dum æqualia præſtantur, miſericordia divina acquiritur, Gregor. Tholoſan. *lib. 2. Syntagmat c. 28.*

MARCUS CRASSUS contra Parthos ex- 14
peditionem parans in Judæam pervenit, famâ divitiarum templi Hieroſolymitani permotus, duo millia talentorum (pecunias pupillorum & viduarum) ſuſtulit, totoque reliquo aureo, ad octo talentorum millia, templum ſpoliavit. His ita geſtis Meſopotamiam & Parthorum Ditionem ingreſſus, conſerto cum Parthis prælio victus, cumq; filio profligatus cæſus fuit, *capiti ejus auro liquefacto infuſo* (9) ab hoſtibus, inſatiabilem mortuo etiam exprobrantibus avaritiam. Joſeph. *Antiquit. Judaic. lib. 14. cap. 12.*

Hic Parthos cupiens bello tentare ſuperbos,
Ingreditur Solymam, nec non penetralia templi
Sacroſancta ſubit. Sic inſatiabilis auri
Eſuries ſuadet, fataliſq; impetus urget.
Myriades igitur denas rapit inde talentûm,
Trigintaque minas auri quæ pondus habebat,
Aufert inde trabem donum penetrabile templi
Sacrilegus. Sed pœna citis huic greſſibus inſtat,
Sacrarum quæ ſemper opum prædonibus acres
Intendens viſus, odium implacabile nutrit:
Quîs tandem properat totâ cum gente ruinam.
En, quàm ſacrilegum tetigit gravis ultio CRASSUM!
Ipſum cum lectâque manu, natoque trucidat
Magnanimo Parthus, caput à cervice revellans.
Scommate & hoc patulis inſtillat faucibus aurum;
Nunc ſaturare, ſitis quod inexſatiabilis, auro.

Julius Cæſar, (10) quòd in Galliis fana 15
Deorum ſive templa nonnunquam prædæ quidem magis neceſſitate, quàm delinquendi voluntate expilaſſet, miſerè Romæ confoſſus interiit.

APPIUS CLAUDIUS Cenſor, cùm adver- 16
ſus reſponſum ad ſervos publicos ſacra Herculis transtuliſſet, luminibus orbatus eſt. FULVIUS Cenſor, cùm ex Junonis Laciniæ templo marmoreas tegulas abſtuliſſet, quibus ædem Fortunæ Equeſtris, quam Romæ conſtruxerat, tegeret, & mente raptus, & amiſſis duobus filiis in Illyrico militantibus ſummo animi mœrore conſumptus eſt. *P. Turullius*, (11) cùm apud Coos everſo Æſculapii Luco claſſem feciſſet, eodem poſteà loco à militibus Cæſaris interfectus eſt. PYRRHUS, ſublatâ ex theſauro Proſerpinæ Locrenſis pecuniâ, naufragium fecit, ac vicinis

cinis Deæ littoribus illiſus eſt, referente Lactantio *libr. 2. cap. 8.* & Valerio Maximo *lib. 1. cap. 2. n. 19. 20. & inter exter. 1.*

17 Apollo Carthagine â Romanis oppreſsâ veſte aureâ nudatus id egit, ut ſacrilega manus inter fragmenta ejus abſciſſa inveniretur. *Brennus*, (12) Gallorum Dux, Delphis templum ingreſſus, Dei voluntate in ſe manus vertit. Milesia Ceres Mileto ab Alexandro captâ, milites, qui templum ſpoliaturi irruperant, manusque ac oculos ad prædam paraverant, flammâ objectâ oculis privavit, ut ſub capite *de neglectâ religione* refert *Valerius Maxim.* (13) *Cambyſes* (14) cùm quinquaginta hominum millia ad diripiendum Ammonios, & incendendum Jovis oraculum miſiſſet, ingens illa hominum manus cùm inter Oaſin & Ammonios pranſa eſſet, ſubitâ ventorum tempeſtate, priusquam ad locum veniretur, arenarũ cumulis obruta eſt.

18 Et ut omiſſis prophanorum templorum expilationibus, ac fabuloſis DIS, ad eas Eccleſias me convertam, in quibus verus Deus (præter quem alium non cognoſcimus, & in cujus cognitione noſtrâ conſiſtit ſalus,) colitur: ſuccurrit cumprimis horrendum
19 Balthazaris Regis exemplum, *Daniel. 5. verſ. 3. & 30.* Is genio indulgens, & ex aureis & argenteis vaſis, cultui divino conſecratis, cum optimatibus, uxoribusque ſuis largiùs bibendo, ſubitaneâ morte extinctus eſt.

Belsazar *immodico convivia ſplendida luxu*
Egerat, & Proceres in regia tecta vocârat.
Impius & quid non audet furor? Ecce nefandis
Contemerat manibus Solymæi vaſcula templi,
Illudens regum Regi: qui protinus illa
Nocte, manus ductu, regali in pariete viſæ,
Scripta dedit, nulli tunc cognita, ſymbola, quorùm
Explicuit ſenſum Daniel tamen unus, & illis
Portenti edixit regi populoq; ruinam.
Quod mox eventu divina potentia in illa
Nocte probat triſti. Reges ut deinde ſuperbi
Juſtitiam diſcant, cœli & non temnere Regem.

20 Vaſa quoque Hieroſolymitani templi à Tito Veſpaſiano capta, & â Genſerico Vandalo Romæ inter alia ſpolia in Africam delata; & per multas Romanorum & Vandalorum Principum familias vagata, omnibus poſſeſſoribus vindicatis, everſisque non antè quieverunt, quàm Vandalorum Imperio deleto Beliſarii ductu captoque Glimere, poſtremo ejus gentis Rege, Juſtiniani Auguſti juſſu, Hieroſolymã ſunt relata, nobiliſſimo triumpho poſt ætates de Religionis hoſtibus, ſuisque violatoribus parto. Mariana *lib. 1. de Inſtitut. Princip. capit. 10. circa fin. pag. 98.*

Julianus Apoſtata, qui theſauros Ec- 21
cleſiæ delitiis ſuis adplicaverat, & in luxum converterat, *ſagittâ è cœlo miſſa* (15) vulneratus occubuit. Hunetici ſceleratiſſimi ac nefarii Eccleſiarum everſoris, putrefactum & ebulliens vermibus non corpus, ſed partes corporis ejus, videntur eſſe ſepultæ. Proculus, qui de palliis altaris per nefas camiſias ſibi & fœmoralia faciebat, fruſtratim ſibi comedens linguam, brevi turpiſſimâ conſumptus eſt morte, ut narrat Victor *de perſecut. Vandalica lib. 1. & l. 3. in fin.*

Tyranni, qui cæco quodam animi fu- 22
rore ad bellum cum Deo gerendum impulſi, virus acerbitatis & malevolentiæ ſuæ ante tempora Conſtantini contra Eccleſiarum ædificia (contra Deum enim non poterant) inſtar canum rabie furentes evomuerant, procellâ cœlitus excitatâ, uno momento obruti, extinctique fuerunt; adeò ut neque genus, neque ſemen, neque minima memoriæ eorum ſignificatio inter homines remaneret, ſed omnes plagis divinitùs inflictis excruciati, oppreſſique interierunt, authore Euſebio *in Oratione de laudibus Conſtantini.* Sic in vita Regis Childeberti ſcribit *Gaguinus*, (16) quòd miles, qui ob res civium in 23
templũ Montis Clari Arveniæ Civitatis primariæ dum obſeſſæ illatas acquirendas, ædem B. Juliani Martyris refractis foribus invaſerat, & cuncta diripiens exportaverat, divinâ vindictâ illicò in inſaniam actus horridâ voce clâmaverit: *Cur ô beate Martyr tam dirè me crucias?*

Idem Gaguinus (17) in vitâ Clotharii Gallorum Regis teſtatur, quòd cùm is bona Eccleſiæ uſurpare inſtituiſſet, unus tantùm Turonorum Antiſtes ei reſtitit, dicens: Si, quæ Deo dicata ſunt, auferes; & de pauperum horreis tua perges explere: regnum à te auferet Deus

Leo IV. Imperator Conſtantinopolitanus, cùm auſus fuiſſet ſurripere quandam *auream coronam*, (18) oblatam ab Imp. Mauritio Eccleſiæ S. Sophiæ, in quâ inter alios pretioſos lapides erat quidam Carbunculus inæſtimabilis valoris, quâ coronâ ſtatim capiti dicti Imperatoris impoſitâ, in capite ejus adparuit quædam macula â Medicis dicta Carbunculus, putrefaciens caput illius ita, ut intra paucos dies miſerabiliter periret. Ejusmodi plura exempla commemorat Alphonſus Villagut. *lib 3. de reb. Eccleſ. malè alien. recuper. c. 5. n. 6. & ſeqq.*

Intellexit hoc meliùs olim Rex *Maſi-* 24
niſſa, (19) cùm ejus claſſis Præfectus Melitam appuliſſet, & è fano Deæ Junonis dentes eburneos, eximiæ magnitudinis ſublatos, ad eum pro dono attuliſſet; ut comperit unde advecti eſſent, quinqueremi repor-

portandos Melitam, atque in templo Junonis collocandos curavit, inſculptis gentis ſuæ literis, ſignificantibus, Regem ignorantem eos accepiſſe, & libenter DEÆ reddidiſſe.

Intellexit hoc Cornelius Sylla, (20) qui
25 dimidium Thebani agri Jovi Olympio &
Apollini Pythio conſecravit, ut ex ejus fru-
ctibus pecuniæ, quas ex ipſorum templis ad
alendum exercitum abſtulerat, ipſorum
templis reſtituerentur, non ignarus ſacrile-
gium ſæpius univerſi exercitus & Imperato-
ris exitio expiatum, atque eò graviùs, *quò*
tardior pœna (21) ſecuta eſſet:
Intellexit hoc etiam Pompejus Ma-
26 gnus, qui, ut Joſephus *libr.* 14. *Antiquita-*
tum cap. 8. *ſcribit*, tametſi victor effectus,
pecunias templi retinere non voluit. Ne-
27 que hoc latuit Mileſios, qui, referente Ale-
xandro ab Alexandro, oraculo moniti u-
beriore impenſâ templum incendiis ac rui-
nis deformatum reſtaurarunt, ita ut ob ma-
gnitudinem faſtigio extruendo nullæ conti-
gnationes ſuffecerint. Adjicit quoque *Ga-*
28 *gunius* (22) in vita Regis Childeberti, Signal-
dum Arvernorum Præfectum, qui licentiâ
dominandi elatus, poſteaquam multa ab
incolis ſurripuit, villam Burgratenſem, quã
Tetradius Eccleſiæ Divi Juliani donaverat,
occupavit, inopinanter captus mente, non
priùs ſui compos factus eſt, quam villam re-
liquiſſet, compenſatione adhibitâ rerum,
quas temerè abſtulerat. Et (ut *idem Gagui-*
29 *nus* (23) *in vita Clotarii narrat*) Clotarius
Franciæ Rex, non priùs animo quieto fuit,
quàm cùm Eccleſiam Sancti Martini, quam
propter hoſtem Conobaldum in eâ latitan-
tem nec prodire volentem, à ſe unà cum eo
exuſtam reparaſſet & refeciſſet.

Hæc & alia recenſet eruditiſſimus Petrus Peckius *tractatu de Eccleſ. reparand. capite tertio, numero 2. & 3. ubi in fine ſubnectit*; Calamitoſo hoc tempore fuiſſe aliquos ſummo loco natos, quos Cacodæmonis inſpiratione inflammatos non puduerit, ſanctiſſima Dei templa adire, & præſentiâ ſuâ ſceleratiſſimorum hominum audaciam obfirmare: Cupit etiam hiſce & aliis evenire id, quod 2. *Maccabæor.* 3. de Heliodoro ſcriptum eſt, & eleganter commemorat Beatus Ambroſius *libr. 2. Offic. 29.* hiſce verbis:

Cùm indicium factum eſſet pecuniarum, quas in templo Hieroſolymis maximas reperiri poſſe Simon nefarius Antiocho Regi prodidit, miſſus in Hieruſalem Heliodorus, ad templum venit, & ſummo Sacerdoti aperuit indicii invidiam, & adventûs ſui cauſam. Tunc Sacerdos depoſita eſſe dixit Viduarum victualia & pupillorum, quædam autem Hyrcani Tobiæ viri ſancti; eaque demonſtravit. Argenti talenta quadringenta erant, auri verò ducenta. Quæ cùm Heliodorus ereptum ire vellet, & Regis vendicare commodis, ſacerdotes ante altare jactaverunt ſe, induti ſacerdotales ſtolas, & Deum vivum, qui de depoſitis legem dederat, flentes invocabant, cuſtodem ſe præceptorum præſtaret ſuorum. Vultus verò & color Summi Sacerdotis immutatus, declarabat dolorem animi, & mentis intentæ ſolicitudinem. Flebant omnes, quòd in contemptum locus venturus foret, ſi nec in Dei templo tuta fidei ſervaretur cuſtodia: accinctæq; mulieres pectus, & clauſæ virgines pulſabant januas, ad muros alii currebant, per feneſtras alii proſpectabant, ad cœlum tendebant manus, orantes, ut ſuis Dominis adeſſet legibus. Heliodorus autem nec his territus, quod intenderat urgebat, & ſatellitibus ſuis ærarium ſepſerat. Tum ſubitò apparuit illi terribilis eques armis præfulgens aureis: equus autem ejus erat inſigni ornatus opertorio. Alii quoque duo juvenes apparuerunt in virtute inclyta, decore grato, cum ſplendore gloriæ, ſpecioſi amictu, qui circumſteterunt eum, & utraque ex parte flagellabant ſacrilegum, ſine ullâ intermiſſione continuato verbere. Quid multa? Circumfuſus caligine in terram concidit, & evidenti divinæ operationis judicio exanimatus jacebat, nec ulla ſpes in eo reſidebat ſalutis. Oborta eſt lætitia metuentibus, metus ſuperbis, dejectique quidem ex amicis Heliodori rogabant Oniam, ut vitam poſceret ei, quoniam ſupremum agebat ſpiritum. Rogante itaque Sacerdote Summo, iidem juvenes iterum Heliodoro apperuerunt, iiſdem amicti veſtibus, & dixerunt ad eum: Oniæ, ſummo Sacerdoti, gratias age: propter quem tibi vita eſt reddita. Tu autem expertus flagella Dei vade, & nuntia tuis omnibus, quantam cognoveris templi religionem & Dei poteſtatem. His dictis non comparuerunt. Heliodorus itaque recepto ſpiritu, hoſtiam Domino obtulit, Oniæ Sacerdoti gratias egit, & cum exercitu ad Regem revertitur, dicens, Si quem habes hoſtem aut inſidiatorem rerũ tuarum, illuc eum dirige, & flagellatum recipies eum. Hactenus ille.

ANTIOCHUS *multis cum millibus Heliodorum*
Miſit, ut ex adyto inviolable tolleret aurum.
Quem ſcelus aggreſſum cum tetro milite, formis
Conſpecti horrendis cœleſti ex arce miniſtri
Exanimatum arcent. Nam vir, qui terga caballi
Occupat, horreſcens armis rutilantibus auro,
Et ſpecie immanis, venienti ſe arduus infert;

Et

Et proculcat equo Ducis intractabile tergum;
Et ſimul horrendus latere ex utroq; Satelles
Sacrilegum diro ſubigunt benè verbere: donec
Jam capite infernas gelido propendet ad umbras:
Sed precibus rabidum qui afflixerat antè Sacerdos,
Erigit hunc precibus, ſolido redditiq; nitori.

Davidis ſepulchrum oſſaque & cineres filius ſuperſtes circumfluere opibus voluit, *quæ in cellulis pluribus* (24) erant recondita. Earum autem quæ ſumma fuerit, facilè divinabit, qui cogitaverit, Hyrcanum poſt mille & trecentos, cùm ab Antiocho Pio eſſet obſeſſus, conditorium illud adiiſſe, atque ex illo ter millena talenta protuliſſe. De quo Poëta:

Hyrcanus, *quando ſacram Mavorte coërcet*
Obſidens urbem Soter, hic hortamine mentis
Fatidicæ, priſci ſcrutatus buſta Davidis;
Ut mala damna levet: pretioſi reperit auri
Arcanis defoſſa locis ter mille talenta.
Muneribusq; amplis iratum leniit hoſtem.

Ac rurſus, multò tempore interjecto, Heroden cùm alias cellulas recluderet, reperiiſſe illic quantũ ſatis erat maximis impenſis faciendis, Joſeph. *l.13. antiq. c.15.* Joan. de Pineda Jeſuita *in Comment. in Job. c.3. v. 15. n.4.*

Cæterùm ſunt, qui exiſtimant, Recto-
30 res Provinciarum authoritate Honorii & Theodoſii (qui in *l. omnia 5. C. de pagan. & ſacrific.* loca veterum ſacris deputata, rei ſuæ dominicæ ſociari jubent) res Deo & ſacris mancipatas nexu eo ſolvere, & Fiſco Cameræque ſuæ jure vindicare poſſe. Verùm enimverò tantum abeſt, ut id optumi Imperatores velint, ut etiam in fine Reſcripti ſui nominatim ſanciant, ſemel ſacrata vero Deo prophanari, aut in fiſcum redigi nequaquam debere. Exordium autem reſcripti diſertè agit de falſis Diis, templis, & donariis gentilium, non DEO, ſed Dæmonio conſecratis, quæ perinde habentur, ac ſi conſecrata nunquam eſſent; Ideoque ab illis ad Eccleſias veras ſuperſtitionibus tantùm & traditionibus humanis commaculatas & inquinatas arguere fas non eſt, Philipp. Melanchthon, *in Explicat. cap. 5. Daniel. art. 4.* Weſemb. *d. conſ.37.*

Apud Ethnicos
— — *grande nefas & morte piandum.*
quocunque prætextu Eccleſiæ bona dilapidare; Scip. Amirat. *Diſcurſ. in Tacit. 15. capit. 5.*

Unde inter Ethnicorum falſorum Deorum miracula Sacrilegi quoque numerantur, quorum injuriam præſentibus pœnis DI vindicaſſe creduntur, referente Lactantio *de Orig. error. lib.2. c.8.* 31

De ſumptibus, qui in ſacra & Victimas impendebantur, & de poſſeſſionibus templorum Gentilium, an ut caducæ Fiſco applicarentur? an magis transferendæ eſſent in Eccleſiam, aut verò reſtituendæ iis, eorúmve hæredibus, qui olim DIs iſta legaviſſent? adparet ex Symmacho & Ambroſio ad Theodoſium, ſed & ex Zoſimo *lib.4.* in Senatu Romæ ſummam controverſiam fuiſſe. At Theodoſio tandem placuiſſe, Fiſco adjudicari. Nam ſemel impletâ voluntate defunctorum, res ab hæredibus abiiſſe. Et quòd poſteà à Fiſco capiuntur, propterea eſſe, quia ab indignis, & incapacibus auferuntur. Petr. Ærod. *l. 1. rer. judicat. tit.8. c.5.* 32

Quanquam verò Ethnicorum numina & ſacra falſiſſima fuerint; ac proinde nullatenus ſpoliatione temerari potuiſſe videantur: Sacrilegorum tamen iſtorum mens, quòd ſacra iſta putarent, nihilo melior fuit: ut non mirum, ſi eorundem ſacrorum auctor utrobique per DEI conceſſionem efficax fuerit. Frideric. Mindan. *tract. de Interdict. tit.1. n.64. p.485.* 33

Experientia ipſa teſtatur, bona Eccle-
ſiaſtica ſæcularium opibus iniquè adjecta cu- 34
mulum minimè augere, ſed potiùs tinearum more exedere, ac indies magis magisq; abſumere, ita ut iis tertius vix unquam lætus gaudeat hæres: Quantò itaque graviùs
peccant, qui Templa, Xenodochia, a- 35
liaque loca pia deſtruunt, lateres, lapides, cæmenta ac tigna in profanos uſus & operas civiles convertunt: vel ex Templis, Xenodochiis, ſacellis ac religioſis ædibus canum & equorum receptacula & ſtabula, aut armamentaria, frumentaria vel horrea conſtituunt.

Hujus Ovidianæ Metamorphoſeos
magiſtri & authores minimè conſiderant di- 36
ctum iſtud Salvatoris: *Domus mea precibus, non autem vanis deſtinata eſt uſibus: Et ſemel DEO dicatum ad prophanos uſus non eſſe convertendum.* Quinimò ſi unum altare, ad aliud tegumento deſtitutum cooperiendum, non eſt ſpoliandum, aut rebus ſuis exuendum, quantò minùs fabrica ſacra in totum politicis aut privatis operibus impendenda.

Hinc Menippus Redivivus *Dialog.75.* non operto Schemate, ſed aperto Scommate, inceſſit Pſeudo-Evangelicos, qui bona Chriſto & Eccleſiæ deſtinata canibus objiciunt, atque Voluptæ, Stimulæ, Ruminæ, Indulciæ, Potinæ, Mellonæ litaroribus ad inteſtinorum aras infarciunt; exiſtimans, iisdem Papæ illud adſcribi poſſe:

multum nobis profuit Evangelii fabula. Et Joan. Barclajus *in parœneſi ad Sectarios lib. 1. cap. 4. fol. 36. & ſeq.* acerbè increpat *Henricum VIII. Regem Angliæ, qui Eccleſiæ poſſeſſiones diſtribuit* (25) inter Nobiles viros; ut eos communione facinoris teneret, & ad ſcelus, quod commodum ipſi erat, fideliùs conjurarent. Ita Epiſcopatus triſti avaritiâ diſciſſi, direpta funditùs & privatis uſibus attributa Monaſteria, Prioratus, Eremiticæ domus. Quid Archiepiſcopatus Cantuarienſis? Quid Epiſcopatus Uvintonienſis? Quid Elienſis? Umbræ ſi ad priſtinas opes ſpectes. Abbatiam Weſtmonaſterienſem, Regum ſepulchris deſtinatam (quam quibusdam Canonicis attribuerunt) Herculem fecêre; *decumam partem ei dedêre, ſibi novem abſtulerunt.* Jam ubi in Scotiâ, in Belgio, in Sueciâ illa bona? Rapta ut plurimùm, & vel in fiſcum redacta vel in alios profanos uſus translata. Si Monachi (ait Barclajus) veſtro judicio, in moribus aut fide errabant, cur non iis ejectis mortales alios ſubſtituiſtis, qui his ſanctis officiis, purioribus moribus, & reſtitutâ fide; ſed eadem etiam pietatis ſedulitate, incumberent? Cur non ſaltem erogatis hæc in pauperes bona, pauperibus olim data, & divino cultui à veſtris majoribus mancipata? Sævire in opes Eccleſiaſticas & accidere hæreditatem DEI placuit, ſpoliare Hieruſalem, corruptisque teſtamentis, legatis, & beneficiis antiquorum, qui hæc DEI ſacraverant, dirique Sacrilegii veſtras Provincias, veſtras domos adſtringere. At ſi divino peculio Romano-Catholici abuſi ſunt, & Proteſtantes ſive Reformatos Charitas DEI egit; docuit caſtigare utentium mores, non auferre à DEO peculium. *Hæc ferè Barclajus.*

De *Arnulpho Cæſare* (26) pulchrè Sabinus ſcribit:

Cepit & Auſoniam depulſis civibus urbem,
Templaq; militibus diripienda dedit.
Quas meruit juſtas ſolvit pro crimine pœnas,
Syllanis moriens vermibus eſca fuit.

In Bohemorum annalibus. (27) legitur de Johanne ejus gentis Rege, quod is, cùm duodecim Apoſtolorum argenteas ſtatuas ſepulchro S. Wenceslai auferri, & in theſauris ſuis recondi juſſiſſet, continuò eadem hora excœcatus ſit, nec unquam viſum recuperavit. Memoriæ quoque proditum eſt, Lubecæ omnes Eccleſiæ theſauros, patinas, calices, ampullas, monſtrantias, cruces, ſtatuas, & ſimilia argentea & aurea innumerabilia vaſa, divinis cultibus dicata, ex Eccleſiis paſſim direpta, unumque in locum congeſta, ſpeciem præ ſe tuliſſe tantarum facultatum, ut cives Lubecani harum rerum fiduciâ elati, non dubitarint ingens bellum movere adversùs Chriſtianum, Daniæ Regem. Accidit autem illis, quod de lupinis pellibus dicitur. Militibus atque equitibus in Urbem accerſitis, pecunia ex illis, quos dixi, Eccleſiaſticis theſauris cuſa eſt, ſed ea adeò in exiguam conflata ſummam, ut ne in menſtruum quidem ſtipendium conductis militibus ſufficere potuerit. Poſteà verò ad ærarium civitatis itum eſt, quod infelici Eccleſiaſticorum theſaurorum contactu, pari celeritate evanuit. Inde ad privatas civium opes belli ſumptus devoluti ſunt, quibus Lubecani ita exhauſti fuerunt, ita attenuati, ut ſe inopiâ omnium rerum victos Dano dedere propemodùm coacti ſint. Nemo cauſam aliam quærat, niſi quia admixtæ fuerint ovinis pellibus lupinæ, & vindicata *Tholoſani auri* (28) ſurreptio.

Laudabile eſt Apophthegma Chriſtophori Ducis Würtenbergici, qui Oettingenſi Comiti Ludovico, Jacobum Andræanum, cujus operâ in exſtirpandis Hierarchiæ Anti-Chriſtianæ deliramentis uteretur 37
petenti, miſit quidem; ſed huic ſigillatim in mandatis dedit; ut ſi Comes cum Religionis mutatione Eccleſiaſtica bona profanare, intervertere ſibique vendicare conaretur; ipſe nulli intereſſet deliberationi, ſed ſtatim domum ſe reciperet. Thom. Lanſius *in Orat. funebri Frider. Wurtenberg. Ducis pag. 45.* Æterno quoque encomio dignum eſt effatum Alexandri Severi Imper. qui quum Chriſtiani quendam locum, qui publicus fuerat, occupaſſent, contraque popinarii dicerent, ſibi eum debere; reſcripſit, *Melius eſſe, ut quomodocunq; illic Deus colatur, qàum popinariis dedatur.* Lamprid. *in Alexandro.* Vide latiùs hac de re differentem Henricum Petrum *tract. de Monaſteriis fol. 55. & mult. ſeqq.* Keller. *l. 2. de Offic. Juridico Politici c. 11. fol. 381.* Quò benevolum Lectorem remitto.

Urgente verò neceſſitate extremâ, adverſùm quam ne DI quidem (ut Prover- 38
bio dicitur) reſtiterint; nec ſacris rebus parci debet: Ubi ſemper longè alia extitit ratio eorum, qui legitimis ex cauſis & non ſine pietate aliqua de rebus ſacris temporalibus diſpoſuerunt. Ut enim ſuperſtitio non magnoperè curanda; ita divinarum pariter ac humanarum literarum monumenta luculentiſſimè oſtendunt, quòd legitimo magiſtratui in ſacris iſtis & temporalibus prædiis bonisque, non omnis adeò poteſtas prærepta ſit; ut, quantum ſine ullo ſcelere & jacturâ Eccleſiæ fieri 39
poteſt, nullum diſpoſitionis arbitrium relictum; quin potiùs in caſu Neceſſitatis, æris alieni, famis, & redemptionis captivorum, aut ſuſtentandorum pauperum gratiâ alienatio Eccleſiaſticorum bonorum permiſſa commendata ſit, *l. 17. & l. 21.* ubi

ubi Gothofred. *C. de SS. Eccleſiis. & ibidem* Auth. *ex Novell. 120.* deſumpta.

40 Sic Joas Rex Judæ omnia ſanctificata, quæ conſecraverat Joſaphat & Joram & Octorias, Patres ejus, & quæ ipſe obtulerat, & univerſum argentum, quod inveniri potuit in theſauris templi Domini, & in Palatio Regis; miſit Hazaeli Regi Syriæ, ut recederet à finibus Jeruſalem, *2. Reg. 12. verſ. 18.* Sic Ezechias rectè feciſſe legitur, quòd omne argentum in templo Domini repertum & laminas auri, quas ipſe affixerat, Regi Aſſyriorum, à quo bellum metuendum erat, miſit, & pacem politicam hac ratione emit, *2. Reg. 18. v. 15.* Non erat hoc ſacrilegium, quia Rex non in ſuos privatos uſus iſta convertit, ſed in uſum civium, quibus hoc modo pepercit, ne graviſſimis exactionibus vexarentur, D. Oſiander *in margin. d. c. 18. lit. e.* Hinc quando Rex Perſarum Cosroes Romanis ingentem cladem intuliſſet, Heraclius Imperator hanc injuriam ulturus, cùm neque milites, neque pecuniam haberet, aurum & argentum ex magna Eccleſia, aliisq; ſacris ædibus mutuatus, ſignari ex eo pecuniam fecit, quâ milites conſcripſit, & inſignem de hoſtibus victoriam reportavit, Cuſpinian. *in vita Heraclii. p. 152.*

41 Atque ita non tam legitimum pietatis arbitrium hic condemnamus, quàm ſacrilegium, quod ipſis ſemper ſpoliatoribus eorumque hæredibus paratiſſimum, non lucrum, ſed diſpendium eſt, non profectûs, ſed defectûs aucupium.

42 Et hac ratione Principes & Magiſtratus Chriſtianos bona Clericorum juriſdictionalia & politicam adminiſtrationem requirentia, licitè in ſe derivare, dummodò inde Eccleſiis & Scholis liberaliter proſpiciant, arbitratur Melanth. *in d. c. 5. Daniel. v. 5.*

Minimè tamen prophanis ſunt applicanda uſibus, quæcunque Majorum pietas ad pauperum inopiam ſublevandam ex religioſâ devotione erogavit: Et ejuſcemodi Res Deo, Eccleſiæ & pauperibus directò & præciſè conſecratę à laicis malè poſſidentur.

43 Optandum foret, ut reſtituerentur. Sed non eſt, quo judice repetantur. Dies ergo Domini id, ut & alia, judicabit, *c. quid dicam 14. quæſt. 14.* Extentè Erneſt. Cothman. *conſil. 100. infin. & per tot. vol. 2.* Noviſſimè, dum hæc ſub incudem revocantur, Joan. Gerhard. *tract. de Magiſtrat. Polit. c. 1. ſect. 5. membr. 1. n. 190. 191. 192.* Lather. *l. 3. de cenſu c. 18. per tot.*

Summatim ut omnia complectar, ſi ullibi, certè in adminiſtratione & collocatione bonorum Eccleſiaſticorum, cautè & prudenter agendum eſt, ut ne vulneretur conſcientia. Caſus quidem Neceſſitatis ubi omnem, ita & hanc legem reſpuit, quæ aliàs uſu eſt recepta: ſed probè diſpiciendum, ne caſus fingatur extra Neceſſitatem ſimulque ne Neceſſitas ita abeat in perennem conſuetudinem. Qui enim mundo perverſo digitum concedit, is oppidò & palmam deſiderari integram deprehendit. Quicquid ſit; Ego noſtris Principibus author non eſſem, ut extra evidentem neceſſitatem vel tantillum detraherent bonis ſacris, memor quippe auri Tholoſani, ut quod ſacrilegio adquiſitum exitio attingentibus. Refertur enim ab AGellio *Noct. Attic. 3. cap. 9.* & à Strabone *lib. 4.* quod cùm Q. Cæpio Conſul oppidum Tholoſanum in Gallia diripuiſſet, multùmque auri in ejus templis fuiſſet, quisquis ex ea direptione aurum attigerit, miſero cruciabilique exitu perierit. Meminit quoque auri Tholoſani Cicero *libr. de natura Deorum. 3.* Cognoſce, *inquit*, quæſtiones auri Tholoſani, conjurationis Jugurthinæ. Strabo *d. lib. 4. Geograph.* admonet, hanc pecuniam Tholoſanam Delphicæ pecuniæ partem fuiſſe. Brennus enim Tectoſagis auxiliantibus Delphos incurſaverat: deinde quemadmodum refert Juſtin. *libro 22.* eum Tectoſagi ſe in antiquam patriam Tholoſam recepiſſent, peſtilentiâ laborare cœperunt, à qua non priùs ſunt liberati, quàm aruſpicum reſponſis moniti, aurum argentumq; ſacrilegio quæſitum, in Tholoſenſem lacum mergerent: quod omne magno poſt tempore Cæpio Romanus Conſul abſtulit. Quod quidem ſacrilegium exitium attulit tum ipſi Cæpioni, tum illius copiis. Erant autem auri pondi CX. millia: argenti pondo quinquies decies centum millia. Scribit enim Strabo, Tholoſanos ex privatis fortunis auxiſſe ſacram pecuniam, ut magis DEUM ſibi reconciliarent. Eraſm. *Adag. Chiliad. 1. cent. 10. fol. 275.*

Epiphanen *Nemeſis ſic indignata (ſuperbis* 44
Perpetuas acuens iras) comprendit atrocem.
Iverat in Perſas magno cum robore belli,
Scilicet ut caperet munitam Elymaidos arcem:
Dictynnæ in templo vis auri ubi magna latebat.
Sed contra egreſſi cives non ſegnibus arcent
Sacrilegum manibus, bonaq; indirepta tuentur.
Nec mora Tiſiphonem lacrumoſi è ſedibus Orci.
Ad raſtea ciet, face quæ ſuccincta tremendos
Curarum totis mox ſenſibus implicet ignes,
Excuſi ob probrum lucri: mox rumor Hebræos
Succeſſus referens, Furiæ ſe adjungit, & æſtus

Aggravat irarum lymphato in corde tyranni.
Et dum ſic curis mordacibus ardet & iris,
Vulnus habet geminum: cumq; his ſe geſtibus offert
Horribilis viſu juſti vindicta Tonantis,
Accelerans lethum, redigitq; in pectora, ſanctos,
Quo ſcelere affligans cœleſtem evertere legem
Tentarit, monſtratq; ultricis verbera pœnæ.
Hac ita mœrorum conſumptus tabe ſub Orcum
Labitur, Eumenidum flagra nunc ubi ſontica geſtat.
Vos benè ſceptrigeri triſtem perpendite finem,
Quem fert impietas, quæ jura oppugnat Olympi,
Pupillam Jovæ lædit, ſacra munera lædens.

In Gallia Anno MDLXIII. Edictum de bonis ſoli Eccleſiaſticis ad Reip. ſarciendas neceſſitates in perpetuum alienandis conditum fuit, multum fremente ſacro ordine, qui privilegia ſua & immunitates eo imminui ajebat, & res ſacras quavis de cauſa, niſi interveniente Pontificis authoritate, ac ſine decreto diſtrahi non poſſe aſſerebat. Et cùm ſuperiore Anno CCC. librarum millia, non convocato aut monito ſacro ordine, ex eo vectigali annuo, quod decimarum nomine Regi ab eo penditur, à Rege aut ejus Procuratoribus Præfecto mercatorum & ædilibus urbis, pro tricies centenis & ſexcentis librarum millibus, cum perpetuo redhibendi pacto, oppignorata eſſent, eo Edicto, ut emptores invitarentur, eorum ſecuritati duris & inuſitatis conditionibus proſpectum erat, denegatâ omni contra ipſos & eorum ſucceſſores actione, pœnâ item additâ ignominioſę ejurationis adversùs judices, qui quenquam contra hujusmodi rerum emptores agentem admiſerint, mandabaturque judicibus, ut libellos ea de re factos in judicio lacerari juberent, & agentes à limine judicii nullâ morâ interpoſitâ de plano repellerent, & in litis ſumptus & acceſſiones, quamvis inauditos condemnarent, irrogatâ etiam legis mulctâ. Quod Edictum poſtea in Senatu coram Rege in lectiſternio ſedente, audito ac poſtulante Fiſci cognitore, promulgatum fuit, referente Thuano *lib. 34. Hiſtor. fol. 657. & 658.*

46 Solenne eſt pias Fundationes diris, & execrationibus quibusdam munire. Vah, quæ procella maledictionum! quæ diræ fulminum! quæ tempeſtas anathematum, in cujuscunque tandem caput incubuerint! Ad tam magna tonitura qui non expergiſcitur vel expaveſcit, non dormit, ſed mortuus eſt. D. Auguſtin. *in Enchirid. cap. 74.* Hieron. Bignonius *in Notis ad Marculfi Formular. lib. 1. pag. 432.* Beſold. *in Theſaur. Pr. verb.* Stifftung. Aubert. Miræus *in C. donat. piarum. cap. 1.* ubi ex teſtamento S. Remigii Remorum Archiepiſcopi ſequentia refert: Quicunque ex laico habitu, à nobis ſtatuta parvi pendens, ſibique favens, quæ pauperibus Eccleſiæ attributa ſunt, abuti, aut uſurpare quolibet obtentu præſumpſerit, pari ſimul perpetuâque damnatione, alienator, petitor, dator, acceptor, pervaſor, anathematis vinculo ab Eccleſia Catholica ſejungantur: donec valeant, Deo miſerante, condignæ ſatisfactionis emendatione indulgentiam promereri. Sin autem in hoc perſeverare cujuscunque donationis occaſione, quilibet deprehendatur, ſpes ei præſentis ac futuræ reſtitutionis à ſucceſſore meo, Remorum ſcilicet Epiſcopo, omnimodò auferatur. Videatur quoque noviſſimè Alexand. Patricius Armacan. *in Marte Gallico, ſeu de juſtitia armorum & fœderum Reg. Gall. lib 2. cap. 45.* qui Regem Galliæ Remigianis diris obnoxium ſibi fingit, cùm tamen hac execrabili proſcriptione illi tantùm devoveantur, qui Eccleſiarum DEI pervaſores, ac depopulatores fuerint, aut qui incorrigibilis contumaciæ ſpiritum geſſerint: Quòd à Regibus Franciæ alienum putat Author Vindicarum Gallicarum adversùs Armacanum *juxta Editionem Pariſ. c. 35. f. 294.* Nec enim *Eccleſiarum pervaſor* putandus eſt is, qui firmis eas præſidiis munivit, tam multis ornamentis affecit, tamque latè illarum Imperium confirmavit: Nec *Depopulator* vocandus, qui Eccleſias non modò in priſtinam dignitatem reſtituit, ſed, ut earum fines ditionesque propagaret, nullum ſibi unquam difficultatem pertimeſcendam, nullum periculum detrectandum, nullam dimicationem refugiendam arbitratus eſt. Nec denique *incorrigibilis contumaciæ ſpiritum geſſit*, qui cœleſtium præceptorum diſciplinis innutritus, perpetuum profeſſus eſt, aut contra DEI hoſtes, aut contra vitia, certamen. Hæc Author Vindic. Gallic. *dicto loco.*

D. Willibrordus in ſuo Teſtamento, apud Scribanium *in Origin. cap. 5.* Si fuerit ullus de hæredibus vel prohæredibus meis, ſeu quælibet oppoſita aut extranea perſona ſeu judiciaria poteſtas, quæ contra hoc teſtamentum vel donationem meam, quàm ego Clemens Willibrordus Epiſcopus ſanâ mente, plenoque conſilio & donatione integrâ fieri juſſi, venire aut agere, vel eam infringere voluerit, etſi iſta charta ei oſtenſa ad relegendum fuerit præſentata: ſibi ipſe exinde compeſcere noluerit, inprimis iram DEI omnipotentis incurrat, & ſanctorum Angelorum & ab omnibus Eccleſiis, vel conſortio Chriſtianorum efficiatur extraneus, & habeat partem

tem cum Judâ, qui Dominum tradidit, & cum Dathan & Abiran, quos terra vivos deglutivit, &c.

Sic & Henricus Petrus *tract. de Mona-*
47 *ſteriis, fol. 3. & 4.* refert, donationis non admodum quidem magnæ inſtrumento inſertas illas plenas malorum execrationes;
48 Wer die Güter nimt/ demſelben ſoll Lung und Leber im Leib verſehren/ hoc eſt, fucis & decoctoribus, qui legato illo temere uti frui auſint, intima viſcera, pulmoque jecurque, perpetuo morborum cruciatu contorta exareſcant. Cujusmodi & Harpyarum exſecrationes Illuſtriſſimi olim Cattorum Principis Philippi juſſu, tum inquilinis, tum advenis ante oculos propoſitæ leguntur in Monachorum olim cœnobio, nunc hominum promiſcuè pauperum Noſocomio Hainenſi verbis iſtis Teutonicis:

Und wer das thut/ den ſtraff (GOttes) dein Hand
Mit Armut/ Kranckheit/ Schmach und Schand/ 2c.

Etenim ſine ulla vel ſuorum vel externorum exceptione expilatoribus cœnobiorum Heros ille opum atque facultatum, nec non valetudinis & famæ jacturam, ſive (ut ipſa rythmorum verba ſonant) egeſtatem, morbos, probra, & infamiam denunciat.

49 Quid etiam alii hac de re ſenſerint, docere poſſunt, quæ habet Johann Weineſtadt in einem Büchlein/ Anno Chriſti 1566. zu Mansfeld gedruckt/ ſub titulo, wider die Sacrilegos, mit einer Vorred D. Joachimi Mörlins/ Superintendenten zu Braunſchweig: darinnen die Beſitzer der Geiſtlichen Güter mit folgenden Worten perſtringirt werden.

Sie laden (I.) auf ſich eine ſchwere Verantwortung an jenem Gerichtstag/ und handlen dem vierdten Gebot GOttes zuwider. Joachimus Mörlin ſpricht: Erſtlich ſchreyen über deinen Hals deine löbliche liebe Eltern und Vorfahren/ oder doch anderer ehrlicher Leut Sigell und Brieff/ damit ſie als bey ihren und höchſten Treuen/ an ihrem letzten Ende bezeugen/ daß dieſe Güter/ ſo du zu deinem Nutz gezogen/ nicht dein/ ſondern GOttes allein/ und derjenigen von ſeinetwegen ſeyn ſollen/ die dem frommen GOtt/ und ſeiner Kirchen/ ihre Dienſt zu ſeinen Ehren und aller armen Seelen Heil und Wolfahrt treulich leiſten.

Das Büchlein ſagt auch: (II.) vor Zeiten
50 haben dannoch die Armen/ die Handwercker und die Unterthanen der Clöſter und anderer Geiſtlichen Stifft genoſſen; jetzt genieſſen derſelben Juncker N. Suchen-Trunck 2c. Ja ſie machen es ärger mit den Kirchengütern/ denn vorhin die Papiſten (wie ſie uns nennen) thäten/ ſintemal ſie dieſelben als wenn ſie ihr erblich und eigen/ verkauffen; dieſelben verſetzen/ verpfänden/ verſchencken/ ihren Dienern darmit lohnen/ oder unwürdigen Perſonen/ als unmündigen Kindern/ unnützen Hofſchrantzen verleihen/ die ſich unordentlicher Weiſe verkleiden/ verſchlemmen und verzehren/ wenig oder wol gantz nichts darfür thun; Und daß auch etliche/ in den Clöſtern/ Schulen halten laſſen/ das thun ſie allein (wie das Werck an ihnen ſelbſten an vielen Orten anzeigt) zu einem Schein/ als thäten ſie was Groſſes davon/ darum iſt ſchier niemand ſo ſehr derſelben Clöſter und ihrer Güter gebeſſert/ als eben die Verwalter/ 2c.

Die Kirchengüter freſſen (III.) die andere 51
Güter/ wie der Roſt das Eiſen/ und wie ein verzehrendes Feuer: Sihe/ (meldet das Büchlein weiters) wovon kommt es doch her/ daß vor Alters die frommen Käiſer/ König/ Fürſten/ Graffen/ Edelleut/ ja die gewaltigen Biſchöff ſelbſt/ ihre Unterthanen ſo nicht ſchätzten/ oder mit unbillichen Dienſten beſchwerten/ ſondern ſich an ihren Renten/ Einkommen und Gebühre genügen laſſen; Und dennoch an allen Oertern vollauf und genug hätten/ darzu auch ohne Schaden und Beſchwerung ihrer Land und Leute/ nicht allein Burg und Schlöſſer baueten/ ſondern auch groſſe reiche Stiffter und Clöſter fundirten und bauen lieſſen/ nun aber ſie ſchätzen/ ſchinden und ſchaben 2c. mangelt es an allen Orten. Und/ unrecht Gut gedeyet nicht/ dieweil GOtt darzu nicht ſeinen Segen/ ſondern den Fluch gibt. Und es muß ihnen doch zu letzt mit ſolchem Geld alſo gehen/ wie es denen gieng/ ſo das Geld aus dem Tempel zu Toloſa unter ſich getheilt hätten/ daß es alles verſchwende/ und ihr eignes auch mitnehme.

(IV.) Sagt es: Den Kirchen die Güter einziehen/ iſt ein Julianiſch Werck/ denn der abtrünnige Käiſer Julianus lieſſe alles wegnehmen/ was der fromme löbliche Käiſer Conſtantinus an die Kirchen gewendt/ und darzu geben hätte.

(V.) Sagt es über den Spruch deß H. 52
Auguſtini: Die Sünde wird nicht vergeben/ es werde denn wieder erſtattet/ was entwendet iſt/ ſchreibt D. Luther. So nun Menſchen Güter entwendet ſeyn/ da zweiffelt die Welt gar nichts/ man ſoll und muß es wieder erſtatten/ wie das alle Recht weiſen und lehren. Aber/ ob man Gott ſolle oder müſſe auch ſeine entwendte Güter wieder erſtatten/ da ſorgt niemand um/ wiewol Ers hefftig ſuchet/ fordert/ drohet/ zürnet/ darzu auch greulich ſtraffet und plaget/ damit Er das Seine wiederhole.

(VI.) Sagt es: Solche Innhaber der Kirchengüter ſeyn ſchon excommunicatione majori, & lata ſententia, durch den H. Geiſt verbannet: darum ſoll man mit ihnen nicht Gemeinſchafft haben/ noch ſich ihrer Miſſethat theilhafftig machen.

(VII.) Sagt es/ aus dem Heshuſio, auch andern Lutheriſchen Prædicanten: Was iſt es 53
doch für ein Laſter/ und für ein Wüten und Unſinnig-

ſinnigkeit/ ſo gemeiniglich die Kirchen beraubt werden / und viel Hoffſchrantzen das Einkommen der Kirchen unter ſich theilen / gleichwie die Kriegsknecht Chriſto ſein Kleid ausgezogen: Und man ſoll vielmehr alle Obrigkeit lehren/daß ſie keinerley Weiſe Recht haben/über die Geiſtlichen Güter.

Allen denen/die Kirchengüter haben/ wird in dieſem Büchlein (VIII.) bedrohet mit der hölliſchen Glut / mit ewigem Zorn GOttes/ mit Hunger / mit Theurung / mit Peſtilentz/ mit Sodoms-Feuer/mit Schwerdt/ mit Blut/ mit Donner/mit Türcken/ mit Moſcowitern/ mit Schweden/mit Frantzoſen.

54 Cæterùm cùm *Annatæ*,(29) (ut hiſce tandem Canonis noſtri telam pertexam) à Germanis ad bellicos uſus, & in eum finem, ut theſauri loco contra Turcas, & alios Chriſtianæ Reipublicæ hoſtes, conſervarentur, introductæ ſint, Sleidan. *lib.4. Hiſt.* quas Romani Pontifices in ſuos deinde uſus converterunt, conſultum foret, ut ad priſtinos uſus eæ revocarentur, & belli neceſſitatibus iterum applicarentur. Nam Pontifici eas in manum tradere, ut pro lubitu ſuo uti illis, & abuti poſſit, etiam Pontificii quidam, jam ſapientiores, dedidicerunt: Velut Poloniæ Rex Sigismundus Anno 1543. ad inſtantiam Ordinum Regni de Annatis decreviſſe legitur, hoc modo ſatisfaciendo poſtulationibus Dn. Conſiliariorum noſtrorum ſecularium, & Nunciorum terreſtrium, mittemus ad S. Patrem Papam, petitum Annatas; ut ne eas de Regno efferri permittamus, ſed ut remaneant pro defenſione Reipublicæ in Regno. Quòd ſi eaſdem impetrare non poſſumus, tam jam extunc renunciare illi debemus, eaſdem nos neque daturos eſſe, neque efferri ullâ ratione permiſſuros. Stat. Polonica à Joh. Herburto à Fulſtin. *edita ſub tit. Annata.*

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT LXXXIII.

Num. 1.

(1) BOna Eccleſiaſtica &c.] Diſpeſcuntur à Theologis bona Eccleſiaſtica inter *Interna* atque *Externa*, Intelliguntúrve bonorum Eccleſiaſticorum Internorum & propriorum nomine ea, quæ per Evangelii prædicationem pœnitentibus & credentibus diſtribuuntur, qualia ſunt Remiſſio peccatorum, Juſtitia DEO placens, Donatio Spiritus Sancti &c. Sed bona Externa dicuntur ea, quæ ad miniſtrorum Eccleſiæ ac pauperum ſuſtentationem requiruntur. Si quando igitur bona Eccleſiaſtica interna *Spiritualia* dicantur, rectè ea ſic dici exiſtimaverim, ſi externa, minùs Quemadmodum etiam ut priorum Diſpenſatio Miniſterio Eccleſiaſtico, ita poſteriorum Diſpenſationi Magiſtratum Chriſtianum, (Beatum Gerhardum *in loco Theolog. de Magiſtr. Polit. Tom. VI. n. 190. p. 309.* ſecuti) præficimus. Is enim cùm ſit temporalium Dominus & Eccleſiæ nutritius divinitùs conſtitutus, ideò & poteſt & debet legitimam bonorum Eccleſiaſticorum diſpenſationem inſtituere.

(2) *Ad ſuſtentationem eorum &c.*] Bona talia Eccleſiaſtica, docente jamjam laudato Gerhardo *d. l. n. 191. p. 310.* ac annuus reditus ſacris uſibus deſtinati circa Annum Chriſti CCCCLXX. in *quatuor partes* dividi cœperant, *primus quadrans* Epiſcopo, *alter* Clero, *tertius* ædium ſacrarum exſtructioni ac reparationi, *quartus* Pauperum Eleemoſynis cedebat, de qua diſtributione quadripartita aliquot Conciliorum Canones exſtant. Quadrans Epiſcopo deſtinatus non ipſius ſolùm ſuſtentationi adhibebatur, ſed etiam redimendis ob Religionis profeſſionem captivis, Hoſpitio excipiendis Chriſti exulibus, & exercendæ erga indigos beneficentiæ cedebat. Gelaſius *in Epiſtola ad Clerum & Ordinem & Plebem Brunduſii & citatur c. conceſſo 26. cauſ. 12. qu. 2.* Conceſſo vobis, quem petiiſtis, antiſtite Juliano *&c.* Reditus, & oblationes fidelium in *quatuor partes* dividat: quarum *unam* ſibi ipſe retineat: *alteram* clericis pro officiorum ſuorum ſedulitate diſtribuat: fabricis *tertiam*: *quartam* pauperibus & peregrinis habeat fideliter erogandam. Vide ibidem in hanc ſententiam capitula plura. Pulchrè Ambroſius *l. 2. de Offic. c. 28.* Aurum Eccleſia habet, non ut ſervet, ſed ut eroget, & ſubveniat in neceſſitatibus. Quid opus cuſtodire, quod nihil adjuvat? &c. *& p. p.* Opus eſt, ut quis fide ſincerâ & & perſpicaci providentiâ munus hoc (*diſpenſandi bona Eccleſiaſtica*) impleat. Sanè ſi in ſua aliquis derivet emolumenta, crimen eſt: ſin verò pauperibus erogat, captivum redimit, miſericordia eſt. Nemo enim poteſt dicere, cur pauper vivit? Nemo poteſt queri, quia captivi redempti ſunt: nemo poteſt accuſare, quia templum DEI ædificatum eſt: nemo poteſt indignari, quia humandis fidelium reliquiis ſpatia laxata ſunt: nemo poteſt dolere, quia in ſepulturis Chriſtianorum requies defunctorum eſt. Ad exemplum hujus antiquiſſimæ conſuetudinis providere debet Magiſtratus, ut bona Eccleſiaſtica ad quatuor potiſſimùm uſus convertantur. I. Ad ſuſtentationem eorum, qui Eccleſiæ & Scholis operas ſuas actu jam præſtant. II. Ad ſubſidium eorum, qui Eccleſiæ & Scholis operam ſuam conſecrarunt, pauperum ſcil. ſtudioſorum. III Ad exulum ægrotorum & egenorum alimentationem, ac captivorum redemtionem IV. Ad ædium ſacrarum reparationem. Hactenus Beatus Gerhardus, cui conſtat infrà noſtri Authoris *numerus 6. & 9. h. cap.* & Dn. Mylerus *de Princ. & Stat. Imp. parte 2. cap. 88 n. 12. pag. 764. 765. ſeqq.*

(3) *Canonicos &c.*] Canonicus dicente Roderico Zamorenſi *in Specul. vitæ hum. libro 2. capite 19.*) ſicut honeſtum habet nomen, ſic ſaluberrimum in Eccleſia miniſterium gerit. Dictus eſt enim à Canone vel regula, quæ cuncta ordinat & dirigit. Canonici itaque regulati & diſciplinati dicuntur: quippe quia ſuâ Electione, regulatione, ac diſpoſitione Epiſcopus eligitur, qui eſt vertex & norma cujuslibet Eccleſiæ: qui & ſecundùm ſacros cano-

canones cunctorum eſt præordinator. Nec ab re Sancti Patres Canonicos, Conſiliarios Epiſcopi fore decreverunt. Quare in corpore Reipubl. Cordi rectè comparantur. Nam veluti à corde in corpore naturali eſt vita & regimen, ſic à Canonicis Epiſcopum eligentibus & ei conſulentibus, omnium penè in Eccleſia agendorum regimen & directio procedit. Quæ res agit, ut non parva ſit Canonicorum honoris & tituli prærogativa: qui primum in Eccleſia gradum eligunt, ſimul & dirigunt. Quare hújusmodi ſtatus & vitæ forma non modò honoris, ſed & emolumenti in DEI Eccleſia plurimum habet. Quinimò & Imperator Romanus Canonici titulo præfulget non ſolùm D. Petri Romæ, verùm etiam Aquisgrani & majoris Eccleſiæ Colonienſis. Cùm Maximilianus II. Francofurti coronaretur, acceſſerunt duo è ſacro Sodaliũ Aquisgranenſium collegio, multamque ſalutem quàm demiſsè poſſunt, precati in ſuum collegium more antiquitùs recepto cooptant. Thuanus *lib. 32.* Et ſuper ſanguinem Stephani Martyris ſolenne juramentum illi capitulo Rex Romanorum præſtat, Mateneſius *lib. 3. pag. 112. de Coronat. Ferdin. II.* Rex Galliæ Chriſtianiſſimus (*de quo titulo vide Alexandrum Patricium de Juſtit. armor. lib. 1. cap. 20.*) ad D. Hilarii templum in Urbe Pictaria caput eſt in Colldgio Canonicorum. Olim fuit Abbatia: Ranchinus *Tom. II. deſcript. Europæ par. 264.* Romanæ Eccleſiæ iſtam Abbatiam ſubjectam eſſe docet, & Regem, quatenus eſt Comes Pictavenſis, pro Abbate habere. Inde jocoſum illud: *Abbati Eccleſiæ D. Hilarii apud Pictones licitum eſt, primam noctem thalamum inire Reginæ Franciæ, cumq́; ea concumbere.* Abraham. Golniz. *in Itiner. Belgiæ Gall. pag. 290.* jam verò eſt Capitulum, in quo, ut dixi, Primas eſt Rex, Ranchin *in deſcript. Europæ Tom. 2. pag. 380.* Interim Imperator & Rex Galliæ ſaltem ſunt Honorarii Canonici, qui emolumento & beneficiis deſtituti officium in templis exhibent. Daniel Claſſen *de Religione Politica cap. 14. pag. 372. ubi paucis interpoſitis concludit*: Cùm igitur tam illuſtres Perſonæ nomen ſuum dent Sacro Canonicorum collegiò, nec pudeat ipſos maximis ſuis appellationibus & hunc titulum addere, indubium eſt, ſtatum iſtum honoratum eſſe, quòd aliàs Principes viri nunquam in iſtum ſe cooptari paterentur cœtum. Hactenus ille, qui omninò ut evolvatur, præſertim ob dicta ibidem de uſurpatione bonorum Eccleſiaſticorum, & Canonicorum vita, meretur.

(4) *A ſcripturæ Canonicæ interpretatione &c.*] Pluribus hoc teſtimoniis confirmantem omninò vide Petrum **Philips** Theol. D. *in Cleri Apoſtolico-Catholici Aſſertore & Vindice cap. 5. §. 98. in fin. & ſeqq. 99. 100. & cap. 7. per totum*, ubi in ſpecie **von dem Ampte der Domherren** agit.

(5) *Retinuerunt inanes Ordines &c.*] Illud ſæpe quæſitum eſt, an in Eccleſiis Auguſtanæ Confeſſioni, atque Religioni, ut vocant, Reformatæ addictis, ſalvâ Conſcientiâ Canonicus eſſe & fructibus horum Canonicatuum olim Pontificiorum frui quis queat? uti apparet ex Dedekeni *Conſiliis Theolog. vol. 1. parte 2. ſect. 2. n. 3. 4. 5. 6. pag. 936. ſeqq. multis.* Conſiliis Theolog. Witteberg. *parte 3. pag. 8. ſeqq.* Balduino *in Caſibus Conſcient. lib. 4. cap. 3. caſ. 3. pag. 727. ſeq.* Ad quod pleriq; omnes reſpondent: Canonicos, ſi modò quos beneficio Canonicatuum annuatim accipiunt reditus, non in otio abſumant, ſed vel aliquid præſtent ipſi, quod in uſum cedat Eccleſiæ, vel de Facultatibus iis quippiam ſibi decidant, & in uſus pios convertant, haud damnandos, cùm eo ipſo, ſi quando non omnia à ſe trahunt, reliquam partem illis ita ſanctificatam exiſtiment, ut bonâ conſcientiâ uti frui poſſint. Quoad Reformatos tunc vel maximè in Belgio controverſia hæc agitari cœpit, cùm Gisbertus Voetius Doctor Theologiæ atque Profeſſor Ultrajectinæ Academiæ, aſſertor ſuarum opinionum acerbior atque rigoroſior; Canonicis Ultrajectinis populari linguâ circa Annum MDCLVII. publicè edito ſcripto Controverſiam ſtatûs, ut ita loquor, movere contendit; cui tamen ſe alii viri docti oppoſuêre, inter quos Samuel Mareſius itidem SS. Theologiæ Doctor & Profeſſor Groningenſis extitit, qui ipſe in Judicio & Reſponſo Theologico tunc temporis emiſſo maſculè & ſolidè cauſam Canonicorum defendit.

Num. 2.

(6) *Tandem pervenerunt ad totalem prophanationem Monaſteriorum &c.*] Utut fortè ab aliquibus bona Eccleſiæ deſtinata piis uſibus aliquando in alios quàm pios uſus verſæ fuerint, & adhuc vertantur, malè tamen à Klockio noſtro generaliter hîc impoſitum videtur omnibus, quod uni alterive imponendum erat. Quin enim plurimi Imperii Status ACatholici proventus illos Eccleſiaſticos poſt Papiſmum profligatum recuperatos in ſimiles cum prioribus uſus convertant, dubitare nec experientia, nec exempla à Dn. Burgoldenſi *in Not. Rerum Imperii Rom. Germ. parte 2. diſcurſu 9. n. 12. pag. 89. & 80.* & ab Authore noſtro inferiùs *hoc capite numero 7.* adducta minimè ſinunt. Adeoque videtur Klockius verba illa ex Adverſariorum noſtrorum ſcriniis, præterito Authoris nomine, compilaſſe.

Num. 9.

(7) *Statuis Sanctorum in numos conflatis &c.*] Memoratur inter illas præcipuè Statua St. Liborii ex puro auro pendens libras LXXX. confecta. De qua Gelenius *lib. 4. in deſcript. Colon. Agripp.* Lotich. *lib. 11. cap. 6.* Laurea Auſtr. *lib. 6.* Brachelius *Hiſtor. noſtri temporis lib. 3. ad Annum MDCXXII. pag. 62.* Theatr. Europ. *parte 1. pag. 629.* Nũmi verò tunc temporis ex ſpoliis Weſtphalicis à Chriſtiano Duce Brunſuicenſi percuſi thaleri erant, in quibus, Symboli loco, ab una parte manus è nubibus protenſa evaginatum enſem vibrabat, utque, cujus eſſet, agnoſceretur, nomen ſuum adſcripſerat: CHRISTIANUS, ab altera parte non abſimile lemma addiderat: AMICUS DEI, HOSTIS CLERICORUM. **GOttes Freund/und der Pfaffẽ Feind.** Verùm, quod Author noſter inſuere videtur, nempe brachium in vindictam, reſectũ id Piaſecius *in Chronicis geſt. in Europa ſingul. ad An. MDCXXII. p. 358.* de Principe hoc Chriſtiano Poſtulato Epiſcopo Halberſtadienſi, claris hisce verbis indicat: In illo Conflictu (*apud Falleis oppidum & Floreacum commiſſo*) Halberſtadienſis jaculo bombardæ in manu ſiniſtra percuſſus, vulnere ex labore pugnæ inflãmato, cum iteratâ ſectione reſciſſam amiſit, manifeſteque pœnam tulit ſacrilegii facti in templo Paderbornenſi expilato, ubi ex auro LXXX. pondo conflatum loci ejus Patronũ S. Liborium abſtulit, & ex argento Monaſterii Suſati, aliisque ædibus ſacris rapto, monetam ſignari juſſit, ab una parte manu ex nube protenſâ gladio armatâ, & altera inſcriptione, *Amicus Dei, inimicus Cleri*, omninoque ad talem ictum illam manũ extenderat. Hactenus Piaſecius. Nos bardi & ſtupidi, DEI arcano conſilio & nutui mentem noſtram

libenter ſubjicimus. nec audemus fati ab ipſo profecti vim rimari curioſiùs, cogitantes fulmina nos homines ſæpe videre, ortum occaſumque illorum aciem oculorum noſtrorum effugere.

Num. 10.

(8) *De pennis Aquilæ Plinius refert &c.*] Vide ſuprà *lib. 1. cap. 4. n. 20.* (30)

Num. 14.

(9) *Capiti ejus Auro liquefacto infuſo &c.*] Florus *lib. 3. cap. 11. n.* 11. Plutarchus *in M. Craſſi vitâ.* Appianus latè *in libro, qui Parthicus inſcribitur.* Confer Freinshemium *ad Florum d. loco* ubi ſimilia exempla recenſet.

(10) *Julius Cæſar &c.*] Confer de hiſce exemplis Henricum Petrum JCTum *Tractatu de Monaſteriis pag. 53. 54. ſeqq.*

Num. 16.

(11) *Turullius &c.*] Dio *lib. 51.*

Num. 17.

(12) *Brennus &c.*] Junge dicta ſuperiùs *ad lib.* 1. *cap. 2. n. 53.* (71) Petrum *de Monaſt. pag. 56.*

(13) *Valerius Max. &c.*] *Lib. 1. cap. 1. n. 18. & inter exempl. externa n. 5.*

(14) *Cambyſes &c.*] Herodotus *lib. 3. c. 25. & 26.*

Num. 21.

(15) *Sagitta è cœlo miſſa &c.*] Eutropius (qui ipſe expeditioni Juliani Imp. interfuit,) dû ſe inconſultiùs præliis inſerit, Julianus hoſtili manu interfectum ſcribit. Cui adſtipulatur Ammianus Marcellinus *lib. 25. cap. 8.* Paulus verò Diaconus *Hiſtor. Miſcel. lib. 11.* de Juliani vulnere notat, ipſum inſtantibus hinc inde Parthis, è caſtris jam poſitis, arrepto tantùm clypeo procurriſſe, cumque inconſulto ardore niteretur ordines ad Prælium componere, ab uno ex hoſtibus, & quidem fugiente, contò percuſſum &c. addit tamen, quosdam dicere, jaculum repentè delatum diſcurrens per brachium ejus in latus immerſum eſſe; qui verò juſtiſſimum intulerit vulnus, hactenus ignorari; ſed alios quendàm inviſibilium hoc intuliſſe ferri; alios verò unum paſtorem Iſmaelitarum; alios militem fame & itinere fatigatum. Demum Theodoretus *lib. 3. cap. 4. ſeqq.* perhibet, quòd ſimul ac plagam accepiſſet Julianus, ſanguine manum impleverit, eoq; in aërem projecto exclamaverit: *Viciſti tandem Galilæe:* ſic enim per contumeliam Chriſtum vocare conſueverat. Verùm neuter horum, nec alius, quod ſciam, probatorum Authorum ſagittæ è cœlo miſſæ meminit.

Num. 23.

(16) *Gaguinus &c.*] *Rer. Gallic. Annal. lib. 1. cap. 5.*

(17) *Idem Gaguinus &c.*] *d. loco circa finem.*

(18) *Auream Coronam &c.*] Zonoras *Annal. Tom. 3. pag. m. 103.* Paul. Diaconus *Hiſtor. miſcell. lib. 23. cap. 7.* Cuſpinianus *de Cæſar. pag. 169.*

Num. 24.

(1) *Maſiniſſa &c.*] Valerius Maximus *lib. 1. cap.* 1. *inter exempla externa n. 2.*

Num. 25.

(20) *Intellexit hoc Cornelius Sylla &c.*] De quo vide Plutarchum *in vita Syllæ. Tom. I. Operum pag. 459. & 464. inf.*

(21) *Quo tardior pœna &c.*] Lento enim gradu ad vindictam ſui Divina procedit Ira, ſed tarditatem gravitate compenſat.

Num. 28.

(22) *Gaguinus &c.*] *Lib. 1. Rer. Gall. Annal. cap. 5. pag. 12.*

Num. 29.

(23) *Idem Gaguinus &c.*] *d. loco lib. 2. c. 1.*

(24) *Quæ in cellulis pluribus &c.*] Quid de his cellulis ſepulchralibus Davidis Doctores ſentiant, diximus jam antè *ad lib. 1. cap. 1. n. 52.* (54) Adde Roſinum *Antiq. Rom. lib. 7. cap. 31.*

Num. 36.

(25) *Henricum VIII. Regem Angliæ, qui Eccleſiæ poſſeſſiones diſtribuit &c.*] Repeti huc poterunt dicta & notata *ad libri 1. noſtri Klockii caput 8. n. 4.* (11) *& n. 26.* (28.)

(26) *Arnulpho Cæſare &c.*] Confer huc ea, quæ ex Ottone Friſingenſi, Rheginone Abbate Prumienſi, Sigisberto Gemblacenſi, Abbate Urſpergenſi, Luitprando Ticinenſi excerpta, in vita Arnulphi compendiosè exhibet Cuſpinianus *pag.* 217. 218. *ſeq.* ubi plura exempla eorum, qui Phthiriaſi, & inter illa Syllam, recenſet.

(27) *In Bohemorum Annalibus &c.*] Refert hoc Hagecius *Chronici Bohem. parte 1. pag. 409. ad annum MCCCXXXVI.* ubi tamen haud diffitetur, jam antea Johannē debilitate viſûs, laboraſſe, Dubravius *Hiſtor. Bohem. lib. 21. pag. m. 176.* Curâ Medici Hebræi Regem hunc Johannem ex cœcutiente planè cœcum effectum; cœcum tamen nequicquam reluctantibus ſuis ipſum profectionem in Galliam inſtituiſſe &c. At filius ejus Carolus IV. Imperator, tunc itineris Comes, refert *in Comment. de vita ſua pag. 102.* in Galliis demum, cùm unum antea oculum perdidiſſet, in altero incipientem infirmari, tranſiiſſe in Montem Peſſulanum ſecretò ad Medicos, ſi poſſet curari, eum tamen eodem tempore excœcatum.

(28) *Toloſani Auri &c.*] Confer AGellium *lib. 3. Noct. Attic. c. 9. & ad eundem* Philippi Caroli *Animadverſiones pag. 206.* Eraſmum *Adag. Chil. 1. cent. 10. prov. 98.* Natum verò hoc proverbium (*Aurum Toloſanum habet*, quo infelix ſignificatur quispiam) inde tradunt, cùm oppidum Toloſanus in terra Gallia Q. Cæpio Coſ. dirupiſſet, multumque auri in oppidi templis fuiſſet, quòd quique, qui ex ea direptione aurum attigiſſet, miſero cruciabilique exitu periiſſet: quod & infrà Author noſter *numero 43.* (ubi integrum Eraſmi locum adducit) confirmat.

Num. 54.

(29) *Annatæ &c.*] Monuimus & nos quædam de Annatis *ſuprà lib. 1. cap. 3. num. 37.* (54) quibus jungat B. L. ſi placet, Dn. Joſuam Arndium *in Lexico Antiq. Eccleſiaſt.* Beſoldum *in Theſauro Practico*, Speidelium *in Speculo*, omnes in voce, ANNATÆ.

CAPUT

CAPUT LXXXIV.

Auctum Monetæ Pretium ad Tempus, magnum eſt habendæ pecuniæ compendium, potiſſimùm ſi ad Principem omnium numi deferantur, poſteà reſtituendi: ubi multa de Æruſcatoribus pecuniarum, quos vulgò Wipperos, Kipperos vocant.

SUMMARIA.

1. Rei numariæ *malo initiò facilè reſiſti potuit.*
2. Effectus *& cauſa hujus mali, hoc &* num. 3. 8. *& ſeqq.*
4. Regale monetæ *extra commercium eſſe debet.*
5. *In* officinis monetariis *rapinæ & ſcelera exercentur.*
6. *Sub magnâ ſpecie utilitatis ſæpè* fraus *magna latet.*
7. Querela *de depravatione monetæ.*
8. Monetam *Veteres Deam dixerunt.*
9. *Omnis populus* Monetariorum fraudes *meritò accuſat.*
10. Avaritia *omnium malorum mater.*
11. *Commercio ſubmoto, omnium malorum Ilias ſubſequitur.*
12. *Sub Aureliano ob* depravatam monetam *bellum inteſtinum concitatum eſt.*
13. *Ob eam cauſam Pariſiis tempore* Philippi Pulchri *ingens motus exſtitit.*
14. Elogium *Veterum de monetâ.*
15. Monetæ depravatio *magnarum mutationum in Rebuſpublicis præſagium eſt.*
16. Numus *eſt menſura rerum commutandarum: quare inventus?* num. 17.
18. Menſurâ *rerum mutatâ, omnia mutari neceſſe eſt.*
19. *Ex pravâ* monetâ *rerum pretia fiunt incerta.*
20. Pacta *& contractus corrumpuntur.*
21. Utilitas *rei numariæ.*
22. Principi *non magis licet improba numiſmata cudere, quàm occidere.*
23. Exempla *eorum, qui primò de bonitate monetæ aliquid detraxerunt.*
24. *Non omnia, quæ à majoribus facta ſunt, carent vitio.*
25. Principi *ſine extremâ neceſſitate, monetam mutare non licet.*
26. *Omnia* remedia *priùs tentanda ſunt, antequam ad extrema confugiatur.*
27. *In* ſumma neceſſitate *Princeps metalla miſcere, & partem de pondere decerpere poteſt.*
28. *Quâ conditione id fieri debeat?*
29. Depravatoribus monetæ *damnatio eſt conſtituta.*
30. Principes *qui cogunt currere reprobatam, peccant mortaliter & tenentur ad reſtitutionem.*
31. Numi *ferrei, plumbei &c. non propriè ſed fictè ſunt numi.*
32. *Ceſſante* causâ neceſſitatis, *cum veris ſunt permutandi.*
33. Exempla *Principum, qui hoc fecerunt.*
34. *In* regali Monetæ *lucrum captare non licet.*
35. *Jus* numos cudendi, *Emptionis vel locationis titulo, ad privatos transferre turpe eſt.*
36. Pecuniam *ſuo quisq; ſumptu ſignabit.*
37. Conductores *Juris monetalis quomodo mulctentur.*
38. Monetarii *conniventiâ Principum de pondere & bonitate monetæ quotidie detrahunt, & numiſmata non ſolùm vulgaria, ſed etiam Imperatoria recudunt.*
39. *Ex* Ordinatione Imperii *quotannis bis cura & ratio rei monetariæ habenda.*
40. Bonæ leges *plerumq; ſine fructu evaneſcunt.*
41. Romani *unam tantùm officinam monetalem, & nullius ferè rei majorem curam habuerunt.*
42. M. Mario *ob curam rei numariæ Statuæ poſitæ ſunt.*
43. Carolus M. *omnes monetarum officinas in palatio ſuo habuit.*
44. Angliæ Reges *nullibi monetam, quàm in turri Londinenſi inſigniri patiuntur.*
45. Turcæ *illud Jus nulli concedunt.*
46. *In* Hungaria *nullus, excepto Rege, monetam vel telonium habere audet.*
47. Res numaria *quò anguſtior eſt, eò melior moneta fabricatur, merceſq; minoris veneunt.*
48. *Antehac non auditum, quòd de hoc* Regali *unquam ſit merx facta.*
49. Ἀταξία *monetarum unde?*
50. *Tempore* Sigiſmundi Imp. *initiò Officina monetaria Florentiæ fuit.*
51. Florenus *unde dictus?*
52. *Omnes* contractus *olim ad florenos directi.*
53. *Moneta majori ex parte Francofurti & Nordlingæ propter nundinas excuſa.*
54. Jus monetæ *Comiti Weinsbergico, deinde Comiti Stolbergico conceſſum.*
55. Multitudo officinarum *cauſa eſt depravationis monetarum.*
56. Metallorum *confuſio Reip. periculoſiſſima.*
57. *In ſingulis* Imperii Circulis *plures quàm tres vel quatuor officinæ eſſe non debent.*
58. Fodinas *habentibus peculiares officinas habere, & tantùm ex auro & argento, quod ex fodinis ſuis conſequuntur, monetam cudere licet.*
59. Ruffinus Sylla *ob repertum in ſua domo argentum non bonum, cum omnibus ſuis, Senatu motus eſt.*
60. Antonius Caracalla *pro auro æs inauratum, pro argento argentatum dedit.*
61. Monetæ imminutio *non eſt legitimum Ærarii collocupletandi medium.*
62. *Quod jure naturæ illicitum eſt, ne* Princeps *qiudem facere poteſt.*
63. Rex Arragoniæ *ab Innocentio IV. reprehenſus, quòd monetam patris diminutam conſervare juraſſet.*
64. Diminutio monetæ *Principi fugienda, velut morbus & tabes.*
65. *Quid* Principi *in pecuniarum minutarum abundantiâ faciendum, & ut damnum evitet?*

66. *Ex*

66. *Ex* intermiſſione Conventuum Probatoriorum *magnum malum rei monetariæ naſcitur.*

67. *In* excambiatores & exportatores *monetarum diligenter inquirendum, præſertim in nundinis & teloniis.*

68. *Quâ* Pœnâ *hujus criminis rei plectendi?*

69. Palatinus Septemvir *magnam monetæ vetitæ ſummam ab Inſtitoribus Italis aufert.*

70. Edicto *publico cavendum, ne monetarii integros Taleros, Florenos, aut Groſſos ad officinam monetariam deſtinent, neve numos minores amplius cudant.*

71. Minuſcula moneta *quare cudatur?*

72. Granalliæ, *concoctiones, conflationes, aliæque ſimiles impoſturæ, ſeverè prohibendæ, transgreſſoresq; puniendi.*

73. Ærarii *augendi ratio.*

74. Quæſtio *de monetæ mutatione magna & difficilis eſt.*

75. Spes concordiæ *ſuper hac quæſtione nulla eſt, niſi S. Cæſ. Majeſtas, cum Statibus Imperii litem hanc dirimat.*

76. Æſtimatione *non adjectâ, contractûs tempus in ſolutione attendendum eſt, & quomodo.*

77. Solutio *facienda, ut Creditori nihil quicquam abſit.*

78. Mutuum *reddi debet eâdem quantitate & bonitate, quâ datum eſt, etiamſi, non dicatur.*

79. *Quando non idem in eâdem* bonitate *reſtituatur?*

80. Mutuum *in dominium debitoris, & ad ejusdem commodum & incommodum tranſit.*

81. *In* Contractibus *veriſimilis contrahentium voluntas magis inſpicitur, quàm apices verborum.*

82. *In* ambiguis *ſemper, quod veriſimile eſt, ſequendum.*

83. *In* voluntate contrahentium *interpretandâ, primas obtinet veriſimilitudo.*

84. *Qui* veriſimile *pro ſe habet, caſum legis pro ſe habere dicitur.*

85. *In omni re* veriſimilitudo *ſpectanda & pro lege habetur, eſt cognata naturæ.*

86. *Arguens à* veriſimili, *arguit à ratione naturali.*

87. Judex *non debet judicare contra veriſimile.*

88. Res *unaquæq; in obligationem eatenus deducta cenſetur, quatenus tum fuit, cùm contrahebatur.*

89. Contrahentes *ad numi valorem potiùs tempore contracti debiti currentem, quàm corpus ſeu maſſam reſpexiſſe videntur.*

90. Pecuniæ *vis & ſubſtantia, potiſſimùm eſt in quantitate, ſeu valore impoſito.*

91. Cauſa finalis *contractûs mutui.*

92. Numi *rebus incorporalibus annumerantur, quia in quantitate conſiſtunt, non in corporibus.*

93. *Omnis* obligatio *intelligitur rebus ſic ſtantibus.*

94. Promiſſor *in mutuo ſolvendo non vult ſe in plus obligare, quàm mutuo accepit.*

95. Suum *jactare nemo præſumitur.*

96. Obligatio *de taleris exſolvendis hunc recipit intellectum, ſi res in priori ſtatu manſerit.*

97. Variatâ æſtimatione *pecuniæ, quomodo Debitori ſuccurrendum.*

98. Præſtatio uſurarum *onus per ſe grave eſt, & debitorem ſublevare debet.*

99. Creditori *pecuniam reſtitui eo valore, quo tempore contractûs communiter expendi potuit, æquum eſt, ab æquitate & Chriſtiana charitate minùs adhorret.*

100. Moneta *ſi poſt moram debitoris varietur, & creſcat, tenetur ſolvere ſecundùm æſtimationem ſummi valoris à tempore moræ.*

101. Mora *debitoris creditori non debet nocere.*

102. Numerus & corpora numorum *ſi in obligatione ſint, totidem quoque corpora reſtituenda veniunt.*

103. *In* pactis, *quæ dependent ex voluntate paciſcentium, attenditur voluntas.*

104. Nihil *ita fidei humanæ congruit, quàm ea, quæ placuerunt cuſtodiri.*

105. Voluntates *contrahentium evidenter ſervandæ ſunt, quamvis durum ſit.*

106. Tempus obligationis *ut ſpectetur, fit propter favorem debitoris.*

107. Debitor *pactionibus poteſt efficere, ne valoris extrinſeci numorum aucti vel minuti ratio habeatur.*

108. Quilibet *favori pro ſe introducto renunciare poteſt.*

109. *Quid juris, ſi numi valor in obligatione ſit æſtimatus?*

110. *In* mutuo *idem quod in dote obtinet.*

111. Æſtimatio *appoſita ſemper emptionem & venditionem redolet, donec contrarium probetur*

112. Debitor *ſolummodò tenetur eam æſtimationem ſolvere, non rem æſtimatam.*

113. Æſtimatio *monetæ multum prodeſt.*

114. Decretum *ſupremi Parlamenti Saxonici.*

> Ad certum tempus pretium quandoque monetæ
> Aſtrum conſuetū, Fiſco compendia quædam
> Præſtat, ubi tamen inſtituuntur jure Tetrarchæ;
> Æruſcatores etenim trepidare jubemus.

REi numariæ malum, cujus principiis obviam iri ſine negotio potuiſſet, indies crevit, nec vulgaris quidem juſtitia ſedem ampliùs apud Germanos retinuit, *imperali numo, per Æruſcatorum nequitiam, ad XVI. florenorum æſtimationem elevato:* (1) Quinimò hoc malum exhauſtis Subditorum loculis, ſenſim & quaſi ſine ſenſu ærariorum publicorum clauſtra, quo ſudores pauperum ferè confluunt omnes, perrupit, & cum fluctibus velut decumanis, extremam annonæ caritatem, per omnes commerciorũ ordines invexit, multasq; & inextrciabiles lites peperit. Quod vulgò ſoli libidini, avaritiæque negotiantium accepto ferunt, qui omnis generis monetæ æſtimatione exaggeratâ pecuniæ pretium intendunt, novoque genere fœnoris auctitant. Pruckm. *conſ. 12. n. 1. vol. 2.* Cothm. *conſ. 36. n. 8. vol. 1.* Crantz. *libr. 2. Vandal. cap. 26.*

Mihi verò compertum eſt, non tantùm Mercatores, ſed & alios Alaſtores, & larvarum ingentium ſeu ſimulacrorum inanium Præſides, excuſſâ omni pietate, hoc turbido rerum ſtatu licentiùs peccare, & majore præmio, minore metu Jus Regale monetæ (quod extra commercium eſſe debet,

Reichs

Reichs Abſchied de Anno MDLXX. §. alsdann auch) contra divinum humanumque
jus proſtituere, inque officinis monetariis,
rapinas & ſcelerum reliqua exercere; Sic, ut
numulos ad quemvis ferè habitum avolare,
& numiſmata vix aliud, quàm nudas Prin-
cipum imagines repræſentare videas. Inte-
reà nemo queritur, quia privatim (ſcil.) nul-
5 la jactura fit; & quibus numi ſunt, creſcere
videntur: Cùm tamen in eximiæ & paratæ
6 utilitatis ſpecie fraus multiplex lateat; & in
contrarium cadant, quæ callidè excogitata
in ſalutem videbantur. O improvidas ho-
minum mentes & cœcas! O infauſtum
monetæ inventum! O infauſtius adultera-
7 tæ monetæ ſimulachrum! O tabem Syba-
riticâ calamitate peſtilentiorem! O MONE-
TA! Fruſtra *Veteres te Deam eſſe dixêre*, (2)
dolo in commiſſis pecuniis puniendo Quin
8 ſi Dea es, MONETA, monendo, minandoq;
profice & perfice, quæ tui muneris ſunt;
Quin contra Æruſcatores, KIPPEROS, fal-
ſosque & infames Monetarios omnesque
pecuniarum depravatores (ultimum Sata-
næ excrementum) qui tuum tuo ipſius gla-
dio jugulum petunt, qui vitam, ſpiritumq;
tibi adimunt, qui PRINCIPUM reditus extenu-
iores ad motus populares, odiumque Ma-
giſtratus accendunt, egenis victum ami-
ctumque ſubtrahunt; fortiter inſurge, gla-
9 dium ultorem ſtringe, ſeca, neca, ure & ad
internecionem dele.

Confluunt huc omnes Provinciales ingemiſcentes, & populi, & agricolæ, Æruſcatorum Monetariorumque fraudes, verſuras, impoſturas, furta, injurias, rapinas & injuſtitias meritò accuſantes. Næ illi, quantum hinc in communibus negotiis novitatis & confuſionis, quantum item detrimenti, quod cùm ad omnes, tum præcipuè ad pauperiores, potiùsque auxilio & defenſione indigentes delabitur, exiſtat, intelligere nolunt. Certè Mercatorum vulgus, quique alioqui manibus victum quæritant, & demum univerſa ruſticorum natio, dum adulteratâ & depravatâ pecuniâ, res neceſſarias ſibi parare non poſſunt, in perquam anguſtas adiguntur anguſtias. Confer. *Novell. 8. in præfat. & Nov. Leonis 52.*

Una eſt cauſa mali tanti, & diſcriminis hujus;
Conciſum argentum in titulos, faſcesq; minutos.

Juvenal. *Satyr.* 14.

Omninò una hæc eſt omnium occaſio malorum, & totius nequitiæ principium ac terminus; Ex qua civitatum ſeditiones & publicæ turbæ propullulant, magnis bellorum diſſenſionumque civilium motibus anſam præbituræ. En; Aulicis iſtis Alaſtoribus numarias S. Imperii Sanctiones tot impendiis & laboribus pro Reipublic. ſalute ac utilitate confectas, ſusq; deque habentibus confeſtim accurrunt, & tanquam ex equo Trojano, catervatim proſiliunt homines *rotâ figulari verſutiores*, reliquis quæſtuariis artibus intenti, qui à quovis pecuniam æruſcant & emungunt, ut ne *Epidicus quidem Plautinus* (4) cum hoc furaciſſimo hominum genere ſit comparandus. Quis enim
ſine periculo non furetur, ſine reatu, ad ad-
miniſtratores & ejusmodi vitiorum fauto-
res & fotores reſpiciens? quorum anima- 10
bus avaritia, omnium mater malorum, in-
hæret: Illos namque videns Edicta monetaria dentibus lacerare, digitis diſcerpere, pedibus calcare, Juraque & Statum Imperii publicum ſtirpitus convellere, ad graviora facinora & quævis ſcelera animum intendit, quidlibet impunè audendi poteſtatem conceſſam eſſe ſibi abblandiens. Quid verò inde ſperandum aliud, quàm omnium rerum Caritas, proculdubio, non minor, quàm quantum fuerit detractum de pecuniæ bonitate? neque enim pluris pecuniam homines faciunt, quàm pro metalli qualitate & modo; non, ſi ſeveris legibus contrà caveatur; non, ſi novâ lege merces taxentur.

Ex mercium & annonæ caritate novum
incommodum promanat. Commercium
quo majori ex parte publicæ & privatæ opes 11
conſiſtunt, monetâ impeditur. Inſtitores & emptores terret pecuniæ vilitas, terret ſuborta ex eo malo caritas, ſubmoto commercio omnium malorum Ilias (ut ajunt) impendere iſti genti quaſi ſaxum Tantalo videtur. Provincialium opes ceſſante quæſtu ex commerciis & artificiis alioquin redundante, exanimari neceſſum erit. Exinanitis Provincialibus publicorum redituum mirabilis & miſerabilis exiſtit calamitas; dum ſubditi ob inopiam non inferunt Fiſco tributa, quæ ſoliti rebus integris erant. Magna hæc incommoda quis non videat? quis
non fateatur? Majus tamen omnibus eſt o-
dium, quo populus egeſtate fremens Ma- 12
giſtratum perſequitur. Exemplis doceatur, ſed confertim, MONETARII *ſub Aureliano Imp.* (5) adulterarunt monetam, ſuoq; præfecto Feliciſſimo interfecto, inteſtinum bellum concitatum eſt.

Cùm tempore PHILIPPI PULCHRI Galliæ 13
Regis Anno MCCC. propter duas incurſiones Anglorum & Flandrenſium, & ingentes clades Regno illatas, deteriorata fuiſſet intrinſecus pecunia, tandem poſt multas populi querelas, inſignis Plebis Pariſienſis motus exarſit Anno MCCCVI. *in Stephanum Barbedum*, (6) cujus delicioſos hortos & domum populus furens diripuit, quòd is prædives cæteris divitibus ſcelerato invento & exemplo ſuo author fuiſſet, ut à pauperibus, quibus domos, officinas, ergaſteria locaverant, penſionem exigerent in veteri fortiori moneta, vel ad ejus æſtimationem intrinſecam.

cam. Idem Rex ſub mortem non aliâ de cauſâ, quàm ob depravatam monetam, odium populi ſe ſuſtinere liberè profeſſus, filio Ludovico Hutino, ut mutaret, *poſtremis verbis mandavit.* (7) Quid Hutinus fecerit, non invenio. Illud conſtat; motus populares non antè conquieviſſe, quàm *Mariocus Engeranus* (8) tetri conſili auctor publicè eſt vindicatus, Nobilitate pleraque inſtigante; univerſo plaudente populo. Quid? quòd æruſcatio monetæ etiam apud Turcas invaluit? A. enim MDCXXIII. quo Amurathes IV. frater Oſmani ſucceſſit Muſtaphæ Imperium reſignanti, omnium rerum caritas adeò crevit, ut Conſtantinopolis ingenti fame laboraret. Quod facinus Primo-Vizirio Muphtio, cujus curâ Amurathes ad Imperium pervenerat, imputatum. Iſte enim ſeptem menſium ſpatio, quibus Ærario præfuit, ſeptem quas vocant Ducatorum tonnas corraſit, atque à rei monetariæ præfecto, qui monetæ bonitatem perfidè depravarat, indies aſprorum centum millia accepit; quæ tamen omnia Sultanus abſtulit, Vizirumque vitâ ſimul ac divitiis ſpoliavit, Chriſtophor. Beſold *hiſtor. Conſtantinop. part. 2. fol. 1357.* Et dixi ſuprà *hoc tr. l. 1. c. 5. n. 7.* (9) Eodem ferè anno nec vulgaris quidem juſtitia ſedem ampliùs apud Teutones retinuit; *Imperiali numo* (10) per æruſcatorum nequitiam, ad XVI. florenorum æſtimationem elevato.

Sed neque ſufficimus conſiderare & exponere, quanta ex veterno æruſcationis & nequiſſimis nefariorum iſtorum hominum machinationibus, non uno impetu Rempubl. inundantibus, ſed paulatim invaleſcentibus & vires majores acquirentibus, indies magis magiſque emergant mala, quibus niſi oportunis remediis tempeſtivè ſuccurratur, verendum eſt.

Ut collapſa ruant ſubductis tecta columnis.

14 Scitum eſt veterum Elogium:

Bey der Müntz ſoll man lehren/
Wie ſich die Welt thut verkehren:
Wann man wird ſchlagen Geld aus Geld/
Wird es nicht wol ſtehen in der Welt.

Et ſanè judicârunt ab omni ævo prudentiſ-
15 ſimi quique viri, magnarum mutationum
in Rebuspubl. præſagium eſſe, inſolitam
monetæ depravationem & augmentatio-
nem: præſertim, cùm numus ſit menſura
commutandarum rerum; & *hanc ob cau-*
16 *ſam inventus,* (11) ut locorum diſtantiæ,
17 temporum diſſimilitudini, rerum quantita-
18 ti, hominum indigentiæ ſuccurrat, Ariſt. 1.
Polit. c. 6. Mutatâ autem vel turbatâ rerum
menſurâ omnia reliqua mutari & turbari
19 neceſſe eſt. Ita fiunt incerta pretia cenſu-
um & poſſeſſionum, quæ creſcunt creſcen-
te monetâ, perinde ut pro imminutione numiſmatis, omnium quoque pretia ſpecierum decreſcunt, tex. *expreſſ. in lib. 2. C. de vet. numiſm. poteſt.* quam ita poſt alios declarat Molin. *tr. de uſur. q. 93. n. 716. verſic. minùs valet tertia &c.* Quod etiam aſſerit Imp. Maximilian. in Receſſu A. 1570. §. weil denn nunmehr *in fin.* Dn. Arniſ. *de jure Maj. p. 2. c. n. 2.*

Fiunt quoque incerta pacta, conventa, o- 20
mneſque contractus, & commutationes
corrumpuntur, adulteratione monetæ mihi
firmiſſima quæque, inquit Bod. *lib. 6. de Re-*
pub. c. 3. pr. Rerumpubl. munimenta con-
templanti, rei numariæ curatio non tantùm
utilis, ſed etiam Civitatibus tantopere ne- 21
ceſſaria videtur, ut ſine ea commodè conſiſtere non poſſint: & quò major neceſſitas eſt, eò magis numorum depravationi proſpiciendum: cùm ea res incredibile afferat univerſis ac ſingulis detrimentū. At nō modò corrumpi moneta, ſed ne mutari quidem poteſt ſine incommodo civitatis; quoniam mutatio pretii ac materiæ numiſmatum, cenſus etiam ab bonorum cujuſque dubitationem affert. Quo fit, ut nemo, quantum in bonis habeat, conſtituere poſſit; incerta ſunt pacta conventa, quæ verſantur in ſocietatibus, tutelis, fiduciis, mandatis, rebus emptis, venditis, conductis, locatis, quibus vitæ ſocietas continetur; incerti reditus, vectigalia, tributa; denique pœnæ ipſæ ac præmia, quæ à legibus & judicibus irrogantur, incerta ſunt futura: poſtremò ærarii opes, ac multa tum in publicis, tum in privatis rebus rationibuſque dubia ac ſuſpenſa fore neceſſe eſt. *Et paulò pòſt*:
Ex quo intelligitur numis à Principe ipſo le-
ge & authoritate publicâ corruptis, quanta 22
pernicies ad Rempubl. perventura ſit. Quamquam Principi non magis licet improba numiſmata cudere, quàm occidere, quàm graſſari: nec à Jure gentium, quo quidem auri & argenti pretium conſtitutum eſt, diſcedere; niſi Regis nomen ac ſplendorem amittere, ac falſæ monetæ fabricator, quàm Princeps appellari malit.

HuncBodini locum, quando preſſiùs mecum expendo, mirari ſoleo, quâ frontè nonnulli Politici ad ſupplendam inopiam publicam (quomodo ſæpiùſcule laboratur) Principibus ſuggerere audeant, ut de pondere aut bonitate monetæ aliquid demant, metallo adulterato priſtino valore retento:
Quam viam primitus Timothei, Dio-
nyſii Siracuſani, & Juſtiniani veſtigiis 23
calcatam fuiſſe memorant Theod. Zuinger. *in Theat. vitæ hum. lib. 3. c. 7. fol. mihi 1828.* Melch. Jun. *p. 2. q. polit. 74. fol. 164.* Bornit. *tract. de monet. lib. 6. c. 6. & ſeqq.* quâ inſiſtentes etiam alios magnos ab omni memoriâ Principes è ſupremis anguſtiis feliciter emerſiſſe, operosè & graviter demonſtrat Joan. Mariana *lib. 3. de Inſtit. Reg. c. 8. pr.* Sic Hippias numum, qui tunc Athenis uſurpabatur, improbū eſſe juſſit, & pretio conſtituto

ſtituto ad ſe pecuniam omnem deferre imperavit. Cumq; convenirent, qui alio ſigno cudere vellent, idem illud argentum elocavit, *Ariſtot. 2. Oecon.* Leucon pecuniis indigens; Hippiam in pecunia mutanda eſt imitatus ſed cautiùs. Nam promulgavit (ut ait Polynæus *6. Stratag.*) ſe aliam monetam percuſſurum, & ita afferret quilibet ſuos numos, ut aliâ formâ excuſi valerent. Quibus omne, quicquid haberent, ferentibus; illud ſignum impreſſit, duplicique pretio unumquemque numum valere juſſit: quare dimidiam partem eorum, quæ collegerat, lucratus eſt, & neminem civium damno affecit. Dionyſius è ſtanno numum conflavit, Ariſtot. 2. *Oecon.* Romani Punico bello, cùm impenſis Reſpublica non ſufficeret, libræ æris pondere imminuto, quinque partes lucrifecêre, æsque alienum diſſolvêre. Poſtea Annibale urgente, & Q. Fabio Maximo dictatore, pondus iterum imminuit, & dimidium lucrata eſt Reſpublica, Plin. *l. 33. c. 3.* Hæc turpiſſima non niſi extremâ Neceſſitate urgente, excuſantur, Ariſtot. 2. *Oecon.*

24 Sed non omnia, quæ à majoribus facta
25 ſunt, carent vitio. Neque enim Principi, ſine extremâ Neceſſitate, monetam vertere & pervertere licet. Gregor. Tholoſan. *lib. 9. de Republ. c. 1. num. 31.* Idque æquè minùs, ac graſſari & occidere; Bodin. *d. c. 3. p. 1064.*
26 Quapropter concludo cum eodem Marianâ *fol. 273.* Omnia remedia tentanda priùs eſſe, quàm ad hoc extremum confugiatur, ut pecunia adulteretur.

Verùm ſi ſumma neceſſitas immineat,
27 & publica ſalus veniat in periculum; Princeps metalla miſcere, & partem de ponde-
28 re decerpere poterit; Eâ tamen æquitatis lege, ut mutatis in priſtina temporibus diſpendia Subditorum à Principe & Republ. ſarciantur, Afflict. *in c. quanto. verb. mone-*
29 *tam de jurejur.* qui Gehennæ periculum & damnationis pœnam in eo, niſi fiat, Principibus conſtitutam eſſe exclamat, Sixtin. *l. 2. de Regal. c. 7. n. 76.* Georg. de Cabedo *part. 2. deciſ. 45. n. 8.* Et *n. 4.* ait, Principes, qui cogunt
30 cudere reprobatam, peccare mortaliter, & quaſi auferentes alienum teneri ad reſtitutionem, Born. *l. 1. de monet. c. 14. ubi ait*, urgentis neceſſitatis causâ, ſi quando numi fiant ad
31 tempus æſtimabiles in defectum auri & argenti, ex ferro, plumbo, ſtanno, aurichalco,
32 papyro, corio, &c. confecti, eſſe hos non propriè, ſed fictè numos, ceſſante causâ neceſſitatis cum veris permutandos.

Ita Fridericum II. (12) prædicant an-
33 nales, reddidiſſe auream Monetam, cùm coriaciam in anguſtiis Expeditionis Italicæ antè cudi curaſſet, per memorab. Paralip. ſub A. 1240. Ita quoque Galli à Venetis & Sfortianis Novariæ obſeſſi, cùm ſummâ pecuniæ inopiâ laborarent, æreos denarios pro argenteis à Duce ſuo acceperunt, datâ fide, totidem argenteos perfecto bello accepturos, Paul. Jovius *l. 3. Hiſt.* Petr. Bembus *l. 2. Hiſt. Venet.*

Extra hunc caſum nec divino, nec humano jure Princip. permiſſum eſt, lucrum 34
vel commodū in hoc Regali captare: Et qui ſecus faciunt & pro libitu, inconſulto populo, monetā adulterant, novum tributi genus in effectu imponunt, quo Subditorū facultatibus aliquid detrahunt, unde merciū omnium & annonæ caritatem, cum Provincialium ſuſpiriis conſequi, ſuprà probavimus.

Aurum argento pari pondere mutare, argentum ferro quis concedat? Quid verò, ſi pro aureâ argenteam, majori ex parte, pro argentea æream, ſubrogare quis præſumpſerit? quod fit, quoties adulteratur pecunia. Turpius longè Principes, bellorum, & luxûs 35
inſaniâ exhauſti, jus numos cudendi, emptionis vel locationis titulo, ad privatos transferunt, contra pragmaticam Imperii ſanctionem, quâ diſertè cautum: *Ne quis cudendæ monetæ jus, alteri vendat,* (13) locet, cedat. Cùm inde deterioratio monetarum promanet. Reichs-Abſchied. de Anno 1559. §. Ferner als ſich ibi: Daraus nicht geringer Schad dem Gemeinen Nutz eine Zeitlang entſtanden / daß die Müntzen hiedurch in Abfall kommen. Néve cum monetariis pacta illici- 36
ta contrahat, ſuo quisque ſumptu pecuniam ſignet; Edicto in omnibus parent: contra facientes verò gratiâ Cæſareâ & jure monetæ illicò excidant. Conductores quoq; juris monetalis decem auri marcis mulctantor, 37
Dn. Denais *in jure Camer. tit. de Monetario Edicto n. 23. & ſeq.* Amicus noſter Dn. Goldaſt. *in Cathol. rei monet. tit. 12. fol. 57.*

At nemo hucusque (quod dolendum ait eſſe, in re tanti momenti, Sixtin. *d. loc. n. 69.*) comminationis toties repetitæ effectum vidit. Quo fit, ut collybiſtis & mercatoribus de numiſmate mercem faciendi, cum monetariis cauponandi, imò optimos aureos argenteosq; numos ad incudem conferendi, vel ex Imperio eliminandi, bipatentes januæ reſerantur. Quorum prædonum ſordes & impoſturas, Damhoud. *in prax. crim. cap. 65. num. 11.* perſtringit, quod nimirum Reipublicæ dignitatem, utilitatem, & Majeſtatem nihil penſi habeant, ſuccedat, floreat, an pereat; ſed ſuo unico quæſtuoſo compendio ſtudeant, modò ſibi proſint, per fas nefasque venantes in re certiſſimâ certiſſimum lucrum, ut pro optimis, monetas reddant peſſimas, &c.

Et ſi unquam certè hâc circumactâ jam præcipitantis ævi periodo, ejuſmodi furtivi monetæ corruptores, monetariiq; coërcendi, & Reſpublica ad priſtinum nitorem revocanda eſt. Etenim publico & privato 38
cum damno experimur, quòd monetarii conniventiâ Principum quotidiè magis ac magis detrahant, & de pondere & de pu-

ritate atque indicatura, vel numiſmata non modò vulgaria, verùm etiam Imperatoria, quantumvis id vetitum legibus, recudant, Heresbach. *cap. 16. de Reg. Chriſt. adminiſtrat. fol. 294.*

Egit tam altè radices hoc malum, ut
39 Pharmaca vix accerſi poſſint, quibus eradicetur; quantumvis juxta præſcriptum Ord. Imp. quotannis bini indicantur dies, quibus curæ monetariæ rei diligentiſſima ratio inſtituatur. Eò namque progreſſa eſt licentia, crevitque in tantum Sanctionum Imperialium contemptus, ut niſi maturis conſiliis Principum, aliorumq; Statuum intolerabilis avaritia, atque impoſtura Trapezitarum, numulariorum, monetariorumq; refrænetur, actum penè de Repub. & nullus commerciorum juri ampliùs ſit locus.

40 Neſcio quo fato fiat, ut ſalutaria inſtituta & bonæ leges plerumque irritæ, aut ſine fructu evaneſcant: prava exempla etiam ſerpant in ſequentis ævi perniciem. Ro-
41 mani unam tantùm officinam habuerunt monetalem Junonis in templo, & nullius ferè rei tantam curam & ſolertiam habuerunt, quàm rei monetariæ probè ad poſteritatem transferendæ. Freher. *lib. 1. de re mo-*
42 *net. cap. 1.* M. Mario Prætori, eò, quòd Edictum de re numaria conſtituendâ pro roſtris affixerat, omnibus vicis Statuæ factæ fuerunt, & ad eas thus & cerei accenſi, nec quisquam multitudini carior extitit.
43 Cicer. *lib. 3. de Offic.* CAROLUM Magnum quoque hæc res impulit, ut omnes monetarum officinas vellet in Palatio ſuo, quo accuratiùs numi & cuderentur & probarentur, habere. Bodin. *d. lib. 6. cap 3.* Sixtin. *d. lib. 2. de Regalib. cap. 7.* Dn. Goldaſt. *tom. 3. Conſtitut. Imperial. part. 157.* Rex iti-
44 dem Angliæ jus cudendæ monetæ ita ſibi proprium habet, ut eam alibi, quam in turri Londinenſi inſigniri non patiatur. Arniſæ. *2. de jure Majeſt. cap. 7. num. 4.* Sicut nec
45 Turcæ jus illud cuiquam concedunt, *teſte Bonfinio.* Et de Hungarorum Politiâ Otto Friſingenſis; Nullus, *inquit*, in tam ſpatio-
46 ſo ambitu, Rege excepto, monetam vel telonium habere audet. Unde Guntherus *lib. 3. Frid. I.*

Rege figuratam Regis patet eſſe monetam
Cæſaris, & Domino ſub Cæſare fulget imago.

Et hoc eſt, quod innuitur in deß Frän-
47 ckiſchen Craiß Müntzbedencken/ *quod nondum publici juris factum*: (14) quapropter ejusdem verba formalia hîc ſubjicere placuit: Auß den Hiſtorien und Reichs-Handlungen befindet ſich / daß die alten Imperatores und deß Müntz-Weſens Erfahrne jedesmal dahin geſehen / durchaus und jeder Zeit der Meinung geweſen / je enger das Müntz-Weſen eingezogen / je geheimer und einfältiger man mit ſolchem Werck umgangen / je beſſere Müntz man gebraucht und gemacht / alle Wahren und Victualien / ſo man zur Leibs-Nohtdurfft haben müſſen / in beſſerm und leidentlicherm Wehrt erkaufft und gegeben / wie auch vor Alters und noch vor wenig Jahren / unerhört / daß man mit der Müntz / und einem ſo hohen Regal / ſolle Handthierung treiben: Aber / wie ſolchem / ſo iſt dieſe und andere Unordnung / diß Ubel und Verbrechen allein dannenhero verurſacht / daß man mit der Begnadung und Conceſſion deß Müntzſchlags zu mild geweſen. Id eſt: Ex annalibus & actis Imperii liquet, priſcos Imperatores & rei numariæ peritiſſimos quoque id ſemper ſpectâſſe & ita omninò cenſuiſſe, quò anguſtioribus incluſa eſſet res numaria cancellis, & quò occultiùs & ſimpliciùs tractata, eò meliorem monetam fuiſſe fabrefactam & uſualem, omnesque merces & quidquid ſibi corporis alimonia, vendicarit, minoris veniſſe.

Neque antiquitus, ut nec paucis ab hinc
annis auditum, quòd de Regali tanto un- 48
quam ſit aut uſpiam merx facta. Sed quicquid ejus ſit, ſanè ἀταξία iſthæc, hoc malum
exceſſus, atque temeritas ex promiſcuâ & ad 49
prodigium usque profuſâ cudendæ monetæ libertate ac conceſſionibus manavit. Et paulò pòſt:

Noch bey Käiſers Sigismundi Zeiten iſt
Anfangs die Müntz zu Florentz geweſen / die 50
Sorten im Gepreg eine Blume gehabt / dannenhero der Floren ſeinen Namen bekommen /
alle Contracte vor Jahren in Kauffen und 51
Verkauffen auf Floren gericht / inmaſſen Käiſer Sigismund / als damals Römiſcher Kö-
nig / Ihrer Majeſtät und deß Reichs Camme- 52
rern in Teutſchen Landen gehabt / Ihre Ma- 53
jeſtät wie auch deroſelben Vorfahren / Römiſche Käiſer und Könige / Ihre gülden und ſilberne Müntz / allermeiſt zu Franckfurt und Nördlingen / wegen der Jahrmärckt und Meſſen laſſen ſchlagen / darunter inſonderheit auf gemeinen Nutz / um Beſten willens der Handthierung und Kauffleut / geſehen worden. Und als Ihre Majeſtät ſolche Cammermüntz wieder zu ſich genommen / darauf Graff Conrad Herr zu Weinsberg ꝛc. damals Ihrer Majeſtät und deß Reichs Erb-Cammerern Anno 1431. zu Nürnberg übergeben und verliehen / welche Belehnung und Müntz-Freyheit / nachfolgends an Graff Ludwigen zu Stolberg / Königſtein und Rutſchefort kommen / hoc eſt:

Tempore adhuc Sigismundi Imperatoris monetæ officina Florentiæ fuit & numiſmatibus floris character impreſſus, indeque floreni nomen traxerunt, ac contractus omnes in emptionibus & venditionibus ſuperiori memoriâ directi ad florenos fuêre. Quomodo idem Imperator Sigismundus tum temporis Rex Romanorum, cùm Cæſarea ejus Majeſtas Imperii Camerarium in Germaniâ haberet, ſicut & majores

res illius, Imper. & Reges Romani, aurea ſua & argentea numiſmata Francofurti & Nordlingæ potiſſimm propter nundinas cudi voluerunt, eoque ſalutem ferè publicam in Commerciorum vigore conſiſtentem attenderunt. Poſtquam verò Cæſarea ejus Majeſtas monetalem iſtam Cameræ officinam ad ſe recepit, Conrado Comiti Weinsbergico, Cæſareæ Majeſtatis & Imperii iſto temporis Camerario Anno MCCCCXXXI. monetæ cudendæ libertatem Norimbergæ conceſſit, quæ deinde ad Ludovicum Comitem Stolbergicum in Kônigſtein, Roetſchefort (*qui trium Imperatorum Caroli, Ferdinandi, & Maximiliani II. ab intimis conſiliis fuit & Orator inſignis, cujus illi operâ & conſilio in multis legationibus & negotiis feliciter uſi ſunt*) devoluta fuit, eoque collimant Status Rhenani Circuli im Müntzbedencken de dato Bacharach 14. Julii Anno 1607. Daß nemlich/ eine Zeit hero mit dem Regal deß Müntzens offentliche Handthierung getrieben/ und den Herrſchafften durch eigennützige und geldgeitzige Leut eingebildet worden / ob ſolte dadurch Gewinn und Vortheil zu erlangen ſeyn / da gerad im Gegenſpiel Herren und Unterthanen und derſelben Einkommen und Vermögen hierdurch verzehret/ und alles alſo vertheuret und in Auffſchlag getrieben worden / daß mehrertheils Herrſchafften bey ihren Rentereyen und Cammergefällen weniger nicht / als deroſelben arme Unterthanen und jedermänniglich nunmehr vermercken können / was man für Nutzen damit geſchafft/ und ins künfftig/ wo der Sachen nicht in der Zeit ſolte vorgebauet werden/ vor Beſchwerung dahero zu gewarten haben.

Id eſt. Quòd regale hoc cudendæ monetæ publicæ negotiationi aliquamdiu inſerviit, & Principes Proceresque Imperii à quæſtuoſis quibusdam, aurique ſitientiſſimis perſuaſi fuerant, lucri ac quæſtûs non parum inde exſpectandum eſſe, quum interim è diametro & dominorum & ſubditorum reditus atque facultates propemodum exhauſtæ ſint, & tanta nedum annonæ, ſed omnium omninò rerum caritas invecta, ut non minùs Principum æraria pleraque quàm paupercula ac ſubmoleſta ſubditorum conditio arguant, & quivis facilè ſuboleat, quanta per lucelli iſtius & quæſticuli aucupium acceſſerit, rei tam publicæ quàm privatæ utilitas, & nî tempeſtivè remedium adhibeatur, quantæ difficultates & anguſtiæ, quanta procella & intemperies deinceps impendeat.

55 Cùmque ex nimiâ multitudine officinarum abuſus hujus Regalis & depravatio monetarum proveniat, Bodin. *d. lib. 6. c. 3.* & ob ejusmodi multitudinem officinarum der Häcken-Müntzen/ confuſio metallorum,
56 quæ Reipubl. periculoſiſſima eſt, eò magis metuenda ſit, placuit, ne in ſingulis Imperii Circulis plures quàm tres vel quatuor communes & publicæ officinæ ſint, in qui- 57
bus moneta cudatur, nec iis, qui hoc Regale 58
habent, ullas alias peculiares officinas habere liceat, exceptis iis, quos fodinas etiam habere conſtat, *d.* Reichs-Abſchied. de Anno 1570. §. Und dieweil man. Et de Anno 1576. §. Wiewol auch. Item de Anno 1594. §. Wir ordnen/ wollen und gebieten rc. Verſic. Es ſoll kein Stand.

Atque jam dicta prærogativa eorum, qui fodinas habent, ita reſtringitur Imperiali Conſtitutione Anni 1571. §. Und dieweil rc. ut iis permittatur tantùm ex eo auro & argento, quod ex fodinis ſuis conſequuntur, in peculiaribus officinis monetam cudere; aliud autem ad deſtinatas fabricas peræquè teneantur transmittere.

O ſalutaria & nusquam ſatis laudanda majorum inſtituta, quæ, proh dolor! noſtra ætas parùm attendit; quippe quùm ultra ſolitum & fas, Circulos & Territoria paſſim officinis & viliſſimis corruptiſſimisque monetis replere, & (ſi cum Prudentio exclamare liceat.)

— *Juvat infarcire crumenis*
Turpe lucrum, & gravidos furtis diſtendere
Fiſco.

Rufinus (15) Sylla, cùm Conſul eſſet, re- 59
pertum eſt in ejus domo argentum non bonum (quod veteres ſtultum dixêre) ad libras decem: & quia lege vetitum erat, à Senatu cum omnibus ſuis remotus fuit. Sic 60
vitio datur Antonino Caracallæ Imper. *à Dione & Xiphilino*, (16) quòd pecuniâ adulterinâ uteretur pro argento auróve, plumbum argentatum, & æs inauratum parabat. Alia ſubticeo.

Ex prædictis manifeſtum fit, adulterationem & imminutionem monetæ non eſ- 61
ſe legitima Ærarii collocupletandi media. 62
Quod enim in alterius præjudicium vergit, & jure naturæ illicitum eſt, ne Princeps quidem facere poteſt, meritoque taxatur Rex Arragoniæ ab Innocentio IV. quòd irrequiſito conſenſu populi juraſſet, 63
monetam patris, quæ usque adeò diminuta fuerat, ut grave propter hoc ſcandalum in populo generaretur, conſervare, *c. quanto.* ubi Gl. & Dd. *de jurejur.* Propterea quoque 64
Leo Imp. *Nov. 25.* diminutionem monetæ velut morbum quendam ac tabem Principi fugiendam monet.

Si tamen Principes & Reſpubl. in tanta 65
minutarum pecuniarum abundantiâ, ratione ordinariorum tributorum, vectigalium, cenſuum, aliorumque redituum, damnum præcavere & potiùs lucrum ſentire velint; neceſſarium erit, ut ipſi monetam cudendam curent ſuis impenſis, eamque ad probam materiam, juſtumque pondus reducant; habitâque

deliberatione cum vicinis Circulis & Provinciis certam æſtimationis rationem ineant, & quotannis in hunc uſum Conventus Probatorios (ex quorum intermiſſione magnum malum rei monetariæ cauſ-
66 ſari, non obſcurè innuit Maximilianus Imp. in Receſſu de Anno 1570. §. Sintemal auch. Et Anno 1566. §. Wiewol denn auch.) indicant ſerioque in commune conſulant; quibus modis Majeſtas, quæ à cudendis numis haud minimum ſibi conciliat ſplendorem, reſtituatur, & reſtituta ſarta, tectaque conſervetur.

Proxima cura ſit, ut ex præſcripto
67 Sanctionum Imperialium in Excambiatores & Exportatores Monetarum, ne ſcilicet ullum aurum argentum vel extra Imperium Germanicæ Nationis efferant, diſtrahant, aut extraneam aliquam non probam monetam ex aliis Regionibus præſertim importent & expendant, di-
68 ligenter inquiratur à Magiſtratu in emporiis, teloniis, & tranſitibus locorum, auf den Jahrmärckten und Meſſen / in Städten und Zöllen zu Waſſer und Land / & obnoxii legibus capite vel confiſcationis bonorum pœnâ plectantur, Reichs-Abſchied de Annis 1518. §. Nun aber. 1524. §. Und ſo die beſtändige Münz 1551. §. Im Fall aber die Valvation. 1559. §. Nachdem auch etliche. 1579. §. Und zu fernerer. 1571. §. Aber damit. 1576. §. Doch dergeſtalt. 1594. §. Dieweil auch.

69 Hunc in modum Palatinus Septemvir Anno MDLXVIII. referente Thuano *l. 43. Hiſtor. tom. 2. p. 2.* cognito, commercii liberi ſpecie magnam monetæ vetitæ ſummam ab Inſtitoribus Italis per Germaniam ſecundo Rheno exportari, Manheimii, qui eſt locus Vectigali exigendo deſtinatus, navigium per ſuos XII. Kalend. Martii inhibet, & omnes merces in illud impoſitas, pecuniam item Heidelbergam transferri curat, ubi & ejus deſcriptio facta eſt; Et licet Genuenſes cum commendatitiis literis Sabaudiæ Ducis eadem repoſcerent, Palatinus contra Imperii Decretum Anno LXIX. de monetâ non exportandâ promulgatum urgebat, & pœnam defraudati vectigalis commiſſam arguebat, dimiſſis cum rei, uti geſta erat, teſtimonio publico Mercatoribus ac nautis. Sed contentio iſta Albani Ducis interventu tandem compoſita fuit, videlicet ut Genuenſes ſe culpâ minimè vacaſſe vel caruiſſe oſtenderent. *Hæc ille.*

Danda quoque opera erit, ut Edicto publico caveatur, ne Monetarii integros
70 Thaleros aut Florenos, groſſos, medios aut quadrantes ad officinam monetariam deſtinent; néve numos minores ampliùs cudant; quos ideò percuſos eſſe probat
71 Georg. Fabric. *lib. 7. Origin. Saxon. fol. 790.* ut in ſervitiis atque operis numerandâ mercede, item in comparandis rebus neceſſariis vilior moneta eſſet, & pretia rerum augeri minùs poſſent. Cui convenit, quod ex Molinæo *tr. de uſur. 99. num. 748.* refertur in Conſult. Saxon. *lib. 1. quæſt. 921. num. 28.* Minuſculam ſcilicet monetam non eſſe factam, ad commercia exercenda, & ſolvenda debita, ſed ſolùm ad commutandum majores numos vel ſupplendum, quod excurrit, quando nimirum aliquid addendum vel detrahendum eſt Summæ vel pretio.

Dein Granalliæ, concoctiones, conflationes & ſeparationes, aliæque ſimiles frau- 72
dulentæ pernicioſæque impoſturæ & adulterationes ſeverè interdicantur; & in transgreſſores (Wechsler / Granalierer / Verbrecher / und Vermünzer der guten / groben / ſilbern und güldenen Reichs-Sorten /) publicæ ſtatuatur vindictæ exemplum.

Denique expedita licet, non omninò
tuta Ærarii augendi ratio videtur; ut Res- 73
publica alieno ære obruta, incrementum talerorum imperialium, quod creſcente monetâ, ex depretiatis minutis numis contingit, in ſolutione pecuniæ detrahat, ærarioque addicat.

Quamvis enim quæſtio de monetæ
mutatione, quando ea contingit vel *in bo-* 74
nitate intrinſecâ & ligâ, (17) hoc eſt, in ipſa metallorum ſubſtantiâ ſive materia tam in puritate, quàm in magnitudine, ponderéque im Gehalt und Gewicht / oder an Schrot und Korn / vel in bonitate extrinſecâ ſeu valore publico impoſito, in der Werdierung / Wehrt / Gäng und Gabe / Æſtimation oder Valvation difficultatibus non vacet, ſed alta ſit, magna, & profunda, Joan. Fichard. *conſ. 28. n. 10. vol. 1.* Cothm. 1. *conſ. 36. n. 2.* valde perplexa atque dubia, Pruckman. 2. *conſ. 12. n. 26.* & in judiciis, curiis & ſubſelliis ſuperioribus ac inferioribus undique frequentata, menteſque Doctorũ hoc præſertim ſæculo, quod exorbitans monetæ corruptio, & ſuperveniens valoris extrinſeci augmentum inſtar diluvii inundat, jugiter & diverſimodè agitans, ut proinde ſpes conſonantiæ affulgeat prorſus nulla, niſi Sacra Cæſarea Majeſtas unà cum reliquis Pro-
ceribus & Statibus Imperii litigium hoc 75
pragmaticâ quâdam ſanctione dirimat;
attamen æſtimatione non adjectâ *contra-* 76
ctûs tempus in ſolutione omninò attendendum eſſe cenſeo, (18) eamque ſic expediendam, ut id, quod valori ſingulorum numorum & quantitati monetæ intra tempus ſolutionis acceſſit, detrahat, quod verò deceſſit, ſuppleat, atque ita valorem tempore naſcentis obligationis currentem & uſualem integrum præſtet, ne utroque caſu alteruter contrahentium plus aut minus, quàm datum acceptúmve ſit, reddat vel recipiat.

Et

77 Et hæc aſſertio cumprimis ex Juſtitiæ & æquitatis ſcatebra profluxit. Etenim ex natura obligationum recontrahendarum ſolutio facienda, ut Creditori nihil quicquam abſit, nec plus, quàm ei abeſt, conſequatur, *l. in perpetuum 61. ff. de ſolut.* Quam regulam immotam & panaceam dicit Andr.
78 Knichen. *de Privil. Saxon. verb. Ducum. c. 5. num. 378.* qui mutuum reddi debet eâdem quantitate & bonitate ejusdem generis, quâ datum eſt, *l. 3. in fin. ff. de reb. cred.* Zaſ. *lib. 2. Reſp. cap. 14.* Idque hac conventione
79 agi intelligitur, etiamſi non exprimatur verbis, ut æquè bonum nobis reddatur; Menoch. *3. præſumpt. 67.* Non autem tantundem, neque idem in eadem bonitate reſtituitur, ſi in caſu adaucti vel diminuti pretii tempus ſolutionis & præſentem monetæ curſum, non illum, qui tempore mutui fuit, ſpectemus.

80 Deinde cùm ex naturâ mutui pecunia mutuata in dominium debitoris transeat, *l. mutuum 2. §. 2. ff. de reb. cred. pr. Inſt. quib. mod. re contrah.* ſanè naturalis ratio ſuggerit, ad eundem quoque commodum & incommodum, incrementum & decrementum pertinere, *l. pignus 9. C. de pignor. act. cum ſimilib.*

81 Tertiò in contractibus juſtum eſt, veriſimilem contrahentium voluntatem magis inſpici, quàm apices, conceptionem & figuram verborum, text. *in l. 1. & l. fin. C.*
82 *quæ res pign. obl. l. 219. ff. de V. S.* Nam in ambiguis & obſcuris conventionibus ſemper, quod veriſimile eſt, ſequimur, *l. 9. l. 34. de R. J. l. ſi is cui 94 l. cum ex plurib. 97. ff. de ſolut.* Menoch. *conſ. 80. num. 36.* Achill. Pedroch. *Reſponſ. de interpret. & reſolut. con.*
83 *num. 593.* Burſat. *conſ. 176. num. 28.* Et quidem in voluntate contrahentium interpretandâ primas obtinet veriſimilitudo, Cravetta *conſ. 619. n. 7.* Hyppolit. Riminald. *conſ. 30. n. 43. in fin.* tantaque dicitur vis ejus,
84 quod veriſimile, ut caſum legis pro ſe habere dicatur, qui veriſimile pro ſe habet, Regner. Sixtin. 3. *Conſ. Marpurg. 7. n. 77.*
85 Et in omni materiâ veriſimilitudo ſpectanda, *l. ob carmen. 21. §. fin. ff. de teſtib.* Burſat. *conſ. 304. n. 32.* Sixtin. 2. *Conſ. Marpurg. 14. n. 11.* imò pro lege habetur Menoch. *conſil. 13. n. 13.* Burſat. *conſ. 304. num. 32. & conſil. 368. n. 38.* ſive contractus celebretur bonæ fidei, ſive ſtricti juris, Franc. Card. Mantica *de tac. & ambig. convent. lib. 3. tit. 1. n. 14.* Cùm veriſimilitudo ſit cognata natura Bald.
86 *conſ. 180. n. 3. vol. 3.* Menoch. *conſ. 113. n. 12. & conſ 210. n. 4.* & qui arguit veriſimili, arguit à ratione naturali. Vultej. *1. Conſ. Marpurg. 15. n. 153.* Unde Judex nunquam de-
87 bet judicare contra id, quod eſt veriſimile. Cravetta *conſil. 9. num. 35.* Roland. à Valle *conſil. 25. num. 15. volum. 4.* Burſat. *conſilio 368. num 40.*

Atqui res unaquæque ac conſequenter 88
etiam pecunia numerata in obligationem eatenus deducta cenſetur, quatenus tum fuit, quando contrahebatur obligatio, *l. 2. §. 1. de hæred. vel act. vendit. L. Rutilia 69. ff. de contrah. empt. l. non intelligitur 3. §. divi. 5. ff. de jur. fiſci. l. non omne. 144. §. unic. ff. de R. J.* Joan. Fichard. *conſ. 31. n. 1. l. 1.* eoque 89
contrahentes ad numi valorem potiùs tempore contracti debiti currentem, quàm corpus, ſeu maſſam reſpexiſſe videntur, præſertim cùm pecuniæ vis & ſubſtantia potiſſimùm ſit in quantitate, poteſtate, ἰσοδυναμία, 90
æſtimatione ſeu valore impoſito, adeò ut nihil quicquam ſit numus, niſi id quod publicè eſt & valet; ac quo æſtimatur, *l. 1. ff. de contrah. empt. l. ſi is cui 94. & ibi* Gothofred. *ff. de ſolut.* Id quod ex cauſa finali 91
contractûs mutui facilè colligitur, quippe qui mutuatur pecuniam, non eam ideo ſub annuis vel menſtruis uſuris accipit; ut illius ſingula corpora ad aliquot annorum cuſtodiam in arca ſeponat, & oculos ſaltem ſuos paſcat, ſed ut eam ſtatim expendat, atq; in uſus ſuos convertat.

Quandoquidem verò id abſque contemplatione valoris extrinſeci eo tempore currentis fieri nequit, hunc in ipſo contractu præcipuè ſpectari & in conſiderationem venire veriſimile eſt. Hinc etiam JCti numos negant eſſe corpus, & rebus incorpo- 92
ralibus annumerant, quia in quantitate conſiſtunt, non in corporibus, *l. quisquis 95. ff. de legat. 3. l. planè 34. §. 2. ff. de legat. 1. l. ſed etſi 10. ff. de acceptil.* Zanger. *de except. p. 3. c. 1. n. 78.* Gœd. *de reb. cred. c. 4. n. 57.*

Quartò expediti quoque juris eſt, quòd 93
omnis obligatio intelligatur, rebus ſic ſtantibus, *argum. l. quæro 54. §. cum quis 6. in fin. ff. de V. O.* Proſp. Farinac. *in prax. crim. p. 1. q. 29. n. 63. in fin.* Et in terminis monetæ tradit Molinæ. *tract. de commerc & uſur. q. 92. n. 790.* Cothm. *conſil. 36. n. 304. vol. 1.* Certum enim eſt hoc & extra dubitationis aleam poſitum, quod promiſſor in mutuo ſol- 94
vendo nolit ſe in plus obligari, nec plus à ſe exſolvi quàm mutuo accepit, quia ſuum ja- 95
ctare nemo præſumitur, *l. cum de indebito 25. verſ. in vero ff. de probat.* Franciſc. Card. Mantica *de tac. & ambig. convent. lib. 3. tit. 1. num. 31.*

Licet igitur obligatio de taleris exſol- 96
vendis ſit concepta, hæc tamen ſingularem & juri congruentem recipit intellectum, ſi res in priori ſtatu manſerit, nec inſperata 97
minusque cogitata, circa monetam promiſſam irrepat mutatio, variatâ autem æſtimatione, quando plus hodiè debita pecunia valet, tantum de eâ debitor deducere poteſt, quandóve minùs hodie valet illa, tantum ad ſummam debitam integrè perſolvendam in eâ ſupplere tenetur.

Denique debitorem præſtandarum uſurarum (quod onus per ſe grave, *l. fin. §. ſin autem. C. de bon. quæ liber.*) & monetæ valore extrinſecus adaucto, ſupplendi auctarii ſarcina onerari, dictamen rectæ rationis & æquitas non permittit. Teſſaur. *Deciſ. Pedemont. 174. n. 2.* Jacob. Aleman. *in palæſt. conſult. 8. quæſt. 2. princ. fol. m. 607.*

Hanc quoque ſententiam ſuſcipiunt &
98 amplectuntur Joan. Petr. Surd. *conſ. 335. n. 8.* Everhard. Bronch. ἐναντ. 64. Zanger. *de except. p. 3. c. 1. n. 78.* Paul. Matth. Wehner *pract. obſ. lit. G. verb.* Goldgülden. Dan. Moller. *in Comment. ad Conſtit. Saxon. p. 2. conſtit. 28. n. 2.* Bernhard. Græväe. 2. *pract. concl. 73. in coronid.* Eandem tanquam veriorem & juri atque æquitati magis conformem amplexi ſunt Domini Adſeſſores Imperialis Cameræ, Mynſ. 4. *obſ. 1.* Rutger. Ruland. *de commiſſ. p. 4. l. 2. c. 7. n. 9.* ubi quinque præjudicia Cameræ adducit. Curia Delphinatûs, Guid. Pap. *q. 493. verſ. concludo ergo.* Collegium Neapolitanum, Matth. de Afflict. *Deciſ. 194. n. 1.* Et eſt recepta ac communis, Covarruv. *d. n. c. 7. §. unic. n. 2. in 3. concluſ.* Fab. de Anna *conſ. 54. n. 9.* Joan. Köppen *q. 2. n. 1. & ſeqq.* ubi plures allegat, qui hanc dicunt eſſe communem, Conſult. Sax. *lib. 1. q. 91. n. 1.* Andr. Fachinæ. 2. *conſ. 46. num. 9.* Joan. Gœdæ. *de reb. cred. c. 4. n. 159.* eſt verior, Sixtin. *de Regalib. lib. 2. c. 7. n. 149. & 2. Conſ. Marpurg. 12. n. 170.* veriſſima, Joan. Fichard. *1. conſ. 30. n. 5. verſ. quapropter hæc.* æqua, Franciſc. Curt. *tr. de monet. in pr. n. 23. verſ. ego indiſtinctè,* ubi æquum eſſe, ait, Cre-
99 ditori pecuniam reſtitui eo valore, quo tempore contractûs communiter expendi potuit, ſequitur Joan. Köppen *d. q. 2. n. 9.* juſtitiaque naturalis illam dictat. Regnaud. *in tr. de monet. n. 4. verſ. allegata jura.*

Quamobrem etiam Edictum Joannis Sigismundi Electoris Brandenburgenſis IV. Febr. Anno MDCXII. promulgatum verè adſtruit, iſthanc opinionem in jure magis eſſe fundatam, & ſaluti ſubditorum accommodam, minusque à Chriſtiana charitate & æquitate naturali abhorrere, daß dieſelbe im Rechten am beſten gegründet und bewehrt / auch der Chriſtlichen Liebe und natürlichen Billigkeit gemäß ſey / und zu Lande und Leut Aufnahme und Wolfahrt gereiche. Idem reperitur in deß Schwäbiſchen Craiß Müntzbedencken / daß der Valor der Müntz / welcher tempore Contractûs im Gang geweſen / als menti contrahentium am ähnlichſten / billich in Acht genommen werde.

100 Quòd ſi tamen moneta poſt moram debitoris varietur & incrementum ſumat, hoc caſu tenetur ſolvere ſecundùm æſtimationem ſummi cujusque valoris à tempore moræ, & emolumentum illud, quo foret alioquin creditor propter adverſarii moram cariturus, ei à debitore eſt omninò reſarciendum, arg. *l. 3. §. quod ſi 4. ff. de act. empt. l. in re furtiva. 8. §. ſi ex cauſa 1. ff. de condict. furt.* Ferrar. *in form. libell. in action. hypoth. tit. 43. gl. 9. n. 6.* Ant. Teſſaur. *Dec. Neapolit. 174. n. 4.* Borgnin. Cavalc. *Deciſ. Fivizan. 16. n. 45. p. 2.* Cothman. *conſ. 36. num. 343.* Köppen *deciſ. 2. n. 14.* Sixtin. *de Regal. l. 2. c. 7. n. 153.* Joan. Bapt. Coſta *de jur. & fact. ignor. diſtinct. 63. cent. 1. n. 3. 4.* text. *in Nov. Elect. Aug. p. 2. conſtit. 28. poſt pr. Conſult. Saxon. lib. 1. q. 87. n. 2.*

Quod etiam naturalis ratio ſuadet, quæ 101
eſt, ne mora debitoris creditori ſit nociva, *l. quod te ff. de reb. credit. l. 3. ſub fin. ff. de act. empt.* Cardinal. Thuſc. *in lit. M. concl. 349. n. 15. & ſeq.*

Ita etiam ſecundùm hanc opinionem à Lipſienſibus VIII. Febr. Anno MDCXIV. reſponſum eſt. Quam ſententiam juri & rationi magis conſentaneam videri, & ab illâ recedendum non eſſe, dicit Berlich. *concl. 36. n. 47. p. 2.*

Similiter ſi numerus & corpora numo- 102
rum in obligatione & ſolutione verſentur, Wenn Stück für Stück / Thaler ohngeändert und ohngeringert verſchrieben / hoc caſu totidem quoque corpora reſtituenda veniunt, ſive valor ex intervallo auctus ſit, ſive diminutus, Andr. Knichen. *de prov. Saxon. verb. Ducum Saxoniæ c. 5. n. 396.* Sixtin. & alii opinionis ſuperiùs poſitæ adſertores, ut tradit Cothman. *conſil. 50. in fin. vol. 4.* Quoniam 103
in iis pactis, quæ dependent ex voluntate 104
paciſcentium, eorum attenditur voluntas, nihil enim ita fidei congruit humanæ, quàm ea, quæ placuerunt, cuſtodiri, *l. non minorem 22. de transact. l. 1. ff. de pact.* & grave eſt fidem fallere, *l. 1. p. 2. l. illud. 25. de conſtitut. pecun.* Voluntates igitur contrahentium evidentes omnimodò ſervandæ 105
ſunt, *l. pen. C. pro ſocio. l. unic. §. illud etiam 16. C. de rei uxor. act.* nec licet recedere à verbis pacti. Surd. *conſil. 438. num. 3.* aut contra pacta venire, *l. ſi quis 29. C. de pact.* Et quamlibet durum videatur, non tamen oportet à conventione contrahentium reſilire, quia ipſi contrahentes dant formam & normam contractûs, *l. 1. §. 6. ff. depoſit. l. in conventional. 52. de V. O.* Natta *conſ. 256. in fin.* Franc. Card. Mantica *de tac. & ambig. convent. lib. 3. tit. 16. n. 1.*

Præterea, quòd anterius contractæ ob- 106
ligationis tempus dicto modo ſpectetur, id debitoris favorem ut plurimùm concernit, ne damnum is augmine non deducto ſentiat, ad cujus indigentiam ſublevandam ſatiùs eſt accurrere. Itaque debitor pactionibus expreſſis & luculentis 107
efficere poteſt, ne valoris extrinſeci numorum deinceps adaucti vel diminuti ratio habeatur, ſed totidem corpora refun-

dantur,

108 dantur, ſive majorem hodie, ſive minorem ſummam, quam obligationis tempore illa conficiant, cùm favori & his, quæ pro ſe principaliter ſunt introducta, unusquisque renuntiare tacitâ vel expreſsâ diſpoſitione queat, *d. l. ſi quis 29. C. de pact.*

109 Planè diſpoſitio nominatim continens, quantum quisque numus valorem habere debeat, non aliter intelligi poteſt ac debet, quàm exſolvendos eſſe numos ſecundùm æſtimationem tempore ſtipulationis aſſignatam, ita ut debitor mutuæ pecuniæ augmentum ſibi detrahat, decrementum ad factæ æſtimationis quantitatem integrè ſuppleat. Cravett. *conſ. 887. num. 2.* Anton. Sola *ad decret. antiq. Sabaud. tit. de pact. int. empt. n. 75. & 78.* Anton. Teſſaur. *deciſ. 174. n. 6.* Conſult. Saxon. *lib. 1. quæſt. 90. n. 6.* Andr. Kohl. *exerc. 19. num. 20.* Petr. Frider. Mindan. *de mand. jud. lib. 2. c. 63. num. 22.* tum quòd adjectionem qualificet, *l. fin. C. de dot. promiſſ.* tum quòd æſtimatio in debitorem & lucrum & damnum futurum transfundat, *l. æſtimatæ 5. 1. l. pen. §. mancipia 3. ff. ſolut. matrimon. l. cum dotem 10. C. de*
110 *jur. dot.* Et hoc jus non in dote duntaxat, ſed in mutuo obtinet, Cothman. 1. *conſ. 36. n. 138.* quia æſtimatio appoſita ſemper empti-
111 onem & venditionem redolet, donec contrarium probetur, *l. quotiens 6. ff. de jur. dot. l. ex convention. 11. C. de pact.* Cravetta *conſ. 887. n. 2.* Menoch. *conſ. 49. num. 14.* Fachinæ. 2. *conſ. 46. num. 19.* Cothman. *conſ. 36.*
112 *num. 140. vol. 1.* Ideoque Debitor ſolummodo tenetur eam æſtimationem ſolvere, non rem æſtimatam, Don. Garſ. Maſtrill. *deciſ. 7. n. 3.* quam inconcuſſam juris & In-
113 terpretum doctrinam appellat Cothm. *4. conſ. 49. n. 23.* Unde ad evitandum omne periculum valoris monetæ, tàm in bonitate intrinſecâ, quàm extrinſecâ plurimùm præſtat æſtimationem monetæ adjicere. Joan. Bapt. Coſta *tr. de fact. ſcient. & ignorant. diſt. 63. cent. 1. num. 21. & 23.*

114 Salutariter ſimul ac prudenter hæc omnia Conſiliarii Supremi Judicii Electoris appellationum, ut vocant, quod ſingulis ſemeſtribus Dresdæ habetur, V. Julii, A. MDCIX. tribus Decreti publicati caſibus complexi ſunt, quos ea propter inſerere heic operæ pretium eſſe duximus.

Als erſtlich / wann in den Schuld-Verſchreibungen der Debitor zu Thalern oder Golde in ſpecie ſich verſchrieben / und kein Valor derſelbigen darbey angeſetzet / ſo ſoll der Debitor dem Creditori die verſchriebene ſpeciem an Thalern oder Goldgülden zu zahlen ſchuldig ſeyn / jedoch anderer Geſtalt nicht / als in dem Wehrt / was ſolche Sorten tempore contractûs oder der aufgerichteten Verſchreibung gegolten / das übrige aber / was von Zeit ſolcher Verſchreibung oder Contractus die verſchriebene Sorten am Wehrt höher geſtiegen / abkürtzen.

Was aber / fürs ander / der Debitor in ſeiner Verſchreibung bekennen würde / daß ihm der Creditor ein gewiſſe Anzahl Thaler oder Goldgülden / Stück für Stück geliehen / ſich darneben verpflichtet / daß er auch ſolche eadem ſpecie, wie ſie ihm geliehen / Stück für Stück gerechnet / widerum bezahlen wolle / daß alſo die ſpecies der ausgeliehenen Sorten in obligatione & ſolutione conjunctim benennt ſeyn / abermal ohn Benennung einigs Valoris, in ſolchem Fall ſoll auch der Debitor vigore pacti conventi ſchuldig ſeyn / dem Creditori mit den verſchriebenen Sorten Stück für Stück zu bezahlen / und ſeinem Brieff und Siegel nach zu kommen / unerwogen / was ſolche Sorten zur Zeit der Verſchreibung oder contractûs gegolten / und ob ſie ſint der Zeit geſtiegen oder gefallen.

Da aber zum dritten einer Thaler oder Goldgülden in ſpecie zubezahlen ſich zwar verſchrieben / aber in der Verſchreibung einen gewiſſen Valorem darbey benennen würde / ſo ſoll der Debitor die ſpeciem der Thaler oder Goldgülden dem Creditori zu erlegen nicht ſchuldig ſeyn / ſondern wann er in der Verſchreibung benanten Valorem entrichtet / damit ſeinem Brieff und Siegel ein Gnügen gethan haben.

Id eſt; Utpote primò cùm debitor ad Taleros vel aureos in ſpecie, nullo valore nominatim aſſignato, in obligatione ſe adſtrinxit, tunc promiſſos quidem taleros vel aureos exſolvere, ſed non niſi ſecundùm valorem tempore contractûs aut naſcentis obligationis currentem, reliquum verò, quod à tempore iſtius obligationis deducere debet.

Secundò, ſi debitor in obligatione ſuâ ſe certum talerorum vel aureorum numerum tanquam corpora ſeu maſſam auri vel argenti, à Creditore mutuò accepiſſe confiteatur, & corpora in eadem ſpecie eodemque numero, quo accepit, reſtituere ſpoponderit, atque ita corpora ſive ſpecies conjunctim & expreſsè in obligationem & ſolutionem ſint deductæ, nullo itidem valore adpoſito, hoc caſu debitor vigore pacti conſtituti conventum numerum & corpora refundendo obligationis tenore ac promiſſa omninò tenetur adimplere, non attento, quanti corpora illa tempore obligationis aut contractus valuerint, & utrum valor eorundem creverit vel decreverit.

Sin verò tertiò ad taleros vel aureos quidem in ſpecie reſtituendos ſe quis obligavit, certâ tamen æſtimatione adjectâ vel expreſsâ, tunc debitor ſpeciem thalerorum Creditori reddere neutiquam obſtrictus erit, ſed æſtimationem præfinitam ſolvendo ab obligationis nexu liberabitur.

Confer huc, (19) poſthabitis prædictis omnibus, ea, quæ tomo meorum Conſiliorum tertio *conſil.* 156. & in Voto Cameralibus, inprimis in voto Sobrini mei Dn. D. Michaëlis quondam Adſeſſoris Cameræ Imp. meritiſſimi in cauſa Civitatis Boppart contra Monaſterium S. Barbaræ in Civitate Confluentia, ac in cauſa Gemingen contra Flersheim à Dn. Bendero & aliis Dominis Adſeſſoribus latè dicta & deducta ſunt.

ANNOTATIONES *Ad* CAPUT LXXXIV.

Num. 1.

(1) *IMperiali Numo &c. ad XVI. florenorum æſtimationem elevato &c.*] Numus nempe aureus, quem vulgò Ducatum appellant. Nam cùm pretium omnium ferè numorum vel maximè in Germania intenderetur, quod factum Anno MDCXXII. Menſe Februario usque ad menſem Martii, Imperialis ſive Thalerus X. fl. Florenus (vulgò Gülden-Thaler) VIII. fl. XXX. crucigeros, Philippicus (Philips-Thaler) XI. fl. XXX. crucigeros, Coronatus argenteus (Silber-Cron.) XII. fl. Florenus in auro (Gold-Gülden) XII. fl. Hiſpanicus Duplex (Spaniſche Duplon) XXVIII. flor. valeret, Ducatus XVI. florenis æſtimatus fuit.

Num. 8.

(2) *Veteres te Deam eſſe dixêre &c.*] Vide ſuperiùs notata *ad lib. 1. cap. 1. n. 44.* (52.)

Num. 9.

(3) *Rota Figulari verſutiores &c.*] Diximus de hac phraſi Plautinâ ad Politicum Sceleratum *c. 14. pag. 136. 137.*

(4) *Epidicus quidem Plautinus &c.*] Fabulam hanc à Plauto compoſitam, cui nomen Epidicus, ab ἐπίδικος, quod controverſiæ habet ſignificationem; quemadmodum, & χρήματα ἐπίδικα, & virgo ἐπίδικος, in quibus lis eſt de Jure proximitatis, tanti ipſe fecit, ut in Bacchide *act. 2. ſc. 2.* ſcriberet, *eam æquè ac ſe ipſum amare.* Sic ſæpè ad exemplum Parentum auctores ſibi blandiuntur in partu. Confer Klockii noſtri Dedicatoriam Epiſtolam huic Editioni denuò præfixam.

Num. 12.

(5) *Sub Aurelio Imperatore &c.*] S. Aurelius Victor *de Cæſar cap. 35.* Rem ſic enarrat: Neque ſecus intra Urbem Monetæ opifices deleti, qui cum auctore Feliciſſimo Rationali numariam notam corroſiſſent, pœnæ metu bellum fecerant; usque adeò grave, uti per Cælium montem congreſſi, ſeptem ferè millia bellatorum confecerint. At Paulus Diaconus *Hiſtor. Miſcell. lib. 10. cap. 37.* Authori noſtro præiviſſe videtur, quando, Hoc (*Aurelio*) imperante, *inquit*, etiam in Urbe Monetarii rebellaverunt, vitiatis pecuniis, Feliciſſimo Rationali interfecto. Quos Aurelianus victos ultimâ crudelitate compeſcuit.

Num. 13.

(6) *In Stephanum Barbetum &c.*] Tumultuatum, ut ſcribit Gagvin. *Hiſt. Franc. lib. 7. cap. 5. pag. 124.* etiam eodem anno à Pariſiis, ob monetæ uſum. Divites enim, qui ſuas inquilinis & variorum miniſteriorum opificibus domos locaverant minoris pretii monetam accipere, annuæ penſionis loco, recuſabant: alteram, quæ juſtioris ponderis erat, exigentes. Cujus inventi Author Stephanus quidam Barbetus habebatur. Hic Stephanus in delitiis habebat hortos, à ſuo nomine Barbetos appellatos, cum præclaris ædibus; in eo loco (cui *Barbeti porta* nomen) poſtea manſit. Furens ergo populus in Stephani poſſeſſiones delatus, quicquid in ædibus & hortis pretioſum fuit, vaſtat atque incendit: mox inde moventes, ad viam St. Martini, ubi ipſe Barbetus incolebat, ſe conferunt, fuſtibus, clavisque & verubus, ut cuique arma furor miniſtrabat, inſtructi, effractis Stephani portis domum ſupellectilemque omnem diripiunt. Erat per hos dies Philippus apud Templarios: quem, nihil periculi exſpectantem, ſeditioſi in templo confeſtim obſident; nec quicquam inferri ad eum ſuſtinebant, quod non vel raperent, vel cœno inficerent. Tam repentino populi motu attonitus Rex: miſſo ad Seditioſos Pariſia os, cum quibusdam aulicis, Præpoſito, dicere illis imperat: Si quid in illos à quopiam commiſſum eſſet: aut injuria illata, ſe regem eſſe, qui eos tueri poſſit: petant modò, ſi quid à Rege optent: & domum abeant, ſe protinus curaturum, ut populo meliùs conſultum ſit. His pro tempore ſimulatis: Levis populus à furore temperans, cùm domum quisque petiiſſet, nihil cunctatus Philippus, ſeditionis authores ad octo & viginti correptos, furcis ad quatuor Urbis celebriores portas erectis illaqueari & ſtrangulari mandat. Nec multò pòſt Monetam ad legitimum æris valorem cudit.

(7) *Poſtremis verbis mandavit &c.*] Ludovice, *inquiens*, regnavi hactenus, plurimis vectigalibus & tributis meum populum vexans, nec mihi ſatis curæ fuit, monetam cudere; quæ legitimi ponderis eſſet. Eam ob rem, multorum in me odia concitavi. Ecce, poſt me regnaturus es, miſerere Patris animæ, & quæ perperam à me geſta ſunt, ipſe emendes.

(8) *Marioeus Engerranus &c.*] Communiter ab Hiſtoricis vocatur hic, *Enguerranus Marinius* (*Enguerraud de Marigny*) De quo quæ ad Politicum Sceleratum *cap. 42. pag. 468. ſeq.* annotavimus, vide.

(9) *Lib. 1. cap. 5. n. 7. &c.*] Ubi & nos addidimus quædam *ſub numeris* (52) (54) (55) (56) (58) hîc relegenda.

(10) *Imperiali numo &c.*] Vide ſuprà *hoc capite ad num. 1.* (1)

Num. 16.

(11) *Hanc ob cauſam inventus &c.*] Faciunt huc dicta noviſſimè è D. Joh. Georgio Krullio *in Tr. de Regali monet. Jure*, & ante eum à Joh. Kizelio cum multis citatis *de J. Monet. claſſe 1. Theor. 4. lit. d. pag. 41.* Rudelio *de Monetis cap. 3.* Dn. Lenzio in Fürſtellung der bey dem Müntzweſen ſich ereigenden Mängel *in 2. M. pag. 13. ſeq.*

Num. 33.

(12) *Ita Fridericum II. &c.*] Camerarius *de moneta veteri Græcor. & Latin. p. 276.* Joh. Wolf. Tauber *de J. Monet. cap. 4. n. 46. ſeqq.* Sic in obſidione Griphisvvaldenſi Urbis gubernator numos ex ſtanno,

no, impoſito cuique ſuo valore, percuti curavit, cum inſcriptione: NECESSITAS GRIPHISWALDENSIS. Micrelius in Pommeriſchen Jahr-Geſchichten *lib. 5.* Adde Magnificum Dn. Tobiam Olhafen von Schöllenbach JCTum &c. laudatiſſimum *in Dea Moneta &c. Orat. 4. pag. 129. ſeqq.*

Num. 35.

(13) *Ne quis cudendæ monetæ Jus alteri vendat, locet &c.*] Ejusmodi enim conductores maximè privati, quò meliùs mercedem ſolvere valeant, atque ipſi etiam citiùs ditescant, in adulteranda monetâ nihil non fraudis excogitant & prætermittunt, quotidie magis ac magis de pondere & puritate aliquid detrahunt, numiſmata non modò vulgaria ſed etiam Imperatoria, legum prohibitione non obſtante, recudunt & in deterius convertunt, atque ita mundum viliſſimâ corruptiſſimaq; monetâ replent, & rem numariam hominum Societati utiliſſimam in graviſſimam & intolerabilem fraudem convertunt. Knipſchild *de J. & P. Civit. Imp lib. 2. cap. 21.* Beſold. *tr. de Ærario cap. 6.* Carpzov. *de L. Reg. Germ. cap. 8. ſect. 8.* Rummel. *ad A. B. part. 1. diſſ. 8. concl. 831.* Lenzius *d. loco* im 3. Mangel. *pag. 15. ſeqq.* Limnæus *de J. P. lib. 3. cap. 2. num. 63.* Adde Imperatoris noſtri Glorioſiſſimi Leopoldi Capitulationis *art. 34.* ut & das Reichs Concluſum *in puncto* deß Münzweſens *Dict. Ratiſpon. menſ. Martio & April. An. 1662.* apud D. Krullium *num. 5.*

Num. 47.

(14) *Quod nondum publici Juris factum &c.*] At nunc cum Domini Lenzii Tractatu ſæpe laudato An. 1665. prodiit.

Num. 59.

(15) *Rufinus &c.*] Aliàs Cornelium Rufinum Conſulem à C. Fabricio Luſcino Cenſore ſenatu motum ob luxuriæ notam; quòd decem libras pondo argenti facti cœnæ gratiâ habere compertum ſit, A Gellius *Noct. Attic. lib. 4. cap. 8. & lib. 17. cap. 21.* ut & Valerius Maxim. *lib. 2. cap. 9. n. 4.* memorant.

(16) *A Dione & Xiphilino &c.*] *Lib. 77. pag. m. 876. in fin.*

Num. 74.

(17) *In bonitate intrinſeca ſive liga &c.*] Confer Alemanni *Paleſtram Conſult. conſult. 8. quæſt. pr. 1. p. 384. ſeq.* D. Krull. *de Regali Monet. Jure cap. 5.*

Num. 76.

(18) *Contractûs tempus in ſolutione omninò attendendum eſſe cenſeo &c.*] In Republica hac Norimbergenſi contra, ad tempus ſolutionis in mutatione monetæ & exinde exorientibus controverſiis, reſpiciendum eſſe, decretum in Senatu d. XX. Februarii Anno MDCXXIV. & ut regula hæc in judicando obſervaretur Judiciis officiisque injunctum fuit.

Num. 114.

(19) *Confer huc &c.*] Et præter Remiſſionem Klockii noſtri, quæ pro & contra diſputantur, à Caſp. Antonio Theſauro, *de augmento & variatione monetæ &c.* Nicolao Oreſmo *de mutatione Monetarum*, Benjamin Laüber in Tr. von der Münz *parte 2.* Idem *de Reductione Monetali*, Theophilo Gleich Rechten *in Conſultatione Juridica de controverſiis Monetalibus*, Anonymo in kurzem Bedencken *in tali cauſa Helmſtadii A. 1622. excuſo*, & alio *in Judicio in Cauſa Depoſiti &c. Erfurti A. 1623. impreſſo.* à Zacharia Geizkofler in wolgegründetem Fundamental Bedencken über das eingeriſſene Münzweſen. &c. Johanne Kizel *de J. Monetarum.* Franciſco de Crucifis, Arrigo Felſero, M. Luſtricio, Henrico Petreo, Bartholomæo Volckmaro, Joh Wolffgango Hillero &c. omnibus *de mutat. monet.* Fabro *de variis num. debit. ſolut.* Chriſt. Beſoldo *in Recapitulat. Monet. quæſt.* Voltato *in diſcurſu, An in mutatione monetæ tempus contractûs ſit inſpiciendum?* &c.

CAPUT LXXXV.

De Bonis Atheiſtarum, Apoſtatarum, Sagarum, & eorum, qui tædio vitæ vel valetudinis adverſæ impatientiâ mortem ſibi conſciverunt.

SUMMARIA.

1. Atheiſtarum *ſecta numeroſiſſima, in quam Magiſtratui animadvertendum eſt:* Atheiſmi & Anarchiæ *eadem ratio.* n. 2.

3. Platonis *ſententia de divini Numinis certitudine, duæ opiniones civibus eximendæ,* num. 4.

5. Protagoras & Anaxagoras, *quòd liberiùs de rebus divinis diſſeruerunt, exilio ab Athenienſibus mulctati,* num. 6. & 8. *Diagoras ab iisdem damnatus, & Melos inſula everſa,* n. 7.

9. *Opinio* Atheiſtarum *diſſolvit ſocietatem hominum.*

10. *Revera* Deus *eſt. Vulgò ſtrenui viri habentur* Atheiſtæ, num. 11. Sathanas *author hujus rei,* n. 12.

13. *Varia genera* Atheiſtarum, *deque iis, qui Dei cultum irritum dicunt, eorumq; anteſignanus Cain.*

14. *De iis, qui in corde dicunt;* Non eſt Deus.

15. *De Regum* Jeroboami, Theodorici Gothorum, & Alexandri Magni *aſſeclis: Muhammedes II. atheus & in ſuum Prophetam injurius,* ibid.

16. *De iis, qui gaudent controverſiis in* religione *ortis, eorumq; ſufficiens deſcriptio,* n. 17.

18. *Negare, quæ extra humanos ſenſus poſita ſunt,* Atheiſmi *principium eſt.*

19. *Quid* Jacobus Magnæ Britanniæ Rex *hac de re ſenſerit.* Diodorus Siculus, n. 20. Lucretius, num. 21.

22. Epicuræi *metum divinum removent ex animo.*

23. Chriſtianorum *præcipuæ virtutes.*

25. *De* Pyrrhonicis *& iis, qui omnia in dubium vocant.*

26. Apoſtatæ, Mahumeſtori *ex Wenceſl. Budowez adducta impia ſententia, ejusdemque de* Luciano *judicium.*

27. Cui

27. *Cui ſectæ addictus fuerit* Lucianus: *ejusq; argumentum contra Stoicos.*

28. Saducæi, & Samaritæ, *aliiq; in Italia quales fuerint?*

29. *De* Philoſophia *à pietate remota.*

30. *De* Nicolao Machiavello *judicium.*

31. Atheiſtæ *quâ pœnâ mulctandi? ab Eilhardo Lubino coloribus depicti, & ex libro Naturæ & Creaturæ latiſſimè convicti* n. 32.

33. Atheiſmus *latiſſimè refellitur.*

34. *Quid de* Sortilegorum Sagarumque *bonis ſtatuendum? Ea de jure confiſcari affirmatur, non obſtante Imp. Juſtiniani Conſtitutione,* num. 35. *de quibus caſibus illa accipienda?* num. 36.

37. Hæreticorum *bona publicentur.*

38. *Crimen* Veneficii *hæreſis eſt; &* n. 39 *Vide tamen* n. 50. & 51.

40. *De bonis reorum* Majeſtatis humanæ: *tantò pejores ſunt malefici & Sagæ, quantò divinam Majeſtatem, quàm humanam lædere deteſtabilius,* n. 41.

42. Argumentum *à crimine læſæ Maj. ad hæreſin quando & quomodo procedat? &* n. 88. & num. 90.

43. *De* blaſphemis *amiſſione bonorum plectendis: multò magis* maleficis *talem pœnam imponendam eſſe*, num. 44. *Refellitur infrà*, num. 92.

45. *Neglectis his nominibus concluditur pro* negativa.

46. *Confiſcatio in caſibus non expreſſis minimè locum habet.*

47. Statuta *condere contra diſpoſitionem juris, Supremæ eſt Jurisdictionis.*

48. Inferior *contra legem Superioris non poteſt aliquid ſtatuere.*

49. Sententia confiſcatoria *contra formam & diſpoſitionem Auth. Bona damnatorum, &c. lata, eſt nulla.*

52. *In* crimine læſæ *Majeſtatis filii non ſolùm puniuntur, ſed & à paterna ſucceſſione excluduntur: Ratio,* n. 53. 54. 55. 56. 57. 58.

59. Præjudicium Cameræ Imper. *quo contra confiſcationem bonorum pronunciatum.*

61. Confiſcationis *pœna ad crimen veneficii non eſt extendenda;* & n. 89.

62. Sortilegi *& venefici poſſunt eſſe ſine hæreſi.*

63. Extenſio *in pœnalibus non admittitur.*

64. Exorbitans pœna *quæ dicatur?*

65. Confiſcationis *materia, uti pœnalis & odioſa, reſtringenda.*

66. *Non* res, *ſed qui eas poſſident, & delinquunt, puniendi.*

67. Princeps *burſales punitiones non debet affectare.*

68. Extenſio *ceſſat in odioſis & ex identitate ſive majoritate rationis: Etiam, quòd ageretur de utilitate publica,* n. 69.

70. Confiſcatio *in crimine Magiæ conſtitutione Carolinâ eſt abrogata.*

71. Confiſcatione *bonorum in crimine veneficii hodiè ſublatâ nonnulli Judices ſub prætextu expenſarum, laborum, &c. bonis Sagarum inhiant.*

72. *Contra* Fiſcum *in dubio pronunciandum.*

73. Explicatio *textus in l. puto. ff. de jure fiſci,* & num. 74.

75. Confutatio *rationum dubitandi pro affirmativa inductarum.*

76. *De* vero intellectu *& ſpeciali caſu l. 3. C. de maleſic. & mathemat. &* n. 77.

78. Confiſcationis *pœnâ in omnibus criminibus, excepto læſæ Majeſtat. crimine, hodiè abrogatâ; bona Sagarum minimè veniunt confiſcanda, &* n. 79. 80. 81. 82. 83.

84. Hæreticos *inter & Lamias ratione pœnæ notabilis eſt differentia:* & n. 85.

86. De Auth. *Gazaros. C. de hæretic. Et à quo lata?* & n. 87.

91. Peccatum *in Spiritum Sanctum omnium graviſſimum.*

93. Principes Germaniæ *Regalia & Territorialem Jurisdictionem habentes an pro ſupportandis ſumptibus, laboribus, expenſis in Executione judiciorum criminalium confiſcationem de novo inducere poſſint?* & num. 94. & num. 97. 98.

95. Clauſulæ *caſſantis & irritantis efficacia.*

96. Conſuetudine præteritâ, *ut irrationabili, damnatâ, futura quoque damnata cenſetur.*

97. Conſuetudo *per actus diſformes non inducitur.*

98. Confiſcatio *intelligitur de confiſcatione legibus conceſſa.*

99. Jus confiſcandi *inter Regalia refertur, & eſt de Reſervatis Supremi Principis.*

100. Regalia *nova non ſunt conſtituenda, ut confiſcationes bonorum reducantur.*

101. Fiſcus *in re luctuoſa compendium ſectari prohibetur.*

102. Liberis *ſpes hæreditatis & ſucceſſionis adimi non debet.*

103. *Per confiſcationem bonorum frequentia & atrocitas criminis veneficii non abolêtur.*

104. *Taxantur* Magiſtratus, *qui in omnibus delictis, ex quibus pœna ultimi ſupplicii irrogatur, publicationem bonorum ſibi permiſſam putant.*

105. *Impenſa, quæ fit pro punitione criminis, Fiſco incumbit, &* num. 106. 107. 108. 109.

110. Bona *illorum, qui mortem ſibi conſciverunt, an Fiſco cedant, &* n. 111. 112. 113.

Impius haud Atheos, nec Apoſtata perfidus unquam
 Sis, neque Saga furens cæde, Magusque nocens;
Nec tibi conſciſces violentæ funera mortis,
 Si facis, in Fiſcum mox redigentur opes.

PLurimæ hoc ævo Sectæ, & Religionum diſſidia infeſtant Orbem; ſed nulla ex his vel hominum multitudine, vel Regnorum, & Provinciarum diverſitate numeroſior, quàm ſecta *Atheiſtarum*, (1) hoc eſt, eorum, qui Numinis providentiam & animarum immortalitatem tollunt, vel certè de his ambigunt. Viget hæc apud Japonios, Sinas, Indos, Tartaros, aliaſque barbaras nationes: Viget apud Muhammedanos, quorum plerique omnia fato tribuunt, *ut Chalcondilas* (2) & alii authores ſcribunt: *Viget & apud Europæos*, (3) quorum multi de toto Religionis negotio dubitant, plures omnem Religionem contemnunt, & clanculùm inter veros Chriſtianos, tanquam inter pullos aquilarum adulterini, acie palpitantes, vel potiùs inter aquilas, nicticoraces aut veſpertiliones verſari non verentur; digni

digni ſanè, ut navigent Anticyras, ut directè Magiſtratûs vindictæ committantur.

2 Quemadmodum enim, qui facinora perpetrant, & in omnem turpitudinem præcipites ruunt, ſi quid luminis affulget, quo conſpici poſſint, id protinus extinguunt; Sic Sathanas hominum eorum mentibus, per quos aliquid Satanicum edere vult, *Lumen illud divini vultûs, quod eſt ſignaculum ſuper nos, Pſalm.* 4. ſatagit calidiſſimus eximere, ut ſanè à tenebris undiq; comprehenſi, tandem in ejus manus penitus prolabantur: Et ſicuti ex omni genere Reipub. morborum, deterius nullum eſt Anarchiâ; ubi nemo imperat, nemo obtemperat: ſic etiam nulla peſtis Eccleſiæ & Reipubl. pariter gravior accidere poteſt, Numinis carentiâ, quam Græci Atheiſmum vocant, Bodin. *libr. 4. de Republ. n. 485.* Campanell. *in politic. cap. 8. §. 14.* Contzen. *lib. 2. polit. cap. 14. num.* 1. ipſis Ethnicis etiam quæ fuit exoſa Beſold. *in diſſertat. Politico-jurid. de majeſt. in genere ſect. 2. cap.* 1. *num. 9. fol. 102. & diſcurſ. Philologic. Natura Populorum c. 3. pag.* 12. *ubi ait;* Providentiam Divinam ſi quis removeat, & Naturæ omnia tribuere velit, iſtum Atheum eſſe omninò: quò & illa Lucretii intendunt:

— Corpoream naturam animi eſſe neceſ-
ſe eſt,
Corporis quoniam telis, ictuq; laborat.

Idemque ſuggerit *Jul. Cæſar Vaninus* (4) *in tractat. de mirand naturæ arcan. pag. 345. & ſeqq.* ut & Michaël Montinius, *lib. 2. des Eſſais, cap. 12. fol. 519.* quorum hic atheiſmi ſubtilioris ſuſpectus: ille ejus ſectæ reus, ſupplicium publicè luit, Beſold. *d. loc.*

De Deo quidem ſic vera ſententia eſt, ut nemo ab adoleſcentia uſq; ad ſenectutem
3 ab ea opinione deſciverit, inquit Plato *lib. 10. de leg. docens ibidem:* Si civitati & Reipublicæ debeat benè eſſe, duas potiſſimùm
4 opiniones civibus eximendas: primò, ne exiſtiment, Deum negligere res atque actiones humanas; dein, ne ſibi temerè perſuadeant, Numen cœleſte facilè placari. Sanctè etiam Ariſtoteles, omnium principum optimum eſſe Deum, virtutem verò pietatem. Et convenienter ſuæ profeſſioni Philo Judæus ait: *Dei abnegatio omnium ſcele-*
5 *rum fons.*

Itaque cùm Protagoras Abdetrites & *Anaxagoras Clazomenius* (5) de rebus cœleſtibus, perinde atque de reliquis cauſis naturalibus diſſerere auderent, metirique omnia momentis, non providentiâ divinâ, in carcerem conjecti ſunt; Et Protagoras, quia in principio libri ſic poſuiſſet: DI ſint, necne, ſatis ſtatuere non poſſum. Athenienſium juſſu urbe & agro exterminatus eſt, librique ejus in concione combuſti ſunt, Laërt. *libro nono in vita Protag. pag. 664. & ſeqq.* Sed & hoc memorabile narratur; Athenienſes columnâ æreâ erectâ propoſuiſſe; Si quis Diagoram Melium occidiſ- 6
ſet, quòd exilio nihil modeſtior eſſet, talento; ſi virum adduxiſſet, altero tanto donaturos. Quin & Melos inſula una ex Cycladibus, Diagoræ patria, quia omnes 7
incolæ athei eſſent, ab Athenienſibus exciſa fuit, atque perdita. Et Anaxagoras, quia exiſtimantibus Athenienſibus, Solem eſſe Deum, ille eum, ſaxum ignitum aſſe- 8
ruit, quinque talentis atque exilio mulctatus eſt, Theodor. Zuinger. *in theatro vitæ humanæ vol. 13. lib. 4. pag. 2022.* Petr. Ærod. *rer. judicat. tit. 6. c. 1. & 2.* Videatur omninò Lactantius *lib. 1. inſtit. divin. cap. 2. pag. 7.* 9

Quid enim hac opinione pernicioſius ad diſſolvendam hominum ſocietatem, quę nullâ re efficaciùs regitur, quàm religione? cujus multiplicatio melior, quàm nullitas: illa habet ſuperſtitioſos, hæc atheos; illa plures Divini Numinis habet cultus, hæc 10
nullos, Etenim quòd Deus ſit, ac princeps quædam cauſa, quæ res omnes creavit, tum oculi ipſi, tum lex naturalis docet. Peſſimè ergo fit, quòd alicubi ſtrenui viri pu- 11
tantur, alacres & obſequentes; qui excuſsâ omni pietate, nulla religione impediuntur, quò minùs quidvis audeant, innocent. Gentillet. *lib. 2. theorem. 1 in princ.* Summum Sathanæ arcanum eſt, latenter & per auctores, qui vel ob ingenii ſubtilitatem, 12
vel aliter commendantur, propagare Atheiſmum. 13

Sunt autem Athei varii: Primò inſani illi, qui dicunt, vanum, eſſe qui ſervit Deo, & qui beatos prædicant arrogantes: Siquidem ædificati ſunt ſuper facientes impietatem, &c. *Malach. cap. 3. v. 14. & ſeq.* Horum anteſignanus fuit Cain, *Gen. 4. v 5.*

Secundi generis ſunt ii, qui non apertè, 14
ſed in corde dicunt: *Non eſt Deus Pſal. 13. v. 1.* Atque ita non ſimplici quadam ignoratione; ſed eâ, quam pravæ diſpoſitionis appellant, perditi iſti homines laborant: Quemadmodum etiam clarè indicant, quæ ibi ſubſequuntur. *Corrupti ſunt & abominabiles facti in ſtudiis ſuis: non eſt qui faciat bonum, omnes declinaverunt: & ſimul inutiles facti ſunt, d. Pſalm. 14. v. 1. & 3.*

Tertii generis ſunt, qui Religionem u- 15
ſurpant pro Statûs ratione, quod primùm feciſſe videtur Jeroboam, *lib. 3. Reg. 12.* & Theodoricus Rex Gothorum, Boccalini *cent. 2. de Parnaſſo ragguagl. 13.* Sic quoque Alexander Magnus propter politicam rationem, opinionem fovit, de ſua divina nati-

nativitate, Plutarch. *in vita ejus.* Alexandro ſe ſimilem aſſeruit MUHAMMEDES II. primùm Turcarum Imperator, duorum Imperiorum Conſtantinopolitani nempe & Trapezunti, XII. Regnorum & CC. Urbium magnarum expugnator. Hic, *teſte Cuſpiniano*, (6) repletus omnibus ſceleribus, omnia contempſit: nullum eſſe Deum putavit, Chriſtianam fidem irriſit, Mahummedem illum pſeudoprophetam, ſui ſimilem fuiſſe dixit: vel ſe illum tantò inferiorem, quòd & Cyreneus fuerit ſervus, & fur, & latro, & à majoribus ſuis cum inhoneſtiſſimo in faciem vulnere turpiter fugatus ex Perſide. Prophetas omnes atque Patriarchas pro nugis habuit. Solum Alexandrum Magnum, potiſſimùm ubi de ejus furore ac libidine ſcribitur, admirabatur: cui ſe ſimilem aſſeruit. Hûc referendi ſunt ii, qui prudentiâ ſuâ mundum adminiſtrare ſe poſſe exiſtimant, nullum tamen Numen credere, omnibus ſe accommodare, pro arcano Reipublicæ palladio habent.

16 Hiſce quartò aggregandi ſunt, qui ſciunt errores religionum, & ideo nullam colunt; ſed multitudinem ac varietatem opinionum crebramque mutationem conſiderantes, omnem penitus religionem contemnunt, libros tamen Sophiſticos, & certamina comparant, ac legunt, ut alienis litibus animos paſcant. Contz. *libr. 9. politic. cap. 10. num. 2.* Quo loci refert Sibrandum Lubertum, eleganter Atheiſtarum & pſeudopoliticorum ſannas, & irriſiones de religione; ita deſcribentem: *Maxima pars homi-*

17 *num ſiniſtrè judicat de laboribus & curis, quas Doctores in explicanda & defendenda doctrina Chriſtiana ponunt. Multi enim Religionem tanquam inanes fabulas & terriculamenta ad hominum animos percellendos excogitata rident, & ſubſannant: hi putant omnes contentiones de dogmatis Chriſtianæ doctrinæ tantùm eſſe logimachias, & quia ipſi in corde ſuo omnem Religionem rident, eamque nullam alium ob finem prætendunt, quàm ut emergant; ſuis animis metiuntur aliorum animos, indignanturque, & fremunt, cum vident aliquem eſſe, qui ipſorum cupiditati ſubſervire, judicioque applaudere recuſat. Hi homines mundanâ gloriâ inflati conqueruntur communem tranquillitatem diverſitate Religionis perturbari; cùm tamen ipſi ſæpe tam petulanti ingenio ſint, ut verſutos homines ſupponant, qui nova dogmata cudant; ut dum pii doctores ſe illis opponunt, ipſi ſe his ſpectaculis oblectent, & doctrinam, quam oderunt & fovere videri volunt, populo exoſam reddant; accidit etiam, ut cùm omnia ſurſum & deorſum volvere in animo habeant, certamina in doctrina concitent; vel eos, qui ea movent, foveant, impediantque, ne lites in doctrina motæ legitimo judicio componantur, aut decidantur, & quod omnium miſerrimum eſt, cùm ſint dogmatum doctrinæ Chriſtianæ imperiti, ſummum de illis judicium ſibi arrogant, perinde ac ſi cœcus de coloribus rectè judicare poſſit: qui populo moderatiores ſunt, delectantur quidem doctrinæ puritate, ſed non putant eam tanti momenti eſſe, ut propter eam tantas contentiones, tantaque certamina ſubire debeamus.*

Veriſſimum quoque *Atheiſmi principium eſt, negare omnia,* (7) quæ non viden- 18
tur: Deum, Angelos, Animam, Dæmones, Conſcientiamque ipſam, Lactant *libr. ultim. cap. 9. & 13. ad finem.* Ac pro Atheiſmi probatione habetur ſpiritus negare Jacobus Magnæ Britanniæ Rex *in operibus fol.* 19
87. Dæmones non credere, & quæ de Sagis dicuntur, imaginaria & ridicula cenſere, animas vel omnes, vel ſaltem impiorum, mortales reputare. Bellarm. *lib. 4. de Chriſt. cap. 7.*

Sicque Diodorus Siculus *libro primo*, fa- 20
bulas de inferis, ad terrorem & politicam ob rationem confictas eſſe exiſtimat, ſat imprudenter: Et Lucretius *lib. 3.* ſatagit pro-
bare, inferos non eſſe metuendos. 21

Epicureiſmus quoque in eo cumprimis 22
laborat, ut omnis religio contemnatur, metuque divino omni animo liberetur. Derident ſententiam Chriſtianam Epicurei, non riſu, ſed lacrumis digni, qui neſcio quo mentis tumultu omnia fortuitò fieri, ſibi perſuaſum habent, & quaſi æternùm victuri eſſent, ſolis terrenis rebus innituntur & gaudent, *Sapient. 2. v. 2. & 3.* qui percuſſerunt fœdus cum morte, *Eſai. 28. v. 15. Luc. 12. v. 9.* Quorum Patronus fuit Ægyptius ille Philoſophus, qui de immortalitate comparanda commentarium ediderat, irriſus à Galeno, cujus 23
verba recenſet Langius *lib. 1. Epiſt. medicinal. 89. fol. 480.* Busbeg legatus Turcic. *epiſt. 1. fol. 67.* Pii magis firmiter credunt & ſuſpiciunt, quæ non vident: indeque fides & ſpes præcipuæ ſunt virtutes Chriſtianorum, quas Epicurei ignorant, & omnia quæ fides ſuggerit, ſuperſtitioſa eſſe putant, contra quos arctè tenendum: quod Deus providentiam habeat omnium, portans omnia verbo virtutis ſuæ, *Hebr. 1 v. 3.* in quo condita univerſa, quæ in cœlo & in terra, *Joh. 1. v. 3. Col. 1. v. 15. Pſalm. 135. v. 6. & 13. 1. Petr. 5. v. 7. Pſalm 130. n. 13. & 18.* Cujus manus plaſmaverunt nos, & fecerunt totum in circuitu *Job. 10. v. 8. Deut. 32. v. 6.* Qui cute & carne nos veſtivit, oſſibus & nervis compegit, *verſ. 11.* Protexit nos & vidit in utero matris *Pſalm. 139. v. 13. & 15.* ex eo nos etraxit, *Pſalm 22. v. 10.* Adjutor è viſceribus Matris, *Pſalm. 71. verſ. 25.* Co-

25. cognovit figmentum noſtrum, *Pſalm.*
103. verſ. 14. numeravit greſſus noſtros,
Pſalm. 59. v. 9 imò capillos capitis, *Matth.*
10. v. 30. Luc. 12. v. 7. cognoſcit ſeſſionem
& reſurrectionem noſtram, iter & accubi-
tum cingens, *Pſal. 139. v. 2. & 3.* in cujus
manibus tempora noſtra, *Pſal. 31. v. 16.*
præter quæ non eſt Deus, qui occidit & vi-
vere facit, vulnerat & ſanat, *Deut. 32. v. 39.*
Qui attingit à fine usque ad finem fortiter, &
diſponit omnia ſuaviter, *Sapient. 8. verſ. 1.*
qui operit cœlum nubibus & parat terræ
pluviam, *Pſalm. 148. verſ. 8.* aſcendere facit
nubes, fulgura cum pluvia & educit ven-
tum de theſauris ſuis, *Pſalm. 135. verſ. 8. Je-*
rem. 10. verſ. 13. dat nivem, ſicut lanam,
pruinam ſicut cinerem ſpargit, *Pſalm. 157.*
verſ. 16. numerat multitudinem ſtellarum
& omnibus nomina dat, *verſ. 4. eod.* Qui ve-
ſtit lilia agri *Matth. 16. verſ. 28.* curat paſſer-
culos, *Luc. 12. verſ. 6.* & dat unicuique cor-
pus, ſicut vult, *1. Corinth. 15. v. 38.* Cujus
miſericordiæ, quòd non conſumpti, *Jerem.*
Thren. 3. verſ. 22.

Epicuri de grege porcis ſimiles ſunt au-
ctores, qui quæque certiſſima convellere,
& in dubium vocare nituntur, omnia in-
24 certa eſſe ſtatuentes; (Pyrrhonici faciunt)
& nil turpe autumantes, quod beſtialis non
improbat natura; ut ſolent apoſtatæ Ma-
humedani, Wenceſl. Budovvez *in circulo*
25 *Horologii fol. 177. ubi ſcribit:* Orabam A-
poſtatam, ſi quid haberet rationis, ſi quid
ſcientiæ (quâ utraque non carebat) ſi quam
ſcintillulam conſcientiæ, ut penſitaret illas
nunquam à condito mundo auditas fabu-
las, quæ in AlCorano impudentiſſimè con-
tra propriam rationem confictæ ſint. Ibi
Apoſtata, (ſiquidem Atheiſta erat & au-
licus;) non tam iraſcendo, quàm ridendo
reſpondit, & quidem jurejurando: ſe nihil
inſulſius in vita legiſſe, quàm AlCorani fa-
bulas, quibus ſicuti fidem non præberet, ita
neque Veteri ac Novo Teſtamento ſe cre-
dere.

26 Itaque meritò Lucianum irriſiſſe omnes
Religiones, dicentem, eas eſſe meras &
ſtultas, vel ſimplicium hominum opinio-
nes, vel ad conſervandum ordinem poli-
ticum conſtitutiones: & eas mutari cum
Imperiis & Regnis & inclinationibus affe-
ctuum humanorum. Quod cùm audiviſ-
ſem ex Apoſtatâ, reſpondi: en fructum tui
Mahumediſmi, & fidei veræ ad cœlum du-
centis; quâ tantoperè gloriando, jam ali-
quot ex Chriſtianis tui ſimilibus ſeduxiſti.
Ad quæ ille replicando, & ſæpè ridendo re-
ſpondit: Mundum decipere, & velle de-
cipi; Deum terram dediſſe incolendam
hominibus, & cœlum ſibi reſervâſſe. Qua-
re nihil conſultius eſſe, quàm ut Chriſtia-
ni, relictis de Religione certaminibus,
faciliorem cum Turcis unam Religionem
(in qua non opus ſit tot libros evolvere,
tot cenſuris Eccleſiaſticorum ſubjectum eſ-
ſe, & res naturales pro peccatis fingere)
eligant, & ita unum fiant. Hactenus Bu-
dovvez.

Memorabilem quoque hiſtoriam &
ſcitu dignam refert Johan. Calvinus his
verbis: Accidit nobis, *inquit*, in diverſo-
rio quodam cœnantibus, ut prophanus
Dei contemptor ſermones noſtros de ſpe
cœleſtis vitæ deridens, ſubinde ludibrium
hoc evomeret, Cœlum cœli Domino, ter-
ram dedit filiis hominum. Illic repentè
correptus diris torminibus cœpit voci-
ferari, O Deus, ô Deus! atque ut erat pa-
tulo gutture, boatu ſuo replebat totum
cœnaculum. Ego, qui in eum ſeverè ex-
candueram, perrexi meo more, ſtoma-
chosè denuncians, ut tunc ſaltem ſentiret
non impunè Deo illudi. Unus ex convivis,
homo probus & religioſus, ſed tamen fa-
cetus, hâc oportunitate in alium finem
uſus eſt: *Tune* (ait) *Deum invocas? An*
Philoſophiæ tuæ oblitus es? Cur non in ſuo
cœlo Deum ſinis quieſcere? Et quoties ille
tonabat, O Deus, hic alter ſubſannans re-
gerebat; *Ubi nunc eſt illud tuum, Cœlum cœli*
Domino? At tunc quidem levatus eſt: ſed,
quod reliquum vitæ fuit, in ſuis impuris
ſordibus tranſegit. *Commentar. in Pſalmum*
115. verſic. 16.

Atheiſta autem maximus fuit Lucia- 27
nus, qui ſequitur Epicuræos, & providen-
tiam ridet; ac Stoicos ita convincit: Si
omnia fiunt fato. Ergo nihil Religio ju-
vat, &c.

Fuerunt & Athei Sadducæi ac Samari-
tæ, quorum ſecta mixta ex Judaiſmo & 28
Paganiſmo: namque Idola colunt, libros
tantùm Moyſis recipiunt, poſteriores
Prophetas rejiciunt, à quibusdam cibis
abſtinent, & negant carnis reſurrectio-
nem; Anton. Perez *in Cod. lib. 1. tit. 5. n. 5.*
Cardinal. Baron. *in Apparatu Annalium*
num. 7. Democritus, Heraclitus & Lu-
cretius, qui omnia putabant evenire aut
vi naturæ, teſte Lactantio *lib. 1. de ira Dei*
cap. 9 & 10. aut fortuitò atomorum con-
curſu; ut apertè colligitur ex Lucretio.
Et inter recentiores in Italia præclari viri,
Petrus Pomponatius, Pomponius Lætus,
Mantuanus, Calderinus, Antonius Ur-
cæus Brixianus; qui rogatus ab Amicis,
quid ſentiret de immortalitate animæ; ne-
ſcire ſe reſpondit, quid poſt mortem de ſe
futurum eſſet, viverétne animus, ſive ani-
ma, an interiret unà cum corpore, quæ-
que de inferis homines prædicarent, ani-
lia dixit eſſe quædam terriculamenta. Ac
in genere Philoſophia & Studia literarum, 29
remotâ pietate & gratiâ Divinâ, præcipi-
ti curſu tendere videntur ad hunc Athei-
ſmum.

Hiſce Atheis pſeudopoliticis patrum
30 ſæculo facem, quâ multa regna adulsit, *Nicolaus Machiavellus* (8) prætulit, ut ex libris, quos Italicè conſcripſit, & in primis ex libro de Principe, qui multorum manibus teritur, conſtat. Cùm enim Religionem imperio accommodare, cùm vitia, erroresque Regni causâ probare, juſtitiæ utilitatem præponere, factiones admittere, aliaque nefanda docet, quid agit aliud, quàm ut Principem injuſtum, impium, verſutum, ſimulatorem atque hypocritam efficiat? Qua quidem in re ab ultimo fine recedit? ideoque ruinam ædificat, & cùm in continuo errore verſetur, divinâ ſapientiâ deſtitutus, ne humanâ quidem prudentiâ Principem informat, cùm neque hypocriſin perpetuò celare poſſit: Nihil enim ſimulatum poteſt eſſe diuturnum, & patefacta ſemel perfidia ſimulatioq; in perpetuum fidem aufert; Imperium autem is, cui nec ſubjectorum, nec vicinorum nullus credit, tenere nemo diu poteſt.

Quod ſi verò (ut ſuprà oſtenſum eſt) Eth-
31 nici Atheos mulctis pecuniariis, exilioque civiliter damnarunt; quid vetat eos, qui non credunt eſſe Deum, reſurrectionem, & animarum immortalitatem negant, hodiè bonorum publicatione mulctari? maximè, cùm & facultates Apoſtatarum, eò quòd Hæreticis longè deteriores ſint, & penitus à Religione Chriſtiana deſciſcant, ex Chriſtianis facti Judæi vel Papani, non ſolùm dominio Fiſci vendicentur, *lib. 1. Cod. de apoſtat.* & ſi alios ex cultu Chriſtianæ Religionis in nefandam ſectam ritúmve traduxerint cum diſpendio fortunarum capite plectantur, *l. 5. C. eod.* Sed etiam quòd jam olim pœna ultimi ſupplicii in iſtos Atheiſtas conſtituta ſit, Novell. 146. *cap. 2.* Coraſ. *libr. 3. miſcell. 8. num. 13.* ubi ejusmodi Atheos, qui ipſum Deum negant, virtutemque divinam tollunt, *non vivos modò comburendos*, (9) ſed & aliis exquiſitis, gravioribusque pœnis afficiendos eſſe cenſet. Eſt quippe inprimis pernicioſum
32 malum, ubivis regnans Atheiſmus; quem Eilhardus Lubinus in declamatione ſatyrica graviter deſcribit:

Non memoro, toto quàm vaſtum Epicurus in Orbe
Imperium obtineat, quàm vix è millibus unum,
Invenias, cujus præcordia non Deus ille
Intima non cordis fibras penetrârit ad imas:
In cœtum horum etiam, qui Chriſti à nomine nomen
Sortiti, quorum inſideat non ſenſibus imis
Notum Evangelium hoc, quod Præco Epicurus ab imo
Inferno elatum humano generi enarravit,
Filius ille Deo mundi Cacodæmone natus:
Provida cura Dei quod mundum nulla gubernet;
Quòd per mortem animæ pereant cum corpore; quòdque
Chriſti Evangelium nil ſit niſi fabula; cœco
In mundo caſu quòd cuncta vagentur & errent;
Denique quòd toto non ſit Deus ullus in Orbe
Qui ſcelerum vindex quondam & juſtiſſimus ultor,
Pro merito æternis pœnis malefacta rependat.
Occultum fuit hoc Evangelium hactenus: at nunc
Suggeſtum impietas ſcandens ſublimiùs altis
Nubibus illa palàm parte orbis prædicat omni
Euſebiâ è mundo procul hinc procul inde fugatâ
Cordibus ex hominum, Chriſtum quoq; in ore fatentur.
Nempe Deum faſſi ore, Epicurum in corde foventes.
Nos utinam vani! ſed voce tubaq; ſonora,
Pleno ore Impietas toto hoc ebuccinat orbe,
Et toto auditum Mundo Taratantara clangit.

Certè ſi aliquid ſaperent Atheiſtæ, ex libro naturæ Dei cognitionem perpende- 33
re, ex ſententia Antonii dicentis, creaturas eſſe librum ſuum, ex quo Dei cognitionem hauriret, Socrat. *lib. 4. Hiſtor. Eccleſ. cap. 128. p. 78.* Nicephor. *lib. 10. Hiſtor. Eccleſ. cap. 43. part. 580.* vel ex conſilio Bernardi, dicentis; Rebus pro ſpeculo uti; & à creaturis ad creatorem elevari poſſent, ſic cogitantes; ſi iſta bona, pulchra, & dulcia videntur, quæ creata cum tempore mutantur, quid bonitatis, pulchritudinis & dulcedinis habebit author eorum, Deus? Hîc in creaturis relucet, quibus impreſſit vel veſtigium vel imaginem Deitatis ſuæ. Hinc Eſaias *c. 40. verſ. 26. Attollite in ſublime oculos veſtros, & videte, quis creaverit iſta. producens numero ſuo exercitum ipſorum.* Hinc Ovid. Metam. 1.

Os homini ſublime dedit, cœlumq; tueri
Juſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus.

Utilitatem ex hac contemplatione reportandam, ne Ethnici quidem ignorarunt. Etenim quis eſt tam vecors (ſunt verba Ciceronis lib. de Haruſpic. reſponſis) qui cùm ſuſpexerit in cœlum, Deos eſſe non ſentiat: & ea, quæ tantâ mente fiunt, ut viciſſitudinem perſequi poſſit, caſu fieri putet? Similiter *l. 2. de Nat. Deor.* Quid enim poteſt eſſe tam apertum: tamq; perſpicuum, cùm

cùm cœlum conſpeximus, cœleſtiaq; contemplati ſumus, quàm eſſe aliquod Numen præſtantiſſimæ mentis, quo hæc regantur? Et in calce *lib. 2. de divinat.* ait: *Eſſe præſtantem aliquam æternamq; natum, & eam ſuſpiciendam admirandamq; hominum generi pulchritudo mundi, ordoq; rerum cœleſtium cogit confiteri.* Et *lib. 1. legib.* ait: Ex tot generibus nullum eſſe animal præter hominem, quod habeat notitiam aliquam Dei. Quo ſanè hujus ſapientis dicto, quid aliud lepidè inſinuatur, niſi eos non inter homines, ſed inter bruta animalia eſſe cenſendos, qui neque, quòd Deus ſit, ſcire aut noſcere volunt. Pergit idem auctor ibidem. De ipſisque hominibus nulla gens tàm immanſueta, neque tàm fera, quæ non, etiamſi ignoret, qualem habere Deum deceat, tamen habendum ſciat. Quinimò hanc certiſſimam veritatem & naturalis hominum, in magnis præſertim vitæ periculis ad opem divinam implorandam recurſus, & non obſcurus quoque ad qualemcunque ſaltem divinum cultum inſtinctus, in omnes quantumvis barbaras nationes, ab ipſa veluti natura inditus, ac penè de matris utero tractus, aut cum lacte nutricis hauſtus apertiſſimè produnt. Cui convenit Plutarchi *de cultu divino* ſententia; qui faciliùs urbem condi ſine ſolo poſſe putat, quàm opinione de Diis penitus ſublatâ civitatem coire aut conſtare.

At quanta Epicureæ gentis ſeges eſt, quæ neque Deum, neque ſacramentum ejus unius aſſis æſtimat, ſed ſecurè & impunè quicquid modò Deum, fidem, pietatem ac ſalutem æternam redolet, penitus contemnit? Quot ſunt, qui cœnaculum Sion Cacodæmone pejùs fugiunt, in propugnaculo contrà Belial ſylvarum, agrorum, popinarum, lupanarium, commeſſationum, compotationum, conviviorum, venerearum deliciarum, cupediarum, carnalium voluptatum quarumcunque luſtris, quà dies, quà noctes, ſtrenuè occupati ſunt?

Huc reſpexit Poëta.

Mille viis monumenta Dei natura dat, ullo
Non ſenſu artificium cultúve imitanda per orbem:
Qui tibi juxta aurem, muto licet, ore ſuſurrent,
O homo, noſce Deum, vel me ductore parentem!

Et Ludovicus Maſurius *lib. 7. Epigram. fol. 109. lat. 2.*

Sol & luna micant, & decedentia certis
Sidera momentis oriuntur, & orta refulgent.
Ipſe per hæc ipſorum ingens, operumq; patenti
Cunctorum, quæ ſunt & aguntur in orbe, Creator,
Quanquam inviſibilis, longè, lateq; videndum
Luminibus (mirum hoc) hominum ſe ſubjicit ægris.

Quod etiam inſinuat Baſilius *Homil. 1. Heræm. T. 3. p. 3. inquiens;* Mundum eſſe officinam diſcendi animis rationalibus, & locum erudiendi ad cognitionem Dei, per viſibilia & ſenſibilia, manuductionem menti exhibentem ad inviſibilium ſpeculationem. *Deus ſanè totius expers invidiæ per ſingulas mundi particulas ubique ſplendet,* (10) atque adeò innoteſcit, ut intelligere non modò, ſed manibus etiam ipſis, ut ita dixerim, liceat attrectare; Jamblich. cognomento Divinus *de Myſter. cap. 1.* Ante omnem rationis uſum ineſt naturaliter inſita rerum notio. Imò tactus quidem divinitatis melior, quàm notitia, ex quo incitatur naturalis appetitus, boni ratiocinatio atque judicium. Hinc Alexand. Alenſ. *part. 1. quæſt. 2. membr. 3. artic 2.* Deus, *ait,* videtur per verbum, ut per lucem, per creaturas, ut per ſpeculum. Si ergo Deus ex viſibilibus bonis & operibus poteſt cognoſci, enormiter ἄθεοι in divinam Majeſtatem injurii ſunt, qui viſibilia bona & opera præ oculis habent, nec tamen Deum creatorem omnium agnoſcunt, ſed inſtar brutorum animalium vivunt, quaſi ideò viverent, quòd vivant. Quanta multitudo illorum, qui dicunt in corde, Non eſt Deus, *d. Pſal. 14. v. 1. & Pſal. 53 v. 1.* Verùm enim verò quid differunt hi ἄθεοι à bobus & aſinis? Boves & aſini vident bona & opera Dei, illisque utuntur, fruuntur. Sed eo ipſo non cognoſcunt Deum creatorem & fabricatorem omnium, quin potiùs ſunt manentque boves & aſini: Imò iisdem pejores ſunt; Nam bos cognoſcit Dominum, & aſinus præſepe Domini, *Eſai. 1. v. 3.* At nonne dolendum eſt, in Chriſtiano Orbe cum Chriſtianis vivere ejusmodi homines bobus aſinisque ſtolidiores? O ruditas! ô dementia! ô barda ſtoliditas, ô portenta & oſtenta Gyaris & carcere, mulctâ, exilio aliisque gravioribus pœnis digna! Quorum conatus, ſive directè, ſive obliquè Deum negent, non ad habitum naturæ, ſed ad affectum malitiæ meritò referendus. Nam licet hi bardi atq; aſpero ſupercilio bruti homines ore dicant, NON EST DEUS; attamen in corde ſentiunt & convicti ſunt, Deumq; eſſe: Et quidni? Cœlum, & terra, aqua, & mare, Sol, & Luna, Aër, omniaque Elementa, à quibus res omnibus ſumunt incrementum: aves in aëre, animalia in terra, piſces in mari teſtificantur eſſe Deum. Omnes Ethnici unanimi corde & ore, linguâ & voce clamitant, DEUM ESSE!

Annon, quoniam ſumus, neceſſe eſt, virtutem aliquam exteriorem eſſe, per quâ

ſimus, quæ nos ex non eſſe, in eſſe hoc, ex nihilo, in hanc formam produxerit?

Annon ſuum quemque ſcelus agitat *conſcientia*, *animi terret*, (11) cujus tanta eſt vis, ut pœnam ante oculos verſari putent, qui peccarint? tantusque ex conſcientia angor, cruciatus & timor exoritur, ut callidè improbi perpetrato maleficio ſæpe rebus ſuis diffidant & deſperent, & vel *cum Nerone* (12) ferro ſibi fauces præcidant, vel ad *Saulis enſem*, (13) *Judæ laqueum*, (14) *Bruti pugionem* (15) confugiant, aſſiduisque animi lamentationibus vitalia everberent, vitamque abrumpant. Si non eſt Deus, quid doles animamque comprimis impiè? Certè ſi conſcientia te premit, torquet, cruciat, ipſamet indubiè teſtatur, tibique aurem vellendo occinit, Esse Deum, prout verè eſt, & in æternum manet; ſive te patiaris convinci, ſive non. *Neque* enim *Deus ſine teſtimonio ſeipſum reliquit, benefaciens de cœlo, &c. Act. 14. v. 16.* Nemo vim teſtimonii hujus valet effugere, ita ut non dubitaverit Auguſtinus *Soliloquio. cap. 31.* aſſeverare, magis dubitare ſe in corpore ſuo eſſe animam, cujus tot tamque compertos effectus experiatur, quàm utrum in hac rerum univerſitate ſit Deus. Quò fit, ut gentes ſint inexcuſabiles, & in æternum pereant, ut Paulus *ad Roman. cap. 1.* docet: quia debuiſſent ex viſibilibus creaturis bonitatem, ſapientiam, majeſtatem, imò divinitatem æternam tanti artificis, creatoris agnoſcere, eamque ſolùm colere, quorum neutrum fecerunt, &c. Theophylact. *ſuper dict. cap. 14. in Actib. Apoſtol.* Videatur Guilielm Eſtius *in d. c. 1. ad Romanos verſic. 20. & 21. fol. mihi 13. & 14.*

Certè cùm cœli enarrent gloriam Dei, & opera manuum ejus annuncient firmamentum: *Pſal. 19.* turpe eſt, nos homines, quos Deus condidit rationales creaturas, vinci & ſuperari à creaturis ratione carentibus, in conſideratione & celebratione beneficiorum divinorum: Et multò adhuc turpiùs, cùm tales habeamus præcones aſſiduos, ſi ad horum voces noſtras occludamus aures, nec ab his aliquo modo excitemur ad tantarum rerum conſiderationem; nempe Omnipotentiam, Sapientiam & Bonitatem Dei; qui enim tantam machinam creavit & conſervat, non poteſt non eſſe Omnipotens. Qui in ea cuncta ita commodè diſpoſuit, non poteſt non eſſe Sapiens. Qui eas uſui noſtro deſtinavit, non poteſt non eſſe Bonus; Andr. Rivet. *Comment. in Pſalm. 19. fol. mihi 141.*

Hinc pulchrè Chryſoſtom. *Homil. 9. ad pop. Antioch. T. 4. p. 380.* Quomodo cœli narrant gloriam Dei? Dic mihi. Vocem non habent, & non poſſident, ipſis non eſt lingua. Quomodo igitur narrant? Per ipſum adſpectum. Cùm enim videris pulchritudinem, magnitudinem, & celſitudinem, ſitum, formam, per tantum temporis permanere, tanquam vocem audiens, & ad adſpectum diſcens adoras eum, qui tam pulchrum & admirabile corpus creavit. Tacet cœlum, ſed ipſius adſpectus vocem tubâ clariorem emittit, per oculos, non per aures nos docens. Et quid, quæſo, hæc tam vaſta, tamque benè diſpoſita Mundi fabrica, ac præcipuarum ejus partium, putà, cœlorum, ſtellarum, elementorum, aliarumque rerum mira varietas, pulchritudo & conſonantia; quid aliud arguunt, niſi divini Supremi omnium Architecti in eiſdem efficiendis, diſponendis, ordinandis, Sapientiam?

Concludo cum Avicenna, Ethnico, non Chriſtiano, Deum aut Numen non agnoſcentem non tantùm ratione carere, ſed & ſenſu; Deumque tùm in mundo, tum maximè in nobis ipſis & videri & palpari. Videatur *Leonard. Leſſius* (16) *l. 1. de Providentia Numinis cap. 2. & ſeqq.* ubi quindecim rationibus, videlicet (1) ex omnium gentium & ſapientum confeſſione, (2) ex motu orbium cœleſtium, (3) ex eo, quòd res corporales & adſpectabiles non poſſint eſſe à ſe ipſis, (4) ex rerum pulchritudine, & ſtructura partium reſpectu totius, (5) ex ſtructura partium mundi in ordine ad finem, (6) ex ſtructura partium in animalibus, & plantis in ordine ad finem, (7) ex eo, quòd omnium operationes ordinatiſſimè ad finem tendunt, (8) ex vultuum & vocum diverſitate, & mundi perpetuitate, (9) ex miraculis, (10) ex prædictionibus & occultorum revelatione, (11) ex ſpiritibus, (12) ex morum & vitæ directione, (13) ex eo, quòd nihil debet manere inordinatum; & animæ immortalitate, (14) ex variis divinæ ſeveritatis & benignitatis exemplis, (15) ex pœnis, quæ blaſphemis, ſacrilegis, perjuris repentè & inviſibiliter irrogatæ, &c. latiſſimè commonſtrat, eſſe unum Supremum Numen, cujus providentiâ adminiſtrentur omnia.

Sed an bona Sortilegorum, Sagarum, & Maleficarum convictarum & condemnatarum de jure publicari, vel hæredibus 34
proximioribus relinqui debent? in utramque partem acerrimè diſputatur. *Pro Affirmativa* (17) facit text. *in l. nullus 3. ibi: poſt ademptionem bonorum, &c. C. de malefic. & mathemat.* quæ crimini ſortilegii diſertè bonorum confiſcationem imponit, *cap. ex tuarum. de ſortileg. in 6.* Petr. Gregor. Tholoſan. *in Syntagm. jur. univerſ. lib. 3. cap. 17. num. 1.* Bodin. *de Dæmon. lib. 4. cap. 5. fol. 387.* In quam ſententiam condeſcendunt Farinac. *in prax. crimin. q. 20. n. 88. ibi: ſecunda ſit concluſio.* Franciſc. Torreblanca Villalpandus *in ſua Dæmonologia lib. 3. c. 11.* alios agminatim conglomerans, Frideric. Mar-

Martini *in interpretat. Carol. Conſt. art. 218.* quæ annexa eſt tractatui de jure cenſuum. Bocer. *tractat. de homicid. cap. 4. 78. 79. & 82.* ubi concludit contra Fachinæum. *lib. 9. controverſ. jur. c. 87.* Joan. Grivell. *Deciſ. Dolan. 33. num. 32.* ubi tamen hanc pœnam apud pleraſque nationes obſoleviſſe teſtatur.

35 Ac quamvis ab Imp. Juſtiniano *in Novell. 134. cap. ult.* ſancitum ſit, ut bona damnatorum ſeu proſcriptorum non fiant lucro judicibus, neque ſecundùm veteres leges Fiſco applicentur, hoc addito, ut in Majeſtatis vero crimine condemnatis, veteres leges ſerventur. Quod & repetitur *in Auth. bona damnatorum C. de bon. proſcript.*
36 Cum quo conſentit d. Conſtitutio criminalis Caroli V. *art. 109.* Attamen (2) hæ ſanctiones de illis caſibus accipiendæ ſunt, ubi poſt condemnationem ad pœnam mortis, tanquam acceſſorium confiſcatio ſubſequebatur: Interim firmitatem ſuam retinent leges, quæ confiſcationem, loco pœnæ, huic vel illi delicto imponunt. Quos caſus recenſet Cardin. Thuſc. *pract. concl. lit. C. concl. 714.* Peregrin. *libr. 5 de jure fiſci tit. 1. num. 167. & ſeqq.* Frider. Martin. *d. loc. num. 13. & ſeqq. qui ibid. num. 10.* probat, Imperatorem Carolum V. non ſolùm à regula ſuprà poſita excipere crimen læſæ Majeſtatis, ſed & alios caſus, in quibus confiſcatio locum habet; ibi: **oder ſonſten in andern Fällen / ſo der Ubelthäter Leib und Gut nicht verwircket /** ꝛc. quibus innui videtur manifeſtè; præter crimen læſæ Majeſtatis *eſſe & alia*, (18) propter quæ bona confiſcationi ſint obnoxia. Interea verò veneficium eſſe connumerandum *ex d. l. 5. C. de malefic. & mathemat.* probatum eſt, & ex ſeqq. etiam luculentiùs adparebit.

Tertiò, bona hæreticorum publicantur,
37 *c. vergentis 10. c. excommunicamus 13. §. damnati. de hæretic. in 6. auth. Gazaros C. de hæret. cum ſimilib.* Atqui expeditum eſt, quòd
38 crimen veneficii non ſolùm hæreſin ſapiat, ſed & revera hæreſis ſit, & ſine hæreſi aut apoſtaſia non admittatur, *gl. & d. l. in c. accuſatus 8. §. ſanè. de hæretic. in 6.* Joan. Parlador. *lib. 1. rer. quotid. cap. 17. num. 17.* Etenim infelices illæ ſagæ relicto Creatore ſuo omnem pietatem abnegant & evertunt, DEO & ſuperis maledicunt, cæteris creaturis exitium parant, Diaboli ſuffragia quærunt, cui fidelitatem & obedientiam Sacramentis ſe & addicunt Carol. Molinæ. *in Conſuet. Pariſ.* ubi ex Eraſmo dixit, hujuſmodi portenta non eſſe ſimplicia crimina, ſed ex ſuperſtitione, impietate, idololatria, ſacrilegio, tanquam variis ex monſtris conflata, Weſemb. *in paratit ff. ad L. J. Majeſt. num. 7. in fin.* Martin. Delrius *lib. 5.*
39 *disquiſit. magicar. ſect. 16. tom. 3. num. 3.* ubi gravitatem hujus criminis pluribus exaggerat; Et evidentiſſimum eſſe ait Petrus Binsfeld. communiter ea, quæ hodiè maleficæ operantur, manifeſtam ſapere hæreſin, & comprehendi *ſub d. c. accuſatus §. ſanè de confeſſ. malefic. prælud. penult.* Et ſortilegium, quando hæreſin ſapit, tanquam hæreſin puniri, punctualiter determinant Menoch. *l. 2. de arbitr. judic. quæſt. caſ. 388. num. 4.* Farinac. *d. quæſt. 20.* Recteq; Caſpar. Peucer. *in comment. de præcip. divin. gener. c. de divinatione ex ſomniis in fin. ſcripſit*, quicquid eſt ſummæ impietatis ac ſcelerum exquiſitorum contra DEUM ac DEI Verbum, omne illud velut in faſcem complicari à mancipatis Diabolo.

Quartò notiſſimi juris eſt, bona reorum 40
Majeſtatis humanæ confiſcationi ſubjacere, *d. Novel. 134. cap. ult. & d. Auth. bona damnatorum.* Idem ergo de bonis maleficorum atque ſagarum pronuntiandum erit; Cùm verè & propriè dici poſſit, eas crimen quoque Majeſtatis humanæ committere, ex quo non ſolùm à fide aberrantes DEUM offendunt, idque modis contumeliæ & crudelitatis pleniſſimis; ſed & omni ſocietati humanæ & ordinationi adverſantur, atque ita quoad politiam & ſocietatem humanam delictum hoc crimine hæreſis vel læſæ Majeſtatis Divinæ deteſtabilius; proin- 41
deque rationi & juri conveniens ſit, eaſdem bonis temporalibus ſpoliari: Cùm longè gravius ſit divinam, quàm humanam offendere Majeſtatem; & multis in caſibus (etiam ſecundùm judicium) filii pro patribus temporaliter puniantur; & quandoque feratur ultrà non ſolùm in authores ſcelerum, ſed etiam in progeniem damnatorum, *d. c. vergentis 10. extr. de hæretic.* prout hoc in individuo pluribus exornat Beſold. *conſil. 95. n. 17. & ſeqq. part. 3.* Ideoque validè duci tale argumentum; Is, qui humanam offendit Majeſtatem, hâc pœnâ punitur. Ergò multò magis incurrens crimen læſæ Majeſtatis divinæ, adſtruat Tiber. Decian. *in praxi criminali lib. 5. cap. 26. n. 7.* Cravetta *conſil. 3. n. 6.* Menoch. *conſil. 808.* 42
n. 1. Valet enim argumentum à crimine læſæ Majeſtatis ad hæreſin, tanquam ſumptũ à minori ad majus, Fulv. Pacian. *conſil. 20. n. 70.* Quamvis vice verſâ non ſtringat, ex quo à majori ad minus argumentari non liceat; Roland. à Valle *conſil. 73. n. 16. & ſeq. vol. 3. & conſil. 73. vol. 4.* Burſat. *conſ. 280. n. 12. & conſil. 289. n. 22. & ſeqq.*

Quintò Blaſphemi (quales revera etiam 43
hæretici ſunt) amiſſione bonorum plectuntur *Receſſ. Imp. de Anno 1530.* & *1548.* Et in d. Receſſu Imp. Anno 1550. §. **darauf ordnen und ſetzen wir /** ꝛc. diſertè ſancitur, quòd blaſphemus quidem non pro primâ vice morte, vel abſciſſione quorundam membrorum puniatur, ſed demum tertiâ vice, pro

pro prima verò vice in carcere pane & aquâ per integram quindenam cibetur, pro ſecunda verò vice ademptione omnium bonorum mulctetur.

Quantò magis igitur Principes & Magi-
44 ſtratus regalia & territorialem jurisdictionem habentes, in terrorem aliorum propter frequentiam delicti, & in compenſatione ſumptuum, expenſarum judicialium & laborum, confiſcationis pœnam maleficis imponere poſſunt.

45 Verùm enim verò hæc etſi primâ fronte colorem aliquam præ ſe ferant, penitus tamen rei propoſitæ inſtitutâ indagine, contrarium longè rectiùs ſtatui cuivis adparebit. I. Quia neque Jure Canonico, neque Civili, neque etiam Conſtitutione Criminali Caroli V. ſancitum reperitur, quòd malefici pœnâ confiſcationis percelli debeant.

46 Erubeſcimus autem ſine lege loqui. Et verior, ſanior, humaniorque ſententia eſt; Confiſcationem in caſibus non expreſſis locum minimè habere, Clar. §. *fin. qu.* 78. *n.* 5. Peregrin. *lib.* 5. *de jure fiſci tit.* 1. *n.* 169. Farinac. *in praxi criminali quæſt.* 25. *n.* 19 Bertazzol. *conſil. criminal.* 347. *n.* 3. Lancellot. Conrad. *de officio Prætoris in crimin. tit. de publ. bon. n.* 1. *fol.* 738.

Quemadmodum & generaliter Gubernatores ac Præſides Provinciæ contra jus commune ſtatuere non poſſunt Farinac. *dict. num.* 19. Cùm ſtatuta condere, con-
47 tra diſpoſitionem Juris, ſupremæ ſit jurisdictionis, Carol. de Graſſis *de except. ad mater. Statut. num.* 6. & 7.

48 Et regulare eſt, quòd inferior contra legem ſuperioris non poſſit ullam legem vel ſtatutum condere, *l. minor magiſtratus ff. de minor. l* 3. *in princ. ff. de alienat. mutand. judi. cauſ. fact. ille à quo §. intempeſtivum. ff. ad Trebell. c. cum inferiori. de major. & obed.* Hippol. Riminald. *conſil.* 3. *n.* 67. & *ſeqq.* Franc. Becc. *conſil.* 163. *n.* 10. Cardin. Thuſc. *in pract. concl. tom.* 4. *lit. T. concl.* 119. Vincent. de Anna *in conſtit. divinæ memoria n.* 119. Unde & Dd. communiter concludunt, quòd ſententia confiſcatoria contra for-
49 mam & diſpoſitionem Auth. *Bona damnatorum. C. de bon. proſcript.* lata, invalida, adeoque nec Appellatio neceſſaria ſit, Dec. *conſil.* 252. *n.* 5. Peregrin. *d. tract. de jur. fiſci tit.* 1. *n.* 4. & 7. Menoch. *conſil.* 502. *n.* 21. Bertazzol. *conſil. criminal.* 82. *n.* 12. & *ſeq.* Meichſner. *deciſ. Cameral. tom.* 3. *deciſ.* 20. *n.* 45.

Secundò, quamvis in crimine hæreſis & læſæ Majeſtatis humanæ etiam hodiè confiſcatio locum habeat, multisque perſuaſum ſit, quòd Lamiæ & Veneficæ modernæ tàm hæreſeos, quàm etiam læſæ Majeſtatis humanæ crimen committant; Attamen in confeſſo eſt, quòd hoc ſolùm fiat per quandam latam interpretationem & 50
extenſionem. Propriè enim tale veneficium hæreſis vocari nequit, præſertim quoad pœnam: Certum enim eſt, quòd maleficia non eodem modo, quo hæres, puniantur. Namque malefici comburi ſolent juri & rationi convenienter, nec, ſi pœnitentiam agant, ad Deum revertentes, Diabolicis ejuratis commerciis, eis ignoſcitur. Sed in crimine hæreſis aliter eſt conſtitutum: nam ſi hæreticus pœniteat & velit abjurare ſuam hæreſin, ac reverti ad fidem Catholicam, congruamque exhibere ſatisdationem, pœnas jure impoſitas hæreticis evitat. *c. ad abolendam, de hæretic.* Et eſt communis omnium ſententia, teſte Claro *in §. hæreſis, verſ. ſed quæro.* Andr. Fachinæus *part.* 3. *lib.* 9. *controv. c.* 87.

Præterea (3) ſicut ſortilegium ſive vene- 51
ficium propriè non dicitur hæreſis, quia ponitur in titulis & locis diſtinctis & ſeparatis, Oldrad. *conſil.* 710. *n.* 1. Cravetta *conſil.* 6. *num.* 1. Hieron. Papponius *conſil.* 50. *num.* 13. Ita nec eſt crimen læſæ Majeſtatis humanæ: quia in *lib.* 9. *Codicis* Juſtinianei duo hæcce crimina ſub diverſis titulis, & quidem à ſe longè diſſitis pertractantur, nimirum *tit.* 8. & 18. quæ ſeparatio innuere omninò magnam diverſitatem videtur. Certum autem eſt, quòd à diverſis perperam illatio fiat.

Inſuper & Quartò diverſa ratio eſt, quòd 52
in crimine Majeſtatis non filii ſolùm puniuntur, ſed & jure noviſſimo à paterna ſucceſſione excluduntur: quia nempe metuitur, ne occaſione divitiarum & potentiæ ad rebellionem, conjurationes, ſimiliaque delicta, ob quæ parentes puniti ſunt, armentur vel animentur. Et hæc ratio luculenter adſignatur *in l. quisquis.* 5. *C. ad L. Jul. Majeſt. ubi in* §. 1. ita reſcribunt
Imperatores, cùm de pœna eorum agunt, 53
qui factionem inierunt, aut de nece Imperatoris ejusque conſiliariorum cogitaverunt. Flii verò ejus, *inquiunt*, quibus vitam Imperatoriâ ſpecialiter lenitate concedimus (paterno enim deberent perire ſupplicio, in quibus paterni, hoc eſt, hæreditarii criminis exempla metuuntur) à materna vel avita, omnium etiam proximorum hæreditate ac ſucceſſione habeantur alieni, teſtamentis extraneorum nihil capiant, ſint perpetuò egentes & pauperes, infamia eos paterna ſemper comitetur, ad nullos prorſus honores, ad nulla Sacramenta perveniant; ſint poſtremò tales, ut his perpetuâ egeſtate ſordentibus, ſit & mors ſolatium, & vita ſupplicium.

Ex quibus textûs verbis clareſcit, præfa- 54
tam rationem potiſſimùm conſiderari in crimine læſæ Majeſtatis humanæ, & filios puni-

puniri, tanquam ex infecto patris ſanguine
provenientes. Macula patris eſt in filiis &
deſcendentibus, qui non diligunt, quem
pater odit, & in quem deliquit. Quæ non
omnia ita militare videntur in Magiæ cri-
mine. Cùm fruſtrà miſeri homunciones gi-
ganteo more bellum in DEUM Optim.
Max. moliantur.

55 Unde etiam fit, ut hujus legis acerbitas
in filiabus, quas pro infirmitate ſexûs mi-
nùs auſuras Imperatores crediderunt, mi-
tigetur, *d. l. quiſquis.* Hieron. Gigas *tract. de
crimin. læſ. Majeſtat. q. 14. num. 2. & ſeqq.
fol. 375. & ſeqq.* Quod ipſum non parùm
confirmat Antonius Contius *in l. 1. ff. ad L.
Jul. Majeſtat. fol. m.* 8. Videntur (*inquit*)
erraſſe illi, qui cùm in veteri municipii lege
cautum eſſet, in ſolo criminæ Majeſtatis
divinæ aut humanæ. Gravius eſt crimen,
fateor, & ſacrilegium quoque & parricidi-
um gravius: ſed diverſa ſunt crimina, licèt
adfinia: neque eadem ubique ratio eſt pu-
blicandorum bonorum. Publicantur in
56 læſæ Majeſtatis Principis crimine, ne filiis
& poſteris opes ſint reliquæ, quibus peſſi-
mum parentum exemplum inſtaurent. At
nullis opibus, aut pecuniis opus eſt, ad cri-
men hæreſeos perpetrandum. Hactenus
Contius *d. loc.* Invaliditatem quoque argu-
menti à crimine læſæ Majeſtatis humanæ
ad divinam, evidenter oſtendit Ant. Gomez
variar. reſol. c. 3. n. 13. verſ. ex quo ſubducitur.

Quo loci infert, graviùs puniri crimen
57 læſæ Majeſtatis humanæ, quia licèt filii vel
nepotes, (ait Gomezius) proditoris, qui
commiſit crimen læſæ Majeſtatis humanæ,
non poſſint ſuccedere ex teſtamento, nec ab
inteſtato aſcendentibus ſuis, nec collaterali-
bus, nec etiam poſſint ſuccedere, nec aliquid
capere ex teſtamento extraneorum. Attamen
filii vel nepotes hæretici, utcunque pa-
tri vel aſcendenti hæretico, cujus bona con-
fiſcantur, non ſuccedant, tamen benè poſ-
ſunt ſuccedere omnibus aliis deſcendenti-
bus, collateralibus & extraneis, tàm ex teſta-
mento, quàm ab inteſtato; quia in hoc deli-
cto non reperitur prohibitum: Quod certè
eſt benè notandum ſecundùm Gomezium
ibidem citantem, inter alios, Jacob. Butrig.
in l. 1. C. de hæred. inſti. Bald. Jaſ. Alex. *conſ. 74.
n. 3.* Et textus *in l. cognovimus. & Auth. Idem
eſt Neſtorian. 14. C. de hæretic.* Et fortè (*ut lo-*
58 *quitur idem Gomez.*) poteſt eſſe ratio, quia in
crimine læſæ Majeſtatis humanæ Rex vel
Princeps timet audaciam filiorum & de-
ſcendentium ipſius delinquentis, ne fortè
generati à tam facinoroſo & peſſimo delin-
quente ſortiantur & imitentur ejus conditi-
onem & qualitatem; ſed in crimine læſæ
Majeſtatis divinæ ſummus DEUS & Domi-
nus noſter non timet hæreticum nec ejus
deſcendentes, ideò pœna non extenditur
ad eos. Hucusque Gomez. qui ſubjicit, hanc
rationem poſuiſſe duntaxat Jacob. Butrig.
in d. l. 1. C. de hæred. inſtit. Noviſſimè hunc
ſequitur Menoch. *conſil. 1128. n. 17.* Ex quo 59
fundamento etiam in cauſa Nördlingen con-
tra Oettingen Spolii XIV. Jan. Anno MDI.
in Camera Imperiali quaſi in terminis con-
tra confiſcationem bonorum judicatum fu-
it. Nam etſi Comes Oettingenſis vigore
criminalis Juriſdictionis Civitatis Nordlin-
gæ Subditos ob veneficium ultimo ſuppli-
cio affecerit, eorumque bona in Fiſcum
tranſtulerit, idque excipiendo excuſare vo-
luerit, quòd jus confiſcandi ſibi competeret,
& in hoc horrendo Crimine in vicinis Prin-
cipatibus & Civitatibus Imperii, uti Bava-
ria, Palatinatu Neoburgico, Epiſcopatu Au-
guſtano, Elvvangenſi, item Donovverdæ
confiſcatio in uſu ſit; Nihilominus Comiti
reſtitutio bonorum ablatorum cum fructi-
bus perceptis & percipiendis injuncta fuit.
Quam tamen ſententiam Wilhelmus Co-
mes Oettingenſis per Reviſionem ab effectu 60
& vi rei judicatæ ſuſpendit. Ita & pronun-
ciatum in cauſa Danielis Archiepiſcopi &
Electoris Moguntini, item in cauſa Neeff &
Conſortum contra Wumbser. Ideoque
cùm juxta commune Dd. placitum ſenten-
tia confiſcatoria bonorum contra formam
& diſpoſitionem Auth. *Bona damnatorum.
C. de bon. proſcript.* lata ipſo jure nulla ſit,
adeò, ut nec ab ea appellare ſit neceſſe, uti
ſuprà in prima Decidendi ratione proba-
tum, & verò crimen veneficii *in dict. Auth.
Bona damnatorum.* (quæ etiam excepto cri-
mine læſæ Majeſtatis veteres leges de confi-
ſcationibus loquentes, & ita etiam *l. 3. C. de
malefic. & mathem.* ut rectè ponderat Fachi- 61
næus d. loc. abrogavit) non comprehenda-
tur pœna confiſcationis in crimine læſæ
Majeſtatis duntaxat retenta, eò non eſt por-
rigenda vel extendenda.

Inprimis verò, cùm crimen ſtrigæ ſeu
lamiæ propriè non ſit hæreſis, nec pœna eo
nomine impoſita ad ſortilegas & veneficas,
quales etiam poſſunt eſſe ſine hæreſi (videa-
tur Paul. Griland. *de ſortileg.* §. *Decimò vi-* 62
dendum per tot. Renat. Choppinus *in ſacra
Politia lib. 2. tit. 2. num. 11.*) extendenda non 63
eſt, cùm extenſio in materia odioſa pœnali
& privatione juris non admittatur, Roland.
à Valle *conſil. 86. num. 33. vol. 2.* Sicut eti-
am extenſio in pœnalibus valdè exorbitan-
tibus repudiatur, Hortenſ. Cavalcan. *de bra-
chio regio part. 4. num. 489.* Exorbitans au- 64
tem pœna eſt, ſi filius pro patre, vel pater
pro filio teneatur, Cavalc. *d. part. 4. num. 484.*
Hinc & materiam confiſcationis, uti odio- 65
ſam & pœnalem reſtringendam eſſe, re-
ſpondit Flamin. de Rubeis *conſil. 16. n. 11. l. 1.*
præſertim quòd res non ſint, qui delinquant 66
ſed qui eas poſſident, nec inſontes hæredes,
qui

qui ad ſucceſſionem aſpirant, puniendi, *No-*
vell. 17. cap. 12. Petr. Gregor. Tholoſan. *in*
Syntagm. jur. univ. lib. 31. cap. 31. num. 12.
Nicol. Everhard. Jun. *conſ. 28. n. 45. vol. 4.*
Et ante hos Chaſſanæus *in Conſuetud. Bur-*
gund. rubr. 2. §. 1. verb. qui confiſque. num. 3.
verſ. verum. Unde & Princeps burſales pu-
67 nitiones non debet affectare, ſed delinquen-
tes, & non burſas, punire: Honor enim Prin-
cipis boni non requirit utilitatem, quam eti-
am burſales compoſitiones informant, poſt
Federicum de Senis *conſ. 185. in fin. verſ. &*
poſito. Cardin. Thuſc. *in pract. concl. jur. lit.*
68 *P. concl. 679. n. 9.* Quin & extenſio non con-
ceditur ex identitate vel majoritate rationis,
etiam, quòd ratio ſit expreſſa in diſpoſitione,
quando ſumus in materia odioſa, & odium
eſt irrationabile, ut puta quòd unus tenea-
tur pro facto alterius, Dec. *conſil. 64. in fin.*
Joan. Vincent. Hondedæus *conſ. 95. n. 104.*
vol. 1. ubi ampliat, etiam quòd ageretur de
69 publica utilitate, Alphonſ. Villagut *in tr. de*
extenſione legum rubric. de extenſ. leg. exor-
bit. in 2. ampliat.

Denique & pro Quarto non ſolùm per
rationes modò adductas, ſed & propter
authoritatem inſignium Dd. hæc ſenten-
tia ſequenda eſt. Ei enim adſtipulantur &
noſtrates Auguſtanæ Confeſſioni & Ro-
mano-Catholicæ Religioni addicti, qui
aliàs quoad cenſuram Eccleſiaſticam &
pœnam maleficarum ſeveriores eſſe viden-
tur; Et inprimis Fachinæus *d. lib. 9. controv.*
cap. 87. Petr. Binsfeld. *in tract. de confeſſ.*
malefic. in prælud. pen. ubi in hæc verba ſcri-
bit: Poſſumus nos dicere ſic in hoc Crimi-
70 ne, ſicut in aliis multis, abrogatam eſſe ju-
ſtiſſimè Conſtitutionibus Imperialibus Ca-
roli V. confiſcationem bonorum, ut vide-
re eſt artic. pen. Sed ſicut in omnes Conſti-
tutiones, etiam juſtiſſimè ad obviandum
fraudibus & injuſtitiæ invectas, humana
avaritia dolos inducit; Sic etiam in execu-
tione cauſarum criminalium.

Quidam enim Judices cùm ex confiſca-
71 tione bonorum nihil habere poſſunt, ſub
aliis coloribus vel expenſarum, vel vacan-
tiarum, aut laborum, in rei veritate, (quod
abominandum eſt, & contra juſtitiam &
charitatem) ita confiſcant reorum bona, ut
pupilli vel viduæ non rarò ad ſummam ne-
ceſſitatem redigantur. Quare cùm hono-
re, rebus temporalibus, omnique conſo-
latione priventur, nova præbetur Diabo-
lo ad tentandum occaſio. Ex noſtris ſuf-
fragantur Matth. Berlich. *part. 4. concluſ. 5.*
num. 27. Chriſtoph. Beſold. *d. conſil. 95. l. 3.*
Licet Henric. Bocer. *de omn. gener. homicid.*
lib. 1. cap. 4. ubi affirmativam defendit con-
tra Fachinæum *d. lib. 9. controv. jur. cap. 87.*
72 Etſi autem Fiſcus in multis reperiatur privi-
legiatus; Attamen in dubio contra ipſum
pronunciandum eſſe, probat text. *in l. non*
puto. ff. de jure fiſc. ubi Modeſtinus JCtus
ait: Non puto delinquere eum, qui in du-
biis quæſtionibus contra Fiſcum facilè re-
ſponderit. De quo in propoſito meminit
Martin. Laudenſ. *in tract. de Fiſco. quæſt. 14.*
Mattheſil. *ſingul. 71.* Boſſius *de fiſco & ejus*
privileg. num. 74. Didac. Covarruv. *lib. 1.*
variar. reſolut. cap. 16. in princ. ubi hanc
concluſionem exornat, & in idem adducit
l. 1. in pr. & § fin. C. de caduc. toll. & in l. ju-
ſtas. C. de jur. fiſc. l. 10.

Licet quoque text. *in d. l. puto.* plures in-
tellectus variaſque explicationes recipiat, 73
ut vix credibile ſit, JCtum voluiſſe potiùs
favere privato, quàm Fiſco; ut videre eſt
apud Interpretes copioſè allegatos ab A-
lex. Trentacinquio *variar. reſol. lib. 1. reſol.*
9. Covarruv. *d. c. 16. per tot.* Bened. Carpz.
lib. 4. Reſponſ. Electoral. tit. 2. reſp. 13. num. 1.
& ſeqq. Magis tamen communiter Do-
ctores firmarunt, quòd text. *in dict. l. puto.*
procedat, quando Fiſcus agit de lucro ca-
ptando, prout eſt, quando agitur aut de pœ-
na irroganda, aut de acquiſitione bonorum
confiſcatorum, aut vacantium vel ab indi-
gno auferendorum, Privatus autem de da-
mno vitando: Secus autem, ſi Fiſcus non
ſic de lucro captando ageret, utputa, ratio-
ne contractûs, vel juris proprii: quia tunc
in dubio pro Fiſco judicandum, cum So-
cin. Jaſ. & Ripa *in dict. l. ff. ſolut. matrim.*
Cagnol. *in l. factum ſuum. §. in pœnalibus ff.*
de R. J. ubi pluribus hanc defendit ſententi-
am, & ab ea, uti communiter recepta, mini-
mè diſcedendum affirmat, & alios refert
concordantes.

Et poſito contrariam ſententiam vide- 74
ri magis communem; nihilominus ea de-
claranda eſſet ſecundùm diſtinctionem
jam relatam, ut ſcilicet procedat, quando
Fiſcus agit vigore contractûs & juris pro-
prii, ſecus ſi agat de lucro captando, ob
impoſitionem alicujus pœnæ vel publica-
tionis bonorum, vel pro bonis ab ali-
quo, uti ab indigno, auferendis: quia tunc
erit potiùs attendenda ſententia contra Fi-
ſcum, quàm pro Fiſco, prout fuit de mente
Covarruv. *d. cap. 16. num. 5.* Et expreſsè ſic de-
claravit Peregr. *de jure fiſc. l. 7. tit. 3. n. 45.*

Quibus ita firmatis probèque ſtabilitis 75
non obſtant ea, quæ in rationibus dubitandi
pro contrariæ opinionis adſertione addu-
cta ſunt. Nam huic opinioni numero plu-
res non infimæ notæ & authoritatis JCti
contradicunt, & in veneficii crimine, quo
ſe lamiæ polluere ſolent, confiſcationem
bonorum locum non habere apertè pro-
fitentur, ac contrariæ conſuetudinem re-
pugnare atteſtantur; maximè cùm nulla
lex confiſcationem in crimine maleficii
ſpeciatim inducat, & ne verbum quidem

in

in tot. tit. C. de malefic. & mathemat. de hoc reperiatur. Quod enim attinet *l. 3. C eod. tit.*
76 de ſpeciali quoddam caſu (ut benè animadvertit Berlich. *tom.4. concl.5. num.27. & 31.* eſt concepta, & inibi ſimul ſancitum, ſi aruſpex, incantator, vel magus ad domum alterius acceſſerit, ut eam ſuis magicis artibus inficiat, & ſuis ſortilegiis & impoſturis polluat, & tunc propter gravitatem delicti, quoniam ex hoc maleficio tota domus inficitur, ut nemo ibi conſiſtere poſſit, ſed omnes, qui eam introëunt, & inhabitare velint, vel morbo afficiantur, vel penitus extinguantur, meritò talis veneficus concrematur: ille verò, qui eum advocavit, poſt confiſcationem bonorum in Inſulam deportatur.

Ex quibus relucet, in ſpecie ſolùm eum, qui
77 aruſpicem ſuaſionibus vel præmiis advocavit, ut ad limen alterius accedat, poſt ademptionem bonorum deportari; ipſi verò aruſpices vel ſortilegi concremabantur, iisque non niſi per conſequentiam ſolùm, ut in cæteris delictis, mortis tam naturalis quàm civilis pœnam importantibus, fieri ſolebat, bona adempta fuerunt, quod tamen hodiè per *Auth. Bona damnatorum. C. de bonis proſcript.* correctum eſſe conſtat.

78 Quâ ratione & dubium ſecundo loco motum removetur; Nam hodierno jure & more confiſcatio duntaxat in crimine læſæ Majeſtatis locum habet; Et certè cùm à Juſtiniano ſublata ſit confiſcationis pœna in omnibus criminibus, excepto Majeſtatis crimine, & conſequenter in crimine, de quo agitur, ſi videlicet exſtent deſcendentes vel aſcendentes, videtur ex hoc loco argumentum fortiſſimum oriri, non eſſe confiſcandi bona maleficorum, ſi liberos vel aſcenden-
79 tes ſuperſtites relinquant. Nec enim ullibi videmus contrarium conſtitutum, vel Jure Canonico vel Civili poſt Juſtinianum, nec nos munere Legiſlatoris fungi oportet, ſed Interpretis atque Doctoris. Cùm præſertim odia omni modo ſint reſtringenda, favores autem veniant ampliandi. Lex enim pœnalis locum non habet, niſi in ſuis terminis & caſibus eâ lege comprehenſis, uti pluribus ſuprà oſtenſum.

80 Quod maximè in S. Romano-Germanico Imperio procedit, ex quo in Conſtitutione Criminali Caroli V. *artic. 218.* pro corruptela & conſuetudine irrationabili habetur, ideòque etiam abrogatur & prohibetur, ſi maleficus, extra crimen læſæ Majeſtatis pœnâ ultimi ſupplicii afficiatur, ſimulq; bona Fiſco addicantur, & uxor & liberi ad mendicitatem redigantur.

81 Et quamvis d. Authen. non corrigat jus commune, niſi in caſibus, in quibus confiſcatio fit in conſequentiam, quaſi ſufficiat pœna ultimi ſupplicii, ſi verò confiſcatio eſſet inducta principaliter pro aliquo delicto, non eſſet ſublata, ſecundùm communem, de qua atteſtatur Bartol. *in l. 1. n. 3. ff. de bon. damn.* Cephal. *conſ. 79. n. 4.*

Contrarium tamen ſervatur per to- 82
tum Orbem: quia confiſcatio non vindicat ſibi locum de jure communi, niſi duobus caſibus, videlicet in cauſa hæreſis & læſæ Majeſtatis; & hanc eſſe conſuetudinem & obſervantiam generalem, atteſtantur Roland. à Valle *conſ. 97. num. 2. lib. 2.* & alii ſcienter omiſſi.

Quin etſi confiſcatio hodiè in caſibus, 83
ubi loco pœnæ & non per conſequentiam venit, adhuc eſſet in uſu, attamen paulò antè dictum & evictum eſt, quòd nulla lex ſtatuat in crimine ſortilegii publicationem bonorum loco pœnæ irrogari, itaque & nos præter legem, & extra caſum ſpecialem *in l. 3. C. de malefic. & mathem.* propoſitum confiſcationem introducere non debere. Nec ullum Tertia Ratio Dubitandi præſtat impedimentum. Nam quamvis de Jure Canonico & etiam recentiori *in Auth. Gazaros C. de hæretic.* bona hæreticorum publicentur, ac etiam delictum lamiarum verè hæreſis ſit; attamen in ſecunda Decidendi Ratione oſtenſum eſt, quòd ratione pœ-
næ inter hæreticos & lamias notabilis dif- 84
ferentia deprehendatur, dum nempè hæretici pœnitentes ultimo ſupplicio non afficiuntur. Sagarum verò crimen meritò per pœnitentiam non abolitum eſſe cenſeatur: quippe cum apoſtatis jure aggregentur, ſiquidem Sacroſanctum Baptiſma profanent, & ejus fœdus rumpant, à Deo ejusque divino verbo deſciſcant, & Diabolo ſe mancipent. Clar. *lib. 5. ſentent §. ult. q. 10. n. 5. & q. 60. n. 21.*

Et quamvis ex prædictis palàm & ante 85
oculos omnium ſit, pœnâ dignum maleficorum & ſagarum crimen, quàm vulgaris & communis hæreſeos, non tamen inde ſequitur, quòd, quemadmodum hæreticorum, ſic & maleficorum & ſagarum bona meritò ſubjaceant publicationi. Quamvis enim pœnitentia non hoc efficiat, ut lamiæ, quemadmodum ſimplices aliàs hæretici à pœna ſint immunes, hoc tamẽ efficit pœnitentia, ut non tanquam hæreticæ impœnitentes puniantur, & ideo nec pœnam hæreticorum quoad publicationem bonorum per omnia incurrunt.

Inſuper text. *in d. Auth. Gazaros de hære-*
ſi ta propriè dicta loquitur; Et vult Carol. 86
Molinæus *in C. l. 1. tit. mihi fol 11.* quòd dicta Conſtitutio Henrici VII. *Auth. Gazaros* ab Honorio III. cujus ſuaſu eandem à Friderico II. latam contendit Menoch. *conſ. 218. num. 3.* extorſa ſit blanditiis (ut Molinæus loquitur) coronæ Imperialis, & nunquam in obſervantiam venerit. Quod tamen non facilè dixerim.

Cuja-

87 Cujacius ſanè exiſtimat *12. obſerv. 30.* Weſemb. *in Parat. C. num. 6. in fin.* bona publicata cedere proximis, dum tamen orthodoxi ſint; Et ita *lib. 3. C. de malefic. & mathemat.* ſupplendam ex Codice Theodoſiano; tametſi contrà ſentiat Ant. Guibert. *de jure dot. cap. 3. num. 6.* Videatur quoque Dauth. *de teſtam. num. 242. in margin. lit. C. mihi fol. 295.* ubi etiam *Auth. Gazaros* tribuit Friderico II.

Quarta Dubitandi Ratio eo ipſo remo-
88 vetur, quòd ſuprà in ſecunda Decidendi Ratione affatim dictum & deductum eſt, à crimine læſæ Majeſtatis humanæ ad divinam neceſſariò non argui, additâ ſimul ratione diverſitatis, cùm & aliàs in materia onerosâ & ſtricti juris non procedat argumentum à minori ad majus, Nicol. Everhard. *in loc. à minori num. 4. verſ non procedat.* Auguſt. Berous *conſ. 141. n. 16. vol. 3.* Menoch. *conſ. 629. n. 5.*

89 Ac quamvis delictum lamiarum etiam in Reipublicæ & civilis Societatis perniciem tendat, adeoque deteſtandum ſit, ut pro crimine Majeſtatis humanæ non modò haberi poſſit, ſed & illud ob gravitatem & atrocitatem multis paraſangis exſuperare comperiatur; Attamen hujuſmodi extenſiones in pœnalibus & inprimis in tertii præjudicium non procedere, jam ſæpius
90 dictum fuit. Nec officit, quòd Pontifex Maximus *in c. vergentis, extr. de hæretic.* à crimine Majeſtatis humanæ ad hæreſin, quæ divinam Majeſtatem lædit (in hoc ipſo Confiſcationis puncto) argumentum ducat. Nam exinde concludi non poteſt, quòd à crimine Majeſtatis humanæ ad crimen lamiarum & nobis liceat argumentari, facit enim illud Pontifex, ut Legislator, qui plus habet juris & poteſtatis, quàm interpres aliquis legum.

Et paulò antè, quoad pœnam confiſcationis, magnam diverſitatem inter crimen perduellionis, lamiarumque delicta differentiam eſſe, deductum, inſuperque comprobatum fuit, quòd maleficæ pœnitentes non ut hæreticæ puniantur. Nec item gravitas delicti aliquid hac in parte operari poſſe videtur, aliàs enim peccatum in Spiritum Sanctum, quod omnium graviſſimum eſt, nec in hoc vel in alio ſæculo remiſſio-
91 nem habet, præ omnibus atrociſſimè punieretur. Quod tamen non fieri, eſt in confeſſo. Omnia ergò eo recidunt, quòd confiſcatio, niſi expreſsè in lege poſita, nullo modo locum habere, nec item in odioſis & pœnalibus in præjudicium tertii extenſio pœnarum fieri poſſit.

92 Quinta & ultima Dubitandi Ratio, quâ ex Receſſib. Imperii blaſphemos amiſſione bonorum plectentibus ad pœnam Sagis convictis irrogandam arguitur, parum vel nihil negotii faceſſit; Eò, quòd hæ pragmaticæ Imper. ſanctiones non diſponant, quòd blaſphemus unà cùm vita bona etiam amittat, ſed hoc ſolùm permittunt, ut quandoque bonorum amiſſione ſecundùm circumſtantias & qualitates delicti puniri poſſit.

Nec omninò verùm exiſtimo, quòd 93
Principes Germaniæ Regalia & Territorialem Jurisdictionem habentes confiſcationis pœnam in terrorem aliorum propter frequentiam delicti & in compenſationem ſumptuum & expenſarum judicialium de novo inducere poſſint. Hæc enim quæſtio altiorem indaginem requirit, nec ab eo, qui Imperii arcana penitùs cognita non habet, decidi poteſt. Et quod dicit Peregrin. *tract.* 94
de jure fiſci l. 5. c. 1. n. 20. & ſeq. ex conſuetudine Regionis aut per Decreta Principum & Civitatum habentium jura fiſcalia delicto alicui confiſcationis pœnam imponi poſſe, de ejusmodi Principibus & Civitatibus exaudiendum arbitror, quæ Superiorem de jure vel facto non recognoſcunt, maximè, cùm in Carolina Sanctione artic. 205. & 218. per Clauſulam caſſantem contrariæ conſuetudines etiam in futurum abrogentur; Cùm clauſula derogans Statutis non ſolùm 95
pertineat ad præſentia & præterita, ſed etiam ad futura, per Doctrinam Bartol. Alex. Jaſ. *in l. 1. ſi mihi & tibi. §. in legatis. ff. de legat.* Modeſtin. Piſtor. *conſ. 10. n. 6. & ſeqq.* Et damnatâ conſuetudine præteritâ, ut irra- 96
tionabili, cenſetur quoque futura damnata. Quod pluribus authoritatibus pro more firmat Tiraquel. *de retract. in præfat. n. 18. & 19.* Auguſt Berous *conſ. 162. num. 6. vol. 3.* Surd. *conſ. 426. n. 6.* Et pulchrè Covarruv. *lib. 3. variar. reſol. cap. 13. n. 4. qui & num. 5.* hoc ad immemorialem conſuetudinem extendit. Quòd latè tamen pro & contra examinat Ferdinand. Vaſqu. *lib. 1. controv. uſu frequent. c. 3. videatur omninò* Felician. de Solis *de cenſib. l. 1. c. 1. n. 45. fol. 158.*

Conſtat quoque, hoc in caſu nullam generalem & uniformem Germaniæ con- 97
ſuetudinem allegari poſſe; ſed in diverſis locis diverſam & difformem obſervantiam, in plerisque verò nullum confiſcationi locum eſſe. Imò nonnulli Principes præten- 98
dunt privilegium ſingulare hoc in caſu ſe habere. Et quamvis dicatur, confiſcationem habere eum, qui jura regalia habet; hoc tamen intelligendum eſt de confiſcatione legibus conceſſa: de novo autem confiſcationem introducere, vix eſt, ut absque Imperatoria authoritate quis poſſit, cùm hoc pertineat ad jus dominationis, & univerſale dominium, juribusque Majeſtatis adſcribatur, 99
c. unic. quæ ſint Regal. ubi Afflict. *in verb. condemnationem, num. 39.* Cravetta *conſil. 128. num. 4.* Natta *conſil. 694. num. 21.* Roland. à Valle *conſil. 78. num. 20. volum. 2. & conſil. 21. num. 19. vol. 4.* Mynſing. *decad. 3. reſp. 3.*

reſp.3 num.37.& ſeqq. Franciſc. Marc. *Deciſ. Delphin.234.num.2.part.1.* Petr. Anton. de Petra *de jure quæſit. non tollend. cap.6. num.100.fol.117.* Farinac. *in prax.crimin. q.25.n.103.in fin.*

100 Quò adprimè facit, quod tradunt Po-
litici, minimè eſſe conſultum, ut nova rega-
lia conſtituantur, aut confiſcationes bono-
rum reducantur, Bodin. de Republica *lib.5.*
cap.3. Bornit. *de ærario lib.3. cap.6.* Lather.
de cenſu lib.2.cap.9.num.9. Maximè cùm
101 crudele ſit, Fiſcum in reluctuoſa compendi-
um ſectari; & quia aliàs res judicatæ ſini-
ſtram ſuſpicionem incurrere poſſent, pœ-
næque contra earum finem in rapacitatem
transmutarentur.

102 Nec in eo tantùm leges divinæ ac na-
turales violentur, ſi parentum culpa in libe-
ros derivetur, *Deut.14. Ezech. c.18.* illisque
legitimarum hæreditatum ſpes & ſucceſſio
præcidatur, ſed etiam ob egeſtatem liberi
deſperati ad furta, latrocinia, cædes impelli
videntur. Accedit ſceleris alieni contume-
lia, infamiaque genti ac poſteritati publico
judicio illata, quæ illos ad latronum cœtus
ac conſceleratorum hominum ſocietates
quærendas invitat.

Nec video, quomodo per confiſcatio-
103 nem bonorum, quæ ipſis poſt mortem nul-
latenus proſunt, deterrebit. Cùm quo con-
venit Adam Kellerus *tract.de jur. ſuccedend.*
ab inteſtat. tit.28.ſub num.11. dicens: pec-
care Comites, qui in talibus vel omnibus
delictis, ex quibus ſequitur pœna capitis, pu-
tant ſibi permiſſam publicationem bono-
104 rum. Itaque absque ulla diſtinctione Con-
ſtitutioni Carolinæ artic. 218. mordicus in-
hærendum, ubi notentur verba, **unſer belei-
digter Majeſtät**/ quæ non extendenda, nec di-
ſtinguere noſtrum eſt, ubi lex non diſtinguit;
veluti nullibi hactenus apud moratos Ma-
giſtratus, qui potiùs juſtitiam quàm pecuni-
am amant, talis obſervata fuit diſtinctio in
præjudicium hæredum. Hæc autem in per-
ſonis ipſis maledicis quidem, ut pœnitentes
ante combuſtionem vel ſtrangulo vel gla-
dio priùs enectæ, iſtæ verò vivæ combuſtæ
fuerint. Et ratio eſt, quòd non bona, ſed per-
ſonæ delinquant, ergo ſolæ puniantur, pro-
ut meritæ ſunt pœnas. Denique & à vero
alienum eſt, quòd Principes & Magiſtratus
in recognitionem meri Imperii, ſive ſum-
ptuum & laborum confiſcationem bono-
105 rum inducere poſſint; Nam juris eſt, quòd
omnis impenſa, quæ fit pro punitione cri-
minis, fiſco incumbat per Dd. *in l.1. C. de*
mulier. quæ ſerv.publ.ſe commiſc. Hieron.
Gigas *d. tract.l 3.de pluribus & variis quæſt.*
q.12.n.6.fol.m.478. In puniendis enim ma-
lis hominibus verſatur publica utilitas, *l. ſi*
operis. C. de pœn. Ubicunque verò actus ten-
dit ad publicam utilitatem, Curia, vel Fiſcus
ſolvit pecuniam, *l. lege Cornelia. §. fin. ff. ad*
Syllan. l. ſi. locus §.1. ff. quemadmod.uſufruct.
amitt. per quæ jura poſt Iſerniam eleganter
hoc decidit Joan. Petr. Surd. *conſil.83. n.9.*
Licèt hac in re contra Gigantem diſputet
Marc. Ant. Pereg. *lib.5. de jure fiſci tit.1. n.*
193.& ſeq.

Quemadmodum etiam Superior Ge- 106
neralis gratiam adminiſtrare tenetur, Petr.
Anton. de Petra *de jur. quæſit. non tollend.*
cap.6. de ſervitut. n 42. poſt Vaſquium *il-*
luſtr. quæſt l.1.c.7. Weſemb. *conſ 150.* Licèt
in quibusdam locis contrarium ſervetur,
prout hanc in ſententiam citat Petra (*d. loc.*)
Nattam *conſ.183. columm.1.*

Et in ſpecie, quòd expenſæ Executionis 107
juſtitiæ, ut furcarum, carnificis & ſimilium,
ad Fiſcum pertineant, præter Capell. Tho-
loſan. citatam *deciſ.41.* Clarum infra dicen-
do loco, tradiderunt Boer. *deciſ.303.n.10.*
Flamin. Chartar. *de execut. ſentent. cap. ban-*
nit. cap. fin. n.356. Weſembec. *conſil 96. n.6.*
ubi & alios laudat, Coler. *de proceſſib. execu-*
tiv. part.1. cap.3. num.259. ubi hoc ex jure
Saxonico probat. Petrus Heigius *libro ſecun-*
do quæſtion. jur. 32. numero tertio. Vid.
Andr. Knichen *de veſtitur. pact. part. 2. c. 1.*
num.148. & ſeqq. Quam in rem eſt textus
in der Peinlichen Hals-Gerichts-Ordnung 108
Caroli V. *artic.61.* ibi: **Die Obrigkeit (ſoll)
die übrige Gerichts-Koſten/ als für den Nach-
richter und andere Diener deß Gerichts oder
Gefängnis halb ſelbſt tragen** / *& artic. 215.*
**daſelbſt verordnet/ daß der Gerichts-Herr oder
Kläger Schaden** (ita enim legendum, non
verò **der Kläger**) **den Werckleuten den Tag-
lohn / ſo ſie mit Aufrichtung der Galgen ver-
dienet/ bezahlen ſoll.**

Eadem ratione, ubi per viam Inquiſi- 109
tionis proceditur, capto debet provideri de
expenſis tam cuſtodiæ, quàm litis ex publico
poſt eundem Boerium *dict. deciſ.303. n.2.*
& 3. & alios firmat Coler. *de proceſſib. exe-*
cutiv. part. 1. cap.2. num.90. Vide etiam
Eſcobar *de ratiocin. cap.25. num. 10. & ſeq.*
& cap.26. num.9. Rebuff. *ad l. Divus gl. 1.*
ff. de SC. Syllan. num.173. fol.33. & ad con-
ſtitut. regn. ut benefic. ante vacat. vel bona
confiſcata ante declarata, peti non debet, *ar-*
tic.2. gloſſ.5. fol.348. part.2. Joan. Gutierez
lib.1. pract. quæſt.36. num.2. ubi tractat, cu-
jus expenſis debeat fieri carcer. Joan. Bapt.
Bajard. *ad Clar. quæſt.78. num.2.* poſt Chaſ-
ſan. & Oldrad. qui dicunt, confiſcationem
bonorum videri introductam pro ſuppor-
tandis expenſis, quæ fiunt in proceſſibus de-
linquentium.

At quid dicendum de bonis eorum, 110
qui mortem ſibi conſciverunt? *Diſtinguen-*
dum puto, (19) ut ſcilicet bona illorum, qui
deprehenſi in aliquo crimine, vel de eo po-
ſtulati, metu pœnæ ante ſententiam ſuper
crimine,

crimine, pro quo bona publicantur, mortem ſibi conſciverunt, in fiſcum deferantur; ſin verò doloris impatientiâ, æriſve alieni, aut tædio vitæ, aut valetudinis adverſæ impatientiâ, aliáve de cauſa, mortem ſibi intulerint, bona confiſcationi non ſubjaceant, *l. ſi quis filio.* §. *ejus, qui deportatur. ff. de injuſt. rapt. & irrit. teſtament.* (quam non eſſe abrogatam per Auth. *Bona damnatorum,* contendit Decian. *in tract. crimin. lib. 9. c. 4. num. 4.*) *l. ſi quis aliquid 38.* §. *fin. ff. de re militar. text. in Conſtitut. Crimin. Carol. V. artic. 135.* Annæus Robert. *lib. 1. rer. judicat. cap. 12.* Renat. Choppin. *de Legib. Andium lib. 1. cap. 42. num. 10.* Dauth. *de teſtament. num. 210.* Chaſſan. *in Conſuetud. Burgund. rubric. 2.* §. 1. *num. 35. verſ. Sexageſimus primus caſus.* Nicol. Everhard. Junior. *conſ. 23. vol. 2.* Vaſquius *de ſucceſſ. reſolut.* §. *3. n. 31. & ſeq.* Hieron. à Laurentiis *Deciſ. Avenion. 123. in fin.* ubi dicit, quòd Auth. *Bona damnatorum. C. de bon. proſcript.* reſtringat etiam Confiſcationes eorum, qui ſibi mortem conſciverunt. Eman. Soarez *in commun. opinion. verb. mortem num. 233.* Quò loci citat Bertrand. *conſ. 134. num. 2. lib. 2.* quem tamen non invenio hoc ibi dicentem. *Clar.* §. *ult. quæſt. 68. verſ. ſe ipſum.* Tiber. Decian. *d. lib. 9. cap. 4. num 3.* ubi etiam poſt Bartol.
111 & alios generaliter tenet, quòd pœna publicationis bonorum conſciſcentibus ſibi mortem ſit ſublata *per Auth. Bona damnatorum. C. de bon. proſcript.* ex hac efficaciſſima ratione. Nam (*inquit Decian.*) ſi conſciſcentis ſibi mortem bona non aliàs publicabantur de jure Digeſtorum, niſi crimen, ob cujus conſcientiam ſibi vim intulit, foret tale, pro quo conſcribenda forent bona, ut dicitur *in l. ult. ff. de bon. eor.* Ergo cùm hodiè nullo ex crimine bona publicentur excepto crimine læſæ Majeſtatis, & dict. Authent. *Bona damnatorum, &c.* Sequitur neceſſarium conſequens, quòd conſciſcens ſibi mortem nullo caſu amittat bona, niſi in crimine læſæ Majeſtatis, & præſertim, quia lex, quæ publicabat bona conſciſcentis ſibi mortem, non faciebat id propter delictum commiſſum in ſe occidendo, quod aggravaret primum, ſed potiùs, quia videbatur eo facto confeſſus primum crimen, *juxta l. fin.* §. 1. *ff. de bon. eor.* Ita Decian. *d. n. 3.*

Quò etiam inclinat Peregrin. *de jure fiſci* 112
lib. 4. tit. 4. num. 11. & lib. 5. tit. 1. num. 9. Et ante hunc Franc. Lucan. *de Privileg. fiſc. ſub rubric. de publican. bonor. numero 1. in fin.* Noviſſimè Petr. Heig. *libro 2. quæſt. jur. 36. numero 32. & ſeq.* Quæ ſententia veriſſima videtur, ita ut Lancelloto Conrado *de Offic. Prætor. in crimine libro ſub rubr. de publican. bonor. numero 14. mihi fol. 754.* publicationem generaliter admittenti in occidente ſe ipſum metu futuræ pœnæ, qui commiſiſſet delictum publicum & capitale, etiam antè quàm quis accuſaretur, vel deprehenderetur in delicto, *per l. 2. ubi* Jaſon. *num. 8. C. qui teſtam. fac. poſſ.* vix hodiè adſtipulari poſſimus.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT LXXXV.

Num. 1.

(1) A *Theiſtarum &c.*] Atheos Dn. Spitzelius *in Scrutinio Atheiſmi p. 13.* dicit, alios eſſe *Speculativè Atheos*, alios *Practicè*; Speculativè Atheum appellans illum, qui ex fixâ mentis perſuaſione per ſolidam aliquam conſequentiam DEUM negare, ſeu DEITATEM tollere conatur; Practicè verò Atheũ vocat eum, quia non tam ſenſu & profeſſione, quàm vitâ, praxi atq; moribus DEUM omnemq; Religionem abnegare conatur, item ſi quis omnia pietatis officia & exercitia tanquam inutilia negligat, quamvis aliquam religionẽ profiteatur. Utriusq; autem generis Atheos hodiè (proh dolor!) tantum non ubiq; reperiri manifeſtum eſt. Speculativè etenim tales eo usq; progredi poſſe, ut non ſolùm DEUM obliquè negent, verùm etiã quicquid de DEO vel ſcitur vel creditur, impugnare audeant, Mornæus *lib. 1. de verit. R. C. cap. 1.* confirmat. Rurſus *in ſequentibus p. 16.* Laudatus Spitzelius docet, quomodo Atheiſmus in *Inchoatũ*, quo primùm ad Atheiſmum via ſternitur, cùm DEUS per conſequentiam aliquam negatur, & *Conſummatum:* iterũ alio modo in *Craſſum,* (quo cum Divina providentia etiam exiſtentia, omnisq; numinis cultus oppugnatur) & *Subtilem ſeu Pallatum*, (quando attributa divina aut Religio ſeu ratio colendi DEUM indirectè negatur, ſive in totum ſive quoad principalem, ſive magnam aliquam partem,) dividi poſſit. Adde ab eo laudatum Gisbertum Vœtium *Diſput. I. de Atheiſmo.*

(2) *Ut Chalcondylas & alii authores ſcribunt &c.*] Adde Joh. Ulricum Wallich *de Relig. Turc. pag. 15. ſeqq.* Quinimò quod & Atheiſmus ex ipſis Turcis quosdam infecerit, Teſtis admodùm luculentus eſt Dn. Ricaut. & ejus interpres Gallicus Dn. Briot *en l'Hiſtoire de l'Empire Ottoman. l 2. chap. 12. pag. mihi 318. 319.* quando latinè ſic loquitur: Illi, qui profitentur Atheiſmum, *Muſerins* ſe invicem appellant, quo ſignificant, nos habemus verum Secretum, & ſecretum illud aliud nil eſt, quàm abſolutè negare Divinitatem, multis argumentis ſubſtructis affirmare, Naturam aut Principium internum cujusque individui eſſe id, quod curſum ordinarium rerum omnium, quas videmus & admiramur, dirigat, indeq̀ue Cœlum, Solem, Lunam, Stellas originem ſuum habere, & motum; & hinc eſſe quòd homo ad inſtar herbarum & inſtar florum creſcat, floreſcat, marceſcat. Res ſtupenda omninò eſt, videre tantum hominum, & quidem eorum, quorum plerique Cadis ſunt, & in ſcriptis Arabum doctiores, numerum, qui Conſtantinopoli opinioni huic accedunt. Cæteri, Apo-

Apoſtatæ Chriſtianæ Religionis ſunt, qui convicti in Conſcientia Criminis Apoſtaſiæ, id unicum exoptant, ut omnia cum mundo terminentur. Quidam hujus ſectæ, dives & verſatiſſimus in ſcientiis Orientalibus, nomine *Mahomet Effendi* extremo ſupplicio, eo quo comorabar tempore Conſtantinopoli, ideo affectus fuit, quòd inſolentiùs blaſphemias plures contra Dei exiſtentiam effudiſſet, protuliſſet. Uſus fuit comuniter ad probandam impiam ſuam ſententiam hoc argumento: Aut Deus omninò non eſt, inquiebat, aut tantis dotibus, aut tantâ ſapientiâ, quâ Doctores noſtri nobis perſuadere ſatagunt, nō pollet: Nā ſi talis eſſet, nunquam paſſus fuiſſet, ut tam diu viverem ego, qui vel inimiciſſimus omnium, qui unquam vixêre, exiſtentiæ ipſius ſum, & qui de ea majori cum dedignatione loquatur. Id quod me i primis ſtupefecit fuit, quod cùm morti ſe ſubducere potuiſſet modò revocaſſet doctrinam ſuam, & promiſiſſet ſequi meliorem, potiùs tamen mortem in impietate perſiſtens expetierit, quàm retractaret priora; dicendo amorem, quo erga veritatem feratur adigere ſe ad ſufferendum martyrium quamvis certus ſit, ſibi inde nec quicquam emolumenti aut redhoſtimenti ſperandum. Nunquam, ita me Deus amet, hactenus credere poteram, quod verus Atheiſmus in hoc univerſo detur, ratus, ut adhuc reor, quod & ex lumine naturæ & rationis, exiſtentia Dei in ſenſus noſtros incurrat & demonſtrari queat. Sed invincibilis illa obſtinatio fecit, ut agnoſcerē reperiri hominem, qui in cordibus ſuis, horribili planè modo vivum lumen naturæ & rationis exſtinxerunt. Doctrinæ hujus venenum tam ſubtile eſt, ut in intimiora Serralii, in Fœminarum & Eunuchorum habitacula penetrarit, & Bachas & univerſam illorum aulam infecerit. &c. Hactenus ille.

(3) *Viget & apud Europæos &c.*] Et quidem in Italia, Gallia, Hiſpania, Anglia, Belgio, Polonia, Lithuania, Dania, Norvvegia, Suecia, Livonia, atq; utinam de Germania noſtra hoc quoque ſenſu dici poſſit. Nihil tale movere Germani, ſanctiùs vivitur apud Oceanum; ſed proh dolor! Temporum peſſimorum injuriâ pariter ac veræ Religionis incuriâ accidit, ut non ſecus ac regiones cæteræ peſte iſtâ graviſſimâ correpta fuerit adeò, ut & hæc magna Atheorum frequentiâ ſcateat. Quæ omnia fusè ſatis & diſtinctè citatus modò Dn. Spitzelius *d. loc. à pagina inde 17. usq. ad 48.* deducit & probat. Inſignis eſt locus de viris fortibus (ita enim ſe vocabare amant *Les Eſprits Forts*, in Gallia nova illa hominum ſpecies Atheorum & quibus pro virtute impietas.) Petrus Firmianus (*vero nomine Zacharias de Lizieux Prædicator Ordinis Capucinorum*) *in Sæculi Genio*, libello, privilegio Regio munito circa annum MDCLIII prodeunte *diſſert. 6. pag. 282. ſeqq.* Cùm, Ignota vobis, inquit, loquar. Etiam impiæ Fortitudinis, (*cujus mentionem antea fecerat Firmianus*) Schola fuit. Urbem quæritis? ea eſt, cui nomen ſeu à luto, ſeu à luce rectiſſimè impoſitum: nihil enim illâ præclarius, ſi fortunarum, ſi munerum, ſi ædificiorum dignitatem ſpectes: nihil, ſi vias ipſas, lutulentiùs. An per ſucceſſores ſtet adhuc domus illa, ubi ex condicto perditi homines conveniebant, ad ſui doctoris percipiendam ſapientiam, mihi incertum; ſed de iis, quæ acta ſunt, erumpente illâ Impietate, nec ſe adhuc luci committere auſâ, licet obſcurè acta ſunt, referentis probitas dubitare non ſinit. Aves quædam ſunt, quibus lumen inimicum, & cum cæteris, quæ ſole gaudent, nulla ſocietas; illis quoque ex colore & cantu cum tenebris, affinitas aliqua ſeu conſenſio; ut non mirum ſit eas interdiu latebroſis tegi & ad lumen pavere. Qui primi Impietatis Magiſtri in Gallia extiterunt, bubonum inſtar, nocte tantùm congregabantur, ſibi ex conſcientia metuentes, & eâ calliditate diſpenſantes impietatē ſuā, & ſe nefaria docuiſſe negare omninò poſſent, ſi vocarentur ad tribunal. Soli qui conſcii eſſent intererāt nocturnis conventibus; quia tamē neceſſarii Tyrones, ne citò periret recens malum; cautè delecti inter Novitatū amatores, ſub his conditionibus admittebantur, ut ſecreta res eſſet, neq; differentē Magiſtrū priùs viderent, quàm ejus argumentis convicti, faterentur verū eſſe quod ab eo audiviſſent. Exſpectata ideo nox, ut vir ille, à quo totā fabulā accepi, nō vulgaris Sapientiæ oracula mirabundus exciperet. Et hæc loci diſpoſitio erat; in ampliſſimo cubiculo exilis lucena noctē ita amovebat ut non tota abſcederet; lunā eſſe putares orbe imperfecto, vix inter deſiſſimas nubes pallida cornua proferentē, nec viatoribus ita conſulentē malignâ luce, ut ſecurè poſſent iter carpere. In cubiculo adeſſe non paucos plus ex veſtigiis ſe prementibus, quā ex aſpectu aut vario vocū tenore, tremens tyro agnovit. In loci ambitu cathedræ plures, inter quas una remotior, tacentes exceperunt; ipſe qui novus accedebat, amico monſtrante, in una ſellarū acquievit; mox ille, qui locuturus ſeceſſerat, ubi nulla exigui luminis poſſet timeri proditio, de Deo & providentia ita diſſerere cœpit, ut nō ſine pietatis ſenſu, audiretur ab eo, quem cæteri mox ſuū fore, præmaturo gaudio exiſtimabāt. Media pars horæ in iis quę de Deo, de animarū īmortalitate, de judicio futuro credimus, ferè conſumpta eſt; nec argumentis quibus Religio firmaretur, deerat illa, quæ affectus movet orationis vehementia, ut nihil eorū, quę pietatē quoquo modo mentibus humanis infundunt ſincerus homo, cauſam ipſius agens, de induſtria omiſiſſe videretur. Poſt hæc admirationi ortus eſt locus, dictumq; ſubmurmurantibus ſuffragiis, quicquid veteres Patres, quicquid omnis Theologorum chorus in hoc argumentū ſolidioris doctrinę adducerent illo ſermone comprehendi Reddito ſilentio, vox eadem audita eſt. Majora ſe velioraq; habere profeſſa, quæ de Religione diceret; à comiſeratione impius ſermo incœpit. Peſſimū ſervitutis genus illud eſſe, quo animus humanus cogebatur incredibilia credere, & quæ ſentienda eſſent de Deo, ita accipere à majoribus, ut nefas eſſet ſimpliciſſimæ, ætatis pietatē, vel leviter, nimiæ credulitatis inſimulare, Ita quemlibet hominē naſci, ut jus ad rationē habeat, nec fidei leges juſtè nobis imponi ab iis, qui ideò ſolùm ſapientiores exiſtimantur, qui priores nati ſunt Plura dixit in gratiā libertatis, addiditq; politicā poteſtatē, quæ cohibendis ſceleribus juſtiſſimè ſævit, nimis indulgere opinioni, cùm liberæ mentis homines, & fortiori ſapientiâ imbutos, eadē loqui imperat, quę plebs pro certiſſimis tenet, ob id ſolùm quia tradita ſunt, & audire conſuevit. Inde ad argumenta illa ventū eſt, quibus oppugnatā Religionē adversùs impios tuemur; quæ ut diſſolveret callidus homo, primū ratiunculis uſus, quarū tota vis in gratia verborū & eloquentiæ imagine, ſenſim venit ad illas argutias, quibus olim Chriſtiana Religio apud dicaces Infideles ſcurriliter traducebatur. Nihil nobis reverendū, nihil ſanctū, quo non luderet urbanus Evangelii obtrectator, impietatē ideò ſalibus condiēs, ut venenū cujus horror eſſe poſſet ſi ſolū voluptatis ſocietate ad guſtū accedēs, ſumeretur fidentiùs. Sic exhilartis animis ita poſtea diſſeruit de Chriſto, ut ipſe Julianus Apoſtata defertionis ſuæ Crimē diluens, & Lucianus in Deū facetiis atrox impietate vinceretur. Interea per vices, auditorū riſu incitabatur ſcenica viri Eloquentia laudē ex

ex ſacrilegio captans, & quâ placeret cachinatione admonita, ſemper in progreſſu impudêtior. Finito ſermône, qui propiores novitio homini fuerât, blandè petierunt, quid ſibi de Doctrina iſta videretur; ſed anxiè, nec ad exſpectationê ſatis reſpondebat, integræ adhuc conſcientiæ minis prohibitus, ne tantæ impietati ſuffragaretur. Laudavit tamen viri in dicendo copiam, ſeq; dixit amico multum debere, qui viam ſibi præiiſſet ad honeſtiſſimorum virorum congreſſum & ſtupendæ eruditionis arcana. Non placuit perplexa laudatio, verbis eâ arte diſpenſatis, ut neſcires eâmne doctrinam monſtrû diceret, an miraculû. Frigidiùs ergo noctivagi abierunt quàm venerant, nec Magiſtri facta eſt Epiphania, quia non niſi credentibus vultum ſuû exhibere ſolitus erat, ut & apud illum, viſio eſſet Fidei merces. Hæc mihi ab eo relata ſunt, qui nocturnæ concioni interfuit, ita feliciter mixtus nequiſſimis viris, ut deinceps religioſior eſſet; impietatis enim atrocitate commotus, & ex periculo prudentiſſimus effectus, ne nomen quidem virorum fortium, ſine ſtomacho audiebat. Hactenus Firmianus, cujus locum etſi longiorem adducere vel ideo placuit, ut appareat, quàm facilis ſit ad præcipitia via iis, qui Timore veri Dei abjecto, humanæ rationis fiduciâ turgent, nec non quantû periculum eos maneat qui incautiores conſortio palliatorum Atheiſtarum ſeſe ſemel iterumve immiſcent, ſermonibusq; patulas, ſenſim credulas, præbent aures. Ut enim in corpore ægro corrupto, quicquid infertur, alimentum eſt morbi, atque in noxam; ſic in homine Dei oblito, qui internum illud non depurat pectus, dico fontem & originem ſequioris de Numine ſenſus atq; inchoati & perfecti atheiſmi. Junge dicta ad Politici Scelerati *c.2.p. 18.ſeq.*

Num. 2.

(4) *Julius Cæſar Vaninus &c.*] Hunc ipſum Vaninum ab aliis ſe quoq; *Luciolum* ſive *Lucium* appellari paſſum fuiſſe, Franciſcus Roſet & ejus Interpres, Zeillerus in traurigen Geſchichten in der 26. *Hiſtoria* teſtatur. Et hinc fortaſſis eſt, quòd Gramondus (*qui omninò ejus vitæ exitum deſcribens legatur*) *Hiſtor. Galliæ l.3.p.m.*212. ipſum Lucilium Vaninum vocet. De eo præter allegatû in textu Beſoldum hîc Roſetum atq; Gramondum, 5. *Tom. du Mercure François p.*46. *in Anno* 1619. Hiſtoire des derniers troubles de France *lib.* 3. *fol.* 621. D. Spitzelius *in Scrut. Atheiſm.p.*19. & Antonius Reiſerus *in Epiſtol. Diſſert. de Atheiſmo, pag.* 250. *ſeqq.* conſulantur.

Num. 5.

(5) *Anaxagoras Clazomenius &c.*] Vide Plutarchum *in Pericle &c.* de quo tamen Cicero *lib.* 1. *de Natura Deor.* ita: Primus omnium rerum ſcriptionem & modum Mentis infinitæ vi ac ratione deſignari & confici voluit. Et apud eundem *Tuſcul. Quæſt.* inquit: Materiæ infinitæ particulas ſimiles inter ſe & minutas, primùm confuſas, poſtea in ordine adductas à Mente Divina. Ex quo eum ab Atheiſmo ſtrictè dicto alienum fuiſſe, ſatis probari poſſe nonnemo exiſtimat.

Num. 15.

(6) *Teſte Cuſpiniano &c.*] De Cæſar. *in vita Muhammedis pag* 450.

Num. 18.

(7) *Atheiſmi Principium eſt negare omnia &c.*] Similiter inter characteres, unde & ſi nô exactè ſemper, deprehendantur athei, ſuſpiciones tamen aut præſumptiones facilè deſumantur, ut tantò meliùs nobis caveamus alioſq; incautiores præmoneamus hos recenſet D. Spitzel *in Atheiſmi Radice p.* 15. & 16. nimirum, ſi (1.) omni occaſione datâ negaverint, aut in dubium vocaverint ſupernaturalia, miracula ſcilicet, prophetias, apparitiones, & operationes ſpirituum, cunctaque ad naturalem vim ſympathias & antipathias, ad fictas criſes & peculiaria hominû temperamenta retulerint. (2.) Si Sacræ Scripturæ authoritatem tàm in hiſtoricis, quàm dogmaticis, hominibus ſuſpectam & contemptam reddiderint, eamque cum hiſtoriæ humanæ luce, ratione item ac ſcientiâ naturali commiſerint, quaſi cû veritate pugnaret veritas, & huc eruditionem omnem ſpecioſè attulerint. (3) Si metum omnem & juſtam ſollicitudinem omnibus excutere laboraverint, nil niſi ſecuritatê atq; hilaritatem provocaverint. (4) Si à cunctis animarum Paſtoribus abhorruerint, eos tanquam ſtyges aut aves infelices paſſim declinaverint, imò communia ſaltem vulgi mancipia in ſermone familiari, ad Bodonis iſtius Prætorii exemplum. (*vid. Claſen. Relig. Polit. c.* 2.) (5) Si Atheiſmos aliorum cupidè enarraverint, aut frigidam eorum rejectionem, aut elumbem refutationem ſubjunxerint, aut tanquam ἄλυτα quædam & admirandas ſubtilitates in medio reliquerint. Attamen (6) religionem aliquam ſtrenuè ſimulaverint, & graviſſimè contra eos, qui Atheiſmi ipſos inſimulant, conteſtati fuerint. (7) Si publicos atheorum & atheiſmi impugnationes ægerrimè tulerint, omnes de atheis ſive in theſi, ſive in hypotheſi diſſertationes ferre nequiverint. Si (8) denique religionem ac pietatem, (quam titulotenus præ ſe ferre videntur) nunquam aut rarò ac parcè admodû exercuerint.

Num. 30.

(8) *Nicolaus Machiavellus &c.*] Legere hoc loco haud pigeat Politiciſſimi Forſtneri de infami illo ab Etruria Doctore Judicium, *quod habetur in Notis Politicis ad* 12. *Annal.* 32. *n.* 4. Illum virum (*Machiavellum, inquientis*) ob ſummum ingenii acumen & exactam Civilium rerum peritiam, ego olim magni æſtimavi. At poſtquam in homine Numinis irreverentiam, Religionis contemptum, & cum ſummâ Civilis diſciplinæ peritia ſummam ſacrarum rerum ignorantiam & profanam immortalitatis, quam Chriſtiani poſt depoſitas exuvias ſperamus; incuriâ; deniq; audacibus, præcipitibus ſceleratis, quæq; alia regno conducunt, idem atq; honeſtis conſultis pretium animadverti: profectò non modò multùm mihi de priſtina hominis æſtimatione deceſſit: ſed & haud ſecus ac cum homine à meo genio moribusq; alieniſſimo, cum ſicario, cum inſidiatore, cum venefico, cum fera deniq; & noxia beſtia, ingratâ quidem, ſed neceſſariâ converſatione utor. Hinc ſcitè Hoffmannus *Luſum Epigrammat. cent.* 5. *Epigr.* 96.

Cui Machiavellus *mera fingere mella videtur:*
Huic Machiavellus machina fellis *erit.*

Plura de Machiavelliſtarum ſeu Pſeudo-Politicorû Religione vide apud D. Claſſen. in elegantiſſimo ſuo de Religione Politica tractatu paſſim, ut & apud Spitzelium *p.88 n.XX.* Illud adhuc de Machiavelli exitu memorandû, quod ex Jac. Marchant *in Hort. Paſtor. Tract.* 1. *Lect.* 6. *prope ſect.* 2. Spitzelius *in Scrut. Atheiſmi p.*132. refert, nempe Florentiæ jam in extremis conſtitutum, ſcrupulis conſcientiæ, ob metum damnationis jam iminentis agitatum fuiſſe. Cùm verò in mentem ei recurreret, quòd viri illi magni orbiſq; ſapientes, Ariſtoteles, Plato, Alexander, & ſimiles damnati forent: & quòd viri ſancti ut plurimùm fuerint homines miſeri, in mundo deſpecti, variiſq; anguſtiis & afflictionibus preſſi, quod tum inſanâ voce dixerit: *Malō infernum & damnationem deſcendere cum magnis illis & illuſtribus viris, quàm cum infimis iſtis & vilis conditionis hominibus in cælo degere.* Quorû dictorum

dictorum fidem author vindicet. Liceat huic adjungere Franciſcum Rabeleſium à plerisq; Atheiſmi reũ habitum (*vide Spitzelium in Scrut. Atheiſm. p. 30.*) de quo in vita ejus, operibus ſuis gallicè ultimum An. MDCLXIII. editis præmiſſâ, hæc habentur: *La Mort de Rabelais fut pareille à ſe vie; Il mourut comme il avoit veſcu, eſtant en l' auge de LXX. ans. Le Cardinal du Bellay luy envoya un Page po ur ſcavoir l'eſtat de ſa ſanté. La Reſponſe fut: Dis à Monſeigneur l' eſtat où tu me vois, je m' en vay chercher un grand, Peut-eſtre. Il eſt au nid de la pie, dis luy qu' il s' y tienne; & peur toy tu ne ſeras jamais qu' un fol: tire le ridau, la farce eſt jouee.* i. e. Rabeleſii mors ſimilis ipſius vitæ fuit; ut vixit ſic mortuus eſt annorũ LXX. Miſerat ad ipſũ Cardinalis Bellajus puerum nobilẽ de ſtatu ſanitatis ipſius percunctaturum. Reſponſi loco hæc dederat; Nuntia Dño tuo eum, in quo me vides, ſtatum, ego abeo quæſitum grande aliquod neſcio quid; Ipſum ſedere in nido picæ, dic ipſi, ut ſe in eo contineat; & quantum ad te, nunquam quid aliud eris quàm ſtultus. Obduc Siparium, fabula peracta eſt.

Num. 32.

(9) *Non vivos modò comburendos &c.*] Confer D. Spitzel. *d. ſæpius loco p. 30. & p. 130. n. XXIX.*

Num. 33.

(10) *Deus &c. per ſingulas mundi particulas ubiq; ſplendet &c.*] Confirmat hæc ipſa Romanus ille ſapiens, Seneca, in pulchra illa altaq; Epiſtola *41.* in hac erumpens verba: Si tibi occurrit vetuſtis arboribus & ſolitam altitudinem egreſſus frequens lucus, & conſpectum cœli denſitate ramorum aliorum alios protegentium ſubmovens: illa proceritas ſylvæ, & ſecretum loci & admiratio Umbræ, in aperto tam denſæ, atq; continuæ, fidem tibi Numinis facit. Et ſi quis ſpecus ſaxis penitus exeſis montem ſuſpenderit, non manu factus, ſed naturalibus cauſis in tantam laxitatem excavatus: animum tuum quâdam religionis ſuſpicione percutiet. Magnorum fluminum capita veneramur: ſubita & ex abdito vaſti amnis eruptio aras habet; coluntur aquarum calentium fontes: & ſtagna quædam, vel opacitas vel immenſa altitudo ſacravit. Si hominẽ videris interritum periculis, intactum cupiditatibus, inter adverſa felicem, in mediis tempeſtatibus placidum, ex ſuperiore loco homines videntem, ex æquo Deos: non ſubibit te Veneratio ejus? non dices: iſta res major eſt altiorq;, quàm ut credi ſimilis huic, in quo eſt, corpuſculo poſſit? Vis iſtuc Divina deſcendit; omnium excellentem moderatum, omnia tanquam minora tranſeuntem, quicquid timemus, optamusq; ridentem, cœleſtis potentia agitat; non poteſt res tanta ſine adminiculo Numinis ſtare &c.

(11) *Conſcientiaq; animi terret &c.*] Notanter de Tyrannis Tacitus *6. Annal 6. n. 2.* Neque fruſtra præſtantiſſimus ſapientiæ firmare ſolitus eſt, ſi recludantur tyrannorum mentes, poſſe aſpici laniatus & ictus; quando ut corpora verberibus, ita ſævitiâ, libidine, malis conſultis animus dilaceretur. Adde *infrà in textu n. 33. §. Hinc pulchrè Chryſoſtomus &c.*

(12) *Cum Nerone ferro &c.*] Sueton. *in Nerone cap. 49.*

(13) *Saulis enſem &c.*] *I. Regum 31. v. 4. 1. Paralip. 10. v. 5.*

(14) *Judæ laqueum &c.*] *Matthæi 27. v. 5.*

(15) *Bruti pugionem &c.*] Florus *lib. 4. cap. 7. num. 14.*

(16) *Videatur Leonard Leſſius &c.*] Et laudatus ſæpius Spitzelius, *dd. locis*, ut & ſub præſidio D. Niemanni SS. Th. D. &c. Diſcurſus à M. Chriſtophoro Joachimo Jani propoſitus ad diſputandum Jenæ A. 1668. cui titulus: *Atheus Refutatus & ad veram religionem converſus*, in quo de Atheis, eorumq; ſectis variis, & quomodo illi rationibus firmiſſimis convelli, & ad veræ Religionis, Chriſtianæ ſcilicet, agnitionem adduci & redigi poſſint, eleganter diſſeritur. *Num. 34.*

(17) *Pro Affirmativa &c.*] Hanc ipſam Affirmativam ſpecioſis rationibus ſuffulcit & firmat Melchior Goldaſt ab Heimmsfeld im Rechtlichen Bedencken von Confiſcation der Zauberer und Hexen Güter *ubi n. 94.* Schlüſſe dem allem nach / mit ſo mennigen hochgelehrten / verſtändigẽ / weiſen und erfahrnen / ſo wol Schrifft-als Rechtsgelehrten / daß die Zauberer und Hexen / die Gott verlaugnet / ſich dem böſen Feind ergeben / und Zauberey getrieben / nach der Schärffe der Rechten / nicht allein ihr Leib und Leben / ſondern auch ihr Haab und Gut / verwürcket haben / und dero Obrigkeit eines jeden Orts heimgefallen. Und alſo lehren / ſchreiben / halten und ſtatuiren in gemein die Catholiſche Theologi und Canoniſtæ, auch theils Proteſtirende Prediger / und die Juriſten und Rechts-Gelehrten / faſt per communiorem, wo nicht gar communiſſimam. Hæc ille, qui dicta ut in antecedentibus, ſic in ſubſequentibus operosè probare nititur.

Num. 36.

(18) *Eſſe & alia &c.*] Confer Goldaſtum *d. loco pag. 68. n. 144. & pag. 133. ſeqq.* Guazzinum *de Confiſc. vinar. Concl. 13. pag. 18. & Conc. 14. p. 191.* & notam *ad lib. 2. Klockii noſtri c. 26. (7)*

Num. 110.

(19) *Diſtinguendum puto &c.*] Et ſic quoque expreſsè diſtinguitur in Caroli V P. H. O. *art. 121.* ad quẽ Commentatores, ut & Knipſchildium *de Civit. Imper. l. 2. cap. 15. n. 21. & 22.* Dn. Mylerum ab Ehrenbach *de Princ. & Stat. Imperii parte 2. cap. 68. n. 9. IV.* &c. vide.

CAPUT LXXXVI.

De Bonis Anabaptiſtarum Aliorumque Hæreticorum Fiſco ſubigendis.

SUMMARIA.

1. Anabaptiſtæ *igni, gladio, ſuppliciis è medio tolluntur.*
2. Judices *de hac hæreſi ubique ex jure & conſtitutionibus judicare jubentur in Receſſibus Imp.*
3. *Tit. C.* Ne ſanct. Bapt. iteret. *an agat de Pædobaptiſmo, quem hodiè urgent* Anabaptiſtæ?
4. Anabaptiſtarum *bona publicationi ſunt obnoxia.*
5. Hæreticorum *bona ipſo jure confiſcantur.*
6. Confiſcatio *bonorum hæreticalium cedit ad utilitatem Fiſci Principis ſæcularis.*
7. Hæreticus *debet prius declarari, priusquam Confiſcatio ſortiatur effectum.*
8. Hæretici *qui ſint? & quomodo differant à Paganis & Schiſmaticis? remiſſivè.*
9. Hæretici *an igni, ferro, &c. exſtirpandi?*

Pontificiorum hac de quæſtione doctrina & praxis, hoc num: *Noſtrorum Theologorum veroſimilis ſententia, ejusque rationes,* n. *10. 11.* 12. *13.* 14. *15. 16. 17. 18. 19. 20. 21.*

22. Auguſtini *de hæreticorum Zizania igni exurenda, ferroq; ſuccidenda, opinio.*

23. *In* Hæreticos ſeditioſos *Magiſtratui animadvertere licet : &* n. *24. 25.*

26. Anabaptiſtæ & Libertini *plerumque ſeditioſi: Horum aſſeclæ Metiſtæ, Stiffeliani &c.*

27. *Motus* Monaſterienſes; *&* n. 28.

29. Sectæ Anabaptiſticæ *quænam defuerint, quò minùs feliciorem ſucceſſum habuerit?*

30. Hæreſis *ferè nulla unquam fuit, quæ non habuerit fœminam auctricem, vel adjutricem.*

Sors Ana-quæ-baptiſtarum manet bona tandem,
Hæreticique gregis quoslibet, hicce liquet.

1 QUamvis Conſtitutio Caroli V. de Anno 1529. §. **nachdem auch kürtzlich /** ibi: **daß alle und jede Widertauffer / etc.** & Receſſus Imper de Anno 1551. §. **Hierauf haben wir mit Churfürſten / etc.** Anabaptiſtas ſupplicio ignis, gladii & ſimilium, pro meritis perſonarum, etiam non præhabitâ Eccleſiaſticorum Judicum inquiſitione percellat, nec ullam Confiſcationis bonorum
2 mentionem faciat; Nihilominus cùm Judices, cognitoresque de hac Sectâ, ante aliquot centum annos vetitâ ac damnatâ, ubique ex Jure & Conſtitutionibus judicare, diſtrictè jubeantur, atque ita ad *titulum Codic. Ne ſanct. baptiſma iteretur* (qui ta-
3 men titulus non de *Pædobaptiſmo*, (1) quem ſubſtituunt hodierni *Catabaptiſtæ*, (2) ſed de Anabaptiſmo principaliter agit, improbans damnansque ſimul mores quorundam hæreticorum, veluti Donatiſtarum, Novatianorum, Eunomianorum, aliorumque, qui à Catholicis baptizatos rebaptizabant, tanquam minùs rectè purificatos, ut notant Cujac. & Weſembec. *in Parat. Cod. ne ſanct. bapt. iter.* Matth. Stephan. *in Cod. Juſtinianei libro 1. titul. 6. num. 2.* Anton. Perez. *in Prælect. ad Cod. libr. 1. titul. 6. num. 1.*) digitus intendatur; Quo loci ejusmodi perſonæ criminis hæreſeos redarguuntur: & infamiâ, teſtamenti vel donationis faciendæ interdictione, decem librarum auri mulctâ, exilio,
4 & aliquando ultimo ſupplicio plectuntur, *leg. 2. & leg. 3. Cod. d. tit.* ideo Magiſtratum & horum bona rationibus Fiſci applicare
5 poſſe, nullus dubito: Cùm dupondiis notum ſit, bona Hæreticorum, quos obſtinatioris animi dementia transverſos abripuit, ipſo jure confiſcari, text. *in dict. Auth. Gazaros Cod. de hæretic.* ubi licet non declaretur,
6 ad cujus favorem & utilitatem hæreticorũ bona confiſcentur, dubium tamen non eſt, quin, cùm confiſcationis pœna à Principe ſæculari ſancita ſit, illius Fiſci utilitati cedat, extente Farinac. *conſil. 117. n. 2. & per tot. libr. 2. & in prax. crim. quæſt. 25. n. 12.* Imò bona hæreticorum ipſo jure confiſcata reputantur, *cap. cum ſecundum 19. de hæreticis. in 6.* Tiber. Decian. *tract. crimin. libro 5. cap. 44.* Sic & JUSTINIANUS *Magnus* (3) Imperii ſui initio, perſecutionem Græcæ religionis inſtituit, cùmque multos Procerum labe Ariana vitiatos deprehenderet, bonis eorum publicandis, & ſuppliciis irrogandis magnum aliis terrorem incuſſit: *lege etiam lata*, (4) ut nemo niſi orthodoxus Rempublicam gereret, & CAROLOMANNUS mulctam undecim ſolidorum exegit ab iis, qui paganorũ ſuperſtitiones obſervarent, Naucler. *generat. 25.*

Hactenus tamen confiſcatio ſortitur effectum, ſi ſuper hoc crimine promulgata fue- 7
rit ſententia declaratoria, Tib. Decian. *conſil. 29. per tot. vol. 5.* Petr. Caball. *cent. 2. reſolut. criminal. caſ. 293. n. 4.* Scaccia *libr. 1. de judic. civil. crim. & hæret. cap. 98. n. 11.* Menoch. *de arbitr. judic. quæſt. lib. 2. caſ. 316. num. 64.* Mynſing. 2. *obſerv. 43.* Dauth. *tractat. de teſtam. n. 248. pag. 304.* ubi elegantiſſimè exequitur, quinam propriè dicantur hæretici, & quomodo hære- 8
ſes, vivis ſuis depictæ coloribus, debeant cognoſci, & à Paganiſmo & Schiſmate diſcerni.

Atque hæc, quæ de bonis Anabaptiſtarum, & in genere hæreticorum quorumvis, confiſcationi ſubjiciendis, diximus, ut in jure & foro civili veriſſima ſint: Quin & Pontificiæ fidei articulus eſt; Hæreticos igni, aquâ, ferro, reſti, equuleo torquendos eſſe & exſtirpandos, & cum hac doctrina praxis eorum congruit. Docent enim Hiſtoriæ Ferdinandum Ducem Albanum paucis illis annis, quibus Belgio præfuit, octodecim mille & ſexcentos utriusque ſexûs homines clanculum & palàm furialibus Carnificis ſuſtuliſſe, Author *de jure belli Belgici.* Noſtri verò Theologi, ut capitali pœnâ hæreticos (contra quam *plerique Calvinianorum* (5) cum Pontificiis cenſent) affici nolunt; ita nec bonorum confiſcationem, meo judicio, concederent. Ex hoc fundamento, atque ratione; Neminem ad Religionem aliquam amplectendam violento modo compellendum eſſe; nec hæreticos occidendos, ſi blaſphemiâ abſtineant; Conſcientiæ enim res eſt religio, quæ omnem vim reſpuit, & ſolius Dei dominio ſubjecta eſt. Ejiciendos ergo quidem & proſcribendos, ſi metuendum ut & alios peſtilenti ſuo errore imbuant, & ſeducant: ſed bona illis adimenda eſſe, nullum Theologum equidem memini tradere. Quò faciunt, quæ diſputantur *in tractatu meo de Contribution. cap. de Collectis ad expellendos Hæreticos indictis*: ubi planè ex mente ſynceriorum Theologorum traditur, ad religionem invitum compelli debere neminem. Quòd ſi nemo vi cogi poteſt, utique nec illa ereptionis bonorum vis adhibenda

benda fuerit, nec quia lubens ampleĉti non vult, bonis privandus, quod non niſi in manifeſtis criminibus & juri humano ſubjectis fieri conſuevit. Ut ſolùm ergò vertant, ſi metus ſeductionis & erroris propagandi fuerit, poterit jubere Magiſtratus: ſed & bona eripere atque Fiſco addicere, meâ quidem ſententiâ non poterit, ſi Theologos audiat ductos authoritate Christi, Apoſtolorum, & Veteris Eccleſiæ.

11 I. Christi in Evangelio tum *Matth. cap. 13. verſic. 30.* Sinite pariter creſcere zizania & triticum usque ad meſſem, ne, dum colligitis zizania, eradicetis ſimul & triticum: tùm *Lucæ cap. 9. verſ. 54.* ubi cùm diſcipuli in Samaritanos, qui propter religionis diſparitatem Chriſtum hoſpitio excipere nolebant, ignis vindictam expoſcerent, Chriſtus ipſis reſpondit: Neſcitis, cujus Spiritûs vos eſtis: Filius enim hominis non venit ad animas perdendum, ſed ad ſervandum.

12 II. Apostolorum, qui à Chriſto rectiùs edocti, poſteà neque ipſi vindictam illam adversùs hæreticos & Pſeudoprophetas exercuerunt, neque illius exercendæ Magiſtratui in ſcriptis ſuis authores & monitores unquam fuerunt, ſicuti hodiè Loyolitæ ſanguinariis iſtiusmodi ſuggeſtionibus aures Magiſtratuum obtundere non ceſſant, ſed hic correptionis & excluſionis pœnam ſufficere judicarunt, *Tit 3. v. 4.* Hæreticum hominem, poſt unam atque alteram admonitionem fuge. Et *Epiſt. Joh. 2. v. 10.* Si quis venit ad vos, & hanc doctrinā non adfert, nolite eum recipere in domum, neque Ave ei dixeritis. Quod non privatis tantùm, ſed ſingulorum Ordinum hominibus dictum eſt. Privati enim hæreticos ſufficienter admonitos excludere debent, à communione corporis Eccleſiaſtici: Magiſtratus verò à ſocietate civili, ſicuti ſuperiorum ſæculorum praxis hæc fuit.

13 III. Veteris Ecclesiae. Auguſtinus enim *lib. 3. contra Creſcent.* ita ſcribit: Nullis bonis in Eccleſia hoc placet, ut usque ad mortem in quenquam ſæviatur. Et *Epiſt. 127. ad Donatum Proconſulem Africæ* ait: Corrigi eos cupimus, non necari. Idem ſentiunt Tertullian. *ad Scapulam Tyrannum.* Cyprian. *lib. 3. Epiſtol. 3. ad Maximum.* & Chryſoſt. *homil. 47. in Matth. cap. 13.* de zizaniis ita ſcribens: Non prohibet, conciliabula hæreticorum diſſipare, ora obſtruere, libertatem loquendi concedere verùm prohibet interficere ac trucidare. Et *in Sermon. de Anathemate* inquit: Oro vos, ne hæc verba vobis excidant: dogmata impia, & quæ ab hæreticis profecta ſunt, arguere oportet & anathematizare, hominibus autem parcendum, & pro ſalute ipſorum orandum. Adſtipulatur etiam Theophylact. *in 13. cap. Matth.* & Lactant *libr. 5. Inſtit. cap. 19.*

Eademque fuit praxis veteris Eccleſiæ & veterum Conciliorum, quæ præcipuos iſtos hæreſiarchas, Arium, Neſtorium, atque Eutychem legitimè & ſufficienter convictos à communione quidem excluſerunt, igni tamen tradendos, vel à Magiſtratu ad ultimum ſupplicium trahendos eſſe non judicarunt. Quod enim *in Concilio Conſtantienſi Anno* MCCCCXI. factum & decretum fuit, illud Conciliis veteribus non derogat, & propter violatam publicam fidem ipſi quoque rationi abominabile eſt. 14

Quoniam verò authoritates humanæ absq; rationibus non adeò ſunt magni momenti, operæ pretium erit, veteris Eccleſiæ rationes quoque expendere.

Prima fuit hæc, quòd alienum ſit à Religione & fide, jugulando & necando illam propagare velle, Hilar. *ad Conſtant. Imperat.* Non decet, *inquit*, non oportet cogi atque compelli invitos & repugnantes. Tertull. *ad Scapul.* Non eſt religionis cogere religionem, quæ ſponte ſuſcipi debet, non vi. Lactant. *de inſt. l. 5. c. 19* Defendenda eſt Religio, non occidendo, ſed moriendo. Et *capite 20.* Religio cogi non poteſt, verbis igitur potiùs, quàm verberibus res agenda eſt. Et ſi ſanguine atque tormentis religionem defendere velis, jam non defenditur, ſed polluitur & violatur. Ambroſ. *in 2. Cor. 1.* Fides non neceſſitatis, ſed voluntatis res eſt. Bernhard. *ſermon. 66. in Cant.* Fides ſuadenda eſt, non imponenda. Et *in I. Can. diſtinct. 45. capit. non percuſſorem.* Nova atque inaudita eſt iſta prædicatio, quæ verberibus fidem exegit. 15

Secunda, quòd hæreticis conſuetum & ferè proprium ſit occidendo religionem ſuam propagare, ſicut hiſtoria Eccleſiaſtica de Arianis, Donaſticis, Neſtorio, Dioſcoro, & aliis teſtatur. Unde Hieronym. *in cap. 4. ad Gallat.* Qui ſecundùm carnem natus erat, perſequebatur ſpiritualem: nunquam enim ſpiritualis carnalem perſequitur, ſed ignoſcit ei, ſciens per tempus eum adhuc poſſe proficere. 16

Tertia, quòd periculum ſit, ne cum Zizaniis etiam bonum frumentum eradicetur: inprimis cùm illos, qui hæretici antè fuerant, pòſt ad ſaniorem mentem ſe recepiſſe compertum ſit Chryſoſt. *homil. 47. in 13. capit. Matth.* Ejusque abbreviator. Theophylact. *in idem Cap.* Et ante hunc Auguſtinus *in enarrat. Pſalm. 34.* qui etiam ad Proconſulem Africæ ita ſcribit: Peccata eorum ſic compeſce, ut ſint, quos pœniteat peccaſſe. 17

Quarta, quòd Zizaniorum, hoc eſt, hæreticorum exſtirpatio non debeat fieri ante tempus, quod eſt dies extremi judicii,

Auguſtin. *lib. de fide & oper. cap.* 4. & Chryſoſtom. *homil. 47. in Matth.*

19 Quinta, quòd fictilia vaſa confringere ſoli Domino conceſſum ſit, cui etiam virga ferrea data eſt, Cyprian. *lib. 3. Epiſt. 3.*

20 Quod igitur pugnat (1) cum Chriſti interdicto, (2) Apoſtolorum, Conciliorum & Veteris Eccleſiæ praxi, (3) cum proprietate religionis, (4) cum ſtatu Politiæ Evangelicæ, (5) quod eſt conjunctum cum periculo, (6) conſuetum & ferè proprium hæreticis, (7) per quod anticipatur tempus à Deo definitum, & (8) invaditur alienum officium, illud in praxi & foro Chriſtianorum non debet uſurpari. Hereticos vel in Religione diſſentientes, gladio à Magiſtratu percuti, aut igni tradi, e-
21 jusmodi, Ergo &c. Accedit, quòd Eccleſiæ N. T. olim prædictum fuit, quòd ſine cæde & ſanguine doctrinam Evangelii propagatura ſit, *Eſai. 11. verſic. 6. & 9.* & quòd inter culpam & pœnam ſemper debeat eſſe analogia & proportio. Atqui culpa hæreticorum non eſt corporalis, ſed ſpiritualis. Ergo quoque pœna talis eſſe debet.

Hiſce aliiſque de cauſis pleriſque media
22 ſententia arridet, ut ſcil. hæretici modicè coërceantur. Quò etiam inclinare videtur B. Auguſtinus *in Epiſtol. 48. ad Vincentium contra Donatiſtas.* Mea, *ait*, primitus ſententia erat, neminem ad unitatem Chriſti eſſe cogendum, verbo eſſe agendum, diſputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos Catholicos haberemus, quos apertos hæreticos noveramus; Sed hæc opinio non contradicentium verbis, ſed demonſtrantium ſuperabatur exemplis: Nam primò opponebatur Civitas, quæ cùm tota eſſet in parte Donati ad unitatem Catholicam timore legum Imperialium converſa eſt, quam nunc videmus ita hujus veſtræ animoſitatis perniciem deteſtari, ut in eâ nunquam fuiſſe credatur.

23 *Si tamen hæretici ſeditioſi exiſtant*, (7) & ſub ſpecie Religionis, Subditorum animos ad tumultus & factiones impellant; & publicè blaſphemias in Dei Majeſtatem evomant, aut ſi ipſimet Magiſtratui in Civilibus quoque obedientiam denegent, Theologi & Politici in eo ferè omnes conſentiunt; quòd liceat Magiſtratui pro delicti qualitate graviter in hæreticos ſeditioſos animadvertere.

24 Licet enim ad fidem nemo cogi debeat, externa tamen diſciplina conſervanda eſt, ne liceat petulantibus hominibus turbare Ordinem Eccleſiæ & diſciplinam Chriſtianam, Mentzer. *in Exegeſ. Auguſtan. Confeſſ. art.* 16. Imò deteſtanda patientia, quæ videns vineam Domini ante oculos ab im-
25 maniſſimis monſtris devaſtari, connivere velit: Quicquid enim lupus in ovili, aper in vinea, id in Eccleſia Dei blaſphemus & ſeditioſus hæreticus, Reinking. *lib. 3. de regimin. Eccleſ. claſſ. 1. cap. 5. num.* 19.

Hoc in genere Anabaptiſtæ plurimum pollent, & ferè primas tenent; & *Davidis* 26
Georgii (8) diſcipuli, quos Libertinos, Freye Geiſter / *Beguardos* (9) vulgò appellitant: quorum aſſeclæ ferè ſunt hodiè Metiſtæ, Stifeliani &c. ac in Hiſpania Alumbrados, Mercur. Francois *tom. 9. ſub Anno* 1623.

Quantas enim rebellionum flammas A- 27
nabaptiſtica monſtra excitaverint, *motus Monaſterienſis* (10) Anno MDXXXIV. *& ſeq.* ſatis ſuperque teſtantur. Ibi namq; Rotmannus Leidenſis, Cnipperdollingius, & Crechtingius, non ſolùm omnes Monaſterii incolas, ſed etiam accolas ſibi aſſociarunt; illis rebellionis venenum inſtillarunt, contraq; Magiſtratum exſtimularunt, tantamq; molem rebellionum atque ſeditionum proſeminarunt, ut in ſuccreſcentibus zizaniis eradicandis, totum Imperium Rom. occuparetur. Sleidan. Comment. *l. 10. de An.* 1535. *& ſeq.* Sebaſt. Münſter. *in Coſmograph. lib. 3. cap.* 462. Hondorff. *in theatr. hiſtor. fol.* 107. Qua de cauſâ hæ Anabaptiſticæ Strophæ
rebellionibus infertæ, non ſolùm in Co- 28
mitiis Imperii abrogatæ, ſed etiam omninò exſtirpatæ ſunt d. Receſſ. de An. 1529. §. Nachdem auch kürtzlich: Ac Receſſ. de An. 1544. §. Nachdem auch die ſchädliche: & d. Receſſ. de Anno 1551. §. hierauff haben / diſertè ſancitum; ut Anabaptiſtæ jusjurandum ſubjectionis abnuentes Magiſtratúmve nullum agnoſcentes, igni, gladio, ſuppliciis è medio tollantur. Vide Aubert. Miræum *in Annalib. Belgic.* Anno MDXXV. ubi refert, Quintium Sartorem Picardum, cum Socio Coppino, Libertinorum dogma diſſeminaſſe, & ob hoc crimen & alia Tornaci extremo ſupplicio affectos: hæreſi tamen prius ejuratâ. Vide quoque Lambert. Hortenſ. *de Anabaptiſt. fol.* 7. Beſold. *in Theſau. Pract. verb.* Widertäuffer Arnold. Meſshovium Lippienſem *in hiſtoria Anabaptiſta.* Joh. Iſac. Pontanum *rer. & urbis Ameſtelod. Hiſtor. lib. 1. cap. 8. n.* 5. ubi erroris Anabaptiſtici occaſionem egregiè deſcribit, & *fol.* 45. addit: Deteſtandæ huic ſectæ, quæ jam
totius Orbis Chriſtiani Imperium ſpe de- 29
voraverat, duo defuiſſe; quò minùs eventu ſecundiore uſa fuerit, diſciplinam nimirum, & robur exerciti ad bellum populi. Nam aliàs doctrinæ abſurditas, Enthuſiaſmus, & Polygamia, omnia magna promittebant, nec minora Muhammedis dogmate: quod etſi totum eſſet ineptum & populare, tamen in tantam ſe diffudit amplitudinem, ac potentiam, ut etiam præcipuè Chriſtianiſmus nunc metuat.

Nulla ferè unquam hæreſis fuit, quæ non habuerit fœminam auctricem, vel adjutricem.

cem. Cæſ. Baron. *in Annal. A.C. 146. num. 9.* Tertullianus duri ingenii vir, auſteriq; animi vitæ profeſſionem in ſeveritate atq; auſteritate nimia tantummodo collocavit; inſuper in credendo adeò facilis fuit, ut etiam qualicunque muliercularum prætenſis viſionibus fidem præſtaret, infeliciter ſe dedit in hæreſin, quam jam antè condemnavit, Baron. *Anno Chriſti 201.* Hi iidem mores faciunt hæreticos, & apud nos præſertim Wigelianos, Metiſtas, Anabaptiſtas, &c.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT LXXXVI.

Num. 3.

(1) **P***Oedobaptiſma &c.*] Notum eſt Pœdobaptiſmum ſive Baptiſmum infantum ſuperiori ſeculo oppugnari cœptum ab Anabaptiſtis, qui propter repudiatum Baptiſmum in infantili ætate ſuſceptũ, eundemque ætate jam adultâ repetitum, eo nomine appellantur, præſertim cùm in hoc errore omnes conveniant, licet in aliis quàm plurimis doctrinæ capitibus disſideant. Deſierunt illi tandem invidioſâ erroris iſtius infamiâ coacti iterari Baptiſmum, quod in Apologia ſua publicè teſtati ſunt Waldenſes, remanſit tamen ſic nomen primitivum, ut qui errore iſto maximè repudiato, in reliquis conſentirent. Anabaptiſtarum appellatione notarentur. Ex Myl. *in Auguſt. Confeſſ. art. 9. part. 2.* Beatus Gerhardus *Loc. Theol. Tom. 4. loc. de Baptiſm. p. 307. n. 182.*

(2) *Catabaptiſtæ &c.*] Neophotiniani Catabaptiſtæ diſputât Baptiſmũ aquæ non eſſe inſtitutũ eo fine, ut eſſet ordinariũ & perpetuũ N. T. Sacramentũ & medium regenerationis ac renovationis, quod durare debeat in Eccleſia usq; ad finem mundi, ſed ut externa iſthac ceremonia in auſpicio N. T. de verâ ad DEUM converſione & interiore à peccatis abluitione homines admonerentur. *ex Catech. Racoviens. major. pag. 225. & 26.* laudatus Gerhardus *d. l. p. 274. n. 115.*

Num. 6.

(3) *Juſtinianus M. &c.*] Cedrenus *Hiſtor. rer. Oriental. p. 94.* Guinetus *in Juſtiniano c. 2.* Giphanius *de Eodem p. 27. ſeqq. & p. 32. ſeqq.*

(4) *Lege etiam latâ &c.*] Novella *109.*

Num. 10.

(5) *Plerig, Calvinianorum &c.*] Vide Anonymi Diſſertationem, quâ diſputatur, quo Jure, quóve fructu Hæretici ſunt coërcendi gladio vel igne, quæ occaſione ſupplicii, quo Michael Servetus Hiſpanus, aliàs de Renes ab Arragonia Genevæ Anno MDLIII. affectus, prodiit. De eo ſic Thuanus ſcribit, *lib. 12.* Sub finem Octobris Michaël Servetus Terraconenſis, Genevæ ſupplicio affectus eſt. Is profeſſione Medicus cùm impuras manus ad Theologiæ Sacra attuliſſet, erroneas de Sacro-Sancta Trinitate, & ad DEI contumeliam pertinentes opiniones invexerat librisque editis (*quorũ librorum Catalogum recenſet Geſnerus in Bibliotheca*) defenderat. Igitur comprehenſus cùm ſententiam mutare nollet, re priùs ex Johannis Calvini conſilio cũ Bernatibus, Tigurinis, Baſileenſibus, & Schafuſianis miniſtris communicatâ, tandem ad mortem damnatus eſt. Ejus Doctrinam poſtea Calvinus (quòd ei ex illius nece invida conflaretur) propoſuit, & publicato libro confutavit; quo in Hæreticos etiam Gladio à Magiſtratu animadvertendum eſſe contendit.

Num. 14.

(6) *In Concilio Conſtantienſi A. MCCCCXV. factum &c.*] Cùm Johannes Huſſus ſcilicet juſſu Sigismundi Imperatoris, ejusque literis de ſecuritate, quas Salvum Conductum vocant, munitus, illic præſens, ad mandatum Conſilii Præſulum dogmata ſua recantare recuſans, ut hæreſiarcha damnatus fuiſſet qui igne ſupplicium lueret, traditusque poteſtati ſeculari; à qua, quod Concilium judicaverat, executioni mandatum fuit. Cavillantibus hodieque nonnullis Pontificiorum, ut fidem Salvi Conductus integram manſiſſe oſtendant, promiſſam à Cæſare ſecuritatem contra vim injuſtam, non contra Juris executionem. Conſulantur de his Narratio particularis *Tom. I. Oper. Huſſi f. 83.* Tractatus, cui titulus *Huſſus combuſtus non convictus.* Sylvius *Hiſt. Bohem. cap. 36.* & *in Comment. de Concilio Baſilienſi.* Felix Fabr. *1. 15. pag. 180.* Nauclerus *2. Geneſi 48. f. 269. ſeqq.* Edictum Salvi Conductus exhibet Goldaſtus *Conſtit. Imp. Tom. 1. pag. 389.*

Num. 23.

(7) *Si tamen Hæretici ſeditioſi exiſtant &c.*] De Hyperephaniis exſtinguendis vel non, Ibburranes hanc ſententiam apud Barclajum *in Argenide lib. 2. pag. mihi 129.* profert: Neque cum illis pacem neque bellum ſimpliciter volo. Nam ſi quietem poſſunt pati, non hos puto ullis motibus ſollicitandos. Sin in Regem Remque publicam ſeditioſis conſiliis ſpontè inſurgent, ferendos non arbitror; ſed vi armisque premendam veſaniam ſuperbè furentium. Pia tunc arma, tunc omni laude digna in eos ſeveritas. Totis regni viribus enitendum ne impunè auferant abominandi in Reges exempli audaciam. Et eò quidem celeriùs vindicandum, eſt facinus, quò ipſi ferociùs ſolent graſſari in cunctantes: noſtramq; patientiam pro imbecillitate contemptim accipere. Neque enim hæc ſecta, ferendo, parendóve (ut ſolent meliores diſciplinæ) quærit ſibi incrementa; ſed jurgio, rixâ, tumultu, ſua facinora aſſuevit aſſerere. Ferro igitur & plusquam æmula ferocitate, cenſeo in eos eſſe agendũ, quoties ſuis injuriis Regem ac Patriam laceſſent. At ſi ſeditionibus, ſi rebellione abſtinebunt, patienturque mitiùs ſe haberi, tunc ego cum illis Pacem malim. Jam enim in plures ſerpſit labes, quàm ut ſinguli inter reos ſcribi poſſint, & citari à lictore. Ac præterea juventute abundat Sicilia, quam nunc levitas, nunc egeſtas, nunc ipſa armorum cupido ſic verſat, ut non jure aut pudore æſtimato factioſis det nomina, & in militiam coëat, quantumvis Superis mortalibusque averſam. Ita multi, dum armis certatur, accedunt ſpe prædæ

 ad

ad iſtos Hyperephanios, qui eos in pace devorent: & Reges bello illato plures de novo reos faciunt, quàm de veteribus exſtinguunt. Præterea veluti fila per ſe tenuia ac ſoluta facilè rumpas: At ſi ea inter ſe violéto implicas nexu, quò fortiùs premis, eò validùs ſtipantur, coëuntque denique in funem cui frangendo nunquam ſuffeceris. Sic iſti per ſe fortè negligentiores ſuarum partium, ubi intentatos jugulis vident enſes, qui coactam, i. e. ut exiſtimant, pudendam pœnitentiam extorqueant interdum furioſo, & quàm ægrè exſolveres nexu conjurant. Itaque pace, otio, regni felicitate (ſi ipſi importunis tumultibus ad arma Regem non cogent) debellandi ſunt, quo tempore nihil ex publicis latrociniis habent, quod incertis & ſeditioſis ſuis auxiliatoribus largiantur, neque incitati adverſantium fervore, plurimùm quoque de ſuo remittunt. Ex ipſorum deinde præcipuis multi ad Regem reſpiciunt; ex cujus amicitia in illo ſereno omnia pendent. Is autem ſi non tam odio quàm contemptu proſequentur eorum diſciplinam, efficatius omni bello Nobilium animos ad pœnitentiam coget. Qui ſi nullo pudore prohibebuntur ſuam ſectam ejurare, ſaltem liberis ſuis conſulent, magiſtriſque eos tradent, per quos erudiantur ex veteri more, vivantque in Regia gratioſi. Nam qui Zelo, argumentis, veterumque præceptis, unam pertinaciam anteponunt, adhærentque Uſimulcæ; vincentur, mihi crede, hoc honorum aditu, & ſpe regiorum numerum cautè præcluſâ. Præſertim ſi non hæ pœnæ legibus publicè latis in eos conſtituantur (nam id ipſum ſatis iratis eſſet ad quæſtus, conjurationemque & contumacia arma) ſed lento quodam uſu, Principiſque ingenio, nequaquam in eos dividentis Reipublicæ munera, quæ conferri aliis poſſunt, neque ferentis ut extra licentiam, quam leges faciunt exerrent. Cætera ſit in eos manſuetus; & interdum familiaribus verbis dignus ipſis videatur, cui placeant. Multi enim inter illos, non ſuæ, ſed ſectæ & inſtitutionis vitio peccant; atque hac, eſſet rectâ indole, pareſque majoribus futuri. Hos, cùm licet, corrigi mehercule præſtat, quàm everti, aut ad inſaniora adigi neceſſitate. Iſta verò utcumque lenta remedia, paulatim Hyperephaniis nervos exſcindent; & qui ſpecie altioris ſapientiæ coaluerunt, tandem ſegni nec irritatâ vetuſtate, Philoſophiâ quoque excuſsâ atque contemptâ, quæ exoriens tanti ſupercilii fuit, non ægrè ſolventur.

Num. 26.

(8) *Davidis Georgii &c.*] De quo Thuanus *lib. 22. ad Annum 1550.* ampliter ſatis agit.

(9) *Beguardos &c.*] Hos tamen à Libertinis aliquanto diverſos præter alios ex Roys & ejus interprete Belgico Joſua Sandero *van s' VVerelds Gods-Dienſten pag. 304. & pag. 318.* apparet. Confer de ſectariis his & cæteris in textu notatis Beſoldum *in Theſ. Pract. voce, Libertiner.*

Num. 57.

(10) *Motus Monaſterienſis &c.*] Repete ſuperiùs annotata *ad lib. 1. cap. 2. num. 39. (40.)* junge Thuanum *lib. 109.* Eraſmum Franciſci im hohen Trauer-Saal in der *XXV.* Geſchicht.

CAPUT LXXXVII.

Bona in Bello acquiſita, præda, & ſpolia Hoſtium, necnon tributa Rebellibus & delinquentibus impoſita Ærario cedunt.

SUMMARIA.

1. Bello *capta Victoris ſunt.*
2. Liga Sueviæ *quo jure Status Würtembergenſis domina audiat.*
3. Balneum Darii, *victo eo, Alexandri balneum dictum.*
4. Crœſus *de propriis opibus teſtatus eſt, quòd ſint Cyri.*
5. Titi Largii *hac de re ſententia; idem affirmatur in reſponſo* Romanorum Auruncis *dato,* n. 6. *& in eo ad* Voloſcos, n. 7.
8. *Vetus inſtitutum de* præda: *ut DIs ex parte voveretur.*
9. Præda *populo, non militibus, addicebatur apud Romanos.*
10. Dionyſii Halicarnaſſæi *teſtimonium.*
11. *Sanctiſſimi Romanorum abſtinebant à* præda. Quæſtoris *officium,* n. 12.
13. *Contrà* Tarquinius *aliique prædam ipſi vendiderunt.*
14. Martius Coriolenus *cur prædam militibus conceſſerit?*
15. T. Romulius & C. Veturius *ob prædæ venditionem damnati.*
16. *Qua ratione bella geſſerint* Romani.
17. L. Volumnii *prudentia.*
18. *Lex lata de* præda *urbis & expugnatæ & deditæ, & penes quos hujus rei arbitriũ fuerit?* n. 19.
20. *Quæ dicantur in* bello acquiſita? *illuſtratur hoc exemplis, ex Sacris literis deſumptis,* n. 21.
22. *De* præda *prælio captæ, & ſub finem belli occupatis immobilibus.*
23. Coloniæ Romanorum *quid profuerint.*
24. Politici & Stratiotæ *diſſentiunt in judicio de rebus ſacris.*
25. *De magnitudine* prædæ, *quam* Helvetii *victo Carolo Burgundiæ duce nacti ſunt, & quomodo eâ abuſi ſint?* n. 26.
27. *Quomodo* Turcicus Imperator *belligerando diteſcat?*
28. *Baſſæ aliique Officiales Imperatori munera dant.*
29. Equitum Melitenſium ærarium *opuleſcit prædâ hoſtium.*
30. *Quàm malè rem gerant noſtri* Principes? *quæ miſeriæ & calamitates* bella *ipſorum ſequantur?* n. 31.
32. Belli *incommoda.*
33. Bella *non modò calamitoſos; ſed & nocentes & impios faciunt.*
34. Tributum *an poſſit imponi in pœnam ſubditorum.*

Hoſtibus à domitis ubi caſtris præda relicta eſt,
Illa quoque Ærari pars quotacunque manet.

BEllo capta Jure Gentium victoris fiunt, Thucydid. *l. 5.* Xenoph. *lib. 3. de rebus* 1 *Græcor.* Cæſar. *l. 1. de bello Gallic.* Et Juſtinianus *in §. item ea 15. Inſt. de R. D.* Ea, *inquit,* quæ ex hoſtibus capimus, jure gentium ſtatim noſtra fiunt, adeò quidem, ut & liberi homines in ſervitutem noſtram deducantur, text. *in l. 5. in fin. ff. de acquir. rer. domin. l. 1.*

l. 1. *in princ. ff. de acquir. poſſeſſ.* Hugo Gro-
tius *tract. de jure belli & pacis lib.* 3. *c.* 6. *per
tot.* Alberic. Gentilis *l.* 3. *de jure belli c.* 4. Ge-
2 org. Everh. *conſ.* 17. *n.* 5. *vol.* 2. Quetta *conſ.* 6.
n. 1. *p.* 27. *a.* inde inferens, *Ligam Sueviæ* (1)
jure belli factam fuiſſe dominam Statûs
Würtembergenſis, & ut expenſis, quas in
bello fecerat, ſatisfieri poſſet, *legitimè eum
vendidiſſe* (2) Archiducibus Auſtriæ. Ita o-
lim Alexander Magnus non niſi centum ſe-
ptuaginta talentis bellum orſus, ſpoliis ho-
ſtium & gazâ Darii ſe & milites omnes locu-
pletavit: Sicut & hoc fecêre Julius Cæſar,
Scipio, Pompejus, Hannibal, Cyrus, Nabu-
chodonoſor, Tamerlanus, Iſmael Sophus,
cæterique magni Duces, qui hoſtium opi-
bus ſuos ditârunt, ſeque vel Aſiæ, vel Euro-
pæ, vel Orbis Monarchas effecerunt. Idem
Alexander victor regiam Darii ingreſſus;
deſcendemus, ait, *in balneum Darii:* tum qui-
3 dam ex Comitibus; *imò verò*, inquit, *in Ale-
xandri balneum. Victorum enim & corpora
& fortunæ vincentibus cedunt.* Et apud *He-
4 rodot. lib.* 1. (3) Crœſus ad Cyrum, cùm Per-
ſæ captis hoſtibus omnia diriperent, *quid*,
inquit, *hi agunt obſecro?* Et reſpondente Cy-
ro, *tuas opes auferunt; Nequaquam*, inquit
Crœſus, *ſed tua agunt & ferunt;* Atq; inde
Titus Largius *apud Dionyſium Halicarnaſſæ-
5 um* (4) in Senatu Romano, cùm Volſci olim
poſſeſſa repeterent, ſententiam dixit: *Ro-
manis honeſtiſſimas eas atque juſtiſſimas cre-
dimus poſſeſſiones, quas belli lege captas habe-
mus, neq; verò induci poſſumus, ut ſtulâ facili-
tate deleamus virtutis monumenta, ſi eas illis
reddamus, quibus ſemel perierunt. Imò verò
tales poſſeſſiones non tantùm cum his, qui nunc
vivunt, civibus noſtris communicandas, ſed &
poſteris relinquendas cenſemus: tantum abeſt,
ut parta relinquendo in nos ipſos ea conſtitua-
mus, quæ in hoſtes conſtitui ſolent.* Et in *re-
ſponſo Romanorum* (5) Auruncis dato; *Nos
6 Romani ita arbitramur, quæ quis hoſtibus e-
repta virtute quæſivit, optimo jure propria ad
poſteros transmitti. Alibi* (6) in Reſponſo ad
Volſcos ſic Romani: *Nos autem optimũ ju-
dicamus poſſeſſionis genus, quod belli jure captũ
7 quæſitumq; eſt. Cùmq; non à nobis hoc jus ſit in-
ſtitutum, ſed à Diis veriùs quàm ab hominibus
profectum, omniumq; gentium tam Græcarũ,
quàm barbararum uſu probatum, nihil nobis
per ignaviam concedemus, nec bello partis ab-
ſiſtemus. Maximum enim id probrum foret,
quæ virtute ac fortitudine quæſita ſunt, ea per
inertiam aut formidinem amittere.*
8 Cæterùm prædæ vetus fuit inſtitutum, ut
primò ex ea aliquid DIs ab Imperatore vo-
veretur, ut *Romulus Jovi Feretrio* (7) ſpolia
ſuſpendit, & *Superbus ex Pometinis manu-
biis* (8) templum Jovis in monte Tarpeio
ſtatuit, & *Camillus Dictator decimam* (9) par-
tem prædæ vovit Apollini. Hinc *Jupiter
Prædator.* (10)

Deinde ut propter inopiam Ærarii, popu- 9
lo, non militibus addiceretur. In eam nullũ
Dux ipſe, nullum milites, (qui Reip. perſonã
ſuſtinebant, ejusq; vice fungebantur, ac pro-
inde per eos populus poſſeſſionem & domi-
nium nanciſcebatur) aut quisquã privatus
jus poteſtatemq; habeat. Ita *Dionyſius Hali-* 10
carnaſſæus, (11) diligentiſſimus morum Ro-
manorum obſervator, nos hac de re docuit:
*Quæcunq; ex hoſtibus per virtutem capta ſunt,
ea lex jubet publica eſſe, ita ut non modò priva-
ti eorũ domini non fiant, ſed ne ipſe quidẽ Im-
perator exercitus; verùm quæſtor illa accipit
& vendita in publicũ refert.* Verba hæc ſunt
eorum, qui Coriolanum incuſant, nonnihil
ad invidiam compoſita. Quamobrem qui 11
ſanctiſſimi eſſe aut credi volebant, prædam
non attingebant omninò, ſed ſive pecunia
erat in præda, eam jubebant à Quæſtore po-
puli Rom. percipi, ſive res aliæ, eas per Quæ-
ſtorem ſub haſta venundari, & in ærarium
referri. Nam ſi quis militibus ſuâ authoritate 12
prædam diſtribueret, exiſtimabant veteres
Romani, hoc libertati officere: poſſe enim
adſpirare ad tyrannidem, qui hac largitione
milites ſibi devinciret. Ita pecunia Tigranis
à Pompeio redacta in Quæſtoris poteſtatẽ
ac publicis deſcripta literis, Vell. Paterculus
l. 2. *c.* 37. *n.* 5. Et Cicero de ſe ipſo in literis ad
Salluſtium *l.* 2. *Epiſt.* 17. *De preda mea præter
Quæſtores urbanos, id eſt, populum Romanum,
teruncium nec attigit, nec tacturus eſt quis-
quam.* Atque id antiquis & melioribus tem-
poribus fuit maximè uſitatum, quò Plautus
reſpiciens ſic ait:

*Nunc hanc prædam omnem jam ad Quæſtorem
deferam.*

Sed alii ſine Quæſtore ipſi prædam vende- 13
bant & referebant in ærarium. Sic *à Tarqui-
nio Rege* (12) jam olim victis Sabinis prædã
& captivos Romam miſſos legimus. *Sic Ro-
mulius* (13) & Veturius Conſules Romani
narrantur prædam vendidiſſe ob ærarii pe-
nuriam, ægrè id ferente exercitu. *Sic C. Vale-
rius* (14) fuſis hoſtibus ad arcem Caruenta-
nam juſſit prædam vendi, redigiq; in ærari-
um. Sed cùm paſſim id occurrat, *quantum* 14
Ducum quisque (15) ex triumphis Italicis,
Africanis, Aſiaticis, Gallicis, Hiſpanicis in æ-
rarium per ſe aut Quæſtores retulerit, & Ego
hac de re latè egerim *l* 1. *c.* 3. *n.* 11 *ſeqq. hoc tr.*
plura exempla congerere non eſt opus.
Certè Martius Coriolanus, victis Corio-
lis permiſerat, ut exercitus prædâ imple-
retur, non animo affectandæ tyrannidis,
ſed ut qui ſponte Reip. operam navarent,
ad alias expeditiones promptiores atque
alacriores eſſent, contrà, qui militiam de-
trectarent (quales erant plurimi, diſſen-
tientibus plebeiis à Senatu) intelligentes,
quàm ſeſe hi multis commodis ignaviâ ſuâ
defraudarent, magis in poſterum obedi-
rent,

rent. Veruntamen nihil ei tam nocuit, quàm
15 neglectum vetus illud inſtitutum. Quid?
cùm prædam Conſules ipſi T. Romulus &
C. Veturius, non Quæſtores, vendidiſſent.
Propterea accuſati (inquit *Livius*)(16) da-
mnati ſunt; materia enim calumniandi fuit,
exiſtimandique è præda aliquid ſuum feciſ-
ſe, hanc per ſe, non per Quæſtorem diſtra-
16 hendo. Cur hæc tam ſeverè? Summâ abſti-
nentiâ bella gerebantur; Miles ſtipendium
non accipiebat de publico; quisque eo mu-
nere de ſuo fungebatur, nemo ex præda quic
quam privatim lucrabatur. At poſtquam
miles cæpit militare ſtipendio, ſtatim prædæ
avidus fuit; ideoque arbitrii Imperatorum,
quatenus ad ærarium eſſet, & quatenus mi-
lites ejus participes redderentur. Prudenter
17 L. Volumnius, qui victis Samnitibus, & præ-
dâ recuperatâ ſociorum edicto quidem (ut
Lucretius (17) & Poſthumius) dominos ac-
civit ad res ſuas noſcendas, recipiendasque,
præſtitutâ die: & quarum domini non exti-
têre, militi conceſſit: ſed coëgit vendere, ne
alibi, quàm in armis animum haberent. Sed
& poſt victoriam T. Gracchi ad Calorem,
18 præda omnis, præterquam hominum ca-
ptorum, militi conceſſa eſt, pecore excepto,
quod intra dies triginta domini cognoviſ-
ſent. Tandem hæc dicta lex eſt, ut expugnatæ
urbis præda, ad militem; deditæ ad duces
pertineret, inquit *Tacitus*. (18) Et L. Æmi-
lius *apud Livium*: (19) *captas, non deditas*
diripi urbes, & in his tamen arbitrium eſſe Im-
19 *peratoris, non militum.* Sed hoc arbitrium,
quod mos deferebat Imperatoribus, ipſi in-
terdum, quò longiùs ab omni ſuſpicione eſ-
ſent, rejiciebant, prout religioni, famæ, am-
bitioni ſerviebant, diverſo modo uſi reperi-
untur.

Sunt autem bona in bello acquiſita, præ-
20 dæ & ſpolia ab hoſtibus capta; pecunia, agri,
prædia, urbes, pagi, oppida, ſylvæ, ſaltus, & res
ſimiles, quæ non Duci, ſeu ſummo Magiſtra-
tui, ſed Regno acquiruntur, de quibus *in l.*
Lucius 11. ff. de evict. l. 15. §. item ſi 2. ff. de
R. V. Joſ. c. 2. v 24. Judic. c. 11. v. 15. & ſeqq.
ubi Petr. Martyr. 2. *Sam. c. 8. v. 2. 6. & 14.*
21 *Deut. c. 20. v. 19. & ſeqq.* Joas (victo Ama-
ziâ) aſſumpto toto auro & argento omni-
busq; vaſis, quæ inventa ſunt in domo Jeho-
væ & in theſauris Regis, reverſus eſt in Sama-
riam, 2. *Reg. 14. v. 14.* 2. *Chron. 28. v. 8.* David
ex ſpoliis, auri talenta centum millia, argenti
mille talentorum millia coëgiſſe legitur,
1. *Chron. c. 22.* Ezechias etiam hinc ſuos the-
ſauros & opes collectas habuiſſe, legitur *Eſa.*
c. 39. Bodin. *l. 6. de Rep. c. 2.* ubi militibus
22 ſpolia concedi jure negat. Quod tamen ita
indiſtinctè non procedit: pro parte enim ſo-
lùm ſpolia, ſi credendum Livio, Cæſari, Sue-
tonio, aliisq; Romanis Hiſtoricis, in æráriū
populi illata, & pro parte inter milites diſtri-
buta ſunt. Vide Me ſuprà *l. 3. c. 3. n. 9.* Alii
diſtinguunt, ut præda prælio capta ſtatim
noſtra ſit, ſed exitu belli occupata immobilia
publicentur, & in Fiſcum redigantur, *d.* §.
15. *Inſt. de R. D. l. 15. §. fin. ff. eod. l. ſi quid*
28. ff. de capt. & poſtlim. reverſ. Covarruv.
in c. peccatum. p. 2. §. 11. Vacun. 2. *declarat.*
35. Gœddæ. *in l. 3.* §. 1. *n 5. & ſeq. ff. de V. S.*
Bocer. *de bello & duello c. 15.*

Quandoq; Romani victis populis & agri
parte mulctatis, *Colonias* (20) egentium ac 23
tenuiorum civium emittere, & certam agri
partem illis adſignare ſolebant; ex quo in-
credibilis tum utilitas, tum gloria Imperio
nominique Romano accedebat. Plebs te-
nuiorem, quæ orbem onerabat, exhaurieba-
tur, ſtirpes civium propagabantur. Vetera-
nis agri adſignabantur, & victi Romanorum
moribus & legibus aſſueſcebant & coaleſce-
bant. Exempla refert Bodin. *d. l.* Quò perti-
nent, quod de M. Curione legitur, eum, cùm
ex triumphis ſuis innumerabilia agri jugera
Reip. adjudicarit, viritim ſingulis quaterna
dena tantùm diviſiſſe, & ſibi ultra reliquos
nihil conſtituiſſe. Item quod Julius Fronti-
nus *l. 1. de limitibus agrorum*, ſcribit; Sole-
bant, *inquit*, Veteres, quos agros de hoſtibus
capiebant, alios veteranis in præmia aſſigna-
re, in alios colonias deducere, quosdam
mancipibus in longum tempus locare, ut
annuam mercedem Principi darent, & hos
vectigales dixerunt, *tot. tit. ff. ſi ager vectig.*
pet. Quorum origo, ut magno cum Reipub.
commodo cepit; ita & illorum etiam hodi-
erno die maximus uſus eſt. Ut planè fallan-
tur, qui aſſerunt, Juſtinianum Imp. agros il-
los per *l. unic. in fin. C. de uſuc. transfor. & §.*
per traditionem 40. Inſt. de R. D. ſuſtuliſſe.

De ſpoliandis Ædibus & rebus Sacris, 24
Politicis & Militibus non convenit. Politici
abſtinendum ſuadent à rebus ſacris, more
& exemplo Romanorum. At contrà Stra-
tiotæ

Divinas ſpoliare domos, ſacra tollere vaſa,
Excoriare cruces, abrumpere textibus aurum,
Omnia quæ poſſunt avidè corradere ſævis
Unguibus, & ſecum collecta referre.

Sanè Brennus Gallorum Dux, qui bello
plurimum Romanos vexavit, cùm Delphici
Apollinis templum ſpoliare vellet, Apollo
irreverenter tractatus, religionis ultor, tan-
ta eum crudelitate percuſſit, ut ſibi ipſi tur-
piter manus intulerit, Valer. Max. *lib.* 1. *cap.*
2. Juſtin. *lib.* 2. Sabellic. *lib.* 8 *Ennead.* 4.
NABUCHODONOSOR Chaldæorum Rex, quo-
niam devictis Joachimo & Sedechia Hie-
roſolymarum regibus templum ſpoliavit;
ingenium ſenſumque communem amiſit,
adeoque deliravit, ut ſimilis jumentis fa-
ctus, tanquam extra humanam effigiem, in
nulla parte hominum mores agnoſceret,
Fulgoſ. *lib. 1. cap. 2. & Macchab. 5.* THEODO-
RICI Gothorum Regis milites, ipſo adhuc
vivente, cùm Juliani martyris templum
in

in Arvernenſi ubi ſpoliâſſent, mox ab im-
mundis ſpiritibus correpti, infeſtis dentibus
ſe mutuò lacerarunt. Gregor. Turonenſ. *l.3.*
c.11. Pomerani Poloniam vaſtantes, Spici-
mirum, vicum ex improviſo invaſerunt
& ſpoliarunt. Ferunt Pomeranos omnes,
quicunque Archidiaconum & ſacra templi
vaſa attigiſſent, domum reverſos, cum li-
beris, conjugibus, propinquis atq; domeſti-
cis familiis, vel comitiali morbo correptos
ad parietes & ſaxa ſe alliſiſſe, vel in amen-
tiam verſos partim mutuis cædibus conci-
diſſe, partim dentibus & unguibus in ſeipſos
ſæviiſſe. Hoc malo igitur perculſi, cauſâque
mali notatâ Archidiaconum cum ſacris va-
ſis & omni inſtrumento templo Spicimi-
renſis conquiſito, domum remiſerunt. Cro-
mer. *lib.5.* Alia & plura exempla, pœnaſque
ſacrilegii, vaſtationis, direptioniſque tem-
plorum inſolentiùs commiſſæ, agminatim
congeſſit Theodor. Zvvinger. *in Theatro vitæ*
humanæ vol.15. l.2.p.4201. & ſeqq.

Helvetii, cùm Carolum Pugnacem
25 Ducem Burgundiæ, ſuperbum hoſtem, pa-
cis nomen faſtidientem viciſſent ac fugâſ-
ſent, *prædâ opimâ & regiâ omninò potiti*, (21)
ignari tamen, quantas opes & divitias con-
ſecuti eſſent, pecuniam captam non nume-
rârunt, ſed pileis diviſerunt: tabernaculum
26 quoddam Caroli longè pulcherrimum &
exquiſitiſſimum in multa fruſta diſcide-
runt; Cruſ. *Annal. Suev. p.3. l.7. c.12.* pati-
nas argenteas nonnulli, cùm ſtanneas pu-
tarent, viliſſimo pretio vendidêre; Comin.
Comment. l.7. adamantem item Caroli toto
Orbe celeberrimum, cui erant appenſi ali-
quot uniones, quidam, ubi reperiiſſet, in py-
xidem reponens, mox ſub currum abjecit;
paulò pòſt reverſus recepit, & ſacrifico cui-
dam vendidit aureo numo: iſque deinde à
ſui oppidi Magiſtratu, cui miſerat, accepit au-
reos duos. Verùm Helvetii eâ occaſione de
auro argentoque communem hominum
opinionem apprehendere cœperunt, & eâ
dexteritate progreſſi ſunt, ut facti pecunioſiſ-
ſimi argentarios nunc juſtè & utiliter argen-
tum verſandi & collocandi modum docere
poſſint; nec rarò ab illis tanquam bonæ
fortunæ depoſitariis Galli & alii populi in
maximis neceſſitatibus ingentes pecunia-
rum ſummas impetrarunt.

27 *Turcicus Imp. non expendit*, (22) ſed col-
ligit pecuniam belligerando. Secus venit
noſtris Principibus, qui rarò ditiores, ſed ple-
runq; exhauſtis ærariis pauperiores ex bello
redeunt. Tribus autem modis potiſſimùm
in bello lucrum facit. Primò, omnia oppi-
da & pagi obligati ſunt in Caſtra Imperato-
ris farinæ & hordei quantitatem, quocunq;
jubentur, deportare. Secundò, decimas ex
raptu & præda habet. Tertio loco ſunt mu-
28 nera. More enim receptum eſt, ut omnes
Baſſæ, Beglerbegi, Sangiacchi & alii Officia-
les Imperatori, ubi ad exercitum pervenit,
ſeſe ſiſtant, & munere quodam ipſum hono-
rent: Idque cùm fiat in publico omnium
conſpectu, ambitiosè invicem certare ſolent
quis ſplendidius & præſtantius donum Im-
peratori offerat.

Equites Melitenſes ſi aliquâ prædâ po- 29
tiantur, illius decima pars Magno Magiſtro
cedit. Conſtat autem, quovis anno exeunte,
ipſos multa ex iis, quæ hoſtibus eripuerunt,
in rationes referre, & ex prædis, quas Equites
in ſuis excurſionibus agunt, ærarium ipſo-
rum valde locupletari. Quinimo Romæ
nulli Conſulum licuit triumphum agere, niſi
magnam auri argentique vim Ærario intu-
liſſet. Noſtri autem Principes, belliqueDu-
ces ærario exhauſto populos ad inopiam
adigunt; & quia præda pleraque militi aut
Ducibus cedit, inutili ſignorum aliquot mi- 30
litarium ex hoſtibus captorum dono Prin-
cipi ſervato; ad nova tributa & iniquiſſimas
exactiones denuò deveniunt; prædas & ſpo-
lia hoſtium negligunt; contra ſubditorum
& vicinorum bona, militibus nullo ſtipen-
dio ſoluto, nullóve militaris diſciplinæ or-
dine ſervato loco prædæ exponunt. Deum
immortalem, quàm ingens malorum pela-
gus, hiſce ad arma proſilientibus, occupat, 31
inundat, obruit univerſa! abiguntur armen-
ta, proteruntur ſegetes, trucidantur agrico-
læ, tot ſeculis exſtructæ florentiſſimæ urbes
unâ procellâ ſubvertuntur, civium bona ad
execrandos latrones ac ſicarios transferũtur,
mœrent domus metu, luctu, & querimoniis,
lamentis complentur omnia; frigent artes
opificum, pauperibus aut moriendum, aut
ad impias artes confugiendum, divites aut
ereptas deplorant facultates, aut timent reli-
ctis, utroq; modo miſerrimi; Virginum aut 32
nullæ, aut triſtes & funeſtæ nuptiæ: deſola-
tæ matronæ domi ſterileſcunt, ſilent leges,
ridetur humanitas, nullum habet locum æ-
quitas: religio ludibrio eſt, ſacri & profani
nullum omninò diſcrimen, domi corrupti
bello mores: corrupta omni vitiorum gene-
re juventus, inbibita latrocinandi libido,
confirmata cædibus audacia: damnant lon-
gævitatem luctuoſi ſenes: nullus honos li-
terarum ſtudiis, leges contemptui ſunt ſum-
matim; plus malorum in bello ſentimus,
quàm ullius ſermo poſſit aſſequi. Sed & to-
lerari fortè poterat, ſi bella calamitoſos mo- 33
dò facerent, non etiam nocentes & impios.
At experientiâ teſte conſtat, bella non ſolùm
ingens malorum agmen, ſed etiam omnis
pietatis, honeſtatis, virtutis exilium ſecum
ducere. Madet orbis mutuo ſanguine, ac
homicidium cùm admittunt ſinguli, cri-
men eſt; virtus, cùm publicè geritur, ut de
ſuo hoc mihi largiatur Carthaginenſis Epi-
ſcopus *lib.7. quæſt.11.* Quò faciunt, quæ di-
xi *tract. de Contrib. c.7. n.78. & 79. cap.17.*

num.

n.211.& quàm plurimis ſeqq. & in præfatione Lectorem.

34 Denique Princeps ſubditis, qui injuſtè rebellarunt, vel graviter contra ipſum deliquerunt, tributum novum imponere poteſt partim ad adipiſcendum, quod expendit, ut eos debellaret, partim in pœnam juſtam rebellionis & delicti commiſſi, ut docet Victor. *relect. 4. de jure belli. num. 57.* & Leſſius *de tribut. dubit. 6. n. 49.* Sicut enim poſſent bona civium ſpolio militum tradi, ita quoque poterit tributum ſuper eisdem bonis in perpetuum imponi ad bonum publicum, & ad ærarium commune augendum Cardinal. de Lugo *de juſtit. & jur. tom. 2. Diſput. 36. ſect. 2. n. 22. p. m. 553.*

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT LXXXVII.

Num. 2.

(1) L*Iga Suevia &c.*] Confer D. Johannis Strauchii *Exercitationum Exotericarum Diſſertat. 10.* ubi de ejectione & reſtitutione Ducis Würtenbergici ex profeſſo tractat, & de Fœdere hoc Suevico vulgò den Schwäbiſchen Bund ita *§. 3.* loquitur: Anno MCCCCLXXXVII. Cæſar Fridericus Norimbergæ de Pace Imperii firmanda conſultabat. Nihil tamen ad ſummam rei tranſigi potuit: Soli ex omnibus Suevi fœdus inter ſe inière, cui Principes nonnulli alii, & Vicinæ Civitates ſubſcripsêre, quod appellabant die Geſellſchafft S. Georgen Schilds / ex eo, quod confœderatorum inſigne clypeus cum effigie S. Georgii gerebatur. Diviſa erat in quatuor Curias ſive Claſſes, quarum ſingulis ſuus ſibi Dux & Caput. Una erat, Societas in Hegæa, & ad Lacum Podanicum; altera ad Danubium; Tertia ad Kocheram; Quarta ad Necarum & Nigram Sylvam. Hoc primum factum in annos octo, deinde tres, poſt duodecim, inde decem. Anno demum MDXXII. renovatum fuit fœdus Ulmæ, in annos undecim. Hujus Fœderis erant præter eos, quos Sleidanus *l. 4.* nominat, Abbates XI. Abbatiſſæ III. & viri Nobiles quàm plurimi, Civitates Imperiales XXVIII. Auguſta, Norimberga, Ulma, Eslinga, Reutlinga, Nordlinga, Hala Suevorum, Uberlinga, Gemunda, Memminga, Biberacum, Ravensburgum, Hailbrunna, Kaufbyra, Dunckelsbula, Wimpina, Windshemium, Campodunum, Verda, Isnia, Pfulendorffium, Wila, Vangiũ, Leukircha, Aula, Ginga, Popfinga, & Buchornium. Conſtituebantur Fœderis Judices Tres, unus à Cæſare & Electoribus, alter à Prælatis, Comitibus, Dynaſtis, ac Nobilibus, tertius à Civitatibus, datâ illis Juriſdictione, mixtoq; Imperio, in cauſis Principum inter ipſos, vel adversùs alterius ſubditos, eosque vel ſingulos, vel integras Univerſitates, realibus ac perſonalibus; Criminalibus & Matrimonialibus exceptis. Circa Feudales conſtitutum, ut ſi quidem inter litigantes conveniat, quòd ſint Feudales ad ordinarium Tribunal à vocentur: ſin de hac qualitate lis vel incertum ſit, itemque de evictione poſſeſſione ſervitutis Feudorum, apud competentem Judicem fœderis exerceantur, quæ omnia latè cauta fuerunt in dictis renovati fœderis tabulis, quæ habentur apud Hordlederum (von Urſachen deß Teutſchen Kriegs / *parte 1. lib. 3. cap. 4.*) Inprimis ſancitum, ne Ordo alter alterum vi hoſtili invadat, dejiciat, captis pignoribus ſpoliet, captivũ ducat, de mutuis etiam auxiliis, & aliis pluribus. Audire operæ pretium Ferdinandum Regem Romanorum ipſum apud Hordleder. *lib. 3. cap. 11.* ibi: Die Bunds-Einigung iſt auf ein Maß / und Ordnung geſtellt / zu Handhabung deß Landfrieden / und ernſtlicher thätlicher Straff der Verbrecher deſſelben / und inſonderheit / ſo ein Bundsverwandter von jemand mit Gewalt / in was Wege das geſchicht / angriffen und vergewältigt wird / daß die Bundsſtänd die Gegenhandlung / den Krieg die Beretung / und Wiederholung deß Gewalts / erkennen / und vollziehen mögen / ohn einig vorgehende Rechtfertigung. Confer Melancht. *declam. tom. 1. in Encomio Suevorum, & tom. 2. in Orat. de Maximil. I.* Eberhard. à Weihe. *medit. pro Fœd. 1. c. 2. n. 39.* Sed poſtea Fœdus hoc disſutum eſt magno Germaniæ malo, Eberh. à Weihe. *1. med pro fœd. c. 2. n. 29.* Annittente Franciſco I. Galliæ Rege teſte Mart. Bellajo *Comment. de reb. Gall. l. 4. fol. 142.* Et ſi Eberhardo credimus etiam Carolo Imp. At quò minùs & credamus idem Bellajus facit *f. 150. lin. 15. f. 152. l. 35. & f. 150. lin. 1.* Adde Chytræum *Saxon. l. 15.* Hactenus D. Strauchius, qui initio Lectorem ad Cruſium *Annal. Suev. lib. 9. p. 3. p. 284.* Gerar. de Roo *lib. 10.* remittit.

(2) *Legitimè eum vendidiſſe &c.*] De Jure, quo Ducatus Würtenbergicus ad Cæſarem pervenerit diſſerentem evolve omninò laudatum modo D. Strauchium *d. l. n. 4. ſeqq. p. 266. ſeqq.*

Num. 4.

(3) *Herodotũ l. 1. &c.*) *C. 88.* ibi de Crœſo capto verba faciens interprete Vallâ, cernens, *ſcribit*, Perſas Lydorũ diripientes urbẽ, utrum debeo, inquit, Rex, tibi loqui quod ſentio, an tacere hoc tempore? Cyrus verò eum, quæcunq; liberet, audacter proloqui juſſit. Tunc ille Cyrũ percontatur, Quidnã (inquiens) tanta frequentia properat agere? Cui Cyrus Tuam, inquit, urbem diripit, tuasque opes abſumit. Atqui (Crœſus excipit) neq; Urbem meam diripis, neque meas opes. Nihil enim mihi jam cum iſtis rebus eſt; ſed tua ferunt aguntque.

Num. 5.

(4) *Apud Dionyſium Halicarnaſſæũ &c.*] Antiq. Rom. *l. 6. c. 32.* ibi: ex verſione Gelenii Sylburgii: Volſcis repetentibus à nobis, quæ victores armis paravimus, & ni reddamus, bellum minantibus, dicemus Romanis honeſtiſſimè acquiſita videri, quæ legitimi belli Jure parta ſunt; nec poſſe nos ſtultâ facilitate virtutis decus offuſcare, redditis ſcilicet iis, quæ illi amiſſa queritantur; ſed conjunctis viribus enixuros ut parta & retineamus ipſi, & ad poſteros transmittamus. Alioqui ſi ipſi eà nobis adimeremus, nos ipſos tractaremus hoſtiliter.

(5) *Et in reſponſo Romanorum &c.*] Apud citatum Dionyſium Halicarn. *d. lib. 6. c. 29.* ibi: Renunciate legati Auruncis, juſtum videri Romanis, ut quæ quis virtute acquiſivit ex hoſtibus, ea poſteris, ut res proprias, tradat.

Num. 6.

(6) *Alibi &c.*] *Lib. 7. cap. 10.* Ibi: Nos certè optimas poſſeſſiones ducimus, quibus bello potiti ſumus; cumque non primi hunc morem invexerimus, ſed tam apud DEOS quàm apud homines, & tam apud barbaros quàm apud Græcos receptum eſſe noverimus, haud quaquam vobis ceſſerimus, nec bello acquiſita per ignaviam relinquerimus. Turpiſſimum enim eſſet, res virtute fortitudineque partas amittere, per ſtultitiã & formidinẽ.

Num.

Num. 8.

(7) *Romulus Jovi Feretrio &c.]* Florus *lib.1.c.1.n.10. & ibid.* Freinſhemius *lit.b.*& Rupertus *pag.58.*Livius *lib.1.cap.10.*Dionyſ.Halicarnaſſ. *lib.2.cap.36.* Quod multi ex poſteris Romulidum imitati ſunt.

(8) *Ex Pometinis manubiis &c.]* Imò Pometinas manubias, quæ à Tarquinio Superbo perducendo ad culmen operi deſtinatæ erant,vix in fundamenta ſuppeditaſſe, teſtis eſt Livius *lib. 1.cap.55.* Inde eſſe autumat Freinſhemius,quod Florus *lib. 1. cap. 1. n.7.* ex manubiis captarum Urbium templum hoc erectum, ſcribat. Adde Juſtum Rycquium *Comment.de Capitolio Romano cap.9.*

(9) *Camillus Dictator Decimam &c.]* Confer omninò Plutarchum *in vita Camilli Oper. Tom.1.pag.132.*

(10) *Jupiter Prædator &c.]* Sic appellatus, docente Roſino *Antiq. Rom. lib. 1. cap.4.pag.241.* quòd ei ex præda aliquid deberetur. Servius *in 3. Æneid.* Romanis, inquit,moris fuit, ut bella geſturi, de parte prædæ aliquid Numinibus pollicerentur, adeò ut Romæ fuerit unum templum Jovis Prædatoris, non quòd prædæ præeſt,ſed quòd ei aliquid ex præda debeatur. Locus hujus templi, & à quo fuerit conſecratus,ignoratur.

Num. 10.

(11) *Dionyſ. Halicarn. &c.] Lib.7.cap.58.* ibi: Satis nimirum omnes, prædam ex hoſtibus noſtrâ virtute partam legibus addici populo,& ne Ducem quidem Exercitûs in eam Jus habere, nedum privatum aliquem: ſed Quæſtori eam tradi, vendique & pecuniam referri in ærarium.

Num. 13.

(12) *à Tarquinio Rege &c.]* Livius *lib. 1. cap.37.*

(13) *Sic Romulus &c.]* Livius *lib 3.cap. 31.*

(14) *Sic Cajus Valerius &c.]* Livius *lib. 4. cap.53.*

Num. 14.

(15) *Quantum Ducum quisque &c.]* Confer Lipſium *de Magnit.Rom.lib.2.cap.8.*

Num. 15.

(16) *Livius &c.] d. lib. 3.cap.31.*

Num. 17.

(17) *Ut Lucretius &c.]* Livius *lib.3.cap.10.*

Num. 16.

(18) *Tacitus.&c.] 3.Hiſtor.19.n.4.*

(19) *Apud Livium &c.] Lib.37.*

Num. 23.

(20) *Colonias &c.]* De Coloniis, & modo fructuque deducendi eas ampliter agit Lipſius *de Magnit.Rom.lib.cap.6.* per totum,ubi vide.

Num. 25.

(21) *Prædâ opimâ & regiâ omninò potiti &c.]* Diximus jam antè *ad lib.1.cap.15.n.1.(2)* de præda illa à Burgundiæ Duce Carolo ad Granſam vi Helvetiorum capta,&ibid.Generoſum Dn.Joh.Jacob. Fuggerum apud Dn. Lambecium *Comment. de Bibliotheca.Vindob.Cæſar.lib.2.cap. 6.* allegavimus, cujus verba hìc inſerere ad textûs declarationem juvat. Ita autem ejus interpres Latinus: Duxit Dux Carolus exercitum ſuum,qui quinquaginta millibus militum conſtare credebatur contra oppidum *Granſee*, cùmque ibi caſtra metatus eſſet,ſuperarunt eum prælio Helvetii, diſſipatoque ipſius exercitu, omnia tormenta bellica, cùm omnibus theſauris & ſupellectile,plus quàm decies centenis florenorum millibus æſtimatis,in poteſtatem ſuam redegerunt. Tentoria igitur illa argentea,quæ Helvetii falsò crediderunt eſſe ſtannea, ut & reliqua tentoria pretioſa ſerica, aliaque omnis Ducalis ſupellex illorum evaſit præda. In cujus diviſione etiam fuit magnus ille & craſſus Adamas acuminatus, per totum orbem Chriſtianum tunc temporis celeberrimus, qui unà cum tribus magnis Balaſiis, propter æqualitatem magnitudinis, craſſitiei & ponderis appellatione trium fratrum inſignitis, nec non cum quatuor rariſſimæ Magnitudinis Margaritis Orientalibus, more antiquo ordineque eleganti & artificioſo in formam monilis redactus, & quidem ita,ut jam memorati tres Balaſii ſine ullis bracteis alioque ullo aſcito ornamento,ſubtilibus tantùm nonnullis commiſſuris aureis connexi eſſent, quò magis pretioſiſſimi iſtius Cimelii nativa puraq; craſſities & magnitudo ab omni parte eſſet conſpicua.Cùm ergo rariſſimum hoc & nobiliſſimum Cimelium, cujus geſtatu laudabilis Burgundiæ Dux Carolus ſæpe ſuam oſtentaverat magnificentiam,haud facilè præſenti pecuniâ vendi poſſet, emendum illud non multos poſt annos oblatum fuit domino Jacobo Fuggero, charo meo Patruo magno, ſive Avi mei Georgii fratri, honoribus & divitiis eâ tempeſtate ubicunque terrarum clariſſimo; qui licet hoc Cimelium tàm reſpectu puritatis ipſarum gemmarum, quàm quòd laudabilis Dux Burgundiæ Carolus illud olim poſſediſſet, adeò eſſet eximium, non pluris tamen, quàm quadraginta ſeptem millibus florenorum de Helvetiis illud emit,unà cum quodam Rubino & Pileo criſtato, (*de quibus ibidem inſequentibus agitur,ejuſque forma depingitur*) retinuitque ea aliquàm multos annos, hâc nimirum ſpe, ut in Glorioſiſſimæ Domûs Auſtraicæ poteſtatem reverterentur. Quamvis etiam ante triginta circiter annos, cùm pretioſiſſimæ coronæ Imperatoris Turcarum Solimanni ornandæ causâ per totum terrarum Orbem à multis præpotentibus Dominis maximæ quæque & pretioſiſſimæ gemmæ ſummâ diligentiâ inveſtigarentur,Patruus meus,Dominus Antonius Fuggerus, Cimelium illud grandi pecuniæ ſummâ, utpote vehementer rogatus,cùm magno emolumento & lucro potuiſſet vendere, noluit tamen iſtum temporis illud alienare; ſed hâc fine retinuit,ut poſſeſſio ejus permaneret penes Chriſtianos, & aliquando ad Principes Auſtriacos rediret.&c. Quod & factum, cùm Cimelium illud, quod per ſex circiter & ſeptuaginta annos in Helvetiorum Bernienſium & Fuggerianæ Gentis manibus fuerat,Henrico Octavo Angliæ R.bono cum lucro venderetur, per Regium matrimonium, quod inter Philippum Principem tunc Hiſpaniæ, Potentiſſimi Imperatoris Caroli V.filium, & Principem Mariam, ſuprà memorati Regis Henrici VIII.unicam filiam & hæredem Regnorum Angliæ contractum eſt, ſicque in poteſtatem quarti ex Auſtriaca Domo Ducis Burgundiæ feliciter redierit. Uti in allegato loco pleniùs docetur, ubi & vera & genuina magnitudinis & formæ ejus imago *pag 516.* inſerta eſt. Confer Dn. Sigismund. von Bircken / im Ehrenſpiegel deß Ertzhauſes Oeſterreich *lib.5.cap.25.pag.829.a.*

Num. 27. 28.

(22) *Turcicus Imperator non expendit &c.]* Sunt verba Achillis Traducii,aut potiùs ejus Interpretis Jac. Geuderi ab Herolzberga *in Turca vincibili in Hungaria pag. 240.* quem locum ſuprà *lib. 1. cap n.26 (87.)* citavimus, ubi pro *pag. 130.* hæc *240.* ponenda.

CAPUT LXXXVIII.

De Devictorum Penſionibus & Lytris Captivorum.

SUMMARIA.

1. Tributa *victor victis imponit.*
2. *Jure* Victoriæ *tributum indicitur* : Exempla *in hanc rem ſacra*, n. 3. 4 *prophana*, n. 5. 6.
7. *In* defenſivo bello *an ſaltem damnorum & ſumptuum refuſio petatur?*
8. *Ex* lytris captivorum *olim ſtipendia exſoluta.*
9. Græcorum *in redemptione captivorum humanitas* : & num. 10.
11. Victi *non ſunt in ſervitutem redigendi: exemplo Æneæ, hoc* num. *Romuli*, num. 12. *& Auguſti*, num. 13.
14. Græcorum ἀμνηςία.
15. Perſis ac Romanis *quare omnium maximè diturna imperia contigerint divinitus?*

Marte ſub adverſo paſſus ſua ſigna jacere,
Captivusque miſer ſolvito quisque lytron.

1 TRibuta, quæ juſto bello victis gentibus imponuntur, facilè excuſantur, ne defectionem victi cogitent, & ut exſtet belli, quo victi illi ſunt, memoria. Unde agros tributo onuſtos, hominum capita ſtipendio cenſa, notas eſſe captivitatis, ait Tertullia-
2 nus, referente Alberico Gentil. *lib. 3. de jur. belli cap. 4.* Jure Victoriæ tributum vobis addimus; inquit ad Gallos Dux Romanus, Appian. *lib. 2. civil.* Et quidem exteris victis hæc injungere Romani ſoliti. Illud tamen in hisce tributis ſummæ juſtitiæ fuit, quòd à ſingulis Romani exigerent res in locis viles; à Siculis triticum, à Corſis ceram, &c. atque graviſſimum & vituperatum vetitumque contrarium, Civitatem ſanctam ſic deplorat Jeremias, quæ de Principe facta ſub tributum: Jerem. *Thren. cap. 1. verſ. 1.*

3 Sic Joatham pugnans contra Regem Ammonitarum prævaluit eis, ita ut darent ei Ammonitæ in tempore illo centum talenta argenti, & decem mille coros tritici, ac totidem coros hordei: 2. *Paralip. 27. verſ. 5.*

Et Joachazum amovit Rex Ægypti
4 Hieroſolymis, & condemnavit terram centum talentis argenti, & talento auri, 2. *Paralip. 26. verſ. 3.* Sic Auguſtus Ægyptum tri-
5 butariam fecit, & pecunia conflata partim ad milites pervenit, partim eâ Imperium Romanum locupletatum eſt, Dio *lib. 51.* Et ſic Poloni olim ſolverunt Imperio bo-
6 ves centum viginti, auri pondo quinquaginta, Bonfin. *lib. 2. decad. 2.* Item etiam Bohemi. Vide Me *tract. de contribut. cap. 1. num. 169. 170.* In defenſivo bello damna tantùm ſumptusque quæri oportere, voluit Alciat.
7 *conſ. 132. lib. 5.* Quod diſplicet Alberico Gentili *d. cap. 4. circa fin. lib. 3.*

Ex lytris quoque captivorum olim ſti- 8
pendia exſoluta eſſe, ex Ariſt. & Sabellico *lib. 3. ennead. 4. & lib. 9. ennead. 3.* patet? ſed eâ hodiè cuique privatorum cedunt, qui hoſtem in captivitatem redegit; & uſu ferè receptum eſt, ut captus lytri loco totum ſolvat, *quod menſtruum ſtipendium meret*, (1) Græco- 9
rum ea fuit humanitas, ut bello capti libertatem ſuam auri librâ redimere poſſent, Ariſt. *5. Ethic. c. 7.* Et Athenienſium legibus morte 10
mulctabatur, qui hominem in ſervitutem redegiſſet. Xenophon. *lib. 1. de dict. & fact. Socratis.* Sic Æneas victor non vult Trojanis Italos ſervire, ſed ut pares ſint unâ ac perpetuâ 11
ſocietate concordes:

Si noſtrum annuerit nobis victoria Martem.
Non ego nec Teucris Italos parere jubebo.
Nec mihi regna peto: paribus ſe legibus ambæ
Invictæ gentes æterna in fœdera mittant.

Romulus quoque omnibus pepercit, 12
etiam victis in urbem receptis; quod latè deducit Juſtus Lipſius, & admiratur. Romulum imitatus eſt Pompeius, qui partâ victoriâ ex piratis, eorum magnam curam geſſit, tum inprimis, ne rursùm inopiâ coacti ejusmodi ſcelera committerent: Ideoque quæ loca deſerta eſſe videbat, eis diſtribuit, *& urbes aſſignavit*, (2) quæ hominibus ad habitandum egerent. Præcla- 13
rum factum & humanitatis plenum, quod ſummopere deprædicat in Auguſto Ovidius:

Tu veniam Partho ſuperato ſæpè dediſti,
Non conceſſurus, quam tibi victor erat.
Divitiis etiam multos & honoribus auctos
Vidi, qui tulerant in caput arma tuum.
Quaq; dies bellum; belli tibi ſuſtulit iram,
Parsq; ſimul templis utraque dona tulit.

A quo non eſt aliena *Græcorum* ἀμνηςία,
quæ voluit, nullam neceſſitati legem poſi- 14
tam, quemadmodum tempeſtivè eam adhibuit *Ageſilaus*, (4) qui, ut deſertorum multitudini poſt cladem Leuctricam conſuleret, altero die Leges ceſſare debere pronunciavit.

Perſis ac Romanis omnium maximè
diuturna & ampla Imperia contigiſſe di- 15
vinitùs, Annales Hiſtorici probant. Quid ita? quòd iſtis mos eſſet, Reges *devictos non protinùs ſuis regnis exuere*, (5) ſed illa ipſis adminiſtranda, impoſito tributo, relinquere. Adeò non iſti expilabant, quos armis domuiſſent. Romani idem factitarunt, quocirca vel imperante Nerone in

in ipſa Italia *Rex Alpium* (6) Cottiarum fuit: Alii præterea multi multis in locis imperia, ut è vita Veſpaſiani conſtat, qui nonnulla regna in Provinciarum formam redegit, quæ Eutropius & *Suetonius* (7) narrant. Teſtis eſt in Lybico Appianus, multas nationes Romanæ virtutis exiſtimatione ac ſplendore captas id petiiſſe, ut *ſub Imperii Romani ditione* (8) eſſent, jura ab ipſis, ac leges acciperent. Ter iidem Romani potuerunt Ægyptum proprii juris facere, Regibus auferre, non eis reddere, noluerunt id facere, non eſt adducta Ægyptus, alioquin opulentiſſima Provincia in poteſtatem Romanorum; niſi cùm *Cleopatra viperam ſibi ad pectus admovit*, (9) atq; ad omne ſemen Regium, quod in Regno ſuccederet defecit.

ANNOTATIONES

Ad

CAPUT LXXXVIII.

Num. 8.

(1) *Quod menſtruum ſtipendium meret &c.*] Præterito tamen bello Tricennali Germanico partes militantes invicem certas pactiones de lytro pro captivis exſolvendo ejusque ſumma inire ſolitum, notum eſt, & pertinent huc verba R. A. vor der Reuter-Beſtallung de A. MDLXX. *art. 44 & 45.* quæ ſic ſe habent: Wann ſichs auch begebe / daß mit Hülffe deß Allmächtigen / der Feinde Feld-Obriſte oder Feld-Hauptleute durch die Reuter gefangen würden / ſollen dieſelbe Perſonen zu uns oder unſern Obriſten / oder deß jenigen Händen / der Befehl haben würde / gegen ſtatlicher und billiger Verehrung / geſtellet werden. Wo aber auſſer dergleichen Feld-Oberſten und Feld-Hauptleuten andere Perſonen gefangen würden / da mag ein jeder / der dieſelben niderwirfft und bekommet / ſchätzen / und Kriegs-Gebrauch nach damit handeln. Doch ſollen alle und jede Gefangene / dem Feld-Obriſten angezeiget / und ohne ſein Vorwiſſen nicht ledig gelaſſen werden. Adde deß Holländiſchen Kriegs-Recht *art. 59. 60. 61. 62. 63.* & ad illos Pappum cum citatis ab eo, Speidelium *in Speculo in verbo* Rantzion cum allegatis. Boërium *deciſ. 178. n. 3. & 4.* Albericum Gentilem *de Jure Belli lib. 2. c. 15. p. inprimis 332. ſeq.* Beſoldum *de arte jureq; belli c. 8. n. 8.* Grotium *de J. B. & P. lib. 3. c. 21. n. 23. ſeqq.*

Num. 20.

(2) *Urbes aſſignavit &c.*] Vellejus Paterculus *Hiſtor. lib. 2. c. 32. n. 5.* Idque proſpectum ſingulari conſilio Ducis, cenſente Floro *lib. 3. cap. 6. num. 14.* qui maritimum genus à conſpectu longè removit maris, & mediterraneis agris quaſi obligavit. Quemadmodum & Cæſar Hiſpanos fiduciâ montium, in quos ſe recipiebant audaciores, caſtra ſua, ſed quæ in plano erant habitare & incolere juſſit. Quod ingentis conſilii eſſe obſervari cœptum, prodit idem Florus *lib. 4. c. 12. n. 59.* Et hæc translatio nationum hominum ferocium ex aſſuetis ſedibus in diverſæ indolis loca, etiam alibi arcanis firmandi Imperii ſtabiliendæque tranquillitatis ſervit.

Num. 14.

(3) *Græcorum ἀμνηστία &c.*] ἀμνηστίαν Eruditorum Germaniæ fulgentiſſimum ſidus Dn. Bœclerus *in Diſſert. de Amneſtia ſubjuncta notis ipſius ad Vellejum Paterculum, cap. 2. n. 3. p. 316.* deſcribit, quòd ſit Decretum ſive lex, quâ ad expedienda tollendaque inter partes diſcordantes, firmæ pacis impedimẽta, anteactorum abolitio publica, ſolemnis, jurata, communi utrinq; conſenſu ſancitur; ſive quòd ſit Lex, quâ nati ex diſcordiis dolores iræque, ſublato, ſolemni partium conventione, vindictæ nocendique ſtudio, abolentur. Dicitur apud Græcos à *non-recordando ſive obliviſcendo.* Eſt enim ἄμνηστος *oblivioni traditus: cujus nulla ſupereſt memoria.* Hinc ἀμνηστία, διὰ τὸ μηδεμίαν εἶναι τῶν πεπραγμένων μνήμην, eo quòd nulla rerum ſuperiorum memoria ſupereſſe debeat; ſicut ex Herodiano *l. 8. c. 8.* diceremus; ſive ut ex Cicerone *Phil. 1. 1.* quòd omnis memoria diſcordiarum oblivione ſempiternâ delenda ſit. Unde Juſtinus *lib. 5. c. 10. n. 11.* Diſcordiarum oblivionẽ; Vellejus *l. 2. c. 58. n. 4.* Oblivionem præteritarum rerum; Valer. Max. *lib. 4. c. 1. exter. 41. quoq;* præteritarum oblivionem; Cornelius Nepos *in Thraſybulo*, legem oblivionis dixêre. Quos certatim imitati cæteri. Originem communiter Athenienſibus adſcribunt Hiſtorici, inventorem verò Thraſybulum, virum inter eos, quos & antea & poſteà habuerunt Athenæ, per omnia optimum. Quod exactè præter alios, Cornelius Nepos, *in vita Thraſybuli quæ eſt numero VIII. cap. 3, 2. 3.* monſtrat, inquiens: Præclarum hoc quoque Thraſybuli, quòd reconciliatâ pace, cùm plurimum in Civitate poſſet, legem tulit: ne quis anteactarum rerum accuſaretur, néve multaretur: eamq; illi *legem oblivionis* appellarunt. Neq; verò hanc tantùm ferendam curavit, ſed etiam, ut valeret effecit. Nam cùm quidam ex his, qui ſimul cum eo in exilio fuerant, cædem facere eorum vellent, cum quibus in gratiam reditum erat, publicè prohibuit: & id, quod pollicitus erat, præſtitit.

(4) *Ageſilaus &c.*] De eo vide Plutarchum *in vita ipſius Tom. I. Oper. 612. & 613.* Valerium Max. rem paulò aliter enarrantem *lib. 7. cap. 1. extern. exempl. 12.* & adverte exemplum Ageſilai minimè Amneſtiam propriè dictam continere, cùm illa univerſim anteacta reſpiciat; hic venia transfugis ex Pugna Leuctrica ſeorſim in conſiderationem veniat. Ut alias rationes prætereamus. Alia exempla adfert Dn. Bœclerus *d. loc. c. 3.* Illuſtriſſimũ omnium in Imperio noſtro ſancita in Pacificatione Monaſterienſi & Oſnabruggenſi univerſalis & illimitata eſt Amneſtia ſive perpetua oblivio omnium eorum, quæ ab initio motuum Germanicorum quocunque modo locoque ab una vel altera parte ultro citroque hoſtiliter facta ſunt, ita, ut nec eorum, nec ullius alterius rei causâ vel prætextu alter alteri poſthac quicquam hoſtilitatis aut inimicitiæ, moleſtiæ vel impedimenti quoad perſonas, ſtatum, bona vel ſecuritatem per ſe vel per alios, clàm aut palàm, directè vel indirectè, ſpecie Juris, aut viâ facti, in Imperio, aut uſpiam extra illud (non obſtantibus ullis prioribus pactis in contrarium facientibus) inferat vel inferri faciat, aut patiatur, ſed omnes

& ſinguli hinc inde tam ante bellum quàm in illo, verbis, ſcriptis, aut factis illatæ injuriæ, violentiæ, hoſtilitates, damna, expenſæ absque omni perſonarum rerúmve reſpectu ita penitùs abolitæ ſint, ut quicquid eo nomine alter adversùs alterum prætendere poſſet, perpetuâ ſit oblivione ſepultũ, *per art. 2. Inſt. Pacis.* Confer D. Burgoldenſem *in Notit. rer. Imp. diſcurſu 18. per totum.*

Num. 15.

(5) *Devictos non protinus ſuis regnis exuere &c.]* Grotius *de J. B. & P. lib. 3. c. 15.*

6. *Rex Alpium &c.]* Ponti regnum concedente Polemone, item Alpium, defuncto Cottio in Provinciæ formam redegit (*Nero*) inquit Suetonius *in vita Neronis cap. 18.*

(7) *Suetonius &c.] In Flavio 8.*

(8) *Sub Imperii Romani ditiones eſſe &c.]* Hinc Tacitus *in Agricola c. 14 n. 2.* Veterem ac jam pridem receptam populi Romani conſuetudinẽ perhibet, ut haberet inſtrumenta ſervitutis & Reges. Hoc eſt, (uti Virdungus *in Comm. ad Agric. p. 83.* explicat) quorum operâ ac ſervitio abuteretur ad continendos in poteſtate vicinos. Nam ita conſueverant jam inde antiquitùs Romani, regionis ſub ditionem redactæ partem aliquam donare alicui Regi vicino benè de ſeſe eo bello merito, quem eo beneficio ſibi obſtrictũ & obnoxium redditũ veluti cuſtodem imponebant finitimæ Provinciæ, quò minùs rebellaret. Reverà autem iſtorum Regum precarium fuit imperium; ac meo animo, deterior ipſorum erat conditio, quàm hodiè Vaſallorum ferè eſt. Siquidem Vaſallum non niſi ob certa crimina, ac præcedente cauſæ cognitione, feudo privare Seniore (*Domino*) jus non eſt: at Ptolomæum Regem Cypri Romani indictâ causâ, ejusq; regnum publicarunt. Id quod minimo minùs Eumenus etiam Rex Aſiæ expertus fuerat, niſi pietate Attali fratris præter ſpem evaſiſſet. Taceo, quæ à M. Antonio, Octaviano, Tiberio, Caligula &c. in Socios nomine, reipſa autem ſervos Reges edita ſunt exempla.

(9) *Cleopatra viperam ſibi ad pectus admovit &c.]* Quin potius Dionem *l. 51. p. m. 452.* de Cleopatræ mortis genere dubium, audiamus: Quo mortis genere obierit, *inquit*, certum nemo novit; puncturæ tantùm exiguæ in brachio ejus repertæ ſunt. Perhibent quidam, eam in urna illatam aſpidem, aut inter flores quosdam, corpori ſuo adhibuiſſe: alii acum ab ea, quâ capillum componere ſolita eſſet, veneno inunctam tradunt: cujus ea fuerit natura, ut, quum corpori aliàs nullũ damnum injungeret, ubi primum tamen ſanguinem vel minimum attigiſſet, mortem & celerrimam & absque omni dolore adferret, hanc acum ab ea morte ſuo in capite eatenus geſtatam, tum detractam, brachioque priùs aliâ re ſauciato, ſanguini immiſſam fuiſſe. Ad hunc igitur Cleopatra modum, aut certè minimè diſſimili ratione, cum ancillis duabus mortua eſt. Nam Eunuchus ſimul atque Cleopatra capta fuit, ſerpentibus ſeſe ultrò mordendum præbuerat, morſusque in foveam, præparatam ſibi ad id, inciderat &c.

CAPUT LXXXIX.

De Sociorum Contributionibus.

SUMMARIA.

1. Socii *quandoq; certam pecuniæ ſummam contribuendo, laboranti Ærario ſubveniunt.*
2. Domus Auſtriaca & Saxonica *ſibi invicem ad ſubſidia conferenda obligantur.*

Ut quoque contribuant ſociali fœdere nobis
Juncti; nos cogit vis inimica mali.

1 ÆRarium quoque æri alieno implicatum refocillat ſpontanea vicinarum Rerumpublicarum Liberalitas, & ex pacto confœderatorum mutui auxilii causâ conſtituta penſio. Eoque fine, ex annuis ſociorum penſionibus ærarium augendum, ut ſi bellum ab hoſtibus inferatur, militem ſociis imperare liceat. *Ita Reges Galliæ* (1) annua mille aureorum ex fœdere dependere conſueverunt Helvetiorum & Rhætorum civitatibus, eâ lege, ut Reges Galliæ exercitus imperare, & auxiliaribus eorum copiis uti, ad imperii ſui tutelam, prætoriasque cohortes ad corporis obſequium & cuſtodiam inde conſcribere poſſint, Bodin. *lib. 2. de Repub. cap. 6.* Ita Domum Auſtriacam & Saxonicam reciproco 2
pacto ad ſubſidia ſuggerenda, bello & hoſte imminente, obligari atteſtatur, Bornit. *d. lib. 3. c. 12.* Non opus eſt pluribus exemplis, *ubi experientia teſtis loquitur.* (2)

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT LXXXIX.

Num. 1.

(1) I*Ta Reges Galliæ &c.]* Vide ſuprà *lib. 1. c. 15. n. 13. ſeqq. cum ibi notatis.*

Num. 2.

(2) *Ubi Experientia teſtis loquitur &c.]* Præter quam inter Galliæ & Sueciæ Reges Anno MDCXXXI. inita pacta, *quæ ſubjuncta Miniſterio Cardinalium Richelii & Mazarini cap. 11. p. 226. art. 3.* monſtrant, conventum fuiſſe dum ut ad ſuſtinendam belli Germanici molem Rex Sueciæ exercitus tricies mille peditum & ſexies mille equitum ſuo ſumptu in Germaniam ducat & habeat. Rex verò Galliæ quadraginta millia Thalerorum Imperialium quotannis contribuat. Iterum in Pactis Confœderationis inter Ludovicum XIII. G. R. & Chriſtinam R. S. de A. MDCXXXVI. *c. 30 p. 347. art. 12.* Rex Galliæ promittit ſe curaturum, ut Reginæ Sueciæ ſingulis annis per duos terminos Millio librarum Thuronenſium & quingenta millia librarum in præteritum ſolvatur. Quales Conventiones ibidem plures notantur, ubi exempli loco vide.

CAPUT XC.

De *Amicorum Donis*, *Largitionibus*, *Collationibus ſpontaneis*, & *Donationibus inter vivos*, & *causâ mortis*, *Ærario deputandis*.

SUMMARIA.

1. Largitiones causâ mortis, *conſimilesq́; acceptarunt ampliſſima Regna ab iis, qui fœdere ſibi juncti erant.*

2. Turcarum *ex hisce donis* opulentia *hodie valde augeſcit.*

3. Largiri & dare *aliis magnificentiùs, beatiusq́; quàm accipere.*

4. Eduardus IV. Rex Angliæ *induſtriè excogitavit donationem quandam, quam* Benevolentiam *appellitavit. Hæc ratio gravis eſt, niſi ſit ſpes compenſationis*, ibidem.

5. *Duræ ſunt apud ſubditos* preces Principum, *ſive dare nolis, ſive parcè dederis, ſive dare non poſſis.*

6. Voluntariæ collationis *illuſtre* exemplum *in Romanis civibus deſcribitur.*

7. *Plus* exemplo & imitatione *effici, quàm pœnâ.*

8. *Difficillimis temporibus, non ab invitis, ſed à voluntariis tributa exigenda, inprimis autem fidem ſervandam eſſe*, n. 9.

10. Auxiliaria tributa *antiquitùs ſponte oblata, præter morem creſcentibus imperii negotiis.*

11. *Facta &* oblatio ex voto, *eaque duplex, vel ob Salutem Principis, vel ominationis bonæ causâ per ſtrenas.*

12. Auxiliares oblationes *etiamnum rectè peti poſſunt ex cauſa.*

13. Princeps *gratiâ & favore, promittendisq́; privilegiis, & libertate, quæ omnibus dulciſſima, augere ſtudeat ærarium.*

Et inter vivos donatio crebra, & amicis
Largiri vivis munera, ſuadet amor.

1 QUin Respublica per ſe & ob inopiam publici ærarii quidpiam efficere non poteſt; privati ſunt perſuadendi, ut inter ſe eos ſumptus partitos ferant ac faciant Polyb. *hiſtor. lib. 1.* Hoc tamen genus collationem incertius & rarius eſt, quod Romanorum magnitudo etiam in adverſiſſimis non admittebat: Quemadmodum *Ptolomæo Ægypti Regi M.* (1) pondo auri & xx. pondo argenti dono data remiſſa ſunt Liv. *lib. 36.* Ampliſſima tamen Regna fœdere junctorum teſtamento ſibi relicta non indecorè accipiebant, Bodin. *lib. 6. de Repub. c. 2.* Quo titulo
2 *Regnum Arelatenſe* (2) Conrado Salico datum, Germanico Imperio acceſſit, Peucer. *Chron. lib. 4. in vita Conrad. Salic.* temerario auſu à Carolo IV. Imp. in Delphinum Galliæ alienatum. Plurimum hodiè *Turcarum*
3 *opes inde excreſcunt.* (4) Magnificentiam verò & dignitatem nihil magis conſervat, quàm aliis largiri & dare, aliorum autem donationibus abſtinere. Prudenter ille Princeps cuidam ſciſcitanti, quod optimum vectigal caperet ex civitate? quod populus, *reſpondit*, pendit potiùs ex honore, quàm onere. Quod enim ſponte datur beneficium, verè datur. Plenæ ſunt donationum Principum, virorum illuſtrium & aliorum hiſtoriæ, 1. *Reg. 10 v. 10. 2. Reg. 12. 1. Chronic. 23. 2. Chronic. 9. v. 14. 13. & 24. 2. Chron. 35. Macchab. 13. Marc. 12. Luc. 7. & 21.*

Similis collatio eſt in Regno Angliæ, quam Eduardus IV. excogitavit, & *Benevolentiam* (4) appellavit. Egit enim cum amicis, ut ſponte ad ſumptus belli pecuniam erogarent, quod ipſe ex ea re benevolentiam ſingulorum menſurus eſſet, ut ſcilicet eum, qui plus daret, ſe plus diligere cenſeret. Quo poſtea Henricus VII. uſus magnam pecuniæ vim collegit. Et Richardus I. Anglorum Rex, in bello Gallico ingentem pecuniam, quam à Collegio mercatorum, qui juxta Caleti ex lanâ potiſſimùm negotiantur mutuam ſumpſit, poſtea Monachis Ciſtercienſibus expoſuit, ſe inopiâ coactum ac eorum benevolentiâ fretum id feciſſe, & propterea rogare, ut vellent, tantum lanæ ipſis mercatoribus pro acceptis à ſe pecuniis dare, ſummi beneficii loco, cujus ſe memorem fore pollicebatur, ſe id agniturum, Monachi ad extremum morem Regi geſſerunt. Polydor. Vergil. *lib. 24. & 26. Hiſtor. Angl.* Si magna incumbat neceſſitas, eſt recta ratio, ſed animadvertendum, ut viciſſim Rex illis benefaciat; alioqui *nihil durius, quàm Principis privatæ apud amicos vel ſubditos preces:* (5) Si enim negent aut parcè donent, paratam ſibi cladem putant. Si quis aut nolit, aut non poſſit dare, inimicus Principis efficitur; quia graviter ſibi offenſum arbitratur. Adam Contzen. *lib. 8. Polit. c. 15. n. 7. fol. 587.* 4 5

Bello Punico ſecundo, cùm in remigum ſupplementum neque hominum ſatis, 6 nec ex qua pararentur ſtipendiumque acciperent quicquam ea tempeſtate in publico eſſet, M. Marcellus, & M. Valerius Levinus, Coſs. edixerunt, ut privati ex cenſu ordinibusque, ſicuti anteà, remiges darent cum ſtipendio cibariisque dierum triginta. Ad hoc edictum tantus fremitus hominum, tantaque indignatio fuit, ut magis dux, quàm materia ſeditioni deeſſet. Secundùm Siculos Campanosque plebem Rom. perdendam, lacerandamque ſibi Conſules ſumpſiſſe. Per tot annos tributo

exhauſtos, nil reliqui præter terrā nudam ac vaſtam habere; Tecta hoſtes incendiſſe, ſervos agricultores Remp. abduxiſſe; Nunc ad militiam parvo ære etiam emendo, nunc remiges imperando ſi quid cui argenti æriſve fuerit, ſtipendio remigum, & tributis annuis ablatum, ſe ut dent quod non habent, nulla vi, nullo imperio cogi poſſe Bona ſua venderent: in corpora, quæ reliqua eſſent, ſævirent, ne unde redimantur quidem quicquam ſupereſſe. Hæc non in occulto ſed propalam, in foro atque oculis ipſorum Conſulum ingens turba circumfuſi fremebant, *inquit Livius*: (6) Nec eos ſedare, conſules nunc caſtigando, nunc conſolando poterant. Spatium deinde his tribuere ſe, dareque ad cogitandum dixerunt: quo ipſi ad rem inſpiciendamque uſi ſunt. Senatum poſtero die habuerunt de remigum ſupplemento: ubi cùm multa diſſeruiſſent, cur æqua plebis recuſatio eſſet, verterunt orationem eò, ut dicerent, privatis id, ſeu æquum ſeu iniquum onus injungendum eſſe. Nam unde, cùm pecunia in ærario non eſſet, paraturos navales ſocios? quomodo autem ſine claſſibus aut Siciliam obtineri, aut Italiâ Philippum arceri poſſe? aut tuta Italiæ litora eſſe. Cùm in hac difficultate rerum Conſilium hæreret, ac propè torpor (7) quidam occupaſſet hominum mentes, tum Levinus Conſul, Magiſtratus Senatui & Senatus populo, ſicut honore præſtet, ita ad omnia, quæ dura atque aſpera eſſent, ſubeunda ducem debere eſſe; ſi quid injungere inferiori velis, id priùs in te atque tuos ſi ipſe Juris ſtatueris, faciliùs omnes obedientes habeas; nec impenſa gravis eſt, cùm ex ea plus quàm pro virili parte ſi quemque capere principum vi-
7 dent. Itaque ut Populus Rom. claſſem habeat, quàm ornare volumus, privatique ſine recuſatione remiges dare nobiſmet ipſis primùm imperemus, Aurum, Argentum, æs ſignatum omnes Senatores craſtina die in publicum conferamus: ita ut annulos ſibi quisque & conjugi & liberis, & filio bullam, & quibus uxor filiæve ſunt, ſingulas uncias auri pondo relinquant: Argenti, qui curuli ſellâ ſederunt, equi ornamenta, libras pondo, ut ſalinum patellamque Deorum causâ habere poſſint. Cæteri Senatores libram argenti tantùm, Æris ſignati, quinta millia in ſingulos patres familias relinquamus. Cæterùm omne aurum, argentum, æs ſignatum ad Triumviros Menſarios extemplò deferamus, nullo antè SCTo facto ut voluntaria collatio, & certamen adjuvandæ Reip. excitet ad æmulandū animos primùm Equeſtris ordinis, deinde reliquæ plebis. Hanc unam viam, multa inter nos collocuti, Conſules invenimus. Ingredimini Diis benè juvantibus: Reſpublica incolumis, & privatas res facilè ſalvas præſtat, publica perdendo, tua ne quicquam ſerves. In hæc tanto animo conſenſum eſt, ut gratiæ ultrò Conſulibus agerentur; Senatu inde miſſo pro ſe quisque aurum, argentum, & æs in publicum conferunt: tanto certamine injecto, ut prima inter primos nomina ſua vellent in publicis tabulis eſſe: nec ſcribæ referendo ſufficerent. Hunc conſenſum Senatûs Equeſter ordo eſt ſecutus: Equeſtris ordinis plebs. Ita ſine edicto, ſine cohortatione Magiſtratûs, nec remige in ſupplementum, nec ſtipendio Reſp. eguit. At poſt ſeptimum annum M. Cornelio Cethego, P. Sempronio Tuditano, Coſs. *M. Valerius Lævinus retulit*, (7) æquum videri, reddi privatis collatas pecunias. Neque mirari quenquam debere in publica obligata fide, ſuam præcipuam curam eſſe. Nam præterquam quòd aliquid propriè ad Conſulem ejus anni, quo collatæ pecuniæ eſſent, pertineret; etiam ſe authorem ita conferendi fuiſſe inopi ærario, nec plebe ad tributum ſufficiente. Grata ea Patribus admonitio fuit, juſſisque referre Coſs. decreverunt: ut tribus penſionibus ea pecunia ſolveretur: primam præſentem ii, qui tum eſſent: duas tertii & quinti Coſs. numerarent. Fraudem publicanorum, multam: violentiam & audaciam ultimo ſupplicio coërcendam; Neceſſariam abſentiam non aſcribi contumaciæ: Vitandæ accuſationis, damnationiſve causâ, licuiſſe abire in voluntarium exilium.

Conveniens voluntariæ collationis exemplum Romæ reliquit Fabia 8
gens, quæ privato ſumptu bellum cum Veientibus gerere *à Senatu impetravit*. (8) Ac licèt edicto tributo Tribuni plebis pollicerentur auxilio ſe futuros, ſi quis in militare ſtipendium tributum non contuliſſet: ſpreto tamen Tribunitio auxilio, repentè certamen conferendi ortum eſt, cùm *primi ipſi Patres* palàm, atque ſummâ fide ex cenſu contulerunt: & (quia nondum argentum ſignatum erat) æs grave plauſtris ad ærarium convexerunt, ſpecioſam collationem facientes: poſtea ex compoſito primores plebis, nobilium amici. *Ut cùm literis à P. & Cn. Scipionibus* (9) allatis, quibus continebatur, quantas, quàmque proſperas in Hiſpania res geſſiſſent: ſed pecuniam in ſtipendium, veſtimentaque, & frumentum exercitui, & ſociis navalibus omnia deeſſe: cùm pecunia non eſſet in ærario, placuit Fulvium Prætorem in concionem prodire, indicare populo publicas neceſſitates: eosque exhortari, qui redempturis auxiſſent patrimonia Reip. ex qua creviſſent, ad tempus commodarent; conducerentque ex lege præbenda, quæ ad exercitum Hiſpanienſem opus eſſent, hac lege, ut, cùm pecunia in ærario eſſet, iis primis ſolveretur. Quid accidit? tres adfuerunt ſocietates hominum undeviginti, quorum duo poſtulata fuere: Unum, ne alii eo triennio publicani eſſent; alterum, ut quæ

quæ in naves impoſuiſſent, ab hoſtium tempeſtatisq; vi, publico periculo eſſent. Utroq; impetrato (nam ſanè qui frui publico non poterat per hoſtem, tegebatur ipſâ lege Cenſoriâ) conduxerunt : privatâque pecuniâ Reſp. adminiſtrata eſt. *Sed & paulò pòſt,*(10) cùm Cenſores ob eandem inopiam æris ſe jam locationibus abſtinerent ædium ſacrarum tuendarum , curuliumque equorum præbendorum, ac ſimilium his rerum: convenere ad eos frequentes, qui haſtæ hujus generis aſſueverant; hortati Cenſores, ut omnia perinde agerent, locarentque, ac ſi pecunia in ærario eſſet, neminem niſi bello confecto pecuniam ab Ærario petiturum eſſe. Convenêre deinde domini eorum , quos Titius Sempronius ad Beneventum manu emiſerat: accerſitosque ſe ab Triumviris Menſariis eſſe dixerunt, ut pretia ſervorum acciperent, cæterùm non antè quàm bello confecto accepturos eſſe. Cùm hæc inclinatio animorum plebis ad ſuſtinendam inopiam ærarii
9 fieret; pecuniæ quoque pupillares primò, deinde viduarum conferri cœptæ ; nusquam eas tutiùs, ſanctiùsque deponere credentibus qui deferebant, quàm in publica fide , inde ſi quid emptum, paratumque pupillis, viduisque foret , à Quæſtore perſcribebatur. Manavit ea privatorum benignitas ex urbe etiam in caſtra, ut non Eques, non Centurio ſtipendium acciperet mercenariumque increpantes, vocarent, qui accepiſſet.

10 Veteribus quoque Impp. oblationes ſponte à ſubditis factæ ad juvandas bellorum impenſas , præter modum antiquum ex legitima cauſa auctas , extra ordinarium Canonem. Compertum & eſt aliquando olim largitiones oblationales ex voto Principis factas fuiſſe à populo , quæ poſtea in conſuetudinem tranſierunt; & petitæ fuêre ordinariè à Principibus, *l. unic. Codic. de oblat. vot. libr. 12.* ut & vota ad præſtationem obligant, *l. omnes 4. Cod. de annon. libr. 10.*

11 Erant earum oblationum votivarum duæ potiſſimùm ſpecies, quæ Principem Romanum reſpiciebant: una ob Salutem Principis, veluti quando omnes ordines Romanorum propter ſalutem Auguſti, *in lacum Curtii*(11) quotannis ex voto jacebant ſtipem, Sueton. *in Octav. cap. 57.* Fiebant & alia vota pro Salute Principis, quæ ſuſcipiebantur tertio die poſt Calendas Januarias, *l. ſi calumnietur. §. poſt Calendas. ff. de V.S.* Erant & aliæ oblationes, quæ Strenæ dicebantur , quæ fiebant in principio Januarii Principi, ut Sueton. *in Caligula*(12) *& in Octavio d. cap. 57.*

12 Auxiliorum nomine itaque & hodiè oblationes ejusmodi rectè petuntur à ſubditis ex neceſſitatibus vel rationabilibus cauſis ſupervenientibus, nec ſolùm à ſecularibus, ſed etiam ab Spiritualibus Præpoſitis, Gregor. Tholoſan: *libr. tertio ſyntagm. jur. univ. cap. 6. num. 4.*

13 Videant verò Principes , quibus ejusmodi voluntarias collationes à ſubditis elicere animus eſt, ut gratiâ & favore , pollicitationibus Privilegiorum concedendorum aut ſervandorum Religionis, Libertatis &c. anſam præbeant populo ac ditioribus donandi Ærario.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT XC.

Num. 1.

(1) P*tolomæo Ægypti Regi &c.]* Livius *lib. 36. cap. 4.* Sub idem tempus , *inquit*, Legati à duobus Regibus, Philippo & Ptolomæo Ægypti Rege, Romam venerunt, pollicentes ad bellum (*contra Antiochum Regem*) auxilia, & pecuniam & frumentum, à Ptolomæo etiam mille pondo auri (*112000. Coronat.*) XX. millia pondo argenti (*Coronat. 200000.*) collata. Nihil eſt acceptum, gratiæ Regibus actæ, & quum uterque ſe cum omnibus copiis in Ætoliam venturum, belloque interfuturum polliceretur Ptolomæo id remiſſum.

(2) *Regnum Arelatenſe &c.]* Quomodo Burgundiæ & Arelatenſe Regnum per injuriam in terris Germanico-Imperio debitis enatum, eidem rurſum perpetui fœderis lege ſociatum, idq; quâ ratione factum, cum aliis huc pertinentibus, idem Carolo IV. injuriam fieri ab iis, qui alienationem totalem Arelatenſis Regni in Delphinum eidem adſcripſere, dignè pro more demonſtrat & exequitur Dn. Conringius, *à nobis ad hoc ipſum lib. 1. c. 4. n. 66. (141) citatus.*

Num. 2.

(3) *Turcarum opes inde excreſcunt &c.]* Declarantur hæc ſuprà *lib. 1. c. 5.* ubi de Ærario Turcico dictum.

Num. 4.

(4) *Benevolentiam &c.]* Tetigit hanc ipſam ſuprà Author, *lib. 5. c. 8. n. 38.*

Num. 5.

(5) *Nihil durius, quàm Principum privatæ apud amicos vel ſubditos preces &c.]* Juxta verſiculum illum:

Eſt orare Ducum ſpecies violenta jubendi,
Et quaſi nudato ſupplicat enſe potens.

Maſcardus *de Probat. concl. 193.*

Num. 6.

(6) *Inquit Livius &c.] Lib. 26. c. 35. & 36.*

Num. 7.

(7) *M. Valerius Lævinus retulit &c.]* Idem Livius *lib. 29. c. 16.*

Num. 8.

(8) *A Senatu impetravit &c.]* Cæſos ex Fabia Gente CCC. & VI. qui Vejens bellum privati ſibi depoſcerant , circa annum ab Urbe Condita CCLXX. VI. aut certè CCLXXVII. ex Livio conſtat, quando *lib. 2. c. 51.* ſcribit. Quum hæc accepta clades eſſet, jam C. Horatius & T. Menenius

Coſſ. erant &c. Ut & illud quod non tunc, ſed ferè poſt Decennium Q. Fabio Vibulano Conſ. A.U.C. CCLXXXVII. ſtipendia militibus ex publico ſolvi cœptum fuerit, (*vide Livium l.4.c.60.*) de quo Author noſter in textu hoc loco minùs cohærentur ſermonem inſtituit. Videtur autem inter verba illa: *à Senatu impetravit*, & mox ſequentia, *Ac licèt edicto tributo &c.* aliquid abeſſe; luxatus autem locus poſt verbum *impetravit*, ſic reſtitui poſſe: *Similiter cùm à Senatu decerneretur Romano, ut ob Vejens bellum ſtipendium miles de publico acciperent, eoq; plebs maximo afficeretur gaudio; contra Tribuni Plebis rem eam difficultatibus non carere ſentirent, & partim plebis moverent: poſtremò indicto jam tributo, edixiſſent etiam Tribuni auxilio ſe futuros, ſi quis in militare ſtipendium tributum non contuliſſet, Patres benè cœptam rem perſeveranter tueri: conferre* ipſi primi &c.

(9) *Ut cum literis à P. & Cn. Scipionibus &c.*] Livius *l.23.c.48.*

(10) *Sed & paulò poſt &c.*] Eodem Livio *l.24. c.18.* teſte.

Num. 11.

(11) *In lacum Curtii &c.*] Septum intelligere Suetonium *d. loc.* in medio foro Romano, ubi olim fuit Curtii lacus: cùm tunc quidem lacus nullus erat, notat Cauſabonus *ad Suetonium*, addens quòd ſtipem in lacum jecerint Romani, veteris ſuperſtitionis ritum fuiſſe. Sic enim conſueviſſe loca hominum opinione ſacra, ut lacus, puteos, venerari.

(12) *Sueton. in Caligula &c.*] *Cap.42.* ibi: Edixit & Strenas ineunte anno ſe recepturum: ſtetitque in veſtibulo ædium Kalend. Januariis ad captandas ſtipes, quas plenis ante cum omnibus ac ſinu omnis generis turba fundebat. Cæterùm cùm de Oblatione votorum in Commentatione *ad leg. un. C. h.t.* Dn. Ahasverus Fritſchius &c. Anno MDCLXV. edita egerit, Lectorem eò ablegamus.

CAPUT XCI.

Albergaria Ærarium divitat.

SUMMARIA.

1. Albergare *quid?*
2. Albergaria *eſt hoſpitatio; onus reale*, n.3. *vulgò* Ablager/ Atzung/ Ausſpann/ n.4.5. *unde introducta?* n.6.7.
8. Albergaria *infert Imperium, & Regalibus ac ſuperioritati cohæret*, & n.9.
10. Principi *ſoli licet hoſpitia gratis deſignare.*
11. Conſtitutio *Impp. Arcadii & Honorii in l. 2. C. de metat. & epidemet. hodiè in uſum revocanda.*
12. *Quomodo hîc* Jus Albergariæ *accipiatur.*
13. Vaſalli *minores Domino ejusq; familiæ advenienti tenentur dare hoſpitium*, Ablager/ Futter und Mahl.
14. Ausſpann *eſt manſio in prædio, fundo aut monaſterio aliquo antiquitùs conſtituta.*
15. Manſionatici *vel manſiones ſunt loca, in qua quis ex conſuetudine vel ex proprietate aut contractu aliquo divertendi jus habet.*
16. Albergariâ *Ærarium relevatur.*
17. Albergandi *juris abuſus.*
18. Monaſteria *non ad canes & equos alendos & aulicorum voracitatem, ſed ad cultum divinum inſtituta ſunt.*
19. Hoſpitationis *nimiæ avertendæ modus argutus & feſtivus per Abbatem quendã uſurpatus.*

Ærarium ditatur ALBERGARIA.

1 ALbergare Italis idem eſt, quod hoſpitari vel in domum recipere; Et nihil ali-
2 ud eſt Albergaria, quàm hoſpitatura ſive hoſpitatio, Additionat. ad Martini Uranii *conſil. 1. numer. 14. volum. 3.* Anton. Sola *in Conſtit. Sabaud. tit. de jure Emphyteut. part. 1. gloſſ. 4. num. 3.* Knichen. *de jure territ. cap. 4.*
3 *num. 418.* quæ hoſpitatio oneribus realibus accenſetur, *l. 3. §. munus hoſpitis. l. fin. §. pen. ff. de munerib.* Fulv. Pacian. *conſil. 5. num. 15. & conſil. 26. num. 86.* Anton. Faber *in Cod. deciſ. forenſ lib. 9. tit. 29. definit. 26.* Marcus Antonin. Macerat. *lib 1. var. reſol. 111. n. 18.*
4 Coſta *de Rat. Ratæ quæſt. 158. n. 8.* Et tradit Anton. Sola *dict. loc.* jus Albergariæ fuiſſe onus conſuetum præſtari Comiti Provinciæ eunti ad caſtra, (1) & loca Provinciæ ad audiendum querelas Subditorum contra ſuos Officiales. Quod etiam reſpondit Olrad. *conſil. 98. princ.* Bertrand. *conſil. 179. num. 3.* Card. Thuſc. *in pract. concluſ. lit. A. concluſ. 250.* Videtur hoc jus deß Ablagers oder A- 5
tzung (quod Erneſt. Cothmannus *conſil. 38. num 173. volum. 3.* jus epulationis ſeu comeſſationis vocat) ad ſimilitudinem procu- 6
rationis Epiſcopis Diœceſin viſitantibus, intuitu cujusdam ſubjectionis debitæ; Doctores *in capite primo de cenſib. in 6.* Philip. Portius *conſil 194. num. 41.* à Laicis, ne hac in re deterioris eſſent conditionis, quàm Eccleſiaſtici, fortè introductum: vel (quod ve- 7
riſimilius eſt) à jure erigendi tabernas vel hoſpitandi, quod in Suevia pertinet unter ſonderbahre Ehehafften / (2) prout etiam inculcat Additionator ad Martini Uranii *conſil. 21. num. 6. lit. A. volum. 2.* Quo reſpectu nonnulli Dd. hoc jus mixto imperio adſignant: Licet *jus hoſpitandi Regalibus* 8
accenſeat (3) poſt Baldum Mutius Surgens *in Annotat. ad tractat.* Matth. Anton. Surg. *de Præfect. Prætor.* Et jus Albergariæ, ſi co- 9
gatur quis adventantes hoſpitari, ſuperioritati cohærere, non obſcurè innuit Menoch. *conſil. 302. num. 29.* Regulariter enim ſoli 10
Principi licet gratis hoſpitia deſignare, eâ tamen in aſſignatione non niſi tertiam partem domûs metator hoſpitibus concedere debet, ita, ut quælibet domus, quæ metatum præſtare debet, in tres partes dividatur, quarum unam Dominus ad ſuam manſionem eligat; alteram, quam volet, miles accipiat; tertia, quæ reſtat, domino relinquatur: Illuſtribus verò viris non ter-

tia

tia pars domûs , ſed dimidia hoſpitalitatis
gratiâ concedenda, domino quidem ædium
diviſionem faciente , altero verò eligente.
Quod ſi quis majorem ædium partem præ-
textu metati occupaverit , illuſtris quidem
XXX. libris auri mulctatur ; miles autem
militiâ privatur, *l 2. princ. C. de metatis &*
11 *Epidemeticis libr. 12. tit. 40.* Quæ Conſtitutio
Impp. ſi hodiè revocaretur in uſum , mul-
torum tàm metatorum , Furierer / Quar-
tiermeiſter / quàm militum iniquitas ſum-
moveretur , & cum miſellis dominis , qui
cum tota familia cedere, ædesque ſuas relin-
quere coguntur, meliùs ageretur.

Nos hoc loco accipimus (4) Jus Alberga-
12 riæ , quando Subditi vel Monaſteria Prin-
cipibus & Dominis cum Satellitio & Co-
mitibus ſuis adventantibus , tenentur da-
re hoſpitium , prout in multis Germaniæ
locis etiam obtinet in Vaſallis minoribus,
13 qui Domino & familiæ ſuæ advenienti ob-
ſtringuntur dare hoſpitium , eſculenta &
14 potulenta ; vulgò Ablager / Atzung / Aus-
ſpann / Futter und Mahl / ꝛc. atteſtante Joan.
Köppen. *quæſt. 17. num. 4.* ubi & hoc reſol-
vit , an auctâ familiâ augeatur etiam jus il-
lud paſſivum. Et ſunt hæ hoſpitationes
nihil aliud quàm manſiones in prædiis Va-
ſallorum , vel fundis Ruſticorum, vel deniq;
in Monaſteriis conſtitutæ antiquitùs, quas
hodieque retinemus. Olim enim *manſio-*
15 *natici*, (5) ſive manſiones vocabantur loca ;
in quæ jus habebat divertendi & hoſpi-
tandi: idque vel ex proprietate vel contra-
ctu aliquo aut antiqua conſuetudine, cujus
non extitit apud homines interrupta me-
moria, Goldaſt. *in Conſtit. Imperial. fol. 15. &*
rerum Alemannic. tom. 2. charta 90.

Hisce igitur caſibus , quibus Subditi vel
Vaſalli, vel etiam Monaſteria Principibus
& *Advocatis ſive Protectoribus* (6) ſuis ad
præſtandam Albergariam obligantur, & gra-
16 tis copiam hoſpitii , eſculentorum & potu-
lentorum exhibere tenentur ; dubium non
eſt, multas expenſas aulicas evitari atque æra-
rium allevari, Cautionem tamen & tempe-
ramentum heic adhibere neceſſe eſt, *ne nimiis*
17 *expenſis* (7) & hoſpitationum moleſtiis Sub-
diti vel Cœnobitæ graventur, & ad interulā
usque (ut alibi loquitur Baldus) excutiantur,
& ne plus ſibi ex jure hoſpitandi quàm par ſit,
uſurpare præſumant Principes ; néve hoſpi-
tationes jure familiaritatis atque urbanitatis
magis , quàm ex debito factæ, in legis neceſ-
ſitatem trahantur.

Videmus enim nonnullis in locis peſſi-
mam conſuetudinem inoleviſſe , ut multi
Principes, Comites, Advocati ac alii in Va-
ſallorum, Ruſticorumque prædiis, nec non
in Monaſteriis illorum curæ commiſſis, *quæ*
non ad canes, (8) aut equos alendos, aut famu-
18 litii aulici voracitatem explendam , ſed ad
cultum divinum inſtituta fuerunt, ita mole-
ſti ſint, tantaque in iis impendia absque nulla
neceſſitate cauſent , ut eorundem proven-
tus , nimiis profuſionibus prorſùs exhau-
riant, laudabili Advocatiarum inſtituto ma-
lè abutentes. Quem abuſum & exceſſum
cùm minimè probemus, non eſt , quòd huic
Ærarii coadjuvandi modo tenaciter inſiſta-
mus, maximè cùm haud raro comperiamus
Protectores ſæpius in anno cum magna au-
licorum frequentia in Cœnobiis non minùs
quàm ignaviſſimorum venantium colluvie
diverti , multo ibidem tempore perſiſtere,
nec facilè , niſi ollis ac doliis evacuatis inde
pedem movere, ſed & præter hæc diſpendia
certum adhuc equorum ibi nutriendorum
canumque venaticorum numerum relin-
quere , eaque omninò tanquam debita im-
periosè exigere , & ni ad nutum omnia ſub-
miniſtrentur, ſtatim fulmina ſpirare & extre-
ma quævis minitari. Hasce hoſpitalitatis
moleſtias & gravamina pluribus perſtringe-
re tantò ſtudioſiùs abſtineo , quantò magis
ea, ſi longiùs recenſerem, malos Advocatos
ad duriora forſan provocarem & accende-
rem.

Argutum & feſtivum Hoſpitationis 19
nimiæ avertendæ modum per Herboldum
Abbatem Murhartenſem uſurpatum heîc
referre lubet, de quo poſt Georg. Wideman-
num *in Chronico ſuo* Dn. Mart. Magerus *d.*
tract. de advocat. armat. cap. 10. num. 301. ſcri-
bit, quòd cùm ſub Udalrico Würtembergico
ejusdem Cœnobii Advocato , Venatorum
in illud introitus admodùm frequens eſſet,
iisdem ibi quadam vice comeſſantibus
ipſe Abbas Herboldus Stutgardiam aliquot
hominibus comitatus, profectus fuerit , &
quotidiè aulam ad menſam cum ſuo comi-
tatu cibum capturus acceſſerit. Cùm autem
hoc multis diebus feciſſet, juſſu Ducis ab auli-
co quodam interrogatus fuit ; *Nunquid ha-*
beret referendum ad conſilium ? cauſam ejus
cognitum iri. Ibi reſpondet bonus pater: Potz
Gutigott (*Proh, benignum DEUM!*) *putabam*
ego Murharti eſſe Monaſterium , ab Imper.
Ludovico pro religioſis fratribus fundatum ;
Nunc video eſſe ſtabulum canum. Nam Domi-
ni mei clementis ſervuli, qui cum ellis canes du-
ctant, ipſi canes, ibi ſtabulantur. Non opus eſt
ampliùs cantu & diapſalmate meorum Mo-
nachorum , ſatis verò ibi baubantur Canes:
Quamdiu hi in Monaſterio meo degent , ego
hîc in aula manebo. Dominus meus poteſt me
faciliùs paſcere quàm ego canes ejus. Tunc, ge-
neroſi animi Comes ſuavi riſu ad Abbatem:
Vade verò, chare Prælate, auferetur hoc ca-
coëthes. De eodem Abbate, bono & at-
tento rei familiaris adminiſtratore, plu-
ra ſcribit Cruſ. *Annal. Suev. part. 3.*
lib. 7. cap. 4.

ANNOTATIONES Ad CAPUT XCI.

Num. 4.

(1) ONus *conſuetum præſtari Comiti Provinciæ eunti ad caſtra &c.*] Hoc Albergariæ Jus origine antiquum eſt, dicente Frid. Bendero *in Diſp. Inaug. inſerta Dn. Fritſchii Exercit. var. J. Publ. parti 3. exercit. 3. p. 197. concl. 4.* fortè ex Hoſpitationibus, olim militibus in expeditionem euntibus, vel hybernantibus concedi ſolitis natum, aut quòd ſubditi Comites ſuos aut Principes Juſtitiæ adminiſtrandæ gratiâ advenientes, aliaq; de cauſa tranſeuntes, gratis victualibus aliiſque neceſſariis exceperunt, ex quo tandem Jus ortum, Italis & aliis nationibus præcipuè Germanis valdè uſitatum, Juri Divino non contrarium. Hæc ille; qui ibidem dicta latiùs explicat.

Num. 7.

(2) Ehehafften ꝛc.] Vocabulum Ehehafften aliquando ſumitur pro pertinentiis Jurisdictionalibus. Adam Keller. *de Offic. Jurid. Polit. lib. 2. c. 3. §. habebunt p. 553.* Vocabulum quippe Ehe antiquitùs pro Gebot ſumebatur. Sicque olim dicebatur die alte Ehe / pro Moſaica Lege Weichbild *in pr.* Da ward den Juden die Ehe gegeben / am 70. Tag nach dem Ausgang in Egypten. Beſoldus *in Theſauro Pract. voce* Ehehafft. Confer Authorem Actorum Lindav. *pag. 292. & 858. & 859.* ibi: Ehehafft heiſſt was in Rechten hafftet oder Grund hat.

Num. 8.

(3) *Jus Hoſpitandi Regalibus accenſeat &c.*] Ampliter deducit laudatus jam Benderus *d. loco concluſ. 5. 6. ſeqq.* Jus Albergariæ noſtrum prout hîc ſumitur ſicut alia Jura incorporalia tribus modis vel competere, vel acquiri, Jurisdictione ſcil. Præſcriptione, & Conventione. Ex quo patet, illud ſemper & perpetuò ad Regalia haud pertinere aut validè ab illo ad Superioritatem argumentari. Quamvis negandum ſit minimè, Jus Inhoſpitationis & Albergariæ, ſi quis cogatur hoſpitari adventantes, aliquod Imperium inferre, ut poſt Menochium & Magerum, Tabor *de Metatis p. 40.* concludit, ſubjungens, hinc multò magis Jus inquartandi milites, quod ex ſuperioritate dependet, Imperii plerumque eſſe.

Num. 12.

(4) *Nos hoc loco accipimus &c.*] Recenſitis plurium opinionibus (*quarum & Author noſter ſuperius mentionem facit*) Magerus *de Advocat. cap. 10. n. 231.* Jus Albergariæ, quomodo ab eo accipitur, eſſe dicit, quando Clientes Protectori cum famulis & comitibus ſuis adventantibus tenentur dare hoſpitium, eſculenta & poculenta, vulgò Aetzung. Quem omninò in ſequentibus perlege, cùm exactè materiam hanc quàm ullus alius pertractet, & eruditè doctam Benderi Diſputationem *de hoc Jure* ſuprà allegatam adde.

Num. 15.

(5) *Manſionatici &c.*] Confer Benderum *d. loc. concl. 1. lit. b. pag. 193.*

(6) *Advocatis ſive Protectoribus &c.*] Bender. *ibid. concl. 1.* & nota Advocatiam & Protectionem monaſteriorum ſeparata eſſe ſecundùm notatorem ad documenta rediviva Monaſter. Württenbergicorum *fol. 156* Sic wann ſchon das Reich einem Gottshaus einen Schirmer gibt / ſolches doch darumben nicht Vogtbar/ viel weniger ſubject werde ꝛc. *Ad de eundem p. 401.*

Num. 16.

(7) *Ne nimiis expenſis &c.*] Debetur Jus Albergariæ aut illimitatè aut ex pacto & conventionibus arctatum & certis limitibus circumſcriptũ; ſi priori modo ipſa æquitas poſtulat, ut Dominus ſive Advocatus jure ſibi debito cum modeſtia ſine flagitio, ſine noxa, ſine injuria utatur. Si poſteriori voluntas convenientium in terminis conventis omninò ſervanda venit. Cùm eo ipſo, quo de certis conveniunt partes ad cætera nõ convẽta obligari nolunt. Sic Abbas Albirspacenſi in Monaſterio, prout legitur *in d. Docum. rediv. Monaſt. Würtenb. p. 275. n. XV.* aus dem Extract eines alten Leger-Buchs de Anno 1488. Jus aliquod limitatum habuit in certis prædiis, certis comitibus divertendi. Es hant ein Abbt zu Alpirſpach recht jårlich ein Herberg zu den abgeſchriben der Meyerhoue zu haben ſelb dritt/ mit zwain Winden und ainem Vogellhund/ und war das im ein Bidermann begegnet uf dem Veldt/ den mag er wol mit im dahin laden/ aber er ſoll im nit in den Zam griffen / daß er in mit im ziehen well.

Num. 18.

(8) *Quæ non ad Canes &c.*] Magerus *de Advocat. c. 10. n. 300.*

CAPUT XCII.

De Erogationibus ſive Honorariis, quæ durante Advocatiâ annuatim dari ſolent, vulgò Vogtrecht / Schutz- und Vorſpruchgeld.

SUMMARIA.

1. Advocatis *clientelaribus plerumq; pro defenſione exhibendâ annuum penditur* honorarium.
2. Schutzgeld *quibus nominibus indigitetur.*
3. Salarium *Advocatorum in concilio Ratiſponenſi Anno MIII. ab Henrico II. Imp. determinatum.*
4. Jus Protectionis *duplex eſt.*
5. *Proprietates* puræ Protectionis.
6. *Proprietates* conditionatæ Protectionis.
7. Curia Curtis.
8. Protectores *Monaſteriorum ab Impp. electi, quale jus habuerunt.*
9. Schirmherren *ſæpè ſunt* Sturmherren.
10. Protectores *an licitè pro defenſione clientum aliquod recipiant Salarium?*
11. Salarium *protectoribus penditur tàm in pecunia, quàm fructibus, & aliis muneribus.*
12. Civitates *multæ* Italiæ *Hiſpaniarum Regis patrocinium magnâ mercede pacti ſunt.*
13. Honorarium *protectionis causâ ſtipulatum an Protectori victo debeatur.*
14. Salarium *Advocato an debeatur, ſi centum aut pluribus annis nullum defenſionis actum exhibuerit?*
14. Operas *locans totius temporis mercedem accipit ſi per eum non ſtetit, quò minùs operas ſuas exhiberet.*
15. *Utrum* honorarii ſolutio *Protectoribus præſtanda ſit, etiamſi invito Advocato clientes advocatiam renunciaſſent?*
16. Lite pendente, *ſuper cenſûs ſolutione, an ſit nibilo-*

nihilominus ad finem litis usque pendendus.

17. Exemptionis *quæſtione pendente poſſeſſor tamdiu ſolvere tenetur Collectas, donec aliud in petitorio decidatur.*

18. Lite *ſuper nullitate vel reſciſſione contractûs pendente cogitur quis præſtare, ad quæ lege contractûs arctatur.*

19. *Qui tenetur* defendere, *non debet offendere.*

20. Protectores *hodiè ſæpè clientes patrocinio oppugnant, ſpoliant, gravant, &c.*

21. *Laicis* Advocatia *in Eccleſiaſticos ex Conſtitutione Gregorii ſine ſpeciali Pontificis conſenſu inhibita.*

22. Imperator *eſt ſupremus Advocatus & Defenſor Eccleſiæ Catholicæ.*

23. Kaſten-Vogtey *quid?* & num. 24. Vögte *unde dicantur.* num. 25. *& de eorum officio, adminiſtratione & cura,* numer. 26. 27. 28. 29.

30. Vogtey *verbum amphybolon.*

31. *Ex* honorarii *præſtatione non ſemper infertur jus Advocatiæ.*

> Defenſor, non offenſor, velit eſſe libenter
> Patronus, fumum neque venditet, & neque linguam
> Venalem ſonat eſſe ſuam, ſed ponderat æquum.

1 NOnnunquam penſio ſive honorarium
annuum erogari ſolet Advocatis tutelaribus,
durante Advocatiâ, pro exhibenda
defenſione in ſignum advocatæ Protectionis,
quando ſcilicet Princeps aut Comes
aliquis fit protector, ſive Advocatus
& Patronus alicujus Monaſterii aut Civitatis,
vel etiam una Civitas potentior, alterius
inferioris defenſionem protectionemque
ſuſcipit, latè dixi *tract. meo de Contribut.
capit. 1. numer. 273 & ſeqq.* vulgò Schutz und
2 Verſpruchgeld/Vogtrecht appellatur. Et Advocatis
pro jure protegendi Eccleſiam, prout
conveniet, velut antiquitus obtentum eſt,
annui quid præſtari ſolere, idque in Alſatia
maximè frequentari, teſtatur Roſenthal *de
feud. cap. 4 concluſ. 14. num. 2.* Et paſſim aliàs
in Germania fieri conſuevit. Qua in re ſtatur
inprimis pactis conventis, vel conſuetudini,
cùm in jure ſcripto nullo modo definitum
ſit, quid Advocatis debeatur, Wehner.
verb. Vogtey *fol. 651.* Interim tamen hono-
3 rarii alicujus annui ſolutio non ſtatim infert
jus advocatiæ, Maſcard. *concl. 537. n. 1. & 57.
vol. 1. & concl. 367. num. 1. & ſeqq. vol. 1.* Roſenthal.
d. loc. num. 5. At probè notandum
eſt, Advocativum, ſeu ſalarium Advocati
non dari ob ſubjectionem, ſed propter laborem
& ſumptus defenſionis. Ac ſanè ſub
Henrico II. Anno MCCC. in Concilio Ratisponenſi
taxatum fuit ſalarium illud, ut ſit
tertia pars mulctarum; quod & ubivis ferè
terrarum receptum eſſe atteſtatur Chockier
tract. de Advocatiis quæſt. 59. & dicam infrà
num. 22. Aliquando etiam præſtatur Vogthaber.
Atque hac in parte certitudo deſumenda
eſt à conſuetudine regionis, vicinorumq;
Cardinalis Mantica *de tacit. & ambig.
convent. part. 2. libr. 23. tit. 8. num. 9. & tit. 10.
num. 43.* Chockier *qu. 85. & ſeqq.*

Duplex verò eſt jus Protectionis ſive der
Schutz und Schirm über die Clöſter; unum 4
ſimplex & nudum, alterum conditionatum.
Conditionis puræ protectionis ferè ſunt; (1) 5
ut Advocatus nomine Imperii præſit, (2) ut
jus eligendi ſit in arbitrio Monachorum, (3)
ut Monaſterium, ejusque Subditi ad nulla
ſervitia teneantur, (4) ut defenſor minimè
pro Domino ſe gerat, (5) ut ſi quid à Cœnobio
poſtuletur, non ægrè ferat, ſi fortè talis
petitio non admiſſa, (6) ut hoſpitium protectori
ejusque familiaribus non niſi precariò
detur, (7) ut Officiales & Sculteſos non
conſtituat, ſed judiciis ſolummodo præſit,
ac Monachis auxilium petentibus cooperari
teneatur brachio ſeculari; (8) Ut ad nutum 6
Monaſterii amoveri queat. Viciſſim conditionati
illi ſunt, die den Erbſchutz & ex conventione
ſingulari (quæ aſſerenti probanda)
varia ſervitia exigunt, quæ plerúmque violenter
extorquentur: Nempe cum in Clauſtro,
Grangiis, Curiis (feudiſtici authores
curtem vocant, & plerumque ſumitur pro
villa, aut ſaltem una Curtis plures habet
manſos. Germanica Monaſteria Seelhöffe 7
indigitabant (Lindebroch. *verb Curtis.*) molendinis,
aliisq; poſſeſſionibus frumentum,
vinum, animalia, denarii, Item Haubtrecht/
Heerdrecht/Vogthaber/Jägeratz und Hundlegen/
Gaſtrecht und Einkehr ꝛc. exiguntur.
Ante firmam Electorum conſtitutionem, in 8
Imperio Germanico, ſæpè ob controverſam
Electionem Regis Romani bella mota; &
ante Pacis Publicæ introductionem ſæpius
adhuc & impunè ferè membra ſua ſibi
invicem bella (Fehden tunc appellitabant)
intulerunt, eaque occaſione quandoque etiam
Monaſteriis graviſſima damna obvenêre:
Ubi cùm non ſemper Aula Imperatoris
adiri potuerit, iisdem ſoliti fuêre Imperatores
dare Tutores, vel Protectores; & quidem merè
defenſionis gratiâ, abſque omni jure Advocatiæ,
quod ex multis ſatis convinci poteſt.
Eratque illa Protectio minimè perpetua,
ſed in caſu Abuſûs, aut quando Monaſterio
non ampliùs expediens eſſet, pro ejusdem
lubitu revocatoria, prout regulariter
uſus rerum privatione ponitur. Sic Monaſterium
Waldeken-redenſe impetrato privilegio
à Ludovico Imp. ut contra bonorum
ſuorum invaſores unum vel plures defenſores
eligerent, certâ pecuniâ conduxerunt
Fridericum & Conradum Comites de Reinſtein,
datis argenti marcis C. & finiente Anno
tertio LXX. ut videre eſt ex literis reverſalibus
Comitum de Weringroda, quas cum
privilegio Ludovici Imperatoris refert Henricus
Eckſtorm. *in Chron. Waldeckenredenſi
fol. 131. 132. & 133.*

At ſicut animi Principum, etiam optimorum,
licentiâ dominationis, *plerumque
in*

in pejus abripiantur; (1) & ex laudabili initio, malus finis inclinet: ſic & ſæpe primus poſt Protectionem gradus, Invaſio eſt; jusque protectionis, ſubjectionis, atque jurisdictionis initium exiſtit: **Die Schirmherren ſeyn offt Sturmherren:** Quod & multis probat Wehner. *in Metamorphoſ. Rerumpubl. cap. 18.* Caſp. Ziegler. §. Landſaſſii *concl. 1. n. 102.* Caſp. Bruſchius *in deſcriptione monaſteriorum Germaniæ fol. 184.* ubi de Zuifaltenſi Monaſterio agens, ita ſcribit: Aliquoties accidit, ut Auſtriæ Principes, Monaſterii tuitionem ac advocatiam per aliquod interdum annorum ſpatium Würtembergenſi, ut ſuo cognato, adminiſtrandam commendarent. Hi Comites aliquandiu ſatis moderati ac fideles advocati, tandem hâc occaſione aliquoties videlicet ſibi ab Auſtriæ Archiducibus com̃endatæ tuitionis & advocatiæ, ad ſe totum jus advocatiæ transferre, & ſibi tanquam proprium & hæreditarium venditare auſi fuerunt. Id verò Abbatibus non ita ſtudioſè perpendentibus facilè obtinuerunt. Mox itaque progreſſi, introductâque iſtâ novitate nondum contenti, rapere quoque aliqua Monaſterii bona ad ſeſe conati ſunt, ita ut ex advocatis & tutoribus hoſtes tandem & raptores fierent.

10 Quòd verò Protectores honeſtè & licitè annuam penſionem vel ſalarium pro officio defenſionis accipere poſſint, ita exquiſi-
11 tè, ſtudioſè & diligenter pertractat Mager. *de advocat. armat. cap. 14. num 132. & quàm plurimis ſeqq.* ut ei vix aliquid addi poſſit. Mercedis autem ſive Salarii verbo intelligitur non ſolùm pecunia numerata, ſed generaliter quæcunque res, honorarium, aut præmium, quod pro labore ſeu ſtipendio datur. Hinc varios annuos reditus, tàm in pecunia numerata, quàm aliis rebus fungibilibus conſiſtentes, non ſolùm loca ſæcularia, ſed etiam temporalibus Advocatis ſuis quotan̄is pendere ſolere, exempla à Magero *dict. cap. 14.*
12 probant. Et Bodin. *libr. 5. de Republ. cap. 6.* poſt calamitatem Papienſem Francis illatam, multas Italiæ Civitates patrocinium Regis Hiſpaniarum ingenti mercede pactos eſſe; & quidem Lucenſes decem aureorum millia; Ducem Ferrarienſem quinquaginta millia ſolviſſe, ſcribit.

13 In tantum verò conventum Advocato Salarium debetur, ut licet in bello pro clientibus ſuſcepto ſuccumbat & vincatur, nihilominus hæc annua penſio præſtanda ſit; Simon Piſtor. *conſil. 19. num. 16. volum. 1.* Quinimò honorarium hoc pendendum, etiamſi centum aut pluribus annis Protector nullum defenſionis actum exhibuiſſet, ſi defenſionis neceſſitas, aut caſus nunquam contigit vel per eum non ſtetit, quò minùs de-
14 fenderet, quia ſcilicet requiſitus non fuit. Qui enim operas ſuas locavit, totius temporis mercedem accipere debet, ſi per eum non ſtetit, quò minùs operas ſuas præſtaret, *l. qui operas 30. §. Advoca. 1. ff. locat.* per rationem ibi poſitam, quia ſcilicet fidem contractûs impleri æquum eſt, concordat text. *in l. 1. §. Divus Severus. ff. de extraord. cognit.* Quæ jura licèt loquantur de Advocato juris, qui aliquem in judicio defendendum ſuſcepit, tamen & ad Protectorem ſive Advocatum clientelarem propter identitatem rationis rectè extenduntur. Hîc enim locum habet regula, votum vel propoſitum ſeu voluntatem pro opere reputari, *cap. magna pietas de pœnis diſtinct. 1.*

Præterea pacto inter patronos & clien- 15
tes de præſtando honorario ſolutio facienda eſt, etiamſi clientes protectoribus Advocatiam renunciaſſent, poſt Robert. Lancellot. *de attentat. part. 2. cap 4. num. 4.* ubi dicit; lite
ſuper aliqua annua præſtatione vel cenſûs 16
ſolutione pendente, cenſum vel annuam penſionem non poſſe deponi, ſequeſtrari vel arreſtari, ſed usque ad litis deciſionem exſolvi debere. Quò facit in ſimili, quòd exem-
ptionis quæſtione pendente poſſeſſor tam- 17
diu ſolvere teneatur Contributiones, donec aliud in petitorio decernatur, ut dixi *tra-*
ctat. de Contrib. cap. 20. num. 268. & 269. & 18
quòd lite pendente in petitorio ſuper nullitate vel reſciſſione contractûs, cogatur nihilominus ea quis præſtare, ad quæ lege conContractûs tenetur; quia interim debet Contractus hinc inde exſequi & ſortiri effectum, uti determinat Carol. Molinæus *in Conſuetud. Pariſ. §. 52. gl. 1. in verb. arreſt. cunbrand. numer. 87.* Mager. *d. cap. 14. n. 292. & ſeqq.* pulchrè Joan. Grivell. *deciſ. Dolan. 60. n. 13.* Accedit Frider. Pruckman. *conſil. 17. n. 142. volum. 1.* ubi, protectioni ſi quis absque cauſa renunciare, & protectorem mutare velit, paratiſſimam protectori adversùs clientes
actionem eſſe, reſpondit: Et *num. 143.* dicit, 19
eum, qui tenetur defendere, non debere offendere. Quod tamen hodiè parùm obſervatur: Siquidem rectè Wameſio *conſil. 481. in princ. de jure patronat. tom. 2.* & Zaſio *de*
feud. cap. 10. num. 55. hi Advocati, qui mona- 20
ſteriis ad protectionem in defenſionis ſubſidium dantur, & *Patroni aut Vice-domini* (2) nuncupantur, pro defenſione, ad quam tenentur, monaſteria & ſubditos, ſæpè ſupprimunt, pro patrocinio oppugnant, ſubtrahunt, ſpoliant, gravant, premunt, flagellant, perſonisque & rebus, privilegiis, bonis, & juribus monaſteriorum abutuntur, non tàm ſe Advocatos protectoresque, quàm oppreſſores eorundem exhibendo, hæc Zaſ. *d. loc.* Olim ferè (inquit Roſenth. *tractat. de feud. cap. 4. concluſ. 14. in lit. b. in fin.*) magni beneficii loco exiſtimatum fuit, in clientelam alicujus Domini ita recipi, ſed ob abuſum ſecutum ſæpè clientes nunc carere difficilibus & moleſtis protectoribus, commodi loco reponerent. Ita omnium rerum eſt inevitabilis viciſ-

21 viciſſitudo. Hodiè ob prohibitionem juris Canonici *in cap.2.de reb.Eccleſ.non alienand. in 6.* Prælati laicos in Advocatos de novo ſine ſpeciali Pontificis conſenſu aſſumere non poſſunt. Cujus prohibitionis hanc rationem ſuggerit Joan.Andr *in d.cap.2.* quod ante dictam Conſtitutionem Gregorii (qui vixit usque ad annum Chriſti MCCLXXV.) ſæpè factum, ut Prælati oppreſſi invocarent Nobiles potentiores contra opprimentes ad defenſionem ſuam, *faciendo eos Advocatos vel defenſores locorum,qui etiam propterea ſibi jus quoddam dominii vendicabant, & quandoque Nobiles hujusmodi jus affectantes, oppreſſiones illas procurabant:* Quò factum, quòd ſi aliter Eccleſiæ conſuli non poſſet, quàm per hujusmodi contractum, id tamen ſine Apoſtolica licentia fieri non potuerit. Nam hic damnatur temeritas, etiam in caſu Neceſſitatis, *cap. quando de conſuetud.* Et quòd absque ſpeciali Pontificis conſenſu induci non poſſit Advocatia perpetua, id exinde fit, quia per hoc alienatio & ſubjectio inducitur, quæ Pontificis conſenſum omninò requirunt *d.cap.2.de reb Eccleſ.non alien in 6.* Caſp. Calderin.*conſil.6.* Hocque intuitu Eraſmus à Chockier.*tractat. de feudalib.advocatiis qu 12.* reſpondet; Advocatias juris non favorabilis, ſed odioſi eſſe, fierique ſemper debere reſtrictionem adverſùs Protectores, qui fimbrias ſuæ poteſtatis extendere ſolent.

22 Quemadmodum verò Imperator ſe Advocatum & Defenſorem Oberſten Vogt und Schirmherrn *Eccleſiæ Catholicæ* (3) profitetur; Ita & Epiſcopatibus & Abbatiis conſtituebantur Advocati & Patroni Kaſten-Vögte; (4) Andr. Knichen. *de jure territ. cap.4.num.325.& ſeqq.* quaſi diceres præfectos deß Kaſten / id eſt, granarii, redituum,
23 proventuum, frumenti, &c. continente pro contente uſurpato, atque hi, qui Caſten-Vogtheiam habent, plus juris habent, quàm ſimpliciter Protectores: Hæcque Advocatia plerumque Patronis ſeu fundatoribus Monaſteriorum Wehner. *verb.* Vogtey. Beſold. *de jure Fœder. cap. 5.num.8.pap.57.* uti &
24 Principibus in cœnobia ſub eorum diſtrictu ſita competit, inſpectionem adminiſtrationis juſtitiæ & temporalium potiſſimùm continens, ne ſine horum conſenſu, bona monaſteriorum obſcurari, dilapidari, oppignorari, vel alienari poſſint, Panormit. *in de jur.patron. in fin.* Redoan. *tract.de reb.Eccleſ.non alien.ſub.rubr de cauſæ cognit.in alienat.fact.num.3.* Et plerumque Advocatiæ cœnobiorum Principibus in territoriis ſuis ſub hac forma verborum ab Imperatore concedi ſolet: Mit allen Prælaturen und Clöſtern derſelben weltlichen Obrigkeiten / Schutz Rechten und Advocatien &c. Wehner. *verb.* Vogtey. Roſenthal *de feud.cap.4. concluſ.14.* Chokier.*tract.de Advocatis quæſt.14.*

Ante Clementem III. Myſtæ, Monachi, Sacerdotes, Virgines ſacratæ, rebus divinis ſtudio literarum ſcribendis duntaxat dabant operam, delegatâ domûs, penatum, agrorum curâ in prophanos, rerum fluxarum caducarumque adminiſtratione contaminari polluique ſe credebant. Pecuniæ igitur prædiorumque rei familiaris curam in Procerum quempiam, qui vicinus aut author contubernii erat, à ſe relegabant: illum Cæſar dabat, qui Sacerdotibus victum & veſtitum, pauperibus inde alimenta tribueret, huncque BOETHUM Germanico at- 25
que Græco vocabulo (Vogt) hoc eſt, patronum curatoremque vocabant; ſed à Paſchali hujusmodi adminiſtratorem amotum ſcribit Aventin. 5. *Annal. fol. 480.* poſt Matthæ. Klock. Melch. Goldaſt. Johan. Meurſium & alios à ſe congeſtos Mager. *d.tr.de advocat. armat. cap. 2. num. 203.* qui tamen *dict. loc.* rejectâ hac opinione hujus vocis Vogt originationem ab Hebraico *Boketh*, quod præfectum ſignificat, tàm ex vocis conſonantia, quàm ex ſignificationis paritate non inſulſè derivari poſſe putat. Quod admittendum videtur: Si enim ex voce illa *Boketh*, more Germanorum B. ut F. vel V. conſonans efferatur, antiquum nomen Germanicum, *Voket*; ſeu, quod idem eſt, Voget, & per contractionem, abjectâ lit. E. Vogt / ab eoque Vogtey habebimus.

Præterea Oeconomiam & obventio- 26
num rationes jurisdictio tàm civilis, *quàm criminalis competebat advocatis* (5) ſuâ origine: Poſtmodum non ſic: Quia Monaſteria acquiſiverunt quoque civilem jurisdictionem Vogtey/criminali penes patronum ſeu Advocatum reſidente, ita tamen, ut de proventibus ad fiſcum pertinentibus & de mulcta, quam Frevel vocant (freda) Abbas ſemiſſem, Advocatus ob laborem in judiciis adminiſtrandis trientem reciperet, Knichen. *ibid.num.329.& ſeqq.* Item *in comment jur. Saxon. fol. 266. & ſeq.* Et quidem hæcce ſpecies Advocatiæ inſtituta eâ ex ratione 27
præcipuè eſt: quia Eccleſiaſtici executiones facinoroſorum, quæ plerumq; fiunt per furcas aut ſanguinis effuſionem, membrorum amputationem, aut vitæ amiſſionem, à ſe abdicarunt, aliisque reliquerunt: quod titulo honorifico Advocatiæ inſigniverunt; honorariiq; quodam jure eis conceſſerunt, non ſolùm aliquam, ut dictum eſt, emendarum ſeu compoſitionum partem: ſed & jura venationis, aut piſcationis, & alia ſimilia (als den Atz zur zeit der Jagt) quæ pro cujuslibet Advocatiæ modulo & inſtitutione vel conſuetudine, competere ſolent.

Quamvis interdum Monaſteria, etiam per ſuos Judices delegatos ſeu officiales judicia ſoleant exercere, præſertim Ciſter-

Dddd ցienſis

cienſis ordinis Abbates & Cœnobitæ , ut probatur in der Salmansweiliſchen nohtwendigen Erinnerung bey der dritten Haubtfrag.

28 Erant igitur Eccleſiæ & Monaſteria ſub advocatione ſæcularium Dominorum, à qua tamen deinceps nonnulla loca Pontificum diſpoſitione exempta ſunt, quædam adhuc hodiè tales Advocatos, Vicedominos, Mundiburdos & Patronos, ut defenſores, agnoſcunt, & agitur de hac advocatione, *in capit. præterea de jur Patron.* Aventin. *Annal. lib.6.* Rudolph. Hoſpinian. *de origine templor. lib.5.cap.6.& de origin. Monach. lib.4.cap.21. & lib.5.cap.5. in Hiſtoria Bernhardinorum.* Renat. Choppin. *de Polit. Sacra lib.1.cap.7. n.12.* Lupold. à Babenb. *de jur. reg. & Imp. Roman. c.9.*

29 Gvelpho Bavarorum Dux cepit Sigfridum *Epiſcopum Auguſtanum* (6) ea de cauſa, quòd nollet ille Gvelphones habere pro Advocatis & Defenſoribus Epiſcopatûs Auguſtani, cùm ſemper Anteceſſores Epiſcopi Advocatum ſuo arbitratu ſibi conſtituiſſent, quem voluiſſent, Caſp. Bruchſ. *in German. Epiſc. in 31. Epiſcopo Auguſtano c. 8.* Hardevicus Epiſcopus Auguſtanus XXXIII. aſſumpſit in Advocatos & Patronos & Defenſores ſui Epiſcopatûs mortuis jam omnibus Comitibus à Schwabeck bono ſtudio Fridericum Barbaroſſam Imperatorem & ejus filios. Cùm autem arbitrarentur Gvelphones Ravensburgi reſidentes, id jus ad ſe meliori titulo , quàm ad Sueviæ Duces pertinere , multas turbas moverunt Epiſcopo, Bruſch. *ibid. in Epiſc. A. 35.* Cæterùm præ- 30
dictam vocem Vogtey *ambiguam* (7) & ex materia ſubjecta uſûve regionis, ſignificationem illius eruendam eſſe, latè deducit Mynſing. *decad. 13. reſp. 3. num. 9.* Gylman. *lib. 1. deciſ. 2. n. 154.* Et annuam honorarii ſo- 31
lutionem, non ſtatim inferre jus Advocatiæ, tradit Roſenthal *de Feudis cap.4. concluſ. 14 in lit. c.* ita in Camera Imper. in cauſa Wandſaſſen contra Walden Ann. MDLXIII. judicatum referens , & ſubjungens , nec etiam attentam fuiſſe in hac cauſa Epiſtolam cujusdam Abbatis anteceſſoris, in qua hunc dominum Monaſterii Kaſten-Vogt appellârat, quia illa confeſſio ſine capitulo facta.

ANNOTATIONES

Ad

CAPUT XCII.

Num. 8.

(1) P*Lerumq. in pejus abripiantur &c.*] Hinc Veſpaſianum ſolum omnium ante ſe Principum in melius mutatum fuiſſe, Tacitus *1. Hiſtor. 49. in fin.* memorat. Sanè Hiſtoriæ Florentinæ ſcriptor ſapienter monet, Principi non eſſe optabilem nimiam de ſe exſpectationem: cui ſi non ubique reſpondeat, in contemptum & mox odium degenerare inconſultum iſtum affectum. Quam ob rem autem quidam Principes vi dominationis convulſi & mutati ſint, ſolerter poſt Lipſium indagat illuſtris Forſtnerus *in Not. Polit. ad Taciti 6. Annal. 5. n. 5.*

Num. 20.

(2) *Patroni aut Vicedomini &c.*] Confer Lehmanni Speyriſche Chronic. *lib. 2. c. 36.*

Num. 22.

(3) **Obriſten Vogt und Schirmherren** *Eccleſiæ Catholicæ &c.*] Der Käiſer iſt Advocat und Beſchirmer der Chriſtlichen Kirchen ꝛc. R. A. zu Regenſpurg de Anno MDXLI. §. Aber Churfürſten/ vel uti legimus in Jure Saxonico , Weichbild *art. 8.* der Käiſer ſoll dem Stul zu Rom fürſtehen von S. Peters wegen/ davon Er auch Röm. Vogt heiſſet. Etſi enim DEUM ipſum pro Advocato & defenſore habeat, tamen quoad ſecularia humano auxilio & brachio haud raró indiget. Advocatia hæc duplex eſt, una generalis, quam officii ratione ut Summus Magiſtratus Imperator Eccleſiæ debet, unde & meretur nomen deß Obriſten Vogt der Chriſtenheit/ R. A. zu Augſpurg de Ann. MDXXX. §. Nachdem aber uns ꝛc. Altera Specialis , quam Carolus M. & ſubſequentes multi Imperatorum ſpecialiter ſuſceperunt, atque ejus cauſa juramentum præſtiterunt, quod alii falsò juramentum fidelitatis nominaverunt , cùm tantùm protectionis fuerit, (*vide Limnæum de J.P. lib.2, c.4. n.95.*) Hujus intuitu Imperator Fridericus I. in inſtructione pro Reinoldo Cancellario, ad Regem Galliæ Legato , ſe vocat ſpecialem Eccleſiæ Romanæ Advocatum , apud Goldaſtum *Tom.3. Conſtit. Imp. pag. 341.* Cum eidem hâc Advocatia ſpeciali Carolus M. accepit ſimul Politicam adminiſtrationem omnium bonorum temporalium (tanquam Advocato tali competentem) Ducatuum ſcilicet, Principatuum, Dominiorum & territoriorum , quæ Imperatorum, Regum, Patriciorum, ac aliorum Principum beneficio, Eccleſiæ obvenerunt, quorúmve dona ipſe Carolus partim confirmavit , partim auxit & ampliavit. Quod poſteriores Cæſares minimè animadvertentes, Advocatiam Eccleſiæ de tuitione & propagatione Univerſalis Eccleſiæ, ſeu Religionis Chriſtianæ interpretati ſunt, (Goldaſtus *in Replic. pro Imperio cap. 13. p. 185.*) Unde etiam factum, ut Lupoldus de Babenberg. *de Jur. & Priv. Regni & Imperii Rom. c.13. in fin* dubitaverit, an hæc Advocatia Eccleſiæ Romanæ habeat annexum emolumentū aliquod, an onus defenſionis tãtùm. Limnæus *ad Capit. Caroli V. art. 1. p. 133. & 134.*

Num. 23.

(4) **Kaſten-Vögte** ꝛc.] Confer Beſoldum *in Theſauro Practico*, & Speidelium *in Speculo, voce* Kaſten-Vögte/ ut & Authorem Actorum Lindavienſium paſſim, ut ex indice apparet.

Num. 26.

(5) *Quàm Criminalis competebat Advocatis &c.*] Contrarium adſtruit Author Actorum Lindavienſium *pag 913.* probátve, ſi quando competierat Advocatis Jurisdictio quoque Criminalis, das Maleficz- und Hals-Gericht / concurriſſe tunc

quoque

quoque Superioritatem Territorialem in hujuſmodi Advocato, & à tali ad ſimplicem Kaſten-Vogt non eſſe arguendum.

Num. 29.

(6) *Epiſcopum Auguſtanum &c.]* Spurium tamen ſive illegitimum hunc Epiſcopum Sigfridum in ſchismate electum, cum Wigoldus circa Annum cIↃ LXXVII. in ordine XXIX. Auguſtanus Epiſcopus confirmatus eſſet, Stengelius *rer. Aug. Vindel. parte 2. cap. 30.* Brunner. *Annal. Bojocorum parte 3. lib. 11. c. 6.* & poſt illos Adelzreitter *Bojocæ Gentis Annal.parte 1. lib. 18. n. 78.* tradunt. Cauſam verò Auguſtæ occupatæ & Epiſcopi capti hanc in textu allatam præter Bruſchium vix ullus Hiſtoricorum aſſignat, de quo Stengelius *d. loco* videndus.

Num. 30.

(7) Vogtey *ambiguam &c.]* Adde hæc declarantem Authorem Actorum Lindavienſium *pag. 913. paginâ* verò *285. & 830.* ſcribit; Vogteiæ vocabulum in Franconia, Saxonia, aliisve locis diſtrictum quendam cum Jurisdictione, vel ipſam Jurisdictionem baſſam & inferiorem ſignificare. Rurſumque dividi in die Ober- und Unter-Vogteyen/ attamen & ſuperiorem Vogteiam ſeparatum quid à Banno, dem Blut-Bann eſſe, & pro univerſali Jurisdictione civili tantùm & Domino loci den Vogtherrn competente, exceptâ Centenâ vel Zent & ad Cent pertinentibus accipi. Atque *pag. 830.* eadem ex adductis authoritatibus Knichen. *de J. Territ. cap. 4. n. 342. ſeq.* Wehneri *in pract. Obſerv. verbo* Vogtey. Mingii *de Super. Territ. cap. 4. n. 58.* atque Reinkingii *de R. S. & E. lib. 2. cl. 2. c. 17. n. 57.* confirmat, addens: Specierum utriusque Vogteiæ (Superioris ſcil. quæ territorii Jus; & inferiorem, quæ Jurisdictionem baſſam reſpiciat) extricationem ulteriorem (quæ peritiſſimis quibusvis, juxta Knichen, negotium faceſſit) apud Leipold. *de Concurrent. Jurisdict. quæſt. 12.* videri poſſe.

CAPUT XCIII.

Neutralitas Ærario mirificè conducit.

SUMMARIA.

1. Neutralitatis *in quæſtione certum quid definire, periculoſum eſt.*
2. Neutrales *periculum, quod declinare intendunt, incurrunt plerunq.*
3. Neutrales *præda Victoris fiunt.*
4. Belli *ea eſt proprietas, ut non ſuccurrens pro hoſte communi habeatur.*
5. Aſinii Pollionis *à Cæſare ad bellum invitati reſponſio.*
6. D. Nazianzeni *gravis diſcurſus de Neutralitate.*
7. Neutralitas *neq. amicos parit, neq. inimicos reconciliat: Quod exemplis confirmatur,* num. 8. 9. & 10.
11. Domûs *mediam partem inhabitantes ab infimo fimo vel fumo, à ſuperioribus lotio vel urinâ moleſtantur.*
12. Bello *civili qui mederi poteſt, nec medetur, reus fit omnibus partibus.*
13. Cicero *duabus ſellis ſedere ſolitus.*
14. Sacræ Pandectæ *veſtes ex lana, linoq. contextas improbant.*
15. Lex Solonis *hac de re lata? an juſta, vel injuſta?* & n. 16.
17. Meſſenii *in bello inter Arcades ac Lacedæmonios geſto Neutrales exiſtentes tandem ab his oppreſſi, atq. è patria ejecti.*
18. *Ex* duobus vicinis belligerantibus *Amicitia & protectio melioris & DEUM ſocium habentis, eligenda.*
19. Cælii *judicium de Ciceronis ſeceſſione.*
20. *Illi* parti *adhærendum, de cujus juſtitia conſtat: quod Valentiniani Imp. Ciceronis, Pomponii Attici, aliorumq. exemplis illuſtratur*, n. 21. 22. 23. & 24.
25. Neutralitas *ſervanda eſt, quando Neutraliſtæ ſe ipſos contra utrumlibet belligerantium defendere poſſunt.*
26. Prudentis *non ſemper eſt nolle cum vicinis in bello periclitari.*
27. Periculum commune *æſtimatur, quando vicinus ex cauſa nos ipſos etiam concernente oppugnatur.*
28. Neutralitatis *conſilium plerunq. ex cauſa belli capitur.*
29. *An hodiè in Imperio* Status neutrales *inveniantur, qui ſe contra omnium partium Duces defendere, iisq. reſiſtere poſſint?*
30. Neutrales *eſſe poſſunt clientes, quando vicini belligerantium uterq. parem erga illos affectionem gerit.*
31. Belligerantes, *nec ſocios nec hoſtes qui reputant, differunt ab iis, qui utrosq. communes amicos habent.*
32. Formula fœderis *inter Athenienſes & Lacedæmonios.*
33. *Rex* Jupiter *omnibus idem.*
34. Neutralitas tertii *interdum utriq. inter ſe belligerantium vicinorum utilis.*
35. Princeps *ſi imbecillis, potentiori, ſin potens, infirmiori parti ſe adjungat: vel utramq. partem pro conſervando ſtatu ſuo oppugnet.*
36. Theſes *Novitii cujusdam* de Neutralitate *Philoſophico-morales; earumq. concluſio, & ad augmentationem Ærarii promovendam dexterè facta applicatio,* n. 37. & ſeqq.

NEUTRALITAS Ærarii nutricula eſt.

IN Neutralitatis quæſtione certi quid de- 1
finire, periculoſum eſt. Licet enim Neutralitas non penitùs vitanda atq; dimovenda eſſe videatur, authore Ænea Sylvio *Epiſt. 65.* prudentem tamen Principem, quantum fieri poteſt, eam fugere omninò debere, magni nominis Politici ſtatuunt, inter quos Bodin. *libr. 5. de Republ. cap. 6.* Waremund. ab Ehrenb. *tract. de Fœderib. lib. 1. cap. 2. num. 207;* & alii ſcienter omiſſi haud absque rationibus.

Primò enim Neutrales periculum, quod 2
declinare volunt, plerumque incurrunt; Se enim tutos exiſtimantes, & utrarumque partium Duces evitantes, ut plurimùm ſine gratia & dignitate, certiſſima tandem præda victoribus fiunt fato bellorum, quo plerumque

que medii inter decertãtes affliguntur. Cùm
4 enim ea belli natura ſit, ut hoſtem commu-
em judicet eum, qui ſuppetias ei non fert,
neceſſe prorſus eſſe videtur, ut aut diuturni-
tatem belli, Neutralis, velut granum inter
duos molares, quoque atteratur: aut certè
ab alterutro victoriam obtinente, omni be-
nevolentiâ exutus *tandem opprimatur*, (1)
ut pluribus deducit Bodin. *d. cap. 6.* Rich-
ter. *in Axiomat. Polit. 132.* Grüter. *parte 2.*
diſcurſ. in Tacitum fol. 188. Nobiliſſ. Johan.
Wilhelm. Neumair von Ramsla *in diſcurſu*
de Neutralitate, cap. 4. per tot. Quod ipſum
5 firmat Aſinius Pollio, dum rogante Cæſare,
ut ſecum ad bellum proficiſceretur Actia-
cum; Mea, *inquit*, in Antonium majora
merita ſunt, illius in me beneficia notiora:
Itaque diſcrimine veſtro me ſubtraham, *ne*
præda Victoris fiam. (2) Vellej. Paterc. *Hi-*
6 *ſtor. Rom. lib. 2.* Egregiè D. Nazianzenus
Oration. 14. At nunc, *inquit*, alii perquàm
miſerè ſimul pugnant, & ſimul oppugnan-
tur, adeò ut mundus, qui diuturno labore
vix tandem & paulatim, nec ſine multo-
rum ſanguine collectus fuerat, in duas jam
contrarias partes diſtinctus ſit: quicunque
autem paci ſtudent, mediosque ſe profi-
tentur, ab utriſque malè mulctantur, ut-
pote qui vel contemptui ſint, vel etiam
bello laceſſantur. Æquâ parte cùm nos
quoque hodierno die ſtemus, qui hæc re-
prehendimus, ac propterea cathedram cer-
taminis & invidiæ plenam accepimus, haud
mirandum erit, ſi ab utriſque conteramur, ac
poſt multos labores & ſudores de medio ſub-
moveamur, ut ſublato intermedio pariete
atque omni obſtaculo, cominus jam atque
omni animorum impetu ſeſe mutuò cõvul-
nerent. *Hæc ille.*

7 Secundò in aperto eſt, quòd Neutrali-
tas, ſeu media via, neque amicos pariat, dum
utraque pars auxilium Neutraliſtæ fruſtrà
exſpectat, neque inimicos tollit, dum va-
nâ ſuccursûs ſpe lactatur uterque, Richter.
8 *Axiomat. 245.* *Itaque Pompejo* (3) denun-
ciante, pro hoſtibus ſe habiturum, qui Rei-
publicæ defuiſſent; Cæſar medios & neu-
trius partis, ſuorum ſibi numero futuros
9 pronunciavit. Et hoc argumento uſus eſt
Ariſthenus Prætor Achæorum, cùm Ro-
mani primùm eorum amicitiam expete-
rent, at Philippus ſaltem, ne armis inter-
eſſent, poſtularet; oratione ad eos habitâ
oſtendit; Romanos aut ſocios habendos,
aut hoſtes, mediam viam nullam eſſe, Liv.
10 *lib 32. cap. 21.* Apud Xenophontem The-
ramenes quidam capitis inquiſitus, inter alia
opprobria etiam Cothurnum ſe dictum non
diffitetur, ex eo, quòd utriſque ſe partibus ac-
commodare poſſet: at qui neutris placeat,
eum per Deos immortales, *inquit*, quo no-
mine appellabimus.

11 Tertiò Neutralitatem non eſſe tutam,
inde inſtruimur: Sicut enim illi, *qui medi-*
am domûs partem inhabitant, (4) ab infimis
fimo & fumo, à ſuperioribus lotio & urinâ
moleſtantur; ita etiam Neutrales ab hac vel
illa parte, belli ſub exitum, & quandoque eti-
am eo durante, ſibi metuant, neceſſe eſt, ubi
periculũ unius & ruina alterius & ipſis Neu-
traliſtis commune eſt.

Certè, *qui cùm bello civili mederi poſſet*, 12
(5) ignaviter aut malitioſè prætermiſit, reus
eſt omnibus partibus. Itaque mortuo Pom-
pejo Strabone, Populus ejus lectum diripuit,
corpus unco traxit. Quòd Cinna & Mario
per bella civilia crudeliter ſævientibus perſe-
veraſſet periclitanti Patriæ non ſuccurrere,
cùm & imperium haberet, & maximos exer-
citus in Republica.

MONOSTICHA TRO-CHAICA.

Civium in diſcordia, omnis noxia eſt Neu-
tralitas:
Hinc & inde præda eſt hoſti, neutri qui ſe ac-
commodat;
Hinc & inde verbera aufert, qui rixantes ſe-
gregat.
Impugnatur vento ab omni cautior Neutra-
litas.
In diſcordia civili noxa eſt ſolitarius.
Mirum, anguſtè eum ſedere, qui ſellis binis ſe-
det.
Nulla bello, nulla pace commoda eſt neutrali-
tas.
Optimi in diſſenſione quavis citò conſentiunt.
Præda fit victoris, partis qui ſequi neutras
cupit.
Qui ſedet ſellis duabus, plurimùm utraq; ex-
cidit.

JAMBICA.

Ab hoc, ab iſto carpitur Neutralitas.
Habeo quidem, quem fugiam, haud habeo,
quem ſequar.
In ſeditione peſſima eſt Neutralitas.
Inter duas quandoq; ſellas corruit.
Inter duas qui ſe locat ſellas, ruit.
Neutralitas in ſeditione peſſima eſt.
Sellis qui ſedet, utrâq; excidit.

Cicero ita ſedere (6) duabus ſellis ſole-
bat. *Sanè Leges Sacræ* (7) ex lana linoque 13
contextas veſtes non adprobant, & in una- 14
quaque actione unum tantùm rectum eſt.
Quare crimen quodcunque præter illud in-
troducitur, crimen falſi aut prævaricationis
induit. Inde *Tacitus*, (8) inter ancipitia, *in-*
quit, deterrimum media ſequi, Caſp. Facius
in Politic. Livian. error. 13. fol. 354.

Quartò neutram partem ſequi, commit- 15
tere eſt in hanc legem à Solone latam:
Si ob diſcordiam diſſenſionemq; ſedi-
tio atq; diſceſſio populi in duas Par-
tes fieret, & ob eam cauſam irritatis
animis

animis utrinq; arma caperentur, pugnareturq́; Tum qui, in eo tempore, in eoque caſu civilis diſcordiæ, non alterutri parti ſeſe adjunxerit, ſed ſolitarius ſeparatusq; à communi malo civitatis ſeceſſerit: Is domo, Patria, Fortunisq́; omnibus careto: Exul, extorrisq́; eſto. Prima fronte lex quidem injuſtior. Nam cur pœna digni ſunt ii, qui ſe procul à ſeditione ac civili pugna removiſſent? quales Epaminondas, qui, quandiu dimicatum eſt inter cives, domi quietus ſedet? Et *Q. Hortenſius*, (9) qui ſolebat gloriari, quòd nunquam bello civili interfuiſſet? Sed penitus intuenti ſaluberrima eſt, inquit *Favo-*
16 *rinus:* (10) inquit & *Plutarchus in Solone.* (11) Nam ſi boni cives, qui in principio coërcendæ ſeditioni impares fuerint, populúmque percitum & amentem non deterruerint, ad alterutram partem diviſi ſeſe adjunxerit: tum eveniet, ut cùm partes ab iis, quia ſocii, & viri majoris auctoritatis, temperari ac regi cœperint; concordia per eos potiſſimùm reſtitui, conciliarique poſſit, dum & ſuos reddant humaniores, & adverſarios magis cupiant ſervatos, quàm perditos. Poſſe unius ſolius auctoritate, ut Polydamantis apud Pharſalios, compeſci omnes. Sed alii aliter utuntur.

17 Quintò non minùs exempla, quàm rationes Neutralitatem diſſuadere videntur. Et primò quidem Meſſeniorum: Illi enim cùm duabus potentiſſimis Civitatibus Græciæ finitimi eſſent, Arcadibus atque Lacedæmoniis, bello inter eos orto, neutris ſe vel ſocios exhibebant, quamvis Lacedæmoniis ſemper ante id bellum inimici; Arcadibus, ante fœdere atque amicitiâ juncti eſſent: Eo tamen non attento; cùm dictæ Civitates vel inter ſeſe, vel cum aliis bella gererent, Meſſenii quieta pace fruentes neutri aſſiſtebant, idque tam diu, donec Lacedæmonii pace cum cæteris facta omnem belli impetum in Meſſenios converterunt, tum demum cùm neque ipſi reſiſtere per ſe potentiæ illorum, neque Arcadum auxilio ampliùs ſeſe tueri poſſent, in triſtiſſimam ſervitutem cum conjugibus liberisque è patria ejecti: grande documentum poſteris dederunt, quantâ prudentiâ, anne potentiâ? dicam, eos oportet eſſe, qui in tali fortuna ſine clade & detrimento tueri & conſervari ſeſe velint, ex Polyb. *libr. 4. hiſtor.* Chriſt. Beſold. *diſſert. de fœder. cap. ult. ſub num. 1.* Joan. Bapt. Lenccius *obſerv. polit. 89. pag. 100.*

Hanc denique ſententiam major pars JCtorum ac Politicorum ſequitur; Bodin. *d. libr. 5. de Republ. cap. 6.* Martin. Magerus
18 *tract. de Advocatia armata cap. 7. num. 331.* qui tamen utilius eſſe judicat, ſublatâ Neutralitate, ex duobus belligerantibus, ſi potentiâ pares ſint; meliorem; & qui Deum ſocium habet, ſin diſpares, potentiorem in patronum exorandum & ſuſcipiendum eſſe, *d. cap. 7. num. 323.* Quo reſpectu rectè Cælius ad Ciceronem: Illud te non arbi- 19
tror fugere, quin homines & in diſſenſione domeſtica debeant, quandiu civiliter ſine armis certetur, honeſtiorem ſequi partem: ubi ad bellum & caſtra ventum ſit, firmiorem, & id meliùs ſtatuere, quòd firmius tutiusque ſit.

Sic quoque P. Adamus Contzen Jeſuita 20
libr. 9. Politic. cap. 46. §. 9. bello civili in Republ. orto, cùm de unius partis juſtitia conſtat; illis ſeſe jungere conſultum eſſe arbitratur. Qui enim medius eſt, utramque partem offendit, nam ab eo ſe lædi arbitrantur, ſe cum periculo rerum omnium propugnare Rempublicam, illos, qui medios ſe tenent, nec labores pro bono communi ſuſcipere, nec impenſas velle facere. Hinc durante bello utrique parti ſunt præda. Nam utraque acies ſubſidium ab illis poſtulat, ut à Civibus pro defenſione Civitatis poſt victoriam ſunt victimæ Victoris.

Valentianus Imper. hoc Principa- 21
tûs moderamine inclaruit, quòd *inter religionum diverſitates medius ſteterit,* (12) partes utraſque intemeratas relinquens. Hoc animo ſe fuiſſe bello Civili Marii & Syllæ Ci-
cero oſtendit, cùm pro tenui infirmaque ſuâ 22
parte, poſteaquam id, quod voluit, fieri non potuit, ut componeretur bellum, id ſe maximè ait defendiſſe, ut ii vincerent, qui vicerunt.

Sic Pomponius Atticus, Cæſare & Pompeio pugnantibus, quievit, detrimen- 23
ta tamen fortunæ ſenſit, quæ alii: At Pompeio Victore non meliore conditione futurus erat, quàm Cicero, quàm alii, qui in Pompeianis caſtris fuerant. His conveniunt, quæ ex communi Politicorum doctrina Joan. Bapt. Lenccius *d. obſerv. polit. 89.* & Chriſt. Beſold. *de fœder. d. cap. ult. ſub num. 1.* tradunt, vehementer falli eos, qui finitimis duobus pluribúsve gravi bello implicitis, medios gerere ſe, & ab utrorumque ſocietate abſtinere conantur. Lipſ. *libr. 4. Polit. cap. 9.* uti vidimus, *inquit*, & videbimus, ita & nunc 24
eſt Europæ Status, quos ignavia aut prava calliditas, ut alienis laboribus tuti eſſent, armis abſtinuit acerbiſſimas ſolviſſe pœnas; Idque in bello Belgico, Weſtphaliæ, aliosque Principes & Reſpubl. vicinas non ſine maxima incommodatione, ea præſertim, cùm Arragoniæ Architalaſſus parceret, neglexiſſe, dicent nonnulli.

Verùm quæ de vitanda Neutralitate 25
hactenus dicta ſunt, haut ea ſimpliciter, ſed cum diſtinctionibus multis, à Joanne Botero *in diſcorſo della Neutraliteta* traditis, intelligenda ſunt. Inprimis verò præ-

miſſa Deciſio ſequenda non eſt, quando clientes ita viribus ac potentiâ pollent, ut ab utroque belligerantium, quocunque belli alea cadat, ſe defendere poſſint, adeòque tuti ſint, ut metuere non habeant neceſſe, ſe victoribus fore prædam, ſed eo caſu non immeritò, niſi alia ſubſit faciendi contrarium cauſa, neutrales manere poſſunt. Johan. Althuſius *Polit. cap. 4. ad finem, ubi ita ſcribit*: Non ſemper eſt prudentiæ,
26 nolle cùm vicinis in bello periclitari, ſed tunc id tutum erit, quando extra teli jactum etiam poſt ruinam vicinorum poteris eſſe tutus, alioquin quieſcere minimè nobis prodeſt, ubi vicini populi ruina & funus ad
27 nos usque pertinere potis eſt. Et quidem commune periculum cenſetur tunc, quando vicinus oppugnatur ex cauſa, quæ eadem contra nos locum habere poteſt, quo
28 caſu non prætextus belli, ſed cauſa inſpicienda eſt, an neuturales eſſe velimus, vel alteri belligerantium, communem nobiſcum cauſam habentium, opem ferre debeamus? Beſold. *d. loc. num. 3.*

29 Quod ſi nonnulli Status & Proceres Romano-Germanici Imperii, hisce inteſtinis bellis, quibus jam diu obruitur, adhuc reperirentur, qui omnium partium ducibus exemplo Cæſareanorum & Pompeianorum, aut pro Rege aut pro Religione & Libertate Patriæ ſe pugnare jactitantibus validè reſiſtere poſſent, iis author & ſuaſor eſſem, ut imitarentur *Maſſilienſes*, (13) qui ſic Cæſari reſponderunt: Se ſocios Romani Imperii eſſe: cæterùm in præſentiarum, neque curioſè inquirere, neque ſufficere ad dignoſcendum, utrius cauſa ſit eorum injuſta. Proinde ſi quis amici more ad ſe venire vellet, utrumque ſe abſque armis venientem ſuſcepturos: ſin bello, neutrum. *Sed reliqui novem ubi ſunt?*

30 Deinde limitari poſſe videtur aſſertio noſtra eo caſu, quando vicini Principes aut Civitates mutuis inter ſe bellis conflictantes parem per omnia affectionem erga clientes gerunt, adeòque nec amici, nec inimici illo-
31 rum eſſe dignoſcantur, quia magna diſcrepantia eſt inter eos, qui nec hoſtes, nec ſocios bellantes habent, ab iis, qui utrarumque partium communes ſunt Amici, licet id fœderibus non ſit comprehenſum, Bodin. *d.*
32 *cap. 6. num. 589.* Sic formula fœderis inter Athenienſes & Lacedæmonios concepta fuit; *Si qua Græcorum Civitatem ex Socialibus non ſit, licere ei ad utros libuerit accedere.*
33 Cùm Jupiter contentioſas Deas compeſcere non poſſet, nec caperet diſcordia finem, utrisque ſe æquum fore

Infit: eo dicente Deum domus alta ſileſcit.
Quæ cuiq; eſt fortuna hodiè, quam quisq; ſecat Spem,
Tros Rutulúsve fuat, nullo diſcrimine habeto.
---------- ſua cuique exorſa laborem,
Fortunamq; ferent, Rex Juppiter omnibus idem.

Et prædicto quidem caſu conſiderata 34
Neutralitas, utrisque, qui bellum invicem moverunt, utilis eſſe poteſt; ut nimirum ad Neutrales victus cum ſuis Subditis confugiat, vel neutrales ſe mediatores (quod frequentiſſimè ob pacem communem fieri ſolet) interponant: Et ſic apud Guicciardinum *libr. 1. Hiſtor.* Florentini reſpondent Ferdinando Regi Neapolitano, prodeſſe magis poſſe, ſi Reſpublica perſtiterit in Caroli Gallorum Regis fide, quo fortè eis aliqua oportunitas ad aliquam compoſitionem inter ipſos tractandam præbeatur.

Denique prudenter & argutè facturum 35
arbitror, ſi Princeps potentiâ eminentiore præditus in ſubito aliquo finitimorum motu aut alterutri ſe parti illicò adjungat, & quidem potentiori (ſi ipſe imbecillis ſit) infirmiori verò (ſi ipſe pollens potensque rebus abundet;) Aut quod Romanos olim hodiè Venetos facere videmus, neutrarum partium ipſe, hoſtium amborum oppida, caſtella, munitiones invadat, occupet, & præſidiis confirmet. Quo quidem remedio non laudem modò, & exiſtimationē ſibi ingentem comparabit, ſed cum regni ſui tuitione aut ad deponenda arma hoſtes adiget, aut brevi certè dignoſcere poterit, cui parti potiùs adhærendum ſiet. Lencc. *d. obſerv. polit. 89. & 90.* ubi cauſam & rationem hujus præcepti reddit.

Scripſit quidam ex popularibus noſtris 36
hasce de Neutralitate Theſes Philoſophico-Morales non inappoſitè.

THESIS I.

Cùm partes duæ litigant, pugnant, ut 37
Marte quoque aperto congrediantur: non tenetur Tertius, cujus nihil intereſt, ad alterutram pugnantium partem inclinare, ſed poteſt neutraliter tàm ſuum judicium de eorum lite, quàm ſuccurſum ſuum ſuſpendere. Eſt liquidum per commune axioma, Tuâ quod nihil refert, perſcrutari deſine, & quod abs te planè alienum eſt, in illud ne te ingeras.

THESIS II.

Sin partibus ſic præliantibus, Tertio 38
quoque interſit, communisque illi cum parte cauſa ſit, poteſt & tenetur, cæteris paribus, tantùm à neutralitate recedere, & præſtare auxilium, quantum ſuâ intereſt. Verbi gratiâ; deprædationes, rapinas ſi timeret, probabiliter Tertius quacunque parte pugnantium ſuccumbente. Ratio eſt, quia hæc forent ſibi & ſubditis periculoſa, jureque merito arceantur, & commodum & intereſſe promovetur.

THE-

THESIS III.

39 Quid ſi pars altera pro verâ Fide & religione pugnet, quam ſyncerè æſtimat divinam, tenetur Tertius huic parti ſuccurrere, quæ ſi ſuccumberet, Tertius quoque de Fide periclitaretur. Ratio naturalis eſt; quia pro aris pugnare neceſſitas tàm cogit, quam pro focis: magisque opus vitam & fortunas, quàm Fidem prodigere & proſtituere, ſi præſertim nullum aliud medium ſuppeteret.

THESIS IV.

40 Tertius Neutralis ſi majus damnum ſibi probabiliter creet ſuccurrendo Parti, quàm ſit illud bonum, quod ſperet accerſere, imprudenter recedet à Neutralitate quocunque caſu. Ratio eſt, quia tali operæ nullum pretium eſt, & damnum inaniter magno labore quæritur.

THESIS V.

41 Si Neutraliſta adverterit ſibi ab utraque parte belligerante, tàm bello durante, quàm exeunte, periculum imminere: applicabit ſe meritò parti uni, cum quâ alteram opprimat. Ratio eſt, quia ſic ab oppreſſa erit ſecurus, & cum parte triumphante, cui ſe conformavit, gloriabitur.

THESIS VI.

42 Cui Tertio rationabiliter conſtabit à neutra parte, ſive victore, ſive oppreſſo periculum fore, tum propter Syncerationem rationalem, tum ob patriæ ſuæ ſitum, locique naturam, tunc imprudenter à Neutralitate recedet, conjiceretq; ſe in belli immenſos ſumptus, & dubium belli eventum. Ratio eſt, quia tunc amico victori congratulabitur, & oppreſſo non inimico poſſet eſſe ſolatio. Hoc etiam pacto majus eligit bonum, periculumque majus declinat.

THESIS VII.

43 Quid ſi Neutraliſta ſperet, ſe poſſe intervenire, & vel auctoritate, vel etiam mediis convenientibus partes conciliare: prudentiſſimè conſultiſſimeque perſtabit in Neutralitate. Et ratio eſt, quia ſic à ſuis cervicibus arcebit incommoda partium præliantium, & ſimul ſexcenta mala à ſuo proximo avertet, lege naturali; quàm Tibi benè voles, tàm benè alteri conſulito.

THESIS VIII.

Poſſent ad hoc propoſitum deſignari nominatim Principes, Comitesque Germaniæ, qui in hujus ævi calamitoſa, & penè civilia bella ſeſe prudentiſſimè nihil immiſcuerunt, omnique ſuâ induſtriâ, neutralitati & cuidàm indifferenti æquilibrio ſtuduerunt, tam dubii bellorum eventûs motu, quàm aliis prægnantibus rationibus perſuaſi. Sed odioſum eſt, ad particularitates ſe dimittere. Interim ſi cum DEO & ratione in hac Neutralitate perſtiterint, arbitror ſibi aliquando de eâ gratulaturos. 44

Theſium harum Concluſio.

Ut verò ad propoſitum ampliandi ærarii hæc quæſtio deducatur, apparet, quomodo quilibet Neutraliſta conſulturus ſit ſuo ærario. Nimirum ſi juxta theſin primam ſe non immiſcuerit temerè inter partes belligerantes. Secundò, ſi ſic ſe immiſcebit, ut & quantum ſuum intereſſe requiret. 45

Tertiò, ſive hîc ærarium augeatur, ſive inaniatur in cauſâ religionis, ſusque deq; eſt.

Secundùm Theſin Quartam neceſſariò augebitur ærarium, ſi perſiſtat in Neutralitate, niſi bono ſuo & majore commodo ad partes inclinârit.

Sicut & juxta Theſin Quintam & Sextam conſulet apprimè Ærario, quia ſemper à ſe propulſat periculum.

Neque ſine commodo ærarii Theſis ſeptima unquam practicabitur, quia & Honorem ſibi hac ratione conciliaturus eſt, & ſuo ærario, dum belli ſumptibus parcet, prudentiſſimè providebit.

ANNOTATIONES

Ad

CAPUT XCIII.

Num. 5.

(1) T*Andem opprimatur &c.]* Quippe in potentium conflictu, fruſtrà invalidi ac in medio poſiti quieſcunt: & qui alterutrius partis pericula detrectant, damnis utriusque involvuntur. Niſi ſi quos locus & fatum, obterenti cuncta Civilium bellorum rotæ eripit, inquit Dn: Bœcler. *Diſſert. de Amneſt. c. 1. n. 8.* cujus dicta ad Vellejum Paterculum *lib. 2. c. 9 n. 2. & ad l. 2. c. 50. n. 3.* ut & Zevecotium *ad J. Cæſarem c. 75.* & ad Florum *pag. 301. 324.* J. Lipſium *7 Polit. 6.* junge.

(2) *Ne præda Victoris fiam &c.]* Contrarium ſeribit allegatus & fortè non evolutus à Klockio Vellejus *lib. 2. c. 87. n. 4.* nempe ſic dixiſſe Pollionem: Itaque diſcrimini veſtro me ſubtraham *& ero præda victoris.*

Num. 8.

(3) *Itaq; Pompejo &c.]* Apud Suetonium *in vita Julii Cæſaris cap. 75.* Auctore Sententiæ tam triſtis Cn. Domitio, qui, ut eſt apud eundem Suetonium *in vita Neronis c. 2.* conſultante Cn. Pompejo de mediis ac neutram partem ſequentibus, ſolus cenſuit hoſtium numero eſſe habendos.

Num. 11.

(4) *Iis, qui mediam domûs partem inhabitant &c.]* Id quod Alphonſum Regem de Senenſibus, Italico quodam in bello neutram partem ſecutis, deinde ab utraque factione hoſtiliter habitis, ac populationem agrorum ſuorum paſſis, pronuntiaſſe, Panorm. *lib. 4.* refert.

Num. 12.

(5) *Qui cùm bello Civili mederi poſſet &c.]*

Dum bellum autem infert Patriæ Cinna, Cn. Pompejus Magni Pater &c. fruſtratus ſpe continuandi Conſulatum, ita ſe dubium mediumque partibus præſtitit, ut omnia ex proprio uſu ageret, temporibusque inſidiari videretur, & huc atque illuc, unde ſpes major affuiſſet potentiæ, ſe exercitumque deflecteret. Sed ad ultimum magno atrocique prælio cum Cinna conflixit. Cujus commiſſi patratique ſub ipſis mœnibus oculisque Urbis Romanæ, pugnantibus ſpectantibusque quàm fuerit eventus exitiabilis, vix verbis exprimi poteſt. Poſt hoc cùm utrumque exercitum, velut parùm bello exhauſtum, laceraret Peſtilentia, Cn. Pompejus deceſſit: cujus interitus voluptas, amiſſorum aut gladio aut morbo civium pœnè damno repenſata eſt: populusque Romanus, quam vivo iracundiam debuerat, in corpus mortui contulit. Vellejus Paterculus *lib. 2. cap. 21.* De eo Plutarchus in vita Pompeji M. filii Pompei illius Strabonis *Tom. I. Oper. pag. 619.* Poſtquam fulmine ictus exſpiravit, corpus ejus, dum exportatur, ex lecto detraxêre atque omni ignominiâ affecêre.

Num. 13.

(6) *Cicero ita ſedere &c.]* Laberius mimus in Senatum à Cæſare lectus, (inquit ex Macrobio Eraſmus *Adag. Chil. 1. cent. 7. adag. 2.*) cùm à Cicerone ad conſeſſum non reciperetur, dicente; reciperem te, niſi anguſtè ſederemus: nimis mordaciter reſpondit; *Atqui ſolebas duabus ſellis ſedere.* Objiciens tanto viro lubricum fidei.

Num. 14.

(7) *Sanè Leges Sacra &c.]* Deuteronom. *cap. 22. verſ. 11.*

(8) *Tacitus &c.]* *3. Hiſt. 40. n. 11.*

Num. 16.

(9) *Hortenſius &c.]* Cicero *in Epiſt. ad Famil. 2. epiſt. 16.*

(10) *Inquit Favorinus &c.]* Apud A. Gellium *2. Noct. Attic. 12.*

(11) *Plutarchus in Solone &c.]* *Tomo I. Oper. pag. 89.*

Num. 21.

(12) *Inter Religionum diverſitates medius ſteterit &c.]* De damnata Plumbatura Religionum vide, ſi lubet, quæ dixi ad Politicum Sceleratum *cap. 2. pag. 18. 19. 20.*

Num. 29.

(13) *Maſſilienſes &c.]* Vellejus Paterc. *lib. 2. cap. 50. n. 3.* ubi ἐπίκρισιν hanc addit: Principalibus armis ii ſe debent interponere, qui non parentem coërcere poſſunt.

CAPUT XCIV.

De Legum Sumptuariarum Promulgatione; Et de luxu veſtium refrænando.

SUMMARIA.

1. *Generaliter conſulitur* ærario *per abrogationem omnis ſuperfluitatis in Republ.*
2. Exterior cultus *corporis & veſtium nitor, & luxus quantorum malorum cauſa ſit.*
3. Salomon *in ſui cultu nimium occupatus, Dei obliviſcitur & ad idola deflectit.*
4. Lucullo *ducenta purpureæ veſtes: Chlamydes propè innumeræ.*
5. Abuſus veſtium *hujus ævi:* A la mode *veſtitus inſanus,* ibid.
6. Vulgariſſimum *hoc vitium, potiſſimùm in Gallia.*
7. Germani *Gallos egregiè æmulantur in hoc vitio.*
8. Veſtis *peccati & reatûs noſtri ſignum eſt.*
9. Veſtes *perpetuæ inobedientiæ noſtræ monumenta.*
10. Peccatum *non abeſt in veſtium abuſu.*
11. *Mutantur indies* veſtes, *idq; ſæpius.*
12. Exoticus habitus *hodiè eſt pompoſiſſimus.*
13. Ægyptiorum templis *ſimiles hi mortales veſtitu laſcivientes: Ea interiùs habitantur fœdis belluarum monſtris, foris micant auro & periſtromatis.*
14. *Cave æſtimes hominem ex* Veſte, *ſicut nec equum ex Ephippio aut fræno.*
15. Marem *hodiè vix à fœmina diſcernas, niſi poſitis* veſtibus.
16. Pavones, *Faſiani, Galli gallinacei ſpectaculum præbent elegantius, quàm noſtrates comptuli.*
17. Gallus *in infinitum mutatur habitu, fortè & mente.*
18. *Quantum ex* Galliâ *pecuniarum efferatur in alias terras, ex hoc* veſtium *luxu.*
19. Legibus *coërcendus* luxus veſtium, *ut ærario conſulatur.*
20. Cultus *certus & diſtinctus pro cujusq; fortunæ gradu præſcribendus.*
21. *Deſcenditur ad* fœminarum *abuſiones in veſtibus, atq; uti ſint coërcenda, docetur? &* numer. 23.
22. *Ut* luxus *hic efficaciter abrogetur,* leges *ferantur, ſed cum executione, ſine qua ſunt inanes, &* n. 27.
24. Sericarum *veſtium abuſus.*
25. Serico *non veſtiuntur, ſed oſtentantur corpora.*
26. Imperatorum *hac in re exemplaris moderatio.*
28. Leges gentilium *referuntur contra ornatum ſuperfluum virorum fœminarumq;.*
29. *Infamis factus eſt* nimius veſtitus, & n. 30.
31. Inſpectio *accurata Magiſtratus contra indecentem ornatum.*
32. Leges *variæ, & cenſura contra abuſum veſtium.*
33. Leges Imperatoris, & Venetorum *in hunc finem.*
34. Leges Gallicas *contra abuſum veſtium rupit inſana multitudo.*
35. Leges veſtiariæ, *Auguſtanæ, aliarumq; urbium collaudatæ.* *Item* Genevenſium, n. 36.

Vile quid exornas nitido tàm corpus amictu,
Quod cras fortè avidis vermibus eſus erit.

ÆRario ſeu Fiſco noſtro provideri poteſt publicâ animadverſione, legumque

que ſumptuariarum ſanctionibus, quibus veſtium luxuria (quam ægræ civitatis indicium eſſet, ſcribit Seneca *Epiſtol. 114.*) refrænetur, & damnoſa in Ædificando prodigalitas, Supellex pretioſa, Nuptiarum, Sponſaliorum, Procationum, Conviviorum luxurioſus adparatus; Ebrietas ſeu perpotandi libido & Alearum luſus inhibeantur. De quibus omnibus & ſingulis decoquendi modis latiùs diſſerere, animus eſt.

DE VESTIUM LUXU INHIBENDO.

Apud omnes penè populos ad inſaniam invaluit cultus corporum nimius, & cura circa carnalis ambitûs ornatum. Clemens Alexandrin. *pædagog. libro 3. capite 2.* corpore præ ſe ferens animi deformitatem; Senec. *libr. 1. de benefic.* Et eò jam luxus veſtiumque pretia excreverunt, ut quo veſtitu olim Comites, Marchiones, Duces uſi fuerunt, illo nunc novi homines & infimæ nobilitatis viri fœminæque utantur; & qui antea Nobilium erat habitus, is jam plebeculæ & mechanicis vix approbetur. Hinc pretia rerum ſic inflammantur, ut jam inter maximos ſumptus numeretur veſtium luxus, quo numi diſſipantur, & res domeſtica frangitur.

2 Quin & exterior hic cultus corporis animi neglecti penè certum eſt indicium; nec tantùm animi corrupti index, ſed & origo multorum malorum: Ne dicam de diſpendio temporis, quod corporis cultum ſequitur, notum illud Comici: *Dum moliuntur, dum comuntur, annus eſt*: Nec alium ullum fructum quærit, aut finem reſpicit cultus corporis, *quàm vanam gloriam.* (1) Nam, ut os hominum mereamur, oculis placere cupimus, & ut laudatores habeamus, ſpectatores ambimus, & tum demum operæ pretium feciſſe credimus, cùm voces illas audimus: En, quàm eleganter, quàm venuſtè veſtitus eſt! En hominem ad omnem gratiam excultum! Nimirum tanti eſt *DEUM lædere*, (2) ut ab homine lauderis. Quâ unâ re uti nihil in ſe vanius, ita divinæ Legi & Chriſtianæ diſciplinæ nil repugnantius.

3 Salomon dum ſe tantoperè in ſui cultu occupat, DEI obliviſcitur, & ſenſim per tot corporis lenocinia ad gentium idola turpiſſimè deflectit. Verè dedit maculam in gloria ſua, *Eccleſiaſt. capit. 47. verſ. 22.* & ſapientiam ſtultitiâ confudit. Hinc quoque monſtra illa & prodigia. Nero Imperator *nullam veſtem bis induit*: (3) *Heliogabalus* (4) gemmas ab optimis artificibus ſculptas in calceamentis ferebat, quæ nunquam iterabat, ſed nec linteamẽ lotum unquam attigit, mendicos dicens, qui uterentur. Nec noſtro ævo talium monſtrorum inopia eſt. Gvaltherus *Rallius* (5) Anglus viſus eſt in aula crepidas geſtare ita gemmis diſtinctas, ut 6600. hoc eſt, ſex millium, ſexcentorum aureorum & ampliùs æſtimarentur. Et ante annos non adeò multos, cùm fœminarum ſyrmata etiamnum in uſu eſſent, Comitiſſa quædam in materiam unius hujuſce ſyrmatis duo millia & quingentos pro pretio, opifici verò pro opere faciendo centum quinquaginta florenos numeravit liberali manu.

Annon Lucullo *ducentæ purpureæ* (6) 4
veſtes? plures abhuc Chlamydes? de quo Horat. *libr. 1. Epiſtol. 6.*

——— Chlamydes Lucullus, ut ajunt,
Si poſſet centum Scenæ præbere rogatus,
Qui poſſum tot? ait: Tamen & quæram, & quot habebo.
Mittã: poſt paulò ſcribit, ſibi millia quinq;
Eſſe domi Chlamydum; partem vel tolleret omneis.

Nullis verò unquam temporibus major in veſtitu vanitas, ſumptus & ſuperbia emicuerunt, quàm hodiè, ut cum Seneca *dicto libro primo de Benefic.* verè aſſerere poſſimus, in petulantiam nunc & audaciam erupiſſe malè diſpenſatam veſtiendi libertatem.
Pauciſſimi jam ſecum habitant, ut norint, 5
quã reſtet curta ſupellex; *Jam plebeios Nobilibus*, (7) Nobiles Comitibus, Comites Principibus, Principes Regibus ac Cæſaribus videas æquatos omni luxûs genere. Jam vulgò cerdonum pauperiorum filios habituum apparatum videas multò ſumptuoſiore luxuriari, quàm Heroes annuis reditibus ditiſſimos.
Jam Vicanorum filios, opificesque, 6
qui omnia ſua bona ſecum portant, videas divitum nobiliumque habitum imitari, ac ſuperare. Hoc malo jam paſſim laboratur, nuſquam autem magis, *quàm in Galliâ*; (8) ita ut ipſi pridem hoc vitii de ſe notarint picturâ quadam eleganti in arce Bleſſenſi, ubi Sarcinator Hiſpano, Anglo, Italo, Germano ſuas cuique veſtes ſuo more paratas profert, utpote quorum veſtitus figuram, tanquam certam & perpetuam antea noverit. Gallo autem pannum & forficem porrigit, ut ipſe ſibi veſtem, quali velit formâ, conficiat, quandoquidem indies veſtium formas ita ſolet mutare, ut ſciri non poſſit, quanam figurâ veſtem velit. Sed, proh dolor! Germani in hac re Gallos tàm feliciter imitari ceperunt, ut fermè neſcias, utri molliores ſint.

Stultis & amentibus, qui Principum curis gaudia interponunt, veſtitus dari ſolet, ex quo cognoſcas facilè, ſapientiam abeſſe. Planè ſimilis eſt, quem ex Gallia & peregrinationibus referunt juvenes in Germaniam, qui tanto labore expenſisque nihil ſapere didicerunt. Illum veſtitum dico, quem ex præſentis ſeculi vano ſtupore Almodicum (*a la mode Monſieur*) libri & picturæ appellant, nulli probatum, ſed

modo

modo uſurpatum. Quem inſuper inſaniſſimum faciunt, variâ capilli tonſurâ, torturâ, horrore, ſordibus, monſtris. Quid? quod patriæ contemptor eſt,& legum, maluſque cives, qui peregrinum habitum inducit. Gravius hoc crimen eſt, quàm plerique exiſtimant. Principes enim & filii Regum hoſtiæ cæduntur iræ cœleſtis, & omnes omninò qui induti ſunt veſte peregrinâ, *Sophonias cap. 1. v. 8.* (9) Et vociferatur Amos Propheta *cap. 6. verſ. 1.* Væ vobis optimates, capita populorum, ingredientes pompaticè Iſrael.

Guilielmus Dux Saxoniæ, honeſti habitus amantiſſimus, in aulica familia habuit hominem vetuſtæ ſtirpis, ſed mentis vanæ, & qui novitio ritu, prout nunc ferè mos eſt, veſtem gerebat. Hunc affatus Princeps: Quæſo te, inquit, ne recuſes mihi gratificari: ſartorem adi, & ex optimo panno veſtiri te jube meo ſumptu, ſed more meo, & ſciſſas has veſtes depone: At ille aliquantulum præceps & bilioſus: Et cur, inquit, Illuſtriſſime Princeps, non meo me arbitrio veſtiam.

Et cur, ſubjungit Dux, non meo te arbitrio aulâ ſubmoveam? Atque mox miſſione datâ alium ſibi dominum juſſus eſt quærere. Non iniquum Imperium, & ad priſci ævi modeſtiam attemperatum? Certè & Lacedæmonii hoſpitem Mileſium, in veſtitu ſumptuoſiorem, quàm pro Spartana conſuetudine, juſſerunt civitate excedere. Thomas Morus ſidus illud Anglicum, ille Supremus Henrici VII. Cancellarius tantò majorem meretur laudem, quantò minorem ipſi curam ſui corporis geſſit. Sileo, in menſa eum uno tantùm cibi genere, quod ut plurimum bubula caro fuerat, veſci ſolitum. Veſtis ei ſimplex, & tunc ſolùm ſerica, cùm publici Magiſtratûs officium ageret. Una eademque ſemper utebatur, niſi cùm famulus mutandam moneret, diceretque; Here, hodiè Curiam ingredimur, paulò melior veſtis ſumenda. Ita herilis habitûs arbitrium omne penes famulum erat, qui calceos, caligas, aliaque in hunc uſum neceſſaria præſtinabat. Hunc ea de cauſa *Tutorem* ſuum ſolebat vocare, Morus Thomas. Stapletonus *in vota illius capite 6.* Multi ut ſplendidè veſtiti incedant, defraudant genium ſuum: Cùm tamen veſtis nihil aliud ſit, quàm ſignũ reatûs.

8 Nam ante lapſum homines fuerunt nudi; neque etiam ullus uſus veſtium, niſi natura hominis eſſet ſubjecta peccato & morti: Nullus ergo gloriari poteſt in veſtitu: Sicut nullus certè fur gloriatur de ſtigmate ob furtum fronti inuſto. Bene D. Thomas: *Qui gloriatur de veſte, ſimilis eſt gloriandi de cauteriis: Quia per peccatum Adæ uſus veſtium introductus eſt.* Cauteria pellendis morbis; Veſtis pudori tegendo. Ignorabat hanc innocentia, docuit peccatum. Nam & nuditatem illa neſciebat, & veſtem illi tegendæ repertam. Et D. Chryſoſtomus in Geneſin, Juſſit Dominus (*ait*) primos parentes togis pelliceis veſtiri in perpetuam memoriam, quod inobedientes fuerimus Domino.

Audiant opulenti, & qui luxuriant in 9
vermium operibus & veſtiuntur ſericis,
diſcantque, quomodo ab initio humanam naturam miſericors Dominus docuerit. Idem Chryſoſtom. *ſuper Epiſt. Pauli ad Roman. homil. 24.* Non (*inquit*) eſt veſtibus ornanda caro, ne ornatu illam perdas. Nam & molliorem inde facies, & bonam ipſius
valetudinem corrumpes, dum nimia mol- 10
litie diſſolvis per abuſum: Tamen potiùs ad pompam quàm ad neceſſitatem excreverunt veſtes, in quo non deeſt peccatum, ut ait Tiraquellus *in lege tertia Connubiali numero tertio*, ubi per totam illam legem plures veſtium formas deſcripſit, pulchrè Rebuff. *in lege veſtis appellatione ff. de V. S.*

Veriſſimum quoque eſt, quod *Siracides pronunciat;* (10) Amictus corporis, & riſus dentium, & inceſſus hominis enuntiant de illo. Veſtis diſſecta diſſectum animum, levis hominem levem, muliebris effœminatũ, monſtroſa mõſtroſum, thraſonica thraſonicum, & rurſus gravis gravem, & prudentem cordatorum virorum judicio indicat. Et oratio rectè animi character dicitur: Ita externa corporis conformatio, qualis cuique animus ſit, oſtendit. Unde Pontanus in Dialogo cuidam percontanti, quid de Carolo VIII. Regiæ Galliæ ſentiret, num judicaret ipſum ſapientem? Reſpondit; quomodò eſſet ſapiens, cùm tàm curta veſte utatur.

Invenias, qui non ſolùm Lucullum veſtium multitudine æquent, ſed unam quandoque veſtem videas pretio certare cum du-
centis illis Luculli veſtibus. Invenias quo- 11
que in Aulis Principum id veſtis genus, quod manè geſtari cœperit, veſperi pro obſoleto haberi.

Id demum circa cultum corporis magnificum & ſplendidum ducitur, quod diu magnificum ſplendidumque eſſe non poteſt, ne videlicet novæ ſemper ſumptuũ
occaſiones deſint. Hunc (Simiarum more:) 12
Italico, illum Hiſpanico, iſtum Gallico, alium Anglico, alium Belgico, alium exotico demum habitu pompoſè incedere videas, quorum tamen animi fallaces ſæpiuſculè ſub veſte ſplendidâ latent abſconditi: Hoſce rectiſſimè Ægyptiorum Templis comparaveris.

Quemadmodum enim apud Ægypti- 13
os Templorum parietes lapidibus externis & artificioſè depictis reſplendent, ita ut nihil deſit, ædes, auro, argento & electro elucent. Sed ſi penetralia Templi adieris, & imaginem, quæ Templum habitat, quæ-

quæſieris, invenietur non DEUS, ſed Felis, Crocodilus vel Serpens indigena, vel aliqua ejusmodi bellua Templo indigna; Ita æſtimandi multi ſunt homines, qui quidem auro, ſerico, aliisque pretioſis ornamentis induti incedunt. Sed ſi quis velum Templi aperuerit, eorumque ſcrinia, & quæ in iis intrita & incruſtata ſunt, penitus inſpexerit, nullam veritatis imaginem intus invenerit inhabitantem, ſed incruſtatam ſimiam fraudis & ſeductorem illum doli Serpentem, qui homines in hypocritas transformat; Clemens Alexandrin. *dicto libro ſecundo capite primo. Seneca ad Lucilium libro ſecundo, Epiſtolâ quadrageſimâ ſeptima* (11) ita ſcribit. *Quemadmodum ſtultus eſt, qui equum empturus non ipſum inſpicit, ſed ſtratum ejus ac frænos; Sic ſtultiſſimus eſt*, qui hominem aut ex veſte aut ex conditione, quâ veſtis modò nobis circumdata
14 eſt, æſtimat. Diogenes apud Laërtium *de vitis Philoſophorum libro ſexto* adoleſcenti cuipiam æquo emotiori cùm quæſtio-
15 nem propoſuiſſet, ita reſpondit: *Non tibi reſponſurus ſum, quàm ſublatis veſtibus oſtenderis, utrum maſculus ſis an fœmina.* Eodem auctore Solon, è Sapientibus unus, Crœſo, Regi Lydiæ, cùm comptiſſimus in ſublimi ſolio ſediſſet, rogaſſetque; num pulchrius unquam ſpectaculum vidiſſet? Vidi, inquit, in Gallis gallinaceis, phaſianis atque pavonibus. Certè Pavones ſumus, ſpe-
16 ctari volumus, & ab hoc ſpectaculo, quod aliis præbemus, laudari.

Aſt hæc ſunt plerumque elogia & ſpecioſi tituli, quibus liberaliſſimè afficiuntur ii, qui ſui Statûs & Ordinis rationem ignorantes, plus, quàm laudari poſſit, in veſtitûs elegantias expendunt. En ajunt, politiciſſimam ſtatuam, en cultum cenſu majorem. Unde huic homini ad tantam lautitiam tàm dives crumena? tàm magnificè non incederet, niſi & aliena marſupia emungeret. En oſtentationem inaniſſimam, en pompam idoli! Et quis tandem eſt hic Thraſo, quâ domo, quâ gente, quinam ipſius progenitores? Pulcherrima deformitatis excuſatio eſt, veſtitûs decentia & honeſtas: & latentis in animo vanitatis indicium eſt, ambitioſior corporis ornatus.

Rabeliſus fabulatur, Panurgum in Italia LXXVIII. modos parandi argentum obſervaſſe; ſed ubi paullulum Gallorum & Hiſpanorum uſus eſt familiaritate, centum & ampliùs modos pecunias magnificè expendendi addidiciſſe: quâ de causâ ille meſſem & triticum ſuum ſemper in herba abſumpſerit, Lanov. *diſcurſ. 33.* Inprimis autem quoad variorum veſtimentorum varietatem Galliam novitatis ſemper ſtudioſam, heîc peccare ſuprà dixi.

17 Quis Proteus, quis Vertumnus, qui Chamæleon præ Gallo toties mutat, toties ſe transformat, toties alius eſt? Idem Lanovius *diſcurſ. 4.* refert, ex iſta veſtiendi licentia & libertate reditus Regis annuis trecentis Coronatorum millibus augeri. Sed ex Regni tabulis accepti & expenſi probè inter ſe collatis, planum evadere; *quotannis plusquam quadragies centena libellarum millia* (4000000. Francken) *ex Gal-* 18
lia in Italiam transportari, atque pro mercibus, luxûs fomentis & inſtrumentis exponi, quæ in Galliam invectæ luculento quidem mercatorum fœnore, ſed damno Regis & Subditorum centies & vicies centena libellarum millia (12000000. Francken) ſuperante, ſuperfluas & non neceſſarias veſtiû pompas ac ſtultitias exhibent, quibus honeſtiſſimè Gallia carere poſſet.

Huic luxui emendando (12) ſumptuariæ 19
leges ferendæ, repugnantesque inſigni mulctâ coërcendi ſunt; Et ſi tàm Publicæ Magiſtratus Rei, quàm Fiſco optumè conſultum velit, ſaluberrimis Statutis, & Politicis Ordinationibus, Kleider- und Hochzeits-Ordnungen, temporum perſonarumque ratione habitâ, à veſtitu ſuperfluitatem & gravem impenſam arceat, certos & diſtinctos cultus pro fortuna & honorum gradu cujusque præſcribat, peregrinos & adſcititios habitus eliminet, fœminarum 20
intortos crines, gemmas, torques, armillas, pigmenta, ferumque iſtud ferrum, quod & veſtes dilatat & infantes colat (*cachebaſtard*) aliosque indecoros ornatos interdicat; legemque gravi pœnâ ſanciat, Primò quidem, ut in legem committentes pœnâ pecuniariâ teneantur. Deinde 21
ut ſi cui jus annuli, aut byſſinæ veſtis tribuatur, certâ pecuniæ ſummâ eam poteſtatem redimat. Utrumque æquum eſt, nemo enim in legem committet, niſi divitiarum jactator, quo ipſo condemnetur ornatus à prudentibus. Duorum hinc commodorum alterutrum habebit: vel ut ſuperbia juvet ærarium vel opulentet obedientia Civitatem. Sit ſanè Civitas, quæ centum animarum millia contineat, omnes pretioſiùs, quam pro ſtatu amiciûtur, & quidẽ in cunis, & inter vagitus faſtus exultat.

In ſingulas perſonas decem florenos, quos præter honeſtatem impendunt, computo; nec minoris luxus ille conſtat, quanquam enim aliqui non delinquant, plerique tamen majores ſummas perdunt, & centenos millenosq; noñulli dilapidant; Ecce, ſi legibus civitas illa regeretur, jam millione integro ditior eſſet. Legibus igitur ſumptuariis diſciplinam Princeps ſanciat, transgreſſoribus pœnas pecuniarias infligat, easque Fiſco ſeu Ærario inferat: Fruſtra enim promulgantur Leges, niſi ſint, qui jura exequantur.

Et Leges ſine Executione ſunt Campanæ aut nolæ ſine piſtillo, & quaſi Ma- 22
giſtra-

giſtratus mutus, aut mortuus. Et inprimis leges, quæ veſtium ſumptus moderantur, exequendæ ſunt: Cùm teſte Ariſtotele *libr.2. Politic. capit. 7.* univerſa Reſpublica malè ſe habeat, ſi fœminarum ſumptus non
23 cohibeantur: Neque enim ſe ipſas duntaxat, ſed & parentes, filios, fratres, ac maritos perdunt, ac totam ferè Rempublicam ſecum trahunt in perditionem. Prudentius olim jure quærit & indignatur.

Num pudet eſſe viros? quærunt vaniſſima quæq;
Queis niteant: genuina leves ut robora ſolvant,
Vellere non ovium, ſed Eoo ex Orbe petitis;
Ramorum foliis fluitantes ſumere amictus.
Gaudent & durum ſcutulis perfundere corpus:
Additur Ars, ut fila herbis ſaturata recoctis.
Illudant varias diſtincto flumine formas,
Ut quæque eſt lanugo ferè molliſſima tactu,
Pectitur, hunc videas laſcivas perpete curſu
Venantem tunicas, avium quoque verſicolorum
Indumenta novis texentem plumea telis.

24 Hodiè ſericæ veſtes nimis vulgatæ, in *quibus Matronæ translucent*, (13) aut viris uſque ad plebeios jam ornantur. Solinus certè hoc illud eſſe ſericum dicebat, *capit. 63.* in uſum publicum damno ſeveritatis admiſſum; & quo oſtentare potiùs corpora, quàm veſtire primò fœminis, nunc
25 etiam viris perſuaſit Luxuriæ libido. Nec ſatis eſt, Pompaticæ oſtentationis curioſitatem omnium oculis ingerere, jam etiam quæ olim velata, *nudamus, & paulatim pectus aperimus.* (14) Quod quid aliud eſt, quàm pudicitiam aperto Marte oppugnare? Quod hoc aliud, quàm irritare cupiditates hominum jam antè incitatas? Annon hoc nobile ſpecimen eſt flagitioſæ ſtultitiæ & quæ primas mereatur? Quid hoc ducas, hæc in veſte lenocinia non ſunt pudoris tegumenta, ſed irritamenta libidinis, Drexel. *libr. 3. de cultu corporis cap. 11. §. 1. & §. 6. fol. mihi 659.* ubi refert, ſe vidiſſe monſtrum fœminæ, quæ non ocreis tantùm & calcaribus, ſed & pugione ad latus pendulo armata pileum habuerit ritu militari criſtis inſignem: Tu ſi eam vidiſſes (*inquit*) aut Palladem, aut certè ipſum Martem dixiſſes; eam ætatem vivimus, quâ viri paullatim fœminæ fiunt, & veſte & crinibus: quâ & fœminæ viros induunt, atque in urbibus ac pace majeſtatem ſpirant bellicam.

26 Alexandrum Severum *nunquam holoſericam geſtaſſe veſtem*, (15) nec Aurelianum Imper. unquam veſtem ex integro ſerico contextam uſurpaſſe, nec aliis, ut uſurparent, aut in veſtiario haberent, permiſiſſe, prodidit Flavius *Vopiſcus in vita Aureliani.* (16) Indeque eſt, quod ne uxori quidem blateo ſerico (quod ex Stephani Forcatuli interpretatione, coloris fuit in purpuram cœleſtem deſinentis) uti permiſerit. Abſit, *inquiebat optimus Princeps*, ut auro fila penſentur. Iſtâ enim tempeſtate libra Se- 27
rici librâ auri rependebatur. Rectè Iſocrates; Ne negligas, *inquit*, privatorum domos, exiſtimans, & eos, qui ſua profundunt de tuo dependere, atque decoquere, & qui induſtria rem augent, tibi divitias parare. Omnia enim civium bona æqui Principis ſunt propria.

Quæ cùm ita ſint, jure bono Princeps inſaniam decoctorum compeſcuerit, promulgatis in id ſalutaribus Reipublic. legi- 28
bus. Sic publicâ animadverſione, legumque complurium ſanctionibus ad Reipublicæ conſervationem Ethnici Legis latores luxurioſum veſtiendi modum cohibuêre. Syracuſani legem ſanciverunt: Ne quis ſe auro ornaret, ſupervacaneis veſtibus uteretur differentibus, niſi ſe Mœchum eſſe fateretur, aut Cinædum, Plutarch. *libr. 25. Hiſtor.* Apud eoſdem cautum fuiſſe teſtatur ex Phylarcho Athenæſts *libr. 12. capite ſexto* ne mulieres auro ornarentur, nec floridas veſtes geſtarent, nec purpureos haberent contextus, niſi fortè publica eſſet meretrix.

Lacedæmonios quoque laudat Clemens Alexandrinus *in Pædagogo lib. 2. cap 10.* 29
quòd ſolis meretricibus permitterent floridas veſtes, & aurum mundum geſtare. Zaleucus Locrenſis argutiſſimâ quadam pœnæ penſione mollitiem & laſciviam quoad veſtes cupiens compeſcere, ad reformandos Locrenſium mores, inaures, catenas, periſcelides, auro gemmiſque diſtinctas veſtes, 30
ſolis meretricibus conceſſit, pullucidas veſtes Lenoni: Planè ut Lycurgus Juvenibus unâ tantum veſte, eaque obſoletâ & nullo diſcrimine à cæteris uti toto anno permiſit. Alex. ab Alex. *libro primo capite 18.* nec quèquam cultiùs, quàm alterum progredi juſſit, ne imitatio in luxum verteretur. Juſtin. *libro tertio Hiſtor.* Ælianus *in varia hiſtoria libro* 31
14. auctor eſt, Lacedæmoniorum Ephoros, id eſt, ſummos Magiſtratus quotidiè obire ſolitos ad inſpectionem veſtium, ne quid à decenti ornatu alienum uſurparetur.

Ejuſmodi leges ſumptuariæ olim fue- 32
runt *lex Oppia* (17) Orchia, Fannia, Didia, Licinia, Æmilia, Cornelia, Antonia, Antia, Julia. Quibus acceſſerunt Cenſores, qui vitam moreſque civium examinabant, & in eos animadvertebant, notâ cenſoriâ, pudefactione ſcilicet, vel mulctâ: quod Cenſorium munus omnium Politicorum calculo res eſt ſaluberrima reipublicæ, Bodin. *libr. 6. cap. 1.* Gregor. Tholoſan *lib 4. de Republ. cap. 11.* Lipſ. *libr. 4. Politic. cap. 11.* Althuſ. *cap. 25. Polit. & poſt eum* Keckerm. *libr. 1. Syſtemat. Polit. c. 18. in fin. pulchrè* Joan. à Cho-

33 à Chockier. *libr. 2. Aphoriſm. polit. capit. 10. pag. 92. & libr. 5. cap. 19. per tot.* Sic multis in Comitiis Imperatorum & Principum actitatum eſt de re veſtiaria, ſed contra edicta omnia ſemper luxus increvit. Teſtis ipſe Principum Senatus.

Sed Ludovicus Imperator exteros habitus, Aventin. *libr 4.* Petr. Gregor. *libr. 4. de Republ. cap. 11. numer. 3.* & Veneti luxum veſtium Edicto, prohibuêre, Bemb. *lib. 1. Hiſtor. Venet.* Hunc ad modum Uldaricus Wurtembergenſis Dux, cùm ſub Carolo V. Imper. Hiſpani in Germaniam frequenter commearent, atque (ut novitatis ſtultus admirator eſt populus) veſtitum illorum plerique imitarentur, ſuis ille domeſticis curtas tunicas ſeverè interdixit, & cùm quidam pallium ſubductius ſolito fieri curaſſet, re priùs à Sartore exploratâ centonem verſicolorem aſſui juſſit, & veſtis defectum hac ratione farciri, eâ lege, ut niſi hâc veſte ſibi ſemper appareret, Principis indignationem incurreret, illud ſæpè repetens; *Peregrinæ veſtes, peregrinos mores,* (18) *peregrini mores peregrinos Hoſpites Germaniæ inducent.* Neque falſus fuit Vates Theod. Zvinger. *vol. 7. Theatri humanæ vitæ libr. 2. pag. 1683.*

34 In Galliâ multæ veſtiariæ Leges latæ ſunt multoties; hæ tamen vicies centenis hominum millibus refragantibus & in alia omnia euntibus nihil ponderis habuêre. Ac licet in ſpeciem fœminæ quædam parerent, textilis auri & argenti uſum intermittentes; mox eæ tamen inſigni legis fraude veſtes, Mediolani Phrygio opere artificioſiſſimè elaboratas, emerunt & induerunt, quingentis coronatis in ſingularum manupretium, ſine materiæ ipſius æſtimatione erogatis poſt Bodin. Thomas Lanſius *de principatu Europæ in Orat. contra Galliam fol. 415.*

35 Moſcovitis laudi meritò datur, quòd quiſque veſtitur pro modo facultatum & ordinis conditionisque ſuæ: habent enim Leges veſtiarias à Magno Duce latas, quas violare capitale eſt, Joan. Ludovic. Gotofred. *in Archontologia Coſmica libro primo numer. 22. pag. 443.*

Laudabile quoque eſt inſtitutum Reipublicæ Auguſtanæ, Noricæ, Argentinenſis, & Francofurtenſis, in quâ cuilibet civium ordini certa veſtimentorum genera & certa earundem pretia præſcribuntur legibus veſtiariis, quas transgredi non licet ſine pœna, quippe quod in transgreſſores clandeſtini Cenſores conſtituti, qui in publicis & privatis converſationibus ſingulos notent & ad vomitum reverſos ſeveriùs caſtigent, ne tenuiores & plebeii, dum pravâ ambitione *ſupra fortunam ſe attollunt,* (19) & potentioribus æquare ſe ſtudent, creditoribus ſuis decoquant, Fulv. Pacian. *de vero juſtoq; Principe cap. 3. fol. 61. & ſeqq.* Jacob. Bornit. *libr. 4. de Ærario cap. 6.* Et Genevenſes jam antiquitus obſervant, ne foris mulieres ornamentis aureis & holoſericis ornatæ incedant, niſi certis ſtatutis temporibus, Menoch. *de A. J. Q. qu. 79. nu. 156.* Et de legibus veſtiariis Hiſpaniæ videndus eſt Alphonſ. de Azevedo *in conſtit. Reg. lib. 7. titul. 12. l. 1. 2. 3. & 4.*

O leges veſtiariæ tot Urbium & Pro- 36 vinciarum quàm dudum exulaſtis! quàm dudum exſpiraſtis! jam pridem nullos ſimites patiuntur effuſiſſimi ſumptus in veſtium pompam. Quid multis? Veſtibus, quàm vanè ruat gens humana in ſui cæcitatem, quàmque fallamur omnes, edocemur. His ſuccinctæ, illis longæ placent veſtes. Hi variam veſtium conciſuram ornatum veſtimentis addere exiſtimant; illi id deteſtantur ac meram ſtultitiam putant. Sic alter alterius videt & ridet ineptias; & ſuum cuique pulchrum videtur. Etenim (*ut ille ait*) amor & cunctis rerum tutela ſuarum; cùm tamen interim appetitu potiùs urgente, quàm ratione ſuadente vanitati ſtudeamus, ſtultitias que ſectemur omnes. Quæ Biblia, quæſo, docent cineres ſerico velandas, cœnum auro tingendum, fimetum purpurâ operiendum; & annon corpus noſtrum cinis, cœnum, fimetum? Cur iſtud homo ſic operis, ſic comis? *Subter te ſternetur tinea, & opperimentum erunt vermis; Jſaiæ c. 14. v. 11.* Pulchrè Ambroſius: *Audi,* inquit, *omnes naſcimur nudi & morimur: nulla diſtinctio inter cadavera animorum, niſi fortè quia graviùs fœdent corpora divitum diſtenta luxuriæ.* Voluit bonus Deus ſpiritum hominis, velut divinæ particulam auræ & ſui ſimulachrum, nullo pretio ſat æſtimandum, nihilominus vili ſacco corporis abſcondere. Cui jam veriſimile videatur, opificem hunc voluiſſe, corpus, quod viliſſimum eſt, pretioſo tegmine involvi, qui ſpiritum inæſtimabilis pretii tàm vili tegumento circumſepſit? Et cur ipſe Deus protoplaſtis pellem in veſtem dedit, ſi nos auro & gemmis veſtiri voluit? At igitur miſerabili virtutis inſcitiâ laboramus, aut inſaniam hilarem inſanimus. Drexel. *de cultu corporis libr. 3. capit. 11. fol. 674.*

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT XCIV.

Num. 2.

(1) Q*uam vanam gloriam &c.]* Hinc plurimos decipi comperimus, qui habitu corporis alios æſtimant. Quippe ipſi viri ac mercatores permulti, hanc quia in plebe cœcitatem eſſe intelligunt, ideò in publicum prodire geſtiunt, auro, ſerico fulgidi, ut iſtis in oculos incurrentibus ornamentis faciliùs fallant eos, qui in hominibus æſtimandis non interna conſiderant, ſed tantùm illa externa, quæ quoad pompam viſentur, inquit Daniel Sauterius *in Pædagogo divitum. c.3. in fin.* Quod & Dn. Marquardus *de J. Mercat. lib. 4. c. 9. n. 11.* confirmat, *quando* præ cæteris, *ſcribit*, in hoc paſſu (*ſcilicet luxuria in veſtibus*) peccant mercatores malitioſi & improbi. Quò etenim eò meliùs nequitiam ſuam & fraudes obtegere & palliare queant, in negotio contrahendo annulis, auro, & gemmis pretioſè confectis, opiparis & ſplendidis veſtimentis, Ordini ſuo non convenientibus, induti incedere; ſumptuoſis equis & plauſtris illicito modo contra *t. t. C. null. lic. in fræn. equeſtr. &c. & t. t. C. de veſtib. holoſer. & aur.* uti, & per conviviorum veſtiumque luxuriam, quam ægrè Civitatis indicia dixit Seneca *Epiſt. 114.* in mundiciis, mollitiis, ætatulam agere ſolent.

(2) *DEUM lædere &c.]* Nemo enim exiſtimet in luxu & ſtudio pretioſarum veſtium deeſſe peccatum. Si hoc culpa non eſſet, nullo modo Dominus Johannem de veſtimenti ipſius aſperitate laudaret: Si hoc culpa non eſſet, nequaquam Apoſtolus fœminas in pretioſarum veſtium appetitu compeſceret, dicens: Non in veſte pretioſa, ſed quod decet mulieres, promittentes pietatem per opera bona. Atque ſi cultus ſubtilium & pretioſarum veſtium culpa non eſſet, nequaquam ſermo DEI tam vigilanter exprimeret, quòd Dives, qui torquebatur apud inferos, biſſo & purpurâ indutus fuiſſet. Quid ergo gloriari pergis in cultu ſuperfluo? eſto cultu modicus; ſermone facilis. Sautorius *in Praxi Bancærupt. part. 4. c. 11. p. 83.*

Num. 3.

(3) *Nullam veſtem bis induit &c.]* Teſte Suetonio *in vita Neronis c. 30.*

(4) *Heliogabalus &c.]* Confer Lamprid in *in vita ejus cap. 32.*

(5) *Gualterus Rallejus &c.]* Qui Annò MDCXVIII. Londini ſecuri percuſſus (uti Jonſthon. *Rer. Britan. Hiſtor. lib. 17. pag. 528.* memorat) cecidit glorioſiùs, quàm viguit; quia non alium pertinaciùs ad Pœnam, Elizabethâ regnante, Plebs flagitavit.

Num. 4.

(6) *Ducenta purpurea veſtes &c.]* Quod ipſum poſt Horatium confirmat Plutarchus *in vita Luculli Tomo I. Oper. pag. 518.* De Purpura confer Panciroll. & Salmuth. ad illũ *de reb. deperd. tit. 1.*

Num. 5.

(7) *Jam plebeios Nobilibus &c.]* Interea tamen, inquit de Belgio Schoockius *Exercit. 25. p. 385.* à ſupremis poteſtatibus huic in amictu luxui, velut endemio alicui morbo, occurrendum foret: maximè hoc agere deberent moderatores Belgii Fœderati. Proh dolor! ad ſummum inſolentia hæc inter nos acceſſit, atque præterquam quòd DEUM jam diu, utut longanimem, ad iram provocavit, ampliùs gravis eſt Reipublicæ, & familiis. Dum enim ancillæ ipſæ, curti ſui cenſus ignaræ, filias-familias æmulari ſtudent, atque hæ patrimonium inſtar Biantis ſecum portant, parentes comedunt, obſtrictis eorum nominibus non modò mercatoribus pannariis, verùm ſartoribus quoque & comptricibus, à quibus quotidiè ſecundùm omnigenos modulos deformantur, cùm ſe ornari quàm cultiſſimè exiſtimant. At, ſi hac ratione privatum parvum reddatur, quomodo commune magnum eſſe poterit? Remedio opus eſſe, omnes judicant: quale verò eſſe debeat, prudentiſſimi quoque ambigunt &c. *& p. p.* Utinam verò quantò ocyùs Supremæ in Belgio poteſtates hîc evigilarent? Venimus ad ſummum. Et petulantia infimæ quoque plebis, circa veſtium deſultoriam atque ſumptuoſam levitatem, ipſi Reipublicæ gravis eſt. Nam 1. quum interſit Reipublicæ ſubditos locupletes habere, per hunc luxum, dum alter alteri non vult cedere, non modò mediæ conditionis familiæ, ſed ſplendidioris quoque, ad incitas rediguntur. 2. Ex ſequiori ſexu, ut corpore quæſtum faciant, multis hæc ipſa petulantia ſuadet. Dum enim deſperant de ſplendidiori cultu, per bonas artes conſequendo, ſcortatorum libidini ſemet veluti victimas offerunt, quò in publico cum ſuis veſtibus ſe oſtentare queant. 3. Ancillæ, quomodo heris ſuis quid intervertere poſſint, noctes atque dies meditantur; quòd ex annua mercede eum corporis ornatum conſequi non poſſint, quem æqualibus invident. 4. Non modò cives mediocres verſuram facere coguntur, ſed & primariis familiis oriundi nobiles, dum nomina faciunt apud Mercatores pannarios, ſartores, ſutores, comptores, comptrices &c. Quando verò contingit illos fortunis ſuis excuti, non modò multi boni viri ſolutione ſuâ deſtituuntur; verùm, qui per luxum veſtiarium ad pauperiem redacti ſunt, ſæpe notantur graves eſſe Diaconis, aliiſque pauperum Curatoribus. 5. Per hunc luxum Ordines in Republica confunduntur, quos tamen diſtinctos eſſe convenit. Dum enim alter alteri circa cultum non vult cedere, ſuperiores ab inferioribus, Nobiles ab ignobilibus diſtingui non poſſunt, quos tamen diſcretos eſſe oportet. 6. Sed, quod dolendum maximè, quum ab utroque ſexu, ab omnis Ordinis hominibus, ab omni ætate, in hoc Fœderato Belgio adeò impenſè cultui ſtudetur, virtuti, & quod caput pietati non litatur. Evigilent ergò tandem ſupremi Reipublicæ moderatores! *Hactenus Schoockius.* Adde Juſti Tamiæ *Tract. Germ. cui titulus* Europens Silber-Egeln und Laſtkopff *pag. 130. ſeq. & p. 386.*

Num. 6.

(8) *Quàm in Gallia &c.]* Confer omninò Lanſium *in Orat. contra Galliam p. m. 237. ſeqq.* ex quo infrà *h. c. n. 16. verſ. Rabeleſius num. 17. 18.* deſumpti.

Num. 7.

(9) *Sophonias c. 1. v. 8. &c.]* Inter ipſos Rabbinos, circa ſenſum hujus loci non convenire, & quid hîc peregrina veſtis ſignificet, docet laudatus Schoockius *d. loco n. V. pag. 379. ſeqq.*

Num. 10.

(10) *Siracides pronuntiat &c.] Cap. 19. v. 27.*

Num. 15.

(11) *Seneca ad Lucilium lib. 2. Epiſt. 47. &c.]*

Com-

Communiter in ordine *Epiſt.80.* ibi: Equum empturus, ſolvi jubes ſtratum, detrahis veſtimenta venalibus, ne qua vitia corporis lateant: hominem involutum æſtimas? Mangones, quidquid eſt quod diſpliceat, aliquo lenocinio abſcondunt. Itaque ementibus ornamenta ipſa ſuſpecta ſunt: ſive crus alligatum, ſive brachium adſpiceres, nudari juberes, & ipſum tibi corpus oſtendi. Vides illum Scythiæ Sarmatiæque Regem, inſigni capitis decorum? ſi vis illum æſtimare, totumque ſcire qualis ſit, faſciam ſolve, multùm mali ſub illa latet. At Macrobius *1. Saturn. c.11.* Quemadmodum ſtultus eſt, *ſcribit,* qui empturus equum, non ipſum inſpicit, ſed ſtratum ejus & frænum, ſic eſt, qui hominem ex veſte, aut conditione, quæ modo veſtis nobis circumdata eſt, æſtimandum putat &c. Proinde Macrobius potiùs quàm Seneca in tex. nominandus veniebat.

Num. 19.

(12) *Huic luxui emendando &c.*] Audiamus hoc loco Schoockium *pag.385. ſeqq.* de remediis luxui veſtitûs in Belgio adhibendis fuſiùs differentem. De legibus veſtiariis à multis multa dicta ſunt; ſed, quum nulla Lex unquam tam circumſpecta ſit, ut non in illius fraudem plurima facta fuerint, haud video, quomodo ſufficiens remedium à legibus ejusmodi ſperari liceat. Et tamen remedio & quidem tempeſtivo opus eſt, quod quicunq; Reipublicæ huic liberæ præjudicioſum eſſe cenſent, næ de libertate judicant peſſimè; ſiquidé licentia, libertatem ut plurimùm mentiens, neque confligere debet cum DEI legibus, neq; ullâ ratione gravis eſſe ſaluti quà publicæ, quà privatæ. Quinque, quæ hîc ſuadeam, duntaxat occurrunt. Quæ licet fortè ludibrio quibusdam ſint futura, tamen proponam. Initio offerunt ſe illi, qui in illuſtri faſtigio poſiti ſunt, quorum vita ut debet cenſura eſſe; ita eorundem exemplum ad formandos ſubditorum mores maximum momentum adfert. Si ergo hi præſumpſerint, in cultu corporis quàm moroſè attendere ad frugalitatem, modeſtiam, gravitatem, & conſtantiam; atque ad easdem regulas ſtrictiſſimè exegerint univerſam ſuam familiam, ſubditi, qui perpetuò Magiſtratus in oculis habent erubeſcent provocare illos, quibus ad conciliandam Authoritatem, ipſe DEUS conſpectiorê cultum aſſignavit. At, quid quotidiè in hisce Provinciis (deplorandum hoc cùm maximè) fieri videmus? Ubi primùm dignitas aliqua, ſæpe aut per ambitum, aut fato Metelli, viro aliàs mediocri aut novo, contigerit, univerſæ familiæ facies mutatur. Uxor, liberi, non modò affectant habitum nobilium, verùm etiam generoſorum, & Illuſtrium; atq; quicquid otioſorum hominum petulantia quotidiè pro innovanda forma veſtium linearum, lanearum, & ſericarum excogitat, ſecurè imitantur, *modos,* quos crepant aſſiduò; non ad patrimonii modulum, (cui ſæpè vix modicus) ſed ad præſumptæ vanitatis (conceptæ circa paternam dignitatem) regulas exigendo: Paterfamilias (qui, ſi hisce ineptiis ſe non oblectet, ad illas ſaltem connivet) dum videt ſe parem non eſſe ſumptibus, qui ſuis in ædibus fiunt, ſubſidium quærit à ſuo munere; at neque hujus modica emolumenta alendæ tantæ vanitati ſufficiunt: Ergo quæſtui haberi Reſpublica incipit; munera contra juramentum, quod præſtitum, accipiuntur; peculatu maculantur manus & conſcientia; factiones in Republ. aluntur; novorum negotiorum delegationes excogitantur; in ſumma, ea fiunt, quæ arguere ſolent Rempublicam corruptiſſimam. Utinam verò horum omnium malorum fomes quàm primùm tolleretur, atque de eo tollendo ſeriò cogitarent illi, qui non minùs diſciplinam domûs ſuæ, quàm Reipublicæ Salutem ſartam tectam præſtare debent. *Hæc ille.* Sed longùm nimis foret cæteros quoque quatuor modos refrænandi hoc malum à Schoockio *d. loco* in ſequentibus allatos, hîc ſubjungere, quapropter conſultiùs viſum lectorem ad ipſum fontem remittere, ubi & cæteros videre, ſi libet, licet. Alia remedia recenſet Souterius *in Pædagogo Divitum pag. 15. ſeqq.*

Num. 24.

(13) *Quibus Matronæ translucent &c.*] Vetus hoc & Romanis jam cognitum malum Seneca *7. de Benef. c.9.* his verbis taxat: Video ſericas veſtes, ſi veſtes vocandæ ſunt, in quibus nihil eſt, quo defendi aut corpus, aut denique pudor poſſit: quibus ſumptis, mulier parum liquidò, nudam ſe non eſſe jurabit. Hoc ingenti ſummâ ab ignotis etiam ad commercium gentibus accerſuntur, ut matronæ noſtræ, ne adulteris quidem plus ſui in cubiculo, quàm in publico oſtendant.

Num. 25.

(14) *Nudamus, & paulatim pectus aperimus &c.*] Suprà allegatus Schoockius *Exercit. 26.* contra Gisbertum Voëtium Theologum Ultrajectinum, fœminas geſtare nuda pectora, aut uti veſte adeò tenui, & pellucida, ut pectora ſint perſpicua, ſi hoc ſit more receptum in aliqua Provincia, poſſe; probare nititur; ubi vide & Berneggerum *in Quæſt. ad Tac. G. & A. q. 90.* junge.

Num. 26.

(15) *Nunquam holoſericam geſtaſſe veſtem &c.*] Veſtes ſericas ipſe raras habuit; holoſericas nunquam induit; ſubſericam nunquam donavit, ut tradit de Alexandro Severo Ælius Lampridius *in vita ejus cap. 40. p. m. 349.*

(16) *Vopiſcus in vita Aureliani &c.*] *Cap. 45.* ibi: Veſtem Holoſericam neque ipſe in veſtiario ſuo habuit, neque alteri utendam dedit. Et cùm ab eo uxor ſua peteret, ut unico pallio blatteo ſerico uteretur, ille reſpondit; abſit, ut auro fila penſentur: libra enim auri tunc libra ſerici fuit.

Num. 32.

(17) *Lex Oppia &c.*] De ſumptibus mulierum, quam C. Oppius Tribunus Pl. tulit, ne qua mulier plus ſemuncia auri haberet, neu veſtimento verſicolore uteretur, néve juncto vehiculo in Urbe oppidóve, aut propiùs inde mille paſſus, niſi Sacrorum publicorum cauſa veheretur. Manutius *de Legibus Rom. p. 140.* ex quo & cæteras leges hîc nominatas ſumptuarias fuiſſe conſtat.

Num. 33.

(18) *Peregrinæ veſtes peregrinos mores &c.*] Conſule Bernegger. *in Q. Polit. ad Taciti G. & A. quæſt. 166.*

Num. 35.

(19) *Supra fortunam ſe attollunt &c.*] Pertinent huc Horatii verſus *lib. 1. Epiſt. 18.*

---- Eutrapelus cuicunq; nocere volebat,
Veſtimenta dabat pretioſa. Beatus enim jam
Cum pulchris tunicis ſumet nova conſilia, & ſpes,
Dormiet in lucem, ſcorto poſtponet honeſtum
Officium, nummos alienos poſcet: ad imum
Thrax erit, aut olitoris aget mercede caballum.

CAPUT XCV.

De Damnoſiſſima in Ædificando Prodigalitate.

SUMMARIA.

1. Agrigentini, *quaſi ſemper victuri, ædificant.*
2. Exempla prodigalitatis *in ædificando.*
3. Nero *nullâ re damnoſior quàm ædificando.*
4. Ædificando *machinandoq́ faciunt, quod fieri poſſe negatur: ut Caligula.*
5. *Sed* Egeſtas *ſubſequa. & ſubditorum odium.*
6. Græcorum *exempla, in ædificiorum nimiâ curioſitate.*
7. Inſolentia ædificandi *etiam in noſtra ſecula venit.*
8. *Species amentiæ eſſe perhibetur hæc nimia cura &* ſuperfluitas ædificandi.
9. *Venamur inanitatem tantis* ædificiorum *molibus: laudem & ſuffragia publica*, n. 10.
11. *Urbem lateritiam* Auguſtus *reperit, reliquit marmoream.*
12. *Quomodo* Principi *laudabile ſit ædificare.*
13. Ædificia *omnia caduciſſima, & obnoxia ruinis*, & n. 14.
15. *Recenſentur plura* ædificia, *quorum venuſtas omnis vetuſtate diſſoluta ſit*, & n. 16.
17. Modus in ædificando *refertur inter arcana dominationis regiæ*, & n. 19.
18. *In* ædificando *publica utilitas, commoditas, ſplendor, decusq́ Reip. ſpectetur.*
20. *Nil de* bonis privatorum *diminuatur, ſine bono publico.*
21. Leges *certæ Principibus & Rebuspubl. præſcribuntur in hoc propoſito.*
22. *Non omnes* regni vires *in unam aliquam arcem impendantur, ex quâ totius regni fortuna pendeat.*
23. Curioſa theatralia, *& illa omnia barbaræ gentilitatis miracula non imitanda.*
24. Roma *ſe vicit ſumptibus, quibus poterat invictiſſima evaſiſſe.*
25. Utilia Reip. *futura opera commendantur* Principi *accuranda.*
26. *Ne ſinat* Princeps *nimiam ob parſimoniam concidere, quod magnis eſt ſumptibus apparatum.*
27. *Solenne eſt* ædificantibus, *ſic ædificare, ut deſerendum ſit, quod exædificarint.*
28. Domorum *ſplendore patrimonium coarctatur.*
29. *Latè* poſſidere, *& ubiq́* debere, *comitantur ſe ut plurimùm: domos formoſas habitare, alieno exornatas, eodem.*
30. *Qui ſemper* ædificat, *ſemper emit, ſemper eget, ſemper mutuatur, & debet, nunquam perſolvit.*
31. *Cohibeatur* faſtus ædificantium *ſubditorum: deſcribitur iſte faſtus*, n. 32.
33. *Felix hic auream quisquis* mediocritatem *norit. Ne quid nimis*, ibid.
34. Chriſti *Servatoris, Beatæ Mariæ ipſius matris lares, & prima incunabula:* Sanctorumque *ſpecus & latibula, præferuntur auguſtiſſimis ædibus, &c.*
35. Domus *quædam humiliores magnatum mundi.*
36. *Inopum caſas & tuguria* Pax *libentiùs habitat, quies & ſecuritas: Dolor laborq́ & metus perennis Regum Palatia*, & n. 37.
38. Domus *non niſi ſecuri & ſerrâ extruenda.*
39. Statuta *valent* de non ædificando *niſi modo certo; vel niſi cum conſenſu Principis.*
40. Conſuetudo ædificandi *ad præſcriptam formam ligat etiam Clericum.*
41. Nunciatio novi operis, *cuivis ex populo competit, & quanta ejus auctoritas*, & n. 42.
43. Dehortatio *ad Principes, ut caveant prudenter id omne, quod ſuperfluum eſt.*
44. Frugalitatis encomia *præclara.*
45. Dehortatio ab ædificiis *magnificentioribus.*

Quid ſtruis externas immenſis ſumptibus aulas?
Sis memor, extinctum te brevis urna teget.

Aliud.

In rebus fluxis qui tentas quærere nomen,
Quærenda eſt cœno gloria nulla tibi.

Ædificandi ſtudium omni tempore fuit 1
uſitatiſſimum, per quod mortales ſemper geſtierunt pecuniæ illudere. Plato Agrigentinorum ingentes ſumptus, quos in ædificia conferebant, carpens, dixiſſe fertur. Agrigentini quaſi ſemper victuri ædificant, & comedunt quaſi alterâ die morituri. *Ælian. lib. 12. cap. 29.* Lucullus, qui poſt magnas victorias in Oriente partas, Romam reverſus luxuriæ atque deliciarum inventor ac parens habitus eſt; immenſa ædificavit palatia, adeò, nulla eum magnitudo impenſæ deterreret, quò minùs perageret, quæ omninò fieri non poſſe viderentur; *Plutarch. in Lucullo.* (1) C. Marius Romanus Conſul domum magnificam inſtruxit, quæ multis regiis ædibus clarior erat, hocque ſtudium inter Romanos perrupit usque ad dementis luxuriæ delicias; adeò ut Xerxes Romanus vocatus fuerit, cùm ob alias cauſas, tùm quòd ſumptibus immenſis magnifica palatia more Romanorum inſtrueret. Imperator *Nero* (2) nullâ in re damnoſior fuit, quàm in ædificando.

C. Caligula (*Authore Suetonio* (3)) 2
in exſtructionibus prætoriorum atque villarum, omni ratione poſthabitâ, nihil tàm efficere concupiſcebat, quàm quod poſſe effici negaretur. Itaque ejus juſſu jactæ moles infeſto ac profundo mari, exſciſſæ rupes duriſſimi ſilicis, & campi montibus aggere æquati, & complanata foſſuris montium juga: idque incredibili celeritate, cùm moræ culpa capite lueretur. Quin & fabricavit de cedris liburnicas, gemmatis puppibus, verſicoloribus velis, magnâ thermarum & porticuum & tricliniorum laxitate, magnâ-

magnâq; etiam vitium & pomiferarum arborum varietate: quibus diſcumbens de die inter Choros ac Symphonias, litora Campaniæ peragraret. Quare exhauſtus atque
5 egens ad rapinas convertit animum: Quo omnium odium meritus, brevi occiſus eſt. Quid? quòd hæc in populi judicium etiam venerunt. M. Æmilius Porcina à L. Caſſio coram Populo accuſatus crimine NIMIS SUBLIME EXSTRUCTÆ VILLÆ in Alienſi agro, gravi mulctâ damnatus. Nam ultra luxuriæ crimen, quam privatam odit Populus Romanus (inquit Cicero pro Muræna) publicam delegit: quæritur enim in re domeſtica continentiæ laus: in publica dignitatis: privata illa magnificentia, ſplendor ille domeſticus aliquid ſuſpicionis habet de ſe plus ſentientis, quàm in libera civitate liceat civi. *Valerio Publicolæ domus* (4) in Palatio conſtructa, crimen affectatæ tyrannidis attulit. Itaque tandem Rutilius Rufus, cùm Reip. interſit, neminem re ſuâ malè & immediocriter uti, *modum ædificiis præſcripſit.* (5)

6 Neque ab iſtâ vitii labe Græcorum ingenia fuère libera: Iſaacus Angelus Imperator Græcorum regaliter inſaniens, ſubſtructionibus delectatus fuit, diruit, ædificavit, mutavit quadrata rotundis, furore quodam ad ea ruens, quæ deſiderabat, officio in plerisque neglecto. Nicet. *lib.3.* Annon & Septem Orbis miraculis Cyri Regis Perſarum Domus à nonnullis adnumerata? Alcinoi Regis Phæacum Domum celebrat Homerus, quam tradit auro, argento, electro
7 atque ebore fulgentem. Nec minùs hac noſtrâ ætate

——— Tenet inſatiabile multos
Tectorum cacoëthes.

Quisque enim (6)

——— Sepulchri
Immemor, ſtruit domos
Maniq; Baiis obſtrepentis urget
Summovere littora,
Parum locuples continere ripâ.
Quid? quòd usq; proximos
Revellit agri terminos? & ultra
Limites Clientium
Salit avarus, pellitur paternos
In ſinu ferens Deos
Et uxor & vir ſordidosq; natos.

8 Quis verò non eos amentes & furioſos dixerit, qui exſtruendis iſtiusmodi operibus pecuniam dilapidant? Verè ſunt amentiæ & furores hæc hominum Studia vana, in quibus hodiè deſudant. Si ab inferis *Democritus* & *Heraclitus* reverterentur, quā ampla flendi hic, ridendi ille materiam reperiret? utpote huic omnia, quæ agimus, miſeriæ, illi ineptiæ videbantur.

Leves ſuſurros, & volucre gaudium,
Vagasq; voces aucupantur.

Baud. *libr.2. civil. Sap.* & inanem ex ædificiis 9
venantur gloriam, malumque ſibi malo comparant. Lactant. *de vero cultu libr.6. cap 11.* Quemadmodum Struthiocamelus ſtupendo adparatu plumarumque oſtentatione volatum mirum conatur, ut eo altiùs à ſolo levari videatur; Sic & ſtupendæ magnitudinis magnificentiæque domos è ſolo & ſalo extruunt, & cunctis intuentibus ſenſum ſuæ dignitatis, ſuarumque divitiarum inſinuent. Gregor. *lib.7. Moral.c.15* Factisq; ſuis captent publica ſuffragia. Etenim improvidis

Prodeſt inanis tituli decus
Atq; aura blandæ laudis & ambitus.

Buchan. *in Pſalm.49.*

Auguſtus Cæſar Romam ædificiis multis 10
ornavit: ſi roges, quem finem habuerit, dico, non alium, quàm

Nomen futuris prodere ſeculis.

Idem Buchanan. *in Pſalm.49.*

Ideoque hoc gloriatus eſt dicto. *Urbem* 11
lateritiam reperi, (6) relinquam moriens marmoream. Quid? quòd ſola Capitolii laquearium & tectorum inauratio ſuprà duodecim millia talentorum ſive 7200000. Philippicûm (Lipſ. *in Admirand. l.3.c.5.*) abſumpſerit? & ipſæ fores craſſis auri laminis obductæ fuerint? Sic & in Sancti Laurentiani 12
Monaſterii in Eſcuriali admirandi operis egregiam & verè regiam molem Philippum II. Hiſpaniæ Regem *ducenties centena millia Coronatorum*, ſive *viginti* milliones auri impendiſſe ajunt, Petr. Matth. *in Hiſt. Henrici IV. lib.1. narrat.4.*

Licitum quidem eſt Pio & Chriſtiano Principi extruere ædes pro dignitate ac neceſſitate ſeu uſu, cujus in Salomone, (qui maxima opera fecit, & ædificavit ſibi domos, *Eccleſiaſt. cap. 2. verſ.5.*) nobis exemplum Scriptura reliquit, *3. Reg.7.* Joann. de Pineda Jeſuita *libr.5. de reb. Salomonis. cap. 6. per tot. fol. mihi 749. & ſeqq.* ubi magnificentiam regiæ bellè deſcripſit. Sed ſi Salomon Rex nihil aliud, quàm ædificia reliquiſſet, jam pridem ejus gloria, nomen & decus corruiſſent. Nihil enim operum 13
memoria quicquam mortuis confert, nec opera ſempiterna ſunt: ſi quidem aut uno tremore terræ diſſipantur, aut fortuito conſumuntur incendio, aut hoſtili aliquo impetu diruuntur, aut certè vetuſtate ipsâ diſſoluta labuntur. Nihil enim eſt, authore Cicerone, opere aut manu factum, quod non conficiat & conſumat vetuſtas Et Lactantius *de Divino præmio lib.7.c.11.* ſcribit, nihil eſſe manibus humanis laboratum, quod non aliquando ad interitum redigatur, vel injuriâ hominum, vel ipſa confectrice rerum omnium vetuſtate, fortuitoque alio caſu. Nec mirum id cuipiam videatur. Veluti enim

Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus: & celſæ graviore lapſu
Decidunt turres;
14 Sic quoque magnæ decidunt domus
——— *feriuntq́; ſumma*
Fulmina tecta.

Horat. *libr.2.Od.10.*

Ubi, dic quæſo, tot opera per illuſtres viros multis in locis magno labore, magnis impenſis ædificata? *Ubi domus iſta Ciceronis,* (8) quam authore Salluſtio non minoris quinquaginta millibus aureis habitavit? nihil invenitur, neque perexiguum veſtigium extat. Ubi domus P. Clodii, quem Milo occidit, & qui habitavit domo emptâ ſeſtertiis CXLVII. millibus?
15 Omnis Venuſtas vetuſtate diſſoluta eſt. Ubi domus Cn. Domitii, quam ipſe æſtimavit, rogante Lucio Craſſo quanti faceret, ſe-
16 xagies ſeſtertiûm? Ubi Domus Lucii Craſſi, columnis Hymettiis ornata? Plin. *lib.17.cap.1.* Ubi domus Lepidi, quâ pulchrior non fuit Romæ? Idem Plin. *lib. 36. cap.15.* Ubi domus Annii Milonis? An non Romæ furore populi exuſta? Nuncio enim de cæde Clodii Romam allato, Rufus & Munatius Plancus cadavere in foro poſito, populo per ſe tumultuanti, facilè perſuaſerunt, ut rogum in Curiâ ex ſubſelliis ipſis cadaveri conſtruerent: quo factum eſt, ut & tota Curia incenderetur, atque hinc etiam rectâ ad domum Milonis plebs cum igne contenderet.

Modus itaque in ædificiis & arcibus ex-
17 truendis ſervandus eſt: Quod inter arcana dominationis regiæ refert Clapmar. *libr.3. arcan. Rerumpubl.* Sumptuoſa opera, quæ potiùs habent aliquam vanitatis oſtentationem, quam utilitatem aut commoditatem Reipubl. afferant, intermittentenda ſunt, Gregor. Tholoſan. *libr. 3. de Republ.c.8.in fin.* Chockier. *lib.5.Aphor.polit. cap.16.per tot.* Et ædificia antiqua Civitatis priùs ſunt reparanda, quàm alia de novo erigenda, *l.fin. in princ. ff. de operib. publ. l.fin.*
18 *ubi* Bald. *C.eod.* Azeved. *in Conſt. Reg. Hiſpan. libr.7.tit.1.l.2.num.6.* Semperque ab inutilibus abſtinendum eſt expenſis, quæ non reſpiciunt publicam utilitatem, commoditatem, ſplendorem, atque adeò decus & pulchritudinem Reipublicæ, ſive (ut Boteri verbis utar) quæ neque ad Reip. munitionem neque ad Domini exiſtimationem ſpectat. Neque enim laudari, quamvis honeſtè ſuſcepta poſſunt opera, ſi quæ in ea conferuntur, pecuniæ per rapinas & civium injurias corradantur.

Breviculo rem demonſtrabo. Adprimè
19 Princeps cavere debet, ne ſumptus faciat immodicos, aut ſub publicorum ædificiorum prætextu expilet ærarium, Subditósve & miſellos Ruſticos aſſiduis operis, angariis & perangariis ita gravet, ut non ſuppetat eis tempus ſeſe & ſuos alendi. Quid iniquius (ait Henning. Arniſæus *de jur. Majeſt. minor. cap.2.num.4.*) quàm in magnifica ædificia, in epulas, Venationumque adparatus prodigere ea, quæ pauperrimis etiam Subditis contra fas erepta? Quâ de causâ Thomas Morus Macarenſium Regem introducit primo ſtatim die, quo auſpicatur imperium magnis adhibitis ſacrificiis jurejurando adſtringentem, nunquam ſe uno tempore ſupra mille auri pondo in theſauris habiturum, aut argenti, quantum ejus auri pretium æquet, *libr.1. Utop.* Principi ſiquidem incumbit 20
curare, ut ſuum quisque teneat, neque de bonis privatorum ſine publicæ utilitatis cauſâ diminutio fiat quod verum officium veri gubernatoris Imperii, qualem ſe profeſſus Carolus M. in ſuis ſcriptis & monumentis. Münſter. *libr.3. Coſmogr. ſub. tit. de Germania pag.749.* Zoanett. *tract. de Roman. Imper. num.151.*

Huic ergo errori vel morbo, ſi ſanitatis 21
leges præſcribi poſſunt, illæ ſervandæ ſunt.

I. Ut Princeps & Reſpublica ſibi temtemperent. Curiam, Aulam, arces, turres, omniaque habeat infra Majeſtatem, ne civium æmulationem accendant. Neque enim 22
omnes Regni vires in unam atque alteram arcem collocandæ ſunt, quâ oppugnatâ aut expugnatâ, actum de totius Regni ſalute; pulchrè Annib. Scot. *libr.1. comment. in Annal. Tacit. pag.60. num.50* Schönborner.4. *Polit. cap.12.*

II. Opera noxia, temporaria & inuti-
lia, uti Theatra, Pyramidum miracula, 23
Labyrinthi, Vertigines, Circi, Coloſſi, Obeliſci, Horti penſiles, Arcus triumphales, & quicquid talium barbarus faſtus adinvenit, ridenda potiùs, quàm imitanda aut excitanda ſunt. Franc. Patric. *libr.7. de Regno tit. 11. fol. 472.* Quid enim ejusmodi ædificiorum, palatiorum &c. ſtructuræ aliud ſunt, quàm opum peſſimè inſumptarum monumenta, & publicus ambitionis character? Quâ ſanè in re Romani deliquerunt. Quid enim juvit Theatrum Scauri, opus vix humani ingenii cogitatione circumſcribendum? de quo Plin. *lib. 36.c. 18.* Joan. Scrivel. *libr. 1. de mirand. antiquor. & opib. pag. 9.* Quid Curionis? niſi ut cives faceret penſiles. Quid pons Heliogabali? 24
Omnia illa perdendis opibus fuerunt. Nonne ſi ea pecunia in mutationem impenſa fuiſſet, fieri invicta Roma poterat?

III. Utilia opera, ut Molendina, aquæ-
ductus, portus, navigabiles fluviorum al- 25
veos, &c. judicio & pro ſumptu Princeps faciet. Adam Contzen Jeſuita *libr. 8. Polit. cap.14. pag. 583.* Sic & in refectione atque ædificatione templorum, pontium, fontium, viarum, propugnaculorum, murorum, vallorum, munitionum, aliorumque operum publicorum ſumptus impendendi

di ſunt. Althuſ.*in Polit.c.37.fol.626.* Munitiones enim efficiunt, ut pauci multis reſiſtere poſſint, & ut exiguus locus, ſed munitus, vires & theſauros potentiſſimi Regis conſumat; parva bellica arx potentiam magni Imperii fatiget, debilemque reddat. Et ſanè quæ res eſt magis admiratione digna, quàm ingenium fortificandi? Quid magis ſubtile, quàm ſermo, qui de fortificatione habetur? nempe de Cortinis, propugnaculis, lateribus, vallis, foſſis, contramuris, cuniculis, aggeribus intrinſecis, ca-
26 lemattis, contraminis, diverticulis, ſimilibusque inventionibus? Neque etiam ferendum eſt, ut ædificia, quæ alii magnis ſumptibus excitarunt, contumaci parſimoniæ ſtudio intercidant. Chockier. *lib.5. Aphoriſm.Politic.cap.16.*

Inprimis verò ædificiorum privatorum certus ſit modus. Cùm enim incerti ſumptus ædificationis ſint, nunquam tàm exactè rationes ducuntur, ut non deſtinatis ma-
27 jores impenſæ ſint faciendæ. Eſtque hoc ſuperbè ædificantium ſolenne erratum, ut ædes relinquere & migrare cogantur. Quamobrē abſit ambitio ædificandi, & ratio conſtet privatis ædibus: tum, ne irritamentum invidiæ odiique concilient; cùm magnificentia privatorum Principibus ſu-
28 ſpecta eſſe ſoleat, authore Tacito *lib.3. Annal.cap.9.n.3.* tum, ne domorum ſplendore patrimonium ſibi ita coarctent, ut ad egeſtatem redigantur. Pruckmann. *§. ſoluta poteſtas Effect.8.membr.3.num.34.* (ubi dicit, Virum bonum non eſſe, qui ædes lapideas extruxit, ſuos autem ſqualore atque inopiâ macerari ſinit:) Etenim eos, qui ita ſunt nimii & profuſi, ut ædificandi gloriam ſibi comparent, nomenque faciant, quàm citò infamiam incurrere, nomenq; amittere hodiè videre licet, vel ex vulgato iſto verſiculo:

Ædificare domos, & paſcere corpora multa,
Ad paupertatem proximus eſt aditus.

29 Multi latè quidem poſſident, ſed multum interim debent: habent domos formoſas, ſed alienis numis paratas; Æſchini Socratico ferè ſimiles: quia omnibus debent, nemini verò quicquam perſolvunt: Imò ædificandi furore ſtimulati ita ſua effundunt, ut nil quicquam ad ſolvendum operariis, atque architectis ipſis ſæpè ſuperſit; unde in tales decoctores percommodè & verè illud Martialis aptari poteſt.

30 *Gellius ædificat ſemper, modò limina ponit,*
Nunc foribus clavos aptat, emitq; ſeras.
Nunc has, nunc illas mutat reficitq; feneſtras,
Dum tamen ædificet, quidlibet ille facit.
Oranti nummos, ut dicere poſſit amico
Unum illud verbum: Gellius ædifico.

Multò magis providendum, ne materiam ſuperet opus; ſculpturæ, picturæ, incruſtaturæ, inaurationes fugiendæ ac vitandæ: Quorſum enim tanti ſumptus, &
curæ? Cur lutum auro politur? Meritò 31
tantum faſtum privatorum Princeps obnoxium faciet ſervituti, ut Legatos, aut peregrinos excipere cogantur, atque, ut alibi de foco & tegulis, ita hîc de auro tributum detur, Contzen *d. cap. 14.fol 584.* Parietes advectis trans maria marmoribus fulgent, ut tecta varientur auro, ut lacunaribus pavimentorum reſplendeat nitor,
Senec. *Epiſt.114.* Lapis omnis emittitur, ad 32
amuſſim exſcinditur, auro & argento variatur. Plin. *cap.37.* imprimunturque imagines variis artibus effigiatæ. Apulei. *Apolog. 1.* Imò

——— *auratas trabes*
Variis columnæ nobiles maculis ferunt.

Atque

——— *trabes Hymettiæ*
Premunt columnas ultimâ reciſas
Africâ,

Horat. *lib. 2.Od.18.*

Sicq; inter varias nutritur ſylva columnas.

Horat. *libr.2.Ode 10.*

Rectiùs vivet, ——— 33
Auream quiſquis mediocritatem
Diligit; tutus caret obſoleti
Sordibus tecti: caret invidendâ
Sobrius aulâ.

Veteres ſemper arbitrati,

Adprimè in vitâ eſſe utile, ut NE QUID NIMIS. Terent. *in Andria.*

Quantò æquiùs à Chriſtiano homine iſtud cenſeri? Non amplis atriis habitarunt Patres, apud quos omnia diſpoſita, moderata, tranquilla, majeſtatem loci, pudoremque retinebant. Et teſte Claudiano,

——— *caſa pugnaces Curios anguſta tegebat.*

Parva domus Mariæ Virginis (9) Mundi Do- 34
minum cœpit, qui & naſci voluit in paſtorali caſa; Sic viri ſancti, referente Lactantio *de vero cultu libr.6. cap.10.* ſpecus & antra pro domibus habuêre. Non fuit ipſis moleſtum vitæ genus in tuguriis, unà cùm armentis ſtabulari, alii ſpeluncas & vaſtiſſimos ſpecus incoluerunt, aut cubicula modica & ſubobſcura: alii rudi cæmento conſtructas domos habuerunt. Sic quoque modicis ſub tentoriis magni Patriarchæ contenti;

Quorum plauſtra vagas ritè trahunt domos.

Horat. *libr.3.Carm.Od.24.* AGESILAI 35
domus adeò humilis fuit, ut à privata haut eſſet diſſimilis, ſicut & Pompeii domus fuit, usque ad tertium triumphum. Nullum ſcilicet Virtus ſpernit habitaculum. Et nulla tàm parva domus eſt, quam non amplificet magnanimus habitator, magnoque hoſpiti præſtet idonea. Franc. Petrarch. *Dialog. 68.* Sæpe vel in palatiis Re-
gum labor dolorque habitant, vel in tugu- 36
riis inopum quies & gaudium; quòd ſi amplitu-

plitudo domus aut forma præſtaret, nobiliſſima artium eſſet architectura. Idem Petrarcha *Dialog.34.*

37 *Minùs in parvis fortuna furit,*
Leviusq; ferit leviora DEUS,
Servat placidos obſcura quies,
Præbet ſomnos caſa ſecuros.

AUGUSTUS Cæſar, cùm videret Romanos cives maximis impenſis ædificare domus, edixit; Ne quis ſupra ſeptuaginta
38 pedes ſublimiùs ædificaret. Eſt quoque memorabile, quòd apud Spartanos Lycurgi legibus conſtitutum fuit, nempe: Ut non niſi ſecuri & ſerrâ domus extrueretur: ſumptuoſa atque exquiſita ſic vitaretur ſtructura, modusque ut cunctis in rebus aliis, ita quoque ædificando ſervaretur.

Conſimiliter Statuta vel Conſuetudi-
39 nes de non ædificando, niſi ad certum modum vel formam valere, firmat Gail. *lib. 2. obſerv.69. num. 16.* vel omninò non ædificando, niſi cum conſenſu vel licentiâ Principis, vel ejus, qui altam habet Jurisdictionem, teſtatur Chaſſanæus loquens de generali conſuetudine Franciæ, *in Conſuet. Burgund. rubr. 13. de Foreſt. §.9. & fin. in pr.* Et de jure Regum Hiſpanorum Duennas *in reg.32. fallent 7.* Et ædificandi conſuetudinem in loco omni, juris diſpoſitioni prævalere, poſt Cæpoll. *tractat. de ſervit. tit. de feneſtris num. 4.* Franc. Marc. *deciſ. 489.* Caſtrenſ. *conſil.331. volum. 2.* apertè ſcripſit Burſat. *conſil.111. numer.17.* Quò etiam inclinat Maſcard. *de probat. concl.620. num.21.* Et Statutum prohibens elevationem ædificii, ſi illud luminibus vicini officiat, ligare forenſem, poſt Bart. & Cæpollam voluit Joan. Vincent. Hondedæus *conſil. 10 num. 14. vol.2.* Anton. de Padilla *in l. altius, num. 9.*
40 *& ſeq. C. de ſervit. & aqua* (ubi ait, conſuetudinem ædificandi ſecundùm præſcriptam formam ligare etiam Clericum, cùm hujusmodi ſtatutum cenſeatur reale, vel in rem ſcriptum) Matth. Coler. *de proceſſ. Execut. part.2. cap.3. num.22.* Joan. Petrus Surdus *deciſ.168. num.7.*

Obſervari etiam ſolitum eſt, ut adver-
41 ſus eum, qui modum altitudinis uſitatum exceſſerat ædificando, novi operis nunciatio cuivis ex populo competeret: de quâ nunciatione Ulpianus *in l. 1. §. 11. ff. de nov. oper. nunciat.* Si quid in loco ſacro, religioſo, vel publico, aut ſi quid contra leges, edictáve Principum, quæ ad modum ædificiorum facta ſunt, nunciari novum opus poterit. Ejusque nunciationis authoritas
42 tanta fuit, ut id, quod ædificatum erat illicitè, *protinus dirueretur.* (10) Quod ſi rurſus dirutum ædificium, neglecto altitudinis modo, ſtruere Dominus illicitè non vereretur, ita eſt ſolitum puniri, ut cum ſolo ſuperficies cederet Fiſco. Idem Ulpian. *in. l. 11. §.12. ff. de leg.3.*

Ut tandem finiam; Principes ſingulari prudentiâ (quæ ſecundùm Ariſtotelem ſola & neceſſaria imperantium virtus eſt) ædificia metiri, atque omnes actiones ſuas ita temperare debent, ut, ſicut cæteris dignitate præfulgent, ſic etiam prudentiores exiſtant, & moderatione, parſimoniâ & frugalitate laudabili, omnibus bono ſint exemplo; è contra omnia ea ſtudiosè declinent, quæ ſibi & Reipubl. everſioni ſunt obnoxia. Ex omnibus enim lucris, reditibus, 43
tributis ac vectigalibus, nullum copioſius, nullum honeſtius, nullum juſtius eſt, quàm Frugalitas ſeu Parſimonia, & Continentia, quâ ſolâ vetuſtiores majora aggredi auſi ſunt & perficere poterunt, quàm quæ ſine eâ ſucceſſores maximo divitiarum culmine facere voluerunt. Scip. Amirat. *diſſertat. polit. in Tacit. libr. 3. cap. 8. fol. 84.* *O egregium frugalitatis & temperantiæ bonum!* (11) 44
Frugalitas eſt, cui Virtutum omnium & prudentiæ, quâ ſine nulla conſtat virtus, commiſſa eſt cuſtodia. Frugalitas eſt, quæ non modò rem familiarem conſervat & auget, ſed & ſanitatem tuetur, vitamque ipſam hominis producit. Frugalitas & temperantia eſt bonæ Valetudinis mater, ſicut ex adverſo intemperantia, & crapula, & luxus, non ſolùm rem familiarem & opes diſſipat, ſed etiam morbos parit ac nutrit, & vitam ante annos homini it ereptum, & ſectatores ſuos non ſinit

Dimidiare dies, ſed funere mergit acerbo.

Sed de hisce ſatis.

Viel Schlöſſer/ſtarcke Veſtung bauen/ 45
Von hohen Thürnen herab ſchauen/
Auch Mauren/Wälle/tieffe Graben/
Geldmangel offt verurſacht haben.

Item:

Groſſe Gebäu ein Jederman
Heutigs Tags zum Pracht wil han/
Solche Steinhauffen koſten viel/
Verſuch es/wers nicht glauben will.

ANNOTATIONES Ad CAPUT XCV.

Num. 1.

(1) P*Lutarchus in Lucullo &c.*] Tomo I. Operum *pag.518.* ubi Lucullum à Tuberone Stoico XERXEM TOGATUM appellatum ſcribit.

(2) *Nero &c.*] Ita perhibet Suetonius *in vita ejus cap.31.*

Num. 2.

(3) *Authore Suetonio &c.*] *In vita Caligulæ cap.37. & 38.*

Num.5.

(4) *Valerii Publicolæ domus &c.*] Livius *lib.2. cap.7.* Florus *lib.1. cap.9. num.4.* Plura exempla natæ ſuſpicionis affectatæ Tyrannidis ex ædificiis ultra modum civilem exſtructis congeſſit Piccartus *Decade 3. cap.1.* & Rupertus *ad Florum d. loco.*

(5) *Modum ædificandi præſcripſit &c.*] Diximus de hoc ſuprà *ad lib.2. c.18. n.15.* (4) & legenda hîc ea quæ Author noſter infrà *hoc capite n.39. ſeqq.* adfert.

Num. 7.

(6) *Quisquis enim &c.*] Sunt verſus Horatii *lib.2. Ode 18.*

Num. 11.

(7) *Urbem lateritiam reperi &c.*] Urbem, inquit de Auguſto Suetonius *cap.29.* neque pro Majeſtate Imperii ornatam, & inundationibus incendiisque obnoxiam, excoluit adeò ut jure ſit gloriatus: marmoream ſe relinquere, quam lateritiam accepiſſet.

Num.14.

(8) *Ubi domus iſta Ciceronis &c.*] Reperiuntur, ut pleraque hoc capite, ita & numeri 14. & 15. contenta, apud Soutorium *in Pædagogo Divitum pag.83. ſeq.*

Num. 34.

(9) *Parva Domus Mariæ Virginis &c.*] Cubiculum illud Mariæ Virginis Deiparæ, in quo nata, nutrita ab Angelo Gabriele ſalutata, & Spiritu Sancto obumbrata fuiſſe perhibet, monſtratur hodienum templo Lauretano, multorum donis votivis decantatiſſimo, incluſum, de quo Schottus *in Itinerario Italiæ, editionis Amſtelodamenſis de Anno MDCLV pag. 250. ſeqq. multis.* Pighius *in Hercule Prodicio pag. 270* Hentznerus *in Itinerar. pag.392.* & Zeillerus *in Itinerar. per Italiam pag. 198.* aliive, ut Ludovic. Richeomus *in Peregrino Lauretano &c.* Matth. Berneggeri Idolum Lauretanum atque ejusdem Hyperbolymea *de D. Mariæ Camera*, & qui ſe ei oppoſuit Petrus Rœſtius *in Apologia pro Lauretana Deiparæ Mariæ Camera*, Horatii Turſellini Hiſtoria Lauretana. Abrahamus Coſterus *in vindic. loci S. Scripturæ Geneſ.3. &c.* conſulantur.

Num.42.

(10) *Protinus dirueretur &c.*] Sic Norimbergæ ſi quis ultra præſcriptum in Reformatione Norica modum altiùs ædificare præſumpſerit, & diruere den Unbau & XX. florenos mulctæ loco ſolvere tenetur, per Tit. Reformationis XXVI. Leg. 2. §. ult.

Num. 44.

(11) *O egregium frugalitatis & temperantiæ bonum &c.*] Repeti hîc poterunt exempla ad Politicum Sceleratum *Caput 45. pag. 513. 514. 515.* adducta.

CAPUT XCVI.

Supellectili Domeſticæ & Ambitioſæ modus cenſendus.

SUMMARIA.

1. Supellex *curioſa, ac non neceſſaria, non acquirenda.*
2. Exempla *de hac nimiâ* ſupellectilis ſuperfluitate.
3. Abuſio in ſuperflua ſupellectili *hujus ævi.*
4. Stoliditas nimii ornatûs domeſtici *taxatur.*
5. *Multa in* exornandas domus *fiunt impendia; negligitur ipſe Dominus domûs.*
6. *Curatur ut* domus *viſenda; & ridendus habitator.*
7. *Malè parietes &* domus *veſtitur intus, foris Chriſtus nudus eſurit, ejusq́ membra.*
8. *Quale inſtrumentum ad agriculturam quærimus idoneum, nimirum non aureum: tale etiam ad* ſupellectilem *procuremus.*
9. Frugalitas veterum Romanorum *in vaſis domeſticis vel utenſilibus comparandis.*
10. Picturæ *Venereæ irritamenta malorum, & hami juventutis*, & n.11.
12. *Caſtigatur ſuperfluus* domuum ornatus.
13. Senatu Romano *movetur P. Cornel. Rufinus, quòd argenti facti decem pondo haberet.*
14. *In* cenſum *referenda omnia* ſuperflua ornamenta.
15. *In* Hollandia *ſupellectilis nitor & ſplendor.*

Eſt luxus, ſi multa nimis nitet arte ſupellex;
Temporibus priſcis parcior uſus erat.

V*Eſanâ quoque cupiditate* (1) copioſæ, pretioſæ ac non neceſſariæ ſupellecti- 1
li (quam oneroſam & turbidam rerum colluviem appellat Franc. Petrarch. *Dial. 36.*) inhiant multi. Antiochus Aſiæ Rex non tantùm ſuum ipſius animum opiparæ ſupellectilis delinimentis emollire fuit ſolitus, ſed etiam ſupellectilem, ex argento auroque intextam militibus ferre permiſit. Alex. ab Alexand. *libr. 2. cap. 29.* Romanorum Imperatorum, præſertim Ne- 2
ronis, Vitellii, Heliogabali, quàm monſtroſa fuerit in hac parte prodigalitas & luxuria, Hiſtoriarum monumenta abundè teſtatum faciunt. Matthiæ Corvini Hungariæ Regis luxus in ſupellectili tantus fuit, ut materiam ad integrum volumen conſcribendum *Bonfinio* præbuerit. Nec hodierno tempore iſta prodigioſa prodigalitas ab aulâ receſſit. Quàm multi enim cives, mercatores, aliique ſuperbè veſtiunt parietes, rerum pretioſarum pompam in ſuis

ſuis domibus explicant, illasque vice Templorum ita exornant, ut eas ingreſſi non minùs attoniti ſtent, quàm ille Telemachus, qui in domo Menelai eximiam conſpicatus ſupellectilem, inquiebat;

Nempe hujuſcemodi eſt, qua regnat Olympius aula
Juppiter, ut multis hæc ornatiſſima rebus,
Reſplendet? me cernentem veneratio tentat.

3 Aulæis gaudent, in quibus videre licet ſylvas, omne genus ferarum, arborum, & volucrum & hominum vultus, & quæcunque vel oculus vidit, audivitque auris, vel mens finxit, Petrarch. *Dialog.40.* In penicillo pictisque tabulis & coloribus delectantur, in quibus & pretium & ars placet, ac varietas & curioſa diſperſio, Petrarcha *dicto loc.*

Scilicet in domibus veſtris & priſca virorum
Artificis fulgent corpora picta manu.
Sic quæ concubitus varios, Venerisq; figuras
Exprimit, eſt aliquo parva Tabella loco.

Ovid. *libr. 2. de Triſtib.*

4 Sic proprio, atque à ſummo Opifice inſito bono, formâque tam mirabili pulchrâque ſtructurâ neglectâ, in externis ac ſepoſitis rebus bono tantummodò quæruntur. Quanta hæc eſt ſtoliditas? Rationem cor-

5 poris noſtri inſpicere & contemplari nobis licet, in eaque magnam illam providentiæ vim intelligere datur: at iſtâ ſepoſitâ, pictæ nos magis delectant tabulæ & tapetes. Quis levitatem horum non rideat? riſit Socrates Archelaum, Macedoniæ Regem, quòd quadraginta minas in domum ſuam impenderat conducto mercede Zeuxide Heracleota, qui picturis eam exornaret, ſeipſum verò nihil: & ob hanc cauſam multos è longinquis terræ partibus magno ſtudio contemplandæ domus causâ veniebant, ipſius verò Archelai gratiâ nemo in Macedoniam proficiſcebatur, niſi ſi quem fortè perſuaderet pecuniis, & muneribus ineſcaret, quibus tamen honeſti bonique viri capi non poſſunt; Ælian. *lib. 14. c. 17.*

6 Ridendi haud minùs ii, qui omnia ad domûs ornatum hodiè conferunt, atque omnia potiùs viſenda, quàm ſemet efficiunt. Ne dicam fœda ſub pulchrâ ſupellectili latitare vitia; ſcilicet, religionis neglectum, pauperum contemptum, divitiarum profuſionem; ob quæ vindicta divina provocatur. Nihil magnificum ac divinum ſuſcipere poſſunt, qui ſuas cogitationes abjecerunt in rem tàm humilem, contemptam, qualis eſt ſupellex invidioſa. Mens pretioſæ ſupellectilis ſuperſtitioni obnoxia, religioni adver-

7 ſa eſt. Egregiè D. Hieronymus ad Gaudent. auro, *inquit*, parietes auro laquearia, auro fulgent capita columnarum; at nudus atque eſuriens ante fores Chriſtus in paupertate moritur. Dumque inſufficientiam pleni opibus in ſe alunt, omnia dant domibus, nihil domino, qui nos vult egentes alere. Lactant. de vero cultu *libr. 2. cap. 11.* An non etiam ſæpiſſimè accidere videmus, ut qui in iſtas res, quæ ſunt vanæ, profanæ, ventoſæ, nullumque habentes terminum, divitias ſuas profudêre, ſeque iſtarum rerum levium lenociniis dedidêre, brevi animam debuerint, atque ex Chryſalis extemplò facti ſint cruciſali? Hinc bellè Clemens Alexan-

rin. *libr. 2. pædag. cap. 3.* Quemadmodum (*ait*) 8
in agricultura ligonem, aratrum, atque falcem non auream & argenteam, ſed aptam ad opus efficiendum quærimus: ita quoque ſupellex domeſtica nobis eſt comparanda non ſumptuoſa atque magnifica, ſed utilis & idonea ad opus. Veteres aut fictili aut ligneâ, aut vitreâ, atque æreâ ſupellectili ſunt uſi, ac Turcæ etiamnum parvâ, exiguâ atque vili ſupellectili ſunt contenti. Qualis & erat Poëtæ, de ſe ita teſtanti *lib. 2. Ode. 18.*

Non ebur, neque aurum
Mea renitet in domo lacunar: &c.
At fides, & ingenI
Benigna vena eſt, pauperemq; dives
Me petit.

Frugalitatis Romanorum Veterum in 9
ſupellectili vaſisque domeſticis *Marius* quoque author eſt, in Oratione ſuâ apud Salluſtium: Ex parente (*inquit*), meo & aliis ſanctis viris laborem convenire, omnibusque bonis oportere plus gloriæ quàm divitiarum eſſe: arma, non ſupellectilem decori eſſe.

Si cuipiam hæc exempla in tenui ſupel- 10
lectile conſpicua non ſuffecerint, is cogitet quantopere picturarum, venereæ nudarumque fœminarum imagines, aliaque corporum lineamenta arte pictorum naturam imitantia, oculisque ſubjecta animos lubricæ juventutis ad vitia & peccata accedant & erudiant. Id quod in ſe *Chærea* adoleſcens Terentianus ille compertum habet, inquiens:

------ *Virgo in conclavi ſedet*
Suſpectans tabulam quandam, ubi inerat pictura hæc, Jovem
Quo pacto Danaæ miſiſſe ajunt quondam in gremium imbrem aureum,
Egomet quod id ſpectare cœpi, & quia conſimilem luſerat,
Jam olim ille ludum, impendio magis animus gaudebat mihi.

Ecce etiam atque etiam 11
Peccandi cauſam quàm multis ſæpe dederunt
Pictura.

Ovid. *libr. 2. Triſt.*

Hanc igitur ſuperfluorum ornamento- 12
rum, picturarum, tapetiumque magnitudinem inanem Domuum adparatum, vitioſũ appetitum & vermem divitiarũ, inſignemque ſtultitiæ humanæ teſtem, qui nihil, niſi levitatem, vanitatẽ, inſaniã abundantiamq; ſpi-

ſpirat, legibus ſumptuariis ac pragmaticis ſanctionibus earumque ſeverâ Executione coadjuvando Ærario noſtro caſtigare, & impotentes

Domare faſtus addecet,
Acriq; curâ expendere.

Baud. *lib. 1. Sapient. Civilis.* ut ignobile Mercatorum vulgus & proletarii, Domuumque cultores, qui juxta Euripidem in Bacchide

Suâ cæci inſcitia,
Et ſani correpti, opinione gloriæ
Neglectui cultus habent,

adamantque magis ea, quæ ex inaniſſimis ſplendoris inſignibus collecta ſunt, poſthâc probitati atque induſtræ virtutique non ſumptibus aut divitiis ſtudere diſcant.

Sic Platonem lege latâ decreviſſe legimus, quòd neque ut opes aureas & argenteas habens, laborare oporteat; neque vas inutile, quod non cum uſu neceſſario moderatum quoque ſit, ut ſit idem ad multa accommodatum, multiplex autem & varia poſſeſſio expurganda ſit. Sic Cajus Fabricius Lucius & Quintus Æmilius Papus Cenſores Publicum *Cornelium Rufinum bis conſulem* (2) & Dictaturâ functum Senatu moverunt, quòd eum comperiſſent, argenti facti, id eſt, Vaſorum argenteorum decem pondo habere. Sic *Q. Ælius Tubero* (3) cùm Legati Ætolorum in Conſulatu prandentem in fictilibus adiiſſent, miſſa ab his vaſa argentea non accepit, neque aliud habuit argenti ad ſupremum vitæ diem, quàm duo pocula, quæ L. Paulus ſocer ei ob virtutem devicto Perſeo Rege donavit.

Quâ ratione & ſupellectili modus cenſeri, & collecta imponi poteſt, ut eò minus oneris perveniat ad Plebem: Catonis exemplo; quem Livius *lib. 39.* ait, in cenſibus capiendis, aſperâ in omnes Cenſura fuiſſe; ornamenta, veſtem muliebrem, & vehicula, quæ pluris quàm quindecim æris millium fuiſſet, in cenſum referre Viatores juſſiſſe.

Inprimis autem Hollandis (quod Colophonis loco attexere lubet) ſupellex omnis non nitida modò eſt ſed luce ſua velut auri fulgorem reddens. Ita radios de ſe emittit. Utenſilia etiam quævis abjecta, quibus domeſticæ ſordes tractantur, expurgatiſſima ſunt. Focum ſplendere malunt, quàm fumo obfuſcari; quorum utrum præferas, meritò multi addubitant. Trabium præcipua cura eſt. Has adſcendere non licet; niſi calceis exutis. Si quis illas cœno leviter conſpurcaverit, graviter præſertim fœminæ indignantur. Exſpuendi locus non datur, adeò, ut Aloyſius Marlianus D. Med. *in Epiſtola ad Hieronymum Buslidianum Arrienſem Præpoſitum*, natam ibi putet eam anilem fabulam: cùm duo amici cœnarent in loco tàm picto, ut nefas videretur ſputo aliquam particulam oblinere, in malefactam ſocii faciem, naturâ fortè ſimulante dum eam faceret, exſpuiſſe; Unde commoto altero, parce inquienti, reſpondiſſe, amicce, nihil facie tuâ turpius hoc in loco oculis meis fuit. Hinc deſideratiſſimus Parœmiographus Deſiderius Eraſmus Roterodamus ad Adagium, *Auris Batava*; in domeſticæ, *inquit*, ſupellectilis nitore palmam uni concedunt Hollandiæ negotiatores, quibus pleraque pars Orbis eſt peragrata.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT XCVI.

Num. 1.

(1) *Veſanâ quoque cupiditate &c.]* Sunt hæc ea ipſa in hoc capite prolata; quæ Sauterius, *in citato ſæpius Pædagogo Divitum in tertio decoquendi modo*, verbaliter inculcat, *cap. 1. 2.* ubi Authores, ex quibus exempla deprompta fideliſſimè in margine annotat, cujus & cætera capita de hac materia adde.

Num. 12.

(2) *Cornelium Rufinum bis Conſulem &c.]* Vide ſuprà *h. libro cap. 84. n. 59.* (15)

Num. 13.

(3) *Q. Ælius Tubero &c.]* Valerius Maximus *lib. 4. c. 3. n. 7.*

CAPUT XCVII.

Nuptiarum luxus mulctis cohibendus, eaque Ærario Principis adplicanda.

SUMMARIA.

1. Nuptiarum convivales ſolennitates *nimium extenduntur, cum damno ipſorummet Sponſorum*, n. 2.
3. Conjugium *à pompa, luxu, & ſuperbia inchoatur.*
4. Prætor *aut alius* Magiſtratus *hæc meritò cohibiturus eſt.* Exemplum *Caroli IX. & Henrici III. cohibentium has abuſiones*, n. 5.
6. Leges *cedro digna, quibus in nuptiales immoderatos etiam coquos animadverſum eſt.*
7. Duo vel tria fercula *tantùm apponenda, ibidem.*
8. Moderatio veſtium, cibariorumque *in nuptiis.*

Cùm

Cum nuptialis luxus ambo conjuges
Exhauriat, mulctatur ære luxus hic.
Intemperans, alieno & ære erunt procul.

1 NUPTIARUM feſtivitates & convivia hodiè plerunque per biduum aut triduum durare, iisque æs alienum, de quo liberi jam grande fœnus exſolvere coguntur, contrahi, præcipuosque poſſeſſionum domeſticarum nervos, incidi, & omnia ea conſumi videmus, quibus inpoſterum Oeconomia inſtituenda & rei familiari opera danda erat.

2 Quin & ipſe Sponſus & Sponſa, ſumptuoſitate iſtâ, in portu rei ſuæ familiaris nonnunquam ita naufragantur, ut naviculam domeſticæ rei, reliquo vitæ tempore, vix quidem reſtaurare queant. Et ſanè ſi ea annuatim computarentur, quæ in comeſſatione paſſim prodiguntur, ingentem pecuniæ ſummam videremus, quæ penes Rempubl. maneret, ſi immoderatus iſte Nuptiarum luxus inhiberetur.

3 Multi in celebratis Nuptiis, quaſi ad triumphum in Capitolio agendum, ſeſe inſtruunt, & pompoſo veſtium, ferculorumque luxu diſtenti, conjugium à ſuperbia incipiunt, ita, ut ambigas, pluréſne numerare accumbentium perſonas, aut eduliorum portenta; pluréſne menſa capiat, aut oculi comprehendant. Neminem ibi reperies Lazarum, quisque purpuram oſtentat & aurum: multi, quod longo tempore ſudore ſuo pararunt, in unius diei nuptias impendunt.

4 Ad Magiſtratum itaque, ac Prætorem publicæ gubernationi præpoſitum, ſpectat, luxum hunc Edicto cohibere, & transgreſſores mulctis ac pœnis frænare, easque Ærario addicere: uti hanc nuptiarum celebrationi legem præſcribit Reformatio Politica de Anno MDXLVIII. ac Ordinario Lüneburgenſis Ducatûs *tit. 28. 29.* Et JOANNES SVVICKARDUS Archiepiſcopus Moguntinus Anno MDCXV. leges ſumptum definientes, & in numero convivarum ferculorumque in tempore & muneribus conſiſtentes edidit, cauſasque præfatur; Se jam aliquot annorum experientiâ didiciſſe, ſubditos ſuos in oppidis & pagis, præcipuè in conviviis baptiſmalibus, agapis patrinorum, & nuptialibus, expenſis magnis ſe gravari eâ in re, nullum velle poſtremas tenere, eos, qui re tenui ſunt, opulentiores æmulari, inde multos interdum ita premi, & ære alieno gravari, ut emergere non poſſint, nec debita obſequia Magiſtratui præſtare. Vide Contz. *lib. 8. Polit. c. 14. pag. 579.* ubi leges hasce ſumptuarias recenſet.

5 Sic CAROLUM IX. & HENRICUM III. præcepiſſe refert Johan. à Chockier *libr. 5. cap. 19. fol. 283.* Ne in nuptiis aliisque conviviis plusquam tria fercula adponantur; conſtitutâ in transgreſſores legis pœnâ ducentarũ librarum Pariſienſium, atque etiam in eos, qui interfuerint, nec rem Cenſori manifeſtaverint, quadraginta librarum conſimilium: quâ etiam tenebantur Cenſores, ſive judices, qui interfuerint, nec è veſtigio receſſerint, aut certè connivendo diſſimularint. Quinimò in coquos animadverſum. 6
Leges ſanè Cedro dignæ, & quas annis renovavit ſuperioribus HENRICUS ejus nominis IV. Rex Galliarum. Quod & ante eos PHILIPPUS PULCHER edixit, ne ſcilicet ultra duo fercula, ſive miſſus in prandio, vel in 7
Cœnâ conſumantur, néve aſſæ carnes in prandio adponantur. Petr. Rebuff. *ad Conſtit. Regn. tract. de pan. aur. & arg. 31.* Nec tantùm in Galliâ, ſed & Hiſpaniæ & Luſitaniæ Regno, nec non in plerisq; Italiæ ac *Germaniæ Civitatibus leges* (1) cjusmodi ſumptuariæ ſartæ tectæque obſervantur.

Statuto quoque ſpeciali caveri poteſt, ut Sponſus ac Sponſa *nuptias celebrantes aureum Rhenanum vel florenum expediant;* (2) atque hac arrhâ ſeu ſymbolo adpromittant, ſe moderationi circa nuptiarum veſtiumque adparatum præſcriptæ acquieſcere, & cupiditatis limites ſibi conſtituere velle. Quam obedientiam ſi reapſe comprobant, inque luxum, & exinde in arrogantiam non impingant, eſt, quòd de pecuniâ non profuſâ ſed poſtmodum conſtante matrimonio in meliores uſus collocandâ, ſibi ipſis gratulentur: ſin minùs; noxam temeritatis luant, ſibi imputantes, quòd ſalutaribus Magiſtratûs monitis & edictis morem non geſſerint.

8 Sicut verò conjuges divites & opulenti præſcriptum onus, absque omni rei familiaris diſpendio libenter ſuſtinent, & aliquando cumulatiùs, (quod libero ipſorum arbitrio relinquendum:) ita ex adverſo ab egenis, ceu capite cenſitis, ſi quando nuptias contrahunt, gratuitâ cum diſpenſatione nihil exigendũ. Nemo enim dare poteſt, quod non habet: quia Paupertas & Impoſſibilitas apud hos reſident, quæ dare prohibent.

ANNO-

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT XCVII.

Num. 7.

(1) *GErmaniæ Civitatibus leges, &c.]* Quales & Norimbergæ aliquoties prodierunt; quarum cura ut ſervetur non ſolùm publicæ perſonæ allaborant, ſed etiam Sponſi Novelli poſt peractam Nuptiarum Feſtivitatem, mediante Juramento ad certa præſcripta interrogatoria reſpondere & ipſi indicare tenentur, an eis exactam præſtarint obedientiam, aut, ubi ab iis receſſerint, ut ſic ſe ipſos pœnæ ſubjiciant, quod notum eſt in hac Republica; & conſtat aus der (letzten) verneuerten Hochzeit-Ordnung der Stadt Nürnberg de Anno 1662.

Num. 8.

(2) *Nuptias celebrantes aureum Rhenanum vel Florenum expediant, &c.]* Sic conſuluit Obrecht *in Secretis Politicis tit. 2. pag. 18.* his verbis: Daneben wäre auch zu ſetzen und zu ſtatuiren/ daß ein jeder Hochzeiter/ ſolch Ordnung in der Cantzley abzuhelen/ ſich darinn zu erſehen/ und von einer Irten-Hochzeit (Nuptiis Symbolicis) alsbald N. Batzen/ aber von einer Gab-Hochzeit N. Gülden zu liefern ſchuldig ſeyn ſoll. Dann unter ſo vielen Ausgaben/ die ein Hochzeiter auf die Hochzeit wendet/ kan/ und ſoll ihne billich nicht beſchweren/ daß er auch ſeines Herrn Cammer ein ſo geringe Summa erlege: Sintemahl diß Geld gleichſam die arrha iſt/ damit er ſich verpflicht/ der gemachten Ordnung nachzukommen.

CAPUT XCVIII.
De Luxu ab Albaliis ſive Conviviis baptiſmalibus & funeralibus removendo.

SUMMARIA.

1. Immodica convivia *noviter* baptizatorum *abroganda.*
2. Pater *filio, filiâve natâ, inferat aliquid ærario; tamen absque ſuo damno, ſi adoleſcant nati.*
3. Utilitas *hujus conſilii.*
4. Parentes *olim in gentilitate* Lucinæ *peculiolam dabant naſcentium nomine.*
5. *Hujus moris quæ fuerit* utilitas.
6. Nomina noviter natorum *tabulis inſcribenda, morientium delenda, ita tamen, ut & mortuorum legi queant.*
7. De libro Curatorum *ſeu Paſtorum, in quem nomina recens natorum referenda.*
8. *Quæ hujus rei* utilitas *ſit.*
9. De expenſis *funeralibus.*

Ut, baptizatis infantibus, abſtineatur
Grandi epulo, multâ plebs cohibenda gravi eſt.

1 EUndem ad modum Princeps vel Magiſtratus ſuperfluas & immodicas impenſas ab Albaliis ſive conviviis baptizatorum (Kindtauffen) removeat, iisque ſeverè interdicat, juxta *d. Reform. Polit.* de Ann. MDXXX. *Vide quoq;* (1) Ordin. Polit.
2 Lüneb. *cap. 31. & 38.* Quo edicto communi Subditorum applauſu & conſenſu adprobato, etiam hoc facilè obtinebit, ut Pater, cui filius filiáve naſcitur, *quandam pecuniæ ſummam ærario inferat,* (2) quæ ibidem usq; dum filius XIV. filia XVIII. ætatis annum attigerit, aſſervetur; adultis verò ſors ipſa cum uſuris quincuncibus reſtituatur. Liberis atq; hæredibus deſcendentibus, ſors concredita Fiſco cedat; extantibus verò legitimis hæredibus ac ſucceſſoribus, æquè ac ſi ipſorummet nomine apud Fiſcum pecunia depoſita fuiſſet, retradatur.
3 Ordinatio hæc, præterquam quòd Mercatoribus potiſſimùm aliisque inſerviret, id efficiet, ut (1) Magiſtratui Subditorum nativitas innoteſcat: (2) Principis Fiſcus tali pecuniâ, tantis temporum intervallis, uti frui poſſit, quinimò ſibi propriam in eventum vindicare; & (3) præterea ſors hæc parentum æquè ac liberorum abſconditus ſit quaſi theſaurus, unde liberi, ſi quando parens ære alieno obrutus fidem fallere, & ceu Banccæruptus, foro cedere cogatur, de dote atq; alimentis ſint ſecuri. Magiſtratus ſaltem in id ſedulò incumbant, ut univerſum argentum ita collectum ſeorſim cuſtodiatur, Subditisq; cum moderato intereſſe ſub nexu hypothecæ mutuò detur, quò in eventum ſuum cuique retribuere queant, alioquin medium hoc, nedum lubricum, ſed neque Magiſtratibus neque Subditis emolumento foret.

Huic medio haud abſimile eſt, quòd olim 4
Edicto Servii Tullii (3) VI. Romanorum Regis parentes naſcentium nomine, Lucinæ certam pecuniæ ſummam dabant, qui ab adoleſcentiâ perveniſſent ad Juventutem, Juventæ: morientes Libitinæ; unde 5
conſtare poterat, quo anno quisq; natus aut mortuus eſſet, & quot annos vixiſſet; quo item robore juvenum & virorum ſtipata eſſet Reſpublica. *Marcus verò Philoſophus* (4) Cæſar dehinc juſſit apud Præfectos ærarii unumquemq; civium natos liberos profiteri, intra triceſimum diem nomine impoſito, eamq; ob cauſam tabularios per Provincias conſtituit. Et Franciſcus I. Galliarum Rex Anno MDXXXIX. ſingulis Decurionibus mandavit Regeſto baptizatos & ſepultos conſcribere: Quam legem Henrico III. renovari placuit. Et probatur hoc Bodino *lib. 6. de Repub. c. 1. fol. 971.* ubi 6
naſcentium nomina tabulis cenſualibus inſcribi, morientium verò deleri, lituram ta-

men ita, ut etiam mortuorum nomina legi poſſint, fieri deberi conſulit, ſimulq́; oſtendit, quantum ad civium ætatem, numerum, ordinem, conditionem &c. probandum hæc deſcriptio conducat.

7 Quòd ſi præmemoratum medium cumulando ærario conducibile exiſtimetur edicat Magiſtratus, ut (1) parentes nomen infantis profiteantur, & in librum Curati, ins Tauffbuch / (cujus meminit Rebuff. *in Conſtitut. Reg.* Franc. *tract. de regeſt. ſeu lib. bapt. art.1. gl.1. num.11.*) ſolutis pro inſcriptione N. ſolidis vel florenis referri curent, 8 vulgò Geburtgeld / item Tauffgeld. (2) Ut adoleſcens viginti annorum factus denuò nomen ſuum ſolutis aliis N. ſolidis vel florenis inſcribendum curet: & (3) ejusdem hæredes numeratis N. ſolidis vel florenis edoctâ priùs publicorum onerum & tributorum ſolutione, nomen ejus è libro cenſuali deleri petant. Simile refert Greg. Tholoſ. *lib. 3. de Rep. c. 5.* de lege, quæ manus mortua dicta, quâ unusquisque mortuus, ab Epiſcopi ſubjectione pignore juſſus redimi. Ita Condalus pro militum decedentium deferendis corporibus drachmam Vectigalem imperavit, contra *l. 37. ff. de relig. & ſumptib. funer.* Cujac. 5. *obſ. ult. & 12. obſ. 21.* vulgò Todenzoll / atque hinc ſimul argentum accipiebat, nec fallebant eum duces indicio temporis, quo aliquis ex militibus eſſet mortuus. Joachim. Camerar. *in Oeconom. Ariſtot. part. 62.*

Huc ſpectat Ordinatio Politica (5) Luneburgenſis *cap. 32.* ubi Illuſtriſſimus Dux ſtatuit, daß ein jeder ſeinem Stande gemäß / und nicht darüber / mit Trauerkleidern / Binden / und Behängung der Gemächer mit Tuch ſich verſehen / auch die zu der Zeit ohnzeitige und den Betrübten hochbeſchwerliche Gaſtereyen dabey gänzlich abgeſchaffen ſeyn ſollen / bey Poen 26. Reichsthaler. 9

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT XCVIII.

Num. 2.

(1) *Vide quoque &c.*] Et, ſi lubet, die vermeinte Kindtauff-Ordnung / Reipublicæ Norimbergenſis Anno MDCLXII. promulgatam.

(2) *Quandam pecuniæ ſummam ærario inferat &c.*] Suadet id ipſum allegatus modò ad caput præcedens *num. 8.* (2.) *dict. loc.* Obrecht. *pag. 19. num. 6. 7. ſeqq.*

Num. 4.

(3) *Edicto Servii Tullii &c.*] Tradit Lucius Piſo, *in primo Annal.* (inquit Dionyſius Halicarnaſſ. *Antiq. Rom. lib. 4. cap. 19*) voluiſſe eum (*Tullium R.*) & urbanæ multitudinis ſcire numerum, tum naſcentium, tum morientium, tum eorum qui virilem togam ſumerent: ſtatuiſſeque quanti pretii numos pro ſingulis inferre deberent cognati; in ærarium *Ilithyiæ* (Romani *Junonem Lucinam* vocant) pro naſcentibus; in Veneris ærarium, in Luco ſitum, quam *Libitinam* appellant, pro defunctis: in *Juventutis*, pro togam virilem ſumentibus: unde poterat noſſe omnis ſingulis quantus eſſet in univerſum numerus civium, tum quàm multi ex his eſſent per ætatē idonei militiæ.

(4) *Marcus verò Philoſophus Cæſar &c.*] Inter hæc *Liberales cauſas* ita munivit, ut primus juberet apud præfectos ærarii Saturni, unumquemque civium natos liberos profiteri intra triceſimum diem, nomine impoſito. Per Provincias tabulariorum publicorum uſum inſtituit, apud quos idem de Originibus fieret, quod Romæ apud Præfectos ærarii: ut ſi fortè aliquis in provincia natus cauſam liberalem diceret, teſtationes inde ferret. Jul. Capitolinus *in vita M. Anton. Philoſ. cap. 9.* Ex his duobus locis animadverti poteſt, hujus profeſſionis natorum cauſæ non unum eundemque finem fuiſſe; Ut enim Tullius ad noſcendum civium & militiæ aptorum numerum eam adinvenerat; ſic Marcus Philoſophus ad diſcernendum eò faciliùs ſubditorum ſuorum ſtatum. Fuerat enim cauſa liberalis actio præjudicialis, quâ quærebatur, utrùm liber aliquis eſſet, an ſervus, dū is, qui in poſſeſſione libertatis erat, in ſervitutem peteretur; vel qui eſſet in poſſeſſione ſervitutis, peteretur in libertatem. Perez. *Comment. in C. lib. 7. tit. 16. de liberali cauſa n. 1.*

Num. 9.

(5) *Huc ſpectat Ordinatio Politica &c.*] Qualis & Norimbergæ Anno MDCLXII promulgata ſub titulo der verneuerten Leich-Ordnung / rc. in qua ſuperfluæ expenſæ in corpus defuncti & veſtes lugubres, aliaque funeralia ſeverè & prudenter inhibentur.

CAPUT XCIX.
De Compotationum & Conviviorum frequenti & luxurioſo adparatu refrænando.

SUMMARIA.

1. Luxuria *ab opulentia omniumq; rerum affluentia*, hoc n. *ex Mercatura primum eſt nata*, n. 2. *Quod exemplis illuſtratur*, n. 3.
4. In conviviis *ordo jam novus, epulæq; lautiſſimæ*, & n. 6.
5. Fercula *ferculis apponuntur, menſæq; muneribus gravantur*, & n. 7.
8. Guloſis appetitibus *qui implicantur, monſtra veriùs & pecudes, quàm homines habentur.*
9. Cyclopum *venter præcepta non audit.*
10. Epicuri *de grege porcis Deus eſt venter.*
11. *Eos, qui voluptatibus corpus immergunt*, Heliogabalus *aliiq; perditæ luxuriæ reges, in extremo die judicabunt.*
12. Gloria *ex adparatu Conviviorum parta turpis & fallax eſt.*
13. *Pompaticus* conviviorum *furor Trojanus equus, ex quo proſiliunt mala multa, & ti Imperiorum amiſſio*, numero 14. & 15. *Societatis*

cietatis jactura, n. 16. *Fœderis ruptura*, n. 17. *Æris alieni conſtatio*, n. 18. *Conſumptio bonorum aliorum*, n. 19.

20. Leges *de coërcendis* Epularum *ſumptibus ferendæ*, *&* n. 21.

22. *Comes* Conviviorum Πενία.

23. *Leges ſumptuariæ* Romanorum.

24. Lacedæmoniorum frugalitas *eorumq; præcepta, frugales mores in uſum revocantia*, num. 25.

26. Magnæ effuſiones *hodiè legibus & decretis inhiberi vix poſſunt.*

27. Abrogationem luxûs *plebs nonnunquam diminutionem libertatis exiſtimat, eamq; cenſuram graviùs ipſo tributo fert.*

28. Compendia & emolumenta *ex luxûs diminutione in Rempubl. redundantia.*

29. Natura *paucis contenta.*

30. *Contra* inſanas bibendi leges: *Bibendi mos pro amica, pro ſalute Imperatoris, Principum, &c. hoc & num.* 31. 32.

Sæpè honos mores rapiunt convivia menſæ,
Sæpè perit probitas ingenuusque pudor.

Magnificus Conviviorum adparatus ab opulentia libidinum incitatrice, mox egeſtatem pariturâ, primùm proceſſit. Creſcentibus enim divitiis excrevit luxuria, magnæque pecuniæ vis facta eſt voluptatis famula; quæ non modò honeſtas actiones omnes ſubvertit, ſed ad improbas i-
2 ter facit. Annon luxu diffluere Roma cœpit, quum dives facta? *An non Syracuſani* (1) nimiâ felicitate in voluptates merſi, & ut opibus florentiſſimi, ita & voluptatibus ac deliciis addictiſſimi fuêre? An non
3 Phœnices mercibus & mercaturis ſuis magnificentiam & inexplebiles cupiditates omnium rerum exportaverunt in Græciam? Eodem planè modo, quo Mercatura multa voluptatum vitia in confœderatas Belgii provincias invexit, Johan. à
4 Chockier *in theſauro polit. Aphoriſm. libr.* 5. *cap.* 19. *fol.* 283. Nihil profectò omittitur, quod ad extremam ingluviem ac laſciviam carnis facit; Voluptas ab omni parte quæritur, inerti luxu, ac prodigis epulis certa-
5 tur, celebrantur convivia perdicibus, phaſianis, coturnicibus, pavis, lepuſculis. Quicquid avium volitat, quicquid piſcium natat, quicquid ferarum diſcurrit, humanis ſepelitur ventribus. Fercula ferculis apponuntur; & alia atque alia eſca melior atque amplior ſuccenturiatur.

Largasq; dapes dulci ſtudio
Ludens hominum cura miniſtrat,

Boet. *libr. metr.* 3.

Et quid non exagitat gula?

Et quæſitorum terra pelagoq; ciborum
Ambitioſa fames & lautæ gloria menſæ?

6 Lucan. *de bello civil. libr.* 4.

Hinc peregrina & Attica obſonia, remotorum litorum piſces & magno cenſu comparatæ Cleopatricæ epulæ, ferculaque ſeſtertium millibus æſtimata & gulæ noviſſima irritamenta, aliaque exquiſitiſſima condimenta & ventris prodigia inventa ſunt, ut, niſi quis illa apponat, ſordidus & parùm lautus videatur; Alexand ab Alexand. *libr. tertio cap.* 11. Etſi ea, quæ privatorum menſis apponuntur, ſpectemus, *Metelli Pontificis cœnam* (2) facilè æquabunt, de qua ut ſumptuoſa, Macrob. *libro tertio Sa-* 7
turnal. capite 13. quinimò vulgaris civis non ſatis benè ſeſe poſſe audire putat, niſi quinque aut ſex fercula apponat. Sic noſtra

Fœcunda culpâ ſæcula.

Ut verè de noſtrâ poſſimus, quod de ſua cecinit *Vates*: (3)

Ætas parentum pejor avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

Elementis omnibus ſervitia indicuntur, ut menſa ritè ornetur & oneretur. Id quod rariſſimum, quod exquiſitiſſimum, in convivii apparatum expeditur, quicquid impenſæ fiat, hîc ſumptibus nullis parcitur. *Tertia* ſuppeditare cogitur omnis generis herbas, radices, olera, fructus, omnis generis feras. Caro bubula, agnina, ovilla, hædina, vitulina, niſi exotico jure perfuſa, non admittitur, leporina, aprugna, cervina, & quicquid animalium ſylvas pererrat, in menſas extrahitur. Poſt terram *aqua* pretioſiſſimos piſces gulæ ſubminiſtrare jubetur. *Aër* volucres, & omnis generis præbet altilia, perdices, phaſianos (ut ſuprà attigi) meleagrides, gallinas Decumanas, Numidicas, Africanas, Indicas, ficedulas, gallinagines, pullaſtrorum ſtragem. Si poſſemus Salamandras & Phœnices ad culinam trahere, cogeremus ignẽ has delicias non negare, coquere, & lixare illas facilè diſceremus.

Convivæ olim ritu veteri partem cœnulæ in menſa relinquebant, quo docuerant rebus humanis utendum, non conſumptâ voluntate, nec ad omnigenam ſaturitatem. Et Germanorum vetus verbum eſt: Hilaritas cùm maximè calet claudenda, nec epulæ inſtar Eriſichtonis rapiendæ & abſumendæ, qui (ut in fabulis eſt Ovid. *Metamorph. libr.* 8. *in fin.*) horribili fame correptus

— quod pondus, quod terra, quod educat aër
Poſcit, & appoſitis queritur jejunia menſis;
Inque epulis epulas quærit, quodq; urbibus eſſe,
Quodque ſatis poterat populo, non ſufficit uni,
Pluſq; cupit, quo plura ſuam demittat in alvum.
Utque fretum recipit de tota flumina terra,
Nec ſatiatur aquis, peregrinosq; ebibit amnes:
Utque rapax ignis non unquam alimenta recuſat,

Innumeraſq́; faces cremat, & quò copia major
Eſt data, plura petit, turbaq; veracior ipſa
eſt.

8 Ecquis verò in tanto Conviviorum adparatu, Epularumq́ue appetitu, & ferculorum multitudine & pretio turpem & plusquam belluinam hominum ingluviem denudari non ridet. Quibus qui implicantur, monſtra veriùs & pecudes, quàm homines dixeris. Summum enim bonum (quod & pecudis eſt) cenſent aut in ventre, aut ſub ventre; aut in ſolo vivendi & convivandi palatio. Quales olim Cyclopes, qui apud Euripidem ſic ajunt: Nos Deum alium non agnoſcimus, quàm ventrem noſtrum, cui victimas, boves, & oves, & lauta omnia offerimus. Quales & Agrigentini, qui (ut dicebatur ab Empedocle) ita epulabantur, ac ſi poſtridiè morituri.
9 Quales Epicureæ fecis & hodiè plurimi aſſeclæ, qui cor in ventre habent, & quorum Deus eſt venter, *Phil. 3. verſ. 19.* quique cuperent ſibi centum manus & quinquaginta capita: Geryone tricipiti ſeximanoque invidentes, quòd multis manibus faucibusque nequeant gulæ cibos ſugere. Qua-
10 lis *Marcus Antonius*, (4) cæteroquin magnus vir & ingenii nobilis, qui quicquid mari aut terrâ, aut cœlo gigneretur, ad ſatiandam ingluviem ſuam natum exiſtimans, faucibus & dentibus ſuis ſubdidit; nec alia res eum perdidit & in externos mores ac vitia Romana trajecit, quàm ebrietas & Cleopatræ amor. Hæc illum hoſtem Reipublicæ, hæc hoſtibus ſuis imparem reddidit, hæc crudelem fecit, cùm capita Principum Civitatis cœnanti referrentur, cùm inter apparatiſſimas epulas, luxúsque regales ora ac manus proſcriptorum recognoſceret, cùm vino gravis, ſitiret tamen ſanguinem. O miſerorum miſerrimi! quos Heliogabalus aliíque perditæ
11 nequitiæ & luxuriæ Reges in extremo die in omnibus abominationibus judicabunt; Ezech. *cap. 16. verſ. 51.*

In Heliogabalo (5) enim Imperatore luxu perditiſſimo illud ſaltem, ut prodigium notatum eſt, quòd viginti duo fercula in cœnam poſuiſſet. Jam noſtri Opifices plura ponunt fercula, quàm olim Romani Imperatores. Si quot ciborum diſci, tot menſarum ſunt oculi, certè ſex hominum oculatiores jam habet menſas, quàm olim Reges & Cæſares. Auguſtus Cæſar Orbis Monarcha cœnam, *Suetonio teſte*, (6) trinis ferculis, aut, cùm abundantiſſimè, ſenis præbebat; vini parciſſimus, ter bibere in menſa ſolitus. Hujus verò ſæculi luxus ingens, fercula ferè quinquaginta aut ſexaginta, centum aut ducenta; Hunc ferculorum numerum ſi ad Auguſti Cæſaris terna vel ſena fercula conferamus, & inſignem ævi noſtri profectum mirabimur, qui vel ipſos prodigioſi luxûs principes longiſſimè ſuperamus; Hieremias Drexel. *tom. 2. ſuorum operum opuſc. 7. cap. 14 b. 2. fol. 744.* refert, faſſum ſibi aliquando non adeò numatum dynaſtam, ſi convivis ſuis quinquaginta calentia à foco fercula non poneret, ludibrio ſe exponere, & neminem ferè eſſe, qui non ſordes ſuas accuſaret. Sic ſuaviter alteri alteros expilamus comeſſando. Sed nobilius convivalis luxûs ſpecimen, eodem Drexelio referente, recenſet Hypolitus Guarinonus *de abominat. human. gener. c. 37. pag. 789.* Non ita pridem Baro, quem & nominare poſſem, *inquit*, convivium apparavit, in eoque ternis miſſibus ſeu CCC. fercula appoſuit præter tragematum & bellariorum hecatomben ad menſam ſecundam ſpectantium. Qui tandem, inquies, id fieri potuit, & quomodo menſa una tot capere fercula? Ingenioſus prorſus & commodè: quicquid enim capaciſſima menſa non capiebat, id famulorum, qui numeroſi adſtabant, manibus ſuſtentabatur, ut, quocunque vellet, convivarum gula, vel in menſam, vel in menſæ vicinam excurreret, amœnâ varietate. Ohe portentum luxûs & monſtrum nobile! Ante annos centum in menſis Principum novem fercula malo exemplo & offenſioni erant, nunc lautiores, ſervi quinquaginta & plura. Quò luxûs & abuſionum non devenimus, & quò tandem non deveniemus luxu creſcente?

Siccine Virtutis
-- *Immemores cæciq́; furore.*
Gaudetis mortiferam voluptatem cordis adytis penetralibus addere;
Et monſtrum infelix ſacratâ ſiſtere menſa? 12

Nec eſt, quod quis ex ferculorum epularumq; incremento gloriam apud vulgus & multorum gratiam quærat. Gloria namque ex adparatu Conviviorum parta, caduca, turpis, mercenaria, virtuti inimica & fallax eſt. Etenim *diffugiunt cadis* (7) cum fece ſiccatis amici. Et verò gloria hæc nil niſi vapor eſt, qui ad exiguum tempus adparet & deinde inſtar ſtipulæ à
ventis agitatæ evaneſcit, *Jacob. 4. verſ.* 13
14. Ne dicam de malis & peccatorum omnium ſpinis & pœnis ex luxu conviviorum, tanquam equo Trojano proſilientibus. Convivia quippe voluptatis afflixère ſæculi mores, menſamque vitiis, quaſi ſentinâ Rempublicam peſſundedêre, teſte Floro *lib. 3. cap. 12.* Et magna cibi cura, authore Catone, magna virtutis eſt incuria. Ecquis non animadverterit, magna ingentium Imperiorum faſtigia oblivione Frugalitatis collapſa eſſe? Quis neſciat Aſiaticis deliciis Romam advectis, Imperium ſenſim
debilitatum, civilibus & domeſticis bellis 14
concuſſum, à barbaris verò tandem ſubverſum, funditusque deletum? Ecquem lateat,

teat Convivis indulſiſſe Lucium. Verùm uſque ad profluvium amentis impenſæ flebilemque Imperii jacturam? Petrarcha *Dialog.* 19. Bacchiadarum Regnum apud
16 Corinthios, quum ad ſummum potentiæ gradum perveniſſet, tamen per immoderatam luxuriam diſſolutum eſt. Bœoti poſt res Leuctricas; in convivia converſi & ad ebrietates, bonam partem rerum ſuarum in convivia abſumpſere, ſic ut mul-
17 ti eſſent, quibus plures eſſent cœnæ, quàm dies in menſe; quam conſuetudinem ægrè ferentes Megarenſes, ad Archivos defecerunt. Polyb. *lib. 20. Hiſtor.* Arcandei Lycii ære alieno gravati ob intemperantiam, ac nimium ſumptum, tum ob eorum inertiam & voluptatem, cùm non poſſent fœnus perſolvere, in Mithridatis partes ſe contulerunt, ſperantes, ſe præmium debitorum abſolutionem inde conſe-
18 cuturos. Athenæ. *libr. 12. cap. 11.* Quid mirum, ſi ex eadem cauſa, in æris alieni maſſam, ſeſe multi conjicientes hodiè, inde ſe unquam explicare aut expedire nequeant? Et exhauſtos conviviorum apparatibus Principes Civitatum ſcribit Tacit. *l.2. Hiſt. 62.* illiſque orphanorum, viduarum, aliorumque bona conſumi, non obſcurè indicat Chryſoſt. *in Marc. cap. 6.* Plurimum *inquiens*, convivia Divitum plena eſſe rapinâ: Opipara quidem edulia & potum
19 iſthic videas: rerum ſi cogites, unde collecta ea ſint, deprehendes ſcilicet fœnore prædâ, dolis & omni injuſtitiæ genere coacta eſſe. *Hæc ille.*

Quare cùm pleræque Orbis Reſpublicæ ad leges ſumptuarias promulgandas eâ ratione incitatæ ſint, ut ne corruptis intemperantiâ, & luxu civium animis Reſpublica quoque omnis unà peſſum iret, imò recideret, in extremum miſeriarum ad ejuſmodi motus, atque Reipubl. converſiones vitandas Principum eſt, omni ſtudio in-
20 duſtriaque civium intemperantiam & luxuriæ effervеſcentis æſtus ſuis finibus coercere, hoc præſertim tempore, quo multùm honoris ponitur in luxu ſumptuque *Gallonio*. (8) Quod ex facili (meoquidem judicio) aſ-
21 ſequentur, ſi temporum perſonarumque habitâ ratione leges de ſumptu minuendo ſanciant, certum ciborum genus & modum præfiniant, mulctaſque pecuniarias, quibus luxus ejuſmodi ſuperfluitaſque circa convivia, victumque quotidianum abrogetur transgreſſoribus infligant, ut ita non tantùm in privatum, ſed & publicum commodum aliquid ſuperſit, ac Ærarium auctius reddatur. Nam certè quod de urbe ſua Seneca *lib. 1. de benefic. c. 10.* licet de Ger-
22 mania noſtra & Belgio uſurpare & queri: *Nunc cultus corporis nimius & formæ cura, præ ſe ferens animi deformitatem. Nunc habetur ebrietati honor, & plurimum meri cepiſſe virtus eſt: &c.* Et licet quædam pro ratione hujus ſtatûs & temporis flectenda & moderanda ſciam; fibulam tamen ubique & paſſim laxandam, ego & prudentiores meritò negant. *Ebrietas enim* (9) omnium planè vitiorum multò periculoſiſſimum & verè letalis ac mortifera vivi hominis ſepultura; Nec rarum eſt repentè mori: quotidiana hujus generis efferuntur funera. Quàm crebrò & quàm facilè diſtillationes ſuffocantes, applexia, lapſus è ſcalis, caſus ex equo, aut ex alto, letale vulnus, glans æneæ fiſtulæ, pectoris oppreſſio, animæ interclusio, gulæ obſtructio, morbi repentini cujuſque irruptio, hominem ex inopinato ſternit, mittitque ad judicem. Ebrium ſic finire, eſt æternùm interire, & peſſima in alium Orbem comes Ebrietas. Viatorem enim in via jugulat latro. Quapropter clamat & monet Chriſtus *Luc. capit. 21. verſ. 34. Attendite vobis, ne fortè graventur corda veſtra crapulâ & ebrietate, & ſuperveniat in vos repentina dies illa.*

Sic multæ à Veteribus Romanis ſunt reper- 23
tæ leges, quibus luxuria conviviorum cohibita, ac Parſimonia & victûs atque cœnarum tenuitas cuſtodita fuit, de quibus *Gellius* (10) *lib. 2. Noct. Attic. cap. 24. & dixi ſuprà cap. 96. n. 32.* Didius legem Fanniam ampliavit & ſanxit, ut non modò, qui prandia cœnaſve majore ſumptu feciſſent, ſed etiam illi, qui ad eas vocati eſſent, pœnis legis tenerentur. Licinius Craſſus, qui dictus eſt Dives, ſumptuariam & ipſe legem tulit, non admodùm diverſam à Fannia. Hoc ab ea differt, quod Kalendis Nonis, nundinis Romanis; cuique in dies ſingulos triginta duntaxat aſſes, edundi causâ conſumere liceret: cæteris verò diebus, qui excepti non eſſent, nec ampliùs apponeretur, quàm carnis aridæ pondo tria, & ſalſamentorum pondo. Et verò, quæ ex terra, vite, arboréve nata eſſent, promiſcuè largita eſt. O venerandam priſcam Romanorum temperantiam! Eleganter Cicero in Oratione pro L. Flacco. *Hæc ratio, ait, ac magnitudo animorum in majoribus noſtris fuit, ut, cùm in privatis rebus ſuiſque ſumptibus minimo contenti tenuiſſimo cultu viverent; in Imperio atque in publica dignitate omnia ad gloriam ſplendoremque revocarent; Quæritur enim in re domeſtica continentiæ laus, in publica dignitatis.*

Lacedæmoniis nihil magis inviſum fuit, 24
quàm ſumptuoſus & monſtroſus epulandi mos; hinc ut convivandi frugalitatem inter ſuos ſiſterent ac retinerent, coquos eſſe non permittebant alios, quàm carnis

nis duntaxat, qui verò quamvis cupediariam aliam artem noviſſet, ejiciebatur Spartâ, Ælian. *lib. 14. Hiſtor.* Sic nimia Lautities apud ipſos pro turpi vitio habita eſt: cujus uſus eſt ſolùm, ut guſtui noſtro imponat, non ut naturæ ſatisfaciat. Jacob. I. Rex Britan. *libr. 3. ad Fil.* Unde ipſorum Legis-
25 lator LYCURGUS conviviorum apparatus & menſas lautiores veluti cupiditatum invitamenta ſanctionibus inhibuit: ſæpiusq; abrogatis legibus, novæ poſteà editæ fuêre.

At quid hodiè? bonæ illæ leges oblivione, & quod flagitioſius eſt, contemptu aboli-
27 tæ ſecuriorem luxum fecerunt: Luxusque & ignavia nullis præſcriptis finibus in voraginem & gurgitem vitiorum ad nefas omne usque adeò proceſſerunt, ut divina & humana profanent, populoque ſimul & plebi gravem perniciem adferant; Alex. ab Alexandr. *lib. 3. cap. 11.* Nam vulgus interdum amabilis inſaniæ adeò tenax eſt; ut minùs quæ in luxum reperta, graviùs ipſo tributo ferat, & diminutionem libertatis exiſtimet, & cum legibus divitiarum oſtentatio profuſio interdicitur, & divitiarum ademptionem arbitretur: quod & olim expertus eſt Cato, cùm cenſuram in luxum populi Romani exercuit; & Bruti cum abrogatione legis Oppiæ interceſſerunt. Sanior tamen populus Leges ſumptuarias admittit, ſi videat earum rationem publicè ſibi conſtare, ipſosque Reipubl. principes non eſſe effuſos in luxum & externorum inanium profuſionem: inde obſequium & æmulandi amor validior, ut ait Tacit. *lib. 3. Annal. cap. 55. n. 4.* quàm pœna ex legibus & metus.

28 Cæterùm, qui fructus ex hac ſumptuum diminutione in Rempubl. redundat, non unus ſanè nec vulgaris. Nam primò vitiorum ſeges ac materia præciditur, inprimis luxus (non parva evertendæ Republ. cauſa,) deinde æris alieni magnitudo vitatur, quam ex profuſione ſumptuum naſci certum eſt. Præterea concordia publica firmatur. Nam ubi ſumptuum licentia demitur, & ſua cuique res familiaris conſtat, ibi etiam rapinarum occaſio præciditur. Tandem & ſumptuum ſupervacaneorum diminutione ac frugalitate domeſticâ, & publica onera redduntur leviora & facilius ſuſtinentur, imò & Reſpublica eo modo ditatur.

29 *Venter, inquit Seneca* (11) *Epiſtol. 21.* parvo dimittitur, ſi modò des ipſi, quod debes, non quod potes. Et Horat. *libr. 2. Sermon. Satyr. 2.*

— — — cum ſale panis
Latrantem ſtomachum benè leniet.

Et Perſius *Satyr. 3.*

— — — Rure paterno
Eſt tibi far modicum, purum & ſine labe ſalinum:
Quid metuas? cultrexq; foci ſecura patella
Hoc ſatis.

Non jucunda res aqua & polenta, aut fruſtum hordeacei panis; ſed ſumma voluptas eſt, poſſe capere ex his etiam voluptatem; Seneca *Epiſt. 18.* Si quod naturæ ſatis, replere indigentiam velis, nihil eſt, quod fortunæ adfluentiam petas. Paucis enim, minimisque natura contenta eſt, cujus ſatietatem, ſi ſuperfluis urgere velis, aut injucundum, quod infuderis, fiet, aut noxium, ait Boëtius, *lib. 2. proſa. 5. de conſolat. Philoſoph. part. 34.*

Non dicam hîc de inſano bibendi more pro Amica, ſalute Imperatoris, &c. Non 30
dicam, quòd pro Amicæ ſalute bibebant, & quidem tot ſyphos exhauriebant, quot literis nomen ejus conſtabat. Hoc enim jam ex Poëtis notum eſt. Martialis *lib. 1. Epigram. 72.*

Nævia ſex cyathis, ſeptem Juſtina bibatur,
Quinque Lycas, Lyde quatuor, Ida tribus.
Omnis ab infuſo numeretur amica Falerno;
Et quia nulla venit, tu mihi, ſomne, veni.

Pro ſalute Imperatorum, Exercituum, Co- 31
mitum, Filiorum bibere (quod hodieque nimis crebrò fieri videmus,) olim quoque tam erat uſitatum, *ut B. Ambroſius* (12) id coactus fuerit reprehendere: ne quis putet recentem eſſe hunc morem; Sic enim ille ſcribit *in lib. de Helia & jejunio c. 17.* Quid autem obteſtationes bibentium loquar? Quid memorem ſacramenta, quæ violare nefas arbitrantur? Bibamus, inquiunt, pro ſalute Imperatorum, & qui non biberit, ſit reus in devotione. Videtur enim non amare Imperatorem, qui pro ejus ſalute non biberit. O piæ devotionis obſequium! Bibamus pro ſalute exercituum, pro Comitum virtute, pro Filiorum ſanitate. Et hæc vota ad Deum pervenire judicant, ſicut illi, qni calices ad ſepulchra Martyrum deferunt, atque illic veſperam bibunt, & aliter ſe exaudiri non poſſe credunt. O ſtultitiam hominum! qui ebrietatem ſacrificium putant, qui jejunio paſſiones ſuſtinere didicerunt, &c. Sic & apud 32
Ovid. in Metamorph. Athenienſes in conviviis pro Theſeo vota publica ſuſcipiunt, & Bacchi ſumunt hauſtus. Aſconius quoque 3. *Verrin.* Eſt, *inquit*, Græcis mos, cùm merum cyathis bibunt, ſalutantes primò Deos, deinde amicos ſuos nominatim. Nam toties merum bibunt, quoties & Deos & charos ſuos nominatim vocant. Idem pluribus authoritatibus & exemplis probat

probat etiam Lipſius *lib. 5. Dialog. 10. Poliocret.* Contra haſce inſanas bibendi leges obſervanda eſt ſæpius repetita Conſtitutio S. Romani Imperii, ne quis ad inæquales hauſtus cogatur, de qua dicam infrà *c. 101. n. 26.* Quæ utinam accuratiùs, ut par erat, obſervaretur, cùm quidem ſit æquiſſima, & divino humanoque juri conſentanea, veterum quoque moribus conveniens. Scitè ad ejusmodi æquales & coactos hauſtus accommodatur fabula de rana bovi ſeſe exæquare volente. Nam ſicut hæc eum ſortita exitum dicitur, ut priùs disrupta fuerit, *quàm bovis magnitudinem ac vitam perdat.*

(13)

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT XCIX.

Num. 1.

(1) A*Nnon Syracuſani &c.*] Junge Souterium *in quarto decoquendi modo cap. 1. ſeqq. pag. 134. ſeqq.* ex quo hoc caput maximam partem mutuatum.

Num. 6.

(2) *Metelli Pontifices Cænam &c.*] Confer Lipſium *de Magnit. Romana lib. 4. cap. 7.* ubi expreſsè de incontinentia & Luxu Romanorum agit, Meurſium de hac ipſa Materia Tractatu ſingulari, *inprimis cap. 13.*

Num. 7.

(3) *Vates &c.*] Horatius *lib. 3. Carm. ode 6. in fin.*

Num. 10.

(4) *Marcus Antonius &c.*] Dio *lib. 45. pag. mihi 284.* Plutarchus *in vita ipſius Tom. I. Oper. p. 919. ſeq.* ex Cicerone.

Num. 11.

(5) *De Heliogabalo &c.*] De quo Lampridius *in vita*, paſſim luxuriam ejus ſummam exagitans teſtatur.

(6) *Suetonio teſte &c.*] In vita Auguſti *c. 74. & 77.*

Num. 12.

(7) *Diffugiunt cadis &c.*] Ut Horatius canit, *lib. 1. Carm. ode 35.*

Num. 20.

(8) *Gallonio &c.*] Fuit hinc inter illos, quos luxuria quoque (ut Æſopum & Apicium) nobilitavit, quod indicat Eraſmus *Adag. Chil. 4. cent. 9. Adag. 16.*

Num. 22.

(9) *Ebrietas enim &c.*] Confer dicta à nobis ad Politicum Sceleratum *cap. 13. pag. 129. 130. 131.* ubi latè de Ebrietatis incommodis, contagio, & ea vitanda poſt alios diſſeruimus. Adde Lauredanum *in Sylva rer. moral. tit. Ebrietas.* Marſelaer *de Legato Diſſert. 17.* Zevecotium *ad Florum pag. 293. 294.* Bernegg. *in Quæſt. Polit. ad Taciti Germ. & Agricol. quæſt. 128.*

Num. 23.

(10) *Gellius &c.*] Adde omninò Philippi Caroli Animadverſiones ad A Gellii *d. loc. p. 161. ſeqq.* Roſinum *Rom. Antiq. lib. 8. cap. 13.* in quo capite de Legibus ſumptuariis ex profeſſo agit, nominatque & explicat ſequentes, Orchiam, Fanniam, Didiam, Liciniam, Corneliam, Æmiliam, Antiam, Juliam, Cæciliam, Oppiam, (quarum Klockius *præcedenti cap. 94. n. 32.* quoque meminit,) Souterius *in Pædagogo Divitum &c. cap. 4. pag. 164. ſeqq.*

Num. 29.

(11) *Venter, inquit Seneca &c.*] Integer locus ſic ſonat: Venter præcepta non audit, poſcit, appellat. Non eſt tamen moleſtus creditor, parvo dimittitur: ſi modò das illi, quod debes, non quod potes.

Num. 31.

(12) *B. Ambroſius &c.*] Schoockius *Exercit. 21. de Santeis ſive Poculis votivis*, contra Voetium, ſic *pag. 286.* ſentit; Non video, cur ſimpliciter improbari debeat ritus, juxta quem olim poculum (ſtipulor cuique perpetuò ſartam tectam ſuam libertatem, quam ratione potiùs circumſcribi neutiquam patior) amicarum memoriæ conſecrari conſuevit, *& in ſeqq. pag. 289. ex Senguerdino Diſputat. in Colleg. Eth. θ. 18. adducit pro ſua ſententia hæc verba:* Ex hac temperamentorum diverſitate facilè judicari poteſt, quàm inquũ ſit, & à ratione alienum, totum collegium, omnes & ſingulos convivas cogere ad æquales hauſtus, majores quàm multorum natura permittit; quod ſæpe fit prætextu Sanitatis, ſive Poculi in Sanitatem hujus vel illius: quo facto, nomine Sanitatem bibentes, revera morbos animi & corporis bibunt. Non quidem in univerſum omnia omninò pocula Sanitatis damno: nam non puto peccare eum, qui in alicujus ſalutem bibit, modò non plus infundat in corpus, quàm aliàs licitum eſt. Sed hoc tantùm volo, quòd talia frequenter præbeant peccandi occaſionem: temperantis itaque eſſe, in tali caſu ſe prudenter & cautè gerere &c. Præterea Locum Ambroſii, (*in textu Klockii noſtri quoq; adducto*) *pag. 300.* ſic intelligit, ut illic ab Ambroſio ſolummodò damnentur illæ delibationes votivæ, quæ ab Ebrioſis ad alios inebriandos frequentari ſoleant. Ex more ſeculi Ambroſiani enim celebrabantur Epulæ, quæ erant legata illorum, qui in fide mortui erant, quibus intereſſe probro Chriſtianis non erat, ſi modò temperantiæ limites non tranſilirent. Atque ut meritò notabantur, qui in feralibus illis conviviis ſeſe inebriabant; ita Ambroſius loco citato vult innuere eos ſolummodò cenſuram mereri, qui poculis votivis ad inſanam Ebrietatem usque indulſerint. Hactenus Schoockius. Confer Dn. Johann. Sauberti magni illius Theologi noſtri Filium *de Sacrificiis cap. 28.* & ab eo allegatum Mateneſium *de ritu bibendi ſuper Sanitate.* D. Joh. Quiſtorpium *in quæſt Utrum ſine læſione Conſcientiæ pro ſalute, ſeu in Sanitatem aliorum bibere liceat?* Beſoldum *in Theſauro Practico, verbo* Trunckenheit/ & Speidelium *in Speculo, v.* Zutrincken/ Taubmannum ad illud Plauti *in Perſa act. 5. ſc. 1.* Benè mihi, benè vobis, benè amicæ meæ &c. Latherum *de Cenſu lib. 1. cap. 10. num. 47.* & ea, quæ Zeiler. *in Epiſt. 34.* congeſſit, quam hiſce Oweni verſibus finit:

Ffff 4 Qui

Quò tibi potarum plus eſt in ventre Salutum,
Hoc minus, epotis hiſce, ſalutis *habes.*
Contingant utinam tales tibi mille ſalutes,
(Non equidem invideo) mî ſatis una Salus,
Una ſalus *ſanis, nullam potare* ſalutem:
Non eſt è potâ vera ſalute *ſalus.*

Quod ego de nimia ingurgitatione, ex nimiis ſalutipotationibus, oriundâ accipiendum reor.

Num. 32.

(13) *Quàm bovis magnitudinem ne vitam perdat &c.]* Hiatum ſubeſſe hoc loco ad primum intuitum, facilè unicuique patere poteſt. Qui fortè ſic obſtrui poterit: *Quàm bovis magnitudinem acceſſerit, ſic infelix hujusmodi imitator antequam æqualis evadet, vitam perdat.* Appoſitè admodùm fabulam de ranâ & bove citat quoque Venuſinus ille Poëta ſic *lib. 2. Sermon. Satyr. 3.* canens:

An quodcunque facit Mæcenas, te quoque verum eſt,
Tanto diſſimilem, & tanto certare minorem?
Abſentis ranæ pullis vituli pede preſſis,
Unus ubi effugit, matri denarrat, ut ingens
Bellua cognatos eliſerit. Illa rogare,
Quantane? num tandem (ſe inflans) ſic magna fuiſſet?
Major dimidio. Num tanto? quum magis atque
Se magis inflaret, Non, ſi te ruperis (inquit)
Par eris. Hæc à te non multum abludit imago.

CAPUT C.

Acquæſtus ex Encæniis, vulgò Kirchweyhſchutz.

SUMMARIA.

1. Encænia *quænam dicantur?*
2. Dominis loci *ex hiſce Encæniis quæ commoda?*
3. Encæniorum protectio *cum jure defenſionis participat; & an mixto Imperio cohæreat?* num. 5.
4. Kirchweyhſchutz *&* Kirchenſchutz *differunt.*
6. Encænia Judæorum *longè ab his noſtratium diverſa: unde inſtitutio prima provenerit?* num. 7.
8. Encomium *quid?*

Acquæſtus ex Encæniis (quis hoc putet?) Ærario quidam poteſt accreſcere.

1 HOdie generaliter in omnibus pagis & vicis celebrantur Encænia, Kirchweyhungen/ vulgò vocamus, hoc eſt, *feſtos dies, initiales nimirum dedicationis templi*: (1) Quibus peractis, Ruſtici Baccho litant & juſta perſolvunt, non ſolùm integra dolia potando evacuantes, ſed interdum pugnis & armis invicem congredientes: inde duplex Dominis commodum; unum, quod per conſumptionem vini, vel cereviſiæ
2 ſuſpensâ hederâ, (quâ tamen vendibili vino opus non eſt) alterum, quod per fructus mulctarum provenit, conciliatur: ruſticanis enim vino obrutis, furor litigia miniſtrat, exinde digladiationes oriuntur, & nundinarum nundinarii quæſtus reſultant. Is enim, cui jus protectionis in nundinis vel encæniis competit, *vicini etiam alterius ſubditum puniendi* (2) jus habere putatur, ut innuit Ruland. *de Commiſſ. lib. 2. de interrogat. cap. 16. num. 34.* Et præter cæteros ſcitè adnotavit Andr. Knichen. *de jure territorii cap. 4. numero 409.* Idque communis in Franconiæ Saxoniæque partibus & aliis vicinis locis recepta conſuetudo teſtatur.

Ex quo haud ineptè colligere licet, 3
cum jure defenſionis participare Encæniorum protectionem, quam Kirchweyhſchutz indigitant. Quando enim in pagis & vicis feſti dies, initiales nimirum Dedicationis templi, celebrantur, ſolent in dictis locis Domini territoriorū, *inferiorem jurisdictionem habentes,* (3) per ſuos Deputatos vina non ſolùm menſuratim vendere, ſed & per certos Officiales, illas quaſi nundinationes tueri, den Kirchweyhſchutz vertretten. Multis tamen in locis ex antiqua conſuetudine inolevit, ut non tantùm Domini territorii, ſo die Vogtey auf der Gaſſen haben/ ſed alii incertis tantùm prædiis Jurisdictionem habentes, initialibus dedicationis diebus depromendi ac divendendi vini jus habeant, den Bannwein fürzulegen und auszuſchencken/ Martin. Mager. *tract. de advoc. armat. cap. 14. num. 107. & ſeqq.* ubi *num. 113.* circa Encænio- 4
rum protectionem notandum eſſe dicit, quòd aliud ſit Kirchenweyhſchutz/ aliud Kirchenſchutz. Illa enim annalis ſemel duntaxat in Anno exercetur; hæc autem continua eſt, & competere poteſt nullam habenti jurisdictionem in Eccleſiam, eaque derivatur à vocabulo Kirch & Schutz/ quam Latini olim appellarunt Dominicam, quâ & hodie Eccleſias majores ſive Cathedrales vocamus Thum vel Dom.

Hiſce addere lubet, quòd in Probationibus & Exceptionibus Schenckenſtein contra Oettingen I. Mandati der Pfandung/ den Kirchweyhſchutz und andere Gerechtigkeiten zu Hertfelthauſen betreffend / deductum Spiræ aliquando me legiſſe memini & notavi; Welcher maſſen Landkündig und unverneinlich / daß bey der Freyen vom Adel und andern / auch höhern deß Heil. Reichs Ständen die datia und exactiones deß

deß Umgelds / bevorab in geringern Flecken/
Dörffern und Weylern vor Jahren und beſ-
ſern Zeiten mit nichten bekandt oder gebräu-
chig / ſondern die miltere Herrſchafften ha-
ben ſich mit der Unterthanen gehorſamer
Recognition/und einem geringen Zopffengeld
begnügen laſſen: Et paulò pòſt in iisdem
5 probationibus & exceptionibus ſubjungi-
tur: Der Kirchweyhſchutz / und was dem an-
hängig mit Platz und Tantz halten / (4) mit
Weinſchencken / mit dem Kugelplatz / ꝛc. und
dergleichen/iſt mit nichten deroLands-Gericht-
lichen und hohen Obrigkeit / ſondern dem mi-
xto Imperio und Nidergerichtlichen Obrig-
keit anhängig/ denn alſo und in Krafft der Ni-
dergerichtlichen Dorffs-Obrigkeit / und ural-
tem Gebrauch und Herkommen nach/ hält der
löblich Teutſche Orden den Kirchweyhſchutz
zu Ober- und Unter-Reimlingen / ꝛc. ibi-
demque plura exempla recenſentur, quæ
huc conglomerare faſtidioſum & inane eſt.

Diſpar & longè diverſa fuit ratio En-
cæniorum ſive Renovalium, quam quinto
die Menſis ſui noni, hoc eſt, XXV. die No-
vembris noſtri, annuatim celebrarunt Ju-
dæi, in memoriam recuperati & repurgati
templi Hieroſolymitani à prophanationi-
bus Antiochi Epiphanis VIII. Syrorum
Regis, qui everſo DEI cultu, Jovis Olym-
pii idolum in Templo collocaverat, quod
militum præſidio defendebatur, & multa
inſuper crudelia, atque infanda in populum
Judaicum deſignârat. Quod feſtum Ju- 7
das Maccabæus inſtituit, 1. *Maccab. 4. v.
59.* & Chriſtus ſuâ præſentiâ atque ſermoni-
bus ſacris cohoneſtavit, *Joh. 10. v. 22. & ſeqq.*
Wilhelm. Zepper. *in Explanat. Legum Mo-
ſaicar. lib. 4. cap. 9. fol. 338.* Non abludit *vox* 8
Enconiii, (5) quod carmen erat in Victoris
laudem editum, ad immortalitatem,
quo ipſius res geſtæ magnificè illuſtri præ-
conio canebantur.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT C.

Num. 1.

(1) F*Eſtos dies initiales nimirum dedicationis Templi &c.*] De quorum Origine vide Polydorum Vergilium *de rer. Invent. lib. 5. cap. 7. & cap. 13.* differentem, Dreſſerum *de Feſtis diebus pagina mibi 300. ſeqq. ubi num. 1111.* Encæniorum finis eſt, ut memoria celebretur dedicati & defenſi templi, ac verorum DEI cultuum, cum gratiarum actione pro tanto beneficio conſervatæ Eccleſiæ & verbi mirabiliter, inter tot pericula, mutationes, & calamitates. 2. Ut petamus ardentibus votis, ut inpoſterum quoque talem ſe nobis præbeat DEUS, qualem jam antea præſtitit. 3. Ut teſtemur, nos vero deſiderio teneri futurorum Encæniorum in æterna vita, ad eaque nos pœnitentiâ & fide præparemus.

Num. 2.

(2) *Vicini etiam alterius ſubditum puniendi Jus &c.*] Imò quamvis ſubinde contingere poſſit, & ſoleat, ut graviora delicta, cædes, & homicidia committantur, tamen hoc tanquam incertum non conſideratur, & ſufficit poſtea, ſi caſus contingit, ejusmodi criminoſos ad ſuperiorem remittere, quemadmodum in ſimili tradit Beſold. *parte 5. Conſil. 131. num. 2. 5. & n. fin.*

Num. 3.

(3) *Inferiorem Jurisdictionem habentibus &c.*] Confer Dn. Manzium *Deciſ. Palatin. dec. 1. quæſt. 91. num. 25.* ubi rationem hujus aſſertionis hanc adducit; quòd actus Jurisdictionis tantùm conſiſtat in dem Friedbott / quod baſſæ Jurisdictioni annexum eſt, & cujusvis loci Magiſtratui ordinario competat, ubi tamen *in fine Addit. numero 31.* multas ſimiles lites (*quæ hoc de jure inter vicinos intercedunt*) præcaveri poſſe, ſi inter ſe convenirent & declararent, quòd Protectio Encæniorum ad baſſam Jurisdictionem ſpectaret, ac proinde illis, qui baſſam in loco habent, vigore illius protectio competere deberet. Ut adeò concluſio hæc nondum planè expedita eſſe à Potentioribus vicinis credatur; ſed ii eò allaborent, quò & optimo titulo Protectionemque Encæniorum continuantium vicinorum, minùs potentium poſſeſſionem nullâ non vi admotâ turbent, deque jure fundato dejiciunt. Exempla in promptu, ſed odioſa ſunt.

Num. 5.

(4) Mit Platz und Tantz halten *&c.*] Quia in Encæniis plerumque choreæ & ſaltationes inſtituuntur, ſolent Domini etiam iis ſeſe hâc ratione ingerere, pflegen die Täntz aufzuführen / quaſi tripudia illa ad Jurisdictionem ſpectarent, cùm tamen potiùs ſint Civilis jocus, quàm Jurisdictionis actus, ſecundùm Georg. Everhard. *vol. 1. conſil. 56. n. 98. & 99.*

Num. 8.

(5) *Vox Encomii &c.*] Martinius *in Lex. Phil. h. voce*, dictum putat Encomium, ἐγκώμιον, ab ἐν & κώμη vicus, quaſi prædicationem apertam in vico, & trivio, ſeu compito factam, ein Ruhm / davon man in allen Gaſſen zu ſingen und zu ſagen weiß.

CAPUT CI.

Salubre Compendium Fiſci ex Alea, Chartis Luſoriis, aliorumq; ſcelerum coërcitione.

SUMMARIA.

1. Alea *res pernicioſa; Niſi virtutis cauſâ adhibeatur*, num. 2.
3. *In* pecuniam *ob pecuniam ludere turpe.*
4. Alea *vitiorum fœcunda mater*, & numero 15.
5. *Egregia Patris* Joh. Sariſberienſis *ſententia de* alea, *&* num. 6. 7.
8. Aleari *eſt furari.*
9. Alea *L. Corneliâ & Titiâ apud Romanos prohibita: Etiam quadrupli pœnâ contra aleatores introducta*, num. 10.
11. Licinius Lenticula *lege aleatoriâ damnatus.*
12. Volenarius *ſcurra & aleator ab Horatio vivis coloribus depictus.*
13. Alea *in Conciliis Patrûm & jure Civili damnata: Apud Turcas & Saracenos ſub gravi cenſurâ & pœnis interdictâ*, num. 14.
16. Gallorum *eâ de re latæ Conſtitutiones, ſed vano & irrito effectu, ibid.*
17. *In* Gallils *alearum gymnaſia permiſſione publicâ fervent.*
18. Aleæ *luſus communis multis populis.*
19. Italus *quidam aleator teſtamento jubet, ex oſſibus ſuis poſt mortem teſſeras fieri.*
20. Hiſpani *mirum in modum aleæ addicti.*
21. Mercator *quidam ex ſingulari privilegio, quo ſolus per decennium in Hiſpania chartas luſorias diſtrahere poterat, ingentes corradit divitias.*
22. Venetorum *aleatoria edicta.*
23. Vectigalia *ea juſtiſſima & ſanctiſſima, quæ ad coërcenda ſcelera imperantur.*
24. *Magiſtratus aleatores tributis ac mulctis pecuniariis coadjuvando ærario percellere poteſt.*
25. Vectigal *contra* ebrios *&* ebrioſos *inſtitui poteſt.*
26. Leges *contra* ebrietatem.
27. *Præter dignitatis &* ordinis Statum *ſibi quippiam arrogantes mulctis pecuniariis cohiberi poſſunt.*
28. Ludus Latrunculorum ſive Schachius *ingenioſus, & à barbaris etiam receptus; & familiaris ruſticis in pago* Strophe.

> Alveus exoſas pellit luſorius horas,
> Ludus habet laudem, ſi moderatus erit.
> Innocuas Cenſura poteſt permittere luſus.

1 SEd alea res adeò pernicioſa eſt, ut omne animis pondus, omnemque virtutis vim
2 eripiat; Niſi virtutis cauſâ adhibeatur, ut abſque vitio curarum gravium pondus allevet, & ſine virtutis diſpendio jucundam interpolationem afferat gaudiorum; veluti ſi haſta, pilo (ſive palo, uti mavult Camill. Borell. *lib. 2. de Edict. Magiſtr. cap. 8. num. 16.* Quò loci ludos permiſſos & à JCto *in l. 2. ff. de alea luſu & aleat.* enumeratos pulchrè declarat) jaciendo, currendo, ſaliendo, luctando, pugnando, aut niſi in id ludatur, quod in convivio veſcendi causâ adponi ſolet, *l. fin. ff. dict. tit.* pulchrè Scaliger:

> *Eſt ludere nummis poſitis, avarioris*
> *Illex avia mentis, & oblivio vitæ hæc*
> *eſt.*

Nam quid omninò turpius, quàm in pecu- 3
niam ob pecuniam ludere? quæ ex eo indebitæ Cautiones, prodigalitates, rapinæ,
convicia, vulnera, homicidia? Hujusmodi 4
eſt alea, immenſa illa & effrenata in pecuniam ludendi appetitio & cupiditas animoſa credulaque ſpe flagrans; quæ Rempublicam ſuis & malitiis, & litibus non leviter conquaſſat; & ex qua multiloquia, peccata, rixas, furta, blaſphemias & alia inconvenientia provenire, ſcribit Proſper. Farinac. *in prax. crimin. qu. 109. n. 56. & 98.* Nec minùs acerbè aleæ ludum inſectatur Franc. Patricius *lib. 3. de Regn. tit. 10.* Omnes in pecunia luſiones, *ait*, ab ignavâ avaritia ſegnique otio proficiſcuntur, rem familiarem prodigunt ac profundunt, in iram inſaniamque impellunt: ab omni virtutis ſtudio omnique liberali induſtria revocant: conſilia perturbant, mentis cogitationes labefactant, vim, dolum, injuriam, rapinam inſinuant: latrocinia, furta, ſacrilegia, homicidiaque perſuadent, & nonnunquam hominem in tantam deſperationem inducunt, ut non modò aliis necem intendat, verùm etiam ſibi violentas manus adferat. Quid? quòd aleator omnis ſemper anxius, ſemper querulus, iracundus, moroſus, difficilis, mœſtusque degit? Victus pro damno mœret, quo ſe pacto redimat, meditatur, ultionemque adſectat. Victor verò inſanit, exultat, majorique lucro inhiat, ſeipſum torquet, alios autem omnes odio habet. Avet ſemper divitias atque opes, non ut illis perfruatur (nam in ſumma opulentia eſurit ſemper, ac ſitit, & genium ſuum, domeſticos Penates defraudat) ſed ut illas cum colluſoribus effundat, & aleæ inſatiabilem voraginem expleat. Aleator nemini credit quidquam, nemoque ei ſe aut ſua permittere unquam cupit. *Hæc ille.* Joh. Sariſberienſis *lib. 1. de*
nug. curial. cap. 5. ab alea, *inquit*, armantur 5
ad lites homines, incurrunt inimicitias, in miſeram, etſi non miſerabilem, incidunt egeſtatem. *Idem Sariſberienſis.* Alea, *ait*, exciſo regno Aſiæ, inter manubias everſæ urbis non ſub una tantùm ſpecie migravit ad Græcos. Hinc *teſſera, calculus*, (1) tabula,

bula, urio vel dardana pugna, tricolus, ſenio, monarchus, orbiculi, taliorchus, vulpes, quorum artem, utilius eſt dediſcere, quàm
6 docere. Quis enim non erubeſcat, ſi ſortis ſuæ gratiam, non virtuti debeat, ſed taxillis? Quis fritilli cautelam ſuæ prudentiæ non doleat anteferri? Nonne ſatis improbata eſt cujusque artis exercitatio, quâ quantò quisque doctior, tantò nequior? Aleator quidem omnis hic eſt. Mendaciorum ſiquidem & perjuriorum mater eſt alea, & ex aliena concupiſcentia ſua prodigit, & nullam habens patrimonii reverentiam, cùm illud effuderit, ſenſim in furta delabitur & rapinas. Illam verò nonnulli præferunt, in qua Ulyſſes luſiſſe legitur & quòd ingenii aliquatenus multâ meditatione excitare videatur acumen. Sed ex eo mihi videtur perditior, cùm nihil infelicius ſit, quàm in eo, in quo minimum proficias, plurimum laborare. Eſt enim inutilis importunitas deprecantis, quâ inutilia adquiruntur, & quærendi inanis eſt diligentia, cùm inveniſſe non proderit. Poſſet itaque motus animi, & mentis agitatio, quæ tibi fruſtrà diſtrahitur, rebus pulchrioribus & melioribus accommodari.

7 *Et paulò pòſt*: Chilon Lacedæmonius jungendæ ſocietatis causâ miſſus Corinthû, Duces & Seniores populi ludentes invenit in alea. Infecto itaque negotio reverſus eſt, dicens, ſe nolle gloriam Spartanorum, quorum virtus conſtructo Byzantio clareſcebat, hâc maculare infamiâ, ut dicerentur cum aleatoribus contraxiſſe ſocietatem. Regi quoque Demetrio in opprobrium puerilis levitatis, tali aurei à Rege Parthorum dati ſunt. Eo ſiquidem munere exhonoranda viſa eſt adoleſcentia ſenilis, & qui in majeſtate regni levia committere minimè verebatur. Nunc verò nobilium in eo ſapientia declaratur, ſi venaticam noverint, ſi in alea damnabilius fuerint inſtituti, ſi naturæ robur effœminatæ vocis articulis fregerint,
8 &c. Atque ut alea eſt, patrimoniorum ſcopulus, Scylla ac Charybdis, ita ſi rectè rem examinare velimus, quid eſt aliud aleam jacere, quàm furari velle, & invito domino rem auferre? Ut propterea etiam Ariſtoteles aleatores cum furibus & latronibus conjunxerit. Nec quenquam procul dubio fugit, ex hoc vitio multos divites ad ſummam rerum omnium penuriam & egeſtatem devolvi, à rebus lætiſſimis in extremum luctum, à gloria ignominioſa dedecora, à pietate in reprobum ſenſum atque blaſphemiam, à fidelitate & juſtitia ad furta & rapinas pertrahi. Nec malè Hieron. Oſorius *lib. 7. de Reg. inſtit. fol. 133.* aleæ ludum vocat altorem otii, magiſtrum ignaviæ, inſtrumentum avaritiæ, fraudis officinam, rei familiaris everſionem, rixæ materiam, morum perniciem, dignitatis labem & inſignem ignominiam, item angorem animi & cruciatum aſſiduum: Et Hiſpani pulchrè ſuâ linguâ aleatorem *tahur* quaſi *hurta*, id eſt, furem vocant.

Filia avaritiæ, nutrix eſt alea furti,
Peſtis amicitiæ, triſte furoris opus;
Concitat hæc rixas, pugnam, perjuria, cædes;
Hæc graſſatores, ſacrilegosq́ facit.

Itaque Romana Severitas nunquam paſſa fuit, iſtiusmodi inertibus luſibus Rempublicam ſuam coinquinari; ac proinde Aleam *lege Corneliâ, & Titiâ*, (2) (quæ commemorantur à Martiano JCto *lib. 5. regular.*) nec non lege Publicia atque item Senatûs conſilio ſine ulla diſſimulatione prohibuit. Quò ſpectat illud Horatii *libro 3. Od. 24.*

— — *Neſcit equo rudis*
Hærere ingenuus puer;
Veneriq; timet, ludere doctior,
Seu Græco jubeas trocho,
Seu malis vetitâ legibus aleâ.

Qua de re non minus verè, quàm eruditè 9
Weſembec *in paratit. Digeſt. de aleat. num. 1.* Quum deterrimum (*inquit*) ſit prodigalitatis inſtrumentum alea, quâ complures per inconſultam temeritatem ad inopiam redacti, DEO maledicunt, & graviora facinora nonnunquam aggrediuntur; *l. fin. in pr. C. de Aleator. & aleæ luſu.* meritò & hoc providendum fuit, ne ludo tam noxio ullâ ratione indulgeretur, ſed potiùs, quoad ejus fieri poſſet, omnis ejus uſus procul è finibus benè inſtitutæ civitatis exterminaretur. Intereſt enim Reipublicæ, ne quis re ſuâ abutatur.

Præterea olim Aleæ accuſatio intro- 10
ducta eſt, quâ convicti, quadruplo damnabantur, ut ille Licinius Lenticula, homo ne- 11
quiſſimus, qui quòd non dubitaret vel in foro aleâ ludere, lege aleatoriâ damnatus eſt: & quem poſtea reſtitutum eſſe ab Antonio Cicero graviſſimè conqueritur, adverſus Antonium; Licinium Lenticulam (inquit facetè & ridiculè) de alea condemnatum, colluſorem ſuum reſtituit: quaſi verò ludere cum damnato non liceret: Sed ut, quod aleâ perdiderat; beneficio legis diſſolveret.

Eundem ad modum Horatius *libr. 2.* 12
Sermon. Satyr. 7. deſcribens quendam Scurram Volanerium hâc perditi ac nefarii ſtudii notâ inſignem, ſic depingit, dùm ait:

Scurra Volanerius, poſtquam illi juſta chiragra
Contudit articulos, qui pro ſe tolleret atque
Mitteret in pyrgum talos, mercede diurnâ
Conductum pavit. Quantò conſtantior idem

In

In vitiis, tantò leviùs miſer, ac prior illo,
Qui jam contento, jam laxo fune laborat.

13 Exemplum hoc Prætores, JCti, Patres in Conſilio Eliberino & in VI. Synodo Conſtantinopolitana *Can. 50.* & denique Imperator Juſtinianus *Novell. 183.* ſecuti ſunt. Et Ulpianus *lib. 1. de Aleat. tit. 5.* ex Prætoris Edicto in eum animadverti vult, qui compulit aleâ ludere, ut aut mulctetur, aut in latumias aut vincula publica ducatur, atque inſuper domus, quibus aleâ luditur, publicentur; Vid. *l. 1. & 2. ff. & l. 1. & 2. C. de aleat.* Cujac. *in paratit. ibidem.* Gregor. *lib. 39. Syntagm. jur. univerſ. cap. 3.* & luſores teneantur reſtituere id, quod vicerunt, & pars victa intra annos quinquaginta, vel victo negligente, repetere poſſit Fiſcus, *l. fin. C. de Aleat.* Quam tamen legem de conſuetudine mundi non obſervari, ſcribunt Joan. Andr. *in cap. penult. de vit. & honeſt. cleric.* Petr. Rebuff. *in procem. Conſtitut. Gall. gl. 1. n. 56.* Dominic. de Soto *de juſtit. & jur. lib. 4. quæſt. 6. num. 56.* Contrarium tenet Alphonſ. de Azevedo *in Conſtitut. Regn. Hiſpan. col. 2. num. 93. tit. 7. lib. 8. dicens d. l. fin.* ſervari ubiq; gentium, & dari repetitionem in judicio & paſſim ita judicari, niſi ſponte velint perdentes juri ſuo renunciare. Aliàs & plures pœnas contra luſores in jure proditas recenſet Borell. *d. cap. 8. num. 42. & ſeqq.* Videatur quoque Joſeph. de Seſe *Deciſ. Aragonenſ. 44. per tot. & inprimis n. 19. 20. & 21.* ubi dicit, repetitionem pecuniæ in ludo amiſſæ & ſolutæ, videri apud Hiſpanos impoſſibilem, propter mores, ingenium, & generoſitatem animi Hiſpanorum.

Nec mirum, ſi prædictus aleæ ludus
14 inter Chriſtianos ſit prohibitus, cùm & ipſos Saracenos & Turcas quocunque genere ludi depoſitâ pecuniâ inſtituti ignominiâ affici, & deinceps ſupplicio gravari, ſcribat Cuſpinianus *in libro de Turcarũ inſtitutis.* Conſiderarunt ſine dubio ſentinam malorum in hoc aleæ opere, quorum in occaſione vel ad pernicioſa ſtudia excitamur, ut eſt,
15 acedia, avaritia, colloquia otioſa, conſuetudo prava, voluptas carnalis; vel in varios exceſſus incidimus, ut eſt Scandalum vel exemplum pravum, juramentum, blaſphemia, perjurium, fraudes, mendacia, ira, odia, diſcordia, homicidia, adulteria, vindicatio injuriæ, contumelia, detractio, deſperatio, & alia hujuſmodi.

Carolus VII. Francorum Rex in ſuis diplomatis Anno MCCCLXIX. omne genus ludorum prohibuit, quod tractant inhoneſti illi circumforanei: veluti aleas, tabulas, fritilla, tegulas, globos, &c. quæ nulli corporali exercitio conducunt, nec ad ſuorum Nobilium palæſtram exercendam ſunt inſtituta, aut ad defenſionem regni. Illis enim inertibus luſibus pœnam indixit quadraginta ſolidorum Pariſienſium pro ſuo Fiſco, quoties reperti fuiſſent, hujusmodi ludos tractaſſe. Damhouder. *in praxi crim. cap. 126. num. 28.* Sunt & aliæ in Gallia de 16
ea re latæ leges ac conſtitutiones, veruntamen irritæ: Adeò communiter, & à primariis viris in eo genere delinquitur: ut, quod Marcellinus ait, eæ demum, cùm aliæ tepeſcant, firmæ ſunt amicitiæ, quæ aleariæ ſunt: quaſi glorioſis quæſitæ temporibus, Gallis, ac nunc fermè Germanis conveniant magis, quàm quibuslibet. Ærod. *lib. 2. tit. 20. cap. 1.*

Tota Gallia hodie eſt alea, & permiſ- 17
ſione publicâ alearum gymnaſia fervent, Mercur. François *lib. 5.* Jonas quidam, teſſerariæ Academiæ Rector, Lutetiæ ad publicum aleæ exercitium conduxit ædes, mercede in quindecim tantùm dies mille & quadringentarum libellarum (1400. Francken) conſtitutâ, referente Thoma Lanſio *in Orat. contra Galliam fol. 389.* Ludum tamen pilæ in Senatoribus ſuis Ludovicus XII. Galliæ Rex maximè improbavit. Nactus enim ad Braccum Lutetiæ Senatores Pariſienſes, qui ſeſe pilæ ludo oblectabant, acriter increpitos, ſi poſthac deprehenderentur, pro Senatoribus, habiturum ſe ſtipatorum loco, edixit: pertinere hoc ad Senatoriam Majeſtatem putans, ſi minùs occupati ludicris publicis viderentur, Arnold. Ferron. *Hiſtor. lib. 3. fol. 42.*

Adſpice Germaniam. Nonne in ea 18
calet alea paſſim? Nec otioſis tantùm juvenibus, ſed & depontanis ſenibus, qui potiùs Pſalterium nocturâ diurnâque manu verſare, & adversùs imminentis fati metum divino precum clypeo pectus perpetuò communire debebant, ad vaniſſimas teſſerarum jactationes flagitioſâ diligentiâ aſſiduis & frequentibus. Specta & Italiam: to- 19
ta ferè fervet. Inventus eſt Venetus, qui in uxorem ſuam luſerat, Paſchaſius Juſt. *de alea lib. 1.* Fuit & Italus, in quo tanta ludendi appetitio & veſana cupido ac voluptas, ut moriens (quaſi parum fuerit, in vita luſiſſe) teſtamento religioſè caverit, ut detractâ cadaveri ſuo cute, oſſibusque omnibus exemptis, ex his teſſeræ fierent, ex illa verò membranisque omnibus menſa, alveolus, fritillusque, quantâ fieri poſſet ſolertiâ, contegerentur. Nimirum, ut quod vivus libentiſſimè factitabat, mortuus etiam, quantum poſſet, obiret.

Cæterùm & Hiſpanos præ aliis populis 20
proclives eſſe, & præcipiti impetu ferri in aleam; vel hinc pateſcit. Etenim Hiſpanias longè lateque luſtranti ſæpè hoc ſolet contingere, ut cùm multis locis nihil eorum, quæ ad victum faciunt, non panem, non vinum invenire poſſit, tamen nunquam

quam caſtellum aut vicum ullum adeò abjectum & obſcurum transeat, in quo non chartulæ luſoriæ veneant. Quod quidam in Aula Regia advertens non parvi nominis & induſtrius Mercator ſummâ curâ parique ſtudio ab Imperatore Carolo V. contendebat, ut nemini præter ſe toto decennio tabulas luſorias in Hiſpaniis diſtrahere licitum
21 eſſet. Quo privilegio ita prædives deinde factus eſt ille, ut cæteros ibi mercatores opibus ac potentiâ facilè ſuperârit. Et quàm pauci admodùm Hiſpanorum, qui lucri ſpe toto pectore aleam non anhelent, Barcinonæ, quæ Hiſpaniæ Tarrocenſis eſt metropolis, teſtari poteſt: ubi cùm aliquando in magna remigum raritate, obortâ neceſſitate, triremes ſubitò parandæ atque inſtruendæ eſſent, tunc mediocri tantùm ex publico in aleam ſubjecta pecunia, hac dicta Lege, ut quoties duo ludiones fortunam periclitari vellent, victor quidem ſemper pecuniolam propoſitam lucraretur, & liber abiret, victus autem in remigum numerum referretur; brevi tempore idoneus remigum delectus habitus eſt, Thom. Lanſius *in Orat. contra Hiſpanos pag. 506.*

22 VENETI quoque in Rhætici fervore belli, ne aleâ néve ullo alio præter ludum latrunculorum ludo, cum in urbe, tum per xxv. millia paſſuum extra urbis fines in pecunia luderetur, exceptis nuptiarum celebritatibus, & cauponis, & eâ fori parte, quæ ad columnas eſt, atque ipſa fori porticu: edictumque nec iis in locis luſio auri unciæ partem quintam excederet, Bemb. *libro primo Venet. Hiſtor.*

23 Quare cùm ea ex prudentiorum ſententia Tributa & Vectigalium genera, quæ ad coërcenda ſcelera imperantur, omniũ juſtiſſima, utiliſſima & ſanctiſſima videri debeant, optimo jure aleatores à Magiſtratu, Tributo aut mulctis pecuniariis ſubjici poſſe
24 arbitror. Etenim

Bonus aleator, ac bonus Vir, differunt,
Vir peſſimus, ferè aleator optimus.

25 Sic & Principem vectigal in Ebrios & Ebrioſos, vinum ac cerviſiam vendentes ſtatuere poſſe, cenſet Waremund. ab Ehrenberg. *de ſubſid. regn. cap. 4. n. 43.* Contzen. *lib. 3. Polit. c. 14. n. 18.* ubi civium ebrietatem, ho-
26 norum privatione, mulctâ corrigi, ac tabernarum, hoc eſt officinarum ebrietatis Dominos, ſi quem ebrium non indicent Magiſtratui, magno ære puniri debere, ſcribit; maximè cùm Magiſtratus Imperatoriâ lege ad hoc obſtringantur.

Annon nefaria perpotandi conſuetudo multoties Conſtitutionibus Imperii de An. MD. MDXII. MDXXX. MDXLVIII. MDLXXVII ſeverè inhibita eſt? & Principibus atque Ordinibus Imp. graviter injunctum, ut *calicum remiges* (3) fugiant, aulis ſuis exturbent, puniant, & exemplo ſuo aliis obſequii facilitatem demonſtrent? At ſanctiſſimæ illæ leges apud ebrios & ebrioſos non plus vigoris habuerunt, quàm nix in tectis adversùs rectos ſolis radios: quin in cunis, ſeu cùm naſcerentur in ipſis Comitiis plerumque ſunt *contrariis factis oppreſſæ.* (4) Et quemadmodum Suevi, & Helvetii plerique ſuam indecoram veſtium formam pertinaciſſimè retinent, qua illas corporis partes, quas honeſtas jubet occultas eſſe, obſcenis priaporum ſimulacris, ſive ut vocant Laziis (Schwäbiſche Latz) veluti femoralium præſidibus, glorioſulè exprimunt, & oculorum pudicitiam tentant: Sic tota ferè Germania hæreditariam illam ebrietatis peſtem conſtanter ſervat, amat, atque colit. Nonnunquam tamen usque ad ebrietatem veniendum eſſe ſuadent *viri prudentes;* (5) non ut mergat nos, ſed ut abducat nonnihil animos in altiores curas defixos. Ut enim morbis quibusdam, ita & triſtitiæ medetur; *nec rarò conſilia non liberiora tantùm,* (6) ſed & meliora cudit, in quibusdam præſertim ingeniis excitatur virtus, & largiùs bibendo ſpiritus fiunt ſolertiores ad res grandes perficiendas. Nam, ut inquit Horatius *lib. 3. Od. 12.*

Narratur & priſci Catonis
Sæpè mero caluiſſe virtus.

Et bonis Poëtis eſſe liberaliùs bibendum, idem Poëta ſuadet, cùm in *Epiſt. 19. libro 1.* inquit:

Nulla placere diu, (7) *nec vivere carmina poſſunt,*
Quæ ſcribuntur aquæ potoribus.

Et poſtea ſubdit:

Ennius ipſe pater nunquam niſi potus ad arma
Proſiliit dicenda.

Sic & in eos, qui præter dignitatis & ordinis 27
Statum ſibi quippiam arrogaverunt, ad ſuperbiam & faſtum demonſtrandum, mulctis pecuniis animadverti poſſe, ſentiunt Bornit. *de Ærar. lib. 4. c. 6.* Waremund. *d. c. 4. n. 64.* Keckerm. *Diſput. pract. 34. fol. 724.* Lather. *lib. 1. de cenſu c. 5. n. 25.*

Quid *de Ludo Latrunculorum ſive* 28
Schachio (8) ſit ſentiendum, pulchrè conſiderat Petr. Heig. *lib. 2. quæſt. jur. qu. 10. n. 47. & ſeqq.* dicens, quòd in eo omnia Martium quiddam ſpirare videntur; & ingenioſiſſimus licèt ſit, tamen ad barbaros etiam uſus illius promanavit, quemadmodum de Indicis populis *Petr. Martyr,* (9) & de Septentrionalibus Gothis *Olaus Magnus* (10) teſtantur: ac in agri Halberſtadienſis pago Stropke ruſtici adeò hujus ludi periti dicuntur, ut exercitatiſſimos extraneos vincant; additq; illum apud Interpretes noſtros tantum quidem meruiſſe favorem, ut inter ludos licitos & permiſſos habeatur: quia videlicet in ludo minimum fortunæ licèt, ſed omnia ingenii acumine ſingulari explicantur,

& conficiuntur. Tametſi alii hunc etiam ludum reprehendant, quòd nempè adeò difficilis, ut ſi quis eum exactè velit addiſcere, multum temporis inſumat, oportet & tantâ diligentiâ utatur, quantâ opus eſt in perdiſcenda nobili aliqua arte, aut re magni momenti: Schachiæ ludum Hieronymus Vidas & Julius Aſcanius Tuccius Cremenſis; Lortzium verò, aleæ ludum, egregiè deſcribit Carolus Leuſchnerus Miſnenſis, ambo relati à Caſp. Dornavio *in Amphytheatro Sapientiæ Socraticæ Joco-Seriæ fol. 744. & 652. ſeq. & ſeqq.*

Concludo cum Reinhardo Lorichio *in princ. inſtit. cap. 72. fol. 210. & ſeqq.* cenſente, iſtum nec inter homines, nedum inter Principes numerandum eſſe, qui è pauperculis extorquet, quod turpiter perdat ſcortis, aleâ: quod Cæſarem Borgiam Alexandri VI. filium feciſſe legimus, Thom. Lanſius *in Conſultat. contra Italiam fol. 944.* quem non leviter ſecutus eſt Laurentius à Bibra Epiſcopus Herbipolenſis LXI. aliàs à Bruſchio *tom. 1. magni operis de Epiſcopo in Catalogo Epiſcoporum Herbipolenſium* ſummè laudadatus vir, qui ſimili ludo

(*Qui bis dena ducum millia nocte vorat:*
Perdidit hæc nuper Francorum Præſul in urbe
Caſtor, Plutoni dum pia ſacra facit.
Inde ſuis miſeris nova vectigalia ſcribunt,
Prenſantes cenſu cuncta elementa ſuo.
Hi cœlo, & nitidum poſſent ſi prendere Solem,
A cenſu liber non foret ille ſuo.)

tot tantaque perdidit; uti canit Conrad. Celtes 2. *Amor. Eleg. 9.* Et hujusmodi quosdam audimus eſſe, qui hoc jus ſuum eſſe putent, Lorich. *d. loc.* Greg. Tholoſ. *lib. 9. de Republ. cap. 1. num. 9.* Beſold. *de ærario. publ. cap. 4. num. 2. verſ. 2.*

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT CI.

Num. 6.

(1) T*Eſſera, calculus &c.*] Quid teſſera, calculus, tabula, aliaque hîc nominata, fuerint, optimè & noviſſimè omnium in ſolertiſſimo ſuo Tractatu de Alea veterum (*in quem, quicquid ſparſim ab Authoribus de alea dictum, in unum congeſſit,*) Andreas Senftlebius explicat; præter quem de Alea commentati ſunt Paſcaſcius Juſtus, Cæcilius Cyprianus, Franciſcus Petrarcha, cæterique à Senftlebio *cap. 18.* laudati; Polydorus Vergilius *de rer. invent. lib. 2. cap. 13.* Souterius *in Palimede.* Cauſabonus *in Commentario ad Suetonium, in vit. Auguſti cap. 71. verba: talis enim jactatis, ut quisque Venerem aut Senionem jaciebat &c.* Gisbertus Voëtius *de Uſu Aleæ.*

Num. 8.

(2) *Lege Cornelia & Titia &c.*] Confer *l. 3. ff. de aleat.* Roſinum *Antiquit. Rom. lib. 8. cap. 23. poſt medium.*

Num. 26.

(3) *Calicum Remiges &c.*] Calicum Remiges dicti ſunt, qui aſſiduè perpotarent, vinum pro remo ducentes. Ita Dionyſius cognomento æreus apud Athenæum *lib. 10. in Eleg.*

Si qui vina trahunt in remigio tibi Bacche
Potandi nautæ, remigium calicum.

Ingens Poculum quaſi ſinus eſt, in hoc trahunt, non remis, ſed linguâ. Neque rarò faciunt naufragium, jacturâ cùm pecuniæ, tum mentis. Eraſmus *Adag. Chil. 4. cent. 7. ad. 41.*

(4) *Contrariis factis oppreſſæ &c.*] Quemadmodum Lex nova, inquit Gail. *2. Obſ. 110. n. 24.* uſu non recepta, viribus caret, & deſuetudine tollitur; ita quoque hæ Leges Imperii contrario uſu quaſi abrogatæ & ſublatæ ſunt; idque peſſimo exemplo, & quadam turpitudinis infamiâ. Quid, quod alium effectum ſaluberrimæ Imperii, in textu indicatæ, Conſtitutiones haud ſortitæ fuerint, quàm, uti Latherus *de Cenſu lib. 1. cap. 10. n. 32. ſeqq.* notat, contemptum atque riſum; utque Germaniæ Nobiles ſibi invicem propinando dixerint: Propino tibi hauſtum in Conſtitutionem Imperii de Ebrietate vitanda, Es gilt dir auf den Reichs-Abſchied.

(5) *Viri prudentes &c.*] Interque illos Romanæ Sapientiæ ocellus, Seneca *de Tranquill. animi circa fin.*

(6) *Nec rarò conſilia non liberiora tantùm &c.*] Ita veteres Germani, Tacito Authore *in Deſcript. Germ. cap. 22. n. 4.* de reconciliandis invicem inimicis, & jungendis affinitatibus, & adſciſcendis Principibus, de pace denique ac bello plerumque in conviviis conſultant: tanquam nullo magis tempore aut ad ſimplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incaleſcat. Sic & de Perſis Herodotus *lib. 1. cap. 133.* ſcriptum reliquit, quòd poti de rebus maximis conſultare conſueverint, & quod ipſis placuerit inter pocula deliberantibus, id poſtridie proponere dominum illius domûs, in qua deliberatum fuit: & ſi quidem placuerit ſobriis etiam, retineri; ſin miùns, relinqui. Quanquam non Perſicum modò, ſed Græcum quoque morem illum fuiſſe, Plutarch. *Sympoſ. quæſt. 7. & 9.* demonſtrat, ubi *quæſt. 10.* in rationes moris illius inquirit. Quas breviter recenſet Bernegger. *in Quæſt. Polit. ex Tac. G. & A. quæſt. 129.* ſed ut ibidem dicit;

Βάκχου μέτρον ἄριστον, ὃ μὴ πολὺ μὴ τ' ἔλαχιστον.
Menſura vini optima, nec deficiens, nec redundans.

(7) *Nulla placere diu &c.*] Hinc non ineleganter Germanus quidam Poëta:

Wein iſt aller Poeten ihr Pferd;
Verſe von Waſſer ſeynd Waſſers nicht wehrt.

Num. 28.

(8) *De Ludo Latrunculorum ſive Schachio &c.*] An Ludus Latrunculorum cum Schachio idem ſit, enucleat Senftlebius *de alea cap. 14.*

(9) *Petr. Martyr &c.*] *Cap. 15. de ludis.* Oceanæ decade *3. lib. 9.*

(10) *Olaus Magnus &c.*] *Lib. 15. capite 12. & 13.*

CAPUT CII.

Ærarium augetur ergaſteriis nequitiæ coërcendæ accommodatis, Opificiisq́ inſtruendis, Chinenſium, & Belgarum exemplo: ubi plura de validis mendicantibus, & quæ inter hoſce & otioſos ſit differentia.

SUMMARIA.

1. Ærario *ſtabiliendo præcaveatur in Subditis* Otium.

2. Otioſi, *immorigeri, prodigi, conſimilesq́, bono ipſorum & publico ad operas includantur, adſtringanturq́.*

3. Hæc ratio *exorbitantes à vitiis avocat, & ad virtutes felici neceſſitate compellit.*

4. *Laudantur* Reſpublicæ, *quæ in hunc uſum domos publicas deſtinarunt: quæ impendia, non diſpendia, ſed compendia ſunt, reis ad virtutem & laborem, Magiſtratibus ad ærarium ſtabiliendum.*

5. *Hinc occaſionem habent iſti diſſolutiores Chriſtianæ doctrinæ addiſcendæ, virtutisq́ imbibendæ.*

6. *Sic fit hominibus profligatis ſalutare Piſtrinum* Ergaſteriumve.

7. *Deducitur id prolixius etiam ad vicinas.*

8. Exactor operarum *in his* Ergaſteriis *morumque caſtigator.*

9. *Nuſquam eſt, ne Cœlo quidem tolerabile* otium *& pigrities.*

10. *Præclaræ ſimilitudines contra* otioſos.

11. *Lex Solonis contra* otioſos.

12. Otioſi *ſplendidè viventes in judicium vocantur, plectunturq́.*

13. *In* Chinenſi *terrâ neque ſegnes tolerantur, neque ulla gleba terræ inculta permittitur.*

14. *Numerantur hic quatuor cæcorum millia; qui orizâ frugibusq́ aliis terendis occupantur.*

15. Chinenſium *variæ occupationes.*

16. *Nobile exemplum Hugonis Marchionis Brandeburgici contra* otioſos.

17. Florentinorum *conſuetudo in extirpandis* otioſis.

18. *Ex perſecutione* otioſorum *ſæpè grandiora vitia palàm veniunt.*

19. Otioſi *in tabernis hoſpitio non detinendi.*

20. Errones, aleatores, vagabundi, *nebulones ſive ſolitariè ſive gregatim curſitantes extirpandi; ad labores cogendi, varieq́ puniendi,* n. 21.

22. Ignavi otioſique *venenum ſunt Civitatum.*

23. Docetur otioſorum *exterminium nobili apum exemplo.*

24. Otio *extirpato redundat ex labore in omnes concives ſumma utilitas & jucunditas.*

25. Princeps *facinoroſos, quibus vita adimi nequit, in metalla vel alia onera publica condemnet.*

26. *Conſtitutio Imp.* von Bettlern und Müſſiggängern. Item von Herrnloſen und gartenden Knechten/ n. 27. Zigeunern/ n. 28.

29. Spinnhaus *ſive domus Netoria.*

30. Mendicantium *ſunt diverſæ rationes.*

31. *Quidam deſidiâ eligunt* mendicitatem: *alii ſuo fato triſtiore & neceſſitate coguntur: his ſubveniendum:* num. 32. *in Noſocomia diverſa recipiendi,* num. 33.

34. *Prioris generis* mendicantes, *quos videlicet deſidia ad mendicitatem allicit, eliminandi.*

35. *Hi eripiunt veris pauperibus ſua commoda, exploratores ſæpè proditoresq́ bonorum.*

36. Teterrimi *ſunt, qui ſibi ipſis affingunt miſerias enormiores, ut impudentiùs mendicent.*

37. *Qui falsò ægritudinem ſimulat,* pœna falſi *dignus eſt.*

38. Privilegia *pauperibus conceſſa non competunt illi, qui ſuâ culpâ & vitio ad inopiam eſt redactus.*

39. Pœnæ *Imperatoriæ contra validos mendicantes: ubi obliteratæ, ibi in uſum revocandæ,* n. 40.

41. Leges *utiliſſimæ contra validos, vagos, vanosq́ mendicantes.*

42. *Apud Alemannos* mendici *olim nulli.*

Nulli hic certa quies, cunctis crux una ferenda eſt,
Poſt liceat ſtabili fata quiete frui.

ÆRarium qui ſtabilire, & onera plebis ſublevare cupit, inprimis operam præſtare debet, ut Subditi habeant, undè honeſtè vivant, & ordinaria tributa & reditus ſolvant; quod fit, ſi nemo ſit otioſus. Olim ignavi inerteſque, ſuſpectique malarum artium ſi adparerent in publico, clamore & excitatione vicinorũ ad eos pellendos abigebantur. Miſeræ civitatis & languentis Imperium indicium eſt, qui ſibi aliisq; non proſunt, ſed aliorum laboribus fuci inhiant, eos eſſe in propatulo: multò magis, tales, quibus nec vis, nec ſapientia, nec virtus, nec bona, quibus ipſe ſuſtentẽtur, aliiq; adjuventur, ſuppetunt, rerum potiri, & ad honores aditum habere per malas artes, atque ab iis honeſtos & Reipublicæ utiles futuros excludere: quod in bellis, tumultibus, &, ubi factionibus populi laborant, ſæpè fieri aſſolet. Quales Eccleſiæ, Reipublicæ & omnibus bonis graves eſſe, minimè mirum eſt. Sola autem cauſa eſt omnium iſtorum malorum contemptus DEI & pietatis, rerumque humanarum aviditas; quæ inolita hominum animis diluvium omnium inducunt calamitatum, Joan. Coccejus *in Job c. 30. f. 399. & 400.* Contra otioſos itaque leges ferendæ ſunt, ut iidem ad laborem aliquem Reipublicæ utilem compellantur, prodigi coërceantur, mali & immorigeri filii & ejuſce furfuris homines malitioſi domitentur, huic-

que fini carceres publici ſive (vulgò Zucht-
2 oder Spinnhäuſer) extruantur, & cubiculis officinisque diverſis ad opificia mechanica oportunis diſtinguantur, & ſic ex incluſorum operibus Fiſco conſulatur: Quòd inſtitutum, quo Reſpublica malis hominibus purgatur, otioſi ad labores, maleſani ad ſanitatem mentis, prodigi ad parſimoniam, petulantes ad humilitatem & obſequium
3 perducuntur, *in Belgio Amſtelodami*, (1) Leovvardiæ in Friſia, Bremæ, aliisque in locis frequens, vehementer laudant, & adprobant, Politici; quaſi eò vix quicquam urbibus utilius excogitari poſſit.

4 Quippe quòd publici ſumptus & impendia in hoc collata, non ſint diſpendia, ſed compendia, & ex emolumento operum, quæ elaborare tenentur captivi iſti, & ad tempus civiliter mortui, ſatis abundè reſarciantur cum interuſurio. Accedit hoc etiam commodi, quòd multi artificio inſtruuntur, unde ſe ſuamque familiam aliquando, cùm ſe receperint ad meliorem frugem, alere, & ſuſtentare queant.

5 Ne dicam de Studio & Catechetico, quo hæc turba eruditur, ut ſinguli ſuæ fidei Sacerdoti ad hoc munus deputato rationem reddere & conciones diligenter auſcultare; & ſuam vitam ad præcepta DEI, & bonos mores inſtituere teneantur. In hoc piſtrinum obtorto (quod ajunt) collo trahuntur, qui coërceri domi à ſuis in obſequio ac officio retineri non poſſunt, item errones, moribus profligati, mali vagique homines, prodigi rerum ſuarum, exultanti nequitiæ & ignaviæ dediti, cæteris noxiis facinoribus
6 quoque inquinati, quos capite plectere non libet, cujusvis generis, ſexûs, ætatis in ejusmodi ἐργαστήρια detruduntur, & ad labores, cujusque ingenio, ætati, & viribus convenientes arctantur, ita ut ſi debitum laboris penſum præfixo tempore non perficiant, non ſolùm cibariorum tenuitate, verùm etiam fuſtibus, virgis & corporis cruciatu ad id compellantur. Hoc enim modo ſublato otio omnium malorum fomite, flagitiorum radices amputantur, petulantiæ fibræ evelluntur, ſtirpes eliduntur, & virtutis ſemina ſubſtituuntur. Quare non priùs ejusmodi farinæ homines exinde demitti ſolent, quàm ſigna emendatioris & manſuetioris vitæ exhibeant, laborisque patientes, unde honeſtè vivere poſſint, addiſcant. Hyppolit. à Collib. *de increment. urb. cap. 23.* & Iſac. Pontanus *in Hiſt. Urbis Amſtelodamenſ. lib. 2. cap. 9. & ſeq.*

Hac diſciplinâ conſulitur Reipublicæ, authoritati parentum, honeſtati familiarum, & ipſis otioſis, & malitioſis, qui hoc modo ad ſaniorem frugem diſciplinâ & labore reducuntur, ne ſe ipſos & alios in vitæ & exiſtimationis periculum conjiciant, & in extremæ calamitatis barathrum præcipitent.

Nonnunquam etiam aliunde è regio- 7
nibus vicinis, facinorum rei, qui ſuis domi pudori ac infamiæ ſunt, huc mittuntur. Laborandum in eo omnibus, aut eſuriendum.

—— *Sed quid non mortalia pectora cogis*
Intoleranda fames?

Si qui aliis laboribus idonei non ſunt, & corpore valent, trophos tundendo minuunt, & in uſum cæmenti præparant: multa artificia docentur & factitant, quibus impoſterum è carcere emiſſi vitæ præſidia parare poſſint: ſecluduntur in diverſis ac diſtinctis cellis, ne alii alios turbent. Datur iis exactor ad operas ſeverè 8
urgens, curansque ne quid nequiter aut protervè, ne quid ἀτάκτως agatur, ſed ut omnia faciant ordine & decenter, ut eſt ſingulis imperatum. Norimbergæ quoque exſtat domus, vulgò Springerhaus (1) ubi otioſi vinculis coërcentur, & ad vias purgandas, ad fodiendum, &c. adhibentur.

Quantùm verò compendii & lucri ex operibus iſtorum hominum Fiſco procuretur, facilè conjici poteſt. Hujus item pœnæ metu, pauciſſimi invenirentur, in trivio mendicantes validi, otioſi, prodigi, & id genus alii.

Lex eſt DEI antiquiſſima, *Geneſ. 3. v. 19.* In ſudore vultûs tui veſceris pane tuo; *Pſal. 127. verſ. 2.* labores manuum tuarum manducabis. DEUS nihil otioſi in toto Orbe vult ferre, ſublunaria omnia ſuas habent conſtitutas operas, Angeli ipſi ad voluntatem divinam exequendam parati ſunt, quam in rem multa adducunt Camill. Borell. *in Spec. Princip. in Præfat.* Alphonſ. de Azevedo *in Conſtit. Reg. Hiſpan. lib. 8. tit. 1 f. l. 1. num. 1. & 2.* Gerſon. *in lib. de remed. contr. puſillan.* Cor vocantis otio, dicit eſſe 10
inſtar molendini, quod non habeat ad molendum bonum frumentum, quia in continuo motu eſt, & molit & conſumit ſe ipſum. Utque in agro inculto naſcuntur ſpinæ ac vepres, in aquâ immotâ vermes, ſic in animâ otioſâ pravæ cogitationes proveniunt ad omnis generis flagitia inſtigantes. *Amaſis Ægypti Rex* (3) legem ſancivit, ut ſinguli quotannis apud Præſides Regionum profiterentur, unde viverent; qua in re, ſi quis mentiretur, aut ſi injuſtò viveret quæſtu in mortis pœnam incidebat.

Ab Ægyptiis hanc legem Solon mutuatus Athenienſibus promulgavit. *Areo-* 11
pagitæ quoque (4) profligatores patrimoniorum, eosque, qui nullis facultatibus victitarent, in judicium accitos, pœnis ac ſuppliciis affecere. Et ideò pauper ſumptuosè vivens apud Corinthios puniebatur. Alexand.

xand. Sard. *lib. 2. de Morib. Gentium cap. 31.* quam legem Athenæus *lib. 6. cap. 2.* ex Diphilo in Mercatore ita recenſent:

12 Eſt optimè hîc ſtatutum (5) *apud Corinthios:*
Si quempiam obſonare ſemper ſplendidè
Videmus, hunc rogamus, unde vivat &
Quid faciat operis? ſi facultatis habet,
Ut reditus harum ſolvere expenſas queat;
Perpetimur illum perfrui bonis ſuis.
Si fortè ſumptus ſuperat ea, quæ poſſidet,
Prohibemus huic, ne faciat impoſterum:
Ni pareat, jam plectitur pœnâ gravi.
Sin ſumptuoſè vivit is, qui nil habet,
Traduut eum tortoribus. Proh Hercules!
Nec enim licet vitam abſque malo ullo eligere
Talem: ſcias. Sed eſt neceſſe aut noctibus
Abigere prædam, aut fodere muros ædium,
At hæc patrantum jungier commercio
Aut in foro agere Sycophantam, aut perfidum
Præbere teſtem. Nos genus hoc mortalium
Ejicimus ex hac urbe velut purgamina.

In Regno Chinæ (6) ſegnes ſeveriſſimè
13 caſtigantur, nec hîc prorſus otioſi tolerantur, unusquisque aliquid facere cogitur, nec relinquitur palmus terræ, qui non colatur, nec dragma materiæ, quæ non formetur in Cantan. Inter alias res notatu dignas, nu-
14 merantur quatuor cæcorum millia, teſte Botero, qui terendis frugibus & Oryzâ occupantur. In China habet unusquisque
15 quod agat, ſecundùm ejus vires, hic manu, ille pede, oculo, linguâ, aliquid agit: iis ſolùm in Protodochiis publicis locus eſt, qui prorſus membrorum omnium impotentes ſunt, nec adfines habent, qui eis ſuccurrere poſſint. Childericus Rex Franciæ conſenſu Stephani Pontificis in gratiam Pipini depoſitus ac detonſus in monaſterium relegatus eſt, exemplo publicè ſalubri, ne Reges imbelli otio victi pro virtute ignaviam colant. Camerar. 1. *oper. ſubſciſ. 15. fol. 91. ex lib. 1. Ann. Franc. Papyrii Maſſandi.*
16 Ob hanc rem inter alias eximias virtutes, quibus Hugo Marchio Brandenburgenſis, Vicarius Ottonis III. Imper. in Italiâ, præditus fuit, celebratur, quòd is hominibus otioſis & aſotis adeò infenſus fuerit, ut eos in judicium vocarit, ad reddendam rationem otii & ſumptuum. In Etruria, præſertim Florentiæ, adhuc ſervatur conſuetudo ab 17
ipſo introducta, ut Magiſtratus in otioſos & ignavos inquirat, atque ex eis percontetur, quâ arte ſibi victum parent, qui ſi rationem & innocentiam vitæ non probaverint, trahuntur ad ſupplicia vel ejiciuntur. Idem Camerar. 2. *oper. ſubſceciv. cap. 32. fol. 173. ex Georgio Sabino in vita Hugonis March. Brandenburg. lib. 15. cap. 15.* Eo modo, paſſim in benè conſtitutis Rebuspublicis contra inertes & otioſos inquiritur; ex quâ inquiſitione ſæpenumero deteguntur latrocinia, furta & alia ſcelera: In Electoratu 18
Saxoniæ peculiares Conſtitutiones exſtant, quibus mandatum, ut hoſpites & caupones otioſos & ignavos homines ultra triduum apud ſe non retineant, & ſi migrando de unâ tabernâ ad aliam, vel aliâ de causâ 19
ſuſpicio contra illos oriatur, ut deferant eos Magiſtratui, qui de vitâ & moribus eorum diligenter inquirat; ſique ſontes reperiat, pro merito puniat; Nemo enim de vento vivere præſumitur, *l. fin. C. de aliment. pupil. præſtand.* Gregor. Tholoſan. *libro 23. de Reg. cap. 71. numero quarto.* Quò loci optumè Reipublicæ conſultum putat, ſi 20
adverſus otioſos inquiſitiones fiant, vel per Magiſtratus, vel per cenſores, & pagorum præfectos, ita, ut vagabundi, errones, nebulones, aleatores, milites gregarii, **Herrnlo'e Knecht und Landfahrer** / ad opus vel pu- 21
blicum, vel privatum cogantur, & ſi operari nolint, ex ditione, & ſocietatibus pellantur, & ſi revertantur, fuſtigentur, & contumaces adhuc ad triremes vel aliò remittantur. Quod & probavit Franc. Patric. *lib. 1. de Inſtit. Reg. tit. 8.* dicens, otioſos ac ignavos homines venenum Civitatum, iisque in Republica nullum eſſe locum, cùm nihil 22
agendo malè agere diſcant, & induſtriæ bonorum civium ſemper invideant, quibus cùm ſimiles eſſe nequeant, ſimultate & odio eorum ſtatum labefactare conantur. Ut enim Virgilii verſibus luculentiſſimis utar:

Qualis apes æſtate novâ per florea rura
Exercet ſub ſole labor, cùm gentis adultos
Educunt fœtus, aut cùm liquentia mella
Stipant, & dulci diſtendunt nectare cellas,
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine factò 23
Ignavum fucus pecus à præſepibus arcent:

Sic omnes cives certatim elaborare debent, ut quilibet pro parte ſuâ Rempublicam juvet, & patriæ felicitatem opere, ſtu-

dio, arte, & officio expleat, inque utilitatem communem aliquid conferatur, ut ita tandem pellatur ignavia, exulet iniquitas & injuria, nulla vis, nulla fraus honeſtum otium perturbet, inopia, deſidiæ comes, exterminetur, & omnes cives inter ſe ſint æquali jure, mutuisque opibus ultro citroque benignè collatis, in omni rerum varietate muniti, & civili charitate & benevolentia devincti. In quavis ergò Republica Chriſtianâ, artificia publica ſunt inſtituenda, & otioſi, ne vitiis diffluant, ad laborem revocandi:

24 Ex quo ſumma & incredibilis penè ad univerſos & ſingulos utilitas redundat. Nam (1) eâ ratione parantur faciliùs omnia illa, quæ ad victum & amictum pertinent, (2) extranei alliciuntur & invitantur ad nos, noſtrasque merces & inviſendas & coëmendas; Unde non modò privati homines diteſcunt, ſed & Reipublicæ Ærarium auctis in dies Vectigalibus, portoriis, teloniis, publicisque reditibus apprimè ſtabilitur.

25 Quàm plurimorum olim divitiæ in Servorum multitudine conſiſtebant; Hos & Princeps ſibi comparare poſſet, ſi fures, adulteri, aliique delinquentes (quibus ſine læſione Divinorum præceptorum vita concedi poteſt, & qui ſine fructu, Relegatione, aut Fuſtigatione puniuntur) in metallum, vel alia publica opera ad tempus, vel in perpetuum condemnarentur; aut eorum operâ; privatis illorum ſervitio indigentibus, certâ mercede addiceretur.

26 Utiliſſima in noviſſimis Imperii Conſtitutionibus hac de re exſtat Lex à Carolo V. Imper. in Comitiis Auguſtanis promulgata Anno MDXLVIII. poſteà à Rudolpho II. Imper. repetita Policey-Ordnung zu Franckfurt de Anno MDLXXVII. *ſub tit.* von Bettlern und Müſſiggängern.

27 Hisce non abſimiles ſunt, qui ſub prætextu militiæ ruſticos exſugunt, & ab iis ſtipendium vel victum colligunt, vel invitis extorquent, vulgò gartende Knecht / de quibus exſtat Conſtitutio Imp. de An. MDLV. §. Und dann angeregte Vergaderung ꝛc. Quæ Conſtitutio repetitur *in d. Ordin. Francof. de Anno MDLXXVII. ſub tit. 7.* Von den Herrnloſen und gartenden Knechten.

28 Peſſima etiam vagatur in Germania hominum colluvies, furaciſſimum & mendaciſſimum genus, qui *Zingari, vulgò* Zigeuner (7) vocantur, & furtis, rapinis, mendicationibus, ac chiromanticâ divinatione vitam ſuam tolerant. Hi cùm ſint exploratores, & proditores, qui Germanorum conſilia & negotia Turcis aliisque hoſtibus produnt, nullâ in Imperio ſecuritate gaudent, & impunè à quovis offendi poſſunt, *d. Ordin. Polit. Francof. de A. 1576. ſub tit. 28.* von den Zigeunern. De quibus Aventin. *lib. 7. Annal. Bojor. fol. 509.* Crantz. *lib. 11. Saxon. cap. 2.* Oſiander. *in Comment. Deut. 18. verſ. 10.* Theodor. Reinking. *tract. de Regim. ſecul. & Eccleſ. lib. 2. claſſ. 1. cap. 7. num. 10.* Et egregiè Eryc. Putean. *Epiſtol. cent. 2. Epiſt. 16.* Mulierculæ, *ait*, in Scytharum morem vagæ, circumforaneam Chiromantiæ Vanitatem, velut artem, ſibi adoptarunt.

Nugipolyloquides, argenti extenebronides,
Technipolyloquides, nummorum expalponides,
Quod ſemel arripedes, nunquam poſteà eripides,

Verſicolore centone indutæ, luteis cellis, terreo vultu ſqualidæ: Non Sibyllæ iſtæ cenſendæ; Harpyiæ ſunt; quæ manum tibi prenſant, & ſtellas cœlo ductas per lineas diſponunt, ut interim manus bulgæ injiciant, ac pulchrè te emungant. O doctæ, callidæque ad mendacium pariter ac furtum! Nihil tam occultum, quin revelare præſumant; nihil tam cuſtoditum, quin ſurripere audeant, quæ ſi divinatio eſt, clepere quod alienum eſt, mentiri, quod futurum eſt; non pœna malitiæ, ſed præmium ingenio quærundum: ſi aliter, lege publicâ furti damnentur, & ſtigmata ejulent: mendacium verò novâ pœnâ plectatur, ut in Sigæum eant, & ſempiternum ſileant:

Non enim ſunt ii, aut arte divinâ, aut ſcientiâ,
Sed ſuperſtitioſi vates, impudentesq; harioli,
Aut inertes, aut inſani, aut quibus egeſtas imperat:
Qui ſui quæſtus causâ fictas ſuſcitant ſententias,
Qui ſibi ſemitam non ſapiunt, alteri monſtrant viam,
Quibus divitias pollicentur, ab his drachmam petunt.
De his divitiis ſibi deducant drachmam, reddant cætera.

Videatur quoque de hoc manipulo furum & ſentina peſſimorum, otioſorum ac fraudulentorum hominum, Schönborner *2. Politic. 16.* Georg. Chriſtoph. Walther. *in Eunomia Metatorum. cap. 7. §. 42. fol. 62.*

Eſt & Amſtelodami domus Netoria 29
(vulgò het Spinnhuys) quâ puellæ & fœminæ honeſtorum Civium, *quæ luſtris atque ignaviæ ſtudent*, (8) ſuſpectæ, vel deprehenſæ, quod corporis quæſtum fecerint vel facere voluerint, includuntur, *Iſac. Pontan. d. lib. cap. 11.*

Cæterùm licèt otioſorum eadem, diſpar tamen eſt ratio mendicantium. Nonnulli

nulli

nulli enim patenti vel morbi, vel ætatis malo ad laborem inepti ſunt, quos Natura ac inevitabilis Neceſſitas ad conquiſitio-
30 nem Eleemoſynæ arctant. Quidam verò in venis & medullis latenti pigritiæ, & deſidiæ vitio laborantes, mendicitatis potiùs ſtipem colligere ſatagunt, quàm la-
31 bores manuum ſuarum manducare. Prioris farinæ Mendicis divino & naturali jure ita ſuadente, ſubveniendum eſt; Et debet Magiſtratus ſemper favorabilis eſſe protector ejuſmodi pauperum, ne injuſtè moleſtentur; pro quo illis magna erit Eleemoſyna coram DEO, poſt Bald. Petr. Gerhar. de ſancta Petra *ſingul. 73. num. 6.*

32 Hinc D. Auguſtinus; Pauperum, *inquit*, eſt rogare, divitum erogare, DEI verò compenſare. Præſtaret tamen qualibet in Republ. inſtitui *Ptochotrophia*, *Orphanotrophia*, *Noſocomia*, *Gerontocomia*, *Xeno-*
33 *dochia*; (9) &c. ac iisdem delectos præfici viros, qui ex Sacro Ærario egenos alerent, quàm in plateis illos vagabundos oberrare, ac victum oſtiatim quærere ſinerent, ad exemplum Haſſiæ, quæ quatuor ſumma hoſpitalia, ingenti egenorum & verè pauperum cœtui ſuſtentando, liberaliſſimâ & nunquam ſatis laudandâ Principum gratiâ, aperuit.

Hâc ratione (1) debiles & puſillanimi à validis mendicantibus diſcerni, (2) Chriſtianæ charitatis ardor ac ſtudium in pauperes erogandi, proh dolor! noſtro ævo nimis refrigeſcens, incaleſcere atque inclareſcere, (3) multis extremâ inopia preſſis à pudore mendicandi ſuffuſis rectiùs proſpici, & denique (4) lues & fœdorum morborum contagia, quibus interdum errones iſti ſibi obvios inficiunt, præcaveri, & averti poſſent.

34 Poſterioris claſſis mendici non ſunt in Republ. tolerandi; Cùm (1) ſub ſpecie mendicitatis, Civitatum, Provinciarum & Regnorum ſecreta rimentur, ac (2) neceſſaria verè mendicis ſurripiant, & quod illos capere oportebat, hi intercipiant; Camill. Borell. *libr. 3. de Magiſtr. Edict. cap.*
35 *16. num.* 12. Minùs tamen delinquunt, qui ſimpliciter indebitè mendicant, nihil aliud fingentes; quàm qui mendicant & *fingunt infirmitatem*, (10) vel faciunt ſibi tibias vel manus intumeſcere, ut claudi vel manibus contracti videantur, Petr. Caball. *centur.* 2.
36 *reſol. crimin. 178. num. 9. & 12.* Graviùs enim punitur ille, qui prætextu & fucato colore boni facit malum, quàm qui apertè delinquit, Card. Thuſc. *in lit. M. concl.*
37 *192. num.* 3. Et qui tantum habet virium, ut ſemet poſſet alere, & nihilominus ægritudinem aliquam ſimulans mendicat, illi
38 pro pane falſo, pœna falſi infligi & pugnus impingi debet, Martin. Coler. *de aliment. lib. 1. cap. 17. numer. 50.* Lupus *allegat. 18.*
Unde quoque privilegia conceſſa pauper- 39
tati non competere illi, qui culpâ ſuâ ad inopiam redactus eſt, dixit Baldus *in c. ſedes. de Reſcriptis per text. in l. pen. ff. de jure dotium.* Aurelius Corbulus *de Emphyteuſi capit. 15. limit. 29. num. 2.*

Quo fit, ut non injuriâ Impp. *validos* 40
mendicantes (11) variis ſubjecerint pœnis, *l. un. C. de valid. mendicant.* quam legem jacere ſepultam, neque in uſum diligentiùs revocari, ſeriò deplorat Damhouder *in prax. crim. cap. 110. num. 58.* ubi feſtivum & lepidum exemplum de quodam mendico recenſet, Menoch. *de A. J. Q. cent. 6. caſ. 532. per tot.* Ludov. à Peguera *in quæſt. ſeu deciſ. criminal. qu. 4. per tot.* Similis exſtat Conſtitutio Juſtiniani Imper. *in Nov. 80. cap. 5.* & *Caroli Magni*, (12) qui mendicis palantibus ac vagabundis vetuit quicquam tribui; quamq; regionem ſuos inopes alere; ſanos ac validos labore victum quæritare ac deſiderio ſufficere manus juſſit. Hûc reſpexerunt Novellæ Sanctiones Imper. de Annis MD. MDXXX. & MDXLIX. ſub Rubrica von Bettlern à D. Denaiſio in Jur. Cam. hunc in modum relatæ: Inopes 41
quæque Civitas ſuos alito: Mendicos arceto: Aliò niſi copiâ egenorum expreſsâ & cum elogio ne dimittito: nulli præterquam morbo vel debilitate coacto mendicare permittito: mendicorum liberos victui parando aptos, parentibus abſtrahito, artibus ſervitiisq; adhibeto: mendicantes peregrinos arceto: validos, aliis exemplo, punito.

Haſce leges à Magiſtratibus, quibus incumbit fortunis civium providere, edicto pœnali renovari perquàm utile foret: maximè cùm ex iisdem cauſis veteres in benè conſtitutis Regnis, mendicos vagabundos, Ganeones, ſimilesq; Reipublicæ fæces & inutilia pondera terræ non toleraverint, Plato *libr. 8. de Legib.* fusè Camerar. *d. libr. 1. oper ſubſceſiv. cap. 16. per* Guilelm. Benedict. *in cap. Raynutius. verb. ad Uxorem, nomine Adelaſiam, num. 46. & ſeq. de teſtam. part. 1.* Dauth. *de teſtam. princ. cap. 73. n. 105.* Coler. *d. tract. de aliment. lib. 1. cap. 17. n. 47. & ſeqq.* Caball. *d. reſol. 178. num. 6. & ſeq.* Goldaſt. *libr. 3. Alemannic. rer. fol. 134.* ubi mendicos olim apud Alemannos non fuiſſe ſcribit.

Concluſio eò redit ac recidit, quòd ro- 42
buſtis & validis lacertis inſtructi (quos fucis aculeatis comparat Plato *libr. 8. de Rep.* & infinitorum auctores malorum indigitat Cornelius Agrippa *de vanit. ſcient. c. 65.*) explodendi, aut cum ipſis favis protinùs excidendi & in herba opprimendi, aut ad S. Raſpinum ablegandi, & exinde fructus

Ærario ſint colligendi. Turpe enim admodùm eſt, illos, qui manibus & artificio ſibi alimenta ac victum quærere valens, illâ facili quæſtuandi arte tanquam errones ſe tueri, quos coërceri & puniri debere conſtat, *c. 1. diſtinct. 82. c. paſce. diſtinct. 86.*

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT CII.

Num. 3.

(1) *IN Belgio Amſtelodami, &c.*] Rationem hujusmodi Ergaſteriorum brevibus ita exponit Schoockius in Belgio Fœderato *lib. 16. cap. ult. in fine*: Quò omnes in ordinem cogi queant, malèq; feriati ſeriò ad laborem adigi, in variis urbibus, (nominatim Amſtelodami, Harlemi, Goudæ, Medioburgi, Leoardiæ, & alibi) ergaſteria, exemplo ergaſteriorum apud Romanos & latomiarum antiquarum, conſtituta ſunt, in quibus aut pro ratione delictorum, aut etiam virium, ſinguli certum penſum abſolvere tenentur. Quidam ponderoſioribus ſerris lignum Braſilianum in pulverem redigunt, alii telas Goſſypinas conficiunt: Belgicè illi dicuntur raſpen / (hinc Raſphuys / & Fictitius St. Raſpinus) hi verò Raſch-werken: Medioburgi quoque nonnulli molam vertunt. In his ergaſteriis conclavia quoque ſecretiora occurrunt, deſtinata honeſtorum virorum filiis, ad quos cùm promiſcuè omnes non admittantur, vulgò Separaten audiunt. Mulierum quoque inertia (*addo & impudicitia*) caſtigatur in diſtinctis ergaſteriis, quæ vulgò Spinhuyſen vocantur, quòd in iis puellæ penſa ducere conſueverint. Supra portam ergaſterii puellarum (van het Spinhuys) Amſtelodamenſis Urbis lapidi inciſam hujusmodi puellarum figuram, cum præfecta quampiam caſtigante inertem & immorigeram obſervavi, cùm hac inſcriptione:

Schrick niet! ick wreeck geen quat maer twing tot goet.
Straf is men Hand / maer goet is myn Gemoet.

i. e. Expaveſcere noli! malum non vindico, ſed ad bonum cogo, rigoroſa quidem manus mea eſt, ſed animus placidior. Confer infrà dicta hoc capite *n. 20.* & de hujusmodi Zuchthäuſern vide, quæ notat D. Fritſchius *de validis mendic. cap. 15.*

Num. 8.

(2) Springerhaus / 2c.] Notum eſt Norimbergæ validos mendicantes alióſve delinquentes ob delicta graviora, haud tamen capitalia, commiſſa ſic compedibus vinciri, ut tamen laborare publicè queant, additâ inſuper aliquando campanulâ ſive nolâ, quæ ſingulis greſſibus ſonum edit, ut eò minùs cuſtodes fallere poſſint. Hincq; hujusmodi vocabantur die Springersbuben; locus verò, quo dormitum ducebantur, der Bettelſtock / quem Klockius noſter das Springerhaus appellabat. Verùm cùm nec & ſaluberrimæ leges ad cohibendam mendicitatem validorum validarúmve & Eleemoſynæ largiter & ſanctè diſtributæ piorum proficerent, utq; delinquentes, quibus pœnæ moderatæ, crimen patratum haud impunè ferrent, ante plures annos & ergaſterium pro mulieribus, & anno M DC LXX. pro viris erectum fuit, quorum illud das Spinhaus / illud das Zuchthaus dicitur, in quorum priori mulieres fila ducant, in poſteriori viri juvenesq; Tabaccum præparent & elaborent. Quibus certus quidam animarum paſtor, præter præfectum additus, qui, ut hic corpus labore cibisve neceſſariis, ſic ille animas piâ inſtitutione, verbi divini prædicatione & ſacramentorum adminiſtratione, curet. Et quò omnia eò magis ritè procedant, certæ quoque perſonæ ex Ordine Senatorio conſtitutæ ſunt, qui nomine Reipublicæ ergaſterii illius ſupremam curam gerant. In Ergaſterium noviter erectum Vir quidam eruditiſſimus has Inſcriptiones compoſuit, & quidem ſuper portam exteriorem primam, interiorem autem ſecundam apponi poſſe ratus,

1.

Den Böſen iſt zu gut diß Arbeit-Haus erbauet:
Wer nie viel Guts gethan / und wem für Arbeit grauet /
der findt hie Wercks genug: hierinnen wohnt die Zucht /
die einig und allein der Böſen Beſtes ſucht.

2.

Wer keine Seiden nie geſponnen /
und mehr verthan hat / als gewonnen /
der gehe ein durch dieſe Thür /
und ſpinne nun Taback dafür.

Num. 10.

(3) *Amaſis Ægypti Rex, &c.*] Amaſis quoque extitit, ut eſt apud Herodotum *lib. 2. cap. 177.* qui legem hanc apud Ægyptios condidit, ut ſingulis annis apud Provinciarum Præſides Ægyptii omnes demonſtrarent, unde viverent: & qui aut hoc non faceret, aut non demonſtraret ſeſe legitimè vivere, is morte afficeretur. Quam Legem Solon, ab Ægyptiis mutuatus, Athenienſibus tulit, quam illi, quòd ſit caſtiſſima, aſſiduè uſurpant. Adde Heigium *parte 2. quæſt. 27. n. 4. 5. ſeqq.* Rittershuſium *ad Nov. part. 12. cap. 15.*

Num. 11.

(4) *Areopagitæ quoq., &c.*] Valerius Maximus *lib. 2. cap. 6. n. 4.* & ex Athenæo *lib. 4.* Camerarius *hor. ſubciſiv. cent. 1. cap. 15.* ubi vide.

Num. 12.

(5) *Eſt optimè hîc ſtatutum, &c.*] Hos ipſos verſus ex parte recitat ſuprà quoque Klockius noſter, *lib. 2. cap. 58. n. 1.* meminit & Heigius *d. loco n. 12.* ſubjungens: quæ lex utinam ubiq; ſervaretur, minùs certè ganeonum, decoctorum, & turbatorum publicæ privatæq; rei haberemus.

Num. 13.

(6) *In regno Chinæ, &c.*] Boterus *in Relat. de Rege Chinæ*. Sic Hienus XXXIV. Sinæ Imperator, teſte Martinio *Sinicæ Hiſt. lib. 5. pag. m. 151.* Primos opimosq; reditus ac dignitates illis aſſignabat, quorum virtus clara bello fuiſſet; Otioſos verò, qui nec agro, nec artificio ſerico darent operam, peſtem, (ut ſunt), Reipublicæ vocabat, eosq; collectos perficiendis publicis Regni operibus admovebat. Pauperes, qui non

manci,

manci, ſed patientes laborum eſſent, & tamen mendicatò viverent, captivos declarabat omnes, devotosq; primi ſapientis ſervitio; eo pacto, ut ad vilia ſaltem obeunda munia compellerentur, militarem præfecturam nullam committebat iis; qui è regio erant ſanguine. Divites de Republicâ nil meritos nullo honore nec nobilitate dignos judicabat, nec ornatu ſplendido, vel domi, vel foris permittebat uti. Pauperes contrà vel ex eo, quòd operam Reipublicæ ſaltem aliquam exhiberent, haberi ab omnibus in honore voluit; otioſis autem & ſine publico munere aut opificio viventibus nullam fidem haberi, in litibus quidem dicendoq; teſtimonio. Erat enim ea bonis iniqua conditio, qui vexati deceptiq; facilè cæderentur teſtibus ejusmodi, cibum, non æquum ſpectantibus.

Num. 28.

(7) *Zingari vulgò* Zigeuner / tc.] Præter citatos in textu addi poterunt de Zigenis ſive Zingaris commentantes Beſold. *in Theſ. Pract. hac voce*, ubi plures allegat, Speidel. *in Speculo*, voce Zigeuner cum ibidem laudatis authoribus, Dn. Fritſchius, &c. *Tr. de validis mendicantibus cap. 12. per totum.* Camerarius *Horar. Subciſiv. cent. 1. cap. 17.* Limnæus *de J. P. lib. 9. cap. 9. n. 181. ſeqq.* & *Tom. I. Addit. ad hunc locum, n. 165.*

Num. 29.

(8) *Quæ luſtris atq; ignaviæ ſtudent, &c.*] Præter has tamen & alias, (*qualis hîc n. 35. viri deſcribuntur*,) ibi contineri notum eſt.

Num. 32.

(9) *Ptochotrophia, &c.*] Ptochotrophia appellant loca, in quibus aluntur mendici & pauperes; Orphanotrophia, in quibus minores, parentibus, atque ſubſtantiâ deſtituti, quandoq; etiam liberi expoſititii, hinc Norimbergæ hæc vocantur die Findel; Noſocomia, in quibus valetudinarii; Gerontocomia, in quibus tenues homines, qui affectâ ætate victum ſibi ſuis operis parare ampliùs non poſſunt; Xenodochia, in quibus advenarum, ægrotorum, inopum, debilium, quiq; ſibi ipſis laborem de alimentis proſpicere non poſſunt, cura geritur. Uti hæc nomina, quorum omnium in l. 29. C. de SS. Eccleſiis mentio fit, Schönborn. *lib. 3. Polit. cap. 18.* interpretatur.

Num. 35.

(10) *Fingunt infirmitatem, &c.*] Cujusmodi exempla cum variis mendicantium fraudibus exponit Dn. Fritſchius *d. Tr. de valid. mendicantibus cap. 13.*

Num. 40.

(11) *Validos mendicantes, &c.*] Si uſpiam alibi, certè in Belgio Fœderato & veris pauperibus largiter ſubvenitur, & mendicitas exſtirpatur publica, inde Grœnewegen *de Legibus abrogatis per Hollandiam ad l. unic. C. de valid. mendic.* Jure Civili, ſcribit, validis tantùm atque robuſtis interdicitur, infirmis verò & debilibus, qui corpore ſuo victum ſibi quærere non poſſunt, permittitur mendicitas, *d. l. & ibi Azo*; Sed cùm omninò, ne ſit in populo ſuo mendicus, voluerit DEUS Opt. Max. (*Deut. 15. v. 4. vide Ames. de Caſib. conſcient. l. 5. c. 52. quæſt. 7. Zepper. de LL. Moſaic. l. 4. c. 25.*) & ex majorum noſtrorum benigna in pauperes pietate in ſingulis oppidis atque parochiis apud nos exſtent, gerontocomia, orphanotrophia, xenodochia, brephotrophia, ptochotrophia aliaq; pia loca, ex quorum gazophylaciis veri pauperes atque egeni ſuſtentantur: ideò variis Principum noſtrorum Edictis, variisq; Civitatum ſtatutis omnis omninò mendicitas interdicta eſt, ſub jejunii in pane & aqua, aliaq; arbitraria pœna. (Vide Nov. *80. c. 5.* Zypæum *Notit. Jur. Belg. h. tit. & Tit. de Epiſc. & Cler. in verſ. quod attinet & ſeq.* Arniſ. *Polit. lib. 1. cap. 18. in verſ. quin & in vagos.* Anth. Matthæum *de Criminib. l. 47. tit. ult. cap. 3.*) quamvis per temporum injuriam non omnia executionem ſortiantur. Hactenus Grœnewegen.

(12) *Caroli M. &c.*] in Capitularibus *Quæſt. ad p.*

CAPUT CIII.

De nonnullis ſuperfluis Expenſis evitandis & reſecandis.

SUMMARIA.

1. Superflui ſumptus *Principibus Oeconomiæ Studioſis reſecandi ſunt.*
2. Principi *ſemper aliquid reſervandum in uſum improviſæ neceſſitatis: ubi elegans Hiſtoria de Conaro Scotorum Rege recenſetur.*
3. Ædificationes *& omnes expenſæ ſuperfluæ omittendæ Principi; ob bonum commune, & num. 4.*
5. *Qui fines ſpectandi in expenſis* Principum.
6. *Caveatur, ne* Cæmenta ædificiorum, *ſanguine Subditorum rubeſcant.*
7. Principi *frugali deeſſe pecunia non poteſt.*
8. Agrarii *&* ærarii *mures.*
9. Trajani Imp. *frugalitas & parcimonia.*

Omne, quod eſt nimium, quodcunque ſuperfluum in Aula,
Rex reſecet, ſolium nam moderata fovent.

1 PErdiſcendæ & indagandæ ſunt impenſæ omnes, cùm Aulæ Principis, tùm ipſius Reipublicæ, ut, qui ſupervacanei ſunt ſumptus, tollantur; qui æquo ſunt majores, minuantur. Nam etiam diminutio ſumptuum una implendi ærarii ratio eſt: nec tantùm, qui partæ rei addunt aliquid, ditiores fiunt, verùm etiam, qui ſumptibus aliquid detrahunt. Commodiſſima itaque hæc augendi cenſus ratio eſt, ſi Principes, contractis impendiis, ſumptus ſupervacuos amputent, ſi miniſteria otioſa rejiciant, ſi magis ſtudeant rectè adminiſtrandæ affectationem externæ reputationis (quæ magnitudinem deſtruit internam) & pompam ſemper modulo Provinciæ, Subditorumque paupertate metiantur. Quippe decer-

decerpendus eſt ramus, non arbor radicitùs evellenda; & cum Subditis, quod cum ovibus agendum, quæ tondentur, non raduntur. Quod ſi Aulicam & Oeconomicam Adminiſtrationem Principes ita inſtituerent, ut ſemper ſupereſſet, non deeſſet aliquid in neceſſitatis improviſæ uſum;
2 & ſi impenſas non ſinerent ſuperare facultatum vires, rarò occaſio eſſet, collectis extraordinariis ſeu Provincialibus onerandi Subditos.

CONARUS XXIV. Rex Scotiæ cùm à majorib. longo labore parta, luxu & libidinibus ita profunderet, ut brevi ad extremam redigeretur inopiam, conventu habito multa de magnificentia regibus neceſſaria locutus, & de inopia publica conqueſtus, ſplendoris & elegantiæ honeſtis nominibus vitia ſua tegens, vehementer petere inſtitit, ut cenſu habito, pro rei familiaris modo tributum indiceretur. Ea oratio cùm ad omnium aures ingrata accideret, reſponſum eſt, rem eſſe majoris momenti, quàm ut in præſentia expediri poſſet. Brevi tempore, ad conſultandum impetrato, cùm ſingulorum ſententias exquiſiſſet, intellectum eſt, novum hoc infinitæ pecuniæ aucupium non à primoribus, ſed ab adulatione aulica fuiſſe inventum. Statuunt Regem, ut parum ad regendum idoneum, in cuſtodia habendum, donec, eo regnum ejerante, alium ſubſtituant. Poſtridie revocatis, qui primus rogatus eſt ſententiam, aſperè in priorem Regis vitam invectus, longâ oratione docuit, non lenones, paraſitos, ſymphoniacos, & meretricum greges inſtrumentum eſſe regni: quippe in bello inutiles, in pace moleſtos, ſumptuoſos, infamiæ & dedecoris plenos: Falſam eſſe querelam, Regias opes ſumptibus eſſe impares: quippe quibus tot ſuperiores Reges, bello clari, & formidabiles hoſtibus, in pace honeſtè & ſplendidè vixerint. Quod ſi cui patrimonium anguſtius videatur, non è civium direptione, ſed è parſimonia domeſtica, quod deeſt, ſupplendum: Sumptuum cuiq; modum, non ad cupiditates, quæ infinitæ ſunt, ſed ad cenſûs menſuram & neceſſitates naturæ componendum: Itaque ſe cenſere, nebulones illos, in quos collatum erat patrimonium publicum, & quorum causâ Rex tot homines honeſtos afflixerit, bonis exuerit, trucidarit, cogendos; ut, quæ per injuriam aliorum adulando pararint, jure, nec ſine cruciatu, rependant, Buchanan. *Rer. Scoticar. lib. 4. fol. 33. lat. 2.*

3 Inſuper omittantur ſuperfluæ ædificationes & opera, quæ potiùs habent aliquam Vanitatis oſtentationem, quàm commoditatem Reipublicæ afferant, Greg. Tholoſ. *lib. 3. de Repub. cap. 8. in fin.* Chockier. *lib. 5.*
aphoriſm. polit. cap. 6. per tot. Semper ab 4
inutilibus abſtinendum eſt expenſis, quæ non reſpiciunt publicam commoditatem, ſplendorem, atque adeò decus & pulchritudinem Reipublicæ, ſive (ut Boceri verbis utar) quæ neque ad Reipub. munitionem, neque ad Domini exiſtimationem
ſpectant. Neque enim laudari, quamvis 5
honeſtè ſuſcepta, poſſunt opera, ſi, quæ in ea conferantur, pecuniæ, per rapinas & civium injurias corradantur. Cavendum,
ne, quod de Neronis *domo aureâ* (1) vulgò 6
dictum, Cæmenta ædificiorum Subditorum ſanguine madeſcant. De quo alibi diſſerendi dabitur facultas & occaſio.

Neutiquam deeſſe ærario pecunia in ma- 7
gnis Principibus poteſt, ſi frugalitas & parcimonia adſint, ſi prudens elargitio; ſi in ſolas res regno & imperio neceſſarias erogetur, ſi non profundatur in oculorum oblectamenta, in ſupervacuum ſplendorem, in prodiga munera; ſi non negligantur vectigalia, non annui proventus; ſi Princeps non fuerit indulgentior in adminiſtros, &
ærario præfectos. Agrarios mures legimus, 8
qui non contenti herbas depaſcere, radicibus inſidiantur & ſemini, ut ſpem omnem ſecent futuræ meſſis: *Ærarios in Republ. mures reperire non eſſet difficile.* (2) Arceat hos Princeps, nec exponat fortunas ſuas his ærarii comedonibus, his omnis vitæ melioris blattis ac tineis. Faciet, ſi ærario benè fuerit, ne ab aliorum nutu dependere cogatur. Dedecet Principem ſupplicem fieri ſuis, &, dum beneficia depoſcit, beneficiis exedi. *Non eſt prudentis, fœneratitio ære regnorum robora enervare;* (3) & neſcio, an minore damno hoſtiles, quàm pecuniariæ incurſiones ferantur. Sacroſanctum hoc Principi ſit, ut nulla ex ærario munera, aut perrarò admodùm, ad quemquam eant. E fiſco hæc petenda, aut ſanè è novè advenientibus, quæ nunquam deeſſe ma-
gno Regi aut Principi poſſunt. Elegans 9
omninò parcimoniæ locus apud Plinium in Trajano eſt: *Nam mihi quidem cogitanti, eundem te collationes remiſiſſe, donativum reddidiſſe; congiarium obtuliſſe, delationes abegiſſe, vectigalia temperaſſe, interrogandus videris, ſatiſne computaveris Imperii reditus? an tantas vires habeat frugalitas Principis, ut tot impendiis, tot erogationibus ſola ſufficiat? nam quid eſt cauſæ, cur aliis quidem, cùm omnia raperent, & rapta retinerent, ut, ſi nihil rapuiſſent, defuerint omnia; tibi, cùm tam multa largiaris, & nihil auferas, omnia ſuperſint? Nunquam Principibus defuerunt, qui fronte gravi, & triſti ſupercilio utilitatibus fiſci contumaciter adeſſent: & erant Principes ipſi ſuâ ſponte avidi & rapaces, & qui magiſtris non egerent, plura tamen ſemper à nobis contra nos didicerunt. Sed*

ad tuas

ad tuas aures, cùm cæteris omnibus, tum vel maximè avaris adulatoribus obſtructus eſt aditus. Silent ergò, & quieſcunt, & poſtquam non eſt, cui ſuadeatur; qui ſuadent, non ſunt. Prudenti Parſimoniæ Trajani hæc omnia verè magna tribuit.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT CIII.

Num. 6.

(1) D*Omo aureâ, &c.*] Domum, inquit Suetonius *in vita Neronis, cap. 31.* à Palatio Equilias uſque fecit. Quam primò tranſitoriam; mox incendio abſumptam reſtitutamque AUREAM nominavit. De cujus ſpatio atque cultu ſuffecerit hoc retuliſſe. Veſtibulum ejus fuit, in quo coloſſus centum viginti pedum ſtaret ipſius effigie: tanta laxitas, ut porticus triplices milliarias haberet: item ſtagnum maris inſtar, circumſeptum ædificiis ad urbium ſpeciem. Rura inſuper arvis atque vinetis, & paſcuis, ſylvisque, varia cum multitudine omnis generis pecudum ac ferarum. In cæteris partibus cuncta auro lita, diſtincta gemmis unionumque conchis erant. Cœnationes laqueatæ tabulis eburneis verſatilibus, ut flores fiſtulis, ut unguenta deſuper ſpargerentur. Præcipua cœnationum rotunda, quæ perpetuâ diebus ac noctibus vice mundi circumageretur: balneæ marinis & Albulis fluentes aquis. Ejusmodi domum cùm abſolutam dedicaret, hactenus comprobarit, ut ſe diceret quaſi hominem tandem habitare cœpiſſe. Meminit & ejus domus, in qua haud perinde gemmæ & aurum miraculo eſſent, ſolita pridem, & luxu vulgata; quam arva & ſtagna, & in modum ſolitudinum hinc ſylvæ, inde aperta ſpatia, & proſpectus: magiſtris & machinatoribus Severo & Celere, quibus ingenium & audacia erat, etiam quæ natura denegaviſſet, per artem tentare, & viribus Principis illudere. Tacitus *15. Annal. 42. 2.* & *15. Annal. 52. n. 2.* vocat, inviſam illam & ſpoliis civium exſtructam domum, quò fortè Author noſter reſpicit.

Num. 8.

(2) *Ærarios in Republica mures reperire non eſſet difficile, &c.*] Adde dicta ad Politicum Sceleratum *cap. 41. pag. 458 ſeqq.* & *ad cap. 42. pag. 642. ſeqq. multis.*

(3) *Non eſt prudentis, fœneratorio ære regnorum robora enervare, &c.*] Pertinent huc, quæ in hoc libro *2. capite 23.* adducta ſunt.

CAPUT CIV.

Principes foveant aulam reſtrictam ac parcam.

SUMMARIA.

1. Aula Principum *reſtricta, parca & per idoneos adminiſtrata, laudabilis & quàm contractiſſima. & num. 2.*
3. *Exemplum in hanc rem Imper.* Alexandri Severi, Antonini Pii Impp. *num. 4.* Capitolini, *item &* Juliani *Impp. num. 5.*
6. *Laudatus hoc nomine* Dux Florentinus.
7. *Qualis aula, talis adminiſtratio Reipubl.*
8. Principum miniſtros *quales oporteat eſſe.*
9. *Aqualiculis* aulæ *perpurgandæ.*
10. *Lurcones, idq́ genus vitæ Charybdes aulis ejiciantur.*

Quid juvat innumeris Aulam ſtipare miniſtris?
Queis Rex non egeat, mox hos exeſſe jubeto.
Tres ſi fortè manus homini, vel quattuor eſſent
Uni, perficeret certè minùs ille laborum,
Quàm binis manibus perfectum reddere novit.

PRincipes (1) in Alimonia Aulica ne ſint effuſi: (2) Neminem ferant in Aula ſua otioſum: (3) Neque multiplicent facilè numerum ſuorum officiariorum, ſed operam dent, ut habeant paucos, idoneos & fideles; atque adeò aulam alant non copioſam & cuivis indiſcretè patentem, ſed, quàm fieri poteſt, contractiſſimam. Im-
2 perator *Alexander Severus* (1) cùm Urbem, & Provincias, & aulam ſuam purgaret hominibus non neceſſariis, dixit: Malum Tutorem eſſe Imperatorem, qui ex viſce-
3 ribus Provincialium, homines non neceſſarios, nec Reipubl. utiles aleret. Lamprid. *in ejus vita.*

Et idem tot tantùm homines ſingulis officiis præpoſuiſſe dicitur, quot neceſſitas poſtulavit. Quid enim (ait Greg. Tholoſ. *libr. 22. de Republ. cap. 5.*) neceſſarii ſunt Aulici officiarii? tot inutiles Titularii? Quorſum tantus numerus Adminiſtratorum, quibus adhærent, ut tineæ, ſubminiſtri, & iſtis famuli, & famulorum famuli? Hujus 4
ſubminiſtrorum alii ſubminiſtri, cujusque rei gratiâ *Antoninus Pius* (2) Imp. ſalaria multis ſubtraxit, quos otioſos & inutiles videbat accipere, dicens: Nihil eſſe ſordi- 5
dius, imò crudelius, quàm ſi Remp. ii arroderent, qui nihil in eam ſuo labore conferrent. Julianus Imper. *Eunuchos, coquos, tonſores* (3) ejecit palatio. Rogatus, quam ob cauſam? Negavit, ſibi opus eſſe Eunuchis, cùm uxor deceſſiſſet, nec opus eſſe coquis, quòd ſimpliciſſimis cibis uteretur. De tonſoribus dixit, unum multis ſufficere. Ad demendum eidem Juliano Imp. capillum, introierat quidam tonſor, veſtitus

veſtitus ambitioſe. Quo viſo Julianus obſtupefactus. Ego (inquit) non Rationalem, ſed tonſorem acciri juſſi. Veruntamen interrogatus ab Imperatore, quid ex arte compendii haberet? Reſpondit, vicenas annonas diurnas, totidemq; pabula jumentorum & annuum ſtipendium grave, abſque fructuoſis petitionibus multis. Eo itaque motus Imperator omnes hujuſmodi cum coquis (ut dixi) ſimilibusque aliis, eadem pene accipere conſuetos, ut parùm ſibi neceſſarios, datâ quò vellent eundi poteſtate, projecit, inquit Ammianus. MAHOMETES III. Imperator Turcicus ad regni gubernacula perveniens, ſeptem millia virorum, qui curabant accipitres regios, iſto ex ordine deturbavit, & milites eſſe juſſit. Etiam canum curatores ab iſto officio movit: inquiens, ſibi ſufficere centum viros, qui canes; & quingentos, qui accipitres curent. Nec ſe eò ſtultitiæ proceſſurum, ut velit alere hominum tantam multitudinem, propter rem quandam vanam & novam. Beſold. *in Mahomete III. fol. 784.*

6 Laudatur hoc nomine hodie à Politicis Dux FLORENTINUS, qui cùm ſit potentiſſimus & opulentiſſimus, aulam tamen interim habet reſtrictam & parcam. Quod ſi alii Principes imitarentur, multa ingentia damna tam privata ſive aulica, quàm publica vitarent: Siquidem ex Aula Principis in ipſam Rempublicam vel virtutes vel vitia, vel incommoda & copioſe & veloci-
7 ter manare ſolent. Imò qualis eſt aula Principis, talis eſt Reipublicæ adminiſtratio. A regimine namque aulico pendere ſolet regimen publicum; & *quales ſunt Principis miniſtri, talis etiam æſtimabitur* (4) eſſe Princeps. Siquidem nullum majus judicium (inquit veriſſimè Cominæus *lib. 3. Comment.*) bonæ mentis Princeps poteſt oſtendere, quàm ſi adjungat ſibi viros virtute & famâ celebres: nam omnes ſtatim judicabunt, eum talem eſſe, quales ſunt ii, qui apud illum. Plurimum igitur intereſt 8
Principum, ut non aliis utantur miniſtris, quàm vitæ ſpectatioris, &, quoad ejus fieri poteſt, inculpatis & maximè fidelibus, qui probam rei familiaris curam gerant, ipſosque Principes ab omnibus factis Oeconomiæ nocivis debitâ cum reverentia abſtrahant ac dehortentur.

Faceſſant ergò ex Aulis otioſi homines, 9
& inania officiorum nomina Metatorum, Hiſtoricorum, Conſiliariorum extraordinariorum, Cubiculariorum, &c. qui annuis ſalariis Rempublicam ludibrio prædæque habent, nullo præterea proventu, Joan. Mariana *libr. 3. de Reg. inſtit. cap. 7.* expellantur ignavi atque inutiles ventres, quos non injuriâ vitæ Charybdes appellavit Socrates, quòd omnia vorarent, neque ſatiarentur unquam. Charybdis ea tantùm ſorbet, quæ mari vehuntur & revomit tandem, quæ abſorbuit. At lurconum 10
ventribus nec aër, nec terra, nec flumina, nec maria ſufficiunt, quin & domos & agros totos abſorbent, nec revomunt.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT CIV.

Num. 2.

(1) A*Lexander Severus, &c.*] Audiamus Lampridium *in vita Alexandri Severi cap. 15.* ipſum, dicentem: Ubi Auguſtus agere cœpit Imperium, primùm removit judices omnes à Republicâ & à miniſteriis atq; muneribus, quos impurus ille Heliogabalus ex genere hominum turpiſſimo provexerat: deinde Senatum & Equeſtrem Ordinem purgavit. Ipſas deinde Tribus, & eos, qui militaribus nituntur prærogativis, purgavit, & Palatium ſuum comitatumq; omnem, abjectis ex aulico miniſterio cunctis obſcœnis & infamibus: nec quemquam paſſus eſt eſſe in Palatinis, niſi neceſſarium hominem. Jurejurando deinde ſe conſtrinxit, ne quem adſcriptum, i.e. vacantium, haberet; ne annonis Rempubl. gravaret; dicens, malum pupillum eſſe Imperatorem, qui ex viſceribus Provincialium homines non neceſſarios, nec Reipublicæ utiles paſceret.

Num. 4.

(2) *Antoninus Pius, &c.*] Jul. Capitolinus *in vita ejus cap. 7.*

(3) *Eunuchos, coquos, tonſores, &c.*] Paulus Diaconus *Hiſtor. Miſcell. lib. 11. n. 33.* Ammianus Marcellinus, in tx. citatus, *lib. 22. cap. 6. & 7.* in quo allegata à Klockio narratio de Juliano & tonſore habetur.

Num. 7.

(4) *Quales ſunt Principis miniſtri, talis etiam æſtimabitur, &c.*] Repete quæſo hîc dicta ad Politicum Sceleratum, *cap. 11. pag. 101. 102. 103. & ad caput 25. pag. 238. 239. 240. ſeqq.* de miniſtris Principum, & quales eligendi ſint.

CAPUT CV.

Adulatores, Detractores, Mimi, Scurræ, Moriones &c. fugiendi & ab Aulis arcendi.

SUMMARIA.

1. *Fœdum* adulationis *crimen & diſcrimen comprobatur.*

2. Adulatores *aulâ pellendi: Nam quod teredines ſanis lignis, id faciunt* adulatores *&* ſycophantæ *probis ingeniis.*

3. Detractio *vitanda.*

4. Adulatione *potentibus nihil eſt infeſtius.*

5. Aſſentatores, *Principum & negotiorum publicorum peſtis & ruina.*

6. Adulatores *adaulatores, atollatores:* Chamæleonti *ſe componunt, omnemq; Principis affectum aſſumunt,* n. 7.

8. *Nihil* adulatoribus, *ubi ſe firmaverunt, inſolentius.*

9. *Cura diſcernendi* adulatores *à bonis fidisq; miniſtris.*

10. Delator *quo pacto Principi audiendus?*

11. Fridericus Dux Saxoniæ *quomodo aures calumniantibus obdurare conſueverit.*

12. Miniſtri, *qui arriſores, iiq; plerią; arroſores.*

13. *Hos rectè* ſorices tineasque *palatii opumq; vermes vocaveris.*

14. Corvi *mortuos, aſſentatores devorant vivos.*

15. Nobiles & Thraſones Aulici *egregiè deſcribuntur à Cornelio Agrippa,* & n. 16.

17. *Non uni plura* munia *committenda.*

18. *Qui* Conſiliarii Principum *ſint optumi? &* n. 19. 20. 21. & 22.

23. Bilingues *& fallaces* Conſiliarii *execrandi,* & n. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. & 33.

24. *Quinam & quales* Conſiliarii *eligendi? & quibus ſcientiis & virtutibus ornati eſſe debeant?*

25. Verſipelles ſimulatores *cane ſunt & angue deteriores potiſſimum in Aulis.*

34. Perſarum *Regii filii quomodo educati & inſtituti?*

35. Subditi *exacerbantur meritò, ſi pecunias in publicum uſum collatas in leviuſculos uſus viderint diſſipari.*

36. *An* Moriones *&* Stulti *in Aulis ferendi ſint? Diſtinguitur* num. 37.

38. *Hiſtoria de Georgio Poggiebrico Rege Bohemiæ.*

39. *Germanici Rythmi de Morionibus & Gnathonibus.*

40. *Epilogus & Concluſio Authoris.*

Sunt ſcurræ fatui, ſed inutilis aulica turba,
Directi domino, quos levis aura capit.
Regium non eſt, habere aures delatoribus
Nil Deo execrabile æquè ac lingua, quæ quem clàm ferit.

1 ROmanus Sapiens doctus aulicorum mores, *oſtendam tibi,* (1) inquit, *quare laborent magna faſtigia, quod omnia poſſidentibus deſit; qui dicat veritatem,* Seneca *lib. 6. de Benefic.* Perpetuum Regum malum eſt adulatio, & veri adfectûs venenum, quod veluti lethale mulſum, ipſi juventutis principes combibunt, & inter obſequia, ut ſic loquar, nati, inter aſſentantium & colentium miniſteria adulti, voluptatibus & vitiis affluentes, nunciantibus quæ extra ipſorum Palatia, vel etiam intra conclavia ſunt, cum Aſſuero regerunt: Quis eſt iſte, & cujus potentiæ, ut hæc audeat facere? *Eſther 7. v. 5. Jon. 3. num. 6.* Nimirum cum Rege Ninive ultimi ſunt, ad quos veritas pervenit, & primi ſunt, apud quos vel diſſimulatur vel prorſus reticetur ab aulicis, ut ita *in malitia lætificent Regem, & in mendaciis ſuis Principes, Oſeæ 7. verſ. 3.* Duo ſunt genera perſecutorum, *inquit Auguſtinus tom. 8. in Pſalm. 69.* Vituperantium & adulantium: plus perſequitur lingua adulatoris, quàm manus interfectoris; utrumque genus hoſtis fuge! Et Salvianus *de Provident. lib. 3.* egregiè monet, Non te moveant blandimenta eorum, venena tibi ſunt; non attendas adulationes, gladii ſunt, ferreis pejores, illos cuncti vident, hos incauti non vident: illi, quia apertè ſæviunt, evitantur; iſti, quia occultè inſidiantur, occidunt, videlicet; melliti ſunt ſermones eorum, ſuper oleum, & ipſi ſunt jacula, *Pſalm 15. v. 22.*

Caveat igitur ſibi Princeps,

Ne mimis etiam vel delatoribus aurem 2
Præbeat, injuſtóve ſinat ſuccumbere quenquam
Judicio, nec pro compertis atque probatis
Accipias, quæ vox inimica vel æmula finxit,
Turpe quidem miſeros vitâ ſpoliare bonisq;;
Turpius at recti ſpecie, falſisq; latenter,
Teſtibus adpoſitis, & judice non ſatis æquo.

Arceat, fugiatque ceu Viperæ Venenum aut aſpidum afflatus Princeps adulatores, Sycophantas, qui ſi ab ingeniis generoſis gloriæque cupidis recipiantur, & recepti alantur, corrumpunt eadem non ſecus, ac ligna tenera & dulcia teredines, aut corpora juvenilia ac ſuccida pediculi; quorum hi diſcedunt primi à morientibus & corpora relinquunt, ſimul atque ſanguis congelaverit, quo paſci ſolent, illi autem lingua non priùs, quàm ea penitiùs terebrârint, & in pulverem diſſolverint.

Detractio (2) juxta ac adulatio vitanda.
Hæc veritatem mentitur; illa offuſcat: 3

utraque illam eripit. Hæc ſcelerum in Prin-
cipe cauſa eſt, cùm laudata crimina in pa-
ria vel majora impellunt: tanquam ſi equum
in præcipitia calcaribus agas, illa in optu-
mos ferè ſævit, & primis quibusque Regem
regnumque ſpoliat. Ingentia omninò ma-
la, & quæ ægrè tollas, tum quòd inſita ferè
magnitudini ſuſpicio & timor ſit, & faciles
in fidem aures: unde fit, ut detractio & livor
pronis plerumque auribus excipiantur, tum
quòd complacentia plurimùm ſui ſceptra
laborent; & laudes ſuas eò proniùs accipi-
ant, quò faciliùs credunt. *Princeps* (inquit
Salomon, *Proverb. 29. v. 12.*) *qui libenter au-
dit verba mendacii, omnes miniſtros habet
impios.* Talis omnis Princeps eſt, cui faci-
les in detractionem aures ſunt, neque enim
alia in detractoribus, quàm verba mendacii
reperies, *omnes miniſtros habebit impios.* Ego
ſi dicerem, inſurgerent in unum caput aulæ
omnes, purpurati omnes. Scripturæ ver-
ba ſunt, mentiri Scriptura non poteſt. Vi-
deant proinde Principes, quales ſuos velint:
pios, an impios, an detractoribus hæc pen-
dent, dices Princeps. Falleris; à tua facili-
tate hæc pendent, audies detrahentes, im-
pios habebis. Quem enim non habebis,
aut quem tuorum non facies detractorem,
quem non impium, ſi gratas tibi detractio-
nis oſtenderis?

4 Adulatione verò Regibus Principibus-
que nihil eſt infeſtius. Nam ut ærugo ferri,
5 acor vini, mucor panis; ita adulatio aula-
rum illuſtrium familiarum & ſimul nego-
tiorum publicorum proprium eſt vitium,
morbus, ac nonnunquam Regnorum Im-
periorumque ruina & totale excidium. Nec
ſunt quærenda longè ejusmodi exempla:
præ foribus etiam noſtro verſantur ſæculo
6 multiplicia; dicunturque adulatores quaſi
adaulatores, qui aſſentatione magis, quàm
7 hoſtes gladio noceant, Chamæleonti ſe
componunt, omnemque Principis affe-
ctum induunt, mala laudant, vitia virtu-
tum nomina palliant, Principis errorem
mirantur. Ebrius eſt? Comitatem in cœ-
lum evehunt. Fallit? prudentiam clamant.
Ridet? imitantur riſum. Mœret? lacrumas
fundunt. Morbo tentatur? morbum illi ſi-
mulant. Excandeſcit? magnanimitatē præ-
dicant, & clementiam, quod non ſævierit.
Amat? plus illi, & oleum huic fornaci inji-
ciunt. Otio delectatur? laudant. Sævit?
accendunt etiam magis, & ligna huic igni
ſupponunt. Injuſta bella meditatur? in-
hortantur, magnorum nimirum Princi-
pum eſt ardua meditari; nec pacem ferro
dare. Cauſa deeſt? nulla deeſſe Principi
poteſt, cui libido pro ratione eſt. Vera
audire aſſueſce ô Princeps, nunquam illos
tibi fidos fore credas, qui vel tuum pecca-
tum laudant vel tui cauſâ peccare ſunt pa-
rati; qui Politicem, Jurisprudentiam, Theo-
logiam voluntati tuæ attemperant; blan-
diuntur vultu, caudâ verberant; lau-
dant præſentem, damnant abſentem; de
propinquo mella, de longinquo venena
jaculantur eò nocentiora, quò minùs ſen-
tiuntur.

Fateor, adulatoribus nihil in principio 8
videri humanius; at, ubi opes ſuas firma-
verint, nihil illis inſolentius, nihil crudelius
eſt. Æſtuant ferè libidine, invidiâ, ſævi-
tiâ & avaritiâ. Hinc *Athenienſes ſecuri* (3)
in Aſſentatores ſæviebant. Demoſthenes
ſanè publicas Regnorum clades adulatori-
bus adſcribit. Eſt in hac re illud *Ciceronis*:
(4) *Nullam in amicitiis peſtem majorem, quàm
adulationem.* *Curtius* (4) ſæpius adulatio-
nibus, quàm ferro & hoſtibus, Reges, re-
gnaque everſa, non nubitat aſſerere. Gre-
gorius Magnus adulatorem cum ſcorpione
comparat, qui vulnus & virus, quò figit, in-
fundit. CAROLUS V. Imper. adulatores non
alio, quàm hoſtium loco habuit, dicere
ſolitus, adulationem regiam quandam
ſcabiem & venenum eſſe, quod ſceptrorum
intima depaſceret; cùm plures hæc una,
quàm hoſtis, evertiſſet.

Non mediocris igitur eſt negotii, ta-
lem peſtem avertere ubiq; ſemet inſinuan-
tem. Non ſolùm enim in foris, aulis, con-
ciliabulis, & conviviis, itineribus, aut vena-
tionibus ſemet offerunt, ſed etiam in ſacris
ipſis penetralibus, & Principum cubiculis
nocte dieque perſonant. Ideoque non vul- 9
garem poſtulat curam ac providentiam,
ut Princeps rectè diſcernat, Adulatores à
probis fidisque miniſtris. Cùm nihil iis
pernicioſus ſit, qui non ad conſcientiæ, ſed
ad Domini ſui placitum & gratiam omnia
vota referunt, auribusque faciunt inſidias,
plus æquo in obſequium proni; pernicies
& aulæ peſtes. Prudenter Principem fa-
cturum putarim; *Ne litem dirimat, quin* 10
primòm audiverit ambos; (6) & cùm aliquid
occultè ad eum defertur, ſi delatorem ſiſtat,
& fidem ſibi fieri jubeat ejus, quod eſt dela-
tum. Hac enim ratione multò vivet tran-
quillus, quando nullus eò ſit progreſſus a-
mentiæ, ut quod probare non poſſit, de eo
ſi alicui calumniam facturus. Hoc modo 11
inclytus Dux Saxoniæ Fridericus (quod
utinam in omnibus noſtri ſeculi Principi-
bus foret!) aures calumniantibus objurare
ſolitus: & ſi qui fortè ex ea hominum fæce
moleſtiores eſſent; *Accipiam*, inquiebat,
*delationes veſtras, ſi coram præſentibus in fa-
ciem dicturos ſpondeatis, quæ de abſentibus
defertis.* Sed (proh dolor!) aſſentiuntur ple-
rumque delatoribus Principes, re non ex-
plorati, in præjudicium innocentis; Peu-
cer. *in Lect. Chron. Anno 1572.* atque adeò
ex ipſis quidam ſtolidi ſunt, ut etiam jure-
jurando *promittant*, *ſe nihil enunciaturos*:
(7) atque in crimen anguntur in animis, & ab

impu-

impuris ſæpe hominibus perſuaſi incipiunt illos odiſſe, quos pro ipſorum virtute ac meritis, amore & benivolentiâ ſummâ amplecti & proſequi debebant.

12 At verò quicunque Magiſtratus miniſtros Placentinos præfert Veronenſibus, ut vulgò dici ſolet., is teſte Seneca, arriſores quidem; at ſimul etiam arroſores ſecum 13 habet: quos Conſtantinus *apud Aurelium Victorem* (8) tineas ſoriceſque palatii, Ariſtophanes Simias, & *Anaxilaus* (9) Opum 14 Vermes appellabant. Rectè *Antiſthenes*, (10) præſtare in corvos, quàm in aſſentatores cadere: Illi quippe mortuos, *inquiebat*, hi vivos devorant,

Aſſentatorum turbâ non ulla regentum
Stultitia peſtis colitur damnoſior aulis.
Arbitrio quorum ſubmittunt faſque nefaſq;
Omniaq; indulgent, quæ cœca libido requirit.

15 Adulatorum partes tenent & nobiles illi Thraſones, qui authore Cornelio Agrippa *de vanit. ſcient. cap. 69.* faſtu, luxu & pompâ inſaniunt, induti purpurâ, & byſſo, & opere plumario, & veſtibus deauratis, circundatis varietate, quibus

Scorta placent, fracti curviq; è corpore greſſus;
Et laxi crines, & tot nova nomina veſtis:

Quorum colloquia meræ nugæ & otioſæ fabulæ: obtrectant, deferunt, effutiunt, mentiuntur, ac vera falſis commiſcent. Hi de canibus, de venationibus, de ſylvæ ambitu, de ambage luſtrorum, de venationum eventibus multa mentiuntur. *Et paulò* 16 *poſt;* Tales, *ait*, habuit & *Roboam* (11) Salomonis filius conſultores, tales habent & noſtri ſæculi Principes, qui morem gerentes illorum cupiditatibus, illis ad omne ſcelus parent, hortanturque, aut ſic diſſuadent, ut fortiùs impellant, dum rationes ſuas tam futiles & infirmas opponunt, ut ſic ſe convictos ſimulantes, credulorum Principum confirment errorem, utrobique ſic percipientes, ut non poſſint argui, ſed de proditionis perfidia inſuper gratiam mereantur. Hæc ille de nobilibus aulicis, quorum qui unum offenderit, cæterorum reus eſt.

17 Periculoſiſſimum quoque eſt, in unum plura munia conferre, quorum ſingula totum hominem occupare poſſunt. Plures honorandi, quo Principis beneficium latiùs pateat, & certiùs ſinguli commiſſa ſibi expleant; quo paucioribus obruuntur.

18 Conſultiſſimum verò Principi, mutos magiſtros audire, qui legentium vitia in aliis accuſant, erroreſque lectoris ſui in aliis damnant. Nam quis alius moneat Principem? non patiuntur ſceptra monitorem: quo fit, ut lubentiùs cum fortuna ipſorum, quàm cum ipſis loquamur. E libris ergo 19 diſcenda Princeps hauriat; in quibus tanquam in ſpeculo vitam moreſque ſuos intuebitur, vitia virtuteſque in aliis; nullo ſuo damno, commodo maximo, diſcet, ex hiſce, quid fugiendum, quid ſequendum ſibi ſit, ſtatuet; quidve Principem deceat, quid dedeceat; quæ & à quibus damna metuenda; quæ commoda ſperanda; quantum fortunæ & ſceptris credere debeat, quantum ætati & robori; quantum ſuis, alienis, amicis; inimicis, detractoribus, adulatoribus. Prudenter filium Baſilius monet Imperator: *Per Hiſtorias veteres ire ne recuſa: ibi enim re-* 20 *peries ſine labore, quod alii cum labore collegerunt, atque illicò hauries & bonorum virtutes, & improborum vitia; vitæ humanæ varias mutationes, & rerum in ea converſiones, mundi hujus inſtabilitatem, & imperiorum præcipites caſus; &, ut uno verbo complectar, malorum facinorum pœnas, & bonorum præmia, quorum illa fugias, ne in juſtitiæ divinæ manus incidas; hæc complectaris, ut præmiis, quæ illa comitantur, potiaris.*

Lectionum quoque Ptolomæo Ægy- 21
ptiorum Regi author fuit Demetrius Phalereus, ut conſcriptos de Regno Imperioq; libros compararet, atque lectitaret, nam quæ amici non audent Reges admonere; ea in libris ſcripta eſſe. Sic & optumos 22
Principum Conſiliarios, qui ſemper vocati adeſſent; nihil interrogati occultarent; nihil adularentur, laudatiſſimus quondam Arragonum Rex Alphonſus LIBROS dicere ſolitus fuit: quia ab his ſine metu & gratiâ fideliter audiret, quæ noſſe cuperet, ſibique noſſe expediret. Et Ludovic. Rex Galliæ, 23
qui Sanctus fuit appellatus, filio ſuo ſucceſſori paternè conſuluit, ut fideles & ſynceros non bilingues & fallaces eligeret Conſiliarios, quorum omnes actiones inſidiis & fraudibus plenæ ſunt. Illos tamen excuſandos arbitror, qui cum Vulpe juncti Vulpinari, cornicumque oculos configere neceſſe habent: qui tanquam in Orbe aliquo Reipublicæ ſtantes, eo verſato, hanc deligunt partem, ad quam ipſos utilitas illius, ſaluſque convertit. Quo ſcopo Nicol. Vernulei *lib. 2. Inſtit. Polit. cap. 6.* ad perfectam Conſilii dandi rationem tria potiſſimum requiri cenſet; Uſum Rerum, Charitatem ſeu Patriæ boni que publici amorem: & in dicendo Libertatem. QUIS ENIM DE REBUS IIS RECTE JUDICET, QUARUM EXPERIENTIAM NULLAM HABET? QUIS FIDELIOR AD CONSILIUM DANDUM ESSE POTEST, QUAM QUI NON SUA ET PRIVATA COMMODA, SED PRINCIPEM

ET PATRIAM SINCERA FIDE, CONSTANTIQUE AFFECTU DILIGIT? QUIS MELIUS PRINCIPI CONSILIUM ADFERRE POTEST, QUAM QUI DICENDI LIBERTATE GAUDET; QUAM IMPEDIUNT AMOR ET TIMOR. NAM DUM GRATUM PRINCIPI CONSILIUM SUGGERERE VOLUNT ET CONSEQUI ALIQUID SPERANT, AUT DUM ILLUM VEL COLLEGAS OFFENDERE VERENTUR, MULTA PLERUMQUE TACENT DICENDA, AUT AMBIGUO SERMONE UTUNTUR, AUT ALITER, QUAM SENTIANT, DICUNT. QUA IN RE GRAVISSIME IN DEUM, PRINCIPEM ET REMPUBLICAM PECCANT. Et Carolus Scribanus *lib. 1. Inſtit. Politico-Chriſtian. cap. 27. pag. 191.* conſuadet, Principem eligere debere, quos

24 gravior ætas, magnoque collecta uſu experientia, integritasque & ignara munerum manus, caſti mores, animus ſibi conſtans & periculis major commendat: quos in audiendo faciles, in comprehendendo celeres, in decernendo lenes, inveſtiganda veritate ſedulos, ſtudiisque ac laboribus addictos deprehenderit, quibusque fides omnibus vitæ commodis antiquior, omnibus opibus carior, quorumcunque eruditionem ſancti mores ornent, amovebit verò, quotquot corrupti mores, impurior vita, fraus & dolus occuparunt: quos rei familiaris anguſtia oppreſſit, nec permittet in ſenatorio portu naufragos hos conquieſcere, quos alieno magis patrocinio, quàm vitæ innocentiæ, inniti ſenſerit, quos dolo malo ac muneribus viam ſibi ſternere intellexerit, quosque aut nimia lentitudo, aut nimius æſtus, aut gravior moroſitas, aut faſtidioſi mores, & nauſeabundo ſimiles, aut innata quædam animo levitas & inconſtantia te-
25 net. Verſipelles (inquam ego) arrogantes, ſui amantes, & omnes præ ſe contemnentes *ſimulandi & diſſimulandi artifices,* (12) quos nec aliena, nec propria virtus commendat, qui aureos montes pollicentur, & vix ferreos præſtant, nihilque minus penſi habent, quàm ut promiſſa adimpleant, cane pejus & angue fugiendi atque odio habendi ſunt, vel Achille teſte, qui ſic apud Homerum loquitur, *Iliad. lib. 9.*

Odi ego ceu portas Erebi, quicunq; loquuntur
Ore aliud, clauſumque aliud ſub pectore condunt.

26 Sacræ Pandectæ mentionem faciunt quorundam, qui COR & NON COR habent, *Pſ. 11. v. 3. Jac. 1. v. 8.* qui duplici ſunt animo, & ſimulatores, qui aliud ore loquuntur, aliud intus gerunt; aliud ſtantes, aliud ſedentes promunt. Publicis aut privatis negotiis nihil pernicioſius accidere poteſt, quàm ſi verbis non reſpondeant facta, ſi aliud dicatur ore, aliud verſetur in animo. Vulpina hæc 27
hypocriſis viro bono eſt indigna, quâ tamen nihil vulgatius, & praxis poſtremâ hâc mundi ætate familiariſſima eſt, locutionem ſimulare columbinam, & mentem habere caninam; lupinam tegere ovinâ, & approbare ſymbolum Ludovici XI.

Vincere quos neſcit Leo, Vulpes callida vincit.

Quod maximopere deteſtata eſt vetuſtas. In verbis omnique vitæ actione deteſtabilis fucus & ſimulatio. Ex omni vita ſimulatio diſſimulatioque tollenda. Præcla- 28
ra eſt ἰσονομία, æquabilitas in omni vita & idē ſemper vultus, eadem frons. Pulcerrima in quovis homine mentis linguæque concordia, quod ſentimus, loquamur; quod loquimur ſentiamus,; concordet ſermo cum vita, ait Senec. *Epiſt. 75.* Omnes aliud agentes aliud ſimulantes perfidi, improbi, malitioſi ſunt, inquit Cic. *3. Offic. & Topic.*

Hujus loci ſunt ſententioſa genera di- 29
cendi: *In occipitio oculos habere.* Plaut. id eſt, verſutum & circumſpectum eſſe: *Lapidem ferre in altera manu, panem oſtendere alterâ,* hoc eſt, coràm amicè blandiri, ſed clanculum nocere. Item: *Palus decepit vitem,* id eſt, cùm decipimur ab his, quorum fide maximè nitebamur; quorum corda ſunt Cainitica, linguæ Semeiticæ, labia Daegitica, ſalutationes Iſabi, oſcula Judæ, & manus Saulitica. Caſman. *in mund. immund. capite 36.*

Decipiunt oculi, nec fronti credere tutum eſt.

Quidnam gravius & ſceleratius in Oratorem dici queat, ait Demoſt. quàm ſi dicatur, non eadem ſentire & loqui? Nec multum abeſt hîc Plauti illud in Trucul. In melle ſunt linguæ ſitæ veſtræ atque orationes lacteque; corda in felle ſunt ſita atque acerbo aceto.

At fraudare homines eſt fallere numina Divûm:
Tales ſunt multi, qui adparent fronte politi,
Aſtutam vapido ſervantes pectore vulpem.

Sunt enim mortalium, præſertim Au- 30
licorum plerique falſi, occulti, callidi, turpes animos ſubdolâ modeſtiâ tegunt. Simplex ille candor & candida ſimplicitas unà cum Aſtræa terras nunc ferè reliquerunt. Hinc Auguſt. Mundus quantò blandior, tantò eſt periculoſior; nam cùm arridet, fallit & periculoſè decipit. Et Hieron. Si mundus aperiretur cultro veritatis, nihil in eo inveniretur, niſi falſitas. Chryſoſt. *in Dial. 1. de ſacerdotio:* Difficile tempus eſt, & multæ 31
ſunt inſidiæ. Nam ſynceritas dilectionis periit, & in ejus locum ſucceſſit peſtifera calumnia. Aperti hoſtes facilè vitare poſſunt,

ſunt, qui verò à tergo inſidiantur, maximè moleſti ſunt: Ab inſidiis occultis diligentiùs ſibi cavet bonus bellator, quàm à prælio aperto: Ita vir cordatus cavere ſibi debet non ab exteris, ſed à domeſticis; non ab hoſtibus, ſed ab amicis; non à bello aſpero, ſed à pace ſimulata; non à damno manifeſto, ſed à periculo occulto.

32 Cauſa ejus rei eſt, Amicis plerumque nos ipſos aperimus, unde fit, ut faciliùs periculis exponamur, & inſidiis ipſorum capiamur; inimicos autem metuimus. Nullum certè atrocius vulnus eſt, quàm falli amico, Sophocl. *in Philoct.* Nulla profectò efficacior peſtis fuit ad nocendum, quàm familiaris amicus; qui ore dicit Ave, corde cogitat Cave & O Væ! quique per molle oſculi blandimentum exſecrabile jaculum proditionis & perditionis infigit. Ideoque vel odiſſe alterum, magis ingenuum eſt, quàm fronte occultare mentem & ſententiã. Unde etiam non rarò majora nobis pertimeſcenda
33 ab amicis pericula, quàm ab hoſtibus. Qua de cauſa Alexander Magnus patrem ſuum *Philippum in acie tutiorem fuiſſe,* (13) quàm in theatro dicebat; quia hoſtium manus ſæpè vitaſſet, ſuorum effugere non potuiſſet. Curt. *lib.9. cap.6.* De Domitiano Imp. Suetonius *cap.11.* refert: Nulli magis creabat periculum, quàm quem blandè compellabat & amicè tractabat. Multi eos ad convivia invitant, quorum mortem exoptant. Mel eſt in ore, fel in corde; Laus in dictis, fraus in factis. Amicitias prætendunt, & interim inimicitias ſtruunt. Imò quod dolendum eſt, res eò devenit, ut grande hoc peccatum prudentiæ nomen adſciverit. Laudantur ut boni politici, qui ſunt obſervatores callidi: ſimplex & ſtolidus vocatur, qui ſimulare & diſſimulare veretur. Vide *Pſalm.5.v.7. 15.v.24. 15.v.25. 28.v.3. 41.v.7. 50.v.15. Eſa.19.v. 11. Malach.1.v.14. Mich.7.v.2.&3. Matth. 15.v.8. 1.Theſſal.4.v.6. Jac.3.v.15.* Optimè dixit Ambroſius: *Turpis eſt omnis fraus, quantumcunque videatur ſpecioſa.* Ulpianus quidem explicat, quâ ratione veteres diſtinxerunt dolum bonum, & dolum malum; nam primum illum dexteritatem, ſolertiam, urbanitatem dixerunt: quicquid ſit, Turpis eſt omnis fraus.

34 Persæ ergo (quod Plato in Alcibiade commemorat) rectè fecerunt, qui Regios filios, ut eos quàm optumos efficerent viros, eorumque cordi & ori veritas ſemper ineſſet, quatuor præceptoribus ſelectiſſimis inſtituendos commendarunt; quorum primus erat ſapientiſſimus in docendo divino cultu; ſecundus juſtiſſimus in aſſuefaciendis diſcipulis ad veritatem in dictis, factis, aliisque honeſtis actionibus ſequendam; tertius temperatiſſimus voluptatibus cordis frænum injiciendum monſtrabat; ultimus fortiſſimus de bellicis adparatibus prudenter differebat. Alioquin reliqui quoque Perſæ teſte Herodoto *lib. 1.* illud inprimis ſuis inculcabant, ut fugientes mendacium vera ſemper loquerentur: Ideoque apud eoſdem mendacia capitalia fuiſſe accepimus, ſiquidem, experientiâ teſtante, qui audet mentiri, is reliqua omnia ſcelera tentare audet. Eſtque mendacium & ſimulatio, quæ non tantùm in vitiorum confinio poſita eſt, verùm etiam ipſas poſſeſſiones intrat ſceleris & flagitii, ut loquitur Arnold. Clapmar. *de Arcan. Imper. lib.1. cap.7.*

Aulas ſubi, & videbis, quàm illîc venales ſint linguæ Politicæ: Amicitia & ſincerus amor rarum in aula nomen. Quàm non multi ſunt, qui ſuadent, quod decet, quod oportet, Principis enim frontem intuentur, ac in quam ille partem inclinat, in hanc ſe prono corpore propellunt. Juſtum nimirum, probum illis, quod juſtum probumque Princeps judicaverit. Dum enim placere ſtudent, & offendere verentur, in ſententiam illius eunt omnes. Non facerent, ſi Principem, non fortunam illius amarent; aut plus virtuti, quàm commodis ſuis ſtuderent: ſi majora à DEO, quàm Principe ſperarent. Nunc præſentium amore, æternorum obliviſcuntur. Hi ſubinde id ſolum ſpectant, ne gravius quid delinquant in jus civile; cæterùm nullus amor religionis, cura nulla rerum ſacrarum, virtutis ſolidæ neglectus maximus, ſed occultus. Modò illi ſub ſua vite & ficu quieti maneant, ſusque deque vertantur cætera, id illos non cruciat. Reipublicæ cauſam agere videntur, dum agunt ſuam: ſanctè loquuntur, ut efficaciùs fallant. Difficile eſt, linguam tam aſtutam, tam politam & comptam ſatis dignoſcere à melioribus.

Immane quoque, quantum exacuantur Subditorum animi, ſi videant pecuniam 35
ad neceſſarios & publicos uſus collatam, vel etiam ordinarios reditus ac ærarii vires in mimis, ſcurris, lenonibus, aliisque hominibus ignavis, ac amicitiarum virtutumq; dehoneſtamentis temerè ſaginandis profundi atq; conſumi Nec immeritò. Namque Principes exigunt à ſuis ſubditis, ut ſuis libidinibus indulgeant, aut in aulicos homineſque improbos, & ſeditiones movent, & verbo Dei damnantur, *Deut.17.* Fridericus Imp. interrogatus; *an Moriones in aulam intromitten-* 36
di eſſent? (14) Neque ſtultis, inquit, delectari poſſum, neque ſuperbis eſſe amicus. Non, inquit Æneas Sylvius, intelligunt hodiè Principes Friderici dictum, qui hac hominum fece ita delectantur, ut omnes aulæ Stultorum & Morionum ſint plenæ, *lib. 2. Comment. de reb. geſtis Alphonſi.* Alphonſus Aragonum Rex, quanquam eſſet liberaliſſimus, ſtultos tamen & moriones perrarò admiſit, hujusmodi homines ciſternæ rimoſæ perſimiles eſſe dicens, quas ut nullus imple-

ret imber, ſic hos nulli, quamvis magni proventus rerumque compendia exſatiarent. Pontanus *de liberalitate.*

37 Diſtinguendum tamen cenſerem inter Moriones naturales, *hoc eſt*, eos, qui fatui nati ſunt, & homines feſtivos & facetos, qui cum integra ratione ſint nati, habent tamen peculiarem quandam partim à natura, partim ab arte in jocando gratiam. Illi non niſi magnâ cum diſcretione in Principum conſortium admittendi: hi verò è Principibus, niſi fortaſſis deprehendantur adulatores & Principum corruptores, arcendi non ſunt. Princeps enim non tam ipſe jocabitur, quàm aliorum jocos feſtivos, argutos, & cum honeſtate conjunctos audiet.

38 Fama eſt Georgium Poggiebracium Regem Bohemiæ xvi. Chilianum quendam paraſitum ex his, qui ſtultitiam ſimulantes, alios ſtultos faciunt, in æde Pontificiali his verbis compellaſſe; *Quo vultu ſacra noſtra reſpicias planè adverto: animum non intueor. Fare obſecro: nonnè ſatis nitida tibi videtur noſtra religio. Vidésne quàm multi & magni Principes, & ipſe Rex noſter unum ritum ſequantur. Cur non his potiùs, quàm Rochezanæ* (15) *conſentis? An plus ſapere paucos Bohemos, quàm reliquam Chriſti Eccleſiam cenſes? Quin relictâ inconditâ plebe nobilitati te jungas nobiliter.* At Poggiebracius; Si tua hæc ſunt verba, *inquit*: non es, quem ſimulas: tibi tanquam prudenti reſpondeo. Sin aliena: ſatisfacere me illis oportet. Audi ergò Eccleſiaſticas ceremonias, ſua quisque pro fide gerit. Sacrificia ea facimus, quæ credimus Deo grata. Neque noſtri arbitrii eſt, credere quod velimus. Victa magnis rationibus mens humana, volens nolensque capitur, utque natura inſtituta eſt, altera facilè trahitur, altera elabitur: Mihi perſuaſa eſt meorum Sacerdotum religio. Si tuam ſequor: homines fortaſſè fallam, animæ meæ contrarius. Deum, qui corda inſpicit, neque fallere, neque me tui ſimilem eſſe decet. Aliud hiſtrioni: aliud verò nobili convenit. Hæc vel tibi habeto, ſi ſapis, vel his referto, qui te ſubmisêre.

39 Eleganter Poëta Germanus de Morionibus Hof-Stock- und Schalcks-Narren / Poſſen- und Zottenreiſſern:

In die Hofpfarren
Dienen Stocknarren/
Die jetzund viel/
In allem Spiel/
Mit Poſſenreiſſen/
Die Leut beſchmeiſſen/
Mit Stocken machen/
Daß die Leut lachen/
Dencken darbey auf ihre Sachen.

Von Fuchsſchwäntzern.

Kein arger Meuchler/
Iſt denn ein Heüchler/
Der alls probirt/
Dem Herrn hofirt/
Ihn offt ſo hart/
Mit Lob verwart/
Daß er ſtoltz wird/
Und wol verirt/
Vom Heuchler bey der Naſen geführt.

Von Schmarotzern und Tellerleckern.

Schmarotzerey/
Iſt gemein und frey/
Bey groſſen Herren/
Die man zu Ehren/
Offt pflegt erſuchen/
Meint doch die Kuchen/
Drum ſich erkant / der eſſens ſtund/
Drein naſchen kommt / gleichwie ein Hund;

Item:

Schmarotzerey/
Iſt heut nicht neu/
Dann ihr viel lauffen/
Nach Freſſen und Sauffen/
Solches Geſind/
Hofſuppen ſind
Lieblich zu lecken/
Und weidlich ſchmecken/
Doch iſt dabey viel Angſt und Schrecken.

Summatim dicam Tu lurco, ganeo, gnatho, æris paterni lancinator & gurges, & qui culinas, aulasque potentum ſectaris, vinique generoſiſſimi pitiſſator delicate, & qui auri pondera crepas, & præ te omnes deſpicis legisq; aulicæ refers & præfers punctum; diſce exemplo Salvatoris noſtri JEſu Chriſti parvo victitare, ſubluſtri habitare tecto, veſte contegi ruptâ, inter boatus halitusque taurorum & aſinorum haurire vitam. Quisquis hîc opes penſi habet magnique æſtimat, vanæ gloriæ captator, neſcit futuras, æterna ſpernit. Pauper occupat cœlum, & quà præit Redemptor, hâc gradum flectit & ſequitur. 40

ANNO-

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT CV.

Num. 1.

(1) O*Stendam tibi, &c.*] Ipſa verba Senecæ *6. de beneficiis cap. 30.* ſic ſonant: Omnia ſanè, excluſerit opulenta felicitas; monſtrabo tibi, cujus rei inopiâ laborent magna feſtigia, quid omnia poſſidentibus deſit. Scilicet ille, qui verum dicat, & hominem inter mentientes ſtupentem, ipsâque conſuetudine pro rectis blanda audiendi ad ignorantiam veri perductum, vindicet à conſenſu concentuq; falſorum, &c. De quo argumento latè egimus ad Politicum Sceleratum *cap. 13. pag. 118. 119. ſeq.* & agit Drexelius *in Orbis Phaetonte*, ſive *de vitiis Linguæ cap. 1. cap. 2. & cap. 3.* in quibus & adulationem & adulationis damna maxima explicat. Tympius *in Speculo boni Magiſtratus ſig. 2.*

Num. 3.

(2) *Detractio, &c.*] Quid detractio, quotuplex, quàm grave ſit peccatum, quantorum malorum mater, quibus titulis aſſiciendi Detractores: & quibus ſuppliciis ſæpè ſint affecti, itidem exponit Drexelius *dict. loco, cap. 15. cap. 16. cap. 17. cap. 18.*

Num. 8.

(3) *Athenienſes ſecuri, &c.*] Attamen ex Athenæo Petrus Gregor. Tholozanus ſcribit *de Republ. lib. 8. cap. 7. num. 5.* Ipſos Athenienſes Cives adulatores maximos pernitioſósve fuiſſe; ut & Theopompus dixerit, Athenas Adulatoribus, Nautis, Graſſatoribus, falſis Teſtibus, Sycophantis, falſis apparitoribus, aliiſq; malis plenas.

(4) *Ciceronis, &c.*] in Lælio.

(5) *Curtius, &c.*] lib. 8. *cap. 5. ibi*: Pernicioſa Adulatio, perpetuum malum Regum, quorum opes ſæpiùs aſſentatio, quàm hoſtis evertit. Plura loca parallela, juxta ea, quæ in textu citantur, vide apud ſupra allegatos Authores, & in Addit. noſtris ad Politicum Sceleratum *cap. 13. pag. 114. ſeqq.*

Num. 10.

(6) *Quin primum audiverit ambos, &c.*] Sic aureis literis Curiæ Norimbergenſi inſcriptum:

Eins Manns Red iſt ein halbe Red:
Man ſoll die Theil verhören beed.

Quidam in alterum injurius delationem apud Cæſarem Maximilianum II. anteverterat, cui Cæſar, De Feneſtra, inquit, dum proſpicio, vidi advenientem reum, & vix animam recipientem. Nolo Scalarum aliquot gradus ejus pedibus prohibere, ut adſit. Et jam ſiniſtram aurem, neſcio quid mihi intus pulſat. Hæſit alter in pudore & periculo, dicente Vernulæo *in Virt. Auguſt. Gent. Auſtr. lib. 2. cap. 9. num. 6.*

Num. 11.

(7) *Promittant ſe nihil enuntiaturos, &c.*] Hujus loci eſt locus Senecæ *lib. 2. de Ira cap. 25.* à nobis *ad Politicum Sceleratum cap. 36. pag. 420.* allegatus.

Num. 13.

(8) *Aurelium Victorem, &c.*] In Epitome *cap. 41.*

(9) *Anaxilaus, &c.*] Eutrop. *lib. 10.*

Num. 14.

(10) *Antiſthenes, &c.*] Stobæus *Serm. 12.*

Num. 16.

(11) *Roboam, &c.*] *3.* Regum *12.*

Num. 25.

(12) *Simulandi & diſſimulandi artifices, &c.*] De Simulatione & Diſſimulatione tam multa ad Politicum Sceleratum *cap. 6. pag. 60. 61. & ſeqq. cap. 34. pag. 377. paſſim* congeſſimus, ut pigeat hîc quicquam addere.

Num. 33.

(13) *Philippum in acie tutiorem, &c.*] Henricus IV. Gall. Rex., duo regna protegere potuit à vi & inſidiis externorum hoſtium, ipſum ſolum ne duo quidem regna contra inſidias domeſticas. Owenus ad Regis illius dictum: DUO PROTEGIT UNUS ſic alluſit:

Gallorum Rex Regna, inquit, duo protegit unus?
Protexêre tuum nec duo regna caput.

Seneca *Epiſt. 4.* Recognoſce exemplum eorum, qui domeſticis inſidiis perierunt, aut aperta vi & dolo: & intelliges non pauciores irâ ſervorum cecidiſſe, quàm Regum.

Num. 36.

(14) *An Moriones in Aulam intromittendi, &c.*] Confer dicta de Morionibus ad Politicum Sceleratum *cap. 36. pag. 426. ſeqq.*

Num. 38.

(15) *Rochezanæ, &c.*] Oppidum eſt Pragenſis Eccleſiæ, non longe à Pelzina, cui *Rochezana* eſt nomen. Ex hoc loco puer obſcuris parentibus, cenſuq; tenuiſſimo natus, Johannes nomine, Pragam venit, mendicatuq; victum quærens; Grammaticam & Dialecticam didicit. Quum adoleviſſet, Nobilis cujusdam pueri pædagogus factus eſt: & cùm valeret ingenio, linguaq; promptus eſſet, in collegio pauperum receptus auditor Jacobelli fuit: Poſtremo Presbyter ordinatus, prædicare verbum DEI Pragenſibus cœpit, ex oppido unde ortum habuit, *Rochezanæ* cognomen ducens. Et jam nomine & authoritate valebat, quum Ziſcha Pragam obſideret. Æneas Sylvius *Hiſt. Bohem. cap. 45.*

CAPUT CVI.

Ebrietas & Ingurgitatio ab Aula removenda.

SUMMARIA.

1. Convivationes & epulæ *ſeverè in aulis abrogandæ.*
2. Principes *facultatum, à Deo conceſſarum, ſunt quaſi precarii poſſeſſores.*
3. Lutheri *contra hunc talem abuſum querela.*
4. Principes *ſubinde vino & potationibus veritatem inquirunt & tormentum admovent Bacchicum in vino veritas, ibid.*
5. Rex *vinum bibiturus meminerit, ſe ſanguinem terræ potare.*
6. *Immoderatus* vini abuſus *rejectus.*
7. Frugalitate *Princeps ſuæ valetudini & ærario, Subditis exemplo rectè conſultum credat.*
8. Princeps *Imperio maximus, at major exemplo eſt.*
9. *Quæ* opes *& pecuniæ perditæ dicantur Principis.*
10. *Quod* Provinciales *contulerunt, ejus ſunt Principes cuſtodes.*
11. Auſonius *docet frui rebus, uti mortalis, ſed res diligere, ut ſolet immortalis.*
12. Cauſa luxurioſi mali *in Aulis. Ab ebrietatis tamen vitio libera eſt familia Auſtriaca, ibid.*

Ebrietas furor eſt ſpontaneus. Ergo ſeveris
Ex aula eductas ejiciendus erit.

1 PAri ratione moderationem ſibi præſcribat Princeps circa ingurgitationes, luxum & epularum fœdam & inexplebilem libidinem. Incredibile enim dictu, quantum animi Subditorum abalienentur, cùm Principem ſuum vident nepotinis conviviorum ſumptibus, fiſco ſive ærario abutentem ac publicum poſtputantem commodum præ luxu & abdomine ſuo. Ecquid mirum? ſi quam conferunt pecuniam in ſubſidium belli ac Reipublicæ, in pompam deliciasque egeſtatem mox parituras, converti videant?
2 præſertim cùm ſciant, omnes commodatis à DEO facultatibus Principes uti, & quaſi precarios poſſeſſores. Chockier. *libr. 5. Aphoriſ. Politic. capit. 14. princip.* Qua de re gravis extat querela D. Lutheri *in Comment. ad cap. Prophetæ Micheæ fol. 544.*
3 Noſtro, *ait*, ſeculo immodicè crevit aulicus luxus. Cùm igitur ordinarii reditus ad tolerandos tantos ſumptus non ſufficiunt, videmus novis & inuſitatis Exactionibus Subditos gravari. Prætexuntur quidem pericula, ſed nemo non videt cauſam talium Exactionum eſſe, quòd majores ſumptus, quàm pro re faciunt Principes. Hæc D. Lutherus *dict. loc.* Et certè, quod dolendum, ſolent ferè omnes Reges & Principes, quamvis adulti, adeò ſe voluptatibus & deliciis immergere, *ut omnem curam gubernandi à ſe abjiciant*, (1) & *Sejanis* ſuis mandent, hominibus ut plurimum *vilibus* & *avaris*, qui id unicè ſtudent, ut ſe domumq; ſuam ditent & exaltent, ſalute Populi (quæ ante omnia debebat curæ eſſe) neglectâ, ſpretâ, & pedibus conculcatâ.

Abuſum autem, non uſum rerum improbamus. Solent quippe Principes quandoq;, ut *Venuſinus vates* (2) affirmat,

— — magnis urgere culullis,
Et torquere mero, quem perſpexiſſe laborant,
An ſit amicitiâ dignus? — —

Hoc eſt ingeniis duris *lene tormentum* (3) admovere, & arcanum conſilium jocoſo retegere Lyæo. *Marcus Craſſus bello*, (4) quod contra Dacos & Baſtarnas gerebatur, eorum legatos admiſit, retinuitq;, poſtridiè reſponſurus. Interim legatis hilare vini tormentum admovit, eosque vino ſepeliit, ut omnia eorum conſilia eruerit. Arte conſimili ajunt olim *Bonoſum Imperatorem uſum*, (5) qui ſæpè dixiſſe fertur, non ut viveret ſe natum eſſe, ſed ut biberet. Is igitur, quoties barbarorum Legati undecunque gentium ad eum veniſſent, vino liberaliſſimè propinato ebrios reddidit. Itaque è tumulentis his linguis, quæ voluit, expiſcatus eſt. Nemo tantæ continentiæ eſt, qui mero merſus & madens non effutiat omnia; quicquid fraudulento ac vapido in pectore latet, protruditur: Linguæ ſunt liberæ, ubi eas Liber copioſior irrigavit. Quod ſobrio in pectore, id in 4
palato natat ebrio. Hinc Plato *lib. 1. de Leg.* non inſcitè dixit βάσανον καὶ παιδείαν εἶναι ἐν οἴνῳ, hoc eſt, inquiſitionem eſſe in vino & quandam diſciplinam. Vinum enim aperit cor, ut niſi magno uſu confirmata ſit taciturnitas, facilè effutiat, quicquid noverit. Haut inconcinnè itaque vinum deductum æſtimari poteſt à vi, quod nimirum menti vim inferat, atque adeò ſi præter modum hauriatur, ei vim adferat, atque perturbet. Hinc Gregorius quatuor gulæ filias tribuit: Ineptam lætitiam, ſcurrilitatem, multiloquium, & hebetudinem mentis. Fitq; ſæpenumero, quod *Seneca* ait, (6) ut unius horæ hilaris inſania longiſſimi temporis tædium adferat. Sanè Cyrus præter cætera ſe Regno fratre magis idoneum prædicavit propterea, quòd liberalem meri hauſtum ferret commodè. In mentem ſingulis revocamus, quod Androcides ſapientiâ clarus ad Alexandrum Magnum ſcripſit, intemperantiam ejus co- 5
hibens: Vinum potaturus Rex, memento te bibere ſanguinem terræ: ſicut cicuta homini venenum eſt, ſic cicutæ vinum. Quibus 6
præ-

præceptis ſi illi obtemperaſſet, profectò amicos in temulentia non interemiſſet. Prorſus, ut jure dici poſſit, neque viribus corporis utilius aliud, neque aliud voluptatibus perniciofius, ſi modus abſit. Hæc Plinius *lib. 14. cap. 5. recitat.*

E diverſo Princeps ubi ſervaverit auream mediocritatem, ubi largitionibus nihil expenderit, Chartis luſoriis nihil profuderit, inutilibus magis, quàm neceſſariis adparatibus atque ſtructuris nihil exhauſerit, com-
7 eſſationibus aſſiduis nihil decoxerit, turpi denique rerum uſu nihil vecorditer abſumpſerit, non tantùm bono exemplo Subditos ad Frugalitatis normam reducet, ſed etiam ſuæ ipſius valetudini & ærario conſulet; Quia, ut Vellei. Paterculus *lib. 2. de Augusto Cæſare* loquitur: Rectè facere Princeps cives ſuos, faciendo, docet; & cùm ſit Imperio Maximus, exemplo tamen major eſt.
8 Cùm plerumq; accidat, ut ii, qui ſubſunt, ejus mores exprimant & imitentur, ſub cujus Imperio degunt. Magnas opes non tam multa capiendo, quàm haud multa perdendo quæri, apud Dionem Mœcenas Augu-
9 ſtum monet. Perduntur autem pecuniæ, cùm in iis erogandis nullus modus conſtituitur, ſed in res non neceſſarias, puta ædificationes ſumptuoſas, haſtiludia, ludos equeſtres, comœdias, ignes lætificos inventione & ſumptu ſpecioſiſſimos, convivia luxurioſa & Syllæ epulas, aliasq; hujusmodi res ad pompam, voluptatem aut delectationem pertinentes, profunduntur peſſimo Tyrannorum exemplo, qui divitiarum & pecuniæ non alium fructum putant, quàm luxum &
10 profuſionem: Cùm meminiſſe deberent, ſe communium illorum bonorum, quæ Provinciales contuliſſent, cuſtodes tantùm eſſe & diſpenſatores, Oraculi ergo loco ſit illud Poëtæ.

Si rectè frueris, non eſt, ut copia major
A Jove donari poſſit tibi:

Et pulchrè Auſonius in epigram.

Re fruere, ut natus mortalis, dilige ſed rem
Tanquam immortalis. Sors eſt in utroq; veranda.

11 Quomodo fruuntur mortales? ad uſum accommodando. Quomodo immortales? mortalibus diſtribuendo pro utilitate & neceſſitate publicâ. Sors in utroque veranda, *ait*, id eſt valdè diuque cogitanda. Nam à *ve* & *reor* vereor factum volunt, quod honeſtè timere venerariq; eſt, quòd quæ magni faciamus, longè diuque cogitemus. Aliter qui faciunt, ii cum pompa & tripudio pereunt. Quod olim dixit ad Carolum VII. Galliæ Regem Hira, cùm Anglis in Gallia bellum gerentibus, nihilominus eum videret totum Gynæcei, Saltationum, conviviorum ac aliis ejusmodi ſumptuoſis deliciis occupatum, Caſpar Ens *libr. 1. Epidorpid. fol. 191. & libr. 2. fol. 269.* ubi ex ſenſu Glareani Magnatum difinit vitam.

Quibusdam in aulis ita comparatum eſt, 12
ut quantum hoſpitalitatis & liberalitatis in advenas magnificentiæ ergò conferatur, tantum, illis recedentibus, miniſtris & famulis detrahatur, Adam Keller *lib. 1. de Offic. Juridico-Polit. cap. 17.* Et res nota, in familiis convivio peracto plerumq; has iniri rationes: Magnos ſumptus fecimus, ergò jam marſupium contrahamus, menſam, famulorum præſertim & ancillarum, tenuiùs inſtruamus, attentiore parſimoniâ ſtipem demus, ut ita paulatim redeant expenſæ. Ita de victu quotidiano ſemper aliquid abraditur, & perparcè victitatur.

Cauſam hujus mali luxurioſi explicat Frider. Mindan. *lib. 2. de mandat. judic. cap. 11. num. 3.* hisce verſibus:

Quî fit, quòd Principes & Comites
Tenentes urbes, caſtra, territoria,
Vicos, palatia, agros, & tentoria,
Cum fructibus, reditibus,
Magnis ſimul cum cenſibus,
Minùs tamen redundent ſoſpites?
Non viget aulis obſervantia
Divini Numinis, juſtitia, æquitas,
Hinc, cum pietate, morum & vitæ puritas,
Verſantes in exilio,
Raro adſunt in conſilio,
Hinc omnis diffluit ſubſtantia.
Tum luxus, & pompoſa ambitio,
Juges epulæ, & potatio theatrica,
Mollis incuria, & voluptas lubrica,
Cuncta conſumunt turpiter,
Et fit nihil frugaliter.
Præceps hinc cuncta fert perditio.
O Nobile mortalium genus
Natum imperare, cur patrias imagines,
Clarasq; ſtemmatis tui propagines,
Dedecoroſis moribus
Et modis laxioribus
Cenſuq; exhauſto enervas hactenus?
Non hæc virtutum aut laudum ſemita:
Cordi primùm DEI tibi ſit gloria,
Felicem ut te evehat dives victoriâ:
Nec major datis cenſibus
Te perdat luxus ſumptibus.
Hac te beatum reddes orbitâ!

Nec abludunt iſti elegiaci Michaëlis Piccarti *libr. 1. Epigram. 72.*

Ingentes miramur opes quandoq; Potentum
Conſumi ſubitò, pauperiemq; ſequi?
Et pretia, & numerum potiùs miremur, Equorum
Quique in aves ſumptus ſumitur inq; canes;
Servorumq; greges, exſtructa Palatia, Regum
Æmula, vel pretio nobiliora ſuo:

Tum

Tum toties iterata etiam convivia, latas
Immenſo pretio deq; alio orbe Dapes:
Hæc animo ſubducentes mirabimur, omnes
Orbis opes tantis ſumptibus eſſe pares.

Ab omnibus non ſolùm probatur, ſed etiam laudatur, quòd ab Ebrietatis vitio inter Principum Germanorum familias ſola libera ſit familia Auſtriaca. Ab Avis enim & Atavis ſemper deteſtata fuit ebrietas, licet regio Auſtriaca vini ſit fertiliſſima & locupletiſſima, Cuſpian. *in Orat. de bello contra Turcam ſuſcipiend.* ubi elegans remedium ſuggerit, ut decreto Edictali miniſtris primariis & ſubditis ebrietatem interdicant Principes, qui ſi dicto non audientes ſurdâ aure Mandata transgrediantur, petituri deinceps à Principe gratiam Caſtrum aliquod, ſive villam ſive beneficium aliud, repulſam patiantur, & indignationem Principis incurrant. Hoc ſingulari remedio huic malo mederi cenſet Cuſpinianus *dicto loco.*

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT CVI.

Num. 3.

(1) *Omnem curam gubernandi à ſe abjiciant, &c.*] Multos tamen Principes ſe uni regendos tradere, jam ad Politicum Sceleratum *ad caput 25. pag. 241. ſeqq. ad caput 38. pag. 439. ſeqq.* & *ad caput 44. pag. 497. ſeq.* monſtravimus, quibus junge Piccartum *Decade 15. cap. 9.*

(2) *Venuſinus vates, &c.*] De arte Poëtica *prope finem.*

(3) *Lene tormentum, &c.*] Elegantiſſimè explicat & illuſtrat Piccartus *decade 7. cap. 2.* rationes, ob quas rectè inter lenia tormenta vinum exquiſitiſſimum appelletur & revera ſit. Nempe diſſolutus Bacchus eſt impatiens vinculorum cordis & linguæ. Marſelaer *de Legato cap. 17.* & plurimos, qui vino liberiùs ſe ivitarunt, ſtatim

— — ſubſequitur cæcus amor ſui,
Et tollens vacuum plus nimio gloria verticem.
Arcaniq; fides prodiga perlucidior vitro.

Horatius *lib. 1. Ode 18. in fin.* Adde, ſi lubet, notata ad Polit. Sceler. *cap. 13. pag. 130. ſeq.*

(4) *Marcus Craſſus, &c.*] Dio *lib. 51.*

(5) *Bonoſum Imperatorem uſum, &c.*] Teſte Flavio Vopiſco in vita ejus, & hinc fuit, quòd (cùm à Probo Imperatore ſuperatus laqueo vitam finiiſſet,) quidem jocus exſtiterit, Amphoram pendere non hominem.

Num. 4.

(6) *Seneca, &c.*] Epiſtola 59.

CAPUT CVII.

De Peregrinationibus longinquis vitandis.

SUMMARIA.

1. *Abſtineatur longinquis* peregrinationibus, *difficilibus expeditionibus & amplis Comitatibus, ut parcatur ſumptibus.*
2. Apum *Rex alas habet minores, docet non longè à ſubditis avolandum.*
3. *Abſtineat potiſſimùm à* peregrinationibus, *cùm domi res turbidæ & inquietæ.*
4. Exemplum *in hanc rem* Woldemari *Sueciæ Regis.*
5. *Sed nec in ſua Patria* Princeps *ſæpè & multùm peregrinetur.*
6. Exemplum *huc facit M. Antonini Pii Imp. qui ſolitus dicere, Principis etiam parci comitatum ſubditis eſſe gravem.*
7. Vigilantia *tamen & prudens ocularisq; inſpectio Principis maneat inculpata.*

Quis luſtret terras alieno ſole calentes
Abſq; gravi ſumptu? certè minùs inclutus heros.
Non igitur peregrinari velit ille frequenter.

1 Reditus Principum annui non citò nimis deficient, nec quotannis velut inter digitos dilabentur, ſi peregrinationibus longinquis maximos ſumptus requirentibus abſtinuerint, difficiles expeditiones non obierint, nec graves denique comitatus aſſumpſerint. Reinh. Lorich. *de Prnic. inſtit. tit. Quâ viâ Principi cenſus & annui reditus ita ſufficere queant, &c. numer. 220.* Nota eſt enim regula generalis: ubi iter longinquum & comitatus numeroſus eſt, *marſupium laxius reddi* (1) neceſſe eſt, Guevar. *Horolog. Princip. libr. 2. cap. 29. num. 346.* Rex apum, qui nunquam procul avolat, & alas pro corporis portione minores habet, Principes bonos admonet, ut intra Regnorum ſuorum ſepta & limites ſe contineant, & minimis impendiis negotia Reipublicæ maxima procurent. Inprimis verò peregrinationibus non eſt indulgendum, rebus domi turbidis, creperis, & inclinatis; & quando Imperium eſt in incerto. 2

Quod monitum *Woldemari* Sueciæ Regis exemplo confirmatur, qui cùm rebus Imperii necdum ſatis firmis, ſive compoſitis, *in Terram Sanctam peregrinationem* (2) ſuſciperet, frater ipſius, *Magnus* nomine, regnum occupavit, eique inſeparabiliter 3

incu-

4 incubuit, ac reverſum ex peregrinatione Woldemarum & regni jura repetentem fugavit, atque cum uxore, liberisq; in Daniam ad Regem Ericum concedere coëgit; Crantz. *lib. 4. Sueciæ c. 24.*

5 Quin & ego non neceſſarias, per Provincias ſuas, peregrinationes Principibus diſſuaſerim, utpote quæ miſeram plebem ruſticam planè exhauriant & agrorum culturam impediant, aliaq; graviſſima mala Subditorum cervicibus imponant. *M. Antoninus Pius* (3) Imper. nunquam lætatus eſt lucro, quo provincialis oppreſſus eſt: Ac
6 ne cui gravis eſſet; in ſuis prædiis ferme vixit; expeditiones longinquas evitavit, dicens: Gravem eſſe provincialibus Comitatum Principis etiam nimis parci.
7 Non tamen hoc ipſo improbatur quorundam Principum vigilantia & prudentia, qui minori ſumptu adeunt, ſæpius longinqua Imperii, ut pleniùs atque uberiùs de ſtatu rerum ſuarum cognoſcant, & ſubditorum naturam (quod in magnis & neceſſariis habendum) exactiùs norint: Namque ut Poëta canit:

Principis eſt virtus maxima, noſſe ſuos. (4)

Utq; hac peregrinatione aviditati Gubernatorum & Officialium occurrant, quos bonis Provincialium abuti, maximo Principum & Reipublicæ malo, ſæpe videmus; & denique ut cuncta melius ad decorem Imperii componat: quod ipſum ſummæ ei curæ eſſe debet: Reſpublica ſiquidem non eſt unius civitatis cura, ſed totius Regni proviſa cuſtodia, Caſſiodor. *var. Epi. 9.*

ANNOTATIONES
Ad CAPUT CVII.

Num. 1.

(1) **M***arſupium laxius reddi, &c.*] Imò & ſine Comitatu peregrinantibus pecunia primum mobile eſſe aſſolet, ut hinc nonnemo peregrinationes *Scholam ſumptuoſam* vocaverit.

Hoſpites eſſe gravem fulvo decet ære crumenam.
Non benè longinquum cœpit egenus iter.

Indeq; inter alias cauſas, ob quas quibusdam in Regnis & Provinciis peregrinari inſcio principe non licet (*Vide Forſtnerum in Not. Pol. ad Tac. 12. Annal. c. 23. n. 1.*) fortè non inſcitè referri poterit & illa, ut pecuniæ potiùs domi ſerventur, quàm aliò transferantur & ſæpe prodigantur.

Num. 3.

(2) *In Terram Sanctam peregrinationem, &c.*] Confer D. Locenium *Hiſt. Suec. lib. 3.* qui de Peregrinatione Hieroſolymitana illa planè ne verbulum quidem habet.

Num. 5.

(3) *M. Antonius Pius, &c.*] Capitolinus *in vita ejus cap. 7.*

Num. 7.

(4) *Principis eſt virtus maxima noſſe ſuos, &c.*] Attamen neminem ferè minùs quàm Principes ſuorum ſæpe noſcere ingenia monſtravimus ad Politicum Sceleratum *cap. 28. pag. 292. ſeqq.*

CAPUT CVIII.
De Equitatu, Venationibus & Pyrotechnis, &c.

SUMMARIA.

1. Equitatus *nimius*, Venationes *immoderatæ culpantur.*
2. Actæonis *fabula explicata.*
3. Venatores *ipſi nimiùm ſæpè efferantur.*
4. *Exempla quædam memorabilia* Principum *ad hoc propoſitum.*
5. Exercitium venandi *modicum moderatumq; laudabile eſt.*
6. Venatoria exercitatio *eſt belli præliorumq; velut progymnaſma.*
7. Diana *Venationum Dea deſcripta.*
8. *A* Venatione *venitur inſtructiſſimè ad bellum, tanquam è ludo & ſchola, n. 11.*
9. *Deorum munus* Venatio *Xenophonti.*
10. Ælius Hadrianus *Impp. in venatu Leonem non ſemel manu occidit.*
12. *Ex* venatione *ferarum, proclive eſt pervenire ad venationes hominum & latrocinia.*
13 Venationis *diſcipuli fiunt ſtrenui rei bellicæ Magiſtri.*
14. *Exempla hujus rei memorabilia* Mithridatis, Fabiorum, & Lucanorum, *n. 15.*
17. Pyrotechnis *aliisq; ignibus ludicris ſæpè fit profuſio ingens pecuniæ publicæ & privatæ; hoc & num. 18.*

Quos numeroſus equûm cœtus, venatio crebra,
Et Pyrotechnia vana juvat, ditatio fiſci
His non propoſita eſt ſyncerâ mente Dynaſtis.

FAcultates Principis augebuntur, ſi non 1
prægrandi nimis equitatus adparatu ſtuduerit exundare, ſi in venationibus, machinis ignitis & in omni genere laxamenti modum adhibuerit. Equorum nimia copia redituum gignit inopiam. Neq; in majori pretio equi, quàm Subditi habendi ſunt. Phil. Melanchthon *in Evang. Dom. 9. poſt Trinit pag. 466* Videte, *inquit*, quales voragines, quales charybdes ſint facultatum in aulis: Sæpe Princeps aliquis quadringentos alit equos, cùm vix XL. aut L. indigeat; reliqui aluntur pro forma; Lorich. *de Inſtit. Princip fol. 219.*

Vena-

Venationes quoque immodicæ Subditorum facultates primùm atterunt, ſive canes ſint alendi, ſive pabulum feris ſubminiſtrandum, ſive vigilandum in media hyeme ad retia, ſive poſthabitis operis ruſticis Venatoria inſtrumenta de loco in lo-
2 cum transferenda. Quò vulgò referunt *fabulam Actæonis* (1) in cervum mutati, qui à canibus ſuis dlianiatus, id eſt, omnibus opibus in canes conſumptis, tandem ſuo ſtudio periit. Quid? quòd ratione crude-
3 litatis & ſævitiæ, cui aſſueſcunt, Venatores ipſos feras effici, morumq; prodigioſa perverſitate, tanquam Actæona in belluas mutari, ſcribit Cornel. Agrippa *de Vanitat. ſcient. cap. 77.* Ut interim taceam pericula & inſidias, quibus ſeſe exponunt Principes, dum per ſylvas, ſaltus ac avios receſſus palabundi ferarum inſectantur veſtigia, & certant

Per juga veloces curſu prævertere cervos.

4 *Hadrianus Imp.* (2) inter venandum diffregit humerum & crus penè contrivit. Baſilius Imper. à cervo in cornua ſublatus ad terram non niſi mortuus rediiſſet, niſi diſciſſo baltheo à quodam apparitorum liberatus fuiſſet. *Maria, Caroli Bellicoſi* (3) Ducis Burgundiæ unica filia, Maximiliani I. Imper. uxor, vicina partui equitans, in venatione ſolutâ ſellâ in dorſum decidit, in gremio à ſella equi multum moleſtata, adeò, ut tandem immaturum ediderit partum, & ex eo caſu fatis conceſſerit. Quid Caroli V. Imper. Franciſco I. Galliæ Regi aliiſque Dynaſtis in venatione obtigerit, in vulgus notum eſt. Eberhardus Dux N. à Walgario Friſonum Comite, dum venatum proficiſcitur, per fraudem interfectus eſt. Jan. Douſa *libr. 7. Annal. Holland. fol. 347.* Alia & plura exempla recenſet Henning. Arniſæus *libr. 3. de Jure Majeſtat. cap. 4. pag. 536.*
5 Modicum tamen & moderatum venationis exercitium in Principibus improbari penitus non poteſt, cùm id præſtet utilitates non contemnendas, & ex ſententia Xenophontis *libr. 1. Pædiæ Cyri, ſimile ſit militari labori.* (4) Eſt enim venatoria exercitatio veluti quædam facies rei bellicæ, & quaſi bellorum præliorumque progymnaſma.
6 Quippe ut in venando Princeps à truculentâ beſtiâ modò ſibi ſolerter cavet prudenterque proſpicit, modò vafer inſidias tendit, ac indulgenter tractat; mox aperto marte imperterritus adoritur, atque fortiter ſternit: Sic in bellis modò ſagax declinat hoſtem, non temerè congreditur, jam ſtratagemate ludit ac velitatur; mox intrepidè in hoſtem impreſſionem facit; Collatis ſignis fortiter dimicat, & manibus conſertis hoſtes occidione occidit. Reinhard. Lorich. *de Inſtit. Princ. tit. de Venat. pag. 218.*
7 Hinc venandi Deam Dianam fecerunt Poëtæ, Nympharum habitu ſuccinctam arcu, & pharetrâ, & jaculis armatam: quo ex monimento venatio non parum laudis capit, & gloriæ. Nam dicta eſt Diana ἀπὸ τοῦ Διός, quòd Jovis filia fuit, ex Latona: ſuoq; habitu formam quandam repræſentat rei bellicæ. Nam cùm ars bellica vi adminiſtretur, & dolo; utrumq; mirè obſervatur in venando. Ad alteram enim Venatores partim curſitando, partim ſagittando, partim pericula non metuendo, ac denique frigus, & æſtum ferendo corpus exercent, ad alterum ingenium arte, & induſtriâ exacuunt. Ideoq; qui ad bellum aſ- 8
ſuefaciendi ſunt, illos primis ſtatim annis venationibus eſſe exercendos, cenſet Plato *libr. 7. de Legib.* Hinc quoque Venationem 9
Xenophon Deorum munus appellavit, Chironi propter juſtitiam dono conceſſam, ab eo inde Heroibus traditam: quorum virtute, ex iſto potiſſimum tyrocinio patria defenſa, miſeri ubique terrarum calamitatibus levati, ſervati ſunt. Atque hoc pulcerrimum eſt venationis elogium. Cui conſentiens Euſebius, Atroces, *inquit*, beſtias exercitationis bellicæ gratiâ divinitus productas ducimus. Nihil enim magis corpus ad laborem, animum ad reſiſtendum hoſti corroborat, quàm venatio. Tantum certè 10
Ælium Hadrianum Imper. valuiſſe accepimus viribus & ſcientiâ, *ut in venatu leonem* (5) ſæpe manu ſuâ occiderit. Nec reticendum hîc eſt Conſilium Philonis *libr. 1. de vita Moſis pag. 393.* dicentis, bellica in- 11
genia præexercere ſe debere in venationibus, ſiquidem eæ efficiunt hominem robuſtum, celerem, laborioſum. *Nimrod* (6) *capit. 10. Geneſ.* primus poſt diluvium gigas, opibus & uſurpatione dominii potens, Venator erat robuſtus coram Domino, non tam ferarum, ut vult Vatablus, Cajetanus & alii, quàm hominum: quia vi & inſidiis homines captabat & opprimebat, vel ſpoliando, vel necando, vel in ſervitutem abducendo: quomodò Braſilii, aliiq; 12
Indi etiam nunc homines venantur. Sic Ariſtoteles latrocinium poſuit inter genera venationum; Et ex venatione ferarum facilè dicitur venatio hominum.

Quàm ſtrenui verò venationis diſcipu- 13
li reddantur rei bellicæ magiſtri, teſtes ſunt Perſæ, qui artem nullam potiorem, ad rem bellicam, habebant venatione; teſtis eſt Mithridates, qui venandi ſtudio adeò exarſit, ſicuti refert Volateranus, ut ſeptem annis neque urbis, neque ruris tecto uſus fuerit: quique deinceps quadraginta annis terrori fuit Romanis: Teſtes item ſunt 14
apud Romanos primi Fabiæ gentis viri, qui eò, *quòd in venatione foſſis uterentur*, (7) Fovii antiquitùs nominati fuere; tempore poſtea duabus literis imminutis, Fabii ſunt

ſunt dicti. Teſtes denique ſunt Lucani, qui venationem tanti fecerunt, ut nullum alium cibum adoleſcentibus permitterent, niſi quē domum ex venatione reportaſſent, non ut cibo deſtituerentur, ſed ut arte bellicâ abundarent.

16 Verum enimverò ut in aliis, ita & in venationis exercitio *modus eſt ſervandus.* (8) Neq; enim Principes aſſiduis venationibus indulgere, earumque ſtudio ita incaleſcere debent, ut pauperum curam abjiciant, atque in nemoribus inter ſpelæa ferarum circumvecti publica negotia turpiter negligant, atq; à gravioribus Reip. curis animū remittant, malis Conſiliariis Remp. ſuo arbitratu regēdam committentes. Petr. Heig. *libr. 1. quæſt. jur. 15. n. 16.* Sic venationibus indulgeant, ne quod multis uſu veniſſe ſcimus, aureo ſe piſcatos hamo doleant, aut cum canibus opes ſibi cucurriſſe, aut cum accipitre avolaſſe conquerantur.

17 Pyrotechniis quoque ſeu ignibus lætificis Feuerwerck/ Raggetlein/ (Galli fuſas vocant) Feuer⸗und Waſſerkugeln/ ſæpe in Aulis uno quaſi momento multa florenorum millia inutiliter profunduntur & leves mittuntur in auras Cominæ. *libr. 1. Comment. fol. 327.* Lather. *lib. 1. de cenſu cap. 13. n. 18.* Ventura de Valent. *libr. 1. Parthen. litigioſ. cap. 13. num. 21.* quibus Principes Reip ſibi ipſis, ſuisque Subditis plurimùm commodare & omnibus neceſſitatis caſibus obniti potuiſſent.

Fürſten und Herꝛn pancketieren/
Feuerwerck/ Fechten und Turnieren/
Aufzüge und groſſe Præſent/
Schmälern die Schatzkammer und Rent.

Mortis quoque eſt, hodieque publicam frequentando Lætitiam ſcloporum tonitrua mittere, per Compita lucernas accendere; & (ut luxus ſe ſolennibus inſinuat!) non deeſſe ſolent artifices, qui papyraceos tubos, ſphæras, fuſilibus prægnantes ſtellis, ignes triumphales, rotatiles, globoſos, volubiles, totos ſcintillarum imbres, flammas fuſiles, & ipſum, ut ſic loquar Vulcanum ſub legibus in aëre transferunt, & per inane jaculantur.

ANNOTATIONES *Ad* CAPUT CVIII.

Num. 2.

(1) F*Abulam Actæonis &c.]* Vide ſuprà *libro hoc ſecundo cap. 5. n. 46. (19)*

Num. 4.

(2) *Hadrianus Imp. &c.]* Hadrianum ſtudioſum venationis fuiſſe tradunt, in eaque claviculam fregiſſe, & ob eandem crus penè mutilatum habuiſſe, ſcribit Dio *lib. 09. p. 792.* At Spartianus *cap. 26. in vita Hadr.* eum venando jugulum & coxam fregiſſe prohibet.

(3) *Mariæ Caroli Bellicoſi &c.]* Cuſpinianus *de Cæſarib. pag. 493.* Gerhardus de Roo *Hiſtor. Auſtr. lib. 9.* Meteranus in der Niderländiſchen Hiſtori *lib. 9.*

Num. 5. 6.

(4) *Simile ſit militari labori &c.]* Adde *hoc libr. 2. c. 5. n. 44. & 45. (16) (17)*

Num. 10.

(5) *Ut in venatu Leonem &c.]* Teſte Spartiano *dict. cap. 26.* Ita quoque Lyſimachus cum veneretur in Syria eximiæ magnitudines Leonem occiderat, & Alexander M. uno vulnere Feram interfecit, Curtius *lib. 8. cap. 1.* Militis quoque Germani nomine Wickheri itidem Leonem interimentis Johann. Ludovicus Gotofredus im Hiſtoriſchen Chronico *parte 6. pag. 548. ex Chronico Hieroſolymitano* meminit. Sic Luiprandus Diaconus *lib. 3. cap. 6.* narrat; Romanum Græcorum Imperatorem in arundineto à Leone invaſum, objecto quod manu geſtabat pallio ferociſſimum animalium Regem confeciſſe. Nota quoque eſt hiſtoria de Hermanno Gryn, Conſule Urbis Coloniæ Agrippinenſis quem itidem Leonem occidiſſe ſiniſtram pallio, dextram pugione obarmatum extemporali bello tradunt. Qualem Hiſtoriam & ante gradus per quos ad armamentarium, ſi rectè memini, aſcenditur, lapidi inciſam Coloniæ vidi. Eam tamen Falſitatis convincere omnimò nititur Gelenius *de Colonia Agrippinenſis Magnitudine lib. 1. ſyntagm. 12.*

Num. 11.

(6) *Nimrod &c.]* Repetenda hîc dicta ſuprà *lib. 1. c. 5. n. 49. (24)*

Num. 12.

(7) *Quod in Venatione Foſſis uterentur &c.]* Confer ſuperiùs dicta *ad caput hujus libri primum, n. 6. (7)*

Num. 16.

(8) *Modus eſt ſervandus &c.]* Sic apud Chockier *in Theſ. aphoriſm. Polit. lib. 5. cap. 20.* legimus Ferdinandum II. Glorioſæ Recordationis Imperatorem, ſemel duntaxat venationi, aut aucupio per ſeptimanam vacaſſe, tum ex præſcripto Medicorum ut valetudini ſuæ conſuleret, ac ad labores rediret vegetior, tum verò etiam ut ſeſe cœli aërisque injuriis ferendis asſuefaceret; tum denique quòd multi in Regum Cæſarúmve aulis exiſterent, quibus otium locum facit ad improbas actiones. Hos venatione, aut aliûs recreationis genere occupari debere dictitabat, ne alibi deſipiant, & œſtro fortè Veneris divexentur. Verùm, hoc notatum, quòd pridiè ejus diei quo venaturus erat, ſubſcribebant quibus erat ſubſcribendum, efficiebatque ut poſtridiè qui à ſecretis erant toti occuparentur. Veſpere reverſos, ab his acta perluſtrabat, ſignabatque. Mirâ herclè in tanto Cæſare & providentiâ & vigilantiâ.

CAPUT CIX.

De Venditione Magiſtratuum, Dignitatum, Privilegiorum &c.

SUMMARIA.

1. Ruina Reipublicæ *præſentiſſima, ſi venalia habeat officia publica.*
2. *Qui ambitiosè emunt* officia, *ii etiam facilè vendunt juſtitiæ adminiſtrationem, cum dedecore Reip.* n. 3. & 4.
5. *Qui emit, vendet penè neceſſariò. Exemplis id illuſtratur.*
6. *Punitur rogo hujusmodi venditor, & fumo, qui fumos vendiderat.*
7. *Qui pro* officiis *pecunias erogant, produnt animum ſuum malè lucrandi cupidiorem.*
8. *Præſumuntur omnia perversè acturi in officio, qui* officia *coëmunt.*
9. Officia venalia *ſunt præda ſolis ditioribus, excluſis tenuioribus, ſæpè integerrimis viris.*
10. *Pecunioſi iſti* officiorum mercatores *lues ſunt Reip.*
11. Pecunia *regit & perverſi affectus, non prudentia, talem Rempubl.*
12. Sanctio Imperatoria *contra tales ambitioſos emptores.*
13. *Qui de inferiori plebe pecuniâ* dignitates *affectant, pœnis mulctantur.*
14. *Adhortatio ad* Principes, *ut hac in re ſuæ Reip. & dignitati meliùs conſulant.*
15. *Rurſus contra iſtiusmodi* mercatores Poteſtatis.
16. Præſides *in officiis obeundis utantur puris manibus.*
17. *Cecidit tunc* Romanum Imperium, *cùm Magiſtratus & officia vænum poſita.*
18. *Ad faſtigium* Majeſtatis, *non ambitio, ſed ſpectata inter bonos moderatio promoveat.*
19. *A quo ſic ſunt omnia facta* venalia, *inde non quæritur, quale quidquid ſit; ſed quanti ſit.*
20. *Turpe eſt* miniſteria *publica, ſacra, & profana eſſe venalia.*
21. Exemplis *id Principum aliorumq́ illuſtratur,* n. 22. & 23.
24. Princeps *ne corruptiorum aulicorum rogatu admittat inhabiles ad officia.*
25. Virtutis *potius habeatur reſpectus in officiis partiendis,* n. 29.
26. Pecuniarum vis *quanta in hocce propoſito mala gignet.*
27. Dictis ſapientum *illuſtratur hoc inſtitutum.*
28. *Diis hisce duobus* Argento Auroque *in aulam illatis, pete quicquid voles.*
30. *Rectè faciendo* fautores *conciliandi.*
31. *Frequens in Gallia* mercatus honorum *eſt.*
32. *Quo caſu hæc* honorum venditio *pro ærario faciat?*
33. Neceſſitas *patrocinium humanæ imbecillitatis.*
34. *Vendantur (cùm opus)* honores, *ſed dignioribus & pretio æquabili.*
35. Liberti *emunt manumiſſionem, Vaſalli feudum.*
36. Beneficium *quomodo gratuitum.*
37. *Debet ad* officia *promotus conferre aliquid remunerationis bono publico.*
38. Gallorum Venetorumque *exemplum in hanc rem.*
39. Clementis VII. *exemplum Galeros purpureos vænum ponentis, & vaſa Sacra pro ſtipendio militari conflantis.*
40. Suprema lex, *Salus Populi excuſat venalitatem officiorum.*
41. A juſtitia *licitè in parvis ſubinde deviari, ut in majoribus inviolata ſit.*

Sint dignitates atque privilegia
Venalia ære certo, ubi Reſpublica.
Nervis pecuniæ potentis indiget.

AMittunt Reſpublicæ ſplendorem ſuum, populo pecuniâ & donis priùs corrupto: Et vileſcit authoritas & dignitas Magiſtratus, quandoquidem nemo veneratur id, quod venditur, nemo non vile eſſe putat, quod emit, Gregor. *Epiſt. 373.* Magiſtra quoque rerum experientia docet, *ibi Reipubl. ruinam eſſe, ubi officia ſunt vænalia,* (1) Jacob. Simanca *lib. 6. de Repub. cap. 15. in fin.* Nam plerumque uſu venit, ut, ubi vænalia ſint officia, ibi officiorum etiam jurisque adminiſtratio vænum exponatur; Siquidem pernicioſi, ambitioſi, & indigni promoventur, quod eſt cum dedecore & Reipubl. ſubverſione conjunctum Greg. Tholoſan. *lib. 2. de Republ. cap. 6. num. 27. & lib. 4. cap. 4. num. 27.* Fulv. Pacian. *de vero juſtoq́ Principe c. 2. fol. 25.* Ingenio enim diffiſi ſubſidium à pecunia mutuantur, ut habeant, unde vitam tolerent, & quod univerſim mercati ſunt, id diſtractum & minutatim vendunt, Innocent. Gentil. *Theoremat. 35 fol. 727.* Boter. *lib. 7. de Illuſtr. Stat. & Polit. cap. 2. fol. 412.* notumque eſt, Ludovici XII. Galliarum Regis in ejusmodi Mercatores dicterium, quod emiſſent adverſione vendere ſigillatim. Et tantò quidem magis hac mercaturâ res evertuntur publicæ, cùm illa ſi in uſu ſit, improbi potiſſimùm clavem ſedeant, & honeſta paupertas ab omni dignitate Civitatis excludatur. 1 2 3 4 5

His itaque malis ut obſiſterent Romani, crimen & *Ambitûs & Peculatûs graviſſimis pœnis mulctarunt,* (2) Roſin. *lib. 8. Antiquit. Roman. cap. 28. & 29.* Auguſtus edictum propoſuit, ut, qui largitiónibus factis Magiſtratum aliquem ambiiſſet, per quinquennium ab eo arceretur, Dio *lib. 54. pag. 531. in fin.* Honorem juris gladii nunquã Alexander Severus Imperator vendidit; *dicens,* neceſſe eſſe, ut, qui emit, vendat. Ego non patiar mercatores poteſtatum; quos ſi patiar, damnare non poſſum: erubeſco enim punire illum hominem, qui emit & ven-

& vendit. Lampridius *in ejus vita cap.* Martianus Imperator reformaturus Rempubl. primò omnium decrevit, ne deinceps propter numos conferatur Magiſtratus. Theod. Lector. *libr.1. Collectan.* Idem fecit Anaſtaſius Imperator & Magiſtratus antea vænales gratis contulit. Idem Alexander Severus perſpicaciſſimi Principis exemplum notabile exhibuit, qui dum audiſſet Vetronium Turinum familiarem & Aulicum ſuæ domûs, Provincias omnes, præpoſituras ac officia cuncta reddidiſſe vænalia, mentiendo, quicquid ipſe vellet, Imperatorē ad ejus nutum facere: exploratorem quendam Imperator poſuit, qui cū illo fingeret, negotium quoddam ab Imperatore optare. Cumque ille dixiſſet illud obtinuiſſe, quoti-
6 diè illum fruſtratus eſt, donec ille explorator magnam ei pecuniarum quantitatem pollicitus eſt. Introductâ demum accuſatione, indictâ die, causâ cognitâ, ſtipiti alligatum, accenſo igne, fumoque facto ex ſtipulis humidisque lignis, necari juſſit, Præcone clamante, *fumo punitur, qui fumum vendidit*, ut idem *Lampridius eſt author.* (3) Et ſanè
7 qui pro officio habendo pecuniam erogant, malè faciendi & perperam lucrandi animum oſtendunt, Marc. *deciſ. 747.* Boer. *deciſ. 149. num. 3.* Cavalcan. *deciſ. 25. num. 1. lib. 2.* Caſp. Caballin. *in milleloquio 982. nu-*
8 *mer. 1.* Et contra eos, qui officia emunt, præſumptio eſt, omnia eos poſtea perverſè acturos. Paris de Puteo *tract. de Syndicat. tit. de Offic. Syndic. verſ. Dicitur. num. 2. fol. 92.* Michaël Piccart, *obſerv. hiſtorico polit. dec. 2. cap. 4.*

Nam qui precibus & pretiis honores obtinent, facilè ad omnem animi libidinem ambitionis & avaritiæ impetu rapiuntur.
9 Hac etiam ratione Ditiorum prædæ officia exponi, Pauperes ab omni dignitate contra Chriſtianam pietatem excludi, ſcripſit Beſold. *de ærar. cap. 6. fol. 158.* Nec ſilentio prætereundum hîc, quod Joan. Caſus *lib. 2. Sphæræ Civitatis cap. 9. f. 194.* graviſſimè ſcripſit: Intruſio, *ait*, hæc eſt, non electio, quâ propter quæſtum, honorem in Civitate quæris, Rempubl. venalem ac ſordidam civitatem facis. Quid vis pecunioſe mercator? Ambísne Magiſtratum? Dic quantum dabis? Centum, heu nimis leve! Ducentos dabo. Ne id quidem placet: Grandarium ſpadonem fortaſſe addam. Jungamus dextras: Heus tu jurabis devotè, te nihil dediſſe, Politicum hoc eſt, modò ſubſit lucrum. O Chriſte! ſi latiùs
10 hoc malum ſerpat, quem lapſum & luem civitatis video? Sed connivere oportet;
11 nam dies mali ſunt corrupti cives. Atque hinc fit, ut pecunia, non prudentia, quæſtus, non virtus, affectio hominis, non moderatio æquitatis, in Civitate regnent.

Quocirca juſtiſſima eſt Theodoſii & Valent. Impp ſanctio *in l. fin. C. ad L. Jul. repetundar.* Sancimus (*inquiunt*) Impp. ejusmodi viros ad Provincias regendas acce- 12
dere, qui ad honoris inſignia, non ambitione, vel pretio, ſed probatæ vitæ, & amplitudinis tuæ ſolent teſtimonio promoveri. Hinc quoque piſtores, aliisque humi- 13
lioris artificii homines, gratiâ vel pecuniâ, ad dignitates aſpirare anhelantes, dignitate exuti, aliis pœnis mulctantur, de quibus *in l. unic. C. de Piſtorib. 1 libr. 11.* Quod utinam ſervaretur, & Principes doctos emerent, & prudentes, nec officia vendi in Reipublicæ perniciem permitterent, ait Rebuff. *ad Conſtitut. Galliæ tit. de Merc. min. vend. art. 1. gl. 5. in fin.* Atque utinam (*inquit* Æneas 14
Sylvius *Epiſtol. 10.*) omnibus Principibus idem animus eſſet, non ſic omnes ignorantiæ plenæ forent Provinciæ; nec ſummi Magiſtratus propter injuſtitiam officialium deturbarentur, atque dignitas ab officiali, non verò officialis propter dignitatem illuſtraretur.

Fuerunt quidem ante Juſtiniani tempora dignitates vænum expoſitæ; Sed *in Nov. 8. cap. 11.* contra Mercatores Poteſtatum graviter diſputatur. *Novell. 8. à princip.* 15
Hoc omninò (*ait*) procuremus, ut Præſides gentium quicunque Civiles adminiſtrationes Provinciarum habent, puris manibus utantur; & ab omni abſtineant acceptione pro illis, ſolis contenti eis quæ à Fiſco dantur, 16
quod non aliter fiet, niſi & ipſi cingula ſine mercede percipiant, nihil omninò dantes, nec occaſione ſuffragiorum, neq; iis, qui cingula habent, nec alii omnium ulli. Conſideravimus enim, quia licet quæſtus immodicus imminuitur Imperio, attamen noſtri Subjecti incrementum maximum percipient, ſi indemnes à Judicibus conſerventur: & Imperium & Fiſcus abundabit, utens locupletatibus ſubjectis, &c. Confer *d. Nov. 8. cap. 11. & Nov. 86. cap. 3.* Idcircò tunc cecidiſſe Romanum Imperium, cùm Magiſtratus & Officia vænalia eſſe cœperunt, ait Nicætas 17
Choniata *in Alexio Angelo Comneno libr. 2.* Confirmat hoc Juſtinus *hiſtor. lib. 1.* dum incipit: Principio rerum, gentium, nationumque Imperium penes Reges erat, quos ad faſtigium hujus Majeſtatis, non 18
ambitio popularis, ſed ſpectata inter bonos moderatio provehebat. Quid ſi diceremus illud Senecæ? *ad Lucilium Epiſt. 116.* Hæc ipſa res, quæ tot Magiſtratus, & Judices facit pecunia ex quo in honore eſſe cœpit, verus honor rerum cecidit, mercatoresque & vænales invicem facti, quærimus, non quale ſit 19
quidquid, ſed quanti.

Turpe etiam eſſe, publica miniſteria vænalia facere, cenſuit Ariſtot. *lib. 1. Polit. c. 9.* Si pecuniæ (*inquit*) in parandis honoribus rerum potiantur, univerſa Civitas imple-

bitur avaritiâ. Ego verò turpiſſimum au-
tumo, ubi haſtarum quaſi ſolemnitate, of-
ficia diſtrahuntur à Jovialibus pullis, &
plus offerenti addicuntur, *d. Nov. 8. cap. 7.*
20 Neque Sacerdotia vænalia eſſe voluit Ro-
mulus, teſte Halicarnaſſæ. *libr. 2.* Nero à
21 principio optimæ ſpei Princeps, nihil in
penatibus ſuis vænale, aut ambitioni per-
vium eſſe permiſſurum promiſit. Tacit.
22 *Annal. 13.* Laudatur quoque Septimius Se-
verus, quòd in ſuo Dominatu honores væ-
nundari, nulli permiſit, Aurel. *in ejus vita.*
Apud Athenienſem Pyrrhus Eteobutades,
quòd judicandi munus contra leges, pol-
lutâ & non integrâ mente ſuſcepiſſet, po-
puli ſuffragiis, fuit ultimo ſupplicio da-
mnatus, ut retulit Demoſthenes *in Oratione*
in Midiam. Laudat Joannes Zonaras Leo-
23 nem Armenium Imper. quòd Romanarum
Provinciarum Præfecturas, neque pecuniâ
vænum exponebat, neque ex gratiâ viros
ineptos ad Magiſtratum promoveri, nec
avaris, & jus pecuniâ vendentibus Magi-
ſtratus largiebatur.

Minimè ita officia, præfecturas, &
24 dignitates vendi patiatur Princeps Chri-
ſtanus, neque inutilibus propter ſuffragia
corruptorum aulicorum concedi: Conrad.
Heresbach. *de Republ. Chriſtian. adminiſtr.*
cap. 4. fol. 210. Etenim fides probitasque
evertentur hac peſte, quæ omnia vænalia
habere edocet, & Principum ſocios fures
facit, efficitque, ut unusquisque amet mu-
nus *Eſai. 1. verſ. 23.* Nihil quoque eo per-
25 nicioſius eſſe poteſt, quia virtutum meri-
tis locus aliquis relinquendus eſſe videtur.
Scip. Amirat. *libr. 5. diſſertat. polit. in Tacit.*
diſcurſ. 8. fol. 82.

Sed pecuniæ hæc omnia mala parturi-
unt, cùm ipſis emantur Amici, Teſtes, Ho-
nores, & Imperia; de quo bellè Sophocles.

26 *Pecuniæ mortalibus comparant Amicos,*
Deinde Honores, tandem verò ſupremæ
Tyrannidis ad ſedem proximè perveniunt.

Et paulò pòſt inquit:

Hominem difformen, & inauſpicati corpo-
ris,
Linguâ diſertum, viſuq; pulchrum efficiunt
opes.

27 Huc ſpectant verba optima Philemonis ad
hoc propoſitum ita dicentis:

Putáſne Amalthea cornu hujusmodi eſſe,
Quale pictores cornu bovinum depingunt?
Argentum eſt, quod ſi habueris, petas
Ab ipſo quicquid voles, omnia tibi addentur;
Amici, Auxiliatores, Teſtes, Domorum mul-
titudo.

Et Menander ait:

Epicharmus DEOS quidem eſſe dicit
Ventos, Solem, Terram, Aquam, Ignem, Stel-
las.
28 *Ego autem utiles eſſe DEOS arbitror*
Argentum noſtrum & Aurum: nam illos
Si collocaveris in domũ, pete quicquid voles;
Aſſequeris omnia, agrum, domos, ſervos, ar-
gentea pocula.

Et Claudianus in laudem Stiliconis *lib. 1.*

Trudis avaritiam, cujus fœdiſſima nutrix,
Ambitio, quæ veſtibulis foribusq; potentûm
Excubat, & pretiis commercia poſcit hono-
rum.

Oportet enim virtute ac ſapientiâ ornatos, 29
honoribus & magiſtratibus inſigniri; non
autem prece, pretio, vel favoribus.

Virtute ambire oportet (4) *non favitoribus,* 30
Sat habet favitorum ſemper, qui rectè facit.

Cui etiam concinit idem Claudianus de
Conſulatu Honorii, dum inquit:

------- *Emitur ſolâ virtute poteſtas.*

Unde hoc tributum ex Mercaturâ hono- 31
rum, (quod frequens in Galliâ turpiſſimum
judicat ipſe Bodin. *lib. 6. de Republ. capit. 2.*
Noſtrum ſit, heîc meminiſſe; NON QUID
ROMÆ fiat, ſed quid fieri debeat, *l. 12. ff. de*
offic. Proconſ. Vide Me tract. *de Contribut. cap.*
1. num. 579. & ſeqq.

Nonnunquam tamen extra ordinem &
tempore neceſſitatis ad hocce remedium 32
confugerunt Rerumpublicarum admini-
ſtratores: idque etiamnum Principibus li-
cere è Politicis non pauci exiſtimant, Bod.
libr. 6 de Republ. cap. 2. num. 651. Nicol. Bet-
ſius *tract. de pact. famil. cap. ult. fol. 740.* Be-
ſold. *de ærar. capit. 6. fol. 157.* Neceſſitas 33
quippe, magnum imbecillitatis humanæ
patrocinium, omnem legem frangit, Senec. 34
libr. 9. de Clement. modò officia, dignita-
tes & honores perſonis dignis & pretio æ-
quabili vendantur. Sic liberti patrono 35
pro beneficio manumiſſionis, ἀντίδοςιν ſol-
vunt: Et Vaſallis à Domino feudum pe- 36
cuniâ datâ accipere licet. Quamvis enim
beneficium gratuitum eſſe debeat, atta-
men & remuneratio quædam referri po-
teſt conferenti gratitudinis ergò, aut ne
beneficium cuiquam ſit damnoſum. Id-
circò etiam id prudentiores obtinere ar-
bitrantur in collatione dignitatum & mu-
nerum civilium, ut aliquid remuneratio- 37
nis utilitati publicæ repenſetur. Bornit.
lib. 2 de ærar. cap. 6. Atque ita ſummæ Ne-
ceſſitatis colore venditionem officiorum
in Galliâ defendit Petr. Matth. *hiſtor. des*
denrniers troubles lib 3. pag. 88. Ita Veneti ca- 38
ſu Neceſſitatis bonorum collatione ſæpius-
culè Ærario conſuluerunt: De quo di-
cam Capite proximè ſequenti. Sed inpri-
mis illud eſt ſtupendum, quod pro vero Jo-
vius *in Pompeio Columna* refert: Clemen-
tem VII. P. M. cùm expugnatâ Roma ab
exercitu Caroli. V. etiam Arcem, conſum-
pto commeatu, in quam confugerat, Cæ-
ſarianis dedidiſſet; & ex pacto militi ſti-
pendium perſolvendum eſſet, conflaſſe ar-
gentum omne, & aurea vaſa Sacra, ut inde
divendenda militibus pecunia cuderetur, 39
eâque

eâque nec ſufficiente, conceſſiſſe tres Purpureos Galeros, ut illis licitantibus, qui fœdâ ambitione corrupti, ad Senatoriam dignitatem adſpirabant, aurum proferrent; eoque modo ad haſtam propoſitis, emptores non defuiſſe.

Præterea confirmat hanc limitationem & doctrinam Politicorum, quod quicquid incommodi & detrimenti inde emergit, id
40 publicâ utilitate reſarciri videatur. SALUS ENIM POPULI SUPREMA LEX ESTO. Nam ut Levinus Conſul Romanus apud Livium *lib. 26.* ait: *Reſpublica incolumis & privatas res facilè præſtat ſalvas.* Et *Tacitus*: (5) *Habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra ſingulos utilitate publicâ rependitur.* Et Plutarch.
A juſtitiâ in parvis rebus nonnunquam abeas, ſi ſalvam eam voles in magnis. 41
Arnold. Clapmar. *lib. 4. de Arcan. Rerumpubl. cap. 4. & d. lib. 4. cap. 1.* ubi, jura publica ex privatis non æquè decidi, rectè concludit Bornit. *dict. loc.*

Poterunt ergo Nundinationes Magiſtratuum tolerari (1) extremis Reip. temporibus, (2) ſi & virtus in iis ſpectatur, qui honores licitantur. Wolffgang. Heider. *in Polit. Syſtem. cap. 2. fol. 365.*

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT CIX.

Num. 1.

(1) *IBi Reipublicæ ruinam eſſe, ubi officia ſunt venalia &c.]* Inſignis eſt locus Zevecotii *ad Suetonii Julium cap. 13. pag. 28. qui*, Deplorandus, *inquit*, eſt illius Reipublicæ ſtatus & meritò ab Ariſtotele damnatus (*2. Polit. 9.*) ubi Pecuniæ, non Meritis, dignitates conferuntur. Indignis namque, quibus nec virtus, nec prudentia, nec experientia eſt Patria committitur: qui aptiores ſunt, ut pereuntis Reipublicæ funus maturent & proſequantur, veri libertatis veſpillones, quàm ut vel ægram reſtituant, vel ſanam benè adminiſtrent. A ſuſcepto enim munere primum eorum ſtudium eſt, pecunias, quibus malè honores emerunt, pejus quærere. Igitur in omne fas néfasque modò non ſacro non profano abſtinent, à privatis corrumpi ſe ſinunt; pœnas innocentium, impunitates noxiorum divendunt, & quód pretio obtinuerunt, ut ferrent ſuffragium, venale eſt. Quin & hoſtium donis facilè expugnantur, quibus quæcunque arcana Patriæ proditores revelant. Hinc multi eas ſubitò opes beati poſſident, quas, qui ad ſummum progreſſæ diu fortunæ faſtigium per merita & labores eluctati ſunt, non auderent ſperare. Oraculum dicam: Nemo unquam imperium vel munus flagitio quæſitum bonis artibus exercuit. Hactenus Zevecotius, qui in ſequentibus *ut & in Obſervat. ad Florum libr. 3. cap. 11. pag. 374.* plura in deteſtationem venditionis Magiſtratuum adducit. Quod & Forſtnerus *in Notis Polit. ad Tacit. lib. 2. Annal. 34. n. 1.* & Cauſabonus *ad Suetonium pag. 32.* facit; Defendere tamen & excuſare hunc morem videntur Barclajus *in Icone animorum cap. 3.* & Iſaac. Pontan. *in Itiner. Narbon. pag. 148.*

Num. 5.

(2) *Crimen ambitûs & peculatûs graviſſimis pœnis mulctarunt &c.]* Ambitus pœna ex lege Julia Deportatio fuiſſe videtur, *ut innuit l. un. C. h t.* ante Legem Juliam mors, ut ſcribit Polybius *lib. 6.* quod niſi de morte Civili intelligas, non ſatis concoquere poſſis, Anton. Matthæus *de Criminibus lib. 48. tit. 11. cap. 2.* ubi in fine, Uſum quod attinet, (*L. Julia ſcribit*) is hodiè exiguus ac penè nullus eſt: neque munus tam vile atque abjectum, quod non, ſi lucri modò ſpem præ ſe ferat, pretio aut pactione aliquâ redimatur. Graviſſima profectò Reipubl. peſtis: quâ indies magis magiſque invaleſcente, quod Jugurtha quondam de Roma, id idem de noſtris dicere poſſis: *O Urbem venalem, & citò perituram, ſi Emptorem invenerit!* Experimur enim, eos, qui emêre poteſtatem aliquam, eandem, ne pretium perierit, ſordidè vendere: ut planè optandus ſit nobis Severus aliquis, qui illud laude digniſſimum lucripetis iſtis inculcet: *Non patiar mercatores poteſtatum: quod ſi patiar, punire non poſſim; erubeſco enim punire hominem, qui emit & vendit.* Pœna verò Peculatûs ex L. Julia aquæ & ignis interdictio fuit. Hodie, qui in adminiſtratione poſiti Peculatum commiſerunt, quíve his miniſterium præbuerunt, aut pecunias ab eis ſubtractas, ſcienter ſuſceperunt; capite puniuntur; ut jam ex *l. un. C. ad L. Jul.* Pecul. & *l. pen. C. de LL.* ad Politicum Sceleratum *cap. 42. p. 643.* diximus.

Num. 6.

(3) *Lampridius eſt Author &c.]* In vita Alexandri Severi *cap. 35. & 36.*

Num. 30.

(4) *Virtute ambire oportet &c.]* Confer dicta de his verſibus Plautinis ad Politicum Sceleratum *cap. 19. p. 191.*

Num. 40.

(5) *Et Tacitus &c.]* *14. Annal. 44. n. 7.*

CAPUT CX.

Honorum Collatio Ærario conducit.

SUMMARIA.

1. Venetorum *prudentiſſima induſtria, maximam ſuam Rempubl. tuendi; Honorib. nimirum impertiendis*, num. 2. & 3.
4. Nobilitas *opibus data.*
5. Divites *pecuniâ juvantes Rempublicam meritò nobilitantur.*
6. Galli *immunitates magno pretio redimunt.*
7. Romani *civitatem pretio dabant.*
8. Byzantiorum *Edictum.*

DEPOSITUM quod CONSILII vocat inclyta factis
Gens, ventum eſt, celebres ubi divenduntur honores
Sanguine præcipuo natis, ſed ſemper, ephœbis.

VENETI licet ſumma quæque in Repu-
1 blica Septemviris aut *Sapientibus* (1)
deliberanda, ſæpiusque decernenda com-
mittant, ne arcana Imperii in vulgus mana-
re poſſint; quibus artibus illi ipſi Rempu-
blicam maximam maximè tuentur; innu-
ente Bodino *libr. 6. de Repub. cap. 4. §. quam-
obrem Veneti.* Attamen modum exqui-
rendæ pecuniæ adprobarunt, cùm Patri-
ciatum promiſerunt claſſem juvantibus
pecuniâ. Nam exhauſto per bellum Cy-
prium ærario, certâ pecuniæ appensâ ſum-
mâ (puto fuiſſe vicena à ſingulis ducatorum
millia) adſciti fuêre ad ordinarios novem
2 D. Marci Procuratores, è quorum Colle-
gio ferè Dux creatur totidem extra ordi-
nem. Par utrisque fuit dignitas, par pote-
ſtas, non tamen par exiſtimatio. Hi voca-
bantur Procuratores ære facti; illi ex meri-
to creati: Italis *Procuratori per denari, Pro-
curatori per dignita.* Defuncto è poſterio-
ribus aliquo, ſufficitur ſucceſſor, è prioribus
non itidem.

Iidem Veneti, Genuenſi bello attritis (2)
opibus & civitate pecuniis ac civibus ex-
3 hauſtâ, trecentos cives, quos ipſi *Citadinos*
appellant, acceptâ pecuniâ in Patriciorum
album conſcripſerunt: ex quo magnam pe-
cuniæ vim coëgerunt & novorum civium
incremento plebeiorum potentiam infir-
marunt. Atque ut ſumptus belli, adver-
ſus Maximilianum I. Imper. gerendi, habe-
rent, ſtatuerunt: ut iis, qui ex plebe civis
munus perpetuum à Republ. obtineret, ſi
decuplum ſtipis annuæ, aut ſi ea non ſit, lu-
cri ſummam, de qua apud Magiſtratum
conſtaret, Reipubl. intra dies quindecim da-
ri curaviſſet; id omninò munus, ipſo mor-
tuo, aut filius aut nepos, aut frater ejus con-
ſequeretur, aut is, quemcunque ſibi ipſe
ejus muneris hæredem inſtituiſſet. Petrus
Bemb. *libr. 10. & 12. Hiſtor. Venet.*

Solet quoque Senatus Venetus patritios
juniores, id eſt, qui non compleverunt an-
num viceſimum quintum, in Senatum ad-
ſciſcere, pecuniâ certâ ſolutâ, quâ veniam
ætatis impetrant. Ita etiam apud eosdem
pro Nobilitate obtinenda in Neceſſitate
publica pecuniam ſolutam fuiſſe, refert Sa- 4
bellic. *libr. 6. & 7. capit. 2.* Læl. Zechius *libr. 2.
polit. cap. 3. fol. 338.* Nam publicè edixerunt,
fore, ut qui Rempubl. pecuniâ juviſſent, ex
illis triginta in numerum Senatorum adle-
gerentur, maneretq; ea rata dignitas eorum
poſteris, cæteris finito bello ſingulis annis
quinque numûm millia dividerentur. Cer-
tatim dederunt opulenti, & ex æmulatione
crevit ærarium. Factum id prudenter à Re-
publica, nec inter veteres & novas familias
æmulatio ulla publica eſt. Hiſpaniarum Rex
id feliciter imitatus eſt, qui aliquot ante an-
nos dum ditiſſimos nobilitat, & magna bel-
lorum ſubſidia comparavit. Nulla hîc Rei- 5
publicæ, nulla privatis infertur injuria. Quod
ſi, nobilitatē tantùm virtutis eſſe debere, ob-
jiciatur; facilis reſponſio, eos qui pecuniâ pa-
triam adjuvant, non inferiores eſſe aliis, qui
fumoſas imagines jactant; nec enim ſolius
pecuniæ, ſed etiam virtutis ratio habetur.
Magno verò illos eſſe animo, vel hinc diſci-
mus, quòd magnas pecunias minoris quàm
mediocrem honorem æſtiment. In Gallia id 6
quoque factum & immunitatem magnâ
ſummâ redimebant. Id olim quoque fa-
ctum, cùm jus civitatis Romanæ integris
Provinciis & nationibus datum aut venditū.
Ingens Imperii tanti acceſſio. Hinc Tribu-
nus Paulo reſpondit *Act. 22. verſ. 28. Ego
multâ ſummâ civitatem hanc ſum conſecutus.* 7
(3) Si multa millia civitati donabant Roma-
ni, ſed id magnâ ſummâ, facili negotio con-
jicere licet, multa millia magnarum ſum-
marum quantam pecuniam effecerint. Nec
diſſimile huic eſt, quod apud Byzantios lex 8
erat; Non habendum pro cive, qui non u-
troque parente civis natus eſſet. Egentes
pecuniâ ſcitum fecerunt: Qui altero tantùm
parente civis natus eſſet, ſi perſolviſſet duo-
decim millia numûm, pro cive haben-
dum, Camerar. *libr. 2. Oeconom. pag. 22.* Ita
olim Servos in Senatum lectos fuiſſe, teſta-
tur Dio *lib. 34.* Illudque Commodum An-
toninum quoque frequentaſſe, libertinosque
ipſos in Senatum atque in Patricios allegiſſe.
Lamprid. *in ejus vita pag. 168.* Nonnullis
regionem, aliis libertatem, aliis civitatem
multis immunitatem vendidit, Dio *lib. 44.
& 46. in princ* Ita quoque jus civitatis à
Meſſalina & Cæſarianis magno pretio ab
initio venditum eſt, Dio *libr. 60.* Contrà
Ro-

Romani Cenſores, C. Furius Pacilius & M. Geganius Macrinus, Mamercum, Principem ætatis ſuæ belli domique, *quòd Magiſtratum Populi Romani minuiſſet*, (4) tribu moverunt, octuplicatoque cenſu ærarium fecerunt. Quid? nonne hæc injuſta erat animadverſio? Erat quidem certè: &, ut ait P. Sempronius apud Livium, primi hi Cenſores indicarunt, quid iſte Magiſtratus in Republ. mali facere poſſet. Itaque nec Senatui placuit iſta acerbitas Cenſoria; & populi tanta indignatio coorta eſt, ut vis à violentis Cenſoribus, nullius auctoritate, præterquam Mamerci, potuerit deterreri.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT CX.

Num. 1.

(1) S*Apientibus &c.*] De Collegio Sapientum apud Venetos ejúsve poteſtate conſule Donat. Jannot. *de Republ. Veneta p. 142.* de Silentio verò Venetorum Senatus, dicta ad Politicum Sceleratum ex Trajano Boccalino *cap. 7. pag. 70.*

Num. 2. 3. 4.

(2) *Eidem Veneti Genuenſi bello attritis opibus &c.*] Diximus id ipſum ſuprà *lib. 1. c. 13. n. 8.* (8) ubi vide & ibidem (7) *&* *n. 10.* (9) junge.

Num. 7.

(3) *Ego multâ ſummâ Civitatem hanc ſum conſecutus &c.*] Juris Civis Romani inter alia hoc erat vel maximum, quòd ejus caput ac vita Sacroſancta & inviolabilia erant. Neque enim licebat Magiſtratibus in eum, qui Civis Romanus eſſet, animadvertere injuſſu Populi Romani. Ideóque à Magiſtratibus ad populum erat provocatio. Et hinc eſt, quod Pomponius *in l. 2. ff. de O. J.* ſcribit; Conſules injuſſu populi non potuiſſe de capite Civis Romani ferre ſententiam. Rittershuſius *ad LL. XII. Tabb. ſect. 2. c. 3. pag. 45.* & Speidelius *cum allegatis in voce* Burger *p. 177.* Eapropter magni Jus Civitatis Romanis habitum & ab initio æſtimatum, uti poſt alios d. Rittershuſius & Matth Flac. Illyr. *Gloſſ. in N. T. Actis Apoſtol. c. 16. v. 37. & c. 25.* à Reheboldo *Tr. de J Civitatis parte priori cap. ult.* allegatus monent; & magno pretio (*quod Klockius h. loco per exempla docet*) venditum fuit.

Num 8.

(4) *Quod Magiſtratum Populi Romani minuiſſet &c.*] Cùm, teſte Livio *lib. 4. c. 24. & l. 9. c. 33.* quinquennalem antea Cenſuram & longinquitate poteſtatem dominantem intra ſex menſium & anni coëgiſſet ſpatium.

CAPUT CXI.

De Advenarum ſive Peregrinorum Tributis; Et an in Civitatem gratis vel pretio recipiendi?

SUMMARIA.

1. Advenæ *ſeu* peregrini *qui?*
2. Athenienſium & Gallorum *tributa à peregrinis exacta*, & n. 3.
4. *Expedit notum eſſe, quot* peregrini *& alienigenæ in civitate ſint.*
5. Peregrini *num jure Civitatis donandi?*
6. Lacedæmonii & Athenienſes *exteros in Civitatem non receperunt, ob morum diſſimilitudinem & periculum ſeditionis*, n. 7.
8. Contrarium *defendunt alii.*
9. Romulus *victos & hoſtes in civitatem recipit.*
10. Romani *plurimos Civitate donabant, quæ non minima fuit, incrementi tàm ſubiti cauſa.*
11. Privilegia *Civitatibus conceſſa urbes reddunt populoſiores: Quod illuſtratur exemplis*, n. 12. 13. 14.
15. Principes *ingenioſos homines cur præmiorum magnitudine alliciant;* & n. 16. 17.
18. Reſponſio *ad objectionem, quòd peregrini homines peregrinos inducant mores, & ſeditiones moveant, &c.*

Advena non omnis, præſertim ditior ære
Multiplici, gratis ſuſcipiendus erit.

Aliud.

Urbe arcere peregrinos, remedium inopiâ acerbius.

1 ADvenas ſeu Peregrinos non vocamus eos, qui nati nobiſcum parentibus aliunde profectis; ſed qui ipſi primùm ad nos commigrant. *Albinos in Gallia appellant*, (1) quaſi alibi natos, Gregor. Tholoſan. *lib. 4. de Republ. cap. 4. num. 1. & 23.* Apud 2
Athenienſes hoſpites inquilini inhabitantes ſolvebant populo annuatim duodecim drachmas. Et in Gallia olim allophyti ſeu 3
albini aſſem fiſco, niſi adoptarentur in regnicolas ſeu *Naturalitatis literas* (2) à Rege acciperent. Quod tributum non ſine cauſa indictum videbatur, nempe ut faciliùs ſciretur, quot eſſent extranei & alienigenæ in regno, ne aliquid moliri poſſent, ſi plures eſſent, in Rempublicam, quòd facilè dignoſci poterat, capitationis ſummâ initâ & collectâ. Expedit enim Reipubl. & 4
Civitati, ſcire, quot ſint alienigenæ, quot hoſpites vel incolæ, ad pleraque præcavenda, quæ aliis nationibus fuerunt infauſta: nam ſi numerus hoſpitum & alienigenarum, vel advenarum excedat numerum civium, vel ſe officere in aliquo poſſit ob mores diverſos, vel factiones ſecretas, vel cœptas, vel quia cum hujuſmodi natione, cujus ſunt, bellum indictum ſit, convenit exhaurire hoc onus a Republica, & jubere illud migrare, ſemper tamen cum causâ expulſio eſſe debet, eaque legitima, ne barba-

rico more inter homines ſine ullâ peregrinorum commiſeratione vivatur, & ne incidant in reprehenſionem Spartiatarum, quibus exprobratur ab omnibus hoſpitum expulſio.

Cæterùm diſputant Politici; *An ex uſu*
5 *& re ſit Reipubl. ut peregrinis* (3) ſive advenis
6 jus Civitatis concedatur? Sanè *Spartani quondam* (4) peregrinos civium in numerum non aſciſcebant; ut nec Athenienſes. Metuendum enim cenſebant Lycurgus & Ariſtoteles, ne linguas, veſtes, mores, leges & vitia peregrina ſecum afferant, & civib. originariis, cùm omnes cupidi ſint novitatis, ſenſim obtrudant; ne ſeditiones morum diſſimilitudine & contemptu motus concitent, quod factum Syracuſis Diodor. *libr. 11.* Lon-
7 dini, Polydor. Vergil. *libr. 26.* Bodin. *libr. 4. de Repub. cap. 3.* ne parum fidi ſint Reipublicæ quam non habent patriam; ne cives reliquos exhauriant, opprimant, ejiciant. Et nota eſt fabella de *Erinaceo à vipera recepto*, (5) & denique hiſtoria naturalis vulpeculæ & felis.

8 At Scipio Amirat. *libr. 11. diſſertat. polit. 6. fol. 153.* graviter aſſerit, advenas ex aliis Civitatibus alliciendos, variiſque artibus attrahendos. Unde Hyppolitus à Collibus *cap. 16. de increment. urb.* nihil meo quidem judicio, *inquit*, iis magiſtratibus ineptius, qui jus Civitatis paucis communicandum
9 idque magnâ pecuniâ cenſent. Apud *Plutarchum & Dionyſ. Halicarnaſſæum* (6) ſcriptum ita legimus; Romulum Civitatem ſuam conflaſſe, non ex uno genere hominum, ſed ex Albanis, peregrinis, & auxiſſe ita poſtea ſucceſſores, admiſſis etiam hoſtibus in numerum civium, fœderibus transactis bellis, ut nunquam fuerit intermiſſa à majoribus largitio & communicatio
10 Civitatis. Quâ arte & quòd Romani plurimos civitate donabant, & eos maximè, quos bello vicerant, Imperium dilatarunt & tutiùs confirmarunt, ut contra nihil aliud Lacedæmoniis & Athenienſibus videtur fuiſſe exitio, quanquam multum armis valerent, niſi quòd victos bello exoſos haberent, nulloque commercii loco dignos ducerent. *Illud* (ait Cicero in Orat. pro L. Cornel. Balbo) *ſine ulla dubitatione maximè noſtrum fundavit Imperium, quòd Princeps ille creator hujus urbis Romulus fœdere Sabino docuit, etiam hoſtibus recipiendis augeri hanc Civitatem oportere.*

11 Etenim privilegia, civitatibus conceſſa, urbes, quantò majora ſunt, tantò populoſiores faciunt. Omnes naturâ eò trahuntur, ubi magis beneficiis potiri ſperant. Quoties, quæſo, vidimus, auctis privilegiis auctam quoque paullò pòſt ipſam urbem? Hypp. à Collibus *d. cap. 16. de increm. urb.* Hunc ad modum Roma crevit, & terræ gentesque in nomen Romanum coaluerunt, Tacitus *lib. 11 annal. 24. 4.* ubi Scot. *num. 30. & ſeqq.*

Sic Theſeus (authore Plutarcho *in vita ejus* (7)) peregrinis omnibus propoſita civi- 12
tate, Athenienſiũ urbem totius Græciæ clariſſimam effecit. Sic Alexander Magnus civitate ſui nominis *Alexandriâ conditâ*, (8) ſin- 13
gularia privilegia eaque magna, conceſſit his, qui eò convenirent ad habitandum, unde brevi tempore, undique confluentibus hominibus ea in ſplendidiſſimam evaſit civitatem. Londinum verò nec tan- 14
tis opibus, nec tantâ civium multitudine abundaret, niſi Richardus Rex Angliæ omnes immunitates civibus tributas peregrinis propoſuiſſet, qui modò decem annos urbem incoluiſſent: quod quidem ſpatium temporis ad civitatem adipiſcendam peregrinis omnibus æquè propoſuerunt ex Helvetiis pleriquc ac Germani. Id quod *Romanorum legibus* (9) convenit. At Venetias annos quatuordecim incolere neceſſe eſt iis, qui jura Civium plebeiorum adipiſci velint. Bodin. *lib. 1. de Repub. cap. 6.* Unde & teſte eodem *in Method. Hiſtoriar. c. 6. fol. 162.* Prin- 15
cipes ingenioſos homines præmiorum magnitudine ac immunitatum illecebris ad ſe pertrahant: ſive ad finitimos Principes debilitandos; ſive ad ſuos cives erudiendos; ſive ad opes & copias cogendas. Progreſſu enim temporis plurima bona efficiet Princeps ſecundùm Amirat. *d. lib. 11. diſcurſ. polit. 6.* pri- 16
mò, quòd in civitate vectigalia reditusque plures congregabit, deinde contra ſubditorum civium ſeditiones firmiſſimo præſidio, quatenus neceſſe fuerit, ſe muniet; præterea in iis civitatibus, unde inquilini illi prodie- 17
runt, amicos ipſorum operâ nanciſcetur, qui amici ut maximè prodeſſe Principi valeant, haud rarò ſolet contingere; demum civitatem ſuam ampliorem faciet, & hoſtium impreſſionibus validiùs reſiſtet; ingenioſè ita & prudenter Amiratus.

Quod verò ſuprà objectum, peregrinos
homines peregrinos inducere mores; & 18
quod vulgò adduci ſolet, de ſeditionibus propter admiſſos peregrinos ad jus Civitatis & ad inhabitandum moris &c. facili negotio dilui poteſt, ſi reſpondeatur, prudenter agere Reipubl. præſidem, ſi certis propoſitis conditionibus peregrinos receperit, videlicet ſi bonæ ſint nationis, ſi à magiſtratu, ſub quo hactenus vixerunt, documenta ſui diſceſsûs afferant, ſi præter meritum ſuum miſeri, aut à tyrannis oppreſſi, aut religionis cauſa ſolum vertiſſe videantur; ſi denique magna ſit civium penuria, ut neceſſe ſit, externa præſidia appetere. Amirat. *d. diſſert. in fin.*

ANNO-

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT CXI.

Num. 1.

(1) ALbinos *in Gallia appellant &c.*] Et exinde appellationem ſuam *Jus Albinagii* ſortitur in Gallia introductum, quod ſua lingua *Le Droict d'Aubaine* vocant, quò peregrinorum illic decedentium bona fiſco regio cedunt, dum nullus forenſium morti vicinus teſtando quicquam de iis diſponere poſſit. Relati à Covarruvia *c. peccatum. p. 3. relect. §. 1. n. 4. in fin.* & præter illos Pompon. Chaſſan. Choppin. locis citatis ab Arniſæo *lib. 3. de J. Majeſt. cap. 6. num. 20.* plenè Bodinus *lib. 1. de Republica cap. 6. num. 62. & ſeqq. alleg.* à Dauth. *tract. method. de teſtamentis num. 69.* non immeritò iniquum judicari tradunt; quò fit, ut iidem Galli id quoque reſtringant, ut locum non habeat, I. in bonis Confœderatorum & Sociorum. Gothofred. *ad l. 7. verbo dominium. ff. de Captiv.* II. Scholaſticorum præſertim Germanorum, in Aurelianenſi & Bituricenſi Academiâ ſtudiis invigilantium, poſt Rebuff. Papon. & Gothofred. *in Auth. omnes peregrini.* Mr. le Bret *de Souver. du Roy lib. 2. chap. 8.* III. Literas Naturalitatis conſecutorum, ex Papon. Gothofr. *ad l. 11. C. de Epiſc. & Cler.* & *in l. un. C. non licer. habitat. metrocon. loc. ſua ad extran. transf. lib. 11.* IV. aut alterutro parente Gallo natorum, ex Papon. *ibid.* Gothofr. *ad Ulpian. Fragm. Tit. 5. §. 8.* V. Mercatorum extraneorum ad nundinas proficiſcentium, & inter has inprimis Hanſeaticorum, qui ab hujus Legis fundamentalis rigore ſunt exempti, dum de bonis ſecum adſportatis & acquiſitis, tàm in ultima voluntate, quàm inter vivos, ſine ullius fiſci regii prætenſione, liberè & ſecurè diſponere poſſunt, Mr. le Bret. *de la Souver. du Roy liv. 2. chap. 8.* idque ex conceſſione Ludovici XI. & confirmatione Caroli VIII. aliorumque Galliæ Regum, Rhenat. Choppin. *de Doman. Franc. lib. 1. tit. 11. n. 22.* Joh. Bodin. *lib. 1. de Republ. c. 6. p. 99.* Dn. Marquard. *de Jur. & Priv. Mercat. l. 1. c. 13. n. 66. ſeqq.*

Num. 3.

(2) *Naturalitatis literas &c.*] De his vide ſuperiùs dicta *ad lib. 1. cap. 7. n. 31.* (24) & Bodinum *lib. 1. de Republ. c. 6. pag. 60. & 61.*

Num. 5.

(3) *An ex uſu & re ſit Reipublicæ, ut peregrinis &c.*] Tractant poſt alios hanc quæſtionem Kniplchild. *de Jur. & Priv. Civitatum Imperial. lib. 2. cap. 29. n. 27.* Dn. Marquard. *de J. & Priv. Mercat. lib. 1. cap. 11.* & Beſoldus *de Jure Ordinibusq. Civium Diſſ. 2. n. 12.* Ubi ex Iſocrate concludit, Eam demum Civitatem felicem nominandam eſſe, non quæ ex promiſcuâ hominum colluvie, multos cives temerè colligit: ſed quæ antiquiſſimas & primas familias maximè conſervare ſtudet. Sanè (*pergit*) qui potiùs Imperii amplificationem, quàm tranquillitatem affectant, Romanorum exemplum adhuc imitantur. Contra verò, Lycurgæus adversùs peregrinos rigor, hodiè à quibusdam, exteros Jure Civitatis & ſuffragii privantibus imitatus, augendæ Reipublicæ minimè omnium conducit.

Num. 6.

(4) *Spartani quondam &c.*] Idque ex Lycurgi inſtituto. Hic enim teſte Plutarcho *in ejus vita Oper. Tom. I. pag. 56.* advenas nulla de Cauſa utili irrepentes in urbem abegit, non (ut Thucydides autumat) veritus inſtituta ſua effingerent, & aliquam haurirent ad virtutem profectum: quin potiùs ne doctores alicujus noxæ forent. Quippe externa corpora externos neceſſe eſt advehant ſermones: novorum ſermonum nova judicia ſunt comitantia, ex quibus fieri non poteſt, quin multi affectus ſcaturiant & libidines à conſtituta Republica velut conventu diſſona. Quò magis providendum putavit, ne Civitas pernitioſis compleretur moribus, quàm ne corpora aliunde immigrarent infecta. Sed tamen Spartanos quoque admiſiſſe peregrinos, qui ſe inſtitutis ipſorum ſubmiſerunt, teſtatur ex Cragio *de Republ. Lacedæmon. 3. tab. 2. Inſt. 4. fol. 120.* Beſoldus *d. num. præced. loco.* De ipſo hoc inſtituto infrà plura ex Dionyſio Halicarnaſſ. dicentur *ad num. 9. hoc capite* (6)

Num. 7.

(5) *Erinaceo à vipera recepta &c.*] Nempe impetraverat à vipera erinacius, per frigora brumæ in ſuam ipſum ut cavernam acciperet. Cùm autem in anguſto loco ſpinis hoſpitis pungeretur vipera, poſtulat, ut ſuam domum ſibi relinquat, & aliò demigret, cùm intelligat illam ambos capere non poſſe. Sed erinaceus fertur reſpondiſſe: ſi quis durare illic nequeat, ei ſuâ cauſâ ut exeat licere, ſibi diſcedere in animo non eſſe. Si vipera habitatione offendatur, poſſe hanc mutare. Ita hoſpitis injuriâ cavernam ſuam illa amiſit. Fabula eſt Æſopica.

Num. 9.

(6) *Apud Plutarchum &c.*] In vita Romuli, & Dionyſium Halicarnaſſæum *lib. 2. cap. 16. & 17.* ibi: His acceſſit tertium inſtitutum Romuli, quod maximè à Græci generis hominibus exerceri decuit, ut omnium longè præſtantiſſimum, & (ut mea fert opinio) libertatis Romanæ Fundamentum firmiſſimum, atque ad futurum Imperium momentum non minimum, quo videlicet puberes in bello captis urbibus necari vetuit, aut ſub haſta venundari; ſicut nec agros earum relinqui voluit compaſcuos: ſed in partem agri ſorte dividendam Colonos Romanos mitti, atque ita captas Urbes ex hoſtibus Colonias Romanorum fieri; *nonnullas verò etiam in Jus Civitatis admitti.* His ille atque hujusmodi aliis inſtitutis urbem ex parva magnam reddidit; id quod res ipſa indicat. Qui enim unà cum illo Urbem condere cœperunt, non plures erant ter mille pedites, & pauciores trecentis equites: quando autem ex mortalium numero ſublatus eſt, peditum reliquit quadraginta ſex millia; & mille fermè equites. Atque hæc ipſius inſtituta cùm regni ſucceſſores ſervaverunt, tum poſt illos Magiſtratus annui; nonnulla etiam addentes; ita ut Romanorum civitas nulli genti vel *populoſiſſimæ numero hominum* cederet. Quibus cum ſi Græcorum conſuetudines comparem, non poſſum laudare Lacedæmonios, & Thebanos, Athenienſesve opinione

nione Sapientiæ celebres: qui ad retinendam generis Nobilitatem, vel nullos, vel raros in jus Civitatis admittebant: ut interim taceam hoſpites à quibusdam pelli ſolitos, ex hac enim jactantia non modò nullos perceperunt fructus, ſed etiam maxima inde ſensêre detrimenta &c. Adde his, de utriusque Populi more judicantem, Beſoldum *ſuprà ad n.5.(3)* Cum quo planè convenit Illuſtris Forſtnerus, quando *in Not. Polit. ad Tacitum ad lib. 11. Annal. cap. 23.* ſcribit, nullâ re magis ac hominum frequentiâ opus eſſe civitati, *quæ ad magnum imperium* adſpirat, ideoque rectè à Romanis, (hodiè Turcis, aliis,) & admiſſos & admitti exteros putat; at civitates contrariis inſtitutis viventes, & alienigenas tanquam hoſtes arcentes, (uti olim apud Spartanos, & hodiè Venetos moris) *domeſticæ quietis* quàm proferendi Imperii cupidiores fuiſſe. Addens; veriſſimè cenſuiſſe illum, qui, magnam quietem & magnam fortunam neminem eodem tempore aſſequi poſſe, aſſeruit. Ubi obiter circa Exemplum Venetorum notari hîc lubet ex Berneggeri *Quæſtionibus ad Taciti G. & A. quæſt. 29.* Venetiis in area D. Marci duas exſtare columnas, in quarum altera Leo æreus, D. Marcum præfigurans, Orientem ſpectat: in alterius autem faſtigio poſitam eſſe ſtatuam St. Georgii, *dextra clypeum tenentis*, non artificis, ut vulgò putatur, errore: ſed ut hoc ſymbolo moneatur, Reipublicæ Venetæ nunquam animum fuiſſe quemquam offendere, ſed ſolùm contra offendentes ſe defendere. Ideoque manus dextera, alioquin ad offendendum accommodatior, armata clypeo eſt. Quò pertinet id, quod apud Livium *lib. 53. cap. 5.* legati Romanorum ad plebem, quæ in ſacrum montem ſeceſſerat, revocandam dixerunt: *Scuto vobis magis, quàm gladio opus eſt.*

Num. 12.

(7) *In vita ejus &c.*] *Tom. I. Oper. pag. 11. in m.*

Num. 13.

(8) *Alexandriâ conditâ &c.*] Alexandria hîc intelligenda in Ægypto ab Alexandro condita; nam & aliam in radicibus Caucaſi, aliam in India, ad Tanaim aliam, Alexandri Magni auſpiciis exſtructas ejus nominis Urbes ex hiſtoria Alexandri conſtat. In hanc, ut eſt apud Curtium *lib. 4. c. 8.* ex finitimis urbibus commigrare juſſis, (*Alexander*) novam urbem magnâ multitudine implevit. Fama eſt (*pergit Curtius*) cùm Rex Urbis futuris muris polentam, ut Macedonum mos eſt, deſtinaſſet, ovium greges advolaſſe, & polenta eſſe paſtas. Cumque id omen pro triſti à plerisque eſſet acceptum, reſpondiſſe vates, magnam illam Urbem advenarum frequentiam culturam, multisque eam terris alimenta præbituram. Eandem rem, ſed paulò aliter, enarrat quoque Plutarchus *in vita Alexandri Tom. I. Operum pag. 679. in fin. & 680.*

Num. 14.

(9) *Romanorum Legibus &c.*] Conatur id Bodinus *d. à Klockio loco pag. 59.* probare per textum *in l. Cives. 7. C. de Incolis*; ſed in eo de decennio ne verbulum quidem exſtat; verùm hoc declarat illa lex, aliquem in eodem loco domicilium habere non ambigi, ubi quis larem rerumq; ac fortunarum ſuarum ſummam conſtituit, unde rurſus non ſit deceſſurus, ſi nihil avocet.

CAPUT CXII.

Rerum in Foro Venalium pretium augeri ad tempus poteſt; & quod plus ſolito eſt, in Ærarium referri.

SUMMARIA.

1. *Magiſtratûs Politici diſcretioni committitur* pretium rerum venalium *aſſignare*, *Taxas conſtituere.*
2. *Ingens eſt* vectigal *ex rebus venalibus.*
3. Taxa rerum venalium *ne permittatur mercatoribus & propolis*, & n. 4.
5. *Quâ* pœnâ *digni, qui cariùs, quàm taxatum eſt, vendiderint.*
6. *De* Præfectis annonæ: *Quæ ſit ex his Ærario utilitas*, n. 7.
8. *In* æſtimatione pretii *tàm cavendus defectus & exiguitas, quàm exceſſus & incrementum.*
9. *Domantur ſubinde* ſeditioſi Subditi *cùm arctior ſtatuitur annona.*
10. *Vetus quoddam & novum inventum tali pretio augere* ærarium.
11. Venditor *ne ſua laudet, neq; juret.*

Ad certum tempus pretium eſt intendere rerum
Venalium foro, auctioque Ærarii eſt.

NUmos omnia dimetiri, quæ in commercio ſunt; communis experientia docet. Sicut verò numorum certum eſt æſtimium; Ita & rerum, quarum menſura, certumque pretium ex æquo & bono definiendum eſt, ductu prudentiæ, pro ratione cauſarum & circumſtantiarum differentium: Nam merces, vinum, oleum, frumentum &c. per ſingulas rationes diverſa habent pretia. Quocirca Politici diſcretioni 1
committitur, quodnam pretium rerum aſſignandum, ut nemo ultra dimidium juſti pretii decipiatur, *l. 2. C. de reſcind. vend* Hinc videmus in benè conſtitutis Rebuspublicis *rerum pretia publicari*, (1) ſub comminatione mulctæ pecuniariæ transgreſſoribus infligendæ & Ærario vindicandæ, vulgò öffentliche Taxa.

Porrò licèt aliàs cuilibet liberum, ſine 2
onere emere, vendere, maximè ea, ſine quibus homo vivere nequit, quæ qui ſubtrahit, aut facit, ut cariùs vendantur, necare videtur, *l. necare. 4. ff. de liber. agnoſc.* Rebuff. *in l. 7. §. ſe quæritur. ff. de V. S.* ſumma tamen neceſſitas venditis etiam alimentis onus impoſuit: Quantum verò fuerit hoc rerum venalium vectigal, diſtinctè explicare videntur Cujac. *lib. 6. obſerv. 28.* Lipſ. ad Tacit. *lib. 13. hiſtor.* Gœddæ. *ad d. l. 17. num. 8. de V. S.* ſcilicet ex venditis mancipiis quinqua-

quagesimam, aliis rebus venalibus centeſimam, ducenteſimam, mercibus autem, ſi portandæ eſſent, octavam pretii partem appenſam fuiſſe *l. ex præſtatione 7. cum l. ſeq. C. de vectig. & commiſſ.*

3 Paulus Chriſtinæus *deciſ. Belgic. 98. vol. 3. in fin.* refert, ſe meminiſſe, aliquoties in dubium vocatum, an rebus venum expoſitis pretium juſtum taxari & definiri non debeat, neque idipſum permitti arbitrio mercatorum vel propolarum? Id enim, inquit, in multis benè gubernatis Civitatibus fieri ſolet, tàm in Italia, quàm in Hiſpania, quoad res quotidiani & neceſſarii
4 uſûs. Facit nobiliſſima Conſtitutio Imp. Friderici *libr. 2. Feud. tit. 27. §. 4.* Poſt Natale S. Mariæ, unusquisque Comes ſeptem boni teſtimonii viros ſibi eligat, & de qualibet Provinciâ, cum ipſis ſagaciter diſponat: & quanto pretio ſecundùm qualitatem temporis ſit annona vendenda, uti-
5 liter provideat. Quicunque contra deliberationem ipſius, intra anni terminum, altius modium & cariùs vendere præſumpſerit, tanquam Violator pacis habeatur: & totidem viginti libras Comiti exſolvat, quanti modios ſive maldios altiùs vendidiſſe convictus fuerit. Et hanc certi pretii, quoad emendum frumentum, & alia neceſſaria, conſtituendi poteſtatem Magiſtratui non obſcurè indulget, *l. 1. §. cura carnis ff. de offic. præfect. urb.* Nam ſicut circa carnis curam urbi præfectum poteſtatem habuiſſe, ſcribunt Feneſtella *de Magiſtratib. cap. 6.* Franciſc. Hotoman. *de Magiſtrat. Roman. cap. 12.* & noviſſimè Philippus Brodæus ad Franciſcum Poletum *in Hiſtor. Fori Rnmani 17.*
6 *lib. 1. cap. 1. num. 7.* Ita annonæ præfectum ſuper rebus ſuæ commiſſis authoritatem ſtatuendi pretia habuiſſe credendum eſt, *argum. l. fin. ff. ad L. Jul. de Annon.*

7 Sed quid inde emolumenti Ærario noſtro accedet? inquies. Reſpondeo; Primò ex rebus venalibus Romanorum exemplo *certum vectigal ſive pecuniam publicam colligi*, (2) deinde vendentes ultra taxatum pretium mulctis pecuniariis coërceri, iisque Ærarium collocupletari poſſe: Sicut & contra vendentes corruptam annonam, pœnam eſſe arbitrariam, ſcribit Menoch. *de A. J. Q. caſ. 382.* Franc. Marc. *deciſ. 640. num. 4.* Et de miſcentibus frumentum corruptum cum bono, eorumque pœnis vide noviſſimè differentem Joan. Bapt. Coſtam *de fact. ſcient. & ignor. cent. 2. diſtinct. 83. num. 3.* Deinde, habita conſideratione abundantiæ, vel cariſtiæ, acciſia pretio adponi, Ærarioque addici poteſt. Convenientia enim ac commoda pretia, ex quibus & Reſpub. aliquantillum lucelli capere poſſit, in rerum venalium venditione conſtitui, ſubditique eo modo in obſequio contineri poſſunt, ut nec nimia ubertas ac pretii parvitas, molles illos atque otioſos faciat, & à negotio ad otium, ab induſtria ad deſidiam plebs avocetur, agrorumque cultura deſeratur, nec ſit adeò exceſſus pretii, ut in paupertatem illos, vel malos actus inducat: Quamvis aliquando de frumento ex Sicilia Romam advecto, cùm in Senatu ageretur, an gratis, an 8
vili, an immenſo pretio plebi daretur? *Marcius Coriolanus* (3) adverſus plebem gravem 9
ſententiam dixerit: Nihil per largitionem effici, ſatius eſſe, hanc vel cariore annonâ domari, ac reprimi, ut fiat ex neceſſitate modeſtior, ad obeunda civilia mnnera paratior agrosque hâc injuriâ, non ſeditiones colat, quàm ut deſidiâ, otio & luxuriâ, maximè quæ ex abundantia & copiâ naſcitur, jura, leges, inſtituta majorum negligat. Quâ ex ſententia, quaſi contra populum conclamaſſet, dies Coriolano datus, diſcuſſis in Senatu ſententiis, dimiſſus eſt; cùm ſententia & conſilia pro Rep. ſive ſtolida, ſive optima ſint, ſatis ſit omnes tendere ad Reipubl. ſalutem, ad quam conſultatio omnis tendere debet. Quâ de re Halicarnaſſ. *lib. 7.* Plin. *de viris illuſtrib. c. 19.*

Eundem ad modum Lampſaceni, referente Joachimo Camerario in Oeconom. Ariſtot. *libr. 1. fol. 24.* cùm adventus expectaretur triremium multarum, & venirent polentæ ſex modii denariis quatuor, juſſerunt in foro verſantes vendere eos ſex denariis; Et ad olei congium, qui veniret denariis quatuor, adjecêre tres obolos ſeu aſſes ſex; Idemque fecêre de vino & cæteris. Privati itaque pretium accipiebant antiquum, quod autem 10
ſuperabat; id Civitas retinens copiam ita pecuniariam comparavit.

En vetus & novum inventum eſt pretiorum augmentum, quo augeri & reſtaurari poteſt Ærarium.

Circa hanc rem Plato *de legib. Dialog. 11.* voluit, unum pretium quæri debere rerum Venalium, nec quæri oportere majus vel minus, nec venditorem laudare debere rem Venalē, neque juramentum facere, & in columna ſcribendum eſſe pretium, nec licere res venales adulterare, ſub gravi pœnâ.

ANNO-

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT CXII.

Num. 1.

(1) R*Erum pretia publicari &c.]* Ut conſtituto illo certo pretio, juxta Horatii *lib. 1. Sermon. Satyr. 1.* verba,

Panis ematur, olus, vini ſextarius, adde
Queis humana ſibi doleat natura negatis.

Si verò unquã meherde tunc hujusmodi certæ taxæ, à Magiſtratu conſtituendæ, neceſſariæ, omninò ſunt, cùm valor monetarum mutatur. Sic prudentiſſimi Reipublicæ Norimbergenſis Patres cùm Anno MDCXXII. d. XIV. Junii per publicum Edictum thaleri valor à florenis X. ad florenos tres atque crucigeros XV. redactus confirmaretur inſimul determinata rerum pretia conſtituerunt; atque ut verba ſonant: Weilen der Zweck dieſes Edicts vornehmlich dahin gehet/ wie durch ſolche Verbeſſerung der Müntzen und Abſchaffung der Ringhältigen/ auch der übermäſſigen unerhörten Theurung/ nechſt GOttes Hülff/ in etwas nach Gelegenheit der ſchweren Läufften und Zeiten / Raht geſchafft/ und demnach alle Waaren/ Victualien/ und Feilſchafften/ in ſonderbahrlichen empfindlichen Abſchlag kommen und gebracht werden mögen/ dergeſtalt/ damit insgemein faſt jedes ein zwey Drittel nach Proporʒ deß Müntzfalls / und nach Beſchaffenheit der Sachen/ wolfeiler/ als dasjenige/ was man durch Mißbrauch der Thaler und dern übermäſſigen Steigerung um zehen Gulden bishero verkaufft/ hinfüro um drey Gulden/ fünffzehen Creutzer/ und alſo wiederum um einen Thaler erhandelt werden möge: Als haben wir in Krafft tragenden Oberkeitlichen Amts uns einen gewiſſen Tax (ſo weit bey dieſen höchſtbeſchwerlichen Kriegs-Läufften/ immer darmit zu dieſen mal auszulangen geweſen) verglichen/ und ſelbige zu dem End in offentlichen Druck bringen laſſen / damit ein jeder zu ſelben gelangen/ auch im Kauffen und Verkauffen ſich darnach eigentlich richten könne: Dann ſolte jemand ſolche Ordnung vorſetzlich brechen / oder deß Fürkauffs ſich freventlich befleiſſigen/ derſelbe ſoll/ er ſey gleich Kauffer oder Verkauffer/ das erſte mal um das doppelte deß Preiß oder Waaren / das andere mal um das drifache geſtrafft / und das dritte mal/ als ein Verächter guter Ordnung und der Obrigkeit/ mit einer ernſtlichen Leibſtraffe belegt werden ꝛc. ꝛc. Cùm verò Ordinationi huic adhuc tamen refractarii minùs parerent, certum quoddam Officium conſtitutum, cui Executio Decretorum nomine Magiſtratûs Anno MDCXXII. demandata fuit; Taxa verò ipſa ſive certum pretium rerum vendibilium & mercedis operariorum iterum Anno MDCXXIII. d. IX. Semptembris & dein ſæpius per publica Decreta renovata legitur; atque hodiè adhuc & frumento, & carnibus, & cerviſiæ, & ſmegmati, aliisque rebus pretium juſtum antequam vendantur conſtituitur, ultra quod nemini vendere, ni pœnam incurrere velit licet. Quodnam verò juſtum rerum pretium ſit eleganter Dinnerus JCtus quondam in Academia Altdorffina celeberrimus definit in Tractatu *de Juſto rerum pretio definiendo.*

Num. 7.

(2) *Certum vectigal ſive pecuniam publicam colligi &c.]* Tutiùs tamen emolumentum ærarium capere, ex materia rei vendibilis, ut ita dicam primã, & ex teloniis, portoriis, &c. rerum venalium maximè comeſtibilium, antequam ipſo actu venales exponantur, putarim vel Neapolitanæ Seditionis Maſſanieli edoctus exemplo, cujus occaſio vel præcipua erat fructibus & rebus minimis venundandis imperata in ipſo actu emptionis venditionis acciſa. Ut notum.

Num. 8.

(3) *Marcius Coriolanus &c.]* Sed hic præter publicas odii cauſas, referente eodem Dionyſio *dict. lib. 7. cap. 20.* etiam privatim infenſus erat plebi ob recentem (ut illi videbatur) injuriam. Conſulatum enim ambienti proximis Comitiis, cùm non deeſſent patriciorum ſtudia, plebs adverſata Magiſtratum eum dare noluerat; verita Viri claritatem & audaciam, ne forté his fretus conaretur è Republica tollere poteſtatem tribunitiam; augente motum eum patriciorum ſtudio, qui nulli unquam Candidato tantoperè faverant. Hac igitur offenſa irritatus, & mutatam Rempublicam in priſtinam formam reſtitui cupiens, & ipſe palàm nitebatur plebem convellere, & idem ut facerent perſuadebat aliis &c. Sed ecce quid ſani conſilii, quid ſani Judicii ſperandum ab homine affectibus mancipato? Perit judicium ubi res tranſit in affectus, & animi paſſiones conſilium vel pervertunt vel non admittunt. Non ſecus atque illi, qui per viride conſpicillum objecta contemplantur, ea ipſa quidem, ſed planè alio colore conſpicua vident; ſic & illi, quibus amor aut odium glaucoma oculis obducunt, rem dejudicare ſolent & poſſunt, &, dicente Baudio *de Induc. Belli Belg. lib. 3. pag. 162.* ita eſt, animus gratiæ vel offenſæ obnoxius haud facilè verum examinat, ubi ſemel incommodæ ſuſpiciones aciem mentis perſtrinxerunt. Arquatis omnia lutei coloris apparent quæcunque oculis obverſantur propter læſam videndi facultatem: ſimiliter iis, qui raptantur ab impotenti affectu, non adeſt recti Judicium, ſed perinde res ſingulas æſtimant, ut ſuadet opinio quam penitus animis imbiberunt. Cùm tamen privatorum ſit defenſio equidem aliqualis, amoris vehementiâ vel alio affectu abreptum peccaſſe; Imperans non amore, non odio, niſi quæ Reipublicæ conducant, evincere debeat. Ideoque, ut refert Dionyſius *d. l. cap. 23.* quorum animi proclives in plebem erant, opesque & honores non pluris æſtimabant, nec quicquam pace magis putabant neceſſarium, Oratione Marcii Coriolani offendebantur, nec probabant ſententiam; cenſebantque *non vi, ſed prudentiâ, & moderatione ſuperandos inferioris Ordinis homines; & æquitatem non aſpernandam ut indecoram, ſed amplectendam ut neceſſariam, cùm alias, tum in conciliandà civium benevolentia:* ajebantque conſilium ejus furorem eſſe, non animi in dictis & factis libertatem. Tribuni verò plebis ultima intentabant, ex quo non niſi tumultus ſuboriebatur, quod *c. 24. ſeqq.* Dionyſius pleniùs exponit.

CAPUT

CAPUT CXIII.

De Collatione ſupellectilis Principis aut Primorum & Civium Reipublicæ.

SUMMARIA.

1. *Urgente neceſſitate* Principes & Proceres Reip. *ſuam ſupellectilem auream, argenteam &c. exponunt.*
2. *Exempla* M. Anton. Philoſophi, Trajani, Nervæ, *Impp.* & n. 3.4.
5. Collatio *hac incitamento eſt privatis, ut ſuâ ſponte conferant.*

Collata Principis ſupellex, illius
Aut purpuratorum atque civium, patet
Hac ſectione luculento ſchemate.

1 NEceſſitate efflagitante ſolent quandoque Principes & Proceres Reipubl. ſuam ſupellectilem auream vel argenteam exponere & conferre publico bono. *Sic*
2 *M. Anton. Philoſophus* (1) cùm ad bellum Marcomannicum omne ærarium exhauſiſſet, neque extra ordinem Provincialibus aliquid imperare vellet, omnia aurea pocula, vaſa regia, & veſtem uxoriam ſericam & auratam, cæteraque ornamenta imperialia venundari juſſit, ut dixi *hoc tract. lib. 1. cap. 1.*
3 *num. 91.* Trajanus etiam Imper. cùm pecuniâ egeret, magnum numerum veſtium, multaque vaſa argentea atque aurea & reliquam ſupellectilem non modò de privatis ſuis, ſed etiam de principalibus rebus, multa etiam prædia multasque domos, atque in ſumma omnia, præter ea, quæ neceſſaria erant, vendidit. Neque verò in pretiis harum rerum ſordidus, ſed in hoc ipſo benignus erga multos & liberalis fuit, *Dione referente.* (2) Sic quoque Nervâ Imper. Ro- 4
mæ deſignato, deinde pleræque ſtatuæ Domitiani argenteæ atque aureæ (quippe odio apud omnes erant) ſublatæ ac diſſipatæ ſunt. Ex quibus pecunia grandis redacta; Ita olim Senatores Romani aurum, argentum & æs ſignatum contulêre, ut retuli ſuprà *cap. 9. n. 6. & 7.*

Plura exempla vide apud Val. Max. *lib.* 5
7. cap. 7. Unde animadvertendum hanc collationem Principum aut Procerum populi incitamento eſſe etiam privatis, ut ſuâ ſponte conferant. Hac collatione à locupletibus militibus factâ Rex Zenottus captus redemptus fuit, ut refert Crantz. *lib. 2. Vandal. cap. 33.* Côſentiunt ferè in hoc omnes Politici, Principem ſcilicet vel Magiſtratum poſſe curare, ut aurum ſuum argentúmve omnes in medium conferant, cuſisque inde numis cum partis alicujus lucro reſtituere. Nunquam verò hoc modò, niſi extrema ſit neceſſitas, utendum ſuaderem.

ANNOTATIONES *Ad* CAPUT CXIII.

Num. 2.

(1) M. *Anton. Philoſophus &c.]* Capitolinus *in ejus vita cap. 17.*

Num. 3.

(2) *Dione referente &c.] Lib. 68. non longè à principio.* Ubi de Nerva & in ſequentibus ejusdem libri de Trajano, hîc allegata in textu habet.

CAPUT CXIV.

De Bonis Naufragio ejectis.

SUMMARIA.

1. Naufragii *calamitate perdita bona in commiſſum non cadunt.*
2. Princeps *Regalia habens, fluminum ingreſſu navigantes arcere poteſt.*
3. Littora *dicuntur eſſe ejus, qui habet jurisdictionem.*
4. Mare *per centum milliaria ad vicinum ſpectat.*
5. Maris *Imperium præſcribi poteſt, & quomodo id intelligendum?*
6. Fiſcus *non debet in rebus luctuoſis compendium ſectari.*
7. Friderici Ænobarbæ *Imp. Conſtitutio Codici Juſtinianeo inſerta.*
8. Conſuetudo *hac barbarica à Carolo V. Imp. penitùs abolita.*
9. Mandata ſine clauſula *in Camera decernuntur contra illos, qui bona naufragio amiſſa diripiunt.*
10. Crudelitas *eſt in naufragos deſævire.*
11. Afflictis *non eſt addenda afflictio.*
12. Iniquum *eſt, ex alieno fletu riſum conciliare.*
13. Naufragii *jus licèt antiquum, turpe tamen lucrum eſt.*
14. Fahrrecht *Galli* droict des Naufrages *appellant.*
15. Naufragantium *bona in Italia, Neapolis, Sicilia,*

Siciliæ, Hiſpaniæ, Angliæ &c. littoribus ſunt Regum.

16. Fridericus Comes *Stadenſis jure naufragii in ſervitutem vindicatur.*

17. *Eoq; prætextu* Henricus II. *Galliæ Rex Roman. Imp. naves ad littus appulſas in fiſcum redegit.*

18. *Pretium, quod* Borgegeld *dicitur, à naufragis an licitè exigatur.*

19. Zelandiæ *conſuetudo laudatur.*

20. Woldemari *Regis Daniæ privilegium Civitati Brunſvicenſi conceſſum.*

21. Projecta *in mari an fiant occupantis.*

22. Naufragium *Pauli Apoſtoli & ſociorum.*

23. Jonas Propheta *in mare projectus.*

24. Res jacta *utroq; caſu Domini manet, nec fit apprehendentis.*

25. Merces, *periculi effugiendi gratiâ in mare projectas, per Urinatores extrahere licet.*

26. Urinatorum *natatorum ſubaqualium deſcriptio.*

27. *Ex* incendio *bona ſurripientes vim publicam committunt.*

28. Naufragorum *bona occupantes tanquam fures & latrones plectuntur jure civili.*

29. Jure Canonico *feriuntur pœnâ Excommunicationis: Declara, niſi abſit animus delinquendi,* n. 30.

31. Turcarum, Saracenorum, *aliorumq; infidelium naufragantium bona an occupentur licitè?*

32. Piratarum *bona an ſint occupantis?*

33. Piratæ, *publicorum Commerciorum Turbatores, hoſtibus fidei æquiparantur.*

34. Piratæ *ſunt diffidati ipſo jure, & an poſſint derobari.*

35. Romani *piratas perſequebantur.*

36. *Lex* Gabinia.

37. Piratæ *latrones maritimi.*

38. Alexander Magnus *infeſtat Orbem, ut pirata.*

39. Navigantium *fortuna & conditio miſerabilis.*

40. Nautas *neq; inter vivos, neq; inter mortuos refert Bias.*

41. Catullus *navigans ob tempeſtatem projecit bona.*

42. *Priſcæ* Navigationes *per altum.*

43. Acus marina, *ſive pyxis & charta Nautica, cujus ingens eſt in longinquis navigationibus uſus: inventum cujuſdam Itali ex regno Neapolitano, qui tàm nobile inſtrumentum creditur inveniſſe ſub Annum Chriſti MCCC.*

44. Pyxidis & Chartæ Nauticæ *utilitates, remiſſivè.*

45. Acus verſoria *ſive magnetica priſcum inventum.*

46. Salomoni *explorata virtus Magnetis.*

47. Magnetis *utraq; virtus connexa.*

48. *Ubi* Magnes *naſcatur?*

49. Magnetis *jucundiſſimum naturæ miraculum.*

50. Naufragii jus *quo caſu licitum ſit?*

Ejiciuntur opes ad littora ſæpè marina,
Heu quas amiſit naufraga turba ſalo!
Hæ devolvuntur communi jure Toparchæ,
Ad fiſcum, quòd ſit Rex Dominusque ſoli.

1 COmpendium naufragorum paſſim ſibi vendicant Regalia exercentes in Sicilia, *Anglia*, (1) & aliis nonnullis in locis, quibus nempe perſuaſum eſt, cùm flumina pertineant ad Regalia, bona etiam eorum, qui naufragium paſſi ſunt, cadere in commiſſum, & ad Dominum loci, cujus eſt flumen aut littus, pertinere, quo nihil abſurdius & iniquius excogitari poteſt, quàm ex re omninò & calamitoſa & luctuoſa emolumentum cum alterius jactura capere: Vulgò Stranden & Grundruhrrecht vocant. Licèt enim 2 *navigationum uſum prohibere* (2) & intervertere poſſit is, ad quem flumina publica Regalium jure pertinent, Rauchbar. *parte 1. quæſt. 23. num. 29. & 30.* Et littora ejus eſſe 3 dicantur, qui habet Juriſdictionem, *arg. l. littora. ff. ne quid in loc. publ.* Bornit. *de jure Majeſt. cap. 7.* ac *Mare per centum milliaria* 4 *ad proximum pertinere* (3) contendat Alberic. Gentilis *libr. 1. Hiſpan. Advocat. cap. 8.* Georg. de Cabedo *part. 2. deciſ. 46. numer. 1.* Quamvis & mare ejus eſſe Imperii, cujus eſt territorium coadjacens, docuerint, per text. *in l. Inſulæ Italiæ. ubi Dd. ff. de re judic. cap. licet. ubi Gloſſ. & Bald. num. 2. de feriis. cap. ubi periculum. de elect. in 6.* Decian. *libr. 4. Prax. Crimin. cap. 17. num. 29. & conſil. 123. num. 26. volum. 3.* Gerard. *ſingular. 15. num. 1.* Suarez. *allegat. 17. num. 3.* Gregor. Tholoſan. *libr. 1. Syntagmat. jur. cap. 3. numer. 5.* Petr. Belluga *in Specul. Princip. §. pari ratione num. 1.* Bobadilla *libr. 4. Polit. cap. 2. numer. 69. & cap. 5. num. 6.* Avendan. *de exequend. mandat. part. 1. cap. 4. numer. 4.* Borell. *de Cathol. Reg. præſt. cap. 46. numer. 234.* Garz. *de Expenſ. capite 21. numer. 34.* Et ſi quis delinquat mari, punitio ad illum ſpectet, qui judex territorii propinquioris loco delicti, Hieron. de Monte *tractat. de finib. cap. 39. num. 3.* Franciſc. Marc. *deciſ. 142. numer. 6.* quos rectè allegat Marius Giurba *conſil. crimin. 79. num. 30.* Etſi quoque nihil 5 impediat, quò minùs Reſpublica præſcribat Maris Imperium, ſi non quoad Dominium & proprietatem, ſaltem quoad uſum Juriſdictionis, ut eleganter pro Sereniſſimo Venetorum Imperio ſcribit Angelus Mattheatius *de via univerſi juris libr. 1. cap. 36. n. 13. & ſeq.*

Attamen in bona naufragium paſſa nullum jus Fiſcus habet, neque de aliena calamitate, & re tàm luctuoſa compendium ſectari debet, *l. 1. & tot. tit. Cod. de naufrag. libr. 11. Authent. Navigia. C. de furt.* ubi Fridericus II. Imperator haſce omnium locorum conſuetudines ſuſtulit, & navigantibus ſua bona integrè reſervavit, ac transgreſſores propriorum bonorum publicatione ex pœna talionis mulctavit, atque ita longè 7 ſanctius jus conſtitutum eſt, quàm Neroni Tyranno ſuggerunt adulatores apud Juvenal. *Satyr. 4.* 6

Quic-

Quicquid conſpicuum, pulchrumq́ʒ ex æquore toto eſt.
Res fiſci eſt, ubicunque natat.

Eſtque barbarus ille mos, ut naufragium paſſi bona vel libertatem amittant, quanquam corruptela gentium peſſima & planè irrationalis, anullatus, caſſatus & in
8 perpetuum Caroli V. criminali ſanctione omninò abrogatus *art. 289. princ.* & pluribus commendatus à Georgio Remo paraphraſte in Nemeſi Carolina *cap. pen. pr.* Reichs-Abſchied *de Anno 1559.* §. Und nachdem an etlichen Orten. Quapropter cùm adeò nunc odioſa, omnique jure prohibita ſint hæc perverſitatis compendia, contra eos, qui bona ex naufragiis ad littora ripasque appulſa, ſtatim diripiunt, expilant, aut ſub prætextu commiſſi ſibi vendicant, Man-
9 data ſine clauſula in Camera Imperiali decerni, idque in cauſa Civitatis Lubecenſis contra Comitem Oldenburg. & in cauſa civitatis Hamburgenſis contra Duces Holſatiæ factum eſſe, teſtatur Gail. *lib. 1. obſerv. 18. n. 6.* Sixtin. *de Regal. lib. 1. cap. 3. num. 95.* Frider. Mindan. *tract. de Interdict. tit. 6. num. 41. & 42.* denſo agmine Pruckman. *conſil. 2. num. 185. vol. 1.* Lather. *de cenſu, lib. 2. cap. 11.* Gryphiand. *tract. de Inſulis cap. 31. num. 100. cum ſeqq. & numer. 118. cum ſeqq.* Knichen. *de Saxon. privileg. provocat. neſc. verb. Ducum capit. 5. numer. 138. & ſeqq.* Keckerman.
10 *libr. 1. Syſtem. Politic. 19. fol. 314.* Crudelitatis namque genus eſt, ultra naufragium velle deſævire; & illos ad ſtipendia cogere, quibus inopem vitam probantur immania pericula ceſſiſſe, prout Theodoricum Regem Senario V. J. Comiti Privatarum reſcripſiſſe, narrat Goldaſt. *in Collect. Couſtit. Imper. tom. 3. pag. 53.*
11 Et quid iniquius, quàm afflictionem afflictione adaugere, *l. Divus ff. de offic. Præ-*
12 *ſid.* & ex alieno fletu riſum conciliare? *cap. petiſtis. de privileg.* Quid obſecrò naufragiis miſer fecit, ut dignus ſit amiſſione rerum,
13 quæ ad ipſum lege naturæ pertinent? Quid itidem Principem Chriſtianum movere poteſt, ut tam impiam ac deteſtandam conſuetudinem, ſeu potiùs corruptelam probaverit, aut eam à judicibus ſervari permiſerit?

Quod genus hoc hominum? quævè hæc tàm Barbara morem
Permittit Patria? Hoſpitio prohibemur arenæ.

Virgil. *libr. 1. Æneid.* At conſuetudo in contrarium non modò in Mari & Oceano, ſed etiam in Rheno & Albi ubivis ferè locorum recepta, quâ

Quæſtus naufragio petitur, corpusq́ʒ profundo
Immiſſum pariter, quàm præda exquiritur ipſa.

Et quod tempeſtas reliquum fecit miſe- 14
ris, id Præfectus velut altera tempeſtas, eripit, ipſo mari immitior. Galli *Varech* (Fahr-recht) *ou droict des Naufrages* vocant Guidon. *des Finances fol. 75.* Et *de Italiæ, Nea-*
polis (5) Siciliæ, Hiſpaniæ, Angliæ, Galliæ, A- 15
quitaniæ, Navarræ aliorumque Regnorum conſuetudine, quâ Reges litteris, fractas Naves & Naufragorum bona uſurpant, poſt alios abundè teſtantur Luc. de Penna *in l. 1. Cod. de naufrag.* Renat. Choppin. *de Doman. Franc. libr. 1. cap. 16. num. 9. & ſeq.* Camill. Borell. *de Cathol. Regis præſtantia cap. 75. numer. 1. & ſeqq.* Henning. Arniſæ. *lib. 3. de jur. Majeſt. cap. 6. num. 16.* Gregor. Tholoſan. *libr. 9. de Republ. cap. 1. num. 29. pag. 578.* ubi ejus juris æquitatem in eo conſiſtere autumat, quòd non minùs, quàm viis publicis cura & refectio portuum littorúmve ad Principem pertineat: quod item ea ſit ſolicitudo Principis, ut à privatis maria circa ſuam jurisdictionem ſint æquè, ut itenera tuta Viatoribus à latronibus. Jam verò ſecundùm naturam ſit, ut qui ſentit onus, ſentiat & commodum.

Hinc contra Fridericum Comitem Sta-
denſem olim diſputatum ab Archiepiſco- 16
po Bremenſi, legimus, eum ſervili ventre fuiſſe natum propterea quòd ipſius mater facto in Albi naufragio, cùm ventrem gereret in Archiepiſcopi poteſtatem jure naufragii veniſſet, Spangenb. *in Chronic. Querfurt.* Kirchner *de Republ. diſput. 27. Coroll. 7.* ubi rationis & humanitatis hoc naufragium dicit. Eodem jure (ſi licet appellare jus conſuetudinem pravam juri & æquitati naturali planè adverſam) cùm Imper. Romani duas naveis ad littus ejectas & ab Jor-
dane Verſino captas ab Henrico II. Galliæ 17
Rege Legatus Cæſareus Anno MDLVI. reſtitui ſibi poſtularet, Annas Mommorantius Magiſter Equitum reſpondit; Ea, quæ ad littus fuiſſent ejecta, gentium omnium jure (*quod tamen falſiſſimum eſt*) ad Principes, qui littoribus imperarent, pertinere, Bodin. *lib. 1. de Republ. cap. 10. fol. 267. Sic & Lege Rhodia nautica* (5) *in l.* Ἀξίωσις. *9. ff. ad L. Rohd. de jact.* inter alia licuit Fiſco & publicanis, res naufragorum fluctibus eje-
ctas occupare, & ſibi retinere. Laudabi- 18
liter verò in quibusdam provinciis receptum eſt, ut ex naufragio afflicti, ſoluto pretio (quod vocant Borgegeld) (7) omnia teneant libera, Ventur. de Valentiis *lib 1. Parthen. litig. cap. 13. numer. 5.* Et in Zelandia, authore Petro Peck. *ad d. auth. Navigia C.*
de furt. numer. 2. ſaluberrimè, cautum, ut is. 19
cui naufragorum merces colligendi authoritas facta eſt, *ſi anno & ſex ſeptimanis* (7) collectas merces Domino cuſtodierit, mediocrem cuſtodiæ mercedem exigere poſſit.
Woldemarus Rex Daniæ civibus Brun- 20

ſui-

ſuicenſibus Anno MCCXXVII. privilegium conceſſit, ut quæcunque ſalvari poſſint
21 de naufragio, liberè poſſideant. Nec eſt, quòd quis putet, projecta in Mari haberi pro derelictis, proindeque fieri occupantis, cùm ſint in bonis nullius, *arg. §. feræ de R.D.* Sive etiam navi jam depreſſâ & perditâ, ſive navis levandæ gratiâ ad evitandum commune periculum jactus fiat; (veluti D.
22 Paulo Apoſtolo, ejusque ſociis tempeſtate jactatis, armamenta navis projecta, *Act. 27. verſ 19.* Et non bona ſolùm, ſed etiam Jonas in mare præceps datus eſt, *Jon. c. 1. v. 15.*) Utroque ſanè caſu res jacta non fit appre-
23 hendentis, ſed domini manet. Nam is eam pro derelicto non habet, *§. fin. Inſt. de R. D. l. ſi laborante nave. 1. §. fin. ff. ad L. Rhod de jact.* quippe, ſi invenerit eam ablaturus, & ſi ſu-
24 ſpicatus fuerit, in quem locum ejecta ſit, requiſiturus; ut perinde ſit, ac ſi quis onere preſſus, in viam rem abjecerit, mox cum aliis reverſurus, ut eandem auferret, *l. qui levandæ 8. ff. eod.* Atque hinc lege permit-
25 tente, ſi occaſio & opportunitas ſuppetat, merces tempeſtate exortâ & periculi avertendi causâ in mare projectas per Urinatores extrahere licet, *l. 1. §. 1. ff. ad L. Rhod. de jact.* qui ſupra humanam fidem ſub aquâ
26 morari conſueverunt, Boter. *lib. 9. de illuſtri Statu & Politia cap. 22. fol. 700.* & tempore in illo continent ſpiritum, ac in ea urinantur, id eſt, merguntur, Gothofred. *ad d. §. 1.* Plato conchytas appellat, qui conchilia conquirunt in mari. Budæus *in Pandect. fol. 488.* eos vocat natatores aquatiles; *dicens,* ſe urinatorem vidiſſe Sacerdotem ranæ modo in caput ſe mergentem, divaricatis ſurſum cruribus peſſum euntem, ac per ri-
27 parum cava gurgitumque piſces latitantes perſcrutantem, referentemque. Et quemadmodum incensâ domo ſurripientes aliqua ex bonis ibidem exiſtentibus, vim publicam, *l. 3. §. 3. ff. ad L. Jul. de vi publ.* Ita
28 naufragantium bona lucrandi animo auferentes jure civili furtum committunt, *l. 9. §. fin. & l. 58. ff. de A. R. D. d. §. fin. Inſt. de R. D.* & tanquam fures & latrones puniendi, latè Menoch. *libr. 2. de A. J. Q. cent. 3. cap. 297. & centur. 4. caſ. 393. num. 99.* Jure autem
29 Canonico ad ablatorum reſtitutionem efficaciter obligati; & ſi fuerint in mora reſtituendi, omnimodæ excommunicationi obnoxii ſunt, *libr. 3. extr. de raptorib.* Niſi naufragium paſſi animum recuperan-
30 di abjecerint, aut declararint, ſe habere bona projecta pro derelictis, Martin. ab Azpilcueta *libr. 5. de ſent. & excomm. conſil. 45. num. 1. pag. 153.* Anton. Scappus *libr. 3. de jure non ſcripto cap. 32. num. 9.* aut bona nau-
31 fragio ejecta eſſent infidelium, puta Turcarum, Saracenorum, aliorumque Chriſtianæ fidei hoſtium, *d. auth. Navigia. ibi: Chriſtiano nomini inimica.* Marc. *Deciſ. Delphin. 424. in fin. vol. 2.* Ant. Scapp. *d. c. 32. num. 8.* aut Piratarum in mari graſſantium, *d. auth. Navigia.* quos publicorum commerciorum 32
turbatores & latrones vocat JC. *in l. 3. §.* 33
Labeo. ff. de incend. ruin. naufrag. Farinac. *in prax. crimin. qu. 166. num. 7. & 15* hoſtibusq; fidei & Principis æquiparat Bald. *in d. auth.* 34
in fin. adeò, ut poſſint impunè à quolibet lædi, eò quòd ſint ipſo jure diffidati, *Authen. caſſa. C. de SS. Eccleſ. cap. 1. de milit. qui contumax eſt:* quorum perſecutio facienda eſt, uti à Romanis factum, deputando *Cn. Pom-* 35
peium adverſus Piratas (8) authoritate L. Gabiniæ factæ ab A. Gabinio Plebis Tribuno. 36
Quod enim latrones ſunt terrâ, hoc Mari 37
Piratæ: Unde dicere poſſumus, quod *olim Alexandro Magno quærenti*; (9) quo ſcelere impulſus Piraticâ exerceret Demetrius? Eo- 38
dem, reſpondit, quo tu Orbem terræ. Et tu, *inquit ille,* cui florentiſſimum Philippus Pater Macedoniæ Regnum reliquit, totum mundum & Regna, quæ tua minimè ſunt, latrociniis infeſtas.

Ad ſummam; Quocunque te vertas, miſerabilem navigantium conditionem de- 39
prehenderis; ut meritò Horat. *lib. 1. Carm. Ode. 3.* audaciam hanc mortalium in præcipua habeat admiratione, dicens:

Illi robur, & æs triplex
Circà pectus erat, qui fragilem truci
Commiſit pelago ratem
Primus: nec timuit præcipitem Aphricum
Decertantem Aquilonibus:
Nec triſtes Hyadas, nec rabiem Noti
Quo non arbiter Adriæ
Major, tollere, ſeu ponere vult freta.
Quem mortis timuit gradum?
Qui ſiccis oculis monſtra natantia,
Qui vidit mare turgidum, &
infames ſcopulos Acroceraunia?
Nec quisquam DEUS abſcidit
Prudens Oceano diſſociabili
Terras; ſe tamen impiæ
Non tangenda rates tranſiliunt vada.
Audax omnia perpeti
Gens humana ruit per vetitum nefas
Audax Iapeti genus
Ignem fraude malâ gentibus impulit.
Poſt ignem ætheria domo
Subductum macies, & nova febrium
Terris incubit cohors:
Semotiq; priùs tarda neceſſitas
Lethi corripuit gradum.
Expertus vacuum Dædalus aëra
Pennis non homini datis.
Perrupit Acheronta Herculeus labor.
Nil mortalibus arduum eſt,
Cœlum ipſum petimus ſtultitiâ: neque

Per

Per noſtrum patimur ſcelus
Iracunda DEUM ponere fulmina.
Juvenalis *Satyr.12.*
I nunc, & ventis animam commite, dolato
Confiſus ligno, digitis à morte remotus
Quatuor aut ſeptem, ſi ſit latiſſima tæda.
Ovidius,
Non probe tàm lethum, quàm probè cernit aquam.
Propert *libr.3. de mort.pet.*
Ite crates curvæ, & lethi quoque texite cauſas;
Iſta per humanas mors venit acta manus.

40 Et notum eſt memorabile *Biantis dictum*, (10) quòd nautæ neque inter vivos, neque inter mortuos referendi ſint. Et Cato dicere ſolitus erat, ſe trium in ejus vita pœnituiſſe, (1) quòd mulieri arcana credidiſſet, (2) quòd mari fuiſſet profectus, quò terrâ potuiſſet pervenire, (3) quòd diem ſine linea
41 abire paſſus eſſet. Hinc proverbium; *Qui neſcit orare, aſcendat mare.* De Catullo naufragium faciente refert Juvenalis *Satyr.12.*

Accidit & noſtra ſimilis fortuna Catullo,
Cùm plenus fluctu medius foret alveus, & jam
Alternum puppis latus evertentibus undis
Arboris incertæ, nullam prudentiam cani
Rectoris conferres opem, decidere jactu
Cœpit cum ventis, imitatus Caſtora. qui ſe
Eunuchum ipſe facit, cupiens evadere damno
Teſticulorum: adeò medicatum intelligit inguen.
Fundite, quæ mea ſunt dicebat, cuncta Catullus,
Præcipitare volens etiam pulcherrima, veſtem
Purpuream, teneris quoque Mœcenantibus aptam.

42 Veteres in ſuis navigationibus duces alios non ſequebantur, quàm Solem, Lunam, Arctos, ſtellam polarem, quam Cynoſuram dicebant, itemque alias ſtellas, ut Virgilius oſtendit *lib.6. Æneid.*

——— clavumq; affixus, & hærens
Nuſquam amittebat, oculosq; ſub aſtra tenebat.

Obtecto igitur cœlo nubibus & ſublatâ Solis & ſtellarum claritate, ventis erant committenda vela, aut conjecturâ aliquâ divinandum, quantum viæ fecerunt, quantum reſtet, quod eadem eſſet cœli mariſque facies, unde nihil cauſæ ipſis adparebat, cur huc potiùs, quàm illic eundem eſſet, ignorabant, ubi converſarentur, erantque quaſi deperditi, quemadmodum idem Virgil. 3. *Æneid.* demonſtrat,

Erramus pelago, totidem ſine ſidere noctes.
Et patet ex d.cap. *Act. 27. v 20.* Neque Sole, neque ſideribus apparentibus per plures dies, & tempeſtate non exiguâ imminente jam ablata erat ſpes omnis ſalutis noſtræ.

At poſtquam immortalis ille Joannes 43
Goia, ſive ut alii Flavius de Coſia Amalphitanus natus civis Regni Neapolitani antè annos trecentos mirificam Magnetis lapidis virtutem (quæ in eo deliteſcit, ut ferrum hoc lapide contractum continenter in Septentrionem inclinet ac tendat, eamque terræ plagam hac ratione oſtendat) monſtravit, vaſculiſque tam parvi virgulæque, imò acus magneticæ ductu rectum curſum tenere docuit; ex eo tempore, quæcunque ſit Cœli facies, etiam in profundiſſimis tenebris, nautæ acutiſſimè cernunt, & intrepidè omnia maria ſulcant, immenſamque aquarum vaſtitatem feliciter ementiuntur, novaſque perveſtigant terras atque Inſulas: quod quidem adeò difficile non eſt, cùm ſcientibus, quâ parte ſit Septentrio & Polus Arcticus, obſcurum eſſe non poſſit, ad dextram eſſe Orientem, ad ſiniſtram Occidentem, Meridiem autem Septentrioni oppoſitam. Tantum inventoris beneficium cunctæ terrarum gentes, quæ fructus inde percipiunt quotidiè uberrimos, pro dignitate minimè æſtimare, quoniam indies evadit ſeipſo majus nedum gratiarum referendarum modum reperire poſſunt. Et patet hinc, quàm ſæpè divina ſapientia per res viles & exigui momenti, ingentes producat effectus cum acicula ferrea Magneti affricta nihil vel pretii habeat vel pulchritudinis, & tamen omnium actionum humanarum maximè ardua & admirabilis, videlicet navigatio inde dependet. De hac Pyxide Nautica ſive Magnetica tote Orbe celeberrima, & quâ humanis uſibus & commodis, vix aliquid excellentius excogitari obtigit, ita Panormitanus:

Prima dedit nobis uſum Magnetis Amalphis.
Et Guil. Saluſt. Barthas *Hebdomad. libr.3.*
At cur Magnetis tactu lita ſemper ad Arcton
Spectat acus? quæ cauſa ſubeſt, age fare Lucreti,
Si potis? haud meritæ deerunt tibi præmia Laudis,
Jam tibi cum viridem lauri de fronde coronam
Necto decus capiti præſtans, & tu mihi veri
Maximus auctor eris: jam te minor ibit, & ultrò
Ceſſerit Empedocles, cedet me judice victus,
Militiæ qui ſigna tuæ præfert Epicurus
Nec tantùm Ceres alma ſuo, nec münere Bacchus

Per terras hominis vitam juvere merendo;
Quam Melphitani ratio pulcherrima FLAVI,
Qui mancos quid grande diu meditatus in uſus
Hanc Princeps excudit acum, monſtratq; repertor,
Hac ope, per noctem ratibus ſalis arva ſecamus,
Hac pharos, hic hermes, quo tendimus auſpice & oras
Audemus pelago penitus tentare repoſtas:
Hac, cùm navigiis violentior incidit auſter,
Undarum ſuperante ſalo cœliq; ruinâ,
Et caſu varios terrarum allabimur orbes,
Quo tactu, aut quo jactamur ſub ſydere, quantum
Fugerit Æquator, monſtrat nec futilis index.

Et alius novitius Poëta:

Terrarum Pelagiq; vias, Telluris abyſſi
Occultos gyros, abdita jura Poli;
Nobile Naturæ ludentis in orbe theatrum,
Nexibus arcanis una recludit Acus.

Videatur quoque Guid. Pancirol. *in Nov. Repert. titul. 11. de pyxidecula nautica. & ibi* Henric. Sulmuth. *in Notis.* Hieron. Cardan. *lib. 17. de artib. artificioſisq; rebus* (ubi hoc inter cætera rerum inventa admiratione adprimè dignum cenſet. Joſeph. Acoſta *lib. 1. Hiſtor. Indicæ c. 16.* Joann. Mariana *libr. 1. de reb. Hiſpan. c. 22.* Comara *tom. 1. Hiſtor. Indic. c. 10.* Malvenda *libr. 3. de Antichriſto c. 24.* Omnium elegantiſſimè Athanaſius Kircherus *in ſuo opere tripartito de arte Magnet. per tot.* Lilius Gyrald. *de Navigat. cap. 1* Adrian. Turneb. *lib. 20. adverſ. c. 20.* Keckerman. *in comm. Naut. probl. 7.*
44 Camill. Borell. *de Cathol. Reg. præſt. cap. 78. n. 22. & ſeqq.* ubi ex Thoma Bozio *de ſtatu Italiæ lib. 4. c. 1. num. 68.* varias & incredibiles Pyxidis & Chartæ Nauticæ utilitates refert, Petr. Bellonus *obſervat. lib. 2. cap. 16.* Eſtienne Pasquier. *lib. 4. des Recherches c. 22.* (ubi tamen eam jam tempore Ludovici Sancti in uſu fuiſſe probat) Joan. Lud. Gotofred. *in Archontologia lib. 1. fol. 306.* Joan. de Pineda *de rebus Salomonis Regis cap. 15. num. 4. & ſeq. pag. mihi 273.* Quo loci
45 Acum Magneticam apud Phœnices & Judæos ſaltem à Salomonis tempore in uſu fuiſſe ſibi perſuadet, ſequentibus conjecturis.

46 I. Quòd nemo debeat ambigere, Magnetis virtutem & naturam, quâ polum reſpicere natus eſt, perſpectam fuiſſe Salomoni, non minùs quàm aliorum lapidum, herbarum, arborum, rerumque minutiſſimarum naturâ conſtantium. Nam cùm vulgatiſſimam aliam ferri attractricem virtutem, quæ & in magnete, & quæ aliis Philoſophis explorata fuit, oporteat exploratiſſimam fuiſſe Salomoni, ex illa ampliſſimâ atque perfectiſſimâ rerum etiam minutiſſimarum Sapientiâ ſibi divinitùs communicata: quorſum illi Deus alterius tantùm partis ſcientiam inderet, alterius denegaret?

II. Adde, quòd altera facultas eſt 47
cum altera connexa. Cùm enim virtute & affricatione magnetis ita temperetur ferrum, ut polum reſpiciat; oportuit quidem, ut ferrum attractum ita aliquando attingeretur, & temperaretur, ut converteretur experimento.

Accedit III. quòd non longè à mari A- 48
rabico ad Inſulas Calecut eſt magna magnetis copia, ut ſcribit Aloiſius Cadamuſtus *in ſua Navigatione c. 35.* adeò, ut multæ ibi fiunt naves absque ferro, quòd vim magnetis paveant: atque etiam nunc inveniantur in Arabia boni & probati magnetes ruffi coloris: tum præterea in Inſulis maris Erythræi, & nominatim apud illos Arabes Troglodytas, Ægyptiis & Judæis conterminos, ut Evax Rex Arabum teſtatur.

Magnates lapis eſt inventus apud Troglodytas:
Quem lapidum genetrix nihilominus India nutrit.

Quæ autem alii Philoſophi temporis decurſu experimento cognoſcere potuerunt, ea omnia multoque plura divinâ Sapientiâ præventus cognoſcebat Salomon: atque ſi rem magneticam ignoraſſet, potiſſimum ſanè jucundiſſimumque naturæ miraculum ignoraſſet.

Tandem IV. videtur ad divinam provi-
dentiam pertinuiſſe, quòd ea magnetis 49
virtus reſpiciendi polum non eſſet diu mortalibus occulta, quippe quæ data fuiſſet propter mortalium uſum atque navigandi commoditatem, quæ jam inde à primis ſeculis, & à primâ Orbis terrarum inhabitatione frequentata fuit: proptereaque nulla videtur eſſe regio, in qua non reperiatur & naſcatur lapis: voluit enim naturæ author rem maximè oportunam ad humanos uſus maximè etiam communem eſſe & mille ſpecierum atq; generum differentiis variatam Quod ex Plinio & aliis oſtendit Gilbertus *lib. 1. de Magnet. c. 2.* Joannes Camers *in Solini Commentariis c. 65.* apud quos alii.

Denique ſciendum, licitum eſſe naufra-
gii jus, vigore cujus Majeſtas ſibi arrogat bo- 50
na naufragorum; quorum Domini ignorantur. Ea enim dividuntur inter Principem & Inventorem inſtar Theſauri, Beſold. *diſſertat. de jurib. Majeſtat. c. 7. n. 7. fol. 177.* Et ſi ſint navigia, quæ piraticam exercent, & Chriſtiano nomini inimica, tunc meritò cadunt in commiſſum, & ad Dominum pertinent, uti ſuprà dictum eſt.

ANNO-

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT CXIV.

Num. 1.

(1) A*Nglia &c.]* In Anglia quicquid è naufragio ad terram appellitur, ex Lege quapiam veteri Normannica, Fiſco cedit & communiter *Wreckum* appellatur; quòd ſi verò animal appellat, facit illud, ut naufragium in *Wrecki* cauſam non incidat, & ut bona, quæ ſervari poſſunt, non fiſco cedant, ſed Dominorum permaneant, ſi infra tempus limitatum vindicentur. Cowell. *Inſtit. Jur. Angl. lib. 1. Tit. 1. §. 7. & in Indice expoſitorio obſcur. Dict. Juris Angl. verbo, Wreckum.* Beuning. *de variis Univerſ. Spec.* θ. 23. Seldenus *de Mari clauſo libr. 1. cap. 7.*

Num. 2.

(2) *Navigationum uſum prohibere &c.]* Junge ſuprà *lib. 2. c. 63. n. 16.*

Num. 4.

(3) *Mare per centum milliaria pertinere ad proximum &c.]* Quod poſt Hieronym. de Monte *tract. fin. regund. cap. 7. n. 13. & ſeqq.* Cacheranum *deciſ. 154. num. 3.* multis Dd. allegatis probat Joh. Georg. Becht *de Secur. & Salv. Conductu n. 75.*

Num. 15.

(4) *Et de Italiæ, Neapolis &c.]* Grœnewegen. *de LL. abrogatis per Hollandiam ad tit. C. de Naufragiis,* ſcribit: In Gallia, Anglia, Hiſpania, aliisque ferè totius orbis regionibus tanta regnat animi inclementia, ut fiſcus in rebus tam luctuoſis compendium ſectetur, & in aliena calamitate atque naufragorum bonis inveteratâ conſuetudine indiſtinctè Jus habeat vindicationis &c. Memorabile hujus Juris exercitii exemplum nobis ſuppeditat Gramondus *Hiſtor. Gall. lib. 16. pag. mihi 716. & 717.* quando narrat, quomodo ineunte Anno MDCXXVII. perierit naufragio ad maritimas Aquitaniæ plagas claſſis Indica, quæ maximas opes ab Orbe novo in Hiſpaniam importabat; & quomodo alteram ex duabus Onerariis Navibus (*Carracas* vocant) quibus univerſæ merces vehebantur, diu obluctata ventis & pelago, ad Buchii promontorium (*Cap de Buch*) ſcopulo illiſa poſtridie naufragium fecerit; & quomodo Dux Eſpernonius, feudi Jure Dominus promontorii Buchienſis, audito naufragio Burdigalâ huc citò rapiebatur, merceſque enatantes cymbis exceperit, ſubmerſas, neque penitùs corruptas aquâ, per Urinatores collegerit, tanto proventu, ut fama conſtans fuerit, rem ipſi familiarem ex fortuitâ prædâ in duplum auctam; tandem concludens: *Jure id an injuriâ factum pro variis affectibus variè dicebatur. Erant, qui ad Regem incrementa ejuſmodi ſpectare affirmarent, ad quem unum marium Regni ſui dominia pertinent, quod propius eſt vero: Alii proprietariis merces reſtitui oportere contendebant non adeò interverſa poſſeſſione, quin capſulis manerent adhuc ſigilla impreſſa, queis diſtinguebantur. Certè naufragio mutatur poſſeſſionis titulus, defendiq; poteſt opinio, quæ maris littora communia omnibus faciens primo occupanti res in littore inventas attribuit.* Hæc ille, cui omninò *quoad* defenſionem hujus Juris tradita à Bodino *libr. 1. de Republ. cap. 6. pag. 170. & 171.* Argentræus *ad Conſuetud Britann. artic. 56. Gloſſ. 1. numer. 45.* Rebuff. *ad Conſtitut. Reg. Proœm. Gloſſ. 5. numer. 54.* ubi Principes naufragorum, præcipuè verò mercatorum pro communi bono laborantium) merces occupantes, in foro conſcientiæ excuſatos hanc Galliæ conſuetudinem reddere negat. Aliive ab Arniſæo *de Jur. Majeſtat. lib. 3. cap. 6. numer. 19.* allegati adverſantur. Qua verò occaſione Bogislavus hujus Nominis X. Pomeraniæ Dux morem, ut naufragorum bona à fiſco apprehenderentur, olim in Pomerania uſitatum quoque abrogaverit, vide apud Micrælium *in Pomeranicis,* & Gothofred. Engelhart *de Jure Vectigal.* θ. 24.

Num. 17.

(5) *Sic & Lege Rhodia &c.]*. Hanc explicantes quæſo conſule, Peckium *de re nautica,* & J. Gothofredum *de Imperio Maris & de Jure naufragii colligendi.*

Num. 18.

(6) Bergegeld &c.] Item Bergelohn/ quod præmium quoddam eſt dari ſolitum iis, qui bona naufragorum collegerunt, futuriſque dominis repoſcentibus aſſervarunt. De quo & ſimilibus Dn. Stipmann. *de J. Naut. libr. 2. cap. 4. num. 141. & ſeqq.* & ex eo Dn. Marquard. *de Jur. & Priv. Mercat. lib. 2. cap. 4. num. 14. ſeqq.* Gryphiander *Oeconom. Legal. l. 1. c. 20. n. 13.* ubi in antecedentibus Urinatorum exempla aliquot refert.

Num. 19.

(7) *Si anno & ſex ſeptimanis &c.]* Aſt tunc tanquam bona adeſpota fiſco cedere in Belgio, multis authoritatibus firmat Grœnewegen *d. loc. num. 1.*

Num. 35.

(8) *Pompejum adverſus Piratas &c.]* Vide ſuprà *lib. 2. c. 88. n. 12.* (2) & Plutarchum in vita Pompeji *Tom. I. Oper. pag. 631. & 632.*

Num. 37.

(9) *Quod olim Alexandro M. quærenti &c.]* Eleganter & veraciter, dicente Auguſtino *de Civitate Dei lib. 4. cap. 4. pag. m. 392.* Alexandro illo Magno quidam comprehenſus pirata reſpondit. Nam cùm idem Rex hominem interrogaſſet, quid ei videretur, ut mare haberet infeſtum? ille liberâ contumaciâ, quid tibi, *inquit*, ut Orbem terrarum? Sed quia id exiguo navigio facio, latro vocor: quia Tu magnâ claſſe, Imperator. Et ex Cicerone *3. de Rep.* Nonius Marcellus, Cùm quæreretur, ex eo, *inquit*, quo ſcelere impulſus mare infeſtum haberet uno myoparone, eodem, inquit, quo Tu Orbem terræ. Aliàs ad Alexandrum illum miſſus Scytharum Legatus apud Q. Curtium *lib. 7. cap. 8.* dicit: At Tu, qui gloriaris ad latrones perſequendos venire, omnium gentium, quas adiiſti, latro es &c.

Num. 40.

(10) *Biantis dictum &c.]* Quod & in ſuperioribus allatum.

CAPUT CXV.

De Rebus furtivis & inventis.

SUMMARIA.

1. *In* furtivas res *non poteſt Magiſtratus manum injicere.*
2. Statuto *vel* conſuetudine *induci nequit, ut* furtivæ res *Judici committantur.*
3. *Id quod noſtrum eſt, ſine facto noſtro, ex* dominio *noſtro exire non poteſt.*
4. Furtivæ *rei vetitum eſt dominium.*
5. *Res* furtivas *quomodo Magiſtratui occupare liceat?*
6. Officialis *quidam furti prætextu hominem ob* D. *aureos ad patibulum iniquè condemnat.*
7. *Jure Saxon. Judex* rem furtivam *ſervat per annum & diem.*
8. Inventorem *rei alienæ, rem totam Judici tradere, iniquum.*
9. *An emens* rem furtivam, *illam absque reſtitutione pretii, verò Domino reſtituere teneatur?*
10. Plauſtro *caſu everſo homo necatus.*
11. *Quod contra* juris rationem *receptum, non eſt producendum ad conſequentias.*
12. Conſuetudo *ſine veritate, vetuſtas erroris dicitur.*
13. Albinagii jus.

Quæ fortuna rei furtivæ, quæque ſit ejus.
Quæ fuit inventa, heic noſcere cuique licet.

INter alia πλεονεκτήματα, quæ avari Judices
& quæſtores indies exercere ſolent, haud
poſtremum eſt illud, quòd non ſolùm fu-
res captos omnibus bonis illicò exuunt
& ſpoliant, rogantes, num & alibi bona
rapta condiderint vel abſtruſerint, ſed in-
ſatiabili avaritiâ illecti bona eis adempta, ne-
ſcio quo honeſto juris prætextu, & Statuto-
rum vel Conſuetudinum plauſibili ſpecie,
ſibi ipſis adſcribunt, & pro juſtiſſima poſſeſ-
ſione ea omnia ad proprios uſus attribu-
unt.

1 Vero autem verius eſt, Res Furtivas a-
pud furem deprehenſas, Magiſtratibus ſub
prætextu commiſſi Ærario addicere, & ea-
rum Dominium proprietate ſuâ privare nõ
licere, ac aviditatem concupiſcentiæ Offici-
alium refrænari & per legitimos tramites
conſtringi debere, Coler. *deciſ.146.num.4.
& 5.part.1.* Knichen. *de Jure Saxon. verb.
Ducum. c.5.num.140.* Zobel. *part.4. differ.
Jur. Civil. & Saxon. cap.36 numer.11.* Kni-
chen. *de Saxon. Privileg. prov. neſc. d. cap.5.
num.144.* Virgil. Pingizer. *quæſt. Saxon. 29.
per tot.* Cujus deciſionem verbotenus re-
ferunt Conſultat. Saxon. *lib. 1. quæſt. 163.
per tot. in Edit. noviſſima Frideri Mindani,*
ubi multis operosè probant, res furtivas fu-
ribus ablatas non poſſe Fiſco vel Ærario
per ſtatutum vel conſuetudinem applicari.
Adeò, ut nec ſtatutum, nec conſuetudo in 2
contrarium valeat, ut ſcilicet res furtiva Ju-
dici quaſi in commiſſum cadat. Land-Recht
lib.2. art.25 Reichs-Abſchied de Anno 1559
§. Und nachdem P. H. O. Carol. V. *art.218.
§.1.*

Neque enim ſine facto noſtro, quod no- 3
ſtrum eſt, ex noſtro dominio exire poteſt, *l.
traditionibus. ff. de pact. l. alienum. C. de furt.*
Et quamvis poſſeſſio rei furtivæ & vi poſſeſſæ
acquiri poſſit, non item tamen ejus domini- 4
um poteſt. Vetitum namque dominium,
etſi non vetita poſſeſſio, Alberic Gentil *lib.
1. Hiſpan. Advocat. c.22. pag.22.* Non eſt qui- 5
dem improbandum iſtorum Magiſtratuum
inſtitutum, qui res apud furem inventas oc-
cupant; ob id, ne, ſi paſſim vindicandi jus eſ-
ſet, per fraudem ad alienos Dominos aber-
rent: verùm ſimul atque conſtaret, cujus eſ-
ſent, tum illi reſtituerentur: Aſt, ut velut rem 6
propriam non prætorio, ſed prædario jure
retineant, ac ſi ex hæreditate paternâ obve-
niſſet, impium deteſtandumque. Quo no-
mine haud absque infamia notat Officialem
quendam Conrad. Heresbach. *de Republ.
Chriſtian. adminiſtr. c.19.* quòd pecuniæ cu-
pidine hominem, quingentos aureos penes
ſe deferentem, comprehenſum, furti inſimu-
latum, eo prætextu ſuſpenderit, ut pecunia,
tanquam res furtiva Præfecto loci cederet.
Commoda hæc occaſio viſa fuit improbita-
ti, juxta veriverbium: Facilè fuſtem invenit,
qui cupit cædere canem. O rapacitatem
plusquam Verrinam! De jure Saxonico Ju- 7
dex rem furtivam ſervat per annum & diem,
& Domino intra illud tempus petenti reſti-
tuit; Komt er aber in Jahr und Tag nicht/ ſo
kehrts der Richter in ſeinen Nutz/ *per artic.25.
& 31.* Land-Recht *lib.2.* Schneidevvin. *ad §.
ult. n.8. Inſtitut. de obligat. ex delict.*

An verò emens rem furtivam, illam,
absque pretii reſtitutione, vero Domino re- 8
ſtituere teneatur, licèt bonâ fide emerit?
non inconcinnè quæritur. Et ſanè quem-
admodum Judex cogitur reſtituere rem
furtivam vero ac proprio Domino: Ita
quoque emptor tenetur ad reſtitutionem
rei furtivæ, citra ullum pretium, aut ejus
ſolutionem. Itaque non ſolùm in malæ,
ſed etiam bonæ fidei emptore locum habet,
per text. *in l. incivilem C. de furt. & l. ſi man-
cipium. 23. C. de rei vindic. l. ſuper empti. 16.
C. de evict.* cum quibus concordat Caroli
V. Conſtitutio Criminal. *cap.208. & c.210.
& 214.* Jus Saxonicum Land-Recht *libr. 2.
artic.36.* Pinziger. *dict. quæſt.9 n.37. & ſeq.*
ubi ſubjungit hanc quæſtionem; Num, ſi
rei

rei furtivæ emptor in alium eam rem diſtraxerit, ignorans eſſe furtivam, an ad pretium per Dominum rei furtivæ conveniri poſſit? Eamque negativè decidit, quia pretium comparatum ex re furtiva non eſt furtum *l.ſi vas ff.de furt.* Deinde Dominus rei furtivæ nullam habet actionem contra emptorem & bonæ fidei poſſeſſorem: (1) Non habet civilem ex contractu quodam, quia bonæ fidei poſſeſſor cum domino non contraxit, ſed cum fure; (2) Non habet criminalem, quia bonæ fidei poſſeſſor non deliquit: (3) Non habet vindicationem; quia bonæ fidei poſſeſſor ampliùs non poſſidet, nec fraudatur re ſuâ. Poteſt enim vindicare rem ſuam à ſecundò emptore. Nec juvat Dominum, ſi dicat, emptorem primùm poſſe convenire furem, à quo emit, actione de evictione, quia hæc Exceptio retorqueri poteſt in Dominum, ut videlicet ipſe furem conveniat, juxta §. *quodam Inſtit. de furt.* Dominus tamen contra emptorem, qui rem furto ſubtractam ab hoſtibus vel latrunculis exteræ nationis emerit, actionem non habet; nec poteſt rem recipere, niſi reſtituto pretio. Hoc enim caſu videtur emptor negotium Domini utiliter geſſiſſe, ejus rem ab hoſtibus, vel latronibus peregrinis redimendo, ita ut actio negotii geſti competat adverſus Dominum, per *l. 1. ubi Dd. ff. de negoc. geſt.* Ideoque valdè æquum eſt & pium, ut Dominus non poſſit rem repetere, niſi ſoluto priùs pretio emptori, text. eſt *in l. mulier. 6. ff. de captiv. & poſtlim. reverſ.* Ex quo textu Dd. colligunt, emptorem rei alienæ pretium conſequi, non obſtante *l. 1. C. de furt.* dummodò proteſtetur ſe eo animo emere, ut eam vero Domino aliquandò reſtituat. *Et notat ibidem Gothofred. in lit. o.* (1)

9 Maximus quoque Abuſus uſurpatur in rebus inventis, Land-Recht. *libr. 2. art. 27.* & ibi gl. Dd. uno ore *in §. fin. Inſtit. de R.D.* Covarr. *in c. peccatum p. 3. §. 1. n. 2. de R. J. in 6.* Coler. *deciſ. 146. n. 4. p. 1.* Paulus Chriſtinæus *Comment. in Leg. Municipal. Mechlinienſ. artic. 54. fol. 201.* ubi tradit, eum, qui bona peregrinorum, vel quorum dominus ignoretur, invenit, *teneri indicare Magiſtratui.* (2) Nam ſi quis ea celaret vel detineret ſine denuntiatione; non ſolùm ad reſtitutionem eorundem teneretur, ſed etiam pœnâ arbitrariâ puniretur. Quæ Statuti diſpoſitio ſatis conformis eſt juri ſcripto, quo in ſimili punitur celans vel occultans rem alienam & ad alium pertinentem. Et *num. 4. ibidem* probat, rem inventam *non poſſe retineri pro pretio inventionis*; (3) Poſt Public. *in conſuetud. Avern. tit. 26. art. 6. n. 7.* Boer. & Chaſſanæum.

Alicubi pravâ etiam conſuetudine introductum eſt, ut aurigæ, qui plauſtro rhedâve mercibus oneratâ forte fortunâ everſâ hominem occiderit, equi, plauſtrum, & quas vehit merces Fiſco applicentur, contra omnem juris & æquitatis rationem; Niſi quòd prætexunt, aurigas ob pœnæ metum cautiores reddi. Verùm quod contra juris rationem receptum, non eſt producendum ad conſequentias. Et conſuetudo ſine veritate vetuſtas erroris dicitur, *c. conſuetudo 8. diſtinct. 8.* Ex qua ratione generali Carolina conſtitutione *d. artic. 218. §. 2.* huic corruptelæ, ut & cæteris derogatum eſt, Dn. Goldaſt. *tom. 3. conſtit. Imper. fol. 559.* 10 11 12

Quibusdam in locis peregrinorum & advenarum *bona, ſi inteſtati decedant*, (4) Principes ac Magiſtratus iniquâ conſuetudine occupant, *& bonorum pupilli fructus* (5) ſuos faciunt: De quo dictum eſt *capite 58.* 13

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT CXV.

Num. 8.

(1) UT *notat ibidem Gothofredus &c.*] Confer hæc confirmantem Sigism. Finckelthauſ. *Obſerv 57.* Moller. *3. ſemeſt. quæſt. 10.* Carpzovium *J. P. F. parte 4. Conſtit. 39. defin. 7.* Frantzkium *lib. 2. var. reſolut. quæſt. 9.* ubi *præter proteſtationem* & alias limitationes, ob quas pretium b. fidei Emptori reſtituendum, adfert & examinat, tandem concludens intelligendam Concluſionem demum ſi quando integer aliquis exercitus hoſtilis regionem aliquam occupet, res raptas, & pecora abacta, aliis vendat; extra hunc caſum firmum manere regulam, quòd non obſtante proteſtatione, Domino rei ſuæ vindicatio etiam abſque pretio in ſalvo maneat.

Num. 9.

(2) *Teneri ea indicare Magiſtratui &c.*] Etenim res caſu amiſſæ prioris Domini manent, *l. 9. §. ult. de A. R. D. §. ult. I. eodem*, hinc ſi fortè ille ignoretur, per denuntiationem vel publicum proclama inveſtigari poteſt, *l. 43. §. 4. ff. de Furtis.* Quod ſi tum non compareat, videtur res pro derelicto habita, quam etiam accedente tempore & bonâ fide uſucapere poteſt poſſeſſor, *pr. I. de Uſucap.* quod Joh. Koppen *deciſ. 9. n. 11.* tum vel maximè obtinere putat; ſi Inventor inops ſit; ſi quando verò dives eam pauperibus erogandam. Jure verò Saxonico in caſu reſtitutionis rei inventæ, (*ut ibid. docet*) ſecus ſtatuitur. Nam inventori tertia pars cedit, reliquum Judici traditur Landrecht *lib. 2. art. 37. & ibi Gl.* Imò ſi in veſte venditâ vel etiam in pala ceræ, (*caſum recitat Author noſter infrà c. 117. n. 16.*) quas quis emit pecunia poſtea reperta ſit occultata, reſtitutioni omninò locum eſſe laudatus Koppen *n. 4. 5. 6.* poſt alios probat. De Reformatione Norimbergenſi *Tit. XXVI. Leg. 2.* ſi poſt denuntiationem in locis ubi res inventa ex ſuggeſtu poſt iteratem proclamationem, certus Dominus

Dominus rei amiſſæ & aut vicinia eorum inventæ haud reperiatur, Inventor, res inventas, Magiſtratui tradere obſtrictus eſt, qui pro circumſtantiis, vel ut Inventori eæ reſtituantur, vel ut alios in uſus convertantur, curabit.

(3) *Non poſſe retineri pro pretio inventionis &c.*] Si vel maximè, utut honorarium ultrò oblatum pro re inventa honeſtè accipiatur, attamen pretium turpiter petatur, quod d. Koppen *in fin. d. deciſ. ex l. 43. §. 4. ff. de furtis. & ibid. Bartol. n. 6.* probare intendit.

Num. 34.

(4) *Bona ſi inteſtati decedant &c.*] Quod Jus in Gallia, *Albinagii Jus*, vocant, ut ſuprà *lib. hoc 2. c. VIII. n. 1. (1)* dictum.

(5) *Bonorum pupilli fructus &c.*] Confer hujus *libri caput 2. cap. 61. & libri 1. cap. 8. n. 5. & 8.* (12) (13) (14)

CAPUT CXVI.

De Theſauro & re pro derelicto habita.

SUMMARIA.

1. Theſaurus *inventus cui cedat?*
2. Theſauri *deſcriptiones variæ*, & n. 3.
4. *Theſaurarii quinam dicantur?*
5. *Theſaurus, vetus depoſitio pecuniæ, & depoſitiva pecunia.*
6. *Theſaurus fortunæ donum, aut rectius Domini beneficium dicendum. Inventori cedere defenditur*, n. 7.
8. Nerva *Imperator utendum Theſauro, quem inveneris reſcripſit. Imò abutendum*, & n. 9.
10. Theſauri *hodiè ex conſuetudine debentur inventi Regib. & Principibus.*
11. Exempla Regum *in hanc rem citata.*
12. Inventori *quantum ex theſauro?*
13. *De* inventione theſauri *quid jura ſtatuant?*
14. *In fundo empto* Theſaurus *inventus quando emptoris eſt? quando non eſt?* & n. 15. *illuſtratur emptio*, n. 16.
17. Theſaurum *inventum in fundo feudali & Emphyteutico, totum Vaſallus lucratur & Emphyteuta, quod modificatur*, n. 18.
19. Theſaurum *inventum in fundo alieno quis acquirat?*
20. *Quid de reperto theſauro* in fundo dotali.
21. Theſaurus *in loco Cæſaris inventus cujus ſit?*
22. Theſaurus *in loco ſacro inventus cui cedat?* & n. 23.
24. Theſauri *vomeris ictu profundiores reperti, ad quem de jure*, & n. 25.
26. Theſauri *inventor jurato tenetur indicare, quantum invenerit.*
27. Inventus theſaurus *invito fundi Domino cujus ſit de jure?*
28. Theſaurus *inventus magicis artibus totus Fiſci erit : Pœnas dabunt inventores malefici*, num. 29.
30. *De jure* theſauri *inventi plures auctores legendi indicantur.*
31. Hiſtoria *curioſa & jucunda de theſauro in Bohemia à Monachis ſcrupuloſè cuſtodito, & tamen Cæſari prodito.*
32. Res *habitæ pro* derelicto.
33. Animalia oberrantia, *ut equi, boves, vaccæ, & ſimilia, cui debeantur & applicentur*, & num. 34.
35. Fiſcus *quandoq; dicitur burſa malè acquiſitorum.*
36. Lex à Moyſe data *quoad oberrantia animalia.*
37. Edicta *quomodo fiant, quoad animalia oberrantia?*
38. Animalium *oberrantium Dominus ſi repertorem invenerit, quid facere debeat, & an expenſas erogatas ſolvere teneatur?*
39. Animalia *victu egent, nec vento nutriuntur.*
40. Expenſæ *factæ pro animalibus oberrantibus an, & quomodo ſint probandæ?*
41. Theſaurorum *inventores Feſſæ in Africa.*

Pro derelicto res habetur ſæpius:
Theſaurus invenitur haud raro abditus;
Cui cedat hoc utrumque jure, hîc diſcitur.

Aliud.

Collige theſauros, quos nulla ærugo peredit,
Nec tineæ, nec quos fur malus abripiet.

THeſaurus inventus cui cedat, ex variis diſtinctionibus patebit. Et primò quidem theſauri vocabulum ex ſua etymologia, quæ vera eſt ἀπὸ τοῦ τίθεσθαι εἰς τὸ αὔριον, (1) hoc eſt, reponendo in craſtinum, non verò quaſi θέσις ἀύρου, ut præter literaturam Græcam cenſet M. Ant. Petilius *Exarch. lib. c. 18.* Generalius eſt & latioris ſignificationis: Sic enim accipitur pro quavis pecunia & re mobili, quam quis vel cuſtodiæ causâ in agris defodit, *l. peregre 44. princ. ff. de acq. vel amitt. poſſeſſ. l. theſaurus 15. ff. ad edend.* (qui mos defodiendæ pecuniæ, ut Euclioni Plautino *in Aulular.* tutiſſimus uſus; ita minùs rationabilis eſt, Camill. Borell. *de cathol. Reg. præſtant. c. 27. num. 68. & ſeqq.*) vel præſidii causâ ſeponit, quem privati patresfamilias γνωρισμὸς hoc eſt, diminutive peculium dicunt, *l. ſi chorus 79. ff. de leg. 3. cogi poterit. 16. princ. ff. ad SC. Trebell.* communiùs verò theſaurus vocatur, Schatz oder Vorrathgeld. In hac ſignificatione Chriſtus *Matth. 6. v. 21. & Luc. 12. v. 34.* dicit, *ubi theſaurus veſter, ibi & cor veſtrum, theſaurum vobis in cœlis reponite.* Sic Paulus *2. Cor. 12. v. 14. Parentes*, inquit, *filiis theſauros colligunt.*

In Regum etiam, Principumque, nec non aliarum Rerumpublicarum ærariis, præſidii causâ opes, quæ colliguntur & aſſervantur, Theſauri adpellantur, de quibus latiùs Camill. Borell. *d. cap. 27. n. 73. & ſeqq.* Et Jacob. Bornit. *de ærar. lib. 10. cap. ult.* qui hos theſauros ſacratiori ærario, à quo commune diſtinguit, adſervari teſtatur, ejusque modum certum ſervari debere contendit, cum Thoma Moro *in Utopia ſua lib. 1. circa fin.* ubi hanc Macarenſium ſuo-

ſuorum legem eſſe deprædicat. Et hos qui-
dem Theſauros Regios in ponderoſiore
maſſa quàm effigiatis nùmis recondi, tu-
tius eſſe cenſet Danæ. *Polit. l.3.c.3.* prodi-
gioſo furto in Rhampſiniti Regis Ægyptii
ærario commiſſo, quod Herodotus in *Eu-
terpe ſua ſeu Hiſtor. libr. 1.* recēſet, commone-
factus. Vide me *ſuprà cap. 1.*(2)

4 Ab hac theſauri regii vel rerum publi-
carum appellatione Theſaurarii, ratiociniis
& quæſturæ theſaurorum præpoſiti, deno-
minantur, quorum libris quid quantum-
que credatur, noviſſimè poſt alios perſe-
quitur Nicol. de Paſſer. *tract. de ſcript. pri-
vat. libr. 4. quæſt. rubr. de lib. theſauror.* Ve-
rùm de hoc theſauro, cujus dominus ad-
huc dum ſuperſtes & præſens eſt, nec igno-
ratur, hoc loco à nobis diſceptationem lon-
giorem inſtitui, præter animi ſcopum non
vacat. Talis enim theſauri inventio, da ei-
ner was findet / ehe und bevor es der ander ver-
lohren hat / adeò nulla eſt, ut contrectatio-
nem fraudulentam & furtum ſapiat, *d. l.
Theſaurus 15. ff. ad exhib. l. à tutore 67. ff. de rei
vindic. l. nunquam 31. in fin. ff. de acq. rer. do-
min.* M. Anton. Petil. *d. c. 18. in fin. Colleg. Ar-
gentorat. ad Digeſt. l. 41. tit. 1. num. 47.* proin-
deque illi, qui pecuniam aliquam theſaurum
eſſe adſerit, onus probandi incumbit, Re-
gner. Sixtin. *Conſil. Marpurg 13. n. 23. vol. 1. &
lib. 2. de Regal. Cult n. 11. per plura alleg.*

5 Nos ſaltem hîc diſquirimus de eo the-
ſauro, qui in *l. nunquam 31. ff. de acquir. rer.
domin. & l. unic. C. de theſaur.* definitur, ve-
tus quædam depoſitio pecuniæ vel mobi-
lium, cujus non extat memoria, ut jam do-
minum non habeat: à Caſſiodoro *lib. 6. e-
piſtol. 3.* depoſitiva pecunia appellatur, quæ
longâ vetuſtate competentes Dominos a-
miſit; quæ poſterior definitio magis pro-
batur. Quas definitiones eleganti verſi-
culo Virgiliano illuſtrat, ex iisque tria veri
theſauri requiſita demonſtrat Sixtin. *d. conſil.
13. n. 24. & ſeq.* Et quidem theſaurus, cùm
6 *fortunæ donum* à Tryphonino JCto *in l.
ſi is, qui in aliena 63. §. 1. ff. de acq. rerum dom.*
ſeu rectiùs *Dei beneficium* dicatur à Leone
Imperatore *in d. l. unic. C. de theſaur.* optimâ
ratione inventori cedere defenditur per
plures rationes ab Henningo Arniſæo *de
Jur. Majeſt. lib. 3. c. 6. num. 22.* adductas. Petr.
Barboſa *in l. 8. §. ſi fundum. ff. ſolut. matrim.*
ubi dicit, ad hoc, ut propriè theſaurus di-
catur, duo copulativè requiri; primò, quòd
non extet memoria temporis, in quo theſau-
rus fuit reconditus: ſecundò, quòd ignore-
tur, quis ſit illius dominus. Gutierez. *tractat.
7 de tutel. p. 3. c. 26. num. 3.* Ideòque ei cedit (in-
quit Ludovic. Molina *lib. 1. de Hiſpan.
primogen. 23. num. 4.*) cui Deus donum hujus-
modi conceſſit, & cujus tempore potiùs,
quàm alio theſaurum inveniri voluit. Atque
hæc ſententia multorum Imperatorum, vel
immanis *Scythæ Tamerlanis* (3) calculo
comprobata eſt. Unde & Nerva reſpondiſſe 8
Attico Herodis patri ſcribitur; Cùm enim is
ingenti theſauro invento hanc ad Imperato-
rem Epiſtolam miſiſſet, Theſaurum domi
meæ, Imperator, reperi, quid de eo facien-
dum jubes? Nerva reſcripſit: Utere iis, quæ 9
inveniſti, cùmque Atticus non acquieſceret,
ſeque magnitudine inventi ſuperari reſcri-
beret, etiam hoc addidit, abutere igi-
tur invento, quod tuum eſt. Quamvis con-
ſuetudo ab hac ſententia divortium fecerit.
Idem Arniſæus *ibidem num. 23.* quâ conſue- 10
tudine hodiè ferè totius Orbis theſauros ad
Reges & Principes pertinere, dicit Farinac.
*in ſua praxi & Theorica criminal. tit. de var.
& diverſ. quæſt. q. 104. inſpect. 1. num. 32.* Ar-
niſæ. *d. c. 6. num. 23.* ubi refert, *Richardum Re-* 11
gem Angliæ (4) armis inſecutum fuiſſe No-
bilem quendam ſibi ſubjectum, quòd The-
ſaurum in proprio fundo repertum ſibi tra-
dere negaret. Sic & Gothorum Reges the-
ſauros ſibi vindicarunt, Cujac. *libr. 9. obſerv.* 12
32. Et *apud Hiſpanos* (5) lege Regiâ conſtitu-
tum eſt, ut quinta tantùm pars inventori
relinquatur, reliquæ in Fiſcum cogantur. Et
portionem ex theſauris in fiſcum redire, rati-
onis eſſe contendit Jacob. Bornit. *de ærar. lib.
3. cap. 9.*

Jura de Inventione Theſauri quid ſtatu- 13
ant, his tribus obſervatis (1) ubi? (2) quis?
(3) quomodò invenerit? manifeſtius con-
ſtabit. Et quidem in proprio fundo vel
prædio, (urbanúmne vel ruſticum id ſit,
hîc perinde eſt) quem quis theſaurum inve-
nerit, vel fortuitò, vel conſultò & datâ o-
perâ, totum ſibi acquirit, *d. l. unic C. de theſ.
etiam per ſervum. d. l. ſi is, qui in aliena 63.
princ. ff. de acq. rer. dom.* Colleg. Argentorat.
d. loc. num. 48. Ideò enim fit totus illius, qui
invenit, quòd non alterius ſit, cùm ſit de nu-
mero eorum, quæ jure gentium non fue-
runt diviſa, & fiunt primò occupantis, au-
thore Thomâ (*2.2. quæſt. 66. art. 5. Ad ſecun-
dum,*) dicente, gemmas inventas in littore
non eſſe in bonis alicujus, & occupanti con-
cedi, idem eſſe de theſauris antiquo tem-
pore ſub terra occultatis. Quocirca ſicut
Principi hodie non conceditur, gemmas &
lapillos, quæ in littore inveniuntur, ſibi ap-
plicare, cùm ſint inventoris; ita non poterit
auferre theſaurum invenienti, cùm reman-
ſerit jure gentium indiviſus & occupanti
concedatur, Petr. Barboſa *in d. § ſi fundū n. 49.*
Cui conſequens eſt, cùm venditor & emptor
inter ſe agat, ut emptoris fiat rei venditæ do-
miniū, *l. pen. § fin. ff. de contr. empt.* Unde Mar-
tialis *lib. 2. Epigr. 10.* de Paulo jocatur hoc
verſu:

Nam quod emis, poſſis dicere jure tuum. 14
& emptoris ſit theſaurus in fundo empto
repertus, per text. expreſſ. *d. l. à tutore. 67. ff.
de*

de rei vindic. A tutore pupilli (*ait Scævola*) domum mercatus, ad ejus refectionem fabrum induxiſti, is pecuniam invenit, quæritur, ad quem pertineat? Reſpondi, ſi non theſauri fuerint, ſed pecunia forte perdita, vel per errorem ab eo, ad quem pertinebat, non ablata, nihilominus ejus eam eſſe, cujus fuerat: eamque communem, contra aliorum opiniones eſſe teſtatur Sixtin. *de Regalib. d. c. ult. n. 44.* Menoch. *conſil. 649. vol. 7.* Joan. Baptiſta Coſta *tract: de fact. ſcient. & ignor. cent. 3. diſtinct. 60.* Barbos. *in d. l. 8. n. 38. ff. ſolut. matrim.* Farinac *variar. quæſt. 104. num. 1.* Nec rationes deſunt: Nam ut læſus dicatur venditor, tempus contractûs inſpiciendum eſt, *l. ſi voluntate. C. de reſcind. vendit. l. 3. §. Divi fratres. ff. de jure fiſci.* Præſupponitur autem tempore contractûs celebrati Theſaurum defoſſum eſſe, nec de eo quicquam conſtare: læſus itaque venditor dici non poteſt. Privatio quippe præſupponit habitum, & juſta ratione reprehenſi ſunt *Brutus & Manilius*, quod putarint, eum, qui fundum longâ poſſeſſione ceperit, etiam theſaurum cepiſſe, quamvis neſciat in fundo eſſe. Nam veluti Paulus JC. dicit *in l. poſſideri 3. §. Neratius ff. de acquic. poſſeſ.* is, qui neſcit, non poſſidet theſaurum, quamvis fundum poſſideat. Aliud eſt, (inquit D. Bernhard. *ſermone 23. ſuper. Cantic.*) multas divitias ſcire, aliud poſſidere. Nec notitia divitem facit, ſed poſſeſſio. Præterea omne incommodum poſt perfectam emptionem ad emptorem pertinet, *l. 8. ff. de peric. & commod. rei vend.* Pertinebit itaque & commodum ad eundem. Hinc quod poſt emptionem fundo accreſcit, ad emptoris commodum ſpectare, ait Paulus JCt. *in l. 7. ff. eod.* bellè Auguſtin. ad Macedon. Hoc certe, ait, alienum non eſt, quod jure poſſidetur: Et conſequenter nullâ ratione in partem inventi theſauri, ut vocaret venditorem, cogi poterat. Atque hanc ſententiam ipſa vox veritatis Chriſtus, aliud agendo, in parabolica ſua doctrina comprobare videtur, licet emens non ignoret theſaurum ibi eſſe defoſſum, *Matth. 13. verſ 44.* Heig. *libr. 1. quæſt. jur. q. 13. numer. 62.*

15 Quæ tamen omnia de vero theſauro, de quo nobis hoc loco quæſtio eſt, intelligenda ſunt. Alia enim pecuniam reconditam & tempore belli vel aliàs muro incluſam à venditore vel ejus parentibus, quæ etiam in latiori ſignificatione theſaurus dici poteſt, ut ſuprà demonſtratum, non lucratur emptor, *per text d. l. à tutore. 67. ff. de rei vind.* Camill. Borell. *d. cap. 27. num. 45. & ſeqq.*

Et quidem elegans ejus rei exemplum
16 de pecunia ceræ incluſâ & à filio ejus, qui incluſerat, inſcio unà cum cera tradita ex Jaſone ponit Schneidevvin. *in §. theſauros. n. 4. Inſtit. de rer. diviſ.* Quidam Genuenſis mercator (ait Jaſon. *in d. l. 3. §. Neratius. num. 7. ff. de acquir. poſſeſſ.*) veniens ex Hiſpania detulit ſecum in navi certam quantitatem ceræ, & in una pila ceræ reconditi erant I V M. Ducati, Mercator deceſſit, Filius ejuſdem vendidit ceram alii mercatori, qui eam ſpatio trium annorum tenuit & ultra, qui deinde eam vendidit Aromatario: Hic demum pecuniam in cera invenit: quærebatur, cujus eſſet talis pecunia? Et concludit Jaſon. per *d. l. à tutore,* quòd pecunia hæc nomen theſauri aſſumere non poterat, *l. nunquam. §. theſaurus ff. de A. R. D.* & filius primi mercatoris eam in cera eſſe ignorabat, ideò ad eundem pertinebat, *d. l. à tutore ff. de R. V.*

Qui verò utile dominium in fundo habet, quoad theſaurum inventum, præfertur dominium directum habenti. Sic Va- 17
ſallus & emphyteuta in fundo feudali vel 18
emphyteutico inventum theſaurum lucrantur totum, ſi ipſi ſint inventores, ſin alius, etiam directus dominus invenerit, dimidium ipſi lucrantur, non dominus fundi vel directus agri emphyteutici. Schneidevv. *ad d. §. Theſauros n. 6. Inſtit. de rer. diviſ.* Regn. Sixt. *d. c. ult. n. 48. Colleg. Argentor. d. l. n. 49.*

In alieno fundo theſaurum qui invenerit, dimidium ſibi, dimidium domino fundi 19
acquirit, *d. l. un. C. de theſaur.* quod etiam pro dimidia parte theſaurum in fundo uſu fructuario inventum, ut alius inventor inventionis jure ſuum facit, alterâ dimidiâ parte ad dominum fundi proprietarium pervenientè, Joan. del Caſtillo Hiſpanus *de uſufruct. c. 37. n. 20.* ubi multos allegat. Schneidevvin. *d. §. theſauros. num. 8. verſ.* Et extenditur Sixtin. *d. c. ult. num. 50. & ſeq.* Dan. Moller. *ad. Novell. Conſt. Elect. Aug. p. 2. Conſtit. ult. num. 6. & ſeqq. & libr. Semeſtr. 4. c. 27.* ubi utrobique in facti quæſtione, de dotalitio viduæ iu fundo fundali conſtituto, in quo theſaurus repertus, reſpondet.

Sic etiam in fundo feudali repertus the- 20
ſaurus à marito, non niſi pro dimidia parte ipſius fit, & pro alterâ dimidiâ uxori reſtituendus, *l. fructus alios divortio 7. §. ſi fundum 12. in fin. ubi Dd. ff. ſol. matrimon.* Sic & Creditori non niſi pro dimidiâ parte theſaurus acquiritur, quem in fundo pignorato invenerit *d. l. ſi is, qui in aliena 63. §. fin. de acquir. rer. domin.* Sixtin. *d. c. ult. num. 53. & ſeqq.* Camill. Borell. *d. c. 27. num. 50.* ſcilicet quantiſper tempus luendi non rit transactum, *d. l. 63. §. 4. de acquir. rer. domin.* Colleg. Argentor. *d. loc. num. 49.* Huic conveniens eſt, ſi quis in loco Cæſaris fiſca- 21
li, publicóve civitatis, Theſaurum invenerit, eum inventoris eſſe dimidium, ac Cæſaris Fiſci & Civitatis dimidium, *d. §. theſauros*

ſaures Inſtit. de R. D. l. 3. §. pen. ff. de jur. fiſci, ubi vocabulum fiſci ad ærarium Cæſaris privatum referendum eſt, per l. 2. §. hoc interdictum, 4. ff. ne quid in loc. public. Et
22 dixi ſuprà *lib. 1. cap. 2.* In loco ſacro vel religioſo inventus ſimiliter pro parte dimidiâ fiſco cedit, *d. l. 3. §. pen. ff. de jur. fiſci.* (6) *Novell. Leon. ſi. 2. feud. tit. 56. quæ ſint regal.* cum quibus juribus textus *d. §. theſauros 40. Inſtit. de rer. diviſ.* minimè pugnat, ſi animadvertamus theſauri adſignationem ſemper ex libidine Imperatorum pependiſſe, Cujac. *9. obſ. 37.* & utrobique tam *in l. 3. quàm d.* §. narrationem totam eſſe hiſtoricam, Duar. *in c. 4. ad tit. ff. de acquir. rer. domin.* ita tamen ut poſteriora Divorum fratrum ſcita, poſteà à Leone & Feudali Conſtitutione Friderici confirmata, remanſerint. Alios *d. l. non intelligitur 3. §. ſi in locis pen. ff. de jur. fiſc. & d. §. Theſauros. Inſt. de R. D.* intellectus, interpretationes, atque operoſas conciliationes Accurſii, Cantiunculæ, Vulteji, Peregrini, Farinacii, Loanetti, Fornerii, Gilkenii, Heigii, Barboſæ aliorumque Neotericorum latè recenſet & acutiſſimè refellit Nicol. de Paſſeribus JC. Patavinus excellentiſſimus *part. 2.* conciliat. leg. in jure Civili contrar. *fol. mihi. 665 & ſeqq.* Eum lector conſulat. Non enim ſcripta ex ſcriptis conficienda ſunt.

23 Hodiè cùm loca ſacra & religioſa Eccleſia ſibi vindicet, theſaurus in hiſce repertus Eccleſiæ vel ejus Prælato aut fundi domino erit, Sixtin. *d. c. ult. num. 39.* Peregrin. *de jure fiſc. lib. 4. tit. 2. num. 7.* Schneidevvin. *ad d. §. theſauros numer. 9.* bellè Bapt. Fragoſus *in regimine Reipub. Chriſtianæ part. 1. lib. 3. diſput. 5. §. 2. num. 19. circa fin.* ubi quinque propoſitiones conſtituit. Prima eſt: Theſaurus inventus in fundo proprio ab ipſo Domino, totus eſt invenientis. Si inveniatur in fundo alieno, non de induſtria, ſed caſu, dimidium theſauri conceditur invenienti, & alterum dimidium Domino fundi. Si verò fundus pertinet ad Fiſcum, vel ad civitatem, etiam caſu inventus theſaurus, dividitur æqualiter inter inventorem & dominum fundi, poſt Molinam *tom 1. de juſt. & jur. diſp. 56. verſic. quod ſi theſaurus.*

Secunda propoſitio: Theſaurus caſu inventus in loco ſacro aut Eccleſiaſtico à proprio inventore Prælato, ſeu domino loci, totus fit invenientis, in quo caſu *§. theſauros 40. Inſtit. de R. D.* habet locum, dum ait, indiſtinctè totum eſſe invenientis, quòd ſi inventor fit extraneus, dimidium competit inventori & alterum Prælato, qui fuerit dominus, ſeu adminiſtrator illius loci.

Tertia propoſitio: Theſaurus de induſtria inventus in agro alieno, totus acquiritur domino agri, ſive ſit perſona privata, ſive publica.

Quarta propoſitio: Theſaurus inventus arte magicâ, vel alio modo illicito pertinet ad fiſcum, *l. unic. C. de theſaur.* Molina *d. diſp. 56.* Leſſius *lib. 2. dub. 17. numer. 63.* ubi *numer. 66.* addit, inventi hoc modo in loco alieno dimidium theſauri deberi domino loci, nec privandum ob maleficium inventoris.

Quinta propoſitio. Ubi per conſuetudinem legitimam vel legem pars aliqua applicatur fiſco, in conſcientia illi debetur ante ſententiam. Quando verò inveniuntur in loco emphyteutico, & emphyteuta invenit, illi competit dimidium virtute inventionis, & altera pars, quatenus habet dominium utile; & domino directo ratione proprietatis competit quarta pars theſauri inventi. Dominus verò directus ſi inveniat in agro proprio, cujus alter habeat uſumfructum, totum ſibi acquirit, nihil verò uſufructuario reſtituit. *Hæc ille.*

De jure Saxonico, an omnes theſauri 24
vomeris ictu profundiores ſunt Principis? *in Novell. Conſtit. Elect. Sax. p. 2.* Conſt. ult. deciſum reperies, ubi text. Landrecht *lib. 1. artic. 35.* diſponentem, daß alle Schätze unter der Erden begraben / tieffer denn der Pflug gehet / gehören zur Königlichen Gewalt / ipſe Elector intelligit non de theſauris reconditis, ſed de metallis & metalli fodinis, Petr. Heig. *libr. 1. quæſt. 13. num. 65.* Adde Coler. *deciſ. 100. num. 2.* ubi ait, ju- 25
re Saxonico ſpecialiter receptum eſſe, quòd omnes theſauri ſubterranei profundiùs meatu aratri exiſtentes pertineant ad merum & mixtum Imperium, vel potiùs Regalia habentem, Gœden. *conſil. 2. & 3. per tot.* ſe obtinuiſſe dicens.

Deferre verò ſe nemo cogitur, quòd theſaurum invenerit, niſi pars ex eo Fiſco debeatur, tum enim ſi ſuppreſſerit, inventor cùm altero tanto ſolvere cogitur, *dict. l. 3. §. fin. ff. de jure Fiſci.* Imò verò qui the- 26
ſaurum invenerit, juratò indicare tenetur, quantum invenerit, eumque, qui confeſſus fuerit, ſe theſaurum reperiſſe, & poſtea negaverit, torturæ ſubjici poſſe, reſponſum eſſe teſtatur Dan. Moller. *ad Conſtit. Novell. Elect. Auguſt. p. 2. d. conſt. ult. num. 8. & 9. & lib. 4. Semeſtr. c. 27.*

Et hæc quidem omnia, quæ de inven- 27
tione in alterius fundo dicta ſunt, ita demum procedunt, ſi caſu & fortuitò theſaurus is inventus fuerit, non verò ſi datâ ad id operâ, *d. §. theſauros 40. Inſtit. de rer. diviſ.* vel invito domino fundi, tùm enim totus ad dominum fundi theſaurus pertinet, *d. l. unic. C. de theſaur.*

Artibus autem Magicis (*circa quod* 28
Diaboli frequentes concurrunt luſus) (7) quæſitus & inventus theſaurus etiam in

proprio fundo, inventori Domino fundi adeò nihil prodeſt, ut totus Fiſco vindicetur, *d. l. unic. C. de theſaur. libr. 10.* Coler. 92 *d. deciſ. 100. num. 4.* Camill. Borell. *d. cap. 27. num. 7. & ſeqq.* (ubi etiam *num. 60.* per canes præſtigiatores theſauros quæri poſſe cenſet:) ut & inventores tales pœnas luant hoc maleficio dignas, *l. 7. C. de malef.* Colleg. Argent. *dict. loc. num. 48.* & non tantùm amiſſione inventi, ſed & alio ſupplicio plectantur, *l. un. C. de theſaur. & tot. tit. Cod. de malefic. & mathem.* Arniſæ. *d. cap. 6. num. 23.* *Non tamen idem juris obtinere debuiſſe,* (8) ait Scipio Gentilis *in diſput. ad c. unic. quæ ſint regal. th. 196.* in caſu, quem Collenutius *libr. 3. Hiſtor. Neapol.* refert: Inventa eſt (*ait*) in Apulia ſtatua marmorea, caput circulo redimita ex aurichalco; cui hæc verba inſcripta. KALENDIS MAJIS ORIENTE SOLE AUREUM CAPUT HABEBO: quam captivus Saracenus artis Magicæ peritus Regi Roberto Guiſcardo cùm explicaviſſet (juſſit enim Kal. Majis obſervare punctum in plano terræ, quod umbra de ſtatuæ capite projecta attingebat) magnum theſaurum effoſſo loco reperit, qui in multis expeditionibus ei utilis fuit: Saracenus autem libertate magniſque præmiis donatus eſt.

30 An verò & ſi tertius quis arte Magicâ in alterius fundo theſaurum inveniat, totus is Fiſco debeatur, an verò pro parte dimidiâ Domino fundi, quæſtionis eſt? Et pro poſteriori cum Alciato concludit Sixtin. *dict. cap. ult. num. 34. & ſeq.* quod ſummam rationem habere putamus.

Apprehenſione verò etiam ad hoc opus eſſe, ut theſaurus acquiratur, propugnat Duar. *ad l. 3. §. Neratius & Proculus ff. de acq. vel amit. poſſ.* Camill. Borell. *dict. cap. 27. num. 55.* quod latiùs perſequitur Sixtin. *cap. ult. num. 58. & multis ſeqq.*

Vide quoque de Theſauris, eorumque jure Tractatum ſingularem Caſparis Bitſchii Argentinenſis Anteceſſoris. Petr. Heig. *lib. 1. quæſt. 13. ad fin.* Matth. Berlich. *tom. 2. concluſ. 66.* latè Frecher. *tract. de Dominio cap. 9. num. 97.* Louys Guyon *des divers Lecons tom. 2. lib. 1. cap. penult. & ult. Theophraſt. Paracelſus* (9) *tom. 9. oper. in Philoſophia occulta,* ubi de inveniendis & fodiendis theſauris ſcribit.

31 Denique heîc pulchram Hiſtoriam de Carolo IV. Imperatore ex Wenceſlao Hagecio *libr. 2. Chronic. Bohemic. fol. 23. b. & 24.* ſubnectere & recenſere juvat. Anno MCCCLXXV. (inquit Author in lingua Bohemica, quam latinè reddere allubeſcit.) Carolus IV. Imperator ſelectis triginta duntaxat ex ſervitio ſuo comitibus, Grætzium invectus eſt, & pro dignitate habitus. Quam manè verò, duobus tantùm fidelioribus comitatus, celeberrimum Bohemorum Monaſterium Opatovvicze petiit, clàm omnibus ignotusque intromiſſus, de more cùm ſalutaſſet, nihil magnificum præ ſe ferens, humiliores ubique accubitus quærebat, nihil magis quàm latere ſatagens. Cùmque ſtaturâ inſigniore ſuſpectum ſe nonnihil faceret, ab Abbate eſt de nomine ſtatuque quàm modeſtiſſimè rogatus; cui, facturum, quod peteret, reſpondit; coram duobus conſciis ex ſenioribus Patrum idque in æde ſacra. Abbas prehenſum manu ignotum hoſpitem induxit ad ſeniores duos in adyta; ubi ſic Cæſar, Vos, *inquit,* Tres viri Religioſi, quoniam noviſſe percupitis, Me Carolum Cæſarem Bohemorum Regem agnoſcite; Cui Abbas: ſuſpicatum ſe id quidem non obſcurè, ſed ereptam ſibi ſtupore mentem, cùm præſertim tam modico comitatu adveniſſet. Et quorſum (ait Cæſar) comitatus inſtructior? cùm idcircò huc ventum, ut ſecretiùs vobiscum conferamus: Et quia iſti ſunt ex Patrum numero fidiſſimi, ſecretiorumque præ reliquis ſoli conſcii, aperio me vobis, meique adventûs rationes. Cognoveram à fide dignis, Theſaurum hoc loco ſacro defoſſum aſſervari, quàm maximum pretioſiſſimumque, quem manifeſtari mihi non tam jure meo poſtulo, quàm obnixè rogo & obteſtor; Spondeoque nullâ per me meosque parte quidpiam tacturum violaturúmve, conſpicari tantùm volupe mihi erit & perjucundum. Qua oratione improviſâ attoniti primitùs Religioſi: collectis tamen nonnihil animis, Abbas inquit; Deliberatione, Invictiſſime Imperator, conſilioque nobis ad hanc rem opus erit; Quo clementiſſimè indulto, ſic porrò Abbas: De quo theſauro Majeſtas Veſtra percunctatur, ex quinquagenis tribus hujus loci religioſis, præter nos tres nemo compertum habet, & quàm primùm ex hoc ternario vel uni moriendum, ſufficitur alius tertius, deque abſconditis pleniſſimè inſtruitur. Appromiſimus verò juratò omnes, æternum de myſterio iſthoc ſecretum, eſt denique difficillimus Majeſtati Veſtræ inconvenientisſimusque ad depoſitum iſtud introitus. Ad quæ Cæſar: Admittite unicum me in veſtrum Triumvirale collegium; ſtipulabor æquè arctum vobiſcum ſilentium. Cùmque Patres iterum mutuò conſultaſſent: Nefas id ſibi eſſe, Cæſareæque Majeſtati indignum; Ne Cæſari tamen obſtinatiùs reſtitiſſe, fidemque juratam penitus fefelliſſe viderentur, invento ingenioſo: vel locum tantùm, ajunt, abſque theſauro: vel theſaurum loco non deſignato indicabimus. Cùmque Cæſar, viſo duntaxat theſauro, vellet

acquieſcere, & trium horum Patrum ductum ſequi, prehenſum manu Imperatorem, cucullo que monachico palliatum in ſubterraneum patentiorem fornicem induxêre, accenſis adverſus tenebras facibus cereis duabus. Tum raſo pavimento, penu quoddam cryptámve detexerunt: huc inducentes cuculatum Cæſarem, in gyrum aliquoties egerunt, nihil ut de loco accuratè notare ſignareque oculis poſſet, neque de loco quicquam deinceps meminiſſet. Detracto poſt hæc cucullo, alium pandunt fornicem cruſtis argenteis pleniſſimum: unde longiusculè aberat ſpecus innumerabilibus aureis laminis refertiſſimus: Tertiâ in cellula ſpectandas dabant diverſiſſimas cruces aureas, pacificalia, ſimiliaque ſacra ornamenta, magnis omnia variis inuſitatisque gemmis lucidiſſimè diſtincta. Queîs viſis: Tuus eſt, inquit Abbas, Cæſar glorioſiſſime, Tuus inquam, Tui Tuorumque Poſterum arbitrii theſaurus, quem conſpicatus es: Delige proinde, quicquid nunc ex his omnibus quàm maximè allubuerit. Detrectabat id ſeverè Imperator, averruncari orans ab ſeſe, ut quæ Deo & Eccleſiis devota eſſent, concupiſceret. Selecto tamen Abbas ex pretioſiſſimis annulo unico, cum cryſtallini humoris lucidiſſimo lapide Cæſaream Majeſtatem humillimè donavit, quod loci hujus haberet mnemoſynon ſplendidiſſimum & perenne. Nec recuſavit ampliùs Cæſar, cùm cuculatus iterum è fornice eductus ad proximam loci aram proſtratus, Deo O. M. perſolutis gratiis, converſus ad monachos ait: Veſtra iſta, Patres religioſi, morigera facilitas obſecundandi poſtulatis meis, accidit mihi, quàm cupidiſſimo jucundiſſimoque: id nunc ad diſceſſum rogo, an ſit fas mihi, indicare ſaltem fidelioribus, quod hæc tanta lateant in Regno meo: locus ſemper incognitus inſcrutatusque perſeveraturus. Cùmque id omne Cæſareæ Majeſtatis arbitrio relictum fuiſſet, abſceſſum eſt, cùm de annulo dixiſſet, nunquam ſibi, ne in funere quidem detrahendum. Cùm Grætziam reditum eſt, nihil penitus innotuit, niſi pranſum in Monaſterio Cæſarem, in Templo ad Aram preces & vota poſuiſſe. Neque fidelioribus Cæſar ipſe, niſi cùm vitæ terminus inſtitiſſet, quicquam revelavit; Usque dum lapſis ſex & quinquagenis annis hæc omnia Abbati per diriſſima tormenta expreſſa fuerint. *Hæc ille.*

Huc referri poſſunt res pro derelicto habitæ, & animalia oberrantia, puta equi,
32 boves, vaccæ & ſimilia: quæ in Regno Franciæ Dominos terrarum occupare, & *Eſpanes* vocare teſtatur Joan. Faber *in* §.
33 *Examen. in princ. Inſtit. de R. D.* Quò facit text. *in l. 3. §. Nervaſilius. ff. de acqui. poſſeſſ.* ubi JC. Paulus ait: Nam pecus ſimulatque oberraverit, aut res ita ceciderit, ut non inveniatur, protinus deſinere à nobis poſſideri. Idem tradit Boër. *in Conſuet. Biturig. tit. Des couſtumes prædiales.* §. 1. Chaſſanæ. *in Conſeut. Burgund. rubr.* 1. §. *1. in verb. Eſpanes, num.* 1. Renat. Choppin. *de Legib. Andium lib. 1. c.* 10. *num. 14. & cap. 40. num. 10. & cap. 42. num. 18.* ubi dicit, vervecem ignoti Domini fuiſſe applicatum Canonicis S. Aniani Aurelianenſibus, uti repertum in eorum juriſdictione. Et *cap. 47. num. 8.* ubi loquitur de fulcone & equo oberrantibus. Simile jus habetur in Hiſpania, & vo- 34
cantur bona *de Monſtrenza*, quorum jure cavetur, ut bona inventa judicibus tradantur, ut poſt factam per certum tempus ſufficientem Domini inquiſitionem, eo non invento, Cameræ Regiæ adjudicentur. Sed Fiſcus quandoque dicitur burſa malè 35
acquiſitorum. Et exſtat lex *Deuter. c. 22. v. 1. & 2. Non videbis bovem fratris tui,* 36
aut ovem errantem, & præteribis: ſed reduces fratri tuo, etiamſi non eſt propinquus frater tuus, nec noſti eum: duces in domum tuam, & erunt apud te, quamdiu quærat ea frater tuus & recipiat. Quare conſultiùs 37
forſan erit; ut & hiſce bonis & animalibus oberrantibus, quæ ignorantur, cujus ſint, fiant proclamata & edicta. Nam ratione proclamationis dicuntur vacantia; & ſi non adpareat Dominus, tunc Fiſco addici potêrunt, pulchrè Angel. *in repet. l. ſi vacantia. coll. 5. C. de bon. vacant. lib. 10.* Ægidius Boſſius *tit. de proclamat. num. 9. in tit. de bonis vacantibus num. 12.* Mar. Anton. Peregrin. *de jure Fiſci libr. 4. tit. 3. num. 30.*

Cùm tamen repetierit Dominus ani- 38
malium oberrantium illa à judice, vel detinente, ſumptus & expenſas refundere cogitur, idque omni jure æquum eſſe hæſitationem non patitur, Renat. Choppin. *dict. libr. 1. cap. 10. in fin.* Maximè cùm ſint ex- 39
penſæ pro victu & alimentis: Cùm animalia non conſerventur, niſi per victum, nec vento nutriantur & aurâ, *l. fin. C. de aliment. pupill. præſtand.* & fiunt, ne res pereant: & repetuntur quaſi per actionem negotiorum geſtorum, *arg. l. ſi pupill. §. ſi Titii. ubi Bart. ff. de negoc. geſt.* Et ſi expenſæ ſint magnæ, probandæ erunt: Si autem fuerint 40
parvæ, ſufficiet illas probari per conjecturas, Bald. *conſil. 356. in fin. volum. 5.* ac etiam per juramentum; plenè Chaſſanæ. *in dict. rubr. §. 1. §. 2. verb. En payant les diſpens.* Quibus addenda ſunt, quæ dicit Bart. *in l. cùm ſervus. num. 4. ff. de V. O. ubi ait*, creditorem habere præſumptionem pro ſe, ita ut non indigeat probatione, dum repetit expenſas factas pro equo, quem retinuit pignoratum. Quem ſequitur Marcus Anton. Natta *in conſil. 457. num. 32.*

volum. 3. Unde ad caſum & materiam, de qua agimus, qui bovem vagabundum in ſuo ſtabulo retinuit, poterit à Domino, bovem ipſum repetente, expenſas alimentorum præſtitorum petere ſibi reſarciri, Alciat. *in tractat. præſumpt. reg.* 1. *præſumpt.* 10. *num.* 2.

41 Coronidis loco adjicere lubet, Feſſæ in Africa nonnullos, quos *Elcaneſin* appellant, reperiri, qui theſauros in ædificiorum antiquorum fundamentis reconditos putant, & perpetuò quærunt. Solent ſtupidi illi homines extra urbis mœnia ſpecus & antra quædam intrare, certiſſimè ſibi perſuadentes, quòd ademptâ Romanis Africâ, dum ad Hiſpaniæ Bæticam confugerint, theſauros multos in terræ viſcera, quos auferre non poterant, abdidiſſe, & magicâ arte ita excantaſſe, ut non niſi iisdem quoque artibus evelli poſſint, quare & incantatores quærunt, qui effodiendi theſauros artem doceant. Nec deſunt, qui in certa caverna aurum vidiſſe aſſerunt: alii verò argentum, verùm non potuiſſe evellere, quòd fumigationibus & incantationibus accommodis deſtituti eſſent, & vanâ hac opinione ſeducti terræ penetralia fodientes, ædificiorum & ſepulchrorum fundamenta deſtruunt, & nonnunquam ad iter dierum decem, aut duodecim à Feſſa producunt: eoque veſaniæ redacti ſunt, ut libros qui effodiendi auri rationem pollicentur, ceu oracula Sybillinaque teneant folia. Joan. Leo African. *de deſcriptione Africæ fol.* 351.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT CXVI.

Num. 1.

(1) A*τίθεσθαι εἰς τὸ αὔριον &c.*] Conradus tamen Rittershuſius *in Comment. ad Inſtit. lib.* 2. *tit.* 1. rejicit hanc Etymologiam, & vocabulum Theſaurus θήσαυρος ſimpliciter παρὰ τὸ τίθεσθαι eſſe ſtatuit. Iſidorus *Orig. lib.* 16. *cap.* 17. *pag.* 1225. Theſaurus, *inquit*, juxta Græcam proprietatem ἀπὸ τῆς θέσεως, à poſitione, hoc eſt, à repoſito nominatur. Nam θέσις poſitio dicitur, & eſt nomen ex Græco Latinoque ſermone compoſitum. Nam θὴς Græci repoſitum dicunt: χρυσὸς aurum, quod junctum ſonat repoſitum aurum. Addo Fritſchium *de Theſaur. parte* 1. *cap.* 1. *n.* 5. *ſeqq.*

Num. 3.

(2) *Supra Capite &c.*] *N.* 64. (81.) & *cap.* 2. *num.* 53. de Rhampſinito verò *cap.* 1. *n.* 29. & *cap.* 2. *d. n.* 53. (75.)

Num. 7.

(3) *Scythæ Tamerlanis &c.*] Confer de eo annotata *ad lib.* 1. *cap.* 22. *pr.* (3.) Hiſtoriam verò, de qua hîc in textu Lonicer. *Hiſtor. Turc. lib.* 1. & ex eo Camerarius *Hor. Subciſiv. cent.* 1. *cap.* 63. *quem vide*, recenſet hanc: quodam tempore, quum iter per Syriam faceret Tamerlanes, obtulit ſe ei arator, qui tunc in vas ingens aureæ monetæ arando impegerat. Quum autem omnes, qui cum Rege erant, Regis aurum illud eſſe dicerent, quoniam inventi, qui occultantur Theſauri, fiſci putantur; juſſit Rex Monetam inſpici, & ab adſtantibus percontatus eſt, putarêntne Patris ſui imaginem eſſe, quam pecunia expreſſam habebat. Cui quum reſpondiſſent, Romanorum Principum effigiem eſſe, tunc reſpondit Tamerlanes, ſi ergo hæc pecunia majorum meorum non fuit, aratori eam relinquamus, ad quem Deus eam detulit.

Num. 11.

(4) *Richardum A. R. &c.*] Latiùs hæc enarrat ex Girhardo *Hiſtor. Franciæ*, Camerarius *d. præcedenti numero loco.* & Polydorus Vergilius *Hiſtor. Angl. lib.* 14. *ſub Richardo I. pag. m.* 338. *in fin. & pag.* 339. Aimo *lib.* 3. *cap.* 19.

Num. 12.

(5) *Et apud Hiſpanos &c.*] Conſule omninò Molinam *de J. & J. Tom.* 1. *Tract.* 2. *Diſput.* 56. Hîc Norimbergæ ſecundùm Reformationis Tit. XXV. Leg. 1. ſancitur, ut ſi quis caſu, & ſine ſceleratis, (*ut Imp. Leo in l. un. C. de theſaur. loquitur*) ac puniendis ſacrificiis, aut quibuslibet aliàs nefandis mediis, in ſuo fundo, in quo & utile & directum habeat dominium, invenerit theſaurum, propriè ſic dictum, tunc ille Domino fundi totus cedat. Quòd ſi verò in fundo Emphyteutico ſimiliter fortuitò repererit Emphyteuta, tale DEI donum tunc inventum pro parte dimidia Domini directi, pro parte altera utilis Domini ſit. Extraneis ſine permiſſu Domini fundi nec theſauros quærere, nec fodere licitum eſto, ſi quis contra faxit, quicquid inventum ad Proprietatis Dominum pertineat. In loco publico ſacro & religioſo inventus pro dimidio inter publicum & Inventorem dividatur. Data verò operâ repertus & celatus totus Domino accreſcat. Prohibitum & malis artibus erutum univerſum Fiſcus vindicet, quæ planè eadem ſunt cum iis, quæ Klockius *infrà num.* 23. *ſeqq.* docet, niſi quòd *in propoſit.* 5. *n.* 23. aliquantum diſcrepet.

Num. 22.

(6) *L.* 3. §. *pen. ff. de J. Fiſci &c.*] Adeò Reſcriptum DD. Fratrum *in hac l.* 3. §. *pen. ff. de J. Fiſci*, (quo ex theſauro in loco religioſo invento dimidia pars fiſco, dimidia Inventori tribuitur,) *Paragrapho* 40. *I. de R. D.* contrarium eſſe, autumant nonnulli, ut Antinomiam illam expreſſam nullâ ſubtilitate conciliari poſſe, ſcribere haud vereantur, inter quos & Eguin. Baro & Bachov. *in Comment. ad Inſtit.* §. 40. *de R. D.* exiſtunt. At benè conciliare videtur illam ſic Ludwellus *in Comm. ad d* §. quando ſentit textum *in* §. 40. *de R. D.* accipiendum *de loco religioſo privato*, quem quis privata ſua voluntate religioſum fecit, §. 9. *I. d. t.* Legem verò 3. §. *pen. de loco religioſo publico vel fiſcali.* Rationem autem differentiæ conſiſtere in eo, quòd licèt locus religioſus

propriè

propriè nullius ſit, §. 7. *d. t.* privatus tamen ad eum, à quo religioſus factus eſt, quodammodo pertinere, fiſcalis verò publici Juris eſſe videatur.

Num. 28.

(7) *Circa quod Diaboli frequentes concurrunt luſus &c.*] Andreas Cæſalpinus *in ſua Dæmonum inveſtig. cap. 12.* ſcribit: Theſaurorum quidem indagatores per magicas facultates multos novimus: ſed qui aſſecuti fuerint, compertum non habeo *&c.* & ea de re ſic diſſerit Paulus Grillandus *de Sortilegiis quæſt. 3. n. 12.* Arte hujusmodi jactant ſe poſſe invenire theſauros in locis valdè remotis, & ſubterraneis abſconditos, & quandoque inducunt homines ad talem inſaniam, ut foveas quàm ingentes conficiant pro inveniendis theſauris hujusmodi. Et iſta videtur mihi, quód ſit una ex turpioribus illuſionibus, quas Dæmon homini faciat, quia in rei veritate nunquam legi, vidi, nec audivi quenquam ex Necromanticis, Magis, aut Sortilegis hujusmodi aliquos unquam inveniſſe theſauros, aut aliàs aurum vel argentum, ſed quamplures vidi huic operi incumbentes, qui mirabiliter conati ſunt velle experiri, poſt multos labores & diabolicas obſervantias, demum nihil viderunt, nec invenerunt, niſi terram &c.

Num. 29.

(8) *Non tamen idem Juris obtinere debuiſſe &c.*] Notandum etiam, inquit Del-Rio *Diſquiſit. Magic. lib. 2. quæſt. 12. circa fin.* hac in re; quosdam dici theſauros inveniſſe magicis artibus; qui id conſecuti ſolerti atque ſagaci conjecturâ; ut Saracenus ille Guiſcardi Normanni in Apuliâ, cujus factum Magiæ, Platina *in vita Leonis*, & Collenutius *in Hiſt. Neapol.* ſed Prudentiæ meliùs aſcribit Petrarcha *in Exemplis c. de Prudentia*, pro qua ſententiam feret quisquis rem juſtâ lance trutinarit. Hinc Camerarius *hor. ſubciſiv. cent. 1. cap. 63.* non ſimpliciter conſultorem Saracenum Magum perhibet, ſed quibus artibus imbutum ſe neſcire ſcribit, & cùm eum Scipio Gentilis *loco in tr. citato* à pœna eximit, à crimine quoque Magiæ eum immunem agnoſcere videtur.

Num. 30.

(9) *Theophraſt. Paracelſus &c.*] Cujus ipſiſſima verba Speidelius *in Speculo, verb.* Schatz und Schatzgraben ꝛc. præter alia Notabilia exhibet. Adde Materiam Theſauri nervosè pertractantem quoque Farinacium *in Praxi Criminal. Tom. 3. quæſt. 104. pag. 433. ſeqq. multis.*

Num. 31.

(10) *Anno MCCCLXXV. &c.*] Hagecius *d. loco* refert factum hoc ad Annum MCCCLIX. uti ex Germanica translatione (typis Anno MDXCVI. impreſsâ) Chronici ejusdem ad oculum patet.

CAPUT CXVII.

De Alchymia & Chryſopœia.

SUMMARIA.

1. Alchymiæ *uſus an in extremâ Reipubl. neceſſitate ad conficiendam pecuniam conducat?*
2. Chymia *eſt ars ſine arte, pars ſine parte.*
3. Oweni *elegans Diſtichon.*
4. Stultitiæ *notam incurrit, qui ex hac arte lucrum quærit.*
5. Scaligeri *de auri coctoribus judicium.*
6. Alchymiſtarum *fornaces aucupia crumenarum.*
7. Alchymia, *certo modo & reſpectu, Principi permitti poteſt.*
8. Alchymiæ *exercitium in Anglia privatis interdictum.*
9. Poëtarum *diverſorum luſus in Chymicos.*
10. Beleſis *Babylonius Sacerdos majori cum ſubtilitate & fructu aurum argentumq; collegit, quàm Chymici ſolent.*
11. Regium *eſſe, jus dici velle: poſteà uti indulgentia Malefacta benefactis compenſari.*

Imponit multis ars Alchumiſtica fallax,
Authorem inviſum reddit & ipſa ſuum.

1 Uſus etiam *Alchymiæ & Chryſopœiæ* (1) extra ordinem deficientibus metallis auri & argenti, ingruente Reipub. neceſſitate, non videtur eſſe illicitus ad pecuniam conficiendam. Ego verò non ſuaſerim operam & ſumptus transmutandis metallis, im-
2 pendant Principes; Cùm eventus doceat articulum artis chymicæ eſſe vanum & ferè totam chymicam eſſe artem ſine arte, partem ſine parte, cujus initium eſt mentiri, medium fallere, finis mendicare, ut loquitur Amicus noſter certus, Dn. Eberhard. à Weyhe *in Diſcurſu de Origine Speculi.* Artem certam & poſſibilem eſſe *Fratres Roſeæ Crucis* (2) ſentiunt, eamque inter πάρεργα, recenſent: Quanta & qualia ἔργα fuerint, penſita. Sed cùm major pars pſeudochymicorum impoſturis & præſtigiis ludat, ut ſaltem crumenam numoſam aucupentur; cùm tamen numis alienis non indigeant, qui aurum & argentum facere & producere poſſunt: Ideò hoc artificium periculi & diſpendii plenum ad blanditias impoſterum Principi & Reip. non facilè & temerè tentandum ſuadeo. Venuſtè venuſtus Poëtæ Anglus:

Rem decoxit iners Chymicus, dum decoquit aurum: 3
Et bona dilapidat omnia pro lapide.

Et Carolus Utenhovius *lib. 1. alluſion. pag. 108.* ad Lullium Alcumiſtam:

Dum Lapidem Lulli quæris, quem quærere Nulli
Profuit, haud Lullus, ſed mihi Nullus eris. (3)

Scilicet croſcolis, furnis, follibus, aliisque fallacibus inſtrumentis ex vero auro & argento fumum, ventum, & flatum colligunt, ſpondentque, quas non exhibent, divitias alchymiſtæ. Et ſanè nunquam ſtultitiæ &
imprudentiæ evadit notam, qui ex hac arte 4
lucrum quærit. Semper enim ſtultus eſt merca-

mercator, qui in illud negotiationis genus incumbit, quo videt nullum vel de millibus aliquot unum lucrum feciſſe: omnes verò vel mille contra facultates ſuas abſumpſiſſe. Ac ſi unquam alibi, certè heîc nugæ multæ, multa temeritas, multæ ſuperſtitiones, multæ ineptiæ. Scaliger *de ſubtilitat. exercit. 52.* In cujus rei confutatione exercere me nolui:
5 Et *exercit. 23. fol. 110. inquit*, iſtas fornaculas odi odio plusquam Vatiniano. Et *lib. 4. Epidorp. pag. 202.*

Rimans magna ludibria; Chymicosq; folles
Inflabis & inflaberis; hos effuge ventos.
Porrò fuge deliria Cabaliſticorum:
Quorum labor eſt, decipi: & hinc decipere æquè.
Quorum ſcopus eſt nil, iter extra omnia quæ ſunt,
Quorum eſt animus penſilis à nigra favilla,
A ſomniolis, nugiſatis vortice fumi.
In mari ſeruntq; ſpem, metuntq; fraudis umbras.

6 Salsè eosdem deridet & pungit Rollenhag. in ſua βατραχομυομαχία (4) quòd & plurimum pro carbonibus cineres, pro metallis & auro cinerum favillas micantes in furno relinquant.

Sie ſprechen der Kunſt ſey niemand wehrt/
Er hab denn Haus und Hof verzehrt.

Nec minùs lepidè Germanus noſter Acidalius:

Miramini cives, ubi ille paulò antè
Tantis abundans opibus omnium, ſed nunc
Extremè egens, tam ſubitò ad incitas actus
Tam divitem prodiderit Chryſalus gazam?
DECOXIT: at non quomodo ſolent vulgò.
Arte ipsâ, non luxuriâ, & otio turpi
Rem fregit, in fornace chymica magnis
Seſe occupans laboribus diu, noctu.
Mirum, ſed id quoque per laborem & artem quî
Sit pauperatus, cæteri unde diteſcunt?
Nequit eſſe mirum hoc: ars enim & labor ſolus
Studium unicum fuit usq; Chryſalo noſtro;
Ex ære fumum facere, rurſum & è fumo
Facere metallum, operæ reciproco anfractu:
Itaque aureos grumos ſibi, nitelasq;
Dum quærit è fornace, quicquid infelix
Habuit bonorum, percoquendum avaro igni
Projecit, & damnavit improbo fumo.
Nunc à favillis, èq; cinere carbones
Legit nigranteis, pro nitente theſauro.

Morbus is eſt certæ egeſtatis, & caſſi laboris comes: curioſis & avaris hominibus familiaris, qui facilè credunt, quòd libenter audiunt, ſpe lucri: quibus ſequens receptum carè venditur haud rarò:

Nim das/ ich weiß nicht was;
Thue es da/ ich weiß nicht wo;
So wird es denn/ ich weiß nicht wen/
Blaſe es daraus/ bis nichts bleibt im Haus.

Martinus Del-Rio ſcriptor noſtrâ memoriâ exquiſitiſſimus *lib. 1. Diſquiſit. Magicar. c. 15. ſect. 4. tom. 1.* contendit Alchymiam Principibus eſſe permiſſam perpenſis quibusdam circumſtantiis, quas idem author planiùs & pleniùs perſequitur, nec hîc affero brevitatis ſtudio. Sed ego hac in re ſuum cujusvis judicium relinquo. Si tamen artifex reperiretur, qui ad mediocrem bonitatem auri & argenti metalla vilia ſciret arte ſpagiſtrica reducere, tempore neceſſitatis in ſuo territorio Principe haud indignum videretur; defectum ærarii numis ex factitio auro & argento ſupplere, Bornit. *d. tract. lib. 2. c. 5.* Quo loci cenſet conſultiùs & utiliùs eſſe Principi, ſumptus ad transmutationem metallorum eorum impendere, quæ facilior, certior, & fructuoſior uſu comperta: puta ut ex ferro æs, vulgò cuprum formetur: Similiter ut plumbum in æs redigatur, cujus artificii ſpecimen multi noſtrâ ætate edunt. Quamquam in hisce omnibus maturo opus eſt judicio. Plura huc deducentia adducit Del-Rio *d. loc.* qui in hac traditione haud dubiè authorem & prodromum etiam habuit Petr. Pinsfeldium *in Comment. tit. C. de malefic. & mathem. concl. 3. 4. 5. & ſeqq.*

Goldmacher und die Alchymiſten/
Bey Fürſten und Herꝛn ſehr niſten/
Bey Edel und Unedel auch/
Machen für Gold ein Schmauch und Rauch.

Sanè in Angliæ Regno ſancitum, *ne quis privatus ſine conſenſu Regis exerceat Alchymiam,* (5) Keckerman. *libr. 1. Politic. 22. fol. 362. & pract. diſput. 32. quæſt. 9.* Beſold. *de ærario cap. 3. num. 11. fol. 39.* Egregiè Jacob. Catſius *Emblemate Ethico 29.* 8 9

Artium triſtis Janua.

Dum cogit viverra feras exire latebris,
Mox aliquis prædam, qui nihil egit, habet.
Ingenio penetras ima per viſcera terræ,
Dum malè quærendo, Chymice, perdis opes,
Multa quidem nobis non contemnenda dediſti:
At miſer hoc nunquam, quod tibi quæris, habes.
Igne licet caleat, caret ah! nidore culina,
Pyxida tu vacuam, cætera vulgus habet.

Idem Catſius *Emblemate 31.*

Spes Chymica, vigilantis ſomnium.

Dum volucrem ſequitur, dum ſe jam devorat eſcam,
Dum canis in prædam fervidus ore ruit;
Guttura latrantis nil tale timentia fallit,
Seq; paludoſo gurgite mergit Atlas.
Ergo miſer prædam ſtudio qui captat inani,
Ora refert ſolis plena moloſſus aquis.

Sit

Sit canis hic ficta ſub imagine Chymicus, hoſpes.
Spes cui ſemper adeſt, res cui ſemper abeſt.

In Alchumiſtas *Emblem. 48.*

Dum certis incerta ſequor, rem prodigus omnem
Converti in fumos, & miſeros cineres.

Flor. Schönhovius.

10 Majori cum ſubtilitate & fructu BELESIS *Babylonius Sacerdos*, (6) peritus Aſtrologiæ (hos Chaldæos appellabant) è cineribus, ac Chymici ſolent, aurum argentumque collegit. Is enim Arbaci Medo prædixerat fore, ut Sardanapalum regno Aſſyriorum ejiceret. Id cùm eveniſſet, Arbaces in præmium Beleſidem Babyloniæ præfecerat. Sed & quidam Sardanapali Eunuchus clam ad eum ex Regia magnam vim auri argentique attulerat, quam ut Beleſis averteret, ac navibus transportaret, quod ſine ſuſpicione fieri non poterat; finxit, dum res adhuc in incerto eſſet, voviſſe, ſi Regia ſimul cum Sardanapalo conflagraſſet, ex ea cineres ſe Babyloniam relaturum, aggeremque prope Beli templum educturum, quod regni deleti Aſſyriorum perpetuum monumentum ab omnibus per Euphratem navigantibus conſpiceretur. Arbaces, qui putabat omnia ſimul cum Sardanapalo conſumpta, facilè conceſſit Beleſidi, ut damnatus voti naves præpararet vehendis cineribus, & ut ad eam rem immunitate uteretur. Sed cùm hoc prætextu innumeram auri argentique vim eum transvexiſſe, Regi nunciatum eſſet; judices ei conſtituit, qui de facto cognoſcerent. (Potuit enim vel cineribus ipſis magnum auri & argenti contineri pondus, ut de deletis Sidoniis, & urbe totâ cum civibus conſumptâ, *narrat Diodorus* (7) Artaxerxem, Regem Perſarum, aream relictam ab incendio multis talentis vendidiſſe, quòd propter opulentiam oppidanorum vis ingens auri argentique igne conflagraſſet.) Beleſis nihil negare auſus eſt, *quare damnatus eſt capite.* (8)

Nam Regiam prædam ad Regem pertinere: neque Beleſidem ipſum, dum eam furtim, non palàm ſubduxiſſet, aliter judicaſſe. Babyloniæ Præfectura ei nimis abundè ſatisfactum, quàm ut eò ampliùs per fraudem & machinationem, aliis & tantis muneribus inhiaret, quibus, ut nervis, univerſum Imperium diu poterat ſuſtineri: Regem præterea circumvenire & fallere, præſertim Sacerdoti, atque religioſo viro: vel hoc ſolùm capitale eſſe. Attamen Rex, magni vir animi, poſt ſeveritatem clementiâ uſus eſt: nec modò Beleſidi pœnam condonavit,
verùm etiam aurum, argentumque aſporta- 11
tum habere ſivit, itemque Præfecturam, quam ei antea dederat: dicens, Majora eſſe illius beneficia erga ſe, quàm malefacta.

ANNOTATIONES

Ad

CAPUT CXVII.

Num. 1.

(1) A*lchymiæ & Chryſopœiæ &c.*] Chymia eſt ars I. præparandi medicinas puriſſimas, tunc dicitur *Spagiſtrica* & *Chymiatria;* II. metalla imperfecta perficiendi & mutandi, & dicitur *Chryſopoëtica.* Utut Chymia, ſivè ut articulo *Al* adjecto AlChymia vocatur, haud contemnenda per ſe, imò uſus ejus in Medicina planè divinus ſit; rectiùs tamen ejusdem uſum ad publicam Pecuniam comparandam, fruſtra adhiberi, contra Bornitium *2. de Ærario*, juxta experientiam Beſoldus *de Ærario cap. 3. n. 11.* docet. Ut ſic inter modos improbandos ditandi ærarium & Alchymiam & naufragium D. Henelius *de Ærario parte 2. cap. 2. pag. 367. ſeqq.* ponat; *ubi vide.* Notumque eſt vix ex millibus & pluribus unum exſtitiſſe, qui poſt longiſſima temporis tædia, conſumptam ſubſtantiam patrimonii, attenuatis corporis viribus ad adyta Chryſopoëtices pervenerit. Sine Spagiricâ quidem fruſtra Naturæ arcana ſollicitari, non, niſi quorum oculi lolio ſunt vitiati, inficias ibunt. Sed fugiendi ſunt aucupes crumenarum; qui aurum, quod poſtea aliis pollicentur, ſibi captant priùs. Pereant tales falſarii, imaginarii Chryſopoëtæ, veræ Chymiæ ignari, eodem fato, quod optandum, quo periit Anno MDCVII. Johannes Henricus à Müllenfels/ qui poſt plurimas impoſturas Stutgardiæ ad ſupplicium protractus, in patibulo ferreo (quod ante aliquot annos Princeps in ſimilis cujusdam impoſtoris gratiam exſtrui curaverat) vitam laqueo finire coactus fuit. Facinora ejus inſigniora refert Lundorpius *in Sleidani Continuat. lib. 13. tom. 3. pag. 757. ſeqq.* Cæterùm, qui catalogum Authorum qui de Pſeudo-Chymia iſta ſcripſerunt, evolvere cupiunt, adire poterunt Guilielmum Antonium de Freundeberg *de Reſcript. Morat. tit. 10. cent. 68.* ubi de modis depauperandi agit, *n. 92. pag. 833. circa finem.* D. Henelium *de Ærario parte 2. cap. 2. §. 2. in fin.* alios multos: quos hîc accumulare quid attinet?

Num. 2.

(2) *Fratres Roſeæ Crucis &c.*] De hac ſecta vide Beſoldum *in verbo* Roſen-Kreutzer rc.

Num. 3.

(3) *Nullus eris &c.*] Facetè Gumpelzheimerus *Gymnaſmat. de Exercit. Academ. pag. 4. ſect. 7. num. 8.* ſcribit, Chymicorum Simias frequenter figura Solis (*qui Alchymiſtarum Planeta*) circulo ſcilicet cum centro ʘ centrum tollunt, remanente nulla O. Hinc Lanſius *in Laudatione funebri Anton. Henr. Com. Oldenb. (quæ in Mantiſſa Conſult. ejusd. exſtat) pag. 617.* cenſet, artem hanc non ineptè deſcripſiſſe illum, qui definit, quòd Alchymia illa ſit ars Creationi contraria; & ſicuti DEUS ex nihilo fecerit omnia, ita Carbonaria illa ex omnibus faciat nihil. Quin imò hujus fantaſiæ aſſeclas ipſum Satanam ridere, colligere licet ex hiſtoriola à Bodino relata, *de Magor. dæmonomania cap. 3.* Ex Conſtantino, (qui inter peritiſſimos Pyrotechniæ & artis metallicæ in Gallia numeratur, eſtque in toto regno

 celeber-

celeberrimus) audivi, (*ſcribit ille*) ſocios ipſius, cùm perdiu flantibus nulla ſpes, ſpeciésve boni oſtenderetur, conſilium à Diabolo petiviſſe, rectè ne facerent, & rem optatam confecturi eſſent: illum verò unico verbo, TRAVAILLEZ, LABORATE; Hôc exhilaratos flatores perrexiſſe, & flaviſſe adeò ſtrenuè, ut omnia in nihilum multiplicaverint, etiamque porrò flaturos fuiſſe, niſi Conſtantinus dixiſſet ipſis, hunc eſſe morem Satanæ, ut ambigua reſponſa edat; illud autem verbum, LABORATE, innuere, abjiciendam eſſe Alchymiam & in laborem aliquam ac honeſtam artem, utilis ad vitam ſcientiæ incumbendum: hominis purè dementis eſſe, ſi quis cogitaverit tam brevi temporis ſpatio aurum effingere, in quo efficiendo natura annos ampliùs mille ſolet conſumere.

Num. 6.

(4) Βατραχυομαχία *&c.*] Sive ut Germanicè ſonat Fröſchmeusler *cap. 15. 16. & 17.* quem omninò vide, & artem, ut illam vivis coloribus depingit, vide.

Num 8.

(5.) *Ne quis privatus exerceat Alchymiam &c.*] Imò etiam in quibusdam aliis benè conſtitutis Rebuspublicis ſimiles prohibitiones exſtant: & ne paſſim privati lucri cupiditate moti ſtudeant Alchymiæ ſantiendum eſſe generaliter reputat cum Keckermanno Beſold. *de Ærario cap. 3. num. 11.* Sic Norimbergæ ſub pœna L. florenorum Alchymiæ exercitium civibus in domibus ſuis interdictum eſt.

Num. 10.

(6) *Beleſis Babylonius Sacerdos &c.*] Confer latiùs hæc explicantem Diodorum Siculum *Bibliothec. Hiſtor. lib. 2. cap. 24. & 28.*

(7) *Narrat Diodorus &c.*] *D. loco lib. 16. cap. 45.*

(8) *Quare capitis damnatus &c.*] Quin potiùs id ipſis verbis Diodori Siculi *cit. cap. 28.* efferimus: ſed ubi furtum id manifeſtè deprehenſum Regi innotuerat, Ducibus, quorum Auxilio Sardanapalum debellârat, judicium de hoc facinore committit. Hi reo peccatum confeſſo capitale ſupplicium irrogant. At Rex vir magni animi, Principatum ab humanitate & clementia auſpicari volens, non modò à periculo capitis Beleſin abſolvit, ſed etiam quicquid auri & argenti transportatum erat, id omne habendum permiſit. Nec traditam initio in Babylonios poteſtatem homini ademit, priora ejus merita, erga ſe majora eſſe dictitans, quàm injurias ſubſecutas. Hâc moderationis famâ ſtatim pervulgatâ, cùm benevolentiæ non exiguæ, tum gloriæ apud Provincias eximiæ fructum conſecutus eſt, omnesque regno dignum eſſe, qui tam benignum delinquentibus ſeſe exhiberet cenſuerunt &c.

CAPUT CXVIII.

De Olla Fortunæ, ex qua publicè ſortes extrahuntur.

SUMMARIA.

1. Ludus urnæ *ſeu lottaria* Glückhaſen.
2. Sortilegii *hoc genus improbatum à Sigismundo Suevo.*
3. Oweni *Poëtæ lepidum Epigramma.*
4. Olla fortunæ *redolet quandam fraudis ſuſpicionem.*
5. *In Belgio Collectæ etiam fiunt per ſortes ſive* Sortilegia publica öffentliche Lottereyen / *in quibus lucrum, quod capitur, ad res pias vel communem utilitatem confertur.*
6. Lottariis *à Magiſtratu inſtitutis minus falſi ſubeſſe præſumitur.*
7. Gewinn und blinde Zettuln.
8. *Quid in hoc contractu potiſſimùm obſervandum.*

Fortunæ cœcæ quandoque recluditur olla,
Extrahit & ſortes, qui dedit æra, ſuas.
In partem lucri veniunt quoque jure Potentes,
Sicque aliquo pacto Fiſcus adauget opes.

1 QUidam Politici Civitatibus interdum ærario imminuto, ad conficiendam pecuniam permittunt uti OLLA FORTUNÆ publicâ, quam Lottariam vel Lotteriam Glückstopff / Glückshafen oder offentliche Lotterey vulgò indigitant, puta, ſi Magiſtratus ipſe ſumptum præbens ludos teſſerarum & ſortitiones de variis mercium generibus per alios inſtitui curet, & lucrum in uſus Reipublicæ conferat, & quod plerumque fit in Sacros; quamvis merces proſtibuli & pretium canis in domum DEI non inferri

2 debeat, *Deut. 23. v. 18.* Quod Sortilegii *genus illicitum eſſe, variis rationibus probat* (1) *Sigismundus Suevus* in particulari tractatu hac de re Anno MDLXXXI. Germanicè edito. Cui bellè adplaudit lepidiſſimus Poëta Britannus Ovvenus *libr. 1. Epigram.*

Huc quicunq; venit, flet in Albo, ridet in Atro, 3
Lugenti potiùs convenit iſte color.
Candida, cur damnum fert Chartula, nigra lucellum?
An quia divitias DIS dat? At hic niger eſt.

Equidem non diffiteor modum hunc falſi aut fraudis ſuſpicionem quandam redolere, 4 & parùm lucri contineri, maximè ſi ſortilegia illa inſtituantur à privatis perſonis & circumforaneis. Quanta enim corruptio mercium, der Gewinn / quanta impoſtura cum ſchedulis committatur, ipſi norunt, qui in hac techna exercitati vel ſæpè decepti fuerunt.

In Belgio tamen quandoque ad pauperum bonum ejusmodi publicas ſortes tolerari, & lucrum exinde redundans *ad pias* 5 *cauſas* (2) *conferri* meminit, Keckerm. *libr. 1. Syſtem. Polit. cap. 21. pag. 342. & 343.* Sanè ſi Magiſtratus ipſe ſortilegia hæc publicè inſtituat, (uti Oſnabrugæ Ann. MDXXI. 6 factum) & merces aureas argenteas, & aliam id genus ſupellectilem, probam fortunæ exponat, ita, ut priusquam ſchedulæ trahantur, tota ſumma Symbolorum æqualium pretio mercium ſive rerum fermè ex

æquo reſpondeat, impenſis laboris & operæ collatis, nihil eſt, quod quis aliquid de-
7 ceptionis aut fraudis ſubeſſe præſumat, præſertim quando ſchedulæ publicitùs ſub dio & authoritate publicâ extrahuntur unâ vice, alſo/ daß die Gewinns-Zetteln gleich ausgeben mit den Gewinnen/ und ſeyn ſonſt keine blincke Zetteln darinnen.

Et quamvis quis parum lucri exinde Magiſtratum capturum cenſeat, attamen modus eſt talis, qui ſaltem ex ſupellectile argenteâ & aliis rebus ad conficiendam numeratam pecuniam idoneus ſit, Bornit. *tract. de ærar. redit. libr. 2. cap. 4. & tract. de rer. ſufficient. libr. 3. cap. 18.* ubi refert Mercatores quoque Romæ & Venetiis uti ollis ſortiariis, id eſt, res vænales pretiis collatis & coæquatis ſorti exponere, ut ſi unus mercibus emendis impar, plures efficiantur, quorum duo vel tres ſortitione lucrum capiant, pulchrè Martin. Del-Rio *lib. 4. Magicar. Diſquiſit. cap. 4. quæſt. 2.*
per tot. ubi omnia & ſingula ad amuſſim 8
exſequitur, quæ in contractu, ſive publicè ſive privatim fiat, conſideranda ſunt, ut juſtitia Contractûs perfecta & illibata maneat. Vide quoque Joan. Iſac. Pontan. *in Deſcriptione Urbis Amſtelodami lib. 2. cap. 2. fol. 69. & capit. 6. pag. 87.*

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT CXVIII.

Num. 2.

(1) G*Enus illicitum eſſe variis rationibus probat Suevus &c.]* In quo conſentientes habet ex noſtris Theologis D. Conradum Schluſſelburgium im Bedencken von Glückstopff *quod exſtat apud Deackenn. inter Conſilia Theologica vol. 2. pag. 210. ſeqq. num. 13.* ex Politicis Latherum *de Cenſu lib. 3. cap. 15. n. 35. ſeqq.* Beſoldum *de Ærar. cap. 3. n. 10.* Et Gisbertus Voetius ex Reformatis Theologis *diſcept. de Luſu Aleæ pag. 227.* ſic cenſet: An Contractus illi ſortium, vulgò dicti *Loteriæ* & *riffæ* ſunt liciti? Reſpondet affirmativè Del-Rio *l. 4. Diſquiſ. Magic. cap. 4. q. 2.* cum Briardo, Garcia, Lopezio, Medina, Immanuel Sa *ibid. citt.* quia nihil aliud ſint, quàm implicita quædam venditio reſpectu exponentis merces ſuas, & ſors diviſoria reſpectu Emptorum. E noſtris omnes privatorum Loterias repudiant nonnulli, de publicis dubitant, ut Ameſius *caſ. lib. 4 cap. 23.* quamvis tamen ſubdat, *prout nunc uſurpari ſolent, videntur illicitæ.* Politici (inter quos Keckermannus) inſtitutum laudant. Nos illicitas & Reipublicæ noxias eſſe putamus, quicquid bonum publicum prætexatur; tum quia cum injuſtitia, damno proximi & expilatione pauperum conjunctæ ſunt; (quod eſt contra legitimam rationem ſortis diviſoriæ;) tum quia homines ad illicita media rem faciendi per aleas & ſortes ſcilicet alliciuntur ſpe lucri propoſitâ, ſed fraudulentâ; tum quia certiori ratione & minori cum periculo & malorum ſyrmate per collectas Reipublicæ aut pauperum neceſſitati ſubveniri poteſt; denique ſequeretur hoc abſurdum, quòd eodem colore omnes luſus aleæ, quo proximi ſubſtantiam intervertimus, defendi poſſent. *Hæc ille pro rigore ſuo.* In caſu tamen neceſſitatis ollas fortunæ publicas proponi poſſe, Johann. Ruremundus *in Mammona cap. 41. pag. 168. 169.* ex his rationibus affirmat: I. Quòd nec in Jure, nec Conſtitutionibus Imperii exercitium hoc prohibitum legatur, & ſæpiſſimè frequentatum adhuc in urbibus celebrioribus experientia doceat. II. Quòd in illud æquè ab extraneis, quàm indigenis pecunia conferatur. III. Quòd id ipſum Divitibus, qui multum collocant; nec pauperibus (qui aliàs, quod inferant, non habent, ſæpèque lucrum maximum reportent, nec onus ſentiant,) noceat. Et id ipſum vel maximè tunc procedere putat, ſi Magiſtratus provideat, ut exercitores à fraude omni arceantur. Adde Henelium *de Ærario cap. 13. §. 2. pag. 339.* D. Dannhawer. *in Problem. Theolog. de Sort. & Section. Problem. 6.*

Num. 5.

(2) *Ad pias cauſas conferri &c.]* Sic, teſte Lathero *de Cenſu lib. 3. cap. 15. n. 35. ſeq.* ad ædificandum carcerem publicum, vulgò das Zuchthaus/ exemplo Belgarum, Senatus Hamburgenſis Ollam Fortunæ publicam inſtituit. Quod paucos ante annos Senatus Uratislavienſis, invitatis ad id per cives ſuos ad conferendum, & ſperandam meliorem ſortem exteris, quoque imitatus fuit.

CAPUT CXIX.
De Comœdiis, aliisq; Spectaculis.

SUMMARIA.

1. *De* Comœdiis *compendium fiſcale.*
2. Jeſuitæ *Comœdiarum architecti.*
3. Phrynicus *Poëta Athenienſibus tragœdiam exhibens mille drachmis mulctatus.*
4. *An in publicis Civitatum Theatris admittenda ſint* Hiſtrionum *ſpectacula.*

Vita hominis quædam eſt veluti comœdia, & inde
Haut ſpectacla carent utilitate ſuâ.

BElgæ interdum *permittunt Comœdias* (1) & ejusmodi ſpectacula publicè exhiberi, ſed ita, ut cùm Quæſtor Comœdorum ſtans ab una parte pecuniam pro Comœdis recipit, alius aliquis nomine Reipubl. ſtet ab altera parte, qui ab iisdem ſpectatoribus pecuniam accipiat pro pauperibus, ut ſimul hac ratione curioſis hominibus indulgeatur, & publicæ rei inſerviatur, Keckerm. *1. Polit. cap. 22. pag. 363. & diſput. pract. 34. quæſt. 14. pag. 724.* Jeſuitæ 2
quoque in Collegiis ſuis *ſæpiſſimè Comœdias Tra-*

Tragœdiasq́; exhibent, (2) atque Magnates ad ſpectandum invitant, ut hac occaſione ſtudiis ſuis proſpicere atque ad pias cauſas ampliſſima legata impetrare valeant, Bornit. *libr. 9. de ærar. cap. 2. in fin.* Idque praxis Jeſuitarum in Gallia, Italia, totaque Germania teſtatur, & Collegia ac Ædificia in præcipuis & celeberrimis urbibus videlic. Moguntiæ, Coloniæ Agrippinæ, Spiræ Nemetum, Würtzeburgi, Moltzemii, Confluentiæ ad Rhenum, Paderbornæ & alibi magnificè exſtructa, quam liberali manu ampliſſima legata illis relinquantur, declarant.

3 PHRYNICUS Poëta, poſt Mileti oppidi expugnationem (quæ bello Medico primo facta eſt à Perſis) exhibuit tragœdiam Athenienſibus ab ea expugnatione ſumpto argumento. Hæc totam urbem concuſſit luctu. Populus enim recordatione calamitatis ac miſericordiâ permotus toto theatro in lachrymas effudit. Itaque die dicta Phrynico: Judices, quòd inſolenter præteritas miſerias ſcenicis fabulis annumeraſſet, luctumque publicum renovaſſet, qui hilaritate leniendus erat: hunc fruſtra ſcenæ libertatem, veterumque licentiam opponentem, mille drachmis mulctaverunt: decretumque eſt, ne ea denuò daretur ſpectanda comœdia. Miletum relegatum *Marcellinus ait:* (3) Nam & quamvis ſine dolo malo videretur hanc fabulam dediſſe: tamen in prudenti & ſapienti viro, (qualem eſſe Poëtam, Philoſophum, Medicumque neceſſe eſt,) imprudentia aut ignorantia damnanda eſt. Quid enim periculoſius, quàm ſopitas lacrymas excitare? redintegratione calamitatis vulnerare animos? refricare obductam Reipub. cicatricem. An non hinc quoque Aderiticum malum ab Archelao recitata Andromeda? Certè nihil intereſſe, hoc an illo modo Reipubl. noceatur. Sed ne dictis id per hos maximè fiat, qui bene dicendi artem profitentur, quique propterea valent in perſuadendo, cavendum eſt inprimis.

Hiſtriones (4) tamen haudquaquam in publica theatra admittendi ſunt. Certiſſimam enim Chriſtianis moribus perniciem afferunt; nec aliud eſt illa Theatri licentia, quàm omnis improbitatis & impudicitiæ officina. Exterminandi igitur Principum & Magiſtratuum authoritate ſunt Hiſtriones, nec in publica Theatra admittendi. Exhibent virginum raptus, ſtupra, lenonum artes, ſervorum & ancillarum fraudes, & quidem moribus ac geſtibus impudicis, fractis in fœminarum modum vocibus. His omnibus ſpectatores ad libidinem inflammant, qui, quæ in ſcena per imaginem viderunt, ſine pudore poſtea faciunt. Magnum hîc pudicis moribus periculum eſt; dum inhoneſta illa & turpia riſum excitant, conſenſum trahunt, & ſuo pondere pravitas in opus inclinat. Nullâ honeſtatis curâ Hiſtriones ducuntur, & cùm omnia lucro metiantur, quicquid fraudem & turpitudinem aliquam habet, quia placere non ignorant, ſuſcipiunt. Ac plerumque cum iis ſunt fœminæ, quæ venalem formam & pudicitiam habent. Nam tot viris procacibus ſæpè vix eſt ut pudicè vivant. Hiſtrionum cauſâ multi tempus & pecuniam amittunt, noxiam quandam licentiam virgines & Matronæ accipiunt. Juventus ad otioſam delectationem provocatur, feſti dies prophanantur, & attracto ad ſpectacula populo, Divinæ Majeſtatis cultus imminuitur, Nicol. Vernul. *libr. 3. Inſtit. Polit. cap. 3.* In Turcarum Comœdiis ſemper introducitur aliquis *ruſticus aut Turcman;* (5) perinde ac Italicæ Comœdiæ Zano ſuo non carent. 4

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT CXIX.

Num. 1.

(1) P*Ermittunt Comœdias &c.*] Ut pateat, fas non eſſe ulli, ſimpliciter quæcunque ſpectacula, in ſe ſanè Adiaphora condemnari, quadruplici genere argumentorum illud comprobat Schoockius *Exer. 19. de Comicis & Trag. ſpect.* Primum, *inquiens*, deſumptum eſt à materia, quæ eſt honeſta atque gravis, ſimul decora, atque loco & tempori conveniens, quæ ſic tractetur, ut ſerviat honeſtati morali tum excitandæ tum fovendæ. Secundum reſpicit finem, qui non eſt alius, quàm honeſta oblectatio, quæ oritur ex viva repræſentatione eorum, quæ ſerviunt concitandis affectibus, ad amorem rerum honeſtarum, & ſerium odium omnium eorum, quæ turpia ſunt Nam cum ratione dictum eſt à Dionyſio Halicarnaſſæo: *Comœdiam ſub ludicra larva philoſophari.* Inde rectè monet Ariſtoteles *lib. 7. Polit. cap. 17.* quòd *ludi tales eſſe debeant, ut ſint imitationes eorum, quæ poſtea ſeriò ſunt facienda.* Et Cicero Orat. pro Sex. Roſcio: *Hæc conficta à Poetis arbitror, ut effictos noſtros mores in alienis perſonis, expreſſamq́; imaginem noſtram vitæ quotidianæ videremus.* Quicquid aliis videatur, ego non video, cur, cùm liceat repræſentationes rerum verè geſtarum legere, pariter non liceat, repræſentationes earundem vivas videre atque audire? Tertium concernit multiplices fructus, qui retundant in actores, modò perſonam ſuam convenienter ſuſtinere ſciverint: comparare ſibi ſiquidem poſſunt, non modò notitiam rerum variarum atque experientiam, verùm etiam ſingularem tum memoriæ tum eloquii in publico promptitudinem, adhæc geſtus moreſque comptiores ac magis decoros. Quod poſtremum, ignoraſſe non videtur Tertullianus *lib. de anima*, cùm liberale & decorè compoſitum corporis filum ſcenam corporis dixit. Nam elegantem & conve-

convenienter compoſitam convenit eſſe hominis faciem in Theatro, utpote omnium oculis propoſitum. Sic & Philoſtratus *lib. de vit. Sophiſt. in Polemone* notat σκηνὴν, ἣ ἐς τὰς μελέτας ἐχρήσατο: per ſcenam intelligendo corporis modum & compoſitionem. Quartum, ſeu poſtremum complectitur multiplices uſus, qui redundare poſſunt in ipſos ſpectatores & auditores, qui, ſi modò animo fuerint attento, unius alteriúsve horæ ſpatio plura cognoſcere poſſunt, altiusque animo imprimere, quàm privatim longo tempore atque multo labore. Quod neque ignarum fuit Imperatori Juſtiniano, *. §. I. de grad. cognat.* Magis veritas (*inquit*) oculatâ fide, quàm per aures animis hominum infigitur. Præterea ſæpè actores quàm artificiosè perſtringunt vitia inveterata publicèque graſſantia, quæ alii certè vix tanta cum παρρησίᾳ, auderent. *Hæc ille*, ubi, *ſeqq. num. 6. 7.* conditiones, quibus admitti licitè poſſint ſpectacula, aliquantò diligentiùs pertentat, & *num. 8.* huc colligit. Ut ſit I. Materia, ſive ſacra, ſive profana, ſive vera, ſive ficta, ſerviat non corrumpendis, ſed emendandis ſpectatoribus. II. Ea tractetur caſtè, verecundè, decorè, & graviter. III. Abſint turpiloquia, execrationes, juramenta temeraria, multò magis repræſentationes rerum obſcœnarum. IV. Actores neque ore, neque oculis, neque ullo geſtu exhibeant quid laſcivi. V. Exhibeantur tempore oportuno, hîc ſiquidem cùm maximè cogitandum eſt illud Salomonis *Eccl. 3. v. 4. Tempus eſt flendi & tempus ridendi: tempus plangendi, & tempus ſaltandi.* Ut enim ſecundùm Horatium *lib. 4. Ode 12.*

Dulce eſt (adde honeſtum) *deſipere in loco.*

Ita ex admonitione Apoſtoli Pauli *Rom. 12. v. 15.* convenit *gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus.* VI. Exhibeantur quoque rarò: nam præterquam quòd rarior uſus magnas voluptates commendat, non convenit, homines à negotiis vitæ quotidianæ avocare ad Theatrum, ne ſimiles reddantur Populo Romano, qui dulcedine ſpectaculorum quotidianorum pollectus, ſecundùm Satyricum, præter *Panem & Circenſes*, nihil cœpit optare. VII. Actores fabulis ediſcendis & compoſitione actionis nimis non diſtrahantur. VIII. Non adhibeantur ſub finem ludii laſcivientes, aut nimii mordaces, qui excitando effuſum riſum, ſuffocant virtutis fomitem, quem fabulæ exhibitio poſt ſe relinquere debet. Minimè comptiores virgines, aut Pſaltriæ. Notum eſt illud Siracidis, *Eccleſ. 9. v. 4. Cum Pſaltria ne ſis aſſiduus, ne capiaris inſtitutis illius.* Hactenus toties diverſis in locis citatus à nobis Schoockius.

Num. 2.

(2) *Sæpiſſimè Tragœdias Comœdiasq́; exhibent &c.]* Inter Regulas Societatis Jeſu auctoritate VII. Congregationis Generalis auctas & Anno MDCXXXV. Antverpiæ editas, eſt illa Provinciali *cap. 6. n. 58.* præſcripta: Comœdias & Tragœdias rariſſimè agi permittat, & non niſi Latinas ac decentes, & priùs aut ipſe eas examinet, aut aliis examinandas committat: eas verò, atque alias id genus actiones, in Eccleſiâ fieri omninò prohibeat.

Num. 3.

(3) *Marcellinus ait &c.]* *Lib. 28. cap. 1.*

Num. 4.

(4) *Hiſtriones &c.]* Quos hoc nomine intelligat Author, ex ipſo contextu patet. Ea propter cùm & de his graves querelas Schoockius, allegatis plurimis in partes ſuas, initio citatæ Exercitationis *19.* habeat, ad eum ablegaſſe Lectorem ſufficiat.

(5) *Ruſticus aut Turcman &c.]* *Lib. 1. cap. 5. n. 31. (90.)* Confirmantur hæc ex Leunclavio, ubi vide.

CAPUT CXX.

De Ademptione rerum privatarum.

SUMMARIA.

1. Principi *in impetu Neceſſitatis extremæ bona privatorum abſorbere & inſumere licet: idq́; ob ſalutem & utilitatem Publicam, num. 2. & 3. & ſi fiat aliqualis refuſio pretii, n. 7. Cautiones tamen adhibendæ, de quibus num. 4. 5. & 6.*

8. Princeps *omnia poſſidet Imperio, non dominio: tum belli tempore, quàm ex alia cauſa publica, num. 9.*

10. Principi *an expediat Subditos exactionibus & tributis expilare, vel iisdem bona adimere rerúmve privatarum latrocinium patrare? hoc & num. 11. 12.*

13. Capiti *benè eſſe non poteſt, ſi membris malè ſit, & num. 14. 15. 16. 17. 18. 19. & 20.*

Caſibus in certis quædam fit ademptio rerum Privatarum, id quod ventilat hicce Canon.

1 URgente Neceſſitate inevitabili, Principi in univerſa civium bona manum injicere licet, quando ſcilicet univerſi Regni internecio imminet, remedio aliundè deſperato, *l. 1. & 2. C. de patr. qui fil. deſt.* Dec.
2 *conſil. 171.* Idque ſuadent ſalus & utilitas publica, quæ ſumma lex & privatorum contractibus præferenda eſt, *l. 3. C. de primipil. l. unic. §. pen. C. de caduc. toll. c. ſuas ibi: nam plurimorum qu. 1.* Quis enim ſuam ipſius, fi- 3
liorum, conjugis, parentum, patriæ ſalutem & libertatem, omnium, quæque poſſideat, bonorum permutatione non redimeret. Hoc in nobis ipſis nos natura ipſa commonefacit. Videmus enim, ubi cor, membrorum Princeps & radix, in ultimis ſit anfractibus occluſum, tum tandem vitales ſpiritus omnes, ſuas deſtituere ſedes, illi opem ad extinctum usque laturos. Ita tamen, ut certo hûc ordine procedat Princeps, ab iis incipiens, qui vel ex ſuis fortunis plus beneficii habuerint, vel ex præſentis Statûs conſervatione plus commodi ſint habituri. 4
Nam cuncta ſcrutantibus juſtiſſimum viſum eſt, indè repeti, undè inopiæ cauſa erat, Tacit. *1. hiſtor. 20. n. 1.* inquit.

Præter hæc incommoda, ſemper ſtu- 5
deat Princeps NE QUID NIMIS: Et *cum Pertinace Imper.* (1) pertinaciter ſibi perſuadeat, longè ſanctius eſſe inopem ſe, divitemque

obtine-

obtinere Rempubl. quàm ad divitiarum cumulum per diſcriminum dedecorumque veſtigia pervenire. Nec audiendi ſunt à Principibus illi, qui ad excogitandas pecuniarum captiunculas promptiſſimi ſunt & exercitatiſſimi. Ejusmodi homines ſubtilibus illis rationibus ſuis lentè torquent, & ad extremam miſeriam paulatim deducunt. An non omnia ſatius eſſet ſimul & ſemel auferre? miſerrimum eſt toties fieri miſerum.

Quinimò ex magnis divitiis nil aliud ſibi Princeps, quàm magnum divitiarum appetitum comparat, adeò, ut quò corraſerit plures, eò pluribus indigere videatur. Præterquàm quòd ærario exhauriendo ſtudet: & ſic utile ſibi comparare ſtudens, damnum ſibi ſuo ipſius ſtudio comparat, non ſecus, ac qui ſanitatis ſibi tuendæ cupiditate, pharmacum importunè ſumens mortem ſibi non raro accelerat. Enimverò ſi Princeps animus in Repub. eſt, ſubditi verò corpus: ſi animus eſt, qui utitur, corpus verò,
6 quo & per quod utitur: ea eſt Principi & omni Magiſtratui cura de ipſis habenda, quam animus de corpore habet; ita ſcilicet, ut non modò eos ſibi utendos proponat, ſed & ut ſedulam navet operam; ut rectè ſe habeant, quò ſibi commodiùs inſervire poſſint, & per quos aptè annorum copiâ Princeps ipſe utatur.

7 Denique Princeps in impetu inevitabilis & extremæ Neceſſitatis bona privatis, tanquam publica & ſua adimere poteſt, ſi fiat refuſio aliqua pretii, *l. 2. C. pro quib. cauſ.*
8 *ſerv. præm. lib. accip. Utut enim Princeps omnia poſſidet,* (2) haut tamen poſſidet dominio, quod eſt juris gentium & juris civilis ex parte, *l. 5. ff. de juſt. & jur.* §. *ſingulorum, Inſtit. de R. D.* ſed Imperio, ut *Seneca ait,* (3) & Gunther. Ligurin. *libr. 3.*

Quicquid habet locuples, quicquid cuſtodit avarus,
Jure quidem noſtrum eſt, populo concedimus uſum.

9 Proinde hoc licere Principi non tantùm belli tempore, ſed etiam ex alia cauſa publica, aſſerit Arnold. Clapmarius *libr. 4. arcan. Rep. cap. 16. & 22.* Et latiùs *hoc jus declarat* (4) Gregor. Tholoſan. *lib. 7. Repub. c. 10. num. 49.* Vaſqu. *1. controv. cap. 5. num. 1.* Hotoman. *quæſt. illuſtr. 1.* Pruckman. *tract. de regalib. 5. ſoluta poteſtas.* Gail. *2. obſ. 55. 56. 57.* Johan. Köppen. *deciſ. 59. per tot.*

10 *Non autem* immane latrocinium & immenſum *hoc furti genus probare nobis poſſunt* (6) illi, qui politicam eſſe regulam jactant, premendos ferocientes & regnantibus periculoſos civium ſpiritus, adimenda ea, ad quæ ſi reſpexerint, ſuperbia & opum conſcientia obſequium excutere poſſunt: ut eſt Italorum proverbium, bona ſubjectis populis ſenſim & quaſi guttatim inſtillando; mala ſimul & ſemel ingerenda, Conneſtag. *libr. 4. de Bell. Belgic.* In Magnates ea cautio valeat, illis honores atque opes, ne majora, quàm par eſt, concupiſcant, parcè diſtribuant. Plebs eo nos metu liberat, quæ vilis humi ſerpit, & animo prædita eſt nunquam aſſurgente ſublimibus conſiliis & cogitationum magnitudine. Cererem & Bacchum, otiique dulcedinem innoxâ ſtupiditate colit; & raro in alios, quàm qui ad hæc numina avaras & inſtabiles manus porrexerant, exarſiſſe legitur; eaque bona ſua pertinaciùs defendit, aut it recuperatum, quia ſola æſtimat, & horum intuitu omnium aliorum obliviſcitur. Exemplo ſit Hebræus popu- 11
lus, qui etſi in Ægypto graviſſimam ſervierat ſervitutem, à Pharaonis miniſtris continuis laboribus ita preſſus, ut vix reſpirandi haberet facultatem, in victûs tamen & rerum neceſſariarum abundantiâ facilè oblitus eſt libertatis. Poſtquam verò ſtupendis Dei Omnipotentis miraculis & potentiâ ineffabili velut manumiſſi illi Palæſtinam versùs per loca omni ſolitudine vaſta iter facerent, & initio panis, mox aqua, denique carnes deficerent, non ſemel duriſſimum ſervitutis jugum, & ollas Ægyptias optare ſuſtinuerunt.

Romani, quo Gallos recens domitos 12
quietos tenerent, non efficacius ullum exiſtimabant remedium, quàm omnes ditescendi illis præbere occaſiones. Quæ res tam feliciter illis ceſſit, ut de populis illis, qui bellicoſiſſimi olim erant, *Tacitus ſcribat* (6) veluti de re, in qua præter famam nihil duraverit, *Gallos quoque olim in bellis floruiſſe.* Ex quo ſatis liquet ſegnitiem cum otio intraviſſe, & opum atque divitiarum, quas collegerant Galli, ingentem vim enervaſſe illum tam armipotentem olim populum; ut Taciti tempore penè fabulæ ſimile fieri, Gallos aliquando bellicoſos fuiſſe.

At, ut capiti benè ſit, extenuandi ſunt, 13
inquies, ſubjecti. Itane? fieri haud poteſt. Nam ſi membris malè ſit, malè erit etiam capiti. Nunquid autem membris exilibus vaſtiſſimum caput imponemus? ſtipiti ampliſſimo nullas dabimus radices, tenues tantùm fibras? ornabimus faciem, deformabimus totum corpus?

Humano capiti (7) *cervicem pictor equinam*
Jungere ſi velit, & varias inducere plumas
Undique collatis membris, ut turpiter atrum
Deſinat in piſcem mulier formoſa supernè;
Spectatum admiſſi riſum teneatis amici?

Sed in expediendis bellis eſt opus multâ pe- 14
cuniâ, multis opibus; quæ ſine gravi tributorum, vectigalium, mulctarumque onere, privatarumque rerum ademptione non poſſunt coacervari; Atqui Romani non hac viâ ad amplitudinem tanti Imperii venerunt; non Perſæ, non Galli, Germani, Hiſpani,

Hiſpani, quin ubi hæc elegerunt, concidêre. Salvianus teſtatur, cùm diſcerptum eſt Occidentale Imperium, ſubjectos graviſſimis tributis fuiſſe oneratos. Idem lamentatur Gregoras accidiſſe Orientali jam la-
15 benti. Galli, Germaniqúe, ut adhuc videmus, inſtituerunt urbes ab omni ferè immunes penſione vel tributo; ſic & Hiſpani
16 olim ſuas. Quid de Alexandro dicemus, qui nullâ ferè ope numorum Imperium tantum ſibi comparavit? Robur militare eſt inprimis à Deo, virtutibus animum ornantibus, juſtâ cauſâ, exercitatione militari: ſubjecti, ubi amant Principes benè de ipſis meritos, quid non agunt? quæ pericula non ſubeunt? ut eos eorúmque Regna
17 tueantur? *Franciſcus Maria Roverius* (8) dicere ſolebat, ſibi tot eſſe in Ditionibus ſuis arces inexpugnabiles, quot hominum corda. Conſtantiſſimè namque, & ardentiſſimè à ſuis populis amabatur; ac ter à potentioribus expulſus, cùm nihil haberet, ter illas recepit: vel cunctos oportebat occidere, eiſque cor evellere, aut illi erepta reſtituere. Non enim tributis illos onerabat ullis, in tranquillitate & amore maximo omnes devinctiſſimos inter ſe, ac ſecum continebat. Sequius, ubi populi ſe vident exſpo-
18 liari. Rurſus, cum congeſtas opes habemus, & majores congerimus, in luxum labimur, ac populi noſtro exemplo delitiis effœminantur, inimicorum vultum delicatuli ferre non poſſunt. His prætereà freti, non curamus arma exercere, non curamus reliqua providere, quibus Imperia ſtant, amplificantur. Sic hoſtes faciliùs moventur ad bella contra nos ſuſcipienda, inflammati cupidini opum potiundarum, fortiúſque ob id pugnant; ubi Macedones Gazæ 19
Perſicæ deſideriis accenſi, aut Romani opes Aſiaticas conſpicati. Sic igitur divitiæ nimiæ nocent. Audi, quid inducat ſuperos cum Roma loquentes ille:

Horrenda latè (9) *nomen in ultimas*
Extendere oras, quà medius liquor
Secernit Europen ab Afro:
Quà tumidus rigat arva Nilus:
Aurum irrepertum, & ſic meliùs ſitum
Cùm terra celat, ſpernere fortior,
Quàm cogere homines in uſus.
Omne ſacrum rapiente dextrâ.

Et alibi: (10)

Quantò quisq; ſibi plura negaverit
A DIS plura feret: --- ---
--- --- *Multa petentibus*
Deſunt multa; benè eſt, cui Deus obtulit
Parcâ, quod ſatis eſt, manu.

Romani ad amplitudinem tantam 20
Imperii pervenientes pertigerunt in libertate viventes & Civitatibus plurimis, quæ in libertate vivebant, ſociis utentes; non extenuabant ſemetipſos aut exactionibus rerúmve ademptione expilabant ſubjectos.

Res itaque eò redit, veróque verius eſt, 21
membris extenuatis capiti malè eſſe, aut fore monſtroſum magnitudine ſuâ caput: Ubi enim tantum capiti tribuitur, ut auferantur omnia membris, facilè obtruncatur caput, cui membra ima & tenuia non poſſunt, aut nolunt ab ipſo oppreſſa auxilium ferre.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT CXX.

Num. 5.

(1) CUm *Pertinace Imp. &c.*] Apud Capitolinum *in vita ejus cap. 7.* Confer ſuperiùs *lib. 1. cap. 1. num. 87. (120.)* ubi eadem referuntur.

Num. 8.

(2) *Ut enim Princeps omnia poſſidet &c.*] Dictum fuit & de hoc argumento ſuprà *lib. 1. cap. 1. n. 17. (27.) & (29.)* quæ hîc repetere agere actum foret.

(3) *Ut Seneca ait &c.*] *Lib. 7. de Benef. cap. 5.*

Num. 9.

(4) *Hoc Jus latiùs declarat &c.*] Joh. Loccenius *de Jure Maritimo lib. 1. cap. 5. n. 6.* Cyriacus Lentulus *in Auguſto pag. 115.* Grotius *de J. B. & P. lib. 3. cap. 2. num. 10.* Gœdd. *vol. 4. Conſil. Marpurg. Conſil. 51. n. 23.* Ant. Capyc. *deciſ. 166. n. 4. & 6.* Knipſchild. *de fideicommiſ. Famil. Nobil. cap. 8. n. 392.* Sed probè hîc notandum, quod ex Baldo & aliis dicit Anton. Teſſaurus *deciſ. 91.* nempe, *Plenitudo poteſtatis* ſine juſta cauſa à Principe uſurpata, magis eſt dicenda *plenitudo Tempeſtatis.*

Num. 10.

(5) *Non autem &c. hoc furti genus probari nobis poſſunt &c.*] Verùm Tyrannorum proprium hoc eſt ſemper, ditisſimum optimumque ſublatum cupere, tam ut eorum prædâ diteſcant, quàm ut metum ſibi ab iis demant, ut notat Freinſhemius *ad Florum lib. 1. cap. 7. n. 3. litt. f.* Forſtnerus *in Not. Polit. ad 2. Annal. 5. n. 1. ſeqq. & ad 3. Annal. 28. n. 7. III.* Zevecot. *ad Julium Suetonii pag. 27. & 28.* Bernegger *in Quæſt. ex Tac. G. & A. quæſt. 171. &c.* Atquo ſucceſſu ſæpius id fiat, jam aliquoties annotavimus, & ex citatis Authoribus apparet.

Num. 12.

(6) *Tacitus ſcribat &c.*] In Vita Agricolæ *cap. 11. num. 6. & 1. Hiſtor. 67. num. 1.* idem inquit, Gallica gens, olim armis viriſque, mox memoriâ nominis clara. Adeò verum eſt illud, quod Marſelaer *de Legato lib. 2. diſſert. 21.* obſervat, otio multos, qui bello nequiverant, ſuperatos.

Num. 13.

(7) *Humano capiti &c.*] Sic exorditur librum ſuum de Arte Poëtica Horatius.

Num. 17.

(8) *Franciſcus Maria Rouerius &c.*] Parallellum exemplum nobis ſiſtit in Prudentisſimo Principe, Illuſtris Tubinginenſis Academiæ Illuſtri Fundatore, Eberhardo Primo Duce Würtembergenſi Latherus *de Cenſu lib. 1. cap. 1. num. 13.* qui gloriari ſolebat, quòd quovis tempore in cujuslibet ſubditi ſui ſinum caput reponere & tutus dormire poſſit; quod verò tutisſimum Principi ærarium cujusve ſubditi divitiæ æſtimentur, jam *ad cap. 1. lib. 1.* indicavimus.

Num. 19.

(9) *Horrenda latè &c.*] Horatius *lib. 3. Carmin. Ode 3.*

(10) *Et alibi &c.*] *D. libro ode. 17.*

CAPUT CXXI.

Quando & quomodo Princeps vel Reſpublica ex teſtamento vel ab inteſtato aliquid capere, eoq; Ærarium augmentare poſſit?

SUMMARIA.

1. Principis vel Reipubl. *Ærario univerſa bona & hæreditas vel pars ejus teſtamento vel codicillis, vel per donationem mortis causâ conferri poſſunt.*
2. Teſtamenta *de integris Regnis patrimonialibus facta.*
3. *Nonnulli* Impp. *hæreditates ſibi delatas repudiarunt.*
4. Imperator *litis causâ hæres inſtitui nequit.*
5. Pertinacis Imp. *de eo Conſtitutio.*
6. Antonio *probro datum, quod ab ignotis hæreditates acceperit.*
7. Teſtatorem *blandis ſermonibus allicere licet.*
8. Lege & Statuto *caveri poteſt, ut Reipubl. & Eccleſiæ legata relinquantur.*
9. Civitas *Superiorem recognoſcens num poſſit condere Statutum, ut Reipubl. legata relinquantur?*
10. Sabaudiæ Principis *Conſtitutio de legato ad Academiæ ædificationem & ſuſtentationem.*
11. Tabellionum, Sacerdotumque *inſtructio ad ægrotos.*
12. Jeſuitæ *cum morbo conflictantes monent, ut ſe hæredes inſtituant.*
13. Principes & Reſpubl. *quando ex hæreditatibus ab inteſtato decimam vel vigeſimam decerpere poſſint? & num. 14.*

E Teſtamentis quondam quoque portio cedit
Abſque inteſtato, magne Tetrarche, tibi.

1 PRinceps vel Reſpublica hæres teſtamento inſtitui, vel eidem pars bonorum liberalitatis affectu & amore patriæ (quâ nihil antiquius habendum) per modum legati, donationis mortis causâ, fideicommisſi &c. relinqui poteſt. Adeò, ut, quod Principi relictum eſt, qui, antequam dies legati cedat, Fatis conceſſit, ex Conſtitutione D. Antonini ſucceſſori ejus debeatur, *l. 58. ff. de legat. 2.* Hacque collatione nihil honeſtius, nihil laudabilius cenſeri poſſe inter vivos & apud poſteros, exiſtimat Bornitius *de ærar. lib. 9. cap. 1. & 2.* quippe quæ Patriæ fit amore, quàm omnes amare tenentur. Sic ex teſtamentis amicorum, magnam olim pecuniam accepêre Romanorum Imperatores; eorumque Fiſcus, legatis & hæreditatibus teſtamento relictis, redundabat. Auguſtus, quamvis hæreditates ad ſe teſtamento delatas liberis teſtatorum reddi juberet, nec acciperet quicquam ab ignotis; ſed ab iis tantùm, qui orbi mortui eſſent, quosque benignè cognitos haberet; Attamen immanem ſummam pecuniarum hac ratione cepit, triginta tres nempe noſtræ ætatis milliones, Bodin. *libr. 6. de Repub. cap. 2. Sic cùm Attalus Rex* (1) Eumenis filius populum Romanum teſtamento bonorum ſuorum hæredem feciſſet, populus Romanus ſub bonorum nomine etiam Regnum complexus eſt. Et poſteà cùm Nicomedes Bithyniæ rex moriens, populum Romanum feciſſet hæredem, regnum in provinciæ formam redactum eſt. Sic Libyæ pars Cyrenaica eidem ab Apione rege teſtamento relicta. Et quis ignorat regnum Ægypti teſtamento regis Alexandrini, populi Romani eſſe factum? 2

Non tamen omnes Imperatores in ea fuerunt ſententia, quinimò nonnulli ignotorum hæreditates delatas legitimè repudiarunt, nec notorum acceperunt, ſi filios haberent, ut Adrianus fecit, teſte Spartiano *in vita Adriani cap. 18.* Et Antonius Pius alio nomine dictus Aurelius, Jul. Capitol. *in vita Antonini Pii.* Et Octavianus Cæſar nunquam quicquam ex ignoti teſtamento capere ſuſtinuit, Sueton. *in Octavio cap. 66.* Nec Flavius Domitianus, nondum operum & munerum impenſis exhauſtus, ab illis accepit, quibus liberi eſſent, Sueton. *in Domitiano cap. 9.* Unde & plures illum inſtituebant vel ad invidiam aliorum, vel ut vindictam faciliùs per ipſum hæredem exſequerentur in alios. Cui tamen malo poſteà proſpectum cautúmve, non licere Imperatorem litis causâ hæredem inſtituere minùsque invidioſum viſum, neque calumniæ facultatem ex principali Majeſtate capi oportere, *l. Imperatorem 91. ff. de hæred. inſtit. l. fin. ff. qui teſtam. fac. poſſ.* Atque hoc ipſum *Pertinacis Imp.* (2) ſanctione prudentisſimè ſancitum, qui profeſſus eſt, ſe nullius aditurum hæreditatem, quæ aut adulatione alicujus delata eſſet, aut lite perplexa, ut legitimi hæredes & neceſſarii privarentur; additque Senatusconſulto hæc verba: Sanctius eſt, inopem Rempubl. obtinere, quàm ad divitiarum cumulum per diſcrimina atque dedecoris veſtigia pervenire, quòd ignotorum hæreditates repudiarint, nec notorum acceperint, ſi filios habe- 3 4 5

6 haberent. Non abs cauſa, itaque Antonio probro datum à Cicerone *Philipp. 2.* quòd etiam ab ignotis hominibus, quos nunquam viderat, hæreditates acceperit: Ciceronem verò nemo hæredem fecerit, niſi amicus.

Principes ergò ſive Reſpublicæ hîc operam dent, ut animos divitum, puta Procerum, Nobilium, Patriciorum, & aliorum perſuaſione vel exemplo moveant, flectant, & alliciant, quibuscunque modis id fieri poſſit, ut ſponte ad ſalutem Reipubl. & bo-
7 num publicum legata deſtinent. Neque enim blanditiarum uſus interdictus, ſed de jure permiſſus eſt, ita, ut quis alium ad ſibi relinquendum allicere omninò poſſit, Johan. Petr. Surdus *conſil. 373. num. 2.* ubi plures convehit. Quò etiam reſpicit JC. *in leg. 6. §. de Philoſophis 7. ff. de excuſat.* ubi hortari videtur divitiis ſuperabundantes, ut voluntariè tribuant pecuniam in utilitatem patriæ. Et ex Hiſtoriis & jure Civili paſſim liquet, quòd veteres rarò & vix teſtamenta aliasve diſpoſitiones ultimarum voluntatum confecerint, in quibus non Imperatori, ut Supremo Magiſtratui, aliquid Legati titulo, imò & univerſa bona & hæreditatem reliquerint. Coactio tamen abeſſe debet: & ne cum Caligula Teſtamenta eorum, qui Principem negligunt, ut ingrata reſcindamus, Nicol. Betſ. *de pact. famil. cap. ult. fol. 732.*

8 Conſultiùs verò cenſent quidam, ut Statuto vel certâ lege diſponatur, ut nullius teſtamentum aut donatio cauſâ mortis firma habeatur, niſi & ratio legati publici & pia habita fuerit in illo. Quemadmodum talia Statuta paſſim extant in Civitatibus.
9 Quamvis alii dubitent, an tale Statutum Civitas, quæ ſuperiorem recognoſcit, contra jus commune facere poſſit? De Principe ſummo non eſt dubium, quin talem legem in ſuo territorio condere poſſit, puta fortè ad Academiæ novæ ædificationem & ſuſtentationem. Adeò ut quicunque teſtatus vel inteſtatus deceſſerit, portionem ad hanc piam cauſam relinquere teneatur, uti de ex-
10 emplo Principis Sabaudiæ refertur. Portio ab inteſtato definiri poſſet pro ratione facultatum, fortè de mille flor. X. XX. XXX. &c. Teſtantis autem portio committenda eſt arbitrio ejusdem, cujus voluntas libera eſſe debet ad ſupremum vitæ ſpiritum.

Opus quoque hîc eſt, ut publici Tabelliones juſſu Principum & Magiſtratuum teſtatores, uti & Sacerdotes ægrotos viſitantes ipſos moneant & excitent, ne Reip. & Eccleſiæ legata denegent, & Notarii ſingula legata vel donationes, ſuper quibus inſtrumenta confecerint, in tabulas publicas (uti peculiari Statuto in Civitate Geneva cautum eſt) referant, ne Reſpub. vel Eccleſia illis defraudetur. Jeſuitæ aliique Monachi hoc probè callent, quibus convenit ægrotos ad condenda teſtamenta hortari, *ut ſonant verba Regulæ* (3) Societatis Jeſu *tit. Regulæ Sacerdotum §. fin. pag. mihi 164.* Idcirco in auriculari confeſſione illis morituris & cùm morbo conflictantibus æterna & ſpiritualia bona multa, perpetuòque manſura pollicentur, quicunque eos hæredes ſcripſerint, vel ampliſſima legata reliquerint, ut teſtatur Author. Catechiſ. Jeſuitici è Gallico in Germanicum tranſlati *lib. 3. cap. 12. in fin.* 11 12

Quin etſi in aſcendente vel deſcendente lineâ nulli prorſus, in tranſverſali verò ad ſeptimum usque gradum hæredes reperiantur, quid impedit, quò minùs ex bonis inteſtatorum Fiſco vel Ærario Reipublicæ decima pars eorum obveniat & cedat? Hoc enim pacto neceſſarii hæredes nullius rei detrimentum experientur: Collaterales verò tam procul diſſiti ſpem ferè nullam de viventis hæreditate conceperunt, adeòque de injuria ſibi facta conqueri nequeunt, cùm exiguam jacturam patiantur, & legatum ſive in teſtamento relictum ad utilitatem publicam promovendam transferatur. 13

Simili modò, ſi in Teſtamento vel quavis ultima voluntate Magiſtratui nihil relictum, nihilominus prorſus extranei hæredes inſtitui, vel extraneis legata, fideicommiſſa, aut mortis cauſâ donationes conceſſæ fuerint, non iniquum multi judicant, ut horum legatorum, hæreditatum, fideicommiſſorum, aut mortis cauſâ donationum pars viceſima Fiſco ſive Ærario Principis vel Reipubl. cedat; quandoquidem agnatis vel cognatis, neque ulli ſanguine conjuncto quidquam decedit; extraneis verò ab inteſtato ſuccedentibus juris ratione ejusmodi hæreditates acquiſitæ non ſunt, meritò decimâ nonâ parte contenti nullo pacto ſe gravari cognoſcunt, quòd vigeſima pars utilitatis publicæ causâ aliò transferatur. 14

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT CXXI.

Num. 2.

(1) S*Ic cùm Attalus &c.*] Teſtimonia de omnibus his in textu recenſitis hæreditatibus & Legatis Populo Romano relictis, vide in notis Freinshemii *ad Florum lib. 2. cap. 20. num. 2. lit. b.*

Num. 5.

(2) *Pertinacis Imp. &c.*] Ut jam dictum apud Capitolum *cap. 7.*

Num. 12.

(3) *Ut ſonant verba Regulæ &c.*] Quæ eſt in *num. 28. pag. m. 196.* Qui vocantur ad juvandos eos, qui morti vicini ſunt, ea in promptu habeant, quæ eo tempore, in quo tantum eſt momenti, uſui eſſe poſſent; tam diuque illis adſint, quamdiu ſola neceſſitas poſtulabit. Cæterùm etſi, cùm opus eſt, ægrotos ad Teſtamenta hortari conveniat, iis tamen conficiendis non aſſiſtant.

CAPUT CXXII.

De Redituum ex Juſtitiæ Adminiſtratione & præcipuè è Mediis judicialibus provenientium inſtitutione.

SUMMARIA.

1. Adminiſtratio juſtitiæ *Ærario opitulatur.*
2. Regna *ſine* juſtitia, *magna ſunt latrocinia.*
3. *Vinculum ſeu Coagulum humanæ ſocietatis eſt* juſtitia.
4. *Nulla* fortitudinis *utilitas abſente* juſtitiâ.
5. Juſtitiam & judicium *exercere munus proprium Regis eſt.*
6. *Curet* Princeps, *ut Judices & Conſiliarii juſtitiam adminiſtrent, puraſq́ manus DEO, Legi, & Regi ſervent.*
7. Maledictus, *qui accipit munera, ut percutiat* (Judex *videlicet*) *animam ſanguinis innocentis: ubi plura de avaritia Magiſtratibus ac Gubernatoribus maximè fugienda.*
8. Munera *judici non acceptanda, quæ Legibus & Reipubl. obeſſe liquet.*
9. Thebani *Principes ſuos cæcos, Conſiliarios mancos fecerunt; illos, ne eſſent perſonarum acceptores; hos, ut à muneribus manus abſtinerent.*
10. *Iniquo* Judici *pellis detrahitur, in eaq́ ad cautelam pro tribunali filius ſedere cogitur.*
11. Exemplum *ſeveriſſimum* Manlii Torquati *in filium ob munera judicantem.*
12. *Non modò non adfectandum* Judici *munus, ſed oblatum rejiciendum eſt.*
13. *Rationes aliquot, quare* Judex *capite puniendus, qui ob rem dicendam pecuniam acceperit.*
14. Juſtitia & avaritia *in uno homine non habent concordiam.*
15. Principes *erogent ſtipendium conveniens Judicibus, ne occaſionem ad captanda munera habeant.*
16. *Sæpè magnorum laborum ultimum præmium eſt* Pœnitere.
17. *Curandum, ne propter miniſtros juſtitiæ, malè audiat* Juſtitia.
18. *Ne diffidentiâ juſtæ ſententiæ, in* pecuniæ corruptelam *ſpem repoſueris.*
19. Amiſſione cauſæ *& actionis punitur, qui judicem corrumpit. Jurati adhibendi* Judicibus *Adjeſſores, Secretarii, Scribæq́ ibidem.*
20. Juriſperitus *pro Conſilio, Advocatus pro patrocinio rectè quid accipit; Judex pro ſententia non item.*
21. *An, & quomodo* munera *danda, acceptandáve? reſpondetur ad prius diſtinguendo, numer. 22.*
23. Munificentiâ *in genere & ſimpliciter conſiderata laudatur. Deo placet, n. 24. Ipſe Chriſtus acceptavit munera, n. 25.*
26. *Sanctos &* dona *obtuliſſe & accepiſſe Sacra Literæ teſtantur* ἀδώρων *vituperium.*
27. Munerum *propria, n. 28. Munerum* effectus, *n. 29. Ira ſedatur* muneribus, *n. 30. amicitia conciliatur, n. 31.*
32. Munera *in ſpecie hæc probantur, quæ Principes dant, n. 33. qui ideò Dii appellantur, n. 34.* Sportulæ, *n. 35. amicorum inter ſe invicem* donaria *36.*
37. *Quomodo danda* munera? *non omnia, n. 38. non ubique, n. 39. non ab omnibus accipienda, numer. 40.*

Juſtitiæ ſanctum & venerandum eſt jure Tribunal,
Et Themidis Myſtas multùm ſudare neceſſe eſt,
Ut ſolide enucleent ſinuoſa volumina juris.
Exque his legitimè decidant, quicquid obortum
Litium erit; Mediis è judicialibus ergo
His reditus ſunt conſtituendi legibus Aulæ.

SUnt & alii Modi ſeu Media, SINE POPULI GRAVAMINE Ærarium ſtabili- 1
endi & collocupletandi, quæ per ADMINISTRATIONEM juſtitiæ ſeſe offerunt, judicialia vel extrajudicialia; quippe originem ex judicialibus, extrajudicialibúsve actibus trahentia, eoque directa, ut tam judicantium, quàm litigantium temeritas & malitia coërceatur, prout emergens caſuum neceſſitas, rerumque utilitas exigere videbitur.

Inter maxima Dei attributa ſplendet Juſtitia, in terris eſt rerum dominatrix & dominantibus adeò conveniens, ut nullus ubique gentium ſit, qui, quantælibet Majeſtatis caput extollat, huic ſui principatûs faſces non ſubmittat.

Rex ille SALOMON non Apollinis mendacio, ſed *divinæ vocis oraculo Sapientiſſimus* (1) omnium mortalium pronunciatus, de juſtitia effatur hanc immotæ certitudinis ſententiam.

Per me Reges regnant, (2) *& legum conditores juſta decernunt: per me Principes imperant, potentes decernunt juſtitiam.* De iniquitate verò idem rurſus *dicit:* (3) *Regnum à gente in gentem transfertur propter injuſtitiam, & injurias, & contumelias, & diverſos dolos.* Et divina eſt ſententia B. Auguſtini 2
lucidæ inter Patres Stellæ comparandi *libr. 4. de Civit. Dei capit. 4. Remotâ juſtitiâ quid Regna niſi magna latrocinia?*

Ecquid per divos eſt præclarius juſtitiâ? quid præſtantius? quid homini melius? quid homini dignius? Ariſtotelem percontemur, qui *libr. 5. Ethic. ad Nicomach. c. 1.* in hæc verba ait: *Hæc una virtus omnium eſt Domina & Regina virtutum, neq́ Heſperus aut Lucifer tantam ſui excitant admirationem, ex quo factum jam eſt tritum ſermone omnium*

omnium proverbium: justitiam unam omnes
3 *virtutes reliquas continere.* Nihil magis or-
nat aut firmat Rempubl. aut conſervat Im-
perium, quàm ſervata juſtitia, inquit Imper.
Juſtinianus *in princip. Novellæ 163.* Eam-
que vinculum ſeu coagulum humanæ So-
cietatis vocat *Lipſ. 1. Monit. cap. 9.* ut proin-
de ceſſante juſtitiâ Dominorum, viciſſim
vacillare corda fidelium, rectè ſcripſerit Ro-
land. à Valle *conſil. 40. num. 35. volum. 4.*
Juſtitia enim & Æquitas Imperii nervus eſt:
& quemadmodum ſine nervis corpus mo-
veri quoquam non poteſt, niſi fortè in præ-
ceps, ut lapis: ita Edictum propter iniqui-
tatem infeſtum & inviſum Subditis, uſu va-
lere & obtinere authoritatem nequit, niſi
breve ad tempus & in ipſis tantùm initiis.
Ageſilaus interrogatus; (4) Utra virtus eſſet
præſtantior, Fortitudo, an Juſtitia? nullum
Fortitudinis uſum eſſe dixit, abſente Juſtitiâ.
4 Nam ſi omnes, *inquit*, juſti eſſent, nihil for-
titudine opus foret; nihilque ad profligan-
das injurias ullâ potentiâ, cùm ubi juſtitia
ſit, ibi nulla diſſidia, nullæ ſimultates, nul-
la jurgia, nullæ ſeditiones, nulla denique
prælia ſint; ſed pax, concordia, charitas &
unica parata ad immortalitatem via. Ini-
quitate verò & injuſtitiâ quid quæſo eſt ho-
mini turpius? quid fœdius & magis inde-
corum? magisque pœnâ & animadverſio-
ne dignum? Hinc proprium Regum mu-
nus eſt, authore Danæo *libr. 6. Politiæ Chri-
ſtian. fol. 448.* Juſtitiam & judicium exer-
cere; quod ut agant, ſunt tum à Deo con-
ſtituti, tum à populo electi. Et quoties, ut
inquit Horat. 4. *Od. 9.*

--- --- *Bonus atque fidus*
Judex honeſtum prætulit utili; &
Rejicit alto DONA nocentium.
Vultu;

Toties de illo nobis optima quæque pollice-
ri poſſumus. Notum eſt, libram juſtitiæ,
quam Aſtræa præfert, duas appenſas ſuſti-
nere lances. Non ſine gravi cauſa hoc ita
finxerunt pictores atque ſtatuarii: ſignifica-
verunt videl. debere ſuſpenſum teneri judi-
cium, neque de cauſæ juſtitia pronunciari,
niſi priùs utriusque partis rationes æquâ
5 lance penſitaſſent. Leges non ſolent con-
demnare quenquam inauditum: neque unâ
parte neglectâ, *patulæ alteri præbendæ ſunt
auriculæ.* (5) Quid enim vulgò tam notum
eſt, quàm actorem ſua quidem facta magni-
ficè efferre, Reum autem omnibus depri-
mere viribus, ne contra illum hiſcere qui-
dem audeat?

6 Principum itaque cura erit, ut Judices
& Conſiliarii *ex ſententia Pontificus* (6) *in c.
1. de ſent. & re judic. in 6.* ſtateram geſtent
in manibus, nihil odium vindicet, nihil fa-
vor uſurpet, timor exulet, præmium aut ex-
pectatio præmii juſtitiam non evertat, hoc
eſt, quo æquâ lance juſtitiam adminiſtrent,
& poſtulantibus ſecundùm leges & conſue-
tudinem loci jus impertiant, purasque ma-
nus Deo, Regi & Legi ſervent, neque En-
cenia ſeu munera ſuſcipiant, quæ excæcant
oculos Sapientum & pervertunt verba ju-
ſtorum. *Deuter, 16. verſic. 19. Deuter. 27.
verſic. 25.*

Maledictus, qui accipit munera, ut per- 7
cutiat animam ſanguinis innocentis, *Deut.
26. v. 25. & Exod. 18. v. 21.* inter proprie-
tates boni judicis refertur, quòd odio habe-
at avaritiam, *2. Paralip. 19. verſ. 6. & 7.* Rex
Joſaphat ad Judices; *Videte*, ait, *quid facia-
tis*; (7) quia non enim homini, ſed Deo ju-
dicatis, apud quem non eſt iniquitas, nec
perſonarum acceptio, nec munerum cupi-
do. De hoc Vitio (quod teſte Cicerone *in
Offic.* eſt injurioſa appetitio alienorum) di-
xit Leo *Serm. de Paſſione Domini num. 9.* nul-
lum eſſe juſtitiæ veſtigium in corde, in quo
ſibi avaritia fecit habitaculum. Et Ambro-
ſius *in c. pauper. 11. qu. 3.* docuit, ad Remp.
adminiſtrandam non eſſe admittendos ava-
ritiæ vitio uſtulatos, cùm nullum ſit offici-
um tam ſanctum, atque ſolenne, quod non
avaritia comminuere, atque violare ſoleat,
cùm ſit criminibus infinitis comes indivi-
dua. Simanc. *de Rep. lib. 6. cap. 2.* Bobadilla
lib. 1. Politic. cap. 3. n. 31. Petr. Greg. Tholo-
ſan. *lib. 47. Syntagm. jur. cap. 11. n. 16. Ejus-
modi* δωροφαγίαν, (8) avaritiam & munerum
captationem paſſim deteſtatur Sacra Scri-
ptura *1. Sam. 8. v. 3. Pſal. 15. v. 5. Proverb. 15.
v. 27. Job. 15. v. 34. Eſai. 5. v. 23. Eſai. 10. v. 1.
& ſeqq. Jerem. 5. v. 28. & 29. Amos 3. v. 10.
& 11. Amos 5. v. 15. & 16. Amos 6. verſ. 12.*
Omne munus & iniquitas delebitur, id eſt,
opes malè partæ & muneribus injuſtè acce-
ptis corraſæ ubi diſſipabuntur, *Pſal. 26. v. 10.*
Lobwaſſer:

Das iſt all ihr Luſt und Begier;
Daß man die Hand mit Geld ihn ſchmier.

*Novell. 8. cap. 17. & cap. 4. l. 18. ff. de offic. præ-
ſid. l. ſolent. 8. §. fin. ff. de offic. Proconſul. Seneca
de Benefic. cap. 9.* Gregor. *lib. 2. de Repub. cap. 6.*
Cothman. *conſil. 1. n. 370. vol. 1.* Hortenſ. Ca-
valcan. *de brach. reg. part. 5. n. 34.* poſt plures
Franciſc. Caldas de Pereira *quæſt. forenſ. in
Comment. ad l unic. C. ex delict. defunct. n. 16.
& conſil. 34.* Ludov. Molina *de juſtit. & jur.
tract. 2. diſput. 84.* noviſſimè Baptiſta Fra-
goſus Jeſuita *in Speculo Regim. Chriſtian. Rei-
publ. part. 1. libr. 1. diſput. 2. §. 2. n. 116. & §. 3.
à n. 146. & part. 2. libr. 4. §. 3. n. 28. & 29. ubi
ait*: Magiſtratus ſive Gubernatores mune-
ra accipientes, de jure Luſitano privati offi-
ciis, & ſolvere ulteriùs viginti pro uno ex o-
mnibus acceptis, quorum alterum dimidi-
um accuſanti, & alterum Fiſco applicetur.
Ita Plato dicere ſolet: *Principibus nullum
præſtantius prædiorum genus eſſe, quàm eorum
familiaritates, qui cauponari neſcirent.* Hinc
& Eſaias *cap. 1. v. 23.* arguens Hieroſoly-

mitas, poſtquam dixit, *Principes tui infideles, ſocii furum*; mox cauſam ſubjicit: *Omnes diligunt munera.* E contrario Samuel optimus Judex ita cum ſuis libera fronte diſceptat. *Si de manu cujusquam munus accepi, loquimini, & contemnam illud hodie, reſtituamq; vobis*, 1. *Reg.* 12. *verſ.* 3. Quid expreſſius dici poterat? Ut in ſumma omnem avaritiæ ſuſpicionem amoliatur, nullius muneris conſcientiam docet ſe habuiſſe, paratus contemnere, & reſtituere, ſi quid omninò exigi poſſet. Malebat enim illud reſtituere in præſenti, quàm cum uſuris reddere in futuro, & contemnere illud, honori ſatius judicabat, quàm in conſpectu Dei & omnium electorum ex ea cauſa in ævum contemptibilis adparere. Sed quid ad hanc conſtitutionem ejus reſpondit Auditor? Audi. Et dixerunt, qui? utique totus Iſrael: Nam ad omnes ſermonem dixerat; *Non es calumniatus nos, non oppreſſiſti, neque tuliſti de manu alicujus quidpiam*; eo ſcilicet fine, ut nos opprimeres & contereres. Et Paulus *Act.* 20. *v.* 33. Argentum & aurum, aut veſtem nullius concupivi, ſicut ipſi ſcitis.

Quin & ipſi Ethnici ex lumine naturæ vitium δωροφαγίας abominati ſunt, ceu peſtem juſtitiæ nocentisſimam. Memorabile exemplum præbuit *Martius Curius Dentatus*, (9) Senator Romanus, cui ad focum ſedenti, cùm Samnites ingens auri pondus attuliſſent, eo repudiato, liberè aſſeruit: Mementote, me nec acie vinci, nec pecuniâ corrumpi poſſe; neque enim præclarum eſt, aurum habere, ſed iis, qui aurum habent, imperare. Cicero *in Catone* & Plutarchus *in Apophth.* qui & addit, Curtium tunc, cùm legati venirent, rapas coxiſſe, illisque demonſtratis dixiſſe, *ſe auro opus non habiturum, quamdiu tali cibo contentus vixerit*. C. Gracchus quoque Romanorum continentiſſimus de ſe prædicavit: Ita verſatus ſum in Provincia, ut nemo poſſit verè dicere aſſem aut eo plus in muneribus me accepiſſe, aut meâ operâ quemquam ſumptum feciſſe Gell. *libr.* 15. *Noct. Attic. cap.* 12. *Alcamenes* (10) Telecli filius Spartanus, rogatus, cur munera à Maſſeniis oblata non accepiſſet, reſpondit: *Quia ſi accepiſſem, cùm legibus pacem habere non potuiſſem*; ſignificans, munera non eſſe accipienda, quæ legibus & Reipublicæ obeſſe ſolent. Auro loquente nil prodeſt veritatis oratio, Ludovic. XI. Galliæ Rex ajebat, ſe in aula omnibus rebus abundare exceptâ unâ, rogatus quænam ea eſſet, dixit Veritas. Huc ſpectat, quod Judicum corruptio (quæ Italis *Barrattaria* dicitur) prævaricationi non multum abſimilis eſt, Keller. *libr.* 2. *de Offic. Juridico-Polit. cap.* 10. Imò munerum acceptio veritatis prævaricatio à D. Gregorio appellatur *in cap. qui rectè* 66. *cauſ.* 11. *quæſt.* 3. Borell. *de compromiſſ.* §. 3. *gloſſ.* 4. *numer.* 96. & *latè tract. de Reg. Cathol. præſtant. cap.* 21. quia, ut ait Sapiens *Proverb.* 17. *verſ.* 23. Impius de ſinu accipit (der Gottloſe nimt heimlich gerne Geſchencke) ut pervertat Semitas judicii. Judicium autem quatuor modis eludi, veterum ſcitis traditum eſt:

Quatuor iſta, Timor, Munus, Dilectio, Rancor,
Sæpè ſolent hominum rectos pervertere ſenſus.

Et veriſſimè Poëta canit:

—— *Victa eſt Sapientia lucro.*

Pulchrè Scaliger:

Væ judiciis, muneribus quæ infatuantur;
Hos dira manet Tartareis pœna barathris,
Juſtè ut patiantur, malè qui juſta pararunt.

Avaritia certè omnium eſt radix & mater malorum, maximè quando non privatorum, ſed Judicum inhæret animabus: illum namque videns omnia auro vendentem, & præſumens, quicquid egerit illicitum, hoc pecunias dando redimet; unde homicidia, adulteria, invaſiones, vulnera, concuſſiones, raptus virginum, & commerciorum confuſio, & contemptus legum & Judicum, uti habetur in Authent. *ut Judic. ſine quoque ſuffrag. in princip.* §. *adminiſtratione.* Et Authent. *de Judic.* §. *ſi quis autem, collat.* 6. Non licet juſtum judicium judici vendere, etſi liceat Advocato juſtum patrocinium vendere, & Juriſconſulto rectum conſilium, *cap. non licet.* 11. *quæſt.* 3. *cap. pauper.* 11. *quæſt.* 3. *ubi dicitur: Pauper dum non habet, quod offerat, non ſolùm audiri contemnitur, ſed etiam contra veritatem opprimitur.* Bellè Batillius Emblemat. 201. ad Franciſc. Pithoeum JC.

Quæ propero curſu refugit dum conjugis uſum,
Vincebat quoſvis ante puella procos.
Tollendi aureoli remorata cupidine mali
Victori Hippomeni mox potienda venit.
Pauci adeò, qui non projecto munere capti
Declinent curſus ſuſtineántve ſuos.

Thebani Principes ſuos cæcos; Adſeſſores verò & Conſiliarios ἀχείρας ſeu mancos fecerunt: illos quidem cæcos, ne eſſent προσωποληψίᾳ reſpiciendo perſonas; hos verò manibus deſtitutos, ut à muneribus jus omne ſubvertentibus manus abſtinerent. Quo nomine peſſimè audivit Claudius Imper. qui Narciſſum & Pallantem tantùm acquirere, ut ait Sueton. *cap.* 29. ac rapere paſſus eſt, ut cùm aliquando de Fiſci tenuitate quereretur, non inſulsè quidam dixerit, illum abundaturum, ſi à duobus libertis in ſocietatem, conſortiumque reciperetur.

Verus Princeps eſt, *Themiſtius ait*, qui auro eſt inexpugnabilis. Hinc & *Bion* dixit, oportere Principem Magiſtratu diſcedentem non ditiorem, ſed clariorem evadere.

Rex

10 Rex CAMBYSES, teſte Valer. Maxim. *libr. 6. cap. 3.* mali cujusdam Judicis ex corpore pellem detractam Tribunali intendi, in eaque filium ejus judicaturum conſidere juſſit, atque ita Rex atroci atque novâ pœnâ judicis, ne quis poſteà corrumpi Judex poſſet, providit; ſimul innuens, eam perditam Rempubl. eſſe, ubi haſtis (*ut ajunt*) argenteis pugnaretur: ubi locus nullus eſſet rectè factis & rationibus æquis, ſed largitionibus & aſſentatione omnia expedirentur, exploſâ Juſtitiâ, quæ omnium domina & regina virtutum eſt, major omni potentiâ, viribusque humanis præſtantior. Egregium hoc Cambyſis factum laudat Bald. *in Comment. ſuper leg. 12. Tabul. leg. 25.* & Alexand. ab Alexand. *libr. 3. Dier. Genial. capit. 5.* qui pariter commemorat, de Perſarum Rege *Dario*, quòd *Sandocem*, (11) Cunæ Æolidis Præfectum, cruci affixerit, eò quòd pecuniâ corruptus injuſtè judicarat.

11 T. MANLIUS TORQUATUS, dum Decium Silanum ejus filium propter munera quendam judicaſſe reperiiſſet, eum è *ſua domo abdicavit*, (12) quo facto, ex triſtitiâ filius ſe ſuſpendit, cujus funeri pater *ne intereſſe quidem voluit*, (13) Author eſt idem Valerius Maxim. *libr. 5. capit. 8.* IMBERCORTUS & Cancellarius Burgundiæ capite ſunt damnati, eodem ſupplicio poſtmodum affecti, non quòd proſtituiſſent judicium, aut aliquod affectaſſent munus, ſed quòd oblatum non recuſaſſent, Cominæ, *lib. 8. com-*
12 *ment. fol. 607.* Exſtat quoque hac de re *Lex. XII. Tabb.* (14) JUDEX, QUI OB REM DICENDAM PECUNIAM ACCEPISSE CONVICTUS EST, CAPITE PUNIATUR.

13 Neque deſunt pœnæ rationes: Quia 1. non tanquam ad nundinas & mercatum; ita ad Reip. gubernacula eſt accedendum. 2. Magiſtratus præmium eſt honos: ulteriùs aliquid qui appetit, tyrannus fit: neque quisquam Reipublic. unquam benè conſulet, qui compendii ſui rationem habet. 3. Perfidia contra omnia divina & humana jura cenſenda, cùm quis jusjurandum ſuum pecuniâ vendit, Gell. *libr. 20. c. 1.* Apud Athenienſes ex inſtituto Solonis Judices jurabant, ſe munera non accepturos, Rævard. *lib. 1.*
14 *variar. c. 8.* Juſtitia enim & Avaritia in uno homine nunquam habent concordiam; Anton. de Guevarra *lib. 3. Horolog. Princip. cap. 6. num. 475.*

Leges Romanæ præſidibus concedebant eſculentorum & poculentorum, quæ intra dies proximas conſumi poterant, acceptationem. Sed neque illa & *Magiſtratui & judici amplectenda* (15) eſſe, cenſet graviſſimè Greg. Tholoſ. *lib. 2. de Repub. cap. 6. num. 16.* Cùm & in minimis turpis ſit affectio, imò longè turpior & ſordidior cupiditas, quàm in majoribus, Chryſoſt. *in 1. Epiſt. Timoth. Homil. 3.* Tiraqu. *leg. connub. 7. num. 17.*

Hæc & alia in Aulis Magnatum parùm attendi videmus, utpote in quibus publico & peſſimo Subditorum incommodo δωροφαγία dominatur, adeò, ut qui ſunt præpotentes, ſint etiam venales, amicitiâ & gratiâ Principum proſperè in perniciem Reipublicæ abutentes, ut loquitur Annib. Scotus *libr. 4. Comment. in Annales Tacit. fol. 304. num. 19. & ſeqq.*

Et paſſim (proh dolor!) in Statu Politico inter quosdam Judices, Conſiliarios, Procuratores, Præfectos, Conſules, Scribas, aliosque Officiales corruptiſſimo hoc ſæculo corruptiones & ſordes invaluerunt, & frequens admodùm eſt illicita munerum acceptatio. Ipſi autem Principes non tam 15
mandato, quàm diſpenſatione gratioſâ manu ſufficiens Judicibus erogarint ſtipendium, quo vitam cum honeſtate huic ordini convenienti & Principibus laudabili ſuſtentare ac traducere poſſint, ut Tholoſ. 2. *de Republ. c. 6. num. 16.* Melius, *inquit*, conſultum omninò Reipublicæ, ſi Principes aut Populus Magiſtratibus ſuis ex publico ſalarium conſtituant ſufficiens, ex quo commodè vivere & lucrari poſſint, & abſtinere à Subditorum loculis, &c.

Querelæ enim iſtorum acerbæ ſunt, qui ſtudiorum ſuorum, officiorum, lectionis aſſiduæ, actionis continuæ, peregrinationis moleſtiſſimæ præmia capiunt vilia, & majori cognitioni, non ſuis lucroſa, ut ille Aulicus loquitur:

Contrivi miſerè miſer tot annos 16
Guſtando mala, gratias agendo,
Sperando, ingenuèque ſerviendo,
Tantorum mihi præmium laborum
Sunt, ſapere atque pœnitere.

Ne verò boni & benefici Principes quiritationes ejusmodi audire cogantur, qualem fratres illi Anglicam ſcriptam reliquerunt:

Vitam, animam, operam, ſumptus impendimus Aulis:
Præmia pro meritis quæ retributa putas?
Aula dedit nobis reſcripta, notata papyro,
Et ſine mente ſonos, & ſine corde manus.

Obnixâ curâ in id incumbent unicè, ut Conſiliariis ſuis indefeſſos labores & officia juſta recompenſent munificentiâ, & judicibus ex publico ſalarium conſtituant ſufficiens. Sic enim fiet, ut lites citiùs & ſine aliqua ſpe lucri, dirimantur. Neque ejusmodi ſtipendiis proviſi facilè & ex improviſo mutabunt locum, ſed tantò majorem litibus finiendis operam navabunt; Absque hoc reſpectu Principes ſalaria Officialium amputantes, neque publicæ honeſtati, neque juſtitiæ conſulere, ſcripſit Theod. Reinkin. *tract. de regim. ſæcul. claſſ. 2. c. 12. num. 18.*

Exhauſti enim non rationem muneris, ſed munerum oblatorum conſiderant, & lubentiùs in ſe numorum, quàm argumentorum expendendis ponderibus occupantur: cujusque gravior eſt manus, ejus quoque cauſam meliorem videri pronunciant, Muret. *in Orat. de offic. judic. 18. vol. 1.*

Congruo autem ſalario præſtito, magiſtratus & judices non poſſunt pro ſuo officio exercendo quicquam ampliùs accipere, quia qui plus accipit, quàm ei debeatur, peccat contra juſtitiam cum onere reſtituendi; ſicut qui plus accipit ultra taxam pro vino, aut tritico, tenetur reſtituere, cùm transgrediatur pretium juſtum, niſi intelligat, liberali voluntate ſibi fuiſſe donatum. Unde & ſi Officiales & Judices conſtituto certo ſtipendio nihilo ſeciùs munera receperint, & pecuniâ corrupti injuſtitiam fecerint, mulctis ſubjugari poterunt, ita, ut ſi cauſa civilis ſit, dati triplum, promiſſi duplum refundant, ſi verò criminalis, non duplum aut triplum, ſed omnia omittant bona, Fiſco poſt-
17 modum adplicanda: Ne propter abuſum miniſtrorum juſtitiæ, ipſa juſtitia malè audiat, & cum eadem Societatis publicæ ſalus periclitetur, text. expreſſ. eſt *in Authen. novo jure §. 1. C. de pœn. jud. qui malè judic. & l. 1. in fin. C. ad L. Jul. repetund.* Menoch. *2. de A. J. 2. caſ. 342. num. 14. & 15.* ubi dexterè explicat, per hanc authenticam non eſſe ſublatam pœnam quadrupli, de qua *in l. 1. in fin. Cod. ad L. Jul. repetund.* dicitque, quòd diſpoſitio *d. Authen.* propriè procedat in noſtra materia, videlicet in judice judicante per ſordes: Diſpoſitio autem *dict. l. 1.* procedat in eo adminiſtratore, qui habitatores diripuit, & nudavit; & ſic videtur concludere, quòd una lex non tollat aliam, ſed utraque locum habeat, ſecundùm caſuum diverſitatem. Decian. *tract. criminal. lib. 8. c. 39. num. 15.* Farinac. *in prax crim. part. 3. qu. 111. num. 59. & 69. & ſeq.* Bapt. Fragoſus *d. num. 29. ubi inquit*, illud quadruplum, vel triplum non applicari Fiſco, niſi quando reperta fuerit turpitudo, tam in dante, quàm in accipiente; ea verò reperta in uno duntaxat, non verò in utroque, adjudicabitur dimidium quadrupli vel tripli Cameræ Regiæ, & dimidium alteri parti.

18 Eadem pœna, ſi non major, manet illum, qui diffidentia juſtæ ſententiæ, in pecuniæ corruptelam ſpem negotii repoſuerit, Farinac. *d. quæſt. 111. num. 98.* Eſt enim pecunia hæc turpiter data, proindeque repeti non poteſt, text. *in l. 3. §. 2. ff. de condict. ob turp. cauſ.* Sed Fiſco applicanda venit, Fa-
19 rinac. *dict. loc. num. 62. & 107.* Amiſſione quoque cauſæ & actionis punitur, qui judicem corrumpit, text. ad literam *in l. 1. Cod. de pœn. jud. qui malè judic.* Quòd ſi Judex non acceptâ pecuniâ, ſed aliàs dolo & per ſordes injuſtè agat, non ſolùm tenetur parti ad intereſſe in ſolidum, ſed etiam in quantum Religioni judicantis æquum videbitur, poterit ultra intereſſe condemnari & pœna Ærario adſcribi, Farinac. *d. quæſt. 111. num. 366.* ubi hanc materiam plenè perſequitur. Et Franciſcus Ripa *in l. 4. §. hoc ait. num. 95 ff. de damn. infect.* ait; Judicem mulctare contumaces, ac pœnas Fiſco adſcribere, vel officium interponere in exactione debitorum fiſcalium, negligentem privandum omnibus ſalariis, & emolumentis acquiſitis in officio.

Sicut autem avaritiæ & cupiditati Ju- 20
dicum, à tramite juſtitiæ deviantium, obviam iri poteſt mulctis, aliisque pœnis à jure definitis; ita quoque Adſeſſores, Secretarii, Scribæ judiciorum à corruptione alieni, officio ſanctè perfungi, & non niſi jurati functioni adhiberi debent, *l. rem non novam, C. de judic. l. 1. C. de Adſeſſor.*

Sed quid, ſi Judex pecuniâ acceptâ juſtam pronunciavit ſententiam? Ne hoc quidem facere poteſt. Cur ita? Quia gratuitam operam debet litigantibus, idque propter periculum, quod ſubeſt, maximum. *Munera enim vel Sapientum oculos excœcant;* (16) ut ſuprà dictum; Præſtat igitur, in cauſis etiam juſtis ſervare puras muneribus manus, quàm *anceps hoc corruptelæ periculum ſubire.* (17) Hinc & is crimen contrahere dicitur, qui Judici aliquid dedit, ut ſecundùm ſe in bona cauſa pronunciaret, *l. 1. §. fin. ff. de condict. ob turp. cauſ.* Alia ratio eſt Juriſperitorum & Advocatorum, qui ſalarium & honoraria & munera à Conſultoribus atque clientibus ſuis accipere non prohibentur. Hîc enim illa ratio ceſſat jam. Ut enim Juriſperitus vel Advocatus fortè ſe corrumpi ſive muneribus ſuffarcinari patiatur, ut injuſtum præbeat conſilium vel patrocinium, adhuc tamen reſtat Judex, qui illam iniquitatem corriget. At ſi ipſe Judex corruptus ſit, quid conſilii ampliùs ſupererit? Nicol. Rittershuſ. *libr. 2. ſacrar. lect. capit. 2.* ubi Auguſtinum *c. 54. ad Macedonium* adducit, pulchrè hac de re diſſertantem.

An ergo nullo caſu erogare & accepta- 21
re poſſint munera conſcientioſi? Et quis dandi & accipiendi modus ſit? non inconcinnè quæritur. Prior quæſtio concernit *rem ipſam;* Poſterior *rei modum.* Pro reſolu- 22
tione primæ quæſtionis ſcire expedit; quædam munera ſalvâ conſcientiâ dari & ſumi, poſſint *in genere & in ſpecie.*

In genere donaria dari & acceptari poſ- 23
ſe conſtat, (1) ex ſingulari eorundem elogio, quo appellantur *benedictio, Geneſ. 33 verſ. 11.* Jacob dixit Eſavo, *Eſto mihi propitius & ſuſcipe benedictionem (id eſt, munera) quam attuli tibi, 1. Reg. 25. verſ. 27.* Abigail ad Davidem ait conſimiliter, *ſuſcipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi Domino meo,*

meo, cap. 30. verſ. 26. David ipſe ad cognatos ſuos; *Accipite benedictionem de præda hoſtium Domini, 4. Reg. 5. verſ. 15.* Naaman *Syrus* Giezi ſic alloquitur; *Obſecro, ut accipias benedictionem à ſervo tuo.* Confer *2. Corinth. 9. v. 5. & 6.*

24 II. Ex divino beneplacito. Vid. *Num. 18. v. 6. & 7. Adferte munera terribili,* mandatur *Pſalm. 76. v. 12.* Reges, Gentes & Inſulæ dicuntur munera adferre Deo, *Pſal. 45. v. 13. Pſal. 68. v. 30. Pſ. 72. v. 10. Eſai. 18. v. 6. c. 60. v. 6. Soph. 3. v. 10.*

25 III. Ex Chriſti ipſiusmet facto; quippe qui munera Magorum ex Oriente cum parentibus ſuis non reſpuit, apertis enim theſauris obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham, *Matth. 2. v. 11.* Quin & à piis quibusdam mulierculis benè multis accepit, quæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis, *Luc. 8. verſ. 2. Et dixi ſuprà lib. 1. capit. 2. numer.*

26 IV. Ex Sanctorum exemplo, qui dona obtulerunt & acceperunt, *Gen. 20. v. 16. c. 25. v. 6. c. 32. v. 14. 15. c. 43. v. 11. & 26. c. 45. v. 22. 23. Jud. 3. v. 15. c. 8. v. 24. 25. 26. Ruth. 3. v. 15. 1. Reg. 25. v. 18.*

David dona miſit de præda Senioribus, Juda proximis ſuis, *1. Reg. 30. v. 26. Thou Rex Emath,* Davidi dedit vaſa aurea & argentea *2. Reg. 8. verſ. 10.* Hiram Salomoni præbuit ligna cedrina & abiegna, & aurum, *1. Reg. 9. verſ. 11.* Regina Saba donavit centum & viginti Kikar auri (millies mille, quadringenties, & quadraginta mille coronatos) & gemmas pretioſas, & aromata, de quibus Spiritus S. teſtatur, non eſſe ultra tam multa allata, *3. Reg. 10. v. 10.* Sed & ipſa accepit à Salomone *v. 13.* omnia, quæ voluit & petivit ab eo, exceptis his, quæ eidem obtulerat ultrò munere Regio. Rex Babyloniorum Berodach, munera miſit ad Hiskiam *4. Reg. 10. v. 12.* Jobo ſanitati priſtinæ reſtituto Amicorum unusquisque dedit Keſita unum (*numus erat apud antiquos agni, vel agnæ imagine ſignatus:*) & frontale ornamentum aureum, *Job. 42. v. 11.* Magiſter militiæ donavit Jeremiam cibariis & munuſculis, *Jerem. 40. v. 5.* Nabuchodonoſor Danieli munera dedit multa & magna, *Dan. 2. v. 48.* Bethuliani Judithæ, *Jud. 15. v. 13.* Jonathas Alexandro, *1. Maccab. 10. v. 60.* Et quæ alia in ſacris ſunt relata magno numero.

27 V. Ex ἀδώρων vituperio; Qui enim Saulum, Regem electum, deſpexerunt, & non attulerunt ei munera, ſeveriùs à Spiritu Dei objurgantur, vocanturque *filii Belial.* (18) *1. Reg. 10. v. 27.*

28 VI. Ex laudabili munerum proprio, quo ea ex dantis parte ſigna ſunt obſervantiæ, gratitudinis & amoris, quæ omnia ex Dei præſcripto omni modo & opere debentur proximo. *Ex accipientis parte* ſigna exiſtunt animi benevoli & ad gratitudinem ſe obligantis: quod utrumque ex Hiſtoricis in medium productis facile obtineri poteſt.

VII. Ex minimè culpando effectu, qualis eſt (1) Prudentiæ declaratio, *Prov. 17. v. 8. Gemma gratiſſima munus in oculis Domini ſui, quocunque ſe vertit, prudens habetur:* (2) gratificatio, *Prov. 18. v. 16. Donum hominis dilatet viam ejus & ante Principes ſpatium ei facit:* (3) expiatio, ſicut de Eſavo Jacobus inquit *Gen. 32. v. 20. Placabo illum muneribus, quæ præcedunt, & poſtea videbo illum, forſitan propitiabitur mihi.* Hinc & Ethnicus Poëta: 29

Munera, crede mihi, placant homines, & Deos,
Placatur donis Jupiter ipſe datis.
Quid faciat ſapiens: ſtultus quoque munere gaudet:
Ipſe quoque accepto munere mitis erit.

Idem Ovid. 3. *Faſtor.*

Sæpè Jovem vidi, cùm jam ſua mittere vellet
Fulmina, thure dato ſuſtinuiſſe manum.

VIII. Iræ extirpatio & animi ſedatio *Proverb. 21. v. 14.* Munus abſconditum extinguit iras, & donum in ſinu indignationem magnam. 30

IX. Amicitiæ conciliatio, *Proverb. 19. v. 6. Quivis amicus viro dona tribuenti.* 31

Ex hisce omnibus manifeſtum fit, quædam munera dare, & accipere licere per conſcientiam. *In ſpecie* probationem merentur munuſcula ſequentia. 32

I. *Principum data.* Horum certè eſt in gratiæ documentum & meritorum compenſationem dona elargiri, quandoquidem à munificentia vocitantur εὐεργέται, *Luc. 22. verſ. 25.* Ideò & Deorum nomine condecorantur, quos benefaciendi ſtudium Deo quàm maximè reddit ſimile. Qui enim beneficium dat, Deum imitatur, *ait* Seneca *libr. 3. de Benefic.* Præter ſuprà adductos Reges & Principes Titus Veſpaſianus propter morum facilitatem & εὐεργεσίαν dictus fuit *amor & deliciæ generis humani,* (19) quia tam comis fuit & liberalis, ut nulli quidquam negaret. Quod quum Amici reprehenderent, fertur iis reſpondiſſe, *neminem à ſermone Principis triſtem diſcedere oportere.* Quin & exiſtimavit *diem ſe perdidiſſe, quo nihil cuiquam præſtitiſſet.* Aurel. Victor. & ex eo Anton. Guevarra *lib. 3. Horolog. cap. 31.* Et quia tam munifica & gratioſa elargitio fit bonâ conſcientiâ, ideò & gratiæ acceptio, vi relatorum, pejori fieri nequit, præſertim quoniam dies noctesque fideles miniſtri Magiſtratibus ſuis ſua deferunt, præſtantque Officia & ſervitia ſubjectiſſima multis devoratis moleſtiis, pluribus exhibitis laboribus; & ſudoribus, nec paucioribus deguſtatis periculis. 33 34

II. *Spor-*

35 II. *Sportulæ*, quæ æquitate gaudent & ex gratitudinis ſcaturigine profluunt, juxta illud tritum: *Beneficium propter officium*; Sic Levitæ jubebantur quondam de decimis ſuis decimas offerre Aaroni, *Num.* 18. *verſ.* 26. 27. 28. Sic ad Ahiam Prophetam conjunx Jeroboami ablegatur, cum decem panibus & cruſtulâ, & vale mellis, 3. *Reg.* 14. *v.* 3. Et Samueli à Saule ſportula offertur, ſeu donum pecuniarium & quarta pars ſicli, 1. *Reg.* 9. *v.* 7. & 8.

36 III. *Varia amicorum donaria*, quæ & in Scriptura, & in antiquitate, & in honeſtate, & in æquitate ac Chriſtiana charitate certa habent fundamenta & veſtigia; utpote Patrimonium & bona hæreditatis, dos, Arrha, & Strena boni ominis gratiâ in anni exordio oblata; Quid dicendum de Numis confeſſionariis Beichtpfenningen? Vid. Conſilia Facultatum Theologicarum Lipſienſis & Wittebergenſis vol. I. Theſ. Theolog. Dedekenni p. 2. p. 735. 736. 737. 738. 739. Videatur quoque D. Joan. Gerhardi *tom.* 6. *loc. commun. fol.* 519. & 520.

37 Modus autem & *Chriſtiana modeſtia*, ſeu *moderatio* ubique ſtudioſè obſervanda; quam veteres egregio *hoc axiomate*, (21) argutè circumſcripſêre; Nec omnia, nec ubique, nec ab omnibus. Nam valdè inhumanum eſt, à nemine accipere; ſed paſſim viliſſimum; & per omnia avariſſimum.

38 Non omnia dare licet; non injuſta, quæ malo titulo poſſidentur, quum donandum ſit de propria ſubſtantia bene partâ, *Prov.* 3. *v.* 9. *Tob.* 4. *v.* 7. nec juſtè obtenta univerſa, *Proverb.* 5. *v.* 16. & 17. Abundantia quidem noſtra ſupplementum eſſe debet aliorum inopiæ, ut fiat æqualitas, ſed aliis non debet eſſe relaxatio & nobis ipſis tribulatio, 2. *Cor.* 8. *v.* 13.

Non ubique dare licet, partim ex eodem 39
fundamento, ne opes noſtræ exhauriantur penitùs, partim perſonarum reſpectu, quibus aliquid erogandum. Nam in ſcurras profundi dona, in moriones, in aſinos ineptos, in immerentes, & in indignos beneficia conferri, prudentibus non placet. *Si benefeceris*, docet Siracides *cap.* 12. *v.* 1. 2. 3. 4. *ſcito, cui feceris, & erit gratia in bonis tuis multa. Benefac juſto, & invenies retributionem magnam; & ſi non ab ipſo, certè à Domino. Non eſt enim ei benè, qui aſſiduus eſt in malis, & eleemoſynas non danti: & pp. Da bono & non receperis peccatorem, &c.*

Non ab omnibus accipere licet; non ab 40
enormiter impiis, quorum ut converſatio, ita & remuneratio fugienda, 2. *Cor.* 6. *n.* 14. *Nocet magis, quàm prodeſt, munus improbi*; neque à *pauperculis*, qui ipſi indigi ſunt alieni ſubſidii; ſed ab opulentis, qui citra damnum fortunarum donare aliqua poſſunt; & ab illis, quos noſtris officiis meritisque nobis devinximus.

Summatim dicendo; *Magnos magna decent. Beatius eſt dare, quàm accipere*, verbum Salvatoris noſtri fuit, *Act.* 10. *num.* 35. Et hoc Pauli: *Hilarem datorem diligit Deus*, 1. *Cor.* 9. *v.* 7. A domo verò ingrati, qui reddit mala pro bonis, non recedet malum. *Prov.* 17. *verſ.* 13.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT CXXII.

Num. 1.

(1) D*ivinæ vocis Oraculo ſapientiſſimus &c.*] Sic enim Deus ad Salomonem 3. *Regum* 3. *v.* 12. Dedi tibi cor ſapiens & intelligens, in tantum, ut nullus ante te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit.

(2) *Per me Reges regnant &c.*] *Proverb.* 8. *v.* 15.

(3) *Dicit &c.*] Apud Eccleſiaſticum *cap.* 10. *v.* 8.

Num. 3.

(4) *Ageſilaus interrogatus &c.*] Plutarchus *in Lacon. Tom.* 2. *Oper. pag.* 213.

Num. 4.

(5) *Patula alteri præbenda ſunt auricula &c.*] Exemplo Alexandri M. De quo Plutarchus *in vita ejus Tom. I. Oper. pag.* 689. Jam initio quum judicia capitalia diſceptaret, fama tenet manum eum alteri auri, dum diceret accuſator admovere ſolitum, reo ut alteram integram & intactam ſervaret à Calumniis.

Num. 6.

(6) *Ex Sententia Pontificis in c.* 1. *&c.*] Caveant, inquit Innocentius IV. *ibid.* Eccleſiaſtici (*& quidni omnes?*) Judices, & prudenter attendant, ut in cauſarum proceſſibus, nil vindicet odium, vel favor uſurpet, timor exulet, præmium aut exſpectatio præmii Juſtitiam non evertat, ſed ſtateram geſtent in manibus, lances appendant æquo libramine, ut in omnibus, quæ in cauſis agenda fuerint, præſertim in concipiendis ſententiis & ferendis præ oculis habeant ſolum Deum: illius imitantes exemplum, quem querelas populi tabernaculum ingreſſus ad Dominum referebat, ut ſecundùm ejus Imperium judicaret.

Num. 7.

(7) *Videte, ait, quid faciatis &c.*] Non enim, ut verba Scripturæ ſonant ipſa, hominis exercetis judicium, ſed Domini, & quodcunque judicaveritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite: non eſt enim apud Dominum Deum noſtrum iniquitas, nec perſonarum acceptio, nec cupido munerum.

(8) *Ejusmodi δωροφαγίαι &c.*] De vitio hoc & acceptione munerum vide, ſi placet, annotationes noſtras ad Politicum Sceleratum *cap.* 29. *pag.* 299. 300. 301. *ſeqq.*

(9) *M. Curius Dentatus &c.*] De quo jam ſuprà diximus.

(10) *Alcamenes &c.*] Plutarchus *in Apophth.*

Lacon.

Laconicis Tom. 2. Operum pag. 216. ubi & hoc ejuſdem Reſponſum refert, interroganti, quo quis pacto regnum optimè conſervaret datum, nempe, ſi lucrum poſthabeat.

Num. 10.

(11) *Sandocem &c.*] De Capto cum Xerxianis Arteniſeum ſuavibus Duce earum Sandoce ita Herodotus *lib. 7. cap. 194.* ſcribit Xerxianæ naves ſtationem habuerunt Aphetæ; quarum quindecim, quæ longæ ultimæ appellabantur, proſpectis Græcorum ad Artemiſium navibus, ratæ ſuas eſſe, in medium parum & ad hoſtes delatæ ſunt: quarum Dux erat Sandoces Thaumaſii filius Cunæ Æolidis præfectus: quem antè Darius ob hanc cauſam captum cruci affixerat, quòd quum è Regiis Judicibus eſſet, iniquam ſententiam ob pecuniam tulerat. Sed ejus in Cruce ſuſpenſi Darius reputans plura peccatis eſſe beneficia in domum Regiam collata, hoc reperiens agnoſcensque properantiùs ſe, quàm prudentiùs egiſſe hominem ſolvit. Ita Regem Darium elapſus ac vitæ reſtitutus, tunc in Græcos delatus, non iterum erat elapſurus.

Num. 11.

(12) *E ſua domo abdicavit &c.*] Sententiam talem ferens: CUM SILANUM FILIUM MEUM PECUNIAS A SOCIIS ACCEPISSE MIHI PROBATUM SIT, ET REPUBLICA EUM ET DOMO MEA INDIGNUM JUDICO, PROTINUSQUE E CONSPECTU MEO ABIRE JUBEO.

(13) *Ne intereſſe quidem voluit &c.*] Imò cùm maximè funus ejus duceretur, conſulere ſe volentibus, vacuas aures accommodavit, ut Valerius Max. *loco in tx. cit.* perhibet.

Num. 12.

(14) *Lex XII. Tabb. &c.*] Stephanus Pighi *2. Annal. pag. 150.* hanc Legem his verbis concipit: JUDICEM ARBITRUMVE JURE DATUM, QUI OB REM DICENDAM ACCEPISSE PECUNIAM CONVICTUS ERIT, CAPITE PUNIUNTO. Sed cùm pœna Capitalis in Judicem ſordibus ſive pecuniâ corruptum & dolo malò perperam & iniquè judicantem, Romanis poſteà uſurarum edoctis, quam Livius eleganter dixit acerrimum Juris cenſorem atque exploratorem, nimis acerba & gravis videretur, paſſi ſunt eam Legem abire in deſuetudinem; quod Rittershuſius *in Comment. in LL. XII. Tabb. cl. 3. cap. 5. pag. 40.* (*qui omninò evolvendus*) animadvertit. Confer Magonium *in Cynoſura Advocat. cap. 24.*

Num. 14.

(15) *Magiſtratui & Judici amplectenda &c.*] Cùm olim nulli Patriæ ſuæ Adminiſtratio committeretur, *l. ult. C. de Crim. Sacril.* Proconſules & Præſides, prout cuique Provincia ſortitione obtigiſſet, re privatâ neglectâ, publicam adminiſtraturi, ad officia in longinquas terras atque Provincias proficiſcebantur: ideòque *Xenia* i. e. eſculenta & poculenta, quæ intra dies proximos prodiguntur, & quæ Hoſpiti extraneo advenienti in gratiam & teſtificationem læti adventûs dari ſolent, accipere ipſis liberum erat atque licitum, *per l. 6. §. ult. ff. de Officio Proconſ. l. 18. ff. de Offic. Præſid.* Hoc autem noſtratibus Judicibus, cùm apud Lares Domeſticos officia ſua exerceant, hodiè non convenit. Ut dixi ad Polit. Sceler. *cap. 29. pag. 306. ſeqq.*

Num. 26.

(16) *Munera enim vel Sapientum oculos excæcant &c.*] Quanta munerum vis & corruptela, cum plurimis exemplis expoſitum fuit à nobis jam antè ad Politicum Sceleratum *ad cap. 26. pag. 262. ſeqq. multis eſt ad cap. 28. pag. 299. ſeq.*

(17) *Anceps hoc corruptelæ periculum ſubire &c.*] Nam, ut Beſoldus *in Axiomat. de Conſil. Polit. cap. 11. n. 14.* cenſet, DEUM tentat, qui munera capit, & reputat ſe nihilominus integrum judicium mentemque non perverſum retenturum.

Num. 27.

(18) *Filii Belial &c.*] Quod nauci homines & malitioſos interpretantur.

Num. 34.

(19) *Amor & deliciæ &c.*] Suetonius *in Tito cap. 1. & cap. 8.*

Num. 36.

(20) Beichtpfenningen *&c.*] Adde Balduinum *de Caſibus Conſcient. lib. 4. cap. 10. caſ. 5.* Theologiæ quondam Profeſſorem in Alma Altdorffina Celeberrimum, D. Georgium König *de Caſib. Conſcientiæ cap. 5. caſ. 12.* Carpzovium *J. P. Conſiſtorialis lib. 1. tit. 7. defin. 118. & 119. &c.*

Num. 37.

(12) *Hoc axiomate &c.*] Quod continetur *in l. 6. §. 3. ff. de Offic. Proconſ.*

CAPUT CXXIII.

Proceſſuum Anfractus reſecandi, & Judicia ad priſtinam gravitatem revocanda.

SUMMARIA.

1. *Reſecentur à tribunalibus futiles inaneſq;* proceſſuum anfractus: *& ad priſtinam gravitatem judicia revocentur: ubi de Tribunalibus antiquis & hodiernis.*
2. Judex *litibus abbreviandis ſtudeat ſolertiſſimè.*
3. *Expedit prius* concordiam, *quàm Judicium tentare.*
4. *Nemo poteſt præſcripto legis cogi* ad tranſigendum, *ſed patet cuilibet ad proceſſum juris via.*
5. *Quibus caſibus poſſit* Judex *Cives ab inanibus litibus ſuſcipiendis repellere.*
6. Injuriis *publica pax turbatur.*
7. Remedium litium abbreviandarum *Fiſco expediens.*
8. *In* Ducatu Etruriæ *litigaturi ante litis conteſtationem certam numerare coguntur pecuniam.*
9. *In* Hollandia *litigantibus & fori cauſis impoſita exactiones.*
10. *Deponebant* Athenienſes *in exordio litis decimam partem ejus, ſuper quo litigabatur, quâ mulctandus eſſet temerarius litigator.*
11. Vectigal litis *à Caligula exactum; & in Gallia, num. 12.*
13. Si vectigal pro litium prurigine, *exemplo aliorum*

aliorum Regum induceretur, ſubveniretur Ærariis afflictis, & lites moderarentur.

14. Vectigalia judiciaria *Romanis uſitata.*

15. *In Portugallia* decima litis *præſtatur à Reo condemnato. Quod juri civili conſentaneum, num. 16.*

17. *Quid fiet* Actori, *ſi poſt litem conteſtatam pœniteat, cauſamq; deſerat?*

18. *Per* litis conteſtationem *duntaxat contrahitur, & Actor inſtantiæ obligatur.*

19. *Quo caſu* pœnitentiæ *locus ſit in judiciis? & num. 20.*

21. Dilationes *immortalitatis litium cauſa, & num. 22.*

23. Appellandi licentia, *cavillantium non gravatorum ſubterfugium, mulctis coërcenda.*

24. Appellationes *ab interlocutoriis quatenus admittendæ.*

25. Appellationes ab interlocutoriis *ſtatuto Romano & Concilio Tridentino prohibentur.*

26. Renuncians appellationi *mulctas luat: jure communi condemnatur in expenſas, num. 27.*

28. *Quibus caſibus* Appellationi *renunciari nequeat? Et num. 29. 30.*

31. Adhæſio appellationis *Judici intra decendium inſinuanda.*

32. Frivolè appellantes *non ſolùm in expenſas, ſed & in mulctas pecunias condemnentur, num. 33. Intellige, ſi manifeſtiſſimum ſit, eſſe frivolè appellatum, num. 34. 37.*

35. Appellatio *in dubio admittenda.*

36. Judex *in dubio debet eligere partem minùs præjudicialem utrique parti.*

38. Cautela *pro appellato, ut cauſa appellationis celerrimè expediatur.*

39. *Nimia* appellandi licentia *Statutis vel Privilegiis coërceri poteſt.*

40. Appellationis ſumma *Receſſibus Imperii præſcripta.*

41. *In* fundanda jurisdictione *judicis conſiderari debet, quid petatur, & non quid probetur.*

42. Forma Statuti *vel Privilegii ſervanda.*

43. Appellationes *in præjudicium ſuperioris omninò prohiberi vel tolli nequeunt.*

44. Statuta *appellationem prohibentia odioſa & invalida judicantur: Contrarium tenet Monter. n. 46. 47. 48.*

45. *An valeat* pactum *de non appellando.*

49. Appellationum *devolvendarum ſive recipiendarum jus, an poſſit præſcribi? & num. 50.*

51. *Remotâ* appellatione *an cenſeatur ſublata Nullitas?*

52. Evidens injuſtitia *an pro nullitate habeatur? Neg. num. 54.*

53. Sententia *notoriè injuſta non tranſit in judicatum.*

55. *In* Harpyas *forenſes animadvertendum.*

56. Litium abbreviandarum *remedia.*

Sufflaminandis immori qui litibus
Velint, foro licet videre plurimos.
Reſecentur anfractus proin proceſſuum
Authoritate publicâ, atque priſtina
Gravitas refloreat Forenſis Curiis.

1 Quandoquidem actiones forenſes malo noſtri ſæculi fato ad meras tabularum rixas degenerarunt, quibus Judicio contendentes circumducuntur; profuerit Reipublicæ futiles & inutiles proceſſuum anfractus, quantum per conſuetudines receptas & rationabiles licebit, reſecare, & ad priſcam gravitatem judicia revocare. Conqueruntur omnes, nec immeritò, de litium diuturnitate, quæ tanta hodiè eſt ubique ferè gentium, ut ſæpiſſimè uſu veniat, eos ipſos, qui victoriam quoque cum ſumptuum adjudicatione reportarunt, tam longis ambagibus vexatos ac tot ſumptibus miſerè fatigatos, ſic affici, ut lugendum ſibi potiùs eſſe putent, quòd litis alioquin inſtituendæ aut ſuſcipiendæ conſilium ab initio non abjecerint, quàm gratulandum, quòd tanto pretio nudam victoriæ gloriam compararint, Anton. Faber. *in Cod. deciſ. lib. 9. tit. 22.* Tribunalia ſive conventus ſeſſionesque *ad portas eſſe, optimi erat in Veteri Teſtamento inſtituti;* (1) erantque olim tribunalia veneratione ac gravitate valida, non vi, difficultate, duritie, calumnioſâque ingenioſitate horrentia: ſuntque Jus, fora, leges, publicæ res, quarum cuivis copia fieri debet, & promptiſſimè, ut quisque litibus ſtatim compoſitis, ad ſua & ad opus redire domeſticum poſſit. Nunc tribunalia non modò tractatu iniqua ac moroſa, ſed ipſo aditu difficilia monent quemvis, ut injuriam pati, quàm cum damno ſuum perſequi malit, Joan. Coccejus *in Comment. in Job. lib. 1. cap. 29. fol. 390.* Nec dicam, quòd hodiè quaſi ſub haſta Juſtitia veneat, & Officialium Reipub. exactionibus & corruptionibus expoſita ſit.

Judex igitur, quoad ejus fieri poteſt, *litibus abbreviandis ſtudere*, (2) & inprimis periculum facere debet, *utrum partes litigantes Transactione, mutuoq; conſenſu componere,* (3) & ad concordiam reducere poſſit, priusquam litis figuram eo nomine inſtitui apud ſe patiatur, juxta text. & gl. *in c. fin. verb. componendum extr. de transact.* Weſembec. *conſil. 21. prin. volum. 1.* Cothman. *conſil. 40. numer. 82 volum. 3.* Summæ enim imprudentiæ eſt, dubio litis eventui ac quaſi fortunæ arbitio committere id, quod componi per Concordiam poteſt. Concordia quippe dives radix eſt, altrixque otii, ſeminarium bonorum civium, leges civitatum, & illud bonum, ſine quo nemo novit ſua bona, poſt Paſchal. *in legat. c. 53. fol. 339.* Martin. Magerus à Schönberg. *tract. de Advocat. armat. c. 1. num. 74.* 2

Quo ſcopo rectè faciunt Magiſtratus, qui in ejusmodi controverſiis & diſſidiis inter cives emergentibus, primùm *verbis*, deinde *herbis*, (authore Baldo *in c. olim. num. 22. extr. de reſcript.*) utuntur, vel quod perinde eſt, initio amicabiles tractationes proponunt & tentant, tum juris remedia adhibent, & Judicis officium auxiliumque impertiunt, litigaturientibusque inculcant, veriſſimum eſſe, quod vulgò jactatur: 3

Macra

Macra concordia melior eſt pingui ſententiâ. At quia non rarò fit, ut ex innata quadam arrogantia, vel ne de cauſa deſperare videantur, nec Reus, nec Actor poſtulare concordiam velit; ideò publica authoritate conſtituantur publici Arbitri, litiumque compoſitores; Nec fas eſto, cuipiam litem movere, niſi priùs coram publicis Arbitris de re controverſa cum adverſario contenderit; Ita fiet, ut nulli ſint litis ſumptus, nulla temporis jactura, nullæ moleſtiæ; Calumniæ & diffidia ceſſent, juramentum à neutra præſtetur parte, nulla denique de litis eventu, qui anceps & dubius eſſe ſolet, ſit cura & anxietas.

4 Quamvis verò ex præſcripto legum *nemo poſſit compelli ad tranſigendum*, (4) ſed potiùs cuilibet via & proceſſus juris patefieri debeat, *l.3.§. tametſi ff. de recept. qui arbitr. l. ex ſtipulatione C. de ſent. & interloc. omn. jud.* Novell. *124. c. 4.* Concordia enim à Judice ſuaderi debet, non præcipi,
5 Menoch. *de A. J. Q. caſ.2.num. 8.* Ludov. Molina *d.juſt. & jur. diſp.32.* Nihilominus accedente habili causâ, & ubi litis temeritas adparet, aut ingens ſcandalum metuendum ſit, aut ad Reipub. turbationem res propendeat, aut pax publica violari prævideatur, armorumque periculum ſubſit, &c. his & aliis circumſtantiis prægnantiſſimisque rationibus maturè diſcuſſis, poteſt quandoque judex ex officio cives ab inani lite repellere, & ſtulta litigaturientium capita temperare, *l.84. §.fin. ff. de leg.1.* Novell.*80.c.3.d.cap.fin. ext. de transact.* Joan. Bapt. Aſin *tract. de Execut. §.3.c.133. & 139. & 140. n. 141.* Hyppol. Riminald. *conſil. 84. num. 41. & 42.* Aldovin. *conſil.70.n.28.* Rutger. Ruland. *tract. de commiſſ. lib.7.c.7. num. 3.* Ventura de Valent. *lib. 2. Parthen. litig. c.1. num. 11. & 17.* Præſertim ſi ſtatus publicus ex lite tali privatorum turbari facillimè poſſit, Gail.*2. de pac. pub. c.18 num.9. & ſeqq.* Petra *de poteſt. Princ. c.3.n.9.* Nullâ amicæ compoſitionis ſpe relictâ, leges in conſilium advocandæ ſunt, ſed quæ ſint juſtæ, utiles, & concordiam civium in Rep. celerrimè conciliantes ac promoventes.

6 Cumque lites ex injuriis (per quas publica pax & privata quies turbari ſolent Ant. Theſſaur. *deciſ. Pedemont. 18 pr.*) ſint creberrimæ hoc ſæculo, & Curiæ ſupremæ, mediæ & infimæ injuriarum exactionibus penè ſint occupatæ, hominibus ſe ipſos coërcere & intra legis naturæ (ut ſcilicet aliis faciant, quod ſibi fieri velint, nec faciant aliis, quod ſibi fieri nolint) cancellos & præſcriptum continere neſcientibus: nonnulli huic malo ita obviam iri poſſe putant, ut nimirum jure experiri volens, in principio li[illegible] pecuniæ quantitatem dep[illegible] fiſcus recipiat, victus in caſu ſu[illegible]æ amittat; & præterea more calumniatorum auſu temerario proximi famam, honorem & exiſtimationem ſugillantium & proſcindentium à judice ordinario pro loci, cauſæ, delicti, & perſonæ qualitate plectatur; & hoc tàm in Actore, quàm Reo obtineat; hactenus tamen, ut ſi ab altera parte ſententia per Appellationem ſuſpendatur, lite etiamnum pendente nihil innovetur, ſed appellatione factâ, 7
appellans vel appellatus ſuccumbens prædicto modo notetur.

Sic in Magno Etruriæ Ducatu qui li- 8
tigant in foro cauſarum, certam numerare coguntur pecuniam, antequam fiat litis conteſtatio, Joan. Ludovic. Gotofred. *in Archontolog. Coſmica pag. 478.* In Hollandia quoque Anno MDXCVI. litiganti- 9
bus & fori cauſis impoſitæ exactiones; unde florenorum L. millia quotannis provenêre, Everhard. Reidan. *annal. 13. circa princip.*

Sic Athenienſes in litis exordio depo- 10
nebant decimam partem ejus, ſuper quo litigabatur, quâ mulctabatur temerarius litigator. Caligula pro litibus atque judi- 11
ciis ubicunque conceptis exigebat quadrageſimam ſummæ, de qua litigabatur, nec erat ſine pœna, ſi quis compoſuiſſe vel donaſſe negotium convinceretur, ut ſcribit Sueton. *in Calig. c. 40.* Jul. Cæſ. Buleng. *tr. de tribut. ac vectig. Pop. Roman. c.19. & 23. in fin.* Gregor. Tholoſ. *lib.3. ſyntagmat. jur. univ. cap.10. num.7. ubi ait*, ſe vidiſſe ſuo tempore 12
hoc vectigal in Gallia, ſed, quia nimiùm crudele viſum, ſublatum fuiſſe. Lipſius tamen *lib.2.c.10.num.4.* meliùs conſuli haud potuiſſe Ærarii afflicti opibus opinatur, quàm cùm Carolus Galliæ Rex pro litium 13
prurigine Vectigal indiceret, modò gravius fuiſſet in grandia & vetera illa mala, & diuturnum: quia paulò pòſt legibus Regiis ſublatum fuit. Renat. Choppin. *de Leg. And. d. com. Gall. conſuet. præcept. n.3.*

Et certè quamvis Romani in libera Republicâ, difficillimè vectigalia ac tributa ſi- 14
bi imperari paterentur; vectigalia tamen judiciaria, etiam graviſſima, libenter tulerunt; quia ad cohibendam indomitam & effrænatam litigaturientium licentiam introducta fuerunt: Qua de cauſa hæc etiam probantur à Bodino *libr. 6. de Repub. cap.2.* Et in Regno Portugalliæ decimam litis, poſt 15
ſententiam latam à Reo condemnato ſolvi, tradit Georg. de Cabedo *deciſ. 16. num.2. libr.1.* Quod juri civili congruit, *l. generali-* 16
ter. C. de Epiſcop. & Cleric. §. hæc autem Inſt. de pœn. tem. litigant. quo tamen jure attento, tam actores, quàm rei hanc decimam ſolvebât, *Auth. de litigioſis, & de decima parte litis §. ad excludendas, collat. 8. gl. in d §. hæc autem.*

Porrò ſi Actor actione inſtitutâ, poſt li- 17
tem conteſtatam pœniteat, cauſamque deſerat, pro merito mulctam luat. Eſt enim ſpe-

peciesinjuriarum, ſi quis non debitorem quaſi debitorem compellaverit, ſive ad judicium traxerit, teſte Ulpiano *in l. 15. §. ſi quis per injuriam 3. & in l. 15. §. ſi quis non debitorem. 33. ff. de injur.* Nam quemadmo-
18 dum per litis conteſtationem quaſi contrahitur; adeò, ut ab actione vel petitione inſtituta recedi iterum nequeat, Gail. 1. *obſ. 74. num. 4. & 5.* Ita ante litis conteſtationem iſtiusmodi quaſi contractus non intelligitur celebratus, ſed datur pœnitentiæ locus, etiam poſt prorogationem Jurisdi-
19 ctionis, & ad Judicis competentis Tribunal provocari poteſt, text. expreſſ. *in l. ſi convenerit. 18.* ubi Gl. communiter recepta ab omnibus, teſte Zaſio *ibid. num. 3. & 4.* Bart. *ibidem num. 1. & 2.* & Bald. Alex. Jaſ. Dec. & Dd. *ff. de jurisd.* Schrad. *tr. de feud. p. 10. ſect. 1. num. 58. & d. p. 10. ſect. 8. numer. 99.* Anton. Faber *libr. Rationalium in Pandect. ad. d. l. 18. fol. 82.* Adeò, ut etiamſi Actor vel Reus pro-
20 miſiſſent judicio ſtare & ſatisdediſſent fidejuſſoribus, quòd velint perſeverare in lite usque ad finem, nihilominus ante litem conteſtatam voluntatem mutare queant, Zaſ. *in d. l ſi convenerit ff. de jurisdict.* ubi verba illa: *antequam judex adeatur*; poſt gl. ita exponit antequam adeatur, ſcilicet per litis conteſtationem: volens, quòd ante litis conteſtationem partes, etiamſi ſe præſentarent judici prorogato, tamen adhuc poſſint pœnitere ac mutare voluntatem, donec lis ſit conteſtata; Quia non dicitur accipi judicium, niſi per litem conteſtatam *l non poteſt videri ff. de judic.* Hæc Zaſ. *d. loc. &* alia ad hanc rem conferentia adducit *n. 19 21. & ſeqq.*

Inſuper longiſſimarum ac propemo-
21 dum æternarum litium cauſa Dilationes ſunt, quæ tàm multæ tamque ſupervacuæ conceduntur, & quarum ſpatia & intervalla longiſſima ſunt. Ideoque curandum eſt, ut nullæ omninò, aut certè quàm rariſſimæ ac breviſſimi temporis dilationes indulgeantur, cùm nec olim *dilatio amplius quàm ſemel* (5) data ſit, aut ad ſummum bis, idque magna ex cauſa, *l 1. §. fin. C. de dilat.* Si quis aliquas dilationes obtinuerit, iisque poſtea *renunciaverit*, *puniatur indiſtinctè* tanquam litis protelator, uti in Camera Imp. obſervari teſtatur Græv. *concl. 91. conſiderat. 1. num. 4.* poſt Ruland. *tr. de Commiſſ.*
22 *p. 1. lib. 1. cap. 9. num. 6.* Qui lite contendunt, inſtructi ad judicium venire paratumque jus habere debent, nec tot diverticulis & inutilibus dilationibus controverſias prolongare. Ferè accidit ſemper, ut qui differre cupit, judicium reformidet. Profectò re ſua ſatiùs eſt carere, quàm poſt tot annos victoriam exſpectare. Non omnibus ſufficere ſumptus poſſunt; ideoque propter ejusmodi moras juri ſuo non paucis eſt renunciandum. Severâ proinde lege ſanciendum eſt, ut ſublatis dilationum ambagibus, quàm breviſſimè Jus partis utriusque cognoſcatur, ac ſtatim etiam pronuncietur. Nec ferendum eſt, alios aliis minari, litis finem nunquam illos viſuros.

Nimia quoque illa ad Superiorem Judicem *provocandi licentia*, (7) quæ plerum- 23
que eſt ingeniorum juſtitiæ non parentium, omninò & legibus & pœnis eſt coërcenda. Nam multi ut juſtitiam fugiant, appellatione utuntur; & non raro, ut Reum fatigent, ac immenſis ſumptibus ad jus ſuum deſerendum cogant. Nemini permiſſum 24
ſit provocare ab interlocutoriis, *niſi ob gravamen, quod in appellatione à definitiva reparari poſtea non poſſit*: (8) Ac tum quoque in ſcriptis ſolummodò & cum expreſſione gravaminum appellatio interponitor, nec aliis quàm expreſſis cauſſis juſta eſſe docetor Ord. Cam. *p. 2. tit. 28. & 29.* Denaiſ. *in Jur. Camer. tit. 26.* Sic ſtatutum Romanum & Concilium Tridentinum, ad abbreviandas li- 25
tes non admittunt appellationes ab interlocutoriis, referente Venturâ de Valentiis *lib. 2. Parthen. litig. c. 13. num. 39.*

Si appellandum quandoque eſt, *juramentum calumniæ præſtetur*, (9) quòd non appellatum animo protelandi litem, ſed JUSTITIÆ habendæ. Inſtructio cauſæ accurata ad judicem appellationis quamprimum tranſmittatur. Renunciare appellationi 26
ſine pœna non liceat: ſicuti decretum, ut provocationi renunciare impunè non liceret, ſed ejusmodi detrectatoribus LX. aſſium mulcta irrogaretur, referunt Damhouder. *in pr. civil. c. 227.* Petr. Brederod. *p. 1. de appellat. tit. 3.* ubi & alia Remedia abuſum appellationis tollendi, & lites abbreviandi ſubnectit. Jure quidem communi appellans poteſt renunciare ſuæ appellationi, *l. 28. C. de appellat.*

Sed talis renuncians venit condemnandus in expenſas, poſt Innocent. Stephan. 27
Gratian. *deciſ. 23. num. 1. & 2.* Quidni ergo mulctis quoque pecuniariis poſſit percelli? maximè, cùm appellationi renunciari non queat per appellationem, ubicunque de præjudicio appellati agitur, Cacheran. 28
deciſ. 131. num. 3. vel ſi cauſa appellationis per appellationem ſemel introducta ſit, Gail. *1. obſ. 122. num. 3. & 4.* Moller. *in conſtit. Elect. Saxon. 19. num. 22. part. 1.* Rauchbar. *quæſt. 11. numer. 6. part. 1.* Gratian. *d. deciſ.* 29
23. num. 4. vel Appellatus intra decendium 30
declaraverit & proteſtatus ſit, ſe velle adhærere appellationi, illiusque beneficio fruiſci, per text. *d. l. ampliorem C. de appellat.* Scaccia *tr. de appellat. quæſt. 17. limit. 6. membr. 4. num. 96.* Joan. Grivell. *Deciſ. Dolan. 46. per tot.* ubi etiam rectè citat Surdum *deciſ. 143.* & Vincent. de Franchis *dec. 467.* hæc- 31
que adhæſio appellationis Judici à quo legitimè ſit intimata, Scacc. *quæſt. 12. num. 71.* Al-

Alphonſ. de Azevedo *in Conſtitut. Hiſpan. lib.4.tit.8.l.1.num.54.55.& 61.*

32 Præterea ſi appellans ſuccumbat, non ſolùm expenſas parti victrici (ſicuti ſuccumbentem in cauſa appellationis indiſtinctè in expenſas condemnari debere, tradit Joan.
33 Parlador. *libr. rer. quotidian.c.fin. p. 5. §.18. num.5.*)ſed *& mulctam pecuniarum* (10) Fiſco luat. Quod remedium *adverſus frivolè appellantes*, (11) quorum haud exiguus eſt numerus, proponit Author Diſcurſus vom Juſtitien-Werck *fol. 202. 209.* ubi ſpem facit, hoc Remedio adhibito, non appellationes ad Cameram deferri, aut delatas transactione finiri, metu frivolæ Appellationis,& novæ ordinationis. Cui concinit Lather.*lib.2.de cenſu c.7.num.11.* Ventura de Valent. *lib. 2. Parthen. Litigioſ.c.14.num.*12. ubi laudat D. Bernardum diviniſſima verba proferentem: Qui non gravatus appellat, certum eſt,quòd haud gravare intendit, aut tempus redimere: non debet autem eſſe Appellatio ſuffugium cavillantium, ſed refugiũ gravatorum: multi enim pendente Appellatione fruuntur aliquâ re, quæ ſemper fuit injuſtè poſſeſſa: Et ita Antidotum vertitur in Venenum. Quem das mihi in tàm crebris appellationibus, quæ hodiè fiunt, qui reſtituerit numum adverſario pro expenſis? Mirum autem eſſet, ſi omnes Appellantes eſſent juſti, appellati verò haberent litem in-
34 juſtam, *Hæc D. Bernard.* Quod tamen de notoriè & manifeſtè frivolis Appellationibus, quibus neque juſtitia defert, neque Judex deferre debet,exaudiendum eſſe, cenſet Sigismund.Scaccia *tract. de appellat. 9. 17. limit.36 n.1.& ſeq.*

Non latet me, alia litium appellatoriarum ab Interpp. paſſim ſuggeri *Remedia*; (12)ſcilicet (1)ut evidenter frivola Appella-
35 tio rejiciatur.Nam etſi in dubio Appellatio ſit admittenda; quòd ſit omni caſu permiſſa, ſi non reperiatur expreſsè prohibita, *l. & in majoribus C. de appell. gl. in l.reſtituere in fin.ubi* Angel. *ff. de R. V.* Nevizan. *conſil.44.num.9.*Roland.*conſil.34.n.3. lib. 3.* Peregrin.*conſil. 73. num.4. lib. 2.* Decian.*conſil. 67.num.3.vol.4.* Magon.*Deciſ.Luc.5.num.5.* Surd *deciſ.27 num.4. & latè conſil. 271. num. 17.*Tiraquell.*in tract.le mort ſaiſit p. 6. decla-*
36 *rat.6.num.9.& 10.* Et Judex in dubio debeat eligere partem minùs præjudicialem utrique parti,Bertazzol.*conſil.79.num.13. in criminal.* Cephal. *conſil. 105. num 46 & conſ. 610.n.27.*Gail. *1.obſ. 81.n.11.* Vincent. de
37 Franchis *deciſ.351.num.3.* Attamen notoriè frivolæ & calumnioſæ Appellationi non eſt deferendum, ſed in lite absque metu & vitio attentatorum procedendum,fusè Cardinal.Thuſc.*lit.A.concl.397.per tot.*Menoch.
38 *lib.7.de A.J.Q.caſ.197.numer.1.*

Ratione quoque litigantium (2) optimum eſt remedium; ſi litem protelet Appellans, omniaque in prima Inſtantia deducta repetat, articulatimque deducat, ut Appellatus ſtatim nullâ datâ Reſponſione, ſuper non admiſſione gravaminum, eò quòd nihil novi contineant, per generalia concludat; referendo ſe ad Acta, quæ inter easdem partes notorium inducunt. Nam tunc Judex causâ cognitâ talia gravamina neque ad reſpondendum, neque ad probandum admittere, ſed cauſam pro concluſa acceptare, & definitivè pronunciare debet, ut lis citiùs finiatur,per text.*in l. ampliorem §. in refutatoriis C.de Appellat Ordinat.Camer.p.3. tit. 33. §.pen.* Gail. 1. *obſ. 128. num. 3.& 4.* Quia Appellationis remedium non ad defenſionem iniquitatis,ſed ad præſidium innocentiæ inſtitutum eſt,text.*in c. cùm ſpeciale §.porrò. de appellat.*& per ea, quæ ſubjungit Gail.*d.loc.*

Tertiò Statutis vel Privilegiis appellan- 39
di licentia coërceri poteſt, veluti, ne appelletur, niſi certò modo,& ordine obſervato, & *ſub certa tantùm ſumma.* (15) Quo fine, ne appellationes indiſtinctè & non rarò etiam temerè ſuſcipiantur, multitudo cauſarum Cameram Imper. moleſtet,inque nimium creſcat; Olim nulla cauſa in ea per viam appellationis recipiebatur, cujus ſumma L.florenos non attingeret,Ordinat. Camer.*p.3.tit.28.§.*und ſonderlich: Quæ ſumma L.floren. Anno MDLXX. in Comitiis Spirenſibus §. Als wie alsdann LXVI. ad CL. 40
florenos redacta: Gail.*1.obſ.123.*Mynſing.*5. obſ 83.num.6.& 6. obſ. 15.* & hodiè altero tanto aucta,& ad CCC.florenos extenſa eſt, Deputation Abſchied de Anno MDC.§.Wiewol nun auch; ut appellatio hodiè ad Cameram infra ſummam CCC. flor.nec valeat, nec recipienda ſit: Hæcque auctio ſine fraude privilegiis Statuum de non appellando vel in totum, vel ad certam duntaxat ſummam, & debito modo obſervato, quæ collegit Author Præjudic. Camer. *tom. 5. Symphoremat. Supplic. per tot.* In hac autem ſumma Ordinationis & Privilegiorũ quoad 41
fundandam jurisdictionem, petitionem libelli, quantum petitum, non quantum debeatur vel adjudicatum ſit,in prima inſtantia conſiderare oportet Vant. *de nullitat. ſub rubr.quib.mod nullit.defect.n.70.*Surd. *conſil. 286.n. 10.* Vivius *deciſ.470.n.1.& ſeq.* Stephan Gratian.*deciſ.227.n.1.*Gail.*1. obſ.123. n.3.*Mynſing *obſ.82.num.3.cent.5.* Hodiè in ineunda ratione ſummæ appellabilis, non quid Actor in prima inſtantia petierit, ſed in quo ſeſe Appellans per ſententiam læſum gravatumque dicat,perpendendum,ex Conſulto ſeu Decreto Cameræ Imp. MDCIII. Denaiſ. *in Jur.Cameral.tit.29.*

Ita valet Statutum vel Privilegium; ne 42
quis appellet, niſi pecunia aliquâ depoſitâ, vel juramento calumniæ aut appellationis præſtito, vermittelſt deß Appellation-

Eydts / quod non temerè provocet, aut litem malitioſè protrahat; ſed quòd bonam ſe fovere cauſam, quòdque ſe gravatum dicat Gail. 1. *obſ.* 124. 1. Mynſing. 3. *obſ.* 57. Quod Juramentum vel coram Judice à quo, vel coram Judice ad quem præſtari poteſt; & certis etiam in locis Germaniæ pignoribus vel fidejuſſoribus appellantes appellato cavere; vel in eventum juratoriè, ſi id petatur, ſatis dare debent.

43 Et ſi verò Appellationes præmemoratis modis limitari poſſint, tamen omninò in præjudicium Superioris, ſtatuto tolli nequeunt. Statutum enim prohibens appellationem, cùm de jure Superioris diſponere, & defenſionem auferre videatur, non valere, ideòque in Camera non attendi, docuit Mynſing. 1. *obſ.* 14. Gail. 1. *obſ.* 135. *num.* 11. Wurmſer. *libr.* 1. *tit.* 24. *obſ.* 29. Meichſner. *tom.* 3. *deciſ.* 28. *in pr.* ubi allegat Ordinat. Cam. *p.* 2. *tit.* 28. §. und dieweil. dicitque Magiſtratum Civitatis E. quia Acta priora imperfectè ediderit, & Appellantem, ut ab Appellatione interpoſitâ diſcederet, cogere voluerit, pœnâ decem Marcarum argenti mulctatam ſententiámque XVIII. Auguſti Anno MDLXXXV. publicatam fuiſſe; ac Civitate B. in quibusdam cauſis idem conari viſam, dū prætextu cujusdam Statuti ſeu cōſuetudinis allegatæ cives ſuos cogere voluit, ne à ſententiis ipſorum ad proximè ſuperiorem Judicem competentem appellare poſſent. Quo reſpectu ſtatuta Appellationem
44 prohibentia eſſe odioſa & invalida, reſponderunt Natta *conſ.* 636. *nu.* 33. Andr. Barbatia *conſil.* 44. *n.* 1. *& ſeqq. lib.* 4 Roland. à Valle *conſ.* 29. *n.* 28. *lib* 1. Cacheran. *conſil.* 69. *num.* 29. ubi tamen aſſerit, valere pactum de
45 non appellando vel reclamando contra ſententiam, *l. fin. in fin. C. de tempor. appellat.* additque rationem; quia paciſcentes abdicant à ſe id, quod eſt in eorum facultate, nec tangunt aut violant jus Superioris, Statutum autem directè tollit jus ſuperioris, poſt Abb. *in c. cùm dilectus num.* 16. ubi dicit, hunc eſſe caſum mirabilem, in quo plus operatur pactum, quàm ſtatutum, & quod quædam poſſunt fieri per pactum, quæ non poſſunt expediri per Statutum. Plures ad propoſitum cumulat Lancellot. *tract. de attentat. p.* 2. *cap.* 12. *ampliat.* 5. *num.* 15. *& ſeq.* Cravetta *de antiquit. tempor. p.* 1. §. *viſo n.* 30. *pag.* 89. Molin. *in Conſuet. Pariſ. tit.* 1. §. 1. *gl.* 5. *in verb. le fief. n.* 52. Tib. Decian *tract. crimin. lib.* 2. *c.* 34. *num.* 20. Cardinal. Thuſc. *in lit. A. concl.* 399. *per tot. & in lit. S. concl.* 465. Petra *de poteſt. Princip. c.* 6. *num.* 88 *fol.* 114. Peck. *in c. quòd ob gratiam num.* 7. *de R. J. in* 6. Alexand. Raudenſ. *Deciſ. Piſan.* 13. *num.* 147. *in fin.* Knichen. *in Comment. ad Jus Saxon. in verb. Jus. c.* 2. *fol.* 237. Quamvis Statuto poſſe auferri appellationem ſine dubio putet
46 Martin. Monter. *Deciſ. Arragon.* 8. *n.* 3. (loquens tamen de Statuto condito à Civitate jurisdictionem primæ & ſecundæ appellationis habente.) Atque ut hujusmodi Statutum valeat, egregiam cautelam tradit Contard. *in C. l. unic. ſi à moment. poſſ. app. limit.* 22. *n.* 9. ut nimirum cives omnes promittant & jurent ſervare Statuta, prout jacent, & re- 47
nuncient appellationibus interpoſitis & interponendis in quacunque alia forma. Et ſic per Statutum vallatum pacto poteſt fieri plus quàm per Statutum ſimpliciter. Neque obeſt, quòd hoc pactum videatur fieri in fraudem Superioris. Reſpondetur enim, 48
quòd Superior non debet aſpernari, quod partes invicem componant, *l.* 1. §. *& poſt operis ff. de nov. oper. nunciat.* Nam & poſſunt compromittere in arbitrium, & per hoc removent appellationem, *l. diem* §. *ſtari ff. de arbitr.* nec propterea dicuntur derogare juri Superioris.

Prædictis conſequens eſt, nec jus devol- 49
vendarum ſive recipiendarum Appellationum poſſe præſcribi, uti in individuo & punctualiter determinant Covarruv. *pract. quæſt. c.* 4. *num.* 1. *in c. poſſeſſ.* §. 2. *n.* 10. *de R. J. in* 6. Mynſinger. *reſp.* 24. *n.* 2. per. text. *c. venientes extr. de jurejur.* Parlador. *lib. rer. quotidian. c.* 2. *n.* 15. *&* 16. Borcholt. *in c. unic. quæ ſint regal. c.* 9. *n.* 7. Georg. de Cabedo *deciſ.* 40. *n.* 14. *p.* 2. eò, quòd Superioritatis (cui jus appellationum devolvendarum cohærere latè demonſtravimus *tract. de Contribut. cap.* 3. *n.* 91.) ne quidem tempore immemoriali præſcribatur Abb *in c. cum non liceat. n.* 6. *de præſcript.* Roman. *conſ.* 371. *n.* 5. Jaſ. *conſ.* 208. *n.* 3. *vol.* 2. Eamque communem dicit Bartholom. Socin. *conſ.* 175. *n.* 5. *vol.* 2. Natta *conſ.* 179. *n.* 24. *& conſ.* 640. Alvar. Valaſc. *tract. de jur. Emphyt q.* 8. *n.* 29. Petr. Anton. de Petra *tract. d. fideicommiſſ. quæſt.* 12. *n.* 270. *&* 50
ſeq. Licet paſſus hic dubitabilis ſit, & pleriq; Dd. in præſcriptione immemoriali affirmativæ ſententiæ patrocinentur, Cravett. *de antiquit. tempor. p.* 4. §. *materia ſingularitatis n.* 74. *verſ. contrarium.* Ubi inter cætera arguit, non valere illam rationem, quòd non poteſt quis eſſe ἀκέφαλος, id eſt, ſine capite; Quia dixit, quòd ipſe præſcribens erit caput, prout eſt ipſe Cæſar. Anton. Gabriel. *lib.* 5. *com. concl. tit. de præſcript. concl.* 1. *n.* 24. Hieronym. de Monte *tract. de finib.* 77. *n.* 3. M. Anton. Peregrin. *tract. de Jur. fiſci l.* 1. §. 2. *n.* 60. *& ſeqq.* Ubi Dd. communiter ſenſiſſe teſtatur. Et veriorem credidit. Laurent. Kirchov. *lib. commun. opin. concl.* 68. *n.* 4. *c.* 4. Surdus *deciſ.* 1. *num.* 10. Et in eam reſpondendo proniores ſunt Alex. *conſ.* 84. *num.* 13. *in fin. vol.* 6. Cravet. *conſ.* 615. *n.* 12. *& conſ.* 973. *n.* 47. *& conſ.* 983. *n.* 8. Schurff. *conſil.* 72. *n.* 23. *&* 24. *cent.* 1. *& conſ.* 83. *n.* 1. *cent.* 1. Mandell. *conſ.* 26. *n.* 34. *& conſ.* 64. *n.* 91. Tiber. Decian. *conſil.* 40. *num.* 58. *vol.* 4. Cacheran. *conſil.* 3. *num.* 16 Nicol. Everhard. Jun. *conſil.* 1. *num.* 165. *vol.* 2. Pere-

Peregrin.*conſ.28.num.5.vol.1.* Bartholom. Bertazz.*conſil.civil.110.n.6.*qui ferè omnes de magis communi teſtimonium perhibent.

51 Sublatâ verò & prohibitâ Appellatione,non cenſetur remota appellatio, ſi conſtet de evidenti injuſtitiâ,Gratian.*deciſ.102.*
52 *num.4.*ubi alios agminatim congeſſit, Natta *conſ.51.num.21.& latiùs conſil.172.n.4.* Evidens enim injuſtitia æquiparatur Nullitati,Roland.à Valle *conſil.76.num.28.lib.1.* Cephal.*conſ 78.num.63.lib.1.*Gravett.*de an-*
53 *tiquit.tempor.p.2.§.ex præmiſſis num.53.*Et ideò ſententia notoriè injuſta non tranſit in judicatum, ſed intra triginta annos caſſari & annulari poteſt, Conrard.*in d.l. un.limit.9.n.42.*Borgnin.Cavalcan.*deciſ.28.n.51.p.1.*Nizol. *allegat.15.num.1.& 31.& ſeq.* Guid.Pancirol.*conſil.44.n.30.& conſil.63.n.46.*Idem voluit Cardinal.Zabarella *in Clem.1.§.eorundem fin.num.3.* ubi dicit, quòd vix poſſit eſſe ſententia notoriè injuſta, quin etiam ſit nulla,*de foro compet.* quem ſequuntur Socin.Jun.*conſ 88.num.25.lib.3.* Anton. Gabriel. de ſentent. *concl.10.* ubi ad intellectum hujus opinionis multa conglomerat.

Sed viderint perſpicaciores; Ego me te-
54 ſtor, injuſtitiam, etiam notoriam, pro Nullitate non habere, & niſi accurata adhibeatur diſtinctio,contrariam opinionem admodùm periculoſam judico, & refutari una *l.2.C.quand.provoc.non eſt neceſſ.* quæ diſertè ſtatuit,ſententiam contra jus partis latam tenere, ſi appellatũ non ſit,niſi quis putet contra jus certum partis ſine certa injuſtitia poſſe pronunciari. Qua de cauſa,neſcio an Vant. vel Francus *in c. dilecto 67.* poſtquam *num.153.& ſeqq.* commentitiam illam Nullitatem prolixè examinaſſet, tandem *num.166.*concludit, quòd ſi error non eſt expreſſus in ſententia, & ſe ſententia non referat ad acta, tunc propter injuſtitiam ſurgentem ex actis probatoriis non inducatur nullitas, valere enim ſententiam contra notorium jus partis. Et paullò pôſt *ante quæſt.52.num 18.* dixerat,ex actis probatoriis non poſſe induci injuſtitiam, quæ reddat ſententiam nullam, ſive aliquæ ſive nullæ penitùs probationes intervenerint, & Appellationis omiſſionem purgare omnem iniquitatem ſententiæ,& tollere omnem contrariam juſtitiæ præſumptionem.

55 Denique diligentiſſimè omnes abrogandi, multiſque pecuniariis caſtigandi ſunt abuſus, quibus ſæpè malè audiunt Tribunalia, tanquam prædonum & latronum conciliabula, ut plerumque melius ſit incidere in viarum graſſatores, quàm in forenſes Harpyas, quæ paulatim ſugunt litigantium facultates usque ad ſanguinem, & ad extremam deſperationem ſæpiſſimè producant, ut illis ſatius & dulcius ſit mori, quàm vivere: Gregor.Tholoſan.*dict.lib.2.de Republ.cap.6.*

Hûc conducunt varia litium abbreviandarum remedia & conſilia; quæ ſubmi-
niſtrant Ventura de Valentiis *lib.1.Parthen.* 56
litig.c.2.n.30. Ant.Faber.*in Cod.deciſ.forenſ.d.lib.9.tit.22* Nicol.Vigel. *ad fin. Methodi Juris Civilis fol.306.& ſeqq.*Frideric. Mindan.*in præfat. Proceſſ. Camer. extrah.* Herman Eſaias Roſacorb.*in præf.deciſ.*& JCtus quidam anonymus apud Paulum Wehner. *in pract.obſ.Lit.I.f.304.& ſeqq.* ex quibus ſingula penſiculatè explicando, verborum pariter ac temporis jacturam facere, & ipſius meo & Lectoris otio fuerit abuti.

Omnium verò argutiſſimè Judicum, Advocatorum, Rabularumque forenſium frequentiam, infinitamque multitudinem, imperitiam, iniquitatem, avaritiam inexplebilem, orexin, aliasque fraudes, fallacias, impoſturas, & vitia perſtringit Joan. Barclajus *in Argen. lib.3.fol. mihi 323.324.& 325.*ex quo ſequentia excerpere liber. Malis (*inquit ſummus & eloquentiſſimus vir*) obviandum,quibus litium frequentia, Judicum mora, & Advocatorum iniquitas agros urbesque populant. Inprimis Advocati, Patroni,& ſcriptores in Gallia Germaniaque adeò numerum ſuperant, ut pauciores interdum ſint agricolæ,pauciores, qui in mercatura vertuntur, Rempublicámve cuſtodiunt.Unde verò illa tanta gens vivit, niſi ex injuria populi, & clade & ſanguine miſerorum? Et quidem majori Reip.detrimento; quod ſi inter pauciores, ſed ſpectati candoris, advocationum munus eſſet, tot illa ingenia, quæ noxiâ calliditate ſe corrumpunt, melioribus ſtudiis ornarent patriam: diſciplinas,& artes, aut proderent novas, aut inventas excolerent.Ita hæc peſtis non modò malorum eſt rea, quæ infert, ſed bonorũ præterea,quæ adimit. Nunc æterna ſunt jurgia, ut ſi cum ſumptibus ſit moleſtiarum ratio,graviùs putes ſic vincere, quàm confeſtim damnari. Amputandæ ſunt hæ ambages.Nam & modũ & numerũ prægreſſæ ſunt artes ac nomina,quibus miſerrimos clientes Patroni & Judices fruſtrantur. Articulatim & lentè hos diſcerpunt, qui ſemel perire potuerant. Sæpè itur ad Judices, cauſa narratur, aliquot anni abeunt, nec dum conteſtatio litis audita eſt. Judicibus hîc non vacat, hîc omiſſo quod litem facit negotio, hærent Patroni in cauſis minoribus, quæ nunc ſponte, nunc eorum ſtudio, naſcuntur è prima. Hæc præludia adornant, his proclamant inauditis iter ad verum Judicibus eſſe non poſſe. Sic dubia ex dubiis ſeruntur. Sic immani dilatione pereunt litigantes; magnâ inſontes inopesque injuriâ. Nam qui in divitem inimicum pauper inciderit, tam longo & ſumptuoſo itinere conficitur; procumbitque denique laſſus, nec recuperato jure inultus, æmu-

ſomniis ſuo, quàm huic proclivæ æquitati iraſcitur. Ne quære, cur tamdiu Judicibus placeat & patronis ad ſe delatos cruciari. Nempe ex mora & tempore, ſua opera æſtimatur. Sic Patronis, inquam, creſcit; ſic Judicibus ſua merces. Multa ſcripſiſſe, multa audiſſe (quanquam ea præſtabat compendio fieri) accerrimè vendunt eò pejores, quòd, quæ peccant, ipſi juſtitiæ imputant. Præterea conſuetudine videndi miſeros, & deinde faciendi, exuunt humanitatis ſenſum; aut potiùs miſerum eſſe non credunt, litigare. Ita duri ad queſtus parùm ſupplicibus moventur; ab iis tantùm culti, ſaltem amant longiora in ipſos exercere imperia. *Et paullò pòſt*: Præſtat de remediis in eam cladem videre, quæ fortaſſe ab ejusmodi ſanctione non incommodè incipies; Ut ſiſtantur Judicibus illi ipſi, qui inter ſe diſſentiunt, ne ab ſola advocatorum fide res pendeat. Ex eorum ſimplicitate, vel aſtu, ſæpè integrius ad ingenium cauſæ diſceptatores pervenient, quàm callidæ eloquentiæ fuco. Ubi cauſam adhûc nudam inſpexerint, duorum aut trium judicum arbitrium erit, an ad ſententiam ſat liqueat; Neque juris teneantur apicibus. Æqui bonique judicium eſto. Aliter exordiri nefas ſit; ſive in minoribus judiciis, ſive ad quæ provocatur. Sin impeditius jurgium venit, teſteſque, & inſpectionem, & leges deſiderat; tùm ad quos Patronos deferetur, ii Numini repetant ſacramentum, quo ſemel devincti ſunt, nullam ſe cauſam, quoad ſciant, iniquam oraturos. Quis ſi hanc fidem fefelliſſe conſtiterit, aut clientem prævaricatione læſiſſe; præter infamiam genus ſupplicii excipiat, cujus timor apud paria auſuros plusquam omnes Dii poſſint. Illud præterea utiliſſimâ lege cavendum eſt, ne quid à clientibus Patroni accipiant, priusquam lis finem ſortita ſit. Qui vincetur, aut nihil aut non multò ampliùs, quod & lege definies, patrono debebit; Et jam inde à litis principio accedet tantillæ ſolutionis fidejuſſor; ne operæ merces aliâ lite quærenda ſit. Is verò, cui ſucceſſerit, advocationis diligentiam rependat tanto auro, quantum Judices ipſi in laboris mercedem accipiunt. Sed ſanctum ſit, ne quis dum adhuc litigatur, intempeſtivis muneribus peccet in legem. Causâ, ſi quis, cliens dederit, cadat: accipienti patrono imperetur à foro exilium. Delatori ea ſint præmia, quæ vel domeſticorum fidem ſolicitent. Faxo patroni moras oderint; & contentiones ad metam, dum ſibi ſic ſtudebunt, aliis proſint.

Parum eſt, niſi præterea edices (ſed hoc graviter, nec, ut ſolemus, terroris mox evaneſcentis imagine) ne ulla lis ultra ſex menſes apud Judices hæreat: Niſi ſi teſtes extra Provinciam arceſſendi ſunt: Tunc enim vel tempus geminari non abnuam. Non ferent hanc vocem aſſueti lentiſſima propinare remedia, & indignatione pleniſſimi negabunt, tot cauſarum acervos ſemeſtri jurisdictione digeri poſſe. Ab iis igitur quæram, an in annos cumulus litium creſcat in foro? an verò de veteribus abſolvant penè ad ſcaturientium numerum. Si creſcunt: quid iis tandem fiet? quo ſatis oſtio evolvemus tot annorum incrementa; abjiciendæ mehercule erunt, aut uno agmine non ex æquo finiendæ, ſed ſortibus. Sin penè ad naſcentium numerum jam adultas emittunt; nihil magis exigimus. Convenimus de numero. Satis, inquam, ut, quos annus feret lites, tot audiantur judicia. Sin objicient religioſam difficultatem veri quærendi; quæ aliquot interdum annis indigeat; nihilo erit excuſatio illa felicior. Nam implicatæ, ſcilicet, cauſæ ſunt? Vos ipſi, vos, Judices, eas implicuiſtis. Reſpicite in majores. Celeriora quàm præſcribimus, judicia erant: Et tamen æquiſſimos fuiſſe non abnuas, cùm ab illis conditas leges ut plurimùm colamus. Labentibus ſæculis, ſpecie æqui, in Reorum auxilium inventa ſunt ea, quibus denique ſimplicitas legum occubuit fruſtrationes, reſcripta, & quæ ſemel conſtitui poterant, velut religioſo ordine, in varios dies dilata. Hæc verò quia Judicibus & patronis ad lucrum ſunt, jam neglecto Reorum commodo tam ſanctè obſervantur, quaſi judiciis cives, non hæc illis inventa ſint. Ex iſtis reſecate, quod juſti temporis menſuram exceſſerit. Num & ſex menſium ſtudium ac diligentiam nulla cauſa effugiet; Et ſi exacto ſpatio adhuc deliberabitis; at tanti eſt à tribunali diſcedere. Nec ſcrupuloſitas nimii juris cunctationem injiciat. Ex animi veſtri ſententia, quod tunc liquebit, decernite. Quandoquidem & ſæpè poſt annos & luſtra, haud minùs turbidè & iniquè ſtatuitis. Adeò non tempore, ſed diligentiâ Veritas conſtat.

Sed fortaſſe judices transferre in cauſarum Patronos invidiam volent. Siquidem illos eſſe, qui cunctantur, nunc directâ, nunc obliquâ morâ, & animos Quæſitorum diverſiſſimâ ambage impediunt. Quaſi verò, qui Advocationis munere funguntur, ita peccare, niſi ex conſenſu Judicum, poſſint. Hi rem poſtulant differri. Iſti annuunt. Utrorum majus eſt vitium? Equidem cenſeo, eſſe illorum, qui cùm poſſint prohibere hæc mala, non faciunt. Neque enim ſic tergiverſari, rem differre; & in ſuperfluis morari auderet Patronus, qui neſciret, ejusmodi artem quotidianam eſſe & aſſenſu Judicum ratam. Neget Prætor in-

induciaſ; omnes litis articulos intra ſex menſium ſpatia includat; imparatos habeat pro convictis: jam cauſidici deſinent ab hac fraude, neque jura clientium improbâ dilatione confici ferent.

Si hæc tamen omnia Judicum animos non movebunt, ſi mihi reclamabunt, ſi fidem, & labores, & diſciplinam ſuam jactantes, hac paucorum menſium brevitate ſe ultra fas premi querentur; te miſericordem eſſe non veto. Jube, quicquid negotii oneratis ſuperſluet, dividant in peritos. Sunt in cauſarum Patronis conſultiſſimi multi; Ad hos litigantium, quos placebit, rejiciant. Seu per ſe, ſeu per alios judicent, è Republica facturos; modò præter imperatū ſpatium clientes non pendeant: Videbis illicò refectas illis vires. Non committent, ut lucri & poteſtatis pars in alios emanet. Plura tunc negotia ingere; ſoli iſti, modò tam delicatè de laboribus feſſi, ſufficient; Præſertim ſi, ut oportet, hanc legem grandi mulctâ ſanciveris.

Sed quid, inquies, veteribus cauſis fiet, quæ in tribunalibus multos annos jam perennant? Certè enim his ſimul, & cæteris, quæ indies deferuntur, hic annus non ſufficit. In hanc rem illi, qui judicia exercent, etiam ingratiis collegas accipiant, quot purgando foro ſat erunt. Non ultra ſex menſes poteſtas ſit. Vacua deinde à ſitu antiquo tribunalia, non plus anno ultionem noxiorum different, queſtúmve læſorum. *Hæc Barclajus d. loc.*

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT CXXIII.

Num. 1.

(1) AD *portas eſſe, optimi erat in V. T. inſtituti &c.*] Vide Philippum Zepperum *Collat. Legum Moſaic. & Roman. &c. lib. 5. XIX. pag. 140. & 176. lit. KKK.* Illud tamen advertendum, portam in SS. Scriptura, præſertim in libris Moyſis v. g. Deuteronom. *cap. 14. v. 21. & cap. 16. v. 18. &c.* plerumque ipſam denotare Civitatem, ut norunt Theologi & Scripturæ Interpretes.

Num. 2.

(2 *Litibus abbreviandis ſtudere &c.*] Huic fini prodita ſunt, ſaluberrimè inter Glorioſiſſimum Divum Ferdinandum III. Imperiique Status concluſa remedia, in Receſſu Imperii Ratisponenſi Anni MDCLIV. à §. *inde* dieſem nächſt bey dem dritten Haupt-Puncten ꝛc. quæ ſi ubique & ſemper obſervarentur, Rebusque ritè dijudicatis vis ſua, authoritas, & facilis, etiam contra Potentiores, Executio conſtaret, ſperanda foret & major in Imperio Concordia, & major Judiciorum Reverentia, & major perverſorum metus, neque extimeſcenda eſſet Aquilina Proceſſuum ætas. Sed exurget tandem (ominor) Leopoldus Imp. juſtiſſimus, tanquam Hercules aliquis, qui Hydræ huic non ſolùm amputet capita, verùm & conciſum reliquum colli thyrſum igni ſtatim comburet, ne abſciſſa duplicata repullulantia capita laborem eludant! Fiat!

(3) *Utrum partes litigantes Transactione, mutuoq; conſenſu componere &c.*] Cedro dignum eſt effatum Jodoci Damhouderi *in Praxi Rer. Civil. cap. 199. num. 4.* Hoc omnibus Judicibus, ex Chriſtiana Charitate velim eſſe familiare, ut quoties coram ipſis ullus proceſſus intendatur. Partes per ſe, aut per alios concordandás curent, ſi poſſint, priusquam ad odioſas ac voraciſſimas Lites deſcendant. Id enim facientes non tantùm pii Judicis, ſed etiam veri, ac ſynceri Chriſtiani hominis officium referunt, Apoſtolicam doctrinam ſequuntur, & ad Chriſti Servatoris noſtri, ac pacifici exemplum ſe componunt, & id imitatione exprimere curant. Collimat huc Receſſus Imperii modò allegatus, in quo ſic ſtatuitur: Zweytens / ſolle der Richter erſter Inſtantz / die Partheyen in zweiffelhafften Sachen nicht allein vor angefangenem Rechtſtand und Litis conteſtation / ſondern auch in quacunque parte Judicii, durch dienliche Mittel und Weg / auch ſchiedliche Erinnerungen in Güte voneinander zu ſetzen / und hierdurch alle weitläufftige koſtſpaltige Rechtsfertigung zu verhüten / ſich befleiſſigen / jedoch ehe dann Er die Güte den Partheyen vorſchlägt / vorhero in den Sachen ſich wol informiren / damit die ein eine offentliche ungerechte Sach führende Parthey zu demſelben nicht gelaſſen / noch der rechthabende Theil damit beſchweret / noch auch die Juſtitz / wider deß andern Theils willen / verzogen werde. Quod imitata eſt Norimbergenſis Reſpublica, ut diverſa Decreta & quotidiana Praxis docet.

Num. 4.

(4) *Nemo poſſit compelli ad tranſigendum &c.*] Imò ſi videt Judex litigantium partem alteram Juſtitiam fovere, non modò cogendo, ſed perſuadendo compromiſſum facere, contra conſcientiam facit, ſi ob id pars Juſtitiam fovens aliquod de ſuo relaxet. Quod tamen limitatur, niſi pars illud ſcienter relaxet, quia tunc id donare videtur; vel niſi Judex fortè parti Juſtitiam foventi, ex aliqua cauſa id expedire videatur, ut puta, quia lis per appellationes multùm protelari poſſet, quo caſu utrique parti, ut potiùs cedat, quàm diu ſic litigare velit, perſuadere poterit, eò quòd melior eſt certa pax, quàm ſperata Concordia. Magon. *in Cynoſura Advocat. cap. 20. n. 12. pag. 246. & 247.* quod ego ante proceſſum ordinarium admittendum putaverim. Verùm ſi Proceſſus in Jure concluſus, viſitatus, & diligenter examinatus eſſet, atque ex eo examine Judex certè cognoſceret, utrius partis cauſa eſſet potior & juſtior, eo caſu non debet Partes ad Concordiam inducere & pertrahere, id enim ſi faceret, alterutri parti magis favere videretur, quod ab animo Judicis procul abeſſe convenit, ſed eo caſu debet Jus dicere, & Juſtitiam æquiori parti adjudicare, citra omnem favorem & de concordantia apud neutram Partem, nec ſemel hiſcere, ut vult Damhouderius *d. l. n. 3.*

Num. 21.

(5) *Dilatio ampliùs quàm ſemel &c.*] Confer omni-

omninò Dn. Blum *Proceſſ. Camer. tit. 73. de probat. n. 57. 58. 59. ſeqq. multis.*

(6) *Puniatur indiſtinctè &c.]* O. C. *p. 3. tit. 21. §. 8.* ſtatuitur, tunc demum partem poſt impetratam primam vel etiam ſecundam dilationem productioni renuntiantem, in pœnam litis temerè retardatæ etiam ex officio contemnendam, ſi renuntiet in ſuam utilitatem calumnioſè (vortheilhafftiger Weiſe.)

(7) *Provocandi Licentia &c.]* Si quis cauſas multitudinis ac diuturnitatis litium, (inquit Dn. Ludolphus Hugo *in Conſult. de abuſu appellationum tollendo, in præfat. pag. 2.*) quærere incipiat, ſtatim deprehendet, nihil plus negotii facere, quàm appellationes. Poſtquam enim multo labore & magno ſumptu, eò tandem res redacta eſt, ut Judex ſententiam dicat, victor quidem jam ſibi in portu navigare, & omnibus moleſtiis defunctus videtur, modò autem adverſarius dixerit, *Appello*; unicâ hac voce omnem ferè judicii prioris fructum ei eripit. Quippe tunc litigatores ad ipſum litis principium rejiciuntur, qui jam ad finem perveniſſe videntur. *&c. p. p.* Si quis igitur calumniam ſtruere, vexare adverſarium, extrahere litem cupiverit, quantam ejus conſilii exequendi occaſionem ſub prætextu appellationis habet? Imò nihil eſt, quod fiat frequentiùs. Quoniam autem (Experientia in Camera Imperiali teſtis eſt) in cauſis appellationum longè plures ſententiæ confirmantur, quàm reformantur; ut nihil dicam de iis, quæ non devolutæ, vel deſertæ pronuntiantur; exindeque pateat plures appellationes injuſtas, quàm juſtas pronuntiatas, ſicque abuſum eorum frequentiorem, quàm uſum eſſe, inde verò & publicis & privatis rebus quàm plurima damna neceſſariò eveniant; Meritò laudanda eſt Sacri Romani Imperii ſaluberrima cura, quam ad interrumpendam telam abuſuum ex hoc magno litium ſtamine & ſubtegmine contextam jam Anno MDCLIV. adhibuit, celebrandique eò magis illi ſunt, qui porrò in præſentibus Imperii Comitiis ſana ad refrænandam hanc nondum planè ſedatâ inſaniam omnes animi vires intendunt, præcavereque ſtudent, ne Appellatio præſentiſſimum remedium & Theriaca contra venenum Judicum, (ut Scacc. *de Appellat. quæſt. 3. artic. 1* loquitur) alimentum pabulumque ſit malitiæ & cavilli, ſcutumque iniquitatis.

Num. 24.

(8) *Niſi ob gravamen, quod in appellatione à definitiva reparari poſtea non poſſit &c.]* Sententia verò inferens tale gravamen, quod per Appellationem à definitiva reparari nequit, dicitur illa, quæ fertur ſuper aliquo puncto incidenti ad cauſam principalem planè non pertinenti, quamobrem cùm etiam per ſententiam definitivam ſuper cauſa principali latam in iſto puncto, ut puta jam ante deciſo gravamen nullum inferri queat, & appellatio à definitiva interpoſita ultra gravamen in ea definitiva illatum ſe non extendat, manifeſtum eſt, gravamen antehac per ejusmodi præmemoratam interlocutoriam illatum per Appellationem à definitiva reparari planè non poſſe. Cùm verò exemplis res fiat clarior, nonnulla hic è Dn. Blum *de Proceſſu Camer. tit. 46. numer. 5. & 6.* adjicere utile eſt. Sententia autem ſuper puncto incidenti cauſam principalem non concernenti lata dicitur. (1) Si pronuntietur, fidejuſſores eſſe idoneos. (2) Si copia Actorum denegetur. (3) Si dilatio denegetur, aut nimis anguſta concedatur. (4) Si quis citetur ad locum non tutum. (5) Si judex rejiciat Exceptiones contra proceſſum oppoſitas. (6) Si quis ab obſervatione Judicii abſolvatur, quia actor eſt excommunicatus. (7) Si Judex ineptum libellum admittat, vel ideò reum à citatione abſolvat. (8) Si Judex ſe competentem pronuntiet &c. Plura exempla enarrat Gylmannus *voc. ſententia interlocutoria. §. Quæ ſententiæ. & multis ſeqq. pag. 319. ſeq.*

Num. 25.

(9) *Juramentum Calumniæ præſtetur &c.]* Hodiè poſt Receſſum Imperii de Anno MDCLIV. in Camera non ſolùm litigantes, ſed etiam ipſorum tum Advocati tum Procuratores Juramentum Calumniæ præſtare coguntur, juxta gemeinen Beſcheid d. XXVIII. Januarii Anno MDCLVII. §. 1. & quidem Procuratores ſemper illud in perſona in propriam animam in quantum ipſis cauſa cognita præſtant. *d. §. 1.* Litigantes aliquando etiam in perſona, ut plurimùm verò, & Advocati ſemper, per Procuratores ſpeciali mandato inſtructos, id præſtant. Confer laudatum Dn. Blum *dict. loc. tit. 72. numer. 6. 7. ſeqq.* Reichs Abſchied de An. MDCLIV. §. Uber dieſes ꝛc. De Reformatione Norimbergenſi *Titul. X. Leg. 2.* quælibet per ſententiam definitivam in judiciis illius Reipublicæ latam gravata pars, ſive Civis ſive Extraneus litigans ſit, ad appellandum non admittitur, niſi corporali Juramento priùs præſtito, daß ſie ſolch Appelliren ihrer Widerparthey zu keiner Geſehrd noch Verzug deß Rechtens, ſondern um redliche Beſchwehrung und Urſachen willen fürneme und daß ſie ſolcher Appellation und dem Rechten nachgehen und auswarten wolle. Tenetúrve inſuper quando ad Cameram appellet, pars gravata indiſtinctè ſatisdare; Cùm verò à Judiciis ad Senatũ appellare velit, (quòd permiſſum) nõ aliter quã ſi ſtatim poſt publicationẽ ſententiæ Procurator cautionẽ exegerit; omiſſâ verò illâ exactione ab onere hoc levatur. Indeque Procurator Victoris de Stylo in continenti poſt publicationem ſententiæ in eventum petit cautionem & juramentum, & hoc annotatur ad acta, ferè his verbis: Publicata beeden Procuratoren N. N. & N. N. in Jud. d. Anno. N. hat ſich wegen der wohlgeſprochenen Urthel bedanckt / und in eventum den Ayd und Caution erfordert. Confer infrà *n. 42.* ab Authore noſtro allata.

Num 32.

(10) *Mulctam pecuniariam &c.]* Quæ in Imperio vigore Receſſus de Anno MDCLIV. arbitrio Judicis eatenus relicta eſt, ut temerè litigantem & appellantem à duabus usque ad XX. Marcas auri puri, pro qualitate delicti atque circumſtantiarum cauſæ, vel in corpore, punire queat.

Num. 33.

(11) *Adversùs frivolè appellantes &c.]* Is frivolè appellare cenſetur, qui non ex neceſſitate, ſed ex temeritate & ad retardandam executionem latæ ſententiæ, vel quò partem adverſam ad incitas & deſertionem cauſæ, vel improbam tranſactionem cogat, vel quò diutiùs occupatis bonis fruatur, appellaſſe deprehenditur. Ideoque talis, quò delicta puniantur, atque alii ab ejusmodi frivolis appellationibus deterreantur, non ſolummodò in expenſas, ſed & in pœnam delicto parem condemnandus eſt. Dn. Blume *dict. loc. tit. 44. §. 7.*

Num. 35.

Num. 35.

(12) *Remedia &c.]* Cujusmodi à Dn. Ludolpho Hugone, *in dicta Conſultatione de abuſu Appellationum tollendo*, prudenter quædam ſuppeditantur, ut ibidem videre licet.

Num. 39.

(13) *Sub certa tantùm ſumma &c.]* De privilegiis DD. Electorum, aliorumque Statuum S. R. Imperii, quando & infra quam Summam ad Cameram Imperialem appellare non liceat, exhibet prælaudatus Dn. Blume *dict. loc. tit. 47. Tab. 1. 2. 3. 4. 5. 6.* ubi tamen notandum, Norimbergenſis Reipublicæ Privilegium de non appellando infrà certam ſummam, ibidem allegatum de DC. florenis Anno MDCLIX. d. XIV. Junii à Clementiſſimo Imperatore Leopoldo gratiosè ad DC. Thaleros ſive DCCCC. florenos ſummæ Capitalis, ut vocant, extenſum fuiſſe.

CAPUT CXXIV.

Advocatorum vitia Ærarium divitant.

SUMMARIA.

1. Advocati *agant in judicio, quod cauſa requirit, temperent à conviciis & omni injuria.*
2. Fumi venditores *ſunt Advocati, qui palmario accepto alteri parti victoriam pollicentur.*
3. *Anceps eſt* litis eventus, *multiq; ſub clypeo juſtiſſimo periere.*
4. *Vitia* Advocatorum, *& quomodo punienda.*
5. *Pleriſq;* juris ſcientia *ad ſordidam vocis altercationem, ſtyliq; quandam mercimoniam ſervit.*
6. Cicero *gloriatur, ſe t. nebras judicibus offudiſſe; Utinam diſpuliſſet!*
7. Antiquitatis *ſalutaria inſtituta amplectenda.*
8. Generalia brocardica *practicum ſenſum non ſatis illuminant.*
9. *Plus valet una* deciſio *in terminis, quàm generalia mille cum conjecturis.*
10. *Nuda lex pauperum Dd. refugium:* Doctoris deciſio *in terminis etiam ſine lege præſtantiſſima,* & n. 11.
12. Factum *in lite exponendum, non jura multa alleganda.*
13. *In* Regno Congi, *ut & in Utopia nullus Cauſidicis & Rabulis forenſibus locus,* & n. 14.
15. *Rabulæ* Latinæ linguæ *ignari nil, niſi Bart. Bald. Panormitanum aliosq; Dd. crepant.*
16. *Numerus* Advocatorum, Procuratorum, Notariorum, &c. *minuendus.*
17. Conſiliarios *nonnullos Principum avaritiæ peſtis occupavit, ut optimarum cauſarum patrocinium ſuſcipiant.*
18. *Horum* pœnæ *de jure Juſtinianeo.*
19. Procuratorum *judicialium varia vitia & pœnæ condigna.*

Cauſarum dirat quandoque patronus ineptus
Ærarium, juriſque abutens regulis.

1 ADvocatorum protervitas, libido, & temeritas in conviciando, cavillando, injuriando mulctis pecuniariis coërceri, iisque Ærarium coadjuvari debet. Sic enim univerſi Advocati præbere debent patrocinia jurgiantibus, ut non ultra, quàm litium poſcit utilitas, in licentiam conviciandi & maledicendi temeritatem prorumpant: agant, quod cauſa deſiderat; temperent ab injuriâ. Nam ſi quis adeò procax fuerit, ut non ratione, ſed probris putet eſſe certandum; opinionis ſuæ imminutionem patietur. Nec enim conniventia commendanda eſt; ut quisquam negotio derelicto in adverſarii ſui contumeliam aut palàm pergat, aut ſubdolè, *l. quisquis. 6. §. 1. C. de poſtuland.* Qui ſecus fecerit, judicis arbitrio puniatur.

Ejusmodi quoque mulctis Fiſci bono arbitrio coërcendi ſunt ii, qui cuique litigaturo, palmario recepto, victoriam pollicentur. Farinac. *dict. quæſt. 111. n. 279. & ſeqq.* poſt Menoch. *libr. 2. de A. J. Q. caſ. 344. per tot.* ubi *numer. 1.* fumi venditores appellat, qui expeditum litis eventum promittunt. Cùm dubius & anceps ſoleat eſſe litis eventus, *l. quod debetur ff. de pecul.* Schrader. *de feud. p. 10. ſect. 1. num 176.* qui ibidem ex *Cyno Auth. Generaliter. numer. 4. C. de Epiſc. & Cler.* refert, multos etiam ſub juſtiſſimo clypeo perire. Heig. *part. 2. q. 9. n. 10.* Cæſ. Urſill. ad Afflict. *deciſ. 392. n. 21.* Vivius *deciſ. 123. n. 6.* 2 3

Conſimiliter advocati, ſi facti ſpeciem ineptè proponant, vel in termino præfixo non agant. Item ſi contra *d. l quisquis*, litem de induſtria ſuſpendant, aut cum adverſâ parte colludant, & *in duabus ſoleis* (1) (ut eſt in Adagio) pedem unum figant, aut cum partibus *iniqua pacta ineant*, (2) vel immoderata honoraria & Salaria à litigantibus extorqueant, marcis aliquot argenti vel auri puri, pro qualitate & diverſitate caſuum mulctantor, mulctaque fiſco infertor. Maxima pars eſt hujus generis, non jam honorarium advocationis comiter accipientes, ſed operarum mercedem chartulatim æſtimantes, efflagitantesque parùm liberaliter. Hi juris civilis finem, non legitimæ atque uſitatæ in cauſis rebusque civium Æqualitatis conſervationem eſſe putant, ſed aut ſordidam meritoriæ & veluti proſtantis vocis altercationem aut ſtyli mercenarii ſaccularia iſtam operam. Cicero Salluſtianum illud; *ſat loquentiæ, parum ſapientiæ*, referens, *malle ſe indiſertam prudentiam, quàm ſtultam loquacitatem*, teſtatus eſt Gell. *libr. noct. Attic. cap. 15.* In quo ſanè ſtudio veteris prudentiæ Juris absque ſtrepentium ſine modo graculorum garrulitate, quàm cauti, quàm diligentes, quàm 4 5

quàm ſagaces, providi, & circumſpecti, quàm conſtantes, & induſtrii, quàm clementes, pii & benigni, quàm dextri, candidi & aperti, quàm Veritatis (quæ mater Juſtitiæ eſt) amantes, & tenaces in cauſarum diſcuſſione, earumque Examinatione, dubiorum enodatione, criminumque cognitione fuerint antiqui noſtri JCti, ſatis ſuperque ex eo-
6 rum geſtis adparet. Idem Cicero in Cluentina cauſa gloriatur, ſe tenebras judicibus offudiſſe. Quantò verior eſſet gloriandi cauſa, ſi tenebras ab eorum animis diſcuſſiſſet, ſi omnem errorem eripuiſſet, ſi id, de quo judicaturi erant, in clara luce videndum collocaſſet?

7 Rejectis igitur omnibus ad philateria dilatanda comparatis *Sophiſticationum præſtigiis*, (3) fallaciarum obicibus, aſtutiarum tectoriis, quibus Lux veritatis impeditur, venerandæ Antiquitatis ſalutaria inſtituta, obviis ulnis amplexanda veniunt, niſi propinati erroris mortiferi vino, ut D. Auguſtinus loquitur, veritatem falſitatis lenocinio perimere & enecare geſtias. Diſcant ergo vel ex his ſaltem ex verace & ſancta antiquitate depromptis dexterrimis Jurium reſponſis omnes illi, qui è cataractis antilogiarum, falſarumque opinionum omne jus, faſque nefaſque miſcere, & Judicium atque fructum Juſtitiæ in abſinthium, ut ait Amos Propheta *c. 6. v.* convertere hactenus conſueverunt, nequitiam, calumniam, & malitiam ſuam reſipiſcendo agnoſcere, veritatem ſectari, juſtitiam colere, ſuum cuique tribuere, DEUM præ oculis habere potiùs, quàm contra omnem honeſtatem loquacitatis ſuæ nundinationibus atq; mercantiis Reginam virtutum, pacis & tranquillitatis humanæ venerandam nutriculam polluere, & quæ ab antiquis cultoribus ejus, Juſtitiæ ſcilicet, piè inventa & enucleata ſunt, illâ ratione indignè corrodere.

8 Porrò ſub comminatione pœnæ pecuniariæ interdicitur, ne in generalibus Brocardicis (quæ minùs ſtringere, intellectumque practicum illuminare ſolent, uti ex Baldo retulerunt Molinæ. *conſil. 45. num. 5.* & Weſemb. *conſil. 18. n. 20. volum. 1.*) allega-
9 tionum plauſtra conferant; cùm plus valeat una deciſio in terminis, quàm mille generalia argumenta & conjecturæ, Thom. Triviſan. *in Præfat. Deciſ. Venet. num. 2. & ſeqq.* Rota Gen. *de Mercat. diviſ. 20. n. 5.* Cavalcan. *deciſ. 26. num. 1. p. 4.* Viv. *deciſ. 135. num. 4. & ſeq. qui ſubjicit*, refugium
10 eſſe pauperis Doctoris, regulas citare generales, *ubi in terminis reperiri poteſt deciſio* (4) magni alicujus Doctoris. Ideoque laborandum eſſe monet Franc. Beccius, ut deciſio in terminis inveniatur, *conſil. 129. numer. 36. libr. 2.* Bertazzol. *conſil. civil. 15.*
11 *num. 20.* Cùm bonum & ſecurius ſit hodiè habere deciſionem non ſolùm legis, ſed etiam alicujus Doctoris in terminis etiam ſine lege loquentis, Hippolyt. Riminald. *conſil. 689. num. 120.* Imò authoritas plus moveat maximam partem Judicum, quàm leges & rationes. Feder. Scotus *conſil. 14. num. 8. tom. 3. lib. 4.*

Illud tamen rectè reprehendens etiam Joann. Rubeus Alexandrinus conqueritur, nos ad ea deveniſſe tempora, quòd rationibus & legibus non creditur, ſed ſolis deciſionibus, *conſil. 2. num. 24.* Et ſanè ſicut in tantâ legum & commentariorum copiâ ejusmodi farragines hinc illinc conſarcinatis allegationibus inſtar pallii mendicantis ornatæ & ſuffultæ nullius ſunt artis, ita maximæ ſunt perniciei & temeritatis. *Factum allegent* 12
& diſputent Advocati, (5) Jus, quod ex facto oritur, ſcire Judices debent. Et quemadmodum ridiculum eſt, ægrotum Medico curandi morbum præſcribere; ita litigantem Judici jus ipſum dicere. Jus unum tantùm eſt, illud tot commentarii onerant, diſtrahunt, obſcurant, & nihil minùs, quàm jus eſſe efficiunt. In Curiis Galliæ advocatis jura allegantibus reſponderi ſolet: *Venite ad factum: Curia ſatis intelligit jura.* Mynſ.
5. obſerv. 88. num. 6. ubi ait, hoc in Camera 13
Imperiali non ſervari, & fortaſſis malè. In Regno CONGI nullus eſt *Rhetoribus & Rabulis forenſibus* (6) locus, ſed Rex ipſe in publico ſine multis ambagibus jus dicit, omniaque tribus vel bis expedit, referente Jo. 14
Ludovic. Gotofredo *in Archontolog. Coſmic. fol. 243. numer. 5. in fin.* Utopienſes authore Thoma Moro *in ſua Utopia libr. 2. fol. 118. & 119.* cauſidicos, qui cauſas tractent callidè, ac leges vafrè diſputent, prorſùs omnes excludunt: cenſent enim ex uſu eſſe, ut ſuam quisque cauſam agat, eademque referat Judici, quæ narraturus patrono fuerat; Sic & minùs ambagum fore, & faciliùs elici veritatem, dum eo dicente, quem nullus patronus fucum docuit, Judex ſolerter expendit ſingula, & contra verſutorum calumnias ſimpliciorum ingeniis opitulatur. Utinam hodierno ævo in omnibus judiciis idem fieret! proceſſus brevior redderetur, & cùm de facto conſtiterit, faciliùs pronunciaretur. Tot allegationum plauſtra lites impediunt, & nauſeam excitant. Si malitioſi ſæculi mores & tempora corrupta admittere hoc remedium non poſſint, ſit tamen aliquis allegandi modus; & ubi concordes ſint multæ leges, una ſufficiat. Idem eſto de Interpretibus judicium. Qui falsò allegarit, mulctis ſubjiciatur. Satis occupati erunt Advocati, ſi factum proponere cum omnibus qualitatibus & circumſtantiis, probareque contendant. Hoc verò difficilius eſt, quàm allegatorum ferraginem obtrudere, controverſiasque commentariorum multitudine nutrire.

Hac in parte à Cauſidicis & rabulis forenſi- 15
renſi-

renſibus Latinæ Linguæ prorſus penitusque ignaris, & nullâ rerum cognitione inſtructis, multifariam peccatur, qui ex repertoriis, locis communibus, & aliis, nihil niſi Bart. Bald. Panormitanum, Cravettam, collectimque cæteros juris Interpretes crepant, & cum dominii etiam, (ſi Diis placet) præfatione arcem ſe doctrinæ tenere indoctis ſtupentique turbæ perſuadent. Quibus ibi Bartolum & Baldum ad infantiam redactos ne hiſcere quidem videbis. De inſolentibus nunc loquor & ineptis, non de iis, qui ſolidioris doctrinæ conſcientiâ hujusmodi ineptias oſtentationum peroſi, nihil non oportunè ac graviter plenis è pectoribus promunt. Iſti quantum Clientibus ſuis incommodent, quantamque judici moleſtiam creent, in aperto eſt; digni profectò, ut ejusmodi pecuniariis, aliisque mulctis refrænentur, ac ſeverè in gyrum atque ordinem rationis redigantur.

16 *Numerus quoque Advocatorum*, (7) Procuratorum, Notariorum ſit certus, nimirum pro litium multitudine. Multi enim cauſarum Patroni & Procuratores multas faciunt lites, & cùm plerique tantùm ſint mancipia, lites alunt, ut ſua repleant marſupia. Nec ſanè opus eſt tot Sollicitatoribus, Saccularìis, Scribis, Accenſis, Oſtiariis, Rabulis, & id genus hominibus, quorum labor in verbis, longo foliorum apparatu, ſtrepitu.

17 Refert Henric. Latherus *tract. de cenſu cap. 7. numer. 46.* Conſiliarios nonnullos Principum avaritiæ peſtem ita occupaſſe, ut contra Imper. Juſtiniani prudentiſſimam ſanctionem *l. 14. C. de Aſſeſſorib. & domeſt. & Cancellar. judic.* auſint uno eodemque tempore, tam advocatione uti, quàm Conſiliarii cujuscunque Magiſtratus, quibus Respublica gerenda committitur, curam arripere. Contra quos cur pœna, *dict. l. 14. §. 2.* non inſurgat? ut videlicet in tali commiſſo 18 inventus de matriculis advocatorum penitùs deleatur, & decem librarum auri mulctam Fiſco inferat. Siquidem fides non manet integra, ubi magnitudo quæſtuum ſpectatur, Tacit. *lib. 11. Annal. 6. num. 2.* Quæ ſanè cauſa impulit veteres JCtos, & Juſtinianum Imp. ut triplici pœnâ temeritatem eorum coërceret, *in princ. Inſtit. de pœna temerè litigant.*

Eundem ad modum PROCURATORES, ſi 19 officio ſuo legitimè non fungantur, ſi ſtatuta vel Ordinationes judicii accuratè non obſervent, ſi ſecreta partium propalent, ſi absque ſufficienti legitimatione ac informatione ad judicium accedant, ſi libellos incertos, obſcuros, & ineptos producant, aut acta judicialia propriâ manu non ſubſcribant, ſi in conviciando & injuriando modum excedant, ſi frivolis & fruſtratoriis dilationibus judicium eludant, litemque ſtudioſè protrahant, aut de quota litis paciſcantur, &c. hisq; aliisque ſimilibus malis maturè fiſcalia pœnarum remedia ſunt adhibenda, vaniloquæ linguæ præcidendæ, pecuniariis mulctis obſervandæ, ut alii ab ejusmodi vitiis deterreantur & emendentur.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT CXXIV.

Num. 4.

(1) *IN duabus ſolets &c.]* Hos vulgò Advocatos, nempe, qui ex utraque parte pecuniam muneraque illarum utrâque inſciâ recipiunt & pro utraque parte patrocinantes appellat, *Utraq; maxilla comedentes*, ut Magonius *in Cynoſura Advocatorum cap. 23. num. 1.* teſtatur, at benè *num. 10.* ſubdens: Ego quidem dicere audeo (prudenti tamen cujuslibet alterius judicio remiſſus) atroci pœnâ Judicis arbitrio talem *utrâq; maxillâ comedentem* plectendum eſſe, quinimò infamem effici, & officio privari debere illum, quem cum parte de quota litis paciſci videmus, &c. Adde & ejusdem *cap. 8.*

(2) *Iniqua pacta ineant &c.]* De quibus vide Alphonſum de Olea *de ceſſione Jur. & act. tit. 3. quæſt. 12. n. 32. 33. ſeqq. multis.*

Num. 7.

(3) *Sophiſticationum præſtigiis &c.]* De quibus vide laudatum Magonium *d. loc. cap. 11. p. 185. ſeqq.*

Num. 19.

(4) *Ubi in terminis reperiri poteſt deciſio &c.]* Sed talem invenire Doctoris eſſe Doctiſſimi & maximè induſtrij, cenſuerunt Felin. *in cap. cum Ord. col. 4. de reſcript.* Ludovic. Gomez *ad §. æquè Inſtit. de act. num. 14.* Knichen. *de J. Saxon. de non provoc. c. 5. n. 99. & 100.* Cavalcanus *1. deciſ. 30. num. 38. ſect. 2. ibi:* volo tibi tradere unam bonam medicinam his noſtris temporibus propter tot ſcribentium auctoritates. Quando habes cauſam aliquam, noli acquieſcere, donec Legem, Gloſſam, aut Deciſionem in terminis terminantibus invenies, & poſtea, illâ inventâ, videas de veritate articuli, & librum mitte Judici, ut faciebat, pater Veritatis Dn. Alexand. *in conſil. 207. num. 5. vol. 4.* quia hodiè ſunt pomposi Judices, quod ſi non vident textum, aut deciſionem in terminis nolunt credere, ut dicit Pract. Papienſis *formul. capit. quando teſtes. in fin. can. 113.* & benè faciunt hodiè iſti judices: nam quando habemus caſum legis, & authoritates ex profeſſo non debemus ire per argumenta & rationes. Hæc Cavalcanus. Ubi nota quod ille de Rota Romana dixit, & *Rotam aliquando rotare.*

Num. 12.

(5) *Factum allegent & diſputent Advocati &c.]* Cùm enim ex facto Jus oriatur, ideò ubi fundamentum facti non ſubſiſtat, ibi nullum bonæ allegationis poterit ædificium ſupponi; nec

Clien-

Clientulus poterit ullum de allegationis nitore habere ſubſidiũ, dicente Magon. *in Cynoſ. Advoc. c. 11. n. 1.* Hodiè Advocati & Procuratores in Cameræ in univerſum in ſcriptis nudum factum non articulatim, ſed ſummariè narrare, diſputationes verò & allegationes Juris omittere debent, quia maximam partem tantummodò cauſas intricatiores & difficiliores reddere ſolent, R. A. de Anno MDCLIV. §. Zu Damahliger ꝛc. Deinde quia datur adverſario occaſio cavillandi ac allegatos textus Juris & Dd. in ſenſum planè alienum detorquendi Clientes magnos ſumptus in concipiendis ac deſcribendis tam amplis ſcriptis impendere coguntur, Judici infertur tædium iſta ſcripta multis impertinentibus Juribus ac vulgaribus regulis, quæ coràm eruditis allegare tædioſum eſt, referta perlegendi multaque alia incommoda inde oriuntur, prout hoc ſatis experientia docet. Præterea in enarrando facto etiam omne illud, quod in ipſo facto cauſæ parùm proficuum, non immiſcere, ſed ſub pœna arbitraria præterire debent, tamen iis ad marginem unum vel plures textus Juris aut probatos ſcriptores, qui in terminis terminantibus de cauſa ſcripſerunt, allegare permiſſum, d. R. A. citato §. Zu Damahliger.

Num. 13.

(6) *Rhetoribus &c.]* Quantum Oratoria, ſine Jurisprudentia ſolida, rebus Judiciariis detrimenti attulerit colligere licet ex Colloquio inter Oratorem & Juriſtam à Vigelio ſeinem Richter-Büchlein præmiſſo. Tales enim neutiquam cum Advocatis honeſtis legum & morum peritis, qui ſunt

Inſigne mœſtis præſidium reis,

qui juxta Imperatorem *in l. 14. C. de Advocatis diverſ. judicum.* glorioſæ vocis confiſci munimine, laborantium ſpem, vitam, & poſteros defendunt, quibus laus ſua apud viros bonos manet, comparandi.

Huic enim ſolent ſtudio ſe dedere & arti.
Verba dare, ut cautè poſſint pugnare, doloſè
Blanditiis certare, bonos ſimulare viros ſe,
Inſidias facere, ut ſi hoſtes ſint omnibus omnes.

Et veriſſimè ſunt viliſſima capita forenſia, pecora ac togati vultures. (*Apul. 10. Metam.*) Indeque invectus in illos Vigelius *jam d. loco* ſcribit:

Grunnitum ſuis immundi cane pejus & angue
Indus Elephas inviſum habet.
Obſtreperos rabulas, qui litibus omnia miſcent,
Odiſſe par eſt Principem.

Num. 16.

(7) *Numerus quoque Advocatorum &c.]* In Republica Norimbergenſi quamvis certus & definitus Advocatorum numerus non ſit, attamen nemo ad Advocationem in Judiciis admittitur, niſi priùs plerumque ſtudiis academicis abſolutis & examine probatus, inprimis ſupplicibus literis pro admiſſione ad tale munus oblatis, ab Inclutо Senatu receptus fuerit, certaque Juramenti formulâ ad concepta capitula ſeſe obſtrinxerit. Hæc ſi Advocatus transgreſſus fuerit pro qualitate facti, nunc mulctâ pecuniariâ, (quam antequam ſolvat, productâ, ut vocant, ab eo concepta in Judiciis nullatenus ſignantur, ſed rejiciuntur) nunc ſuſpenſione temporaria ab illo officio, nunc remotione puniuntur. Inſuper hoc ipſum Juramentum ſingulis annis ſinguli, coram Senatu conſedente in Senaculo, ut eò magis officii admoneantur illudque colant reverentiùs, Advocati præſtant. Neque Dicographus, neque actuarius aut ſubſtitutus vulgò, neque Procurator, ſcriba, & hujusmodi alius niſi prævio examine regulariter in numerum adſciſci ſolent. Quò eò magis Juſtitiæ Honor ſuus cultúsve intaminatus ſervetur.

CAPUT CXXV.

Vitium litigioſi commodo fiſci cedit.

SUMMARIA.

1. *Emptor Venditorq́; contrahentes ſuper* re litigioſa *ſcienter, quibus pœnis ſubjaceant?*
2. *Cur* litigioſa *cedi vel alienari nequeant lite pendente, duæ afferuntur cauſæ,* & n. 3.
4. *Idq́; adeo verum eſt, ut neq; donari, neq; in Fiſcum alienari litigioſa res poſſit,* & n. 5.
6. *Difficile eſt, ut probet ignorantiam is, qui vendit* rem litigioſam, *quin emptor præſumitur præſciviſſe, quòd fuerit res litigioſa,* n. 7.
8. Litigioſi vitium *putatur reale, ita ut afficiat ignorantem.*
9. *Quo pacto* vitium litigioſi *appelletur reale?*
10. *Contra* ignorantem tertium *rei litigioſæ poſſeſſorem, non datur executio.*
11. *Per* litem *motam ſuper poſſeſſorio, non efficitur litigioſa proprietas.*
12. *Non contrahitur* vitium litigioſi, *ſi agatur de juribus incorporalibus.*
13. *Neq; per actionem perſonalem efficitur res litigioſa.*
14. *Nec locum habet* vitium litigioſi, *ubi ſit alienatio in ultima voluntate.*
15. *Non inducitur* vitium litigioſi *per litem nullam, cum falſo Procuratore inſtitutam.*
16. Litigioſam rem *emi non poſſe, quìnam intelligendum ſit?*
17. Alienatio rei litigioſæ *cum Univerſitate poteſt fieri: & etiam aliàs ex neceſſitate,* n. 18.
19. *Malè quæſita & retenta* fiſco *danda, & confiſcata in pœnam,* n. 20. & 21.
22. *Defertur* Fiſco *duplum pretii emptionis ementis domum, ut demoliatur.*

Qui terminare reſpuit lites fori,
Sententiâque nequit acquieſcere
Latâ ſemel juxta tenorem jurium
Civilium, locupletet ille Ærarium.

DEfertur Fiſco *rei litigioſæ,* (1) pendente lite venditæ, pretium & tantundem; exceptis alienationibus, quæ fiunt ex cauſa dotis, transactionis, diviſionis, rerum hæreditariarum, vel legati, vel fideicommiſſi. Pœna enim litigioſi eſt, quòd emptor ſciens rem litigioſam pretium amittit & rem reſtituit, non ut cedat venditori, ſed Fiſco: cui & alterum tantum improbus venditor pœnæ nomine inferre jubetur: Nam commune eſt delictum. Sed ſi emptor ignoraverit,

verit, rem eſſe litigioſam, irrita quidem fit per exceptionem alienatio, & à venditore, qui dolo fecit, recipit pretium, quod numeravit, & præterea tertiam partem pretii, duæ verò partes Fiſco præſtantur: Sic venditor, qui litem ignorare non potuit, ſolus plectitur in duplum, quia improbè fecit, per text. *in l. cenſemus. fin. C. de litigioſ.* Vide Johan. Bapt. Coſtam. *tract. de fact. ſcient. & ignor. diſtinct. 93. num. 1.* ubi latiùs disquirit, quibus pœnis ſubjaceant contrahentes ſcienter ſuper re litigioſâ. Mynſing. 1. *obſerv. 55.* Gail. 1. *obſ. 118.* & ante omia Lancell. *d. attentat. p. 2. c. 4. num. 566. in præfat. n. 451. & ſeqq.* ubi ampliat & limitat. Menoch. *conſil. 799. n. 38. & conſ. 838.* Hondedæ *conſil. 20. n. 52. vol. 1.* Oldendorp. *claſſ. 1. act. 11. princ. fol. 124.* Noviſſimè Anton. Perezius *in Cod. lib. 8. tit. 37. num. 6.*

2 Rationes, cur alienari vel cedi non poſſint bona vitio litigioſa lite pendente, duas adfert Mandoſ. *tractat. de inhibit. quæſt. 113.* I. Quia ceſſio plerunque fieret in potentiorem, & ſic collitiganti durior ſufficeretur adverſarius, contra *l. cum miles & tot. tit. ff. & C. de alienat. jud. mut. cauſ. fact.* Facit text. *in l. qui cum uno §. non omnis ff. de re milit.*

3 II. Quia aliàs nunquam vel raro rem meam petendo conſequi poſſem: Conveniendo enim Cajum poſſeſſorem, is in Titium reſignaret, Titius in Mævium, & ſic in infinitum Mandoſ. *d. loc. n. 3. & ſeqq.* ſuffragatur Natta *conſil. 2. n. 2. dicens,* rem litigioſam poſſe alienari, ne Reus fatigetur diverſis judiciis. Andr. Scheffer. *lib. 1. jur. 27. n. 163.*

Litigioſi appellatione res non tantùm
4 continentur, tam mobiles quàm immobiles, de quarum proprietate lis pendet, ſed nomina etiam debitorum, & ambigua Chyrographa *d. l. cenſemus. & Nov. 112. c. 1.* Et lite inchoata, ſi res alienatur, dolo alienata cenſetur Cephal. *conſ. 64. num. 18.* Idque in tantum verum eſt, ut nec res litigioſa donari *d. l. fin. C. de litig.* Boer. *deciſ. 33. num. 2.* poſt Menochium Lancellot. *d. p. 2. c. 4. in fin.*
5 *præfat. n. 455.* nec in Fiſcum alienari poſſit M. Ant. Peregr. *tract. de jure fiſc. lib. 4. tit. 6. num. 42.* ubi expreſsè probat, Fiſcum non poſſe res, vel actiones litigioſas ſuſcipere, per *l. res, quæ. §. lices ff de jur. fiſ.*

6 Difficilis verò, imò impoſſibilis eſt probatio ignorantiæ in vendente rem litigioſam, niſi fortè eſſet ſucceſſor venditoris. Matth. de Afflict. *in Conſtit. Reg. lib. 2. rubr.*
7 *41. n. 39. & 40.* Sic & emptor præſumitur reſciviſſe, rem fuiſſe litigioſam, quam emit Sichard. *in l. 4. n. 9. C. de litig. poſt gl. ibid.*

Litigioſi vitium eſſe reale, ita, ut afficiat ignorantem, voluit Baldus, & eò potiùs
8 inclinare Dd. communiter ſcripſit Lancellot *in præfat. p. 2. c. 20. limit. 4. n. 545.* ubi hoc ampliat; *& d. cap. 20. limit. 24. num. 19. verſ. ſecundum.* Paul. Fuſcus *ſingul. 38. in lit. L.* Martin. Monter. *deciſ. Aragon. 25. num. 50. in fin.* Fabian. de Monte *tract. de empt. & vendit. qu. 3. princ. num. 36.* At perſonale vitium inducere cenſuit Barthol. *in l. Pomponius §. cum quis utitur. n. 8. ff. de acquir. poſſeſſ. per l. 1. C. de præſcript. long. temp. & l. vitia. Cod. eod.* Idque verum & commune dictum affirmat Marian. Socin. *conſil. 47. num. 14. vol. 2.* Decian. *conſ. 109. n. 6. vol. 3.* Peregr. *libr. 4. de jur. fiſ. tit. 6. n. 25.* (ubi dicit, quòd res litigioſa per eum, qui illam bonâ fide acquiſivit, triginta annis præſcribatur, *l. 1. Cod. de præſcript. long. temp.* Balb. *de præſcript. p. 2. p. 3. princ. qu. 12. n. 5 fol. 148.* (ubi ſubjicit, quòd ideo non impediat præſcriptionem inchoari de novo in perſonâ ſingularis ſucceſſoris) Bertazzol. *conſ. crimin. 241. num. 11.* Petr. Gilken *in l. 2. n. 18. C. de edend.* poſt Jaſon.
ibidem num. 19. Accedit, quòd vitium li- 9
tigioſi ab allegatis ſuprà Dd. non ſimpliciter & abſolutè, multoque minùs ad eum effectum reale appellent, ut remedium attentatorum, vel *d. l. cenſemus C. de litig.* locum habeat contra tertium ignorantem & non citatum, ſed ut ex eâdem inſtantia agi poſſit contra novum poſſeſſorem, vel ut executio ſententiæ contra tertium litigioſæ rei poſſeſſorem dari poſſit: ubi tamen & hoc notandum; quamvis novus contra hunc tertium non requiratur proceſſus, exigi tamen citationem contra tertium; Ita nuncupatim ipſiſque in terminis poſt Nattam & Borgn. Cavalcan. declarat Robert. Lancellot. *de attent. in præfat. p. 2. c. 4 n. 534.* Exigi etiam rei litigioſæ ſcientiam in tertio, per notata Angeli *in Auth. de litig.* In tantum, ut etiam probatio incumbat petenti executionem contra hunc tertium rem litigioſam poſſidentem, quòd illam litigioſam fuiſſe ſciverit, ſicut poſt Nattam, quem citat *conſ. 250. ſub n. 4. lib. 2.* diſertè voluit Robert. Lancellot. *de attent. in præfat. ſub num. 536. verſ. ſecundò quod ad*
hoc, ubi *num. ſeq.* firmat hanc regulam, quòd 10
contra tertium ignorantem rei litigioſæ poſſeſſorem non detur executio.

Porrò nonnulli Dd. exiſtimant, litigioſi vitium non contrahi ſuper rebus ob litem ſuper poſſeſſione motam, Natt. *conſil. 145. n. 16.* qui ibidem *num. 17.* ait, regulare eſſe, quòd ubi non eſt quæſtio ſuper re, ſed ſuper jure aliquo rei ipſi connexo, tunc res ipſa nunquam efficiatur litigioſa, quin poſſit alienari, ut videtur eſſe caſus *in l. quam quæ §. Julianus ff. de aqu. & aq. pluv. arcend.* Menoch. *lib. 2. præſumpt. 97. n. 13.* Atque ita omnes tenere ait Decian. *conſ. 3. num. 227. vol. 4.* Auguſtin. Berous *conſ. 155. num. 42. vol. 1.* Sed contrarium verum: Quia judicium poſſeſſoriũ videtur reale, maximè quando quis ſcienter ſuccedit in vitium rei in-

vaſæ, *c. ſæpè. de reſtit. ſpol. l. vitia C. de acquir. poſſeſſ.* Franc. Marc. *deciſ. 76. n. 2. p. 1.* qui reſpondet ad gl. *in c. 1. de util. vel inutil.* videlicet,
11 per litem motam ſuper poſſeſſorio non effici litigioſam proprietatem; ſed tantùm poſſeſſionem.

Non etiam contrahitur vitium litigi-
12 oſi, ſi agatur de juribus incorporalibus. Affliſt. *dict. loc. rubr. 4. num. 37.* nec, ſi agatur hypothecaria (vide Lancellot. *in d. præfat. part. 2. cap. 4. numer. 587.*) aut perſonale ad pretium, §. *ab hoc autem in auth. C. de litig.* latè Cacheran. *deciſ. 144. n. 7.* Et de hypothecaria idem tradit Affliſt. *ad Conſt. Reg. libr. 2. rubr. 41. n. 21.*

Sic nec per actionem perſonalem res ef-
13 ficitur litigioſa, Pacian. *conſil. 26. num. 121. & ſeqq.* (ubi dicit magis communem) nec lo-
14 cum habet vitium litigioſi, ubi fit alienatio in ultima voluntate, Petr. Anton. de Petra *de Poteſt. Princip. cap. 14. n. 5. fol. 201.* Nicol. Everhard. Jun. *conſil. 18. lib. 2. in ſecunda Quæ-*
15 *ſtione.* Sic nec vitium litigioſi inducitur per litem nullam cum falſo procuratore inſtitutam. Cacheran. *d. deciſ. 144. n. 8. & ſeqq.* Vide omninò Lancellot. *d. p. 2. cap. 4. in præfat. n. 579*

16 Denique id, quod dicitur, litigioſam rem non poſſe emi, intelligendum eſt de lite judiciali, non etiam extrajudiciali. Caſtrenſ. *conſ. 295. n. 8. vol. 1.*

17 Alienatio tamen rei litigioſæ cum Univerſitate fieri poteſt: Tunc enim non principaliter, ſed acceſſoriè cenſetur alienata, *l. in modicis. ff. de contrah. empt.* Cephal. *conſ. 64. n. 15.* Menoch. *libr. 3. præſumpt. 129. num. 43.* Lancellot. *d. p. 4. c. 4. in præfat. n. 555.* Sic quoq; diviſio rei litigioſæ licita eſt, ſi fiat cum Univerſitate, *de auth. C. de litig.* Cephal. *conſ. 14. num. 13.* Secus, ſi particulariter, Cephal. *d. conſil. 64. n. 29. & ſeqq.* Vide tamen Bertrand. *conſil. 310. n. 3. volum. 2. p. 1.* Affliſt. *in Conſtit. Reg. d. lib. 2. rubr. 41. n. 19.* Lancell.
18 *d. p. 2. c. 4. limit. 7.* ubi tradunt, etſi alienatio rei litigioſæ aliàs prohibita ſit, tamen eam permitti, *quando hæredes vel ſocii inter ſe dividunt,* (2) quia cenſetur alienatio neceſſaria. Et in conſortem rem litigioſam transferri poſſe, docet Lancellot. *d. part. 2. cap. 4. n. 467. & ſeq.*

Hæc aliquantò altiùs repetere placuit, ut Magiſtratui innoteſcat, quibus caſibus vitium litigioſi locum habeat, ac mulctâ pecuniariâ coërceri poſſit; Et licèt non omnia, quæ adducta ſunt, ad materiam noſtram pertinere aliquibus videri poſſint; tamen cùm publicè ſint utilia, nec à propoſito omninò aliena, ab æquo judice & Lectore haud faſtiditum iri confido.

Ditatur & Fiſcus ex aliis juris pœnis, 19
vel pœnalibus compendiis. Nam inprimis malè quæſita & retenta fiſco applicantur, *l. in hæredem. 5. ff. de calumn.* Unde illa parœmia; quæ non capit Chriſtus, rapit fiſcus, *c. majores 17. quæſt. 7.* Res ma- 20
gni pretii, à fiſco minoris empta, fiſco addicetur, *l. 1. C. de fide inſtrum. & jur. haſt. fiſcal. libr. 10. l. ſi minori pretio. 3. C. de jur. fiſc. libr. eod.* Bona monopolantium, *l. unic. C. de monopol.* *Ex contractu privato poteſt quæri fiſco,* (3) & pœna, quæ ſolvenda fiſco inſeritur compromiſſo, niſi ſtetur arbitrio, *l. 1. ff. de jur. fiſc.* Domus, in 21
quam aliquid ex ſepulchro violato delatum eſt, conſentiente Domino, fiſco adjudicatur, *l. 2. C. de ſepulchr. violat.* cum pœna XX. librarum auri, quam ſolvunt violantes, *l. 3. C. eod.* Qui in baltheis, & equeſtribus frænis auſus fuiſſet lapides pretioſos inſerere, veluti Jacinthos, Margaritas, fiſco L. libras auri debebat. Et qui cultum imperatorium ex auro uſurpaſſet, vel fabricando, vel deferendo, centum librarum auri mulctâ damnabatur fiſco, *l. unic. C. null. lic. in fræn. & equeſtr. libr. 11.* Judex, qui noluerit audire eum, qui ſe docere paratus eſt immunem à functionibus publicis, debet fiſco XXX. libras auri, apparitor L. *l. 2. C. de offic. civil. judic.* In fiſcum quoque 22
defertur duplum pretii, quo quis emit, domum vel villam, ut eam demoliret, *l. 52. ff. de contrah. empt. l. 1. ff. de jur. fiſc. l. 2. C. de ædific. privat.* Malè affectus enim in Rempubl. viſus eſt, qui, ſpe aliqua particularis commercii & pretii, patitur publicum aſpectum deturpari.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT CXXV.

Princ.

(1) R*Ei litigioſæ &c.*] Illud hoc loco controvertitur, an Pœna illa, quam Reo alienanti Leges infligunt, etiam in Actore alienante locum habeat? Et Alphonſus de Olea *in Tr. de ceſſione Jurium & actionum Tit. 3. quæſt. 11.* putat; licèt æquum ſit, alienationes, quæ lite pendente, tam à Reo, quàm ab Actore fiunt, nullitati ſubjacere, propter præjudicium, quod colliticanti infertur, ſi novus litigator cedentis loco ſubrogaretur; tamen quoad pœnas longè diſſimilem rationem eſſe. Nam ubi actor cedit actionem (*pergit ille*) litigioſam, reo ferè nullum præjudicium infertur, cùm poſſit ceſſionarium agentem, & litem proſequentem repellere; & cogere cedentem, ut litem cœptam proſequatur, *l. 2. C. de Litig.* ibi; *Lite nihilominus peragendas;* & ſi fuerit abſolutus, nihil agere cum ceſſionario neceſſe habet, cùm ſententia abſolutoria executione non indigeat: quia ſe ipſam *exequitur,* & abſque aliquo

quo facto hominis, ſecum trahit executionem, cùm nullâ indigeat citatione, aut traditione, *l. ſi inter me. ff. de re judic. &c.* At verò cùm Reus rem transfert, vel jus, ſuper quo lis vertitur, alienatio & ceſſio magnum dolum præ ſe fert, & actoris Jus maximè læditur, cùm, ſi vincat, neceſſariò citare debeat novum poſſeſſorem & contra eum exequi ſententiam, ad quos multos Dd. *ibid. n. 5.* allegavit.

Num. 18.

(2) *Quando hæredes vel ſocii inter ſe dividunt &c.]* Ita quoque ſentit Petrus Santz Morquechus *de Diviſione Bonorum. cap. 6. n. 64.*

Num. 20.

(3) *Ex Contractu privato poteſt quæri Fiſco &c.]* Plura exempla legi poterunt apud Peregrinum *de J. Fiſci lib. 4. Tit. 7. p. 408. ſeqq.*

CAPUT CXXVI.

Ex Blaſphemiis, Exſecrationibus, diris Imprecationibus, temerariis, mulctæ & pœnæ pecuniariæ cogi & Ærario addici poſſunt.

SUMMARIA.

1. A jurando & blaſphemando *cohibeantur Subditi pœnis pecuniariis, pro ratione delicti.*
2. *Invehitur author in hoc* Vitium *nimis quàm vulgatum & in impunitatem ejus.*
3. *Ob perſonæ excellentiam, DEUM videlicet, in quem* blaſphemia *evomitur, peccatum eſt graviſſimum pœnâq́ graviſſimâ condignum.*
4. *Carpitur ſegnities* Magiſtratuum, *qui plectunt id, quo homo quiſpiam læſus eſt: negligunt verò eam, quâ DEUS blaſphemiâ affectus fuit.*
5. Peſtem, famem, bellum, terræque motus *ob hoc ſcelus DEUS ſæpè immittit.*
6. *Nulla pœna DEO hominibusq́ gratior, quàm ea, quæ de* blaſphemis *in DEUM ſumpta eſt.*
7. Variæ punitiones *Maximiliani I. & Caroli V. Impp. in blaſphemos perjurosq́ pro cujusq́ delicti modo & menſura*, & n. 8.
9. *Accedit huc etiam* Jus Canonicum.
10. *Qui linguâ in DEUM* blaſphemus *eſt, dignus cui lingua evellatur.*
11. Blaſphemia *eſt vel mediatè vel immediatè in DEUM: Cujus vitii convictus infamis habetur*, n. 12.
13. Coërcitio *hujus* blaſphemiæ *atrocis præſertim medium augendi ærarii.*
14. Conſuetudo *peſtilens* blaſphemandi, *nil excuſat à blaſphemiâ; aggravat conſuetudo delictum*, n. 16.
15. *Ubi major hujus vitii* conſuetudo *inveteravit, ſeverioribus pœnis eſt exterminandum.*
17. *Agitur in* furcam, *qui pecuniam furatus: qui Divini Numinis honorem rapuit, in purpurâ & honore publico inſoleſcit.*
18. Exempla *in hanc rem depromuntur ex Sacris tabulis, hiſtoriisq́ Veterum PP.* n. 19.
20. *Pœna reſecandæ linguæ* blaſphemæ, *utilis, conveniens & juſta decernenda.*
21. Acerbitas ulti maleficii *rectè vivendi diſciplina eſt.*
22. *In* AlCorano *ſic edicitur. Quisquis Deum Chriſtum vel B. Virginem blaſphemaverit, ſcindatur medius, ô!*
23. Blaſphemia *generale nomen, mille modis committitur.*
24. *An* blaſphemi *committant peccatum in Spiritum Sanctum?*
25. *Emblemata de* Blaſphemia.

IRRELIGIOSA SE MODO OFFERT
CONVITIORUM JACULATRIX
BLASPHEMIA.

Summa Dei bonitas hominum ſeſe ingerit usque
Luminibus; ſcelus eſt ergo nefasque grave,
Blaſphemare Deum, fontemque caputque bonorum:
Hoc qui ſe ſpurcant crimine, pœna premat.

ÆRarium Principis non leviter ditabitur, ſi à jurando & blaſphemando Subditi pœnis deterreantur, proque delicti qualitate pecuniariam mulctam perſolvant, niſi enormitas criminis jus coërcitionis argentariæ excedat, & graviores pœnas expoſcat. 1 Magno enim cum animi dolore ac mœrore audimus, non tantùm Vulnerum, Paſſionis, & Sacramentorum DEI ludicram ac vanam quotidiè mentionem uſurpari, ſed etiam per eadem hæc beneficia ſumma, aliis maledici, idque promiſcuè fieri, non ſolùm ab infimâ plebe & fæce populi, nec non junioribus, & balbutire incipientibus; Verùm etiam authoritate atque dignitate præcellentibus, & natu grandibus viris, & (quod valdè dolendum ac deplorandum eſt) licenter nimis, Magiſtratu facinus tantum, & quo nihil unquam Sol vidit indignius, diſſimulante & impunitum relinquente: 2 Cùm tamen DEUS ipſe blaſphemos ac Divini Nominis temeratores *lapidibus à toto populo obrui præceperit* (1) Levit. 24. v. 14. *Educ blaſphemum extra caſtra, & ponant omnes, qui audierunt, manus ſuas ſuper caput ejus, & lapidet eum populus univerſus.* Et ad filios Iſraël loquens: *Homo, qui maledixerit Deo, ſupportabit peccatum ſuum, & qui blaſphemaverit nomen Domini, morte moriatur, lapidibus opprimet eum omnis multitudo.* De hac pœna Juris Divini agebant fortè Judæi, dum Jeſum Dominum volebant lapidare, qui apud *Johan. c. 10. v. 33.* dixerunt, de bonis operibus non lapidamus te, ſed de blaſphemiâ, Confer *2. Reg 12. v. 14. Coloſſ. 3. v. 8. Jeſ. 5. verſ. 12. Matth. 12. v. 31. Marc. 3. v. 29.*

Ac licèt hæc blaſphemiæ pœna nonnullis magnitudinem iræ divinæ adverſus enormia peccata parvi facientibus, durior atque crudelior videri poſſit; tamen ſi ſeriâ hæc æſtimatione perpenderimus, deprehendemus, ob ſummi peccati, quod in perſonam, quâ nullâ uſpiam major & excellentior reperiri poteſt, committitur, enormi- 3

normitatem, atrocitatemque ſummum quoque & *extremum ſupplicium*, (2) juſtitiæ normâ ita exigente, ac pro merito in delinquentes infligi. Si enim (ait Imp. Juſtinianus *in Novell. 77. c. 1. §. 1.*) maledicta & contumeliæ hominibus illatæ, impunitæ non relinquuntur, quantò magis maledicta in Deum conjecta ac profuſa, puniri debent.

4 Quod argumentum bonâ atque firmâ ratione niti atque ſubſiſtere, naturali judicio & ſenſu communi percipi poteſt.

Viderint ergò, quàm perversè, ſtultè & impiè agant, quàmque graves ſibi tum temporales, tum æternas pœnas accerſant Magiſtratus plerique, qui hominem injuriantes & contumeliâ afficientes pœnâ dignos judicant, & quandoque graviter puniunt, Deum autem rerum omnium autorem & moderatorem, quique de genere humano optumè meretur, blaſphemantes atque injuriâ afficientes aut prorſus non, aut certâ pro delicti magnitudine remiſsè ac leniter admodùm plectunt. Planè quoniam videmus blaſphemiæ hoc crimen per ſe horrendum & omnium longè graviſſimum atque atrociſſimum eſſe, & corruptiſſimo hoc ſæculo, quo juxta *Horatium* (3)

Ætas parentum pjeor avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

5 Frequenter, imò quotidiè conſuetudine quâdam inveteratâ per ludum paſſim committi; quod ſæpe Deum ad iracundiam provocare, ac famem terræ motus & peſtes concitare, non minùs piè, quàm verè ſcribit Juſtinianus *in Auth. ut non lux. hom. contr. natur. & d. Nov. 77.* congruere; imò incumbere exiſtimamus Chriſtiano Magiſtratui, ut eos, qui blaſphemiis & horrendo Nominis Divini, vulnerum nimirum Paſſionis, & Sacramentorum Chriſti abuſu ac contemptu ſcurriliter ſe inquinant & polluunt, mulctis pecuniariis graviſſimè coërceat. Heresbach. *de Republ. Chriſtian. adminiſtranda cap. 11. fol. 268.* Adam Keller. *lib. 2. de officio juridico-polit. c. 12. fol. 405.* Bodin. *lib. 1. de Repub. c. 10. fol. 261. dicens*, pœ-
6 narum Capitalium nullam acceptiorem & gratiorem eſſe, quàm quæ acerbiſſimè de contumelia Deo immortali illata exigitur.

Ita Maximilianus I. Imper. tunc
7 temporis Romanorum Rex in Comitiis Anno MCCCCXCV. Wormatiæ, & Anno MD. Auguſtæ celebratis in eos, qui blaſphemiæ crimen inconſulto *iracundiæ, vel ebrietis calore commiſiſſent*, (4) mulctam & pœnam pecuniariam auri puri Marcam nimirum, conſtituit; qui ſe egeſtate laborare & mulctam hanc perſolvere non poſſe deprehendantur, corpore eos admiſſum luere voluit. Sin autem quidem blaſphemias temeritatesque petulantiâ quâdam evomuiſſent, & genere nobiles ſint, in ejusmodi verò crimine antea deprehenſi non fuerint, hoc ipſo facto ad munera & dignitates minùs idoneos atque inhabiles reddi, iisdem autem delictum hoc iterantibus pœnam corporalem infligi vult. Si verò temerarii & petulantes hi blaſphemii humiliore loco nati ſint, à Magiſtratu loci, ubi delictum eſt perpetratum, pro qualitate & modo ejus, corporali pœnâ coërceri ſtatuit. Haud mul- 8
tum diſſimili ratione in Ordin. Crimin. Caroli V. Imp. *art. 106.* pœna blaſphemiæ arbitraria facta fuit, nimirum ut vel primâ vice vinculis conſtringantur, ac pane doloris 9
& aquâ anguſtiæ (quæ pœna quoque Jure Canonico *cap. 27. de V. S. c. 2. extr. de maledict.* præfinita fuit) ſuſtententur, iterantes verò hoc delictum, jacturâ aliquâ facultatum, vel vitæ ademptione, aut membri alicujus mutilatio, veluti linguæ reſectione aut evulſione coërceantur, Goldaſt. *d. art. 106. tom. ult.* 10
Conſtit. Imper. fol. 538.

Vera itaque blaſphemia (5) regulariter morte, vel linguæ mutilatione, *perjurium autem arbitrariè*, (6) & quandoque *digitorum abſciſſione* (7) vindicatur, ut abuſus nominis divini, vel rerum ſacrarum, pro gravitate & frequentia, habitaq; aliarum circumſtantiarum ratione, extra ordinem puni- 11
tur. Et quod aliud ſit blaſphemia (quæ ſit vel immediatè in Deum, quando quis injurioſè loquitur de Deo; vel mediatè, maledicendo per paſſionem & vulnera, ut latè deducit Matth. Berlich *p. 4. concl. pract. 1. & 2.* & latiſſimè Boer. *deciſion. 301. per. tot.* Franc. Vivius *deciſ. 388. lib. 2.* Ant. Theſſaur. *deciſ. 241. n. 1. & ſeqq.* Caſpar. Teſſaur. *lib. 1. qu. forenſ. 78. n. 3.*) aliud ſit pejeratio, aliud etiam abuſus nominis divini, ſo mit Fluchung geſchicht / relucet ex d. Receſſu Imp. de Anno MCCCCXCV. item Anno MDXII. Anno MDXXX. Anno 12
MDXLVIII. Anno MDCXXVII. *tit. 1.* (ubi quoque blaſphemiæ convictus infamis habetur) Conſtit. Crim. V. *d. art. 106.* ubi Matth. Stephan. Bernhard. Zieritz & alii. Adde Fürſtliche Lüneburgiſche Policey-Ordnung *cap. 4.* Lather. *lib. 2. de cenſu cap. 4. n. 12. & ſeqq.* Egregiè Camill. Borell. *lib. 3. de Magiſtrat Edict. cap. 2. per tot.* Joan. Ruremund. *in Mammona cap. 26.* ubi coërtionem bla- 13
ſphemiæ inter augendi ærarii partes recenſet Quod & facit Dn. Beſold. *tract. de ærario c. 3. num. 4.* Quod tamen (uti dictum) non exaudiendum eſt de atroci blaſphemiâ, ſed eâ, quâ vulgò vocamus Fluchen. Zaſ. *conſ. 16. in fin dicens*, hodiè communiter in Civitatibus contra blaſphemos pecuniariam pœnam ſtatui, propterea, quòd iſthæc prava maledicendi conſuetudo inoleverit, quod & nobiles juxtà & ignobiles hujusmodi maledictis ſint aſſueti, contra divina manda-

ta,

ta,& veterum modeſtiam, ac integritatem, quâ etiam mulieribus quondam non licuit *per Herculem* (8) jurare. *Hæc ille.* Sed
14 conſuetudo blaſphemandi ipſum blaſphemum à calumniâ non excuſat; Nec pœnam quis evitare poteſt, ſi probet ibi alios frequenter blaſphemaſſe, nec litem propterea motam fuiſſe *c. flagitia 54. qu. 7. cap. objiciunt. 31. qu. 4.* Ant. Gabriel. *libr. 6. commun. opin. tit. de cousuet. concl. 3. num. 44.* Hæc enim conſuetudo eſt irrationabilis, & multitudo errantium non parit errori patrocinium, quicquid dicant Connan. *lib. 1. commen. 10.* Moller. *3. ſemeſtr. 2.* quos refert Ventura de Valent. *lib. 1. Parthen. Litig. c. 13. n. 3.*

Quinimo ob hanc ipſam cauſam, quòd graviſſimum hoc blaſphemiæ crimen frequentiùs committitur, adeò, ut in quotidianam ferè conſuetudinem ac mores abierit; eò cautiùs hîc agendum, & ſeverioribus aſperioribusque pœnis delictum hoc refrænandum ac compeſcendum erit. Si
15 enim conſuetudo delinquendi aggravat delictum; Si multis graſſantibus opus eſt exemplo *l. aut facta §. fin. ff. de pœn.* Si denique creſcente malitiâ juſtum eſt pœnam
16 augeri; Nonne & æquius erit, ob hanc impiè blaſphemandi frequentiam, & conſuetudinem pœnam potiùs exaſperare, quàm minuere? præſertim cùm legibus apertè cautum ſit, judicem propter conſuetudinem delinquendi pœnam ordinariam augere poſſe ac debere *d. l. aut facta §. fin. & l. Capitalium ff. de pœn.* Quod communiter receptum tradit Clar. *d. §. fin. qu. 84.* Joan. Grivell. *deciſ. Dolan. 24. n. 12. & ſeqq.*
17 Et ſanè cùm Magiſtratus pecuniarum fures, atque latrones ob frequentiam criminis ſeveriſſimè puniant, vinculis flagellisque coërceant, laqueis è medio tollant; quid, quæſo, reſponſuri ſunt noſtri Magiſtratus, quòd gloriæ ac Sacroſancti Divini Nominis fures ac latrones famoſiſſimos, petulantiſſimos & obſtinatiſſimos, non ſolùm impunitos dimittunt, verùm etiam in auro atque in purpurâ (ut *Cato* de publicis furibus uſuvenire ætate ſuâ *dicebat*) (9) omni denique ſplendore ſæpenumero ætatem agere permittunt. Hui quam mirabuntur atque execrabuntur in noviſſimo illo die Magiſtratuum in puniendis blaſphemis negligentiam & oſcitantiam, divini illi viri *Elias* (10) Propheta, & *Pinehas*, (11) *Mathathiasq;* (12) Sacerdotes, qui manifeſtis atque enormibus ſceleribus divinam legem violantes ſuis manibus necaverunt. Ah quantis devovebunt diris Magiſtratus noſtros, quòd ſupino Dei deſpectu atque neglectu blaſphemias & horrendum Divini Nominis contemptum diſſimulare & impunitum relinquere non erubuerunt? quod ipſi ætate ſuâ nequaquam tolerare potuiſſent, ſed ardenti Zelo ejuſmodi impios ac perditos nebulones propriis manibus interemiſſent, atque è medio ſuſtuliſſent.

Scripturarum ſeriem ſi percurramus, ubi non blaſphemia repreſſa & punita? Deus, 18
ob blaſphemiam, per Angelum unâ nocte in exercitu Sennacherib Regis Aſſyriorum, centum octuaginta quinque millia hominum occidit, ipſeque à filiis poſteà interfectus fuit, *2. Reg. 19.* Vide quoque *1. Reg. 20.* ubi pauci filii Iſraël unâ die percuſſerunt centum millia peditum Syrorum, & cùm reliqui aufugiſſent in Aphec, cecidit ſuper illos murus Civitatis, atque occidit ex eis alia viginti ſeptem millia, ita ut Benadad Rex Syriæ ab Achab veniam & fœdus petierit. Sic Chore, Datan, & Abiron cum ſuis aſſeclis ob blaſphemiam terræ hiatu abſumpti ſunt *Num. 16. verſ. 26.* Sic impiò Nicanori ob blaſphemiam lingua præciſa & volucribus diſcerpenda projecta eſt, *2. Macchab. 5.* Hinc Judæi ad auditam blaſphemiam, aures obturare & veſtes diſcindere ſolebant, ut fecit Rex Ezechias *Eſai. 7. verſ. 1.* Et Pontifex, quia Salvatorem blaſphemaſſe (ſed falsò) credebant, ſcidit veſtimenta ſua, *Matth. 26. verſ. 65.* Et Paulus ac Barnabas, deferentibus ſibi Dei cultum Lycaonibus, ſciderunt veſtimenta ſua *Act. 14. verſ. 13.* Quin Dominus Jesus ſæpius, ac præſertim calumniantibus Phariſæis; Hic non ejicit Dæmones, ſed in Beelzebub principe dæmoniorum: poſtquam eos falſitatis conviciſſet, ſubjecit: Ideò ſcilicet, ut intelligatis quantum peccetis, dico vobis: omne peccatum, videlicet aliud, & blaſphemia remittetur hominibus, id eſt, facilè poteſt remitti per pœnitentiam; Spiritus autem blaſphemiæ non, id eſt, difficulter remittetur: Blaſphemiam Spiritus vocans eam, quæ contra manifeſtam Dei operationem committitur. Hinc addit: Qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum &c. *id eſt*, qui manifeſta Spiritus Sancti opera dæmoni attribuit &c. *Matth. cap. 12. Marc. 9. Luc. 12.*

Suſpenſo utrinque cum Chriſto Latrone cùm populus ſpectans Chriſto illuderet; unus de his, qui pendebant, latronibus ejus etiam dignitati per blaſphemiam derogabat, dicens: Si tu es Chriſtus, ſalvum fac te ipſum & nos. Quem alter increpans, reſpondit. Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es: inſinuat is Blaſphemiam, *initio ſapientiæ*, (13) quod eſt timor Domini, adverſari, *Luc. 23. Juliani* (14) Imp. Apoſtatæ inſignes blaſphemias horret animus meminiſſe. Ex Chriſtiano 19
factus Chriſti perſecutor, ex Rege tyrannus, cùm, ſuſcepto adverſus Perſas bello, in ipſo prælio divinitùs (ut putatur) lethale vulnus inter coſtas lanceâ acciperet, ſanguine è vulnere in manum recepto, eoque in cœlum ejaculato, in hæc verba im-

piè erupit: Exple iram tuam Galilæe (ita enimChriſtum per contemptum appellabat) fateor, viciſti: & ita infelicem animam non diu poſt exhalavit. Mitior quidem Alphonſi X. Hiſpaniæ Regis, ſed parum melior vox aut ſenſus. Solitus Providentiam identidem, culpare, parum ſapienter ac providè,ſi principio mundi, ajebat, Deo, adfuiſſem multa melius ordinatiusque condita fuiſſent. Miſelle, quo linguâ & mente abis? At notabile, & hunc regno & priorem Imperio privatos, in publico odio & infamia obiiſſe. Lipſ. *Monit. Polit. l.*1.*c.*4.

B. Gregorius *lib.*4. *dial.* narrat, puerum quinquennem, aſſuetum blaſphemare Majeſtatem Dei, in ſinu patris expiraſſe, animâque à Mauris, quos puer contremiſcens ajebat ſe videre, hoc eſt, à Dæmonibus ablatam; Quod exemplum à D. Gregorio relatum recenſuit etiam poſt Boërium *deciſ.* 301.*nu.*5. Petr. Caballus *cent.* 3. *reſolut. crimin. caſ.*96. *n.*39.

Thomas Cantipratenſis *libro altero Apum*, ita de quodam blaſphemo ſcribit: Simon de Tornaco Theologiæ Doctor & Profeſſor celeberrimus Pariſiis Diſputatione habitâ de humilitate doctrinæ Chriſti, in reprobum ſenſum datus dixit: Tres eſſe, qui ſectis ſuis mundum ſubjugaſſent; Moyſen, Chriſtum, Muhammedem: Moyſen infatuaſſe Judæos, Chriſtum Chriſtianos, Muhammedem gentiles. Nec mora corruit & everſis oculis pro humanâ voce mugitum emiſit, & epilepſiâ ſtatim alliſus in terram, die tertio ejusdem morbi vindictam accepit, mutusque manſit, non nominans niſi Aleyden ſuam concubinam. Relatu quoque non indignum, quòd Bononiæ adſcribunt probati ſcriptores. Cùm in convivio gallus mira arte aſſatus diſſecaretur, unus convivarum D. Petro, inquiebat, hunc gallum redintegrare impoſſibile foret, alius autem, quin nec ipſe Chriſtus id poſſet, ſubjungebat. Ad has voces, res mira? gallus proſiliit, & colloſis alis juſculum, quo erat perfuſus, in diſcumbentium ora diffudit. Blaſphemos verò lepra hæreditaria puniri, plura exempla refert Joan. Buſæus Jeſuita, *in Panap. verb. blaſphemia. fol.*21. & 22.

Memorabile quoque eſt, quod Petrus Bembus ſcribit *Hiſtor. Venet. lib.*2. Nobilem quendam Joannem Georgium, hominem ferocem nullâque pietate, ab Antonio Bernardo Tauriſanorum prætore, ob maledicta in Deum aliaque ſcelera ex eo oppido in exilium pulſum damnatumque eſſe, ut ſi eò rediret, lingua ei amputaretur, manusque altera præcideretur: is Tauriſum alio Prætore cum revertiſſet, virginemque vi adhibitâ violaſſet, Decemviri miſſis illic ſuis rerum Capitalium miniſtris atque vindicibus Georgium comprehendi, deque eo Antonianum ſupplicium medio in foro ſumi juſſerunt, & ſumpto Venetias adductum in Cretam deportari mandaverunt.

Atque hæc amputationis linguæ in blaſphemos conſtituta & executioni manda- 20 ta pœna, convenientiſſima, juſtiſſima & utiliſſima videtur. Nam & ea corporis pars, quæ deliquit, luit & pœnam dat; & linguæ maliloquæ reſectione hæc, ne blaſphemum iſtud membrum tale quid in poſterum committere poſſit, ſapienter providetur atque cavetur. Ut ſilentio involvamus, alios exemplo hoc à ſimili maleficio deterreri. Utinam Magiſtratus noſtri ad exemplum hoc imitandum, & linguas blaſphemis, præſertim iis, qui flagitium hoc iterant & ſæpius committunt, præcidendas invitari ac compelli poſſent. Multi profectò hac pœnæ ſeveritate deterriti à nefando ac deteſtando hujusmodi ſcelere abſtinerent atque caverent. Acerbitas quippe ulciſcendi ma- 21 leficii, benè atque cautè vivendi plerunq; eſt diſciplina, authore Sexto Cæcilio JCto apud Gellium *Noct. Attic. lib.* 20. *cap.*1. Verùm ut nunc ſunt tempora & mores, ac poſtquam ſæcula hæc noviſſima à priſcorum virtute & diſciplina degenerarunt, & ad rerum ferè omnium diſſolutam licentiam delapſa atque demerſa ſunt, ſurdo nos fabulam narrare ſuſpicamur, oleumque heîc & operam perdere videmur. Muhammedes Turcicæ legis & 22 Principatûs author Chriſti non minùs, quã ſuum ipſius nomen exſecrantes, acriter punit, honeſtiores pœnâ pecuniariâ, humiliores flagris. Neque Chriſti ſolùm, ſed & Mariæ nomẽ blaſphemantes caſtigant. Sic enim lege cautum eſt. Si quis ſive Chriſtianus, ſive Turca, vel Maurus, vel Arabs Chriſti illud verbum Dei, quem virtute Spiritus S. à Maria procreatum credimus, vel etiam ipſam Virginem, quam Deus omnibus creaturis puriorem fecit, & excellentiorem, blaſphemaverit, præter mulctam pecuniariam, ſexaginta fuſtiarii plagas ſuſtinebit, Monſ. de Laet. *in Deſcr. Arabiæ & Orient. Urb. fol. mihi* 132. 133. De aliis blaſphemiæ pœnis vide Berlich. *d. concl.* 1. & 2. *part.*4. Farin. *in prax. crim. qu.*20. *l.*1. Zypæum *in Analyt. enarrat. juris Pontificii lib.*5. *tit. de maledic.* Borell. *d. c.*2. *n.*24. & *ſeqq.* Idem Borell. *n.* 11. (*ubi ait* mille modis blaſphemiam committi, quæ re 23 incidunt in unum) Joann Bapt. Coſta *tr. de fact. ſcient. & ignor. inſpect.* 17. *per tot.* ubi nonnulla quoad blaſphemiam oris & facti tradit Beſold. *parte* 2. *conſ.*48. *p.*2. & *conſ.*95. *ne*34. 35. & 92. Petr. Caball *d. cent.*3. *reſol. crim. caſ.*296. *per tot.* & *per diſcurſ.* Anton. Teſſaur. *d. deciſ.*241. *ubi inquit*, quod magis puniatur, qui blaſphemat ex conſuetudine, quam qui ſemel aut bis, lubrico linguæ, abſurdosque eſſe, qui ob frequentiam hujus delicti pœnam ejus minui tradit Marius Ant. Macer. *lib.*3. *var reſolut.*12. *n.*4. Sunt ex no- 24 ſtris, qui ſtatuunt, blaſphemos committere pec-

peccatum in Spiritū S. quod tamen ita ſimpliciter non procedit. Nam licet omne peccatum in Spiritum S. ſit cum blaſphemia conjunctum, non tamen omnis blaſphemia eſt peccatum in Spiritum Sanctum. Differunt itaque blaſphemia & peccatum in Spiritum Sanctum, ut pars & totum, Feurborn. *in Diſſert. Theolog. de peccat. in Spir. S. c. 4. 5. 6. & ſeqq.*

25 Bellè Seba *in Emblem.* Homo cœlum verſus ſpuens:

Cernis ut hic cœlum, fœdo qui conſpuit ore,
Non cœlum, imò ſuos conſpuit ipſe ſinus?
Et tu cœlorum Domini contemptor in illum
Non quot verba jacis, tot tibi probra vomis?

Et Camerarius *Emblem. 74. cent. 3.*

Impura quid audes? Coturnix Luna obſtrepera.
Impietas cœlum probris ſuperosq; laceſſens,
Nulla dabit ſuperis, maxima damna ſibi.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT CXXVI.

Num. 2.

(1) L*Apidibus obrui à toto populo præceperit, &c.*] Eleganter de hoc & facinore, & ſupplicio ex Philone Drexelius *in Orbis Phaëtonte c. 6. de Blaſphema Lingua* §. 1. Non modò Moyſen, *inquit*, DEI amantiſſimum, verùm etiam quemvis mediocriter pium exaſperare potuit iſtius Hybridæ blaſphemia, declinantis ad Ægyptiacam patris impietatem, faſtidito ritu materno. Et Moyſes quidem amentiam perditam, & immunem audaciam effervefcentem miratus, quamvis generoſâ indignatione cuperet manu ſuâ ſceleſtum conficere, veritus tamen eſt, ne is ad hunc modum leniore, quàm pro merito, defungeretur ſupplicio, par enim tantæ impietati pœna ab hominibus inveniri non potuit, cùm impius ille pollutâ linguâ voceque auſus ſit eum execrari ab omnibus. Ideò Moyſes, dum vinctum ſervari in carcere præcepit, ſuppliciter à DEO flagitabat, veniam daret oculis auribusque non ſponte pollutis, ſimulque rogabat, quid oporteret pati inventorem ſceleris nefandi & inauditi ad eum diem. DEUS ſic conſultus lapidari juſſit; quòd animam blaſphemus haberet duriſſimam & planè ſaxeam, utque manibus totius gentis in ultionem avidæ ſumeretur ſupplicium, quia nō poterant aliter quàm enimus ferire tot millia; & ut ſanguis ipſe illic ſparſus horrori eſſet omnibus, doceretque blaſphemiam deteſtari. Sumpto itaque ſupplicio de blaſphemæ linguæ homine, Decretum Divinum audiente omni populo, juſſu DEI proclamatum eſt iſtud: Homo, qui maledixerit DEO ſuo, portabit peccatum ſuum, & qui blaſphemaverit nomen Domini, morte moriatur; lapidibus eum opprimet omnis multitudo populi, ſive ille Civis, ſive peregrinus fuerit. Qui blaſphemaverit nomen Domini morte moriatur. En repetita Sententia & calculo veluti geminato, blaſphemus morti addicitur, ut perimendus ſimul & ſepeliendus ſaxeâ grandine, tanquam cœli terræque odium & probrum. *Ah, mi DEUS, ſi omnis jam blaſphemia ad hanc normam expianda ſit, quàm frequentes cadēt lapidei hi imbres.* Hactenus Drexel, qui in ſequentibus alia, & quidem punitæ immediatè à DEO blaſphemiæ exempla ſubjungit.

Num. 3.

(2) *Extremum ſupplicium &c.*] Gilhauſen *in Arbore Judic. Crim. cap. 2. tit. 1. à num. inde 6.* disquirens, utrum pœnâ mortis Blaſphemiæ Crimen horrendum ſit puniendum, pro & contra arguens, demum *num. 14.* concludit, quòd conſuetus blaſphemare poſſit optimo Jure ad mortem condemnari, quia vitium in habitum convertit. Sed de Pœna blaſphemiæ infrà plura dicuntur in textu *num. 7.* & tractant de ea præter infrà citatos à Klockio *num. 22. & 23.* Viv. *deciſ. 384.* Bœckel *Disquiſit. Crim. 4. quæſt. 3. & 5.* Anton. Matthæus *de Criminibus lib. 48. tit. 10. cap. 6. num. 6.* Coler. *deciſ. 172.* Bonifacius Vitalinus *tract. de Maleſ. de pœn. blasphem.* Carpzov. *Praxi Rer. Criminal. parte 1. quæſt. 45. num. 1. 2. 3. ſeqq.* & Commentatores *ad Conſtit. Criminal. Caroli V. artic. 106.* communiter.

Num. 4.

(3) *Horatium &c.*] *lib. 3. Carm. Ode 7. in fin.*

Num. 7.

(4) *Iracundiæ & ebrietatis calore commiſiſſent &c.*] Generale enim eſt, dicente Farinacio, *de delict. & pœn. lib. 1. tit. 3. quæſt. 20. n. 51.* non ſolùm in crimine blaſphemiæ, ſed in omnibus delictis Ebrietatem delinquente illum excuſare ab ordinaria pœna, *text. in l. 6. §. 7. de re milit. c. ſanè 15. quæſt. 1.* Hinc vulgò dici ſolet, quòd ebrietas excuſet culpam à tanto *num. 10.* ſi non à toto. Adde Menoch. *de A. J. Q. caſ. 379. num. 32.* Clarum *§. blasphemia v. excuſari poteſt. 6. §. item quæſt. 60. v. præterea quæro 12. in fin.*

Num. 10.

(5) *Vera itaque Blaſphemia &c.*] Blasphemia ſive Crimen læſæ Majeſtatis divinæ fit vel *immediatè* in DEUM, vel *mediatè*; ut quando quis maledicat per paſſionem, aut vulnera Chriſti. Quod latiùs explicat Berlich. *parte 4. Concl. 1. & 2.* Ipſeque Klockius *infrà hoc capite num. 11.* allegat, & fortè priorem ſive *immediatam* hîc *Veram* nominat Author noſter.

(6) *Perjurium autem arbitrariè &c.*] Lucas de Penna à Petro Cuballo *Reſolut. Criminal. caſ. 296. num. 39.* adductus cenſet blasphemiam adeò immane crimen, ut nihil odibilius ipsâ blasphemiâ inveniatur, quæ in cœlo ponit os ſuum, & quâ omne peccatū levius eſt, quia pejùs videtur blasphemare, quàm pejerare, quia pejerando falſæ rei adhibetur teſtis DEUS, & blasphemando de ipſo DEO falſa dicuntur, unde blasphemia veniam non meretur, &c. Cùm verò *in l. 2. C. de R. C.* Imp. Alexander reſcripſerit, *Jurisjurādi contemptam Religionem ſatis DEUM ultorem habere*; anxiè in eo explicando laborarunt Dd. uti videre eſt apud Grœnewegen *de LL. abrog. per Holland. ad hanc l. 2.* & Carpzovium *in Praxi Criminali parte 1. quæſt. 46. num. 4.* qui putat, vix poſſe negari Jure Romano perjurium contra DEUM etiam conſultò & malâ mente commiſſum, (nullâ pœnâ temporali, eâque certâ & determinatâ ultioni ac pœnæ divinæ relictum fuiſſe. Quò & Riccius *Collat. deciſ. 1316.* & Neapolitanus *in 1. ff. Nov. tit.*

perjurus cap. 10. inclinat. Verùm hodie à Magiſtratu arbitrariè punitur, ut laudatus Carpzovius *d. loc. n. 43. usque ad 47.* præter alios docet.

(7) *Digitorum abſciſſione &c.]* Amputatione digitorum duobus caſibus vindicari perjurium, ex Caroli V. P. H. O. *art. 107. & 108.* colligit Carpzovius *d. loc. n. 52. ſeqq.* I. Quando quis in Judicio juramento à Judice delato conceptis verbis, pecuniæ nomine, vel lucri alterius gratiâ, quo id ſuum in commodum cedat, pejerat. II. Si quis Urphedam vel cautionem juratam de non redeundi (ſi ſcilicet fuerit relegatus) aut de non ulciſcendo carceris injuriam ruperit, fregerit, nec ſe priùs abſolvi fecerit.

Num. 13.

(8) *Per Herculem jurare &c.]* Ideò non jurabant per Herculem mulieres Romanæ, quòd Herculeo ſacrificio abſtinebant; ut notat A. Gellius *Noct. Attic. lib. 11. cap. 6.* Adde Macrobium *in l. Saturnal. cap. 12.* Briſſonium *lib. 1. Form. pag. 7. & 8.*

Num. 17.

(9) *Cato dicebat &c.]* Apud A. Gellium *Noct. Attic. lib. 11. cap. 18.*

(10) *Elias &c.]* *3. Regum. 18. v. 23.*

(11) *Pinehas &c.]* *Num. 25. v. 8.*

(12) *Mathathias &c.]* *1. Macchabæorum 2. v. 25.*

Num. 18.

(13) *Initium Sapientiæ &c.]* *Proverb. 9. v. 10.*

(14) *Juliani &c.]* Vide ſuprà *cap. 83. num. 21.* (15)

CAPUT CXXVII.

Rationarium ſive Breviarium Principi conficiendum.

SUMMARIA.

1. *Auguſtus* rationarium *tàm opum publicarum quàm tributorum, civium, ſociorum, ſervorum etiam, aliorumq́; confecit utiliſſimè*, & n. 2.
3. *Hoc* rationarium *habitum eſt certiſſimum, velut Regni Symbolum.*
4. Liber acceptorum & expenſorum *Principi commendatur.*
5. *Exemplum* Aſſueri Regis *adnotantis, benè ſibi facta & benè de ſe meritos.*
6. *In hoc* libro Principis *ſit aliquis titulus, qui dicatur Titulus Honoris.*
7. Exempla Principum *qui libros habuerunt conſimiles, magnâ laude, & commodo*, & 8.
9. Rationarium *ſive* liber Arcanus *iterum Principibus commendatur*, & num. 15.
10. Conſiliarii *explorent ſtatum Principatûs totius, in quo ſunt conſtituti ad conſilia; Etiam minutiora, unde ſalus Provinciæ pendet*, num. 11. 12. 13.
14. Libri ſecretiores *malorum Principum improbantur.*
15. Regiſtra *quid?*
16. Regiſtratura *exacta in quibus potiſſimùm conſiſtat?*

Queis conſignentur reditus, Breviaria certa
Conficiat Princeps, quamque ſit ære potens.

1 AUguſtus CÆSAR non ignarus, quantum humeris ſuis pondus gereret, regeretque, alienam induſtriam negligens, arcanum ſuâ manu, inſtar opulentiſſimorum & cautiorum mercatorum, ſibi conſignavit librum, in quo continebantur *opes publicæ*, (1) quantum civium, ſociorumque in armis: quot claſſes, regna, provinciæ, tributa, aut vectigalia, terrâ marique ſperanda, proventusque Imperii annuus omnis; ſumptus denique, neceſſitates & largitiones neceſſariò profundendæ in familiam, exercitus, claſſes, ne quid ſupra Imperii vires aggrederetur, nec ſupra cenſum erogaret. Quantum pecuniæ in Ærario & Fiſci ac vectigalium reſiduis: Adjecta erant & libertorum ſervorumque nomina.
2 Sueton. *in Auguſt. c. ult.* Quod quidem etiam ante eum veteri inoleviſſe conſuetudine Cicero refert *3. de legib.* Senatori, *inquiens*, neceſſariũ eſt, noſſe Remp. idq́; latè patere, quid habeat militum, quid valeat Ærarium, quos ſocios habeat Resp. quos amicos, quos ſtipẽdiarios, quâ quisque ſit lege, conſuetudine, fœdere. Hæcq́; Rationarii confectio & poſſeſſio tam arctè Imperio eſt juncta; *ut cùm Auguſtus* (2) tædio diuturnæ valetudinis, de reddẽdâ Republ. cogitaret, Magiſtratibus ac Senatu domũ accitis, id Rationarium, (tanquam certiſſimum Regni Symbolũ) eis tradiderit, quod deinde Tiberio in Senatu oblatum eſt. Tacit. *lib. 1. c. 11. n. 7.* Dion. *lib. 56.* 3
Ab hoc Principe omnium maximo, ſummi & mediocres *Principes diſcant, & Librum arcanum* (3) ſive Breviarium (ô rem admodũ ſalutarem!) propriâ manu conſcribant, in 4
quo accepta & expẽſa referant, & in quo velut in ſpeculo, ſe intueri & quaſi per indicem exploratum habere poſſint, quantum pecuniæ in Ærario, & fiſci & vectigalium reſiduis, quot milites in ditionibus colligere & ſub ſignis ſuis alere queant; quibus aliquid debeant, quò videlicet, cùm facultas & occaſio ſuppetierit, merita reponere poſſint. Id ſiquidem fortaſſe denotant verba illa *neceſſitates ac largitiones.* (4) Quæ res adnotata, 5
ſive juſſa, ut adnotaretur, à Rege Aſſuero, effecit, ut, licèt immaturè Mardochæi merita recognoſcens, *Eſth. 6.* non potuerit Rex in numero ingratorum collocari; quod vitium utpote Rebuspubl. Principibusque exitioſum, nunquam non fuit deteſtabile.

Sapientiæ itaq́; & bonitati Principis maximè convenit, in hoc Libello ſive manuali ſingularis titulus, ſive caput, huic rei adaptetur, TITULUSQUE HONORIS indigite- 6
tur. Et cũ Princeps excellentes, fortes, & præſtantes viros, eorumque qualitates & virtutes commendari audit, poſt condignam cõformationem, hunc clarâ voce Breviario ſuo adſcriptum pronunciet. Id quod LUDOVICUS II. Rex Galliæ etiam in conſtituendis judiciis lauda-

laudabiliter eſt ſecutus. Mortuo quippe Agennenſis Conſiſtorii Præſide, honorificentiſſimum hoc & præclariſſimum officium, Studioſo cuidam juveni, quem Aureliis elegantiſſimè perorantem audiverat, & ejus nomen, hoc, quem proponimus, modo notaverat, gratis contulit; Sicque & alias in honoribus decernẽdis fecit Blaiſe du Montluc. *Comment. milit. lib. 7. fol. 216.* Atque hoc conſilium ſuggerunt Bodin. *d. lib. 6. de Rep. c. 2. n. 672.* egregiè Scipio Amiratus *lib. 1. diſſert. polit. in Tacit. diſcurſ. 5.* Clapm. *lib. 5. de Arcan. Rerumpubl. c. 14.* Werner. *libr. 1.* der Fürſtl. Tiſchreden *cap. 1.* was der Fürſten geheime Buch in ſich begreiffen ſoll. Nicol. Bellermont. *diſſert. polit. 33. per tot.* Joan. à Chockier. *lib. 2. aphor. polit. c. 21.* Semper Claudio, Caligulæ, Vitellio, Neroni defuit. Nunquam Auguſto, quod daret, hâc libri diligentiâ defuit; ſemper etiam Tiberio, quod dare poſſet, fuit. Idem Imperium, Regna, Provinciæ, vectigalia eadem, nec onera Tiberio inferiora, nec numeroſior prioribus exercitus fuerat, & cùm nihil ſucceſſores in prioribus reperiſſent, Tiberius moriens ſeptem *ſupra ſexaginta auri milliones* (5) reliquiſſe nar-
7 ratur. *Alexander Severus* (6) quoque milites ſuos ſic ubique ſcivit, ut in Cubiculo haberet Breves, & numerum, & tempora militantium; ſemperque cùm ſolus eſſet, & rationes eorum, & numerum, & dignitates, & ſtipendia recenſeret, ut eſſet ad omnia inſtructiſſimus. Sic CONSTANTINUS Leo Imp. Rationarium ſui Imperii conſcripſiſſe fertur, in quo fœdera, hoſtium vires, ſumma denique totius Imperii continebatur, quem librum Venetos nimiò diligentiùs, quàm Picos ſuum aurum, aſſervare, ſcribit Chock. ex Giraldo *Hiſtor. Poët. dial. 5. d. c. 21. fol. 138. Sic*
8 *Amurathis* (7) Imp. Turcici breviarium ſubſequentes Impp. in adminiſtratione regni pro Oraculo habuerunt. *Sic Rex Hiſpaniarum* (8) librum habet omnium literarum, quas ad Legatos & Præſides Provinciarum ſcribit, compendioſiſſimè ſingula complectentem; eum volvit, ac revolvit. Sic quoq; COSMUS MEDICES Magnus Etruriæ Dux Codicem Rationarium Principatûs ſui ſedulò confecit; quem (ut ſcribit Annib. Scotus *l. 1. in Tacit.*) Franciſcus filius ejus tenet ac legit diligenter, exemplo omnium Principum, qui aliis ſuccedunt, quemadmodum Tiberius Imp. fecit cum Breviario Auguſti. Non ſinant itaque pro ſtabiliendo & coadjuvando Ærario noſtri ævi Principes morem optimum & Reip. gubernandæ convenientiſſimum ſuâ negligentiâ exoleſcere; ſcribant
9 Principatûs Rationarium, ſive Arcanum librum, in quo vires ſuas, quantum videlicet militum in ſuis ditionibus legere, quantam pecuniæ vim ex ſuo cenſu, tributis, aliisque reditibus publicis cogere poſſint, compertas habeant; & videant, ne oculi ſic caligent, ut aliorum oculis indigeant Peſſimè enim cum Principibus agitur, *qui unius aut paucorum ſemetipſos quaſi mancipia conſtituunt*, (9) & ipſorum cura, charitaſque vix per decades millium, nedum per millena, aut centena diffunditur. Nec eſt, quòd quis arbitretur, tàm ſeriam ſedulamque exactionem non cadere in magnos Reges, Principes, Duces; Errat, non pœnituit, nec puduit Romanorum Imperatorem nec quidquam magnitudini illius ex accuratiſſima, ac quaſi privati hominis cura, deceſſit; acceſſit plurimùm. Pari ra- 10
tione Conſiliarius, qui Principi aſſiſtit, plurimum quoque ſtudii & diligentiæ ponet ad ea omnia, etiam minima cognoſcenda, quæ ad Principatum, in quo eſt, ſpectare videtur. Principem etiam & Aulam ex omni parte indagabit; ut & cæterorum miniſtrorum & Conſiliariorum naturam, mores: quæ, quantaque ſit omnis ditio Principis, quæ Provinciæ, civitates, oppida, loca illi ditioni ſubjecta ſint; Provinciæ verò ipſæ quot millia paſſuum habeant in longitudine, quot in circuitu; locorum, inquam, ambitum, ſitum, utrũ montibus, mari, flumine, vallo, foſſâ, lacu, munita ſint; quæ eorum oportunitates, an commeatu prohiberi poſſint; an ſit Copia vel inopia rei frumentariæ; quæ commoda & incommoda habeat Reſpublica; Quidnã in Principatu controverſum, & cum quibus, quibus de cauſis; quæ Ratio Provinciæ adminiſtrandæ, quæ leges fundamentales, quæ jura, Libertates, quo more nitantur, quáve diſciplina, uſu & conſuetudine regantur; qui- 11
bus rebus delectentur cives, quibus ſe ſuſtentent, quomodo erga Principem ſint affecti; quodnam vectigal eorum, quæ invehuntur & evehuntur, ex paſcuis, agris publicis, ex ſale, vino, oleo, frumento, ex Mercaturâ, ex Subditorum Tributis; quodnam Ærarium; an Subditi nimiis tributis, vectigalibus, aliis oneribus premantur; an mercaturæ ſtudio teneantur; an opibus abundent; Quantus 12
militum numerus, in quâlibet Provinciâ cõſcribi poſſit; Quænam Principis familiæ origo; quæ conjunctiones, affinitates, & amicitiæ; quæ fœdera, & quæ ex iis ſperanda; quorũnam partes Princeps defendendas ſuſceperit; Et ad ſummam, in omnia etiam 13
minutiſſima, quæ neglecta Reip. detrimento eſſe poſſunt, omne ſtudium, curam, cogitationem, & ſolertiam conferet, poſt Hippol. à Collibus, Beſold. *de ærar. c. 8. fol. 108.*

Nonnulli ſceleſtiores Principes habue- 14
runt ipſi quoque ſuos ſecretiores libros, ut Caligula binos ſibi *confeciſſe legitur*, (10) alter GLADIUS, alter PUGIO vocabatur, in quibus omnes adnotabantur, quicunq; iis armis necandi deſtinabantur. Neque fuit abſimilis ille *libellus Commodi Imperatoris*, (11) qui, ut in auctorem ſæviretur, cauſam præſtitit. Verum Chriſtianum, optimumque Princi- 15
pem iterum commonefacio, ut librum ſibi dupli-

duplicem conficiat: altero ſubditos ſuos adnotet pacis artibus inſignes, quem *Togatum* appellet; altero nomina eorum conſignet, quos in bello fortes, ac generoſos, utilesque ſibi & Reipubl. evaſuros putat, quem *Sagatum* ſive bellatorum libellum vocet, quorum virorum claſſes, quemadmodum optimum populorum paſtorem decet, pro ipſorum meritis honeſtabit: alii enim mente & ſapientiâ, alii manibus & fortitudine, è maximis aliquando anguſtiis ipſum educere valebunt.
16 Præter hos libellos etiam conſcribi ſtudioſè curet Regiſtra, vulgò Regiſtraturen; (12) quibus in tota adminiſtratione regiminis nihil aliud tractatur, nec agitur, niſi quòd regiſtrando contenta Inſtrumentorum, aliarumque Scripturarum, ad perpetuam rei inſtructionem, atque memoriam, aliquibus libris commendentur; Inſuperque inſtrumenta atque ſcripta in ſuis ordinationibus & collocationibus reponantur, conſerventur, ac ab interitu vindicentur.
17 Regiſtratura cùm exactiſſima, inſtructiſſimaque, tum & ornatiſſima conſiſtit in aſſumendo, perſpiciendo, ponderando, diſcutiendo, & transmutando inſtrumenta tàm authentica, quàm privata; ex eorumque contentis tàm principales, quàm acceſſorias theſes efficiendo ac conſtituendo; brevibus argumentis comprehendendo, omnium contentorum commendando. Inſuper in partiendo & ſeparando inſtrumenta, aliasque Scripturas; in collocando & ordinando omnia ſub ſuis nigris atque rubris libros conficiendo; ſcrinia monumentorum perſcrutando; Monumenta ſuis locis deputatis locando; Denique omnia in ordine ſuo ſervando, atque extra confuſionem ab interitu vindicando. Vide **Summariſchen Bericht Herrn Jacob von Ramingen/ wie es mit einer künſtlichen vollkommen Regiſtratur eine Geſtalt/ 2c.**

Quòd ſi præmemoratis tot tantisque authoritatibus, quas adduximus, nondum Principes, ut librum ſapientiſſimis documentis refertum vigilanter evolvant, perſuaſi ſunt, ſaltem reminiſcantur, *etiam in cœlo non deeſſe libros*, (13) quibus bona & mala opera inſcribuntur, ſed horum ſine nomine ratio præſcribitur, alter verò liber vitæ nuncupatur.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT CXXVII.

Num. 1.

(1) *Opes publica &c.]* Verba ſunt Taciti *1. Annal. 11. n. 7. ſeqq.*

Num. 2.

(2) *Ut cùm Auguſtus &c.]* Authore Suetonio *in vita ejus cap. 28.*

Num. 3.

(3) *Principes diſcant & librum arcanum &c.]* Confer Forſtnerum *in Notis Politicis ad Taciti ſuprà allegatum locum.* Pertinet huc monitum Dn. Cyriaci Lentuli *de Arcan. Regn. cap. 14. pag. 322. ad Taciti locum.* Laudanda Principis in ſubducendo Imperii facultatum calculo, *inquientis*, diligentia: modò ſecretò habeatur, ne ad exteros emanet Opum Imperii vel abundantia vel defectus. Nec probo priſcum Ægyptiorum morem, quo ſtructis molibus legebantur indicta gentibus tributa, pondus argenti & auri, numerus armorum equitumque & dona templis, ebur atque odores, quasque copias frumenti & omnium utenſilium quæque natio penderet. Uno in caſu non rejicienda hæc regum aperta ratio, quatenus populo ratione accepti & expenſi redditâ fides & benevolentia ſubditorum conſervatur. Hac enim arte vel Tyrannum videri poſſe popularem, Ariſtoteles *5. Politicorum* docet.

(4) *Neceſſitates ac Largitiones &c.]* Sumptus neceſſarios & quaſi ordinarios: quibus largitiones, quæ in uſum Reip. temporibus exigentibus inſumuntur, his verbis ſignificari, Dn. Lentulus *d. loco* putat.

Num. 6.

(5) *Septem ſupra ſexaginta auri milliones &c.]* Confer Suetonium *in vita Caligulæ c. 37. infin.*

Num. 7.

(6) *Alexander Severus &c.]* Lampridius *in vita illius cap. 21.*

Num. 8.

(7) *Sic Amurathes &c.]* Lazarus Soranzius *in Ottomanno.*

(8) *Sic Rex Hiſpaniarum &c.]* Philippus nempe II. teſte Chockier *d. loco num. 6.* Cæteris (*qui in tx. recitantur*) Principibus, qui Breviarium Imperii ſibi confecerunt, adde Guilielmum I. ex Normannis Angliæ Regem, qui quicquid Gentium ſuo pateret imperio, cunctas ſimul urbes, oppida, vicos, pagos, Epiſcopatus, cœnobia, quantum quisque terræ poſſideret, quantum quotannis vectigalium acciperet, milites quoque, qui ſtipendia facerent, ac ſingula juga boum paſſim omnibus locis recenſeri, inque tabulas referri juſſit, ut notat Polydor. Vergil. *Hiſt. Angl. lib. 9.*

Num. 9.

(9) *Qui unius ut paucorum ſemetipſos quaſi mancipia conſtituunt &c.]* Confer allata ad Politicum Sceleratum *ad cap. 25. p. 241. ſeqq. ad cap. 38. p. 439. ſeqq. & ad cap. 44. p. 497. &c.*

Num. 14.

(10) *Confeciſſe legitur &c.]* Apud Suetonium *in vita ejus n. 49.* ubi tamen id ſolùm dicit, notatos fuiſſe, *qui morti deſtinabantur;* non ut Klockius noſter vult, *iis armis in ſpecie necandi.*

(11) *Libellus Commodi Imperatoris &c.]* Fortè reſpicit Author noſter ad id, quod Lampridius *in vita Commodi cap. 15.* refert; Eum nempe in more habuiſſe, ut omnia, quæ turpiter, quæ impurè, quæ crudeliter, quæ gladiatoriè, quæ lenonicè faceret, actis Urbis indi juberet, ut Marii Maximi ſcripta teſtantur.

Num.

Num. 16.

(12) **Regiſtraturen &c.**] Adde omninò Beſoldum *in Theſauro Practico*, & Speidelium *in Sylloge, verbo* Regiſtratur/*& in voce* Archiv. Dn. Fritſchium *de Jure Archivi & Cancellariæ*, ut & Franciſcum Michael. Nevëu *Tr. de eodem argumento.*

Num. eod.

(13) *Etiam in cœlo non deeſſe libros &c.*] M. Fridericus Kettnerus in Diſquiſitione *de Libro vitæ & Inſcriptione in eum*, ſub præſidio D. Johannis Meiſneri Wittebergæ Anno MDCLXIV. ad diſputandum propoſita; §. 111. *ſeqq.* cum Sacra Scriptura tres DEO libros tribuit potiſſimùm. (1) *Librum Univerſalem*, qui aliàs alio nomine dicitur liber τῆς προνοίας ſive *Providentiæ:* (2) in Statu contractiori *librum ſpecialem*, qui eſt τοῦ κρίματος ſive *Judicii:* (3) *ſpecialiſſimum* τῆς ζωῆς ſive *vitæ;* quorum hic ſolos electos aſſignatos habet; ille ſolos peccatores; iſte verò indiſcriminatim omnes tam juſtos, quàm peccatores continet; imò nec homines ſolùm, ſed & alias creaturas. Quæ omnia in ſequentibus Author eleganter illuſtrat. Ubi omninò vide.

CAPUT CXXVIII.

In Rationes Quæſtorum diligenter inquirendum.

SUMMARIA.

1. *Princeps intelligat vires ſui patrimonii, & emolumenta ſuæ Reipubl.*
2. *Nil perinde extenuat facultates Principum, quàm* neglectus rationum: *Ne fiat tacita furtorum licentia*, n. 3.
4. *Oculis multis provideat, auribus pluribus audiat, & non paucis manibus expediat facienda* Princeps.
5. Alienis oculis auribusque *ne fidat nimiùm.*
6. *Faciliùs unius anni jactura compenſari poteſt, quàm ſi dilatus* rationibus *in plures annos damnum multiplicetur.*
7. *Brevis* Exactorum *malitioſorum deſcriptio: ubi & de aſtutia Quæſtorum detecta ad occultandas divitias.*
8. Officiales aulici *facillimè diteſcunt.*
9. Adminiſtratoribus Rerumpubl. *interdictum emere mobilia vel immobilia, Domos ædificare &c. ſine ſpeciali licentiâ Imperatoris.*
10. Perfidia *deprehenſa eorum & punita, qui Fiſco abuſi.*
11. Indulgentia Principum *alit fraudes officialium & adminiſtratorum.*
12. Rationes *ab adminiſtratore quo pacto reddendæ ſint, omnia ad oculum demonſtranda*, num. 13. 14. & 15.
16. Tabeo Dixtra *Quæſtor Friſiorum ob debita, & parùm ex fide adminiſtratum ærarium, gravi & ignominioſo ſupplicio affectus.*

Auri ſacra fames, furor exitialis habendi
Quæſtores cogit frangere ſæpè fidem.
Qui ſapiunt igitur, rationes lumine mentis,
Illorum indagant diſcutiuntque Duces.

1 MAximum erit Principibus (ait Gregor. Tholoſan. *lib. 3. de Republ. cap. 3.*) & tam ſibi, quàm Subditis utile munus, intelligere vires ſui patrimonii, ſeu Reipubl. ſuæ emolumenta, ne ab Harpiis Quæſtoribus ſibi facilè imponatur; qui multa, quæ ſufficere poſſunt, ſupprimunt, onera nova comminiſcuntur, plura intercipiunt, & ex populi lacrumis, quas Princeps non videt, impinguantur: Quòd ſi negligantur hæc, etiam fidi & frugi miniſtri ad peculatum & ſocordiam invitabuntur, teſte Conrado Heresbachio *de Rep. Chriſtian. adminiſtr. c. 5. in fin.* Bona enim nomina, *Authore Alphio,* (1) non compellando mala fiunt. Et nihil æquè Principum facultates extenuat, quàm rationum reddendarum neglectus. Tholoſan. *d. lib. 3. cap. 8. n. 9. verſ. & ob id conſulte.* Quo reſpectu Natalis Comes *lib. 2. Hiſt.* ſcribit, pacis tempore frequenter ſupputandas 3
eſſe publicas rationes, & providendum, ut ſumptus ſupervacanei reſcindantur, tanquã luxuriantis rami vitium, ne univerſum corpus urbis debilitent & exinaniant; néve furta inveterata tradantur oblivioni, fiatque tacita licentia furtorum, cæteris pecuniam publicam tractantibus, cùm ſui ſint cuique Ci- 4
vitati publicorum latrones. Nam quodque lignum ſuum vermiculum gignit, è quo cariem ſentiat. Legibus fraudes reprimis? miras per artes rurſus orientur. Adeò aurum perſtringit oculos, ut putent, nihil eſſe cum lucro malum. Homines

Cum ſenis manibus, genere Geryonaceo,
Quos ſi Argus ſervet, qui oculeus totus fuit,
Is nunquam ſervet.

Plaut. in Aulul. (2)

Et tamen ſervandi frænandique ſunt, aut Actæonem ſuum comedent iſti Canes. Utcunque ergo Princeps in tanta publicorum negotiorum mole ac varietate opus habeat, ut multis oculis, quæ illi ſunt animadvertenda, proſpiciat, & multis auribus, quæ audienda ſunt, cognoſcat, multis manibus, quæ facienda ſunt, expediat, Hippol. à Collib. *in Principe ſuo cap. 8.* adeò, ut veriſſimè à Zenone dictum adpareat, nihil egregium præſtari poſſe ab uno homine aliorum auxilio deſtituto: Attamen alienis oculis, auribus atque manibus non omnia temerè con- 5
credat, neque, niſi extremâ Neceſſitate urgente, rationes Quæſtorum aliis examinandas committat, vel, ſi committat aliis, *eaſdem deinde revideas,* (3) explorans, num rationes calculo reſpondeant, & miniſtri deinceps adminiſtrationi cum utilitate & commodo Domini, Subditorumque præfici poſſint, vel juxta Evangelium à Villicatione ſint amovendi, *Luc. 16. Si enim ſingulo* 6
anno tranſcurſo cogantur exponere, (4) quibus titulis ſuſcepta diſperſerint, faciliùs recens jactura redintegrari poteſt, *l. neminem. 4. C. de*

4 *C. de ſuſceptor. lib. 10.* Si Cornelio Agrippæ *de Vanit. ſcient. cap. 73.* credendum, Quæ-
7 ſtores omnium, qui vivunt, furaciſſimi ſunt, & à ſolis digitis, quibus talenta & milliones ſupputant, opulenti, quos adeò viſcoſos habent, ac infinitis uncis ſic imbutos, ut pecunia omnis quantumcunque levis, fugax, labilis, anguillarum & ſerpentum inſtar lubrica, ab his contacta illicò hæreat, neque facilè queat avelli. Hoc ipſo tamen minùs mali ſunt, cùm quod non niſi Regum, Principumque ac potentium Ærariis inſidiantur, tam quæ inde ſuffurantur, in ſcorta, in aleas, in convivia & ædificia non illibenter expendunt; aut ſeniores prudentioresque facti non rarò filios tales relinquunt, qui, quæ iſti multis ex perjuriis, rapinis, furtis, flagitiis paulatim & minutatim corraſerunt, convivando, ſcortando, venando, aucupando, veſtiendo, & ne quicquam ad explendas voluptates omittendo rurſus in multa fragmenta diſſecantes, ſimul omnia infeliciter profundant. Cæterùm verò & Quæſtores nonnulli fœnus accipiunt & dona extorquent, procraſtinando debita, compilant, cum capitaneis colludunt, falſum ſupputant, Chirographa adulterant, & literas affictis ſigillis reſignant, numiſmati nonnihil detrahunt, nonnunquam fucato metallo vitiant. Ex quo effloreſcit, Quæſtorumque Exactorumque avaritiam non contineri finibus, adeò, ut hoc genus hominum potiùs ad opprimendum quàm relevandum populum, natum videatur, Gregor. Tholoſan. *lib. 3. de Republ. c. 6. in princ.* ubi aliquot modos financiarum non imitandos refert. Ejuſmodi Exactores & oppreſſores ut plurimùm ſunt aſtutiores, & hanc malitiam ſapientiam putant, Geſchwindigkeiten. Auctor diſcurſus vom Juſtitien-Werck *fol. 98.* Contractus ſæpiculè innominatos celebrant, Do, ut des, Facio, ut facias, Do, ut facias, Facio, ut des, *l. 5. §. 1. ff. de præſcr. verb. l. 7. ff. de pact.* Quicquid corradunt, minimè produnt, ſed aliorſum fortè mutuò dant in exotica loca, eousque donec officio defungatur vivi aut mortui. In cujus eventum promovent aliquem amicum, qui veſtigiis ſuis inhærendo fucum tegat, eique ſimulatè debita, & reliqua quædam ſive retardata relinquunt, quibus aſtutis ac Dominis ac multis aliis callidè imponunt, Keller. *lib. 2. de offic. jurid. politic. cap. 8.* Nihilominus ejuſmodi malitiarum miniſtros, ait Scipio Amiratus *libr. 4. diſſert. 1.* quia regii peculii methodum aliquam excogitaverint, neque miſeri Principes animadvertunt, lucra ſua ab una parte unciatim creſcere, ex altera libratim minui.

Non abs re veteres Rhythmi apud Germanos in diverbium venerunt:

8 Förſter und Häger/
Amtleute und Jäger/
Rentmeiſter und Pfleger/
Schöſſer und Procurator,
Verwalter und Curator,
Haben nicht groſſen Lohn/
Werden doch bald reich darvon/
Raht? wie mag es zugahn?
Ihr Rencke weiß nicht Jederman.

In l. unic. C. de contract. judic. vel eor. &c. tit. 53. lib. 1. adminiſtratores rerumpublicarum 9
res mobiles & immobiles emere, vel domos absq; ſpeciali Imperatoris licentia exſtruere, prohibentur; ſicut & in *l. principalibus. 33. ff. de reb. credit.* iis, qui Provincias regunt, quíve circa eos ſunt, interdictum, ne negotiari, mutuámve pecuniam dare, fœnúsve exercere poſſint.

De Londinenſibus ſcriptum reliquit Froſſardus, cùm tempore Richardi Regis Edoardi F. inexplebilem Coactorum avaritiam ampliùs ſuſtinere nequirent, in eos inſurrexiſſe, qui fiſco abuterentur, inſcio Rege, & ignaro. Juſſis itaque reddere rationes, 10
ſumma deprehenſa fuit perfidia, atque rapacitas: quo factum eſt, ut plerique omnes Capite minuerentur. *Reges etiam Galliæ ultimo affeciſſe ſupplicio ſubleſtæ* (5) fidei Exactores Galliæ, Annales teſtantur, quos refert Chockier. *d. lib. 2. aphoriſm. polit. cap. 10. fol. 97. ſubjungens*, ſi hanc ſeveritatem exer- 11
cerent Principes hodierni ævi, non fore tam multos perfidos Coactores, & pecuniæ publicæ averſores, quorum technæ palàm augentur indulgentiâ, in maximam Subditorum fraudem, & captionem. De aliis pœnis, quibus malitia Quæſtorum & Exactorum coërcetur, egi *tract. de Contrib. cap. 18. num. 296. & ſeqq.*

Princeps itaque rationes exhibitas diligenter inſpiciat, relegat, cognoſcat, diſpungat, & conferat accepta & data, ut ſcilicet explorari poſſit, imputationes probè an improbè referantur, accepta rectè relata ſint, an non rectè, *l. cum ſervus. 82. ff. de condic. & demonſtr.* Neque enim rationes ab admini- 12
ſtratore reddendæ ſunt in folle *d. l. cum ſervus. & l. qui ſub conditione. ff. eod.* vel ſimplicibus foliis ſumptis ex libris adminiſtrationis, Joan. Vincent. Hondedæ. *conſil. 109. n. 48. vol. 1.* vel in foliis imperfectis ac inordinatis, quæ nullam fidem faciunt, Joſeph. Ludovic. *Deciſ. Lucenſ. 42. num. 37. & ſeq.* Fulv. Pacian. *libr. 1. de probat. cap. 63. num. 2.* Hondedæ. *conſil. 39. num. 52. volum. 2.* vel in ſac- 13
co, *l. 3. §. ſi plus. ff. de ſtat. liber.* vel ſub nube & involucro, Carol. Molinæus *in Conſuet. Pariſ. tit. 1. §. 6. gloſſ. 6. numer. 16.* ſed omni- 14
bus, quæ accepta & expenſa ſunt, ſigillatim & in ſpecie deſcriptis & juxta ſe poſitis, *l. 2. §. quod ff. de adminiſtr. rer. ad Civit. pertinent.* per ſingulas partes & ſpecies declarando, quid de die in diem, unde, ex 15
quo facto, ex quâ causâ, à quo, & cui datum ſit & acceptum, Molinæ. *d. gl. 6. n. 16. & 17.* Cravett. *de Antiq. temp. part. 1. limit. 4. num. 44.*

num.44. Roland. à Valle *conſ.49.n.22.& 28. vol.1.* Weſemb. *conſ.47.n.14.* ut ita de omnibus, quæ geſta, quæq; in rationes deſcripta, quæq; acceptâ, expenſa ſunt, fidem conſtare velut ad oculum demonſtretur, *d. l. qui ſub conditione 111. ff. de cond. & demonſtr.* pulchre Erneſt. Cothman. *conſil.8.num.55.& ſeq. vol.3.*

Anno MDXCVIII. acribus contentio-
16 nibus inter Friſios certatum, in cauſa *Takonis Dixtræ* (6) Quæſtoris, quem æs alienum grande contraxiſſe ſuſpicio erat. Malè ſtipendia militibus proceſſerant: & nonnullis rationem reddi poſtulantibus, Quæſtoris vades & propinqui interceſsêre. Unde ortus rumor, utroſque publicum æs privatam in mercaturam vertiſſe, ac prædia, & fundos coëmiſſe, mutuæque innexos conſcientiæ, trahere, quin & penitus rationes confundere velle. Tandem diſcrepantibus ſententiis, dimiſſus conventus, nec perquiſita res, donec Leovardienſes ſua ſponte Dixtram cuſtodiæ intruſerunt. Advertit ea res animos cæterorum, qui ad Conventum miſſi erant: quippe non urbium uni fas totius in ſe Gentis authoritatem trahere. Sed Civitates Goæque Leovardienſibus acta ſancivere. Tum convocato rurſum Conventu, motis loco, qui pervicaciùs antè reſtiterant, ſubſtituuntur, quibus integer animus. Ii Dixtram intra dies decem reddere pecuniarum rationem jubent: medio tempore in carcere maneret, nec ſermones, niſi præſentibus his, qui cuſtodes poſiti, cum quoquam conferret. Elapſo ſpatio compertum, centum & xxx. florenorum millia publico eum debere. Credebant plerique privato compendio deditum, mercaturam eâ pecuniâ exercuiſſe, & primorum nonnullis, quò gratiam & amicos pararet, mutuò dediſſe: Nam quantum ad luxum, ſine crimine egerat. Neque incuriæ in gravibus adeò debitis locus. Igitur à Judicum conſeſſu ad tormenta rapi juſſus, inveſtigandis ſociis. Ille non ſcelere ſe, ſed negligentiâ, peccaſſe dictitans, ſpatium ac libertatem petebat, quo ſcrutari ſchedas, & inquirere in erroris cauſam poſſet. In his quum obſtinatè perſeveraret, (quippe conſultiùs vitæ rebatur incuriam, quàm peculatum profiteri) judicum ſententiâ, Leovardiæ in ſceleratorum ſuggeſtu inter lictores duos religatus, ſemihorâ ſpectaculum cunctis, & dehoneſtamentum generis ſui ſtetit. Mox decreta in eum octo menſium captivitas & virgæ, niſi intra præfinitum tempus conſcios ederet: ſecutâ edictum pœnâ & VIII. Decembr. die Anni XCIX. virgis cæſus, atque in exilium conjectus eſt. Quod memorare viſum, ut raræ ſeveritatis exemplum in hominem domo nobilem, quanta adhuc, quamdiu bellum Belgicum arſerat, apud Belgas viſa non fuit.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT CXXVIII.

Num. 2.

(1) A*uthore Alphia &c.]* Ut poſt Columellam *de Re ruſt.* Gothofredus *ad l.1. ff. de SCTo Maced. lit. n.* dicit.

Num. 4.

(2) *Plautus in Aulul. &c.]* Act. 3. *ſcen.6.v.18.* ad quam Taubmannum *in Comment.* conſule.

Num. 5.

(3) *Easdem deinde revideat &c.]* Sanè Illuſtriſſimus Princeps Ludovicus Senior Haſſiæ Landgravius, pientiſſimæ memoriæ, diligentiſſimus fuit incognoſcendis rationibus Quæſtorum & miniſtrorum, adeò ut reditus anniverſarii etiam tenuiſſimæ Præfecturæ Principi fuerint notiſſimi, & libros rationum multorum annorum ad manus habuit, ut ne teruncio quidem ipſi verba dare potuerint: Quamobrem hujus aliorúmve exemplo convenit, Principem hac in re ocularem eſſe, neque ſemper alienis oculis videre. Et ſi curaverit Princeps, ſimul & miniſtros ad diligentiam provocabit, in officio continebit, & proventuum erit tutior adminiſtratio. Impoſſibile enim diligentis Domini diligentes non eſſe vicarios, ut Ariſtoteles *in Oeconomicis* docet. Conferatur & Knipſchild *de J. & Privil. & Civit Imper. lib.5. c.10.* per totum, Dn. Martinus Neurath *in Tractatu ſuo de Rationariis,* von Verechneten Dienern *p.22.* ex quo ut & Munnoz de Eſcobar *de Ratiociniis Adminiſtratorum* & Heeſeri *Locis Communibus de Rationibus reddendis*, plura ſingularia caput hoc illuſtrantia depromi queant.

Num. 6.

(4) *Si enim ſingulo anno tranſcurſa cogantur exponere &c.]* Attamen reperiuntur Domini, advertente Dn. Neurath *pag.26.27.* qui ſegniùs recipiunt rationes à ſuis Receptoribus, aſtu forſan & calliditate quadam, ut eos ſemper obligatos habeant, vel mortuorum relictis conjugi & liberis imponere, & aliquid faciliùs detrahere queant: de quibus vitiis longiùs diſſerere odioſum: Sed contra illud talis optima cautela eſt, ut Adminiſtrator denuntiet Domino, qualiter ſeparatus rationem reddere, ſi tunc per eum, cui reddi debent rationes ſtetit, quò minùs redderentur & diſpungerentur, ejuſmodi rationes pro redditis habentur. Maſcard. *de probat. Concl.1256. numero 13.* Munnoz de Eſcobar *d. cap.6. num.105. & cap.15. num. fin.* ubi hanc praxin latiùs & pulchrè firmant. Add. Sichard. *ad l.4. C. dot. promiſſ.* Jacob. Schultez *in Addit. ad Modeſt. Piſtor. quæſtion. 126. numero 130.*

Num. 11.

(5) *Reges etiam Galliæ ultimo affeciſſe ſupplicio &c.*] De quibus vide, quæ diximus ad Politicum Sceleratum *ad c.42.p.464.ſeqq. multis.*

Num. 16.

(6) *Takonis Dixtra &c.*] Conſule Reidanum *Hiſtor. lib. 15.*

CAPUT CXXIX.

Ærario conſervando Quæſtores probi, locupletes, & ſpectatiſſimi quiq; præficiendi.

SUMMARIA.

1. *Quales* Quæſtores *præficiendi, præſertim non inopes & famelici, nec exſucci*, n.4.
2. *Horum fides quàm utilis* Principi.
3. Ærarii quæſtores *Romani conſtituêre.*
4. *Contra* Quæſtores *citò pingueſcentes.*
5. *Munus boni* Quæſtoris. *Inſignis* Quæſtor *Regis Galliæ commendatus*, & n.7.
6. *Nimiam* diligentiam *in publicis exigendis habere aliquid de iniquo.*
8. Procuratores rapaces *deſcripti.*
9. Romeus *quidem in hoc negotio celebratur.*
10. Turcicus Imperator *quos Ærario præficit, privat parte aliquâ corporis, ad reſtringendam rapacitatem: Verùm hæc caſtratio rapacitatis cupidinem nihil minuit, ibidem.*
11. Caſtrati *ad aulæ miniſteria cur adhibiti.*
12. Eunuchi *&* Manceres *quomodò olim arcerentur ab Eccleſia Judæorum.*
13. *Alibi ſolus* Magiſtratus *curat* Ærarium: *Alibi mixta eſt cura cum civibus*, n.14.
15. *Hunc modum ſervat* Brunſuiga, Roſtochium *& aliquæ vicinæ illis urbes.*
16 *Huc ſpectant particularium* cenſuum receptores: *Alii Ærario ſacro præficiuntur*, n.17.
18. Ædituiſ*eu ædis ſacræ curatores: Sunt Xenodochiorum, Orphanotrophiorum & tales Curatores*, n.19.
20. *De* Quæſtoribus, *Theſaurorumq; præfectis, per quos omnibus Turcæ miniſtris & ſervis ſtipendia exſolvuntur.*
21. Contributiones Imperii *publico Ærario inferuntur, eiq; certi Quæſtores præficiuntur, qui Imperio, & non Imperatori rationes reddunt.*

Sit probus & locuples, injuſtitiæque ſit oſor,
Sitque ſimul Quæſtor, religioſus homo.
Sic Regis fiſcum facilè haud eviſcerat, & non
Accepit tabulas falſificare valet.

1 QUæſtores, qui publico ærario præſint, illudque curent, creantor, ait Plato *lib.6. de Legib.* Principi itaque Quæſtores & Præfecti eligendi ſunt honeſti, diligentes, facultatibus locupletes, qui Ærarii publici curam habeant, ſumptus inutiles & ſuperfluos recenſent, & Rempublicam fideliter adminiſtrent, ut, cùm ad calculum revocandi ſunt, ab iis ſtricta ratio absq; diſpendio exigi poſſit. Imi Quæſtores exigendis à populo
2 tributis haud præficiantur; nec ipſi privatorum limina circumeant, nec miſſis lictoribus pignora capiant, divexentve oppidanos: Ipſorum concivium ſit hoc munus, qui ex ſuo corpore eligant, per quos eò pecunia cogatur humanius; Hanc ſingula oppida ad Prætorem ſuum ferant; Inde vel Præfecto Provinciæ numeretur; vel publico inferatur Ærario. Si quis privatus detrectet, aut moretur, per ſuos hunc cives, per aſſuetos magiſtratus, notosque lictores præſtat ad ſolutionem adigi; inhumano faſtu quæſtorum, qui cùm exactoribus ſuis brevem moram egenis interdum crudeliter vendunt, & in quibus vix tantum eſt, quod tributo ſufficiat, ſibi quoque ſpolia illato terrore inveniunt. Divitum Quæſtorum fide, induſtriâ, & peritiâ Dominorum res parantur, partæ augentur, auctæ conſervantur. Horum quoque negligentiâ, perfidiâ, & imperitiâ illæ omnes diſperguntur, conſumuntur & perduntur. Ita 3
David theſauris & propriis & publicis; item agris, vineis, cellis vinariis, olivetis, ficetis, molis & apothecis olei, armentis, camelis, ovibus homines idoneos præfeciſſe ſcribitur *1. Paral. c.27. v.25.26.27.28.29.30. & 31.* Ita quoque Romani tum conquirendæ, tum conſervandæ pecuniæ gratiâ Ærarii Quæſtores conſtituerunt, *l.2. §.22. ff. de orig. jur.* Et piè Theodoricus Rex Gothorum: *Opes noſtras cupimus augeri theſauro pietatis. Commoda execramur, vexatorum calamitatibus acquiſita. Illatio, quæ defletur, moleſta eſt clementiæ noſtræ*, inquit apud Caſſiodorum. Et ſanè tamdiu veræ Reipublicæ formæ in ſuo ſtatu durant, quamdiu qui iis præſunt, omnia referunt non ad ſuam utilitatem vel libidinem; ſed ad ipſius Reipublicæ commodum & ſalutem, idque ſincerè & non fictè. Quamvis ærarii publici poteſtatem & diſpenſationem penes concilium publicum, non verò penes vel Regem, vel Quæſtorem eſſe voluerit, Polyb. *Hiſt. lib.6.*

Cavendum ergò eſt, ne Ærarii vires à variis & pravis hominibus, qui omnes pecuniæ vias norunt, omnesque fraudes pecuniæ causâ ſuſcipiunt, minuantur: ſive publicani ii ſint, ſive quibus cura ordinariorum vectigalium & redituum credita eſt; quâ peſte vix ulla magis terra excogitari poteſt. Quàm grave Reip. bonis invidioſum, ple- 4
rosq; ad eam procuratione accedere exſuccos, ſine cenſu, eosdem intra paucos annos copioſos & beatos evadere? à quibus profectò exigendum eſſet, ut rationem opum quæſitarum exactam ponerent; auferrentur, quarum certas origines nominare non poſſent. Qualis Quæſtor eſſe debeat, Ci- 5
cero

cero oſtendit *in Oratione pro Plancio*: Negotiatoribus comis, mercatoribus juſtus, ſociis abſtinens, & in omni officio diligentiſſimus. Et boni Quæſtoris munus expreſſit Marcus Cato Uticenſis; Felicem dicens eſſe Regem, qui habeat virum ſcientem ordinare reditus & expenſas. Quam felicitatem Luſitaniæ Regibus nunquam contigiſſe, Coneſtagius ſcribit: Cùm inibi Quæſtores ſemper fuerint ex Nobilium numero, quibus gratia aulica potiùs, quàm peritia ad illud officium aperuerat viam: unde tandem illos operam dediſſe, ait, ut aliis rationibus dignitatem & locum tuerentur, de Reditibus Regni parùm interim ſoliciti, *lib 1. de conjunct. Portugalliæ & Caſtellæ.* Felicior in eo fuit
6 Henricus IV. Rex Galliæ, qui hac in parte uſus eſt operâ fideli *Marchionis de Rhoſni*; (1) Quem licet ſugillet Waremund. ſive Eberhardus à Weyhe *tract. de ſubſid. cap. 6. n. 19.* cum tamen magnis laudibus deprædicat Pierre Matthieu *lib. 1. Hiſt. de France ad fin.*

7 Nimiam tamen diligentiam in publicis exigendis improbamus. Tributa quippe & cenſus ſi cum acerba & præfracta inquiſitione duriùs exigantur; quæ non ibi tandem injuria eſt; An quemadmodum Verres criminibus avaritiæ opponebat nomen boni Imperatoris; ita perſecutioni ſummæ penuriam Fiſci operæ pretium eſt objici? Atqui non oportet Fiſcum eâ conditione abundare, ut Reſpublica pecuniâ creſcat; civium ſociorumque fide & benevolentiâ deficiat. *Officiales itaque à vi* (2) & crudelitate ſunt arcendi, ne tot per annos ſine querela tolerata, novis acerbitatibus ad invidiam vertant. Tacit. *lib. 13. Annal. 50. n. 4.* Modeſtè & per partes exigendum eſt, quodcunque ex præſcripto modo debent Subditi, ſcilicet, cùm poſſunt; quod inopes valdè ſublevat. Abſint extrema illa: Ne boves ipſos, mox agros, poſtremò corpora ſervitio tradant: Sed uno certo tributo defungantur: & in reliquum ſit libera, nec ſolicita rei ſuæ cuique cuſtodia. Non prædo, non miles divexet: abſint. Has ægrè tolerant, atque hinc ira & queſtus, &, poſtquam non ſubvenitur, remedium ex bello.

Hac de cauſa Romæ Fabium, Proprætorem in Hiſpania placuit in Senatu objurgari, qui tantam diligentiam adhibuerat frumento exigendo à ſociis, ut unus majorem copiam in urbem convexiſſet, quàm multi Prætores conſumpſiſſent. Etenim neceſſe eſſe, magnam inferri injuriam, cùm niſi pignoribus captis, niſi adhibitâ auctione, aut res aut pecunia reficitur. Itaque etiam C. Graccho, Tribuno plebis, ſuadente decretum eſt, ut hoc frumentum imperatum publicè veniret, pecuniaque ſociis reſtitueretur. Eadem prudentia *Tiberius Imperator Æmilium Rectum*, (3) Præfectum Ægypti, reprehendit, qui tantò plus ei pecuniæ confeciſſet, quàm ex ratione Vectigalis deberetur. Boni enim (inquit) paſtoris eſſe, tondere pecus, non deglubere. Sed *Obultronius Sabinus*, (4) Ærarii Quæſtor, non modò objurgatus eſt, verùm etiam ab Helvidio Priſco, Tribuno plebis ſub Nerone accuſatus, quòd jura haſtæ adversùs inopes inclementer augeret.

Trajanus Imperator (5) ab initio Procuratores habuit rapaces, qui Provinciales calumniis expilarunt, quorum unus fertur unumquemque divitum ſic convenire ſolitus: Quid habet? Unde habes? Hæc ubi dixerat, addebat tertium: Pone, quod habes. Ereptum alienas pecunias iverunt? Perdant has, quas habent, Lipſ. *4. Polit. cap. 11.* Chockier *libr. 2. Aphoriſm. Politic. cap. 10.* Schönborner. *lib. 4. Polit. c. 22.* Hieronym. Sirturus *in Compend. Polit. fol. 121.* 8

Multò aliter *Romeus* externus quamvis homo in Raymundi Provinciæ Comitis gratiam acceptus, cùm honeſtis rationibus Vectigalia triplo majora, quàm erant antea, reddidiſſet, criminibus tandem appetitus atque ad rationem revocatus, cum baculo & perâ, cum quibus Compoſtellâ venerat, eâ injuriâ offenſus receſſit: neque unquam, unde venerat, aut quò diſceſſerat, cognoſci potuit. Paucos profectò noſtro tempore Romeos haberemus, haudquaquam tantâ ærarii inopiâ premeremur, ait & exclamat Joan. Mariana *lib. 3. de Reg. Inſtitut. cap 7. fol. 263.* Et dixi ſuprà *hoc lib. 2. cap. 1. num. 2.* confer ea, quæ dicam infrà *cap. 149.* Turcicus Imperator Ærario quos præficit, ad reſtinguendam avaritiæ & rapacitatis cupidinem, parte neceſſaria corporis (ut loquitur JC. *in l. 7. ff. de ædilit. edict.*) privat. Non prudenter, ut exiſtimat Bodin. *d. l. 6. c. 2.* ſed barbaricè. Nam neque cubiculi cuſtodiam, nedum ærarii, caſtratis aut ſpadonibus tutò commiſſam fuiſſe, Bagoas exemplo eſt, qui ἐν ἔργῳ deprehenſus (*l. 23. pr. ff. de adult.*) Et Eunuchos maximos mulierum, non modò velle, ut ait Comicus, ſed etiam poſſe, jam compertum magno malo puberum apud Turcas: Exſectos namque pueros cùm fœminis cuſtodes adhibuiſſent, eoſque adultos poſtea cum illis in adulterio deprehendiſſent, flagitium illud à quibusdam commiſſum, in illis quidem ſupplicio mortis ulti ſunt, in aliis verò totius virilitatis amputatione. Scalig. *exercitat. 104. & 147. n. 7. fol. 277.* Multò verò minùs habendi libidinem & avaritiam, rapiendique cupiditatem auferri per virilitatis exſectionem, exempla ditiſſimorum Eunuchorum, Herotimi, Spori & aliorum 10

evincunt; Herodot. *lib. 8. Hiſtor.* Tacit. &
11 Xiphilin. *in Nerone.* A Regibus tamen Perſarum ac Veterum Græcorum, aliisq; Principibus homines caſtrati ad Aulæ miniſteria antiquis temporibus fuerunt adhibiti: quoniam prole deſtitutos putabant, majori erga Principes ſuos charitate, majori fide futuros: *à quâ benevolentiâ ipſam Eunuchi vocem derivaſſe* (6) nonnulli cenſent.

12 Alia & longè diverſâ ratione Eunuchi & Manzeres arcebantur ab Eccleſiâ DEI, *Deuteronom. 23. verſ. 1. & 2.* Per Eccleſiam enim ibidem accipitur (1) atrium templi vel tabernaculi, vel (2) Cœtus Judæorum & proceres Eccleſiæ; quaſi dicat, Eunuchus, &c. non erit à Magiſtratu Judæorum: vel (3) denique arcebantur Eunuchi tantùm à Societate politicâ Judæorum, ut non haberentur cives, nec haberent jus civicum apud Judæos: non verò à Judaiſmo, fide, ſalute & templo; uti latiùs hoc proſequitur Cornel. à Lapide Jeſuita *Comment. in Pentateuch. Moſis d. c. 23. Deut. v. 1.*

13 In nonnullis Civitatibus Germaniæ eminentioribus Magiſtratus ſolus Ærarii curam gerit; eamque vel Conſulibus vel Camerariis, vel aliis de Collegio demandat, uti *Lubecenſium,* (7) Hamburgenſium, aliarumque Civitatum exempla teſtantur. In aliis verò nonnullis præcipua quidem cura
14 eſt penes Senatum, mixta tamen ita, ut & civium conſenſu quæſtura expediatur, nec Ærarium ſeu Reſpublica ære alieno, niſi conſpirante lectiſſimo civium ordine oneretur aut gravetur. Unde etiam ex cœtu civium hæreditariorum, certi quidam ærariis præficiuntur, qui unà cum Acgrammateo ſive Scribâ Senatûs acceptorum & expenſorum rationes conficiunt, & bonâ fide omnia conſignant: qualem ærarii modum Brun-
15 ſuiga, Roſtochium, & huic vicinæ urbes Stralſundium, & Wiſmaria, à non adeò multis annis inſtituerunt, & adhuc ſervant. Hiſce accenſeo particularium cenſuum receptores, als welche zu Einhebung der Acciſen/ Strand- und Wage-Zölle/ und dergleichen
16 Gelder geordnet ſeyn. Nam & hi publicis pecuniis exigendis rectè præfecti dicuntur.

Reperiuntur & in noſtris Rebuspublicis, Sacrarum pecuniarum Collectores & Adminiſtratores ſive Curatores, qui, pro diverſitate Statûs cujusque regiminis, vel ex
17 ordine Senatorio ſoli, vel unà cum civibus conſtituuntur, & ærario ſacro (de quo dixi ſupra *hujus tract. lib. 1. cap. 2.*) præficiuntur.
18 Sunt itaque in his æditui, id eſt, ædis ſacræ curatores, tuitores atque defenſores, Kirchen-Vorſteher dicti. Deinde Oeconomi, qui ex authoritate vel Superioris, vel Magiſtratûs, vel Communitatis pecunias miniſtris Verbi Divini, aliisque perſonis Eccleſiæ & Scholis inſervientibus debitas, exigunt & diſpen-
ſant. Tertiò Orphanotrophiorum, Xeno- 19
dochiorum, Ptochotrophiorum & aſcetériorum curatores, welche bey Armen/ Waiſen/ Fündlingen/ Hoſpitalien/ und dergleichen Gütern ſeyn. Nam & hi pecunias publicas curant, & periculum ejusmodi curatoribus publicis ſuſtinendum ſubeunt.

Non tamen ſoli Eunuchi, uti ſupra *n.* 20
10. dictum, Imperatoris Turcici ærarium cuſtodiunt, ſed duo ſunt Quæſtores vel Camerarii conſtituti, qui ut primùm ſolutionis tempus præſto fuerit, omnibus Turcicis miniſtris & ſervis ſtipendia expendunt. Alter *Teſtedar* vocatur, triginta ſub ſe habens ſcribas, qui omnes Imperatoris Turcici reditus omnesque expenſas in rationes conferunt, tum etiam, quicquid in theſauris reponitur, aſſignant. Alter *Niſangibaſchia* vocatur, cui commiſſum eſt ſigillum, quo obſignantur arcæ, in quibus aſſervantur pecuniæ, nec niſi eo præſente reſervari poſſunt arcæ. Hi duo unà cum Eunucho, cujus cuſtodiæ illæ arcæ commiſſæ ſunt, omnibus capitaneis, ducibus, præfectis & cujusvis conditionis ſervis & miniſtris ſtipendia exſolvunt, nullâ prorſus interjectâ morâ. Pecuniam haud numerant, verùm ſacculis eam involutam ponderant. Sacculos obſignant, & nomen uniuscujusque eis adſcribunt, ut citra moram, ubi ſolvendi terminus adfuerit, ſuum unicuique porrigatur ſacculo incluſum & obſignatum ſtipendium, impetratâ tamen prius ab Imperatore ſolvendi venia. Ubi ſtipendia ex Imperatoris permiſſu ſingulis exſolverint, id quod tertio quoque menſe fieri ſolet, ab Imperatore munere ornantur, quod vocant *Sepplicagiaſi*, quaſi dicas Imperatorium munus vel gratia.

Aliquando, & quidem ſæpiùs, in Im- 21
perio publicum ærarium erectum fuit: Idque non in una Imperii civitate, ut Anno MCCCCXCV. Francofurti: Conſtit. deß Gemeinen Pfennings de Anno MCCCCXCV. tit. von den ſieben Schatzmeiſtern. vel in pluribus, ut deinceps ſemper factum eſt Receſſ. Imper. de Anno MDXII. §. Item haben wir uns gemeldte. Receſſ. Imp. de Anno MDXXII. §. Es ſoll auch ein jeder/ & paſſim deinde. Huic autem Ærario unus vel plures Quæſtores, Zahl- oder Pfenningmeiſter præfecti ſunt; Quales A. MCCCCXCV. ſeptem conſtituti, eorumque unus tantùm à Cæſare, reliqui ſex ab Ordinibus denominati ſunt d. Conſtit. Vom gemeinen Pfenning d. tit. Nec hi Quæſtores ab Imperatore ſolùm, ſed & ab Imperio & Ordinibus, & quidem potiſſimùm dependent: Quapropter non Imperatori modò, ſed Ordinibus quoque juramento obſtringuntur. Sic eodem Anno 1495. haben die Schatz-

meiſter

meiſter nicht allein König Maximilian / ſondern auch den Churfürſten / und Ständen von deß Heil. Reichs wegen Pflicht und Eid thun ſollen / ibid. Imò ſi quis eorum ſpeciali juramento, aut Imperatori, aut uni alicui Ordinum obſtrictus erat, neceſſe fuit, ut illo ſolveretur: Quo ita absque ullo, ſeu Imperatoris, ſeu alterius cujusdam particulari reſpectu, ſoli Imperio eſſet obnoxius. Ibid tit. Wie die Schatzmeiſter aller Pflicht ledig ſeyn ſollen. Similiter Ordines communi conſenſu Quæſtorem ejusmodi conſtituerunt, Receſſ. Imp. de Anno MDXLI. §. Und damit gemeine Stände. Et iſti Quæſtores rationes ſuas, non Imperatori, ſed Imperio, & Ordinibus reddere jubentur d. Conſtit. Vom gemeinen Pfenning de Anno 1495. tit. von den ſieben Schatzmeiſtern. Receſſ. Imp. de Anno 1524. §. Dieweil auch ſolche Hülff. Item de Anno 1526. §. Weiter als Königliche Würde. verſic. Die auf gebührliche de Anno 1529. §. Und damit eine ſolche in fin. de Anno 1541. §. Und damit gemeine Stände in fin. de Anno 1542. §. Und ſolche vorgenommen. & §. Hierum und damit.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT CXXIX.

Num. 6.

(1) M*Archionis de Rhoſni &c.*] Maximiliani nempe de Bethunæ, Marchionis Rhonii, poſt Ducis Sullii, viri ad admirationem ſeculi planè nati & facti; quod ex libris memorialibus ipſius, qui ante non ita multa luſtra prodiêre duobus Tomis (ſub titulo illo: *Memoires ou Oeconomies Royales d' Eſtat, Domeſtiques, Politiques & Militaires de Heury le Grand. par Maximilian de Bethunea Duc de Sully;*) imò vel ex ſola ad Reginam Regnantem, poſt Henrici illius Magni mortem, emiſſa Epiſtola, quam Gramodus *Hiſtor. Galliæ, lib.* 1. exhibet abundè ſi non ſuperfluè pateſcit. Demonſtravit verò ille in vita Regis ſui quàm ſæpè vir unus & una fortuna, ſi rebus adſpirent res magnas & mirabiles, efficere poſſint. Interempto verò Rege & interempta quoque ejus fortuna viſa fuit, cùm mox ærarii adminiſtratione & Baſtillææ præfecturâ dejectus, aula juſſus, abſtitit. Adeò fortuna vitrea, quæ dum ſplendet frangitur; ut ſic maximè minimè credendum ſit.

Num. 7.

(2) *Officiales itaque à vi &c.*] Plura huc facientia, & quomodo invidia neceſſariorum Tributorum ſint mollienda docet Immortalis Forſtnerus *in Notis Politicis ad Tacitum 4. Annal. 72. n. 2. I. II. III. ſeqq.*

3. *Tiberius Imp. Æmilium Rectum &c.*] Dio *lib. 57. pag 608.*

(4) *Obultronius Sabinus &c.*] Tacitus 13. *Annal. 28. n. 5.*

Num. 8.

(5) *Trajanus Imperator &c.*] Sextus Aurelius Victor *in Epitom. cap. 43.*

Num. 11.

(6) *A quâ benevolentia ipſam Eunuchi vocem derivaſſe &c.*] Sive ab eo, quòd bonæ mentis ſint; ita enim ſonat nomen hoc in Græco ſermone; quod tamen toto cœlo ab univerſali hominum opinione, ut cenſet Zacchias *Quæſt Medico-Legal. lib. 2. tit. 3. num. 29. pag. mihi 103.* diſtat, quippe cùm Eunuchi dicantur eſſe malorum morum, & ob eam cauſam ab officiis publicis, & à ſacris adminiſtrandis eliminentur; quin etiam Avenz Medicus glorioſus *ſui Threiſir. lib. 2. tract. 3. cap. 1.* illud teſtatum reliquit: Nec unquam auditum fuit, quòd aliquis Eunuchus fuiſſet bonorum morum. Quam tamen ſententiam moderari conatur Mercurial. *Aphor. 28. ſect. 6.* Sed Polemon auctor antiquus *in lib. natur. ſig. interpr. de Eunuchis*, eos immitis ingenii, ac doloſi, facineroſos ab ſceleſtos eſſe firmat; in honoribus autem conſtitutos cum temeritate vim inferre dicit.

Num. 13.

(7) *Lubecenſium &c.*] Nunc verò Lubecæ faciem rerum quoad hoc eſſe mutatam, neç penes ſolos Magiſtratus ærarii adminiſtrandi curam eſſe, docent ſcripta in controverſiis inter Magiſtratum populumque Anno MDCLXIX. emiſſa, & partis XVIII. Diarii Europæi Appendici inſerta.

CAPUT CXXX.
Cautio ab Officialibus exigenda.

SUMMARIA.

1. *Qualis* Cautio *Principi exigenda ab Officialibus.*
2. *Hæc ratio continendi* quæſtores *miniſtrosq; conſimiles in Officio.*
3. Accuſatione pendente *non debet quis privari poſſeſſione officii ſui, ſed indicia requiruntur,* n 5.
4. Suſpenſio *ab officio famam ſugillat.*
6. Tutor *convictus non juvatur ſponſione, emendatione, aut ſatisdationis oblatione.*
7. Officialis *ex cauſa infamante ſuo removeri non poteſt ſine cauſæ cognitione, ut nec publicâ accuſatione pendente, in totum deſtituendus; interim quandoque ab officii exercitio ſuſpendendus eſt.*

Introducta fuit ſolenni Cautio more,
Aulæ fiat opus dexteriore modo,

1 IN Quæſtoria Ærariaque adminiſtratione ideo fallere turpiſſimum eſt, quòd multa fidei committuntur; neque omnia cautionibus, ſtipulationibus, teſtimoniis, tabulisque abſolvi & expediri poſſunt, Ærod. *lib. 2. rer. judicat. tit. 11. capit. 1. in fin.* Quare Principes quandoque coadjuvando Ærario, Cautionis loco à ſuis Officialibus ſolent exigere certam ſummam (wenn ſie ihren Vorſtand müſſen beſtellen und antworten auf etliche tauſend Reichsthaler:) cujus uſuras annuatim percipiant, & in rationibus ſuis ſub-
2 ducant. Cæterùm cùm minus fideliter & diligenter functioni ſuæ præfuerint, in facili videtur ab Officiis remotio, & damni compenſatio. Res ſanè prudenter adinventa, quâ Quæſtores & id genus alii miniſtri Principum in Officio contineantur, Bornit. *lib. 7. de Ærar. cap. 1. circa fin.* Cui reſpondet quoque quaſi Vectigal, quando à Conſiliariis, & Officialibus datur mutua pecunia Principi in initio muneris ſui, wenn die jenigen/ ſo zu einem Amt kommen/ etliche tauſend Thaler darleihen thun/ welches ihnen verzinſet
3 wird. Non tamen Rationalibus & Officiariis in officio delinquentibus facilè interdicendum adminiſtratione pendente cauſâ,
4 nec indulgendum calumniis, ſed in materia remotionis prudenter & temperatè producendum eſt, cùm ſuſpicio famam ſugillet apud probos viros, & dedecus quoddam inurat, veróque verius & juri conſentaneum ſit, officio ſuo non poſſe quem privari, quin priùs culpâ aliquâ contractâ illud demeritus ſit, aut aliqua juſta cauſa ſubſit, ut egregiè docet Arius Pinel. *in 1. part. rubr. C. de reſcind. vendit.* ubi alios refert: Præſertim verò ex cauſa infamante, non debet quis inauditus & *cauſâ non cognitâ privari, aut ſuſpendi,* (1) Joan. Grivell. *Deciſ. Dolan. 60. n. 14.* Quemadmodum & in Tutore cavendum, ne ex ipſa accuſatione ſuſpenſio vel remotio ſequatur: Id enim eſſet occaſionem calumniæ dare; ſi accuſare ſufficiet, quis innocens erit? Oportet adeſſe quædam, eaque non levia ſuſpicionis indicia, & ſuper iis litem fuiſſe conteſtatam, antequam removeatur, Afflictus *Deciſ. 357.* Anton. Faber *in C. Deciſ. forenſ. lib. 5. tit. 26. definit. 2.* Franciſc. Vivius *deciſ. 8. num. 5.* Paul. Montan. *de tutel. cap. 36. Reg. 3. num. 19.* Si convictus fue- 6
rit, tunc planè removetur, & alius Tutor in ejus locum ſurrogatur, *l. licet. 3. C. in quib. cauſ. tut. hab.* nec auditur, etſi emendationem ille ſpondeat, dives ſit, & ſatisdationem offerat. Satisdatio namque propoſitum Tutoris malevolum non mutat, ſed diutiùs graſſandi in re pupillari facultatem præſtat, *§. ſuſpectus. §. noviſſimè Inſtit. de ſuſpect. tut.* Daniel Mevius *Comment. in Jus Lubec. p. 1. lib. 1. tit. 7. artic. 6. num. 21. & 22. & 23. fol. 462.* Videatur noviſſimè Joan. à Sande *Deciſ. Friſicar. lib. 5. tit. 10. definit. 2. ubi ait,* 7
quod licet ex quorundam ſententia quilibet Magiſtratus Officiales ſuos miniſtros ad nutum ſuum revocare & deponere poſſit, dummodò eos revocet ſimpliciter, nullâ adjectâ cauſâ *ipſorum famam ſugillante;* (2) ſecus tamen eſſe, ſi eos removeat ex cauſa infamante, quia tunc hæc remotio fieri nequit, niſi ex cauſa vera & probata: Nam ſi Magiſtratus obtentu cauſæ infamantis poſſet Officialem officio ſuo privare, plus ipſi auferret, quàm contulit; læderet enim exiſtimationem & bonum ipſius nomen, *quod res eſt inæſtimabilis,* (3) Honor pretioſiſſimus non tantùm divitum, ſed & pauperum cultus. Quin & quælibet deſtitutio notat apud probos & graves viros, arg. *l. teſtamento 51. in fin. ubi Gl. & Dd. ff. de manumiſſ. teſtam.* Nihilominus Sandeus *d. loc.* refert; Scribam quendam ob crimen falſi accuſatum & per præparatoriam inquiſitionem admodum gravatum, ad evitandum ſcandalum juſſum fuiſſe à muneris ſui exercitio ſe abſtinere, usq; dum ab intentato crimine ſe purgaſſet: Cùm recepta ſit Dd. ſententia, pendente quæſtione delicti, quod prætenditur, in officio commiſſi, & de quo per informationem præparatoriam conſtat, interim Officiali adminiſtratione interdici; poſt Nicol. Boerium *deciſ. 150. in fin.* & alios ibidem relatos.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT CXXX.

Num. 4.

(1) C*Auſâ non cognitâ privari aut ſuſpendi &c.*] Siquidem aliàs ampliſſima ingeniis turbidis probos de ſede honorisque ſtatu dejiciendi ſeges ſubminiſtraretur. Quia facilius nihil, quàm impingere etiam probiſſimis crimina; vanius autem nihil, quàm ad levem opinionis auram condemnare, crimen verò non comprobare, ut loquitur *Pontifex. in c. ſexta actione 15. q. 7.* quare ſalubriter legibus noſtris cautum eſt, ne Judex levioribus excitatus rumoribus decipiatur, & ne temerè immeritos & inſontes, famâ notatos tantùm divexet, & judicet, ſed negotium plenâ diſquiſitione indaget, *l. 9. C. de Judiciis. c. judicantem 30. qu. 5. c. eorum qui 11. q. 3.* nec ſolis rumoribus aut delationibus ante cognitum factum ſibi quicquam perſuaderi patiatur, cujus rei DEUS tradidit exemplar nobis: Ejus enim quamvis nuda & aperta ſint oculis omnia, mala tamen Sodomæ noluit audita vindicare, priusquam maniſeſtè agnoſceret, quæ dicebantur, unde ipſe ait *Geneſ. c. 18.* DESCENDAM ET VIDEBO, UTRUM CLAMOREM, QUI VENIT AD ME, OPERE COMPLEVERINT, &c. Ita in

caſu

caſu ſuſpenſionis piè & cordatè ab officio ſentit Arumæus *lib. 2. Deciſ. 13. n. 31. 32. 33. 34.*

Num. 7.

(2) *Ipſorum famam ſugillante, &c.*] Inde ex Deciſione Parlamenti Tholoſani 24. *p. 1. Gerardi Maynardi* Neapolitanus *ff. Nov. Tom. III. Tit. Officialis cap. 22.* concludit: Licet Dominus, Rege Inferior, officialem ſuum pro arbitrio removere poſſit, ſi tamen hoc fiat ex cauſa infamante, quòd reluctari poſſit, atque petere, ut ad purgandum admittatur.

(3) *Quod res eſt inæſtimabilis, &c.*] Inde quæſtionem famæ & honoris omnem rei controverſiam facilè vincere Gravetta, *Conſ. 118. n. 2.* Menoch. *Conſil. 96. n. 15. lib. 1.* evincunt.

Nec gravior jactura, boni quàm nominis, ulla eſt;
Hæc deſperati mors inhumata viri.

Ita ut viris bonis metus infamiæ major, quàm mortis eſſe debeat, *l. 8. §. 2. ff. quod metus cauſa.* Hoc quippe Naturæ theſauris reponimus, ait Caſſiodorus *lib. 1. Epiſt. 23.* quod famæ commodis reponimus.

CAPUT CXXXI.

Officiales, ex publicis reditibus diteſcentes, ut ſpongiæ, exprimendi.

SUMMARIA.

1. Officiales *ſupra fas & æquum diteſcentes, uti ſpongiæ, exprimendi; ubi de* Veſpaſiano Imp. *& Georgio Friderico Marchione Brandenb. qui Tributorum adminiſtratores aliquando ſeveriùs coërcuit.*
2. *Conſiderandum maturè, an ex publico* Officiales *diteſcant, an ex aliis mediis.*
3. *Explorandum eorum* patrimonium, ſalarium, *& circumſtantiæ.*
4. *Prohibeantur* Officiales *emere bona mobilia & immobilia, &c. Nunc ſequiùs fit, cùm omnia ſimilia officia ſint penè perpetua.* num. 5.
6. Negotiatio *interdicenda iis, qui publicam pecuniam tractant.*
7. Regum Indiæ *opibus privatorum peſſimè abutentium conſuetudo.*

Spongia, quæ nimium intumuit ſtagnantibus undis,
Exprimitur, bibulam moxque refundit aquam:
Sic contra diteſcentes proventibus Aulæ
Plus æquo Proceres Rex quoque tentet idem.

1 Interdum Domini connivent, ut mali Officiales ex raptu vivant, per fas & nefas diteſcant, quos, ut ſpongias, poſtquam affatim bibunt, exprimunt, & ſic pœna Talionis plectunt, Gregor. Tholoſan. *lib. 4. de Repub. c. 6. n. 4. & 9.* juxta illud: *Villa mea me perdidit.* Ut *Agrippina Statilium Taurum* (1) opibus illuſtrem evertebat. Quia

Lis eſt cum forma magna pudicitiæ;
Divitibus major ſtruitur ſed techna potentum

Dur. de Paſculo *in aulic. politic. reg. 224.* præcipuè moribus hujus ſæculi, ut addit Adam Keller *lib. 2. de offic. Jur. Polit. c. 8.* Sic *Veſpaſianus Cæſar*, (2) per avaritiam, rapaciſſimos quoſque ad officia elegit; & poſtquam rem feciſſent, condemnavit: Atque hinc dicere conſuevit, uti ſe miniſtris ſuis tanquam ſpongiis, quas ſiccas humectaret, & humectatas exprimeret. Sic Georgius Fridericus Marchio Brandenburgenſis Tributorum adminiſtros, quòd novos ſinus & nova prædandi vocabula excogitaſſent, præterq; imperatas pecunias privato ſuo commodo ſerviiſſent, ſpongias feciſſe & expreſſiſſe, quod plus æquo biberant; quoſdam etiam in crucem actos, tanquam uvam penſilem ſoli & aëri oppegiſſe, refert Frideric. Taubmannus *in oratione funebri*, ut pecuniolas & ſudorem commiſſæ fidei ipſorum plebeculæ iterum exſudarent: cæteris Mutianis & Marcellis poplivoris, in exemplum: Quid mirum? cùm malè quæſita & retenta Fiſco addantur, *l. in hæredem 5. ff. de calumn.* Unde illa parœmia: quæ non capit Chriſtus, rapit Fiſcus, *c. majores 16. q. 7.*

Modus hic colligendæ pecuniæ non adeò improbandus videtur; & ſi ulla res, hæc eos comprimet. Dum enim Gryphi iſti & Lavermiones felibus rapaciores præter imperatas pecunias privato ſuo compendio ſerviunt, feſtinantq; ærarium ac ſeſe ditare, Rempublicam exarmant. Etenim cùm ſumptus magni ſint, & Reſp. maximo præſidio egeat, tanquam vaſtum corpus copioſo alimento id accelerare ſtudent, efficiuntq; ex voracitate & tuburcinatione morbos & quidem multò periculoſiores, quàm fiunt abſtinentiâ & parcitate. Quocirca ſi Officiales brevi tempore ad id divitiarum faſtigium aſcendant, quò vel ipſa fortuna tam ſubitò non auſit pertingere, de Fiſci ſive Domini reditibus illicitè tantas opes acquiſiviſſe præſumuntur. Quod tamen arbitrio judicis 2 committendum eſt, qui conſideratis omnibus circumſtantiis judicabit, an Officialis ex pecunia publica, vel aliunde ſit ditatus, Maſcard. *de probat. concl. 1134.* Menoch. *lib. 1. præſumpt. 85. n. 21. & lib. 3. præſumpt 52. in fin.* Coſta *tract. de remed. ſubſidiar. remed. 106. illat. 5. n. 2.* ubi ait, hunc caſum poſitum eſſe in ſtatu conjecturali, ut nimirum ad conjecturas recurratur, quibus conſtare poſſit de cauſa & modo locupletationis præter opinionem hominum. Extentè Farinac. *conſil. 96. num. 6. & ſeqq.* Aut certè ſecundùm Beſoldum *ad Ordinat. Politic. Wirtemberg. fol. 33.* in den gemeinen Landes-Viſitationen/ (3) explorari poſſet, quale patrimo- 3 nium, quale ſalarium, & quas divitias ha-

 beat

beat Officialis, & quando eas conciliârit. Plerumq; enim divitiæ repentinæ poſt ſordidam paupertatem ſunt ſuſpectæ.

Expedire tamen quàm maximè Reip. & Principi arbitramur; ſi officiales in Provin-
4 ciis & Ditionibus, in quibus adminiſtrant, bona immobilia per ſe & ſuppoſitas perſonas emere, & cum ſubditis contrahere prohibeantur, ac res comparatæ confirmato contractu vendicentur, earumq; æſtimatio Fiſco inferatur, juxta *l. aufertur 46. §. 2. ff. de Jure Fiſci. l. non licet. 46. l. qui officii. 62. in princ. ff. de contrah. empt. l. quisquis, & l. principalibus. C. eod. l. unic. C. de contract. judic.* ex quibus & aliis juris textibus apertè patet, officialem nihil quicquam horum, quæ adminiſtrat, jure emere, per ſe, vel per alium poſſe, niſi ſpecialiter ei ſit conceſſum, Natta *conſil. 50. num. 13.* ubi poſt Salycetum & alios probat, hoc etiam in officialibus perpetuis procedere, quia in hiſce major videtur militare ſuſpicio metûs & impreſſionis, & ut plurimùm tales convertuntur in tyrannidem. Contrarium latè adſtruit ac tuetur Menoch. *conſil. 1174. num. 4. 7. 8. 20. & 21. & conſil. 844. num. 28. & ſeqq.* aſſerit, Officiales palàm & bonâ fide poſſe contrahere, & verè ceſſare omnem ſuſpicionem fraudis, quando coram Magiſtratu celebratur contractus. Videatur omninò Roland. à Valle *conſil. 83. num. 11. & per tot. vol. 2.*

Quicquid ſit, de Jure communi hodiè Conſiliarios, Judices, & alios, qui in officio ſunt, præſtantiſſima quæque prædia emere videmus; quia omnia *officia malo more & jure ſunt perpetua*, (4) maximè Conſiliariorum, & Senatorum in Gallia, dum non habent tempus limitatum. Guid. Pap. *quæſt. 195.* & non amittuntur, niſi per mortem aut ſpontaneam reſignationem vel depoſitionem ex cauſa delicti. Boër. *deciſ. 119.* Per-
5 petuis namq; officiariis olim etiam permiſſa fuit bonorum emptio, *l. præſidi ff. ſi cert. petat.* ac proinde eadem ratione non obſervatur *l. quisquis C. eod.* Poſſunt enim, teſte Chriſtinæo *vol. 2. Deciſ. Belgic. deciſ. 86. n. 3.* hodiè Magiſtratus cum ſubditis tàm in Gallia, quàm Belgicis, aliisq; regionibus contrahere, ac immobilia & quævis alia acquirere, Guid. Pap. *d. quæſt. 195.* De Jure tamen municipali Würtemberg. *part. 1. tit. 75. f. 212.* in publicis ſubhaſtationibus, in offenem Vergahnd / Magiſtratibus, *Judicibus, omnibusq;, qui circa eas occupati ſunt*, (5) ad ſuſpicionem vitandam, venditio interdicta, neque licita eſt per ſuppoſitam perſonam.

6 Eundem ad modum omnibus, qui publicam pecuniam tractant, prohibendam negotiationem Romani cenſuerunt. *Claudius Tribunus plebis legem* (6) tulerat, ne quis Senator, quive Senatoris pater fuiſſet, maritimam navem, quæ plus quàm CCC. amphorarum eſſet, haberet; id enim ſatis eſſe ad fructus ex agris vectandos; quæſtusq; omnis Patribus indecorus viſus eſt. Præterea, *ne Quæſtorii ſcribæ negotiationem exercerent*; (7) nam periculum fore, ne de pecunia publica negotiarentur. Cùm autem ex conſuetudine (quæ interdum lege potentior eſt) multi eſſent, qui negotiarentur, Domitianus Imperator, veniâ in præteritum donatâ, Legem Claudiam in futurum valere, atque diligenter obſervari juſſit. Cicero ſanè ad Atticum ſcribit, ne ullam quidem Præfecturam negotianti ſe tribuiſſe, cùm Proconſul eſſet in Sicilia.

In vera India intra Gangem Reges con- 7
ſueverunt opprimere cives, ut eorum facultatibus ditent milites, eosq; magis ſibi ad fidelitatem obligent. Imprimis hoc Principibus Muhammedanis non eſt infrequens, uti ſe ſuaq; omnia committant ſervis, qui ſæpius captatâ occaſione, excuſſo Dominorum fræno arripiunt imperium, quod ut obtineant, populum prædæ exponunt. Neque enim vanum eſt, quod ille dixit; quem metuunt, oderunt; quem quisque odit, periiſſe expetit. Sic Turcici Imperii firmamentum ſunt Janizari, quos ut Princeps habeat benivolos, neceſſe eſt, ut omnia illis, quæ concupiſcunt, permittat. Eodem modo multi Indorum Principes populum non pluris faciunt, quàm jumenta, omne ſuum robur in Nayris collocantes. Huc referendi ſunt Reges, Armuſius, Cambajenſis, Decanenſis, & Acenſis: Quorum omnium unica fiducia cùm ſit in militibus, ſive ii ingenui ſint, ſive ſervi; oportet, ut nulli rei parcant, quæ ad gerendum continuandumque bellum requiruntur. Imitari hæc & alia exempla ſtudent nonnulli Germaniæ Principes, eorúmve nobiles Conſiliarii, qui valdè impotenter dominantur plebi; cùm nihil injuſtum putent, quod neceſſarium ſit, ut nihil vereantur omnes, quavis acceptâ occaſione tenuioribus eripere facultates.

Sed manum de tabula.

ANNO-

ANNOTATIONES Ad CAPUT CXXXI.

Num. 1.

(1) *Ut Agrippina Statilium Taurum, &c.*] Rem declaret ipſe Tacitus *12. Annal. 59. n. 1.* & palàm facit, an juſtè accuſatus fuerit Statilius Taurus. At Claudius, *inquit*, ſæviſſima quæque promere adigebatur ejuſdem Agrippinæ artibus, quæ Statilium Taurum opibus inluſtrem, *hortis ejus inhians*, pervertit, accuſante Tarquitio Priſco. Legatus is Tauri Africam Imperio proconſulari regentis, poſtquam revenerant pauca repetundarum crimina, cæterùm Superſtitiones Magicas objectabat. Nec ille diutiùs falſum accuſatorem indignâ ſorte perpeſſus, vim vitæ ſuæ attulit, ante ſententiam Senatûs. Tarquitius tamen Curiâ exactus eſt: quòd Patres odio delatores, contra ambitum Agrippinæ pervicêre.

(2) *Veſpaſianus Cæſar, &c.*] Teſte, ut ſæpe dictum, Suetonio *in vita ejus cap. 16.*

Num. 2.

(3) In den gemeinen Lands-Viſitationen/ꝛc.] Junge ſuperiùs *lib. 2. cap. 60. n. 11.* (2)

Num. 4.

(4) *Officia malo more & Jure ſunt perpetua, &c.*] Magiſtratus quando perpetuos, quando ambulatorios eſſe conveniat, Marſelaer *de Legato Diſſ. 11. pag. 313.* Bernegger. *in Quæſt. ad Taciti G. & A. quæſt. 179.* Zevecotius *ad Flori lib. 3. cap. 14. pag. 381.* Forſtnerus *in Not. Polit. ad Tacit. 1. Annal. 1. n. 2. ad 2. Annal. 5. n. 1. pag. 157.* Barclajus *in Argenide pag. 259. ſeqq.* Cauſabonus *ad Sueton. pag. 47.* Freinshemius *ad Florum l. 1. c. 9. n. 2. p.* alii disquirunt, ex quibus cupidus Lector, quid de aſſerto Klockii noſtri h. loco cenſendum, facili negotio eruere poterit.

Num. 5.

(5) *Judicibus omnibusq; qui circa eas occupati ſunt, &c.*] Quod & in Republica Norimbergenſi obtinere notum eſt.

Num. 6.

(6) *Claudius Tribunus Plebis Legem, &c.*] Livius *libro 21. cap. 63.*

(7) *Ne Quæſtorii Scribæ negotiationem exercerent, &c.*] Hujus capitis Legis Claudiæ ſolus meminit Suetonius *in Domitiano cap. 9.* ut Roſinus *Antiq. Rom. lib. 8. 31. pag. 1411.* advertit.

CAPUT CXXXII.

Quæſtorum Ærarii & Exactorum Numerus minuendus.

SUMMARIA.

1. *Quò pauciores* Quæſtores Exactoresve, *eo poterunt expleri faciliùs.*
2. *Id ſuaſum eſt* Philippo III. *Hiſpaniarum Regi, ut videlicet* Centum Quæſtores *Ærarii conſtituti abrogarentur.*
3. Abuſus Gallicus, *quòd cùm antè Quinqueviri in Rationali Curia Pariſiorum eſſent, poſtea fuerint conſcripti ducenti.*
4. *Hinc dimidia pars tributorum in ſtipendio inſumenda.*
5. *Imminutis his tantis* quæſtoribus, *quantum lucratum ſit.*
6. *Rurſum de magno numero Judicum &* Quæſtorum *inutili & noxio. Rerum omnium res hæc abſurdiſſima in Gallia.* & n. 7.
8. Henricus II. *Rex Galliarum bene conſulentes, de amovendis tam multis quæſtoribus, ſuo damno non exaudit.*
9. Henricus IV. *deinceps initio Regni hos abrogavit.*
10. Camera Rationaria, *dicta Camera Regalis, ab eodem conſtituta.*
11. *Præfecit huic viros integerrimos ſpectatiſſimosq; atq; hunc imitari commonentur Principes.* & n. 12.
13. Miniſtrorum *Fiſci ratio, in Regno Suecia.*

Copia Quæſtorum moderanda eſt Regibus uſu,
Atque Exactorum ſit minor ordo, decet.

1 Fraudibus atque Captionibus Quæſtorum & Exactorum Princeps ex facili medebitur, ſi eorum numerum recidat. Nam quò pauciores erunt, hoc faciliùs eorum cupiditati occurret; aut certè, ſi quid detrimenti neceſſariò ferendum eſt, multò minùs à paucis ſuſtinebit. Enimverò vix credibile eſt, quàm inexplebilis ſit iſtorum hominum cupiditas & avaritia, nam ſi populus debeat pendere viginti, ob ſumptus & expenſas L. aut LX. non ſine multorum ſubditorum lacrumis & querelis exiguntur.

2 Tale conſilium Philippo III. Hiſpaniarum Regi ſubminiſtratum à Conſiliariis Statûs Anno MDCXIX. in libro, qui inſcribitur *Conſervatio Monarchiæ Hiſpanicæ, &c.* Authore Petro Ferdinando Navaretta, impreſſo Madriti, Anno MDCXXVI. ut ſcilicet centum illi Quæſtores ærarii, qui Anno MDCXVII. conſtituti fuerunt, abrogentur: ſiquidem manifeſtum ſit, eorum munus non niſi ad oppreſſionem miſeræ plebis comparatum eſſe.

Quæſtores ærarii (ait Thuan. *lib. 12.* ad Annum MDLIII.) quatuor ſeu Theſaurarii, qui patrimonii regii, quod vulgò Domanium vocant, curam gerebant, totidem indictionum & oblationum Præfecti, vulgò Generales dicti: cùm huc usque ſeparata munia habuiſſent, & dilapidato ferè per oppignorationes patrimonio regio, illorum eſſet inane nomen, utrorumque nomina & functio-

functiones confuſæ ſunt, aucto numero, & coactoribus primariis, qui XVI. erant, æquato: inde ingens pecunia corroſa, nec aliud præterea operæ pretium fuit, patefactâ interim portâ ad immodicum illum, qui poſteà crevit, & maximè omnium hodiè quæſturam Regni gravat, munerum publicorum numerum; duplicatus & Coactorum Fiſcalium numerus; per multiplicatos Ærarii Rationales, ſenſim imminuto ipſo Ærario. Et Bodin. *d. lib. 6. de Repub. cap. 1.* Cùm anteà, *inquit*, Imperio Gallo-
3 rum longè lateque patente una Logiſtarum Curia ſufficeret, nunc ſeptem Curias habemus: & cùm antea Philippi IV. edicto quinque viri in Rationali Curia Pariſiorum cenſerentur, nunc ducentos conſcriptos vide-
4 mus. *Et paulò pôſt: Tantus eſt Quæſtorum & Publicanorum numerus*, (1) tanta logiſtarum multitudo, ut dimidia pars tributorum ac vectigalium ſtipendiis ac ſalariis accepto feratur, ut in privatis Septumaniæ Comitiis, quibus adfui, compertum memini: quamobrem rogationem ad Principem ferre placuit, de Quæſtoribus abrogandis; quâ quidem ratione Principem in
5 Septumaniæ Provinciæ tributorum ac vectigalium trientem lucrifacturum, argumentis neceſſariis demonſtratum: triens autem ferè 218710. libras Turonenſes æquabat vigeſimo pòſt anno, cùm Blæſis Galliæ conventus haberetur, Maximinus Lulerius Pariſienſium Mercatorum Præfectus, & rationum publicarum Præſes, palàm in Comitiis dixit, vix ac ne vix quidem pecuniæ publicæ ex aſſe, in ærarium Principis inferri quadrantem, incredibile id quidem videri, verum tamen eſſe, homo rationum publicarum peritiſſimus contendebat. *Idem Bo-*
6 *din.* Vectigalium tres omninò judices & quæſtorem unum generalem olim exſtitiſſe, ex actis publicis anni MCCCLXXII. conſtat. His verò temporibus, quibus imperium magnâ ſui parte acciſum eſt, trecenti ferè numerantur, quæſtores verò XXXIV.
7 *Idem:* De rebus omnibus abſurdiſſimis nulla mihi abſurdior viſa eſt, quàm tot ærarii tribunos, tot quæſtores, quot in Gallia videmus, tantis pecuniis Quæſturas à Principe mercari. Narrat quoque Bodinus *d. lib. 6. c. 12.* ſe Comitiis apud Tectoſages interfuiſſe Anno MDLVI. in quibus ſupplicatum Henrico II. Galliæ Regi, ut iſtas hirudines, & Ærarii depeculatores ab eâ Provinciâ amoveret. Nam obſtrictâ fide pollicebantur, ſe ad diem præſcriptum Vectigalia ſoluturos, & in eam Regni partem, quam Regia Majeſtas deſignaret, integrâ fide, ne obolo quidem deſiderato, ſuis ſumptibus delaturos; ſicque fore, ut Rex majoribus expenſis parceret, debitum aurum reciperet & Tectoſages à plurimorum Coactorum & Quæſtorum Ærarii moleſtia eximeret.

Si Rex paruiſſet Conſultorum Conſilio, mi- 8
rum quantum ſibi & Reipubl. conſuluiſſet? Ita enim plurimum commodi conſequutus fuiſſet, & inexplebilem Quæſtorum avaritiam ſuſtuliſſet. Id verò Anno MDCVIII. d. XV. Auguſt. factum ab Henrico IV. Galliæ Rege. Nam pace totâ Galliâ firmatâ, 9
Rex nihil priùs initio Imperii habuit, quàm toto regno recidere magnum numerum Coactorum & Quæſtorum Ærarii, prioribus Regibus non tàm neceſſitate, quàm temporum conditione, & conſuetudine toleratum. Quin hoc ampliùs (ne quid deinceps molimenti à pravis pecuniæ publicæ adminiſtratoribus in æraria ſtrueretur) Cameram Rationariam conſtituit, quam Ca- 10
meram Regalem nominari voluit, eamq; componi, viris integerrimis, ſpectatiſſimis, iisq; lectis è Curia conſcriptis, qui in abuſus 11
& captiones Quæſtorum inquirant, animadvertantque. Imitentur alii Principes, pru- 12
denter enim facient, ſi ab hac cenſurâ, ut ille, Principatum auſpicentur. Chockier. *d. lib. 2. aphoriſm. politic. cap. 10.*

De miniſtris Fiſci (2) ſive Ærarii Suecici, 13
vel proventuum regiorum ita habet. Eſt quidam, quem Primum Commiſſarium vocant, qui ſubſcribit decretis de ſtipendiis eorum, qui cum aliquo ſunt officio. Quanquam autem iſte pecuniam non tractat, ne hæredes ejus ad rationes & in jus vocari poſſint: tamen neque ſtipendium ullum, aut ſalarium cuiquam perſolvitur, niſi ipſe ſubſcripſerit ſignaveritque. Habet hic Commiſſarius generalis Quæſtorem, qui accipit argentum regium, illud in Ærarium infert, & rationes de eo reddit. Hunc ſequuntur decem Camerarii vel Computorum Magiſtri, qui in Archivis ſervant indices omnium proventuum per totum regnum. Solent hi cum Quæſtore deliberandi gratiâ convenire, ſi uſus ferat, aut temporis ratio: in univerſum tamen omnes rationem acceptorum expenſorumq; ſingulis annis reddunt Commiſſario Generali, præſentibus quibusdam Conſiliariis regiis. Habet inſuper quisque Quæſtor in ſuâ Provinciâ diverſos exactores, qui ad eum referunt argentum è vectigalibus, decimis, cæteriſq; proventibus regiis, ut in Fiſcum inferatur.

ANNO-

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT CXXXII.

Num. 4.

(1) T*Antus eſt Quæſtorum & Publicanorum numerus, &c.*] Sic Limnæus *in Notitia Reg. Franc. lib. 2. cap. 9.* Vectigalibus & tributis in Gallia colligendis olim, *inquit*, pauci, hodie perquàm multi Officiarii, cùm egregia honoris prærogativa præpoſiti ſunt, variorum nominum; unde fit, ut magna horum vectigalium pars eorum utilitati cedat, vel ab ipſis inſumatur, reliqua multùm acciſa Regi obveniant, quæ dicta *lit. ccc, ddd*, teſtimoniis firmat. Junge Zeillerum *in Itiner. Galliæ cap. 1. pag. 64.*

Num. 13.

(2) *De Miniſtris Fiſci, &c.*] Conſule Zeillerum *in Itiner. Sueciæ pag. 74.*

CAPUT CXXXIII.

Prudenti Opum Ærarii Diſpoſitione & Erogatione opus eſt.

SUMMARIA.

1. Ærarium *benè conſtitutum, benè prudenterq; conſervetur & collocetur.*
2. *Difficilis* cuſtodia *pecuniæ publicæ.*
3. Diſpenſatio ærarii *reſtricta & parca.*
4. Tyranni *teterrimi ſunt, qui putant ſolam profuſionem eſſe finem pecuniæ publicæ.*
5. Egeſtas *comes profuſionis.*
6. *Egens & exhauſtus* Nero *profuſionibus ad rapinas eſt converſus.*
7. *Omnis* Princeps *prodigus erit, ſi exactor non eſt.*
8. Septimii Severi *parcitas, & in hac re moderatio, huc facit Alexandri exemplum aliorumq;*, num. 9.
10. *Tene* menſuram *& reſpice finem.*
11. *Perduntur* pecuniæ, *quæ ſine modo erogantur.*
12. Vectigal *ingens Parcitas.*
13. Nemo *ſumptus faciat ſupra vires Redituum Ordinariorum.*
14. Reſpublica *diuturnum ac immortale animal.*
15. *Sic Magiſtratus Oeconomia non facilè labaſcit, niſi Oeconomus ipſe & Magiſtratus ipſe diſſipet.*
16. Hiſpani *ſex Conſilia & Curias habent totidem*, num. 17. 18. 19. & 20.
21. Galliæ *inſtitutum laudatur, quo primò in tenues, & ſecundo in Regiam, tertiò inſarta tecta impenſum eſt*, num. 22. 23. & 24.

Qui prudenter Opes Ærarii computet, atque Erogat, inprimis dextrè adhibendus erit.

1 ÆRarii cura non ſolùm conſiſtit in benè conficiendi, ſed & conſervandi, & in benè collocandi rationibus, quæ ſæpè diffi-
2 cilior, quàm conficiendi. Inprimis verò pecuniarum publicarum cuſtodia ſupra modum difficilis, quam neque Ramſaneti lapideæ turres, neque Sardanapali ſubterranei ſpecus tueri poterunt; neque templorum ſepulchrorúmve religio; neq; profunda flumina occultare. Herodot. *lib. 2.* Unde Aleator Pyrrhus dictus, quòd aleatoriæ fortunæ ludibrio pecuniam, quam jam antè paraſſet, momento amitteret. Plutarch. *in Pyrrho.*

Diſpenſatio quoque Ærarii *reſtricta ſit* 3
& parca. Nihil enim, maximis etiam opibus diſſipandis, paratius, *quàm prodigalitas & nimia largitionum effuſio.* (1) Deterri- 4
mi & teterrimi Tyranni ſunt, qui divitiarum & pecuniæ non alium fructum putant, quàm profuſionem; uti in Nerone adnotatum, qui ſordidos ac deparcos appellabat, quibus ratio impenſarum conſtaret, prælautos verèque magnanimos, qui abuterentur ac perderent. Quis non judicet inſanas 5
eſſe inſanientis animi voces? ecquis enim neſcius eſt, proximam profuſionis comitem eſſe egeſtatem, hanc verò crudelitatem rapinamque comitari ſolere? Quis, quæſo, Nerone & Caligulâ prodigalior? quis utroque crudelior? quorum ille vicies millies immanibus largitionibus effudit; hic ampliùs tricies millies primo ſui Principatûs anno abſumpſit. Exhauſtus igitur at- 6
que egens, ad rapinas animum convertit, vario & exquiſitiſſimo calumniarum, & auctionum & vectigalium genere. Tiraquell. *in Calig. 38.* Ita Ærarium, ambitione & largitionibus exhauſtum, per ſcelera ſuppletur plerunque: & omnis Princeps prodigus, vel exactor eſt, vel erit. Fami- 7
liare enim Principibus, ut egentes, ad ſublevandam inopiam, injuſta excogitent tributa, & rapaces manus alienis injiciant rebus, Vincent. Caſtellan. *libr. 3. de Offic. Reg. cap. 10. fol. 400.*

Quantò prudentior Septimius Severus, 8
qui publicis opibus adeò parcè & moderatè uſus fuit, ut Civitatem Romanam longè ditiſſimam, rebusque omnibus neceſſariis refertam reliquerit? Quantò æquior Ale- 9
xander, qui aurum & argentum raró cuiquam, niſi militi diviſit. Nefas eſſe, dicens, ut Diſpenſator publicus in delectationes ſuas,

ſuas, ſuorúmve converteret id, quod provinciales dediſſent. Quapropter glorioſiſſima eſt prædicatio FRIDERICI II. Daniæ Regis, qui cùm ſplendidiſſimam regiam, *Croneburgum* (2) incredibili ſumptu ædificaſſet, dicere ſolitus eſt, nolle ſe eum lapidem in ædificio ſuo tolerare, ſi quem Subditorum ſuorum numo comparatum eſſe ſciret. Et MAXIMILIANUS I. Imperator cùm conſideraret, quantas Principi profuſio ſoleret adferre calamitates, non temerè quidquam cuiquam, niſi optumè merito, largiebatur; illud identidem dictitans:

Tene menſuram, & reſpice finem.

10 O Principem (ait Chockier *lib. 2. theſaur. aphoriſm. polit. c. 10. fol. 97.*) immortali laude dignum! & eò ampliùs, quò abſimilior illis Principibus, qui & ſuam, & publicam pecuniam in unius & alterius Aulici ſinum convertunt, & bella temerè ſuſcipiunt, ut per eam occaſionem novam pecuniam, mox iterum perdendam, extorqueant. Inviſi & contempti ii, quibus, cùm omnia rapiant, & rapta retineant: ut ſi nihil rapuiſſent, nihil retinuiſſent, omnia deſint. Meminerint Principes, *ſe cuſtodes eſſe.* (3) & diſpenſatores communium bonorum, non ſuorum. Ita debent, non privatim largiri, quod avidiùs de Republica ſumant: & explere hiantes in magna fortuna amicorum cupiditates; non per delicias aut ſumptus, pecuniæ illudere: ut quas honeſtè habere & utilicet, per turpitudinem abuti properent.

11 Optimè Mæcenas ad Auguſtum apud Dionem lib. 52. *Magnas opes non tam quæri multa cupiendo, & capiendo quàm multa non perdendo.* Perduntur autem pecuniæ, cùm in iis erogandis nullus modus conſtituitur, ſed temerè in res non neceſſarias profunduntur.

Hunc ad modum rebus ſuis conſulens Princeps vel Magiſtratus, tempore neceſſitatis, nullo externo auxilio, multòq; minùs ſubditorum contributionibus indigebit, ſed à ſe ipſo, ex Socratis ſententia, mutuò ſumere poterit; imò proventus ac reditus ordi-
12 narios amplificabit. Tantas quippe vires habet frugalitas, ut tot impendiis, tot erogationibus vel ſola ſufficiat; optimumq; vectigal eſt parcimonia, nec ulla expeditior ratio augendi cenſus, quam detrahere quotidianis ſumptibus: proindeq; Magiſtratus non malè cum calculis menſulariorum, ſuper quibus rationes computantur, comparari poſſunt. Sicut enim calculi pro Computatoris arbitrio jam numum, jam aſſem, mox, talentum valent; ita Magiſtratus in adminiſtratione Oeconomiæ efficere poſſunt, ut jam magna bonorum ſumma abundent, mox verò ut omnia illorum bona ad minimam ſummam & penè in nihilum redigan-
13 tur. Et hoc eſt, quod Gregorius Tholoſanus in omnibus, *ait*, Frugalitas & parcimonia & rationis regula obſervetur, & ſemper ante oculos ejus, qui præeſt verſetur, non convenire, ſumptus ſupra vires redituum Ordinariorum facere; & ut privatum quemque, ſic & Principem aliumq; Magiſtratum ſuo ſe pede metiri oportere, *d. lib. 3. de Repub. cap. 8.* Quicunque enim Magiſtratus Oeconomiam ſuam non ex affectu, ſed pro ratione gubernat, is eam ſalvam & incolumen, 14
& cum ea ſimul Remp. ſartam tectam conſervare poteſt: Quia ut veteres Rempub. diuturnum atque immortale animal dixerunt, quod nunquam occidit, niſi ſibi ipſi vim afferat, mortemque conciſcat, ita de 15
cujuſcunque Magiſtratûs Oeconomiâ idem dici poteſt; quia non facilè interit, niſi eam Oeconomus, hoc eſt, ipſe Magiſtratus, diſſipet atque pelſundet.

Hiſpani ſex conſilia, (4) totidem Curiis 16
ſejuncta & Regis prætorio comprehenſa habent. I. Militare, quod circa munitiones urbium, cuſtodiam finium, præſidia militum, aciem inſtruendam, caſtrorum metationes, omnem denique rem militarem verſatur. II. Annonarium, quod in 17
id incumbit, ut vitæ neceſſaria tàm abundè ſuppetant, ut partem etiam vicinis & aliis impertiri poſſimus. III. Juriſprudentum, 18
ad quod extrajudiciales & omnes privatæ controverſiæ civilis pertinent; item condendarum abrogandarumq; legum cura. IV. Criminale, ad quod ſpectat rerum cri- 19
minalium cognitio. V. Cenſorium, cui 20
morum caſtigatio commiſſa eſt. VI. Summum, ad quod Quæſtorium, ſive Ærarii diſpenſatio refertur; quod ſcilicet in Regni reditibus, ex Subditorum tributis, ex earum rerum vectigalibus, quæ evehuntur & invehuntur, ex agris publicis, ex hoſtium ſpoliis, ex ſociorum vectigalibus & tributis, ex mercaturâ, &c. colligendis, conſervandis & augendis, debitisq; exſolvendis verſatur.

Bodinus verò majorum Galliæ rationes 21
laudat, quarum primum caput expenſas in tenues & egenos, ſecundum in regiam domum, tertium in ſarta tecta erogatas continuit. Prima ratio Orphanotrophia, Ge- 22
rontocomia, Noſocomia, Ptochotrophia, Scholas, Eccleſias, omnemque eleemoſynam & benignitatem erga pauperes tuetur. Nulla enim imperia, nulli Principatus, nullæ Reſpublicæ florentiores ſunt, *quàm cùm maximam pauperum curam habent.* (5)
Secundum caput complectitur ſumptus & 23
expenſas omnes, quæ Reipub. gubernandæ, augendæ, conſervandæ, ſtabiliendæ impenduntur, tum pacis, tum belli temporibus. Tertium caput, mœnia, agge- 24
res, arces, caſtellas, munitiones, pontes, vias, naves, baſilicas, ædes publicas, templa, omniaque, quæ tum ad utilitatem, tum ſplendorem Civitatis pertinent, reficit, inſtaurat, conſervat, ubi cavendum, ne, quod

quod de Neronis aurea domo ſuperiore Cap. dictum Cæmenta ædificiorum Subditorum ſanguine madeſcant. De impenſis in adminiſtrationem juſtitiæ erogandis Bodinus ne verbulum quidem. Ratio: Quia juſtitia apud Gallos eſt vænalis.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT CXXXIII

Num. 3.

(1) Q*Uam prodigalitas & nimia largitionum effuſio &c.*] Gemina ſunt hæc dictis ſuprà *hoc libro cap. 44.* ubi Principem Klockius monuit, ut nimiis largitionibus modum ponat, nec inconſultâ Prodigalitate ærarium exhauriat, quo recurrendum, cùm & ibi hic allegata exempla quoque adducantur.

Num. 9.

(2) *Croneburgum &c.*] De Croneburg amœna & munita domo Regia, pulchritudine & magnificentiâ præſtantiſſimo ædificio, intra annos octo nempe ab Anno MDLXXVII. usque ad Annum MDLXXXV. exſtructo, ornamentis ejus, & Friderici II. Daniæ Regis cujus auſpiciis, cœptum & perfectum in forma, quâ nunc ſuperbit, conſulatur, præter ab eo citatos authores, Zeiller. *in Deſcript. Regni Daniæ pag. 177. ſeq. & edit. Amſtelodamenſis latinæ pag. 15. ſeqq.*

Num. 10.

(3) *Se Cuſtodes eſſe &c.*] Ut Lipſius *lib. 4. Politic. 11.* commentatur, ex quo hic numerus depromptus.

Num. 16.

(4) *Hiſpani ſex Conſilia &c.*] Plura recenſet & quæ in quoque Conſilio tractentur Zeillerus (*in Itiner. Hiſp. cap. 1. pag. 128. ſeqq. ubi vide,*) hoc ordine, & quidem I. Conſilium Status. II. Conſilium Regium. III. Conſilium Bellicum. IV. Conſilium Italiæ. V. Conſilium Ordinum Militarium. VI. Conſilium Aragoniæ. VII. Conſilium Judicū. VIII. Conſilium Patrimonii & Ærarii Regii. IX. Conſilium Rationalium. X. Conſilium quoddam, in quo ratiocinia revidentur. XI. Conſilium Cameræ. XII. Conſilium ſolvendorum debitorum. XIII. Conſilium Foreſti, & demum: XIV. Conſilium Inquiſitionis.

Num. 22.

(5) *Quàm cum maximam pauperum Curam habent &c.*] Si nullus aliquis Principatus veritatem dicti comprobare valet, certè id Principatus Maximiliani utriusque Bavariæ Ducis id evincit, ad quantum enim præcellentiæ Culmen ille ſub Principe ſuo altero iſto Salomone, aſcenderit nemo credo neſcit, & adhuc tot magnificentiſſima monumenta ab ipſo exſtructa ſi nil aliud loquuntur. Attamen conſummat Adelzreitter *in Bojcæ Gentis Annal. parte 3. lib. 35. cap. 36.* antequam bella præterita in Germania exorta Bojcæ opes accidiſſent, tam largas Principem optimum feciſſe Eleemoſynas, ut ad eas, quas in præcedenti capite Adelzreitter immenſas recenſuit largitiones, ut minimum adderet *quadraginta millia florenorum,* tantâ profuſione, ut intra annos non multos elargitus fuerit *ad trecenta florenorum millia,* eamque ad rem uſum fuiſſe operâ cujusdam è ſuis Sacellanis, eâ lege, ne nomen proderet largientis.

CAPUT CXXXIV.

De Mulctis Pœnalibus & Pecuniariis in Genere Poenfälle / Geldbuſſen / und Straffen.

SUMMARIA.

1. Lucra mulctarum *ſive è mulctis inter Regalia referri, & Fiſco inferri opinatio eſt.*
2. *Hodiè habentur hæc* lucra *pro fructu jurisdictionis.*
3. Pœnæ delictorum *ad commodum Reipublicæ & vindictam publicam imponendæ.*
4. *Non ſunt inveniendæ* novæ obligationes vel illaqueationes *à lege non inductæ.*
5. Quâ moderatione *Judici utendum, dum punit,* & n. 6. *Neque pro arbitrio augendæ mulctæ,* & n. 7.
8. Fiſcus *pingueſcit, at marceſcunt Reipublicæ membra.*
9. *Ne glorientur, gaudeantq; Officiati Judicesque de* multitudine mulctarum.
10. Virium ſanguinolentæ pecuniæ *nihil purgatur, etiamſi ad uſus ſacros applicetur.*
11. Semiſſis mulctarum, *de quibus Tribunal Camerale cognovit, Ærario Imperatoris, altera pars læſo tribuitur.*
12. Pœna *impoſita reo ex popularibus actionibus cui applicanda?*

Quid propriè ſit mulcta, quis inſuper irroget illam Jure: & qui fiat, diſcutit hocce caput.

SI in mulctando debita ſeveritas adhibeatur, nihilque impunitum relinquatur, 1 non ſolùm mores, ſed & Ærarium melioratur. Et pœnarum mulctarumque compendia in Regalium numero reponi, & Fiſco ſive Ærario inferri oportere, oſtendit *cap. 1.* (ubi Alvarott. *num. 4.* & Matth. de Afflict. *ad verb. mulctarum in princ.*) *quæ ſunt Regal. juncto text. in l. mulctarum. C. de modo mulctar.* Nizol. *allegat. 2. numero 20.* ubi ait, non ipſas pœnas & mulctas de Regalibus eſſe: ſed benè ipſum jus mulctandi Regalibus accenſeri, Jacob. Thoming.

conſilio 24. numero 27. volum. 1. Beſold. *in Theſauro pract. verb.* Frevel *& verb.* Buß: *& parte 2. conſilio 70. numero primo & ſeqq.*

2 Hodie tamen id non ita ſtricte obſervatur, quin potiùs pro fructu quodam Juriſdictionis habentur mulctarum lucra, ut ait Weſembecius *in Parat. C. de modo mulctand. numero 6.* Et probant Tiraquellus *de retractat. conſangu. §. 5. gloſſ. 4. numero 18.* Chaſſanæus *in Conſuetud. Burgund. rubr. 9. §. 18. numero 35.* Molinæ. *in conſuetud. Pariſ. titulo 1. §. 1. gloſſ. 1. in verb. le ſeign. feodol. numero 51. & 52.* Peck. *de arrect. capite 29. numero 2* Conſtant. Roger. *de Dote quæſt* 11 *numero 28.* Ludovicus Molina *de Jure Primogenit. Hiſpan libro 1. capite 25. numero 22.* Garzon. *ae Expenſ capite 21. numero 22.* Caballin. *in melliloquio 576.* Schrader *de feud. parte 10. ſect. 3. numero 93. & ſect. 2. numero 51. part. ead.* Natta *conſilio 580. numero 15.* Roland. *conſilio 78. numero 8. volum. 2.* Celſus Hugo *conſilio 71. numero 7. in fin.* Menochius *conſilio 604. num. 38.* Decianus *conſilio 40. num. 3. volum. 4.* Surdus *conſilio 152. numero 2.* Bertazzol. *conſil civil. 458. num. 16.* Thoming. *d. conſil. 24. num. 10. & ſeqq. volum. 1.* Dicitur autem mulcta, pecuniaria pœna, Borell. *de compromiſſ. §. 6. gloſſ. 3. num. 16.* ſive pœna pecuniaria, quæ Judicis arbitrio irrogatur, quâ notâ potiſſimùm à pœna legali ſecernitur, quæ certa eſt, *l. aliud. 131. & l. pen. ff. de V. S.* Mulcta verò arbitraria eſt, *Dd. in l. 1. C. de modo mulctar. l. & in mulctis C. de appellat. l. unic. C. ſi quis jus dicenti non obtemp.* Peregrin. *de jure Fiſci lib. 4. tit. 8. numero 2.* ejuſque irrogatio ſine cauſæ cognitione fieri nequit, & ſi fiat, nihil valet, Guid. Pancirol. *conſil. 119. numero 68.* Et debetur mulcta ei, cujus præceptum transgreſſum fuit, in pœnam contumaciæ, & ultionem neglectûs ſive contemptûs jurisdictionis, *l. 1. ff. ſi quis jus dic. non obtemp. cum ſimilib.* Schurff. *conſilio 26. numero 5. cent. 1.* Natta *conſilio 58. num. 16.* Menoch. *conſilio 604. numero 24* Surdus *d. conſil. 152. num. 16.* Teſſaur. *deciſ. 266. num. 2. & ſeqq.* Ne alioquin unus ſeminet, alter metat, ut loquitur Surdus *d. conſil. 152. num. 22.* Hocque dicendæ mulctæ jus, etiam Municipalibus Magiſtratibus, quibus aliàs modicè coërcendi poteſtas tributa eſt, competere, aſſerit Bocer. *tractat. de Regalib. capite 3. numero 12. per l. 2. §. 1. ff. ſi quis in jus voc. non ierit* Et ante eum Betrand. *conſilio 71. numero 10. libro 1. part. 1.* ubi communiter Dd. tenere ſtatuit, Minores Magiſtratus poſſe duntaxat imponere mulctas leves & parvas; *& n. 11.* ſubjicit, mulctas dici leves inſpectâ qualitate perſonæ contumacis, & pro modo contemptæ Jurisdictionis, & in caſu ibidem levem fuiſſe, vilem, & modicam mulctam *L. ſolidorum.* (1)

3 Mulctæ verò & pœnæ iſtæ delictorum ſunt imponendæ ad commodum Reipublicæ, & ad publicam vindictam, non ad commodum partis, nec licet juriſdictionem habenti invenire novas obligationes vel illaqueationes à lege non inductas, poſt Bald. Alb. Brun. *conſil. 159. verſic. Item pro Subditis.* Sicuti *Nicephorus Imper.* (2) referente Cedreno, divitum ſervos ſubornabat, qui falsò ſuos dominos accuſarent; delatoribusque honorem habebat, calumniâ circumventos argento mulctans. Quinimò mulcta non poteſt excedere pretium cauſæ principalis, poſt Salycet. Surd. *conſil. 40. num. 41.* Et ſi judex modum excedat in mulctando, tenetur Fiſco in duplum, poſt Afflictum Surd. *d. conſil. num. 42.* ubi eſt enim quàm maximè cavendum hîc, ne 4 illectione lucri ulteriùs progrediamur, quàm criminum punitionem amare videamur; aut Delatoribus improbis locum eſſe patiamur. De quo plura *in capite ſeq.* Quâ 5 ratione etiam Judex non debet moveri ad compoſitionem animo pecuniam cumulandi, ſeu cupiditate nocendi, ſed animo es corrigendi, *cap. prodeſt. 23. qu. 5. cap. fraternitatis 12. quæſt. 2. cap. 2. de ſent. excommun. in 6.* Anton. Sola *in conſtitut. Sabaud. de accuſ. gloſſ. 2. p. 2. num. 1. fol. 844.* Et 6 pro delictis, non in delinquentium facultates, ſed in eorum perſonas ultio facienda eſt, *c. cognovimus num. 2. ſeq. 16. q. 6.* Farinac. *in prax. criminal. q. 5. num. 2.* Neque Dominis locorum permiſſum eſt, mulctas contra ſolitum pro libidine augere. Antibol. *de munerib. part. 3. §. 4. n. 196. & ſeqq.* Bartol. Bertazzol. *conſil. criminal. 418. n. 1.* maximè ſi delicti atrocitas tantam tamque 7 gravem mulctam, ut totius patrimonii facultates exhauriat, poſtulare non videatur. Hinc in dubio contra Fiſcum de lucro certantem eſt pronunciandum; Cravetta *conſil. 6. in fin. conſil. 250. num. 1. verſ. Ex quibus fundamentis & ſub finem conſilii verſic. Et adverte* (ubi dicit, quòd Fiſcus ſit ſimilis lieni: Fiſco enim intumeſcente, neceſſe eſt, ut reliqua Reipublicæ ſicut corporis humani membra marceſcant, putreſcant & contabeſcant:) *& conſil. 352. num. 20. & ſeq. & conſ. 702. in fin. & conſ. 817. in fin.* Hinc quoque in exigendis pœnis & mulctis Fiſcum ſuccumbere & poſtponi omnibus creditoribus, ſive perſonalibus, ſive hypothecariis vel etiam chyrographariis tantùm, ſcribit Clar. *d. §. fin. qu. 70. col. ult.* Peregr. *d. l. 4. tit. 8. num. 11. per l. unic. C. de pœn. fiſcal. lib. 10. l. quod placuit. ff. de jure fiſci. l. reſcriptum. ff. de pact.* Hinc denique à ſententia 8 mulctæ, (cùm ſit interlocutoria habens vim definitivæ, Natta *conſilio 11. numero 2.*

Rot.

Rot. Lucenſ. *dec.* 83. *fol.* 289. Scaccia *tract. de appellat. qu.* 17. *limit.* 47. *memb.* 1. *n.* 182.) vivâ voce appellari poſſe ſine expreſſione cauſæ, reſpondit Natta *d. conſ. n.* 3. Et à mulcta poſſe appellari, per plurimas authoritates reſpondit Farinac. *in prax. crimin. q.* 18. *n.* 58. & *p.* 3. *q.* 101. *n.* 16. ubi citat Bertazzol. *conſ.* 181. *n.* 17. *in crimin.* Anguſola *conſ.* 117. *n.* 7. *verſ. ultimo, l.* 1. Coſta *tract. de fact. ſcient.* & *ignor. reg.* 15. *n.* 11. Mynſ. 3. *obſ.* 43. ubi refert præjudicium in cauſa Stadt Cölln contra Siegen/ & 4. *obſ.* 41. Valentin. Franc. *de fidejuſſor. c.* 3. *n.* 253. Scaccia *q.* 17. *limit.* 3. *ſub n* 19. & *limit.* 47. *memb.* 1. *n.* 182. Etiamſi ſit impoſita propter veram contumaciam, Scacc. *d. q.* 17. *limit.* 3. *ſub n.* 19.

Videmus tamen paſſim, multos Judices & officiales, ſecundùm Venturam de Valentiis *l.* 1. *Parthen. litig. c.* 14. *n.* 2. & 3. affe-
9 ctui & avaritiæ deſervire, inq; mulctis indicendis & exigendis lætari & impiè dicere: Es haben dieſes Jahr über / die Geldbrüche oder Geldbuſſen / GOtt ſey Lob und Danck / ein Ehrliches getragen. Sed caveat Magiſtratus, ne mulctarum compendio abutatur, impunitatem delicti indulgendo, vel tantùm pecuniariè coërcendo, quod aliàs capite plectendum eſſet.

10 Nec enim videndum, quid liceat & expediat, ſed quid pium, honeſtum, & juſtû; cùm ob injuſtitiam pecunia illata Ærario civili aut ſacro (quâ ratione multi opinantur, vitium pecuniæ ſanguinolentæ purgari poſſe, modò ad ſacros uſus transferatur) parùm proſit, imò potiùs obſit & evaneſcat, & ſæpè ruinam & excidium toti Reipublicæ acceleret.

Nonnunquam tamen, ob paupertatem, mulcta in corporalem commutari pœnam poteſt, Clar. *in pract. crimin.* §. *fin. quæſt.* 95. *verſ hæc autem. qui allegat.* Vaſqu. *controv. illuſtr. c.* 24. *n.* 15. atteſtantem hanc eſſe receptam opinionem, Menoch. *caſ.* 447. ubi dilucidè explicat, quibus in caſibus pœna pecuniaria commutari poſſit in corporalem: & illam pœnam pecuniariam Fiſco deferendam, in corporalem commutari poſſe arbitrio judicis, deciſum fuiſſe præſertim ob inopiam debitoris, atteſtatur Teſaur. *deciſ.* 182. *n.* 2. Peguera *deciſ. crimin. c.* 6. *n.* 6. Paul. Chriſtinæus *Deciſ. Belgic.* 86. *n.* 5. & *ſeqq.* ubi in fin. addit, moribus noſtris omnia hæc fermè poſita eſſe in arbitrio judicantium.

Hodie ſemiſſis pœnarum & mulctarum, 11
de quibus Conſiſtorium Camerale cognovit, Imperatoris Ærario, altera pars læſo tri- 12
bui ſolet; uti quoque ſemiſſem nudam in privilegiis ſibi Cæſar reſervat. Illud in cotroverſiam vocatur, cui pœna, quæ ex popularibus actionibus Reo imponitur, applicari debeat? Actori, an Fiſco? an verò inter utrumque ſit dividenda? Diſtinguunt Goeddæus *in l.* 12. *n.* 15. & *ſeqq. ff. de V. S.* & Bocer. *de Regalib. c.* 3. *n.* 25. ut ſi actio civiliter intentetur, parti agenti, ſi verò criminaliter, Fiſco pœna applicetur. Vide Sixtin. *lib.* 2. *de Regalib. c.* 8. *n.* 91. Weſemb. *in Parat. de Juriſdict. n.* 13.

ANNOTATIONES

Ad

CAPUT CXXXIV.

Num. 2.

(1) L *Solidorum &c.*] At de Jure Civili & quidem *l.* 4. *C. de modis mult.* gravior mulcta L. libros excedere non debet: Dicta autem fuit *Multa*, ut tradit Varro *de Lingua Latin. lib.* 4. *p. m.* 29. à pecunia, quæ à Magiſtratu dicta, ut exigi poſſit ob peccatum, quòd ſingulæ dicuntur eſſe appellatæ multæ, quod olim unam dicebant *multa*. Atque olim multam pecoris armentique à Magiſtratibus dictam AGellius *lib.* 11. *cap.* 1. Author eſt. Mutata deinde fuit in pecuniariam condemnationem æſtimatio quolibet ove vel bove per legem Ateriam, quâ conſtitui ſunt in oves ſingulas æris deni, in boves æris centeni. Et minimima multa fuit ovis unius. Dehinc ſecuta eſt conſuetudo multandi, quâ pro Criminibus ſumma pecuniaria irrogatur in pœnam à Magiſtratibus. Adde Perezium *in Codicem libro* 1. *titul.* 54. *de modo multarum &c.* Videtur autem Bertrandus *in textu allegatis* de ſumma illa multæ *in l.* 4. *ſuprà alleg.* determinata, & non de minima loqui; cùm ſolidi illi L. ad minimum centum florenos & quod excedit efficiant, cùm indubitatum, ſit ſolidum & aureum in Jure noſtro pro uno eodemque ſumi. Plura de multis lege apud Knipſchild *de J & P. Civit. Imper. lib.* 2. *capite* 6. *numero* 78. *ſeqq* & Gryphiandrum *Oeconom. Legal libro* 1. *capite* 16. *numero* 70. *ſeqq.* Ariſminum Tepat. *Dec. tit.* 304. Andr. Trentacinq. *lib.* 1. *Reſol. tit. de J. Fiſci. Reſol.* 1. Roſenthal *de Feudis c.* 5. *Concl.* 49. Sixtin. *de Regal. c.* 8. *&c.*

Num. 3.

(2) *Nicephorus Imp. &c.*] Alias hujus Imperatoris ſordes Zonaras *Tom.* 3. explicat. Ubi vide.

CAPUT CXXXV.

De Cenſorum & Denuntiatorum officio.

SUMMARIA.

1. Cenſores *clandeſtini ad cogendas mulctas conſtituendi.*
2. Cenſuræ *neceſſitas, ejusque partes duæ Romanis.*
3. Onus denunciandi *quibus incumbat?*
4. Denunciatio ſive delatio *utrum adverſetur Charitati Chriſtianæ?*
5. *Abſit tamen* rancor *& omnis malevolentia à delatore.*
6. Occultantibus delictum *idem debetur ſupplicium, quod delinquenti.*
7. Cautela Principum *contra delatores: nam ſæpè crimen apud iniquos eſt, fuiſſe divitem,* & n. 8.
9. Emiſſarii *ad ſcrutandas conſpirationes contra Magiſtratum non improbandi.*
10. Denunciator *quando teneatur de calumnia?*
11. Apparitori vel nuntio publico *tamdiu creditur, donec per Reum contrarium probetur.*
12. *Cavendum hic, ne* innocentibus *facilè creetur periculum.*

Magnificè nomen Cenſorum, claruit olim
Romæ; ô nunc vigeat mos quoque ritè vetus.

1 Ut verò Mulctæ pecuniariæ faciliùs cogi, ac Ærario conſuli poſſit, clandeſtini Cenſores conſtituendi ſunt, qui in publicis & privatis converſationibus tacitè & quaſi aliud agendo, omnium civium mores obſervent, ac transgreſſores legum ſumptuariarum, &c. notent. Reſpublica enim rectè gubernari, bonique mores conſervari nequeunt, niſi *mediante Cenſurâ:* (1) cujus apud Romanos duæ partes fuêre, ut latè dixi *tractat. de Contribut. cap. 1. numero 29. & cap. 17. numero 14. & ſeqq.* quæ huc tran-
2 ſcribere non lubet, ne actum agere videar.

Hi quoque Cenſores in erogandis pœnis atque mulctandis delictis in quoque ordine pro ipſorum meritis cuique condignam pœnam ſtatuerunt. Confer. hûc, quòd licet de jure communi onus & obligatio denunciandi ſubditis non incumbat, Surd. *conſil. 83. num. 1.* Vide Martini Bonacinæ *diſputationem hac de re ſingularem junctam Tractatui de Clauſulis.* Coler. *dec. 250.* Nihilominus iidem vi Homagii, quo jurant vor Schaden zu warnen / ad talem denunciationem devincti & deſtricti ſint, faciantque
3 ſe occultatores ſuſpectos criminis, & non careant ſuſpicione occultæ ſocietatis. Wenn ſie es nicht oder rügen erregen. Vide eundem Coler. *de proceſſ. execut. part. 2. num. 122.* Mynſing. *cent. 5. obſerv. 40. & 41.* Modeſt. Piſtor. *illuſtr. quæſt. part. 2. q. 61. num. 1. & ſeqq.* Stamm. *in tract. de ſervitute perſonali lib. 1. c. 11. n. 5.* Non enim Charitati Chriſti- 4
anæ adverſatur, ſi quis alterum in ejusmodi cenſoriis judiciis (vulgò Rugegericht) deferat, Beſold. *in Diſcurſu de Magiſtratibus & Cenſorib. cap. 4. num. 2.* Modo omnis priva-
ta vindicta & rancor animi à denunciante 5
adversùs denunciatum abſit. Superior enim eo in caſu juſtè præcipit denunciari delinquentem, ut conſulat ipſius ſaluti vel bono proximi, quamvis periculo exponatur fama delinquentis; Bonacin. *dict. loco §. 8. numero 2* Unde Iſocrates *in Orat. 2. quam in Nicoclis perſona ſcripſit*, ſubditos ita alloquitur: Ne reticeatis, ſi quos videritis Imperio meo nocere, ſed & exiſtimate, idem ſupplicium deberi occultantibus, quod delinquentibus; At Ariſtot. *lib. 5. Po-
litic. cap. 8. ait:* Quoniam per vitam quo- 6
que privatam res novas moliuntur, magiſtratum conſtituere convenit ad obſervandum eos, quorum vita à Reipublicæ rationibus abhorreat.

Sed tamen & heic cavendum eſt, ne 7
Princeps vel Magiſtratus Delatoribus improbis aurem præbeat. *Sicut Antoninus Philoſophus* (2) Imperator delationes, quibus Fiſcus augeretur, contempſit. Et propter malitiam calumniatorum non impertinenter Philippus Cominæus *lib de Bell. Neapolit.* ſcribit, quòd prudenter facturi ſint Principes, cùm aliquid ad ipſos occultè defertur, ſi delatorem ſiſtant & fidem ſibi fieri jubeant ejùs, quod eſt delatum. Apud malos Principes, crimen ſæpe fuit, *divitem eſſe.* (3)

Alioquin & delatores coacti, delicta 8
adhuc perpetranda vel perpetrata Superioribus ſuis, eo modo, quo ipſi noverint, non habito reſpectu, probare ne poſſint, vel non, denunciare, &, quicquid ſciunt, ſecretò detegere debent: idque in caſu, quo delicta probari non poſſunt, ad hunc effectum, ut & Judici de occulto delicto anſa ulterius inquirendi detur; & perſonæ, quibus fraus ſtruitur, ſibi cavere poſſint, *text. in l. ſi quis fortè 6. ff. de pœn.* Menoch. *d. A. J.
Q. caſ. 198. num. 30.* Mynſing. *d. cent. 5. ob-* 9
ſervat. 40. Herman. Stamm. *dict. lib. 2. de ſervit. cap. 11. num. 23.* Clapmar *lib. 5. de arcan. Rerumpp. lib. 5. cap. 15.* ubi inquit: Nec tamen morem eum improbo *in Republicâ, præſertim ſeditioſis hominibus plenâ;* (4)

quo

quo milites emiſſi ſcrutantur ſermones atq; conjurationes in Principem hoc conſilio, ut Princeps eos notet, ab iiſque ſibi caveat.

10 Regulariter quoque Denunciatorem non teneri de calumnia, in denunciando innocentem; ſed tantùm, ſi ſcienter & falsò denunciaverit, reſpondendo firmavit, Burſat. *conſil. 154. n. 151. vol. 2.* Et ſi denuncians, ſive der Rüger und Anzeiger / probet famam vel rumorem in urbe eſſe de delicto vel quaſi, quod denunciavit, licet non probet corpus delicti, ejúsve qualitates, excuſatur, Cravetta *conſil. 329. num. 4. lib. 2.* Ejus enim officium eſt denunciare, non autem de facto cognoſcere, an maleficium ſit impunitum nec ne? Angel. *in tractat. de maleficiis in verb. nec non ad denunciandum, num. 7. & ſeqq.* Quocirca præſumpta calumnia non ſufficit, ſed juramento ſe denuncians purgare poteſt. Quò & illud ſpectat, quod
apparitori, aliíve nuntio publico Marck- 11
Feldſchützen und dergleichen Anbringern / de negotio ad ſui officii executionem ſpectante atteſtanti tamdiu creditur, donec per reum teſtibus contrarium fuerit probatum: aut ſi talem fidem mereatur, ut ſibi cum juramento fidendum ſit, is ſe ſuo juramento purgaverit; Mynſing. *6. obſ. 10. n. 7.* Stamm. *d. l. 2. de ſervitut. cap. 18.* Leviter & breviter: Omnia piè ſunt moderanda; ut hominibus
tranquillis & ab omni ſcelere & factione ab- 12
horrentibus, ullâ ratione à factioſis periculum non creetur.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT CXXXV.

Num. 1.

(1) M*Edianæ Cenſurâ &c.*] Ut igitur boni mores in Republica Norimbergenſi ſerventur, conſtituta quædam Publica perſona, der Pfender) quæ præter alia ipſius officia commiſſa, per clandeſtinos ſuos emiſſarios emiſſariaſque (die Kundſchaffter) quos nemo nôſſet hoc agere, & mores & vitam civium, & ubi in Leges Reipublicæ, ſumptuariaſve, peccatum fuerit, exactè exploret annotetque, ut ſic deinceps vel in dem Rugs-Amt / oder Schöpffen-Amt in reos inquiratur, causâ ſufficienter cognitâ, confeſſos vel convictos pro qualitate reatus condignâ pœnâ irrogetur, adeòque commiſſa delicta impunita haud maneant, ſed judiciis legibusve vigor ſuus maneat.

Num. 7.

(2) *Anton. Philoſophus Imperator &c.*] Authore Julio Capitolino *in vita Antonini Philoſophi cap. 11.*

(3) *Divitem eſſe &c.*] Nam præter cupiditatem aliena habendi etiam inſtillant auribus & animis Principum Calumniatores aulici, auri vim atq; opes Principibus infenſas. Quo prætextu Valerium Aſiaticum Meſſalina perdidit illius hortis inhians: *Tacitus 11. Annal. 1. n. 1.* & Sextus Marius Hiſpaniarum ditiſſimus falſo crimine Saxo-Tarpejo dejectus fuit; ac ne dubium haberetur, magnitudinem pecuniæ malo vertiſſe, aurariaſque ejus, quamquam publicarentur, ſibimet Tiberius ſepoſuit. *Tacitus 6. Annal. 19. n. 1.* Et Mucianus cogendis pecuniis intentus, non jus, aut verum, in cognitionibus, ſed ſolam magnitudinem opũ ſpectabat; paſſim delationes, & locupletiſſimus quiſque in prædam correpti. *Idem Tacitus 2. Hiſtor. 84. n. 2. 3.* Cùm Marius & Sylla Patriam lacerarent, ſævitiæ cauſam demum poſt reditum Marii in Urbem avaritia præbuit, & modus culpæ ex pecuniæ modo conſtituebatur; & qui fuiſſet locuples fieret nocens, ſuique quiſque periculi merces foret; nec quicquam videretur turpe, quod eſſet quæſtuoſum. Vulejus Paterculus *lib. 2. Hiſtor. 22. num. 5.* ad quem locum Dn. Bœclerum junge, ut & Anton. Thyſium *ad Salluſtii Bellum Catalinarium in Obſervat. pag. 23. col. 2. in fin.* ubi ex Plutarcho *in vita Syllæ* refert, Q. Aurelium medium planè & nulli parti addictum forum ingreſſum proſcriptorum nomina perlegiſſe; & cùm ſe ipſum in iis comperiſſet; Væ mihi miſero! exclamaſſe, Albana me villa perſequitur: paululumque procedentem à perſecutore jugulatum eſſe. Recentiora exempla videſis, quæſo, apud Forſtnerum *in Not. Polit. ad 11. Annal. Taciti 1. n. 1. pag. 2. 3.*

Num. 9.

(4) *In Republica præſertim ſeditioſis hominibus plena &c.*] Conſule Berneggerum *in Quæſt. ex Taciti Germania & Agricola 9. 169.* Ubi inter alia: Difficillimum eſſe omnium benevolentiam promereri Imperio, Suetonius *in Tito c. 1.* ſcribit; imò fieri non poteſt, ut Princeps omnibus placeat, & non vel juſtiſſimè imperans, in multorum odia incurrat. *Livia apud Dionem lib. 55.* Nam ut eſt apud Senecam *Thebaide, verſ. 655.*

Simul iſta mundi conditor poſuit DEUS,
Odium atque Regnum.

Omni populo ineſt malignum quiddam & querulum in Imperantes. *Plutarch. in præcept. adminiſtr. Reip.* Præſens Imperium ſemper grave Subditis. *Thucyd. lib. 1.* Rerum novarum cupidine, & Odio præſentium multi eriguntur. *Tacitus 2. Hiſt. 8. n. 5.* Quidni ergo Principi liceat hâc ſagaci vi munire latus à domeſticis hoſtibus atq; indè tempeſtivè ſeditionum ac proditionum periculis occurrere? Sed meminerit hîc Princeps cum Agricola (*Tacitus in vita ejus cap. 19. num. 4.*)

OMNIA SCIRE, NON OMNIA EXEQUI.

CAPUT CXXXVI.

De bonis vacantibus.

SUMMARIA.

1. *Ratio Ordinis.*
2. Bona vacantia *dicuntur eorum, qui ſine hærede decedunt, & ad Principem Supremum ſpectant, & Regalibus adnumerantur.*
3. *Judicibus Inferioribus* Confiſcatio *bonorum interdicta.*
4. Publicatio *bonorum eſt de maximo mero Imperio & de Reſervatis Principi,* & n. 5. & 7.
6. *Succeſſionem in* bonis vacantibus *Domino Territorii adſignat Zaſ. contra* n. 9.
8. Rex *ſuccedit Vaſallo Baronis decedenti ſine hæredibus in Regno Neapolitano, non Baro.*
10. Nobiles *non habent jura fiſcalia.*
11. Fiſcales *res, propria Principibus ſunt.*
12. Reditus Caſuales *Fiſco inferuntur.*
13. Duces *aliiq; Principes, item Comites ac Barones tantum poſſunt in ſua Ditione, quantum Imperator in Imperio.*
14. Principes *ejusmodi habent jus ſuccedendi in bonis vacantibus.*
15. Epiſcopus *an Fiſcum habeat?*
16. Bona *vacantia in diverſis Territoriis ſita, quilibet Fiſcus capit pro Ratâ in ſuo Territorio:* & n. 17.
18. Fiſcalia *jura competunt Domino merum Imperium habenti,* & n. 19.
20. Confiſcatio *ordinaria in caſibus à jure permiſſis cuivis Judici permiſſa eſt.*
21. Confiſcatio *mero Imperio adſcribitur,* & n. 22.
23. Mulctæ *& bonorum publicationes ſunt fructus Jurisdictionis.*
24. *An* confiſcationes, *ratione pœnæ fieri ſolitæ, tantummodò à mero Imperio dependeant?*
25. Vacantia bona *in Galliâ ad Dominos juridicos & vaſallos Regis pertinent.*
26. Bona vacantia *veniunt conceſſo mero & mixto Imperio.*
27. Barones *ſuccedunt in bonis vacantibus.*
28. Confiſcandi jus *hodiè habent, quibus mixtum Imperium, vel ſuprema Jurisdictio competit.*
29. Bona Vacantia *in Ditionibus Saxonicis, cuicunque poteſtatem gladii habenti cedunt.*
30. Utenſilia & Res Expeditoriæ *an Fiſco cedant? remiſſivè.*
31. *Hodiè jus bonorum vacantium non tantùm* Civitates *ex Privilegio Principis, vel præſcriptione, & conſuetudine, verùm etiam omnes ferè, qui Jurisdictionem Criminalem habent, uſurpant,* & n. 32.
33. Bona Vacantia *hodiè etiam, qui habent Jurisdictionem & merum mixtumq; Imperium, occupare ſolent.*
34. Civitates *ſingulæ de conſuetudine ſingularem fiſcum habent.*
35. Lunæburgenſis Civitas *jura fiſci præſcripſit.*
36. Æquitas *hujus juris in quo conſiſtat.*
37. Inquiſitione *& diſcuſſione opus eſt, antequam* bona Vacantia *Fiſco ingerantur.*
38. Fiſcus *non poteſt expellere poſſeſſorem, eo non citato, & non diſcuſſo de juribus ſuis; Etſi de facto poſſideat, & non de jure.*
39. Confiſcatione *factâ, eſt ordinariè agendum contra poſſeſſorem.*
40. Fiſcus *ubi habet legitimum Contradictorem, non debet rem, quam petit, auferre à poſſeſſore, lite pendente.*
41. Legitimus Contradictor *quis?*
42. Vacantium bonorum *in Fiſcum cogendorum* Practica Juridica.
43. Fiſcus *ubi non reperitur in ſpecie privilegiatus, utitur jure privati.*
44. Detentatori *aliquando remediis poſſeſſoriis ſuccurritur.*
45. Vacans poſſeſſio *quæ dicatur?* & n. 46.
47. Curator bonorum *hæreditati jacenti dandus.*
48. Bona Vacantia *probantur eo ipſo, quòd vocatis proximioribus, nullus in termino comparuerit.*
49. Creditores *binâ monitione ab omni actione excluduntur.*
50. Bona Vacantia Aulicis *minimè concedi debent.*
51. Cautela *ſingularis & notatu digna ſubminiſtratur.*
52. Conſuetudo, *quâ Saltuarii aliiq; Miniſtri res pro delicto inventas retinent, improbatur.*

Quæ ſit vacantium bonorum qualitas,
Id hoc caput docet ſatis dilucidè.

HActenus de mediis, quæ in adminiſtrandâ juſtitiâ obveniunt, quæque ipſa nobis ſuggerit æquitas, diſſeruimus; Supereſt, ut media, quibus absque adminiſtratione juſtitiæ Ærarium ſit fulciendum, inveſtigemus, & de incidentibus proventibus ac reditibus absque ullius injuriæ & conſcientiæ ſcrupulo in fiſcum cogendis pauca ſubjiciamus. 1

Hic primum locum ſibi vindicant bona vacantia, Erbloſe Güter/ quando quis inteſtatus deceſſit, & nullum ex qualibet linea ſanguinis, vel juris titulo hæredem reliquit. Linea ſanguinis jure Civili dicitur aſcendens, deſcendens, & transverſa; quia hisce tribus lineis omnis hæres ſanguinis, generis ac cognationis continetur; at titulus juris eodem jure nuncupatur, ubi deficit linea ſanguinis, & alio, quàm ſanguinis jure, ſucceſſio competit, ut fit in ſucceſſione conjugis, vel ſocii, vel liberti; quia deficiente lineâ ſanguinis, ſuccedit conjux conjugi, vel ſocius ſocio, vel Libertus Patrono. Quia ſi jam linea, & titulus juris deficit, tunc bona vacant, & Fiſco cedunt. Quamvis verò Jus confiſcandi, & inde dependens ſucceſſio in bonis vacantibus, Regali- 2

galibus accenſeatur, *in cap. un.* ubi Dd. *quæ ſint Regal. l. 1. & tot. tit. C. de bon. vacant.*
3 *lib. 10.* Adeò, ut nulli Judicum (exceptis, qui in ſumma adminiſtrationis poſiti ſunt poteſtate) proſcriptionis tempeſtate totius ſubſtantiæ aliquem liceat percellere, text. *in l. un. C. ne ſine juſſ. Princ. cert. jud. lic. confiſc.* Cravetta *conſil. 128. n. 4.* Roland. 2. *conſil. 78. num. 20. vol. 2.* Farinac. *in prax. crim. lib. 1. q. 25. n. 103. in fin.* Petra *de poteſt.*
4 *Princ. c. 6. n. 103. fol. 117.* Quinimò confiſcationem eſſe de maximo mero Imperio, & de Principi reſervatis, poſt Bald. & Roman. rectè laudatum ſcripſit Natta *conſ. 549.*
5 *num. 21.* Et ſoli Supremo Principi Superiorem non recognoſcenti competere fiſcum, & Jus Confiſcationis, ait Molinæ. *in Conſuet.*
6 *Pariſ. §. 43. gl. 1. n. 169.* Quamvis etiam ſucceſſionem in bonis vacantibus Domino Territorii Jure Superioritatis & Territorii tribuat, Zaſ. *conſil. 17. vol. 2.* Mynſ. *conſil. 67.*
7 *num. 3.* Quò loci eandem inter Regalia Imperatori & in ſignum ſuperioritatis & eminentiæ reſervata annumerat. Menoch. *conſ. 302. num. 23. & ſeq.* Decian. *conſ. 123. n. 11. lib. 3.* Roſenth. *de feud. c. 5. num. 8. & lib. 9. c. 1. n. 25.* Ludov. Molina, *de juſt. & jur. diſp. 53. verſ. bona etiam eorum.* Camill. Borell. *de Regis Catholic. præſt. c. 14. num. 1.*
8 Quâ Ratione & in Regno Neapolitano, ſi Vaſallus Baronis moriatur inteſtatus, ſine hæredibus, in bonis Burgenſaticis non Baro, ſed Rex ſuccedit. Afflict. *in Conſt. Regn.*
9 *lib. 3. rubr. 10. n. 4.* Et in bonis vacantibus ſuccedere illum non qui Territorium vel Juriſdictionem habet, ſed fiſcum Principis voluit Tiraq. *in tract. le mort ſaiſit. p. 2. declar. 15. n. 11.* poſt Alexan. *conſ. 31. col. 1. verſ. Ex*
10 *his infero lib. 1.* Et Nobiles recognoſcentes ſuperiorem, non obſtante, quòd de mero & mixto Imperio inveſtiti ſint, non habere jura fiſcalia, poſt Ruynum probat Anton. Sola *in Conſtit. Sabaud. de indulgentiis remiſſ.*
11 *gl. 2. n. 1. fol. 405.* Quo reſpectu etiam Fiſcales res, quaſi propriæ & privatæ Principis exiſtimantur, *l. 2. §. hoc Interdictum, ff. ne quid in loc. publ.* Coraſ. *6. miſcell. c. 19.* Petr. Barboſa *in l. 1. p. 7. n. 8. & 9. ff. ſol. matrim.*
12 Et inprimis in fiſcum mitti caſuales reditus, teſtatur Petr. Gregor. *d. lib. 3. de Rep. c. 3. n. 3.*
13 Hiſce tamen non obſtantibus, cùm Duces, Marchiones, Comites, Barones, & ſimiles habentes dominium temporale & perpetuum, habeantur loco Principis in eorum Territorio, & in eo poſſint facere omnia, quæ Imperator per Univerſum Orbem, pro-
14 ut latè demonſtratum eſt ſuprà. Hinc fit, ut iidem à Jure ſuccedendi in vacantibus bonis eò minùs excludi poſſint, quòd Jus
15 Confiſcandi territorio inhæreat, prout Dd. eo ipſo præſupponunt, quando diſputant, an Epiſcopus fiſcum habeat, ſiquidem ob carentiam territorii & dominii temporalis (quod tamen in Epiſcopis Germaniæ, uti Principibus conſiderari nequit) eidem fiſcum adimunt Olrad. *conſil. 17.* Bertrand. *conſil. 59. num. 10. p. 1. vol. 2.* Peregrin. *lib. 1. de Jure Fiſc. c. 2. n. 104. & ſeq.* Caſtol. *in l. Legatis ff. ex quibus cauſis maj. poſt.* Guid. Pap. *deciſ. 76. per c. cum ſecundum leges. de hæreſ. in 6.* Indeque eſt, ut ſententiâ confi- 16
ſcationis bonorum latâ, quilibet fiſcus bona ſui territorii capiat. Surd. *deciſ. 280. num. 9. ubi plures citat.* Vinc. Caroc. *de excuſſ. q. 14. quæſt. decimæ principalis. fol. 115. & ſeq.* Anton. Fab. *in Cod. deciſ. forenſ. lib. 9. tit. 26. defin. 1. n. 2.* Petr. Caball. *cent. 3. reſol. crim. caſ. 266. n. 8. & 12.* Conveniuntq; juris In- 17
terpp. in eo, quòd is, cui conceduntur Regalia, habeat etiam Fiſcalia. Cravetta *d. conſil. 128. n. 4. & conſ. 209. n. 3.* Petr. *d. tract. c. 6. n. 100. fol. 116. & c. 22. n. 46. fol. 298.* Quod & Bartolo placuit *in civitatibus* (1) *in d. l. 1. n. 7. C. de bon. vacant.* Neguſant. *de pignor. 4. membr. 2. p. princ. n. 114. fol. 167. & ſeq.* ubi rectè citat Baldum *in l. 1. n. 8. ad fin. C. de hæred. vel act. vend.* Similiter con- 18
cors & unanimis eſt Dd. ſententia, quòd Jura fiſcalia competant Domino merum Imperium habenti, poſt Alex. Cravett. *d. conſ. 209. num. 4.* Natta *conſ. 659. n. 1. & ſeqq.* Decian. *conſ. 35. n. 64. vol. 2.* ubi poſt alios 19
reſpondit, quòd quilibet habens merum & mixtum Imperium dicatur in neceſſariam conſequentiam habere fiſcum, quod & ante hunc dixit Guid. Pap. *deciſ. 76. n. 1.* Et or- 20
dinariam confiſcationem in caſibus in jure permiſſis, cuicunque Judici habenti merum Imperium ratione territorii concedi affirmat Lancellot. Conrad. *de Offic. Prætor. in cauſ. crim. de pub. bonor. n. 1. fol. 738. & ſeqq.* Confiſcationes quoque mero Imperio ad- 21
ſignat Borell. *conſil. 1. num. 67.* ſubjungendo ſimul, quòd omnis habens merum Impe- 22
rium, pœnam confiſcationis imponere atq; exigere poſſit; poſt Capyc. *deciſ. 130. n. 40.* rectè citatum. Idque etiam inde firmatur, 23
quòd mulctæ & bonorum publicationes ſint fructus Jurisdictionis, Decian. *conſil. 40. num. 3. volum. 4.*

Quod ſi quis hoc duntaxat ad confiſcatio- 24
nes ratione pœnæ fieri ſolitas reſtringendum putaverit, quòd hæ à mero Imperio dependeant, eidem reponimus, pleroſque illud ipſum quoque extendere ad Jus ſuccedendi in bonis vacantibus. Ita hodie in Gal- 25
liâ ad Dominos juridicos altos Juſtitiarios & Vaſallos Regis, ex ejus conceſſione vel permiſſione, vacantia bona aliquando pertinere tradidit Petr. Gregor. *lib. 9. de Repub. c. 1. n. 26.* Et bona morientium ſine hærede 26
venire conceſſo mero Imperio, poſt Bertrand. & Boër. *deciſ. 50. n. 14.* firmat Carol. Tapia *in l. fin. p 1. c. 2. n. 49. ff. de Conſt. Princ.* Et Barones ſuccedere in bonis Subditorum 27
ſuorum decedentium ſine hæredibus, re-

ſpondit Bertrand. *conſ. 59. num. 10. vol. 2.*
28 *p. 1.* Hodieq; illos Jus confiſcandi habere, qui mixtum Imperium vel ſupremam Juriſdictionem habent, itidem docuit Ambroſ. Scurrer. *de hæredib. ab inteſt. tit. 17. de ſuc-*
29 *ceſſ. fiſc. fol. 327.* Idque etiam in Saxoniâ uſu receptum, ut omnes, qui Jurisdictionem ſupremam in criminalibus ſeu poteſtatem gladii habent, in bonis vacantibus ſuccedant, teſtis eſt Dan. Moller. *part. 3. c. 38. n. 9.* Ubi elegantem Juris Saxonici gloſſam adduxit; Et ante hunc auctor *different. Jur. Civ. & Sax. libr. 1. diff. 5.* Schneidevv. *ad tit. Inſtit. de hæred. qui ab inteſt. tit. de ſucceſſ. fiſci, num. 8. & 17.* Andræ. Rauchbar. *p. 2.*
30 *q. 19.* ubi diſputat, an etiam utenſilia der Gerade/ & Res expeditoriæ das Heergewette/ ſi defunctus aut defuncta agnatum vel cognatum in Saxoniâ non reliquerit, magiſtra-
31 tui cedant? Quin etiam Civitates habentes Jurisdictionem altam in bonis vacantibus ſuccedere, innuit Guil. Benedict. *in c. Raynutius, verb. & uxorem deciſ. 5. num. 291. & ſeq. de teſtam.* Cœpoll. *conſ. 17. num. 22.* Schurff. *conſ. 83. n. 7. cent. 2.* Heig. *ad Inſtit. lib. 3. tit. 10. de bon. poſſ. n. 58.* ubi ſcribit:
32 Quamvis jure iſto fiſci occupandi bona vacantia Civitates ſub Auguſtis non uterentur, tamen poſteà vel ex privilegio, vel certè præſcriptione id ſibi pepererunt, eoque communiter ferè hodie utuntur, maximè ſi & merum & mixtum Imperium habeant. Quemadmodum & Sixtin. *lib. 2. de Regal.*
33 *c. 11. n. 36. & ſeq.* hoc jus bona vacantia incorporandi ad Civitates porrigendum eſſe ſtatuit, ſubjiciendo ſimul, hodie multis in locis eò deventum eſſe, ut qui nullum omninò Regale habet, ſed ſolùm Juriſdictionem criminalem & merum Imperium, tamen idem jus ſibi arrogare poſſit, & bona vacantia in territorio ſuo ſita occupare, conſuetudineq; poſſe induci, ut Civitates etiam Superiorem recognoſcentes habeant jus bona vacantia confiſcandi. Cardinal. Tuſch. *in practic. concl. lit. C. concl. 281. n. 6.* poſt Bald.
34 *conſ. 336. n. 4. vol. 5.* rectè allegatum, qui ait, ſingulas Civitates habere fiſcum ſingularem de conſuetudine. Ludov. Molina *de Jure primogen. Hiſpan. lib. 1. c. 25. n. 21.* Garz. *de*
35 *expenſis c. 21. num. 21.* Et ita Civitatem Luneburgenſem (quæ mediatè duntaxat Imperio ſubeſt) Jura fiſci præſcripſiſſe teſtatur Crantz. *conſil. 4. n. 24. vol. 4. var. JCtor. German.* relatus à Mynſingero *reſp. 3. decad. 3. num. 116.*

36 Verùm cùm æquitas hujus compendii in eo conſiſtat, quòd vacantia non ampliùs dominum habere intelligantur, & propterea meritò Principi & Reipub. cedant, inde manifeſtum fit, fiſco non licere abſque prævia citatione & ſufficienti diſquiſitione poſſeſſo-
37 rem bonorum vacantium expellere. Sic vacantia (inquiunt Impp. *in l. 5. C. de bon. va-cant.*) vel alio modo delata legibus ad ærarium perhibeantur; certi Palatini electi & jurejurando obſtricti mittantur, ut eorum inſtantia Præſes Provinciæ præſente fiſci patrono diligenter inquirat, cujus vacans cadensq; fuerit patrimonium, *quantumq; vel quale videatur;* (2) ut cùm datâ reclamandi copiâ, nullum id vel jure vindicare conſtiterit, locumq; ærario factum eſſe, tam ipſius relatione, quàm publicorum monumentorum fide conſtiterit, rerum nobis notitia intimetur, ut juſſu noſtro vacantia vel aliæ res nomine occupentur ærarii, &c. Pacian. *lib. 2. de probat. c. 7. num. 101.* (ubi hoc limitat in caſu, quando præſumptio eſt pro fiſco) Peregrin. *lib. 7. de Jure fiſc. c. 3. n. 10.* Covarr.
lib. 1. var. reſol. c. 16. num. 9. in tantùm, ut 38
ne quidem is, qui de facto poſſidet, & cujus injuſta eſt poſſeſſio, ſit ſpoliandus, ſed debeat citari poſſeſſor & dari dilatio poſſeſſori, ad faciendam ſuam defenſionem juridicam. Dd. *in l. 2. Cod. ſi propt. penſit. publ. l. defenſiones C. de Jur. fiſc. lib. 10.* ubi Bart. & Joan. de Platea, Bertazz. *conſil. 181. n. 5. & conſ.*
289. n. 1. in crimin. Et hoc caſu confiſcatio- 39
ne factâ, Fiſco contra poſſeſſorem ordinariè agendum eſt petitione hæreditatis, vel etiam rei vindicatione. Corneus *conſ. 324. num. 8. lib. 4.* Tiraq. *in d. tract. le mort ſaiſit le vif. part. 2. declar. 15. n. 14. & 20.* Peregrin. *d. tr. lib. 4. tit. 3. n. 24.* Roſenthal. *c. 5. concl. 53. n. 4.* Sebaſt. Guazzin. *tract. de confiſc. bonor.*
concl. 16. n. 2. & concl. 20. n. 19. Quidam 40
Dd. diſtinctione hanc rem expediunt: Aut fiſcus habet legitimum contradictorem, aut non habet. Poſteriore caſu Dd. fiſco licentiam tribuunt poſſeſſorem poſſeſſione ſuâ privandi; Priore non ita, Guid. Pap. *deciſ. 366. n. 3.* Lancel. *tract. de attentat. p. 2. c. 4. declar. 4. n. 26.* Cardin. Tuſch. *in lit. P. concl. 441. n. 10.* Quæ diſtinctio etiam perplacet Claudio Bertazzolio ad patris Bart. Bertazz. Conſilia *d. conſ. crim. 289. in lit. A.* Et confirmatur per nota. Afflict. *deciſ. 197.* Coler. *de*
Proceſſ. Execut. p. 1. cap. 3. n. 85. Legitimum 41
autem intelligunt contradictorem ut in materia *l. fin. C. de Edict. D. Adrian. tollend.* eum, qui in continenti poteſt de jure ſuo docere. Cæſ. Argel. *tract. de legitimo contradictore, quæſt. 2. artic. 10. num. 261. fol. 26.*

Neceſſe ergò eſt, ut præcedat aliqualis 42
cauſæ cognitio, & proclamata publicè affigantur, eaque ratione publicè denuncietur, ut ſi qui defuncti hæreditatem ſibi deberi putent, ſe ſiſtant, quâ diſcuſſione ac inquiſitione præmiſſâ, ſi nemo compareat, bona vacantia eſſe cenſebuntur: vel ſi contradictor exiſtat & compareat, nec tamen contradicendi legitimam cauſam habeat, bonâ cauſâ cognitâ per ſententiam declarantur vacantia & Ærario addicuntur. Sixtin. *d. c. 11. n. 37.* Matth. Stephan. *lib. 2. de Juriſd. p. 1. c. 7. m. 1. n. 193. & ſeq.* Idque in Gallia hodie obſerva-

ſervari teſtatur Rebuff. rectè allegatus à Sixti-
43 no d. loc. n. 38. & juri conſentaneum eſſe apparet ex eo, quòd non modò regulariter Fiſcus, niſi ſpecialiter privilegiatus reperiatur, jure utatur privati, Celſ. Bargal. *de Dolo lib. 5. n. 5.* Gail. 1. *obſ. 90. num. 2.* Vaſqu. *num. 2. illuſt. controv. 87. n. 14.* Cabali. *de Evict.* §. *3. n. 106 & ſeq.* Surd. *deciſ. 13. n. 1.* Peregr. *d. tr. lib. 1. tit. 1. n. 1.* Contar. *in l. un. C. ſi à*
44 *mom. poſſ. app. quæſt. 2. num. 2.* Sed etiam exploratum ſit, detentatori aliquando remediis poſſeſſoriis & maximè Can. Redintegranda ſuccurri, Contard. *in d. l. un. limit. 21.*
45 *n. 11. & ſeqq.* præſertim, quòd ea poſſeſſio vacans dicatur, quæ ab aliquo nec animo nec corpore poſſidetur. Menoch. 13. *remed.*
46 *recup. n. 4.* Et in qua nullus etiam ſimplex detentator ſit, Fabian. de Monte, *de Empt. q. 6 princ. n. 62. & ſeq. fol. 283.*

47 Quod ſi bona ſine hærede decedentium à nemine eſſent occupata, hoc caſu poſſet Magiſtratus Curatorem bonorum hæreditati vacanti dare. Gail. 2. *obſ. 130. num. 2.* & proceſſum juxta præſcriptum Peregrini *d. lib. 4. cit. 3. n. 30.* inſtruere ita quidem, ut programma publicè affigatur, num quis comparere hæres, vel ex titulo quodam velit, nec ne? deinde comparentium jura in contradictorio maturè diſcutiantur & pro re nata per ſententiam reſpectivè Curator bonorum, ab inſtituta actione abſolvatur, ut citatis & non comparentibus perpetuum ſilentium injungatur, & in effectu hæreditas vacans declaretur, & fiſco adjudice-
48 tur; Ex quo bona vacantia probantur eo ipſo, quòd vocatis proximioribus vel intereſſe aliquod prætendentibus, nullus tamen præfixo termino ſui copiam fecerit. Maſcard. *de prob. concl. 208.* Marcell. Cala *de modo articulandi & probandi n. 1519.* Quo
49 pacto quoque Creditores binâ monitione ab omni actione excluduntur, Contard. *in l. diffam. c. 4. n. 41. & ſeq. C. de ingen. & manumiſſ. juxta text. l. ſi eo tempore 6. C. de remiſſ.*
50 *pign.* Si juxta prædictum modum Princeps bona vacantia fiſco aſſignet, & potiùs ſibi retineat, quàm ad inverecundam petentium inhiationem eadem elargiatur, atque aulicis auf ausgegebene Exſpectanz concedat, certè illud ipſum ad utilitatem publicam & ærarium adjuvandum multum adferet mo-
51 menti; maximè, ſi in toto ſuo territorio Edicto caveat, ut, nullis hæredibus ex deſcendenti vel aſcendenti lineâ extantibus, ſi transverſales ultra ſeptimum gradum ab inteſtato ſuccedant, decima pars bonorum defuncti Fiſco ſeu ærario cedat. Vide Me ſuprà cap. 2.

52 Alicubi etiam mos inceſſit, ut ſi animal, equus, bos, pullus vel alia res quædam pro derelicta inveniatur, Magiſter foreſtæ, ſaltuarius vel præfectus Juriſdictioni ſylvaticæ occupet. Latè patet iſtud:

Quod non capit chriſtus, rapit Fiſcus.

Sed an Imperator ejúsve Fiſcus bona vacantia vel feuda ob generationem finitam caduca & Imperio aperta propriâ authoritate, agnatis (de quorum jure, & an à communis agnationis ſtipite deſcendant, atque in prima inveſtitura comprehenſi ſint, judicialiter diſceptatur) adhuc in poſſeſſione exiſtentibus occupare, & Ærario addicere, remotosq; poſſeſſores ad petitorium judicium remittere poſſit? in cauſa Nobilium à Venningen contra Cæſ. Fiſcalem in Aula Imperiali acriter diſputatum memini; & quia hæc pulchræ indaginis quæſtio eſt; Reſponſum juris in hac cauſa redditum, ſecundo meorum Conſiliorum Volumini Sumptibus Wolffgangi Endteri Norimbergæ impreſſo (quo benivolum Lectorem remitto) inſerere, at Decretum deſuper publicatum heîc ſubjungere placuit.

Käyſerlicher Beſcheid für die von Venningen / wegen apprehendirter Detention / das Reichs-Lehen Neidenſtein betreffend.

DEro Röm. Käyſerl. Majeſt. Unſerm Allergnädigſten Herrn iſt der Nothdurfft nach allerunterthänigſt referirt und vorbracht worden / was maſſen auf Abſterben weyland Friderichs von Venningen und deſſen angegebene Mit-Conſorten / wegen Belehnung des Käyſerl. Reichs-Lehen Neidenſtein und deſſelben Zugehörung nunmehr ins dritte Jahr her zu unterſchiedlichen malen gehorſamſt gebetten / und was dagegen durch den Käyſerl. Reichs-Hof-Fiſcal vor- und eingebracht worden; Erklären ſich demnach erſt-höchſt-ernennte Ihr Käyſerl. Majeſtät darauf nachfolgender Geſtalt: daß aus allerhand erheblichen wichtigen Urſachen ſie in die geſuchte Belehnung und Renovation nicht willigen / noch ermeldten von Venningen einig rechtmäſſig-apprehendirte Poſſeſſion und Beſitz obangeregten Reichs-Lehens Neidenſtein geſtehen können.

Derowegen befehlen Ihr Käyſerl. Majeſt. daß ſie des Heil. Reichs Eigenthum Neidenſtein mit allen ſeinen Pertinentien und Zugehörungen / brieflichen Documenten / Lehen-Brieffen und andern Urkunden / wie auch die von Zeit obgedachten Friderichs von Venningen tödlichen Ablebens empfangene Nutzung und Gefälle ohne einigen Verzug und Einred alles / Ihrer Majeſt. ausgangener Käyſerlichen Commiſſion und Patent gemäß alsbald würcklich einantworten und übergeben ſollen / neben Erſtattung des zugefügten Schadens und Verödung der Wäld und Hölzungen / ſo ſich dieſelbe vorgebrachter maſſen alſo befinden ſolten: Inmaſſen dann Ihr Käyſerl. Majeſtät ſolche angegebene Poſſeſſion von ihnen den von Venningen / als Detentatoribus zu der Käyſerl. Hofkammer hiemit abfordern und einnehmen. Im Fall aber / und da vielermeldte von

von Venningen vielleicht mehr Jura und Legitimationes ihrer Perſonen zu dieſem Lehen ein- und vorzubringen hätten/ ſo ſoll ſolches ihnen nach obgedachter beſchehener Einantwortung vor Ihr Käyſerl. Mäjeſt. in petitorio ins Werck zu ſetzen / hiermit unbenommen/ ſondern vorbehalten ſeyn. Dieſes haben Ihr Käyſerl. Majeſtät dem allhie anweſenden Georg Hannibalden im Namen ſeines Vatters und Vettern / aller von Venningen zum Beſcheid anzuzeigen befohlen. Signatum Prag unter Ihrer Käyſerl. Majeſtät aufgedrucktem Secret-Inſigel den 15. Octobris, Anno 1615.

ANNOTATIONES

Ad

CAPUT CXXXVI.

Num. 17.

(1) *IN Civitatibus, &c.*] Præprimis Imperialibus, quod latè demonſtrat, juxta alios, Knipſchild *de J. & Priv. Civit. Imper. lib. 2. cap. 15.* Inſuper Reſpublica Norimbergenſis vi Privilegii quoque ab Inviƈtiſſimo Imperatore Carolo V. An. M D L. gratioſè conceſſo, à Glorioſiſſimo Rudolpho II. An. M D LXXVII. ſpecialiter confirmato, & ſic ex duplici capite ſuccedit in bona vacantia ſine teſtamento & hæredibus, ad quos aliàs ab inteſtato hæreditas devoluta fuiſſet defunctorum.

Num. 37.

(2) *Quantumq́ vel quale videatur, &c.*] Fiſcum tamen non teneri conficere inventarium, nec ultra vires hæreditarias, per *l. 1. §. an bona. ubi Gl. & Bart. ff. de J. Fiſci. l. non poſſunt eodem tit.* docet Adamus Keller *de Jure ſucced. ab inteſt. tit. 28. n. 10.* Licet ſecus ſit in privato, *l. fin. ff. de J. delib.* Nicol. Everh. *in Top. legal. loco à Fiſco ad Eccleſiam.* Interim quando Fiſcus ſuccedit in bonis vacantibus alicujus, debitores fiſci non liberantur, niſi pro quantitate, quam fiſcus ex illis bonis conſecutus eſt, ſecus ſi ſuccedat per confiſcationem; eo caſu namque debitor, cujus bona confiſcata ſunt, liberatur in totum à ſuis Creditoribus, Menoch *Conſil. 673. n. 22. & 23. lib. 7.*

CAPUT CXXXVII.

De Bonis Committentium Crimen læſæ Majeſtatis.

SUMMARIA.

1. Bona *Committentium crimen* læſæ Majeſtatis *cujus ſint?*

2. Fiſcus *quâ auſteritate utatur in filios, filias,* num. 3.

4. *Quæ* Majeſtas *intelligatur?*

5. *Introducitur* Hannibal Grimaldus Comes Bobienſis, *Vaſallus Ducis Sabaudiæ: Quo damnato, & filio ejus omnia bona erepta,* num. 6.

7. *Libellus ſupplex* Ducis Maynii *pro reſtituendis filio bonis;* Ducisq; Sabaudiæ *reſponſum,* num. 8.

9. *Quid* Comes Bobienſis *cum Hiſpanis egerit.*

10. *An in* Principes *Superiorem Imper. Romanum agnoſcentes committatur crimen læſæ Majeſtatis: Negatur,* num. 11. *Affirmatur,* num. 12. *Cum diſtinctione,* num. 13. *probatur affirmativa,* num 14.

15. Crimen læſæ Majeſtatis *verbis exacerbatur, delictum* maledictionis *majus crimine læſæ Majeſtatis,* num. 16. *Cravetta de eodem, contra Decianum,* num. 17.

18. Principi *cavendum, ne exiſtimatio ſua minuatur: à* maledictis *ad malefacta progredimur,* num. 19.

20. Maledictio *pœnam capitalem meretur: exempla,* num. 21.

22. *Obſervandæ ſunt* qualitates circumſtantiarum: *non poteſt dici* capitale, *quod capitale conſtitutum non fuit,* num 23.

24. *Multi* Dd. *concludunt* maledicentiam *non inferre pœnam capitalem.*

25. *Regii animi eſt* maledicta *negligere.* Liviæ *ad Auguſtum dicterium,* num. 26. *Exempla eorum, qui detractionem æquo animo tulerunt,* num. 27.

28. *De eo, qui* cogitaverit, *tantùm de nece Principis.*

29. Nobilis *quidam Normannus ob id damnatus.*

30. Executio *exorbitans taxatur à Bodino.*

31. *Qui ſtetit in terminis* cogitationis, *pœnâ ordinariâ non puniendus.*

32. Imperator Germanus *hanc ſententiam ſecutus.*

33. Cæſaris Auguſti *clementia.*

34. *Simile exemplum refert* Crantzius.

35. *Obſervandum quousq; conſtitutio* d. l. quisquis C. ad L. Jul. Majeſt. *extendenda ſit.*

36. Scipionis Gentilis *de hac re ſententia; qualis hæc videatur eſſe,* num. 37.

38. *Quicunque crimen* læſæ Majeſtatis *non committat?*

39. *De eo, quo præterea crimen* perduellionis *contrahitur,* & n. 40. Antipho *apud Athenienſes damnatus,* num. 41.

42. *De iis, qui* hoſtes *ad bellum contra Remp. ſollicitant, vel authoritate ſuâ peccandi cauſam dant,* num. 43.

44. Subditorum *animos alienare à Principe & deliberare de rebellando, crimen eſt læſæ Majeſtatis,* num. 45. 46 *probatur M. Porcii Catonis ſententia,* num. 47.

48. *Literas* hoſtibus *mittere, crimen læſæ Majeſtatis judicatur, Arvandus de literis accuſatus,* num. 49.

50. Secretorum proditores *non ſolùm pœnam capitis incurrunt, ſed & publicationem bonorum.*

51. Conſci

51. Conſcii *tantùm criminis eadem pœnâ teneatur.*

52. *In* crimine læſæ Majeſtatis *an ſufficiat ſolus & nudus* tractatus, *vel requiratur* actus *aliquis externus & perfectio?* hoc & num. 53. 54.

55. *A Dolo quælibet injuſta cauſa & colorata opinio excuſat.*

56. Interpretatio *delicti excluſiva in dubio capienda eſt.*

57. Læſæ Majeſtatis *crimen ſine dolo non committitur: Quod extenditur,* num. 58.

59. Author *digreſſionem excuſat.*

Læſæ, grande nefas, incurrere Majeſtatis
Crimen, quo perdi vita domusq; ſolet.

1 BOna committentium crimen læſæ Majeſtatis hodiè ferè ubique Fiſco inferuntur, *l. quisquis 5. C. ad L. Jul. Majeſt c. un.*
2 *quæ ſint regal.* Quantâ autem Fiſcus in hæc bona proruat auſteritate & ſeveritate, profitetur *d. l. quisquis 5. §. 1.* ubi Gothofred. Eâ nimirum, ut nihil in totum filiis, quibus vitam Imperatoria lenitas ſpecialiter concedit (paterno enim deberent perire ſupplicio, in quibus paterni, hoc eſt, hæreditarii criminis exempla metuuntur) relinquat, ut ſint tales, quibus perpetuâ egeſtate ſordentibus, ſit & mors ſolatium, & vita
3 ſupplicium; Vix filiabus parcat; Falcidiam ſolam relinquat, ut habeant mediocrem potiùs alimoniam, quàm integrum emolumentum ac nomen hæredis: tum quòd mitior circa eas debeat eſſe ſententia, quas pro infirmitate ſexûs minùs auſuras confiditur: Eò Tertullianus:

Authores ſcelerum, facinus ne creſceret ultra,
Extinxit, ſobolemq; patrum peccata ſequentem.

Gigas *lib. 2. de crim. læſ. Maj. qu. 4. n. 4.* Vaſqu. *de ſucceſſ. creat.* §. 12. Covarr. 2. *var. reſol. 8. n. 5.* fusè Sixtin. *lib. 2. de Regalib. c. 20.*
4 *per tot.* Bornit. *de ærar. lib 3. c. 8. Majeſtatem hìc generaliter conſideramus,* (1) prout videlicet, non ſoli Imperatori, ſed cuivis Reip. perfectæ, hoc eſt, non tantùm Monarchiæ, ſed & Ariſtocratiæ & Democratiæ, & illis, qui tali Reipub. præſunt, competit, Vultei. *lib. 1. Jurisp. Rom. 12. n. 21. & ſeq.* Arniſæ. *l. 1. de Jur. Majeſt. 2. n. 1. & per tot.* Keckerm. *l. 2. Syſtem. Polit. 2. in pr. & fol. 546. & cap. 3. fol. 548. & ſeq.* Bocer. *cap. 3. de Regal. n. 78.* ubi populum Helvetium & Venetum pro exemplo adducit. Et quia in Principibus Superiorem non recognoſcentibus, eatenus, quatenus Superiorem nullum habent, eadem ratio militare cenſetur, omninò dicendum, adversùs eosdem etiam committi crimen læſæ Majeſtatis.

5 Non poſſum autem, quin paucis hìc Dynaſtæ Bobienſis Vaſalli Ducis Sabaudiæ faciam mentionem. *Hannibal Grimaldus,* (2) Comes & Baro Bobienſis, Anno MDCXVII. ob bellum, quod inter Ducem Sabaudiæ & Regem Hiſpaniarum gerebatur, ſe ſub protectionem Regis Galliarum dederat; & bello jam extincto, nunquam in gratiam Sabaudiæ Ducis redire potuerat. Verùm Dux per Senatum Nicenſem cauſam illius cognoſci voluerat; à quo cùm eſſet condemnatus, unà cum filio ſuo, & bona illius omnia fiſco Ducis addicta; Dux
per Gubernatorem Niceæ eundem capi 6
& capite plecti curavit, & ingentes opes, tàm in parata pecunia, quàm monilibus & ſupellectile, quæ in caſtellis illius Aſcros, Thodon, Tourette, & aliis, inventa fuerunt, eripuit. Varii de hoc judicio & ſupplicio ſermones fuerunt. Nam multi contendebant, filium, qui in Gallia filiam Vice-Comitis Tavanes & Ducis Maynii neptem uxorem duxerat, paternis bonis exui non de-
buiſſe. Et à Duce Maynio & aliis affinibus 7
& amicis Comitis, libellus Duci Sabaudiæ fuit oblatus, quo petunt, filium in bona, quæ Progenitores illius jam ſupra ſexcentos annos poſſederant, reſtitui. I. Quia progenitores tam benè de Ducis Sabaudiæ meruêre, ut unius culpa huic obeſſe non debeat. II. Præſertim quia hic nunquam Hiſpanorum partibus favit, neque parentis ſui ſcriptis aut factis conſenſit, imò potiùs obſtitit, quantum valuit. III. Quia iniquum eſt, filium propter parentis delictum bonis iis privari, quæ à majoribus per ſubſtitutionem deſcendunt. IV. Quia pœna mortis ſufficere debet; & Principibus familiare eſt, filiis innoxiis bona paterna relinquere, aut certâ conditione reſtituere. V. Propter ampliſſimas & potentiſſimas familias, quas hic filius, tàm à parte matris,
quàm uxoris, attingit; &c. Dux autem 8
Sabaudiæ reſpondit; filium non minùs nocentem fuiſſe, quàm patrem & utrumque legitimo & juſto judicio condemnatum; licet nequaquam novum ſit in criminibus læſæ Majeſtatis, etiam hæredes & deſcendentes propter delicta majorum puniri.

Porrò eorum, quæ Comes Bobienſis cum 9
Hiſpanis egerat, præcipua capita hæc ſunt. Anno MDCXVI. I. Rex Catholicus, Comitem & Succeſſores illius, atque ſubditos, recipit in patrocinium, illosq; contra D. Sabaudiæ & omnes omninò Principes proteget & defendet; viciſſim Comes partes Hiſpanicas ſequetur adversùs quoscunque. II. Rex Catholicus daturus eſt Comiti IVM. militum, & argentum ad totidem conducendos; & Comes promittit intra trimeſtre ſpatium Regi tradere civitatem, arcem, & Comitatum Nicæenſem; Rexq; Comitatum & ſubditos omnes Comiti tanquam Domino abſoluto relinquet, exceptâ ſolùm civitate Nicæâ, Villâ Francâ, Soſpetto, & duobus aut tribus aliis locis; quorum

quorum tamen Comes & Succeſſores illius perpetuò Gubernatores exiſtent. III. Rex Catholicus annuatim & in perpetuum Comiti pendit XX. millia coronatorum. IV. Comes à Rege accepit per deputatos ſuos XII. millia coronatorum. Cùm autem aura hujus rei ad aures Galliæ Regis accidiſſet, & Comitem monuiſſet, ne ſe cuiquam, præterquam ſibi, addiceret, pœnitere facti videri voluit, ſed nihilò ſeciùs cum Hiſpanis egit, & etiam quædam in præjudicium Galliarum Regis clam molitus eſt: quæ hîc referre longum eſſet; pleniùs autem commemorantur in confeſſione D. Honorati Malbequii, quam Auctor Mercurii Gallici tomo VII. inſeruit. Quid multa? Comes Bobienſis hoc pacto ſe ſuosq; perdidit; & Dux Sabaudiæ compos factus illius Comitatûs, qui inter Galliam & Sabaudiam, quâ Nicæenſem Provinciam attingit, penè medius eſt.

10 Sed quid de Principibus Imperii Romani dicendum, qui Superiorem Imperatorem recognoſcunt, *anne adverſùs hosce crimen læſæ Majeſtatis committatur?* (3) Quod etſi communiter negent Dd. Borch. *in d. c. un. num. 89.* Sixtin. *d. cap. 20. num. 15:* & cen-

11 ſeant, contra Principes & Reip. recognoſcentes Superiorem verè & propriè non poſſe dici commiſſum eſſe crimen læſæ Majeſtatis, per notata Gomez. *tom. 3. var. reſol. cap. 2. num. 10.* Mynſing. *conſ. 44. num. 6.*

12 tamen eò, quòd Imperator omnem in ipſos videatur contuliſſe poteſtatem, ſaltem largè contra hos id ipſum tunc perpetrari, cùm quis contra hujusmodi Principes vel Respublicas eorumq; ſtatum quid attentaverit, indubium eſt juxta Boſſium *tract. crim. tit. de crim. læſ. Majeſt. num. 51.* Clar. *lib. 5. ſentent. §. læſæ Majeſt. num. 3.* Et ita de conſuetudine Italiæ obſervari Cæpolla *conſil. 17. num. 20.* Tib. Decian. *in prax. crim. lib. 7. cap. 4. num. 8.* Gigas *d. tract. quæſt. 29. per text. in lib. 3. Cod. de Epiſc. audient.* Brunus *conſil. 28. num. 3. ubi ait:* quòd contra quemlibet dominum jurisdictionem in alium habentem, propriè crimen læſæ Majeſtatis committatur, & ita de facto ſervari. Alexan. *conſil. 13. n. 7. vol. 6.*

13 Quod quidem indubitatum eſt quoad pœnam mortis cum publicatione bonorum ipſi delinquenti irrogandam, licet fortè ſecus ſit, quoad damnandam memoriam defuncti & auferendum bona filiis, juxta diſtinctionem Alexandri *d. conſil. 13. num. 7. vol. 6.* quem ſequitur Cravetta *conſil. 224. num. 6.* Quam etiam probat Gigas *d. tract. quæſt. 24. num. 1. & ſeq. libr. 1.* ex Joh. Fabr. Matth. de Afflict. *in d. c. un. quæ ſint regal. in verb. & bona committentium num. 37.* Menoch. *de A. J. Q. lib. 2. caſ. 316. n. 29.* Boer. *tract. de ſeditioſis §. præſuppono etiam ſextò num. 6.* Grammatic. *deciſ. 6. num. 19.* Peregrin. *tract. de Jur. fiſci lib. 4. tit. 5. num. 27.* qui hanc diſtinctionem conſuetudine apud omnes invaluiſſe ſcribit, Decian. *conſil. 18. n. 316. & ſeq. vol. 1.* Burſat. *conſil. 147. n. 1.* ubi hanc communem & probatam ſententiam dixit, Joh. Vincent. Hondedæus *conſil. 108. num. 7. vol. 1.* Georg. Everhardi *conſil. 2. n. 38. lib. 1.* Petr. Caball. *reſol. crimin. 254. n. 46.* Heig. *libr. 2. quæſt. jur. qu. 31. num. 48.*

Ex quo igitur Principibus Statibusq; Imperii in eorum diſtrictu omnia Superioritatis & quodammodo Jura Majeſtatis competunt, ambigendum non eſt, quin ii, qui adversùs illos hoſtiliter animati ſunt, ſeu qui aliquid contra illorum perſonam, vitámve machinati ſunt, perduellionis adeóque primi capitis læſæ Majeſtat. rei ſint, per text. *in leg. fin. ibi: Sed qui perduellionis reus eſt, hoſtili animo adversùs Remp. vel Principem animatus ff. ad L. J. Majeſt. d. l. quisquis in princ. Cod. eod.* Et ex dictione, *Etiam in d. l. quisquis* rectè id ipſum infert Scipio Gent. *de conjurat. l. 1. cap. 2. ad verba; de nece etiam.* text. *in l. meminiſſe 7. ibi: contra Majeſtatem Imperatoris C. eod. tit.* Hieron. Gigas *d. tr. libr. 1. quæſt. 13. num. 1. & 2. & libr. 3. quæſt. 23. num. 4.* Clar. *d. §. læſæ Majeſt. num. 1.* ubi Socinum Jun. *conſil. 105. libr. 3:* & Alciat. *conſil. 456.* in caſu criminis læſæ Majeſtatis, quà tractatus contra perſonam Domini factus eſt, de jure reſpondentes allegat, Tiber. Decian. *in pract. crimin. lib. 7. cap. 4. num. 3.* Ægid. Boſſius *in pract. crimin. tit. de crimine læſæ Majeſtatis n. 41.* qui ibidem quoad machinationem adversùs perſonam Principis non eſſe diſtinguendum, utrum machinatio facta ſit ex privata inimicitia, an in damnum Reipublicæ, tradidit. 14

Nec ſolùm facto hoc crimen committi, ſed & verbis impiis maximè exacerbari, dixit Cujac. *in notis & prælect. ad tit. cod. ſi quis Imper. maledix.* Quemadmodum etiam eum, qui Principi obloquutus eſt, crimen læſæ Majeſtatis committere exiſtimat Clar. *d. §. numer. 1. in fin.* Et hoc delictum maledictionis in Principem eſſe maximum, & de maximis, quæ in Principem committuntur, & proinde nedum eſſe crimen læſæ Majeſtatis, ſed majus crimine læſæ Majeſtatis, tum ratione prælationis tituli, ut in Cod. patet, tum ratione ſubjecti, quia per hoc crimen offenditur directò Majeſtas perſonæ ipſius Principis, quod non eſt in omni crimine læſæ Majeſtatis, prodidit Bernhard. Muſcatell. *in prax. criminal. ſub rubr. ſi quis Imper. maledix. num. 4.* ubi Cravettam & Decianum in contrariam ſententiam inclinantes reprobavit. Quâ etiam de cauſa, eum, qui honorem Sereniſſimi Electoris Saxoniæ graviſſimis criminibus, tyrannidis videlicet & proditionis, eidem falsò objectis palàm inſectatus fuerat, Maje- 15 16 17

jeſtatis reum judicavit Nicol. Everhardi Junior *conſ.2.n.5.vol.1*. Et quamvis libertatem loquendi in Principes, ſi à libero animo proficiſcatur rationeque & modo non usquequaque careat, tolerandam potiùs quàm puniendam, exiſtimet Decianus; tamen quando ab infenſo malignoque animo aut procaci loquacitate procederet, impunitam non eſſe relinquendam, docet idem Tiber. Decian. *in pr. crim. lib.5. c.50. n.21*. In quam etiam partem, quòd videlicet multò ſatiùs ſit Principibus & Rectoribus Rerumpublicarum maledicta & injurias verbales in Principem prolatas puniri, quàm remittere, multis vivisque ſanè rationibus adductis, conceſſit Menoch. *d. caſ.377.n.15.& ſeq.* & poſt ipſum Scipio Gentilis *lib. 2. de conjurat.* in peculiari Oratione de maledictis in
18 Principem: Et vel ex eo ſolo efficaciſſimè demonſtratur, quòd Principi nihil magis cavendum ſit, quàm contemptus ſui, atque eæ res, quæ minuere exiſtimationem ipſius poſſunt. Si autem de Principe malè loqui cuivis impunè liceret, fieret ipſâ naturâ, ut & in ejus, qui loquitur, & in ejus, qui eum audit, animo ſenſim ingeneretur quædam mala de Principe opinio, minùsque eum revereri,
19 poſtremò etiam contemnere occiperent, qui contemptus vera labes, verumque venenum eſt omnis Principatûs; nedum quod is, qui injuriam inferri alteri ſtatuit, ſi eam impunè eſſe videat, ad alteram multò graviorem inferendam excitetur, & cùm impunè maledicere etiam malè velle incipiat, & ex malevolentia libido oritur etiam malefaciendi, & à libidine hac tandem etiam mala effecta dimanent. Prudenter enim ille injuriam unam qui fert, eum provocare alteram dixit.

20 Adeò, ut ex ſententia Nicolai Everhardi Junioris & aliorum Dd. à Farinacio *qu. 105. n.418.* allegatorum in ejusmodi caſibus Principis arbitrium ad pœnam mortis naturalis extendi poſſit. Sicut & Bernard.
21 Muſcatell. *d. tit. ſi quis Imper. maled. n. 20. & ſeq.* ſe ita obſervari vidiſſe ex ordine Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Comitis Nirandæ, Regni Neapolitani Proregis, in quendam Doctorem Hiſpanum, qui ex levitate ſeu dolo ſcriptum quoddam ſuæ Excell. porrexerat, in quo verba quædam contumelioſa protulerat, cui primò manus dextera inciſa, & deinde caput in publico foro obtruncatum ſit, refert. Sic & *Paconius ex eadem cauſa*, (4) quòd carmina quædam in Principem feciſſet ſub Tiberio Cæſare reus criminis læſæ Majeſtatis argutus, in carcere laqueo ſuffocatus eſt, authore Cornelio Tacito *lib. 6. Annal. 39. in fin.* & Suetonio *in Tiberio c. 61*. Quod exemplum retulit ex noſtris Petr. Greg. Tholoſ. *in Syntagm. jur. univerſ. l. 35. cap.18. num.1. in fin.* Tiber. Decian. *d. lib. 7. cap.50. n.28.*

Niſi tamen concurrens qualitas delicti, aut circumſtantiarum ſit talis, quæ ſuadeant 22
pœnam mortis imponi; Aliàs *pœna à lege vel Statuto judicis arbitrio remiſſa, ad pœnam mortis naturalis extendi non debet*, (5) ſecundùm Gloſſ. & Bart. *in l. ſi qua pœna ff. de V. S.* Pariſ. de Puteo *tr. de Syndicatu verb. arbitrarium num.17.* Frider. Schenck. *in viridario concl.93. n.1.* Cravetta *conſ. 220. n. 14.* Clar. *lib.5. ſent. §. fin. quæſt. 83. n. 11. in fin.* Gomez. *tom. 3. var. reſol. c. 6. de injur. n.8.* Padilla *in repetit. l. tranſigere. num.27. in fin. C. de tranſact.* Joſeph. Ludov. *Deciſ. Lucenſ. 1. n. 26.* ex communi noviſſimè infinitos in hanc ſententiam laudans Proſp. Farin. *lib.3. qu.17. n.35.* Quod etiam generaliter absque accurata conſideratione ejusmodi circumſtantiarum delictum aggravantium contra Gl. communiter teneri, ſcripſit Jaſ. *in l. qui Jurisdict. n.4. ff. de jurisd.* & communiorem magis tutam mitioremque eſſe ſententiam, à quo judicando non ſit recedendum, noviſſimè pronunciarunt Bernh. Muſcatell. *in pract. crimin. rubr. de injur. n. 26.* Menoch. *de arbitr. lib. 1. qu. 86. num. 1.* Cravetta *d. conſ.224. num. 2.* Clar. *in pract. crim. §. fin. qu. 83. n. 11.* qui hanc communiorem, à qua in conſulendo & judicando recedendum non ſit, ſtatuit, Hieron. de Cævallos *pract. quæſt. commun. contra commun. quæſt.304. verſic. ſed contrarium.*

De quo neutiquam dubitandum eſt, quando de crimine aliquo in jure communi nulla pœna capitalis, ſed ſaltem arbitraria præſtituta eſt. In iis quippe caſibus extra 23
controverſiam eſt, non poſſe dici crimen capitale, quod capitale à jure expreſſè ſtatutum non fuit, & conſequenter, ubi crimen capitale ſtatui nequit, ibi nec pœnam mortis imponi poſſe efficitur, quemadmodum ex Felino *in cap. ex literis verſ. de conſt.* declarat Marant. *Diſput.3. n.19.* poſt Joan. Marian. Montan. *in pract. crimin. reg. 2. n.4. verſic. Octavò limita.* & Michael. *in commun. opinion. l.2. c.6. qu.1. in fin.* Proſp. Farinac. *d. qu.17. n.56.*

Unde multi Juris Interpretes concludunt, quòd propter hoc ipſum crimen maledicentiæ non poſſint Principes pœnam criminis læſæ Majeſtatis, quæ eſt mortis naturalis, irrogare, & ita ſuum arbitrium ad ultimum mortis ſupplicium extendere, prout de jure reſponderunt Cravetta *d. conſil.6. n.1. & 17.* Burſat. *conſ.147. n.20.* Joan. Vincent. Honded. *conſ. 100. n.73. vol. 2.* & ſentit Menoch. *de arbitr. lib.2. cent. 4. n. 14. caſu 377.* Maſcard. *de prob. d. concl. 462. n. 35. & ſeqq.* Proſp. Farinac. *d. quæſt. 104. n. 417. ubi plures allegat.* 24

Quò facit, quòd teſtante & exemplis multis ſacris prophaniſque id ipſum evincente Tib. Decian. *lib.7. c. 50. n. 4. & ſeqq.* alti atque regii ſemper animi maledicta ne- 25

gligere & connivere, tyrannicum autem ſe-
16 verè caſtigare exiſtimatum ſit, ut proinde rectè dixiſſe videatur Livia ad Auguſtum, ut eſt apud Dion. *lib. 55. Hiſtoriarum;* privato omnes eſſe injurias perſequendas, ne vel contemptui inde habeatur vel opprimatur; Principem verò debere ſaltem ea, quæ in publicam rem peccantur, ulciſci, privatim autem in ſe admiſſa tolerare; & Seneca *libro 1. de clement.* Nihil glorioſius eſſe Principi, quàm propriam injuriam impunitam relinquere, ut refert Iſern. *in c. 1. quæ fuerit prim.*
27 *cauſ. benef. amitt. n. 22. in fin.* Quemadmodum & potentiſſimus Monarcha & Macedonum Rex *Alexander Magnus*, (6) cùm conviciis à quodam impetitus eſſet, maledicentem non aliter inculpavit, niſi quòd regium eſſe diceret, cùm facias benè, male audire.

Admirandam quoque gloriam & gratiam hac virtute collegit Cæſar Auguſtus, qui cùm eidem à detrectatoribus multa crimina objici Tiberius denunciaret, hæc ei in verba, atteſtante Suetonio *in vita Auguſt. c. 51.* reſcripſit: Ætati Tuæ, mi Tiberi, noli in hac re indulgere, & nimiùm indignari, quemquam eſſe, qui de me malè loquatur. Satis eſt enim, ſi hoc habemus, ne quis nobis malefacere poſſit. In hoc agmine & Titus Imper. (unicum Clementiæ & manſuetudinis præſidium) collocandus eſt, quem de crimine ſibi illatarum injuriarum nullum occidi, neque alios occidere voluiſſe, ſed ſublatâ planè quæſtione læſæ Majeſtatis ob convitia dicere conſueviſſe, ſe à nemine injuriâ affici aut inſectari contumeliâ poſſe, propterea quod nihil agat, quod reprehendi mereatur, & ipſi curæ non ſint, quæ falsò de ipſo jactentur, author eſt Dio, relatus à Cujacio in prælect. *ad d. titul. C. ſi quis Imper. mal.* & Petr. Gregor. *in Syntagm. J. un. l. 35. cap. 8. n. 1.* Alia & plura exempla recenſentur à Tiberio Deciano *d. lib. 7. c. 50.* Menoch. *de arbitr. caſ. 377. n. 22. & ſeqq.* Petr. Greg. *in Syntagm. jur. univerſ. lib. 35. c. 8.* & noviſſimè à Scipione Gentili *de conjurat. lib 2. in Orat. de maled. in Princip.* bellè Seneca:

--- Quisquis eſt placidè potens,
Dominusq; vitæ ſervat innocuas manus,
Et incruentum mitis Imperium regit,
Animoq; parcit: longum permenſus diis
Felicis ævi ſpatia, vel cœlum petit,
Vel læta felix nemoris Eliſii loca.

28 Cæterùm & eum, qui de nece Principis cogitaverit, criminis læſæ Majeſtatis reum judicandum eſſe, innuit text. *in d. l. quisquis C. ad L. Jul. Majeſt. l. 1. ibi: dolo malo conſilium initum, quo qui Imperium poteſtatémve habet, occidatur. leg. fin. ibi: hoſtili animo adverſus Rempublicam vel Principem animatus. ff. eod.* Hieron. Gigas *d. lib. 1. qu. 13. n. 1. & 2.* Boſſius *d. tit. de crimin. læſ. Majeſt. num. 41.* Capyc. *deciſ. 130. n. 20.* Nam in hoc crimine malignus affectus & animus interficiendi Principem etiamſi nullus intervenerit actus proximus vel remotus, æquè ac ipſe effectus pœnâ ordinariâ mortis & confiſcatione bonorum punitur, text. *in dict. leg. fin. ibi: hoſtili animo adverſus Principem animatus. ff. l. quisquis in princip. ibi: eadem enim ſeveritate voluntatem ſceleris, quâ effectum puniri jura voluerunt. §. Emancipationes ibi: quo de ineunda factione & ſocietate cogitaverint C. ad L. Jul. Majeſt.* Boſſius *dict. n. 43. & 59.* Covarruv. *in Clement. furioſus parte 2. in initio num. 7.* qui communi omnium ſententia hoc receptum videri dixit, Clar. *in dict. §. læſæ Majeſtatis n. 15.* qui hanc communem opinionem ex Boërio & ita de conſuetudine ſervari ex Socino atteſtatur. Menoch. *de arbitr. lib. 2. cent. 4. caſ. 360. n 24. & ſeq.* qui ſine controverſia paſſim & ubiq; locorum à noſtris id affirmari ait. Idem docet Gigas *dict. tract. de crim. læſ. Majeſt. lib. 1. qu. 66. n. 2 & 3.* Sigism. Loffredus *conſil. 22. n. 8.* qui ambo poſteriores etiam ſolam cogitationem committendi crimen prædictum, dummodò cum cogitatione ſimul concurreret voluntas, licet ad nullum actum pervenerit, punire tradiderit Burſat. *conſil. 147. n. 25. & conſil. 326. n. 2. & ſeq. & conſil. 426. n. 5.* Prout etiam legibus Longobardorum cautum fuiſſe, ut ſi quis contra animam regis cogitaſſet, animæ ſuæ incurreret periculum, & res ejus confiſcarentur, perhibet P. Greg. *Syntagm. jur. univerſ. lib. 35. cap. 7. n. 35.* & Tiber. Decian. *lib. 7. c. 36. num. 9.*

Ita Nobilis quidam Normannus cùm 29
ſe Franciſcum I. Galliæ Regem occidere voluiſſe, nihil tamen auſum eſſe, & flagitioſæ voluntatis ſponte pœnituiſſe, id cuidam Minoritæ ſponte faſſus eſſet, Minorita autem reo confitenti & ſcelus deprecanti, quantum quidem poterat abſolvendo, ei ignoviſſet, eundem tamen paulò pòſt ad regem detuliſſet, regis juſſu comprehenſus & ad Curiam Pariſienſem miſſus fuit, quæ propter hanc ſolam ſceleratam cogitationem & voluntatem nobilem iſtum quaſi perduellionis convictum capitali ſupplicio damnavit, referente Petr. Greg. *de Republ. lib. 26. c. 7. n. 9.* & Bodino *de Republ. lib. 4. c. 7. nobis fol. 734.*

Quæ tamen executio, uti exorbitans 30
taxatur à Bodino *dict. lib. 4. c. 6.* Prudentiùs tamen opinor, *inquiente*, Rex huic ignoviſſet; quòd cogitationis illius ac voluntatis, quam propter ſcelerum atrocitatem leges coërcent, hominem pœnituiſſet, ac ſui ipſius proditor & accuſator priùs exſtitiſſet, quàm accuſaretur. Quod judicium Bodini approbavit & ſecutus eſt etiam Scipio Gentilis *d. lib. 1. de conjurat. ad verb. ſi vel ſerò fol. 156.* ac juris rationi adverſatur, quæ vult effectum & conatum etiam cum actu exteriori non haberi

haberi in conſideratione, neq; enim puniendum eſſe, quando is, qui potuit delictum commode committere, ſponte pœnituit & à delicto ſe abſtinuit, *leg. qui ea mente*, ubi gloſſ. *ff. de furt. l. qui falſam. ff. de falſ.* Covarruv. *in cap. ſi furioſus. de homicid. in 1. relect. 2. part. in initio num. 6. in fin.* Hieronym. Gabriel. qui hoc receptiſſimum teſtatur *in conſ. 172. n 3. lib. 1.* quem refert & ſequitur Johan. Vincent. Hondedæus *conſil. 98. n. 12.*
31 *vol. 1.* Et eſt firma Dd. concluſio, quòd ſi quis ſtetiſſet in terminis cogitationis, nullo ſecuto actu deſtinato, ad exequendum, cogitationem illam non puniri pœnâ ordinariâ, quâ puniendus veniret, ſi animum fuiſſet perfectè executus, adeò, ut nudæ voluntati & puræ cogitationi nulla pœna jure civili ſtatuta, ſed ad eum effectum conatum aliquem & faciendi initium præceſſiſſe neceſſe ſit, *leg. cogitationis. ff. de pœn.* text. *in leg. impuberem §. 4. ff ad L. Corn. de falſ.* Cujac. *in not. ad Paul. lib. 5. ſentent. tit. 4. §. ſollicitatores.*

Et ita in terminis criminis læſæ Majeſtatis cogitatum, non aliter puniri, quàm ſi cogitatum ad aliquem actum exteriorem pervenerit, ex Grammatico affirmarunt Tiber. Decian. *in princ. crim. d. lib. 7. c. 35. n. 10. & prolixiùs lib. 9. c. 29. n. 4.* Menoch. *de arbitr. lib. 2. caſ. 360 n. 27.* quò etiam inclinat Covarruv. *in relect d. clem. ſi furioſis de Homicid. parte 2. in initio n. 7.* ubi eum hujus criminis reum facit, qui in Principem aliquid machinatus ſit per actus exteriores. Et hanc communem dixit noviſſimè Muſcatell. *in prax. crimin. læſ. Majeſt. num. 5.* & in longè fortioribus terminis, ubi præſupponebatur, Reum de nece Principis etiam cum aliis tractaſſe, non tamen ex cogitatione, imò ne tractatu, eò, quòd ad nullos actus exteriores pro adimplendo tractatu deventum fuiſſet, abſolvendum reum cenſuit Hondedæ. *conſ. 108. n. 5. ſeqq. vol. 1.* pro quo & judicatum fuiſſe ibidem ſub finem conſilii retulit.

32 Sic Germanicus Imper. petenti ſe veneno nullam aliam indixit pœnam, quàm quòd ei amicitiam more majorum renunciaret, mandaretque domeſticis ultionem; ſi quid ſibi accideret, referente Suetonio *in Caligula c. 3.*

33 Inprimis Cæſaris Auguſti inſignis commendatur clementia: cùm enim is ſciret, Cneum Cornelium Cinnam, filiâ Pompei Magni natum, in ſe ſtruxiſſe inſidias, ex conſilio fideliſſimo Liviæ uxoris hac pœnâ tantùm contentus fuit, ut eo accerſito & expoſitis ſuis in eum beneficiis, locum, ſocios diem, ordinem inſidiarum aperiret, & cùm convictum videret, ſaltem increpando argueret; Quo, *inquiens*, animo hoc facis? malè me herculè cum Republica ageretur, ſi tibi ad imperandum nihil præter me obſtaret: vitam tibi, Cinna, iterum do, priùs hoſti, nunc inſidiatori ac parricidæ, ex hodierno die amicitia inter nos incipiat, contendamus, ut non ego meliori fide vitam tibi dederim, quàm tu debeas: in quo etiam neutiquam deceptus, ſed amiciſſimum ex eo fideliſſimumque ſemper expertus fuit, ut ex Suetonio, Dione, & Seneca *lib. 1. de Clem.* retulit Tiber Decian. *in prax crimin. libro 7.* 34
c. 49. n. 62. Sic & Crantzius *lib. 6. Daniæ cap. 39. & ſeq.* ſcribit, quendam, qui Duci cognato ſuo de conjuratione, & num ipſum inſidiis obtruncare voluerit, interroganti reſponderat, quid ipſum rogaret? ſibi neque animum, neque manum, neque gladium, ſed ſolam fortunam defuiſſe, quæ ſola ab alto Ducis miſerata ipſum ſervarit; hunc affectum occidendi impunè tuliſſe & à Duce veniam obtinuiſſe. Quorum exemplum & alios paſſim fuiſſe ſecutos, in tantùm, ut ii, qui atrociùs conatum punirent, Tyrannorum nomen non evitarint, atteſtetur Tiber. Decian. *d. lib. 7. c. 35. n. 14.*

Porrò obſervandum eſt, Conſtitutio- 35
nem *d. l. quiſquis C. ad l. Jul. Majeſt.* ſaltem procedere in caſu conjurationis, ſeu cum quis non ſolus apud ſe de occidendo Principem cogitaſſet, ſed in necem Principis cum aliis participibus ineundo ſocietatem conjuraſſet, ut ex verb. *dict. leg. quiſquis in princ. ibi: cum militibus ſceleratam inierit factionē*, infert Scipio Gentil. *d. lib. 1. de conjurat. in verb. cogitaverit. fol. 31.* ubi iſtam Conſtitutionem de factionibus & conjurationibus tantùm ſcriptam eſſe, ideoque ad alias ſpecies non eſſe extendendam, veluti ſi quis ſolus cum nemine communicato conſilio cogitaverit tale facinus, aut etiam ſi quis juraſſet, ſe Principi mortem allaturum: Stultam enim iſtam hominis unius intentionem, ejus verba ſi leviùs accipias, miſericordiâ potiùs, quàm pœnâ dignam eſſe, non adeò improbabiliter contendit; quod rurſus probat idem Scip. Gentil. ad verb. *Eadem enim ſeveritate fol. 37. in fin.* ubi cogitationem, quæ in *d. l. fin.* punitur, conſiſtere in terminis conjurationis ait, conjurationem autem per rerum naturam ſtare intra fines cogitationis non poſſe, cùm requirat ad minimum duos, eò quòd nemo poſſit ſecum conjurare, niſi, ut in fabulis ille *apud Plautum*, (7) qui ſuum cor, ſuum animum, ſibi Conſiliarium & Senatum eſſe dixit.

Licet hæc Scipionis Gentilis opinio in 36
dubium vocari poſſit ex eo, quòd videatur, verum crimen perduellionis committi etiam ab eo, qui abſque communicatio conſilio vel ſolus necem Principi machinatur, per text. *in dict. leg. fin. ibi: hoſtili animo adverſus Principem animatus. ff. & arg. d. l. quiſquis §. 1. C. ad L. Jul. Majeſt.* Quod etiam apertè probaſſe videtur Hieron. Gigas *lib. 1. qu. 13. n. 1.* ubi crimen perduellionis com-

mitti docet, ſive quis ſolus, ſive cum aliis
conſpirando, in necem Principis quid ma-
chinetur; & ſuadetur inſuper ex eo, quòd
ſolus conſcius, qui neque ſocius neque par-
ticeps conjurationis fuit, *ex eo tantum, quòd
reticuerit conſilium* (8) de nece Principis ca-
ptum, criminis læſæ Majeſtatis reus judice-
tur, ſecundùm Dd. communiter, per *l. utrũ
ff. ad l. Pompei. de parricid. text. in d. quis-
quis §. id quod 2. C. ad L. Jul. Majeſt. §. alia
6. I. d. publ. jud.* Petr. Ærodius *rerum ab
omn. antiquit. jud. lib. 2. tit. 4. §. 23.* quam o-
pinionem veram communiter ſervari atte-
ſtatur Gigas *de tract. d. crim. læſ. Majeſt. lib.
7. tit. de plurib. & variar. quæſtion. quæſt. 2.
n. 1. & ſeq.* adeò ut ordinariâ capitis pœnâ
37 hunc reticentem puniri, quamvis immunis
ſceleris eſſet, receptius & verius eſſe doceat
ipſe Scipio *d. lib. 1. de conjurat. ad d. l. quis-
quis in verb. conſciis C. Leg. Jul. Majeſt. fol.*
Unde ſanè effici videtur; multò magis eum,
qui hoc ſcelus ſuo proprio facto perpetrare
in animum induxerit, ex capite læſæ Maje-
ſtatis teneri, cùm minùs tutius ſit delictum
in reticendo ſeu negligendo, quàm com-
mittendo & faciendo, *c. quod poteſt. 23. q. 3.
& aliis vulgatiſſimis.*
38 Is tamen, qui neque originis, neque ra-
tione domicilii ei, in quem hoſtiliter ani-
matus fuit, ſubditus eſt, crimen læſæ Ma-
jeſtatis non committit, neque in quæſtio-
nem L. Juliæ vocari poteſt, per textum *in
Clement. paſtoralis de re judic.* ibi Gloſſ. *in
verb. non ſubfuit.* Clar. *in dict. §. læſæ Maje-
ſtatis, n. 6.* qui hanc communem Dd. ſen-
tentiam eſſe ait, Tiber. Decian. *d. lib. 7. c. 8.
n. 5. & c. 32. n. 10. & c. 49. n. 5. & conſil. 18.
n. 320. vol. 1.* Menoch. *conſ. 99. n. 19. & ſeq.
& n. 95.* qui de eodem caſu, conſpiratione
videlicet Genuæ contra Auriam inſtituta
(cujus hiſtoriam retulit Jac. Auguſt. Thuan.
lib. 6. Hiſtoriarum fol. 176. & ſeqq. & ejus
meminere Sleidan. *lib. 18. Hiſtor.* & Pontus
Heuterus *Hiſtor. Belgic. lib. 12. fol. 595.*) re-
ſponderunt. Idem probavit in non ſubdi-
to Cephal. *conſ. 75. n. 56.* Mart. Laudenſ. *de
crimin. læſ. Majeſt. qu. 34.* Hortenſ. Caval-
can. *de teſtib. part. 1. n. 41.* Hieron. Gigas *d.
lib. 1. qu. 68. per totum, qui num. 7.* ibidem ex
Laudenſi adſerit, locum commiſſi delicti ad
hunc effectum non prodeſſe: Quod & pro-
bat ex Olrado Petr. Rebuffus *tract. de cri-
min. læſ. Majeſt. num. 21.* Flamin. Chartar.
*tract. de Execut. ſentent. capt. Bannit. cap.
fin. num. 259.* Muſcatell. *in d. pract. crimin.
rubr. de crimin. læſ. Majeſt. num. 14. & ſeq.*
Boſſius *in dict. pract. d. tit. de crim. læſ. Ma-
jeſtatis num. 80. & ſeq. qui num. 94.* idem
in bannito decidit, & hunc, ſi ante ban-
num non fuiſſet ſortitus forum ratione do-
micilii vel originis in loco, contra quem
rebellionem machinatus eſt, non dici com-
miſiſſe crimen læſæ Majeſtatis, licet ſecus
ſit, ſi ante bannum domicilium ibi habuiſ-
ſet; retinere enim tunc in ſui odium domi-
cilium cenſendus eſt, Burſat. *conſ. 223. num.
182.* Farinac. *in prax. crim. quæſt. 51. num.
88.* infinitos recenſens Fab. de Anna *conſil.
67. num. 29.* Cacheran. *conſil. 69. numero 27.
& conſil. 64. num. 11.* Barbat. *conſil. 22. n. 2.
vol. 3. & conſil. 70. num. 3. vol. 4.* utcunque
ſi hodiè non ſubditus caderet in manus Prin-
cipis, quem offendiſſet, vix illud ita accu-
ratè obſervaretur, juxta Tiber. Decian. *lib. 7.
c. 38. n. 7. in fin.* ſubjungens, id tamen de fa-
cto, de jure autem fieri non poſſe.
Præterea crimen perduellionis læſæque 39
Majeſtatis contrahit is, qui Statum Princi-
pis ad aliud regimen ſeu alium Principem
divertere molitur, text. *in d. l. 1. & d. l. fin.
ibi: in Rempublicam animatus. ff. ad L. Jul.
Majeſtat.* Eleganter Capycius *deciſ. 130. n.
30.* Gigas *d. lib. 1. quæſt. 30. n. 2.* Tiber. De-
cian. *d. lib. 7. cap. 35. num. 1.* Thom. Gram-
matic. *deciſ. 6. num. 4.* Fab. de Anna *conſ. 67.
num. 9.*
Sicut & is, qui hoſtes dolo malo con- 40
ſilio contra Principem vel Rempublicam
ineundo juverit, ex L. Julia Majeſt. teneatur,
juxta *l. 1. ibi: cujus operâ conſiliove.* Et pau-
lò pòſt ibi: *fecerítve dolo malo quo hoſtes po-
puli Romani conſilio juventur, & in l. Maje-
ſtatis 10. ibi: cujus ope, conſilio, dolo malo. pro-
vincia vel civitas hoſtibus. ff. ad L. Jul. Ma-
jeſt.* Matth. de Afflict. *in c. un. quæ ſint regal.
ad verb. Et bona committentium n. 37* Boſſius
de crimine læſæ Majeſtatis n. 34. Quemad-
modum etiam Antiphonem eò, quòd pro 41
Athenienſibus deteriora, è re autem Lace-
dæmoniorum utiliſſima protuliſſet conſilia,
& ita hoſtes ſuo conſilio juviſſet tempori-
bus belli Peloponneſiaci, læſæ Majeſtatis &
proditionis reum damnatum fuiſſe ex vita
Thucididis retulit Petr. Ærodius *rer. jud.
lib. 2. tit. 9. §. 15.*
Sic & ſollicitantes hoſtes, ut bellum vel 42
quidvis aliud in detrimentum Reip. *molian-
tur, crimen læſæ Majeſtatis* incurrunt, *l. 1.
ibi: concitaverit. & ibi: quive milites ſollici-
taverit & l. 4. ibi: cujus operâ dolóve malo, ut
ex amicis hoſtes populi Romani fiant. ff. ad L.
Jul. Majeſt.* Gigas *d. tr. parte 1. qu. 44. n. 2.*
Matth. de Afflict. *in d. c. un. quæ ſint regalia ad
verba, Et bona committentium n. 40. verſ. 31.*
cùm is, qui authoritate & inſtigatione ſuâ 43
peccato cauſam præſtat, multò graviùs pec-
care cenſeatur, atque is, qui peccatum com-
mittit, propter quod non ſolùm ipſe conſu-
lendo & inſtigando peccet, verùm etiam al-
teri ſit offenſioni & ſcandalo, maledictus ſci-
licet apud Deum & homines, *c. qui conſen-
tit 11. quæſt. 3. & c. qui aliorum 24. quæſt. 3.*
Bart. *in l. 6. §. ſi mandato, num. 8. & ſeq. ff. de
injur. & in l. is, qui opem num. 5. ff. de furt.*
Gail. *1. de pace publ. cap. 1. num. 37. verſic.
Quartò.* Et hujuſmodi vindicatæ ſollicita-
tio is

tionis judicium celebre ex Oroſio, & Pomponio Læto retulit Petr. Gregor. *Syntagm. jur. un. lib. 35. c. 5. n. 11.*

44 Nullam quoque dubitationem recipit, eum, qui animos ſubditorum à Principe ſuo alienat & ſeducit eos ad rebellionem, ſeditionem & inobedientiam concitando, Principis Majeſtatem lædere & hoſtiliter contra ejus Rempublicam animatum eſſe, text. *in l. 1. ibi: quod armati homines. & in fin. ibi: hominésve ad ſeditionem convocentur ff. ad L. Jul. Majeſt.* Matth. de Afflict. *in cap. un. verb. Et bona committentium n. 39. verſ. Decimo modo.* ubi infert, eum, qui Civitates inobedientes Principis concitando vel ſollicitando facit rebelles, teneri lege Majeſtatis, *& num. 42. verſic. Triceſimo nono.* Eodemque modo eum, qui cives ad deſertionem ſollicitat, crimen læſæ Majeſtatis committe-

45 re, reſpondit Menoch. *conſil. 99. num. 85.* Juris quoque eſt recepti, non ſolùm actum auferendi caſtrum à præſenti domino, ſed & ordinationem, tractatum, & deliberationem de rebellando contra poſſeſſorem & dominum præſentem eſſe actum, per quem committatur crimen læſæ Majeſtatis, eò quòd ſufficiat tractatus & conſilium abſque executione, *d. l. 1. ff. ad L. Jul. Majeſt.* Alexand. *conſil. 13. numero 6. volum. 6.* Cravetta *conſil. 224. numero 7. verſic. Neque obſtat.* Ubi ait, non obſtare, quòd conjuratio illa inefficax fuerit, quia ſola deliberatio ſufficit, cum quo ad ipſum delictum jam conſummatum ſit, ex quo vel ſaltem interfuit conjurationibus contra dominum in ejus injuriam & da-

46 mnum. Eodemque modo ſolam machinationem, conſilium vel ordinationem contra Principem dominum ſuum, vel inferiorem, vel ejus dominium & ſtatum imò ſolum tractatum facere, quem in pœnas L. Jul. Majeſt. quæ eſt mortis naturalis & confiſcationis omnium bonorum, incidere, reſpondit Burſat. *conſil. 326. n. 2. & ſeq.* cum quibus convenit Boërius *d. tr. de ſeditioſis §. præſuppono etiam. n. 13. & §. ſeptimo & ultimo. n. 41. & ſeq.* qui ait, in crimine læſæ Majeſtatis & oppugnatore patriæ non ſpectari eventum, ſed ſufficere ſimplicem conatum, utpotè ſi fortè quis faceret tractatum contra Statum Civitatis. Idem adſtruit Tib. Dec. *d. l. 7. pract. crimin. cap. 35. num. 1.* Boſſ. *de crimin. læſ. Majeſt. num. 43.* Quo etiam reſpectu tractatum & conatum per ſe delictum eſſe, quamvis ipſum maleficium non fuiſſet conſummatum, probavit Nicol. Reuſne-

47 rus *conſil. 20. num. 105. lib. 3.* & ſuadetur ea ratione, quam, cùm de conjuratione Catilinaria deliberaretur, reddidit M. Porcius Cato, quòd videlicet cætera maleficia tum perſequi poſſimus, ubi facta ſunt, contra Rempublicam autem ſuſceptæ conjurationes, niſi provideatur, ne accidant, ubi evenerint, fruſtra leges implorentur, nec ibi manſuetudo aut miſericordia nominanda ſit, quæ in miſeriam converti poteſt, ut ex Cic. Saluſt. & Dione retulit Petr. Ærodius *rer. ab omni antiquit. judicat. d. lib. 2. tit. 9. §. 7.* Quæ tamen omnia eleganter elucidavit Hieron. Gigas *d. tract. lib. 1. quæſt. 30. n. 3.* ubi formaliter dixit, quòd attentans, ut aliquod caſtrum ſeu locus ſubjectus alicui, Domino alteri ſubjiciatur, non incurrat crimen læſæ Majeſtatis, quando attentans non erat ſubditus illius Principis, ſub cujus dominio illud caſtrum erat; Inprimis verò, quando talia attentans erat Subditus hoſtium vel inimicus illius Principis, contra quem ſic machinatur: Inimicis enim & hoſtibus permiſſum videtur inſidias ponere, ut notat Angel. *in l. cuique dolo. ff. ad L. Jul. Majeſt.* Facit illud Poetæ:

Dolus, an Virtus, quis in hoſte requirat?

Hæc Gigas *dict. loc.*

Conſimiliter literas hoſtibus mittere, 48
crimen læſæ Majeſtatis & proditionis judicatur, text. *in l. 1. 16. quíve hoſtibus Rationis nuncium literas miſerit. ff. ad L. Jul. Majeſt.* Matth. de Afflict. *in d. cap. un. verb. & bona committentium num. 37. verſ. Nono modo & num. 39.* Boſſius *de crim. læſ. Maj. num. 12.* Boerius *dict. tract. de ſeditioſis. §. Præſuppono etiam ſextò num. 14 & ſeq.* Burſat. *conſil. 426. num. 6.* Greg. *in Syntagm. jur. univ. lib. 35. cap. 5. num. 27.* ubi literas miſiſſe hoſtibus & ita ſignum dediſſe crimen 49
læſæ Majeſtatis & proditionis arguere, & ſic Arvandum præfectura primâ donatum à legatis Provinciæ Galliæ accuſatum propter literas ab eo ſcriptas & interceptas, quæ videbantur ad Regem Gothorum emitti, pacem cum Græco Imp. diſſuadentes Britannosque ſuper Ligirim ſitos impugnari debere, demonſtrantes cum Burgundionibus jure gentium Gallias dividi oportere, cùm hanc Epiſtolam JCti de Majeſtatis crimine interpretarentur, ex Sidonio Apollinari *lib. 1. Epiſt. cap. 8.* retulit.

Quinimò non tantùm ii, qui ſecreta 50
noſtra nunciant hoſtibus, proditores & pœnam capitis, ignis aut furcæ promeritos fuiſſe judicantur, juxta Arrianum JC. *in l. omne delictum. 6. §. Exploratores. ff. de milit. l. ſi quis aliquid 38. §. transfugæ. ff. de pœnis;* Et lex Ægyptiorum, his qui ſecreta hoſtibus revelaſſet, linguam abſcindi jubebat, uti autor eſt Diodorus Siculus relatus à Petr. Gregor. *de Syntagm. jur. un. lib. 35. cap 5. num. 9.* Sed & indubitatum eſt, in unoquoque capite L. Jul. Majeſt. cum publicatione bonorum, pœnam mortis naturalis locum habere, Capycius *deciſ. 130. num. 10.* Grammatic. *deciſ. 6. num. 14.* Muſcatell. *in pract. crimin. d. rubr. de crimin. læſ. Majeſt. human.*

num.45. Tiber. Decian. *d. lib.7. pract. crim. cap.39. num.16.* cujus quidem pœnæ executio de conſuetudine variis modis, & ut plurimùm rei vivi in fruſta ſectione fieri, atteſtatur Clar. *in §. læſ. Majeſt. num.8.* quod etiam approbavit Conſtitutio Carol. V. Criminalis, *artic.124.*

51 Eſt & ſingulare in hoc crimine, quòd conſcii criminis eadem pœnâ teneantur, *l.5 §. pen. C. ad L. Jul. Majeſt.* Menoch. *de arb. judic. quæſt. caſ.315.*

52 Notandum verò eſt, quòd extra propoſitum de necando Principe ſolus & nudus tractatus non ſufficiat, ad inducendum crimen læſæ Majeſtatis; inprimis autem quoad irrogationem pœnæ ordinariæ huic delicto præſtitutæ, ſed ad iſtum effectum ad minimum conſilium, ordinationem, *& concluſionem jam interveniſſe* (9) oportere, Boſſ. *de crim. læſ. Majeſt. num.43. & 45.* Cum quo convenire videtur Boerius *tract. de ſeditioſis. §. 7. verb. præſuppono. num.42.* ubi id, quod dicitur crimen læſæ Majeſtatis committi etiam ſolo conatu, ita intelligen-
53 dum docet, quando Rei jam tum conati fuiſſent, prodere & expugnare patriam vel civitatem, & ad aliquem proceſſerint actū, allegans Baldum *conſil.24. vol.4.* Idem probat Carerius *in pract. crimin. §. homicid. n. 15.* docens, non puniri voluntatem vel bis tantùm expreſſam & non factam pœnâ ordinariâ, ſi fuiſſet facta conſpiratio, ſed tunc demum cùm perfecta fuiſſet conſpiratio & tractatus cum aliquibus, quem refert in hanc ſententiam Additionator ad Clarum §. *læſæ Majeſtatis, in lit. I.* Farinac. *in prax.*
54 *crimin. quæſt.17. n.49.* ubi tradit, hodie etiam in gravioribus delictis eum quoque conatum, qui actum aliquem externum adſumpſerit, pœnâ ordinariâ delicti neutiquam puniri, ſed ſaltem extraordinariè. Quod ipſum in terminis imputati criminis læſæ Majeſtatis reſpondendo ſequutus eſt Hondedæus *conſ.108. n.54. vol.1.*

55 Quin etiam quælibet cauſa, fatua etiam, injuſta & beſtialis à dolo excuſationem præbet, *vulg. l. igitur. §. poteſt. ff. de lib. cauſ.* Cravetta *conſil.46. numero 14.* Guid. Panc. *conſ.5. numero 8.* Cacheran. *conſ.64. n.140.* Pruckman. *conſilio 4. numero 138. volum. 1.* Schrader. *de feud. 2. parte 9. princip. ſect. 7. numero 33.* & conſequenter à pœna capitali, quæ dolum requirit, excuſat, Farin. *quæſt.24.*
56 *numero 93. & quæſt. 163. numero 257.* ubi ſubjungit, quòd in pœnis capitalibus quis excuſetur à pœna, ſive juſtis ſive injuſtis rationibus motus fuerit. Et in hoc ipſo crimine reſpondendo tenet Burſat. *conſilio 152. numero 32.* Hondedæ. *conſilio 100. numero 34. vol. 2.* qui *num. ſeq.* id eò etiam extendit, ut nec opus ſit cauſis, quæ ad excluſionem doli adducuntur, plenè probari; cùm præſumptio nobilior & interpretatio delicti excluſiva in dubio capienda ſit, Petr. Caball. *tract. de homicido numero 281.* Hippolyt. Riminald. *conſilio 214. numero 47. & conſilio 611. numero 50. & conſilio 612. numero 21.* Menoch. *conſilio 82. numero 17.* Simon de Prætis *conſilio 82. in fin. cent. 1.* Lancellot. Gallia *conſilio 118. numero 35.* Laderch. *conſilio 181. numero 26.* Hieron. Papponius *conſilio 103. numero 6.* Azpilcueta *conſil. 12. de Simonia numero 1. libro 5.* Cardinal. Thuſc. *in lit. I. concluſ.330. numero 17. & lit. V. concluſ. 107.* Pacian. *libro 2. de probat. capite 16. numero 15. & capite 17. numero 9. & capite 20. numero 37.* Alexand. Galvan. *ad l. Gallus ff. de lib. & poſthum. num.430. fol.81.* Cardinal. Mantica *de tacit. & ambig. convent. libro 5. tit. 15. numero 42.* Joan. Guivell. *Deciſ. Dolan. 57. numero 16.* Stephan. Gratian. *Tomo 3. Diſcept. 525. numero 23.*

Sine dolo autem crimen læſæ Majeſtatis non committitur, Gigas *d. tract. parte 1. quæſt. 64.* Cephal. *conſilio 75. numero 7. 14. & 22.* Farin. *quæſt. 86. numero 10* Honded. *conſilio 100. numero 29. vol.2.* ubi hoc ipſum in tantum procedere, ut nec etiam culpa lata quem reum hujus criminis faciat, eò quòd de pœna corporali ſeu delicto capitali agatur authoritate Follerii *in pract. crimin. in verb. item quod commiſit crimen læſæ Majeſtatis, numero 64.* Ruin. *conſilio 2. num. 5. in fin. & ſeq. lib.5.* Cephal. *d. conſil.75. numero 7. & conſil.75. num.45.* firmavit. Quibus addi poſſunt alii ad hoc laudati à Farinacio *d. q. 86. num.20. & 22.* Sed quò delatus ſum? Hoc ſaltem dicere volui, ob crimen Majeſtatis, omnia bona etiam aſcendentibus & deſcendentibus exſtantibus (cùm *l. quisquis & l. 11. §. fin. C. eod.* generaliter loquantur) publicari & Fiſco addici, eoque medio Ærarium Reipublicæ illocupletari poſſe. 57 58 59

An autem Civitates Imperiales jus confiſcandi & conſequenter ſuccedendi in bonis vacantibus habeant? in ardua quadam cauſa acriter diſceptatum memini; in qua & Reſponſum juris ante aliquot annos redditum, *quod primo Conſiliorum à me divulgatorum Volumini inſertum eſt;* (10) Quò benevolum Lectorem remitto.

ANNO-

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT CXXXVII.

Num. 4.

(1) *MAjeſtatem hic generaliter conſideramus, &c.*] Summum illud in Ordine Civili Majeſtas, quæ in Civitate, ubique Summa Poteſtas ab Ariſtotele *3. Polit. c. 4.* appellatur, verenda illa amplitudo, quam DEUS ſummæ fortunæ cum nota & pignore ſuæ in humana curæ. & tanquam characterem & imaginem ſuæ Majeſtatis impreſſit, atque ab omnibus obſequio & honore ſummo coli voluit, juſſit, uti Dn. Bœclerus haud inconcinnè *in præfat. Tr. de Auſpicio Reg.* loquitur, utique reſplendet, & eſt ubicunque Reſpublica eſt quæ ſuperiorem non recognoſcit in his terris, atque ut vulgò dicitur neminem agnoſcit, præter DEUM atque Enſem. Contra verò cuicunque Reipublicæ ἀρχὴ κυρία πάντων deeſt, ea non eſt Reſpublica. Definitur enim Respublica ordo Civitatis & Magiſtratuum, cùm cæterorum, tum verò maximè ejus, qui ſummam poteſtatem habet *Ariſtoteles 3 Polit. 6.* Quemadmodum igitur ſummum rerum arbitrium pro formis Rerumpublicarum nunc apud unum, nunc plures, nunc omnes eſt, ita quoque nunc in unum, nunc in plures, nunc in omnes æquè Majeſtatis Crimen, non quidem ex L. Julia, ſed ex communi Gentium Jure, quod cujusvis Imperii Majeſtatem ſartam tectam eſſe jubet, committi, ex facili fluit. Junge Ant. Matthæum *de Crim. lib. 48. ff. tit. 2. cap. 1. n. 3. pag. 301. ſeq.* Rümelin. & ad eum Dn. Myllerum *ad A. B. Caroli IV. parte 3 diſſ. 2. ff. 25. pag. 654. ſeqq.* ubi Is jam dicta multis authoritatibus firmat.

Num. 5.

(2) *Hannibal Grimaldus, Comes & Baro Bobienſis, &c.*] Eadem habet Joh. de Laet *de Princ. Italiæ pag. 235.* & dicitur *ibidem pag. 45.* Dynaſtam Bobienſem Nicæam verſus duorum & viginti oppidorum Dominum cum ſedecim ſcutatorum millibus fuiſſe, è gente Grimalda. Sic referente Ant. Fabro JCTo Sabaudiæ Ducis Conſiliario, &c. *in Codice ſuo lib. 9. tit. 6. def. 1.* in alias etiam Crimen Majeſtatis vindicavit & nominatim, cùm quidam N. Le Clerc Temnenſis, in ipſo belli Genevenſis (*cum Sabaudiæ Duce Anno MDXC. geſti*) primordio ad hoſtes profugiſſet & arcis Temnenſis Præfectum ad deditionem ſummo totius Reipublicæ noſtræ damno impuliſſet, ad furcam damnatus eſt. Hoc etiam addito, ut ex cadavere caput amputaretur, tum reliquum cadaver in fruſta quatuor per equos diſcerperetur: Item, ut ſi cæteras facultates doti reſtituendæ, cæterisq; creditoribus dimittendis pares eſſe appareret, domus ejus, qua hoſtes ad arcis expugnationem uſi fuerant, funditus exſcinderetur: Aut ſi ſalvo Creditorum Jure commodè id fieri non poſſet, lapide ſaltem parietibus infixo cum condemnationis ſuperſcripto in perpetuam condemnati memoriæ perfidiæq; infamiam, publicæ vindictæ conſuleretur. Hæc Faber, quem & *ibid lib. 7. tit. 11.* probantem Sereniſſimos Sabaudiæ Duces Jura Imperii habere & gaudere privilegiis omnibus Imperatoriis, evolve.

Num. 10.

(3) *Anne adverſus hosce crimen læſæ Majeſtatis committatur?*] Et in Electores, & in alios Imperii Romano-Germanici Principes læſæ Majeſtatis crimen committi, Dn. Myller *in additionibus ad Rümelini diſſert. ad A. B. part. 3. diſſert. 4. ff. 1. pag. 619.* cum Surdo, Menochio, Claro, Schradero, Georg. Everhardo, Nic. Everhardo, Bocero, Arniſæo, Bœckel. Carpzovio *de L. Reg. Germ.* affirmat. Et ipſe Carpzovius alibi *pract. rer. Crim. parte 1. quæſt. 41. n. 59.* quærit, & *maximè n. 69. 70. 71. 72. ſeqq.* imò *probat.* Limnæus, *in Obſerv. ad A. B. cap. 24. §. 1. Obſerv. 5.* & eos criminis hujus reos putat, qui Conſiliarios Imperatoris & Imperii, die Reichs-Hofräthe, neci dare pertentant. Præjudicum quoad Rudolphum Ducem Lignicenſem Cæſareæ Majeſtatis Conſiliarium ac Vicarium Sileſiæ Superioris & Inferioris, quem Nobilis quidam Anno MDCXXV. veneficio ſublatum cupiebat, adfert Carpzovius *d. loco n. 71.*

Num. 21.

(4) *Paconius ex eadem cauſa, &c.*] Errat hoc loco Author noſter cum iis, quos nimiò confidenter ſecutus eſt, ſi putat ob Carmina compoſita aculeata *Peconianum* (ita enim & non *Paconius* ſcribendum in Taciti loco) morti traditum, qui enim loco Taciti hîc citato, initium libri ſexti ejusdem Taciti conjunget, aliter credo & non cauſam, ſed occaſionem maturatæ mortis, maledicta fuiſſe ſentiet. Sic autem ille; *cap. 3. n. 5.* Iisdem literis Cæſar Sextium Paconianum Prætorium perculit, magno Patrum gaudio, audacem maleficum, omnium ſecreta rimantem, delectumq; à Sejano, cujus ope dolus C. Caliti pareretur; quod poſtquam patefactum, prorupêre concepta pridem odia & ſummum ſupplicium decernebatur, ni profeſſus indicium foret. Igitur his de cauſis detentus in carcere, *ob Carmina illic in Principem factitata,* ſtrangulatus eſt, ut Tacitus *d. in tx. loco* ſcriptum reliquit. Deinde confunduntur inter ſe Paconius (de quo Suetonius *d. cap. 61.* hæc notat: Annalibus ſuis vir Conſularis inſeruit, frequenti quodam convivio, cui & ipſe affuerit interrogatum eum (*Tiberium*) ſubitò & clarè à quodam nono adſtante menſæ inter copreas, cur Paconius, *Majeſtatis reus*, tam diu viveret; ſtatim quidem petulantiam linguæ objurgaſſe, cæterùm poſt paucos dies ſcripſiſſe Senatui, ut de pœna Paconis quàm primùm ſtatueret) qui ipſe Paconius C. Silano proconſulatum Aſiæ adminiſtranti legatus fuit, ac poſtea inter alios plures eum accuſavit, Tacitus *3. Annal. 67. num. 1.* & de quo quod ob carmina ad plures miſſus, nec à Suetonio, aut ab ullo, quod ſciam, alio probato Authore quicquam dicitur & Paconianus Sextius diverſus planè à primo, ut ex collatione utriusq; loci & nominis non poteſt non eſſe clariſſimum.

Num. 22.

(5) *Pœna, &c. Judicis Arbitrio remiſſa ad pœnam mortis naturalis extendi non debet, &c.*] Adde Carpzovium *Pract. Criminal. parte 3.*

 quæſt.

quaſt. 119. num. 16. 17. & quaſt. 133. num. 9. uſque ad num. 27. 29.

Num. 27.

(6) *Alexander M. &c.*] Apud Plutarchum *in Apophthegm. Tom. 2. Oper. pag. m. 181.*

Num. 35.

(7) *Apud Plautum, &c.]* in Epidico *act. 1. Scena 2.* ibi:

Jam Senatum convocabo in corde Conſiliarium.

Et in Moſtellaria *act. 3. Scena 1.* ibi,

--- --- --- hic conceſſero,
Dum mihi Senatum conſilii in Cor convoco.

Ad quæ Taubmannus notat: Facetè & eruditè Cor *Senatum* appellat. Quod notat Scip. Gentilis *ad illud Apul. Apolog.* Cui nulla fundi cura ſit, impenſiùs cætero corpore os colendum: quod eſſet animi veſtibulum, & orationis janua, & cogitationum Comitium. Scilicet, quia ex ore cogitationes animi in apertum prodeunt. Aliàs ineptum ſit dicere, cogitationes in ore concipi. Mamertinus: Verſari cœpit in ſacri pectoris Comitio conſulatus. Sed hæc obiter.

Num. 36.

(8) *Ex eo tantùm, quòd reticuerit conſilium, &c.]* Exemplum ejus rei præbet Franciſcus Auguſtus Thuanus, qui criminis hujus reus, quod à ſe improbatum in gratiam amicorum & conſpirationis Authoris Henrici Ruſii Effiatenſis, Equitis, Domini & Marchionis Cinco-Martii, Magni Franciæ ſcutiferi celaverat, XII. Sept. An. MDCXLII. amputatâ cervice Lugduni pœnam luit cum Effiato. De quibus Relatio ſub titulo, *Proçes de Meſſieurs de Cinq-Mars & de Thou, &c. entre le Journal de Monſieur le Cardinal Duc de Richelieu, &c.* ut & *het Treur Tooneel der Doorluchtige Mannen onſer Euvae t' Tvveede Deel 37. Hiſtorie*, ubi Thuanus, & Cinco-Martius diverſis Epitaphiis celebrantur: & quidem prior hoc:

Qui jacet hic, hoſpes, pravi, ſine crimine, capti
Conſcius obſtruſâ religione fuit.
Nec ſceleri quidquam probitas contraria juvit:
Commiſſum ſceleri eſt ſubticuiſſe ſcelus;
Tum violata fides ſocios impunè negantes
Flectere nec poſſet ſola, nec arguere.
O legum ſubtile nefas! quibus inter Amicos
Nolle fidem fruſtrà prodere proditio eſt.

Alter ſequenti:

Quod ſis, eſſe velis: modus eſt in rebus: & ex re,
De medio ſurſum non properare gradu.
Diſce ſecuturis ſi quis veſtigia Magni es,
Quàm primùm voluit Maximus eſſe, fuit.

Notum aliàs eſt, creditum fuiſſe ob Cardinalis Richelii ſecuritatem ambos necatos fuiſſe, indeq; Thuani Sororem Dominam de Ponſack mortuo Cardinali fortè ejus tumulum prætereuntem & aſpicientem in verba Marthæ, (*Joh. 11. verſ. 21.*) *Domine, ſi fuiſſes hic, Frater meus non fuiſſet mortuus*, erupiſſe, hocq; dicto oculisq; lacrumas ubertim exſpuentibus diſceſſiſſe.

Num. 52.

(9) *Concluſionem interveniſſe, &c.]* Reclamare huic Theoriæ alicubi Praxin, ex jamjam adducto exemplo Thuani colligere licet.

Num. 59.

(10) *Quod primo Conſiliorum à me devulgatorum Volumini inſertum eſt, &c.*] Eſt hoc conſilium in numero XXII. & quidem D. Thomæ Merckelbachii, &c. in quo diſquiritur, an liberæ Imperiales Civitates etiam abſque Privilegio Jus confiſcandi, conſequenter in bonis vacantibus ſuccedendi, habeant, & pro Affirmativa concluditur.

CAPUT CXXXVIII.

De Bonis, quæ indignis auferuntur.

SUMMARIA.

1. Bona *indignis ablata Fiſco vindicantur.*
2. Incorporatio *quid?*
3. Indigni *bona defuncti capiunt, & per ſolum fiſcum ab iis excluduntur.*
4. Incapaces *non capiunt, ſed ſtatim ſubſtitutis vel conjunctis, aut ab inteſtato venientibus locum faciunt.*
5. Indignus *quis dicatur, ut ei bona à Fiſco auferantur. Unde hæc bona ereptitia appellentur*, num. 6.
7. Indignus *redditur hæres, ſi non vindicet mortem defuncti.*
8. *An* pœna, *quæ hæredi olim ob inultam necem defuncti irrogabatur, hodie in deſuetudinem abierit? Aff. hoc num. Contrarium aſſeritur*, num. 9.
10. Indignus *relictis efficitur, qui teſtamentum falſum dixit, vel teſtatorem occidit*, num. 11. *Plures caſus recenſentur*, num. 13. 14. 15. 16. 17. 18. Et num. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34.
12. Dolus *ab allegante probandus*; & num. 20. 21.
22. Blanditiis *quis teſtatorem ad ſibi relinquendum allicere poteſt.*
23. Voluntas Captatoria *non damnatur.*
35. Spurii *de jure communi parentibus non ſuccedunt.*
36. Modi *plures, quibus lex facit aliquem indignum.*
37. Cauſæ *plures eſſe poſſunt, quàm quæ jure communi definiuntur.*
38. Indignis *ablata regulariter cedunt Fiſco: Ampliatur*, num 39.
40. Cauſæ & caſus, *in quibus bona indignis adempta, non Fiſco, ſed privatis applicantur.*

Quæ bona ſint, caput hoc docet, ereptitia, planè,
Indignis & quæ tollere jura jubent.

Bona *indignis* (1) ex cauſa ablata Fiſco incorporantur, Bocer. *de Regal. c 3. n. 39. & 44.* Sixtin. *lib. 2. de Regalib. c. 10, num. 2.* 1

Georg.

Georg. de Cabedo *part. 2. deciſ. 82. num. 3.*
Cujus vocis mentio fit *in rubr. & l. 3. C. de*
2 *bon. vacant. & incorpor.* Eſtque nihil aliud
Incorporatio, quàm bonorum in Fiſcum
relatio. Sixtin. *d. l. 2. c. 11. num. 32.* Borcholt.
ad c. unic. quæ ſint Regal. n. 68.

3 Indigni autem ſunt, qui ex defuncti hæ-
reditate aliquid & capere poſſunt, & ca-
piunt etiam; ſed quod ceperunt, retine-
re nequeunt. Hoc enim differunt indi-
gni ab incapacibus, quòd relicta indignis
jure valeant, proindeque acquirere ea ipſi
poſſint, & acquirunt etiam, ſed ex cauſa
eis rurſum auferuntur, Cujac. *in Parat. Cod.*
de his, quib. ut indign. hæred. auſer. Peregrin.
4 *de Jure Fiſci lib. 2. tit. 3.* Incapaces verò
ſunt, quibus relicta ab initio utilia ſunt, &
pro non ſcriptis habentur: cujusmodi ſunt
peregrini, id eſt, qui cives Romani non
ſunt, *l. 1. C. de hæred. inſtituend.* deporta-
ti, & in opus publicum perpetuò damnati,
l. 17. §. 1. ff. de pœn. Matth. Stephani *de ju-*
risdict. lib. 2. p. 1. cap. 7. n. 146. & 147. Hi
ſtatim faciunt locum alteri, & ipſo jure à bo-
nis repelluntur, eaque deferuntur illis, qui
ea caperent, ſi incapaces in medio non eſ-
ſent, putà ſubſtitutis, vel conjunctis, aut
venientibus ab inteſtato, *l. unic. in princ. C.*
de caduc. toll. cum ſimilib. Peregrin *d. lib. 2.*
tit. 2. num. 2.

5 Bona ergò, quæ indignis auferuntur, ſunt
ejusmodi, ut acquirantur quidem iis, quibus
relicta, ſed acquiſita auferuntur & eripiun-
tur; ideoq; ereptitia appellantur ab Ulpiano
in fragment. Inſtit. tit. 17.

6 *Caſus verò & cauſæ legibus definitæ*, (2)
quibus jure civili omnium bonorum, vel
partis publicatio eſt indicta, à diverſis di-
verſimodè enumerantur, adeò ut alii LXVII.
nonnulli LXXII quidam CCL. alii denique
CCCCXVIII. caſus in ſpecie recenſeant.
Arniſæ. *lib. 3. de Jure Majeſt. c. 6. num. 17.*
Quos tamen omnes tædiosè referre, animus
non eſt: paucos tantùm quosdam in guſtum
quaſi adduxiſſe, hîc nobis ſuffecerit.

7 Confiſcationi igitur ſeu publicationi bo-
norum obnoxii ſunt, ii I. Hæredes, qui
necem defuncti non vindicarunt, *l. 1. l. mi-*
norib. l. cùm fratrem & l. ſororem. Codic. de
his, quibus ut indignis. cum ſimilibus, pulchrè
Sixtin. *d. cap. 10. num. 13. & ſeqq.* Quo
pacto liberi frui cupientes hæreditate pa-
ternâ tenentur vindicare necem patris,
etiam inviti, eoque non facto, *ſe indignos*
hæreditate paternâ reddunt, (3) Heig. *part. 2.*
quæſt. jur. q. 34. per tot. Hanc pœnam ab-
lationis bonorum à talibus hæredibus hodie
ab aula per conſuetudinem contrariam re-
ceſſiſſe, & uſu non ſervari, *teſtatur Clar.* (4)
8 *pract. crimin. lib. 5. §. fin. q. 79. n. 8.* ſubjun-
gens, quotidie hæredes remittere occiſori-
bus defuncti, & cum iis pacta facere, quia
lex eſſet nutritiva peccati, ſi per eam impe-
diretur pax & concordia, remiſſioq; injuria-
rum. Peregrin. *d. tract. de Jure fiſci, tit. 5.*
num. 21. Weſ. *conſil. 294. num. 18. vol. 6.*
Sixtin. *d. cap. 10. num. 25.* Sed horum teſti- 9
monio non facilè fidendum eſſe, cùm non
de generali, ſed potiùs locali ſeu provinciali
deſuetudine certo in loco Italiæ obtenta lo-
quantur, quæ alias leges non tantùm, ſed
& multas conſtitutiones in Germania ab-
rogaret; quod, niſi evidenter commonſtre-
tur, concedendum non eſt, uti notabiliter
monet Heig. *d. quæſt. 34. num. 44. p. 2.*

II. Aufertur etiam illi hæreditas, qui de- 10
functi teſtamentum *falſum eſſe, vel inoffi-*
cioſum dixerit, (5) *l. 29. §. 1. ff. de Jure fiſc.*
l. 2. C. de his, quib. ut indign. Nemo enim ex
eo fructum conſequi debet, quod niſus eſt
impugnare, *c. ex eo. 38. de reg. jur. in 6. & d.*
l. 2. latè Ferdinandus Vaſquez. *de ſucceſſ. re-*
ſolut. lib. 2. §. 20. n. 33. ubi declarationes &
limitationes ſubminiſtrat. III. Si hæres 11
teſtatorem occiderit, *l. cùm dominus 19. ff. de*
SC. Sillan. IV. Si in culpa fuerit, ut teſtator 12
interierit, *d. l. 19.* V. Si quis defuncti uxo- 13
rem vel liberos interfecerit, *l. his conſequen-*
ter. §. 1. ff. famil. erciſc. VI. Si quis teſtatoris 14
uxorem tam mortuo, quàm eo vivo corru-
perit, *gl. in l. ſororem, C. de his, quib. ut indign.*
per text. ab ea adductos. VII. Si quis rem 15
amoverit hæreditariam, quarta ex ea re ipſi
debita Fiſco cedit, *l. reſcriptum 6. ff. de his,*
quib. ut indign.

VIII. Si Tutor pupillam uxorem duxerit, 16
l. 2. §. 1. ff. eod. Hodie autem Jure Canonico
& in Reformatis Eccleſiis inter tutorem &
pupillam matrimonium valere, tradunt
Beuſt. *tract. de ſponſalib. n. 21. in fin.* Wurm-
ſer. *lib. 1. pract. forens. tit. 36. obſ. 2. num. 3.*
IX. Si quis aliquem teſtari prohibuerit, *l. 1.* 17
tot. & tit. C. ſi quis aliq. teſt. prohib. l. in ſcript.
ff. de his, quib. ut indig. X. Si quis dolo malo 18
induxerit teſtatorem ad teſtandum & ſibi
relinquendum, *d. l. 2. ff. eod. l. Lucius §.*
Sempronia. ff. de legat. 2. qui dolus ab alle- 19
gante concludenter probari debet, *l. quoties*
§. qui dolo ff. de probat. extensè Maſcard. *de*
probat. concl. 531. num. 1. Celſ. Bargalius
tract. de dolo lib. 4. cap. 8. num. 30. & ſeqq.
Et in ſpecie, quòd dolus ſit probandus ab eo, 20
qui teſtamentum impugnat, tenuit poſt
Bertrandum Socin. Junior. *conſil. 314. n. 4.*
vol. 2. Tiber. Decian. *conſil. 65. n. 10. vol. 2.*
Cardinal. Mantica *de conject. ultim. volunt.*
lib. 2. tit. 7. num. 1. Sed & ante eos hoc vo-
luit Bald. *in l. 1. in fin. C. ſi quis aliq. teſt. pro-*
hib. ubi ait, non cenſeri in dolo eum, qui 21
procurat ſe inſtitui, niſi probetur, eum eſſe
uſum malis artibus, Dec. *conſil. 489. num. 6.*
ubi movetur, quia procurans ſuam utili-
tatem non præſumitur facere, ut alii no-
ceat, etiamſi in conſequentiam damnum
inferatur tertio, &c. Ed ad excludendam 22
coactionis & doloſæ inſtigationis ſuſpicio-
nem

nem blanditiarum uſus allegari poteſt, qui non interdictus, ſed de jure permiſſus eſt, ita ut quis alium ad ſibi relinquendum allicere omninò poſſit, *l. fin ff. d. tit. l. fin. C. eod.* latiſſimè Surdus *conſil. 373. num. 2.* Joan.
23 Baptiſt. Coſta *conſil. 26. num. 7.* Et liceat mutuis affectionibus invicem ſe provocare ad ſe inſtituendum: quæ voluntas quamvis ſit captatoria, non tamen damnatur, *l. captatorias, ubi Bald. ff. de hæredib. inſtit.* Erneſt.
24 Cothman. *conſil. 17. num. 2. vol. 3.* XI. *Si teſtator in codicillis* (6) vel per epiſtolam declaraverit eum, cui aliquid reliquit, eſſe indignum, vel nihil ex teſtamento mereri, *l. cùm quidam ff. de his, quib. ut indig. cum ſi-*
25 *milibus.* XII. Si fœminæ per ſtuprum aliúmve illicitum coitum cognitæ aliquid relinquatur, quo caſu etiam illud fiſco applicatur, & illi mulieri adimitur, *l. Claudius 15.* §. 1.
26 *ff. eod.* XIII. Si teſtator inſtituat aliquem, ut filium, qui poſteà ſuppoſititius poſt mortem teſtatoris declaratus eſt, *l. aufertur in pr. ff. de Jur. fiſc. l. ſi pater C. de hæred. inſtit.* Signorol. *conſil. 111. num. 12. & ſeq.* Card. Thuſc. *in lit. P. concl. 109. num. 1.* qui caſus
27 nuper in facto contigit. XIV. Si mulier, quæ in contubernio militis fuit, ab alio fuerit ſtupro cognita, & à milite hæres inſtituta, non admittitur ad teſtamentum jure militiæ factum, & quod ei relictum eſt, ad Fiſcum pertinet, *l. 14. ff. de his, quib. ut indign.*
28 XV. Si quis uxorem adulterii damnatam contra leges duxerit, *l. Claudius 13. ff. eod.*
29 XVI. Si quis improbum pactum de hæreditate viventis fecerit, *l. 29. in fin ff. de donat.*
30 *l. fin. C. de pact.* XVII. Si quis defunctum gravis delicti reum fecerit, *l. 1. l. 9. de his, quib. ut indig.* vel ſtatûs ei controverſiam moverit, denegatur ejus, quod teſtamento accepit, perſecutio, *d. l. 9. §. 2. ff. eod. tit.*

31 XVIII. Si quis vendat rem alienam ſciens emptori item ſcienti, indignus eſt pretium retinere, adeò ut fiſcus, tanquam turpe lucrum, auferat, per *l. Lucius ff. de Jur. fiſc.*
32 Sixtin. *d. c. 10. num. 91. & ſeq.* XIX. Etiam Fiſco parricidæ hæreditatem deferendam, non cohæredibus, perſpicuè demonſtrat
33 Heig. *part. 2. quæſt. 33.* XX. Et quòd liberi, frui cupientes hæreditate paternâ, vindicare teneantur necem patris, etiam inviti; eoque non facto indignos ſe reddant, pluribus exſequitur Heig. *d. p. 2. quæſt. 34.* ubi contrà ſentientes refutat, *n. 10. & ſeqq.* Et
34 dictum eſt ſuprà hoc *cap. n. 9.* XXI. In Electorali Palatinatu quoque Baſtardorum, ſive illegitimorum defunctorum hæreditates publicantur, & ad Fiſcum Electoralem deferuntur ex privilegio à Cæſar. Majeſtate Palatinis Electoribus conceſſo. Quemadmodum & in Landgraviatu Nellenburg accipit Fiſcus bona filiorum Sacerdotum & aliorum Nothorum ac Baſtardorum, vocanturq; antiquitus die Hageſtolzen. Adam Keller. *de Officio Juridico-Polit. cap. 13. fol. 431. lib. 2.* Thom Michaelis *de Juriſdict. concl. 48.* Nil mirum, cùm etiam de Jure 35
communi Spurii parentibus non ſuccedant, *l. 8. C. de natural. liber.*

Alios modos, quibus lex facit aliquem in- 36
dignum, vide apud Peregrin. *d. lib. 2. tit. 2.*
Bocer. *d. c. 3.* Sixtin. *d. c. 10.* Et multò plu- 37
res cauſæ eſſe poſſunt, quàm de Jure civili definiuntur, Heig. *d. p. 2. quæſt. 33. num. 52.* Valentin. Forſter. *de ſucceſſ. ab inteſt. lib. 9. c. fin. n. 2.* Farinac. *in prax. criminal. lib. 1. cap. 25.* Bornit. *de Ærario lib. 3. cap. 5.*

Quicquid ergò aufertur indigno, id omne 38
Fiſco ſeu Ærario Magiſtratuum maxima cum utilitate vindicatur, *l. 2. pr. §. 1. in fin. l. 5. §. 3. cum §. 4. ibi: ſed à Fiſco redimendum. §. 6. l. 6. in fin. l. 9. §. 2. l. 13. 14. 16. §. 2. l. 18. §. 1. l. 20. 21. 23. ff. de his, quib. ut indign. l. 18. §. 14. ff. de inoffic. teſtam.* Adeò 39
verò certum eſt, Fiſco deberi bona, indignis ablata, ut is non tantùm ipſam rem, ſed etiam omnes fructus perceptos auferat, *l. hæredem, l. eum, qui ff. de his, quib. ut indign. aufer. l. 1. C. eod. tit. l. cùm quidam. §. in tanto. ff. de uſur.* Nec indigni de legatis Falcidiam vel Trebellianicam deducant, *l. Marcellus §. fin. l. recuſare. 8. ſi fiſco. ff. ad Trebell. l. beneficio. fin. ff. ad L. Falcid.* Et ne legitimam quidem detrahant, *l. Papinianus §. meminiſſe. ff. de inoffic. teſtam.* Sixtin. *d. c. 10. num. 9. & 10.*

Ex aliis tamen cauſis, quandoque bona 40
indignis eripiuntur, quæ non Fiſco, ſed aliis privatis, quibus jure competunt, addicuntur. Ejusmodi caſus ſunt *in l. 1. C. de ſecund. nupt. l. ſi legatarius. C. de legat. l. 7. C. de hæred. inſtit.* Et in aliis legibus fideliter relatis per Sixtinum *d. c. 10. num. 98. & ſeqq.* Roſenthal. *de feud. cap. 5. concl. 57.* Bocer. *d. cap. 3. num. 52.* Borcholt. *ad d. c. unic. quæ ſint regal. num. 77.* Matth. Stephani *de juriſdict. lib. 1. p. 1. cap. 7. membr. 2. n. 95.* Ægid. Boſſius *in tract. criminal. tit. de his, quib. ut indign. bona aufer. fol. 388. & ſeqq.*

Ex præmemoratis aliiſque cauſis, quæ Principis & Magiſtratus arbitrio relinquuntur, ſi indignis hæreditates, legata, fideicommiſſa, &c. auferantur ac Ærario addicantur, Reipublicæ melior & amplior conditio fieri poteſt.

ANNO-

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT CXXXVIII.

Num. 1.

(1) BOna *indignis, &c.]* Exiſtimat equidem Grœnewegen *ad Titulum Codicis, de his, quibus ut indignis hæreditates auferuntur, &c.* Eum Titulum apud pleraſque gentes abrogatum eſſe; cùm indigni hodie pro incapacibus, iisque relicta pro non ſcriptis habeantur; cui conſequens, ut in his non fiſcus, ſed ii ſuccedant, qui citra delictum de jure vel conſuetudine ſuccedere debuisſent. Quod plurimorum Dd. authoritatibus confirmat, addens in Friſia tamen & Sabaudia hunc titulum obſervari. Sed bene monet in terminis indignitatis Heigius *parte 2. quæſt. 34.* Doctores tales de locali magis ſive provinciali deſuetudine, certo in loco obtenta, loqui, quæ alias leges non tantùm, ſed & multas conſtitutiones in Germania abrogaret, quod, niſi evidenter commonſtretur, concedendum non eſſe. Imò uni atque alteri Doctori, de Conſuetudine aut Deſuetudine aſſerenti, cumprimis generali, præter & contra Jus inducta haud ita facilè credendum. Quod & Author noſter Klockius *in primo caſu num. 9.* his ipſis verbis indicat, & Heigius quoque *d. loco quæſt. 33.* cenſet.

Num. 6.

(2) *Caſus verò & cauſæ Legibus definitæ &c.]* Cùm quæritur, ſcribit Vasquius *de Succeſſ. part. 3. lib. 2. §. 20. num. 25.* quando Hæredi, ut indigno Hæreditas ſit auferenda: Sunt tres caſus inſpiciendi. Primus, quando hæres peccavit contra eum defunctum, cujus de hæreditate agitur. Alter, quando contra ſemetipſum. Ultimus, quando contra aliquem Tertium. Ad quæ ibidem regulas cum ſuis limitationibus proponit. Ubi vide.

(3) *Se indignos hæreditate paternâ reddunt &c.]* Ceſſare autem pœnam hanc I. in minoribus; II. Si author cædis ſit ignotus. III. Si hæres ideò non vindicavit, quia ab alio fuit præventus, pluribus Dn. Brunnemannus *in Comment. ad Codic. hoc tit.* docet, & explanat.

Num. 7.

(4) *Teſtatur Clarus &c.]* Imò & Carpzovius *Pr. rer. Crimin. Quæſt. 34. n. 76.*

Num. 10.

(5) *Falſum eſſe vel inofficioſum dixerit &c.]* Verùm ille demum, qui Teſtamentum falſi accuſat, reddit ſe indignum, qui perſeverat usque ad ſententiam & ſuccubuit, ſecus ſi pœnituerit, *l. 7. ff. C. de his, quibus ut indign.* aut transegit, *l. 2. d. t.* ſcilicet ante ſententiam; Nam locus hîc pœnitentiæ, Petr. Gregor. *Syntagm. Jur. Univerſ. lib. 44. tit. 4. num. 5.* Barry *de Succeſſ. lib. 1. tit. 4. numero 14.*

(6) *Si teſtator in Codicillis &c.]* Quærit hîc Dn. Brunnemann *d. loco:* an ejusmodi Portio Fiſco attribuenda? & reſpondet, videri, quòd non, eò quòd Codicillis adimi non poſſit hæreditas, *§. 2. I. de Codicill.* Sed Affirmativam ex eo ſuſtineri, quòd non quidem directò, ſed tamen quaſi per obliquum hæreditas Codicillis dari poſſit; cùm idem ſit, ac ſi dixiſſet Teſtator, hæredem ſuam partem debere in Fiſcum transferre. Colligitúrve *ex l. 4. C. de his, quibus ut indign. hæred.* Quando Teſtator dicit hæredem non mereri voluntatem ultimam, tunc Teſtamentum quidem per hoc non eſſe ſublatum, ſolâ voluntate Teſtamenta non revocantur ut legata, hæredem tamen reddi indignum & Fiſcum ſuccedere, aliud autem ſi dicat, nolo hæreditatem ad hunc pervenire. Mantica *lib. 8. tit. 1. num. 30.* Peregrinus *de Fideicom. art. 5. num. 15.* quia in favorem aliorum hæredum ab inteſtato factum præſumitur.

CAPUT CXXXIX.

De Bonis Contrahentium inceſtas Nuptias.

SUMMARIA.

1. Bona *contrahentium inceſtas nuptias publicantur, & in iis locum habet Auth. Bona damnatorum,* num. 2.

3. Inceſtûs *crimini principaliter, & non nudè in conſequentiam pœna publicationis irrogatur.*

4. Inceſtûs *crimine Rei ante ſententiam defuncti memoria damnari poteſt.*

5. Pœna *publicationis bonorum contra eos, qui contrahunt inceſtas nuptias, eſt de Regalibus: ſubnectitur declaratio juxta l. ſi quis inceſtum. C. de nupt.* num. 6.

7. Inceſtas *nuptias contrahens teſtari nequit.*

8. Doctori *aſſerenti, conſuetudinem abrogatam eſſe, non facilè credendum.*

9. Doctori *de conſuetudine teſtanti an ſit credendum?*

10. Fiendum *curſu temporis non tollitur.*

11. Pœna *contrahentium inceſtas nuptias intelligitur in nuptiis prohibitis de jure civili. Sed vide* num. 12. *ubi docetur, quòd etiam intelligenda ſit de prohibitis Jure Canonico.*

13. Inceſtûs *per illicitam copulam absque nuptiis commiſſus non eadem, quâ inceſtæ nuptiæ, punitur pœnâ: Sed pro Affirmativa deciditur per rationem* num. 14. *ſubjunctam.*

15. *De* inceſtu *commiſſo cum fratris filii uxore.*

16. Inceſtûs *quando commiſſus dicatur?*

17. Conjunctio *inter patruum & ſui fratris filii uxorem non eſt permiſſa Jure Canonico.*

18. Inceſtus *inter pleroſque, qui à latere ſunt, prohibetur.*

19. *An*

19. *An* avunculus *cum ſororis filia, vel nepte matrimonium contrahere poſſit?*

20. *An* conjunctio fratris *cum uxore filii fratris ſit interdicta?*

21. Inceſtus *jure gentium potiſſimùm inter aſcendentes & deſcendentes committitur.*

22. *An* conjunctio *patrui cum fratris filia jure civili prohibita?* & numero 29. 30 31. 32. & 34.

23. Concubitus *patrui & fratris filiæ an licitus ſit.*

24. Claudius Imp. *Agrippinam Germani fratris ſui filiam uxorem duxit.*

25. Prohibitio conjunctionis *inter cognatos à latere juris poſitivi, & tota pendet ex arbitrio legum; neque ſunt ejusmodi nuptiæ jure gentium prohibitæ:* & n.26.27.28.

33. Jus naturale *perpetua eſt prohibitio, etiam deficientibus, imò prohibentibus legibus civilibus.*

35. *An* Concubitus *fratris cum fratris filii uxore inceſtuoſus ſit?* & n.36.37.38.39.40.41.42. 43.44.45.46.47.48.49.50.

51. *Quænam* pœna *jure civili inceſtuoſis irrogetur? hoc* & n.52.53.

54. *An* pœnæ *juris civilis nuptiis inceſtuoſis præſtitutæ etiam hodie locum habeant in iis, quæ inceſtæ ſaltem ſunt ſecundùm juris Canonici diſpoſitionem? Pro Affirmativa afferuntur rationes & Dd. authoritates,* n.55.56.57. *Pro Negativa,* n.58.59.60.61. *à qua, uti mitiori in judicando non recedendum,* n.62.65. & 67.

63. Pœnæ *in ambiguis molliendæ ſunt.*

64. Extenſio *in pœnalibus prohibetur.*

66. *In* pœnis *imponendis Judex ſervare debet loci conſuetudinem.*

68. Secundus inceſtuoſus coitus *cum* Gangolffs Frauen *uxori inquiſiti in tertio gradu conjuncta;* & n.69.

70. Tertius inceſtuoſus coitus *cum uxoris ſuæ ſororis & ipſius inquiſiti propriè adoptiva filia Chriſtina.*

71. *An quis* uxoris defunctæ fratris filiam *in uxorem ducere poſſit?* & n.72.73.

74. *Quæ* pœna inceſtûs *de jure civili?* n.75. 76.77.78.79.80.81.82.83.84.85.86.87.

88. Adulterii *crimen jure civili non punitur in viro rem habente cum virgine vel vidua, ſed ſtupri duntaxat,* & n.89. *Contrarium aſſerit Menochius, cujus opinio procedit de jure Canonico,* n.90.

91. Adulterium *indiſtinctè dicitur in eo vel ea, qui quæve ſuum vel alienum conjugium contaminavit.*

92. Inceſtum *ſi concomitetur qualitas adulterii, pœna eſt mors naturalis;* & n.93.

94. Intellectus *l. 5. ff. de quæſt.* & n.95.

96. Jus profitentibus *ſine lege quenquam interficere non licet;* & n.97.

98. *An hoc caſu* pœna *arbitraria ad mortem naturalem poſſit extendi?* & n.99. & 102.

100. Stupri *pœna ordinaria ex L. Julia non eſt capitalis.*

101. Pœnæ *omnes hodiè extraordinariæ eſſe cœperunt.*

Inceſtuoſas nuptias qui contrahunt,
Bonis ſuis de jure prorſus excidunt.

BOna quoque contrahentium inceſtas nuptias Fiſco cedunt, *Nov.12.c.1.* Quam ſententiam punctim tuetur, quòd duntaxat 1
in illis caſibus Jus antiquum, per *Nov. 134. c.13. in fin.* & inde deſumptam Auth. *Bona damnatorum. C. de bon. præſcript.* abrogatum ſit, in quibus jus illud pœnam confiſcationis bonorum generaliter & in conſequentiam pœnæ mortis vel deportationis 2
imponebat: non etiam in aliis caſibus, in quibus ſpecialiter & expreſsè, & non in conſequentiam alterius pœnæ bona ſecundùm jus antiquum publicabantur. Siquidem quoad hos caſus, leges, & conſtitutiones antiquas incorrectas manere communi Dd. calculo placuit, juxta Lancellot. Conrad. *de Offic. Prætor. in Criminal. num. 10. in fin. fol. 746.* Sigismund. Scaccia *lib.1. de judic. civil. crimin. & hæretic. cap.97. num.18.* Anton. Fab. *in C. deciſ. forenſ. lib.9. tit.25. definit. 1. num. 1.* Petr. Caball. *in Reſolut. Crimin. caſ. 99. num.19.* & latiùs *caſ. 137. num.21.* Camill. Borell. *de Regis Cathol. præſtant. capit. 16. n.205.* Quod nec diſſimulat Farinac. *in pract. crimin. lib.1. q.15. n.8.* aliis ibidem authoritatibus relatis, Clar. §. *fin. q.78. n. 1.* At 3
verò Crimini Inceſtus non nudè in conſequentiam, ſed principaliter & ipſo jure pœna confiſcationis irrogata eſt, text. *in d. Nov. 12.* Quod & confirmat *Nov. 139. c.1.* Lancellot. Conrad. *d. n.10.* Clar. §. *Inceſtus n. 2.* 4
Grivell. *Deciſ. Dolan.23. num. 3.* ut proinde Rei ante ſententiam defuncti memoriam non ſecus ferè, atque ex Majeſtatis crimine damnari poſſe cenſuerit Senatus Sabaudiæ, referente Anton. Fabro *d. lib. 9. tit.24. definit.24.* Cum quo jure communi congruit Conſtitutio Friderici Imper. *in d. cap. unic. quæ ſint regal.* Et Nemeſis Carolina *artic.* 5
117. Quare exiſtimo, eos, quibus jura regalia vel ex privilegio conceſſionéve Imperiali, aut immemoriali præſcriptione competunt, bona, contractis inceſtis nuptiis, Fiſco vindicare poſſe, inceſtas nuptias non habeant liberos juſtos usque ad tertium gradum, id eſt, pronepotes, & parentes usque ad ſecundum gradum & fratres & ſorores (itaque 6
liberi ex fratribus excluduntur,) patruum & amitam, juxta *l. ſi quis inceſtum 6. C. de inceſt. nupt.* Cujac. *in d. Nov. 12.* Simon de Prætis *de interpretat. ult. volunt. dub.1. fol.4. n. 92. fol.149.* Vultej. *lib.1. de feud. c.5. n.7. fol.93.* Roſenthal. *de feud. cap. 5. concl.58.* Cephal. *conſil.79. n.22.* (*ubi ait,* quòd hodie bona ob inceſtas nuptias, non obſtante d. Auth. Bona damnatorum confiſcantur) Eleganter Men. *lib. 2. de A. J. Q. caſ.502. n.48. & ſeq.* Sixtin. *de Regalib. lib. 2. c.13. n.30. & ſeqq.* Bornit. *de Ærario lib.3. c.7.* Bocer. *de Regal. c.3. n.58.* Ideoque teſtari nequeunt contra- 7
hentes inceſtas nuptias, Dauth. *de teſtament. n.250.* Neque huic ſententiæ refragatur authoritas Dd. de contraria conſuetudine totius mundi atteſtantium. Nam Dd. iſti Itali de conſuetudine Germaniæ fidem perhibere

8 bere non potuerunt. Creditur autem Dd.
hactenus de conſuetudine atteſtantibus, ſi in
eo loco, ubi conſuetudo viget, vel vixerint,
vel praxim exercuerint, prout paſſim Dd.
inculcant, Maſcard. *de probat. concluſ. 426.
num. 21. & ſeq.* Farinac. *d. lib. 1. quæſt. 28.
num. 13.* Hondedæ. *conſil.* 101. *num. 39. vol.*
9 1. Præterea ad probationem conſuetudinis
generalis ſive univerſalis non ſufficit pauco-
rum Dd. teſtificatio, etſi ſint celeberrimi,
quando ea eſt contra jura ſcripta, Heig. *2.
quæſt. 33. num. 54. & q. 34. num. 45.* Gilken.
in l. pactum quod dotali num. 88. C. de pact.
ubi innumeros conglomerat. Peregrin. *con-
ſil. 11. num. 30. vol. 3.*

Nec valet allegatio, quòd in Crimine
Inceſtûs bona non fuerint hactenus publi-
10 cata. Ergò & hodie hoc fieri non debet à
Magiſtratibus Regalia & interea jus confi-
ſcandi habentibus; Cùm fiendum curſu
temporis non tollatur, Bald. *in c. officii num.
2. de præſcript.* Nicol. Everhard. *in Top. ab
uſitat. vel ſolit. num. 14. in fin.* Cavalcan. *tr.
de Tut. & Curat. num. 41.* Heig. *d. lib. 2. q. 23.
num. 28.* maximè cùm contrarium, quòd
ſcilicet confiſcationi in Germania locus de-
tur, ex eo elucescat, quòd hodiè non infi-
mæ notæ JCti acriter diſputent; An etiam
11 pœna inceſtûs non modò corporalis, ſed
etiam publicationis bonorum jure civili in-
troducta obtineat *in inceſtu juris Canonici?*
(1) Quod plerique Betrand. *conſil. 217. n. 3.
vol. 3. parte 2.* Modeſtin. Piſtoris *conſil. 25.*
12 *vol. 2.* Nicol. Everhard. Junior *conſil. 37.
vol. 2.* Fichard. *conſil. 63. num. 9. lib. 2.* Vinc.
de Franchis *deciſ. 240. num. 14. & 15.* Teſ-
ſaur. *deciſ. 100.* Menoch. *d. caſ. 502. per tot.*
Camill. Borell. *d. cap. 16. num. 196. & 197.*
(ubi tamen contrariam opinionem com-
muniorem & ſequendam dicit) Peregrin.
de jure fiſci lib. 5. tit. 5 num. 16. Sixtin. *d. lib.
2. cap. 11. n. 35.* Caball. *centur. 2. reſol. Crim.
caſ. 200. num. 37.* Quæ diſputatio quoad
confiſcationem bonorum (in quibus termi-
nis etiam loquitur Modeſtin. Piſtor. *d. loc.*)
eſſet otioſa & ſupervacua, ſi confiſcatio per
contrariam conſuetudinem prorſus eſſet
abrogata. Et, Fiſcus quòd ſuccedat nato ex
inceſtuoſo coitu, notavit deciſum in Came-
ra Mynſing. *obſ. 91. cent. 3.*

13 An verò prædicta pœna inceſtarum
nuptiarum, etiam extra nuptias & ad ince-
ſtuoſum ſtuprum referenda & extendenda
ſit? inter Dd. non convenit. Negantium
opinioni ſubſcribit Afflict. *in c. unic. quæ ſint
regal. verb. bona contrahentium num. 4.* Nic.
Boer. *deciſ. 264. n. 28. in fin.* (Quem hoc di-
cere non reperire ſe, malè ſcripſit Roſenthal
dict. cap. 5. concluſ. 58. in lit. c.) Marc. An-
ton. Peregrin. *d. lib. 5. cap. 1. num. 17.* Sixtin.
d. c. 13. n. 53. & multis ſeqq.

14 Verùm pro Affirmativa communiter
ex illâ ratione concluditur; Quòd in actu
fornicario ſine colore matrimonii inceſtum
committentis, contumacia juris & contu-
melia ſanguinis concurrant, cùm Reus ſe
delinquere ſciat, nec tamen matrimonium
contrahere velit: Quando verò ſub velami-
ne matrimonii quis inceſtum committit,
juris tantùm error in matrimonio illicitè
contracto conſideratur, *l. ſi adulterium 38.
§. ſtuprum 1. ff. ad L. Jul. de adulter.* ubi
ſubjungitur *in §. Nonnunquam 3.* quod quan-
quam inceſtus crimina graviora ſint ſtupro
& adulterio, humaniùs tamen ea tractari, ſi
ſub colore matrimonii contrahantur. Tali-
ter enim inceſtum committentes præſu-
muntur habere aliqualem prætextum Caſti-
tatis, *arg. Nov. 39. cap. 2.* Quemadmo-
dum ex hoc ſolo fundamento hanc ſenten-
tiam probant Bald. *in d. c. unic. quæ ſint re-
gal. num. 4. & ibidem* Alvarott. *num. 4.* Petr.
Duennas *reg. 150. ampliat. 1.* Vultej. *d. n. 7.*
Roſenthal. *d. concluſ. 58. num. 2.* Caball.
d. c. 200. n. 79.

Cæterùm in materia criminis inceſtûs
aliquando elegans conſilium ſive Reſpon-
ſum juris redditum eſſe memini, quod, cùm
nondum publici juris factum, hîc ſubnecte-
re allubeſcit, nec lectori illud ingratum fore
confido.

Reum (inquit Author Conſilii) Ince-
ſtus argui deprehendo. An autem is pro-
batus ſit, de ejuſque pœna videbo.

Primus quidem inceſtus videtur com- 15
miſſus cum fratris ſui filii uxore Catharina.
Secundus in perſona N. quæ uxoris Rei ter-
tio gradu eſt conjuncta. Tertius cum uxo-
ris ſuæ ſororis filia Chriſtina. Quod Catha- 16
rinam attinet, cum eâ inceſtum commiſ-
ſum fuiſſe, inde deducitur; Quod ſemper
quando quis alicui ex propria aut uxoris,
quam non ſanguineus habuerit, conſangui-
nitate, ſecundùm *c. de inceſtis 35. quæſt. 3.*
aut ex his, cui legibus aut moribus jungi
prohibetur, ſe commiſcuerit, Inceſtus
Reus dicatur, *l. ſororis. §. 1. l. fin. in fin. de rit.
nupt. l. ſi adulterium. 38. §. Inceſtum. 7. ad L.
Jul. de adulter. l. qui contra 4. junct. l. ſi quis
6. C. de Inceſt. nupt.*

Juris verò certi, quòd non ſit permiſſa 17
conjunctio inter patruum & ſui fratris filii
uxores, ut quando Jure Canonico intra
quartum gradum eſt patruo mariti, in quo
tam conſanguinitatis, quàm Adfinitatis
gradu incluſivè omnis conjunctio prohibi-
ta eſt vi conſtitutionis in Concilio gene-
rali editæ, & quæ *in c. non debet. extra. de
conſanguinitate & affinitate.* Et hæc quidem
de Jure Canonico certiſſima ſunt.

Sic eâdem ratione jure Cæſareo iſto ca-
ſu prohibitam eſſe copulam, inde adſtrui
videtur; Quod utcunque hîc non ſit in linea
recta conjunctio, quæ quidem potiſſimùm
hoc jure attenditur, *l. fin. ff. de rit. nupt.* Ta- 18
men non minùs inter pleroſque, qui à latere

Sſſſ ſunt,

ſunt, ſub pœna Inceſtus conjunctio prohi-
beatur, ſicut id in ſorore, quæ fratri ſecun-
do gradu eſt, ſecundùm computationem
juris civilis, non ſolùm legibus, ſed & mori-
bus, id eſt, jure gentium, ſeu tacito omnium
gentium conſenſu conſtitutum eſt; *l. liber-
tinus. l. & nihil. 54. de rit. nupt.* latiusque
quidem de eo jure probavit Cujac. *in Papin.
lib. 36. quæſt. 638. ad L. Jul. de adulter. col. 2.*
Borcholt. *de gradib. fol. 103.*

19 Utcunque diſſentiat Teſſaur. *deciſ. 100.
num. 5.* de ſororis filia, quæ ex latere tertio
gradu avunculo eſt, evincit text. *in l. etiamſi
concubinam 56. ff. de rit. nupt.* Deque ſoro-
ris aut fratris nepte vel pronepte, licet quin-
to gradu ſint, docet *l. ſororis 39. ff. de rit.
nupt. §. fratris. Inſtit. de nupt.* Cùm hi o-
mnes parentum & liberorum loco ſint, *d. l.
ſororis ff. de Ritu nupt.* Haud ſecus igitur, ut
conjunctio filiæ fratris & ſororis cum avun-
culo vel patruo, vel filii fratris & ſororis cum
matertera & amita, ſecundùm jam deducta
20 jure civili interdicta eſt; Ita etiam cum uxo-
re filii fratris prohibitam eſſe oportet, cum
eo gradu, quo patruus eſt filius fratris, ut
quæ cum iſto, tanquam ſuo marito una ea-
demque cenſeatur perſona, & ad quam me-
diantibus nuptiis cognati viri & ipſa ad ma-
riti cognationis fines acceſſerit; *l. non facilè
4. §. ſed quoniam. 3. de gradibus c. 1. ibi: ab-
ſtinendum eſt à conſanguineis uxoris & pro-
priis, & c. quæ ſuper his. ibi: omnes conſangui-
nei viri ſunt affines uxoris. c. de conſanguin.
& affinit. text. expreſſ. in cap. porrò. ibi: quod
ſi ſecundùm. 31. qu. 5.* Fichard. *conſil. 66. n. 1.
vol. 2.*

21 Et quamvis hæc non improbabiliter
ita aſſerantur, tamen de jure gentium &
Romano veteri non modicam recipiunt
dubitationem. Jure gentium enim potiſſi-
mùm Inceſtus inter Aſcendentes & Deſcen-
dentes committitur, *d. l. fin. de rit. nupt.* Et
22 eo jure conjunctionem cum fratris filia
non eſſe prohibitam, ſed quandoque per-
miſſam fuiſſe, argum. *l. fin. C. de inceſt. nupt.*
quod expreſsè tradidit etiam Covarruv. *in
Epitome de ſponſ. in ſecunda parte. cap. 6. §. 10.
num. 23.* ubi nec jure divino, nec naturali
hunc coitum prohibitum eſſe; ideoque
ſummum Pontificem deſuper diſpenſa-
re poſſe exiſtimat; quem ſequitur Menoch.
*lib. 6. de arbitr. Judic. Q. caſ. 502. num. 16.
& ſeq.* Licet contrarium tam de jure divino,
quam gentium ejusmodi conjunctiones
prohiberi, docuerit Alberic. Gentilis *de nupt.
lib. 5. cap. 5.*

23 Quin etiam ſpecialiter SCto concubi-
tum patrui & patris filiæ licitum eſſe judi-
catum eſt, *cùm Claudius Imperator* (2) A-
24 grippinam Germani fratris ſui filiam uxo-
rem duceret, de quo teſtatur Cornel. Ta-
citus *lib. 12.* Sueton. *in Claud. cap. 26. &*
probavit idipſum ex aliis auctoribus latiùs
Cujac. *in explicat. Novellæ 12. & lib. 8. ob-
ſervat. 28. & in Papiniano lib. 36. in l. ſi ad-
ulterium 38. ff. ad L. Jul. de adult. & in Pa- 25
rat. C. de inceſt. nupt.* Idem eleganter in
prælectionibus ad eundem titulum, ubi o-
mnem prohibitionem inter cognatos à la-
tere eſſe juris politici, & totam pendere ex
arbitrio legum, neque eſſe ejusmodi nuptias
jure gentium prohibitas, Borcholt. *de gra-
dibus fol. 104.* Unde eſt, quòd nullus inve- 26
niatur in Digeſtis locus, quo inceſtus dica-
tur committi à patruo cum fratris filia.

Adeoque Ulpianus *in fragment. tit. 5.* 27
§. 6. nonnunquam ex tertio gradu licere
uxorem ducere, veluti fratris filiam, ex-
preſsè dixit, licet diverſum in Sororis filia ex
eo jure obtinuiſſe, & ab avunculo Inceſtum
cum iſta commiſſum eſſe præter Ulpianum
d. §. 6. oſtendat Papinian. *l. qui in Provincia
57. §. 1. ad L. Jul. de adult.* Cujus quidem, & 28
cur magis in hoc, quàm illo caſu prohibita
fuerit conjunctio, diverſitatis rationem nul-
lam, niſi quòd ita jus poſitum ſit, reddi poſſe
exiſtimavit Cujac. *d. loc.* In quod nunc pro-
lixiùs non inquiro.

Utcunque verò poſteriorum Impp. 29
Conſtitutionibus hac differentiâ ſublatâ
neutram nec fratris nec ſororis filiam duce-
re permittatur, *l. fin. C. de inceſt. nupt. l. nemini.
17. C. de nupt. §. fratris verſic. 3. Inſtitut. de
nupt.* & peccandi ſuper tali conjunctione,
imò potiùs contagione, cunctis licentia de-
negetur; *l. fin. C. ſi nuptiæ & reſcript. per-
tant.* Manet nihilominus, non gentium,
ſed civili ſaltem jure, Inceſtum hoc caſu 30
committi, ſeu eſſe quidem conjunctionem
inceſtam, ſed non nefariam, uti diſtinguit
Cujac. *in prælect. ad tit. C. de inceſt. nupt.* ut
quod non apud omnes gentes peræquè cu- 31
ſtoditum fuerit, & cujus prohibitio cum ipſo
humano genere neutiquam extiterit, *§. 1. &
2. Inſtitut. de jure naturali, gentium & civil.
§. 1. l. de his, qui ſunt ſui vel alien. jur. §. ſingu-
lorum. de R. D. l. omnes. 4. de juſtit. & jur.*

Quæ omnia & inde confirmantur, 32
quòd deficiente expreſſo tenore Statuti Ci-
vitatis Brixienſis ipſum, qui materteram ſu-
am carnaliter cognoverit, pœnâ non mor-
tis naturalis, ſed arbitrio judicantis puni-
retur, ſaltem puniendum reſpondeiit Cæ-
polla, *conſil. 68. vol. 3.* Quod ſanè vix dici
poſſet, ſi jure naturali ejusmodi Conjunctio-
nes prohibitæ forent. Cùm juris naturalis
perpetua ſit prohibitio, etiam deficientibus, 33
imò prohibentibus legibus civilibus, *c. cum
tu manifeſtos extr. de uſur.* juxta ea, quæ no-
tavit Vaſqu. *libro 1. illuſtr. quæſt. capite 44.
n. 10.*

Quin igitur hodiè Inceſtus juris civi-
lis inter perſonas jam dictas, fratris ſo- 34
roriſve filiam, & patruum avunculúmve
nempe

nempe committatur, non eſt quidem dubitandum, & docent expreſſè jam adductæ Conſtitutiones, maximè *l. fin. C. ſi nupt. ex reſcript. petant.* ubi nefandiſſimum ſcelus ejuſmodi conjunctionem Zeno appel-
35 lavit. Idem demonſtravit Menoch. *de A. J. Q. cent. 6. caſ. 502. num. 16.* Sed an propterea idem in terminis, in quibus jam verſamur, uxore videlicet filii fratris obtineat, ut cum ea, æquè concubitus atque cum filia ipſa fratris juxta ea, quæ jam deducta ſunt, tanquam inceſtuoſus hoc jure damnetur? majorem recipit ambiguitatem. Moribus ſanè hodiernis ex Jure Ca-
36 nonico ejuſmodi conjunctionem etiam in uxore filii fratris tanquam inceſtuoſam paſſim damnatam, neminem video, qui dubitet, uxor enim ubique accuratè reſpectum gradûs in conjunctis mariti non ſecus atque in ſuis propriis habere tenetur, *dict. cap. porrò 35. quæſt. 5. cap. 1. cap. quod ſuper his extr. de conſanguinitate & affinita-*
37 *te.* Et indiſtinctè etiam in adfinitate quartus gradus incluſivè prohibetur, *d. cap. 1. & c. non debet extr. de conſanguinitate & affinita-*
38 *te.* Idque non immeritò, cùm verecundia & pudor potiſſimùm ſpectetur in nuptiis, indeque prohibitio Nuptiarum potiùs extendenda, quàm anguſtanda ſit, quemadmodum rectè dixit Cujac. *in explicat. d. l. 38. ad L. Jul. de adult. libro 36. quæſt. Papin.* Attamen de Jure Cæſareo in libris Digeſtorum, & Codicis relato, vix eſt, ut itidem
39 adſervari poſſit. Eſt enim uxor filii fratris patruo mariti tantùm adfinitate conjuncta. Inter adfines autem nedum jure gentium juxta *d. leg. final. de rit. nupt.* ſed nec jure civili ea eſt prohibitio, quæ inter ipſos
40 agnatos. Cùm non naturâ & ſanguine, ut
41 in iſtis, ſed ſaltem nuptiis cauſetur. Ideoque duntaxat ut inceſtuoſa conjunctio privigna, nurus, noverca, & ſocrus, aliorumque in linea aſcendenti ulteriorum reprobata invenitur, *l. adoptivus. 14. §. nunc videamus cum l. ſeq. l. non facilè. 4. Et quidem cum ſeq. de grad. & affin. l. Ariſto. 40. de l. rit. nupt. l. fin. §. fin. de condict. ſine cauſa l. 38. pr. ad L. Jul. de adult. §. adfinitatis. cum ſeq Inſtit. de nupt.*
42 *l. memini. C. eod.* Cùm hi parentum liberorumque loco habeantur, *d. l. 4. §. 7. de gradib. l. quia parentis. 16. ff. ſolut. matrim. d. §.*
43 *adfinitatis. Inſtit. de Nupt.* Quibus annumerantur, qui ſibi invicem ſunt loco fratrum & ſororum, ut levir, mariti frater, & uxor fratris, *l. licet. 8. l. fin. C. de inceſt. nupt.*
44 Extra hos, qui ſunt adfines, nullam jure civili reperiuntur habere prohibitionem, *d. l. 4. §. 7. ff. de gradib.* Cujac. *in paratit. C. de inceſt. nupt.* & clarè ita reſpondet Alexander. *conſil. 229. Ponderatis hiſce num. 7. volum. 6.* Fichard. *conſil. 68. §. Hierauf. verſic. So viel erſtlich. vol. 2.* ubi paucis & quidem proximioribus adfinibus ſaltem jure Cæſareo matrimonio interdici demonſtrat. Quæ eſt 45
ſententia Weſembecii *in parat. ff. ad L. Jul. de adult. num. 22.* ubi à marito non committi propriè inceſtum, niſi cum aſcendentibus vel deſcendentibus, & ſorore; non autem cum illis, qui ulteriore gradu ex latere aut per adfinitatem ipſi conjunguntur, apertè ſtatuit.

Quod eâ ratione fulcitur, quâ in trans- 46
verſalibus jure civili non omnes, qui liberorum parentúmve locum obtinere videntur, eò quòd fortè in linea inæquali ſunt, ſed eos ſaltem, qui propiùs parentum loco, ut novercam & privignum, ſocrum & nurum, inceſtum committere dicimus;
Cum reliquis perſonis, licet quodammodo 47
accedant ad vicem parentum & liberorum, tamen inceſtus non æquè perpetratur, ut doctè explicavit Cujac. *in d. l. 38. ad L. Jul. de adult. lib. 36. quæſt. Papinian.* & aliud eſſe eos haberi loco parentum, aliud eſſe parentes, dixit Alexand. *d. conſil. 229. num. 8. in fin.*
vol. 6. Idemque inſuper hoc ipſo corrobo- 48
ratur, quòd in Affinitate jure civili non ſint conſtituti gradus, *l. 4. §. gradus. 5. de gradibus.* ſed ſaltem eo jure habeatur reſpectus ad reverentiam, quæ aſcendentibus, & propinquitatem, quæ collateralibus debetur. Hæc 49
autem ipſa ratio propinquitatis, cùm merè civilis ſit, juxta ea, quæ jam antè deducta ſunt, cùm jus poſitivum extra caſum fratrum & ſororum pro ſuo mero arbitrio in reliquis extendit & reſtringit, quemadmodum in ſimili Accurſ. *in l. 1. §. initium. verb. ratus. ff. de poſtul.* in iis, quæ ſunt de juſtitia poſitiva non eſſe maximoperè quærendam rationem ſtatuit.

Concludo igitur, concubitum cum 50
uxore filii fratris jure Cæſareo tanquam in adfinem commiſſum pro inceſtuoſo nequaquam, ſed jure Canonico & moribus hodiernis ſaltem ejuſmodi indubitatò reputari, & conſequenter in præſenti facti hypotheſi conjunctionem iſtam, de qua agimus, hoc jure tanquam inceſtuoſam damnandam eſſe.

Reſtat, ut quæ pœna in Inquiſitum propter hunc coitum maneat, diſpiciamus.

Sanè jure civili nulla poteſt dici eſſe 51
conſtituta in hoc caſu pœna, cùm inter ejuſmodi conjunctos, ſecundùm jam deducta, licita ſit copula: Quod autem fit jure permittente, pœnam non meretur, *l. Gracchus C. ad L. Jul. de adult. l. 3. §. fin. ff. de concub.*

Juris Canonici pœna inceſtum com- 52
mittentium mortis quidem nulla eſt, cùm Eccleſia neminem ad mortem condemnet, *c. jura ſanguinis extr. ne cleric. vel Monach.* Tiber. Decian. *conſil. 115. an ſit. num. 13. volum. 3.*

Sed ea præcipuè hoc jure inceſtuoſo ir- 53
rogatur, id quod ſupereſt vitæ, ſine ulla

Ssss 2 ſpe

ſpe conjugii in perpetuo luctu & ſqualore perpetuaque pœnitentia tranſigat, *c. 2. & 8. de eo qui cognov. conſangu. uxor. ſuæ vel ſponſ. c. de inceſtis. 35. qu. 13.* Cui adduntur & aliæ, quas ad longum recenſet Menoch. *de A. J. Q. caſ. 502. num. 5. & ſeqq.* Quibus noſtro caſu locum dari, non eſt quod dubitetur.
54 Cùm verò de ea, ut Eccleſiaſticum forum ſpectante, in præſenti potiſſimùm non quæratur. An nihilominus pœna, quæ jure civili nuptiis inceſtuoſis præſtituta eſt, etiam hodie locum habeat in iis, quæ inceſtæ ſaltem ſunt, ſecundùm juris Canonici diſpoſitionem; id inprimis in noſtra hypotheſi inquirendum erit, quo ſciri poſſit, an Reus noſter ex juris Canonici Regulis inceſtuoſus, pœnâ legibus civilibus inceſtuoſis dictâ, à civili magiſtratu affici debeat?

55 Affirmativam ſententiam quoad pœnam juris civilis videlicet infligendam, ita inceſtas nuptias intelligendas eſſe, ut eas quoque gradibus jure Canonico prohibitis contrahentes, licet jure civili prohibiti non ſint, comprehendamus, legemque civilem in hac re omninò ad Canones referendam eſſe, tenet Abb. *in c. & ſi neceſſe. de donat. inter vir. & uxor.* Dec. *conſil. 158.* ubi hanc communem dicit, quam ſequitur etiam & defendit Covarruv. *de matrim. 2. p. §. 5. de inceſt. nupt. num. 30.* & alii relati à Nicolao Bellono *conſil. 84. num. 5.* cum quibus & ipſe Bellonus convenit in nuptiis jure Canonico inceſtis, licet in ſimpliciter prohibitis ſecus obtinere exiſtimet, *ibid. n. 6.*

56 Et hæc opinio verior & probabilior viſa eſt, Menoch. *centur. 6. caſ. 502. num. 66. & ſeqq.* ubi ultra Decium duabus rationibus eandem confirmat, & contrariis reſpondere nititur. Idemque ſentire videtur Gomez. *ad l. Tauri in l. 80. & duab. ſeqq. n. 15. verſic. & hæc eadem.* ubi planè in terminis
57 noſtris pœnam inceſtûs locum habere dixit, quando quis ſcienter habet acceſſum ad uxorem conſanguinei ſui infra quartum gradum, quod ultra adulterium committat crimen inceſtus. Contrariæ tamen o-
58 pinionis fuit Anchoranus *conſil. 292. videtur.* Caldarin. *conſil. 2. contraxit tit. d. conſanguin. & affin.* Johan. Faber. *in §. ſi adverſus. Inſtit. de nupt.* Bertrand. *conſil. 217. Punctus. vol. 3.* Decius ſibi parùm conſtans *conſil. 268. num. 5.* Anguſola *conſil. 7. lib. 1.* Alexand. *d. conſil. 229. num. 6. vol. 6.* ubi ex-
59 preſsè ait, Jura civilia imponentia pœnas pro inceſtu intelligi ſolùm quoad perſonas, inter quas prohibitæ erant Nuptiæ de jure civili ratione conſanguinitatis vel adfinitatis, non autem quoad perſonas, inter quas ex diſpoſitione juris Canonici tantùm eſſent prohibitæ nuptiæ. Quod etiam ſequitur
60 Foller. *in pract. crim. n. 95.* ubi hanc opinionem communiorem, probabiliorem & magis veritati conſentaneam, & Decium, qui contrariam communem pronunciavit deceptum eſſe dixit. Eandem in puncto juris veriorem, cui etiam libentiùs, ſi caſus contingeret, adhæreret, cùm mitior & benignior ſit, ait Clar. *lib. 5. ſentent. §. Inceſtus n. 3.* Huic quoque adſtipulatur Sonsbec. *de feud. p. 12. verſic. Undecima concluſ. num. 13. & parte 13. num. 34.* Modeſt. Piſtor. *conſil. 35. num. 23. & ſeqq. volum. 2.* Gabriel Pa- 61
læott. *de Nothis & Spuriis cap. 42. num. 8. & ſeqq.* Auguſt. *in addit. ad* Decium *d. conſil. 159. lit. A.* plures congeſſit Vinc. de Franchis *deciſ. 240. num. 15.*

Et ab hac poſteriore opinione judican- 62
do recedi non debet, cùm in tanta Dd. varietate mitiorem potiùs, quàm duriorem ſequi ſententiam expediat. In ambiguis 63
enim pœnæ molliendæ ſunt, *l. ſi præſertim, l. interpretatio. ff. de pœn. l. factum cuique. §. in pœnalibus de R. J.* Bartholom. Bertazzol. *conſil 277. num. 12. vol. 2.*

Idque eò magis, quòd in iis licita non videatur extenſio conſtitutionis pœnalis ad conſtitutionem alterius authoris, ex quo in 64
pœnalibus prohibetur extenſio, Gl. *in c. 1. verb. Ital. de temp. ordinar. in 6. gl. in §. Item miſta verb. judicium. Inſtitut. de actionibus.* Niſi fortè ſecundùm priorem affirmativam 65
in foro delicti jam antè judicatum, vel conſuetudo loci eſſet. Tunc ſanè tutè juxta eam pronunciari, & Reus tanquam inceſtuoſus condemnari pœnâque legum civilium affici poſſet, quemadmodum etiam ſentit Clar. *d. §. Inceſtus num. 3. in fin.* In imponen- 66
disque pœnis judex impunè ſervat loci conſuetudinem, *l. ſi quis reum. ff. de cuſtod. Reorum.* infinitos congerens, Farinac. *lib. 1. tit. 3. quæſt. 17. num. 18.* De qua tamen cùm in 67
ſpecie mihi nihil conſtet, nec deſuper in præſenti hypotheſi fundamentum ponere poſſum, ſed ex jure communi priori adhæreo ſententiæ. Reum videlicet quoad hanc cum uxore filii fratris ſui carnalem copulam inceſtum non commiſiſſe, neque pœnâ Inceſtûs juris civilis ob juris Canonici determinationem affici poſſe.

Item omninò de ſecunda uxore, vide- 68
licet Gangolffii, ſentio, cùm & hæc ipſi inquiſito per uxorem affinitate ſaltem, & quidem tertio gradu conjuncta ſit; & eo gradu de jure civili, ſi in linea æquali transverſalium ſuit; omninò inter ipſius uxorem ejuſque cognatos permittatur matrimonium, *arg. §. duorum. 4. Inſtit. de nupt. l. 19. C. de nupt. l. 3. ff. de ritu nupt. l. 23. cum ſeq. ſeq. §. de condit. Inſtit. l. 78. §. 8. ad S. C. Trebell. l. 2. C. de Inſtit. & Subſtitut.* Graviusque fa- 69
cinus perpetrat, qui proprii conſanguinei, ut in caſu præcedenti, quàm qui uxoris conſanguineæ, ut hoc caſu, thorum maculet, Hieronym. de Cævallos *practic. qu. commun. contra commun. quæſt. 737. n. 2. in fin.*

De

70 De coitu cum tertia uxoris ſuæ ſororis filia Chriſtina, major dubitandi ratio eſſe poteſt, ſed nec caſu hoc inceſtum jure civili committi, nec pœnam inceſtûs locum habere expreſsè in terminis noſtris latè demonſtravit Alexand. *d. conſil. 229. num. 4. vol. 6. & ſeqq.*

71 Quemadmodum & uxoris defunctæ fratris filiam licitè jure Cæſareo in uxorem duci poſſe, reſpondit Fichard. *conſ. 68. per tot. vol. 2.* Sed fortiter nihilominus contra hanc conjunctionem illud ſtringit, quòd adoptivam hanc fuiſſe inquiſiti filiam in trans-
72 miſſis allegatur. Quod ſanè ſi ita eſſet, & adoptio debito modo facta foret, nefariam & inceſtuoſam dicere hanc conjunctionem non veremur: per adoptionem enim vinculum civile, filiæ loco ipſi eſſe cœpit, text. *expreſſ. in §. 1. Inſtitut. de nupt. verb. Et hæc*
73 *adeo. l. 14. l. 17. §. 2. de rit. nupt.* quam in uxorem ducere nefas exiſtimatur, quemadmodum in filia adoptiva expreſsè loquitur Cajus *in l. 55. de rit. nupt.* Et ex hoc ſolo capite ipſum tanquam juris civilis inceſtûs reum omninò damnari poſſe cenſeo. Quo præſuppoſito, quæ pœna inceſtus jure civili dicta ſit, videamus.

74 Jacobus quidem Novellus *in pract. ſua crimin. §. non inutiliter. fol. 103. num. 11.* inceſtum non poſſe puniri corporaliter, niſi lege municipali ita caveatur, ſtatuit. Idem tenet Alexander. *conſil. 229. numer. 4. & 5. volum. 6.* Vincent. de Franchis *deciſ. 378. per tot. & alii* adducti à Jacobo Thomingio
75 *deciſ. 42. num. 6.* Alii tamen ſimpliciter, quando non in figura matrimonii inceſtûs fit, huic pœnam mortis eſſe dicunt, quos refert Teſſaur. *deciſ. 100. num. 3.* Thoming. *deciſ. 42. num. 3.* quibus addo Fichardum *conſil. 63. num. 10. vol. 2.* Thom. Treviſan. *deciſ. 59. num. 4. lib. 2.* Gomez. *ad l. 80. Tauri num. 15.* Muſcatellum *in praxi crimin. Rubric. de adult. c. de directòr. crimin. privileg. & pœn. num. 50.* Et hanc communem teſtatur Clarus *d. lib. 5. ſentent. §. Inceſtus. num. 2.* Et veriorem de jure Codicis dixit Menoch. *de A. J. Q. cent. 6. caſ. 502. n. 34.*

76 Sic & Bald. *conſil. 429. ſuper eo lib. 5.* putat, pro inceſtu poſſe imponi pœnam gladii, eò quòd pœna hæc de jure Codicis hodierno imponatur adultero, cui in pœna æquiparatur inceſtus ſecundùm Gloſſ. *in l. ſi adulterium cum inceſtu. ff. ad L. Jul. de adulter.* quam dicit communiter approbatam Treviſan. *d. l.* Covarruv. *de matrimonio p. 2. §. 3. n. 2.* ſequitur Ægid. Boſſ. *in pract. crim. tit. de coitu damnato. n. 4.* Forſter. *de ſucceſſ. ab inteſt. lib. 6. c. 49. n. 6.* Hotoman. *conſ. 96. n. 5. & ſeq.*

77 Et licet ad hanc æquiparationem, uti ſolùm authoritate gloſſæ, non alicujus legis innitentem, pro contraria ſententia abundè reſpondeat Vinc. de Franchis *d. loc. n. 2. & ſeq.* Modeſt. Piſt. *in illuſtr. quæſt. Jur. civil. & Saxon. p. 1. q. 92. n. 9. & ſeq.*

Tamen Vincent. de Franchis *in d. loco* 78
de collateralibus ſaltem loquitur, & Modeſtin. Piſtoris ipſemet à priore ſententia recedit *numero 16. & ſeq.* Ut in præſenti caſu, quo inter aſcendentem & deſcendentem patrem nempe & filiam adoptivam interceſſit coitus, non immeritò poſteriori ſententiæ, quâ inceſtum morte mulctandum diximus, inhærere poſſimus; Cùm in aſcen- 79
dentibus & deſcendentibus graviùs ſit puniendus concubitus, quàm in transverſalibus, *d. l. fin. de rit. nupt.* Quâ de causâ 80
pœnam mortis indubitatò inferendam perſonis, in linea inferiori inceſtum committentibus latè demonſtravit Boer. *deciſ. 318.* Damhouder. *in practic. crimin. cap. 94. num. 4.* Thoming. *d. quæſt. 42. num. 7. & ſeqq.* Teſſaur. *deciſ. 100. num. 4.* Modeſtin. Piſtoris *d. quæſt. 42. num. 16. & ſeqq.* Weſembec. *in Parat. ff. ad L. Jul. de adulter. n. 23.* In tantum, ut parentes propter coitum 81
cum eorum filiabus fuerint igne combuſti, vel furcâ ſuſpenſi, juſſu Senatus Mediolanenſis teſte Boſſio *d. tit. num. 6. & 7.* Et pœnam ignis iſtis irrogari ſe vidiſſe teſtatur Muſcatellus *d. loco num. 52.* pœnamque gladii hoc caſu in marito in foro Saxonico receptam, traditur à Scabinis Wittenbergenſibus *in Conſultat. Saxonicis nuper impreſſis p. 4 de delict. qu. 3. n. 8. & 15.*

Etſi verò non ignorem, hos quidem 82
non omnes in parentibus & filiis naturalibus loqui, nihilominus tamen idipſum de liberis, qui per civile adoptionis vinculum nobis quæſiti ſunt, quicquam accipiamus, nihil, quod magnoperè obſtare poſſit, video, maximè cùm quoad irrogationem pœnæ potiſſimùm de civili Inceſtu quærendum ſit. Quando autem inter paren- 83
tes & liberos adoptivos non minùs eodem, quàm inter ipſos naturales legibus civilibus damnatus coitus fit, *d. §. 1. Inſtitut. de nupt.* Et in adoptione parentes liberis cognati ſint *l. 4. §. in adoptionem. 10. ff. de gradib.* Naturam enim adoptio imitatur, & utcunq; non adferat jus ſanguinis, adfert tamen jus agnationis, *l. 23. de adopt.* Idque nec jure Canonico immutatum reperiatur. Sed & hoc jure cognatio legalis, quæ matrimonium impediat, appelletur, *tot. tit. extr. de cognat. legal.* ſecundùmque magis communem opinionem Dd. & matrimonium jam contractum dirimat, Hieronym. de Cævallos *in Specul. Aur. commun. contra commun. qu. 250.* Meritò hæc conjunctio pro inceſtuoſa, & quæ inceſtuoſis juris civilis luenda pœnis ſit, habebitur; Cùm & aliàs par coitus condemnati & inceſtûs habeatur ratio, ut tradidit Cravetta *conſil. 687. Quo perſpicua num. 5. vol. 4.* Inceſtus quippe eſt quævis

 illicita

illicita jure civili viri & uxoris conjunctio, juxta *l.38.* §. *Inceſtu.7. ad L. Jul. de adult.*
84 Confirmantur autem hæc omnia etiam eò, quòd cum inceſtu & aliæ hoc caſu concurrant qualitates iſtam conjunctionem aggravantes, verum nempe adulterium inde commiſſum, quod alter ex coëuntibus, inquiſitus videlicet tempore coitus in matrimonio ſteterit. Concurrente autem adulterio cum inceſtu, tunc pœnam capitalem eſſe inceſtuoſo irrogandam tradunt Jacob. de Belviſo *in pract. crimin. c. de Lenonibus,*
85 *in fin.* Clar. *lib.5.* §. *Inceſtus, num.2.* Quam ſententiam eſſe communiter receptam ex Paulo Grillando, Lancellot. Conrad. ſcripſit Thomingius *quæſt. 42. num. 3. in fin.* Matth. Colerus *Deciſ.174. num.5.* ubi inſuper allegat Damhouder. *in pr. crimin. tit. de inceſt. nupt. c.94. n.5.* Sacid. *tit. de nupt.*
86 *rubric. de Illicitis, num.12.* Et ſine controverſia hodiè eſſe pœnam mortis, ait Menoch. *centur.6. caſ.502. num.40.* qui tamen ibidem *num.31.* jure civili ff. ſive ſolus inceſtus, ſive ei conjunctum fuerit adulterium ſecus fuiſſe, & tantùm pœnam deportationis, non mortis habere *i.* cum probat.
87 Et ſine dubio ſi inceſtus fornicationem concomitaretur qualitatem adulterii, ſtupri & aliorum, *tunc pœnam eſſe mortis naturalis,* (3) ait Muſcatell. *d. loc. n.52.*
88 Obſtare autem hiſce videtur, quod ipſa filia adoptiva tempore coitûs conjugata non fuerit. Jure autem civili adulterii crimen non punitur in viro rem habente cum virgine vel vidua, ſed ſtupri duntaxat, *l.6. §.1. l. ſtuprum ff. ad L. Jul. de adulter. ibid.* Cujac. *in parat.* Clarus *in* §. *Adulterium, n.2.* ubi ex Rolando hanc indubitatam Dd. ſententiam dicit, Alvar. Valaſc. *conſult. deciſiva*
89 *2. tom.1. conſult.29. n.6.* ubi ſimul aſſerit, coitum uxorati cum muliere ſoluta, non concubina, non eſſe punibilem lege aliquâ civili, Covarruv. *de ſponſal. part.2. c.8.* §. *5. num.1.* Everhard. à Middelb. *conſil. 179. num.2. & 4.* Mandell. *conſil.37. n.1. & ſeq.* Anton. Sola *in Conſtitut. Sabaud. Rubric. de concubinatu Laicorum gloſſ. un. num.6.* latè Petr. Heigius *quæſt. Jur. Civ. & Saxon. part. 2. q.29. num.5. & ſeq.* Coler. *in deciſ.176. num.1. & num.21. & ſeq.*
90 Et quamvis contrarium ſingulariter adſtruere conetur Menoch. *lib.2. arbitr. caſ. 420. num.106. & ſeqq.* Cujus quidem opinio de Jure Canonico ejusq; pœna Excommunicationis videlicet *c. intelleximus de adult.* minus habet dubii; cùm eo jure ubicunque maritus vel uxor habet rem carnalem cum quovis alio, quàm cum propria conjuge, dicatur adulteraſſe, text. *in c. puto.35. quæſt.5. d.c. nemo.32. q.4.* & ſenſim Chriſtianorum inſtitutis propter legis divinæ Sanctimoniam & veterum Eccleſiæ primitivæ Dd. auctoritatem receptum ſit, ut adulterium dicatur indiſtinctè in eo vel ea, qui, quæve ſuum vel alienum conjugium contaminavit, Hotoman. *conſil. 96. num.1.* quod etiam tenet Guid. Papa *conſil. 153. In curia. num.1.*

Non tamen continuo idem de jure civili inductum, ſed in eo Jus Canonicum à civili differre dicendum eſt, ut hanc diſtinctio- 91
nem Juris Cæſarei probat Clarus *d.* §. *adulterium part.2.* & Dd. communiter, quorum immenſum numerum cumulavit Flamin. de Rubeis *tractat. de Adult. c.5. n.3.*

Veruntamen quicquid ſit, etſi ponatur hoc caſu adulterium commiſſum dici propriè non poſſe (prout de juris civilis veritate omninò ſtatuendum eſt, quicquid dicat 92
Menoch. cujus argumenta, niſi ſuperfluum eſſet, ſigillatim non foret refutare difficile) tamen vel ſola indubitatò hîc concurrens ſtupri qualitas efficeret, ut ad pœnam mortis naturalis deveniretur, quemadmodum explicavit expreſsè Muſcatell. *d. loc.* ubi clarè dixit, ſi inceſtum fornicationem concomitaretur qualitas adulterii, ſtupri, ſine dubio eſſet pœna mors naturalis. Et ita 93
quoad pœnam Inceſtûs vel ſolum haberi reſpectum ad matrimonium maris ſtatuiſſe JCtos & Scabinos Wittenbergenſes refertur, Conſultat. Saxon. *part.4. quæſt.3. n.15.* ubi expreſsè ajunt: In dieſer Widerwärtigkeit halten wir juxta Grilland. doctrinam, das ſicherſte ſeyn / wo Inceſtus inter deſcendentes & aſcendentes, & collaterales in ſecundo lineæ inæqualis begangen wird / daß dann die Mannsperſon mit dem Schwerd / die ledige Weibsperſon aber mit dem Staupſchlag zu ſtraffen / desgleichen wo eins ehelich / ſolches ſoll am Leben / das andere mit Staupſchlagen / da ſie aber ſämbtlich ehelich / beyde mit dem Schwerd geſtraffet werden.

Unus ſaltem mihi in hoc ipſo remanet 94
nodus; reſponſum videlicet Marciani *in l. 5. ff. de quæſt.* ubi quidem, ſi quis viduam vel alii nuptam cognatam, cum qua nuptias contrahere non poteſt, corruperit, ob duplex crimen, Inceſtum nempe, dum cognatam violat contra fas, & ſtuprum virgini vel viduæ honeſtè viventi illatum, non pœnâ mortis naturalis afficiendum, ſed deportandum eſſe, ſtatuitur. In qua l. & ſimilibus omninò terminis (niſi quod vir, viduus & ſolutus nec filia adoptata fuerit) inprimis ſe fundat Alexand. *d. conſil. 229. n.13. vol.6.* Cùm eum, qui cognovit carnaliter filiam ſororis uxoris ſuæ præmortuæ, tantùm deportatione, & cùm hæc hodiè ab uſu receſſerit, arbitrio judicis ſaltem puniendum reſpondit.

Gloſſa quidem pœnam deportationis 95
quandoque ex dignitate & nobilitate ſufficere in annotationibus ad *d. l. Si quis viduam dixit:* atque ita innuit aliis majorem pœnam imponendam eſſe, quæ etiam eſt ſen-

ſententia Coraſii 2. *miſc. cap.* 1. *num.* 7. *& 8.* Tamen textus ipſe in nobilitate neque in dignitate ſe ſundat. Sed generaliter loquitur, & tamen non imponit majorem pœnam deportatione; Ideoque ſine lege loqui non immeritò erubeſco, maximè in cauſa
96 criminali. Jus enim profitentibus ſine lege quenquam interficere non licet, ut eleganter & ſanctè loquitur Modeſtin. Piſtoris *d. quæſt.* 92. *num.* 4. *part.* 1. In ſimili religiosè Teſſaur. *deciſ.* 12. *num.* 7. quando non habemus textus claros & apertos, tunc quamvis omnes ferè Dd. Reum morte dignum judicent, ſed nihilominus pro abſolutione ſententiam dicere non dubitare ait.
97 Nec tamen inficias ibo, cùm res peſſimi exempli ſit, & admodùm hisce noſtris temporibus ſcandaloſum, ideò Judicem hoc caſu arbitrio ſuo ob ſupradictas adoptionis & juris Canonici, tam quoad gradûs prohibitionem, quàm adulterii definitionem, concurrentes delictumq; aggravantes circumſtantias, pœnam, quam ei Alexand. *d. conſil.* 229. *num.* 13 tribuit arbitra-
98 riam, licitè ad mortem naturalem extendere poſſe: Idque eò magis, quod ſæpe vel 99
ſoli *deſtupro cum puella commiſſo* (4) ea pœna dicatur, juxta textum ab ipſo Alexand. allegatum *in l.* 1. §. *fin. de extraordin. crimin.* Utcunque ſtupri pœna ordinaria ex L. Julia 100
non ſit capitalis, §. *Item lex Julia Inſtitut. de public. Judic.* tamen non extraordinariè (quales hodiè omnes pœnæ eſſe cœpêre, *l.* 101
hodiè 13. *ff. de pœn. l. ordo* 8. *de public. judic. l.* 7. §. *fin. ad L. Jul. repet.* Mynſinger. 2. *obſervat.* 30. Cujac. 8. *obſervat.* 33. Martin. Delrio *Diſquiſit. Magic. libr.* 5. *ſect.* 1. *verſ. Secundò ſciendum eſt.* Farinac. *in pract. crim. lib.* 1. *tit.* 3. *quæſt.* 17. *num.* 7.) ſecus obtinet. Quemadmodum eam capitis eſſe expreſsè 102
docet *d. l.* 1. §. *fin. ff. de extraordin. cognit.* juxta intellectum Alciati 3. *paradox. c.* 10. *& in l. tranſigere num.* 10. *C. de transact.* quem ſequitur Caldas *in l. ſi curatorem, verb. adverſus dolo, num.* 57. *C. de in integr. reſtit. minor.* Et cum iis ſentit Menoch. *lib.* 2. *cent.* 3. *caſ.* 288. *num.* 11.

Et hactenus de tribus Inquiſiti inceſtuoſis conjunctionibus.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT CXXXIX.

Num. 11.

(1) IN *Inceſtu Juris Canonici &c.*] Palmaria & uſitatior apud Doctores Inceſtûs, i. e. coitus inter conſanguineos vel affines nequeuntes ex prohibitione Juris matrimonium contrahere, diſtinctio eſt inter *Inceſtum Juris Gentium* & *Juris Civilis.* Jure Gentium committitur Venereum hoc crimen inter aſcendentes & deſcendentes *l. ult. ff. de ritu Nupt.* §. 1. *l. eod.* Jure verò Civili etiam cum amita, matertera, cum fratris vel ſororis filia *l.* 38. §. 1. *& 2 ff. ad L. Jul. de adult.* quod pluribus Ant. Matthæus *de Criminibus ad lib.* 48. *ff. tit.* 3. *cap.* 6. *num.* 3. *& 4.* explanat. Canones verò præter prædictas, & ſequentes inter inceſtuoſas poſuerunt, ut uxoris ſororem, mariti fratrem, conſobrinam, relictam avunculi, filiam avunculi *c. ſi quis viduam. c. qui dormierit, c. concubuiſti c. ſi quis cum noverca* 32. *quæſt.* 7. Qui inceſtus, inceſtus Juris Canonici dicuntur. Junge *l.* 38. §. 2. *ff. ad L. Jul. de Adult.* Johan. Chriſtenium *de Cauſis matrimonial. Diſſert.* 3. §. 4. *pag.* 240. Carpzovium *J. P. Conſiſtor. lib.* 2. *tit.* 5. *Def.* 87. ubi notat propriè loquendo ſolam commixtionem in gradibus Jure divino prohibitis facere inceſtum, qui Germanicè appellatur Blutſchand: at copulam carnalem gradibus lege duntaxat municipali vetitis vocari verbotene oder unordentliche Vermiſchung. & Authorem noſtrum infrà *hoc capite num.* 21.

Num. 23.

(2) *Cum Claudius Imperator &c.*] Verùm Tacitus *d. lib.* 12. *Annal. cap.* 5. *num.* 1. expreſsè ſcribit: C. Pompejo Q. Veremnio conſulibus pactum inter Claudium & Agrippinum matrimonium, jam famâ, jam amore illicito firmabatur; nec dum celebrare ſolennia Nuptiarum audebant, nullo exemplo deductæ in domum patrui fratris filiæ. Quin & inceſtum, ac ſi ſperneretur, ne in malum publicum erumperet, metuebatur, &c. *& cap.* 7. Senatum ingreſſus (*Claudius*) decretum poſtulat, quo juſtæ inter patruos fratrumque filias nuptiæ etiam in poſterum ſtatuerentur. Neque tamen repertus eſt, niſi unus talis matrimonii cupitor, Talledius Severus Eques Romanus, quem plerique Agrippinæ gratiâ impulſum ferebant.

Num. 87.

(3) *Tunc pœnam mortis eſſe naturalis &c.*] Scilicet eo caſu, quo etiam de Jure Civili, aut municipali adulterium ultimo ſupplicio punitur. Carpzovius *Pract. Rer. Crim. parte* 2. *quæſt.* 72. *num.* 17. *ſeqq.*

Num. 99.

(4) *De ſtupro cum puella commiſſo &c.*] Obiter hîc noto Belloviſum *Pract. Crim. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 36. putare immaturam puellam ſtupranti non ſtupri, ſed L. Aquiliæ pœnam imponendam *per l.* 25. *in fin. ff. de Injuriis.* Ducto argumento ab immatura oliva *ex l.* 27. §. 25. *ad L. Aquil.* ad immaturos virginis flores.

CAPUT CXL.

De Bonis Damnatorum & Proſcriptorum.

SUMMARIA.

1. Damnatorum bona *olim Fiſco apponebantur*, & num 2. *Quod jus temperatum eſt ab Impp. Theodoſio & Valent.* num. 8. *Hadriano*, num. 9. *Juſtiniano*, num. 10.

3. Damnatorum & proſcriptorum *nomine qui veniant?* & num. 4.

5. Proſcriptorum & relegatorum *bona fiſco vindicabantur, ſi per ſententiam eis ſpecialiter adempta eſſent*, & num. 6.

7. Deportati *an ſub damnatis comprehendantur?*

11. Irnerii *lapſus, qui collaterales in bonis damnatorum & proſcriptorum usque ad tertium gradum Fiſco excluſo, admittere voluit, refellitur*, num. 12.

13. Irnerius *in Auth. excipiendis ſæpè erravit.*

14. *An* confiſcatio *bonorum per totum mundum abolita ſit, excepto Hæreſis & Læſæ Majeſtatis crimine?* & num. 15. *Quid in Gallia, Anglia, Lotharingia, & Burgundia obtineat?* num. 16. *Quid in Regno Scotiæ uſu receptum ſit?* num. 17.

18. Confiſcatio *quatenus ex Conſtitutione Carolina in Imperio locum habeat?*

19. Bonis *ex Satuto vel conſuetudine confiſcatis, ſalva nihilominus liberis debet eſſe legitima.*

20. Conſuetudo *irrationalis eſt, quâ omnium ob quodcunque ſcelus damnatorum bona Fiſco inferuntur.*

21. *Ob* latrocinii crimen *Romæ ædes everſa & publicata.*

Qui ſunt proſcribi digni notoria propter
Crimina, particulâ non potiuntur opum.

1 EX bonis damnatorum Principis Ærario olim plusquam decumana rei numariæ acceſſio facta. Præter enim pœnas, quibus damnatorum corpora cruciabantur, etiam bona publicata rationibus Fiſci vindicabantur, *tot. tit. ff. & C. de bon. proſcript.*
2 *& damnat.* Tum autem demum bona publicabantur, quando quis quolibet crimine damnatus capitalem pœnam deportationémve ſuſtinuiſſet, *l. 1. in pr. ff. d. tit. l.* 10.
3 *C. eod. cum ſimilib.* Unde damnatos Feudiſtæ plerunq; accipiunt, qui ultimo ſuppli-
4 cio afficiuntur. Rectiùs Duaren. *in Comment. ad tit. ff. de bon. damnat.* damnatos interpretatur eos, qui ob crimen aliquod damnati, tacito jure ipsâ damnatione bona ſua amittunt, *l. 1. in pr. & §. 1. ff. de bon. damn.*
5 Proſcriptos verò definit, quorum bona ob crimen aliquod, non niſi per ſententiam expreſsè publicantur, *l. fin. C. de poſtuland. l.*
6 *unic. C. ne ſine juſſ. Princip.* Cujusmodi expreſſio etiam in relegatis, ſive in exilium miſſis requiritur, *l. 8. Cod. de pœn. l. 4. l. 14. §. 1. l. 18. ff. de interdict. & releg. l. 8. §. 3. ff. de bon.*
7 *damnat.* Conſtat verò exinde, cùm bona deportatorum tacito etiam jure, nullâ præcedente ſententiâ publicentur, eos ſub condemnatis probabiliter comprehendi, *d. l. 8. d. l. 14. §. 1. ff. de interd. & releg.*

Hoc jus temperatum fuit ab Impp. Theodoſio & Valent. uſque ad dimidium fiſci, 8
reliquâ parte liberis reſervatâ, *l. cum ratio. 7. princ. ff. de bon. damn. l. quando* 10. *C. de bon. proſcript.* Quin multis liberis exſtantibus 9
fiſcum plane excludi, & ampliari imperium hominum adjectione potius, quàm pecuniarum copiâ maluit Hadrianus *in d. l. 7. §. Si plures, 3. ff. de bon. damn.* Juſtinianus 10
verò *in Novell. 134. c. ult.* proſpexit deſcendentibus in infinitum, & uſque ad tertium gradum aſcendentibus.

Ab hac textûs *Novell. 134.* veritate valdè 11
receſſit *Irnerius*, (1) aliàs de jure Romano, utpote quod in civitate Melfitana in Apulia à Piſanis repertum Occidenti reſtituit, benè meritus, in conceptione *Auth. Bona damnatorum, C. de bon. proſcript.* qui etiam collaterales damnatorum aut proſcriptorum uſque ad tertium gradum Fiſco præferri voluit, Henric. à Roſenth. *tract. de feud. c. 5. concl. 59. in pr.* Peregr. *de jure fiſci lib. 5. tit. 1. n. 4.* Huic tamen, quamvis communi 12
opinioni, reclamat text. *in d. Nov. 134.* qui collateralium planè non facit mentionem, ſed aſcendentibus & deſcendentibus planè deficientibus fiſcum admittit. P. Caball. *cent. 3. reſol. crim. caſ. 237. n. 16.* Sixtin. *de Regal. lib. 2. c. 12. n. 25. & ſeq.* Matth. Steph. *de Juriſd. p. 2. c. 7. n. 15.* Bocer. *de Regal. c. 3. n. 72.* Fachinæ. *lib. 1. controv. 35.* Nec aſſertioni Irnerii credendum contra manifeſtum textum; Cùm Dd. etiam paſſim 13
conquerantur, eum in excipiendis Authenticis & Codici Juſtinianæo inſerendis aliquoties erraſſe. Sixtin. *d. c. 12. n. 29.*

Hæc autem, quæ de confiſcatione ha- 14
ctenus dicta, nullum vel exiguum uſum habere videntur, cùm multi Dd. aſſerant, hodie per totum mundum, excepto crimine læſæ Majeſtatis, abolitam eſſe confiſcationem, nec obſervari, niſi ſpeciali conſuetudine vel ſtatuto aliud introductum eſſe conſtet: In quam ſententiam innumeros convehit Roſenth. *d. cap. 5. concl. 59. num. 3. & 4. lit. Z.* Petr. Caball. *reſol. crim. cent. 2. caſ. 137. n. 22. & cent. 3. caſ. 237. n. 15. 23. & 26.* Camill. Borell. *de Catholici Regis præſtantia cap. 17. n. 24.* Quos tamen meritò perſtringit Heig. *lib. 2. qu. jur. qu. 33.* Sixtin. *d. c. 12. n. 93. & ſeq.* dicens, Dd. ferè omnes 15
de hac conſuetudine atteſtantes Italos eſſe, quibus non potuit conſtare, quid per totum mundum obtineat & uſu receptum ſit. In

Gallia

16 Gallia ſanè talem conſuetudinem non eſſe, ſed contrarium obſervari, ex Galliæ JCtis refert Weſemb. *in parat. ff. de bon. damn. n. 6.* Et in ſpecie de Regno Angliæ, Ducatu Lotharingiæ, & Burgundiæ, quòd in iis contrarium obtineat, aſſerunt Henning. Arniſæ. *lib. 3. de jur. Majeſt. c. 6. n. 16.* Frider. Mindan. *de proceſſ. & Mat. lib. 2. c. 43. n. 9.* Chaſſanæ. *in Conſu. Burgund. rub. 2. §. 1. verſ. pro ſeptuageſimo ſecundo*, ubi pro regula tradit, quòd qui perdit vitam, perdat & bona, contra *d.*
17 *Auth. bona damnatorum.* In Regno Scotiæ etiam contrarium obſervari, & quidem adeò rigidè, ut non ſolùm liberi, parentes, aliiq; ſanguine delinquenti juncti, à bonis ejus omninò excludantur, ſed etiam creditoribus debiti ſolutio denegetur, referente Renato Choppin. *lib. 1. de Domanio Regis Franciæ c. 7. n. 15.*

18 In Germania Caroli V. conſtitutione criminali, *art. 218.* ita publicatio bonorum prohibita eſt, ut non ſolùm crimen læſæ Majeſtatis excipiatur, *ſed etiam aliis caſibus* (2) addantur hæc verba, **oder ſonſten in andern Fällen**; Quorum caſuum exempla ex jure communi adducunt Dd. allegati ab Heigio *d. quæſt. 33. num. 52.*

Stante verò conſuetudine vel ſtatuto, 15
quòd bona damnatorum confiſcationi ſint obnoxia, ſalva debet eſſe liberis legitima, cùm macula patris nocumentum filiis inferre non debeat, *Ezech. c. 18. l. crimin. ff. de pœn.* Plures & alias rationes agminatim congeſſit Anton. Teſſaur. *Deciſ. 194. & 198. n. 5. & ſeq.* Roſenth. *d. c. 5. concl. 68. n. 4.*

Eorum verò conſuetudo irrationalis, 20
quâ omnium ob quodcunque ſcelus morti damnatorum bona Fiſco attribuuntur, Arniſæ. *d. lib. 2. de jur. Majeſt. c. 16.* Videntur enim ſuem excoriare, ut illius ſpolio induantur, Annibal. Scot. *lib. 4. comment. in Tacit. pag. 293.* Sanè ob crimen latrocinii 21
everti ædes, bonaq; publicari, exemplo ſunt *Numerius Equitius Copes* (3) & Acmanius Macellus, qui, quod Romæ ſingulari latrocinio multa loca habebant infeſta, in exilium miſſi, bona eorum publicata, ædesq;, ubi habitabant, dirutæ. Eâ pecuniâ ſcalæ Deûm *Penatium* (4) ædificatæ ſunt. Sed & ex decreto Æmilii & Furii, Cenſorum, ſtatutum eſt, ut eo loco, ubi habitaverant, venirent ea, quæ veſcendi causâ in urbem allata eſſent. Itaque ab altero Macellum, ab altero forum Cupedinis appellatum eſt.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT CXL.

Num. 11.

(1) I*Rnerius &c.*] Irnerius nempe ille, ſive ut ab aliis appellatur Gnarnerius natione Germanus, qui cùm antea Ravennæ artes profiteretur poſtmodum Bononiam evocatus, cum aliis artium Magiſtris *Axis & Aſſis* in diſputationem incidiſſet, ab artis ad ſtudium legale progreſſus omnium primus leges commentatus eſt Anno MCXXVIII. & demum Authenticas ex ipſo Authenticorum Juſtiniani Imperatoris volumine, quam breviſſimè juxta ſententiam tantùm ſumptas, Legibus Codicis ejusdem Juſtiniani inſeruit: Fichardus *in Vitis JCtorum*; confer Quæſtiones de Irnerio Hiſtoricas Bononienſium, Anno MDCXLI. excuſſas, quas Dn. Conringius libro ſuo de Origine Juris Germanici ſubjunxit, & ipſum nunquam ſatis laudatum Conringium *d. loc. cap. 21.* Atque ſic hactenus communiter creditum fuit. Sed Dn. Struuchius *in Irnerio non Errante ſive Diſſertatione ad Auth. quas actiones C. de SS Eccleſiis cap. 2.* evincit Irnerium, ſalvâ fide hiſtoricâ authorem Authenticũ ardici haud poſſe, proindeq; perperam erroris fontem Irnerium putari, qui nullas hîc agens partes, nihil errare potuit proindeq; nomen ejus tanquam perpetuò errantis non uſurpandũ & non videri Irnerium dictũ quaſi **den Jrrenden**/uti quidam cenſent.

Num. 18.

(2) *Sed etiam aliis caſibus &c.*] Atqui ſupra aliquoties contrarium ſtatuerat Klockius noſter, uti ex notatis apparebit Lectori, ſed benè eſt, ut nunc tandem in ſemitam redeat ille.

Num. 21.

(3) *Numerius Equitius Capes &c.*] Varro *lib. 4. de ling. latin. pag. 24.* Feſtus *pag. 273. & pag. 307.* Plutarchus *Quæſt. Rom. Tom. 2. Operum pag. 277.*

(4) *Penatium &c.*] Confer Roſinum *lib. 2. Antiq. Rom. cap. 14.*

CAPUT CXLI.

Adulterium Ærario pœnas mulctasq; pecuniarias luat: ubi & de compendio fiſcali ex cœlibatu in fine.

SUMMARIA.

1. Adulterii *pœna tempore Auguſti Imper. non fuit capitalis: poſt Auguſtum, quando cœperit eſſe capitalis*, num. 2. *de jure Moſaico capitalis fuit*, num. 4. *& cur?* num 5.

5. Adulterii *pœna hodie plerisq; in locis non capitalis, ſed extraordinaria & pecuniaria: Quæ conſuetudo generalis & notoria eſt*, num. 6. *excepta Saxonia*, num. 7.

7. Mulctæ adulterii *nomine indictæ Ærario licitè addicuntur.*

8. Conſuetudo *capitalem adulterii pœnam remittens valet.*

9. Deſuetudo *adulteros à pœna juris communis immunes pronuncians ut locum habeat, quæ requirantur?* hoc num. 10. 12. 14. 16.

11. Argumentum *à non uſu legum ad earum abrogationem non procedit.*

13. Conſuetudo *difformis non inducit abrogationem pœnæ juris communis.*

15. Maritus *uxorem ſuam de adulterio accuſans, facit ſe cornutum.*

17. Aſſue-

17. Aſſuefactio & conſuetudo *nimia auget pœnam.*

18. Conſuetudo *delinquendi inducitur per tres vices.*

19. Delictum *non capitale ob reiterationem fit capitale ejusq; pœna extendi poteſt uſque ad mortem*, num. 20. 21.

22. Furtum *ter commiſſum morte plecti poteſt.*

23. Adulterii pœna *non habet locum in eo, qui primò adulterium, poſtea inceſtum ſine adulterio commiſit.*

24. *Pluries unam perſonam cognoſcens, non plura, ſed unum* adulterium *committit: Quod confirmatur* num. 25.

26. Conſuetudo *juri communi derogans, odioſa & ſtrictè intelligenda eſt*, n. 27.

28. Conſuetudo *in ſpecie probanda.*

29. Adulterium *eſt alienæ matrisfamilias corruptio.*

30. Adulterium *quot modis, & an cum ſoluta committatur?* num. 31. 32. 33. & num. 36.

34. Mulier adultera *gravius peccat, quàm vir*, & num. 37.

35. Davidis *cum uxore Uriæ perpetratum adulterium ſeveriſſimè punitum.*

38. Adulterium *eſt violatio ſive acceſſio ad alterius uxoris thorum.*

39. Conjuges *ſibi invicem firmo obſtricti ſunt vinculo.*

40. Adulterii *cum ſoluto vel ſoluta perpetrati pœna quænam? Quid in Saxonia hoc caſu receptum?* num 41.

42. Authoris *judicium.*

43. Adulteria & ſtupra violenta *ultimo ſupplicio & morte naturali puniuntur, jure communi; & Conſtit. Car. V.* num. 44. *nec requiritur vis armata*, num. 45. & num. 46. 47.

48. Principes *ad nutum non ſemper poſſunt pœnas capitalium criminum ordinarias convertere in pecuniarias.*

49. Conjugium *eſt neceſſarium ad propagationem generis humani.*

50. Joſephi *pudicitia ab uxore Potipharis tentata, ejusdem caſtitas, pietas, fides, gratitudo, prudentia, & integritas*, num. 51.

52. B. V. Mariæ *matris Chriſti caſtitas.*

53. Exempla Philippi *Regis Macedoniæ, Geradæ Spartani*, num. 54. *Balduini Imper. Byzantini*, num. 56.

55. Vitia *ibi non naſcuntur, ubi non permittuntur vitiorum ſeminaria.*

57. Ottacari *Regis Bohemiæ levitas, & incontinentia.*

58. Cornua *facere quid?*

59. Muhammedes *VI. aut VII. ſupra decem uxores habuit, omniaq; ſua adulteria, ſcortationes, & libidines Deo adſcripſit*, num. 60.

61. Magnatibus & purpuratis Patribus *in Aulis adulterium eſt ludus.*

62. Leges *telis aranearum ſimiles, muſcas majores transmittunt, minores irretiunt.*

63. Lex Julia *hodie in terris Imperii dormitare cœpit; quæ ſi obſervaretur, multi ambularent ſine capite*, num. 65.

64. Adulteria *inter* Camelos *&* Elephantes *incognita.*

66. Adulterii pœna *apud Iſraëlitas, hoc num. Romanos* 67. *Parthos* 68. *Tenedos* 69. *Ægyptios* 70. *Locrenſes* 71. *Cumæos* 72. *Germanos* 73. *Francos & Saxones* 74. *De aliis gentibus remiſſivè*, num. 75.

76. *In* Gallia *fruſtrà quæritur, an in ſcortationes & vagas libidines animadverti debeat;* & num. 77.

78. Macrinus *Imper. quâ crudelitate in adulteros animadverterit.*

79. Matrimonium *violare maximum facinus eſt; proximum non contrahere.*

80. Cœlibes *antiquitus certam pendebant ærario pecuniam ex lege, cujus authores Camillus & Poſthumius: Eandem & Plato tulit.*

81. Rationes *ejus Legis.*

82. Rempublicam *liberis abundare præſtat.*

83. Hageſtolzen / *& de eorum pœna.*

Ludus, Adulterium, Magnatum juréne mulctas Ærario pecuniarias luat?

POenam adulterii ex L. Julia ab Auguſto lata non Capitalem, *l. 20. §. mulier. 6. ff. qui teſt. fac. poſſ. l. 12. ff. de rit. nupt.* nec ultra relegationem fuiſſe probat, *l. 5. ff. de quæſt.* Et confirmatur à Covarruvia *de matrimon. part. 2. c. 7. §. 7. n. 24. & ſeq.* Cujac. *6. obſ. 11. & 20. obſ. 18. & 21. obſ. 17.* Delrio *ad l. transfigere C. de transact. n. 97. & ſeq.* Franciſc. Connan. *l. 5. comment. Jur. Civil. c. 7.* Briſſon. *de adult. c. 2.* Gomez. *ad l. Tauri 80. n. 47.* ubi communem dicit, Menoch. *lib. 2. de arbitr. judic. quæſt. centur. 5. caſ. 419. n. 31.* Videatur tamen Johan. Grivellus *Deciſ. Dolan. 23. num. 21.* 1

Poſt Auguſtum autem poſteriorum videlicet Imperatorum Conſtitutionibus, ſive id Alexandri, ut indicare videtur *l. caſtitati 9. §. 1. C. ad l. Jul. de adult.* ſive Divorum fratrum Diocletiani & Maximiani, ut argumento eſt *d. l. transfigere C. de transact.* & pluribus contendit in ejus legis repetitione JCtus, nunc verò Societatis Jesu Theologus Delrio *in d. l. transfigere, n. 17. & 103.* ſive Conſtantini tempore, juxta *l. 30. C. ad L. Jul. de adult.* quæ eſt ſententia Cujacii *d. loc.* Quam & pluribus propugnavit Matthæus Klock *in repetit. d. l. transfigere part. 2. c. 3.* Cui & ipſe Juſtinianus *in Nov. 134. c. 10. princ.* hoc tribuiſſe videtur, & omnes penè Interpretes hanc pœnam ultimi ſupplicii acceptò ferunt, teſte Menochio *d. caſ. 419. n. 55.* id primò inductum ſit, capitale factum, gladioq; in maſculo puniendum eſſe, extra dubium eſt, text. *in d. l. 30. §. 1. & Auth. ſeq. C. ad L. Jul. de adult. §. Item lex Julia I. de publ. jud.* Cujus Conſtitutionis juſtitiam defendit Covarruv. *d. loc. n. 26.* Deq; ejus delicti apud omnes Chriſtianos fœditate fusè Maſcar. *concl. 57. n. 1. & ſeq.* Franc. Hotoman. *conſil. 95. n. 17.* Annæus Robertus *libr. 1. rer. judic. c. 13. fol. 153.* Hieron. à Laurentiis *Deciſ. Avenion. 145. n. 3.* & variâ punitione Menoch. *d. caſ. 419. n. 1. & ſeqq.* Flamin. de Rubeis *tractat. de adult. c. 7. per tot.* Qui eodem tractatu c. 10. pœnam mortis naturalis adulterio, & ad- 2

ulterum maſculum ſecuri feriendum, infinitas congerens Dd. authoritates *n. 5. fol. 143. & ſeq.* tradidit. Quam etiam communem dicit Emanuel Soarez *Theſaur. recept. ſent. in verb. adulterium n. 7.* Menoch. *d. loc. n. 57.* Gomez. *ad l. Tauri 80. n. 47.* & fatetur Vinc. de Franchis *deciſ. 240. n. 5.*

3 Quamvis verò hæc de jure ſcripto certiſſima ſint; quamvis etiam de jure Divino Moſaico, & omnium gentium moribus (ut poſt alios probavit Maſcard. *de probat. concl. 57. n. 1.* Annæ. Robert. *d. c. 13. fol. 253.* latiſſimè Flamin. de Rubeis *d. tr. c. 7. per tot.* ſui naturâ adulterii pœna capitalis ſit; quæ etiam per Conſtitutionem Caroli V. *art. 20.*
4 adulteris irrogatur; Hodie tamen contrarium plerorumq; locorum ſtatutis municipalibus, vel uſu vel conſtitutionibus ſuperiorum Judicum receptum eſt, *ut adulteri* (1) (& quidem etiam ii, qui hocce delictum reiterant) non pœnâ capitali, ſed pecuniariâ & arbitrariâ extraordinariè puniantur, Beſold. *part. 4. conſ. 176. & p. 5. conſ. 215. & in diſſert. 2. de præmiis, pœnis & legib. c. 4.*
5 *num. 2.* ubi addit; Moſaico jure pœnam fuiſſe graviorem, propter polygamiam & divertendi libertatem tum uſitatam; & mulieres ſeverius puniri oportuiſſe, alias uno viro, plures non fuiſſe contentas. Et in omnibus ferè Provinciis pœnam mortis pro adulterio immutatam, in ejusq; locum ut plurimùm pecuniarias pœnas ſubrogatas eſſe aſſerit Clar. *in d. §. adulterium n. 8.* Odd. *tract. de reſtit. in integr. p. 2. qu. 81. art. 1. n. 7.* Quod multorum locorum Statutis comprobat Menoch. *d. c. 419. n. 74. & ſeq.*

6 Et hanc conſuetudinem generalem & notoriam eſſe, quæ non indigeat probatione, reſpondit Cravetta *conſil. 137. à num. 6. uſq; ad fin. & tractatu ſuo de antiq. temp. p. 4. §. videamus n. 25. in fin.* Hotoman. *conſ. 96. num. 4.* ubi tantam eſſe inter Chriſtianos morum corruptelam, ut jus Imperatorum hoc adulterii caſu non niſi de rigore ſervetur, & frequentiſſimè pœna adulterii ſit arbitraria, & ſecundùm perſonarum & facti
7 circumſtantias varietur, dixit. Deq; conſuetudine Germaniæ in ſpecie, exceptâ ſolâ Saxoniâ, idem probavit Fichard. *conſ. 105. n. 7. & 8. vol. 3. & conſ. 65. n. 2. vol. 1.* Et de pleriſq; Germaniæ locis id retulit Petr. Heigius *part. 2. quæſt. 29. n. 7.* ubi hoc parum *antiquis Germanorum moribus* convenire dixit; de quibus Sebaſt. Münſt. *lib. 5. Coſmogr. c. 13. & lib. 3. c. 5. & lib. 5. c. 397.*

8 His è loco evidentialium præmiſſis, dubitandum non eſt, quin mulctæ pecuniariæ pro qualitate perſonarum, facultatum, aliarumq; circumſtantiarum adulteris indictæ & inflictæ, Ærario licitè legitimèq; addici poſſint; maximè, cùm talem conſuetudinem, quòd adulterium capitaliter non puniatur, valere reſponderit Cravetta *d. conſ. 137.* & certum ſit, adulterii pœnam provenire ex lege Morali; pœnæ verò qualitatem ſpectare ad legem judicialem, quæ mutari poteſt.

Verùmenimverò, ut prædicta deſuetu- 9
do, à pœna juris communis adulteros immunes pronuncians, locum habeat; requiritur, (1) ut conſtet de juſto iſtius Provinciæ
deſuetudinis tempore; Cùm alias per ſo- 10
lum non uſum haud tollatur legis vigor, Gail. *2. obſ. 60. n. 3.* Anton. Sola *in proœmio decretorum gl. 4. n. 45. in Conſt. antiq. Sabaud. & n. 31. & ſeq. ibidem* communem dicit, Burſat. *conſil. 221. n. 22. lib. 2.* Vivius *deciſ.*
338. n. 7. lib. 2. Nec enim valet argumen- 11
tum à non uſu legum ad earum derogationem; cùm leges ſemper loquantur, Heig. *d. p. 2. qu. 23. num. 25. & 26.* ubi eleganter ſubjungit, non valere allegationem imperitorum Advocatorum: Nunquam hoc factum fuit; Ergo fieri non debet; eò, quòd fiendum ſolo temporis curſu non tollatur, *c. cùm ex officii extr. de præſcript.* Nicol. Everhardi *in topic. loco à ſolitis, num.* 14.

Quinimò (2) non procedunt prædicta, 12
niſi in ſpecie deſuetudo iſtius Provinciæ, in quo adulter prehenſus eſt, per contrarium factum implicitum, ut quia adulteri aliâ pœnâ ibidem puniti ſint, deducatur, ex Johan. Fabro, *in §. ex non ſcripto, & in §. Item lex Julia n. 3. & in l. 2. in fin. C. quæ ſit long. conſu.* probavit Martin. Monter. *Deciſ. Ar-*
ragon. 15. n. 21. & ſeq. Sed quid? ſi difformis 13
conſuetudo fuerit? Poterit enim quibusdam, non omnibus eſſe remiſſa pœna capitalis: quæ difformis conſuetudo non efficit abrogationem pœnæ juris communis, ut in his terminis abrogatæ pœnæ adulterii deciſum eſt in S. Neapolitano conſilio, referente Vincentio de Franchis *deciſ. 240. n. 11. & ſeqq.* De cujus tamen juſtitia dubitat Mart. Monter. *Deciſ. Arragon. 15. n. 27.*

Tertiò hæc omnia ita intelligenda, ut 14
quoad accuſationem maritorum, quibus hodiè turpe videtur accuſare adulteras (eleganter Marius Muta *in Capit. Regni Siciliæ c. 62. n. 15. tom. 2.* poſt Socin. Jun. *2. conſil. 34.* dicens, maritum, uxorem ſuam de
adulterio accuſantem, facere ſe cornutum, 15
omnibusq; ludibrio ſe exhibere, & judices de talibus hominibus ſolere ſæpe truffari, ridere, & cachinnari) adulterii quidem in deſuetudinem, alias autem minimè abierint, exiſtimat Menoch. *lib. 2. centur. 4. caſ. 398. n. 24. & ſeq.* Quod & voluiſſe videtur Marc. Anton. de Amatis *deciſ. 123. n. 1.* ubi malè dicere eos, ait, qui dicunt, adulterium non eſſe punibile propter nimiam delicti conſuetudinem, quaſi Magnatum ludum. Sed Menochium in hoc ipſo improbat Cæſ. Bajardus *in addit. ad Clarum §. adulterium, num. 55.* ubi ait, Menochium ſe decipere, quia non videmus aliquem puniri pœnâ mortis

mortis vel corporali, ſed pecuniaria: Quinimò, *inquit*, adulteria noſtris temporibus ſoli DEO punienda relinquuntur, dummodò violentia, vel aliæ qualitates delictum aggravantes, non accedant.

16 Quartò allegata generalis juris communis deſuetudo non eſt attendenda, ſi quem cum pluribus diverſis mulieribus & quidem non eodem loco, nec continuato propoſito

17 pluries adulteraſſe adpareat. Hæc enim aſſuefactio & conſuetudo nimia tale crimen committentis pœnam regularem omninò adauget: cùm eò graviùs quis coërcendus ſit, quò diutiùs infelicem animam alligatam detinuit, ut in iterabili & quidem adulterii delicto tradidit Tiraq. *de pœnis cauſ. 29. num.3.* Teſſaur. *deciſ.76.num. 6.* Farinac. *in prax. crim. tit. de Inquiſit. qu.10.n. 86.* Non ſecus, ut eo caſu, quo ex forma legis vel ſtatuti pro aliquo crimine eſſet imponenda pœna pecuniaria, & accuſatus de hujusmodi delicto convinceretur, quòd illud

18 etiam alias patrârit, idque ſæpè (quod ipſum tamen in duobus actibus vel vicibus verificari, docet Maſcard. *de prob. concl.838.num. 11. & ſeq.* Burſat. *conſ.142. n.7.* Gramm. *deciſ.16. & deciſ.48.n.8.*) tunc hunc Reum capitaliter pœnâ ultimi ſupplicii puniendum ſcripſêre uno conſenſu Dd. omnes *in l. 1.* per illum text. *C. de ſuperindict. lib. 10.*

19 quos refert Maſcard. *d. loc.* Sic & delictum non capitale ob reiterationem fieri capitale, ſentit Joſeph. Ludov. *Deciſ. Lucenſ. 17. num. 22.* maximè in majoribus, *num. 81. & ſeqq.*

20 *ibidem* Schurff. *conſil.99.n.9.cent.3.* Et poſt Farinacium Menoch. *caſ.591.n.2.* ubi tradidit, ob delicti reiterationem puniri delinquentem ultra pœnam ordinariam pro Judicis arbitrio etiam uſque ad mortem; Licet Fulv. Pacian. *conſil. 115. per tot.* exiſtimet, iterationem delicti per ſe non capitalis augere quidem pœnam, ſed non uſque ad mortem naturalem, niſi in caſibus à jure expreſſis, quos ibidem enumerat.

21 Atque ita in terminis adulterii concludere Lucam de Penna, Grammaticum, & alios, retulit Monter. *deciſ.15.num.74.* ubi ex perſeverantia pœnam pecuniariam & non ca-

22 pitalem in capitalem verti docuit. Haud aliter ut in furto dicitur, pro quo regulariter pœna mortis quidem non imponitur, ſecundùm magis communem opinionem, teſte Gomez. *de delict. tit. de furt. n.7.* ubi Soarez. *in addit. lit. D.* Et tamen, ſi tertiâ vice reiteretur, poteſt pro tribus furtis, quamvis minimis, fur morte mulctari; quemadmodum de generali & communi conſuetudine teſtatur Gomez. *d. loc. num. 6.* Matth. de Afflict. *de pac. juram. firm.* §. *injuria verſ. nota num. 9.* Covarruv. *2. var. reſolut. cap. 9. num.7.*

23 Pœnam autem reiterati adulterii non habere locum in eo, qui primò adulterium, poſtea inceſtum ſine adulterio commiſit, conſuluit Chriſtoph. Beſold. *p.3. conſ. 101.*

Quintò, etſi pluries unam perſonam cognoſcens non plura, ſed unum ſaltem adulterium commiſiſſe dicatur, ſecundùm Emanuel. Soarez. *Theſaur. recept. ſent. lit. A. n. 84.* Farinac. *de delict. & pœnis, lib. 1. tit. 3. qu. 22. n. 18.* qui plures adducunt, atque ita non niſi pro uno adulterio puniendus videatur, quoniam tamen conſuetudo illud delictum aggravat, pœna quoque illius adulterii ſeverior eſſe debet, talique caſu modica pœna pecuniaria, quæ ex ſimplici delicto committitur, ex perſeverantia in Capitalem vertetur. Ita formaliter Monterus *d. loc.* Quæ ſententia eo ipſo corro- 24

boratur, quòd ſimplicis ſtupri ex hodierna conſuetudine pœna mortis non ſit, ſecundùm Matthesilan. *notabile 100.* Et tamen quando ſæpius tale delictum cum diverſis puellis fuiſſet commiſſum, tunc etiam pro ſimplici ſtupro, non obſtante dictâ conſuetudine, pœna mortis infligenda veniret, quemadmodum ex Grammatico dixit Teſſaur. *deciſ. 3. num. 4. verſ. Quinta eſt.* Quod etiam in adulterii pœna loquendo non obſcurè indicavit Joan. Petr. Anchar. *libr. 2. qu. familiar. 27. n. 8. & 13.* Quò facit, quòd 25

conſuetudo, juri communi derogans, quâ adulterium ſimplex non capitale effectum, eſt odioſa, utpotè tam juri Divino, quàm Cæſareo, omniumq; ferè gentium moribus contraria, ideoq; ſtrictiſſimè interpretanda, & ad ſæpius geminatum & iteratum, in quo ſpeciatim nulla deducitur præſcriptio, neutiquam extendenda ſit. Expedi- 26

tum quippe eſt, quòd conſuetudo juri communi derogans ſtrictè intelligi, neque ullo modo de caſu ad caſum, neque de re ad rem, neque de perſona ad perſonam, neq; de loco ad locum extendi debeat, quod infinitis adductis authoritatibus confirmavit Schrader. *d. tract. de feud. part. 10. ſect. 20. n. 165. & ſeq.* Ideoq; conſuetudinem 27

non in genere, ſed in ſpecie, & in caſu vel puncto, de quo agitur, probandam eſſe, docet Natta *conſil. 435. n. 22.* Roland. à Valle *conſil. 53. num. 39. vol. 2.* quos in hanc ſententiam adduxit Heig. *d. p. 2. qu. 23. n. 14.* 28

Sextò & ultimò notandum eſt, adulterium quidem, ſi propriè loquamur, eſſe alienæ matrisfamilias corruptionem, *l. ſuppoſitivus 225. ff. de V. S.* Maſcard. *de probat. concl. 58. n. 8.* Boſſius *tit. de Coitu damnato & punibili n. 23.* Heig. *d. p. 2. qu. 29. n. 9.* in genere autem adulterium tribus modis committi; ſi vel conjugatus cum conjugata (quo caſu duplex adulterium committitur, Saxones vocant Ober-Hurerey) vel conjugatus cum ſoluta, vel ſolutus cum conjugata rem habuit, Berlich. *p. 4. concl. 27. n. 6.* 29 30

Sunt, qui exiſtimant, conjugatum non committere adulterium, ſi cum ſoluta rem habeat, 31

habeat, ſed duntaxat ſtuprum, *l.6.* §. *1. l. ſtuprum. ff. ad L. Jul. de adult. ibidem.* Cujac. *in paratit.* Clar. *in d.* §. *adulterium. n.2.* ubi ex Roland. à Valle hanc indubitatam Dd. ſententiam dicit. Alvar. Valaſc. *conſult. 29. nu.*
32 *6. lib.1.* ubi ſimul aſſerit, coitum uxorati cum muliere ſoluta, non concubina, non eſſe punibilem lege aliquâ civili. Covarr. *de ſponſalib. p.2. c.8. §.5. num. 1.* Nicol. Everhardi Præſes *conſ.179. n.2. & 4.* Mandell. *conſ. 37. n.1. & ſeqq.* Anton. Sola *in Conſtit. Sabaud. rubr. de Concubinatu laicorum. Gl. unic. num.6. fusè.* Heig. *d.q.29. n.5. & ſeqq. part.2.* Coler. *deciſ. 176. n. 1. & num. 21. & ſeq.* Tiraq. *de Legib. Connubial. l.1. n.42.* qui hujus rei *haſce*
33 *reddunt rationes;* (3) tum (1) quòd uxor viro majorem reverentiam & honorem, tanquam capiti, debeat, quàm contrà vir uxori, tum (2) quòd adulterium ob ſobolis incertitudinem, & falſi partûs ſuppoſitionem longè gravius ſit in uxore vid. Speckh. *quæſt. jur. cent. 2. claſſ. 2. q.7. n.40. & cent.3. claſſ. 1. quæſt.8.* Cujus legis ſanctio verbis Gellii *in Noct. Attic.* (4) convenit, qui ita veteri jure ſcriptum ex Marci Catonis Oratione refert: In Adulterio tuam uxorem ſi prehendiſſes, ſine judicio impunè necares. Illa te, ſi adulterares, digito non auderet contingere, neq; jus eſt, Palæottus *de Spurc. cap.42. n.3.* Unde Syra apud Plaut. *in Mercatore act.4. ſc.6.* cõqueritur mulierum conditionem, ſequentibus verbis;

Ecaſtor lege durâ vivunt Mulieres,
Multoq; iniquiore miſeræ, quàm viri.
Nam ſi vir ſcortum duxit clam uxorem ſuam,
Id ſi reſcivit uxor, impunè eſt viro.
Uxor verò, ſi clam domo egreſſa eſt forâs,
Viro fit cauſa, exigitur matrimonio.
Utinam lex eſſet eadem, quæ uxori eſt, Viro!

34 Inprimis verò propter ſuppoſitionem alieni partûs adulterium in nupta videtur eſſe exoſum, eò, quod in hac materia punibilis coitûs reſpectus habendus ſit potiùs ad matrem quàm ad patrem, ut poſt Nattam *conſil.241. n.4. volum.2.* tradit Alex. Trentacinqu. *lib.1.*
35 *reſol. tit. de nothis reſol. 2. n.17.* Quod etiam quidam ex eo ſatis liquere ſcribunt, quòd DEUS eo ipſo tempore, quoad pluralitatem uxorum & concubinarum connivendo ſiluerit; *Davidis tamen cum uxore Uriæ* (5) perpetratum adulterium ſeveriſſimè puniverit.

36 At ſenſim Chriſtianorum inſtitutis propter legis divinæ ſanctimoniam & veterum Eccleſiæ primitivæ Doctorum authoritatem receptum eſt, ut adulterium dicatur indiſtinctè in eo vel ea, qui quæve ſuum vel alienum conjugium contaminavit, Hotoman. *d. conſil. 96. n.1.* Quod & tenet Guid. Papa
37 *deciſ. 280. & conſ. 153. in curia n.1.* Ac licet hoc nomine adultera peccet graviùs, quòd ſobolem ſpuriam in fraudem mariti & legitimorum filiorum clanculum familiis intrudat: tamen illa virorum licentia nec Magiſtratui, nec uxoribus eſt ferenda. Cui convenit Jus Canonicum, ſecundùm quod ipſa mulier ſoluta ad alienum accedit thorum, e- 38
umque violat; quæ violatio, ſive acceſſio ad alterius uxoris thorum, verè eſt adulterium, *can. non mœchaberis cauſ.32. q.5.* Grivel. *Deciſ. Dolan. 144. n.22.* extente Bocer. *tract. de adulterio cap.1. n.25.* Everhard. Speckhan. *cent.3. quæſt. 8. n.17. & ſeqq.* Vinculum e- 39
nim inter conjuges utrinque eſt æquale; una eſt fides caſtitatis, promiſſio inſeparabilitatis, & ſpes una habendæ prolis, *c. debitum extr. de bigam.* Nec licet viris (*inquit* Ambroſius) quod mulieri non licet, & eadem à viro, quæ ab uxore caſtitas debetur. Quò major inter conjuges pudor & verecundia, eò major & ardentior amor in utroque. Et quidem maritus quantâ virtute fœminis eſt ſuperior, tantò minùs ſe libidinibus contaminare debet, & in familiam ſibi poſteriſque ſuis exitium attrahere. Deinde quemadmodum felis in rabiem agitur odore unguentorum: ita maritorum cum meretriculis & pellicibus conſuetudo mulieres poteſt ad inſaniam redigere; Ovid. *lib.2. de Art. amand.*

Sed neque fulvus aper media tam ſævus in ira eſt,
Fulmineo rapidus dum rotat ore canes;
Nec Lea cum catulis lactantibus ubera præbet;
Nec brevis ignaro vipera læſa pede;
Fœmina quàm ſocii deprensâ pellice lecti
Ardet, & in vultu ſemina mentis habet.
In ferrum flammasq; ruit, poſitoq; pudore,
Fertur, ut Aonii cornibus icta DEI.

Ideoque voluptatis exiguæ causâ tantum ægritudinis & mœroris uxori maritus afferre non debet, ſed ad eam accedere, ut ad apes ſolemus, quas irritari ferunt & pugnare, ſi quis impurus & libidinoſus acceſſerit. Hinc & Conſtit. Auguſti Electoris Saxoniæ *part.4. conſtit.19.* diſertè cautum eſt, ut & adulterium ſit, ſi uxoratus cum ſoluta fœmina ſe carnaliter miſceat.

Hujus autem delicti, quando videlicet 40
maritatus ſtuprat ſolutam, non ſimplex pœna ſtupri eſt, ſed alia corporalis, fuſtigatio nempe, quâ delinquens eo caſu coërcetur, Weſemb. *in parat. ff. ad L. Jul. de adult. n.2.* prout & in judiciis Saxonicis eo caſu pronunciari conſuevit Quæſt. Saxon. *p.4. q.2. n.2. & qu.41. n.1.* Coler. *deciſ.176. n.7.* Hodiè ta- 41
men in Saxonia, ſi maritus vel uxor habeat conſuetudinem cum ſoluta vel ſoluto, conjugatum gladio, & ſolutam cum relegatione virgis cædi, teſtis eſt Beuſt. *de matrim. c.12. verſ. ſed hodiè.*

Ego utroque caſu, ſtante generali con- 42
ſuetudine, quâ adulteros morte naturali hodiè neutiquam plecti introductum dicitur, haſce & ſimiles pœnas in pecuniarias con-

Tttt verti,

verti, hocque medio Ærario conſuli eſſe, intrepidè affirmo: Niſi aſſuefactio & reiteratio delicti vel aliæ circumſtantiæ, adulterium aggravantes acceſſerint; putà, quòd quis invitam & acclamantem invaſerit, proſtraverit & carnaliter cognoverit; ad cujus delicti enormitatem demonſtrandam faciunt ea, quæ dixit Dan. Moller *3. ſemeſt. c. 27. n. 3.*
43 *& ſeqq.* Hæc enim vis, non dicam adulterando, ſed vel ſolùm ſtuprando commiſſa efficit, ut ſtuprator pœnâ mortis omninò afficiendus ſit, *l. 1. ff. de extraordin. crim. §. item lex Julia Inſtit. de public. judic.* quem ita intelligunt Dd. communiter, Clar. *in §. ſtuprum. n. 3. in fin & §. fornicatio. n. 32.* Boſſ. *d. tit. n. 19.* Ludov. à Peguera *quæſt. crim. 7. n. 6.* Ancharan. *lib. 2. quæſt. famil. 30. num. 2.* Menoch. *caſ. 288. n. 12.* ubi hoc caſu pœnam mortis naturalis ſine controverſia ſtupratorem manere dixit. Et hanc ſententiam propugnat Ant. Gomez. *ad d. l. Tauri 40. n. 41.* ubi non requiri raptum, ſed ſufficere ſolam violentiam hoc caſu probavit. Quod etiam communiter teneri, aſſerit Bernhard. Muſcatell. *in prax. crimin. tit. de adult. §. procedamus*
44 *n. 32. & ſeqq.* Et manifeſta eſt in hoc ipſo Caroli V. Conſtitutio pœnalis *art. 119.* ibi: So jemand einer unverleumbdeten Ehefrauen/ Wittiben/ oder Jungfrauen mit Gewalt und wider ihren Willen ihre jungfräuliche oder fräuliche Ehre nehme/ derſelbe Ubelthäter hat das Leben verwirckt/ und ſoll auf Beklagung der Genöhtigten/ in Ausführung der Miſſethat einem Rauber gleich mit dem Schwerdt vom Leben zum Tode gerichtet werden.

45 Nec requiritur hoc caſu præcisè vis armata, cùm per interpretativam, blanda videlicet verba & allectamenta, ac doloſas promiſſiones mulierem à ſtupratore ad ſtuprum inductam abunde ſit, juxta Muſcatellum *d. loc n. 36. & ſeq.* Si enim promiſſiones, munera, blanditiæ præceſſerunt, ex quibus fœmina decepta & circumducta dici poſſet; tunc ex quadam impreſſione violenta tale facinus admiſiſſe videtur, Monter, *Deciſ. Arrag. 15. n. 69* ubi plurimos allegat, Menoch. *caſ. 360. n. 50 & ſeq.* Et licet in practica hoc non ſervetur, ut adulterans, qui dona dedit, veniat puniendus pœnâ adulterii per vim commiſſi, teſte Bajardo *in Addit. ad*
46 *Clar. § adulterium. n. 72* Nihilominus corroboratur prædicta opinio per ea, quæ tradidit Maſcard. *de probat. concl. 1409. n. 28. & ſeqq. vol. 3.* Quemadmodum non eſſe neceſſarium, totam omninò vim, ſed ſufficere aliquã violentiam *etiam per ſolam interpellationem & ſuaſionem,* (6) tradidit Boſſ. *d. tit. de coit. damn. & punib. n 66.* Et eleganter Auguſtin. *in Addit. ad Angel. in tit. che hai adulterato. n. 55. & ſeq.* ubi dixit, quòd quidem ſi mulier conſenſerit ſtupro in ſua ſimplici voluntate, non vi, non verbis viri, non aliquo dolo ſubducta, non pretio, non promiſſionibus conſenſit, ſed magis his capta in virum ſtuprum commiſerit, non eſſe quidem pœnam capitalem; ſed ubi vir præceſſit mulierem vel cũ lenocinio vel cum promiſſionibus, tunc mulierem utique fuiſſe ſubductam ad ſtuprũ committendum, & hoc caſu eſſe pœnam capitis.

Sicque in individuo, ſi adulterium invitâ muliere & violenter commiſſum ſit, non 47
ceſſare pœnam juris communis adulteris dictam, neque violentum adulterium conſuetudinem, quâ adulteros morte naturali hodiè neutiquam plecti introductum dicitur, excuſare poſſe, expreſsè reſpondit Cravetta *d. conſ. 137. n. 10. verſ. Idem præſupponit Romanus*

Hæc aliquantò altiùs repetere placuit, ne Magiſtratus ceu ſutor unã crepidam omnibus calceis aptando, vel cytharædus eâdem chordâ ſemper oberrando, quævis adulteria, ſimplicia, & duplicia indiſtinctè pecuniâ mulctet, ſed pro diverſitate caſuum, vel gladio ultore, aliiſve capitalibus pœnis percellat, atque ita retia Syndicatûs evitet. Neque 48
enim Principes & Magiſtratus eâ prærogativâ gaudent, ut ordinarias criminum capitalium pœnas ad nutum ſuis decretis in mitiores & pecuniarias pœnas commutare poſſint: Multoque minùs iſtos δωροφάγους audiendos eſſe cenſeo, qui bonæ naturæ Principibus hujusmodi fumos vendunt ac conſuadent: Liberum eſſe Principi, quas velit infligere, vel remittere pœnas. Talia enim & ſimilia effata magis inſanientium, quàm jurisprudentium loquelam arguunt; ſuntque falſa & adulatoria, uti ſentiunt Riminald. Jun. *conſ. 18. n. 117. & ſeqq.* Cravetta *conſil. 241. n. 20. & ſeq.* dicentes: quòd ægrè ferre non debeat Princeps, quòd ſibi non liceat plenitudine poteſtatis uti in iis, quæ non ſunt licita; quia majorem poteſtatem non habet, quàm ipſe Deus, imò nec æqualem &c. Et quidem quod ad illa peccata, quæ lege Dei, Morali, & Naturâ turpia ſunt, & pœnam merentur, attinet, tantum abeſt, ut pœnæ detractio in cujusquam hominis poteſtate ſit, ut ne totius quidem Orbis Monarchæ auctoritas eam juſtè tollere queat. Sed relictis legum tetricis ad puros & limpidos fontes Iſraëlis, & amœniores Hiſtoricorum Politicorumque hortos, & campos pauliſper excurramus & ſpaciemur, ruminantes, quàm ſit abominandum & deteſtabile crimen adulterium, ac quàm variæ pro diverſitate populorum, locorum & temporum fuerint adulterii pœnæ. Certè non magis igne & aquâ, 49
quàm matrimonio poteſt humanum genus carere, ſine quo reſtingui & deleri gens univerſa cogeretur; quod ut oſtenderent Poëtæ, *Saturnum finxerunt amputaſſe genitalia patri* (7) Cœlo, eaque in mare abjeciſſe, indeq; natam Venerem; quo fabulæ pigmento monſtrabant, igneum ſemen admixtum cum humore

more generationis eſſe principium quare res
eſt tam religioſa matrimoniũ,ut matrimonii
jus adulterio violare, nihil ferè ſit in ſcelere
50 majus. Quum ſuſtuliſſet uxor Potipharis ſa-
tellitum præfecti, oculos ſuos in Joſephum à
Potiphare emtum è manu Iſmaëlitarũ,ut di-
ceret, *concumbe mecum*, ille renuens dixit ad
uxorem Domini ſui, *Ecce Dominus meus, o-
mnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in
domo ſua: nec quidquam eſt, quod non in mea
ſit poteſtate, vel non tradiderit mihi, præter te,
quæ uxor ejus: quomodo ergo poſſum hoc ma-
lum facere,& peccare in DEUM meum? Gen.
39.v.7.8.9.* Eximius adoleſcens impudicæ
heræ libidini minimè cõſentiens, pallio quo
prehenſus fuerat, relicto, effugit, & invictæ
caſtitatis ſuæ præclarum dedit documentũ.
Etenim timor Dei,ut quidã piè dixit, eſt pri-
maria virtus & virtutum cuſtos. Mulier tur-
piſſima,cum ſancti adoleſcentis pudicitiam
ſuis illecebris expugnare nequiviſſet, tetris e-
ũm mendaciis &calumniis onerat&prægra-
vat. Itaque Joſeph ob convictum crimen in
carcerem innocens detruditur. Grave quidẽ
ei fuit,lædi famam ſuam,quam pluris facie-
bat quam vitam: tamen non fit furor, toties
læſa, ac tot malis preſſa, patientia ejus. Fuit
51 itaq; Joſephi vita cœlum quoddam lucidiſſi-
mis virtutum ſtellis exornatum: erga Deum
quidem timoris ac pietatis, erga herum ju-
ſtitiæ, integritatis, fidei & gratitudinis, erga
dominam modeſtiæ, verecundiæ, & caſtita-
tis: erga ſeipſum prudentiæ ſpiritualis,mun-
ditiem animæ magnâ ſollicitudine & curâ
cuſtodientis: item fortitudinis vitiorum ille-
cebras conſtanter repellentis,virtute ſuperã-
tis ac evitantis: addo etiam infracti & invicti
roboris animi, pietatis ſtudio adverſa quæq;
tolerantis ac ſuſtinentis. Nam quod relicto
veſtimento fugiens, vitæ famæque periculũ
ſubit, & ſoli Deo conſcientiæ ſuæ judici ac
teſti, innocentiam ſuam vindicandam per-
mittit, exemplum reliquit omnibus ſeculis,
Dei amorem & conſcientiæ integritatem u-
niverſis hujus vitæ bonis anteferri debere, &
quodlibet injuſtæ infamiæ probrum auxilii
divini expectatione perferendum eſſe. Qua-
re Joſephi carcer fuit multarum virtutum il-
luſtre gymnaſium, patientiæ exploratio, fi-
dei per ipſas miſerias pellucentis exercitium,
& victoriæ ac triumphorum ejus materia
atque occaſio. Plura vide apud Philonem
Judæum, Gregorium Magnum & *Sapient.
cap.10.verſ.13.14.* Ecquis B. Virginem,Ma-
52 trem Chriſti Caſtiſſimam meritis laudibus
dignè celebret? quæ velut lilium inter ſpi-
nas, cùm de filii conceptione Archangeli
nuntium accepiſſet, non tam de nuntio in-
credula, quam de modo ſolicita: *Quomodò*,
inquit,*fiet iſtud,quoniam virum non cognoſco?*
quaſi diceret intra ſe: Ego meæ virginita-
tis jacturam facere nolim, & votum de ea in
perpetuum ſervanda violare. Maluit certè
etiam deſponſata, cordis corporiſque inte-
gritate ſplendere,quam dignitatem aliquam
quantumvis excellentem, cum ejus violati-
one ſubire *Luc. c. 1. Philippus Rex Macedo-* 53
niæ, (8) cùm ad eum à ſervo adductam puel-
lam interrogaſſet, cur tàm ſerò veniſſet,re-
ſpondiſſetq;,ſe expectaſſe,ob viri metum,op-
portunitatem; graviſſimè in ſervum anim-
advertit, cujus conſilio probè adulterium
perpetraſſet. Lycurgi temporib. tanta erat 54
apud omnes uxorum pudicitia, ac tam lon-
gè aberat ab ea turpitudine,quæ poſtea inva-
luit ut prius eſſet incredibile, adulterii crimẽ
apud Spartanos inveniri,ferturq; dictum cu-
juſdam vetuſtiſſimi Spartani Geradatæ, qui
rogatus ab hoſpite quodam,quid pœnarum
darent apud Spartanos adulteri? neq; enim
videre ſe quicquam ſuper hac re ſancitum à
Lycurgo. Nullus, *inquit*, ô amice,apud nos
adulter eſt. Quum ille ſubjeciſſet: Quid i-
gitur,ſi exiſtat? Dabit,*inquit*,bovem tantum
ut porrecto ultra Taygetum collo, bibat ex
Eurota.Cumque ille ridens dixiſſet, fieri non
poteſt, ut tantus bos inveniatur.Et quo pa-
cto,inquit Geradatas, Spartæ exiſtat adulter
in qua divitiæ,deliciæ, & corporis aſcititus
cultus probro habentur: contra verecundia
modeſtia, ac obedientiæ magiſtratibus de-
bitæ obſervatio, decori laudique dentur.
Prudenter intellexit Geradatas, ibi non poſſe 55
naſci vitia, ubi non admittuntur vitiorum
ſeminaria eaque ubiq; jacere, quibus pro ho-
nore tribuitur ignominia. Atque hæc eſt cle-
mentiſſima ratio medendi pravis morib.ex-
citandiq;virtutis ſtudium Plut. *in Lac. apoph.
Tom.2.Oper.pag.228.& in vita Lycurgi Tom.
1.Operum pag.49.*

Balduinum Flandriæ Comitem Veneti
Ducis Danduli operâ Imper. Byzantinum 56
creatum in tantum, ab hoc crimine fuiſſe a-
lienũ conſtat, ut ne impudico quidem aſpe-
ctu quamdiu à ſua conjuge abfuerat, intuitus
bis qualibet hebdomade veſperi proclamari
juſſerit,ne quis in ſuo palatio cubaret qui alie-
nam conjugem attigiſſet, Nicetas Choniat.
in annal.fol. mihi 294. Minori cum laude, & 57
infra regiam dignitatem Ottocarus Bohe-
miæ Rex,de conjugis impudicitia monitus
Lex,à jebat,*naturæ eſt.*

Cornua qui faciunt,ne cornua ferre recuſent.

Verum levitatis incontinentiæque in-
dicium: inſinuat quippe conjugi non eſſe il-
licitum fidem violare conjugalem, cum &
ipſe idem faciat, aliis fœminis abutendo.
Cornua quippe facere, (9) communi phraſi i- 58
dẽ eſt quod fallere Æneæ Sylvius *libr.3.Com.
de geſtis Alphonſ.* Muhamedem Moſleman- 59
norũ Prophetam, effrænis licentiæ hominẽ
& planè belluinum, ſexdecim aut ſeptẽ ſupra
decẽ uxores habuiſſe auctores tradunt: trede-
cim ſaltẽ Chronicon Turcicum ei fuiſſe uxo-
res non diſſimulat, quibus & cõcubinas plu-
rimas adſciviſſe,atq; etiam aliorũ ad uxorum

60 adulterio ſe polluiſſe ſcribunt Hiſtorici. Quæ
tamen omnia ſua adulteria, ſcortationes, &
libidines Deo adſcribere, ac tantæ fœdi-
tatis Deum ipſum auctorem conſtituere, ac
jactare patronum non eſt veritus; Deum
enim hæc ſibi omnia conceſſiſſe, & ſibi uni
decem aliorum prophetarum in coëundo
virtutem & fortitudinem tribuiſſe, audaciſſi-
mè auſus eſt gloriari Joan. de Laet. *in diſcr.*
Arabiæ fol. mihi 193. De Magnatum & pur-
61 puratorum Patrum in Aulis paſſim ebulli-
ente & fervente laſcivia & libidine nihil eſt,
quod dicam ampliùs; Cùm his *Adulterium*
ſit Ludus. (10) Quo fit ut pœnæ leviores huic
62 irrogentur flagitio; & leges telis aranearum
ſimiles muſcas majores tranſmittant, mino-
res ſaltem capiant; ut meritò eâ de re gravi-
ter conquerantur Clar. *in §. adulterium.*
63 Mynſing. *ad. §. 4. num. 10. Inſtit. de publ. jud.*
ubi exclamandum ait, cum Juvenale *libr. 1.*
Satyr. 2.
--------- *Ubi nunc lex Julia dormis?*
Flamin. de Rubeis *d. tr. de adult. c. 16. tit. 4.*
Et Harpr. *ad §. pœna 5. n. 35. Inſt. de obligat.*
quæ ex delict. naſc. Certiſſimum, *inquit*, vulgi
etiam notitia, & teſtimonio prohdolor ho-
die immenſum, creſcente blaſphemiæ &
ſcortationis delicto, pœnas tamen his cœli-
tus impoſitas non exaſperari, ſed potiùs mi-
nui & attenuari. Modeſtius & honeſtius, ſe-
cundum Senecam,
Feræ ipſæ Veneris evitant nefas
Generisq; leges inſcius ſervat pudor:
Veluti de Camelis refertur, & inter Ele-
64 phantes adulteria eſſe incognita, tradit Plin.
libr. 8. nat. hiſtor. c 42. Ælian. *lib. 9. c. 47.* Cy-
præus *de jure connub. p. 2. c. 6. §. 1. n. 3. & ſeqq.*
Ferè & verè affirmare auſim cum Antonio
Sola *in conſt. Sabaud. tit. de concubin. laicorum*
65 *gl. un. num. 7.* ſi L. Julia hodiè obſervaretur,
quod multi ambularent ſine capite. Sed ma-
num de tabula, & veritas odium part. Cæte-
66 rùm apud Hebræos lapidibus obruebantur
Levit. 20. v. 10. Deut. 22. v. 22. 23. 24. Vide
67 quoque *Joh. 8. v. 3.* & ex Romanis legibus
adulteri pœna capitali (uti ſuprà latè oſten-
ſum) plectebantur. Romani non contenti
hac legum ſeveritate, illud etiam juſſerunt,
ut deprehenſus adulter vel indictâ causâ
poſſe confodi, quaſi lædat atrociùs, qui con-
jugem alterius eripiat, quàm qui vitam.
Quid? Juſtinian. Imp. non ſolùm in parentes
ſævit, ſed etiam in eum, qui contra jura ma-
trimonii ſit in lucem ſuſceptus, eum ſic exter-
minans ab omni patris hæreditate, ut ἀπάτωρ
vocetur, *hoc eſt*, ſine patre.
Hanc ſeveritatem & aliæ quædam nati-
68 ones imitatæ ſunt, ut Parthi, qui nullum deli-
ctum adulterio gravius vindicabant, Juſtin.
libr. 41. *Tenedi* utriusque adulteri corpus ſe-
69 curi concidebant. Heraclit. *in Polit.* Ægyptii,
teſte Diodoro Siculo *lib. 1. c. 6.* virilia viris,
70 nares fœminis ferro demetebant. Exiſti-
mabant enim mulierem, ſe ad illicitam in-
continentiam exornantem oportere eâ parte
mulctari, quâ maximè facies ornatur. Ægy-
ptiorum Legem, quantum ad fœminas atti-
net, imitata eſt Siciliæ Conſtitutio, quâ muli-
er adultera naſi mutlatione ſive truncati-
one punitur. Quantum autem ad
viros, eam legem ſecuti ſunt apud Romanos
Bienus & Publ. Cernius, quorum ille Carbo-
nem Actienum, hic Pontium in adulterio
deprehenſos caſtraſſe, ſcribuntur à Valer Ma-
ximo *libr. 6. c. 1.* Ex quo & illud Horatii *l. 1.*
Serm. Satyr. 2.
-------- *Quin etiam illud*
Accidit, ut quidam teſtes caudamq; ſalacem,
Demeteret ferro jure omnes, Galba negabat, 71
Locri, ex inſtituto Zeleuci, adulteris oculos
eruebant Valer. Max. *d. lib. 6. cap. 5.* Ælian.
lib. 13. var. hiſtor. *Cumæi*, ſi qua in adulterio
mulier deprehenſa fuiſſet, hanc in forum de-
ductam & ſaxo impoſitam, ſpectandam o- 72
mnibus proponebant: inde ſuper aſino col-
locatam, & ita per totam Civitatem cir-
cumductam, in eundem locum reſtitui o-
portebat. Ex illo infamiâ notatam ὀνοβάτιν
appellabant, quod aſinum equitaſſet, lapi-
demque illum, tanquam impurum ac dete-
ſtabilem vitabant Tiraquell. *in Legib. connub.*
p. 13. n. 11. *Germanos* inter, adulteram abſciſ- 73
ſis crinibus nudatam coram propinquis ex-
pellebat, domo maritus, & per omnem vi-
cum verbere agebat, Tac. *de morib. Germ.* Et
ſecundùm Francorum veterum ac Saxonum 74
convicta, à Mariti propinquis & agnatis, in
ignem conjecta cremabatur, Münſter. *lib. 3.*
Coſmogr. c. 5. & lib. 5. cap. 397. Senatus olim
Syracuſanus, cùm duo alter in alterius mulie-
rem intuliſſent ſtuprum, utrumque urbe eli-
minarunt, Plutarch. *in Polit.* Valerius Tor-
quatus in bello olim cum Thuſcis geſto Im-
perator, cum Cluſiam Regis filiam uxorem
peteret, haberè nequivit, direpto oppido, illa
ſe è turri præcipitem dedit, at tumefactis ven-
to veſtibus incolumis ad terram delata, eam
cum ſtupro violaſſet, publico Senatus Ro-
mani decreto, in Corſicam in exilium miſſus
eſt, ut poſt Theophilum *rerum Italicar. lib.*
3. ſcripſit Plutarchus *in Parallelis capit. 28.*
De aliis Gentibus, quomodo in adulteros
animadverterint, vide Tiraqu. *d. part. 3. leg.*
connubial. num. 6. & ſeqq. Alexand. ab Ale- 75
xand. *lib. 4. dier. genial. cap. 1.* Gregor. Tholoſ.
Syntagm. lib. 36. cap. 6. n. 21. & ſeqq. usque ad
fin.
Hodiernis moribus in Gallia perperam
quæritur; an in ſcortationes & vagas libi- 76
dines animadverti debeat: ſiquidem ſe-
cundum Franciæ mores etiam adulteria
non puniri, teſtantur Joan. Faber. *in §. ex*
non ſcripto. Inſtit. de jur. nat. gent. & civil. &
in §. item lex Julia. Inſtit. de publ. judic. Annæ.
Robert. *d. lib. 1. c. 14.* Paul. Chriſtinæ *com-*
ment. in leg. municip. Mechlin. artic. 13. num. 3.
Et

Et refert Thuan. *hiſtor. lib. 35.* Cùm Aure-
77 liani *Landa Molinus*, (11) qui Godardam Johannis Godini uxorem, dum vir in caſtris eſſet, corrupiſſe convictus & ad mortem damnatus, amboque Landa & Godarda in publica platea laqueo ſuſpenſi eſſent; Pigriferio priſci moris ac ſeveritatis viro, (qui à Ludovico Borbonio Condæo urbi præpoſitus fuerat) judicium urgente, & graſſantibus vitiis exemplo opus eſſe, dictitante; aulam regiam adeò malè illud accepiſſe traditur, ut plerique ſummâ impudentiâ palàm teſtarentur, ſe à Proteſtantibus ſemper alienos futuros & ob eam cauſam nunquam in eorum verba juraturos eſſe, qui adulteriis hujusque impunitis novâ & apud Gallos inauditâ ſe-
78 veritate pœnam capitis ſtatuerent. Quâ crudelitate Macrinus Imperator in adulteros animadverterit, narrat Crinit. *lib. 11. cap. 9.*

79 Quid multis? maximum facinus eſt, matrimonii gloriam pellicatu obſcurare: proximum matrimonium non contrahere; Itaque ſi ii, qui ad annos ſeptem & triginta ſine uxoribus perveniſſent, à Lycurgo Lacedæmonio maximâ infamiâ notati ſunt, & Spartani primam mulctam indixerunt nō habenti uxorem, alteram ſerò ducenti, tertiam & graviſſimam illi, qui malam duxiſſet, aut ex aliena tribu; quidni (præſertim opulentiores) cenſuris mulctisque pecuniariis, commodo Fiſci, ad matrimonia ineunda arctari poſſint.

80 Deferebatur antiquitus ex lege in ærarium certa pecunia, & mulcta indicta & exacta per Cenſores à Cælibibus: auctores ejus feruntur Camillus & Poſthumius. Valer. Maxim. *lib. 2. memorab. cap. 4.* Nam lex, quæ vetabat cælibatum, tranſtulit etiam caſtigationem ad Cenſores Cic. *3. de Legib.* Plato ferè eandem legem ita ſancivit, *lib. 6. de Legib. Si quis vivat in Civitate ſine connubio, & egerit triginta quinq; annos; ſingulis annis ſi de maximo cenſu eſt, drachmis centum mulctetur; ſi de ſecundo, ſeptuaginta; ſi de tertio, ſexaginta; ſi de quarto, triginta.* Verùm Plato illam pecuniam non ærario, ſed Junoni conſecrari juſſit. Quin & cælibes nihil ex Civium teſtamentis capere potuiſſe, author eſt Sozomenus *lib. 1. cap. 9.* ignominiâque olim, imò contumeliâ affectos fuiſſe, videre licet apud Gœddæum *ad l. Spadonum 128. ff. de V.S.* Quæ leges probabili ratione nite- 81
bantur, in illis qui caſtè vivere non poterant, & melius ſit nubere, quàm uri *1. Cor. 7 v* vel habitâ ratione temporis, in quo ob bella ferè periturum genus erat hominum, niſi generatione repararetur, quod fit per nuptias legitimè. Nemo enim magis videtur de Re- 82
publ. benè mereri, quàm qui plurimis liberis abundat: quare fœcunditas præmio; ſterilitas pœnâ afficienda eſt. Atque ut à publica patriæ utilitate recedam, quæ indies per liberos, quos ex magnatum matrimonio capit, reviviſcit; nihil longam ætatem cum effluxit, majori conſolatione permulcere poteſt, quàm ipſa ſoboles, quæ patrem ætate ingraveſcentem non ſolùm conſuevit ab omni mortis metu vendicare, ſed etiam ſanguinem ac ſtirpem ejus ad aliena ſecula propagare.

Hodiè in Ditione Palatinatus Odenwald/ teſte Georgio Schönborn. *lib. 1. Polit. c. 6. fol. 13.* qui exceſſerunt XXV. ætatis annum, cælibatum profeſſi dicuntur Hageſtolzen/ eorumque bona poſt mortem devolvuntur ad Fiſcum, quòd annos ſuos conſumpſerint & mariti & patris nomine vacuos.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT CXLI.

Num. 4.

(1) *Ut adulteri &c.*] Norimbergæ fornicationes, adulteria, ſtupra committentes, & criminibus hiſce auxilium præbentes carcere, (ubi pane & aquâ contenti vivant delinquentes) infamiâ, atque remotione ab officio (ſi in quo ſunt) puniuntur. Reiterato crimine pœna duplicatur, vel etiam relegatio indicitur.

Num. 7.

(2) *Antiquis Germanorum moribus &c.*] Pauciſſima in tam numeroſâ gente adulteria. Acciſis crinibus nudatam coràm propinquis expellit domo maritus, ac per omnem vicum verbere agit. Publicatæ enim pudicitiæ nulla venia. Non formâ, non ætate, non opibus maritum invenerit. Nemo enim illic vitia ridet: nec corrumpere & corrumpi ſeculum vocatur. Sic de Germanis noſtris antiquis ſcribit Tacitus *in Germania cap. 19. num. 2. & ex eo infrà hoc cap. n. 13.* Klockius. Verùm ſi nunc rediret, forſan eaſdem querelas iteraret, quas è civibus Romanis quidam contra theatra & ludos apud ipſum *14. Annal. 20. num. 5.* jactabant: abolitos ſcilicet paulatim patrios mores, funditùs everti per accitam laſciviam, ut quod uſquam corrumpi & corrumpere queat, in orbe viſatur, degeneretque ſtudiis externis Juventus gymnaſia & otia, & turpes amores exercendo.

Num. 33.

(3) *Haſce reddunt rationes &c.*] Plures allegat Berneggerus *in Quæſt. ad Taciti Germ. & Agric. quæſt. 104.*

(4) *In Noct. Atticis &c.*] *Lib. 10. cap. 23.* de qua lege luculenter Alb. Gentil. *lib. 6. c. 21. de Nupt.*

Num. 35.

(5) *Davidis tamen cum Uxore Uriæ &c.*] *2. Regum cap. 11. & 12.*

Num. 46.

(6) *Etiam per ſolam interpellationem & ſuaſionem &c.*] Sed in Practica nunquam ſe vidiſſe ſervari hanc ampliationem, Farinacius *Pract. Crim. de delictis Carnis quæſt. 147. tit. 16. num. 35.* ſcri-

35. ſcribit, quia nunquam ferè datur ſtuprum, quin ex parte ſtupratoris aliqua interveniat fallax perſuaſio, & promiſſio, ſed ſemper hoc ſtuprum ſe vidiſſe punitum, ac ſi in eo nulla interveniſſet vis; *& p.p.* Quod ſi contrarium diceremus, omne ſtuprum eſſet violentum, &c. id ipſum authoritatibus ibidem confirmant.

Num. 49.

(7) *Saturnum finxerunt amputaſſe genitalia Patri &c.]* Ut teſtatur Ovidius *in Ibim*;

— — — Saturnus ut illas
Subſecuit partes, unde creatus erat.

Num. 53.

(8) *Philippus Rex Macedoniæ &c.]* Alexandro M. Philippi filio factum hoc adſcribit Plutarchus *in Apophthegm. Tom. 2. Operum pag. 179.*

Num. 58.

(9) *Cornua quippe facere &c.]* De Andronico Nicetas *in Annal. pag. m. 159. a.* narrat, quòd ſolitus fuerit Cornua Cervorum, quos venatus erat, inſignia, & rari aliquid habentia, in porticibus fori ſuſpendere, per ſpeciem oſtendandæ magnitudinis ferarum, quas cœpiſſet, cùm revera Civitatis mores & uxorum, quas ipſe corrumpebat, laſciviam notaret. Atque hinc in multas gentes promanaſſe opinatur Salmuth *ad Pancirol. de reb. deperd. tit. 44.* ut qui malitiâ degenere, vel injuriâ ſuas conjuges adulterari ſinerent, probroſo ſanè convitio *Cornua ferre* & *Cornuti* dicantur. Atqui eum, qui alterius domui cornua apponit, vel affigit, perinde puniri, ac ſi libellum famoſum compoſuiſſet, poſt Tiberium Decianum *in Pract. Crimin. lib. 3. cap. 25. num. 53.* & alios tradit Proſper Farinacius *parte 3. Prax. Crim. quæſt. 105. num. 468.*

Num. 61.

(10) *Adulterium ſit ludus &c.]* Imò verò inter dominationis arcana referri adulteria monſtrat Forſtnerus *in Not. Polit. ad Taciti 3. Annal. 7. num. 2. & ad 12. Annal. 25. n. 1.* junge dicta ad Polit. Scelerat. *cap. 21. pag. 215.*

Num. 77.

(11) *Lauda Molinus &c.]* Thuanus *Hiſt. lib. 35. ad Annum 1563.*

CAPUT CXLII.

An, & quatenus Homicidia, aliáve crimina expiari, & pœnæ corporales in pecuniarias converti, & licitè Ærario inferri queant?

SUMMARIA.

1. *Deſtinatò commiſſa* maleficia *non ſunt in pecuniariam pœnam vertenda.*
2. *An* Princeps *poſſit capitalium criminum reis indulgere?*
3. *Damnatur* Septentrionalium conſuetudo, *quâ homicidia nullâ ſui defenſione perpetrata tantùm pecuniariâ pœnâ puniuntur.*
4. *Exaggeratur* Effuſio ſanguinis *humani à privatis ſceleratè exercita.*
5. Impunitas ſcelerum *Principem pœnæ facit complicem.*
6. *Facetum & verum de hoc dictum Morionis.*
7. *Severitas* Magiſtratûs *contra malefactores, non eſt furor, quia ſubditos facit bonos, aut ſervat tales.*
8. *Uratur unum* membrum *ſervandis cæteris.*
9. *Illecebra peccandi eſt* ſpes impunitatis.
10. Fures *minutiarum in compedibus agunt ætatem: publici verò & ſplendidiores, in auro ac purpurâ.*
11. Levioribus delictis *plectendis arbitrium rejicitur ad Magiſtratum.*
12. *An* fugitivorum homicidarum *hæreditas Fiſco applicanda?*
13. Homicida *non punitur pœnâ mortis, ſi non habebat animum committendi homicidium.*
14. Animus, *& non effectus, attenditur in maleficiis.*
15. Homicida *non punitur pœnâ ordinariâ, ſi non habet directam voluntatem ad homicidium, licèt de indirecta voluntate conſtaret ratione culpæ.*
16. Homicida *dicitur in culpa, ſed non in dolo, quando non habuit directum animum occidendi.*
17. Homicida *nunquam ceſſante dolo punitur pœnâ mortis, licèt fuerit in culpa,* num. 18.
19. Relegationis *pœna ultra quinquennii metam extendi non debet.*
20. Culpa lata *in criminalibus quoad pœnam dolo non æquiparatur; ut ſi qualitas præcedentis non exigeret mortem,* num. 23. *vel ſi homicida erat pacificus, nec ſolitus rixari,* num. 24.
21. Animum occidendi *abfuiſſe, præſumptionibus & conjecturis probari poteſt.*
22. Judex *circumſtantias & qualitates omnes ad id cognoſcendum perpendere debet.*
25. Homicida *aliàs bonæ conditionis & famæ, & qui aliàs non deliquit, non punitur pœnâ mortis, ſed extraordinariâ tantùm,* num. 26.
27. Amicitia *offendendi animum removet, &* num. 32.
28. Offendendi animum *ille non habet, quo cum nulla eſt inimicitia.*
29. Inimicitia *ad occidendi animum probandam gravis eſſe debet,* & num. 30. 31.
33. Cauſa *in delictis conſideranda.*
34. Qualitas *præcedentis injuriæ arguit* animum *in ſubſequentibus.*
35. Cultro *homicidium factum non præſumitur ex propoſito.*
36. Vulnerans *parvo cultello, occidendi animum non habuiſſe cenſetur.*
37. Armorum *& inſtrumentorum genus delictum minuit.*
38. Provocatus *excedendo modum, non dicitur eſſe in dolo, ſed in culpa,* & num. 39.
40. *Inconſultus* calor iracundiæ *vitio caret.*
41. Provocatus, *qui provocantem in rixa occidit, à pœna homicidii ordinaria excuſandus eſt,* & num. 42. 43. 44. 45. 46. & 47.
48. Provocatis *jura favent.*
49. *Difficillimum eſt, juſtum* dolorem *temperare.*
50. Turbatus *non poteſt ſemper* ſtateram *habere in manu, & vulnera ad menſuram infligere,* & num. 51. 52.
53. *Homo,* incenſo calore permotus, *non eſt in plenitudine intellectûs.*

54. Homi-

54. Homicidium, *honoris defendendi causâ commiſſum, excludit animum occidendi, & extraordinariè punitur*, & num. 55. 56. 57. 58. 59. *Contrarium tenet Benedict. Carpzov.* num. 60. *qui refellitur*, num. 61. 62. 63.

64. Præſumptiones, *homicidii præmeditationem excludentes præferuntur conjecturis concludentibus deliberationem*, & num. 65.

66. Homicidium *defendendi honoris causâ ex calore iracundiæ patratum, non punitur pœnâ mortis, ſed mitiori: Non ſolùm ſi in continenti fuit commiſſum, ſed etiam ſi ex intervallo, durante causâ iræ*, num. 67. & 68. *dummodò ad extraneos actus non divertat*, num. 69. & 70.

71. Præmeditatio *non præſumitur, quando vulnus ex verbis præcedentibus, aliâve cauſa in ſubitanea rixa exorta illatum fuit*, & numero 95.

72. Rixa *omne præmeditati animi indicium tollit.*

73. Præmeditatio *& deliberatio in delictis non præſumitur.*

74. Homicidium *caſuale potiùs, quàm deliberatum præſumitur.*

75. Ebrietas *in delictis ab ordinaria pœna excuſat*, & num. 76.

77. Animus occidendi *clarè probari debet per teſtes, qui deponant ſuper animo deliberato; quia in criminalibus probationes debent eſſe luce meridianâ clariores*, ibid.

78. Confeſſio qualificata *ſufficit ad condemnandum, non in pœnam ordinariam, ſed tantùm in extraordinariam*, & num. 80. 81. & 84. *Ampliatur*, num. 82. *Licet Reus in qualitatis probatione defecerit*, num. 82. 83.

85. Bartolus *ſibi contrarius.*

86. Confeſſio qualificata *non poteſt ſcindi vel ſeparari, quia trahit ſecum defenſionem; Niſi contra delinquentem ſit præſumptio, quo caſu non admittitur qualitas defenſionis allegatæ*, num. 87. *vel niſi ex aliis probationibus prædeliberationem delicti excludentibus juſtificata fuerit*, num. 88.

89. Aſſertioni *Rei delinquentis ſtandum eſt in his, quæ in animo conſiſtunt.*

90. Offendens *ſi non ita ſe offenſurum conqueritur, mali ſui animi indicium removet.*

91. Animus *ex verbis cognoſcitur, & ſolùm ex delictis inſpicitur*, num. 92.

93. *In dubio melius*, nocentem *abſolvere, quàm innocentem condemnare; tutiusq; peccatur in abſolvendo, quàm condemnando*, num. 94.

96. *Ea ſemper* interpretatio *capienda, quæ ſit delicti excluſiva.*

97. Ambiguum *qui in deteriorem partem interpretatur, injurioſus eſt.*

98. Minor XXV. annis *an ob homicidium, aliúdve delictùm patratum ordinariâ, vel extraordinariâ pœnâ puniri poſſit? hoc* & num. 99. 100. 101. 102. 103. 104. 105. & 106.

107. Minor *pro homicidio non punitur pœnâ corporis afflictivâ: nam ubi pœna aliqua ratione attemperari & minui debet, nunquam imponitur pœna corporalis afflictiva.*

108. Pœna mortis *nunquam imponitur, ſi non conſtat de vero dolo.*

109. Princeps *poteſt gratiam facere de homicidio aliisq; delictis deliberato non commiſſis, & pœnas ordinarias in pecuniarias mulctas commutare, illisq; Ærarium ditare poteſt.*

110. Juſtitia *& miſericordia in æquilibrio penſantur.*

Quæritur, an Princeps pœnam convertere poſſit
Corpoream, in mulctam, quæ ſcelus ære luat?

NEquaquam verò homicidia dolo ma-
lo perpetrata, cæteraque maleficia de- 1
ſtinatâ voluntate commiſſa, cujusmodi ſunt
latrocinia, *adulteria*, (1) & id genus alia; in
pœnam pecuniariam converti, aut inter-
ventu pecuniæ expiari, eâque Mulctâ Ærari-
um conſpurcari debet: Cùm Princeps, ne
quidem ex plenitudine poteſtatis, lapſis &
capitalium criminum Reis indulgere, aut
veniam concedere poſſit; ſi crimina ſint de
eorum numero, quorum pœna vindex eſſe
lege divinâ & æternâ debet. Danæ. *libr. 6. de
Polit. Chriſtian. c. 3. fol. 410.* De iis enim cri- 2
minib. relaxare mortalem nefas eſt, contra
quæ immortalis DEI vox capitalem ſenten-
tiam pronunciat. Quam ſententiam latè
exſequitur Joſeph. de Seſe *tr. de Inhibit. c. 1. §.
5. per tot.* Paciā. *c. 3. de vero juſtoq; Principe fol.
145. & ſeq.* & noviſſimè Joh. Hering. *diſcurſ.
de doloſi homicidii atrocitate in appēdice per
tot.* Sicuti & Statutum viribus caret, quod e-
jusmodi homicidis nullam pœnam injun-
git, vel mortis pœnam commutat in pecu-
niariam, uti nominatim poſt alios tradit
Farinac. *in prax. crim. lib. 1. tit. 2. q. 14. n. 6. &
7. & de var. crim. qu. 119. num. 27. & ſeqq.*
Anton. Hering. *tract. de fidejuſſor. cap. 10.
num. 248.* Althuſ. *lib. 1. Dicælog. cap. 128. num.
23.* Ita quoque improbanda eſt conſuetu- 3
do, Septentrionalium populorum, Dano-
rum, Suecorum, Polonorum, Holſato-
rum & Friſiorum, apud quos à multis annis
fuit receptum, ut homicidia flagitioſiſſima
ad nullam ſui defenſionem facta, absque di-
ſcrimine pœnâ ſaltem pecuniariâ durch ein ge-
ring Wåhrgeld oder Manbuſſe plectantur,
vel redimantur; quod illi vocant, einen
Todtenhals löſen / Keller. *libr. 2. de offic. juri-
dici politici cap. 13.* Ventur. de Valent. *lib. 1.
Parthen. litigioſ. cap. 13. num. 4. & libr. 2. c. 4.
num. 36. usque ad num. 50. cum cap. 8. num. 21.*
Frider. Mindan. *libr. 1. de proceſſib. c. 9. num. 20.*
Et neſcit Herman. Latherus *libr. 2. de cenſu
cap. 4. num. 45.* quo juſtitiæ velo tegi poſ-
ſit, homicidium voluntarium exiguâ pe-
cuniolâ vel exilio annuo mulctari, daß ei-
ner Jahr und Tag auſſerhalb Landes ſich auf-
halte. Ac profectò (ait Hering. *dict. diſcur.
num. 30. fol. 30.*) ſi quis rem rectâ putet viâ 4
nullam vim graviorem deteſtabilioremque
reperiet, quàm eam, quæ ſanguinem hu-
manam effundit, cædibusque ac luctu graſ-
ſatur; & Rempubl. civibus orbat; imò &
terram ipſam ſanguine pollui, nec munda-
ri, niſi homicidæ effuſo rurſum ſanguine,
lex divina teſtatur: unde & hoc nomine
pretium pro pœna ſumi prohibet, ne tota
regio unius ob ſcelus & furias anathemate
puniatur, Weſemb. *in Parat. ff. ad L. Cornel.* 5
de ſicar. Adeo, ut nimiâ indulgentiâ reos

 faci-

faciat Magiſtratus omnium flagitiorum, quæ à ſubditis impunitatis ſpe committuntur. Memorabilis eſt vox illa Divi Ludovici Regis Franciæ: Princeps, qui punire poteſt crimen nec punit, non minus coram Deo reus eſt, quàm ſi id ipſe perpetraret; pium eſſe opus, non crudele, juſtitiam facere. Nec ineptè Morio ad alium quendam Galliæ Regem, á quo venia petebatur reo, qui tertiò erat homicida; Hic ve-
6 rò, inquit; O Rex primum ſaltem homicidium deſignavit, tu ſecundum & tertium. Nam ſi primi veniam illi non dediſſes, unicum illud commiſiſſet, & admittere plura non potuiſſet. Camerar. *p.1.meditat. ſubſecivar. cap. 100.* Simile exemplum refert Georg. Richter. *in axiom. polit. reg. 407. num. 9 fol. 844.* Hinc Propheta ad Regem Achabum: Quoniam dimiſiſti virum dignum morte, erit anima tua pro anima ejus, & populus tuus pro populo ejus 3 *Reg. 20.* Cotys
7 Rex Thraciæ increpanti ſeveritatem ejus & dicenti; *Furor hic* eſt, non regnum. *At meus, inquit, furor*, ſubditos meliores reddit. Stobæ. *ſermon. de regno.* Idem fieri ſacra jubent. Gen. 9. verſ. 6. Levit. 24. v. 17. Num. 35. verſ. 16. Deut. 19. verſ. 21. Jerem. 43. verſ. 10. Matth. 26. verſ. 52 Rom. 13. verſ. 4. *Flagellum equo, camus aſino, & virga in dorſo imprudentium.* Proverb. 26. verſ. 3. Piumque eſt opus, non crudele, juſtitiam facere. Innocent Gentil. *in Antimachiav. lib. 3. de Politia,*
8 *theorem 7. pag. 378.* Imitentur itaque Magiſtratus hortulanos, qui herbas tollunt noxias ut creſcant utiles; & Medicos, qui uſtione ibi, ubi opus, utuntur, ut unum potius membrum, quàm totum corpus intereat:

------- Semel immedicabile vulnus
Enſe reſcindendum eſt, ne pars ſincera trahatur.

9 Salutaris itaque ſeveritas vincit inanem ſpem clementiæ *Cic. ad. Attic. & Brut. Epiſt. 2.* Et maxima illecebra peccandi ſpes impunitatis Cic. *pro Milon.* Quid? quod & publicè intereſt, pœnam delinquentibus non remitti, &, ut Livius ait *libr. 4. decade 4.* hominem improbum non accuſari tutiùs eſt, quàm abſolvi. Itaque Cato Senior dicere ſolebat; ſe malle pro collato beneficio nullam reportare gratiam, quàm pro maleficio perpetrato non dare pœnam; ſignificans, nihil eſſe periculoſius impunitate & veniæ facilitate, quippe quæ ſemper ad deteriora invitet, &, ut Ambroſius loquitur, incentivum tribuat delinquendi. Quò etiam pertinet Catonis invectiva de impunitate pecu-
10 latûs apud Gellium *libr. 11. Noct. Atticar. cap. 18.* qui *Fures*, inquit, *privatorum furtorum in nervo atque in compedibus ætatem agunt, fures publici in auro atque in purpurâ.*

Quod autem attinet ad alia omnis generis leviora delicta & crimina, quæ non ordinariâ vel deportatione, relegatione, damnatione in Metallum, ſimiliſve coërcitione vindicantur, in hiſce arbitrium Magiſtratus multum valet, vel minui vel etiam pro ratione circumſtantiarum intendi vel pecuniâ expiari, mulctæque inde collectæ Ærario licitè inferri poſſunt. Sed quid? ſi 11
homicida ſe in pedes conjecerit, & terga dederit? Hoc caſu inter cæteras pœnas, homicidæ, utpote indigno, hæreditas aufertur & Fiſco applicatur *l. 3. l. 9. ff. de his quæ indign. l. 4. C. eod. l. 3. §. fin. juncta l. ſeqq. ff. de legat. adimend.* Keller. *d. libr 2. fol. 429.* 12
Quod & in multis benè conſtitutis Rebuspubl. uſu receptum eſt, ut de bonis fugitivorum homicidarum, inventarium conficiatur, neque ulli ex illorum bonis absque prævio conſenſu Superiorum quidquam concedatur.

Cæterùm id, quòd Principem pœnam homicidii ordinariam remittere vel in pecuniariam convertere haud poſſe, ſuprà diximus, duntaxat de deliberato ac doloſo, non verò de ſimplici, involuntario, & culpoſo, vel caſuali homicidio accipiendum eſt. Siquidem de jure homicida pœnâ mor- 13
tis, aliáve corporis afflictivâ non punitur, quando homicidium absque animo & directa voluntate occidendi, atque ita ſine dolo fuit commiſſum per text. expr. *in l. 1.* ubi Dd. uno ore. *C. ad L. Cornel. de ſicar. l. 1. §. Divus. ff. eod.* Horat. Carpan. *in Conſtitut. Mediolan. in c. homicidia, verb. cap. n. 270. & ſeqq. & n. 817.* Petr. Caball. *tract. de omni genere homicidii n. 106. & 107.* Farinac. *conſil. 193. n. 64. & 65. lib. 1.* Hondedæ. *conſil. 104. n. 8. vol. 1.* Bimius *conſil. 241. n. 8.* Marius Giurba *conſil. 2. n 12.*

Etenim in maleficiis committendis 14
animus & non effectus attenditur, & ſolùm perpenditur, nunquid homicida animum occidendi habuerit, nec ne. Nec ſatis eſt, 15
quòd delinquens vulnus infligendo potuit cogitare, quòd homicidium ſequi poterat: quoniam quando liquet, abfuiſſe directam voluntatem interficiendi pœna ordinaria ex culpa non irrogatur. Nam authore Didaco Covarruviâ *in c. furioſus. p. 1. §. 1. num. 1 de homicid.* non punitur homicida pœnâ ordinariâ, ſed extraordinariâ tantùm, quando de directa voluntate ad homicidiũ non conſtat, licet de indirecta voluntate adpareret ratione culpæ. Quæ opinio compro- 16
batur ex eo; quòd ſi homicida non habet directum animum occidendi, non poteſt dici, quòd ſit in dolo, ſed culpa duntaxat 17
detegitur dans cauſam homicidio; & quo- 18
ties dolus ceſſat, ex culpa nunquam pro homicidio pœna mortis, ſed alia extraordinaria exilii, relegationis ad tempus (quæ tamen ultra quinquennii metam, quæ regulariter eſt pœna excedentium moderamen inculpatæ tutelæ; Cæpolla *conſil. criminal. 29. in fin. & conſil. 30. in fin.* extendi non debet)

debet) vel pecuniaria pœna imponitur, *d. l. 1. C. ad L. Cornel. de ſicar. d. l. 1. §. Divus. ff. eod.* Clar. *in* §. *homicidium. q. 84. in princ.* qui communem teſtatur. Menoch. *de A. J. Q. cent. 4. caſ. 324.* Hondedæ. *conſil. 104. n. 18. vol. 1.* ubi alios catervatim adducit. Carpan. *d. loc. verb. capite, ubi nominatim inquit,* non poſſe quem decapitari ex ſola culpa.

Et quod de culpa dicitur, intelligendum
20 eſt de lata culpa, quæ in iſtis caſibus dolo non æquiparatur, Pacian. *conſil. 14. num. 3. & conſil. 92. n. 23.* Enriquez *conſil. 15. n. 26. & 27.* Giurba *conſil. 82. n. 9. in fin.* Alphonſ. de Azevedo *in conſtit. Reg. Hiſpan. leg. 4. num 5. tit. 25. lib. 8. recap.* Teſſaur. *deciſ. 13. num. 4.*

21 Animum autem occidendi abfuiſſe, ſatis eſt præſumptionibus & conjecturis oſtendere, cùm dolus & propoſitum occidendi, ſeu bona fides conſiſtant in animo homicidæ, & ſolus Deus animi ſit ſcrutator, nec poſſit per veras probationes juſtificari, ſed præſumptiones ſufficiant: Ideo-
22 que Judex circumſtantias & qualitates omnes ad id cognoſcendum accuratè perpendere debet, monitore Covarruv. *d. §. 1. n. 1. verſic. igitur judex.* quarum præſumptionum multæ à Dd. paſſim adducuntur,
23 quæ ejus ſunt efficaciæ; ut homicida ordinariâ mortis, vel aliâ corporis afflictivâ plecti nequeat, ſed pecuniariæ mulctæ locus ſit.

24 Prima conjectura eſt, ſi homicida non fuerit ita acriter injuriatus, ut morte occiſi injuriæ vindicandæ eſſent; quo caſu dicendum eſt, homicidam deveniſſe ad rixam, non tamen animo occidendi, cùm qualitas injuriarum id non exigeret, ut argutè conſiderat Aſin. *inter conſil. crimin. diverſ. tom. 2. conſil. 110. n. 7. & 10. in fin.*

Secundò qualitas vitæ anteactæ maximum præbet innocentiæ argumentum, & ex tempore præterito in præſens præſumitur; Ideoque antehac pacificus, quietus, net rixari ſolitus, etiam nunc illas rixas excitaſſe exiſtimatur: Quæ ſanè probatio multum in hoc attenditur *gl. in l. fin. non eſt. ff. de probat.* Bald. *in l. ex perſona in 1. notab. C. eod.* Salycet. *in d. l. 1. num. 4. C. ad L. Cornel. de ſicar.* Menoch. *lib. 1. l. præſumpt. 24. n. 8.* Octav. Vulpell. *conſil. 22. num. 1.* Honde-
25 dæ. *d. conſil. 104. n. 27. & 36. vol. 1.* Et quòd pœna mortis locum non habeat contra eum, qui ſemper benè vixit, neminem offendit, & ſemel tantum deliquit text. eſt notabilis & elegans in *l. non omne. 5. §. à barbaris. 6. ff. de re milit.* ubi JCtus inquit, non omnes in eodem peccati genere ſimiliter eſſe plectendos, ſed habendam eſſe rationem anteactæ vitæ, *c. juventute. extr. de præſumpt.* Natta *conſil. 458. num. 15.* Weſ. *conſil. 98. num. 1.*
26 Hondedæ *conſil. 86. n. 23. vol. 2.* Erneſt. Cothman. *conſil. 29. n. 426. vol. 3.* Ex hoc enim ſolo quòd probatur, delinquentem eſſe bonæ vitæ, nec unquam aliàs deliquiſſe, Judex à pœna ordinaria mortis eum liberare poteſt, extraordinariâ relegationis vel pecuniariâ pœnâ puniendo per text. *in l. ſi ſeverior. 3.* ubi Gothofred. *& in §. ſi Poſſidonium. 4. C. ex quib. cauſ. infam. irrogat.* Natta *d. conſil. 458. n. 13.* Tob. Nonius *conſil. 109. n. 9.* Hondedæ. *d. conſil 104. n. 36. vol. 1.* 27

Tertia conjectura doli excluſiva ſumitur ex mala fama & vita perverſa occiſi: Item, quando inter occiſorem & occiſum nunquam viguit aliqua inimicitia, nec rancor talis, qui homicidam movere potuerit ad deliberatum animum occidendi; Quo caſu pœna L. Corneliæ locum non habet Vulpel. *conſil. 66. ſub num. 4.* Caball. *d. tract. de homicid. n. 155. & 294.* Maſcard. *de probat. concl. 864. n. 14.* Menoch. *libr. 5. præſumpt. 40. n. 22. & 24.* copioſiſſime Giurba *d. conſil. 51. n. 3. 4. & ſeqq. & inprimis n. 9.* ubi adducit Rebuffum *ſcholar. privileg. 104. num. 13.* aſſerentem, hujus defenſionis prætextu à mortis pœna liberatum fuiſſe Scholarem, qui ſuum ſocium interfecerat. Cui convenit Horat. Lucius *de privileg. Scholar. privileg. 79.* Etenim offen-
dendi animum ille non habet, quo cum 28
nulla eſt inimicitia Bart. *in l. 3. §. fin. ff. de adim. leg.* Burſat. *conſil. 20. num. 18.* Bertazzol. *conſil. criminal. 133. n. 4. & conſil. 155.* Riminald. Junior *conſil. 817. num. 20. vol. 2.* Hondedæ. *conſil. 93. num. 20. vol. 2.* Teſſaur. *deciſ. 24. n. 7.* Quæ capitalis eſſe deberet Mazol. 29
conſ. 48. n. 74. Surd. *conſil. 40. n. 27.* Farinac. *in prax. crimin. q. 49. n. 100. & q. 126. n. 117.* non imaginaria aut præſumpta Hondedæ. 30
conſil. 87. num. 47. vol. 2. Carol. Bardellon.
conſil. 75. num. 31. Farinac. *q. 49. n. 129. &* 31
131. nec levi ex culpa contracta Roland. à Valle *conſil. 38. n. 39. vol. 1.* Natta *conſil. 304. n. 10.* extentè & pulchrè Giurba *d. conſil. 51. n. 7. & ſeqq.* Unde homicidium ſine dolo
commiſſum amicitia & benevolentia inter 32
occiſorem & occiſum præſumere facit, Farinac. *conſil. 142. num. 3. lib. 2. ubi plures cumulat.* Nam ſemper in delictis conſideratur cau-
ſa, quàm moveri quis potuerit ad faciendum id, de quo diſputatur; unde ſi cauſa levis eſt, non eſt conſiderandum, nec præſumendum, quòd quis alium voluerit occidere Cuman. & Roman. *in l. ſi quis mihi §. ſed quid ſi mandavit. ff. de acquir. hæred.* 33
Alexand. *conſil. 128. & conſil. 43. n. 2. vol. 4.* 34
Qualitas enim præcedentis injuriæ arguit, qualis potuerit eſſe animus in ſequentibus, *l. ſi ventri. §. fin. ff. de privileg. credit.* Fachinæus *conſil. 81. num. 14. lib. 3.*

Quartò qualitas inſtrumenti, quo vul-
nus illatum eſt, deliberatum animum oc- 35
cidendi excludit. Sic cultro homicidium factum non præſumitur ex propoſito, text. *in d. l. 1. §. Divus. verſ. ſed ſi clave quem. ibidem ita declarat* Bart. *C. & ff. ad L. Cornel. de ſicar.* Car-

Carpan. *d.* §. *homicida. verb. occidendi. num.*
36 *1137.* Et quod parvo ſeu brevi cultello a-
liquem percutiens non habuerit animum
occidendi, comprobant Angel. *conſil. 86.*
num.6. Alex. *conſil. 140. n.3. vol.2.* Alciat. *reg.3.*
præſumpt.6. num.2. Menoch. *lib. 5. præſumpt.*
40. n. 8. Marcell. Cala *de modo articuland.*
& proband. §. *1. gl. 1. n.265.* Giurba *conſil.17.*
n.21. in fin. & conſil. 51. num.31. Joſeph. de Se-
ſe, *tract. de Inhibit. c. 22. §. 1. num. 10.* Caball.
reſolut. crimin. caſ.63. num.17. Et generaliter,
37 quòd ex inſtrumentis, quibus quis percuſ-
ſus eſt, ceſſet animus occidendi, reſponde-
runt Decian. *conſil.67. num. 15. v.3.* Vulpell.
conſil. 216. n.6. Hondedæ. *conſil. 104. n.4.* Al-
dovin. *conſil. 20. n.205.* Bardellon. *conſ.98.*
n.2. Pacian. *lib. 1. de probat. c. 46. n.56.* Fari-
nac. *quæſt. 126. num. 122.* Thuſc. *in lit. H. concl.*
146. num.9.

QUINTÒ homicidium à provocato mo-
38 dum excedente commiſſum, non dolo,
ſed culpâ commiſſum præſumitur, Cæpol.
conſil.41. n.9. Marſil. *conſil.137. & ſeqq. & in*
pract. §. *quoniam. num. 65. 67. & 68.* Roman.
ſingul. 3. Tiraquell. *de pœn. cauſa* 1. *num. 6. &*
39 *8.* ubi ampliat, etiam quod ex animo & pro-
poſito fuerit exceſſum: inconſultus enim
iracundiæ calor doli vitio caret *l. 1.* §. *quæ-*
ritur. ff. ad Turpillian. Tiraquell. *d. cauſ. 1. num.*
1. Farinac. *conſil.2. n. 10. lib. 1. & de pœn. tem-*
40 *perand. q.91. n.8.* Et provocatus provocan-
tem in rixa occidens à pœna homicidii or-
dinaria excuſandus, & commutationi pœ-
næ locus eſt *l. qui cum major. l. libertus. ff.*
de bon. libert. l. ſcientiam. §. *qui cum aliter. ff. ad*
L. Aquil. cum ſimilib. Clem. 1. de homicidio.
Clar. *in d.* §. *homicidium. qu. 60. verſ. nunc*
41 *quæro.* Tiraquell. *d. tr. de pœn. d. cauſ. 1. n. 6.*
& ſeqq. Gail. 2. *obſ. 110. n.9.* ubi tractat, an, &
quando provocatus ab ordinaria pœna ſit
immunis. Bernhard. Grævæ. *lib.2. concl. 110.*
conſiderat. 1. Et moderaminis inculpatæ
tutelæ tria requiſita tradit idem Gail. *lib. 1.*
de pac. public. c. 16. num.17. & d. obſ. 110. num.
15. Quin etiam homicidium à provocato ri-
xæ calore commiſſum licet dolo commiſ-
ſum dicatur, & ex propoſito, & forſan ex
hoc videatur, pro eo imponi poſſe pœnam
mortis ordinariam; æquius tamen & ve-
rius eſt, non niſi pecuniariâ, aliâve extra-
42 ordinariâ pœnâ plecti poſſe; quia Dolus il-
le & propoſitum occidendi ab incenſo iræ
calore in rixa provocantis deteriori dolo
cauſato originem habet, quare dici ſolet
etiam, quòd inconſultus iracundiæ calor
facit ceſſare dolum *d. l. 1. . quæritur. ff. ad*
Turpill. cum aliis aggeſtis d. cauſ. 1. n. 1. & ſeqq.
& præterea text. *in l. 2.* §. *cujus. in fin. ff. ad L.*
Cornel. de ſicar. dixit in ſpecie, leniendam
eſſe pœnam ejus, qui in rixa caſu magis
quàm ex voluntate homicidium admiſe-
rit; & ibi gl. *in verb. caſu* exponit, culpâ ta-
43 men præcedente. Ecce ergo, quodquod ho-
micidium in rixa commiſſum reputatur in
jure pro homicidio cauſali ſeu potiùs cul-
poſo, non autem dolo & ex voluntate pa-
trato. Hinc illud puniri non poteſt mor- 44
tis pœna, prout voluit Alberic. *in d. l. 1.* §.
Divus. n.2. in fin. ff. ad L. Cornel. de ſicar. ubi
dixit, quòd niſi certum ſit, quòd quis in ri-
xa habuerit animum occidendi, ſemper
mitiùs punitur propter rixam, quæ facit
præſumere abfuiſſe animum occidendi.
Idem Alberic. *in l. ſi in rixa. poſt n. 1. ff. eod.*
ubi poſt Azonem, quem allegat *in ſumma* 45
eod. tit. in fin. pariter dixit, quòd homicidium
in rixa magis dicitur fieri caſu, quam volun-
tate, & ideò mitius punitur. Accedit
Gramatic. *deciſ. 1. n.4. & deciſ. 23. n. 6. & de-*
ciſ. 98. n.8. Boer. *deciſ. 168. n.7. verſ. & animo.*
& voto 23. num. 20. Menoch. *de A. J. Q. lib. 2.*
caſ. 362. n.4. & 11. in fin. & n. 26. Ludovic.
de Peguera *deciſ. crim. 14. nu. 15.* ubi eruditè
egregiis rationibus comprobat hanc con-
cluſionem, quem etiam ſequitur Honde-
dæus *d. conſil. 99. n. 45. vol. 1.* Et per iſta jura
& Dd. authoritates ita obtinuiſſe, & quen- 46
dam Hebræum ob homicidium in rixâ
commiſſum, à pœna gladii liberaſſe, teſta-
tur Firmianus Centolinus *in addit. ad Pro-*
ſperi Farinacii conſil. 2. lit. C. lib. 2. Et Regulam
hanc, quod provocatus ab aliquo verbis 47
aut facto, ſi provocantem occidat vel of-
fendat, mitius puniatur, tanquam juſto do-
lore & calore iracundiæ motus, etiam quod
inculpatæ tutelæ moderamen excedat;
probat text. *in l qui cum major. 14.* §. *liber-*
tus. ff. de bon. libert. ubi JCtus inquit, igno-
ſcendum eſſe ei, qui provocatus ſe ulciſci
voluit. Et provocatis ſemper jura favent, 48
Dan. Moller. *ad Conſtit. Aug. Elect. Saxon.*
10. part. 4. n.4. Et difficillimum eſt juſtum
dolorem temperare text. *in l. ſi adulterium* 49
cum inceſtu §. *Imperatores. ff. ad L. Jul. de ad-*
ulter. Bald. *in l. ut vim verſ. cognoſcuntur col.*
3. ff. de juſt. & jur. ubi eleganter ait, turba- 50
tum non poſſe ſemper ſtateram habere in
manu, & verbera aut vulnera dare ad
menſuram. Federic. Scot. *reſponſ. 25. n. 28.*
tom.2. lib.3. latè Tiraquell. *d. cauſ. 1. num. 3. 5.*
& ſeqq. Farinac. *de pœn. temperand. q. 91. n.7.*
ſubdens, hanc concluſionem communi-
ter, & ab omnibus receptam eſſe. Pacian.
conſil. 12. n. 25. & 27. Barzius *deciſ. Bonon.*
142. n. 10. Thuſc. *in lit. I conc. 360 n.5. & 6.*
Nicol. Everhard. Junior. *conſil. 68. num.9. cir-*
ca med. vol.1. ubi inquit, non poſſe quem ex 51
perpendiculo, vel ad menſuram pondera-
re ictus & ulnera: Erneſt. Cothman. *Aca-*
dem. reſponſ. 9. n. 20. 21. & 22. ubi dicit, pro- 52
vocantem ſpontè & malitioſè peccare,
provocatum verò voluntate coacta &
doloris impatientiâ tractum delinquere: 53
Homo enim incenſo calore permotus, *non*
eſt in plenitudine intellectûs, (2) Felin. *in c. ſi-*
gnificaſti 2. num. 14. Coraſ. *lib. 1. miſcellan.*
c. 8.

c.8. Gramatic. *conſil.56. n. 17.* Flamin. de Rubeis *conſil. 8. num. 12. vol. 2.* Barz. *deciſ. 141.num.9.*

54 Sextò, licet homicidium graviſſimum delictum ſit & à lege improbatum; attamen ſi honoris defendendi & conſervandi causâ committatur, doloſus occidendi animus excluditur, & ordinaria mortis pœna in pecuniariam, ſimilémve commutari poteſt, Gail. 1. *obſ. 39. num. 3 & lib. 2. obſ. 10. n. 15.* Moller. *d. loc. n. 1. & ſeqq.* Boer. *deciſ. 168.* Damhouder. *in prax. crimin c. 97. n. 4.* Boſſ. *tit. de homicid. num. 86.* Hippol. de Marſil. *in pract. crimin.* §. *Quoniam num. 88.* Schrader. *conſil. 4. n. 218. & 219. lib. 1.* Aldovin. *conſil. 20. num. 63. & ſeqq.* Jacobus Ayrer. *p. 2. de homicid. volunt. n. 29. fol. 300.* Siqui-
55 dem cauſa honoris nulli præcepto, nullíve conſtitutioni ſubjacet; cùm pro eo conſervando licita ſint, quæ alioquin omninò prohibita & interdicta ſunt; honorque cunctis rebus, etiam vitâ excellentior ſit, & illis præferendus, *l. iſti quidem.* § *pen. ff. quod met. cauſ. cum ſimilibus*, ab Aldovino *d. conſ. 20. n. 66. & ſeqq. adductis.* Schrader. *d. conſ.*
56 *4. n. 212. lib. 1.* Farinac. *quæſt. 125. n. 41.* Quocirca (inquit *Apoſtolus*) (3) expedit magis mori, quàm ut gloriam meam quis evacuet. Cravetta *conſil. 2. ſub n. 12.* Guid. Pancirol. *conſil. 6. n. 8.* Schrader. *d. conſil. 4. n. 212. cum*
57 *quamplurimis ſeqq. vol. 1.* Hinc homicidium ab eo, qui variis contumeliis & injurioſis verbis in honore ſuo offenſus eſt, ex calore iracundiæ commiſſum non pœnâ mortis ſed aliâ mitiori puniendum eſſe, firmant Roman. *ſingul. n. 514. num. 5.* Tob. Nonius *conſil. 109. num. 2. & ſeqq.* Et injurioſa verba
58 in alium proferens, dicitur provocator & aggreſſor, Farinac. *d. q. 125. num. 510.* Quinimò cùm par ſit vitæ & honoris cauſa, homicidium honoris defendendi cauſa commiſſum citra pœnam eſſe, ſcripſerunt Vaſqu. *libr. 1. illuſtr. controverſ. 18.* Burſat. *conſil. 373. n. 10. & 16.* Gerard. *ſing. 33.* Schrader. Al-
59 dovin. Farinac. & alii ſuprà recenſiti. Et dicitur quis, ſe aliter non poſſe defendere, ſi imminet injuria perſonalis. Proſper. Paſeth. *conſil. 202. n. 6. & 57.* Grammatic. *conſil. 29. & conſil. 49.* Burſat. *conſil. 273. num. 24. & 15.* Bertazzol. *conſil. crimin. 1. n. 19.* Giurba *conſil. 84. num. 16.*

60 Ac licet Benedictus Carpzovius *in ſua Jurisdict. Forenſ. Romano-Saxon. p. 4. conſil. 10. definit. 6.* exiſtimet, pœnæ homicidii exemptum non eſſe, qui injuria laceſſitus injuriantem occidit; Attamen contraria
61 ſententia communis eſt, à qua in judicando non recedendum, maximè ſi atrox ſit injuria, ut hac laceſſitus vix ſibi temperare queat, quo minus ad arma proruat.
62 Quin & ignoſcendum eſt ei, qui provocatus ſe ulciſci voluit, ut ſuprà dictum. Quo caſu judicem pro ratione circumſtantiarum & qualitate perſonarum & factorum occiſorem mitiùs puniri, ipſe Carpzovius fateatur *definit. ſeqq. 7.* dicens, nunquam judicis poteſtatem adeò conſtrictam eſſe, ut ex cauſa rationabili & ſufficiente à pœna delicti ordinaria recedere nequeat, poſt Bart. & Tiraquell. De quo tantò minùs ambigen- 63
dum, ſi plures præſumptiones animum occidendi deliberatum excludentes concurrant & ſuadeant, pœnam homicidii ordinariam in extraordinariam, pecuniariam, ſimilémve commutandam eſſe:

Nam quæ non proſunt ſingula, multa juvant.

Et præſumptiones ac conjecturæ homici- 64
dii præmeditationem excludentes, etiamſi leviores & numero pauciores eſſent, præferuntur præſumptionibus & conjecturis concludentibus præmeditationem & deliberationem, Cæpoll. *conſil. 31. n. 8. & 9.* Mandell. *conſil. 46. n. 14.* Bertazzol. *conſ. criminal. 208. n. 10. & 11.* Farinac. *conſil. 238. num. 26. lib. 2. & conſil. 193. per tot. vol. eod.* Ac quod conjecturis hinc inde militanti- 65
bus pro animo deliberato & non deliberato, pronunciandum ſit in gratiam Rei, qui penitus eſt abſolvendus, maximè, quando pro illo urgent plures & vehementiores conjecturæ, reſpondit Burſat. *conſil. 271. n. 40. & ſeqq. conſil. 272. num. 8. cum ſeq.* quem rectè refert Fachinæ. *conſil. 51. n. 4. lib. 3.* Farinac. *conſil. 138. n. 26. lib. 2.*

Atque hæc concluſio, quòd ſcilicet ho- 66
micida variis conviciis laceſſitus non mortis, ſed mitiori pœnâ plectendus ſit, procedit non ſolùm, ſi in continenti fuit com- 67
miſſum, ſed etiam ſi anteà ex magno intervallo fuiſſet injuriatus, durant adhuc cauſa iræ & doloris, Dec. *in l. quicquid calore in fin.* ubi refert Lucam de Penna *in l. omninò, C. de decurionibus lib. 10.* reſiſtentem in 68
ea opinione, quòd intra triginta dies poſt injuriam allegari poſſit, quòd factum vel dictum per iracundiam. Hondedæ. *conſil. 104. n. 30. vol. 1.* Farinac. *q. 91. n. 1. & ſeqq. & conſil. 1. num. 16. lib. 1. ubi dicit*, quòd, etiamſi quis ex intervallo provocatus provocantem interfecerit, dummodò ad extraneos 69
actus non divertat, pœnâ mortis non puniatur, poſt Anchoran. Alex. Tiraquell. & alios, Carpan. *in d. c. homicida. verb. animo tamen deliberato n. 1108. fol. 61.* poſt Boſſium & Cumiani. Hinc homicidium in rixa com- 70
miſſum dicitur etiam, quod ex intervallo commiſſum fuit, durante adhuc eodem calore rixæ & iracundiæ, Mandell. *conſil. 12. num. 12.* Bertazz. *conſil. 85. n. 11. & ibi Addit.* Farinac. *conſil. 166. n. 9. lib. 2.* Menoch. *de A. J. Q. lib. 2. cap. 261. num. 18. & ſeqq.* Quemadmodum & præmeditatio non datur ſive 71
præſumitur, quando vulnus ex aliquibus verbis præcedentibus, vel ex aliqua cauſa in ſubitanea rixa exortis illatum fuit Clar. *d. §. homicidium. num. 5. verſ. doloſum autem.*

Me-

Menoch. *d. lib. 2. caſ. 207. n. 8. & ſeqq.* Bertazz. *conſil. 28. n. 7. in fin. & num. 8. lib. 1.* Fari-
72 nac. *d. conſ. 166. n. 6.* Imò rixa omne præmeditati animi indicium excludit, Clar. *d. §. homicidium. num. 5.* Menoch. *d. caſ. 261. num. 8. 17. & 33.* Ut interim ſilentio invol-
73 vamus, quòd præmeditatio & prædeliberatio in delictis non præſumatur, ſed ab allegante præciſè probanda ſit, Surd. *conſilio 40. num. 17.* Mandell. *conſ. 45. num. 2.* Plot. *conſ. 30. num. 74.* Farinac. *in praxi crimin. quæſt. 96. num. 75. & q. 126. num. 106 & conſ. 138. num. 27.* Carpan. *in d. verb. animo tamen deliberato, num. 1116.* Giurba *conſ. 2. n. 13. conſil. 84. num. 21. & d. conſ. 51. num. 2. & d. conſil. 81. num. 9. & 11.* dicens, homicidium caſuale potius, quàm deliberatum præſu-
74 mi, per text. *in d. l. 1. C. ad L. Cornel. de ſicar.* ubi inquit Imp. Antoninus, quando quis ex improviſo, & caſu potiùs, quàm fraude occidit, id fato plerumque, non noxæ imputari.

75 Septima conjectura doloſum propoſitum removens, ab Ebrietate peti poteſt. Nam omne delictum, quantumvis grave & atrox, durante ebrietate commiſſum, non ordinariâ pœnâ, ſed extra ordinem & mitiùs punitur, *in d. l. omne delictum §. vinum. ff. de re militari. c. ſanè,* ubi gloſſ. *in verb. venia. & in c. inebriaverunt 15. quæſt. 1. Gail. 2. obſer. 110. num. 24.* (4) ubi alios agminatim congeſſit Decian. *in praxi criminali. lib. 51. cap. 37. tit. de defens. reorum numer. 53. & 60. & part. 1. lib. 6. cap. 11. tit. de excuſ. per jur.* Maſcard. *de probat. concl. 579. num. 3.* Paſeth. *conſil. 185. n. 2.* Bertazz. *conſ. 26. num. 2. ibi:* Claudius Filius, *in addit. Lit. A. verſ ſanè* ubi teſtatur de communi & recepta ſententia. Horat. Carpan. *in d. verb. c. n. 496.* ubi plures conglomerat Caball. *reſolut. crimin. caſ. 297. n. 7. & ſeqq. uſque ad fin. & tract. de homicidio. n. 118.* Vulpell. *conſil. 23. n 2. & ſeqq.* Menoch *caſ. 326. num. 1. & ſeqq.* Peguera *deciſ. crimin. 7. n. 22.* Ludovicus. Molina Jeſuita *de juſt. & jur. com. 4. tract. 3. diſputat. 38.* &
76 alii prudenter omiſſi. Ac quamvis Ariſtoteles *lib. 3. Ethic. 5.* ſcripſerit, Ebrium delinquentem in duplici eſſe culpa; una ſcilicet, propter ebrietatem; aliâ autem propter delictum in ebrietate commiſſum; deterior tamen eſt unus dolus, quàm culpæ multæ ut benè advertit Bald. *in l. 1. n. 40. in 2. lectura, C. unde vi.* & poſt Baldum Tiraquell. *d. tract. cauſa 7. n. 10.* Et ipſe etiam Ariſtoteles *Eth. 2.* Farinac. *d. tit. de pœn. tempor. q. 93. num. 3.*

Octavo adprimè notandum eſt, quod
77 probatio animi deliberati & doli mali debeat fieri per teſtes, qui clarè deponant ſuper animo deliberato, excludendo rixam. Et quod animus occidendi probari debeat, ad hoc, ut verus dolus cenſeatur probatus, fir-
78 mat poſt alios infinitos à ſe relatos Carpan. *in d. verb. animo tamen deliberato. num. 1107. & in verb. capit. n. 262.* Caball. *caſ. 192. n. 10.* Farinac. *de pœn. tempor. q. 87. & 88. n. 7. & tit. de inquiſitione. q. 6. n. 16.* Bertazz. *conſ. 44 n. 4. conſil. 46. n. 11. conſil. 88. n. 6. conſil. 336. num. 10. libr. 1. & conſil. 263. num. 16. conſil. 319. num. 8. & conſil. 425. num. 7. lib. 2.* Quò facit, quòd in criminalibus probationes luce meridianâ clariores eſſe debent & liquidiſſimæ, *l. qui ſententiam. C. de pœn. cum ſimilib. vulg.*

Quocirca is, qui confitetur homicidium vel delictum quafilicatū, de quo per te- 79
ſtium depoſitiones, vel aliter non conſtet, niſi per confeſſionem delinquentis, non poteſt puniri pœnâ ordinariâ, ut maximè etiam in probatione qualitatis deficiat, Bart. *in l. Aurelius. §. idem quæſiit. ff. de liber.* 80
legat. Cujus doctrinam Dd. ſtupendam, mirabilem, auream, ſingularem & de pane lucrando appellant, ut refert & tractat Gail. *lib. 2. de pac. public. cap. 17. num. 9.* Eumque ſequuntur Abb. Panormitan. *in c. auditis. num. 22. de præſcript.* Felin. *ibidem num. 20. dicens,* hoc dictum apud Practicos eſſe in 81
ſolenni cultu ſive uſu. Idem Felin. *in c. ſignificaſti. num. 14. de homicid.* Menoch. *caſ. 279.* Weſ. *conſil. 19.* fuſiſſimè & elegantiſſimè Joſeph. Ludovici *deciſ. Lucenſ. 19. num. 4. 7. & ſeqq. multis part. 1.* ubi de communi & magis communi opinione teſtatur, & ampliat non ſolùm in confeſſione qualificata homicidii, ſed etiam omnium aliorum delictorum. Idque obtinet, licèt Reus in qua- 82
litatis probatione, uti dictum, deficiat. Et ſi occidens homicidium ſpontè fateatur (quo caſu etiam mitiùs punitur Carpan. *in d. verb. capite num. 830. & 831.*) ſed addat vel dicat, ſe feciſſe ex cauſa honoris, atque ita ad neceſſariam ſui defenſionem, vel non habuiſſe animum occidendi, ſed duntaxat vulnerandi, & non probet dein hanc quanlitatem exculpativam, quod hoc caſu admittenda ſit Rei confeſſio, eumque rele- 83
vet, ſi aliter non conſtet de delicto, firmarunt Tiraquell. *d. tract. cauſa 27. n. 7.* Anton. Gabriel. *concl. commun. tit. in criminalib. concl. 19. n. 7 & ſeq.* Maſcard. *concl. 867.* Carpan. *in d. verb. capite num. 486.* Capyc. *deciſ. 155. n. 11.* Boer. *deciſ. 164. n. 10. verſ. tamen contrarium. & n. 11. & n. 15. & licet. ubi dixit,* quod quamvis hæc Abbatis opinio, & declaratio ſit magnæ conſequentiæ, ex quo 84
per eam datur occaſio delinquendi, & homicidia perpetrandi: tamen in pœnis, tanquam benignior eſt amplectenda, cùm Judex ſequi potiùs debeat miſericordiā, quàm judicium, & pariter potiùs æquitatem quàm rigorem.

Sanè Bartolus in controverſiam vocat; Nunquid confeſſio qualificata admittenda ſit? & partem negativam tenet *in d. l.* 85
Aurelius. §. idem quæſiit. ff. de liberat. legat. Verumenimverò ipſemet Bartolus contrari-

trarium aſſerit *conſil.220.n.2.ubi inquit*, quod confeſſus feciſſe ad ſui defenſionem, licet cõfeſſio illa non probetur, abſolvitur Salycet. *in l.1. verſ. Quartò opponitur. C. de confeſſ.* Bald. *in l. nec codicillos. verſ. extra quæro. & ibi addit. ad eum. C. de codicill.* Alex. *conſ.87. vol.1.*
86 Marſil. *conſ.129. ſub n.1. ubi dicit*, confeſſionem qualificatam non poſſe ſeparari, nec Reum ex hac condemnari poſſe, quia confeſſio ita qualificata portat ſecum defenſionem: Et *conſ.53. circa fin.* Cravetta *conſ.201. n.43.* Grammatic. *dict. deciſ.5.n.12.& ſeqq.* cum aliis, quos copioſè recenſent Bertazz. *conſil. crimin.122.n.14.vol.1.* & Turret. *conſ.45. ſub n.16. vol.2.* ubi de magis communi teſtatur. Bec. *conſ.102.n.12. inter conſilia crim. diverſ. tom.1.*

Inſuper Bartol. *d. loc.* vult, quòd ex quo
87 contra delinquentem eſt præſumptio, poſſit ſcindi confeſſio, & non admittatur qualitas defenſionis allegatæ: Sed quando præſumptio hæc abeſt, hujusmodi confeſſio ſcindi non poteſt. Atque ita procedit opinio Bartoli, uti ad ſenſum & viſum oculi patet; & declarat Hieron. Gabriel. *conſil.170 n.24.vol.1.* latè Bertazzol. *conſ. crim.1.n.7.& ſeqq.* Surd. multos congerens *deciſ.268.n.5.& 6.* Egregiè Pacian. *lib.1. de probat. c. 28. per tot.* Tur-
88 ret. *d. conſ.45.n.17.lib.2.* Præterea opinio iſta, quod confeſſio poſſit ſcindi, non procedit, quando ex aliis probationibus delictum vel prædeliberatum animum excludentibus juſtificata fuit. Nam tunc ſcindi minimè poteſt & ſecundùm confitentis intentionem intelligi debet, ut tradit Bart. *in l.1. col.9.& 10. verſ. Denuò quæro. C. de confeſſ.* Alex. *conſil. 39. nu.10. vol.7.* Anton. Gabriel. *d. concl.19. num.11.*

89 Atque hanc Abbatis & Felini opinionem, quòd ſcilicet aſſertioni Rei delinquentis in his, quæ in animo conſiſtunt, & per alium probari non poſſunt, credendum ſit, maximè cum juramento, cùm agitur de vita hominis, tanquam benigniorem & æquiorem, amplectendam & ſequendam, latè comprobat Farinac. *d. q.81.num.157.* Hondedæ. *conſil.99.n.40.& ſeq. volum. 1.* Menoch. *d. caſ.186.num.4.& ſeq.* Cæſ. Barzius *Deciſ. Bonon. 141.n.17.18.& 19.* Cacheran. *deciſ.60.num.9.* Ancharan. Rhegienſ. *quæſt. 40. per tot. p.1.* Alexand. Stiatic. *in pract. judic. c.19.n.42.* Caball. *reſolut. crimin. caſ.204. n.2.* Fachinæ. *conſil. 86.n.18. lib. 2.* Bertazz. *conſil.27.n.1. lib.1.* ubi ita in practica ſervari & ſæpius judicatum aſſerit. Claud. Filius ibidem *in Addit. lit. a.* Et rurſus idem Bertazzol. *conſil.31.n.13.& conſil.142.n.15. lib. 1. & conſil.449.n.30.& ſeq. & conſil.450.n.2.*
90 *lib.2.* bellè Giurba *d. conſil.51.num.27.* Quo loci ait, ex ea efficax ſuboriri indicium, quòd ſtatim poſt illatum vulnus Reus cepit conqueri, non credidiſſe, ſe ita offenſurum, eumque occiſurum, vel illi vulnus lethale illatu-

rum. Animus enim judicatur ex verbis: quia 91
vox eſt mentis teſtimonium. Unde Palingenius:

Index eſt animi ſermo, morumq; fidelis
Cuſtos.

Nec delictum abſq; delinquendi animo fit; 92
Eoque ceſſante non punitur, quia ſolus animus in delictis inſpicitur; Bardellon. *conſ.29. n.12.* Surd. *conſil.82.n.33.& conſil.471.n.33.* Caball. *d. tr. de homicidio n.16.* & alii ibidem operoſè conglomerati.

Juvat hanc ſententiam, quod Martianus JC. *in leg. reſpiciendum. ff. de pœn.* inquit, Judices debere in gravioribus pœnis ſeveritatem legum cum aliquo temperamento benignitatis ſubſequi. Et quod in dubio 93
melius ſit, nocentem abſolvere, quàm innocentem condemnare, *vulg. l. qui abſentem. ff. eod. cum ſimilib.* tutiusque peccari in ab- 94
ſolvendo, quàm condemnando, conteſtatur poſt Bald. & Grat. Cothmann. *conſ. 48. num.39. lib.3.* maximè cum in dubio ani- 95
mus prædeliberatus non præſumatur, Giurba *d. conſil.84.n.22.* Quò adprimè facit vulgata regula & Dd. doctrina, quod in dubio 96
& ſemper interpretatio ſit capienda, quæ ſit delicti excluſiva, *c. eſtote. de R. J. l. merito. & ibi* Gothofred *ff. pro ſoc. cum ſimilib.* Cephal. *conſil.397.n 98.vol.3.* Menoch. *conſil. 82. num.17.* Natta *conſil.208.n. 8.& conſil. 247. in fin.* Simon de Prætis *conſil.82. in fin. cent.1.* Gallia *conſil.118.n.35.* Landerch. *conſil.181.n.26.* Pappon. *conſil.103.n.6.* Azpilcuet. *conſil. 12. de Simonia, n.4. lib.5.* Alexand. Galvanus *ad l. Gallus. ff. de liber. & poſthum. n.430. fol. 81.* Pacian. *lib.2. de probat. c.16. num.5. & cap.17.n.9.& c.25.n 37.* Thuſc. *in lit. I. concl. 330. num. 17.& lit. V. concluſ.107.* Cardinal. Mantica *de tacit. & ambig. convent. lib.5. tit.15.n.42.* Caball. *d. tract. n.281.* Grivell. *Deciſ. Dolan.87. n. 16.* Gratian. *lib.3. diſceptat.525.n.33.* Et qui am- 97
biguum in deteriorem partem interpretatur, injurioſus eſt, *1. Cor.13. verſ.5. Tit.3.v.2. Matth.26.v.60.* Althuſ. *libr.1. Dicæolog. cap. 124 n.4. in fin.*

Nonò Ætas minor excuſationem præ- 98
bet. Nam quamvis minor XXV. annis (in quo non præſumitur dolus Farinac. *de pœn. temper. q.7. n.49.& q. 92.*) ob ætatem ab homicidio non excuſetur, nihilominus pœnâ extraordinariâ tantùm puniri debet, etiamſi doloſè deliquiſſet, gloſſ. *in l. impunitas. C. de pœn. l. auxilium. §. in delictis. ff. de minor.* Gramatic. *deciſ.23.n.11.& ſeqq.* ubi de communi teſtatur, *& dicit*, ita per ſacrum concilium fuiſſe obſervatum. Clar. *in §. fin. qu.60. circa princip. verſic. aut verò eſt major quatuordecim, &c.* qui hanc communem opinionem appellat. Menoch. *lib.2. de A. J. Q. cent.4. caſ.329.n.2.& ſeqq.* Roland. à Valle *conſil.77. per tot. lib.3.* ubi 24. fundamentis hanc opinionem probat, illamq; ut com-

Uuuu munem

munem ſequuntur, Burſat. *conſil. 273. n. 19.* Bertazzol. *conſil. crimin. 118. lib. 1.* ubi teſtatur, ita pluries fuiſſe judicatum. Hondedæ. *conſil. 99. n. 46. & ſeq. & d. conſil. 104. n. 39.* Caccialup. *inter conſilia criminalia diverſorum collecta per Zilletum conſil. 92. per tot. tom. 1.* Anton. Galeat. Malvaſia *eod. tom.* in
99 cauſa homicidii commiſſi per eum, qui erat ætatis annorum XIX. *conſil. 135. per tot.* qui atteſtatur hanc communem penes omnes paſſim eſſe receptam, nec aliquem contrariari, ſed potiùs convenire. Cacheran. *deciſ. 6. nu. 8. verſic. quapropter Senatus.* Ancharan. Rhegienſ. *lib. 2. quæſt. familiar. q. 58. per tot.* Vincent. de Franchis *deciſ. 230. in pr. dicens,*
100 omnia unita Tribunalia in Regio collaterali conſilio, factâ exquiſitiſſimâ diſcuſſione, maximam partem votorum adhæſiſſe huic opinioni, quòd Judex teneatur minorare pœnam ex cauſa minoris ætatis; & ſubdit, quòd poſteà fuit edita Regia Pragmatica ſtatuens, arbitrium hoc minorandi pœnam non ſubjacere neceſſitati, ſed poteſtati judicis, in cujus arbitrio ſit imponere pœnam ordinariam, vel aliam mitiorem, conſideratâ delicti atrocitate, perſonæ qualitate, delictorum reiteratione, cæteriſque conſiderandis rectè penſatis. Idem generaliter tradunt fusè & extentè Tiraquell. *dict. tract. de pœn. tempor. cauſa 7. per tot.* Ludovic. de Peguera *deciſ. crimin. c. 24. ſub num. 21. verſic. Quartò conſideranda quoque eſt ætas.* Teſſaur. *deciſ. 161.*
101 ubi latiſſimè hanc materiam tractat, & dicit, quòd ipſe nunquam potuit contrariam obſervantiam approbare, tanquam nimis rigoroſam, & humano Judice indignam, & quòd contraria opinio magis communis eſt, & tenenda, & ſubdit, quòd tali minori pœna mortis non ſit inferenda, ſed alia mitior citra mortem, ad quod probandum jura, rationes, & authoritates affatim adducit, Farinac. *lib. 1. quæſt. criminal. tit. de accuſat. q. 15. num. 49. & num. 25. poſt verſic. Limita tertiò. & d. tr. de pœn. temperand. qu. 91. n. 1. & ſeqq.* Caball. *lib. 2. reſol. crimin. caſ. 134. per tot.* Carpan. *in d. cap. homicida. verb. capite. n. 487.* Vincent. Caroc. *tr. de minore in delictis excuſando. q. 47. verſ. fallit. pag. 201.* Ludovicus Molina Jeſuita *d. tom. 4. tract. 3. diſp. 36.*

102 Et quòd propter minorem ætatem pœna ſit minoranda, probat Bertazzol. *conſ. criminal. 378. n. 5. & 6. libr. 2.* qui *num. 7.* poſt Grammatic. Foller. & alios dixit, nedum Judicem hoc caſu poſſe pœnam diminuere, ſed etiam à juris neceſſitate compelli, quod etiam ipſe firmat *conſil. 492. numer. 2. & ſeq. eod. lib.* Et latiùs pro communi Sforzius Odda *de reſtit. in integr. p. 2. quæſt. 8. artic. 9.* Ac
103 licet adultam ætatem excuſationem non præbere, quin minor pro homicidio pœnâ L. Corneliæ de ſicariis teneatur, per text. *in l. ſi quis C. ad L. Cornel. de ſicar.* probare & latè defendere conetur Octav. Vulpellus *conſil. 101. per tot.* Quod & ſentit Joſeph. Ludovic. *Deciſ. Luc. 17. n. 64. & quàm plurimis ſeqq.*

Attamen id, quod dicitur *in l. ſi quis.* ex 104
adulta ætate homicidium non defendi, intelligitur ad effectum, ne minor ab homicidii pœna in totum excuſetur, ſed non reſpectu diminutionis pœnæ, quia pœna ratione minoris ætatis diminuitur etiam adulto, qui pro homicidio non punitur pœnâ mortis, ſed aliâ extraordinariâ arbitriò judicis. Atque ita declarat *dict. l. ſi quis.* Salycet. *ibidem:* Et probatur hæc opinio *in d. l. impunitas. junct. Gloſſ. ibidem C. de pœn. d. l. auxilium. §. in delictis. ff. de minor.* Grammatic. *deciſ. 23. num. 13.* Odd. *dict. artic. 9. numer. 96.* Bertazzol. *dict. conſil. 118. libr. 1.* qui loquitur de ho- 105
micidio commiſſo à minore viginti quinque annis, & pœnam mortis imponendam negat, & poſt Caccialup. & alios, quos ipſe allegat, teſtatur ita pluries judicatum fuiſſe; Et quòd minor viginti quinque annis in quocunque delicto, etiam in homicidio excuſetur à pœna mortis, Doctores communiter firmare, fatetur ipſe Joſeph. Ludovicus *dict. deciſ. 17. num. 49. & ſeqq. & num. 56. & ſeq.* Nec opinio Vulpellii, qui *dict.* 106
conſil. 101. num. 11. id judicis arbitrio relinquunt, videtur tuta, ſtantibus jam dictis: vel ſaltem poſſet admitti, quando malitia minoris ſuppleret ætatem, & minor eſſet rixoſus, vel aliàs malæ conditionis & famæ, nullaq; alia ratio ſuaderet judicem ad commutationem pœnæ.

Quoties verò aliquâ ratione pœna attemperari & minui debet, nunquam impo- 107
nitur pœna corporis afflictiva. Et in ſpecie de minore, quòd pro homicidio non puniatur pœnâ corporis afflictivâ, probat text. *in l. 1. §. impubes. ff. ad Syllan. cap. 1. & 2. de delict. puer.* Roland. *conſil. 51. num. 40. & ſeq. volum. 1.* Bertazzol. *dict. conſil. 378. numer. 493.* Sfort. Odd. *qui de communi teſtatur, d. art. 9. num. 96.*

Et ſimiliter, quòd quando minoratur 108
pœna ex eo, quòd homicida non fuit in dolo, nec habuit directam voluntatem ad homicidium patrandum, pœna corporalis non ſit imponenda, ſed vel pecuniaria, vel exilii, aut ſimilis, latè commonſtrat Hondedæus *d. conſil. 104. n. 8. & ſeqq. vol. 1.* per text. *in l. 1.* ubi Dd. *C. ad L. Cornel. de ſicar. dict. leg. 1. §. Divus. ff. eod. tit.* ubi infinitos conglomerat. Nicol. Everhardi Junior *dict. conſil. 68. n. 10. vol. 1.*

Ex quibus omnibus & ſingulis clare- 109
ſcit, quòd licet Princeps non poſſit gratiam facere de homicidio deliberatè commiſſo, cùm homicidii pœna de jure divino (*quod Princeps Deo inferior tollere non poteſt*) (5) ſit pœna mortis, nihilominus con-

concurrentibus aliis argumentis, indiciis, præſumptionibus, & conjecturis dolum removentibus, pro qualitate perſonarum & delictorum pœnam ordinariam homicidii, aliorumque, quorum capitalium criminum in extraordinariam ſive pecuniariam mulctam commutare, eoque Ærarium licitè collocupletare poſſit, maximè, ſi prælibatæ aliæque rationes, cauſæ & circumſtantiæ mitigationem pœnæ ſuadentes (quas prolixiori filo & ſtylo pertexunt Tiraquell. & Farinac. *dictis tractatibus de pœnis temperandis*) preſſiùs expendantur, & ad trutinā Juſtitiæ & Æquitatis revocentur.

Omnis enim, qui juſtè judicat (inquit 11
D. Gregorius *in cap. omnis. 46. diſtinct.*) ſtateram in manu geſtat; in utroque penſo juſtitiam, & miſericordiam portat: Sed per juſtitiam reddit peccati ſententiam, per miſericordiam peccati temperat pœnam, ut juſto libramine quædam per æquitatem corrigat, quædam verò per miſericordiam indulgeat. Et rurſus *in eadem diſtinctione. c. vera.* Vera, *ait*, juſtitia eſt, quæ eſt cum charitate, miſericordia, commiſeratione, & compaſſione & ob ſcelera Zelo diſciplinæ indignatur, ſed mitigationem addit.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT CXLII.

Num. 1.

(1) A*Dulteria &c.*] Cenſet Anthon. Matthæus *de Crim. lib. 48. tit. 3. cap. 2. num. 4.* Statuta, quæ pœnam Capitalem Adulteri non inferunt, prorſus damnanda eſſe, atque emendationis indigere; cùm adverſentur Juri Divino, rectæ rationi, atque etiam gentium multarum nec non virorum Sapientum conſenſui. Quod latiùs ibidem deducit.

Num. 53.

(2) *Non eſt in plenitudine intellectus &c.*] Exegiſti à me, Novate, (*ita librum de Ira exorditur Romanus Sapiens*,) ut ſcriberem quemadmodum poſſet ira leniri, nec immeritò mihi videris affectum hunc pertimuiſſe, maximè ex omnibus tetrum ac rabidum. Cæteris enim aliquid quieti placidique ineſt; hic totus concitatus, & in impetu doloris eſt: armorum, ſanguinis, ſuppliciorum, minimè humanâ fervens cupiditate: dum alteri noceat, ſui negligens; in ipſa irruens tela, vel ultionis ſecum multa tracturæ avidus. Quidam itaque è ſapientibus viris iram dixerunt brevem inſaniam. Æquè enim impotens ſui eſt, decoris oblita, neceſſitudinum immemor, in quod cœpit pertinax & intenta, rationi conſiliisque præcluſa, vanis agitata cauſis, ad diſpectum æqui verique inhabilis, ruinis ſimillima, quæ ſuper id quod oppreſſère franguntur, &c.

Num. 56.

(3) *Apoſtolus &c.*] *2. Corinth. 9. v. 15.*

Num. 75.

(4) *Gailius 2. Obſerv. 110. &c.*] Ad quam notata ab Eberhardo Fabricio *in repetit. Gailii pag. 217. ſeq. ſect. 3.* cum ibidem citatis, & de diſtinctione inter Ebrium & Ebrioſitatem agentem vide; & his Georgium Gobat *in accuſatione Ebrioſi*, nec non D. Glaſen *de Jure Aggratiandi cap. 14. pag. 148.* junge.

Num. 109.

(5) *Quod Princeps DEO inferior tollere non poteſt &c.*] Confer omninò D. Glaſen *d. loco cap. 16. pag. 169. ſeqq.* & in ſpecie de Homicidii pœna, quatenus & quando mitigari queat.

CAPUT CXLIII.

SUMMARIA.

1. Pecuniæ publicæ *direptio Fiſcum non imminuit.*
2. *Longo poſt tempore rationem pecuniæ publicæ repoſcere, & captare bonorum publicationes, graviſſimum videri.*

> Direptio pecuniæ, quæ publica
> Cenſetur eſſe, hirudo non ærarii eſt:
> Opumque publicationes perſequi,
> Putà, diu poſt, renetur hoc graviſſimum.

1 QUod in publica cuſtodia eſt, NEGLIGENTIÆ obligat vicinos, ut puta: pecuniam Principis, Regnique aliud inſtrumentum, dum publicè tranſvehitur, ſi intercipiant latrones & viarum obſeſſores (quod Claudio Imperatori accedit) omnes accolæ tenentur. Itaque Cumanus factum eis imputavit, quod dum per Judæam res Imperii pretioſæ veherentur, hi (inquit Joſephus) aut non prohibuiſſent, aut latrones non prehendiſſent. Juſſit enim Præſes Provinciæ, eos omnes cauſam NEGLECTÆ CUSTODIÆ in cuſtodia dicere. Quid? quod apud Cymenſes, ſi quid erat ſubreptum vini, omnes civiliter eo nomine tenebantur? Sanè, ut vita dominorum non pœnâ ejus conſervatur, qui deliquit, ſed omnium ſervorum, quos eam protegere oportuit, ſervare, defendere periculo communi: ſic ea maximè evitari, quorum tranſgreſſio non ſolummodò peccanti, verùm etiam non caventi, non prohibenti damnoſa eſt. Sic Andronicus Comnenus Imp. dominos ob crimen domeſticorum flagellari juſſit alioqui manu, animoque innoxios; Familiam enim (ait Nicetas) nulla alia re tam inculpabilem fore, quàm ſi ejus nomine, qui deliquiſſet, ut militum Tribunus, ſic dominus ipſe, non in peculium, ſed criminaliter obli-

obligetur. Nonne eſt apud Ciceronem, actione VII. in Verrem, cùm ſervi in Sicilia conjurationem feciſſent, cauſam dominos dixiſſe? Quid naufragio calamitoſius? Quid unumquemque plus cuſtodire oportet, quàm quod ea vi, ea tempeſtate ejectum eſt? Itaque & ab Adriano & ab Andronico Comneno præclarè proſpectum erat, ut non ſolùm, qui diripuiſſent, ſed & ii, qui juxta littora maris prædia poſſiderent, rerum direptarum tenerentur. Præſideſque, ſi in continenti, in fixa aut fracta navi non ſubveniſſent. Sed & cædes, quæ in magnis civitatibus, & præſertim Lutetiæ ſunt tàm frequentes, nulla meliori ratione, quàm ſi ob non prohibitum, aut non comprehenſum homicidam, omnes, qui in vicinia habitant, propterea ære gravi condemnentur, cohiberi poſſe, ſentit Petr. Ærodius *rer. judicat. lib. 6. tit. 4. cap. 8. in fin.* Ex quibus liquet in ſumma calamitate alium pro alio teneri poſſe.

2 Porrò *CNEUS Domitius Corbulo* (1) Cajo Imperatori hanc rationem invenerat pecuniæ conficiendæ, ſi exigeret ab iis, qui vias ſub Tiberio curandas per Italiam locaviſſent. Multos aut contra legem, aut vitio curaviſſe: aut etiam fortaſſe non tantam pecuniam quam retuliſſent, collocaſſe. Hac inveſtigatione æs grande pœnis & confiſcationibus parari poſſe. Placuit (ut hodiè ſæpè) novum aucupium. Itaque vivis ac mortuis ſimul exquiſitæ inſidiæ: haſtis, damnationibuſque ſollicitata omnium patrimonia: quo nomine Domitius ille, pro hac inventione ſua, donatus eſt Conſulatu. Sed ubi Claudius Imperio potitus eſt, ob id certè accuſatus ac damnatus eſt: atque ex illius bonis iis, à quibus mulctæ exactæ eſſent, pecunia reſtituta. Sic prudenter & humaniſſimè Baſilius Macedo, Imperator Byzantinus, qui, ut Inſpectores (Græci ἐπόπταις appellant) ærarii augendi cauſa per Provincias delegaret, adduci non potuit, niſi illuſtriſſimi quique hoc muneris ſuſciperent. Et cùm ab iis detrectaretur. Ne ſint ulli igitur inſpectores. Malim enim (inquit) lucrum fieri injuſtè de pecuniis publicis, quàm ullum, vel minimâ pœnâ, mulctâve dictâ aut impoſitâ, injuriam pati; Petr. Ærod. *libr. 9. rer. judicat. tit. 5. c. 18.* Rectè quoque Venuleius Saturninus, Peculatûs crimen ante quinquennium admiſſum non oportere objici. Nam & ita Aſconius in Commentario pro Cornelio. Quia defecerat ſuperioribus temporibus in Ærario pecunia publica: multa & ſæpè, ejus re remedia erant quæſita: in quibus hoc quoque, ut pecuniæ publicæ, quæ reſiduæ apud quemque eſſent, exigerentur. Id autem maximè pertinebat ad Cornelium Fauſtum Dictatoris filium: quia Sylla per multos annos, quibus exercitibus præfuerat, & Rempubl. tenuerat, ſumpſerat pecunias ex vectigalibus, & ex Ærario populi Romani: eaque res ſæpè erat agitata, ſæpè omiſſa, partim propter Syllanarum partium potentiam, partim quod iniquum videbatur, *poſt tot annos,* (2) quàm quis pecuniam acceperat delegatam in uſum Reip. ejus reddere rationem. Sed & pulchrè Symmachus ad Theodoſium. Ne novũ exemplum inducas, piè Imperator, ut ſucceſſio omnium, qui Reip. præfuerunt, ſecura ad liberos non tranſeat.

ANNOTATIONES AD CAPUT CXLIII.

(1) *CNeus Domitius Corbulo &c.*] Dio *Lib. 59. pag. m. 651.* junge Tacitum *3. Annal. 31. num. 6.* & ibi Lipſium in Comment.

Num. 2.

(2) *Poſt tot annos &c.*] Ex Crimine Repetundarum enim adverſus hæredes, intra annum duntaxat à morte ejus, qui arguebatur, datur actio in quadruplum earum pecuniarum, quas defunctus in adminiſtratione poſitus, vel poſt eam accepit, quò magis, aut quò minùs officium faceret. Idemque obtinet in crimine Peculatûs & Reſiduorum *l. 2. ff. ad Leg Jul. repet. l. 1. 2. ult. C. eod. l. ult. ff. ad L. Jul. pecul. l. 15. ff. ad SCT. Turpil.* Olim quidem univerſa reorum bona poſt mortem eorum publicabantur, ut innuit *l. 20. ff. de Accuſ.* ſed poſt *Nov. 134. cap. ult.* non poterit id fieri, niſi deficientibus deſcendentibus & aſcendentibus. Confer Ant. Matthæum *de Crimin. ad Tit. de Leg. Jul. repet. cap. 11.*

CAPUT CXLIV.

Novè Inventa & Ærario augmentando profutura non facilè rejiciat, ſed Cenſuræ & ſerio examini ſubjiciat Princeps.

SUMMARIA.

1. Inventoribus *rerum novarum faveat Princeps.*
2. Artes *nonnullæ* novè repertæ, &c. *recenſentur.*

Sunt inventa novè quædam expedientia Fiſco
Augendo; ad limam quæ revocare decet
Judicii, veteres etenim non omnia mentis
Scrutinio penetrant abdita ſcita Cato.

FRequens & ſolemne Principibus eſt, 1 audire ante illam diem inauſa, inaudita,

nec

nec mirum hoc cuipiam videri decet, placendi ſtudio commodo ſuo & Reipubl. magna & enthea ingenia ad magna exacuuntur, maximè ſi munificum Principem nacta fuerint. Quid non ſperatus honor & divitiæ poſſunt? tot artium variarum inventa, tot terrâ, mari, montibus, vallibus, nemoribus, paſcuis novè excogitata, tot vectigalibus opibusque augendis, firmando regno, extendendo, propugnando, reperta jam ſunt; & nova tamen ſemper ſuccreſcunt, protruduntur nova. Quid in tam divite varietate faciet Princeps? nec fidem ſtatim adhibebit, memor fraudum; nec rejiciet, pœnitudinis memor. Fido proinde prudentum examini propoſita exponet: etiam illa, quæ primâ fronte damna videntur minari, aut Ditionis vires ſuperare, nil obeſſe audiſſe poteſt; repuliſſe poteſt. Et ut levis animi eſt, fidem omnibus adhibere, ita moroſi ingenii eſt, omnia repellere. *Damnatus ab omnibus Portugalliæ Rex*, (1) quòd Chriſtophorum Columbum magna ſpondentem repulerit: laudatus Hiſpaniæ Rex, qui audivit, examini ſubjecit, feliciſſimo ſucceſſu. Imitetur Princeps, ac primò videat, quid promittant novarum rerum inventores: ardua ſint, an factu facilia: periculum creari regno poſſit, an ſecus; ſumptus magni faciendi, an parvo res peragenda, numeranda aliqua pecunia inventori in anteceſſum, aut quæ erogationi illius ſubſit, an contentus præmio, re peractâ ſit. Si periculi nullus metus, ſi perexigui ſumptus, ſi nil ad auctorem acceſſurum, ni re ex voto peractâ, quid vereri Princeps poteſt? Nec terrere interim illum rei difficultas debet. Nullo tamen modo in res dubias profundat regni opes, aut robora; intentata tamen non relinquat profutura. Videat, *quàm fortunatè Salomon in Ophir* (2) claſſem miſerit auro devehendo; quàm feliciter in Orientem Luſitaniæ Reges, in Occidentem Caſtellæ, non magnis ſumptibus, gloriâ & emolumento maximo navigaverint, quanto deinde Angliæ bono, lanificium omne è Belgio migraverit, quantoque hujus malo. Idem de variis artibus judicium eſto, quæ fœcundiùs in alieno, quàm in quo natæ ſunt agro, ſuccreverunt, tantum profuit, non repuliſſe inventores.

Deus & Natura inexhauſta ſunt: Et ingenium humanum eſt avidum novitatis, aſtro macrocoſmico & microcoſmico conſpirante. Habet natura theſauros innumerabiles, qui nullis ætatibus exhauriri poſſunt, & inventio artium nondum attigit ultimum finem. Quod novæ artes noſtro & ſuperiori ſæculo repertæ? Magnetis uſus in pixide horologii ſolaris, Pulvis Pyrius & multa arcana pulveris, Typographia, Arcanorum patefactio perintervallum, **Orthforſchung / Waſſerharniſch / unter dem Waſſer zu gehen / Schwimgurtel / über das Waſſer zu waden / Lufftho ſen Frantz Keſters.** Item *nutu loquendi ars*, (3) de qua Joan. Bonifacius Italicè, qui docet, quomodo formari poſſit nutu & ſignis loquela viſibilis, & muta eloquentia, ſive facundum ſilentium *Venet. in 4. Anno 1616. edit.* Perſpicillorum inventio quibus per longiſſimum ſpatium videre poſſumus; & innumera alia. Taceo mira & rara ſingularis artis & ingenii præ ſe ferentia manuum opera, putà aurifabrûm, gemmariorum, horologiorum, & automatum, pictorum, ſculptorum, &c. nec non res peregrinas ex novo orbe advectas, numiſmata, & machinas antiquitatum videre & contemplari licet in Aulis & *Technomatophilaciis*, (4) Electoris Saxoniæ, Magni Ducis Etruriæ, Landgravii Haſſiæ, Ducis Bavariæ, Wurtembergenſis. Et in ædibus D. Paludani Medici Enckhuſani.

Cæterùm, cùm multa nonnunquam ab ejuſmodi inventoribus & artificibus promittantur, quæ ad effectum perduci nequeunt, Princeps & Politicus cautus eſſe debet, ne à quovis vento agitetur. Confer & transfer hùc ea, quæ de Inventoribus dixi ſuprà *lib. 1. cap. 12. in fin. & lib 2. c. 38. per tot.* & paſſim in hoc tractatu.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT CXLIV.

Num. 1.

(1) D*Amnatus ab omnibus Portugalliæ Rex &c.*] Cùm enim Chriſtophorus Columbus ſive ut alii eum vocant Colonus Animi ſui cogitationem, de novo Orbe detegendo cum Luſitano Rege (*Alphonſo ejus nominis V.*) primùm, deinde cum Henrico VII. Angliæ Rege communicaſſet. Somnia utrisque afferre viſus eſt. Auctoris humilitas contemnebatur ut maximè probabilia afferret. Repulſus tamen non deſtitit non acquievit; Quin ad Ferdinandum Regem Hiſpanum ſe contulit: & cùm nihilo magis audiretur ſeptennii patientiâ pervicit tandem, quo tempore Granata de Mauris capta eſt, ut tres Naves regiis ſumptibus inſtructæ eò Duce experirentur, an promiſſis reſponderent facta. Decem & ſeptem millia aurei mutuò ſumpti, propter inopiam ærarii bello Granatenſi exhauſti tantæ molitioni initium præbuêre. Sic ſolent ex parvis momenta maximarum rerum pendere. Mariana *Hiſtor. de Reb. Hiſp. lib. 26. cap. 3.* ubi in ſequentibus felicem cœptæ navigationis ſucceſſum percenſet, quod ipſum quoque Caſp. Ens *in Hiſtor. Occident. India lib. 1. cap. 2.*

& 3. qui fuſiùs de difficultate inveniendi Promotorem ſui inventi, juxta alios commentatur.

(2) *Quàm fortunatè Salomon in Ophir &c.*] De omnibus hisce ſubjectis exemplis dictum jam antè, diverſis in locis, quò me refero.

Num. 2.

(3) *Nutu loquendi ars &c.*] Quam in aula Ottomannica tam perfectè calere, quosdam naturâ mutos ſurdósve, vulgò *Bizehami* ſive *Mutos* dictos, ut rectè benè percipi queant, non ſolùm ſi res ordinariæ & familiares efferendæ interveniant, ſed etiam ſi proponenda hiſtoria cum ſuis circumſtantiis, & id omne, quicquid aliàs homines loquendo exprimere valerent, teſtis eſt D. Briot *en l' Hiſtoire de l' Empire Ottoman. lib. 1. chap. 8.*

(4) *Techomatophilaciis &c.*] De quibus præter alios Zeillerus *in ſuo Itinerario Germanico* & partim *Italico*, & Marchio Ranuccio Pallacino in deſcriptione magnificentiſſimi Electoris Bavariæ palatii Monacenſis Anno MDCLXVII. Italicè ſub titulo *I Trionfi del' Architettura edita*, de Paludami verò Pinacotheca (quæ nunc diſtracta planè eſt) Hagencius *in Itinerario Friſio-Hollandico pag. 58. ſeqq.* conſuli poterunt.

CAPUT CXLV.

Modi pecuniæ colligendæ ab Ariſtotele lib. 2. Oeconom. 1. recenſiti, cum cenſura, notis & animadverſionibus Authoris.

SUMMARIA.

1. Veterum *conquirendi & complicandi facultates & pecunias modi, quorum enarrationem non prorſus infructuoſam eſſe judicat Ariſtoteles, quantumvis omnes approbandi non ſint.*

2. Subditorum bona, *quæ aliquo poſſidebant tempore, omnia ad imperantes pertrahebantur.*

3. Bona exulum *exulibus iterum divendebantur.*

4. Hippiæ *diverſi emungendæ pecuniæ modi hoc*, & num. 5. 6. *Pro mortuo & recens nato pecunia poſtulata*, num. 7.

8. Athenienſes *in Potidæa tàm bonorum, quàm capitum ratione tributum poſcebant.*

9. Sumptus *Bacchanalibus dicati ſubtrahebantur.*

10. Pretio *rerum uſitato aliquid adhuc addebatur, quod ſibi depoſcebant Imperantes.*

11. Heracleotarum *ſtipendiaria negotiatio.*

12. Jejunium *imperabatur, ac exinde pecunia colligebatur.*

13. Carthaginenſium *prætextus emunctorius.*

14. *Qui* capite *erant puniendi, pecuniâ mulctabantur.*

15. Debita *aliorum mutuò ſumebantur.*

16. *Subornabantur, qui publicè ſe multum pecuniæ collaturos, promptè pollicebantur.*

17. Condali *corradendæ pecuniæ modi, hoc* & num. 18. *à capillis, quibus Lycias delectari ſciebat, pecuniam exigebat*, num. 19.

20. *Ab utraque parte litigante pecunia accipiebatur.*

21. Clazomeniorum *negotiatio improbatur.*

22. Vilior moneta *ſubſternebatur: Nummi chartacei*, num. 23. *ſtannei*, num. 30. *ærei*, numero 40.

24. Pecunia *ex evectione frumenti cariùs venditi conquirebatur.*

25. Abydenorum *inſtigatio ad juvandum agricolas.*

26. Mulierum *in ornamentis luxuria corrigebatur*, & num. 27. 28.

29. Dionyſii *callida commenta, hoc* & num. 31. *à pecoribus magna & crebra poſtulabat tributa*, num. 32. *ex tutela pupillorum & orphanorum lucrum quærebat*, num. 33. *ab initio certam pecuniæ ſummam, deinceps & reliqua auferebat*, n. 34. *Aliæ Dionyſii fraudes*, num. 35. 36.

37. Mendæi *lucrum ex tempore præterito quærebant; nec non ex mancipiorum venditione*, num. 38.

39. Calliſtrati *inventum.*

41. Timothei *& Didalis impoſtura & aucupia, hoc* & num. 42. 43.

44. Thaos *Rex Ægypti ſumptus ſacros minuebat.*

45. Cotys *Trax quomodo pecuniam coegerit.*

46. Homines *in ſecuritate iterum viventes, omnibus rebus privabantur.*

47. Memnonis, Charbidemi, Philoxeni, *Cleomenis, Antimenis, Rhodii, & aliorum, hoc* & n. 48. 49. & num. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. & 58.

50. Evæſes *tantam pecuniæ ſummam depoſcebat, quanta dari non potuit, modò ut id, quod vellet, obtineret.*

> Summus Ariſtoteles, & mentis acumine clari
> Alii viri, modum docent, pecuniâ
> Quâ cogi poſſit. Sed quæ cenſura ſit æqua,
> Authoris hoc tradit caput ſubtiliter.

1 DIgnum arbitratur Ariſtoteles cognoſcere, quomodo veteres pecuniam confecerint, cujus ego narrationem ordine, ut ab illo proponitur; proſequi decrevi; Quidam improbandi ſunt, quidam (ſed pauci) laude digni, nonnullos juſtos facit neceſſitas. Obſervanda itaque in hujus narrationis lectione admonitio eſt Jacobi Fabri Stapulenſis, cujus verba: qui legent, eo id faciant ingenio, & bona ſequantur & probent: tyrannica verò, & quæ ſunt his ſimilia, cautiùs devitent & damnent cognita.

CYPSELUS.

2 Cypſelus Corinthius, cùm votum feciſſet Jovi; Si civitate illa potitus fuiſſet, Corinthiorum ſe dedicaturum facultates univerſas: juſſit cenſum deſcribi: illis autem profeſſis, decimam bonorum partem abſtulit à ſingulis, de reliquis juſſit eos negotiari & rem facere; Annoque vertente fecit idem: Evenit itaque, ut annis decem & ipſe haberet omnia bona Corinthiorum, eaque Jovi conſecraret, & Corinthii interea quærerent, pararentque alia.

Votum

Votum tale neque faciendum Jovi; quod bona omnia ſubditis eripere ſuaderet: neque factum explendum fuiſſet. Sed cùm peccatum in uno eſſet, æquum erat, ut in altero humanitatis ratio haberetur. Quam Julius ſecutus, (1) *cùm juraſſet, ſe piratas crucifixurum; priùs occidit.*

LYGDAMIS.

3 Lygdamis Naxius, quibusdam in exilium actis, cùm facultates illorum nemo vellet, niſi admodùm parvo emere, vendidit ea ipſis exulibus: anathemata quoque, quæ in officinis erant, ἡμίεργα imperfecta, vendebat exulibus & aliis, ita ut permitteret emptoris nomen in unoquoque perſcribi.

Quis enim magno emeret, de cujus poſſeſſione non conſtaret. Cum exulibus autem præclarè actum videbatur: quibus conceſſerat mediocri pretio redimere, quod propriâ nequitiâ amiſſum erat.

BYZANTII.

4 Byzantii in pecuniæ penuria publicos lucos & loca ſacra vendiderunt. Fructuoſa quidem ad certum tempus, ſed infructuoſa ad proprietatem perpetuam: Itemque ea, quæ Sodalitates poſſidebant, & quæ ad ſacra gentilitia pertinebant, cùm alia, tum in agris privatis ſita. Nam hæc magno emebant ii, quorum reliqua erat poſſeſſio. Sodalitiis autem tradebant publica alia, quæ erant circum gymnaſium, aut forum, aut portum, nec non forenſia loca, ubi aliquid vendebatur. Præterea ſalinas maris, & ſalis mercaturam. Item ubi quæſtus faciebant præſtigiarum artifices, vates, & qui medicamenta vendebant, & hujus generis alii: conſtitueruntque, ut tertiam partem quæſtûs penderent. Jam permutandæ pecuniæ menſam tantummodò unam clocarunt. Neque licebat alio numo, vel de altero emere, vel alteri vendere quicquam. Quod ſi quis feciſſet, pecunia ea multabatur. Cùm autem apud iilos lex eſſet: Non habendum pro cive, qui non utroque parente cive natus fuiſſet: egẽtes pecuniâ ſcitum fecerunt: Qui altero tantùm parente cive natus eſſet, ſi perſolviſſet duodecim millia numûm, pro cive habendum. In caritate verò annonæ, cùm pecuniæ inopiâ laborarent, deduxerunt navigia ex ponto. Quod cùm mercatores iniquo animo ferrent, uſuras perſolverunt eis decimas. Qui emebant autem tunc, ab eis ultra pretium ipſum illas decimas exigebant. Cùm autem ex incolis quidam fœnore collocaſſent pecunias, oppoſitis bonis, neque eſſet unde illæ perſolverentur, ſcitũ fecerunt: ut qui tertiam partẽ debiti ſeu pecuniæ mutuæ, tributi nomine conferret, bona illa tanquam propria retineret.

In his Byzantiorum uſitatis ditandi Ærarium mediis quædam haud iniqua, quædam maximè injuſta ſunt. Quod enim lucos & loca ſacra, vel ad Sodalitates pertinentia vendiderunt, minimè improbandum: imò in neceſſitate imitandum eſt. Sed quòd pecuniam permutarunt, unicumq; tantùm numum conſtituerunt; quodq; de fœnore impiam legem tulerunt, illud quidem non excuſari, multò minùs laudari poteſt.

HIPPIAS.

Hippias Athenienſis, eminentia in ſuperioribus ædium partibus, & projecta in publicas vias, itemque ſcalarum gradus, & præmunita veſtibula, & januas, quæ aperiendo extrorſum vertebantur, vendidit. Emebant hæc illi, quorum poſſeſſiones ipſæ erant, & ita copioſa pecunia collecta eſt.

Callidum hoc fuit conſilium Hippiæ: neque illegitimus modus acquirendæ pecuniæ, de iis rebus, quæ publicas vias anguſtiores reddebant; Si Reip. legibus cautum fuit, ne privata ædificia in publicas ſeſe vias juſto longiùs extenderent. Quemadmodum Romanis ejusmodi lex fuit; neq; triumphalibus etiam domubus, niſi ſingulari gratiâ, conceſſum, ut janua in publicum rejiceretur. Hippias autem aſtutæ Tyrannidis arguebatur, quòd ea vendebat, quæ, niſi domini ædium redimerent, longè ipſis majores ſumptus faciendi erant.

Idem numum etiam, qui tunc Athenis uſurpabatur, improbum eſſe juſſit, & pretio 5
conſtituto ad ſe pecuniam omnem deferri juſſit: Cumque convenirent, qui alio ſigno vellent cudere, idem illud argentum expoſuit.

Illud autem injuſti Principis & Tyranni eſt, quam monetam ſemel rejeceris, eam denuò approbare: ut omnem ſubditorum pecuniam colligas. Sed utinam id genus fraudis hoc noſtro ſeculo minùs innotuiſſet, & non ſæpius ſub juſtitiæ pallio fallat!

Præterea, qui navibus præficiendi, aut tribuum ſuarum duces futuri, aut choris ludisve ſumptum præbituri erunt, aut alia ejus generis munia obituri, in quæ eſſet aliquid impendendum, iis primùm tolerabilem atque modicam irrogavit mulctam; deinde juſſit eum, qui illam pendere voluiſſet, inter perfunctos ſuo munere perſcribi. 6

Nihil in hac conſtitutione peccatum eſſet, ſi triremes exempti fuiſſent. Quod enim de iis impenſis, quæ in ludos, convivia, & inanes pompas fieri conſueverant, certam ſummam publico dari juſſit; ut potiùs & noſtris Principibus eodem modo ſubditos ſuos à nimiis impenſis arcere incumbat!

Sacerdoti etiam Minervæ, quæ in arce 7
conſecrata erat, præcepit de unoquoque defuncto afferri hordei ſextarios duos, & totidem tritici, & obolum unum, id eſt, duos aſſes, ac tantundem ab iis, ſi cui ſoboles naſceretur.

Voluit hîc Hippias & mortuos contributioni obnoxios eſſe: quod ſordidum eſt, nec Principe dignum. In altero Capitationem Romanorum ſecutus, quæ apud quosdam efficiebat, ut minùs de natis filiis gauderent.

ATHENIENSES.

8 Athenienſes in Potidæa indigentes pecuniâ ad bellum, juſſerunt profiteri cunctos, cēſum bonorum non conjunctim apud ſuam cujusque tribum, ſed ſingillatim, in quo quisque loco eſſet, ita, ut qui pauperes eſſent, ipſi quoque cenſeri poſſent: Si quis verò prorſus nihil poſſideret, ejus capitis æſtimatio erat minarum duarum. Hinc igitur tributum, quod exigebatur à ſingulis, integrum conferebatur.

Laudanda Athenienſium cum prudentia conjuncta æquitas. Ita enim neque ipſi accuſandi, neq; ulli licitum fuit, non omnia profiteri.

ANTISSÆUS.

9 Antiſſæus, cùm pecuniæ inopiâ premeretur civitas ipſius, & morem haberent, ut Dionyſia ſeu Bacchanalia ſplendidè celebrarent (quibus magnos ſumptus faciebant de totius anni apparatu, cùm in alia, tum victimas pretioſas) quòd feſtus ille dies tunc inſtaret, perſuaſit eis, ut votum nuncuparēt, ſe proximo anno reddituros Libero duplicia; & quæ parata habebant, ut univerſa ſimul venderent. Atq; ita pecuniæ non modicæ ad præſentem ipſis uſum collectæ fuerunt.

Superſtitioſi homines Sacrilegium putarent, quod ſacris dicatum eſt, in publicos uſus transferre. Sed Antiſæus Idoli cultum poſt bonum publicum habuit. Scilicet neceſſitate urgente. Neq; abſtulit, ſed duplum promiſit.

LAMPSACENI.

Lampſaceni cùm adventus exſpectaretur
10 triremium multarū, & venirent polentæ ſex modii, denariis quatuor, juſſerunt in foro verſantes, vendere eos ſex denariis: Et ad olei congium, qui veniret denariis quatuor, adjicere tres obolos, ſeu aſſes ſex: Idemq; facere de vino & cæteris. Privati igitur pretium accipiebant antiquum; quod autem ſuperabat, id civitas retinens, copiam ita pecuniarum comparavit.

Tale vectigal imitandum non eſſe, quivis facilè intelligit: quod omnium rerum venalium tertiam partem lucratur. Et ii, qui in triremibus erant, civesq; reliqui, præter venditores, ſupramodum exhauriebantur.

HERACLEOTÆ.

Heracleotæ, cùm naves ablegarent qua-
11 draginta adverſus tyrannos in Boſphoro, neque pecuniâ abundarent, coëmerunt à mercatoribus frumentum & oleum, & vinum, & res alias venales univerſas. Atque conſtituto tempore, quo pretium perſolveretur, & oportunum erat negotiatoribus: non ad heminam merces diſtrahi, ſed venire ſimul univerſas, & ipſi cum perſolverent per opportunitatem, non ſtipendia devehebant, ſed res venales in onerariis navibus, & quæſtorem unum ſingulis navibus præficiebant. Cùmq; jam in terram hoſtium ventum eſſet, emebant ab his omnia milites, & argentum collectum fuit, ſtipendiumq; ſolverunt ductores. Et ita accidit, ut idem daretur argentum, donec domum redirent.

Honeſta quidem eſſet hæc negotiatio, quâ efficiebant Heracleotæ, ut non opus eſſet novis ſtipendiis; & noſtris belli ducibus imitanda. Sed in hac rerum tempeſtate pro ratione temporis hoc plerumq; obtinet, ut negotiatoribus res venales univerſæ eripiantur quidem: ſolutionis autē mentio nulla fiat; neq; milites iis alantur.

LACEDÆMONII.

Lacedæmonii, cùm Samii ab ipſis peterēt, 12
ut pecunias ſibi conferrent recuperaturis patriam, ſcitum fecerunt; uno die debere & dominos, & familiam, & jumenta jejunare, & quantum inſumpſiſſet, ſi non jejunaretur, quisque tantum tribuere Samiis.

Putarunt Lacedæmonii nullam rationem inveniendæ pecuniæ æquiorem eſſe, quam eam, quæ & civibus nullam inferret injuriam & ipſorum voluptates coërceret: Sciebant namq; pro ea facilitate, quâ in vitia ruunt homines, ſe non parum collecturos pecuniæ. Et hodieq; obtinet.

Nitimur in vetitum ſemper cupimusque negata:
Sic interdictis imminet æger aquis.

Quare poſſent & noſtri Principes haud exiguum exinde ſubſidium comparare, ad hoſtes profligandos.

CARTHAGINENSES.

Carthaginenſes, cùm militum apud ipſos 13
externorū multitudo creſceret, nec haberent, unde ſtipendia eis perſolverent, præconium factū eſt: Si quis civium, incolarúmve jus haberet prehendendi vel civitatem, vel privatū quempiam, ſive vellet prehendere, ut profiteretur. Profitentibus autem permultis, ita navigia contendentia in Pontum comprehendebant, probabilē aliquam cauſam prætendentes, tempore quidem præfinito, quo de his cauſam dicturos ſe eſſe affirmarēt. Copia verò tunc magna pecuniæ cùm extitiſſet, & milites illos dimiſerunt, & de comprehenſione diſceptarunt. Et quibus comprehenſione vel direptione eſſet facta injuria, iis de vectigalibus ſuis ſatisfaciebat civitas.

Hoc factum, niſi ſummâ neceſſitate excuſari non poteſt. Scilicet ſi totius urbis niſi mercenariis militibus ſtipendia darentur, ruina immineat, in quo periclitari videbantur Carthaginenſes. Sed ſcriptum apud Rempublicam depoſuerunt, quantum quisq; abſtuliſſet: Et dati conſtituto tempore ſunt judices, ſeu recuperatores, quodq; injuſtè ablatum, reſtitutum eſt, eoq; juſtiores habendi.

CYZIZENI.

Cyzizeni, ſeditione apud ipſos ortâ, & ple- 14
be ſuperiore, oppreſſisque ac captis divitibus, cùm deberetur militibus pecunia, ſcitum fecerunt, ne capti interficerentur, ſed pecuniis exactis ut exularent.

Si

Si peccarunt divites, ita ut juſtè de iis capitis ſupplicium ſumi poſſet; benignos judices habuerunt, à quibus licebat vitam pecuniâ emere.

CHII.

15 Chii, cùm eſſet lex apud ipſos, ut debita publicè perſcriberentur: indigentes pecuniâ ſcitum fecerunt, ut debitores ipſi quidem mutuas pecunias numerarent Civitati, Civitas verò creditoribus, ut fœnus ex vectigalibus penderet, donec ſors perſolvendo æquaretur.

Digna fœneratoribus pœna fuit; & ſors jure ablata. Injuria autem debitoribus facta, cùm coacti ſunt, damno ſuo ſolvere.

MAUSOLUS.

16 Mauſolus Cariæ tyrannus, petente per legatos Rege Perſarum, ut tributa penderet, convocatis in illa regione opulentiſſimis, oſtendit eis: Regem petere tributa, ſe autem nequaquam abundare pecuniâ. Ibi tum ſubornati quidã ſtatim polliciti ſunt, ſe eſſe collaturos, & ſummam indicarunt. Hoc facto opulentiores partim pudore, partim metu, & plura ſunt polliciti & contribuerunt.

Ita ſubordinatorum promptitudine allicere voluit divitum animos ad plus contribuendũ, & vitio caruit Mauſolus, niſi quòd inopiam & Regis petitum mentitus eſt.

Idem. Rurſus pecuniâ indigens Mylaſſenſibus convocatis demonſtravit oratione ſuâ; Eam Civitatem Principem regni, ex qua ortus eſſet ipſe, non eſſe mœnibus ſeptam, Regem autem Perſarum exercitum adversùs illam adducere. Juſſit igitur Mylaſſenſes, quantum poſſet quisque pecuniæ conferre plurimum, aſſerens iis, quæ tunc contribuiſſent, ipſos cæteras ſuas facultates eſſe conſervaturos. Collatis autem copiis multis, ipſe quidem retinuit pecunias: mœnia verò extrui illo tempore Deum velle negavit.

Ex ſubſequente facto prius judicari poteſt; quo effecit, ut ſibi deinceps nulla fides haberetur.

CONDALUS.

17 Condalus Mauſoli præfectus, ſi quando iter per regionem facienti ſibi afferret aliquis donum ovis, aut porci, aut vituli, juſſit perſcripto nomine ejus, qui donaſſet, & die, domum deduci, & ali donec reverteretur: Ac ubi tempus ſatis longum abiiſſe videbatur, repetiit, quod ille aluerat, juxtimque fructus quos donum pepererat.

Impudens homo, qui eo non contentus, quòd donabatur, illud inſuper ali voluit: neq; interim fructus alitoribus conceſſit.

18 Idem. Arborum item eminentiũ aut procidentiũ in regias vias vẽdebat fructus. Militum quoq; ſi qui mortem obierant, copiã efferendi extra portam corpus denario vendebat. Atq; hinc ſimul argentum accipiebat, ſimul non fallebant eum duces indicio temporis, quo aliquis ex militibus eſſet mortuus.

Quòd nec mortuis quidem pepercit militibus; inhumanum fuit. Potuit autem hoc modo ducum in referendo militum numero, fidem probare.

Lycios etiam cernens capillis geſtandis delectari, literas eſſe dixit allatas regias, quibus capilli ad crines, ſeu capitum ornamenta mitti juberentur: mandata igitur ſe habere à Mauſolo, ut illi tonderentur, juxtimque promiſit, ſi certam ſummam in capita contribuere vellent, ex Græcia capillos afferendos ſeſe curaturum. At illi libenter præbuerunt, quod poſtulabat, collectaque eſt de magna multitudine pecunia copioſa. 19

Ita corrigendæ erant civium ineptiæ. Sed à Superioribus ita mandatum eſſe, prætendere; & pecuniam in proprium commodum cõvertere, (2) *non decebat.*

ARISTOTELES.

Ariſtoteles Rhodius Phocææ principatũ obtinens, in pecuniarum inopia cernens duas eſſe Phocæorum factiones, verba uni illarum occultè fecit, indicans ſibi dare alteram pecunias, ut rem ad ipſos inclinet; ſeſe verò ab ipſis accipere malle, & adminiſtrationem Civitatis eis tradere. Quibus auditis ſtatim tantum iſti pecuniæ dederunt, quantum juſſerat. At hic alteri factioni rurſum oſtendit, quæ accepiſſet ab alteris. Hi verò dederunt ne ipſi quidem minùs. Atque ita acceptâ pecuniâ ab utrisque, gratiam inter eos reconciliavit. 20

Neq; verba alicui facere ingenui hominis eſt: neq; acceptâ pecuniâ rem ad quosvis inclinare decet.

Idem. Cùm animadverteret autem inter cives multas eſſe controverſias, & magnas in iis propter bellum injurias, judicio conſtituto edixit: ſi qui lege non egiſſent intra tẽpus præſcriptum, non ampliùs de prioribus criminibus judicia iis datum iri. Tunc itaque complurium cauſarum atque litium collationem, & provocationes, mulctis propoſitis, ad ſe referens, & ab utrisque per diverſos aliquid accipiens, non parum pecuniæ contraxit.

Hodieq; nimiùm uſitata fraus eſt, cauſis certum aliquod tempus, aut tribunal conſtituere, ut pecunias attrahas.

CLAZOMENII.

Clazomenii, in penuria annonæ cùm pecuniâ deſtituerentur, ſcitum fecerunt: Ut qui oleum haberent, commodarent hoc Reipublicæ cum fœnore. Exiſtit autem hic fructus in regione illorum copioſus. Cùm igitur ita commodaretur oleum, conductis navigiis evehendũ illud in ea loca curarunt, in quibus fora exercebantur, unde frumentum ipſis advenit, pignore dato olei pretio. 21

Hæc negotiatio improbanda nequaquam fuiſſet, ſi proprium oleum pro frumento commutaſſent; neq; cives, ut mutuum darent, coëgiſſet.

Idem.

22 Idem. Militibus cùm deberent ſtipendii nomine viginti talenta (quadringenta & octoginta ſeſtertia), neque poſſent diſſolvere, añis ſingulis fœnus pendebant ducibus quaterna talenta (ſeſtertia nonaginta & ſex.) Quia verò hoc pacto de ſorte nihil decedebat, & ſumptus facere fruſtra ipſi pergebant, percuſſerunt numum ferreum, ad viginti talentorum ſummam. Hanc deinde pecuniam dabant opulentiſſimis in civitate, pro eo atque conſentaneum erat cuique, & tantundem ab eis recipiebant argenti. Habebant igitur privati, quod in quotidianos uſus impēderent, & debito liberata fuit civitas. Deinde ex vectigalibus & fœnus pendebant illis, & dividendo ſemper pro parte ſua cuique diſtribuebant, numosque ferreos recipiebant.

Ingenioſè excogitatum fuit, ut & nomina exſolverent; & in cives injurioſi non eſſent. Quod poſterius eo conſecuti ſunt, quòd ferreos numos cum argenteis permutarunt.

23 Aliique in ſumma neceſſitate conſtituti idem fecerunt. *Inter quos eſt Enecus Lupides,* (3) Comes Tendillianus, Dux inſignis in bello Granatenſi Almæ urbi præfectus, qui in ſumma rei pecuniariæ deſperatione, dum expectaret, pecunias à Rege Ferdinando, & regina Iſabella, ex charta panucea fecit ſchedulas ſuâ manu propriâ, atque ſubſcriptione ſignatas, quasdam vocans aureos, argenteos numos, æreos aſſes, ſemiſſes, trientes, quadrantes, hisque inter ſe emptiones & commercia facta ſunt, pollicitus ſe daturum pro illis fictitiis, varias pecunias poſt receptionē.

Idipſum feciſſe tradit *Sabellicus,* (4) Dominicum Michaëlem, Ducem Venetorum, cùm procul abeſſet domo claſſe Tyrum obſidens, in expeditione Aſiatica: cùm enim pecuniæ defectu ſtipendium reddi nequiret remigibus & ſociis navalibus, & ex loro pecuniam publicâ formâ ſignavit, quam pro aurea & argentea certis diſtinctam characteribus in ſtipendium navalibus numeravit, turmis pollicitus, fore, ut mox domi pro alutinis, aurei & argentei pari numero habentibus repræſentarentur numi. Quod & factum eſt.

Sed ejusmodi numos nemo cudat, niſi certus ſit, unde poſtea argenteos ſumat, cum quibus hi permutentur. Ei autem non ſuaſerim, cui fides non habetur: qui enim ſemel fefellit, ab eo non patientur ſe eludi numus, qui tantùm teſſeræ ſunt veræ pecuniæ dandæ.

SELYBRIANI.

Selybriani, in pecuniarum inopia, cùm lex
24 eſſet: Ne frumentum exportaretur famis tēpore, vetere illis frumento reliquo, ſcitum fecerunt: Tradere privatos debere frumenta ſuæ Reipublicæ pretio conſtituto, ſic, ut quisque retineret victum ſibi unius anni. Poſtea evehendi poteſtatem fecerunt volenti, conſtituto pretio, quod æquum videbatur.

Frumentum, quod ſupererat, ſi unusquisq; unius anni victum retineret, jure aliquo Reſpubl. conſtituto pretio, petere poſſe videbatur. Sed non decebat eandem, frumentum evehere, cariusq; vendere: quodq; lucrum cives facere poterant, iisdem præripere.

ABYDENI.

Abydeni, quòd terra ipſorum per ſeditio- 25
nem inculta eſſet, neque quicquam ampliùs impendentibus incolis, propterea, quod etiam tùm ipſis deberent; ſcitum fecerunt: Qui pecuniam mutuam dediſſet agricolis, ut opus ruri facerent, eum percipere fructus natos primùm debere, & cæteros ea demum, quæ reliqua fuiſſent.

Ita inſtigabant dominos ad agros propriòs colendos, & alliciebant alios ad juvandum agricolas, à quibus fructus natos priores perciperent: in eoq; laudem meretur Abydenorum induſtria.

EPHESII.

Epheſii, cùm pecuniâ indigerent, tulerunt 26
legem: Non licere, ut mulieres aurum geſtarent, quicquid eo tempore auri haberent, ut commodarent civitati. Conſtituta etiam argenti ſumma, quæ numeraretur, permiſerunt, ut in templi columnis, nomen ejus, qui argentum illud numeraſſet, tanquam ejus, qui illam conſecraſſet, perſcriberetur.

Mulierum in ornamentis luxuria corrigi meliùs non poterat, quàm ut Civitati commodarent aurum, quod ita oſtentabant. Singulari autem prudentiâ uſi ſunt in perſcribendis eorum nominibus, qui argentum numeraverunt.

DIONYSIUS.

Dionyſii varias fraudes, artesque, quibus 27
pecuniam colligeret, tales refert Ariſtoteles. Dionyſius Syracuſius cumulare pecunias volens, concione advocatâ dixit: Viſam ſibi Cererem eſſe jubentem, mundum muliebrē in ſuum fanum deferri. Ac ſe quidem hoc de ſuarum mulierum mundo feciſſe, poſtulare igitur, ut idem fieret ab aliis quoque, ne Dea iraſceretur: qui non feciſſet, eum ſacrilegii reum fore pronunciavit. Cumque omnes, quæ habebant, attuliſſent, & Deæ reſpectu & ipſius, re divinâ factâ abſtulit mundū illum, tanquam commodatū ab ipſa Dea.

Indignum erat Rege muliercularum ſuperſtitione abuti ad lucrum.

Idem. Ubi verò temporis aliquid præteri- 28
iſſet, & mulieres iterum ornatus ferrent, edixit: Ut quæ aurum geſtare vellet, ea in templo, quod tanti eſſet, dedicaret.

Stultæ mulieres bis amittere ornatus malebant, quàm non geſtare. Etiam noſtrarum ita caſtiganda erat φιλοκαλία.

Ædificaturus triremes ſciebat, pecuniâ ſibi 29
opus fore. Concione igitur advocatâ, prodi quandam urbem dixit, & ad eam rem ſibi pecuniâ opus eſſe: poſtulavitque, ut ſinguli cives conferrent aureos duos. Hanc pecuniam

am illi contulerunt. Spatio autem interpoſito dierum duûm triúmve, quaſi fruſtrata res ipſum eſſet, collaudatis civibus, id reſtituit unicuique, quod contulerat: Quo facto voluntates illorum ſibi reconciliavit. Poſtea ſimili ſpe ſe eſſe recepturos, rurſum contulerunt: Dionyſius autem quod tunc acceperat, retinuit ad triremium ædificationem.

Callidè Dionyſius prius reddendo civium emit voluntates, quibus abuteretur deinceps.

30 Cùm non abundaret argento, numum percuſſit ex ſtanno, advocatâque concione, copioſâ oratione numum eum commendavit. Syracuſii verò, quamvis inviti, illum ſcito ſuo approbaverunt, & unusquisque prætulit ſe habere argentum, non ſtannum.

Commodum erat Dionyſii, quia ſtanneos ipſe non recipiebat; damnum autem privatorum: idq; præter fas.

31 Rurſum in pecuniæ inopia poſtulavit à civibus, ut ſibi contribuerent. Quibus negantibus ſe habere, protulit utenſilia ſua, & venalia, quaſi per inopiam hoc faceret, propoſuit. Hæc cùm Syracuſii emerent, quid quisque emiſſet, perſcribebatur. Perſoluto autem pretio, referre ad ſe utenſile juſſit, quod emiſſet, unumquemque.

32 *Si antea pecuniâ carebat is, cùm contribuendum; unde ſumebatis, cùm emenda Dionyſii utenſilia eſſent? ſed hæc fraus erat.*

Syracuſii propter crebra tributa deſierant pecudes alere. Ibi Dionyſius ſatis ſibi collatū eſſe, affirmavit ad tantum uſum, quique poſthàc paraſſent pecudes, eos fore immunes. Cùm multi autem multas pecudes immunitatis ſpe paraſſent, nactus opportunitatem, quid quisque haberet, æſtimari juſſit, & impoſuit tributum ſeu penſionem. Ibi tum Syracuſii ægrè ferentes, ſe eſſe deceptos, pecudes jugulare & vendere. Cùm autem ad hæc Dionyſius edicto definiiſſet jugulandarum pecudum indies numerum, illi mactantes ſacrificare. Tunc Dionyſius vetuit mactari pecudem fœminam.

Tyrannicum autem erat; ſub ſpecie alicujus immunitatis cives decipere. Apparebat enim ex eo Dionyſii animus omnibus bonis civium inſidias ſtruens.

33 Rurſum in pecuniæ inopia profeſſione apud ſeſe deſcribi juſſit pecunias familiarum, quæcunque eſſent orbæ parentibus. Quo facto ipſe pecuniis abuſus fuit, donec ſinguli in ſuam tutelam veniſſent.

Hoc tam crudele non eſt, ut non imitatores inveniat.

34 Rhegio occupato, advocatâ concione dixit: Quòd diripere urbem ipſorum jure poſſet, ſed velle ſe, ſi modò auferat impenſas factas in id bellum, & pro ſingulis capitibus tres minas, eos miſſos facere. Tunc Rhegini quicquid occultaverant, id protulerunt in conſpectum. Et cùm egeni quoque pecuniam mutuò ab opulentioribus & externis ſumpſiſſent, ita illam ſummam perſolverūt. At Dionyſius hâc acceptâ, nihilominus, & omnes ſub corona vendidit, & ſupellectilem, quam occultatam protulerant, abſtulit univerſam.

Hîc fur eſt Dionyſius: & teſtatur nihil avaritiæ ſanctum eſſe. Videntur hanc abſconditos theſauros effodiendi artem milites hodierni à Dionyſio didiciſſe.

35 Mutuò ſumpſerat pecuniam à civibus quā redderet. Cumque illi repeterent, juſſit afferri ad ſe argentum, quantum poſſideret unusquisque propoſitâ pœnâ mortis, niſi faceret. Allato autem argento, percuſſit numum, ita ut denarius unus æſtimaretur duobus, eoque, quod debebatur, quodque attulerant ad ſe, perſolvit.

Si libero homine indignum eſt debitum non reddere; maximè id Principe. Non enim perſolvit, quod debebat; ſed debitum cumulavit.

36 Cùm navibus centum in Tyrrheniam navigaſſet, abſtulit ex fano Leucotheæ & auri argentique plurimum, & non parum ornamentorum cæterorum. Quod non fugeret autem ipſum habere multa nautas, quoque præconium fieri juſſit: Ut dimidium eorum, quæ quisque abſtuliſſet, ad ſe referretur, alterum dimidium retinere poſſe eum, qui abſtuliſſet: qui non retuliſſet, ei mortis pœnam propoſuit. Arbitrati autem nautæ, ſi dimidium retuliſſent, tutò ſe retenturos eſſe reliqua, illud retulerunt. At Dionyſius, his acceptis, rurſus dimidium referre eos juſſit.

Sacrilegus hic & Tyrannus, & potentiâ & mendacio uſus eſt ad eliciendam pecuniam.

MENDÆI.

37 Mendæi fructibus, quos redderent portus & alia vectigalia, utebantur ad civitatis adminiſtrationem, ſed quod ex ſolo & ædificiis perciperetur, id non exigebant, ac nomina tantùm occupantium perſcribebant. Qui quoties civitati pecuniâ opus erat, perſolvebant quantum debebatur. Lucrum faciebant igitur ex tempore præterito, abuſi illis pecuniis ſine fœnore.

Duplex exinde commodum ſentierunt Mendæi: nam & cariùs conducebant illa bona ſubditi; & ingruente neceſſitate contributionibus opus non erat. Quæ ratio erat æquiſſima.

38 Idem. Iidem bello adverſus Olynthios cū pecuniâ indigerent, & copiâ mancipiorum abundarent, ſcitum fecerunt: Ut unusquisq; tantùm duo retineret, marem, & fœminam, & reliqua venderet univerſa, ut haberent privati pecuniam, quam civitati mutuò darent.

Namq; belli tempore multis mancipiis non indigebant; & poterat illorum multitudo periculoſa eſſe, præterea multum pecuniæ exinde colligi.

CALLISTRATUS.

39 Calliſtratus veneunte in Macedonia portorio

torio plerumque ducentis octoginta ſeſtertiis, perfecit ut perciperetur bis tantum. Animadvertens enim nullos unquam emere, niſi opulentiores, propterea quòd vicenū talentorū ſponſores dare oportebat maximi censûs viros, per præconē edixit, ut qui vellet, emeret, ſponſoresq; tertiæ partis exhiberet, aut quanti quisq; perſuadere alteri poſſet.

Suaderi poſſet & noſtris Principibus, ut res variis elocent, quas falſò ſæpe minoris eſſe commodi dicunt.

TIMOTHEUS.

40 Timotheus Athenienſis bellum gerens cum Olynthiis, in pecuniæ inopia æreum numum percuſſit, diſtribuitque militibus. Indignantibus autem illis affirmavit, & mercatores, & quicunq; in foro venderent, eadem ratione vendituros: Ipſis autem mercatoribus prædixit, quicunque æreum numum accepiſſet, eodem rurſus ea, quæ regio ferret venalia, quæque producerentur ex præda, mercaretur, quibuscunque autem æreus ipſis reliqueretur numus, ii ut hunc ad ſe referrent, & pro ære, argenti tantundem acciperent.

Quis enim numos acciperet, quibus emere res neceſſarias non poſſet; & niſi ſpes ſit illos receptum iri, cogere autem neminem poterat, & juſtitiâ vacare.

41 Idem apud Corcyram bellum gerens, & laborans inopiâ, militibusq; flagitantibus ſtipendiū & recuſantibus Imperium ipſius, & minitantibus ſe eſſe ad hoſtes tranſituros, advocatâ concione illorum dixit: Impedientibus argentum ad ſe non potuiſſe deportari. Nam tantâ ſe copiâ abundare, ut trimeſtre jam ante tempus perſolutū ſtipendium dono eis dare velit. Itaque ſuſpicati milites, nunquā illum tantam pecuniæ ſummam tàm prodigè elargiturum, niſi revera in expectatione haberet, quas dicebat pecunias, quievêre poſthac, nec efflagitanda mercede moleſtiores ei fuerūt, donec ille expedivit, quæ voluit.

Promiſſis dives quilibet eſſe poteſt, periculoſum tamen erat non dare.

42 Cùm Samū oppugnaret, fructus, omneq; ex agris proventum, Samiis ipſis vendebat. Ita ad mercedem militibus ſolvendam pecuniis abundavit. Idem cum rerum, quæ ad vivendum neceſſariæ ſunt, in caſtris penuriam cerneret, propter eos, qui adventabant, quicquid tritici venale habendum erat, molere vetuit: nec idem dimensū vendere medimno minus: neque idem de liquoribus partem ullam ea menſura minorem quæ propriè metreta vocatur. Ergo ipſorū ordinū Duces, quiq; manipulis præerant, quæ acervatim congeſta emerant, ea minutatim poſtea militibus diſtribuebant & qui ventitabant, ſecum ferebant, quæ neceſſaria ſibi putarent ad victum, qui deinde abeuntes vendebant, ſi quid reſidui ipſis foret; ex quo id evenit, ut milites victu abundarent.

Ita hoſtes ipſi militibus Timothei ſtipendia dederunt: Et laude dignum & præclarum Ducibus exemplum eſt.

DIDALES.

Didales Perſa militibus, quos habebat, ea 43
quidem, quæ ad victum quotidianum neceſſaria erant, ex hoſtili terra ſuppeditabat, ſed cùm ab iisdem militibus numus flagitaretur, nec haberet, unde diſſolveret, jamque diſſolvendi tempus adeſſet, tale quiddam machinatus eſt: Cogit ad concionem milites, aitque, ſibi quidem pecuniarum copiā non ſuppetere, verùm eas adeſſe in quodam loco: & locum ipſum, ubi eſſent, nominabat. Quin etiam propiùs acceſſit, progreſſus in illū, abſtulit ex iis, quæ in loco erant, fanis, quicquid vaſorū argenteorū reperit. Mox onuſtis mulis, tanquam argentū geſtantibus taliaq; præ ſe ferentibus, procedebat. Quod milites conſpicati, ratiq; omne illud argentum eſſe, quod veheretur, bono fuerunt animo, tanquā ſtipendium recepturi. At illi Amiſū perveniri ibiq; ſignari argentū oportere dixit. Iter porrò ad Amiſū & complurīū erat diernum, & hyberno tempore faciendū. Itaq; toto hoc ipſo tempore eodē exercitu facilè eſt abuſus: quippe qui illi ad victū neceſſaria tantummodò præberet. Ipſe autem tùm opifices, tùm caupones atq; inſtitores, apud quos quidpiam permutari poſſet, in ſuis caſtris habebat: alii verò nulli quicquam prorſus taliū facere licebat. Toto igitur illo tempore abuſus exercitu cùm nihil niſi victum præberet. Idem opifices in caſtris, & caupones, & permutantes aliquid penes ſe habebat omnes, neque licebat horum quicquam alteri exercere ulli.

Credulos ille milites habuit, requirebatur tamen, ut poſteà ex ærario ſolveretur.

CHABRIAS.

Chabrias Athenienſis, Taoni Regi Ægy- 44
ptiorum exercitum educenti, ſed pecuniis indigenti, conſilium dedit, ut ſacerdotibus diceret, oportere tùm ex ſacris nonnulla, tùm etiam ſacerdotum multitudinem propter ſumptus belli, amoveri. His illi auditis, & quique ſacrorum adminiſtrationē volentes eſſe ſuam, pecunias tàm comunes, quàm privatas, illi afferebant. Verùm ubi ab omnibus accepit, tum juſſit illis imperari decimam duntaxat partem ejus, quod antehac ſoliti eſſent, tàm in ipſum, quàm in ſacrū impendere reliquas verò novē partes ſibi fœnerarentur, donec, quod adverſus Regem Perſarum gerebatur bellum, finem ſortiretur. Quicunque autem ædes aut domicilia haberent, ab iis omnibus conferri juſſit, quantum ipſe oportere conſtituiſſet. Singulis item corporibus eadem ratione tributum impoſuit. Qui verò frumentum aut vendebant aut emebant, hos ultra pretium obolum unum pendere in ſingulas menſuras juſſit. At hæc in ſingula navigia, ſingulasq; officinas, aliaq;, item quodvis Opificii genus præferentia, decimā operis effecti partem tributi loco ſolvendam imperavit. Idem Regi extra fines ducturo exerci-

exercitum perſuaſit, ut juberet, quicquid ab unoquoque non ſignati argenti aut auri poſſideretur, id à ſingulis ad illum illatum repræſentiam. Quum autem quàm plurimi attuliſſent, argento quidem ipſe uti Regem juſſit, eos verò, qui illud dediſſent, commendari navium præfectis, ut his illi ex tributis ſatisfacerent.

Chabrias Taon Regem Ægyptiorum varios modos acquirendæ pecuniæ docuit.

IPHICRATES.

Meliùs Iphicrates Arhenienſis, quum Cotys militiam coëgiſſet, ei ex agricultura ſumptus belli ſumendos eſſe ſuaſit, ut imperaret omnibus ſuæ ditioni ſubjectis, uti tantum ſibi terræ ſinguli ſererent, quantum terna medimna caperet: Quo facto magna frumenti copia coacta eſt: Hoc ille ad loca, ubi mercatus agerentur, agerent, ex miſſum ſubvēdidit; Itaque pecuniis abundavit.

COTYS.

45 Cotys Thrax, cogendi exercitus cauſâ mutuò petebat è Perenthiis pecunias. Eam Perenthii dare nolebant. Poſtulavit ergo, ut è civibus ſuis ſaltem aliquos darent in quorundam locorum cuſtodiam, ut ipſe interim iis, quos tunc in præſidiis habebat, militibus, liberiùs uti poſſet. Tum verò Perenthii ſe dominos locorum futuros rati è veſtigio, quod jubebantur, fecêre. At Cotys eos, qui miſſi fuerant, ſub cuſtodia aſſervatos retinuit juſſitque ad ſe mitti mutuò petitam pecuniam, & ita recipere ſuos cives.

Hic perfidia uſus eſt, ut mutuam pecuniam etiam ab invitis extorqueret.

MENTOR.

46 Mentor: filius, comprehenſo Hermia, occupatis locis, quæ ille tenuerat, procuratores conſtitutos ab Hermia removit, ſed ſuis in locis præeſſe juſſit. Ubi verò animo confirmati ſunt omnes, & quod priùs apud ſe habuerant, non ampliùs aut occultum, aut exportatum haberi oportere rati ſunt; tum verò correptis illis, omnia pariter, quæ illis erãt, prehendit, abſtulitque univerſim.

Sciebat enim ſe alio modo eo, quod abſconderant, portiri non poſſe.

MEMNO.

47 Memno Rhodius, Lampſaco potitus atq; indigens pecuniarum, ditiſſimo cuique certam argenti ſummam conferendam adſcripſit. His porrò ab aliis civibus ſatisfactum iri affirmabat: Ubi verò alii cives contulere, tunc idem hanc quoq; pecuniam ſibi ad tempus juſſit commodari, & præfinivit, ad quod uſque tempus illis eſſet redditurus. Rurſum pecuniæ egens contribuere eos juſſit, & ex vectigalibus, quod dediſſent, recipere. Illi, qui celeriter ſe recepturos ſperarent, contribuerunt. Jamque aderat proventuum vectigaliumq; percipiendorum tempus: at Memno ſibi pecuniâ tunc quoque opus eſſe oſtendit, ſeq; poſtea eſſe accepta redditurum cum fœnore. Idē militantibus mercedē ac ſtipendia ſex in anno dierum denegabat, illos dictitans per hoſce dies neq; vigilias, neq; itinera obituros, neq; ſumptus facturos eſſe. Dicebat autem privatim libertati dicatos, atque ex intercalatione vacãtes dies. Idem militibus antehac proximo à Calendis die ſtipendia dare ſolitus, tres prioris menſis dies præteriit, ſequentis quinque ad hunc modũ progreſſus pervenit tandem ad triceſimum.

Utrumque noſtro tempore duces belli apprimè imitari edocti ſunt. Qui & nimiùm indulget militibus, ne ſtipendia danda ſint, eodem compendio in menſibus militaribus utuntur.

CHARIDEMUS.

48 Charidemus Orita, Æolidos quædam obtinens loca, Artabazo exercitum contra ipſum ducente, pecuniarum, quibus militi ſatisfaceret, indigebat. Initio igitur contribuebant nonnihil. Poſtea ſe ampliùs non habere dixerunt. At verò Charidemus, quem maximi proventus locum eſſe cenſebat, hujus incolas, ſive numorum quidpiam, ſive aliud ſupellectilis genus pretioſius haberent, jubebat in alium locum tranſmittere, ſe illis tranſmittentibus præbiturum comitatum. Itaque cùm hominibus perſuaſiſſet, eoſque ad hunc modum ab urbe paululum abduxiſſet, ſcrutatus quæcunque ferebant, abſtulit, quantum ſibi opus eſſe putavit, illoſque in ſuum locum reduxit. Per præconem etiam edixit: Ne quis in ulla urbe, ſuæ ditioni ſubjectâ, arma haberet domi ſuæ. Quod ſi quis dicto audiens non eſſet, huic dependendum fore argentum pro mulcta. Quod edixerat, negligebat, nec ulli prorſus curæ ſibi eſſe ſignificabat: homines cùm exiſtimarent illum temerè edixiſſe, quæ ſinguli fortè poſſidebãt, ſuis locis imota tenuere. At Charidemus repentè excuſſis domibus, apud quoſcunque armorum ullum genus deprehendit, ab his mulctam conſtitutam exegit.

Poſſent noſtri Principes ex neglectis ſaluberrimis legibus multam pecuniam colligere. Sed leges non eo fine ferendæ ſunt, ut ex mulctis diteſcamus.

PHILOXENUS.

49 Philoxenus quidam Macedo quum Cariæ provinciæ præeſſet, pecuniiſq; indigeret, dixit ſe Dyoniſia celebraturum, qui choris ſumptum ſuggerent, homines conſcripſit maximè omnium fructibus abundantes: quibus etiam, quæ adparare opus eſſet, imperavit. Sed eos videns hanc rem ægriùs ferentes, per certos homines, quibus internunciis utebatur, rogitabat, quid tandem ſponderent ſe daturos, quo ullius adminiſtrationis moleſtiâ liberarentur: cùm verò illi eo ſumptu, quem ſe facturos ſperabant, multò ampliùs dare polliciti ſunt, ut ſic & ea moleſtia carerẽt, neque à ſuis procul abeſſent. At ille & ab his, quidquid datũ eſt, accepit, & alios loco illorum conſcripſit, quoad & ab his ipſis accepit,

quod voluit, & ita ab omnibus ſingulatim repræſentatum eſt aliquid.

In rebus ſacris non conveniebat ludificare homines. Uſitatum autem eſt belli tempore, ut ab iis, qui militiam vitare cupiunt, aliquid pecuniæ ſumatur.

EVÆSES.

50 Evæſes Syrus, Ægypti Provinciæ præpoſitus, quum Præfectos ſingularem terræ Ægyptii partium à ſe defecturos ſenſiſſet, accerſitos in regiam omnes ſuſpendit, Familiaribus autem ac domeſticis eorum juſſit renunciari, à ſe illos haberi in cuſtodia. Ergo ex neceſſariis quiſque pecunias comparabat, ut pecuniis redimeret captos. Ille autem ubi ſpopondit ſe ſingulos redditurum ac pro ſingulis quod quiſque profitebatur accepit, jam verò unicuique ſuum mortuum reſtituit.

Magna crudelitate uſus eſt in Præfectos, avaritiâ potiùs, quàm juſtâ indignatione adductus. Et præterea familiares ludibrio habuit.

CLEOMENES.

51 Sequitur Cleomenis Alexandrini partim prudentia, partim calliditas. Cleomenes Alexãdrinus ſatrapes in Ægypto, cùm fames aliis in locis eſſet magna, in Ægypto autem mediocris, præcluſit exportandi frumenta licentiam. Sed quum ii, qui ſingulis Ægypti partibus præfecti erant, jactarent, nequaquã futurum ut tributa pendere poſſent, niſi frumentum exportare liceret, exportationem quidem illis conceſſit, ſed ingens tributum frumentò impoſuit, ex quo evenit, ut ex frumenti exigua ſumma, quæ exportaretur, ingens tributum acciperet, & præfecti excuſatione deſtituerentur.

Singulari prudentia & annonæ caritati conſuluit, & præfectis negandi cauſam ademit.

Idem dum navi per eam vehitur præfecturã, in qua pro Deo colitur Crocodilus, raptus eſt unus ex pueris ejus. Convocatis igitur Sacerdotibus, dixit, quum ipſe prior læſſus eſſet, velle ſe Crocodilos ulciſci. Itaque venationem eorum imperavit. At Sacerdotes, ne ipſorum Deus ludibrio haberetur, argenti ſummam, quantamcunque cogere potuere, illi attulerunt. Itaque ille quievit.

Hoc verò ridiculum eſt.

Idem ab Alexandro Rege juſſus apud Pharum urbem condere, & mercatorum conventum, qui priùs apud Canobum agebatur, ibi conſtituere, ad Canobum nave pervenit: convocatiſque ſacerdotibus & iis, qui poſſeſſiones habebant dixit ſe ea de cauſa veniſſe, ut eos migrare jubeat. Sacerdotes autem cæterique locum incolentes, ut mercatum ille apud ſe eodem loco relinqueret, pecuniã à ſe coactam attulerunt. Quâ acceptâ tunc quidem ille abiit. At idem non ita multò pòſt ubi, quę cõdendę urbi neceſſaria erant parata habuit, nave ad illos revectus immenſam quandam ab iiſdem & immodicam poſtulavit pecuniam, tantum dicens ſuâ intereſſe apud ſe mercatum illum agi, potiùs, quàm apud illos. Qui cùm dicerent ſe non poſſe tantam ſummam præſtare, tum verò ab eo nihilominus traducti ſunt.

Idem quum quendam miſiſſet, ut ſibi venalia quædam emeret, ſentiens illum, quanquam ea nactum, quæ parvo pretio venirent, ad ſe tamen ut magno empta relaturum, allocutus eſt illius emptoris notos ac familiares, audiviſſe ſe illum immoderato pretio emiſſe: haud tamen futurum, ut ipſe animum advertat, ſimulq; ſtoliditatẽ illius cum quadam ſimulatione iræ inſectabatur atq; objurgabat. Illi autem quum hæc audiviſſent, reſponderunt, non oportere illum iis, qui adverſus hunc aliquid dicant, credere, priuſquam ipſe redeat, rationemq; illi reddat. Ita quum emptor rediiſſet, renuntiaverunt ei familiares ſui, quæ à Cleomene audierant. Illum autẽ dum & illis & Cleomeni operã ſuam probare vult, quanti verè emerat indicavit.

Idem, quum frumentum in illa regione denis drachmis veniret, convocatos ad ſe cultores interrogavit, quanti vellent ſibi operam frumentariam locare. Qui tum reſponderũt, minoris, quàm ſoliti eſſent, mercatoribus vendere. At ille juſſit illos quidem ſibi tantidem præbere, quanti aliis vẽderent. Ipſe autem frumento binas & tricenas drachmas pretium conſtituens, tanti aliis vendebat. Idem ſacerdotibus convocatis dixit: & immoderatos & multos in ſacra ſuæ ipſorũ regionis fieri ſumptus, oportere igitur & ex ſacris nonnulla, & ex ſacerdotibus quã plurimos diſſolvi. Tum verò ſacerdotes exiſtimãtes hoc illum verè facturum, & privatim quiſque & communiter univerſi ſacras præbuêre pecunias, quum & quiſq; vellet ſuum apud ſe ſacrum immobile ſervari, nec ipſe ſacerdos eſſe deſinere.

ANTIMENES RHODIUS.

Antimenes Rhodius cùm Alexandri itine- 52
ribus ex dimidia parte præeſſet, pecuniarum copiam hoc modo apud Babylonem invenit; vetus in terra Babylonia lex erat, ut earum rerum, quæ importarentur, decima ſolveretur pars, nec ea lege quiſquam utebatur. Obſervavit ergò & Satrapas omnes, qui in expectatione erant & milites, & legatos non paucos, item artifices aliunde accerſitos, qui ſecum alios adducent, & qui privatim peregrinarentur, & dona complura, quæ afferebantur: à quibus omnibus ſecundùm priſcam legem decimam exegit.

Idem rurſus dum mancipia promit, quæ in caſtris erant, juſſit, cuicunq; libitum eſſet, profiteri quanti vellet, eundemq; octonas drachmas annuas ſolvere. Quod ſi mancipium fugiſſet, pretium, quod profeſſus eſſet, reciperet. Compluribus ergo conſcriptis mancipiis, non exigua ſumma argenti confecta eſt, ſi quod verò mancipium fugę ſe dediſſet, ſatrapa jubebat, eum, in cujus provincia caſtra poſita eſſent, illud præſtare, aut repræſentare ſuo Domino pretium.

OPHE-

OPHELAS OLYNTHIUS.

53 Ophelas Olynthius, quum Curatorem conſtituiſſet in eam præfecturam, quæ Anthridites vocatur, & ad ipſum ejus præfecturæ Principes acceſſiſſent, qui longè plura collaturos pollicerentur, ſi modò eum quem nunc Curatorem conſtitueret, amoveret, interrogavit illos, nũ ea præſtare poſſent, quæ profitebantur? Qui cùm ſe poſſe dixiſſent, ille nihilominus & Curatorem eodem loco reliquit, & ab illis tantum tributi exigi juſſit, quantum ipſi profeſſi erant. Neq; igitur quē conſtituerat ignominiâ afficere voluit, neq; tributi illius plus imponi, quàm quanti ipſi ſeipſos cenſuiſſent; ipſe verò ex ea re multiplicem pecuniam comparavit.

PYTHOCLES.

54 *Pythocles Athenienſis Athenienſibus ſuaſit, ut plumbum, quod à Tyris ſubvehebatur, civitas à priviatis quo pretio illi vendebant, binis videlicet drachmis cœperit. Deinde conſtituto illi ſenarum drachmarum pretio ea ratione divenderet.*

CHABRIAS.

55 Chabrias hominibus in centum & viginti naves coactis, cùm ipſi ſexaginta duntaxat opus eſſet, imperaſſe dicitur iis, qui in alteris ſexaginta erant, quæ videlicet remanebant, aut frumentum in duorum menſium ſtipendium præbere, aut ipſos navigare, at illi, dum in ſuis rebus potiùs verſari volunt, dederunt, quæ ille imperaverat.

ANTIMENES.

56 *Antimenes Theſauros, hoc eſt, rerum magis neceſſariarum acervos, qui propter regias vias condebantur, à Satrapis ſecundùm regionis legem compleri juſſit. Quoties autem indigeret exercitus aut alia multitudo, ſine rege, eò mittebat aliquem, & ſic theſauris deprompta vendebat.*

CLEOMENES.

Cleomenes quum jam Calendæ adeſſent, ac militibus ſtipendium dimetiri oporteret, navigavit de induſtria neſcio quò. Ubi verò menſis abiit, tum navi revectus diſſolvit ſtipendium, ac deinde altero menſe ineunte ac progrediente intermiſit ſolutionem usq; ad proximas Calendas; milites ergo propterea, quòd recens ſtipendium acceperant, quieſcebant, ille autem, uno totius anni menſe intermiſſo, menſtruam ſemper mercedem auferebat.

STABELBIUS.

Stabelbius Myſiæ præfectus, quum mercedē militibus deberet, convocatis ducibus dixit, privatis ſibi nusquam eſſe opus militibus, quod ſi quando illis indigeret, tum ſe ductoribus ſingulis erogare ſolitum argentum, eosq; ad cogendam militiam mittere, mercedem verò, quam illis deberet, libentiùs ipſis ductoribus ſolvere. Juſſit ergo unumquemq; quidquid deſcriptorum militum haberent, extra regionem emittere, ac duces rati ſibi ipſis ex ea re quæſtuoſam pecuniam fore, milites ipſos, quemadmodum ille juſſerat, emiſerunt, deinde interjecto tempore, ubi eosdem coëgit, dixit videri ſibi neque ſine choro tibicinem, neq; ſine privatis militibus duces utilitatis quicquam habere. Itaq; illos migrare è Provincia imperavit. 57

DIONYSIUS.

Dionyſius quum fana Deorum circumiret, ſicubi boni dæmonis auream aut argenteam menſam appoſitam vidiſſet, libari illi Deo imperabat: ac deinde menſam auferri. Si quod verò ſimulachrum porrectâ manu phialam ſuſtineret, dicebat ſe accipere: & ſic auferri jubebat. 58

Idem aurea amicula, & coronas ſimulacrorum tollebat, dicens ſe & leviora & odoratiora daturum, ita illis amiculum quidem linteum; coronas autem violaceas circumdabat.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT CXLV.

(1) Q*Uam Julius ſecutus &c.*] Suetonius *in vita Jul. Cæſ. cap. 74.*

Num. 19.

(2) *Pecuniam in proprium commodum convertere &c.]* Quod ipſum tamen nimis frequens fuit, & fortè hodie alicubi eſt. Non ægriùs inter vina ſitim ſervet ebrioſus, (*dicēte Petro Firmiano, vero nomine Zachariâ de Lizieux in Gyge Gallo, tit. Hirudo, quā diſſertationem ipſam omninò vide,*) quàm inter pecuniæ acervos abſtineat à furto avarus animus, maximè ſi criminis occultandi ſpes datur, nec traditæ gazæ, ut in privata commoda ceſſent, timetur à deluſo Rege rationem poſtulari. Sæpe in ejusmodi viros Regni opes inciderant, magno cùm civium, tum Principum malo; nam ingentes licet, breviter tamen, neque opportunè rebus afflictis ſuccurrebant; & immanes hiatus, ac bibacum humum nactæ citò ſiccabantur, quæ torrentium inſtar collectæ feſtinanter, ſuo etiam tumultu in plerisque locis, quà curſus non erat, fecerant metum. Magnete ambitioſior eſt omninò Chryſolitus lapis, nulla illi cum ferro concordia; ſed quæ ad ignobile metallum languet virtus, excitatur ſtatim ſi aurum objicias: Suum quoque amatorem aurum ſentit, & aliquid ipſo pondere fortius, quo afflatum geſtit à proprio centro avelli, quaſi ad oſcula properans nativam gravitatem amitteret. Icon avari lapidis hic, cujus totus in pretio amor. Divitiarum avido arma oſtende, non ſumet; ferrum enim ſunt; Sed theſaurum non crediderís: nam ſi tradas cupienti, diu non ſervabit manus innoxias, amicum trahet currum; ad vicinas opes prodet ſe, quæ ſemota ab illis fortè latuerat; Sympathia, &c.

Num. 23.

(3) *Inter quos eſt Enecus &c.*] Ut ex Nebris-

ſenſi *loc. 2. lib. 5. cap. fin.* Petrus Gregorius Tholoz. *de Republ. lib. 3. cap. 6. num. 26.* & Reuſner. *in arte Stratagem. lib. 1. cap. 20.* teſtantur. Similiter aſſidebat Fridericus Auguſtinus eo nomine Secundus Faventiæ in Flaminia, duriſſimâ hyeme: deerat in ſtipendium pecunia & milites paſſim dilabebantur: obſidionem ſolvere turpe erat & grave, perſeverare difficile. Pecuniam è corio ſignavit aurei numi valore, qua arte ex iis anguſtiis evaſit. Urbe ſubditâ victor, quod erat pollicitus, coriaceos numos aureis totidem mutavit. Collenutius *Neapolit. Hiſtor. lib. 4.* Sic ne in famoſiſſima illa obſidione Leydenſi, (*quæ incidit in annum MDLXXIII.*) pecunia deeſſet, è papyro in priore obſidione pridem cuſam revocarunt; quam mox etiam liberati in argenteam commutarunt. De qua plura Meurſius *in Athenis Batavis lib. 1. cap. 22.* ex Meterano *Hiſtor. lib. 5.* Junge *infrà num. 30.*

Num. 40.

(4) *Sabellicus &c.]* *Lib. 4. Ennead. 9.* & *lib. 6. cap. 8.* exemplorum.

CAPUT CXLVI.

De Illicitis Vectigalibus Meretricum, Mendicorum, Aſtrologorum, Judæorum, Piratarum: Item pro Natis, Mortuis, &c.

SUMMARIA.

1. Contraria *juxta ſe poſita magis eluceſcunt, etiam in vectigalibus turpibus, &c.*
2. *Etiam* Principes *obnoxii vitiis: quod qui indicat, ut corrigantur, benè mereatur, oportet* vitiis virtutum *nomina indita*, ibid.
3. *Non ſunt facienda* mala, *ut eveniant bona.*
4. *Eſt, qui cuperet, non terræ ſolùm, ſed & aëri* vectigal *impoſuiſſe, nihilq́ reliquiſſe liberum*, & num. 5.
6. *De quæſtu* meretricum, lenonum *&c.*
7. *An publica* Lupanaria *licitè permittantur?*
8. Lupanaria *primitùs à Diabolo inſtituta: Sed & ſuperbia, invidiaq́ multò magis.*
9. *Plures ſunt occultæ* meretrices, *quàm publicæ: ſicut uſurarii, invidi, ſuperbi, &c.*
10. Veſpaſianus *tributum* Mendicis *impoſuit, ſed & de humanis divinisq́ rebus pecuniam corraſit.*
11. *Inventum* Zozimi, *ut tributum inferatur pro urina, ſtercore, & ſimilibus ſordibus.*
12. *Vectigal ab* Aſtrologis, *veridicis, fanaticisq́; Item de his, qui de morte aliena vaticinantur & inquirunt.*
13. *De* Aſtrologia *quid homini Chriſtiano ſentiendum ſit*, & num. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26.
27. Tributum *pro redemptione* Virginitatis *delibandæ.*
28. *Abuſio de præſentandis Regi Virginibus nupturis.*
29. *Biduo vel triduo poſt benedictionem abſtinendum* novâ coſtâ.
30. Vectigal *ob licentiam fœnerandi: Uſurarii jure non ferendi, tolerandi tamen propter bonum aliquod*, ibid.
31. *Vectigal à piratis, pauperibus ac mortuis*, Geburtsgeld / Tauffgeld / ꝛc.
32. Exactio *à quovis conjugio, nuptiis, liberis procreatis, imò à mortuis.*
33. *An poſſint licitè cogi pœnâ pecuniariâ ad* copulationes Eccleſiaſticas, baptiſteria, &c. *ſubditi à Catholico Magiſtratu in urbe Catholica?*
34. *Item an ad* auricularem confeſſionem *articulo mortis conſimili pœnâ?*
35. *Æs ex laniena Evangelicorum per tyrannidem extortum, & ad ærarium abreptum.*
38. Piratarum *perſecutio non tribuit juriſdictionem vel dominium.*

Putida res ſanè eſt Meretricum cenſus, Apellæ,
Mendici, Aſtrologi, &, mortue, nate, tuus.

Licet nullum de vitiis præceptum in doctrina virtutis ſit homogeneum, quippe quòd oppoſita uni ſubjecto non conveniant, nec ſit neceſſum, cùm veritatem docueris, falſitatis ratione etiam aperire, eò, quòd veritas falſitatis interpres, & rectum, index ſit ſui & obliqui: Attamen illicita, injuſta, & turpia, quin & falſa & ſimulata, modoque iniquo impoſita perſonis & rebus vectigalia & tributa colligere haud pigebit, ut contraria juxta ſe poſita magis eluceſcant, & bonum imitemur, malum verò deteſtemur & evitemus. Habet quippe unumquodque vitæ genus cognata quædam degenerandi pericula. Ea qui comonſtrat, non derogat ordini, ſed rem ordinis agit. Veluti Principum felicitas obnoxia eſt tyrannidi, obnoxia eſt ſtultitiæ, obnoxia adulationi, obnoxia delitiis, & ne quid dicam graviùs. Hæc qui commonſtrat vitanda, benè de Principum ordine meretur. Nec derogat illorum Majeſtati quâ gloriantur, qui oſtendit quibus in rebus ſita ſit vera Principum Majeſtas: qui illos admonet, quòd jurarint in ſuſcipiendo Principatu, quid debeant populo ſuo, quid magiſtratibus. Verba ſunt Eraſmi *lib. 23. Epiſt. 7.* Vitia ſæpenumero ſeſe virtutibus ingerunt, & propter vicinitatem, communitatem materiæ virtutes ſe eſſe mentiuntur, *c. ſæpè 46. diſtinct.* Quando Superſtitio pro Devotione & Religione, Licentia pro Libertate, Sævitia pro Severitate, Fraudes & Rapina pro Negotiatione ac modo Diteſcendi, Circumventio pro Solertia, Simulatio pro Prudentia Politica, Scurrilitas pro Facetiis, Avaritia pro Parcimonia, Prodigalitas & Luxus pro Liberalitate ac Magnificentia, Loquacitas pro Facundia, Faſtus pro Authoritate, Ambitio pro bonæ Famæ & honeſtæ Exiſtimationis appetitu habetur; quando privatæ cupiditati, vel religionis vel boni publici color obducitur, & alia vitia falſis virtutum titulis inſigniuntur, cùm probitas probro datur, & candor ac fides, ruſtica ſimplicitas appellantur. Quod propè congruit cum M. Catonis querela hac: Jam pridem nos rerum

rerum vocabula amiſimus: quia bona aliena largiri liberalitas: malarum rerum fortitudo, audacia vocatur: eò res publica in extremo ſita eſt. A quo non abludit, quod Sidonius Apollinaris ſcribit *lib. 1.* Omnium rerum legem perverti, ſignificans: Vigilant, inquit, fures; dormiunt poteſtates: fœnerantur Clerici: ſtudent pilæ ſenes; aleæ juvenes, armis Eunuchi; negotiatores militant; milites negotiantur. His gemina germana habet *Seneca Epiſtol. 45.* (1) *Vitia nobis ſub virtutum nomine obrepunt: temeritas ſub titulo fortitudinis latet; moderatio vocatur ignavia: pro cauto timidus accipitur.* Sed & hoc incommodum & quidem maximum inde conſequitur, quando vitia virtutum nomine venditantur, ut nimirum boni negligantur, improbi verò & facinoroſi in honore ac pretio ſint; Ubi enim Vitium

—— *fallit ſpecie virtutis & umbrâ,*

Imò pro virtute paſſim circumfertur, ibi quoq; virtutis præmium ipſis vitiis, laboris præmium ignaviæ, vigilantiæ ſomno, frugalitatis luxuriæ, & ſic in reliquis tribui conſtat. Quod ubi fit, eam Rempubl & corruptiſſimam & peſſimè adminiſtrari audacter pronunciabo. Nam ubi inter bonos & malos nullum eſt diſcrimen, qui rectè geri queat.

Non omne, quod utile eſt, honeſtum
3 eſt: nec facienda mala ſunt, ut eveniant bona; quicquid adulatores & paraſiti Principibus ogganniant, qui variis ſtrophis occupandi pecunias, noctu dieque excogitandis invigilant, ſive honeſtæ ſint, nec ne; modò avaritiam Principis expleant: quos ſordidiſſimos quæſtus amant, eorumque ſuaviſſimos odores non niſi Tyranni ſentire ſolent. Quare Tyrannica ac propè furialis vox judicatur illius Imperatoris; qui rogatus, ne nova vectigalia imponeret, vel augeret, reſpondit: *Non tantùm terræ, verùm etiam libenter aëri ac vento imponerem vectigal.* Nemo bonus ſequi debet *Sixtum V. Pontificem*
4 (2) Maximum, qui nihil liberum reliquit,
5 quo homo uteretur; Unde Paſquillum coëgit induſium exponendo ſoli exſiccare, priusquam venderetur etiam cœli numen: Mi aſcingo manzi che il ſole ſi venda. Pier. Matthieu 2. *Narrat. 3. fol. 345.* Beſold. *de ærar. c. 4.*
6 *num 17.* Sic inhoneſtum illud vectigal, quod *Caligula* (3) & Heliogabalus pro quæſtu Meretricum, Lenonum & exoletorum exercuerunt. Quale & ab iis, qui artes meretricias profitentur, exigi Romæ conſuevit, Huren tribut Bodin. *d. c. 2.* Vide Me *tract. de contrib. d. c. 1. n. 137.* Quod hodie in tota Italia ferè frequentatur, hodiè Lupanar, inquit Georg. Schönborn. *libr. 3. Polit cap. 13 fol. 214.* Romano Præſuli, non tantùm nutrix, ſed & delicatiſſima eſt filia: *cùm Lupæ memoriam* (4) colat reverentiùs, quàm Petri Apoſtoli, ex Henrico Stephani *in Apolog. pro Herodoto.*

ob vitandum majus malum, & ad adulteria, inceſtus, ſtupraque honeſtiſſimarum fœminarum ipſamque etiam Sodomiam avertendam, Lupunaria in Repub. per diſſimulationem toleranda & conſtituenda exiſtiment Scipio Amirat. *lib. 3. diſſertat. Polit. in Tacit. diſcurſ. 2.* Arnold. Clapm. *libr. 4. de arcan. Rerumpubl. c. 19.* Vix tamen eſt, ut ea à Chriſtiano Magiſtratu ſine læſione conſcientiæ tolerari queant; ne adaugeatur 7
potiùs, quàm minuatur Civitas delictis carnis, toleratis inibi publicis meretricibus & fornicariis, Kizel. *in Synopſi matrimon. cap. 9. theorem. 2.* Quemadmodum contigit Urbi Pariſienſi, in qua olim proſtibula & lupanaria in ultimis partibus Civitatis erant, certis locis finita; hodiè verò exinde contagio per omnia urbis viſcera diffuſa, usque adeò referta eſt ejusmodi mercibus, ut quamvis omnium mercimoniorum genere abundet, Nicol. à Salis. *in Sicilim. jur. in auth. collat. 3. §. apud quasdam verò earum in fin. de lenonib. cap. 23.* Et cùm Mandato Dei adverſentur, vitiis pabulum ſubminiſtrent; atque in his turpitudo omnium ſit turpiſſima, corruptela juventutis, morum, civitatis depravatio, corporis tormentum, animæ perditio, authore Georg. Schönborn. *libr. 3. polit. cap. 23.* Annibal. Scoto *libr. 13. Commentar. in Annal. Tacit. fol. 527. num. 22.* inſuperque Imperatoriâ Sanctione ſanctiſſimè prohibita ſint *l. fin. C. de ſpectac. Novell. 13.* meritò tollenda, vel prudenter corrigenda, non verò permittenda ſunt; licet ex illis major plerunque, quàm ex conceſſis rebus quæſtus & exactio ſit ſperanda, ut ait Schönborn. *d. libr. 3. Polit. cap. 13. per text. in d. l. 7. C. de ſpectac.* ibi: *ne quis deineps lenocinium exerceat, & nullus reditus inde largitionibus inferatur. Et d. Nov. Conſtit. 14.* Boter. *libr. 2. de Illuſtr. Statu & Polit. cap. 4.* Heresbach. *de Republ. Chriſtian. adminiſtrand. cap. 11.* Zepper. *in Explanat. leg. Moſaicar. libr. 4. cap. 18. fol. 456.* Danæ *lib 3. Politic. Chriſtian. capit. 4. & libr. 2. Ethicæ* 8
Chriſtian. cap. 14. Lather. *libr. 2. de cenſu capit. 4. num. 33.* Et Lupunaria primò à Diabolo inſtituta eſſe, dicit poſt Lactantium *libr. 6. inſtit. divinar. de vero cultu capit. 23.* Petr. Andr. Canonherius *libr. 2. diſcurſ. in Annal. Tacit. Quæſt. Utrum meretrices Reipublicæ neceſſariæ vel utiles ſint?* Si enim Meretrices neceſſariæ eſſent, procul dubiò Deus matrimonium non inſtituiſſet, nec præcepto, NON FORNICABERIS, coërcuiſſet. Canonher. *d. loc.* Vide omninò Janum Langlæum *Otii Semeſtris libr. 8. cap. 8.* qui hanc diſputationem elegantiſſimè proſequitur; Menoch. *de A. J. Q. caſ. 328. num. 14.* Claud. Bertazzol. *ad conſil. criminal. 134.* Patris Vincent. de Anna *ſingul. 338.* Vincent. de Franchis *deciſ. 326.* Ludov. à Peguera *deciſ. 6. & 8.* Caſpar. Teſſaur. *libr. 1.*

quæſt. forenſ. 33. qui omnes ſtatuunt, meretrices, lenones, & ſimiles à conſortio & viciniâ honeſtarum mulierum poſſe expelli, Camill. Borell. *libr. 3. de Magiſtrat. Edict. cap. 13. nu. 3. ubi ait*, quòd Neapoli publicè proſtitutæ non poſſint vehi Carrucis, nec poſſint Chirotecas manibus aſportare, & ſint etiam cognitæ, quia ſint in Matricula meretricum ſolventium gabellam Curiæ Regiæ, & ſubjaceant Judici Regio Meretriculo: Et
9 *num. 17.* arbitratur, plures eſſe meretrices occultas, quàm publicas, quæ ſi Gindanarum fœminarum more portarent tot fimbrias ex pelle pendentes, cum quot hominibus conſuetudinem habuiſſent, id quod decori illis eſt, & ſic apud Stymphalos (ut ſcribit Sardus *de moribus gentium libr. 1. cap. 14*) utique aut gloriarentur in malo, aut ab illo abſtinerent, quia eſſet multitudo magna & copioſa. *Hæc ille:* Scitum vetus eſt, *Raram familiam aut genus eſſe, in quo non ſit meretrix.* Omni malo Punico granum ineſt putidum. Nec eſt novum, ex unius fœminæ impudicitia plerunque magnorum malorum in Republ. initium fieri: cùm Provinciæ integræ & regna hac de cauſa funditus everſa fuerint, ut in Ilio patuit & Priami Imperio.

10 Non minùs turpe exiſtimatur tributum quod Mendicis irrogatur, Bettlerzins. Quale compendium Fiſci conſectatus eſt Veſpaſianus, qui de divinis humaniſque rebus pecuniam corraſit: Et ſimile refert Gr. Tholoſ. *lib. 3. de Repub. c. 6. & c. 5. n. 9.* Et lepidam hiſtoriam narrat Gilbertus Cognatus de vectigali, mendico pro ſcabie, calvitie & maculis faciei, impoſito; quam retuli *d. cap. 1. de Contrib. n. 333.*

11 Ejuſdem farinæ fuiſſe videtur triſte illud *Chryſargyrum* ſive *auriargentum* pulcro nomine fœdiſſimum à Zozimo ad opprimendum Chriſtianos inventum ex urina & ſtercore collectum, de quo dicam infrà *cap. 147. num. 6.*

12 Alexandrini olim ab Aſtrologis tributum petebant, quod vocabant βλακενόμιον, quaſi dicas ſtultorum vectigal, quod videlicet à ſtultis ſolùm conſulerentur. Aſtrologi genus hominum *ut potentibus infidum,* (5) ita ſperantibus fallax, Paul. Merula *parte 1. lib. 1. c 6. fol. 78.* Michael. Piccart. *obſ. polit. decad. 12. c. 7. in fin.* Egregiè & graviter Joh. Sariſberienſis:
13 Eſt Aſtronomia nobilis & glorioſa ſcientia, ſi clientelam ſuam intra moderationis metas cohibeat; quam ſi licentiori vanitate excedit, non tam Philoſophiæ ſpecies, quàm impietatis decipula eſt. Et quidem multa ſunt matheſi doctrinali & divinatoriæ matheſi communia: ſed dum divinatio ſobrietatis menſuram excedit, toto diffidens fine non inſtruit, ſed ſuum dedocet profeſſorem, *l. 2. Policratici c. 19.*

Non eo inficias, magni faciendam Aſtronomiam, ut eſt pars Mathematices, quæ juncta Phyſicæ vires cauſarũ & effecta communia prædicit, veluti ſiccitates, pluvias, ſterilitates, tempora ſalubria, dum tamen ad particularia vel lucri vel inanis gloriæ deſiderio non deſcendat, & non ut neceſſaria, ſed frequenter eventura ſtatuat, ſecundùm illud: Aſtra inclinant, non neceſſitant. Sed ſi Aſtrologus ex Siderum poſitu, eorumque viribus atque effectibus futura prædicere ſatagit, naſcendi leges, mortẽ, matrimonia, liberos, & neſcio, quæ alia, tanquam ex Deorum conciliis recitat, hunc ſtultitiæ vectigal ſive tributũ Ærario meritò luere cenſuerim. Quid enim ſtultius, quàm ex incerta cauſa certum velle demonſtrare effectum? Atqui incertas eſſe, quas afferunt, cauſas, ipſi fatentur, propter innumeras alias cum cœlo cooperatas cauſas. Ipſi etiam Aſtrologi, qui Prognoſticationum perſcripſerunt regulas, tàm diverſa ac pugnantia inter ſe tradunt, ut impoſſibile ſit Prognoſticationem in tanto opinionum conflictu & varietate poſſe aliquid certi ſtatuere, multò minùs prædicere.

Prudens futuri temporis exitum (6)
Caliginosâ nocte premit Deus;
Ridetq; , ſi mortalis ultra
Fas trepidat.
Neſcia mens hominum fati ſortisq; futuræ.

Ergo ſtultum fatuumque eſt, verſari in 14
ea ſcientia, quæ hoc unum habet, quod ſciri poſſit, non conceſſum eſſe, ſed interdictum hominibus. Nam ut maximè, quod eſt futurum, poſſemus adipiſci, id tamen ignorare, ſæpè utilius eſt.

Augurium mendax vani docuere parentes,
Huic credens dignus decipiatur erit.

Miſerum eſt (inquit ille) nihil proficientem angi, neque habere ne ſpecie quidem extremum & tamen commune ſolatium. Quid poteſt eſſe lætum exitus ſuos cogitantibus? quæ vita fuiſſet Priamo, ſi ab Adoleſcentia ſciſſet; quos eventus ſenectutis eſſet habiturus? quæ M. Craſſo, quæ C. Pompeio, quæ Cæſari? Inſana ſunt documenta, quæ noſtra credulitas excogitat, ut acriùs torqueamur. Meliùs eſt, quidquid erit, pati, ſeu plures hyemes, ſeu tribuit Jupiter ultimam: neq; ultra, qui nos caſus expectent, quem mihi, quem tibi finem dederint, aliunde velle experiri, quàm quatenus id rectè factis benè ſperare atque expectare oporteat. Hoc adeò ſcitè obſervant Medici. Nam ſi ſæpiùs intelligunt, tamen nunquam ægris indicant, eos illo morbo perituros: quinimò ſuſtentant.

At (dicet aliquis) proſpera inquiri poſ- 15
ſunt, exemplo oraculi apud Apolloniam, quod conſuli licebat de omnibus: Morte, & Nuptiis exceptis. Sed contrà rectè *Favorinus apud Gellium*: (7) ſi dicunt proſpera, & fallunt, miſer fies fruſtrà expectando; ſi adverſa & mentiuntur, miſer fies fruſtra timendo,

mendo. Sin vera reſpondent, eaque ſunt non proſpera: jam inde ex animo miſer fies, antequam è fato fias; ſi felicia promittunt, eaque eventura ſunt: tum planè duo erunt incommoda: & expectatio te ſpe ſuſpenſum fatigabit: & futurum gaudii fructum ſpes tibi jam præfloraverit: Itaque Aſtrologos, qui ſe Deo plenos aſſimulant præſertim Vaticinatores alienæ mortis ſortisve non ſecùs atque homicidas, abhorruit ferè omnis Antiquitas: ideoque maleficos vulgus appellavit, ob facinorum magnitudinem, inquit Conſtantinus Imperator *in l. 5. Cod. de malefic. & mathemat.* Quin enim alii interitum prænunciaverit, cur non deſperationem ingeneret?

Dixerat Aſtrologus; periturum te citò Cinna,
Nec puto, mentitus dixerat ille mihi.
Nam tu dum metuis, ne quid poſt fata relinquas;
Hauſiſti patrias luxurioſus opes.
Bisq; tuum decies non toto tabuit anno.
Dic mihi, non hoc eſt, Cinna, perire citò?

Bellè Joh. Pierius Valerianus *Poëmat. varior. fol. 122. Coloniæ An. 1631. impreſſorum:*

Caſurum ab alto Præſulem quendam magus
Cœli peritus dixerat:
Ille, ut caveret, infimam partem domus
Deſcendit; & totum diem
Humi jacebat, irritas tandem ratus
Vitare ſiderum minas:
Sed ecce ſerò nuntius crepuſculo
Epiſcopatu hunc retulit
Fuiſſe truſum; tum miſer clamans, ait;
Cecidiſſe non poteram altius.

16 Canidus dum ſe plurima ex ſiderum aſpectibus cognoviſſe jactaret, & de multis rerum eventibus ad monitum diceret, quidam non illepidè: *Certè*, inquit, *miror, quòd aſtra cum ſciant & videant uxorem tuam non ſatis pudicam, te tamen de eo non commonefaciant.* Facetè eum redarguens, quòd aſtrorum curſus & ordines ſectatus, vitæ ſuæ & conjugii ordinem negligeret. Quo ſenſu dicebat aliquando Bias, ridiculos eſſe Aſtronomos, cùm non videant piſces juxta ſe in littore nantes illos, qui in cœlo ſunt, videre ſe dicant. Ejusmodi Aſtrologum ſalsè ridet hoc Epigrammate Thomas Morus:

Aſtra tibi æthereo pandunt ſeſe omnia vati,
Omnibus & quæ ſint fata futura, monent.
Omnibus aſt uxor quo ſe tua publicat, id te
Aſtra, licet videant omnia, nulla monent.
Saturnus procul eſt, jamq; olim cœcus ut ajunt,
Nec propè diſcernens à puero lapidem.
Luna verecundis formoſa incedit ocellis;
Nec niſi virgineum virgo videre poteſt.
Juppiter Europen, Martem Venus, & Venerem Mars,
Daphnen Sol, Heben Mercurius ſequitur,
Hinc factum Aſtrologe, eſt tua quum capit uxor amantes,
Sidera ſignificent ut nihil inde tibi.

Nec aliter judicavit anonyma, exigui licet judicii mentisque muliebris ſexûs. Nam cum Aſtronomi cujusdam ancilla dominũ ſuum aſtris nimium curioſè intentum, in cloacam cœno refertam incidiſſe advertiſſet, in cachinnum ſoluta, tantum abeſt, ut de extrahendo cogitaret, ut diceret: Meritò ac jure tibi evenit; qui cùm juxta pedes poſita ignores, cœleſtibus contemplandis animum adjicis. Hoc ipſum Thaleti accidiſſe author eſt Stobæus. Quod ſi tantus prognoſticandi Aſtrologos tenet pruritus, ſibi ipſis priùs, quàm aliis futura ſeu bona ſeu mala prædicent: caveantque interim, ne idem eis accidat, quod illi, in quem jocatur Morullus: 17

Dum cavet Aſtrologus perituris ſidera nautis
Dum ſibi boletis non cavet, ipſe perit.

Alciatus quoque in Emblematibus, adductâ Icari fabulâ cautè monet:

Aſtrologus caveat quicquam prædicere: præceps
Nam cadet impoſtor, dum ſuper aſtra volat.

Et Fajus *in Emblem. & Epigr. fol. 237.*

Ter felix hominum genus,
Si ſanctis animis amor
Veri numinis imperet!
Non illos crucians timor
Aſtrorum dubios trahet.
Aſtrorum Domino pius
Nam qui ſervit habet nihil,
Quod formidet, & aureâ
Libertate fruens, pede
Conculcat valido minas
Martis, Mercurii, Jovis;
Verum nam Jehovam timet.

Porrò ſi prohibentur ea, quæ votum inducunt captandæ mortis; quantò magis publica & aperta mortis alienæ profeſſio? Inprimis verò ſuper ſalute & domo Principis, à cujus ſalute, ut filo pendet Reſpublica. Chaldæos & Mathematicos interrogare vetitum, & in Romana Republ. capitale fuit; & quidem de graviſſimis cauſis. Pulſabant enim hæ conſultationes propemodum Majeſtatẽ ut ait *l. 7. Cod. de malefic. & mathemat. lib. 9. tit. 18.* Et Conſtant. Imp *in l. 3. Cod. eod.* accuſatorem hujusmodi criminis non delatorem eſſe, ſed dignum magis præmio arbitratur. Pulchrè Tertullianus *Apologet. 35.* Cui opus, *inquit*, perſcrutari ſuper Cæſaris ſalute, niſi à quo aliquid adverſus ipſum cogitatur vel optatur, aut poſt illam ſperatur aut ſuſtinetur? 18

19 Non igitur ſine cauſa Julius Firmicus *de errore profanarum religionum*, Mathematicum his verbis monet: Cave, ne quando de Statu Reip. vel de Vita Romani Imperatoris aliquid interroganti reſpondeas. Non enim oportet aut licet, ut de Statu Reipubl. aliquid nefariâ curioſitate dicamus. Sed & ſceleratus & omni animadverſione dignus eſt, ſi quis interrogatus de fato dixerit

Imperatoris, quia nec dicere poteris aliquid de eo, nec invenire. Scire enim te convenit, quòd & aruſpices quotieſcunq; à privatis interrogati de ſtatu Imp. fuerint, & quærenti reſpondere voluerint, exta ſemper, quæ ad hoc fuerint deſtinata, ac venarum ordines involutâ confuſione conturbent. Sed nec aliquis Mathematicus verum aliquid de fato Imperatoris definire potuit. Solus enim Imperator ſtellarum non ſubjacet curſibus, & ſolus eſt, in cujus fato ſtellæ decernendi non habeant poteſtatem. Cùm enim ſit totius Orbis Dominus, fatum ejus Dei ſummi judicio gubernatur: & quia totius orbis terrarum ſpatium Imperatoris ſubjacet poteſtatibus, ideò etiam ipſe in Deorum numero conſtitutus eſt, quæ ad facienda omnia & conſervanda dignitas ſtatuit principalis. Hæc ratio & aruſpices turbat: quodcunque enim ab ipſis invocatum fuerit Numinum, quia minoris eſt poteſtatis, majoris poteſtatis, quæ eſt in Imperatore, non poterit explicare ſubſtantiam, cui enim omnia ingenia, omnes ordines, omnes honores, omnes ſerviunt poteſtates divini Numinis & immortalis ſortitus licentiæ poteſtatem in Principibus Deorum ordinibus collocatur. Quare quicunque aliquid de Imperatore quæſierit, nolo, ut eum truci ac ſeverâ reſponſione conturbes: ſed ei docili ſermone perſuade, quòd nullus poſſit de vita Imperatoris invenire, ut perſuaſionibus tuis motus, iſtum furorem temeritatis correcto errore deponat. Hactenus Firmicus & cordatè & verè monuit.

20 (margin note number beside "quid de Imperatore quæſierit")

Principes enim ut à Deo ſunt quales quales, ita ſunt *in ejuſdem peculiari cuſtodia.* (8) Nam ſi ſanis hominibus publica privatis potiora ſunt, ſequitur, ut is quoque Deo charior ſit, in quem Rempublicam & ſalutem univerſorum convertit: quod infinitis exemplis edoceri poſſet.

Baſſæ in aula Turcica (9) Muhammedem
21 III. Imperatorem ſuum gravi faſtidio deſpuere cepère; ſcientes, eundem eſſe hominem mollem, cujus maxima trophæa eſſent, aliquot formoſæ fœminæ, quas in ſuo palatio adorabat, idcirco eum ſolio deturbare, & ipſius loco filium, quem habebat, primogenitum ſubſtituere decernunt. Iſtud autem omne conjuratorum conſilium evertit, quòd peritum quendam Aſtrologum de fortuna junioris iſtius Principis conſuluerunt. Ille nativitatis ipſius momenta perpendens, & aſtrorum curſum ac ſitum conſiderans; invento ejus horoſcopo, ad Sultanam matrem ſcripſerat, ut bono eſſet animo: brevi namque eam filium conſpecturam, Imperiali diademate inſignitum. Sed Eunuchus, qui literas ipſius ferebat, captus & ad Sultanum adductus fuit. Detectâ conjuratione, Muhammedes filium & Aſtrologum ad ſe accerſendum atque utrumque coram ſe ſtrangulandum curavit. Aſtrologo vanitatem artis ipſius judiciariæ, & ſpes fallaces, quas inde hauſerat, exprobravit. Nam filium pro diademate & ſceptro, quod ipſi promiſiſſet, laqueum & ignominioſam mortem reportare: ipſius verò futilitatem meritò irridendam, qui, dum aliis futura prædiceret, mortem ſibi imminentem non prævidiſſet. Deinde conjugem, cum aliis quibuſdam ejuſdem ſexûs, conjurationis conſciis, in mare præcipitari juſſit. Baſſæ, Eunuchus & complures alii, vitam laqueo finierunt. Scio, ab Arria-
no laudari Alexandrum, qui Apollodoro, 22
& Pythagoræ non ſuccenſuit, qui in ejus vitam inquiſiviſſent, laudari *Auguſtum*, (10) qui tantam habuit fiduciam ſui: atque iſtas artes verè condemnandas, ita contempſit, ut non dubitarit thema & genituram ſuam publicè proponere, atque numum argenteum notâ ſyderis capricorni, quo natus erat, percutere. Poſſunt etiam pleríque de infortunio Principum augurari, non nocendi causâ, ſed ut eos periculi admoneant privatim: id itaque evitent, ſi poſſint, qualiter *Spurinna admonuit Cæſarem:* (11) Chaldæi Alexandrum. Sed tutius eſt ab his inveſtigandis penitus abſtinere. Ideoque Tiberius, Claudius, Vitellius, Imperatores prohibuere omninò, ſeu privatim ſeu publicè de cujuſquam morte enunciare. Certè id publicè facere, patricidio
comparatur. Severus Imperator vero 23
nominis ſui vir, verè Pertinax, verè Severus, ut loquitur vitæ ejuſdem ſcriptor Ælius Spartianus, quaſi Chaldæos aut vates de ſua ſalute conſulens, occidit. Apud *Ammianum Marcellinum* (12) de Valente Imper. ſcribitur. In chartis cujuſdam municipis clari, ſcrutari ex negotio juſſis, genitura Valentis cujuſdam inventa eſt; repellensque calumnias, is, cujus intererat; cùm objectaretur ei, quamobrem Conſtellationem Principis collegiſſet, fratrem ſuum fuiſſe Valentem, dudumque obiiſſe documentorum plenâ fide monſtrare pollicitus, inexpectato veritatis indicio laniatus, lacer trucidatus eſt. *Vitellius ille* (13) cùm Aſtrologis diem prædixiſſet, quo Italiâ ſecederent: hi contra de nocte, diem ei præſcripſerunt, antequam ei moriendum eſſet, & quidem intra illum diem mortuus eſt, fortè non facto, ſed propter vaticinium. *Aſceletario*, (14) & Largius Proclus publicè prædixerunt, quo die Domitianus eſſet moriturus; Itaque damnati ſunt, Aſceletario flammis: Largius capite. Sed cùm hic dilationem ſupplicii in hunc diem impetraſſet, quo dixerat Domitianum moriturum, certuſque eventus divinationem comprobaſſet, liberatus eſt beneficio Nervæ, ut Joſephus ipſe Veſpaſiani clementia, cùm accidiſſet, eũ fieri Imperatorem, quod jam prædixerat ſub Nerone.

At

At verò, ut ſubditis permiſſum non eſt
24 fata ſui Principis per artes illicitas ſcrutari: Ita ipſi quoque Principes ab earundem artium exercitio & indigno tali ſcrutinio abſtinere debent. Non ſine cauſa Tiberium exagitat Dio *libr. 57.* quòd multos indagato eorum nativitatis die ac horâ, indeque mores & fortunam eorum ſcrutatus, ſi quid adeſſe excellens, aut quod Imperium ſperare juberet, deprehenderetur, protinus interficiebat: neque enim hoc vel decebat, vel expediebat: nam ſic præſtantiſſimorum quorumque virorum vita in diſcrimen veniebat. Quod crimen etiam imputat Spartianus Severo.

25 Nec de ſuis ipſius rebus, victoriis, eventibus, ſalute conſulere debet quosvis, quod feciſſe conſtat Alexandrum Magnum ex Plutarcho, quem ſcribit animi corporisque ægrum ſacrificantibus, luſtrantibus, divinantibus regiam impleviſſe, plenumque ipſum malis curisque mortem dum fugeret
26 accerſiviſſe. Ludovicum etiam XI. Gallorum Regem ex Philippo Cominæo, quin & alios, in quibus magis notabile hoc vitium quàm in Alexandro, quòd ſi Chriſtiani eſſe & dici voluerunt, quos ſacræ tabulæ à vetitis his artibus prohibent & abducunt. Caſſius olim Chaldæo cuidam vetanti Perſas antè bello laceſſere, quàm Luna Scorpii ſidus evaſiſſet; *non*, inquit, *ſcorpiones metuo, ſed ſagittarios.* Cavillatus nugas artis fallacis, ſive divinandi curioſitatem; ut loquuntur Impp. *in l. 5. C. de malefic. & mathematic.* quod non ſidera metueret, ſed clade Romanarum terretur Legionum, quo Craſſo Duce Parthorum ſagittis fuſæ ac proſtratæ fuerant. Quantò magis nos abhorrere decet ab iſtis ineptiis, quibus impietatem earum præterea cognitam habemus? Sed Aſtrologorum errores & miram inconſtantiam jam diu deprehendit Bodin. *lib. 4. de Republ. c. 2. numer. 495.* Cornel. Agrippa *de vanitate ſcient. cap. 30. & ſeqq.* Picolom. *de morali philoſophia, gr. 2. de princ. virtut. cap. 11. & 35.* Et Genethlialogicas Prædictiones damnat acerrimè Deus Eſai 47. *verſ. 13.* & perſtringit Euſeb. *libr. 6. de præparation. Evangelic. cap. 3. 6. 7. & ſeq.* Auguſtin. *lib. 5. de civitate Dei, 1. & libr. 1. de natura Dæmonum*, cujus ſententia refertur à Gratiano in *c. igitur genus 26. q. 4. cap. illud quod eſt. quæſt. 3.* Tholoſan. *in ſyntagm. artis mirab. lib. 8. cap. 52. & ſeq.* precatus Deum ut Magiſtratuum oculos aliquando velit aperire & excitare, qui iſtis ſilentium vel pœnam imperent, antequam in Idololatriam, Chriſtiano nomine indignam, collabatur. Idem *lib. 21. de Republ. cap. 9.* ſtatuens inter alia, Aſtrologos Genethliacos urbe pellendos. Idem *lib. 34. ſyntagm. Jur. univerſi cap. 1. & ſeqq.* Annæ. Robert. 1. *rerum judicatar. 5.* Heig. 2. *quæſt. 26.* Caſpar. Ens *lib. 2. Moroſoph. cap. 8.*

Porrò meram fœditatem redolet Tributũ à Malcolino III. Rege Scotiæ, Ethnico 27
tamen *pro redemptione virginitatis* (15) à domino territorii delibandæ inſtitutum, Hect. Boeth. *lib. 12.* Et aureo pudicitiam redimere nupturam quoque tradit Polyd. Vergil. *lib.* 28
10. Hiſt. Angl. Planè, ut Volſinienſes, ſed ſervili preſſi dominatu, filias ingenuas ſponſo jam deſtinatas, ſervis prius delibandas dare cogebantur. Alexand. ab Alexandr. *lib. 1. cap. 24.* Et Adrimachidæ virgines nupturas Regi exhibebant, & ille, quæ ſibi placeret devirginabat, ut ſcribit Herodot.

Talis fuit & illa exactio, quam Boerius adducit *deciſ. 363.* cujusdam Epiſcopi Gal- 29
liæ, qui aliquot aureorũ millia collegit quotannis ab illis, qui ductis uxoribus biduò aut triduo poſt benedictionem nuptiarum, (uti *vult c. aliter 30. q. 5.*) abſtinere novâ coſtâ cum Tobia nollent.

Tale eſt etiam vectigal, quod Judæi & fœneratores ob licentiam fœnerandi per- 30
ſolvunt. Jure enim cùm divino tum humano prohibita eſt uſura. Agit contra legem Dei, qui ſupra ſortẽ aliquid in mutuo, mutui tantùm ratione accipit, ac naturæ jus violat, qui bis idem ſeu duplici pretio vendit. Hujusmodi uſurarii ſunt, qui pecuniæ uſum, qui ipſa ejus conſumptio eſt, pretio vendunt, & ſortem integram recipiunt. Hos jura condemnant, & uſuram, quæ per ſe grande malum eſt, juſtitia condemnat. Politica tamen experientia, cùm Reipublicæ bonum procurari aliter non poteſt, malum iſtud aliquando tolerat, certo à fœneratoribus & Judæis vectigali recepto. Punit Reſpublica perſiſtentes in uſuris, dum eos inter vivos vult eſſe maledictos, & inter mortuos inſepultos, idque legum cenſura. Tolerantur igitur in civitate uſurarii, non probantur. De quo vide latiùs & confer ea, quæ ſcripſi ſuprà, *capite. 61.*

Talis eſt quoque omnis quæſtus, qui à 31
minutis ac turpibus rebus, item à Piratis, pauperibus, aut qui nuptias celebrant, vel liberos procreant, vulgò Geburtsgeld/ (16) Tauffgeld / vel ratione matrimonii & dotis percipitur, Roſenth. *de feud. c. 4. concl. 34. n 3.* Quinimò hodiè reperiuntur, qui per abuſum non ſolùm hac in re quando natus, juxta illud Terentii *in Phormione Act. 1. Scen. 1.*

——*Porrò autem Geta*
Ferietur alio munere, ubi hera pepererit.

Sed etiam, proh pudor! & quod nuperrimè in illuſtriſſima quadam domo noviter obſervatum, quando mortuus eſt filius, peccant, &, quod precariò obtinuerunt, tanquam legitimâ conſuetudine approbatum, poſteà jure ſibi competere contendunt, & rigidiſſimè exigunt.

Sic Margaretha Daniæ & Norvvegiæ 32
Regi-

Regina, ultra gravia alia tributa, quæ ſingulis ſeptimanis & menſibus extorquebantur, marcam unam Stockholmienſem à quolibet conjugio exegit; Greg. Tholoſ. *lib.3. de Republ. c.4. in fin.*

33 Eundem ad modum Coloniæ Agrippinæ in Lutheranorum & Calvinianorum odium, Edicto ante aliquot annos cautum memini, ut novelli conjuges nuptias celebrantes absq; benedictione & ceremoniis Pontificiis, magiſtratui oppidano, centum aureos Rhenanos perſolverent, totidemque parentes, quibus filius filiáve naſcitur, neque Catholico ritu initiarentur, vel ſacrificiis ad baptizandum offerrentur, penderent. Atque ita tributum in infantes, qui à non àCatholicis baptizantur, impetratum fuit.

Malè quoque & contra Chriſtianam fi-
34 dem, imò adverſus Imperatorum gentilium reſcripta, Belgarum ſine auriculari confeſſione decedentium bona ſibi uſurpavit, ærarioque adjudicavit Ferdinandus Albæ Dux. Meliùs verò D. Bernhardus *medit. 9. de anima n.4.* ſenſit: Quod ſi peccator, *inquiens*, verè pœniteat, ſed intercurrente articulo neceſſitatis ad confeſſionem pervenire nō poſſit, cōfidenter credere debemus, quòd Summus Sacerdos complet in eo, quod mortalis non potuit. Et jam apud Deum factum conſtat, quòd homo quidem verè voluit, ſed non valuit adimplere, quia confeſſionem non contemptus excluſit, ſed impedivit neceſſitas.

35 Omnium verò fœdiſſimum eſt æs ex famoſiſſima illa & deteſtanda Laniena Lugduni XXIX. Auguſti Anno MDLXXII. peracta, in qua CCCL. Evangelio Chriſti addicti & profitentes violentâ manu crudeliſſimam ad carnificinam rapti & per milites ad mactandum conductos fruſtulatim ſecti, confoſſi; Mactatos ſepulturâ judicârunt indignos; nihilominus, ne aër ex fœtore ſanguinis & corporum inficeretur, metus erat: ea propter maximam eorum partem in prælabentem Ararim conjici concluſum fuit. Dum fæx populi occupata eſt in præcipitandis interfectis, ecce pharmacopola ſuperveniens, modum oſtendit, quo è pinguedine corporum argentum poſſet colligi; Vulgus aſſentiebatur, ſelectaque fuère obeſa & magis pinguia corpora; quibus diſſectis omnem pinguedinem abſtraxerunt, collegerunt, libramque tribus albis vendiderunt, Thuan. *lib.52. Hiſt. pag.165. & ſeq.* Abraham Gölniz in Itinerario ſuo Belgico-Gallico *pag.335.*

Cæterùm de Piratis, quorum ſuprà ſub 36
nu.31. meminimus, ſingulariter notandum eſt, quòd eorundem perſecutio non ſtatim indicium jurisdictionis vel dominii alicujus ſit, ſed quòd ejusmodi perſecutio omnibus etiam privatis, non ſolùm conceſſa, verùm etiam demandata eſſe cenſeatur, prout civitates Anſeaticæ, Lubeca, Roſtochium, Wiſmaria & Stralſundt Piratas in mari Balthico ſæpius perſecuti ſunt, eosque pro virili exterminarunt, eo ipſo autem nullam vel poſſeſſionem vel dominium in mari, ſed liberū commerciorum uſum quæſiverunt, ſubditorum ſaluti conſulentes eamque ab injuſtis Piratarum incurſionibus & rapinis vindicantes.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT CXLVI.

Num. 2.

(1) *Seneca Epiſt. 45. &c.]* Junge omninò ejusdem Senecæ *Epiſt. 120.* in qua Affinitatem Vitiorum cum Virtutibus bellè declarat.

Num. 4.

(2) *Sixtum V. Pontificem &c.]* Confer Klockium *hoc libro 1. cap. 3. num. 34. (39.) (40.) num. 39. (61.)* Thuanum *lib. 82. & 100.* Ita cùm Romæ non ita pridem de eligendo Pontifice conſultatio inſtituta in longum protracta fuiſſet, à nonnemine acriter ſatis, ſi non impiè, Spiritus Sancti ſub figura Columbæ evolátis imagini ſubſcriptum fuit:

Venditur hic Chriſtus, venduntur dogmata Petri,
Ne quoque me vendant, avolo; Roma Vale.

(3) *Caligula &c.]* Suetonius *in vita ejus cap. 40.* & ad illum locum Cauſabonus.

Num. 6.

(4) *Cum lupæ memoriam &c]* An vera lupa, Romuli nutrix fuerit, cum multis Authoribus diſquirentem vide Freinshemium *ad Flori lib. 1. cap. 1. num. 3.* Roſinum & ad illum Demſterum *lib. 1. Antiq. Rom. cap. 1. pag. 7.* Zevecotium *ad Florum pag. 181.*

Num. 12.

(5) *Ut potentibus infidum &c.]* Tacitus *1. Hiſtor. 22. num. 2.*

Num. 13.

(6) *Prudens futuri temporis exitum &c.]* Uc Horatius *lib. 3. Carmin. Ode 29.* canit.

Num. 15.

(7) *Favorinus apud Gellium &c.] Lib. 14. Noct. Attic. cap. 1.* adde Philip. Caroli *in Animadverſionibus ad AGellii citatum locum.*

Num. 20.

(8) *In ejusdem peculiari cuſtodia &c.]* Diſſeruit de hoc argumento latè Germaniæ decus Dn. Bœclerus *in Tractatu ſuo de Auſpicio Regio cap. 2. 15. 21.* Indeque miranda ſæpe & cum occulto horrore intuenda venit DEI Opt. Max. Juſtitia Principum hoc eſt vicariorum ſuorum injurias cedesque ſeveriſſimè vindicans, cujus rei exempla prudentiſſimus Forſtnerus *in Not. Polit. ad Taciti 1. Annal. 8. num. 7.* & Zevecotius *ad Suetonii Julium pag. 183. 184.* plura adducit; vel certè contra machinationes inimicorum clementiſſimè pro-

protegentem. Quod plurimis exemplis declarari poſſet, ni ob præli feſtinationem & mihi ad finem properandum nunc foret.

Num. 21.

(9) *Baſſa in aula Turcica &c.*] Eadem narrat Struckhuſen *in Syntagm. Hiſtor. Saraceno-Turcica pag. 251. ſeqq.* poſt Beſoldum *in Hiſtor. Conſtantinopolit. pag. 1288. num. 8. ſeqq.*

Num. 22.

(10) *Auguſtum &c.*] Quin potiùs, quòd magnifaceret à Mathematico prædictionem ipſi depromptam, numum talem Auguſtum percuſiſſe ex Suetonio *in vita Auguſti cap. 94.* colligere licet. Sic enim ille loquitur, (*cùm narraſſet, quòd Theogenes Mathematicus, poſtquam Auguſtus edidiſſet genituram ſuam, exſiluerit adoraveritq; eum.*) Tantum mox fiduciam fati Auguſtus habuit, ut thema ſuum vulgaverit, numumque argenteum notâ ſideris Capricorni, quo natus eſt, percuſſerit.

(11) *Spurinna admonuit Cæſarem &c.*] Suetonius *in Julio cap. 82.*

(12) *Apud Ammianum Marcellinum &c.*] *Lib. 29. cap. 17.*

(13) *Vitellius ille &c.*] Rem explicat meliùs Suetonius *in Vitellio cap. 14.* Nullis infenſior (*Vitellius*) quàm vernaculis & Mathematicis, ut quisque deferretur, inauditum capite puniebat: exacerbatus, quòd poſt edictū ſuum, quo jubebat *intra Kal. Octobris urbe Italiaq; excederent*, ſtatim libellus eſt propoſitus: *& Chaldæos dicere, Bonum factum, ne Vitellius, Germanicus intra eundem Kalendarum diem usquam eſſet, &c.*

(14) *Aſcletario &c.*] Aſcletarionis caſum valde mirabilem mandato Domitiani interfectum pòſt à canibus, ut ſibi prædixerat, dilaniatum, refert Suetonius *in Domitiano cap. 15.* De cæteris in textu *num. 25. 26.* allegatis exemplis autem vide, *ſub fine num. 26.* à Klockio laudatos Authores.

Num. 27.

(15) *Pro redemptione Virginitatis &c.*] Confer Zeillerum *in Itiner. Angl. cap. 3. num. 8. pag. 129.* Polydorum Vergilium *de rer. Invent. lib. 1. cap. 4. pag. m. 58.* Planè verò iniquum fuit in Catalonia illud, quod vir cucurbitatus, etiamſi fuerat ignorans, ſolvebat Fiſco ſolidos quadraginta, quod refert Nevizan. *lib. 4. Sylv. Napt. ſub num. 85.*

Num. 31.

(16) *Geburtgeld &c.*] Tale tamen quid inter legitima media Klockius noſter numeraverat ſuprà *hoc libro 2. cap. 98. n. 7.*

CAPUT CXLVII.

De Illicito Vectigali decimæ omnium rerum venalium, Urinæ, Umbræ, Nivis, &c.

SUMMARIA.

1. Decima *omnium rerum venalium pro tributo injuſtè exacta.*
2. *Præbent hæc & alia anſam ad* defectionem *& apertam vim.*
3. *Cur renunciatum ſit publico decreto dominationis Hiſpanicæ ab* Ordinibus Belgii?
4. *Exoſi ſunt omnes novarum exactionum* inventores.
5. Tributa *ex juſtâ causâ moderatè petantur: ſine causa nulla petantur.*
6. *De Vectigali ex* Urina & Lotio.
7. Umbrarum vectigal *ex umbris, ſed & ex inanitatibus.*
8. Platanus *de umbra ſua amœniore meretur, non pendit tributum.*
9. Tributa *pro ſingulis tegulis, lateribus, nive venditâ, feneſtrisq;.*
10. *Ratione* litium, chartarum *luſoriarum, aëris, fumiq; fimiq;* Tributum penſum.
11. *His ſimilibusq;* tributis *exigendis caveant fœdari Principes.*
12. *Privatis damnis non eſt augendum* ærarium.

Quis probet Urinæ vectigal? quis Nivis umbræ,
Aëris, & Decimas quaslibet illicitas.

1 FErdinandus Dux Albanus, avorum noſtrorum memoriâ, Decimam rerum venalium Belgis imperavit. Quo tributo vix ullum gravius eſſe poſſe, Bodinus ait *d. c. 2.* Meteran. *lib. 4. Hiſt. Belg. in pr.* cùm una eademque res brevi intervallo decies ac pluries vendi poſſit; quemadmodum Hiſpanus quidam ſcribit, unius & ejusdem diei ſpatio res promercales, quæ in Belgio venierant, ferè quingentis ſeſtertiûm, hoc eſt, ſeptingentis ducatorum millibus æſtimatas eſſe. Decima 2
hæc rerum venalium, inſtar ſcatebræ auri quibusdam viſa eſt: ſed ferri cudendi civilibus armis ſcaturigo potiùs fuit, ac manifeſtam adeò defectionis anſam præbuit, ut in Ordinum ſolenni conſeſſu Ultrajecti Anno MDLXXIX. publici Decreti authoritate renunciatum ſit dominationi Regis Hiſpaniarum, & cives Provinciarum ſoluti legibus externorum Principum viverent, & pro libera Republ. cenſerentur. Quod Senatus- 3
conſultum pignus imperii & Palladium publicæ ſecuritatis eſſe, inſinuat Dominic. Baud. *lib. 3. de Induc. Belgic.* Quod ego aliquando hoc carmine expreſſi:

In decimis auri ſcatebram Dux quærit & æris
Pelle leoninâ vulpecula tecta, ſed auri
Offuſcant ſcatebrā latebræ, civilibus armis
Ferro cudendis ſinuoſos agmine denſo
Anfractus aperit, juſtoq; dat omine Belgis
Jura Magiſtratus, Libertatemq; tueri.

Contra Italiæ Respubl. & Principes hoc uno ferè medio ſeſe ſuſtentant, eorumq; ordinarii reditus in Decimis ſubſiſtunt: ut & vectigalium pleraq; ordinariis plerunque reditibus ac proventibus accenſentur, nec ad tempus indicuntur. Quæ exempla non ſunt imi- 4
tanda, camq; ob cauſam Itali in Galliâ, aliisque

que locis ſunt exoſi, tanquam novarum Exactionum inventores : cùm tamen alia ibi Reipublicæ ſit ratio, tam ſubditorum, quàm imperantium, & ipſius etiam Regionis ratione, Beſold. *de Ærar. c.4.n.16.*

Non igitur ſufficit ex juſtâ causâ, immoderatè autem; nec ſufficit moderatè, ex ulla cauſa autem, Tributa & Vectigalia exegiſſe:
5 Neceſſum eſt, utraq; ſimul concurrere. Quare meritò accuſamus illa pro lotio, umbra, pro aëre, pro ſpiritu captando, &c. inſtituta vectigalia.

6 *Urinæ vectigal* (1) Veſpaſianus commentus eſt, Authore Sueton. *in Veſp. cap. 23.* Is filio Titio id reprehendenti pecuniam ex prima penſitatione admovit ad nares, ſciſcitans, num odore offenderetur, & illo negante; *Atqui*, inquit, *è lotio eſt.* Cui vectigali origo & cauſa; quòd in publico amphoræ aut dolia ſtabant ad urinam reddendam: quam fullones, opinor, vertebant deinde in ſuum uſum. Et videtur hoc fuiſſe triſte illud Chryſargyrum, hiſtoriis decantatum, ſublatum ab Imper. Anaſtaſio; quæ penſio fuit talis, *ut quisque mendicus aut pauper, ſive meretrix jam emerita, omnis ſervus itemq; libertus, inferrent in Ærarium pro URINA & STERCORE jumentorum etiam & canum, ſive in agris, ſive in oppidis habitarent: & homines quidem utriusq; ſexus, numiſma argenteum; equus, mulus, bos tantundem; aſinus & canis folles ſex*, Lipſ. *Admirand. lib. 2. cap. 6.* ex Cedreno. Phui, phui, ſpurca vectigalia! & nihilominus viri proceres & Reipublicæ primi munus colligendi ambibant, atque iſti pudendarum ſordium lucriq; exercitores aut conductores ſunt, quos *Foricarios* JCti appellant.

7 Eadem ferè ratio eſt vectigalis pro Umbra accepti. Quis non miretur, ait Plinius *lib. 12. Natur. Hiſt. cap. 1.* arborem umbræ gratiâ tantùm ex alieno petitam orbe? Platanus hæc eſt, jam ad Morinos usque pervecta, ad tributarium etiam pertinens ſolum, ut gentes vectigal & pro umbra pendant. Huic arbori, cùm laxioribus frondium comis denſiorem ſpargeret umbram, & aſſidentes voluptate ac amœnitate afficeret, tantus fuit honor habitus, ut mero confuſo illam enutrire operæ pretium exiſtima-
8 rint. Quinimò Xerxes ad Platanum in Lydia divertit, cumque poſitis juxta caſtris integrum diem ſub nemoroſo ejus vertice commoratus decederet, arbori Curatorem conſtituit, & armillas ex auro in eâ ſuſpendit. Joan. Wovverius *tract. de umbr. fol. 17.* Huc pertinet fabula Demoſthenis, qui cùm coram Athenienſibus de rebus ſtatum & ſalutem totius Reipublicæ concernentibus ſermonem graviſſimum inſtituiſſet, & inter declamandum Auditorum oſcitantiam & negligentiam advertiſſet, ex abrupto ſermonem vertens, hancce fabellam narrare cœpit : Quidam certo pretio conduxerat aſinum, qui cum locatore ejusdem in via oberrans cùm nimio Solis æſtu adureretur, ex aſino deſcendens, ſub ipſius umbra refrigerium quæſivit; locatore id prohibente, dicendo, ſe quidem aſinum, non verò aſini umbram certâ acceptâ pecuniâ elocaſſe, ſed hanc ſibi reſervaſſe; gravis lis inter utrumque deſuper orta, & ad judicem provocatum eſt. Quibus ita dictis mox è cathedra deſcendit; revocante verò eum populo, & avidè quærente, uter in lite iſta victoriam reportaſſet? reſpondit: *tales nimirum eſtis auditores oſcitantes, cùm vobis de ſalute patriæ loquor, attentiſſimi verò, cùm ridicula narrare incipio.*

Pro Nive quoque venditâ, Parlador. *lib. 1. rer. quotid. c.3. §.2. n.24.* pro feneſtris vitreis, Eberhard. à Weyhe *in diſcurſu de Speculi origine, uſu & abuſu*; & pro tegulis ſingulis in Gallia, Adrian. Turneb. *libr. 2. Adverſ. cap. 20.* Vectigal ſolutum: Cum quo 9
convenire videtur, quod in ſingulos lateres Romani Senatores contulerunt, referente Dione *lib. 46.* De Urinario Vectigali, quod Veſpaſianus exegit, dixi *tract. de Contribut. cap. 1. num. 135. & ſuprà hoc tract. cap. 1. circa pr. & nunc n.6.* Ratione quoque Litium, 10
Chartarum luſoriarum, Hoſpitiorum tributum exigi ſcribunt Greg. Tholoſan. *lib. 3. Syntagm. jur. univerſ. c.10. n.7.* Antimachiavell. *part. 2. theorem. 1. fol. 161.* De divitiis à Mercatore quodam ex ſingulari privilegio, quo ſolus per decennium in Hiſpania chartas luſorias diſtrahere poterat, corraſis, dixi ſuprà *cap. 101. n. 20.*

Quamvis etiam nemini liceat inficere aërem, ut puta omnium rerum maximè communem; attamen pro aëre aliquando & vectigal impoſitum legimus, Cujac. *libr. 10. obſ. 7.* Heig. *lib. 2. quæſt. 40. num. 155.* Sic pro fumo, fimo, canibus, mulis, pro funeris transvectione, & aliis tributa exacta, Tholoſan. *d. lib. 3. cap. 5. & cap. 7. nu. 10. in fin.* Renat. Choppin. *lib. 1. de Domanio Regis tit. 3. num. 3. & ſeq.* Antimachiavell. *d. theorem. 1. fol. 101.* Heig. *lib. 1. quæſt. 17. n. 11. & ad 5. & quidem n. 17. Inſt. de rer. diviſ.* Lipſius *lib. 4. Politic. cap 11. n. 36.* Bocer. *de Regalib. cap. 3. num. 196 & ſeqq.* Jul. Cæſ. Bullenger. *tr. de Vectigalib. Pop. Rom. c. 17.* Caveant ergo Principes, ne ejusmodi rebus futilibus & inutilibus tributa ac vectigalia imponendo dignitatem ſuam fœdent & Fiſcum augendo auguſtum ſuum nomen & munus proſtituant. Quo non ſolùm injuriam inferunt privatis, ſed & in jus divinum & humanum impingentes, vindictam Dei & hominum ſibi accelerant: Quò etiam reſpectat Claudianus:

Nec tua privatis creſcant æraria damnis.

Nimirum ita cives exprimendi, ut ſuccus 11
ſuperſit, quem hauriant; ita olera abſcindenda,

denda, ut radix maneat; ita pennæ incidendæ, ut renaſci queant.

Qui nimiùm emungit, ſanguinem elicit.

— — *Paſtor ſi mulſerit hircum,*
Sanguineum eliciet laticem: ſi glubſerit agnum,
Spem lanæ abjiciat: ſi gallinam eſſe necârit,
Ova quid inquirat?

Graviſſimas Exactiones in Hollandia *ſuaſit Barnefeldius*, (2) cùm diceret: *præſtat gravari patriam, quàm amitti;* ut fatetur in Apologia, cùm inter illa gravamina, & ex gravaminibus opes immenſas & ille, & alii collegerint. Mihi heîc illicitos & illegitimos cogendæ pecuniæ modos finire libet vel relinquere potiùs. Nam ſi omnes, qui apud Hiſtoricos & Politicos reperiuntur, conſectari velim, Iliada poſt Homerum ſcriberem; & ut Poëtæ verbis concludam;

Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraq́ centum,
Ferrea vox, omnes ſcelerum comprendere formas,
Cuncta Tributorum percurrere nomina poſſem.

Quîs non ſolùm apud inferos ſummum numen ſuâ juſtitiâ noxas vindicat: ſed quibus etiam hic nos delirantes ſuâ Clementiâ in Ordinem redigit, cœlo nos reſervare cupiens. Deus enim nobis fortunæ calicem miſcet ad ſalutem; Cui gloria laus & honor in ſempiterna ſæcula.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT CXLVII.

Num. 6.

(1) *Urinæ Vectigal &c.*] Adde Beſoldum *de Ærario cap. 4. num. 18.* &, ſi lubet, dicta ad Politicum Sceleratum *cap. 31. pag. 320. & 321.*

Num. 11.

(2) *Suaſit Barnefeldius &c.]* De Johanne Oldenbarnefeldio, ſummo illo Hollandiæ Advocato & Magni Sigilli cuſtode, viro, vel ex inimicorum teſtimonio, maximi animi, eloquentiâ & perſuaſione admirabili, ſummi conſilii, ut verè πολύμητις ὀδυσσεύς dici potuerit, vita & ſupplicio, quod in pegmate, in ipſa Hagienſi Aulæ area exſtructo d. XIII. Maji Anno MDCXIX. ſexagenarius perpeſſus publicè fuerat, in unum contractam Hiſtoriam legere poteris, *in t' Treur Toonneel der doorluchtige Mannen unſer Eeuve int' twee de Deel, Hiſter; 10.* & Interpretem ejus partis Johann Mercken in der Traur-Schau-Bühne *pag. 157.* & ipſam Apologiam cum notis Petri Holderi Durocortori Anno MDCXVIII. impreſſam. Ita autem de Bataviæ oneribus in Apologia ſcribit ille: Cùm adirem officium meum, ſummis laboribus ac difficultatibus Domini Status Hollandiæ & Friſiæ Occidentalis conflare vix poterant decies octies centena fl. millia annuè, pro Generalitate ad belli onera ſuſtinenda: at in præſens ſolvunt plus minus bis & quadragies centena millia librarum, &c.

CAPUT CXLVIII.

Deteſtandum vectigal pro ſepultura acceptum.

SUMMARIA.

1. *Publica loca eligenda pro* Sepulturis, *quamvis id non ſemper obtinuerit, & apud Romanos in loco publico jus non fuit fieri ſepulchrum*, ibid.
2. Conſuetudo *gentilium de defunctorum medicatis corporibus domi aſſervandis.*
(3) Lares & Dii *domeſtici hinc originem habent.*
4. Lex *XII. Tabularum de* Sepultura.
5. Campus Martius, *Romæ celebris* ſepulturæ *locus.*
6. *Varia exempla de* ſepulchris.
7. Christianorum ſepulturæ *cœperunt eſſe locis ſacris in reverentiâ aliquâ.*
8. Sepulturæ *ſine munere & vectigali liberè concedendæ.*
9. Lucrum ſacrificulorum *aliorumq́ ex* Cœmiteriis *&* Sepulturis *mortuorum*, & num. 10.
11. *Etiam irrepſit abuſus in* Eccleſias reformatas *de* ſepulturis *carè vendendis.*
12. Terra Cœmiteriata *ne vendatur.*
13. *Punitio cujusdam abutentis* ſepulturâ *ob pecuniæ aucupium*, & num. 14.
15. Sepulturas *quisquis vendiderit, à mortuis exigere videtur tributum.*
16. *In* Gallia *olim* ſepultura *iis denegabatur, qui nihil Eccleſiæ legâſſent.*
17. Injuria *nomine* ſepulturæ *in violenta pecuniæ extorſione commiſſa punitur in perſona Magiſtratuum.*
18. Luxus, & inſana Epitaphiorum frequentia, *ac nimii funerum ſumptus mulctis pecuniariis coërcendi.*
19. M. Æmilius Lepidus *præcepit filiis, ut ſibi ſine linteis, aut purpurâ, funus facerent. Quod etiam Atticus Pomponius juſſit.*
20. Lycurgus *vetuit quicquam cum cadavere ſepeliri.*
21. Cyrus *prohibuit aurum aut argentum cum ipſo condi.*
22. *An* conſuetudo *ſepeliendi mortuos cum veſtibus & ornamentis rationabilis ſit?*
23. *Cur* Veſtes *inventæ ſint?*
24. Nudus homo *mundum intravit.*
25. Homo *poſt mortem non in arenam deſcendit, ubi feſtivitates & choreas ducet, ſed à vermibus conſumetur.*
26. Hiſpanorum *ſævitia & avaritia in exquirendis Regum Indorum ſepulchris.*

27. Semiramidis *ſepulchrum & ejus inſcriptio.*

28. Germanorum *veterum humandi mos.*

29. *Quæ* ratio *fuerit* cremationis *apud veteres.*

Eſt deteſtandum vectigal nomine buſti
Acceptum, gratis nam ſepelire decet.
Communis mater tellus eſt, quemcunque reponat
Gratis in gremio matris ubique ſuæ.

CUm omnibus ſtatutum ſit mori, loca publica eligi debent, in quibus defuncti honorificè ſepeliantur. Olim autem
1 non ſemper in loco publico inſtituebantur ſepulturæ, ſed quocunque loco privato, qui per funeris illationem religioſus fiebat, uti patet ex §. *religioſum Inſt. de R. D.* Quinimò Lex XII. Tabularum vetabat in urbe ſepeliri, quia collegium Pontificum decreverat, jus non eſſe in loco publico fieri ſepulchrum. Ergo area uniuſcujuſque domûs Romæ publica fuit, non ſingulorum. Certè non hæc aut illa area: ſed totus mœnium atque ædium ambitus, publicus, aut univerſorum eſt. Ut theatrum revera eſt commune, licet rectè dicimus ejus eſſe eum locum, quem quisque occuparit: ſic urbs quoque communis eſt, licet quod quisque poſſideat, ejus ſit. Itaque cùm multa ſepulchra inventa eſſent ad portam Colinam, cùm ibi honoris ædes dedicaretur: ea decreto Pontificum exarari placuit, quia, ut ſuprà dictum eſt, non poterat locus ille, ſuâ univerſitate publicus, privatâ religione obligari. P. Ærod. *lib. 3. rer. judicat. tit. 3. cap. 1.* Ægyptiorum Gentilium conſuetudo fuit, ut cadavera medicata domi ſervarent. Pomponius Mela *libr. 1. cap. 9.* Mor-
2 tuos nec cremare, ne fodere fas putant; verùm arte medicatos intra penetralia collocant; ſed & mortuos ſuos menſis, velut convivas adhibebant: ut Lucianus teſtatur de luctu. Silius Italic. *lib. 13.*

— — — *Ægyptia tellus*
Claudit odorato, poſt funus, ſtantia ſaxo
Corpora, & à menſis exſanguem haut ſeparat umbram.

Romani quoque mortuos ſuos non publicè ſepeliebant, ſed eos in domibus pri-
3 vatis, in doliis & vaſculis reſervabant. Unde poſteà ortum eſt, ut Lares & Dii domeſtici ſuperſtitione quadam colerentur. Alexandr. ab Alexandro *lib. 3. genial. dier. cap. 2.*

4 Porrò & diſpoſitio legis XII. Tabularum fuit: *Hominem in urbe ne ſepelito.* Magnorum autem virorum corpora, & de Republ. optimè meritorum populi permiſſu in campo Martio ſepeliebantur, ut fuit factum in funere Julii Cæſaris filiæ, ac uxoris Magni Pompeji, cujus rei meminit Plut. *in Pompejo.* & de ſepulchro Lucii Cornelii Syllæ Appianus *lib. 2. Bellorum civilium.* Sic
5 & Jul. Cæſ. in eodem Campo Martio ſepultum refert Suetonius *in Cæſare c. 84.* Et Auguſtum ſimiliter, ut teſtatur idem Sueton. *in Auguſto cap. 101.* Athenienſium hoc perpetuum fuit inſtitutum, quando mortuo M. Marcello, intra urbem illum ſepeliri non 6
permiſerunt, teſtatur Ser. Sulpitius ad Ciceronem, ut in ejus *Epiſt. Famil. libr. 4.* Ab Athenienſibus (*inquit*) locum ſepulturæ intra urbem ut darent, impetrare non potui, quòd religione ſe impediri dicerent, neque tamen id antea cuipiam conceſſerant. Apud Sycionios etiam intra mœnia aliquem tumulari non licebat, ut ſcribit Plutarch. *in Arato*, & ipſorum meminit Alexander Sardus *de moribus gentium lib. 1. cap. 27.*

Chriſtiani verò poſtmodum non ſo- 7
lùm ſepulturas juris publici effecerunt, (quem locum Cœmiterium, *id eſt*, dormitorium appellamus, propter ſpem reſurrectionis,) ſed etiam Ethnicorum moribus ſublatis, intra Civitatem & in Eccleſiis ſepulturas fieri permiſerunt. Sebaſt. Medices *de ſepult. p. 2. quæſt. 5.*

Pro ſepultura verò nihil muneris, mul- 8
toque minùs vectigal exigendum vel accipiendum eſt, ne venalis dicatur Eccleſia, aut de humanis videatur mortibus gratulari, ſi ex eorum cadaveribus ſtudeamus quærere compendium, ſunt verba Gregorii *in c. quæſt. 12. cauſſ. 13. quæſt. 2.* Licet ſacrificu- 9
lorum ſuperſtitio Cœmiteria lucri gratiâ inter urbes transferentium, tempore Gregorii Magni creverit, ut eò faciliùs ſacra & quæſtum facerent. Everhard. à Weyhe *lib. 2. de fœderib. cap. 1. num. 111.* Etenim decedit quiſpiam è vita, mox tibi præſto ſunt, rogant, veliſne mortui corpus ad ſepulturam deferri ſtragulâ honeſtiori contectum, an ſordidiori vel mediocri? Veliſne 10
crucem elegantem, an verò minùs pulchram anteferri? Nam prout delegeris, dandum erit pretium, Sleidan. *libr. 9. Comment. de Statu Religionis fol. 147.*

Utinam mos iſte in Eccleſias reforma- 11
tas minimè transmigraſſet? Siquidem reperiuntur Civitates in inferiori Saxonia (quas nominare pudet) ubi vix locum ſepulchri pro CCC. CC. vel C. Joachimicis emere queas: ut etiam noſtri Chriſtiani ſint iniquiores Hebrone Barbaro, offerente agrum Abrahamo pro uxoris corpore ſepeliendo gratuitò, *Gen. 23. v. 10.* Cùm ta- 12
men de Jure Canonico terra cœmiteriata vendi non debeat, *c. abolenda 13. de ſepultura lib. 3. Decretal.* Quamobrem Alphonſus Rex Neapolis Sacerdotem quendam, ſepulturâ ad pecuniæ aucupium abutentem, novâ & ferè inauditâ pœnâ affecit. Quam 13
Hiſtoriam Philippus Melanchthon recenſet hiſce verbis: *Cùm aliquando Alphonſus Rex Neapolitanus alicubi iter faceret, vidua quædam paupercula audiens Regem, illi quæſta eſt,*

eſt, quòd Sacerdos nouet ſepelire virum pauperem mortuum, niſi ea daret certam pecuniæ ſummam; Rex injuſtæ avaritiæ iratus eſt, quòd pro ſepulturâ poſceret tantam pecuniam, juſſitq; ſtatim vocari ſacerdotem; Sacerdos veniens, factum negare non potuit; ideóq; Rex ei mandat, ſepulchrum ut faceret, cui ſacerdos obtemperare cogitur, quo facto eum in ſepulchrum inſcendere, terramq; effoſſam injici juſſit, ita ut terrâ ad femora usque operiretur. Ita per biduum ſtantem reliquit, & poſteà eum eximi juſſit, illiq; præcepit, ut humaniùs ageret cum mortuis & cum ſepulturâ. Pezel. *part. 4. Poſtillæ Melanchth. pag. 99.* Optan-
14 dum, ut omnes Simoniaci ad eundem plecterentur modum, qui in divinis pariter & humanis negotiis mercaturam exercent.

15 Et ſanè nullum excogitatum quæſtioſiûs aucupium eſſe, quàm quod ex venundatione ſepulchrorum corraditur, exiſtimat Hoſpinian. *lib. 3. de Cœmiteriis cap. 1. de Orig. templor.* Quid, quæſo, hoc eſt aliud, quàm à defuncto tributum auferre? quòd diverbium licet principaliter quadret in eos, qui turpiter undecunque lucrum aucupantur; tamen ſecundùm Eraſmum de iis quoque dici poteſt, qui de ſepulchris & ſtatuis, aut Epitaphiis mortuorum, vectigal colligunt. Quam exactionem Chriſtianis objici poſſe, dolendum eſt, ut ex Hoſpiniano *dict. lib.* 1. *cap. 3.* refert Waremund. ab Erenberg. *cap. 4. de ſubditor. one-*
16 *rib. num. 65. pag. 66.* In Galliis ſuperioribus ſæculis, qui teſtamento nihil curionibus aut collegiis Eccleſiaſticis legaſſet, honore ſepulturæ carebat, ſi quis autem inopinato caſu occubuiſſet, ſacrificuli Pontificis juſſu mortuo teſtamentum condere, & quæ vellet Eccleſiæ arbitratu ſuo quaſi teſtator legare ſolebat: quem morem tamen ſuſtulit Curia Pariſiorum, referente Bodino, *lib. 5. de Republ. cap. 2.*

17 Cùm Pollentia plebs funus cujusdam primipilaris non priùs ex foro dimiſiſſet (nam honoris causâ per forum ducebantur) quàm pecuniâ vi extortâ ab hæredibus ad gladiatorum munus; Tiberius cohortem ab urbe, & aliam à Cotii regno, diſſimulatâ itineris causâ, detectis repente armis concinentibusque ſignis, per diverſas portas in oppidum immiſit, ac partem majorem plebis Decurionumque in perpetua vincula conjecit. Viden? ut injuria publica nomine ſepulturæ in violenta pecuniæ extorſione commiſſa puniri quoque poſſit in perſona Magiſtratuum? Ærod. *lib. 8. rer. judicat. tit. 3. cap. 8.* Confer ea, quæ dixi *in tractatu meo de contributionib. cap. 1. n. 149.*

Porrò non latet me, quod ſanctè & ſuccinctè reſpondit magnus ille legalis ſapientiæ torrens Ulpianus, *Religionis intereſſe monumenta extrui & exornari.* Sepulturæ enim honorificentia, cenotaphiorum excellentia teſtamur, nos non ſaltem præſentia meditari, ſed & futura rimari uſura oculorum penetrabili. Docemus nos memores doctrinæ Chriſtianæ, quæ auro carior eſſe debet. Et quis veterum ſaniorum Ethnicorum non credidit animorum immortalitatem? quis hominum Chriſto ſacramentum dantium negat reſurrectionem corporum? utriusque ergo rei expreſſa documenta ſunt erecta de natis monumenta.

Luxum tamen, & inſanam Epitaphio- 18
rum frequentiam (quæ eò ſe protrudit, ut poſteri ne quidem pro unico verſiculo ſpatium ſint reperturi) uti & nimias funerum expenſas, mulctis pecuniariis ærario applicandis cohiberi poſſe, cenſerem. Maxima enim eſt vanitas in ſuperbis mundi ſepulchris, quando ſcilicet alius corporis ſui formam aut robur, alius ingenii ſui acumen, alius varias peregrinationes, alius eloquentiæ, aut fortitudinis ſuæ vim, alius divitias & honores ſuos, alius ſuam in hoſtibus etiam ſepeliendis humanitatem & pietatem, alius victorias & prælia, alius denique hujus, alius alterius artis vel virtutis præſtantiam jactat: quæ tamen à morte immunem eorum neminem præſtare potuerunt. Pulchrè Dn. Beſold. *in Vitæ & mortis conſideratione Politica libr. 3. cap. 3. fol. 108.* Aliter hæc priſco illo, & modeſto more (quem Ovidius *2. Faſtor.* deſcribit) adminiſtrabantur.

Eſt honor & tumulis animas placare paternas,
Parvaq; in exſtructas munera ferre pyras.
Parva petunt manes; pietas pro divite grata eſt
Munere: non avidos Stix habet ima Deos.
Impenſa ne ſit funeris precioſior.
Nam
Ipſis & gravis ſepultis arduus buſti & humor.

Itaque Reipublicæ expedire arbitra- 19
mur, *ſi ſumptus funerum minuantur;* (1) uti apud Philoſophos ex Platone *lib. 12. de legib.* & in Republica ex Plutarcho in Solone, Numa, Pompilio, Sylla, & ex Cicerone paſſim liqueſcit. Sed inſtar omnium legum decretorúmve ſit judicium *M. Æmilii Lepidi,* (2) qui Romæ ab ſextis jam Cenſoribus princeps lectus eſt in Senatu. Is antequam exſpiraret, præcepit filiis, lecto ſe ſtrato ſine linteis, ſine purpura efferrent; in reliquum funus ne plus, quàm æris denos conſumerent: Imaginum ſpecie, non ſumptibus nobilitari maximorum virorum funera ſolere. Nam & iſta omnia, *curatio funeris, conditio ſepulturæ,* (3) pompa exequiarum magis ſunt vivorum ſolatia, quàm ſubſidia

mortuorum, inquit *Auguſtinus*. P. *Ærod. lib. 3. rer. judicat. tit. 21. cap. 3.* Vin plura? Lycurgus inter cætera ſua egregia inſtituta, ſepulchrorum univerſam ſuperſtitionem ſuſtulit, nec cuiquam conceſſit, ut
21 quicquam cum cadavere ſepeliretur. CYRUS quoque apud Xenophontem filiis ſuis præcepit, corpus ſuum cùm è vita migraſſet, neque cum auro, neque cum argento, neque alio quopiam loculo condi, verùm
22 terræ quàm primùm reddi. Et ATTICUS POMPONIUS ſine pompa funeris efferri voluit.

23 Improbandus itaque eſt mos & ritus ſepeliendi mortuos cum veſtibus & ornamentis, & tanquam irrationabilis è Republica exterminandus. Quis enim eſt, qui ignorat, veſtes contra frigus, æſtum, alias-
24 que tempeſtates adinventas eſſe? Ecquis neſcit, nudum intraſſe hominem, nudum
25 abiturum? Unus introitus eſt ad vitam, & ſimilis exitus. *Sapient. 7. verſic.* ad quid igitur corollæ comas mortuorum exornantes? digitos implicantes annuli? corpus exornantes veſtes? humeros prementia pallia? pedes circumdati calceis? ſic ne mundum intravimus? & hanc orbis ſtationem
26 nacti ſumus? Nudus ergo & moriens de omnibus, quæ in hac vita habuit, præter amiculum ferale nihil ſecum ferat: nec enim in arenam deſcendit, ubi feſtivitates & choreas ducet, ſed à vermibus conſumetur, ut ait Anton. de Guevarra *lib. 3. Horolog. Princip. cap. 55.* Nec hunc in finem bonorum poſſeſſio *albæ gallinæ filiis* (4) communicata cenſetur, ut cùm iis per mortem ampliùs uti non poſſint, eadem ſepulchro includant, vermiumque eſcam faciat. Quid? quòd iſta conſuetudo ornamenta unà cum corporibus ſepeliendi militum & id genus rapacium avaritiam & immanitatem in perſcrutandis urnis & mortuorum loculis provocet? Alexius Comnenus Imp. cùm à Provinciis tributum exigeret, ſed ſe nihil proficere ac fruſtra talibus rebus niti, & inania verba fundere, cerneret: pleriſque etiam vociferantibus, & ob inuſitatas iſtas & iniquas Exactiones, ab eo quidem inſtituto, toto impetu reſiliit: ſed aliam ingreſſus viam, aurea & argentea donaria, quæ extra ſacrarium eſſent, neque corpori & ſanguini Chriſti ſuſcipiendo ſervirent, poſtulavit, & ſepulchra Imperatorum effodi juſſit: nec ullis Romanorum Imperatoribus, quantumvis ob res geſtas claris, quicquam præter ſaxeas tunicas, frigidum & extremum illud propugnaculum reliquit, omni pretioſo ornatu ſpoliatis. Ac ne quidem Conſtantini loculus intactus & inviolatus manſiſſet, niſi fures Imperatoris decretum antevertiſſent, & aurea illius ornamenta abſtuliſſent. Nicet. *libr. 1. de Alex. Comnen. Imp. in fin. fol. 237.* Sic & Hiſpa- 27
ni ſpe auri, & argenti inexplebili ſatietate ac crudelitate à compluribus Indis etiam tormentis vehementiſſimis quæſivêre, ut Regis ſui cum immenſa auri & argenti copia majorum ſuorum tumulis illati locum oſtenderent, quem tamen judicio ſuo propalare & prodere noluerunt. Hoc ipſum 28
præcavêre cupiens SEMIRAMIS Regina, hominumque ne quidem in violandis & perſcrutandis defunctorum ſepulchris avaritiam ceſſare probè conſiderans, cùm ſibi ſepulchrum admirandi ſumptûs conſtituiſſet, inſcribi juſſit hæc verba: *Quicunque Rex pecuniis indiget, aperto monumento quot voluerit, accipiat*; quas literas cùm legiſſet DARIUS, opinatus, theſaurum abſconditum eſſe, ſepulchri lapidem revelli juſſit; quo revoluto literas alias vidit in hunc ſenſum: *niſi Rex avarus eſſes & pecuniâ inſatiabilis, mortuorum monumenta non violaſſes:* effecitque, ut ulteriore inveſtigatione, & infeſtatione ſuperſederit DARIUS. Vide Me *lib. 1. de Contribut. c. 1. num. 55.* Quod ſi quem non hæc exempla moveant, & rationum haud levia monimenta flectant, eum, ſpes eſt, vinci tandem poſſe auctoritate & monito JCti *in l. 14. §. fin. ff. de religioſ. & ſumpt. funer.* dicentis; non oportere ornamenta cum corporibus condi, nec quid aliud hujuſmodi, quod homines ſimpliciores faciunt: Eamque ob rationem ſi moriturus jubeat, inferri ſepulchro ſecum ornamenta, quæ habet, tanquam inepta voluntas ab hærede ſperni poteſt, *l. fin. §. fin. ff. de aur. & argent. legat.* Quocirca excutia- 29
mus jugum hoc conſuetudinis impiæ, & cùm Germani ſimus, veterum Germanorum humandi morem inſequamur ſimplicem, quibus, *authore Tacito*, (5) ſtruem rogi nec veſte, nec odoribus cumulare licuit; & cùm Chriſtianorum nomen profiteamur, putidum fuerit hac in re Ethnicorum exem-
plis & inſtitutis vinci. Quæ verò ratio 30
fuerit cremationis & exuſtionis cadaverum apud veteres, vide Alexandr. ab Alexandro, *lib. 3. c. 7.* & Cæl. Rhodigin. *lib. 7. c. 21.*

ANNO-

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT CXLVIII.

Num. 19.

(1) S*I ſumptus funerum minuantur &c.*] De Sumptibus funerum præprimis obſervandæ Regulæ, ut ſi quando ſtatuto definitæ haud ſunt, aut moriens de iis nihil diſpoſuerit, (aliàs enim diſpoſitioni illius, ſi nihil ampliùs quàm ejus conditio fert impendi juſſerit, ſtandum, *Nov. 22. c. 2. diſponat*, Carpzov. *JP. For. parte 1. conſtit. 28. defin. 42. num.* 3. Finckelthaus *de Sepult. concl.* 66.) juxta *l. 12.* §. 5. illi arbitrentur pro facultate vel dignitate defuncti. Garzias *de Expenſis c. 8. n. 2.* Berlich. *p. 1. Concl. Pract. 64. num. 91.* II. continetur *in l. 14. §. 5. ff. de Relig. & ſumpt. fun. in fin. num. 28. citata.* Quòd non oporteat ornamenta cum corporibus condi, nec quid aliud hujuſmodi, quod homines ſimpliciores facere ſolent, etiam, quando ita defuncti voluerint, quorum voluntates tanquam ineptæ non attenduntur, *l. 113. §. fin. de Legatis 1. l. fin. §. fin. ff. de auro & arg. legat.*

(2) *Marci Æmilii Lepidi &c.*] Livius *in Epitome lib. 48.*

(3) *Curatio funerum &c.*] Confer hæc omnia doctè eleganter explicantem Kirchmannum *de funeribus Roman.*

Num. 26.

(4) *Albæ Gallinæ filiis &c.*] Explicantem hoc adagium, (quo feliciter natus ſignificatur,) evolve Eraſmum *in Chiliad. Adag. 1. cent. 1. adag. 78.*

Num. 29.

(5) *Authore Tacito &c.*] In German. *cap. 27. num. 2.*

CAPUT CXLIX.
De aliis injuſtis Expilationibus.

SUMMARIA.

1. Conſiliariorum *technæ, quibus Regi Principive theſauros, pecuniasq́ coacervare ſatagunt, hoc & n. 2. 3. 4. 5. & 7.*
6 Craſſi *dictum.*
8. Fabricii *dicterium.*
9. Macarenſium *Rex à Thoma Moro laudatus.*
10. Conſiliarii *& Politici athei Idoli RATIONIS STATUS cultores eorumq́ prætextus emunctorii taxantur.*
11. Epiſcoporum *& Clericorum ſacra aucupia & iniquitatis myſteria recenſentur, hoc & num. 12. 13. 14. 15.*
16. Epiſcopi *& Abbates quare in numerum Principum cooptati, & Regalibus inſigniti? & quid ſibi Impp. Germani in hac Regalium dignitatum collatione reſervarint? num. 17.*
18. Divitiæ *mundanæ & honores ſeculares quænam commoda fructusq́ pepererint in Eccleſia Chriſtiana? Et n. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34.*
35. Unus *an pluribus altaribus inſervire poſſit? & num. 36. 37. 38. 39.*
40. Jubilæi *Pontificii nundinationes, & n. 41.*
42. Annatæ *quid? in Gallia & Polonia nuper Anno MDCXLIII. abrogatæ, num. 43.*
44. Indulgentiæ *venum datæ.*
45. Margrethæ, *Norvvegiæ & Daniæ Reginæ, graviſſima tributa.*
46. Anglorum *conſuetudo, quâ Vaſalli hæredibus in minorenni ætate aufertur uſusfructus bonorum feudalium, improbatur; & numer. 47. 48. 49. 50. 51.*
52. Guilielmi *Angliæ Regis injuſta executio & ſanctio.*
53. Tributum *triſtiſſimum, quando Turca optimum quemve ex liberis Chriſtianorum deligit, & circumciſum in ſervitutem rapit.*
54. Vectigal *puellare replendis Imp. Turcici loculis adinventum.*
55. Tributum *omnium fœdiſſimum, quod Conſtantinopoli percipitur in loco extra forum Aurificum.*
56. Fraudes *Idoli ſtatus, quas, ut ſummam prudentiam ejus cultores Principibus venditant.*
57. Solutio *argumentorum objectorum; & num. 58.*
59. Conſuetudo *peccati non excuſat.*
60. *Non licet facere* malum, *ut eveniat bonum.*
61. Effugia *Politicorum pro injuſtis & iniquis expilationibus.*
62. *Contra tributorum acerbiſſimas exactiones; & num. 63. 64. 65. 66. 67. 68.*
69. Avaritia *omnium malorum metropolis.*
70. Cautiones *quædam circa tributorum exactiones adhibendæ, & n. 71. 72. 73. 74.*
75. Pyrrhicham *Scaliger Maximiliano Imper. exhibuit.*
76. Milites *præter victum & amictum & alia infauſta extorquent.*
77. Montierung *ſive* Ausrüſtung *quid? & num. 79. Plus damni hoc invento ſocii ſive amici, quàm hoſtes afferunt, num. 78.*
80. Militia *olim ſcholâ prudentiæ, hodiè nequitiæ: Tantum à veteri diſciplina diſtat, quantum virtus à vitio, n. 81.*
82. Militum *vitia; & num. 83. & num. 90. 91. 92. patriam ſpoliant, non hoſtem, numer. 83. 84. omnia bona ſuam prædam ducunt, n. 85.*
86. Diaboli *militaris decem ungulæ.*
87. Diſciplinæ *militaris neglectus, n. 88. 89.*
93. Peccata *deflenda.*

Sunt expilandæ rationes ſcrinia plebis
Subjectæ plures, quas fugiunto Duces.

1 MUltifarias Conſiliarii comminiſcuntur technas, quibus Principi queant coacervare theſauros, dum unus intendendam conſulit æſtimationem monetæ,

cùm ipſi ſit eroganda pecunia; minuendam rurſus infra juſtum, cùm fuerit corroganda; ut & multum æris parvo diſſolvat, & pro
2 parvo multum recipiat. *Alii ſuadent*, (1) ut bellum ſimulet, atque eo prætextu coacta pecunia, cùm viſum erit, faciat pacem ſanctis ceremoniis, quo plebeculæ oculis fiat præſtigium, miſeratus ſcilicet humanum
3 ſanguinem Princeps pius. Alius ei ad animum inducit antiquas quasdam & tineis adeſas leges, longâ conſuetudine antiquatas, quas, quòd nemo latas meminiſſet, omnes ſint transgreſſi, earum ergo mulctas jubeat exigi, nullum uberiorem proventum eſſe, nullum magis honorificum, utpote qui
4 juſtitiæ præ ſe perſonam ferat. Ab alio admonetur Princeps, ut ſub magnis mulctis multa prohibeat, maximè talia, quæ ne fiant, in rem ſit populi; poſt pecuniâ cum aliis diſpenſet, quorum commodis obſtat interdictum: ſic & à populo gratiam iniri, & duplex adferri compendium, vel dum hi mulctantur, quos quæſtus cupiditas pellexit in caſſes, vel dum aliis vendit privilegia tantò pluris, quantò ſcilicet fuerit melior Princeps, utpote qui gravatim quicquam contra populi commodum privato cuiquam indulgeat; & ob id non niſi magno
5 pretio. Alius Principi perſuadet, obſtringendos ſibi judices, qui quavis in re pro regio jure diſceptent, accerſendos præterea in palatium, atque invitandos, uti coram ſe de ſuis rebus diſſerant; ita nullam cauſam ejus tam apertè iniquam forè, in qua non aliquis eorum vel contradicendi ſtudio, vel pudore dicendi eadem, vel quò gratiam ineat, apud eum aliquam reperiant rimam, quâ poſſit intendi calumnia. Sic dum judicibus diverſa ſentientibus res per ſe clariſſima diſputatur, & veritas in quæſtionem venit, anſam commodam Regi dari, pro ſuo commodo jus interpretandi: cæteros aut pudore acceſſuros, aut metu: ſic intrepidè fertur poſteà pro tribunali ſententia: Neque enim deeſſe prætextus poteſt pronuncianti pro Principe. Nempe cui ſatis ſit, aut æquitatem à ſua parte eſſe, aut verba legis, aut contortum ſcripti ſenſum, aut quæ legibus denique omnibus præponderat apud religioſos Judices, Principis indiſputabilem
6 prærogativam. Dum omnes *Craſſiano* (2) illo conſentiunt atque conſpirant; nullam auri vim ſatis eſſe Principi, cui ſit alendus exercitus: prætereà nihil injuſtè Regem facere, ut maximè etiam velit, poſſe; quippe omnia omnium ejus eſſe, ut homines etiam ipſos: tantum verò cuique eſſe proprium, quantum Principis benignitas ei non ademerit. quod ipſum, ut quàm minimum ſit, Principis multum referre, ut cujus tutamentum in eo ſitum ſit, ne populus divitiis & libertate laſciviat: quod hæ res minùs patienter ferant dura atque injuſta imperia, quum contrà egeſtas, atque inopia retundat animos ac patientes reddat, adimatque preſſis generoſos rebellandi ſpiritus.

Ecquis verò non videt, hæc conſilia omnia Principi & inhoneſta eſſe & pernicioſa, cujus non honor modò, ſed ſecuritas quoque in populi magis opibus ſita ſit, quàm ſuis? Ecquis ignorat ſubditos ſibi deligere Regem ſuâ causâ, non Regis? videlicet, uti ejus labore, ac ſtudio ipſi commodè vivant, tutique ab injuriis, eoque magis ad Principem eam pertinere curam, ut populo benè ſit ſuo, quàm ut ſibi: non aliter, ac paſtoris officium eſt, oves potiùs quàm ſemet paſcere, quatenus opilio eſt. Nam quòd populi egeſtatem cenſeant præſidium eſſe, longiſſimè aberrare eos, ipſa res docet. Nempe ubi plus rixarum comperias, quàm inter mendicos? Quis intentiùs mutationi rerum ſtudet, quàm cui minimè placet præſens vitæ ſtatus? Aut cui denique audacior impetus ad conturbanda omnia, ſpe alicunde lucri, quàm cui jam nihil eſt, quod poſſit perdere? Quod ſi Rex aliquis adeò aut contemptus eſſet, aut inviſus ſuis, ut aliter eos continere in officio non poſſit, niſi contumeliis, compilatione, & ſectione graſſetur, eosque redigat ad mendicitatem; præſtiterit illi profectò regno abdicare, quàm his retinere artibus, quibus quanquam imperii nomen retineat, certè amittit majeſtatem, neque enim regiæ dignitatis eſt, imperium in mendicos exercere, ſed in opulentos potiùs atque felices, ut latius oſtenſum hoc tractatu paſſim, ut & altero, *de Contribut. lib. 1. c. 1. n. 96. 97. & 98.* 7

8 Quod ipſum ſenſit vir erecti atque ſublimis animi Fabricius, cùm reſponderet, malle ſe divitibus imperare, quàm divitem eſſe. Et profectò unum aliquem voluptate ac deliciis diffluere, gementibus undique ac lamentantibus aliis, hoc non eſt regni, ſed carceris eſſe cuſtodem. Denique ut imperitiſſimus Medicus eſt, qui morbum neſcit, niſi morte curare: ita qui vitam civium non novit aliâ viâ corrigere, quàm ademptis vitæ commodis, is ſe neſcire fateatur liberis, quin aut inertiam potiùs mutet ſuam aut ſuperbiam. Nam his ferè vitiis accidit, ut populus eum vel contemnat, vel habeat odio. Vivat innocuus de ſuo, ſumptus ad reditus accommodet, refrænet maleficia, & rectâ inſtitutione ſuorum præveniat potiùs, quàm ſinat increſcere, quæ deinde puniat; leges abrogatas haud temerè revocet, præſertim quæ diu deſitæ, nunquam deſideratæ ſunt, neque unquam commiſſi nomine ejusmodi quicquam capiat, quale privatum quempiam Judex, velut iniquum & vafrum, non pateretur accipere.

9 Macarenſium Regem laudabiliter introducit Thomas Morus, primo ſtatim die, quo

quo auſpicatur Imperium, magnis adhibitis Sacrificiis jurejurando ſe adſtringentem, nunquam ſe uno tempore ſupra mille auri pondus in theſauris habiturum, aut argenti, quantum ejus auri pretium æquet. Scilicet, ne properet ad indictionem Collectarum, quæ ærarium quidem Principis augent, at ſubditorum & marſupia privatorum nimis emungunt, non ſine ingenti ipſius Reipublicæ aut Principis incommodo, cujus intereſt, locupletes habere ſubditos, ut ait Juſtin. Imperator in præfat. Novell. 8. Ex quo laudatiſſima Venetorum Reſpublica, apud quos capitale eſt, de publico ærario augendo verba facere, quod prudenter ab iis inſtitutum Cominæus *lib. 2. de Bello Neapolitan.* Quia certiores non habet Princeps Quæſtores ærarios, quàm ſubditos, nec qui pecunias ei liberaliùs, quoties neceſſe erit, ſuppeditat: *Et dixi alibi.* (3)

10 Exceſſus itaque inexcuſabiles committunt Conſiliarii & Politici Athei, *Idoli* Rationis Status (4) cultores pervicaciſſimi, quando Reges & Principes ſuos abſolutos ſtatuunt rerum dominos, ut, quantum libet, ſubditis imperent, auferant & violenter ad ſanguinem uſque extorqueant; quando ad obtinenda tributa, neceſſitatem publicam, pericula belli, munitionum ſtructuras, defenſionem regni & ſubditorum ſalutem allegant, & tamen illa in alios uſus ſæpè malos pro lubitu convertunt, aut in theſauris reponunt, aut ad luxum & voluptates leviter expendunt; quando non cauſas, ut cauſas, fingunt; quando per miniſtros ſubditos doloſè circumveniunt, libera ſubſidia blandè poſtulant, & ſecretis comminationibus voluntati vim faciunt, cùm paucis munera pollicentur, ut multitudinem inducant, cùm ad ſpeciem pauca petunt, & quantitatem conceſſam multis paſſibus excedunt; quando pios fines prætexunt, & in rebus peſſimis ſanguinem ſubditorum conſumunt; quando ſumptus pro ſalute provinciæ factos ultra modum extendunt, ut cum ingenti fœnore multiplicatum recipiant; quando, ut ære alieno liberentur, vectigalia ad tempus certum obtinent, & illa conditione adimpletâ in conſuetudinem, imò legem continuant; quando ſubditis mercaturam prohibent, ut ipſi monopolia conſtituant, & utilitates privatorum acquirant; quando per Rationem Status omnes exceſſus Collectarum excuſant, dicendo, quòd non teneantur ſubditis neceſſitates revelare, quæ aliquando majores ſint, quàm illi comprehendant, & ſi quis illas in dubium vocet, quod crimen læſæ Majeſtatis committat, & ſceptro vim inferat; quòd tanquam ſeditioſi & rebelles puniendi ſint, quòd Principes injuſtitiæ arguunt, & tributa recuſant.

11 Porrò in hanc honeſtarum & illicitarum Expilationum claſſem reponi poſſunt ſacra aucupia, & iniquitatis myſteria, quibus Epiſcopi & Clerici Comitum aliorumque Dynaſtarum oppida, urbes, provincias, pedagia, telonia & alia, quæ imperii propria erant, Epiſcopatibus incorporârunt. Nam degenerantibus & ad negotia politica ſe convertentibus Epiſcopis, Canonici etiam immutati ſunt: Et quia Epiſcopos atque Canonicos cælibem tranſigere vitam Pontificia juſſerunt Decreta, vel hinc de induſtria Comites & Barones conſtituerunt elegeruntque Canonicos, & Epiſcopos. Quâ & ipſâ de causâ permultæ nobiliorum familiarum, deficienti civili prole, interierunt & penitùs evanuerunt; ipſis autem Epiſcopatibus & Cœnobiis multa, & quidem præclara accreverunt bona Eccleſiaſtica. Atque unde cæteris? unde Hildeſienſi Epi- 12
ſcopo tantæ & tam amplæ poſſeſſiones? Annon, ubi familiæ illuſtres defeciſſe auditæ ſunt, excluſis, vel vi, vel fraude, legitimis hæredibus, exuvias defunctorum invaſerunt, ſibique vindicarunt Epiſcopi? Stratagema ſi requirit Lector, adeat Crantzii *Metropol. lib. 8. c. 25. Saxoniam lib. 8. c. 28.*

Præcipuè autem excommunicationem 13
ſive bannum, & lucroſas, pœnitentiæ loco, delinquentibus irrogatas pœnas, ſive mulctas, tanquam retia ad intercipiendum laicorum Ditiones, opportuna & commoda, ſummo urſerunt ſtudio Epiſcopi & Clerici. Magiſtratus enim politicus, quando exorbitavit, limites pietatis & honeſtatis vel leviter tranſiliens ab Epiſcopis & Cœnobiarchis ditiſſimæ regiones, præfecturæ, territoria, prædia, oppida & ſimilia fuerunt offerenda & conſecranda. Ne autem ſacrum 14
hoc aucupium & iniquitatis myſterium *hæreticorum* (5) judicetur eſſe figmentum; ideoq; differentem hac de re audiamus ipſum Cardinalem Petrum Damianum, qui apud Baronium *tom. 11. Anno 1055. num. 6.* Cùm à pœnitentibus, *inquit*, terram accipimus, juxta menſuram muneris eis de quantitate pœnitentiæ relaxamus, ſicut ſcriptum eſt, divitiæ hominis redemptio ejus. Perpende igitur, quia ſicut illis, qui prædia præbent Eccleſiis, pœnitentiæ ſuæ pondera meritò levigantur, ſic ille, qui ſubtrahit, ſubeundæ pœnitentiæ dignâ mole reprimitur. Quod 15
Pontifex ipſe hunc actum agat, ludumque ludat, commonſtrat exemplum ab Abrahamo Bzovio *tom. 13. anno 1212. num. 3.* relatum. In Angliam, *ait Bzovius*, Innocentius Pontifex tunc Subdiaconum, ſed poſtea tituli SS. duodecim Apoſtolorum Cardinalem presbyterum Legatum miſit, qui Regem in pœnam religionis contemptæ excommunicatum, ſupplicem, atque ſatisfacere ſpondentem anathemate exſolveret. Non priùs illum Pandulphus abſolvit, quàm ipſe diadema capite ademptum

eidem Pandulpho Legato Apoſtolico traderet: neque priùs reciperet, quàm univerſam Angliam, & Hiberniam feudatarias eſſe Romanæ Eccleſiæ ſive renunciaret, ſive obligaret, aſſignato in annos ſingulos cenſu; pro Anglia quidem ſeptingentis Marchis auri, pro Hibernia verò trecentis.

16 Epiſcopatibus ſic robur & incrementum ſumentibus, nonnulli Epiſcoporum, uti & Abbatum in Germania in numerum Principum cooptati, & ad principalis dignitatis faſtigium evecti, cum Regalibus omnigenaque Juridictione per ſcipionem & annulum ſunt inveſtiti, Theodor. Niem. *de privileg. & jur. Imper. cap. de Saxonia & cap. de Otthone*. Cardinal. Cuſan. *de concord. Catholic. lib. 3. cap. 27.* Reinerus Reineccius *de Saxoniæ Originib. pag. 23.* Sicuti hoc ipſum Archiepiſcopus Moguntinus nomine & ore omnium in Germania Epiſcoporum coram Imperatore Friderico Gelnhuſii Anno MCLXXXVI. ingenuè confeſſus eſt; cujus verba repetere haud veretur Baron. *in Annal. Anno 1186. num. 10.*

17 Non tamen ſilentio involvendum eſt, quòd ob hanc regalium dignitatem & territoriorum collationem Imperatores Germani ſibi & imperio expreſsè reſervarint, ut præter tallias, fodrum, paratas & manſionaticum (quæ Regibus adventantibus & quamdiu ibi moram traherent, exhibenda erant) ex hac vita decedentium Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Abbatum eminentiorum relicta bona, ſive res mobiles, puta aurum, argentum, pecunia, clenodia, &c. ac ſe moventes, videlicet equi, pecudes, animalia domeſtica, feræ, cederent Fiſco ſeu Cameræ Imperiali. Hoc jure & privilegio gaviſi ſunt Imperatores Germanici, omneſque ad Fridericum Suevum, cognomine Barbaroſſam, cui Urbanus III. hoc nomine primus litem movit, ut videre eſt in Meibomii Diſſertatione ſuper quodam antiquo, & antiquato Cæſarum Germanicorum Jure Anno MDCXII. Helmſtadii edito.

18 Commoda autem, fructus & emolumenta, quæ in Eccleſia Chriſtiana mundanæ hæ peperêre divitiæ & honores ſæculares, ita, proh dolor! ſe habent, & cum illis ita comparatum eſt, ut lacrumis ſat amaris nunquam deplorari queant, aut expiari: Hâc enim ratione cum diverſa jura & qualitates in unam perſonam concurrerent, & Epiſcopus diverſas vices ſubiret & adminiſtraret, ſenſim & quaſi ſine ſenſu animarum cura eſt neglecta, & tam propriè, quàm impropriè dicta bona Eccleſiaſtica fuerunt permiſta, & maxima ex parte in malos uſus collocata.

19 Hac de miſeria olim D. Bernardus circa annum Chriſti hanc notatu digniſſimam ingeminavit querelam *in Sermone 33. ſuper Cantic.* Miniſtri Chriſti incedunt de bonis Domini, qui Domino honorem non deferunt. Inde is, quem quotidiè vides, meretricius nitor, hiſtrionicus habitus, regius apparatus: inde aurum in frænis, in ſellis, & calcaribus, & plus calcaria, quàm altaria fulgent. Inde ſplendidæ menſæ & cibis & ſcyphis, inde comeſſationes & ebrietates, inde dolia pigmentaria, inde referta marſupia. Hujusmodi volunt eſſe, & ſunt Eccleſiarum Præpoſiti, Decani, Archidiaconi, Epiſcopi & Archiepiſcopi, &c. Idem Bernar- 20
dus *Epiſt. 2. ad Falconem:* Dignum eſt, ut qui Altari deſervit, de Altari vivat. Conceditur ergo tibi, ut ſi benè deſervis, de Altari vivas, non autem ut de Altari luxuries, ut de Altari ſuperbias, ut inde compares tibi fræna aurea, ſellas depictas, calcaria deargentata, varia griſeaque pellicea à collo & manibus ornatu purpureo diverſicata, &c. Et 21
alibi D. Bernhardus: *Religio peperit divitias, & filia devoravit matrem.* Quam ſententiam paucioribus expreſſit verbis Arnoldus Lubecenſis inquiens; *Crevit poſſeſſio, & evanuit religio.*

Potho Prumienſis, qui vixit Anno Chri- 22
ſti MCLII. & ſcripſit librum de domo Dei, inſertum Bibliothecæ *P. P. tom. 8. col. 708. ita conqueritur.* Præſentis temporis, *inquit*, felicitas conſpicua in auro & argento, in apparatu armorum, in numero militum, in illecebris conviviorum, in frequentia miniſtrantium, in lautiſſimis dapibus & pretioſis poculis, in equitatûs ornatu, in ſellis & frænis deauratis, in venationibus, in canibus. Omnia hæc illis famulantur, quibus vel ficta ſanctitas, vel generis nobilitas ſuffragatur. Propter hæc cupiunt eſſe Epiſcopi & Prælati, ut his bonis fruantur, ut delitiis affluant, ut Eccleſiæ Dei magis præſint, quàm proſint; ut familiam Eccleſiæ ſubjectam habeant, ut domini rerum ſint; ut quantò Eccleſiæ ſint ditiores, tantò ipſi fiant clariores.

Petrus Bleſenſis, qui vixit Anno 23
MCLXXVII. *in Epiſt. 60.* hunc in modum ſcribit: Cauſaris & arguis Epiſcoporum nequitiam, qui circa parentum promotionem ſunt adeò ſingulariter occupati, ut nihil aliud affectent, aut ſomnient, atqui indigentiam ſcholarium, vel in modica viſitatione non relevant. Purpurata incedit parentela Pontificum, & elata de patrimonio Crucifixi in ſuperbia, & in abuſione ad omnes vitæ ſæcularis illecebras ſe effundit. Non
attendunt, quid deceat, dummodò quid 24
placeat, aſſequantur. Franciſcus Petrarcha, qui vixit anno MCCCL. *in libr. Epiſtol. ſine titulo fol. 799.* Omne, *ait*, genus humanum ſuos patitur tyrannos. Ad laudes ore & animo canendas Deo geniti, totam vitam in contentionibus & æmulationibus agimus. Inſignis Chriſti Eccleſia illa olim arx divini

cultûs

cultûs eximia, nunc inanium ſpelunca latronum facta eſt.

25 Æneas Sylvius, qui vixit A. MCCCCL. *in commentar. de geſtis Baſilienſ. Concilii fol. 30.* Noſtri divites, *inquit*, qui umbris, delitiis, otio, ac deſidiæ dediti, negare potiùs Chriſtum volunt, quàm aſſuetis carere voluptatibus: quosque non populus, ſed reditus facit Epiſcopos: quique amantes divitias, omnes pauperes exiſtimant infelices. Idem *in lib. de Morib. Germaniæ pag. 1061.*

26 Omnes, *ait*, Epiſcopi Principum more equos, canesque alunt, & hiſtriones paraſitosque nutriunt, neque ſine magno comitatu eſſe volunt. Nec tu aliter, quàm in aulis regalibus apud Prælatos inſtrui convivia videbis. Luxuria & ambitio Germanicas Eccleſias exhaurit.

27 Eraſmus Roterodamus *lib. 17. Epiſt. ad Juſtum Jonam* ita conqueritur: Haud ſcio, an unquam Eccleſiæ proceres tanto ſtudio, tamque palàm inhiaverint hujus mundi commodis, quæ Chriſtus docuit oportere contemni, quàm hodiè videmus.

28 Nec minùs erant collapſa Sacræ Scripturæ ſtudia, quàm mores. Divinæ literæ ſervire cogebantur humanis cupiditatibus, populi crudelitas in quæſtum paucorum vertebatur. De Epiſcopis ſui temporis conqueritur Crantzius *libr. 2. Metropol. cap. 27.*

29 *his verbis*; Noſtris temporibus Pontifices Evangelizandi miniſterium relegarunt in ſacerdotes, ipſi Superintendentes (ſic enim ſonat Epiſcopi nomen) meliora ſibi deſumunt in decimis & primitiis, & oblationibus, equis, armaturis, evectionibus magnificis intenti, curam gregis abierunt. Sic argentum Eccleſiæ paullatim verſum eſt in ſcoriam. Nam, ut idem Crantzius *Metro-*

30 *pol. lib. 4. cap. 9.* Humilitati ſucceſſit Faſtus; Religioni Vanitas; Sanctitati Rapacitas & Immunditia: Salventur, quomodo poſſunt, quique in populo & plebe.

31 Opes in Eccleſiam invectas fuiſſe inſtrumentum luxuriæ, & ſummi materiam mali intellexerunt, ſapientes Imperatores, & ita intellexerunt, ut ſubmovendas putarint. Legatur oratio Otthonis IV. Imp. apud Guilielmum Britonem *Philippidos libr. 10.* cujus hæc eſt ſumma: ut Eccleſiæ decimas tantùm & oblata munera poſſideant, regalia autem, id eſt, villas & prædia Imperatori relinquant, ut hinc populus vivat, & milites

32 ſua habeant ſtipendia. A qua ſententia non abit ſucceſſor Fridericus II. cujus Petrum de Vineis *lib. 1. Epiſtolar. cap. 2.* hæc ſunt verba: Semper fuit noſtræ voluntatis intentio, Clericos cujuslibet religionis ad hoc inducere, & præcipuè maximos, ut tales perſeverent in fine, quales fuerunt in Eccleſia primitiva, apoſtolicam vitam ducentes, & humilitatem Dominicam imitantes; *Et paulò*

33 *poſt*; Noſtri, *inquit*, Clerici delitiis inebriati Deum poſtponunt, quorum ex affluentia divitiarum religio ſuffocatur. Talibus ergò divitias ſubtrahere nocentes, quibus damnabiliter onerantur, opus eſt charitatis.

Utinam Cæſar optimus decretum hoc 34
boni publici promovendi & mali à Repub. avertendi gratiâ ad effectum produxiſſet! Utinam primi illi & priſci in Germania Epiſcopi à laudabilibus majorum ſuorum moribus, inſtitutis, vitæque integritate & ſanctimoniâ non degeneraſſent! Utinam ſe ex fundationum literis tenuiùs aluiſſent! non certè eſſent hodiè Pomum Eridos & Materia pertinacis litis.

Vetuſtas arbitrabatur, nec unum poſſe 35
plus, quàm uni alteri ſervire: ſiquidem unius beneficii miniſterium unum totum hominem & hujus unum Canonicarum precum penſum requirat. Unum ergò cenſebant cuilibet Canonico concedendum beneficium, non plura ſingulis. Jam verò inverſa videmus & perverſa omnia. Reperias nunc multos, quorum ſinguli obtineant propemodum infinita: ſunt enim, qui habeant beneficia non modò ad victum cultumque vitæ, ſed ad inſtrumenta etiam omnium voluptatum diſtributa.

Refert Sylveſter Czecanovius *in Dia-* 36
log. de corrupt. morib. Pontific. & Evangelic. fol. mihi 65. Cracoviæ Prælatum quendam habuiſſe ſingula beneficia pro ſingulis familiaris rei functionibus: aliud, quo cocus alebatur, aliud, quo ſtabularius, aliud, quo cubicularius, aliud, quo ganymedes, aliud, quo concubinæ, aliud denique, quo axungia emebatur; Nedum, quod ipſe Prælatus pro ſe, menſaque ſua & ſplendore Prælaturas habuerit, idque non unum beneficium ſub uno tecto, ſed ſub uno eodemque quàm plurima: ut ferè potuerit idem Prælatus tot in Codicillis ſuis ſacerdotia computare, quot in anno dies.

Hinc demum conjectandum, qualis ſo- 37
leat exerceri mercatura, quales emptiones, venditiones, reſignationes, reſervationes, penſiones, permutationes, & nullum non exercendi fœnoris quæſtusque illiciti & Simoniæ ſtudium. Et quid execrabilius aut 38
dici, aut cogitari poteſt, quàm quod plerique Canonicorum aut horum ſimiles Parochias ſive favore Præſulum, ſive mercaturâ, aut Simoniacis artibus, paſſim impetrare ſolent? Videmus enim hosce Parochiarum aucupes, cùm opimas ſint adepti, iis præficere mercenarium aliquem ex eo genere, qui lupum fugiat, gregem non magnifaciat, niſi præſente lacte atque abdomine. Interea verò regulares illi præclarique aucupes parochiarum fructus admodùm ſtudioſè inquirunt, colligunt, in horrea ſua comportant, &, ſicuti conſueverunt, fruuntur venuſtè atque genialiter; at verò interim à mercenario malè paſci, perniciosè deſeri, fraudu-

fraudulenterq; prodi lupis dominicum gre-
gẽ,nullius curæ eſt, ſed jocus & ludus Cano-
39 nicorũ.Sed valeant iſta ſacrilegia pecuniarũ-
que aucupia,piis & cordatis hominib.inviſa,
quæ multi à temporibus Huſſi contra datam
fidem apud Conſtantiam flammis abſumpti
& voce & ſcriptis taxarunt; id quod ex cata-
logo teſtium veritatis, quem Matth. Flaccus
Illyricus,antiquitatis indagator ſolertiſſimus
inchoavit primùm, alii acceſſione non par-
vâ locupletârunt,manifeſtũ fit. Verùm non-
dum apparebat tempꝰ illud gratiæ & libera-
tionis,quod noſtra vidit &admirata eſt ętas.
40 Quid dicam de nundinationibus *Jubilæi*
(6)*Pontificii*,quæ etiam ipſis Italis præſertim
doctioribus, ex ſuperſtitione in Epicurei-
ſmũ prolabentibus, ludibrio ſunt & abomi-
nationi.Circa A.MCCC quo Bonifacius VIII.
Jubilæum centeſimo quoq; anno celebran-
dum indixit, tam magnũ excitavit hominũ
concurſum, ut vix per urbẽ quamvis amplã
& vaſtã incedere liceret. A.MCCCL. Clemens
VI.decurtato Jubilæi ſæculo,revocat illud ad
annũ quinquageſimum. An.MCCCCL.Nico-
lao V.ſedente tantus eſt concurſus ad Jubilæ-
um,ut Eccleſiæ nõ omnes caperent,multiq;
de ponte S. Angli in Tiberim ſint præcipita-
41 ti.*Volaterran.pag.517.*Unicum Bonifacii IX.
Romani Pontificis exemplũ referre allube-
ſcit.Huic enim,tempore Wenceslai Imp.in-
ſueta deceſſoribꝰ felicitas obtigit,ut meſſem
Jubilęi argentariam bis uno decennio mete-
ret. Nam annum ſui ſæculi nonageſimũ ſa-
craverat Urbanus VI.ejus prædeceſſor,veluti
triceſimũ tertiũ,quod id ætatis habens Chri-
ſtus,mortẽ pro nobis oppetiiſſet.At minimè
eũ viderat: veneno aut ægritudine luci ſub-
tractꝰ. Bonifacius,vorago pecuniarum inſa-
tiabilis, non lucratus inde, quantum vellet,
mutata mente, centeſimũ deinde colere, ut
ſacrũ juſſit, Joan. Cluv. (7) *in Epit.hiſt.totius
mundi p.629.*Huc refert ab eodem Bonifacio
42 IX. anno MCCCXCVI. inſtitutas *annatas*, (8)
hoc eſt,vectigal prædiorum Eccleſiaſticorũ à
primo anno poſſeſſionis pendendũ ſedi Ro-
manæ adversùs infideles, quod in Gallia, ac
Polonia nuper An.MDCXLIII.ab Sigismundo
Rege ſublatũ,ut dixi ſuprà *c.83.n.34.in fin.*Et
43 *indulgentias*,(9)quas Innocentius VIII.anno
MCCCCLXXXIV. venũ dat, viventibus & mor-
tuis profuturas; Itemq; pleniſſimas indulgẽ-
44 tias, quas Leo X. anno MDXVII. circum circa
miſit, decem aſſibus in ſingulos æſtimatas.
Quã occaſione Lutherus incepit concionari
45 & ſcribere cõtra Indulgentias. Valeant Mar-
grethæ Norvvegiæ &Danię Reginæ graviſ-
ſima tributa, quibus Sueonas & Gothos ex-
hauſit, ita ut certam pecuniæ ſummam pro
qualibet cauda jumentorũ exigeret; florenũ
pro foco quolibet,marcham unam Stochol-
mienſem à quolibet conjugio ultra gravia a-
lia tributa,quæ ſingulis ſeptimanis & menſi-
bus extorquebantur, Joan.Magnus *lib.21.c.*
46 *19.*Et dixi ſuprà *c.146.n.32. Anglorum quoq;
conſuetudo*, (10) quã Vaſalli hæredib. quàm
diu ſunt minorennes,Dominꝰ aufert uſum-
fructũ feudorũ mobiliũ, improbanda vide-
tur.Nam etſi hoc colligendę pecuniæ medi-
um in claſſem juſtarũ Exactionũ repoſuerim
ſuprà *c.61.*Et nõnulli rationẽ æquitatis hanc
aſſignent, quòd feudũ eo fine conceſſum ſit
Vaſallo,ut inde ſervitia prǣſtet Domino,quę
quia prǣſtare non poteſt pupillus, Dominus
interim reditus ſibi repetit, & ex iis ſibi con-
ducit,qui pro pupillo ſerviat,ſic ut Servius o-
lim apud Romanos à viduis voluit ali equos
publicos Equitũ,binis millibus æris in annos
ſingulis collatis,Liv.*lib.1.* Attamẽ in hoc ex-
emplo non parva eſt differentia: Quia certã
tantùm pecuniæ ſumam erogabant viduæ
pro ſervitiis,quæ ipſæ ſervire non poterant,
reliquis reditibꝰ fruebantur in ſolidũ. Quod 47
ſi Dominꝰ ex pupilli bonis tantum auferret,
quantũ in ſervitia opus eſſet, reliqua pupillo
relinqueret, res videretur minori iniquitate
laborare;quanquã nec illud ęquitati ſatis cõ-
ſentaneum eſſet, cùm de jure feudali ſcripto,
nec fidelitatẽ,nec ſervitia etiam præſtare per
ſubſtitutũ teneatur pupillꝰ,*c.ſi quis deceſſerit
ſi de feud.defunct.content.&ibi FF.communi-
ter.*cui licet uſu Curiarũ abrogatũ teſtetur gl.
in d.c.verb.cogitur. tamen non aliter pupillũ
ſervire teneri ibidẽ Dd.docent,niſi per ſubſti-
tutũ aut contributionẽ fructuum,Schrad. *de
feud.part.6. c.6.n.9.* Roſenth. *c.8.concl.8.n.5.*
Sive igitur longâ conſuetudine lex illa inva- 48
luerit,ut vult Smith.*lib.3.de Rep.Ang.c.5.*ſive
ab Henrico III.primùm introducta,cùm fiſcꝰ
inteſtinis bellis exhauſtus eſſet, Pol.Virgil.*in
hiſt.Angl.* eatenus ab iniquitate vindicari nõ
poteſt,quatenꝰ à pupillis plꝰ exigit,quàm in
ſervitia ſolida conſumatur. Meritò n. Ariſt.
*2.Oecon.*in Tyrãnides Dionyſii receſet,quòd 49
reditus orphanorum cogitaverit Fiſco ven-
dicare, cùm orphani & pupilli inter miſera-
biles perſonas collocẽtur quarũ cauſa dicitur
pia, quibus & viduis Valer. Publicola omne
tributũ remittendũ cẽſuit.Quare n.tam pru-
denter pupilli rebus proſpexerunt Romani,
tamq; ſeveris legib. circumſcripſerunt pote-
ſtatẽ tutorima,niſi ne qua fraus fieret pupillo
ab eo,qui minùs præſumitur curaturꝰ res ali
enas,quàm ſuas: à quo ut abduceretur tutor,
placuit JCtis,ut ſi res ſuæ & pupilli in par pe-
riculum deductæ eſſent, tutor res pupilli ſuis
prǣferre debeat;Quid autẽ bonis pupilli evẽ- 50
turũ ſperamꝰ in Anglia, ubi nõ tantùm Do-
mini, qui ſe pro tutore gerit, adminiſtratio
tam ſeveris cancellis ſepta &incluſa nõ eſt,&
eò tendit,nõ ut res pupilli ſartę tectæ ſerven-
tur,ſed ut ipſe,durante ejꝰ minorẽnitate, plꝰ
lucretur,& Fiſcꝰ inde diteſcat?Itaq; fit, ut cui
locupletẽ pater decedens relinquit hæredi-
tatẽ,ſæpè depauperetur,priusquã eã adeundi
copiã obtineat. Ne dicã interim de pravâ e- 51
ducatione pupillorũ cui Rex propter multi-
tudinẽ eorũ, nec ſatis diligentẽ operã impẽ-
dere poteſt, nec libenter velle præſumitur,
ut aliarũ rerũ naturaliter negligentes ſumus.

Aut

Aut ſanè minùs eam rem curabit, quàm is, quem vel idem ſanguis vel ſeveritas legis diligentiorem efficit, nec ſpes majoris lucri ab iſta diligentia abducit. Sive enim plus, ſive minus educando pupillo impendat, tantundem lucratur, quod ſecus eſt in tutore Anglico, qui quò minùs pupillo impendit, eò majorem quæſtum facit. Sed & illud iniquitate non vacat, quòd ad nutum Domini minorennes matrimonium inire, unde conjugia oriri videmus immatura, inæqualia, inquieta, aliaq; ſequi incommoda. Licet igitur hoc in caſu jus quæſitum non auferatur, ſed acquirendum ſuſpendatur tantùm, tamē quia iſta ſuſpenſio cum quadam iniquitate conjuncta eſt, ſine magna cauſa fieri non debet.

52 Non probarem etiam, quòd *Gulielmus dictus Conquæſtor*, (11) Angliæ Rex, aliquando exſecutus eſt: dum civitates, Epiſcopatus, Cœnobia immunitatibus privavit, ut eas poſtea à ſe redimerent cariùs: atq; inter cætera ſanxit, ut arbitrio Principis auxilia ferrent.

53 Tributum quoque triſtiſſimum eſt, quando Turca optimum quemq; ex liberis Chriſtianorum deligit, quem circumciſum, ſummotumque à conſpectu parentum militiæ deſtinat, nec unquam ad parentes ei reditus datur. Et quia puer adhuc in triſtiſſimam ſervitutem rapitur, facilè & Chriſtum oblivione dediſcit, & parentes, cæterosque conſanguineos omnes; nemo verbis explicare poteſt, quib9 lacrumis, quo gemitu, & ſingultib9 iſtiusmodi diviſio fiat. Pater filium quem in cultum Chriſti educaverat, rapi videt ad militiam Sathanæ, ut Chriſtum oppugnet. Filius abſtrahitur à parentib9 perpetuò inter alieniſſimos victurus, quicquid charum eſt, ſanguine, ſodalitate gratum, familiare amicum relicturus: poſtmodum in eorum numero futurus, quos Græci ἀπάτορας καὶ ἀμήτορας, vocant.

54 Sed & vectigal Puellare replendis Imp. Turcici loculis adinventum omninò improbandum eſt, quod à puellis exigitur, quæ nubere volunt, quarum omnium exactus habetur catalogus. Si virgo nupturiens ſit Turcici generis, ſolvit duas tertias partes unius Zequini: ſi Judaica, Zequinum integrum: ſi Chriſtiana, Zequinum unū cum dimidio.

55 Deteſtabilius eſt & omnium fœdiſſimum tributum, quod percipitur in loco extra Forum Aurificum Conſtantinopoli, ubi venduntur homines, viri & fœminæ, obſervato tamen certo diſcrimine. Alibi enim proſtant ea mancipia, quæ jam ſervire didicerunt & aliquid opificii exercere noverunt: alibi ea, quæ nihil horum ſciunt. In hoc manifeſtè apparet obſcœna & formidabilis Turcarum Tyrannis, quâ in miſeram ſervitutem addicuntur ii, quos Dominator Mundi creavit liberos. Adſunt Mercatores & excutiunt merces illas, ita ut nuda proſtantium inſpiciant corpora, cujuſcunque ſint generis aut ſexûs, ſatiſne omnia ſint ſana, ita ut non parcant curioſè intueri eas partes, quas naturalis verecundia vult occultari. Mulieres & puellæ, quæ pre cæteris elegantiores ſunt, ferè majori venduntur pretio; aliquando ut ſuccumbāt horrido & deformi alicui Æthiopi. Quæ ſunt deformiores, parvo emuntur, ut ad res turpes & obſcœnas, & impura preſtanda ſervitia adhibeantur, ut illuſtribus aut alioquin opulentis mulieribus Turcicis præſtò ſint, quoties ad deponendum ventris onus loca ſecretiora petunt. De miſeriis, quas cæteri miſeri homines, qui ad hunc modū emptitiam ſervire coguntur ſervitutem, ſuſtinent, malim alios ſcribere; Quis enim ſine lacrumis videat atque gemitibus tantum Chriſtianorum numerum, qui omnes in catenis & compedibus ferreis expectant quavis morte acerbiorem ſervitutem? Aſt tant9 in univerſum hujus negotiationis eſt fructus, ut Mangones & Plagiarii iſti ſolvant quotannis Magno Principi vectigalis nomine XVI. millia Zequinorum, qui conſtituunt LXIV. mill. libr. referente Joan. Lud. Gotofr. *in Archont. Coſm. f. 636*. At inquiunt cultores Idoli Status 56 & Pſeudo-Politici (1) abſolutum Principis dominium & imperium, idq; (2) alios Reges infideles & barbaros in bona & vitam ſubditorum uſurpare, voluntatemq; Principis (3) pro lege valere, &c. Reſpondetur; Falſiſſimū 57 eſſe Politicorum fundamentum, Principes ſuos abſolutos rerum Dominos ſtatuentiū. Solum Deum Omnipotentem, Creatorem & Conſervatorem rerum omnium exercere abſolutiſſimum & juſtiſſimum in res creatas imperium, homines verò Reges & Principes tale abſolutum imperium non habere, quia à ſummo Deo, quod habent, certis legibus accipiunt, rationibus villicationis reddendis obnoxii. Vicarii ſunt Dei, Nutricii Eccleſiæ, Paſtores ſubditorum. Deus nō ſolùm transfert regna, ſed etiam, quando vult, ſpiritum Principum Populos autem in particulari & cuilibet hominum ſua diſtribuit bona, cum libertate utendi, fruendi, emendi, vendendi, ſecundùm leges veræ juſtitiæ. Ergo Deus ſolus eſt omnium Dominus, cui Rex & ſubditi in ſuo gradu ad rationes obligantur. Deinde 58 (2) Tyrannorum eſt, & atheorum abſolutū ſibi in ſubditos vindicare imperium, nequaquam tamen illos hoc jure habere; Sicut & (3) ſolis Tyrannis uſitatum, indignum Chriſtianis, qui voluntatis ſuæ terminos habent mandata Dei & juſtitiæ. Si quis regerat, Principes Chriſtianos ſolere de generali conſuetudine ſubditis ad facilitandum conſenſum pauca tributa imponere, & per miniſtros multa ſecretiùs colligere, ex ſuperfluis neceſſitatibus occultis ſatisfacere & ideò illū modum collectandi injuſtum non eſſe, neq; inter Idoli fraudes numerandum: Reſpondetur, nullam conſuetudinem, quæ nutriat 59 peccatum, Chriſtianis probari, ſed hęc grave continet peccatum; Ita nō valet conſequentia, Princeps habet occultas neceſſitates, ergo

Subdi-

Subditos circumvenire, & ab illis arcanis mediis ſubſidia extorquere poteſt, odit tenebras doli verus Chriſtianus, adeò, ut nec Princeps ſuperflua ad pios uſus convertere
60 valeat; Cùm non liceat facere malum, ut eveniat bonum, ſi pius eſt Princeps, de ſuo habeat, quod largiatur.

61 Sed quia undique non tantùm Politicos cultores Idoli, verùm etiam pleroſque Principes, & aulicos contradicentes & reclamantes inaudio, quòd in collectis tam ſtricta ratio Conſcientiæ & Juſtitiæ ſervari non poſſit, quòd per hunc rigorem nimis coarctentur & potentiâ neceſſariâ deſtituantur, depauperentur, nec ab omni liberalitate impediantur; neceſſariò omnibus & ſingulis reſpondeo, hæc argumenta ex ſcholis Idoli Statûs provenire, apud veros Chriſtianos falſa eſſe. Quia non major eſt ratio, quare in collectis conſcientiæ puritas, & juſtitiæ rigor obſervari non poſſit, & debeat, quàm in quacunque alia actione humana, præſertim cùm lex divina non excipiat, ſed diſtinguat; niſi velimus dicere, Principes in hoc caſu extra legem eſſe, quod privilegium adhuc magis impium eſt. Deinde quia juſtus Princeps non coarctatur, quando ad leges conſcientiæ reducitur, cùm in mala conſcientia nulla ſit libertas. Tertiò, quia non minuitur potentia, qui injuſta remedia recuſat; roboratur & confirmatur, qui ſuis contentus, juſtè accipit, juſtè diſtribuit. Quartò, quia nunquam benè diteſcunt, qui aliena dolo acquirunt, vel violenter rapiunt. Non eſt Rex juſtus, pauper. Quintò, quia gratior & ſplendidior eſt liberalitas, quæ de propriis procedit, quàm quæ pauperum ſudore contaminata eſt. Odioſus, & gravis hìc rigor, ſed neceſſarius ad liberandos Principes & ſubditos à periculis æternæ ſalutis, niſi enim illi ab injuſtis exactionibus abſtineant, & hi à maledictionibus ſeſe abſtrahant, æternùm peribunt, quod ſibi dici indignè non ferent, qui minas Spiritus Sancti devotâ mente conſiderant.

62 Sed nec unquam inter homines usquequaque felix eſſe ſolet acerba rapacitas. Cives enim benignè habiti in pace erga Principem liberales & belli temporibus fidi ſunt: expilati nec in pace prodeſſe, in bello etiam plurimum nocere poſſunt, Machiavell. *libr. 7. Hiſtor. Florent.* Tempus, & mille nunquam cogitati caſus offerunt, quibus non poteſt inimicus, ſed debilis & contemptus, & qui nunquam fortaſſè jurare potuit, poſſit extremè nocere, Coneſtagg. 1. *de bello Belgico.* Nam non ita omnibus fortunis nudari quis poteſt, ut non ei ad vindictam cultellus remaneat, Machiav. *3. diſput. 6.* Metus & terror infirma vincula charitatis ſunt; quæ ubi removeris, qui timere deſierint, odiſſe inci-
63 pient, Tacit. in Agric. *cap. 32. num. 3.* Carthaginenſes ſuperbè & avariter Africanis imperitabant; mediam fructuum partem auferentes, tributa duplicantes, eoque ſolùm probantes miniſtros & præfectos, non qui clementer & benignè cives tractaſſent, ſed qui grandem ærario pecuniam per fas nefaſque corraſam intuliſſent. Quibus rebus factum eſt, ut pleræque civitates ſeditioſis militibus poſtea accederent, Polyb. *lib. 1.* Ob 64
eandem cauſam ab illis Hiſpani quoque defecerunt, Polyb. *lib. 11.* & ab Athenienſibus poſt cladem in Sicilia acceptam Socii, Thucydid. *lib. 8.* Etiam Romæ ſuſpecto S.P.Q. imperio ob certamina potentium & *avaritiam* Magiſtratuum, invalido legum auxilio, quæ vi, ambitu, poſtremò pecuniâ turbabantur, feſſa Reſp. in unius poteſtatem pervenit, Tacit. 1. *Annal. 1. num. 2.* Et Gal- 65
lis *avaritia* fatales fecit Siculas Veſperas, Leonard. Aretin. 3. *Hiſt. Flor.* Et Ludovico Sfortiæ Mediolani Principatum abſtulit, Guicciardin. *1. Hiſtor.* & Piſani olim à Florentinis, quòd omne negotiandi genus ipſis interdiceretur, & artes præter manuarias, omnes exercere prohiberentur, defecerunt; nec niſi poſt multos annos, & immenſos Florentinorum ſumptus ſubigi potuerunt, Guicciard. *lib. 11.* Guilielmus Auriaci Prin- 66
ceps, quærentibus, quâ ſpe contra potentiſſimum Hiſpaniarum Regem ipſe omnium rerum egens, patriâ extorris, bellum cierit, reſpondit; Hiſpanorum avaritiam & crudelitatem duas ſibi fore portas aditum daturas in Belgium, Conneſt. *lib. 5. Hiſt. de bell. Belg.*
Imperante Valentiniano (placet novis hi- 67
ſtoriis veteres interſerere) multiplicata per Pannonias vectigalium augmenta, Optimates ultimorum metu exagitatos compulerunt mutare ſedes & trans mare abire: & flagitantium miniſtrorum amaritudine quidam oppreſſi, cùm non ſuppeteret, quod darent, erant perpetui carcerum inquilini: è quibus aliquos, cùm vitæ jam tæderet & lucis, optata ſuſpendiorum remedia conſumpſerunt. Quibus excoriationibus populorum, nudatum eſſe hoſtibus Pannoniæ latus; ſcribit Ammianus Marcellinus *lib. 30.* Denique cùm ſuperiori ſæculo à Fuentio Co- 68
mite & Hiſpanis Cameracum obſidione cinctum eſſet, & jam Fuentius autumnali intemperie attrito exercitu de recepto cogitaret; nihil illi ad urbis occupationem magis profuit, quàm civium in Balagnium, qui ſe nuper Cameracenſium Regulum appellari à Galliæ Rege impetraverat, odium. Exaſperaverat illos, quòd pro mercibus in foro venalibus numiſma æreum Balagnii juſſu percuſſum accipere cogerentur, pro indictionibus autem tributiſque non niſi aureum & argenteum Balagnii exactores reciperent.

Ex quibus apparet, rectè & eleganter ab 69
Hieron. Conneſtaggio *in Hiſt. belli Belg. lib. 3,* avaritiam omnium malorum metropolin appellare veteres, ut tributorũ invidiam 70
aliquo

70 aliquo modò lenirent, indeque promanan-
tia mala evitarent, limitanea regnorum lo-
ca non tam gravi indictione, ac mediterra-
nea onerarunt, metu rebellionis aut defe-
ctionis. Hincque noluit Darius eſſe tributa-
rios Æthiopes & Colchos, qui limitanei e-
rant. Veneti hodieque tributa pacis tempore
colligere, at cùm bellum ingruit, relaxare di-
cuntur, Regemort. *Serm. polit. 5.*
71 Aliæ cautiones, quæ tolerabiliora tributa
facere poſſunt notantur. (1) Homines pe-
tendis tributis conſtituere ipſos populi Ma-
giſtratus, qui ſine acerbitate munere ſuo
fungantur. Sæpe enim Exactorum auſteritas
& colligendi ſæviſſimi modi ipſum, quod
agitur, negotium inviſum reddunt; De quo
dixi *ſuprà cap. 129. n. 1. & 2. & per tot.* (2)
72 Deinde tributis onera ea magis, quæ divi-
tum luxum inſtruunt, quàm qui pauperie vi-
tam tranſigunt; De quo egi *c. 66. n. 10. ſeqq.*
& per tot. Tum (3) ſumptuarias leges ferre,
73 eorumque contemptoribus mulctas irro-
74 gare, vide me ſuprà *c. 94. & ſeq.* Deniq; ex-
actam pecuniam cum artificioſa quadam o-
ſtentatione parſimoniæ in utilitatem publi-
cam erogare: ut videant cives, non eam per
luxum & inertiam prodigi conviviis, ludis,
venationibus, & turpiſſima in ſycophantas
& adulatores liberalitate.
75 Cæterùm Pyrrhicham, quam cum ſtu-
pore totius Germaniæ coram D. Maximil.
Imp. ſæpè & diu repræſentavit Julius Cæſar
Scaliger ſemetipſo teſte *lib. 1. Poëtic.* §. *thea-*
tralem faciliùs exhibuero, quam Iliadem &
omnia extraordinariorum tributorum, o-
nerumque genera, quæ noſtro ævo, militum
hominum præpoſterorum (ut loquitur Ca-
ſaubon. *in exercitat. ad Baron. 14. diatrib.*
12.) Phaëtontæâ audaciâ excogitavit, dùm
vel alapis & horrendis verberibus Ruſticos
cogunt, non minima & ruſtica edulia & ob-
ſonia dare, ſed quæ Nobilium propria ſunt,
vel in tranſitu, vel etiam ad certum tem-
pus datâ hoſpitatione ſub prætextu non ex-
76 ſolutorum ſtipendiorum (unde omnis di-
ſciplinæ militaris diſſolutio & inobedien-
tia:) Futter und Mahl / aliasque infauſtas
vaſtasq; Hoſpitalitatis præbitiones als Tafel/
Kuchen-Vortheil- Accord- und Diſcretion-
Geld/ Brandſchätzungs- Rantzion- und Laſte-
Geld/ alte Reſten/ ordinari und extraordina-
ri Servitien und andere Zuſteuer / imò &
quandoque ſcorta & alia, contra *l. hoc pro-*
ſpectum. 6. ubi Cujac. *C. de Metat. & Epi-*
demet. lib. 12. & Ordinationes militares
poſcunt & extorquent; nec tantùm victum,
alimenta & ſervitia, ſed etiam amictum,
equos, ephippia, fræna, veſtes, calceos,
thoraces ſive collaria (Elends-Koller) ocre-
77 as, calceos, calcaria, ſubuculas, femoralia
& tibialia, indusia aliaque indumenta à
Principibus, Comitibus, Nobilibus, Ci-
vitatibus, & miſellis ruſticis exigere, non
erubeſcunt, qui disarmatos milites de no-
vo armare, & ſcutis telisque induere cogun- 78
tur: Quo invento, noviſſimoque Sathanæ
excremento ſæpè plus damni amicis & fœ-
deratis dant, quàm hoſtis aut immaniſſi-
mus Turca Scyta dare poſſet, talibusque
extorſionibus penè exſuccos & exſangues
ſubditos ad reſtim compellunt. Vulgò 79
Montirung der dismontirte Reuter vocant
à Gallico verbo *Monté, homme bien monte,*
Ausrüſtung Germanicè rectiùs dixeris. Cer-
tè ſi ab interitu vindicanda Germania, re-
frænanda primùm erit petulantia militum,
ad reprimendas tales rapinas & direptiones,
quæ noſtris, proh dolor! temporibus 80
multorum luxu ita frequentantur, & tantâ
impunitate fiunt, ut hodierna malitia, quæ
Romanis temperantiæ, prudentiæ & for-
titudinis ſchola fuit, nunc latrocinandi ars
eſſe non videatur, ſed verè ſit & habeatur,
Bodin. *libro 5. de Republ. capite 5. fol. 902.*
Reichs-Abſchied de Anno 1570. *tit.* Von
Reuter Beſtallung. §. Und dieweil. 43. & tan- 81
tùm à veteri diſciplina abſit, quantum diſtat
à vitio virtus, Petr. Ærod. *lib. 2. decret. tit.* 82
de re milit. §. 42. Milites ſiquidem noſtri
temporis vano militiæ nomine, immania
tantùm lucra ſectantur, & flagitia tantùm
hominum, maculæ atque vibices generoſi
Martis exiſtunt, *l. per Illyricum 8. in fin. C. de*
cohortal. princip. corniculi. ac primipil. adeò
ut verum ſit, quod Jovian. Pontan. *lib. 2.*
Amor: fol. 3304. de ipſis ſcribit.

Militiæ quondam partes ac jura fuerunt, 83
Tutari patriæ dulcia tecta ſuæ:
A ſocis arcere minas, pepuliſſe Tyrannos,
Hoſtis & incurſus continuiſſe vagos.
At nunc quid bello petitur, niſi præda? nec hoſtem,
Sed ſocium vitâ eſt exſpoliaſſe decus.

Hering. *tract. de fidejuſſorib. cap. 7. num. 162.*
Reinkingk. *de regim. Eccleſ. & ſecul. lib. 2.*
claſſ. 3. cap. 5. num. 9. & ſeqq. Petr. de Andlo
lib. 2. de Roman. Imper. cap. 13. §. *& hujus-*
modi milites. Lipſ. *libro 5. de militia Roman.*
Dialog. 29. & lib. 5. Politic. cap. 8 Georg.
Mundius *d. tract. de muner. & honor. cap. 3.*
num. 225. & ſeqq. Id quod etiam ſuo tem-
pore conqueſtus eſt Stephan. Betrand. *con-*
ſil 57. num. 5. 6. 7. vol. 3. part. 1. & Camerar.
cent. 1. horar. ſubceſiv. cap. 5. Plerique mi- 84
litum inter tot millia reperiuntur, qui abs-
que ullo diſcrimine tam amicos, quàm ho-
ſtes deprædantur, mirum itaque non eſt,
quòd noſtræ expeditiones plerumque tam
infelices ſunt, exercitus enim, quem injuria
antecedit, cladem plerumque ominatur;
neque enim probabile erat, rem benè geſtu-
ros eſſe illos, qui lacrumas & execrationes
pro viatico ſecum abſtuliſſent. Et hanc diſ-
ſolutionem militum dudum Lactantius
Epitome divin. Inſtit. cap. 8. vel inter ſigna
præcedentia ultimum judicium recenſet.

85 Quò ſpectat & illud Ciceronis: *Omnia bona ſuam prædam ducunt*: Et alibi: *Nullius res tuta domus clauſa, vita ſepta, pudicitia muni-*
86 *ta contra militis cupiditatē & audaciam. Videatur omninò Arnoldus Mengering.* im Soldaten Teuffel / *cap.13.* ubi decem ungulas Diaboli militaris recenſet & pluribus examinat; videlicet (1) ungulam moleſtam & oneroſam hoſpitationis, die Uberlaſt und Bedrauung der Leute / denen ſie übern Hals logirt und einquartirt werden / (2) clandeſtinæ ſurreptionis & effractionis ædium das nächtlich Stelen und Aufbrechen der Häuſer und Kramläden / Keller und Gewölbe in der Nachbarſchafft / (3) ungulam publicæ direptionis & ſubtractionis (4) latrocinii & deprædationis (5) totalis expilationis (6) contributionis (vide Extremi ſeculi furores pag. 84. Item Winter-Monats / Relat. Continuat. 28. de Anno 1628. pag. 30. & continuationem 30. Relationis Hiſtoricæ pag. 9. Et Lungritii Relation von der Stadt Paſſewalck im Pommern) (7) ungulam Transactionis (8) pretioſæ redemptionis (9) Confiſcationis und Verſchenckung anderer Leut Güter / & denique (10) finalis excidii & deſolationis, daß endlich die ſpitzige Teuffels-Klauen zugefahren / Platz und Ort / die mit Contributionen / Exactionen / Diſcretionen / Expilationen / Ranzionen / und andern militariſchen Executionen gantz conſumirt worden / in Brand geſteckt und eingeäſchert haben.

— — ubi lex nunc optima vivis?
Mortua es, & nullam miles iniquus habet.
Nec Jovis Imperium, nec Phlegetonta timet.

Virg. *Eclog. 9.*
Impius hæc tàm culta novalia miles habebit?
Barbarus has ſegetes? En quo diſcordia cives
Perduxit miſeros! en queîs conſevimus agros!

87 Quæris, unde malorum Ilias & hydra illa Lernea? Certè non aliunde, niſi (ut ſuprà dixi) ex neglecta militari diſciplina, quæ veteribus inprimis Romanis antiquior liberorum charitate fuit, ut loquitur *l. 19. §. filius quoque. ff. de captiv. & poſtlim. reverſ.* Hinc Paulus Chriſtinæus *lib. deciſ. 5. Belgic. deciſ. 146. num. 5.* Præcipuum decus, *inquit*, & ſtabilimentum Romani Imperii diſciplinæ militaris tenaciſſimum vinculum fuiſſe, in cujus ſinu ſerenus, tranquillusque beatæ pacis ſtatus acquieſcit: proinde plures exercitus tyrannorum & imbellium ſolâ diſciplinâ & imperio invictos & bellicoſiſſimos factos fuiſſe legimus, & contra plurimos exercitus veteranorum militum invictos alioquin, ſolâ licentiâ omnibus vitiis neglectâ diſciplinâ militari, corruptos & conſumptos fuiſſe & longè antè periiſſe, quam hoſtem vidiſſent; & nullum majus neglectæ vel retentæ diſciplinæ militaris teſtimonium habere poſſumus, quàm de Romanis, qui, cùm antè juſtitiæ opinione ac belli gloria omnes populos ſuperarent, poſtea diſciplinâ, ab omnibus ſuperati ſunt: Fiat ergo nunc applicatio, & habebimus, quod volumus. De quo & Franciſcus Guicciardinus conqueſtus eſt, quòd ſcilicet milites nullum 88
inter amicos & hoſtes diſcrimen ponant, & ſic non minùs populos & provincias vaſtent, qui, ut eas defendant, quàm qui, ut offendant ſtipendia accipiunt; ſicuti eum allegat Philippus Camerarius *cent. 2. horar. ſubceſſiv. cap. 13.* ubi comparat etiam diſci- 89
plinam Chriſtianorum & Turcarum militum, ab his ſeparatam maximè. Cui convenit Johannes Kizel. *tract. de jure Monetæ claſſ. 1. theorem. 2. fol. 26. dicens*: JCtis & Ducibus belli præſtantiſſimis veteribus, ſi 90
hodiernam militiam cernere liceret, ubi nonnulli non infimi ſolùm, ſed ſuperioris quoque ordinis, imò præſidiarii milites ſub optimo etiam Imperatore bellico in vitas & bona non hoſtium ſolùm, ſed innocentium etiam hominum, qui eosdem receperunt, imò vel ſubditos etiam eorum, apud quos ſtipendia faciunt, ſine ullo diſcrimine graſſantur, promiſcuè deprædantur, templa, aras, aliasque res ſacras ſpoliant, conſpurcant & ubicunque poſſunt, ſine ullo perſonarum, locorum vel rerum reſpectu, prædas capiunt, easdemque multoties cum ſuperioribus ſuis, qui tanta facinora vindicare debeant, partiuntur, nullumque flagitii genus, quod ab homine nefario perjurio in Deum & homines committi vel excogitari poſſet, intermittunt, omniaque jura divina & humana violant, iſtiusmodi militandi genus non militiam, ſed latrocinia & deprædationes & quandoque vel integras etiam militum centurias, ſemicenturias, manipulos, & decurias ſui ſimiles officiales habentes & de præda & rapinis participantes, leges, articulos militares, quibus Imperatori & Duci exercitus etiam mediante juramento obſtricti ſunt, violant ac iſtiusmodi flagitiis ſuis belli Dominis multoties juſtam militandi cauſam habentibus victoriam ſubtrahunt, non honeſtorum militum conſortium, ſed hominum facinoroſorum, latronū & prædonum colluviem furumque & raptorum manipulum exquiſitiſſimo ſupplicii genere digniſſimum judicarent: Cujusmodi in perſona honeſtorum militum omnium jurium divinorum & humanorum violatoribus legum militariū perjuris transgreſſoribus, uti plerumq; in hac etiam vita nefanda ſua facinora paritate ſuppliciorum

com-

compenſantur, *ut cap. 24. v. 22. & ſeqq. lib. 2. Chronic. cap. 11. v. 16. & 17. Sapient. c. 31. v. 1. Eſaiæ c. 9. & c. 10. libr. 4. Regum c. 30. v. 16. & ſeqq. Jeremiæ: Item c. 49. 50. & 51.* ita iſtiusmodi protervis & facinoroſis militibus, lacrumæ ſubditorum & agricolarum, quos afflixerunt, & fructus, quos ſine pecunia comederunt, ipſis in ignem infernalem, tribulos & ſpinas convertentur, *Jobi c. 31. v. 38. 39. & 40.* Deumque acerrimum ſuorum facinorum ultorem ſupplicii tarditatem gravitate pœnæ compenſantem experientur, *Eccleſ. c. 5. verſ. 1. & ſeqq. can. miles 13. verſ. quod ſi, & can. Reus 23. cauſ. 23. qu. 5.*

91 Accedit hiſce Lipſius 5. *politic.* 8. Quid faciam! inquit? Hodiernam militiam triſti oculo intueor pudendam lugendamque nobis, hoſti ridendam aut ſpernendam. Et Bodin.

92 *lib. 5. de Repub. c. 5. num. 560. fol. 875.* Milites, *ait*, laudi ducunt agros vaſtare, agricolas ſpoliare, nedum dicam trucidare, vicos incendere, urbes obſidere, obſeſſas expugnare, expugnandas diripere, direptas inflammare, ſtupra cædibus & cædes ſtupris cumulare, omnia denique humana divinis miſcere: hæ ſunt utilitates, hi militiæ ſunt fructus bonis omnibus deteſtabiles, militibus tamen ſuaves & jucundi: Quinam agricolarum vulnera neſcit? quis non videt calamitates? quis querimonias non audit? Certè omnes omnium agros, pecora, fruges, quibus ſpiritum ducimus, hæc omnia ſunt in poteſtate militum, id eſt, ut plerique omnes interpretantur, Prædonum. Hæc Bodinus. Sed 93 quid multis neglectum diſciplinæ militaris, multumque inſolentiam & gravamina incuſamus? Defleamus peccata noſtra & dicamus cum Jeremia *cap. 9. v. 1.* Quis dabit capiti noſtro aquam, & oculis noſtris fontem lacrumarum?

Ah vitiis noſtris offenſi Numinis iras
Has patimur, juſtis onerantur terga flagellis:
Spretâ lege (fatendum etenim) peccavimus, & nos
Diſperdi meritos Genitoris dextera clemens
Cladibus affligit, fera verbere corda coërcens,
Inque viam revocans & vulnere vulnera curans.
Eja igitur vertamus iter, pia pectore toto
Vota Deo fundamus, ut hæc incendia ceſſent,
Plectit aberrantes, reduces amplectitur idem,
Et triſtis ſancto afflatu ſolatur amicos.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT CXLIX.

Num. 2.

(1) A*Lii ſuadent &c.*] Numerus hic ſecundus cum ſequentibus usque *ad fin. 9.* deſumptus eſt ex Thomæ Mori *Utopia lib. 1. pag. m. 90. ſeqq.*

Num. 6.

(2) *Craſſiano &c.*] Qui, ut eſt apud Plutarchum *in vita ejus Tom. I. pag. 544.* neminem divitem prædicabat, niſi qui ſuis ſumptibus exercitum alere poſſet.

Num. 9.

(3) *Et dixi alibi &c.*] Sunt enim hoc in capite dicta, nil niſi ſaluberrimorum in hoc Tractatu ſparſim allatorum monitorum quædam Recapitulatio.

Num. 10.

(4) *Idoli Rationis Status &c.*] Rationem Status primùm Salutem & neceſſitates Reipublicæ honeſtumque adminiſtrationis Civilis συνυπόκειαν denotaſſe, nunc illum à Pleriſque Statiſtarum, ut vocant, Idolum haberi, cujus tanquam oraculi, vehementiori impulſu, quæcunque parandi, retinendi, intendendi dominatûs ergo, citra aut contra Jus & fas, per vim aut dolum geruntur, patrata in vulgus obtenduntur, dixi ad Politicum Sceleratum *in Præfat. ad Lectorem.* Ut hinc appoſitè valdè vir quidam Excellentiſſimus dixerit, Ratio Status manet ænigma ſeculi, materia ſubtilitatum; cum Proteo, Thetis; cum Paride, Helena; cum Ulyſſe Penelope. Cæterùm de illa vide *Le Coup d' Eſtat du Naudee*, in genere verò de Ratione Status Septalium, Palazzum, Boterum, Claramontium, Clapmarium *de arcanis Rerumpubl.* Trajanum Boccalinum *in Relat. ex Parnaſſ. lib. 2. relat. 87.* Dn. Conringium *in Comment. ad Machiavelli Principem.* Hippolythum à Lapide *in Prolegom.* Barclajum *in Argenide pag. 545. &c.*

Num. 14.

(5) *Hæreticorum &c.*] Ut ſcilicet abuſivè & iniquè vocantur ab Eccleſiæ Romanæ Clientibus, quicunque Evangelicæ lucis filii ſunt.

Num. 40.

(6) *Jubilai Pontificii &c.*] Adde Polydorum Vergilium *de Rer. Invent. lib. 8. cap. 1.* Speidelium *in Speculo, voce* Jubel-Jahr. Beſoldum cum laudatis ab ipſo Authoribus *d. voce.* Sleidanum *Comment. lib. 21. pag. m. 620.* Banckium *in Roma Triumphante, pag. 290. ſeqq.* Platinam *in vita Bonifacii VIII. pag. m. 232. in vita Clementis VI. pag. 244. in Vita Nicolai V. pag. 257.* Et nota Bonifacium terminum Jubilæi celebrandi conſtituiſſe *annum centeſimum*, Clementem VI. ad *annum quinquageſimum* reduxiſſe, Paulum II. tempus hoc contraxiſſe, & ut quovis *vigeſimo quinto* Anno Jubilæus eſſet voluiſſe. Innocentiũ verò X. Papam, ad annum *vigeſimum* viciſſim coarctaſſe, & Anno MDCL. & iterum nuper defunctum Pontificem Anno MDCLXIX. celebraſſe. Quomodo autem ritus Jubilæi peragatur, citatus Bankius *d. loco pag. 297. ſeq.* exactè deſcribit.

Num. 41.

(7) *Joh. Cluverus &c.*] Et ante eum Theod. à Niem *1. de Schism. cap. 68.*

Num. 42.

(8) *Annatas &c.]* Prolixè ſatis de his actum ſuprà *lib. 1. cap. 3. num. 37. (54.)*

Num. 43.

(9) *Indulgentias &c.]* Sleidanus *Comment. lib. 1.* Banck *d. loc. pag. 303. ſeq.* Dn. Joſua Arndius *in Lexico Antiq. Eccleſ. voce Indulgentia pag. 553.*

Num. 46.

(10) *Anglorum quoque Conſuetudo &c.]* De qua ſuprà *lib. 1. cap. 8. num. 5. (12.) (13.) (14.) (15.) (16.)*

Num. 52.

(11) *Guilielmus dictus Conquaſtor &c.]* Conſule Polydorum Vergilium *Angl. Hiſtor. lib. 9. p. m. 204.*

Num. 85.

(12) *Videatur omninò Arnoldus Mengering &c.]* Et poſt illum Philander von Sittewalds Soldaten-Leben / deß andern Theils ſechſtes Geſicht. Boeckelii *Bellum non Bellum.* Andlerus *in Iſagoge Bellico-Politica &c.*

CAPUT CL.

De Mediis colligendæ pecuniæ, quibus Senatus & Cives in obſidione Magdeburgenſi uſi & abuſi ſunt.

Magdeburgenſis multis Reſpublica abuſa eſt Cogendi nummos obſidione ſui.

ANno MDL. in diuturnâ illâ & graviſſimâ *obſidione Magdeburgicâ* (1) Senatus omnes cives ſupellectilem auream & argenteam conferre coëgit, quam reſtitueret quidem poſtmodum, ſed abſque uſuris. Modus hic tempore extremæ Neceſſitatis nonnullam excuſationem meretur. Sed *Anno MDCXXV. eadem Urbs Magdeburgenſis* (2) quinque militum cohortes conſcripſit, iisque ſtipendia haud exigua perſolvit, ita ut longè majores centum millibus Imperialium ſumptus in hos annuatim impenderit. Quibus ærario brevi exhauſto, omnique pecuniâ Argentariâ conſumptâ, paulò pòſt per varia ac extraordinaria media numos conquirere eſt compulſa.

I. Inter quæ primum ſibi locum vendicat contributio ad alendos milites, non tam à Senatu, quàm à plebe inſtituta: vicinus enim vicino eam variè & pro lubitu indixit. Quo factum eſt, ut multi cives militiæ nomen dederint, ædesque ſuas deſtituerint.

II. De omnibus Mercatorum mercibus ac bonis enormia tributa, improbante id etiam civitate Hamburgenſi, exacta fuère.

III. Pontis vectigal, contra pacta cum Archiepiſcopis olim inita, duplicatum eſt.

IV. Oenopolæ ſive Venditores vini non tantùm tributa, prout jam aucta fuerant, ſed inſuper etiam de quâlibet urnâ vini, quam intra annum exactionem tributorum præcedentem, vendiderant, Joachimicum perſolvere coacti ſunt.

V. De quolibet dolio Cerviſiæ Serveſtanæ, præter ordinarium tributum, Imperialis exactus fuit.

VI. Vectigal farinæ duplicatum eſt.

VII. Cerviſiarii Magdeburgenſes, quoties cerviſiam coxêre, duos Imperiales numerare non recuſarunt. Et Anno MDCXXVIII. de quolibet dolio cerviſiæ antiquæ ſeſqui talerum.

VIII. Opifices pro ſe, ſuiſque miniſtris certam pecuniæ ſummam ſingulis menſibus perſolvêre; nec non hoſpites diverſoriorum quotannis centum aut quinquaginta Imperiales, plus minúsve, pro modo facultatum numeravêre; Venelitiarii quoque de ſingulis halecum tonnis, quas vendiderant, certam quantitatem, præter ordinaria vectigalia, contribuêre.

IX. Sicco pede hîc prætereo eas Contributiones, quas cives ſingulis ſeptimanis ad munimenti ſeu aggerum & vallorum extructionem ac reparationem (non attento, quòd ipſimet manibus operati ſint) penſitare coacti fuerunt: Quarum impenſæ quadraginta millium Imperialium ſummam excedunt.

X. Cùm autem hæc omnia ad onera bellica ſuſtinenda nondum ſufficerent; Senatusque cuncta vaſa ſua argentea etiam oppignoràſſet: tandem hæc ſequentia media Magdeburgenſes ad pecunias corradendas uſitaverunt.

XI. Inquiſitio inſtituta eſt, ubinam Nobiles tam incolæ quàm peregrini theſauros ſuos in urbe depoſuiſſent, aut clam abſcondiſſent; quo explorato, ſtatim in præſentiâ Notarii & teſtium Magdeburgenſes has aperuerunt, multaque millia Imperialium, quà paratæ pecuniæ, quà aurearum catenarum, gemmarum, margaritarum, & id genus aliarum pretioſarum rerum abſtulerunt. Ad quod negotium peragendum tres exploratores ſeu inventores, Such- oder Findelherren vulgò dicti, ſe obtulerunt, qui etiam à Senatu confirmati ſunt.

XII. Si ſuſpicio de cive quodam fuit, quòd tale quid à peregrinis ipſi ad fideles manus traditum, aut apud eum depoſitum ſit, minis ac juramento adactus eſt, ut celare ampliùs non potuerit; Nec obſtante, quòd fidem atque exiſtimationem ſuam pro ſilentio & cuſtodiâ interpoſuerit, manifeſtare oportuit.

XIII. Si qua hæreditas in urbe adeunda fuit, Senatus ſtatim paratam pecuniam ad

ſe, ſive conſentientibus, ſive refragantibus hæredibus, rapuit, datâ fide reſtitutionis.

XIV. Cives decimum numum de ædificiis ſuis, omnibusque bonis, quibus eo tempore frui potuerint, prævio juramento mutuum dedêre.

XV. Et hoc quidem alterâ vice de ædificiis præſtitum eſt.

XVI. Senatus numos cudi curavit, quorum valorem quadruplo majorem vero conſtituit.

XVII. Anno MDCXXVII. militibus ſtipendii reſiduum aliquod, viginti quatuor millium Joachimicorum exiguis ſchedulis, quarum ſingulæ unum, duos, tres usque ad duodecim & plures Imperiales valuêre, ſolutum eſt; Easque cives à militibus pro mercibus, paratæ pecuniæ loco, recipere juſſi ſunt.

XVIII. Cùm hoc medium feliciter ſuccederet, Senatusq; eo ab ingenti onere liberaretur, alias parvas ſchedulas, quarum unaquæque ſolidi valorem repræſentare debuit, vectigalis notâ ſignatas, confici curavit, militibusque ad cerviſiam & panem emendum ſtipendii loco diſtribuit. Inter has autem magna fraus interceſſit, dum innumeræ pſeudoſchedulæ veris additæ fuerint. Poſteà ſæpius tàm equites, quàm pedites ejusmodi ſchedulas ſtipendii loco acceperunt, quibus merces quaslibet à civibus emere potuerunt. Et quamvis etiam harum ſchedularum uſus non ſine defraudatione fuit, cùm non eodem modo, ſicut priores factæ eſſent, egregium tamen inventum (licet injuſtum & iniquum) fuit, quo cives, deficiente pecuniâ, mercium, ac omnium facultatum ſuarum egregiè defraudarentur.

XIX. Præterea generale quoddam tributum (quod voluntarium, ein gutwilliges Anlehn/ appellârunt) exactum eſt, quod quilibet, cujuscunque etiam ordinis vel conditionis eſſet, ſolvere coactus fuit. Nam ab hoc neque Præceptores ſcholaſtici, viduæ Concionatorum, apparitores, neque mendici, & eleemoſynarii ullius privilegii prætextu tuti ac immunes fuêre.

XX. Opulenti mercatores fidem ſuam Lipſiæ usque ad aliquot millia Imperialium pro Senatu interpoſuêre.

XXI. De cætero homines ditiores, & de quorum facultatibus paulò amplior opinio fuit, toties ad dandum mutuum illecti ſunt, tantisq; oneribus exhauſti, deſcribi vix ut poſſit.

XXII. Denique eò excrevit iniquitas, ut Senatus Dominusq; Adminiſtrator Archiepiſcopatus Magdeburgenſis, ſi apud civem rem quandam, quæ ex uſu ſuorum fore exiſtimaretur, vidiſſent, ſtatim eam à cive mutuam petierint, miſsâ obligatione literaria; ſi detrectâſſet Dominus & poſſeſſor, vim facere juſſi Apparitores.

XXIII. Media verò ad Contributiones à recuſantibus, ſeu moram facientibus exigendas præcipua hæc fuêre.

Primò civibus ſupellex, aut quicquid ad manum eſſet, è domibus ablatum fuit. Deinde ipſis incolis januæ ſeu valvæ ædium ſublatæ ſunt, nihil ut ab incurſibus & rapinis ſecuri eſſent.

XXIV. Accepit dehinc mandatum homo nauci Gliriarius quidam, ut cùm non mediocri militum manu indies urbem pervaderet, cogeretque ad contribuendum, qui in morâ fuiſſent, hos oneraret, quantis vellet militibus, qui eò inſolentiæ progreſſi, meritò ut intolerabiles viderentur: cùm præſertim, præter has Contributiones, de perpetuis excubationibus nihil remitteretur.

XXV. Denique milites Civitatis Magdeburgenſis ad certos civium manipulos remiſſi fuerunt, ex quorum numero unus aliquis contributiones exegit; aut recuſantem militari metu & bolettis compulit.

XXVI. Sueci milites inter cives ſic diſtributi fuerunt, ut in civis arbitrio eſſet militem in domum ſuam recipere ac alere, vel ei quot hebdomadibus ſupra viginti ſolidos numerare, quibus miles alibi viveret.

XXVII. Dn. Adminiſtratoris militibus cives ſervitia hoſpitalitatis (vulgò *ſervis*) tantùm præſtitêre, quos omnes ut cives quoque ſuſtentarent, fruſtra ſæpe tentatum fuit.

CONCLUSIO. Et quia Magdeburgenſium cepimus meminiſſe, lubitum eſt ad calcem hîc adjungere ex Novitio quodam nobis familiari Poëta, de catis illis nobis, & fidei domeſticis Magdeburgicis, ſi fortè quempiam in commiſerationem poſſint & ſalutarem pœnitudinem inclinare. Ita cecinit:

Quæritur unde ſitim, & patitur fugientia poma
Tantalus? hoc illi garrula lingua dedit.
Et ſæpè multis curioſè quæritur;
Quæ ſit ruinæ cauſa Magdeburgicæ?
Quæ cauſa paſſæ cladis & incendii,
Pariter nocentum & innocentum cædium,
Vix ut ſit ullis parcitum viventium?
Seu qui Parentis infans inter ubera
Callabat, & vix ipſa nôrat ubera;
Seu qui Parentis ſeptus eſſet viſcere,
Nondum diem, lucemq; nondum noverat.
Quæ? quæ malorum origo ſit tot millium?
Iniquitas, Iniquitas mortalium
Et incolarum & accolarum peſſima,
Cumulata in ingentes acervos crimina,
Illa ipſa prorſus quæ fuit Jeruſalem,
Abramidæq; Gentis, & Templi Dei
Everſionis una cauſa, crimina:
Queis cùm fuiſſet ſæpè cœlo parcitum,
Spe quòd redirent ad bonam frugem mali,
Urſêre pœnam impœnitentes ImperI.
Nam DI Deæq;, & Phœbus ipſe conſcius,

Quantum in tumorem, quantam & in ſuperbiam,
Proterviente ſeſe Magdeburgici
Exaggerarent, Mas perinde, ac fœmina.
Ut ſusq; deq; fas, nefasq; perditi
Summi infimi curârint Magdeburgici.
Hæc viſa plango, & Orbe toto publico.
Quid Cæſar illos, ille Cæſar inclytus?
clademq; deflens quid necaſſet Tyllius?
Spiransq; flammas atq; Lethum Pappenheim?
Id fecit almum Numen iratum impiis.
Sibi malumq; conſciverunt impii.
Nam dum per Arma ſævit hoſtis à foris
Deoq; crimen imperante vindicat,
Exaggerant ſcelera intus omnes incolæ,
Et comminiſcuntur modos ſcelerum novos,
Fraudis doliq; excogitant induſtrias,
Emacerant, & ſe flagellant invicem,
Vimq; afferunt vi atrociorem extraneâ.
Quis inter iſtos eſt putandus innocens,
Pœnâq; grandiore non digniſſimus?
Vix tellus infans unius dieculæ
Innatus & natus perinde obnoxii.

Nec abſimiliter, quamvis genere verſuum diſſimili reſpondet idem ille, Muſarum & noſtri perquàm Studioſus:

I nunc, & Cineres ſcrutare & buſta Gomorrhæ,
Fumantesq; rogos Sodomæ, ſparſasq; favillas,
Quæ cauſa excidii, Dirarum & cauſa Gomorrhæ?
Quisq; gehennali Sodomas incenderit igne?
Pecata, & nimius violati Numinis æſtus.
Hæc Magdeburgum, nihil Albi obſtante marive,
Urbem incenderunt, Orbem citò ſuccenſura,
Aggeſta in ſummam Peccata enormia molem.

Cùm ſic ad deſideratum tam diu finem, Deo Duce, noſter excurrat hic labor, Ærariumque mihi conſcriptum, & in immenſum aggeſtum concludendum occludendumque videatur, ad felicem perutilemque Coronidem, Deo cumprimis Optumo Maxumo laudes dico, acceptumque fero, quicquid Dictum Scriptumque à me prodierit.

Tum verò Reges omnes, Principes & Respubl. meminiſſe velim, non vulgaris, ſed vulgatiſſimi iſtius:

Discite Justitiam Moniti. Ita videlicet, nullus ut animos tantus amor ardorque congerendorum theſaurorum & Ærarii exaugendi occupet, quo parte vel minutiſſimâ cœleſtis illa Diva Justitia violetur: ſed illius ad conſpectum, & exactiſſimam amuſſim, rationes omnes ita ineantur: ut Justitiæ quàm rigidiſſimè pareatur: Ne quicquam enim, & abſque ullo Principum ſubditorumq; bono congeritur æs iſtud, quod Justitia non oculatiſſimè pernumerarit: Leviſſimo fortunæ flabello diſſipandum, quod in immenſos aggeres iniquiter eſt coacervatum, perſuadeantur certo certiùs omnes catenati Viri Principes, & Orbis hujus potentiores, enervem eſſe mollemq; impotentiam, quam injuſtitiâ ſuâ fecerint auguſtiorem. Vivere quidem ac florere ſe, fortunasq; ſuas, injuſti autument in auro ſuo ac purpurâ: Æquitate tamen inanes ac vacui, abominatæ adinſtar ſunt cloacæ, quam licet herbidus aliquis obduxerit vir, tamen fœdam

Exhalat opaca mephitim.

Ita hercule ab ſummo quolibet ad infimum iniqui omnes.

Sunt morum & mendax vitæ, putensq; ſepulchrum.

ANNOTATIONES
Ad
CAPUT CL.

(1) *Obſidione Magdeburgica &c.*] Cauſam hujus Obſidionis, Obſidionem ipſam, ejusque eventum recenſet Hortlederus von Urſachen deß Teutſchen Kriegs *Parte 2. lib. 4. per totum.*

(2) *Anno MDCXXV. eadem Urbs Magdeburgenſis &c.*] Sicque ſexcennio ferè antequam (nempe MDCXXXI.) magnifica illa Urbs jam ob Ottone I. Anno DCCCCXL. privilegiis & libertatibus donata, à Tilliano milite, poſtquam aliquandiu obſidionem tolleraverat, capta, immaniter incenſa, hoſtiliter direpta ſacrilegiis, contaminata, adulteriis, ſtupris violentis immaturarum etiam, mulierum, viduarum, virginum, puellarum conſpurcata, cædibus innocentium pariterque nocentium ſanguine conſperſa fuit, nullumque non perpeſſæ diritatis notam expreſſit & exprimit, ſicque experta, quod quondam de illa Lotichius ſingulari Elegia ad Joachimum Camerarium Anno MDLVIII. perſcripta, vaticinatus creditur, uti apud Knipſchildium *de J. & Privil. Civit. Imp. lib. 4. cap. 1. num. 98.* videre eſt. Calamitates verò jam indicatas, quas celeberrima illa Urbs ſuſtinuit, quid juvat penſiculatiùs hîc exſequi, cùm Hiſtoriæ noſtræ temporis non ſine horrore earum atque Tillii à Clade inde illa usque dum ad Racinum glande ictum, Ingolſtadii occubuit, minùs arridente fortunâ (de quo in ſummario ad caput ſequens) meminiſſe ſoleant. Cæterùm cùm hoc in capite nihil ferè occurrat, quod notam mereatur, ſequens præterea capitulum ad pulpita potiùs propriè Theologorum, quàm Jurisconſultorum & Politicorum pertinere videatur; & ego hîc pedem figo, Annotationibusque meis pro nunc colophonem impono.

Tu Trinunc ter Sancte DEUS, cui unicè mente gratiſſima acceptum fero, ſi quid ſcripſi, ſi quid commentatus ſum, quod vel Publico, vel ex privatis minimo prodeſſe queat, fac (humillimè quæſo)

quæſo) ut cedat illud in Tuam Gloriam; Largire porrò Vires, & ſubeundùm id, quod officii mihi demandati Ratio imponet; Altiſſime! dirigat veritas tua vias meas, ut nunquam à præceptis tuis aberrem. Tibi, Patriæ, Bonis vivam, moriar! Inſuper ſi quis Manibus ſenſus eſt, Ignoſcite Klockii Manes, ſi vos quandoque carpere videar; ea ſolùm libertate utor, quâ pro veri dignatione Literati ſolent. Idem in me Poſteri Jus habebunt. Cenſuram enim Æqui Cenſoris adeò non dedignor, ut potiùs (me quod attinet) ignorantiæ meæ inimiciſſimus corrigi à quocunque paratus, & correctiones amicas libenti & humili animo patiens ſim, cùm ignorare non vitium, ſed natura ſit.

CAPUT CLI.

Judicium Theologicum, de Excidio Magdeburgico perſcriptum ad quendam Theologiæ Doctorem ſtatim poſt factam incinerationem.

Barbaries ea cruda fuit, quâ TILLIUS arcem
Nympharum evertit cæde innuptasq; puellas
Tollens & pueros, matres uterumq; ferentes.
Impuras quoque ſtuprandas ſine more relinquens
Militibus, flammisq; cremans velocibus urbem,
Cujus erat pridem totum vulgata per orbem
Fama, ſed tot niſi fronte cavens, Solemq; micare
Inficians, nemo negitaverit inde quod hoſtis
Efferus, & triſti Buſiride ſævior, omni
Indignum ſeſe ſucceſſu reddidit, atque
Marte ſub adverſo eſt bis paſſus ſigna jacere,
Bombardæq; gravi tandem quoque corruit ictu.
Cætera judicio ſunt committenda Tonantis,
Quod nunquam injuſtum eſt, nobis licèt haut ſit apertum.

ITa omninò eſt, Tragicus ille caſus & clades miſerorum Magdeburgenſium plusquam luctuoſiſſima, non unas apta nata eſt parere cogitationes & quæſtiones in cordibus illorum, qui Chriſtianâ flagrant συμπαθείᾳ & ægritudine adficiuntur propter contractionem *Joſephi filii*, ſanè *hujus ſeculi*, qui nullis *Dei* minis pœnisq; commoventur, profundo animæ ſomno & lethargo adeò ſunt immerſi, ut non magnoperè curent, quod accidit proximo, qui enim nec ad unum oculi ictum ad ipſummet infernum non inhorreſcunt & conſternantur, *Job. 21. v. 13.* quomodo amabò penſi haberent temporale aliorum infortunium? quin potiùs Lothus, juſtitiæ præco, videtur eis quaſi ludens loqui, quando conſimilem interitum Sodomæ ipſorum denunciat, *Gen. 19. v. 14.* & ex Chriſti ore eos inclamat. Numquid putatis vos, quòd illi Magdeburgenſes peccatores fuerint magis, quàm omnes filii hominis, Lutheranam profitentes Religionem, quia tam atrocia paſſi ſunt? Haudquaquam, dico namque vobis, quòd etiam vos omnes, ſi non fueritis converſi, ſimiliter peribitis, *Luc. 13. v. 2. 3. 4.* Hoc, *inquam*, riſu illi excipiunt Sardonio & Iſmaëlitico, ingeminantes iſtud Epicuri Symbolum; percuſſimus fœdus cum morte & cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans cùm tranſierit, non veniet ſuper nos, *Eſa. 28. verſ. 15.*

Adverſarii noſtri juratiſſimi & carnifices immaniſſimi, quibus volupe eſt, noſtro ſanguine ſuas temerare & cruentare conſcientias, manibus plaudunt, ſibilumque edunt, cientque ore viperino crocitantes: Euge, Sanctuarium pollutum eſt, terra Iſraël deſolata eſt, *Ezech. 25. v. 3.* Altitudines ſempiternæ in hæreditatem datæ ſunt nobis, *cap. 36. v. 2.* Euge, Euge, delicientur in hoc oculi noſtri, *Pſal. 35. v. 21.* Hæreditate deinceps poſſideamus omnia ſanctuaria Dei, *Pſal. 83. v. 13.* Simpliciores qui ſunt ex Noſtratibus indoluiſſe quidem deprehenduntur, ecquis enim mentis eſſet ita emotæ, pectorisque tam ferrei & ſaxei, qui non ſuſpiriis profundiſſimis, lachrymis largiſſimis, & querelis maximè ſeriis ſtragem illam factam patheticè proſequeretur? Sed hi non penetrant neque ad cauſæ arcem, neque ad conſiderationem preſſiorem divini moderaminis.

Eos proinde neceſſe eſt ſapere omnium rectiſſimè & tutiſſimè, qui paulò exactiùs rem omnem ſecum expendunt, & juxta verbi divinitùs patefacti præſcriptum caſum hunc longè triſtiſſimum piè & dignè æſtimare allaborant. Quorum ego veſtigiis inſiſtens, paucis capitibus animi mei ſenſa complecti, & cum aliis communicare nec dedignabor, nec degravabor. Hos inter ſit

PRIMUS.

Judicia DEI occulta eſſe poſſunt, injuſta eſſe non poſſunt.

Prævia ſacræ Scripturæ paginâ nec abnuente ſanioris rationis humanæ dictamine, regula hæc Auguſtini eſt, maximam redolens

dolens pietatem, quam ipſe ita effatur: Judicia DEI occulta ſunt multa, injuſta nulla, *lib. 18. de Civ. Dei cap. 18. & l. 2. cap. 23.* Judicia DEI nemo plenè comprehendit. Date magnificentiam DEO noſtro, ait Moſes *Deut. 32. v. 3. & 4.* Perfecta ejus ſunt opera & omnes viæ ejus judicia. DEUS fidelis eſt & absque ullâ iniquitate, juſtus, & rectus. Juſtus es Domine, & omnia judicia tua juſta ſunt, exclamat Hieropſaltes *Pſ. 119. v. 137.* & cum ipſo Mauritius Imperator chariſſimorum ſuorum pignorum tragicum interitum oculis ſuis adſpiciens apud Niceph. *l. 18. c. 40.* Θεὸς ὐδαμῆ ὐδαμῶς ἄδικος Platonis verbum eſt in Theæt. prioribus ad amuſſim conſonans, Deus nullo uſpiam modo injuſtus eſt, ſed planè juſtiſſimus, nec ei ſimilis inveniri poteſt quisquam, quàm qui inter nos juſtiſſimus fuerit, quinimò ſi eſſet, ſuperaretur tamen ab ipſo infinitis, quod ajunt, paraſangis, quandoquidem non tam juſtus eſt in concreto, quàm juſtitia ipſa in abſtracto. Huic igitur juſtitiæ ſanctiſſimæ ullam eamque minimam injuſtitiæ maculam & ſuſpicionem inurere velle, ſummè foret injuſtum.

SECUNDUS.

In omnes circumſtantias Judiciorum Divinorum non eſt ſcrupuloſiùs inquirendum.

Humani judicii de operibus DEI magna eſt temeritas, quippe quod exactiſſimè conatur inveſtigare rationes factorum. Temeritas illa refrænanda eſt & capiſtranda Mirari convenit judicia DEI, non rimari, nec ſingula ad vivum reſecare. Juſtè DEUS omnia agit, quamvis ratio juſtitiæ non ſemper à nobis conſpiciatur. Tu enim homulle quis, qui DEO reſponſas? *Rom. 9. v. 20.* Audi Jeremiam *c. 12. v. 1.* Juſtus es Jehovah, licet velim tecum contendere, numquid irritum facies judicium meum, & condemnabis me, ut juſtificeris, dixerat ipſe quondam *Jobo c. 40. v. 3.* Nos omnium noſtrorum cogitatorum, dictorum, factorum ipſi rationem reddere obſtricti ſumus, non ullam ipſe nobis tenetur. Pollicem ergo ori admoveamus & ſileamus, ne Scrutator Majeſtatis opprimatur à Gloria, *Proverb. 25. v. 27.*

TERTIUS.

Non peccat, qui peccatum primam & primariam ſtatuit cauſam ſeveritatis Divinæ.

Peccatum certè pyxis eſt pandoræ, ex quâ omne malum: Pandora illa Eva eſt, mater omnium viventium, cui omnia ſua dona & bona in innocentiæ ſtatu DEUS concrediderat, aſt pyxidem ſeducta accepit à Diabolo, dum lapſa erat, quæ ἀποστασία eſt, peccatum & prævaricatio. Hinc illæ lachrymæ, quòd culpæ mala excipiant tot mala pœnæ. Cùm ſis juſtus, ad Deum inquit, ſapiens *c. 12. v. 15.* juſtè omnia diſponis. Ipſum quoque, qui non debet puniri, condemnare, exterum æſtimas à virtute tuâ. Pulchrè omninò ex verſione Lutheri Megalandri: Du achteſt deiner Majeſtät nicht gemäß / jemand zu verdammen / der die Straff nicht verdienet hat. Sic ipſemet de Cœlo detonat apud Jeremiam, ubi quærenti & conquerenti populo ſuo captivato *c. 15. v. 18.* Quare factus eſt dolor meus perpetuus, & plaga mea deſperabilis renuit curari? factus es mihi quaſi denegatio aquarum non perſeverantium? Reſpondet *c. 30. v. 14. 15.* plagâ immiti percuſſi te, & caſtigatione crudeli, propter multitudinem iniquitatis tuæ, quia invaluerunt peccata tua, Ecquid clamas ſuper contritione tua? inſanabilis eſt dolor tuus, propter multudinem iniquitatis tuæ, & quia invaluerunt peccata tua, feci hæc tibi. Quocirca à poſteriori concludemus, menſuram peccatorum oportuiſſe completam eſſe à quibusdam illorum, quos Deus ſic rapit, ut non ſit, qui eripiat. *Pſ. 50. v. 22.*

QUARTUS.

Ignis iræ ac indignationis Dei teſtis eſt ſcelerumq; humanorum vindex.

Memorabili vocabulo DEUS paſſim vocatur ignis conſumens, *Exod. 24. verſ. 17. Deut. 4. v. 24. c. 9. v. 3. Eſa. 33. v. 14.* inter alia ideò, quia viſitat homines in flammâ ignis devorantis, *Eſa. 29. v. 6.* Hinc *Pſ. 11. v. 6.* pluere dicitur ſuper peccatores ignem & ſulphur. Quod poſt Sodomitas cum vicinis, multi ſuo malo omnibus temporibus experti ſunt. Amoſo c. 7. v. 4. viſio oſtenſa eſt, quòd Dominus ignem vocarit ad judicium, qui devoraverat abyſſum multam, comederatque agros, videlicet ob corruptos mores, tam optumatum quàm vulgi, quos cap. præcedenti eam ob cauſam objurgat. Et in extremo judicio Dominus Jeſus revelabitur de cœlo in flammâ ignis, vindictam illaturus iis, qui non noverunt DEUM, & qui non obediunt Evangelio, *2. Theſſ. 1. v. 7. & 8.* Incendium ergò & conflagratio hominum pecorumq;, cum aliis combuſtibilibus, realis prædicatio eſt de irâ DEI revelatâ ſuper omnem impietatem & injuſtitiam quorundam mortalium, *Rom. 1. v. 18.*

QUINTUS.

Similis pœna conſimilem arguit culpam.

Quum ex Codice ſacro peccatorum indoles & pœnarum Divinarum gravitas certiùs longè cognoſcatur & meliùs, quàm ex ullis cujusvis profani ſcriptoris monumentis, nō abs re fecerim, ſe ex eo adduxero, quæ partim dictis & comminationibus partim que horrendis exemplis incendii fomitem pandunt & exponunt. Ignis ſupplicium hominibus prædicitur & immittitur, 1. Ob idololatriam falſumq; DEI cultum, ſeu Religionem minùs orthodoxam, & ob fiduciam in humanis præſidiis poſitam, apud

Ezech.

Ezech 23.v.25. Ubi DEUS populo Judaico minatur; Ponam Zelum meum in te & agent tecum hoſtes, Filii Babylonis, in furore, naſum tuum & aures tuas præcident, &, quæ remanſerint, gladio concident, ipſi filios tuos & filias tuas capient & noviſſimum tuum devorabitur igni. 2. Ob profanationem Sabbathi, quod Dominus iterum oſtendit? *Jer. 17. v. 24.* Si non audieritis me, ut ſanctificetis diem Sabbathi, & ne portetis onus, & ne inferatis per portas Jeruſalem in die Sabbatho, ſuccendam ignem in portis ejus & devorabit palatia Jeruſalem & non extinguetur. 3. Ob contemptum Verbi Divini hujusque miniſterii & faſtidium purioris Religionis. Nadab enim & Abihu offerentes in igne peregrino & faſtidientes ſanctum cœlitus delapſum, conſumebantur ab igne egreſſo abs Domino, *Lev. 10. v. 1. & 2.* Et ſicut ignis devoravit extremam caſtrorum partem, quando Iſraëlitæ ad Manna nauſeabant in deſerto, appetentes carnes, piſces & edulia Ægypti, *Num. 11. v. 1. & ſeqq.* ita quoque ignis pœnam extimeſcere habent illi, quibus ſordet cœleſte illud Manna Verbi. Quin & hæc una cauſa conflagrationis Templi & Urbis Hieroſolymitanæ adducitur, *2. Par. 36. v. 16.* quòd ſubſannarint nuncios Dei, irriſerint ſermones ejus, illuſerintque Prophetis. 4. Ob perfidiam erga ſuperiores & ſeditionem etiam contra impium & ſceleratum Magiſtratum à ſubditis ſuſceptam, nam Sichemitis malum, quod operati erant, occidendo filios Gedeonis, & fidem frangendo, quam dederant Abimelecho, retributum eſt, non ſolùm expugnatione & totali & deſtructione Urbis ipſorum, ſed & ſuccenſione propugnaculi, quod in urbe erat, ut fumo & igne necarentur mille hominum, *Judic. 9. v. 45. 49.* & venit ſuper eos maledictio. Jotham filii Jerobaal, *v. 57. qui v. 20.* in explicatione Apologi ſui de rhamno devorante cedros Libani *v. 15.* exoptaverat vaticinando, fore, ut ignis egrediatur ex Abimelecho, conſumat optimates Sichem & domum Mello. 5. Ob fœdas libidines, per maſtuprationes ἀῤῥενοκοιτίαν, fornicationes, adulteria & conſimiles veneres illicitas magnâ abominatione exercitas, nam filiam ſacerdotis deprehenſam in ſtupro DEUS flammis exuri quondam juſſerat, *Lev. 21. v. 9.* Et Jobus *c. 31. v. 10. 11. 12.* exoptabat imprecabaturque ſibi, ſi ſcortum alterius fuiſſet unquam uxor ſua, ut igne periret devorante ad perditionem & eradicante omnes proventus ſuos. 6. Ob injuſtitiam, quòd DEUS ipſe denuò comminatur, *Jer. 21. v. 12.* Judicate manè judicium & eruite vi oppreſſum de manu calumniantis, ne fortè egrediatur ut ignis indignatio mea & ſuccendatur, & non ſit, qui extinguat, propter malitiam ſtudiorum veſtrorum. 7. Ob δωροφαγίαν, de quâ Eliphas Themanites *Jobi 15. v. 35.* Ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera accipiunt, nimirum ſuper innocentem. *Pſ. 15. v. 5.* 8. Ob faſtum, ſecuritatem & immiſericordiam erga pauperes, quæ ſcelera triplicata Sodomæ, Gomorrhæ & finitimis civitatibus, Adamæ & Zeboim, interitum accelerarunt per ignis devorantis furorem, *Gen. 19. v. 24.* teſte Deo *Ezech. 16. v. 49. 50* Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ, ſororis tuæ, ſuperbia, ſaturitas panis, felicitasq; tranquillitatis ipſius & filiarum ejus, & manum egeno & pauperi non porrigebant, & elevatæ ſunt & fecerunt abominationes corã me. Et abſtuli eas, cùm vidiſſem. 9. Ob uſuras, impoſturas, fraudes, dolos & circumventiones proximi, quia Eſaias *cap. 9. v. 18. 19. 20.* ſic ſcribit, ſuccenſa eſt quaſi ignis impietas, veprem & ſpinam vorabit, & ſuccendetur in denſitate ſaltûs & convolvetur in ſuperbiâ fumi. In Irâ Domini Exercituum obtenebrata eſt terra, & erit populus quaſi eſca ignis, vir frari ſuo non parcet. Et declinabit ad dexteram & eſuriet, & comedet ad ſiniſtram & non ſaturabitur, unusquisque carnem brachii ſui vorat. Manaſſes Ephraim & Ephraim Manaſſen & ſimul ipſi contra Judam. 10. Ob cædes, effuſionem ſanguinis, mendacia & rapinas, quarum causâ urbi Ninive denunciat *Nahum c. 3. v. 1. & 13.* Ecce populus tuus mulieres in medio tui, inimici s tuis ad apertionem pandentur portæ tuæ & ignis devorabit vectes tuos. Hæc & alia peccata cum impœnitentia, omnium peccatorum peſſimo comite, conjuncta conſueverunt igne vindicari. Ex quo illi judicent, qui rerum geſtarum gnari ſunt, annon fortè hæc ipſa peccata, aut ad minimum unum alterúmve ex ipſorum Catalogo commiſſa ſint ab incolis Parthenopes? Quæ propterea ad internecionem data per belli flammivomi intemperiem rabiemq;.

SEXTUS.

Non inſultat punitis, qui ſciſcitatur puniendi cauſas.

Facta peccatorum enarratio & ad certas perſonas applicatio haudquaquam ideo inſtituta eſt, ut per ἐπιχαιρεκακίαν quandam illudamus aliorum miſeriæ, id enim vitium Diaboli proprium eſt ipſiusque organorum cui eradicando plurimum deſerviunt graviſſima Dei tonitrua, *Prov. 17. v. 5.* Qui ſubſanant pauperem, exprobrat factori ejus; & qui calamitate lætatur alterius, non erit impunitus. *Sir. 28. v. 31. 32.* Illuſio & probrũ ſuperborum eſt, & vindicta inſidiabitur illis, ſicut Leo, laqueo peribunt, qui oblectantur caſu juſtorum, dolor autem conſumet illos, antequam moriantur. Pii contrà memores ſunt effati iſtius ſacri, adflicto non eſſe addendam adflictionem, *Sir. 4. v. 3.*

Sed hic finis eſt pœnæ alienæ genuinus & tergeminus, partim ut gratias agamus devotiſſimas Deo ter Opt. Max. quòd ſimilem plagam nobis hucusque nondum immiſerit, ſeriò precantes, ne intret nobiscum in judicium, cæteroquin & ipſi tuti non eſſemus, partim ut condoleamus miſerè enectis & interfectis, juxta Apoſtoli monitum, *Rom. 12.v.15.* Flete cum flentibus & induite ſicut electi Dei, ſancti & dilecti, σπλάγχνα οἰκτιρμῶν viſcera miſericordiæ, *Col.3.v.12.* partimque ut caveamus nobis ab omnibus iſtis peccatis, ne in conſimiles incidamus pœnas, quas & cæteris os veritatis minatur loco ſuprà adducto *Luc.13.* dico vobis, quòd etiam vos omnes, ſi non fueritis converſi, ſimiliter perituri ſitis? Quod ſi hoc fit in ligno viridi, cogitandum eſt, in arido quid fiet? *Luc.23.v.31.* & ſi juſtus vix ſalvatur, impius & peccator ubi comparebunt? *1.Petr.4.v.18.* Hæc dicit Dominus *Jer.49.v.12.* Ecce, quibus non erat judicium, ut biberent calicem, bibentes bibent, & tu quaſi innocens relinqueris? Non eris innocens, ſed bibens bibes. Deprædicatur itaque is meritò felix, quem faciunt aliena pericula cautum.

SEPTIMUS.

Verè pii implicantur quidem publicis calamitatibus & onerantur privatis ærumnis, ſed ſæpè nullâ ſui culpâ & ſemper in ipſorum bonum directum eſt malum quodvis.

Omnium temporum hiſtoriæ affatim conteſtantur, bonos & pios non eſſe immunes, nec exemptos ſemper à calamitatibus, quas impii ſuâ merentur impietate. Quin potiùs judicium Dei, ut plurimùm incipit à domo Dei, *1.Petr.4.v.17.* qui, quos diligit, caſtigat, *Hebr.12.v.6. Apoc.3.v.19.* Veruntamen interdum, quà ſpecialia & ſingulariter enormia delicta, innocentes exiſtunt, nec juſtam Dei ultionem ſibi accerſunt. Quemadmodum de Jobo, mortalium patientiſſimo, literis memoriæ proditum legimus, quòd Deus ipſe adverſus illum commotum ſe à Satanâ edixerit, ut adfligeret eum fruſtrà, ſeu gratis, ohne Urſache/ ſicut Lutherus exprimit, *Jobi 2.v.3.* erat quippe, quod præmemoratur immediatè, uti *& cap. 1.v.18.* vir ſimplex & rectus ac timens Deum & recedens à malo, cui ſimilis non fuit in terrâ illâ. Pari modo de cæco illo homine à nativitate interrogantibus Diſcipulis, ecquis, ut ita naſceretur, peccaſſet? ipſéne aut parentes ejus? reſpondit Jesus. Neque hic peccavit, neque parentes ejus, *Joh.9.v.2.3.* De barbaris Melitenſibus, in actis recitatur *c.18.v.4.* quàm iniquè judicarent de Paulo, cujus manum vipera invaſerat, dum colligeret pro igne fovendo ſarmenta, calumniantes, utique homicida eſt homo hic, qui cùm evaſerit de mari, ultio non ſinit eum vivere. Licet is nec culpæ, nec reatus, nec pœnæ tantæ factus eſſet reus unquam, in cujus rei ſignum beſtiam excutiebat oppidò in ignem, mali paſſus nihil. Hoc interim verum eſt, iis, qui Deum diligunt, omnia adverſa cooperari in bonum, *Rom. 8.v.28.* à quibus nec incendium excipiendum erit, quandoquidē id ipſis ſtimulus eſt ad iterandā pœnitentiā, ὁρμητήριον ad agnoſcendū peccatum Deiq; iram, probæ fidei & patientiæ, incitamentum ad faſtidium Mundi rerumque caducarum & cadaveroſarum, ac calcar ad appetenda Cœleſtia. Et ſi maximè cum omnibus ſuis in ignis conflagratione pereant, non tamen periclitantur, ſi modò in fide ſalvificâ permanſerint conſtantes, de æternâ ſalute, quoniam neque ignis neque ex creaturarum agmine quidquam aliud, ipſos ſeparare poteſt à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro, *Rom. 8.v.39.* Flammis traditur corpus, in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in Domino Jeſu, *1.Cor.5.v.5.* Dum judicantur ejusmodi credentes, corripiuntur à Domino, ut non cum Mundo damnentur, *1.Cor.11.v.32.* oportet eos contriſtari in variis tentationibus, donec reportent fidei finem, animarum ſalutem, *1.Petr.1.v.6.9.* Quot Martyrum myriades quondam ignis ſupplicium tulerunt animo æquiſſimo & non ſine tripudio? His adſociantur, qui conſimilia patiuntur, & utrique choro Angelorum inſeruntur, ex quo, ſi maximè daretur optio, nunquam profectò reverterentur ad bona hæc fugacia & nugacia, conſtituti quippe in gaudio ſupra cœleſti mero & vero, extra omnem aleæ dubiæque fortunæ jactum & luſum. Benè ergò perit, qui ſic periit, ut in æternum non pereat, cui ob id congratulandum eſt & acclamandum cum jubilo.

OCTAVUS.

Ex impiis multi adhuc lucrifiunt Chriſto per pœnitentiam, ſi quando publicum imminet animæ, corporis, & fortunarum periculum.

Petrus hoc nomine nobis ſiſtit ante oculos Mundum primævum, qui inundatione aquarum funditus exciſus eſt, & ſuffocata omnis caro, in quâ vitæ erat ſpiraculum; commemorat enim 1. *Eph.3.v.20.* homines eo tempore, cùm fabricaretur arca, fuiſſe incredulos, ſeu imperſuaſibiles, ac proinde non egiſſe ſeriam pœnitentiam, donec aquæ ingruerent increbeſcerentque diluvii, ubi ad frugem ſeſe recepiſſe multos, vero non eſt abſimile. De Iſraëlitis multoties conſtat ex codice ſacro, quòd reſipuerint preſſi ab hoſtibus ſuis. Manaſſes nunquam forſan animum applicuiſſet ad melius, vitamq; ſuam emendaſſet, ſi non catenis vinctus in captivitatem fuiſſet abductus ſervilem. Nimirum verum manet, quod Eſaias ſcribit, *cap.26.v.16.* Domine, in anguſtiâ requiſiverunt te, meditatio eis, quando caſtigas eos. Quando igitur homines fiunt, ſicut

ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus, qui ad DEUM approximare recuſant, camo & freno calamitatum omnigenarum maxillæ ipſorum conſtringendæ ſunt, *Pſal.* 32. *v.* 9. tunc compelluntur intrare, *Luc.* 14. *verſ.* 23. & ſalvi fiunt, ſic tamen quaſi per ignem, 1. *Cor.* 3. *verſ.* 15. ut cum Ephraim fateri quisque illorum corrigibilium neceſse habeat, caſtigaſti me Domine & eruditus ſum, quaſi juvenculus indomitus, poſtquam enim convertiſti me, egi pœnitentiam, & poſtquam oſtendiſti mihi (flagellum iræ tuæ) percuſſi femur meum, confuſus ſum & erubui, quoniam ſuſtinui opprobrium adoleſcentiæ meæ, *Jer.* 31. *v.* 18. 19. Tibi ergò juſtitia, nobis autem confuſio faciei, *Dan.* 9. *verſ.* 7.

NONUS.

Deus parcere volens Sodomitis ob decem juſtos, non præſcripſit regulam, quam obſervare tenerentur apud alios quosvis.

Magnum certè rationis humanæ ſcandalum eſt, cui tollendo & averruncando non omnis ſatis aptus deprehenditur, quando calamitoſiſſimus aliquot millium interitus, & quidem eorum, qui puriori Religioni, ὁλοκαρδίας καὶ ὁλοκλήρως addicti ſunt, confertur cum propenſi & miſericordiſſimi animi declaratione, quâ DEUS olim Abrahamo compromiſerat, parcere ſe velle Sodomitis, ne ſulphure pereant & igne, ſi modò inventi ibi fuerint decem juſti, *Gen.* 18. *verſ.* 32. Exinde multis videtur Regula poſſe extrui, quæ obſervanda deinceps ſit in locis aliis omnibus. Sed verè videtur, re ipſâ tamen talis non eſt, aliàs DEI veritas, juſtitia & miſericordia periclitarentur, quotiescunque vindictæ gladius ſive in bellis, ſive in aliis calamitatibus plagisq; publicis ſtringitur adverſus totum aliquem populum, provinciam, civitatem, communionem, quippe in quibus ſæpiſſimè contingit, ut denarius ille juſtorum ſuperetur à longè majori. Quo nomine penſiculatiùs adſpiciendus eſt populus Judaicus cum urbe ſuâ Hieroſolymâ, adeoque universâ terrâ ſanctâ, ex qua iteratò extruſi ſunt & in duram captivitatem compacti injuſtorum quidem propè innumeri, quos inter tamen non fuiſſe decem juſtos, nemo facilè ſtatuerit. Concludendum igitur reſtat, privilegium iſtud de non extinguendis peccatoribus propter decem juſtos, unam illam civitatem Sodomam ſpectaſſe, neque ad alias commodè trahi poſſe, niſi & DEI Verbum & experientiam minimè protervâ levitate in dubium quis vocare voluerit. Et hæc Auguſtini interpretatio eſt, quam multis retrò ſeculis propoſuit, *Tom.* 4. *Oper. Quæſt.* 40. *ſub Gen.* hisce conceptis verbis: Quæri ſolet, *ait,* utrum quod de Sodomitis dixit DEUS, non ſe perdere velle locum, ſi invenirentur illic vel decem juſti, ſpeciali quâdam ſententiâ de illa civitate, an de omnibus intelligendum ſit generaliter, parcere DEUM loco, in quocunque vel decem juſti fuerint? In quâ quæſtione non eſt quidem neceſſe, ut hoc de omni loco accipere compellamur. Veruntamen de Sodomis potuit & ſic dici, quia ſciebat Deus, ibi non eſſe vel decem. Et ideò ſic reſpondebatur Abrahæ, ut ſignificaretur, nec tot ibi poſſe inveniri, ad exaggeratione iniquitatis illorum. Non enim neceſſe erat DEO tàm ſceleratis hominibus parcere, ne cum illis perderet juſtos, cùm poſſet juſtis inde liberatis, reddere impiis digna ſupplicia, ſed ut dixi, ad oſtendendam malignitatem multitudinis illius dixit, ſi decem ibi invenero, parcam univerſæ civitati, tanquam ſi diceret, certè poſſum nec pios cum impiis perdere, nec tamen propterea impiis parcere, quia liberatis & ſeparatis inde piis, poſſum impiis digna rependere, & tamen, ſi ibi inveniantur, parco, hoc eſt, quia nec tot ibi poſſent inveniri. Tale aliquid eſt apud Jeremiam, ubi ait, circuite vias Hieruſalem, & videte, & quærite in plateis ejus & cognoſcite, ſi invenietis hominem facientem juſtitiam & quærentem fidem, & propitius ero peccatis eorum, id eſt, invenite vel unum, & parco cæteris, ad exaggerandum & demonſtrandum, quòd nec unus ibi poſſet inveniri. *Sic Auguſt.*

DECIMUS.

Temporali excidio Deus aliquando nec infantibus parcit, ut coràm mundo exiſtant innocentes, nec propter ipſos adultioribus.

Scrupulus æquè gravis alicui ſuboriri poſſet ex hiſtoriâ Jonæ, ad quem Deus *c.* 4. *v.* 10. & 11. dixit, tu doles ſuper hederam, in quâ non laboraſti, neque feciſti, ut creſceret, quæ ſub unâ nocte nata eſt, & ſub unâ nocte periit. Et ego non parcerem Ninive Civitati magnæ, in quâ ſunt plus, quàm centum viginti millia hominum, qui neſciunt, quid ſit inter dexteram & ſiniſtram ſuam? Nimirum & hinc ratio noſtra evictum cupit, parcendum eſſe aliis civitatib. quæ aliquot millia fovent excluduntq; infantum. At enim verò idem hîc valet judicium, quod in dubio ſuperiori. Et quæ urbs non abundat multis teneræ ætatis millibus? neque tamen omnibus ejusmodi populoſis cætibus parſum eſt. Quin & in infanticidio Bethlehemitico illi ipſi, ob quos aliis parcendum ſemper eſſe ſomniat ratio, non ſunt ſervati, *Matth.* 2. *v.* 16. uti nec in perſecutione Ægyptiacâ, quâ Pharao crudeliſſimè ſuffocari juſſerat omnes Iſraëlitarum maſculos, *Exod.* 1. *v.* 16 Quomodo interim per id nihil damni ſuſtineat DEI juſtitia, alibi à noſtratibus exponitur fuſiùs. Mihi hîc quieſcendum eſt & finis imponendus qualicunque huic meæ Diſſertationi. Deus miſereatur miſerè occiſis, colligat diſperſos & ſub alis protectionis ſuæ nos omnes protegat, rabiemq; hoſtium peſſundet, & compeſcat retribuens illis, ſicut fecerunt noſtris

Fiat! Fiet. Sat novimus.

EPILO-

EPILOGUS

O Quàm beatus ille, qui ſui potens
Traducit ævum, quemq; non premit jugo
Vitæ tyranna opinio, malum multiceps,
Erroris anſa, Veritatis Simia!
O quàm profundos nox ei ſomnos parit,
Semperq; feſtos reddit Hyperion dies!
Propone quenquam, rupe qui tutâ ſedens
Rapidos tuetur ſpumei fluctus maris,
Actasq; puppes inter iras turbinum
Per mille gyros, talem & hunc noſtrum accipe!
Qui liber ipſe, ex arce mentis lucidâ,
Miſeros labores ſecli & æſtus deſpicit,
Malis ſcatentes, quæ ſibi creant omnia.
At cùm ſupremos præparant Parcæ rogos,
Suasq; partes repetit bile quadruplex,
Quàm neſcius timoris exuvias ſuas
Relinquit, & quàm liber hinc animus volat!
Sed ô quàm ubique rarus ille, quem beat
Numen benignum mentis hâc potentiâ!
Adeò per omnes pervagatur ordines
Species adulterina, inextricabili
Fallaciâ mortalium cerebra obſidens.
Hæc vita noſtra; vita ſi vocabitur;
Tot involuta nubium caligine.

FINIS.

LECTOR

LECTOR BENEVOLE!

QUò eò magis tibi integram & nullâ parte mutilatum Klockii Tractatum Ipſum denuò demus, ideò placuit Carmina illa Gratulatoria honori Klockii dicata & priori Editioni præmiſſa in calce conſultò ſubjungere, Tu L. B. Vale, hæc boni conſule, & laboribus noſtris fave!

CARMINA GRATULATORIA

In
Pervigilium Nomicopoliticum
DN. AUTHORIS.

QUæ domitrix alias inter GERMANIA gentes
Hoſtibus antè ſuis terror & horror erat,
Nunc eadem intra ſe bellis civilibus ardens,
Facta aliis præda eſt, ipſa ruina ſibi.
Devaſtantur agri, vacuantur civibus urbes,
Tecta ruunt flammis, terra cruore madet.
Diripiuntur opes, & res quibus ampla ſat olim,
Nunc vix eſt, vitam quo tolerare queant.
Sic opibus, ſic fœta viris GERMANIA quondam,
Hauſta viris eheu, nunc opibusque gemit.
Alme Deus patriæ afflictæ miſerere, bonusque
Læta reduc pacis tempora, bella fuga.
Pace refloreſcant urbes & rura; dabitque
Ubere ſe cornu copia dives opum.
Pauperiem fera bella trahunt, pax optima rerum,
Pax ubertatis fons dat & auget opes.
Hæc ubi pax diâ bonitate refulſerit orbi,
Præcipuè indigenis, Teutona terra, tuis,
Tunc quibus auxiliis, quâve arte modóve parari
Divitiæ, augeri cenſus & æra queant,
Sic tamen, ut populus non deglubatur, ut æquo,
Juſtitiæque ſuus conſtet ubique vigor,
Scire cupis lector (prout iſta ſcientia multos
Afficit) hunc ipſum volve, revolve librum.
Clarus ab ingenio, jurisque ſcientiâ & uſu
KLOCKIUS, hoc nobis edidit artis opus.
Orbis opes, Regum gazas, reditusque potentum,
Quos mare, quos tellus, auraque & unda ferunt,
Hic liber in ſpeculi velut orbe videntibus offert,
Hinc bene quid fugias, quidve ſequaris, habes.
Inſatiabilibus Cives & rura tributis
Chriſte leva, & vitæ da, quibus uſus eget.
Da, ſint Juſtitia atque fides ſibi, fasque piumque *Pſalm 85.*
Obvia; paxque redux oſcula læta ferat.
Tunc tibi ſacra piis ſolventur debita votis,
Et grato laudes grex canet ore tuus.

GOSUINUS MERCKELBACH, JC. Comes Pal. Cæſ. nec non Reverendiſſ. atq; Illuſtriſſ. Principi ac Dn. Dn. AUGUSTO, poſtulato Epiſcopo Ratzeburgenſi, Duci Brunſvicenſi & Luneburgenſi à Cancellis & Conſiliis intimis &c. AUTHORIS Sobrinus.

Ad
Nobiliſſimum, Conſultiſſimumq́, VIRUM,
CASPARUM KLOCK,
JCtum eminentiſſimum, & Comitem Palatinum Cæſar.

IMperium nullum, facies nec publica rerum
Auro vel nummis nulla carere poteſt.
Nervus agendarum rerum nam larga moneta eſt:
Imperium vanum, quando nomiſma deeſt.
Cura ſit icirco Primatum ſumma miniſtris,
Ne deſit Dominis uſus & eſus opum.
Non tamen implexâ cumulent Ærarıa fraude,
Nec populi ſtudeant evacuare domos;
Legitimo potiùs procedant tramite ſemper,
Nam malè parta nihil proſperitatis habent.
Proh dolor! illa parùm nunc obſervantur in Aulis;
Sub ſpecie fidei dum rapiuntur opes.
Ditandi normas igitur quòd pandis honeſtas,
Legitimiq́, doces amplificare penu;
Rem facis ingenio dignam, Vir magne, ſagaci,
Atq́; tui merces fama laboris erit.

Fridericus ab Uder, Vice-Cancellarius
Guelphicus Wulfferbit.

ALIUD.

CAMPANELLA modum ac percallida Iberis,
Queîs ſub juga ahenea poſſint
Cogere bellacem gentem, ſuggeſſit: at iſthæc
Mavortem Marte propagant;
Omnem qui emaciat rem privam ac publicam, & omnes
Nervos incidere geſtit.
Aſtutus genius multos invaſit: Honeſto
Juſto atque Pio, utile ut optent
An retuliſſe. Tibi melior mens, quam enthea adusſit
Irene? candide KLOCKI!
Qui ſanare ſtudes, quæ inflixit vulnera Mavors:
Peccataque ſemina belli
Extirpare, gulæ, luxui, atque libidini, & atræ
Medicando pigritiei.
Si pietate dice præfulget, Titius unquam
Fiſco nil ditius addet!

Brunſvvigæ ἐκ φρενέων μυχῶ f.
Balthaſar Gualtherus, Sup.

In Tractatum deſideratiſſimum
DE ÆRARIO,
Nobiliſſimi & Excellentiſſimi JCti,
DN. CASPARIS KLOCKII, &c.

SI punctum omne tulit, qui miſcuit utile dulci,
Quis Te, mi KLOCKI, hoc omne tuliſſe neget?
Dum ſtudio vigili ſcribis, curâq́; perenni,
De luce asſiduus, nocte etiam accubuus,
Quâ ratione queant ÆRARIA ditia reddi,
Augeri & Fiſcus quâ ratione queat:
Artibus haud iſtis, quibus Harpyiæ undiq́; quicquid
Per fas, perq́; nefas conglomerare queant,
Corradunt, miſerorum & opes, cum ſanguine, ſugunt:
Queîs Germania nunc, patria noſtra, ſcatet:
Sed ratione modiſq́; iſtis, quos ſuadet honeſtas,
Admittit Pietas, Juraq́; Fasq́; ſinunt.
O ſi unquam Fiſcus, ſiq́; unquam Æraria morbum
Senſêre, hoc certè tempore percipiunt!
Imò non morbum ſolummodò, ſed quoq́; mortem
Ipſam experta ſatis, viva cadavera ſunt.
Lethalem ô morbum, cum quo Germania tota
Conflictatur, & eſt jam moribunda diu!

Felicem ô Medicum, tanto medicamina morbo
Qui poterit promptâ conciliare manu!
Hic ut ſis, medicâq; manu tot vulnera cures,
Poſt Chriſtum, voveo: ſint rata vota DEO!

Johannes Camman, D. Reipubl. Patriæ
Brunſvicenſis Syndicus.

ALIUD EJUSDEM
In Tractatum elaboratiſſimum ejusdem
AUTHORIS
De
CONTRIBUTIONIBUS.

CUr non *contribuam* Tibi, præclariſſime KLOCKI,
Petita metra paucula?
Dum tandem in dias exponis luminis oras,
Et publicè communicas
Eximium illud opus, quod adornas, inque tot annos
Premis, & labore maximo
Congeris, & vis ex privato publicum id eſſe,
De CONTRIBUTIONIBUS:
Et de COLLECTIS *lecta* & *collecta* ſubinde
Aliis legenda ſuggeris,
O ſi de diæ *Collectis* carmina Pacis
Irenico eſſet tempore
Integrum nobis conſcribere; & haud opus eſſet,
De CONTRIBUTIONIBUS,
Audire hoc ævo, quo, (proh!) pleniſſima cuncta
Sunt TRIBULATIONIBUS!
Verùm cùm ſolis non hæc mutare querelis
Liceat, dolendo hoc tempore;
Supplicibus potiùs COLLECTIS quisque precetur,
Oratione & lacrymis,
Contribuatque ſuum devoto pectore votum,
Ex CONTRIBUTIONIBUS
Ut tandem MARTIS cunctos evellat Iöva,
Pacis reducens tempora;
Quisque ut *contribuat* meritæ præconia laudis,
Et ſempiternas gratias.

AUt nunc, aut nunquam poſcunt æraria cenſum,
Et fiſcus quivis publicus æris eget,
TU, KLOCKI, profers optatò divitis amplas
Ingenii gazas, pandis & orbis opes.
Regibus accumulas theſauros Principibusq;,
Ut ferat inde ſimul ſubdita turba lucrum.
Civibus exponis, quo ſtet Reſpublica nervo,
Dura & pauperies quo fugienda modo.
Jam quando tot vota hominum feliciter imples,
Unus tàm multis fersq; potenter opem,
Ecce tuum æterno ſacrabunt Nomen honori
COPIA, FAMA, SALUS, GRATIA, SUADA, THEMIS.

Joh. Chemnitius, M.D.

QUi laudem Tibi dat, KLOCKI, vel Apolline teſte,
Tuíſve ſcriptis, quid facit?
Auratam pingit ſtatuam ille coloribus; auro
Qui ſunt honores diſpares.
Tot meritis ſtatuam Tibi, tot ſcriptisque paraſti,
Proprio decore quæ nitet.
Jus Themis, hiſtoriam Cleio, Tibi Suada leporem,
Thaleia carmen dulce dat.
Non valeo tantas laudes æquare canendo:
VIRTUS & ARS ſic conſonat.
Hoc opus ingenii quàm divitis herculè ſcriptum,
Quod nominas ÆRARIUM?

Egregii Latii genuino exponit amictu,
Notosque reddit omnibus,
Cunctorum Populorum, & Regnorum, ordine longo,
Reditus opesque proprias,
Structuras operum priſcas, hominumque labores,
Novaque artium molimina.
Proh exhauſit opes Bellum: cecidêre per Orbem
Res maxima diſcordiâ.
Quanta fuit rabies! cædes quàm noxia vulgi,
Et quanta prædarum fames!
Pallet adhuc tellus GERMANICA, ſqualida facta
Excurſione militum,
Regnaque ſollicitis luget viduata colonis,
Et verſa paſſim mœnia,
Cor dolet ac monitu belli: jam fraudis abundè
Satisque damni vidimus,
At Tu, Juſtitiæ cultor, legumque Sacerdos,
KLOCKI, lubenter fers opem,
Quam potes ac debes, miſeris ſuccurrere gnarus,
Quæ cœpta fortunet DEUS,
Conſiliisque juvas populos, ſtet ut integra toti
GERMANIÆ pax & ſalus:
Ut turbata novas cumulet Reſpublica gazas,
Et inde Subditi ſimul
Dulce ferant lucrum, verſis ad proſpera fatis,
Parvæq; res creſcant magis.
Per Te proſpicitur Regnis, populique ſaluti,
Et turpis exulat dolus.
Priva ſalus, & publica res, & gloria Divûm
Per Te vigent in poſterum.
Miror ineſſe uni tot publica commoda libro,
Dotes tot uni pectori.
Dicam equidem: totum Te poſſidet entheus ardor;
Vis illa de cœlo venit.
Det Tibi cœlipotens DEUS annos: cætera cuncta
Largiſſima manu dabit.

M. Johannes Schindlerus, Chemnicenſis.

AD

GERMANOS

De

MEDIIS HONESTIS

Ærarium ſumptibus & jacturis exhauſtum legitimè ditantibus

à

VIRO

Magnifico, Nobiliſſimo, Excellentiſſimo,

DN. CASPARO KLOCKIO,

JCto Celeberrimo, Comite Palat. Cæſ. Illuſtriſſ. Ducum Brunſv. & Luneburg. Conſiliario & Cancell. Germanâ fide oſtenſis.

ἀδή.

ABreptos alii theſauros carmine mæſto
Deflebunt, caſusq; dolendos
TEUTONIÆ: toties repetita piacula furum
Lugebunt æraria *caſſa:*
Sunt, quibus unum opus eſt querulo deplangere verſu
PARTHENOPES fumantia ſerta,
Triſtem & ferali frontem redimire cupreſſo:
Pluribus in Mavortis honorem
Bella latrociniis canet inclyta furta patroni.
Haud memet tàm clara tropæa,
Nec tam magniſtrepis percuſſit buccina pugnis,
Quàm vaga CAMPANÆ reſonantis

Turri-

Turribus in THEMIDOS præcelſis murmura, *juſto*
Quî cumulent æraria *cenſu.*
Nam ſonat *hæc varias, docuit quas, maximus ATLAS,*
Divitias TERRÆQUE MARISQUE,
Quas properent cives ſolerte parare labore,
Ac miſeras explere lacunas.
Hæc ſonat *innumeras RATIONIS acumine partas*
Artes, ceu ſimulacra venuſtis
Exornata modis, quæ ipſius formaret Apelles;
Seu pretioſa toreumata fibris,
Quæ Polyclete tui præſentant ſchemata cæli;
Aut textus emblemata miri,
Quæ Lyſippe *tuæ referant bona thaumata dextræ;*
Vel cycli ſeptemplicis artes
Pallas honora *tuas, THEMIS aut tua fulcra POTENTUM;*
Vel dia meletemata mentis,
Ingeniiq́; ſagacis & artis & indolis altæ,
Quæ regnis magmenta *ſuperſint;*
Hicce ſonus quia CAMPANÆ pretioſus & uber
Proſperitatum Teutonis oris;
Quæ languent, tabem & fœdam attraxêre ſuperbi
Inſatiato abdomine Martis,
Acceleres igitur GERMANIA egena; quadrigis
Ditandiq́; fruaris honeſtis,
Artibus ingenuis cumules æraria, quales
CAMPANA piæ murmura *monſtrat.*
Illicitæ maculant normæ penetralia *diris,*
Divitias minuuntque repertas.

M. Caſp. Sagittarii.

In

Commendatiſſimum Opus de ÆRARIO

Eminentiſſimi JCti, Comitis Pal. Cæſar. Sereniſſimorum Ducum Brunſvic. & Luneburg. Cancellarii,

DN. CASPARIS KLOCKII,

Parodia Horatiana, ex lib. 2. Od. 10.

REctiùs, GLOCCI, meditaris Æquum
Semper attendens, neque dum locuples
Principi ut Fiſcus ſuperet, procuras,
Jura refingens.
Urbibus quisquis bene temperatis
Conſulit, cúras cavet inquietæ
Turbidas mentis, caret expetendæ
Vulnera famæ.
Legibus ſanctis honor eſt verendo
Jureconſulto: meliore rectæ
Imbibunt mentes, adamantque normam
Juris & æqui.
Exuit Princeps animum Tyranni,
Induit Patris, bene conſulendo
Subditis, celsâ Deus arce cœli
Proſpicit, idem
Indicat, non ſi malè quidam, & alter
Sic aget, rarò mala conſulentem
Deſerunt pœnæ, neque fraudulentis
Proſpera fata.
Commodis Juris-populi-peritus
Conſulat ſemper ſtudioſus Æqui,
Vera nec ſcriptis renuat docere,
Vindice pennâ.

M. Ennii Zigemarii, Goslarienſis Poëtæ Imperialis.

ALIA EJUSDEM

In elaboratiſſimum Tractatum ejusdem

AUTHORIS

De

CONTRIBUTIONIBUS.

Ex lib. 2. Od. 2.

JUrium nullus valor eſt, iniquis
Aulici technis inimice, GLOCCI,
Juris Antiſtes, niſi proferantur
Lucis in auras.
Vivit extentis HOTOMANNUS annis,
Et cati pectus ſapiens MENOCHI:
Hos aget cœlo metuente labi
Gloria vivax.
Rectiùs ſcribes, media execrando
Contributorum mala, quàm piacla
Si tegas fucis, & ubiq; plauſus
Fortè ſequantur.
Negligens æqui ſcelerum magiſter
Semper affligit populos, niſi omnem
Et dolum oſtendas, & acerbo ferro
Ulcera ſcindas.
Callida fraudis ſtudio flagrantem
MACHIAVELLUM numero aulicorum
Eximit Princeps, populumq; falſis
Dedocet uti
Vocibus, Juris titulos periti
Deferens uni, meritasq; laudes;
Quisquis in ſcriptis ſtudio irremiſſo
Vera tuetur.

ALIUD.

CEu Campana ſonat; tua ſic ſapientia toto
Præſtantem laudis reddit in Orbe ſonum.
Viribus elanguens Germania deficit, aurum,
Imperii nervum, fœda rapina tulit.
Sæpius illicitis quærunt conatibus aulæ,
Quas rapuit ſævus militis ardor opes.
Heic normas licitas dicanti Principis aulam
Impie & excorians ditificator habes.

Eraſmus Gaſman, Præfecturæ Heringenſis Quæſtor.

In

Magnifici, Nobiliſſimi, Conſultiſſimiq; VIRI,

DN. CASPARIS KLOCKI,

JC. Com. Pal. Cæſ. & Cancellarii Stolbergici meritiſſ.

Tractatum maximi momenti

De

ÆRARIO ſive cenſu per media absque divexatione populi honeſtè conficiendo.

UT *duo* certarant, *ſint Cæſaris omnia*, nec ne,
Dixerat *hic æquum*, duxerat *alter equum.*
Hadrianum contra vult *Machiavella Phreneſis*
Principis, haud *populi qualibet* eſſe *bona.*
Non miſſura cutem, niſi plena cruoris, *Hirudo,*
Exactrix Lernæ gignitur *hôcce ſinu;*
Sugit & exugit rem vel cum pulvere *Fiſcus.*
Tonſio vileſcit: *glubitur* ergo *pecus.*
At quid *Alexander?* cultorem devovet horti,
Ab radice nimis ſicubi ſcindat olus.
Audit *Turca ferox*: at *ſacrum* dicere *ſanguen,*
Cui ſit *parcendum, juſta Tributa* ſolet.

Omnibus

Omnibus in commune dies ceu naſcitur: omni
Sic civi Bonitas Principis orta micet;
Non miror *Tryzum populo* qui, *vivere* præter,
Vocem cum *nutu*, poſt *bona rapta* negat.
Gentilis fuit hîc. *Chriſtianos Regula* CHRISTI
Quippe regit *Reges*, & *Themis* alma regit.
Nec moror *artifices ſimulandi*, cuncta referri
(Scilicet!) in melius. *Lac ſine lacte* datur.
An relevet miſeram fallax *Simulatio plebem*,
Larvam, non *animum* cum *Simulator* habet?
O bene KLOCKIADEN! docet is *diteſcere Fiſcum*
Taliter, ut *populo* ſit benè *tuta Salus*.
Nempe *meret Diras Proteusq; Paterq; Tributi*:
At *pius in cives* KLOCKIUS EULOGIAM.
Nempe *meret* largè COMES INDUPERANTIS in *Auli*
Princeps CONSILIIS KLOCKIUS eſſe ſuis.

Ex devotionis
adfectu f.
***M. Nicolaus Gothus**, Cheruſcus P. Ufftr.*
Poëta Laureatus.

EJUSDEM
Ad
INSIGNIA
DN. CASPARIS KLOCKI,

CAmpanûm longè ſonat æs. At permeat Orbem,
Quam dat culta Themis, GLORIA KLOCKIADÆ.

CASPARI KLOCK,
Viro Nobiliſſimo, Eminentiſſimoq; JCto, Comiti Palatino Cæſario,
Domino ſuo Mæcenati, populari colendiſſimo, dum Cæſarum, Regum, Principumque Orbis terrarum deſcribit, efformatque ſagaciſſimè ſolertiſſimèque

ÆRARIUM
Immortalis memoriæ
Appono ÆRARIUM Politico-Morale-Theologicum, lubens, volens, meritoq;

LAudi eſt & lucro, quòd ſit, qui currat ad Indos
Extremosque hominum Sinas, & inhoſpita Bactra,
In terræ Pelagique ſinus, prope & ipſum Acherunta;
Quò magis irritet, quam flammam extinguat, habendi.
Alea, quam hic tractat, præſenti plena periclo,
Eſt fœda eſuries, mendica voraxque vorago,
Peſtis & eſt animi, neque fit medicabilis antè,
Quàm, queîs ſic inhiat, ſit ſorptus hiatibus auri.
AT TU JUSTITIÆ KLOCKI celeberrime Myſta,
Quod penetras ſtudio & doctis ſpecularibus infers,
Scrutatum is arcas, penetrale, penuque Potentum
Orbe Dynaſtarum & ſecreta Æraria Regum.
Quæ Lunæ & cuperent ipſis clam Solibus eſſe,
Portento hoc propius, ſupra miracula Memphis,
Supra vulgares Divinæ Palladis artes
Nulla Novenarum hæc cecinit ſecreta Sororum
Sive fuit noſtro lotiſſima Nympha Viſurgo,
Seu Rheno fuerit, ſive ulla ſerenior Albi.
Heic muræque fides furiunt, heic nablia muta,
Proditur heic Roſtris mihi lingua, nec ulla diſerta.
Qui Bonus hæc Genius TIBI tanta ſuſurrat in aurem
KLOCKI? ſi quemquam, TE ſummis inferet aſtris,
DISque parem faciet cuncta aſpectare ſupernè;
Cum venis auri, latebrasque, ſinusque lapillorum,
Ut noris ubi, qui Venere & ſint lucidiores;
Quæque patent, ſcrutere, latent quæque invia & ima,
Nulla parte TUI factus majórve minórve,
Ditior & nullâ, nec factus avarior ullâ,
Æquâ lance manens hûc nec, nec iniquior illûc.
Hæc ſtupeam KLOCKI, TE impervia pervaſiſſe
Illæſum, infractum, totoque animo illibatum.
Namque hæ Syrenes, hæ ſunt Aurique CHARYBDES,
Quas felix quisquis ſurdâ transvexerit aure,

Nil prorſus Circe hac, nil Suadâ hac pellice captus:
Fruſtra iter & remos, fruſtra hac remorante volatus,
Plus ultra cuperem, mentemque oculosque tuliſſe,
Teque ultrò penetraſſe velim, ſociusque fuiſſe,
Abdita cœleſtûm, conſcriptaque, lectaque nullis
Inſpicibus lynceis, Agrisque impervia glaucis,
Theſauros penetraſſe velim: queis machina mundi
Immenſumque opus, & ſurgant laquearia cœli
Et polus iſte fabrefactus teres atque rotundus,
Quodque Elementa tenet ſub fornice Firmamentum,
Quod flammis videas itidem rutilare, nec uri,
Lege rotari unâ, lege & ſubſiſtere ab una,
Nil reſtaurari, minui nil, & nihil addi;
Eſſe perenne tamen, celeri neque labile raptu:
Quo ſumptu, atque operis ſit opus mirabile perpes,
Theſauros luſtres Æraria & ampla Tonantis:
Unde Monarchiam ſtatuatque perennia Regni
Præſidia & robur, ſplendorem Auguſtaque ſceptra,
Unde ſit asſidua, & nunquam pompa aulica ceſſet,
Cunctis Phœbi inſtat, flammæque micantis inſtar
Sumptibus æternis, ſtudioque operaque perenni.
Unde & militiam, ſcribatque Exercituum vim,
Quos ſtellæ numero, nec adæquent ſydera luce,
Undique terribiles, toto agmine formidandi.
Quorum unus totij Mundo ſatis invertundo.
Tenta etiam, an Stygiam poſſis tranare paludem,
Et noſſe impenſas, queis dira cohors Phlegethontis
Damnatâ conſtent larvâ ſpeciesque Cyclopum,
Monſtra Giganteas debellatura cohortes
BRONTES & Steropes & nudus membra Pyracmon,
Qui fornace reos ſemper flammante fatigant,
Verbere perpetuo Mentes Carnemque ſaginant,
Attricis nunquam rebus, nec carnificum vi.
Dehinc eſt Gens Hominum, gens una ſimillima JOVÆ,
Exploranda TIBI, TIBI tota eſt perluſtranda,
Quanti judicioque TUO, cenſuque Decorum
Seu gleba fuerat primoque & pulvere ficta, &
Mens inſpirata & vigiles, ut ſydera ſenſus
Seu reſtaurata eſt, ſtygioque Charonte redempta:
Hoc opus, hic labor, hoc pretium fuit infinitum,
Huic pretio nil par, nec terra, nec Aſtra, nec undæ;
Hoc pretio etiamnum Cœli venalia nobis
Ornamenta, Voluptates, ſplendorque, decorque,
Dic artem KLOCKI hunc theſaurum repperiundi,
Queis implendæ arcæ, & ditanda Æraria noſtra,
Tunc Reges puto, tunc Regumque æraria vendes,
Theſauro ut tanto valeas utique fruique.
Veſtiga reliquum, quod habet toto Orbe JEHOVA,
Veſtiga, explora: totum eſt mortale caducum,
Quadrupedum, Bipedúmve, Volatile, Reptile terræ,
Quæque per Oceanum monſtra immaniſſima paſcit,
Si vivit tamen & ſentit, pretioſius auro eſt,
Et quas deſcribis Crœſi, Plutonis & artes.
Tandem & in æternum penetra vel mente ſerenum,
Ut videas quanta in cœlorum impenſa voluptam,
Unde animos videas impleri & corda Beatûm,
Omnia ubi aſſiduis ſatiantur divite menſâ,
Deliciis Sabaoth, diffuſo ſplendida ſumptu.
Hinc hauri KLOCKI, ebibe dolia plena meraci;
Quæque bibiſſe ſemel ſit vita æterna futura,
Sitque Deorum ipſo de nectare perpotaſſe.
Næ TIBI tunc Mundi faſtus ſordebit, & Aurum
Vileſcet, quod habent cunctorum Æraria Regum,
Et quod adhuc prægnans tellus occultat avaris.

ELEGIACUM ENCOMIASTICUM *de* eodem ÆRARIO.

KLOCKI, Cecropiæ Comes it TIBI turba Minervæ,
Muſarumq; lepos TE SOPHOS omnis amat,

Juſtitiæ ſi uſquam majeſtas inviolata eſt,
Magnificum Myſten TE jubet eſſe ſacrum.
Oeconomus TIBI ſeu Rex eſt, Princépsve, Comésve,
Concedit, cedit concelebratq; ducem,
Te inſtructore tument torcular & horrea & Arcæ,
Auro ſylva, palus, areq; prata fluunt.
Decoquis & Chalybem & crudiſſima viſcera terræ,
Inq; aurum ſalices cogere poſſe rear.
Quisquis ſpe lucri noctuq; diuq; fatigat
Ingenium, huic DOCTORI applicet ingenium.
Mi ſemper miſerè eſt ſtudium, quod inutile tracto;
Pauper & in Sophico pulvere inanis agor.
Icciroo mea Muſa vale, nudæq; Sorores:
Doctorem hunc vetulo mens mihi velle ſequi.
Perge manum his tenebris; Da filium Dædale Doctor,
Mille per anfractus Dædale ductor age:
Sic TE Cecropia veneretur turba Minervæ,
TEq; canant Muſæ, TE SOPHOS omnis amet.

HENDECASYLLABUM.

Eidem Nobiliſſimo, Conſultiſſimoq; VIRO,

CASPARI KLOCKIO.

VIs KLOCKI TUA facta, dicta, ſcripta,
In compendioloque gloriationes,
Honores, ſtudia atque dignitates,
Rumoresque Tuos celebriores
Vis in faſciculo ligata donem?
Te laudant Academiæ, Scholæque,
Tribunalia prædicant, forumque,
Et quæ præla Tuo labore ſudant,
Tuam ſuſpiciunt, crepantque limam.
Lapſi diceris eſſe ſplendor ævi,
Præſentis decus, & decus futuri:
Tu fax diceris eſſe poſterorum,
Seclorum venientium lucerna
Legum deliciæque Juriumque,
Regum divitiæque Principumque,
Vin' præconia pauciora dicam?
Unus millium es, inſtar omnium unus.

HENDECASYLLABUM ALTERUM

Eidem Viro Nobiliſſimo.

QUod KLOCKI numerosq; ſyllabasq;
Quod TIBI Hendeca ſyllabosq; ſcribo,
Hoc auſim quod & auſus eſt Catullus.
Magno mittere paſſerem Maroni,
Paſſerem dare TU puta Catullum.
Cum mitto Hendeca ſyllabos Catulli,
Redones tenui bovem Catullo,
Aut quod utilius putas futurum
Clienti & foris exulanti amico,
Quæ mutatio paſſeris Bovisq;
Si moleſta, oneroſa & haud ferenda eſt,
Me ſub pectore, & in ſinu teneto,
Diſcinctus cave, & eſſe diſſolutus.
Uſuræ hoc ſatis affatimq; lucri
Mi pro Paſſere ſi Catulliano
Et pro verſibus his Catullianis
Patronis benè vis TUO clienti.

DE EODEM TERTIUM EJUSDEM GENERIS

Patrocinium KLOCK JC.

COnſultum benè rebus eſt amici
Rebus triſtibus, atque nubiloſis,

Eſt

Eſt rebus meliuſculè malignis:
Se dedit mihi KLOCKIUS PATRONUM,
Ille KLOCKIUS inter Advocatos
Optatiſſimus integerrimusque,
Tenaciſſimus omnis æquitatis;
Juſti, quàm ſit amantior ſuimet
Hic factus mihi KLOCKIUS PATRONUS,
MÆCENAS LOCUPLESQUE MUNERATOR,
Is qui æraria Principum Potentum &
Cæſarum inſtruit ipſe, & implet arcas
Theſauri haud nimis appetens nec auri,
PATRONUS mihi dives hic futurus
Benignus miſero, oppidoque largus:
Me implebit citiùs Patronus iſte
Quàm REGES, avidosque quàm Dynaſtas.
Quàm nunquam ſatiabiles Charybdes,
Mæcenas mihi dulcis hic futurus,
Et tantò optumus omnium Patronus,
Quantò iſtud minimè ipſe ſuſpicabar.

TANDEM

Poëta excuſat ſuorum verſuum frigus.

NOn cadit in Muſas, exceſt qui viſcera, mœror,
Qui incidit, interimit;
Inde Poëtarum vetus hoc, quòd Carmina læti
Lætum opus ingenii.
Quòd mala jam noſtram mentem diuturna flagellant,
Emaciantq; animum,
Hinc noſtri verſus, gemitu & ſquallore ſocordes,
Nil ſapiunt lepidum.
Lautitiæq; nihil, nil Muſarumq; volupta,
Deliciiq; nihil.
Cùm primum tamen hoc mentis maturo malignum,
Carmina læta canam.
Luxuries veniet per mentem in verba, leporq;
Sanguis & inde novus,
Verba nova, & numeri: capient & carmina vitam &
Carmina lætitiam:
Lautiùs ut nunquam mellitus quærat Apollo,
Gaudia mira canam.
O mihi ſi hoc tempus! ſi vis in tempore multa,
Provenientq; dies?
Tunc ſalient claudi verſus, ſurdiq; ſonorè
Nablia muta canent,
Tunc omnem KLOCKI Campana ſonabit in orbem
Nil niſi mille Bona.

POETA CANIT EX ANIMO, SED EX
TRISTI ET ANXIO

VV. D. VV. VV. LL. AA. & PH. M.

In Tractatum commendatisſimum
De

ÆRARIO

Abſque divexatione populi licitè conficiendo,
Nobiliſſimi ac Excellentiſſimi JC.
Dn. CASPARIS KLOCKI, πανεπιστήμον& &c.

Epigramma I.

QUæque ſuos *Oratores* tulit, atque *Poëtas*
Semper, & *Hiſtoricos natio* quæque ſuos.
Quin quoque *Theiologos* eadem, *Jurisq; peritos*
Atque *Sophos* doctos, *Philologosq;* tulit:
At ſolos: Solum, *SUSATUM*, candide *KLOCKI*,
Tot Te præclarum, *Urbs*, artibus, una tulit,

Quòd

Quòd ſis *Orator*, docet hoc oratio culta:
Quòdque *Poëta* bonus, dulce poëma docet.
Quòd ſis *Hiſtoricus*, variis docet hocce volumen,
De *Gazis Regum*, quos mare, terra tulit:
In quô demonſtras multis, *ÆRARIA honeſtè*
Augeri & CENSUS quâ ratione queant.
Quòd ſis *Theiologus*, tua Converſatio: *Juris*
Quòd ſis *Conſultus*, pagina multa, docet.
Quòd *Sophus* & quòd *Philologus* ſis, denique docta
CONSILIA his pulcris fœtibus aucta, docent.
Dii Tibi dent annos: nam cætera cuncta dederunt;
Ut ſint virtuti tempora longæ tuæ!

Epigramma II.

IN INSIGNIA

DN. CASPARIS KLOCKI,

Com. Pal. Cæſ. & Cancellarii Stolbergici.

CAmpanam *illuſtris geſtant INSIGNIA KLOCKI;*
Quæris cur? ceſſa quærere, cauſa patet:
CAMPANÆ ſonitu vehemens reſonat velut æther:
Haut ſecus eximii nobilitate ſonat
KLOCKIUS ingenii, Themidos prænobile culmen,
Et famâ complet mundi utriusq; latus.

ἐκ καρδίας εἰλικρινέως
f.
Valſtati
M. Ludovicus Fidlerus.

MELOS E PURIS JAMBIS
Ad
Magnificum, Nobiliſſimum & Ampliſſimum
VIRUM,
DN. CASPARUM KLOCKIUM,
JCtum Celeberrimum &c. de ÆRARIO Regum & Principum publico, non minùs utiliter quàm eruditè commentantem.

PArentibus referre gratitudinis
Loco jubet per os ſacri
Apoſtoli parem boni vicem DEUS
Tori probata pignora:
Dynaſta ſive Dux ſit aut COMES potens,
Amore patrio ſuos
Regens ruensque ſubjices, nihil bono
Parenti diſtat, ut palàm
Vel Ethnici docent, Proin requiritur
Tributa debito modo
Ut erogentur, ut boni DUCIS decus
Vireſcat inſtar arboris,
Propè ad fluenta conſitæ, atque brachiis
Polo minantis arduo,
Quieſcat ut ſub iis volucris & larem
Sibique tecta conſtruat.
Sed ut citra gravamen omne fiat hæc
Tributionis æquitas,
Quis hîc Dynaſta, quiſve Rex modum tenet,
Sibique ritè temperat?
Quis haut loco precum elicit gregi ſuo
Graves ſubinde lacrymas?
Teredinisque more patrimonia
Quis haut tyrannicè vorat?
Habetque ſpongiæ loco tumentis &
Coactæ aquas refundere,
Ubi premi ſuëvit? Hicce GLOCCIUS,
Vir æquitatis, optimè
Sciens bonoque publico nihil prius
Habens, ſui ingens exſerit

Virile

Virile robur atque vividum decus
Sagacioris impetus,
Facem præitque Regibus potentibus,
Ut absque clade civium
Et absque læſione conſcientiæ
Catè probeque cenſui
Pecuniam ſuo lucrarier queant.
Ad aſſerenda juria
Sui Imperi fovenda fida pectora
In arduis negotiis,
Et ad remuneranda præmiis bona
Decentibus: feri quoque
Ad hoſtis ingruentis arma noxia
Cavenda reprimendare.
Quis aureum hoc volumen haut libens amet,
Revolvat atque ſæpius?
Dynaſta ſive Rex ſit aut Comes potens,
Sibique ritè conſulat:
Precetur atque CLOCCIO VIRO BONO
Soli polique præmia.

M. Hermannus Gebhardi.

IDEA
JURECONSULTI VERE CHRISTIANI,
SEU
ADOREA GLORIOSA
MAGNIFICI, NOBILISSIMI, EMINENTISSIMIQUE VIRI AC DOMINI
CASPARIS KLOCKI, JC.
Sacri Lateranenſis Palatii Aulæq; Cæſariæ Comitis, Equitis aurati &c.
Illuſtriſſimorum Comitum Stolbergenſium ac Konigſteiniorum &c. Cancellarii meritiſſimi & Conſiliarii intimi &c.
quâ
Tàm familiæ ejusdem primordia, quàm vita, ſtudia officia, virtutes & res geſtæ præcipuæ delibantur, delineata puris absque eliſione verſibus,
à
M. NICOLAO GOTHO, Stolberga-Cheruſco
Poëta Laureato.

ASTrorum ſobolem ſublunaresque *Planetas*
Septem donatos *Sapientum* nomine, quorum
Conſilii quondam face creverat HELLADOS *orbis*,
Laudum GRAIUGENÆ ſuper aſtra tulêre *cothurnis*.
Qui facerent aliter GRAII? niſi GLORIA *merces*
Aurum quippe *gerit cum gemmis* GLORIA *vivit*
Et poſt fata vivis vitam fert præmia dignis.
Quis numeret, nedum memorat tàm lucida rectæ
Sidera Teutonicæ Sophios, quis *copia felix*
Imperii cœlum noſtri, diſtinxit abunde
Ut mage tot liquidus non fulgeat ignibus æther?
Ac velut eſt aliud *Phœbi Phœbésve* ſororis,
Eſt aliud Jovis aut Veneris jubar: altera raró
Alterius virtute viget, radiisque coruſcis.
Stellam ſtella præiit, tum roboris indole vincit;
Sic inter *doctas* diſcrimina mille *phalanges*
Artibus, ingeniis, ſtudiisque actus notantur & *actis*
Dotibus omnigenis ſupereminet ille *virorum*
Optimus ille *Comes*, *CASPARUS KLOCKIUS*, Aulæ
Celſus *Cæſareæ*, *robuſtus juris ACHILLES*,
Quem non ornat honos, ſed is ipſemet ornat honorem.
Qualis fulgentes cùm lavit in æquore vultus
Jupiter, aſtrigerâ latè comitante catervâ,
Ingreditur, decoratque poli convexa nitore:
Talis hic *ellogiis* virtutum claret & *orbem*
Docti *Zodiaci* ſic luminis implet, ut ipſum
Cum *Muſis Clarius* ſtupeat, cum *Palla de Peitho*,
In *Myſtaq;* ſuo *Themis* exultando triumphet.

Quod

Quòd ſi *Syracides* geſtorum nomine magnos
Juſſit *Semideos* vivis inſcribere faſtis,
KLOCKIADEN decet *Andinis* celebrare *merentem*
Carminibus, ſorti quem demiratio Divûm
Eximit humanæ. Niſi me *Fortuna noverca*
Fraudibus, & *Belli rabies* furialibus auſtris
Martia deprimerent, numeros intendere cunctos
Grandiſonumque melos, Pythiô quaſi percitus œſtrô
Tentarem. Quid tum? *Virtutem tollere verſu*
Invia *nequaquam fuerit via.* Forſan *Apollo*
Et placidus feret & noſtros non arguet auſus.
Non minùs ille litat, laticem qui ſpargit aquarum,
Quàm qui taurinum fundit cum thure cruorem,
Quod grandi ſolet in ſtatua, ſi verticis haud eſt
Tangi ſummus apex manibus, tunc ponitur imos
Ante corona pedes, licet hos in imagine cultus
Celsâ KLOCKIACI ritus imitarier illa,
Cùm dextram ſuperet venerantis & altior extet.
Ergò *Parnaſſi* ſpeculas per & ardua dulcis
Fac, mea mens, te ducat amor! laus debita pompam
Carminis ut vincat, non eſt ſuccumbere turpe
Hîc, ubi vel ſcitas laſſent præconia *Muſas.*
Ite leves curæ, majoribus ire per altum
Auſpiciis opus eſt, feror, adſpirante *Camœnâ*
Gorgoneiq; gradum pennas librante *caballi.*

Quando parens vernis veſtit SOL floribus annum,
Per colles meditatur apis, quo germine ſidat,
Quídve legat primùm: violæ nunc purpura ſuavis
Nunc avidam *Clyties* aurum *Mephiave* roſetum
Allicit, aut alio demulcet pignore *Chloris*
Cunctantem. Similis quoque me variatio tardat.
Nam dum KLOCKIACÆ conor *primordia famæ*,
Diſtineor, rerumque ſequentibus obruor orſis.

Crediderim *Cyrrhæ ſcatebras biferliq; cavernas*
Verticis Aonias Danais migraſſe relictis,
Et ſe GUESTPHALICO medias *Umbone* locâſſe,
Urbs ubi nota vetus (veteres dixêre coloni
SUSATUM) ſpatioſa, ſitu decorata venuſtô,
Culta decore virûm, turritis ardua muris,
Dives agris, auri numeroſo fœnore dives,
In prædam niſi militibus pars plurima ſævis
Aut diræ rapido BELLONÆ ceſſerit igni.

Suſatum umbilicus, Gueſtophaliæ. De qua urbe videri poteſt Georg Fabricius in Orig. in. Saxon & noviſſimè Hœppingius in tractatu de Jure Inſignium, & alii, qui de ejus ſitu, ſtatu, incolis & rebus geſtis ſcripſerunt. Felix ingeniorum mater.

Ingeniis genitrix fuit hæc *felicibus olim,*
Nutrix Caſtaliis ac *hoſpita* facta *deabus.*
Heroas tot *æqui* non fudit EPEUS ab alvo
Dardanias intra *portas*, quot protulit ipſa
Palladios fota *ſeptemplicis artis alumnos*,
Et quos *Relligio*, ſeu *Juridicina* peritos,
Sive *Machaoniæ* dignantur carmine *curæ.*

Quatuor hæc partu miſit fœcunda GROPEROS,
E quibus in ſcriptis aſperrimus arma LUTHERO
Intulit, intenſisque modis exercuit unus.

Prodierunt inde quatuor GROPERI.

Hæc MERCKELBACHIOS, uterinos ſanguine, THOMAM
GOSUINUMQUE, tulit *Mavortes cuſpide juris.*
Illius *oraclis*, quo vix *prudentior* alter
Et quo vix *gravior*, tum qui *non futilis Auctor*
Conſiliis fuerat, ſtetit *imperiale tribunal.*
Hujus *juſtitiam* coluit ſua *Patria* primùm
Conſulis, amittens decus invitiſſima tantùm.
Inde vocatus abit CHRISTIANO *Principe* CELLAS
Subſidiante fide moderari publica rerum.
Quin *ſecretorum tabularia ſepta Magiſter*
Concellis rexit tam dexter, ut ordine *Fratrum*
LUNIADUMque Ducum *trias* ipſius *acta* probaret.
Quippe *tenax recti verum ſpectavit* & *æquum*,
Defraudatores legum cane pejus & angue
Exoſus non *Euripus*, neque pectore *Proteus*,
Nec *Polypus*, neque *cunctator*, ſed *criminis expers*
Lance pari cauſas Crœſi penſavit & Iri

THOMAS & GOSUINUS MERCKELBACHII fratres. Ille Advocatus & Adſeſſor Cameræ Imp. Hic Cancellarius Cellenſis Luneburgicus.

KLOCKION ambobus cognatum linea Matrum
Participemque dedit *virtutum, fortis, honorum.*
Urbs eademque duos MICHAELES augmine fauſto

MICHAELES duo AFFELMANNI. HOEPINGI duo SPRENGERI, MARGUARDI.

AFFELMANNIADUM totidem de ſanguine ſevit,
HOEPINGOS totidem: SPRENGEROS & MAREGUARDOS,
Innumeroſque, quibus meruit *vis enthea mentis*
DOCTURÆ *titulos inſignia Nobilitatis,*
Quique ſui *memorem populum* fecêre *merendo,*
Proſperitas quâ *priva* modum, quâ *publica* rexit.

KLOCKIJ duo

Inprimis ortu celebrat SUSATIDA pulchro
Binio KLO KIADUM, quorum pia fata ſequutus
Alter, depoſito mortalis pondere carnis;
Immortale decus deſideriumque reliquit.
Alter nunc vegetam *ducit ſine labe ſenectam*
NESTOR, Neſtoreos utinam benè ducat in annos!
Hic eſt *materies*, in qua ſudare politos
Carminis artifices decet, & ſibi quærere *palmam.*
Hic eſt, quem *Patriæ* clarant *cunabula claræ*;
Sed mage qui *Patriam virtutis honoribus auget.*
Hic eſt, quem *gravium* commendat *ſanguis* avorum,
Et qui *nobilibus lucem majoribus addit,*
Major enim gentis laus eſt, inſignia geſtis
Amplificare novis clypei quàm ſchemate picti
Tradere ſeminio generis documenta vetuſto.
Orbis quingentos vertit ter *ſignifer orbes*

Dn. Caſpar Klockius editus in lucem A. C. 1583. 28. Febr.

Virginis à partu, *CHRISTUM* qui protulit Orbi;
Octo bis ſi luſtra, ſed & trietenda jungas,
Deficit ut *Martis* ſolum lux una Calendis
KLOCKIUS illuſtris vitales prodit in auras,
Conjugii pretium dulcis, genuina propago
Stemmatis antiqui, ſpes deliciumq; Parentum.

Dn Caſparis pater JOHANNES KLOCKIUS in patria Senator.

Ipſi largus opum *Genitor*, largusque decoris
Contigit eximii JOHANNES *omine talis*
Nominis & *factis*, quamvis haud nomine primus,
Perpetuò cujus manet indelebile nomen.
Legerat hunc *Procerum Collegam Curia* fidum

Obiit annos natus 50. menſes 2. dies 4. A. C. 1586. d. 2. M. Aug.

Robore conſilii Patriæ fulcire *ſalutem.*
Invidit *Lacheſis Gnato* crudelis & *Urbi,*
Abripuitque pium terris in flore ſenectæ,
Annus ut actus erat jam quinquageſimus ævi,
Addideratque dies bis binos orbita *Solis,*
Inſuper & geminum compleat *Cynthia* menſem
Quartas poſt natum *Gnatum* numerabat ariſtas,
Tunc *Ceres Auguſtæ* didebant tempora *Nonæ.*

Mater Dn. Caſparis Klocki DOROTHEA von Greſt.

Mors hæc DOROTHEÆ lacrimarum flumine *matri*
Perfudit malas, & ſollicitudine mentem
Innumerâ rapuit, dum fit *viduata marito*
Tutelâ Patris orbatos videt eſſe *Penates.*
Tanta fuit Pietas, luctus vehementia tanta!
Ipſamet eximiis duxit natalibus ortum
(Munere divino) GRESTORUM *pulchra tribulis*
Nobilium, ſæclis quos RAVENSBURGICA multis
Bellandi vidit *Ditio fandiq; potentes*;
Et qui *Concilio* CLIVENSIS *Principis* amplo
Sæpius inſerti *moderamina* grandia *Regni*
Majeſtate fideq; pari tenuiſſe feruntur.
Nulla SUSATENSES capient oblivia *cives*

Avus ANTONIUS KLOCKIUS, Proconſul Urbis Suſatenſis.

ANTONI, CASPARUS avum quem corde *paternum*
Agnoſcit deamatque. Quot incrementa ſub iſto
Publica ſumma rei ſumpſit *Proconſule?* nempe
Æmulus ANTONIS, quem *gens* ANTONIA ROMÆ
Herculeo ſtirpis patrem de ſanguine jactat,
Inſurrexit onus contra quodcunque ſubortum
Impoſitumque fuit moli ceu *Palma* reſiſtit:
At (dolor!) haud *ictus* valuit contundere *Parcæ,*
Vis cujus ſummis adamantina neſcit & imis

Exceſſit è vivis A. C. 1560. 27. M. Julii.

Parcere. Succubuit *ferrata columna* Senatus.
Cuncta manus populi tremuit perculſa fragore.
Tunc urebat equis *Nemeæi* terga *Leonis,*
Expectans quintâ Sextiles luce Calendas
Titan: Chriſtiadum ſignabat *computus* acta

Sæcula

Sæcula ſedecies; octo ſed ſubtrahe luſtra.
Funere conſpecto SUSATUM flevit amarè,
Conantique loqui ſingultu lingua pependit.
Murmurat hæc tandem: Vah! proh! *latro peſſima mors eſt.*
Quicquid habet pretium, rapitur; ſed inutile terræ
Negligitur pondus, proh! vah! *latro peſſima mors eſt.*
At quæ *nupta* fuit triginta quatuor annis
Temperie morum ſemper *tranquilla marito,*
Nobilioris agri ſoboles; de Monte vocata,
ANNA ſenex viduo duo per quinquennia lectô,
Dum cor habet mediô fiſſum, tormenta dolorum
Acria perpetitur, gemit & ſuſpiria ducit;
Donec feſſa *virum* ſequitur miſerante JEHOVA
Cœleſtique ſolô ſolamina dulcia carpit.
Deſerant terras, ubi nox geminata præirit
Octobreis Idus, quo tempore vinitor uvas
Calcat, & undoſis cum piſcibus occidit Argo.

Ejus uxor Dn. Caſparis Avia ANNA vom Berge.

Vidua decennalis obiit A.C. 1570. d. 13. M. Octobr.

Præceſſit Proavus, tàm re, quàm voce JOHANNES,
Compoſuit *patriam patriis* qui *legibus Urbem*
Patribus adſcriptus conſcriptis, ſorte ſecunda
Quintuplici facit hunc *Juno* ſua *prole parentem*
BARBARA BRANDISIÆ *non-barbara fœmina gentis,*
Vitæ limen init felix ANTONIUS ille,
Qui *ſpes prima Satoris* erat, ſequiturque JOHANNES.
Hic leviter terris oſtenſus concidit infans,
Ceu roſa vix enata cadit, venit inde ſub axem
Ætheris ALBERTUS: cui proximus intervallô.
Inſtitit HEINRICUS, fuit is *cordatus,* ut ipſum
Antiquæ vivum functumque COLONIA ROMÆ
Iverit ornatum. Quintò ſubnaſcitur ortu
PATROCLUS, *egregium* quem civem RIGA LIVONUM
Judicioq; gravem novit, juſſitque *Senatus*
Ordine cenſitum communia jura tueri.
Extincti tandem lacrimis donavit & urnâ
Corporis exuvias. *Adeò prudentia rerum*
Sollers cultores peregrinis invenit oris.

Proavus JOHANNES KLOCKIUS Senatorii Vir ordinis, duxit in Uxorem BARBARAM BRANDIS quinque liberorum factam Matrem.

Dicetur ſenior mihi nunc ANTONIUS, uſu
Vir ſapiens, Abavum quem progeneratio dixit
Magni KLOCKIADÆ. Conſus SUSATIDOS urbis
Ut *mores* ſpectat *ductos meliore* metallô,
Judiciumque catum: quid ait, nunc Curia languet?
Iſte gubernaclis manus auxiliaris adeſto,
In quo *cana fides & amor pietatis honeſtus*
Jura colunt, *veteriſq;* patent *ſpectamina recti,*
Spiſſus *Primorum* & thyaſus ſuffragia ſuadent.
Ille coaptatus ſociis ita *publica* tractat,
In *commune bonum curas* ut dirigat omnes,
Nec ſibi, ſed *Patriæ genitum* ſe credat *alumnis*:
Ac quia *lex* omnes jubet ad *vadimonia mortis*
Siſti, prudenter *ſe tempore præparat omni*
Nec pia juſſa timet.. Qui paret & antè paratus
Siſtitur hunc ſalvum ſententia judicis effert,
Mundanis quamvis oculis periiſſe putetur
Taliter & noſter lethi cùm terminus inſtat,
Moriger ac lætus, carnis compage ſolutâ,
Humanæ migrat moriens è *carcere vitæ*
Atque *beatorum mòdo libertate* potitur
Sed vulgi ſenſu. Septembribus occubat umbris
Hæredem linquens, quem præmemoravimus, *unum*.
Quatridui ſi fata moram fabricare dediſſent,
Octobris poterat primi diſcedere pace,
Anno quem nonum ſupra bis ſæcula ſeptem
Condiderant cycli gyrante volumine *Phœbus.*

Abavus ANTONIUS KLOCK itidem Patriæ Senator.

Obiit A.C. 1409. d. 27. Septemb.

Nunc Atavus laudandus erit TILEMANNUS, ô *auro*
Quantus ineſt priſco nitor & ſubſtantia pura!
Exul ARISTIDES, Cecropum juſtiſſimus, unus
Sive *viri Genius*, longis erroribus actus
GUESTPHALIDOS tandem mediam penetravit in urbem.
Mœnia celſa notat: ductas ad ſidera turres
Suſpicit & varii laquearia dædala templi,

Atavus TILEMANNUS KLOCK Prætor in Patria per Annos 32.

Magnifi-

Magnificasque domos circumſpicit omnia, cautô
Lumine *Juſtitiæ cultum* miratur & *æqui.*
Oſcula Prætori TILEMANNO figit, *alumno*
Legitimo THEMIDIS, peragendo munere qualis
Octo quater magnos revolutis menſibus orbes
Unicuiq; ſuum tribuens expleràt honeſtè;
Salve, ſortis,ait, TILEMANNE *foriq; Magiſter!*
O ſi tu ſimilésve tui, fors unus & alter,
Suppetias ierit clarâ *Tritonidis arce,*
Ira *Neoclidæ* clades mihi nulla tuliſſet!
Quod tibi tot pariat felix *induſtria palmas*
ASTRÆÆ aſtris tua gaudeo gaudia tecum.
Sed velut Æolides grave trudit in ardua montis
Saxum, quod ſubitò ſummo de vertice rurſum
Volvitur, & raptim plani petit æquora campi:
Urget at hic iterum nixu revolubile pondus,
Mox iterum ruit & requies fit nulla labori:
Sic depugnatis tot pugnis prælia ſemper
Incumbunt, nova quæ toties furialis *Erinnys*
Et *Dea litis Eris*, dulci contraria *Paci*
Accumulant ſine fine, tibique *negotia* reddunt,
Quæ propè *clavigerum* frangant, MINOA fatigent.
Expertus tibi non querulanti credere poſſum.
Præmia nec meritis depoſcas, *omnia certè*
Sunt ingrata ſolò: nihil eſt feciſſe benignè.
Teſtatum facit id *Virgo*, quæ fraude nocentes
Ultima *Divorum* terras ſublata reliquit.
Si placet, ejusdem veſtigia nota ſequamur,
Otia quæ nobis cœlô ſecura reponent.
Exilii mihi ſunt, oneris tibi tædia multi.

Mundo valedixit ipſo die S Martini Epiſcopi horâ 5. matutinâ A. C. 1327.

Dixerat, & dictis properè TILEMANNUS anhelans
Annuit, ac corpus terræ mentemque JEHOVÆ
Mancipat *auctori*: rectâ ſic itur ad aſtra
Horâ, quâ Ponti perfuſus *Phoſphorus* undâ
Extulit os pulchrum, *ſolemque diemque* reducit,
Qui ſacer exequiis MARTINI *Præſulis* ardet,
Cor Nepis effecit ſubiens *Atlanta Novembreis*
A domitore Stygis genito tunc mille trecentos,
Tres & viginti, numerum jungendo minorem.

Tritavus JOHANNES KLOCK Senator Suſatenſis implevit annos ætatis 82.

Claudit JOHANNES *Majorum* ſplendidus agmen
Ordine poſterior, dicendi nomine primus,
Legeque naſcendi *Tritavig*, decorus honore,
Quem *Pietas ſocium*, quem *plebs* & *Curia lingua*
Prudentem celebrant, *ſolertem juris & æqui,*
Præditus invictis nervoſo corpore membris
Quis *Venus* aut *nimius* vitium non intulit *Evan*,
Incolumisque ſequens *ſaturos ætate Parentes*,
Fatabis *octonis* remorantur frigida *luſtris*,
Tempore ne properô noceant *annisque duobus.*
Sobrietas adeò *ſuevit producere vitam:*

Denatus pridiè S. Michaelis Archangeli A. C. 1372.

Suſcipit *Excubitor mentem morientis* & infert
Angelus æthereo per cœrula mœnia Regno
Luce diem præunte ſacrum, quo concio laudat
Credula *pennigeri* ſublimia munia cœtûs,
Mille ducentenos rota fecit ut annua curſus,
Æra quidem brevior ter dat trietendes octo.
Ampliùs ut meditor *priſcos* memorare *Satores,*
KLOCKIACÆque domus *ſtructuram* tradere *primam*,
Protinus AONIDUM *Princeps* mihi vellicat aurem,
Et, quò tendis? ait, contendis in *infinitum,*
Herculeos ea res humeros operoſa requirit:
Siſte gradum, vel eò potiùs regreſſio fiat,
Unde tibi digreſſus erat: Meminiſſe decebit,
Lactea KLOCKIADÆ *magni* quæ ſuggerit *ætas.*

Dn. CASPARUS KLOCKIUS Baptiſmi ſacris initiatur.

Officium *lucina* ſuum cùm ritè peregit,
Ac ſitis infantilis ab ubere lambere Matris
Nectar avet, querulis cunas vagitibus implens,
Errantis facies occurit uterque *Parenti*
PRIMIPARÆ, parvumque monet luſtrare *nepotem,*
Spiritus ut *ſacrò* fuſus cum *fonte ſalutis*

Cœlitus

Cœlitus expurget *veteris contagia culpæ.*
Paretur monitis. *Infans ter* ſpargitur *undâ*
Nomine ter-ſanctæ TRIADIS , *verbiq́; vigore*
Vivifici ſuperas iterum *generatur ad auras,*
Juratusq́; ſuo profitetur *nomina* CHRISTO,
Pro jurante *fidem* promiſit *avunculus*, illud
Nobile Nobilium ſpeculum, virtutis ocellus,
CASPAR de GRESTO , *proprioq́; vocamine* lætus
Donavit , *votuq́; piis auroq́; renatum.*

Fidejuſſor ejus CASPARUS von Greſt. *In Catechiſmi præceptis & articulis, Grammaticesq́; rudimentis in patriâ Scholâ inſtruitur.*

Infanti natale ſolum fomenta miniſtrat,
Suſtinet inde novem victuque domoque per annos,
Intereà tenerum chartis puerilibus , imò
Divicolis animum ſtudiis ſacravit, ut æſtas
Septima cùm flueret , cerebri rubigine terſâ,
Fertilitate puer præverteret *indolis* annos
Ætatis, tàm *Grammatices* fundamina doctus,
Quàm *Pietatis* in articulis provectus abundè:
Tantumvis generoſa poteſt & nomina Magiſtra.

Favoribus erga puerum certant inter ſe Muſæ & Charites.

PIERIDES *puerum* ſunt circumſiſtere viſæ
Cum *Triga* CHARITUM , *Pars utraq́;* cœpit *amare,*
Ac inter ſeſe *certamen* inire *favoris.*
Ajunt MUSÆ. *Noſter erit retinentia felix,*
Ardor & *ingenii* fervens præſagia dicunt.
GRATIA, *Noſter erit* , ſucclamat *trina Sororum.*
Spem firmat *morum formaq́; modeſta venuſtas.*
Quid faciant *Divæ* , quibus haud diſcurrere campis
Funeſtævè placet committere corpora pugnæ?
Jungunt *concordes* ſancito fœdere *dextras,*
Communem pueri curam ſibi ſumere pactæ;
Numinis hinc *triplicis audit alumnus.*

Anno ætatis decimo ablegatur in Pædagogium Marpurgenſe, ibiq́; Muſarum ſtudiis dat operam per quadriennium unà cum nobilibus cognatis Gobelo & Andrea von Dahl.

Jamque puer decimum primævi corporis annum
Attigerat, ſuaſu cùm conſiliante propinqui
Sanguinis, auſpiciisque piis genitricis amatæ
Acceſſit *Scholicam* trivali lege *Palæſtram*
MARTIS in *urbe ſacrâ* , quâ tollitur HASSIA TELLUS
Monticulis, LANUSque nitentes vectat arenas,
DAHLIADUMque *domus* prælustris jungit eunti
Cognatæ ſtirpis comitatum, nempe GOBELUM
ANDREAMque, ſuæ gentis par nobile fratrum.
Hîc cum *Barbarie* pugnantem , cumque *tenebris*
Linguarum volſcis æſtas bis bina fatigat.

Tremonium, S. Romani Imperii civitatem, ad Frider. Beurhuſium Ramiſtarum Coryphæum ſe confert.

Hinc *adoleſcentem* fovit TREMONIA', *caſtrum*
Imperii clarâ, quam tum BEURHUSIUS, ille
Romææ Sectæ Coryphæus, luce locarat.
KLOCKIUS hîc didicit *Latio* dare carbaſa *Ponto*
Et *Grajum* ventis *marmor* ſulcare ſecundis,
Nauclero monſtrante vias, ibi nobile quicquid
HELLAS habet, LATIUM quicquid , bene mente notavit.
Qualis in Ægeos numeroſo remigo fluctus
Tranſiit, *Æſonides*, *Phryxei velleris aurum*
Rapturus: comitum ſtipat conſtantia vectum,
Tiphiis & inprimis moti ſtator æquoris *Orpheus,*
Quem *Phaſis* Tritonque ſimul ſtupuêre canentem:
Talis *Pallatii pelagi* conſcendit in altum
KLOCKIUS, haud capturus oves, ſed *munera comitæ*
Peithus ac *Sophies* aurum ſuperantis *honores.*
Scilicet his ſævos *Chariteia Numina* velis
Defendere Notos: placidas *Pimpleides* auras
Adflarunt Siculi, quo *Navita monſtra profundi*
Vinceret , ignavis ſuaves *Sirenas* in undis
Barbariemq́; canum Scyllæ ſcabramque *Charybdin.*
Ille ſed, ut portum tetigit revehente carinâ,
Subſidium CHARITUM celebrat ſociasque Sororum
PEGASIDUM vires agnoſcit, quomodo cunctæ
Contulerint docti donaria ſplendida cultus,
Tradiderintque catas *ſtudii ſeptemplicis artes,*
Heroos numeros monſtratque vincula vatum
Poſcere *Calliopem:* terſæ ſua dicere linguæ
Flumina *Melpomenen:* ſibi ſumere ſyrmata Cleiô
Grandia *Rethorices*; verum ſecernere falſo

Terpſicheron: vaſtos radiô deſcribere cœli
Tractus *Uranien:* motos *Polyhymniam* orbes,
Euterpen numeros; mores docuiſſe *Thaliam:*
Virtutes *Eratô:* cuivis ſua dona referri.
Ingenui mons eſt animi, cui plurima debes,
Ut debere velis tali, quàm plurima gratus.

Revertitur Marpurgum Academica ſtudia tractaturus.

Hoſpitio reducem MARPURGI ſive THEMITOS
Nobile Gymnaſium legum latricis amanter
Accipit, & cupido pulchras exponere merces,
Geſtit, *juſtitiæq;* ſacræ *ſacraria* pandit
Temporis atque loci tum nactus idonea *dius*
Emicuit *Genius*, ceu nubila *Lucifer* exit,
Scintillis radians *ſurgentis in ardua Famæ,*
Erras, qui ſeris *virtutem* quæris in annis:
Annos antevenit, victrixque decora laboris
Immodici canæ prævertit fata ſenectæ,
Aſtringeris impoſta rotis: acerrimus axe
Aurigatur *Amor*, ſtimulisque prementibus urget.
Scilicet æthereis *cœles mens* hauſta *Deorum*
E *laribus* ſegni neſcit lanteſcere morbô,
Sed tardas exoſa moras in *flore juventæ,*
Recludit tenero *divinæ ſemina flammæ,*
Scindit & obſtantes nebulas interque propinqua
Clarior orbe nitet *Cyrrhea* ſidera *Sphæræ*
Sic ubi tranſiliiſſe nigræ confinia terræ,
Subjectasque videt nubes Lunamque bicornem,
Intima cœleſtis penetrat penetralia templi,
Cunctaque totius luſtrat miracula mundi.
Ite procul *viles animæ*, *Socordia* quales
Telluri *vivas* figit *ſine nomine mortes,*
Troglodytisq; facit ſimiles, qui *lampada Solis,*
Gorgone ceu visâ, fugiunt naſcentis, amantque
Vitam perpetuis ſtolidam deplere tenebris:
Haud ſecus exultant *Onagri* miroque colorant
Lætitiam geſtu, nigris cum nubila lucem
Obſcurant pluviis, triſtantur Sole ſerenô.
Allicit illecebris *Torpedo* blanda doloſis,
Dum proferre dies aut otia perdere ſuadet,
Beſtia re verâ fera, verè peſſima peſtis,
Quantas illa dedit clades? quot ſtravit in herba
Meſſes? quot paſſim ſpes intercepit honoris,
Dum vel nil juvenes faciunt, faciúntve *Vacunæ?*
Quô pactô dirus Libycis *Baſiliſcus* arenis
Armat in incautos obtutum, clamque trucidat.
Nam veluti nervo demiſſum miſſile telum
Aërias fertur celeri ſtridore per auras.
Antevolatque citum, quaſi non revocabile, Corum:
Sic etiam *laxis pretioſum tempus habenis*
Avolat & *nullis reparatur legibus avi.*
Non ita KLOCKIADES in honoris occubat umbris,
Sed ſtudiis noctesque diesque calentibus ardet;
Tempora partitur, ne ſemper ſeria tractans
Optatum ſani labefactet corporis uſum.
Interdum gratos canit *hymnos* voce ſonorâ,
Seu tremulos dulci variat teſtudine cantus.
Interdum CHARITES laudat MUSASque *patronas,*
MUSARUMque *Patrem* PHOEBUM, PHOEBIque *Miniſtros.*
Jam gracilem peramat molli pede claudere verſum,
Heroumque gradu curtô truncare tenorem,
Ad numeros facilis veniunt ubi verba catenæ.
Jam juvat ad grandes ſoccum transferre cothurnos,
Herculeosque pari niſu memorare labores:
Grandia cùm ſequitur divini metra *Maronis.*
Jam lætum juvenes *Hymenæum* ducit ad ignes;
Jam meritos ornat manes querculante cupreſsô.
Carmine jam celebrat *virtutem*, jamque proboſam
Ceruſam *Vitii* retegit: tum ludere nudô
Nomine transpoſitisque notis Metagrammata gaudet.
Hinc animum curis (ut amant alterna Camœnæ,
Horaque certa monet) gravioribus ordine reddit.

Ac

Ac ſpatio majore quidem, *monumenta Sophorum*
Intentus peragrans veterum, *ſpeculator* in altos
Se vel *Ariſtoclis* dat *Ariſtotelisve receſſus*.
Nec tamen his totus ſtudiis ſubſiſtere geſtit,
Sed quoque caſtra Dices, quæ *Cæſaris alma poteſtas*
Imperio fixit, greſſu propriore capeſſit.
Cur quis, ais, tempus *variâ* terit *arte Sophorum*,
Cui vel *Sulpitiis* legum Jurisque magiſtris
Nil ſupereſſe poteſt fugitivi temporis, etſi
Vere juventutis cunctas impenderit horas
Immenſis libris, tricisque pricisque THEMISTOS?
At velut à gemmâ clarus nitor additur auro;
Aut honor accedit luci, cùm diſſipat umbras
Oceanô ſurgens puriſſima Solis imago:
Sic à ſuadelâ *Sophiæ* decus accipit omnis
Diſciplinarum cultus, myſteria ſive
Sacra legas, ſeu *Romanas* in *Codice leges*,
Sive *facultatem* diſcas *uſumq; medendi*,
Qui fuit *Herophilo Divorum dextra* vocatus.
Omnibus illa facem prætert, abſtruſaque doctis
Enucleat modulis, parat & ſimulamina rerum.
Ergò licet flagrante cupidine KLOCKIUS amplis
ASTRÆÆ *gazis* inhiet, tamen hocce ſeverum
Senſibus impreſſit, *Sophiæ ſine fœnore ſeſe*
Paupertate premi cenſuq; carere Scientum.
Ut vidit *juvenem magnis accingier auſis*
PEGASIDUM *Præſes*, cujus Parnaſſia mitti
Numine templa ſonant, obtutu fixus in uno
Subſtitit, inde *novem* vocat *ex Helicone Sorores*.
Et: Quis, ait, vobis de veſtro ſenſus *alumno*
Mente ſedet? benè ſic operas oleumque locâſſe
Gloria veſtra manet. Sed, quomodo tendat in auras
Niſibus æthereis cœleſtes *Palma*, videtis.
Floribus & frugi brumam defendite: ſeptis
Cingite: caprorum dentes prohibete malignos,
Erucas vineasque; nec uda rigatio ceſſet.
Spondeo, tempus erit *mirandam* cernere *Palmam*,
Quam *Sol* ſuſpiciet, quâ Veſper obitur & Eos.
Cum dictis THEMIS advolitans: Quid temminur? inquit,
PHOEBE parens vatum Latore. *Gloria* certè
Maxima debetur nobis, quæ vincere doctas
Doctrinæ MUSAS tàm *fertilitate* ſolemus,
Quàm decus argenti ſplendor ſupereminet auri.
Queis neſcit, ſæcli vitio ſine numine noſtro
Aonis auguſtum *cœtus* vileſcere nomen?
Fas *juvenem* jubet hunc, cui *mens divinior* atque
Maſcula vis ſuperat, *meliori creſcere ſorti*.
Poſteà KLOCKIADEN dictis affatur amicis:
O *proavis* ſalve celebratis *digna propages!*
Salve *cultarum Charitera mulſa Dearum!*
Hactenus haud parvæ laudis momenta mereris,
Dum te *Pieriis* videt indulgere *libellis*
Totos ſæpè dies *Phœbus*, *Proſerpina* totas
Arcanis Sophiæ ſtudiis traducere noctes.
Artibus in Clariis poſuit ſat junior ætas
Temporis, at tibi nunc PLUS ULTRA meta paratur,
Verbo Cæſareô te jam *ſublime tribunal*
Eunomies votis *tutorem* millibus optat.
Unica ſepoſitis plectris tibi cura ſit, hortor,
Ut valeas doctus civilia jura clientum
Reſpondere bono; tum, ceu juga robore fulcit
Cœlica priſcus *Atlas*, Regum ſervare potentes
Conſiliis Aulas & publica commoda rerum.
Si te non ſtimulat venientis fructus honoris,
Fractos Imperii nervos, temerataque lora
Obſequii miſerere: malorum corrige mores,
In meliusque ſtude retrò ſublapſa referri.
In *Patriam Pietas* feret officioſa *laborum*
Præmia, *Nobilium titulos cum divite cenſu*.
Sic ait, & tenues fugit, ceu fumus, in auras.

At *juvenis* lætus palmam protendit utramque,
Cordeque morigerô *Divos* reverenter adorat:
Di ſuperi, ſi dignus ero, promiſſa fidesque
Sint *rata* veſtra, precor! mea ſine *ſecura repulſæ*
Vota, voluntati quæ nuncupo conſona veſtræ!
Prima quidem tu, ſancta Themis, mihi *cura* ſubibis
Mentem quotidiè, ſummum tibi deſtino cultum,
Ceu normam *veri*, ceu *recti Regula* ſignat.
Pace tuâ liceat non dememiniſſe *cohortis*
Caſtaliæ, mihi quæ merſos *Agganippidos undis*
Et tinxit vultus, & nectare proluit ora.
Ingrati nolim mihi *ſtigma* perurere frontem.
Ergo calens ad *Jura* viam directiùs inſtat
Eunomies pullus, nimio nec frangitur æſtu,
Nec deterretur ſalebris dumisve, nec atro
Livoris denti cedit; ſed BARTOLUS *alter*,
Spe BALDUSvè *novus decumana volumina legum*
Immenſo ſtudii molimine ſtrenuus urget,
Sectaturque *catos ductores*, nominis ampli
Doctores Suadæ, VULTEJUM, ſuave labellum
GOEDDÆUM, Divæ cor conſultricis apertum,
ANTONIque GOTHOFREDI profitentis *amuſſim*,
Qui benè *ſancitas geminato jure tabellas*
Cultrici geſsêre manu cathedrâque docente,
Quid non audebit miles, ſi prævius ivit
Tergeminus belli Rector, fortiſſimus armis?
Pôſt ubi viginti vivendo peregerat annos,
Excepit *ſtadio cataphractum juris* & *æqui*
Felix flore virum Regina COLONIA *RHENI*,
Quæ tres *Relliquias*, *ſanctorum nomina Regum*,
Et totidem *clypei* monſtrat fulgore *coronas*,
Hîc juvat ASTRÆÆ ſtudio coluiſſe calenti
Militiam: placet adverſis contendere ſignis.
Carceribus primò privis præludia tentat,
Inde *vago plenis* certat de *jure* theatris
Acriter, invictâque locum virtute tuetur
Militis ac *primis* perfunctus munere *pili*.
Andromedæ qualis correptus *imagine Perſeus*
Hoſtem non metuit proſternere Marte *Draconem*,
Dum ſimul & *Servator* adeſt & caſtus *Amator*.
Talis & *heroô* ſuccenſus *ab igne* THEMISTOS
KLOCKIADES *Injuſtitiæ* ſinuoſa venena
Impugnat ſpirasque truces, exercitus armis
Ut valeat, rerum quoties occaſio poſcat,
Incolumem ſervare pius, quam fidus amarit.
PALLAS, quam ſummâ venerantur CECROPES arce,
Celsô quòd cultu digniſſima viſa ſit ipſis,
Libera proſpectans longè latèque *merentem*
Præmia veſtigat, quem *nobilis ardor honoris*
Et *Genii* ſtimulat: vulgi mox fæce remotum
Segregat, ac ſecum *Famæ* locat *arte* coruſcum.
Suſpicit *Athletum juvenum ſtudioſa corona*;
Mirantur *Patres*: deſignant dona *Brabeutæ*.
Interea tantos dum continuare labores
Pergit, nec ſumptus devitat gnaviter ullos,
Serta quater *Cereri* ſua nectere deſtinat *Æſtas*.
Adſtitit in ſomnis ipſi confinia circa
Lucis, præfulgens nimbo VIRTUTIS *imago*,
Subridensque gravi largam tulit ore ſalutem.
Pôſt ait: *ô juvenis juvenum cultiſſime*, magnum
Flebilis *invidiæ tormentum* ſupè fuiſti:
Quin es adhuc, porroque velis ſic eſſe. Quis ignis
Surgentes vidit fumi ſine turbine flammas?
Ignavus caret Invidia, tu ſtrenuus ito,
Quà *Pietas* iter *Eunomiæq;* prævivit *amuſſis*.
Invidiam rumpi ſinito, comitabor euntem
Omnes in caſus, lateri ceu fidus *Achates*,
Proxima nulla pericla time, tua *gloria* mecum
Ceu communis erit: ſic conſcia ſidera ſpondent
Æternum nomen tibi divitiasq; ſuperbas.

Marpurgi in Juris ſtudio Præceptoribus utitur Dn. D. Hermanno Vultejo, Dn. D. Johanne Gœddæo, & Dn. D. Gothofredo Antonii.

Anno ætatis 20. Coloniam Ubiorum abit, ibidemq; ultra triennium velitationes & exercitia de varia Juris materia, quà publica, quà privata impigrè inſtituit.

Non

Non ſublime ſolet traducere ſedibus ævum
Unis ingenium, ſatis hîc tibi temporis actum.
Sat tua *dexteritas* huic eſt perſpecta *Lyceo*.
Reſtat & *Artis honos* aliis ſpectandus in oris.
Urbem ſcis *Nemetum*, fuit illâ cohortibus olim
Manſio Cæſareis: hinc SPIRAM voce Pelasgâ
Dixerunt, nunc *Imperii fidiſſima cuſtos*
Audit *Juſtitiæq́ forum mundiq́ tribunal.*
Dictator Myſtæq́ Dices ibi pectore curas
Verſant immenſas pœnis onerare nocenteis,
Exonerare pios oracula reddere recti
Judicii, trutinâ magni dependere ſortes
Æquâ momenti, magnosque perinde Dynaſtas
Senſibus ad juſtam juſtis perducere metam.
Sunt ibi *Sobrinos* tibi, quos *cognata propago*
Conciliat, THOMÆ duo; MERCKELBACHIUS unus,
Arx veri, columen legum, MICHAELIUS alter.
Ambos quis neſcit meritorum tangere famâ
Solis utramque domum? *Priſcâ Pietate verendus*
Conſilioq́ potens, & agendis providus auctor
Rebus uterque viget: normas utriusque fideles
Litibus in dubiis, ac decretoria jura
Servandis ipſi cauſis ſectantur *Atlantes*
Cæſaris, Auguſtique *Duces Comitesq́* fereni,
Ordoq́ Baronum, Procerum quoq́ civicus ordo.
Hûc moveas greſſus *Ubiis* digreſſus ab agris,
Cognatis venies cognato gratior inſtar
Primævi gnati, qui reddit in indole Patrem.
Hi te conſtanti ſic complectentur amore,
Ut tibi *theſauros abſtruſæ* cardine pandant
Doctrinæ, monſtrent *cautelas*, inque *receſſus*
Eunomiæ ducant penitus *Praxisq́ magiſtræ.*
Tunc *vir* continges *faſtigia* ſummâ THEMISTOS,
Tantò conſortes inter præſtantior omnes,
Quantò ſplendidior *Phœbus*, quàm *ſidera*, fulget.
KLOCKIUS his monitis exultans poplite flexô
Apprenditque manum VIRTUTIS, & oſcula pangit,
Pangentemque ſtatim caligo ſoporque relinquunt.
Divinum vigilans viſus examinat omen:
Accipit imperium, citò res componit, iterque
Accelerans volucris dilectâ ſiſtitur *urbe*,
Moxque ſalutatum *ſobrinum* vadit utrumque.
Suſcipiunt hilares *menſaq́ domoq́ propinquum*
Sollicitі *legum Defenſoresq́ clientum,*
Cæſarei qui poſt *Putealis portio lecti*
Duplex adſeſſu palmaria puncta merentur.
KLOCKIUS aggreditur gemino præeunte Magiſtro
Exemplisque bonis *actricia munia ſortis*
Juridicæ, gazasque fori famamque reportat.
Sedula qualis apis nemorum per olentia prata
Undique diſcurrens ſummorum germina florum
Carpit, & Hyblæo diſtendit nectare cellas:
Talis & ille ſacri *viridaria juris* oberrat,
Et *reſponſa* legit *Sapientum*, quæque *relata*
Vel fuerint *deciſa* catè, memorique recondit
Caſus mente novos, molimina mira nocentum,
Cimmeriis luci profert *arcana* tenebris,
Rebus & in variis *tricas nodosq́* retexit.

Coloniæ laboribus peractis & exantlatis Spiram Nemetum ſe recipit, convictu ibi uſus Dnn. DD. Thomæ Merckelbachii & Thomæ Michaëlis Conſobrinorum ſuorum tunc temporis Practicorum & Juris-Conſultorum Excellentiſſimorum, quorum manuductu in praxi exercetur & multiſaria reſponſa aliasq́ relationes ac deciſiones actis judicialibus accommodatas obſervat & colligit.

At MERCKELBACHIANA *Dice* MICHAELIA ſive
Virtus, quæ *Conſulta* tulit *Cameralia*, ſcitis
Cum *votis* ac *deciſis* utriusque ſeorſim
Congregat, *ingenii monumenta ſtupenda ſagacis.*
Hæc nunc clarorum tandem *poſt fata Virorum*
Æternâ lucem digniſſima luce videbunt
Transſcribenda typis: ſua quis *arguta Reperta*
Materiæ ſimilis conjunget KLOCKIUS *Auctor*,
Eloquio condens *miranda Volumina* clarô.
Qualia decurſis non vidit *Cynthius* annis,
Seraque *poſteritas* quæ *commoditate* probabit.
Hinc ſi KLOCKIADEN PANDORAM dixero; námne

Conſilia, Vota & Deciſiones Dn. Thomæ Merckelbachii & Dn. Michaëlis ſeorſim coacervata propediem cum ſuis ejusdem materiæ inventis publicis typis divulgaturus eſt.

Mentiar?

Mentiar? *innumerâ variæ* qui *dote* reſulgens
Doctrinæ radios toti communicat orbi.
Fama Viri laudes peregrinis nunciat oris,
Hercynicas volitans pennâ reſonante per auras,
Quà *fœcunda* cavis colitur STOLBERGA *metallis*,
Juratisque *decus Comitum* ſpectatur alumnis.
Cancellis ibi tum deſiderat *aulica* celſis
Curia, triconum quam torta negotia vexant,
Cautum Rectorem, cujus *patrima Virago*
Adſict *conſiliis animam,nervosq;* ſecundet.
Herois votô, famâ monitrice, *Dynaſtis*
KLOCKIUS eligitur, felix cui SUADA *loquelam*,
Formavitque THEMIS juſtiſſima *pectus*, ut *unus*
Argumenta ferat veri liquidiſſima dextrè,
Quæ veluti tactu manuum convincere poſſint.
Tantum lumen habet legum monſtrare receſſus
Sollers arcanos, & quæ caliginis umbris
Obſcurata latent, ſub ſole reponere claro,
Ampliùs ut negitet, qui rebus in omnibus olim
CARNEADES dubitat, ſeſe dubitare deinceps.
O Peitho, toties priſcis celebrata *Camœnis!*
KLOCKIACÆ *mater Suadæ*, cultiſſima Peithô!
Quid? ſi flexanimo *Genitricem* robore *Nata*
Vicerit? hæc, hæc eſt, tigres rabidosque leones
Quæ mulcere valet,mollireque pectine ſaxa
Threiciô, fluviosque ciet ſylvasque ſequentes.
Hæc eſt, quæ ſuavi ligat aures compede, qualem
Gallicus Alcides emblematis arte figurat.
Dædaleum Myronis opus, cui lingua gemellos
Deſiit in *funes*, pendentes oris ab urbe
Longiùs, in fulvas ſed funis uterque catenas
Exiit, arrectis inſertas auribus arctè
Adſtantis *populi trahitur chorus*; *omnis in omnes*
Attonitæ motus variâ dulcedine mentis.

A. C. 1608. à Perilluſtribus Comitibus Stolberenſibus vocatus Spirâ Weringrodam ad munus Cancellariatus obeundum.

Ergò ſedecies à CHRISTI ſecula cunis
Condita cùm fuerant,octavus & additur unus,
Summa pedum ſtrictè talaribus illigat alis
Interpres Divûm fidus, caducifer HERMES
Illuſtrisque domus CHALYBEÆ *juſſa* capeſſens,
Curriculo SPIRAM properat NEMETESque vetuſtos
Quà vagus obliquo defertur flumine *Rhenus*,
KLOCKION in veterum ſedes excire CHERUSCUM,
Officiique rogare datas ne ſpernat habentas.
Ille *Dynaſtarum* cum fando petita prehendit
Mitia,ſed nec opina, putat cum pectore multa,
Ex aliis aliud venans indagine ſenſus.
Tandem lætus ait: fiat *decreta voluntas*
Omniboni, nutu qui dirigit omnia, JOVÆ!
En adſum, ſubeoque libens nova *munia Spartæ*
Fortiter ornandæ,faveat *Sors dia* labori!

Poſt acceptam vocationem fit Candidatus utriusq; Juris.

Aſt alacri calcar cùm *DIVA LUBENTIA* ſubdit,
Ut deſignatas citiori tendat in oras
Curſu, cunctandi rationem JANUS adornat,
Quem circumſpectum docet eſſe biformis imago;
Verſatoque *novi* recludit limen *Honoris*
Cardine, ceu reſerat *primordia Cluſius anni*
Conſortemque DEAM compellat vocibus ultrò:
O ſacra Majeſtas, quæ pulchra *Palatia cœli*
Servas, & mundi diſtinguis ritè nitores!
ROMANOS *rerum dominos* & fortia bellô
Pectora *delubrum VIRTUTIS* ſcimus *HONORIS*
Templo contiguam poſuiſſe, nec antè dabatur
Hujus inire gradu recto penetrale,per illud
Quàm foret acceſſus. Meritorum ſcilicet *ordo*
Famæ pandit iter ſoli Virtutis amanti.
KLOCKION ecce vides *ſudorum* perque *laborum*
Atria *multiplicis* toties *Virtutis* in ædem
Ingreſſum,ſtudiô coluiſſe verenda THEMISTOS
Sacra *Sacerdotem* veneranti: poſtulat ergò
Jure ſuum Myſtam DEA *Juris*,HONORIS ad aram

Cum

Cum Pompâ cures ſiſti cingique tiarâ,
Quæ meritis detur merces & publica teſtis.
Olli MAJESTAS: Non eſt opus, inquit, ut iſta
Me moneas, quamvis *non faſtidire monentem*
Recta mihi mos ſit, quid *me*, non neſcio, quidve
KLOCKIADEN deceat, *titulos* quem penè locavit
Supra mortales Genius cum *PALLADE dius.*
Ne deſim noſtrum, fas eſt, utriusque decori.
Et tamen ornandum ſemel haud ornavero; quippe
Multus honor ſupereſt aliis cumulandus in annis.
Auſpiciis igitur DIVÆ ſolemnibus, atque
Unanimi Procerum decretô limina FAMÆ
Gemmea panduntur, fulvi ſuffulta columnis
Innumeris auri, feſtôque ſonantia plauſu
Spectantum ſummæ fervent ſacraria laudis.
KLOCKIUS ingreditur *THEMIDIS ſpectabilis* armis.
KLOCKIUS egreditur *redimitus murice crines.*
Pileoli Tyrio. *DOCTOREM* buccina clangit,
Auratasque rotas *palmaris Gloria* ſcandit,
Antevolant *Deſideriumq́; Favorq́;* videndi,
Jubila ponè legunt veſtigia, juncta *leporum*
Turbæ, ſed juxtà volat *Admiratio* magnas
Præſtringens mentes; lævamque ſerena *Voluptas*
Nominis & ſtimuli ſtipant, dat *lora quadrigis*
Nigræ contemptus telluris & aëra tranat.
Suſpenſæ cedunt nubes: diffunditur æther
Purior, & facies ridet placidiſſima cœli.
Talis *Dardaniæ Cybele* turrita relictis
Sedibus *Heſperiam* petit, & ſua *Numina* templis
Infert. Lætitiæ lætis *Tiberinus* in undis
Signa dat, agnoſcens genitricem ROMA DEORUM,
Relligioſa DEAM cultus extollit honore.
Et jam Pegaſeo metam contingere curſu
Pompa triumphalis pergit ſpecioſa THEMISTOS,
Ecce caput ſupra ter, ſe JOVIS *armiger ales*
Circumagi magni ſtridens gyrante volatu.
Ac lævum toties nictanti fulgurat igni
Jupiter, intonuitque polo ter clarus ab alto,
DOCTORIque novo meritos gratatur honores.
Omina ter, votis *Proceres felicia* ſignant,
Regibus, hunc fore purpureis ATLANTA minantes.
Mox chorus ingeminat ferientes ſidera plauſus.
Spectâclis gaudet lautis CYTHEREIS *Amoris*
Mater, & his *Natum* dictis adit, oreque fatur:
Nónne vides, *fili*, certare DEOSque DEASque,
Quomodo quisque ſuis benè *donis* KLOCKION ornet?
Probro ſit nobis, *talem* ſi *munere* ſoli
Nullô mactemus. Fas eſt ex *ordine lectam*
Selecto Nympham, quæ ſit *generoſa* merenti
Jungere *conjugio ſtabili propriamq́;* dicare.
Cui puer *Idalius: Genitrix*, ait, *optuma*, quidni
Velle tuum ſit, velle meum? tu cætera curæ
Linque meæ, facibus totum qui ſubjugo mundum.
Diſcurrit *flammis* ſimul *armatusq́; pharetrâ.*
Conſiliumque favor texit præſtare *Parentis*
Obſequium monito: gravitatem dumque veretur
Lædere KLOCKIADÆ *ſcintillis* affricat *arcum*
Cum *telis*, inhians anſæ rebusque gerendis.
Mentitur *geſtum ludentis* & *ora Puelli*,
Accurritque *viro* ſua criſpans arma lacertis,
Dein balbus verbis, ait: ô bone, tende *catenam*,
Hunc (traditque manu ponitque ſagittam)
Tentabo jaculum digitis torquere citatis.
Ille venuſtello (quis enim tàm durus, ut iſtam
Spreverit ætatem) vix gratificarier orſus,
A tractu ſentit *ſubitos penetrare calores*
Brachia per, quaſi per tubulos *in pectoris imum*
Adverſâ ratione velut *torpedine* tactâ
Tangentis manibus *torporem* pertica defert:
Vix adductus erat curvans in cornua ſeſe

Renunciatur Juris Utriusq́; Doctor.

Nervus,

Nervus, mox dextrâ ſimulante remittit eundem
Puſio, nec volat in ventos *fatalis arundo*,
Sed *dignæ* JOVE *corda* ferit *ſecreta Puellæ*,
Quæ *formæ flammis* comburere mille procorum
Pectora jam poterat, niſi *diſciplina modeſta*
Moribus integris daret *ornamenta decoris*,
Et puræ *Pietas frontem* præcingeret albam
Fronde *Pudicitiæ*. *Parin* hæc *virtute* DEARUM
Temneret & lites, ſi quarta fuiſſet in *Idâ*
Pulcher eâ quamvis pulchro nec *Lucifer* ortu,
Aurea nec roſeô ſit pulchrior ore DIONE,
Mens adeò *præſtans præſtanti corpore dignè*
Clauditur obrizo ceu gemma renitet in auro.

Ambit nuptias Nobiliſ caſtiſſimæq; Virginis ELISABETHÆ RHAMIÆ.

Vulnus ut accepit, *ſociali* carpitur *igni*,
Et priùs *inſuetis aſſueſcit motibus ignis.*
Nobilis ELISABETHA *ſatu*, ſed *RHAMIA gente*,
Dirigit *eventum rerumq; boni repertor*
Providus, *arbitriô qui numinis omnia mundi*
Temperat & caſtos hominum bene digerit actus,
Ac qui jungendos pro voto jungit amores;
KLOCKIUS hinc cœpit RHAMIOS *ambire favores*
Virgoq; legitimæ non ſpernere fœdera tædæ.
Ille fatetur huic, hæc illi pectoris æſtus
Occultos pariles que faces: pars utraque votis
Sollicitat pia fata piis poſcitque rogatu,
Ut qui *ſubſcriptor thalami fundusq;* citatur,
Facto ſpes animet caſtas & cœpta ſecundet.

Celebrat Sponſalia publica.

Accipiturque daturque fides utrinque colenda
Perpetuò: firmum *Sponſalia* publica nexum
Teſtantur, teſtisque DEUS, *qui lumine cordis*
Intima ſcrutatur certò ſenſusq; latentes.

A.C. 1611. nuptialem feſtivitatem agitat ſolenniter.

Sæcula tranſierunt octo bis, volvitur annus
Inſuper undecimus, poſtquam numerare rotatos
Zodiaci curſus Epoche primordia fecit,
Chriſtiadum SPONSOS ubi *feſtas* ducit ad *aras*,
Auſpiciis PATRIS & NATI FLATUSque benigni,
Pompa perinſignis densâ ſpectante coronâ.
Gaudia convivæ celebrant *Hymenëea lætis*
Ominibus. *Ceſtô Cypri Regina* ſuperbit,
Reginæq; Pueri Choreis *epinicia* cantans
Exultat, nec abeſt ludens teſtudine *Præſes*
Artis Pieriæ, puro qui rore ſolutos
Caſtaliæ crines lavit, CHARITUMque *ſororum*
Ternio ſuave melos fingit, DRYADESque ſonorâ
Voce replent ſaltus & cœlo jubile tollunt.
Proſpera LANIADES, quà GIESA ſerena frequenti
Claret *Ephebëo*, *gratanti quæq;* precantur
Carmine: reſponſat roſeis convallibus *Echo*:

Vivite felices Par Nobile nubilis ævi,
Nec nocuum filicis ſuccreſcat amoris in horto
Gramen! fundat opes opulentô Copia cornu,
Livor ut arrodat malè carnificetq; ſe ipſum!
Vivite concordes, quîs corpora baltheus unit
Matris Acidaliæ, quò ſitis mentibus unus,
Et ſine tabe domus, torus & ſine labe vigeſcat,
Nec lectus luctus, nec tædæ tædia fiant.

Vivite creſcentes generoſa fœnore dulci
Lucinæ, geminiq;, ſuperſtet imago Parentis
Plurima! ſin neget & Fatorum ſanctio prolem,
Plurima pro Natis Virtutum gloria ſurgat!

Vivite ſervantes oracula pura JEHOVÆ,
Sol quibus haud alios videat Pietate Priores,
Ac vobis dignos & CHRISTI nomine fructus
Edite corde, manu, cupidi prodeſſe cuivis!

Vivite vincentes Athen & Væ Jovis aſtus
Tartarei, Mundiq; trucis Sortisq; malignæ.
Immunesq; metu, quicquid ſufferre ſalutem!
Vivite vivaces, Vir ſanus, ſana Marita;
Neſtoreis florens ſtudiis vir Neſtoris annos,

Fruitur placidô, concorde & variis bonis benedicto conjugio, ſobolis tamen expers.

Sæcula Cumææ domi porta Marita Sibyllæ,
Et pariter vitæ ſaturi ſuccedite cœlo!
Continet exodium *genialia Feſta* dierum
De curſu *placidum: Pietas geminata jugalis*
Affectus carieque carens exordia ſumit.
KLOCKIADEN dicit *Phœbum nova Nupta Maritum,*
KLOCKIADES dicit *Phœben* vicis ordine *Nuptam*
Et meritò: nam ceu patuli *fax publica mundi*
Candorem confert tepidum lucemque *Dianæ:*
Sic vir *ſplendorem* promit *fatumq́; maritæ.*
Germinis & *Clyties* velut æmula *Cynthia* ſemper
Reſpicit auricomi gratiſſima lumina *ſolis:*
Sic *cordata Virum Mulier* veneratur amatum,
Obſequii vultu cultumq́; reponit amanti.
Jam trieteris iit, poſtquam pervenit in *oras*
KLOCKIUS *Hercynicas inſignia* ſplendida *partæ*
Exornaturus *Spartæ:* quô fine petivit
Saxoniæ fines, & *mœnia* WERNIGERODÆ,
(Quam decorat formoſa ſitus & ruris amœni
Gratia, tum cujus lateri ſe BRUCTERUS ingens
Jungit, & aërias attingit vertice nubes,
Semper habens nemus argutum piceaſque loquentes)
Incoluit *cælebs*, ac *pectora mole gravatus*
Curarum vires ſenſit *ſine compare ſolvi.*

Rem familiarem cum uxore Weringerodæ inſtituit, colitq́; quatuor annos poſtquam antea ibidem per tres annos cælebs habitaverat.

At nunc *participem* nactus *ſociamq́;* laborum,
Sortis ibi *ſedem* locat *augendosq́; Penates*
Quatuor autumnis, nec ſpes paſcuntur inanes,
Vivitur ex voto: Benedictio Numinis auget
Proſpera *fortunas. Conjux privata tuetur*
Commoda, congeſtis dum *parcit* ſedula rebus,
Nec *promit*, *tempus* niſi promere juſſit & *uſus*,
Cauta magiſtra domus. Hinc non eſt ſordida, quamvis
Non profuſa, ſed, hoſpitiô quos ipſe Maritus
Hoſpes cenſuerit dignos, juvat *hoſpite menſâ*,
Dura nec ad gemitus obturat pauperis aures,
Nec ſiccas miſeri fauces affamine molli
Subdola fruſtratur, ſed *re* ſolatur & *ære*,
Fœmina Virtuti Genium quæ mancipat omni.

Laudes maritæ.

Ipſemet haud parvâ magis eſt ex parte levatus
Sollicitudinibus, *tutarier* acriùs inſtat
Perſonam partesq́; datas, recteque cavere,
Ne pes officii ſibi claudicet, unde quis ipſum
Neglecti poſſit verax arceſſere penſi.
Publica defendit *Comitatus jura* peritus
STOLBERGI legum diſtrictis fortiter armis.
Caſibus occurrit *dubiis* & *temporis auceps*
Providus, & *rerum tricoſa negotia* ſcitus
Extricare vigore ſtudet *rationis* & *æqui.*
Denique *conſiliô* ſic perficit omnia tutô,
Ut *ſummam fidei laudem* mereatur & usûs,

Klockius ſtrenuè & fideliter incumbit officii laboribus.

Exierat mundo *Parcarum* lege ſequeſtrâ,
Corporis induviis poſitis, *Pietatis avitæ*
Icon HENRICUS STOLBERGIDIS *inclitus Heros*,
HOLTEMA quem gemitu decoravit & ILSA feretro
Impoſitum, lacrimiſque gemolli BUDA fluenti
SELSAque manavit, ſed & HASELA miſcuit undis
Fletus, HELME, tuis. Quô *funere mæſtus* acerbô
KLOCKIUS *officii cedit ſtatione*, *relictis*
Ultro Cancellis, & *munia deſerit Aulæ.*

Fatis ſuccumbente Illuſtriſſimo Comite Stolbergio, Dn. HEINRICO, Cancellariatu ſeſe abdicat.

Hoc ubi *Teutonici* fando cognoverat *orbis*
PRIMAS PARTHENOPES *ſolio* qui præfuit alto,
Et *litui* clarum vexit moderamine *clerum*,
Virtutes famamq́; Viri cum mente volutans,
Nomine *Saxonici tractus*, quem *Circulus* ambit
Inferior, CAMERÆ *Spirenſi* ſiſtit habendum
Adſeſſu Socium, celſi *Putealis* ut *urnam*
Augeret *votisq́; catis ſtudioq́; fideli*,
Quæ præſentandi debebat munere fungi.
Principis eſt ſubſcripta *manu*, munita *ſigillô*
Litera quindeno poſt cognita ſæcla meatu

Dn. Adminiſtrator Archiepiſcopatus Magdeburgici per literas latas A. C. 1615. Cal. Majis ipſum præſentat Cameræ Spirenſi ad Aſſeſſoratum, quibus tamen literis non eſt uſus, præſertim cùm tempus ferè præterlapſum fuiſſet, intereaq́; Conſules & Senatus Brunſvicenſis ipſi transmiſiſſent literas vocationis ad munus Superioris Syndicatus adeundum.

Annalis gyri, Majo ſignante Calendas.
Sed non uſus eâ, quod fermè tempus abiſſet,
KLOCKIUS eſt, ipſumque ſimul BRUNSVIGIDA claram
Glaucus quam pingui mediam ſecat OCCARIS amne
Acciret *magni venerabilis ordo Senatus,*
Conſiliis motis *ſupremus* ut *Arbiter* eſſet.
Scilicet *exponit de ſede JEHOVA, bonaq;*
Ponit ſede bonus, tum non ſperata reponit
Supponens votis hominum meliora rogatus.
Ille DEI curam pro ſe laudare paternam.
Æſtuat & memori depromere pectore *grates*

Officii partes Brunſvigæ obire cœpit A.C.1616.

Aggrediturque *nova legata negotia Sortis.*
Cultor ſedecimo numeri minorennis in anno,
Succeſſusq; fovet *pleno conamine rerum.*

A.C.1617. ablegatur à Senatu & Civitate Brunſvicenſi Pragam ad Cæſaream Majeſtatem oratum abolitionem banni unàq; Pacificationis Stetterburgicæ tunc inter Celſiſſimã Domum Brunſvigiam lineæ Wulfferbytanæ & ipſam Urbem Brunſvicenſem contractæ a iorumq; ejusdem urbis privilegiorum confirmationem.

Anni *Legatus* proficiſcitur orbe ſequentis
Martigenæ miſſus *Populi* juſſuque *Senatus*
PRAGAM, quæ *Regno* colitur *Regina* BOHEMO,
Impletum precibus ſublimes CÆSARIS aures,
Solvat ut *innocuos* Majeſtas *maxima cives*
Immeritis Banni vinclis, indultaque miti
Commoda temperie clemens confirmet & auctet.
Ac STETTERBURGI ſancito fœdere *Pacis*
Articulos interque DUCES BRUNONE vetuſtô
Celsè progenitos (quos *VVulfferbytia* gentem
Linea diſtinguens ſignat) BRUNONIS & URBEM
Pactos *Cæſareô* faciat *munimine tutos.*

Expedit ſuæ legationis negotia dextrè & celeriter optatoq; ſucceſſu, etiam contra multorum opponentium calumnias & interturbationes.

Omnia perſequitur *celeri molimine dextrè*
KLOCKIUS orator votisq; potitur *avaris.*
Obtrectatores quamvis invenerit acri
Obſtantes ſtudiô tantis conatibus omnes,
Auxiliante DEÔ, *prudens Induſtria* vicit,
Sedulus officii peragit qui ritè labores,
Hunc non deſtituit Fati ſucceſſibus ordo.

Profuit hæc expeditio Civitati Brunſvicenſi non parum, præſertim in hoc calamitoſo & periculoſo SS. Imperii ſtatu. Etenim ſi illa à Banno abſoluta non fuiſſet, perſecutionis & obſidionis periculoſiſſimæ poſt Magdeburgenſe miſerabile excidium expers non permanſiſſet.

Quod ſi non celebris COMMUNIO facta fuiſſet
Immunis rigidô *Banni diſcrimine* ſævi,
Poſt *lapſam raptâ cum Virginitate coronam*
PARTHENOPES, & poſt viduatas civibus ædes,
Sæcli *Teutoniam* noſtri populante *furore,*
Fatali, quali nondum ſatiatur ENYO
Pluſquam *civilis, ſimiles occaſio belli*
Eventus minitata fuit: quod abominor omen,

Pragæ cùm ſubſiſteret aliquandiu, pervenit in amicitiam & familiaritatem ſummorum Virorum. Præcipuè uſus eſt gratiâ Illuſtriſſimi Comitis ac Domini, Dn. Georgii Comitis ab Hohenzollern, qui tunc erat Cæſareus Imperialis Aulici Conſilii Præſes, pòſt à Cæſare in excelſum Principum ordinem evectus. Item Dn. ab Ulm, SS. Imperii Cancellarii. Hi omnes doctrinam & virtutes ejus commendarunt Imperatori, qui ipſum, præconiis tantis permotus, dignitate ac privilegiis Aulæ Cæſareæ & ſacri Lateranenſis Palatii Comitis Equitisq; aurati clementiſſimè decoravit.

INDUPERATORIS dum ſede moratur in alvâ,
Firmat *amicitias ſummorum lege Virorum*
KLOCKIUS *æternâ*, cum primis vergit in ipſum
Gratia non dubiæ fidei, tum *prompta voluntas*
HOHENZOLLERII *Comitis Dominiq;* GEORGI
Præſidet Imperii ſacrâ qui CÆSARIS *Aulâ*
Conſiliis, cui poſt *meritorum luce coruſco*
Principis inſignem titulum donavit & arma
Rerum ſummus apex aquilæq; biverticis alter
Affectu ſimul ingenio complectitur illum
ULMENSIS *Dominus*, qui CANCELLARIUS audit
Imperii, ſed & *officiis* mactare laborat.
Omnes *Palladium Genium Geniiq; vigorem*
Virtutumq; jubar collaudant CÆSARI CÆSAR,
Gloria quem *mater* genuit, quem *Gloria patrem*
Geſtit victuris inſcribere *filia* cedris
KLOCKIADÆ *proprii partem* largitur *honoris*
Auguſtumq; ſui COMITEM jubet eſſe PALATI
Datque *poteſtatem Vatum* redumire *merentum*
Ex *Aganippæis victrici tempora Laurô*
Frondibus atque *fide* munire *notaria jura,*
Tradere tutores, titulis, inſignibus, armis,
Ornatuq; novo cives decorare *probatos.*
Quin & *Philoſophis* intexere *nomina peplis*
Ac *ſeptem geminæ gnavis* cultoribus artis
Schema Magiſterii decernere; deinde THEMISTOS
Propugnatores cathedrali ſede locare
Conſultos, *rubriq;* caput vincire *galeri*
Tegmine, *Doctores* etiam laudare *medentes,*

Qui

Qui vitas hominum didicêre *Machaonis* ungue,
Fatorumque moras ſucco proferre ſalubri.
Inde *Palatinis ſtudiis* ne *præmia* deſint,
Eximit illius gravibus bona cuncta tributis.
His te *Cæſarei Majeſtas Numinis* auget
Muneribus, *torquisq́; decus* ſuperaddit *equeſtris.*
Nobilis ac docti Flos ordinis, *inclite* KLOCKI.
Cur tibi non totis cor in intima gaudia fibris
Luxuriet, *vanæ* cur *ſtulta tonitrua linguæ*
Blaſphemô jaculata tubô, *tabémve malignam*
Livoris cures triſtis? *Cui* CÆSAR *honores*
Aggregat, *Heſperiisq́; plagis & notus Eois*
Æternum memori nomen ſervabit in ævo,
Id *clypei* ſignant INSIGNIA TRIPLICE picti
CAMPANA, cujus longè tonus exit in auras.

Inſignia Dn. KLOCKII.

KLOCKIADÆ *totum*, ſed GLORIA *perſonat orbem*
Imò mirandâ ceu fertilitate ſubinde
Ex folio folium producit *Opuntia ficus.*
Sic hic, quem *Regum Rex Romaniq́; Monarcha*
Illuſtrat *mundi* prædivite fœnore pergit
Summatumq́; Ducumq́; novum meruiſſe *favorem.*
Quare KLOCKIADES *vico* Brunonis in *amplo*
Cùm res geſſiſſet *Populi magniq́; Senatus*
Pro votisque fideque, ſed & cum laude celebri,
Illum præcelsâ BRUNONIS *origine Princeps*
LUNIADUM, *Præſulq́; pedi MINDENSIS honorus*
CHRISTIANUS, virtus cujus perſpecta per omnes
Orbis ſe ſparſit radiis illuſtribus oras,
Conſiliis Atlanta ſuis depoſcit, & uni
Summam ſummarum credit MINDANAque *rerum*
Pondera: quod *Procerum* punctis locupletibus ornat
Calculus. *Obſequiô* cœpit mandata tueri
Munia magnificô, poſtquam numeraverat annos
Sex & viginti creſcentis *Curio* ſæcli.

Anno Chriſti 1626. à Reverendiſſimo Celſiſſimoq́; Principe ac Domino, Dn. CHRISTIANO poſtulato Epiſcopo Mindenſi, Duce Brunſvicenſi & Luneburgenſi cum conſenſu Capituli ad Cancellariatum Epiſcopatus Mindenſis vocatur.

At ceu pars Lunæ lumen, pars occupat umbram:
Sic ubi poſt onus adſtat honos, onus usq́; recurrit.
Id quod KLOCKIADES hic experiundo probavit,
Cùm velut *Alcides exhaurit mille labores*
Alter, & ASTRÆÆ *profligat fortiter hoſtes:*
Tutatur juſtos, miſeros ſolamine mulcet;
Perfugium monſtrat preſſis & juris aſylum;
Res reparat calami lapſas & viribus oris,
Ac ſtudet ad recti cauſas revocare ſtateram
Diſtortas, *veræ Pietatis idoneus auctor*,
Nec cœptum benè rumpit opus, nec definit unquam
Principis ac Procerum plebisq́; fovere ſalutem,
Auſonii donec *legiones fœderis* amplæ.
Queîs OSNABRUGUS *cleri lituiq́;* potentis
Præſul FRANCISCUS GUILIELMUS dirigit actus,
Sulphureoque facem fumantem lumine portat,
MINDENSI DOMINUM cum SERVO ſede fugarent.

Officii vices exequitur fideliter, donec Catholica Liga & Epiſcopus Oſnabrugenſis Franciſcus Wilhelmus Dominum ſervumq́; è Diœceſi Mindenſi ſiniſtris armis ambigerent.

Inde petit BREMAM *firmum tutumq́; receptum*
Principis expreſſo juſſu vitatque *minaces*
Inſultus OSNABRUGI cœtusq́; ſequacis,
Perſonæ laqueos qui diſpoſuêre *bonisq́;*
Ipſius innumeros, & laxas bilis habenas
Effudêre locum, quoties occaſio fecit.
Scilicet, effatô JESSÆI vatis *iniqua*
Multa quidem *patitur juſtus*, *ſed ab omnibus illum*
Provida cura DEI ſolvit ſævisq́; periclis.

Klockius ſpeciali & expreſſo Principis ſui mandato Bremam tanquam in aſylum recipit, ut effugiat vim & inſidias Oſnabrugenſis Sociorumq́;, qui Arreſti vinclis aliisq́; multifariis perſecutionibus tàm perſonā, quàm bona illius hoſtiliter premebant.

Signa recenſuerat bis *Titan*, tertius ibat
Annus, dum BREMÆ tranſmittit temporis uſum.
KLOCKIUS interea *Chriſtianæ Sortis imago*
Splendida, CHRISTIANUS *Princeps mitiſſimus ille*
Antiſtes MINDA *profugus*, mortalia linquit
Æthereaq́; pius Patriæ conſcendit in *Aulam*,
Rex ubi *cælicolûm FIDEI tutoribus almæ*
Fortibus Imperium ſine fine Pedumq́; pararit.

Bremæ commoratur in annum tertium interaq́; Dn. CHRISTIANUS Dux Brunſ. & Luneburgenſis beata ἀναλύσει ex hisce turbis in æternam tranquillitatem emigrat.

At tunc CHRISTIANI *frater victricibus armis*
Illuſtris, *Patriæq́;* GEORGIUS *acer* ACHILLES
Offenſasq́; datas *germano* vindicat *ultor.*

Circa id tempus Dn. Chriſtiani frater germanus Dn Georgius Dux Brunſvicenſis & Luneburgenſis, vero,

Occupat

f rtiſſimus & multis victoriis glorioſus Diœceſim Mindenſem recuperaverat manu militari, injurias fratri illatas ul us, ſimulq; Epiſcopatum Hilteſium cum u be occupaverat & Dn. Klockium Cancellariatus muneri reſtituerat.

Occupat *HILDESIAM* ſub idem quoque tempus, & omnem
Jure Diœceſin belli ſuperante coërcet.
Sic FORTUNA viam dedit, ut *celſiſſimus Heros*
KLOCKIADEN *vacuis ſolenni* redderet actu
Cancellis, ſtantemq; fidem laudaret honeſtè
Scilicet *haud ſemper furibunda ſalumq; ſolumq;*
Turbat tempeſtas pulſis ſed nubibus Auſtri
Miteſcunt, puriq; redit clementia cœli.

Cancellariatum Klockius redintegrat continuatq;, dum Fratres Brunſ igo Lun burgenſ. poſt Dn. Chriſtia i obitum ditiones Calenbergenſē, Cellen em & Gottingenſem inter ſe dividerent.

Officii partes iteratis ille receptat
Curis, *Perſonamq;* ſuam *ſine crimine* geſtat
Continuaque piâ cum ſedulitate labores,
A Ducis exanimi CHRISTIANI *funere* donec
Dividerent inter ſeſe ſua *Regna* decenter
Quâ CALENBERGUM *divas* CELSASque *ſuperbas*
Et *loca GOTTINGÆ* ceu *fortes teſſera* monſtrat,
Imperiis gravidi fratres longeq; potentes.

Reſignat certas ob cauſas & præſert m ob graviores belli turbas Cancellariatum, clementerq; à Celſiſſ Principe Dn Georgio dimittitur, propoſitumq; habet reliquum vitæ tempus privatim transigere Deoq; & proximo inſervire.

Nam quia *bellorum turbo* regionibus iſtis
Sævior incubuit, rabiem fraudesque malignas
Totaque plauſtra vehens ſcelerum culpæque nocivæ,
Ille (cui nondum *Pietas* & *Candor* apertus
Exciderant animô, ſed oberrat ſenſibus *horror*
Criminis invecti *pœneq;* ſequentis *acumen*)
His ſuper accenſus, parvo pòſt tempore, magni
Principis aſſenſu, feliciter exuit amplæ
Munia Rectura; privam quoque ducere *vitam*
Deſtinat, ut poſſit ſervire DEOque *boniſq;*
Obſtaclis liber, dum ſpiritus oſſa movebit.

Revocatur à Perilluſtribus Dnn. Comitibus Stolb rgicis ad recipiendum Cancellariæ & Conſiliarii munus, ut inc emen a ſ lutemq; ſui ſtatus ſanus conſiliis foveret.

Sed *proponit homo, diſponit JOVA futurum*,
Nam *Domus Illuſtris* STOLBERGA, *vocatio* cujus
Illum *Saxonias* SPIRA perduxit in *oras*
Primitus in memori recolens ibi pectore, quantas
Et quàm proficuas operas ſibi *Scævola prudens*
Olim præſtiterit, poſt functa fideliter *Urbis*
Celſorumq; Ducum ſolemnia munia, *jure*
Ceu poſtliminii revocat clementer eundem,
Sceptrigeræ doctam moli ſupponere dextram
Conſiliiſq; catis ſtatui ſuccurrere feſſo.

Klockius Præcelſorum Comitum, qui ipſum Spirâ primùm in haſce oras accerſiverant, gratioſis poſtulatis refragari noluit multis de ca ſis & præſertim ne beneficiorum acceptorum argueretur immemor, & quòd ſibi erilluſt. us Aulæ negotia jam dudum probè perſpecta fuiſſent.

Ipſi quod fuerint STOLBERGA *negotia* dudum
Cognita, tum *rerum proceſſus & ordo ſuarum.*
KLOCKIUS ergo nequit neque vult ſubducere ſeſe
Summis de cauſis, quas mens ſibi conſcia dictat
Magnorum votis Comitum placidiſq; petitis,
Sed *Cancellorum* ſeſe *penetralibus* infert
Rurſus *in obſequii pretioſâ luce* videndus
Et *notis peragit repetita negotia curis,*
Nec commiſſa ſibi gelidè timideq; miniſtrat.
Ac velut æquoreum pandæ *Cynoſura* carinæ
Dirigit excurſum dubiis ne flexibus erret,
Nec ruat in ſcopulos aut venti turbine Syrtes:
Sic *clavum* movet ille datum, ſic *vela* gubernat
Inclytâ conſilio, pereant ne merſa periclis
Neu portu careant ambagibus acta ſalutis.

Quærere in hunc uſq; diem anni currentis 1646. receptam functionem ſummâ cum fide & diligentiâ adminiſtrat.

Hactenus accrementa modis ſtudet omnibus *Aulæ*
Præluſtris cumulare cavens diſpendia *tutor.*
Non tamen huic fini *rebus ſine jure novandis*
Texit, neglectâ plebis ratione probátve
Conſilii flabrum veſtigia fortè ſecutus
Exempli, quæ clara LAVACRIUS * ille reliquit
Cujus *præſidiô* viguit benè *Curia Gallis* * *
Durarum contra molimina Regia legum,
Quas promulgari renuit, vel utrinque paratus
Vivere ſive mori. Quare *benè condita Regna*
Eunomiæ quicquid debent, id culta fideli
Eunomiæ debet cultori Regna reguntur
Illius ſceptro tranquilliter; aſt ut in iſtis
Illa gerat ſceptrum, cultor procurat honeſtus.

** Lanſ. Conſult. contra Galliam p. 338.*
*** Pariſiis.*

Sequuntur peculiares laudes Dn. Cancellarii.

DRUSUS ubi fieri locat ædes, inque cerebro
Structor ſtructuræ faciem catus antè figurat;
Dixit, velle domum ſeſe componere, quæ ſit
Inſpectu populi prætergredientis ab omni

Libera.

Libera. Reſpondit DRUSUS: quin ſi rudis artis
Non ſis, ſic compone domus faber undique partes,
Intuitum paries ne pervius arceat ullum
Utque foris queat attendi, quid agatur in illa.
KLOCKIUS hâc quoque mente viget, ſic *omnia tractat*
Publica ſeu fuerunt privata negotia rerum,
Ut non arbitrium vereatur judicis ullum,
Momus ſit, vel *Ariſtarchus*, *Minóſve vel Argus*.
Qualis *Genneſara* medias perlabitur undas
JORDANIS LIBANI geminis è fontibus ortus,
Nec pigris ſe miſcet aquis, ſed vitreus exit:
Talis KLOCKIADES ſæcli quoque tranſit amores,
Quem *nihil ambitio*, *nihil aulicus inficit aſtus*,
Dum *ſibi* ſe ſervatque DEO, *purusq;* recedit
Sordidulâ vitii metuens aſpergine tingi.
Sannio juſtitiæ væcors DEMETRIUS, olim
Accepit querulos fucatâ fronte libellos,
Inſeruit ſinui, dextram porrexit, opemque
Supplicibus ſanctè promiſit: at inde propinquans
Primis littoribus pia DORIDI ſcripta dicavit,
Et deſiderium riſit lacrimasque precantum.
Non ſic KLOCKIADES, calidè cui *maxima virtus*
Illius colitur Regis, quo pulchrior alter
Non fuit in toto, quem vicit acinace, mundo;
Quisque ſuis populis ſolio cùm diceret altô
Jura fori, geminos aures diſtinxit in uſus,
Hac ut delator, reus audiretur ut illâ.
O benè KLOCKIADEN! *mores imitatur eosdem*
Ille gravi ſtudio, temet, THEMI, nomino *teſtem*,
Actores addoque *reos* diſcrimine nullô
Non CROESOS ſolùm CRISPOSque, ſed *audit egenos*
Ipſe ſuoq; notat *calamô* retinenda notatu,
Nec patitur juſtos ſuccumbere litibus actus.
Inſontis cauſam non deſerit, aut ſine certis
Præſidiis pendere ſinit, quaſi geſtet *in ore*
Obſtructo *remoram bovis anginâve* laboret.
O quàm diſſimiles hoc multi tempore vivunt
Agmina Cauſidicæ pretio venalia linguæ.
Cerbereiq; canes Fortunarumq; togati
Vulturii, miſere qui miſcent omnia lucri
Causâ, ſeu res ſint hominum, ſeu ſacra DEORUM!
Auri ſacra Fames, quid non mortalia cogis
Pectora, non tantùm lites ſeris inter avaros,
Sed fera bella cies: armas in prælia fratres:
Aras proſtituis caſtas, ſcelerumque repertrix
Non auditorum Patriam prodisque Penates.
Fraudes moliris nocuas, inſontibus auctor
Sanguinis indignè profuſi vivere raptô
NOBILIS *aſſeritur* VIRTUS, *ſemperq; recentes*
Convectare domum prædas, ex hoſtibus actæ
Seu ſint hoſpitibus ſociisve quis iſta requirat?
AUTOLYCI *peccata manus* CACIque *rapinæ*
His ſi componas, quid ſunt, niſi lubrica furta?
O modo ſi tantus bona cœlica quæreret ardor
Eſuriesq; foret PACIS tàm cogere gazas!
FERREA deſinerent ſimul *AUREA SÆCLA redirent.*
Propria KLOCKIADÆ laus eſt, non vendere linguæ
Tutelam pretio, natas nec ducere lites
Annos in longos, lentas nec nectere tricas,
Quas æs extricet fulvum, ſed ſidere primô.
Si fieri poſſit, *pacatas reddere partes*
Temporibus parcatur, ut impenſisq; nocivis.
Quâ ratione *cliens* ſtat ſæpiùs *ære Patroni*
Sæpè vides aliàs miſerum, qui *debita cauſæ*
Jura ſuæ nimiâ ſeris acquirit in annis
Impensâ, ſortem quæ vel *triplicaverit* omnem.
Sæpè vides miſerum, qui rem, *ſpem* denique *vitam*
Sarcophagi prius exiguâ tumulavit in *urna*,
Judicis *ambiguo* quàm ſolverit *urna reatu*.

 Propria

Propria KLOCKIADÆ laus es, benè pendere normam
Ac ſolidam legum caſus de jure ſubortos
Ancipites, ſibi ne *præceps ſententia*, parti
Nec juſtæ noceat, neu *jus injuria* fiat.
Propria KLOCKIADÆ laus eſt, *defendere juſtos,*
Pellere Legifragos; pupilli jura fovere;
Orbos ſolari, viduasque levare querelas.
Hæc benefacta decent potiùs, quàm purpura Reges.
Hæc homines reddunt ſimiles charosq; JEHOVÆ;
Propria KLOCKIADÆ laus eſt in CODICE *primæ*
Sancta ſequi ſemper PIETATIS dicta magiſtræ,
Unica quæ recti ſtat REGULA juris & æqui.
Sedulus hinc dii meditatur dogmata verbi.
Addictus FIDEI, cujus *confeſſio* quondam
AUGUSTÆ *magno* CAROLO cognomine QUINTO
A PROTESTANTUM fuit ORDINE tradita *forti.*
Ac velut EUSEBIEN colit EUSEBIESque *Parentem*
CHRISTUM: de CHRISTO ſic *pendet pectore toto*
Et CHRISTI *deamat fidos meritisq; Miniſtros*
Munificis placidoq; modô conſtanter honeſtat.

Lucubrationis præcipuæ Dn. Cancellarii mihi quidem cognitæ.

Quantis ſudarit *ſtudiis in jure Sacerdos,*
Ingenii monumenta docent, pars *edita luci,*
Pars adfecta domi, pars nunc confecta nepotum
Chalcographis animanda typis ad ſæcula tendit.
Illa voluminibus vigilatô ſidere natis.
Jura tributorum civilia tradit, & omnes
Enodat nodos, vel *Apolline* vindice dignos,
Hâc in materia quos vel *rationis acumen*
Scrutatur, vel *avaricies fucata Potentum,*
Legitimíve Miniſtrorum Regnique tuendi
Sumptus, ſive *ſalus populi*, ſeu *Martius ardor*
Acrior Harpyiis ſtatuumq; gravamina monſtrant.
Quis neſcit, quantis fuerit liber uſibus ille
Conditus hoc ſæclo, *Lernææ more* quod *Hydræ*
Intolerabilibus ſcatet usque *novisq; tributis.*
Iſta ſed *auguſtos*, quos novit in orbe, recenſet
Regnorum cenſus: rationes inde figurat,
Quomodo Chriſtianus Princeps ÆRARIA *ditet,*
Ne grex ſubjectæ plebis, quæ ſæpè coactè
Erogat obſequiturque gemens impenſiùs æquo
Mole tributorum, vel triſti faſce gravetur.
Quod ſi *Fata* volent aliquando cernere lucem
Hoc opus, inveniet *laudes indaginis altæ.*
Hæc, cujus ſuprà data mentio, continet *arcam*
Divite conſilii tuti bonitate refertam,
Quæ commendantis præconia nulla requirit.
Suſpendi ſpernunt hederam bona vina. Sagacem
Nempe Repertoris Genium cantaverit uſus.

Ejusdem Bibliotheca optimis Auctoribus refertiſſima.

Et quàm flagrârit fervore cupidinis ille
Omnia, quæ ſciri poſſunt, cognoſcere clarè
BIBLIOTHECA monet, *variis cultiſſima libris,*
Quos ſibi congeſſit *lectos ex omnibus Orbis*
Cardinibus, videt hîc ſuâ *nomina Syrus, Hebræus,*
Græcus, Arabs, Italus, Siculus, Germanus, Iberus,
Gallus, Pannonius, Cimber, Sueco, Belga, Britannus.
Elige *materiam*, qualis-ſit cunque, legendam,
Hîc tibi non aberit cum *pleno* COPIA *cornu.*
Theologósne petis *Scriptores, Jureperitos,*
Sive *Machonii doctores muneris?* adſunt.
Philologósve cupis, *Polyhiſtoras* atque *Poëtas,*
Sive *Profeſſores Sophiæ ſeptemplicis?* adſunt.
Scilicet *ubertas eſt tam numeroſa bonorum*
Auctorum THEMIDIS præſertim jura colentum,
Auribus ut titulos fors non perceperis omnes.

Quotidianæ ac Chriſtianæ curæ & meditationes ejusdem.

Denique *ſumma* ſequi licet *faſtigia rerum*
Quotidiana, quibus vitam meditatio luſtrat
KLOCKIADÆ, *mentemq; pio conformat* JESU.
Tollit in adverſis ipſum FIDUCIA CORDIS,
Quâ *ſe viſceribus* JOVÆ *miſerantis anhelus*
Credit, & *inſinuat merito* CHRISTIque *cruentis*

Vulne-

Vulneribus DEUS ante DEUM quæ fixus in altâ
Innocuus cruce ſuſtinuit, dum *purior* ADAM
Per *lignum* vetiti purgavit *crimina ligni*,
Ac *ſancto letum letô* delevit & *orcum*.
KLOCKIUS *huic Domino natus* fuit atque *renatus:*
Hunc mediatorem laudat Pacisq; ſequeſtrum.
KLOCKIUS *huic vivit: ſervit* quoque *Spiritus omnis:*
Omnis huic ferveт labor & deſudat opella.
KLOCKIUS *huic morietur: huic de morte reſurget;*
Huic & adhæreſcet nullis in ſæcula metis.
Exhibuiſſe FIDEM ſeſe, quam debuit, amplis
Sperat in officiis, niſi quod *ſtudioſa voluntas*
Viribus humanæ potuit ſuccumbere Sortis
Infirmis, de quo poſt vitæ fata peractæ
Teſtari mavult alios, quàm conſcia mentis
Ipſemet effari, ne ſic videatur inanis
Gloriolæ ſtimulis proprias extollere laudes.
VITÆ deinde ſuæ *non omnia* poſſe *probari*
Facta DEO, lacrymis ſine non agnoſcit, & omnis
Suppliciter veniam culpa depoſcit & ipſum
In CHRISTO ſibi propitium promittere JOVAM
Non dubitat, plenusque ſpei certusque ſalutis.
Si quando damnum dederit noxámve cuiquam,
Id petit à læſo ſibi condonarier, imò
A Domino mage, cui ſoli peccavimus omnes
At ſi nonnullos benefactis auxerit (auxit
Sanè permultos:) ignorat ſponte, doletque
Sæpè voluntati fuerit quod iniqua Facultas,
Illa negat nulli, licet hæc quandoque recuſet.
Tandem ceu MORTEM *nunquam ſerviliter horret;*
Sic *expectat eam cunctas accinctus* in horas,
Quandocunq; bonus, tum *quomodocunq;* JEHOVA
Aut *ubicunq;* velit juſtis immittere fatis.
Scit, cui crediderit, dubio nec fluctuat æſtu,
Depoſitum quod & ille ſuum ſervare potenti
Dextrâ prævaleat, veniat dum terminus ævo,
Et vetus extremos mundus confidat in ignes.
Hinc etſi mediâ nocturnum MORTIS in *umbrâ*
Carpat iter ſolus, tamen hic *mala nulla timebit;*
Tu quoniam, dulcis JESU, *comitaris* euntem
Et *ſolatur* eum tua *virga* tuúmque *bacillum*,
Ergò clamabit precibus ſuſpiria miſcens:
Hanc animam commendo meam manibusq; benignis
Tutelæq; tuæ, tu *magni Paſtor ovilis*,
Quippe redemiſti pretii me ſanguine cari,
Solvere me demum *vitæ dignare miſellæ*
Nexibus! evolitem ſublatus *ad omnipotentis*
Viſendam *faciem Majeſtatisq; beantis*.
Cui me commendem potiùs; *tu crimine purum*
Feciſti tingens *Baptiſmi flumine* ſacri,
Flaminis atque tui mirâ *virtute cruoris*.
Me tua ſupremis defendat dextra periclis,
AGNE DEI mundi, qui dira piacula tollis!
AGNE DEI miſerere mei! miſerere tuæq;,
Cede voluptates me participare quietis
Ac ſtimulatorem plauſus, *haurire ſonorem*,
Quô compellabis *credentes: Euge Fidelis*
Et bone ſerve, ſuper fidus qui pauca fuiſti,
Conſtituam te multa ſuper ſine fine regenda.
INTRES IN DOMINI FELICIS GAUDIA FELIX!
Hæc eſt *quotidiana pii Meditatio* KLOCKI.
Juno, Veſta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Jovi, Neptunus, Vulcanus, Apollo,
Et quæ ſunt *veteris majora minoraq; mundi*
Numina, DIVORUM cultum meruiſſe videntur
Nomine non aliô, quàm *cœlitis indole mentis.*
Nam ceu quis *ſtudiis virtutibus:* aut *benefactis*
Inventisve ſuo *miracula* præbuit ævo,
Dici divinus primum, poſt cœpit *haberi*,
Æthereæq; tulit poſt mortem *Sortis honores*,

Taliter *ſummis* qui vivit *charus & imis,*
Ac meritis in utroſq; bonus ſcriptisq; libellis,
Maximus ingenio, virtutum maximus auſu,
Aſtra ſubit dudum Famæ pernicibus ales
KLOCKIUS, Ambroſiæ divino corpus odore
Ungendus, Superumq; colendus in ordine mentem.
Quis cœlum ſcandat, noménve quis inferat aſtris,
Ni ſit pars aliquanta ſatus ex axe ſuperni?
    CURRICULUM Vitæ volui ſic ſtringere curſim,
Quod ſi *majores venam* diffundere vellem
Ipſius in *laudes,* ceu fas erat, ecce darentur
Pabula Livori. Quid ſi nihilominus hiſce
Pabula ſint data *Livori?* Tu *ſedula veri*
Cultrix *Poſteritas,* quicquid legis, memento,
Id credas *auctore* FIDE, *non Vate* relatum.
Cur tibi me *fucum* fingas obtrudere? *palpus*
Prorſus abeſt. Splendet noſtro fax publica ſæclo.
Omnia quæ dixi, patulæ conformia luci
Omnia monſtrantur. *Mercedem* fortè *colori*
Expectet Paraſitus: at hæc communibus ampli
Privatisque Viri meritis præconia debet
GRATIA, quæ BENEFACTA ſibi vileſcere neſcit.
Dixeris INGRATUM, *mala dixeris omnia verbô,*
Si tamen expectanda meis ſit ab omine fauſto
Carminibus merces, æterno juncta labori
KLOCKIADÆ vitam quoq; nomina noſtra capeſſent.

E J U S D E M.

ERubui, quoties mihi quæ benefacta recordor
Contuleris, Vir magne, ſacra genuina THEMISTOS
EFFIGIES, tibi me depromere pectore dignas
Non potuiſſe ſatis, nedum perſolvere grateis.
Nunc quoq; munus obis PHOEBI Phœbeaq; tradis
Munera mî, LAURI viridi de fronde coronam,
CÆSARIS auſpiciis. Quid dicam? LIVOR habebit:
Carpat iners quod & invideat. Meruiſſe Brabeutæ
Id me cenſeri tali tantoq; Brabeion,
Gaudeo, nec dentes vel flocci pendo malignos.
Ipſe mihi placeam, quamvis in carmine nondum
Extiterimq; diu PINDI deſertor in iſtis
BELLONÆ furiis, niſi me tua culta monendo,
Ceu poſtliminiò caſtas inviſere MUSAS.
Si laudem parere meret, tibi parco rectè;
Et voveo, laus inde DEI, laus CÆSARIS inde,
Laus clarii cœtus, ac laus tua clara ſeorſim
Clareſcat magis & vigeat. Niſi ſolvero grateis
Sic tibi parte velut minimâ, qui ſolvere poſſim,
Deficiunt me verba, modus me deficit omnis,
AONIDUM PALMARE DECUS, PRÆNOBILIS HEROS,
Cui ſortemq; bonam vitamq; JEHOVA perennet!

ALIUD EJUSDEM.

QUî benefactorum referam magmenta tuorum
    In me, ſeu famæ prima vel ima tuæ?
Tunc potero, culto referam ſi carmine vatem
    Mœonii Genii: quando ſed id potero?
Interea meritis virtus mi KLOCKIA fecit,
    Cogar ut æternos debitor eſſe dies.

FINIS CARMINUM.

INDEX

INDEX RERUM MEMORABILIUM IN CASP. KLOCKII DE ÆRARIO TRACTATUM IPSUM.

In quo Numerus Primus Librum, Secundus Caput, Tertius Numerum Capitis ſignificat.

A.

Abiſſini unde dicti, lib. 1. c. 25. n. 2. & 3.

Abiſſinorum Rex in Æthiopia albo eſſe calore fertur, ibid. n. 1. refert originem generis ſui ad Salomonem & Reginam Sabeæ, n. 5. quibus utatur titulis & nominibus, n. 6. Quo pacto Judaiſmus & Fides Chriſtiana in ſuas regiones introducta fuerit, n. 7. 8. Tigia Civitats, n. 9. Figiani in Eutychianam hæreſin prolapſi, num. 10. Rex ſchiſmaticus eſt, n. 12. habet ſub ſuo Imperio 62. Regulos Chriſtianos præter Gentiles & Mahometiſtas, n. 13. Forma Imperii deſpotica eſt, num. 14. deprimuntur vehementer Subditi, vult divinus ſacerq; coli, n. 15. tertio quoq; anno ſolitus ſe viſendum præbere, n. 16. Moderni humaniores ſunt, n. 17. habitat ſub tentoriis, n. 18.

Abiſſinorum Regu opes, divitiæ & proventus annui in quibus conſiſtant? n. 19. 20. 21. 22. 23. 24. gens eſt ignara; Regio apta ad culturam & induſtriam, n. 25. 26. 27. Vicini Reges Burnæ, Adelæ, Doncalæ & Turcæ hoc regnum infeſtant, n. 28. hodie alia belli gerendi ratio apud Abiſſinos in uſu eſt, n. 29. Quot millia in expeditionem belli ducere poſſit? n. 30. Eſt his Religio S. Antonii, n. 31. Hujus jura & propoſitum, n. 32.

Abſens per 20. annos præſumitur mortuus, lib. 2. c. 48. n. 17. 18. 19. 20.

Abydenorum inſtigatio ad juvandum agricolas, l. 2. c. 144. n. 25.

Accipitraria ab Ulyſſe ſed veriùs ab Germanorum Imperatoribus, l. 2. c. 5. n. 105 & 107.

Accuſatione pendente non debet quis privari poſſeſſione officii ſui, l. 2. c. 130. n. 3. & 5.

Actæonis fabula explicata, l. 2. c. 108. n. 2.

Actibus meræ facultatis quòd non præſcribatur, quomodo intelligendum? l. 2. c. 41. n. 32. in actibus meræ facultatis negativis ex prohibitione, cui non contradicitur, jus acquiritur, l. 2. c. 63. n. 19.

Ex actibus difformibus non introducitur conſuetudo, d. c. 41. n. 21

Actor poſt litem conteſtatam pœnitere nequit, l. 2. c. 123. n. 17. & 18. ante litis conteſtationem tamen pœnitentiæ locus eſt in judiciis, n. 9. & 20. ibid.

Actus civiles per Procuratorem expediri poſſunt, uti & juramenta, l. 2. c. 41. n. 12. 13.

Actus non ſunt interpretandi contra intentionem agentium, d. c. 41. n. 91.

Acus marina, ſive pyxis & charta nautica, cujus ingens eſt in longinquis navigationibus uſus, inventum eſt cujusdam Itali ex Regno Neapolitano, l. 2. c. 114. n. 44.

Vide Magnes, Navigatio, Pyxis Nautica.

Adamantum fodina, l. 2. c. 34. n. 8.

Adhæſio appellationis judici intra decendium inſinuanda, l. 2. c. 123. n. 31.

Adminiſtratoribus Rerump. interdictum, emere mobilia vel immobilia, domos ædificare &c. ſine ſpeciali licentia Principis, l. 2. c. 130. n. 9.

Aſecurationis juramentum per longiſſimum tempus non poteſt præſcribi, niſi Subditi ad præſtandum requiſiti expreſſe negaverint, tanquam liberi & exempti, l. 2. c. 41. n. 96.

Advenæ ſeu peregrini qui? l. 2. c. 111. n. 1. de advenarum tributis, ib. n. 2. 3. expedit notũ eſſe, quot peregrini & alienigenæ ſint in civitate, n. 4.

Advenæ & peregrini num jure civitatis donandi? d. c. 111. n. 5. 6. 7. 8. 9. 10. & 18.

Vid. Principes, Privilegia, Tributum.

Adulationis fœdum crimen & diſcrimen improbatum, l. 2. c. 105. n. 11. Adulatores aulâ pellendi, ibid. n. 2. 3. adulatione potentibus nihil eſt infeſtius, n. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

Adulator & delator quo pacto Principi audiendus? d. c. 105. n. 10. 11.

Adulterium quid? l. 2. c. 141. n. 29. & 38. & 39. quot modis, & an cum ſoluta committatur, n. 30. 31. 32. 33. & 36.

Adultera mulier graviùs peccat, quàm vir, n. 34. & 37.

Adulterii crimen jure civili non punitur in viro rem habente cum virgine vel vidua, l. 2. c. 139. n. 88. 89. Contrarium aſſeritur, n. 90.

Adulterium indiſtinctè dicitur in eo, vel eâ, qui, quæve ſuum vel alienum conjugium contaminavit, ibid. n. 91.

Adulterii qualitas ſi concomitetur inceſtum, pœna eſt mors naturalis, n. 92. & 93.

Adulterii pœna tempore Auguſti Imp. non fuit capitalis; l. 2. c. 14. n. 1. poſt Auguſtum quando cœperit eſſe capitalis, n. 2. de jure Moſaico capitalis fuit, n. 3. & cur? n. 5. hodiè pleriſq; in locis non capitalis, ſed extraordinaria & pecuniaria, n. 4. Quæ conſuetudo generalis & notoria eſt, n. 6. exceptâ Saxoniâ, n. 7.

Adulterii nomine mulctæ indictæ Ærario licitè addicuntur, ibid. n. 7.

Adulterii pœnâ capitalem remittens conſuetudo valet, n. 8. Deſuetudo adulteros à pœnâ juris communis immunes pronuncians ut locũ habeat, quæ requirantur? n. 9. 10. & 12. 14. 16.

Adulterii pœna non habet locum in eo, qui primò adulterium, poſteà inceſtum ſine adulterio commiſit, d. c. 141. n. 23. pluries unam perſonam cognoſcens, non plura, ſed unum adulterium committit, ibid. n. 24. 25.

Adulterium Davidis cum uxore Uriæ perpetratum, ſeveriſſimè punitum, n. 35.

Adulterii cum ſoluto vel ſoluta perpetrati pœna quænam? n. 40. 41. 42.

Adulteria & ſtupra violenta ultimo ſupplicio & morte puniuntur jure communi, n. 43. & Conſtitutione Caroli V. n. 44. nec requiritur vis armata, n. 45. 46. 47.

Adulterium Magnatum ludus, d. c. 141, n. 61.

Ad-

Adulteria *inter Camelos & Elephantos incognita, d. c. 141 n. 64.*

Adulterii *pœna apud Iſraelitas, ibid. n. 66. Romanos, 67. Parthos, 68. Tenedos. 69. Ægyptios, 70. Locrenſes, 71. Cumæos, 72. Germanos, 73. Francos & Saxones, 74. De aliis gentibus remiſſivè, num. 75.*

Advocatis *clientelaribus plerumq; pro defenſione exhibenda annuum penditur honorarium, 2. c. 91. n. 1. & per totum.*
Vid. Caſten / Vogtey / Protector, Salarium, Schutz- und Schirm Geld.

Advocati *fumi venditores ſunt, qui certum & expeditum litis eventum clientibus pollicentur, 2. c. 126. n. 2.*

Advocatorum *vitia Ærarium divitant, d. c. 126. n. 1. 25. & per tot.*

Advocatorum, *Procuratorum, Notariorum &c. numerus minuendus, d. c. 126. n. 16.*

Ædificandi *inſolentia etiam in noſtra venit, lib. 2. c. 95. n. 7. exempla prodigalitatis in ædificando, ibid. n. 2. 3. 4. 5. 6. Species amentiæ eſſe perhibetur hæc nimia cura & ſuperfluitas in ædificando, n. 8. 9. 10. Quomodo Principi laudabile ſit ædificare, ibid. n. 12.*

Ædificia *omnia caduciſſima, & obnoxia ruinis, d. c. 95. n. 13. 14. 15. 16. Modus in* ædificando *refertur inter arcana dominationis regiæ, n. 17. & 19. in ædificando publica utilitas, commoditas, ſplendor decusq; Reipublicæ ſpectanda, n. 18. Leges certæ Principibus & Reipublicæ præſcribuntur in hoc propoſito, num. 21. 22. 23. & 25. 26.*

Ædificantibus *ſolemne eſt, ſic ædificare, ut deferendum ſit, quod exædificarunt, num. 27. latè poſſidere, & ubique debere comitantur ſe uc plurimùm, n. 29. Qui ſemper ædificat, ſemper emit, ſemper eget, ſemper mutuatur, & debet, nunquam perſolvit, n. 30.*

Ædificantium *Subditorum faſtus cohibeatur, n. 31. 32. 33. Dehortatio ab ædificiis magnificentioribus, n. 43. & 45. Conſuetudo ædificandi ad præſcriptam formam ligat etiam Clericos, n. 40.*

Ædificationes, *& omnes expenſæ ſuperfluæ ob commune bonum Principi vitandæ, 2. cap. 103. n. 3. & 4.*

Ædificiorum *cæmenta ſanguine ſubditorum ne rubeſcant, d. c. 103. n. 6.*

Ædificia *imperfecta relinqui non debent, 2. c. 18. n. 3. Circa ædificia privata conſiderationes, n. 7. nemo ædificare poteſt in deſpectum, vel ad æmulationem vicini, n. 8. 9. 10.*

Ædificiorum *ex lege Romano altitudo impoſita, ibid. n. 15. Statuta & conſuetudines de non ædificando, niſi ad certum modum & formam valent, num. 16 17. & juri communi prævalent. n. 18. ligant forenſes, n. 19. Forma ædium vetus retinenda, n. 20.*

Ægyptus *in ſingulos menſes Romæ plus penſitavit, quàm tota Italia, 2. c. 79. n. 24.*

Ad æmulationem *quando quis dicatur vel præſumatur ædificare? 2. c. 18. n. 11. 12. 13. 14.*

Æneas *& Romulus non voluptatis, ſed victus & neceſſitatis causâ venati, 2. c. 5. n. 47. & 52.*

Æqualitatem *cenſus inducit, 2. c. 52. n. 4.*

Æqualitas *& proportio onerum in Succia, d. c. 52. num. 7.*

Æqualitas *diſtributionis juxta æs & libram, 2. c. 53. n. 51. 52.*

Ærarium *an habendum? lib 1. c. 1. n. 22. Rationes pro Negativa, n. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. Pro Affirmativa, num. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. Authoris judicium, n. 59. & n. 100. Reſpondetur ad argumenta pro Negativa opinione adducta, num. 60. 61. 62 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83 84.*

Ærarium *cum Principum opprobrio augeri non debet, c. 1. n. 15.*

Ærarii *Etymon ab ære, c. 2. n. 1.* æris *vocabulum generale ad omnem pecuniam, n. 3.* ærosa *pecunia qualis? n. 5. ex* ære *cur veteres cornua bellica, tubas &c. fecerint? n. 6.*

Ærarii *& Fiſci diſcrimen, ibid. n. 9. 10. 11. 12. & 13.*

Ærarium *quid ſignificet, d. c. 2. num.* 14. 15. 16. *pro uſus ſui diverſitate in ſacrum, civile, militare, privatum & ſanctius dividitur, n. 31. 32. 33. Apoſtolorum, num. 38. aliarum Eccleſiarum, n. 40. 41. 42. Romanorum, num. 46. 47. 48. 49. Athenienſium, Perſarum, Græcorum, num. 53. Judæorum, num. 54.*

Ærario *ſacro inſidiæ ab impiis ſtructæ, d. cap. 2. num. 54. 55.*

Ærario *Romano præficiebantur Quæſtores. Vide* Quæſtor.

Ærarium Eccleſiæ *cum Eccleſiæ incremento crevit, c. 2. n. 41. 42.*

Ærarium *Romæ veteris conſtabat ex mercibus invectis, evectis, agris publicis, collationibus civium & ſociorum, atque ex ſpoliis, c. 3. n. 1. 2. & 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. Quantum Romani ex metalli fodinis, n. 21.*

Ærarium *militare cum novis Vectigalibus ab Auguſto conſtitutum, d. c. 5. n. 18. ærarii Saturni inventio, n. 24.*

Ærarium *Romæ novæ. Vide in verb. Roma.*

Ærarium *Baſilii Imp. Orinetis à Zonara deſcriptum, c. 4. n. 46.*

Abſque ærario *non ſubſiſtit Reſpublica, c. 2. n. 3.*

Ærarium *Turcicum. Vid.* Turcicum ærarium.

Ærarium *Hiſpanicum, V.* Hiſpanicum ærarium.

Ærarium *Regis Galliæ. Vid.* Gallia.

Ærarium *Regis Angliæ. V.* Angliæ Regnum, &c.

Ærarium *Regis Sueciæ. Vid. in verb.* Suecia.

Ærarium *Regis Daniæ. Vide* Dnnia. *Regis Poloniæ. Vide* Polonia.

Ærarium *Magni Ducis Moſcoviæ. Vid.* Moſcovia.

Ærarium *Venetorum. Vide* Veneta Reſpublica.

Ærarium *unitarum Belgii Provinçiarum. Vide* Belgium.

Ærarium *Ducis Sabaudiæ. Vid.* Sabaudia. *Ducis Hetruriæ. Vide* Hetruriæ Ducatus.

Ærarium *Regis Chinenſium ſive Sinenſium. Vide* Chinæ Regnum.

Ærarium *Magni Cham Tartari. Vid. in verb.* Tartari.

Ærarium *Regis Perſiæ. Vide* Perſiæ Reges.

Ærarium *Magni Mog lis. Vide* Indiæ Reges.

Ærarium *Regis Narſingæ. Vide* Narſingæ Reges.

Ærarium *Regum Japoniæ, Sian & Pegu, Calecutii, Galcondæ. Vide* Japonia, Sian, Pegu, Calecut, Galconda.

Ærarium *Abiſſinorum. Vide* Abiſſini.

Ærarium *Monomotapæ. Vide* Monomotapa.

Ærarium *Regni Congo. Vide* Congii Regnum.

Ærarium *Regis Marocci & Feſſæ. Vide* Maroccum & Feſſa.

Ærarium *exhauſta civitate evacuatur, 2. c. 19. n. 91. & c. 62. n. 71.*

Ærarium *augent artes mechanicæ, lib. 2. c. 35. n. 1.*

Vide

Vide Artes mechanicæ, Opificium.

Ærarium *inſtauratur, plebs ſublevatur, ſi largitiones immodicæ reſtringantur, lib.2.c.45.n.5.6.7. & donationes ſubinde revocentur, n. 8. & ſeqq. Exemplum Electoris Saxoniæ de repetitis bonis prodigè alienatis, ibid. n. 12. Caroli IV. n.13. Baſilii Imp. n.14.*

Vide Largitio, Liberalitas, Princeps.

Ærarium *ditatur, ſi divites gravantur, ac egentium & tenuiorum cura habeatur, lib. 2 c.55. per tot.*

Ærarii *Quæſtores Romani conſtituêre, l.2.cap.129. num. 3.*

Ærarium *alibi ſolus Magiſtratus curat, d. c. 129. n.13 alibi mixta eſt cura cum civibus, n.14.15.*

Ærarii *ſacri ſive ædis ſacræ, Xenodochiorum, Orphanotrophiorum, &c. Curatores, qui & Æditui appellantur, d.c.129.n.17.18.& 19.*

Ærarium *benè conſtitutum, benè prudenterq; conſervatur, & collocatur, 2.c.133.n. 1. & per tot. ejus diſpenſatio ſit reſtricta & parca, ibid. n. 3.*

Æs *veterius ferro, uſitatiusq; domi militiæq; ; etiam in Medicâ, 2.c.[illegible]0 n.1. Omnium præſtantiſſimum in Comitatu Tyrolenſi, n. 2. ad quàm varia opera ſit idoneum, n. 3*

Æs *fulvum, ſive aurichalcum, ære rubro nobilius, num.4.*

Æris *deaurandi modus, variæq; æris ſpecies, n.5. æs Coronarium, Corinthium, Pyropus, &c. num. 6. Æris Corinthii origo, n.7.*

Æs *ab auro vix erat ſeparabile; nunc Neotericorum induſtriâ artificioſe diſcernitur, ibid. n. 8.*

Æs *ex laniena Evangelicorum per tyrannidem extortum, & ad ærarium abreptum, 2. c. 146. num. 35.*

Æs alienum *pro omni debito ſumitur, lib.1. cap 2. num. 4.*

Æſtimatio *bonorum æquior, quàm Perſonarum, 2. c.53.n.13.*

Agis *Dux Athenienſis uſurarum tabulas combuſſit, 2.c.19. num.69.*

Agrarii *& ærarii mures, 2.c.103.n.1.*

Agri *Romanorum elocabantur, 1.c.3.n.3 à Romulo in tres partes diviſi, n.4.*

Agri *Tigurini aliorumq; pagorum proventus, & quid illi proferant, lib.1.c.15.n.3.*

Agriculturæ *laus, lib.2. c.1.n.1.2.3.4. & n. 14.15.16.17.18.19.20.& 21. Aſtronomiæ, Arithmeticæ, Geometriæ uſus in agricultura, exinde ſtrenuiſſimi milites leguntur, ibid. n. 5. Familiæ celeberrimæ ab Agricultura oriundæ, num. 6. ab agricultura evocatur Dictator Romanus, n. 7. Illuſtriſſimus quisque veterum Paſtor fuit, n. 9. Sceptrum Polonicum olim Piaſtæ agricolæ datum, n.10.*

Agricultura *alendis militibus, & Militia tuendis agricolis relicta, d. c.1. n.11.*

Agricolis *utendum certis & doctiſſimis regulis, ib. n.12. & 13.*

Agriculturæ *dediti David, n.23. Joſias, n.24. Ezechias, n 25. Ozias, n.26. Abraham, cæteriq; Patriarchæ, Moyſes, Job, n.27. Cyrus, n.28.*

Agrorum *cura Romanis ingens, n.29.*

Agrorum *ſtercoratio ab opilionibus uſurpata, 2.c. 4.n.23.*

Agrorum deſertores, *exules, abſentes, vagabundi, & de quorum vita & morte dubitatur, unà cum Creditoribus, & illis, quorum intereſt, per Edictum citandi, ut compareant, fundos reſtaurent, & de ſuo intereſſe doceant, 2.cap. 48. num. 8. & 9. Superiori integrum eſt, agrorum deſertores poſſeſſione privare, ibid. num. 10.11. & 12.*

Vide Citatio Edictalis.

Agricultura *expeditiſſimum, inculpatiſſimumq; augendi Ærarii medium, d lib.2.c.1. n 11.*

Agricolarum *diligentiorum curam ne dedignetur Princeps, ibid. n.12.*

Agri *novi quærendi, & nulla portiuncula terræ inculta relinquenda, n.33. & ſeqq.*

Agricolæ *ignavi puniendi, ibid. n.48. & 49.*

Agri *deſerti ſemel ſuſcepti, non relinquendi, n.50.*

Agricolæ *à militum moleſtiis legibus civilibus vindicantur, num. 54. apud Indos ſunt inviolabiles, num. 55. ubi & pulchra de Beliſario & Totila Gothorum Rege.*

Agricolarum *privilegia, num.56. inſtrumenta ad agriculturam pertinentia in executionem capi nequeunt, ibid.*

Agriculturæ *à Principe in cives alióſve Subditos rejiciendæ, num.57.58.*

Agri *Romani partem Romulus ſacris obeundis, partem oneribus Reip. partem civibus communiter aſſignavit, n.59.*

Agrum *dividi expedit exemplo Aphytæorum, Lacedæmoniorum & Athenienſium, n. 60. 61. 62. & 63.*

Agrarium *Vectigal, vide* Vectigal.

Ex agris *ſecundùm partita jugera ſolvendum, n. 71. Utrum decima, vel minor moderatiorq; pars ab agricultoribus exigenda? d, c. 1. n. 72. 73. In Podolia ſemen quomodocunq; in agrum conjectum centuplum refert fructum, num. 74. Si ſinguli ſolidi pro quovis modio frumenti ſeminati exigerentur, ingens acceſſio Ærario fieret, num.75.*

Agros *an præſtet elocare, vel colere? n.77.*

Agricolas *defendere eſt paſcere civitates, d. c. 1. n 53. Magiſtratus deſignentur, qui ad agricolas attendant, ibid. n.47. Vocantur inſpectores, n. 51.*

Agrimenſorum *officium, & quando de dolo teneantur? d. c.1. n.52.*

Agrigentini, *quaſi ſemper victuri, ædificant, 2. c. 95. n.1.*

Agricolæ *mitiùs collectandi, iisq; parcendum, ne agricultura deſeratur, 2. c. 47. num. 17. & 19. Quid hodiè fiat? n.18. & 20.21.22. & 25. agriculturæ cura magni habita, ib. n.23.24.*

Alaudarum *caſſitarumq; majorum captura, 2. c. 91. n.114.*

Ab Albaciis *ſive conviviis baptiſmalibus & funeralibus luxus removendus, 2. cap.98 num.1. & per tot.*

Albergare *quid? 2.c.91. n.1.*

Albergaria *eſt hoſpitatio, onus reale, d. c. 91. n. 2. & 9. unde introductum? n.6.7. arguit merum imperium, & Regalibus ac Superioritati cohæret, n.8. & 9.*

Albergariæ *jus quomodo accipiatur? ib. n.12. ejusdem juris abuſus, n.17.*

Albergariâ *Ærarium relevatur, n.16.*

Vide Ausſpann / Hoſpitatio, Manſionaticum.

Albinagii *jus, lib.2.c.115. n.13.*

Alchimiæ *uſus an in extrema Reipublicæ neceſſitate ad conficiendam pecuniam conducat? 2.c. 117. num.1. eſt ars ſine arte, pars ſine parte, num.2. Ovveni elegans diſtichon, num. 3 aliorum Poëtarum luſus, n.9. Scaligeri de auri coctoribus judicium, n.5.*

Alchimia certo modo permitti poteſt, n. 7. in Anglia privatis interdicta, n. 8.

Alchimiſtarum fornaces aucupia crumenarum, d. c. 117. n. 6. Stultitiæ notam incurrit, qui ex hac arte lucrum quærit, ibid. n. 4.

Alea res pernicioſa, lib. 2. c. 101. n. 1. 2. 3. Vitiorum fœcunda mater, n. 4. & 16. L. Cornelia & Titia apud Romanos prohibita, n. 9. & 10. in Comitiis Patrum & jure communi damnata, n. 13. apud Turcas & Saracenos ſub gravi cenſura & pœnis interdicta, n. 14. in Gallia vetita, ſed vano & irrito effectu, n. 16.

Aleari eſt furari, d. c. 104. n. 8.

Aleæ luſus multis populis communis, n. 18. in Galliis alearum gymnaſia permiſſione public ſervent, ib. n. 17. Italus quidam aleator teſtamento jubet, ex oſſibus ſuis poſt mortem teſſeras fieri, n. 19. Hiſpani mirum in modum aleæ dediti, n. 20. 21. Venetorum aleatoria edicta, 22. Sarisberienſis de alea ſententia, d. c. 101. n. 5. Licinius Lenticula lege aleatoriâ damnatus, n. 11. Volinarius Scurra aleator, n. 12.

Vid. Ludus, Tributum aleatorium.

Alexander M. infeſtavit orbem, ut pirata, lib. 2. c. 114. n. 38.

Alienare non licet Principi, quæ Reip. tuendæ deſtinata ſunt, 2. c. 49. n. 26.

Alienatio partium Regni Principi interdicta, d. c. 49. n. 5. 6. 7.

Alienationes neceſſariæ, quæ ex cauſa voluntaria retrò proficiſcuntur, neceſſariæ alienationis naturam non induunt, 2. c. 42. n. 95.

Allelengium Græcis quid?

Alluvio quid? lib. 2. c. 63. n. 1. dominis vicinorum agrorum concedi debet, ibid. n. 7.

Alluvio, alveus, Inſula, jure alluvionis acquiruntur, & ejus juris appellatione continentur, d. c. 63. n. 2.

Aluminis decimæ, ejusq; in Campania & Italia copia, 2. c. 34. n. 16. 17. 18. opificium excoquendi aluminis & halinitri multis in locis ſumptu publico expeditur, n. 19.

Americæ Meridionalis & Auſtralis deſcriptio, l. 1. c. 6. n. 48. & ſeqq uſq; ad n. 57.

America an Veteribus ante Americi Veſpucii & Columbi adventum fuerit incognita? d. c. 6. n. 59. & ſeqq. Indiam Orientalem Platonem non latuiſſe, latè deducitur, ibid. n. 61. Senecæ Tragici Poëtæ de America oraculum, n. 62. Sibyllæ Cumanæ vaticinium; Virgilius ejus interpres, num. 63. Virgiliani vaticinii explicatio, n. 64. Ariſtotelis veriſimilis hujus rei ratio, num. 65. probabilis ratio, quare neglectæ fuerint hæ regiones, n. 68. 69. 70. & 71.

Ana mularum & aquarum calidarum repertor, lib. 2. c. 4. n. 13 & 14. & c. 13. n. 4.

Anabaptiſtæ igni, gladio ſuppliciis è medio tolluntur, 2. c. 86. n. 1.

Anabaptiſtarum bona publicationi ſunt obnoxia, d. c. 86. n. 5.

Anabaptiſtæ & Libertini plerunq; ſeditioſi: Horum aſſeclæ, Metiſtæ, Stiffeliani, &c. n. 26. Motus Monaſterienſes, n. 27. 28.

Anabaptiſticæ ſectæ quænam defuerint, quò minùs feliciorem ſucceſſum habuerit? n 29.

Anates ſunt fraudatores, qui capiunt degeneres, 2. c. 5. n. 117.

Anatum ſylveſtrium captura, ib. n. 116.

Anchoragii jus quid? 2. c. 16. n. 11. eſt de Regalibus, n. 12. 13.

Angli, Scoti & Batavi in Oceano Hiſpanis præſtant, 1. c. 7. n. 53.

Anglia metuebat Galliæ & Belgii unionem, ib. n. 57.

Angliæ Regnum ſex modos ſibi peculiares habet reditus colligendi, 1. cap 8. num. 1. Domanium, num. 2. Ex tutela pupillorum, num. 5. 6. 7. 8. 9. Quod & in Scotia uſitatum, num. 10. incommoda & gravamina hujus tutelæ, num. 11. 12. 13. Reluſſum ſive Relevium quid? num 14. ex vectigali, Pandage, n. 15. 16. 17. ex lanificio pannificioq; tributo, n. 18. 19. ex portario evectarum, & invectarum mercium, n. 22. 23. 24. ex ferro, plumbo, ſtanno, n. 25. ex Eccleſiaſticis reditibus, n. 26. 27. 28.

Anglicani Regni reditus ordinarii aſcendunt ad ſummam myriadis unius & trecenta & ampliùs aureorum millia, num. 29. Accedunt ſubſidia extraordinaria, numer. 30. hæc duplicia ſunt, n. 31. 32. 33. 34. 35. 36. dena & quindena quid? n. 37. benevolentia quid? n. 38. ex præda quoq; pecunia conflatur, n. 39. 40. Fiſco debentur bona rebellium, & tribunalium, n. 41. quantum hinc conficiatur, n. 42.

Angliæ Reges nullibi monetam, quàm in turri Londinenſi inſigniari patiuntur, 2. cap. 84. num. 44.

Anglorum conſuetudo, quâ Vaſalli hæredibus in minorenni ætate aufertur uſusfructus bonorum feudalium, improbatur, l. 2. c. 149. num. 46. 47. 48. 49. 50. 51.

Animalia oberrantia, ut equi, boves, vaccæ, & ſimilia, cui debeantur & applicentur? 2. c. 116. n. 33. 34. Lex Moſi data quoad oberrantia animalia, num. 36. Edicta hoc caſu quomodo fiant? num. 37.

Animalium oberrantium Dominus, ſi repertor, quid facere debeat? & an expenſas erogatas ſolvere teneatur? n. 38. 39 40.

Animus, & non effectus, attenditur in maleficiis, 2. c. 142 n. 14.

Animus occidendi quomodo probetur? d. c. 142. n. 21. & ſeqq. & n. 77.

Animus ex verbis cognoſcitur, d. c. 142. num. 91. & ſolùm in delictis inſpicitur, n. 92.

Annatæ ad belli ſumptus pro uſu & defenſione Reipublicæ deputandæ, l. 2. c. 83. num. 54. & c. 140. num. 43. 44.

Annonæ à Principe providendum, & conciliabitur illi, obligabiturq; populus arctiſſimè, 2. c. 81. n. 2. Exempla Principum ad hoc propoſitum, qui cum gloria damno publico obviam ire certarunt, n. 2. 3. 4. 5. & 6. An liceat Principibus propolia exercere? num. 7. 8. 9. 10. 11. Veneti hoc nomine celebrati, n. 14. & 15. in Noricorum granario inventa eſt ad 30. annos proviſio, n. 16. Vide quoque n. 17. 18. 19. 20. Modi providendi annonæ caritatem, n. 21.

Annonæ vilitas ante trecentos annos, 2. c. 82. n. 5. de annonæ præfectis, vide lib. 2. c. 112. n. 6. & quæ ſit ex his Ærario utilitas, n. 7.

Annona cùm arctior ſtatuitur, domantur ſubinde ſeditioſi ſubditi, c. 112. n. 9.

Vid. Frumentatio, Flagellatores annonæ.

Anſeres decidentes, 2. c. 5. n. 118.

Antecedente ſublato, tollitur & conſequens, 2. c. 5. n. 17.

Antichreſis, ſi cum contractu mutui concurrat, an licita ſit, nec ne? 2. cap. 19. num. 41. Pro Affirmativa, num. 42. 43. 44. Pro Negativa, num 49. Refutatio argumentorum pro Affirmativa adductorum, num. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 64. & 65.

Anti-

Antichreſis *licita & conſuetudine approbata, numer. 46. idq́; ob incertum fructuum proventum, num. 47. Pactum de lucrandis fructibus, & non imputandis in ſortem principalem an valeat? num. 48.*

Antichreſis *temporalis & perpetua, ibid. n. 63.*

Antichreſeos *pactum emptioni cenſus adjectum an uſurarium ſit, nec ne? n. 52. & 53.*

Antipodes *an ſint? l. 1. c. 6. n. 70.*

Antiquitatis *ſalutaria inſtituta amplectenda, lib. 2. c. 126. n. 7.*

Apes *unde dictæ? earum utilitas ex melle conjicienda eſt, & cera, 2. c. 7. n. 1.*

Apum *cura, ibid. num. 2. tenella membra, induſtria, generatio, num. 4. faciem habent Reipub. Oeconomiam quandam, providentiam tempeſtatum, diverſitatemq́; aëris, num. 5. Regem agnoſcunt, parent, defendunt, num. 6. ille autem deponit aculeum, num. 12.*

Apum *rex claris naturæ notis inſignitur, ibidem num. 11.*

Apum *ſapientia, virginalis integritas, ſtudium, fides, in regem reverentia, d. c. 6. num. 7. 8. 9. 10. doctrina, num. 10. mellificium in Cranio Leonis, num. 14. Ænigmata de alveo apiario, & melle, & apibus, num. 15. 16. 17.*

Apum *examen S. Ambroſii infantilibus labellis inquievit: Quam rem divinam ejus eloquentiam præmonſtraſſe, eleganter deſcribit novitius Poëta, ibid. n. 19.*

Apum *Rex alas habet minores, docet non longè à ſubditis avolandum, 2. cap. 107. num. 2. Vide* Peregrinationes.

Apparitori *vel Nuncio publico tam diu creditur, donec per Reum contrarium probetur, 2. c. 135. n. 11. Cavendum tamen hic, ne innocentibus facilè creetur periculum, d. c. 135. n. 12.*

Appellandi licentia, *cavillantium non gravatorum ſubfugium, mulctis coërcenda, 2. c. 223. n. 23. & 39.*

Appellationes *ab interlocutoriis quatenus admittendæ, n. 24. Statuto Romano & Concilio Tridentino prohibitæ, num. 25.*

Appellationi *renuncians mulctas luat, n. 26. jure communi condemnatur in expenſas, n. 27.*

Appellationi *quibus caſibus renunciari queat? n. 28. 29. 30.*

Appellationis *adhæſio. Vid.* Adhæſio appellationis.

Appellantes *frivolè non ſolùm in expenſas, ſed & mulctas pecuniarias condemnentur, d. c. 123. n. 32. & 33. Declaratur, n. 34. & 37.*

Appellatio *in dubio admittenda, n. 35. 36. Cautela pro appellato, ut cauſa appellationis celerrimè expediatur, n. 38.*

Appellationis *ſumma Receſſibus Imperii præſcripta, ibid. n. 40.*

Appellationes *in præjudicium Superioris an Statutis prohiberi vel tolli poſſint? n. 43. 44. 45. 46. 47. 48. an valeat pactum de non appellando? num. 45.*

Appellationum *devolvendarum ſive recipiendarum jus an poſſit præſcribi? n. 49. & 50.*

Appellatione *remotâ an cenſeatur remota nullitas? n. 51.*

Aquæ *minerales probandæ; quibus corporeis morbis proſint, lib. 2. c. 12. n. 11. 12.*

Aquæ *quædam potæ efficiunt gutturoſos; aliæ ſtolidos, ibid. n. 16.*

Aquas *naturales & ſupernaturales dare, ſolius Dei eſt, num. 17.*

Aquarum *miracula in V. & N. Teſtamento conſignata, n. 18. & 19.*

Aquæ *Hornhuſianæ miraculoſis adnumerandæ, n. 20.*

Aquæ *nonnullæ profluentes lapideſcunt, ib. n. 23.*

Aquæductuum *cura Ærario proficua, d. l. 2. cap. 12. n. 10. Vid.* Acidulæ, Thermæ.

Aquila *duplex indicat biceps Imperium Orientis & Occidentis, c. 4. n. 1.*

Aquilæ bicipitis *inſignibus Impp. Romanorum Germanici utuntur, num. 2. antiquitus Romanorum Legionibus prælatæ, uti ſigna, inde Aquiliferi, num. 3. eam primus in inſignia aſſumpſit Marius, n. 5.*

Aquila aurea *in haſta longa extenſa ſignum Regale Perſis fuit, ibid. n. 6.*

Aquilæ *inſigne quid notet? d. c. 4. n. 7. excellit inter alites, n. 8. & 11. deſignat boni Principis virtutes, Prudentiam, Fortitudinem, ſui ipſius notitiam & perennitatem, n. 9. 10. & 12. reminiſcentiæ vigorem, n. 15. aſtutiam, n. 13. non niſi cum grandioribus feris certamen ſuſcipit, num. 16. plus habet in animi magnitudine, quàm in viriũ robore præſidii, n. 17. 18. indicat etiam Patientiam & Perſeverantiam, n. 19. 20.*

Aquilæ *imperium dabatur ideo, quòd præſtet robore & virtute debellandis hoſtibus, ibid. n. 18.*

Aquila *typus juſtitiæ, d. c. 4. n. 34 aliquando genitiva Gentis ac illuſtrium familiarum nota, n 43.*

Aquilæ *in India Occidentali inventæ, n. 37.*

Aquilæ *inſigne Imperator elargiri poteſt, n. 41. Inſignium Regni Bohemiæ jocoſa mutatio, n. 42.*

Aquila deplumata, *id eſt, eviſceratum Imperium, num. 55. & 58. Quomodo denuò poſſit veſtiri? n. 88. 89. & ſeq.*

Aquilæ *gratitudo erga Pyrrhum, d. c. 4 n. 35.*

Aquilæ *alarum remiges attritæ; Principum verò & Civitatum auctæ, n. 109. 110.*

Aquilæ *implumis exuviæ, n. 114.*

Aquila *& Imperator inter Electores Principes, Comites &c. diviſâ prædâ ſuâ, non curavit omnibus epulis os adponere, n. 115. ibid.*

Aquila coronata *Poloniæ inſigne, d. lib. 1. cap. 11. n. 141.*

Aquilinæ *pennæ aliarum avium plumas, ſi miſceantur, adurunt, 2. c. 83 n 10.*

Arabia *auro abundat, 2. c. 28. n. 9. & pretioſiſſimarum gemmarum ferax eſt, 2. c. 34. n. 5.*

Arborum *robora pro neceſſitatibus diverſis è Norvvegia longè lateq́; devehuntur, 2. c. 2. n. 8.*

Arbores *alienas aut viviradices ſuccidens quâ pœnâ teneatur, d. c. 2. n. 12.*

Arborum *varia genera; inter quas hortenſes, ſativæ, domeſticæ magnam utilitatem voluptatemq́; afferunt, 2. c 3. n. 1. & 2.*

Arca *Noëmi cur bitumine oblita fuerit? lib. 2. c. 34. n. 21.*

Arcanum *circa procurationem incrementorum fluvialium, 2. c. 63. n. 23.*

Arcanum *ſingulare, quo in Regno Neapolitano ex bonis caducis & Ærario & tranquillitati publicæ conſulitur, 2. cap. 40. num. 23. alia cautio probè notanda, ibid. num. 24.*

Archiduces *Auſtriæ naturâ noſcibiles, lib. 1. c. 4. n. 105. quibus mento naſci oblongiore in utroq́; ſexu eſt familiare, ibid. n. 106.*

Auſtriacorum *familia non agnoſcit Tyrannos, n. 108.*

Arearum *reditus, lib. 2. c. 18. n. 6. ex areis deſolatis rectè augetur Ærarium, ibid n. 2. areas in hortos convertere vetitum, 4. Vide* Ædificia.

Argentarii *qui ſint in jure civili? lib. 2. cap. 21. num. 10. eorum ars Romæ parum honeſta fuit, n. 11. unde dicti? n. 14. Doctrina Bologneti de argentariis affertur, n. 12. 13.*
Argentarius *à Scævola fuit uſurpatus pro coactore, n. 16. & quid ſit coactor? n. 17.*
Vide Collybus, Menſæ numulariæ, Mons pietatis, Numularii.
Argenti *ad aurum analogia, lib. 1. cap. 2. num. 1.*
Argentum *ut plurimùm effoditur, rariùs cum aquis alluitur, lib. 2. cap. 29. n. 1.*
Argenti *differentiæ, variæq; ſpecies, 16. n. 2. celebriores argenti fodinæ, num. 3. & 4. Comitatus Tyrolenſis ob argenti fodinas Regno fuit comparabilis, num. 6.*
Argenti *liquefaciendi mira ratio, ibid. n. 5.*
Argentum *vivum, lib. 2. c. 33. n. 5.*
Argumentum *à non uſu legum ad earum abrogationem non procedit, lib. 2. c. 141. n. 11.*
Armorum *& inſtrumentorum genus delictum minuit, 2. c. 142. n. 37.*
Ars *jam pane aret, panis mox arte carebit, lib. 2. c. 44. n. 16.*
Artes *nonnullæ novè repertæ recenſentur, lib. 2. c. 144. n. 2.*
Artes Mechanicæ *ſimul cum genere humano cœperunt, lib. 2. c. 35. n. 22. artifices in Iſraëlitica Repub. honorati, ibid. n. 20. Salomon architectos magni fecit, n. 21. Joſephus faber, n. 23.*
Artifices *Romæ magni æſtimati, d. c. 25. num. 25. eorum ſocietates Romæ, num. 26. maxima ſubſidia Reipub. conferunt, n. 27. ab Impp. privilegiis & immunitatibus donati, n. 29. inſigniores urbes populoſiores reddunt, n. 30.*
Artes Mechanicæ *in China florent; ratio, d. c. 35. num. 31.*
Artificia *& opera ſint ſine dolo, ſine fuco, ſine fraude perfecta, num. 42. & ne prætextu ſocietatum artificii fiant monopolia, factiones & conjurationes, num. 43.*
Vid. opificia.
Aſinii Pollionis *à Cæſare ad bellum invitati reſponſio, lib. 2. c. 93. n. 3.*
Aſphaltum *& Biſaſphaltum, lib. 2. c. 9. num. 11. ubi & pulchra de lacu Aſphaltiti.*
Aſſertioni *delinquentis ſtandum eſt in his, quæ in animo conſiſtunt, lib. 2. c. 142. num. 89.*
Aſtrologorum *Vectigal. Vid. Vectigal ab Aſtrologis.*
De Aſtrologia *quid homini Chriſtiano ſentiendum ſit? lib. 2. c. 146. n. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26.*
Aſſuefactio *& conſuetudo nimia auget pœnam, lib. 2. c. 142. n 89.*
Athenienſes *in Potidæa tam bonorum, quàm capitum ratione tributum poſcebant, lib. 2. c. 145. num. 8.*
Ateſtinæ *familiæ nobilitas, lib. 1. c. 18. n. 12. alias familias propagavit, 13. res geſtæ ejuſdem, 14. hujusq; Ducatus reditus, n. 15.*
Atheiſtæ *omnium religionum contemptores, lib. 2. c. 85. n. 1.* Atheiſmi *& Anarchiæ eadem ratio, num. 2. Ethnicorum Philoſophorum de divini Numinis certitudine opiniones, num. 3. 4. 5. 6. 7. & 8.*
Atheiſtarum *opinio diſſolvit ſocietatem hominum ibid. num. 9, Varia genera, n. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. Lucianus cui ſectæ addictus fuerit? ibid. n. 26. 27. Sadducæi & Samaritæ quales fuerint? n. 28. De Philoſophia à pietate remota, n. 29. de Machiavello judicium, n. 30.*
Atheiſtæ *vulgò ſtrenui viri habentur, d. c. 85. n. 19. Sathanas author hujus rei, n. 12.*
Atheiſtæ *quâ pœnâ mulctandi? n. 31. ab Eilhardo Lubino vivis coloribus depicti, & ex Libro Naturæ & Creaturæ convicti, n. 32.*
Atheiſmus *latiſſimè refellitur, n. 33.*
Athenienſes *deponebant in exordio litis decimam partem ejus, ſuper quo litigabatur, quâ mulctandus eſſet temerarius litigator, lib. 2. c. 123. num. 10.*
Attabalipæ *Regis Peruani ſcitum reſponſum, lib. 1. cap 6.*
Avaritia *omnium malorum mater, lib. 2. cap. 54. n. 10. Clericorum propria, lib. 2. c. 47. num. 10. omnium malorum metropolis, lib. 2. cap. 149. num. 69.*
Aucupia *variis fiunt modis, lib. 2. c. 5. n. 110.*
Aucupii *jus habet Dominus Territorii, ibid. n. 102. attingit Regalia, n. 103. antiquitus cuilibet, uti & aër, liberum, n. 104.*
Aucupium *per Falcones inventum Germanorum Principum, ibid. n. 107. etiam Perſarum Regibus valdè uſitatum, n. 108. Henrico I. inter aucupandum Imperiale diadema oblatum, n. 106. De odio ingeniis Falconum & Ardearum indito, quo ſe invicem perſequuntur, ib. n. 109.*
Aucupium *ſturnorum, d. c 5. n. 115. ubi & de Ficedulis, merulis, Phaſianis, Paris, aliarumq; avicularum captura.*
Vid. plura in verb. Accipitraria, Alauda, Anates, Coturnices, &c.
Auguſtus Imp. *in ſumma pacis tranquillitate Orbem cenſuit, & deſcribi juſſit, lib. 2 c. 79. num. 1. Quo fine hæc deſcriptio facta? n. 2. 3. & 4. Chriſto famulatur, n. 6.*
Auguſtus *urbem lateritiam reperit, reliquit marmoream, lib. 2. cap 95. n. 11.*
In Aulis *hoc nunc obtinet, ut quod per virtutem unus meruit, alter per fortunam obtineat, lib. 2. c. 44. n. 19.*
Aula *Principum reſtricta, parca, & per idoneos adminiſtrata laudabilis, & quàm contractiſſima, lib. 2. cap. 104. num. 1. 2. & per tot. Exemplo Impp. num. 3. 4. 5. Laudatus hoc nomine Florentinus, num. 6. Qualis aula, talis adminiſtratio Reip n. 7.*
Aulæ *aqualiculis perpurganda, ibid. num. 9. Lurcones, idque genus vitæ harybdas aulis ejiciantur. num. 10. cauſa luxurioſi mali in aulis, numer 12.*
Vid. Convivationes, Princeps.
Aurum *ex metallis nobiliſſimum, ab aurora dictũ, lib. 2. c. 28. n. 1. in venis montium lateſcit, n. 3. etiam ex amnibus & arenis fluviorum legitur, n. 4. 5. 6, 7. 8. auro Sapientia comparanda, n. 2.*
Aurum, *vinum, triticum, in ſuo quodlibet genere præſtat; omnibus ſolus Homo, n. 10. ibid.*
Aurum *ſubtili ingenio barbaris ſubtrahere permiſſum, lib. 2. c. 24. n. 1.*
Auri *exportatores corpore, bonisq; mulctantur, ib. n. 3. 4. 5.*
Vid. Pecunia.
Auri & argenti fodinæ *quâ ratione Imperatoriæ diſpoſitioni reſerventur? lib. 2. c. 27. n. 4. & ſeqq.*
Ad auri fodinas *pleraq; omnia referenda, quæ foſſionibus è terra eruuntur, qualiacunq; illa ſint, d. c. 25. n. 16.*
Aurum argentumq; *ſignatum æream pecuniam longè ſuperat, lib. 1. c. 2. n. 2.*
Aureæ *Bullæ inventum utiliſſimum, lib. 1. c. 4 n. 80.*
Aureâ Bullâ *diviſiones Ducatuum inhibentur, lib. 2. c. 37. n. 52 53. 59, 60, contrarium aſſeritur, n, 63. & 64.*

Aurea Bulla *diviſionem Principatuum vetans non de ſolis Electoribus, ſed & aliis Imperii Principibus loquitur, d. cap. 35. n. 55. & 56.*

Auriga, *vid.* Nauta.

Auſonius *docet frui rebus, uti mortalis, ſed res diligere, ut ſolet immortalis, 2. cap. 106. n. 11.*

Ausſpann *eſt manſio in prædio, fundo aut monaſterio aliquo antiquitus conſtituta, 2. cap. 91. num. 14.*

Vid. Albergaria, Hoſpitatio.

Auſtria *quantum vectigalium & tributorum Cæſari pendat, lib. 1. c. 4. n. 95.*

Auſtriæ *inferioris, Bohemiæ, Hungariæq; cenſus quantus ſit, ibid. n. 96.*

Auſtriaca *familia quo pacto ad hanc, quam videmus, magnitudinem excreverit, n. 97. & l. 2. c. 40. n. 6. & 9.*

Auſtriaca *& Saxonica Domus ſibi invicem ad ſubſidia conferenda obligantur, 2. c. 89. n. 2.*

Auſtriaca *familia ab ebrietatis vitio libera, 2. c. 106. n. 12.*

Auth. *Gazaros C. de hæretic. à quo lata, 2. c. 85. n. 86. & 87.*

B.

Balnea *publica commodo Reip. elocanda, lib. 2. c. 12. n. 1. & 2. Germani ad munditiem balnea viſitant frequentiùs; Belgæ rariùs, ibid. n. 3. Uti Venus moderata, Bacchus Ceresq; non profuſa proſunt; ita hæ lymphæ calidæ: ubi & de Turcarum balneationibus, n. 4.*

Balneationes *virorum cum fœminis promiſcuæ, inhoneſtæ, Chriſtianisq; indignæ, num. 5. & 6. priſca Romanorum verecundia in balneis laudata, n. 7. Senecæ invectiva in luxum balneorum, num. 8.*

Balneum *Darii, victo eo, Alexandri balneum dictum, 2. c. 78. n. 3.*

Balnei *miniſter aſinus dicitur balneatoris; neuter inter cives alicubi, n. 9.*

Balthaſar *Rex Chaldæus è ſacris vaſis potans, eadem nocte interemptus eſt, 2. c. 73. n. 19.*

Baſilæa *frumenti viniq; copia abundat; à mercatoribus frequentatur, lib. 1. c. 15. n. 4.*

Batavi *olim Cæſarum aquiliferi, unde habent in inſignibus Aquilam nigram, rubram, albamq;, lib. 1. c. 4. n. 38.*

Batavi *ex aquis terrā conficiunt, habitant aquas, aquasq; ſeminant, lib. 2. c. 1. n. 40.*

Beleſis *Babylonius Sacerdos majori cum ſubtilitate & fructu aurum argentumque collegit, quàm Chymici ſolent, 2. c. 117. num. 10.*

Belgæ *olim fera natio, 2. c. 1. n. 39.*

Belgii *diviſio, & unde moderna Politiæ Belgicæ forma habeat originem? lib. 1. cap. 14. num. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. Septem Provinciæ inter ſe devinctæ, num. 10. Conſilium generalium Ordinum quale? n. 11. Societas facta cum exteris n. 12. Conſilium Status, 13. 14. Collegium Rationalium, n. 15.*

Belgæ *Fœderati quibus mediis res ſuas ſuſtentent? & in quibus opes ærarii conſiſtant? ibid n. 16. 17 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. Promulgatio Placati ſuper Tributis, n. 25. Publicani hæc omnia conducunt, certamq; Reipub. penſionem ſolvunt, n. 26. iniquiter ſæpè exigunt, ſæpè ipſi damnum patiuntur, fallunt ſubinde, num. 27. ex Tabaco ejusq; fiſtulis quantum conficiatur? n. 28. 29. ex piſcatione Halecum quantum? num. 30. piſcationis annuus proventus in Belgio, num. 31. opes unitarum Provinciarum in ſummam conjectæ, n. 34. 35.*

Vide plura in verb. Hollandia.

In Belgio *Collecta imponitur victualibus & rebus venalibus, 2. c. 53. num. 36. quem morem quidam ſequuntur Principes Germaniæ, ſed malè & infeliciter, ibid. n. 37.*

In Belgio *Collectæ etiam fiunt per ſortes, ſive ſortilegia publica,* offentliche Lottareyen, *in quibus lucrum, quod capitur, ad res pias vel communem utilitatem confertur, 2. cap. 118. n. 5.*

Vid. Fortunæ Olla, Lottaria.

Bellieuræi *& Bruslardi Legatorum Gallicorum prudentia, lib. 1. c. 15. n. 15. & 16.*

Bella *quâ ratione Romani geſſerint, 2. c. 87. n. 16.*

Belli *conflictum ingreſſus, nec poſteà viſus, præſumitur mortuus, 2. c. 48. n. 21.*

Bello *Marcomanico præparando pretioſæ veſtes divenditæ, lib. 1. c. 1. n. 91.*

Bello *capta Victoris ſunt, 2. c. 87. n. 1. 2. 3. 4. 5. 6. & 7. Quæ dicantur in bello acquiſita, d. c. 87. n. 20. 21. Quàm malè rem gerant noſtri Principes? num. 30. quæ miſeriæ & calamitates bella ipſorum ſequantur? n. 31. ibid.*

Belli *incommoda, ibid. n. 32.*

Bella *non modò calamitoſos, ſed & nocentes & impios faciunt, n. 33.*

Vide plura in verb. Præda.

In Bello *defenſivo an ſaltem damnorum, ſumptuumq; refuſio petatur, 2. c. 88. n. 7.*

Bellum *contra charitatem incongruens medium religionis, lib. 1. c. 6. n. 80.*

Bellum, *quod conſcientiæ Libertatem & Religionem tuetur, pertinaciſſimum eſt, l. 1. c. 14. n. 8.*

Belli *ea eſt proprietas, ut non ſuccurrens pro hoſte communi habeatur, 2. c. 93. n. 4.*

Bello *qui mederi poteſt. nec medetur, reus fit omnibus partibus, d. c. 93. n. 12.*

Belligerantes, *nec ſocios nec hoſtes qui reputant, differunt ab iis, qui utrosq; communes amicos habent, n. 31. ibid.*

Bibendi *mos pro amica, pro ſalute Imperatoris, Principum &c. contra inſanas bibendi leges, 2. c. 99. n. 30. 31. 32.*

Bilingues *& fallaces, vid.* Conſiliarii.

Biſantii *in neceſſitate loca quædam publica, etiam ſacra vendiderunt, 2. c. 49. n. 21.*

Biſantiorum *edictum, 2. c. 111. n. 6.*

Biſmutum *quid? 2. c. 33. n. 3.*

Bitumen *in Anglia. 2. c. 34. n. 20. bitumine cur arca Noæ oblita fuerit? V.* Arca.

Blaſphemi *amiſſione bonorum plectuntur, 2. cap. 85. n. 43.*

Blaſphemiæ *vitium graviſſimum, 2. cap. 128. n. 2. 3. 4. 5. 6. variæ punitiones Maximiliani I. & Caroli V. Impp. in blaſphemos perjurosq; pro cujusmodi delicti modo & menſura, ibid. n. 7. 8. 9. & 10.*

Blaſphemia *in Deum duplex, ejusq; pœnæ. num. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22.*

Blaſphemia *generale nomen, mille modis committitur, ibid. n. 23.*

Blaſphemi *an committant peccatum in Spiritum Sanctum? n. 24. Emblemata de blaſphemia, n. 25.* Boden-Schatz *quid? 2. c. 8. n. 3.*

Bombyces, *ſeu vermiculi ſerici; unde eorum inventus uſus, quanta utilitas? lib. 2. c. 6. n. 1. quomodo in Orientalibus Aſiæ urbibus alantur & propagentur? num. 12. Eorum poëtica deſcriptio, n. 13.*

Bombycum *& vermiculorum differentia, ibid. n. 9. Vermiculi iſti moris alendi, ibid. n. 7. Grana-*

tenſis Planicies ex mori arboris foliis quotannis 30. millia Coronatorum Fiſco Regio infert, ibid. n. 2. Quantum quæſtum exteræ nationes fecerint ex mixtura ſerici & lani, n. 1. & quid lucri noſtrates inde facere poſſint? num. 6. animalibus iſtis repræſentatur reſurrectio corporum, num. 9. Vectigal ſerici in Regno Neapolitano quanti? n. 11.

Bona *omnia quomodo ſint Magiſtratus, lib. 1. c. 1. num. 21.*

Bona *in dubio potius præſumuntur cenſitica, quàm emphyteutica, lib. 2. c. 42. n. 59.*

Bona *communis æſtimii ſi alienentur in Eccleſiaſticas perſonas, non ſunt libera ab onere collectarum, lib. 2. c. 56. num. 16. & 17. Hujus rei fundamentum in quo conſiſtat, ibid. num. 18. 19. & 20.*

Bonis *publicis utitur Magiſtratus, ut propriis, majusque in iis jus uſurpare poteſt, lib. 2. cap. 65. num. 2.*

Bona Eccleſiaſtica, *Vid.* Eccleſiaſtica bona.

Bonæ leges *plerumq; ſine fructu evaneſcunt, l. 2. cap. 84. n. 40.*

Bona *illorum, qui mortem ſibi conſciverunt, an Fiſco cedant? lib. 2. cap. 85. num. 110. 111. 112. 113.*

Bona vacantia *quænam dicantur? lib. 2. cap. 136. num. 2.*

In Bonis *vacantibus an Dominus Territorii ſuccedat? d. cap. 136. num. 6. 8. 9. & 14.*

Bona vacantia *in diverſis territoriis ſita quilibet Fiſcus capit pro Rata in ſuo territorio, ibid. n. 16. & 17. in Gallia ad Dominos juridicos & Vaſallos Regis pertinent, n. 25. Veniunt conceſſo mero & mixto imperio, num. 26. in Ditionibus Saxonicis cuicunque poteſtatem gladii habenti cedunt, n. 29.*

Jus bonorum vacantium *hodie non tantùm Civitates ex privilegio Principis, vel præſcriptione & conſuetudine, verùm etiam omnes ferè, qui Jurisdictionem criminalem habent, uſurpant, d. cap. 136. num. 31. 32. 33. 34. 35. Æquitas hujus juris in quo conſiſtat? n. 36.*

Bonorum vacantium *in Fiſcum cogendorum practica juridica, n. 42. Vacans poſſeſſio quæ dicatur? n. 45. 46.*

Bona vacantia *probantur eo ipſo, quòd citatis proximioribus, nullus in termino comparuerit, num. 48. Aulicis minimè concedi debent, num. 50. Cautela ſingularis & notatu digna, num. 51.*

Bona *committentium crimen læſæ Majeſtatis cujus ſint? lib. 2. cap. 137. num. 1. & 2. Quæ Majeſtas hic intelligatur? num. 3. Introducitur Comes Bobienſis, cui damnato, & filio ejus omnia bona erepta, ibid. num. 4. 5. 6. 7. 8. 9. An in Principes Superiorem Imperat. Romanum recognoſcentes committatur crimen læſæ Majeſtatis, d. c. 137. n. 10. 11. 12. 13. 14.*

Vid. Læſæ Majeſtatis crimen.

Bona *contrahentiũ inceſtas nuptias publicantur, & in iis locum habet Auth. Bona damnatorum. 2. c. 130. num. 1. 2. 3. & eſt hæc pœna de Regalibus, num. 5. & 6. ibid.*

V. Inceſtus.

Bona damnatorum *olim Fiſco applicabantur, lib. 2. cap. 140. num. 1. & 2. Quod jus temperatum eſt ab Impp. Theodoſio & Valent. num. 8. Hadriano, n. 9. Juſtiniano, n. 10.*

Bona damnatorum *& proſcriptorum nomine qui veniant? d. c. 140. n. 3. & 4.*

Bona *proſcriptorum & relegatorum fiſco vindicabantur, ſi per ſententiam eis ſpecialiter adempta eſſent, d. c. 140. n. 5. & 6.*

Bonis *ex Statuto & Conſuetudine confiſcatis, ſalva nihilominus liberis debet eſſe legitima, d. c. 140. n. 19.*

Bona *exulum exulibus iterum divendita, l. 2. cap. 145. n. 3.*

Boruſſiæ *& Curlandiæ cum reliquis Palatinis & Statibus Poloniæ non eadem ratio & conditio eſt, l. 1. c. 11. n. 25.*

Braxatoria, *V.* Nobilium braxatoria.

Breviarium, *V.* Rationarium, Libri ſecretiores.

Bucephalus *Alexandri M. pretioſus equus, 2. c. 4. num. 6.*

Bucolica *ſive cura pecuaria tàm ferarum, quàm cicurum, d. cap. 4. num. 1. Harum varia genera deſcribuntur, & utilitas, ibid. num. 2. 3. 4. 5.*

C.

CAducitas *feudi ob non petitam inveſtituram eſt iniqua & odioſa, ideoq; reſtringenda, 2. c. 38. n. 27.*

Caligulæ *& Veſpaſiani ſordidæ locupletandi Ærarii praxes, lib. 1. cap. 1. num. 4. exploduntur & aliorum turpes rationes, ibid. n. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12.*

Caligulæ *& Neronis prodigalitas & prodigioſa donatio, profuſioq; 2. cap. 44. num. 3. & 4.*

Caligula, *Nero & Vitellius cùm prodegiſſent profuſione ærarium, ad iniqua rapinarum media compulſi ſunt, d. c. 44. n. 13.*

Calliſtrati *inventum, 2. c. 145. n. 39.*

Cambium *quare inventum? Reipub. quàm utile & perneceſſarium, lib. 2. c. 21. num. 18. 19. & 20.*

Cambii *litteras acceptans tenetur ſolvere, ibid. num. 23 poſt acceptationem revocatio vel prohibitio ſolutionis à mandante fieri non poteſt, n. 24. Exceptio non numeratæ pecuniæ an locum habeat inter Campſores & Mercatores? n. 25. & ſeqq.*

Ad Cambii *ſubſtantiam non requiritur realis numeratio, ſed ſufficit, quòd cambium concluſum & litteræ datæ, transmiſſæ, præſentatæ & acceptatæ ſint, ibid. n. 28. Contrarium, n. 29. allegantur præjudicia, res judicatæ & Dd. authoritates, n. 30. 31.*

Camera *Rationaria, dicta Camera Regalis, à Henrico IV. Rege Galliæ inſtituta, l. 2. c. 134. n. 10. 11. 12.*

Cancri *fluviatiles, l. 2. c. 5. n. 92.*

Capillorum *tributum, Vid.* Tributum Capillorum.

Capitatio *ad avaritiam excogitata; Judæis à Veſpaſiano Imp. indicta, l. 2. c. 19. n. 22. & 23.*

Capitatio *quid? ibid. n. 27. quinam ab ea exempti fuerint, n. 28. fuit ſpecies tributi, num. 29. alia eſt humana, alia animalium, d. c. 19. num. 31. 32. 33. à Conſtantino Imp. ſublata, n. 35. hodiè tamen quandoque olim pro capite maſculi & fœminæ depenſum, n. 37. Judæis indicta Receſſu Imp. de Anno 1594. n. 39. an ſit tributum extraordinarium? n. 40. modus ejuſdem æquitate definiendus, n. 41.*

Capitatio *Turcis perquàm familiaris, n. 42. acerbiſſima, n. 43. iniqua, n. 44. & 45.*

Capitatio *annonaria quæ? l. 2. c. 18. n. 1. quare jugatio dicta? n. 2. 3. 4. 5. & 6.*

Vid. Cenſus, Collatio, Collecta, Tributum.

Captivus *cenſetur deceſſiſſe, ex quo captus eſt, 2. 48. 30. diverſa eſt ratio abſentis, ibid. num. 31. & 32.*

Carbones, *prunæ, titiones ex lignis coctis, 2. 2. 13. Carbones foſſiles, n. 14.*

Carbonum *ſit certa menſura pretiumq́, n. 15.*

Cardinalis Richelii *laudes & blanditiæ, quas à ſcriptoribus ſuis emit & amat, 1. 7. 59. Statuam Regi poſuit cum Elogio, n. 60. Ejusdem antilogium, n. 61. ejusdem faſtus epigrammate quodam egregie ultus, n. 62.*

Carolus *M. omnes monetarum officinas in palatio ſuo habuit, 2. 84. 43.*

Carolus IV. *juramento adactus, ne oppignorata vectigalia revocaret, 1. 4. 68. non Imperator, ſed diſſipator appellatus, quo peſtis peſtilentior Romanis non obtigit, num. 79.*

Carolus V. *dicere ſolitus, ſe alibi imperare mancipiis & ſervis; ut in Germania Liberis & Regibus, n. 124.*

Carolus V. & *Maximilianus II. Impp. quantos, Turcâ cum innumeris copiis Auſtriam invadente, ex Germania contraxerint exercitus? n. 126. ibid.*

Caroli V. *reſcriptum ad Hadrianum IV. Pontificem, 1. 4. 64. ejusdem exordia, n. 102.*

Carpiones *inſolentis magnitudinis & ſaporis, 2. 5. 89.*

Carthaginenſium *prætextus emunctorius, 2. 145. 13.*

Caſten-Vogtey *quid? 2. c. 92.*

Catharinæ Medicææ *Reginæ Franciæ hyperbole, 1. 7. 12.*

Caupo *actione in factum tenetur, ſi res in caupona recepta non reſtituatur, vel furto ſit ablata, 2. 59. 8.*

Caupones, *nautæ ac ſtabularii habentur ſuſpecti, ibid. n. 7.*

Caupona *quandoque pro proſtibulo habita, ibid. n. 12. Viatores non poſſunt à caupona repelli, coguntur q́ hoſpites eos ex itinere recipere, num. 11. V.* Umbgeld.

Vid. Ganea, Popina, Taberna.

Cauponaria *& inſtitoria Nobilibus prohibita, l. 2. c. 26. n. 16.*

Vid. in verb. Nobiles.

Cauſa *impulſiva & finalis inprimis inſpicienda, l. 2. c. 32. n. 83.*

Cauſa in *delictis conſideranda, l. 2. c. 142. n. 33.*

Cauſâ pendente *non debet quis privari poſſeſſione officii ſui, lib. 2. c. 230. n. 3. & 5.*

Cautiones *quædam circa tributorum exactiones, lib. 2. c. 149. n. 70. 71. 72. 73. 74.*

Cautio *Principi exigenda ab Officialibus, l. 2. cap. 130. n. 1. & 2.*

Cenſores *apud Romanos qui? & quodnam eorum officium? l. 2. c. 80. n. 40. 41.*

Cenſuræ *neceſſitas, ejusq́ partes duæ Romanis, l. 2. c. 135. n. 2.*

Cenſores *clandeſtini ad cogendas mulctas conſtituendi; d. c. 135. n. 1. Vid.* Denuntiatio.

Cenſus *& capitatio quid? & quinam ab ea exempti fuerint, l. 2. c. 79. num. 27. 28.*

Cenſum *Iſraëlitæ Deo pendebant, d. c. 79. num. 7. quinam cenſus fuerit & quorum? ibid. num. 13. par omnium tributum, dimidium ſicli, num. 14.*

Cenſus *ſive populi numerationes crebræ, ibid. n. 15. quinque recenſentur, n. 16. 17. 18. 19.*

Cenſus *apud Romanos ante Servium Regem in capita collatus, d. c. 79. n. 20. Tarquinius in caput cujusque decem denarios exegit, n. 21.*

Cenſu *capitis in Syria maſculi à 14. annis, fœminæ usq́ ad 60. annum obligabantur, d. cap. 79. num. 34.*

Vide Capitatio, Collecta, Contributio, Tributum.

In cenſum *referenda omnia ſuperflua ornamenta, l. 2. cap. 96. num. 14.*

Cedrorum *proceritas laudatiſſima, l. 2. cap. 2. ſub num. 8.*

Cerviſia *vulgariſſimus totâ Germaniâ potus, lib. 2. c. 11. n. 2. Fruges in Braxatoriis ad coquendam cerviſiam adaptantur, ibid. n. 1. Quinam Nobilium, Ignobiliorumq́ jus Braxatorii; quæque acciſa inde Ærario veniat? n. 3. non tantùm hordeacea, ſed & triticea ac aromatica cerviſia Germanis bibitur, n. 4.*

Cerviſiæ *Chrematiſticæ quæſtuoſus uſus, d. c. 11. num. 12. 13. 14. Callidum Ordinum Belgii conſilium ex cerviſia augendi Ærarii, n. 15.*

Vid. Nobilium braxatoria.

Cervorum *venatus.*

Vid. Venatus Cervorum.

Ceſpites *è paluſtri terra effoſſi magno uſui ſunt, l. 2. c. 2. n. 16.*

Chalybs *vel naſcitur, vel indurato ferro conficitur, l. 2. c. 31. n. 5.*

Chinæ *Regnum 2300. annis iisdem Regibus & Legibus ſtetit. l. 1. c. 19. n. 1. Lex hujus regni ad pacem & conſervationem unicè collimat, n. 3. Hîc juſtitia, politia, induſtriaq́ florent, n. 4. Fertilitas hic certat cum induſtria hominum, 5. Quantus numerus incolarum? num. 8 & 9. Vectigalium, tributorumq́ reditus, 150. milliones aureorum excedunt, n. 10. in quibus conſiſtant, n. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18.*

Chinæ *Provincia paullò minor Europâ, d. c. 19. n. 11. & in maximo Imperiorũ numero cenſenda eſt, n. 19. Magnus Cham terrâ Chinenſibus formidabilis, n. 20. habent tamen Chinenſes, quo pacto huic hoſti occurrant, n. 21. ubi de longo muro, qui Chinenſes à Tartaris ſeparat. Jeſuitæ in hoc Regnum admiſſi, n. 23. privilegium naturalitatis obtinuêre, n. 24. Terræ motus illic frequentes, quibus integræ civitates abſumptæ, num. 25.*

Chinenſes *omnium mortaliũ ingenioſiſſimi, ibid. n. 26. Libri hisce locis reperti dicuntur typis excuſi quingentis annis, antequam ſint inventi in Germania, num. 29.*

Vid. Typographia.

Chinenſibus *tanta eſt ſericæ texturæ copia, quanta noſtratibus lineæ, l. 2. c. 5. n. 10.*

In Chinenſi *terrâ otioſi non tolerantur, l. 2. cap. 102. n. 13.*

Chorearum *ſaltationumq́ conſuetudo, utpote adiaphora, ubi abuſus nullus intervenit, non eſt penitus rejiciendus, l. 2. c. 10. n. 9.*

Chriſti *Salvatoris egeſtas, l. 1. c. 2. n. 26. & quis modus colligendæ pecuniæ pro eo, ejusq́ ſectatoribus, ibid. n. 37.*

Chriſtianorum *præcipuæ virtutes, lib. 2. cap. 85. num. 23.*

Citationis *edictalis effectus, 2. 48. 13. An elapſo termino citationis ulteriùs indulgenda dilatio, ita, ut illi, quorum intereſt, adhuc comparere, & de ſuo intereſſe docere poſſint? Et quid Magiſtratui hoc caſu agendum, ubi multæ ſin-*

gulæ

gulares, *ſalutares ac notatu digna cautela ab Authore ſubminiſtrantur, n. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. & 45.*

Cives *reparare domos, quas in civitate habent, coguntur, aut ædificare de novo, l. 2. c. 48. n. 6.*

Civitates, *Univerſitates, Collegiaq́ arcam vel burſam communem habent, l. 1. c. 2. n. 17.*

Civitates *Imperii, auri argentiq́ fodinæ, & vectigalia Imperii alienata, lib. 1. cap. 4. num. 62. 63. & 67.*

Civitates *opificiis & artificiis replendæ, lib. 2. c. 35. n. 23.*

Civitates *poſſunt feuda acquirere, modò caducitatem pecuniâ à Domino redimant, l. 2. c. 42. n. 16.*

Civitates *quibus onera imponant? l. 2. c. 53. n. 3. inſeritur Urbium & agrorum in Friſia Occidentali diſſidium, ibid. n. 4. & 5.*

Civitates *Superiorem recognoſcentes an Gabellas & accifias vini, carnis, piſcium, frumenti, farinæ & c. imponere poſſint? l. 2. c. 78. n. 10. Et an Clerici, Conſiliarii, Forenſes & Pauperes ab ejusmodi Gabellis immunes ſint? ibid. n. 11. 12. 13. 14.*

Claudius *Imp. Agrippinam Germanici Fratris ſui filiam uxorem duxit, l. 2. c. 139. n. 24.*

Clauſula, *Salvo jure tertii, ſemper in inveſtituris ſubintelligitur, nec præſumitur Dominus ei derogare voluiſſe, l. 2. c. 5. n. 35.*

Clauſula *conſtituti in contractu appoſita realem traditionem non inducit, l. 2. c 42. n. 43.*

Clauſulæ *caſſantis & irritantis efficacia, l. 2. c. 85. num. 95.*

Clazomeniorum *negotiatio improbatur, l. 2. cap. 145. n. 21.*

Clerici *omnia in ſaccum ſuum pertracta cupiunt: & cælum & orbem, ſi poſſent, vectigalia facerent, l. 2. c. 47. n. 8. & 9.*

Coctura *laterum, lapidum contuſorum, calcis, & c. l. 2. c. 15. n. 5.*

Cœlibes *antiquitus certam pendebant ærario pecuniam ex lege, cujus authores Camillus & Poſthumius, l. 2. c 141. n. 80. rationes ejus legis, n. 81. Vid.* Hageſtoltzen.

Collateralium *in feudo paterno & antiquo nulla ſucceſſio de jure Saxonico, l. 2. c. 38. n. 40. Hujus ſucceſſionis fons & ſcaturigo eſt ſimultanea inveſtitura, ibid. n. 41 42. & 47. quæ non eſt unius generis, n. 45. 46.*

Collationis *voluntariæ illuſtre exemplum in Romanis civibus deſcribitur, l. 2. c. 90. n. 6.*

Vid. Largitio, Tributa auxiliaria.

Ad Collationes *populi non deveniendum, quamdiu aliunde haberi poteſt pecunia, lib. 1. cap. 1. num. 99.*

Collecta *aliquando Statibus Imperii, aliquando verò viritim & capitatim ſubditis impoſita fuit, l. 2. c. 79. n. 38. pro extirpandis Huſſitis in Comitiis Imperii indicta, l. 1. c 4. n. 70.*

Collectarum Imperialium *quænam tempore Friderici III. & Maximiliani I. fuerit ratio, ibid. n. 71. 72.*

Collectandi duo modi *in Imperio uſitati, l. 2. c. 53. n. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20.*

Collectandi *faceti & feſtivi modi, l. 2. c. 53. n. 6. & ſeqq.*

Vid. Contributio.

Collectæ Provinciales *conſenſu populi indicuntur, d. c. 53. n. 33. 34. diſtributio collectarum Provincialium, num. 35. Collectarum diſtributio in Electoratu Saxoniæ* nach den Schocken, *num. 39.*

Collecta *de fundis, non niſi deductis oneribus, exſolvenda, d. c. 53. n. 50.*

Collectæ *extraordinariæ diſtribuendæ ſecundum as & libram, ibid. n. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. & 49.*

Collybus *quid ſit? l. 2. c. 21. n. 15.*

Vid. Mons Pietatis.

Coloniæ *Romanorum quid profuerint? lib. 2. c. 87. n. 23.*

Commercio *ſublato omnium malorum Ilias ſubſequitur, l. 2. c. 84. n. 11.*

Commerciorum *ſubtilis ratio ineunda & ſubducenda, lib. 2. c. 25. n. 55.*

In communione *rerum præoccupatio; in acquiſitione longævus uſus obtinet, l. 2. c. 63. n. 18.*

Comitatus *quot per generationes finitas ad Ducatum Brunſuicenſem pervenerint? l. 2. c. 40. n. 26. 37. 28. & 29.*

Comitum *Palatinorum ampla poteſtas, 1. 4. 39. eorum jus dandi inſignia, n. 40.*

Conzanorum *Reges corporis nævum, aquilam nigram, monſtrarunt in humero, 1. 4. 44.*

Comœdiarum *architecti Jeſuitæ, 2. 119. 2. An in publicis civitatum Theatris admittenda ſint Hiſtrionum ſpectacula? num. 4. ex Comœdiis, aliisq́ ſpectaculis compendium fiſcale, d. cap. 119. num. 1.*

Compendium *fiſcale ex ſimultanea inveſtitura, 2. 38. Ejus origo, 39.*

Concordiam *prius expedit, quàm judicium tentare, 2. 123. 3.*

Concubitus *patrui & fratris filiæ an licitus ſit? 2. 139. 23.*

Vid. Inceſtus.

Condali *congerendæ pecuniæ modi, 2. c. 145. num. 17. & 18.*

Confeſſio *qualificata ſufficit ad condemnandum, non in pœnam ordinariam, ſed tantùm in extraordinariam, 2. 142. num. 78. 79. 80. 81. & 84. Ampliatur, n. 82. licet Reus in qualitatis probatione defecerit, n. 83.*

Confeſſio *qualificata non poteſt ſcindi, nec ſeparari, quia trahit ſecum defenſionem, d. c. 142. n. 86. Limitatur, n. 87. & 88.*

Confiſcandi *jus inter Regalia refertur, & eſt de Reſervatis Principi, lib. 2. c. 85. n. 99.*

Confiſcatio *in caſibus non expreſſis minimè locum habet, 2. c. 85. n. 46.*

Confiſcationis *pœna an ad crimen veneficii ſit extendenda, d. cap. 85. n. 67. & n. 89. & n. 79. 80. 81. 82. 83.*

Confiſcationis *materia, uti pœnalis & odioſa, reſtringenda, n. 65. Confiſcatio in crimine Magiæ Conſtitutione Carolinâ eſt abrogata, n. 70.*

Confiſcationi *intelligitur de confiſcatione legibus conceſſâ, n. 98. Præjudicium Cameræ Imp. quo contra confiſcationem bonorum pronunciatū, num. 59.*

Confiſcatoria *ſententia. Vid.* Sententia *confiſcatoria.*

Confiſcationis *pœna non eſt ad crimen veneficii extendenda, ibid. n. 61. & 89.*

Per confiſcationem *bonorum frequentia & atrocitas criminis veneficii non aboletur, d. cap. 85. num. 103.*

Confiſcatio *bonorum hæreticalium cedit ad utilitatem Fiſci Principis ſæcularis, 2. c. 86. n. 6. judicibus inferioribus interdicta, 2. c. 136. num. 3. eſt de maximo mero Imperio & de Reſervatis Principi, d. c. 136. n. 4. 5. & 7. & num. 18. 19. 21. &*

21. & 22. Hodie jus confiſcandi habent, quibus mixtum Imperium, vel ſuprema Juriſdictio competit, ibid. n. 28.

Vid. Bona vacantia.

Confiſcatio *ordinaria in caſibus à jure permiſſis cuivis permiſſa eſt, d. c. 136. n. 20. An ratione pœnæ fieri ſolitæ tantummodo à mero imperio dependeat, n. 24.*

Confiſcatione *factâ eſt ordinariè agendum contra poſſeſſorem, d. c. 133. n. 39.*

Vid. Bona vacantia, Fiſcus.

Confiſcatio bonorum *an per totum mundum abolita ſit, excepto Hæreſis & læſæ Majeſtatis crimine? 2. c. 149. n. 14. 15. Quid in Gallia, Anglia, Lotharingia & Burgundia obtineat? n. 16. quid in Regno Scotiæ uſu receptum ſit? num. 17.*

Confiſcatio *quatenus ex Conſtitutione Carolina in Imperio locum habeat? d. c.* 149. *n.* 18.

Congii Regnum *ſub zona torrida eſt, l.* 1. *c. 27 n. 5. æquinoctium hîc prope æternum, n. 6. Hyemis tempore, cùm nos Ver habemus, perpetuò hîc pluit. n. 7. Regni amplitudo, ſitus fines, num. 9. dividitur in ſex Provincias, n.* 10. *&* 11. *Divitiæ incolarum in quibus conſiſtant? num.* 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. *& num.* 22. 23. 24. *Robur militare hujus Regni, & quot inde armatorum millia in bellum educi poſſint, num. 25.*

Conjugium *eſt neceſſarium ad propagationem generis humani, l. 2. c.* 141. *n. 49.*

Conjunctio *patrui cum fratris filia jure civili prohibita, l. 2. c.* 139. *n.* 22. *&* 29. 30. 31. 32. *& n.* 34.

Conjunctionis *prohibitio inter cognatos à latere eſt juris poſitivi, & tota pendet ex arbitrio legum, d. c.* 139. *num. 25. neque ſunt ejusmodi nuptiæ jure gentium prohibitæ, ibid. num. 26. 27. 28.*

Conſiliarii, *Decuriones, Conſules licet nunc non ſint in memoriam priſtinæ dignitatis haut gravandi, l. 2. c. 78. n. 15.*

Vid. Officialis.

Conſiliarii *Principum quinam ſint optimi? l. 2. c.* 105. *n.* 18. 19. 20. 21. *&* 22. *& n.* 24.

Conſiliarii *bilingues & fallaces exſecrandi, ibid. n.* 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. *&* 33.

Conſiliarios *nonnullos Principum avaritiæ peſtis occupavit, ut cauſarum patrocinia ſuſcipiant, l. 2. c.* 126. *n.* 17. *Horum pœna de jure Juſtinianeo, ibid. n.* 18.

Conſiliarii *explorent Statum Principatus totius, in quo ſunt conſtituti ad conſilia, etiam minutiora, unde ſalus Provinciæ pendet, l. 2. c. 129. n. 10. 11. & ſeqq.*

Conſiliariorum *technæ, quibus Regi Principive theſauros, pecuniasq́; coacervare ſatagunt, l. 2. c. 149. n. 1. 2. 3. 4. 5. & n. 7.*

Conſiliarii *& Politici Athei, Idoli,* Rationis Status *cultores, eorumq́; prætextus emunctorii taxantur, l. 2. c.* 149. *n. 10.*

Conſtitutiones Imperiales *non verbis, ſed rebus imponuntur, l. 2. c. 37. n. 80. & cum effectu accipiendæ ſunt, n. 82.*

Conſtitutio *Impp. Arcadii & Honorii in l. 2. C. de metat. & expedemet. hodie in uſum revocanda, l. 2. c. 91. n. 11.*

Conſuetudo *Imperii Clericis & Laicis uniformiter onera imponit, 2. c. 47. n. 7.*

Conſuetudo *in ſpecie probanda, l. 2. c. 141. n. 28. juri communi derogans odioſa & ſtrictè intelligenda eſt, d. c. 141. n. 26. 27. difformis non inducit abrogationem pœnæ juris communis, d. cap. 141. n. 13. delinquendi inducitur per tres vices, d. c. 141. n. 18.*

Conſuetudo *irrationalis eſt, quâ omnium ob quodcunq; ſcelus damnatorum bona Fiſco inferuntur, l. 2. 140. 20.*

Conſuetudo *contra jus commune introducta eſt ſtricti juris; neque de uno modo ad alium, neque de caſu ad caſum, neque de provincia ad provinciam, &c. extendi poteſt, l. 2. c. 37. n. 68. & 72. non inducitur ex non actu, l. 2. c. 41. num. 90.*

Conſuetudo *à conſentientibus inducta, non poteſt allegari contra diſſentientes, ibid. n. 70.*

Conſuetudine *aliquorum locorum ſpeciali ex feudis laudemia ſolvi cœperunt, l. 2. c. 38. n. 48. Declaratur n. 49. 50. 51. 52.*

Conſuetudinum *feudalium conſuetudo ubilibet ſpectanda. l. 2. c. 41. n. 102.*

Conſuetudo, *vicinis jus alluvionis adimens, in foro conſcientiæ non tuta, l. 2. c. 63. n. 8.*

Conſuetudine *præteritâ, ut irrationabili damnata, futura quoque damnata cenſetur, l. 2. c. 85. num. 96.*

Conſuetudo *ſine veritate vetuſtas erroris dicitur, l. 2. c. 115. n. 12.*

Conſuetudo, *quâ Saltuarii, aliiq; miniſtri res pro derelictis inventas retinent, improbatur, l. 2. c. 136. n. 52.*

Conſuetudo *peccati non excuſat, lib. 2. c. 149. num. 59.*

Contradictor *legitimus quis, l. 2. c. 135. n.* 41.

Contrahentes *ad numi valorem potius tempore contracti debiti currentem, quàm corpus ſeu maſſam reſpexiſſe videntur, lib. 2. cap. 84. num. 89.*

Contraria *juxta ſe poſita magis eluceſcunt, etiam in vectigalibus turpibus, l. 2. c. 146. num.* 1.

Contributio *hodie* nach dem Römerzug *in pecunia numerata exſolvi ſolet, l. 2. c. 53. n. 25.*

Contributiones Turcicas *ſubditi ſub pœna dupli præſtare coguntur; nec ulli Statuum modum contribuendi in pecunia vel milite præſtando mutare licet, d. c. 53. n. 22. 23. 25.*

Contribuendi modus *juxta denarium communem, ibid. n. 27. & 29. juxta Matriculam Imperii, n. 31. & quomodo Principes & milites hoc abutantur, n. 32.*

Contributionum *medio aliquando in Germania quater centena aureorum millia collecta, l.* 1. *c. 4. num.* 141.

Vid. Collecta. Tributum.

Convivationes *& epulæ ſeverè in Aulis abrogandæ, l. 2. c. 160. n. 1. Lutheri contra hunc talem abuſum querela, ibid. n. 3.*

Vid. Aula.

Conviviorum *ordo jam novus, epulæq; lautiſſimæ, l. 2. c. 99. n. 4. & 6. gloria, ex adparatu conviviorum partâ turpis & fallax eſt, ibid. n.* 12. *Pompaticus conviviorum furor Trojanus equus, ex quo proſiliunt mala multa, n. 13. uti Imperiorū amiſſio, n.* 14. *&* 15. *Societatis jactura, n. 16. Fœderis ruptura, n. 17. Æris alieni conflatio, n. 18. conſumptio bonorum aliorum, num.* 19.

Conzanorum *Regis corporis nævum, aquilam nigram, monſtrarunt in humero, lib.* 1. *cap. 4. num. 44.*

Coquinaria *& culinaria publica in populoſis civitatibus*

tibus oportunè uſitata & cum Reipub. emolumento, l. 2. c. 10. n. 4.
Coturnicum *captura 4000. numûm annuè ſubminiſtrat Epiſcopo Hoſtienſi, l. 2. c. 5. n. 112. Cur Deus per ventum coturnicum multitudinem miſerit in caſtra Iſraelitarum? ibidem, num. 113.*
Corvi *mortuos, aſſentatores devorant vivos, l. 2. c. 105. n. 14.*
Cotys *Thrax quomodo pecuniam cœperit, l. 2. cap. 145. n. 45.*
Craſſi *dictum, l. 2. c. 149. n. 6.*
Creditor *debet perſonaliter jurare, quò magis commoveatur, quando ipſemet jurat & ſacra tangit, l. 2. 41. 81.*
Creditori *ſi per alium, quàm debitorem, debitum offeratur & deponatur, debitor liberatur, l. 2. c. 41. n. 27. Quod quomodo verum? n. 83.*
Creditor *ex cauſa oneroſa debet præferri donatariis perſonalem duntaxat actionem habentibus, l. 2. c. 45. n. 17.*
Creditori *reſtitui pecuniam eo valore, quo tempore contractûs communiter expendi potuit, æquum eſt, l. 2. c. 84. n. 99.*
Creditores *binâ monitione ab omni actione excluduntur, l. 2. c. 136. n. 49.*
Crœſus *de propriis opibus teſtatus eſt, quod ſint Cyri, l. 2. c. 87. n. 4. Vid.* Bellum, Præda.
Culpa, *ob quam feudum amittitur, conſiſtit in committendo vel omittendo, l. 2. c. 40. num. 37. Culpa omiſſionis quæ? ibid. n. 38. 39. 40. 41. 42. Culpa omiſſionis quænam? n. 43. Vide quoque n. 44. 45.*
Culpa lata *in criminalibus quoad pœnam dolo non æquiparatur, l. 2. c. 142. n. 20.*
Cultro *homicidium factum non præſumitur ex propoſito, c. 142. n. 35. & 36.*
Curator *bonis abſentis à Magiſtratu dandus eſt, quando ignoratur, utrum vivat, vel mortuus ſit, lib. 2. c. 48. n. 1. & 16. Cura hæc ſolet dari agnato proximiori, n. 15.*
Curator *bonis abſentis datus tenetur ſatisdare, ſicut alius quilibet habens bonorum adminiſtrationem, n. 29.*
Curator *bonorum hæreditati jacenti dandus, l. 2. c. 136. n. 47.*
Curialis, *rure in fiſcum delato, in quod relictâ civitate ſuâ ſe contuliſſet, privabatur, l. 2. c. 48. n. 5.*
Curia, Curtis *quid? l. 2. c. 92. n. 7.*
Cyclopum *venter præcepta non audit, l. 2. cap. 99. num. 9.*
Cyri *lex de pace agricolarum revocanda, l. 2. c. 47. num. 26. & 27.*

D.

DÆmon *ludicra exercet in pecuniis, l. 1. c. 1. n. 93. & 94.*
Damnatorum *bona. Vid.* Bona damnatorum.
Damnum *patitur, cujus voluntas offenditur, l. 2. c. 41. n. 86.*
Daniæ *Regum proſapia, l. 1. c. 10. n. 1. & quas inſulas modernus Rex Daniæ poſſideat, n. 2. Selandum ia præ cæteris nobilis inſula, n. 3.*
Dania *hordei ubertate commendatur, præſertim Selandia, d. c. 10. n. 7. & 8. in ea piſcium & halecum affluentia, præſertim in regno Juthiæ, n. 12. & 13. Divitiæ in copia pecudum & piſcium maris, n. 15. Porthmis,* der Sundt *celebre fretum; ejusq; deſcriptio, n. 16. Vectigal hic ingens penditur, n. 17. 18. hinc ad Germanos mittuntur agminibus magnis Boves, etiam equi, n. 19. emolumentum ex Wardhuſia. n. 20. De ærari. præfectis & telonariis, n. 21. 22. 23. Vectigalium qualis fuerit ratio tempore Erici VII. in hoc regno, n. 24. potentia hujus Regis maritima, n. 25.* Romanenſes *ſperarunt ex hoc regno ingens rerum ſuarum incrementum, maximè Belgii rebus afflictis. n. 26.*
Datio *in ſolutum dicitur venditio, 2. 42. 61.*
David *ex vanitate & ſuperbia populum numeravit eoque nomine punitus eſt, l. 2. c. 79. num. 11. & 12.*
Davidis *cum uxore Uriæ perpetratum adulterium ſeveriſſimè punitum, lib. 2. cap. 141. num. 35.*
Debita *aliorum mutuò ſumpta, lib. 2. cap. 145. num. 15.*
Debitor *pactionibus poteſt efficere, ne valoris extrinſeci numerum aucti vel minuti ratio habeatur, l. 2. c. 84. n. 107.*
Decima *omnium rerum venalium pro tributo injuſtè exacta, 2. c. 147. n. 1. præbuit hæc anſam Belgis ad defectionem & vim apertam, d. c. 147. num. 2. & 3.*
Defendere *qui tenetur, non debet offendere, 2. c. 92. num. 19.*
Delictum *non capitale ob reiterationem fit capitale, l. 2. c. 141. n. 19. ejusq; pœna extendi poteſt usq; ad mortem, n. 20. & 21.*
Dei *filius Auguſto Imp. fuit ſtipendiarius, l. 2. cap. 79. n. 5.*
Deus *populum in deſerto numerari juſſit, ibid. num. 10.*
Denunciatio *vel delatio an adverſetur charitati Chriſtianæ? l. 2. c. 135. n. 5. 6. 7. & 8.*
Denunciator *quando teneatur jurare de calumnia? d. c. 136. n. 9.*
Depopulatores *frugum & ſegetum notantur, lib. 1. c. 4. n. 31. 32. 33.*
Deportati *an ſub damnatis comprehendantur? l. 2. c. 140. n. 7.*
Res pro derelicto *habitæ, lib. 2. cap. 116. num. 32. & ſeqq.*
Vid. Animalia.
Detentatori *aliquando remediis poſſeſſoriis ſuccurritur, lib. 2. c. 136. n. 44.*
Diaboli *militaris decem ungulæ, lib. 2. cap. 149. num. 86.*
Difficultas *veritatis apud Principes, lib. 2. cap. 51 num. 9.*
Dilationes *immortalitatis litium cauſa, lib. 2. c. 123. n. 21. 22.*
Dionyſii *callida commenta, l. 2. c. 145. n. 20. & 31. à pecoribus magna & crebra tributa poſtulabat, n. 32. ex tutela pupillorum & orphanorum lucrum quærebat, n. 33. aliæ Dionyſii fraudes, n. 34. 35. 36.*
Diſciplinæ *militaris neglectus, l. 2. 149. 87.*
Diverſitas *nominis diverſitatem rei arguit, l. 2. c. 2. n. 22.*
Diviſio *eſt dignitatum interitus & everſio, l. 2. c. 2. num. 7. 8. 9. & num. 92. 93. 94. & n. 106.*
Diviſionis *incommoda plura, d. c. 37. n. 10. 11. & n. 14. V.* Ducatus.
Diviſio *in Orientalem & Occidentalem partem extremum Imperio exitium & excidium attulit, d. c. 37. n. 96. 97.*
Diviſio *eſt alienatio neceſſaria, l. 2. 42. 68 per diviſionem dividentibus novum dominium non acquiritur, n. 69.*

Divi-

Divitiæ *Principum à bono regimine æſtimandæ, l. 1. c. 7. n. 28.*
Divites *pecuniâ levantes Rempublicam meritò nobilitantur, l. 2. c. 110. n. 5.*
Divitiæ *mundanæ & honores ſæculares quænam commoda fructusq; paruerint in Eccleſia Chriſtiana? l. 2. c. 149. n. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34.*
Doctori *aſſerenti conſuetudinem abrogatam eſſe, non facile credendum, l. 5. c. 139. n. 8.*
Doctori *de conſuetudine atteſtanti an ſit credendum? ibid. n. 9.*
Doctoris *una deciſio in terminis plus valet, quàm mille generalia argumenta & conjecturæ, l. 2. c. 126. n. 9. & 10.*
Dolorem *juſtum temperare, difficillimum eſt, l. 2. c. 142. n. 49.*
Dolus *ab allegante eſt probandus, l. 2. cap. 128. n. 19. 20. 21.*
A Dolo *qualibet fatua, injuſta & beſtialis cauſa excuſat, l. 2. c. 38 n. 28. & 2. cap. 137. n. 55.*
Dominus *prohibere poteſt ingreſſum ſui territorii? l. 2. c. 11. n. 16. Piſcibus inde & Ærario ingens lucrum, n. 17. Sed fraus poteſt fieri à lanionibus inflandis carnibus, qui lege puniendi ſunt, ibid. num. 18.*
Domus *Auſtriaca & Saxonica ſibi invicem ad ſubſidia conferenda obligantur, l. 2. c. 89. n. 2.*
Domorum *ſplendore patrimonium coarctatur, l. 2. c. 95. n. 28.*
Domus *quædam humiliores Magnatum mundi, d. c. 95. n. 35.*
Domus *nō niſi ſecuri & ſerrâ extruenda, ibid. n. 38.*
Donatio *Principis nullam vim habeat, quæ vel duo ſeſtertia excedat, niſi apud Acta Rationalis curiæ inſinuetur, l. 2. c. 45. n. 9.*
Dos *immenſa quæ dicatur? l. 2. c. 43. n. 38. Dos congrua quæ? n. 39. 40. dos incongrua non dicitur dos, n. 41.*
Dos *indiſcreta quæ? ibid. n. 42.*
Dotis *conſtitutio debet eſſe moderata, l. 2. c. 43. n. 1. 2. 3. dotium immenſitas Reipub. corruptela, ibid. n. 4. 8. in Hungaria ampliſſimæ dotes, n. 5. Romanorum conſuetudo in dote moderanda, num. 6. 7.*
Dotium *in Illuſtrium perſonarum familiis definita quantitas eſſe ſolet, quam excedere non licet, d. cap. 43. num. 10. dos apud Maſſilienſes quænam? n. 11. dotem omnibus æqualem conſtituit Plato, n. 12. Carolus V. Imp. certam dotis quantitatem Hiſpanis definivit, num. 13. Ruſſi Polonis vicini veſtes, cibos, boves &c. in dotem tradunt, n. 15. apud Venetos dos non excedit 1600. aureos, n. 16. Lege Moſaicâ magna dos fuit, num. 17.*
Dos *de generali Saxoniæ & Germaniæ conſuetudine ex feudo filiabus debetur; ſed exigua arbitrio Domini feudi moderanda, ibid n. 18. & 19. dotis nomine filiabus jus retentionis in feudo competit, n. 20. Dos quanta conſtituatur ex feudo in Saxon. & Ducatu Megapolitano, n. 21. 22.*
Dotis amplæ *incommoditates, ibid. n. 23. 24. 25. 26. 27. 28.*
Non dotis, *ſed amoris causâ matrimonium contrahendum, n. 20. Mahumeti, Hetruſcorum, Ægyptiorum & Solonis hac de re inſtituta & mores, num. 29. & 31. 3 . 33. Juſtinianus etiam ſtatuit, ſine dote nubere, num. 34.*
Ducatus *non benè dividi exemplo Imperii Romani probatur, l. 2. c. 37. n. 57.*
Ducatus *diviſionem petens ex allegata conſuetudine debet conſuetudinem ipſis terminis probare, nimirum ut in termino a quo terminum ad quem conformis oſtendatur, ibid. num. 65. 66.*
Ducatus *ut dividantur, quænam requiſita intervenire debeant? n. 71. in Gallia, Italia, Hiſpania non dividuntur num. 73. & 74.*
Ducatuum *diviſio prohibita duntaxat, pertinet ad ipſum corpus Ducatus: cæteroqui Juriſdictio & proventus rectè dividuntur, n. 75. Contrarium verius, n. 76. 77. 78. 79.*
Ducatus Burgundiæ *non potuit licitè in alium Regem alienari ab Rege Franciæ, lib. 2. cap. 49. num. 8.*
Ducatus *Bavariæ indiviſibilis eſt, l. 2. c. 37. n. 45.*
Duces Mutinæ *qui? & quo tempore conſtituti ſint? l. 1. c. 18. n. 7. 8. 9. 10. ad Mutinæ & Regii Ducatum pertinentia, n. 11.*
Vid. Ateſtinæ familiæ nobilitas.
Duces *Mantuæ, Mutinæ, Parmæ & Urbini cum Sabaudiæ, Hetruriæq; Ducibus comparantur, & omnes Hiſpanum aut metuunt, aut venerari ſimulant, d. c. 18. n. 42. & 43.*
Duces, *Comites, Barones appellatione Nobilium veniunt, l. 2. c. 42. n. 94.*
Ducatus *non dividendi: Rationes adſignantur, l. 2. c. 37. n. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. & n. 26. 27. 28. 29.*
Ducatuum *diviſio Ducatus corrumpit & interficit, l. 2. c. 37. n. 15.*
Ducatuum *feuda ne quidem legitimam ſecundogenitis largiuntur quoad rem, ſive Ducatum ipſum, n. 25.*
Ducatus *in Germania vel prorſus ſunt individui, vel quodammodò dividui, ibid. n. 30. eosdem diviſionem non recipere Hiſtoricorum teſtimoniis & Dd. authoritatib . comprobatur, n. 38. 39. 40. 41. 42. 43. & 44.*
Ducatus *& Principatus quidam in Germania inter liberos æqualiter dividuntur, d. c. 37. num. 101. Unio Juliacenſis, n. 102. Statutum Brandenburgenſe, n. 103. Brunſuicenſe n. 104. Landgravii Wilhelmi Haſſiæ, n. 105.*
Ducibus *belli quantum ex præda uſurpandum? l 2. c. 3. n. 17.*
Ducatuum *non ſolùm, ſed & juriſdictionum, & cæterarum acceſſionum diviſionum diviſio prohibita, d. l. 2. c. 37. n. 85. 86. 87. 88.*
Vid. Diviſio, Feuda dignitatum, Primogenituræ jus, Aurea Bulla.
Dux Urbini. *Vid.* Urbini Dux.

E.

EBrietas *in delictis ab ordinaria pœna excuſat, l. 2. c. 142. n. 75. 76.*
Ebrietatem *& crapulam lex divina deteſtatur, l. 2. c. 58. n. 12. Vectigal ebriorum & ebrioſorum, l. 2. c. 101. n. 25. Leges contra ebrietatem, n. 26.*
Ebrioſorum *decem pocula deſcripta, l. 2. cap. 66. num. 18.*
In Eccleſia *primitiva omnia in commune collata, l. 1. c. 2. n. 39.*
Eccleſiaſtici *in Gallia à tributis exempti, lib. 2. c. 7. n. 35.*
Eccleſiaſtica bona *quæ dicantur? ea abuſu ſublato ad pias cauſas conferenda, l. 2. cap. 83. n. 1. ubi & de fundatione Collegiorum, Monaſteriorum & Templorum, nec non de abuſu bonorum Eccleſiaſticorum in Papatu.*

Eccleſiaſticis bonis *Ribaldi noſtri temporis turpiter inhiant*, d. c. 83. n. 3. *& grandi ſacrilegio ſeſe obſtringunt*, n. 4.
Eccleſiaſtica bona, *ſuperſtitione reſectâ, in pauperum, ægrotorum, orphanorum, &c. ſuſtentationem, alimentationemq́; ſunt transferenda*, ib. num. 6. *Exemplo Mauritii Electoris Sax. & Philippi Landgravii Haſſiæ*, num 7. *Chriſto veſtimenta ſua non ſunt detrahenda*, n. 8. *Bona ſuperſtitioſò dicata cultui, non ſunt prophanis applicanda commoditatibus*, n. 9.
Eccleſiarum bona *à manu Fiſci intacta ſint*, d. c. 83. n. 13. *Exempla iræ divinæ inſpoliatores Eccleſiarum*, ibid. num. 18. *Exempla Regum ac Principum, qui à ſpoliatione templorum abſtinuerunt, aut ex his oblata reſtituerunt*, numero 24. 25. 26. 27. 28. *Heliodori ſacrilegi pœna*, num. 29.
Vide Principes contractu. Sacrilegi.
Eccleſiæ *bona dilapidare apud Ethnicos ſemper vitium fuit*, d. c. 83. n. 31. *Pſeudo-Evangelici bona Eccleſiaſtica profanantes mordaciſſimo ſale aſperguntur*, ib. n. 34. *In Anglia in Eccleſiaſticas opes ſævitum eſt*, n. 36. *Chriſtophori Ducis Wirtembergici nusquam ſatis laudandum Apophthegma*, n. 37.
Ex bonis Eccleſiaſticis, *neceſſitate extremâ poſtulante, ſubveniendum eſt Reip. laboranti*, d. c. 83. n. 38. *Et Magiſtratui legitimo in ſacris & temporalibus prædiis bonisq́; non omnis omninò poteſtas præciſa eſt*, n. 39. & 40.
Eccleſiaſtica bona *Chriſtiani Principes uſurpare poſſunt, dummodò Eccleſiis & Scholis liberaliter provideant*, n 42.
Res Eccleſiis & Pauperibus *directè conſecratæ à laicis malè poſſidentur*, num. 43. *Edictum de bonis Eccleſiaſticis Reipublicæ commodandis*, n. 45.
Vide Fundationes piæ.
Eduardus IV. *Rex Angliæ induſtriè excogitavit donationem quandam, quam* Benivolentiam *appellitavit*, l. 2. c. 90. n. 4.
Egeſtas *comes profuſionis*, l. 2. c. 133. n 5.
Electoratus *vacantes Imperator ſolus inconſulto Septemvirorum collegio conferre poteſt*, lib. 2. c. 40. n. 16. *Exempla*, n 17. 18. 19.
Electores *ſæculares an Electoratus ſuos ab Imperio vel Epiſcopo Bambergenſi recognoſcunt?* d. c. ... n. 20. 21. 22.
Ob Electorum *delictum an Imperator innocentes filios, fratres, agnatos privare, & electoralem dignitatem in alium transferre poſſit?* ibid. n. 32. *Pro Negativa allegantur exempla*, n. 33. 34. *Pro Affirmativa*, n. 35.
Eliſabetha *Angliæ Regina collaudatur*, l. 1. cap. 1. n. 98.
Emphyteuta *ſub pœna expulſionis tenetur oſtendere inſtrumenta emphyteutica, & poſſeſſiones, earumq́; confines*, cap. 38. num. 12. & 14. *Vide* Vaſallus.
Emphyteuticum *cenſum non poteſt ſolvere aliquis ſine mandato pro ipſo emphyteuta, Domino recuſante*, l. 2. c. 41. n 85.
Encænia *quænam dicantur?* lib. 2. cap. 106. numero 1. *Dominis loci ex hisce encæniis quæ commoda?* n. 2.
Encæniorum *protectio cum jure defenſionis participat*, ibid. num. 3. *& an mixto imperio cohæreat?* n. 5.
Encænia *Judæorum longè ab his noſtratium differunt*, n. 6. *unde inſtitutio prima provenerit?* num. 7.
Vide Kirchweih-Schatz.
Encomium *quid?* l. 2. c. 100. n. 8.
Epicuræi *metum divinum ex animo removent*, l. 2. c. 85. n. 22.
Epicuri *de grege porcis Deus eſt venter*, l. 2. c. 99. n. 10.
Epiphanes *à ſacrilegio, furiis conſcientiæ exſtinguitur*, l. 2. c. 83. n. 44.
Epiſcopus *an Fiſcum habeat?* l. 2. c 136. n. 15.
Epiſcoporum *& Clericorum ſacra aucupia & iniquitatis myſteria*, l. 2. c. 149. num. 11. 12. 13. 14. 15.
Epiſcopi *& Abbates quare in numerum Principum cooptati, & Regalibus inſigniti*, l. 2. c. 149. n. 16. & 17.
Epitaphiorum *inſana frequentia & luxus, ac nimii funerum ſumptus mulctis pecuniariis coërcendi*, l. 2 c. 148. n. 18.
Epularum *ſumptus legibus cohibendi*, l. 2. cap. 99. n. 20. 21. 22. 23. & ſeqq.
Equus *quibus DIs ſacer fuerit?* lib. 2. cap. 4. n. 9. *Flens equus præſagit triduo ante Cæſaris mortem*, n. 10.
Equa *Regis Scytharum memorabilis*, n. 12. *quis primus equos currui invexerit?* n. 15. ib. *apologus de Equo, qua ratione primum ſeſſorem admiſerit?* n 16.
Equorum *indoles accuratè deſcripta*, n. 8.
Equorum *colores*, d. c. 4. n. 18. *fortitudo*, n. 19. *cura, educatio, aſſuefactio, pictio*, n. 20.
De Equo Æſopico *notabilis fabella*, l. 2. c. 55. n. 7.
Equitatus *nimius culpatur*, l. 2. c. 108. n. 1.
Etheſei *venti*, l. 1. c. 27. n. 8.
Eveſes *tantam pecuniæ ſummam depoſcebat, quanta non dari potuit, modò ut id, quod vellet, obtineret*, l. 2. c. 145. n. 50.
Evangelii *prædicatio non facit Reges*, lib. 1. cap. 6. n. 78.
Eunuchi *& caſtrati ad aulæ miniſteria cur adhibet*, l. 2. c. 135. n. 11. *quomodo olim arcerentur ab Eccleſia Judæorum?* ib. n. 12.
Exactorum *malitioſorum deſcriptio*, l. 2. c. 130. n. 7. *ubi & de aſtutia Quæſtorum detecta ad occultandas divitias*.
Exemplo *& imitatione plus efficitur, quàm pœnâ*, l. 2. c. 96. n. 7.
Expectans, Anwartung/ Geding/ *quid?* lib. 2. c. 40. num. 1.
Exactiones *erunt Subditis gratiores, quò certiùs conſtiterit, ad quem finem deſtinentur*, l. 2. c. 54. num. 3.
Exemptionis *quæſtione pendente poſſeſſor tam diu ſolvere tenetur collectas, donec aliud in poſſeſſore decidatur*, l. 2. c. 92. n 17.
Extenſio *in pœnalibus prohibetur*, lib. 2. cap. 139. n 64
Extenſio *in pœnalibus non admittitur*, l. 2. c. 85 n. 64.
Extenſio *de caſu ad caſum non eſt facienda in odioſis*, l. 2. c. 39. n. 17. & l. 2. c. 85. n. 68. 69.

F.

FActum *in lite exponendum, non jura multa alleganda*, l. 2. c. 126. n. 12.
Familiæ *emortuæ*, l. 2. c. 40 n. 25. 26. 27. 28. 29. 30.
Farneſiorum *potentia*, l. 1 c. 18. n. 16.
Fatuitas *eſt, ſua perdere, ut rapias aliena; quod multis oſtenditur*, l. 1. c. 19. n. 6. & 7.

Favori

Favori *pro ſe introducto quilibet renunciare poteſt, l.2.c.84. n.108.*
Feuda *caduca Imperatori aſſervanda, lib.1. c.4. n.49.*
Feloniam *incurrunt, qui in denumeratione rerum feudalium refractarii ſunt, l.2.c.38.n.4.*
Fercula *ferculis apponuntur, menſaq; muneribus gravantur, l.2.c.99.n.5.& 7.*
Ferri *utilitates, l.2.c.31.n.1. & varius uſus, l.2. c.68.n.6.*
Ferrum *optimum, peſſimumq; vitæ inſtrumentum d. cap.31.num.2. & cap.68. num.7. reperitur in montibus, in agrorum planitie, etiam in aquis, d. c.31.n.3.*
Ferrum *purum & dives juxta magnetis venas viſitur, n.4. ferri agri fertiliores in Styria & Luſatia, n.6.*
Ferri *transmutatio in æs & cuprum, n.7. & 10. Aquæ ſunt in Hungaria, quæ ferrum erodunt & conſumunt; quo ferro pereſo manet aliquid luto ſimile, eſtq; cuprum, n.9.*
Ferri *& chalybis fodinæ in Helvetia, ſed parùm uſitatæ, n.11.*
Vide Chalybs.
Feuda *dignitatum naturâ ſuâ ſunt indiviſibilia, l.2.c.37. n.1.& 3. diviſiones Ducatuum tollunt dignitatem Imperii & Ducum, n.5.& 6.7.*
Feudorum *regalium indiviſibilitatem Hiſpani, Galli, Angli & Scoti in minoribus feudis tenaciter obſervant. ib. n.89.*
Feudalis ſucceſſio *non dependet ex pacto, ſed ex conſuetudine, cui Imperator derogare nequit, ib.n.90.& 91.*
Feudum *an in commiſſum cadat propter aſſertionem Vaſalli dicentis, ſe ignorare, an quod poſſideret, feudale eſſet, nec ne, cùm tamen ſciret eſſe feudale, l.2.c.38.n.15.*
Feudi *privatio pœna eſt graviſſima, quæ non infligitur, niſi in caſibus expreſſis, ib.n.16.*
Feudi *aperta denegatio gravior eſſe videtur, quàm dubitativa reſponſio, n.17.*
Feudum *negare, & dubitanter reſpondere, & doloſè, paria ſunt, n.19.& 20.*
Feudum *ipſo jure apertum Dominus propria authoritate avocare vel occupare nequit, ibid.n. 24.25. Limitatur, n.26.*
Vide Caducitas feudi.
Feuda *vel ob generationem finitam, vel culpam aperta Fiſco applicanda, nec ad quorumvis inverecundam petitionem elargienda, lib.2.c.40. num.2.*
Feudum *an proximioribus agnatis vel hæredibus reinfeudari debeat? d. c.40, n.3.*
Feudorum *caducorum in Fiſcum relatio ſalutare remedium ad reſtabiliendas Imperii vires eſſe perhibetur, n.4. idq; experta Gallia, n.5.*
Feuda *Imperio aperta, noviſſimis Imperii Capitulationibus incorporanda, d.c.40.n.10. Capitulationum formalia, n.12. Regis Galliæ Legati hac de re ſententia & relatio, n.13. Epiſtola Stutzelii Cancellarii Imp. Maxim. I. non obſcurè innuens, etiam tum temporis Imp. reinfeudationem feudorum Imp. apertorum abſq; Electorum conſenſu minimè permiſſam fuiſſe, ib. n.15.*
Feudi *qualitas ſicut fuit apud venditores, ita apud emptores permanet, d.c.41.n.14.*
Feudum *tranſit ad fœminas, ubi ſervitia perſonalia per ſubſtitutum expediri poſſunt, ibid. n.19.*
Feudalis obligatio *magis rem, quàm perſonam reſpicit, num.25.*
In feudis *diſquiſitio qualitatis perſonæ neceſſaria, n 48.*
Feudum *novum quod dicatur? n.70.*
Fidelitas *Vaſalli perſonæ, non rei cohæret, 2.c.41. n.45.46.47.*
Vide Fœminæ, Juramentum fidelitatis.
Fiſcus *unde dicatur, l.1.c.2.n.8. Fiſci ærarii diſcrimen, n 9 10.11.12.13.*
Fiſcus *ex aliena calamitate non debet compendium ſectari, l.2.c.63.n.3. & c.85.n.101.*
Fiſco *incumbit impenſa, quæ fit pro punitione criminis, l.2. c.85. n.105.106.107.108.109.*
Fiſcus *quandoque dicitur burſa malè acquiſitorum, l.2.c.116.n.35.*
Fiſco *danda malè quæſita & retenta, & confiſcata in pœnam. l.2.c.127.n.19.20.21.*
Fiſco *defertur duplum pretii emptionis ementis domum, ut demoliatur, d c.127.n.22.*
Fiſci *Regalia ad augendum Imperatoris ærarium pertinent, l.1.c.4.n.47. Vide* Regalia.
Fiſco *pingueſcente macreſcunt Reipub. membra, l.2.c.134.n.8.*
Fiſcus *ubi non reperitur in ſpecie privilegiatus, utitur jure privato, lib.2. cap.136 numer.43. non poteſt expellere poſſeſſorem, & non citato, & non diſcuſſo de juribus ſuis eod.c. n.38. ubi habet legitimum contradictorem, non debet rem, quam petit, auferre à poſſeſſore, lite pendente, n 40.*
Flagellatores annonæ *ſummam penuriam poſſunt cauſare, l.2.c.82.n.1. puniantur iſti, ut Ærario & communitate conſulatur, num.2.& 3. corripiantur ſeverè, qui corruptam annonam vendunt, n.4.*
Fleiſch und Meelpfenning *victualibus, carni puta, farinæ, pani aliisq; rebus minutiſſimis imponitur, l.2.c.78.n.4.6.& 7.*
Florenus *unde dictus? l.2.c.84.n.50 51. omnes contractus olim ad florenos directi, n 52.*
Florentini, *Lucenſes, Senenſesq; quanto pretio libertatem ab Imperio redemerint? lib.2. cap.4. n.59.*
Florum *cura & honor ſtupendus in exteris nationibus, l.2.c 3.n.10. florum inani munere beari putant defunctos, ibid. n.11.*
Florum *& herbarum ſpecies peregrinæ, nunc nobis familiares, d.c.3.n.14.*
Florum *exoticarumq; herbarum deſcriptio poëtica, n.16.*
Florum *nimium ſtudium, ibid. n.21.*
Flumen *quantum agro alicujus adjicit, tantundem alterius agro ſemper detrahit, lib.2. c.63.n.4.*
Fluminum *publicus uſus eſt, d.c.63.n.11. & in flumine publico nihil mutandum, n.12.*
Flumina *quare Regalibus aggregata? d.c.63.n.15. in flumine publico jure Romano poterat quis jus piſcandi ſibi acquirere, ibid.n.17.*
Fodinas *habentibus, peculiares officinas monetarias habere, & tantum ex auro & argento. quod ex fodinis ſuis conſequitur, monetam cudere licet, l.2.c.84.n.58.*
Fœdera *Gallorum, aliorumq; Regum & vicinorum Principum ac communitatum cum Helvetiis, l.1.c.15.n.13.& 14.*
Fœderis *Gallici cum Helvetiis icti encomium, ib. num.17. fœdus hoc renovatum Anno 1624. ibid n.18.*
Fœderis *formula inter Athenienſes & Lacedæmonios, l.2.c.93.n.32.*

Fœdrum *à Germanico* Futter/ *l.1.c.4.n.51. alia Fodri acceptio,n.52.Regalibus accenſetur,n.53*

Fœminæ *quando ad juramentum fidelitatis præſtandum arctari poſſint? l.2.c.41.n.71.72.*

Fœnus *ab uſura quid differat, & unde dictum? l.2.c.19.n.9.19. aſpidis morſus, n. 15. latrocinium,parricidium, n.17.18.19.20.21. & hoſtile eſt commercium,n.22.*

Fœnebre *malum cenſoriâ virgulâ notandum, d. c.19.n.1. Alphonſi Regis Arragon. & Neapol. de fœneratoribus judicium,ibid. n.5.*

Fœnebre,*funebre & vetus urbi malum,n.12.priſcis ſtudioſiùs cohiberi ſolitum, n.13.*

Fœnerari *ex ſententia Catonis quid? n.14.*
Vide plura in verb. Uſura, Uſurarius.

Fœneratorum *ingluvies videtur per montem Pietatis præcaveri,& quadam pietate egentioribus conſuli, l.2.c.20.n.16.*
Vide Mons Pietatis.

Fontes *miraculoſi in Creta & prope Carthaginem, l.2.c.13.n.22.*

Fontes *quidam homines vini more temulentos, num. 24. alii hebetes, num. 25. alii ſubtiliores reddunt, n.26.*

Fontes *duo in Bœotia, quorum alter oblivionem inducit, alter memoriam illuſtrat, n.27.*

Fora *Boaria, Equaria, Suaria, Piſcaria,Piſtoria, Frumentaria, &c. afferunt Reip. emolumentum,l.2.c.10.n.3.*

Foreſtalis *jurisdictio quid comprehendat? l.2. c.2. n.21.*

Foreſti *jus habens, poteſt ſaltuarios conſtituere, ſylvam cingere, ne arbores exſcindantur, inhibere,contrafacientes mulctare,l.2.c.2.n.23.*

Forſt/ Maſt/ Holzgeld/ *ibid.n.24.*

Forma cenſualis *apud Dionyſium Halicarnaſſæum, l.2. c.52. n.5.*

Fortalitia *& propugnacula in Regno Sueciæ,l.1.c.9. n.54.55.56.57.58.59.Vide* Munimentum.

Fortunæ *olla,ſive ludus urnæ, lottariæ,* Glückhafen/ *l. 2.c.118. n. 1. redolet quandam fraudis ſuſpicionem, n.4. improbata ab Sigismundo Suevo, ib.n.2. Ovveni lepidum Epigramma, n. 3. In Belgio Collectæ etiam fiunt per ſortes, ſive ſortilegia publica,* offentliche Lotterenen/ *in quibus lucrum, quod capitur, ad res pias vel communem utilitatem refertur, n.5. Quid in hoc contractu potiſſimùm obſervandum, n.8.* Gewinn und blinde Zettuln/ *ibid.n.7.*

Franciſcus I. *Galliæ Rex riſit inanes Regum Hiſpaniæ titulos, l.1.c.7.n.51.*

Fraudes, *Idoli Status, quas,ut ſummam prudentiam, ejus cultores Principibus venditant, lib.2. c.149.n.56.57.58.*

Fraus *magna ſæpè ſub magna ſpecie utilitatis latet, l.2.c.84.n 6.*

Fructus *annui, etiam in modico permiſſum interuſurium, in emptione annuorum redituum ſuperantes, reddunt iſtum contractum illicitum & uſurarium, l.2. c.19.n.32.*

Fructus *pignoris ſortem extenuant, ibid. n. 51. & l.2.c.49.n.18.*

An emens rem furtivam, *illam absq; reſtitutione pretii vero Domino reſtituere teneatur? n.9.*

Frugalitate *& continentiâ pecunias parari ſatiùs, quàm non ſatis honeſtis rationibus, lib.1.cap.1. n.90.*

Frugalitatis *encomia præclara, lib.2.cap.95.n.44.*

Frugalitas *veterum Romanorum in vaſis domeſticis & utenſilibus comparandis, lib.2.cap.96. num.9.*

Frugalitas *Lacedæmoniorum, eorumq; præcepta, frugales mores in uſum revocantia,lib.2.c.95. n.24.25.*

Frugalitas *& parcimonia Trajani Imp. l.2.c. 103. n.9.*

Frugali Principi *deeſſe pecunia non poteſt, ibidem n.7.*

Frugalitate *Princeps ſuæ valetudini & Ærario, Subditis exemplo rectè conſultum credat, lib.2. c.106.n 7.*

Frumentum, *vinum & oleum graviores uſuras admittit, quàm pecunia, l.2.c.19.n.77.*

Frumento *vel hordeo mutuò dato, uſuræ ex pacto debentur, ibid n.78.*

Frumentum, *fruges & proventus quid differant. l.2. c.1.n.68. Frumentorum varia genera, ib. n.69.*

Frumentatio, *ſi quid aliud, indicat Romanam magnitudinem, l 2.c.81.n.5.*

Frumenta *Principi coëmenda, cùm affluunt, ut, cùm defecerint, inde Subditis conſultum ſit, ib. n.6.*

Fundationes *piæ diris & exſecrationibus quibusdam munitæ,l.2.c.83.n.46.47.48.*

Furni *bannales,* gemeine Backöfen/ *lib. 2. cap.14. num. 1.*

Furni *portatiles primò ex fictilibus, deinceps ex ære & ferro facti, d. c.14. n.4.*

Fures *minutiarum in compedibus agent ætatem; publici verò & ſplendidiores in auro & purpura, l.2.c.142.n.10.*

Furtivæ *rei vetitum eſt dominium, lib. 2. c. 115. n.4.*

Furtivas *res an, & quomodo Magiſtratui occupare liceat? d. c.115.n.1.2. & 5.*

Furti *prætextu Officialis quidam hominem ob 500. aureos ad patibulum iniquè condemnat, ib.n.6. Statuto vel conſuetudine induci nequit, ut furtivæ res Judici committantur, ib. n.2. Ratio, n. 3. Jure Saxonico judex rem furtivam ſervat per annum & diem, n.7.*

Furtum *ter commiſſum morte plecti poteſt, lib. 2. c.141. n.22.*

G.

Gabella *cauponaria. Vide* Umgeld.

Gabella *vini, frumenti, carnis, piſcium, &c. Ærarii egeſtas levatur, l.2.n.78.& per tot. Vid.* Vectigal.

Galba *omni parte vitæ omnes prodigos ſuperavit; Vitellius Galbam prodigalitate in epulando, lib. 2. cap.44. num. 5.6. donationes & beneficia, decimâ ſaltem parte relictâ, revocari juſſit, l.2.c.45.n.15.*

Gallia *in meditullio Chriſtiani Orbis ſita, l.1.c.7. n.2. utroq; latere habet maria, n.3.*

Galliæ *Regnum munitiſſimum, n.4. omnibus ſui partibus unitum, n.5. ejuſdem termini, n.6. oppidorum numerus, n.7. loca deſerta & occulta, n.8. frugum abundantia, n.9. fluviorum multitudo & opportunitas, n. 10. quorum XL. in Ducatu Andegavenſi numerantur, n.11. Civitates ad mare ſitæ, n. 12. vini in quibusdam provinciis copia præſtantiaq;, n.14. opulentia indigenarum, n.15. argenti, argenteæq; ſupellectilis abundantia, n.16.*

Galliæ *potentia in quo conſiſtat? n. 17. in incolarum numero, n.18. munitiſſimis caſtellis, n. 19. in Cataphractis equitibus magis, quàm peditibus, n 20. multis tormentis bellicis, n.21 Nobilium virtute, n.22. plebis patientiâ, n.23.*

Gallia beata ante extraordinariorum tributorum neceſſitatem, n. 24. quæ nunc nominibus vix indigitari poſſunt, n. 25. Redituum Regis incrementum, n. 26. Henrici II. incommoda adminiſtratio, n. 27. Franciſci II. modus locupletandi ærarium, n. 29. patrimonium Regum, n. 30. Quintæ & Requintæ, aliaq; jura dominicalia, n. 31. tributa perſonalia & realia mixta, n. 33. 34. Rex quid ex hiſce reditibus percipiat? n. 39. compendium è breviculo tributorum ſecundùm ſingulas generalitates, n. 40. Regalia quid? n. 41. 42. reditus Eccleſiaſtici, n. 43. 44. Epiſcopatus aliiq; ſacri ordines in hoc Regno recenſentur, n. 45. Indictum Regis Clero indultum, n. 46. Decimarum exactio, n. 47. pecuniæ ex conceſſione privilegiorum corrogatio, n. 48.

Gallia & Hiſpania ſunt quaſi lances in Europa, n. 58.

Gallia ſtipendiaria Romanis facta, quantum pependerit, l. 2. c. 79. n. 25.

Gallia fertilitate beata, in qua nulla ſolitudo, nihil vacuum, & deſertum nihil, l. 2. c. 1. n. 38.

Galli immunitates magno pretio rediment, lib. 2. c. 110. n. 6.

In Gallia fruſtra inquiritur, an in vagas libidines & ſcortationes animadverti debeat? l. 2. c. 141. n. 76. 77.

Galliæ inſtitutum laudatur, quo primò in tenues, & ſecundò in Regiam, tertiò in ſarta tecta impenſum eſt, l. 2. c. 133. n. 21. 22. 23. 24.

Ganea prope Meretricum taberna, lib. 2. cap. 59. n. 13.

Ganeæ & popinæ cur vetandæ vitandæq;, earum incommoda, n. 14.

Vide Caupona, Hoſpitium, Popina, Taberna.

Gazophylacia in Eccleſiis reformatis qualia? & ubi, quomodòve colligantur? l. 1. c. 2. num. 43. 44. 45.

Gemeiner Pfennig/ l. 2. c. 53. n. 30.

Gemmarum, Lapillorum, Margaritarum diſcrimen, lib. 2. cap. 34. num. 2. admiranda pretioſitas, num. 3. & 4. Cleopatræ uniones, eorumq; pretia, n. 6.

Gemmarum & unionem copia ex America, n. 7. Vectigal ingens, n. 8. operationes gemmarum inſigniores, n. 9.

Gentilium conſuetudo de medicatis defunctorum corporibus domi aſſervandis, lib. 2. c. 148. n. 2.

Geranii jus differt à jure Stapulæ, l. 2. c. 16. n. 8. 9. 10.

Germania à bello ad ſaniora pacis conſilia revocatur, lib. 1. cap. 4. num. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. & 29.

Germania in decem circulos diviſa, num. 122. in hac belli calamitate ſe continuis maximisq; tributis ferendis parem eſſe videt, lib. 2. cap. 52. num. 10.

Germania noſtra jam plurimùm diſtat ab eâ, quam Cornelius Tacitus deſcripſit, lib. 2. cap. 1. n. 36.

Germanorum veterum humandi mos, l. 2. c. 148. n. 29.

Gewinn und blinde Zettuln/ Vide Fortunæ Olla, Lottaria.

Glandis legendæ jus an competat Domino proprietatis, vel ei, qui juriſdictionem foreſtalem habet? c. 2. n. 24.

Glaßbrenner/ Vide Vitriarii.

Græcorum ἀμνηςία, lib. 2. cap. 88. in redemptione captivorum humanitas, ibid. n. 9. & 10.

Granalliæ concoctiones, conſtitutiones, aliæq; ſimiles impoſturæ ſeverè prohibitæ, lib. 2. cap. 44. num. 72.

Guidagium ex literis publicis, vulgò pollet, lib. 2. c. 76. per tot.

Griſianorum præfractum conſilium contra eos, qui importunè flagitabant largitiones, remunerationesq;, lib 2. c. 45. n. 10.

Guloſis appetitibus qui implicantur, monſtra veriùs & pecudes, quàm homines habentur, l. 2. c. 99. n. 8.

H.

HÆredum conventionalium genus veteribus ICtis incognitum, l. 2. c. 37. n. 108.

Hæreſis ferè nulla unquam fuit, quæ non habuerit fœminam adjutricem vel auctricem, l. 2. c. 86. n. 30.

Hæretici an igni, ferro, &c. extirpandi? Pontificiorum hac de quæſtione doctrina & praxis, l. 2. c. 86. n. 9. Noſtrorum Theologorum veroſimilis ſententia, ejusq; rationes, n. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21.

Hæretici qui ſint? & quomodo differant à Paganis & Schiſmaticis, l. 2. c. 86. n. 8. priùs declarari debent, quàm confiſcatio bonorum ſortiatur effectum, d. c. 86. n. 7.

Hæreticorum bona publicantur, l. 2. c. 85 n. 37. & c. 86. n. 5. Veneficii crimen hæreſis eſt, ibid. n. 38. 39. Vide tamen n. 50. & 51.

Hæreticos inter & Lamias ratione pœnæ notabilis eſt differentia, d. c. 85. n. 84.

Vide Sagæ, Sortilegi, Veneficæ.

In Hæreticos ſeditioſos Magiſtratui animadvertere licet, l. 2. c. 86. n. 23 24. 25. B. Auguſtini de hæreticorum zizania igni exurenda, ferroq; ſuccidenda opinio, d. c. 86. n. 22. Hageſtoltzen/ & eorum pœna, l. 2. c. 141. n. 43.

Haleces olim ad Norvvegiam ſtativa habuerunt; hodiè Britanniam immenſis exercitibus circumnatant, l. 2. c. 14. n. 32. & l. 2. c. 35. n. 9. & 10.

Halecum ſaliendarum ratio à quo inventa, & quanti facta? d. c. 14. n. 33.

Heliodori ſacrilegi pœna, l. 2. c. 83. n. 29.

Helvetii non habent ærarium, quo nec egent, lib. 1. c. 15. num. 1. ſunt tamen, quibus publicæ pecuniæ cura ſit commiſſa. n. 8. ibid. Baſileæ ſunt Triumviri, qui ſanctioris Ærarii ſummam curam gerunt, n. 9. vini, ac frumenti, quod quisque civium domi abſumit, nullum datur vectigal, num. 10. Quæſtor, qui ærario Eccleſiaſtico præficitur, n. 11.

Helvetiorum indoles in bello, d. l. 1. c. 15. n. 12. V. Fœdera.

Heracleotarum ſtipendiaria negotiatio, l. 2. c. 145. n. 11.

Herbæ & plantæ, quarum fit mentio in S. Scriptura, l. 2. c. 3. n. 45. Vide plura in verb. Florum cura, &c.

Hetruriæ Ducatus nobiliſſima pars Italiæ undiq; præmunita, lib. 1. c. 17. n. 1. 2. 3. 4. 5 6. 7. 8. 9. 10. Florentini & Senenſis agri conditio, n. 11. & 12. Senenſium opes in agricultura, Florentinorum in mercatura divitiæ conſiſtunt, n. 13. 14 cernuntur in bellis & ædificiis, n. 19. de clero Ducatus, ex coq; reditus, n. 17.

Hetruriæ Ducis opes in territoriis, ib. n. 18. Subditorum divitiis, n. 19. Ejusdem reditus varii, n. 20. Florentini pro bonis immobilibus decimam

ſolvunt, n. 21. reditus ex officina monetaria, mulctis, bitumine, n. 22 23. Quomodo Princeps privatorum opibus utatur, n. 24 hodierna Ducum opulentia, n 25. ex quibus lucrum faciant, n. 26. Theſaurus Ducis Ferdinandi, n. 27. Computatio redituum tam ordinariorum, quàm extraordinariorum, 28 de expenſis in miniſtros n. 29. Aula Ducis deſcribitur, n. 30. Senenſium priſtina libertas. n. 32. Principatûs firmiſſima conſtitutio, n. 33. Princeps Papam, Hiſpaniæ & Galliæ Reges, amicos habet, n. 34.

Hippiæ *diverſi emungendæ pecuniæ modi, lib. 2. c. 145. n. 4. 5. 6. & 7*

Hiſpani *Regis Imperium deculpo amplius, quàm Turcarum, & majus eſt, quàm Romanum, quando vel maximum fuit, l. 1. c. 6. n. 2. & 3. Quid in Europa teneat, n. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15 & 18. 19. In Africa & Aſia quid poſſideat? n. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. In America quid? n. 36. 37. & ſeqq. ubi multa de Novo Orbe, ejusq; diviſione & incredibili amplitudine, n. 38. 39. 40. 41. 42. Imperii Mexicani ſive Novæ Hiſpaniæ diviſio, n. 43. Metropoles, Epiſcopatus & Archiepiſcopatus; & Regis Hiſpaniarum ex his reditus, num. 44. 45. Nova Hiſpania variis indigenis abundat, num. 46. Chichimecæ inter illos crudeliſſimi, & num. 47. Quid in America Meridionali & Auſtrali Rex Hiſpaniæ poſſideat? & quales ex Nova Hiſpania & Peruvia reditus Regi ſubminiſtrentur? n. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. Inſulæ Philippinæ, earumq; numerus, n. 57. 58.*

Hiſpanorum Officialium *fraus in erogatione ſtipendiorum militarium, ib. n. 18.*

Hiſpani *quo jure Indis bellum, ſervitutemq; intulerint? d. c. 6. n. 72. An Authoritate & conceſſione Alexandri IV. Pontificis? Neg. n. 73. Regis Peruani Attabalipæ ad hoc argumentum reſponſio, n 74.*

Hiſpanorum *in Indos crudelitas, ibidem numero 79.*

Hiſpani *auri cupiditate Indias occiduas indagarunt, n. 84. 85. utramq; Indiam ſibi ſolis vendicant, n. 86.*

Hiſpanicum ærarium *conſtat regio patrimonio, cujus quantitas hactenus ignorata, d. c. 26. n. 89. Alcavala, n. 90. Almoxariff. n 91. & quid illud? n. 120. 121. annuis tributis, n. 92 decimis omnium mercium undequaq; advectarum, n. 93. Vectigali lanarum evectarum, n. 94. & 119. Vectigali ex moneta Hiſpanica, n. 95. & 122. tributo mancipiorum & triremium, n. 96. & 130. reditu annuo ex ſingulis focis, n. 97. ex herbis & paſcuis, n. 98 & 124. ex argento vivo eruto, n. 99. & 125. ex fodinis Guavalcanæ, quæ argenti ſunt, n. 110. & 129. ex chartis luſoriis, n. 101. & 139 ex pannis invectis in Hiſpaniam, n. 102. ex piſcatura, n. 100. ex reditu Ordinum militariũ S. Jacobi, Caltravæ & Alcantaræ, n. 193. & 123. ex bullis Papalibus, n. 104. & 126. tertio numo ex omnibus Eccleſiis, n. 105 item Decimâ ex omnibus bonis Eccleſiarum, n. 106. 127. 128. vectigali ex ficcis portubus, n. 117. & 118.*

Hiſpaniæ Rex *percipit duos milliones ducatorum à populo extra ordinem, n. 107. in neceſſitate ad contribuendum adigit, ſed non niſi cum Pontificis conſenſu, n. 109. Hugo Linſcotanus quomodo annuos Regis Hiſpaniarum reditus recenſeat? n. 10. 111. 112. 113. 114. 115. 116. India Hiſpanica quantum Regi annuatim pendat? & quid Navarra, Valentia, & cætera Regna? n. 131. 132. 133. 134. 135. 136. 137. 138. Reditus hi in unum contracti quid faciant? n. 140. Reditus Portugalliæ, num. 142. & 147. Magiſtratuum Ordinum Militarium, num. 143. Guineæ, num. 144. Braſiliæ, 145. aromatum, aliarumq; mercium, n. 146.*

Hiſpaniæ *Rex totius Orbis poſſidet Ærarium, num. 148. & eſt illi uxor, quæ dotem attulit potentiæ perpetuitatem, num. 149. eſt novus Archimedes, num. 150. Ejus expenſæ anniverſariæ rationes accepti æquant, & interdum ſuperant, num. 151. Boterus altiori buccinâ, quàm par eſt, Regis Hiſpan. potentiam decantat, n. 152. Colinii judicium ex Noalii cenſura, n. 154. nec non Trajani Boccalini hac de re ſententia & lepida fictio, n. 155.*

Hiſpania *mole ſuâ laborat, n. 156. Remedium Boteri huic incommodo paratum, n. 107. & quale illud ſit? n. 188.*

Hiſpanorum *terreſtres copiæ, num. 159. Milites in agris collecti rudes, facilè in prælio ſuperantur, itemq; de militibus conductitiis, n. 161.*

Hiſpaniæ ærarium *jampridem exhauſtum, num. 162.*

Hiſpania *ſimilis corpori humano immaturæ proceritatis, n. 163. hujus caput, n. 164. ſtomachus, n. 165. rivales habet Gallos, Anglos & Batavos, n. 168. ditiones hujus regni ſibi invicem auxilio eſſe nequeunt, n. 169. ab externis hoſtibus non ſatis tutæ, n. 171. Boterus in quo fallatur? n. 172. Idem in demonſtranda harum ditionum ſecuritate oleum & operam perdit, n. 173.*

Hiſpanis *ab ipſis barbaris, præſertim Chichimecis, cavendum eſt, n. 170.*

Hiſpani *Regis Provinciæ & Regiones à Belgis exhauriuntur, n. 176.*

De Hiſpanorum *conatu ad Imperium unicè obtinendum, n. 177.*

Hiſpaniarum *Rex opibus Rege Galliæ longè inferior, c. 7. n. 49. imperio ſuo integrè uti nequit, n. 52. ibid.*

Hiſpanorum *proverbium, d. c. 7. n. 54.*

Hiſpania *& Gallia ſunt quaſi lances in Europa, ib. n. 58.*

Hiſpanorum *æmulatio adversùs Gallos propter fœdus cum Helvetiis, l. 1. c. 15. n. 14.*

Hiſpani *ſex Conſilia & Curias habent totidem, l. 2. c. 143. n. 16. 17. 18. 19. & 20.*

Hiſpanorum *ſævitia & avaritia in exquirendis Regum Indorum ſepulchris, lib. 2. cap. 148. num. 27.*

Hollandia *reliquas Belgii provincias ſuperat, l. 1. cap. 14. num 36. Hujus miracula, num. 37. 38. Amſtelodamum emporium opulentiſſimum Hollandiæ, num 39. Theſaurarii & Rationarii, ibid. num. 40. 41. ex oneribus & vectigalibus ædium nummus quadrageſimus Provinciæ cedit, num. 42. Acciſa Urbi, Impoſta Provinciæ aſſignata, num 43. 44. Summa vectigalis oppidi annuè 43800. floren. excedit, num. 45. quantum Impoſta, num. 46. Stabilitas unitarum Provinciarum Belgii, n. 47. publica libertas vicinorum, iſtarum Provinciarum inſolubili unione firmatur, num. 48.*

Hollandiæ *tributa extraordinaria triplicia ſunt, (1) Capitis, (2) Caminorum, (3) Ducenteſima, cap. 14. num. 53. 54. 55. 56. 57.* Ordinaria *tributa quotuplicia ſint? num. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74.*

74.75.76.77.78.79. & num. 90. 92.93.94.95. 96.97.98.99. 100. 101. *Vectigalia quædam colliguntur, quædam elocantur, num.* 102. *elocandi ratio quomodo peragatur? num.* 103. *ad præveniendas civium fraudes duo utiliter reperta ſunt, num.* 104.105. *Collegia Societatum utriusque Indiæ, Orientalis, & Occidentalis. Vid. in verb.* Societas.

In Hollandia *ſupellectilis nitor & ſplendor, l.* 2. *c.* 96. *n.* 15.

Holtzflöſſen *lib.* 2. *cap.* 15. *n.* 30.31.32.33.34.35.36. 37.38.39. & 40.

Homicida *non punitur pœnâ mortis, ſi non habebat animum committendi homicidium, lib.* 2. *c.* 142. *num.* 13. *non punitur pœnâ ordinariâ, ſi non habet directam voluntatem ad homicidium, licet de indirectâ voluntate conſtaret ratione culpæ, n.* 15.

Homicida *dicitur in culpa, ſed non in dolo, quando non habuit directum animum occidendi, n.* 16. *nunquam punitur pœnâ mortis, licèt fuerit in culpa, ibid. n.* 17. 18.

Homicida *aliàs bonæ conditionis & formæ, & qui aliàs non deliquit, non punitur pœnâ mortis, ſed extraordinariâ tantùm, num.* 25. & 32.

Homicidium *honoris defendendi causâ commiſſum excludit animum occidendi, d. c.* 142. *n.* 54. & *extraordinariè punitur, n.* 55. 56. 57. 58. 59. *Contrarium tenet Benedict. Carpzovius. n.* 60. *qui refellitur, n.* 61. 62. 63.

Homicidium *defendendi honoris causâ ex calore iracundiæ patratum non punitur pœna mortis, ſed mitiori, d. c.* 142. *num.* 66. *non ſolùm, ſi in continenti fuit commiſſum, ſed etiam ſi ex intervallo, durante causâ iræ, n.* 67. 68. *dummodò ad extraneos actus non divertat, num.* 69. & 70.

Homicidium *caſuale potiùs quàm deliberatum præſumitur, n.* 74.

Homicidarum *fugitivorum hæreditas an ſit fiſco applicanda? d. c.* 142. *n.* 12.

Homo *incenſo calore permotus, non eſt in plenitudine intellectus, l.* 2. *c.* 142. *n.* 53.

Homo *nudus mundum intravit, lib.* 2. *cap.* 148. *num.* 25.

Homo *poſt mortem non in arenam deſcendit, ubi feſtivitates & choreas ducet, ſed à vermibus conſumetur, d. c.* 148. *n.* 26.

Honorarium *protectionis,*
Vid. Salarium, Schutz- und Schirmgeld.

Ex honorarii *præſtatione non ſemper infertur jus Advocatiæ, l.* 2. *c.* 92. *n.* 31.

Honorum *collatio Ærario conducit, l.* 2. *c.* 110. *per tot. in exemplum adducuntur Veneti, n.* 1. 2. 3. *Vide quoque n.* 4.5.6.7. & 8.

Honorum mercatus *frequens eſt in Gallia, l.* 2. *c.* 109. *n.* 31. *Quo caſu honorum venditio pro ærario faciat, ibid. n.* 32. 33. 34.
Vid. Venditio Magiſtratuũ, & Officiorum. &c.

Horti *olitorii, aromatorii, coronarii, ubi & de horto Imp. Turcici, l.* 2. *c.* 3. *n.* 7. 8. & *hortulanorum ac ſeplaſianorum legibus, n.* 9.

Horti *herbarii vel Medici, ibid. n.* 12.

Horti *Saluſtiani, n.* 18. *Salomonis, n.* 22. *Alcinoi, n.* 23. *Midæ, n.* 24. *Heſperidũ n.* 25. *Adonidis & Tantali, n.* 26.

Horti *Ægyptiorum penſiles, n.* 27. *Cui tribuantur? n.* 28. *horum forma & figura, num.* 29. *Romanorum, Mæcenatiani, Enniani, Serviliani, Luculliani, item Julii Cæſaris, Auguſti, n.* 30.

Hortus & *Labyrinthus amœniſſimus in Ungaria, n.* 34. *In Italia,* Belvedere, *n.* 35. *In Gallia Pariſiis S. Germain & Fontainebleau, Gaillou, item hortus Medicus Montiſpelii, ibid. num.* 36. *in Anglia Noneſuch, Thibault, Franzgardin. num.* 37.
Vid. Luſtgarten in Teutſchland.

Hortus *Regius in America ex ſolido auro d. cap.* 3. *num.* 17.

Hortorum *cultura ad quid proſit? ibid. d. c.* 3. *n.* 39, 40. 41. 42. 43. 44.

Hoſpitia & *diverſoria inſtituantur, præſcribatur victus potusq́; ratio & pretium, obſerventurq́; hoſpites viatoresq́; ſuſpecti, l.* 2. *c.* 59. *n.* 1. 2. 3. *in Dania & Suecia Regnis Eccleſiæ miniſtris jus hoſpitalitatis conceſſum eſt, d. c.* 59. *n.* 9. *antiqua Teutonum & Suevorum liberalitas in hoſpites laudata, n.* 10.
Vid. Caupona, Popina, Taberna.

Hoſpitia *ſoli Principi licet gratis deſignare, l.* 2. *c.* 91. *n.* 10.

Hoſpitationis *nimiæ avertendæ modus argutus & feſtivus per Abbatem quendam uſurpatus, l.* 2. *c.* 91. *n.* 19.
V. Ausſpann/ Albergaria, Manſionaticum.

Hypotheca *tacita non cenſetur inducta, niſi expreſsè id lege cautum reperiatur, l.* 2. *c.* 42. *n.* 100. *An competat* Domino *directo in fundo emphyteutico ratione Laudemii, ibid. n.* 99. & 101.

I.

JAnizari *qui? l.* 1. *c.* 5. *n.* 42. & 45.

Japonia *quaſi corpus eſt variarum Inſularum, l.* 2. *c.* 24. *n.* 1. & 2. *deq́; ipſarum incolis, n.* 3. *Regna in hisce Inſulis in quas partes diſtributa? n.* 4. *ſingularum quantitates, n* 5. *Regna in tertia parte nobiliora, n.* 6. *eorum metropolis, n.* 7.

Japoniæ *Reges, n.* 8. 9. *regimen, n.* 10. 11. *videntur Tyranni, n.* 15.

Japoniæ *Regum potentia, opes & reditus in quibus conſiſtant? n.* 12. 13. & *n.* 17. & 18. *Dominiorum hujus regni mutabilitas, n.* 14. *de Subditorum animo erga Superiores, n.* 16. *ibid. Oſſacaiæ mercatura floret, n.* 18.

Jaurinum *Anno* 1597. *ab Adolpho Comite Schvvartzenbergico plusquam miraculosè recuperatum, l.* 1. *c.* 4. *n.* 14.

Immunem *cives oderunt; & datum quibusdam beneficium plebis injuria eſt, l.* 2. *c.* 47. *n.* 3.

Immunitatum *fraudes, ibid. n.* 1.

Immunitates *compluribus indultæ adaugent onera pauciorum, proinde Exemptiones augendo Ærario reformandæ, d. c.* 45. *n.* 2.

Immunitatibus *munerum maſculè contradicit Ægid. Thomatus, n.* 8.
Vid. Privilegium, Exemptio.

Immunis *ſi gravetur, & non appellet, privilegium perdit, l.* 2. *c.* 78. *n.* 17.

Imperator *an poſſit privare Ducem vel Comitem absq́; convicta culpa, & non præcedente legitimâ cauſæ cognitione? l.* 2. *c.* 40. *n.* 36.

Imperator *eſt ſupremus Advocatus & Defenſor Eccleſiæ Catholicæ, l.* 2. *c.* 92. *n.* 22.

Imperator *cur bicipitem, Rex verò Romanorum unicipitem Aquilam gerat? l.* 1. *c.* 4. *n.* 36 *centies centena millia ex ſuis opibus olim impendit, ut Germaniam in pace retineret, ibid. n.* 73. *Cur non in Imperio, ſed Pragæ reſideat? n.* 74.

Imperatores *olim ſolis annuis donariis contenti; & ſubſequentes Imperatores in Comitiis per modum blandæ compellationis ſibi ſubveniri petierunt, l.* 2. *c.* 53. *n.* 9. 10. & *n.* 21. *Quid hodie obtineat? n.* 11.

Imperator *pecuniâ collectâ pro lubitu uti nequit: ſi illâ opus non ſit, Ordinibus reſtituatur, aut ad ſimiles uſus aſſervetur, l. 2. c. 54. n. 10.*
Imperatoris Romani *patrimonium nullibi conſignatum reperitur, l. 1. c. 4. n. 45.*
Imperator *hodie pompam ſuo faſtigio dignam non ex Imperii reditu, ſed hæreditariis Provinciis tuetur, d. c. 4 n. 66. quantum exigente uſu militum numerum cogere poſſit, ibid. n. 127. antequam regni gubernacula capeſſat, juramento ſeſe Electoribus obligat, nihil ab Imperio alienaturum, l. 2. c. 49. n. 9. 10. 11. quare dicatur Auguſtus, d. c. 49. n. 4.*
Imperium *Romano-Germanicum an ſit Ariſtocraticum? d. c. 49 n. 12.*
Imperio Romano *quantum terrarum hodie reſtet? l. 1. c. 4. n. 61. ad Imperii Comitia quinam vocentur? ibid. n. 128.*
In Imperatoris *electione reſpectus eſt maximus ad opes, ut nimirum talis eligatur, qui ex patrimonio ſuo poſſit magnificentiam Imperialem tuerii, l. 1. c. 4. n. 89.*
Imperatores *ac Principes nonnulli in hortis conſenuêre, l. 2. c. 3. n. 29. & n. 31. 32. 33.*
Inceſtus *quando commiſſus dicitur? l. 2. cap. 139. num. 16.*
Inceſtas *nuptias contrahens teſtari nequit, d. c. 139. n. 7.*
Inceſtus *per illicitam copulam absq; nuptiis commiſſus non eadem, quâ inceſtæ nuptiæ, punitur pœnâ, d. c. 139. n. 13. Sed pro Aff. dicitur, num. 14.*
Inceſtus *inter pleroſque, qui à latere ſunt, prohibetur, n. 18. An avunculus cum ſororis filia, vel nepte, matrimonium contrahere poſſit? n. 19. an conjunctio fratris ſit interdicta? n. 20. an conjunctio patrui cum fratris filia jure civili prohibita? ibid. n. 22. & n. 29. 30. 31. 32. & n. 34. Concubitus patrui & fratris filiæ an licitus ſit? n. 23. an concubitus fratris cum fratris filii uxore inceſtuoſus ſit? n. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. Quænam pœna jure civili inceſtuoſis irrogetur? n. 51. 52. 53. An pœnæ juris civilis nuptiis inceſtuoſis præſtitutæ etiam hodiè locum habeant in iis, quæ ſunt inceſtæ ſaltem ſecundùm Juris Canonici diſpoſitionem? n. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. & n. 65. & 67. An quis uxorem ducere poſſit? n. 71. 72. 73.*
Inceſtus *pœna quænam ſit de jure civili? eod. cap. 13. n. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87.*
Vid. Adulterium.
Incorporatio *quid? l. 2. c. 40. n. 11. & c. 138. n. 2.*
Indictio *quid? & quomodo poſſit inveniri? l. 2. c. 80. n. 43. 44. 45. 46.*
Indignorum bona *Fiſco vindicantur, l. 2. c. 138. n. 1. & n. 38. 39. Indignorum & incapacium differentia, ibid. n. 3. & 4.*
Indignus *quis dicatur? n. 5.*
Indignus *redditur hæres, ſi non vindicet mortem defuncti, n. 7. an pœna hæc hodie ab aula receſſerit? n. 8. 9.*
Indigni *relictis qui efficiantur? n. 10. 11. 12. Plures caſus recenſentur, n. 13. 14. 15. 16. 17. 18. & n. 24. 25. 26 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. & n. 36. 37. Cauſæ & caſus, in quibus bona indignis adempta, non Fiſco, ſed privatis applicantur, n. 40.*
Individua *dicuntur etiam, quæ difficulter dividi poſſunt, l. 2. c. 37. n. 4.*
Indorum *ſuperſtitio de diluvio, & Virococa* Deo *non in prætextum belli trahenda, l. 1. c. 6. n. 83.*
Indiæ *Reges ſive Mogoles unde primùm oriundi, l. 1. c. 22. n. 1. contermini Perſis; cum quibus bello de imperio & Religione contendunt, n. 2. 3. Luſitani hunc Regem cogunt indigniùs n. 5. per Anglos & Belgas nunc eſt ſecurior, n. 6. Clades Luſitanorum accepta hic à Belgis, n. 7. Quot Ditiones & Regiones poſſideat, & unde ejus potentia æſtimanda? n. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15, 16. cenſus univerſus Regis facit 150. Tonnas auri, n. 17. Avus moderni Regis quantum theſaurum reliquerit, n. 18. & 19. Pater quantum reliquerit in numiſmate aureo, argenteo, gemmis & monilibus omnis generis, gladiis, vaginis, manubriis, pugionibus, vaſis argenteis & aureis, annulis, &c. n. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. Quibus arcibus ingens hic theſaurus aſſervetur, n. 30. quantam hæreditatem ab unico Principe defuncto hic Rex acceperit, ibid. num. 31.*
Inferior *contra legem Superioris non poteſt aliquid ſtatuere, l. 2. c. 85. n. 48.*
Injuriis *pax publica turbatur, l. 2. c. 123. n. 6.*
Injuſtitia *evidens an pro Nullitate habeatur? l. 2. c. 123. n. 51. 53. 54.*
Innocentius IV. *Pontifex ab Iſernia damnatus, quòd donationes revocaverit poſt obitum Friderici Imp. factas, l. 2. c. 45. n. 16.*
Inſtantia *& exemplo dato neceſſitas illationis generalis corruit, l. 2. c. 41. n. 29.*
Indulgentiæ *venumdatæ, l. 2. c. 149. n. 44.*
Inſulæ *Philippinæ novi Orbis quaſi appendices, l. 1. c. 5. n. 57. earum numerus, n. 58.*
Inſulæ *in Rheno natæ, ex antiquiſſima Palatinatus conſuetudine, Palatino, non vicinorum prædiorum dominis cedunt, l. 2. c. 63. n. 13.*
Inſulæ *in Rhodano exiſtentes Regi Galliæ olim adjudicatæ, ibid. n. 14.*
Intellectus *L. omnia, 5. C. de Pagan. & ſacrific. l. 2. c. 83. n. 30.*
Intellectus *& explicatio textus in l. non puto, ff. de jur. fiſci, l. 2. c. 85. n. 73. 74.*
Intellectus *l. 3. C. de malefic. & mathematic. ibid. n. 76. 77.*
Intellectus *L. quisquis, C. ad L. Jul. majeſt. l. 2. c. 137. n. 35. 36. 37.*
Intellectus *L. 5. ff. de quæſtionib. l. 2. c. 139.*
Interpretatio *delicti excluſiva in dubio capienda eſt, l. 2. c. 137. n. 56.*
Inventor *rei alienæ rem totam judici non tradit, l. 2. c. 115. n. 8. & 9.*
Inveſtituræ *renovationis neglectio mulctis pecuniariis plectendæ, ut Ærarium opuleſcat, & quid in hac re uſu obſervetur, l. 2. c. 38. n. 29. 30. & 31.*
Inveſtituræ *renovantur juxta formam priorum & antiquarum inveſtiturarum, l. 2. c. 41. n. 16.*
Inveſtitura *prima non alteratur per ſecundam factam in eadem familia; ſecus, quando feudum tranſit in alium titulum, ibid. n. 69.*
Inveſtitura *gratis facienda eſt; niſi aliud conſuetudine receptum ſit, l. 2. c. 42. n. 9. & 10.*
Joſephi *pudicitia ab uxore Potipharis tentata, l. 2. c. 141. n. 50. ejuſdem caſtitas, pietas, fides, gratitudo, prudentia, & integritas, num. 51.*
Iracundiæ *inconſultus calor vitio caret, l. 2. c. 142. num. 40.*
Irnerii *lapſus, qui collaterales in bonis damnatorum & proſcriptorum usq; ad tertium gradum, Fiſco excluſo, admittere voluit, l. 2. c. 140. num. 11. & 12.*

Imerius *in Auth. excipiendis ſæpè erravit, ibid. num. 13.*
Iſraëlitæ *Deo tributarii, l. 2. c. 79. n. 8. & 9.*
Italia *à Vitulis dicta, l. 2. c. 1. n. 30.*
Italiæ *Dynaſtæ portiones opulentas ab Imperio ad ſe pertraxerunt, l. 1. c. 4. n. 60.*
Jubilæi *Pontificii nundinationes, l. 2. c. 149. n. 40. & 41.*
Judex *litibus abbreviandis ſtudeat ſolertiſſimè, l. 2. c. 123. n. 2.*
Vid. Remedia litium abbreviandarum.
Judex *quibus caſibus poſſit cives ab inanibus litibus ſuſcipiendis repellere, l. 2. c. 123. n. 5.*
Judici *iniquo pellis detrahitur, in eaq; ad cautelam pro tribunali filius ſedere cogitur, l. 2. c. 122. n. 10.*
Judex *in pœnis imponendis ſervare debet loci conſuetudinem, l. 2 c. 130. n. 66.*
Judæi *an ob blaſphemias, exſecrationes & uſuras in Chriſtianorum Ditionibus non tolerandi? Neg. lib. 2. c. 62. n. 64. & 65. Rationes apologeticæ pro Affirmativa, n. 66. 67. 68. & ſeqq.*
Judæis *receptis an poſſit privilegium fœnerandi indulgeri? diſputatur in utramque partem, ibid. n. 72. 73. 74. 75. 76. 77. Principes Judæis uſuras illicitas permittentes infideles vocantur, & furum ſocii, n. 78. Vid.* Uſura.
Judæi *à Chriſtianis expulſi ad Turcas confugiunt, n. 69. primi omnium ad Turcas uſum machinarum bellicarum, aliaq; artificia cum ſummo Chriſtianorum damno detulerunt, n. 70.*
Judæis *licet manuum opere victus quærere, num. 89.*
De Judæorum uſuris vide plura in verb. Uſura.
Judæorum *collegia & Synagogæ quare permittantur? d. c. 62. n 42.*
Judæos *offendere vel perſonaliter, vel in bonis, prohibitum, l. 2. c. 14. & 29. & n. 17. 18. 19. Jus recipiendi Judæos eſt de Reſervatis Imperatori, d. c. 62. n. 1. Olim Judæis peculiaris judex Comes Wirtembergicus conſtitutus, n. 2 poſteà Electorib. ac Archiducibus Auſtriæ hoc jus conceſſum, n. 3. & 4. Hodie recipiuntur Judæi à Statibus vigore Regalium, privilegiorumve ſpecialium, n. 5. & 6 Contra eos, qui Judæos ſine privilegio fovent aut recipiunt, Mandata S. C. in Camera decernuntur, n. 8. & 9. nonnullis in locis etiam inferiorem jurisdictionem habentibus Judæos recipere licet, n. 10.*
Judæorum *receptio & tolerantia in S. Scripturâ nullibi vetita; jure verò civili & canonico permiſſa, d. c. 62. n. 12. & 13. Rationes, quare Judæi in terris Chriſtianorum tolerandi, n. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. & 30.*
Judæum *dolo occidens pœnâ ordinariâ tenetur, ibid. n. 31. & graviùs delinquit occiſor Judæi, quàm Chriſtiani, num. 22.*
Judæis *longè gravior jurandi formula præſcripta ac Chriſtianis, n. 31.*
Judæi *flavo ſuper veſtem annulo inſigniti, ibid. n. 32. quomodo & quibus conditionibus tolerandi? n. 33. 34. 35. ſemel admiſſi, ſi inculpatè vivant, ex Territoriis haudquaquam ejiciendi, n. 36. 38. 39. & n. 44. Paſſim nequitiæ & perfidiæ ſuæ pœnas dederunt, n. 45. 46. 47. 48. 49. An ad Chriſtianam fidem cogendi? n. 52. Filii Judæorum ad baptiſmum non rapiendi, num. 53. 54. 55.*
Judæi *tenentur legibus & ſtatutis locorum, in quibus degunt, d. c. 62. n. 56. utuntur jure Romanorum, n. 57. in filios jus patriæ poteſtatis habent, n. 58. Immunitas incolis conceſſa comprehendit Judæos, n. 59. non tamen ſolvunt jura migrationis, n. 60 ſunt etiam participes commodorum, ſecuritatis & privilegiorum, n. 61.*
Judæorum *perſecutio & citatio in civitatibus Imperialibus, ejusq; rationes & cauſæ, num. 50. & 51.*
Judæis *eorumq; ſociis data ſecuritas & fides publica, non eſt violanda, c. 62. n. 62. 63.*
Judæi *hodie negotiantur mercanturq; ſæpè dexteriùs, quàm Chriſtiani, ut hinc opus non habeant iniquiſſimis uſurationibus, n. 88.*
Judæum *obſtinatè permanere peccatum eſt in Deum, non tamen crimen hoc puniendum in externo foro, n. 42.*
Juramenta *fidelitatis & adſecurationis quâ reverentiâ & ſubmiſſione præſtanda ſint? l. 2. c. 41. n. 101.*
Juramentum *fidelitatis habet annexam reverentiæ exhibitionem l. 2. c. 41. n. 43. & per alium expediri nequit, n. 44.*
Vid. Fidelitas, Adſecurationis juramentum.
Juriſperitus *pro Conſilio, Advocatus pro Patrocinio rectè quid accipit; Judex pro ſententia non item, l. 2. c. 112. n. 20.*
Jus naturale *perpetua eſt prohibitio, etiam deficientibus; imò prohibentibus legibus civilibus, l. 2. c. 139. n 33.*
Jus reverentiale *nec præſcribi, nec pacto remitti poteſt, l. 2. c. 41. n. 98. & 99.*
Jus *profitentibus ſine lege quenquam interficere non licet, l. 2. c. 136. n. 96 97.*
À juſtitia *licitè in parvis ſubinde deviatur, ut in majoribus inviolata ſit, l. 2 c. 109. n. 41.*
Juſtitia *eſt coagulum humanæ Societatis, d c. 128. n. 3. eâ abſente, nulla fortitudinis utilitas, n. 4.*
Juſtitiam *& judicium exercere munus proprium Regis eſt, n. 5.*
Juſtitiam *adminiſtrantes puras manus Deo, Legi & Regi ſervent, n. 6.*
Juſtitia *& avaritia in uno homine non habent concordiam, d. c. 122. n. 14.*
Juſtitia *& miſericordia in æquilibrio penſantur l. 2. c. 142. n. 110.*

K.

Kirchweih Schatz & Kirchen-Schatz *differunt, l. 2. c. 100. n. 4.*
Kunſt-Kammern, *Technicotheca Principum, l. 2. c. 35. num. 37.*

L.

Læſæ majeſtatis *crimen verbis exacerbatur, l. 2. c. 137. n. 15. delictum maledictionis majus crimine læſæ Majeſtatis, ibid. n. 16. 17. 18. 19. V.* Maledictio.
Læſæ Majeſtatis *crimen an committat, qui cogitaverit tantùm de nece Principis? d. c. 137. n. 28. 29. 30. 31. 32. 33. & 34. quinam hoc crimen committant, vel non? ibid. n. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49.*
In crimine læſæ Majeſtatis *an ſufficiat ſolus & nudus tractatus, vel requiratur actus aliquis externus & perfectio, d. c. 137. n. 52. 53. 54. Crimen hoc ſine dolo non committitur, n. 57. 58. an à non ſubdito committatur? ibid. n. 38.*
Lanæ *variè laboratæ poſſunt cum lucro multifariis tractari, l. 2. c. 68. n. 2. Vid.* Pannificium.

Lani-

Lanificium, *ſerificium, linificium in quo conveniant, l. 2.c.6.n.4.*
Lapides *foſſiles, fiſſilesq́; varii, l.2.c.34.n.10. molares, n.11. ad architecturam neceſſarii, n. 14.*
Lapidicinæ *an Domini Territorii ſint, an Domini ſoli? ubi & de decimis lapidicinarum, d. c. 34. n. 12.13.*
Lares *& Dii domeſtici unde originem habeant? l.2. c.148.n.3.*
Largitiones *profuſionesq́; nimiæ Principum in exitium Reipub. vergunt, l. 2. c.44. n. 1.*
Vid. Liberalitas.
Largitiones *causâ mortis conſimilesq́; acceptarunt ampliſſima Regna ab iis, qui fœdere ſibi juncti erant, l.2.c. 90. n. 1. ex hisce donis opulentia Turcarum hodie valdè augeſcit, ibid. n. 2.*
Largiri *& dare aliis magnificentius, beatiusq́;, quàm accipere, n. 3.*
Vid. Collatio voluntaria. Tributa auxiliaria.
Latini *& Græci multa, quæ publica erant, & privatis poſteà uſibus mancipata reperiebantur, in publicum vendicarunt, l.2.c.63.n.9.*
Ob latrocinii *crimen Romæ ædes everſæ, & publicatæ, l.2.c. 140. n. 21.*
Laudimium *quid? 2. c. 42. n. 3. ejus etymon, n. 1. ſtricti juris eſt, n.5. in pecunia conſiſtit, & ultra pretium, n. 6. ejus taxatio fit ex pretii quantitate, n.7. ex bonis feudalibus regulariter non debetur, n. 8. pro introitu & conceſſione feudi in Regno Neapolitano ſolvitur, n. 14. præſtatur pro nova inveſtitura, n. 20. pro rebus feudalibus alienatis, n. 21. pro receptione novi emphyteutæ, 27. toties debetur, quoties alienatio fit, 28.*
Laudimiorum *materia à conſuetudine dependet, d. c. 42. n. 4.*
Laudimia *Ærario explendo conducunt, ibid. n. 12. Caſus, quibus laudimia exigi poſſint, 18. pro feudo debetur ex conſuetudine, licet ex renovatione feudi antiqui non debeantur, ibid. n. 22. & 23. ceſſat eorundem exactio, ſi feudum per ſucceſſionem ad filios devolvatur, 24.*
Laudimii *quantitas de jure civili, num.29. conſuetudine tamen vel ſtatuto interdum major ſolvitur, 30. Moribus Saxoniæ 5. de 100. ſolvi debent, n. 31.*
Laudimii *ſolutio ex neceſſitatis vinculo præſtanda, n. 32. eſt quoddam honoris genus, præſtaturq́; ex natura contractus, n. 34. legis diſpoſitione, 35. & ratione æquitatis, 36. an ante traditionem rei venditæ peti poſſit? n. 38. 39. 40. 41. 42. 43. an debeatur ex venditione facta cum pacto de retrovendendo? num. 45. 46. 47. 48. & num. 85. 86. 67. 88. 90. 91. 92. 93. 94. 95. incumbit emptori, non venditori, n. 49. interdum pro parte pretii reputatur, 50. 51. nonnunquam inter contrahentes exprimitur, ad quem onus Laudimii ſpectare debeat? num. 52. an debeatur ex contractu libellario? n. 53. 54. 55. 56. an ex cenſu? n. 57. 58. an ex datione in ſolutum? 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. an debeatur ex diviſione rerum feudalium & emphyteuticarum? num. 67. 68. 9 0. 71. 72. 73. an ex contractu permutationis? n. 75. 76. 77. an ex cauſa Transactionis? n. 78. 79. Declaratur, n. 80. 81. 82. an etiam laudimii ſolutio exigatur in donatione? n. 83. 84. 85. an debeatur ex ſuperficie, ex cauſa locationis ad longum tempus, dotis legati, n. 97.*
Laudimium *eſt onus reale, ſequiturq́; ſingularem ſucceſſionem, n. 98. pro ejus obligatione nulla lex tacitam hypothecam introduxit, n. 101. non eſt multiplicandum, pluribus petendæ inveſtituræ caſibus concurrentibus, n. 103. Caſus, quibus non debeatur laudimium, n. 104.*
Laudimii *munera privata ſunt, ſed & publicam utilitatem reſpiciunt, Ærarioque augendo & ſtabiliendo affatim conducunt, num. 105.*
Laudimio *per moram non ſoluto, emphyteuta non privatur jure ſuo, n. 102.*
Laudimia *ex feudis, quorum ſucceſſio ad fœminas extenditur, meritò poſtulantur, l.2.c.42.n.15.*
Laudimia *ex agris publicis pro renovatione rei feudalis aut Emphyteuticæ interdum augentur, minuunturq́;, l.2.c.65.n.3.*
Lege *non diſtinguente, nec nos diſtinguere debemus, l. 2. c. 41. n. 63.*
Lege *inventâ, inventa fraus legi, lib. 2. cap. 19. num. 3.*
Leges *feudorum, quibus licebat per Procuratorem juramentum fidelitatis præſtare, ſunt antiquatæ, l. 2. c. 41. n. 50. 51. 52. Exempla, n. 53. 54 55.*
Leges *telis aranearum ſimiles, muſcas majores transmittunt, minores irretiunt, l. 2. c. 141. num. 62.*
Legitima *jure naturæ debita, l. 2. c. 37. n. 24.*
Lex *Julia ſi hodiè obſervaretur in terris Imperii, multi ambularent ſine capite, l. 2. c. 141. n. 63.*
Lex *de non prohibendo immoderatè, videtur enervis & non recepta, l. 2. c. 66. n. 20.*
L. fin. *C. de jur. emphyt. ob avaritiam dominorum ſancita, l. 2. c. 42. n. 26.*
Liberalitas *non cumulo patrimonii, ſed largitatis effectu definitur, l. 2. c. 44. n. 9. bonis profluit fontibus, vero judicio, & honeſta erogatione, n. 10. viribus Ærarii metienda Principi, n. 12. illaudata Principis liberalitas in moriones, adulatores, mimosq́; facta, neglectis ſtudioſis virtuoſiſque, n. 15. Liberalitas ita exercenda, ne Subditi opibus elati inſoleſcant, vel depauperavileſcant, ibid. n. 17. exemplum unius liberaliter remunerati plus in animis hominum operatur, quàm centum neglectorum, n. 18.*
Vid. in verb. Princeps.
Liberis *ſpes hæreditatis & ſucceſſionis adimi non debet, l. 2. c. 85. n. 102.*
Librâ *publicâ in Repub. opus eſt: opus ponderum & menſurarũ archetypis, quibus merces taxandæ, l. 2. c. 17. n. 1. & 2. Belgæ noluerunt admittere* Gemein Maß und Gewicht / *n. 4.*
Libri ſecretiores *Caligulæ & Commodi Impp. l.2.c. 127. n. 15.*
Vid. Rationarium.
Liga *Sueviæ quo jure Status Wirtembergenſis Domina audiat? l. 2. c. 87. n. 2.*
Linificii *in Helvetia cura, l. 2. c. 25. n. 48.*
Linum *ad linteaminum texturas, l. 2. cap. 1. n. 70.*
Lite *pendente ſuper cenſus ſolutione, is nihilominus ad finem litis usq́; pendendus, l. 2. c. 92. n. 16. & 17.*
Lite *ſuper nullitate vel reſciſſione contractus pendente cogitur quis præſtare, ad quæ lege contractus arctatur, d. c. 92. n. 18.*
Litis *eventus dubius, l. 2. c. 26. n. 3.*
Literas *hoſtibus mittere, crimen læſæ Majeſtatis judicatur, l. 2. c. 114. n. 3.*
Litora *dicuntur eſſe ejus, qui habet jurisdictionem l. 2. c. 11. n. 3.*
Litigioſi *vitium commodo Fiſci cedit, l.2.c.127.n.1. & per tot.*

Liti-

Litigioſi *appellatione quid veniat? d. c. 127. n. 3.*
Litigioſa *quare cedi vel alienari nequeant; d. c. 127. n. 2. 3. 4. 5. 6. & 7.*
Litigioſi *vitium an ſit reale? ibid. n. 8. 9. Contra ignorantem tertium rei litigioſæ poſſeſſorem, non datur executio, n. 10. per litem motam ſuper poſſeſſorio, an efficiatur litigioſa proprietas? n. 11. an vitium litigioſi contrahatur, ſi agatur de juribus incorporalibus? n. 12. Quid ſi agatur actione perſonali? n. 13. an locum habeat, ubi ſit alienatio in ultima voluntate? n. 14. Non inducitur per litem nullam cum falſo Procuratore inſtitutam, n. 15*
Litigioſam *rem emi non poſſe, quomodo intelligendum ſit? n. 16.*
Litigioſæ *rei alienatio cum univerſitate fieri poteſt; ne non ex neceſſitate, n. 17. & 18.*
Loanda *inſula cochleas habet cinericei coloris, ſplendentes admodum, l. 2. 27. 21.*
Loca *deſerta & inculta Principatus dominio inſtar vacantium cedunt, l. . c. 5.*
Lothi *uxor cur in ſalis ſtatuam verſa? l. 2. cap. 9. num. 20.*
Lottariis *à Magiſtratu inſtitutis minus falſi ſubeſſe præſumitur, l. 2. c. 118. n. 6.*
Vid. Fortunæ Olla.
Lucernatum *commoda, l. 1. c. 15. n. 6. ubi & de tractu Valleſiano, n. 7.*
Ludovicus Bavarus *Imp. ex interitu familiarum Ditiones aliquot Imperio vendicavit, & Marchiam Brandeburg. mortuo Woldemaro filio ſuo Ludovico, l. 2. c. 40. n. 7. & 8. Carinthiam verò Auſtriacis contulit, n. 9.*
Ludus *Latrunculorum ſive Schachtius ingenioſus, & à barbaris etiam receptus; & familiaris Ruſticis in pago Strophs, l. 2. c. 101. n. 28.*
Vid. Alea, Tributum aleatorium.
Lupanaria *publica an licite permittantur? l. 2. c. 146. n. 7.*
Lupanaria *primitus à Diabolo inſtituta; ſed & Superbia, Invidiaq́ multò magis, d. cap. 146. num. 8.*
Lupinæ *fides cum ovillis in una chely intenſæ eaſdem arrodunt, l. 2. c. 83. n. 11.*
Lupulus *unde dictus? l. 2. c. 3. n. 4.*
Luxuria *ab opulentia, omniumq́ rerum affluentia, l. 2. c. 99. n. 1. ex mercatura primùm eſt nata, n. 3. quod exemplis illuſtratur, n. 2.*
Ex luxus *diminutione compendia & emolumenta in Rempub. redundantia, l. 2. c. 99. n. 27. 28. & ſeqq.*
Lycurgus *prohibuit aurum cum cadavere ſepeliri, l. 2. c. 148. n. 20.*
Ex lytris *captivorum olim ſtipendia exſoluta, l. 2. c. 88. n. 8.*

M.

MAcarenſium *Rex à Thoma Moro laudatus, l. 2. c. 149. n. 9.*
Macellum *Norimbergæ quantum Ærario ferat, l. 2. c. 4. n. 3. Magnum Macellum extra Conſtantinopolim quantum pendat Turci o Ærario, l. 2. c. 10. n. 29. Macrinus Imp. quâ crudelitate in adulteros animadverteret, l. 2. c. 141. n. 78.*
Madagaſcar *omnium penè Inſularum totius Orbis maxima, l. 1. c. 6. n. 28.*
Magiſtratus *non prohibens delictum conſcius ſceleris reputatur, l. 2. c. 77. n. 13. tenetur vias terrâ & fluminibus ſecuras præſtare, ibid. n. 8. 9. 10. 11. 12.*
Magiſtratus *taxantur, qui in omnibus delictis, ex quibus pœna ultimi ſupplicii irrogatur, publicationem bonorum ſibi permiſſam putant l. 2. c. 85. n. 104.*
Magnes *jucundiſſimum naturæ miraculum, l. 2. c. 114. n. 49. ubi naſcatur? n. 48. ejus virtus, n. 49. & an fuerit Salomoni explorata? n. 46.*
Vid. Acus marina, Navigatio, Pyxis Nautica.
Mahometes *flores horti ſui voluit dividi ac inde pecuniam confici, l. 1. c. 5. n. 16. 17. in neminem juſtus aut munificus, niſi liberalis in pellices, ibid. n. 18. & 19.*
Mahometeorum *origo, l. 1. c. 5. n. 1. Vid.* Turca.
Mahometes II. *duorum Imperiorum, 12. Regnorum, & 200. urbium expugnator, l. 2. c. 37. n. 98.*
Mahometes *16. aut 17. ſupra decem uxores habuit, omniaq́ ſua adulteria, ſcortationes & libidines Deo adſcripſit, l. 2. c. 141. n. 59 & 60.*
Major *natu inter pares dignitate & gradu præfertur, l. 2. c. 37. n. 61. 62.*
Mala *non ſunt facienda, ut eveniant bona, l. 2. c. 148. n. 3.*
Maledicentia *ſive maledictio delictum majus eſt crimine læſæ Majeſtatis, l. 2. c. 137. n. 16. pœnam capitalem meretur, ibid. n. 20. 21. Contrarium aſſeritur, n. 24. regii animi eſt, maledicta contemnere, n. 25. 26. 27.*
Maleficia *deſtinate commiſſa non ſunt in pecuniariam pœnam vertenda, l. 2. c. 142. n. 1.*
Mandata *cum & ſine clauſula decernuntur contra eos, qui Judæos à ſe receptos expellere volunt, l. 2. c. 62. n. 38. & 39.*
Manſionaticum *eſt locus, in quo quis ex conſuetudine, vel ex proprietate, vel ex contractu aliquo divertendi jus habet, l. 2. c. 91. n. 15.*
Vid. Albergaria, Ausspann, Habitatio.
Mantuæ *Dux quid in eo Ducatu teneat? l. 1. c. 18. n. 1. hujus dominii termini, n. 2.*
Mantuæ & Montisferrati *Ducatus quid reddat? ibid. n. 3. de Vincentio Duce Mantuæ, itemq́ Nivernenſi Duce. n. 5. & 6.*
Marcus Craſſus *dignas perpetrati ſacrilegii & expilati templi Hieroſolymitani pœnas luit, l. 2. c. 83. n. 14.*
Mare *per centum milliaria ad vicinum pertinet, l. 2. c. 114. n. 4.*
Maris *imperium præſcribi poteſt, & quomodo id intelligendum? d. c. 114. n. 5. in mare projecta an fiant occupantis? n. 21. Jonas Propheta in mare projectus, ibid. n. 23.*
Maris *uſus non ampliùs jam communis, ſed privatus factus, quod exemplis probatur, l. 2. c. 63. n. 16*
Mariæ *matris Chriſti caſtitas, l. 2. c. 141. n. 52.*
Marga *quid? l. 2. c. 1. n. 76.*
Margarethæ *Norvvegiæ & Daniæ Reginæ graviſſima tributa, l. 2. c. 149. n. 45.*
In Majeſtatis *læſæ crimine filii non ſolùm puniuntur, ſed & à paterna ſucceſſione excluduntur, l. 2. c. 85. n. 52. 53. 54. 55. 56 57. 58.*
Vid. Læſæ Majeſtatis *crimen.*
Maritus *uxorem ſuam de adulterio accuſans, facit ſe cornutum, l. 2. c. 34. n. 15.*
Maroccum *& Feſſa inter alias Ditiones celeberrima, l. 1. c. 28. n. 2, ejus opulentia & ſitus, n. 1. & 3. Feſſa unde dicta? n. 4. Reges quidam recenſentur, eorumq́ res geſtæ, n. 6. 7 8 9. 10. 11. & n. 15. 16. Regis dominium in Vaſallos, n. 17. 18. Tributa, Telonia, Vectigalia, Reditus, n. 21. 22. 23. 24. & n. 27. 28. 29. 30. Templi* Carrauven *reditus, n. 25. Quæſtoris Regii in urbe Feſſa officium, n. 31.*
Martius *Coriolanus cur prædam conceſſerit militibus? l. 2. c. 87. n. 14.*

Matris

Matrimonium *violari maximum facinus eſt, proximum non contrahere*, l.2. c.141. n.79.

Maximiliani I. *eximia bonitas cum ſumma libertate conjuncta*, l.1. c.4. n.103. *ejusdem theſauri*, n.104.

Media *deplumatam Aquilam denuò veſtiendi, ſive cenſus Imperii reſtituendi*, l.1. c.4. n.88.89.90.91.92.93. & 94.

Mediolanum *diverſis artificum generibus abundat*, l.2. c.35. n.32.

Membris *ſi maleſit, capiti benè eſſe non poteſt*, l.2. c.120. n.15.16.17.18.19. & 20.

Membrum *unum uratur ſervandis cæteris*, l.2. c.120. n.8.

Membra *à capite regi debent*, l.2. c.37. n.58.

Mendæi *lucrum ex tempore præterito quærebant, nec non ex mancipiorum venditione*, lib.2. c.145. n.37. & 38.

Mendicantium *ſunt diverſæ rationes*, l.2. c.120. n.30.31.32.33.34.35.36.37.38. *Pœnæ Imperatoriæ contra validos mendicantes*, n.39.40. *Leges utiliſſimæ contra validos mendicantes*, n.41. *Apud Alemannos mendici olim nulli*, num.42. *Vide* Otium, Otioſi.

Menſæ *argentariæ. Vide* Argentaria.

Menſæ numulariæ, *de his agit Author*, lib.2. c.22. num.1.2.3. *& per tot. & num.5. ubi de Libellis Cambii, Granalliis, concoctionibus, conflationibus & ſeparationibus metallorum*, Silberkauff/ Bruch-Silber/ *&c. Principes Germaniæ in Ditionibus ſuis emptiones metallorum ſibi reſervant*, ibid. n.6.

Vide Numularii & menſularii, Trapezita.

Menſuras *accommodari oportet ad vicinorum rationem, cum quibus negociandum*, l.2. c.36. n.6. *Subditi formam ponderis & menſuræ ex Archetypo deſumere tenentur*, ibid. n.8.

Menſurarum *frumenti quinam curam habuerint Romæ?* d. c.36. n.12.

Mentum *oblongius animi pii, placidi & conſtantis indicium*, l.1. c.4. n.107.

Mercatores *ex iis, quas diſtrahunt, mercibus, pendunt meritò*, l.2. c.71. n.1. *Ratio hujus rei*, n.2. *lucrum illud, ejusq; portio Ærario applicanda inveſtigari poſſit?* n.3. & 4.

Vide Vectigal.

Mercaturæ *laus & utilitas*, l.2. c.25. n.1.2.3. *antiquitas*, n.6. *Etiam Patriarchæ negotiati opibus naturæ*, ib. *Tyrus negotiatorum nobiliſſima*, ib. n.8. *Ninivitæ*, n.9. *& Abrahamus negotiatores*, n.10. *Salomonis navigia & mercimonia*, n.11.

Mercaturæ *cum Sapientiæ literarumq; ſtudio commercium*, d. c.25. n.4.

Mercatura *cur Nobilibus interdicta?* ib. n.12.13.14. *an Nobiles mercaturam exercentes Nobilitatem perdant?* Aff. n.15.16.17. & 25. *Contra* n.24.30.31.32.

Mercatura *nihil derogat Nobilitati, ubi uſus obtinuit, licet eam exercere Nobilibus*, num.18. *& præſtat Nobilitatem negotiari, quàm prædari*, n.22. *In exemplum trahuntur nobiliſſimi Romanorum, Italorum, Luſitanorumq; Puſani, Genuenſes, Veneti; imò Reges Hiſpaniæ, Angliæ*, Oſt- und Weſt-Indianiſche Compagnien/ ibid. n.19.20.

Mercatura *Hollandiæ Ordinibus ſanguis & vita*, num.21.

Mercatura *magna & copioſa Nobilitati non derogat*, n.27.

Vide plura in verb. Nobiles.

Mercaturâ *Principi, ærario exhauſto, uti licitum*, d. c.25. n.33.34.

Mercatura *affert aliunde, quod deeſt; effert aliò, quod hic abundat*, num.39.

Mercatores *& Venelitiarii minutiores differunt*, d. c.25. n.56.

Merces *Reipublicæ comparandæ, quibus exterorum moneta attrahatur potiùs quàm efferatur*, l.2. c.24. n.8.

Merces *periculi effugiendi gratiâ in mare projectas per urinatores extrahere licet*, lib.2. c.4. num.25.

Mercibus *exportandis & importandis certi limites ſtatuendi*, d. c.25. n.40.41.42.43.44.45.46.47.48.49.50.51.52. & 53.

Mercurius *mercimoniis emendis vendendisq; præeſt*, l.2. c.25. n.5.

Mercurius. *Vide* Argentum vivum.

Meretricibus *ſolis ornatus conceſſus à Gentilibus*, l.2. c.66. n.19.

Meretrices *occultæ plures ſunt, quàm publicæ*, l.2. c.146. n.9.

Meſſenii *in bello inter Arcades & Lacedæmonios geſto, Neutrales exiſtentes tandem ab his oppreſſi, atq; è patria ejecti*, l.2. c.93. n.17.

Metalli fodinarum *ſedula cura ſuſcipienda*, lib.2. c.27. n.1. *Eæ ad Regalia Fiſci ſpectant*, ib. n.3. *ab hisce abſtineant privati, faciendis impenſis impares*, n.2.

Metallici *proventus ſunt ingentes, quantumq; Ærarium ditent*, ib. n.10.11.12.

Metallum *auri vel argenti fertile uno anno plus utilitatis præbet, quàm ager fructuoſiſſimus annis centum*, ib. n.13. *Vid.* Aurifodina.

In metallicis *fodinis collecta exigi, & ſymbolum ſive* Zubuß/ *nominitari conſuevit, ac quater annue indicitur, quoties accepti expenſiq; ratio redditur*, d. c.27. n.17.

Metalla *alia adnumerantur ſuperioribus, quæ partim medii, partim infimi generis ſunt*, d. l.2. cap.33. num.1. *qualia ſunt Electrum, Biſmutum, Antimonium, Mercurius ſive argentum vivum, auripigmentum, ſulphur, chalcanthū, alumen, ſal foſſile, nitri & petræ, &c. de quibus* d. c.33. *per tot.*

Metallorum pondera *ad Comitem ſacrarum largitionum pertinent*, l.2. c.36. n.5.

Metallorum *confuſio Reip. pernicioſiſſima*, l.2. c.84. num.56.

Metronomi *quot Athenis fuerint? & quodnam eorum officium*, l.2. c.36. n.11.

Milites *præter victum & amictum & alia infauſta extorquent*, l.2. c.159. n.76.

Militia *olim ſchola prudentiæ, hodiè nequitiæ; tantum à veteri diſciplina diſtat, quantùm virtus à vitio*, l.2. c.149. n.81.82.

Militum *vitia*, l.2. c.149. n.82.83. & 90.91.92. *patriam ſpoliant, non hoſtem*, n.83.84. *omnia bona ſuam prædam ducunt*, n.85.

Militum *inſolentia*, l.1. c.11. n.29. *rapacitas & crudelitas hac ætate deteſtanda*, l.2. c.48. n.7.

Miniſtri, *qui arriſores, iiq; pleriq; arroſores*, l.2. c.105. n.12. *hos rectè ſorices, tineasq; palatii opumq; vermes vocaveris*, n.13.

Miniſtri *& Officiales, ſupra fas & æquum diteſcentes, uti ſpongiæ exprimendi*, l.2. c.133. n.1.2. & 3. *prohibeantur emere bona mobilia & immobilia*, n.4. *Nunc ſequiùs fit, cùm omnia ſimilia officia ſint penè perpetua*, n.5.

Vide Tributorum adminiſtri.

Miniſtrorum *Fiſci ratio in Regno Sueciæ*, l.2. c.134. num.13.

Minor

Minor 25. *annis an ob homicidium, aliúdve delictum patratum ordinariâ vel extraordinariâ pœnâ puniri poſſit? l.2. cap.142. n.98.99. 100.101.102.103.104.105.& 106.*

Minor *pro homicidio non punitur pœnâ corporis afflictivâ, ib. n.107.*

Minor *intra annum, à quo pubes factus eſt, inveſtituram petere tenetur, l.2. c.38. n.32. Vide quoque n.33.34.35.36.& 37.*

Miſeria *eſt miſerrima, cùm non ſolùm pecunia, ſed & fides omnis conſumpta eſt, l.2.c.45.n.7.*

Mitylenius *Pittacus Rex manibus ſuis piſtrinum elaboravit, l.2.c.11.n.24.*

Molarum *neceſſarius uſus, varietasq́, l.2.c.8, n.1. quænam molæ veteribus fuerint cognitæ? n.2. ib. Molæ alatæ & volatiles, quibus verſandis ventus à Magiſtratu venditur, n.3. earum diverſitas, n.8. Navales, n.4. Aquaticæ, n.5. portatiles, equis vehi ſolitæ, n.10. Lignariæ vel ſerrariæ, n.12. Oleariæ, n.14. Fulloniæ, n.17. aliæ diverſiſſimæ molæ, n.18. politoriæ & acumineantes, n.19. ad exhauriendos ſiccandosq́ lacus & ſtagna, n.21.*

Molendini *Darmſtadiani admiranda ſtructura, d.c.8.n.61. molendina, quæ ſolo adhærent, cenſentur pars fundi, n.7. Ex molendinis canon frumentarius, aliaq́ emolumenta Fiſci aut Domini, n.11.*

Molæ *valdè ingenioſæ ad Danubium, num.13. ad pulverem tormentarium conficiendum, n.15. chartarum, n.16.*

Molendinorum *artificia habent ſua fundamenta ab Aſtronomia, Matheſi & Mechanica, n. 22.*

Molæ *ventoſæ ſuper aquatica inventum.*

Ad molas *furnosq́ publicos an cogi poſſint ſubditi, n.29. & c.14. n.1.2.& 3. Molitorum juramentum, n.33. leges molitariæ, n. 34. molarum inſpectio cui competat? n.36.38.*

Mola *cum furtis molitorum poëticè deſcripta, n. 54. ænigmata de molis, n.39. & 40.*

Molendina *ventoſa in fundo feudali conſtructa, an feudi naturam ſortiantur? ib. n.31.32.*

Molendina *& alia ad æmulationem exſtructa, quo poſſint remedio impediri, d. lib.2. c.14. n.5. & 6.*

Monaſteria *non ad canes & equos alendos, ac aulicorum voracitatem, ſed ad cultum divinum inſtituta ſunt, l.2. c.91. n.18.*

Monetæ *Regale extra commercium eſſe debet, lib. 2. c. 84. n. 4. in officinis monetariis rapinæ & ſcelera exercentur, n.5. Querela de monetæ ſtatu, n.7.*

Monetam *veteres Deam dixere, d. c. 84.n.8.& 14. Monetarum fraudes omnis populus meritò accuſat, n.9. Incommoda depravationis monetæ, ibid. n.12.13.*

Monetæ *depravatio magnarum mutationum in Rebuspubl. præſagium eſt, ibid. n.15.*

Ex moneta *prava rerum pretia fiunt incerta, d. c.84.n.19. pacta & contractus corrumpuntur, n.20.*

Monetam *absq́ extrema Neceſſitate Principi non licet, n.25.26.27. & quâ conditione id fieri debeat? n.28.& 32.33.*

Monetæ *depravatoribus damnatio eſt conſtituta ib. n.29.*

In monetæ *regali lucrum captare non licet, n.34. jus monetæ cudendæ emptionis vel locationis titulo ad privatos transferre turpe eſt, n.35.36 37. & 41.42.43.44.45.46.47.48.*

Monetarii *conniventiâ Principum de pondere & bonitate monetæ quotidie detrahunt, & numiſmata non ſolùm vulgaria, ſed etiam Imperatoria reducunt, d.c.84.n.38. ex Ordinatione Imperii quotannis bis cura & ratio rei numariæ habenda, n.39. res numaria quò anguſtior eſt, eò melior moneta fabricatur, merces q́ minoris veneunt, n.47.*

Moneta *majori ex parte Francofurti & Nordlingæ propter mundinas excuſa, d. c.84. n.33.*

Monetæ jus *Comiti Weinsbergico, deinde Comiti Stolbergico conceſſum, n.55.*

Monetæ *depravatæ cauſa eſt multitudo officinarum, ib. n.56.*

Monetarum officinæ *plures, quàm tres vel quatuor, in ſingulis Imperii Circulis eſſe non debent, n.57.*

Monetæ *imminutio non eſt legitimum Ærarii collocupletandi medium, n.61,62.63.64.65. ex intermiſſione Conventuum probatoriorum magnum rei monetariæ malum naſcitur, n.66.*

Monetarum *excambiatores & exportatores puniendi, n.67.68.69.& 70.*

Moneta *minuſcula quare cudatur? n.71.*

Quæſtio de monetæ mutatione *magna & difficilis eſt, n.74.75. & ſeqq.*

Moneta *ſi poſt moram debitoris varietur & creſcat, tenetur ſolvere ſecundùm æſtimationem ſummi valoris à tempore moræ, n.100.*

Monetæ *æſtimatio multum prodeſt, d. c.84.n.113. æſtimatio appoſita, ſemper emptionem & venditionem redolet, donec contrarium probetur, ib. n.111.*

Vide Grannalliæ.

Ex monetæ *rectitudine rectè æſtimatur Principum juſtitia, l.1.c.3.n.30.*

Monomotapa *reliquis Regibus Æthiopiæ celebrior, cujus regio auri eſt feracior, l.1.c.1.n.1. dicatur hic 300. auri fodinarum eſſe, n.2 Fluminum quoque arenæ auri ramenta vehunt, n.8. elephanti, copia frumenti, paſcuorum, ib. Tributa & proventus hujus regis annui in quibus rebus conſiſtant? num.3. & 9. Fidem & baptiſmum ſuſcepit hic Princeps bello ab Luſitanis appetitus ob cædem ſe baptizantis Jeſuitæ, n.4. & 5. Civitates, quæ ad hoc Regnum pertinent? n.6. Regnum hoc in quatuor regna diviſum, n.7. Luſitani dant operam huic regno ſubjugando, n.11 Mulierum Monomotapenſium audacia, quæ in bellum proficiſcuntur, exemplo Amazonum, n.10.*

Monopolium *quaſi unica venditio, Monopola unicus venditor, l.2.c.26. n.1.*

Monopolia *communiter inhibita, n.2.*

Monopolii *fraudes & technæ multiplices, n.3. Monopolium quinam committant? n.4.5.6.7. bona monopolantium Fiſco addici poſſunt, n.8.*

Monopolium *quando Principibus & Rebuspubl. exercere liceat? n.9.10.11.& 13.*

Monopolia *vinorum, cerviſiarum, calcis, ſimiliumq́ arrogant ſibi certæ Urbes & Magiſtratus, n.12.*

Monopolia *lege vel ſtatuto firmare non licet, n. 44.*

Monopolia *quandoq́ inter calamitates communes referuntur, n.15.*

Mondirung *ſive* Außrüſtung *quid? l.2. c. 149. n.77. & 79. plus damni hoc invento ſocii ſive amici, quàm hoſtes afferunt, l.2.c.149. n.78.*

Mons Pietatis *& Collybus quid ſit? l. 2. c. 20. n.5. per tot.*

Mora debitoris creditori non debet nocere, l.2.c. 84.n.101.

Moriones. Vide Stulti.

Mortis probatio ſolis indiciis contenta eſt, niſi cum mors eſt fundamentum intentionis, l.2.c.33.n.33 Vide Vita.

Mortis pœna nunquam imponitur, ſi non conſtet de vero dolo, l.2.c.142.n.108.

Moſcoviæ Dux regit ſuos deſpoticè, lib.1. cap. 12. n.1. habetur pro Deo potius, quàm pro Principe, n.3. & ſervitur illi, ut à mancipiis, n.4.

Moſcovitarum divitiæ in quibus conſiſtant? n.5.6. 7. Reditus Magni Ducis, ib.n.8.9.10.11.12.13.14. 15.16.17.18.19.20.21.22.23.24.25.26.27.&31. Summa rublarum, quæ quotannis paratâ pecuniâ in Ærarium inferuntur, 1430000. demptis omnibus expenſis, tam domeſticis, quàm militaribus, n.29. & 30. Quæſtores reddunt omnium horum rationem in gazophylacio Principis, ib.n.28. Salis proventus, n.32. noviſſima recenſitio redituum hujus Principis, Anno 1647. luci donata, n.34.

Mularum inventor Ana; & cur mula ſterilis? l.2. c.4.n.13.14.

Mulctæ & pœnæ pecuniariæ, l.2.c.134.n.1.& per tot. Vide Pœna.

Mulierum in ornamentis luxuria correcta, l.2.c. 145.n.26.27.28.

Mutinæ Duces. Vide Duces Mutinæ.

Munera judici non acceptanda, quæ Legibus & Reip. obeſſe liquet, l.2.c.122.n.7.8.9.10.11. non modò adfectandum judici munus, ſed oblatum rejiciendum eſt, n.12. Rationes aliquot, quare Judex capite puniendus, qui ob rem dicendam pecuniam acceperit, n.13.V.quoq; n.17.18.19.

Munera an, & quando danda acceptandáve? d.c. 122.n.21.& 22.

Munerum propria, d.c.122.n.28. effectus, n.29. ira ſedatur muneribus, n.30. amicitia conciliatur, n.31.

Munera in ſpecie hæc probantur, quæ Principes dant, ib.n.32.33. qui ideò Dii appellantur, n.34. Sportulæ, n.35. amicorum inter ſe invicem donaria, 36. Quomodo danda munera, n.37. non omnia, n.38. non ubiq; n.39. non ab omnibus accipienda, n.40.

Munificentia in genere & ſimpliciter conſiderata laudatur, d.c.122.n.23. Deo placet, n.24. Ipſe Chriſtus acceptavit munera, n.25. Sanctos & dona obtuliſſe & accepiſſe ſacræ literæ teſtantur, 26

Munia plura nõ uni committenda, l.2.c.105.n.17.

Munimenta cenſentur optima, quæ in hoſtico extructa, noſtri tamen juris ſunt, l.1.c.9.n.60. 61.62.

Mutatione perſonæ conditio rei feudalis non alteratur, l.2.c.41.n.15.

Mutatione perſonæ mutatur cauſa negotiorum & obligatio, ibid. n.31.

Mutuum dare & accipere liberi contractus ſunt, l.2.c.23.n.1. Subditi an ad mutuum dandum à Principe cogi poſſint? ib.n.2.3.4.5.6.& 17.18.19. & per tot. Commodiùs, accipere pecuniam à Subditis, quàm onerare illos contributionibus, ib.n. 7.8.

Mutuum accipiendum à divitioribus, n.9. exemplo Thaos Regis Ægypti, n.9. à Collegiis, Sodalitiisq; Opificum Magiſtratus in caſu neceſſitatis mutuare poterit, n.11.& 12.13.14.

Mutuum accipiendum ſine diminutione authoritatis Principis, n.16. Vide Subditus.

Mutuum reddi debet eadem quantitate & bonitate, quâ datũ eſt, etiamſi non dicatur, l.2.c.84. n.78. in dominiũ debitoris & ad eundem commodum & incommodum tranſit, ib.n.80.

Mutui contractus cauſa finalis, ib.n.91. Promiſſor in mutuo ſolvendo non vult ſe in plus obligare, quàm mutuò accepit, n.94.

N.

NArſingæ Regis potentia & Regni ſitus, l.1.c. 23.n.1. reditus, n.2. militia, n.3. argumentũ aliquod amplitudinis redituum hujus regni, n. 4. Flumina ſibi vendicat, in quibus vix lavare licet ſine vectigali, n.5.6. abſolutus Dominus eſt ſuæ Ditionis, n.7.8.

Natura paucis contenta, l.2.c.99.n.29.

Naufragii calamitate perdita bona an cedant in commiſſum? l.2.c.14.n.1.& 6.7.8.9.10.11.12. 13.14.15.16.17.& 28.29.30.31.& 50.

Navigantium fortuna & conditio miſerabilis, d.c. 114.n.39.

Nautas neque inter vivos, neque inter mortuos refert Bias, ib.n.40. Catullus navigans ob tempeſtatem projecit bona, n.41.

Navigationes priſcæ per altum, n.42.

Naufragium Pauli Apoſtoli & ſociorum, ib.n.22.

A naufragiis an licitè exigatur Bergegeld / ib.n. 18.

Naulum eſt vectigal, quod ſolvitur pro mercibus, hominibus, jumentisq; de ripa fluviorum in adverſam partem transvehendis, l.2.c.74.n.4. Vide Riparum jus, Vectigal.

Ex navium ſcapharumq; venditione ingens vectigal penditur Imp. Turcico, l.2.c.74.n.8.

Nautæ & aurigæ magnoperè indigent legibus & diſciplinâ, ut qui moribus ſunt diſſolutiſſimi, l. 2.c.75.n.4.

Nauticæ pyxidis utilitates. Vid. Pyxis nautica, Acus marina, Magnes.

Neceſſitas non eſt, in quam quis ſe ſponte conjecit, l.2.c.42.n.66.

In neceſſitatibus violantur omnia privilegia, l.2. c.47.n.10.

Neceſſitate urgente, licet quandoq; Regi de patrimonio Regni partem alienare, ſi cum Ordinum conſenſu hoc fiat, l.2.c.49.n.15.

Neceſſitate poſtulante Principes & Proceres Reip. ſuam ſupellectilem auream, argenteam, &c. exponant, l.2.c.113.n.1. Exempla M. Ant. Philoſophi, Trajani, Nervæ Impp. n.2.3.4. Collatio hæc incitamento eſt privatis, ut ſuâ ſponte conferant, n.5.

Per negligentiam longiſſimi temporis jus ſemel quæſitum amitti poteſt, l.2.c.63.n.20.

Negotiator pericula contemnit, l.2.c.25.n.37. Negotiatores vetuſti fuêre honorati, ib.n.7.

Negotiatione opes augeri honeſtiùs, quàm bello, d. c.25.n.38.

Negotiantium fraus & avaritia reprehenditur, ibid.n.54.

Negotiatio interdicenda iis, qui publicam pecuniam tractant, l.2.c.133.n.6.

Nemo in re propriâ ſibi ipſi jus dicere poteſt, l.2. c.62.n.15.

Nomo præſumitur ſuum jactare, lib.2. cap.84. num.95.

Nepos patruo præfertur in his, quæ honorem & dignitatem concernunt, l.2.c.37.n.34.

Nero nullâ re damnoſior, quàm ædificando, l.2.c. 95. n.3. profuſionibus exhauſtus & egens ad rapinas converſus, l.2.c.133.n.6.

Neutralitas neq; amicos parat, neque inimicos recon-

conciliat, l.2.c.93.n.7. Quod exemplis confirmatur, n 8.9.& 10.

Neutralitatis *in quæſtione certum quid definire, periculoſum eſt, d. c.91. n.1.*

Neutrales *periculum, quod declinare intendunt, incurrunt plerumq;, ibid. n. 2. prædæ victoris fiunt, n.3. D. Nazianzeni gravis diſcurſus de neutralitate, ib. n.6.*

Neutralitas *ſervanda eſt, quando neutraliſtæ ſeipſos contra utrumlibet Belligerantium defendere poſſunt, n.25.*

Neutralitatis *conſilium plerumq; ex cauſa belli capitur, n.28.*

Neutrales *Status an in hodie Imperio inveniantur, qui ſe contra omnium partium Duces defendere iisq; reſiſtere poſſint? d. c.93. n.29.*

Neutrales *poſſunt eſſe clientes, quando vicini belligerantium uterq; parem erga illos affectionem gerit, n.30.*

Neutralitas *Tertii interdum utriq; inter ſe belligerantium vicinorum utilis, n. 34. Princeps, ſi imbecillis potentiori, ſin potens, infirmiori parti ſe adjungat; vel utramque partem pro conſervando ſtatu ſuo oppugnet. n.35.*

De Neutralitate *theſes Philoſophico-morales; earumq; concluſio, & ad augmentationem Ærarii promovendam dextere facta applicatio, num. 36.37. & ſeqq. Illi parti adhærendum, de cujus juſtitia conſtat, d. cap.93. num. 20. Quod exemplis declaratur, num. 21. 22.23. & 24. Cœlii de Ciceronis ſeceſſione judicium, ibid. n. 19. Cicero duabus ſellis ſedere ſolitus, ib. n.13. ex duobus vicinis belligerantibus amicitia & protectio melioris & Deum ſocium habentis, eligenda, ib. n.18.*

Neutrales *comparantur cum iis, qui mediam domus partem inhabitantes ab infimis fimo vel fumo, à ſuperioribus lotio vel urinâ moleſtantur, n.11.*

Nobilium braxatoria *an eorum ſplendorem offuſcent? l.2. c.11. n.5. & an Nobilibus cerviſiam coquere & divendere liceat? n.7.8.9.10. Coquant pro ſe licet, ſuaq; familia Nobiliores, vendant etiam ſibi nata frumenta; nihil hoc eorum nomen dedecorat, ibid. n.6.*

Nobilium *Cauponaria & Tabernaria Subditorum vicinorumq; preſſura, ſordida, tyrannica, n.11.*

Nobiles *mercaturam exercentes an Nobilitatem perdant?*
Vide in verb. Mercatura.

Nobiles *ex mercatura quæſtum facientes, ſolvendis contributionibus ſunt obnoxii, l.2. c.25. n.26.*

Nobiles *Germaniæ olim latrociniis & rapinis addicti, d. cap.25. num.28. ejus mali ratio, num. 29.*

Nobilibus *cauponaria & inſtitoria interdicta, l.2. c.26. n.16.*
Vide Cauponaria.

Nobiles *quam velint immunitatem? lib. 2. c. 53. num. 2.*

Nobiliores *Venetorum ſe ſubinde tributis onerant, quo eximant, leventq; plebeculam, l.2. c.55. n.5.*

Nobiles *Maroccani & Feſſani Regis & Aulici malè audiunt, quod omnem onerum ſarcinam in plebejos & colonos transferunt, d. c.55. n.9. Salviani hac de re Declamationes, n.10.11.12. 13.14.15. ib.*

Nobiles *bona ruſticana ementes an ad præſtanda onera eorundem adſtringendi ſint? l.2.c.56.n. 1.2.3.4.5.6.7.8.9.10.11.12.*

Nobiles *& Thraſones aulici egregiè deſcribuntur à Cornelio Agrippa, l.2. c.105. n.15. & 16.*

Nobilitas *opibus data, l.2.c.110. n.4. & ſeqq.*

Nobiles *non habent jura fiſcalia, lib. 2. cap. 136. num. 10.*

Nimrodus *fortis venator ſive hominum oppreſſor coram Domino, l.2. c.5. n.49.*

Norimberga *ingenioſiſſimis opificibus & artificibus repleta, l.2. c.35. n.33.*

Norwegiæ *regnum quo pacto ad Regem Daniæ pervenerit, lib.1. cap. 10. num. 9. Ejus onera, num. 10.*

Norwegia *dives lignorum, piſcium, pellium, ibid. n.11.*

Novarum *rerum inventoribus faveat Princeps, l. 2. c.144. n. 1. & per tot. ubi & artes nonnullæ novè repertæ recenſentur, n.2.*

Novitates *in homagio non inducendæ, lib. 2. c. 41. n.22.*

Novum *non eſt, quod ante ſecula antiquum & vetus fuit, l.1. c.6. n.60.*

Novus *Orbis. Vide* Orbis.

Numerus *& corpora numorum ſi in obligatione ſint, totidem quoque corpora reſtituenda veniunt, l.2. c.84. n.102.*

Numidia *& Barbaria mediterranea Maſſaniſſæ Africæ Regis ſtudio evaſit feraciſſima, l. 2. c. 1. n.34.*

Numularii, *Menſularii & Trapezitæ idem ſignificant, & in quod differant à Campſoribus, l.2. c 22. n.8.*

Numulario *perverſo juſſu Galbæ manus amputatæ, menſæq; affixæ ſunt, ibid. n.7.*
Vide Trapezita.

Numus *& menſura rerum commutandarum, l.2. c. 84. n. 16. quare inventus? n.17. rei numariæ malum, d. 84. n.1.2.3.8. & ſeqq. utilitas, n.21. 22.23.24.*

Numi *ferrei, plumbei, &c. non propriè, ſed fictè ſunt numi, ib. n.31.*

Numi *rebus incorporalibus annumerantur, quia in quantitate conſiſtunt, non in corporibus, ib. n.94.*

Numi *chartacei, ſtannei, ærei, l.2. c.145. n. 23.30. & 40.*

Nunciatio *novi operis cuivis ex populo competit, & quanta ejus ſit authoritas, l.2. c.95. n 41. & 42.*

Nuptiarum *convivales ſolennitates nimium extenduntur, cum damno ipſorummet ſponſorum, l.2. c.97. n.1.2.3. Magiſtratus hunc luxum cohibeat, num. 4. exemplo Caroli IX. & Henrici III. Regum Franciæ, n.5. Leges cedro dignæ, quibus etiam in nuptiales coquos animadverſum, num.6. duo vel tria fercula tantùm apponenda, n.7. & 8.*

Nymphææ *ſive ædes publicæ nuptiales chorearum & ſaltationum, l.2. c.10. n.5. Iſtæ proficuæ, hæ minimè tolerandæ, ſicut & choreæ ipſæmet deteſtabiles, n.6.7.8. ib.*

O.

Oblatio *ex voto quandoq; facta. eaq; duplex, vel ob ſalutem Principis. vel ominationis bonæ causâ per ſtrenas, l.2. c.90. n.11.*
Vide Collatio voluntaria.

Obligatio *omnis intelligitur rebus ſic ſtantibus, l. 2. c.84. n.93. & 96.*

Obſervãtia *ſubſequens fida interpres in feudalibo, l.2.*

l.2.c.41.n.20. declarat, ad quid teneantur ſubditi, n.21.
Officinæ cupri, ferri, vitrorum, &c. l.2.c.15.n.6.7.8.
Officiales aulici facillimè diteſcentes, uti ſpongiæ exprimendi, l.2.c.31.n.1. & 2.
Officiales & Præfecti Principum multa ad compendium Fiſci derixare conantur, l.2.c.63.n.21. Vide Miniſtri.
Officiorum Venditio. Vide Venditio Magiſtratuum, Officiorum. &c.
Officiali non minor debetur honos poſt depoſitum officium, quàm ipſo durante, l.2.c.78.n.16. Vide tamen c.130.n.7.
Olla Fortunæ. Vide Fortunæ olla.
Onera æqualiter partienda; quod juſtitiæ diſtributivæ munus eſt, l.2.c.47.n.30.& 31.
Onera in Rep. ſentire debent, qui commodis communiter fruuntur, d.c.47.n.14.
Onera Subditorum exæquare, debitamq; ad perſonas proportionem ſervare, id juſtitiæ munus eſt proprium, & Subditos Principi conciliat, l.2.c.52.num.1. Incommoda quæ, ſi ſequiùs fiat, ib. num.2.
Operæ & commeatus potiùs, quàm numi in bello exigendi, l.2.c.57.
Opificiorum emolumentum publicum & privatum, l.2.c.35.n.31.
Opificia multifariè diſtinguuntur, d.c.31.n.3.4.5.6.7.8.11.12.13.14.& 15. ubi & de laude artis pictoriæ: ſine opificiis nulla poteſt ſtare Respublica, n.16.
Opifices an à Civitate arcendi? ibid. n.17.18.& 19. opificiorum copia apud Germanos, num.34. Urbs uno opificii genere antecellere debet cæteras, n.35. Opificibus Belgium ſupra omnes orbis Provincias abundat, n.2.&38.39.40.&41.
Opificia non ſunt confundenda, & qui ea confundunt, juſtitiam diſtributivam evertunt, n.44.45. Elegans caſus de Ephippiariis & Frænariis, item de Perariis, ibid. n.46.47. Vide Artes Mechanicæ, Artifices.
Orbis Novi deſcriptio & diviſio, l.1.c.6.n.38.& ſeqq. usq; ad num.57. ejus detectio plus damni, quàm commodi & Chriſtiano Orbi & ipſis Hiſpanis attulit, n.87. ex qua gente, terra, quoq; tempore homines & animantia provenerint in Novum Orbem, n.88.
Opinio illa ſequenda, quæ alias pugnantes diſtinguendo conciliat, l.2.c.41.n.63.
Origo & nativitas cujusq; rei inſpicienda, lib.2.c.37.n.2.& c.41.n.17.
Otium in Subditis præcaveatur ærario ſtabiliendo, l.2.c.102.n.1.
Otioſi, immorigeri, prodigi, conſimilesq; bono ipſorum & publico ad operas includantur, adſtringanturq; ibid. n.2.3.4.5.6.7.8.
Otium nusquam eſt, ne cœlo quidem tolerabile, n.9. præclaræ ſimilitudines contra otioſos, num.10. Lex Solonis contra otioſos, num.11. In China otioſi non tolerantur, num.13.14.15. Nobile exemplum Hugonis Brandenburgici contra otioſos, n.16. Florentinorum conſuetudo in extirpandis otioſis, n.17. Vide quoque n.18.20.21.22.& n.25.26.27.28.
Otioſi ſplendidè viventes in judicium vocandi, plectendiq;, d.c.102.n.11. in tabernis hoſpitio non detinendi, n.19.
Otioſorum exterminium nobili apum exemplo, n.23.
Otio extirpato redundat ex labore in omnes concives ſumma utilitas & jucunditas, n.24.
Vide Mendicantes.
Oſtrogothi & Longobardi ſuum Imperium in Italia Hippotrophia firmarunt, l.2.c.4.n.21.
Othacarus Rex Bohemiæ feudum ab Imp. Rudolpho I. poplite flexo recognovit, l.2.c.41.n.100. Ejusdem Regis levitas & incontinentia, l.2.c.141.n.57.
Ovium utiliſſima variaq; cura, emolumenta, diſtinctiones & genera, l.2.c.4.n.22.& 24.
Oves & vaccæ ferreæ, l.2.c.16.n.83.& 86.87.

P.

PAcem penuria ſæpe & egeſtas utriq; parti præliantiextorſit, l.1.c.4.n.30.
Pacta familiarum de ſucceſſione quando valeant? l.2.c.37.n.107.109.110.111.& 112.
In Pactis, quæ dependent ex voluntate paciſcentium, attenditur voluntas, l.2.c.103.n.104.
Palmæ arboris novum genus ſuggerens Monomotapenſibus incolis oleum, vinum, acetum, fructus & panem, l.1.c.27.n.19.
Pannificium Eduardus III. Angliæ Rex in Regno inſtituit, l.2.c.68.n.3.
Parentes olim in gentilitate Lucinæ pecuniolam dabant naſcentium nomine, l.2.c.98.n.4.& 5.
Pantheram ab aucupe emiſſe, quid ſit? l.2.c.5.n.119.
Paria ſunt alienare & aliquid facere, propter quod ſequatur alienatio, l.2.c.42.n.65.
Parma & Placentia quâ ratione ad Petrum Aloyſium Pontificis filium pervenerit? l.1.c.18.n.17. Cæſar ad Mediolanenſe imperium pertinere contendit, n.18. Octavius Farneſius Parmæ Dux cum Cæſare in gratiam rediit, n.19.& 20. Octavii obitus, n.21. Succeſſores, n.22.
Paſcua vel prædia Civitatum communia malè Principes ſibi vendicant, l.2.c.49.n.27.
Paſcuorum ratio & utilitas, l.2.c.2.n.19.
Peccatum in Spiritum S. omnium graviſſimum, l.2.c.85.n.91.
Pecunia à pecude dicta, l.1.c.2.n.18.
Pecunia rerum gerendarum nervus, ſed enervis ſine conſilio maturo, c.1.n.89.
Pecunia & aurum argentúmve ſignatum prætextu exoticarum mercium ex Rep. efferri non debent l.2.c.24.n.2.
Pecuniam quatenus permutare, vel extra fines Imperii exportare liceat? d.c.24.num.9. Vide Aurum, Merx.
In pecuniam ob pecuniam ludere turpe, l.2.c.101. num.3.
Pecuniæ iniquè corrogatæ fluxæ & labiles, l.1.c.1.n.39.
Pecuniæ colligendæ diverſi modi, pro locorum diverſitate, d.c.1.n.101.102.
Pecunia colligitur ex ſtationibus in Foro, pergulis, aliisq; locis mercatui oportunioribus, l.2.c.16.n.2.
Pecuniæ collatæ ad publicam neceſſitatem non ſunt alio, quàm ad publicam neceſſitatem diſpenſandæ, l.2.c.54.n.1.2.3.& 4. quin peccat in Deum graviter, qui ſudore & operâ pauperum abutitur ad inutilia, ibid. n.6. & qui tributa impendit in aliud, quàm deſtinata ſunt, n.7.& 8. Receſſus Imperii hanc in rem, n.9. Si ſecus faciat Princeps, tenetur ad reſtitutionem, & forte poſſent ipſimet Subditi id damni compenſare, num.11.
Pecuniæ vis & ſubſtantia potiſſimùm eſt in quantitate, ſeu valore impoſito, l.2.c.84.n.90.
Pecunia ex evectione frumenti cariùs venditi conquiſita, l.2.c.145.n.24.
Pecuniæ colligendæ media, quibus Senatus cives-

veq; in nuperna obſidione Magdeburgenſi uſi & abuſi ſunt, l.2.c.150.per tot.

Pecuniis *corradendis plus ſæpe invidiæ colligunt Principes, quàm virium, l.2.c.1.n.87.*

Pecuniæ *publicæ difficilis cuſtodia, l.2.c.133.n.2.*

Pecuniæ *perduntur, quæ ſine modo erogantur, l.2. c.133.n.11.*

Pecuniæ *publicæ direptio Fiſcum non imminuit, l. 2.c.143.num.1.*

Pedagium *an pro ſolo tranſitu per vias publicas ſolvendum? l. 2.c.77. n. 14.15.16.17.18.19.20. 21.22. Pedagiorum æquitas in quibus conſiſtat? n.7.8. & 23.24. Quomodo differant Pedagium & Guidagium, Portorium & Portarium? ibid. n. 25. Jus exigendi pedagiū penditur diſtricto ponte; neque illud ſolvere tenebuntur tranſeuntes per aquam, ibid. n.28.*

Perdices *ſemper in magno pretio habitæ, l.2.c.3.n. 111.*

Peregrinationes *longinquæ Principi vitandæ, l. 2. c.107.n.1. per tot.*

Periculum *commune æſtimatur, quando vicinus ex cauſa nos ipſos etiam concernente oppugnatur, l.2.c.93. n.27.*

Perilli *taurus æneus, l.1.c.1.n.11.*

Pernæ *Weſtphalicæ. Vide* Weſtphalicæ pernæ.

Perſiæ *Regis opulentia & vires ærarii in quibus conſiſtant? l.1 c.21.n.1.2.3.4.& 8.9.10.11.12. 13.14.15.16.17.18.19 20.21.22.23.*

Perſici *regni vaſtitas & latitudo, d.c.21.n.1. Mercatorum merciumq; hiſce locis abundantia, ib. n. 21. 22.23. nemini fas cum mercatoribus contrahere, priusquam ab regiis omnia viſa & explorata, an in Regis uſum & mercatum ſint, n.24. Quia ipſe Rex emit domeſticas merces penè omnes, commodo incolarum, & advenarum mercatorum, n.25.*

Perſarum *commercium cum Luſitanis, aliisq; Chriſtianis, nec non Mauris & Gentilibus, n.26.*

Perſarum *Reges à pueris venationis ſtudio dediti, l 2.c.5.n.44.*

Perſarum *Regii filii quomodo educati & inſtituti? l 2.c.105.n.34.*

Perſona *una quando habet jura plurium perſonarum, retinet in ſingulis naturam ſuam, l 2. cap. 141.n.92. 93.*

Pertinax *Imp omnia vectigalia in fluviorum ripis & urbium pontibus, &c. à tyrannis excogitata remiſit, l.2.c.77.n 27.*

Pharmacopolia *laudabiliter adornantur, lib.2.c. 15.n.1.& ſeqq. De Pharmacopœi perſona & officio, ibid. n.9.10.11.12.usq; ad fin.*

Philippus Longus *Galliæ Rex cum fama conſcientiam bonam profligavit, l.1.c.1.n.18.*

Philippi I. *ex Maximiliano Imp. nati ſumma felicitas, l.1.c.4 n.101.*

Phrynicus *Poëta Athenienſis tragœdiam exhibens mille drachmis mulctatur, l.2.c.119 n.2.*

Picturæ *Venereæ, irritamenta malorum, & hami juventutis, l.2.c.96.n.10.*

Pignus *datur pro minori quantitate, ac valet, l 2. c.19. n.25.*

Piratæ *commerciorum publicorum turbatores, l.2 c.114.n.33. ipſo jure diffidati ſunt, n.34. latrones maritimi, n.37.*

Piratarum *bona an ſint occupantis? d.c.114.n.32. Romani piratas perſequebantur, n.35. Lex Gabinia, n.36.*

Piratarum *perſecutio non tribuit juriſdictionem vel dominium, l.2.c.246.n.36.*

Piſarum *dominatus venditus à Carolo IV. Hujus Imp. vitia virtutesq; collata. lib.1.cap.4.n.77.*

Piſcatio *in multis cum venatione convenit l.2 c.5. n.69. ad Regalia refertur, n.76 Piſcatores in S. Scriptura invenimus Sanctos, non aliquem venatorem, n.73.*

Piſcium *cura apud Romanos magni habita, ibid. n.74.75.76.77. Auguſtus Imp. hamo, & Nero reti aurato, è purpura & coccino nexis funibus, piſcari ſolitus, n 77.78. Craſſus murænam in vivario ſuo mortuam, ut filiam atratus luxit, tumuloq; condidit, ibid. n.80. M. Cato Uticenſis vendidit ex piſcinis 40000. millibus, n.82. Piſcinarum ſtudium non negligendum, n.83.*

Piſcatio *maritima & fluviatilis differt ab iis, quæ ſunt ex piſcinis, lacubus, &c. d.c. 5. n. 84. halecum, aſellorum & marinorum piſcium, n. 85. Varia genera piſcium fluviatilium, n.87. Piſcinarum reditus uno anno undecies ſeſtertiûm, n.88. De piſcibus induratis, n. 96. Piſcium meſſis in Ægypto, n.91.*

Piſcium *multitudine navigia ſiſtuntur, d.c. 2.n. 97.98.*

Piſcationum *varii modi, pericula, &c. n 100.101. De Piſcatione venenaria, deq; mulctis furum piſcariorum, ib. n99.*

Vide plura in verb. Salmonum captura, carpiones, cancri fluviatiles.

Piſces *majores nunc (proh dolor!) devorant minutulos, l.2.c.55.n.2.*

Platonicæ leges *de cauponariis, l.2.c.58.n.8. Vide* Popina.

Plauſtro *caſu everſo homo necatus, l.2.c.118.n.10.*

Plumbi *uſus, neceſſitas & origo, l.2.c.32.n.6. certæ venæ, n 7. fiſtulæ plumbeæ, n. 8. tubulæ, 9. numi plumbei, n.10.*

Plumbo *Pontifices Romani Bullas ſignant, n.11.*

Pœnæ *delictorum ad commodum Reip. & vindictam publicam imponendæ, lib.2.c.134. n.3. in ambiguis molliendæ ſunt, l.2.c.139.n.63.*

Pœnæ *omnes hodiè extraordinariæ eſſe cœperunt, l.2.c.139.n 101.*

Pœna *arbitraria an ad mortem naturalem poſſit extendi? d.c.139.n.98.99.& 102.*

Politici *Stratiotæ diſſentiunt in judicio de rebus ſacris, l.2 c.87.n.24.*

Polonia *à planitie dicta, lib.1.cap.11. num.1. abundat frumento, melle, cerâ, n. 2. ex melle cum lupulo aquâ decocto Medonem conficiunt, n. 3. & 4.*

Poloniæ *opes in quibus conſiſtant? n.5.& 7. & quousq; proventus annui aſcendant? n.11.*

Polonia *mercimoniis haud frequens, aut apta ad commercium, n. 8. auri, argentiq; haud dives, proindeq; regnum opulentum dici nequit, n. 9. Salinis potens, n.10 Nobilium prærogativa, ut ſalem minoris, quàm cæteri emant, n. 14. bona caduca applicantur Coronæ Regiæ, n.15. Arragonia quantum annuè pendat? n.17 Nupera conſtitutio de contributionibus A.1640 promulgata nunquam ſatis laudanda, n. 20. Equitū ingens in Polonia numerus, n 21. Nobiles propriis expenſis ſervire tenentur, n 22. divitiæ ut plurimū inter Dominos & Nobiles ſatis benè diviſæ, n.24. Vectigalia & Tributa Poloniæ, n.25.27.28. & 30.31.32.33.34.35.36.37.38. Unde ſe Rex ſuſtentet, & aulicis ſtipendia præbeat, n.39. Subjecti ſunt Poloni ſuo Regi, at haberi volunt, ut fratres, n.40. Poloniæ inſigne, n 41. Sceptrū Polonicū olim Piaſto agricolæ delatum, l.2.c.1.n.10.*

Porci *pingues, macri, nefrendes, eorumq; fœtura, l. 2.c.4.n.25.*

Portugalliæ *reditus, lib.* 1. *cap.6. num.* 142.

Prata, *fœna, pabula quid differant, l.2.c.2. n.* 18.

Ponderum, *menſurarum, modiorum, ulnarumq; falſificationes caſtigandæ, exemplo Jacobi Regis Scotiæ, l.2.c.30.n.1.& 9.10.& 13.15.& per tot. Princeps quidam Eccleſiaſticus ex falſis menſuris comparavit ærario ſuo non mediocre augmentum, ibid. n.14.*

Jus ponderum *& menſurarum regium eſt, n. 2. vulgò tamen adſignatur mero vel mixto Imperio, n.3.4.*

Vide Libra, Menſura.

Pons *quidam celeberrimus, quo Trajanus rapidiſſimum Danubium ſtravit, l.2.c.77.n 1.*

Pontes *ut conſerventur, modico vectigali opus eſt, quod Pedagium vocant, d.c.77.num.1.2.& per tot.*

Poſſeſſio *juri naturali & communi contraria inefficax, l.2.c.5.n.8. nec manutenibilis eſt, n.10. immemorialis jus familiaritatis & amicitiæ enervat, l.2.c.41.n.34. non quæritur, niſi ex actibus merè voluntariis, ib. n.88.*

Popinas *frequentantium pœna, l.2 c.58.n.10.11. injuria putatur parentis ac Domini, ſi quis filium aut ſervum in popinam duxerit, ib. n.9.*

V. Caupo, Caupona, Ganea, Taberna Hoſpitia.

Portarium *portorium. V.* Guidagium, Pedagium.

Potentes *in nullo ſentiunt, quod in pauperes decernunt, l.2.c.55.n.4.*

Potentiores *exhauriunt infirmiores, d. cap.55. num 3.*

Præda *populo, non militibus addicebatur apud Romanos, l.2.c.87.n.9 & 10. Vide quoque hac de re n.11.12.13.14.15.& 17.18.19.& 22.*

De magnitudine prædæ, *quàm Helvetii victo Carolo Burgundiæ Duce nacti ſunt, & quomodo eâ abuſi ſunt, n.25.26. Vide* Bello capta.

Prædia. *Vide* Paſcua.

Prædiis *ne tantum imponatur, ut poſſeſſoribus victus parandi ſpes abſcindatur, lib.2. cap.51. num 6.*

Prædium, *quod ſervitutem annexam habet, ſi à quoquam ematur, à ſervitute non eximitur, l. 2.c.56.n.13.*

Prædia, *domusq; ruſticanæ agricultura commodiùs exercendæ, l.2.c.1.n.67.*

Prælatus *non poteſt Eccleſiæ præjudicare, l.2.c.31.n. 73.*

Præmeditatio *in delictis non præſumitur, l.2.c.142 n 73.*

Præmeditatio *non præſumitur, quando vulnus ex verbis præcedentibus, aliâve cauſa inſubitanea rixa exorta illatum fuit, d.c. 142.n.71. & 95.*

Præſcriptione *immemoriali tolluntur, quæ ſunt liberæ facultatis, l.1.c.41.n.33.*

Præſent Geld, *eſt contributio pecuniaria, quam in Provincialibus Comitiis Nobiles promittunt, an à feudi ſucceſſoribus vel hæredibus allodialibus exſolvenda ſit? l.2.c.38.n.54. Rationes dubitandi, n.55.56. Rationes decidendi, n.57. 58.59.60.61.62.63 64.65.66.*

Præſumptiones *homicidii præmeditationem excludentes præferuntur conjecturis concludentibus deliberationem, l.2.c.142.num.64. Vide* Præmeditatio.

Precarii *conſtitutione jus non acquiritur, l.2.c.59. num.22.*

Preces *Principum duræ ſunt apud Subditos, ſive dare nolis, ſive parcè dederis, ſive dare non poſſis, l.2.c.90.n.5.*

Pretii *modicitas cum pacto de retrovendendo arguit contractum ſimulatum & uſurarium, l.2. c.19.n.26. An etiam conſuetudo fœnerandi in creditore requiratur ad probandam uſurariam pravitatem? ibid. n.27.28.*

Pretium *juſtum quodnam dicatur, ad quod exiguitas pretii exigenda? n.29. & 31.*

Pretium *& valor juſtus eſt, quando fructus 20. annorum ſortem ipſam exæquant, d.c.19.n.30.*

Pretium *rerum venalium ad tempus augeri poteſt, & quod plus ſolito eſt, in ærarium referri, l.2.c.112.n.1. ingens eſt vectigal ex rebus venalibus, ibid. n.2. Taxa rerum venalium permittatur mercatoribus & populis, n.3. & 4. Quâ pœna digni, ut cariùs, quàm taxatum eſt, vendiderint, n.5. Vetus quiddam & novum inventum tali pretio augere ærarium, n.10. In æſtimatione pretii tam cavendus defectus & exiguitas, quàm exceſſus & incrementum, n.8. ibid.*

Primogenitura *jus Germanorum, Hiſpanorum, Gallorum, Anglorum, aliorumq; populorum, & omniũ penè gentium conſenſu & uſu receptum eſt, l.2.c.37.n.31.32.33.34.*

Primogenituræ *duo fundamenta: Natura & Lex, n.35.36 Verbum primogeniti ſecundùm naturam intelligendum eſt, n.37.*

Primogenituræ *jus nititur jure divino & gentium num.51. An ex indiviſione Regni vel Ducatus inferatur jus primogenituræ? Neg. d. c. 37. n. 48.49.50.*

Princeps *an poſſit capitalium criminum reis indulgere? l.2.c.142.n.2.3 4.5.6 7.& ſeqq. per tot.*

Princeps *poteſt gratiam facere de homicidiis, aliisque delictis deliberatò non commiſſis, & pœnas ordinarias in pecuniarias mulctas commutare, illisq; ærarium ditare poteſt, l.2.c.141.n.109.*

Princeps *mercatu ferarum, piſcium, aviumq; lucrum licitè facit, l.1.c.5.n 93.94 95.*

Princeps *intelligat vires ſui patrimonii, & emolumenta ſuæ Reip. l.2.c.128.n.1. oculis multis provideat, auribus pluribus audiat, & non paucis manibus expediat facienda, d.c.138.n.4. alienis oculis auribusq; ne fidat nimium ibid n 5.*

Princeps *omnis prodigus erit, ſi exactor non eſt, l.2. c.133.n.7.*

Principi *an expediat ſubditos exactionibus opprimere, vel iisdem bona adimere? l.2. c.120 n.10. 11.12.& ſeqq.*

Princeps *non cenſetur in dubio velle præjudicare tertio, l.2.c.5.n.34 concedendo caſtrum cum pertinentiis & juribus omnibus, &c non videtur concedere alteri datum vel conceſſum, ibid. n.37.*

Princeps *ita largiatur, ut proſit, non ut cuipiam noceat, l.2.c.44 n.2. quâ in re Princeps Magnificentiam quàm liberaliſſimè debeat exercere, ibid. n.7.8. malè educati Principis ſignum eſt, ſi in benè meritos parcus & tenax; profuſus verò ſolo placito ſuo in immerentes, n.11.*

Princeps *habeat catalogum ſuarum largitionum, inde conſtabit, cui dederit pro merito, & cui porrò donandum ſit, d.c.44.n.14.*

Princeps *ineat rectam rationem donorum & largitionum, l.2.c.45 n.1.2.3.& 4.*

Vide Largitio, Liberalitas.

Princeps *debet Populi ærumnas noſſe, videre & audire, l.2.c.51 n.2. non uni tantùm Reip. parti, ſed æqualiter toti corpori quàm optimè velit c.52.n.3.*

Prin-

Principes *perſonas plebeiorum ementientes multa expiſcantur, l.2.c.60. n.16.*

Principes contractu *ſacri theſauri egêre præcipites, l. 2. c. 83. n. 22. 23. ubi incidenter de Davidis ſepulchro, ex quo tria millia talenta pecuniarum protuſa.*

Princeps *gratiâ & favore, promittendisq; privilegiis & libertate, quæ omnibus dulciſſima, augere ſtudeat Ærarium, l.2.c.90 n.13. facinoroſos, quibus vita adimi nequit, in metalla, vel alia onera publica condemnet, l.2.c.120.n.25.*

Principi *ſemper aliquid reſervandum in uſum improviſæ neceſſitatis; ubi elegans Hiſtoria de Conaro Scotorum Rege enarratur, l.2.c.103.n.2.*

Princeps *Regalia habens fluminum ingreſſu navigantes arcere poteſt, l 2.c.114.n.2.*

Principum *culpata incuria, nil pacis tempore colligentium ſed prodigentium, quo bellum ingruens poſſent propulſare, l.1. c 1.n.35.*

Princeps *fit amabilis, qui non niſi neceſſitate deſcendit ad privatorum exactiones, d.c.1. n.95. 96.& 97.& 99.*

Principis *vel Fiſci omnia eſſe, quomodo intelligendum? l.2.c.63.n.22.*

Principes *ſunt Paſtores populorum, l. 2. c. 64. n. 6. aurum cum lacrumis Subditorum haud emungere, ibid. n.4 nec pellem, ſed lanam detrahere debent, n. 5.*

Tres boni Principis *notæ*: (1.) *dictorum fides*, (2.) *Monetæ bonitas*, (3.) *viarum ſecuritas, l.2.c.76. num 5.*

Principes *Germaniæ Regalia & Territorialem Juriſdictionem habentes an pro ſupportandis ſumptibus, laboribus, expenſisq; in Executione judiciorum criminalium, confiſcationem de novo inducere poſſint? l.2.c.85. n.93.& 97.98.*

Princeps *burſales punitiones non debet affectare, l.2. c. 85. n. 67. imperio maximus, at major exemplo eſt, l.2. c.106.n.8.*

Principes *facultatum à Deo conceſſarū ſunt quaſi precarii poſſeſſores, d.c.106.n.2. ejusq; quod provinciales contulerunt, cuſtodes, n.10. ibid.*

Principes *ſubinde vino & potationibus veritatem inquirunt, & tormentum admovent Bacchicum, l.2.c.106.n.4.*

Principum *opes & pecuniæ perditæ quæ dicantur? d. c.106.n.9.*

Principes *ingenioſos homines cur præmiorum magnitudine alliciant? l.2. c.112.n.15.16.17.*

Principes *erogent ſtipendium conveniens Judicibus, ne occaſionem ad captanda munera habeant, l.2.c.122.n.15.*

Principes *ad nutum non poſſunt ſemper pœnas capitalium criminum ordinarias convertere in pecuniarias, l 2.c.141.n 48.*

Principum *Germaniæ potentia exaggeratur, l.1.c. 4. n.118.119.*

Principi *in impetu Neceſſitatis extremæ bona privatorum abſorbere, & inſumere licet, c.120.n.1. idq; ob ſalutem & utilitatem publicam, n. 2. & 3. & ſi fiat aliqualis refuſio pretii, n.7. Cautiones tamen adhibendæ; de quibus n.4 5.& 6.*

Princeps *omnia poſſidet imperio, non dominio, ib. n. 8. & 9.*

Principi *vel Reipub. hæreditas vel pars ejus teſtamento, vel codicillis, vel per donationem mortis causâ conferri poſſunt; ubi & de Principibus, qui repudiarunt delatas ſibi hæreditates, l. 2.c.121.n.1.2.3.4.5.6.& ſeqq.*

Princeps & *Reſpublica quando ex hæreditatibus ab inteſtato decimam vel vigeſimam decerpere poſſint? d.cap.121.num. 13.14.*

Principes, *Duces, Comites, Barones tantum poſſunt in ſuis Territoriis ac Ditionibus, quantum Imperator in Imperio, l.2.c.136.n.13. habent jus ſuccedendi in bonis vacantibus, n.14.& 27.*

Principes *vitiis obnoxii; quod qui indicat, ut corrigantur, bene mereatur oportet, lib. 2. c. 146. num. 2.*

Principum *miniſtros quales oporteat eſſe, l.2.c.140 num* 8.

Principum *opes non ſic augeantur, ut Subditi exhauriantur, l.1.c.1.n 17. quorundam immoderata exactio culpata, n.29. 30.*

Privilegia *per non uſum non amittuntur, l.2.c.41. n. 89. turbant Rempubl. Principis vires enervant, ſeditionemq; commovent, l.2. c.47.n.4.*

Privilegia & *Exemptiones infinitæ Nobilium & Eccleſiaſticorum Subditis humilioribus relevandis, & Ærario exaugendo revocentur, Regum Caſtellæ, Hiſpaniæq; exemplo, d c.47.n.5.& 6.*

Privilegia & *immunitates in extrema Reip. neceſſitate & difficultate ceſſent, ibid. n.18.*

Vide Immunitas.

Privilegium, *poſſeſſio & immemorialis conſuetudo faciunt, ut Judæi licitè recipiantur, l. 2. c. 62. num.7.*

Privilegia *pauperibus conceſſa non competunt illi, qui ſuâ culpâ & vitio ad inopiam eſt redactus, l. 2.c.101.n.38.*

Privilegia *civitatibus conceſſa urbes reddunt populoſiores, l 2.c.112. n.11. Quod illuſtratur exemplis, n.12.13.14.*

Proceſſuum anfractus *reſecandi, & judicia ad priſtinam gravitatem revocanda, l.2.c.123. n. 1. & per tot.*

Vide Vectigal litis, judiciorum.

Procuratorum *judicialium varia vitia & pœna condignæ, l.2.c.126. n.19.*

Procurator *an inveſtituram feudi accipere queat? c.2. n.41. per tot. an in juramento adſecurationis admittatur? ib.n.8.& in cauſis judicialibus & extrajudicialibus n.10.11. Vide tamen n.64. 65 66.67. actus civiles per Procuratorem expediri poſſunt, ibid. n.1 .13.*

Prodigus *quis? l. 2. c. 58. n. 1. eidem curator dandus, ibid. n.2.3.4.*

Prodigi *cenſoriâ virgâ notandi, n.5.6.7.8.9.* Prodigalitas *quomodo probetur? ibid. n.13.*

Procemium *deſignat cauſam finalem, 2 c. 37.n 84.*

Protectionis *jus duplex; purum & conditionatū; eorundemq; proprietates, l.2.c.92.n.4 5. & 6.*

Protectores *an licitè pro defenſione clientum aliquod recipiant ſalarium. ibid. n 10.*

Protectores *hodie ſæpe clientes pro patrocinio oppugnant, ſpoliant, gravant, d c.92. n 20. Laicis Advocatia in Eccleſiaſticos ex Conſtitutione Gregorii ſine ſpeciali Pontificis conſenſu inhibita, d.c.92. n.21.*

Vide Advocatus, Honorarium, Salarium, Schutz und Schirmgeld / Caſten-Vogtey / Vogtey.

Protectores *Monaſteriorum, ab Imperatore dati, quale jus habuerint? d. c.92. n.8.*

Provocatis *jura favent, l.2.c.142.n 48.*

Provocatus, *excedendo modum, non dicitur eſſe in dolo, ſed in culpa, d. c.142. n. 38. & 39.*

Provocatus *qui provocantem in rixa occidit, à pœna homicidii ordinaria excuſandus eſt, d.c. 143. n 41.42.43.44.45.46.& 47.*

Prudentis *non ſemper eſt, nolle cum vicinis in bello periclitari, l.2.c.93.n.26.*

Publicani *qui? l.1.c.2.n.20.*

Pupilli, *pupillæve in Anglia injuſſu Regis non contrahunt nuptias, l.2.c.61.n.8.*

Pyrotechniis *aliisq; ignibus ludicris ſæpe ſit profuſio ingens pecuniæ publicæ & privatæ, l.1.c.108. n.17.& 18.*

Pyrrhicam *Scaliger Maximiliano Imp. exhibuit, l.2.c.149.n.74.*

Pyrrhonici, *& ii, qui omnia in dubium vocant, l.2.c.85.n.25.*

Pyxis *nautica veteribus incognita, l.1.c.6.n.69. Vide* Acus marina, Magnes, Navigatio.

Q.

QUadruplator *quidam Galliæ inſignis, l.1.cap.1. n.13.*

Quæſtor *Palatii ſub Conſtantino cœpit, l.1.c.3.n.26. Tales hoc tempore videtur dignitas Cancellarii, n.27.*

Quæſtores *Romani ærario præficiebant, c.3.num.22.23.*

Quæſtorum *munus deſcribitur, ibid. n.25. Vide quoque l.2.c.131.n.9.*

Quæſtores *ærarii, Præfecti ærarii, Triumviri monetales ſunt inter ſe diſtincti, lib.1.cap.3. num.28. Eorum officium, num.29. & lib.1.c.10. num.20.21.*

Quæſtorum *officium à Julio Cæſare duobus ædilibus demandatum. Tum Prætoribus, d.cap.3.n.31.& 32.*

Quæſturæ *prima inſtitutio, l.1.c.3.n.23.*

Quæſtores *quales Ærario præficiendi, præſertim non inopes & famelici; nec exſucci, l.2.c.131. n.1.2.& 4. munus boni Quæſtoris, ibid.num.5. Inſignis Quæſtor Regis Galliæ commendatus, n.6. Procuratores rapaces deſcripti, n.8. Turcicus Imp. quos ærario præficit, privat parte aliquâ corporis ad reſtinguendam rapacitatem, n.10. verùm hæc caſtratio rapacitatis cupidinem nihil minuit, ibid.*

De Quæſtoribus *Theſaurorumq; Præfectis, per quos omnibus Turcæ miniſtris & ſervis ſtipendia exſolvuntur, d.c.131.n.20.*

Quæſtores *certi publico Imperii ærario præficiantur, qui Imperio & non Imperatori rationes reddant, d.c.131.n.21.*

A Quæſtoribus *Ærariiq; miniſtris Cautio exigenda, l.2.c.132.n.1.& 2.*

Quæſtorum *Ærarii & Exactorum numerus minuendus, l.2.c.134.n.1.2.3.4.& per tot.*

Qualitas *præcedentis injuriæ arguit animum in ſubſequentibus, l.2.c.142.n.34.*

R.

RAbulæ *Latinæ linguæ ignari nil niſi Bart. Bald. & Panormitanum aliosq; Doctores crepant, l.2.c.126.n.15.*

Rabulis *forenſibus & cauſidicis in Regno Congii & in Utopia nullus eſt locus, ibid.n.13.*

Rationarium *tàm opum publicarum, quàm tributorum, veluti Regni Symbolum, exemplo Auguſti Imp. conficiendum, l.2.c.129.n.1.2.3.4.& 6. Exempla plura Regum, Principumq; qui libros habuerunt conſimiles, magnâ laude & commodo, ibid.n.5.& 7.8.9.*

Rationum *neglectus extenuat facultates Principum, l.2.c.130.n.2.3. & per tot.*

Rationes *quo pacto ab adminiſtratore reddendæ ſint? d.c.130.n.12.13.14.15. Tako Dixtra Quæſtor Friſiorum ob debita, & parùm ex fide adminiſtratum Ærarium gravi & ignominioſo ſupplicio affectus, ibid.n.16.*

Rationaria *Cameræ. Vide* Cameræ rationaria.

Reditus *unde dicti? l.1.c.2.n.19. dividuntur in naturales & induſtriales, n.21. mutabiles & immutabiles, ſive certos & incertos, n.22. ordinarios & extraordinarios, n.23.24. apertos, directos, honeſtosq; vel occultos, indirectos, doloſos & turpes, n.28.*

Reditus cauſales *Fiſco inferuntur, l.2.c.136.n.12.*

Redituum *publicorum & extraordinariorum varietas, l.1.c.2.n.10. & 26.*

Regalia *unde dicta? l.1.c.4.n.55.*

Regalia *Majeſtatis, vel Majora, quænam ſint? quænam Minora? c.4.n.50.*

Regalia *Superioritatis, Juriſdictionisq; Principum modernorum jura longè recedunt à juriſdictione Magiſtratuum priſci Romani Imperii, num.116. nec poſſunt ab Imperatore revocari, n.117.*

Regalia *& Juriſdictiones non ſunt ad lucrum inventæ, l.2.c.5.n.35. nova non ſunt conſtituenda, ut confiſcationes bonorum reducantur, l.2.c.85.n.100.*

Reges *Principesq; Tutores ac Depoſitarii ſint publicæ ſalutis, ut rem populi ſalvam velint, & depoſitum cuſtodiant, l.2.c.49.n.1.*

Reges *quidam ſolenni juramento pollicentur, ſe nihil à Regno alienaturos, n.6.7.*

Regum Indiæ *opibus privatorum peſſimè abutentium conſuetudo, l.2.c.31.n.7.*

Regiones *unitæ faciliùs reguntur, l.1.c.7.n.50.*

Regiſtrum *quid? l.2.c.127.n.15. & in quibus potiſſimùm conſiſtat? ibid.n.16.*

Regni *proprietas eſt, Reip. uſus adminiſtratioq; Magiſtratus & Regum, l.2.c.49.n.2. itaque nihil de Regno alienare poſſunt, ibid.n.3.*

Regium *eſt, jus dici velle, poſtea uti indulgentiâ, malefacta benefactis compenſari, l.2.c.117.n.11.*

Reipublicæ *intereſt, ne ædium ruinis civitas deformetur, l.2.c.18.n.1. & ut certæ de dotibus leges ſanciantur, l.2.c.43.n.9.*

Relevium *ſive pactum laxandæ coxæ, aut connagii apud Canonicos Lugdunenſes turpe & inhoneſtum, l.2.c.42.n.19. in Regno Neapolitano, an ſit de jure, vel more, d.c.42.n.14.*

Religio *prætextus eſt bellorum noſtri ævi, l.1.c.4.n.26.*

Religionis *Chriſtianæ propagatio non eſt juſtus belli titulus, l.1.c.6.n.75.76.77.& 80.& 82.*

Religionis *Chriſtianæ felix ſucceſſus in Orientali India, ibid.n.*81.

Religio *contempta quomodo ſeipſam ulta ſit apud Gentiles, l.2.c.83.n.15.16.& 17.*

Remedium *litium abbreviandarum Fiſco expediens, l.2.c.123.n.7. Alia litium abbreviandarum remedia, d.c.123.per tot.& n.56.*

Rempublicam *& quemlibet mortaliũ præſtat eſſe inopem, quàm per dedecorum veſtigia ad cumulum divitiarum aſcendere, l.1.c.1.n.88.*

Rempublicâ *liberis abundare præſtat, l.1.c.141.n.82.*

Reſpublica *diuturnum ac immortale animal, l.2.c.133.n.14.*

Res *unaquæq; in obligationem eatenus deducta cenſetur, quatenus tunc fuit, cùm contrahebatur, l.2.c.74.n.8.*

Res *perit ſuo domino, l.2.c.19.n.81.*

Res *inter alios actæ, Tertio neque prodeſſe, neque obeſſe poſſunt, l.2.c.5.n.36.*

Rex *vinum bibiturus meminerit, ſe ſanguinem terræ potare, l.2.c.106.n.5.*

Riparum *jus cujusnam ſit? l.2.c.74.n.5.*

Riparum uſus publicus, proprietas eſt accolarum, qui illis prædia contermina habent, n. 6.
An ad ripaticorum ſolutionem declinandam poſſit quæri flumen devium, ibid. n. 7.
Rixa omne præmeditati animi indicium tollit, l. 2. c. 141. n. 72.
Romani plurimos civitate donabant, quæ non minima fuit incrementi tam ſubiti cauſa, l. 2. c. 111. n. 10.
Romæus quidem collaudatus, qui ærarii conſiliis celebris, non multum gratiæ habuit, l. 1. c. 1. n. 2. & l. 2. c. 131. n. 9.
Romæ novæ ærarium & proventus Pontificum enumerantur, c. 3. n. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. & ſeqq. usque ad n. 78. incluſivè.
Romani Pontifices vix ullam curam ſuſceperunt conſervandi & ampliandi ſua. ibid.
Romanorum conſuetudo in augendo ærario, c. 3. n. 15. revocanda in uſum noſtri ævi, n. 16.
Romani præter aquilas etiam alia ferociora in inſignibus militaribus olim ferebant, c. 4. n. 4.
Romani bello Punico 2. mutuum accepêre potiùs, quàm extorquere tributum vellent, l. 2. c. 21. n. 6. 7. & 8.
Romani Subditos ad agros colendos dextrè alliciebant, l. 2. c. 1. n. 44. & 45. unam tantùm officinam monetalem, & nullius ferè rei majorem curam habuerunt, l. 2. c. 84. n. 41.
Romulus victos & hoſtes in civitatem recepit, l. 2. c. 111. n. 9.
Rudolphus I. Imp. Auſtriam legitimo hærede orbatam Imperio vindicans filio ſuo Alberto conceſſit, l. 2. c. 40. n. 6. & 9.
Rupertus Bavariæ Dux Rex Romanorum renunciatur, l. 1. c. 4. n. 87.
Ruſtanus Sulcimanni Turcici Imp. Conſiliarius & primus Viſirius ex hortis & violis ærarium amplum confecit, l. 1. c. 3. ſub n. 8.
Ruſtici & Emphyteutæ mutatâ Vaſalli perſonâ tenentur ad Relevium ſeu Laudimium, l. 2. c. 42. num. 25.
Ruſtici olim ultra 26. denarios pro quolibet capite vel fumante Imperatori non ſolverunt, l. 1. c. 4. n. 69.
Ruſtici in Suecia metalli fodinas fortè repertas ſummo ſtudio occulunt, l. 1. c. 9. n. 15.
Ruſticanæ plebis in Repub. encomium, quæ levanda potiùs, quàm pluribus oneribus degravanda, l. 2. c. 47. n. 15.

S.

SAbaudia ferè ſterilis, l. 1. c. 16. n. 15. Pedemontana & Lombardia locupletiores, n. 16.
Sabaudiæ Dux Princeps Italiæ atque Germaniæ, quid ab Imperio recognoſcat jure clientelari, d. c. 16. n. 1. & 2. In Italia quas opes habeat; Italorum Principum minimè ultimus, num. 3. 4. in quas civitates jus ei competat? n. 10. 11. 12. 13. 14. Reditus ejuſdem & expenſæ, n. 17. & 18. Hic Princeps fœderibus res ſuas ſtabilire conatur, n. 19. cum Rege Angliæ, 20. Belgii Ordinibus, 21. Principibus Germaniæ, 22. & Rege Galliæ amicitiam colit, 23. nihil ipſi cum Venetis negotii eſt, 24. Solicitus eſt de libertate Italiæ, potentiaque Regis Hiſpaniæ, n. 25. adverſutricem ſemper habuit fortunam, n. 27.
Sabaudiæ Duci Ducatum Montisferrati ſibi vindicanti reſiſtit Rex Hiſpaniæ, l. 1. c. 18. n. 4.
Sabaudiæ Principis Conſtitutio de legato ad Academiæ ædificationem & ſuſtentationem, l. 2. c. 121. n. 10.
Sacchari ex arundinibus expreſſio incredibilem laborem deſiderat, quem Europæi vix ſuſtinere poſſunt, l. 1. c. 14. n. 138.
Sacrilegii & ſacrilegorum deteſtatio, l. 2. c. 83. n. 49. 50. 51. 52. 53.
Sacrilegi inter Ethnicorum falſorum Deorum miracula numerantur, eorumque injuriam Dii vindicaſſe creduntur, l. 2. c. 83. n. 32.
Sacrilegorum ſupplicia quàm variè fuerint à Deo inflicta, l. 2. c. 83. num. 33.
Sacrilegium ſpoliatoribus ipſis, eorumq; hæredibus, ſemper funeſtum damnatur, non verò legitimum pietatis arbitrium, ibid. n. 41.
Vid. in verb. Eccleſiaſtica bona, Principes controctu, Epiphanes.
Sagarum & Sortilegorum bona an confiſcari poſſint? l. 2. c. 85. n. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. & ſeqq. usque ad finem.
Sagæ & malefici tantò pejores ſunt, quantò divinam Majeſtatem, quàm humanam, lædere deteſtabilius, d. c. 85. n. 41. 42. & n. 88. & 90.
Vid. Confiſcatio, Hæreſis, Sortilegium, Veneficium.
Salarium protectoribus penditur tàm in pecunia, quàm fructibus & aliis muneribus, l. 2. cap. 92. n. 11.
Salarium protectionis causâ ſtipulatum an protectori victo debeatur? ibid. n. 13. an debeatur Advocato clientelari, ſi centum aut pluribus annis nullum defenſionis actum exhibuerit? n. 14. an ſolvendum ſit, etiamſi invito Advocato clientes Advocatiam renunciaſſent? n. 15.
Sal ſapientia Apoſtolicorum Doctorum & Symbolum, l. 2. c. 9. n. 3.
Salis encomium, utilitas, puritas, color, ſapor, vigor, duratio, d. c. 9. n. 1. & 2.
Sal & ſalinaria à Magiſtratu diligenter curanda, n. 5. ſales lepidiores & mordaciores, ibid. n. 4.
Salinæ celebriores recenſentur, n. 6.
Salarium vectigal provenit à ſale, n. 7. ubi & de ſale evaneſcente Tragaſæ poſt impoſitum tributum ei à Lyſimacho.
Sal foſſilis in Polonia, lib. 2. c. 9. n. 8. Sal nitri & petræ, n. 9. ibid.
Jus ſalis vendendi an quis ſolus ſibi arrogare poſſit præter Regem? d. c. 9. n. 12. Rex Galliæ monopolium exercet cum ſale, n. 13. Salis proventus eſt Tartarorum Principis Domanium, n. 14. Monopolia de ſale vendendo in Italia ſunt licita, n. 15. Venditio ſalis urbium eſt, non pagorum, n. 16.
Salinæ privatorum in fundis repertæ ſunt Dominorum, n. 17. at poſteà in Fiſcum tranſlatæ, n. 18. & ex A. Bulla Car. IV. Electoribus ex gratia ſpeciali addictæ, n. 19. Uxor Loth cur in ſalis ſtatuam verſa? n. 20. ænigmata, ibid. Ænigmata & Griphi de Sale, n. 23.
Sal ſterilitatis & inopiæ ſymbolum, n. 22.
Sal nativum quid? l. 2. c. 33. n. 6. & 7.
Sale ſaxeo celebris Polonia & Tranſylvania, d. c. 33. n. 9.
Salis mica in Regno Sueciæ ex terris extractæ, lib. 1. c. 9. n. 22.
Salis flos, qui gemma dicitur, quid indicet, l. 2. c. 33. n. 8.
Salicetorum multis in locis oportuna utilitas, l. 2. c. 2. n. 9.
Salmonum captura peculiaris eſt Principi, l. 2. c. 5. n. 86.
Salomon in ſui cultu nimiùm occupatus, Dei obliviſcitur, & ad idola deflectit, l. 2. c. 94. n. 3.
Saltuarii quinam? l. 2. c. 5. n. 30.

Saxones *à Fothone IV. Danorum Rege victi pro quolibet cubitalium membrorum tributum pendere coacti ſunt, l. 2. c. 79. n. 26.*

Sceptrum *eburneum ſeu ſcipio nil ſtivam erubeſcit, l. 2. c. 1. n. 8.*

Scotiæ *reditus non ſupra 100000. aureorum, l. 1. c. 8. n. 43. & d. lib. 1. cap. 11. n. 16.*

Schutz- und Schirm-Gerechtigkeit. *V.* Advocatio, Protectio, Salarium.

Sebaſtianus Luſitaniæ *Rex ante victoriam gloriatus, c. 28. n. 13. 14.*

Secreta *patrimonii non ſunt ſcrutanda, lib. 2. cap. 53. n. 28.*

Secretorum *proditores non ſolùm pœnam capitis incurrunt, ſed & publicationem bonorum, l. 2. c. 137. n. 50. conſcii tantùm criminis eadem pœnâ tenentur. ib. n. 51.*

Semiramidis *ſepulchrum ejusq; inſcriptio, l. 2. cap. 148. n. 28.*

Sententia *confiſcatoria contra formam & diſpoſitionem Auth. Bona damnatorum, lata eſt nulla, l. 2. c. 85. n. 49.*

Sententia *notoriè injuſta non tranſit in judicatum, l. 2. c. 123. n. 53.*

Sepulturæ *ſine munere & Vectigali liberè concedendæ, l. 2. c. 148. n. 8. lucrum ſacrificulorum, aliorumq; ex cœmiteriis & ſepulturis mortuorum, n. 9. & 10. etiam irrepſit abuſus in Eccleſiis reformatis de Sepulturis carè vendendis, n. 11. & 12. punitio cujuſdam abutentis Sepulturâ ob pecuniæ aucupium, n. 13. & 14.*

Sepulturas *quisquis vendiderit, à mortuis exigere videtur tributum, d. c. 148. n. 15.*

Sepultura *in Gallia iis denegabatur, qui nihil Eccleſiæ legaſſent, d. c. 148. n. 16.*

Sepulturæ *nomine injuria in violenta pecuniæ extorſione commiſſa punitur in perſona Magiſtratuum, ib. n. 17.*

Pro Sepulturis *publica loca eligenda, d. c. 148. n. 1. Lex 12. tabb. de ſepultura, n. 4. Campus Martius, Romæ celebris ſepulturæ locus, n. 5. Varia exempla de Sepulchris, n. 6.*

Sepulturæ *Chriſtianorum cœperunt eſſe locis ſacris in reverentia aliqua, ib. n. 7.*
Vid. Terra cœmiteriata.

Conſuetudo ſepeliendi *cum veſtibus & ornamentis an ſit rationabilis? d. c. 148. n. 23. M. Æmilius Lepidus præcepit filiis, ut ſibi ſine linteis, aut purpura funus facerent, ib. n. 19. Quod etiam Atticus Pomponius juſſit, n. 22. Lycurgus vetuit aurum, vel quicquam cum cadavere ſepeliri, ib. n. 20. Quæ ratio fuerit cremationis apud veteres, n. 30.*

Sericum *informis prolis multis modis elaboratur, l. 2. cap. 68. n. 4. Hiſpania ſerico & lanâ nobilis, num. 5.*

Sericarum *veſtium abuſus, l. 2. c. 95. n. 25. & 26,*

Servitia *Domino debita ſunt realia, l. 2. cap. 41. num. 24.*

Sixtus IV. Pontifex dixit, *nunquā defore pecunias, dum manus & calamus non deſint, l. 1. c. 3. n. 33. Exempla hujes rei in Joanne XXII. & Sixto V. n. 34.*

Societatum *utriusque Indiæ Orientalis & Occidentalis Collegia ſunt præcipua Fœderatæ Reip. Belgicæ munimenta, l. 1. c. 14. n. 106. à quibus, & cui fini ſint inſtituta? n. 107. Quænam huic inſtituto occaſionem fecerint? n. 109. 110. & 111. Forma & modus inſtitutæ curatæq; hactenus Societatis, num. 113. 114. 115. 116. 117. 118. 119. 120. 121. 122. 123. 124. 125. 126. 127. 128. 129. 130. 131. 132. 133. 134. 135. 136. 137. & num. 138.*

Societatis *Indiæ Orientalis regimen domi & foris in Braſilia, ib. n. 139. 140. 141. 142. 143.*

Societas *utraque ad ſtabiliendam Rempub. comparata, & veluti perpetuum quoddam ſeminarium eſt, ex quo belli tempore arma & armatæ naves, & armatorum hominum aliquot millia è veſtigio poſſunt haberi, n. 144.*

Societates *iſtæ exſecrandæ, quibus annona fit carior, l. 2. c. 82 n. 3.*

Socii *quandoque certam pecuniæ ſummam contribuendo laboranti Ærario ſubveniunt, l. 2. c. 86. n. 1.*

Socidæ *contractus licitus, dummodò capitale ſit periculo dantis, l. 2. c. 19. n. 79.*

Societatis *ex natura eſt, ut non transferatur dominium, ſed communicetur, ib. n. 79.*

Sòlarium *quid? l. 2. c. 18. n. 21. & d. lib. 2. cap. 1. num. 64.*

Solertia *Comitum Naſſovienſium in excolendis terræ inutilibus plagis, d. l. 2. c. 1. n. 37.*

Solutionem *recipere non cogitur Dominus pro re emphyteutica, quàm ab Emphyteuta, l. 2. c. 41. num. 84.*

Solutio *facienda, ut Creditori nihil quicquam abſit. l. 2. c. 84. n. 77.*

Sortilegi *& Venefici poſſunt eſſe ſine hæreſi, l. 2. c. 85. n. 62.*

Spes *impunitatis eſt illecebra peccandi, l. 2. c. 142. num. 9.*

Spurii *de jure communi parentibus non ſuccedunt l. 2. c. 138. n. 35.*

Spinnhaus, *ſive Domus Netoria, l. 2. c. 102. num. 29.*

Spiritus *infernales malè partæ pecuniæ inſident, l. 1. c. 1. n. 94.*

Stanni *natura, l. 2. c. 32. n. 1. diſcrimen ſtanni & argenti, n. 2.*

Stannum *Miſniæ & Angliæ nobiliſſimum n. 4. in mixturis metallorum quaſi venenum eſt, ib. n. 3. ſtannea pecunia, n. 5.*

Stapulæ *Etymon, l. 2. c. 16. n. 3. 4. 5.*

Jus Stapulæ *nonnullis civitatibus competit, num. 6. 7. in quo differat à jure Geranii? num. 8. 9. & 10.*

Statuta *condere contra diſpoſitionem juris communis ſupremæ eſt Jurisdictionis, l. 2. cap. 85. n. 47.*

Statuta *valent de non ædificando, niſi certo modo, l. 2. c. 95. n. 39. & 40.*

Statuto *& lege caveri poteſt, ut Reipub. & Eccleſiæ legata relinquantur, l. 2. c. 121. n. 8.*

Statuum *diſſenſio, Imperii diſſolutio, l. 1. c. 4. n. 111. eorundem in Comitiis alteratio, n. 112.*

Quot Status *& Ordines à tempore Imp. Rudolphi I. ab Imperio defecerint, d. c. 4. n. 65.*

Stulti *& Moriones an in Aula ferendi ſint? Diſting. l. 2. c. 105. n. 36. 37. Hiſtoria de Georgio Poggiobracio Rege Bohemiæ, n. 38. Germanici Rythmi de Morionibus & Gnathonibus, n. 39.*

Stupri *pœna ordinaria ex L. Julia non eſt capitalis, l. 2. c. 139. n. 100.*

Subcollectatio *Subditorū Statibus Imperii in ſubſidium permiſſa, l. 2. c. 53. n. 26.*

Subditi *attriti, exules, profugique revocentur, mutatis in melius temporibus, ſua reviſant colantque, l. 2. c. 48. n. 1. initium in hac revocatione fiat non ab infirmioribus, ſed grandioribus, opulentioribusq; ib. n. 2. 3. 4. 5.*

Subditi *exacerbantur meritò, ſi pecunias, in publicum*

tum uſum collatas, in leviculos uſus viderint diſſipari, l.2.c.105. n.35.
Subditorum bona, *quæ aliquo poſſidebant tempore, omnia ad imperantes pertracta, l.2.c.145. n.2.*
Subditi novi *leniùs tractandi minùsq; gravandi, l.2.c.50.n.11.*
Subditos, *premente foris hoſte, interiùs tributis premere, periculoſum eſt, l.2.c.21.n.9.*
Vid. Mutuum.
Subditi *Auguſtanæ Confeſſioni addicti, an à Catholico Magiſtratu in urbe Catholica poſſint cogi pœnâ pecuniariâ ad copulationes Eccleſiaſticas, baptiſteria, auricularem confeſſionem? l.2.c.146.n.33.34.*
Succeſſor *non eſt melioris conditionis, quàm autbor ſuus, l.2.c.41.n.18.*
Succinum *quomodo colligatur? l.1.c.11.n.6.*
Sueciæ *Regnum valdè antiquum, l.1.c.9.n.1.*
Sueci *& Gothi quare à Scythis orti dicantur? n.2. inſtar apum in diverſas Orbis partes progreſſi, n.4. etiam Italiam, reginam gentium invaſerunt, n.5.*
Suecia *olim, quàm nunc, multò populoſior, n.3. vagina & officina populorum, n.6. quinam populi ab hisce exiverint? n.7. Italiæ, Africæ, Galliæ, Britanniæ, &c. domitores, n.8 Imperii Majeſtatem labefactarunt, n.9. Reditus hujus regni, I. Fodinæ, unde ferrum, cuprum, plumbum, imò & argentum habetur, & pauxillum auri, n.12.13.14.15.16. quantam inde ſummam Rex conficiat? n.17. thaleri Suecici, 18. quantum ex cupro & ære Rex percipiat, n 19.20.21. II. Vectigalia ex frugibus & teloniis, n.23.24. mercibus, n.32 portubus, 33. pellibus, 24. annua argenti collatione, n.36. III. Vectigalia ex arbitrariis contributionibus, n.37.38. à quibus Nobiles immunes. 39 Ruſtici autem per æs & libras contribuunt, n.40. Subditiq; pro dote regiarum filiarum collectantur, 41. item vectigalia de ſingulis jumentorum capitibus, n.42. de agris ac ſemente, 43. ex molis. 45. IV. Reditus ex bonis Eccleſiaſticis, n.48. De quæſtoribus & miniſtris Ærarii ſive Fiſci, n.49 50.51.52.53.*
Suecorum *militia hodie ad meliores leges revocata & compoſita, n.68.*
Sumptus *ſuperflui Principibus Oeconomiæ ſtudioſis reſecandi ſunt, l.2 c 103.n.1. & per tot.*
Supellex *curioſa, ac non neceſſaria, non acquirenda, l.2.c.96.n.1. Exempla in hac nimia ſupellectilis ſuperfluitate, n.2 abuſio in ſuperflua ſupellectili hujus ævi, n 3.4.5.6 7.8. & n. 12.*
Supellectilis *nitor & ſplendor in Hollandia, ibid. n.14*
Supellectilis *aureæ & argenteæ collatio, Vid. in verb.* Neceſſitas
Suſpecti *ad fractam pacem, exceptis Principibus, ſe ſiſtere, & jurejurando perſonaliter purgare debent, l.2 c.41.n.82.*
Suſpenſio *ab officio famam ſugillat, lib.2. cap 130. num.4.*
Sylvæ *cæduæ & incæduæ utilitas, l.2.c.2.n. 1.2.3. Sylvarum cura, ib.n 4. cædes ſupplantandis novellis ſtirpibus inſtaurandæ, n.5. & 7. Contra ſylvarum devaſtatores, n.6.*
Sylva *incidua quid ſit? ib.n. 10.*
Sylvarum *& montium arbores ſteriles, non tamen inutiles, n.11.*

T.

TAbellionum, *Sacerdotumq; inſtructio ad ægrotos, l.2.c.121.n.11.*
Taberna Trapezitæ *cui bono? l.2.c.22 n 9.*
Vid. Trapezita menſa.
Tabernæ *conceſſio habetur actus probans jurisdictionem, l.2.c. 59. n. 6. multarum urbium corruptelæ, ex tabernarum & cauponarum incuria oriuntur, ibid.n.4. & 5.*
Taffel van Leeninge *l.2.c 22.n.13.*
Tako Dixtra *Quæſtor Friſiorum ob debita, & parum ex fide adminiſtratum ærarium, gravi & ignominioſo ſupplicio affectus, l.2.c.128.num. 16.*
Tartari *unde? & Magni Chan origo, l.1.c.20.n.1. Reditus, Decimæ & vectigalia hujus Principis, n.2. & ſeqq. & n 25. Rex hic ſemper armatam militiam in promptu habet, n.3. equis, portoriis, metallis, decimisque dives, n.5. percipit 5019. aureos annuè à Turcis, n. 7. Tenuia hæc adparent, tamen ejus copiæ militares excedunt omnes Chriſtianorum, n.8. Flumina trahunt ſecum multum auri, n.9. Nummorum & monetæ ratio, n. 10. Quæ ratio virium magnarum ſit huic Chano, n.13.14.15.16.*
Tartarorum *arma & ratio præliandi, n.17.18. eruptiones usque ad Ruſſiam, Poloniam, Sileſiam, Moraviam, Hungariam n. 19. Legatio Papalis ad Magnum Chan pro pace, n. 20.*
Tartarorum *diviſio in Hordas, cœtus, conventusq;, n.23. Hi multis prudentibus plus, quàm Turcæ, formidabiles viſi ſunt, n.24.*
Temporibus *difficillimis, non ab invitis, ſed à voluntariis tributa exigenda; inprimis autem fidem ſervandam eſſe, l.2 c.90.n.8. & 9.*
Tempus *obligationis ut ſpectetur, ſit propter favorem debitoris, l.2.c.84.n.106.*
Terra cæmiteriata *ne vendatur, l.2. c.148. num. 12.*
Territoriorum *diviſiones & permutationes utiliter ſæpe fiunt, lib.2.c.49 n.24.*
Teſtamenta *de integris Regnis patrimonialibus facta, l.2.c 121.n.2.*
Teſtatorem *blandis verbis allicere licet, d.c. 121. n.7. & c.138.n.22.*
Thaos *Ægypti Rex ex imminutione ſacrorum ſumptuum pecuniam collegit, l.2. c. 45.n.44.*
Thebani *Principes ſuos cæcos, Conſiliarios mancos fecerunt, & quare, l.2.c 122.n.9.*
Thermæ *& Acidulæ non tam voluptati & deliciis, quàm ſanitati faciunt: imò magnificentiæ & commodo Principum, lib.2.cap. 13. num. 1. 2. 3.*
Thermarum *varia loca, hypocauſta afferunt locis, ubi natæ, nobilem celebritatem, ibid. num. 5.6. habet Hungaria plurimas, ſalutaresque aquas, quarum nonnullas ne Turcæ quidem, cum poſſent, devaſtarunt, n.7. Ineptiunt tamen Turcæ, qui ſua ſcelera balneis putant eluenda, n.8 Etiam veteriores gentiles aquâ abluenda putabant, n.9. & 10.*
Thermarum *acidularumq; occaſione multa oppida coivêre & crevêre, n.13.*
Thermæ *Antonini, n. 14. SS. Nerei & Achillei, n. 15.*
Theſaurus *inventus cui cedat? l.2.c.116.n.1. Theſauri deſcriptiones variæ, n 2. & 3.*
Theſaurarii *quinam dicantur? n.4.*
Theſaurus *vetus depoſitio pecuniæ, n.5. fortunæ donum, aut rectiùs Domini beneficium dicendum, n.6. inventori cedere, defenditur, n.7.8.9. & n. 11.12. De inventione theſauri quid jura ſtatuant? n. 13.*

Theſauri

Theſauri *hodie ex conſuetudine debentur inventi Regibus & Principibus, d.c.116.n.10.*

Theſaurus *in fundo empto inventus quando Emptoris ſit, & quando non? n.14.15.16.*

Theſaurum *inventum in feudo feudali vel Emphyteutico Vaſallus lucratur & Emphyteuta, n. 17 Quod modificatur, n.18. Theſaurum in fundo alieno quis acquirat? n.10. quid dicendum de reperto theſauro in fundo dotali? n.18.*

Theſaurus *in loco Cæſaris inventus cujus ſit? n.21. in loco ſacro repertus cui cedat? n.22. & 23.*

Theſauri *vomeris ictu profundioris ad quem ſpectent? n.24.25.*

Theſauri *inventor jurato tenetur indicare, quantum invenerit, n.26.*

Theſaurus *inventus invito Domino fundi cujus ſit de jure? n.27. inventus magicis artibus totus Fiſci erit, n.28. pœnas dabunt inventores malefici n. 27. Hiſtoria curioſa & jucunda de* Theſauro *in Bohemia à Monachis ſcrupuloſè cuſtodito, & tamen Cæſari prodito, n.21.*

Theſaurorum *inventores Feſſæ in Africa, d.c.116. num. 21.*

Tiberianæ *artes relatæ, l.2.c.19.n.92.*

Tit *Ne ſanct. baptiſm reiteret, an agat de Pædobaptiſmo, quem hodie urgent Anabaptiſtæ? l.2.c. 86.n.3.*

Timothei *& Didalis impoſturæ & aucupia corradendæ pecuniæ, l.2.c.145.n.41.42.43. aliæ fraudes & impoſturæ Memnonis Charidemi, Philoxeni, Cleomenis, Artimenis Rhodii & aliorum, ib n.47.48.49 & n.51.52.53.54.55.56.57. & 58.*

Tormentorum *& ſcloporum bellicorum uſus unde Chinenſibus? l.1.c.9.n.27. Rei tormentariæ inventum, ejusque perfectio, qualis hodie cernitur Germanis adſcribitur, ib.n.28.*

Traditione *ſubſecutâ jus quæſitum tertio ex facto duorum contrahentium auferri nequit, l.2. c.42.n.40.*

Ad tranſigendum *nemo poteſt præſcripto legis cogi, ſed patet cuilibet ad proceſſum juris via. l. 2. c. 123.n.4.*

Trapezitæ, *numularii & menſarii idē ſignificant; & in quo differant à campſoribus, l.2.c.22.n.8.*

Trapezitæ menſa *ſive Taberna cui bono? ib. c. 22.n. 9. privata nulla, n.10. tantùm publica & authoritatis magiſtratuum, n.11. eſt Urbium, non Lombardorum propria, n.12. & n.15. & n. 17. 18. ejusdem privilegia, n.16.*

Trapezitæ *& Numularii per programmata publicis locis affixa ad menſæ conditionem invitantur, d.c.22.n.19.*

Tributum *quid? ejusque Etymon, l.2.c.80.n.23. & 24. variarum regionum tributa remiſſivè, ib.n.25.*

Tributi *nomen æquivocum, & quid in generali ac ſpeciali ſignificatione propriè denotet, ib.n.7.8. 9.10.11.12.13. & 14.*

Tributa *Reipub nervi ſunt, d.c.79.n.19.20.21. & in pœnam indici olim juſſa, n.22.*

Tributorum *collatio multitudini ſemper eſt inviſa, l.1.2.n.16.*

Tributorum *onus, Romano Imperio ceſſante, ab aula receſſit, l.1.c.4.n.75.*

Tributorum *remiſſio Ærario expediens, l.2. c. 50. per tot. Ordinaria tributa Subditis remittere non convenit, exemplo Imp. comprobatur, n. 1. Contrarium ſtatuitur, & recenſentur diverſi caſus, quibus expediat ſubinde remittere tributa ordinaria, ex diverſis Principum exemplis, ib.n.2.3.4.*

Tributa *æquiſſimè tolluntur à ſucceſſore, quæ prædeceſſor iniquiter aggravavit, doceturq́ exemplis Principum, d.c.50.n.5.6.7.8.*

Tributa *benè merentibus remitti poſſunt, ibid.n.9. & 10. Præclara Eumenii, Auſonii & Juliani de Remiſſione Tributorum declamationes, n.12. 13.14.15.16.*

Tributa *gravia & oppreſſiones Subditorum Deo diſplicent, l.2.c.51.n.1. & 3. ubique minuenda; exemplo Principum, qui moderatiſſimè cum Subditis egiſſe laudantur, ib.n.3. & 5. ne tantum imponatur prædiis, ut poſſeſſoribus victus parandi ſpes abſcindatur, d.c.51.n.6.*

Tributa *ne ſint gravia, n.7. nec ſordida, n. 8.*

Tributorum *exæquandorum ratio apud Peruvianos & barbaros, l.2.c. 52.n.9.*

Vid. Onera, Subditi.

In tributis *ordinariis & extraordinariis exigendis multipliciter peccatur, l. 2.c.52.n. 8.*

Tributorum *crebra impoſitio quid efficiat? l. 2.c. 53.n. 1. ex æquo fiat, ib.n.7.*

Tributorum *per jugera terræ ab Henrico I. Rege Angliæ impoſitum, l.2.c.53.*

Tributa *ſunt urbana vel ruſtica, l.2.c.80.n.15.16. 17. tributum vini in Gallia, ibid.n.18.*

Tributorum *hodie frequens indictio, ib.n 26. Germani iisdem maximè gravantur, num 27. Quæ in tributorum impoſitione potiſſimùm ſint obſervanda? n. 28. indictionis neceſſitas populo exponenda, n.29. æqualitas ineunda, quæ Geometricâ, non Arithmeticâ proportione dimetienda eſt, n.30. & 39. Geometrica proportio quid? ib. n.31. Arithmetica quid? n. 32.33.34.*

Tributa *ſint potiùs crebra, quàm gravia, ibid.n. 35. tributum reale perſonali capitatione æquius, n.36. Locus hanc in rem Nazianzeni & Iſidori Peluſiotæ, n.38.*

Tributa *ſeu functiones rebus indictæ, Indictiones in ſpecie appellantur, ib. n. 42.*

Vid. plura in verb. Capitatio, Cenſus, Collecta, Contributio.

Tributa *victor victis imponit, l.2.c.88 n.1.*

Tributū *jure Victoriæ indicitur, d.c.88.n.2. Exempla hanc in rē ſacra, n.3. & 4 prophana, n.5. & 6.*

Tributa *auxiliaria antiquitus ſponte oblata, præter morem creſcentibus Imperii negotiis, l. 2. c. 90. n. 10. etiamnum rectè peti poſſunt ex cauſa, ib.n. 12.*

Vid. Collationes voluntariæ.

Tributum *aleatorum, l.2.c. 101.n.24. & per tot. ib.*

Tributum *advenarum & peregrinorum.*

Vid. Advena.

Tributum *rerum venalium. Vid.* Pretium.

Tributorum *adminiſtros aliquando Georgius Fridericus Marchio Brandenb. ſeveriùs coërcuit, l.2.c.133.n.1.*

Tributum *capillorum, lib. 2. cap. 145. num. 19.*

Tributum *pro mortuis & recens natis poſtulatum, d. c. 145.n.7. & c. 146.n.31. & 32.*

Tributum *ex jejunio collectum, d. c. 145.n.12.*

Tributum *Mendicorum, l. 2. c. 146.n. 10.*

Tributum *pro redemptione virginitatis delibandæ, l.2.c.146.n. 27.28.29.*

Tributum *Meretricum, Lenonum, &c. d.c.146.n.6.*

Vid. Lupanaria.

Tributum *ex urina & lotio, l.2.c.147. n. 6. ex umbra, aliisq́ inanitatibus, ibid.n.7.8. pro ſingulis tegulis, lateribus, nive vendita, feneſtrisq́, ib.n.9. ratione litium, chartarum luſoriarum, aëris, fumi, fimique, n.10. His ſimilibusque tri-*

butis

butis exigendis caveant fœdari Principes, ibid. n. 11.

Tributa *ex juſta cauſa moderatè petantur: ſine cauſa nulla petantur, d. c. 147. n. 5.*

Tributorum *& Exactionum novarum inventores ſunt inviſi & exoſi, ib. n. 4.*

Contra tributorum *acerbiſſimas exactiones, l. 2. c. 149. n. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68.*

Tributum *triſtiſſimum, quando Turca optimum quemque ex liberis Chriſtianorum deligit, & circumciſum in ſervitutem rapit, l. 2. cap. 149. num. 53.*

Tributum *omnium fœdiſſimum, quod Conſtantinopoli percipitur in loco extra Forum Aurificum, ib. n. 55.*

Turbatus *non poteſt ſemper ſtateram habere in manu, & vulnera ad menſuram infligere, l. 2. c. 142. n. 50. 51. & 52.*

De Turcarum *ſive Mahometaorum origine, l. 1. c. 5. n. 1.*

Turca, *vaſtator, ib. n. 52.*

Turcarum *ærarium duplex, peregrinum & domeſticum, n. 2. Turcæ extraordinarii reditus magnifaciendi, n. 3.*

Turcæ *tàm firmata ſunt inſtituta, prius ut Imperium corruat, quàm deficiat pecunia, d. n. 3.*

Turcicum *ærarium conſtat donis ac muneribus huic Tyranno oblatis, n. 4. reditibus Cairi pretio hæreditatum ab opulentioribus relictarum & mancipiorum, n. 8. & 9. mulctis, decimis, ſpoliis, tributis Chriſtianorum & Judæorum, n. 10. 11. 12. 13. 14. & n. 20. Patriarchæ Conſtantinopolitani, n. 21. Regni Hungariæ, n. 22. Principum Wallachiæ & Moldaviæ, n. 23. Reipub. Raguſienſis & Venetæ, n. 24. Afrorum, Arabum, Georgianorum, n. 25. officiorum venditione, n. 26. aliisq; utilitatibus, n. 31.*

Turcicum *Imperium quantum penderit Solymanni tempore? n. 47.*

Turca *quid undelibet ex particularibus conficiat? n. 48. 49. 50. 51. & ſeqq. usque ad n. 16.*

Turcicus *proventus æſtimatur à Virginario ad 12 milliones auri, n. 62. Conjectura hinc fit de antiqua potentia Romanorum, quæ hæc univerſa cum multis pluribus poſſedit, n. 63.*

Turcici *annui reditus fuerunt 20. milliones auri: Percipit & 20. milliones à Principibus Chriſtianis, n. 65.*

Turcæ *nuſquam pendunt, onera penes ſolos Chriſtianos ſunt, d. c. 5. n. 15.*

Turca *quantum equitum numerum habeat? n. 27. aluntur illi non ſtipendiis annuis, ſed agris aſſignatis, n. 28. Othomanni occupantes hoc Imperium, multa in regimine immutarunt, n. 29.*

Turcarum *Imperator ſi alere vellet, & ſtipendiare Equitatum ſuum, oporteret impendere 15. milliones auri, n. 30.*

Turcam *Deus ob peccata tàm latè & immaniter graſſari permittit, n. 33.*

Turca *unde habeat ſine ſumptu remiges pro claſſibus, aliaq; emolumenta? videlicet ob Timarrorum inſtitutum, qui hoc Imperium faciunt diuturnius, n. 34. 35. qui Timarros habent opulentiores, plures tenentur equites in bellum ducere, n. 36. Duo commoda potiſſima Equitatus Turcici, n. 38. 39. Alii Equites Turcici, quibus ſtipendia ſolvuntur, num. 40. Alcanzi, & auxiliarii Tartari, Walachi, Moldavi, n. 41.*

Turcicus *peditatus in quibus conſiſtat? n. 42. 43. 44. 45. 46.*

Turcicus Imperator *quomodo belligerando ditеſcat? l. 2. c. 87. n. 27 Baſſæ, aliiq; Officiales Imperatori munera dant, ib. n. 28.*

Turcarum *opulentia ex largitionibus & donis valde augeſcit, d. l. 2. c. 90. n. 2.*

Tutor *convictus non juvatur ſponſione, emendatione aut ſatisfactione oblationis, l. 2. c. 130. n. 6.*

Tutores *pupillorum in Scotia & Anglia ſunt Reges ad annum 21. l. 2. c. 61. n. 1. Hæ tutelæ & cuſtodiæ venduntur vel demandantur aliis, n. 2 aliquando convertuntur in bonum Fiſci, n. 3. An idem liceat Principibus jura territorialia habentibus? n. 4. 5. nova tutelæ ſpecies in Gallia uſurpata, ut tutor pupillorum fructus ſuos faciat, alat tamen pupillos, æs alienum ſolvat, & præſtet neceſſaria, ib. n. 6. & 7.*

Vid. Pupillus.

Typographiæ *inventum quidam attribuunt Chinenſibus, l. 1. c. 19. n. 30. alii Cathainis, n. 31. quorum opinio refellitur, n. 32. 33. 34. 35. 36. 37. & 38. alii & præſertim Laurentium quendam civem Harlemenſem hujus artis inventorem laudant, n. 39 quorum ſententia exploditur, n. 40. & taxatur inſolentia ambitioq; Belgarum n. 41. Aldus Manutius Typographiam omnium ſolertiſſimè excoluit, n. 42. artis Typographicæ nobilitas & utilitas ſumma celebrantur hoc & n 44. 45. 46. 47 48.*

Tyranni *teterrimi ſunt qui putant ſolam profuſionem eſſe finem pecuniæ publicæ, l. 2. c. 133. n. 4. & ſeqq.*

U.

VAlor *numi ſi in obligatione ſit æſtimatus, quid juris? l. 2. c. 84. n. 109. & 110.*

Vaſa *è templo Hieroſolymitano ablata Hieroſolymam ſunt relata, l. 2. c. 83. n. 20.*

Vaſalli *& Emphyteutæ fines & pertinentias bonorum requiſiti tenentur deſignare, l. 2. c. 38. n. 1. & 2. Ampliatur, n. 3. 4. 5.*

Vaſallus *feudum, vel partem ejus ignorans juramento ſe purgare poteſt, ib. n. 6.*

Vaſallo *ſcienter tergiverſante, non quidem omnia ejus bona præſumuntur feudalia, ib. num. 9. & aliis mediis ad confitendum adigitur, n. 10. vel ſi in dolo eſt, privari poteſt, n. 11. & 14.*

Vaſallus *ob neglectam petitionem renovationis inveſtituræ feudo cadit, ib. n. 21. eam intra annum & diem petere tenetur, n. 22. An hoc caſu feudum ipſo jure vel per ſententiam in commiſſum cadat? n. 23.*

Vid. Emphyteuta.

Vaſallus *mandato Domini directi bona feudalia omni onere, nexuq; hypothecæ liberare tenetur, l. 2. c. 39. n. 1. Quod quomodo intelligendũ? ib. n. 2.*

An Vaſallus *novus, qui non poſſidet, neq; deſiit dolo poſſidere, teneatur ſpecificare, quæ in veteribus catalogis, inveſtiturisq; continentur, d. c. 38. n. 3. 4. 5.*

Vaſalli *ad ſuſcipiendam inveſtituram citati, & non comparentes feudo privandi vel mulctis pecuniariis coërcendi, l. 2. c. 41. n. 1. 2. & per tot.*

Vaſallus *an ad perſonalem comparitionem arctari poſſit? d. c. 41. n. 3. An inveſtituram feudi per Procuratorem accipere queat? n. 6. Authores in eam ſententiam laudati, n 7. Ampliatur, n. 8. contrarium deciditur, n. 35. 36. 37. 38 39. 40. 41. & belle declaratur, n. 56. 57. Limitatur quoque affirmantium opinio, n. 58. 59. 60. 61.*

Vaſallus *per ſubſtitutum ſervitia præſtare poteſt, d. c. 2. n. 25.*

Vaſallus *eſt debitor obſequii perſonæ cohærentis, n. 42. & 97. non poteſt ſervire per ſubſtitutum, ubi*

ubi electa eſt induſtria perſona, n. 75. Declaratur & confirmatur, n. 76. 77.
Vaſalli *dignitas non nocet Domino, ib. n. 95.*
Vaſallus *ob dignitatem ſupervenientem per ſubſtitutum ſervitia expedire poteſt, d. c. 41. n. 30.*
Vaſallus *citatus quare perſonaliter jurare cogatur? d. c. 41. n. 79. 80.*
Vaſalli *minores Domino ejusq; familiæ advenienti tenentur dare hoſpitium,* Ablager/ Futter und Mahl/ *l. 2. c. 91. n. 13.*
Vectigal *ingens parcitas, l. 2. c. 133. n. 12.*
Vectigalium *diviſio, l. 1. c. 2.*
Vectigalis *ſignificatio & analogia, 2. c. 69. n. 2. quædam alia nomina huic adfinia, n. 5. recipitur decima, vel ſexta, quarta vel quinta pars communiter ab iis, qui jus civitatis renunciant, n. 4. Conſuetudo genus hoc vectigalis inducit, n. 5. ſolvitur ab venientibus in Rempub. vel ab Republica emigrantibus, n. 6. In quo æquitas hujus vectigalis conſiſtat? n. 7. 8. 9. 10. 11. 12. Non abſimile eſt huic juri detractionis jus quoddam,* juſſuarum, *exitúsve n. 13.*
Vectigalibus *in Imperio ſublatis, ipſum Imperium diſſolvatur, neceſſe eſt, d. c. 69. n. 1.*
Vectigal *hæreditatum & dotium, quæ aliorſum deferuntur, l. 2. c. 70. n. 1. 2. 3. 4. æquitas hujus vectigalis, n. 5. Vectigal hoc in Germania paſſim uſitatum, n. 6. 7. Quinam ab hoc immunes? n. 8. quænam bona huic detractioni ſint obnoxia? n. 9. 10. 11. Conſuetudo & ipſiusmet loci Magiſtratus hoc jus plerunq; variat, n. 12. Clerici an ab hoc vectigali ſint immunes? n. 13. 14. Quid de Profeſſoribus & Academicis, eorumq; liberis, viduisq;, & aliis promotis Doctoribus dicendum? n. 15. 16. 17. 18.* Cautio, *ne ab hæredibus Magiſtratus circumveniatur, n. 19, peccatur multis lo. is in exactione hujus vectigalis, n. 20. An hoc jus ad dotes & feſtivas veſtes mulierum, extra territorium nubentium, porrigatur, n. 21. 22. Huic juri non abſimile eſt jus Albinagii, n. 23. 24. Quantitas & detractionis hujus modus relinquitur diſcreto arbitrio Principis, n. 25.*
Vectigal *Mercatorum & Inſtitorum, ſive* Accis von Kauf und Kramwahren. *V.* Mercatores.
Vectigal *ſolutum pro umbra Platani, l. 2. c. 3. n. 19.*
Vectigal *Serici in Regno Neapolitano quanti? l. 2. c. 6. num. 11.*
Vectigalium *auctione augetur ærarium, l. 2. c. 64. per tot. Vectigalia uſitata augenda ſæpè pro rerum ſtatu, ib. n. 1. Hæc vectigalium & Tributorum auctio præbet multam offenſionum materiam, n. 2. ideo Cautiones adhibendæ, n. 3. 4. 5. 6. 7. & c. 65. 66. & ſeqq.*
Vectigalium auctio *magis bona publica, quàm privata, afficere debet, d. c. 65. n. 1.*
Vectigalia *earum rerum, quæ vitæ commodiùs honeſtiùsq; degendæ adportantur, & quibus pauperes carere nequeunt, ne facilè augeantur, l. 2. c. 66. n. 1. 2. & 3. conſuetudo contraria cenſetur irrationabilis, n. 4. augeantur vectigalia rerum, quæ non neceſſitati, ſed voluptati ſerviunt, n. 5. 6. 7. & 9. 10.*
Vectigal *rebus inanioribus imponendum, ib. n. 8. & 11. 12. 13. 14 Sericis, auro & argento prætextu veſtibus, amylo, vinoq; aduſto, imponendum vectigal, isq; abuſus mulctis ſeverioribus coërcendus, n. 15.*
Vectigal *ſtatuendum in ebrios & ebrioſos; vendentesq; iis potabilia, n. 16. 17. & ſeqq. Invectivæ in modum nunc uſitatiorem, quo gravantur maximè ea, quæ miſeris ſunt maximè neceſſaria, non attentis iis, quæ ſunt miſerrimæ ſuperfluitates, n. 21.*
Vectigalium auctio *derivetur potiùs in forenſes & extraneos: parcatur domeſticis Subditis, exemplo Anglorum & Turcarum, l. 2. c. 67. n. 1. Invectiones earum rerum, quibus Subditi carere nequeunt, levari, & exactiones earum, quibus exteri carere non poſſunt, onerari debent, n. 2.*
Vectigal *ſive* Portorium *ab informi & rudi materia, quæ à peregrinis ad nos advehitur, levandum & removendum, c. 68. n. 1. per tot.*
Vectigal *rerum immobilium venditarum, l. 2. c. 72 n. 1. 2. 3. 4. 5. Quantitas hujus vectigalis quomodo determinanda? n. 6. Quando ſolutio facienda? n. 7. Gabella priùs detrahenda de bonis venditis, quàm ulla alia debita, etiam privilegiata, perſolvantur, n. 8.*
Vectigal *mercium invectarum & evectarum, d. l. 2. c. 73. n. 1. 2. 3. 4. Fundamentum hujus vectigalis & quantitas, n. 5. 6. 7. enormitas exigentium cavenda, n. 8.*
Vectigal *ex portu & ripatico, c. 74. n. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. Vid.* Naulum, Navis, Riparum jus.
Vectigal *pro Rheda, curru & jumentis, l. 2. c. 75. n. 1. 2. 3. & per tot.*
Vectigal *ex litteris publicis,* Pollet. *V.* Guidagium.
Vectigal *ex pontibus,* Brücken-Zoll/ *It.* Weggeld. *Vid.* Pedagium. Pons, Portarium, Portorium.
De Vectigalibus *Francorum Regum Imperatorumq; abrogatis; retentis tamen iis, quæ ex pontibus viisq; publicis exacta fuêre? l. 2. c. 77. n. 5. ubi plura de modo & exigendi pedagii ratione, num. 6.*
Vectigal *vini, frumenti, carnis, piſcium, &c. Vide* Gabella.
Vectigal vinarium, *quod cauponibus imperatur, l. 2. c. 78. n. 2. an civitas ſuperiorem recognoſcens ejusmodi vectigalia & gabellas inſtituere poſſit? ib. n. 3.*
Vectigal agrarium, *vel etiam paſcuarium, l. 2. c. 1. num. 64.*
Vectigalia *quæ ex agricultura Rex Indiæ percipit, excedunt 150. tonnus auri, d. c. 1. n. 66.*
Vectigalia *ea juſtiſſima & ſanctiſſima, quæ ad coërcenda ſcelera imperantur, l 2. c. 101. n 23.*
Vectigal *ebriorum & ebrioſorum, ib. n. 25.*
Vectigal *in eos conſtitui poteſt, qui præter dignitatis & Ordinis Statum ſibi quippiam arrogant, d. c. 101 n. 27.*
Vectigal litis *à Caligula exactum, l. 2. c. 123. n. 11. & in Gallia, n. 12.*
Vectigalia *judiciaria Romanis uſitata, d. c. 123. num. 14.*
Vectigal *ſi pro litium prurigine, exemplo aliorum Regum, induceretur, ſubveniretur æerariis afflictis, & lites moderarentur, ib. n. 13. In* Portugallia *decima litis præſtatur à Reo condemnato, n. 15. Quod juri civili congruit, num. 16. In* Hollandia *litigantibus, & fori cauſis impoſitæ exactiones, n. 9. In* Ducatu Hetruriæ *litigaturi ante litis conteſtationem, certam numerare coguntur pecuniam, n. 8. ib. Vide etiam n. 10. Vid.* Litium abbreviandarum remedia.
Vectigal *ab Aſtrologis veridicis, fanaticisq;; Item de his, qui de morte aliena vaticinantur & inquirunt, l 2. c. 146. n. 12. Vid.* Aſtrologia.
Vectigal *ob licentiam fœnerandi, à piratis, pauperibus, conjugio, nuptiis, liberis natis & denatis, d. c. 146. n. 30. 31. 32.*
Vectigal *puellare replendis Imp. Turcici loculis adinventum, l. 2. c. 149. n. 54.*

Vecturarum *& hoſpitalitatum ratio hodie in Regno Succiæ uſitata, l.2.c.75.n. 5. Vehicularum, curruum ſolicitudo ad quem apud Romanos pertinuerit? ib.n.6.*

Venatio *ad agriculturam refertur, quæ eſt triplex; Aucupium, Piſcatio, & campeſtris Venatio, l.2.c.5.n.1.*

Venatio *ferarum jure gentium & civili in alieno fundo permiſſa, ib.n.2. Ampliatur, n. 7. An jus venandi ad ſervitutes prædiales commodè referatur? n.3. & an Dominus proprietatis venantem in fundo ſuo prohibere poſſit? n.4.5.6.*

Venationis *prohibitio in manu Principis non eſt, n.11.12.& n.14.15.16. Contrarium aſſeritur, n.18. Rationes adducuntur, n.19 20.22. 23.24. 25. Declaratur, n.26. Surdi opinio refellitur, n. 27.28.*

Venatio *ad Regalia ſpectat, & per Inveſtituras Cæſareas Principibus confertur, n.29. & n. 31. Quod declaratur, n.32.33.*

Venationis *utilitas, d.c.5.n. 39. quæſtum ex venatione ſumptus longè ſuperant, n. 40.*

Venatici *ſtudii amantes, canum latratus & venatorum confuſos clamores muſico concentui præferunt, nec canum fœtor illorum nares offendit, n.41.ib.*

Venatorum *exceſſus & impietas deteſtanda, n.42. 43. Iſmaëlitæ, Idumæi & gentes in V.T. venaticam exercuerunt, n.48. Nimrodus fortis venator coram Domino, n.49.*

Venationes *ferarum in Hungaria omnibus licitæ ſunt, n. 51.*

Venatus *Cervorum deſcribitur, n.54.55.56.57.58. Et de Leporum & Caprearum venatu, n. 59.& 60. Apri hyberno tempore indagandi, n. 61. ubi & de Vulpibus, Lupis, n. 62.*

Venatio *Heroum, Principum ac Nobilium exercitium proprium eſt apud Germanos, d.c.5. n.65.*

Venationi *incumbunt Galli, n.66. Gothi, Sueci, Heſingii, Medelpadii, Angermanni, Bothnii, Dani, aliiq; Principes & Nobiles, n.66. & 67. Apud eaſdem Nationes ſunt animalia, quæ alibi non reperiuntur, Rangiferi, Alces, Lynces Lutres, Onagri, Caſtores, Gulones, Lepores candidi, Sciuri, Marduri, Zebelli, &c. ubi & de Turcarum venationibus, & canum falconumq; cuſtodibus, ib.n.68.*

Venatores *nimium ſæpe efferantur, l. 2.c. 108. Exempla, n.4. Vide etiam n. 5.*

Venatoria *exercitatio eſt belli præliorumq; velut progymnaſma, l.2.c.108.n.6.& n. 9. & 11.*

Ex Venatione *ferarum, proclive eſt pervenire ad venationes hominum & latrocinia, ib.n.12.*

Venationis *diſcipuli fiunt ſtrenui rei bellicæ magiſtri, d.c.108.n.13. Exempla, n. 14.& 15.*

Venationis *Dea Diana deſcripta, d.c.108. n. 7. Venatio Deorum munus Xenophonti, n. 9. Venandi exercitium modicum moderatumq; laudabile eſt, ib.n.5.*

Venditio Magiſtratuum, *officiorum, dignitatum, privilegiorum, &c. an expediat Reipub. nec ne? l.2.c.109.n.1.2.3.4.5.6.7.8.9.10.11.12.13.14.15. 16.17.18.19.20.21.22 23.24.25.26.27.28. & ſeq. per tot. Vid.* Honorum mercatus.

Venditio *an magis expediat Reipub. quàm oppignoratio, l.2.c.49.n. 17.19.& 20.& n.22.23. & n. 28.29.*

Venditio *bonorum immobilium in Eccleſiaſticos extraneóſve prohibita, l.2.c.56.n.14.15. Vid.* Bona.

Venditio *ad certum tempus, quo lapſo reſtituatur emptori pretiū, non eſt inconvēiens, l.2.c.49.n.25.*

Veneta *Reſpublica quantum percipiat è Civitatibus in Italiæ continente, l. 1. c. 13. n. 1. Vectigal vini, n.2. decimæ & taxæ diverſæ, portoria & tributa urbium maritimarum, n. 3. proventus è Regno Cypri, n.4. Unde hujus Reip. potentia potiſſima? n.5.*

Venetorum *modi augendi Ærarii, n. 6. 7. 8. 9. 10. 11.12.13.14.15.16.17. Sunt, qui nihil agrorum fundorumq; poſſident, negotiationibus tamen ſunt ditiſſimi, n. 18. ex omnibus vectigalibus urbis colliguntur ſupra ducenta millia decies Aureorum, n. 10. Alii reditus, in quibus conſiſtant, recenſentur, n.20.21.22.23.24. 25. 26. 27. 28.29.30.31.32.33. Summa omnium proventuum Venetianorum quanta? n.34.*

Veneti *alienationem bonorum immobilium in Eccleſiaſticos vetuêre, l.2.c.56.n.16.& c.47.num. 10.11.*

Venti *Etheſii, l.1.c.27.n.8.*

Vermiculi Serici. *Vid.* Bombyx.

Veriſimilitudo *in voluntate contrahentium interpretanda primas obtinet, l.2.c.84. n. 81. 82. 83.84.& inprimis inſpectanda, & pro lege habenda, ibid.n.85.86 87.*

Verſipelles *ſimulatores cane ſunt & angue deteriores, potiſſimùm in Aulis, l.2.c. 105.n.25.*

Veritatis *difficultas apud Principes, l. 2.c.51.n.9.*

Veſpaſianus *tributum Mendicis impoſuit, & de humanis diviniſq; rebus pecuniam confecit, l.2. c.146.n.10.*

Veſtes *ex lano linoq; contextas S. Scriptura improbat, l.2. c.93. n. 12.*

Veſtes *cur inventæ ſint? l.2.c.148.n.24.*

Veſtis *peccati & reatus noſtri ſignum eſt, l.2. c.94. n. 8. perpetuum inobedientiæ monumentum, n. 9.10.*

Veſtium *nitor, exteriorq; cultus corporis, & luxus quantorum malorum cauſa ſit? d.c.94.n. 2.3.*

Veſtium *abuſus hujus ævi, n. 5.* Almodo *veſtitus inſanus, ib. Vulgatiſſimum hoc vitium, potiſſimùm in Gallia, n.6. Germani Gallos egregiè æmulantur in hoc vitio, n.7.& n.17. quantum ex Gallia pecuniarum efferatur in alias terras ex hoc veſtium luxu, n. 18.*

Veſtes *mutantur indies, idq; ſæpius, d. c. 94. n. 11. exoticus habitus hodie eſt pompoſiſſimus, n. 12.*

In Veſtitu *laſcivientes ſimiles ſunt Ægyptiorum templis, quæ interiùs habitantur fœdis belluarum monſtris; à foris micant auro & periſtromatis, ib.n.13.*

Ex Veſte *nec homo, nec equus ex Ephippio aut fræno æſtimandus, n. 14. mas hodie vix à fœmina diſcernitur, niſi poſitis veſtibus, n. 15. Pavones, Faſiani, Galli gallinacei ſpectaculum præbent elegantius, quàm noſtrates comptuli, n. 16.*

Veſtium *luxus legibus coërcendus, ut ærario conſulatur, d.c.94.n. 19. cultus certus & diſtinctus pro cujuſq; fortunæ gradu præſcribendus, n. 20. fœminarū abuſiones in veſtibus, n. 11. & quomodo coërcendæ, n.22 23.& 27. Leges gentilium referuntur contra ornatum ſuperfluum virorū fœminarumq;, n.28.*

Veſtitus *nimius eſt infamis factus, n.29.& 30. inſpectio accurata Magiſtratus contra indecentem ornatum, n.31. Leges variæ, & cenſura contra abuſum veſtiū. n. 32. Leges Imperatoris & Venetorum in hunc finem, n. 33. Leges Gallicas contra abuſum veſtium rupit inſana multitudo, n.34. Leges veſtiariæ Auguſtanæ, aliarumq; urbium collaudatæ; item Genevenſium, n.35. & 36.*

Veſtium *ſericarum abuſus, d.c.95. n. 24. ſerico*

non

non veſtiuntur, ſed oſtentantur corpora, n. 25. Imperatorum hac in re exemplaris moderatio, n. 26. Vid. Sericum.
Veterum conquirendi & complicandi pecunias modi, l. 2. c. 145. n. 1. & per tot.
Viâ unâ non eſt denegandum, quod alterâ eſt permiſſum, l. 2. c. 37. n. 18.
Viceſimæ nomine intellectus reditus ad militaria deſtinatus: Acceſſit his centeſima rerum, l. 1. c. 2. n 50. & 51.
Victi non ſunt in ſervitutem redigendi exemplo Æneæ, Romuli & Auguſti, l. 2. c. 88. n. 11. 12. 13.
Viehe-Schatzung/ l. 2. c. 53. n. 38.
Vini aduſti olim uſus ſanitati fuit, nunc dementi abuſus, l. 2. c. 15 n. 3. Non modò ebrietate ſic peccatur, ſed vino aduſto multa millia modia frumentorum prodiguntur, aliisq; uſibus perquàm neceſſaria, n. 4.
Vini immoderatus abuſus rejectus, l. 2. c. 106. n. 6. in vino veritas, ib. n. 4.
Virginitas tributo redempta, l. 2. c. 146. n. 27. Vid. Tributum virginitatis.
Virgo morata ſatis dotata, l. 2. c. 43. n. 36.
Viſitatio Provinciæ & luſtratio bonorum fiſcaliũ ad Ærarium pertinentium neceſſaria & utilis, l. 2. c. 60. n. 2. 3. 4. ad viſitandum quænam perſonæ deligendæ? n. 5. viſitandi methodus, n. 6. repentè viſitandum, 7. viſitandi leges, mores, univerſitates, terræ, perſonæ, ib. n. 8. 9. 10. 11. 12, & 13. Laudabilis viſitatio in Regno Sueciæ, n. 14. firmamentum Imperii Hiſpanici, n. 15.
Vitia ibi non naſcuntur, ubi non permittuntur vitiorum ſeminaria, l. 2. c. 141. n. 55.
Vitium litigioſi, Vid. Litigioſi vitium.
Vitium ſanguinolentæ pecuniæ nihil purgatur, etiamſi ad uſus ſacros applicetur, l. 2. c. 134. n. 10.
Vitiis virtutum nomina indita, l. 2. c. 146. n. 2.
Vitriarii, Glaßmacher uñ Aſchenbreñer/ l. 2. c. 15. n. 41.
Urinatorum, natatorum, ſubaquatilium deſcriptio, l. 2. c. 114. n. 26.
Vivere quis præſumitur centum annos, l. 2. c. 48. n. 23. 25. 26. allegans mortem alicujus, eam probare tenetur. Vid. Mors. Terentia 117. annos, Clodia 155. Zoſimus 120. Argentonius, 130. vixiſſe creduntur. Epimenides Gnoſius 157. & Johannes de Temporibus Caroli Magni miles & armiger 360. annos ſuperavit, d. c. 48. n. 27. & 28.
Umgeld Ungeld ſive Gabella Cauponaria, quæ potulentorum nomine penditur, ſeparatum jus eſt à Collectis, l. 2. c. 59. n. 15. Extraordinariis muneribus accenſetur, ib. n. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28.
Vogtey quid? Vögte unde dicantur, l. 2. c. 92. n. 23. 24. & de eorum officio, adminiſtratione & cura, n. 26. 27. 28. & 29.
Vogtey verbum amphybolon, ib. n. 30.
Voluntas captatoria non damnatur, l. 2. 138. 23.
Univerſitas non moritur, l. 2. c. 16. n. 17.
Voluntates contrahentium evidenter ſervandæ ſunt, l 2. c. 84. n. 105.
Voluptatibus corpus immergentes Heliogabalus, aliiq; perditæ luxuriæ Reges in extremo die judicabunt, l. 2. c. 99. n. 11.
Vultur carnes & carbones ex altari ſurreptos nido inferens, & nidũ & pullos exuſſit, l. 2. c. 83. n. 12.
Urbini Ducatus antiquior Parmenſi, l. 1. c. 18. n. 23. periculum, ne ad Eccleſiam revertatur, n. 24. Hujus Ducatus fertilitas, n. 26. ſitus. 27. reditus, 28. Mercurius Gallicus de hoc Ducatu, 29. Feudorum Eccleſiaſticorum natura, 30. Dux filium amiſit, 31. Urbanus VIII. Ducatum Urbini, ut ad Eccleſiæ patrimonium rediret, ſategit. 32. Ducis Urbinatu Cæſari data reſponſio de non alienando à Sede Apoſtolica, 33. Papa animum Ducis à ſe abalienavit, 34. Annui reditus hujus Ducatus, 35. viri militares, 36. Epiſcopatus & arces, 37. Neptis hujus Ducis dos, 38. Papæ in recuperando hoc Ducatu callidũ conſilium, 39. ejusdẽ ex hoc potentia, 40. Dux hic inſiſtit veſtigiis anteceſſorum, 41.
Uſura unde dicta? l. 2. c. 19. n. 11. ab hoſte, non proximo exigenda, ib. n. 6. Uſura quid? ib. n. 50.
Uſurarius ſimilis vermiculo ligni, n. 16.
Uſurariorum & uſurarios juvantium pœna, n. 23. & 66. 67. & 69. & n. 70. 71. 72. 73. 74.
Uſurarius contractus quomodo probetur, ib. n. 24. & ſeqq. & n. 40.
Uſurariorum fraudes deteguntur, n. 76.
Uſurarium pactum non vitiat contractum, ſed pactum vitiatur, n. 88. Quod quomodo verum? n. 89. & 90.
Uſurarius & ſimulatus contractus ex quibus argumentis & conjecturis præſumatur, d. c. 19. n. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40.
Uſuræ ad mediocritatem revocatæ Ærarium juvant, l. 2. c. 20. n. 1.
Uſuræ quincunces in mutuo in ſingula centena permiſſæ, ib. n 4. Vid. Mons Pietatis.
Uſuræ centeſimæ, ſeſquicenteſimæ & ducenteſimæ ab Henrico II. Galliæ Rege promiſſæ, l. 2. c. 21. n. 2.
Uſuræ uſurarum, ib. n. 3.
Uſuræ ſortem ſuperantes ſunt exſecrandæ, n. 5.
Mandatum de non exigendis uſuris Chriſtianos & Judæos æquè obligat, l. 2. c. 62 n. 79. Theologorum de permittendis uſuris ſententia, ib. n. 80. conſuetudo faciendi contractum uſurarium nõ eſt relevãs, ſed mera corruptela; n. 81. qua in re valet privilegium vel Pontificis diſpenſatio, n. 82. Quinam Authores Pontifici concedant hanc diſpenſationem? n. 83. Semper tamen talis diſpenſatio plurimorum malorum origo eſt, n. 84.
Uſurarum Judaicarum moderatio in Camera Imp. n. 85. privilegium Judæorum de uſuris exercendis ſub & obreptitiè obtentum, nec ab Electoribus & Statibus Imperii adprobatũ, n. 86. & 87.
Uſurarum præſtatio onus per ſe grave eſt, & debitorem ſublevare debet, l. 2. c. 84. n. 98.
Vulnerans parvo cultello, occidendi animum non habuiſſe cenſetur, l. 2. c. 142. n. 36.

W.

WEnceslaus Imperator natus, baptizatus, inauguratusq; peſſima de ſe dat indicia, l. 1. c. 4. n. 81. quas Regiones, urbes, pagosq; alienaverit ab Imperio, n. 82. ex ejus male geſtis deſtitutæ ſunt Civitates Imp. omni præſidio Imperatoris, proinde inter ſe fœderibus præmuniri, n. 83. Capitur, in cuſtodiãq; datur, n. 84. è cuſtodia liberatus ab Electoribus Imperio movetur, n. 85. eiq; Fridericus Dux Brunſvic. & Lüneburg. ſubſtituitur, fraude Moguntini Electoris interfectus, n. 86.
Wenceslaus Imperator quare Imperio privatus? l. 2. c. 40. n. 14.
Weſtphalicæ pernæ, l. 2. c. 4. n. 26.
Woldemari Regis Daniæ privilegium Civitati Brunſuicenſi conceſſum, l. 2. c. 114. n. 20.

Z.

ZIngari ſive Zigeiner qui? l 2. c 102. n. 28.
Zona Torrida an ſit inhabitabilis? l. 1. c. 27. n. 1. ubi error Ariſtotelis & Plinii taxatur, n. 2. 3. 4.
Zozini inventum, ut tributum inferatur pro urina, ſtercore & ſimilibus ſordibus, l. 2. c. 146. n. 11.

FINIS.

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM
In
CHRISTOPHORI PELLERI
ANNOTATIONIBUS
COMPREHENSARUM.

A.

Abbas Fuldenſis Imperatricis Auguſtæ Archicancellarius. pag. 408. num. 52
ejus officium. ibid.
de *Abdicatione* Chriſtinæ, Reginæ Suec. judicia remiſſivè. p. 236. n. 41. Regis Poloniæ. p. 252. n. 26
Abortum cauſantis pœna. p. 250. n. 6
Abrogatio apud pleraſque gentes Tituli Cod. de his, quibus ut indignis hæreditates aufer. an vera. p. 1031. n. 1.
Abuſum non tollere uſum, exemplis illuſtratur. p. 25. n. 84. & p. 26. n. 88
Academiæ definitio; antiquitas; barbaries & collapſa diſciplina, remiſſ. p. 110. n. 93
particulares in Italia, & alibi, & quid de iis ſentiendum. ibid.
Tubingenſis fundator quis. p. 962. n. 8
Acanzii, apud Turcas, qui. p. 153. n. 101
Accipitres leporibus inſidiantur. p. 464. n. 59
Acciſa, vid. *Datia. Vectigal.*
Acerbitas ulciſcendi maleficii, bene atque cautè vivendi diſciplina eſt. remiſ. p. 605. n. 4
Acidularum fontium hiſtoriæ & exempla, remiſſ. p. 512. n. 15
Admonitio teſtamentaria Ludovici S. p. 30. num. 129
Adoa, Adoha, ſive *Adohamentum*, quid; & unde dicatur. p. 177. n. 14
Advena quis, ejusque conditio, remiſſivè. p. 729 n. 5.
Adventurarii qui dicantur? remiſſivè. p. 569 n. 4
Adulatores, genus hominum peſſimum. p. 16. n. 17
præprimis Italos eſſe, falſè innuitur. ibid.
odio proſequuntur Optimates. p. 17. n. 17
malè audiunt. ibid.
diris devoventur. ibid.
in aulis Principum frequentes. p. 919 n. 1
cives Athenienſes dicuntur. ibid. n. 3
ſæpius Regum opes, quàm hoſtes evertunt. ibid. n. 5
Adulterium objectum cauſat homicidium. p. 210 circa fin.
Fornicatio, ſtuprum quâ in Rep. Norimb. pœnâ puniantur. p. 1049. n. 1
apud veteres Germanos rariſſimum. ibid. n. 2
illud eorum puniendi mos. ibid.
inter dominationis arcana referri, monſtratur, remiſſ. p. 1050. n. 10
non capitaliter punientia ſtatuta damnanda & corrigenda, remiſſ. p. 1059. n. 1
Advocatia & protectio monaſteriorum ſeparata ſunt, remiſſ. p. 862. n. 6
Advocatus, in quo cum juriſdictione criminali (dem Maleſitz- und Hals-Gericht) ſuperioritas quoque territorialis concurrit, à ſimplici Kaſten-Vogt differt. p. 866. n. 5
cum parte de quota litis paciſcens quomodo puniendus. p. 983. n. 1
innumeris allegationibus non utatur. ibid. n. 2 & 3
antequam ad Advocationem in Republica Norimbergenſi admittatur, quid præſtare debeat. p. 984 n. 7. vide *Juramentum.*
Ædes Parochiales Sebaldinæ Norimbergenſes incendio abſumptæ. p. 120. n. 159
Ædificia, ultra modum civilem exſtructa, tyrannidis affectatæ ſuſpicionem ſæpius creare, exemplis probatur, remiſſ. p. 885. n. 4
ultra modum in Reform. Noricâ præſcriptum altiùs attollens quâ teneatur pœnâ. ibid. n. 10
ad altitudinem LX. pedum tollere, ſub Auguſto definitum. p. 526. n. 4
quomodo Norimb. hodiè exſtrui debeant. ibid.
Ædificiorum æmulatio unde colligatur. p. 514 n. 3
Æneatores, vel *Ænatores* qui? p. 42. n. 18
Ærarii opes, vide *Opes*.
ditandi ſtudioſiſſimus affertur. p. 24. n. 75
ſanctioris quatuor claves fabricari, lex erat Franciſci Majoris. p. 25. n. 82
tenuitas ne tributum exigat, providendum. p. 29. n. 115
communis ditandi neceſſitas. pag. 31. n. 132
ſtabiliendi variorum modorum varia adducuntur exempla; remiſſivè. p. 31. n. 134
expilati exemplum. pag. 48. & 49. n. 60. & 61
cuſtodes apud Athenienſes. p. 50. n. 70
curam primariam Norimbergæ Duumviri gerunt. p. 50. n. 78

militaris atque viceſimæ hæreditatis inſtitutio. p.49. n.63
— — adminiſtratio cui mandata. ibid.
Præfectus quis, ejus officium; aliiſque officiales, remiſſivè. p.61. n.28
adminiſtrandi cura Lubecæ penes ſolum Magiſtratum hodiè non eſt. p.1001. n.7
Ærario homines ſanctiſſimi, & puras innocenteſque manus habentes præponendi. p.25. n.81
ex *Ærario* Hercules non faciendus. pag.15. n.5. nec ex Eccleſia. p.72. n.56
Ærarium ornamentum Pacis, & Belli ſubſidium ſit. p.14. n.2
Spartani non habuerunt. p.27. n.101
tandem tamen inſtituerunt. ibid.
non rejicitur, ſed nimia theſaurorum congeries. p.28. n.102
Deo placet. p.45. n.44
commune minùs rectè ærarium dici videtur. p.45. n.46
Romanum nonnunquam exhauſtum. p.48 n.55
primùm in Capitolino Templo conditum. p.50 n.67
commune Hieroſolymitanum non inducit bonorum communionem. p.46. n.48
Pop. Rom. latè auctum. p.59. n.11
privatum Collegia habent. p.552. n.1. & 3
Æs alienum quid? p.41. n.14
ſuum quid? ibid.
Corinthium quid & unde? p.42. n.22. ejus cultor præcupidus. ibid. & tria genera. ibid.
& argentum à Poloniæ Rege ſignari cœpit. p. 258. n.46
omnium puriſſimum apud Æthiopes. remiſſ. p. 581. n.1
Æſtas gemina per annum in Regno Abiſſino. p. 373. n.21
Ætatis veniam tribuendi jus hodiè & Principibus Imperii, Civitatibusque Superiorem non recognoſcentibus competit, remiſſ. p. 109. n. 88
graduum obſcuritas & ſplendor. p.404. n. 17
Affectus rectum perimere judicium, ſimili & exemplo declaratur. p.936. n.3
Agri Romani diviſio. p.58. n.9
Agricola Dictator ſalutatur. p.403. n.9
Agricolarum hoc ſeculo viventium improbitas. p. 405. n.28
Agricultura impropriè ars dicitur. p. 404 n. 22
ejus partes quatuor. p.405. n.24
— varia variorum Autorum encomia. p. 403. n.1
Agrorum cura minimè negligenda. p.406. n. 44
circa eos colendos Belgarum ſolertia. p. 408 n.53
Albergariæ jus antiquum. p.862. n.1
— unde enatum. ibid. & n.4
— Italis, Germanis, aliiſque uſitatum, nec juri Divino contrarium. ibid. n.1
— tribus modis acquiritur. ibid. n.3
— aliquod imperium infert. ibid.
— duobus modis debetur; ubi alterius modi exemplum. ibid. n.7
Albinagii juris vis & efficacia. p. 202. n. 23. p.933 n. 1
— immunitate nonnulli gaudent. p. 202. n.23 & n.24. p.933. n.1
— etymon. ibid.
Alcair deſcribitur, remiſſivè. p. 146. n. 59. & 61
quantum tributum mittat. ibid. n.60
Alcantara, vide *Equites*.
Alcavala, vectigal, unde dicatur. p. 185 n.69
Al-Chymia, vide *Chymia*.
AlCoranum quis compoſuerit. p.143. n. 30. 31 33
quid ſignificet. ibid. n.33
Alienatio Regni Arelatenſis in Delphinum Carolo IV. injuriâ adſcribitur. p.859 n. 2
Alimentorum acquirendorum modus à Philoſophis in naturalem & artificialem dividitur. p.459. n.1
Allelengyi exemplum. p.710. n.3
de *Allodialibus* prædiis quare Domini territorii à collectis non poſſint eſſe immunes. p.729 n. 1
Allodium ſive *Alaudium* quare ſic dictum? rem. p.666. n.2
Aloës propter odorem ſuaviſſimum à populis Orientalibus argenti pondere æſtimatur. p.365. n.17
ejus uſus & deſcriptio. ibid.
Alſatia, amore Pacis, Gallo ceſſa. p. 121 n. 168
Ambitûs pœna quæ. p.929. n.2
Ambra quid ſit, inter Autores non convenit. p. 351. n.16
America nec à Romanis, nec ab aliis antiquioribus intrata. p.103. n.55
à quo detecta. p.181. n.47
Amethyſti mira virtus. p.592. n.9
Amneſtiæ deſcriptio; derivatio; varia appellatio; origo & autor. p.855. n.3
exempla. ibid. n.4
Amoris fervidè æſtuantis extinctio. p. 220 n. 11
Amortiſatio quid. p.202. n.24. & p.203
duplex eſt. ibid.
haud exiguos Regi Galliæ præſtat reditus. ibid.
inter jura Domanii mutabilis refertur. ibid.
ejus Codicillorum effectus. ibid.
Amſtelodami deſcriptio. p.297. n.34
encomium. p.299. n.35. p.563. n.23
obſeſſio & ab ea liberatio. p.298. ſeq.
Anabaptiſtarum doctrina de bonorum communione. p.46. n.49
autor, origo, propagatores. ibid.
poſteriorum à bonorum communione receſſio. ibid.
oppugnatio pædobaptiſmi. p.847. n.1
appellatio unde. ibid.
Anatociſmi explicatio. p.537. n.13
de *Anchoragii* jure, remiſſ. p.523. n.9
Angari, quinam fuerint? remiſſivè. p. 730 n. 2

Angariæ

Angaria, quid ſignificet? ibid n.2
de *Angaris* Reſcriptum Anaſtaſii Imp. ibid
Angelus Romæ apparet. p.65.n.42
Angli Virginiam primùm aperuerunt. p. 187 n.90
Angliæ Regum ſtemma. p.13.n.1
Regis peculiaris ærarium ditandi modus ſuſceptio tutelæ. p.216.n.2
Anil pigmentum deſcribitur. p.180.n.41
ejus præparatio & probatio. ibid.
— pretioſitas, & Indicis Mercatoribus commercii abdicatio. ibid.
Animarum transmigrationem in alia corpora Gentiles nonnulli ſtatuunt. p. 356 n. 17
Animoſitatis ſtupendæ exempla. p. 388. n. 22 23
Annatæ quid. p.70.n.54
ab earum onere ne Germania fuit immunis. ibid.
earum autor. ibid.
Annonâ populus optimè poteſt pellici. p.787 n. 1
Annulus valdè pretioſus in piſce repertus. p. 237 n.41. ſub finem.
Antichriſis quid. p.537.n.12
Antinomia l. 3. §. pen. ff. de jur. fiſci, & §.40. Inſtit. de R. D. conciliatur, remiſſivè. p.952 n.6
Antipodes quidam, ſed diverſis ex fundamentis, negarunt. p.182.n.52
quis primus detexerit. ibid.n.53
eorum detectio velut impia Philoſophia habita. ibid.
Apanagium deſcribitur. p. 201. n. 21. p. 203 n.27
unde derivetur. p.203. ibid.
ejus vis & efficacia. ibid.
de eo ſolennis aliquando ſententia lata. ibid.
Apis artifex naſcitur. p.472.n.1
Apium encomium, etymon, officium, ac ortus. ibid. n.2. & p.474.n.12
examina inſolitis locis inſidentia boni & mali ominis indicia ſunt. p.474.n.15
in ſepulcro quodam mellificantium mirum exemplum. ibid. n.13
Reipublicæ elegans deſcriptio, remiſſivè. ibid. n.9
furtum quomodo puniatur. p.473.n.6
permagna copia in Ruſſia & Lituania. p. 250 n.15
Apollonius Magus fuit & præſtigiator. p.29. n. 118
Deus habitus. ibid.
ejus mors dicitur Tragœdia. ibid.
— reſponſum, Veſpaſiano datum. p.29. n. 119
Apologus facetus de Vulpe ſagaci. p. 116. n. 132
Apoſtaſiæ fœdè impiæ pœna. p.148.n.71
Apoſtolorum Chriſti gladius quis. p. 100.n.42
Appanagium, vide *Apanagium*.
de non *Appellando* Privilegium Reipubl. Norimb. ab Imperatore moderno clementiſſimè extenſum. p.981.n.13
Appellatio de Reform. Nor. quid requirat. p.980 n. 9
frivola quæ dicatur. ibid. n.11
de *Aquæductibus* Romanorum, remiſſivè p. 508 n.23
Aquarum admirandarum exempla, remiſſ. p. 512 n.13 14
Aquila, Romani Imperii Inſignis, externa figura variat, remiſſ. p.95. n.2
duæ adhuc hodiè Romano-Germanis Imperatoribus in armis pro ſignis ſunt. p.96 n.8
Romanis aliiſque omen victoriæ. p. 96. n. 11. p. 98. num. 29. nec non Imperii. ibid. n. 34
Hieroglyphicum. p.97. n.27
marinæ quomodo pullos ſuos probent. p. 98 n.30
pugnant cum avibus tam rapacibus quàm non rapacibus. ibid. n.31
cur cœlo non tangantur. p.99. n.37
pennæ reliquas abſumunt. ibid. n.38
volatus altiſſimus & velociſſimus. p. 102 n.50
nomen ſibi vindicat victor glorioſus & elatus. ibid. n.51
Chilienſes. p.103.n.54
hodiè Leoneſque in clypeis & ſignis, in Germania Belgioque, abundant. ibid. n. 56
pullis nigris quatuor inſignia aliqua exornantur p.104. n.62
Imperiales libertatis & ſuperioritatis indicium. p.105. n.65
ut Inſignia Imperatoris & Imperii, in portis ædificiiſque publicis, longiſſimo tempore ſuſpenſæ, Urbem Imperialem arguunt. ibid.
Arborum alienarum ſucciſio interdicta; ubi criminis hujus puniti exemplum. p.421. n.20
Arca, vide *Collegia*.
Arcani politici exemplum. p.855. n.2
Archidux, vide *Auſtria*.
de *Archivi* & Cancellariæ jure, remiſſivè. p. 995 n.12
Arcis Sanct-Angelicanæ appellatio. p. 65. n.42
initium & incrementum. ibid.
Argentarii apud Romanos qui. p. 546. n. 4
unde dicti. p. 547. ibid.
variis nominibus in jure noſtro appellantur. p. 546. ibid.
Argentum puſtulatum quid? remiſſivè. p. 579 n.7
Vivum ubi primùm inventum. pag. 180 n.43
— ingens lucrum Regi Hiſpaniæ præſtat. ibid.
Arma aliaſque ſuppetias ad hoſtes exportare prohibetur. p.564. n.35
promptior expediendarum litium ratio habentur. p.124.n.187
pauperibus ſubminiſtrata, vide *Pauper*.
Armamentaria Italica quæ. p.75. n.70
— — quibus armis repleantur. ibid.
— — quot millia militum armare queant. ibid.
nihil proficiunt, abſque annona militari. ibid.
Armorum & Legum idem tempus non eſt. p.49 n.60
venditio, emtio, ac tranſlatio de Jure Civ. & Can. privatis mercatoribus interdicebatur. p.296. n.20. cujuſmodi prohibitiones hodienum obſervari, exempla teſtantur. ibid.

Arrogantia ſuperba Seſoſtris. p.44. n.39. & p. 45 ibid.
Artes ſellulariæ cum militari fortitudine ſubſiſtere poſſunt. p. 601. n. 7. militibus conducunt. ibid.
Artificem arte perire ſuâ, dignum, illuſtratur exemplo. p. 15. n. 8
Artifici non deſunt ſua præmia. p. 601. n. 9
Aſappi, apud Turcas, qui. p. 153. n. 103
duo venduntur, pro uno cocto capite vervecis. ibid. n. 104
Aſini quando Romæ floribus coronati. p. 482. n. 4
per convitium in piſtrino olim laborantes appellabantur. ibid. n. 3
Aſpri apud Græcos quid; & quantum valeant. p. 146. n. 58
apud Latinos quid. ibid.
Aſtrologia agriculturæ inſervit. p. 405. n. 25
circa eam tamen ſuperſtitio abſit. ibid.
Ateſtinæ Domûs Illuſtris origo. p. 68. n. 48
Athei diſtinguuntur. p. 840. n. 1. Conſtantinopoli multi. ibid. n. 2. nec non in Europa. p. 841. n. 3
impiè blaſphemantis ſupplicium. p. 841. n. 2
in Gallia, nova illa ſecta, viri fortes vocari volunt. ibid. n. 3. de quibus multa remiſſ. ibid. ſeq.
cujusdam contemptus. p. 842. n 8
horrenda mors. ibid. ſeq.
de atheis, eorum refutatione, & converſione. remiſſ. p. 843. n. 16
Atheiſmi pœna. p. 50. n. 73
diſtinctio. p. 840. n. 1
illum profitentes quomodo ſe invicem appellent. ibid. n. 2
pœna ipia. ibid.
indices quidam recenſentur, remiſſivè. p. 842. n. 7
Atun, piſcis, aliàs Thunnus & Thynnus appellatur. p. 185. n. 78
Græcanicum ſermonem ab Italico diſtinguere dicitur. ibid.
Avaritia impia Græcorum, ditiſſima præda hoſtium. p. 22. n. 54
malum maximum. p. 537. n. 10
peſtis & pernicies patriæ. p. 251. n. 17
Avaritiæ mala innuuntur remiſſivè. p. 20. n. 35
fames inſatiabilis. ibid. n. 36. p. 1071. n. 2
Avarus nullum timet vitæ periculum, remiſſivè. p. 233. n. 13
Aufſchlag. p. 31. n. 133
Augſtein / vel Agtſtein / unde dicatur? p. 249. n. 9
Aurea Bulla quid, & unde dicta. p. 120. n. 157
— — ubi & quando promulgata. ibid.
— — ejus varia extant exemplaria. ibid.
multos habet Commentatores. ibid.
Auri pallorem non ipſum aurum, ſed auri dominos petere, exemplo probatur. p. 19. n. 34. p. 184. n. 65
denſitas & ſoliditas. p. 40. n. 3. ejus effectus. ibid.
& argenti in materiam monetæ aſſumptionis ratio. ibid.
ad argentum proportio olim Romæ. p. 40. n. 4
in Imperio noſtro. ibid.
& argenti æſtimationis ratio. ibid.
& argenti ſumma, in extructionem templi Hieroſolymitani impenſi. p. 44. n. 37
de ejus virtutibus, remiſſ. p. 577. n. 11
Auribus cum Camelo mutilari, quid? p. 27. n. 100
Aurum, ex lacrymis ortum, atrum eſt & ſordidum. p. 29. n. 119
viceſimarium quid? p. 48. n. 57
coronarium quid? p. 58. n. 4
Parvajimorum (Parvaim-Gold) quid? p. 182 n. 51
unde dicatur? p. 576. n. 1
probatum, de quo Scriptura, eſt fides ſincera. ibid. n. 5.
Taganum unde nomen habeat, remiſſ. ibid. n. 9
Eccleſia habet, non ut ſervet, ſed ut eroget, & ſubveniat in neceſſitatibus, remiſſ. p. 810. n. 2
Toloſanum, proverbium, per translationem ſignificat infelicem quempiam. p. 812. n. 28. unde hoc ortum ſit proverbium? ibid.
Auſtria ſola Archiduces alit. p. 108. n. 80.
quot Imperatores Imperio genuerit. p. 119. n. 152.
fato ad Imperium deſtinata, & virtutum præcellentiâ cumulata. ibid.
ingenti potentiâ opulentiâque prædita. ibid. n. 153
Turcarum frænum; gratiſſima & beneficentiſſima eſt. ibid.
ingentes habet reditus. p. 121. n. 166
eam ſervat vectigalium moderationem, ut eorum, qui pendere debent, facultates non excedant. p. 121. n. 169
quando Tyroli aucta. p. 122. n. 172
Authores qui dicantur? p. 62. n. 30
Auxilium Romanum, vid. *Expeditio* Romana.
Azo JCtus, & Henricus Lützelburgicus Imp. non fuêre coævi. p. 19. n. 28
illius Inſcriptio ſepulchri. ibid.
Azappi, vid. *Aſappi*.

B.

de **B***accalaureis*, remiſſ. p. 109. n. 84
Balænarum captura plus quàm ducentis hominum millibus quotannis indiget. p. 297. n. 30
Balnea gratuita Romanis ferè infinita. p. 506. n. 1.
publica & privata fuêre. ibid.
valetudini, adhibito modo, proſunt. ibid n. 2
apud Belgas nulla. ibid.
cum mulieribus communia omnibus Chriſtianis interdicta. ibid. n. 6
mixta, in quibus viri & mulieres lavabantur, olim Romanis fuêre. p. 507. n. 8. ſed tamen ſublata. ibid.
unà frequentare, quibus vetitum. p. 507. n. 14
veteribus Romanis erant tranſitus ad cœnam. ibid. n 18
Balneatores quomodo infamiam incurrant. p. 506. n. 5
ab Imp. Wenceslao honorifici & mundi pronuntiati, ab injuriis vindicati, & inſignibus condecorati. p. 507. n. 11.
Balneatoris aſinus dicitur dives ſordidè parcus. p. 5 7 n. 21

Balneatrix captivum liberans, cumque eo concumbens, largiter remuneratur. p.507.n.12

Bancus publicus quid denotet. p.547.n.8
negotiatoribus valde utilis. ibid.
quando Norimbergæ inſtitutus. ibid.
& quos Præfectos officialesque habeat. ibid.

Barat ponderis ſpeciem denotat. p.256.n.16

Baſilea deſcriptio. p.308.n.6

Baſſa, apud Turcas, qui. p.153.n.98

Beglerbegi, apud Turcas, qui. p.153.n.99

Beguardi à Libertinis (freyen Geiſtern) differunt, remiſſ. p.843.n.9.

Belgæ in Angliam panni lanei contexendi causâ evocantur. p.223.n.24
Imperio ſe quicquam ampliùs debere videri nolunt. p.113.n.109
quâ occaſione in Americam primùm navigârint, dicitur remiſſivè. p.187.n.91
apud extraneos propter navalem experientiam magni æſtimantur. ibid. n.92
labori & patientiæ aſſueti, externarum delitiarum contagione & otio hebetantur. p.303.n.63

Belgii fœderatarum Provinciarum Ordines, liberi ac ſupremi Ordines declarantur. p. 174. n. 1

Bella ærariorum everricula. p.30.n.122
civilia aditum vicinis præbent peregrinis. p.127. n.199

Belli nervus, vid. *Pecunia*.
Ducis qualitates. p.28.n.103
— pii ſymbolum. p.184.n.68
— fortiſſimi exemplum. p.405.n.26
cauſa principalis & accidentalis. p.28.n.103
ſæpè finis eſt interpoſitio fortioris. p.872.n.13
Dux omnibus rebus inſtructus, pecuniæ verò inops, manus quidem & crura habet, ſed ventre caret. p. 28. n.109. de optimo belli Duce judicium. p.103.n.52
plurima mala. p.59.n.18
tricennalis calamitas. p.99.n.39. perpetuâ oblivione ſepulta & inulta jacere debet. ibid. p.855.n.5
furor, quantum certò ſciri potuit, trecies centum viginti quinque millia hominum conſumpſit. p.127.n.201
Furiæ calvaria impiè effoderunt. p. 101. n.45
gerendi jus ex præcipuis juribus Majeſtatis eſt; hodie tamen conjunctam poteſtatem Cæſaris cum Statibus eſſe docetur, remiſſ. p.111.n.98
Marchionalis ſocii adversùs Norimbergenſes recenſentur. p.101.n.44. ejus belli cauſa. p.102.n.46

Bello legitimo parta, jure retinentur. p. 852. n.4. 5. & 6

Bellum Mantuanum compendiosè deſcribitur. p.314.n.6
multa incongrua infert. p.274.n.11
inter Sigiſmundum III. & Carolum IX. exortum. p.235.n.29
gerere Poloniæ Regi ſoli non licet, remiſſivè. p.254.n.35
Moſcoviæ Ducis. p.267.n.23
Reipubl. Venetæ. p.274.n.10.11.

ad *Bellum* gerendum tria requiruntur. p. 730. n.1

Beneficentia Principis populi conciliat favorem. p.17.n.21.

Beneficia, & *Beneficiarius* apud Romanos quid? p.151.n.89

Berglohn quid. p.943.n.6

Beſſarionis allegatio Authori ſuſpecta videtur. p.22.n.57

Beth quid ſignificet, dicitur remiſſivè. p. 115. n.123

Betteſſtock Norimb. quid. p.908.n.2

Bette-Schatz. p.31.n.133

Bibliotheca Vaticana exornatur. p.64.n.39
Palatina Vaticanæ adjungitur. ibid.

Bitumen gluten ferventiſſimum. p.592.n.13
ejusdem interpretatio ſpiritualis. ibid. & fol. ſeq.

Blaſphemia, ceu ex anima lapidea planèque ſaxea proveniens, lapidibus olim ut puniretur, mandatum fuit Divinum. p.991.n.1
an hodie quoque pœnâ mortis plectenda, disquiritur remiſſ. ibid.
iracundiæ & ebrietatis calore commiſſa à pœna ordinaria delinquentem excuſat. ibid. n.4
fit vel mediatè, vel immediatè. ibid.n.5
ab immanitate ſua deſcribitur. ibid. n.6

Blutſchand quid. p.1039.n.1

Bohemiæ Regni Inſigne primum quale; quod tamen mutatum; ſed pôſt aliqualiter reſtitutum; & tandem rurſus in totum ſublatum. p.105.106.n.68

Bombardarum primus inventor monachus extitit. p.340.n.32
uſus ſub Carolo IV. innotuit. ibid.n.22

Bombardis Lovanienſes uſi. p.339.n.18

Bombycum deſcriptio. p.467.n.4
cultura apud Senenſes. p.468.n.9

Bona non ſunt, quibus quis malè uti poteſt, ex ſententia Stoicorum. p.20.n.40
vera inter, & opinione bona, differentia eſt. ibid.
ſine ratione non poſſidenda. ibid.
quantum inter ſe diſtant, tantum cura illorum diſtat. p.26.n.91
in commune conferendi Chriſtianorum in primitiva Eccleſia finis. p.46.n.50
non ſint ex neceſſitate, ſed voluntaria. p.46. n.51
in ſacrorum uſum à Chriſtianis multis ſeculis collata recenſentur. p.46.n.53
Eccleſiaſtica dividuntur à Theologis in interna & externa. p.810.n.1. qualia hæc ſint? ibid.
eorum diſtributio quadripartita. ibid. n.2
Regum Poloniæ ad quid conſtituta? remiſſ. p.235.n.28

Bonorum Confiſcatio ubi locum habeat? remiſſ. p.569.n.7
in pecuniariam pœnam poteſt mutari. ibid. n.8
adminiſtratio prodigo interdicta. p.734.n.5

in *Bona* vacantia ſine teſtamento & hæredibus Reſp. Norimb. vi Privilegii ſuccedit. p.1018. n.1
— — ſuccedens Fiſcus non tenetur conficere inventarium, nec ultra vires hæreditarias. ibid. n. 2
& an ejus debitores liberentur. ibid.
Boruſſia in duas diſpeſcitur partes, Regiam & Ducalem. p. 256. n. 43
Boſniæ Regionis deſcriptio. p. 146. n. 64
Bovis cujusdam Friſii magnitudo & obeſitas. p. 442. n. 8
Braſilia Inſula deſcribitur. p. 179. n. 36
Brevia Apoſtolica cerâ rubrâ annuloq; piſcatoris ſignantur. p. 71. n. 55
eorum Scriptorum novum Collegium inſtitutum, & venditum. ibid.
Breviarium, vid. *Rationarium*.
Briſacum munitiſſimis circummunitur operibus. p. 200. n. 14
ubi lapides à lapicidinis Rheno aſportandi ingenioſiſſimum inventum mirandum. ibid.
Britannia, ultimò ſub jugum Romanum redacta, primò illud excutiebat. p. 114. n. 115
laudatur, remiſſ. p. 216. n. 1
Bruck-Geld. p. 31. n. 133
Bubalorum deſcriptio rem. p. 234. n. 17
Buccinatorum Judex & Patronus. p. 42. n. 20
Bucephali equi raritas. p. 443. n. 14
— — mortem graviter tulit Alex. M. inq; ejus memoriam Urbem Bucephaliam condidit p. 444. n. 24
Bullæ Leonis tenor. p. 219. n. 11
Cruciatæ deſcriptio, & conceſſio non modò viventibus, ſed & mortuis. p. 185. n. 77
Bullas ſuas Papæ plumbo obſignant. p. 71. n. 55
Burſa, vid. *Collegia*.
Burſula, non Urſula, nonnullis placet. p. 22. n. 52
ob *Butyri* defectum ſolutioris cachinni exemplum. p. 208. n. 43

C.

CÆſarea jura in Delphiatunm Gallo in perpetuum unquam eſſe ceſſa, falſum & injurioſum eſt. p. 117. n. 141
Cair, vid. *Alcair*.
Calatravæ, vid. *Equites*.
Calculus, tabula, teſſera, quid, remiſſ. p. 902. n. 1
de *Calendis* Græcis, remiſſ. p. 553. n. 5
Calicum remiges qui. p. 902. n. 3
Calicutii, amplæ Civitatis, deſcriptio. p. 367. n. 45
ædium ſtructura. ibid.
Calliditatis aſtutæ exemplum. p. 50. n. 74
Callis etymologia. p. 420. n. 1
Cambium (Germ. Wechſel) vocabulum JCtis veteribus incognitum, hodie uſu receptiſſimum. p. 547. n. 10
Camelus mille pondo onus ferre perhibetur. p. 351. n. 13
Cameræ Regiæ Collegium exigit omnium totius Regni redituum rationem, remiſſ. p. 235. n. 28
Præfecti officium. ibid.
Cammer- und Lands-Schulden. p. 43. n. 31
Candia, vid. *Turca*.
Candor Africanis videtur congenitus. p. 388. n. 22
Canea, vid. *Turca*.
Canes ſuperflui ruſticis interdicti. p. 459. n. 7
Canonici cordi comparantur, ejusdemque ratio. p. 811. n. 3
Honorarii qui ſint? ibid.
eorundem officium. ibid.
Canonicus ſaluberrimum in Eccleſia miniſterium gerit. p. 810. n. 3
unde dictus? ibid.
an alius, præter Pontificium, ſalvâ conſcientiâ, poſſit eſſe Canonicus. p. 811. n. 5
Canonis in voce jocus. p. 114. n. 119
Canum fidelitatis exempla. p. 103. n. 53
Capitale ingens in Comitiis impoſitum rem. p. 259. n. 52
Capitatio, remiſſivè. p. 58. n. 5
quid. p. 115. n. 126
ejus duæ ſpecies ſunt. p. 789. n. 9
Capitolii reſtitutio. p. 41. n. 12
Capitulatio Cæſarea quomodo à loco appelletur. p. 125. n. 190
Capnio quis fuerit? p. 726. n. 2
Capræ in hortis minimè tolerandæ. p. 423. n. 44
Captura quadruplex. p. 459. n. 1
per *Caput* quid intelligatur? p. 789. n. 9
Carbones foſſiles. p. 421. n. 21
eorum virtus & abundantia. ibid. n. 22
Cariei expertes nonnullæ arbores. p. 421. n. 14
Caripici, apud Turcas, qui. p. 152. n. 97
Carnium inopiæ Conſtantinopoli obortæ exemplum. p. 503. n. 6
Caroli M. Britanniæ Regis decollatio; filii ejus proſcriptio; & tandem Regnorum ſuorum reſtitutio. p. 225. n. 40
laus hodiè apud Britones. ibid.
& remiſſivè. p. 226
Epigraphe vetus & nova. ibid. n. 40
Carthaginenſes inſulam fertilem ſed deſertam invenêre. p. 182. n. 49
Caſeorum Edammenſis, Parmenſis, Placentini præſtantia. p. 442. n. 10
Caſtella quàm plurima deſolantur. p. 563. n. 27
Caſtelli deſcriptio. p. 508. n. 24
Caſtitatis eximiæ dolo contaminatæ exemplum. p. 326. n. 19
Catabaptiſtarum doctrina de Baptiſmo. p. 847. n. 2
Catalogus omnium à Ferdinando II. Imp. creatorum Principum, Comitum, ac Baronum. p. 108. n. 81
Catalonii ſeſe in clientelam Regis Galliæ tradiderunt. p. 175. n. 1
Cauponæ publicæ ob nimiam potationem inhibentur, rem. p. 266. n. 18
Cauponarias artes quinam exercere debeant, & quomodo? p. 734. n. 11
Caupones quare habeantur ſuſpecti? p. 737. n. 1
vocantur hodie honorabiliori nomine hoſpites. ibid.
Cauponibus vectigal grande meritò imponitur. p. 300. n. 44
Centeſima rerum venalium & auctionum apud Romanos quid? p. 49. n. 65
Cerviſiæ uſus apud Polonos. p. 250. n. 15
Charitas ordinata incipit à ſeipſo. pag. 17. n. 19
quod quomodo accipiendum, docetur. ibid.

Charta

Charta luſoriæ in Hiſpania ubique locorum venales. p.185.n.73
— — mercatorem intra decennium opulentiſſimum reddidêre ibid.
Chilenſes variam vitam vivunt. p.188.n.95
Chili, Provinciæ Peruanæ, ſitus; nominis appellatio; ventus peculiaris; fertilitas abundantiſſima; & ingentes proventus. pag. 103. n.54
Choreæ honeſtæ non ſunt improbandæ. pag. 499. n.12
de iis Lutheri judicium. p.500.n.13
vid. *Equorum* choreæ.
Chriſtiani, ſub Turcis viventes, variè gravantur & premuntur. p.147.n.66
numerantur. ibid.
ſeptimo quoque ànno pueros contribuere coguntur. ibid.
à Turcis Gauri appellantur. p.154.n.113
Chriſtierni portentoſa nativitas. p.235.n.26
Chriſtina Regina Suec. coronatur. p.236.n.66
conſilium aperit de abdicando regno. ibid.
proficiſcitur poſt abdicatum regnum. ibid.
mutat religionem, inque gremium Romanæ Eccleſiæ recipitur. ibid. & fol. ſeq.
Chymia inter modos ditanti ærarium improbos refertur, remiſſ. p.955.n.1.
in Medicina utilis, ad pecuniam comparandam fruſtranea & futilis. ibid.
ejus deſcriptio & ſpecies. ibid.
falſa, ſive Pſeudo - Chymia patibulo punita. ibid.
ejusque deſcriptio. ibid.n.3.
— facetè illuditur. ibid.
— ab ipſo Satana deriſa. ibid.
— Norimb. civibus interdicta. p.956.n.5
— Vivis coloribus depingitur, remiſſ. ibid.n.4.
Cimelium rariſſimum, ab Helvetiis ex præda captum, venditur. p.853.n.21
& poſtmodum in poteſtatem Domûs Auſtriacæ revertitur. ibid.
Cipporum Ægyptiorum erectio & inſcriptio. pag. 44. n.39
Circuli Imperii VI. ab initio fuêre. p.126.n.195
deinde X. effecti. ib.
cur inſtituti. ib.
de eorum jure, uſu, variâ collocatione remiſſ. ibid.
Circumciſionis feſtivitatem barbari nuptias nominant. p.148.n.76
Civitates, ut ſua quique tenerent, conſtitutæ ſunt p.129.n.117
inter Imperii liberas & Imperiales nulla eſt differentia realis. p.105.n.65
Imperii LXII. enumerantur, quæ ad ſatisfactionem militiæ Suecicæ contribuêre. pag. 115.n.125
Imperii liberæ ferè ſingulæ, olim Imp. quotannis certam pecuniæ ſummam ſolvere, obſtrictæ erant, & quædam adhuc ſunt. p.116.n.127
Imperiales nonnullæ ſummam in ſatisfactionem militiæ Suecicæ ſolvendam mutuò petiêre. p.123.n.183
Civitatis jus Romani magni æſtimabant. p.931. num.3.
— peregrinis concedere, an è re ſit Reip. quæritur, remiſſ. p.933.n.3
ubi pro amplificatione hujus quæſtionis junge n.4.5.6.& 8
Civium numerum noſſe, Reip. conducibile. pag. 890.n.3
Claſſis argentifera Hiſpanorum debellatur. pag. 186.n.83
fluctibus abſorbetur. ibid.
Clauſula; ſalvo jure Imperii; ſemper ſubintelligi ſolet. p.118.n.145
Clerici à perſonalibus muneribus liberantur. pag. 224.n.30
à patrimonialibus ordinariis minimè eximendi. ibid.
ratio. ibid. & p.204.n.32
à negotiationibus ſecularibus debent abſtinere. p.204 n 32
de eorum ſubjectione & exemptione in genere; de Gallicanorum verò in ſpecie, remiſſ. ibid.
Cochinilla quid? p.179.n.38
Collecta denarii communis quando inſtituta, & deſierit? p.271.n.1
alia ad expeditionem Rom. inſtituta, Römerzug. ibid.
Collectas Imperii, (vulgò Reichsſteuer) imponendi modus duplex. p.115.n.126
ad imponendas in Imperio Statuum conſenſus requiritur. ib.
Collegia privatum Ærarium, ſeu arcam vel burſam communem (vulgò die Lade / item die Ambts- oder Handwercks-Lade) habent. p.552.n.1
de *Collegio* Sapientum apud Venetos, remiſſ. pag. 931.n.1
de *Coloniis*, modo, fructu, & cauſis eas deducendi, remiſſ. p.302.n.61.p.853.n.20
Colonorum ſtudium primarium. p.408.n.53
Color candidus in magna apud Magnates æſtimatione eſt. p.444.n.3
Chriſtophorus *Columbus* animi ſui ſenſa de novo Orbe detegendo tribus Regibus communicavit. p.1061.n.1
tandem poſt ſeptennium initium ſuæ navigationis fecit. ib.
Cometa, belli tricennalis præco. p.99.n.39
Comitatuum incrementum, remiſſ. p.618 n.2
Comites Palatini (die Reichs- Hoffgraven Käiſerl. Pfaltz- und Hoffgraven) interdum aliis, ſecundùm privilegii limites, inſignia concedunt, remiſſ. p.103.n.57
nonnunquam definitam, interdum indefinitam poteſtatem habent. p.104.n.58
ſigna facinoribus idonea diſtribuant; quod exemplo declaratur. ib. n 59
legitimare poſſunt ad ſuccedendum in feudo; ubi tamen diſtinctio notanda, remiſſivè p.104.n.60
etiam liberos naturales. p.109.n.87
Comitia Norimbergæ habita. p.257.n.43
in Polonia, eorumque ratio, remiſſ. p.259.n.54
cogere, & Status convocare, olim ſolo Imp. permiſſum. p.110.n.94
hodiè abſque conſenſu Electorum non licet. ibid.
prima Imperator, nî legitimè impeditus, Norimbergæ celebrare debet. p.129.n.209
an præcisè in Civitatibus Imperialibus fieri debeant, deciditur. ibid.
de *Comitibus*, remiſſ. p.108.n.81
Comitibus Provincialibus. (Landgraven) rem. ib.
de *Comitiis*, & iis, qui ad ea vocari debent. p.129. num.207

Commentator primus Legum an fuerit Irnerius. p.1041.n.1
Commercia peregrinorum non ſunt contemnenda. p.564.n.36
de *Commerciorum* jure, remiſſ. p.110.n.95
Commiſſio abſurda & ridicula. pag.294 n.9
Communia eſſe omnia, quomodo intelligendum. p.46.n.48
Communio bonorum, vid. *Anabaptiſtarum* doctrina.
Comœdias & ſpectacula haud eſſe contemnenda, rationibus evincitur; & ideò, conditionibus quibusdam obſervatis, rectè concedi poſſe, docetur, remiſſ. p.958.n.1
Tragœdiasque quo modo Jeſuitæ poſſint exhibere. ibid.
Concilium Tridentinum indicitur & celebratur. p.66.n.44
Concordata Nationis Germanicæ quæ, remiſſivè ib.n.46
Concordia, non præſentia Principis vires fulcire poteſt. p.118.n.151
in Imperio Romano deſideratur. p.124.n.187. p.131.n.213. p.154.n.111
Principum laudanda. p.267.n.26
Confiſcatio bonorum ſortilegorum, ſagarum & veneficarum confirmatur, remiſſ. pag.843. num.17
eorum, qui mortem ſibi conſciverunt, diſtinctionem admittit. ib.n.19
Confiſcationis (& conſequenter in bonis vacantibus ſuccedendi) jus liberæ Imperii Civitates ſine privilegio habent, remiſſ. p.1028.n.10
Confraternitates quid? p.621.n.27
Conſcientia malæ malum. p.843.n.11
Conſilia Hiſpanorum, vid. *Hiſpani.*
Conſilium ſupra ætatem infelix. p.386.n.17
Conſtantinopoleos expugnationis dies & annus variant. p.22.n.55
Conſtantinopolis fundatur, à cultu idololatrico purgatur, privilegiis dotatur & exornatur. p.94.n.1
nova Roma appellatur. ib.
nunc à Turcis poſſidetur, & Stambolda ſive Stambol dicitur. ib.
ſedes Imperatoria, & Orientalis Imperii caput eſt. ib.
Conſtitutio Imperii, de ebrietate vitanda, riſum contemptumque ſortita. p.902.n.4
Conſulatûs Rom. initium. p.60.n.20
Conſulentes erga conſilia petentes quomodo ſe gerant? p.619.n.12
Continentiæ laus. p.30.n.130
Contractus ſortium, vid. *Olla* Fortunæ.
Contractus uſurarius illicitus ſæpiùs ſub licita conventione latet.. p.537.n.10
— — ejus probatio. ib. n.11
Conventio de Regno Hungariæ in Regiam Rom. Maj. devolvendo. p.123.n.179
Conventionum à belli ſociis initarum Exempla. p.856.n.2
Conventuum Electoralium locus quis. p.129.n.209
---- ---- ---- alii particulares; alii Viſitatorum Cameræ. ibid n.210
perſonæ recitantur. ibid.
hujus ſeculi frequentia. p 130 n.210
Convivia, veterum Germanorum, Perſarum Græcorumque conſilia. p.902.n.6
Copiæ, vid. *Opes.*
Corallii pro moneta uſus. p.344.n.9
Corium uſum pecuniæ præſtat. p.41.n.15
Cornicines qui? p 42.n.18
Cornua uxorum laſciviam notant. p. 050.n.9
alterius domui qui affigit, quâ plectatur pœnâ. ibid.
Cornvallia, ſive Cornubiæ, Britanniæ Regionis, ſitus, habitatores, nominis derivatio, ſalubritas, divitiæ, fertilitas, magiſtratus, p.218.n.8
Dux ſtatim, quum naſcitur, Regis Angl. primogenitus eſt. ibid.
Cornuti qui dicantur. p.1050.n.9
appellatio unde deſcendat. ibid.
Corona Imperialis, niſi in Capitibus antea coronatis non poteſt quieſcere. p.117.n.137
omnium pretioſiſſima. remiſſ. p.267.n.27
Coronatio triplex Imperio noſtro fuit in uſu. p.721 n.2
Coronatorum centum milliones Magnus Etruriæ Dux defunctus reliquit. p.320.n.15
Coſachi qui, & unde dicti? remiſſ. p.254.ſeq.n.22 ſeqq.
eorum Vitæ ratio. p.255.n.23
duplicem ducunt militiam, quà terreſtrem, quà maritimam. ibid.
ipſorum numerus. ibid.
Cracovia, dives & nobilis Civitas. p.250.n.14
Croneburgum quando exſtructum. p.1009.n.2
Crudelitatis inhumanæ exemplum. p 349.n.4.p. 460.n.16
Crux alba in veſtibus fuit nota profeſſionis. p.256 n.43
Cryſtalli in Congo abundantia. p.380.n.13
generatio ac materia varias movet Autorum ſententias. ibid.
Cubiculum Mariæ Virginis ubi hodie monſtretur. p.885.n.9
Cuniculorum deſcriptio, abundantia in Hollandia atque Zelandia, & captura. p.442.n.5
Cupidus æris non augendo opes, ſed diminuendo cupiditates diteſcit. p.25.n.83
ratio ejus rei. ibid.
Cupri ex aqua mira collectio, remiſſ. p.581.n.2
Curator bonorum abſentis quis & à quo conſtituî poſſit. 692.n.3
Curia Norimbergenſis quãdo ædificata. p.62.n 35
---- ---- ---- effigiem Ludovici Bavari in aula majori exhibet. ibid.
Curiam primam Imperator, ni legitimè impeditus Norimbergæ celebrare debet. p.129.n.209
de *Cuſtodiæ* jure, remiſſivè. p.222.n.12. ejus definitio. ib.n.13
Cuſtodiarum Magni Chami diſtributio. p.345.n. 18
Cuſtos, vid. *Guardianus.*
Cyrenii bis in Syriam miſſi expeditio. p.789.n.4
hujus miſſionis ratio. *ibid.*

D.

DActylus poſt annum demum centeſimum fructus fert. p.433 n.2
Dalmati, vid. Veneti.
Damnatorum bona quo caſu confiſcentur. p.225 n.34
---- ---- in Anglia indifferenter fiſco applicantur, remiſſivè. ibid.
Danubius Regem cum equo ſubmergit. p.123.n. 18
Dare cæteris plus, quàm ſibi habere, regium eſſe putatur, remiſſ. p.25,.n.:8

Datia & *Acciſa* vini & carnis Imperatoris Conſenſum requirunt. p.737.n.4
de *Decumis*, remiſſivè. p.58.n.1
ad *Debita* Regia exſolvenda qualiter Poloniæ Ordines teneantur remiſſ. p.253.n.27
Debitor malum fit nomen, niſi creditoris veſtigio prematur. p.31.n.132.
Decimæ duplicis generis ſunt, vel ordinariæ & legitimæ, vel extraordinariæ & indictæ. p.207. n.41
extraordinariæ quibus indicantur, quique ab iis immunes. ibid.
Decimas humano ac Pontificio jure tantùm ſtatutas, rationibus probatur. p 423 n.36
hodie verò naturali & divino jure deberi, Canoniſtæ tradunt. ibid.
Deditionis pœna. p.98.n.29
Defenſoris fidei titulus. p.219.n.11
Defuncti voluntas, vid. *Voluntas.*
Delatores non tolerandi, ſed puniendi ſunt, remiſſ. p.266.n.23.
Demanium.vid.*Domanium.*
ad *Democrati* puteum detrudi, quid? p.17.n.18
Denarius unde dictus? p.41.n.7
de *Detractione* & *Detractoribus*, remiſſ. p.919. n.2
Dicationis rei alicujus, Deo Sanctisque ejus factæ, variæ ſolennitates, & exempla. pag.48. num.53
Diffidentia è Principum Imperii animis vix poteſt eradicari. p.123.n.186
Dignitatis Imperialis averſatio. p.404.n.20
Dignitatum Imperii incrementum, remiſſ. p.618. num.2
Dilherri encomium. p.45.n.45
Diplomata varia à Pontifice obtenta quantum important. p.71.n.55
Diſciplina militaris commoda. p.21.n.49.
civilis exemplum. p.908.n.6
Diſcordia, belli infeliciter geſti cauſa. p.28.n.106 107.p.63.n.36
Germaniæ hoſtibus in gloriam ceſſit. p. 131 .n.213.p.154.n.111
civilis ſæpe bellorum cauſa. ibid.n.113. an bene ſemper, disquiritur. ibid.
eam Turcæ ſemper imprecantur Chriſtianis. ib.
Diſtinctio inter cauſam belli principalem & accidentalem. p.28.n.103
Dives, vocis, derivatio varia. p.21.n.51
à quodam nemo prædicabatur, niſi qui ſuis ſumptibus exercitum alere poſſit. p.1095.n.3
Diviſio regnorum ſive ducatuum, dignitatum interitus eſt. remiſſ. p.619.n.16
Divitiæ non ſemper ſuperbum & impotentem animum arguunt. p.674.n.15
ſunt ambidextræ, ad bonum malumque trahi faciles. p.26.n.87. ejus rei ſimile. ibid.
in occulto repoſitæ, ſunt arenæ cumulus. p.29. n.119
cum egentibus communicandæ. ibid.
poſſeſſoribus ſuis, iis frui, permittendæ. ibid.
incitamenta malorum & injuſtitiæ. p.1013.n.3
Divitiarum fiducia victori præda. p.19.n.37
in Davidis monumentum illatarum rationes redduntur. p.23.n.64
ingentium, in ſepulchris inventarum exempla. ibid. & p.221.n.11
ampliſſimarum cauſa. p.223.n.24.
Regionis cujusdam Hiſpaniolæ, Cotóy dictæ, deſcriptio. p.434.n.22
Divitias & Virtutes haud ſimul ſe poſſidere poſſit, putavit Crates. p.21.n.44
Principi neceſſarias eſſe aſſeritur, remiſsivè p.23.n.63
in toto Regno Congiano proprias nemo, præter Regem, poſſidet. p.381.n.19
Divitiis omnia parent. p.23.n.61
Doctores ab Imp. creati præferuntur Dd. ab aliis creatis, remiſſ. p.109.n.84
Doctoris Juris ab Imp. creati exemplum. p.109.n. 84
Tituli collatio ubi, & quando primùm uſu recepta. ibid.
Domanium deſcribitur. p.201.n.21
ad ſolum Regem Galliæ pertinet. ib.
ejus legitima peti non poteſt. ib.
diſtinguitur. ib. p.202.n.24
niſi ſummâ neceſſitate urgente, prævià tamen Senatûs accuratiſſimâ deliberatione, Regibus alienare non licet. pag.203. n. 25. 26. & 28
etiam Angliæ Reges ſibi retinuerunt. p.216.n.2
ejus variæ appellationes. ib.
nec hoc alienari poteſt. p.217.n 2
ubi tamen diſtinguitur. ibid.
Dominatus mediam Monarchiam inter optimam & peſſimam denotat. p.371.n.12
unum agnoſcit Dominum. p.265.n.5
Dominatûs expers Europa, præter Turcicum & Moſcovit. regna, creditur, remiſſ. ib.
Dominiorum ſuorum ſoli Domini Turca & Moſcus, remiſſ. ib.
Dominium electivum quomodo gerendum. p.74. num.69
Domûs cujusdam ligneæ exſtructio ſingularis. p. 484.n.27
forma, & laborantium opificum numerus. ib.
Dos ex ærario erogatur. p.673.n.3
optima, eſt pudicitia. p.674.n.20
item, Concordia conjugalis, & amor mutuus, remiſſ. ib.
licet minor ſit legitimâ, congrua dici poteſt, limit. & remiſſ. p.674.n.21
quomodo taxanda? remiſſ. ib. n. ult.
non numerata bellum excitat. p.178.n.19
Dotem non ſemper reſtitui mulieri, teſtantur exempla. p.674.n.18
Ducatuum incrementum, remiſſ. p.613.n.2
Ducatus Würtenb. quo jure ad Imperat. pervenerit, remiſſ. p.852.n.2
de *Ducibus*, remiſſ. p.108.n.81
Ducum Secularium & Eccleſiaſticorum origo. p. 47.n.53
poteſtatis Abbatibus conceſſæ aliquot exempla ibid.

E.

EBion, hæreticus, multiforme monſtrum. pag. 144.n.37
Ebrietas in omnibus delictis delinquentem à pœna ord. excuſat. p.991.n.4
ejus incommoda, remiſſ. p.89 .n.9
vitatio publicâ Imperii lege fuit injuncta. pag.902.n.4
Eccleſiæ Gallicanæ libertas, invaſio & reſtitutio, remiſſ. p.66.n.46
Status Urbi ab hoſtibus occupatæ comparatur. p.74.n.69
Anglicanæ Caput ſupremum Rex dicitur. p. 221.n.11

Advo-

Advocatus & defenſor, (Oberſter Vogt und Schirmherr) eſt Imperator. pag.866 n.3
Advocatia duplex. ibid.
Eccleſiaſtici, vid. *Clerici*.
Eccleſiis quales Miniſtri præficiendi. p.124.n.187
Ebrioſus jocosè amphora dicitur. p.922.n.5
& ebrius differunt, remiſſ. p.1059.n.4
de *Eduardo* III. Angl. Rege Klockii error. p. 30. num.127
Vocabulum, Ehe/antiquitus pro Gebot accipiebatur. p.862.n.2
Vocabulum, Ehehafften / quomodo ſumatur. ibid.
Egeſtas civium dominantium ſecuritas malè habetur. p.18.n.22
Electio moderni Pontif. Cardinales diu detinuit. p.74.n.68
Electoratûs nova collatio Electorum conſilium conſenſumve requirit, remiſſ. p.108.n.79
translatio in Bavarum varia variarum opinionũ ſcripta protulit. p.130.n.212
certis ſub conditionibus facta fuit. ib.
nec non aliam hinc deſcendentem controverſiam ſuſcitavit. p.131.n.212
translationi huic Saxo & Brandenburgicus primò haud aſſensêre. ib.
circa eam peragendam res notatu digna; & hinc varii animorum motus. ib.
de *Electorum* origine & poteſtate, remiſſivè. pag. 108.n.79
Electri tria genera. p.588.n.1
Elephas ingenio, prudentiâ, ſagacitate, docilitateque reliqua ſuperat animalia. p.365.n.19
cornutus potiùs quàm dentatus appellandus. p.375.n.5
ejus in cruribus junctura, captura, aliaque multa notatu digna. p.330.n 10
Eloquii ſuavis omen apes. p.474 n.15
Emigrationis jus quid? p.764.n.1
Emigrationum diverſarum gentium cauſæ. pag. 232.n.4
Emphyteuta arbores cæduas, non verò fructiferas incidere poteſt, modo tamen adhibito. p. 421.n.19
ad quid obſtrictus. p.627.n.1
Emporii celeberrimi deſcriptio. p.223.n.26
Emptor pretium rei alienæ, non obſtante proteſtatione, niſi certo caſu, non conſequitur, remiſſ. p.945.n.2
Encæniorum origo. p 897.n.1
celebrationis finis. ib.
choreis & ſaltationibus locorum Domini ſeſe ingerere ſolent, pflegen die Täntz aufzuführen. ib.n.4
Enecomii etymologia. p 897.n.5
Epiſcopus Herbipolenſis gladio nudo & evaginato ſacra facit. p.47.n.53
Ducis Franconiæ titulo utitur. ib.
pedum paſtorale & coruſcantem enſem in inſignibus gerit. ib.
Epiſtola, à Venetis ad Norimbergenſes ob procurandam inter ipſos & Cæſarem pacem ſcripta, profertur. p.114.n.121
illa ipſa tamen in Archivo Norimbergenſi non reperitur. p.115.ib.
Epitaphiorum canibus poſitorum exempla. p.443 n.19
Epitaphium, vid. *Sepulchri* inſcriptio.
Equi Sejani deſcriptio. p.443. n.15.
ſubmiſſio. p.445.n.37
validiſſimi in Comitatu Oldenburg. nutriuntur. ibid.n.40
Equis ex aureis crateribus potus præbitus. p. 349 n.6
Equo tumulus à D. Auguſto erectus. p.443.n.19
Equorum choreæ in feſtivitatibus nuptialibus moderni Imperatoris exhibitæ. p.443.n. 15
Perſicorum præſtantia. p.351.n.15
Equites S. Jacobi quale geſtent inſigne. p.185.n.74.
eorum origo, inſtituta, & domicilium, remiſſ. ibid.
Calatravæ, unde dicti. p. 185.n.75
eorum inſigne. ibid.
Alcantaræ, unde ſic dicti. ibid.n.76
eorum inſigne. ibid.
Ordinis Chriſti, (vulgò de Portugallo) unde ſic dicti. p.186.n.84
eorum ſignum. ibid.
Equites peditesque Poloniæ differunt & armis & nomine. p.254.n.36
Ergaſterium Amſtelodamenſe deſcribitur. p. 608 n.1
Norimbergæ pro viris & fœminis noviter erectum. ibid.n.2
— — — duas Inſcriptiones ſuper portas exhibet. ibid.
Etruriæ amœnitas & ubertas. p 318.n.1
in Dominium vetus & novum diviſio. ibid.n.2.
Eunuchi, vocis, derivatio. p.1001.n.6
malè audiunt. ibid.
Exactio, vide *Tributum*.
Exactiones nimiæ ſeditionum cauſa. p.14.n.5
Exactionibus efferatorum exempla. p.14.n.5
Exactionum numerus innumerus. p.31.n.133.
onera aggravantis pœna. p.1081.n.2
Examen Dicographus, Actuarius, Procuratores, Scribæ priùsquàm in Rep. Norimb. in judiciis admittantur, ſubire debent. p.984.n.7
Exarcola, vid. *Zercula*.
Exercitûs fortitudo plus juvat, quàm multitudo. p.375.n.6
parandi velox inſtructio. p.344.n.7
Expeditio Romana quid. p.116.n.130
—— —— quanto numero equitũ peditũmve conſtiterit. ibid.
—— —— quoad cauſam ſaltem, non quoad effectum ruſticis ignota; unde jocus non ineptus. ibid.
Expeditionis ſupra vires ſuſceptæ infelicitas. pag. 386.n.17
Fabula de Acheloo & Hercule varia explicatio p. 22.n.53
Facultates, vid. *Opes*.
Fama & honoris quæſtio omnem rei controverſiam vincit. p.1003 n.3
honorum notam ſuſpicionis facilè inurunt improbi. p.484.n.29
de *Fama* reſtituendi jure, remiſſivè. p. 09.n.90
Ferarum effigiebus pro bellicis ſignis uſi ſunt Romani. p.96.n.13.
Ferdinandus I. Rex Rom. eligitur, coronatur, & Imp. creatur. p 123.n.180
Ferraria Ducatus unde dictus. p.67.n.48
—— —— —— quo jure, quóve tempore ad Eccleſiam Rom. pervenerit. ibid.
Ferrum ſemel erutum denuò renaſcitur. pag. 320 num.13
tam flexile in Regno Perſiæ, ut & ſine igne malleo contundi queat. p.350.n. 11
ad gladios & bombardas in China aptiſſimum. p.584.n.4

Feſſa

Feſſa, omnium Africæ Civitatum hodie potentiſſima. p.388.n.26
tribus conſtat Urbibus. ibid.
Feuda ferè omnia ſervitio militari in Anglia adſtringuntur. p.222.n.12
certos Regi Galliæ reditus præſtant. p.202.n.22
Eccleſiaſtica, à curvo baculo (von krummen Stab) dependentia, ad fœminas non devolvi contenditur. p.327.n.25
Feudi ſecularis & Eccleſiaſtici deſcriptio. p.327.n.25
de *Feudis* officialibus opiniones tres. p.646.n.11.
Fidelitas Nobilium Holſatorum ac Sleſuicenſium p.30.n.128
Matronarum Danicarum. ibid.
Fidei lubricæ objectio. p.872.n.6
Fides jus naturale aut humanum non tollit. p.183 num.57
Filorum lineorum pretioſitas. p.602.n.17
Fiſci etymologia. p.43.n.26
Advocati prima conſtitutio. ibid.n.27
Procurator olim Judex cauſarum civilium erat. ibid.
Cæſarei Advocatus & Procurator, quales debeant eſſe: eorum officium, & ſalarium innuitur, remiſſivè. ibid.
Fiſco intumeſcente, ægrotant ſubditi. p.19.n.31
ære alieno laboranti ſubſidio opus eſt. p.217.n.6
Fiſcus, vid. *Bona* vacantia.
an ſuccedat, hæreditate indigno relictâ, diſquiritur, remiſſ. p.1031.n.6
Flatores qui dicantur. p.61.n.30
Flos unicus tribus florenorum millibus æſtimatus. p.435.n.25
Paſſionis, vid. *Granadilla*.
Fodrum quid; ejusque ſignificatio. p.111.n.99
Fœdera cum Turcis aut aliis infidelibus inire, Chriſtianis certo modo licere, concluditur. p.155.n.118
indifferenter tamen iniri poſſe, impiè quidam putavit. ibid.
Fœderis Helvetici Pariſiis renovati deſcriptio. p.310.n.27. p.311.n.41
Fœdus Suevicum (der Schwäbiſche Bund) quando initum. p.852.n.1
ejus Societas (die Geſellſchaft S. Georgë Schilds) in IV. Curias diviſa. ibid.
quamdiu initum. ibid.
quos comprehendebat. ibid.
Judices tres conſtitutos habebat. ibid.
Tabulas erigebat; de quarum jure, remiſſ. ibid.
quo authore tandem diſſutum, remiſſ. ibid.
Fœneratores, antiquis menſtrui exactores dicebantur. p.537.n.14
duplo pejores furibus. p.536.n.2
eorum impoſturæ opprimendæ. ibid.n.5
Fœnore moderato pecunias accipere, Principi perſuaſum. p.546.n.1
Fortuna Sabaudiæ Principum varia. p.315.n.16
Fortunæ inconſtantia. p.45.n.39. p.188.n.101. p.208.n.46. p.1001.n.1. p.235.n.26. p.405.n.27.
Fortitudo militum Japonenſium. p.365.n.23
ſingularis cujusdam militis. p.388.n.23
Fora Romanorum varia erant. p.537.n.7
Forenſis quis dicatur. p.729.n.5
incapax eſt immobilium Civitatis. ibid.
capit æſtimationem rei immobilis legatæ. ibid.
Foreſtalis jurisdictio quibus juribus conſtituatur. p.423.n.37
Foreſtarium Judicium (das Forſt-und Zeidel Gericht) quas actiones dijudicet. p.420.n.5
Privilegio de non appellando munitum. ibid.
Forma non ſemper arguit pudicitiam. p.674.n.15
Formæ corporis delineatio. p.387.n.21
Fornicatio, vid. *Adulterium*.
de *Fratribus* Roſeæ Crucis. p.31.n.133
Fräuleinſteuer. p.31.n.133.
Friedbott in encæniis, baſſæ jurisdictioni annexum, cujusvis loci Magiſtratui ordinario competit. p.897.n.3
circa illud multæ à potentioribus vicinis oriuntur lites. ibid.
Fructuum in naturales & induſtriales diviſio. p.410.n.74
induſtrialium ſubdiviſio. ibid.
Frugalitatis commodum innuitur, remiſſ. p.30 n.124
Veterum in victu & amictu nullum ferè hodie reperitur veſtigium. p.308.n.3.
Fundum aſſignare, den Grund geben Norimb. quid. p.526.n.4
Funerum impenſæ ſuperfluæ Norimb. prudenter inhibentur. p.890.n.5
— --- ſtatuto aut diſpoſitione non definitæ, pro facultate aut dignitate defuncti impendi debent. p.1085.n.1
--- --- non comprehendunt, ut ornamenta cum corporibus condantur. ibid.
--- --- in Rep. Norimb. omnibus aliis debitis & antè hypothecatis, in concurſu creditorum præferuntur. p.520.n.4
Fur capitis periculo abſolvitur & liberatur. p.956 num.8
Furtum diverſarum nationum hominum à Tartaris committitur. p.346.n.27
non in apibus feris, ſed manſuetis fit. p.565.n.6
hujus furti pœna. ibid.
Furum, aratra, aut vomeres, equos, ſimiliaque furantium, de Jure Sax. pœna. p.409.n.67

G.

G*Alea* aperta & clauſa quæ. p.104.n.61
moribus noſtris duplex. ibid.
Galli in Novi Orbis partes colonias eduxêre. p.187.n.89
pecunias mutuas, apud inferos reddendas, dare ſoliti. p.553.n.5
& equitatu & peditatu plurimum valent. pag.200.n.15. exemplo monſtratur. ibid.
eorum laus. p.961.n.6
Galliæ Regum ſtemma, p.13.n.1
--- --- olim inſignia varia varii tradunt. p.197.n.1
inſignia hodie Lilia eſſe, omnibus perſuaſũ eſt. ib.
Pragmaticam Sanctionem inter & Concordata Nationis Germanicæ differentia, remiſſivè. p.66.n.46
Reges in his terris Superiorem recognoſcunt neminem. p.111.n.101
--- --- priſci Gallicano peditatu minùs uſi. p.200.n.15
titulum Abbatis S. Hilarii apud Pictones aſſumunt. p.207.n.40
Regis moderni encomium eminentiſſimum. p.209.n.46
Rex, cùm ſolenniter Lutetiam ingreditur, albo equo inſidere debet. p.207.n.40
nulla ratione Imperii jurisdictionem in ſe agnoſcit, ſed potiùs ſibi in Imperiũ jus planè quæſitum eſſe profitetur. p.112.n.101
--- in Comitiis Ratisbonenſibus, ob ceſſas ſibi in Imperio ditiones, ad votum & ſeſſionem non admiſſus. ibid.
--- Regis Poloniæ titulos ſibi aliquando ſumſit. p.148.n.77.
— com-

—— communis Chriſtianitatis hoſtis declaratur. p.156.n.119
—— auxilium Ottomannorum advocavit. ibid.
Regni, quaſi centri Europæi, commoditas, fortitudo & fortuna. p.197.n.2.3.p.198.n. 4.& 5.p.208,n.44
omnium rerum ubertas, fertilitas, divitiæ, incolarumque multitudo. p.198.n.7.& p. 199.n.8.11.12.13.
—— metropolis ita deſcribitur, ut potiùs Orbis quàm Urbs eſſe videatur. p.199.n.10. p.200.n.18
—— locorum munitiſſimorum numerus, remiſſ. p.200.n.14
—— potentiam nunc, quàm olim, majorem eſſe, multis rationibus oſtenditur. ibid. num.18
—— varia exactionũ genera, rem. p.200.n.19
—— reditus ex venditione officiorũ. ib. n.20
—— reditus & tributa ſummatim enumerantur. p.205.n.36
—— Archi-Epiſcopatus XV. Epiſcopatus CVIII. recenſentur; Abbatiæ verò multo plures ſunt. p.207.n.40
—— duo pagi, quorum unus panem ſapidiſſimum, alter butyrum Lutetiæ ſubminiſtrant. p.208.n.42
Regnum prato comparatur. p.200.n.17
Ganges fluvius toto Orbe maximus creditur. pag. 357. num.4
ejus fœcunditas. p.358.ib.
Gauri, vid. *Chriſtiani*.
Gedanum Urbs, Boruſſiæ & Poloniæ ocellus, granariumque Europæ dicitur. p.250.n.14
ejus nundinæ inter præcipuas Europæ numerantur. ib.
Gemmæ pretioſiſſimæ, Coronæ Imp. Turc. ornandæ causâ, per totum orbem inveſtigantur. p.853 n.21
Regni Perſici inſigniores. p.350.n.11
Eilende Geld-Hülff. p.31.n.133
Generalitates in Gallia quid ſint. p.205.n.36
—— duplices ſunt, & numero viginti tres. ib. ſeq.
Geni-zeri qui. p.153.n.102
Geranii jus, ab inſtrumento illo tractorio (ein Kran) dictum. p.522.n.8
ejus notatio & origo, remiſſ. p.523.n.8
Germani, ſtipendia militaria apud exteros quærentes, num laudandi. p.127.n.202
ad cuſtodias Magnatum expetiti. ib.
Germania ſummâ impotentiâ & egeſtate laborat. p.117.n.138
ſæpè incredibili militum multitudine extra ſolum ſuum militavit. p.127.n.202
ſuperior & inferior. p.289.n.1
inferior ab inſigni præſtantia Ocellus Orbis Borealis dicitur. ib.
Provincias XVII. hodiè habet. ib.
vetus deſcribitur. p.407.n.46
opes vireſque ſuas conſumptas novit. pag.711. num.5.
Germanorum expeditiones duo præcipuè impedimenta remorantur. p.128.n.205
veterum adulteram puniendi mos. pag.1049. num.2
—— victus tenuis & parcus. p.407.n.48
—— venationis reique militaris ſtudium. p. 461.n.28
Gerontocomium quid. p.909.n.9
Gladiferorum, ſeu militum Chriſti Ordinis in Livonia origo & ſignum. p.257.n.44
S. *Gotthard*, vid. Turcæ.
Granadilla, (vulgò Flos Paſſionis) deſcribitur, remiſſ. p.437.n.29
olim hortorum aliquorum Norimb. decus. ib.
à quopiam devotè alloquitur. ib.
de *Grutiæ* jure, (vom Flötz-Recht) remiſſ. pag.519. num.1
Gryphes an, & quid ſint. p.16.n.12
Guardianus, ſive Cuſtos, Anglis triplex dicitur. p.223.n.18
zum Gulden-Schild vocatur Domus Grundherriana Norimbergæ auf dem Ponnerberg. p.120 n.157
Ungerecht Gut faſelt nicht. p.18.n.25

H.

HÆreditas magna ex amico inimicum facit. p.26.n.92.
ut hæredi, ceu indigno, auferatur, tres caſus inſpiciendi. p.1031.n.2
Hæreditate paternâ liberi tribus modis ſe indignos reddunt. ib. n.3
indigno relictâ, an fiſcus ſuccedat, disquiritur, remiſſ. ib.n.6
Hæreditatis viceſimæ inſtitutio, & adminiſtratio. p.49.n.63
—— uſus contra ſubjectorum murmura aſtu retentus, remiſſ. ibid.
—— exactionis adhibitâ moderatio, remiſſ. ib.
Hæreticus quo jure & fructu gladio vel igne coërcendus, remiſſ. p.847.n.5
ultimo ſupplicio afficitur. ib.
ab Eccleſia Rom. dicitur Evangelicæ lucis filius. p.1095.n.5
Haiduci qui ſint? remiſſ. p.254.n.22
Haleces ubi & quando capiantur. p.223.n.27
bis mille hominum ſuſtentant. p.224.n.27
fugerunt, uno per petulantiam virgis cæſo. ib.
tres trecentis emuntur florenis. ib.
Halecum piſcatio ingentem Reip. Hollandicæ utilitatem præſtat. p.297.n.27
plus quàm tria millia onerum ab Hollandis annuè capiuntur. ib. n.30
Haliæeti, vid. *Aquilæ marinæ*.
Handlohn. p.31.n.133
Halæ Suevorum elogium. p.494.n.23
Bojorum, (vulgò Reichenhall.) p.494.n.24
Auſtriorum (vulgò Hallſtadt.) ib.n.25
Tyrolenſes (Hall im Inthal) ingentes ex ſalis copia reditus præſtant. p.494.n.22
—— nupero terræ motu non parùm quaſſatæ. ib.
earum etymon. ib.
Hamburgi Civitatis etymologia. p.493.n.18
Harcabuſſari qui? remiſſ. p.254.n.22
Harpyæ quid ſignificent. p.16.n.11
earum deſcriptio. ib.
Hartſchhörner / vid. *Lucernates*.
Helvetia olim ditio Imperii fuit. p.112.n.109
hodiè per nuperæ pacis Tabulas in plenam libertatem aſſerta. ibid.
quantum per libertatis aſſertionem Imperio & Cam. Imp. ſuſtentationi detraxerit. pag. 113.n.108
optimi ferri chalybisque fodinas continet. pag. 309.n.10

Heluonum idea, v. *Roſomacha.*
Hennebergicæ Familiæ ortus. p.326.n.12
per *Herculem* mulieres Romanæ non jurabant. p. 992.n.8
Herodiadis mors turpis. p.499.n.10
Hiſpani nullis in meretrices ſumptibus parcunt. p.148.n.74
in Indianos nimiùm crudeliter ſæviêre. p. 183 n.59
avarè magis, quàm religiosè Indianos tractarunt. p.184.n.63.& 66
præ cæteris nationibus in aleam proclives. p.185 n.73
quot habeant conſilia, enumeratur. p. 1009 n.4.
Hiſpaniæ Rex olim fiduciario, nunc ſuo jure plurimas terras poſſidet. p.112.n.102
ſeſe ob certa feuda Imperii Vaſallum agnoſcet. ibid.
--- moritur. p.175.n.1
--- quicquid tenet, triplici titulo tenet. p.176 num.8
pi p.eris merc aturam ſibi ſoli reſervavit. p. 180.n.41
Regna Regi quandoque extra ordinem ſervitia præſtare, probatur exemplis. p.185 n.71
--- omnia enumerantur. p.187.n.88
Regni ingens olim magnitudo. ibid.n.4.p.176.n.5.6. hodie non minor defectus. ibid. num. 8
penſiones graviſſimæ enumerantur. p. 178 n.23
clades variæ recenſentur. p.188.n.96
Regii miniſtri ironicè traducuntur. pag.188. num.99
mediterraneorum ingens ſterilitas. pag.208. num.43
fortitudo & potentia. ibid.n.44
gens amicior nulla, quàm Italiâ, putatur. p. 327 n.29
Hollandiam hodie 2400000. homines inhabitare dicuntur. p.300.n.42
Homagii definitio. p.364.n.42
derivatio. ibid.
diverſæ ſpecies. ibid.
Homicidii pœna. p.210.in fin.
--- --- quatenus & quando mitigari queat, remiſſ. p.1059.n.5.
Honores pretio venduntur. p.273.ſeq.n.8
Horti Medici inſigniores. p.434.n.19
Hortorum amantiſſimi Philoſophi. p.435.n.26.
encomion. p.436.n.38
pulchritudo quomodo augeatur vel minuatur. ibid.n.37
in Gallia ſtructura. ibid.
celebriorum in Germania, Hiſpania, Italiaque deſcriptio. ibid.
penſilium conditor & deſcriptio. p.435.n.2.p. 436.n.36
Hoſpitalitas Germanorum laudatur. p.737.n.2
Huſſari qui, remiſſ. p.254.n.22
Joh. *Huſſus*, vid. *Salvus-Conductus.*
Hybridarum vox quid denotet. p.187.n.93
de *Hyperephaniis* exſtinguendis, vel non, remiſſ. p.847.n.7

J.

Jaizæ Urbis deſcriptio. p.147.n.65
--- --- è Turcarum manu ereptio; & tandem turpiſſimâ Chriſtianorum ſocordiâ fœda amiſſio. ibid.
Jani Templum quoties, quando, & à quo clauſum fuerit. p.788.n.1
Janizari, vid. *Geni-zeri.*
Japaniæ ſive *Japoniæ* deſcriptio. p.363.n.1.2.3 ſeqq.
incolis Evangelium Chriſti quis primùm annuntiaverit. p.364.n.10
Idololatria Congenſium. p.379.n.5
Jeſuitæ graves in Regno Sinæ perſecutiones paſſi; ex eo ejecti, ſed tandem recepti. p.338 339.n.14
Illuſionis pœna. p.46.n.49
Immolatio diverſa poſt bellum apud Lacones p. 97.n.21
Imperator Rom. ad recuperationem violenter detentorum & occupatorum in Imperio eſt adſtrictus. p.114.n.118
modernus quando electus. p.119.n.172
--- --- ramus eſt cum Rege Hiſpaniarum p. 125.n.175
Statibus Imperii, & hi ipſi mutuò obligati. p.125 n.190
ad Portam Legatum mittens, munera quoque mittere tenetur. p.145.n.49
eſt Eccleſiæ Advocatus. p.866.n.3
Imperatores ſibi & Imperio Regalia quædam jura, in ditionibus ceſſis, olim reſervarunt. p.125 n.192
Imperatoris omnia eſſe, quomodo verum. p.18 n.27
Imperia magna magnis ſunt mutationibus obnoxia. p.186.n.86
idque ſimili quodam illuſtratur. ibid.
Imperii Romani Caput Imperator. p.15.n.6
membra Principes & Status. ibid.
Civitatibus, merum imperiũ habentibus, competit jus Fiſci. p.34.n.30
Inſigne Aquila. p.95.n.2
olim potentia & amplitudo. p.113.n.113
vectigalia annua. ibid.
dignitas ſummam Imperatori authoritatem quoad cæteros Reges conciliat. p.115. n.124
ſucceſſionem Germaniæ libertas non patitur. p. 119.n.154
Status turbulentus. p.121.n.164
priſtinum ſtatum redintegrare, fruſtra Pacificatores laboravêre. p.131.n.214
debilitati variæ recenſentur cauſæ. pag. 154.n.111
Imperium merum præter Principem & aliis ſublimioribus poteſtatibus competit. p.18. n.28
Romanum dividitur in Orientale & Occidentale. p.95.n.1
Incorporatio unde, & quid ſignificet, remiſſ. p.645. ſeq.n.5
Inceſtûs deſcriptio & diſtinctio. pag.1059. num.1
crimen inter quos jure Gentium, Civili, & Canonico committatur. ibid.
nuptiæ ut decreto juſtæ ſtatuantur, poſtulatur. ibid.n.2
India Occidentalis an veteribus ante Columbum cognita fuerit, declaratur. p.180.n.45
Helvetii, vid. *Cimelium.*

India, Urbs populoſiſſima. p.364.n.15
Indigo vid. *Anil.*
Infelicitatis genus eſt, in pacandis ſeditionibus eſſe felicem. p.14.n.5
Infideles, ſervire denegantes, an poſſint juſtè debellari, quæritur, ſed non deciditur. p.183 n.61
Ingenia ſæpè ſubjectorum nemini minùs quàm ſuperioribus patent. p.740.n.1
Inimicus minùs potens non contemnendus, ſuô enim tẽpore etiam nocere poteſt, remiſſ. p. 708 num.7
Injuriarum remiſſio. p.474.n.11
Inquartandi milites jus, vid. *Milites.*
Inſcriptio ſepulchralis, vid. *Sepulchri* inſcriptio
Inſidiæ domeſticæ plus nocent, quàm hoſtes externi. p.919.n.13
Inſigne Perſarum Sol eſt in dorſo Leonis. p.97.n.14
Galliæ Regum, vid. *Galliæ* Regum inſignia.
Inſignis bicipitis Aquilæ alios præter Impp. uſos, exemplis docetur. p.95.n.6
Inſignium Imp. & Regis Rom. differentia & origo incerta, remiſſivè. p.95.n.6
Inſtituta faciliùs poſſunt laudari, quàm æmulari. p.673.n.8
Inſtitutum turpe Scotorum. p. 222. n. 17. penitus exſtirpatur. ibid.
Inſulæ Fortunatæ, hodiè Canariæ vocantur. p. 179.n.26
earum nomina, diſpoſitio ac ſitus variant. ibid.
Philippinæ ad novam Hiſpaniam pertinent. p. 180.n.44
---- ---- unde dictæ, & ubi ſitæ. ibid.
Interpoſitio fortioris bellum finit. p. 872.n.13
Interregni incommoda. p.118.n.147
Inventor rei amiſſæ dominum inveſtigare debet. p.945.n.2
---- ---- ---- jure Saxon. quid lucretur. ibid.
---- ---- ---- de Reform. Norimb. ad quid teneatur. ibid.
---- ---- ---- honorarium honeſtè accipit, pretium verò turpiter petit, remiſſ. p.946 n.3
Ira Divina ad ſui vindictam lento procedit gradu. p.812.n.21
Iræ immanitas & incommoda. p.1059.n.2
Iſlandia Inſula an Thule vetuſtiſſima ſit, quæritur. p.250.n.12
Ejuſdem Ariſtocratia laudabilis in peſſimam Oligarchiam transmutata, remiſſ. ibid.
Jubilæi Pontificii terminus varius. p. 1095. n.6
---- ---- ritus deſcribitur, remiſſ. ibid.
Judæi ſervi fuerunt Imperialis Cameræ ſpeciales, p.750.n.1
à nullo Imperii membro olim ſunt recepti. ibid.
ipſis tandem conſtitutus fuit judex peculiaris ibid.n.2
an in Republ. recipi & tolerari queant? p. 751 num.4
ipſorum converſio ante diem noviſſ. an ſit expectanda? ibid.n.5
ante Chriſti nativitatem in Germ. circa Rhenum habitarunt. ibid. n. 6. & de paſſione Chriſti per literas certiores facti ſunt. ib.
poſt excidium Hieroſolym. in Germaniam catervatim migrârunt. ibid.
habitârunt Norimbergæ. ibid.
ex eorũ ſynagoga, quam in urbe Norimbergenſi habuerunt, ſacellum ex voto Caroli IV. Imperatoris, in honorem B. Matris Jeſu Mariæ (quod adhuc appellatur bey unſer Frauen) exædificatum. ibid.n.7
mandatô Cæſareô è Norimberga migrare juſſi ſunt. ibid.n.6
nulli eorum ſoli ſine Comite, (quem vocant den Auſbieter) ejus urbis plateas pertranſire hodienum permiſſum eſt. ibid.
Machinas ad nocendum Chriſtianis excogitare cœperunt. ibid.n.8
nocturnam contra Chriſtianos pugnam inſtituerunt. ibid.
quorum teſſera fuit annulus ex cortice palmæ confectus. ibid.
cogendi ad Verbi Divini auditum, rem. ibid.n.10
diebus Sabbati Romę conciones Chriſtianorum ſub certa pœna viſitare coguntur. ibid.
eorum liberi an ſint baptizandi? ibid. n. 11
duas drachmas Jovi Capitolino Romæ pro tributo ſolvunt. p.789.n.3
eorum aſylum Polonia, remiſſ. p. 253. n.30
ingens exſolvunt tributum, remiſſ. p.258. n.30
Judex litigantium partem juſtitiam foventem ad tranſigendũ nõ poteſt compellere. p.979 n.4. quod tamen limitatur; &, quando limitatio illa admittenda, docetur. ibid.
de *Judicio* Camerali, remiſſ. p.119.n.155
Judiciorum vigor in Germania penè emarcuit. p. 124.n.187
Imperii irreverentiæ cauſa. p.979.n.2
Judicis æqui juſtique officium p.970. n. 5.6.7.& 8
quid de eo Curiæ Norimbergenſi inſcriptum. p.919.n.6
corrupti pœna. p.971.n.11.12.13.14
apud domeſticos lares officium exercentis, cum Proconſulibus & Præſidibus Romanis extra patriam judicantibus nulla comparatio. ibid. n.15
piiſſimi officium. p.979.n.3
Juditha, ſive *Jutha* ex cœnobio abductæ, pater quis. p.106.n.68
Juliano vulnus quis inflixerit? p.812.n.15
Jumenta dividuntur in domita & indomita. p. 442.n.4
Jupiter Prædator unde dictus. p.853.n.10
Jura habere venalia, iniquum eſt. p.233.n.28
Majeſtatis quænam? p.259.n.57.
à *Juramento* de non vindicando carcere (vulgò geſchworne Urphede) à Camera Imperiali relaxati poteſt gravatus. p.109.n.89.
Juramentum Henrici Andegavenſ. Reg. Pol. p.259.n.58
fidelitatis, quod Regi Galliæ Epiſcopi præſtant, recitatur. p.207.n.38
de Ref. Nor. priùs præſtandum, antequam per ſententiam definitivam gravata pars ad appellandum admittatur. p. 980. n.9
calumniæ in Camera hodie qui præſtare cogantur. ibid.
Advocati, antequam ad Advocationem in Rep. Norimb. admittantur, præſtare debent. p.984.n.7. quod ipſum ſingulis annis coram Senatu conſedente repetere debent. ibid.
Juriſdictio Regalibus non annumeratur, remiſſ. p.109.n.92
Jusjurandum Macarenſium Regis. p.28. n.102

K.

Kaſten-Vögte qui dicantur, remiſſ. p. 866. n. 4
Conradus à *Kauffingen* Albertum Marchionem cepit, ſed datâ fide ſe, quocunque velit ſiſtendi, inſciis Norimbergenſibus, dimiſit. p. 102. n. 45
— — — notiſſimus plagiarius, capite plectitur. ibid.
Kindtauff-Ordnung Norimbergæ promulgata. p. 890. n. 1
Kreisſteuer. p. 31. n. 133.
Kuchen-Schatz. ibid.

L.

Lampetra antiquitus muſtela dicta. p. 463. n. 44 ejus magnitudo, ſapor & valor. ibid.
Lancaſtriæ Regionis ſitus; ſterilitas; itemque fertilitas; incolæ; magiſtratus; diſſidium nobile, ejusque compoſitio. p. 217. n. 7
Landſteuer. p. 31. n. 133
Laniones in Urbe Norimb. circa rivum Fiſchbach/ olim habitabant. p. 503. n. 4
Lapones tributum pendent pellium ferarum pretioſiſſimarum. p. 234. n. 20
Præſidem ſive Regem eligunt propriis arbitriis. ibid.
à Rege Sueciæ jure adminiſtrationis donati. ibid.
Laſer, ſive *Laſerpitium* quid remiſſivè. p. 49. n. 61
num in ærario ſanctiori aſſervatus ſit, dubitari poteſt. ibid.
in penu eſt, & inter res vectigales recenſetur. ibid.
Latro idem in terra, qui pirata in mari. p. 943. n. 9
Lavacra apud Roman. inſtar Regionum exſtructa. p. 511. n. 1. vid. *Thermæ*.
Laudemium vel *Laudimium* unde, & quid ſignificet? p. 666. n. 1
ejusdem definitio. ibid. n. 47
quando exigendum vel retinendum, vid. à n. 14. usque ad fin. ibid.
Laverna Dea furum. p. 16. n. 10
Laverniones dicuntur fures. ib.
S. *Laurentii* Inſula unde dicta. p. 129. n. 31
Lecha, ſive Poloni unde, remiſſ. p. 248. n. 1
Legati exterorum Principum fictitii in Sina regio ſumptu aluntur, & liberaliter tractantur. p. 338. n. 12
Legationis Pontificis ad Chanum fructus. p. 346. n. 22
de *Legibus* ſumptuariis, remiſſ. p. 895. n. 10
Legis Civilis vis & poteſtas. p. 459. n. 6
Legitimandi jus eſt de reſervatis Principi. p. 109. n. 97
— expeditur vel ab ipſo Principe, vel à Comitibus Palatinis, hoc ſpecialiter conceſſis ibid.
Legum XII. Tabb. in æs inciſarum laus & præſtantia p. 41. n. 11. interitus. ibid.
Leibſteuer. p. 31. n. 133
Leich-Ordnung Norimb. promulgata. pag. 890. num. 5
Leonum variorum occiſorum exempla. pag. 925. num. 5
Leuca, milliare Gallicum, deſcribitur. pag. 148. num. 69
Lex Hieronica, à quo lata p. 60. n. 24. ejus tenor. ibid.
Cornelia, à quo lata; ejus varia appellatio. p. 62 n. 31
Cives 7. C. de incolis quid declaret. p. 934. n. 9
Licinia multiplex. p. 409. n. 70
Voconia à quo lata & quando, remiſſ. p. 673. n. 4 modum impoſuit dotibus. ibid.
Libellæ Turonenſes quid. p. 16. n. 15. earum valor. ibid.
Liberalitatem nepotari non decet. p. 26. n. 93
Liberalitatis munificentiſſimæ exemplum. p. 213 num. 7
exercitium rationi modoq; ſit conveniens. ib.
Liberi à cunabulis ſunt edocendi, ut Deum & Magiſtratum venerentur, remiſſ. p. 265. n. 6
Libertini, vid. *Beguardi*.
Libra Norimbergæ ad librandum fœnum publica die Heuwag vocatur. p. 523. n. 1. ejus deſcriptio. ibid.
Libræ Norimbergenſes publicæ, ubi majoris ponderis merces appenduntur duæ ſunt, die obere und untere Wag. p. 523. n. 1
Libri tres cum Sacra Scriptura Deo tribuuntur. p. 995. n. 13
de *Licentiatis*, remiſſ. p. 109. n. 84.
Lilia Galliæ Regnum hodie inſignia. p. 197. n. 1. iis & eorum Liberi, & Principes ſanguinis, modo tamen diverſo utuntur. ibid.
Lipſiana vitæ deſcriptio; & in compendium redactio. p. 299. n. 38
Literæ, vid. *Epiſtola*.
Naturalitatis in Gallia quæ dicantur. p. 202. n. 24.
Litigantes, vid. *Partes* litigantes.
Litium abbreviatarum commodum. pag. 979. n. 2
temerè retardatarum pœna quando locum habeat. p. 980. n. 6
multitudinis ac diuturnitatis cauſa appellationes. ibid. n. 7
Livonia à Bremenſibus ad fidem Chriſtianam deducta. p. 257. n. 44
Longævorum exempla. p. 693. n. 4. 5
Loquendi artem nutu in aula Ottomannica quosdam naturâ mutos ſordósve perfectè callent p. 1062. n. 3
Loſung. p. 31. n. 133
Die Herren Loſunger Norimbergæ qui? p. 50. n. 78
Loteriæ & *Riffæ*, vid. *Olla* Fortunæ.
Lotharingus loca quædam, durante bello Germanico in Imperio occupata, retinuit. pag. 112. n. 107
Lotiones virorum cum fœminis indecoræ. p. 506 n. 4. vid. *Luſtrationes*.
Lubeca quando primùm Imperio acceſſerit. p. 104 n. 63
qualia habeat inſignia. p. 105. n. 64
Lucernates æneis cornibus incurvis (Harſchhörnern) à Carolo M. donati. p. 42. n. 20
Lucii ingentis torquati in ſtagno Lutræ Cæſareæ (Kaiſers-Lautern) per ducentos ſexaginta ſex annos memorabilis ſervatio. p. 463. n. 45
torquis inſculptio. ibid.
Lucri ſpes, omnium rerum eſca. p. 28. n. 112
contemptus regnandi modus optimus. p. 971 num. 10
ingentis exemplum. p. 302. n. 58
Ludovicus S. vid. *Admonitio teſtamentaria*.
Ludus latrunculorum cum Schachio num idem. p. 902. n. 8

Luneburga Urbis etymologia & deſcriptio. p.493 num.18
— — præcipui reditus ex calce conſtant. ib.
— — fontium ſalinarum detectio. ib.
Lupa vera an Romuli nutrix fuerit, disquiritur, remiſſ. p.1078.n.4
Lupi ex Anglia quomodo exſtirpati. pag. 225. num.39
Luſatia utraque Regno Bohemiæ incorporatur. p.118.n.145
quàm variis olim dominiis ſubjecta fuerit. ib.
Luſitania unde dicta. p.175.n.2
Luſtralis aqua Mercurii apud Romanos quæ. p. 512.n.10
Luſtrationes veterum variæ, earumque nomina. ib. n.11
externæ inquinamenta animæ non tollunt. ib. num.7
Lutetia Pariſiorum, vid. *Galliæ* metropolis.
Lutherus oppugnatur. p.219.n.11
malè hæreſeos Neſtorianæ reus inſimulatur. p 144.n.38
Luxuria parit damnum & contemtum. pag.825. num.15
veſtium hodiè nimis frequens, malitioſa & impia. p.878.n.1
— — multos excœcat, decipit, fallit. ibid. p.879.n.11
— — non caret peccato. ib. n.2
— — in Belgio ad ſummum acceſſit. p.878. n.7. p.879.n.12
— — etiam ancillarum & infimæ plebis Reip. gravis eſt. p.878.n.7
— — multa parit damna. ib. p.879.n.12
— — etiam Romanis cognita fuit. ib.n.13
— — muliebrium Lege Oppiâ prohibita. ib. num.17
Luxurioſi mors. p.878.n.5
Luxus Romam invectus. p.499.n.6
circa ædificia vitandus. p.404.n.13
— flores inſanus. p.435.n.25
nimius parit ſummam paupertatem. p.250. num.15
ei à Magiſtratu reſiſtendum, quare & quomodo? remiſſ. p.251.n.16. hujus utriusque exempla, remiſſ. p.66.n.18

M.

MAcellum Norimbergenſe proximè Pegneſum ſitum. p.503.n.4
— ſupra Portam bovem lapideum cum Inſcriptione exhibet. ibid.
Machinarum bellicarum inventio Germanis adſcribitur. p.339.n.16
Madera, Inſula, detecta & inhabitata. pag.179. num.29
Magiſtratui incumbit, ſingulas territorii ſui partes diligentiſſimè explorare. p.406.n.42
Magiſtratus ſubditorum ſalutem procuret, remiſſ. p.266.n.18. & p.267.n.22. & p.729. num.4
provideat, ne quid in moneta, ponderibus, menſuris &c. fraudis committatur. pag. 604.ſeq.n.1
crudelis & injuſtus comparatur aquilæ. p.721. num.4
pauperiorum fortunæ ſubveniat, remiſſ. p.787. num.1
provideat, ut bona Eccleſiaſtica ad quatuor potiſſimùm uſus convertantur, remiſſ. p.810.n.2
interdum latè pro quavis poteſtate politica accipitur. p.19.n.29
interdum ſtrictè loquendo non ſummam, ſed ſummæ ſubjectam poteſtatem denotat. ibid.
bonus & æquus & malis erit formidini, & à bonis amabitur. p.21.n.43
multa multis concedendo, & inſatiabili poſtulantium cupiditati indulgendo, ærarium exhaurit. p.217.n.5
ad ſcelera ſeveriſſimè punienda adhortantur. p.124.n.187
quando perpetuos, quando ambulatorios eſſe conveniat, disquiritur remiſſ. pag.1005. num.4
de *Magiſtris*, remiſſ. p.109.n.84
Magnificare hominem duas res, dicitur remiſſivè p.27.n.94
Magogi familia & propagatio. p.232.n.1
Majeſtatis deſcriptio. p.1027.n.1
diviſio. p.698.n.1
crimen, pro formis Rerumpubl. nunc in unum, nunc plures, nunc omnes committitur. ib.
— — etiam in Electores, aliosque Imperii Principes, item Conſiliarios Imperatoris & Imperii, die Reichs-Hofräthe/ committitur, remiſſ. ib. n.3
criminis puniti exemplum. ib. n.2.4.8
Mala Regno Judæ expectanda eſſe, prædicitur, p.233.n.9
Malabarum, gentis miſerrimè ſuperſtitioſæ, deſcriptio. p.367.n.45
Maleficium ulciſci, vid. *Acerbitas*.
Malta, Inſula, S. Apoſtoli Pauli naufragio nobilis. p.176.n.11
Malum publicum, ad res privatas deſcendens, acriter ſtimulat. p.29.n.116
Mannæ deſcriptio. p.464.n.60
Manubiæ captarum Urbium templi Jovi erecti cauſa. p.553.n.8
Pometinæ vix in fundamenta ſuppeditarunt, remiſſ. ib.
Manus mortua, vid. *Amortiſatio*.
duplex. p.202.n.24
à jure manûs mortuæ diſtinguitur. ib.
Maravediſius, quid. p.185.n.72
de *Marchionibus*, remiſſ. p.108.n.81
Mare Clauſum Seldeni, verſibus inſignitur elegantiſſimis. p.295.n.14
mortuum ab immobilitate ſic dictum. pag. 495.n.45
Margaritarum copia in Provincia Cainclu. pag. 345.n.16
Maritagium. p.222.n.12. ejus valor quando ſolvendus. ib. n.17
Martyrii locus S. Thomæ. p.357.n.2
Mathematici prædictio numo argenteo honoratur. p.1079. n.10. morte mulctatur. ib. n.14
infenſiſſimo immaniqúe odio proſequuntur. ib. num.13
Matricula Imperii deſcribitur. p.128.n.207
non omnia Statuum nomina continet. ibid.
in ea non modò deſcripti, ſed & alii ad Comitia vocantur. ibid.
Mauri è Granatæ Regno ejecti. p.186.n.80

Mauri-

Mauritania à Græca voce μαῦρον derivatur. p.384. num.2
ejus diviſio. p.385.ib.
Julii *Mazarini* Cardinalis encomia. p.208.n.46
Mediatio Belgarum circa pacis negotia ſæpiùs expetitur, rarò reprobatur. p.300.n.39
de *Mediolanenſi* Ducatu. p.177.n.18
Mediolanum, Urbs, celebratur. ibid.
Megara quæ. p.100.n.41
Melita, vid. *Malta*.
Mendicantes validi Norimb. quomodo coërceantur. p.908.n.2
— — ſæpe infirmitatem fingunt. p.909.n.10
— — & robuſti in Belgio non tolerantur. ibid. n.11. eorum pœna. ibid.
Menſæ Trapeziticæ ſeu fœnebres in Fœderato Belgio publicâ authoritate conſtitutæ. p.550 num.7
à vulgo Lombarden vocari ſolitæ. ibid.
ejus appellationis ratio. ib.
earum exercitores Theologis inviſi. ibid.
Menſuras conſtituendi jus ad quem ſpectet? pag. 605.n.1
Mercator inter æquitatis terminos ſe contineat. p.243.n.15
Mercatores pecuniâ inſtructiſſimi, remiſſ. p.563. num.23
eorum ingens confluxus. p.250.n.14.& 563.n.23
Mercatoris callidi exemplum. p.268.n.30
Mercatura unde nomen habeat? remiſſ. p.562.n.3
quibus interdicta? remiſſ. ibid.n.8.
ejus præſtantia. ibid. n.1
— ſedes optima in Belgio, remiſſ. p.562.n.16
— rerum variarum viciſſitudo per remotiſſimas regiones. ibid.n.17.18
de *Mercatura* Principum, remiſſ. p.563.n.30,31. & p.569.n.9
Nobilium, remiſſ. p.205.n.34
Merces Moſcoviam allatæ, Principi indicandæ, remiſſ. p.267.n.30
Belgio quales det Norwegia. p.562.n.17
Gallia. ibid.n.18
Anglia. ibid. n.19
Italia. ibid. n.20
Hiſpania. ibid.n.21
Mercium pretioſa varietas. p.250.n.14
Meretrices è caſtris exturbandæ. p.128.n.204
in Hiſpania nimiùm pretioſæ. p.148.n.74
Meſſis Alexandri in Aſia. p.31.n.131
Metalli-fodinæ conceſſæ ſunt Reipubl. Norimb. p.573.n.2
Metallum quid & quotuplex? remiſſ. p.576.n.3
refertur ad 7. Planetarum vires, remiſſ. ibid.
Milites ad injuſtum bellum, ob largam numorum largitionem, parati mortaliter peccant. p.28.n.111. ejus rei ratio. ibid.
nonnulli horrendùm temerarii. ibid.
veterani laudantur. p.29.n.113
in terris Papæ ſemper parati. p.75.n.70. nullo fruuntur ſtipendio, ſed magnis gaudent privilegiis. ib.
inquartandi jus plerumque imperii eſt. p.862. num.3
Congenſes gregarii levis armaturæ. p.381.n.22
Militia Gothorum glorioſa. p.233.n.7
Suecorum optimè commendatur, remiſſ. p. 237.n.43
Militis fortiſſimi exemplum. p.405.n.26
Militum quorundam fervor in bellando ſtupendus. p.405.n.26
Miniſtri Eccleſiaſtici authoritate polleant, remiſſ. p.237.n.43
Principum quales eligendi. p.912.n.4
ſolis rumoribus & delationibus non removendi. p.1002.n.1
ex cauſa infamante remoti, reluctari poſſunt. p.1003. n.2. ratio. ibid. n.3
vectigalibus & tributis in Gallia colligendis præpoſiti hodiè perquàm multi p.1007.n.1
Minor maſculus apud Anglos quis? p.222.n.13.
fœmina quæ. ibid.n.15
Miſſa pro demortuorum reſiduis peccatis inſtitutio. p.46.n.53
Modus colligendi in Imperio. p.721.n.1.ſeqq. & p. 789.n.9
Mogor regnum, eò quòd ejus incolæ literam R. exprimere nequeunt, ab iisdem Mogol nominatur. p.353.n.1
climate adeò calido eſt, ut per ſeptem menſes ne nubecula quidem cœlum obtegat. ibid.
continet regna quinque. p.354.n.9
dividitur in ſeptem & triginta provincias, ordine deſcriptas. p.355.ibid.
Molæ etymon. p.482.n.1
olim præſepia dictæ. ibid.n.3
ſertis & floribus olim ornatæ quieverunt. ib. num.4.
aquariæ Veteribus non incognitæ. ib.n.8
Molarum portatilium ſubtilitas & parvitas. ibid. num.7
Gandavenſium numerus. ib. n.10
majorum in Belgio inventio. p.468.n.8
— — commoditas. ib.
Pneumaticarum uſus potiſſimus in Belgio. p.483.n.15
Moldavia in duos dominatus diſtincta. pag.149. num.81
inter ſe bella geſſit. ib.
ejus Palatinus Leopoli in verba Regis Poloniæ juravit. ib.
ejus Provinciæ vel maximè hodiè Imperio Turcico obnoxiæ. ib.
& Walachia quod olim tributum ſolverint. p. 149.n.82. quid hodiè tributi nomine Sultano pendeant. p.150.n.82
Molendina ſumptibus indigent quotidianis. pag. 484.n.31
navalia certô reſpectu pro immobilibus rebus habenda. p.483.n.11
Molendini aquatici artificioſè exſtructi deſcriptio ibid. n.13.
Monarchia tyrannidis definitio. p.707.n.1
Moneta è corio & papyro cuſa. p.1072.n.3
formæ quadratæ. p.344.n.11
ſtannea. p.586.n.2. & p.824. n.12
plumbea. ib. n.6
ſignatur & ſtatuis ſanctorum. p.811.n.7
ejusdem pretium auctum. p.824.n.1
ob ejus depravationem bellum excitatur. ib.n.5
itemque tumultus Pariſiis. ib. n.6
Indorum varia. p.355.n.12
de *Monetam* cudendi jure, remiſſ. p.111.n.97
Monachi ſive Fratres mendicantes unde dicantur. p.66.n.45
ab initio pauci, progreſſu temporis creverunt. ibid.
viginti tribus Ordinibus damnatis ac abolitis, in quatuor tantùm redacti. ibid.

de *Monopoliis* Principum & Rerumpubl. quid ſentiendum? remiſſ. p.569.n.9
Monopolium unde dictum, & quid ſit? ibid. num. 2.3.
Mons pietatis Norimbergæ vulgò das Leichhaus appellatur. p.541.n.1
ejus appellationis ratio. ibid.n.2
Morbonia quid; quàm variè accipiatur; ejusque ſignificatio. p.15.n.9
de *Morionibus*, remiſſ. p.619.n.14
Mors turpis Herodiadis. p.499.n.10
Morticinii jus, vid. *Amortiſatio.*
Mortis infelicis exemplum. p.387.n.21
Mortis prænuntiatio. p.146.n.55
violentæ exemplum. 856.n.9
præſumptio diu abſentis quantum requirat temporis? p.692.n.1. interdum non minimis controverſiis de adeunda hæreditate judicia fatigat. ibid.
Moſcovia habet campos fertiliſſimos. p.266.n.9
— mellis abundantiam. ibid.
— ſalis copiam. p.267.n.24.
Moſcoviæ Magni Ducis Inſignia duplici aquilâ fulgent p.95.n.6
Motuum Belgicorum cauſæ. p.291.n.3
Motus civilis exemplum. p.225.n.40
Muhammedis Nativitas; educatio; venditio; conjugium; epilepſia, & exinde commentum cœleſtium revelationum; è morte uxoris locupletatio; matrimonium ſecundum; nova religio; vitæ periculum; fuga; fruſtraneè iterata invaſio Meccanorum; tandem tamen occupatio; totius Arabiæ ſubjugatio; religionis propagatio; tyrannis; denique mors & ſepulchrum. p.139.140.& 141
Muli deſcriptio. p.443.n.18
Mulierum bellicoſarum deſcriptio. p.375.n.8
Multa unde dicta. p.1011.n.1
olim quid fuerit; & quomodo mutata. ibid.
Mundi miracula VII. deſcripta. p.435.n.35
Mundus quâ anni tempeſtate conditus? p.266.n. 16
novus plus damni quàm commodi veteri mundo intulit. p.43.n.25.p.184.n.65
variorum vitiorum fons. p.379.n.2
de *Munerum* acceptione & corruptela, remiſſ.p. 970.n.8.p.971.n.16.17
Munimenta in Polonia non multa exiſtunt. p. 255.n.29
facilè autem exſtrui potuiſſent. ibid.
optima Virorum fortium virtutes. pag.256 n.39
Muphtius apud Turcas quis. p.146.n.54.
nullum dominium temporale habet. ibid.
Murænas mortuas deflevêre Craſſus & Hortenſius. p.462.n.43
Muri Sinarum inclyti deſcriptio. p.337.n.11
de *Muribus* ærariis, remiſſ. p.911.n.2
Murrhinum qualis materia? p.592.n.10
Muſchi deſcriptio. p.336.n.8
colligendi ratio. ibid.
Mutationibus perpetuis Regnum Feſſo-Maroccanum præ reliquis obnoxium. p.384.n.1

N.

Nachſtewer. p.31.n.133.
Nagelii ſepultura infamis. p.233.n.12
Natales hodiernæ Familiæ Imperatoriæ qui. p. 122.n.174.
obſcuri dignitatibus non obſtant. p.404.n.17 & p.919.n.15.
Natura amanuenſis Dei. p.15.n.6
corporis humani à Magiſtratibus imitanda. ib. paucis contenta. p.895.n.11
Naufragorum bona, in Anglia ad terram appellentia, fiſco cedunt. p.943.n.1. quod tamen limitatur. ibid.
——— etiam alibi fiſco vindicari, exemplo docetur. ibid. n.4. an rectè, remiſſ. ibid.
——— collecta quando tanquam adeſpota in Belgio fiſco cedunt. ibid.n.7
Navigatio Salomonis cum Hiram. p.23.n.69
Navigationis commoda. p.301.n.52
Nautæ primi audacia. p.42.n.16
Neceſſitas duplex eſt. p.24 n.80
cauſativa privilegiatos & cauſas pias non tenet. p.25.n.80
præciſa nec privilegiatos nec Eccleſiaſticos eximit. ibid. nec Principes ab ea ſe immunes cenſuerunt. ibid. & p. 30. n.125
Neceſſitatis publicæ enixi ſublevaminis exemplum. p.24.n.80
Neophotiniani, vid. *Catabaptiſtarum* doctrina.
Nepos an Patruo in ſucceſſione ſit præferendus, remiſſ.p.618.n.6
Nepotes appellantur Pontificum Rom. Cognati. p. 74. n.66. hujus appellationis origo & ratio. ibid.
Neuheuſelium, vid. *Turcæ.*
Neutralitatis periculum. p.871.n.1.2.3.& 4.
malè finitæ, ignominioſeque punitæ exemplum. p.872.n.5
Nigritæ quales populi. p.187.n.94
Nive caret regnum Congo. p.379.n.4
Nobiles ad conferendum æs in ærarium plebem ſophiſmate induxerunt. p.41.n.8
duplicis ſunt generis. p.205.n.33
non ſunt Principum domeſtici, & officia vilia gerentes. ibid.
de *Nobilitandi* jure, remiſſ. p.108.n.82
Nobilitas Germana omnium hodie antiquiſſima. p.326.n.12
Polona quomodo ad bellum evocetur, remiſſ.p. 253.n.32
— propriis ſumtibus militare tenetur, remiſſivè. p.254.n.33.
— ejusdem vitæ ratio. ibid.n.35
— extra fines regni non militat, niſi accepto à Rege ſtipendio, remiſſ. ibid.
— ejusdem opes ſive divitiæ, rem. p.256.n.40
Nobilitatis generalis definitio. p.205.n.33
Nomades qui. p.152.n.90
Norimberga tibicines (vulgò die Stadt-Pfeiffer) in nundinis autumnalibus Francof. præſtat. p.42.n.20
duobus Inſigniis condecorata. p.105.n.66
cur, in altero inſigni, aquilâ facie virgineâ decorâ utatur. ibid.
ad quam ſummam exſolvendam olim Impp. obligata fuerit. p.116 n.127
Norimbergenſes, poſtulatis iniquiſſimis aſſentiri nolentes, multis cum Principibus pugnarunt p.101.n.44
à Marchione ad piſcandum invitantur. p.102 n.45
hoſtibus fugatis, vexillis occupatis, & multis Nobilibus captis, victores evaſerunt. ibid.
Norimbergenſium Privilegii Datia & Acciſa concedentis antiquitas. p.737.n.4
granariorum publicorum deſcriptio p.788 n. 5

Noſce te ipſum; divinum præceptum. p.97. n.26
ejus origo. ibid.
Noſocomium quid. p.909. n.9
Notarii unde dicti. p.109. n.85
Novale agrum denotat nunc primùm præciſum. p.406. n.43
Novalium decimæ regulariter ad Parochos pertinent. p.422. n.35
publicorum decimas Status Imperii ſeculares ſibi non injuriâ vendicare videntur. ibid. n.33
Nugarum vituperium. p.97. n.24
Numariæ rei ordo. p.40. n.2
Numus unde dictus? p.39. n.2
de *Numis* confeſſionariis, Beichtpfenningen/ remiſſ. p.971. n.20
Numos cudendi jus, emptionis vel locationis titulo ad privatos transferre, turpe & iniquum eſt, remiſſ. p.825. n.13
Nuptiæ inter collaterales in infinitum non prohibentur. p.64. n.41
— — de Jure Can. novo ad 4. conſanguinitatis & affinitatis gradum incluſivè prohibentur. ibid. ejus ratio. ibid. quæ tamen impugnatur. p.65. n.41
Nuptiarum feſtivitati leges Norimbergæ præſcriptæ quomodo ſartæ tectæ habentur. p. 889. n.1
Nuptias celebrantes Magiſtratui aliquid expediant. ibid. n.2
Nux Ovidiana, vide *Princeps* egenus.
Nymphæa olim dicta ſunt palatia publica, in quibus nuptiæ celebrabantur. p.499. n.8

O.

Obedientia inferiorum facilis in contribuendo à Principe incipit. p.59. n.11
Obligatio jurata de non vindicando carcere quid. p.109. n.89
Obſidio Magdeburgica, ejusque cauſa, recenſetur remiſſ. p.1098. n.1. & 2
— — à quodam quondam prædicta videtur. ibid.
Oculi Clericorum ſolent abcœcari, remiſſ. p.687 n.3
Odia, vide *India*.
de *Oenopolii* (vom Weinſchenck-Recht) remiſſivè. p.519. n.1
Officiales, vid. *Miniſtri*.
Oleris etymologia. p.434. n.15
Olla Fortunæ an licita? p.957. n.1
— — in caſu neceſſitatis, publica poteſt proponi, remiſſ. ibid.
publicam ſæpiùs ad commodum publicum inſtitutam, exemplis probatur. ibid. n.2
Omnipotentia Dei oſtenditur. p.843. n.10
Onus halecum (ein Laſt Hering) quantum contineat. p.297. n.30
Opes vita Reipublicæ. p.14. n.2
Ærarii certis fundamentis nitantur. ibid.
— — cum moderamine ſunt multiplicandæ. p.19. n.30
— — non colligendæ, ut relinquantur privatæ, ſed expendantur pro neceſſitate. ibid.
publicas à privatis haberi, quàm à Principe ſervari, interdum ſecurius eſt. p.20 n.41
avidè magis, quàm juſtè nonnunquam invaduntur. p.20. n.42
univerſa continent Civitatis commoda. p.21 n.50
omnium optimè Principum cuſtodia, aut Ordinum provida cura cuſtodit. p.25. n. 81, 82
honorem conciliant. p.26. n.90
amicos comparant. p.27. n.95
ſingulorum divitiæ ſunt civitatis. p.27. n.99
contrarium adſtruitur, remiſſivè. ibid.
ex Triumphis Romanis. p.59. n.15. 16. p.60 n.19. & 21
Civium Romanorum in cenſum referendæ. p. 61. n.25
ingentes olim ex Anglia Pontifici Romano accrevêre p.66. n.46. quæ tamen iterum decrevêre. ibid.
Imperii non diſtrahendæ. p.698. n.3
Ophir quis. p.23. n.70
qualis Regio. ibid.
ſitus. p.24. n.76
vox Ægyptiaca. ibid.
Opificia non confundantur; remiſſivè. p.602 n.21
Opum recondendarum modus. p.25. n.81
Oſmanidarum Imperium, vide *Turcicum* Imperium.
Oraculi Delphici circa Nativitatem Chriſti reſponſio. p.101. n.43
Oratio perſuadendi populum ad contribuendum. p.58. n.11
Oratione contra Turcas militandum. p.63. n. 36
Orbis novus, vide *Mundus* novus.
Ordinis hominum, in Japonia degentium, ſecundùm dignitatem deſcriptio. p.364. n.8
S. Stephani inſtitutio. p.320. n.17
Ordo in quavis re meritò laudandus eſt. p.602 n.21
Oris encomia. p.1028. n.7
Orphanotrophium quid. p.909. n.9
Norimbergæ vocatur die Findel. ibid.
Ortus humilis Primislai & Diocletiani. p.404. n.19. 20.
Otia non diteſcunt. p.787. n.2
Otii malum. p.404. n.13
Otioſæ vitæ incommoda. ibid.
Ova ſubventanea quæ dicantur. p.18. n.24

P.

Pacis amantiſſimi Chinenſes. p.335. n.3
Pacta Gallorum varia cum Belgis, tempore Cardinalium Richelii & Mazarini inita. p.296. n.23
Pactorum, à belli ſocils initorum, exempla. p.856. n.2
Pactum Salis Lutherus vertit einen unverweſentlichen Bund. p.311. n.40
Pædobaptiſmus, vid. *Anabaptiſtarum* oppugnatio.
Palæologorum familiæ interitum nimis fidenter Klockius aſſerit. p.22. n.58
Palatii Farneſiani fundator. p.65. n.44
— — viſu digna. ibid.
magnificè exſtructi deſcriptio. p.911. n.1
Pallium Archiepiſcopale deſcribitur. p.72. n.57
— — cui competit. ibid.
quando petendum. ibid.
ſub quâ formâ tradatur. ibid.
perſonam non tranſit, ſed cum ea ſepelitur. ibid.
quomodo conficiatur. ibid.

olim gratis datum, hodie inter compendia Curiæ Rom. numeratur. ibid.
Palma amoris coniugalis ſymbolum. p.433. n.1
Panis in convivio Principe digno non apponitur. p.102. n.48
Panni goſſypini ex planta quadam, Chay vocata, præparatio. p.367. n.48
Pannorum ex foliis palmarum conficiendorum modus. p.381. n.20
ſericorum abundantia in Regno Perſico. p.349 n.2
Paracharacta qui? p.62. n.31
Parlamenti vox apud diverſos in uſu, diverſimodeque uſurpatur. p.124. n.29
Parmæ & *Placentiæ* dominium ſæpe ſæpiuſve mutatum. p. 69. n. 50. tandem Eccleſiæ Rom. ceſſum. ibid.
— — Ducibus nullum cudendæ monetæ jus eſſe, vix credibile. ibid.
Parſimonia Veterum circa victum & veſtitum hodie exulat. p.308. n.3
Partes litigantes ante omnia concordandas eſſe, & Imp. Receſſu, & laudabili Reip. Norimb. exemplo docetur. p.979. n.3
— — temerè, vel frivolè appellantes, quâ teneantur pœnâ. p.980. n.10. & 11
Partum malè, malè diſperit. p.18. n.25. ejus rei exemplum. p.221. n.11
Paſtoritiæ vitæ antiquitas. p.442. n.1
Patriæ ſuccurrendum eſt. p.274. n.8. & 730. n.1
Patriarcharum apud Turcas conſtitutio, dignitas & authoritas. p.148. n.70
Græcorum IV. recenſentur. p.148. n.79
Pauperes militare coguntur. p.710. n.3
ipſis à ditioribus arma & tributa ſubminiſtrantur. ibid.
non opprimantur. p.727. n.3
Paupertatem ſæpè comitatur ſuperbia. p. 674 n.15
Pectora nuda, ſi moris alicubi ſit, fœminas geſtare poſſe, probatur remiſſ. p.879. n.14
Peculii appellatio Ruſticorum Senum. p.14. n.2
ſine *Peculio* pecunia fragilis. p.14. n.2
Peculatûs pœna antiqua & hodierna quæ. p.929 n.2
crimen, vide *Repetundarum* crimen. p.1060 n.2
Pecunia Anchoraria pro tuta navium ſtatione præſtari ſolita. p.499. n.5
belli nervus. p.28. n.103. 105. & 113. ſimili illuſtratur. ibid. n. 110. ſi tamen cæteræ circumſtantiæ non deſint. ibid.
Vide *Moneta*, *Opes*.
Pecuniæ, Deæ, appellationis ratio. p.21. n.52
periculum ex accidenti contingit. p. 26. n.85 & 87
illegitimus uſus. p.26. n.97
ærosæ ſignificatio. p.42. n.17
colligendæ dolus. p.225. n.35
haut exiguæ in Reip. uſum corradendæ ratio recens. p.301. n.49
Pecunias publicas adminiſtrans interdum ſuſpectus habetur, remiſſ. p.740. n.2
Pedites equiteſque Poloniæ differunt. p.254. n.36
Peditum an Equitum in militia terreſtri major ſit uſus, diſquiritur, remiſſ. p.255. n.38
Penſio Cardinalium ordinaria. p.70. n.53
ſex Cardinalibus ab Alexandro VII. creatis aſſignata. ibid.
Penſitatio, vide *Tributa*.
Perduellionis pœna. p.221. n.11
Peregrinationes Principum ſæpe pernicioſæ. p.36 n.16. earum exemplum. ib.
ſchola ſumptuoſa vocantur. p.923. n.1
inſcio Principe, nemo in Regnis & Provinciis inſtituere debet. ibid.
Peregrini in Civitate non ſunt ferendi, remiſſ. p. 729. n.3
non poſſideant prædia & bona, remiſſ. ib.
an ſint recipiendi? remiſſ. p.564. n.36
Perjurium, jure Romano nullâ pœnâ temporali certâ determinatâ, ultioni Divinæ eſt relictum. p.991. n.6
hodie arbitrariè punitur. p.992. n.6
ex Caroli V. P. H. O. digitorum amputatione duobus tantùm caſibus vindicatur. ibid. n.7
Permutationis mercium viliſſimarum pro pretioſiſſimis exemplum. p.301. n.57
Perſarum Religio, vide *Turcarum* religio.
Preces contra Turcas. p.141. n.3
putidum Proverbium. ibid.
ſignum, quo à Turcis ſecernuntur. ib.
conclavium, muſeorum & ſacrariorum xornatio, remiſſ. p.259. n.10
de *Perſecutionibus* Eccleſiæ primitivæ agitur remiſſ. p.45. n.47
Perſecutor Chriſtianorum acerrimus Diocletianus. p.433. n.4
Perſici Regni comparatio. p.349. n.8
Pertinacis Imp. appellationis ratio. p.29. n. 121
mors. ibid.
Peruvia auro argentoque abundat. p.180. n.40
Peſtilentia Romæ graſſatur. p.65. n.42
Petrus an unquam Romæ, & Caput Eccleſiæ fuerit? remiſſ. p.63. n.38
das Pfeiffer-Gericht Francofurti quid, & unde dicatur? p.42. n.20
der Pfender in Rep. Norimb. quis dicatur, ejuſque officium. p.1013. n.1
Pharmaceuticarum officinarum viſitatio Norimbergæ quibus commiſſa. p.520. n.4
Pharmacopolæ in Rep. Norimb. omnibus aliis creditoribus, etiam anteriorem hypothecam habentibus, in concurſu Creditorum præferuntur. p.520. n.4
ſine permiſſu Magiſtratûs venenum non vendant; ſcientes verò volenteſque ad necandum vendentes quâ pœnâ puniendi, remiſſ. ibid. n.5
de *Philippo* Longo Klockii error. p.18. n.23
Philoſophi, velut corruptores juventutis ex urbe jubentur abire. p.733. ſeq. n.4
Picturæ incrementum. p.601. n.3
Pietas, vide *Religio*.
Pileo honor divinus exhibetur. p.372. n.13
Pinſendi frumenti inventor Pilumnus à Piſtoribus olim cultus. p.403. n.5
Piper, vide *Hiſpaniæ* Rex.
ejus deſcriptio. p.366. n.3
Pirata lepidum reſponſum. p.943. n.9
Piſarum urbis antiquitas. p.562. n.9
libertas & vires amittuntur, remiſſ. ibid.
Piſcandi modi varii. p.464. n.52
Piſcationum jus Regalibus non annumeratur. p. 462. n.31
Piſces indurati Iſlandiæ Stockfiſh maximas comparant divitias. p.223. n.26
Piſcium auditus probatur. p.462. n.39
capturâ Auguſtus delectabatur. ibid. n.40
eius

eſus ad varia conducit. ibid. n.36
Piſtrinum pro loco laborioſo olim uſurpatum. p. 482. n.3
Plagiarii pœna. p.102. n.45
Platanus aurea. p.24. n.73
Plebem ſublevandi conſilium. p.59. n.17
Pocula ſanitatis votiva, ad inſanam ebrietatem ducentia, culpantur. p.895. n.12
Podolia agri omnium fœcundiſſimi, & notatu digniſſimi, remiſſ. p.248. n.2
Pœna illa, quæ Reo alienanti infligitur, an etiam in Actore locum habeat, disquiritur remiſſ. p.986. n.1
propter feram necatam pecuniaria æquiſſima. p.460. n.14
Poëta in exilium pulſus. p.673. n.2
Poëtarum Laureatorum primus quis. p.109. n.84
Politici Scelerati Autor culpatur. p.14. n.3
Poloni, unde? remiſſ. p.248. n.1
commodiſſimam venandi occaſionem habent. ibid.
exercitio venandi mirè delectantur. ib.
ſolum habent fertiliſſimum. ib. n.2
ipſorum luxus & prodigalitas nimia. p.250. n.15
eorumque opum oſtentatio. ib.
bella ſuis reditibus peragunt. p.251. n.17
maximos ſumptus in coronationes, nuptias aut Regum ſepulturas ære proprio exſolvunt. ibid.
vicini populi auxilio non egent. ibid.
ſumptus ad bella gerenda unde comparent? ib.
illorum Regis liberalitas. ib. n.20
eorum Rex fiſcum ſuâ munificentiâ non exhaurit. ibid.
Polonia habet apes cicures & feras. p.248. n.4. & 250. n.13
— rem pecuariam opulentiſſimam. ibid. n.5
— metalla foſſiliaque varii generis copioſiſſima. ibid. n.6
— ſalinas, ſed tenuiores. p.249. n.6
equitatu ſuperat Reſp. omnes. p.254. n.33
munitiones & fortalitia non habet. p.255. n. 39
lapidum, calcis, ferramentorum atque lignorum copiâ abundat. ibid.
olim Imperio ſubjecta & tributaria fuit; hodie Superiorem non recognoſcit. p.102. n.103
Pompa Regis Perſici Schach Aban deſcriptio. p.349 n.6
Pondera nonnulli inter Regalia referunt. p.523 n.2
Romana ſunt à Græcorum minâ diverſa. p.24 n.74
Pons mirabilis naturali è lapide oſtenditur. p.512 n.14
ejus longitudo & latitudo & craſſitudo. ibid.
lapideus Norimb. artificioſè arcuatus, à macello adjacenti dicitur die Fleiſchbruck. p.503. n.4
Pontifex in matrimoniis, interventu ſummæ pecuniæ, diſpenſat. p.65. n.41
an in impedimentis, naturali & divino jure matrimonium dirimentibus, diſpenſare poſſit, non eſt expeditum. ibid. exempla tamen producuntur. ibid.
Pontifices provinciarum perfecturas aliis credidére. p.70. n.52
Populationem rerum hoſtilium leges juraque belli permittunt. p. 102. n. 49. diſtinguitur tamen, remiſſivè. ibid.
Porca olim Cereri ſacra. p.445. n.45
eâ cæsâ fœdus firmari ſolebat. ibid.
Porcellanarum deſcriptiones variæ. p.335. n.5
Porta Ottomannica quid, & cur ſic dicatur. p.145 n.50
in S. Scriptura plerumque ipſam denotat civitatem. p.979. n.1
Portorium unde? p.770. n.1
de *Portorio* remiſſivè. p.58. n.6
Portugalli quando ad libertatem provocarint. p. 175. n.1
Portugallia unde dicta. ibid. n.2
etiam Meſopotamia Europæa dicitur. ibid.
tandem ad Hiſpaniæ Regem pervenit. ibid. ſed jam ſuum ſibi Regẽ in ſolio conſtituit. ib.
ejus reditus annui omnes. p.186. n.85
Potandi inæqualitas ænigmate proſtituitur. p.896 n.13
Potentia Tartarorum ſtupenda. p.345. n.22
Potentiores injuriis non afficiant humiliores, remiſſ. p.726. n.1
Poteſtas LL. ferendi aliquo modo in Imperio noſtro circumſcripta. p.107. n.77
ſine juſta cauſa uſurpata, magis eſt dicenda poteſtas. p.961. n.4
Poteſtati non eſt reſiſtendum. p.710. n.1
Præ-Adamitæ nunquam extitére. p.183. n.54
Prædæ opimæ exemplum. p.853. n.21
ab hoſtibus olim captæ variè fuerunt diviſæ. p. 296. n.22
Prædones capite plectuntur, remiſſ. p. 563. n.27
de *Præfectis* Palatii Cæſaris (Pfaltz- oder Pallentz-Grafen) remiſſ. p.108. n.81
Præfectis arcis cujusdam (Burggrafen) remiſſ. p. 180. n.81
Prælii infeliciter cum Turcis initi exemplum. p. 123. n.178
Præmia cùm denegantur, generoſi offenduntur. p. 144. n.45
ſæpe indignis conferuntur. p.678. n.10
Pretia rerum certa, mercedésve operariorum publicè à Magiſtratibus taxanda & conſtituenda. p.936. n.1
Primicerii qui, & unde dicantur. p.552. n.2
Norimbergæ in quibusdam collegiis artificum opificumque dicuntur die Vorgehere/ in quibusdam die Geſchworne. ibid.
— — noviter electi & confirmati Senatui jurant. ibid.
— — arcæ communis rationem exactam ſecundiceriis (den jüngern Amtsbrüdern) reddere tenentur. p.553. n.3
Primogeniti jus in Imperium. p.386. n.14
Primogenituræ jus obſervatur. p.620. n.21
à quibusdam non obtinetur. ibid. n.24
denique receptum eſt. ibid.
Princeps in extrema neceſſitate tributa quidni exigat? p.17. n.20. exemplo declaratur. ibid.
egenus *eſt inſtar* nucis. p.23. n.62
omnibus placere non poteſt. p.1013. n.4
omnia quidem ſcire, ſed non omnia exequi debet. ibid.
bonus majorem habet patriæ, quàm divitiarum curam. p.28. n.102
ſummum tenens Imperium, fidelitatem ab omnibus exigere poteſt. p.107. n.77
licèt quis ſit, non tamen votum & ſeſſionem in Comitiis habet. p.129. n.207
non extero, ſed domeſtico milite utatur. p. 187 n.87

ut omnia in unum aliquem reponat, an conveniat, remiſſ. p.209.n.46.p.922.n.1
operam det, ut ſubditi quieſcant in amore ſui. p.723.n.1.
ſtudeat æquitati & æqualitati. p.727.n.4
non dominationem & ſervos, ſed Rectorem & cives cogitare debet. p.783.n.5
Principes majorem è venatura & aucupio, quàm piſcatione delectationem hauriunt. p.462. n.40
interdum Civitatibus ſolent eſſe offenſi. p.123. n.186
quando territoria ſua ditionesque, jure proprio, dignitate quaſi Regiâ, obtinere cœperint. p.124.n.188
in ſuis territoriis tantum valent, quantum Imp. in Imperio. ibid. & p.125. n.191. quoad hoc in contrarium allata explanantur. p. 125. & 126. n.194
curent, vicinorum potentia ne creſcat. p.208. n.45
ſuorum ingenia noſcere debent. p.923.n.4
ab injuriis & inimicis Deus vindicat. p.1078.n.8
Principi mercatura an conveniat? remiſſ. p.563. n.30. 31
Principis boni in ærario augendo officium. p. 17. n.20. & p.30. n.125. & p.60. n.19
divitiæ, ſecuritas populi. ibid.
tenuitas pernicioſa. p.22.n.59
prudentis & boni eſt, ærario parcè pureque uti. p.30. n.122. ejus exempla. ibid.
boni piiq; gloriæ immortalis exemplum. p.100. n.40
ſummè pacifici exemplum. ibid. n.42
prudentis & faceti exemplum. p.116.n.132
mali, regnandi cupidi, perverſiq; exemplum. p.117.n.140. 143. & 144
liberalium artium amantiſſimi exemplum. p. 118.n.149
non præſentia, ſed concordia malum undecunque veniens arcere valet. p.118.n.151
impii effatum. p.124.n.187
faceti, de *Tribus* tantùm *Regibus*, prudens effatum. p.126.n.196
prodigi exemplum. p.175.n.3
egeni callidum conſilium. p.178.n.22
omnium ante ſe in melius mutati exemplum. p.866.n.1
nimia de ſe exſpectatio plerumque in contemptum odiúmve degenerat. ibid.
veſtium luxu abſtinentis exempla. p.879.n.15. 16
luxurioſi exemplum, remiſſ. p.895.n.5
Imperii benè conſtituendi ſtudioſiſſimi exemplum. p.912.n.1
æqui juſtiq; exemplum. p.919.n.6. p.970.n.5
providi vigilantiſſimiq; exemplum. p.925.n.8
humani & clementis exemplum. p.956.n.8
optimi optimum exemplum. p.962.n.8
beneficiorum memoris exemplum. p.971.n.11
beneficentiſſimi exemplum. p.1009.n.5
avari & libidinoſi exemplum. p.241.n.1
avari & iniqui. p.710.n.3
boni & mali. p.703.n.6
diri. p.703.n.6
felicis & pii. p.290.n.1
infelicis. p.621.n.30
liberalis, vel potiùs prodigi. p.233.n.28
peſſimi. p.787.n.1
ſalutem ſubditorum reſpicientis. p.267.n.22
ſapienter imperantis. p.241.n.1
parùm ſolliciti de finibus ſuis augendis. p. 290. n.1
infelicis mors. p.387.n.21
vigilantiſſimi præclarum elogium. p.252.n.24
ſit, ſcire judicium, idque optimè exequi. p.723. n.2
habitûs mutatio haud caret periculo. p. 741. n.5
ad illius officium quæ pertineant? p.776.n.1
miniſtri juſtitiam adminiſtrent. p.268.n.30
curæ, cogitationes, ſtudiaq; ad populi ſalutem & utilitatem dirigantur. p.783.n.5
Principum in Civitates affectus. p.123.n.186
miniſtri quales ſint, & qui eligendi? remiſſivè. p.678.n.11
Prati definitio & etymon. p.422.n.26
Privatio præſupponit habitum. p.47.n.53
Privatorum facultates Principis ſunt theſaurus. p.319.n.10
Privilegium Reip. Norimb. à Sigiſmundo, Rom. Rege, datum, daß ſie Trompeter und Poſauner halten mögen/ ꝛc. p.42.n.20
Principes concedere poſſunt. p.107.n.77
Proceſſus Orbis Ordinum & artificum, munera ſua ad Sultanum afferentium. p.148.n.78
Prodigalitatis exemplum. p.48.n.56
Prodigi veneno vitam finientis exemplum. p.734. n.4
Prodigus ſibi ipſi eſt hæres optimus. p.733.n.2
declaratus nec contrahere, nec Teſtamentum facere poteſt. p.734.n.5
Profanatoris ædium ſacrarum pœna. p.389.n.30
Proles Regum munerosa Regnorum minatur interitum. p.386.n.14
Propinquos aſpernari, erga alios inclementiam arguit. p.74.n.68
Protectio monaſteriorum, vid. *Advocatia*.
Protectionis jus in encæniis vel nundinis quàm latè pateat. p.897.n.2
Proverbium Dalmaticum de Turcis. p.152.n.92
Perſicum de Turcis. p.141.n.3
RISUS SARDONICUS, unde. p.176.n.10
jocoſum de Abbate S.Hilarii. p.207.n.40
ALBÆ GALLINÆ FILIUS, quid denotet. p.1085.n.4
Provinciæ Regionis ſitus. p.13.n.1
Comitis Reymundi eminentia. ibid. ſeq.
ingrati animi nota. p.14.n.1
fertilitas, incolæ, incommodum. p.13
translatio ad Galliæ Coronam. p.14.n.1
Provinciarum adminiſtratio Auguſti. p.43.n.29
de *Provocationis* extremæ jure, remiſſ. p.109.n.91
Prudentia fortunatum facit Principem. p.97.n.18. p.98.n.33
Rationis virtus eſt. ibid.
una eſt ars & arx Principis. ibid.
ſerpentina cum ſimplicitate columbina miſcenda. ibid. n.20
inſignis Regis cujusdam Perſici. p.349.n.4
ſumma Coſmi Medicei, Florentinorum Ducis. p.320.n.17
Prudentiâ deſtituti Principis infelix imperium. p.387.n.21
Ptochotrophia quæ dicantur. p.909.n.9
Publicani qui? p.60.n.23. eorum authoritas. ibid.
varia genera, remiſſivè. ibid.
quo die à Cenſoribus vectigalia conducebant. ib.
poſtea odioſi facti. ibid.
certis legibus adſtricti erant. p.60.n.24

Pudici-

Pudicitia aureo numo redimitur. p.222. n.17
Puella ab urſo quodam imprægnata, remiſſ. p. 244. n.21
Pugnæ Sempachianæ cruentæ deſcriptio. p.310. n.29
victorioſæ exemplum. p.405. n. 26
Pulveris tormentarii inventio Germanis adſcribitur. p.339. n.16
— — mira vis. ibid. n.18. & p.584. n.1
Purgatorii introductio. p.46. n.53

Q.

Quadruplator variè accipitur. p.16. n.13
hoc loco quis dicatur. ibid.
Quadruplatores olim fœneratores ſunt dicti. p.536. n.3. ejus appellationis ratio. ibid. n.2
Quæſtorum diverſa genera, remiſſ. p.61. n.27
Qualitatem, quâ ſemel eſt imbuta, rem quamlibet retinere, præſumitur. p.729. n.2
Quentus, quid. p.185. n.72
Querneæ coronæ hieroglyphicum. p.103. n.51
de *Quintis*, remiſſivè. p.58. n.2

R.

Rabulæ forenſes ſunt togati vultures, cum Advocatis honeſtis minimè comparabiles. p.984. n.6
Raguſia, Urbs nobilis, nuper terræ motu conquaſſata, & incendio in cineres redacta. p.150. n.83
Ordinum Belgii ad Portam Ottomann. miſſum Reſidentem, cum omnibus ſuis, ruinâ ſuâ involvit. ibid.
in reædificationem tributum annuum, in biennium remiſſum, à Turcarum Imp. obtinuit. ibid.
quantum tributum annuè Turcæ ſolvat. p.150. n.84
liberè per totum Imperium Turcicum, absque vectigalibus & portoriis, negotiatur. ibid.
quo conſilio, quóve modo ſe Sultano olim ſubjecerit. p.151. n.84
Raſchi appellantur Principes in aula Mogolis regni commorantes. p.355. n.10
Ratio Status quid olim, quidve nunc denotet. p.1095. n.4
— — variis appellatur nominibus. ibid.
Ratio omnium rerum forma. p.26. n.89
Rationarium facultatum Principis, uno caſu excepto, ſecretò habendum. p.994. n.1
Principes ſibi conficiant. ibid. n.3
qui ſibi confecerint, recenſentur. ibid. n.8.9. p.997. n.3
Rationes diligenter à miniſtris & officialibus exigendæ. p.997. n.3
interdum ſegniùs exiguntur, & cur. ibid. n.4
Reales, ſive *Regales*, quid. p.180. n.42
Rebellionis cauſa ſævitia exactionum. p.14. n.5.
ejus rei exempla. ibid.
pœna. p.117. n.142
Reditus Regis Angl. olim maximi; hodie diminuti, ad certam tamen ſummam definiti. p.218. n.9
duplo majores percipere aliquem Archiepiſcopum, vel Epiſcopum in Germania, quàm Rom. Regem in omnibus ſuis terris, dicitur remiſſivè. p.115. n.122
Regni Neapolitani. p.177. n.12
Mediolanenſes. ibid. n.18
Portugalliæ, p.186. n.85
Regis Gall. de feudis. p.202. n.22
— — omnes & tributa recenſentur. p.205. n.36
Magni Chani. p.344. n.3
Magni Mogolis. p.355. n.14
Regis Perſiæ. p.350. n.12
Regni Pegu. p.365. n.23
Regum vel Dynaſtarum Japoniæ. p.363. n.23
Sacerdotibus, Magiſtratibus & Sacerdotiis conſtituti unde? remiſſivè. p.259. n.56
Redituum inquiſitores non ut oracula habendi. p.121. n.167
Regni Sinenſis ſumma. p.335. n.6
Regalia quæ ſint, vix poteſt definiri. p.106. n.72
varia tamen à variis enumerantur. ibid. n.73
variéq; dividuntur. p.107. n.76
Regaliæ jus in Gallia ſoli Regi competit. p.206. n.37. hoc loco quid ſignificet. ibid.
de ejus origine, quibus rationibus ſuffulciatur, &c. remiſſ. p.207. ibid.
Regalis juris coronandi Reges exempla. p.107. 108. n.78
Reges per Electionem ſuſcipiantur, remiſſ. p.242. n.9
Regimen duorum Dominorum non eſt ſine periculis & incommodis. p.618. n.12
Reginæ nomen anhelat Andegavenſium Dux. p. 13. n.1
Regiones mercaturâ excellentes. p.562. ſeq. n.17. ſeq.
Regis Sanctitas inviolabilis eſſe debet. p.226. n.42
contemptus prona ad ſeditiones via eſt. ibid.
de ejus veneratione & honore, remiſſivè. ibid.
ad *Regna* qui pervenerunt bonis artibus, iisdem etiam ſubditorum animos retinere gaudent, remiſſivè. p.241. n.3
qui diverſâ irrupêre viâ, metu & terrore exprimunt obſequia. ibid. & p.242
Regni Conſtantinopolitani diviſio. p.619. n.16
vires nerviq; ſoli Regi & Conſiliariis noti eſſe debent. p.31. n.135
Neapolitani ad Eccleſiam Romanam translatio quando facta. p.66. n.47
Regnum ſive Imperium juſtitiâ, & veritate bellicâ propugnetur & conſervetur, remiſſ. p.241. n.3
Regreſſus ab acceſſu in materia beneficiali differt. p.73. n.58
hodie inhibitus. ibid.
Reichsſteuer. p.31. n.133
Reipublicæ definitio. p.1027. n.1
Senatores quales eligendi? remiſſ. p.274. n.9
Judices quid caveant? remiſſ. p.569. n.8
intereſt, ut familiarum honor, ordo, dignitas & opulentia conſervetur, remiſſivè. p.620. n.26
regendæ præcepta tria tradita. p. 787. n.1
Relevamenti jus deſcribitur. p.201. n.22
Relevium. p.222. n.12. unde dictum. p.223. n.23.
conſuetum in Anglia perſolvit hæres eorum, qui per ſervitium militare tenentur. p.222. n.16
Religio, gladio non vult tractari. p.100. n.42. ejus rei ſimile & exempla. ibid.
ſæpe bellorum, quamvis iniquorum, cauſa. p.184. n.63
ad *Religionem* Præſidis Provinciæ quænam pertinuerint? p.727. n.1
Religionis Congenſium deſcriptio. p.379. n.5
de *Religionum* damnata plumbatura remiſſivè. p.872. n.12
Repetundarum crimen dat actionem adversùs hæredes in quadruplum. p. 1060. n. 2. quod

Idem in Peculatûs & Reſiduorum crimine obtinet. ibid.
— — olim omniũ bonorũ publicatione puniebatur; quod tamen hodie limitatur. ibid.
Reſiduorum crimen, vid. *Repetundarum* crimen.
Rhodienſium militum ordo in Anglia deletus. p. 221. n. 11
Rhodus Inſula Amedei Sabaudiæ Ducis virtute in Chriſtianorum poteſtatem pervenit. p. 314. n. 8
Armandi *Richelii* Cardinalis eminentia, laudesq; immortales. p. 208. n. 46
officia Regi ſemper grata & probata fuêre. p. 209. n. 46
Rigor circa autoritatẽ propriã nimius. p. 295. n. 11
Riſus Sardonicus, vid. *Proverbium*.
Roma in veterem & novam dividitur. p. 94. n. 1
vetus à Romulo condita. ibid.
nova à Conſtantino M. inſtaurata. ibid.
Occidentalis Imperii Caput deſignat. ibid.
Romani quâ pecuniâ primò uſi. p. 39. n. 2. & 6
filios naſcentes Diis commendarunt. p. 40. n. 6
partẽ prædæ Numinibus cõſecrabant. p. 853. n. 10
prædam vendi, ærarioq; pecuniam inferri curavêre. ibid. n. 11
regionis ſub ditionem redactæ partem vicino alicui Regi donârunt. p. 856. n. 8
Regem Cypri, ejusq; Regnum, indictâ causâ, publicârunt. ibid.
oblata auxilia militaria non acceptant. p. 859. n. 1
cur ſtipem in lacum jecerint. p. 860. n. 11
Romaniola, Regio Italiæ. p. 69. n. 51
Roſæ ſexagenûm foliorum fragrantiore gaudent cæteris odore. p. 435. n. 32
Roſarum folia Turcæ humi jacere minimè patiuntur. p. 434. n. 18
Roſomacha, Germ. Vielfraß / vera heluonum idea, remiſſ. p. 734. n. 5
Rottvvilæ aulicum judicium quando & à quo inſtitutum? remiſſ. p. 703. n. 8
Rupelauri lepidum reſponſum. p. 31. n. 132

S.

Sabaudi Principes unde oriundi? p. 13. n. 1
Sabaudiæ Ducis Jus Superioritatis in Feudis. p. 314. n. 2
Sabellii doctrina. p. 144. n. 36
Sacchari elaborandi modus. p. 372. n. 17
Sacrilegi pœna. p. 50. n. 71. & 72
Sævitia Imperatorum Turcicorum in proprios fratres. p. 386. n. 14
Tamerlanis Tartarorum Imperatoris inaudita. p. 354. n. 3
Sagittandi peritia Tartarorum admiranda. p. 345. n. 19
Salomo, Regum ſapientiſſimus. p. 970. n. 1
Saltationis extremæ inſania. p. 499. n. 11
Salutipotationes nimiæ & veſanæ damnantur. p. 895. n. 12
Salvus-Conductus, ab Imp. Joh. Huſſo datus, à Conſilio Præſulum non præſtitus. p. 847. n. 6.
quomodo circa eum Pontificii hodie diſtinguant. ibid.
Schorſtein- und Camin-Geld. p. 31. n. 133
Schutz-Geld. ibid.
Sanzac-beg, apud Turcas, quis. p. 153. n. 100
Sapiens à ſapore dictus. p. 492. n. 11
Sardinia, Inſula, duplex. p. 176. n. 10
herbam, homines quaſi ridentes perimentem, profert. ibid.
Sarraceni, vocis, ſignificatio. p. 152. n. 90
Sartorum illuſio. p. 46. n. 49
Romanorum Patronus. p. 49. n. 67
Sal ab ardore Solis efficitur. p. 249. n. 6. & 267. n. 24
magnam partem ex Gallia quotidie defertur. p. 493. n. 16
ejus excoctio & uſus. ibid.
rebus incorruptionis quandam ſpeciem largitur. p. 496. n. 32
terræ diſcipuli Chriſti cognominati. p. 492. n. 7
condimentorum condimentum. ibid. n. 12
Salarium à ſale dictum. p. 492. n. 9
Salinæ Luneburgenſes. p. 493. n. 18
Saxonicæ Halenſium. ibid.
Salinarum Vielicenſium incendium, maximum fuit diſpendium. p. 251. n. 19
Salinis dotatæ inſigniores Germaniæ urbes Halæ vocantur. p. 494. n. 22
Salis ingentem copiam Provinciæ fœderatæ abſumunt. p. 493. n. 16
in ſtatuam converſa eſt Loti uxor. p. 495. n. 49
de hac ſtatua nonnulla dictu admiranda. p. 496. ibid.
cum grano monopolium exercendum. p. 495. n. 46
Salzgraven. p. 494. n. 36
eorum officium. ibid.
Salzjunckern qui appellentur? p. 493. n. 19
Saturni ædes quæ? p. 49. n. 67. & p. 50
Scanzia Inſula Sueciæ & Norwegiæ Regna continens. p. 233. n. 6
Sclopetarii proprii, ex ſingulari privilegio, Principi cuidam Congiano conceſſi. p. 381. n. 22
Scolopax unde? remiſſ. p. 242. n. 8
Scotatio quid? p. 48. n. 53
de *Scriptura*, remiſſivè. p. 58. n. 3
Sculteti ſeu Advocati qui? p. 258. n. 31
Seditionis exemplum. p. 177. n. 16
Senenſem Rempubl. quô artificiô nactus fuerit Coſmus Mediceus? p. 319. n. 3
Senex anno ætatis CIV. genuit ſpurium, remiſſivè. p. 693. n. 4
anno CXX. ſecundas celebrat nuptias. ibid.
annorum CCCLXI. ibid. n. 5
Sententia, inferens gravamen, quod per appellationem à definitiva reparari nequit, quæ dicatur. p. 980. n. 8
Septentrionaliores Auſtralibus animoſiores. p. 346. n. 25
Sepulchri Inſcriptio Azonis. p. 19. n. 28
Nitocridis. p. 23. n. 65
Semiramidis. ibid.
aliorum. ibid.
Pauli II. Pontif. p. 63. n. 37
Baldi. p. 118. n. 150
Candiæ Inſulæ. p. 144. n. 42
Cinco-Martii & Thuani. p. 1028. n. 8
Caroli, Burgund. Ducis, cæſi exercitûs. p. 308. n. 2
Hieronym. Frobenii, Typogr. Baſil. ibid. n. 7
Johann. Oporini, Typogr. Baſil. p. 309. n. 7
Sepulturâ Eraſmi Roterodami. p. 308. n. 7
S. Thomæ. p. 357. n. 2
Seraphini numi aurei ſunt. p. 153. n. 108
Serici artificium unicus mercatorum Italicorum nervus lucri appellatur. p. 467. n. 1
copia in Regno Sinæ maxima. p. 468. n. 11
abundantia in urbe Cambalu. p. 345. n. 17
Sericum crudum in Belgio plus quàm 12000. hominum occupat. p. 467. n. 5
Serviæ Regionis ſitus. p. 146. n. 63
Servitus jugum duriſſimum. p. 787. n. 1
Tartarica Ruſſorum per tria ferè duravit ſecula. p. 345. n. 21

Seſak

Seſak quis? p.44.n.39.
cippos erexit, ſacris Ægyptiorum inſcriptos literis. ibid.
Severitas nimia bono publico haud conducibilis. p.186.n.80
Siciliæ Regum mater. p.14.n.1
Siclus quid? p.44.n.35. ejus ſignificatio, valor. ib.
duplex in ſacris literis occurrit. ibid.
Sigismundi juramentum & gubernatio. p.235.n.15
Signa certa olim in ſcutis & clypeis depicta. p.105 n.67
quæ hodiè apud Chriſtianos in uſu. ibid.
Ducum qualia. ibid.
Familiæ alicujus certa notæ dicuntur. p.106.n.70
Signandi modus, manu totâ atramento infectâ, & ſic papyro impreſsâ, apud Turcas magna in veneratione eſt. p.151.n.84
de *Silentio* Senatûs Veneti, remiſſ. p.931.n.1
de *Simulatione* & *Diſſimulatione*, rem. p.919.n.12
de *Societate* Indiæ Occidentalis, remiſſ. p.187.n.91
Societatem humanam vinculo quodam firmiſſimo conſtrinxit natura. p.564.n.36
Societatis Occidentalis delineatio. p.302.n.63
Sodomiæ turpitudo. p.495.n.43
Solarium olim Agrarium dicebatur. p.498. n.1
quid. ibid. n.2
Solitudinis amantes Philoſophi. p.404. n.15
Somma quid? p.149.n.82
Sophi & *Sophiani* Reges Perſiæ ultimi vocabantur. p.350.n.8
Spectacula, vid. *Comœdias*.
Spes ſupra ſortem infelix. p.386.n.17
Spiritûs Sancti imagini non ita pridem Romæ in electione Pontificis impiè facta ſubſcriptio. p.1078.n.2
Spirituum velox ad cor translatio. p.472.n.3
Spolii vocis h. l. acceptio & ſignificatio. p.73.n.60
Sportula certâ pecuniæ ſummam denotat. p.320.n.12
Springerbüben Norimb. qui dicantur. p.908.n.8
Stapulæ ponendæ juris acquiſitio, definitio & derivatio. p.521.n.1.2.p.522.n.3
— — jus gradus habet ſuos, & aliquando variat. p.521.n.1.&7
— — — quæ Civitates prætendant. p.522. n.4.5.6
Statua Nabuchodonoſoris Imperii mundani vanam varietatem adumbravit. p.45.n.40
deſcribitur. ibid.
Sixto V. Pontif. in Capitolio erecta. p.63.n.39
nulla poſthac Pontifici viventi conſecranda. p.63.n.39
Caroli M. in foro Bremenſi conſpicua, quid in inſigniis præferat. p.95.n.4
Status Imperii, reſpectu Cæſaris, utile, reſpectu verò ſubditorum, directum habent dominium. p.125.n.191
— —. perperam vetuſtis Romanorum Magiſtratibus æquiparantur. ibid.
Stellionatûs quinam accuſentur? p.789. n.2
Stellionis nomen in maledictum translatum. ibid.
Stragis cruentæ deſcriptio. p.95.n.8.& p.387.n.20
Stratagema in bello juſtè ſuſcepto licitum. p.97. n.21.
jure gentium probatur. ibid.
ejus exempla. ibid.
Strenæ quando Romæ Principi oblatæ. p.860.n.12
Stuprans puellam immaturam non ſtupri, ſed L. Aquiliæ pœnâ puniendus, remiſſ. p.1039.n.4
Stuprum, vid. *Adulterium*.
omne fallax aliqua perſuaſio & promiſſio concomitatur. p.1050.n.6
Subditi obſequantur Magiſtratui. p.266.n.6. & p.274.n.10
Imorigeri puniuntur. p.274.n.10
debent ſuppetias Principi ſeu Patriæ tempore belli. p.730.n.1
Subſiſtentia, tributi genus in Gallia, quid. p.206. n.36. in fin.
Succeſſionis pacta Confraternitates dicuntur. p.621.n.27
— — ut valeant, tria requiruntur ib.n.28
— — differentiam patiuntur. ibid.n.27.
pactorum exempla. ibid.n.29.30.31
— — origo. ibid.n.32
beneficium Matronarũ Danicarum. p.30.n.128
Succinum quid, & quomodo colligatur? p.249. n.7.8
optimum in Boruſſia. ibid. n.10
ejus maximam copiam ſuppeditat locus quidam, Grecke dictus. ibid. n.11
furtim auferentes patibulo affiguntur. ibid.
quantos afferat quotannis reditus? ibid.
ejus pretium, ſeu valor. ibid.
Sueci unde dicti? p.232. n.2.
ipſorum Regis in Germaniam ingreſſio. ib.n.12.
Suecia habet argentum puriſſimum. p.233.n.15
— montes variorum metallorum generibus ditiſſimos. ibid. n.16
— Sylvas lignorum copioſiſſimas. ibid.
— venationes aucupiaque optima. p.232.n.16
Suecicum regnum ampliatur. p.234.n.23
— premitur & diademate ſpoliatur. p.235.n.19
— traditur Chriſtinæ Reginæ. ibid.
ejusdem procerum & adminiſtratorum officium. p.236.n.66
Sultanus quid ſignificet? p.145.n.48
Sumtuum immodicorum fuga. p.404.n.13
Superbiæ humiliatæ exemplũ. p.45.n.40. p.95.n.8
faſtus, Regnorum interitus. p.60.n.20
— — paupertatis exitus. ibid.
Superbia non in opibus, nec in veſtitu, ſed in animo quærenda eſt. p.674.n.15
Superioritatem in Imperio territorialem conſequendi modi duo ſunt. p.125.n.193. quoad hos contraria diluuntur. ibid.
Superſtitio gentis Malabricæ. p.367.n.45
Sylva Norimbergenſis in Laurentianam & Sebaldinam dividitur. p.420.n.5
— — quorum curæ commiſſa. ibid.
— — quando & quomodo ex ſeminibus propagari cœperit. ibid.
— — olim ad Burgum Imperii univerſa pertinebat, ſed tandem Senatui Norico procuranda commiſſa. ibid.
Sylvarum cura olim inter officia Conſulis fuit. p.419.n.1
Symbolum Regum Poloniæ proprium. p.259.n.57
Synagoga Judaicæ imago. p.421.n.18
Syngraphæ debitorum in foro crematæ. p.537. n.15.&703.n.4
Synodi Tridentinæ finis. p.73.n.58

T.

Tabella ænea Caroli V. & Ferdinandi, fratrum. p.41.n.13
Tabelliones unde dicti. p.109.n.85
Tabernæ appellatio. p.498.n.3
Tabula, vid. *Calculus*.
Tabularum publicarũ cura ſæpe mutata. p.51.n.27
Tafel-Schatz. p.31.n.133
Talenta multa ex Darii theſauris collecta. p.24.n.71
Talenti Ebraici Auri valor. p.23.n.67

Tamer-

Tamerlanes ob ſævitiam inauditam Orbis terror & Clades Orientis dictus. p.354.n.3
ejusdem appellationes variæ aliæ. ib.
Tabaccum quis primus in Angliam intulerit. pag. 225.n.36
ibi primò in magno fuit pretio, ibid.
varios morbos cauſat. ib.
contra Angliæ Rex Jacobus VI. diſputat. ib.
Taprobanes inſula quæ? p.62.n.32
pars Paradiſi creditur. ibid.
Tartari variarum nationum homines furantur. p.346.n.27
eorum gens & nomen Europæis quando innotuit. p.343.n.1
Dux & auctor qui? ib. n.2
Taxæ pœnitentiariæ verba. p.65.n.41
de *Technomatophylaciis*, remiſſ. p.1062.n.4
Telarum pretioſitas, remiſſ. p.602.n.17
Telonium qui non pendit, amiſſionem bonorum incurrit, remiſſ. p.234.n.12
novum quis inſtituat? remiſſ. p.252.n.22. & p. 259.n.35
Temperantiæ exempla, remiſſ. p.885.n.11
Templi cujusdam uno è ſaxo excavato conſtantis deſcriptio. p.378.n.4
Templum Hieroſolymitanum ter ædificatum. p. 44.n.37
artificioſum & magnificum urbis Marocci. pag. 385.n.8
Carauventum magnitudinis altitudinisque ſtupendæ. p.389.n.28
in eo ſingulis noctibus 900. lucernæ accenduntur. ibid.
Tenutæ terrarum quid? p.216.n.2
Terra ſecundùm Platonem meliùs γαῖα quàm γῆ appellatur. p.406.n.42
Terræmotum nuper Norimberga, & ſic annis abhinc CCCXXII. quintum ſenſit. p.494.n.22
Terræ motus in China horrendi. p.339.n.15
Teſſera, vid. *Calculus*.
Teſſerarum forma, remiſſ. p.787.n.4
Teſtamentum Mahumetis II. Turcarum Imp. pag. 30.n.126
falſi accuſans, ſi perſeveraverit, non ſi pœnituerit, aut transegerit, ſe reddit indignum. p.1031.n.5
Teſtimonium falſum dicentes, de ſaxo præcipitantur. p.205.n.4
Textorum ſubtilitas. p.602.n.17
Thermæ Weiſenburgenſes & Norimbergenſes (das Wildbad.) p.513.n.15
Thermarum ſalutarium deperditarum recuperatio. p.512.n.3
Thermas Romæ reliquit Anton. Caracalla nominis ſui eximias. p.513.n.18
variarum deſcriptio. p.511.& 512.n.2.3.ſeq.
Theſauri vocis etymologia varia. p.952.n.1
Theſaurus Venetus. p.19.n.33
ingens in variis ſepulchris repertus. p.23.n.64. & p.221.n.11
Sacer apud Ebræos bipartitus. p.43.n.34
Templi Dei. p.45.n.41. variè computatur. pag. 44.n.38
Regius. p.45.n.41
incredibilis Romæ collectus, niſi certis caſibus, non poteſt expendi. p.64.n.40
ingens Papalis, & nonnullorum Cardinalium. p.74.n.63
immenſus deſcribitur. p.106.n.71
ingens Pragenſis. p.118.n.151
Imperatoris Turcici quibus concreditus. p.144. num.43
ab aratore inventus. p.952.n.3
inventus de Reform. Norimb. cui acquiratur. ibid. n.5
arte magicâ, in rei veritate, nunquam repertus. p.953.n.7.& 8
Thunnus, ſive *Thynnus*, vid. *Atun.*
Tibicines qui? p.42. n.18. vid. *Norimberga.*
Tiguri deſcriptio. p.308.n.5
Timarium quid. p.151.n.89
adeptus, quid facere debeat. ibid. p.152.n.93
ad hæredes devolvitur. ibid.n.89
Titulus Regis Congenſis, ejusque Regiæ Conjugis. p.380. 381.n.18
Regis Prete-Jani duplex. p.370.n.5
Tomani, monetæ cujusdam Perſicæ, valor. p.350.n.9
de *Tormentis*, quibus excruciati fuêre Chriſtiani, agitur, remiſſ. p.45.n.47
Traducendi ligna & rates jus, vid. de *Grutiæ* jure.
Tranckſteuer. p.31.n.133
Tranſylvaniæ Principatus Turcæ tributarius. pag. 151.n.85
Treviri, vid. *Triumviri* monetales.
Tributa imperentur pro Reipubl. ſalute. p.15.n.5
— — neceſſariò, juſtè, æquabiliter, modicè, modeſtè ibid.
— — multis potiùs vicibus, quàm unâ. ibid.
neceſſitate ſublatâ, remittenda. ibid.
neceſſitate extremâ juſtè exigi, exemplo demonſtratur. p.17.n.20
propter notoriam devaſtationis impoſſibilitatem in Germania aliquando remiſſa. pag. 18.n.21
populum perturbatum anxiumque reddunt. ib. num.22
graviora jucundam aliàs exactoris memoriam delent. p.65.n.44. ſeditiones movent. p. 177.n.16
Regni Neapolitani aucta. ibid.n.13
pro ſingulorum facultatibus in omnes exæquanda. p.204.n.30
inæqualiter impoſita multum incommodi afferre, exemplo probatur. ibid.
Gallica diſtinguuntur. p.204.n.29
inveterata augere, quàm nova imponere præſtat. p.300.n.41
Tributariorum Virorũ in Sina numerus. p.336.n.9
Tributi remiſſionem mala Imperantium & parentium interdum procuraſſe, exemplis probatur. p.17.n.21
graviſſimi exactoris turpe exemplum. p.18.n. 21.p.221.n.11. p.177.n.16
Tributum ſ. vectigal ex variis rebus exigitur. pag. 234.n.21.p.243.n.15.p.258.n.50.p.267.n. 24.p.274.n.14.p.275.n.31
pro modo facultatum præſtare æquius eſt. pag. 274.n.1.p.710.n.2
ut non ſolvatur, pactio inter Reges Sueciæ & Daniæ, remiſſ. p.243.n.15
omnium gratiſſimum, pulcherrimum, honeſtiſſimum ac utiliſſimum, rem. p.251.n.16
ut juſtum ſit, quid requiratur? remiſſ. p.687.n.1
exigitur à Judæis in toto Orbe Romão. p.789.n.9
ſolvit Poloniæ Ducatus Imperio ſubjectus. pag. p.783.n.1
Benevolentiæ. p.221.n.11
ſolo ſingularum ædium Conſtantinopoli impoſitum. p.148.n.71
duplex pro ſimplici imponitur à Turc. Imper. Chriſtianis, fidem abnegantibus. ibid.

Tributis novis hoſtem impedire, populo odioſum. p.14 n.4. ſine *tributis* quies populi haberi nequit. p.15.n.6
Triumphus ex bello civili nullus. p.59.n.12. ejus rei ratio. ibid.
Triumviri monetales qui? eorũ origo. p.61.n.29
Servius *Tullius* unde appellatus. p.40.n.5
Turcæ omnem terram, Romanis olim ſubjectam, hodiè poſſident. p.111.n.100
Candiam, poſt bellum undecennale, poteſtati ſuæ nuper ſubjecerunt. ibid. p.154.n.114
Caneam occuparunt. ibid.
Neuheuſelium in ditionem ſuam redegerunt. ibid.
ſobrii & parci in expeditionibus. p.128.n.205
hodiè tamen multò molliores & effœminatiores. ibid. n.206
Perſis immaniter infeſti. p.141.n.3
quando circumciduntur. p.142.n.15
quibus mediis & artificiis Chriſtianos ad ſuam religionem pertrahant. p.142.n.26
Eccleſias Chriſtianas jam ædificatas tolerant, novas verò exſtrui minimè patiuntur. ib. num.27
quot uxores habeant. p.143.n.34
divortia leviſſimis de cauſis permittunt. ibid.
ingratitudinem execrantur, muneribusque inhiant. p.145.n.49. p.148.n.78
Chriſtianos, ſub iis viventes, miſerè gravant. p. 147.n.66
Chriſtianorum pueris inſidiantur. ibid.
Chriſtianorum Legatos obvios quomodo excipiant. p.148.n.70
pro Imperii munere immenſam pecuniæ ſummam ſolvunt. p.151.n.87
etiam Oſmanides & Sarraceni dicuntur. p.152. num.90
ſe ipſos nunquam Sarracenos appellant, ſed à vicinis per contemptum ita vocantur. ib.
à Sarracenis differunt. p.152.n.90
ſemper precantur Deum, ut Chriſtianos perpetuò diſcordes eſſe velit. p.154.n.113
propè S. Gotthard prælium cum Chriſtianis commiſerunt. ibid. n.114
in auxiliũ à Galliæ Rege advocantur. p.156.n.119
Turcarum Perſarumque Religio differt. p.141.n.3
quidam Imp. Chriſtianos è Regno noluit ejicere. p.142.n.28
Imperatores fratres plerumque occidere, vel in loco tuto continere ſolent. p.145.n.48. duriora quædam ſtatuentes ſtrangulantur. ibid. p.154.n.114. æmulos, ex regnatrice domo ortos, exſtirpant. ibid. quibus Principibus, & ob quas cauſas, munera mittant. ibid. n.49
& Rom. Impp. munera ſibi invicem mittunt. p. 149.n.80. & p.151.n.86
Imperator belligerando pecuniam non expendit, ſed colligit. p.151.n.87
nomen quid ſignificet. p.152.n.90
progreſſuum cauſæ, Chriſtianorum ſcelerum pœnæ. p.154.n.111
Imperatoris titulus. p.155.n.116
Turcas omnis generis opificia exercere, ſtatuitur remiſſ. p.601.n.1
Turcicum Imperium etiam Oſmanidarum dicitur p.141.n.2
— — in novem Regna diviſum. ibid.
quàm latè pateat. p.144.n.42
Tutela Nobilium in Anglia inoleſcit. p.222.n.12
Regis introducitur. ibid.
Regia Scotiæ. p.223.n.19
Tutoris in Anglia officium. p.222.n.14
— — — malè adminiſtrantis pœna. ibid.
Nobilium jus apud Aurelianenſes, Bituricenſes, Burgundos, & alibi. p.223.n.21
fidi exemplum. p.436.n.46
Türckenſteuer. p.31.n.133
Tympani uſus. p.42.n.19
ex pelle humana confectio. ib.
Typographiæ Sinenſis origo. p.340.n.29
inventor primus Joh. Guttenbergius. ibid.n.32
inventio Fauſto etiam tribuitur. ibid.n.35
Tyrolis quantum Principi ſuo quotannis è re metallica ſolvat. p.122.n.172
Tyranni etiam optimos potentes ferre non poſſunt. p.961.n.5

V.

VAccæ Hollandicæ lactis copiâ abundantes. p. 442.n.9
de *Varianæ* Stragis loco diſſenſus. p.96.n.9
de *Vaſallorum* ſubmiſſione. p.627.ſeq. n.7. ſeq. & eorum feudis. p.629.n.1.2.
Vectigal ex agris ſativis, & plantariis. p.58.n.8
— — pecoribus. ib.
— — metalli fodinis, remiſſ. p.61.n.26
opulentiſſimum Pontificis calamus. p.62.n.34
nil quicquam Romæ potuit effugere. p.72.n.56
ſive acciſam tutiùs ante venditionem rerum comeſtibilium, quàm in ipſo actu percipi, exemplo docetur. p.936.n.2
unde? p.770.n.1
Vectigalia nova erigendi jus variè conſideratur. p.111.n.96
duorum ſunt generum. p.297.n.25
eorum ordinandorum ratio. ibid.
in Italia nimiùm excrevêre. p.319.n.12
variis rebus impoſita. p.300.301.n.48
ab iis nemo fit immunis, remiſſ. p.687.n.6
vid. *Tributum*.
Vectigalibus efferatorum exempla. p.14.n.5
Vehendi ligna in flumine jus, vid. de *Grutiæ* jure.
Venationes tempore Autumni fructuoſiſſimæ. p. 461.n.27
Germanos delectant. ib. n.28
Venationis incommoda. p.925.n.2
modicè exercitæ commoda. ib. n.8
deſcriptio. p.461.n.16
cum militia convenientia. ib. n.17
jus ſolis Principibus hodiè conceſſum. p.459. num.3
tres ſpecies. ib. n.2.
in diebus feſtis interdictio. p.461.n.27
Venatoris ſignificatio. ibid.n.24
Venaturæ ferarum, piſcium, aviumque notabiliora quædam. p.459.n.6
Venditio officiorum quorundam Romæ. p.73.n.61
— — in cauſa fuit, ut ſæpè etiam immeriti meritiſſimis anteponerentur. ibid. p.929. num.1
— — indignis facta, Reip. pernicioſiſſima. ib. & n.2
Venenum Pharmacopœis citra permiſſum ſuperiorum nulli divendere licitum. p.520.n.5
Veneti multas ditiones, olim Regno Italico ſubjectas, poſſident. p.112.n.106
eos neminem offendere, ſed contra offendentes ſe defendere, duæ in area D. Marci columnæ præfigurant. p.934.n.6
reliquos Italiæ Principes & potentiâ & dominio longè præcellunt, remiſſ. p.272.n.2
in protectionem ſuſcipiunt Dalmatiam, remiſſ. p.273.n.18

Regium

Regium Dalmatiæ titulum conſequuntur, remiſſ. ibid.
ſuam Nobilitatem plebemque duris afficiunt pœnis. ib.n.21
Venetiæ ſ. *Veneta* urbs, noſtro ævo omnium celeberrima, opulentiſſimaque. p.271.n.1
quando initium ſumſerit? ibid.
verbottene oder unordentliche Vermiſchung quid. p.1039.n.1
Verecundiam mulier exutâ exuit tunicâ p.507.n.9
Verſchollen quid? p.692.n.1
Veſtium luxuria, vid. *Luxuria.*
Vetulæ numatæ, ceu Reginæ Pecuniæ æditui & cuſtodes coluntur. p.21.n.52
Victor nunquam extitit ſine clade. p.225 n.33
Victoria Helvetiorum inſignis ad Granſam.p.308. num.2
Victoriæ commodum. p.60.n.19.p.852.n.3
cauſa, fortuna. p.225.n.33
ad *Victum* quotidianum neceſſaria extra territorium non efferantur. p.564.n.34
Victûs vitæque rationem Ægyptii quotannis reddere tenebantur. p.908.n.3
deſcriptio. p.406.n.41
Vienna à Turcis obſidetur, & ab obſidione liberatur. p.127.n.197
quantam militum copiam tunc hoſtibus oppoſuerit. ibid.
Vinearum foſſor ſedulus Seneca. p.406.n.38
Vini vendendi jus, vid. *Oenopolii* Jus.
Vinum lene tormentum rectè dicitur. p.922.n.3
Vires pecuniâ emungendo diminuuntur. p.220. num.11.
Virginia, vid. *Angli.*
Viri verè Politici, pii, cordatique exemplum. pag. 550.n.1
Virtus armis præferenda. p.375.n.6
Virtutes Guſtavi Adolphi ab hoſtibus magni æſtimantur. p.235.n.38
quæ ſint? ibid.
Virtutis Cyri cum fortuna conjunctio.p.406.n.37
Virtutum vitiorumque, in uno ingenio, confuſo quodam temperamento, exiſtentium exemplum. p.218.n.10
Vita ruſticana pacis amantiſſima. p.480.n.57
Vitæ tranquillæ ſtudium. p.404.n.15
Vitiorum cum virtutibus affinitas declaratur, remiſſ. p.1078.n.1
Vitis aurea. p.24.n.73
Vitri origo. p.519.n.2
Ulciſci maleficium, v. *Acerbitas.*
Ulefe & *Ulofen*, apud Turcas, quid. p.152.n.96
Ungeld.p.31.n.133.
Uniformitas fidei, ponderis, menſuræ, monetæ &c. ſtatum totius Orbis illæſum ſervat. p. 605.n.2
Unio Ultrajectina fundamentum Belgii fœderati. p.292.n.6
ejus capitula. ibid.
de *Unione* quædam notabilis hiſtoria. p.591.n.4
de *Unionum* generatione variæ opiniones. ibid. n.2
etymologiâ. ibid.n.3
Unitarum Provinciarum ſucceſſus admirandi. p. 294.n.11
Vogteia (Vogtey) quid ſignificet. p.867.n.7
dividitur in die Ober- und Unter-Vogteyen/ remiſſ. ibid.
Voluntas defuncti ceu inepta non debet attendi. p.1084.n.1
de *Votorum* oblatione apud Romanos, remiſſ.p. 860.n.12
Votum pro pace perpetua, & conſtanti concordiâ Germaniæ. p.99.& 100.n.39.p.131.n.16
pro felicitate Auguſtiſſimi Imp. Leopoldi. p. 119.n.152
Upſaliæ urbis ædificatio. p.232.n.1
Urbinum donationis titulo ad Eccleſiam Rom. pervenit. p.68.n.49
Urbis magnificè exſtructæ exemplum. p.885.n.7
Urbium quarundam Italicarum epitheta. p. 319 n.8
Urorum ingens velocitas. p.461.n.28.
geſchworne Urphedt/ vid. *Obligatio* jurata.
Uſuræ improbitas. p.536 n.1
Uſurarum vitiô debita graviſſima contracta. pag. 586.n.2
Utilitatem in communem conferre, æquiſſimum p.24.n.79
Uxor ſit pacis & belli ſocia, calamitatum & fortunarum particeps. p.674.n.10.& 20
Ejus divitiæ pariunt litigium, remiſſ. ibid.n.14

VV.

WAlliæ Princeps, vid. *Cornwallia, &c.*
Weg-Geld. p.31.n.133
Wildbahn non à voce Wald/ ſed Wild derivatur. p.460.n.11
comprehendit jus venandi, non tantùm in ſylvis, ſed & in agris & pratis. ibid.
Wochenſteuer. p.31.n.133.
VValachia, vid. *Moldavia.*
VVenceslai Nativitas; & omen pernitioſiſſimi Regiminis. p.120.n.159
exauthorationis, & privationis Regiæ Rom. dignitatis cauſa. ib.n.160
duæ captivitates. p.121.n.161
vini cupiditas. ibid.n.163
VVreckum in Anglia quid. p.943.n.1
VVurtenbergicus Ducatus, vid. *Ducatus* Würtenb.

X.

XEnodochia quæ. p.909.n.9
Xenodochii Feſſiani opulentia. p.389.n.30
ſpoliatio, ſpoliique reſtitutio. ibid.

Z.

Zeidler/ & Zeidel-Güter. p.248.n.4
Zequinus, ſive *Zikinus* quid? unde ſic dictus; ejus valor. p.147.n.68
Zercula apud Turcas qui. p.123.n.105
Zibethicæ felis deſcriptio. p.380.n.11
cicuratio. ibid.n.12
Zibethum ubi naſcatur? ibid.n.11
de *Zingaris*, remiſſ. p.909.n.7
Zingiberis eruendi modus. p.366.n.33
Zonæ in globo terreſtri cōtentę definitio.p.378.n.1
Zonarum numerus & diſcrimen. p.379.ibid.

ERratis, quæ feſtinatione præli hinc inde irrepſêre, nec ſpeciatim hîc recenſere inſtantes Nundinæ permittunt, Æquus, nec verba captans, ſed quâ mente quidquid dictum ſit perpendens Lector, ut ignoſcat, aut benevolè ea corrigere velit, rogatur.

FINIS.